Digitized by Google

Digitized by Google

P 12-24-11
IX
A.

Digitized by Google

DIGESTVM SAPIENTIÆ

Dalla Libreria del P. Guardiano del Collegio di Roma.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

12 34 H . H

Digitized by Google

DIGESTVM SAPIENTIÆ

IN QVO HABETVR
SCIENTIARVM ORIENTALIVM
Divinarum, Humanarum, Naturalium, Artificialium
Principia recludita.

AVCTORE
ADAMO TYMEO, Pictavo Capreolano,
EDITVS SECVNDA, Multo & Exactiore Recognitione, & Auctiore Tractatu.

Ad eundem cum Angelorum choro, ascendere nititur Tyro.

PARISIIS,
Apud CLAVDIVM CHAPELET, in Via Iacobæa, sub Ciconiis.
M. DC. XXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

AVTORIS INTENTIO.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

HOC IN OPERE MIHI PROPOSITVM EST DEO OPTIMO MAXIMO, BONORVM OMNIVM, ET LVMINVM LARGITORI, LAVDES DICERE; SANCTÆ CATHOLICÆ ROMANÆ ECCLESIÆ FIDEI IN OMNIBVS FIRMITER ADHÆRERE, ILLAM, QVANTVM IN ME EST, TVERI; BONOS MORES PROMOVERE, VITIIS BELLVM INFERRE, SALVA PERSONARVM OMNIVM FAMA: PRO VERO RECTOQVE CERTANTIBVS VIRES, QVAS POSSVM, AVXILIARES SVPPEDITARE. SI QVID CONTRA HIC SCRIPTVM EXCIDERIT, NESCIO: MONITVS REVOCO: ET IAM PRO NON SCRIPTIS HABERI VOLO. AT O IVSTISSIME DEVS, QVI ABSCONDIS IN MANIBVS LVCEM, FAC VT ISTA FVLGEAT TANTVM POPVLO TVO, AVT ILLI SE ADIVNGERE VOLENTIBVS, CÆTERIS TENEBRÆ SINT, ET VT HAC ARTE NON VTANTVR IN FALSI MALIQVE PATROCINIVM, OBSCVRENTVR OCVLI EORVM NE VIDEANT.

Digitized by Google

FACVLTAS A. R. P. GENERALIS ORDINIS CAPVCINORVM.

NOs F. Innocentius à Calatagirone miniſter Generalis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorũ Licentiam. R. P. F. Yvoni Prædicatori ejuſdem ordinis & Provinciæ Pariſienſis Definitori typis mandandi opera quæ in poſterũ componet, ſi priùs fuerint à duobus Theologis noſtri ordinis approbata, ſervatis alijs de jure ſervandis. Datum Romæ die 10. Iun. 1646.

R. P. IOANNI FRANCISCI PARISINI PROVINCIALIS CAPVCINORVM Provinciæ Pariſienſis Conſenſus.

VIsâ R. Admodùm P. Generalis Licentiâ, quantùm in me eſt concedo, vt *Digeſtum Sapientiæ à R. P. Yvone* Compoſitum prælo mandari poſſit, ſicque ad Dei Gloriam, & litteratorum Catholicorum vtilitatem publicum fiat. Parilijs die 18. Febr. 1648.

F. Ioannes Franciſcus Pariſinus Provinc. Capuc. Prov. Paris.

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS CAPVCINORVM.

DE Mandato R. A. P. noſtri Generalis Ego ſubſignatus Lector Theologus fidem facio omnibus me legiſſe & diligenter examinaſſe librum cui titulus eſt *Digeſtum Sapientiæ* autore R. P. Yvone Pariſino Concionatore Capucino, in quo nihil quidquam inveni quod non ſit vnum ad fidem ſinè ſchismate, & verum ad doctrinam ſine errore, & bonum ad moses ſinè malo. Opus ſanè ſui tituli apparatur dignſſimum, mira varietate delectabile, vſu proficuum, omnium ſcientiarum eruditione inſigne clariſſimum: Quis non effodiendum hunc Theſaurum non arbitretur? Quis non evolvendum hunc librum non exiſtimet, ſcriptum intùs & foris, quo & delitescens veritas omnium oculis exponitur, & ratio benè ratiocinandi de qualibet re omnibus aperitur. Decurratur ergò inoffenſo pede, & ſinè prolapſionis metu; nihil timendum vbi omnia vera, antiquitati conformia & Pia, quæ ità eſſe calculo & ſubſcriptione mea Confirmo Pariſijs die 17. Febr. 1648.

F. Antonius Laodunenſis Conc. Capuc.

EGo infraſcriptus in majori Capucinorum Pariſiens. Conventu S. Theologiæ profeſſor fidem facio me accuratiùs legiſſe librum, cui titulus eſt *Digeſtum Sapientiæ*, in quo ſcientiarum omnium veritates congeſtæ ſunt, & ità præparatæ ac digeſtæ vt ab omnibus capi poſſint. Immenſi certè laboris tot illuſtrium materiarum congeries, vtilior ac facilior methodus: Legat diſcipulus legat & doctior, quique pro modulo ſuo juvabitur; ſuavi namque & forti eruditione refertum opus eſt, Columbis & Aquilis poſitum, Reipublicæ Catholicæ receptis doctrinæ ae morum legibus conſonum, ſic omnibus perutile. Pariſijs in maj. conv. Capucin. die. 17. Febr. 1648.

F. Hieronymus Senon. Conc. Capuc.

DIgeſtum *Sapientiæ*, qui dixit, elogium fecit, in hoc enim ſcientiarum Divinarum & humanarum aquæ puriores congregantur, ſed infuſa mole, facili quippè & mirabili methodo digeſtæ ſunt. Sæpiùs & accurate perlegi, nondùm tamen digeſſi, infinitus enim Theſaurus eſt, quem miræ inventionis, eruditionis, & laboris indefeſſi, ſanæ; Catholicæ ac bonis moribus proficuæ doctrinæ teſtor: & vt omnium literatorum vſibus, hæc profuſa ſimul & indeficiens ſcientiarum largitio concedatur lætus ſubſcribo. Parilijs die 17. Feb. 1648.

F. Sixtus Pariſinus Conc. Capuc.

SVMMA PRIVILEGII PROLEGATI AVENIONENSIS.

FEderici Sforza Proleg. Avenionenſis diplomate ſancitum eſt, nè quis in dicta vrbe, aut alibi in toto comitatu Veniſſano excudere aut à quovis non habente jus excuſſa divendere præſumat opera R. P. Yvonis Pariſini, & Zachariæ Lexovienſis Capucinorum, intrà decem annos proximos reſpectivè publicanda, abſque eorumdem P P. aut aliorum quibus per eos libuerit, conſenſu & hoc ſub pœnis in diplomate contentis. Datum Avenioni die. 14. Maij. 1639. Signatum I. SFORTIA.

QVæ quidem Privilegia dictus P. Yvo Pariſinus transmiſit Dionyſio Thierry Bibliopolæ Pariſienſi, vt jure ſibi conceſſo in ijs pro hoc opere *Digeſtum Sapientiæ* inſcripto vti plenè & liberè valeat.

DIGESTVM SAPIENTIÆ

PROOEMIVM.

BIBLIOTECA NAZ. MANUELE

Arist. 1. Metaphis. SAPIENTIA HOMINEM DECET.

OMNES homines, inquit Philosophus, natura scire desiderant, innato, ingentique cognitionis desiderio feruntur: Mens enim humana, instructis per ætatem organis, amplissimas experitur in se facultates, specierum, quibus carent avidas; vnde natura contendit potentiam hanc ad actum educere, eodem instinctu, quo vacuum non patitur, quo hiantem præ siccitate terram, aquis consolidat, & posita vltima dispositione, materiam congruis formis instaurat. Si, secundum Platonicos, sunt nobis insitæ rerum ideæ, vt elementis generabilium semina, continuo, licet lento motu, conatur illa mens nostra in lucem proferre, & divinæ sapientiæ in mundo elucescentis quasi congressu, veritatis fœtus Deo, sibique parere. At experimur, vniversalia tantum, & sic confusa nobis indita esse, tum speculationis, tum practicæ principia, quæ indigent diligenti naturæ perscrutatione, vt in ea, quasi in amplissimo commentario, legis æternæ decreta dilucidius nobis exponantur. Ob id patent continuò aures, diffusus per omnes corporis partes tactus, in mobilibus manibus maximè viget, ne quid sese offerens incognitum elabatur; ob id oculi, ex capitis specula objectorum infinitas varietates, ad hemispherij vsque terminos explorant. Sed quia sensus versantur tantum circa singularia, rerum non intimas essentias, sed externa tantum accidentia percipiunt, laborant objecti sui copia, aut inopia, in ipsamet deficientes fruitione, vanisque sæpius deluduntur simulachris; ideo eorum actus, nobis cum brutis communes, sunt tantum humile ministerium, & leve quoddam præludium intellectualis cognitionis.

Hæc homini propria, & essentialis, quia essentialem sublimemque ejus potentiam, scilicet intellectum, perficit: vnde à cæteris hujus inferioris mundi creaturis, divinitatis quadam similitudine distinguitur. Sicut enim vita est perfectio essentiæ, sic cognitio est perfectio vitæ, & quid mirum, si vt appetimus esse, sic geminato desiderio feramur in illud bonum esse, quod nobis & principij & finis loco est.

Plotinus Lib. de felicit. c. 3.

Principij quidem, quia sapientia divina mundi opifex, ordine, qui est sensibilis quædam, ratio, illa omnia & interna & externa conservat, A quibus constamus. Cœli, vnde omnis vis & motus, reguntur ab intelligentijs; primo conceptionis nostræ mensi dominatur contemplator Saturnus; ab illius mense annum auspicamur, aureumque sæculum, cæterorum latè sequentium exemplar, sub illius Planetæ influxu fœlix extitit, si credimus antiquis, vt hinc concludamus, sapientiam nobis esse omnis boni principium.

Parum est quod sit omnium actionum humanarum directiva, Moralis & Politicæ entelechia, primusque movens actus, artium inventrix, sola quæ reluctantem materiam ad formarum, quas intendit, receptionem subigit, feroces, & jugum aliter non patientes animos in voluntariam redigit servitutem. Parum est quod discutiat tenebras ignorantiæ, quæ est, si Trismegisto nostrisque periculis credimus, malorum omnium origo. Parum est quod illa intellectuali luce fretus animus, humanis divinisque se inserit, tempus, motum, naturam supergressus, suæ naturæ spiritualis & immortalis demonstrationem, propria sua experientia sibi conficiat. Parum est quod populi naturalem suam libertatem, cujus sunt impensius avidi, sapientiæ litant, dum prudentioribus in se suaque jus summum publica sponsione deferunt, vt rei, inter alias sibi charissimæ pretio, divinis illius dotibus, salrem aliorum munere potiantur. Licet hic verè se habeat per modum causæ vniversalis, omnium rectrix & conservatrix, quia omnium creatrix; tamen in istis à quibusdam consideratur, tanquam ministra quædam oculata, temporalibus commodis subserviens, boni ex illa sperati stipendio conducta, quasi non sui, sed vtilitatis ex illa nascentis causa ab hominibus appetatur.

Ignorant sapientiæ dignitatem, qui illam, sic propter alia, quasi medium eligunt; Si enim oculus noster gaudet luce, coloribus, pulchritudine, etiamsi nullam hinc simus vtilitatem percepturi, quanto magis animus veritatem, rerumque intelligentiam sectari debet, sui, non alterius causa. Hinc oculos, animumque rapiunt rerum omnium novarum, licet inutilium occursus, fabulatum theatri commenta, ænigmatum, quibus olim certabant Reges, involucra; quia sciendi generosam cupidinem, admiratione, & ipsa rei communia excedentis difficultate proritant. Hinc commendantur vniversales scientiæ, quæ ad vti-

Arist. 1. Metaph. cap. 1.

lem ſingularium praxim non deſcendunt, & illæ Mathematicæ diſciplinæ, à vacantibus olim Ægypti ſacerdotibus excultæ. In hoc maximè ſapientia libera eſt, quod ſui tantum gratia veritates inquirat, quod artes, ſcientias cæteras habeat in miniſterio, illiſque præcipiat vt domina, & proponatur vt finis.

Ariſt. moral. Nichom. lib. 10. cap. 8.

Sic Philoſophi penè omnes antiqui, hujus vitæ beatitudinem poſuerunt in veritatis contemplatione, quia perficit nobiliorem animæ facultatem, ſcilicet intellectum; verſatur circa nobilius objectum, magis aſſidua, & durabilis poteſt eſſe ejus operatio, purior, ſanctior, vt quæ à rerum mundanarum commercio, & perturbationibus aliena, nihil extra ſe appetit, ſibi ſufficiens, propria & innata, ſicque indeficienti voluptate fruitur. Idem portus animam è corpore fugientem excipit, qui accipit ſpeculantem, ſcilicet æterna veritas, quæ ſola poteſt animam ſatiare.

Iamblicus de myſterijs c. 19.

Certè cum Deus intelligentiam produxerit entia, meritò nos per intelligentiam illi placemus; alioquin ingrati, ſi in hoc ampliſſimo mundi theatro, & ſplendido tot rerum inter ſe de pulchritudine certantium ſpectaculo, oculos mentemque denegemus. Ab ideis divinis res inferiores productæ, & hinc per exiſtentiam in materiam lapſæ, quærunt humanam mentem, ſuiſque continuis officijs conantur demereri, vt illas contemplatione reſtituat intellectuali ſuo principio, luciſque circulum in prima veritate claudendo, totius naturæ vota feliciter impleat. Vnde Platonici hæc aſſerentes, Deo nihil præter contemplationem offerebant; optimum enim ſacrificium pura & tranquilla mens, quæ divinitatem inter mundanos motus impermixtè tranquilleque regnantem, otio & quietè contemplatur. Hinc Religionis maximus cultus, apud eos populos qui ſcientia cæteris præcellebant, hinc ſolis adoratio, ad orientem ſacrificantium converſio, ſacra ignis inextinguibilis cæremonia, in defectum, & ad æmulationem cœleſtis; quia lux ſenſibilis dicitur eſſe emanatio quædam illius intellectualis, à qua proceſſimus, & ad quam ex intellectu benè tranſacta vita, fœlicem nobis parat reditum.

Maximè autem nos Chriſtianos decet ſcientia; cum à ſumma ſapientia, creati, redempti, inſtructi, filij lucis dicamur; vt cum Propheta immolemus hoſtiam laudis Deo, opera manuum ejus, die ac nocte meditantes; vt inviſibilia ejus, cum Apoſtolo, per ea quæ videntur, conſpiciamus; vt voluntatem illius, ſplendentibus & animatis litteris in hoc mundano codice exaratam, intelligentes, opere fideliter impleamus. Primo practicè per moralia, tum ſpeculativè in Phyſicis, & Theologicè in divinis, ſic conſcendamus triplex D. Pauli cœlum; in quo poſt Lunam & Mercurium, poſt naturalem, & abſtractam cognitionem, cœleſtis Venus, ſeù divina charitas ſoli, id eſt divinæ ſapientiæ juncta, omnem hic nobis, vi gratiæ, licitam fœlicitatem pollicetur.

Marſ. Ficinus in proœmio comment. in Ep. D. Pauli.

Nec obſtat quod obſcura, titubans, & imperfecta noſtra cognitio parum conſentit cum beatitudine, quæ dicit ſtatum omnis luminis, ſicut totius boni aggregatione perfectum, nam ſufficit nobis has beatorum dotes prælibare, quamdiu in via ſumus, & aliqua felicitatis luce frui, etiam inter debiles peregrinationis noſtræ motus, ſi Angeli poſt acceptas rerum omnium ſpecies continuò purgantur, non à culpa, nec ab immunditia, ſed vt ait D. Thomas, à diſſimilitudinis confuſione, id eſt à neſcientia; ſi ſemper à ſuperioribus illuſtrantur; ſi mente ſe ad Dei ſimilitudinem effingunt ſemper, quantum fas eſt; ſi ad majora, & meliora in divini ſtabiliſque amoris contentione nituntur, hoc ſupremæ lucis & charitatis incremento, cum immobili beatitudinis ſtatu mirabiliter concordante! quid ni nobis inter quotidianas ſcientiæ & charitatis acceſſiones, divinis ſemper propinquiores facti, divina deguſtabimus, & aliqua viſionis beatificæ ſaltem vmbra perfruemur.

D. Thomas

q. 106. a. 2. ad 2. & 1. 2. q. 112. a. 1. ad 3.

D. Dionyſ. de cœleſti Hier. cap. 4.

Vt autem id conſequi poſſimus, ſcientia noſtra objectorum ſingularium limites ſupergreſſa, debet ad omneſcibile diffundi, quia & ad illud Dei bonitas, immenſitas, ſapientia à fine, vſque ad finem pertingit. Vt homo eſt quodammodo omnia, eſſentia ſua cæteras inferiores eminenter continens, & ſuperiores, jure propinquitatis æmulata, tali eſſentiæ vniverſali non commenſurabitur ſuus intellectus, niſi cognitione pariter totius entis ſpatia dimetiatur. Dum vnam eandemque materiam, videmus tot diverſas ſuſtinentem formas, oculos eadem viſione, cœli, terræ, tot rerum figuras, motus, numeros momento percipere, inconfuſis in vno viſionis centro ſpeciebus, monemur, mentem noſtram ſpiritualis naturæ, loco, tempori non ſubjectam, poſſe vniverſalia cognitione complecti. Licet viſus ad multa feratur, licet ſenſus communis, aliorum omnium objecta percipiat & dijudicet, licet materia plures induat formas, hæc omnia ex corporeæ naturæ legibus ſunt ſingularia, ſolius intellectus eſt vniverſalia percipere: ab his, quaſi ſibi connaturalibus auſpicatur ſuam cognitionem, vt hinc ad particulares notitias deſcendat, in quibus ſufficienter inſtructus, iterum ad vniverſalia conſcendit, ex particularibus exprimentis axiomata ſibi generalia fabricando.

SAPIENTIA DEBET ESSE VNIVERSALIS REARVM OMNIVM SCIENTIA.

Vniverſalem hanc notitiam appetit mens noſtra tanto affectu, vt nunquam ſingularibus ſatietur; vnde ſæpius in vna ſcientia perinſſimi, illam faſtidiunt, alteriùs longè inferioris tyrocinium aggredientes, vt etiam famæ ſuæ prerio, potentijs ſuis ampliora & vniverſalia deſiderantibus, libertatem indulgeant.

Procedit hæc vniverſalis ſciendi cupido, ſi credimus Platonicis, ex eo quod anima rationalis, ſit quaſi collega animæ mundi, Sympathiam quandam habens cum rebus omnibus, quarum ideæ & virtutes in ipſa Harmonicè contemperantur. Sed verè cum homo mundum habeat ſui cauſa creatum, vt alias demonſtravimus, jure omnia perluſtrat vt Dominus, ſaltem vt ſpectator, ſua reputans, quæ ſibi auxiliantur ad Creatoris ſui perfectiones dignoſcendas, & ad illi debita laudis ſacrificia perſolvenda.

Plato in Timæo.

Certè vt pictoris artem ex vna tabellæ parte, aut vnius coloris & vmbræ appoſitione non deprehendes, ſed conſiderata totius operis œconomia: vt muſicum concentum ex vnius voce non percipies, ſic nec ſummi opificis ſapientiam in rebus creatis eluceſcentem, niſi in totius ſimul naturæ vultum, motus, intentiones diligens ſcrutator intendas, nec muto ſermone tibi loquentem intelliges, niſi collatis hinc inde ſignis ſuis, & actibus.

Experimur ſcientias particulares indigas, ſua principia ab alijs mutuo accipere, ſic dum inter objecti ſui limites ſe continent, quaſi ære alieno gravatæ, vinculis quibuſdam, & obſcuro carcere coërcentur,

cèrcentur, ne ad liberam veritatis lucem evolent. Videbis etiam ingenioſum, poſt totum vitæ ſuæ tempus vnius diſciplinæ ſtudio conſumptum, multa adhuc in illa addiſcenda profiteri? quid mirum, ſi ex illa ſua ſingulari ſcientia, omnem a mente noſtra exoptatam cognitionem ſibi ſpondeat; quærunt in rivulo totius fontis aquas, & crudeliter ab vno cive omnium extorquent capitationes.

Ineſt quidem vna veritas rebus omnibus creatis, ſicut eſt vna in primo earum Principio, ſicque poteſt aſſeri illud Platonicorum, omnia eſſe in omnibus. Vnde peritus Arithmeticus vult omnia reducere ad numeros, exemplo Pythagoræ; Muſicus ad tonorum regulas; Medicus ad ſuos Aphoriſmos, ſed laborioſum, nimis, faſtidioſum, confuſum, infinitum quodammodo opus, velle veritates omnes ex vno tantum objecto elicere, vt ſi quis non aliter vellet mundi elementa contemplari, quam in vno mixto, aut omnes animæ noſtræ vires in aliqua corporis parte, in qua tota quidem ineſt, ſed tota non operatur. Hæc particularis ſcientia, aliorum ſubſidio deſtituta, ſibique ambitioſè nimis de ſua ſufficientia blandiens, hebeſcit, languet vt membrum, quod innatis quidem ſpiritibus refertum, influentes obſtructione reſpuit.

Vt planetæ vires omnes ex pluribus plantis, mineralibus, animalibus diſperſas colligimus, quia anguſtior ſublunarium materia qualitates cœleſtes in ſingulis totas capere non valens, illas partitur, & quaſi pluribus vaſis excipit. Sic ex pluribus ſcientijs, objecto diſtinctis debemus venari veritatem, cujus radius ſic diffuſus illuſtrat blandiſſimè mentes noſtras, vt illas lædit, aut furore, aut hebetudine, nimis in anguſto poſitus. Vnde Muſarum cum Appolline chorum deſcribunt Poëtæ, & ſapientia cæteras ſcientias, quaſi famulas ſibi fidelitate devinctas vocat ad arcem & ad convivium veritatis, eſca cœleſti opiparum animabus noſtris exhibendum.

Lib. 2. moral. Chriſt. c. 24. Repetam igitur hic, propoſitum jam à me, in alio opere ſtudiorum ordinem, quia & hic illorum complementum, per ſcientiæ vniverſalis præcepta, conabor aſſequi. Optimum poſt Mathematicas, & quæ ſenſum afficiunt artes in adoleſcentia perluſtratas; poſt litteras, quas vocant humaniores, devenire maturo jam ingenio ad Philoſophiæ ſtudium; poſt Logicæ ſimplex organum, Phyſicam aggredi, ſed completam aliarum ſcientiarum advocato conſilio. Nam cum pauca in ſcholis & Phyſicorum libris dicantur de cœlo, ſuppleri debet per Aſtronomiæ, & Aſtrologiæ compendium, quo præcipua de motibus & influentijs perſtringantur: Tractatui de mixtis jungi debent ea quæ de foſſilium generatione, & de chymia recentiorum experimentis probantur; quæſtiones de motu, mechanicæ perficient; vbi agitur de anima vegetante & ſentiente, conſulenda eſt Phyſica particularis, de plantis, & animalibus, cui jungenda eſt medicina: ampliſſimus de anima rationali tractatus, complectitur artes omnes, moralem, æconomicam, politicam, jus vtrumque civile & canonicum, hiſtorias nationum, denique Metaphyſicam & Theologiam.

SAPIENTIA DEBET REDVCERE SINGVLARES SCIENTIAS AD PRIMA QVÆDAM PRINCIPIA.

Hoc ordine traditæ ſcientiæ continuum quoddam efficiunt, vnicamque ſcientiam, cujus ſingulæ ſunt quaſi quæſtiones & tractatus. Multum juvatur intellectus tali diſpoſitione, non terretur, non confunditur multitudine rerum, ſic aptè ſuo loco conſiſtentium, ſic vt eas quietè, & datis ſibi per otium intervallis, accuratius ſpeculari liceat.

Hac ego vſus methodo, ſingularumque ſcientiarum eſſentialia compendijs complexus, graviſus ſum de ordine, ſed inquieta mens ampliora quæſivit, illius ſcilicet multitudinis cognitionum, in aliquibus generalibus principijs coincidentiam, & nexum. Nam cum à primis ſtudiorum annis locos ego communes ampliſſimos condidiſſem, vidi procedente tempore, leges civiles, medecinæ aphoriſmos, Theologiæ decreta, politicæ artes convenire: hinc apud me tacitus hæc cogitabam non eſſe impoſſibilem tot ſcientiarum diù quæſitam, & nondum inventam encyclopediam: arte, certiſque præceptis poſſe fieri, quod mihi in talibus applicationibus, fortuita mentis inventione bene ceſſerat. Ariſtot. lib. 2 Rethorica, cap. 1.

Et ſanè ſi beati vident omnia in verbo, ſi ſuperiores Angeli cognoſcunt per ſpecies magis vniverſales, pluresque concluſiones in ſuis principijs, eminens noſtra ſapientia, rerum ſingularum veritates, etiam in generalibus quibuſdam principijs, debet contemplari. Qui hoc eſſet aſſequutus, alijs quàm vulgares Philoſophi oculis res contueretur, alijs vocaret nominibus præciſiſque formalitatibus, non accidentium cortici inhærens, cerneret maxima in minimis, omnia in omnibus. Staret judex omnes naturæ partes ad conſilium ſuum cogens, & veritatem pluribus radijs, quaſi ex concavo reflexis, fortius intuens, divino tandem vt Seraphim flagraret incendio. Talem vult Plato Philoſophum ſuum, vt omni ſcientiarum genere inſtructus, illas abſtractè conſiderando aſſuefcat mentem ſuprà mundana, ſuprà ſeipſam erigere, & illas reducat ad vnitatem, qua vnitati divinæ conjungatur. Ideò foreè ſummus in lege Moſaïca ſacerdos totius mundi fulgentem imaginem veſte myſtica præferebat, & in capite Dei nomen ineffabile, quaſi ad illum vniverſalis rerum cognitio ſit reducenda, aſcendendo à ſenſibilibus formis ad intellectuales & divinas. In Theæteto.

Hæc ego apud me meditatus, quærebam tacito mentis labore principia quædam vniverſalia, ad quæ poſſem res omnes reducere. Mihi Philoſophia viſa eſt ad hoc munus præſtandum nimis contentioſa: Iuriſprudentia nimis particularis, periculoſis ſuis definitionibus, & regulis, parum ſibi conſtans: Theologia nimis ſublimis & ſupra naturam, ne cum ipſa in decretis ſuis inhoneſtè concurrat. Tandem, cum à duobus tunc annis, Lullij principia ad primam libri occaſionem didiciſſem, & experimento poſtea facto mihi conſtaret, ex illis multa media erui poſſe ad cujuſvis rei probationem; contigit vt à nocturna oratione in lectulo pervigil, hanc Scientiarum connexionem, etiam me nolente, & quietem optante inquietus perquireret animus, cum ſubitò lux hæc mihi affulſit. Principia Lullij ſunt abſtracta, ſunt vniverſalia, ſi applicantur rebus omnibus, res omnes mutua converſione poſſunt illis applicari; ſimplicia ſimplicibus, complexa complexis, & combinatis. Sic propoſitiones omnes poſſunt ad terminos combitatos reduci; ſi hæc ita ſint habebo ſcientiarum encyclopediam, quia ſi Theologia, Medicina, Iuriſprudentia, Politica, & aliæ ad vnum principium reducantur, etiam inter ſe concordabunt, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Philo. lib. 2. de Monarchia. Clemens Alexand. l. 5. ſtromat. c. 3.

Dato autoræ ſigno exultans ſurgo, quaſi inventis theſauris; nec mora ſummam D. Thomæ pluries fortuita apertione conſulo, concluſionum applicationes facio tanta facilitate, ac ſi per totius vitæ tempus continua exercitatione hunc habitum contraxiſſem; eadem die diſpoſui combinata hæc principia in columnis, ſub quibus, ab hinc quindecim annis redegi omnes, quas prius compendio habebam, ſententias, poſtea maximam cujuſlibet diſciplinæ librorum copiam. Mihi familiariſſima, & tamen quotidie mirabilior videtur hæc ars, vſu nunquam ejus, & æſtimationem minuente. Fateor, ſcripſi hac vſus methodo libros quos edidi, de vita Religioſa, Theologiæ naturalis, Moralis Chriſtianæ, & alios ſatis feliciter à litteratis acceptos, & vt ſincerè dicam coram Deo, nullam tractavi materiam cui hujus artis beneficio, non potuiſſem innumeras alias rationes, inductionibus illuſtratas attexere, itavt rerum copia me ſæpius obruat, & parum in inventione, multum in electione mihi ſit laborandum, vt clarè patebit has noſtras tabulas intelligenti. At ne morte ſuperveniente pereat in me tale inventum, ſuaſerunt amici, quæ habeo ex rerum divinarum & humanarum lectione in ordinem digere: e hoc opere, quod ideo Digeſtum appello, ad imitationem Imper. Iuſtiniani, qui reſponſa antiquorum Iuriſconſultorum ſub certo titulorum ordine colligens, opus ſuum vocat Digeſtum. Meum ſapientiæ adſcribo, quia ex Ariſtotele, vniverſalem rerum notitiam, licet non exactam ſingularium, profitetur.

1. Metaph. c. 2.

Novum opus, novum inventum, quod meo ſæculo, & poſteritati non ingratum fore ſpero; Cauſarum Patronis, Verbi Divini prædicatoribus pervtile, ipſis etiam ſolitarijs ſtudiorum amatoribus gratiſſimum, nam incredibilem mens mea percipit voluptatem, putam, humanis omnibus ſuperiorem, indefeſſam, ſinè faſtidio, vt divina, ſaciantem, in illo harmonico rerum omnium concento, cumque video intimam concordantiam inter ea quæ totis naturæ ſuæ viribus videntur pugnantia. Gratis & libens do, quod gratis à Patre luminum accepi: invidia procul eſt à rebus divinis, ſua fecunditate ſibi, alijſque ſufficientibus; ſic primum hujus ſcientiæ principium, quod communicationem ſignificat, indefeſſi laboris mei profuſione, conabor implere.

Non te deterream, amice lector, Lullij Doctrinam profitentium famoſæ ambages, & hæc invia quæ à multis etiam doctiſſimis parum probantur. Ego in talium ſchola non inſtructus gaudeo neſcire, quæ tenebras mentibus offundunt. Accepi tantùm ab illo authore terminos, cum genuino illorum ſenſu, & illos, ita me profiteor clare expoſiturum, vt minus quam vnius diei ſtudio, quilibet ſcientiæ capax poſſit illis vti, ad diſcurſus mirabili rerum copia, conficiendos.

Vt hoc opus ordine procedat, illud divido in tres mentis operationes. Prima erit ſimplex rerum apprehenſio, ſub ſimplicibus terminis. Secunda eſt judicium affirmativum aut negativum de re qualibet quæ proponi poſſit. Tertia denique diſcurſus, qui conſiſtit mediorum inventione, ad demonſtrationes faciendas. His præmitto brevem hanc principiorum expoſitionem.

Principiorum ſcientiæ univerſalis expoſitio.

COnſtat hæc ſcientia practica terminis ſeù principijs 18. vniverſalibus & abſtractis, ſub quibus res omnes poſſunt reduci. Cathegoria, communiter in Scholis Logicæ tradita, vno verbo ſubſtantiam proponit, nullas ejus eſſentiales differentias attingens; cæteris ſuis terminis diverſa exponit accidentia, cortice tenus, prætermiſſis illorum formalitatibus: Hæc autem nova Cathegoria aliam complectitur, vt patebit, inſuper omnium ſubſtantiarum & accidentium intimas rationes, & formalitates, à materia penitus præſcindendo exponit, terminis hitce abſolutis & relativis, in quos, quicquid eſt reſolvitur. Novem Abſoluti ſignificant Dei attributa, vnde mirum non eſt, ſi etiam complectantur omnes ſimplices perfectiones creaturarum, quæ ſunt tantum illius ſummæ exemplaris Bonitatis imagines aut vmbræ. Cum autem creaturæ ſint partes vniverſi, dicantque mutuum ad ſe ipſas ordinem, & ad totum, cujus ſunt partes, quidquid habent ſic relativè perfectionis aut defectus, comprehenditur his 9. terminis Relativis.

Lullius alios terminos in ſuo alphabeto commemorat: ſcilicet 1. Deus Angelus, Homo, Cœlum, Imaginativum, Senſitivum Vegetativum, Elementativum, Inſtrumentativum. Et hæc dicitur ſcala naturæ. 2. Virtutes, ſcilicet Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Fides, Spes, Charitas, Patientia, Pietas. 3. Vitia ſcilicet, Gula, Luxuria, Superbia, Acedia, Invidia, Avaritia, Ira, Mendacium, Inconſtantia; ſed, Deo excepto, qui non venit in cathegoriam, cæteri omnes termini, cum ſint concreti, & ſignificent res ſingulares, non continent, vt vniverſales & abſoluti, ſed ſub illis continentur, vt patebit in 2. mentis operatione. Quæſtiones 9. pertinent ad Rhetores; his ergo prætermiſſis ſic deſcribo 18. terminos generales, Abſolutos & Relativos, ex oppoſito, quia ſic ſe juvant: addo quædam ſynonima ad eorum faciliorem intelligentiam.

Digitized by Google

PRINCIPIA ABSOLVTA.

BONITAS	Conveniunt, esse, substantia, existere, vita, communicatio, calor, diffusio, beneficium, &c.	Repugnant, privatio, negatio, mors. Constrictio, siccitas, avaritia.
MAGNITVDO	Vniversale, infinitum, immensum, integrum, quantitas continua, discreta, numerus, altitudo, latitudo profundum, &c.	Pars *vide Minoritas.*
DVRATIO	Æternitas, tempus, status, constantia consuetudo, senectus, mora, dilatio, &c.	Fortuna, vicissitudo, fluxus, novitas, celeritas.
POTESTAS	Potentiæ omnes naturales, & supernaturales; habitus. Rex, libertas, divitiæ, &c.	Servitus, impedimenta, passio, alienatio, paupertas.
COGNITIO	Quinque sensus, phantasia, intellectus, memoria, prudentia, scientia libri, fides, judex, oraculum.	Cæcitas, stupor, paralysis, ignorantia, tenebræ, hæresis.
VOLVNTAS	Amor, desiderium, liberum arbitrium, Spiritus S. charitas, passiones animi.	Odium, fuga reprobatio, coactio, vis, metus.
VIRTVS	Virtutes omnes, Religio, vires, columna, ætas virilis, meritum, fortitudo.	Vitia, peccata, infirmitas, morbus, palea, puritia.
VERITAS	Lex, synderesis, idea, prototypum, regula, oraculum, fides divina.	Fabula, mendacium, hypocrisis, esca, adulatio, perjurium hæresis, pseudoprophetia.
GLORIA	Voluptas, paradisus, quies, pax, centrum, honor, triumphus, remuneratio.	Dolor, lachrymæ, inquietudo, agitatio, infamia, ingratitudo.

PRINCIPIA RELATIVA.

DIFFERENTIA	Conveniunt, diversitas, ordo, divisio, separatio, solitudo. Motus, fuga, peregrinatio exilium, profugus, &c.	
CONCORDANTIA	Sympathia, amicitia, societas, matrimonium, genus, species, ordo, relatio, similitudo, pax, obedientia, fœdus.	
CONTRARIETAS	Accusatio, lis, bellum, ira, inimicitia, antipathia, resistentia, divortium, læsio, destructio, mortificatio.	
PRINCIPIVM	Deus, causa, sol, cœlum, elementa. Rex, Papa, cor. Initium, aurora, ver, pueritia, tyro, flos, horoscopus.	
MEDIVM	Conjunctionis, clavus, gluten, cathena centrum, aër, mediocritas. Ad obtinendum, instrumenta omnia naturæ & artis: ministri, auxilium.	
FINIS	Intentionis, bonum, centrum, perfectio, plenitudo. Terminationis, punctum, privatio, mors, occasus, senectus.	
MAIORITAS	Excellentia, rarefactio, satietas, pinguedo, privilegium, gratia, miraculum, augmentum, excessus, tumor, diluvium.	
ÆQVALITAS	Similitudo, affinitas, compensatio æquivalens, pretium, æquinoctium, conformitas.	
MINORITAS.	Humilitas, paupertas, obedientia, omnis defectus. Materia prima, privatio, annihilatio, capitis diminutio, fœmina. Eunuchus,	

Digitized by Google

QVis niſi expertus crederet, ex cypreſſi minutiſſimo ſemine, tam pulchram, excelſam & fortem arborem exurgere, vt ferendis magnis navibus ſufficiat. Ita vix quiſquam, niſi poſt ſcientiæ experimenta ſibi perſuadet, his paucis terminis, quicquid eſt in rerum natura, quidquid in ſenſus & in intellectum cadit, contineri: eadem ferè ratione, qua 24. Alphabeti litteris ſcribi poſſunt ea omnia, quæ vox articulata cujuſvis nationis proferre poteſt. Ineſt ſanè principijs omnibus, vis quædam mirabiliter fœcunda, quæ ex anguſto, in maxima ſe diffundit: fortè ad imitationem primi omnium principij Dei, in quo parvum cum maximo coincidit, vt ſubtiliſſimè ſpeculatur Cardinalis de Cuſa.

Vt autem appareat duplicato hoc cœlorum, & Muſarum choro 18. principiorum omnia complecti, vtque ſeriem & ordinem eorum, ad faciliorem intelligentiam, concipias: Adverte, quod res primo eſt, fit potens ad agendum, agit, & actione perfectionem & quietem ſuam adipiſcitur. Vnde quicquid de re qualibet dici poteſt, ad eſſe, poſſe, agere, & perfici reducitur.

Tria prima principia, ſcilicet, Bonitas, Magnitudo, Duratio, pertinent ad eſſe: tria ſequentia, ſcilicet, Poteſtas, Cognitio, Voluntas ad poſſe: tria poſtrema, Virtus, Veritas, Gloria, ad agere, & perfici. Et hæc Abſoluta, ſicut & Relativa ſumi debent tum eſſentialiter, tum accidentaliter.

Bonitas, ſignificat eſſe rei, ſeù eſſentiam, quæ eſt primùm rei bonum, cui omnia alia ſuperaddi intelliguntur: ſignificat etiam communicationem, nam bonum natura ſua eſt ſui diffuſivum.

Magnitudo, eſſentialis, eſt gradus eſſentiæ, ſuæ ſpeciei conveniens, vt homo per rationem eſt in ſua magnitudine elevata ſupra animal, cui competit tantum ſenſus: ſumitur etiam pro quantitate ſeù continua, vt eſt corporum, aut diſcreta, vt eſt numerus.

Duratio, ſignificat continuationem exiſtentiæ, quæ neceſſaria eſt ad rei perfectionem, & vt ad actionem ſe promoveat: ſi enim momento periret, non ageret. Hæc ergo ſunt tria principia ad eſſe rei pertinentia.

Poteſtas, ſignificat eſſentialem vim in ſubjecto, ad aliquid agendum, vt eſt ratio in homine ad diſcendas ſcientias: nam lapis non habet hanc potentiam: eſt etiam accidentalis poteſtas, vt eſt civilis, Regum, Magiſtratuum, divitum.

Cognitio, eſt neceſſaria ad agendum, quia opus naturæ eſt opus intelligentiæ: & ſi omnia tendunt ad finem aliquem obtinendum, neceſſe eſt cognitione aliqua dirigi, ſive ſit inſtinctus, ſive ſenſualis, intellectualis, ſupernaturalis *cognitio*.

Voluntas, ſequitur cognitionem boni convenientis, ſive appetitus ſit naturalis, aut rationalis: ſignificat etiam amorem, & omnes ex illo naſcentes paſſiones.

Sic res habens potentias ſibi convenientes ad agendum agit perfectè, per *virtutem*: vnde per *veritatem*, agit quod verè debet agere, fit conformis ſuæ ideæ, implet legem ſibi à Deo, & natura poſitam, ſicque conſequitur ſuam *gloriam*, & obtinet bonum optatum, in quo quieſcit.

Principia Relativa ſumuntur etiam, tum eſſentialiter, tum accidentaliter. *Differentia* eſt ſpecifica, aut individualis aut ratione accidentium, ſemper diverſorum, quia non tranſeunt de objecto in aliud. Sic de *Concordantia*, quæ eſt aut generica, aut ſpecifica, aut accidentalis, ob ſimilitudinem accidentium, & ab extrinſeco adveniens, vt ſunt ſocietates omnes civiles, & motu factæ coincidentiæ.

Eſſentialis *Contrarietas*, eſt inter ea quæ ſunt ejuſdem generis & diverſæ ſpeciei, vt corpus animatum & non animatum, animal irrationale & rationale: antipathiæ quædam naturales, ex influxu, vt opinantur, ſyderum. Accidentalis continet oppoſitiones per motum & alterationem factas, odia, lites, bella.

Principium, ſumitur pro cauſa, aut pro initio.

Medium, pro re quæ eſt inter alias media, aut quæ ſe habet per modum inſtrumenti, alteri ſubſervientis.

Finis, pro bono quod intenditur, vt ſcopus, centrum, aut pro rei termino, vt mors eſt finis vitæ.

Omnis exiſtentia, poteſtas, actio, aut gloria: omnis bonitas magnitudo, &c. eſt in principio medio, aut fine, & quidquid eſt, alterius reſpectu, principium, medium, aut finis.

Majoritas, dicitur comparativè ad alias magnitudines *Æqualitas*, eſt alia quædam identitas, ejus imago, & Similitudo: *Minoritas*, ſignificat defectus omnes.

Hæc principia, tum abſoluta, tum relativa ſunt generaliſſima, prædicantur enim mutuo de ſeipſis, vt patebit in 2. mentis operatione. Nunc autem de prima.

Digitized by Google

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

EST hic prima mentis operatio, simplex rei apprehensio, quæ fit vi nominis illam significantis. Est enim nomen, vt illud definit Plato in Cratilo, partus quidam mentis, rei conceptæ quidditates exprimens; si sit proprium, & à sapientibus inditum, explicat rei differentias, itavt sit illud intelligenti, loco discursus, & sensibilis quædam imago intellectualis ideæ, momento multa complectentis. Sic Adam à Deo rerum omnium naturalium scientia donatus, rebus omnibus, coram se positis, & attentius consideratis, propria imposuit nomina, illarum proprietates exponentia: sic S. Pontifex nomen Dei in capite gerebat, quia nomen cognitionem significat, vt rem repræsentans, inquit Clemens Alexandrinus. Hic ergo rerum omnium compendiosam facio connexionem, nomina illas significantia reducendo sub communibus principijs.

Gene. 2.

6. Stromat. c. 3.

Vsus harum tabularum est. 1. vt assuescas, res, non ad litteram, materialiter & cortice tenus, considerare, sed secundum formalem earum entitatem, quæ sæpius similis est in pluribus nomine diversis. Sic sapientes olim Ægyptij & Chaldæi, certabant ænigmatibus, loquebantur symbolis & hieroglyphicis; ipsi Angeli sic nobis in visionibus, & in somnijs loquuntur, vt patet longa divinarum & humanarum historiarum serie; mens etiam nostra sic intelligit, à corporeis per somnum, aut raptum liberior facta, maximè tunc cum sol ad horoscopum accedens, igneos spiritus ad clariorem visionem accendit. Æmulamur hunc purgati animi, & divorum sermonem his nostris tabulis, eadem pluribus symbolicis nominibus exprimentes.

A

2. Dum media ad demonstrationes faciendas elicies, poteris harum tabularum vsu, arte artem abscondere, & non vti, verbi gratia, ipsismet terminis, bonitatis, magnitudinis, durationis, &c. sed eorum hic annotatis synonimis.

3. Hinc poteris educere innumeras metaphoras, & comparationes, ad thematis tibi propositi probationem & ornatum.

B

4. Hic est fons omnium allegoriarum, itavt si bene has reductiones intelligas, poteris, ex singulis sacræ Scripturæ verbis, novos, tibique ipsi mirabiles conceptus formare: arte tua securus ludes in allegorijs, quæ summo ingenij acumine videntur factæ à Philone, Origene, & alijs priorum sæculorum Patribus.

5. Hinc habebis artem, si quæ sit, interpretandi somnia, auguria, Prophetias, spiritumque veritatis à materia defæcatum, poteris ad innumeros scientiæ, & pietatis vsus tibi servare.

C

Descripsi separatim terminos S. Scripturæ, maximo si volueris tibi commodo, nam terminum annotatum quærendo in concordantijs Bibliorum, reperies citationem loci Scripturæ, vnde ex singulis novos conceptus ad propositum colligere licebit. Aggredior tam vtile & jucundum opus, & quia in singulis principijs sunt quædam diversæ & notabiles acceptiones, illas separatim adscribo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA



Digitized by Google

BONITAS.

BONITAS.

Dupliciter conſideratur, vt in ſe res bona eſt permanenter. & vt eſt fluens in aliud per operationem, fluxus autem fit à forma in materiam. Ens, materia, forma, ſubſtantia, ſuppoſitum, nativitas, vita, exiſtentia.

COMMVNICATIO.

Vniverſale, genus, Species, lumen, ſol, ſyderum influxus, Aër, venti, pluviæ, aqua, alluvio, nili inundatio, ros, vbertas, abundantia, ſemen, fœcunditas, partus, generatio, nutrix, mammæ, terra, mater, fons, ſanguis, amor, beneficium, liberalitas, dos, gratitudo, donatio propter nuptias, Libatio ſacrificiorum, gratia, dona S. ſancti, elemoſyna, munera, xenia, manumiſſio, adoptio, commercium, mercatura, magiſter, docere, legatum, fideicommiſſum, hæreditas, acquiſitio, ſpargere, diffundere, gratiæ gratis datæ, Charitas, Iuſtitia, *quæ eſt virtus ad alterum*, Aquæ ductus. *Vide Principium.*

AVXILIVM.

Vide inſtrumenta & media omnia. Miſericordia, clementia, compaſſio, Indulgentia, abſoluto, Iubilæus. *Vide Principia omnia*, vt Deus, cœlum, &c. Conſolatio, admonitio antidotum, medicina, mundatio, aqua, baptiſmus.

MALA COMMVNICATIO.

Malum hæreditarium, Originale peccatum, impudicitia, leno, adulterium, meretrix, inundatio, diluvium, objectum ſuperans potentiam, diſſenteria, prodigalitas, aër impurus, morbus peſtilens, repletio, exceſſus, ebrietas, fluxio, gangræna, grando, hemorroïdes, ignis ſacer, vacuatio nimia.

REPVGNANT COMMVNICATIONI.

Solitudo, ſaturnus, bilis atra, deſertum, nox tenebræ, velum, abſtractio, privarum, individuum, Amor ſui, obſtructio, obſeſſio, hectica febris, frigus, ſenectus, avaritia, tributum, paupertas, zelotypia, invidia. *Vide Contrarietas omnes.* Teſtamentum inofficioſum, exhæredatio, abdicatio, expilatio, hæreditaris, plagiarij, abigæi, peculatus, concuſſio, ſacrilegium, furtum.

EX BIBLIIS

COMMVNICATIO.

Adopto, alo, alimentum, arbor, attribuo, benedico, benefacio, beneficium, botrus, caupo, cellarium, clemens, coëo, communio, commodo, datio, decima, dedico, derivo, diffundo, diſpenſatio, do, diſtribuo, donaria, donatio, dos, effundo eleemoſyna, emanatio, eructo, fœtus, imber, impleo, influo, infundo, inundo, largior, legatum, liberalis, magnificentia, mamma, mercator, munus, Ionatham *id eſt Domini donum.* Nathanaël, *id eſt donum Dei.* Oblatio, offero, oleum, perfundo, perſtillo, pleyades, pluo, porrigo, præbeo, præſto, rigo, ros, ſtillo, ſugo, trado, tribuo, vena.

AVXILIVM.

Collyrium, comes, commiſſura, commoneo, concio, conforto, conſortus, confugio, conſilium, conſulo, conſolatio, aſylum, anchora, creditor, deffendo, advocatus, Elizæus, *id eſt Deus ſalvans*, Exaudio, exhortor. Emmanuël, *id eſt nobiſcum Deus.* Eſdras *id eſt adjutor*, Fidejuſſor, gratia, halitus, hortor, hoſpes, Iaſon, *id eſt ſanans*, ignoſco, Incito, infodio, inſpiro, intercido, inſtigo, introduco, irrigo, juvo, levo, liberatio, medela, mediator, medecina, miſericordia, mitigo, monita, mutuum, Ioſuë, *id eſt Dominus ſalvator.* Iſaias, *id eſt Domini ſalus.* Iſmaël, *id eſt exauditio Dei.* Lazarus, *id eſt Dei adjutorium*, oleum, paracletus, perſuadeo, præmoneo, protectio, redemptor, refocillo, refrigero, refugium, remedium, Salvator, ſalus, ſanitas, ſpiraculum, ſuadeo, ſubvenio, ſufflo, ſuffulſio, ſuggero, ſuppleo, ſupporto, ſuſcipio, ſuſtento, ſuſtineo, columna, transfugio, tueor, vnguentum.

VTILE.

Colligo, colonus, commodum Craſſitudo, dives, dos, emolumentum Ephraim, *id eſt frugifer creſcens.* Ephrata, *id eſt vbertas.* Fertilis, ficulnea, fructus, Fruges, frumentum, gramen, hæres, invenio, lucrum, denarium, manubiæ, meſſis, mulgeo, percipio, perfruo, pomifer, poſſeſſio, *Vide Poteſtas.* Præda, proſum, quæſtus, racemus, recipio, recupero, reporto, ſeges, ſpica, ſpolium, ſubſtantia, ſuperlucror, theſaurus, triticum, vacca, vtilis.

DIFFVSIO MALA.

Cataclyſmus, diluvium, diſenteria, fluxus ſanguinis, fœnus, inundo, profluvium, ſtuprum, vſura.

REPVGNANT.

Incommunicabilis, nihil, Eunuchus, erugo, avaritia, ſiccum, abſorbeo, abſumo, abutor, accipiter, ænea terra, Accharon *id eſt ſterilis*, aper, aquila, ariditas, arefacio, Azotus *id eſt deprecatio.* Balac *id eſt deſtruens*, Beehemor. Belial, Demon, *vide Contraries.* Erogo, ingratus, lævum, detrimentum, diſpendium, expendo, fur, jactura, impendium, impenſa, infœlix, infructuoſus, inſumo, inutilis, irritus, labruſca, latro, perditio, perperam, prædo, rapina, ſterilis, ſurripio, ſiccomorus, tenax, vacuus, vanitas, vanus.

PVLCHRITVDO.

Adorno, amœnus, ametiſtus, apparatus, barba, cęſaries, capillus, cincinnus, Cyprus, *id eſt pulchra*, coma, compono, comptus, criſpus, concinno, decet, decor, Deargentatus, deauratus, decus, ebur, elegans, excolo, exorno, Faſcia, floreo, formoſus, frondeo, gemma, habitus, hortus, hyacinthus, inauris, inauro, incoinquinatus, incontaminatus, intactus, integer, jucundus, lapillus, lavacrum, limpidus, majeſtas, margarita, monile, munditia, murenula, natatoria, Ioannes *id eſt gratioſus.* Naaman, *id eſt pulcher*, Noëma, *id eſt decora.* Nitor, novacula, ordo, ornatus, paro, pictura, pigmentũ, polio, purgo, purifico, purus, Rachel, reformo, repurgo, Sephora, *id eſt pulchra*, ſerenus, ſtola, tergo, torques, ver, venuſtus, vireo, virgo, vngo.

REPVGNANT PVLCHRITVDINI.

Æthyops, calvitium, chaos, cœnum, coinquino, confuſio, contamino, decalvo, deformatus, deformis, deturpo, emarceo, fœdum, illotus, illuvies, immundus, imperfectus, indecens, infectus, inhoneſtus, inordinatio, inquino, intonſus, lacuna, lepra, limus, lutũ, macula, menſtruum, monſtruum, piloſus, polluo, porcus. *Vide Rep. Æqualitati.* Putredo, rubus, ſanies, ſcabies, ſcateo vermibus, ſordes, ſpurcitia, ſputum, excrementum, ſputamen, ſqualidus, ſtercus, ſterquilinium, rabes, tondeo, turpis, vepres.

MAGNITVDO.

CONVENIVNT.

Intenſio, extenſio, infinitum, immenſum, incomprehenſibile, totum, ſummum, vniverſale, capacitas, abundantia, largitas, copia, ſufficientia, fœcunditas, multitudo, emanatio, numerus, mons, pyramis, gigantes, arithmetica.

EX BIBLIIS.

Alcum, altitudo, Aaron *i. mons.* Abies, æther. Agag. *i. tectum.* Acervus, agger. Altare, aquila, Aram. *i. ſublimitas.* Arbor, arduus, arx, aſcendo, aſſurgo, aſtra, attollo, cacumen, cœlum, caput, cedrus, cete, circuitus, clivus, collis, conſcendo, culmen, cypreſſus, deſuper, deſurſum, effero, elatus, elevo. Enacim, gigas, erectio, exalto, excelſus, exhalo, extollo, extraho, exurgo, faſtigium firmamentum, gigas Goliath. Grandis, immenſus, infinitus, Ingens, inſurgo, interminatus, libanus, machina, magnitudo, mons, Maria *i. exaltata.* Palma, per grandis pinnaculum, pinus, præruptus, procerus, ſcala, pyramis, ſolium, ſtatura, ſublimis, ſuper, ſupercilium, ſupereminens, ſuper-exalto, ſuper-extollo, ſuperficies, ſurgo, ſurſum, ſuſtollo, ſycomorus, tectum, Thabor, thronus, tranſcendo, tribunal, turris, vapor, vertex.

PROFVNDVM.

Abyſſus, antrum, baratrum, cado, baſis, cavea, calco, caverna, ciſterna, crypta, decido, defeſſus, dejectio, delapſus, demego, deorſum, deprimo, deſcendo, deſilio, devolvo, dilabor, corruo, effodio, excido, excutio, fodio, foſſa, fovea, fundamentum, fundus, gurges, haurio, inclino, incurvo, infodio, inferior, lacus, lucifer, mergo, palus, plumbum, præceps, præcipito, procumbens, profundus, pronus, prolabor, puteus, provolutus, Phogor, *id. Hiatus*, tuo, ſpecus, ſpelunca, ſtagnum, ſterno, ſubmergo, ſuperca-do, talaris, tartarus, terra, vadum, vallis, vorago.

CONTINENS.

Abundo, acervus, aduleus, agger, coagitata menſura, complector, compleo, complico, comprehendo, concha, concludo, contineo, cophinus, corbona, cubiculum, diſcus, hydria, lebes, marſupium, oppidum, phiala, plenitudo, plenus, regio, repleo, ſaccus, tabernaculum, vas, veſica, vena, vter, corus, menſura, cubitus.

NVMERVS.

Bigæ, binarius, bivium, caterva, centum, cohors, colonia, complures, concio, copia, copioſus, cunctus, filicus, innumerabilis legio, mille, multitudo, omnia.

Vide ſingulos numeros in Concordantijs Bibliorum.

DVRATIO.

CONVENIVNT.

Æternitas Ævitemitas, tempus & omnes temporis partes, vt annus, menſis, dies, ver, &c. ætatis, gradus pueritia, adoleſcentia, viritas, ſenectus, ſatum.

CONSERVATIO.

Permanentia, confidentia, ſpes, fortitudo, columna, conſtantia, patientia, reliquiæ ſanctorum, prohibitio alienandi, memoria, immobile, terra, centrum, conſuetudo, vſus, præſcripto, proſapia, memoria, annales, alimentum, mora, torpedo.

EX BIBLIIS
CONTINVATIO.

Adamantinus, æneus, æreus, æternitas, antiquus, aſſiduo, aſſuefco, Bala, *id eſt inveterata*, canities, catena, Cephas, *id eſt petra*, clavus, condio, communiter, confirmo, conſeneſco, conſtabilitus, conſuefco, conſuetudo, continuus, corona, creber, decanus, defigo, denuo, dies, diurnus, diutius, diuturnus, exerceo, faſti, figo, firmamentum, firmo, genealogia, generatio, hæreditarius, hæreo, hædera, immarceſcibilis, immobilis, immortalis, imprimor, incano, incorruptus, indeclinabilis, indeficiens, indeſinenter, infigo, infinitus, intus, interminatus, invetero, inviolatus, invulnerabilis, irrevocabilis, lapis, longævus, longanimis, longiturnus, maneo, manſio, marmor, memoria, monimentum, mos, obfirmo, orbis, perennis, permaneo, perpetuus, perſevero, poſteri, poſteritas, preſbyter, *id eſt ſenex*, priſtinus, proceſſio, progenies, prolongo, propago, quouſque, ritus, rivus, fluvius, fons, rumino, ſæculum, ſoleo, ſtabilio, ſtabilis, ſtamen, ſto, ſuccedo, ſuperſtes, tempus, traditio, veteranus, veteraſco, verus, vorum, vſus, ætas, ædituus, ærarium, alimentum, alo, anchora, antemurale, concervo, conglutino, conſervo, conſolido, conſtantia, conſto, corbona, cuca, cuſtodio, daphnis, deinceps, deinde, depoſitum, gazophilacium, horreum, reſto, tartarecta, ſcribo, ſculpo, ſemita, ſenectus, ſequor, æra, heſaulus, adeps, creber, frequens, circulus, gyro, importunus, itero, jugis, repeto, revertor, rota, cœlum, ſabbata.

DVRATIO MALA.

Impœnitens, indomitus, induro, inſanabilis, inſatiabilis, obduro, pertinax, Pharao, protervus, rupes, tenax.

MORA.

Acedia, piget, negligens, ſegnis, anilis, circuitus, circulus, commoror, congyro, cortodo, ctas, cunctor, differo, dilatio, donec, gravis, hæreo, interea, lentus, lima, mora, morus, negligentia, paulatim, pondus, retardo, ſero, ſerpens, ſopio, ſtagnum, ſtatio, tardus, vecors.

REPVGNAT CONTINVATIONI.

Intermitto, interpono, interrumpo, luna, lunaticus, mare, momentum, novitas, nunc, oblivio, pinnula, converto, plebs, corrumpo, pluvia, corruo, recens, deleo, renaſcor,

Digitized by Google

renovo, reſipiſco, pœnitentia, reſpito, reſumo, reſurgo, revirido, reminiſcor, revolvo, revoco, temporalis, titubo, transfiguro, transformor, vapor, ventus, vertigo, verto, viciſſitudo, volatilis, volo, volubilis, volucris, volvo, voluto, vomo, arundo, apoſtata, arena, fluctus, fortuna, inconſtantia, cera, ceſſio, ceſſo, commuto, comparesco, concido, conflatilis, deſino, deſiſto, deſtituo, deſtruo, ductilis, effluo, effundo, effrenatus, evomo, fluctuo, flumen, fortuitum, fretum, fictilis, fragilis, frango, fuſile, globus, innovo, inſtabilis, inſtauro, liqueſco, lubricus, muto.

REPVGNAT MORÆ CELERITAS.

Abortus, accelero, accola, agilitas, alacer, altilia, ales, amygdalus, *quæ prima floreſcit*, Avolo, auca, brevitas, calcei, carbaſa, alæ, capra, celeritas, cervus, citò, concitus, confeſtim, convolo, curro, angelus, ignis, currus, diligentia, evolo, expedio, feſtino, hodie, jaculum, immaturus, impatiens, inſilio, mox, penna, percurro, pluma, pondus, amor, præcurro, prævenio, promptus, ratis, repente, theda, equi, ſalio, ſtatim, ſubitus, ſuccinctus, torrens, anticipo.

POTESTAS.

CONVENIVNT.

Omnes formæ, & qualitates activæ, Deus, Chriſtus, Angelus, cœlum, anima, cor, cerebrum, Papa, Epiſcopus, Rex, Magiſtratus, Reſpublica, lex, Dominus feudi, dominium, vſusfructus, maritus, herus, actor, judex, allodium, tutor, curator, libertas, emancipatio, ingenuitas.

REPVGNANT.

Materia prima, potentiæ paſſivæ, mulier, vaſallus, ſervus, aulici, debitor, fidejuſſor, reus, carcer, vorum, clauſtrum, obedientia, monachus, oratio, ſupplicatio, paſſio, paupertas, neceſſitas, diffidentia ſui, timor, conſternatio, otium, impotentia, impedimentum, vilcus, catenæ, vincula, compedes, eculeus, alienatio.

EX BIBLIIS.

Sophia Auguſta, Iuſtini Imp. vxor, accitis omnibus qui ære alieno obſtricti eſſent, debita eorum creditoribus exolvit. Baron. an.568.

Vaſtatâ Ieroſolyma a Coſroë Perſarum Rege, Ioannes dictus eleemoſinarius, Patriarcha Alexandrinus fugientes omnes excipit, alitque, captiuos redimit, cæteris neceſſaria ſubminiſtrat. Bar. an. 614.

Benigna natura, lepores, innocua & eſculenta animalia, mirè fœcunda generavit. Plin. l.8. c.55.

Ficus Indica vaſtis diffunditur ramis, quorum imi adeo in terram curvantur, vt annuo ſpatio infigantur, novamque ſibi propaginem faciant circa parentem. Idem l.12. c.5.

De pluribus arboribus, quæ bis & ter in anno fructum ferunt, in aliquibus locis, vide eundem lib.16. cap.17.

Quæ amant rores, ad Occaſum aut Septentrionem ſerenda ſunt, vt diutius, eo fruantur. Idem lib.17. c.3.

Cùm exundans Nilus in Ægypto 12. cubita non exceſſit, fames eſt. Idem l.18. c.18.

EX IVRE CIVILI.

PRætores & Conſules in ingreſſu dignitatis miſſilia id plebem jactabant, id eſt, pœcunias, inſtitut. de acquir. rer. dom.

Beneficium Principis eſt latiſſimè interpretandum. l. final. ff. de conſtit. pe. cul.3. princ. de paſcuis publicis & priuatis. Cod. lib.4. tit.60.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt ſequimur. l. ſemper. ff. de reg. jur.

Libertinorum ſtatus erat initio tripartitus, alij enim cives efficiebantur Romani, alij Latini, alij dediticij, ſed poſtea ſublato hoc diſcrimine, Iuſtinianus omnibus manumiſſis plenam libertatem contulit. l.1. Cod. de Latina liber. tolle. l.1. Cod. de dedit. libert.

De donationib. decret. lib.3. tit.14.

De inſtitutionibus. dec. lib.3. tit.7.

Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur. decr. lib.3. tit.12.

Clauſulâ generali pollicetur Prætor, ſe reſtituturum, quotieſcumque æquitas ſuadebit, & iuſta cauſa videbitur; quia ſunt multi caſus, in quibus æquum eſt reſtitutionis auxilium, qui tamen non poſſunt ſpecialiter edicto comprehendi. l.1. ff. ex quibus cauſ. majo. 25. ann. in integ. reſt. Non ſunt ſtrictè interpretandæ voluntates defunctorum. l.12. §.1. ff. de vſu & habitat.

Si aqua publica ſit, licet eam ducere ad irrigandos agros, modo id fiat ſine injuria alterius, l.17. ff. de ſervitutibus ruſtic. prædiorum.

Cui jus adeundi ad fontem conceſſus eſt, inerit & hauſtus. li.3. eod.

Quod humani juris non eſt, ſervitutem non recipit, vt locus Religioſus; mari quoque, quod naturâ omnibus patet, ſervitus imponi, privatâ lege non poteſt. l.4. ff. comm. prædior.

Aquam ducere ex flumine publico cuilibet licet, niſi Imperator, vel Senatus vetet l.2. ff. de flumi.

Aurũ ſpargere ſoli Principi licet l.2. Cod. de Cõſulib.

Beneficium Principis ſecundum jus commune, latiſſimè debet interpretari, at contra jus commune, ſtrictè. l. beneficium ff. de conſtit. Princip.

Non poteſt imponi ſervitus monumento, vt ad certam altitudinem elevetur; aut certus numerus hominum in eo humetur. libro 6. ff. commu. prædior.

Depoſitarius vel procurator, poſſunt ſe obligare, ad præſtandos Domino caſus fortuitos l.39. ff. mandati.

Res intelliguntur donari, ſicut & vendi, cum ſuis juribus realibus, etiam ſine vlla expreſſione l. 47. & ſeqq. ff. de contrah. emptio.

Si tutor recuſet aliquam partem adminiſtrationis bonorum pupilli, amittit totum ei factum legatum, ob tutellam l.101. ff. de legat.

Valet legatum, licet qualitas non fuerit adjecta, quam teſtator adjecturum ſe dixerit, optimum cenſetur legaſſe l.77. ff. de legat.2.

De hæredum inſtitutione, quæ fit in vniverſum jus, quod defunctus habuerat, in favorem Religionis, in dubio intelligetur quod eſt majus. lib.38. ff. de auro & argento mundo.

Hæres damnatus à teſtatore, intra certum tempus non petere à debitore, pro illo tempore non petet vſuras. l.8. ff. de liberat. legat.

Qui manumittit ex fidei commiſſo, non poteſt libertis operas imponere l.7. §.4. ff. de operi. libertor. vel ſi ea lege ſervus emptus ſit, vt manumittatur l.13. eod ?

Si teſtator ſæpius in teſtamento reliquit libertatem ſeruo, ea voluntas volebit, quæ magis favet ſervo. l.1. ff. de manumiſſ. teſtamento.

Servus manumiſſus non tenetur de delicto commiſſo contra Dominum, dum eſſet in ſeruitute l. final. Cod. an.

Servus pro ſuo facto poſt manu. non tenetur, quia Dominus dando libertatem, cenſetur ei crimen remittere.

Vni in ventre exiſtenti libertate relicta, ſi plures naſcantur, etiam omnes liberi lib.14. Cod. de fidei com. libertate.

Peculium, ſi non ſit ademptum, ſequitur manumiſſum inter vivos, non in vltima voluntate, l.1. C. de peculio ejus, qui libertatem meruit.

Publicæ lætitiæ nuntiatoribus, prohibetur aliquid ob id à populo exigere, ne turpi colludio quæratur ex miſeris pretium gaudiorum. l. vnic. & vltima Cod. publicæ lætitiæ nuntiat.

Omnibus Magiſtratuum copia patere debet l. obſervandum ff. de off. Præſ.

Conſules, eorum vxores, matres, in ſeptem ludis poſſunt ſpargere argentum populo in munus; aurum autem ſpargere non licet, niſi ſoli Principi: quia illi ſoli convenit aurum contemnere. Novell.105.

Senatores & in vrbe, & vbi etiam oriundi ſunt, domicilium habere intelliguntur, quoad honores; quia dignitas domicilij adjectionem potius dediſſe, quam permutaſſe videtur. l.11. ff. de ſenatoribus.

Reſtitutio à Principe conceſſa damnato, reſtituit eum in priſtinum ſtatum, etiam quoad honores & bona. l.1. Cod. de ſent. paſſis & reſtitut.

Servo, cui datur libertas, intelliguntur etiam remitti ea, quæ male geſſit in ſeruitute l.21. Cod. de negot. geſt.

EX IVRE CANONICO.

DOminus non vult ſimul, effundi opes, ſed diſpenſari, niſi forte vt Heliſæus, qui boues ſuos occidit, & ex his pavit pauperes, vt ſic nullâ retentus cura domeſtica, relictis omnibus, in diſciplinam ſe Propheticam daret c. Dominus. diſtinct.86.

Nunquam Dominus aliquem ſanavit, quin omnino liberaverit, habenti ſeptem Dæmonia, & legionem nullum reliquit; mutum & ſurdum ſanavit; ſic nullum oſtendit in pœnitentia reſervandum peccatum. De pœnit. diſt. 3. c. ſunt plures.

Decimæ ſolvendæ ſunt, non deductis expenſis. c. cum homines. de decimis.

Epiſcopus remittens alicui Eccleſiæ decimas Epiſcopales indefinitè, remiſiſſe videtur non ſolum præteritas, ſed & futuras. capite quia circa, de privilegiis.

Excommunicatus ob plures cauſas, ſi ab vna obtineat abſolutionem, aliis tacitis, non valet. cap. officij. de ſententent. excommunic.

Beneficium Principis latiſſimè debet interpretari. cap. olim. de verbo. ſigniff.

Secundus qui impetravit dignitatem & præbendam, præfertur priori, qui ſolum præbendam impetraverat, ſi præbenda dignitati eſt annexa, alias non. cap. quia ſæpe de præbend. & dignitatibus in 6.

Baptizandis numerus non eſt imponendus 10. q. 3. can. nec numerus.

Baſilides hæreticus damnatus, quod diceret non omnia a Deo remitti peccata, ſed tantùm involuntaria, quæ per ignorantiam facta eſſent. Baron. an. 120. num. 14.

EX THEOLOGIA.

BOnum Vniverſale eſt principium & finis rerum omnium. D. Thomas 1. q. 103. a. 2.

Bonum ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu; vnde malum medium non honeſtatur per bonum finem.

Omnibus eſt benefaciendum, pro loco tamen & tempore. idem 2. 2. q. 31. a. 2.

Elemoſyna corporalis & ſpiritualis eſt effectus charitatis.

Incarnatio eſt ſummus modus, quo homini ſe Deus potuit communicare ad extra. D. Thom. 3. q. 1.

Adeps in veteri lege prohibetur comedi, & Deo comburebatur; quia ab eo habemus bonorum omnium ſufficientiam, & vt eſſet figura charitatis Chriſti in paſſione. idem. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8.

Angelus ſuperior inſtruit inferiorem de omnibus quæ ſcit. idem 1. q. 106. art. 4. & 2. 2. q. 81. art. 4. ad 2.

Aqua habet has communicativas qualitates, quòd ſit humida, generativa, abundans vbique, & ſine prætio; ideo eſt materia Baptiſmi, qui eſt janua omnium Sacramentorum. idem 3. q. 66. a. 3.

Benedictio Dei, ſignificat donorũ ejus collationem, & multiplicationem; idem 1. q. 72. a. 4. & q. 73. a. 3.

De Dei miſericordia. *V. Minoritas Contrarietatis.* Impoſitio manus apertæ fit in Sacramento confirmationis & ordinis, ad ſignificandum copioſum effectum gratiæ. idem 3. q. 84. a. 4. in c. & ad 2.

Chriſtus redemit mundum per crucem, quæ reſpicit omnes, ſeu 4. mundi partes; quia hoc competebat vniverſali ſalvationi totius mundi, propter virtutem paſſionis vbique diffuſam. idem 3. q. 46. a. 4.

Elemoſyna debet fieri abundanter, ſecundum facilitatem dantis; ſed multis indigentibus, ne quis ſuperfluè habeat. idem 2. 2. q. 302. a. 10.

Solus Papa plenarias indulgentias, pro libito ſuæ voluntatis, legitimâ tamen causâ exiſtente facere poteſt: cæteri autem Epiſcopi, quantum ſibi à Papa taxatum fuerit. Suplem. D. Thomæ q. 26. a. 3.

Dantes omnia pro Chriſto, non ſunt prodigi, ſed liberales 2. 2. q. 19. a. 2. ad 3.

Chriſtus omnes divitias contemnendo, oſtendit in ſe ſummum gradum liberalitatis, & magnificentiæ idem 3. q. 72. a. 3.

Lux dicitur eſſe ſine pondere, numero, & menſura; quia virtus eius ſe extendit ad omnia corporalia, non autem ſimpliciter. idem 1. q. 5. a. 5. ad 5.

Quod Chriſtus fecit, perfectè fecit, quemcumque ſanavit, totum ſanavit, ſcilicet mente & corpore. idem 3. q. 44. a. 3. ad 3.

Quod det aliquis vitam ſuam pro ſalute proximi, non eſt de neceſſitate, ſed de perfectione charitatis. idem 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3.

Sol influit in omnia corpora 2. 2. q. 47. a. 5. ad 2. An poſſit Deus meliora facere, quam quæ fecit. 1. q. 25. a. 3.

Et natura creata poteſt terminari à pluribus perſonis divinis, & divina perſona poteſt terminare plures naturas creatas.

Præcipua Dei beneficia ſunt creatio & quies mentis in Deum, per gratiã & gloriam 1. 2. q. 100. art. 5. ad 2.

Magnum Dei beneficium eſt in ſpiritualibus: vnde promiſſiones bonorum temporalium in antiqua lege fuerunt figuræ ſpiritualium in nova. 1. 2. q. 2. a. 6. & q. 114. a. 10. ad 1.

Gratia eſt donum Dei excedens conditionem naturæ, & ſine meritis 1. 2. q. 111. a. 1.

Juſtitia ſe extendit ad omnes non autem liberalitas. 2. 2. q. 58. a. 12. ad 1.

Majoris miſericordiæ eſt impios juſtificare, quam juſtos creare, ſed ſunt æqualis potentiæ Dei 3. q. 43. a. 4.

D. Auguſt. Epiſt. 50. Bonifacio, exhortans Donatiſtas vt redeant ad Eccleſiam, ſub ſpe etiam honorum dicit. In inſertione arboris fieri quidem vulnus in cortice, ſed in bonum, ſi quod inſeritur coaleſcit: ſic fit aliquid contra integritatem ſeveritatis Eccleſiaſticæ, qua cautum erat, vt poſt pœnitentiam nemo clericatum acciperet, id autem non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ; vt deſperatione temporalis altitudinis, medicina major & verior eſſet humilitatis: nam & David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore permanſit: & Petrus poſt pœnitentiam Apoſtolus manſit. Nec ſupervacanea tamen poſteriorum diligentia, qui vbi nihil ſaluti detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, experti fictas aliquorum pœnitentias; cogunt enim multas invenire pœnitentias multorum experimẽta morborum: Nunc autem fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis, &c. D. Aug.

Deus ſe totum communicat ad intra, ſe etiam totum dedit ad extra hominibus, dedit enim illis Filium, & Spiritum Sanctum.

De continuatione gratiæ omnibus, *Vide Æqualitas voluntatis.* Deus vult omnes ſalvos fieri.

Baptiſmus purgat ab omni peccato, tam originali, quam actuali.

Vt Sol eo ipſo que eſt, omnia illuſtrat, quæ eius lumen pro modo ſuo capere poſſunt: ſic ipſum bonum per ſe, ipſaque eſſentia ſua, iis quæ ſunt omnibus, pro eorum captu, totius bonitatis radios emittit. D. Dionyſ. 4. de nominib. divi. c. 6.

EX BIBLIIS.

VOx Domini in magnificentia, Pſal. 28.

Ioſeph, fratrum crimen excuſat, eoſque cumulat bonis. Gen. 49.

Dicitur paſſim de terra promiſſionis, quod fluit lac & mel. & Deut. 8. cuius lapides ferrum ſunt.

Deus plus confert, quam ab eo petatur. Latro dicit, memento mei cum veneris in regnum tuum, dicit illi Chriſtus, hodie mecum eris in Paradiſo. Num. 7. pe-

Digitized by Google

tituat virga floreat, etiam fructum ferat. 4. Reg. 19. A non ſolum nullus Aſſyriorum telum mittit cõtra exercitum Ezechiæ, quod fuerat promiſſum, ſed etiam octingenta millia hominum Angelus occidit.

Matth. 9. petenti corporalem ſanitatem, Ieſus dat & ſpiritualem; Ioan. 2. non tantùm vinum, ſed & optimum dat in convivio. Salomoni petenti ſapientiam, dat etiam divitias.

In tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus. pſ. 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus. pſ. 117. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Math. 10.

Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, & ſublimitas & profundum charitatis Chriſti &c. D. Paulus Epheſior. 3. 19.

Fluvius irrigans omnem paradiſum. Gen. Omnes ſitientes venite ad aquas, venite, emite abſque argento, & vlla commutatione vinum & lac. Iſay. 55.

Nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus pſ. 18. Illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. Ioan. 1.

Miſerere mihi Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam pſ. 50.

Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Proverb. 5. & c. 9. Sapientia immolat victimas ſuas, & proponit menſam.

Aſſuerus facit convivium omni populo. Eſther. 1.

Ego flos campi &c. manus ejus tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis. Cant. 5.

Pharao videt in ſomnis ſeptem ſpicas pullulantes in culmo vno. Gen. 41.

Liæ fœcunditas Gen. 29. In ſeptem annis ſterilitatis, Ægyptus diſtribuit frumenta aliis provinciis. Gen. 41.

Deus dat Annæ ſterili, non tantum Samuelem, ſed poſtea tres filios & filias. 1. reg. 2. addidit omnia quæcunque fuerant Iob duplicia. Iob. 42.

Noë in benedictione Iaphet, dicit, Dilatet Deus Iaphet. Gen. 9.

Deus non dat ad menſuram ſpiritum. Ioan. 3. ſuperſunt 12. cophini fragmentorum ex quinque panibus turbæ diſtributis. Math. 14.

Fundabo te in ſaphiris, & ponam Iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos. Iſay. 54.

DEMONSTRATIO.

Magnum & integrum beneficium conferendum.

BONIT. vt eſſentia ſibi adeſt tota, & indiviſibilis; ſic tota ſe naturaliter effundit in operationem, ne quid habeat in ſe otioſi, & vacui: tantumque agit, quantum patitur diſpoſitio materiæ.

MAGNIT. Vix poteſt dici beneficium, quod eſt anguſtum, quia non penitus tollit neceſſitatem: ſimile eſt debilioribus remediis, quæ humores excitant, non purgãt; & ſoli infirmo, qui ſic vapores elevat, non diſſolvit. *Vide Media Poteſtas*: ſic is cui confertur, levi ſpe elatus, remanet ſervus duorum, ſcilicet benefactoris & neceſſitatis. Poſitis diſpoſitionibus, natura infundit in momento totam formam, eſt enim indiviſibilis.

DVRATIO. Magnum beneficium collatum ſe extendit ad omne tempus, nam oſtendit quod talis præſtitiſſet auxilium præteritæ neceſſitati, ſi illam prævidiſſet, qui ſuccurrit præſenti & prævenit futuram. Perfecta vna actione faciunt, quod imperfecta pluribus. *Vide Poteſtas Magnitudinis*; An ſimul omne quod poſſumus dare, dandum ſit. *Vide Duratio Bonitatis.*

POTESTAS. Qui non integrum confert beneficium, fatetur ſe carere aut potentia, aut affectu, vtrumque indecorum. Magnarum Poteſtatum eſt, magna conferre beneficia. Vnde Alexander, vt notat Plutarchus, nunquam niſi magna conferebat dona; plura talenta, vrbium, Provinciarum adminiſtrationes; quia Magnificentia eſt virtus Regia. Expectamus, inquit Ficinus, à ſingulis ſtellis proprios influxus, à Sole autem omnes. Vir bonus & potens debet alium ſibi ſimilem facere, id eſt, non ſolum immunem à neceſſitate, ſed etiam potentem, vt aliis benefaciat; ſic Angeli ſuperiores ita communicant ſuum influxum, vt hi qui illum recipiunt, poſſint in alios refundere.

COGNITIO. Non cognoſcitur beneficium, niſi ſit magnum, parvum enim abſorbetur à neceſſitate, ſicut gutta aquæ ab igne.

VOLVNTAS. Non vis amari pro parte, & cum limitatione, quid ergo beneficium, vnde procedit amor, ſic confers?

VIRTVS ſola charitatis neſcit modum; neſcit niſi ſine modo diligere, & benefacere, vt ſit beneficentia in heroico gradu.

VERITAS. Verè das totum, ſi das quod potes, ſi negas quod potes, non eſt bonum; quia debet eſſe ex integra cauſa; fallis quia allegas defectum potentiæ, non voluntatis.

GLORIA. Solo integro beneficio tollitur omnis triſtitia. Quam abjecti es animi velle partiri gloriam beneficij? Nullum agnoſcunt & venerantur benefactorem, qui à pluribus minuta recipiunt.

DIFFERENTIA. Hâc ſola dignoſcetur verus amicus ab aliis: nam nemo eſt qui non aliquid conferat de ſuo, ad auxilium alterius.

CONCORDANTIA. Si amor non patitur conſortem in thalamo, ſic nec in beneficio; amicorum omnia ſunt communia, ergo alienum injuſtè retines, ſi amico das tantum pro parte.

CONTRARIETAS. Quid prodeſt civitati obſeſſæ, ex vna tantum parte auxilium præbere, aliis hoſti expoſitis? quid juvat pluribus plagis mortiferis laboranti, vni tantùm remedium adhibere? prodis amicum, qui totum à te ſperabat, & qui tui cauſa fortè ab aliis non recipit, quaſi debeas in totum auxiliari.

PRINCIPIVM. Das vitam, dando neceſſitati auxilium, at vnius filij vnus eſt Pater; ſic ab initio amicitiæ ſtipulatum.

MEDIVM. Vera amicitia non admittit partitionem, aut totum, aut nihil: das partem volens videri verus amicus, cum non ſis; ſi hoc advertat, non tam gaudebit & gratias aget de accepto, quã indignabitur de negato.

FINIS. Ita definet amicitia, eo ipſo medio, quo tu putabas illam promovere, cum videbit ſe fine ſperato fruſtatum.

MAIORITAS. Deberes majora ſupra vires tentare, & quomodo in poſſibili deficis? lucrum eſt quod confertur amicis, & ipſa beneficij honeſtate, qua exultat animus, & ſpe conſervandi amicum, quo pereunte, integer tu non es dicendus, ſic duo amittis & amicum, & beneficium.

ÆQVALIT. Deus feciſſet illũ tibi in fortuna æqualem, niſi voluiſſet à te auxilium præſtari, & quidem viribus tuis æquale, vt ſis in illa rationum redditione fidelis.

MINORITAS. Vis agnoſci beneficus? cùm apparenti tantum remedio auxilium gravi morbo tuleris; vt imperitus medicus, qui tenetur injuriarum, & pœna legis Aquiliæ, ſi deſerat, cujus curationem ſuſcepit. Peſſimi ſunt ſudores frigidi, & qui non per totum corpus, ſed tantum circa caput & faciem; in acuta enim febre mortem, in mitiori longitudinem morbi ſignificant: ſic dicendum de dimidiato beneficio.

DVRATIO BONITATIS.

CONTINVATIO BENEFICII.

MISCELLANEA.

EX diffuſione beneficij, oritur ardor majora dandi; quod enim rareſcit, incaleſcit; vt patet cum ignis excutitur ex ſilice.

Terra fructus & medicas fundit herbas, ſemperque homini parturit. Plinius natural. hiſt. l. 2. cap. 63.

Multæ ſunt plantæ, quæ vere & autumno florent. Idem.

Aperine herba. *gallice graterom.* quæ ſeminis, caulium, foliorum ſucco, eſt remedium contra venenata, attingentium veſtibus pertinaciter hæret. Idem.

Metallum dicitur quod μετὰ ἄλλον, id eſt poſt aliud; quod vnâ vena inventa, alia non procul inveniatur. Plin. l. 33. cap. 6.

Cùm cœlum ſit figuræ ſphericæ, extra cœlum non datur ſpatium, quod nunc occupetur à corpore, nunc ſit vacuum; ſi autem eſſet angulare, daret inanitas privativa, dum abiret angulus.

Ab anno 14. vſque ad 50. natura mittit ſemper ſanguinem ad vterum, pro nutritione partus, in non gravidis quolibet menſe egeritur.

Etiam vrgente ſumma frumenti penuria, peregrini ſemel in vrbem admiſſi non ſunt ejiciendi.

Quatuor vaſa incidunt in cor, vena cava, vena arterioſa, magna arteria, ſeu aorta, & arteria venoſa, ſingula habent ſuas valvulas, ſeu operimenta, quibus fit, vt quod influit, vel effluit, non regrediatur eadem via, alioquin motus eſſet inutilis.

Principum liberalitates debent impendi in rebus durabilibus.

Animalia duplicem habent vitam, in ſe dum vivunt, & in nobis etiam mortua, per ſympaticam energiam; vt ſplen bovis, in nobis expellit ſplenis obſtructionem: ſic de aliis. C

Accipe ſi poſſis beneficium ab hoſte tuo, tunc deſinet eſſe hoſtis; quia tecum non vult perire beneficium & opus ſuum; ſic Princeps debet mutuare pecunias à ſibi ſuſpecto, vt ſibi illum devinciat: vnde creditor facilè dat ſuo debitori auxilium, ſpe obtinendæ ſolutionis; nunquam prodendi ſunt quos ſub noſtra protectione recipimus, etiamſi ex illorum traditione magnum nobis obveniat commodum.

Corpora omnia ſive animata, ſive inanimata, continuò ſpirant & difflant, occultâ tranſpiratione, qualitates aliquas.

Nutrix facultas, toto vitæ tempore durat.

Mixtum homogeneum non eſt corruptibile ab intrinſeco, ſed tantum ab extrinſeco contrario. D

Res creatæ ſunt in Deo invariabiliter, in ſeipſis variabiliter.

Sidonius dicit in verſibus, ne mortuam quidem à divinandi arte ceſſare ſybillam, & id quidem, quod ex ea in aërem receſſit, poſt obitum id eſſe, quod in ſortibus & auguriis divinat: ex eo autem, quod in terram mutatum eſt, natam herbam, quam edentes beſtiæ immolandæ, futuri cognitionem per exta demonſtrabãt.

Etiam infœliciter poſitus Iupiter planeta, bonus eſt.

Bonum quod confertur in æternitate, melius eſt bono temporaneo.

Ex ordinatiſſima, & conſtanti mundi diſpoſitione, Deum vnum eſſe concludit Plato. lib. 10. de legibus.

Cauſa ſuperior, quamdiu habet ſuum eſſe completum influit ſuam bonitatem inferioribus, quibus optat ſuam ſimilitudinem communicare: ita Deus dat ſemper omnibus auxilia gratiæ ſufficientis: Angeli adſunt etiam peccatoribus; cœli immittunt influxus, rores, & pluviam ſuper arida; medicus adeſt ægris pervicacibus; Prædicator debet eſſe conſtans, in admonendo; pater benefacit filio ſuo prodigo. *Vide Duratio Principij.*

Vt Platonici aſſerunt Deum ſemper fuiſſe, ita etiam mundum ab eo ſemper fluxiſſe; nec minus ab eo pendere, quam ſi in tempore fluxerit, vt lumen à ſole, hunc mundum proceſſu temporis ab ordine debito decidere, ſed à Deo reſtitui. Marſilius Ficinus. II

Continuum emolumentum ex ſylva cædua, terræ vbertate, prato, vineis, arboribus, vacca, armentis cæteris.

In pomo quod producit arbor, aliud pomum continetur, & ſic in infinitum flores dant mel apibus, ſine ſui detrimento.

Olim convocatis ad convivium dabantur munera, quæ domi aſportarent, & hæc dicebantur apophoreta, D. Ambroſ. in exhorta. ad virgines.

Movent efficacius, quæ non multum diſtant.

Tribunus Plebis Romæ non debebat abeſſe ab vrbe, per diem vnum; fores etiam ſemper debebat habere apertas, vt præſto eſſet poſcenti auxilium ferre.

Aquæ ſubeunt in imbres, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes, aër diſpenſatur in imbribus, furit procellis; ſola terra eſt quæ nunquam iraſcitur, ſemper benefica, mitis, indulgens homini. Deus non ceſſat à ſuo concurſu, cœlum à ſuo influxu, fontes & fluvii perennes, in agro Trogloditicæ Æthiopiæ toto anno ſeritur, & metitur, eodem tempore mandatur ſemen arvis, & aliud triticum adoleſcit, aliud ſpicatur, aliud metitur. Plinius.

Luminis ampliſſima diffuſio; centrum emittit ſuas vires in totam peripheriam.

Deus immortalis, cœli incorruptibiles; Mundus à quibuſdam habetur æternus. Ita durante etiam bonitate cauſarum vniverſalium perimus; nunquam nobis deficiunt.

Vis horoſcopi continuatur: per totum vitæ tempus. *Vide Poteſtas Principij Initij.*

Nilus ſtato anni tempore, quo ſiccantur alia flumina, & ceſſant pluviæ, exundat fœcundans agros. Phil. lib. 1. de vita Moſis.

Sol nullam patitur retrogradationem, cùm non habeat Epiciclum.

Manibus invicem iunctis, pinguntur gratiæ. Seneca.1. de beneficiis c.3.

Perdet agricola quod ſparſit, ſi labores ſuos deſtituat in ſemine: Multâ cura, ſata perducuntur ad ſegetem: Nihil in fructum peruenit, quod non à primo vſque ad extremum æqualis cultura proſequitur: Eadem beneficiorum eſt conditio, nulla poſſunt eſſe majora, quam quæ in liberos Patres conferunt, nec tamen tuta ſunt, ſi in infantia deſerantur, niſi longa pietas munus ſuum nutriat: ſic parum eſt dediſſe beneficia, fovenda ſunt. Id. de benef. lib.2. c.11.

De beneficio etiam ingratis continuando. *Vide Virtus Bonitatis.*

Ne propter vnius ingratitudinem deſiſtas à beneficiis: ne ſis erga Deum ingratus, à quo omnia gratis accepiſti; non ſis minus bonus, propter malos: Non eſt deſiſtendum à cultura agri, propter vnam ſementem arefactam: non conſideres te dare huic homini, ſed homini, imo Deo; humanum eſt dare beneficium merentibus, clementiſſimum, imo divinum, non merentibus. Marſil. ficin.

Quam multi indigni ſunt luce, & tamen dies oritur, quam multi quod nati ſunt quæruntur, tamen natura ſobolem novam gignit; Magni animi eſt beneficia, non ipſorum fructum quærere: qui ſtatim vt data ſunt perceptus eſt; & liberi & conjuges ſpem fefellerunt, tamen educamus: adeo adverſus experimenta pertinaces ſumus, vt bella & naufragia, victi, repetamus. Vnum beneficium bene poſitum, multorum amiſſionem ſolabitur: non eſt damnum, quia non eſt creditum. Opus tuũ perage, ingratos aut pudor aut occaſio aut imitatio aliquando gratos faciet; Is perdit qui cito ſe perdidiſſe credit: Nam qui onerat priora ſequentibus, etiam ex duro pectore gratiam extundit, beneficiis tuis illum cinge, vt te in illis vndique videat. Seneca lib.1. de benefic. cap.2. Succumbunt vitia virtutibus, ſi illa non citò odiſſe properaveris. Id eſt, numquid quæ conſervavimus, perdidiſſe dicimus? Quædam nomina bona, lentus ac ſapiens creditor fecit, qui ſuſtinuit, ac moras fovit; ſic nutriamus fidem languidam: vincit malos pertinax bonitas. Id. lib.7. de benefic. in fine.

Patribus corporis eſt ingenitus, & infixus Spiritus, qui nunquam eas deſerit: ab illo procedunt influentes Spiritus, qui per totum corpus diffundũtur ad motum.

Nemo non amat beneficia ſua, & cui non ſit cauſa iterum benefaciendi, ſemel benefeciſſe: ipſa enim per ſe delectant beneficia, ineſt illis propria quædam vis, cui initio non fuiſſet ratio præſtandi, aliquid ei præſtamus ob hoc quia præſtitimus, ſolâ beneficij charitate: cui etiam infœliciter dato indulgere, tam naturale, quam liberis pravis: honeſtum ſui cauſa colimus. Seneca lib.4. de Benefic. c.17.

Ptolomæus Philadelphus, eâdem anniverſaria die, qua ad eum Hebræi ſapientes acceſſerunt, Antigonum prælio ſuperavit. Ioſeph. antiquitat Iudaic. hoc aſtrologi aſſerunt fieri ſæpe duodecimo quolibet anno, redeuntibus iiſdem bonis planetis, aut eorum aſpectibus, per profectionem.

Formæ ſeparatæ à materia aliquid ſui, ſuorum ſpirituum, ſuarumque qualitatum in illa relinquunt. In cadavere creſcunt vngues & pili, emittitur ſanguis, ad præſentiam amici, aut inimici, commotis ſpiritibus reſiduis, per ſympathiam, aut antypathiam: ſic ſemel ignita facilius ignem concipiunt, ſic lanæ, extractæ à mortuo tabe animali, facile generant vermes: quia deſtitutæ ſunt calore & ſpiritibus innatis.

Qui beneficium conferunt, magis amant, quam qui recipiunt: quia qui recipit, eſt quaſi debitor, qui nollet alium ſuum eſſe creditorem, amant ratione vtilitatis, at qui conferunt ratione honeſti, & vident eos quibus benefecerunt, quaſi ſuum opus. Ariſtot. Moral. lib.9. cap.7. Benefici opus permanet, ſic parentes plus amant liberos, quam viciſſim. Id. lib.7.

Sapiens malos, tam propitiùs aſpicit quam medicus ægros ſuos. Aquam per rimas trahenti navigio non iraſcitur nauclerus, ſed continuò ſubvenit, nec intermittit, quia quantum eſt exhauſtum, tantum ſubnaſcitur: Lento adjutorio opus eſt contra mala continua & fœcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant. Seneca. l.2. de ira cap.10.

Vide Durat. Virt. conſtans admonitio.

Medicamenta, etiam mortua, vires ſuas retinent, quæ ſunt quaſi fructus abſentis formæ, ſeu cœli incorruptibilis, in cujus virtute agunt: & quia eorum finis non eſt vita vegetativa, ſed hominibus prodeſſe.

Vide Glor. Medy. de Reliquiis ſanctorum.

Sola mors eſt naturalis, vbi corpus animam, non anima corpus relinquit.

Pila quâ luditur non cadit, niſi aut mittentis vitio, aut accipientis, tunc curſum ſuum ſervat, vbi ab vtroque apte jacta & excepta verſatur, aliter cum tyrone, aut doctore luſore mittitur, ſic aut dantis aut accipientis vitio ceſſat beneficium: aliquando infirmo conſentitur luſori, alioquin ludus extendi non poſſet, ſic in beneficiis debent eſſe faciles, benigne omnia interpretantes. Senec.2. de Benef. c.17.

Cum deſperationis procella conturbat, concuſſa mens citius in portum ſpei ſe collocat: ſic cauſas ſuas ſubtiliter cum Domino penſat, ſi bona ejus ad memoriam revocat, ſi mala quæ bonis ejus reddidit apud ſemet-ipſam callidè non excuſat, ſi perpendit quid ab eo juſtè meruit, & quid ab eo clementer accipit, ſi facta ſe quæ non erat meminit, ſi illuminatam ſe atque ſublevatam, quæ in tenebris erat agnoſcit: Si ſpem de futuris recipit, dum tranſacta beneficia recognoſcit. D. Gregor. lib.26. moral. cap.16.

Per ſpem ducimur vſque ad interiora velaminis, vt ait Paulus Hebr. 12. Id eſt, ad beatitudinem cæleſtem centuplum acceptum in præſenti, ſpem dat de futuro. Vide D.Thom. 2.2. q.17. a.3.

Navis in portu, licet adhuc ſit in Mari, dicitur eſſe in terra.

In Deo ſperandum. *Vide Principium Virtutis.*

Talem jam novimus erga nos Dei animum, vt non immeritò dicamus: *ſic currimus non quaſi in incertum.* 1. ad Corinth.9.

Lumen per ſe nullo movetur modo, neque fluit, neque refluit: diaphano recedente aliquo, ipſum non recedit: opaco à ſe illuminato abeunte, ipſum non abit. Sui multiplicatione & amplificatione gaudet: ab illuminante, non ab illuminato pendet, ſit vnum & continuum, & rumpitur, aut interrumpitur nunquam.

Malum Citrium omnibus temporibus poma producit: & alia pariter auferuntur, alia florent, alia cadunt. Athen.lib.3. c.5.

Deus ſummè miſericors ad pœnitentiam & veniam admittit, etiam ſæpius relapſos. *Vide Duratio Virtutis, ſub finem. de Relapſis, & ſerò pœnitentibus.*

Quamdiu corpus naturalem ſuam ſervat conſtitutionem, nunquam fieri poteſt, vt anima ab eo ſecernatur. Galen. l. de naturalium facultatum ſubſtantia.

Cum vngues vſu poſſint atteri, voluit natura eos ſemper augeri: quamvis jam totum corpus augeri deſierit. Id.l.1. de vſu partium.

Anno Chriſti 316. cum in Oriente deſtruerentur Idolorum templa: ſublatus eſt ab idolo Serapidis, cubitus, vnde putabatur pẽdere. Nili inundatio terris vtiliſſimas

hinc publicus metus, ne ſerapidis ira Nilus poſtea non A inundaret; at è contra factum eſt vt flumen in poſterum ſe latius diffunderet. Baron. an. 326.

Ampulla cœlitus miſſa, qua conſecrantur Reges Franciæ, perennis eſt, nec deficit. Baron. an. 499.

Conſtantinopoli avarus quidam morti ſe credens proximum, pecuniam legat pauperibus erogandam; ſed ſanitati reſtitutus, dum eam vult revocare donationem, ſubita morte tollitur. Id. an. 553.

De viris qui vſque ad 85. annum genuerunt; in fœminis autem an. 50. ceſſat fœcunditas. Plin. lib. 7. c. 14.

Muræna quocumque tempore parit, cum cæteri piſces ſtato pariant. Id. l. 9. c. 25.

Fraxinus ſerpentibus inimica, floret priuſquam hæ prodeant, nec ante conditas folia dimittit. Plin. lib. B 16. cap. 13.

In ficis mirabiles ſunt abortus, qui injuria temporis nunquam matureſcunt. Ib. c. 25.

In maxima admiratione pinus eſt; habet fructum matureſcentem; habet proximo anno ad maturitatem venturum; ac deinde tertio; nec vlla arborum; avidius ſe promittit: quo menſe ex ea nux decerpitur; eodem matureſcit alia; & ſic diſpenſatur, vt nullo non menſe matureſcant. Ib. c. 26.

Durat bonitas, quæ ſenſim, & cum mora datur. *Vide hoc tit. mora.*

Nocturni imbres, diurnis meliores; nam magis fruuntur aquis ſata, non ſtatim auferente eas ſole. Plin. lib. 17. cap. 2.

In frugibus ſerendis, eadem terra vtilior intelligitur, C quoties intermiſſa cultura quievit: quod tamen in vineis non fit. Ib. c. 5.

Arbores ex ſeminariis debent transferri in ſimilem, aut meliorem terram, nec è tepidis aut præcocibus, in frigidos, aut ſerotinos ſitus. Ib. c. 11.

Sunt quædam partibus anni ſalubria; nihil autem ſalutare eſt, niſi quod toto anno ſalubre. Id. l. 18. c. 5.

Quæ ſpica per intervalla ſemina habebit, abjicietur. Ib. c. 24.

Finis antiquis fodiendi Argenteas mineras, erat alumen inventum; vltra nihil quærebatur: nuper inventa æris vena infra alumen alba, nullum ſpei finem fecit. Ib. lib. 33. c. 6.

D

EX IVRE CIVILI.

Continuatio Bonitatis.

PVnitur, curſum fluminis immutans l. 1. ff. ne quid in flumi. publ.

Olim Rectoris Provinciæ munus erat, providere ſarta tecta Eccleſiis, l. 7. ff. de offi. Proconſ. nunc verò eſt munus Epiſcopi, c. quatuor 12. q. 2.

Vſus fructuarius tenetur ad ſarta-tecta. l. hactenus ff. de vſufructu, & in locum demortuarum arborum, & pecudum, aliàs ſubſtituere. l. 75. ff. de vſu fructu.

Vſus fructuarius ædium poteſt quidem eas ornare, E ſed poſtea non poteſt quæ inædificaverit refringere. l. 19. ff. de vſufr.

Si fons exaruerit, & poſtea renaſcatur; ſervitus quæ extincta videbatur, reviviſcet; hauriendi ſcilicet. l. 35. ff. de ſervi. ruſticor. prædior.

Quod favore alicujus conſtitutum eſt, id in ejus verti non poteſt injuriam. l. quod favore. C. de legib. l. 25. ff. eod.

Filij Patroni dicuntur fiduciarij tutores libertinorum; quia cenſentur in eos continuare Patris affectum: Patronorũ autem legitima eſt tutela; ad eos enim pertinet conſervare perſonam & bona, qui dederũt libertatem.

Non poteſt repetere prætium, qui redemptam ab hoſtibus proſtituit. l. 7. Cod. de captivis. debuit enim continuare beneficium ſuum.

Cenſetur renuntiare prætio, qui redemptam ab hoſtibus, in vxorem accepit. l. 22. eod.

Mulcta remiſſa propter pauperratem, non poteſt poſtea exigi, propter ſupervenientes divitias. l. 6. §. Præſes ff. de offic. præſid.

Præſes coget privatos ad reficienda ædificia. l. 7. eod.

Nemo poteſt tranſigere de alimentis ſibi relictis, niſi authore Prætore. l. 8. ff. de tranſactionib.

Tutor alimenta pupillo non præſtans, removetur vt ſuſpectus. Inſtit. de ſuſpect. tutorib.

Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlteriùs transferendum c. ſemel Deo. de reg. iur. in 6. II

Vt non poſſunt revocari donationes, niſi ex ſumma donatarij ingratitudine. tit. de revocand. donationib.

Ita licet fuiſſet victoribus poteſtas occidendi hoſtem in ipſo conflictu, tamen ſervatum & ſervum factum non licet occidere, ſed mitiùs oportet habere. l. 1. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris. Ita parentibus ſublata fuit poteſtas vitæ & necis in filios, quos etiam non poſſunt nec abdicare, nec exhæredare ſine cauſa. l. 6. Cod. de patr. poteſt. Emancipatus filius, non poteſt invitus redigi in patriam poteſtatem. l. 11. ff. de his qui ſunt ſui vel ali. iur.

Adoptio non poteſt fieri ad tempus, nec enim moribus noſtris convenit filium temporalem habere. lib. 34. ff. de adoptionib.

De annuis legatis, & fidei commiſſis, ff. lib. 33. tit. 1.

De alimentis vel cibariis legatis, ff. 34. tit. 1. pupillo præſtandis C. 5. 30. ad l. Iuliam de annona.

Non cogitur quis arbitrium ſibi delatum recipere: ſed ſi recepit, Prætor ſe interponet, vt rectè officium ſuum impleat; cum ſecreta & intima negotij cognoverit l. 3. §. tametſi ff. de recept. & qui arb.

Venas metallorum, & lapidum effoſſas, natura reſtituit, vnde vſus-fructuarius poteſt eas inquirere. l. 13. ff. de vſufruct.

Proprietarius, fundo qui in vſum fructum datus eſt, non poteſt ſervitutem imponere, l. 15. ff. de vſufruct.

Si quis funus fecit, pietatis gratia, non animo ſumptus recipiendi, non habet actionem contra hæredes, D l. 14. ff. de religioſ. & ſumptib. funer.

Si pietatis cauſa aliquid ſolutum ſit, vt dotis nomine, ceſſat conditio indebiti, l. 23. ff. de condict. indeb.

Mandatum eſt gratuitum, ſi tamen mandatarius, iuſtâ cauſa non impeditus, non implevit quod mandatum eſt, convenitur actione mandati, in id quod intereſt. l. 8. ff. mandat.

Proconſul non cogitur mandare iuriſdictionem ſuam, ſed mandatam ſemel non poteſt inconſulto Principe auferre. l. 6. §. 1. ff. de offic. Proconſul.

Beneficij gratitudo etiam erga defuncti hæredes. *Vide Med. Poteſtat.*

Si latrones captori dati ſunt pro præmio in ſervos, non poſſunt hi ſervi poſtea ad libertatem proclamare, l. 2. C. quib. ad libertat. procla. non liceat.

Sic de prohibitione alienandi, pacto, aut teſtamento, vt ſemper duret beneficium.

Alimenta ſimpliciter relicta, intelliguntur perpetuò relicta, l. 1. C. de Legatis.

Alimentorum triennalis præſtatio, concurrente favore vltimæ voluntatis, facit legatum deberi etiam in futurum, ex voluntate minus ſolemni. l. final. Cod. de fidei comm.

Arbitrio ſuſcepto, etiam ſacerdos cogitur ſententiam dicere, l. nam magiſtratus, ff. de receptis arbitris. Gloſſa.

Beneficium omne debet eſſe perpetuum, l. 1. C. in quib. cauſ. in integ. reſtit.

Si teſtator

Si teſtator diviſiones dari decurionibus die natalis ſui juſſerit, de perpetuo legato ſcripſiſſe intelligitur. l. cum quidem ff. de annuis legatis.

Si Pater non adimit in emancipatione ea quæ filiis donavit in poteſtate, non poteſt poſtea revocare. l. 17. C. de donatio.

Perfecta donatio conditiones non capit invito donatario. l. 4. Cod. de donatio. quæ ſub modo.

Qui ab accuſatione deſiſtit, amplius ad illam redire non poteſt. l. 6. Cod. de his qui accuſare non poſſ.

Antiquitus licebat dominis, cum voluiſſent, feudum revocare; poſtea per annum firmitatem habuit: deinde protenſum durante vita fidelis, tandem ad hæredes tranſit. 1. feud. t. 1. §. 1.

Vaſallus non debet privari feudo ſuo ſine culpa. eod. tit. 21.

Aqua viva dicitur, quæ continuò fluit, vt fluminis, fontis, & etiam putei propter ſuas ſcaturigines. l. 1. ff. de fonte.

De conditis in publicis horreis C. 10. tit. 26. de argenti prætio, quod theſauris infertur Cod. l. 10. t. 76.

Si ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur Cod. 2. tit. 44. *Vide duratio voluntatis.*

Qui relinquit alicui habitationem, intelligitur pro tota vita. l. 10. §. 3. ff. de uſu & habitat.

Si decem dedero alicui, eo quod negotia mea ab eo adjuta putavi; licet non ſit factum, quod donavi repeti non poteſt. l. 65. ff. de condict. indeb.

Sic datum meretrici repeti non poteſt, condictione ob turpem cauſam. l. 4. C. de condict. ob turp. cauſ.

Hereditas ſemel data adimi facilè non poteſt. l. 1. ff. de his quæ in teſta. delent.

In Codicillis non poteſt adjici conditio inſtitutioni purè factæ. l. 6. Cod. de jure Codicillor.

Legatum annuum Reipublicæ, perpetuò debetur. l. 6. ff. de annuis legat.

Si ſit legata certa menſura vini ex agro proventis, quot annis; debetur etiam anno ſterili, quia compenſatur alterius fœcunditate. l. 17. eod. fœcundior & durabilior eſt damni voluntas, quam natura.

Perpetuo debetur legatum præſtandum die reiterabili, vt die natalis, & cenſetur eſſe annuum l. 23. ff. de annuis legat.

Si hæres fecerit ædificium in fundo, cujus vſusfructus eſt legatus, non poteſt illud demoliri ſi vſusfructuarius prohibuerit, poteſt tamen ante prohibitionem l. 12. ff. de vſu & vſufr. legat.

Donatio mortis causâ poteſt fieri, itavt ſit irrevocabilis, etiamſi convaluerit qui donavit. l. 13. ff. de mortis cauſ. donatio.

Pater & dominus non habent actionem furti adverſus filios & ſervos, etiamſi emancipaverint, neque enim actio, quæ non fuit ab initio nata, oriri poteſt adverſus hunc furem. l. 17. §. 1. ff. de furt.

Similiter qui factus eſt dominus ſervi furis, ſi eum vendat, non aget furti contra ipſum. lib. 18. eod.

Pater caſtrenſe peculium ſemel filio datum non poteſt auferre, etiam cum eum emancipat, aut in adoptionem dat. l. 12. ff. de caſtrenſi pecul.

Donationem ad pias cauſas inſinuatam cogitur quis implere, etſi nondum opus inceperit. l. 15. C. de ſacros. Eccleſ.

Bona monaſterio quæſita per ingreſſum, non revocantur: licet ingreſſi ad ſæcularem remeaverint vitam. l. 55. §. 2. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

Qui præeſt operi publico ædificando, tenetur illud ſalvum & integrum cavere per quindecim annos l. 7. C. de operib. publ.

Qui ſtipulatus eſt majores vſuras, & per longum tempus recipit tantum minores, videtur remittere majores. lib. 13. ff. de vſur. & C. olim. ext. de cenſibus.

Lapidicinæ, & Metallorum fodinæ, cenſentur eſſe in fructu, quia renaſcuntur. l. 7. ff. ſolut. matrim.

Privilegium quod datur ſine temporis limitatione, intelligitur datum in perpetuum. l. 30. ff. de excuſati.

Qui ſemel remiſit ſatisdationem, non poteſt amplius repetere lib. final. ff. vt legato. nom. cauſſa.

Libertas ad tempus dari non poteſt l. 33. ff. de manum. teſtam.

Tutor aut Curator, non poſſunt deferre ad fiſcum hereditatem à ſuis pupillis indignis poſſeſſam. l. 18. §. 8. ff. de jure fiſci. Procurator poteſt interrogari, ſed non poteſt deferre. eod.

Expenſæ factæ pietate Materna, vel affectione domeſtica, non repetuntur; quia animo repetendi factæ non videntur. lib. 1. Cod. de negot. geſt.

Donatio ſponſalitia, non immoderata, prætextu ætatis non revocatur. l. 1. Cod. ſi adverſ. donatio.

Manumiſſio causâ cognita, & cum decreto, ratione minoris ætatis retractari non poteſt. l. 2. Cod. ſi adverſ. libertat.

Pater dotem filiæ ad ſe reverſæ non poteſt minuere, eâ iterum nubente. Auth. ſed quamvis Cod. de rei vxo. actio.

Debitor operis publici, etiam ex ſola pollicitatione, compellitur illud ſolvere. l. vnic. Cod. de ratioci. oper. publico.

Si Medicus ſervum, quem ſecuerit reliquerit, & ob id mortuus fuerit, culpæ reus eſt. Inſtit. ad leg. Aquiliam.

A cura ſe poteſt excuſare is qui tutor fuit. l. 20. C. de excuſat. tutor.

Dici poteſt, quod non obligat lex, quia ſatis invitat præcedens officium pupillo præſtitum.

Legatus Municipalis, ſi deſerverit legationem; pœnâ extraordinaria punitur. lib. 1. ff. de legationibus.

Poſt ſumptam tutelæ adminiſtrationem, fruſtra ſe quis excuſat. l. 2. Cod. ſi tutor vel curat.

Faciliùs retentio, quam actio conceditur. *Vide Bonitas Durationis*, ſic datum meretrici non poteſt condici l. 2. & 5. C. de cond. ob turp. cauſ.

Qui expoſitos colligit, non poteſt eos habere vt ſervos, ſed vt ingenuos. l. 3. Cod. de infantibus expoſit. *Vide Duratio Virtutis.*

Fontes publici non poſſunt fieri privati, licet privati poſſint fieri publici. l. 9. Cod. de aquæ ductu.

Adminiſtrator civitatis, ſi quid officij tempore promiſit, animo liberandi Rempubl. finito etiam officio tenetur. l. 67. ff. de procuratoribus. *Vide Duratio Voluntatis.*

EX IVRE CANONICO.

PEccata ſemel remiſſa, non redeunt. de pœnit. diſt. 4.

Sacrilegium committit, qui Eccleſiis à ſe donata revocat. 17. q. 4. c. ſunt qui.

Baptiſma olim conferebatur, in ſolemnitatibus Paſchæ & Pentecoſtes, de conſecr. diſt. 4. c. non ratione, & ſeqq.

Epiſcopus, qui alicui præbendam contulit, quæ evicta eſt, tenetur primam vacantem illi conferre, cap. inter cæt. de præbend. & dignitatib.

Ob ingratitudinem donatarij, poteſt donator donationem ſuam revocare, non ejus hæres, ſi ipſe donator tacuit de ingratitudine, cap. propter vltimo. de donationibus.

A

EX THEOLOGIA.

DEus poteſt auferre Ordinem collatum, non autem Epiſcopus', quia non eſt Miniſter auferendi ſicut conferendi. 3. q. 82. a. 8. in c. & ad 2.

Deus Pater Chriſtum plus diligit, quam omnes angelos & homines, quia majus ei bonum contulit: voluntas enim Dei eſt cauſa bonitatis in rebus. 1. q. 10. a. 1.

Deus parcit ſero pœnitentibus & relapſis. *Vide Duratio Virtutis ſub finem.*

Sola Creatura rationalis, quæ eſt excellentior jam facta, adoptatur à Deo, non ex creatione, ſed ex dono B Spiritus S. D. Thom. 3. q. 23. a. 3.

Angelus non deſerit hominem, quem cuſtodit, vſque ad mortem. Idem 1. q. 113. art. 4. in c.

Per baptiſmum tollitur peccatum Originale, & amplius fomes mitigatur, ne dominetur. Idem. 3. q. 66. a. 3.

Malis debemus benefacere, in auxilium naturæ, non culpæ. Id. 2. 2. q. 25. a. 6.

Bonum duplex, ſcilicet commutabile, & incommutabile. 2. 2. q. 21. a. 1. ad 3.

Principia naturæ, cum proprietatibus ejus remanent integra, etiam poſt peccatum. Ibid. 1. 2. q. 85. a. 1. 2. 4.

Datio & miſſio dicuntur tantum temporaliter, in C divinis; ſed donum æternaliter. 1. q. 38. a. 1. ad 4.

Gratia viæ, & gratia patriæ ſunt vna eademque numero. Ib. 1. 2. q. 111. a. 3. ad 2.

Quod ſemel gratia facit, perpetuò manet. 3. q. 88. a. 1. ad 4.

Ingratus meretur privari beneficio, tamen dans beneficium non debet ei ſubtrahere, ne fiat pejor. Ib. 2. 2. q. 107. a. 4.

Quod verbum aſſumpſit, nunquam dimiſit. *Vide Durat. Concord.*

Medicus, non debet ceſſare à curatione infirmitatis deſperatæ. Ibid. 2. 2. q. 71. a. 3.

Proceſſio Spiritus ſanctus dicitur æterna, reſpectu D objecti æterni, ſed vt tendit in objectum creatum, cui Deus confert aliquid, dicitur temporalis. 1. quæſt. 43. art. 2.

Dei continuata bonitas erga homines inſtructos lege Naturali, Moſaïca, Prophetis, Evangelio; Iuvat. meritis Chriſti, Sacramentis, auxiliis gratiæ. *Vide Medium Virtutis, & Gloriæ.*

Bonum naturæ, ejuſque proprietates, peccatum non minuunt. 1. 2. q. 87. a. 1.

Feſtum Neomeniæ quod fiebat in Noviluniis, in gratiarum actionem gubernationis Dei, quæ maximè fit inferiora per Lunam. 1. q. 102. a. 4. ad 10.

Lex nova omnium perfectiſſima, durabit vſque ad finem mundi. Id. 1. q. 106. a. 4.

Semel accepta gratia habitualis, non ſufficit ad bene operandum; ſed novum ſemper requiritur gratiæ auxilium, propter infirmitatem noſtram, 1. q. 109. a. 9.

Deus hominem amando, amat permanenter; & ideo in anima donum ponit permanens, ſcilicet gratiam habitualem. Id. 1. 2. q. 112. a. 2.

Relapſi in hæreſim ſemper ſunt ad pœnitentiam recipiendi. Id. 22. q. 11. a. 4.

Innocens, magis tenetur ad grarias Deo reddendas, propter continuatum bonum. Idem. 2. 2. q. 106. a. 2.

Deus non facit, quod ſtatim deſtruat, vnde partes corporis Chriſti nunquam habuerunt propriam ſubſiſtentiam.

Per verbum omnia facta, & reparata.

EX BIBLIIS.

LOquens Deus ad Iacob, ego, inquit, ſum Deus Patrum tuorum, noli timere. Geneſ.

Murmuranti populo in deſerto, illi narratur quanta Deus contulerit beneficia; quaſi accepta ſint fide juſſores accipiendorum, inquit Euſeb. Emiſſen.

Deus meus, ſperabo in eum, quoniam ipſe liberavit me, &c. Pſal. 5.

Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi. Pſal. 56.

Sic Moyſes ad populum; Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Exod. 3.

Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Exod. 23. pones panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. Exod. 25. Sacrificium Matutinum & Veſpertinum: & nos ſemper oportet orare, ob continua in nos Dei beneficia.

Deus iterum ſcribit legem, prioribus tabulis confractis. Exod. 34.

Gabaonitæ recepti in fœdus à Ioſue, & ob id à vicinis Regibus invaſi, ſcribunt Ioſue, ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorum. Ioſue. 10.

Eadem maxilla, qua Samſon occidit mille viros, dat ſitienti potum. Iudic. 15.

Noëmi dicit de Boos, eandem gratiam quam præbuerat vivis, ſervavit befunctis. Ruth. 1.

Deus non tantum dat Annæ ſterilli Samuelem filium, ſed poſtea tres filios, & filias. 1. Reg. 2. & capit. 3. Ter vocat Deus Samuelem, donec ei reſpondeat.

Salomon petens à Deo ſapientiam, commemorat beneficia quæ Patri ſuo contulerat. 3. Reg. 3.

Non ceſſat oleum viduæ multiplicari, quandiu ſunt vaſa, quæ illud recipiant. 4. Reg. c. 4.

Petro Reſpondet Chriſtus: fratri in nos peccanti, non tantum ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties, dimittendum. Matt. 18.

Ieſus arguentibus Iudæis, quod Sabbatho curaret, D dixit, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Ioan. 5.

De vbertate terræ dicit Deus, apprehendet meſſium tritura vindemiam; & vindemia occupabit ſementem. Levit. 26.

Deus ſtatuit pactum cum Noë, per iridem, de futura cum hominibus pace. Gen. 9.

Abrahæ benedictiones Deus continuat in filium ſuum Iſaac.

Iſaac multis effoſſis puteis, quos Paleſtini occupabant; tandem effodit vnũ extra cõtroverſiam. Gen. 26.

Rachel ex ſterili facta fœcunda, natoque Ioſeph, dicit; addat mihi Deus filium alterum. Gen. 30. ex accepto beneficio ſperat aliud.

E Deus dicit Moyſi, Ego ſum qui ſum. Ex. 3. mutabilia enim verè non ſunt. Columna nubis per 40. ann. ducit populum Iſraël; ſimiliter pluit manna, conſervatur pro Sabbatho, & in Arca non putreſcit: Veſtimenta tunc Hebræorũ non ſunt cõſumpta. 2. Eſdræ. 9.

Ib. recenſet omnia beneficia, quæ Deus contulit populo, vt imploret in præſenti ſuam miſericordiam.

Theſauriſate vobis theſauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur. Matt. 6.

Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera noſtra operatus es in nobis. Iſay. 26. Noli timere ſerve meus Iacob effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt ſicut herba, & quaſi ſalices, juxta præterfluentes aquas. Iſay. 44.

Recedite domus Iacob, qui portamini à meo vtero,

Digitized by Google

qui geſtamini à mea vulva, vſque ad ſenectam, ego ipſe & vſque ad canos ego portabo: Ego feci & ego feram, ego portabo & ſalvabo. Iſay. c.46.

Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filiorum vteri ſui, & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Iſay.49.

Ecce in manibus meis deſcripſi te, Muri tui coram oculis meis ſemper. Ibid.

Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum quoniam non dereliquiſti quærentes te domine. Pſal.9. Reminiſcere miſerationum tuarum quæ à ſæculo ſunt. Pſal.24.

Sicut juravi Noë, vt non inducam aquas diluvij ſuper vniverſam terram; ſic juravi vt non iraſcar tibi: montes enim commovebuntur, & colles contremiſcent; Miſericordia autem mea non recedet à te. Iſay.54.

In quacumque die invocavero te, cognovi quoniam Deus meus es. Pſal.55.

In æternum miſericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis, Pſalm.88. Ego clamavi, quoniam exaudiſti me. Deus. Pſal.16.

Miſericordiæ tuæ multæ Domine. Pſal. 118.

Magnam fiduciam in Dei bonitate docet Chriſtus. Matt.6. Nolite ſolliciti eſſe, &c.

In pace, in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe, conſtituiſti me. Pſalm. 4.

Conſerva me Domine, quoniam ſperavi in te. Pſ.15. In ipſo ſperavit cor meũ, & adjutus ſum. Pſ 27.

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet. Pſ.36.

Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Pſ.55 & Pſ.56.

Miſerere mei Domine, quoniam in te confidit anima mea: In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Memor eſto verbi tui in quo mihi ſpem dediſti; hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me, Pſal.118. Lætatus ſum in his, &c. Pſ.121.

Expectatio juſtorum lætitia; ſpes autem impiorum peribit. Prov.10.

Filia Caleb, habens jam terram arentem, petit irriguam, quam accipit à Patre. Ioſ.15.

Habenti dabitur. *Vide Dur. Vir. repug.*

Iſay. c.65. dicit; Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicẽtem. Rom.10.

EX PATRIBVS.

SEmper debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita ſemper retinet debitorem: quia non impenditur vt pecunia ſed quo magis ſolvitur, magis acquiritur; & creſcit in homine, vnde quam reddo adhuc debeo; dicente Apoſtolo ad Rom.13. Nemini, quidquam debeatis, niſi vt invicem diligatis. D. Auguſt. Epiſt.62.

Præterita Dei bonitas, futurorum beneficiorum eſt fidejuſſor, & cautio. Euſeb. Emiſſen. homil. 2. de Symbolo *Vide Princip. Virtut.* In Deo ſperandum.

Quid non dabit filiis, qui hoc ipſum dedit, vt eſſent filij? D. Aug. l.2. de ſerm. Domini in monte. c.4.

Etiam ingrato eſt benefaciendum, vt reſipiſcat. D. Thom.2.2. q.107. a.4.

Aqua eſt duplex, ſcilicet viva, id eſt, continuata ſuo principio, cum fluxu; & mortua, id eſt ſtans. Id.1. q.18. a.2. ad 2.

Sicut ad operandam ſalutem Deus ſemel in carne venit viſibilis; ita quotidie ad animas noſtras venit inviſibilis, eas potentia ſua inviſibili illuſtrando; eandem enim ſemper habet amorem, cujus proprium eſt ſumma imis, & ima ſummis, pariaque invicem conjungere.

Deus offert ſemper ſufficientes gratias. *Vide æqualitas Bonitatis.* Etiam ſerò pœnitentibus parcit. *Vide Duratio Virtutis.* Sub finem combinationis.

DEMONSTRATIO.

Beneficium eſt continuandum.

BONITAS. Bonum ita eſt ſui diffuſivum, vt debeat eſſe continuum, ſicut fluminum & fontium perennis eſt curſus. Deus ſemper adeſt mundo ipſum conſervans, cum das egenti beneficium, das vitam, quam debes aliis beneficiis conſervare; ſi enim permanet in te eſſentialis quædam charitas, debes illam operibus implere.

MAGNITVDO. Homo anguſtæ capacitatis non eſt capax multarum & magnarum rerum ſimul, ſed tantum ſucceſſivè; ideo cum tali magnitudine faciendum eſt beneficium, vt poſſit continuari, nec cenſetur magnum, niſi ſit continuum, ſic enim eſt completum. Semper major eſt affectus ipſomet beneficio; vnde ſe explicat, ſibique facit ſatis, per continuationem, quâ exurgit continuum quoddam, ſine vacui interpoſitione, vt in vniverſo.

DVRATIO. Notaberis quaſi inconſtans in affectu, ſi non continues beneficium; ſic jam collatum amittes, quia ex repulſa magis indignabitur, qui petit; turpius enim ejicitur, quam non admittitur hoſpes. Videris pœnitere dari, ideo non habetur gratia; non eſt timendum ne deficiant facultates tuæ, nam vt agri, arborum, animalium, tempore ipſo exhauſtæ, novis fructibus excreſcentibus reparantur. Vix vnquam tam anguſtè dantur beneficia, vt non aliquid de futuro polliceantur, ſi promiſiſti, debes exolvere.

POTESTAS. Negando fateris te, aut inconſtantem, aut impotentem, vtrumque tibi inhoneſtum: miſerum jam impotentem reddis, ne ab alio auxilium accipiat, quaſi ſit judicatus à te beneficio indignus.

COGNITIO. Poſtquam amaviſti, non eſt amplius judicandum; ſed prius jam à te tuis beneficiis approbato, iterum benefaciendum. Hac lege vivitur, quam ſciviſti: vt bonus, quaſi Aſylum, pluries à miſeris conveniatur, & quoties ingruit neceſſitas. Sciunt omnes ipſum tuam eſſe quodammodo creaturam, creduntque auxilium à te recepturum; ne fallas ſpes pauperis; ne deludas publicam opinionem, quæ alioquin famæ tuæ nocebit, quaſi nullus in poſterum tuæ amicitiæ debeat fidere.

VOLVNTAS. Amor beneficus ſemper perpetuitatem profitetur. Naturale eſt plus diligere eum, cui jam benefeceris, quia fit quodammodo opus tuum; placet etiam conſcientiæ objectum, in memoriam revocans præteritam liberalitatis honeſtatem: agitur tantum de tuo affectu, nam ſi volueris benefacere, mille modos inveniet amor potens & induſtrius.

VIRTVS. Dicetur te fortuito animi impetu, & cœcâ paſſione prima beneficia potius projeciſſe, quàm dediſſe, ſi illa non continues; ſi enim collata ſunt ex certa animi electione, debet in te eſſe liberalitatis habitus, qui in cæteris facilè & cum delectatione operetur.

VERITAS. Non fuit vera tua liberalitas, ſed forte commodi alicujus gratia, ſi eadem non permaneat, non enim eſt verum & proprium, ſed accidentale: quod cito tranſit. Non ſunt in excuſationem multa afferenda, nam oculata nimis eſt neceſſitas, illa re-

pulſa imputabitur defectui voluntatis, non poteſtatis: oportebit in multis aliis impotentem te ſimulare, turpi animo libero ſervitute. Cæterum ſi imponis hominibus, non falles, nec Deum charitatis vindicem, nec tuam conſcientiam.

GLORIA. Nam vt datum beneficium ſtatim conſequitur interna mentis delectatio, quaſi arrha quædam promiſſæ in cœlo retributionis, ſic poſt injuſtam repulſam, rea mens interno dolore cruciatur, quaſi pœnâ talionis, ob ingentem triſtitiam quâ afficit miſerum, fruſtrando ſpes ſuas.

DIFFERENTIA. Ab eodem ſole ſemper ſperamus, & accipimus lucem, ab eadem terra, fructus, ab eodem Deo ſupplices recipimus gratias, idem hepar ſanguinem, idem cor, idem cerebrum ſpiritus vitales & animales ſemper ſuppeditat, ſic ab eodem benefactore, eadem ſunt ſperanda auxilia: quid miſerum ad mutationem cogis, dum vrgens neceſſitas conſilium, & ad alios acceſſum adimit?

CONCORDANTIA. Si ab experto jam amico, beneficium negatur, quid illi ſperandum ab ignotis, ita eſt, ex quo alicui beneficium contuliſti, illum quaſi familiæ tuæ adſcriptum fovere debes, ſalvis tamen tuis rebus, & ſecunda pôſt teipſum charitate. Hoc continuato bonorum commercio ſtat humana ſocietas: & hæc ſocietatis, ſicut ſanguinis, iura nulla datâ occaſione dirimi debent.

CONTRARIETAS. Tibi aperuit confidenter fortunæ & familiæ ſuæ caſus adverſos maximâ verecundia, quæ tractu temporis lenitur. Vis eadem, & turpitudinem ſuam egerere coram multis, fortè non ad auxiliandum, ſed ad nocendum paratis: ſic famæ ſuæ, luiſque rebus inſigne damnum inferet: alii remittent ipſum ad antiquum ſuum benefactorem, à quo ſi non accipiat, exiſtimabitur ſortis aut indignæ, aut penitus deſperatæ, cum expertus ipſum amicus habeat pro derelicto. Vnde plus lædis negando poſterius beneficium, quàm faviſti concedendo primum: vnicum enim aut alterum conceſſiſti, at negando ſecundum, plura aufers, quæ poſſet ſperare ab aliis.

PRINCIPIVM. Conſtat vt plurimum civilis amicitia, vt cæteræ res naturales, mutua dati & accepti viciſſitudine: qua ergo fronte auſpicabitur amicitiam cum aliis turpi petitione, quam antea debuiſſet beneficiis, ſuarumque facultatum exiſtimatione promereri?

MEDIVM. Sanius tibi, quam ipſi tempeſtate agitato, conſilium: ſaltem ſi non potes juvare tuis nummis, juva amicis: ſi non potes eſſe liberator, ſis interceſſor: honeſtiùs enim pro amico, quam in cauſa propria intercedes. Poſſet Deus ipſum immediatè juvare, ſed vult id fieri te medio: ex primo tuo collato beneficio, collige qualis ſit ordo divinus.

FINIS. Ergo inquies, cavendum nobis eſt à dando beneficio, quia ſic libertati in futurum præjudicium facit, ſed adverte, quod tibi nulla vis infertur, nec exactio vltra vires: imo vera eſt libertas in rei honeſtæ continuatione: quæ ſi fiat ex habitu, fit facilè, & ſuaviter: fœlix humanũ genus, ſi in talibus non deficeret.

MAIORITAS. Apud bonos ſemper creſcit charitas: ſi gaudes haberi cæteris potentia ſuperior, gaudeas oportet illo amplioris fortunæ, vt titulo, ſic effectu. Ideo te divina providentia ſuperiorem effecit, vt in inferiores influas, volunt Reges & magnates, omnes ad ipſos recurrere, & in hoc deficientibus indignantur: oneri, non honori eſſet magna potentia, niſi in aliorum ſe effunderet auxilium.

ÆQVALITAS. Læſum te diceres, ſi tibi alios æquaſſet à pluribus mendicando auxilium: jam honori delato, parem oportet te referre gratiam, egit quod debebat te bonum, potentem, exiſtimando, ſic tuæ fortunæ, tuæ famæ quodammodo litavit: proba effectu quod ſibi de te repromiſit, obtinebis in illum jus, quod nunquam ſua gratitudine poterit æquare, cum te reddes fortunæ ſuæ Creatorem quodammodo, & conſervatorem.

MINORITAS. Ideo tibi ſervivit, ideo te bonum, potentem prædicavit, non ſolum ob accepta beneficia, ſed ſpe accipiendorum: cave ne turpi liberalitatis deſertione, amittas fructum præteritorum beneficiorum: oportet te duplicatâ compaſſione ferri in auxilium iteratæ neceſſitatis. Tuus factus eſt jam collatis beneficiis: ſic magis tibi conjuncto debes maius ſubſidium: ſi pereat te non juvante, peribunt cum ipſo tua beneficia, peribunt omnes gratitudinis ſuæ ſpes, lædet te tua conſcientia, lædetur fama: ita vt in illa tempeſtate, commune ſit tibi cum illo periculum.

MORA IN CONFERENDO beneficio.

Miſcellanea.

ALiqua morborum, aliqua auxiliorum dicuntur tempora: plerumque enim adminiſtrantur remedia, cum morbus quidem non adeſt, ſed futurus timetur: in morbi autem vigore & impetu, auxilii commodum tempus non eſt, ſed cum declinat morbus. Galenus lib. de optima ſecta.

Ex ægritudine convaleſcentibus, modicum cibum præbemus, quem facultas poſtulat. Ibidem.

Sine merito remuneratum putatur omne, quod ſubitum eſt: nec inexplorati ſuſpicionem refugit, quod repentè provenerit. Caſſiodor. lib. 8. variar. Epiſtol. 13.

Quidam in cumulatas à maioribus opes naſcuntur: ſenſim alios divitiæ attollunt, docentque paulatim eſſe fœlices: horum vtrique nec ſe mirari ſolent, nec immodicè exultare, ſcilicet per ipſam conſuetudinem pene fracto quotidianæ lætitiæ ſenſu, quæ & nunquam nimia eſt, vbi per gradus expirat, & aſſurgit. Sunt denique qui repente prodigentis fœlicitatis munere innundantur, vno curriculo viam in cælum è terra emetiti: & hi inſueta dulcedine, ſui quoque oblivi, deducuntur in ſuperbum, ſortis illius, de qua exiere, contemptum. Barclai.

Vinum vetus ſanitati magis accommodatum: quædam generoſa vina, non niſi poſt decimum quintum, vel vigeſimum annum matura ſunt, & potui, vt decet, apta. Vide Athenæum lib. 1. cap. 23. & 24.

Mala viridia nondum matura, malum habent ſuccum: ſtomacho ſunt inutilia, ſuperſtant, choleram gignunt, ægritudines, horroreſque inducunt. Idem lib. 3. cap. 4.

Scari recenter capti ſuſpecti ſunt, quoniam vescuntur lepore marino, & aliis piſcibus homini nocivis. Idem lib. 8. cap. 9.

Natura quibuſlibet tentata remediis, vltimò mittit ſanguinem, vt ſibi maximè affinem, & ad nutritionem neceſſarium. Galenus lib. 2. de element. Quæ ſunt magis pretioſa, vltimò dantur.

Superius orificium ventriculi, eſt inferiore latius: quia recipit dura, & magna: nihil autem exire permittit, niſi in chilum & livorem converſum. Idem lib. 4. de vſu partium.

Vbi diutius voluit natura immorari materias, ibi tranſitum ipſis eſt molita difficilem: ſic in hepate anguſtæ ſunt venæ ſanguinem perficientes. Ibidem.

Non confertim, nec repente, aër quem inſpira-

mus, nutrimentum ſpiritus animalis evadit; ſed paulatim eum immutari eſt neceſſe, & diuturno tempore familiarem qualitatem, ſpiritui innato acquirere: cujus alterationis pulmonis caro primum eſt inſtrumentum. Ibidem lib.7.

Collatio dignitatum Eccleſiaſticarum dicitur ordinatio, quia ſenſim & ordine fit, à minimis incipiendo. Vide Baron. a. 44. num. 77.

De ſerò ad pœnitentiam vocatis: *Vide Duratio Virtutis*. Sub finem combinationis.

De non cito admittendis ad pœnitentiam his, qui ſua peccata non emendant. *Vide Veritas veritatis. Repugnat.*

Pro communionis complemento, non eſſe populo panem intinctum porrigendum, ſed ſeorſum ſpecies panis & vini dandas, reſcripſit Paſchalis Papa, Baron. an. 1118.

Circa exortum caniculæ, dum magni vigent æſtus, ſunt anniverſarij aquilones refrigerantes, qui exiſtimantur venire à mari glaciali, & partibus circa circulum articum, vbi ſeræ ſunt ſolutiones glaciei & nivium, æſtate apud nos valdè adulta. Baronius. Terræ fructus annui ſunt.

In India fons eſt, qui quotannis auro humido impletur, & quod hauſtum ſtatim concreſcit. Photius. Biblioth. c. 72.

Calor ſolis, magis confert ad generationem, quam calor ignis; quia Sol operationes ſuas inſinuat per longa temporis ſpatia, *vide Bonitas Durationis Mora.*

Quibuſdam ſterilis eſt Iuventa. Plin. lib.7. cap.13. *Vide Minoritas Principij & Magnitudo, & Gloria Finis.*

Tunc præcipuus votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt, Plin. lib.8. cap.16. tardè enim numen auxiliatur. *Vide Minoritas Principij initij.*

Marinarum divitiarum prætia, capientium periculo ſunt. Plin. l.9. c.34.

Vulpes marinus, qui glanis vocatur; oblatam eſcam non ſorbet, nec devorat, ſed mordet, ſic per minutas partes hamum eſcâ ſpoliat. Ibidem cap.43.

Antequam metallorum venæ aperiantur, inveniuntur foſſilia; quæ ſunt eorum indicia. Indicium auri, eſt auripigmentum; argenti, plũbum & ſtannum, &c.

Bibunt aves ſuctu intermittentes, & capite reſupinato, velut infundentes ſibi. Plin. lib.10. cap.46.

Oleum vetuſtate corrumpitur, & annuum eſt, vt ipſa iterandi neceſſitas, ad culturam provocaret. Idem lib.15. c.2. Sic dilata, aut intermiſſa beneficia, docent benefactorem eſſe colendum.

Arborum fertilitas omnium ferè alternat, ſed maximè fagi. Plin. lib.16. cap.6.

Omnes arbores germinant, etiam quæ non florent. Ex eodem genere, quæ ſunt in paluſtribus, priora germinant, mox campeſtria, noviſſima in ſylvis. Ibidem cap.25.

Pinus ſenſim, & ordine, ſuos dat fructus. Vide hoc tit. *continuatio.*

Vinubus vetuſtioribus vinum melius, novellis copioſius. Plin. lib. 16. cap.27.

Accelerata & præcocia citò deficiunt, at contra morus tardiſſimè ſeneſcit, fructibus minimè laborans. Ibidem cap.28.

Fruges & arbores celeriùs matureſcunt auſtrinis diebus, ſed pejus. Idem l.17. c.2.

Optimum frugibus & arboribus nives diutinas ſedere, quia liquorem ſenſim præbent, purum & leviſſimum, cum nix aquarum cœleſtium ſpuma ſit. Ergo humor ex his non vniverſus, ingurgitans diluenſque; ſed quomodo ſtillatur diſtillans, velut ex vbere, alit omnia quæ non inundat. Tellus quoque illo modo fermenteſcit, & ſucci plena, ac lacteſcentibus ſatis non effœta, cum tempus aperit, tepidis arridet horis. Plin. lib.17. cap. 2.

Quæ arbores fructus ſuos diutius continent, longioreſque deſiderant cibos, his & ſerotinæ aquæ vtiles, vt viti, oleæ, Ibidem.

Diu, antequam ſeminatæ arbores è ſeminariis transferantur, præfodere oportet ſcrobes, vt ſolem pluviaſque combibant. Ibidem cap. 11.

Ibidem cap.25. refert inter vitia & prodigia arborum, malum punicam ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite aut ramis.

Ager, ſi non ſtercoratus eſt aduritur; ſatiuſque eſt id ſæpe, quam ſupra modum facere. Idem lib.18. cap.23.

Corpus omne per partes operatur.

Columbis facultas eſt retinendi ova, etiam tempore pariendi, ſi inquietentur.

Ægypti Regio videtur in dies magis magiſque exaruiſſe, ſic exſiccatas paludes homines incolere cœperunt. Ariſt. Meteor. c.14.

Quidam putei augentur ſecedente mari, accedente minuuntur; propter obliquitatem, & longitudinem anfractuum, quibus admittitur è mari aqua.

Inæquales magnitudines moveri poſſunt, æquali tempore, & æquales, inæquali

Vinum non nutrit tam fortiter, quam panis; ſed multo citius, quia citiſſimè abit in vitales ſpiritus; non autem facilè in ſubſtantiam ſolidiorem.

Tantum temporis inter priorem, & novum cibum intercedere oportet, vt prior cibus plane coqui, & in corpus diſtribui poſſit, fameſque optimum cibi condimentum adſit.

Senes extremi, qui vires habent languidas, copioſum cibum non ferunt; ideo partito cibo ſæpius iuniores ſunt ficendi. Qui ſunt frigidi temperamenti, diutius famem ſuſtinent; contrà, qui calidi.

Si cibos corpori maximè ægrotanti, & malis humoribus referto, multum præbeas; vt in acceſſione febrili natura à pugna, quam cum morbo init, avocatur: neque tunc à calore nativo cibus vincitur, ſed ipſum potiùs vincit, & robur non viribus ſed morbo ſuggerit: vnde differenda alimenti exhibitio.

Sol, licet cauſa vniverſaliſſima, lento tempeſtatum anni progreſſu, dat calorem maturandis fructibus aptum.

Cæteris animantibus ſtatum, & pariendi & partum gerendi tempus; homo toto anno, & incerto gignitur ſpatio. Plin. natural. hiſt. lib.7. cap.5.

Fœtus non venit in lucem, niſi cum firma habe membra.

Enter en œil dormant; gemma ſic tota hyeme ſine productione ſervatur.

Et naturalia, & artificiata, tempore paulatim perficiuntur.

Quia exules ſunt ardentes ad vindictam, non debent ſimul omnes revocari, ne excitent ſeditionis, & & bellum civile.

Purgatio non eſt facienda diebus caniculariibus, quia fieret ſortior, in debilitata à nimio calore natura.

Hydropicorum aqua non eſt ſimul, & confeſtim vacuanda.

Repentinæ repletiones & vacuationes damnantur ab Hypocrate.

Luna paulatim obtinet plenitudinem lucis.

Arbor balſami, parte ſuperiore trunci ſui, vnguibus ferreis inciſa, prætioſum & odoriferum ſuccum emittit: ſed quod manat multum non eſt, vix enim vnius diei ſpatio concha poteſt impleri. Dioſcor.

Agollochum lignum odoratiſſimum, fert India: illud incolæ ſtatim ab arbore diſſectum, integro anno ſepe-

liunt in terra, ita vt cortex marceſcat ligno integro, & odoratiſſimo remanente. Idem.

Corpora quæ longo tempore extenuata ſunt, lentè reficere oportet: quæ vero brevi, breviter Hypoc. Aphoriſ.7. lib.2.

Cum morbus dat inducias, id eſt intermittit, vel remittit, tunc cibus ægro eſt offerendus.

Bos iuvenca non patitur venerem, antequam ſit anicula, niſi oſtento. Ariſt. hiſto. animal. lib.6. cap.21.

Alia actione producuntur diſpoſitiones in materia, & alia forma ſubſtantialis.

Narciſſus, Tullippæ, & aliæ florentes plantæ, non niſi longo tempore producunt florem: herba ſunt, antequam flos.

Inteſtinum eſt flexuoſum, ad perfectæ diſtributionis munus, ne alimentum confeſtim elabens, venarum meſenterij ſuctum ſubterfugiat.

Novus Princeps debet ſenſim remittere odioſa, quæ ſuus prædeceſſor ſtatuerat; nam injuriæ citò, beneficia lentè fieri debẽt, vt altius in animos deſcẽdant.

Natura non facit ſaltum, id eſt, operatur ſucceſſivè, & conjungit extrema, non per ſeipſa, ſed per media, vt ignis producit teporem ante calorem. *Vide repugnat. Minoritas Medy.* tranſgredi medium.

Alunt tardè & paulatim, caro bubula, Cochleæ, Cancri, & quæ dura carne conſtant, caſei duri, carnes ſalitæ, ova dura &c. Galenus in Hypocratem.

Epilepſia contingens ob nimiam humiditatem cerebri, in puerili ætate, progreſſu ætatis ſanatur. Idem.

Natura certos dies habet criſi deſtinatos, ſcilicet 7. 14. aut 20. citius venienti criſi non eſt fidendum.

Formæ non introducuntur, niſi in materiam diutinâ alteratione diſpoſitam.

Frigentes vehementer, ſi ſtatim copioſo igne calefiunt, indoleſcunt, quia omnis ſubita mutatio de contrario in contrarium maximè afficit.

Vaſa ſpermatica ſunt ſinuoſa, vt ſemen longiore mora diligentius elaboretur. Sic ſinuoſus eſt plexus retiformis, in quo ſpiritus vitalis fit animalis. *Vide Bonitas Durationis Mora.*

Agri novales, qui apud Ægyptios intermiſſis annis ſerebantur.

Sanguis, quaſi ros minutiſſimus effluit per venas capillares, in partes, quibus adhæreſcit, & aſſimilatur.

Pars non poteſt frui alimento quod attrahit, niſi aliquamdiu retineatur.

Etiam pretioſum vileſcit oblatum; & contra dulcius accipitur, quod ſub aliqua dilatione præſtatur. Caſſiod. lib. 9. variarum cap.24.

Qui ex intervallo reddit officia, teſtatur ea ſe maluiſſe differre, quorum oblivionem dies longior non potuiſſet abducere: honeſtior eſt illa ſecuritas, quæ putat ſibi deforme non eſſe, ſi quid diu familiaribus debeatur. Symmachus. lib.3. Epiſt. 59. Impatiens eſt accepti beneficij, qui nexu properat liberari. Idem.

Lentè perfectiora producuntur: Sic metalla, lapides pretioſi.

Elephas fœmina fert vterum per biennium; & triennium, poſt partum quieſcit, vivit.300. ann. Plin. lib.8. c.10.

Meliores fructus tardius matureſcunt: fœminæ ſunt puberes anno 12. Mares tantum 14.

Lapis & ferrum, & reliqua generis ejuſdem lentius calefiunt, quam aqua: ſed vbi calefacta fuerint, vrunt vehementius.

Humida & liquida citius alunt, ſed non melius & ſolidius.

Animalia quæ diutius vivunt partu tardiora ſunt, & longius perferre ſolent. Homo vltimò creatus.

Ceraſa anteficus, qui ſunt ipſis deſiderabiliores.

Moſcum optimum, quod è vomica animalis, maximè matura eruitur. Dioſcor.

Peonia, vix intra annum germinat, herba ſolaris.

Rejiciendi genus eſt, protinus accepto munere, aliud etiam intempeſtive mittere; & munus munere expungere: hic non habet animum grati hominis, ſed debitoris, qui citò cupit reddere, invitus debet; qui invitus debet, ingratus eſt. Senec. lib.4. de benef. in fine, & l.6. cap.4.

Non vis reddere acceptum beneficium, ſed effugere; nemo libenter reddit, quod invitus debet; & quod apud ſe non vult eſſe, onus judicat eſſe, nõ munus. d.l.

Pœnitet accepti beneficij, quem nondum redditi piget; quare qui tibi dignus viſus eſt, à quo acciperes indignus videatur cui debeas? Æquè delinquit, qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quam qui ſuo ceſſat. Poſitum eſt illi apud me; nec illius nomini, nec meo timeo, benè illi cautum eſt. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat, apud nos cuſtodiri vult: quid recuſamus cuſtodiam; quid theſaurum eruimus? Ibidem in f.

Irrigatio aquæ frigidæ, non tam citò penetrat, ſed dulciora efficit, quam calida; quia calor cum ſiccitate conveniens, facit acerbum.

Caloris innati ſubſtantia, eſt bene temperata: adventitij autem eſt ignea: vnde caloris adventitij efflu-xus, per corpus ſunt ſubiti, fumei, fuliginoſi, aridi, & acres: nativi autem, lenti magis, vaporoſi & ſuaves.

Præda non eſt militibus concedenda, niſi diu poſt finitum certamen, rebuſque ſecuris, quia ſæpe obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte, ſpolia conſectandi.

Quædam partes tardiùs cæteris nutrimentum accipiunt.

Corporis facultates non ſimul omnes oriuntur, prima altrix, ſecunda vitalis, poſtrema animalis.

Lenta admonitio plus efficit. *Vide Duratio virtutis.* conſtans admonitio.

De legatis & vltimis voluntatibus. *Vide finis vultũ. Vide contrarietas principij. Bona ſub initijs auſteritas.*

EX IVRE CIVILI.

DE donationib. cauſa mortis. ff.39. tit.4. Cod.8. tit.57.

De dote cauta, non numerata C.5. t.15. quãdo dies legati, vel fidei cõmiſſi cedat. ff.26. tit.2. Cod.6. tit.52.

Quando vſus fructus legati cedat. ff.7.3. qui admitti ab honorum poſſeſſionem poſſunt, & intra quod tempus. Cod.6. 9.

De modis & conditionibus. *Vide Medium volunt.* Quo tempore miles inveſtituram petere debeat. feud.1. tit.22.

De legatis. *Vide Gloria finis.*

De donationibus ſub conditione & legatis. *Vide Media Bonitatis. Media Poteſtas.* De teſtamentaria manumiſſione. C.7. 2.

Adiri hæreditas quolibet die poteſt, ſublata antiqua Cretionum ſolemnitate. l. 17. Cod. de jure deliber.

Poteſt legari infantis vſus, quia non erit inutilis infanti ætate provecto. l.55. ff. de vſufructu.

Poteſt imponi ſervitus, de eo quod non intereſt tunc, ſed ſperatur intereſſe in futurũ l.19. ff. de ſervitut.

Mandatum & in diem differri, & ſub conditione contrahi poteſt. lib.1. ff. mandatum qui fidejubet, vel ſolvit ante diem ſibi mandato præſtitutam, non poteſt agere, niſi adveniente die. lib.22. ff. mandati.

Poſſum mandare tibi, vt ſervum poſt mortem

meam manumittas. l. 27. eodem.

Si venditio ita fiat, vt certis temporibus certæ partes præſtentur; non cenſetur perfecta, niſi vltima facta. libro. 35. §. in his ff. de contrah. emptio.

Nihil agit, qui vendit hæreditatem viventis, l. 1. ff. de hæreditate, vel act. vendit. partus ex muliere quinquagenaria natus, eſt legitimus, l. 2. Cod. de legitim. hæredib.

Valet venditio ſervi, qui eſt apud hoſtes, & differtur præſtatio donec redeat, l. final. ff. de actionib. empti.

Quod non eſt, ſeb eſſe ſperatur, poteſt pignori obligari; vt fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum, l. 15. ff. de pignoribus & Hypothecis.

Sic res aliena rectè poteſt obligari, ſub hac conditione, ſi fuerit debitoris, l. 16. eodem.

Filiorum appellatione, etiam poſthumi intelliguntur, l. 5. ff. de teſtam. tutel.

Servus alienus, purè datus tutor, intelligitur cum liber erit, l. 10. eodem.

Poteſt quis inſtituere poſthumum, ex ea quæ tunc vxor ſibi non poteſt eſſe honeſta, ſed ſpes eſt, quod eſſe poſſit, l. 28. ſi quis ff. de liber. & poſth. hæred.

De lege Velleia, qua poteſt avus nepotem ex filio poſthumum naſciturũ inſtituere, l. gallus 29. eodem.

Captus ab hoſtibus poteſt inſtitui, propter ſpẽ poſtliminij, l. 32. ff. de Hæred. inſtitut. & l. 9. ff. de legat. 1.

Servus alienus poteſt cum hac conditione inſtitui, cum liber erit, l. 22. ff. de conditionibus inſtitutio.

Etiam ea quæ futura ſunt, legari poſſunt l. 17. ff. de legat. 3. & l. 27. de lib. legat. hæres non rectè ſolvit legatum ante diem præſtitutum; ſi tempus fuerit adjectum in favorem legatarij, vt quia rem familiarem tueri non poſſet, l. 15. ff. de annuis legatis.

Poteſt eſſe emptio ſpei, vt poteſt quis emere jactum retis, quo aves & piſces capiuntur, l. 8. ff. de contrah. emptio.

Valet emptio ſpei hæreditatis, l. 11. ff. de hæred. vel actio. vend.

Qui non eſt, ſed eſſe poteſt, & ſperatur, facit partem, & tantum illi, quantum alteri, cui cum illo legatum eſt, decernitur l. 16. ff. de legat. 1. & l. 1. de bonor. poſſeſſ. contra tabul.

Futurũ legari poteſt, vt partus fructus, l. 24. eodem.

Ille cui eſt jus poſt liminij poteſt legari, l. 98. eodem.

Promiſſio danti facta, cum promittens moritur, valet. l. 15. Cod. de contrah. & commit. ſtipul.

Senectus ad donationem faciendam ſola non eſt impedimento. l. 16. C. de donatio.

Donatio poteſt fieri ad tempus certum, aut incertum, l. 2. Cod. de donat. quæ ſub modo.

Cum tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt pro hærede adjectum, vt in ſtipulationibus promiſſoris gratia, l. 17. ff. de reg. jur.

Nulla intelligitur mora fieri, vbi nulla petitio eſt, l. 88. ff. eodem.

Armorum cuſtos punitur quandoque, ſi arma commiſit militi, tempore non ſuo. l. commeatus §. fin. ff. de re milit.

Injuſtus eſt, qui de vivi hæreditate eſt ſollicitus, l. qui ſuperſtes, ff. de acq. hæred. & pacta de hereditate viventium, etiam ſub hac conditione, ſi hæres inſtitutus fuero, non valent; inducunt enim votum captandæ mortis, l. vlt. Cod. de pact.

EX IVRE CANONICO.

INſtitutum eſt, vt jam pactæ ſponſæ non ſtatim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam 27. q. 2. c. inſtitutum.

A Non baptiſatur cum matre, qui eſt in eius vtero, quia prius debet naſci ſecundum Adam, quam naſcatur ſecundum Chriſtum: de conſec. diſt. 4. c. ſi ad matris.

Impedito ad tempus exequi votum vltra marinum, conceditur dilatio; perpetuò verò impedito, indicitur redemptio. cap. quod ſuper his, de voto, & voti redempt.

Ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, ſic lapſi recipiuntur, vt eorum cauſa, qui moras poſſent ſuſtinere in ſuſpenſo habitas, infirmis in exitu conſtitutis, ſi verè pœnitentis animi ſigna proderent, pax concederetur. Baron. an. 253.

Novatus prohibens lapſos recipi, contra ipſum
B D. Cyprianus celebravit Synodum Carthaginenſem, qua ſtatutum eſt, vt traheretur diu pœnitentia, & examinatis ſingulorum cauſis & caſibus, ſecundum lapſus differentiam, poſt præſcriptum tempus, & modum pœnitentiæ, in Eccleſiam reciperentur. Idipſum Cornelius Papa in ſynodo Romana ſtatuit. Baron. anno 254. anno tamen ſequenti habita ſynodus Cartagine. 42. Epiſcop. qua patres cœlitus admoniti de proxima perſecutione, lapſos vere pœnitentes ſtatuerunt ſtatim ad Eccleſiam & Euchariſtiam recipiendos: idoneus enim, inquiunt, eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non accepta Euchariſtia erigit & accendit. Baron. an. 255.

C Canones Petri Alexandrini de lapſis, non niſi cognita cauſa recipiendis, occaſione frequentis lapſus, & ob ſpeciales temporum occaſiones, & frequentes Chriſtianorum lapſus. Vide Baron. an. 305.

EX THEOLOGIA.

SI Adam primo non peccaſſet, etiam non ſtatim confirmatus fuiſſet in gratia, ſive in originali Iuſtitia 1. q. 100. a. 2. & q. 5. a. 1.

Adoptio filiorum Dei eſt per conformitatem imaginis ad filium naturalem, imperfectè quidem per
D gratiam viæ; ſed perfectè per gloriam. Idem 1. q. 93. a. 2. ad 2.

Deus ab æterno dilexit creaturas, in propriis naturis, & voluit eas eſſe, non autem tunc. 1. q. 20. a. 2. ad 2.

Non ſimul omnia myſteria Deus revelavit Angelis. Idem 1. q. 57. a. 5. *Vide Duratio Cognitionis, mora.*

Ad Sepulchrum Chriſti, apparuit. 1. vnus Angelus, deinde duo mulieribus. Idem 3. q. 55. a. 6. ad 5.

Præmium accidentale Angelorum, & aliorum beatorum poteſt augeri vſque in diem iudicij. Idem 1. q. 62. a. 9. ad 3.

Non omnes animæ, creatæ ſunt ſimul, contra Origenem. Idem 1. q. 118. a. 3.

E Filij aliquando aſſimilantur avis & proavis, quia in ſemine eſt virtus eorum. Idem 1. q. 1. a. 9. in c. & ad 2.

Natura humana non debuit immediatè aſſumi in Adam. Idem 3. q. 6. a. 2.

Baptiſmus debet differri in adultis, ad probationem, inſtructionem & reverentiam, non autem in pueris. Idem 3. q. 68. a. 3.

Character ſolum imprimitur in Sacramentis novæ legis. Idem 1. q. 62. a. 6. ad 3.

Quod eſt prius in cauſando, eſt poſterius in cauſato, & è converſo. 1. q. 5. a. 4.

Circumciſio debuit differri, vſque ad tempus Abrahæ. Idem 1. 2. q. 105. a. 3. ad 4.

Confirmatio quoad ſolemnitatem datur tantum in Paſchate & Pentecoſte, ſicut Baptiſmus, ſed quoad communem vſum, datur etiam alio tempore. Idem 3. q. 71. a. 1. 2. ad 1.

Digitized by Google

Patres in Limbo expectantes adventum Chriſti. Idem 3. q.5. a.5. ad 5.

Chriſtus deſcendens in inferos, adhuc purgandis dedit ſpem gloriæ. Idem 3. q.52. a.2.

Abſcondit Deus aliquando dulcedinem ſuam à bonis, vt eam ardentius quærant. Idem 1.2. q.112. a.5.

Chriſtus inſtituit Euchariſtiam in vltima cœna. Idem 3.q.72. a.12. ad 3. & eſt perfectius ſacramentum veteris & novi teſtamenti. Idem q.65. a.3.

Extremæ vnctionis ſacramentum non datur niſi graviter ægrotantibus, & morti proximis. Suplement. q.32. a.2.

Fructus ſenſibilis eſt vltimum ex arbore expectatum, quod cum quadam ſuavitate percipitur. 1.2. q.11. a.1.

Incarnatio facta eſt convenienti tempore, ſcilicet non in principio, nec in fine mundi. Idem 1.2.q.96.a.6.

Luminaria producta ſunt primo die, quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad collationem determinatæ virtutis, ſunt producta quarta die. Idem 1. q.70. art.1.

Omnes minores ordines poſſunt ſimul eodem die dari, non autem duo ordines ſacri, nec vnus ordo minor, cum ordine ſacro. 3.q.65. a.3. ad 2.

Deus ſenſim homines docuit lege naturali, ſcripta, & gratiæ. *Vide Poteſtas veritatis*, vis ſermonis divini, *& Differentia veritatis*, de legum mutatione, & Eccleſia ſucceſſivè educta. *Vide Duratio Cognitio. & Duratio Virtutis.* viria paulatim emendanda.

EX BIBLIIS.

COnſtructo tabernaculo, ſinguli Duces per ſingulos dies offerunt munera, in dedicationem altaris. num.7.

Peccat Iſraël, affligitur ab Ammonitis, quærunt auxilium à Deo; vide quomodo differat eis dare. Iudicum 10.

Deus creavit hominem extra paradiſum, deinde poſuit illum in paradiſo. Gen.2. *Vide Minoritas Principij initij.* initia à parvis.

Deus dat Saræ partum in ſenectute. quæſt.21.

Agar, & jam præ ſiti morienti, filioque ſuccurrit per Angelum. Ibidem.

Iacob non obtinet Rachel, niſi poſt 7. annos ſervitij cum Lia. Gen.29.

Iacob mittens munera ad Eſaü, ordinat vt ſit ſpatium inter greges quos offert, ſic ſenſim dans beneficium. Gen.32.

Vno die creantur cœlum & terra, pluribus autem fit ornatus. Gen.1.

Prius populus Iſraël laborat ſiti, & fame in deſerto, quam aquæ fiant dulces, & pluat manna. Exod.16.

Poſt longam ſterilitatem Rachel fit fœcunda. Gen. 30.

Donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum non præteribit à lege donec omnia fiant Math.5. quia non omnia ſimul, ſed ſenſim fiunt, ideo dicitur donec tranſeat. Gloſſa ordinaria.

Chriſtus non ſanat cæcos in via, ſed cum venit domum. Math.3.

Amici Iob per 7. dies non ei ad conſolationem loquuntur, videbant enim dolorem eſſe vehementem. Iob.2.

Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Iob.26.

Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Ierem. Thr.3.

Ezechiel ſedet ſeptem dies cum populo, ante quam, Deo jubẽte, moneat eum de impietate ſua. Ezech.c.3.

Gabriel docet Danielem in tempore ſacrificij veſpertini. Daniel.9.

Revertantur ad Dominum, quia ipſe ſalvabit nos, veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus. Oſee 6.

Erit in noviſſimo dierum præparatus mons domus Domini. Mich. 4.

Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Habac.2.

Erit dies vna quæ nota erit Domino, & in tempore veſperi erit lux. Zach.14.

Machabæus prohibet milites accipere ſpolia, donec penitus deleti ſint hoſtes. 1.Macab.4.

Beatus vir, &c. erit tanquam lignum quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Pſ.1.

Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Pſal.9. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi. Pſal. 21. Tu es Deus ſalvator meus, & te ſuſtinui tota die. Pſal.24. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Pſal. 26. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia Pſal.29.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſtatis in Domino. Pſal.30.

Chananæa diu Chriſtum rogat, antequam obtineat. Math.15.

Eliæus prima vice non poteſt pallio Eliæ aquas dividere 4. Reg.2.

Chriſtus, rogantibus Maria & Martha diſtulit Lazarum ſanare, vt poſſet reſuſcitare. Ioan.11. Non excitatur niſi cum in mari dicunt ei, Præceptor perimus. Luc.8.

Deus dat auxilium, cum ſumma vrget neceſſitas. *Vide Virtus Bonitatis.*

Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adjutor, & protector noſter eſt. Pſal. 32. Suſtinentes Dominum ipſi hæreditabunt terram. Pſal. 36. Expecta Dominum & cuſtodi viam ejus, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram. Pſal.36.

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi; & exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fœcis.

Numquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas? Pſal.76.

Exaudivi te in abſcondito tempeſtatis, probavi te apud aquam contradictionis. Pſal.80.

Vſquequò Domine avertis in finem? Pſal.88.

Tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus. Pſal.101.

Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Pſal.102.

Defecit in ſalutare tuum anima mea, &c. 118.

Stantes erant pedes noſtri, in atriis tuis. Ieruſalem, &c. Pſal.121. & 122.

Sicut oculi ſervorum, &c. ita oculi noſtri ad Dominum, donec miſereatur noſtri. Pſal.122.

Apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Pſal.129.

Domine probaſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionẽ meam, & reſurrectionẽ meam. Pſal.138.

Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi & Pſal.142. & 144.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Pſal.144.

Cum ſero eſſet factum, Chriſtus multiplicat 5. panes, & ſatiat turbas. Math.14. venit ad diſcipulos in mari periclitãtes 4. id eſt vltima vigilia noctis: eodem.

Triduo perſeverat turba, antequam ex 7. panibus ſatiet 7. milia hominum Math.15.

V. Maria

V. Maria non niſi poſt triduum reperit Ieſum in Ieruſalem. Luc. 2.

Sanatur ſanguiniſlua, quæ erogaverat omnem ſuam ſubſtantiam in medicis. Luc. 18.

Dicit diſcipulis, ſedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. Luc. vlt.

Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus. Ioan. 7.

Quatriduanus ſuſcitatur Lazarus. Ioan. 11.

In hilaritate vultus Regis vita, & clementia ejus, quaſi imber ſerotinus. Proverb. 16.

Quotidie manna pluebat Iudæis: petimus panem noſtrum quotidianum; vt ſpes noſtra in Deo ſit, & ſpem ſubſequatur charitas.

Scimus quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc: non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi, primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes. Roman. 8.

EX PATRIBVS.

SAncti ſi non ſemper exaudiuntur ad voluntatem. exaudiuntur ad vtilitatem, & ſalutem. Vide plura apud D. Auguſt. tract. 6. in Epiſtol. 1. Ioan.

Deus & cum differt, adeſt, ne præproperam dum implet voluntatem, perfectam non impleat ſanitatem. Idem ſerm. 3. de verbis Apoſtoli.

Expecta Dominum, viriliter age Pſal. 26.

Suſtinuit te, vt mutares vitam tuam malam; ſuſtine illum, coronet vt vitam tuam bonam; nam ſi ille non ſuſtineret, non eſſet cui daret. Idem homil. 11. in Pſal. 26. Math. 15. Clamabat Chananæa mulier avida impetrandi beneficij, & diſſimulatur à Chriſto, non vt miſericordia negaretur, ſed vt deſiderium accenderetur, & humilitas commendaretur. Clamabat ergo Domino non audiente, ſed quod facturus eſt, in ſilentio diſponente. Idem ſermone 72. de tempore.

Viriliter age, ſuſtine Dominum. Pſal. 26.

Arduum eſt mortali, tardum amanti. Audi tamen non fallacem vocem, ſuſtine Dominum, &c. Id. in d. ſpal.

Sic Chriſtus non ſtatim reſurrexit, vt mortis confirmatio eſſet reſurrectionis authoritas. Euſeb. Emiſſen. homil. 2. de Symbolo.

Qui bene agit Domino fœnerat, qui autẽ fœnerat, gaudet ſolutionis dilatione. Subditus eſto Domino & ora eum. Pſal. 36. fac quod præcipit; ſed mercedem forte non accipis, quia tu nondum debes accipere. Exerce te operibus, labora in vinea, finito die pete mercedem, fidelis eſt qui te conduxit. D. Auguſt. in d. Pſal.

Exaudiris, & neſcis: in radice res eſt, nondum in fructu. Idem in Pſal. 59.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi. Compluit leni rore, & lenta pluvia, non inundat, vt fructificet. Idem in pſal. 142.

Exauditus non es, perſevera, vt, exaudiaris, ille enim dominus differt, vt te diutius ſecum retineat, ſic erga filios amantiſſimos habent ſe Patres, &c. D. Chriſoſt. Homil. de profectu Evangelij.

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Pſal. 39. Idoneus promiſſor eſt, tantum eſto pius. exactor, etſi parvulus, etſi infirmus, exige miſericordiam, non vides teneros agnos capitibus pulſare vbera matrum, vt lacte ſatientur? D. Auguſt. in dict. Pſalm. *Vide duratio cognitionis*, & quod fides præparet ad viſionem. *Vide Media cognitio*. de fidei obſcuritate.

Dei beneficia dantur per vices, & ſæpè poſt longam moram. Vide acceſſus, & diſceſſus ſponſi. *Gloria vultus. Rep.*

Deus vult, vt ipſum oremus. De poteſtate orationis. *Vide Poteſtas voluntatis.*

Ea quæ benè vult homo, nec poteſt, vt eſt plena fœlicitas, deſiderare non ceſſet, & patienter expectet. D. Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 13.

Divini Verbi Incarnatio diu dilata fuit, & illam ſuſpirantibus Patribus.

Prius Deus agnoſci debuit, vt per ipſum Chriſtus agnoſceretur. Tertul. lib. 2. adverſ. Marcio.

D. Thom. 3. quæſt. 1. a. 5. dicit, quod non decuit citius verbum incarnari, vt homo per peccatum humiliatus, cognoſceret ſe liberatore indigere, expertis aliis inutiliter remedijs. Extremo morbo, datum eſt hoc extremum remedium.

Ad tanti myſterij præparationem, præcedere debebant figuræ, in Abel, Iſaac, Ioſeph, agno Paſchali, & Prophetiæ.

Non credituris hominibus, non eſt datum hoc myſterium. Vide D. Auguſt. Epiſt. 49. cap. 2. in fine.

Vniverſi pulchritudo, rebus decedentibus & ſuccedentibus peragitur; habuerunt ſingulæ mundi ætates convenientem ſibi decorem, hæc autem media, quaſi virilis, habuit ſuam in Majeſtate pulchritudinem, & fortitudinem; per tale myſterium formati, & præparati ſumus; ſub lege quaſi ſub pædagogo. (Galat 3.) Deus gloriæ qui eſt prima pulchritudo, debuit mundi ætatibus convenientem dare pulchritudinem, ſicut ſingulorum hominum ætatibus. Vide D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 44. fuit hæc plenitudo temporum, vt ait Paulus.

Et tu Domine vſquequo. Pſalm. 6. Vox eſt animæ luctantis cum morbis ſuis, quorum medicus differt ſanationem, vt ex difficultate ſanationis, ſit diligentior cuſtodia receptæ ſalutis. D. Auguſt. in d. Pſalm. Danieli fit à Deo promiſſio de reſtitutione populi, & templi, in tempore ſacrificij veſpertini. Daniel. 9. Id eſt tarde.

Novit Deus motum, quid faciat, quouſque faciat: & etiam ægro clamante agit ferrum per putridas. D. Auguſt. tract. 7. in Ioan.

Tenebræ jam factæ erant, cùm venit Ieſus ad diſcipulos laborantes in mari. Ioan. 6. Ioan. 16. dicit Chriſtus, ſi quid petieritis in nomine meo, dabitur vobis: non quidem ſtatim; ſed orantes, tanquam ſeminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. D. Aug. tract. 73. in Ioan.

Deus differendo, extendit deſiderium, animumque facit donorum ſuorum capaciorem. Id. tract. 4. in Epiſt. 1. Ioan.

Eſto mendicus Dei, pulſa, quære &c. ad id te hortatur Chriſtus per parabolas Math. 7. Luc. 18.

Petendo, & quærendo, creſcis vt capias, ſervat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt diſcas magna magnè deſiderare. Inde oportet ſemper orare, & non deficere. Luc 18. D. Aug. ſerm. 5. de Verbis Domini

DEMONSTRATIO.

BENEFICIVM SENSIM, & cum Mora dandum.

BONITAS. Non eſt ſemper accipienti conveniens totum ſimul beneficium; bonum autem in convenienti, ſatis ſui diffuſiva eſt bonitas, diu duratura.

MAGNITVDO. Vt ingens copia cibi, ſic beneficij, non prodeſt, ſed obruit, ſpargi debent beneficia, vt ſemina, alioquin non coaleſcunt: multiplicatur quo-

Digitized by Google

dammodo beneficium per illam extenſionem, & multoties magiſque percipitur.

DVRATIO. Si continuandum ſit beneficium, ſenſim dandum; alioquin deficient facultates: ſenſim data, quaſi aliquo labore parta, meliùs ab accipiente conſervabuntur; qui ſic dat, diutius erit beneficus, docetque ordinarium ad ſe recurſum, qui etiam vſu ipſo ſperatur.

POTESTAS. Nimia liberalitate deficit dantis poteſtas, cavendum autem ne liberalitate liberalitas pereat: melius eſt dare ſenſim fructus annuos arboris, quam ipſam arborem eradicatam, & igni tantum aptam; Impotens, aut non amicus videberis, quoties non poteris plura poſcenti, & ſperanti dare; minutatim accipiens, orat potentiam tuam augeri, vt majora accipiat.

COGNITIO. Vt altius penetrat in terram aqua, ſic in animum gratia guttatim ſtillata; & quaſi imber ſerotinus ſitienti, ex diurno calore, agro ſuperveniens. Cum hæc gratia ſic ſenſim data magis ſentiatur, magis etiam conſervat amicitiam, ſic ſemper auxilium præſtantem; quod ſi totum vnica largitione effundas, deſinaſque in poſterum benefacere, non te amplius benefactorem agnoſcet, quia dolor præſentis mali & fruſtratæ ſpei ſenſus, major eſt, quam præteriti beneficij. Non cognoſcitur magnitudo rei compactæ; inculcabitur beneficium iteratione, vt non elabatur è memoria. Oppoſita ſemperque ſuperveniens neceſſitas faciet illum magis ſentiri.

VOLVNTAS. Sim totum non ſit ſatis neceſſitati, habet egens amicus quo ſe conſoletur in conſtanti illo affectu, ſemper ad auxilium ſuum parato, & nunquã deficiente; non indulget medicus quidquid æger ſibi chariſſimus appetit, ſed debili ſuæ facultati frequentem, & minus copioſum victum. Multiplicatur amor quo beneficium per partes amplectitur. plures ſunt cauſæ amoris, ſingulis aliiquid ſigillatim datur: vt eſt continuus in me, volo vt continua ſit beneficentia, proprius eius effectus; etiam in ſingulis beneficij partibus, poſſidetur quodammodo totum, quia poſſidetur tota voluntas.

VIRTVS. Perfecta eſt amicitia, quæ non temerè ex paſſione procedit, ſed prudentia dirigitur. Opus eſt fortitudine in privatis, ſicut in publicis officiis. Vt dux non movetur militum fremitu, quia dilato in opportunum tempus conflictu, fortunam ſibi conciliat, ſic temperanda ſunt etiam indignanti amico beneficia, & ingrata hac fronte illi ſerviendum.

VERITAS. Tandem ſedato primo deſideriorum impetu, verum te amicum agnoſcit, duplicique titulo ſe tibi acceptum fatebitur & iudicij, & beneficentiæ. Ex affectu vera amicitia penſanda eſt.

GLORIA. Major eſt delectatio in amicis faciendis, quam factis; vt dulcius eſt pingere, quia tunc fruimur ipſa arte, quam pinxiſſe, nam tunc tantum fruimur fructu artis, vt ait Seneca. Continuato ſenſim beneficio, continuò paras verum amicum; longo tempore hoc rariſſimum in mundo opus perficiendum eſt, quod habet vita hæc ſuaviſſimum, protrahi debet, guſtu ſibi, ob rei excellentiam libare, non non ſatiari permiſſo.

DIFFERENTIA. Noſt ſunt effundendæ ſimul vires omnes, ſed aſſeruandæ, vt his vtilius poſſimus vti, diverſo, fatique ordine, nobis improviſo rerum eventu illas poſcente. Mutantur in dies negotia, & vt in morbo aliquid, feriatis remediis, naturæ concedendum, ſic in rebus civilibus fortunæ; nec eſt ſemper cumulatis beneficiis concilianda, quæ mox ad partes noſtras gratis tranſitura eſt, parata imum rota vertente in ſublime attollere.

CONCORDANTIA. Neceſſitas paulatim irrepit, paulatim ejicienda. Concordant amborum voluntates, intendis enim totum tibi neceſſarium accipere, meliori quo fieri poſſit modo, & hoc dans per partes exequitur, mora tibi non nociva.

CONTRARIETAS. Interſerunt ſe quotidianis negotiis, iræ, æmulationes, habitus, cæteræque paſſiones, amicitiæ contrariæ, vt continua debent eſſe beneficia, tales plagas & continui ſolutiones conſolidantia, ſemper morbum comitante, & oppugnante remedio, ſic ſtat firma animorum vnio, vt partium corporis, perenni ſpirituum influentium ſucceſſione. Obſident vitam noſtram mala innumerata; vnde parciſſimè vtendum bonis, quibus protegimur, forte ampliori beneficio vtereris ad cupiditates, iras, aliaſque paſſiones implendas, ſic beneficentia, quæ eſt virtus, contra ſeipſam arma ſuppeditaret.

PRINCIPIVM. Imitandæ ſunt cauſæ vniverſales, quæ lentè nobis immittunt ſuos influxus, quia volunt ſemper vt cauſæ agere, ſic volo ſemper eſſe beneficus, vt ſis ſemper gratus. Res conſervantur, vt factæ ſunt, lento, & ex parvis initijs oriente proceſſu: quotidie incipit, adoleſcit, perficitur amicitia beneficiis, enutrita ſenium & interitum non patitur, ſic in dies renovata, eſtque quodammodo æterna, ſui motus principium in ſe habens.

MEDIVM. His mediis debet conſervari amicitia, eſt enim de natura compoſitorum, in quibus partes tendunt ad diſſolutionem.

FINIS. Sic nunquam finietur amicitia quia nunquam deſinet beneficia accipiendi ſpes, & occaſio. Etiam ſi vtile intendatur ab accipiente, honeſtum poterit à dante intendi, ſcilicet conſervatio charitatis, quæ eſt finis & complementum omnium virtutum.

MAIORITAS. Aurum ergo facultatum, quantum fieri poteſt dilatandum, vt inauret omnes, vitæ & commercij noſtri actiones. Eadẽ beneficij quantitate, amicitiæ gradus acquiretur & latente incremento augebitur.

ÆQVALITAS. Hinc fiunt perjuri amici, vt ait Plato, dũ affirmant hodie nihil poſſe adjici ſuæ amicitiæ, quã nova accepta gratia mirantur auctam, nunquam ſibi æquales, etiamſi conſtantiam maximè profiteantur.

MINORITAS. Malo diminutum & continuum beneficium, quam magnum & poſtea nullum, laudandus defectus, quo fit vt amicitia non deficiat, quo ſemper renovatur influxus principij.

REPVGNAT MORÆ
CELERITAS IN DANDO:
Miſcellanea.

PLato 11. de legib. in duplum condemnat eum, qui diſtulerit debito tẽpore ſolvere operario mercedẽ.

Introducta vltima diſpoſitione, ipſa ſpecies individuo momento, quaſi præmium laboris, ſtatim, effulget. Picus Mirandul.

Vir quidam Conſularis in rogo revixit, & quoniam ſubito ſubveniri non poterat, prævalente flamma, vivus crematus eſt. Plin. lib. 7. cap. 52.

Aër ſemper præſto eſt, ad implendum locum, ne detur vacuum; ad ſpecies rerum excipiendas, & ad ſerviendum reſpirationi, vt ignium purgationi, &c.

Luna, quæ maximè inferioribus dominatur, eſt omnium planetarum curſu velociſſima; ſic Mercurio deorum nuntio alas pedibus affingunt Poëtæ, quia ipſe Planeta poſt Lunam nobis proximus, & aliorum

vires nobis offerens, etiam curſu eſt maximè velox. Sic tonans cælum.

Angeli, qui nobis Dei dona deferunt, ſunt ſpiritus momento mobiles, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, &c. Ita ſpiritus in corpore, cum ſint miniſtri animæ, ſunt æthereæ cujuſdam naturæ, vt ſint maxime veloces.

Minus apes fœtificant, ſi ver ſerotinum ſit. Ariſt. Hiſt. Animal. lib. 9. cap. 40.

Lac in mammis, ſi diu remaneat, & non ſugatur, concreſcit, & coagulatur, maximè ſi pravo humori admixtus ſit.

Famem diutius tolerare, ventriculum pravis replet humoribus; qui temperie ſunt calidiori, famem diutius non tolerant, ſed facile patiuntur animi deliquium.

Alvus redditur æquo humidior, dum cibus in chylum converſus, parcius diſtribuitur. Galenus in Hypoc. Aph. 20. lib. 2.

Crocum, confeſtim florem cum folio pellit.

In pleuritide vena ex parte dolentis lateris eſt aperienda, nam quæ eſt ex brachio oppoſito, aut nullam, aut niſi poſt longum tempus adfert vtilitatem.

Hoc morbo vrgente, ſanguis quacumque hora extrahi poteſt. Idem.

Sunt quædam generationes, & accretiones violentæ, & contra naturam, vt qui ob delitias cito pubeſcunt, & plantæ quæ arte cito adoleſcunt, natura voluptatibus noſtris indulgente, & tempus ſibi ſolitum præveniente. Ariſt. Phyſi. lib. 5. cap. 6.

Quæ viventia pariunt, habent in ſeipſis alimentum ad natorũ educationem, vſque ad tempus quoddam, ne laborent in inquiſitione, & deficiat partus. Idem.

In amando idem finis & actio.

Amici perfecti eſt amico afflicto prompte ſuccurrere, antequam requirat: vtriſque enim jucundius & honeſtius. Ariſt. 9. Eth. 11.

Superfœtatio aliquando contingit mulieribus, & equis, ordinariè leporibus. *Vide Minoritas Durat. Celeritas Bona.*

Exhalatio ea prima parte inflammatur, qua inflammari aptior.

Alteratio fit paulatim, generatio momento.

Galenus lib. 1. de Antidotis refert quod antidota multo magis proficiunt, ſi ante venena ſumantur, quia poſtea, vt purgent locum infectum, debent ſumi in majori quinquies quantitate.

Melius eſt condere leges, quæ præveniant impediantque delicta, quam quæ commiſſa puniant.

Magis placent officia à miniſtris exhibita, non expectato Domini juſſu, ſed ex præſuppoſita voluntate.

Plantæ, quæ habent molle & humidum ſemen, citius germinant, vt lactuca, cucurbita.

Æſtas, quia eſt calida & ſicca, confert ad celeritatem ſolutionis morborum. Galen. in Hypoc. Aphoriſ. 10. & 11. lib. 1.

Conſiliarius etiam non rogatus poteſt conſilium dare Principi, quia ſatis ipſum interrogat affectus erga Principem & Rempublicam. Reus eſſet ſervus, qui etiam non rogatus non moneret dominum de imminenti periculo. Sol non expectat præces & præſtigias vt oriatur. Senec.

Multos experimur ingratos, plures facimus; quis enim contentus ſit ſemel rogari? &c. Errat ſi quis ſperat reſponſurum ſibi, quem dilatione laſſavit, expectatione torſit; qui tardè fecit, diu noluit; ſatis adverſus illum gratus eſt, qui beneficio ejus ignoſcit. Idem lib. 1. de benef. c. 1.

Ridentes pinguntur gratiæ.

Melius eſt occupare antequam rogemur, qui enim pudoris in petitione tormentum remittit, multiplicat munus ſuum; non tulit gratis, qui cum rogaſſet accepit; nihil enim carius conſtat, quam quod precibus emitur, &c. Ibidem lib. 2.

Nihil æquè amarum, quam diu pendere.

Quidam æquiore animo ferunt, præſciendi ſpem ſuam, quam trahi. Sic Regiæ potentiæ miniſtri differunt promiſſa, ne minor ſit rogantium turba. hos delectat ſuperbiæ ſuæ longum ſpectaculum, at tantum gratiæ demunt, quantum moræ adjiciunt, vt acerbiſſima crudelitas eſt quæ trahit pœnam, eſt enim bonarum etiam rerum ſollicita expectatio. Qui tardè profuit, duas res maximas perdidit & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. Intereſt quo animo beneficium conferatur, vt qua brachij vi telum mittatur. Dementis eſt, beneficijs contumelias miſcere: Panis lapidoſus, quem licet acerbum eſurienti accipere neceſſarium eſt.

De Livia Auguſta, dicit Dion. lib. 57. Si quid alicui largiebatur, id confeſtim numerari jubebat, ſe inſpiciente; quod & de Severo Alexandro, refert Lampridius; & quidam dixit Conſtantino, dona tua grata ſunt militibus, ſed hoc gratiora, quod tua ſunt, quæcumque porrigis, manu tua, fiunt acceptiora.

Quod Deus mundum creaverit vno actu, non ſucceſſivè. *Vide Minorit. Magnitudinis.* Vnitas col. 2.

Deus prævenit nos in benedictionibus ſuis, in triplici mundo, materiali, ſcilicet per bona omnia naturæ, quæ expectant nativitatem noſtram; in mundo civili, per leges, & omnia politiæ inſtituta, ad noſtri conſervationem inſtituta; & in mundo ſupernaturali, ſcilicet in Eccleſia, per merita Chriſti. *Vide quæ ſcripſi lib. de miſeric. Dei initio.*

Natura ab anno 14. mittit ſanguinem menſtruum in matricem, vt aſſueſcat providere ibidem puero naſcituro; ſic ante nativitatem, mittit lac ad mammas.

Sic aves providenti proli per nidorum miram fabricam, ſic Patres ſuis hæredibus, theſauros avarè congregant.

Gratia præveniens. Arbores in locis temperatis accelerant fœcunditatem.

Turbantem ſe inferioris mundi harmoniam, prævenit cœleſtis concentus, omnia in convenientem formam redigens.

Fluxione ex capite fluente, vomitus conducit, quia pars proximior origini morbi. Hipocrates. lib. de locis in homine.

Vina quædam ætatem non ferentia, niſi citò ſumantur, inutili veterno conſeneſcunt.

Non patimur dilata beneficia, filius ante diem, patrios inquirit in annos.

Hæres otioſus expectat; hæres faſtidioſus increpat, quod ſero moriamini: odit incrementa hæreditatis ſuæ, ad damna feſtinat. D. Ambroſ. lib. de Nabuth. cap. 4.

Non ſunt differenda bona opera. *Vide Duratio Virtutis.*

Strenuis militibus interdum coronæ conficiebantur ex herba aut arbore, quæ ſe primum offerebat; graminea corona vocabatur, ne differretur præmium.

Corpora quia ſunt mole ponderoſa, denſa, diſperſa lentè agunt: at contra ſpiritualia, vnde ignis, qui ad naturam ſpiritualem accedit, eſt omnium efficaciſſimus, citò diſpergitur in amplum, lucem momento diffundit. Marſ. ficin. Theol. Plato. lib. 1. cap. 2.

Placuit Numini is qui citò tripodas fictiles obtulit, quam qui æneos, dilato ad opus conficiendum munere, erat oblaturus. *Vide Minorit. Durationis.*

Motus per lineam rectam vt breviſſimus, non eſt propriè motus naturalis, ſed in ſtatũ naturalem compendioſa reſtitutio. Marſil. ficin. Theol. Plato. lib. 4.

Avium carnes cito digeruntur, & carni aſſimilantur.

Vinum autem omnium alimentorum citiſſimè transmutatur. Galenus lib. 3. de temperamentis. Optima autem ea habentur, quæ cito transmutantur.

Nam quæ tardè, interim dum patiuntur, nec penitùs vincuntur, in corpus agunt. Idem Ibidem.

Medicamentum, quod protinus admotum, manifestè calefacit, aut refrigerat, id vtique ex se, & per se tale est; quod tempore id facit, fortasse ex accidenti aliquo hoc est actum. Galenus lib. 3. de temperamentis.

Cum partes corporis functiones suas secundum naturam rectè obeunt, sanitas est; si & cum robore. Idem lib. de optima corporis constitutione.

Deglutitio in ijs qui immodicè appetunt ocyssimè fit: ventre nempe cibos deorsum vellente, priusquam sint mansi, os id concedit. Idem lib. 3. de naturalibus facultatibus.

Condemnati sunt Massalliani hæretici, qui negabant quemquam initiari debere Sacramentis, donec in illum visibilis gratia Spiritus S. descenderet. Baron. an. 361.

Si conchæ, quæ pariunt margaritas, tempestive rore satientur, grandescit & partus, si fulguret, comprimuntur conchæ, & pro jeiunij modo minuuntur. Plin. lib. 9. cap. 35.

Habentur sine mora pisces, ob id asservati in vivariis. Ibidem. cap. 54.

In omni melle, quod per se fluit, vt mustum, oleumve, maximè laudabile est. Idem. lib. 11. cap. 15. sic verum beneficium est, quod spontè datur, non precibus extortum.

In insectis, imperfectiora, vt muscæ, vivunt suctu, & lingua his evidens fistula est. Idem lib. 11. cap. 28.

In Cedro frugifera, antecedentem fructum occupat novus. Idem. lib. 13. cap. 5.

Ex eadem oliva differunt succi: primus omnium è cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis, hic sapore præstantissimus: quin & ex eo prima vnda præli laudatissima, ac deinde per diminutiones. Idem lib. 15. cap. 1. quanto maturior bacca, tanto pinguior succus, minusque gratus. Ibidem: sic dilatum beneficium minus est gratum.

Olivæ hærendo vltra suum tempus, absumunt venientibus alimentum, & detinent locum. Ibidem: tardum beneficium vnicum, plurium loco est.

Mira naturæ benignitas; priusquam prodeant serpentes, florere incipit fraxinus, his inimica, nec ante conditas, folia dimittit. Plin. lib. 16. cap. 15.

Omnes arbores, quo magis senescunt, hoc maturius ferunt: sylvestria omnia tardiora; quædam ex iis omnino non matureſcunt. Ibidem cap. 27.

Semen optimum anniculum, bimum deterius, trimum pessimum, vltra sterile. Idem lib. 18. cap. 24.

Natura facilè dat quæ prosunt, supervacua & nociva latent. *Vide Majorit. Bonitatis. mal.*

EX IVRE CIVILI.

QVi reum majestatis initio & incontinenti denuntiat, præmiatur, si autem post aliquod tempus revelat secretum conjurationis, sibi parcitur, non tamen præmiatur. l. 5. §. sane C. ad l. Iul. major.

Minus solvit, qui tardius solvit, nam & tempore minus soluitur. l. 12. ff. de verbor. signiff.

Si cum moriar dare promisero, & ante solvam, repetere non possum. l. 10. & l. 17. ff. de cond. indeb.

Per pactum de in diem addictione emptioni appositum, melior videtur fieri conditio venditoris, si offeratur qui idem pretium citius & commodius solvat. l. 4. §. melior. ff. de in diem addicti.

Legata intra annum debent præstari. Novell. 1. c. 4.

Si quis oratorium ædificari jusserit, debet intra quinque annos compleri, sed Xenodochium intra annum. Novell. 131. cap. 10.

Inutiliter relinquitur alicui vsus fructus, cum moritur, quia vsus fructus morte finitur. l. 5. ff. de vsu, & vsufr. legat.

Condemnatus à iudice alere aliquem, non ideo censetur eius pater: id enim fit à iudice, ne inter moras minor. privetur alimentis. l. 11. ff. de his qui sui vel. Fructus pendentes faciunt partem fundi.

Valet absque interrogatione responsio. l. 19. ff. de in interrogat. in jure faciend.

Præsens licet parvum, sed certum, plus valet magno incerto; sic fidei-commissarius cui hæres rogatus est post mortem aliquid restituere, potest modico accepto transigere, quia potuit ante hæredem mori. l. 11. C. de transact. l. vnic. C. de cad. tollen.

Faber, qui præstitit operam, & non recepit mercedem, petet mercedem cum vsuris. l. 2. Cod. de locato & cond.

Valentinianus Imp. injustè sancivit l. 1. Cod. Theod. de Scen. ne Sceneci; (hi erant servi publici ad lætitiam publicam; theatricis spectaculis mancipati) non nisi in mortis articulo baptizarentur, quia ex quo erant Christiani, non licebat his vacare muneribus.

De celeritate in dando, *vide Magnitudo Bonitatis*; cùm datur beneficium magnum & confertum. *Vide etiam Duratio voluntatis*; de mora aut celeritate in amore contrahendo.

VBI MALVM, SIMVL nascitur antidotum.

NOn priùs ex antris prodeunt serpentes, in quæ se hyberno tempore recluserant, quàm natura provida fraxini folia edat. Plin. Idem solidum exsiccat, elevat vapores, vnde fiunt pluviæ.

Ex Diceron aviculæ Indicæ stercore, si quis vel ad grani millij quantitatem sumat, moritur ad vesperam; ipsius autem avis esus liberator est doloris, estque iucundissimus edentibus. Ælian. lib. 4. c. 40. sic viperæ carnes præparantur in certissimum veneni sui anditotum: sic Scorpius sanat à se illatam plagam, ipsi illisus; aut si vtaris oleo, in quo Scorpius mersus fuerit.

Leonicidæ, parvuli animalis carnes esæ mixtas leonibus projiciunt venatores, quibus voratis leo statim moritur: alibi autem non nascitur, nisi vbi leo gignitur. Solin. c. 29.

In Arabia duo sunt lacus, vnus serpentibus ferax: alius serpentibus noxius, homini verò salutaris. Solin. c. 10.

In Sardinia fons saluberrimum remedium contra venenum sol-fugæ, quæ ibi abundat. Idem, cap. 9.

Apud Æthiopes sole peruſtos, ne siti torqueantur aquarum inopia, aut aquis se præ nimia siti ingurgitent, Lothus herba comperta est, cujus radicem qui in cibum sumpserit, non sitit. Strabo. lib. 3. & 17.

Eadem divina providentia, contraria contrariis contemperante factum est, vt dum oriuntur hæreses, eminent etiam eodem tempore illustres viri, qui illas oppugnent: ex Alexandria cõtra Arium, Athanasius: tempore Manichæorum, & Pelagianorum & SS. Ambrosius. Augustinus. S. Cyrillus contra Nestorium. S. Hieronymus contra Iovinianum. tempore Albigensium, SS. Dominicus & Franciscus; tempore Lutheri, societas Iesu.

Eodem partu Iſaac & Eſau gemini. Hinc fit, vt ex geminis ſi vnus malus, alius bonus ſit, eo quod contraria ſe in diverſas materias recipiant, quæ in vno mixtum confeciſſent: ſic celebrem & ſolitam objectionem eluere ſe putant Aſtrologi.

In calidis regionibus, Sol aërem calore ſuo rarefaciendo, gignit etiam aërem refrigerantem; idque plurimum tribus aut quatuor horis, poſt exortum eius. *Vide Media Bonitas*, bonum malo mixtum.

In India, vbi multi leones, etiam naſcuntur canes, tantæ magnitudinis & fortitudinis, vt cum ipſis leonibus valeant decertare. Photius in Biblioth. c. 72.

Habet Ægyptus Ichneumonem contra Aſpides & Crocodilos. Plin. l. 8. c. 24.

Leontophonon animal parvum, ſed leonibus exitiale virus, non naſcitur niſi vbi leo. Ibidem, cap. 38. *vide Cognitio Virt.* item in canonibus magiæ naturalis.

Plin. lib. 21. cap. 2. refert plurimos fontes binos ſibi vicinos quorũ vnus dat albedinem, alter nigredinem; vnus memoriam, alter oblivionem, vnus ſubtilitatem ſenſus, alter hebetudinem.

Sic Natura clementer in nos ſæuit. *Vide Media Contrarietas.* Vnde malum, inde remedium.

EX IVRE CANONICO.

OLim licebat tantum baptizare in ſolemnitatibus Paſchæ, & Pentecoſtes; poſtea neceſſitate cogente, permiſſum fuit quolibet tempore, & à quolibet ſæculari, etiam pagano, de conſecr. diſt. 4. cap. venerabilis.

Qui non confert beneficium intra ſex menſes, jus conferendi devolvitur ad alium collatorem, ne ſedes diu vacet. cap. nulla, & ſeq. de conceſſ. præbend.

Non eſt differendum baptiſma, vſque ad ætatem Chriſti; ſed pueris in fide parentum eſt conferendum. Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 12. & ſeq.

Res deſolatæ Eccleſiæ, non ſunt præponendæ captivorum redemptioni, qui interim multum patiuntur. 12. q. 2. Can. ſicut.

Vbi peccator intelligens vulnus ſuum, tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis. 33. q. 3. Can. importuna.

Non debemus eſſe difficiles in diſpenſandis Dei donis, nec ſe accuſantium gemitus, lachrimaſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam. Capitul. Carol. mag. lib. 9. c. 55. Vide quæ ſcripſi lib. de Miſericordia Dei part. 2. cap. 19. de non differenda ordinarie abſolutione pœnitentibus, ne in deſperationem adducantur, fruſtratis ſuis votis, ne effluat inutilis & vix rediturus divinæ gratiæ motus: de quo. *Vide Duratio virtutis Repug.* captanda occaſio divinæ viſitationis, & cap. ſeq. de ſatisfactione neceſſario non facienda ante abſolutionem, tum quia tunc homo non eſt in gratia. D. Thom. 3. q. 48. a. 1. ad 1. & q. 14. ad 1. Suplem. q. 13. a. 1. tum. quia intra tempus pœnitentiæ poſſet labi in alia peccata, iterum diuturnis pœnitentiis abluenda, quibus ſe invicem fluctuum more implicantibus; aut vſurarum novis in dies acceſſionibus, vita non ſufficeret. Vnde Sixti 4. Bulla an. 1478. Petrus de Oſma damnatus fuit, quod aſſereret, ſatisfactionem neceſſario ante abſolutionem eſſe faciendam.

D. Ambroſius dilationis baptiſmi vſque ad provectiorem ætatem, pravam conſuetudinem tollere omnino contendit, vt teſtatur, Sectn. de Sanctis, & alibi. Baron. an. 377.

EX THEOLOGIA.

FOrma abſolutionis Sacramentalis debet fieri per verbum indicativum. D. Thom. 2. q. 84. a. 3.

Anima Chriſti non fuit prius creata quam, aſſumpta. 3. q. 6. a. 3.

Ante baptiſmum actualiter ſuſceptum, aliquis rem baptiſmi conſequitur, in propoſito ſuſcipiendi baptiſmum. 3. q. 68. a. 2.

Baptiſmus ſtatim tollit pœnas, & infectiones peccati originalis, quoad perſonam, non autem quoad naturam, niſi in fine. Idem. 1. 2. q. 81. a. 3. ad 2.

Creario eſt in inſtanti. 1. q. 63. a. 5.

Chriſtus poſt mortem ſtatim deſcendit & ſtatim liberavit iuſtos, qui erant in Lymbo. Idem. 3. q. 62. a. 4. ad 7.

Devotio eſt ſpiritualis actus voluntatis, promptè tradendi ſe ad famulatum Dei. 2. 2. q. 82. a. 1.

Septem dies creationis, fuerunt vnum inſtans, juxta cognitionem 7. operum Dei in mente Angeli, ſecundum Auguſtinum; licet ſecundum alios, fuerint verè ſeptem dies ſucceſſivè. 1. q. 56. a. 6.

Converſio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti fit in inſtanti. Idem. 3. q. 75. a. 3.

Infuſio gratiæ fit in inſtanti, ſine ſucceſſione, & præparatio perfecta ad ipſam eſt in inſtanti, non autem imperfecta. 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2.

Iuſtificatio fit in inſtanti. 1. 2. quæſt. 113. a. 7. & 8.

Quandocumq; Medicina fortis eſt, ſtatim inducit ſanitatem; ſic & habitus corporales poſſibile eſt cauſari ex vno actu, non autem habitus virtutum. 1. 2. q. 51. a. 3. de gratia prævenient. *Vide Medium Virtutis & Medium Gloriæ. Vide Magnitudo Virtut. Gloriæ Principij initij.* de beatificatione Angelorum; de B. Mariæ Immaculata conceptione, &c.

Beneficium ita celeriter datum, vt præveniat cauſam ſuam, ſicut lux in creatione mundi, & quotidie aurora ſolem. Cæremoniæ vim legis habebant à Chriſto venturo. 1. 2. q. 103. a. 2. ſic dicendum de providentia & prædeſtinatione, de gratia prævenient, de cauſalitate finis.

Chriſtus fuit caput omnium hominum & Angelorum, in quos influxit, quia & fuerunt prædeſtinati ex eius meritis. 3. q. 8. a. 3. & 4. Sic Chriſtus potuit mereri vnionem, per anticipatam ſolutionem; ſic ante eius adventum, ejecti dæmones è mundo, & ſilentia oracula.

Omni tempore fuerunt aliqui pertinentes ad novum Teſtamentum, ad aliud autem pertinent omnes quibus data fuit lex gratiæ. 1. 2. q. 106. a. 1. ad 3.

EX BIBLIIS.

ECce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & movebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabeſcet in medio eius. Iſay. 19.

Quod Deus ſe offerat non quærenti ſe. Iſay. 65. Vide Princip. Gloriæ.

Antequam clament, ego exaudiam eos, adhuc illis loquentibus, exaudiam. Iſay. 65.

Citò creſcit hædera, quæ præbet vmbraculum Ionæ. Ion. c. 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus iuſtitiæ meæ. Pſalm. 4. Domine mane exaudies vocem meam. Pſalm. 5.

Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præpa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rationem cordis eorum audivit auris tua. Pſalm. 9. A
Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus. Pſal. 16.

Quoniam preveniſti eum in benedictionibus dulcedinis. Pſal. 20. Non deſpexit deprecationem pauperis, & cum clamarem ad eum exaudivit me. Pſal. 21. Domine Deus clamavi ad te, & ſanaſti me. Pſ. 29.

In tribulatione mea invocavi Dominum, &c. Et aſcendit ſuper Cherubin, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum. Pſalm. 17.

Sapientia præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat; qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet, dignos ſe ipſa quærens circuit. Sap. 6.

Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. B

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Gen. 1. offerebat formam informi Materiæ.

Miſerans miſerebitur tui, ad vocem clamoris tui, ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. Iſay. 30.

Elias juſſu Angeli, it in occurſum Ochoziæ conſulturi Beelzebut. 4. Reg. 1.

In Samaria ſtatim poſt famem, magna vbertas. 4. Reg. 6.

Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, & cras tibi dabo, cùm ſtatim poſſis dare. Proverb. 3. Spes, quæ differtur affligit animam: lignum vitæ, deſiderium veniens. Proverb. 13.

Ecce adſum, ait Dominus. Iſay. 58.

Paulus in cœlum non aſcendit, ſed raptus eſt. C

Si ſpopondiſti pro amico tuo, diſcurre, feſtina, ne dederis ſomnum oculis tuis: eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de inſidiis aucupis. Proverb. 6.

Iſayas dicit, inventus ſum à non quærentibus me: palam apparui ijs, qui me non interrogabãt. Rom. 10.

EX DIVERSIS.

SE Chriſtus ſuaviter exhibuit diſcipulis Emaüs, ipſum non vocantibus, interdum enim nec verba expectat, ſed ſolis cogitationibus advocatur. D. Bernard. ſerm. 9. in Cantic. D

Ave gratia plena, Dominus tecum: prius Dominus Mariam gratia replevit, quam in illa conciperetur. D. Bernard.

Feſtina Domine, ne tardaveris; habet enim ſapientiæ tuæ gratia, Domine, vel gratiæ tuæ ſapientia, ſua compendia. D. Bernard. lib. de amore Dei.

Bonus Dominus vltro ſe offert non quærenti. *Vide veritas virtutis.* Vera virtus etiam vrgente neceſſitate.

Lac potum vobis dedi. 1. Cor. 3.

Lac ſumendum eſt, ſimul atque eſt emulctum, nam aſſervatum nonnihil nativæ ſuæ bonitatis amittit. Galen. lib. de Euchymia.

Origanum, Satureja, Calamnithis, Thymus & ſimilia viridia manduntur; exſiccata vero, jam amplius non ſunt cibi, ſed medicamenta: in ſumma, omne quod ſiccum eſt, viride valentius exiſtit; eorum vero quæ ſicca non ſunt, maturiora minus maturis. Ibid. E

D. Gregorius pauperem è naufragio donavit eleëmoſina, altero, & altero die redeuntem, ſimiliter plura poſcentem, benignè ſine tædio excepit, & ditavit; poſtmodum inter duodecim pauperes, quos quotidie menſæ adhibebat, inventus tertius decimus, dixit ſe eſſe Angelum cuſtodem, in forma pauperis nuper iterata donatum eleëmoſina. Photius Byblioth. cap. 252.

DE FREQVENTI ET non dilata communione.

IN primitiva Eccleſia ita frequens erat vſus communionis, vt eius cauſa, illam domi quiſque ſibi aſſervaret, & ſecum deferret in peregrinationibus. Ceſſante perſecutione, Synodus Cæſar Auguſtana prohibuit domi ſervare, ſed ſemper in Eccleſiis ad vſus fidelium fuit aſſervata. Vide *multa apud C. Baronium; an. 57. nn. 149. & ſeqq.* Vide *etiam quæ ſcripſi lib. de miſericordia Dei. parte 2. c. 23. & 24.*

Interpretantur Patres, de Euchariſtia, quod dicitur in oratione Dominica, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic vive vt quotidie merearis accipere. D. Ambroſ. de Sacram. lib. 6. c. 4. quaſi in excuſationem non ſit allegandus, ſed corrigendus defectus morum.

Vide D. Auguſt. de ſermone Domini in monte lib. 2. cap. 7. & epiſt. 118. D. Hieronim. epiſt. 28. D. Cyprian. epiſt. 56.

Date operam vt crebrius congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei, ſtrangentes panem vnum, qui pharmacum immortalitatis eſt, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Ieſum Chriſtum; medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala. Ignat epiſt. 14.

Omnes qui Eccleſiam intrant, debent communicare, niſi fuerint excommunicati; qui ſecùs fecerit, quaſi non fuerit ex membris Chriſti, à communione reſecetur donec pœniteat. Capitul. Caroli Magni lib. 7. cap. 37.

Vide *can. Apoſtol. can. 10. Concilium Antiochen. can. 2.*

Sicut ſemel pro omnibus immolatus eſt Chriſtus, ita quotieſcumque peccata donantur, corporis eius Sacramentum ſumimus, vt per ſanguinem eius fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt, etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam agant, Sacramenti cœleſtis gratiam refundendam. ex D. Ambroſio. habetur. de pœnitentia. diſt. 1. can. poteſt 52.

Probet ſeipſum homo. 1. Cor. 11.

Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumcumque ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, Concil. Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 6.

Mihi omni infœlicitate miſerius eſt, quòd ad Chriſti corpus immundus accedo; accedo elatus ad humilem; iratus ad mitem; crudelis ad miſericordem, & tamen patitur humilis elatum. &c. Accedo ſervus ad domiuum. &c. D. Bernard. ſermon. 1. in Cœna Domini.

Euchariſtia vim maximam habet perficiendæ ſanctitatis &c. D. Dyoniſius de Eccleſiaſtica Hierarchia. c. 4. & 5.

Vnde patet quod non eſt tantum cibus perfectorum, ſed etiam proficientium, & quod propter defectus in quos quotidie iuſtus cadit ſepties, non debemus ab eius preceptione deterreri.

Vt primus homo in Paradiſo terreſtri non poterat ſervari immortalis, niſi frequenti vſu arboris vitæ.

Digitized by Google

...ſtrum ſuperficiem, ſed ſolum ſuperficiem ſphæræ, ſeu ſolidi, ſuper quod ſphæra, ſeu ſolidum, ſecundum quod ſphæra, ſeu ſolidum, ſecundum quod ſphæra, ſeu ſolidum, ſecundum

hoſtili potentiæ, nocivas nobis inducias treugaſque concedimus?

COGNITIO. Et ſi latens ſit ex frequenti communione profectus, certus tamen eſt: ſecurus eſto, dum vteris hoc ſalutis medio, à Chriſto inſtituto. Recta ratione facienti omnia, ſic ſecundum eam minus ſuccedat, protinus ad aliud non eſt tranſeundum inquit Hipocr. lib. 2. Aphor. 52. Indigent corpora lucis intermiſſione ad quietem; at mens tantum quieſcit quantum illi divina lux affulget, idque mediante verbo, ſic exterius relato, vt in interiori magis ſplendeat.

VOLVNTAS. Amor moras non patitur: pudor eſt amanti animæ, ſi amantem, & ſe ad poſſidendum offerentem Chriſtum, reſpuat partitum ad tempus affectum ei dare, qui ſe totum pro nobis obtulit. *Vide Magnit. Volunt.* Haſne petis inducias, vt mundanis vaces paſſionibus? ſic damnantur in Evangelij Parabola, qui ad nuptias vocati ſe excuſant occaſione mundani negotij, cui volebant vacare.

VIRT. Si habes virtutem hic accede ſecurus de profectu: ſi non habes, purgata tamen per Sacramentum pœnitentiæ conſcientia, curre ad hanc menſam famelicus; & ſaltem iteratis communionibus aſſequi conare, quod perfectis vna poſſet contingere. *Vide Poteſt. Magn.* Hoc divinum elixir, vires deperditas reparat, quæſitas conſervat, & mirum in modum adauget.

VERIT. Pictor iteratis vicibus oculos in Prototypum ſuum conjicit: artifices operi ſuo regulam ſæpius admovent: ſimile quid ſperandum à Chriſto in Euchariſtia frequenter ſumpto, eſt enim via, veritas & vita: hic enim potenti exemplo, docet charitatem, humilitatem, & cæteras virtutes Chriſtianas.

GLOR. In cœlo perpetua eſt verbi divini fruitio; hanc imitari, quantum licet, debemus in Eccleſia, quæ dicitur regnum cœlorum: Conſule teipſum, & tuis ſaltem crede experimentis. Vide quanta tibi ex digna communione contingat mentis tranquillitas. In hilaritate vultus Regis, vita. Proverb. 16.

DIFFER. Corporeis morbis varia adhibentur medicamenta, quia limitata. At hoc divinum remedium, potentiſſimum eſt contra quodlibet animi vitium. Proxima & iterata, plus operantur, quam diſſita, & intermiſſa. *Vide Poteſt. Durat.* Si præſente Rege pacifico adhuc inſurgunt paſſiones, quid ſi diu abfuerit?

CONC. In largitionibus doniſque publicè conceſſis, ruit turba populus; & quiſque conatur aſſequi, quod commune factum eſt: ſimili ferantur ardore Chriſtiani ad colligendas expoſitas gratias in Euchariſtia, vnde & nomen ſumpſit. Accendantur ad id æmulo concurſu: ſufficiet omnibus divina ſic infinita vis.

CONT. Inſurgunt adhuc paſſiones, quia nondum tranſivit pugnæ tempus: te monent hoſtium irruptiones, hoc te vallo amplius munire: huic tenebrarum victori adhærere; diſſitæ & vitimæ partes exercitus facilius profligantur; dilatio negationis præludium A eſt: diu noluit, qui tardè venit.

PRINC. Chriſtus caput noſtrum eſt, cujus ideo continuus debet eſſe in nos influxus, eo modo quo ſe voluit potiſſimum communicare, ſcilicet per Euchariſtiam: eſt commemoratio paſſionis Chriſti, quæ debet eſſe continua; honoratur Chriſtus per frequentem communionem, quaſi ſine illo non poſſit ſtare vita Chriſtiana, vt nec ſine continuo Dei influxu natura: hoc facite, inquit, in meam commemorationem: indiſtinctè præcepit, vnde ſicut in obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur. l. 14. ff. de Reg. Iur.

MED. Abſtinent à frequenti communione quidam, qui dicunt ſe non eſſe ſatis diſpoſitos; ſed falluntur, B nam diſpoſitio neceſſaria eſt ex Conc. Tridentino ſupra, vt mundus ſis à peccato mortali: ſi enim huic Divino Sacramento, æqua diſpoſitio requiratur, nunquam continget homini etiam iuſto: ſepties in die cadenti. Hoc Sacramentum inſtitutum eſt ſub ſpecie quotidiani, communiſque alimenti, quia ejus proprium eſt, vires reparare, ſervare, amplificare. Ægris datur frequens alimentum, quod ſi facilius per partes digeritur & aſſimilatur.

FIN. Magnes, ſi motu violento divertatur à ſuo polo, ſtatim in illud ſpontanea converſione reſtituitur: Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, vt maximè illi vniremur; magis autem vnimur per frequentem C communionem: ſic ergo vive vt ex intentione Chriſti, quotidie merearis accipere: nihil eſt demendum de frequenti communione, ſed de vitæ tuæ parum pio inſtituto.

MAIOR. Quæritur à Chriſtianis major, & bene placens Dei voluntas: hæc autem eſt, vt illi, quantum licet, arctius vniamur; Non eſt timendum ne exceſſus communionis generet faſtidium: Non laſſantur, ſed quieſcunt corpora in ſuis centris: Beati nunquam ſatiantur continua Dei viſione, nec anima verbi in Euchariſtia fruitione: ſi adhuc eſuris, cur non accedis: ſi non eſuris exinanitio eſt, & atrophia, non vacuatione, ſed repletione curanda.

ÆQVAL. Abhorrent à communione peccatores, D hæretici, impij, ipſa rea natura timet accedere ad ſuum iudicem, & differt quantum poteſt innatis cupiditatibus emori. Alia igitur, imo contraria debet eſſe bonorum diæta, tantum debet illis placere frequens communio, quantum malis diſplicet? quid enim ſi pœnitenti interdicatur communio, quam reformidat natura & conſcientia non eſt hæc pœna, ſed indulgentia, non reſiſtit, ſed blanditur priori vitæ, divina averſanti.

MINOR. Si te à communione retardat mala aliqua conſuetudo, creſcet in dies, & fiet plaga tumens, non ligata, nec fota hoc medicamine. Si expectas donec te putes dignè ſumpturum, cum id continget, indignè ſumes, quia ſuperbè. Nuſquam homo ſine defectu, vnde negatur penitus communio, ſi differtur E in tempus abſolutæ integritatis.

POTESTAS

POTESTAS BONITATIS

SIVE PETRUS SARACEN, AUGUSTINUS NIGER

MISCELLANEA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

EX VTROQVE IVRE.

DE donationibus ante, vel propter nuptias. Cod. 5. tit. 3.

Donatio revocat vxorem à repudio, & in hoc casu est licita l. 64. ff. de donatio. inter vir. & vxor.

Publicè interest dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem. l. 1. ff. solut. matr. quasi sine dote non acciperẽtur in vxores.

Dominus emancipans servum, retinet adhuc quasi suum l. 51. ff. de hæred instituend.

Magistratus jubentur ab accipiendis muneribus abstinere; & hoc jubetur, lege Iulia de repetundis. l. 6. & 7. ff. de lege Iulia repetund. Munera enim, inquit Glossa, excæcant sapientum oculos.

Supponunt leges matrem posse cortũpi pœcunia à substituto ventris, vt fœtũ extinguat. l. 39. C. de pœnis.

Pater aut Patronus pecuniam accipit, vt calumniosè aut ne calomniosè agat. l. 1. & gloss. ff. de calumniat.

Amico nimium non est fidendum, cum agitur de magno commodo. l. 40. ff. de hæred. institu.

Habetur infamis, qui redemit accusationem publici judicij pecunia; qua quisque facilè corrumpitur: non tamen si gratia, & interventu amicorum impetraverit vt ab actione desistatur. l. 18. C. de his qui not. infam. suis beneficiis nos Deus allicit.

Ad missarum solemnia, semper aliquid est offerendum. Exod. 23. dictum est, non apparebis in conspectu meo vacuus de consecrat. dist. 1. c. omnis.

EX BIBLIIS.

POstquam Elizæus hostibus pepercit, eosque in Samaria convivio excepit, amplius non venerunt latrones Syriæ in terram Israël. 4. Reg. 6.

Dæmon dicit Deo, quod facile est Iob timere Deum, qui benedixit operibus ejus, & vallavit omnem substantiam ejus. Iob. 1.

A fructu frumenti, vini, & olei sui, multiplicati sunt. Psal. 4.

Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ. Psal. 21. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Psal. 22.

Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Psal. 24.

Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Psal. 44.

Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Psal. 48.

Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantavit, illic passeres nidificabunt. Psal. 103.

In quacumque die invocavero te, exaudi me multiplicabis in anima mea virtutem. Psal. 137.

Duo cæci illuminati à Christo, ipsum sequuntur. Math. 20.

Muneribus Ionathas decipitur à Triphone. 1. Macab. 12. Esau placatur à fratre Iacob. Genes.

Machabæi mittunt Romam nuntios ad ineundam societatem, cum muneribus, & maximè cum clypeo aureo. 1. Macab. 14. Genes. 24. senior servorum Abrahæ missus vt Rebeccam vxorem adduceret ad Isaac, parentibus ejus dedit munera & vasa aurea.

Visa magna uva terræ promissionis, ab exploratoribus allata, accenditur populi animus. Numer. 13.

Sic Deus ostendit Moysi terram promissionis de monte Nebod. Deut. 34.

Tentator ostendit Christo, & promittit omnia regna mundi, si cadens velit eum adorare. Philistini, A consilio sacerdotum suorum, non permittunt arcam redire ad Israel vacuam sine munere, sed ei dicatos appendunt anos, & mures aureos. 1. Reg. 6.

Non apparebis in conspectu meo, vacuus pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Exod. 23.

Postquam Saül fuit proclamatus Rex, meliores ex Israël obtulerunt ei munera. 1. Reg. 10.

Isaï mittit filium suum David ad Saül, cum muneribus. 1. Reg. 16.

Ionathas maximè diligens David, dat ei tunicam qua erat indutus, ensem & baltheum suum. 1. Reg. 18.

Abigail placat muneribus Davidem, paratum delere Nabal. 1. Reg. 25. B

DEMONSTRATIO.

Beneficia sunt potentia ad concilliandos animos.

BONITAS. Divitiæ sunt sanguis vitæ civilis, scilicet commune alimentum, quo vegetat, quidquid pertinet ad commercium: vnde grata illa beneficentia, quæ vnius bona in alium transfundit; est enim C quasi illa transplantatio, & attractio spirituum è sano & juvenili corpore, in senile & ægrum, vt sanitati restituatur. Bonum est quod omnia appetunt, inquit Aristoteles, non quidem vt conferant, sed vt ab aliis accipiant: hæc est enim sors indigæ nostræ naturæ, vndique sibi subsidia conquirentis, & ad boni sibi convenientis occursum exultantis.

MAGNITVDO. Vt natura non dat à nativitate debitam corpori quantitatem, sed internas vires ad eam acquirendam, nutritionis auxilio; sic res domesticæ, nunquam sunt ita fœlices, vt non sit appetitus eas augendi, aliorum beneficio. Accretio corporis fit sine sensu, augmentum autem fortunæ fit cum magna delectatione. Gaudet animus etiam parvo munere accepto, quia sic excusitatur ingens accrescendi desiderium; vt lætitiæ avidum cor, interdum ob levem causam, in risum effunditur. D

DVRATIO. Magno vt plurimum labore, & temporis intervallo acquiruntur bona; vnde gaudemus, & applaudimus illa nobis gratuitò, & statim offerenti. Hincque secreta exurgit spes, de aliis in futurum obtinendis.

POTESTAS. Non tantum dona grata sunt, quia auxilium præstant necessitatem patienti, sed etiam quia honorem potestatibus deferunt. Est enim actualis quædam protestatio, bona dantis, ab eo cui dantur, pendere; sic Deo ab omnibus gentibus sacrificia oblata sunt, primitiæ & decimæ Sacerdotibus sacræ, sic vasalli in mutatione feudi, aut certis aliis temporibus tenentur quædam munera Dominis offerre; Gratissimũ tributi genus, quod non vi, sed voluntariè exolvitur. E

COGNITIO. Hâc ratione latens beneficium insinuatur, spesque mutua gratitudinis & beneficentiæ consolidatur.

VOLVNTAS. Amor à Platone describitur ita liberalis, vt alium se nudato vestiat, quia alium personæ amantis & dantis substituit, itavt videatur sibi dare, cum dat amico, at nihil amore gratius, & ad concilandos animos potentius, vnde exilia amicorum munera lætissimè recipiuntur, sunt enim nova amoris indicia, & quia dat quodammodo omnia, qui dat voluntatem, & amorem, quo omnia possidentur.

VIRTVS. Placent hæc dona, quæ naturalem inter

Digitized by Google

nos ſocietatem, novo quaſi fœdere ſanciunt; quæ benevolentiam, gratitudinem, Iuſtitiam, cæteraſque virtutes ſolito vtilitatis commercio labefactatas reſtaurant. Supponunt in nobis virtutem, cui omnes favent, & quaſi divinæ ſit originis, facultates ſuas litant; gaudemus bona, quæ ſunt avaritiæ incentiva, aut turpis neceſſitatis auxilia, recipere ſub honeſto amicitiæ titulo.

VERITAS. Iam ad vrbanitates, & officiorum oblationem, compoſitus aulæ, etiam vulgi ſermo, fidem non meretur; Donis tantum vera amicitia probatur, cujus eſt velle bonum amico: hic maximè connaturalis modus, certo amoris judicio amorem promereri.

DIFFERENTIA. Diviſis rerum dominijs quiſque ſua protegit, vi & induſtria; quia in bonis limitatis, vni adimitur, quod alteri accedit: nec quiſquam, niſi cum alterius damno diteſcit: vnde liberè oblatum munus, movet cum lætitia admirationem.

CONCORDANTIA. Sic innuitur communio quædam bonorum, & amicitiam in aliena nobis jus dare; ſecuros nos eſſe hac ſocietate, contra fortunæ impetus, quaſi in poſterum nobis vivendum eſſet ſub aureo ſæculo; ita ſedatur invidia, quæ continuo, licet ſecreto dolore animum torquet: ex hac doloris ceſſatione exurgit voluptas, videndo alienam fœlicitatem, quaſi noſtram, quia nobis faventem.

CONTRARIETAS. Sic rapiunt animum dona, vt etiam moniti, vix poſſimus ab illis abſtinere, cùm nobis dolo ab hoſtibus offeruntur, vt habet equi Trojani fabula: ſic ratione bonorum concepta odia, & inita, ſeu privata, ſeu publica bella triſtitiam afferunt; à contrario, dona debent animum intima delectatione demulcere. Nihil timemus ab his, qui veniunt ad nos, non vt noſtra rapiant, ſed vt ſua offerant: hos lætiſſimè excipimus, quaſi auxiliares copias, in conflictu pro bonis acquirendis ineundo.

PRINCIPIVM. Sic donis continuis & naturæ, & gratiæ Deus hominum amicitiam ſollicitat; ſic ſacra quædam pietas erga Patriam & Parentes ſtabilitur; nec enim procedit ab inſtinctu, quia ab aliunde enutritis liberis parentes agnoſcuntur, ſed tantum acceptorum beneficiorum memoria: vnde tenerior eſt affectus erga matrem, cujus apparet major in educatione ſollicitudo.

MEDIVM. Hinc omnis in naturâ vnio, & actio, ſit proprer oblatam nobis boni convenientis acquiſitionem. Aër vnitur igni, medio calore ſuo ſympatico, in igneum calorem facilè tranſituro; ſic obſtinatè partibus inhærentem bilem, trahit Reubarbarum; flegma Agnaricus; melancholiam caparis: ſic eſca capiuntur aves, piſces, feræ, homines.

FINIS. Quid ni concilietur animus beneficio; cùm illo videamur aſſequi commercij civilis finem, qui eſt acquiſitio; & quidem medio facili, jucundo, honeſto, quaſi finem non habituro? eſt enim arrha, & fidejuſſio amicitiæ, perpetuam fidelitatem, continuumque auxilium voventi.

MAIORITAS. Ideo in Eccleſia, vbi major debet eſſe charitas & vnio; dignitates non emuntur, ſed gratis datæ, beneficiorum titulo, & nuncupantur, & poſſidentur. Eſt quidam in oblato munere cultus; videmur enim fateri, eum cui damus, magis mereri bona, quam nos vnde honoris avidas mentes allicit; quod ſi indigis conferatur, vt cauſarum ſuperiorum influxus dantur rebus inferioribus, trahuntur potentiſſimè hac boni, qua ſubſiſtunt, eſca; ſic omnes plantæ ab beneficam lucem exerunt caput, ſe contorquent, vimque ſibi faciunt, vt in eam partem ſe efferant, qua emittitur.

ÆQVALITAS. Favet donatio naturæ, æquales nos omnes producentis; inæqualemq; à fortuna bonorũ diſtributionem, inæquales dignitatum gradus videtur ſolari, abjectos ad aliquam talium cõmunionem vocando.

MINORITAS. Sic dolorem in proximorum funere lenit obveniens hæreditas; ſic iratam familiam de affinis ſui turpi aut proſcriptione, aut nece; placare ſolet Princeps, bonorum, alioquin fiſco addictorum, liberâ conceſſione.

COGNITIO BONITATIS.

BENEFICIVM PALAM CONFERRE.

MISCELLANEA.

VIDE *Cognitio Poteſtatis bona*, videri potens.

Deus & natura videntur velle omnia ſua beneficia palam cognoſci, dum ornant qualitatibus externis, quæ ſunt internarum indicium. *vide Cognitio Virtutis.*

De pulchritudine quod ſit flos bonitatis & divinæ largitionis, charitatiſque argumentum. *vide Principium voluntatis.* Pulchritudo.

Deus vult dona à ſe collata celebrari, & publicari. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Gratitudo erga Deum.

Cum Princeps confert gratiam, debet excludere omnes excuſationes, vt appareat eſſe vera gratia; & quod is cui confertur, illam non merebatur.

De prima gratia, quæ datur ſine merito, *vide Principium Virtutis & Veritas Bonitatis.*

In convivis Parthorum, amicus Regis non aſſidebat menſæ, vt alij, ſed ad pedes Regis jacens, vt canis, projectas eſcas excipiebat. Athen. lib. 4. cap. 14. ſic magis apparebat gratia, abiectum in favorem recipiens.

Figura vultus Regis metallis vſualibus imponitur, vt & imago Princpium ſubjectos videretur paſcere per commercium; cujus conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum. Caſſiodor. Epiſt. 32. lib. 7. variar.

Lacedemonij in ſuis publicis convivijs conferebant

quidquid venatione ſua cœperant ; in ſingulis apponendis dapibus nominabatur is , qui cœperat , in virtutis argumentum. Athenæ. lib. 4. cap.

Paulus Æmilius præclare exhibuit populo certamina ; quæ poſtea Antiochus volens magnificentia ſuperare, edixit per totam Græciam, itavt magnus fieret populorum concurſus. Idem lib. 5. cap. 4.

Phryne, famoſum ſcortum, cum eſſet maximè dives , ſe Thebas muro velle cingere pollicebatur , ſi hæc inſcriberent Thebani: Alexander everterat, Phryne amica excitavit. Idem lib. 13. cap. 11.

Qui ornavit opus . poteſt ei ſuum nomen inſcribere, adjiciendo quantam ſummam contulerit. l. fin. ff. de operib. publ.

Miſſilia, quæ ab Imperatoribus in populum publicè fiebant. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Vt donationes inſinuentur. Leo Nov. 50.

Iuſtinianus tollit antiquam conſuetudinem faciendi emancipationes , per imaginarias venditiones , ſed fictione expoſa, vult illas publicè fieri coram Magiſtratu. §. præterea. Inſt. quib. mod. jus patriæ poteſt. ſolvitur. Sic olim manumiſſiones fiebant in Eccleſiis coram Epiſcopis. l. 1. & 2. Cod. de his qui in Eccleſ. manumitt.

Natura veſtivit alimenta colore & odore , quæ nihil conferunt ad nutritionem, ſed tantum ad cognitionem bonæ latentis qualitatis.

Cœlum ſimul ſummè beneficum & ſplendidum: dies ſunt majores vere, vt plus ſit temporis ad ſpectaculum tunc renaſcentis naturæ , multa proferentis, & promittentis.

Maximè debet celebrari & publicari beneficium, quod cedit in honorē accipientis, quale eſt præmium.

Anno renaſcente ſentiunt arbores fœcunditatem ſuam , & gaudium floribus teſtantur : tunc variis colorum picturis in certamen vſque luxuriant ; aliaſque quam ſint, oſtendunt. Plin. l. 16. c. 25.

Boni convenientis Cognitio.

Galenus libro de conſuetudine probat indulgendum ægris , appetentibus aliqua, quibus aſſueverunt, vt etiam febricitanti vinum. Sic ſolent quædam avidius præ cæteris appetere , quaſi ſint talia ipſis faciliora concoctu , vnde conſuetudo eſt ſignum cujuſdam naturalis proprietatis. De inſtinctu & lege naturali. *Vide Principium Cognition. & Principium Verit.*

Dilata fuit verbi divini incarnatio , & prædicta fuit à Prophetis , vt homines eius neceſſitatem magis intelligerent. *Vide Duratio Bonit. mora.*

Promiſſiones bonorum corporalium in veteri lege fuerunt figuræ ſpiritualium in nova. D. Thom. 12. q. 114. a. 10.

Altare & Eccleſia conſecrantur, quare. *Vide Æqual. Volunt.* Gratitudo erga Deum.

Sacramenta dantur ſub ſignis , quæ ſignificant gratiam quam conferunt : vt Euchariſtia animam nutriens, datur ſub ſpecie panis & vini &c.

Corporalia non fuerunt creata à Deo in pœnam ſpiritualis creaturæ , ſed ad oſtendendam Dei bonitatem. 1. q. 64. a. 2.

Convivificavit nos in Chriſto , & conſedere fecit in cœleſtibus , vt oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ , in bonitate ſuper nos , in Chriſto Ieſu ad Epheſ. 2.

Dat Deus gratias , vt hinc glorificetur. *Vide Cognitio Virtutis.*

REPVGNAT.

LATENS BENEFICIVM.

Miſcellanea.

NE Principi quidem decorum eſt , donare ignominiæ cauſa ; Ideo male Tiberius iuſſit debitores in ſenatu reddere æris alieni cauſas , & illis certas ſummas dedit : non eſt illud liberalitas , cenſura eſt : Beneficium non eſt, cujus ſine rubore meminiſſe non poſſum. Præcipiunt itaque ſapientes , quædam beneficia palam danda , quædam ſecreto : palam quæ conſequi glorioſum eſt , vt militaria dona , & honores, & quidquid aliud notitiâ pulchrius fit : Quæ autem occurrunt infirmitati , egeſtati, ignominiæ, tacitè donanda ſunt ; vt nota ſint ſolis , quibus proſunt. Interdum , & ipſe qui juvatur fallendus eſt , vt habeat, nec à quo acciperet ſciat : ſic ægro , pauperi , ſed verecundo amico , Arceſilaüs pulvino ſacculum ſubjecit , vt homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat inveniret, potiùs quam acciperet. Beneficium in acta non mitto : hominem etiam in tenebris ſervabo : te ſolo teſte gaudebis illi profuiſſe; quod ſi eum ſcire deſideras, debitorem quæris. Seneca lib. 2. de Benefic.

Cum quidam Cæſaris amicus exprobaret civi, ſe illum à proſcriptione ſervaſſe , non valens hanc ſuperbiam ferre, exclamavit, redde me Cæſari, nihil tibi debeo, ſi me ſervaſti vt haberes, quem oſtenderes; quovſque me circumducis? quovſque obliviſci fortunæ meæ non ſinis ? qui admonet ſe dediſſe , repetit; ſemel in triumpho ductus eſſem. Ideo illi dicetur , nihil debeo, ſolvi, quoties narraſti. Hæc ergo beneficij inter duos lex eſt; alter ſtatim obliviſci debet dati ; alter accepti nunquam: lacerat animum frequens meritorum commemoratio. Ibidem cap. 11.

Quomodo tamen arte monendi ſunt de reddendo beneficio ; torpentem bonam voluntatem, vtilem facere debemus. Vide eundem lib. 5. de benefic. c. 44.

Non tantum ingratum, ſed inviſum eſt beneficium ſuperbè datum: quid opus eſt arrogantia vultus? quid tumore verborum ; ipſa res te extollit ; res loquentur nobis tacentibus. Idem lib. 2. cap. 11.

Superiora elementa , quæ majora nobis conferunt beneficia , minus apparent. Ignis in ſua ſphæra, & in calore vivifico ; aër innatus , vnde ſpiritus , is etiam quem reſpiramus; latentes cœlorum influxus : at terra inferius elementum , dona ſua cum magno apparatu profert : forma , vnde omnes actiones , latet ; nobis neſcientibus, etiam nolentibus, fiunt actiones vegetationis; gratiarum latens auxilium, ſicut & Angelorum.

Æs & ferrum ſunt odorabilia ; aurum autem eſt inodorabile , quia propter eius terreiſtratem , & homogeneitatem caret humido.

Flumina occulto meatu è mari procedunt, ſed aperto & lato amne in illud redeunt.

Cor & arteriæ, cum effundunt ſanguinem & ſpiritus, contrahuntur ; cum verò recipiunt ſanguinem & aërem, dilatantur, & pulſum efficiunt: ſic decet publicare receptum beneficium , tacere datum.

Stellæ , quæ ſunt ſub alio polo , influunt in nos per reflexionem, licet non videantur, & de illis hic noſtra aſtrologia non faciat mentionem in iudiciis.

In Ponto, fluvius Aſtaces irrigat campos, in quibus paſtæ oves , nigro lacte æque gentem alunt. Plin. lib. 2. cap. 103.

Per aërem illuſtratum omnia videmus, & tamen illum non videmus; nec ſpecies ab objectis emiſſas, nec influxus ſyderum; nec operationes partium vitalium; nec animam mundi ex Platonicis; nec Deum vbique aſſiſtentem.

Plantarum ſylveſtrium fructus calidiores & ſicciores ſunt, & fortioris odoris, quam hortenſium.

Nobis dormientibus, cor & arteriæ attolluntur & deprimuntur.

Maximum Naturæ beneficium vita, datur neſcientibus, & nondum cognitionem habentibus. Iudæi videntes manna, dicebant quid eſt hoc? Exod. 26.

Sine radice inutiles rami: quantum vtilitatis manus habeant, neſcire nulli licet, apertè juvant: cor illud quo manus vivunt, ex quo impetum ſumunt, quo moventur, latet: ſic dicere de præceptis poſſum, aperta ſunt, decreta vero ſapientiæ in abdito. Seneca Epiſt. 95. *Vide Cognitio Virtutis. Repug.*

Cyprianus. Epiſt. 5. ad Clerum Carthaginenſem, monet ne turba confeſſores in carcere exiſtentes viſitentur, hoc enim poſſet parere invidiam, itavt in totum introeundi aditus denegaretur: ſed id fieri monet cautè.

Conſtantinus modeſtiſſimus Imperator, operibus à ſe extructis nomen ſuum non inſcripſit. Hoc tamen ante ipſum fecerant cæteri Imperatores & maximè Trajanus, de quo lepidè & vrbanè dixit, eſſe herbam parietariam. Baron. an. 324.

Barrabanus Iudæus nocte tantum docet D. Hieronymum Hebraïcam linguam, timens Iudæos. Baron. an. 386.

Veſtes, quæ tegunt turpem & indigam nuditatem, cedunt in ornamentum. *Vide Cognitio Virtutis.* Veſtis index dignitatis; ſic olim coronæ ex hædera, roſis, violis, quæ a convivantibus ſumebantur quaſi ornamentum, erant remedium ebrietatis, vt refert Athenæus lib. 15. cap. 5. ſic detur beneficium ſub ſpecie honoris, & non quaſi ſubveniens egeſtati.

Occultarum eſt in Pontificum diſciplina, in cujus Dei tutela Roma eſſet, ne poſſet ab hoſtibus evocari. Plin. lib. 28. cap. 2.

Vnus in toto orbe traditur fons aquæ iucundè olentis, in Meſopotamiâ caburæ: de cætero aquarum ſalubrium ſapor, odorque nullus eſſe debet. Idem lib. 31. cap. 3.

EX IVRE CIVILI.

Acquiſitio fit per alluvionem, quæ eſt latens incrementum. *Vide Poteſtas Duratio.*

Theſaurus, cujus inventi media pars cedit inventori, alia agri Domino; non idem eſt de pecunia ſub terra condita, cuſtodiæ cauſa. l. 31. ff. de acq. rer. domi.

Pars hæreditatis deficiēs, accedit hæredi etiam ignoranti. l. 31. ff. de acq. hæred. fidejubere poteſt quiſque, etiamſi promiſſor ignoret. l. 30. ff. de fidejuſſoribus.

Sic abſentium, pupillorum, furioſorum, prodigorum negotia promovent Tutores & Curatores.

Emancipationes olim fiebant per imaginarias venditiones. Inſtit quibus mod. jus pat. poteſt. ſolvit. §. præterea.

Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, ſi facta ſit ex cauſa donationis, omnem viam agendi perimit. l. 2. C. de donat. vnde patet ſæpius donationes factas eſſe ſub ficta & apparenti venditione.

Æſtimatio viliori pretio facta, cenſetur facta donationis cauſa l. 12. ff. de jure doti.

Brevitas ſcripturæ non officit donationi l. 13. C. de donat.

Ambitioſa decreta Decurionum reſcinduntur, quibus debitores publicos dimittunt. l. 4. ff. de decret. ab ord. facien. vocantur ambitioſa, quia ſic ambiunt honores.

De controverſiis quæ in teſtamento naſcuntur non licet tranſigere, quia ſunt captioſæ, & multi modico præſenti contenti, magna relicta, vt pote alieno labore parta, & inexpectato obvenientia, facilè repudiant. l. 8. ff. de tranſ.

Non cognoſcit ſibi delatum bonum hæres abſens, pupillus, furioſus, aut qui de adeunda hæreditate deliberat. Nobis ignorantibus, per ſervos acquiritur.

EX THEOLOGIA.

Abſolutio, in publico facta, vt in Miſſa, Prima, Completorio non eſt ſacramentalis. D. Th. 3. q. 84. a. 3. ad 1.

Omnia Religionis Chriſtianæ beneficia ſunt ſub myſterio, & ſub velo fidei.

Latebat in Chriſto nobis dato divinitas, latet in Euchariſtia, eiuſque non apparet gratia in aliis Sacramentis.

Charitas erga Deum & proximum, vt clauſo oſtio oratur Deus, ſic juvandus proximus.

DEMONSTRATIO.

Latens debet eſſe beneficium.

Bonitas. Qui confert beneficium debet tantum intendere bonum eius, cui confert; hoc autem aſſequitur dando in ſecreto, & individualiter individuæ perſonæ; ſic vna anima facit tantum ſenſationem in corpore, quod informat.

Magnitvdo. Majus eſt beneficium, quod magis accipienti prodeſt; prodeſt autem magis, ſi in ſecreto detur, quia totum illius contemplatione datur.

Dvratio. Quod ſi das in publico, vt videaris beneficus, dilatione laſſabis egentem, vt longum tibi facias de ſua miſeria, & de tua potentia, ad quam recurrit, ſpectaculum. Qui ſic conferunt, facilè deficiunt, ſi nulla ſit ſpes vanitatis.

Poteſtas. Licet Regibus, & aliis perſonis, qui publico bono præſunt, publica ſua facere beneficia, quia illis populus eſt per modum vnius accipientis, cui debet eſſe notum beneficium: inde ſequitur, particularium beneficia, debere tantum cognoſci ab his, quibus dantur.

Cognitio. Quomodo te in dando gerere debeas, ſatis docet is qui petit; Rubore enim confunditur; puderque ipſum adverſæ ſuæ fortunæ caſus tibi aperire; quid ergo illum vis ab omnibus cognoſci? quid turpitudinem ſuam prodis, ad beneficij tui commendationem, videris diffidere de ſua fidelitate, dum ſic in dati fidem, publicos teſtes advocas.

Voluntas. Non neceſſitati, ſed amico auxilium fers, vnde debes illi adeſſe, modo ſibi placito, & veræ amicitiæ convenienti, ſcilicet in ſecreto; alioquin amicum habebis, non modo vt ſuſpectum debitorem, ſed vt ſervum, tibi publico teſtimonio addictum.

Virtvs. Seipſa contenta virtus, oculos hominum non quærit, imò fugit, ne ſinceritatem ſuam aliqua vanitatis mixtione commaculet.

Veritas. Reſpondeat neceſſitati beneficium, vt malo remedium; latens eſt neceſſitas, ſit latens bene-

ficium; reſpondeat votis egentis, in occulto petentis: ſi enim inde, & in famæ ſuæ præjudicium gloriam ſperas, verè non das, ſed accipis ab egente, & jam laboranti novum onus ſuperimponis.

GLORIA. Donum evulgas, vt habearis dives, potens, beneficus; condonandum eſſet ſi hæc poſſent fieri alio illæſo, ſed ſic egens habetur, impotens, pauper tibi obſtrictus, vnde læsâ fortunæ ſuæ fama, multum illi in cæteris negotiis noces. Acquiris quidem aliquam gloriæ ſpeciem coram hominibus, ſed amittis ſolidum conſcientiæ gaudium, ex beneficentia oriundum, ſi non tali vanitate inficeretur.

DIFFERENTIA. Sic diſtinguitur beneficium à palliatis aulicorum officiis, ab vſura, & vtili mundanorum commercio; debet enim vera beneficentia fieri gratis, nullâ inde ſperata mercede, ſolo Deo teſte, ſolo charitatis Chriſtianæ motivo.

CONCORDANTIA. Niſi des ſolo amicitiæ titulo, vtrumque amittis, & ipſum beneficium, ſic cum injuria collatum, & amicitiam, quam ſubvertis, dans, non illius contemplatione, ſed perverſę vanitatis deſiderio.

CONTRARIETAS. Te convenit vt amicum, & illum hoſtili dolo excipis, dum denuntias familiæ tuæ turpem in mundo paupertatem: magis noces, quia noces jam afflicto, & quidem ſub ſpecie auxilii.

PRINCIPIVM. Quare tibi hanc arrogas gloriam, Deus eſt author illius auxilii, habes enim ab illo; ſi autem accepiſti, quid gloriaris? accepiſti occultè à Deo, redde ſic proximo: gratis accepiſti, gratis da.

MEDIVM. Si bene rem perpendas, tu es bonorum, A non verus Dominus, ſed diſpenſator: debeſque illa erogare ſecundum legem tibi præſcriptam à Domino tuo, qui dicit, cum facis elemoſynam, noli ante te tuba canere, ſicut hypocritæ faciunt; neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera.

FINIS. Actus morales deſumunt ſuam ſpecificationem à fine, vnde ſi dando ſperas vanitatem, eo ipſo deſinit eſſe beneficium, diſce quomodo ſit dandum beneficium, à fine ipſo, qui ſecreto influit in actum: limitatum eſt, & cito finietur à te datum, at illimitata quodammodo eſt noxa, quam infers famæ illius, quem facis ab omnibus indigum agnoſci.

MAIORITAS. Sic ergo propalando beneficium, plus noces, quam proficis, atque ſi in occulto des, magis das, quam ab eo petebatur, quia tua benignitate exiſtimabitur potentior quam ſit: vnde tibi debebit quidquid illi boni obveniet, ob hanc facultatum ſuarum commendationem. B

ÆQVALITAS. Si ex beneficio gloriam vis colligere, negotiaris cum amico, & ipſo læſo prætium plus iuſto exigis, vnde nulla tibi debetur gratia. Si amicus es, ex quo petit, ſuum eſt in tuis bonis id quo eget, quod etiam verum eſt, ex præceptis Chriſtianæ charitatis, quæ facit omnia communia: ſi ergo illi propria reſtituis, debitumque exolvis, nullam inde debes gloriam nanciſci.

MINORITAS. Aliter facieus peccas contra ius omne divinum & humanum, cum afflicto des afflictionem, ſi quem iuvare debes, quaſi ſervum tuis muneribus veſtitum circumducas.

VOLVNTAS BONITATIS.

APPETITVS BONI.

MISCELLANEA.

BONVM omnia appetunt. Ariſtot.

Ideo omnia ſe conformant ſuo principio. *Concordantia Principij.*

Primum mobile virtutis appetitivæ, eſt amor boni in communi; hunc motum, alii omnes, vt gaudium, ſpes, timor, &c. ſupponunt.

Omnia, appetendo proprias perfectiones, appetunt ipſum Deum, in quantum omnes perfectiones ſunt ſimilitudines divini eſſe.

Sicut fœmina maſculum, & turpe pulchrum, ſic materia formam, tanquam quid divinum appetit. Ariſtot.

Vis attractiva aquæ eſt in ſpongioſis corporibus: vt in corpore plantæ & animalis, alimenti appetitus.

Planto in Hypacro, probat omnes homines eſſe lucri cupidos, quia lucrum eſt medium ad bonum, quod omnes appetunt. Amoris conditio eſt, vt ad pulchritudinem rapiat, ac deforme formoſo coniungat: unde Plato in Timeo, in chaô, ſiue mundô informi, primo locat amorem, id eſt in informi adhuc mentis eſſentia, innatum appetitum, quo ad Deum convertitur, principium ſuum; converſa ipſius radio illuſtratur, radii fulgore appetitus accenditur, accenſus Deo totus inhæret, inhærendo formatur, per ipſius Dei, & rerum omnium Ideas. Hanc amoris perfectionem, formatum, idearumque omnium complexionem rectè mundum dixeris & κοσμον. id eſt, ornatus.

Ita oculus convertitur ad lumen, illud videt, & per illud colores rerum diverſos: amor ergo præcedit mundum, torpentem ſuſcitat, obſcura illuminat: vivificat mortuos, format informia. Marſilius Ficinus in convivium Platonis.

Plato. lib. 9. de legib. dicit vitiorum habitus involuntarios eſſe, neminemque fieri ſponte malum, vt nemo fit ſponte ægrotus, deformis, & inops.

Tumultus in chaô eſt deſiderium naturarum, perfectionem & ornamentū ſui appetentium. Marſil. fic.

Potentiæ omnes paſſivæ & activæ; vis attractiva & expulſiva, concupiſcibilis, & iraſcibilis, motus & quies, ſolitudo, & commercium, denique omnia, etiam contraria, concurrunt in boni appetitu.

Agens non agit Privationem, ſed agit quod eſt ſibi conveniens.

Natura facit optimum quod poteſt, hinc deformes ingenioſi, vt claudi, giboſi, quia in neceſſario defectu,

Subscribers to the Library are requested to observe that the Books are lent out for the use of the Subscriber only, and that they are not to be lent to any other person.

Subscribers are requested to return the Books in good order, and to pay for any damage they may do to them.

Subscribers are requested to return the Books when they are called for.

Effects of a Sudden Change from Darkness to Light.

MR. HOLMES, Surgeon, Oculist to the Queen, and to the Royal Family, and Surgeon to the Royal Westminster Ophthalmic Hospital, has the honour to announce that he has REMOVED from No. 6, Hanover-square, to No. 24, Berkeley-square.

Voluntas Sobriatus.

THE Public are respectfully informed that the Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

Voluntas Sobriatus.

THE Partnership between the undersigned, carrying on business as Wine Merchants, at No. 26, Duke-street, Manchester-square, under the firm of VOLUNTAS SOBRIATUS and Co., was DISSOLVED on the 1st day of January, 1844, by the retirement of Mr. Voluntas Sobriatus.

All debts due to the late firm will be received by Mr. Voluntas Sobriatus, and all claims against the late firm will be paid by him.

Dated this 1st day of January, 1844.

VOLUNTAS SOBRIATUS.
JOHN SMITH.

miles pugnat, pro patria, non videtur facere quia timet propriam cum toto ruinam; ſic quiſque alius benefacit, ſecreta ſui contemplatione, ſic remex primum ſe movet, deinde navim, & ſe per illam, animal nihil movet niſi ſeipſum moveat, apud veteres anima creditur prius ſe movere, quam moveat corpus.

Partibus corporis eſt ingenitus & infixus ſpiritus, qui nunquam eas deſerit; ab illo procedunt influentes ſpiritus, qui per totum corpus diffunduntur ad motum.

Oculus exiſtens in centro ſpeculi concavi ſpherici videt ſe tantum, quoniam cum res extra centrum poſita radios habeat, ſuper ſuperficiem ſpeculi cadentes obliquè, ſequitur etiam vt radij ad partem oppoſitam reflectantur, & non in ipſum centrum, æquales enim ſunt anguli incidentiæ & reflexionis.

Milites Romani omnem quam habebant pecuniam cogebantur ante conflictum apud ſigna deponere: Aſiatici etiam concubinas, vt ſic fortius pro re ſua dimicarent.

Magna arteria egrediens è corde, illud primo cingit duabus branchiis, quæ dicuntur arteriæ coronales, & per ejus ſubſtantiam diffunduntur.

Non debet Princeps aliis auxilium præſtando, bellū in ſe attrahere, ſalvis ſuis rebus, cuique auxiliandū.

Vis generativa non eſt niſi in ætate perfecta, & ſemen fit ex ſuperfluo alimento.

Copia frumentorum Provinciæ debet primum prodeſſe, cui naſcitur, alienis quidem partibus debet impendi quod ſupereſt, & tunc de exteris cogitandum, cum ſe ratio propriæ neceſſitatis impleverit. Caſſiodorus lib.1. variarum. cap.34.

Ventriculus benigniori chili parte ſibi reſervata fruitur. Fernelius.

Non exundant fontes & flumina, niſi repletis propriis canalibus.

Cor maxime calet, antequam cæteris calorem largiatur, ſic Sol lucet.

Cato noluit vivus in poteſtatem Cæſaris devenire, hoc tamen ſuaſit filio.

Debet ſapiens ſeipſum revereri, & pudere aliquid mali coram ſe agere.

Duplex eſt ſermo, interior quo nos nobis conciliamus, & exterior quo proximis. *Vide Mimicus Concordantiæ.*

Quia homo & cœleſtium & terreſtrium vinculum eſt & nodus, non poſſunt hæc vtraque pacem cum eo non habere, ſi modo ipſq; ſecum habuerit. Picus Mirandul.

Ariſtoteles 9. Ethic. 8. probat honeſtum eſſe ſui amorem, quia omnia quæ ad amicitiam pertinent, à ſeipſa ad alios deveniunt, & cum vnuſquiſque maximè ſibi ſit amicus, vnde dicitur vna anima in duobus, communia omnia: Rectè ſui amator dicendus eſt, qui præſtantiſſimæ parti obſequitur, honeſta, quæ ſunt verè bona, ſibi tribuens. Bonus vir, ſui amator debet eſſe, nam honeſta agendo, & ſibi & alijs prodeſt, at ſi pravus ſe amet, ſibi & aliis nocebit?

Naturale eſt ad ſeipſum amicitiam habere, & cum amatio ſui reprehenditur, id fit, quia quis magis quam oportet ſe amat. Idem 2. Polit.5.

Cœli ſemper in ſe revolvuntur, talis eſt cordis motus, in ſe rediens.

Ita agendum in civitate, vt bonum publicum vergat etiam in vtilitatem privatam, quo magis ad illud cives accendantur. Plato.2. de Rep.

Plotinus. lib. de cælo. cap.2. & 4. loquens de mundi perpetuitate, ait, Corpus hoc continuò mobile, tamen eſt perpetuum, quia non extra profluit ſed refluit intro.

Cor ſibi primum largitur vitam, vnde eſt primum A **vivens, & vltimum moriens.**

De amore boni, quo omnia ſuaviter à prima bonitate reguntur. *Vide Bonitas Poteſtas. Libertas. Initio.* **Major eſt appetitus boni, quam veri.** *Vide Minor. cognitio.*

Hæc eſt generalis & Catholica rerum divinarum deſcriptio, & ordo, vt primum Pontifex participet, ſatieturque ijs quæ alijs divinitus daturus eſt, deinde ita demum ea etiam cum aliis communicet. Div. Dyoniſ. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.3.

Deus vult ſe neceſſario, neceſſitate, quo ad ſpecificationem, & quo ad exercitium.

Creata cum ſint indiga, amant bonum & pulchrum; vt perficiantur amans autem dignior, vt Deus, amat B **actum ſuum**

Deus dicitur omnium centrum, non ſolum quia vt actus infinitus, indiviſibilis, omnibus adeſt, ſed quia omnibus à ſe creatis partem aliquam, vel potentiam intimam, ſimpliciſſimam, præſtantiſſimam indidit, quæ rerum vnitas nominatur, à qua & ad quam tanquam à centro, & ad centrum ſuum rei cuiuſque partes & potentiæ pendent: creata ſe prius ad hanc ſuam vnitatem colligere debent, quam ſuo hæreant creatori. Marſil. Ficin. in Platonis convivium. Orat.2.

In ſpiritualibus bonis, debet homo ſibi magis providere quam aliis, in temporalibus autem, liberalis facit laudabiliter è cõtrario D. Thom.2.2.q.117.a.1.ad 2. C

Zelus qui apparet pro bono publico fictitius eſt, noſtra intereſt. *Vide Major. Volunt.* **Zelus nimius.**

De confidentia ſui. *Vide Cognitio Virtutis.*

Sibi quiſque primum conſulat, per bona opera. *Vide Veritas Virtutis.* **Dicta concordent operibus.**

Deus intelligendo & amando ſeipſum, ſcit & efficit omnia, & omnis vita priùs prolem ſuam intra ſe producit, quam extra. *Vide Princip. Verit.*

Deus circulus eſt vnus, quoniam à ſe eſt circuli inſtar, & in ſeipſum, provt non habet extra ſe principium ſui vel finem, ſed in ſe incipiens, deſinit in ſeipſum. Angelus duplex eſt circulus, tum quia illuc redit vnde manavit, tum ſuum intelligit, & diligit authorem, tum quia conſiderat ſemetipſum. Anima autem triplex circulus, quia reſpicit Deum, quia ſeipſam conſiderat, quia à cauſis rerum, ad effectus deſcendit, & rurſus ab affectibus aſcendit ad cauſas. Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib.4. D

Homo Deum imitatur in eo quod ſeipſum amat & colit, non tantum vt brutum ſeipſum amat, ſed quaſi numen quoddam veneratur. Id agunt prudentes externa animo ſubijcientes, itavt toti ex mente pẽdeant, tanquam ex Deo, auguſtam ſuæ mentis majeſtatem vilibus cogitationibus, & terrenis ſordibus temerare nefas exiſtimant, propriæ mentis conſcientiam, tanquam Dei faciem verentur, quæ malorum pœnitentia ſtimulat, ſicut benefactorum oblectat memoria, &c. Ibid. lib.14. cap.8. E

Innatus ſui amor eſt origo miſericordiæ; vnde magis miſerantur ſimiles ætate, moribus, habitibus, dignitatibus, generibus; Nam in omnibus hic magis apparet, etiam ipſi idem poſſe contingere. Ariſtot. lib.2. Rhetoric. cap. 8.

Non licebat ex agro Athenienſi natas ibi caricas exportare, vt ſoli illius loci incolæ his fruerentur. Athenæ. lib.2. cap.2.

Quo ad robur ſeminis, fœtus patri magis aſſimilatur; verum genitura muliebris ad ſanitatem multum confert; tum ratione diuturnæ nutritionis menſtrui per novem menſes, tum quia proprium muliebri ſemini eſt, ſuam ipſius ſubſtantiam ac facultatem, magis quam maſculini augere atque corroborare. Galen. lib.2. de Semine.

Aſclepiades

Aſclepiades celebris medicus, maximè ſponſione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, ſi vnquam invalidus fŏret ipſe. Plin. lib. 7. cap. 37.

Pilus fibri, & pluma anſeris quæ iuxta carnem, eſt mollior. Ideſt tenerior erga nos affectus.

EX IVRE CIVILI.

VIx bonum publicum curamus, niſi in quantum privatum bonum admixtum eſt vnde l. 8. Cod. de ædificijs privat. Impp. Valens & Gratianus iubent Curiales vrbium, in eis domos proprias habere, vt illis ſit pro aris & focis pugnandum.

Inquilinus poteſt durante locatione à domo expelli, ſi eam Dominus ſuis vſibus neceſſariam habuerit, l. 3. Cod. de locat. & cond.

Tres liberi Romæ, quatuor in Italia, quinque in Provincijs, excuſant parentes à tutela. l. 1. Cod. qui num. liber. ſe excuſ.

Si libertis, patronus filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & poſtea ſuſceperit liberos, totum quidquid largitus fuerat evertitur, in eiuſdem donatoris arbitrio ac ditione manſurum. lib. 8. Cod. de revoc. donatio.

Habetur tit. Cod. de Cypriſſis ex luco Daphenſi non excidendis vel vendendis, rationem reddit gloſſa; quia inſerviebant in Ægypto ad continendos aggeres Nili, & ideo non erant alportandæ.

Præſes Provinciæ, vſu aquæ, quam ex fonte iuris tui profluere allegas, contra ſtaturam conſuetudinis formam carere non permittes; cum ſit durum & crudelitati proximum, ex tuis prædijs aquæ agmen ortum, ſitientibus agris tuis, ad aliorum vſum propagari. l. Præſes. 6. Cod. de ſervitut. & aqua.

Rem alienam gerentibus non interdici rerum ſuarum adminiſtrationem. Cod. 4. t. 53.

De precibus Imperatori offerendis. C. 1. t. 19.

De bonorum poſſeſſione contra tabulas ff. 37. 4.

De petitione hæreditatis ff. 13. t. 4. Cod. 3. t. 31.

Vſufructuarius poteſt fodere fodinas, metalla &c. ſi plus commodi afferant, quam cultura agri. l. 13. ff. de vſufruct.

Si paciſcatur ſocius, ne partem ſuam petat, effectu tollitur ſocietas l. 14. in fine. ff. commu divid.

Bonæfidei poſſeſſor facit fructus ſuos, donec evincatur, licet ſciat eſſe alienum. l. 25. ff. de vſufructu; ſe enim præfert alteri.

Vſu receptum eſt legitimam tutelam deferri his, ad quos pertinet hæreditas, vt non permittant bona dilapidari, quæ poſſunt ad ſe pervenire l. 1. ff. de leg. tutor.

Tutor poteſt ſe excuſare, ſi habeat litem cum pupillo de tota hæreditate, & ſi ſe non excuſet, eſt removendus: ſecùs ſi de parte tantum bonorum litiget. l. 20. & 21. ff. de excuſat. tutor.

Sub hac conditione, ſi volam, nulla ſit obligatio. l. 8. ff. de oblig. & actionib. & l. 17. ff. de verbor. obligat.

Calumniator in propria cauſa eſt audiendus, ſi cauſa non ſit criminalis.

Favetur militibus, in eo quod magiſter militum de ipſis cognoſcit. l. 2. C. Theod. de Iuriſdict.

Contemptum ſuæ iuriſdictionis vindicat Prætor. l. 7. ff. de Iuriſdict. & nulla eſt Iuriſdictio, vel minimorum iudicum, ſine coërcitione.

Minor poteſt meliorem ſuam conditionem facere, ſine tutoris authoritate. l. 28. ff. de pactis.

Accuſatus crimine capitali, quod pœnam ſanguinis infligit, ſi corrumpat accuſantem, non punitur propter hoc. l. 1. ff. de bonis eor. qui ante ſenten.

Nemo cogitur adire hæreditatem damnoſam. l. nec emere. Cod. de Iur. delib.

Adultus ſine Curatore paciſcendo, ſuam conditionem meliorem facere poteſt. l. contra iuris. ff. de pact.

Advocatus poteſt quis eſſe poſt 17. annum, ſed non procurator, quia ſic damnum poteſt incurrere. l. 1. ff. de iiſci.

Alieno nomine victus, poteſt agere nomine proprio. l. 22. ff. de inoffic. teſtam. aget enim majori diligentia.

Aquam pluviam in ſuo fundo retinere, & ſuperfluentem ex vicim fundo in ſuum derivare, omnibus licet. l. 1. §. idem ajunt. ff. de aquis pluvi.

Beneficium poteſt conferri abſenti; quia præſumitur velle. l. fin. Cod. vt dignit. ord. ſervet.

Procurator non poteſt cogi, vt ſuis neglectis rebus alienis provideat. l. 8. §. final. ff. de procurat. Ne ſuum ei officium ſit damnoſum. l. 7. ff. quem. teſt. aperiant.

Privilegium eſt perſonale, cum quis tantum obligatur, in quantum facere poteſt, hoc autem intelligitur, deducto ne egeat. l. 173. ff. de Reg. Iur.

Si rem meam apud me, neſcions meam, depoſueris, non teneor illam tibi reſtituere. l. 31. in f. ff. depoſ.

Qui patitur aliquid fieri, quod ad ſui commodum ſpectat, mandare videtur. l. 6. ff. mand. & l. 18. eodem.

In generali obligatione pignoris, non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veriſimiliter obligaturus, vt veſtem, ſupellectilem, alia miniſterijs eius neceſſaria, & quæ ad affectionem eius pertinent. l. 6. ff. de Pigno. & Hypoth.

Filius vel ſervus, non poteſt pro alio rem peculij obligare, etiam ſi adminiſtratio libera ei ſit conceſſa. l. 1. ff. quæ res pigno.

Tutor poteſt ſibi ſolvere, ſi creditor Patris pupilli fuerit. Poteſt & mutuo à pupillo accipere. l. 9. §. ſicut autem. ff. de admin. & pericul. tutor.

Qui non poſſunt teſtari, & hi quibus bonis interdictum eſt, poſſunt tamen ex teſtamento capere. l. 5. ff. de acquir. vel omittend. hæred.

Legatum factum alicui, cum pecierit, non eſt conditionale, quia ſupponitur certo, quod petet. l. 85. ff. decondit. & demonſt.

Furens ſupponitur velle bonorum poſſeſſionem. l. 16. ff. de bonor. poſſeſſ.

Cum eo, qui in ſuo agro fodiens vicini fontem avertit, non poteſt agi, nec eſt de dolo actio, ſi non animo vicino nocendi, ſed ſuum agrum meliorem faciendi fecit. l. 1. §. 12. ff. de aqua, & aquæ pluvi.

Qui nullo iure ſervitutis tenetur aquam ſibi nocivam recipere, poteſt illam avertere, etiam ſi aliis noceat. l. 2. §. 9. eodem.

Niſi aliquid ſit factum vltra neceſſitatem culturæ, quod aliis noceat. l. 3. eodem.

Is, cui bonis eſt interdictum, poteſt ſibi acquirere, non autem obligari, etiam naturaliter. l. 6. ff. de verbo. obligatio.

Poteſt quis fidejubere pro ignorante, quia ſupponitur velle. l. 30. ff. de fideiuſſo.

Cum populares actiones non dentur, niſi his qui poſtulare poſſunt; dantur tamen mulieri & pupillo, ſi eorum interſit. l. 3. & 6. ff. de popular. actionib.

Ad appellandum in propria cauſa datur biduum, in aliena triduum. l. 1. §. 11. ff. quando appell. ſit.

Deferre nemo cogitur quod theſaurum invenerit, niſi ex eo theſauro, pars fiſco debeatur, quia in loco publico ſit inventum. l. 3. in fi. ff. de Iure fiſci.

Semper, qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur. l. 60. ff. de Reg. Iur.

In emptionibus licet paciſci contra edictum Præ-

toris, ob privatam vtilitatem. l.31. ff. de pactis.

Olim agri limitrophi militibus concedebantur, cum prohibitione alienandi. l. final. Cod. de fund. limitroph. vt ſua conſervantes, ſimul pro patria pugnarent. Ea ratione divites, quibus majora ſunt conſervanda, ad dignitates præ cæteris admittuntur, ſic ſtipendiis publica etiam officia conducuntur.

Cum perſonæ in id quod facere poſſunt damnantur, intelligitur ſemper, deducto ne egeant. l. 173. ff. de Reg. Iur.

De vitæ conſervatione. *Vide Volunt. Durat.*

C Non valet ſervitus ſic fundo impoſita, vt mihi & vicino ſerviat, nemo enim niſi ſibi ſervitutem recipere poteſt. l.5. ff. comm. prædior.

De his qui numero liberorum excuſationem meruerunt Cod.10. t. ſi ſuis enim prius debent adeſſe.

EX IVRE CANONICO.

CAlumniator in propria cauſa eſt audiendus, ſi cauſa non ſit criminalis.4. q.6.

Licet clericis in iudicio ſua repetere.14. q.1.

Neganti crimen, confeſſio non eſt extorquenda.15. q.6. quæ liceant pro ſui deffenſione. *Vide Bonitas Contrarietatis & Æqualitas Contrarietatis.*

Incipe charitatem, & eleemoſynam à teipſo. Exodi C 30. Miſerere animæ tuæ, placens Deo. de pœnit. diſt.3. c. qui vult.

Sacerdos, quoties Miſſam celebrat, communicet de conſecr. diſt.1. c. relatum.

Qui jurat non eſſe contra aliquem, poteſt in cauſis propriis & Eccleſiæ ſuæ eſſe contra eum. cap. petitio. 31. de Iurejura.

Vrgente neceſſitate, quæ non fuit tempore locationis, poteſt Dominus expellere inquilinum. cap. propter. de locat. & cond.

Archiepiſcopus debet prius viſitare ſuam propriam Eccleſiam, quam provinciam. cap. Romana, de cenſibus in 6.

Qui obtulit in altari debet communicare, alioquin dat populo ſuſpicionem, quod non rectè obtulerit incanonib. Apoſt.c.9.

EX THEOLOGIA.

CVm voluntas divina ſit proprium divinæ voluntatis objectum, ad quam alia ordinantur, vt ad finem; bonitatem ipſam ſuam Deus abſolutè & neceſſario vult, alia verò à ſe non neceſſario, niſi ex ſuppoſitione tantum. D. Thom.1. q.19. a.3.

Angelus non ceſſat à ſui cognitione & amore.1. q. 60. art.3.

Gratia habitualis, quæ ordinatur ad actus interiores meritorios, eſt nobilior gratia gratis data, quæ ordinatur ad vtilitatem proximi. 1.2.q.111. art.1. ad 4.

Subjectum eſt cauſa proprij accidentis in triplici genere cauſæ, ſcilicet vt cauſa materialis, efficiens, & finalis; aliorum autem accidentium, eſt tantum cauſa materialis. 1. q. 77. a. 6. *Vide Voluntas Durationis.*

Epiſcopus debet eſſe domui ſuæ bene propoſitus, alioquin quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam adhibebit? inquit Apoſtolus.1. Timoth.1.

Sic anima ſeparata, non movens amplius proprium corpus, extremum non poteſt movere.1. quæſt. 1. 7. art.4.

Bonum addit ſupra ens reſpectum rationis ad appetitum. D. Thom.1. q.5. a.1. ad 1.

A Omne agens, agit propter bonum. Idem.1. q.105. art.5.

Eſſe, vivere, intelligere, eſt amabile omnibus; ideo Deus, in quantum eſt cauſa horum, non poteſt ab aliquo haberi odio. Idem.1.2. q. 341. a.1.

Omnis appetitus, ſecundum quod tendit in bonum, tendit in aſſimilationem divinæ bonitatis. Id.1. q.7. a.1. & c. ad 2.

Omnia appetunt bonum eſſe, perfectionem, & conjungi ſuo principio.1. q.5. a.1.

Bonum ſenſibile eſt objectum appetitus ſenſitivi, ſed bonum ſimpliciter eſt objectum voluntatis.1.q.59. a.4. *Vide Voluntas Gloriæ.*

B Bonum & pulchrum fundantur ſuper eandem rem, ſcilicet formam. Sed bonum reſpicit appetitum, pulchrum vero vim cognoſcitivam.1. quæſt.5. art.4. ad primum.

Damnati non poſſunt velle bonum actualiter, & tamen voluntas eorum naturaliter inclinatur ad bonum.1. q.64. a.2.

Deſiderium eſt de bono non habito, ſed amor eſt de bono abſolutè.1. q.20. a.1. c.2.

Quicumque vident Deum per eſſentiam, impoſſibile eſt quin illum diligant. Idem.1. q.60. a.5. ad 5.

In productione rerum, Deus finem aliquem intendit, ſcilicet divinam bonitatem. Idem.1. q.15. a.5.

C Forma non eſt intelligibilis in materia, niſi in potentia. Idem.1. q.79. a.3.

Nullum malum poteſt per ſe intendi. Idem.1.q.19. art.9.

Memoria bonorum vt ſunt, à ſe habita, cauſat delectationem, vt amiſſa triſtitiam, vt habita ab aliis invidiam.2.2. q.36. a.1.

Liberum arbitrium eſt per ſe ordinatum in bonum, nec tendit in malum, niſi ſub ratione boni. Idem.1. q.63. a.1. ad 4.

Omnis paſſio, cuius obiectum eſt bonum, eſt naturaliter prior paſſione ſibi oppoſita, cuius obiectum eſt malum.1. q.20. a.1. *Vide Finis Voluntatis.*

D Objectum voluntatis eſt bonum, & finis bonum vniverſale.1. q.59.a.4.

Non poteſt Deus velle malum culpæ, quia ſibi oppoſitum, ſed tantum per accidens malum naturæ & pœnæ.1. q.19. a.9.

Spes eſt amor concupiſcentiæ, quo amamus Deum, vt quoddam principium, ex quo nobis bona proveniunt. 2.2. q.117. a.6.

Virtutes amantur amore concupiſcentiæ.2.2. q.25. art.1.

Omne ens naturaliter plus diligit ſe, quam alterum. 1.q.60. a.4. ad 2.

Amor ſui tripliciter ſe habet ad charitatem, ſcilicet contrariè, incluſivè, & concomitanter. 2.2. q.19. art.6.

E Amor naturalis non eſt paſſio, ſed connaturalitas, & eſt in omni re, in omni potentia, in omni membro. 2.2. q.26. a.1. ad 2. & 1. q.60. a.1.

Bonum eſt cauſa amoris propria, vt proprium eius obiectum.1.2. q.27. a.1.

EX BIBLIIS.

COlumba emiſſa ex arca, non ſedet in terra lutoſa. Gen.8.

Mulier videns fructum pulchrum viſu, & bonum ad veſcendum, comedit. Gen.3.

Prudentes Virgines, adveniente ſponſo nolunt de oleo ſuo aliis dare; ne forte, inquiunt, non ſufficiat nobis & vobis. Math.25. Evangelium prius prædica-

Digitized by Google

tus Iudæis, apud quos natum erat; & quoniam, inquit Paulus, noluistis illud accipere, ecce convertimur ad gentes. Act.12. *Vide Majoritas Voluntatis, & Concordant. Æqualitat.* quod sui & proximi magis diligantur.

Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. &c. Ephes.5.

EX PATRIBVS. & Philosophis.

OMnes ad effectum, atque appetitum vtilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio atque, impulsione ducuntur: Ideoque & qui militant, id sibi pulchrum, & qui negotiantur, id sibi vtile, & qui agricolantur, id sibi fructuosum esse existimant, &c. vide apud Salvianum. lib.2. ad Ecclesiam Catholicam, & lib.3. de Gubernat Dei.

Regulam diligendi proximum, à seipso dilector accipit, quandoquidem scriptum est, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. D. August. de Civit. Dei. l.1. cap.20. Math.7. Christus dicit, quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc vos facite illis: Tanquam nemo possit aliquid malè, vel turpiter velle, sed cupere. Ibid. lib.14. cap.8.

Præstans quædam amicitia inest nostris animæ viribus, ad imitationem Dei, qui se essentiali & summo amore complectitur. Vide plura apud Alanum Varenium lib. de amicitia.

Dicit Christus, facite eleemosinam, & omnia munda sunt vobis, si intelligis, à te incipe, quomodo enim es misericors alteri, si crudelis sis tibi? Miserere animæ tuæ placens Deo (Eccles.30.) Mendicat ante te anima, &c. D. August. serm.30. de verb.Dom.

Innocens tantum ille est, qui nemini nocet, non ergo est innocens qui sibi nocet, qui accipit in vano animam, nihil sui gratia operans: non estis vestri, inquit Apost. 1. Co.9. empti enim estis pretio magno, vnde magna cura custodiendi, excolendi; peccas in Deum, si peccas in te, quia templum Dei violas: si tibi non parcis propter teipsum, parce tibi propter Deum. Quomodo in te salva erit dilectio proximi, quando dilectio tui, quæ alterius regula est, per intemperantiam vulneratur? D. August. homil. 37. & serm.34. de divers. cap.8.

Rationalis creatura ad hoc se debet diligere vt beata sit. D.Bernard.

Primo studeat vnusquisque ne dissideat à semetipso, omne enim regnum in se divisum desolabitur; exit anima, si corporis membra fuerint ab invicem separata. Videat ergo si Christum cupit inhabitare in corde suo, ne à se invicem membra dissideant, id est ratio, voluntas & memoria. D. Bernard. de interiori domo.

Imprimis diligit homo seipsum propter se: Caro quippe est, & nihil sapere valet præter se: cumque se videt per se non posse subsistere, Deum, sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere, & diligere. At verè cum cœperit occasione propriæ necessitatis colere, & frequentare meditando, Deus innotescit, & dulcescit, itavt eum diligat, non jam propter se, sed propter ipsum. Idem Epist.11.

Sic condita est mens humana, vt nunquam sui non ememinerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligat. D. August. lib.14. de Trinit. cap.14.

Angelus amat seipsum naturali & electiva dilectione. D.Thom.1. quæst.60. art.3. quia Deus est bonum vniversale, Angelus ipsum plusquam se diligit naturali dilectione, non autem amore concupiscentiæ. Idem.a.5.

D. Augustinus Epist.121. Probæ de amando Deum. Ora inquit beatam vitam, hanc enim cupiunt & boni & mali, sed ad eam non perveniunt nisi boni.

Vivere omnes beatè volunt, sed ad pervidendum quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant; adeoque non est facile consequi beatam vitam, vt ab ea quisque eo longiùs recedat, quo ad illam citatius fertur, si via lapsus est, quæ vbi in contrarium ducit, ipsa velocitas majoris intervalli causa fit, &c. Seneca initio de vita beata.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus. Amant omnes beatitudinem, & ideo perversi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt (*Vide Gloria virtutis.*) & cum sit malitiæ individua comes miseria, isti peruersi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt, quod fieri non potest, sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint, sic fur ne miser sit, est malus; & ideo miserior est, quia malus est. D. Aug. in Psal.32. Conc.2. *Vide hoc tit. de inordinato sui amore.*

Hominum animus, etsi caliganti memoria, tamen bonum summum repetit, licet ad falsa devius error abducat, & velut ebrius animus, domum quo tramite revertatur, ignoret: optant divitias, dignitates, regna, gloriam, voluptates, quod per hoc sibi sufficientiam, potentiam, celebritatem, lætitiam credunt esse venturam, &c. Boetius de consolat. Philosoph. lib.3. prosa.2.

Omnis vita prolem suam penes seipsam prius generat, quam seorsum, & quo præstantior vita est, eo interiorem generat prolem; sic vita vegetativa, tam in arboribus, quam in animalibus, semen quasi arborem, & quasi animal in corpore proprio, prius generat, quam jaciat extra ad externam productionem; sic phantasia parit rei simulachrum; sic vita rationalis parit in seipsa rationem, tum rerum, tum sui ipsius; & quidem magis intimè nam per hunc fœtum, in seipsam reflectitur, seipsam quærendo, cognoscendo, amando, quod non efficit phantasia: sic Angelica vita excellentior quam rationalis, notiones sui ipsius & rerum, divino quodam instinctu promit in se, antequam depromat in mundi materiam; proles hæc interior est Angelo, quam rationi sua, quia neque mutatur; quamobrem divina vita, quia eminentissima & fœcundissima, prolem sibi simillimam generat intelligendo, quæ est exemplar mundi: hanc Palladem vocat Orpheus, solo Iovis capite natam; Plato Dei filium, & verbum, &c. Marsil Ficinus. lib. de Christiana Religione cap.13. sic sapiens seipso contentus. *Vide Potest Virtutis.*

DEMONSTRATIO.

Bonum quare appetitur.

BONITAS. Habent omnia participationem bonitatis divinæ, in eo quod habent essentiam & existentiam, vnde feruntur sympaticè ad bonum conveniens, vt omnia similia ad suum simile, aquæ ad aquas, & illa sua vnione cupiunt magis accedere ad summam summi boni perfectionem, quæ est in vnitate.

MAGNITVDO. Hâc boni segregatione, vnum quod

que acquirit ab extrinſeco ſuum complementum, quod à ſeipſo non poterat habere.

Dvratio. Ineſt rebus omnibus creatis ſe conſervandi appetitus, quem non poſſunt implere, niſi bonum externum conſequantur, in ſubſidium exiſtentiæ in ipſis egentis, languentis, deficientis, ſine tali auxilio; ſic alimenta conquirimus, & aliorum ſenſuum potentiis objecta.

Potestas. Bonum appetunt potentiæ omnes; Paſſivæ vt illud in ſe ab alio recipiant, illoque perficiantur, vt materia à forma; Activæ autem, vt in ſe debiliora convertant, ſicque fiant potentiora, vel vt ſaltem ſui imaginem in aliis effingant, ſuoque dominio ſubijciant.

Cognitio. Ideo ſenſus omnes vbique explorant bonum, Ratio autem quæ eſt vniverſalior, illud conjicit futurum, vbi non apparet.

Volvntas. Cognitum bonum ſtatim proſequitur, itavt duabus illis potentiis cognitionis & appetitus, ſter omne commercium naturæ & politiæ. Addidit providentia paſſiones, quarum motus violentior concitat appetitum, ne moram faciat, & ne difficultatibus terreatur in boni proſecutione. Vt autem in homine ratio ſenſibus iuncta facit maiorem boni cognitionem, ita & ſæpe naſcitur major appetitus commotio.

Virtvs. Sed ipſamet ratio ſe poteſt temperare per habitus virtutum, itavt paſſionibus vtatur, quaſi fortiſſimis, invictis, & tamen obedientiſſimis militibus, ad optati boni conſecutionem, & contrariorum victoriam.

Veritas. In animalibus ſunt inſtinctus, & ſpecies innatæ, quibus ſibi conveniens & nocivum diſcernunt. In nobis ſunt ideæ vniverſales veri & boni, ex quibus quaſi principiis, elicit ratio concluſiones ſuas, tam in ſpeculativis, quam practicis; quia autem ſunt vniverſales, & ſic aliquomodo confuſæ, conamur illas contemplatione & praxi perficere, ad faciliorem boni conſecutionem.

Gloria. Hinc fit, vt nulla nec in veritatum contemplatione, nec in rerum poſſeſſione inveniatur vera quies; quia nihil creatum poteſt æquare ideam, quam habemus, veri & boni, aliquas tantum invenimus eius imagines, quaſi fractas per ſpecierum, individuorum, locorum differentias; ita loco fruitionis veri boni, colligimus tantum imaginum illius quædam in fracto ſpeculo fragmenta. Tamen ex delectatione illius, etiam imperfectæ fruitionis, magis accenditur noſter amor circa ſummum bonum, nobis in alia vita promiſſum.

Differentia. A ſummo bono, per exiſtentiam omnia quaſi deciſa, conantur ſe illi reſtituere, vniendo ſe his omnibus bonis, quæ ſaltem per partes illud referunt. Nobis maximè blanditur diverſitas, quia ſuo numero videtur magis accedere ad infinitatem ſummi boni, cuius habemus ideam. Hæc diverſitas levat tædium animi, de bono particulari non contenti; ſpes accendit de ampliori obtinendo; ſic magis gaudemus rerum humanarum proſecutione, quæ ſibi fingit & ſperat bonum deſideriis ſuis æquale, quam fruitione, quæ limitatum & imperfectum reperit.

Concordantia. Rectè dicit Plato, ſocietatem ab indigentia auxilium ſibi quærente natam: Nam etſi natura homo ſit ſociale animal, hanc habet inclinationem, vt vnuſquiſque ſibi non ſufficiens ad boni conſecutionem, auxiliaribus ſociorum copiis, & viribus iuvaretur. Hinc boni ſibi ſimiles quærunt, quo magis in bono contra malum, ſe quaſi manu facta muniant: mali bonos venerantur, amant, quærunt, quaſi malis ſuis remedium, quo ſtatui naturæ ſuæ convenienti reſtituantur. Sic ſæpe avarus conciliat amicitiam cum liberali, melancholicus cum hilari, iracundus cum manſueto, dum indigentia quærit ſibi à bono auxilium, & illud præſtare gaudet bonum ſui natura diffuſivum.

Contrarietas. Omnes in mundo tumultus, lites, bella omnia procedunt ex eo, quod vnumquodque vult ſibi bonum adicribere, quod alius aut poſſidet, aut pariter inſectatur: vnde Plato dicit mundum eſſe ludum Dei: vt olim Imperatoribus erat gratiſſimum magnificentiæ ſpectaculum, miſſilia effundere in populum, ad illa obtinenda, magno impetu deluſis ſæpe manibus ſe convolventem, ſic gaudet mater de parvulorum in amplexus ſuos ruentium æmulatione, ſic pulchritudini famam conciliat procorum decertatio, & Principi, invida aulicorum de ſuo favore contendentium officia.

Principivm. Boni appetitu fit, vt cauſæ novas exiſtentias è ſinu materiæ educentes, ſeque nova individuorum ſerie quaſi multiplicantes, mundum ſemper ſuis ſpeciebus refertum, & ornatum conſervent. Latens hic in rebus omnibus boni appetitus, eas à parvis initiis ad convenientem perfectionis ſtatum perducit, etiam inexpectato noſtro conſenſu, quia hoc in negotio, maximè neceſſario, natura agit pro tutore.

Medivm. Sic conſervatur mirabilis rerum omnium nexus, quia minores exiſtentiæ appetuntur, ſaltem vt media ad conſecutionem amplioris boni: ſic nihil amore vacat, vt nec aliqua ſummi boni imagine.

Finis. Diverſa rerum ſibi ſuccedentium productio ſolatur animum, aliqua ſummi vltimi finis ſpecie, & quia vlterius ſemper ad majus bonum proceditur, habemus hic aliquid, quod referat ſummum bonum in quo infinita quies coincidit cum infinito actu.

Maioritas. Nunquam ſatiata avaritiæ, ambitionis, amoris cupiditas procedit ex innato, ſed corrupto, ad infinitum bonum poſſidendum appetitu. Bonum malè paſſiones ad inutilia detorquent, non tamen ſine boni in mundo dominantis, ſeque rebus omnibus interſerentis providentia: ſic enim cœleſtis originis animus ſe dimittit ad humanæ vitæ ſordida, & tamen neceſſario officia, quæ non niſi deluſus poſſet exequi.

Æqvalitas. Sunt, inquit Plato, veræ rerum eſſentiæ, æternæ, perfectæ, invariabiles in ideis divinis, hic autem eſt boni appetitus, quaſi artifex inſudans, vt rerum exiſtentias huic divino prototypo conformes effingas: Ideo nunquam ceſſat hic appetitus, quia non eſt poſſibilis hæc perfecta aſſimilatio, ob innumerabiles materiæ defectus, rerumque in contrarium nitentium, & peracta ſubvertentium, obſtinatos incurſus.

Minoritas. Ita ſemper in defectu, ſemper optamus bonum quo reſtituamur, vt arida terra pluvias, vt fame laborantes, cibos, ſpe nunquam deficiente, imo appetitu ob neceſſitates incaleſcente: ſemper viget actio, ſemper inferiora ad recipiendos cauſarum influxus ſinum apperiunt: ſic rebus infimis, cum ſuperioribus, mirabili harmonia ad principij gloriam concinentibus.

OPPORTET PRIVS SIBI, quam alteri bonum velle.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si operari ſequitur eſſe, individualis, incommunicabilis, ſibique tantum bona exiſtentia, ſibi tantum laborantem vult habere operationem.

MAGNITVDO. Et meritò quidem, quia cætera omnia ſenſu aut intellectu percepta, ſunt mihi ſingularia, à ſe diverſa, & à me penitus aliena: at ego mihi ipſi ſum quodammodo omnia, nam ſi pereat domus, navis, amicus, perit res ſingularis; at ſi peream, pereunt mihi omnia; vnde cum ſim mihi plus cæteris rebus omnibus, debeo mihi magis velle bonum; ſum mihi ipſi bonum principale & eſſentiale, cuius comparatione cætera omnia ſunt acceſſoria, & accidentia.

DVRATIO. Facilè fit aliis communicatio bonarum qualitatum in nobis exiſtentium, at earum acquiſitio non fit niſi longo tempore, & per moras; vnde cum ſit laborioſum, illi maximè incumbendum: & prior quidem debet fieri, nam cum non poſſim dare, niſi quod habeo, prius debeo impleri, vt poſtea effundam; inde enim ſequitur boni continuata communicatio.

POTESTAS. Cum mihi prius dedi, poſſum poſtea alijs dare, hocque in mea poteſtate ſitum eſt; at ſi prius alijs dedero, non erit forte amplius poſſibile mihi largiri; rebus aut contrariis, aut deficientibus: at naturaliter melius eſt fieri potentem, quam impotentem.

COGNITIO. Senſus omnes ſunt propter boni convenientis conſecutionem, & mali nocituri fugam: at ſenſus percipiunt tantum bonum mihi, non alteri conveniens, ſicut alieni morbi ſenſatio non fit in me; vnde cum ad meum tantum vſum ſint inſtructæ illæ facultates, ſequitur quod mihi præ omnibus aliis debent prodeſſe: ne autem ſocietas pereat defectu auxilij, dat nobis natura ſenſum miſericordiæ, ſic fallit nos, vt alium quaſi nos ipſos iuvemus, ita iuſtum eſt nobis bona velle, vt non niſi noſtro nomine velit nos aliis auxilium dare.

VOLVNTAS. Omnes paſſiones, quæ ſunt motus naturales optimi, ſi illis bene vtamur, bonum nobis quærunt etiam cum aliorum injuria, vt videre eſt illas ſingulatim expendendo: qvod ſi amor vult alteri bonum, id fit propter imaginariam transformationem amati in amatum, itavt ſibi ipſi quiſque putet dare, cum dat illi, in quo cogitatione, & affectu vivit.

VIRTVS. Ipſæmet virtutes omnes bonum proprium quærunt, excepta iuſtitia, quæ eſt ad alterum; ſi autem aliorum, non niſi ſecundariò, ſcilicet ſub illa lege naturali, vt alteri faciamus, quæ nobis vellemus fieri.

VERITAS. Non ſunt afferendæ probationes illius veritatis, quæ eſt omnium mentibus inſculpta. Sic enim gradus vegetativi & ſenſitivi ſibi tantum agunt; at ſumus in iiſdem gradibus, reſpectu bonorum externorum, quæ propter ſenſus quæruntur.

GLORIA. Vnde naturaliter ſentimus lætitiam, ſecuritatem, audaciam, ex nova acquiſitione; at contra alienum bonum mouet triſtitiam, invidiam, metum. Ipſa autem lætitia eſt indicium naturale eius, quod eſt nobis conveniens, & vt melius eſt lætari, quam dolere, melius eſt nobis, quam aliis velle bonum.

DIFFERENTIA. Vt anima mea, meo tantum corpori internis ſuis facultatibus ſervit, id etiam debet præſtare externis, ſenſu & motu; bonum omne ſibi conveniens explorat, proſequitur, in ſe recipit, & nihil A egerit niſi ſuperfluum; nec etiam in noſtra poteſtate ſitum eſt, aliquid de noſtra ſubſtantia detrahere, vt in alium transferamus: Id enim, quaſi penitus injuſtum, arbitrio noſtro non fuit relictum.

CONCORDANTIA. Ineſt quidem nobis naturaliter ſocietatis affectus, ſed ſi bene expendatur, eſt in nobis quemadmodum in debilioribus entibus, vt ſe vnita magis conſervent; inermes enim, & ſine arte creati, quærimus ſocios, à quibus diſcamus, & protegamur. Vnde noſtrum particulare commodum eſt, finis primò intentus, etiam in publicis negotiis; qui enim illa tractant, erodunt quæ domeſticis ſuis facultatibus adjiciant; vixque vllus ſe publicis negotiis immiſcet, niſi ſpe ſtipendij, honoris, dominationis, aut alterius boni privati.

CONTRARIETAS. Quot ſunt homines, tot poſſunt B eſſe nobis inimici: ſi prius illis, quàm mihi velim bonum; præbeo arma, quibus inermem confodiant ad libitum: Contra naturam ago, poteſtati illorum ſubjiciendo meam libertatem. Doceor ab ipſis animalibus, quæ licet ſint gregalia, decertant tamen, & vnum quodque vult alteri præferri, quando agitur de ſui conſervatione.

PRINCIPIVM. Egregium quidem imitari primi Principij largitiones; ſed prius fuit infinitæ bonitatis, quam mundum creaverit; & cum ſit infinitæ perfectionis, finita tantum creat, ſibi ſervata inacceſſibili C omnibus creaturis eminentia.

MEDIVM. Cum ſimus rerum temporalium indigi, melius eſt illas noſtra opera, quæ certa eſt, habere, quam illas expectare ab alieno beneficio, quod eſt incertum, fortuitum, fallax; ſæpius enim homines, dato à nobis, contra nos vtuntur: independentia eſt divina perfectio nobis imitanda: naturalia, quæ habẽt ex ſe motum, non expectant ab alio, vt artificiata. Melius eſt ergo nobis primum prodeſſe, quam neceſſaria ab aliis recipere.

FINIS. Tam iuſtus eſt hic appetitus, vt nunquam in nobis deſinat; quod ſi illo carent prodigi, quaſi mente capti, bonis interdicuntur, & ſub Curatoris D poteſtate redacti, libertate ſibi noxia privantur; vt enim leges non audiunt perire volentem, ſic non patiuntur ſua non conſervantem, alioſque ſibi præferentem.

MAIORITAS. Inertis, degeneris, & infra rationalem naturam abjecti eſt animi, qui non appetit excellentiam, honorem, famem; hæc autem ſolum habentur, nos alijs præferendo, ſi nihil ſit in nobis, quod impediat, & peccet contra Iuſtitiæ leges.

ÆQVALITAS. In ordine rerum ſi non ſim ſuperior, ero inferior; quare id patiar, ſi me ad ſuperiorem locum vocet divina providentia; ero Deo ſimilior, ſi ab aliis nihil accipiens, illis potero prodeſſe.

MINORITAS. Quam turpis egeſtas, & rebus bene E agendis contraria, hi, quos tibi præfers, te nunquam reſurrecturum oppriment.

REPVGNAT.

Reſpuere Beneficia.

NOn ab omnibus accipiendum beneficium, ſed ab his tantum quibus dediſſe vellemus: grave enim tormentum eſt debere, cui nolis; homini probo & verecundo miſerrimum eſt, ſi eum amare oporteat, quem non iuvat: diligentius quærendus eſt beneficij, quam pecuniæ creditor, quia illi etiam reddita gratia cohæremus: vt in amicitiam non debeo recipere in-

dignum; ſit nec ab eo accipere beneficium, quo amicitia conciliatur. Senec. lib. 2. de benef. cap. 18.

Quæritur an captivum me ab impuro redimi patiar? ſervatus deinde, quam illi gratiam referam? Vivam cum obſceno, non vivam cum redemptore? Accipio ab eo pecuniam, tanquam creditum, non tanquam beneficium; periclitantem ſervabo, in amicitiam tamen, quæ ſimiles iungit, non deſcendam. Ibidem cap. 21.

Socrates rogatus noluit ire ad Archelaum Regem, ne, inquit, accipiam ab eo beneficia; noluit ire ad voluntariam ſervitutem, is cujus libertatem civitas libera ferre non poterat. Idem lib. 5. cap. 6.

Romæ donationes inter virum & vxorem fuerunt prohibitæ, vt oſtenderetur amorem conjugalem illo ſubſidio non indigere. Plutarch. lib. quæſt. de Antiq. Roma. cap. 7.

Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius eſt enim magis dare, quam accipere: neſcio enim quomodo etiam ipſe, qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteriùs veneratur. D. Hieron. ad Nepotia. Epiſt. 1. l. 2.

Philopœmen munera à Spartiatis miſſa noluit accipere, dicens viros fortes non eſſe muneribus honorándos, cum illorum virtute gratis Reſpublica vti poſſit, ſed malis danda munera, quibus mala eorum conſilia ſuffocentur. Plutarch. in vita Philopœmen.

1. Regum 12. Samuel ſe coram populo iuſtificans antequam moriatur: loquimini de me coram Domino, ſi de manu cujuſquam munus accepi.

Lucrum in arca, damnum in conſcientia; munera enim excæcant corda ſapientum. D. Auguſtin. ſerm. de temp.

Matth. 3. Chriſtus reſpuit Imperium orbis oblatum à Diabolo, ſi cadens voluiſſet eum adorare.

Princeps non debet adire delatam ſibi hæreditatem in præiudicium conſanguineorum defuncti, niſi illam ſpeciali amicitia meruerit, vt dicit de Tiberio Tacit. Annal. 2. Vnde reprehendit Domitianũ, qui Agricolæ hæreditatem adiit, neſciens à bono patre non ſcribi hæredem, niſi malum Principem; id enim fit à defuncto, aut odio ſuorum hæredum, aut ſtultitia, aut adulatione, neutrum Principi tolerandum; ſi pro parte ſit hæres inſtitutus, acceptet hæreditatis partem, deinde reſtituat.

Quiſque poteſt renunciare beneficio, pro ſe introducto.

Cauſa appoſita in ſtipulatione, quando continet commodum ſtipulantis, non dicitur cauſa finalis, ſed impulſiva, cujus defectus non viciat ſtipulationem, leg. 25. ſi mulier, & gloſſ. Code de iure doti.

Cautio ad quam quis tenetur, poteſt remitti ab eo, cui præſtari debet l. pactum ff. de pactis.

Legatum ſervo delatum, Dominus poteſt repudiare. l. 7. ff. de leg. 1.

Invito nemine bonorum poſſeſſio acquiritur. l. 3. §. 3. ff. de bonor. poſſeſſ.

Non poteſt liberalitas nolenti acquiri. l. 19. ff. de donat. vnde donationes indigent acceptatione, & inſinuatione.

Invito beneficium non datur leg. 69. ff. de reg. Iur.

Liberius à Conſtantio Imperatore in exilium pulſus, quod noluiſſet ſubſcribere condemnationi Arij, oblatos mille nummos recuſavit, inquiens: tu Eccleſias orbis terræ expilaſti, & jam mihi vt damnato & egenti affers eleemoſynam. Vide Baronium an. 355.

Tu non eris bonorum tuorum verus Dominus, quandiu benefactor in illis jus habebit; bona enim non cenſentur niſi deducto ære alieno.

Abraham nihil vult accipere de ſpoliis Regis Sodomorum. Eſaũ reſpuit munera Iacob. Elizæus reſpuit munera Naaman, punitur ſervus ejus, qui ea recepit. 4. reg. 5.

Sic Moyſes ſe purgat coram Deo, dicens, ſe nullius vnquam recepiſſe munera. Num. 16. ſic Samuel 1. Reg. 12.

Phocion Athenienſis reſpuit munera ſibi miſſa ab Alexandro Magno, dicens, ſi bonus ſum, ſinat me talem eſſe. Plutarch.

Memoriâ defuncti damnatâ, vt propter crimen læſæ Majeſtatis, non valent libertates teſtamento relictæ, l. 2. C. de teſtament. manumiſſ. à viro bono debet fieri donatio.

Gen. 23. Abraham altercatur cum filiis Reth, quia non vult gratis accipere agrum, ſed ſolvere, ad ſepulturam Saræ.

Socrates ab Alcibiade oblata munera reſpuens; nobis etiam, inquit, noſtra eſt ambitio, Alcibiades dando, Socrates non accipiendo, ſuam oſtendit liberalitatem. Ælian.

Non licet eleemoſynas & oblationes accipere ab his qui opprimũt pauperes. Concil. Cartag. 4. can. 94.

Adrianus Papa, noluit recipere duas coronas aureas gemmis intextas, quas Carolus Calvus Rex Franciæ ad eum miſit, pro duobus regnis, quia vnum ſuper fratre ſuo Lothario vſurpaverat. Vide Baron. ann. 869.

Munus tribus modis dicitur, vno donum, altero onus; vnde onerum exemptio dicitur immunitas, tertio officium, vnde dicuntur munera militaria. lib. 18. ff de verbo ſignif. munus eſt onus.

Apis bos ſacer apud Ægyptios, reſponſa privatis dabat, è manu conſulentium cibũ capiendo, aut reſpuendo. Plinius. l. 8. c. 46. Germanici Cæſaris manum eſt averſatus, haud paulo poſt extincti. Ibidem.

Sic limyræ fontis piſces, projectam eſcam invadentes promittunt quod petitur, reſpuentes negant. Idem lib. 21. cap. 2. ſic olim augurium ſumebatur ex pullis edentibvs, aut non. Negat ſe aliquid præter jus acturum, qui reſpuit munera.

Nemini quidquam debeatis, niſi vt invicem diligatis. Roma. 13.

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. 1. Cor. 6. id eſt à nullo victum & veſtitum accipiam, ne illi obnoxius ſim, & minus liber.

Quis vnquam militat ſuis ſtipendiis? &c. Dominus ordinavit ijs qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, ego autem nullo horum vſus ſum. &c. 1. Corinth. 9.

In Arabia fons eſt ſtygius, in quem immiſſa donaria, ſi ſupernatent, nec ſorbeantur, non cenſetur eſſe propitius Deus. Photius Byblioth. cap. 242.

Ex eo ſtupor noſter apparet, quod ea ſola putamus emi, pro quibus pecuniam ſolvimus, & gratuita vocamus, pro quibus nos ipſos impendimus; quæ alio prætio emere nollemus, ad ea parati ſumus pervenire, cum ſollicitudine, cum periculo, cum jactura pudoris, libertatis & temporis; adeo nihil eſt cuique ſe vilius; noſtri eſſemus, ſi iſta noſtra non eſſent, hoc periturum eſt, nempe adventitium fuit, tam tam facilè ſine iſto vives, quam viviſti; qui ſe habet, nihil perdidit. Senec. Epiſt. 49.

Plato 4. de legibus, dicit, eos tantum qui leges ſervant, vota Diis facere debere.

Oblationes impiorum rejicit Deus. *Vide Pacifica Virtutis & Veritas virtutis.*

Legato Athenienſium ad exteros miſſo, non licebat vti oratione humili & adulatoria, nec munera recipere.

Mandatum quod tui tantum gratia fit, magis consilium, quam mandatum eſt, & ob id non eſt obligatorium, quia nemo ex conſilio mandati obligatur; cum liberum vnicuique ſit apud ſe explorare, an ſibi expediat conſilium. §. cui tantum. Inſt. de manda.

Securum tamen non eſt magnatum reſpuere beneficia; nam ſi nolis vt per illos tibi bene ſit, conantur vt ſit male. Barclaius.

Ab altero affici beneficio & ſæpe, puſillanimitatis & humilitatis eſt ſignum. Ariſtot. lib. 1. Rhetoric. cap. 6.

In Teno fons eſt, cuius aqua vino non miſcetur, Athenæ. lib. 2. cap. 2.

Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, acerrimus Chriſtianæ veritatis deffenſor, ab Arianis in carcerem conjectus, mavult inedia interire, quam ab illis cibum accipere, ne videretur illis conſentire: vnde poſt quatuor ieiunij dies illum emiſerunt, ne dicerentur neciſſe. Baron. an. 356.

D. Ambroſius licet multos convivio exciperet, ipſe tamen nunquam ad alios invitatus acceſſit. Baron. an. 374.

Stephanus monachus, ab Iconoclaſtis in carcerem conjectus, non vult ab illis cibum accipere, ſed ſummam patitur inediam. Baron. an 765.

Sedes Apoſtolica reſpuit munera Comitis Andegavenſis, eo quod excommunicatus à ſuo Epiſcopo ei minimè ſatisfeciſſet. Baron. an. 1081.

Romanus Imperator, cum illi ob virtutem, tantum agri decerneretur, quantum arando vno die circuire potuiſſet: non eſt, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus ſit, quam vni civi: quanto majoris viri putas eſſe reſpuiſſe hoc munus, quam meruiſſe? multi enim fines aliis abſtulerunt, ſibi nemo conſtituit. Seneca. lib. 7. de benef. cap. 7.

Thebani noluerunt muros ſuos reædificari à Phryne famoſo & ditiſſimo ſcorto, hoc tantum petente vt inſcriberetur: Alexander evertat, Phryne amica excitavit. Athenæ. lib. 13. cap. 22.

De ducibus, qui ex deuictis hoſtibus nihil præter gloriam voluerunt axipere vide gloria contrarietatis, militum ſpoliæ.

De multis præclaris viris, qui oblata dona reſpuerunt. Vide Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3.

BENEFICIVM FACILE non accipiendum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Exiſtentia noſtra conſiſtit in bonitate individuali, in vnitate ſcilicet indiviſa in ſe, & diviſa ab omni alio, tale deberet eſſe vitæ noſtræ inſtitutum, ab alio indepẽdens, & ſeipſo ſubſiſtens; at contrarium fit, beneficium ab alijs accipiendo. Ex quo beneficium recipio, tollo mihi in poſterum libertatem gratis benefaciendi; potero eſſe gratus, non beneficus.

MAGNITVDO. Parva quædam accipis, quæ non tollunt penitus à te neceſſitatem, & tamen multùm te deprimunt, multumque à te detrahunt.

DVRATIO. Nam inutitur indelebilis quædam nota ſervitutis, vt etiam ſi reſtituas beneficium, nunquam reſtituaris priſtino tuæ libertatis ſtatui: ſicut enim libertus non æquatur ingenuo, & liberatus gratia Principis, innocenti; ſic qui reſtituit beneficium, non eſt æquè liber, ac is qui nunquam debuit, percipis aliquam delectationem in dati poſſeſſione, ſed A longa penitentia luendam.

POTESTAS. Si ſum minus potens in bonis externis, ſum magis liber à curis, officijs, operibus quaſi ſervilibus, quæ exigit magnarum poſſeſſionum tutela: quare libertatem meam ſervo fortunæ ſubijciam, beneficium ab illo, quaſi futurorum operum anticipatum ſtipendium. Sic enim ex beneficijs nata eſt vaſallorum erga dominos perſonalis obligatio, qua aucti bonis, ſunt quodammodo capite minuti, cum non ſint amplius in totum ſui iuris, ſed domini ſui bellis & paſſionibus addicti.

COGNITIO. Hæc ſuperba beneficia toties vilitatem accipientis exprobrant, quoties inſtrumentis publicis inſcribuntur; quoties fidelitas ſtatis temporibus exigitur, pœna privationis appoſita deficienti, itavt ne quidem illi liceat grato, & à meo libero animo, ſtipulatam fidelitatem exhibere. Privata beneficia poſſunt quidem non eſſe ſic ambitioſa; ſed ſi tacet datum qui dedit, gaudet tamen, & tacitè poſtulat evulgari gratitudinis cauſa, ab eo qui accipit: heu miſer qui ſic cogitur famæ ſuæ violentas inferre manus, & quod habet egeſtas duriſſimum, impotentiam, ſubjectionem, ab alio pendentem ſuam fortunam profiteri: ſi non es indigus, quare talem te fingis, dum tibi imponis ſervitutem, ſoli extremæ neceſſitati condonandam

VOLVNTAS. Ne dicas amicitiam beneficijs enutriri; nam ſuſpecta eſt, & majori prætio vincenda, ſi prætio comparetur. Nolo beneficium ab amico recipere, ne fatear amicitiam meam hoc indigere ſubſidio, & ne hoc ſibi etiam gravi demonſtratione perſuadens amicus, verè non amet, verè ipſum non amantem, ſed beneficijs conductum.

VIRTVS. Se contenta eſt, non ſolum ad benè vivendum, vt ait Seneca, ſed etiam ad vivendum, quia vivit ad naturam quæ parvo dimittitur, vt ſub Dei paterna bonitate, qui omnibus, maximè verò ſuis, neceſſaria providet; ſi velit me vitam in anguſto late trahere, ſequor quam mihi monſtrat viam, erecto, læto, libero in abjectiſſima fortuna animo; non petam, non recipiam beneficium, ſi poſſim ex proprijs vivere, vitæ meæ data lex à Deo, cupiditatibus multum detrahens, multum adijcit facultatibus, efficit virtus, vt paucis indigeam, quaſi in confinio vitæ immortalis poſitus, in qua nullis indigebo. Chriſti ex paupertate dominantis miles, ad mundana caſtra non tranſfugiam, ſpe maioris ſtipendij; perficiam, quam accepi a Deo libertatem, & paupertate, quaſi aliqua mortis ſpecie, iam à mundo ſolutus, ipſi me, acceptis muneribus non addicam.

VERITAS. Non ſunt, quæ putantur beneficia; prætia ſunt libertatis, quam divites volunt fortunæ ſuæ ſubijci; pro levi munere exigunt intolerabilem, & in dies novo ſe iugo prementem ſervitutem; volunt ſuarum paſſionum miniſtros, ſuorum criminum laudatores: deluſa ſuperbia in iras inplacabiles exardeſcit.

GLORIA. Non me delectat poſſeſſio boni, defectum meæ fortitudinis mihi ſemper exprobrantis, & in futurum meæ libertati, meæ quieti, dicam meæ conſcientiæ ſic inſidiantis: honeſtius eſt alieno non fulciri auxilio; minus laborioſum eſt egeſtatis incommoda, quam iratæ ex beneficio ſuperbiæ, impetus tolerare: Glorioſa eſt egeſtas, patientiæ ſuæ, non fortunæ beneficio dives; videtur enim poſſidere quæ contempſit, & aliis habenda permiſit.

DIFFERENTIA. Vt activis & paſſivis potentijs conſtat totum mundi commercium, ſic politiæ, divitiis & paupertate. In ordine recipientium poſitus, lubens manum porrigerem, niſi iam ſatis magnus eſſet fortunæ ſervientium numerus, ſubtraho me, vt virtuti li-

berius extra turbam poſſim vacare; exul à divitum liminibus, plus voluntate, quam neceſſitate.

CONCORDANTIA. Fortè qui dedit beneficium, aliquid tentabit contra amicum meum; ita neutri potero adeſſe ſine aliqua ingratitudinis nota: nolo fidem meam ſic tentari, & famam ſic lædi; vnde nocitura libertati in præſtandis officiis munera reſpuo.

CONTRARIETAS. Timeo dolos ſub muneribus latentes; timeo hamum ſub eſca: Vereorne ſic velit os meum claudere veritati, iudicium meum ad paſſiones ſuas detorquere, manus continere à Charitatis officiis, & ab innocentiæ protectione: munera hæc credo mihi eſſe vincula, & ſuppoſita etiam innocenti dantis intentione, non fido mihi ipſi, qui poſſum talium munerum contemplatione, à zeli mei motibus retardari.

PRINCIPIVM. Satis ſit infantiam noſtram alterius auxilio indigere, ſaltem ætate prouecta dilcamus exemplo animalium, noſtris viribus, ſine alterius auxilio nobis providere: ſatis jam ſuper caput noſtrum impoſiti ſunt homines Eccleſiaſticis & Politicis legibus, quid nobis novos Dominos acceptis beneficijs conſtituimus? quid aggravamus onus noſtrum, quid pedibus, manibus noſtris, imo liberis animæ cogitationibus, nova paramus vincula?

MEDIVM. Si non vrget extrema neceſſitas, nolo fieri debitor, qui poſſum eſſe creditor & beneficus: Si vrget, non eſt talis, quin diverſis aliis mediis illi poſſim ſubvenire; fodiam ex Platonis lege in ſolo meo, vt inveniam aquam, priuſquam mutuo petam à vicinis; novum aliquod opus aggrediar, ſuggeret induſtriam vegeta ad labores neceſſitas, & ipſa conſcientiæ iucunda ſecuritas, ſibi ſuum auxilium debentis.

FINIS. Timendum ne facili hac boni neceſſarij conſecutione allectus, blandiaris inertiæ tuæ; ne facilè effundas, quod tibi ſine labore quæſitum eſt: ne tandem ſolvant amici onerosam nimis ſocietatem, dum te viderint debitorum cumulo oppreſſum, & beneficia, tributorum more, ſtatutis temporibus exigentem.

MAIORITAS. Si ſemper plus debeo quam accepi, nec extingo debitum æquale ſolvendo; non ſine vſurarum ſpecie confertur beneficium: vt ergo pecuniarum, ſic beneficiorum fœnore abſtinebo; cum aliis habeant magnæ fortunæ commercium: inutilem mei contemplatione, reddo tibi tuam potentiam, cui nolo ſubijci; iam te maior, qui me, te tuaſque merces negligentem, & infecto negotio abire cogentem, conveniſti.

ÆQVALITAS. Saltem in inæquali fortuna, æqualis ſumus potentiæ, nihil ad invicem mutuo accipientes; ſic acerrimus libertatis meæ vindex, invita fortuna, ſequor naturam, quæ nos pares genuit.

MINORITAS. Te in mea paupertate fœlicior, quia minoribus ad bene vivendum indigeo; inermis generoſius cum fortuna decerto, ſto firmus in gradu, quem mihi decernit providentia; ago lubens, quam mihi aſſignat in hoc mundi theatro perſonam; fœlix ſecuruſque, maiora, quaſi longiores, & vſibus meis non convenientes veſtes, reſpuo, vt ſic minus terrenis implicitus, tota cordis capacitate divina ſuſcipiam.

ALIA REPVGNANTIA.

SIBI NOCERE.

Miſcellanea.

IMprovida mortalium conditio, bonum appetens, ſæpe in malum illi contrarium incidit.

A Empyrici ſæpius Mercurij vapore, & aliorum nocivorum, fiunt ægri mente & corpore, dum chymicis operationibus remedia morbis conquirunt.

Peripneumonia interdum ex aliis morbis oritur, interdum à ſeipſa, nullo præcedente morbo.

Materiæ quælibet producunt vermes, qui illas corrodunt; corpora noſtra, malos humores, calores febriles, fluxiones, obſtructiones, lapides à quibus enecantur.

Turdi poſtquam voraverunt grana viſci, in quercubus & pyris naſcentis, ea reddentes ſeminant in arboribus, in quibus coaleſcunt; fit inde viſcum quo capiuntur. vnde Plautus: Turdus exitium ſibi cacat. *Vide Contrarietas Concordantia.*

B Dum mare agitatur, concitat ſpiritum, qui in perforatis, & anguſtis terræ viſceribus eſt incluſus, ſic fiunt venti, qui iterum mare perflant. Ariſtoteles altero libro Meteor. c. 8.

Aquilæ roſtrum ita ſenio incurvatur, vt ampliùs non poſſit os aperire ad eſcam capiendam, cum tamen à natura data ſit hæc curvitas ad carnes dilacerandas faciliùs.

Cæcias ſolus, ex omnium ventorum numero, nubes ducere poteſt ad ſe, quia in ſe reflectitur, & circulari linea fertur. Vide Ariſtotel. Probl. ſect. 26. quæſt. 1.

Arces munitiſſimas occupans hoſtis, illis contra nos vtitur.

C Cum leges Laconicæ cives bonos tantum bellatores effingere conarentur, fiebat, vt ceſſante bello, ferro aſſuetas manus, in ſeipſos, in Rempublicam converterent.

Ira eſt affectus ſui negligens, dum alteri noceat, in ipſa irruens tela; ira furor brevis eſt. Ruinis eſt ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere franguntur, fœda viſu, & horrenda facies; depravantium ſe, atque intumeſcentium; neſcias vtrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Senec. 1. de Ira. *Vide Voluntas Contrar. & Minoritatis.*

Ignis fuligine materiæ quam conſumit, extinguitur, niſi detur tranſpiratio.

Calor nativus in ſe agit, dum conſumit humidum; D quo alitur, vt flamma lampadis oleum, tyrannis facultates populi.

Denſitas corporis efficit, vt tantum illuſtretur in media ſui parte, cum lumen ex ſe ſit paratum totam ſphæram illuſtrare.

In ſpeculis res ſibi apparent oppoſitæ, dextrum fit ſiniſtrum.

Solutio continui eſt tam partium ſimilarium, quam diſſimilarium, ſic poteſt quis à ſeipſo diſſentire.

Minus curabiles ſunt morbi, qui ab interna cauſa procedunt, quam qui ab externa.

Interdum qui venena parant, ſpiritu & halitu illorum maligno inficiuntur.

Caſſutha multis gyris plantarum ramis ſe circumvolvit, donec eas enecet, ſe etiam cum illis, quia non E poteſt ſtare ſine fulcimento. Mathiol.

Si filicis germinantis rami baculo decuſſantur, ſuccus ex ipſa defluens necat radices. Idem.

Olim rei capitis damnati, ſibi manus inferebant, quo voluiſſent mortis genere; quia ſuis criminibus, iam ſibi mortis authores exſtiterant.

Populus contra nobiles exaſperatus, ducem ſibi eligit, qui poſtea in ipſum tyrannidem exerceat.

Numa ſæpius vtiliter evocavit fulmina, quod imitatus parum ritè Tullus Hoſtilius, fulmine ipſo à ſe evocato ictus eſt. Plin. lib. 2. c. 53.

Terra ipſa ſuæ fertilitati, & habitationi contrariatur, per montes, ſylvas, & arenas, inter quas ſunt terræ habitabiles, quaſi inſulæ.

In

In bello tam timere debemus proprios errores, A quam hoſtium inſidias.

Seditio, & bellum civile nocent locis, in quibus fiunt.

Stratagemata, ſi non apto loco & tempore ſunt adhibita, nocent vtentibus.

Proditores prius vendunt ſeipſos quam patriam, quia ab ipſiſmet hoſtibus, quibus ſerviunt, puniuntur.

Faſtidium in gravidis, fit eadem ratione qua Pica, læſo ſcilicet ore ventriculi, & infeſtato aliena qualitate. Galen.

Faſtidium ſæpe eſt conjunctum ardentibus febribus. Galen.

Hectic arum calor poſt cibum & potũ reaccenditur, quemadmodum in perfuſa calce contingit. Idem.

Sagitta Iuliani pennis aquilæ inſtructa aquilam confixit, ab ipſa contra ipſam. B

Peccatum, ex certa malitia, vel ex induſtria, contingit ex inordinatione voluntatis, præponentis minus bonum meliori. D. Thom. 1. 2. q. 78. a 1.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator, & ibid. comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant, ibid. Inclinabit ſe & cadet, cum dominatus fuerit pauperum. Pſal. 9.

Dominus interrogat iuſtum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pſal. 10.

Incidit in foveam quam fecit. Pſ. 7. Gladius eorum C intret in corda ipſorum. Pſal. 36.

Qui fato ſibi inimico, alium, à quo eſt feriendus, aut occidendus, ad certamen provocat.

Nam Pater altitonans ſtellanti nixus Olympo, ipſe ſuos quondam tumulos, ac templa petivit; & capitolinis injecit ſedibus ignes. ſic ſtatuæ Romuli & Remi fulgure conciderunt. Cicero 2. de Divinat.

Gladiatores ars tuetur, ira denudat, in temeritatem enim prona eſt, & pericula dum inferre vult, non timet. Seneca 1. de Ira. & lib. 3. cap. 3. Quanto impetu ruit non ſine pernicie ſua pernicioſus, & ea deprimens, quæ mergi niſi cum mergente non poſſunt? quid ſanum vocas, qui velut tempeſtate correptus, D non it, ſed agitur, & furenti malo ſervit; caducæ ſiniſtræque ſunt vires, & in malum ſuum validæ, in quas ægrum morbus & acceſſio erexit. Idem.

Homo pugnat contra ſe paſſionibus, quia pugnavit contra Deum, *Vide. Majorit. Voluntatis.* paſſionum damna. *Vide Veritas Poteſtatis. Repugnat.* Non eſt vera poteſtas ſibi nocentium.

Levis dolor eſt, ſi nihil ei opinio adjecerit, ad opinionem dolemus; tam miſer eſt quiſque, quam credit. Senec. ep. 78. quid iuvat præteritos dolores retractare, & miſerum eſſe quia fueris.

Nimia multitudo mole ſua obruitur. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

Invidi ſeipſos torquent. *Vide Contrarietas Virtutis. Invidia mala.* & *vide Gloria Virtutis. Repug.* conſcientiæ ſtimuli. E

PECCANS SIBI NOCET.

Dicitur in Pſal. qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: Ego autem dico, odit & carnem, cui gehennæ cumulos mereatur in dies, & cui ſecundum duriciem ſuam, & cor impœnitens theſaurizat iram in die iræ: vt fræneticus ratione ſopita ſe dilacerat, & vt violentius manus confricantibus, pruritui dolor & ſanguis ſuccedunt, ſic laceramus, ſic exulceramus propriis manibus infœlices animas, tanto crudeli vulnere, quanto magis latet, & non ſentitur. Effuſus animus damna interiora non ſentit, quia nec intus eſt, ſed ſui ipſius oblitus in longinquam profectus eſt regionem. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. D. Bernardus de perſecutione ſuſtinẽda cap. 4.

Vt hydropicus, ſic peccator, quod ſibi maximè eſt nocivum, & in æternum, appetit.

Potentior eſt multum Deus, cui bellum indixiſtis quanto grandiores lapides in cælum miſeris, tanto te fortior ruina preſſura eſt. Div. Auguſt. in Pſal. 70.

Demerſiſti eos dum allevarentur. Pſal. 72. Non dixit quia elati ſunt, ſed eo ipſo quo extollebantur impij dejiciebantur. Donec fodiatur peccatori fovea. Pſ. 93. dum elevatur in temporalibus, fodit ſibi foveam, & interim bonos ſuſtinere admonet. D. Aug. in Pſal. 93.

Num 16. offerentes ignem alienum, eodem igne conſumuntur. De pœna talionis. *Vide Æqualitas Contrar.*

Febricitans ſi aquam bibat, aliquod ſtatim ſentit levamen, ſed mox plus inardeſcit febris. *Vide Veritas Bonit. Rep.*

Quis hoſtis in quemquam tàm contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere, patiuntur. Senec. Epiſt. 39. Illis quæ ſupervacua fuerant, facta ſunt neceſſaria, ſerviunt itaque voluptatibus, non fruuntur. Idem *Vide Poteſtas Virtutis. Rep.* ſervitus peccati.

Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit. Illud venenum quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſua continent; vitiorum non eſt huic ſimile; hoc habentibus peſſimum eſt. Idem Epiſt. 81.

Plato in Gorgia, ſeu de Rhetorica probat injuriam inferre, longe deterius eſſe, quam ea affici: quia qui patitur poteſt in bonum illam patientia convertere; & hinc in melius proficere; at inferentis, malum internum eſt eſſentiale, bonique præſtantioris privatio.

Idem probat lib. 1. de Republica, quia læſus injuria, non fit deterior in virtute hominis, quæ eſt iuſtitia, ſed qui lædit.

Vltio in vlciſcentem redit. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Injurias non vlciſci.

Deus te rogat, vt tui miſereatis, & non vis; cauſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare, & quomodo te audiet ille in die iudicij ſupplicantem, cum tu eum pro teipſo nolueris audire rogantem. D. Auguſt. ſerm. 112. de Tempore.

Qui non dat Eleemoſynam, ſibi negat. *Vide Gloria Bonitatis.* Remuneratio.

Peccatores ſeipſos excæcant. *Vide Minoritas Cognitionis*, cæcitas ex peccato.

Multa ſibi inferunt mala. *Vide Minor. Virtut.* peccati turpitudo.

Dixit injuſtus vt delinquat in ſemetipſo. Pſal. 35. Serpens alijs nocivum fundit venenum, peccator ſibi. D. Ambroſ. in d. Pſal. Vide hoc tit. ſupra. ſui amor ex Patribus; & inordinatus ſui amor ex Patribus.

Iudæj proferunt codices, quibus cõdemnantur. *Vide Concordantia Veritatis.* de cõcordantia Scripturarum.

Sicut flamma comburens montes, ita perſequeris eos in tempeſtate tua. Pſ. 82. Flamma ex montis viſceribus naſcens montem conſumit. D. Aug. in d. Pſal.

Factus eſt ſibi in arcum doloſum. Oſeæ 7. qui ſcilicet percutit dirigentem.

Appollonius videns Leonem, dixit in eo eſſe animam Amaſidis Regis Ægyptiorum, qui in hoc ſævo animali pœnas lueret præteritæ ſuæ tyrannidis. Philoſtratus in eius vita.

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam. &c. Roman. 1. verſ. 24. Mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Ibid. verſ. 30.

Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 1. Cor. 6.

DEMONSTRATIO.

QVANDO QVISQVE sibi noceat.

BONITAS. Qui nimia largitione facultates suas exhaurit, & fit miser, vt habeatur beneficus. Is etiam qui aperto sinu principium & fortunæ numera excipit, vnde contracta postmodũ invidiâ conteritur.

MAGNITVDO. Excellus omnis primum arridet naturæ magna ambienti, sed inflatos disrumpit, elatos præcipitat. *Vide Major. Magnitud. & Majoris. Bonit.*

DVRATIO. Sibi nocet qui moras nectit in fluxa occasione. *Vide Minoritas. Duration.* celeritas; qui pertinax non servit tempori. *Vide Differentia Voluntatis:* aut qui novitatis avidus antiqua subvertit, meliora non valens substituere.

POTESTAS. Ambitiosus meritas luit pœnas, dum amissa libertate fit servus publicus, & inde damna honoris & fortunarũ reportat, vnde sperabat commoda.

COGNITIO. Nimia curiositas, quieti est nocentissima. *Vide Majorit. Cognition.* Qui volunt videri in re qualibet excellentes, attrahunt in se malignos, avidosque hostium impetus. *Vide Cognitio Virtutis Rep.*

VOLVNTAS. Amor cœcus ruit in nociva: sic passiones omnes impingunt, dum impetu, non ratione feruntur. *Vide Majoritas Voluntatis.* Passionum damna.

VIRTVS. Nimius virtutis amor quosdam præcipites egit in superstitiosa, & supra vires ardua; vnde turpis sequitur desertio. Nimia providentia incidit in laqueos, quos aliis paraverat. *Vide Majoritas Cognition.*

VERITAS. Veritas odium parit; si opportunè non exhibeatur: & vt medicamenta, adhibitis quæ ipsam temperent, correctivis.

GLORIA. Gloriæ cupiditas, optima politiæ machina, qua homines, etiam volentes, trahuntur ad bonorum, vitæ, ipsius etiam honoris profusionem, dum de augmento sunt solliciti.

DIFFERENTIA. Novitatis pruritus, multos à vero & bono avocavit. Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. *Vide Major. differentia.*

CONCORDANTIA. Societas, non semper ad fœlicitatem, nam alienis nos malis inficit; moribus alligatos exagitat, divisos in proprijs efficit, & infirmos, dum alienis, vt simus potentiores, immiscet. *Vide Minoritas Concordantia.*

CONTRARIETAS. Omne agens repatitur, sic vt interdum ex actione major sit iactura, quam profectus: vltio in vlciscentem redit. *Vide Minor. Contrar.*

PRINCIPIVM. Frustra inædificat, qui satis altum non posuit fundamentum, à principio pendet rerum exitus. *Vide Potestas Princip.*

MEDIVM. Agit in pernitiem suam, qui rem faciendam mandat his, quorum interest non fieri. *Vide Concord. Medij.* Qui adhibitis organis non imprimit, sed liberum relinquit motum, qui sic vult esse medius, vt extremis non consentiat, sic enim, quasi ab hostibus obsessus, a nullo protectus interit.

FINIS. Qui à recto aversus est, eo magis quo celeriùs progreditur.

MAIORITAS. Excessus omnis nocet dum sub specie majoris boni quæritur. *Vide majoritates Bonit. Mag. &c. omnium principiorum.*

ÆQVALITAS. Nocivam aliqui dixerunt esse Iustitiam, quæ aliena commoda proprijs anteponit. vide Platonem 1. de Republ.

MINORITAS. Corpori nocent, vt prosint animæ, paupertatem, castitatem, obedientiam professi: calcatur, se plusquam par est dejiciens; suo quæque stare debent ordine.

De Romanis qui duces suos sæpe reos constituebant, & necabant, dicebatur eos sinistra manu dextram amputare. Photius Byblioth. cap. 242.

MALVS ET INORDINATVS sui amor.

QVoniam motionis omnis principium, sive naturalis, sive animalis, est amor, idcirco dum ardenter corpus amas; huic affectas, timesve omnia, affectando autem sollicitaris dolesque timendo. Marsil. Ficinus.

Amor sui, & proprium interesse est quasi genius movens vniversum orbem: quomodo sit mortificandus, Vide de mortificatione. *Virtus Contrarietatis.*

Vt alterius, sic sui ipsius potest quisque esse assentator, & paratus ad falsa laudator. Vitia non tantum cum foris peccant, invisa sunt, sed cum in se retorquentur. Senec. lib. 5. de Benefic. c. 7.

Nimis nobis vicini nos non bene videmus, vnde nemo bonus iudex in propria causa, & inæqualiter videntur ea, à quibus inæqualiter distamus; hinc sordescit laus in ore proprio; ab alio vnusquisque vt curandus, sic monendus.

Malæ sunt gubernationes tyrannidis, paucorum, populi, quia bonum proprium, non publicum spectant.

Apud quosdam lex est, vt qui agros habent vicinos, & finitimos hostibus, hi non admittantur ad consilium belli adversus illos suscipiendi, quasi ob privatam sui causam rectè consilium dare non possint. Arist. 7. politic. 10.

Respublica debet abstinere à confiscationibus damnatorum, ne detur occasio tyrannidi, & ne sanguis fundatur spe commodi: sic etiam capitalia omnia iudicia essent suspecta. Vide Bodinum lib. 5. de Republ.

A consilijs iubentur abesse ij, quorum particulariter interest.

Advertendum ne consiliarius sit pertinax, & inimicus consilijs, qui à se non procedunt. Semper res privatæ officiunt publicis consiliis.

Φιλαυτία est internus adulator, vitâ externis aperiens.

Primo Deorum, deinde Principium vultus, nummis insculpti.

Iustitia est omnium virtutum difficillima, quia est ad alterum.

Fœmina in seipsa semen mittit, mas in alterum.

Licet Principi proprium commodum quærere, quia reflectitur in populum. At hoc non licet homini privato, qui sui causa subverteret bonum publicum: amor proprius est sine rivali.

Apud Athenienses, Calistrates statuit vt sycophantores singuli acciperent nummum; talia sunt stipendia officiariorum; aliquid dandum amori proprio vt mitescat, & minus sæviat in bonum publicum; sic calori nativo datur alimentum, ne depascatur propriam substantiam.

Melius instituuntur Principes, doctorum hominum conversatione, quam librorum lectione, quia ex illo nimis sibi blandiuntur, quasi à se, non à magistro didicissent.

Sub tyranno multi accusant, neaccusentur.

Google

Contra caput ſeditionis, mittendus is, qui ſit ſpecialis eius hoſtis. *Vide Voluntas Majoritatis mala.*

Omnium malorum nimius ſui amor cauſa exiſtit. Is enim qui amat, circa id quod amat, obcæcatur, ac proinde de rebus iuſtis, bonis, honeſtis male iudicat cum in ea eſt ſententia, vt opinetur majorem ſibi, quam veritati honorem tribuendum; vnde quiſque imperitiam ſuam ſapientiam exiſtimat; ideo debet ſeipſo meliores conſulere, & ſequi. &c. Plato. l. 5. de legibus.

Fateor nos corporis noſtri gerere tutelam, non nego indulgendum illi, ſerviendum nego; multis enim ſerviet, qui corpori ſervit. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat; contumeliis objicit: honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis charum eſt. Seneca Epiſt. 14.

Niſi tuum corpus oderis, teipſum amare non poteris; quamprimum vero non te, ſed Deum ipſum dilexeris, mentem protinus, & ſcientiam conſequeris. Mercur. Triſmeg. Pymand. cap. 4.

Deus ſubſtantiam ſuam contemplatur & amat, ita & Angelus; miſera anima noſtra, corporis formam, quæ ſuæ vmbra eſt, ſui ipſius oblita ſectatur. Hinc crudeliſſimum inconſiderati iuvenis Narciſſi fatum, apud Ovidium, ſui vmbram in fluxo corpore expreſſam amantis.

Punitur privatus, ad ſuos vſus aquam ducens ex publico aquæ ductu. l. 1. & 2. C. de aquæ duct.

Dignitas non impedit quin S. C. Macedonianum locum habeat in filio familias, qui cenſetur etiam in dignitate dolo obnoxius; cæcutimus enim in propriis. l. 1. in f. ff. ad S. C. Macedon.

In conſiliũ non ſunt advocandi hi, quibus rei executio committẽda eſt, ne metu difficultatis alios deterreant.

Non ſentit ſeipſum ſenſus, organumque ſuum, quia non eſt actu ſentiens, ſed tantum poteſtate.

Politici omnia ad ſe referunt, dum non habent mentes inſtitutas in contemplationi boni vniverſalis: gerunt ſe pro mundi centro, ac ſi omnes lineæ in ſe, ſuiſque fortunis debeant concurrere: de Reipublicæ navi neutiquam ſolliciti, modo ipſis in ſcapha rerum ſuarum receptus detur & effugium. Baconius.

Amor ſui eſt vitiorum omnium origo, quia continet omnem inordinatum appetitum. D. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4.

EX IVRE CIVILI.

DE his qui ſibi in teſtamẽto adſcribunt. Cod. 9. 23. Ne quis in ſua cauſa judicet vel jus ſibi dicat. Cod. tit. 5.

Vt qui res minorum habent obligatas, ad eorum adminiſtrationem non accedant. Novella 72. tamen hoc matri conceditur, Novella. 94.

Præſens in provincia, non poteſt ſe judicem, & tutorem dare. l. 5. ff. de off. Preſid.

Magiſtratus non poteſt ſibi jus dicere, nec vxori, nec liberis. l. 10. ff. de iuriſdict.

Advocatus paciſcens de quota litis, repellitur ab advocatione. l. ſi quis advocatum Cod. de poſtul. quia habens partem litis calumnioſé advocabit.

Nemo in ſua cauſa jus dicere, vel judicare poteſt, toto tit. Cod. ne quis in ſua cauſ. & l. 10. de Iuriſd.

Qui commodatas res permittit perire, ſuas illis preferendo, etiam de caſu fortuito tenetur. l. 5. §. 4. ff. commod.

Servus plus Dominum, quam ſe debet cuſtodire l. 1. §. eod. ff. ad Silan.

Non valet emptio ſic facta, decem dabo, ſi vol retro, neque enim debet in arbitrium rei conferri, an ſit obſtrictus. l. 7. ff. de contrahent. empt. l. 35. eodem.

Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur. lib. 10. ff. de teſtib.

Non audiuntur teſtes, quos de domo ſua accuſator producit. l. 2. eodem.

Prætor ipſe ſe tutorem dare non poteſt l. 4. ff. de tutoribus, & curat. dat.

Actus qui tendit ad liberationem tutoris, non poteſt fieri eo authore l. fin. ff. de author. & conſ. tutor.

Filius non poteſt eſſe teſtis in teſtamento patris, nec in negotio, in quo aliquid illi acquiritur. l. 10. ff. qui teſta. facer. poſſ.

In re propria nemo eſt iudex idoneus l. 10. Cod. de teſtibus.

Sub capitis pœna prohibitum eſt habere privatos carceres, propter nimiam ſævitiam habentium. lib. 1. C. de privat. carceribus.

Lege Dioclet. & Maxim. 8. C. qui dare tut. vel Curat. Poſſ. poterat creditor eſſe tutor ſui debitoris, & ſibi ſolvere; ſed hoc ſuit revocatum à Iuſtiniano Novell. ſeq. eodem tit. *vide Voluntas Poteſtatis. mala.*

Et quomodo quilibet corrumpitur muneribus, vide ſupra *Poteſtas bonitatis.* vide multa tit. *Virtus Poteſtatis. Repug.*

Si mulier non habeat patrem, & de eligendo ei matito agatur, non requiritur conſenſus eius, qui poteſt ei hæres eſſe; poſſet enim eo prætextu honeſtas nuptias impedire. l. 18. Cod. de nuptiis.

EX IVRE CANONICO.

REmovetur iudex vt ſuſpectus à Iudicio cauſæ, ſi habet pro ſe in ſua cauſa, aliam ſimilem. cap. cauſam de Iudiciis.

A teſtimonio repellitur conſimili morbo laborans, cap. perſonas de teſtibus.

Is, ad quem ſpectat collatio dignitatum, ſeipſum inſtituere non poteſt. cap. cum ad noſtram. de inſtitution.

Beneficia non vacantia promitti non debent, ne ſit occaſio deſiderandi alterius mortem. cap. nulla Eccleſiaſtica. de conceſſ. præb. & Eccleſ. non vaca.

Patronus Eccleſiæ vacantis, quanquam ſit Clericus, ad eam ſe præſentare non poteſt. cap. per noſtras de iure patronat.

Nemo poteſt ſeipſum baptiſare, etiam inſtante mortis articulo; quia eſt ſpiritualis nativitas, quæ ab alio debet procedere. Chriſtus baptiſatur à Ioanne, & ſic inſtituit conferri ab alio. cap. debitum, de baptiſmo.

Habens collationem beneficij, non poteſt ſibi conferre. cap. ad aures de exceſſibus Prælat.

EX BIBLIIS.

REſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus, & intuliſtis in domum, & exſufflavi illud, quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinaſtis vnuſquiſque in domum ſuam. Propterea ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra ne daret germen ſuum. Aggæi. 1.

Cum ieiunaretis, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi, & cum comediſtis & bibiſtis, numquid non vobis comediſtis, & vobis metipſis bibiſtis? Zach. 7.

In noviſſimis diebus erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi; habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. 2. Timoth. 3.

Rom. 1. deteſtatur Apoſtolus eos, qui immuta verunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.

EX PATRIBVS.

FEcerunt civitates duas amores duo; terrenam ſcilicet amor ſui, vſque ad contemptum Dei; cœleſtem vero amor Dei, vſque ad contemptum ſui. Hæc in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur. D. Auguſt. de civit Dei.

Neſcio quo inexplicabili modo quiſquis ſeipſum, non Deum amat, non ſe amat: & quilquis Deum, non ſeipſum amat, ſe amat. Qui enim non poteſt vivere de ſe, moritur vtique amando ſe; non ergo ſe amat, qui ne vivat, ſe amat; cum vero ille diligitur de quo vivitur, non ſe diligendo, magis diligit, qui propterea non ſe diligit, vt eum diligat, dequo vivit. D. Aug. tract. 123. in Ioan.

Qui amat animam ſuam, perdet eam, tolle te à te, impedis te; ſi tu te ædificas, ruinam ædificas, Niſi Dominus ædificauerit domum. &c. Pſal. 126. D. Aug. de verb. Apoſt. ſerm. 15. c. 9.

Amor Dei vult eſſe in nobis primus, vnde decertat cum amore noſtri, qui nobis coævus, vult in nobis primatum obtinere; debetur tamen amori Dei, vt digniori, & qui hoc non facit, deſtruit in ſe regnum Dei: ſicut amor Dei eſt radix omnium bonorum, amor ſui eſt radix omnium malorum; amor Dei quia verſatur circa bonum infinitum, eſt bonus & communicabilis; amor ſui quia habet pro objecto bonum individuale, nulli ſe communicat, omnibus infeſſus, & odibilis.

In corde noſtro, tanquam in templo Dei, formæ humanæ fragendum ſimulachrum; omnia ad Dei gloriam facienda. O qui oras, libera nos à malo; liberet te Deus à teipſo. D. Auguſt.

Quid odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem; Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. Hæc Dei ſe ſubducit dominationi, cumque ipſi nec totus ſufficiat mundus; in ipſum ſæuit authorem, quem in quantum poteſt, perimit, dum vellet eſſe impotentem, injuſtum, aut ſtultum, qui aut peccata neſciret, aut vindicare nollet, aut non poſſet. D. Bernard. ſerm. 3. de reſur. Chriſti.

Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua, tibi mala ſint. Idem ſerm. 71. ſuper Cant. Quærit ſponſa dilectum in lectulo, & non invenit, id eſt ſecundum ſenſualitatem; fit enim iniquus, & privatur luce Iuſtitiæ, qui à ſummo bono auerſus, ad ſe finitum, egentem, miſerum convertitur.

Ioannes dicit de Chriſto, illum oportet creſcere, me autem minui. Id eſt homines debent minui in gloria propria, vt Chriſti gloria & amor creſcat, & deinceps, qui gloriatur in Domino, glorietur. D. Aug. in Ioan.

Non edendum de ligno, quod eſt in medio paradiſi. Homo qui in rerum meditullio conſtitutus eſt, viret nimium ſui amorem, nec ſeipſo paſcatur. D. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. contra Manich. c. 25.

Poteſtatem ſuam diligens anima, à communi vniverſo ad priuatam partem prolabitur; & apoſtatica illa ſuperbia, quod initium peccati dicitur, cum in vniverſitate creaturæ Deum ſequuta Rectorem, legibus ejus optimè gubernari potuiſſet; plus aliquid vniverſo appetens, atque id ſua lege gubernare molita, quia nihil eſt amplius vniverſitate, in curam partilem traditur, & ſic aliquid amplius concupiſcendo minuitur. &c. D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 10.

Primi parentes poſt peccatum, perverſo appetitu ſimilitudinis Dei, pervenerunt ad ſimilitudinem pecorum, vnde pelliceas tunicas induerunt. Tanto magis inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium; cum vult homo in ſe conſiſtere, ab ipſa ſui mediocritate prolabitur ad ima, cadens à ſimilitudine Dei. Quà enim tam longe tranſiret à ſummis ad infima, niſi per medium ſui. Ibidem.

Ex immoderato ſui amore, charitas ex ſe diffuſiva conſtringitur, procedit avaritia, elatio, ſuperbia, blaſphemia, qui enim contra homines ſe effert, facilè in Deum impius eſt. D. Chryſoſt. homil. 7.

Superbia eſt inordinatus propriæ excellentiæ appetitus, cum homo contra rectam rationem cupit ſupergredi modulum ſuæ conditionis. D. Th. 22. q. 185. a. 1. & 2.

Sic de omnibus vitiis, quæ ſunt in exceſſu de quibus *vide Voluntas Majoritatis. mal.* Vide ſupra amor ex patribus.

DEMONSTRATIO.

CAVENDVM AB INORdinato ſui amore.

BONITAS. Optimus in nobis boni amor, quia inde omnis motus, actio, finis, intentio, mediorum electio; hinc virtutes, merita, præmia. Sed optimi peſſima eſt corruptio, & ille amor exundans eſt vt fluvius vaſtans agros, quos ſolito ſuo curſu fluens, efficiebat fœcundos.

MAGNITVDO. Habemus quidem ideam boni infiniti, vt illud quæramus, amemus ſine modo, colamus legitima Religione, in primo omnium principio. Sed peſſimè illam ideam nobis applicantes, & ſervi, Domini iura vſurpantes, volumus nobis infinitum bonum, non à primo bono, ſed à terrenis tentantes illud conſequi. Duplex error, cum & nobis, qui limitatæ ſumus naturæ, credimus deberi infinitam excellentiam, omnemque etiam inconvenientium bonorum abundantiam; & quòd illud ſummum bonum, quo ſolum poteſt impleri appetitus, quærimus in mundanis, vbi non eſt.

DVRATIO. Hinc præterita obliti, præſentibus non contenti, in futura rapimur, deſideriorum æſtu, nunquam deficiente, quia falſis & pictis bonis irritatur, non impletur. Nihil pro æternitate nec agens, nec quidem cogitans, implicatur bonis terrenis, quæ ſemper illi, ſeu in adverſa, ſeu in proſpera fortuna deſunt: concupiſcit enim in immenſum, quaſi immortalitas huic, non alteri vitæ eſſet aſſignata, præceps ad nociva, piger ad divina, quia nunquam ſibi, nec Deo vivit.

POTESTAS. Quæris vnde tantus, ſub dignitatum onere gementium, aut ad illas indignè contendentium, ſeque magna ſtrage convolventium numerus? vnde tyrannis premit populos, vnde ſanctuarium occupat abominatio? facit hoc amor proprius cujuſdam malè fœlicis, qui ſibi credens deberi omnia, deſtruit quæ non valet obtinere, vtrinque potentiam ſuam oſtenſurus; ſed dum ad impoſſibilia nimis ambitioſè nititur, vires ſuas, irrito conatu, miſer conſumit.

COGNITIO. Hujus inordinati amoris proprium eſt, velum oculis obducere, ita vt non æquus, nec ſui, nec rerum aut perſonarum, cum quibus illi negotium eſt arbiter, agrediatur deferenda; cæcus non videat

paratos pedibus ſuis laqueos, ruatque miſer in paratas ab hoſtibus inſidias: non vitat, quæ, ſibi nimium fidens, non videt pericula: quam ridiculum audire minima, quaſi heroïca de ſe iactantem, conſilia alioquin fœlicia, ſpe vanitatis prodentem, & deſtruentem; dum laudem alterius ſuffuratur, ſibi ipſi incondito ſermone denegantem; ſumma ſanè hæc eſt inſipientia, conſilij incapax, ſe non ſentiens, melancholicorum more, quod non eſt ſe putans, & in contrarium omnia decernens.

VOLVNTAS. Totus orbis non ſuppeditat ſufficientem materiam paſſionibus, quas amor proprius accendit; amat infœliciter, quia nimis ambitioſè; nulliuſque meretur amorem, qui ſibi tantum charus eſt. Fruſtratæ ſemper, quia immoderatæ ſpes, iterumque retentatæ, mox ruituræ, ridiculum mundo ſpectaculum exhibent.

VIRTVS, Sic amor proprius tollit prudentiam, quia mentem excæcat; tollit Iuſtitiam, quia nihil, niſi ſibi, deberi honoris & præmij credens, aliorum diteſcit injuriis; tollit charitatem, ſibi tantum timens, invigilans, laborans, & immenſis ſuis, vt legitimis, deſideriis Cræſi divitias non ſufficere putans. Corporis ſervus, indulget quaſi neceſſarium, quidquid ſenſus appetit, etiam contra temperantiæ leges: procul à periculis conſtituit fortitudinem, in exactiſſima ſui conſervatione; ſic deficiens & exundas, timidus & audax, tardus & præceps, ardua ſimul fugiens & appetens, procul eſt à virtute, quæ in mediocri, æquo, placido, ſibique ſemper ſimili habitu conſiſtit.

VERITAS. Ne privata aut publica credas homini nimium ſe amanti; patriam enim, aras, focos, fidem divinam & humanam, intrepidus, ſibique plaudens violabit, ſi quid inde ſperet commodi; ineptus ad conſilia, quia ſententiam ſuam obſtinata contentione deffendit, etiam contra probatam, ſibique illucescentem veritatem: hinc natæ tot Philoſophorum, ſcientias obnubilantium, opiniones; hinc hæreſes, quibus tot ſæculis probanda fuit Eccleſiæ fides.

GLORIA. Hæc quidem fiunt honoris, ſed falſi cupidine; non ſcilicet illius, qui eſt virtutis ſplendor, ſed qui ex falſa hominum opinione procedit: huic inhiat, illa paſcitur aura populi, nunquam quetus, quia falſum, mobile, inconſtans ſectatur.

DIFFERENTIA. Hunc itaque hominem ſibi tantum providentem, conſidera quaſi partem à Republica diviſam, ſocietatis humanæ in mediis vrbibus exulem; minus nocivum, ſi vt affectu, ſic loco eſſet ſejunctus.

CONCORDANTIA. Nam hic ſimulatas ineundo amicitias explorat, & prodit res ſibi confidentium: ſibi tantum attendens, pugnat è diametro contra amicitiam amicum, in alium transfundentem, imò illi, quaſi ſibi, bona cupiat.

CONTRARIETAS. Hinc etiam inter propinquos, lites, duella, bella, quæ familias, ipſaſque Reſpublicas, viribus tandem exhauſtas, hoſti tradunt. Putas omnium hoſtem, ſibi tantum bona alienis periculis procurantem, ſibi eſſe amicum? vt cum aliis, ſic ſecum ipſe diſſidet, paſſionem in ſe ruentium confuſo tumultu, tam falſis & imaginariis, quam veris malis miſer, nimia futuri anxietate, paupertatis, infamiæ, mortis denique metu ſe torquet; infœlices eventus imputat ſibi, qualibet diligentia ſervili, nunquam immenſis ſuis deſideriis reſpondente.

PRINCIPIVM. Præeſt omnibus vitæ actionibus amor, ſed ſi ſit ille proprius & inordinatus; ô lugenda hominum conditio, ſub tam improvido, & infideli tutore. Hæc vnica paſſio, alias omnes enixa, & jure principij, ſibi, quaſi ſubditas vindicans, pernitiosè commovet in proprium excidium. Optimus quidem illius inſtinctus, dum animalium parvulos, ad vbera nondum nota pellicit; dum ætate provectis, ad nociva fugienda, ad vtilia proſequenda, induſtriam cum fortitudine ſubminiſtrat; iuſtè, providè, tempeſtativè, quia naturaliter hæc fiunt in animalibus, non ſuo, ſed imperantis ſibi intelligentiæ arbitrio, vitam ducentibus. Sed vbi in homine depravata ratio, ſenſuum ſe partibus iunxit, ab inferiori poteſtate ſubacta, naſcitur ex tali naturæ adulterio monſtrum, vagis & irrequietis ſuis moribus nulli ſimile.

MEDIVM. Qualis eſſet in orbe confuſio, ſi ab elementis cœlorum motus dirigerentur; in mechanicis ſi inſtrumenta, ex ſe ordinem neſcientia, moverent artificem: talis reperitur in homine, cum motus ſenſibilis dominatur rationi; cum ſibi quis perſuadet, ſibi, rebus omnibus poſtpoſitis, ſerviendum: nullis continetur limitibus, vagatur extra omnes mediocritatis metas, ſibique vult habere ſubdita, quæ aut ſuperiori, aut æquali loco debent conſiſtere.

FINIS. Nec mirum, quia bonum ſuum conſiderat vt finem, qui abſolutè debet quæri; neſcit ſe vniverſæ naturæ, ſpeciei humanæ, politiæ, ſocietatis cujuſdam, denique Eccleſiæ militantis eſſe partem, quæ vt eſſe, ſic agere debet habita ratione ſui totius; hinc ergo à Deo ſtatutum ordinem ſubvertere nititur amor proprius, ſi ſe tantum homo, non ea, quibus ſe debet, conſiderat.

MAIORITAS. Non eſt tamen inutilis in nobis hic excellentiæ appetitus; habet quo ſe explicet in eminentiſſimo heroïcæ virtutis gradu conſequendo, in imitanda Dei hominis Chriſti infinita perfectione, in praxi charitatis, infinitum ſuum objectum nunquam æquantis, & contrario amoris propij motu, bona, fortunam, vitam, pro iuſtitiæ legibus profundentis.

ÆQVALITAS. Regulares cœli motus, ejuſque beneficiæ influentiæ, ſiſtunt elementorum in ſe contrariis qualitatibus pugnantium impetus, & aliorum ſpoliis potentiora reducunt ad æqualitatem, vniverſo convenientem, eadem efficerent inter homines leges divinæ & humanæ, ni obſtaret amor proprius, ima ſummis permiſcens, dum æqualem non patitur.

MINORITAS. Alienis defectibus invigilans, proprios neſcit, & ſi ſentiat, conatur illos obtegere ſplendido rerum apparatu, affectatque copiam pudore defectus, ardentiori vanitate, ad vitandum imminentis infamiæ periculum.

zed by Google

VIRTVS BONITATIS.

SEV VIRTVOSA BONITAS ET COMMVNICATIO.

De elemoſinis & charitatis officijs.

MISCELLANEA.

MVRE quod vides vnum eſt; natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, in eadem gigneret; hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit: ſocietas noſtra lapidum fornici ſimillima, caſura, ſi invicem ſe non ſuſtinerent. Seneca Epiſt.95. *Vide Bonit. & Poteſtat Concordant.*

Apud Ægyptios, ſi quis videret injuriam patientem, & ei auxilium non ferret, quaſi illatæ injuriæ fiebat reus, ſi auxilium non poterat ferre, ſaltem debebat advocare. Diodor. Sicul. rer. antiq. lib.2. cap.3.

Apud Babylonios ægri deferebantur in locum publicum, vt ab aliis civibus monerentur de remediis in ſimili morbo vtiliter probatis; nec cuiquam licebat ægrum ſilentio præterire. Herodot. Hallic. lib.1.

Integer animus putat innocentiam ſuam mimui, ſi periculis deſit ſuorum. Symmachus lib.2. Epiſt.7.

Apud Athenienſes lege Solonis vnicuique licitum erat, illatam alteri, quaſi ſibi injuriam in judicio perſequi. Plutarch. in Solone.

Se offenderet membrum, ſi vicino, de ſuo alimento auxilium non ferret.

Debiles plantæ à ſolidioribus portantur, vt hedera, vinea, volubilis, cucurbita, &c. de compaſſione & miſericordia. *Vide Concordantia Minoritatis.*

Formæ ſubſtantiales agunt mediis ſuis facultatibus; & quod omnia indigeant alieno auxilio. *Vide Bonitas Medij.*

Lycurgus apud Lacedemonios ſacrificia minoris ſumptus inſtituit, vt piis ſupereſſent facultates, ad auxiliū indigentibus præſtandū. Plutar. in dictis Imperat.

Nihil prodeſt proſperitas beneficio ſublato, amicitia eſt quædā virtus, aut cum virtute. Ariſt. Ethic. li.8. c.1.

Mas in alterū ſemen mittit, fœmina vero in ſeipſa.

Populi animum maximè devincit liberalitas; vnde Princeps debet illam exercere.

Iuſtitia Principis apparet in deffenſione eorum, qui ab aliis injuſtè ſunt oppreſſi.

Alimenti diſtributio eſt ſcopus facultatis naturalis. Sic reparatur, quod calor conſumit, & quod effluit è corpore.

In paucorum gubernatione, maximè pauperum, cura habenda eſt, illis lucrativa officia ſunt tradenda, & ſi quis divitum eos contumelia affecerit, major pœna eſt conſtituenda, quam ſi ipſi inter ſe idem feciſſent. Ariſt. 5. Politic. cap.8.

In populari ſtatu, maximè pauperibus gratificandum, diſtributiones publicas faciendo. Apud Tarentinos, dantur pauperibus jumenta communia. Ibid: lib.6. cap.5.

In morbis, qui ſunt ab inanitione, non eſt ſecanda vena, aut purgatione vtendum, ſed vires quiete, & alimentis reficiendæ.

Mare Mediterraneum eſt quaſi Aſilum Oceani, in illud enim Tunni, & alij piſces ſe recipiunt, vt vitent beſtias illos in Occeano infeſtantes.

Architas dicebat eundem eſſe Prætorem & aram, quoniam ad vtrumque refugit, qui injuriam patitur. Ariſto. 3. Rhetor. 11.

Artes & diſciplinæ ſupplent naturæ defectibus.

Bellum juſte ſuſcipitur, pro deffenſione eius, qui iniuſtè læditur. Idem in Rhetorica ad Alexandrum.

Primus Nero iudices commiſit, qui inquirerent de exceſſibus commiſſis à Dominis contra ſervos. Senec. 3. de benef. Servius ſervi filius, templum Dianæ Romæ ædificavit, ad quod confugientes ſervi, iniuſtè à Dominis vexati, libertatem conſequebantur Senatus ſtatuam Romuli eadem de cauſa erexit: ſic Athenis erat ſepulchrum Theſei. Plutarch. in Theſeo. Imago Ptolomæi in Cirene; & templum Dianæ Epheſinæ. Philoſtrat. in vita Apollonii.

Romæ Tribuni Plebis, plebem à potentia patriciorum & nobilium deffendebant: ſic apud Lacedemonios Ephori continebant Reges in officio, ne in populum ſævirent.

Athenis fuit conſtitutum Aſylum, quod dicebatur ara miſericordiæ, vnde nullus abduci poterat.

Spiritus vitalis per arterias in vniverſum corpus diſtribuitur, innatumque ſingulis partibus calorem, qui per ſe imbecillior eſt, nec ad omnes actiones ſolus ſufficit, excitat, anget, inſtaurat, eique quaſi actum & perfectionem tribuit. *Vide Finis Minoritatis.*

Membrum fractum aut laxatum, dum curatur, debet in tali ſituatione poni cum culcitris, vt inde dolor non ſentiatur.

Afflictis magnum ſolatium eſt bonus amicus, in cuius ſinu poſſit deponere ea omnia, quæ animam vexant, & conſilium de agendis capere.

Tantum producit ignis cœleſtis, quantum abſumit elementaris; alioquin daretur vacuum in natura, vel ſuperfluum nullo loco continendum.

Ordinando exercitum mox pugnaturum, debent ſervari optimi milites, magno ſatis numero, ad auxilium præſtandū debiliori, & in certamine cedēti parti.

Fracto ab hoſtibus exercitu, debet ſiſti in aliquo loco ſecuto, ad quem poſſint confluere fugientes.

Licet auxilium dare populis, juſtè contra principem ſuum rebellantibus.

Athenis in foro ara miſericordiæ extructa erat: quo numine nihil propitius habet in tot caſibus hominum vita. Pauſanias in Atticis. lib.1.

Ioſephus in Ægypto præfectus annonæ vrgente fame, etiam exteris populis annonam largiebatur, me-

Digitized by Google

mor quod inter homines antiqua & arcta intercedit parentela. Ioseph. lib. 2. antiq. Iudaic.

Mira est in corpore humano partium analogia & æquabilitas; nam inanitæ & indigentes, fibris oblongis trahunt à plenioribus, & pleniores illi subsidio veniunt, copiaque gravatæ, in vacuas illas, onus suum deponunt. Adde quod fusus & liquidus humor sponte tua, decliviores, inanesque regiones consequitur, in easque procumbit. Itaque venæ sectio, quascumque venas depleverit, vniversum corpus evacuat. Fernelius.

Quod potest communicari amicis, melius est incommunicabili, sic scientia melior est sanitate. Aristot.

Pericles togam ex auro Palladi dedit prætio 40. talentorum; quæ quidem toga ad libitum poterat auferri, vt vrgenti necessitati subveniretur. Pluthar. in Pericle & in tractu de vsur. in princ.

Prompti esse debemus ad docendum. *Vide Principium Cognitionis.*

Sanctorum intercessio. *Vide Medium Gloriæ.*

Licet Ecclesia sit immunis, tamen in necessitatibus publicis de suo confert. *Vide Potestas Virtutis.* De immunitate Religionis.

Pars orientalis est diurna, virilis, & vt dextra in animantibus: populi qui plus ad illam accedunt, sunt magis perspicaces, & minus occultatores. Ptolomæus prædict. Astrolog. lib. 2.

De charitate spirituali proximis exhibenda per admonitiones. *Vide Medium Virtutis.* admonitio.

De collectis. *Vide Concord. Bonitatis.*

De magnis largitionibus. *Vide Magnit. Bonitatis.*

Mos olim erat in Gallis, vt defuncti Episcopi bona publicè ab omnibus diriperentur, quasi essent pauperum: Quod tamen prohibitum fuit Concilio Suelsion. vt refert Baron. an. 909.

Africa Elephantes foveis capit, in quas deerrante aliquo, protinus cæteri congerunt ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, omnique vi conantur extrahere. Plin. lib. 8. cap. 8.

Thus Syriæ mascula est frugifera, sterilis fœmina. Idem lib. 13. cap. 6.

Iupiter significat hominum auxilia, & solet læsiones opulentiâ aut dignitate minuere, & morbos lenire. Ptolomæ. prædict. Astrolog. lib. 3. cap. 19.

Vide Concordantia Minoritatis. Miseris compati.

EX IVRE CIVILI.

DE donationibus Inst. 2. tit. 7. ff. 39. tit. 5. Cod. 8. tit. 54. de fidei iussoribus. ff. 46. tit. 1.

De his qui ad Ecclesias confugerunt C. 1. tit. 12. ad statuas. Cod. 1. tit. 25.

De liberis & servis, & de his qui sanguinolentos nutriendos susceperunt C. 8. tit. 58.

De omni agro deserto, & quomodo steriles fertilibus imponuntur. C. 11. tit. 58.

Quando Imperator inter pupillos & viduas vel miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur. Cod. 3. tit. 14.

Qui ætate, vel professione se excusant C. 5. tit. 58. & 10. tit. 49.

Qui bonis cedere possunt. C. 7. tit. 71.

De his qui morbo se excusant. Cod. 5. tit. 67. & lib. 10. tit. 50.

De his qui petunt tutores vel curatores ff. 26. tit. 5. Cod. 5. tit. 31.

De tutelis Instit. 1. tit. 23. ff. 26. tit. 1. & 27. tit. 3. & 5. illustrium personarum. Cod. 5. tit. 33.

Vbi pupillus educari debeat, & de alimentis ei præstandis. ff. 27. tit. 2. C. 5. tit. 49.

De ventre inspiciendo, custodiendoque partu ff. 25. tit. 5, in possessionem mittendo. ff. 37. tit. 8.

Vt Eunuchi adoptari possint Leon. Nov. 26.

Clerici & monachi tutores esse possunt. Leonis Nove. 68.

De orphanotrohis. C. 1. tit. 3. Nov. 131.

Libertus, etiamsi non possit patronum in jus vocare, tamen si tutor sit, potest pupilli nomine. l. 19. ff. de in jus voca.

Diebus solemnioribus possunt fieri emancipationes & manumissiones. l. 2. & 8. C. de feriis.

Pro absente reo quilibet admittitur, ad allegandas causas absentiæ. l. inter accusatorem. ff. de publ. judic.

Absentes à quibuscumque possunt defendi. l. servum. §. public. ff. de procurat.

In causa alimentorum proceditur, etiam die feriato. l. 1. C. de alim. pupill. præst.

Princeps debet operam dare, ne desint alimenta pauperibus. l. privilegia. C. de sacrosa.

A panis militaris coctione, nulla domus etiam Principis excusatur, & qui hoc facere negligit punitur. l. final. Cod. de coctione milit. annonæ. lib. 12.

Xenotrophium, non est locus Religiosus l. 7. & 9. §. vlt. ff. de divis. rer. Forte quia ad hoc charitatis officium, nos sola ducit natura.

Virile officium est, alienæ causæ præesse, intercedere, patrocinari, l. 18. C. de procur. vnde à postulando fœminæ removentur. l. 1. ff. de postul.

Beneficiis nos oportet adjuvari, non decipi. l. 5. §. fin. ff. commod.

Pro absentibus licet negotia gerere, etiam sine mandato, ne depereant, & ad impensas recuperandas, datur à Prætore actio negotiorum gestorum. toto tit. ff. de neg. gest.

Non tenetur de servo corrupto, qui ipsum humanitate vel misericordia motus excepit. l. 5. ff. de servo corrup.

Commodatum debet esse gratuitum. §. item is cui. Instit. quibus mod. re contrah. oblig. C. consuluit. de vsur.

Mulier prægnans, aut puerpera sana habetur; maximum enim, ac præcipuum munus fœminarum est concipere, & tueri conceptum. l. 14. ff. de ædilit. ed.

Si cibaria desint in navigatione, quod quisque habet, debet conferre. l. 2. §. cum in eadem. ff. ad l. Rhodiam.

De charitate erga proximum. *Vide voluntas Concordantiæ, & Gloria Principij.*

Donationes inter virum & vxorem valent pietatis causa, vt sepulchri, & oblationes pro defunctis factæ Deo. l. 5. §. si vxor. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Die feriata tutor dari potest. l. 8. ff. de curato. & tuto. dat.

Tutor potest honestas expensas facere pro conditione pupilli, facultate patrimonij, & dignitate natalium; mercedes præceptoribus dare, solemnia munera parentibus, cognatisque mittere. l. 12. ff. de adminis. & peric. tuto.

Ratum habebitur, si matri, aut sorori pupilli, tutor ea quæ ad victum necessaria sunt præstiterit, cum aliter sustentari non possent. l. 13. eodem & l. 1. ff. de tutel. & ratio. distrah.

Pro pupilli facultatibus salvandis, quilibet admittitur ad accusandum tutorem de suspecto, estque hæc actio quasi publica; patet etiam mulieribus, si pietate ducantur, vt mater, nutrix, avia, soror: l. 1. §. conseq. ff. de suspect. tutor.

Argento legato, arculæ ad asservandum non pertinent. l. 53. ff. de leg. 3. debet enim distribui, non asservari.

Etiam damnatis in metallum, rectè relinquitur legatum pro alimentis. l.3. ff. de his quæ pro non ſcript. habentur.

Affectionis gratia, neque honeſtæ, neque inhoneſtæ donationes ſunt prohibitæ: honeſtæ ſunt erga bene merentes amicos, inhoneſtæ circa meretrices. l.5. ff. de donat.

Si lupus rapit ovem, & alius eamdem vi illam eripit à lupo, remanet Domini, & qui eripit cenſetur auxilium præſtitiſſe. l.44. ff. de acqui. rer. dom.

Vſque ad tertiam diem poſſum colligere fructus, qui ex arbore mea in fundum tuum exciderunt. l. vnic. ff. de gland. legen.

Etſi collegia & ſodalitia ſint prohibita, tamen permittitur tenuioribus ſemel in menſe convenire, ad ſtipem pauperibus conferendam. l. 1. ff. de colleg. & corporibus.

Feriatis diebus poſſunt audiri cauſæ carceratorum itavt innoxij dimittantur, & nocentes qui duriori animadverſione indigent, differantur. l.12. ff. de publ. jud.

Non contrahit crimen læſæ Majeſtatis, qui ſtatuas Cæſaris vetuſtate corruptas reficit. l.5. ff. ad l. Iulian. Majeſt.

Non ita poteſt quis advocationis officio interdici, vt certis perſonis non adſit. l.9. ff. de pœnis.

Si ſervum accuſatum Dominus non deffendat, poteſt quilibet eum deffendere, & Iudex debet de eius innocentia quærere. l.19. ff. de pœnis.

Cuilibet licet provocare, pro eo qui ad ſupplicium ducitur, etiam eo invito. l.6. ff. de appellat. & relat.

Vaſa ſacra, & veſtes ſacræ, poſſunt pignorari, & vendi in redemptionem captivorum, vel ſi debitum alterius Eccleſiæ vrgeat. l. 21. C. de ſacros. Eccleſ.

Pia legata in pauperes & captivos valent, non deducta Falcidia. l.48. Cod. de Epiſco. & Cleric.

Ad legitimam tutelam volens admittitur clericus, ſi non ſit Epiſcopus, vel Monachus. Auth. Preſbyteros. Cod. eodem.

Qui fuit apparitor, non poteſt eſſe ſacerdos, quia enutritus in vehementibus executionibus, non ritè exponet de humanitate, & innocentia dogmata. lib. 52. eodem.

Ad curam Epiſcopi, cuius verus cultus eſt adjuvare pauperes, & poſitos in neceſſitate, pertinet providere, vt panis & res ad victum neceſſariæ, moderato prætio vendantur. l.1. C. de Epiſco. aud. Caſſiodor. lib.9. variar. c.9. & lib.11. c.12. vnde illi nomen Epiſcopi. l.18. §. 7. ff. de munetibus & honoribus. Et vt carcerum cuſtos, non ſe habeat inhumanè erga carceratos. l.10. eodem. Vt redeuntes è captivitate, nemo injurtis afficiat. l.12. eodem.

Legatum ſervis ſine libertate relictum, etiamſi nulla actione peti poſſit ab hæredibus, tamen non debet denegari. l.5. §. illo C. de neceſſ. ſerv. hæred. inſtit.

Pro recuperanda poſſeſſione, qua quis abſens ſpoliatur, quilibet ſibi conjunctus amicus, aut eius ſervus admittitur. l.1. C. per vim abſent. pertur. ſit poſſeſſ.

Donatio facta ad refectionem domus, vi majore deſtructæ, non indiget inſinuatione. l. final. C. de donation.

Reliqua pars redituum Eccleſiaſticorum danda eſt pauperibus, hoc enim Deum placat. Novell.3. in fine.

Pro redemptione captivorum, licet res immobiles Eccleſiæ alienare. Novell.120. c.9.

Poſtquam jure gentium ſervitus invaſit, ſequtum & introductum eſt beneficium manumiſſionis. l.4. ff. de Inſt. & Iur.

Auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam, non eſt denegandum his qui iuſtè deprecantur. l.2. ff. de his qui ſui vel, alieni jur.

Adoptari poſſunt cæci, fœminæ, infantes. l.9.20.41. ff. de adoptionibus.

Præſes provinciæ cauſa cognita, compellet Dominos reficere ædificia, & deformitati auxilium feret. l. præſes 7. ff. de offic. præſid. ſiædificiis, quid hominibus.

Reſtitutio eſt remedium prætorium extraordinarium, quo is, qui contra æquitatem læſus eſt, in priſtinum ſtatum reponitur. l.1. ff. de in integ. reſtitut. Illis ſuccurritur, qui lapſi aut circumſcripti ſunt, metu, calliditate, ætate, ſtatus mutatione, abſentia, iudicij mutatione. l.1. & 2. eodem.

Tamen ob rem, vel ſummam, vel minimam, non audietur is qui reſtitui poſtulat. l.4. eodem.

Majores 25. annis reſtituuntur, ſi fuerint maximè læſi, ſi abſentes, ſi iuſto metu, ſi Reip. cauſa abfuerint, ſi in vinculis, ſi in ſervitute, ſi in hoſtium poteſtate. l.2.4.9.11. ff. ex quibus cauſ. majo. 25. an. in integ. reſtituunt.

Excipitur à S.C. Macedoniano is, qui filio mutuum dat, cum probabili modo, id eſt, ad eam quantitatem, quam Pater ſolebat ſubminiſtrare. l.7. ff. de S. C. Macedoniano.

Pro conſulis officium eſt, mediocribus advocatos dare adverſus potentiores. l.9. §.2. ff. de offic. procoſ. Idem dicitur de præſide. l.6. §.2. & 5. ff. de offic. præſid.

Ab accuſatione ſuſpecti tutoris deſiſtens, non incidit in Turpilianum, & hoc fit, vt multi veniant ad accuſationem, ob commodum pupillorum. l.1. §. ſuſpecti. ff. ad Turpillian.

Poſtquam quis ceſſit bonis, non convenitur de acquiſitis, niſi deducto eo, ne egeat. Sed ſi pœnas corporales ob id paſſus ſit, non poteſt amplius à creditoribus inquietari. l. 3. C. de bonis. autho. Iudic. poſſidend.

Proconſulis munus eſt, vt ædes ſacræ, & ædificia publica reficiantur. l.7. §. 1. ff. de offic. Proconſul.

Præfectus vrbi cognoſcebat de ſervis, qui ad ſtatuas Principis confugiebant, & de emptis vt manumittantur. ſi proſtituantur. l.7. §.8. ff. de offic. præf. vrb.

Valet donatio ſi vir dederit vxori pecunias, ad refectionem domus ſuæ, quæ conflagravit. l. 14. ff. de donat. inter vir. Quia non cenſetur facta locupletior quæ tantum amiſerat.

Sic damnatus in exilium, rectè donat vxori in ſolatium. l.45. eodem.

Tutela, eſt vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſe deffendere nequit; tutores, quaſi tuitores. l.1. ff. de tutelis.

Vbi aliquit mihi prodeſt, & tibi non nocet; æquum eſt vt mihi non prohibeas, licet mihi non ſit jus. l. in ſumma. §. item varij. ff. de aqu. pluvi. arcen.

Hinc Caſſiodor. 1. variar. Ep. 14. non debet eſſe difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentum.

Sacræ res, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt, veluti ædes ſacræ, & donaria, in pignus dari, aut alienari prohibentur, excepta cauſa redemptionis captivorum. §. res ſacræ. Inſt. de rer. diviſ. l.21. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. hoc etiam licet ad ſolutionem debiti ab Eccleſia Nov.120. c.10.

Monachi & clerici tutores eſſe poſſunt Leon. Novel. 68.

EX IVRE CANONICO.

EPiſcopus debet eſſe liberalis erga patientes neceſſitatem, & non circa hiſtriones. diſt. 86.

Commodatum debet eſſe gratuitum. Can. conſuluit, de vſur.

Hoſpitalitatis

Hoſpitalitatis commendationem. Vide diſtinctione 42. A

Grandis culpa, ſi te ſciente fidelis egeat, ſi tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. c. non ſatis. diſt.68.

Paſce fame morientem, quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteras, ſi non paviſti, occidiſti. c. paſce diſt.86. ex D.Ambroſ.1. officior.

Vaſa ſacra pro redemptione captivorum ſunt alienanda.12. q.2. c. Apoſtolicos, & ſeq.

Miſerationis & pietatis intuitu ſervi Eccleſiarum poſſunt manumitti.12. q.2. c. cum redemptor.

Clericus poteſt poſtulare pro miſerabilibus perſonis, ſicut pro ſe, & pro ſua Eccleſia. cap. clerici, de poſtulan. B

Ad Epiſcopum pertinet providere, vt hoſpitalitas ſervetur, & carius tranſeuntibus non vendatur, quam indigenis. cap. placuit. de empt. & vendit.

Moderatam Eleemoſinam de bonis per Eccleſiam acquiſitis clerici facere poſſunt.cap.ad hæc de teſtam. & vltim. volunt.

Valet vltima voluntas ad pias cauſas, coram duobus teſtibus. cap. relatum de teſtam.& vltim volunt.

Epiſcopus cogit executorem teſtamenti ad exequendas pias defuncti voluntates cap. Reynaldus, de teſtam. & vltim. volunt.

Epiſcopi debent Diaconos mittere ad comitatum Principis, propter pupillos, viduas, vel laborantes, qui cauſas non iniquas habent. Concilium Sardienſe can.10. anno 347. C

Locus authoritate Epiſcopi ad vſum hoſpitalitatis deputatus, eſt Religioſus, & ad mundanos vſus redire non debet cap. ad hæc de Relig. domib.

Epiſcopi debent diſpenſare bona Eccleſiæ pauperibus. in canonib. Apoſtol. c.41.

Preſbyteri plebes ſuas admoneant, quod hoſpitales ſint. Licet Epiſcopo cum conſilio Cleri, de theſauris Eccleſiæ largiri pauperibus, juxta quod indiguerint. Concilium Arvernenſe can.7. & 8. anno 541.

Vt Epiſcopi nihil vſurpent de his, quæ Xenodochijs ſunt collata piorum Eleemoſynis, ſed potius ea augeant. Concil. Aurelian.5. can.15. D

Incarcerati dominicis diebus viſitentur ab Eccleſiæ præpoſitis, eiſque competens victus de dono Eccleſiæ tribuatur, ſimiliter egenis infirmis provideatur, Idem can.20. & 21.

De hoſpitalitate ſervanda, exhortatio. Conſilium Matiſconenſe. II. can.11.

Ibidem de viduis & pupillis non niſi coram Epiſcopo iudicandis. can.12.

Olim omnia decedentium Epiſcoporum bona, pauperibus erogabantur; poſtea quaſi pauperibus debita & expoſita diripiebantur, quod fuit prohibitum Concilio Chalcedonenſi. can.22. & Concilio Lateranenſi II. can.5. vtque Eccleſiæ cederent. E

Curent ordinarij vt hoſpitalitia rectè adminiſtrentur. Concil. Trident. ſeſſ.7. de reformat. can.15.

Licet Eccleſiaſtici à tutelis excuſentur, tamen cuiuſcunque dignitatis ſint, tenentur ſuſcipere tutelam, ad defenſionem miſerabilium perſonarum. c. pervenit. 86. diſtinct *Vide Minoritas Bonitatis Mala.*

Concil. Turonenſe. II. can.5. ſic habet. Vnaquæque civitas, pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires, vt tam vicini Preſbyteri, quam cives omnes ſuum pauperem paſcant; quo fiet, vt ipſi pauperes per civitates alienas non fatigentur.

EX THEOLOGIA.

QVinta beatitudo, ſcilicet miſericordia, reſpondet dono conſilij. D.Thomas. 1.2.q.69.a.3.ad 3.

In beatis ſunt aliqui actus ordinati ad finem, ſcilicet procedentes ex conſecutione finis, vt laus Dei, & aliqui pertrahentes alios ad finem, vt miniſteria Angelorum, & orationes Sanctorum.2.2. q.52. a.3. ad 1.

Benefacere omnibus quilibet tenetur, in præparatione animi pro loco & tempore.2.2. q.31. a.2.

Aliquod beneficium eſt, quo poſſumus & tenemur benefacere omnibus ſaltem in generali, ſcilicet orare pro omnibus fidelibus & infidelibus. 2.2. q.31. a.2. ad 1.

Deum non poſſumus intelligere, intelligendo eum non eſſe bonum. 2.2. q.2. a.8. ad 3.

Charitas habet duo obiecta, principale, bonitatem Dei; ſecundarium, bonum proximi. 2.2. quæſt.32. a.2. ad 3. diligit autem proximum propter Deum; ideo obiectum eius proprie eſt Deus. q.1. a.3.

Omnis creatura imitari conatur ſuum principium in conſervando, & communicando ſuum eſſe.1.q.63.a 3.

Decimæ debent in vſus pauperum per clericos diſpenſari.1.2. q.87. a.1. ad 4.

Deus dat aliquibus abundantiam divitiarum, vt meritum bonæ diſpenſationis acquirant. 2.2. q.117. a.1. ad 1.

Donum, eſt proprium nomen Spiritus Sancti. 1. q.38. a.2.

Eleemoſyna eſt opus, in quo datur aliquid indigenti, ex compaſſione propter Deum.2.2. q.32. a.1.

Dare Eleemoſynam de ſuperfluo, vel in extrema neceſſitate, eſt de præcepto, in aliis vero eſt tantum de conſilio. eodem. a.5. & 6.

Non eſt expectanda extrema neceſſitas in danda Eleemoſyna, nec oportet prætendere futuram, niſi ſit maxime probabilis.2.2. q.32. a.5. ad 3.

Omnis forma de ſe eſt cõmunicabilis.1.q.3.a.2.ad 3.

Homo in iudicio, debet pauperi ſubvenire, quantum poteſt, ſine læſione iuſtitiæ.2.2. q.63. a.4. ad 2.

Iuſtitia diſtributiva eſt in Deo, non autem commutativa. 1.q.21, a.1.

Actus miſericordiæ operatur contra peccatum dupliciter, ſcilicet per modum ſatisfactionis, vel per modum præparationis; Primo modo actus miſericordiæ ſequitur iuſtificationem, ſecundo vero modo præcedit eam, vel concurrit cum aliis virtutibus requiſitis.1.2. q.113. a.4. ad 1.

Liberalitas eſt virtus bene diſpenſandi divitias in vſus bonos, ſibi, ſuiſque & aliis.2.2. q.11. a.1.

Magnanimus non eſt memor beneficiorum, quia non delectatur in hoc, niſi vt maiora compenſet.2.2. q.47. a.9. ad 3.

Medicus tenetur gratis curare pauperes, qui alibi de non habent quomodo curentur. 2.2. p.71. a.1.

Miſericordia eſt compaſſio, & ſublevatio alienæ miſeriæ, eſt potiſſima virtutum, quæ ad proximum ſunt.2.2. q.30. a.4.

Proprium opus Dei, eſt tantum vnum, ſcilicet benefacere, & miſereri, ſed punire convenit ei propter culpam peccantis. 1.2. q.21. a.2.

Deus ſemper miſeretur, puniendo citra condignum, & præmiando vltra congruum. 1.q.21. a.4.

Cultus Dei conſiſtit in recipiendo divina, & ea tradendo aliis. 3.q.65. a.2. ad 3.

Deus dat diverſus gratias, quæ vocantur gratis datæ, ad vtilitatem proximi.1.2.q. 111. a.1.

Religiones ſummum gradum tenent, quæ ordinan- G

tur ad docendum & prædicandum, ſic enim ſunt propinquiſſimæ ſtatui Epiſcoporum : Secundum gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem. Tertium eſt eorum qui ordinantur circa exteriores actiones. 2.2. q.188. a.6.

Euchariſtia in quantum eſt Sacramentum, prodeſt tantum ſumentibus ; ſed vt eſt ſacrificium, prodeſt etiam aliis. 3. q.78. a.3. ad 8.

EX PATRIBVS.

DOminus noſter prænuntians nobis extremum ſuum iudicium, tacet cætera rectè facta iuſtorum, & ſolas Eleemoſynas commemorat; tacuit etiam omnia malè facta iniquorum, & ſolam ſterilitatem Eleemoſynæ increpavit, vt nos moneret omnia præterita crimina Eleemoſynis redimi, ſi modo in illis non perſeveremus. D. Auguſt. homil.19.

Magdalena capillis ſuis tergit pedes Domini; capilli ſuperfluas ſignificant poſſeſſiones. Idem. Homil.22. in fine. Sub extentione manuum Moyſis deficit Amalech, ſic dæmon, quando pauperibus erogatur. Extende manum tuam ad pauperem, minus habebis in domo, non in cælo. Ibidem & ſerm. 93. de tempore. Ita manum mitte, vt cor ab amore pecuniæ ſolvas. Ibidem.

Mulierem fortem quis inveniet? &c. brachia ſua firmavit in fuſo ; per eleemoſynam quod erat in ſiniſtra, transfert ad dexteram, & in opus redigit. D. Auguſt. ſerm.217. de temp.

Mendicum hominem audis, mendicus ipſe es Dei: petitur à te, & petis; quod egeris cum petitore tuo, hoc aget Deus cum ſuo; & plenus & inanis es; imple inanem de plenitudine tua, vt de Dei plenitudine impleatur inanitas tua. Idem ſerm. in feſto omnium Sanctorum.

Ita manum mitte, vt cor ab amore pecuniæ ſolvas; ſervum te fecit cupiditas, liberum charitas; inde ſervus, ſi non fugeris, homo Dei, ſi in hac cauſa non vis eſſe ſervus, eſto fugitivus. Audiſti quod fugias, habes & quod ſecteris, ſectare iuſtitiam, pietatem, charitatem, hæ divitiæ mentis ſunt. Id. ſerm.93. de tempore.

B. Laurentius dicit Decio, manus pauperum Eccleſiæ divitias in cæleſtes theſauros deportaverunt, non ſic Mediæ manus omnia, etiam vilia in aurum convertebant mira alchymia. *Vide Eccl.11. Tobiæ 4. Prob.19.* Qui dat eleemoſynam, Domino fœnerat, & dilatione ſolutionis proficit: ſic divitiæ largiendo conſervantur; ſic pauperibus non eſt auxilium præſtandum vt miſeris, ſed ab illis petendum vt ab advocatis, quid prodeſt divitias congregare, quaſi ædificij lapides, & nunquam domum cœleſtem pauperum manibus ædificare.

Divitiæ, vt metalla igne divini amoris fuſa, vndique data via effluunt, quare ad Deum remittis, quem ad te Deus mittit? non eſt examinanda perſona pauperis, cum ſub ea à te Chriſtus petat.

Tertul. in Apolog. cap.39. loquens de Chriſtianorum diſciplina, ait, Modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo poſſit, apponit; hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, quæ alendis egentis, pupillis, viduis carceratis impenduntur.

Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere Terrena quidem nobis in vſu eſſe debent, cæleſtia vero in deſiderio, terrena debemus expendere, cæleſtia deſiderare. D. Bernard. de modo bene vivendi. cap.6.

Fortè lachrymæ currunt, manus ceſſant, fiant eleemoſynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, vt tu gaudeas de dato Dei: eget ille ad te, eges & tu ad Deum, tu contemnis egentem tui, Deus non te contẽnet egentem ſui? imple egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua. D. Aug. in Pſal.37.

Quaſi Deum exoneramus, dum eius nomine ſolvimus pauperibus, quibus ſubſidia ſe daturum promiſit, quomodo non te Deus hominem contemnet, qui homo hominem contempſiſti? Picus Mirandul. Plura de remuneratione eleemoſynæ. *Vide Æqual. Bonitatis & Gloria Bonitatis.*

Poſſident hominem duæ Dominæ contraria iubentes: avaritia, quæ dicit ſerva tibi, & filiis, non habenti nemo tibi dabit; & luxuria, quæ dicit, eroga, lætus hanc vitam tranſige, noli curare de ingrato forte herede. Tædeat te, ô liber in libertatem vocare: eadem dicit tibi liberator tuus, ſed non contraria: ſerva inquit tibi, & conſule in poſterum, & habebis theſaurum in cœlo quo fur non appropiet: dicit etiam quod luxuria, conſule animæ tuæ: &c. D. Auguſtin. ſerm. 43. de diverſis.

Quintia de creationis novi mundi ſpiritualis, operamur propter vtilitatem fraternæ ſocietatis. Vide ex D. Auguſt. *Majoritas Virtutis.* Profectus.

D. Ambroſius, patria Mediolanenſi graviter afflicta ex irruptione Maximi Tyranni, ad redimendos captivos ſacra vaſa confregit. Baron. an. 387.

De communi charitate erga omnes. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

S. Paulinus Nolæ Epiſcopus ſe dat obſidem pro redemptione filij viduæ. Baron. an.431.

Gelaſius Epiſt. 7. exhortatur Epiſcopos, vt quartam partem redituum Eccleſiæ aſſignatam pauperibus fideliter diſtribuant, & ob talem defectum putat Eccleſiam eſſe afflictam: cognoui, inquit, cum Propheta, quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Divitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo: bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. 1.Timoth.6.

ETIAM MVNDO RE-nuntiantes proximis debent exhibere Charitatis officia.

D. Chriſoſt. Homil.17. ad popul. Anthioch. laudat ſummopere monachos, qui è deſertis nullo rogante prodeuntes, dum vrbs Antiochena magna clade premeretur, ob dirutas Imperatoris Theodoſij imagines, populum conſolabantur, quem ex ſola noverant calamitate. Monachi, inquit, homines pauperes, pallio nihil plus habentes vili, virtutes in ruſticitate, in montibus & ſaltibus verſantes, velut quidam leones magno & alto ſenſu præditi, omnibus obſtupeſcentibus in medio conſiſtebant, iudicum fores ambibant, cædem impediebant, de clementia Imperatoris proteſtantes, ſi, inquiebãt dirutę imagines, ſed reſtituę, quis autem hominem Dei imaginem, cæſum reſtituet, &c.

Num.3. Deus dicit ad Moyſen, Ego tuli Levitas à filiis Iſraël pro omni primogenito. Philo. Iud. lib. de ſacrif. Abel & Cain, interpretatur pro redemptione: ſapiens enim aliorum redemptio eſt, & merces.

Cælum empireum immobile influit in inferiora, datque illis perſeverantiam : & Angeli qui aſſiſtunt, influunt in eos qui mittuntur. *Vide Princip. Duration.*

Partes cœli magis compactæ & denſæ, magis ful-

gent & influunt ; magis in ſe & Deo recollecti, magis ſunt parati ad charitatis officia exhibenda.

Luna in ſolis conjunctione, parum habet luminis, & multum influentiæ : vnde tunc maria plus ſolito intumeſcunt ; minus in hominum oculis fulgentes, cæteros tamen juvant.

In Vmbria fons eſt, qui, cùm areſcunt omnia, & inde penuria frugum accidit, manare videtur, veluti acquirens ſcaturiginem areſcente ſolo. Plin. lib. 2. cap. 100. dum deficit charitas mundanorum, tunc exundat Charitas Religioſorum.

Potioris gradus iudicibus, ab inferioribus competens reverentia tribuatur : ſed vbi publica tractatur vtilitas, etſi minor iudex veritatem inveſtigaverit, nulla irrogatur injuria. l. 5. C. de off. rect. provin. Nulli indignemur, ſi Monachi ſuppleant defectum charitatis, ab alijs ex officio præſtandæ.

Cum Archimedes à Mathematicâ ſpeculativa ad practicam vrgente neceſſitate deſcendit, mira edidit; ſic dum contemplativi ad actionem veniunt.

David iterum aſſumit gladium Goliath, quem Deo conſecraverat ; ſic in cauſa charitatis, quaſi in cauſa Dei, licet vti Deo ſacris perſonis.

Sol in cancro Apogæo ſuo, in quo plus à terra diſtat, maximos in terra excitat calores.

Sydera tacito ſupernè labentia cœlo, velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immoti operis abſcondunt. *Vide Cognitio Virtutis. Rep.*

Habet vbi ſe etiam in privato lare explicet magnus animus ; nec vt leonum, animaliumque impetus caveis coërcetur, ſic hominum, quorum maximè in ſeductu actiones ſunt. Nec is ſolus Reip. prodeſt, qui tuetur reos, de pace & bello cenſet, ſed qui ruentes in luxum retrahit : In privato publicum negotium agit, docet quid ſit iuſtitia &c. neque ille ſolus militat, qui in acie ſtat, ſed & qui portus tuetur, & ſtatione minus periculoſa, non otioſa tamen fungitur, vigiliaſque ſervat, & armamentario præeſt, quæ miniſteria licet incruenta ſint, in numerum ſtipendiorum veniunt. Præciſis quoque manibus, ille in prælio invenit quod partibus conferat, qui ſtat tantum & clamore iuvat. Seneca libro de tranquill. vitæ. cap. 3.

Sunt Eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei. Eunuchus autem non excuſatur à tutela. l. C. de excuſat. tutor.

Religioſi & Deo militantes non ſe immiſceant negotijs ſæcularibus. *Vide Gloria Virtutis.* quies.

Vide quæ ſcripſi lib. de Triumpho vitæ Religioſæ. parte 3. cap. 8.

Dicit ſponſus in Canticis, Adjuro vos ne ſuſcitetis dilectam. Cant. 2. Occurrunt tamen quædam in quibus dicit, ſurge, propera amica mea. Cant. 2.

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet. Ioan. 10. Ingredimur contemplatione. D. Auguſt. l. 19. de Civit. c. 19.

D. Antonius ſæpe relicta chariſſimâ ſua ſolitudine in vrbes deſcendit, vt confligeret contra Arianos. Baron. an. 343. Sic turba Monachorum è deſertis confluit Conſtantinopolim, vt pugnarent cõtra Neſtorium ; varijs injurijs laceſſiti, offerunt libellum ſuplicem Imperatori, & obtinent. Vide Baron. anno 429. num. 36. Sic S. Sabas cum electiſſimis ſuis Monachis venit Conſtantinopolim contra Severum Hereſiarcham pugnaturus, in fugam conuertunt milites ; orthodoxum Epiſcopum reſtituunt, & fœliciter Imperatori ſupplicant. Vide Baron. an. 513. num. 8. De vita mixta. *Vide Media Gloria.*

Superiores Angeli Deo aſſiſtunt, tamen dicuntur ab Apoſtolo omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis : vrgente neceſſitate, & Dei voluntate, viſibiles apparent hominibus.

Deus per immenſitatem ſuam, ſic rebus eſt preſens, vt tamen ab ipſis diſtet. *Vide Gloria Magnitudinis.* de Dei immenſitate.

Eccleſiâ Antiochæna hæreſibus laborante, venit in vrbem auxilium laturus ſenex & ſanctiſſimæ vitæ monachus Aphraates, cui cum diceret Imperator, quò ſe conferret, pro tuo, inquit, regno præcaturus ; & iterum dicenti, melius illi eſſe, ſi ex inſtituto Monachorum in cella remaneret ; hæc, inquit, Imperator præſtiti dum pax fuit Eccleſiæ, nunc jam laboranti, & à feris circumdatæ ſuccurrendum eſt, & immiſſæ in ſacras ædes flammæ, quantum poſſibile eſt, extinguendæ. Baron. an. 370.

Eccleſiaſtici veritatem liberè debent profiteri, pro fidei & iuſtitiæ defenſione. *Vide Poteſtas Veritatis.* Veritas liberè dicenda.

Symeon Stylita, licet columnæ ſuæ alligatus, tamen curam Dei Eccleſiæ maximam agens, zeloque pietatis exæſtuans, nunquam prætermiſit vllam occaſionem ei conſulendi, ſive pugnando adverſus gentilium impietatem, ſive frangendo Iudæorum audaciam, ſive fugando turbas Hæreticorum. de his ſcribens ad Imperatorem, Præſides, Magiſtratus, Epiſcopos. Baron. an. 432.

Ebroinus è Monacho fit iterum miles, & major domus Regiæ, id exigentibus publicis rebus. Baron. an. 671.

Apodes, ſpecies hirundinis nullam niſi in nido ſumunt quietem, aut pendent, aut jacent. Plin. lib. 10. cap. 39. Religioſi extra clauſtrum pro charitate, quietis ſunt impatientes.

EX BIBLIIS.

LEvit. 19. Deus præcipit remanentes in agris uvas & ſpicas non colligi, ſed pauperibus relinqui ; ſic Boos reliquit Ruth, etiam ex induſtria. Ruth. 2.

Philiſtini conſilio Sacerdotum ſuorum non relinquunt arcam reverti ad Iſraël ſine munere vacuam, ſed ei appendunt apos & mures aureos. 1. Reg. 6.

Non apparebis in conſpectu meo vacuus, pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. Exod. 23. *Vide Poteſtas Bonitatis.*

David ea die, qua reduxit arcam de domo Obededon in ſuam, diſtribuit ſingulis de plebe carnes & panes. 2. Reg. 6.

Finitâ tentatione Iob, omnes eius amici afferunt ei munera, quibus res familiaris reſtituitur. Iob. 42.

Laudatur Samaritani charitas erga vulneratum à latronibus. Luc. 10.

Quærentibus Iudæis à Ioanne quid faciemus, reſpondit, qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Luc. 3.

Omni petenti te tribue, & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas : Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter : eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt : date, & dabitur vobis. Luc. 6.

Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habetis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti. Iſay. 21.

Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Luc. 11. ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Tobias in captivitate, quæ habebat, concaptivis fratribus, ex ſuo genere diſtribuit. Tob. 1.

Mulier fortis, manum ſuam aperuit inopi, & pal-

mas ſuas extendit ad ipauperem. Parab. 31.

Chriſtus ſanat eum qui non habebat hominem, qui ipſum mitteret in pilcinam Math. 9. Tibi derelictus pauper &c. pſal. 9.

Sanat mulierem, quæ omnem ſuam ſubſtantiam conſumpſerat. Luc. 8. Prope eſt his, qui tribulato ſunt corde. Pſal. 33. Deficiente vino, convertit aquam in vinum. Ioan. 2.

Sic ſalvat Iſaac, gladio cervicibus imminente. Gen. 32. Suſannam. Daniel. 13. ipſum Danielem. Ioſeph, cùm in carcere periclitatur. Geneſ. 37.

Vera virtus eſt cum charitate erga proximum. *Vide Veritas Virtutis.* Ex Bibliis.

D. Paulus Roman. 12. enumerans virtutes Chriſtianas ait; neceſſitatibus Sanctorum communicantes; hoſpitalitatem ſectantes. &c.

In præſenti tempore, veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſuplementum, vt fiat æqualitas. 2. Cor. 8.

Miniſterium huius officij, non ſolum ſupplet ea quæ deſunt ſanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem confeſſionis veſtræ. 2. Corinth. 9.

EX PATRIBVS.

Miſericordia non de meritis iudicaſe conſuevit, ſed neceſſitatibus ſubvenire, iuvare pauperem, non examinare iuſtitiam; ſcriptum eſt enim, beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Pſal. 40. D. Ambroſ. lib. de Nabuth. c. 8.

Homines & iumenta ſalvabis Domine. Pſal. 35. Rationabilibus iudicio; irrationabilibus miſericordia. D. Ambroſ.

Maximum Iuſtitiæ munus, Deo erga nos pauperes tam benefico, parem reddere, ipſumque imitari, largiendo pauperibus, in quibus ſe dicit egere.

Maria pœnitens, pedes Domini capillis ſuis terſit. Ioan. 12. Da ſuperfluas divitias pauperibus; & Domini pedes, ſcilicet pauperes, eius membra terſiſti. D. Aug. tract. 50. in Ioann. Eleemoſynâ exhauritur conſcientiæ ſentina à peccatis, vt fœliciter navigium noſtrum, flante verbo Dei, ad portum appellat. Idem.

Eſt bonum quod te facit bonum, ſcilicet ipſe Deus, ſumme bonus, & eſt bonum, quod te, poſſidendo non facit bonum, ſcilicet aurum, argentum; ſi habes bonum, vnde es bonus, da bonum, cuius non poſſeſſione, ſed largitione fis bonus; mercari diſce cum iugenti lucro, Iuſtitiam pro pecunia. Diſperſit, dedit pauperibus, Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. D. Auguſt. ſerm. 5. de Verb. Dom.

Largitio in hoc mundo debet fieri, nam in alio, æternum ſabbatum, nulla indigentia, nulla ſic eleemoſyna. Hæc opera miſericordiæ ſunt quaſi machinæ, quæ tollunur perfecto ædificio.

Regiæ pecuniæ diſpenſator graviter punitur, ſi eam in proprios vſus convertat. Sic bonorum temporalium nobis diſpenſatio credita eſt. D. Chryſoſt.

Res pauperum non pauperibus dare, pat ſacrilegij crimen eſt; patrimonia pauperum, facultates ſunt Eccleſiarum, & ſacrilega eis crudelitate ſubripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non vtique Domini, vel poſſeſſores, vltra victum accipiunt & veſtitum. D. Bernard. declam. in illud. Ecce nos reliquimus omnia.

Populus Iſraël ſuperat Amalec, cum Moyſes manus levat. Extende manum tuam ad pauperem. Minus habebis in domo, plus in cœlo. D. Aug. hom. 22. in f. & ſerm. 93. de tempore. Ita manum mitte, vt cor ab amore pecuniæ ſolvas. Ibidem.

Laudabilis curioſitas, inquirere quis egenus, vt ſubvenias. Ideo ſervum te facit cupiditas, liberum charitas, fuge ſervitutem, ſectare Iuſtitiam, pietatem, charitatem.

Divitiæ, vt metalla, igne amoris liquantur, & vndique effluunt: quare ad Deum remittis, quem Deus ad te mittit? non eſt examinanda perſona pauperis, cum ſub ea à te Chriſtus petat.

Primi Chriſtiani ſingulis menſibus eleemoſynas ſuas conferebant, quæ vt depoſita pietatis, alendis egenis, pupillis, viduis, carceratis, impenduntur. Tertul. in Apolog. c. 39.

Das Chriſto ſub perſona pauperis. Rom. 12. Iubemur etiam inimicũ cibare tribuæ petenti omni inquit Chriſtus, ſic ſine diſtinctione cibavit turbam. Io. 6.

Imitandus Deus, qui ſolem ſuam facit oriri ſuper bonos & malos; potes falli in tuo iudicio. Vide Eccleſ. 20. Mundus favet potẽtioribus, charitatis pauperibus.

Vlmus cenſetur fructuoſa, quia vitem ſuſtentat, ſic dives iuſtus habetur, iuſtum ſua ſubſtantia fovens. D. Chryſoſt.

D. Aug. ſer. 22. de verb. Apoſt. conciliat hos duos Apoſtoli locos: alter alterius onera portate: & illud, vnuſquiſque onus ſuum portabit; hoc enim de peccatis dicit eſſe intelligendum; illud de proximi infirmitatibus, quarum partem ex charitate tenemur ferre.

Libro 2. Paralipom. cap. 32. Ezechias qui (c. 20.) dicitur rectum feciſſe coram Domino, non timuit tamen neceſſitate cogente, quæ Domino conſecraverat Regi offerre Aſſyriorum. D. Hier. adverſ. Pelagian. l. 2. pag. 868. Idem fecit Ioas. 3 Reg. cap. 14.

Tertulianus tamen in Apolog. c. 13. ridet Paganos, Deos ſuos & domeſticos, & publicos ſub haſta mittentes, dum vrget neceſſitas.

Aurum habet Eccleſia, non vt ſervet, ſed vt eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus.

Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adjuvat? & Ibi Nonne melius conflat Sacerdos pro alimonia pauperum, quam ſi ſacrilegus aſportet hoſtis? melius fuerat, vt vaſa viventium ſervares, quam metallorum.

Dices, timeo ne templo Dei ornatus deſit. Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur: ornatus ſacrorum, redemptio eſt captivorum. D. Ambr. in officijs habetur. Can. aurum 12. q. 2. Extat exemplum de venditione vaſorum Eccleſiæ; ob famem publicam à Cyrillo Hieroſolimorum Epiſcopo, cuius meminit Sozomenus 5. Hiſtor. c. 37.

Alij ædificent Eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis, columnarum deaurent capita, prætioſum ornatum non ſententia &c. non reprehendo, melius eſt hoc facere, quam repoſitis opibus incubare; ſed tibi aliud propoſitum eſt, Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, paſcere in eſurientibus. D. Hieronym. ad Demetriadem.

Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, & nudus atque eſuriens Chriſtus, ante fores noſtras in paupere moritur. Idem Epiſt. ad Gaudentium.

DEMONSTRATIO.

BENEFICENTIA EST homini convenientiſsima.

BONITAS. Summæ bonitatis imaginem in nobis præferimus, non ſolum appetitione boni, qua infirmitatem, & indigentiam præ ſe fert, ſed maximè boni in nobis exiſtentis effuſione, quæ primi Principij communicativam bonitatem, actumque ipſum, quo exiſtimus, & conſervamur expreſſius repræſentat.

Maximè decet nos Chriſtianos, cum tales ſimus effuſa in nos Dei bonitate, qui omnia nobis cum filio ſuo donavit.

MAGNITVDO. Ideo omnibus non eſt data æqualis menſura bonorum corporalium, fortunæ, & ſpiritualium, vt ſit plenioribus, materia exercendæ liberalitatis. Sic infitus nobis infinitatis cujuſdam appetitus, ſe magis explicat, dum extra nos, illa noſtri communicatione quaſi diffundimur.

DVRATIO. Hoc vnicum contra inconſtantiam fortunæ remedium, bona in manus pauperum deponere; nam pereuntibus bonis, remanet integrum charitatis meritum, cœleſtibus, æterniſque theſauris inferendum; vbi fures non effodiunt, nec tinea demolitur.

POTESTAS. Ex Domini ſententia, melius eſt dare quam accipere; nam dando agimus vt Deus, Angeli, cœli, vt formæ in materiam. Maximum inter tot naturæ infirmitates ſolatium, aliquid habere quaſi ſuperabundans, quo poſſimus alios iuvare.

COGNITIO. Lux prima qualitatum naturæ ſpiritualis, & ipſius divinitatis imago, nunquam eſt ſine ſui diffuſione; ſic nos iuvando docet, illuſtratque non minus mentis, quam corporis oculos, vt habita ratione ſpiritualis, & principalis noſtræ partis, ſimus beneſici. Ideo mentem habemus, tot artium, tot ſcientiarum capacem, vt materiæ, rebuſque omnibus creatis, perfectionem, à natura negatam, conferamus; maximè autem prodeamus hominibus, ſpecie nobis conjunctis, ratione, quaſi divina arte, quæ ſcit conſumpta reſtaurare, & vti cœlo, terra, mari, ventis, animalibus, ita vt noſtris commodis quaſi ſervi addicti ij laborent.

VOLVNTAS. Ineſt omnibus miſericordiæ affectus, quo alienas miſerias in nos quodammodo transfert natura, vt illis, non minus quam propriis ſubveniamus: ſic ad alienum auxilium, paſſio adigit etiam reſtitentem rationem; prævenit enim conſultationes; licet ea paſſione devictâ, ratio poſtmodum quaſi libera relinquatur, vt ſic quaſi ex libero voluntatis actu procedente liberalitate, mutua concilietur benevolentia, meritum acquiratur, augeanturque beneficia, amore ſemper in ſui operis amplius bonum, & conſervationem proclivi.

VIRTVS. Agit ſapiens ratione, quod quiſque expopulo paſſione; tranquillo ſereneque mentis iudicio ſe contemplatus, intelligenſque ſe ſtrictiſſima affinitate cum omnibus hominibus conjunctum, vult illis omnibus prodeſſe, & quaſi membris ſuis ſub eodem capite conſiſtentibus, influere. Ideo inter virtutes præſtantior habetur Iuſtitia, quæ eſt ad alterum; & merito publicis negotiis intendens præfertur illi, qui tantum domeſticis incumbit.

VERITAS. Naturæ inſtinctus, ratio, leges omnes, tam divinæ quam humanæ, hanc commendant beneficentiam, itavt qui in hoc deficiat, quaſi aberrans ab omnibus ſuis principiis, non ſit dicendus homo: ars quæ imitatur naturam, fecit vt vrbanitas tota conſiſteret in vovendis, aut exhibendis officiis; & ſi aliquando lateat humus ſub eſca, hinc tamen conſtat, beneficiis humanam ſtare ſocietatem, hocque correctivo nobis convenientiſſimo, cupiditatis venenum temperari.

GLORIA. Hinc hominibus aliis beneficis honores divini delati ſunt ab antiquis; hinc ſtatuæ, coronæ, triumphi, famæ immortalitas in hiſtoriis; etiam ſilente publico applauſu, ſatis commendat beneficentiam, interna conſcientiæ, ſecuritas, & feſtivitas. Nam ſtatim atque quis proximo opem tulit, boni ſui conſcia mens exultat, & ex Domini ſponſione centuplum recipit, id eſt delectationem longe excedentem eam, quæ ex poſſeſſione, quaſi fructus colligitur.

DIFFERENTIA. Aliæ virtutes diſtincta habent ſua objecta; ſola charitas ita diffuſa eſt, vt omnes attingat, omnes complectatur, omnibus adſit, quaſi anima vitam cœleſtem tribuens; ſi Deus qui eſt infinita perfectio, charitas eſt, charitas in nobis effingit imaginem divinitatis, quæ eſt omnia in omnibus.

CONCORDANTIA. Diſſolveretur humana ſocietas, ſublato hoc divino charitatis & beneficentiæ nexu; ex omnibus triumphantis & militantis Eccleſiæ partibus, charitatis ſpiritus, vnum quid efficit; vt intercedit naturæ quædam communio in vna ſpecie, gratiæ in vna meritorum Chriſti participatione, ſic vna debet eſſe bonorum, tum ſpiritualium, tum naturæ & fortunæ communio.

CONTRARIETAS. Si hæc charitas vigeret inter Chriſtianos, non haberent quod quærerentur de adverſis; nam nihil poteſt alicui perire, quod non accedat alteri, qui non eſt ab illo diviſus, & cuius bonis, vt propriis vtitur. Sic nihil perit flumini, in ſuo alveo decurrenti, cum vnda mox in vnam, mox in aliam partem inclinat, flatu, rupe oppoſitâ, aut declivi ſitu impellente.

PRINCIPIVM. Sola beneficentia conciliat populi animos, commotos ſedat, feroces Principum legumque iugo ſubmittit. Itavt in rebus politicis & Œconomicis ſit quaſi ſol, cælum, Deus; maximè cum ob beneficia cauſas vniverſales ſuſpiciamus, Deumque veneremur.

MEDIVM. Ex Chriſti præcepto hoſtem propriis armis confodimus, cùm in cœlo facimus nobis amicos de mannona iniquitatis: ſi bonis fortunæ vtitur cupiditas, vt homines invidiâ, rapinis, litibus, bellis conficiat; iiſdem vtitur charitas, vt illos etiam vtilitatis contemplatione conſervet.

FINIS. Cum beneficentia ſit virtus propter ſeipſam quærenda, illius tantum contemplatione benefaciendum aſſerebant Philoſophi. Chriſtianus habet motivum excellentius, benefacit enim proximo propter Deum, cui cùm debeat omnia, eiuſque continuæ bonitati conetur reſpondere, nunquam à benefaciendo deſiſtet, animo ſemper vltra facultates munifico.

MAIORITAS. Anguſta, debilia, impotentia ſe contrahunt; vnde avaritiæ ſubjacent infirmi, fœminæ, ſenes: at diffuſio arguit potentiam, fortitudinem adverſa non metuentem, ſed provocantem, & in aliis iam ſuperantem. Gaudet etiam humanus ſenſus, potentiæ ſuæ ſpectaculo, cum videt humiliatum coram ſe auxilium petentem: alia Chriſtiano divite mens; dum enim ſe majorem conſiderat in bonis fortunæ, timet ne ſit minor in bonis gratiæ: agit perſonam procuratoris Dei in tali diſpenſatione, pauper autem quaſi creditoris, cui Deus promiſit ſubſidia; timet ne plus exigatur ab eo, cui plus commiſſum eſt. Quid hæres avare, centuplum tibi promittit, qui nec fallere nec

falli poteſt: ita ne te oportet ad debitum officium, tam ingenti præmio propoſito, duci?

ÆQVALITAS. Æqualis ad cœlum è tugurio, ac è palatio via: æquales naturâ animæ, ad æqualem vocati eſtis hæreditatem; hanc ille patientiæ ſuæ exercitio debet promereri, tu bonorum tuorum largitione; duæ ad coronam viæ, forte non æquales, quia lata, plana, ſenſibus blandiens divitum via, ſæpe fallit in contrarium ducens. Debes tuis largitionibus reducere ad æqualitatem homines adverſo aliquo caſu dejectos, ſed tibi naturâ æquales; gratiâ, meritis, jure- A que cœleſtis hæreditatis fortè ſuperiores.

MINORITAS. Veneranda debet eſſe Chriſtiano paupertas, quâ maximè Chriſtus vſus eſt ad totius orbis reparationem; ſi te illi non addicit, ſaltem ſubvenire vult divina providentia; Deus qui bona tibi precario conceſſit, a te, minutatim ea & ſine magno facultatum diſpendio, ſub perſona pauperis, repetit. Etſi minuatur patrimonium terreſtre, augetur cœleſte: fortificantur à natura partes magis exercitatæ, & à Deo facultatis charitatis officiis magis addictæ &c.

VERITAS BONITATIS.

QVOD SIT VERVM BENEFICIVM.

MISCELLANEA.

ANIMA corpus alit, ipſum non gravando; cœli influunt in inferiora, nihil ab ipſis accipiendo; ita de Angelis ſanctis, ipſoque Deo, qui bonorum noſtrorũ non indiget: ſic gratis debet fieri beneficium ab eo, qui id poteſt.

In aureo ſæculo, terra fructus, etiam non exculta dabat, vt refert Heſiodus: idem dicitur Geneſ. de terra recens creata, & de paradiſo terreſtri.

Virtus nec lucro invitatur, nec abſterretur damno; calcatis vtilitatibus ad illam eundum eſt: rerum honeſtarum prætium in ipſis eſt; tale eſt beneficium, ſi recipiendi ſpe tribueremus, locupletiſſimo cuique, non digniſſimo daremus; Reges, ipſique Dij, ſibi ſufficientes, beneficium non conferrent. Senec. lib. 4. de benefic. cap. 1. Sic naufrago & advenæ nunquam in conſpectum noſtrum rediturо damus; ſic in teſtamentis nihil recepturi beneficia conferimus. Beneficium ſpectare debet commodum eius cui præſtatur, non noſtrum, alioquin nobis, non illi damus: mercator vrbibus prodeſt, medicus ægris, ſed quia omnes iſti ad alienum commodum pro ſuo veniunt, non obligant eos quibus proſunt; animalia quæ vſui ſunt alimus; agros vt fructum percipiamus colimus; quid magnifici eſt ſe amare, ſibi parcere, ſibi acquirere? Ibidem c. 15.

Pudeat vllum venale eſſe beneficium, gratuitos habemus Deos, & ſceleratis ſol oritur, & pyratis patent maria. Idem.

Cicero dicebat Rempublicam non poſſe, aut parum, aut nimis tarde, bonum ſuum civem remunerare, ſatis enim in ipſo ab eo præſtito beneficio fuit illi remunerationis.

Beneficiorum ſimplex ratio eſt, tantum erogantur; ſi reddet aliquid, lucrum eſt, ſi non reddet, damnum non eſt, alioquin in formam creditи tranſeunt. Seneca. 1. de Benefic. cap. 2.

Iſta quæ dantur ſunt meritorum ſigna, non merita; non poteſt beneficium manu tangi, animo cernitur; multum intereſt inter materiam beneficij, & beneficium, quod in dantis voluntate conſiſtit, ideo fortunæ non ſubditum: per hæc officioſa miniſteria ſe vo- A luntas amica explicat, vt corona, purpura, non eſt honor, ſed honoris inſigne. Ipſa quæ appetuntur neutram naturam habent, nec boni, nec mali; determinantur à voluntate, tanquam à forma; vt honor Deorum, non eſt in victimis, licet auratis, ſed in pia voluntate venerantium. Itaque ſæpe plus dat, qui Regum opes æquavit animo; qui exiguum tribuit, ſed libenter, qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpicit; qui non voluntatem tantum iuvandi habuit, ſed cupiditatem; qui accipere ſe putavit beneficium, cum daret. Idem cap. 6.

Initio Imperij Romani Dij fictiles, cum tunc maximè eſſent propitij. Idem. Epiſt. 31.

In ferro, in telo, ſemper eadem vis, ſed intereſt B quam forti, aut remiſſo lacerto excutiatur; ſic quo animo detur beneficium. Idem.

Aut nihil donamus, aut omnia; qui rem aliquam non animum nobis dat, hic non donum offert, ſed vel commendat depoſitum, vel emit nos, vel aucupatur: at ſubito cuncta largitur, qui mentem dat omnia poſſidentem Marſil. Ficin.

Debet quiſque de ſuo, non de alieno eſſe liberalis: nam non eſt beneficium, ſed geminum potius maleficium, ſi quod dignis ademptum eſt, indignis conferatur; non ſpolia, ſed dona quæruntur. Senec.

Verum eſt Principis beneficium, quod non eſt coniunctum cum alterius iniuria: vnde ornando civitatem ædificiis publicis, debet reſarcire damna, quæ C inde privati patiuntur. Sic fecit Tiberius. Tacit. Ann. lib. 1. Sic imperfecta ædificia complere, non tollendo nomen eorum, qui illa incœperant; ſic militibus non ſunt danda præmia, quæ gravent populum, hinc enim ſeditiones.

Principis beneficium debet eſſe purum, ſine præmio, vnde Hercules, Bacchus, & alij Heroës; qui populos à tyrannide liberatos ſui iuris reliquerunt, nihil ab illis ſperantes, habiti ſunt vt Dij; hoc imitati ſunt ſaltem apparenter Romani, quod miratur Livius Decad. 4. lib. 3. nu. 3. c. 58.

Omnes deſiderant amicitiam eorum Principum, qui ita ſunt potentes, vt non indigeant auxilio, ita iuſti, ita boni, vt illud amicis non negent.

Cum Princeps confert gratiam, debet excludere omnes excusationes, vt vera appareat.

Hepati appenditur folliculus fellis, estque ad lienia, qui confectus in iecore sanguis, non prius per venas vniverso corpori distribuitur, quam suis impuritatibus repurgetur.

Actio transiens non est in agente, sed in passo; perficit operatum, & non operantem.

Vniversales causæ à particularibus effectibus non moventur; vnde ab intelligentiis nostris divina non moventur, sed sunt Sacramenta divina, quæ divinam provocant voluntatem; atque ita divina à seipsis incitantur, neque ab vllo subdito, principium actionis accipiunt. Iamblicus de myst. cap.20.

Primus motor, nihil accipit ab inferioribus.

Dæmones, qui sunt nobis præstantiores nullam naturalem vtilitatem à nobis accipiunt; aut enim non indigent, aut ipsimet sibi abundè suppeditant. Iamblicus de mysteriis cap.9.

Plato in Timæo, dicit Deum mundum creasse, quia cum bonus esset, nullaque invidia tangeretur; omnia sibi, quantum poterant, similia esse voluit.

Lumen corpora omnia diaphana penetrat, sine vlla vel illorum, vel sui ipsius offensa.

Partium corporis triplex est vtilitas, aut enim referuntur ad vitam ipsam, aut ad commodiorem vitam, aut ad horum duorum conservationem. Galenus l.6. de vsu partium.

Vera bonitas, quæ vnicuique est conveniens. *Vide Differentia Bonitatis.*

Seulicides aves vocantur, quarum adventum ab Iove precibus impetrant Casi montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus: nec vnde veniant, quove abeant compertum; nunquam conspectis, nisi cùm præsidio earum indigetur. Plin. l.10. cap.27.

Verum beneficium est, quod sponte datur, non precibus extortum. *Vide Duratio Bonitatis Repug.* celeritas in dando.

Gratior oleæ succus, si arbor non fuerit labore irrigata, nihilque aliud quam rores cœli biberit. Plin. lib.15. cap.1. Verum beneficium est, quod sola præstat cœlestis charitas; non spes paria recipiendi: & addit. Cum oleæ curâ aut imbribus multum irrigantur, crescit caro, oleum absumitur, nisi consequutâ serenitate, quæ corpus extenuet; est enim olei causa calor. Ibidem.

Qui civem servasset, donabatur civica corona, ex quercu. O mores æternos, qui tanta opera honore solo donaverint, & cum reliquas coronas auro commendarent, salutem civis in prætio esse noluerunt; clara possessione, servari quidem hominem nefas esse lucri causa. Plin. l.16. c.4.

EX IVRE CIVILI.

DE legatis. Instit.2. tit. 20. ff. 30.31.32. Hoc est de legatis puris, & sine conditione.

De testamentis, & quemadmodum testamenta ordinentur. ff.28. tit.1. Cod. 6. tit. 23.

Cujus per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est. l.53. ff. de reg. Iur.

Acceptilatio est imaginaria solutio, si facta sit ex causa donationis, omnem viam agendi perimit. l.2. C. de acceptilat.

Quæ filius accipit à Patre studiorum causa, conferre non tenetur in hæreditatis divisione, quia non credendi animo, sed debita pietate subministravit. lib. 50. ff. famil. Erciſc.

Si quis indebitum, sciens indebitum, solvit, cessat repetitio, quia censetur donasse. lib. 1. ff. de condict. indeb.

Mandatum est conventio, qua roganti fides datur procurandi aliquid sine mercede. l.1. ff. mand.

Beneficium conferre non dicitur ille, qui facit illud ad quod per legem obligatur. l. si arrogator. ff. de adoptio.

Prætoris beneficium non debet esse alicui captiosum. l.39. ff. de evictio.

Beneficium iam defuncto, quasi viventi concessum, non valet, nec prodest hæredi nisi concedens expressorit. l.191. ff. de Reg. Iur.

Non est verè donatio, in qua aliquod pactum apponitur l.20. ff. de reb. cred.

Non obligatur Pater ex mutuo filio dato, nisi in rem eius versum sit. l.3.§. 4. ff. de in rem vers. sic civitas; l.27. ff. de reb. cred.

Lucrum dicitur deducto damno, & damnum deducto lucro. l.30. ff. pro socio.

Si quod mihi eras legaturus, rogavi vt dares vxori, non videtur esse donatio, quia nihil ex bonis meis diminuitur. l.31. ff. de donat. inter vir. & vxorem.

Nudus minister nullum commodum sentire debet l.88. ff. de leg.2.

Qui sciens in alieno fundo ædificat, videtur donare. l.7. §.12. ff. de ad q. rer. dom.

Onera in adoptionem dati, Patrem adoptivum sequuntur. l. penult. ff. de adoptio. Tamen dignitas adoptati non minuitur. l.35. eodem debet enim beneficium auxiliari, non nocere.

Accepisse videtur, quando quis liberatus est obligatione. l.116. ff. de Reg. Iur.

Edificans scienter in alieno solo de sua materia, intelligitur donare. l. adeo. §. ex diverso. ff. ad exhibend.

Æstimatio viliori prætio facta, videtur facta donationis causâ. l.12. ff. de iure dotium.

Alimentorum præstatio facta in necessarias personas, non dicitur liberalitas, sed debitum. l.1. §. sed nonnullos. ff. de tutelis.

Eius est qui beneficium tribuit, etiam modum illi ac finem præscribere. l. in commodato. §. sicut autem. ff. commod.

Beneficium concessum à Principe, intelligitur concessum sine injuria alterius. l.2. §. meritò. ff. ne quid in loc. publ.

Capere videtur quis tantum, quantum sibi remanet, deducto eo quod solverit, causâ conditionis implendæ. l. 62. §.1 ff. de conditio. & demonst.

Valet legatum, etiamsi falsa demonstratio, vel causa dicatur. Gloss. in Rubr. de conditione & demonstrat.

Dari potest in adoptionem infans. l.42. ff. de adoptio. qui scilicet nihil adhuc potuit mereri.

Pactum filij & servi, ad patrem & Dominum pertinent, in quantum prosunt, non in quantum nocent. l.21. ff. de pact. sic pactum Procuratoris pertinet ad Dominum. l.10. eodem tutoris ad pupillum. lib.15. eodem Magistri Collegij ad Vniversitatem. lib. 14. eodem.

Res est æstimanda, provt valet vnita, non divisa. l.53. ff. famil. ercis.

Nemo invitus cogitur benefacere. l. fin. C. de aliment. pupil. præst. lib.2. C. quando & quibus quart. pars.

Vini quod debetur æstimatio; sumenda est à tempore quo debuit dari, & loco, si conventum est; si

Digitized by Google

non eſt conventum à tempore petitionis,& loco,quo petitur l. vinum. 22. ff. de reb. cred.

Donatio eſt propriè ea, quæ propter nullam aliam cauſam fit, quam vt liberalitatem & munificentiam exerceat. l. 1. ff. de donat.

Donatio poteſt fieri liberando debitorem. l. 17. eodem.non eſt vere donatio quæ fit ob rem l.19.eodem.

Fiſcalem cauſam advocatus fiſci non debet deſerere,prætextu ſalarij non ſoluti. l. 1. Cod. de advoc. fiſci.

Libertus non poteſt reduci in ſervitutem, ob id quod promiſſas operas non præſtet Domino. l. 30. C. de liber. cauſ. quia non ob id, ſed liberaliter cenſetur libertate donatus.

Suſcipiens expoſitum, non efficitur Dominus ejus, etiamſi ea mente ipſum ſuſcipiat. l. 3. C. de infantibus expoſ.

Brevitas ſcripturæ non officit donationi. l. 13. C. de donat.

Gratuita remiſſio actionis ex maleficio, vt ex furto, eſt donatio. l. 18. C. de donatio.

Beneficium nihil aliud eſt, quam benevola actio, tribuens gaudium capientibus, capienſque tribuendo, in id quod facit prona, & ſponte ſua parata, ex Seneca. lib. 2. Feudor. tit. 23.

Expenſæ quas munere pietatis fungens mater, & pro liberis contra ſuſpectos tutores intercedens, fecit, non repetuntur, quia nec animo repetendi factæ videntur. l. 1. C. de neg. geſt. Nec etiam affectione domeſtica factas quis repetit.

Libertus obſequium neceſſarium præſtans patroni filiis, non habet actionem negotiorum geſtorum. l. 5. eodem.

Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.

Beneficium voluntarium, non neceſſarium, præmiandum eſt. l. qui ex eo. ff. de bo. lib.

Invitus non poteſt dari Curator, niſi magna neceſſitate, hoc Imperatoris arbitrio procedat. l. 2. ff. de curat. bonis dando.

Recolligentes pueros expoſitos, non fiunt eorum Domini, ſed hi naſcuntur ingenui, etiam ex ſerva. l. 25. C. de Epiſc. aud.

Si res data ſit ſub eo pacto legis commiſſoriæ in pignus, vt ſi pecunia certo tempore Domino non reſtituatur, ſit illi res in feudum, non valet: quia feudum, non prætextu pecuniæ, ſed amore Domini dandum eſt. 1. Feudo. cap. 27.

De ſucceſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones. Inſtit. 3. tit. 13.

Vt eunuchi adoptari poſſint. Leo. No. 26.

Piſcatores falſas pharos noctu accendebant, in quas alliſas naves depræda bantur, hoc prohibentur facere. l. 10. ff. de incendijs & naufragio.

De Magiſtris, & ne quid exigatur pro licentia docendi. dec. 5. tit. 5.

Non licet Clericis vel Laicis vſuram accipere. 14. quæſt. 4.

Eleemoſinæ non ſunt de vſuris faciendæ. 14. q. 5.

Gratis iuſtificamur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 8.

Vide gloria Medij. Repug. Gratuitum Officium.

EX THEOLOGIA.

BOnum addit ſupra ens, reſpectum rationis ad appetitum. 1. q. 5. art. 1. ad 1.

In divinis Potentia appropriatur Patri, Sapientia filio; Bonitas Spiritui ſancto. 1. q. 30. a. 7. & 8.

Omne bonum, eſt bonum ſola ſimilitudine divinæ bonitatis. 1. q. 105. 2. 5.

Datio duplex, ſcilicet ex debito, & ex amore, in prima poteſt eſſe vitium acceptationis perſonarum, non autem in ſecunda. 1. q. 23. a. 5. ad 3.

Quælibet forma ſubſtantialis, dat eſſe ſimpliciter, & quælibet forma accidentalis dat eſſe ſecundum quid. 1. q. 76. a. 8.

Solus Deus eſt maximè liberalis. 1. q. 44. a. 4. ad. 1.

Promiſſio facta fuit Abrahæ, non quidem propter meritum eius, ſed ex gratia Dei. 1. 2. quæſt. 98. art. 4.

Adoptare, eſt admittere ex gratia ad participandam hæreditatem. 3. q. 23. a. 1.

Angelus inferior illuminatur à ſuperiori, cum non poſſit illum illuminare. 1. q. 106. a. 3. q. 107. a. 2.

Angeli docent homines, & non docentur ab eis. 1. q. 117. a. 2.

Natura non dicitur gratia gratis data, quia includit debitum naturæ, & non debitum meriti, gratia vero omne debitum excludit. 1. 2. q. 111. a. 1.

Chriſtus non meruit incarnationem, nec aliquis purus homo ex condigno, ſed tantum ex congruo. 1. 2. q. 98. a. 4.

Gratia non poteſt cadere ſub meritum, quia eſt principium merendi. 3. q. 2. 2. 11.

Munus datum vel acceptum pro re ſpirituali, quaſi prætium eius, eſt ſimonia, non autem quaſi ſtipendium; & eſt triplex munus, ſcilicet munus à manu, à lingua, & ab obſequio. 2. 2. q. 78. a. 2.

Mutuum debet fieri gratis, ſine vſurarum acceptione. 2. 2. q. 78. art. 2.

Qui dat Eleemoſynam propter inanem gloriam, amittit meritum, quia vult id quod de ſe eſt bonum, ſub ratione mali. 1. 2. q. 19. 2. 7. ad 2.

Vera bonitas Dei eſt in prima gratia, quam confert ſine meritis noſtris. *Principium Virtutis*, prima gratia. & in gloria, quam vitam merita noſtra confert. *Vide Major. Gloria.*

EX BIBLIIS.

NEmo bonus niſi ſolus Deus. Luc. 18.

Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Pſal. 15.

Abſtinere à muneribus. *Vide Volunt. Bonit.*

Non eſuriet, neque ſitiet, qui cuſtodit Iſraël. Pſ. 120.

Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, & claudos, beatus eris quia non habent tibi retribuere. Luc. 14.

Elizæus 4. Reg. 4. jubet vaſa vacua impleri.

Eſurientes replevit bonis. Luc. 1. Elevat de ſtercore pauperem. 1. Reg. 2. Tibi derelictus eſt pauper. Pſ. 9.

D. Paulus. Rom. 12. enumerans diverſas gratias: qui tribuit, inquit, in ſimplicitate, qui miſeretur in hilaritate; odientes malum, adhærentes bono.

Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Epheſ. 2. de gratia, quæ datur ſine meritis. *Vide Principium Virtutis.*

EX PATRIBVS.

NOn ex te proficit fons de quo bibis, nec lumen quo vteris; ſic nec Deus ex te; ſi fueris ſine Deo, minor eris, ſi fueris cum Deo, major Deus non erit; integer manet te accedente, & recedente. D. Aug. tract. 11. in Ioan.

Tu ſolus es Domine, cui dominari ſuper nos, hoc eſt ſalvare nos; noſtrum vero ſervire tibi, nihil eſt aliud,

aliud, quam à te ſalvari. D. Bernard. in Soliloq.

Can. 2. Sponſus dicitur paſci inter lilia; Gaudium Domini fortitudo noſtra, dicitur paſci, quia nos paſcit, de noſtro ſpirituali profectu, & noſtra innocentia gaudens. Idem. ſerm. 71. ſuper Cant.

Dominus eget opera ſervi, & ſervus mercede Domini, itaque nullus proprie eſt Dominus aut ſervus; ſed dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. D. Aug. in Pſal. 69. Geneſ 1. dicitur terra erat inanis & vacua & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ideſt ſancta Dei benevolentia & dilectio nullius indiga, creaturæ indigentiam abundantia ſua ſublevabat; vnde Apoſtolus, ſupereminentem charitatem vocat. Epheſ. 3. Superferri ergo dicitur ſpiritus Dei, non loco, ſed omnia ſuperante & præcellente potentia. D. Auguſt. lib. 1. de Gene. ad litter. c. 7.

Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, Math. 7. Siniſtram vetat miſceri operibus dexteræ; ideſt ſpem temporalis commodi, ſive à Deo, ſive ab homine in danda eleemoſyna. Idem. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 2.

Eleemoſyna, quo animo, & qua humilitate danda; Vide apud Salvianum lib. 1. ad Eccleſ. Catholic.

INVITIS BENEFACERE.

Sic ſanantur & curantur ægri, meticuloſi pueri, frenetici; ſic leges divinæ & humanæ nos ad bonum cogunt; ſic parentes liberos, Magiſtri diſcipulos. *Vide Bonit. Contrar. & Contr. Vol.*

Poteſt invito Domino theſaurus in alienis ædibus conquiri & fodi: cuius & media pars cedet Domino. l. 3. & l. quoſdam. C. de Metall.

Viſio in beatis non pendet ab eorum voluntate, ideo non poſſunt ab ea ceſſare. D. Tho. 2. 2. q. 5. a. 4.

Vide infra *Minorit. Bonitat.* quando beneficium invitis eſt negandum, aut conferendum.

DEMONSTRATIO.

QVALE SIT VERVM Beneficium.

BONITAS. Beneficium eſt effectus amicitiæ, iuſtitiæ, charitatis, quæ ſunt virtutes ad alterum: vnde ille tantum beneficus habendus eſt, qui non ſui, ſed alterius tantum contemplatione beneficium confert, nec enim eſt beneficium terram colere, vt meſſem colligas, ſervos, iumenta paſcere, vt illorum vtaris opera.

MAGNITVDO. Si eſurienti datur, fames eſt ſatianda ſufficienti alimento, non irritanda minutis fragmentis, quæ patientis ſupplicium, non levent, ſed protogent: vt rebus omnibus ſic beneficiis ſua eſt debita quantitas, habita ratione dantis & accipientis: integrum debet eſſe, non oneroſis conditionibus permixtum, vt alimenta magis probata, minus habent excrementorum.

DVRATIO. Prius profiteris amicitiam quam conferas beneficium: ita te prius das, quam ipſum beneficium; ſi te das etiam tua, quæ quodammodo facta ſunt illius, cui in futurum auxilia promiſiſti. Ergo vt verum ſit, debet eſſe continuum. Maximè bonæfidei eſt hic contractus, vnde non debes moras quærere, & parvam quantitatem minutatim partiri,

A in accipientis beneficium, vt diutius videaris beneficus, vtque ſuperbè gaudeas, coram te patientis & inclinati ſpectaculo: præſenti ſerviendum neceſſitati, quod futurum eſt divinæ providentiæ relinquendum.

POTESTAS. Beneficia naturæ tali fiunt magnificentia, vt eum cui conferuntur, potentem reddant ſimilia conferendi, vt patet in lumine, qui à corpore illuminato reflecti poteſt; maximè autem in generationibus, quæ ſimile producunt, cum eadem generandi facultate, in ſeminibus, quæ alia innumera virtute continent. Non eſt vera, ſed anguſta ſteriliſque tua beB neficentia, quæ cum poſſit, ſibi ſimilem non producit, id eſt non alienatis, nec exhauſtis tuis facultatibus.

COGNITIO. Beneficentiæ, ſicut cæteris virtutibus, facem debet præferre Prudentia. Itavt fiat habita ratione circonſtantiarum loci, temporis, maximè, perſonarum; alioquin non eſt dare beneficium, ſed proiicere, ſi non des ex matura electione. Cavenda etiam eſt in illis ſuperba oſtentatio, qua fit vt plus detrahat, quam proficiat munus tuum accipienti. *Vide Cognitio Bonitat. Rep.*

C VOLVNTAS. Verè in affectu conſiſtit beneficium; vnde plus cenſetur dare, qui minus dat cum ingenti affectu; vt illa vidua, quæ in gazophilacium miſit duos denarios, ſibi alioquin neceſſarios: non creditur autem verus affectus, ſi ſuppoſita potentia, non veniat ad effectum; neque eſt vera voluntas, vbi eſt metus, vis, dolus, à quibus ſi dans liber eſſet, non conferret.

VIRTVS. Non erit vera beneficentia, niſi adſint aliæ virtutes in dante; nam intemperantes non ſunt benefici, imo rapinas exercent, vt luxui poſſint ſufficere, nec etiam eſſet beneficium redimere quam proſtituas: leges etiam non probant donationes factas, vt crimen committatur. tot. tit. Cod. de condict. ob turp. cauſ. Fortitudo in dante neceſſaria; vt non deterreatur hoſtium eius, cui dat, indignatione, vt non metuat adverſos caſus, in quibus id quod dat poſſet illi eſſe neceſſarium. Prudentiæ munus eſt ſic diſpenſare neceſſitatis ſubſidia, vt fluat, non exſiccetur beneficiorum rivulus. Præcipuum iuſtitiæ munus eſt D egenti largiri, quia quæ tua putas, ſua ſunt, cum eſt in extrema neceſſitate; tum lege naturæ, qua fecit omnia communia, & cui in totum non poteſt derogari iure poſitivo.

VERITAS. Leges divinæ te docent: Deus enim omnium Dominus, tibi hanc conceſſit poſſeſſionem, ea lege, vt egenti ſaltem ſuperflua diſtribuas: amittis dominium, ſi non imples conditionem, ſub qua tibi à Domino conceſſum eſt: noli falſa ſpe decipere petentem, dic ſincerè quæ poſſis conferre, vt aliunde quærat quæ à te non eſt acceptarus, ne non redituræ occaſiones elabantur.

GLORIA. Beneficium, vt dictum eſt, eſt benevola actio, gaudium in dante & accipiente generans; ſi detur læto vultu, probat affectum dantis, qui ſic meretur affectum accipientis, lenitque ipſius pudorem. Vnde ſolebant antiquitus in donationibus & legatis, inſerere titulos ad laudem donatarij, & legatarij, ſic apud Senecam. l. 3. declam. vlt. Mercator vicini vxorem hæredem inſtituit, cum hoc elogio, quia caſtam repererat. Vide l. 27. ff. de donatio. Provideat neceſſitatem patienti, vt vulnerato Chirurgus, qui debet mederi, rectè, eleganter, celeriter, & abſque dolore ſi fieri poſſit; ſi ex ſincera charitate detur beneficium, pariet in dantis corde lætitiam, quæ eſt centuplum poſſeſſionis in Evangelio promiſſum.

DIFFERENTIA. Non vni tantum, ſed pluribus benefaciendum; vt enim ſemina, ſic beneficia, non niſi ſparſa coaleſcunt; ſic ſalvatur in vno, quod perit in

altero, & vnius gratitudo compenſat alterius ingratitudinem, vt vnius anni fertilitas, alterius ſterilitatem. Ordinata etiam debet eſſe charitas, vt ij, quibus magis debemus, magis accipiant; præferendo conſanguineos externis, malis bonos, vt Deo, propter quem datur, proximiores.

Concordantia. Cum bonum ſit in convenienti, convenientia perſonis danda beneficia; equi, arma, honores, militares dignitates, nobiliora inſignia, dantur nobilibus; pecuniæ, exemptiones onerum, vtilia denique plebeis, ad quid enim cibi, etiam prętioſi, ſi guſtui non placeant?

Contrarietas. Non eſt vera donatio rei litigioſæ, ad cuius proſecutionem, plus eſt laboris & periculi, quam ſpei. Rem hanc non videris dare, ſed pro derelicto habere; quaſi ab hoſte obſeſſus, rebuſque deſperatis, cedis alteri locum, quem non vales defendere; turpis fuga turpius vult tegi, affectatæ liberalitatis titulo.

Principium. Hic valet regula iuris, quod ab initio non valet, ex poſt facto non poteſt convaleſcere; Perit enim beneficium eo ipſo quò datur, avarè, cunctanter, contumeliosè; quod ſi ex illo tam malè dato, ingens aliquod commodum obveniat, bonæ meæ fortunæ, non tuæ liberalitati eſt imputandum. Non tamen minus ſunt obſtricti de ſua educatione filij parentibus, quos ad hoc munus præſtandum incitat natura; vt enim parentibus imprimit legem beneficij, ſic filiis gratitudinis; duplicatum beneficium vitæ, & educationis, conſtanſque hæc, & non deficiens voluntas, majorem meretur gratiam.

Medium. Principes ſolent gratias à ſeipſis immediate largiri; ſic totum illis debetur. Maiori cum honore, minori cum labore, periculo, dependentia exhibetur donum; quia miniſtri ſervitutem, moras, etiam, rapinas exigunt.

Finis. Ex intentione fit beneficij æſtimatio, vt ſi parvam pecuniam dederis, ſed opportunè, & ea mente, vt illa mihi prętioſum quid comparatem; videris enim illud prętioſum dediſſe, cum dederis quo haberem, & me tibi hac in emptione prætuleris. Non ſunt cuiuſquam inexhauſtæ facultates, vnde etiam beneficus eſt, qui vult, & non poteſt continuare beneficium.

Maioritas. Optandum eſſet, vt ſemper creſcendo conferretur beneficium; ſic enim altius in recipientis affectum deſcenderet. Illi tamen hac arte non debet noceri, itavt deſis negotiis, majora quam quæ das petentibus: plus enim noces doni ſufficientis repulſa, quam proficias dilata beneficij oſtentatione. Magnificum eſt dare pluſquam neceſſitas exigat, ſic enim non tam videris dare neceſſitati, quam meritis perſonæ; lætior recipiet commodum ex mala fortuna, meru in fruitionem converſo; ſic fœlix dicitur culpa, quæ Chriſtum nobis meruit redemptionem.

Æqualitas. Semper dicitur fons, qui perennem, licet non ſemper pleno alveo fluentem dat aquam, æqualitatem animi, non bonorum præſtare poteſt amicus, tuum eſt illius facultates obſervare, vt proportionata petas, aut accipias.

Minoritas. Poſſunt eſſe circunſtantiæ, in quibus negare beneficium, ſit conferre. Non dabo tunc, cum avidæ tyranni aut ſævi creditoris manus eſſent illud rapturæ, non dabo, crimen meis pecuniis commiſſuro: Celabo amicitiam meam, tunc cum inimici mei in te invidiam & impetum concitaret; in hydropici cura, negatur potus, non perſonæ, ſed morbo.

REPVGNAT.

FALSVM BENEFICIVM injuriam inferens ſub ſpecie auxilij.

AVtumnus morbos acutos, & exitioſos generat, quia ſuo calore per meridiem, cutem corporis rarefacit, & aperit: mox intra corpus, tanquam hoſtis frigus irruit, & calorem nativum iam languidum, ſua qualitate mala extinguit. Hipoc. Aphor. 9. lib. 3.

Auguſtus dedit gratiam & vitam Q. Ganioni, qui in eum conſpiraverat, ſed brevi poſt, rebus magis ſecuris & opportunis, fecit eum clam occidi: ſic ſe geſſit. Iul. Cæſar erga M. Marcellum.

Extranei milites ſæpe occupaverunt Imperium, ad cuius auxilium advocati fuerant; ſic Turca Orientem occupavit. Alia exempla vide apud Bodin. 5. Reip. c. 5.

Ramo olivæ allectas beſtias abducere à ſuis dominis & furari. V. ff. de Abigæis.

Panthera ſuavi ſuo odore allicit ad ſe animalia, quæ laniat, & devorat.

Mali medici experimenta per mortes agunt, & non vt latrones in montibus, ſed in vrbibus rogati necant quos ſanare putantur.

Alchimia, ſpe divitiarum fallaci, corpus animam, bona, fortunamque deſtruit.

Fallimur in iudiciis Aſtrologiæ, quia vires Aſtrorum, maximè fixorum non bene novimus; nocent enim ſæpius, quæ prodeſſe putantur. Cardan. lib. de tempor. & motuum reſtit. cap. 11.

Transfugis non eſt fidendum, ſunt enim ſæpius proditores, & exploratores.

Interdum ex Narcoticis, & ſtupefacientibus medicamentis, oritur gangrena, extinctis ſpiritibus, & calore nativo.

Veſtales de ſtupro convictæ, vivæ ſepeliebantur in ampla caverna, in qua apponebatur panis, oleum, lac, cum lucerna, ne viderentur fame necari.

Multi advocati à populis quaſi protectores, tyrannidem occupaverunt.

Aulici falſis laudibus concitant Principis invidiam, in eum quem volunt hac ſimulata amicitia perdere.

Multa munęralia, aliaque venenata ſunt alba, vnde ab albis abſtineat qui venenum timet. Mathiol. lib. 6. in Dioſcor.

Interdum fit quædam conſiſtentia in aëre, melli & mannæ ſimilis, ſed ex vaporibus fœtidis fuliginoſiſque congregatis, qui mox defluentes, ſua impuritate, & venenoſo æſtu tenella necant ſemina.

Romani ſub ſpecie præſtandi auxilij, populos ſocios faciebant ſibi ſubditos.

Plinius Nat. hiſt. lib. 2. cap. 2. ridet mortales, qui in defectu lunæ immortalis ſyderis voluerunt auxiliari diſſono crepitu; noctis, ad talis ſpectaculi contemplationem aptæ, quietatem ſic turbantes.

Fontes quidam lapideſcere faciunt agrum, quem irrigant.

Vt ex corporibus fluunt imagines, quæ quaſi corpora deludunt oculos; ſic ex animabus prodeunt imagines animales, quæ ſunt quaſi animæ; talia ſunt bona ex opinione, non tantum inania, ſed nociva. Plotin.

Tyranni volunt initio videri clementes, pij, humani, vt poſtmodum facilius ſub hac larva, ſæviant in populum.

Vanæ Principum ſpes, quæ pro levi commodo, gravia, publica, duratura inferunt damna.

Vicinarum Provinciarum Rectores, ſi verè non ſint amici, ſuſcitant aut patiuntur evenire pericula, vt auxilij à ſe præſtandi neceſſitas magis effulgeat; ſic malli chirurgi plagas, ad lucri continuationem, irritant; ſic ex Tertuliano, Dæmones olim vexabant homines, vt cum lædere deſinerent, miraculo ſanaſſe crederentur.

Quidam Principes, videntes duos alios ſe bello laceſſentes, parvum, lentumque dant auxilium, vt ſe mutuo debilitent & conficiant.

Vrbi obſeſſæ longiores induciæ, quam eas quas petit, ſunt vltrò concedendæ, ſi auxilium non veniat. vt oſtendatur omnem illi ſpem eſſe ſublatam, eamque ſic in deſperationem adducas.

Creditores, novo mutuo, antiquas augentes vſuras.

Non eſt recipiendum auxilium ab æmulo Imperij, & à gente naturaliter inimica.

Mare naves ad commercium recipit, & abſorbet.

Mercatores, qui propter merces à ſe allatas habent facilem acceſſum ad caſtra, poſſunt eſſe exploratores.

Cives ambitioſi, ſub ſpecie boni publici, ſuam ſtabiliunt authoritatem.

Affectiones morborum, quæ abſque vllo auxilio, vel artis vel naturæ ceſſarunt, ſuſpectam, infidamque ſolutionem ſortiuntur; & mortalem recidivam. Galen. comm. in 2. in Pror. c. 57.

In Thracia, Chironi medico homines immolabantur. Cyrill. Alex. lib. 4. contra Iulianum.

Argis obſeſſis, Lacedemonij miſſi in auxilium, patriam vaſtaſſent, niſi Alcibiades huic perfidiæ obſtitiſſet. Plutarch. in Alcibiade. Syracuſis tyrannide afflictis, Lacedemonij & Athenienſes mittunt auxilium, ipſa tyrannide pejus. Idem in Timoleon.

Zeuxis uvæ pictæ, ad quas aves advolabant; Magorum ficta convivia.

Braſidas per clypeũ in bello vulneratus, quomodo eſſet vulneratus quærenti, reſpõdit, prodente me clypeo.

Ad omne fortuitum bonum, ſuſpicioſi pavidique ſubſiſtite, & fera & piſcis ſæpe aliquo oblectante decipitur; munera iſta fortunæ putatis, inſidiæ ſunt. Senec. Epiſt. 8.

Viſcata iſta vitemus beneficia, in quibus in hoc miſerè fallimur, habere nos putamus, habemur: in præcipitia curſus iſte deducit; huius eminentis viæ exitus, cadere eſt. Ibidem.

Dionyſius Tyrannus Iovi Olympio auream veſtem abſtulit & laneam dedit, dicens, & ætate, & hyeme magis convenientem.

Animone Danai Regis filia, fugiens Satyrum qui vim minabatur, Neptunum implorat, à quo paſſa eſt, quod à Satyro metuebat.

Apud Ægyptos capite damnatis, pridie quam morerentur, convivium exhibebatur.

Accepto vulnere, ſpiritus cum copia ſanguinis accurrunt, ſed interim vitæ theſauros profundunt, & inde mors.

Multa ſunt loca, quorum eſt læta ſuperficies, ac ſub ea moles ſaxa vel venena.

Sylla virgineo vultu, ad vterum monſtra latentia habebat; pulchra laborans morbo venereo, alioſque inficiens.

Accipitres albi in nivoſis montibus.

Romani vrbem obſidentes, ſpecie pietatis Deos eius tutelares evocabant; poſtea vim omnem hoſtilem exercebant.

Milites ſæpe plus mali, quam auxilij inferunt populis. *Vide Minor. Contrar. bon.*

Menades vela pãpinis & hedera intertexta vibrabãt.

Plagiarij liberos adoleſcentes muneribus allectos, vt ſervos vendunt.

Hoſtes mentito habitu auxilium ſimulantes. *Vide Cognitio Contrariet. Repug.*

Bona fortunæ non eſſe vera bona; quia ſunt innumeris malis permixta. Vide Ariſtot. 1. Moral. Nicomach. c. 4. & ſeqq.

Parcendo non parcitis, & dum venales moras quæritis, debiti onera duplicatis, gravius enim percutit, qui blandiendo graſſatur, & ſub indulgentia lædit, qui conſuetis temporibus exigere tributa diſtulerit Caſſiod. Epiſt. 10. lib. 12. variar. & c. 2.

Mel qui guſtare videtur in ſomnis, morbi iudicium eſt ex flegmate.

Quibus in mamma ſanguis colligitur, furorem ſignificat Hypo. lib. 5. Aph. 40.

In corpore ſeneſcente calor minuitur ſubſtantia, licet videatur augeri extenſione, fit enim igneus Galen.

Vita minutiſſimis portiunculis, dum datur, eripitur, ſiquidem motu perpetuo cœlum rotat momenta, dieſque diem trudit Petrarcha.

Ignis elevat oleum & ceram. vt conſumat.

Reges avidi permittunt populum ſpoliari ab officiarijs, quos poſtea vt ſpongias exprimunt.

De noxia abundantia in fraudem conceſſa. *Vide Majoritas Bonitatis.*

Iſta quæ petis, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt. Senec. Epiſt. 59.

Mortale eſt omne mortalium bonum: nihil firmum infirmo, nihil fragile æternum & invictum eſt; tam neceſſe eſt, perire quam perdere. Idem Ep. 98.

De falſis fortunæ bonis. *Vide Minor. Poteſt.* pauperras Chriſtiana.

Legendo libros medicorum, morbus quilibet apparet ſanabilis, & homo immortalis, ſed fallit experientia, eſtque aliquando deterius morbo remedium.

Athæneus lib. 13. cap. 29. multa refert exempla quorundam, qui arſerunt amore ſtatuarum, quaſi eſſent id ipſum quod referrent. Hinc imaginum vſus, vt falſa fruitione leniant verum ex abſentia dolorem. *Vide Medium Cognitionis.* Charæ & piæ imagines.

Pantheræ in candido, breves habent macularum oculos. Ferunt odore earum mirè ſollicitari quadrupedes cunctas, ſed torvitate capitis terreri: quamobrem occultato eo, reliquas dulcedine invitatas, corripiunt. Plin. lib. 8. cap. 17.

Hyenę animalia homini infenſiſſima, vocem humanam imitantur. Ibid. cap. 30.

Pinna concha, pandit ſe luminibus, orbum corpus minutis piſcibus præbens, aſſultant illi protinus, & vbi licentia audacia crevit, implent eam: tunc ore compreſſo, quidquid concluſit exanimat.

Nec minor ſolertia ranæ, quæ piſcatrix vocatur: Eminentia ſub oculis cornicula turbato limo exerit, aſſultantes piſciculos attrahens, donec tam propè accedant, vt affiliat. Simili modo ſquatina & rhombus abditi, pinnas exertas movent ſpeciè vermiculorum: itemque, quę vocatur raja Plinius. lib, 9. cap. 42.

Non eſt vera bonitas, quę ſervat, vt poſtmodum perdat, vt piſces in vivarijs, oves, boves, &c. in gregibus. *Vide Duratio Contrarietatis. mora.*

Si cum aquilæ in proximo non prædantur. Plin. lib. 10. cap. 3. parcunt enim quaſi iam quæſitis & aſſervatis, dum vrget neceſſitas.

In funeribus cœna lauta apparabatur, quam ad rogum delatum, cum defuncto cremabant: ſilicernium dicebatur, quod ſilentes vmbræ eam cernerent, vel quòd qui aſtant cernant, non attingant: nam pijs infeſtis libata qui ediſſet vel bibiſſet, funeſtabatur.

Venenum, quod cauſa emittit ſcorpius, eſt candidum vt lac.

Errant qui olivas perticis decutiunt, cum iniuria

arborum, ſequentiſque anni damno; quippe olivantibus lex antiqua fuit, oleam ne ſtringito, neve verberato. Plin. lib. 13. cap. 3. Beneficium non eſt verum vi extortum: non eſt enim vera voluntas, ſi coacta. *Vide Veritas voluntatis Repug.*

In Sulmonenſi Italiæ agro, herbæ illius aqua necantur, arbores eluntur, & riguus pro ſarculo eſt. Idem lib. 17. cap. 36.

Cato loquens de Græcis ait. Iurarunt inter ſe, barbaros omnes necare medicina, ſed hoc ipſum mercede faciunt, vt fides iis ſit, & facilè diſperdant. Idem lib. 29. in proœmio.

Idem lib. 31. cap. 2. recenſet plures aquas lethales, quæ mortem bibentibus inferant.

Ter accidit in Boſphoro, vt imbres ſalſi decidereńt, necarentque frumenta; toties & Nili rigua pluviæ amara fecere, magna peſtilentia Ægypti. Ibidem. c. 4.

Interdum fur, avertendis pecoribus pabula ſpargit.

De fucata eloquentia. *vide Major. Cognit.*

Dum Lacedemonij Caſtoris & pollucis ſacra in epulis agerent, duo Meſſenij iuvenes in albis tunicis & equis apparuerunt; illi rati Caſtorem & Pollucem eſſe, ipſos adoraverunt: at iuvenes in medium recepti ſtragem magnam fecere, tum ad ſuos redierunt. Pauſanias in Meſſenicis.

Apollonius hoſpitio à Philoſopho quodam exceptus, eum liberavit a Lamia, quæ ſub ſpecie pulchræ mulieris nuptias promittentis tumulum pro thalamo parabat. Philoſtratus in vita Apollonij. *vide voluntas Bonitatis Repug.* peccans ſibi nocet.

Quæ aſtra promittunt, aliquando implent tantum in ſomnijs.

Non ſatis cum Apolline muſæ medicos excuſent, qui ægros veluti deſtinatas ſuæ gloriæ victimas habent, ſecuto ſcelere, ideoque & frequenti: inexperta & ſuſpecta remedia, illorum, quos curant, periculo vſurpant, non contenti ſuæ artis documentis, &c. Barclai.

Ariſt. 2. Rhetoric. cap. 20. refert Apologiam equi, qui volens punire cervum pabula ſua corrumpentem, ſe dedit homini; frænum paſſus eſt ſibi imponi; ſic ſervivit homini, quem vt deffenſorem elegerat. Sic populi opprimuntur tyrannide eorum, quos contra nobiles, ſibi Duces conſtituunt.

Fungi quidam lætiferi, bonorum figuram & colorem mentientes.

Antiqui eſcas in convivijs ſuis abſumendas, prius Dijs ſacrificabant. Athæneus lib. 4. cap. 15.

Sejanus convocato ſenatu, vt recitarentur litteræ Imperatoris Tiberij, quibus ei collata ſumma Tribunitia poteſtas credebatur; iiſdem ipſis litteris plecti iuſſus eſt, & ſtatim capite mulctatus. Tacit. Annal. l. 5.

De Hadriano Imp. mortuo, dictum eſt, turba medicorum occidit Regem. Dio. in Hadriano.

In Babylonia, de templo Apollinis, ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, ſpiritus peſtilens evadens, inde Parthos orbemque complevit, Romam vſque perveniens. Baron. an. 170. Nota quod eſt egreſſa ex templo, & arca aurea vnde nihil tale ſperandum erat. Hic de fabuloſa pixide Pandoræ.

Impoſtor quidam ſe dicens eſſe Moyſem Iudæos in mare præcipites agit, quaſi eſſent ſicco veſtigio, in terram promiſſionis tranſituri: ſic multi aquis ſubmerſi. Baron. an. 43.

Anaſtaſius Imper. inexplebili pœcuniæ cupiditate provincias diripuit, ac ſubditos omnes expilavit; volens tamen videri munificus; quædam pietatis nomine diſtribuebat his, quos ad extremam inopiam redegerat. Baron. an. 491.

Theodoricus vult vſurpare electionem S. Pontificis, & vt id aſſequatur, mortuo Ioanne nominat Felicem virum omnium iudicio probatiſſimum, cui nemo poterat refragari. Baron. an. 526.

Dum Henricus Imperator detinet in carcere Paſchaſium II. Papam, comparatur ab adulatoribus Patriarchæ Iacob, qui noluit dimittere Angelum, donec ei benedixiſſet. Baron. an. 1111.

EX IVRE CIVILI.

DE ſuſpectis tutoribus & curatoribus ff. 26. tit. 10.

Ne quis mutuum dans agricolæ terram ejus detineat. Novell. 32.

Major infidelitas graviori ſupplicio punienda, in eo, cui major habebatur fides: ſic depoſitum inficians fit infamis. l. 10. C. depoſ.

Tutor remotus ob dolum fit infamis, non ob culpam. l. fin. C. de ſuſpect. tutor.

Patres vel Domini, ſi filiabus aut ancillis, peccandi præbent neceſſitatem, vel ingerant, earum perdunt poteſtatem, & interdum damnantur ad metallum. l. 6. C. de ſpectacul.

Creditor filijs debitoris ſui, petere poteſt tutorem, vt habeat contra quem legitimè experiatur. l. 4. C. qui pet. tutor.

Non ei permittitur adrogare, qui tutelam vel curam alterius adminiſtravit, ſi ſit minor 25. annis qui adrogatur, quia fortè adrogat, ne rationes reddat l. 17. ff. de adoptionibus.

Cum minor adrogatur, debet accedere tutoris authoritas, inquiſitio, & ſatisdatio: inquirendum enim eſt, ne forte turpis cauſa ſubſit adroganti l. 2. & 8. ff. de adoptio.

Interdum hæreditates delatæ, ſunt oneroſæ, vnde concedium eſt ius deliberandi. ff. 28. tit. 8.

Agitur actione depoſiti contra eum, qui depoſitum non vult reddere gratis. l. final. ff. depoſ.

Quidam Macedo, vir iniquus, minorum bona diripiebat, mutuum eis dando, hinc factum eſt Senat. conſultum Macedonianum prohibens minoribus mutuum dare. l. 1. ff. ad S. C. Macedon.

Actio mandati directa datur contra mandatarium, qui non exhibet Domino, quod ex negotio adeptus eſt. l. 8. ff. mand.

Lex Furia Caninia permittebat inter vivos manumittere omnes ſervos, non teſtamento, quia non videtur vera donatio, ſed in odium tantum hæredis facta, cum das tunc, cum non poſſes amplius vti; hanc tamen abrogavit Iuſtinianus. Inſtit. de l. fur. Cani. toll.

Non licet manumittere in fraudem creditorum Inſt. quib. manu. licet.

Muri civitatis refici non poſſunt, ſine Principis, aut Præſidis authoritate; timetur enim dolus. l. 9. §. penult. ff. de diviſ. ter.

Accepiſſe non videtur, qui ſtupulatus ſummoveri poteſt exceptione. l. 116. ff. de reg. Iur.

Bona proprie dici non poſſunt, quæ plus incommodi, quam commodi habent. l. 83. ff. de verbo. ſigniff.

Fit ſuſpectus Procurator, qui ſe opponit Domino volenti mandatum revocare, quod in rem alienam invito Domino ſe ingerere velit. l. 25. ff. de procurat.

Nautæ, caupones, ſtabularij, ſæpe in detrimentum viatorum, commercium habent cum latronibus, vnde illis occurritur per edictum Prætoris, nautæ, caupones. l. 1. ff. eodem.

Advocatus privatur officio, qui paciſcitur de quota litis. l. 5. Cod. de poſtul.

Actus præſtandæ libertatis iocoſus, libertatem

non tribuit. lib. 20. C. de lib. cauſ.

Si quis vaſa vitioſa commodaverit, & ibi infuſum vinum aut oleum corruptum fuerit, condemnandus eſt eo nomine l. 18. §. ff. commod. & l. 21. eodem. agitur de eo, qui rem à ſe commodatam, furto ſubripit, condemnatur ad reſtitutionem.

Non verè dat libertatem, qui dat ex fidei commiſſo; vnde talis non erit eius libertus. l. 84. ff. de hæredibus inſtit.

Imperatorem litis causâ hæredem inſtitui invidioſum eſt, nec calumnia facultatem ex Principali majeſtate capere debet. l. 91. ff. eodem.

Non valet actus ſubſequens, ſi ante eum fiat proteſtatio ei contraria. lib. 6. ff. de adquir. vel omitt. hæred.

Servi tenentur Domino in periculis conſtituto auxilium ferre; & non ſufficit voce, ſi potuerunt manu; vt videantur pro illo pugnaſſe, interdum ſibi infligunt vulnera. l. 1. in f. ff. de S. C. Syllaniano.

Vſusfructus inutiliter relinquitur alicui, cum morietur, quia vſusfructus, morte finitur. l. 5. ff. de vſu & vſuf. leg.

Qui nummos accepit vt manumittat, non verè dat, quia non dat gratuitò libertatem, ideo non obtinet bonorum poſſeſſionem contra tabulas. l. 3. ff. de bon. liberto. ſic qui ex fidei commiſſo manumittit, non poteſt operas exigere. l. 47. ff. de oper. libert.

Libertas collata in nimis longum tempus, vel in conditionem impoſſibilem, declarat voluntatem Domini contrariam eſſe libertati. l. 4. ff. de ſtatu lib.

Stipulationes, onerandæ libertatis cauſa, non valent; vt ſi quædam peti debeant à liberto, cum patronum offenderit; & ſic ſemper eum metu conſtringant. l. 1. §. 5. ff. quar. rer. act. non det.

Graviter puniuntur piſcatores, qui nocte lumine oſtenſo fallunt navigantes, vt ex naufragio execrandam ſibi prædam pariant. l. 10. ff. de incend. ruin. naufrag.

Ambitioſa decreta Decurionum reſcinduntur, quibus debitores publicos dimittunt l. 4. ff. de decret. ab ord. faci. vocantur ambitioſa, ſic enim ambiunt honorem.

De medico, qui morbum auxit, vt ſuum augeret ſalarium, illud reſtituere debet l. 3. ff. de varijs & extraord. Cognit.

Sicut alienatio rerum Eccleſiæ interdicitur, ita prohibetur, ne qua ſterilis ei detur poſſeſſio, aut oneroſa, vt fiſcalium nomine. l. 13. ex Authent. de non alien. aut permut. Cod. de ſacros. Eccleſ.

Notatur infamia, quæ ſe aſſeverans prægnantem, quaſi naſcituro provideret, per calumniam miſſa eſt in poſſeſſionem. l. 15. ff. de his qui not. infam.

Si quis puerum caſtraverit, & pretioſiorem reddiderit, injuriarum agendum aut ex edicto Ædilium. l. 27. §. 28. ff. ad l. Aquil.

Servitutes prædiorum ruſticorum, & vrbanorum, vt itineris, aquæ hauſtus, tigni immittendi, altiùs non tollendi, non ſunt beneficia, quia coactè conceduntur.

Publicæ lætitiæ, vel Conſulum nuntiatores, ne quid accipiant immodicum, vel ab invitis. Cod. 12. tit. 64.

Iudici ab appellatoribus convivium fieri non debet, alioquin infamiâ notantur. l. 42. ff. de injur. & l. 8. ff. de appell. contra concuſſiones. *Vide Virt. Poteſt.*

Interdum etiam deprimendo ædificium, officit quis luminaribus vicini, ſi préſſura quadam & per reflexionem lumen in eas ædes devolvatur. l. 17. ff. de ſervit. Vrban. præd. ſic falſa humilitate alicui nocetur.

De medico, qui malè curavit. *vide Minor. Cogn. mal.*

Qui libera legatione abeſt, non videtur abeſſe Reipublicæ, ſed ſui commodi cauſa. l. 14. ff. de legat.

Tenetur furti, qui vendidit ſervum, quem nutriendum ſuſceperat. l. 16. C. de furtis & ſervo corrupto.

EX IVRE CANONICO.

DE vſuris. decret. 5. tit. 19.

Vendere ſpiritualia eſt peccatum. 1. q. 1. Pro ingreſſu Eccleſiæ, vel Monaſterij pecunia non eſt exigenda. 1. q. 2.

Præbendas Eccleſiæ emere eſt ſimonia. 1. q. 3.

Aliquid præter ſortem accipere eſt vſura 14. q. 4.

Beneficia ſunt reddenda ei, qui eis in infirmitate renuntiavit, ſi non erat ſui compos. 17. q. 2.

Quod vſura ſit grave peccatum. Vide can. ejiciens. diſt. 88.

Gratia ſi non gratis datur; & accipitur, gratia non eſt; vnde, illam non accipiunt ſymoniaci. 1. q. 1. c. gratia & ſeqq. Mali tantum Prophetæ gratiam vendebant. c. iudices, eodem.

Vſuræ Laicis, ſed maximè clericis interdictæ. 13. q. 4. per totum.

Qui vſuram accipit, rapinam facit; tantum ab eo exigi poteſt, cui iure nocere poſſumus. c. ſi quis, & c. ſeq. eodem.

Non eſt aliquid rapiendum divitibus, vt detur egenis. 13. q. 5. c. fortè. & ſeqq.

Pro patrociniis impenſis, clericus exigere munera non debet, alioquin habebitur vt fœnerator. 15. q. 2.

Infirmitatibus hominum incantationes non proſunt, ſed nocent. 26. q. 7. c. admoneant.

Vſurarij, niſi reſipuerint, ſepulturâ Eccleſiaſticâ priventur. Concil. Lateranenſ. II. cap. 13.

Si medicum remordeat conſcientia, quod experimenta tentando, aliquibus necem cauſaverit, ſuadetur illi vt ad Eccleſiaſticos ordines non aſcendat. cap. ad aures, de ætate & qualit. præficiend.

In excommunicatione, candelæ accenduntur, vt projiciantur, & conculcentur pedibus 11. q. 3. can. debent. Elevans alliſiſti me.

EX THEOLOGIA.

PRodigalitas aliquando naſcitur ex avaritia, cum quis multum dat, ad captandum favorem eorum, à quibus multa ſperat accipere. 2. 2. q. 119. a. 2. ad 1.

Prævaricator eſt, qui aduerſam partem juvat fraudulenter, proditâ cauſâ ſui clientis. 2. 2. q. 60. a. 3.

Dæmones homines provocaverunt ad Idololatriam, per mira, quæ faciebant in Idolis. 2. 2. quæſt. 94. a. 4.

EX BIBLIIS.

SErpens decipit Evam, ſpe beatitudinis efficit miſeram. Gen. 2.

Væ filij deſertores, ſperaſtis auxilium in fortitudine Pharaonis, & erit vobis in confuſionem. Iſay. 30.

Factus eſt Dominus fortitudo pauperi; ſpiritus autem robuſtorum, quaſi turbo impellens parietem; ſicut æſtus in ſiti. Iſay. 25.

Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum fuerit autem expergefactus, vacua eſt anima eius, ſic erunt qui dimicaverunt contra Sion. Iſay. 28.

Fugietis ad vallem montium, & quoniam con-

Digitized by Google

jungetur vallis montium vſque ad proximum, fugietis ſicut à facie terræ motus: Potentes apprehendunt debiles ad ſe fugientes. Zach. 14.

Maledictus qui de grege ſuo ſacrificat languidum Domino, & claudum, & ego exſufflavi ea dicit Dominus. Malac. 1. Sic Deus non acceptavit munera Cain. Gen. 4.

Aod dolo offerens munera Regi Moab, eum occidit. Iudicum. 3. & 4. Iahel occidit Siſaram, hoſpitio eum recipiens, & dans potum; Abſalon occidit fratrem Amnon convivio exceptum. 2. Reg. 13. Abſalon blanditijs ſollicitat corda populi, vt à Rege deficiat. 2. Reg. 15. Iudas oſculo Chriſtum tradit. Math. 26.

Venenum miſcetur dapibus Elizæi, vnde clamatur, mors in olla. 4. Reg. 4.

Herodes quærens Chriſtum ad necem, fingit ſe velle illum adorare. Math. 2.

Ioab ſub oſculo Amaſa interimit. 2. Reg. 20.

Meretrix venenum in vaſe aureo propinat. Apocal. 17.

Fili mi ſi te lactaverint peccatores ne acquieſcas eis prov. 1.

Qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantionem. Pſal. 40.

Chriſto in cruce ſitienti, Iudæi offerunt pro potu, acetum cum felle mixtum. Math. 27.

Expectavimus lucem, & ecce tenebræ. Iſay. 59.

Populi ducunt Ieſum in ſupercilium montis, in quo civitas eorum erat ædificata, ſed vt præcipitarent eum. Luc. 4.

EX PATRIBVS.

TErtulian. lib. de Baptiſmo loquens de luſtrationibus Paganorum, dicit, immundos ſpiritus aquis incubare; affectantes illam in primordio divini ſpiritus geſtationem; quaſi verò immundus emundet, proditor liberet, damnatus abſolvat, diluens delicta quæ inſpirat.

Sap. 2. dicunt voluptuoſi, coronemus nos roſis, &c. Florent in ſæculo, areſcent in iudicio, florent falſis bonis ad tempus, & peribunt in æternum veris tormentis. D. Aug. in Pſal. 51.

Sicut deficit fumus deficiant. Pſal. 18.

Magna moles, habes quod videas, ſed non habes quod teneas, &c. de mundi vanitate. D. Aug. ſerm. 119. de Tempore, & ſerm. 23. de verb. Apoſt. Mundana concupita inardeſcunt, adepta vileſcunt, amiſſa vaneſcunt. &c.

Quod nunc putatur dulce, amarum erit in æternitate pœnarum; perpetuâ pœnâ brevitas delectationis punitur. Delectatio occidit & præterijt; vulneravit & tranſivit; miſerum fecit, & abijt. Ibid. *Vide Duratio Gloriæ. Repugnat.*

Talia ſunt divites veſtra beneficia: munus datis, & plus exigitis: Talis humanitas!, vt ſpolietis, etiam dum ſubvenitis; fœcundus etiam vobis pauper eſt ad quæſtum: An quidquam gravius? ille medicamentum quærit, vos offertis venenum; panem implorat, gladium porrigitis; libertatem obſecrat, ſervitutem irrogatis. D. Ambroſ. lib. de Tobia. c. 3. in f.

Gratularer hanc potentum magnitudinem, quibus ſe pauperes dedunt, ſi patrocinia iſta non venderent, ſi quod ſe dicunt humiles deffenſare, humanitati tribuerent, non cupiditati: Illud grave ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes videntur, vt ſpolient; hac lege deffendunt miſeros, vt miſeriores faciant. Sic nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi, &c. Salvian. lib. 3. de Guber. Dei.

Iob in miſerijs optat, vt dies in qua natus eſt, in tenebras vertatur; dies autem in tenebras vertitur, quando adverſa intelligimus, quæ proſpera videbantur, & quando antiquus hoſtis, qualis eſt ſæviens, etiam ſub blandimentis deprehenditur. D. Gregor. 4. Moral.

Scythæ, circa Tauricam Cherſoneſum, hoſpites ad ſe venientes Dianæ ſuæ immolabant, ſuſpendentes eorum capita in portis templi; ſimiliter & eos qui è naufragio evaſerant; ſalutis ſpem, mortis facientes occaſionem. D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. contra Iulianum.

Omnis hæreticus, dum conſulit, invehit. *Vide Contraria Veritatis.* Hæretici ſeductores.

DEMONSTRATIO.

ABOMINANDVS QVI iniuriam infert ſub ſpecie auxilij.

BONITAS. Natura beneficia ſua latenter ſolet conferre, injurias autem magno præcedente apparatu, quia magis minatur quam noceat; ſic poſt longos nubium inter ſe collidentium boatus, fulmina paucorum periculo, omnium metu cadunt. Peſſimus omnium, qui contra naturæ ordinem, apparenti beneficio tegit injurias, vt amplius lædat.

MAGNITVDO. Guſtus non valet diſcernere, & reſpuere venenum gratis eſcis admixtum: ſic liberè ad interiora admittitur, vbi pernicioſius ſævit, ſic inimico, qui apparet amicus beneficus, aperimus cordis & negotiorum ſecreta, vnde infinitas habet nocendi occaſiones.

DVRATIO. Sic deluſi, poſtea diffidimus de omnibus; vnde tollitur ex hominum ſocietate confidentia, maximum malis noſtris remedium; Augetur calamitas, ſecreto eorum ad quos recurrimus perfidiæ metu: Nunquam infœlicitatis plaga venit ad cicatricem, quandiu illorum, quibus res noſtras commiſimus, diffidentia vulnus retentat.

POTESTAS. Poteramus reſiſtere aperto hoſti, non poſſumus occulto: ſic deteſtamur vim maleficam vires noſtras ligantem & faſcinantem. Tantis laboribus comparata, divitiarum, amicorum copia, in fortunæ, & fœlicitatis noſtræ præſidium, inutilis futura eſt, ſi ſic nobiſcum hoſtili dolo procedatur; concidunt omnes ſecuritatis noſtræ ſpes, ſi nos injuriæ, mentito beneficiorum habitu, deceptos facilè proſternant.

COGNITIO. Iraſcimur maximè, quia decepti videmur ſuperati in intellectione, quæ eſt pars in nobis excellentior, qua ſublata ſumus omnium animalium miſeriores, & infirmiores: indignamur nos in noſtra exiſtimatione eſſe deluſos, non deprehendiſſe latentem ſub eſca hamum: ita Chriſtus deteſtatur hypocritas, tanquam ſepulchra dealbata, & lupos, ovium pellibus tectos. O fallax hominum genus: jam nobis inutilia ſunt ſenſuum, imò & rationis judicia ad mali fugam: ſi his ipſis, boni ſpecie deluſis potentijs, vti poteſt hoſtis contra nos. Deficit naturæ providentia contra tale malum, quod ideo verbis aſperis, vt primis impotentis iræ noſtræ telis, affectu imprecante, publicoque contra illud excitato convitio deteſtamur.

VOLVNTAS. Miſer, amaſti, quæſiviſti, aperto cordis tui ſinu excepiſti quaſi beneficum, quem fugere debueras, quaſi irruentem, ſanguinis & facultatum

tuarum fitientem hoſtem. Cùm amorem quaſi Principem ſequantur paſſiones omnes, etiam læſum vindicant, vnde nullæ niſi acerbiſſimæ decepti amoris iræ.

VIRTVS. Nocens animus virtutem ad ſuas partes trahere, ſuique delicti complicem, & miniſtram habere conatus eſt, dum beneficentiæ titulo malum intulit. Ita re inter nos ſacra, prophanè, & ſacrilegè vſus eſt: Quis in poſterum virtutem etiam beneficam, quaſi larvam, aut Dæmonem in Angelum lucis transformatum, non formidabit? ſic redditur mundo exoſa, dum ſub illa aut malum latet, aut ſubeſſe ſibi timiditas perſuadet.

VERITAS. Iam longo ſæculorum experimento compertum eſt, fidem in hominibus eſſe labilem; vnde quærenda fuit verborum ſtipulationibus, publicorum inſtrumentorum, fidejuſſorum, pignorum, hypotecarum cautio; ſed tam horrenda, vt mille exemplis probata, vix credi poſſit mala fides, injuriam inferens ſub ſpecie beneficij. Doli probantur in bellis, quia non minus arte, quam armis decertatur, & tam glorioſa eſt de ingenijs, quam de viribus victoria; Sed in civili commercio, qui bona tantum fide ſtat, malum bono tegere, vna manu munus offerendo, altera gladio perimere, non humanum, ſed diabolicum eſt. Iam veritatis naturaliter avidi, multum offendimur verborum mendacio; quid ſi reale ſit, quid ſi damnum inferat, ſpeſque conceptas in contrarium verſat? tunc ſanè in honeſto & vtili duplicata injuria, læſus animus vltra ſolitum paſſionis modum excandeſcit.

GLORIA. Centra perficiunt omnia, quæ ad ſe trahunt; cœli plus influentiarum quam lucis, materijs ipſos ſuſpicientibus inſtillant; fidelis eſt in promiſſis natura, nunquam fallax, ſi bene obſervetur rerum bona promittentium phyſionomia; & tamen homo legem hanc naturalem profeſſus, ſic in illam perfidè, aliorum injuria peccabit. Dum ille fidem dabat, dum beneficium offerebat, tacitus contraria meditabatur. Gaudebas de oblato tibi auxilio, & ipſe de parato tibi excidio; Gaudebat de artis ſuæ fœlici ſucceſſu, tua lætitia facta eſt ſua, non amoris complacentia, ſed odij inde proficientis applauſu: ſuperaddit miſeriæ tuæ contemptum, ludibrium, irriſionem.

DIFFERENTIA. Si negaſſet quod neceſſitas exigebat, poteram alios amicos convenire, ſed allexit ad ſe, vt me ab illis diverteret, ſic, ne manus ſuas effugerem, donis deluſum comprehendit; patefactis meis conſilijs inſidias ſtruet, vnde diverſa, quam quæ illi nota eſt, via ad finem eundum. Mutantur, & poſtquam deſævierint placantur iræ impetus: at hæc malitia præmeditata, ſemper erit ad nocendum pertinax: vnde ob illatum præter opinionem damnum, ob iuſtè formidandas hinc ſecuturas injurias, multimodè deteſtanda.

CONCORDANTIA. Quid amplius in rebus humanis ſecuri, ſi ijſdem beneficiis, quibus amicitiam promeremur, odia deſæviunt. Apparens ſuum beneficium, latens injuria: infamabunt me, quaſi prior ingratè ab amicitia defecerim, & quaſi adulteræ maritus, vix valeo injuriam, niſi contra me illam multiplicando, vindicare. Amicitia credebatur contra fortunæ procellas portus, & iam ſcopulus eſt, ad quem alliſi miſerè pereunt.

CONTRARIETAS. Creſcet hoſtium audacia in me ſic deludi facilem, quomodo adverſa non mihi ſunt timenda, ſi etiam ipſis muneribus concutior? timeo vbique furias, ſic gratiæ ſic melaniant. Actum eſt de humani generis fœlicitate, pax cum iuſtitia terras exoſæ deſerent; horrida vndique bella, niſi hęc infidelitas ira publica ſeveriſſimè vindicetur.

PRINCIPIVM. Quid ſi terra fontibus è ſinu fluentibus, fructibuſque prodeuntibus venena miſceret? quid ſi ſolis radij flammas, aut peſtem, cum luce rebus omnibus gratiſſima iacularentur? quid ſi matres ſuis amplexibus necarent filios? Ex quo beneficium obtuliſti, te quaſi vitæ meæ civilis principium agnoſco, me tuum profiteor; nec potes amplius fidem, muneribus probatam, niſi parricidio frangere.

MEDIVM. Lege Moſaïca non licebat coquere agnum in lacte matris, ne ſit excidij inſtrumentum, quod à natura datum eſt ad vitæ conſervationem, inquit Philo. Nocet tamen perfidus beneficio, naturæ inſtinctu ad conciliandos animos dato; divino in omnibus boni appetitu, ad mundi æternitatis æmulam durationem, conceſſo, vtitur ſacrilegus ad deſtruendum, ſic non tantum homini, ſed naturæ, ipſique Deo illudit.

FINIS. Saltem ſi vno hæc injuria concluderetur damno; ſed contagioſum eſt talis perfidiæ exemplum, facileque ſequetur præceps in malum omne, dummodo noceat ira: parabuntur hominibus, vt piſcibus, hami ſub eſca, vt feris mixta gratis dapibus venena: Ita nullus malorum finis, ſic aut ſæviente perfidia, aut ſibi ſemper ab illa timente, nullibique ſecura innocentia.

MAIORITAS. Malo, quo me vexabat adverſa fortuna, ſi remedium dare nolebas, debebas negare, non afflicto ſuperaddere afflictionem, iniuriam ſub ſpecie auxilij inferendo. Secunda calamitas gravior eſt priore, quia altius in animam penetrat, iamque debilitatas vires acerbiſſimo, & remedium amplius non patiente dolore, proſternit: hinc enim vndique negati auxilij deſperatio, cum oblatum beneficium ſic læſerit.

ÆQVALITAS. Cætera crimina puniri poſſunt pœna talionis; hoc autem, vt ſacrilegium, & eſſentia ſua malum, non ſic vindicari poteſt, ne in ipſius naturæ iniuriam iteretur; vnde Tutoris infidelitatem leges puniunt extraordinaria pœna.

MINORITAS. Hic dolus, non indigentem ſibi ſufficientem decipit, elevat vt præcipitet, nec quemquam patitur lætæ paupertatis ſecuritate frui.

Digitized by Google

GLORIA BONITATIS

PRÆMIVM BONITATIS ET ILLI delatus honor.

MISCELLANEA.

HOc præmium bonitatis conſiſtit, ſeu in æterna delectatione, ſeu in honore qui beneficis defertur, ſeu in alia quavis remuneratione, de qua. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

Phœnices atque Ægyptii, quos reliqui ſunt imitati, inventores rerum ad vitam conducentium, tanquam Deos coluerunt, ſimulacra & templa illis impoſuerũt, cum nominibus etiam naturalium Deorum; ideſt Solis, Lunæ, & Planetarum. Euſebius de Præpar. Evangel. l. 1. c. 6.

Ægyptij animalia, à quibus recipiebant aliquod vitæ commodum, ſacra habebant, & colebant, vt bovem, ovem, canem, accipitrem, Ichneumona, quod in os Crocodyli inſiliens ipſum occidat, corroſis inteſtinis, & quod ſerpentes & locuſtas occidat. Idem lib. 2. cap. 1.

Fruitur agricola fructibus terræ benè cultæ, paſtor gregis, Princeps populi benè recti, ſic enim ſibi ipſi parat tranquillitatem, abundantiam, fœlicitatem.

Apud Romanos fontibus quot annis ſacrum fiebat, quia nullus locus ſine fonte, nullus fons non ſacer. Servius in lib. 7. Æneid.

Princeps liberalitate res ſuas auget, vt, avaritia amittit multas occaſiones profectus; ita ſibi ipſi beneficium confert, cum fidis amicis largitur; liberalem Ducem ſequuntur milites.

Ægyptij vtilia ſibi, divinis honoribus coluerunt; primo Solem & Lunam, ſub nominibus Iſidis & Oſiridis. Ignem Vulcanum, terram matrem, Oceanum patrem, Aerem Palladem, &c. Diodor. Siculus. rer. antiq. lib. 1. c. 2. Sic Perſæ Solem adoraruntt. Tertul. in Apolog. c. 16.

Hominibus mortuis, ob collatum beneficium, arteſque inventas vitæ neceſſarias, honores tribuerunt; vt Vulcano propter inventionem ignis fovendi, occaſione accepta arboris fulgure percuſſæ. Diod. Sicul. lib. 1. c. 2.

Fama, armis, Imperio, florentes & excellentes viros in Deorum numerum referebant, ſic ſaturnum & Iovem, qui regnaverunt in Italia; cœleſtium illis nomina dando, quorum virtutes eſſent imitati; ſic Hercules, Bacchus, Æſculapius: Cœleſtibus etiam conſtellationibus nomina hic beneficorum dederunt, quaſi eſſent perſonæ illæ in aſtra relatæ, vt Caſtor, Pollux, Capra, &c. quorum vide fabulas apud Higinum; apud Lactantium. lib. 1. de falſa Relig. cap. 21. cuilibet etiam actioni, humanis vſibus neceſſariæ. Romani Deos conſtituerunt, Numa authore, & publica ſuperſtitione id in dies augente. Vide Plin. lib. 18. c. 2. & Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 16. *Vide Gloria Virtutis, & Gloria Principij.*

A Beneficium in benefacientem redit, ſibique ipſi prodeſt, qui alteri gratiam largitur: nutrix lactando puerum, gaudet de exoneratione tumentium mammarum; cor dum comprimitur, vt effundat ſanguinem arterialem, & ſpiritus vitales, ſimul ſe purgat fumoſis vaporibus.

Cæſar ſuperato Pompeio, ejus ſtatuas dirutas reſtituit; vnde Cicero, dum, inquit, Cæſar Pompeij ſtatuas reſtituit, ſuas ſtabilivit.

Nullius rei lucrum majus, nullaque poſſeſſio prætioſior in terris, quam hominum, qui beneficiis capiuntur.

Quid ille confertis manibus, in ſe redeuntium gratiarum chorus? ob id, quia ordo beneficij per manus
B tranſeuntis, nihilominus ad dantem revertitur. Senec. lib. 1. de Benef. c. 3. Rerum Natura nihil dicitur perdere, quia quidquid illi avellitur, ad illam redit; perire non poteſt, quod quò excidat non habet, ſed eodem revolvitur, vnde diſcedit. Intra teipſum orbis agitur, accipiendo das, dando accipis; ſi ingrato das, apud te eſt beneficium; ſi accipere nolenti, ſimiliter apud te eſt antequam reddatur. Ibid. lib. 5. cap. 8.

Quæ poſſides, non tui, ſed fortunæ iuris ſunt; quæris quomodo illa tua facias? donando, tutiores & honeſtiores res tuas effecturus; quidquid poſſides, ſub nomine ſordido jacet, domus eſt, ſervus eſt; cum donaveris beneficium eſt, quod perire non poteſt; vt res
C facta, non poteſt eſſe infecta, perire poteſt materia, non beneficium. M. Antonius videns fortunam ſuam aliò tranſeuntem, & ſibi nihil relictum præter jus mortis; exclamavit, hoc habeo, quodcumque dedi. Id. l. 6. c. 4. Iuſtitia non eſt vt vulgo creditur, ad alios pertinens, maxima pars eius in ſe redit: nemo non, cum alteri prodeſt, ſibi profuit, ſicut mala exempla recidunt in authores; virtutum omnium prætium in ipſis eſt. Idem. Epiſt. 81.

Docendo inſtruimur, vt radius non relinquit corpus à quo emittitur, ſed repercuſſione geminatur.

Guſerus lacus Britannicus, tunc maximè piſcibus abundat, cum in illo piſcari omnibus permittitur.
D Bocac.

Plus delectatur qui confert beneficium, quam qui accipit. *Vide Diuratio Bonitatis.*

Lux ſe communicando augetur, fontes hauſtu & effluxu dulceſcunt. Phil. Iud. l. de Gigantib. pœcunia fœnori data. Ariſt. l. de Admir. c. 45. refert in Macedonia aurum effoſſum creſcere: & c. 41. dicit æs in fruſta diſſecatum & ſeminatum, in Cypro imbribus factis augeri.

Fundum dictum ex eo quod vaſallus iurabat, fidelis ero Domino vero meo.

Homagium ligium eſt, quod præſtat vaſallus, iurando

Digitized by Google

rando fidelitatem Domino, nullius alterius fidelitate reſervata; vnde præſtatur Regi, aut Imperatori non habenti ſuperiorem.

Petrus Comes Sabaudiæ feudum ab Imperatore Ottone IV. ſeu Rudolpho. 1. petiturus, coram illo apparuit diverſo habitu; latus enim dextrum pretioſis & auratis veſtibus erat ornatum; ſiniſtrum verò ſplendidiſſimis armis ferreis munitum; quærenti Imperatori quid ſibi vellet hic inuſitatus veſtiendi modus: aurum, reſpondit comes, geſto, ad honorandum Imperatorem, arma ad deffendendum.

Apud Perſas ingrati ſeveriſſimè puniebantur, quaſi forent neglectores Dei, patriæ, & parentum. Xenoph. lib. 1. Payd.

Perſæ ſolem adorantes, cum eo ſemper non poſſent frui, ignem æternum, quaſi eius imaginem, domi pro lare colebant.

Phryges quaſi in terræ nutricis honorem, morte afficiebant eum, qui bovem aratorem interfeciſſet, aut agriculturæ inſtrumentum ſubripuiſſet; ſic agricolæ immunes erant ab omni injuria, etiam tempore belli apud Indos. Diod. Sicul. rer. antiq. lib. 3. cap. 10.

In Temenio oppido, primum obſervatum fuit, quod Aſinus abraſo palmite vitem fœcundiorem reddiderit; vnde illi ſtatua lapidea poſita, & inde ars amputandi vites. Pauſan. in Corinthiac.

Caſſuta, quæ ſe multis giris, plantarum ramis involvit, non fert folia, ne nimium eas obumbret, & ſuffocet. Dioſc.

Partes vitales, cor, hepar, cerebrum, duriſſimis oſſibus proteguntur, minuſque nobiles & beneficæ partes, vt brachia, ſe exponunt, pro harum beneficarum deffenſione.

Magna arteria Aorta, egrediens ex ſiniſtro cordis ſinu, ramum dictum coronalem, circa cor inflectit, quaſi in homagium.

Qui gerit negotia deſerta, ſolum de dolo & lata culpa tenetur. l. 3. §. interdum. ff. de Negot. geſt. Nemini enim beneficium ſuum debet eſſe damnoſum. *Vide Gloria Poteſtat. & Gloria Principy*, de honore qui defertur Rectoribus, & parentibus beneficis.

Proxenetæ, qui emptionibus, venditionibus, commercijs, vel peregrinis hominibus interpretes ſe exhibuerunt, prætium & mercedem petere poſſunt. l. 3. ff. de Proxenetic. hæc nobis officia exhibent Angeli, ideo honore digni.

D. Aug. lib. 1. de doctr. Chriſtia. cap. 30. Dicit in præcepto charitatis, quo iubemur proximum diligere, etiam Angelos contineri ſub nomine proximi, qui enim facit miſericordiam proximus habendus eſt. Luc. 10. *Vide Cognitio Bonitatis.*

Perſæ libare conſueverant vaſe potatorio dicto Condy, in quo efficta erat mundi machina, per quam Dij ſunt nobis benefici. Athæneus lib. 11. cap. 8.

Idolum Serapidis dicunt fuiſſe ſtatuam erectam Ioſeph, quia aſſervatâ copiâ frumenti Ægyptum ſalvavit, nam lingua Ægyptia Serapis, idem eſt, ac Salvator mundi. Baron. 389.

Anno Chriſti. 527. Dyoniſius Scytha, Monachus periiſſimus, primus cœpit annos munerare, non per Olympiades vel Conſules ſed à Chriſti Domini noſtri Incarnatione, vt ſic cauſa reparationis humanæ, illiuſque author celebraretur. Baron. an. 527.

Honora medicum propter neceſſitatem.

Hippocrates peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa vrbes dimiſit; ob id illi Græcia eoſdem honores ac Herculi decrevit. Plin. l. 7. c. 37.

Prima ſpecies gratitudinis eſt, eum à quo acceperis beneficium, palam honeſtè nominare, vt hinc illi honor accedat. Sic ſumus grati Deo. *Vide Æqualitas Bonitat. & Æqualitas Voluntatis.* Leproſi mundati, & cæcus illuminatus, quanto magis prohibentur, tanto magis Chriſtum Salvatorem publicè teſtantur.

Ignis accipit ſiccitatem à terra, & illam facit apparere exterius, colorem terræ imprimens rebus quas adurit. *Vide Æqual. Volunt.* gratitudo erga Deum.

Oleæ liciniæ, ibique multum frugiferæ: baccas nulla avis appetit. Plin. l. 15. c. 2.

Civica corona non dabatur, niſi ſervatus fateretur, aliàs teſtes nihil proſunt. Idem. lib. 16. cap. 4. Accepta licet vti perpetuo: ludos ineunti ſemper aſſurgit ſenatus: ſedendi ius in proximo ſenatu: vacatio munerum omnium ipſi patrique, & avo paterno. Ibid.

Vſus imaginum maximè à clientibus, qui ſic inſtituerunt colore patronos. Plin. lib. 34. cap. 4.

Lycurgus occurens civi, quem pro tributis in cuſtodiam ducebant, eum liberavit: Is ſequenti die occurrens Lycurgi filijs: Citò inquit, ô filij Patri veſtro gratiam reddidi: à multis enim laudatur, quod me contumeliâ & injuriâ affectum vindicarit. Photius Byblioth. cap. 168.

DELECTATIO.

Bonitatis.

DElitiæ in conviuijs, quaſi vnius bonitas delectetur multis benefacere; vtque motus innititur ſuper immobili, ſic commercia in quibus ex alternis damnis quiſque proficit, ſtant, & circumvolvuntur ſuper hoc naturalis bonitatis centro.

Delectamur alijs dando, quia ſic apparet nos habere, quod aliis deficit, & in eo nos illis eſſe ſuperiores.

Omnia animalia voces proprias habent ad venerem concitantes, & in ea geſtiunt, licet aliquid ſui amittant. Ariſtot.

In mutuis, is qui debet, ſæpe nollet eſſe eum cui debet; at creditor de debitoris ſalute eſt ſollicitus; Motus excitat calorem; Nutrices tandiu amant nutricios, quamdiu eis lac præbent; ſic animalia, maximè aves, tandiu pullos agnoſcunt quamdiu in nidis fovent & alunt.

Nemo non amat beneficia ſua; honeſtum ſui cauſa colimus, &c. Seneca. 4. de benef. c. 17. *Vide Durat. Bonitat.* Fons hauſtu fit perennis.

Cum vterque velit amico benefacere, qui beneficium ſibi conferri patitur, conferre cenſetur, quia permittit amico quod maximè deſiderat implere cum voluptate: ſic Eudamidas Corinthius pauper duos divites amicos habebat, moriens facto teſtamento vni legavit matrem ſuam pauperem, per totum vitæ tempus alendam; alteri filiam ſuam nubilem in matrimonium collocandam, invicem in hiſce legatis ſubſtituit; talem amici voluntatem grato animo amici impleverunt; liberalis fuit Eudamydas, dans illis, vt poſſent beneficium dare.

Quieſcere neſcit cœlum, ſed quodam exceſſu lætitiæ geſtit; & ad gaudentium numinum cantum, vt Pythagoras arbitrabatur, ſphæræ choreas ducunt, exultat ergo motu ſuo cœlum, ridet ſplendore, dum benigne influit, & rebus ſuo beneficio lætis congratulatur, hinc omnia voluptatem appetunt, quia non modo voluptate terrena, ſed etiam cœleſti lætitia generantur. M. Ficinus de lumine c. 78.

Et benefacere, & beneficium accipere eſt inter jucunda; nam beneficium accipere, eſt conſequi ea quæ cupiunt: at benefacere eſt habere & excellere, quæ ambo appetunt. Ariſtot. 1. Rhetoric. cap. 11.

REMVNERATIO.

DEus remunerat Eleemosinas, tum remissione peccatorum, tum bonorum, & temporalium & æternorum amplissima largitione. *Vide Virtus Bonitatis.* ex Patribus.

Quemadmodum, quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reverruntur; ita etiam elargitio, quæ est bonis fons benignitatis, potum sitientibus communicans rursum augetur & repletur: quomodo ad vbera quæ suguntur, aut etiam mulgentur, solet lac confluere: verbum enim est possessio, cui nihil deest, & est causa omnis copiæ. Non vidi iustum derelictum, & semen eius quærens panem. Clem. Alexan. lib.3. Pædag.cap.7.

Cum jejunas vnge caput tuum, idest Christum; itane aquam petit à rivulo, fons indeficiens? petit sine dubio, aut sane repetit. Nam ad fontem, vnde exeunt, flumina revertuntur, vt iterum fluant: Non vero vt minus habens quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris; si quidem fluminis aqua, si stare cœpit, & ipsa putrescit, sic & gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit. D. Bernard. serm.1. in capite jejunij.

Beneficentia meretur gratitudinem. *Vide Æqualit. Bonitatis, Æqualitas Voluntatis & Gloria Bonitat.* ex Bibliis.

Levia Deus iubet, vt in æternum vivamus, & obedire negligimus? Non tibi dicit Deus, perde quidquid habes, sed da pauperi vnde habes, vt vivas semper sine labore securus. D. August. tract.49. in Ioan.

De remuneratione cœlesti. *Vide Gloria Virtut.*

Miserere animæ tuæ placens Deo: exhibe & animæ tuæ Eleemosynam: Non dicimus vt tu ei des, sed ne repellas manum dantis. Idem serm. 59. de verb. Dom.

EX IVRE CIVILI.

TEmpore quo messis, vindemiaque colliguntur, conceduntur feriæ, & vacationes à forensibus negotiis. l.1.ff. de feriis.

Si servum à te mortiferè vulneratum liberum & hæredem esse iusseris, deinde decesserit; hæres eius non potest agere. Aquilia. l.15. ff. ad leg. Aquil.

Liberalitatis etiam in Rempublicam factæ vsuræ non exiguntur. l.16. ff. de vsur.

Donationes inter virum & vxorem, sepulturæ, & pietatis causa valent, quia in illis non fit locupletior qui accipit, sed qui dat. l. 5. §. concessa. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Nobiles possunt esse tutores popularium. lib.22. ff. de Tutor. & Curat. dat. Et ingenuus liberto, si non se excusaverit. lib.27. eodem, glorioſum enim est auxiliari.

Ad honorem civitatis pertinet, quod in alimenta infirmæ ætatis, puta senioribus, pueris, puellisque relictum fuerit. l.122. ff. de leg.1.

Milites propter honorem stipendiorum veterani, propter merita militiæ viri clarissimi, non possunt deferre ad fiscum hæreditates ab indignis possessas. l.18. ff. de iure Fisci. Clarum enim & generosum est nemini nocere, sed omnibus prodesse.

Non oportet operi publico inscribi nomen alterius, quam Principis, aut eius cuius pecunia id opus factum est l.3. ff. de operib. publ.

A Si creditor debitori hæres extiterit, obligatio confunditur. l.7. C. de pactis.

Si liberi parenti furioso necessaria non administrent, ptivantur hæreditate, quæ defertur illi extraneo, qui illi officia charitatis exhibuerit. Auth. liberi. C. de Episc. audi.

Vt fieret honor mortuo, servi qui libertatem accepturi erant, mortuo in lecto posito assistebant, & funus antecedebant pileati. l. vnic. §. sed & qui. C. de Latin. libr. tollen.

Is habetur patronus servi communis manumissi,
B qui prior petijt eum manumitti. l. vni. C. de serv. com. manum. hâc honoris æmulatione inter dominos, servi communes citò fiebant liberi.

Majestatem Principis lædit, qui nomen suũ in operibus publicis inscribi facit. l.9. C. de operib. publ.

Fundatoribus Ecclesiarum licet ad eas clericos præsentare. Novell. 57. cap.2. & Novel. 123. cap.18.

Feudum dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, præpositus, si antiqua apud eos consuetudo fuerit feudum dare. lib.1. feud. tit.1. non censebatur esse alienatio, postea tamen ob abusus ab Vrbano contra sancitum est. tit.6.

De fidelitate. Feud.4. tit.76.

De forma fidelitatis. Feud.2. t.6.

Imperatorem Feudum amittere, vel alium pro se
C fidelem dare. Feud.4. tit.100.

De nova forma fidelitatis. Feud.2. t.7.

De obsequijs à liberis & libertis præstandis. ff.37. tit.15. Patrono præstandis. C.6. tit.6.

De operis libertorum. ff.38. tit.1. C.6. tit.3. servorum. ff.7. tit.7.

Sine censu Feudum comparari non posse. C.4. t.47.

Qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt condemnandi. l. 28. ff. de Reg. Iur.

Si libertus contra Patronum voluerit agere, non datur actio de dolo, quia famosa est, sed tantum actio in factum. l.4. ff. de dol. mal.

Proconsul de plano potest expedire quæ spectãt ad obsequia patronis debita. l.9. §.3. ff. de off. Proconſ.

Libertus non potest accusare patronum. l. hi tan-
D tum. ff. de accusat. Ita nutrimus suum nutritorem criminaliter. l.17. C. qui accuſ. non poſſ.

Advocatus salariatus à Republica non potest contra eam exercere advocationis officium. l.2. C. de Advoc. diverſ. Iud.

Libertus denegans patrono alimenta, redigitur in servitutem. l. alimenta. ff. de liber. agnoſc.

Prefectus vrbi cognoscit de alimentis egenti patrono, à libertis præstandis. l.1. ff. de off. præf. vrb.

De conditione Feudi non impleta. Feud.4. t.75.

Si in fraudem Patroni, à libertis alienatio facta sit, C.6. tit.5.

Prefectus vrbi cognoscit de querelis patronorum adversus libertos, qui quandoque corporaliter pu-
E niuntur, & in metallum damnantur. l.1. §.5. ff. de off. præf. vrb.

Libertus ingratus patrono, aut eius liberis, punitur pro ratione ingratitudinis. l.1. ff. de Iur. patron.

Alienata in fraudem Patroni, revocantur vsque ad legitimam portionem. l.1. C. si in fraud. patr. à lib.

Libertus non cogitur testimonium dicere adversus Dominum, eiusque vxorem & liberos. l.4. ff. de testibus.

Liberta retinet honestatem matris familias, si fuerit concubina. Patroni l.41. ff. de rit. nupt.

Libertus non potest accusare patronum suum crimine suspecti tutoris. l.3. ff. de suspect. tuto.

Servus emancipatus, censetur esse Domini. l.51. ff. de hæred. instit.

Digitized by

Liberta poteſt adigi iuramento, alteri quam Patrono non nupturam. l. 6. ff. de iure patr.

Contra parentes & patronos non datur famoſa actio. l. 5. & ſeqq. ff. de obſeq. par. & part. preſt.

Patroni & Parentis perſona, libertis & filijs ſemper debet videri honeſta & ſancta. l. 9. eodem.

Libertorum fabriles operæ, ad hæredes extraneos tranſeunt, non vero officiales & obſequiales. l. 6. ff. de oper. libert.

Non poteſt libertus exercere negotiationem invito patrono, vnde ipſi patrono damnum eveniat. l. 45. eodem.

Parentes, patroni, donatores, non poſſunt conveniri, niſi in quantum facere poſſunt. l. 16. & 30. ff. de re iud.

Ruſticitas non excuſat libertum, ſi venià non petità patronum in ius vocaverit, cùm naturali ratione honor huiuſmodi perſonæ debeatur. l. 2. C. de in ius voc.

Libertus obſequium neceſſarium preſtans patroni filijs, non habet actionem negotiorum geſtorum. l. 5. Cod. de neg. geſt.

Qui mutuam accepit pecuniam, creditori non debet quęſtionem moverè, quod illicitè fuerit acquiſita. l. 7. C. ſi cert. petat.

Libertus, nec patronam, nec eius filiam aut neptem, aut proneptem, poteſt ducere in vxorem. l. 3. C. de nupt.

Libertus nullam habet excuſationem à tutela, vel cura filiorum patroni. l. 5. C. de excuſ. tutor.

Vaſallus Dominum ſuum non adjuvans in prælio iuſto, feudum perdit, in bello autem injuſto, ad defendendum eum tenetur; ad offendendum vero poteſt, ſi vult, ſed non cogitur, nec in hoc deficiens feudum perdit. l. 2. feud. tit. 28.

Agricolæ civitatibus benefici, peculiari privilegio committuntur protectioni deffenſoris civitatis; nec poſſunt coram alio iudice conveniri. l. 3. C. de defenſ. civit.

Pro executione ſententiæ non poſſunt capi boves aratorij, aut alia neceſſaria ad agriculturam. l. 7. C. quæ res pign. oblig. poſſ.

Agricolæ non debent ab agricultura ad aliud quodvis officium evocari. l. 1. C. ne ruſtic. ad vllum obſequium demorentur.

Libertus non poteſt patronam, patroni filiam, aut neptem, in vxorem habere, propter maximam quam debet illis reverentiam. l. 3. C. de nuptiis.

Qui ſervum expoſitum infantem colligit, & educat, ſuum efficit, nec poteſt Dominus ancillæ illum repetere, nec enim ſuum quis dicere poterit, quem pereuntem contempſit. l. 2. Cod. de infantibus expoſit.

NEMINI OFFICIVM ſuum debet eſſe damnoſum.

MEdico imputari eventus mortalitatis non debet. l. 6. ff. de off. præf.

Adminiſtrator, tam publicus, quam privatus, poteſt emere palam, & bona fide, res quas ipſe adminiſtrat, non clam, aliàs punitur. l. cum ipſe, & Gloſſa. C. de contrah. empt.

Ex beneficio ſuo nemo debet damnificari. l. in commodato. §. final. ff. commod.

Abſens Reipublicæ cauſa, ſi quid damni paſſus eſt, reſtituitur, quia officium publicum non debet ei eſſe damno. l. 7. ff. quemad. teſt. aper.

Tutores agunt contraria tutelæ actione ad repetenda ea, quæ in commodum pupilli plus reditu impenderunt. l. 1. ff. de cont. tut. actio.

Hæres non cogitur dare hæreditatem, quam debet reſtituere, niſi omne damnum quod timet ſibi, à fidei commiſſario caveatur. l. 4. & 11. ff. ad S. C. Trebellia.

Qui ex donatione ſe obligavit, tenetur in quantum facere poteſt, deducto ære alieno. l. 12. ff. de donat. ne liberalitate ſua inops fieri periclitetur. l. 5. ff. de re Iud. & l. 28. ff. de Reg. iur.

Miles veteranus habens immunitatem munerum, non amittit ius ſuum, ſi libera voluntate aliquod munus ſuſceperit. l. 2. ff. de veter. Generaliter enim quod fit ex vrbanitate, non præjudicat.

Accipienti fundum patrimonialem ſterilem, ſub certi canonis annua præſtatione, non debet augeri canon ex melioratione. l. 16. C. de omni agro ſterili.

Ideo revocantur donationes, ſi ſunt futuræ nocivæ aut inutiles. *Vide Finis Bonitatis.*

EX IVRE CANONICO.

ANtiqui vota exolvere ſolebant in fontium capitibus, qui mos diu permanſit inter Chriſtianos; prohibetur Concilio Antiſiodorenſi. c. 3.

Vaſallus fidem iurat Domino in 6. præcipuè, quæ promittit, & ſemper in memoria debet habere, ſcilicet, incolume, tutum, honeſtum, vtile, facile, poſſibile. Vide 22. q. 5. c. de forma.

Dominus ſervo, quem manumiſit, poteſt imponere ſpirituales operas, vt horas canonicas pſallere, & ſi ingratus id denegaverit, ab Epiſcopo deponetur. cap. nullus, de ſervis non ordina. Sic manumiſſus ab Eccleſia, vt fiat clericus, & ei perpetuo ſerviat in divinis, non poteſt ſe transferre ad aliam Eccleſiam; ſecus ſi purè fuerit manumiſſus. cap. eo libentius, eodem.

Manumiſſus reducitur in priſtinam ſervitutem, propter aliquam offenſam in Dominum eius. 3. q. 88. a. 3. ad 1.

EX THEOLOGIA.

DElectamur benefaciendo, ſecundum illud, Beatus eſt magis dare, quam accipere. Quia bonum amici reputamus noſtrum; ſperamus remunerationem à Deo, aut homine. Beneficium parit in nobis imaginationem abundantis in nobis boni, & cujuſdam excellentiæ; qui operantur ex habitu, delectantur; delectat etiam motivum, nam benefacimus ex amore, vnde delectatio; videmus eum cui benefecimus, tanquam opus noſtrum. vide D. Thom. 22. q. 32. a. 6.

Colitur Deus, bona ſua recipiendo, aut ei noſtra offerendo. 3. q. 63. a. 2. ad 3. & 2. 2. q. 81. a. 3. ad 2.

Eleemoſyna mortuos non liberat à peccato mortali; vivos autem liberat dupliciter, ſcilicet præſervando à malo, & diſponendo ad gratiam. 2. 2. q. 154. a. 2. ad 5.

Luna minor Planetarum apparet, & vocatur magna, propter vtiliſſimos eius in nobis influxus. 1. q. 68. a. 1.

Oblatio cum pura dilectione purgat peccata venialia & mortalia. 2. 2. q. 5. ad 3.

Obſtetrices Ægyptiorum fuerunt remuneratæ à Deo, propter pium earum affectum 1. 2. q. 114. a. 10.

Digitized by Google

Adoratio latriæ ſit ratione creationis & gubernationis. *Vide Gloria Principy.*

Perſona Chriſti adoratur latria, ratione Deitatis, & dulia ob munera gratiarum. 3. q.25. a.2.

Scenophegia, erat feſtum tabernaculorum per dies ſeptem, propter beneficium deductionis & protectionis in deſerto. 1.2. q.102. a.4. ad 10.

EX BIBLIIS.

PEracta rerum creatione, vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona: & requievit Deus ab opere ſuo. Gen.2. hinc origo feſtivitatis Sabbati.

Lætabor ſuper eis, cum eis benefecero. Ierem.32.

Rachel poſt partum Ioſeph, ait, abſtulit Deus opprobrium meum. Gen.30. ſic Sara riſit, intelligens ſe parituram.

Fundus maris rubri, tranſitum Iſraëlitis præbens, floridus apparuit. Vnde dicitur Sapientiæ vltimo. c. in mari rubro, via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio; Plinius Nat. Hiſt. lib. 2. c. 103. aſſerit in mari rubro oleas & virentes frutices enaſci.

Iucundus homo, qui miſeretur & commodat diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. Pſal.111.

Frange eſurienti panem tuum: cum videris nudum, operi eum, &c. tunc erumpet tanquam mane lumen tuum; & anteibit faciem tuam gloria tua; & gloria Domini colliget te: invocabis, & Dominus exaudiet. Iſay.58.

Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam affligtam repleveris, orietur in tenebris lux tua; & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam: eris quaſi hortus irriguus & ſicut fons cujus non deficiunt aquæ. Iſay. 58.

Quomodo potueris, ita eſto miſericors, præmium enim tibi bonum theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna, omnibus facientibus eam. Tob.4.

Qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: vnuſquiſque provt deſtinavit in corde ſuo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus, &c. 2. Corinth.9.

Qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam. Math.10.

Iuſtus tota die miſeretur & commodat & ſemen ejus in benedictione erit. Pſ.36.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Pſal.40.

Honora Dominum de tua ſubſtantia & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt. Proverb.3.

Benefacit animæ ſuæ vir miſericors, anima quæ benedicit, impinguabitur; & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur. Proverb.11. Miſericordia & veritas præparant bona. Proverb.14.

Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Math.19.

Venite benedicti, poſſidete regnum, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Math.25. Date & dabitur vobis; eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Luc.6. & cap.12.

Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. Math.6. Nemo eſt qui reliquerit domum, aut parentes propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo futuro vitam æternam. Luc.18.

Poſtquam Anna obtulit filium Samuelem Domino, dicit illi Eli Sacerdos; Reddat tibi Dominus ſemen, pro fœnore quod commodaſti Domino; poſtea peperit 5. filios. 1.Reg.2.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

EX PATRIBVS.

B DEus venalis eſt, ipſum, quo nos emit pretio, emimus, ſcilicet charitate in pauperes liberali. O fœlicem nimium mercatorem, qui exiguo pretio ſe ab hoſtibus, id eſt vitiis redimit; ſimulque emit homines atque Deum; numquam erit pauper, qui hominum Deique dives eſt: liberalitas ſola virtutum eſt, quæ vtenti prodeſt, & cæteris; quæ amorem accendit; odium, invidiamque extinguit; ſemen hoc inopi, quaſi terræ ſterili committitur, centuplum tamen reportat. M. Ficinus in Epiſtol.

Pecunia quæ talibus diſpenſatur, augetur: cum vſuris à Deo redditur, quod egentibus erogatur. Salvia. l.3. ad Eccleſiam Catholicam. Vide eadem apud D. Ambroſ. lib. de Nabuthe. 12.

C Chriſtus dicit tibi, Da mihi ex eo quod tibi dedi: nihil enim in hunc mundum attuliſti; de meo quæro, da, & redde; habuiſti me largitorem, faciro debitorem; imo habeam te fœneratorem: pauca mihi das, cœleſtia reddam: temporalia mihi das, æterna reſtituam: teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero. D. Aug. ſerm. 41. de Verb. Domini.

Quam frontem habes, cum ſis quotidie ante Deum mendicus, petere ab immenſo, qui non agnoſcis parem tuum, &c. plura. Idem ſerm.5.

In hac vitæ via, divitiæ tuæ ſunt ſarcina, quæ te onerat: da comiti, illum adjuvas, & te ſublevas: cum Chriſtus dicat, quod vni ex his feciſtis, mihi feciſtis. D Idem tract. 1. de diverſ. cap.8.

Patrimonium Deo creditum, nec Reſpublica eripit, nec fiſcus invadit, nec calumnia aliqua forenſis evertit: in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſervatur: hoc eſt charis pignoribus in poſterum providere: hoc eſt futuris hæredibus paterna pietate conſulere. D. Cyprianus lib. de oper. & eleemoſyn.

O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris ſemper viventia, & habere Dominum debitorem. D. Hieron. ad Hidib. quæſt.1.

Beati orant pro his, qui in hac vita illos ſuis eleemoſynis adjuvarunt. Vnde D. Aug. lib.21. de Civitate Dei. c. vlt. miratur Virgilium idipſum dixiſſe 6. Æneid. E quique ſui memores, alios fecere merendo.

Ecce Dominus non eſt cognitus à diſcipulis dum loquitur, & dignatus eſt cognoſci dum paſcitur. D. Greg. Homil. 23. in Evangel.

Voluit Dominus, cui miniſtrabant Angeli, hoſpitio à Zachæo excipi, & vt illi obſequium homines præberent, quia voluit præſtare obſequentibus: obſequentibus enim proderat, non illi: nec Elias ſervas ejus hoc neceſſarium habebat aliquando, cui panem & carnem per corvum mittebat, & tamen vt vidua religioſa beneficeretur, mittitur ſervus Dei, paſcitur à vidua, quem Deus in ſecreto paſcebat. Dicit enim. Math. 10. Qui ſuſcepit juſtum in nomine juſti, mercedẽ juſti accipiet. D. Aug. tract. 5. in Epiſt. 1. Ioan.

Dicunt Iuriſconſulti, cujus eſt ſolum, ejus eſt cœlum, quod ſupra ſolum: nos contra dicimus, cuius

eſt cœlum, eius eſt ſolum: quærite primum regnum Dei, & omnia adiicientur vobis: & Apoſtolus, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum. Ideſt nec copiam huius ſæculi concupiſcent, nec timebunt inopiam. Laus Domini eſt eructatio ſaturitatis illius. D. Aug. in Pſal. 21.

Chriſto, qui ſe pro nobis obtulit, dicit Pater, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Non hic quæruntur affines, inter quos fiat hæreditatis diviſio: quocumque te verteris Chriſtus eſt, fines terræ habes hæreditatem, huc veni, totam mecum poſſide, &c. Ibid. ſub fin.

Homo pius & Religioſus eſt Dei amicus verbo intercedente: fiunt itaque omnia homini, quia ſunt omnia Dei. Clem. Alexandr. in exhort. ad gentes in fine.

Remunerantur à Deo eleemoſynæ. *Vide Virt. Bonit.* ex Patribus, & ſupra hoc titul.

Fœnerat Domino qui miſeretur pauperi. Proverb. 19. Fœnerator minus vult dare, plus accipere: hoc fac & tu: da modica, accipe magna: da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum: non habet pauper quod retribuat, niſi bonam voluntatem, qua orat pro te: cum autem orat, tanquam Deo dicit, Domine mutuum accepi fide tua, qui dixiſti vt fideiuſſor, quod vni ex his feciſtis, mihi feciſtis. Hæc quę dediſti, ſi non dediſſes periiſſent: quod periturum erat in terra, ſervatum eſt in cœlo: factus eſt theſaurus tuus, meritum tuum. D. Aug. in Pſal. 36. concio. 3.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: Dominus beatum faciat eum in terra. Pſal. 40.

Pueri ponunt nummos in theſaurario, quos non vident, nec tamen perdunt: ſic tu in cælo. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis, quia nihil poſuerunt in manu Chriſti. Imple nunc manus inanes, ſi tunc vis habere plenas. D. Aug. in Pſal. 75.

Dicitur Math. 13. Ab eo qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo: habet gratiam poſſidendi, ſed non habet charitatem vtendi: quia ergo illud non habet, quod habet auferetur ab eo. D. Aug. in Pſal. 146.

DEMONSTRATIO.

DELECTAMVR Benefaciendo.

BONITAS. Bonum, primo ſibi ipſi bonum: & ſi ad extra largitur aliquod donum, ſibi impertitur lætitiam, quaſi fruitionis finem: hoc fit ad imitationem primi boni Dei, qui ſe communicat ad intra & ad extra, cum infinita complacentia, & gloria.

MAGNITVDO. Aliis benefaciendo, explicat ſe voluntas noſtra, dilatatur cor, vnde ait Auguſtinus, dilatentur ſpatia, charitatis: vt autem ficcitas facile concipit calorem, ſic lętitiam dilatatio, quæ illi propria eſt.

DVRATIO. Æternitatis avidi delectamur duraturis, ſic beneficio, quod nunquam perire poteſt, licet materia quæ datur, pereat: videmus eum cui benefecimus ſemper nobis in futurum devinctum, vnde nobis illimitati cuiuſdam boni certa, licet confuſa ſpes.

POTESTAS. Poteram benefacere, & volebam, vt bonum naturæ noſtræ ſociali conveniens: hæc potentia, & hæc voluntas in effectum prodiere cum gaudio: vt oculus cum aperitur ad lucem, vt ſenſus omnis ad occurſum convenientis ſibi obiecti: nullius bo-

A ni ſine ſocio iucunda poſſeſſio eſt: inutiles divitiæ, ſi non liceat his liberaliter vti: nec enim vita noſtra iucundè duci poteſt more ferarum, quæ præda ſua ſolitariè paſcuntur.

COGNITIO. Vt interius reſervata bonitas, ſe prodit externa pulchritudine, ſic communicata, interna ſe facit ſentiri voluptate: non quæro videri, & dici ab aliis beneficus, licet hoc publicum teſtimonium delectet: ipſo ceſſante, me delectat ipſa meæ bonitatis experientia. quid enim quiſque poſſit, niſi tentando non didicit: Non ſatis deprehendo in me ſolo exiſtentem potentiam meam, melius illam video, vt veſtis decentiam in alio; ſummopere enim delector, vi-
B dendo poſſe me proximum ab vrgente neceſſitate eripere.

VOLVNTAS. Hæc liberalitas eſt effectus amoris, qui ſuo opere delectatur: & ſi amor amorem parit, ſecurus de alterius ſibi comparato amore exultat Videt quem diligit de ſuo beneficio lætantem, ſic plaudit ſibi, quod miſerum potuerit lętum reddere, geminata, quia reflexa in ſe quam produxit lætitia.

VIRTVS. Gaudet ob vtilitatem, qui accipit: at qui dedit beneficium, lætatur propter talis virtuoſæ actionis honeſtatem, quæ cauſa vt nobilior, animæque noſtræ rationali magis conveniens, amphorem parit delectationem: dum etiam virum bonum, ſuis facultatibus ſuſtentat, illius virtutem, quaſi ſuam quodammodo reputat, ſaltem de illius meritis aliquid, ſibi plaudens, vindicat.

C VERITAS. Effugiſti in poſterum ſimulatæ amicitiæ ſuſpicionem, actuali hac affectus tui probatione: habes fatentem & convictum hac in re donatarium: Ideo gaudes amicitiæ tuæ, fidem eſſe conciliatam.

GLORIA. Is qui beneficium accepit, tibi honorem defert, te ſuſpicit vt liberatorem, protectorem, parentem, Angelum cuſtodem, divinę providentię miniſtrum: quis talibus titulis non delectetur? ſaltem probant talia proferentis affectum, potenſque neceſſitati datum auxilium, vnde duplex, etiam humillimo, lętitiæ cauſa.

DIFFERENTIA. Hęc liberalitas reſtituit quodammodo naturalem bonorum communionem, & derogat legi civili, quę affectus ſimul cum poſſeſſionibus diviſit. At omnis reſtitutio in naturalem ſtatum, fit cum delectatione.

CONCORDANTIA. Licet ferum, ſuperbum, melancholicum, ſocietatis impatientem animum, ſecurum effeciſti, tibique conciliaſti: crevit familia tua illo capite libero, illius confœderati viribus, vnde ſecuritas & lętitia, quę novas ſemper ſocietates comitatur.

CONTRARIETAS. Reſiſtebant liberalitati, amor proprius, ſuis tantum invigilans commodis: avaritia congeſtis opibus nunquam ſatiata: ira de miſeri caſu, ſibi ſpectaculum factura: metus inimici auxiliantem oppugnaturi: viciſti vno liberalitatis actu, hos omnes humanę ſocietatis hoſtes: ſic quaſi inſigni reportata victoria, ſibi ipſi plaudit animus, honeſti à ſe peracti
E conſcius.

PRINCIPIVM. Summa hic animi, vt in generationibus corporis voluptas, quę naturę providentia tegit, & compenſat, id quod de ſubſtantia videtur imminui: conſideras eum quem liberaſti, quaſi opus tuum: ſic ceſſat dolor, irę, invidię, cęterarumque paſſionum, quę te prius torquebant: hinc oritur voluptas, quę habet etiam aliquid poſitivi, ex illo naturę inſtinctu, quo noſtra lętis videmus oculis.

MEDIVM. Si, ex Seneca, plus voluptatis ſit in amicitię comparatione, quam in eiuſdem acquiſitę fruitione, vt dulcius eſt pingere, quam pinxiſſe: potiſſima debet eſſe in benefaciendo voluptas, quia accom-

modatiſſimùm eſt medium ad comparandas amicitias; affectum enim dantis teſtatur, mutuo affectu compenſandum; vtque ſitienti gratior potus, ſic neceſſitatem patienti acceptius eſt beneficium.

Finis. Dare eſt quaſi complementum omnis poteſtatis, omniſque deſiderij, cupimus enim acquirere, nobis providere, aliis auxilio eſſe; vnde ſecreto gaudio, expertis tantum noto, exultat animus, quaſi devictâ fortunæ inconſtantiâ optatum portum attigiſſet. In Chriſtiano, hæc voluptas eſt effectus charitatis, quæ eſt finis legis; eſt etiam illi centuplum à Chriſto promiſſum, quia centies excedit delectationem, quæ ex poſſeſſione percipitur; auget illam ſponſio divina, facta de ampliori gloria, in poſſeſſione vltimi noſtri finis, cuius videtur eſſe præludium.

Maioritas. Animi noſtri motus atterat quantum voluerit Chriſtiana humilitas: ineſt illis inſuperabilis excellentiæ cupido, cui dum externa non conſentiun- triſtamur, dum blandiuntur gaudemus: excellentiæ autem, & ſuperabundantis in nobis boni maximum argumentum, aliis auxilium præſtare.

Æqualitas. Gratitudo accepti beneficij gratiam non æquabit, etiam æquali beneficio; accipiente, ſemper in aliquo ſuperior futurus es, etiam adversâ te deprimente fortuna; extra illius ictus poſitum eſt beneficium: pereunte materia, illud ſemper æquale manet, niſi quod augetur in adverſis delectatio, ex præteriti collati beneficij memoria; ſi nos delectat æqua camporum, hortorum, æquoris planities, & quidquid eſt ordine convenienti diſpoſitum; majorem in animo debent parere voluptatem iuſtitiæ opera, quæ vacuum replent, prærupta leniunt, dum vnicuique debitum perſolvunt officium.

Minoritas. Et iamſi collatis beneficiis aliquid patiantur res tuæ domeſticæ, hinc debes gloriari, vt milites, claudicatione, oculi, alteriuſque partis vulnere accepto ab hoſtibus, dum fortiter pro aris & focis pugnarent: palmæ tegunt vulnera; ipſam fortitudinem irritant adverſa, gaudetque magna charitas bonorum diſpendiis, vt corporis ſuppliciis, illam probantibus.

BENEFICVS EST Honorandus.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Suppoſito quod beneficium contulerit, purè & ſine vlla ſpe retributionis: hæc magnifica liberalitas ingratitudinem non debet fovere; quo minus exigit, magis confert, magiſque ſibi eum qui recepit devinctum habet; quique vtilia non poſcenti, ſaltem deferre debet honorem.

Magnitvdo. Eadem providentia quæ illum conſtituit, in ſuperiori humanæ poteſtatis ordine, mihi ex inferiori cultum aliquem deferre præcepit: ſed maximè eo quod conceſſa ſibi ampliori fortuna, in me beneficus vtitur; ad me deſcendit, vt me ſublevet, reſtituatque in convenientem ſtatum, vnde me adverſa fortuna dejecit. Ita divinæ charitatis effuſionem imitanti, honor meritò eſt deferendus.

Dvratio. Parum erat à parentibus naſci, & educari, ſi me fortunæ injuriis expoſitum non collegiſſet, & tutatus eſſet hic beneficus: dedit cum vita civili quodammodo naturalem, dando facultates, quibus conſervatur. Ita mihi parentis loco colendus eſt: toties beneficus, quoties contra obſtinatas in me A hoſtium vires ſua gratia protegor.

Potestas. Timerem, non veneraret potentem niſi beneficum: honor enim ab invitis non exigitur: nec eſt verus ille, quem frementes animo populi tyrannis deferunt; cedunt loco furenti beſtiæ, ne obvios laceret, illam tamen votis, ſi non poſſunt telis, confodientes: non æquè liber ſine milite aditus ad curias, vt ad alteria, probat non eundem humanæ potentiæ, ac divinæ bonitati honorem deferri. Ad quid mihi aliena potentia, ſi meis malis aut inutilis, aut nociva? mihi boni Principis loco eſt, qui me ab hoſtium & fortunæ injuriis protegit: ſuo beneficio acquiſivit in me regnum, tota bonæ voluntatis meæ amplitudine patens: ipſum coronabo laudibus meis, & ſuæ ditioni me ſubjciens, innumera votis adjicio. B

Cognitio. Habent etiam inanimata beneficij ſibi collati ſenſum: quem aliquo lætitiæ ſigno teſtantur: non modo convertuntur, ſed ſeſe expandunt ſplendidiori ſolito colore ad ſolem flores: Orientem, parato prius ad pompam pennarum ornatu, panegyricis ſuis cantibus aves excipiunt.

Voluntas. Voluit natura ſua beneficia ab omnibus ſentiri & coli, vt ſic fierent rerum ſuperiorum, & inferiorum, ſibi ſympaticè reſpondentium nexus: vt amor influens, amoris grati complacentia in ſe reflexus, circulum omnia complectentem, & vnientem efformaret in vniverſo, quaſi infiniti amoris imaginem. Pauper opibus, dives voluntate, quod haberi poteſt pretioſius, beatis, Deoque ipſi ſervatum bonum, ſcilicet honorem defero. C

Virtvs. Hoc præmium beneficentiæ, quaſi divinæ qualitati debetur: vt virtuti virtus reſpondeat, liberalitati debetur; vt virtuti virtus reſpondeat, liberalitati gratitudo, potentiæ potentia; & ſi das meæ neceſſitati id omne quod poſſunt tuæ facultates, reddo tibi id quod habet maximum affectus meus: Cœpit & conſervatur pietas, erga patres, patriam, & ipſum Deum, beneficijs provocata: Nam Deus tot naturæ & gratiæ collatis donis, ſe prius fecit cognoſci bonum, quam vt perfectiſſimum Religione coleremus, ſpeſque purioribus charitatis hoſtiis viam parat.

Veritas. Te divina providentia conſtituit mihi ſuperiorem, non ſolum fortuna, ſed & benefica virtute: hæc fateor, hæc teſtor, teque vt patronum veneratur liberata paupertas mea: te ſuſpicio vt divinæ bonitatis imaginem, externo tamen meo cultu, internum nunquam ſatis æmulante. D

Gloria. Beneficium mihi fieret ſupplicium, ſi non liceret tumentem veneratione animum exonerare. Recuſes licet meos honores, eo magis deferam, quia ſic tu verè benefici partes agendo, doces me, vt verè grati te colendo debitum exolvam: lætaris beneficentia, & ego gratitudine: Accipe quos defero honores, niſi bono meo ſtudens, volueris ſimul bono & gaudio meo invidere: Interim habeo in infirmitate mea quo te ſuperem, nam non potes invito beneficium, & ego poſſum invito honorem tribuere. E

Differentia. Solem etiam nube tectum officioſo circuitu flores comitantur: Te meque verſet quantum voluerit fortuna, nunquam mihi eripiet grati animi facultatem: eodem ſemper affectu in diverſis rerum, temporumque circumſtantiis, licet diverſo cultu te venerabor.

Concordantia. Stat vniverſi ordo hac amicitia excellentiæ, qua ſe ſuperiora inclinant ad inferiora, & inferiora convertuntur ad ſuperiora. Terra quę plus cęteris elementis recipit à cœlo, ſe globo continet, ſitu abjecto, immobili, facie multis in partibus obſcura, cœlo celeri, lucido, pulchro, beato, homagium humiliata defert, alibi aquis, meſſe, fructibus, flori-

bus dives & amœna, quid à principio ſuo acceperit, ad excellentioris boni & pulchri, in eo exiſtentis commendationem, læta oſtentat.

CONTRARIETAS. Diviti extra miſeriam poſito, & de fortuna triumphanti virtuti, non divitias, ſed honorem defero, nec tamen abſque vtili; nam parit amicitias, dignitates, hoſtem terret, arcetque è longinquo, infauſtis maturè occurrit conſiliis, diligenter exculta, & in publicum propagata virtutis veneratio.

PRINCIPIVM. Nihil deſideranti, nihil poſcenti, vt non exiſtenti, & extra fortunæ mala poſito, parentes dederunt vitam, infinitis miſeriis expoſitam materiam; at cum indigo ſubvenit charitas, dat vitam civilem, & cum illa quodammodo, vt diximus, naturalem; dat languenti, inclamanti, ſenſum miſeriæ beneficiique habenti optatum ſubſidium; & quidem non fortuito voluptatis amoriſque impetu, nihil de naſcituro cogitante, vago, & determinatum ſubjectum non habente affectu; ſed qui beneficium confert, id agit conſultò, divinæ charitatis motu, ſubactis invidia, avaritia, nimia futuri formidine: tot titulis magnum quaſi Parentis beneficium, magna debet veneratione compenſari.

MEDIVM. Hunc beneficum vides quaſi bonorum Dei fidelem diſpenſatorem, electumque à divina providentia, vt Angelum terreſtrem, qui mihi ſubſidia conferat, etiam ipſis divinis inſpirationibus effectum daturæ. Teneor ſanè Deum in ſuarum largitionum miniſtro venerari; eodemque medio, quo influit in me ſua bonitas, debet in ipſum redire mea gratitudo.

FINIS. Sicut dediſti beneficium, ſic refero gratiam propter Deum; pari fine, impares noſtras actiones nobilitante, & quodammodo æquante. Fortè virtus mea defeciſſet in adverſis, in deſeſperationem lapſa, & ad ſalutis noſtræ hoſtem tranſfuga, ſubſidium à vitiis expetiviſſet: prævenit hoc excidium opportunè collata liberalitas; vnde cœleſtis gratiæ vim aliquam eſt conſecuta, dum ad vltimi finis conſecutionem profecit, vnde vltra moralis gratitudinis metas Chriſtiano colendus eſt, qui etiam in temporalibus beneficium confert.

MAIORITAS. Licet enim nobis, temporalia in æterna, vi conceſſæ nobis à Chriſto gratiæ convertere, & quidni colendi, qui nobis materiam ad talem profectum ſuppeditant, vt parentes, qui corpus animæ à Deo infundendæ præparant.

ÆQVALITAS. Poſſum referre gratiam, ſed non poſſum æquare beneficium prius à te mihi collatum: ii lapſam meam fortunam reſtituiſti, quidquid poſtea rependam, non ex propriis, ſed ex tuis exolvo; ſolus honor tibi deferendus, mihi pro mea liberatione relictus eſt.

MINORITAS. Non inficior debitum, libens hic ago pauperis perſonam, quam mihi impoſuit Deus; ſic potentioribus mihi beneficis honorem defero: forte mihi neceſſaria erat ad ſalutem hæc indigentia, nec dives habuiſſem talem erga alios charitatem, qualem ſentio in me exerceri. Revereor ergo vt fortunâ, ſic virtute ſuperiorem, in hac lubrica proſperitatis via, tot hominum ſupra alios ruentium caſu, famoſa, non cadentem.

DIFFERENTIA BONITATIS.

DIVERSA DIVERSIS DONA.

MISCELLANEA.

MAre, toti terræ humiditatem ſuam communicat, ſed diverſimodè, per latentes meatus, aut per fontes, qui ſpiritu agente, aut terra premente erumpunt, aut per vapores, qui in pluvias reſolvuntur.

Componuntur omnia ex diverſis, vim habent à contrarijs principijs, vnde differenti beneficio foventur: ideo cœli celerrimè moventur, vt ſuos varient influxus. *Vide Bonitas, &c. Differentia.*

Cum ſingulæ ætates ſuum habeant temperamentum, diverſis egent alimentis, & exercitijs.

Ex Ariſtotele diverſa boni viri, & boni civis virtus, diverſo præmio donanda, diverſiſque mediis fovenda.

Signa Zodiaci.12. ſunt differentis, & planetis convenientis virtutis.

Sanguis licet expurgatus, non tamen omnino ſimplex eſt, quia partium quas nutrit, aliæ calidæ, frigidæ, duræ, molles, quæ vt non omnes ex eadem ſimilique ſubſtantia naſcantur, ita nec eadem nutriri poſſunt. ſed ſimiles ex ſimilibus: ſeminis autem materia non eſt eiuſdem modi, ſed in eo partes conſiſtunt variæ, conſtatque adhiberi craſſiorem partem ſolidis, humidam mollioribus, calidam calidis, frigidam frigidis. Fernel. lib. de Function. & humorib.

Corporum ſubſtantiæ omnino ſe penetrare non poſſunt, ſic vnius proprietates in aliam ſine alteratione non tranſeunt.

Plato lib.1. de legib. dicit duplicia eſſe bona civitatis, divina, & humana. Divina ſunt Prudentia, Temperantia, Fortitudo; humana verò ſanitas, forma, vires, divitiæ, diverſis ad diverſos vſus tributæ.

Medicina, quæ vni corpori prodeſt, alteri nocet; ſic publica convivia, quibuſdam civitatibus ſunt vtilia, aliis noxia, cum fovere poſſint ſeditiones. Id. Ibidem.

Arthridis, & cujuſlibet periodici morbi cura duplex; vna intermiſſionis, altera exacerbationis tempore adhibenda. *Vide Differentia Medij.*

Non eadem omnibus tribuenda, ſed diverſa diverſis; vt nec Iovi omnia ſacrificantur. Ariſt. lib.9. Moral. cap.2.

Eſt bonum tranſcendens, naturale, materiale, he-

Digitized by Google

neſtum, jucundum, vtile; naturæ, gratiæ, gloriæ; generis, ſpeciei, individui; propter ſe, propter aliud; propter ſe, & propter aliud ſimul; ſummum vel non; verum, vel apparens.

Sanguis qui prius ferebatur ad vterum, edito fœtu ad mammas confluit, & ab his vlteriore coctione in lac convertitur.

Cuilibet corporis humani parti dominatur & influit vnum ſignum Zodiaci. ♈ capiti. ♉ collo. ♊ humeris & brachijs. ♋ pectori. ♌ cordi. ♍ renib. ♎ natibus. ♏ pudendis; ♐ femorib. ♑ poplitibus. ♒ tibijs. ♓ pedibus. Ex Planetis, ♄ ſpleni. ♃ hepati. ♂ ſanguini. ☿ vaſis ſeminarijs; ♀ pulmoni; ☾ cerebro. ☉ cordi.

Singulis etiam his corporis partibus conveniunt plantæ quædam, occulta virtute, de quibus vide Fernelium de occultis rerum cauſis. Cerebro, ſampſucus, ſalvia, anemone, betta, braſſica, radij Iridis, cucumeris agreſtis, Cyclamen, betonica. Pulmoni, amygdalæ, viola, glyſiriſſa, piſtacia, hyſopus, & calamintha, polypodium, Iris flos, hellenium, ſatureja, thymus, juniperus, dracunculus, ſcordium, zinziber, ariſtolochia, pinpinella, pulmonia, cepa, porrum, allium. Cordi, blugoſum, viola, nymphæa, vitonica, dictamen, pentaphilon. Iecori, hieracium, nepatica, plantago, Eupatorium, abſynthium, chamedris. Lieni, viola, bugloſſum, lupulus, caſſuta, ſcolopendrium, raphanus, apium, tamaris, caparis, lapathum, rubia, ariſtolochia, rutha, naſturcium, vrticæ, ſinapi, centaurium, cyclaminus. Fernelius lib. de ſummis medica. generib. vbi vide ſingulis humoribus convenientia medicamenta.

Luna quolibet menſe, facit quatuor anni tempora. *Vide Bonitas Differentiæ.*

Eſt natura vniverſalis, quæ competit rebus omnibus naturalibus; & particularis, quæ competit ſingularibus.

Diverſos Deus, moribus ſuis convenientes, fecere populi, illiſque diverſo, & convenienti ritu ſacrificabant: Vulcano ignis, ſoli equus, propter curſus celeritatem: Dianæ ſeu Lunæ cerva, eadem de cauſa: Veneri turtur: ancora Fortunæ: Herculi taurus: Priapo aſinus: Plutoni aurum: Cereri porca, quæ docuit terram colere: gallus Æſculapio, quia medicus debet eſſe vigilans, & futura prædicens, &c. Vide apud Lactantium de falſa Religione. lib.1. cap.21.

Saturno infantes immolabantur à parentibus, quia tempus diem à ſe productam abſumit.

Dijs inferis immolabant in antris, mortuorum manibus offerebant conuivia, quæ fiebant in ſilentio, & tenebris. Vide Tertul. Apolog. c.15. & Cujacij Obſervat. lib.11. cap.21.

Bonitas prima implet omnia bonitatibus, ſed omne ſæculum recipit de iſta bonitate, ſecundum modum ſuæ potentiæ tantum. Ariſtot.

Fabricandæ ſunt munitiones, habita ratione ſitus loci.

Iidem venti pro diverſitate locorum diverſos habent effectus; Auſter in Luſitania nubes cogit, ac pluvius eſt: in Africa diſſipat nubes, & eſt ſerenus: contra Septentrio illic nubes, apud nos ſerenitatem parit.

Forma gubernationis politicæ, ſtatuenda eſt ſecundum mores populi: ſi ferus ſit populus, vt mari & ſylvis aſſuetus, optima eſt gubernatio popularis: ſi divitibus & potentioribus honorem defert, Ariſtocratia: ſi neuter vult alteri cedere, Monarchia ſtabilienda.

Turpiſſimum genus damni eſt inconſulta donatio. Senec. lib.4. de Benef. cap.9.

Plurimum intereſt, vtrum quis dare ſciat, an ſervare neſciat; Multi ſunt qui non donant, ſed proiiciunt: non voco liberalem, pecuniæ ſuæ iratum. Id. Epiſt. 120.

Beneficia diverſa & diſſimilia eſſe debent, infinitis inter ſe intervallis diſtantia: æquius eſſet omnia relinqui, quam omnia æquari. Idem 3. de Benef.11.

Quia vere ſegetes recens natæ irrorationem requirunt, oriuntur manè cum ſole in tauro Pleyades, Hyades verſus Septentrionem. Hœdi verſus Auſtrum, tandem Orion, & veſperi Sole. Occidente Arcturus, ſtellæ tempeſtuoſæ & humidæ, quæ cient pluvias, & flatus humidos: ſpirantque tunc venti Meridionales, & Occidentales. Maturis fructibus, ſol accedit ad leonem calidum, oriunturque Syrius & Procyon: ſtellæ calidæ Autumno, vt vivæ ſuccum capiant vberiorem, occaſus matutini Pleyadum, Hyadum & Orionis, pluvias excitant, ad ſationem etiam accommodas: ne tamen frigus repentinum ſemina lædat, ſol ingreditur Sagittarium ſignum calidum & igneum. Hyeme autem quieſcens terra, crebris irrorata pluuiis & nivibus, reparat exhauſtas æſtate vires. Origanus. *Vide Differentia Virtutis.*

Cœlum non vbique ſimiliter influit, ſol, licet cauſa vniverſaliſſima, non vbique ſimiliter fulget, non annum facit vbique ſimul, ſed hic ver, ibi Autumnum, alibi æſtum, alibi hyemem eodem tempore.

Cavendum ne munera ſupervacua mittamus, vt fœminæ aut ſeni arma venatoria, aut ruſtico libros: æquè ex contrario circumſpiciemus, ne dum grata mittere volumus, ſuum cuique morbum exprobratura mittamus, ſicut ebrioſo vina, & valetudinario medicamenta, maledictum enim incipit eſſe, non munus, in quo vitium agnoſcitur accipientis. Seneca. lib.1. de Benef. cap.11.

Pulchritudo agri ex variis floribus, pulchritudo muſicæ ex diverſis vocibus, ſic virtutes activas & paſſivas Deus in vniverſo contemperavit.

Conſidera ad quantam ſui ſimilitudinem ignis materiam extollat, & quibus gradibus Sphæra ignis qualitatem triplicem poſſidet, calorem, lumen & levitatem ad ſuperiora vergentem. Movet Sphæra illa corpora infima, & craſſiſſimis, ineptiſque corporibus calorem infundit ſolum, vt plerumque fit in lapidibus: purioribus calorem atque lumen, quod facile facit in lignis: tenuiſſimis denique vltra calorem & lumen, etiam levitatem illam ad ſuperiora trahentem, quod facit in pyrticis pulveribus: ſic diuina mens, corporibus inferioribus vitam præbet ſolam, tanquam calorem: præſtantioribus, vt animantibus, ſenſum tanquam lumen: præſtantiſſimis inſuper intellectum, tanquam levitatem, per quam anima ſurgit in Deum: ita divinus ille radius eſt in lapidibus, ſed non vivit; in plantis vivit, ſed non fulget: in brutis fulget, ſed non replicatur in ſeipſum, neque redit in fontem: In hominibus, eſt, vivit, fulget, replicatur in ſeipſum, primò in ſeipſum, deinde in Deum ſui fontem, in quo vt ignis in Sphæra quieſcit, ſtatutum hunc habens finem. Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib.1. cap.5.

Sæpè ingentium animorum comes eſt inopia, ſive aliquid fortuna ſingulis datum voluit, vt aliquos divitiis, alios præſtantiori munere, & excelſo animo cumularet. Barclai. *Vide Media Bonitas, & Media Virtus.*

In medicinis exhibendis habenda eſt ratio cauſarum, ætatum, temporum, regionum, denique affectarum partium; iiſdem enim non curatur oculus, ac auris, &c. Galenus lib. de ſectis.

Temperamentum in omnibus ſtirpibus & animalibus, non fit ex æquali elementorum menſura, & pondere,

pondere, ſed ſecundum quod vnius cuiuſque naturæ convenit; vt vna qualitas, alteri præponderet, & hoc temperamentum dicitur ad iuſtitiam. Idem lib. 1. de Temperamentis.

Cicuta ſturno intrimentum exiſtit, homini medicamentum, Rurſus cornici veratrum eſt nutrimentum, homini medicamentum. Ibid. lib. 3.

Si inæqualibus æqualia addas, omnia erunt inæqualia.

Sanguis menſtruus, plantis & animalibus virus exitiale, neceſſarius tamen & optimus ad partus alimentum. Plinius. l. 7. cap. 15.

Pluviæ generis cujuſque arboribus diverſo modo deſiderantur, alijs alio tempore maturantibus, quapropter ijſdem imbribus, quædam lædi videas, alia iuvari, etiam in eodem genere, alio die hyberna quærunt pluvias, alio verò præuocia. Idem. lib. 17. cap. 2.

Ventos ac varium cœli prædiſcere morem cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum: & quid quæque ferat, & quid quæque recuſet. Virgil.

Omnium rerum ſunt quædam in alto ſecreta, & ſuo cuique corde pervidenda. Plin. l. 17. cap. 4. Vbi multo ad hanc rem. De diverſo rerum appetiti cui ſeviendum eſt. *Vide Differentia Voluntatis.*

In Sulmonenſi Italiæ agro, herbæ aqua illius necantur, fruges aluntur, & riguus pro ſarculo eſt. Ibid. cap. 16.

EX IVRE CIVILI.

Diverſimodè fiunt adoptiones, pro meritis perſonæ adoptatæ, & affectu adoptantium, vnde vel in primum gradum adoptare licet, vt ſunt filius & filia, vel in inferiorem, vt nepos, neptis. lib. 2. ff. de adoptionibus, quin & quaſi nepotum adoptiones fiunt. l. adoptiones 43. ff. eod.

Si vſusfructus alternis annis legetur, non poteſt non vtendo amitti, quia plura ſunt legata. l. 28. ff. quibus modis vſuf. amitt. & l. 13. ff. de vſu & vſuf. leg.

Diverſitas temporum, pluralitatem donationum inducit, & ideo quot ſunt ſummæ, tot ſunt donationes, & non fit cumulatio. l. 34. §. ſi quis autem. C. de Donation.

EX IVRE CANONICO.

TRia ſunt genera Eleëmoſynarum, vna corporalis, egenti dare quidquid poteris; altera ſpiritualis, dimittere illi à quo læſus fueris; tertia errantes correctione reducere in viam veritatis. cap. tria Diſtinct. 45.

Bona Eccleſiaſtica debent dividi in quatuor partes, quarum vna debetur Epiſcopo, alia fabricæ, tertia pauperibus, & quarta Beneficiato. Concil. Romanum. id. c. 4.

EX THEOLOGIA.

BOnum triplex, ſcilicet honeſtum, vtile, delectabile. D. Thom. 1. q. 5. art. 6.

Cuiuſlibet creaturæ ſecundum ſe conſideratæ duplex eſt bonitas, ſcilicet eſſentialis & accidentalis. 1. q. 15. a. 6.

Bonum hominis triplex, ſcilicet animæ, corporis, & exteriorum. 1. 2. quæſt. 84. art. 4. & quæſt. 85. art. 1. 2. 4.

Bonum in naturalibus & moralibus duplex, ſcilicet eſſentiale & accidentale. 1. 2. q. 18. a. 5. ad 3.

Species rerum habent triplex eſſe, ſcilicet in mente artc Dei, ideſt in verbo; in intelligentia Angeli, & in rebus. 1. q. 74. a. 3.

Donum importat diſtinctionem perſonalem, ſecundum quod eſt alicujus. 1. q. 38. a. 1. 1.

Dona Spiritus Sancti ſunt ſeptem; ſcilicet ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Domini. 1. 2. q. 68. a. 4.

Circa materias omnium virtutum, oportet eſſe aliquod de ſeptem donis. Ibid.

Septem dona perficiunt hominem, vt ſequatur motum Dei; virtutes autem, vt ſequatur motum rationis. Ibid.

Donorum tria ſunt in parte appetitiva, reliqua in parte cognoſcitiva. 2. 2. q. 8. a. 6.

Septem dona remanent in beatis ſecundum eſſentiam, non circa idem, nec cum eodem actu. 1. 2. q. 68. art. 6.

Dona Dei ſecundum diverſas rationes emanant, à bonitate, miſericordia, liberalitate, & iuſtitia. 1. q. 21. a. 3. & diverſitas donorum fecit nos diſtinguere tot attributa in Deo.

Eſt gratia præveniens, ſubſequens, operans, cooperans. 1. 2. q. 111. a. 2. & 3. Gratia gratum faciens ordinatur ad actus meritorios interiores, & gratia gratis data ad exteriores. 3. q. 7. a. 7. ad. 1.

Diverſæ gratiæ gratis datæ, ad vtilitatem proximi. 1. 2. q. 11. a. 1.

Diſpenſatio importat commenſuratam diſtributionem, vel applicationem alicujus communis ad ſingula, & debet fieri habita ratione boni communis. 1. 2. q. 97. a. 4.

Deus agit cum neceſſarijs neceſſariò; cum liberis, liberè. 1. q. 19. a. 8.

EX BIBLIIS.

DAt Deus rebus ſingulis vim, vt producant ſecundum ſpeciem ſuam. Gen. 1.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſervituti hominum, &c. Pſalm. 103.

Diviſiones gratiarum ſunt, vnus autem ſpiritus, qui operatur omnia in omnibus; alij Prophetia; alij diſcretio ſpirituum, alij interpretatio ſermonum; hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult; vt in vno corpore diverſa membra, quæ non eundem actum habent, &c. 1. Corinth. 12.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2.

Fluvius è Paradiſo egreditur, & diviſus in quatuor capita, irrigat omnem terram, & quilibet circuit ſuam regionem. Gen. 2. *Vide Differentia Voluntatis.*

Vnusquiſque proprium donum habet à Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic. 1. Corinth. 7.

DEMONSTRATIO.

DIVERSA DIVERSIS

Beneficia.

BOnitas. Hæc eſt prima lex naturæ, vt eſſentiis diverſis conſtitutis, ad complementum pulchritudinis vniverſi, res omnes ſingulares ſint inſtructæ potentiis & organis convenientibus, ad excuſationem ſuorum operum, & conſecutionem ſui finis.

igitized by

MAGNITVDO. Rorem lilia in album colorem, roſæ in igneum, violæ in purpureum; ſic ſanguinem, ſibi aſſimilant omnes corporis noſtri partes; vnde diverſa diverſis videtur dediſſe natura, dando vim hanc commune alimentum in ſe tranſmutandi: non habent homines eandem vim, ratione bonorum fortunæ; imo ab ipſis tranſmutantur, ruuntque in nociva, niſi, quaſi ægris, res cum convenienti diæta adminiſtrentur. Cadit pluvia ſuper rupes, arenas, & maria, ad ſpectaculum æquæ omnibus & inexhauſtæ bonitatis; non enim minus terris fœcundis impluit; at cuiuſlibet etiam ditiſſimi facultates ſunt limitatæ, ita vt cogatur meritiſſimo negare, quod indigno conceſſit; vnde beneficia ſua debent prudenter diſpenſare.

DVRATIO. Perit beneficium, vt ſemen aptè non collocatum: petit egens, vt æger inter non convenientia remedia; perit tuum conſilium, quo intendebas profuturis miſerum ſublevare: aut ergo nullum, aut conveniens dandum beneficium, vt vitetur multiplex illa jactura, rei, conſilij, operæ, proximi.

POTESTAS. Da regimini non apto regimen, quantæ privatæ, publicæque clades. Ordinata ſunt omnia à Deo, potentiſque omnibus paſſivis, reſpondent activæ; ſed certo, & determinato modo: nam non fit quod libet, ex quolibet; non niſi materiæ benè diſpoſitæ ſupervenit forma, alioquin in præſidentis intelligentiæ contumeliam ſubito peritura.

COGNITIO. Prudentiæ opus eſt, dona perſonis commenſurare, vt ſit beneficium iudicio factum; non cæca, temeraria, ſeque continere non valente effuſione, ſi indigno majora quam oporteat dederis, hinc ſibi blandiens exiſtimabit ſe illa meteri, vnde ſuperbus, ingratus, vltra rerum, vitiumque ſuarum ſortem audax, periculis à ſe ſatis non prævisis obruetur: ſi minora, quam mereatur contuleris, dejicietur fortè animus, vires ſuas ex doni exiguitate reputans.

VOLVNTAS. Licet æqualis ſit erga omnes homines amor; inæqualiter tamen beneficia ſua partietur, quia prodeſſe vult, non blanditi, & perdere. Ægris non quæ appetunt, ſed quæ juvant ſubminiſtramus, aſperâ licet, ſed in bonum ſuum officioſâ charitate. Plantis & animalibus datum eſt nociva diſcernere & averſari; at hominis vagus ad omnia appetitus in nociva quæque incurrit, niſi cæcus ſui amor aliquo iudicio dirigatur.

VIRTVS. Mediocritas, quæ eſt communis virtutum omnium entelechia, modetur affectus; objecta concedit, aut averſatur, habitâ omnium circonſtantiarum ratione; in hoc inſudant virtutes omnes, maximè autem invigilat prudentia, & laborat bono publico iuſtitia.

VERITAS. Naturæ munus eſt, rem ideæ ſuæ conformem effingere, & à materiæ ſinu ad exiſtentiam, ſecundũ quod poſſit ab æterno ſpeciei leges evocare; noſtrum eſt ad conſeruationem convenientia præbere, vt igni, non humida, aquea, ſed ſicca, aut oleoſa, alioquin non alimus, ſed extinguimus.

GLORIA. Senſuum omnium voluptas conſiſtit in convenientia quadam objecti cum facultate; vt probat Marſ. Ficinus lib. de voluptate; ita ex convenienti perſonæ beneficio naſcitur major illius ſenſus, mutuaque voluptas, quæ eſt beneficij corona.

DIFFERENTIA. Ad quid enim rerum differentia tam multiplex, niſi vt diverſis diverſa dentur? tanta herbarum & florum in prato diverſitas ſe profert, ad diverſorum morborum curam, diverſorum animalium alimentum, & ad oblectationem humanæ mentis, quæ hac diverſitate gaudet, quaſi ad res omnes implendas benè inſtructo apparatu.

CONCORDANTIA. In hoc conſiſtit artium omnium peritia; magiæ naturalis ſecretum; ipſorum Dæmonum vis, activa paſſivis aptè miſcere. Mira operatur in politicis, qui novit ingenia apeis officiis, ſibi, bonoque publico conciliare; aut torpentia, contrariis temperatè mixtis, excitare.

CONTRARIETAS. Lædis ſub ſpecie auxilij, ſi non des convenientia; nam concitas internam paſſionum ſeditionem, quâ dilaceratur animus; nolens majoribus, quam deceat, ſibi oblatis renuntiare, aut parvis contentum eſſe: ſi beneficium vires ſuperet, oppimis amicum onere, cum quo turpiter luctabitur; concitas in ipſum æmulorum invidiam, & ex male geſtis omnium quærelas & injurias.

PRINCIPIVM. In diverſis ætatum gradibus, convenientes appetitus explicat natura; itavt non ſit quidem ſolidioris cibi, aut veneris in infante ſenſus, quia talium fruitio, illi non eſt apta; extra ſolitum copulæ tempus, friget animalium minus fœcundorum cupiditas; ſic provida natura, ne quid det inconveniens, abſentibus objectis, tollit eorum ſenſum & appetitum: hinc à parvis initiis lentos progreſſus, lenta ſequitur mediorum convenientium ſubminiſtratio.

MEDIVM. Non hæret in vnico officio boni prudentiſque amici animus; vlterius mittit cogitationes ſuas, eum enim, cui auxiliatur, vult efficere aptum majora, ſaltem ſibi ipſi profutura, inſtrumentum: vnde vt artium inſtrumenta debent certa methodo configurari, acui, ſcindere, tundere, non plus aut minus; ſic conveniẽti beneficio formandus civis ad officia privata aut publica; quæ ſi ſint majora, timebit, ſi minora, contemnet, ita non niſi ſibi commenſuratis benè fungetur.

FINIS. Limitando ſic dona, faves illimitatæ, vlteriuſque ſemper progredienti charitati; quia media ſubminiſtras, quorum facili vſu majora conſequetur.

MAIORITAS. Ridiculum eſſet exiguum corpus, oblongis, latioribuſque quam deceat veſtibus, aut gigantum exiguis, pueroque aptis induere: ſic neceſſe erat Alexandrum, non niſi magna dantem, ſæpius aut non dare, aut indignis largiri. Hæc tibi inter amicos concilianda authoritas, vt ſciant te, non ex eorum appetitu, ſed ex tuo iudicio dare.

ÆQVALITAS. Præcipuum iuſtitiæ munus eſt in hac Geometrica & proportionata æqualitate; ſine qua rerum privatarum, publicarumque ordo ruit, & in antiquum chaos revolvitur.

MINORITAS. Vt potentius, quam deceat, remedium, ſic minus nocet; commovet enim humores, quos non diſſolvit; ſic neceſſitati non proportionatum beneficium, avidas creditorum manus attrahit, antè quaſi deſperatâ prædâ quietas. Si minus alio accipis, imputandum naturæ, quæ te majorum capacem non effecit. Hoc interim præ cæteris donatus privilegio, quod facilior ſit tua abundantia, paucioribuſque indigens, magis accedere videaris ad beatos, qui nullis indigent.

Digitized by Google

CONCORDANTIA BONITATIS

PLVRES SIMVL BENEFICIVM CONFERENTES.

MISCELLANEA.

TERMINVS & finis Reipublicæ eſt communicatio publica, in honeſto, vtili, & iucundo. A

In publica inopia, omnes debent conferre quæ habent frumenta, excepto eo, ne egeant.

Arteriarum & venarum ora contigua ſunt. Verno tempore, cœlum dat potentiores influentias, terra flores, animalia fœtus ſuos; ſeptem planetæ, omnes cœlorum partes, ſtellæque fixæ mittunt influxus ſuos in commune, aër continuâ viciſſitudine pro nobis negotiatur; terra meditatur, aut profert dona ſua; fluunt fontes & flumina; plantæ, & animalia ad noſtros vſus adoleſcunt, & fœtificant: ſic in corpore noſtro vitales partes, cerebrum, cor & hepar, continuò agunt, ſuoque munere funguntur ad vitæ noſtræ conſervationem: ſic in Republica, in exercitu, officiales omnes conferunt de ſuo, vt in omni ſocietate, ad bonum commune: vnde homo non eſt bonus, niſi benè ſit proportionatus bono in communi, omniſque effectus cenſetur bonus, habitâ ratione ad totum. B

Animi & corporis pulchritudo; de qua dicitur, gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Egregius concurſus naturæ & gratiæ; fidei & rationis in anima, virtutis & fortunæ in Principe; color, forma, & odor gratiſſimè concurrunt in floribus.

Etiam planetæ fortunati, debent eſſe in nativitate bene conſtituti, vt fœlicitatem importent; iuncti C etiam corpore, aut aſpectu.

Plato in Philebo dicit omnium optimam vitam eſſe, ſapientiam voluptatibus miſcere, alioquin oſtreorum non ſentientium more vivitur; bonum enim in quadam eſt concordantia, vt virtus in mediocritate, quæ eſt extremorum particeps.

Tranſactâ tentatione Iob, omnes eius amici offerunt ei munera. Iob. 42.

Poſt dedicationem templi, Salomon fecit collectam. 2. Paralipom. 7.

Conſtructo tabernaculo, ſinguli duces per ſingulos dies offerunt munera. Nu. 7.

Orbe pene toto fame vexato, primum Hieroſolymis collectæ factæ ſunt pro indigentibus Chriſtianis: poſtea in vſum venit, vt ſingulis diebus dominicis fierent, & ad vſus pauperum deponerentur. Vide Baron. an. 44. nu. 68. D

Templum Epheſinæ Dianæ, à tota Aſia pluribuſque Regibus ducentis viginti annis fuit ædificatum, magnificentia admirabili. Plin. lib. 36. c. 14. & lib. 6. cap. 40.

Athanaſius ab Arianis accuſatus eſt, quod Ægyptiis tributum indixiſſet, de pendendis Eccleſiæ linteis, ſeu velaminibus; ſed facilè accuſationem diluit, docens in more eſſe hæc ornamenta rogare à populo ad decorem Eccleſiæ. Baron. an. 329.

DEMONSTRATIO.

BONVM EST PLVRES ſimul beneficium conferre.

BONITAS. Optimum nobis eſt, vt vitæ ſic fortunæ beneficia à pluribus recipere: influunt omnes planetæ; conferunt de ſuo ad noſtram compoſitionem quatuor elementa; &, ſi quibuſdam creditur, ſpecierum omnium proprietates. Magis vaga, minuſque determinata eſt vita civilis, quia opinione conſtat, quam naturalis; vnde gaudet pluribus ſibi influentibus. *Vide Concord. Princ.*

MAGNITVDO. Fortè vnius amici facultates non ſufficerent meæ neceſſitati, nec poſſet id præſtare, ſine maxima rei ſuæ familiaris jactura, quod mihi duriſſimum eſſet; ideo plures convenio, qui vnitis viribus, potentiùs, & iucundiùs, vt amicitiam decet, poſſint auxiliari.

DVRATIO. Dum plures beneficium conferunt, mihi in futurum proviſum eſt; ſi enim aliquis eorum vitæ humanæ, fortunæque inconſtantia deficiat, alter illi ſubſtituitur; ſeſe invicem benefici, vt ligna, aut iuncta aut ex adverſo poſita, ſe mutuò ſuſtentant.

POTESTAS. Accepto à pluribus beneficio, habeo jus quoddam in bonis plurium, mihi hac ipſa liberalitate ad novas excercendas addictorum; vt *Vide Duratio Bonitatis*; at illi plures jus ſibi in me non ſic vindicabunt, ac ſi vnicus gratiam contuliſſet; quia quæ ſunt communia, vix noſtra putantur; Res publicæ nullius ſunt; ita mihi cum majori commodo, cedit major libertas.

COGNITIO. Melius interdum neceſſitati ſubvenitur conſilio, quam opibus: plures conveniendo, habeo paratum beneficiorum conſilium, qui me concitato affectu, vtque ſuis diſpendiis parcant; docebunt artes, quibus malæ fortunæ impetus vitare poſſim; eritque medicorum oportunum ſemper conſilium, ad ægræ meæ fortunæ curam: erunt ſibi invicem teſtes eorum, quæ honeſtè agent pro amico, & ea ſe æmulatione provocabunt ad meliora.

VOLVNTAS. Multiplicantur amoris nexus, pluribus ſimul ad conferendum beneficium concurrentibus; amo enim, honeſti & vtilitatis cauſa, eos qui amant, & ſuis facultatibus ſuſtentant eum, quem vellem, & non poſſum meis ſolis juvare; ſi enim eiuſdem ætatis, profeſſionis, maximè ejuſdem periculi ſocietas amicitiam conciliat; vtque proles conjugum, ita communis donatarius amicorum affectum nectit; quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe;

Digitized by Google

Hic in ſe reflexus, multiplicatuſque amor, fortius neceſſitati meæ opem ferat.

VIRTVS. Gratiæ ſicut virtutes chorum faciunt, nec vnquam ſunt ſolitariæ: vt ergo à pluribus ſpecie diſtinctis virtutibus, perfectionem ſuam recipit anima; ſic ſubſidium à pluribus amicis, mea mutuatur fortuna.

VERITAS. Abeſt omnis ſimulatio, tot à ſe mutuo auxilium petentibus, & quaſi in magno onere ferendo, vires ſuas dato ſigno conferentibus; in meum, & in vnius cujuſque ſolatium. Nemo omnes fefellit, ſincere à pluribus procedimur, ideo iure civili, communitas non poteſt accuſari de dolo; & ſi abſit verus affectus, pudet tamen vnumquemque in honeſto peragendo deficere.

GLORIA. Iucundius præſtatur beneficium, quod à pluribus collatum; ſingulis minus eſt oneri: non inſoleſcit beneficus qui plures habet ſocios, in adverſæ fortunę, vt in periculoſa hoſtium, oppugnatione, addit animos, honoris ſtimulo, turba decertantium; nemo vult videri minus altero bonus & potens.

DIFFERENTIA. Quia diverſis conſtamus, diverſique ſunt morborum noſtrorum affectus, ideo non ſimplicibus, ſed compoſitis remedijs curamur, ait Hippocrates: compoſitæ & implicitæ ſunt ſæpius fortunæ noſtræ, ſicut & corporis morbi; aliquid eſt egeſtatis, aliquid invidiæ, alienæque perfidiæ; ſolvit, detegit, excutit hæc conjuncta plurium amicorum vis: vnus enim potens eſt amicis, alter opibus, alter conſilio, & quiſque conatur ſuum in aliquo defectum, eius quo abundat, ampliori collatione compenſare.

CONCORDANTIA. Tot mihi comparo amicos, quot advoco beneficos; quia ſinguli me, vt opus ſuum diligent, plus enim conſiliat animos datum, quam acceptum, vt aliàs probavi: gratias agam adverſæ meę fortunæ, cujus occaſione ſic me video ſtipatum numero amicorum, quos aliter non potuiſſem officiis meis demereri.

CONTRARIETAS. Cedent tali me protegentium numero, hoſtes mei: facilè enim proſternentur ab his, qui à me in auxilium advocati, ſuis parcunt facultatibus, ſi anguſtiarum mearum authorem deleant. Res civiles peraguntur ad inſtar belli, in quo vt plurimum prævalet major numerus.

PRINCIPIVM. Omnia ex contrariis principijs conſtare probat Ariſtoteles, vt rerum exiſtentium vires, tali oppoſitione ad actionem concitentur; ita promovetur egentis fortuna, pluribus illam æmula contentione iuvare nitentibus; frigida poſſunt eſſe initia, ſed viſis negotij ſociis res incaleſcit, gaudetque bonus cum bonis; potens, aut humilior, cum potente coagere, gloriamque exercendæ charitatis paruri.

MEDIVM. In fodiendis mineris inveniuntur prætioſa, quæ non intendebantur; ſic in plurium amicorum conſultatione, effulgent inſperata conſilia, & media ex ipſo etiam diverſorum concurſu naſcentia, quæ aliter haberi non poterant. His diverſis inſtrumentis, fabricanda, refarcienda fortuna: res enim familiaris, non ſecus ac res publica, vno organo, opus ſuum aptè non peragit. *Vide Mag. & Diff. Med.*

FINIS. Connexa eſt fato quodam civili negotiorum ſeries, & quia nos latet hoc bonæ fortunæ ſecretum, illud in pluribus, ſi non poſſum, vbique perquiro: multorum ingenia, affectus, facultates probanti, occurret fortè is, à quo, cœlo ſic decernente, mea naſci debet melior fortuna, ita vt cogente neceſſitate, quaſi fœlici tempeſtate, in ignotum, ſed malis meis propitium portum devehar.

MAIORITAS. Si plurium ſimul, cum poſtulato auxilio, amicitiam conſequaris; certe plus ab illis accipis, quam ab vno ſolo, etiam effuſa liberalitate tibi auxilium dante: debes parcere amici, vltro etiam ſe offerentis, facultatibus; ne tibi illique nimia vacuatio noceat: à pluribus accipiendo, partitum onus leve eſt; magiſque acceptam reddit amicitiam, non gravantem.

ÆQVALITAS. Cito deficerent civis etiam ditiſſimi facultates, in belli oneribus ſuſtinendis; at æqua civium capitatione, publicis facilè providetur neceſſitatibus; ærario etiam ad futura divite: illæſis floribus apes mel ſuũ colligunt, quia ex pluribus, & id tantum quod ſuperfluit, leviſſimo tranſitu ſeriatim exugunt.

MINORITAS. Sic antiquitus collecta egens in perſecutionibus Eccleſia conferebat; ſic innoxia paupertas Evangelica ſtipem quærit; imperantis Chriſti cui ſervit, lene, imo quaſi nullum, quia voluntarium tributum ex l. 8. ff. de oblig. & actio. & l. 17. ff. de verb. oblig. Læta excipitur charitate neceſſitas, quæ non eſt oneri: quæ pauca recipiens, reddit benefico potentiæ, & charitatis ſuæ teſtimonium, conſentiens cum interno, quod ſibimet dicit recti conſcientia.

CONTRARIETAS BONITATIS.

DE HIS QVÆ SE OPPONVNT BONITATI SEV largitioni exercendæ.

MISCELLANEA.

PARTIVM cavitas & communicatio quinque modis impeditur. Obſtructione, conſtipatione, coaleſcentia, compreſſione, ſubſidentia. Obſtructio eſt cum aliquid quod in meatu continetur, licet ei non adnaſcatur, ipſum tamen vel claudit, vel abolet: conſtipatio cum carne illi adnata, aut tumore clauditur: coaleſcentia, cum poſt vulnus, partes meatus coaleſcunt; cõpreſſio fit à corpore gravi incidente, & opprimẽte: ſubſidentia denique cũ partes meatus laxantur, & concidunt.

Deligatio partem alimento defraudat.

Quercus, & omnis arbor glandifera, vim habet aſtrictoriam.

Olim cum defunctis prætioſa quæque cremabantur, aut humabantur, ſic blandiebatur invidiæ quam concipiunt de viventibus morituri.

Frigus: dum homogenea ſimul & heterogenea congregat, etiam adſtringit, condenſat, obſtruit, & incraſſat.

Repugnant communicationi, Saturnus, avaritia, ficcitas, amor proprius, zelotypia.

Princeps vim exercet in populum, mercaturæ officia ſibi adſcribendo.

Rupes aridæ, ſolum fertile operientes & præcipitium ſemper minantes.

In Olygarchia, ſeu paucorum gubernatione; quæritur bonum paucorum, & damnum multorum, vnde illud regimen eſt pejus Democratia, in quo quæritur bonum multorum.

Oſcitatio in enixu lethalis eſt, ſicut ſternuiſſe à coïtu abortivum. Plin. lib. 7. c. 6.

Abortiunt mulieres, cum vehementer ſalierint; aut fuerint horrendum aliquid conſpicatæ; aut ex dolore, & cruditate inſigni; vel medicamenti potione; vel miſſione ſanguinis; vel alia ſimili evacuatione: Galenus in lib. 3. Epid. c. 8.

Monſtrum eſt effectus naturalis, à recta & ſolita ſecundum ſpeciem conſtitutione degenerans, propter aliquod impedimẽtum; id autem fit in perfectioribus, vt in animalibus, quia ipſorum ſemen eſt mollius quam plantarum, & ſic facilè impreſſiones recipit, & difficilè contrario reſiſtit; tum quia in animalibus plura requiruntur ad perfectionem, ex quorum ſingulari defectu vitium accidit: in his etiam quæ fœcundiora ſunt, vnde ait Philoſophus, in Ægypto, vbi mulieres ſunt fœcundiores, ſæpius monſtra accidere.

Venenum mixtum alimento, eius vim nutritivam impediens.

Plato lib. 12. de legibus, præcipit vt ſepulchrum fiat in loco ſterili, ne fœcunditas terræ impediatur.

Mare mortuum, vbi olim Sodoma, eſt ſine motu, nulloſque nutrit piſces.

Aquæ crudę & frigidæ, aut ſterilitatem, aut partum fœmineum faciunt.

Lycurgus prohibuit Lacedemoniis, bona cum mortuis ſepelire; quod ſolitum erat apud alias nationes, ridicula & damnoſa ſuperſtitione.

Aqua marina non poteſt alere plantas, ob craſſitiem, qua ſubire nequit; ob gravitatem, qua impeditur aſſenſio; ob vim difficandi, qua tollitur alimentum, & propter pinguedinem.

Lactuca frigida Venerem coërcet. *Vide Contrarietas Volunt.* amoris remedia.

Arbores frugiferæ in precipitiis naſcentes, quarum fructus non percipiuntur.

Ager in quo ponebatur ſepulchrum non amplius colebatur; frebat enim locus ſacer: ſic nec is in quo fulmen ceciderat.

In Æthiopia circa fluvium Nigir, nullæ arbores frugiferæ.

Dracones cuſtodientes hortos Heſperidum: ſerpentes in pratis; grando meſſem dilapidans; gelu vineas, floreſque arborum decoquens; paralyſis motum & ſenſum præpediens; canis alia animalia arcens à fœno, quod ipſe non comedit.

De Invidia alienos profectus, quantum poteſt impediente. *Vide Contrarietas Virtutis. mala* invidiæ.

Lynces fabulo abſcondunt vrinam, quaſi illam hominibus invidentes, coaleſcit enim in prætioſum lapillum, ſuccini colore & virtute. Sic Caſtores, dum à venatoribus vrgentur, dicuntur teſticulos vorare, intelligunt enim ſe propter illos quæri. Solinus Polihiſt. cap. 8. & 18.

Sic ab hoſtibus preſſi, naves, & commeatum bellicum, quem fugientes non poſſunt auferre, incendunt, ne hac præda hoſtes fiant potentiores.

Circa Ceryniam in Arcadia, eſt genus quoddam vini, quod mulieres facit abortivum parere. Athenæus. lib. 1. cap. 29.

Quidam Germanus, pulcherrimas quas adamaverat mulieres, & impuberes pueros, teſtamento iuſſerat in funebri ſuo convivio digladiari & occidi: at populus non tulit hanc injuriam, ſed abrogavit teſtamentum. Athenæus. lib. 4. cap. 17. *Invidebat alijs quod poſſederat.*

Ne invideas pauperi beneficium, quod tibi eſſet contumelioſum: ſic cum quidam Dorion claudus calceum claudi pedis in ſympoſio perdidiſſet, nihil inquit, pejus in eum qui abſcondit, imprecabor, quam vt eius pedi conveniat. Idem. lib. 8. cap. 5.

Manichæi dicebant nullum dandum eſſe auxilium miſeriæ, vt quæ à malo principio exiſteret: vnde execrabantur eos qui pauperibus Eleëmoſinam dabant. Baron. an. 277.

Iulianus Apoſtata ſæviens in Chriſtianos abſtulit annonam publicam in pauperes quotannis erogari ſolitam Hierapoli. Baron. an. 362.

De gryphis, auri fodinas cuſtodientibus. vide Photium Bibliothecæ. cap. 72.

Cervi mares ſoli animalium cornua quot annis mutant: dextrum cornu medicamento præditum negant inveniri; illud infodiunt, & bonum hoc nobis invident Plin. lib. 8. cap. 32. prodeſt contra ſerpentes.

Herinaceus circumventus à venatoribus in deſperatione fundit vrinam dorſo ſuo exitialem, hac enim tactæ ſpinæ computreſcunt & decidunt, ſentit propter hoc ſe quæri: nam his ſpinis fullones pannos polliunt Ibid. cap. 37.

Sic equa devorat hippomanem. *Vide Medium Voluntatis.* Philtrum amatorium.

Iuxta Chalcedonem in latere Aſiæ, ſaxum miri candoris, à vado ad ſumma perlucens; huius aſpectu Tinni territi, avertunt ſe præcipiti agmine: Itaque omnis captura Biſantij eſt, magna Chalcedonis penuria. Plin. lib. 9. c. 15.

Concha quæ producit vniones, cum ſentit manum, comprimit ſeſe, operitque opes ſuas, gnara propter illas ſe peti, manumque ſi præveniat, acie ſua abſcindit, nulla inſtiore pœna. Ibid. c. 35.

Margaritas in alto comitantur marini canes, nec tamen aures fœminarum arcentur. Inter ſcopulos major pars invenitur Ibid.

Purpuras vivas capere contendunt quia cum vita evomunt prætioſum ſuccum, quæ veſtem illuminat triumphalem, nigrantis roſæ colore ſublucentem. Ibid. cap. 36.

Ptolomæus Rex Ægypti, æmulatione Bybliothecarum, cum Eumene Rege, ſuppreſſit papyrum in Ægypto. Idem lib. 13. cap. 11.

Nero, amiſſarum terum nuntio accepto, duos calices criſtallinos in ſuprema ira fregit illiſos; hæc fuit ratio ſæculum ſuum puniendi, ne quis alius ex his biberet. Id. lib. 37. cap. 2.

Cum in octavo loco beneficæ dominabuntur, damnum à viris bonis afferunt Ptolomæ. in Centiloquio. num. 16.

Digitized by Google

EX IVRE CIVILI.

DE his qui Eunuchos faciunt. No. 142.

Ne quid in flumine publico ripave fiat, quo aliter aqua fluat, atque priore æstate fluxit. ff. 43. t. 12.

Qua pœna castratores affici debeant. Leon. Novell. 60.

Ædificare in altum non licet in suo, quando impedit ventum venientem in aream vicini, & hoc est speciale propter fructus. l. cum eo, & gloss. ff. de servit. vrba. præd.

Carcerato victum, vel stratum deferri prohibens, B tenetur ei actione pœnali, vt injuriarum. l. 34. ff. de re iudic.

Ornamenta, pecunias & cæteta cum corporibus condi non oportet. l. & si quis. §. impensæ. ff. de Relig.

Expilatores hæreditatum notantur infamia. l. 13. C. de his qui nota. infa.

Si apes meæ ad tuas advolent, & eas excusseris, lege Aquilia de damno teneris. l. 27. §. 12. ff. ad leg. aquil.

Si mulier pugno, vel aqua ictu à te percussa ejecerit, l. aquilia teneris quasi de rupto. eod. §. 22.

Non valet pactum per quod libera testandi facultas impeditur, etiam per indirectum. l. 52. §. 9. ff. pro socio.

Lege Iulia gravissime puniuntur, qui societatem C ineunt, vt frumentum carius fiat. l. 2. ff. de leg. Iul. de annon.

Prohibentur sub gravi pœna monopolia mercatorum & artificum, qui conveniunt inter se, vt res certo prætio vendantur, & cœpta ab vno opera, ab aliis non perficiatur. l. vnic. C. de monopol.

Pecunia sepeliri non debet, & potest quasi non religiosa de monumentis auferri. l. 4. §. 6. ff. ad l. Iul. peculat. l. at si quis. ff. de Religios.

Tuendus est qui in littore ædificat, vel molem in mare iacit, si inde nemo damnum sentit. l. 1. §. vlt. ff. ne quid in loco publ.

Nullus debet prohiberi, quominus pecus ad flu- D men publicum appellat, ripamve eius. l. vnic. ff. vt in flumine publico navigare liceat.

Graviter animadverti solet in eos, qui aquas, fistulas, lacus, quidve aliud, ad injuriam publicam contaminaverint. l. 1. ff. de extraord. criminib.

Graviter puniuntur, qui annonam omnem sibi emunt, vt postea carius vendant; dicuntur Dardanarii, à quodam Dardano viro pessimo talibus dedito. l. 6. eodem. Item qui falsis mensuris vendunt. eodem.

In Ægypto hic erat mos, vt qui aliquem oderat, in eius agris ponebat quosdam lapides, qui significabant quod periret is, qui ad hunc colendum agrum accederet, & sic agri remanebant inculti. In tales extraordinariis pœnis proceditur. l. 9. ff. de extraord. crimin. E

Incidit in pœnam. l. Iuliæ de vi publica, qui in incendio impedit Dominum res suas servare. l. 3. ff. ad l. Iul. de vi publ. & qui hominibus armatis possessorem, domo, navi, egroque suo ejecerit. eodem.

Pœna l. Corneliæ punitur, qui hominem libidinis causa castraverit. l. 3. §. 4. ff. ad l. Cornel. de Siccar. & l. 4. eod. Punitur tanquam homicida qui castrat aliquem. l. 1. C. de eunuch. Novel. 142.

Privatur successione qui impedit aliquem quominus testetur. l. 2. C. si quis aliq. test. prohib.

Qui debitorem captum eximit, tenetur de debito. l. 3. C. de exact. tribut.

Non licet manufacto opere cursum fluminis immutare. l. 1. ff. ne quid in flumi. publ.

Constantinus & Iulianus Impp. detestantur eos, A qui magicis susurris elementa nituntur turbare. l. 6. C. de malef. & mathem.

EX IVRE CANONICO.

AVari esurientium panem detinent, nudor vmindumentum, miserorum redemptionem, &c. multa ex D. Ambrosio cap. sicut. 11. dist. 47.

D. Ioannes in sua Epistola excommunicat quemdam Diotrephem, qui nec pauperes recipiebat, & recipientes ab Ecclesia reiiciebat. dist. 42.

Homicida est, qui facit, vel dat sortilegia, vel venena sterilitatis. cap. si aliquis. de homic. volunt.

Parvipendens convivia quæ exhibentur pauperibus, anathema sit. Concilium Gangrense. can. 11. anno 324.

Qui oblationes defunctorum retinent excommunicantur, quasi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei; nam amico quidpiam rapere, furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium. Concilium Vasense. can. 1. anno 332. & Concil. Carthag. 4. can. 95.

Non licet Eleëmosynas & oblationes accipere ab his, qui opprimunt pauperes. Idem can. 94.

Qui pauperem spoliat, si monitu Episcopi non restituat, excommunicatur publicis contra eum per totam Provinciam missis Epist. Concil. Tolet. 1. can. 11.

Episcopus non debet in domo sua alere canes, qui latratibus & morsibus arceant adeuntes, quia omnibus debet patere. Consil. Matisc. 2. can. 13.

EX THEOLOGIA.

DAmnati propter consummatum suum odium, gaudent de malis, & dolent de bono, & sic vellent alios secum damnatos. D. Thom. suple. quæst. 98. a. 4.

In dæmonibus non sunt propriè nisi duo peccata, superbia scilicet, & invidia. Th. 1. q. 63. art. 2. ad 1.

Furtum est occulta acceptio rei alienæ. Idem. 22. q. 66. a. 3.

Semper peccatum ratione injustitiæ & fraudis est mortale, nisi modicum intendatur. Idem. q. 12. a. 3.

Inhumanitas est idem, quod obduratio contra misericordiam. 2. 2. quæst. 118. a. 8. ad 5. *Vide Contrarietas Virtutis.*

EX BIBLIIS.

SEdet in insidiis cum divitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Insidiatur quasi leo in spelunca sua. Psal. 9.

Væ qui condunt leges iniquas, vt vim faciant causæ humilium populi mei, quid facietis in die visitationis, ad cujus confugietis auxilium. Isay. 10.

Super sceleribus Ammon, non convertam, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad. Amos. 1.

De vinea Domini Psal. 79. Vindemiant eum omnes qui prætergrediuntur viam, exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.

Noli prohibere benefacere eum, qui si potes, & ipse benefac. Proverb. 3.

Principes persecuti sunt me gratis. Psal. 118.

Ne contendas adversus hominem frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit. Proverb. 3. Verba impiorum insidiantur sanguini, os iustorum liberabit eos. Ibid. cap. 12.

Qui odit fratrem suum homicida est, & non habet

vitam in ſe manentem in tenebris eſt, & in tenebris ambulat. Ioan. Epiſt. 1.

Paleſtini invidentes Iſaac obſtruunt omnes puteos, quos foderant ſervi Patris eius Abraham. Geneſ. 27.

Diotrephes non ſuſcipit nos, & quaſi ei iſta non ſufficiant, neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt prohibet, & de Eccleſia ejicit. Ioan. Epiſt. 3. verſ. 9.

EX PATRIBVS.

QVis non bonum alterius, malum ſuum credit? Novum & inæſtimabile malum, parum alicui eſt, ſi ipſe ſit fœlix, niſi alter fuerit infœlix, &c. Salvianus lib. 5. de Guber. Dei.

Zeli graviſſimum malum, quo Angelus de cœlo cecidit, quo Cain fratricidium commiſit, quo Eſaii fratri ſuo inimicus extitit, quo Ioſeph venditus à fratribus, quo David à Saule morti expoſitus, &c. D. Cyprianus. lib. de zelo, & livore.

Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies; radix eſt malorum omnium; hinc inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, adulteratur veritas, vnitas ſcinditur, ad ſchiſmata & hæreſes proſilitur. Ibid.

Præcipit Dominus, vt diligas proximum ſicut teipſum, quomodo ſocialis erit fœlicitas tua, quam torquet fœlicitas aliena? invidentia diabolicum vitium eſt, habet & pro matre ſuperbiam, quia non vis proximum diteſcere, ne te tranſeat, aut ſequatur; ſuffoca matrem, & non erit filia, ideo humilitatem docuit Chriſtus. D. Aug. tract. 1. de diverſ. cap. 7. Vide plura. lib. 15. de Civit. Dei. cap. 5.

DEMONSTRATIO.

ABOMINANDVS QVI ſe opponit largitioni exercendæ.

BONITAS. Vt bonum natura ſua eſt ſui diffuſivum, ſic è contrario malum eſt boni negativum; coercet enim, nec effundi permittit, quod ad alienos vſus eſſet vtile; ſic frigus ſiſtit fontis perennem effluxum.

MAGNITVDO. Malum hoc, non tantum ad inſtar ſiccitatis, ſuo termino continetur; ſed in eo graviſſimum, quod perverſa boni æmulatione ſe diffundat, quod contagioſè ſerpat, dum alios impedit ne quid egenti largiantur, ſic ſterilitate damnatum malum propagatur, ſolvitque quantum in ſe eſt continuitatem vniverſi, ſtantis mutua boni communicatione.

DVRATIO. Crudelis hic affectus protrahit miſeri ſupplicium, dum ſe opponit charitati ad auxilium paratæ; ſpem omnem adimit, ſic illum hoſtiliter obſidens, viamque commeatui ad vltetiorem ſubſiſtentiam præcludens.

POTESTAS. E' Diametro contrarius eſt bonitati Dei, qui non tantum ſe effundit res creando, & conſervando, in ordine naturæ & gratiæ; ſed etiam ſupereffluenti largitione, efficit illas potentes, vt ſibi aliiſque ſimul bonæ ſint, æmula principij ſui bonitatem: hinc activæ omnes potentiæ; hinc cauſarum vniverſalium, cœlorum, elementorum expoſitæ divitiæ, & particularium ad effectus ſibi ſimiles producendos generoſi conatus. Vellet invidus aeri refrigerationem, terræ fertilitatem, cœlo influxus, ſoli lucem, Deo ipſi bonitatem auferri, ne afflicto præſtetur auxilium, ſic toti naturæ injurioſus, in Deum, blaſphemus ſacrilegus, dum providentiæ ſuæ leges & dona conatur præpedire.

COGNITIO. Optimè nobis à divina ſapientia conſultum eſt, quod præcipua ſua dona, occulta largitione effuſa, internoque mentis ſinu, quaſi in tuto condita, oculos, manuſque invidentium effugiant.

VOLVNTAS. Externa bona malaque non ſic potuerunt latere, ſed providentiæ lege factum eſt, vt viſâ alienâ miſeriâ ſtatim compaſſione tangamur, illique quaſi noſtræ auxilium quæramus: hanc miſericordiæ legem, quaſi ſacrum naturæ noſtræ aſylum duplicato crimine violabat, qui negans auxilium miſero, impedit ne ab aliis præſtetur. Deſperatæ hic eſt, vt Dæmonum, malitiæ conatus, ingenſque nocendi cupido, qua nihil in humanis magis execrandum; avaritia cæteræque paſſiones feruntur in malum ſub ſpecie boni; at qui negat alteri, quod ipſe non eſt conſecuturus, videtur malo gaudere, illudque ſui cauſa, perverſo & contra naturæ legem appetitu proſequi.

VIRTVS. Negat vni virtutem, alteri auxilium, vtrique, & miſero, & volenti auxiliari crudelis; quid ſe rebus alienis nociturus ingerit? quid tenebras alienis malis, ne videantur, & curentur, effundit? ſed citò ab aliis hæc deprehenſa malitia, in peſſimi ſimul, & imprudentis damnum vertitur; habetur ignavus, qui ſibi ab omni alia potentia timens, vellet omnes, vt poſſet ſtare, dejici; habetur extra modum intemperans. qui vellet mutilatam omnium eſſe fortunam, ne invadat cupiditatum ſuarum objecta; ad extremum injuſtitiæ lapſus eſt, qui non ſuæ tantum, ſed alienæ neceſſitati proximi debita ſubſidia negat, duplici furto, quia de re aliena deluſo Domino, diſponit, & egenti lege divina aſſignatum auxilium avertit. Vnde ſicut ſub injuſtitiæ nomine virtutes omnes; ſic ſub hac tarea injuſtitia, vitia omnia intelligas.

VERITAS. Quædam vitia, ſæculi perverſitate, pro virtutibus coluntur; at illud odio publico inſectatum, non audet ſe, niſi ſub larva, mentitoque habitu prodere; quantis artibus, quam ſecreta machinatione opus eſt, vt à miſero ſperatum auxilium divertat? benefici animum, ſpe, metu concitare; ficto odio verum moliri, calumniis famam dilacerare, vt ſuo miſer relinquatur addictus ſupplicio, ſic ſimul mendacio, & injuria peccans in Spiritum Sanctum, qui veritas & charitas eſt.

GLORIA. Gaudeat quantum voluerit crudelis invidus miſerorum ſupplicio, reflectitur in ipſum quam infert injuria, & ad centuplum torquetur, ſicut è contrario, charitas præmiatur. Tollat invidus quæcumque poteſt humana ſubſidia; alia majora, quæ ſuæ non ſunt ditionis, ſupervenient, ſic diſponente divina providentia, quæ ſuis, miris & inſperatis modis ſemper adeſt. Ita in ſupplicium ſuum Deo bellum indicat neceſſe eſt, qui miſeris tentat auxilium percludere.

DIFFERENTIA. Qui ſic beneficiis ſe opponit; humanæ ſocietatis & Eccleſiæ corpori plagam infert, qua impeditur, ne membrum vnum alteri influat; facit in mundo civili vacuum, quod inanimata etiam ſuis periculis non patiuntur in mundo elementari, ne cœlorum vis beneficia interrumpatur. Ex hominum conſortio reſecanda pars hæc mortua, alias lædens, obſtruens, inficiens.

CONCORDANTIA. Inutiliter conveniunt in Republica & in Eccleſia homines, vt ſibi mutuo auxilientur, ſi invida hæc ſe interſerit malitia, diſrumpatque ſacrum ſuperiorum cum inferioribus communionis nexum.

CONTRARIETAS. Contra vim aperto Marte irruentem, auctis per antiperiſtaſim copiis, fortiter inſurgit

natura. At hoc malum latens, ex insidijs innocentem A trucidat, debilem auxilium elatis manibus invocantem, rerum inopia conficit, protracto, ad immane crudelitatis spectaculum, supplicio.

Principivm. Actum esset de mundo, si daretur summum malum, ex æquo summi boni, causarumque influxus præpediens: & actum est de humana societate, si impunè beneficijs inimica malitia grassetur; si extinguat charitatem, cuius quasi animæ vi, humana divinaque officia foventur & propagantur.

Medivm. Vir bonus se saltem ministrum præbet in bonis, quæ non potest proprijs viribus exequi; at contra malus, bonum non promovet, sed impedit; & dum Angeli, beati, boni, pro misero votis communibus auxilium expostulant; dum ad id præstandum, B divina se inclinat bonitas, solus diabolicâ pravitate contra nititur.

Finis. Iam multis ex se implicatur difficultatibus boni cuiuslibet consecutio, quid si super addito labore nos vexent, & à directo divertant, qui iuvare & dirigere debent?

Maiorivas. Inest quidam nobis excellentiæ appetitus, vt ad heroïca & supra naturam divina provehamur: sed quam absurda, timida, in gloria, liberoque animo indigna cupiditas, quæ alios vult dejici, vt emineat, inermes esse vt vincat; colligatos, vt cursu superet, & quæ ideo se opponit exhibendis beneficiis.

Æqvalitas. Turbat naturæ, iustitiæ, societatis, & politiæ humanæ, charitatisque divinæ harmoniam, qui impedit ne depressior, quam decet, pars elevetur: omnia non sunt impedimento, sed auxilio, ad id quod spectat ad bonum vniversi; stat enim hac æquissima bonorum communione, mutuisque partium sibi subvenientium auxiliis.

Minoritas. Alterius largitiones impediens, comparandus est maleficis, qui terris fascinatione sterilitatem inferunt: qualis inhumanitas, sic miserum fortunæ exponere, & obsidere ne auxilia recipiat? invertit ordinem divinæ providentiæ, quæ hunc beneficum ad charitatis officia præstanda dispoſuerat: spoliat, torquet, iterumque crucifigit Christum in paupere, & sitienti in cruce potum negat, quod non fecere Iudæi.

PRINCIPIVM BONITATIS.

VNDE PROCEDIT BONITAS ET QVÆ SVNT ejus causæ.

MISCELLANEA.

Causæ omnes sunt principium bonitatis existentis in effectibus, quod enim est causa causæ, est causa causati. A

Plato. 11. de legibus, docet omnem bonam fortunam ad Deum esse referendam, vnde illi præcipit dicendum, quod in itinere quis invenerit.

Causa efficiens agens in materiam. Magister informans discipulum. Princeps populum. Spiritus Domini super aquas, idest super fluxas dispositiones materiæ. Patronus liberti, & Ecclesiæ.

Ex Platonicis, omnis deformitas à materia, pulchritudo autem à cœlo, seu anima mundi, quæ formas immittit in materiam; sicut sol radios in orbem.

Astrologi dicunt vnumquemque tale habere temperamentum, qualem habuerit syderum dispositio- B nem in genesi.

Platonici dicunt habere ex præsidenti intelligentia; ad quam anima post mortem se recipit; Cabalistæ ab Angelis custodibus.

Actus fuit prior potentia, quia non fuit infinitum chaos, & nox; ab essentia fluunt potentiæ, & nobiliora accidentia; Corpus non movet, nisi moveatur, sic corpora cœlestia benignè influũt in inferiora, dum moventur à suis motoribus; Agere supponit esse.

Aqua est mater Mineralium, vnde spargirus conficit ex ea rubinos Paracel.

In vegetante, altrix facultas est principium cæterarum, hæc autẽ in animali, à iecore in venas influit.

Terra est mirabilium productrix, ex cœli semine.

Olera plus multo proficiunt imbre, quam roratione; etiam arundines quæ in lacu sunt prognatæ, nihil fere accrescunt, nisi aquæ pluviæ incidant.

Pisces, vt plurimum vivunt aqua pluviæ; vnde plures subeunt è mari fluvios, in quibus est pluviosæ aquæ copia non corrupta, vt in mari. Aristot. Hist. anim. lib. 7. c. 19.

Nilus fœcunditatem dat Ægypto: & omnibus terris, cœlum, & aqua, seu pluviæ, seu fluminum, fontium, & per occultas venas fluens.

Quod mare hic fœcundum, alibi sterile, hic genus piscium profert, alibi aliud, varietas hæc à fundo, & solo petenda.

Divina à seipsis incitantur ad benefaciendum, nec ab vllo subdito principium actionis accipiunt. Iamblicus de Myster. cap. 20.

Dei proprium est facere, creaturæ autem pati: sic Ioseph irridet Laban, quod diceres filias esse suas; somnus instrumenta quæ Deus intendit aut remittit, secundum quod ei benè visum est: hæc non credens impius non offert ei decimas, vt Cain: &c. Philo. Iud. l. de Cherubim. Sumus quasi stagnantes aquæ, quæ à Spiritu Dei voventur, quasi terra arrida illius rore fœcundata: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Ideo pendemus à Deo, vt radij à sole; vt species in speculo ab objecto suo; vt calor in aqua ab igne; vt corporis vis ab anima. Idem. lib. de mig. Abrah.

Merito primitiæ dedicantur Deo, rerum omnium principio;

principio ; prima enim ſtirpium, animantium, ſcientiarum ſemina ſunt quædam inviſibilis naturæ opera, ſicut & fructus, non agriculturæ. Principium ſcientiæ natura eſt : finem & complementum nemo attigit; In medio poſiti videmur aliquid agere, diſcendo, docendo vt res cæteræ per generationes, cum Dei totum ſit opus. Dicitur etiam in mundi creatione ; in principio fecit Deus, & poſtea perfecit. Ab vnitate incipiunt numeri, per eam multiplicantur, nec tamen ſunt vnitas. Idem lib. quis ſit rerum divinarum hæres.

Vt ab vnitate omnes numeri, ita à Deo omnes creaturæ. Ab vnitate divina, inquit Iamblicus, omnia prodeunt, & prodeuntia vnitatem quandam ipſis impreſſam retinent, divinæ vnitatis imaginem, qua & revocantur in illam, & revocata perficiuntur : ideo vnitatis virtus non evacuatur, etiam quocumque aſſignato numero, vt nec magnitudinis, quacumque poſita ſectione.

Hinc vota & ſacrificia, ſolita fieri ab omnibus populis, antequam res graviores aggrederentur.

De vno rerum omnium Principio. *Vide Magnitudo Principij.*

Quomodo Deus & inferiora, ad ſui communicationem, pulchritudinis idæa moveantur. *Vide Poteſt. Cognit. in Miſtel.*

Abundantiſſima eſt captura piſcium, ſole ſignum piſcium tranſeunte. Plin. lib. 9. cap. 19.

Charitas eſt verum principium bonitatis, & fons indeficiens beneficij. *Vide Veritas bonitatis.*

Plin. lib. 31. in præmio, dicit, aquas cadentes, omnium in terra naſcentium cauſas fieri, vt fruges gignentur, arbores, fruticeſque vivant : In cœlum migrare aquas, animamque etiam herbis vitalem inde deferre, itavt omnes terræ vires aquarum ſint beneficium.

Naſcuntur fontes deciſis plerúmque ſylvis, quos arborum alimenta conſumebant. Idem lib. 31. cap. 4. Vnius exhæredatio, aut abdicatio, alios ad beneficia admittit: *Vide Gloria Minoritatis.* proficere ex alterius ruina.

EX IVRE CIVILI.

De fonte. ff. 43. tit. 21.

De his qui feudum dare poſſunt Feud. 1.

De Metallariis & metallis, & procuratoribus metallorum. Cod. 11. tit. 6.

EX THEOLOGIA.

Eſſe eſt proprius effectus Dei. D. Thom. 1. quæſt. 8. art. 1.

Dicere Deum non eſſe authorem bonorum omnium, eſt hæreticum. 1. q. 63. a. 1.

Omne bonum eſt bonum, ſola ſimilitudine divinæ bonitatis. 1. q. 105. a. 5.

Adeps vetabatur comedi, comburebatur Deo, à quo eſt omnium bonorum ſufficientia. 1. 2. quæſt. 102. art. 3. ad 8.

Omne quod non eſt ſuum eſſe, participat eſſe à cauſa prima ; quæ eſt ſuum eſſe. 1. q. 44. a. 1.

EX BIBLIIS.

Habet argentum venarum ſuarum Principia, & auro locus in quo conflatur. Iob. 28.

Per verbum omnia facta ſunt. Ioan. 1.

In principio Deus creavit cœlum & terram : dixit Deus aridæ terræ, germinet terra herbam virentem, & animalibus, creſcite & multiplicamini, &c. Geneſ. 3.

Nato Cain, dicit Eva poſſedi hominem per Deum. Geneſ. 4.

A cœlo deſcendunt Angeli in terram, per ſcalam Iacob.

Maria habet in vtero de Spiritu ſancto.

Reſpicite volatilia cœli, non laborant, & Pater veſter paſcit illa, &c. Math. 6.

Ero quaſi ros, & Iſraël germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani, &c. Oſee 14.

Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore ; dante te illis colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, &c. Pſal. 103.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Pſal. 117.

Soror mea ſponſa, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Cant. 4.

Petrus in verbo Chriſti laxat rete & concludit piſcium multitudinem. Math. 5.

Niſi Dominus ædificaverit domum, &c. Pſal. 126.

Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Proverb. 16.

Operatus eſt ſalutem in medio terræ. Pſal. 73. operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12. *Vide Principium, Virtutis, Poteſtatis, Cognitionis & aliorum Principiorum.*

Quis Prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Rom. 11. *Vide Bonitas Principij.*

DEMONSTRATIO.

QVÆ POSSVNT ESSE *cauſa bonitatis ſeu beneficij conferendi.*

BONITAS. Ipſa eſt cauſa bonitatis, quia & potentes & gratos efficit, ad ſimile quod acceptum eſt referendum : ſe enim mutuò provocant beneficia. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

MAGNITVDO. Eſt cauſa diffuſionis : cum enim res obtinuit gradum ſibi convenientis magnitudinis, ad actionem progreditur : vnde entia naturalia non generant, niſi in ætate perfecta.

DVRATIO. Et conſervatio rerum efficit vt earum ſimus liberales non prodigi, vt ſunt eleemoſinæ quæ fiunt habitâ ratione redituum. Quæ non alterantur, & damnum liberalitate non patiũtur, ea maximè ſunt liberalia: vt Deus, lumen, cœlum, ſcientia: Fiunt largitiones à quibuſdam, vt conſervẽtur: ſic dantur Xenia potentioribus: & olim Imperatores, populo & militibus dona concedebant, vt eorum mererentur affectum. Res naturales profundunt ſubſtantiam ſuam in generationibus, vt conſerventur in ſpecie, cum non poſſint in individuo.

POTESTAS. Eſt cauſa largitionis, dum fœcunditati addit vim exercẽdi foras quod intus latet: ſic medicamenta, à calore naturali ſubacta, nobis proſunt. Principiũ eſt magna largiri: ſic Aſſuerus facit omni populo cõvivium per octo dies, vt oſtendat potentiam regni ſui: ſic reges, officia, beneficia, gratias, propria manu cõferũt.

COGNITIO. Sapientiores Populi magis ſunt mutuò benefici, rerum, operarum, conſiliorum commercio : cum apud Barbaros & incultos populos, non

Digitized by Google

sit hæc civilis communicatio Sapientes vt ad divinam naturam accedentes; non sunt avari, invidi, sed benefici, ad instar luminis quod se momento per omnia diffundit; exemplo Angelorum, qui acceptum divinum radium alijs communicant, cœlos movent, homines & imperia regunt. Ratio nos docet beneficentiam supra animalia, quæ suæ tantum vtilitati laborant: docet etiam nos imitari constitutum a Divina sapientia ordinem, quo superiora inferioribus influxus suos non negant.

VOLVNTAS. Amor est maxime liberalis, quia qui amat, amatum vt seipsum considerat; ex amore nascitur amor gratus & beneficus: cæteræ passiones omnes, vt expleantur, profundunt bona, suntque liberales.

VIRTVS. Charitas est præcipua virtutum; amicitia, liberalitas, magnificentia numerantur inter virtutes, Iustitia est virtus ad alterum; omnis virtus & potentia, vult naturaliter reduci ad actum. Præstantiores viri, olim Heroës dicti, quia hominum amantes, illos multis beneficijs cumularunt; in ordine charitatis exercendæ, virtute præditus alteri præfertur.

VERITAS. Beneficentiam leges divinæ & humanæ præcipiunt; vt inquit Evangelium, Imitemur Patrem cœlestem, qui Solem suum facit oriri super bonos & malos, & verbum Incarnatum, quod seipsum dedit pro nobis, vt sequamur vestigia eius: dum aliquibus damus auxilium, aliis proficimus bono exemplo.

GLORIA. Allicimur ad conferendum beneficium, internâ delectatione, quæ consequitur hunc actum honestum: multi sunt liberales, cupidine gloriæ & applausus populi. Sancti qui sunt in gloria, hominibus beneficia conferunt, & beatitudo perficit eorum charitatem.

DIFFERENTIA. Interdum fiunt munera vt inter absentes sint loco præsentiæ. Eucharistia maximum donorum, fit in commemorationem Christi: conceduntur aliquando beneficia externa malis, vt sic honesto exilio à bonis separentur.

CONCORDANTIA. Natura fecit omnia communia in eadem specie; animalia quæ in specie conveniunt, multa sunt gregalia, sibique mutuo auxiliantur: habemus hunc misericordiæ sensum erga omnes homines, sed maxime benefacimus his, qui sunt nobis conjuncti sanguine, patria, matrimonio, sympathia humorum, aut aliqua speciali societate.

CONTRARIETAS. Beneficia sæpe hostibus collata sunt, vt aut deludantur, aut abundantia corrumpantur; à Christiano autem, vt mitescant, & pertinaci A bonitate superetur malitia: inimicitiâ contulit beneficium, qui volens hostem confodere, ictu aperuit latens in corpore apostema, aliter insanabile; ægris officiosè subvenitur, & etiam servo laboranti dantur prætiosa.

PRINCIPIVM. Res omnes habent naturalem inclinationem ad benefaciendum his, quorum extiterunt principia; sic terra nutrit plantas, aqua pisces, animalia omnia fœtus suos; potentior est hic amor in hominibus erga liberos, quibus etiam adultis providet, hæredesque ab intestato relinquunt. *Vide Bonitas & Duratio Principij.* Regimen non à severitate, sed a beneficiis auspicandum; debilibus rerum omnium initiis favetur, vt pueris lactantibus. B *Vide Gloria Principij.*

MEDIVM. Artes fovent instrumenta quibus vtuntur, voluntque habere apta & splendida; politica stipendijs, & donis vult ministros sibi conducere fideles: dantur beneficia, vt sint esca, nexusque animorum.

FINIS. Eleemosyna fit consideratione vltimi finis, remunerationis æternæ, fragilitatis & inconstantiæ rerum humanarum, & mortis, quæ æquat omnes, servatâ tantum bonorum operum prærogativa. Si hinc patimur aliquam indigentiam; finietur brevi, illique succedet possessio vltimi finis. Sæpe res dantur C ab eo, qui non potest amplius illis frui; vt legata & donationes causa mortis, resignationes beneficiorum ab ægris. Quædam condonationes fiunt populo, necessitate cogente, sub specie tamen beneficij.

MAIORITAS. Superabundantia causat effluxum, in vase nimis pleno; in mammis nutricum semen fit ex superfluo alimenti; Mare fluit ab aquilone in meridiem, quia in aquilone propter frigus multiplicantur aquæ; in meridie minuuntur propter calorem; abyssus est origo seu matrix fluminum, & fontium; sic plebei divites, mutuo dant pecunias nobilibus liberalibus. Cum charitas incipiat à seipso; vt *Vide Volunt. Bonit.* prius vnum quodque sanum impletur, quam effundat. D

ÆQVALITAS. Princeps confert beneficia egentibus nobilibus, & viris præclaris, vt illos in gradu sibi debiti splendoris restituat; æqualibus dat æqualia beneficia, ex iustitiæ lege; gratitudine mutuisque beneficiis servatur, inter cives æqualitas.

MINORITAS. Paupertas, adversitas omnis causat in nobis compassionem, qua ad benefaciendum excitamur; pauperes dant divitibus, subditi Dominis, à quibus sperant, aut timent.

MEDIVM BONITATIS.

SIGNIFICAT VEL MEDIATAM, ET PRO PARTE largitationem, vnde procedit, esse bono & malo mixtum: vel significat beneficij mediatorem, quo ad illud obtinendum vtimur.

MEDIA LARGITIO, BONVMQVE MALO mixtum. Vide Media Virtus.

MISCELLANEA.

OMnes motus cœlestium conferunt & vniverso, & necessariis partibus vniversi, quamvis interim inter particulas minimas sub hoc motu, vel alia lædatur ab alia, vel tales particulæ non satis motum vniversi sustineant. Iambl. de mysteriis. cap. 14.

Natura videtur cuncta hominis causâ genuisse, sed sævâ mercede contra tanta sua munera, vt non sit satis æstimare, an parens homini melior sit, an tristior noverca; nudum enim, & flentem protinus vincula excipiunt animal cæteris imperaturum. Plinius. l. 16. 7. in Prœmio.

Idem lib. 2. cap. 9. dicit maculas in syderibus nihil aliud esse, quam terræ rapeas cum humore sordes.

Inter serpentes fodimus, & venas auri tractamus cum veneni radicibus. Ibidem cap. 63.

Rarò pulchritudo summa reperitur cum summa virtute: pluvia fœcundans cadit interdum cum grandine, & fulgure.

Inter omnes rerum species, sunt quædam mediæ, extremorum participes; marcacista inter lapides & metalla; zoophita inter animalia & plantas: luna vltima planetarum videtur habere aliquid terrenæ alterationis per maculas, luminis, influxus, motus variationes menstruas: Meteora inter elementa, & perfectè mixta: Aër medium habet motum inter sursum, & deorsum: amphibia inter terrena, & aquatica: inter aves & terrestria animalia, struthio, gallinæ, quæ vix vtuntur alis ad volatum: insecta multipeda, quia terræ vt plurimum hærent: denique monstra, ex imperfectione materiæ aut formæ, habent aliquid ex pluribus speciebus. *Vide Media Concordantia.*

Calore naturali & vi jecoris non omne alimentum vertitur in succum dulcem, scilicet sanguinem: sed pas in flavum & amarum: nigrum & aridum: serosum & salsum: id est, bilem, milancholiam, & flegma.

Lac quod primis diebus sugit infans, est serosum: vnde est quasi alimentum medicamentosum, quod infantem leniter purgat.

Omnia medicamenta, cum vtili qualitate, habent nocivam aliquam, quæ indiget correctivo: sic Cassia habet pro correctivo anetum: Agaricum zinziber: folia orientalia, fœniculum, & glisteriisam: Reubarbarum, cynamomum: Scammonea, coniacea, Colochintida, oleum amigdalarum dulcium, & gummi tragachant: Turbith, galganga, & zinziber: Aloës mastic, & gummi tragachant: Mirabolani, oleum amigdalarum dulcium: Hermodactili spicam nardi: Manna jus ex refrigerantibus confectum, ne convertatur in bilem: Elleborum nigrum, Nymphæam.

In rebus politicis dubiis, relaxandum est aliquid, vt quod præcipuum est salvetur: non enim offertur purum bonum, sed è duobus malis minus eligendum. Vnde pro levi honoris scrupulo non debet Princeps desistere à magno negotio perficiendo. In bellis maxime, consilia necessitatibus temporum accommodari debent.

Bona Regio fertilis sibi sufficiens, sed delitiis corrumpit suos habitatores: boni portus maritimi ad commercia, ad auxilia præstanda & recipienda, sed corrumpuntur leges conversatione advenarum aliter viventium. Aristoteles.

In Aristocratia, magnæ potestati semper datur collega, licet cum periculo dissensionis, & non tam promptæ executionis, quia vnus posset occupare tyrannidem. Bodin. Reip.

Nulla, inquiebat Cato, lex, quæ non habeat aliquid exiniquo: sufficit tamen, si commodum publicum superet particulare detrimentum.

Conjuratio difficilis, quia si sit multorum, vix potest servari secretum, si sit paucorum, deficient vires.

Multa quæ odoratui sunt grata, gustui displicent, vt caucamum, Arabici ligni lachrima.

Palmæ quæ in Italia, aut Provincia nascuntur, fructum non ferunt, quia non est satis calida regio.

Ex vno ægrotantis signo, non debet mors, aut sanitas judicari: nam bonum signum à majori malo vinci potest. Galen.

Magna evacuatio humoris, etiam nocivi vires debilitat, quia simul effluit magna copia spirituum.

Aër refrigerat corpus, sed non præbet ei alimentum: illique expositi famelici magis patiuntur.

Cujuslibet alimenti est aliquod excrementum.

Anni pluviosi avibus, sicci piscibus nocent.

Aquilo nobis serenus, Africæ est pluviosus, Auster Africæ serenus, nobis pluviosus. Arist. Meteo. lib. altero cap. 3.

Cum rationi sit consentaneum meliorem imperare, tamen successio præfertur electioni, propter interregni factionum mala innumera, quæ sic vitantur.

Quæ libet fertilis Provincia in aliquibus deficit,

Digitized by Google

vnde debet habere portus, ad mercaturæ, & belli neceſſarium commeatum.

Sunt duo fortunati Planetæ, Iupiter & venus, & duo infortunati Saturnus & Mars; alij planetæ medios habent influxus, æque bonos ac malos, tum ex ſe, tum ratione conjunctionum corpore aut aſpectu: duæ ſunt zonæ temperatæ; aliæ ſi non ſunt omnino inhabitabiles, ſaltem non ſunt habitationi commodæ.

Perſæ omnium gentium prius fecerunt eunuchos, ſic ſteriles habuerunt, vt haberent diutius pulchros.

Athenarum vrbs ſita erat in loco ſterili & infœcundo, non longè tamen a mari, vnde omnis abundantia per commercium.

Ibidem mel ſuaviſſimum, ex cicuta exitioſiſſima; homines aut optimi, aut peſſimi.

In vna quaque Republica eſt quod laudemus, & quod culpemus. Vt in Spartana laudatur bonorum communio, bellica inſtitutio, vitæ auſteritas, laborum tolerantia; at vituperare licet luctam publicam nudarum virginum, earum converſationem liberam cum juvenibus, contemptum ſcientiarum, vxores quaſi mutuo dari.

Ex duobus malis minus eligendum. *Vide Media Minoritas.*

In Democratia optimum eſt, vnam Magiſtratuum electionem fieri per ſortes, qua libertas conſervatur, & alteram per ſuffragia, vt meliores promoveantur.

Multæ barbaræ regiones excellunt fœcunditate agrorum; cum in illis vix magno animo & ingenio homines naſcantur. Terræ auri feraces ſunt ſteriles.

Eſſentiæ Chymicorum, in quibus, purum ab impuro ſeparatum eſt, ſunt periculoſæ, quia nimis potentes.

Multi lacus & maris tractus ex vna parte fœcundi, ex altera ſteriles, quod procedit ex diverſitate fundi.

Mutationis principia debent eſſe, partim aliquid, partim nihil; partim bonum, partim malum.

Duplex propenſio naturalis, vna per quam res conatur aſſequi optima, altera quâ ſi optima aſſequi non poteſt, conſectatur proxima.

In venis meſeraïcis incipit rubere chilus, & quaſi quoddam ſanguinis rudimentum aſſequi.

Plantæ cum ſuccis ſibi convenientibus ſugunt etiam humores ſalſuginoſos, qui à calore naturali concoqui non poſſunt, & inde morbi.

Sanguis maternus ex quo fiunt in embrione carnes, habet in ſe mixtos malos humores, qui purgantur in pueris per variolas.

Nihil purum dat natura. *Vide Differentia Minoritatis.*

Princeps augens reditus ſuos vexatione populi, amittit eius affectum, vnde minuitur, & periclitatur eius potentia.

Mare commodum ad commercia, ſed timendum propter irruptiones hoſtium.

In rebus arduis optimum eſt petere conſilium, tamen eſt periculoſum, quia non eſt certa fides.

Cum de magnis negotiis agitur, non eſt hærendum in minutiis.

Milites indigenæ audacius pugnant, ſibique melius dant auxilium, ſed facilius conſpirant contra ducem; auxiliarij ſunt mercenariis fideliores, ſed ſunt magis ſuſpecti, ne ſtatum occupent pro ſuo Principe, eiuſque rem promoveant.

In conficiendis ſyrupis, ſi des multum coctionis, in igne virtus evaneſcit, & minuitur, ſed diutiùs conſervantur.

Sunt febres intermittentes, & corpora quæ ſanitate, per vices tantum fruuntur.

Fomenta calida leniunt oculorum dolorem à fluxione ortum, ſed aliam fluxionem accerſunt.

Seroſa quædam humiditas ineſt omnibus ſuccis.

Mercurius planeta eſt indifferens. modo enim ſoli vicinus exſiccat; modo lunæ aſſiſtens humectat; bonus cum bonis, malus cum malis, in quos ſæpe incurrit celeri ſuo motu, ſicut & luna.

Dolor, damnum, & commodum, in parentum ſucceſſione.

Homo, ſicut & mundus, habet ſuperius & inferius.

Ens imperfectum eſt medium, inter ens & non ens; materia prima & ſubſtantia incompleta.

Multæ res habent aliquod eſſe per operationem, antequam ſint, & poſtquam deſierunt; vt ſol lucet ante ortum, & poſt occaſum; prodigia ante nativitatem, & poſt mortem magnorum virorum.

Plato 5. de Republica, dicit Deum qui pura mens eſt, vere exiſtere; animam, cœlumque ens dici ſimul atque non ens, propter motum; magis tamen eſſe, quam non eſſe; materiam magis non eſſe, quam eſſe; & quæ natura compoſita ſunt ſub luna, eſſe pariter atque non eſſe. Scientia eſt circa ea quæ ſunt, ſcilicet circa ideas, opinio verò circa ea quæ ſunt & non ſunt; opinio eſt plebeiorum; ſcientia Philoſophorum.

In fine eiuſdem libri, hunc iocum refert, vir non vir, videns non videns, percuſſit non percuſſit, lapide non lapide, avem non avem, ſuper arbore non arbore; ideſt Eunuchus luſcus percuſſit pumice alam veſpertilionis ſuper ſambuco.

Amans eſt medius inter vitam & mortem, quia in alio vivit & agit, in ſe patitur.

Thales ideo dixit aquam eſſe rerum omnium principium, quia ab ea acceperunt, vt ſint in continuo fluxu, & motu, ideo verè non ſunt, ſed fiunt per colorum motum, quo miſcentur elementa. Plato in Theæteto.

Ens dicitur analogicè de Deo, & rebus creatis.

Formæ elementorum ſunt mediæ, quia partim ſubſtantialium conditionem gerunt formarum, propter aptitudinem quam habent informandi & conſtituendi ſubjecti; partim vero accidentalium, quia ſuſcipiunt plus & minus, cum ſint in eſſe fracto, & remiſſo in mixtis.

Caſtor & Pollux alternatim viventes & morientes.

Accidentia, quia mutabilia, habent intitatem diminutam, & ſecundum quid.

Corpus dicitur album, quia ſuperficies eius eſt alba. Figurationes ſeu conſtitutiones externarum figurarum ſunt quædam generationes.

Corneolus ſeu ſardius lapis, mediam naturam obtinet diaphani; cartilago media inter os, & cutem.

Motus conſiſtit in re, quæ eſt in potentia & actu; nam quæ ſunt actu quieſcunt; quæ ſunt in pura potentia, ſunt in privatione; vnde de his quæ ſunt in motu, non poteſt verum affirmari.

Somnus eſt quid medium inter vitam & mortem.

In corde calidiſſimo eſt pinguedo, licet adeps concreſcat frigore.

Corporum pulchritudines, ſunt tantum incorporearum formarum vmbræ.

Vacuum eſt ſimul cum corpore, nam ſi non daretur, aut non eſſet motus, aut ſubiret corpus in corpus; eſt ergo vacuum ſpatium recipiens corpus. Scaliger de ſubtilitate.

Finitum omne habet aliquid in actu, aliquid in potentia.

Plotinus dicit noſtrum ignem à cœleſti deſcendere, ſed longè diſparis eſſe conditionis; nam cœleſtis eſt perſeverans, ſalubris, & totum lumen; noſter hic eſt inſtabilis, pabulo indigens, & fere totus fumus.

Mundus intelligibilis medius eſt inter viſibilem, cujus eſt exemplar, & ipſum bonum, cujus eſt imago. Plato in Timæo.

Fluctus, fluxus, flamma, ſemper ſunt in fieri.

Ligna quibuſdam immerſa aquis, fiunt lapides, retenta figura externa ligni.

Piſcium ova multa deperduntur, non enim proficiunt niſi ea, quæ in loco quieto & calido jacent.

Pigmæi non ſunt veri homines, ſed ſimiarum genera, recti tamen incedunt. Habent loquelam, ſed imperfectam, tamen verecundiam, honeſtatem, juſtitiam non colunt. Albert. Mag.

Chilus fatiat ventriculi animalem appetitum, ſua qualitate & dulcedine, non autem naturalem ſua ſuſtantia.

Linea eſt figura Mathematica imperfecta.

Sol radiatione bonus, copula cum malis malus; eſt mediæ & temperatæ naturæ inter Iovem & Martem; quidam aſſerunt Angelos, non ita puros eſſe ſpiritus, vt non habeant ſibi coagmentata corpora.

Plato dicit animam humanam eſſe nexum mundi, mediamque naturam inter corpoream & incorpoream obtinere, vnde à ſe in corpus, & à corpore in ſe, circulariter ſemper movetur.

Mundum etiam dicit à Deo, primaque materia, tanquam ex duobus æternis parentibus, temporalem originem traxiſſe, vnde vtriuſque, in media quadam bonitate privationibus mixta, præfert imaginem.

Forma ſimul cum materia, quæ eſt potentia, facit compoſitum.

Cardinalis de Cuſa libro de docta ignorantia, exprimit commixtionem perfectionis & imperfectionis; vnitatis & alteritatis in mundo, per figuram duorum triangulorum ſe mutuo penetrantium; vnum lucis, cuius baſis eſt in Deo, alterum tenebrarum cuius baſis eſt in materia prima; aſcendit materia & deſcendit forma in media autem regione omnia ſunt mixta. Ita ſpiritualitas deſcendit in corporeitatem, & corporeitas in ſpiritualitatem: in ſuperioribus tenebroſitas abſorbetur à lumine; in inferioribus lumen à tenebroſitate; ſic apparent ſigna intellectualia, in arboribus & ramis ad ſuſtentandos fructus; magis elucent in Providentia animalium: ſed multo magis in rationali diſcurſu hominis; maximè in intellectu Angeli; donec ad Deum veniatur, qui eſt lux primæva & eſſentialis: ſic contra de tenebris dicendum; ſic de moribus populorum poteſt fieri iudicium. Meridiani magis intelligibiles & abſtracti, in intellectu magis vigentes, medij in ratione, infimi in ſenſu: vnde in Indianis atque Ægypti regionibus, Religio intellectualis, atque abſtractæ Mathematicæ artes, prævaluere; in Græcia, Africa, Italia, Dialectica, Rethorica. & legales ſcientiæ; in aliis ſeptentrionalibus, ſenſibiles mechanicæ artes; omnes tamen regiones, in his omnibus ſuo modo peritos habent, vt ſit vna vnius ſpeciei natura, in omnibus variè participata. Sic in hoc mundo habetur media tantum participatio filiationis Dei, vt idem fuſius probat. lib. de filiatione Dei.

Ficus ſimul ferunt fructus maturos, & immaturos.

Maris aquis dulces permixtæ ſunt, quibus ex Ariſtotele pices aluntur, vnde & dulces ſunt.

Appelles inſcribebat operibus ſuis, faciebat, quaſi nondum eſſent perfecta.

Planetarum & ſtellarum influxus, licet vniverſo profint, non tamen ſingulis naturis.

Plato 10. de legib. dicit in anima mundi duplicem eſſe potentiam; vnam, quam vocat beneficam, ſcilicet intelligentem; alteram verò contrariam, ſcilicet motricem corporum, quæ niſi regeretur omnia præcipitaret.

Idem in dialogo civili, dicit Magiſtratum debere eſſe ſupra legem, quia lex omnibus providens, non potuit pro ſingulis æqua eſſe, eſt enim, vt homo pertinax in propoſito, qui non vult rationes audire.

Idem in Aziocho, dicit hominem voluptatibus deditum, medij cujuſdam eſſe generis, dum ſe totum fortunæ committit.

Quando concurrunt duo morbi, contrariis curandi medicamentis: vt frigidus ſtomachus, & hepar calidum, medio & temperato remedio vtendum.

Alimenta ſunt cauſa morbi, propter diſſimilitudinem, vnde neceſſaria eſt excrementorum egeſtio.

Maximus Monachus dicit lignum boni & mali eſſe creaturam viſibilem, quia creaturarum viſus, dolore & voluptate permixtus eſt. Photius. Byblioth. cap. 192.

Vopiſcos appellabant è geminis, qui retenti vtero naſcerentur, altero interempto abortu. Maxima circa hoc miracula exiſtunt. Plinius lib. 7. cap. 10.

E duobus malis, minus eligendum. *Vide Media Virtus.*

Mare Indicum inter tot belluas, & æſtus, ardoreſque Solis, producit Margaritas. Plinius lib. 9. capite 35.

Non omnia piſcium ova à fœminis emiſſa, maris virus aſpergit, & vivificat, alioquin replerentur Maria & ſtagna, cum ſinguli vteri innumerabilia concipiant. Ibid. cap. 50.

A quâ Nili recedente, muſculi reperiuntur inchoato opere, genitalis aquæ, terræque, jam parte corporis viventes, noviſſima effigie etiamnum terrena. Ibid, cap. 48.

Animalia quibus multiplex eſt partus, prodigioſum eſt, omnes mares, aut omnes fœminas naſci. Idem l. 10. cap. 43.

Humido vere apum melior fœtus; ſicco mel copioſius. Idem lib. 11. cap. 17.

Pluvia nocet & proficit. *Vide Differentia Bonitatis*, diverſa diverſis dona.

Idem ſolum vbicumque arduum opere, difficile cultu, bonis ſuis acrius penè, quam vitiis poſſet, affligit agricolam. Idem lib. 17. cap. 4.

Nihil eſt damnoſius deſerto agro, illique, vt homini, quamvis quæſtuoſus ſit, ſi tamen & ſumptuoſus, non multum ſupereſt. Plin. lib. 18. cap. 5.

Ferrum optimum, peſſimumque vitæ inſtrumentum, ſiquidem eo tellurem ſcindimus, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus juveneſcere; hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, ſed & eodem ad bella, cædes, latrocinia vtimur. Idem lib. 34. cap. 14.

Quatuor ſunt humores, duo fœcundi & vivifici, calidus & humidus, per hos enim omnia coëleſcunt & roborantur: è contra verò duo ſunt exitiales, frigidus & ſiccus, per quos omnia diſſipantur & interficiuntur: vnde Iupiter & Venus, dicuntur fœlices ſtellæ, quia in eis abundat calor & humor: Saturnus verò & Mars dicuntur malefici, propter contrariam vim frigefaciendi, & deſſicandi. Ptolomæus prædict. Aſtrolog. lib. 1. cap. 4.

Stellæ fixæ irrationabiles atque admirabiles fœlicitates afferunt, quas tamen plerumque calamitatibus inſigniunt, niſi & planetæ ad fœlicitatem conveniant. Idem in centiloquio. num. 29.

Lac ex triplici, diſſimilique ſubſtantia conſtat, nempe ſeroſa, craſſa, & pingui; ſeroſum minus nutrit, & alvum magis ducit; contra, id quod craſſum eſt. Galen. lib. de Euchemia, & cacochymia.

Vnitas habet in ſe aliquid imperfecti. *Vide Minorit. Magnitudin.* vnitas, ex Photio.

In Sabæorum regione in Arabia, inter odoramentorum fœcunditatem naſcitur ſerpens morſus inſana-

bilis, qui & in altum aſſiliendo plagam infert. Photius Bybliothec. cap.250.

Spiritus medius eſt inter ſubſtantiam & formam: inter aërem, aquam, & ignem: Cum aqua convenit in humido aliquantulum ſpiſſo, vt formas poſſit ſuſcipere, & retinere; cum aëre, quia exurgit è ſanguine per modum vaporis: cum igne, vt caliditate ſua vias aperiat, & perforet.

Anodina medicamenta, quæ partem læſam non ſanant, ſed dolorem læniunt.

Reubarbarum habet virtutem laxativam, & aliam adſtringentem: Bugloſi folia medentur melancholiæ, ſed generant cruditates, niſi emendentur.

Regiones producunt tantum neceſſaria ad vitam, non delitias, vt vinum, melones alioſque fructus.

Ignis purificat materiam ex qua fit vitrum, ſed ei dat fragilitatem.

Nulla eſt ſpecies animalis, in qua non ſit ferum, ſicut placidum.

Amor eſt medius inter pulchrum & turpe, ſicut opinio inter ſcientiam & ignorantiam.

A viro ſapiente natura orſa, deduxit genus humanum, per Cannibales, Pigmæos, ſtridulos, fecitque aliquid illi ſimile in ſimiis, & piſcibus forma humana.

Inter animalia videntia, & non videntia vt ſunt cochleæ: ſunt limaces & alia habentia cornua, quibus inter pertentant & in quorum extremitate eſt ſimilitudo quædam oculi. Muſcus eſt inter putredinem & plantam: cometæ inter ſtellas, & meteora ignita: piſces volantes ſub æquinoctiali, inter aves & piſces.

Hypocrates lib. de aëre, aquis & locis, differit de morbis ſecundum anni tempeſtates, ſed qualiſcumque ſit tempeſtas, ſemper ſunt morbi, & quod prodeſt ſenibus bilioſis, nocet juvenibus pituitoſis, &c.

Oculus eſt humidi temperamenti & frigidi, quia eſt particeps diffuſionis & retentionis.

In globo intellectuali, ſicut in terreſtri, inveniuntur culta pariter & deſerta.

Calor dat animalibus motum, ſed illa conſumit, vnde minus durant quam arbores.

Antiqui viventes tantum fero ritu, fructibus, mortes ſubitas patiebantur, qui vero poterant ſuperare hunc vivendi ritum, diutiùs quam nunc vivebant. Hypocr. lib. de veteri medicina.

Alimentum nullum eſt tam benignum, vt vniverſum concoctione mutari poſſit: etiam temperatum, aut frigidum jecur aliquid habet bilis: humores in venis non ſunt ſinceri, partis cuiuſque propria ſunt excrementa. In ſanguinis miſſione, plurimum etiam boni ſanguinis effluit: ſic in purgatione, boni humores cum malis egeruntur.

Bona ex ſe nobis cedunt in ſupplicium: mala præterita revocat memoria: futura prævenit prævidentia.

Quid eſt hoc Domine Deus meus, cum tu æternum tibi ipſi ſis gaudium, & quædam de te, circa te ſemper gaudeant? quid eſt hoc, quod hæc retum pars, alternat defectu & profectu, offenſionibus, & conciliationibus? an is eſt modus earum, & tantum dediſti eis, cum à ſummis cœlorum, vſque ad ima terrarum: ab initio vſque in finem ſæculorum: ab Angelo vſque ad vermiculum: à motu primo vſque ad extremum, omnia genera bonorum, & omnia iuſta opera tua, ſuis quæque ſedibus locares: vt ſuis quæque temporibus agerent: heu mihi quam excelſus es in excelſis, quam profundus es in profundis, &c. D. Auguſt. 8. confeſſ. cap. 3.

Antiqui Jovem ſuum depingebant inter duo dolia, quorum vnum plenum erat bonis, aliud malis: ex illis vtrâque manu bona, malaque, in genus humanum effundebat: ſimile quid dicunt de fortuna cæcâ manu, dona ſua largiente, & auferente, & vertente rotâ, ima ſummis continuo motu permiſcente.

Animalia timida ſunt ingenioſa, vt cervi, lepores: virium corporis defectus compenſatur ingenii ſubtilitate: vnde crudeles fuerunt leges Lycurgi & Romuli, quæ permittebant impunè occidere deformes partus: poſſunt enim etiam deformes ad regimen eligi. *Vide Virtus Poteſtatis, & Gloria Minerit.* Sic in homine mille modis natura ſupplet defectum nuditatis. Quod effluit è copore, alimentis reſtauratur.

Nihil ſe totum generat, ſed per partem, ſcilicet per nutritionem.

Id optabilius eſt, ex quo minora mala conſequuntur: ſic melior eſt viduitas zoloeyppia: cœlibatus nuptiis. Ariſtot.

Cœli habent materiam: Angeli ſunt compoſiti metaphiſicè ex actu & potentia: entia quædam incompleta: anima ſeparata.

Non omnia accidentia ſphærarum cœleſtium nobiliora ſunt accidentibus inferiorum corporum, vt ſunt vitales functiones.

Vniverſum & quodlibet ens, eſt vnum atque multa. *Vide Minoritas Magnitudinis vnitas.*

In omni alteritate, ſeu exiſtentia rei ſingularis, ens cum non ente confunditur, nam entitas illa ſingularis deficit ab idæa, quæ eſt vera entitas, & innumerabiliter non eſt cætera: ita privatio quodammodo infinita, excedit ſingularem exiſtentiam. In Sophiſtam Platon. cap.36. Mar. Ficin.

Quia vita hæc media eſt inter ſumma bona & ſumma mala: quæ in ea ſunt bona & mala, non ſunt æternis comparanda. D. Auguſt. ſerm. 33. de verb. Apoſt.

Fraxinus nocet ſerpentibus, ſed nutrit cantaridas: in ipſo etiam reſidet manna. Vbi venena, ibi Antidota. *Vide Durat. Bonitatis. Repug.*

Plinius lib. 2. cap. 11. dicit maculas ideo eſſe in luna & planetis, quia cum terræ vaporibus nutriantur, inficiuntur etiam ſordibus.

Ambiunt hæretici excellere in moribus, dum peccant in fide. *Vide Veritas Virt. Repug.*

In ſolo ſupremo bono, omnia bona: in cœleſtibus quidem defectus aliquis apparere poteſt, ſed non malum. In his autem quæ lunæ ſubiiciuntur, & defectus reperitur & malum: omnia quoniam à bono proficiſcuntur, habent aliquid boni, tamen non perfecta omnino, quia non ſunt ipſum bonum: hinc inter homines, habes bona & mala quæ imiteris, & vnde evadas, vt placuerit, bonus aut malus. Marſilius Ficinus.

Hic nobilis anguſtia rei familiaris laborat, &c. Ideo nemo cum fortunæ ſuæ conditione concordat. Ineſt enim ſingulis quod inexpertus ignoret expertus exoreat. Bœtius de conſ. Phil.

Dei providentia, nec tibi totum hic dedit, neque toto privavit: ſed hæc quidem dedit, hęc autem promiſit: & quare non totum dedit? vt tu fidem in ipſum demonſtres: dedit interim ſpiritus gratiam & ſanctificationem quę tibi labores leves efficiet: lucem diurnam nox ſubſequitur, hęc autem lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt, poteſ enim vera à falſis diſcernere, &c. D. Chryſoſt. Homilia. 21. ad populum Antiochenum.

Singulis ſingularia conferuntur dona, ſic in ſingulis ſunt plures defectus. *Vide Differentia Bonitatis. Differ. Virtus.*

Non aliàs durior natura extitit, quam cum levari mala voluit atrocibus remedijs, vt interdum morbo ſęvior medicina valetudinis deſiderium tollat: multi dolores non leniuntur, niſi membra quę dolent exſecces, & interdum eſt levius ęgrotare, quam ſanari. Barclai.

ſuxta aram Bacchi etiam Nymphis ara extructa erat, vinum enim aqua diluendum; & Nymphæ dicuntur Bacchi nutrices, Athenæ. lib. 2. c. 1.

Omnia remedia ſunt præter naturam, ob idque naturales facultates infeſtant, nec poſſunt adeo morboſas cauſas reſcindere, quin vna cum illis, aliquid etiam benignæ ſubſtantiæ rapiant. Galenus. lib. de optima ſecta.

Quodlibet malum alicui rei eſt vtile *Vide Minoritas Medij.* vti malo medio.

Cerdon, & Marcion eius diſcipulus, dixerunt duo eſſe principia, vnum bonum, aliud malum, à quo mundus, corpora omnia, & lex antiqua. Bar. an. 146.

Eadem aſſerüit Manes, vnde Manichæi duo æterna eſſe principia ſibi contraria, duaſque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, à bono animam, à malo corpus. Baron. an. 277.

Baronius vocat motum ſigilli, ſeu impreſſionis, operationem abſque communicatione ſubſtantiæ.

Venti aërem & purgant & nubibus obſcurant, mare inflammant, alioquin tranquillum & innoxium, ita iuvant & impediunt commercium, non ſine maleficio beneficii.

Non eadem ſemper, ad vitam ſanam, & vitam longam conferunt: ſunt enim nonnulla quæ ad ſpirituum alacritatem, & functionum robur, & vigorem proſunt, quæ tamen de ſumma vitæ detrahunt, ſunt & alia, quæ ad prolongationem vitæ plurimum iuvant, ſed tamen non ſunt abſque periculo valetudinis.

EX IVRE CIVILI.

AD l. Falcidiam. ff. 35. t. 2. Co. 6. t. 50.

Si aliquid ei, cui legitima debetur, relictum ſit, ceſſat querela inofficioſi teſtamenti, & ad ſupplementum eius, quod deeſt agitur. l. 8. ff. de inoff. teſta.

Commodatum datur ad certum vſum, citra quem ſit commodatarius eo vtatur, obligatur ex delicto. l. 5. ff. commod.

Mutuum datum ſub pignore, quo interim priuatur is qui interuò accipit. D

Poteſt emi ſpes, in captura avium, piſcium, miſſilium. l. 8. ff. de contrah. empt.

Pater poteſt filium emancipare, nepotem in poteſtate retinere, vel contra. l. 28. ff. de Adoptio.

Fidejuſſor poteſt pro certa quantitate accedere. l. 2. §. vlt. ff. qui ſatiſd. coga.

Pignore reddito, poteſt pecunia peti, ſi ſoluta non fuerit. l. 3. ff. de pact.

Si pactum ſit ne dos à filio petatur, proderit pactum filio, non eius cohæredi. l. 33. eod.

Poteſt aliquid remitti colono, propter emergentem neceſſitatem vnius anni, in cæteris valebit contractus. l. 56. ff. de pactis.

Servus qui actis intervenientibus filius nominatur, ſit liber, non tamen filius. Inſtit. de adopt. §. vlt.

Quando vni competunt plura iura ſeruitutum, ſi vnum remittit, aliud remittere non videtur. l. 21. ff. de ſervit. vrbá. præd.

Poteſt donari res dubia, vt ſervus, qui eſt apud hoſtes. l. 25. ff. famil. erciſe. & l. fin. ff. de actio. empt.

Sterilitas vnius anni, alterius vbertate penſatur. l. 15. §. Papinianus. ff. locat. cond. l. 25. & 27. eodem. Modica incommoditas, non meretur remiſſionem penſi.

Levis morbus, non dat redhibitioni locum in Ædilitio edicto, quia nihil ex omni parte ſanum. l. 4. ff. de ædil. ed.

A Quod in fructus redigendos inpenſum eſt, non ambigitur ipſos fructus diminuere debere. l. 46. ff. de vſur. fructus enim eos eſſe conſtat, qui deductâ impenſa ſupererunt. l. 7. ff. ſolut. matrim.

Quamvis filij teneantur alere egentes parentes, non tamen coguntur æs eorum alienum ſolvere. l. 5. §. parens. ff. de agnoſ. & alend. lib.

Qui à liberto operas exigit, amittit ius patronatus, ſcilicet ab eo ali. l. 5. §. ſi quis. 22. eodem.

Aliquis poteſt hæres pro partè inſtitui. l. 3. ff. de hęredib. inſtituend.

Hæres poteſt cum maledicto inſtitui. l. 48. eod.

B Vide contra l. quoties. eod.

Lege Ælia Sentia, ſervi libertate donati fiebant hæredes neceſſarij Domini, cujus oneroſa erat hæreditas. l. 57. ff. de hęred. inſtit.

Miles poteſt pro parte eſſe teſtatus, & pro parte inteſtatus, quod aliis non licet. l. 6. ff. de teſtam. mil.

Servus communis occiſorem Domini indicans fit liber, parte prætij alteri Domino ſalutâ. l. 16. ff. de S. C. Sillaniano.

Si ſervus à Domino vetitus ſit rationes reddere, non fiet in eum ſcrupuloſa inquiſitio de negligentia, fiet tamen de fraude. l. 119. ff. de leg. 1.

Fideiuſſor & in partem pecuniæ, & in partem rei accipi poteſt. l. 9. ff. de fideiuſſ. & mandat.

C Abolitione publicè conceſsâ, poteſt accuſator intra 30. dies repetere reum; ſi tamen non repetit, non incidit in Turpillianum. l. 12. ff. ad S. C. Turpill.

Medicus eſt, & medicorum privilegiis fruitur, etiam qui vni parti corporis medicamentum adhibet. l. 1. §. 3. ff. de extraord. cognit.

Venditor vniuerſitatis, vt hæreditatis, non tenetur de evictione rerum ſingularium, niſi contrarium ſit actum. l. 1. C. de evictio.

Donatio facta filio in poteſtate, eſt potius quædam donandi deſtinatio, quam perfecta donatio. l. 11. C. de donat.

Quod indeterminatè promittitur, nec peſſimum ſolvi poteſt, nec optimum ſolvi debet, ſed mediocre l. 35. C. de donatio.

D Poſſidentes prædia ſterilia & fertilia, non poſſunt renuntiare ſterilibus, & fertilia retinere. l. 5. C. de omni agro deſerto; & l. 10. C. de Fund. Patrimon.

Servitus conſtitui poteſt, vt certo tempore vſus ſit. l. 4. ff. de ſervit.

Actor vniuerſitatis non dicitur actor ſingulorum, vt eos deffendere teneatur. l. 2. ff. quod cuiuſq. vniver.

Eum qui ſe libertinum eſſe fatetur, patronus adoptando, ingenuum facere non poteſt. l. vlt. ff. de ſtat. homi.

Valet legatum, vt hæres alicui mutuo det, levioribus vſuris. l. 108. de leg. 1.

Aliquid conceditur ne res pereat, quod aliter non concederetur. l. 1. ff. de petit. hęred.

E Legatum ſub conditione factum, debet ſolvi datâ cautione Mutiana. l. 7. ff. de condit. & demonſtrat.

Indulgentia non reſtituit militiam neque famam. l. 7. Cod. de Sentent. paſſ. & reſtit.

EIVS EST ONVS, CVIVS *eſt commodum.*

ACreſcenti emolumentum, accreſcit & onus; & contra. l. 2. C. de alluvio.

Actiones hæreditariæ denegantur non conferenti. l. 11. C. de collatio.

Digitized by Google

Qui adit hæreditatem, videtur contrahere cum hęredibus, legatariis, creditoribus, l. 3. §. fin. ff. ex quibus cauſ. in pots.

Fundus inferior ſervit ſuperiori, in quantum tenetur aquas eius recipere, ſed compenſatur pinguédine, quam inde habet. l. 1. §. fin. ff. de aqu. pluv. are.

Hæreditas tranſit ad hæredem cum ſuo onere. l. 3. C. de Inſtit. & ſubſtitut.

Cenſus fundi ſolvet is, cui per alluvionem accrevit. l. 2. ff. de cenſib.

Si ſervus ex noxali cauſa conveniatur, Dominus tenetur eum noxæ dedere, aut eius nomine Iudicium ſuſcipere. l. 2. ff. ſi ex nox. cauſ. ſic fructuario, qui ſervum non defendit, negatur vſus fructus l. 3. eodem.

Res perit ei, in cuius favorem initus eſt contractus, vt ei qui depoſitum dat, qui mutuum, vel commodatum accipit; niſi ex parte alterius, ſit dolus, vel lata culpa. l. 8. C. de pignor. l. 5. commo.

Vſus fructuarius præſtare cogitur tributa rei, niſi aliter conventum ſit. l. 52. ff. de vſur.

Inter cohæredes communia debent eſſe commoda & incommoda. l. 19. ff. famil. erciſe.

Qui commodatum vtendum accepit, tenetur naturali ratione, ad impenſas alimentorum. l. 18. ff. commod.

Si procurator mutuo dans, exigit vſuras contra Domini mandatum, qui gratis iuſſit mutuum dari, vſuræ Domini erunt, niſi procurator ſuo periculo crediderit. l. 10. §. ſi mandavero. ff. mand.

Leonina eſſet ſocietas ſic contracta, vt vnus haberet lucrum, alter damnum, & non valet. l. 29. ff. pro ſocio.

Res perit ei, in cuius favorem initus eſt contractus. l. 17. & ſeqq. ff. de præſcrip. verb.

Dotis fructus pertinent ad maritum, propter onera matrimonij. l. 7. ff. de iure dot. pactum contra factum, non valet. l. 4. ff. de pact. dotal.

Si periculum ancillarum dotalium ſit penes maritum; partus earum illius erunt. l. penult. §. mancipia. ff. ſolut. matr.

Qui non ſuſtinet onus, amittit privilegium. *Vide Finis Bonitatis.*

Servus teſtamento tutor datus, ab adita hæreditate fit liber. l. 32. ff. de teſtam. tutel.

Legitima tutela defertur cognatis, ad quos pertinet hæreditas. l. 1. ff. de legit. tutor.

Res legata tranſit ad legatarium cum ſuo onere. l. 69. ff. de leg. 1.

Vectigalia debent ſolvi à fructuario. l. 28. ff. de vſu. & vſuf. leg.

Inſula in flumine nata, eorum eſt, qui adejus ripam prędia habent, vt penſetur damnum, quod à flumine recipiunt. l. 7. §. 3. ff. de adq. rer. dom.

Secundum naturam eſt, commoda cuiuſque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. l. 10. ff. de Reg. Iur.

Quo tutela redit, eo hęreditas pervenit. l. 73. ff. eodem.

Agnoſcens legatum, tenetur parere iudicio defuncti. l. 13. C. de fidei. libert.

Turres & muri pro munitione civitatum in terris privatorum fabricati, illorum vſui debent deſervire, & eorum cura & ſumptu debent reparari. l. 17. C. de operib. publ.

Vaſalli ſumptibus Domini ſervitia præſtant. lib. 2. Feud. tit. 107. ſic libertus debet enutriri à Domino, dum illi operas ſuas præſtat: vt qui conduxit equum, debet ei alimenta. tot. tit. de oper. libert.

A

EX IVRE CANONICO.

HAbens beneficium in Eccleſia, tenetur contribuere ad ipſius reparationem. cap. quicumque de Eccleſ. ædifica.

Ante collationem beneficij, licet Epiſcopo ſubtrahere de fructibus eius, ad pios vſus.

Amos 6. Dominus eandem civitatem ex parte impluit, & ex parte aridam reliquit. de pœnit. diſt. 3. c. pluuit.

In ſacramento non licet offerre vinum ſine aqua, B de conſec. diſt. 1. c. ſic in ſanctificando.

In Baptiſmate datur gratia, non vt penitus extinguatur concupiſcentia, ſed vt poſſit ſuperari. de conſec. diſt. 4. c. per Baptiſmum.

Vetus infirmitas in Baptiſmo, non penitus abſumitur, ſed vires amittit. Ibidem c. non ex eo.

Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ remittit quidem pœnam æternam, non ſemper temporalem, vnde opus eſt ſatisfactione. Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 14.

EX THEOLOGIA.

C ABſtractum verius eſt, ſed eſt incompletum non ſubſiſtens; concretum vero eſt compoſitum, in aliquo ſemper deficiens. D. Thom. 1. q. 3. a. 3. ad. 1. & q. 13. a. 1. ad. 2.

Accidens, non eſt propriè ens, ſed entis ens. Idem 1. q. 5. a. 5. ad 2.

Quod accidit alicui naturæ, non eſt vniverſaliter in ea natura. 1. q. 51. a. 1.

Baptiſmus mitigat fomitem ne dominetur, illum autem non penitus tollit. Idem 3. q. 66. a. 3. & q. 39. a. 5.

Baptiſmus non tollit pœnam hominis, ideo homicida poteſt puniri, licet pium eſſet ei parcere. 3. q. 69. art. 3. ad 3.

D In bonis ſimpliciter & abſolutè poteſt ſecundum naturā ſuam, eſſe medium & extrema. 22. q. 58. a. 10. ad 2.

Nulla creatura eſt bona per eſſentiam. 1. q. 6. a. 3.

Cœlum non eſt animatum. 1. q. 70. a. 3. non eſt in potentia incompleta ad eſſe, ſed tantū ad vbi q. 55. a. 2.

In triduo mortis, corpus Chriſti remanſit vnitum, non tamen vivum, nec animatum. 3. q. 50. a. 4.

Ens predicatur Analogicè de ſubſtantia & accidente. 1. q. 13. a. 10. ad 4.

In omni opere Dei eſt miſericordia & iuſtitia, & agendo miſericorditer non agit contra iuſtitiam, & è contra. 1. q. 21. a. 3.

In ſtatu innocentiæ fuiſſent tot mulieres quot viri. 1. q. 99. a. 2. ad. 3.

Ex vi clavium, ſacerdos non totam pœnam temporalem, ſed aliquid ex ea remittere poteſt. ſup. q. 18. a. 2.

E Tolerandum malum particulare propter bonum commune, vt ritus paganorum & Iudæorum propter aliquam vtilitatem. 2. 2. q. 10. a. 11.

EX BIBLIIS.

IN principio Deus creavit cœlum & terram. Gen. 1. naturam Angelicam & corpoream. Auguſt.

Iacob & Eſaü vno partu editi. In Paradiſo Terreſtri, arbor ſcientiæ boni & mali.

Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus? Iob. 2.

Ieremias 24. videt duos calathos, quorum vnus plenus erat bonis ficubus, alter malis. Porum dabis nobis

nobis in lachrymis, in mensura. Psal. 79. Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini, vini merì, plenus mixto, & inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Psal. 74.

Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Proverb. 11.

Deus masculum & fœminam creavit. Factum est vespere & mane dies vnus. Gen.

Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Psal. Vniversę vię Domini misericordia & veritas. Psal.

Vt sunt septem spiritus Dei, ita sunt septem capita draconis, septem diadematibus insignita. Septem mali Angeli cum septem phialis Iræ Dei. Apocal. 12.

DEMONSTRATIO.

QVARE IN OMNI RE aliquis inest defectus.

BONITAS. Primi Principij, eiusque sapientia non est in hoc culpanda; agit enim liberè in communicationibus ad extra, & non se toto, vnde diversis diversa, & mediata dat. Maximum & æquale omnibus donum est, quod, habeant existentiam, sintque extra privationem. Multæ perfectiones sunt tantum accidentales, quæ ex natura sua, modo insunt subjecto, modo absunt.

MAGNITVDO. Vnaquæque res facit partem vniversi, habetque suam perfectionem per respectum ad totum, non in ordine ad se, sic enim deficit, vt si separatim spectes tonos vocis, quæ cum alijs debet concinere absurda videtur; sic tabellæ pars, nisi inspectis simul cæteris, apparet decurtata, obscura, inconveniens. Conferunt ad totius pulchritudinem singulorum defectus; vt in medijs & vltimis gradibus positæ res, tam sunt necessariæ, quam superiores ad constituendum ordinem.

DVRATIO. Res existunt in tempore, quod est in perpetuo fluxu & defectu; præteritum enim & futurum non sunt, præsens ex se fluens, & in momento infinitis privationibus circumdato, imperfectè tantum existit. Quæ sunt in motu pro acquirenda limitata perfectione dupliciter deficiunt; non conscendunt vltimum perfectionis suæ gradum, propter præpedientes circunstantias; in illa etiam eminentiori, licet deficiente perfectione non consistunt, vt nec planetæ in apogeo, vrgente motu ad privationem, certis imminutionum gradibus, aut precipiti ruina.

POTESTAS. Agunt res omnes in invicem, ita inferiores & debiliores, dum vi alienæ cedunt, proprias amittunt qualitates; Victores etiam in actionis conflictu aliquid repatiuntur, & si infirmiores in se convertant, hac mixtione sibi in totum non congrua alterantur.

CONNEXIO. Licet naturalia penè omnia habeant ea, quæ pertinent ad suam speciem, itavt rarum sit in illis monstrum; est tamen inter illa ordo qui supponit defectus singulares; quos & notamus, vt sic à deformitate particularium, ad pulchritudinem vniversi mentis oculos convertamus: hoc maximè contingit in artefactis; quia ratio nostra non æquat sapientiam mundo præsidentem, vt possit aptè partes omnes concinnare: Nec etiam absolutum habemus imperium in ea, quæ tractamus, itavt ad libitum pareant: vnde politici sæpius incidant in Syllam, volentes vitare Charibdim; dumque res gerunt, non ex ratione, sed ex passione, frustra tentant vim inferre liberis voluntatibus; illas rebelles experiuntur.

VOLVNTAS. Habemus idæam & appetitum infiniti boni; vnde illud non repetientes in rebus creatis, & limitatis, damnamus illas, quasi imperfectas, quia nostro appetitui non respondentes. Mens sapientis videt quidem omnia, quæ à Deo facta sunt, vt valdè bona, sed in suo genere nobis inferiori; vnde sortem illarum apprimè noscens, non ab illis, sed à summo bono, expectat immensi appetitus sui perfectam implectionem: à Creaturis ad Creatorem convertitur, quasi ab vmbra ad dilectum, quem imperfectè quidem refert, sed certò indicat.

VIRTVS. Augemus rerum defectus, quia virtutes illarum, non ex ratione, sed ex passione metimur; cui vt nimis vagæ, & erroneæ, sapiens natura non consentit. Ex quo homines vitia pro virtutibus coluerunt, frustra tentant averso hoc itinere fœlicitatem suam consequi. Avaro velocissimum tempus, tardum nimis videtur ad fœnoris exactiones: vellent intemperantes naturam fieri suorum excessuum conscìam, & repletiones nec fastidio nec morbis puniri: Indignatur ambitiosus, de concessa fortitudine aliis hominibus, quos vellet esse debiles, vt facilius sibi faceret servos, & quia res talibus votis non respondent, illas calumniantur.

VERITAS. Certum est res non posse in natura assequi perfectionem ideæ suæ; cadunt enim per existentiam, ab vnitate immultiplicabili; ab esse spirituali, ad materiale; ab immoto æternitatis statu ad labilem, fluxamque temporis conditionem; vt arte facta sic naturalia non æquant exemplar suum: est quidem aliqua veritatis idæa, menti nostræ impressa, quæ dirigit iudicium nostrum speculativum & practicum; sed sæpius quod est bonum speculativè, non est tale practicè propter materiæ, rerumque contingentes defectus; quibus oportet se accommodare: ita lex ex rigore iustitiæ, non regit, sed irritat animos; minusque malum dissimulandum, & tolerandum, vt gravius ex nimia coactione nascens vitetur.

GLORIA. Non est hic pacis & quietis, sed motus & belli regio: Indigentiam probat motus, qui quod sibi deest, conatur assequi; vita autem nunquam sine motu, quasi defectus sit à nobiliori etiam existentia inseparabilis. Coincidit in Deo, infinitus actus cum infinita quiete; at creata, quia sunt limitata, non possunt habere motum, qui est ad oppositos terminos, nisi cum carentia quadam.

DIFFERENTIA. Ordo mundi constans ex minimis, medijs, supremis, supponit defectus in infimis & in medijs, etiam in superioribus, comparativè ad superiores gradus, quousque deveniatur ad ens supremum, & summum.

CONCORDANTIA. Hæc indigentia causat nexus rerum, dum quærunt ab alijs, quod sibi deest: vnde Plato dicit amorem ex Chao, idest ex defectu natum; hinc omnes animalium, & hominum societates, vt sibi mutuò auxiliũ præstent. Confert ergo defectus ad singulorum vnionem, & ad perfectionem vniversi.

CONTRARIETAS. Omnia mixta sunt ex contrarijs principijs, quæ dum inter se pugnant, cõpositum conterunt, & spoliant aliqua perfectione; non enim constituitur in temperamento ad iustitiam, modò vna qualitate, modò alia prædominante. Veteribus nova substituuntur, lento, & semper in aliquo deficiente progressu; sic mundus quotidie ex suis cineribus renascitur, duplicata intereuntis & nascentis impotentia.

PRINCIPIVM. Si ab initio res haberet omnimodam suam perfectionem, non esset causa, cur moveretur; si in illa nullus esset defectus, non esset ratio cur alijs nascentibus loco cederet: At dum indigentes sibi

providentalijs ex occaſione proficiunt, ſitque rerum omnium commercium, etiam paupertate liberali.

Medivm. Morbi elementorum, plantorum, animalium procedunt à cauſis tum internis, tum externis; vt cum corpus deficit ob nullum, aut non conveniens exhibitum alimentum; cum terra ſterileſcit, deficiente ſole, pluvia, cultura. In rebus moralibus & politicis maximi defectus ex parte mediorum ſunt; homines enim ſunt hominibus inſtrumenta libera, ſe moventia, & impulſum agentis non ſemper expectantia.

Finis. Vt res omnes ſunt limitatæ, ſic imperfectæ conditionis, ſi comparentur vniverſali bono: deficiunt etiam, quia nunquam aſſequuntur vltimum gradum ſuæ perfectionis; hæc enim perfectio in indiviſibili conſiſtit, at vt non continuatur linea punctis, ſed partibus, ſic ſpecies in vniverſo, &c.

Maiorivas. Sic inter res omnes, & in ſingularum etiam progreſſu, apparet eminentia, quæ eſt imago eminentiſſima entitatis primi principij. Decertatur quaſi propoſito honoris præmio, intenſior aut remiſſior cauſarum ſuperiorum influxus, ex diverſa planetarum conſtitutione, ſic attollit, aut deprimit ſublunarium vires.

Æqvalitas. Sic diverſis proportionata occurrunt, ita vt vnumquodque inveniat quòd amet, & à quo ametur. Circulum agunt omnia, ſuprema deprimuntur, infima elevantur, æquò tamen, ſibique ſemper conſtanti fatò, lapſa in integrum reſtituente.

Minoritas. Quæ in quibuſdam rebus invenitur, efficit vt aliarum oppoſita perfectio magis effulgeat; præferunt res ſui nihili teſtimonium & Deo homagium, &c.

MEDIA QVIBVS BONVM obtinetur.

Miſcellanea.

ARtes mechanicæ, applicant nobis naturæ dona, ad vitæ neceſſitates, decorem & oblectamentum.

Alimenti appetitio, & concoctio, fit vi caloris naturalis.

Animalia ad venerem fiunt propenſiora, corporis valetudine, & temporis beneficio.

Ligni Agallochi in India odoratiſſimi, collabentes ramos deferunt, per circunſtantes regiones: inundantes fluvij. Mathiol.

Dantur externæ cauſæ, quæ internarum vires fovent & reſtaurant, vt ſol, ignis, medicamenta.

Venti adducunt ad nos qualitates regionum, vnde oriuntur.

Fructificant plantæ omnes ſub vere, quia tunc ab appropinquante ſole ſopitus ipſarum calor excitatur & fovetur.

Fluvij qui aureas habent arenas, vt Pactolus in Lydia, non producunt ex ſe aurum, ſed abtraſum è montibus per quos tranſeunt, illud deferunt.

Venæ acceptum ab hepate ſanguinem deferunt per totum corpus; ſanguini pars ſeroſa admiſcetur, gratia diſtributionis. Eleëmoſynarij Principum.

Aulici, à Principibus inter cæteros dilecti, ſunt ordinarij, & potentiſſimi interceſſores, ad gratias obtinendas:

Luna ideo eſt potens in hæc inferiora, quia velociſſimo ſuo curſu tranſit per aſpectus aut corpora Planetarum, eorumque collectas vires ad nos defert.

Idem ferè præſtat Mercurius, vires planetarum induens, & augens, cum quibus corpore aut aſpectu conjungitur. Aër defert ad nos omnes cœlorum qualitates, vt & lumen.

Radix eſt ea pars plantæ, quæ in terram defixa alimentum attrahit, præparat, & in truncum tranſmittit: hoc munere funguntur in corporibus noſtris ſtomachus, iecur, & cor.

Aſtricta ſunt aperienda, & rarefacienda moderatè calefacientibus.

Potus non nutrit, ſed nutritioni inſervit, vehendo enim alimento vtilis eſt, iuvat in ſtomacho coctionem, quæ cum elixationi comparetur, indiget humido, ſedat dolorem in ſtomacho, ex ſiccitate, calore, ſalſo humore excitatum.

Ars inferior diſponit materiam; ſuperior verò formam inducit, ſic virtus fœminæ præparat materiam, & eam format virtus maris. Tota irrationalis natura comparatur ad Deum, ſicut inſtrumentum ad agens principale.

Sanguis fluit beneficio pituitæ; & vi partium, tum attrahentium, tum expellentium: eſt autem ſanguis vehiculum ſpirituum vitalium, vnde dicitur animam in eo conſiſtere, illiuſque eſum prohibet Deus. Gen. 9.

Mercatores in civitate optimi, ad aſportanda neceſſaria. Plato. 2. de Repu.

Non datur vacuum, ne tollatur vnitas mundi, & continuatio influxus ſiderum.

Generatio, eſt via in naturam; & eſt mutatio ex eo quod non eſt, ad id quod eſt; ſic omnis motus, & actio, omnes activæ qualitates, ſibique in ordine mundi ſubordinatæ cauſæ, ſunt media diffuſionis.

Cum multis vaporibus circumſtans aër ſit infectus, repurgatur à pulmone, priuſquam ad cor tranſeat.

Movet per accidens, qui removet prohibens.

Terra propter ſoliditatem ſuam, ſemina nec recipit, nec quæ habet amittit, niſi aratro aperiatur.

Aquilæ ætitem lapidem in nidum deferunt, vt poſſint ova edere.

Chriſtus, Maria Virgo, Angeli Sancti apud Deum interceſſores, advocati, medici, qui ſunt naturæ, ſe inſtaurare volentis, miniſtri. *Vide Medium Gloriæ.*

Minus eſt melancholiæ, quam bilis, cuius calore & tenuitate fit, vt attenuatus ſanguis partium intima faciliùs ſubeat.

Potentia indifferens debet per aliquid determinari, vt materia per formam, ſenſus & intellectus per ſpecies. Accidens exiſtit per inhæſionem, quam habet in ſubſtanti.

Poligala herba, ſic dicta, quod armentis det fœcunditatem lactis.

Auxilia, ſeu remedia, per ſe cauſas morborum extirpare non poſſunt, ſed naturæ adminiculum poſtulant & fermè ſolum impetum, motuſque initium naturæ injiciunt, quæ per ſe poſtea totum opus abſolvit. Galenus. lib. de optima ſecta.

Perfricantur partes, vt ſic in rarefactas, medicamentum altiùs penetret, & calori naturali iunctum, opituletur. Idem lib. 3. de temperamentis.

De venis per quas fluit & refluit alimentum. *Vide Æqualitas Voluntatis in fine Miſcellanear.*

Tiberius occidi fecit magum quendam, qui immiſſo dæmone in ſomnis, provocabat ad largitiones faciendas. Vide Baronium anno Chriſti. 18.

In Babylone ſunt palmæ mares, quarum fructus inſuavis, ſed alligatur palmis fœminis & feracibus, ex illo naſcitur culex, qui invadens fructus fœminæ, illos ad maturitatem perducit. Athenæ. lib. 14. cap. 12. Idem fieri accepimus in ficubus inſulæ Chio.

Cervi fœminæ ante partum purgantur herba Seſeli, & de cæteris partum iuvantibus. *Vide Medium Principij.*

Pomiferæ arbores ab homine didicere blandos ſapores, adoptione & connubio. Plin. lib. 16. in proœmio.

Quædam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur; nam cum ſuam ſedem non habeant, in aliena vivunt, ſicut viſcum. Idem c. vlt.

Plin. lib. 17. cap. 25. Refert inter vitia & prodigia arborum, malum punicam ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite aut ramis.

In Ægypto Nilus coloni vice fungens evagari incipit à ſolſtitio, & quamdiu ſol eſt in leone, pigreſcit in virgine, ſiſtitur in libra. Ibid. cap. 17. lib. 18.

Spiritus in corpore deferunt vires facultatum. *Vide Medium Concordantiæ.*

EX IVRE CIVILI.

DE poſtulando. ff. 3. tit. 1.

De procuratoribus & deffenſoribus. ff. 3. tit. 3.

De negotijs geſtis. ff. 3. tit. 5.

De fideicommiſſaria hæreditatis petitione. ff. 5. tit. 6. & 40. l. 5. c. 6. tit. 42.

De conditionibus inſtitutionum. ff. 28. t. 7.

De aquæ ductu. C. 11. tit. 42.

De Palatinis ſacrarum largitionum, & rerum privatarum. C. 12. tit. 24.

Qui teſtes neceſſarij ſint, ad novam inveſtituram præbendam. Feud. 2. t. 31.

De rivis. ff. 43. tit. 20.

Officium Præfecti vrbis erat curare inter cætera, vt caro, & omnis annona iuſto prætio Romæ præberetur. l. 1. ff. de offic. præf. vrb.

Si in agri venditione, quis excepit frumenta manu ſata, non videtur excepiſſe ea, quæ ex ſtipula nata ſunt, non magis, quam ſi quid ex ſacco cecidiſſet, aut ex ore avium l. 40. §. fundi. ff. de contrah. empt. ſic eaſus poteſt eſſe medium bonitatis, vt de inventione theſauri fortuita in alieno agro.

Non eſt captatoria & improbata inſtitutio, quam mutuis affectionibus provocamus; vt rogo te talem inſtituas. l. 70. & 71. ff. de Hæred. inſtit.

Filio familias in poteſtate legatum, videtur Patri relictum. l. 42. ff. de condit. & demonſt.

Acquiritur enim per perſonas, quæ in noſtra poteſtate ſunt. Inſtit. 2. tit. 9. *Vide Medium Poteſtatis.*

Etiam per interpoſitam perſonam, donatio conſummari poteſt. l. 4. ff. de donatio.

EX THEOLOGIA.

OMne accidens, & omnis forma non ſubſiſtens, eſt ens verum & bonum, vt quò, non autem vt quid. 1. 2. q. 55. a. 4.

Bonum vnius hominis, continuatur alteri dupliciter, ſcilicet per charitatem, & per intentionem facientis. ſupl. q. 82. a. 6. ad 3.

Motiva ad miſericordiam ſunt tria maximè, ſcilicet, mala contra naturam, contra ſpem, & contra merita alicujus. 2. 2. q. 30. a. 1. *Vide Medium Virtutis & Gloria.*

EX BIBLIIS.

MAria dixit Chriſto, in nuptiis. Vinum non habent. Ioan. 2.

Centurio miſit ad Ieſum ſeniores Iudæorum, qui rogant eum, vt ſanet ſervum eius, &c. Luc. 7.

EX PATRIBVS.

IN ſymbolo habetur, credo Sanctorum communionem. Sic Deus chyrographum innumerabilium debitorum, nobis non ſentientibus delet, ſed opus eſt, vt quod tribuit gratia, cuſtodiat diligentia. Euſeb. Emiſſ. Homil. 2. de Symbolo.

Non eſt terra oblivionis, quam inhabitat Sanctus: non terra laboris vt occupetur in ea; latitudo cœli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes, non alienat affectiones, non contrahit ſed extendit: ſuperni ſpiritus, non quia incolunt cœlos, terras deſpiciunt, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Sancti qui venerunt ex magna tribulatione, recognoſcunt jam vbi fuerunt, &c. D. Bern. ſerm. 2. de B. Victore.

D. Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 16. dicit ſe definire non poſſe, quomodo Sancti adſint periclitantibus: aſſerit tamen id per divinam potentiam fieri; quoniam per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt; id autem fit, quia Deus, qui vbique præſens eſt, beatis lumen eſt, adhibere etiam poteſt miniſteria Angelorum. Ibidem refert Nola oppugnata à barbaris, Felicem confeſſorem viſibiliter ex aëre civibus ſuis auxilium dediſſe.

De Sanctorum interceſſione. *Vide Poteſtas Virtutis*: quantum poſſit Sanctitas apud Deum. & *Medium Gloriæ.* Sanctorum interceſſio.

DEMONSTRATIO.

QVI NON POTEST ESSE beneficij collator, ſit mediator.

BONITAS. Non eſt fruſtra in nobis inclinatio benefaciendi, ad imitationem primæ bonitatis, à qua habemus vitam, rationem & gratiam; nam etiam in anguſta fortuna, & deficientibus facultatibus, habemus quo miſeris ſubveniamus, opera noſtra & conſilio.

MAGNITVDO. Pecuniarum largitio confert tantum bona fortunæ; at cum quis mediator exhibendi beneficij intervenit, confertque ad id operas ſuas, dat bona corporis & animi, quæ ſunt potiora bonis fortunæ: ſic pluribus poſſumus adeſſe, dilatatæ charitatis ſpatiis commenſurato beneficio: Vno tantum modo ſubveniunt largitiones, pluribus interceſſiones, & hac multiplici charitate, compenſatur quod deeſſe videtur auxilio.

DVRATIO. Pecuniarum largitione exhauriuntur facultates; at operæ ipſa ſua præſtatione non minuuntur, ſed creſcunt, acquiſitis de novo negotiorum habitibus, magnatorum, amicorum familiaritatibus, ipſa etiam ſe ſemper in melius promovente charitate: Potes interceſſione tua egenti gratiam promereri familiarum, & ſocietatum, in quibus, ſingulorum ſucceſſiva ſerie, fiet perenne auxilium.

POTESTAS. Non ſua ſed ſeipſum dat, qui ſe mediatorem exhibet, & quia humili ſollicitatione, & quadam ſervitutis ſpecie, conatur alienas liberalitates promereri: tale officium accedit ad charitatem eorum, qui ſeipſos, pro aliorum redemptione, aut pauperum alimoniis, in ſervitutem dederunt.

Digitized by Google

COGNITIO. Vt Regiminis, ſic beneficij gloria, etiam conſiliarijs & miniſtris defertur: Agis partes Intelligentiarum, quæ etſi nobiliſſimæ ſint creaturæ, mandatum accipiunt à Deo, non vt ipſæ influant, ſed vt influentes ſphæras moveant; ſic & divinas illuſtrationes, gratiaſque in nos miniſterio ſuo transfundunt: Deus ipſemet gratia ſua liberas noſtras voluntates ad bonum concitat, non cogit, in hoc tamen dicitur virtutum, cæterorumque animi bonorum author.

VOLVNTAS. Si cenſetur reus criminis, qui ad illud concitat, ſi vterque injuriam tenetur, qui mandat, & qui ex mandato facit injuriam; à contrario cenſetur beneficii author, qui ad illud alium provocat, excitatque in eo charitatem.

VIRTVS. Virtutem debet producere, quod fit duplici beneficio, dum diviti charitatem, virtutum maximam, & egenti auxilium, ne ex deſperatione in vitia labatur, procuramus.

VERITAS. Sic vir bonus eſt lex animata, ignorantiæ, vitiorumque tenebras diſcutiens: Inter Deum hominesque fidelis negotiorum geſtor; efficit vt à Deo, ſub perſona pauperis creditæ divitiæ, centuplum fœnus accipiant, dum interim ſors principalis, creditori ſervanda, cœleſtibus theſauris infertur.

GLORIA. Omnes gratiæ, quę vocantur gratis datæ, eo tendũt, vt proximus ad virtutes & gloriam promoveatur: ſic dum dono conſilij aliquis, vni charitatem perſuadet, alteri conſolationem in anguſtijs affert, hac duplicata gratia duplicatur rectè facti interna conſolatio, duplexque acquiritur in cœlo præmium.

DIFFERENTIA. Sic Deus voluit vnumquemque diverſo, convenientique officio virtutes exercere, & gloriam promereri, alijs dedit divitias, tibi bonam mentem, rerumque ad proximi vtilitatem affectum: Tu non es divitiarum acquirendarum & conſervandarum curis implicitus, tu es extra vſus illarum grave periculum, & tamen habes diſpenſationis meritum, illiſque puris, nec inquinatis manibus erogas.

CONCORDANTIA. Sic collata tua opera, animos invicem, Deoque concilias; bonis fortunæ, quę ſunt litium, bellorumque cauſæ, ſapienter vteris ad firmandam inter homines charitatem, vt ſibi mutuò, quaſi vnius corporis membra compatiantur, & ſubveniant. Id ipſum præſtas, quod agunt in corpore noſtro ſpiritus, omnium partium vnionem, ſenſum, motum, influxum promoventes.

CONTRARIETAS. In miſeros injuriæ frequentius, quia impune cadunt, ſicut in infirmiores corporis partes ſolet fluxio decumbere; ita dum vni occurris neceſſitati, pluribus ſimul ingruentibus ſubvenis anguſtijs; dum ſolvis præſens, prævenis futurum malum: ſic tuis auxilijs mala fides, aut exterrita aut deluſa, deſinet miſerum inſectari.

PRINCIPIVM. Non es tantum habendus beneficii mediator, ſed largitor, vt ſol influxu ſuo, dicitur cum homine hominem generare: Præſtas enim in hominum commercio, quod in mundo cauſæ vniverſales, quæ ſecundas, ad effectus ſuos educendos inſtigant; das initium charitati, quæ tibi progreſſus ſuos, vt parenti debebit; auxiliantem, & auxiliatum, videbis quaſi opus tuum, gaudebiſque vtriuſque affectu in te, quaſi in commune principium reflexo.

MEDIVM. Si is habetur artifex, in quo eſt idæa opus regens, viſque inſtrumenta certo modo configurans & movens: qui pro miſeris intercedit, verus habendus eſt charitatis artifex; alios ad eius actus diſponens, & vovens. Inæqualis fortunæ vitio, diſſitos affectus colligit, vnionemque efficit, qualis eſt inter formam influentem, & materiam recipientem.

FINIS. Recta tua intentio, aliorum voluntates, & temporalia ad æternitatis conſecutionem dirigens, maximi eſt apud Deum meriti: quantum te colet, qui tuis conſiliis, ſe videbit bonorum operum patrocinio ſtiparum, vt coram Deo iudice ſiſtat; toties in libro vitæ ſcriptus es, quoties charitati exercendæ operam dediſti.

MAIORITAS. Dat dives temporalia, ſed tu amplius dediſti, ſi charitatem ſuaſiſti: dediſti enim rem excellentem, ſpiritualem, divinam, & quaſi animam, vnde vis omnis, pro bonorum operum executione.

ÆQVALITAS. Sic habes, etiam pauper, quo ditiſſimos in exhibenda charitate æques, aut ſuperes; ſæviat quantum voluerit adverſa fortuna in facultates tuas; nihil de charitatis affectu poteſt decerpere, quin eadem, conſilio & opera tua peragas, tibi ſemper ſimilis, omnibus, his etiam à quo petis, beneficus. Regula es, cui potius quam manui deberur ductæ lineæ rectitudo.

MINORITAS. Fœlix paupertas, affectu conſiliiſque charitatis dives, ſæpè largitionibus ſe interſerit ſuperbia, vanitas, præſumptio, quæ quaſi venena, boni ex ſe operis meritũ corrodunt & inficiunt: at Eleëmoſinas procurantem comitantur, ipſa ſuæ impotentiæ confeſſio, humilitas, patientia in tolerandis divitum procraſtinationibus, contumeliis, repulſis, denique charitas, ipſum hominem pro ſalute proximi devovens.

FINIS BONITATIS.

QVANDO DESINIT BENEFICIVM.

MISCELLANEA.

QVÆDAM civitates hominum inopia ſervos peregrinos ex matre tantum cive natos, in cives receperunt; ſed eoſdem poſtea abundante multitudine excludunt. Ariſtot. 3. Politic. cap. 3.

Balſamum in Syria periit, & Malabatrum in Indìa, indigenarum culpa & negligentia. Mathiol.

Animalia fœtus ſuos nutriunt, quouſque ſibi providere poſſint; deinde, quæ non ſunt gregalia à ſe expellunt.

Deus initio mundi, dedit hominibus & majorem fœcunditatem ad generandum & longiorem vitam, vt replerent terram; ſed jam ſatis multiplicata ſpecie, & generandi vis infirmior, & vita brevior. Priſcis enim ſæculis, repletis provincijs maximè in Septentrione, cogebantur populi ad irruptiones faciendas.

Arborum radices fugunt, & attrahunt aquas, ſic nova eradicatione interdum fons deficit, apertis etiam alijs vijs, nova etiam plantatione.

Autumnus acutos & exitioſos morbos generat, quia ſuo calore per meridiem cutim corporis rarefacit, & aperit, mox intra corpus, tanquam hoſtis, frigus irruit, & calorem nativum jam languidum ſua qualitate maligna extinguit. Hypo. Aph. 9. lib. 3.

Purpuræ colorem ferunt tingendis regum veſtibus expetitum; gerunt in medijs faucibus, candida quadam vena concluſum, vivas capere oportet, quia cum vita ſuccum illum evomunt. Mathiol.

Certi ſunt dies à natura criſi deſtinati, extra quos criſi non eſt fidendum, his quæ non ex ratione levant, confidere non oportet. Hipoc. Aphor. 27. lib. 2. Infida enim remiſſio, deterius quiddam in poſterum comminatur.

Convulſio à profuſiori ſanguinis miſſione lethalis, quia tunc venæ exhauſtæ propter ſiccitatem, à nervis repetunt humorem & ſuccum, quem ipſis nutriendi cauſa impertiverant.

Qui ambiunt imperium, animos ſibi devinciunt magnis largitionibus, & promiſſis, quæ ceſſant, poſtquam illud obtinuerint Dion. lib. 46. n. 6.

Timetur novus Princeps, licet initio bonus, quia ſcit populus, quod ad libitum poteſt fieri malus.

Lux dum abeſt, nihil in prius illuſtrato ſubjecto relinquit lucis, quamvis relinquat calorem, qui eſt ſecundarius accidentalis eius effectus.

Sæpe bono Principi ſuccedit malus, ſic Auguſto Tiberius, Tito Domitianus, Alexandro Severo Maximianus; Gordiano Philippus.

Quæ viventia pariunt, in ſeipſis alimentum habent ad natorum educationem, vſque ad tempus quoddam. Ariſt.

Imminente aut durante acceſſione febrili, non eſt cibus offerendus, nam in vitioſos humores converteretur.

Si enim mulier indiget alimento, vrgente fame, hæc è mammis refluit in venas, & fit ſanguis, vnde alitur de humore proprio. *Vide Volunt. Bonit.*

Medicamenta vires ſuas ſeruant, vſque ad certum tempus; quo elapſo, fit eorum quaſi cadaver.

Luxata membra, quæ reponi non poſſunt, minus aluntur, quia tam muſculi, quam vaſa diſtorta ſunt, & quia articuli eorum exiſtunt immobiles.

Mel inter humores bileſcit maximè.

Deficiente humido radicali, deficit calor & vita.

Abdicatio, exhæredatio, revocatio donationis inter vivos, mortis cauſa, aut propter nuptias.

Mel inveteratum aut ſummè coctum, amarum evadit, quia omnem ſuum humorem amittit, quo calor immoderatus temperabatur.

Deſinunt fontes fluere, aut quia terra aſſiduitate æſtus exſiccata omnem aquam abſumit, vel quia meatus obturantur. *Vide Contrarietas Bonit.*

Pinguedinem terræ, pluviæ vſque ad decem pedes ſecum deferunt, diſtillantes in profundum.

Obſidentur hoſtes, impeditur rerum ad vitam neceſſariarum commeatus, exſiccantur, alio diverſuntur fontes & flumina, vt quod iuſtum eſt concedant; ſic Medicus vexat, non ægrum, ſed morbum, dum ſolitas alimentorum delitias negat, & aſpera præbet.

Vita noſtra, vapor eſt ad modicum aparens, deinceps exterminabitur. Iacob. 4. quando ergo corpori redditur ſanitas, redditur nonnulla diuturnitas vapori: creditorem habes infallibilem, dilata eſt dies ſolutionis, ſed non caſſa ratio.

Pactum donationi appoſitum, ne res alienetur, efficit vt alienata condicatur. lib. 3. Cod. de cond. ob cauſ. dator.

Dij vrbium tutelares credebantur quibuſdam carminibus, cæremonijs & ſacrificijs poſſe ab hoſtibus evocari, ideo Deus tutelaris vrbis Romæ non nominabatur, ne ſic notus evocaretur.

Lumen fonte ſuo abeunte abit, redeunte redit.

Aquæ quædam corruptæ, & venenatæ effectæ, ob frequentia, quæ in illas ceciderunt, fulgura Athenæ. lib. 2. cap. 2. abſtinemus à beneficijs, propter quæ patimur.

Magna bonitas ceſſat, ſi impediatur ne ſit. agna, & vniverſalis. *Vide Magn. Bonit. in Miſcell. in Fin.*

In Parthorum cœnis, amicus Regis non aſſidet menſæ, vt cæteri, ſed humi ad pedes Regis jacens, projectos ab ipſo cibos excipit, tanquam canis. Athenæus. lib. 4. cap. 14. libera ſic, & revocabilis oſtendebatur Regis amicitia. *Vide Durat. Voluntat. Repug.*

Cum infirma eſt natura, ceſſandum à remediis, & in ipſa etiam morbi violentia, quâ jam laborans ſupervenientibus remedijs opprimeretur. Galen. lib. de optimâ ſectâ.

Ob inopiam amplius non confertur beneficium, ſed petitur. *Vide Æqual. Bonit.*

Alaricus, obſeſſâ Româ, cogit Romanos vt eligant Attalum Arianum in Imperatorem: cum autem Alaricus videret ab eo res infœliciter geri, eundem Attalum coram exercitu ſpoliat diademate, & purpurâ, & ad privatam conditionem redigit, vt ſic res cum Honorio Imp. fœlicius componeret. Baron. an. 410.

Serviolim ad vnum, aut paucos dies quotannis libertate fruebantur. *Vide Bonit. Poteſtat. Liberratis.*

Lucianus irridet Deos Ethnicorum, miratur enim, cur tot olim genuerint liberos, nullos autem ſuo ſæculo? interrogatque iocans, ecquid Septuagenarij iam eſſent, aut lege Pappia contra ſenum nuptias lata conſtricti.

Quibuſdam ſemel tantum in vita datur gignere. Plin. Nat. hiſt. lib. 7. cap. 13.

Cum innumerabilia ſint mortis ſigna, ſalutis ſecuritatiſque nulla ſunt. Ibid. cap. 51. Senilis iuventa præmaturæ mortis eſt ſignum, vt ſcribit Caro ibid.

Deſinunt fontes fluere, ne fluant in hoſtium & exterorum commodum. *Vide Majoritas Voluntat.* Terræ quoque motus profundunt, ſorbentque aquas. Plin. lib. 31. cap. 4 & 5.

Perſequimur omnes terræ fibras, vivimuſque ſuper excavatam, mirantes dehiſcere aliquando, aut intremiſcere illam; ceu verò non hoc etiam indignationem ſacræ parentis exprimat. Ibid. lib. 32. in proœmio.

Deſinit beneficium accepta injuria, æquali pœna vindicanda. *Vide Æqual. Contrar.*

Apelles pinxit, oppido capto, ad matris morientis è vulnere mammam, infantem, intelligiturque ſentire mater, & timere, ne emortuò lacte ſanguinem infans lambat. Plin. lib. 35. cap. 10. Pietatis eſt negare nocivum beneficium: ſic peſte, aut Principis odio laborans Pater, filios pellit domo, &c.

EX IVRE CIVILI.

DE adimendis legatis. ff. 34. t. 4.

De ademptione legatorum, & tranſlatione eorum. Inſtit. 1. t. 22.

De ademptione libertatis. ff. 40. t. 6.

De adimendis legatis. ff. 34. t. 4.

De conditione Feudi non impleta. lib. 4. Feud. t. 75.

De his quæ in teſtamento delentur. ff. 28. tit. 4.

De his quæ vt indignis auferuntur. ff. 34. tit. 9. Cod. 6. tit. 35.

In quibus cauſis Feudum amittatur. Feud. 1. tit. 5. & 17. & Feud. 2. tit. 23. & 24.

Quibus modis teſtamenta infirmentur. Inſt. 1. t. 17.

De revocandis donationibus. C. 8. tit. 56.

Si adverſus donationem, reſtitutio poſtuletur C. 2. tit. 20. Si adverſus dotem. C. 2. t. 34. Si adverſus libertatem. t. 31.

Si de inveſtitura lis inter vaſallum & Dominum oriatur. Feud. 1. t. 26.

Si ſecundò nupſerit mulier, cui maritus vſum fructum reliquit. C. 5. t. 10.

De temporibus in integrum reſtitutionis, tam minorum, quam aliarum perſonarum. C. 2. t. 53.

De vaſſallo decrepitæ ætatis, qui Feudum refutavit, vt filius inveſtiatur. Fe. 2. 14.

Cum lex præteritum quid iudulget, in futurum vetat. l. 22. ff. de legib.

Qui in alieno fundo ædificavit, poteſt ædificium quod poſuit tollere, ſi Dominus noluerit impenſas reſtituere. l. 37. ff. de rei vindic.

Poteſt quis, aut hæres ejus, rem in vſum aut vſumfructum conceſſam vindicare, ſi vſusfructuarius aliter vtatur, quam vir bonus arbitrabitur. l. 1. ff. vſusfruct. quemad. cave.

Abeſſe res dicuntur, quæ ſunt corruptæ aut tranſmutatæ in aliam ſpeciem. l. 13. ff. de var & extraord. cogn.

Beneficium perſonale, cum perſona extinguitur. l. 14. ff. ſolut. matr.

Ceſſat beneficium, cum conditione perſonæ, cujus contemplatione datum eſt l. 68. ff. de reg. Iur.

Minor in delictis non reſtituitur l. 9. & 37. ff. de in integ. reſtitut. indigni enim ſunt legis beneficio, qui in legem committunt d. l. 37.

Si maritus vxori donauerit mortis cauſa, eaque divortium fecerit, infirmatur donatio. l. 11. ff. de donat int. vir. & vxor.

Item ſi conjux donator, vel donatarius efficiatur ſervus, donatio extinguitur. l. 32. §. ſi donator. eodem.

Si in priore parte teſtamenti liberto legatum ſit, & in poſteriore vocetur ingratus, adimitur legatum. l. 29. ff. de adim. legat.

Si quis mortis cauſa donaverit & capitis fuerit accuſatus, nulla eſt hæc donatio, licet cæteræ valeant, quæ ſine ſuſpicione pœnæ factæ videntur. l. 7. ff. de mort. cauſ. donat.

Libertus non tenetur alere patronum, nec ejus liberos, ſi ab his capitis ſit accuſatus. l. 5. §. ſed & patroni. 23. ff. de agnoſ. & al. lib. l. ſed ſi hac. §. Si autem liberi. ff. de in jus voca.

Libertus egenti patrono negans alimenta, redigitur in ſervitutem, venundatur, & prætium datur patrono. l. 6. ff. de agnoſ. & alen. lib. *Vide Gloria Principij.* Cultus Patroni.

Qui ſe à tutela excuſat, perdit, quod ſibi, ſuiſque eſt ea contemplatione relictum. l. 28. ff. de teſtam. tut.

Mater non ſuccedit ab inteſtato filijs, quibus non petit idoneos tutores. l. 1. ff. qui pet. tutor.

Qui tutor in teſtamento datus eſt, & ei legatum eſt in eodem teſtamento, perdit legatum, ſi non vult ſubire onus tutelæ. l. 32. ff. de excuſat. tut. cenſetur enim ob tutelam datum, niſi contrarium teſtator expreſſerit eodem. Sic privatur legato, qui educationem pupilli non vult ſuſcipere. l. 1. ff. vbi pupill. educ. vel morari debet.

Repellitur à ſubſtitutione pupillari, qui impugnat tabulas teſtamenti. l. 22. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.

Damnata memoria teſtatoris, repetuntur legata jam ſoluta. l. 76. in f. ff. de leg. 2.

Si filius præteritus eſt teſtamento, non tenetur præſtare fideicommiſſum in eo contentum. l. 2. ff. de leg. 3.

Promiſſio facta contemplatione alicujus certi emolumenti, ipſo ceſſante non tenet. l. 37. eodem.

Si legatarius non implet modum à teſtatore adjectum, legatum ſibi ſolutum revocatur. l. 21. §. 3. ff. de ann. leg.

Libertis ea conditione cibaria legantur, vt in loco ſepulturæ Domini maneant, & memoriam eius quotannis celebrent; deficientibus in illa conditione denegantur cibaria. l. 18. in f. ff. de alim. vel cib. legat.

Vxor legatum ſibi factum à marito amittit, ſi ante eius mortem divortium fecerit, quia cenſetur mutata voluntas per divortium. l. 3. ff. de aur. & arg. leg.

Si interceſſerint capitales inimicitiæ, adimetur quod legatum eſt, ſi autem levis eſt offenſa, manet fideicommiſſum. l. 3. in f. ff. de adim. legat.

Aufertur legatum à liberto, tamquam ab ingrato, qui patronum ſuum poſt mortem accuſavit illicitæ negotiationis, quanquam hac delatione mereatur præmium. l. 1. ff. de his quæ vt indig. aufer.

Priuatur hæreditate aut legato, qui diſponit de bonis adhuc viventis. l. 2. eodem: ſi per ſuam negligentiam, is à quo eſt inſtitutus, moriatur. l. 3. qui ſe excuſat à teſtamentaria tutela. l. 5. qui in accuſatione falſi ſuccumbit; qui principale teſtamentũ accuſat; propter inimicitias capitales. l. 9. niſi ſint ſine legatarij culpa. l. 16. qui non vindicat mortem defuncti. l. 17.

Finitur tutela, ſi pupillus deportatus, vel in ſervitutem redigatur. l. 14. ff. de tutel.

Qui coactus reſtituit hæreditatem quam adijt, non poteſt pœnitendo habere beneficium quartæ. l. 14. ff. ad S. C. Trebellia.

Omnes debitores, qui in fraudem creditorum liberantur, revocantur in priſtinam obligationem. l. 17. ff. quæ in fraud.

Fidejuſſor acceptus in prima cauſa, non tenetur in cauſa appellationis. l. 30. ff. Iudic. ſolvi.

Servus cum licentia Domini poteſt fieri monachus, ſed ſi monaſticam vitam deſerat, iterum traditur in ſervitutem. l. 36. cum auth. & l. ſeq. C. de Epiſc. & Clerc.

Filius emancipatus, propter ingratitudinem reducitur in patriam poteſtatem l. vnic. C. de iug. lib.

Mater revocat donationem factam filio, propter eius ingratitudinem. l. 6. C. de revoc. donat.

Hæres non implens voluntatem defuncti, privatur omni commodo hæreditario. Novell. 1. c. 1.

Emphyteuta rei Eccleſiaſticæ cadit à iure ſuo, ſi per biennium ceſſet à penſione. Novell. 7. c. 4.

Cauſæ ingratitudinis, propter quas feudum amittitur. lib. 1. Feud. t. 5. & 17.

Dominus à vaſallo offenſus revocat ad ſe Feudum. 2. Feud. t. 24.

Mutus, ſurdus, cæcus, claudus, vel alias imperfecti, quia ſervitium reddere non poſſunt, Feudum amittunt, relictâ tamen illis ad victum penſione. Eodem tit. 36.

Si Eccleſiaſticus det in Feudum, ſucceſſor eius non tenetur, nec eum obligat. lib. 1. Feud. tit. 3.

Filium alienum ſuſcipiens, ſe obligavit ad certam ſummam, ſi non vt proprium filium haberet; poteſt tamen domo pellere, ſi id meruit. l. 132. ff. de verb. obligatio.

Si Mater ſolvit partem debiti filij ſui, non poteſt

compelli ad ſolutionem reſidui. l. 4. C. ne vxor pro marito. *Vide Minoritas Bonitatis Bona.*

Beneficium perdit ille, qui mentitur in eo quod eſt cauſa beneficij. l. 22. §. finał. ff. de re iudic. & beneficium amittit legis, in quam peccat l. 22. C. de iure deliber.

Interdum mortis cauſa donatio fit, ea lege vt reddatur, ſi ille qui accipit prior deceſſerit. l. 13. ff. de mort. cauſ. donatio.

Ne inutilis ſit proprietas, conſtitutum eſt finiri vſum fructum.

Pater parvulam filiam expoſuit, ideſt in locum publicum projeci fecit, Titius miſericordia motus eam nutriendam ſuſcepit, adultam vult filio in nuptum dare: nolens pater, tenetur impenſas alimentorum reſtituere, etiamſi Titius eas donandi animo præſtiterit. caſus l. patrem. 16. Cod. de nuptiis.

Quod fit ex vrbanitate non præiudicat, ſic voluntariæ tutelæ munera privilegiis nihil derogant. l. 12. Cod. de excuſat. tuto.

Famulatus liberi hominis, etiam per longum tempus, non facit eum ſervum. l. 6. C. de ingen. manum.

EX IVRE CANONICO.

REvocantur in ſervitutem Eccleſiæ liberti, qui contra eius dignitatem ſuperbiunt. 12. quæſt. 2. cap. octava.

Amittit commodum reſcripti Apoſtolici, qui illo abutitur, vt ad futuras controverſias extendens, de reſcript. cap. quia nonnulli vlt.

Si electus adminiſtret ante confirmationem, eius electio caſſatur. de elect. & electi poteſt. cap. qualiter. 17.

Eligentes ſcienter indignum, privantur poteſtate eligendi, in electione quæ primo occurrit facienda. cap. cum vniverſis. eodem.

Revocatur privilegium, quando incipit nimis eſſe nocivum. cap. ſuggeſtum, de decimis.

Suis privilegiis privandus eſt, qui alienis derogat. cap. dilecti, de privileg.

Occidens Prælatum amittit beneficia & Feuda, quæ ab eius Eccleſia tenebat. cap. ad aures, de pœnis.

Libertate donati ab Epiſcopo, ſi ſint ingrati, reducuntur in ſervitutem, vt quorum libertas pernicioſa eſt, ſit ſalutifera ſervitus. Concil. Hiſpalenſe. II. c. 8.

Privilegium meretur amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate. Can. privilegium. 11. quæſt. 3.

EX THEOLOGIA.

PEccata redeunt per ingratitudinem, qua contemnitur beneficium Dei. 3. q. 88. a. 2. ad 2.

Gratia habitualis per quodlibet peccatum mortale amittitur, non phyſicè, quia peccatum non eſt forma realis phyſica, ſed demeritoriè, & diſpoſitivè per averſionem à Deo, & converſionem ad creaturam.

EX BIBLIIS.

ISayas prædicens Achas futurum excidium, ait. In die illa, omnis locus vbi fuerunt mille vites, in ſpinas & in vepres erunt. Iſay. 7. & c. 19. de deſolatione Ægypti ait. Areſcet aqua de mari, & fluvius ſiccabitur; calamus & iuncus marceſcet; mœrebunt piſcatores mittentes hamum in flumen.

Ipſi ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti eius, & converſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellavit eos. Iſay. cap. 63.

Infoſſum lumbare Ieremiæ putreſcit, itavt nulli amplius ſit vſui. Ierem. 13. ſal infatuatum, ad nihilum valet, niſi vt mittatur foras. Math. 5.

Deus abſcindit virgam quam vocaverat decus, & irritum facit fœdus, quod percuſſerat cum omnibus populis. Zach. 11.

Audivit Deus & ſprevit, & ad nihilum redegit valdè Iſraël, & repulit tabernaculum, vbi habitavit cum hominibus. Pſal. 77. Vocavit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contrivit. Pſal. 104. Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Pſal. 105.

Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. Pſal. 106.

Dominus remiſerat debitum ſervo ſuo, ſed quia noluit ſimiliter miſereri conſervi ſui, tradidit eum tortoribus, quouſque reddat vniverſum debitũ. Math. 18.

Clauſâ ianuâ, tardè venientibus virginibus, dicitur, neſcio vos. Math. 25.

Iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacumque die peccaverit Ezech. 33.

Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum eſt. Eccleſ. 3.

In te bonitas Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Roman. 11.

DEMONSTRATIO.

QVANDO DESISTENdum à Beneficio.

BONITAS. Generaliter negabo beneficium, quoties non erit vtile ei qui accipit, aut mihi maximè noxium; ordo enim charitatis præcipit, vt me alteri præferam.

MAGNITVDO. Infiniti eſt Dei, ſemper influxus ſuos creaturis communicare. At noſtra virtus limitata, non eſt diffuſiva ſemper & vbique: habent beneficia, vt cætera omnia, limites ſuos: revocat natura vim accreſcendi, dum plantæ & animalia convenientem ſpeciei ſuæ quantitatem attigerunt. Prudentia & Iuſtitia beneficentiæ comites, datum debent perſonis, rebus, temporibus commenſurare: omnibus ex charitate conjunctus, & debitor factus, in vnum non congeram omnem meam ſubſtantiam, quæ debet in plures diſpergi.

DVRATIO. Turpe eſt ex Evangelio, illi qui cœpit ædificare, & non potuit conſummare; turpe eſt aggredi protectionem, cui non ſufficiant vires; maturè egenti inſinuanda eſt impotentia tua, vt potentiores conveniat, ne in vanum conceptâ ſpe, inſurgentibus malis opprimatur.

POTESTAS. Securum non eſt maximum conferre beneficium imperanti, vnde conciterur invidia, creditorem, quaſi in aliquo ſuperiorem, non patiens. Prudens aulicus, Principi magna non ſuadet, vnde prævidet ſe magna periculosè collaturum: negatur ægrotanti potens alimentum, quod non poteſt in ſe convertere; negatur populis, ſervis, artificibus abundantia, ne inſoleſcant; furioſo, gladius; prodigo, mutuum; ambitioſo, poteſtas, qua in ſeipſum, in me, in Rempublicam malè vſurus eſt.

COGNITIO. Ad tempus poteſt interrumpi beneficium, vt hoſtibus imminentibus ſpes omnis futuræ

prædæ tollatur, & aliò rapturi divertant: interdum negabo, vt aliorum affectus experiatur, ſciatque in poſterum quibus debeat fidere. In hoc erat quod à me ſolo ſperet: ſi ſemel datum beneficium, neceſſitatem inferret iterum dandi, foveretur inertia & ingratitudo egenorum: volo, vt rerum mearum Dominus, dare non ex opinione, nec ex conſuetudine, ſed liberè ex delectu & affectu.

VOLVNTAS. Promittere potui affectum, non effectum, qui ſæpius à fortunæ pendet arbitrio: indulgere debeo homini, non eius paſſionibus: iniurioſo, hoſti meo, negabo etiam ex lege Chriſtiana, ſi aliter amico in me benefico, ſic quaſi creditori meo, in bonis meis ius habenti, non poſſim adeſſe.

VIRTVS. Negabo malis, vt virtute præditis, quaſi Deo proximioribus, adſim; vereor vitioſis dare ea, quibus poſſunt abuti, ne videar perfidè Dei hoſtibus auxilium ſubminiſtrare. Deus bonis fœlicitatem temporalem ſæpius negat, vt verum colligant robur: idem poteſt fieri à poteſtatibus in his quos regunt. Si eidem ſemper benefaciendum eſſet, iuſtiores privarentur debito ſibi auxilio.

VERITAS. Si hæreſis inter crimina cenſetur, negabo illi vires, ne audaciùs contra Deum inſurgat: licebit interdum amico negare gratiam, ſi inde grave damnum non patiatur; vt appareat an vera ſit eius amicitia, honeſta, an vtilis, & an deficiente beneficio deficiat. Multi etiam veri amici non ſucurrunt lapſis in crimen læſæ majeſtatis, ne videantur conſcij, ſicque probetur eorum innocentia.

GLORIA. Deus & Principes auferunt gratiam, ab his, qui de acceptis, quaſi de propriis, gloriantur, & qui deficiunt in debito cultu referendo; ſic ingrati vaſalli, feudo; liberti, libertate ſpoliantur. Si lex poſita eſſet, vt ſemper ab eodem continuandum eſſet beneficium, cum hoc non ſit poſſibile, ſitque vis continua voluntati, plus ex dato ſequeretur doloris & ignominiæ, quam gaudij & laudis.

DIFFERENTIA. Mundana alternant vices: qui lucebat Sol, occidit; qui favebat planeta, ex diverſo ſitu fit noxius aut indifferens: alius ſubveniat præſenti neceſſitati, vt ego præteritæ; ſic ſubſtitutis ſibi viribus, & amica naturæ noſtræ diverſitate, meliùs levabitur. Sciunt contemplantes, quod non æqualiter lætitia ſpirituali perfunduntur à Deo, licet ſint in æquali charitate. Diverſitas temporum, negotiorum, ætatum, diverſos imprimit affectus. Diverſi ſunt gradus beneficentiæ, ſteti in illo, vt voluerim ſemel tantùm vni benefacere, vt poſſim & aliis. Non eſt tam negare, quam prudenter terræ mandare ſemina, dum diſperguntur, & convenienti ſolo committuntur.

CONCORDANTIA. Contraham manum à donis, ſi acceptarus ineat ſocietatem cum malis, ad quos ſic poſſent pervenire: extraneum deſeram, vt adſim concivi, ſocio, amico, conſanguineo, parenti.

CONTRARIETAS. Vindicabo libertatem meam, ne beneficio amittatur; debeo, inquiunt, quia ſemel dedi; & quid amplius à fure exigeretur? inimicitiæ, lites, æmulationes beneficiis finem imponunt; quis enim hoſti contra ſe vires & arma ſubminiſtrabit? non eſt æquum, vt is qui propter injurias pœnam meretur, beneficium accipiat, & meliorem ſuam conditionem efficiat ex ſuo delicto.

PRINCIPIVM. Exhauſto fonte non fluunt rivuli; capite Apoplexia laborante, deficiunt in cæteris membris ſenſus & motus; ſic beneficia exhauſtis quocumque modo facultatibus; cauſâ benefaciendi ſublatâ, ceſſat effectus.

MEDIVM. Artifices curam agunt inſtrumentorum, & politici miniſtrorum, quamdiu illis vtuntur. Civilis amicitia maximè in vtili conſiſtit: pertinetque ad contractus Iuriſconſultorum innominatos, do vt des, facio vt facias.

FINIS. Naturalium eſt ſine cognitione agentium, effundere omnes vires ſuas in actione, hominis autem liberè & moderatè agere: modum dixi meæ liberalitati, rationem teneo expenſæ, vltra præſcriptum finem non producendæ; nec enim me meaque ſic alienæ neceſſitati addixi, vt tenear, ſub ignominiæ, aut irati animi pœna, beneficium vltra præſcriptos mihi fines, producere.

MAIORITAS. Princeps ſæpius negat miniſtris, quam ambiunt poteſtatem, ne fiat nimia, ad omnium invidiam & Reipublicæ, cui ſic ſervire diſpiciunt, detrimentum: exceſſus omnis danti & accipienti nocivus; gratia, non ex ſui quantitate, ſed ex convenienti proportione penſanda. Dei providentia fit, vt accreſcat in aliis charitas, quæ in vno deficit: ſicut ſol lucet alteri hemiſpherio, dum à noſtro recedit.

ÆQVALITAS. Iuſtitia aufert ab vno, quod in alium transfundit, vt ſervet æqualitatem, pacis & fœlicitatis publicæ fundamentum; æqualiter laborantibus, æquale tribuitur præmium, vt ſedentur murmurationes, & conjuratæ in majora accipientem iræ.

MINORITAS. Maxima & neceſſaria negandi cauſa paupertas; aut minus, aut nihil dabo ei, qui in inferiori fortunæ gradu debet conſiſtere, quique altius, quam deceat, ampliori beneficio vellet elevari.

MAIORITAS BONITATIS.

NIMIA LARGITIO ET ABVNDANTIA MALA.

MISCELLANEA.

EX prodigalitate & luxu egeſtas, vnde concuſſio, mala fides, vſura vorax, avidumque in tempora fœnus, & concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Non tam ſpolianda arbor, quam carpenda cum delectu, ſcilicet in proventum reditura.

Turpiſſimum genus damni eſt inconſulta donatio; multoque gravius male dediſſe beneficium, quam non recepiſſe. Senec. 4. de Benef. c. 9.

Plurimum intereſt, vtrum quis dare ſciat, an ſervare neſciat:

neſciat: Multi ſunt qui non donant, ſed projiciunt, non voco liberalem, pecuniæ ſuæ iratum. Senec. Epiſtol. 120.

Donabit ſapiens ex recta & probabili cauſa; nam inter turpes jacturas malum munus eſt; habebit ſinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat; donabit aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos, donabit cum ſummo conſilio, vt qui meminerit tam expenſorum, quam acceptorum rationem eſſe reddendam. Idem de vita beata. cap. 25.

Vir bonus debet vti divitiis, vt ſanguine, quem non, niſi vrgente iuſtitiæ occaſione profundit. Demus fructus, retentâ nobis arbore; aquam hauriendam, retento fonte.

Beneficia eo vſque læta ſunt, dum videntur exolvi poſſe; vbi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Tacit. annal. lib. 4. nam qui putat turpe eſſe non reddere, non vult eſſe eum qui debeat. Senec. Epiſt. 81.

Cùm ſumma amicitia ſit amicum ſibi æquare, vtrique ſimul conſulendum eſt; dabo egenti, ſed vt ipſe non egeam; ſuccurram perituro, ſed vt ipſe non peream; niſi ſi futurus ero magni hominis, aut magnæ rei merces; habenda dantis & accipientis ratio; cùm ſit vbique virtutis modus, æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit. Idem 2. de benef. cap. 17.

Milites donativorum mediam partem tenebantur apud ſigna deponere, ne illa inaniter abſumerent. Veget. lib. 2. c. 22.

Quid ineptius, quam divitias ſuas, tanquam hoſtium ſpolia, bello rapta diripere, & quod libenter facis, curare vt id diutiùs facere non poſſis. Cicero. Innatus calor, aliunde augeſcens evadit in febrem.

Liberalius effundit facultates, qui eas non comparavit.

Quod ſuperfluit nocet, ſic ſegetem nimia ſternit vbertas; rami onere fructuum franguntur; ad maturitatem non venit nimia fœcunditas; animos frangit immoderata fœlicitas: nocent crebra pharmaca, aut perdunt vim medendi; plus prodeſt alimentum partiri, quam eo ingurgitari; ſic dicendum de Beneficiis.

Antiqui, eos à quibus acceperant publica beneficia, quaſi Deos coluerunt, impiâ & vſque ad Idololatriam excedente gratitudine.

Nunquam, inquiunt Politici, alium auxilio tuo eleves, nam & ipſe vires tuas expertus, ſuſpectas habebit, & quantum poterit deſtruet.

Plato 2. de Republi. invehitur in medicos, qui inſanabilium & languentium vitam miſeram medicamentis protrahunt; dicitque medicos & iudices conſentire debere, vt noxia & inutilia de civitate tollantur.

Serenum ſemper cœlum efficeret terram ſterilem.

Mortalis natura non eſt capax puri boni, quod Deo tantùm convenit.

Cùm multum aquæ infunderetur manibus Alcibiadis; infundis, inquit quidam Lacon, quaſi maximè ſordido.

Frumenta luna plena demeſſa & aſſervata, à beſtiolis corroduntur & corrumpuntur; tunc etiam arbores abſciſſæ putreſiunt, quia nimia abundant humiditate.

Lumbrici in pueris, etiam dulcibus expugnantur, vt uvis paſſis eſis à ieiuno; diſrumpuntur enim ſuavi edulij copia.

Xerxes iratus Babyloniis, qui ab ipſo defecerant, interdixit tractare arma, & in civitatem pſaltrices, caupones, meretrices, & cætera id genus effœminantia introduxit.

Pingues & obæſi ſunt ſteriles, minùs enim habent ſeminis; moriuntur ſubitò, ſuffocato calido à quantitate humidi.

Ren dexter minùs pinguis eſt: dextræ enim partes naturâ ſicciores ſunt & mobiliores.

Pluviæ vehementes non conferunt plantis, quia majorem frigiditatem continent, frigus autem eſt qualitas mortificans.

Satietas plus doloris, quam voluptatis habet. Spaſmus accidit propter conſtrictionem, vel repletionem nervorum. Humiditas, vnde accretio, nocet animæ functionibus: corruptio ex humido & calido, à quibus vita; vnde lunæ plenæ expoſitæ carnes citò putreſcunt.

Animalia quæ abundant adipe, cito ſeneſcunt, quia frigeſcunt, abſumitur enim in adipem ſanguis, qui & pauciſſimus eſt in anguſtis vaſis.

Arbor generat fructus vermiculoſos, cum plus attrahit nutrimenti, quâ poſſit in ſe convertere. Amygdalis debet clavis in trunco aut radice transfigi, vt poſſit nimium alimentum in gummis effluere.

Calor ſuperabundans diſſolvit humidum naturale: ebrij tremunt, quia extraneus vini calor ſuffocat naturalem, & foras emittit, vnde refrigerato corpore accedit tremor.

Dulce eſt nimis nutritivum.

Fœtus quieſcit in vtero in initiis, qui ob multum alimentum & incrementum, partes ſe movere non poſſunt.

Superfœtatio non perficitur.

Miniſtro & legato non licet extra ſibi præſcriptos ordines, etiam quod vtile videtur agere; ſic Oza punitur ſuſtentans arcam labentem, ſic non licet muros civitatis inconſulto Principe reficere. l. 9. ff. de rerum diviſ.

Alexandri Magni claſſis, in mari rubro tynnorum multitudine, quaſi hoſtium agmine oppreſſa fuit, & niſi acie obvia & in conum directa, non potuerunt ſpargi, & aditus aperiri. Plinius lib. 9. c. 3.

Plantæ ſylveſtres ſunt odoratiores hortenſibus, quamvis ſint eiuſdem generis, quia minùs humoris hauriunt è ſolo temperato & tenuiore.

Nimio ſolis calore roſæ paleſcunt, quia abſumitur tenue humidum, in quo conſiſtebat color; ſic ſub ſole albeſcit cera, quia mel abſumitur.

Venæ nimium turgentes frigent; vt ſtomachus nimis repletus.

Plato in Timæo, dicit animam pueri non eſſe intelligentem, propter abundantiam alimenti & humidi, progreſſu temporis motus eius fiunt ſedatiores.

Ignis nobilius minùſque mixtum elementum nos lædit. In vertice olympi montis, qui mediam aëris regionem excedit, aër ita tenuis & ſiccus eſt, vt ex eo homines vivere non poſſint; niſi ſecum deferant, & per intervalla ſugant ſpongiam plenam aqua.

Poſtquam terra eſt aquis imbuta, ad quatuor, aut quinque pedes, illam permittit effluere in propinquiora flumina.

Rarum habet, inquit Cardanus, aliquam vacui rationem.

Sub Auguſto, Fauſta quædam è plebe Oſtiæ duos mares, totidemque fœminas enixa, famem, quæ conſecuta eſt, portendit. Plinius lib. 7. c. 3.

Maritimæ civitates, propter abundantiam, infidos mores pariunt, vnde Plato noluit Cireneis dare leges, quaſi non valituras.

Marcus Antonius dedit Anaxenoro citharœdo qua-

tuor civitatum tributa pro penſione. Strabo lib. 4.

Nimia liberalitas Regi vitanda; ne ſi ærarium ambitione exhauſerit, per ſcelera ſupplendum ſit, & per nimias exactiones, quibus publicum in ſe concitat odium; parcus diſpenſator plures facit amicos, prodigus nullos; omnibus habebitur liberalis, ſi minùs exigat.

Habemus hic intenſiſſimum calorem in igne, & reflexione radiorum ſolis; ſed nihil habemus frigoris, quod huic gradui reſpondeat. Itaque hic omnia apud nos vergunt ad rarefactionem, deſiccationem, & conſumptionem; nihil ferè ad condenſationem, & intenerationem niſi per miſtuſas, & modos quaſi ſpurios.

Podagra ſæpe ex nimio coïtu, quia debilitato calore, humores in cavitates recepti digeri non poſſunt.

In Æſopi fabula deluſa fuit mulier, quæ ſperabat, ex duplicata menſura hordei, gallinam ſuam duo ova quotidie parituram; at illa impinguata nullum peperit.

Diæta ſtricta conſumens, & emacians ex Gujajaco, pane bis cocto & ſimilibus prodeſt ad curandos inveteratos catarros & lemophlegmatiam.

Abortus ſequitur aut ſuperfœtationes, aut plurium conceptiones: ſic obſervata ſunt vno abortu duodecim puerperia egeſta. Plinius lib. 7. cap. 11.

Si gravidis ſanguis menſtruus fluat, invalidi, aut non vitales partus eduntur. Idem cap. 15.

Dracones, elephantis implicati, eorum ſanguinem ebibunt, quo inebriati opprimuntur & commoriuntur. Idem lib. 8. cap. 12.

Leones, cum fugiendum eſt, cibum evomunt, ne ſit oneri. Idem cap. 16.

Cervi mares ſoluti deſiderio coïtus, avidè petunt pabula; vbi ſe præpingues ſenſere, latebras quærunt, fatentes incommodum pondus. Ibidem cap. 32. Capræ pinguedine ſterileſcunt. Ibidem cap. 50. Sues pinguedine ſentiunt inopiam lactis. Ibidem cap. 51.

Nimia leporum abundantia baleares inſulas ferè depopulata eſt, meſſe omni abſumpta. Idem cap. 55.

Tanta interdum Mugilum & aliorum piſcium copia, certis anni temporibus, glomerat, vt rumpantur retia. Idem lib. 9. cap. 8.

Interdum aquilæ, non tolerántes pondus in aquis apprehenſum, vnà merguntur. Idem libro 10. capite 3.

Pavonis mas vnus ſufficit quinis conjugibus: cum ſingulæ aut binæ fuere corrumpitur ſalacitate fœcunditas. Ibidem cap. 59.

Apibus mellis copia ignaviam affert.

Plin. lib. 11. c. 14. Ipſas infeſtat aviditas paſtus, nimia florum ſatietate, verno maximè tempore alvo cita; aliquando & ipſæ contrahunt ſibi mortis cauſas, cum ſenſere ſibi eximi mella, avidè vorantes. Ibidem cap. 19.

Oves, capras, caries infeſtat tinea, animal infixo ſemper ſanguini capite vivens, atque ita intumeſcens; vnum animalium, cui cibi non ſit exitus, dehiſcitque nimia ſatietate, alimento ipſo moriens. Plin. lib. 11. cap. 34.

Steriliora cuncta pinguia, & in maribus & in fœnonis: ſeneſcunt celeriùs præpinguia. Ibidem cap. 37.

Membra animalibus agnata inutilia ſunt, ſicut ſextus hominí digitus. Placuit in Ægypto nutrire portentum, binis & in averſa capitis parte oculis, hominem, ſed iis non cernentem. Ibidem cap. 51.

A Perniciosiſſimum in omni vita quod nimium, præcipuè tamen corpori, minuivè quod gravat, quolibet modo vtilius. Ibidem. cap. vlt.

Ficus Indica non matureſcit, niſi inciſura emiſſo lacte. Ibidem lib. 13. cap. 7.

Cum oleæ ſitienti imbres copioſi acceſſere, vitiatur oleum in amurcam, & oliva nigreſcit. Idem lib. 15. cap. 3.

Nimis fœcunda non durant. *Vide Minoritas Durationis.*

Advena cultor elapidato ſolo, perdidit fruges luto, donec regeſſit lapides. Idem lib. 17. cap. 4. In Syria levem tenui ſulco imprimunt vomerem, quia ſubeſt ſaxum exurens æſtate ſemina. Ibidem.

B Peritiores affirmant, ſi vinea iuſto ſæpius fodiatur, in tantùm tenereſcere acinos vt rumpantur. Ibidem cap. 31.

Cupreſſus aquam aſpernatur, & ſimum & circumfoſſuram, amputationemque, & omnia remedia odit, quin etiam necatur. Ibidem cap. 26.

Amygdalæ ex amaris dulces fiunt, ſi circumfoſſo ſtipite, & ab ima parte circumforato, defluens pituita abſtergatur; ſimiliter vlmis, ficis, pyris, & aliis nimio alimento turgidis inciſura corticis, aut radicis, medetur. Ibidem cap. 27. Cavendum ne ex remediis vitia fiant, quod evenit nimiâ aut intempeſtivâ medicinâ. Ibidem.

C Imber frumento & hordeo in herba tantum vtilis, florentibus & matureſcere incipientibus nocet. Plin. lib. 18. cap. 17.

Inter vitia ſegetum, & nimia luxuria eſt, cùm onerata fertilitate procumbunt. Ibidem.

Nilus in Ægypto exundans circa ſolſtitium & fœcundans agros, ſi duodecim cubita non exceſſit, fames certa eſt; nec minùs ſi ſexdecim exuperavit; tanto enim tardius recedit, quanto abundantius crevit, & ſementem arcet. Ibidem cap. 18. Similis ratio, ſed fœlicitas major, Babyloni ac Seleuciæ, Euphrate atque Tygri reſtagnantibus, quoniam ibi rigandi modus manu temperatur. Ibidem.

D Terra ſummâ ſui parte tribuit, vt minimè parca, facilique in omnibus quæ proſunt: Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultavit, atque demerſit; illa quæ non naſcuntur. Idem lib. 32. in Procemio.

Quæ in montibus & locis ſiccis proveniunt, iis quæ in campeſtribus, planis hortis, & paludibus creſcunt, ſunt fortiora. Galenus lib. de attenuante victus ratione.

Dionyſius Heracleæ Tyrannus, metu & curis liberatus, ſic pinguedine oppreſſus eſt, & ſomno, vt vix aculeis infixis poſſet excitari. Photius Biblioth. c. 234.

E Sabæi ob nimiam odoramentorum fragrantiam, laborant ſpirituum & humorum laxitate; huic vitio vtmedeantur, ægris ſuccendunt pauxillum bituminis. Ibidem cap. 150.

Cibus ſanorum languentibus obeſt; fortiſſima edulia nos lædunt: ſpargirici occidunt corpora ſuis eſſentiis, nimis fortibus vtilius eas vires natura materiæ miſcuerat.

Cum æſtate terra ſolis calore torretur, intus eſt frigidior, quia fit rara, & ſpiritus ſuos exhalat.

Inſoleſcit Princeps, nimiis tributis, vt caput dolet nimio ſanguine.

Nemo viveret ex quintis eſſentiis.

Obſervatum eſt diuturniorem vitam eos non habere, quibus in Geneſi omnes aut plures planetæ erant ſuper horizontem, ſic nimio, & non ſatis temperato eorum influxu; ſic brevis iudicatur vita, ſi plures Planetæ ſint conjuncti in aſcendente.

Stellæ fixæ, proportionem humanam, id est vnius hominis, nimis exuperant; proportionem vero cum civitatibus, magis habent. Marsil. Ficin. de vit. cœlit. comparanda c. 7.

Torrentes & fluvij hyeme inundantes terram, tunc cum humiditate non indiget.

Fœliciſſimus ſucceſſus eſt infenſiſſimus Principi hoſtis, qui ſæpius illum agit præcipitem in vitia.

Nimiis beneficiis, egregiiſque actionibus inardeſcit ſæpe Principum invidia & odium.

In locis fertilibus ſæpius fiunt ſeditiones, propter inſolentiam divitum, quorum mores ſunt magis corrupti.

Milites onuſti prædâ ſunt lenti ad certamen, volunt enim rapta ad ſuos penates deferre.

Theriaca medicamenta poſſunt nos perdere, niſi exiguâ quantitate ſumantur. Gal.

Athletæ nonnulli, ob plenitudinem ſubitâ morte perierunt. Idem.

Dolentibus partibus inflammationes adveniunt, natura volente excernere cauſam doloris, vt verò hoc faciat, ſanguine & ſpiritu affectum locum replente.

Flamma lucernæ extinguitur, oleo confertim ſuperinfuſo. Gravitas fit ex plenitudine. *Vide Majoritas Medij.*

Bona externa, elatos, turbulentos, deteriores efficiunt; at non eſt exceſſus in virtute, quia eſt mediocritas. Ariſt. 2. moral. c. 3.

Buccella grandior devorata ſtrangulat oppreſſo œſophago.

Luxus in conviviis ſeverè à Principe coërcendus eſt, & ſtatuendæ ſunt leges ſumptuariæ, vt olim Romæ: hi enim magnifici apparatus cauſant egeſtatem, & æs alienum, vnde res novæ & ſeditiones: hi enim conantur privatas miſerias publicis tegere: omniſque ideo luxuria eſt ægræ civitatis indicium.

Perſæ die ſuo natali, boves integros toſtos menſis apponebant; Reginarum ornatui, vt zonæ, capillamento, Provinciarum redditus aſſignati erant.

Lege Lycurgi non licebat Spartanis, domos conſtruere, niſi ſerra & ſecuri.

Nimium ſenſibile lædit ſenſum, vt nimia lux oculos; nimius ſonus aures, vnde ſurdi ſunt habitatores propè Nili cataractas; & tales eſſemus, ſi ſphæræ cœleſtes, ſonum harmonicum ederent, vt dicebat Pythagoras.

Fit monſtrum, tam exceſſu, quam defectu partium corporis.

Ver calidum & humidum morbos generat, per exceſſum harum qualitatum, licet vitæ convenientium.

De partis organicæ morbis, propter nimiam laxitatem. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

Cibus nimis copioſus aſſumptus facit pulſus inæquales, quia facultas gravatur.

Prægnantibus aliquibus mulieribus ſanguis extrahendus, ſunt enim quædam ita ſanguine abundantes, vt eius copia fœtum ſuffocaverit.

Nimiâ Principis indulgentiâ fit populus inſolentior: nimia etiam liberalitas eſt cauſa mutationis Reipublicæ. *Vide Principium Contrar.*

Non ferret mundus lunæ influxum, ſi ſemper eſſet conjuncta ſoli, aut lumine plena in oppoſitione.

Antecedens morbi cauſa duplex, ſcilicet Plethora, quæ eſt plenitudo humorum omnium æqualiter adauctorum; ſive ſanguinis ſolius redundantia. Cacochymia eſt flavæ, vel atræ bilis, vel pituitæ redundantia: Duplex autem plethora, vna ad vires, cum repletio, licet naturæ ſimetriam non excedat, tamen opprimit vires, alia ex cauſa imbecilles, talibus corpus artuſque ingraveſcunt, motus pigrior, ſomnus gravis, & videntur per inſomnia ſe premi: Alia plethora ad vaſa, cum venæ intumeſcunt, diſtenduntur, & perrumpuntur; talis poteſt eſſe cum viribus, & in habitu Athletico. Galen. lib. 13. meth. med. c. 6. Obæſi interni, graciles externis magis patent injuriis. Idem.

Pinis, hic eſt morbus ex abundantia, vt toti vſque ad extremum corticem tædefiant, ſic obæſitate moriuntur, cum enim nullum tranſitum habeant ſpiritus, ſtrangulantur, ſicut in animalibus accidit, qua vltra modum pingueſcunt. Mathiol.

Lac cum ſuo ſero non nocet, at ab eo expurgatum in caſeoſam craſſitiem coagulatum, frequenti vſ nocet.

Impura corpora, quantò plus nutrieris, tantò magis lædes. Hip. Apho. 10. lib. 1.

Exquiſita freneſis gignitur ſæpè ex ſimplici inflammatione, à copia ſanguinis.

In acutis febribus, principio tenuis victus, in incremento tenuior, in vigore tenuiſſimus, ægris exhibendus eſt, quia criſis tunc expectatur, nec perperam natura ab vrgentiori coquendorum & expellendorum humorum negotio diſtrahenda eſt: in ſymptomaticis autem febribus è contrario, quia tunc vires ſatiſcunt. Hypoc.

Tabe laboranti profluvium alvi ſuperveniens lethale, quia fit ex virium imbecillitate & defectu.

Divites, qui ſplendidè & otioſè vivunt, crebrius arthride tentantur, quam pauperes, qui parcè & durè vivunt.

Phlegmone eſt tumor ortus à ſanguine, qualitate laudabili, affatim extra venas, majori copia, quam partialendæ ſit opus, exiliente; qui calorem, ruborem, tenſionem, renixum, pulſationem, & acerbum dolorem inducit, vt in Ophtalmia, Parotide, Synanche, & aliis phlegmones ſpeciebus. Eſt autem phlegmone eo exquiſitior, quo ſanguis, ex quo oritur, eſt purior.

Adeps & ſenum, ſi excedant, nocent & interimunt.

Apes fiunt otioſæ, ſi multum habeant mellis congregati.

Quædam plantæ vmbram amant, ſolem non ſuſtinent; ſic melancholici ſplendidum ſtatum; populi libertatem ſuam amantes, Monarchiam, licet optimum regimen, non tolerant.

Arborum multæ, cùm admodum copioſè tulerint, exareſcunt fructificatione, ſic annuis etiam frumentis & leguminibus evenit; ſic cum gallinæ bis in die peperiſſent, à tanta fœcunditate effœtæ redditæ ſunt, imo & mortuæ. Ariſtot. de gener. anim. lib. 3. cap. 1.

Vt calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat, arborem vero perimit; ita calidum alimentum, ſpiritus & facultates erigit, ſed calorem augens, humidum primigenium diſſipat. Fernel. de morb. cauſis. c.

Synochus eſt febris ex abundantia, in bene temperatis. Idem de febrib.

Lac ſponte è mammis fluens, eſt abortus indicium.

Formidoloſior & inſidioſior fortuna blanda quam minax, ſæpe invictos adverſus violentiam, ludo proſternit, humanique robur animi, quod minæ non fregerant, fregere blanditiæ, ſic enim mens emollita, tumidior fit, & incautior. Petrarc.

O quam inimica ſunt nobis vota noſtrorum; eò quidem inimiciora, quò ceſſere fœlicius: Iam non admiror, ſi omnia nos à prima pueritia mala ſequantur, inter execrationes parentum crevimus. Senec.

ſt. 60. loquens de parentibus, qui magnam fœli-
item optant liberis.
deo adverſitas nobis eſt neceſſaria. *Vide Bonitatis*
rarietatis.
Romana Reſpublica virtute divitias comparavit,
bus corrupta perijt, ſic filia matrem ſuffocavit.
m dicit D. Bernard. de Eccleſia.
T. Livius præfert ſterilem regionem fertili, quia
mia fœlicitas incolarum frangit animos.
In ſiccitatibus, ſerenoque cœlo per æſtatem febres
utæ fiunt. Luna Iovi conjuncta, ſic confortat na-
ram, vt parum moveatur, & afficiatur medica-
mentis.
In vulneris repletione, plus ſæpè carnis quam opus
gignitur, quæ abſumenda eſt medicamentis Nar-
icis.
Prodigalitas, omnium damnoſiſſima eſt, ſui ipſius
pi amore, in inconſultis amicitijs, in nimio, ſub
ae boni publici, zelo.
Theophraſti Regula eſt, fœcundiores arbores ce-
ùs conſeneſcere, nam diuturni penſi perpetuatio-
atiſcunt, quia ſuccus, qui debetur matribus, abit
obolem, atque ita vitæ principia evadunt debilio-
: dicitur enim ſemen, arbor poteſtate, quapropter
um arbor vna multa ferat ſemina, multas quoque
arbores ferre dicitur, ergo ſe fic in multis millibus re-
præſentando, multum amittit ſui; ſucco etiam abeun-
te exhalat multum ſpirituum, fit laxior, & cauſis quæ
extrinſecus ingruunt opportunior. Vnde animalia quæ
plùs veneri indulgent, minùs vivunt. Athletæ victo-
riæ ſpem, in veneris abſtinentia ponebant. Oculi in
animalibus vltimi efformantur, & primi intereunt.
Roſa dicitur à fluxu odoris, quem multum emittit,
ideò citò marceſcit. Clemens Alexand. Pædag. l. 2. c. 8.
Annibal cum ſciret ſua & Romanorum caſtra eſſe
in locis, in quibus ligna deficiebant, expoſuit in præ-
da marmenta pecorum quorum carne in-ſalubri &
ſemi-cruda ſaginati Romani, nocte ab eo magnam
cladem acceperunt. Sic Tiberius Gracchus in Hiſpa-
nia hoſti inopi caſtra eſculentis referta deſeruit, in-
temperanter repletos facile fudit. *Vide Majoritates*
malas omnium principiorum.
Hic Magnatum iuvenumque precipuè error eſt, in
paternas ſuccedentium opes, acerbis adhuc ingenijs,
& neſcientibus frugalitatem: vel ſupra rem, fortu-
namque majorum ex profuſis divitijs quærentium
famam. Barclaj.
Lumen quo magis diffunditur & à fonte recedit,
magis debilitatur, itavt ſenſim in vmbras deſinat.
Antiochus inſanus vocatus, ob nimias largitiones,
etiam in ignotos & plebeios. Athenæus. l. 5. c. 4.
In morbis curandis non egemus auxiliorum magni-
tudine; ſed huiuſmodi certa magnitudine. Galen. lib.
de optima Secta. *Vide Majoritas Magnitudinis*, quod
alimenta etiam ex ſe calida, ſi intemperanter ſumantur generent frigidos morbos.
Facilitas habendi eſt cauſa profuſionis, ſic ieiunum
inteſtinum, ventriculo, ad chilum excipiendum, proxi-
mum, eſt ſemper vacuum. Gal. lib. 5. de vſu partium.
In Græcia cum quidam convivarentur ſub dio, ſu-
bito imbre facto impluit in crateres vino plenos, ſic
vinum quod purum erat nocivum, tunc temperatum
factum eſt ſanius, vnde poſt cœnam ſolebant mixtum
bare Iovi ſervatori, quem putabant huius ſalutiferi
imbris authorem. Athenæ. l. 15. cap. 5.
Convivantes ſolebant coronari hæderâ, roſis, vio-
lis & cæteris refrigerantibus, quæ tempora conſtrin-
gentes impediebant ne caput ebrietate tentaretur. Ex
remedio ſibi ornamentum fecerunt.
Dum vineæ putantur, non ſunt vni trunco, pluſ-
quam quaterni palmites concedendi; non indulgenda
eſt, ſed ſemper cohibenda fœcunditas; ea eſt enim na-
tura, vt parere malit, quam vivere, quidquid materiæ
adimitur, fructui accedit. Plin. lib. 17. cap. 22.
Olim dona ampliſſima Imperatorum ac fortium ci-
vium, quantum quis vno die, plurimum circum ara-
viſſet. Idem lib. 18. cap. 3.
Murrhinis & criſtallinis vaſis, prætium facit ipſa fra-
gilitas; hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ
gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſit ſtatim to-
tum perire. Idem lib. 33. in Procemio.

EX IVRE CIVILI.

AD l. Falcidiam. ff. 35. t. 2. C. 6. t. 50.
De Conſulibus, & non ſpargendis ab ijs pe-
cunijs. C. 12. t. 3.
De donationibvs inter virum & vxorem. C. 5. t. 16.
ff. 24. t. 1.
De immenſis donationibus in filios factis. Nov. 92.
De inofficioſ. teſtamento. Inſt. 2. t. 18. ff. 5. t. 2. C.
3. tit. 28.
De inofficioſis donationibus. C. 3. tit. 29. dotibus.
tit. 30.
Ne Eccleſiæ prædiis locupletentur. C. 1. tit. 4. Ni-
ceph. Phocæ.
Ne ex auro & pretioſis lapillis quidquam conficia-
tur. Leon. Nov. 81.
De Nili aggeribus non rumpendis. C. 9. tit. 38.
Nulli licere, in frænis, & equeſtribus ſellis, & in
balteis margaritas, ſmaragdos, & hyacinthos apta-
re. C. 11. tit. 12.
De pœna eorum, qui res vetitas ad hoſtes transfe-
runt. Leo. Nov. 63.
Quibus ex cauſis manumittere non licet. Inſt. 1. tit. 6.
De ripa munienda. ff. 43. tit. 14.
Si cui plus quàm per legem falcidiam licuerit, lega-
tum eſſe dicetur. ff. 35. tit. 2.
Adminiſtrationem liberam habens peculij, non
cenſetur habere facultatem donandi, vel dilapidandi.
l. contra iuris. ff. de pact.
Adminiſtrator Reipublicæ, non poteſt pecunias li-
quido debitas remittere per pactum, ſecus ſi non eſ-
ſent liquidæ. l. imperatores. ff. de pact.
Servus adulterium cum domina ſua committens,
non poteſt à Domino ſuo manumitti, nec inſtitui l.
48. §. interdum ff. de hæred. inſtit.
Iudex poteſt cogere advocatum, pro alio advoca-
tum non habente, poſtulare; ſit tamen in eo diſcre-
tus ne faciat vel inimicum iuvare, vel contra amicum
poſtulare. Gloſſ. in l. 1. ff. de iure fiſci.
Advocati ſalarium non poteſt excedere centum au-
reos. l. 1. §. ſi cui. ff. de varijs & extraord. cognit.
Procurator non repetit à domino, ſi quid profuſè,
& non neceſſario conſumpſit. l. 46. §. procurator. 4.
ff. de procura.
Duæ cauſæ lucrativæ, non poſſunt concurrere cir-
ca eandem rem, niſi vna ſit revocabilis. l. 83. §. 3. ff.
de verb. obligat. & l. 61. & 62. ff. de ſolutio, niſi in
quantitatibus. l. 67. eodem.
Sequeſter dolum committit, ſi reum apud ſe de-
poſitum, miſericordiâ motus liberat. l. 7. ff. depoſ.
Maritus non poteſt ſervitutem fundo dotali debi-
tam remittere; vnde fundus dotalis deterior fiat. l. 6.
ff. de feudo dotali.
Donationes inter virum & vxorem non valent, ne
mutuo amore invicem ſpolientur, donationibus non
temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate. l. 1. ff. de
donat. inter vir. & vxor.

Prodigi licet in ſermonibus mentis videantur eſſe compotes, tamen quoad ſua bona furioſum faciunt exitum; vnde illis providendum eſt per Curatorem. l.12. ff. de tut. & cur. dat.

Nimiæ liberalitates, à tutore pro pupillo factæ, non ſunt ratæ. l.12. in f. & 13. ff. de admi. & peric. tutor. & 22. eodem.

Prætor debet alimenta pupillis decernere, pro modo facultatum, ita tamen vt non vniverſum reditum patrimonij in alimenta decernat, ſed ſemper ſit aliquid ex reditu quod ſuperſit.

In amplis patrimoniis, non eorum cumulus, ſed quod frugaliter ſufficit decernet. l.3. ff. vbi pupil. educ. & mor. debeat.

Prodigo datur Curator, donec ad bonos mores redeat. l.1. ff. de cur. furi.

Quando eſt dubium in legato, aſſumitur quod eſt minus. l.29. ff. de leg.3.

Qui fundum legat, intelligitur legare partem, quam in eo habet. l.5. ff. de leg.1.

Teſtator habebat duos fundos eiuſdem nominis, ſed inæqualis prætij; legavit vnum, intelligi debet legatum de fundo minoris prætij, niſi aliter doceat legatarius. l.39. ff. de leg.1.

Ineptæ voluntates defunctorum, vt ſupervacanea circa funus, non ſunt ſervanda. l.113. in f. eodem.

Donatio inofficioſa revocatur vſque ad legitimam. l.87. ff. de leg.2.

Donationibus modum impoſuit lex Cincia; dotibus lex Papia; Manumiſſionibus lex Caninia; Legatis & mortis causâ donationibus, lex furia primum, deinde lex Vocovia, & ad extremum lex Falcidia, quartam partem ſervans hæredibus. l.1. ff. ad l. Falcid. detrahitur etiam ex legatis Deo & civitati factis. eodem.

De eo quod impendi debet ad monumentum faciendum, vt fiat ad modicam ſpeciem. l.2. eodem.

Non valet mortis causâ donatio, vltra vires hæreditaris. l.17. ff. de mort. cauſ. donatio.

Non licet donare in fraudem creditorum. l.17. ff. quæ in fraud. credit.

Adminiſtraror non poteſt debitum liquidum remittere. l.22. C. de pactis.

Mulier reſtituitur, ſi minor omnia ſua bona dederit in dotem marito, tali dote non digno. l. vnic. C. ſi adverſ. dotem.

Immenſa donatio in vnum ex liberis collata, per alios vſque ad legitimam revocatur. Auth. vnde. C. de inoffic. teſtam.

Conſulibus prohibetur pecunias ſpargere in populum. l.2. Cod. de Conſulib.

Conſules, & eorum vxores & matres quando poſſunt ſpargere. Novell.105.

Hæres falcidiam detrahit ex legatis. n.1. cap.2.

Conſules, eorum vxores & matres poſſunt ſpargere argentum in ſeptem ludis. Aurum autem ſpargere ſoli Principi licet, quia illi ſoli convenit aurum contemnere. Novell.105.

Supplicio vltimò puniri debent, docentes barbaros arma & naves fabricare. l. vlt. Cod. Theod. de pœn.

EX IVRE CANONICO.

EPiſcopus non debet bona Eccleſiæ parentibus ſuis pauperibus erogare, niſi vt pauperibus, ne eorum occaſione, Eccleſiæ negotia deprædentur. in Canonib. Apoſtol. can.39.

EX THEOLOGIA.

POtentia immaterialis quantò plus recipit de bonitate, tantò fit capacior in infinitum; non autem potentia materialis. 2.2.q.24.art.7.

Potuit Deus meliora facere, quam quæ fecit. Idem 1.q.25.a.6.

Poteſt etiam in cultu Dei, aliquid eſſe ſuperfluum, ſcilicet non ordinatum ad debitum finem. 2.2. quæſt. 93.art.2.

EX BIBLIIS.

VIr qui patitur fluxum ſeminis eſt immundus. Levit.15.

Num.11. dicit Deus populo murmuranti, ſe daturum eis carnes, donec exeant per nares, & vertantur in nauſeam.

Sollicitudo huius ſæculi, & fallacia divitiarum, ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur, vt Math.13.

Herodes malè promiſit filiæ Herodiadis, dare quodcumque petiiſſet. Math.14.

Rumpitur rete Petri, & penè mergitur, præ piſcium captorum copia. Luc.5.

Dives qui epulabatur quotidie, cruciatur in inferno. Luc.16.

Attendite ne forte graventur corda veſtra crapula & ebrietate. Luc.21.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitravit; incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Moyſes in cantico Deuter.32.

Plus offert populus ad tabernaculum faciendum, quam opus: cogitur Moyſes præcipere præconis voce vt ceſſetur à muneribus. Exod.36.

Requieſcet terra anno ſeptimo. Levit.25.

Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Math.7.

Locutus ſum ad te in abundantia tua, dixiſti non audiam. Ierem.22.

Regi Tyri dicitur. Ezech. 18. perdidiſti ſapientiam tuam, in decore tuo.

EX PATRIBVS.

CVm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum: Viret fœnum hyemis, æſtate areſcit, ſic homo proſperis. D. Aug. in Pſal.95. Cadent à latere tuo mille, & decem millia, à dextris tuis: id eſt in proſperis. Idem. ſic fontes & flumina æſtate ſiccantur.

Proſperitas eſt ad diſciplinam, quod ignis ad ceram, quod ſolis radius ad nivem; ſapiens David, ſapiens Salomon, ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit. D. Bern. lib.2. de conſid. cap.12.

Tam rara in principibus innocentia, quam rari in populo Principes: ſponſa quærit ſponſum in lecto, & non invenit: fœlicitas mons eſt, vnde minimo pedis errore, fit præcipitium. D. Auguſt.

Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus: & magis cavendus, cum ſe illicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. Idem. Ep.144. Idem in Pſalm. 34. conc.1. Conferens Iob cum Adamo: Homo inquit, victus in paradiſo, victor in ſtercore: ibi victus eſt à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum & mulierem.

Nobiliora elementa, ſunt ſuprema, & ampliores habent ſphæras; cœli excedunt elementa quantitate; Angeli homines numero: vt enim nobiliora magis accedunt ad bonitatem Dei, propter ſe exiſtentis, ſic ad eius infinitatem. Plures Angeli permanſerunt in gratia, quam peccaverunt, quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem, quod autem ſic eſt, in paucioribus eſt. D.Thom.1.q.49.a.3. & q.63. a.9. & 1.q.23. art.7.

Plus eſt ſanguinis, quam aliorum humorum: minus eſt melancholiæ, quam bilis, cuius calore & tenuitate fit, vt attenuatus ſanguis, partium intima faciliùs ſubeat. In tota natura plus eſt caloris quam frigoris: duo tantùm planetæ infortunati: cæteri omnes felices, raræ aëris tempeſtates.

Angeli boni, ſunt plures numero, quam mali Millia millium miniſtrant Deo: & videtur electorum turba magna, quæ dinumerari non poteſt. D.Thom.1.q.63. a.9. & q.112. a.4. ad 2.

In corpore hominis, ignis & aër prædominantur ſecundum virtutem: ſed aqua & terra ſecundum ſubſtantiam. Idem. 1. q.91. a.1.

Delectatio poteſt eſſe integra & perfecta, non autem triſtitia, ſed ſemper eſt ſecundum partem. 12. q.35. a.6.

Dubia de perſonis, debent in meliorem partem interpretari: & de rebus, in partem veriorem. 2. 2. q.60. a.4.

In remediis tamen exhibendis, debet ſupponi magnum malum, vt potentius detur remedium. Ibidem. *Vide Cognitio Virtutis.*

Malum non habet cauſam, niſi per accidens. Ea autem quæ ſunt per ſe, excedunt ea quæ ſunt per accidens. Idem.1. q.49. a 1.

Malum duplex, ſcilicet naturæ & culpæ: vtrum, que eſt, vt in paucioribus. Idem.1. q.63. a.9. & q.49. a.3. ad 5.

DEMONSTRATIO BREVIS.

QVANDO MAIOR Debet eſſe largitio.

BONITAS. Cum rependitur beneficium, amplius eſſe debet, vt accepto ſoluto, & jure prioritatis æquato, ſuperſit præter gratitudinem donationi locus.

MAGNITVDO. Cum etiam vniverſitati datur, vt in largitionibus publicis, quid enim parum inter tantos?

DVRATIO. Libenter ampliora conferuntur beneficia, quæ ſperantur duratura: vt in publicis ædificiis, Eccleſiaſticis dotibus, & in illa omnium temporalium abdicatione, propter æternitatem. *Vide de votis Duratio Voluntatis, & Magnitudo Voluntatis.*

POTESTAS. Cùm liberalitas ſit Regia virtus, magnum Imperium probat magna largitio. *Vide Magnitudo Bonitatis & Bonitas Poteſtatis.*

COGNITIO. Sic enim ſe facit cognoſci poteſtas, quod eſt illi optabile. *Vide Cognitio Poteſt.* Multos nec vera liberalitas, & opinio, vt aliis videantur pares, aut ſuperiores, allicit ad dandum: major induſtria majori præmio donanda eſt. *Vide Gloria Cognitionis*

VOLVNTAS. Amor vt in amando, ſic in dando modum non patitur: vult enim ſine menſura bonum amari. *Vide Magnitudo Voluntatis.* Vnde à Platone nudus & ſpoliatus pingitur.

VIRTVS. Externa omnia contemnens, ſe ſuaque profundit pro cultu & profectu probitatis, nec mirum: nam tunc non videtur alienare, ſed ſibi dare, cum bona, quibus affectu vitæque ſimilitudine adhæret, largitur.

VERITAS. Major largitio, cùm illam exigit divina lex, oraculum, ſancti alicuius aut Prophetæ conſilium, divina inſpiratio, &c.

GLORIA. Centuplum in hoc & alio ſæculo repromiſſum, plures effecit liberales: maximè ſi id alieno aut etiam ſuo experimento dedicerint.

DIFFERENTIA. Majus debet eſſe donum, quod in plures debet partiri, vnde Chriſtus quinque panes hordeaceos in magnam populi turbam diſtribuendos multiplicavit.

CONCORDANTIA. Sociis liberaliùs datur, quia hinc naſcens profectus redit in ſocietatem.

CONTRARIETAS. Dum homines nolunt vinci magnificentia, ad liberalitatem provocantur, etiam hoſtium æmulatione. Obſeſſi & publicani proximam ſuam egeſtatem profuſionis alicuius ſpectaculo mentiuntur.

PRINCIPIVM. Plus confertur debilibus initiis, vt plantis, animalibus, hominibus, adoleſcentibus.

MEDIVM. Plus impenditur in inſtrumentis majora perfecturis: quo nobilius eſt miniſterium, majori donatur præmio.

FINIS. Profundit vires viator termino ſuo proximus: ſic bona ſua morituri, legatis & donationibus mortis cauſa.

MAIORITAS. Iam adeptus habitum & famam liberalitatis, magis largitur, vt excellentiam, cui proximus eſt, ſibi comparet.

ÆQVALITAS. Si certatur beneficentia, qui gratus eſt plura debet conferre,

MINORITAS. Magis egentibus magis erogatur, vt plus aquæ infunditur magis ſitienti terræ.

Vide Magnitudo Bonitatis. Vide Majoritas Voluntatis.

Rectè dicit Hypocrates augentia corpora plurimùm habent calidi innati, plurimo igitur alimento indigent. Galenus lib. de optima ſecta.

Major debet eſſe largitio, cum major vrget neceſſitas, ſic Nilus & Indus fluvii augentur æſtate, cæteris tunc arefactis, at minuuntur hyeme.

Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia Roman.5. & hæc breviter ex Principiis.

Digitized by Google

ÆQVALITAS BONITATIS.

GRATITVDO ET ÆQVALIS BENEFICII LARGITIO.

MISCELLANEA.

PARTES omnes corporis à ſe invicem viciſſim accipiunt, poſtquam dederint, ſi id exigat neceſſitas; vt in arteriis, corde, thorace, & pulmone videre licet, etſi enim vaſorum, quæ in corde ſunt, oſculis membranas applicuit natura, quæ retroferri materias prohibent, non tamen exactè claudunitur, vt aliquid non refluat, præcipuè in arteriam venoſam. Galenus lib. 3. de naturalib. facultatibus.

Pro eo ſpiritu, quem cor à pulmone recipit, in illum per arterioſam à ſuo dexuo ventriculo etiam ſanguinem mittit, mutuam ei referens gratiam. Idem lib. 6. de vſu partium.

Mortuo Hadriano, Antoninus Pius ei ſucceſſit, qui videns ſenatum Hadriano infenſum, ob nobilium cædes, conarique ejus acta reſcindere, his verbis placavit ſenatum. Igitur nec ipſe Princeps veſtet ero, ſi omnia acta ejus, in quibus eſt adoptio mea reſcindatis. Baron. an. 140. Ipſum inter Divos retulit.

Heraclius bellum Perſis illaturus, accepit mutuò ab Eccleſiis magnam pecuniæ ſummam: ſed nolens Eccleſias ſentire damnum, conſtituit vt è fiſco Eccleſiæ & clero annua pecunia penderetur. Baron. an. 617.

Philotimus patronum adeo dilexit, vt hæres omnibus bonis inſtitutus, in rogum ejus ſe jaceret. Plin. lib. 7. cap. 36.

Leo Elpidi cuidam innoxius fuit quia os quo fauces præcludebantur avulſit; retulit leo gratiam quandiu in littore ſtetit venatus aggerando. Idem lib. 8. cap. 16. & cap. 17. Panthera blanditur homini, qui catulos in foveam lapſos eduxit. Ibidem ſerpens ab homine educatus, & in ſolitudinem metu magnitudinis delatus; agnovit vocem hominis à latronibus circumdati, & auxilium tulit.

Agricultura tantum accipit à terrâ quantum laboris, induſtriæ ſtercorationis, &c. contulerit.

Agrum male colere cenſorium probrum judicabatur, atque vt refert Cato, quem virum, bonum colonum dixiſſent, ampliſſimè laudaſſe exiſtimabant. Plin. lib. 18. cap. 3.

Vita civilis conſtat mutuâ operum collatione: fiunt confœderationes inter Reges & Reſpublicas, æquo fœdere, eâque lege, vt ſibi mutuo auxilium præſtent. Bodin. 1. Reip. c. 7.

Sic populi, dotes ſibi proprias, aliis communicarunt; Septentrionales artem bellicam; Medij ſcientias; Meridionales abſtractas ſcientias & Religionem alios docuerunt.

Omnes ſpecies gubernationis à ſe invicem mutuantur auxilium; Democratia, accipit à Monarchiâ, quod eligat duces; habet ſenatum, quod accipit ab Ariſtocratiâ: Ariſtocratia habet ſimiliter ducē, & populum admittit ad quædam officia, ne irritetur. Monarchia habet conſiliarios, & interdum convocat comitia generalia, in quibus auditur populus.

Æquale repenſum civitatem conſervat, nam cum non poſſint omnes Magiſtratum gerere, per vices id exequi debent. Ariſt. Polit. 2. c. 1.

Societas civilis conſiſtit in eo quod ædificator accipit opus à ſutore, & ſutor ab ædificatore, reductis vtriuſque operibus ad æqualitatem. Idem 2. Ethic. cap. 5.

Amant ſe quidam mutuò ob vtilitatem, & voluptatem. Ibidem.

Elementa fiunt ex ſe invicem, id eſt tranſmutabilia ſunt; ex igne enim fit aqua; ex hac rurſus ignis, & ex vtriſque fit mixtum.

Generaliter debitum ante eſt reddendum, quam beneficium ſit conferendum: niſi datio honeſtate excedat; vt redimere patrem, potius quam reddere debitum. Ariſtot. 9. Ethic. c. 2.

Princeps gratitudinem inter cives ſuos ſtrictè conſervet, ſi quidem nulla eſt fœdior macula regnorum, quam turba ingratorum hominum; vnde Philippus Macedo ingrato hoſpiti, juſſit in fronte cauterium inuri, his litteris, ingratus hoſpes: ex beneficentia enim arctior animorum conjunctio, vnde Reipublicæ ſalus.

Artes & ſcientiæ ſibi mutuò auxilium præſtant, vt equites, & pedites in bello.

Apud Perſas, bene meritorum de Republicâ nomina, in commentarios referebantur, ne fortè memoria meriti intercideret. Strabo. *Vide Gloria Virtutis.*

Quædam ſunt ſibi invicem cauſæ, vt pluvia eſt materia vaporis, vapor pluviæ; ſic de ſanitate & deambulatione & ſimilibus.

Subſtantia non poteſt agere ſine accidente, & accidens exiſtere ſine ſubſtantiâ, cùmque mutuâ indigeant operâ vnum ſine alio non eſt. Sic de Principe & miniſtris, devitibus & egenis.

Subſtantia per ſe non cognoſcitur, ſed per accidentia; ducit tamen cognita ſubſtantia ad accuratiorem notitiam accidentis.

Arteriæ venis calorem communicāt, & è venis ſpiritus naturalis in arterias penetrat.

Legatus durante ſua legatione, non debet arma ferre contra populum, ad quem mittitur legatus; vt enim illi non nocetur, ita nec ipſe debet nocere. Livius. decad. 1. lib. 5.

Mare non exhauritur perpetuâ profuſione fontium & fluviorum, quia quod dat, mutuò recipit.

Tempus & motus ſeſe invicem definiunt & metiuntur.

In corpore organico partes humidæ funduntur per duriores, à quibus ſuſtentantur, dum humectant.

Vt in vena, quæ eſt receptaculum ſanguinis, eſt aliquid ſpiritus, ſic in arteria aliquid ſanguinis.

Debetur pietas parentibus, à quibus accepimus eſſe.

Vide

Vide Gloria Principij. & poteſtatibus à quibus regimur. *Vide Gloria Poteſtatis.*

Natura videtur aliquid decerpere ab animali per generationem, vt hoc damnum compenſet, efficit vt teſtes ſint caloris nativi & roboris origo, vnde tanta mutatio in Ennuchis.

Ventriculus & inteſtina, dant chilum hepati, & hepar illis ſanguinem adminiſtrat, vt patet ex venis, quibus interſecatur ventriculus.

Ignis in ſua Sphæra, non recipiens pabulum, non emittit lucem.

Princeps, à ſubditis munera accipiat ea, de quibus abundant, ſed det illis abundanter ea quæ ipſis deficiunt. Sic Cyrus, Xenophon, &c.

Priùs tenemur gratiam referre ei, qui benefecit, quam amico benefacere; vt bona non cenſentur, niſi deducto ære alieno.

Inter Aſtrologos, Receptio eſt, cum planetæ ſunt viciſſim in alter alterius dignitate, & tunc habent æquales vires, ac ſi eſſent in propriis domibus.

Cum terra arrida & ſicca conſtare per ſe, ac ſine humore non poſſit; nec rurſus ſtare aqua, niſi ſuſtineat terra, mutuo implexu junguntur. Plinius. Lib. 2. c. 65.

Hinc parentationes & convivia ad tumulos defunctorum, quaſi ſic faterentur ſe ab ipſis defunctis habere quòd lautiùs viverent. Vide Tertullianum. lib. de teſtim. animæ. cap. 4.

In arcibus, propugnacula ſe mutuò æqualiter defendunt.

Quòd inimicæ etiam qualitates ſibi mutuum dent auxilium. *Vide Bonit. Concord.*

Dilatationem qua cor recipit aërem, & ſanguinem, ſequitur contractio, quâ emittit ſanguinem arterialem, cum ſpiritibus vitalibus.

Princeps ſit omnibus benevolus, ſed maximè his, qui oſtendunt ſe in omnibus velle illi placere; Maximè remuneret eos, qui auxilium præſtiterunt in obtinendo imperio: Regium enim eſt acceptum beneficium majori compenſare; magis enim dedecet Principem vinci beneficio, quam armis.

Viciſſim humores movent phantaſiam, & phantaſia movet humores, vt patet in ſomniis.

Non eſt fidendum his, qui ab hoſte beneficium acceperunt.

Non eſt vtilis confœderatio, quibus præſtandum eſt auxilium, cum ab aliis nullum ſit ſperandum.

Plato in Eutyphrone, dicit mercaturam quandam eſſe inter nos & Deum, nos vota, ille ſua confert beneficia.

Vt inferior gradus vicariam exercet poteſtatem, loco ſuperioris; ſic ſuperior, loco inferioris. *Vide Media Poteſtat. Vicar.*

Vnitas non concipitur, niſi mediante alteritate: vt ſpecies per individua; & alteritas individui, non niſi per vnitatem generis & ſpeciei; vt numerus per vnitatem, color per lucem. Card. de Cuſa lib. de docta ignor.

Venus eſt comes ſatietatis, & abundat in animalibus multi cibi.

Motus circularis componitur ex attractione & expulſione; hunc imitantur partes vitales corporis.

Elementorum vna eſt materia, vnde recipiunt reciprocè ſuas formas.

Sol tantum aquæ reſtituit mari per pluvias, quantum abſtulit per vapores: Metallorum generatio circularis eſt, & poſſunt invicem tranſmutari, quia ſunt naturalia, & materia eſt vna.

Natura complet multa, quæ ſunt per artem, & ars multa, quæ ſunt per naturam.

Depinguntur amores à Philoſtrato, ſibi invicem poma aurea projicientes.

Antiqua ſacrificia celebrabantur, poſt fructuum perceptionem; & fiebant ſemper poſt fœlices ſucceſſus & reportatas victorias.

In reſpiratione corporis ſani, tanta eſt attractio, quanta expulſio.

Agricolæ primi, & Deorum ſolemnitates invenere, primitias obtulere ad torcularia ſtantes, Dyoniſio & Cereri choros inſtituere. Maximus Tyrius, ſermon. 4.

Naſcuntur terræ, & repente in aliquo mari emergunt, velut paria ſecum faciente natura, quæve hauſerit, alio loco reddente.

Sub cancro ☋. aqueo ſigno, multum terræ, & ſub capricorno, ♄. terreo, multum viciſſim aquæ; natura frigidi eſt circa ambitum cœli, in media aëris regione; & natura calidi, ignis ſcilicet, eſt circa viſcera terræ; ſic mutuò ſe contraria recipiunt.

Refert Varro, quòd antiqui die natali Genio munus annale ſolvebant, & à cæde omni abſtinebant, eâ die, quâ lucem acceperant.

Ignis non poteſt dare ſine accipere, alioquin de non eſſe poſſet eſſentiam ſuam multiplicare; habet autem majorem inclinationem ad recipiendum, quod eſt neceſſitatis, quam ad dandum, quod eſt complementi. Lullius.

In circulo, omnia ſimul principium & finis.

Vt inter ludentes pila non cadit, niſi mittentis aut recipientis vitio, ſic beneficium inter bonos continuatur, &c. Senec. 2. de benefic. c. 17. *Vide Duratio Bonitatis.*

Animalia etiam fera, favent & blandiuntur ſuis nutritoribus; vt de Leone erga Malchum Monachum, refert D. Hieronym. Sic de Aquila quæ in pyram virginis, à quâ educata fuerat, involavit, & combuſta eſt; ſic de Delphino in littore Puteolino, refert Plinius, & quotidie apparet in canibus, equis, &c. Plinius lib. 8. cap. 16. Seneca 2. de benefic. cap. 19. Gell. lib. 5. c. 14. quem locum vide æqualitas concord.

Qui beneficium accepit, exſpectare debet occaſionem vt reddat; quemadmodum Athleta exſpectat claſſicum, vt in arenam prodeat, Non vincetur beneficio, ſi quod rebus non poteſt, animo æquat: pares ſumus animo, impares fortunâ, &c. Senec. 5. de benef. cap. 5.

Gratiarum conſertis manibus in ſe redeuntium chorus, ſignificat beneficia per manus tranſeuntia ad dantem reverti, &c. lb. l. 1. c. 3.

Vt ex nihilo nihil fit in natura, ſic inter homines, qui vtilitate tantum ducuntur: vnde apud Romanos multa fiebant per ſimulatas emptiones, vt Nuptiæ per coemptionem datis tribus aſſibus: Emancipatio per æs, & libram. l. fin. ff. de emancipat. Liberabantur à ſacris res, & prophanæ fiebant, per coemptionem ſacrorum, ad quam faciendam, erant olim ſenes conſtituti. vt refert Cicero pro Murena.

Ex vaſe pleno nihil effluit, niſi aëri detur aditus, ne detur vacuum.

Cùm omnia ſint in omnibus, poſſunt pondera cognoſci per numerum, & numeri per magnitudines. Vide Cardinalem de Cuſa lib. de Sapient. Idiotæ.

Mutuum auxilium Religionis & politiæ, Vide infrà *Concordantia Poteſtat.* & etiam collegarum. eodem tit. *Vide Gloria Bonit.*

Ignis dat ſuam caliditatem aëri, aër humiditatem aquæ: aqua terræ: terra reſtituit igni ſuum calorem, humefactum, deſiccatum, frigefactum, quia vnumquodque elementum eſt de alio activum. Hanc circulationem non attingit imaginatio, ſed ratio. Lullius.

Deus remunerat eleemoſynas. *Vide Virtus Bonit.* ex Patribus.

Quædam cœnæ vocabantur collativæ, in quibus

quiſque de ſuo conferebat. Athenæ. lib.8. cap. vlt.

Terræ multum feraci, libenter multa infoditur ſtercoratio. Athletæ, qui multum impendebant, multum etiam ſumebant alimenti, erantque voraces. Idem lib.10. cap.1.

Venarum, quæ medium ſpatium inter jecur & partes circa ventrem occupant, duplex eſt miniſterium; nempe vt cum in his abundantia fuerit alimenti, per eas ſurſum feratur in jecur; cum autem vacuæ ſunt, & volunt nutriri, per eaſdem ipſas ex hepate trahatur. Galen. l.3. de Naturalibus facultatibus.

REPVGNAT. INGRATITVDO.

PRoniores ſumus ad vindictam, quam ad gratiam, quia gratia oneri, vltio in quæſtu habetur. Tacit.

Peregrini in civitatibus recepti ſemper ſeditiones moverunt. Vide plura exempla, apud Ariſtot. 7. Pol. cap.6.

Perſæ in ingratos ſeveriſſimè animadvertebant, quaſi in eos qui parati eſſent peccare in Deos, parentes, patriam, amicos.

Quæritur à politicis, quis magis ſit ingratus erga bene meritos, Rex, an populus, Rex quidem propter ſuſpicionem, populus propter avaritiam.

Fortunati planetæ Iupiter & Venus, obſidentes maleficos Saturnum & Martem, imminuunt eorum vim maleficam, ſed cum ſuæ beneficæ qualitatis detrimento.

Tranſacto periculo, is qui propter illud fuerat electus Princeps, ſæpe invidiâ opprimitur.

Caſſutha, plantas, quibus circonvoluta innititur, ſtrangulat.

Tyrannus eſt quaſi parricida, vexans populum, à quo fuit electus.

Nullum elementorum reflectit radios, niſi terrâ: Anima continet corpus ne citò defluat, & corpus continet animam ne citò intelligat.

Romæ Iani templum tempore pacis clauſum erat; irridetur Sanctus tranſacto periculo.

In arbore pingui non vivunt inſita, quia craſſus humor ac lentus, non poteſt ſubire partes ſurculi at contra inſitio ſurculorum oleoſorum in arbore non pingui proficit.

Themiſtocles læſus ab Athenienſibus, quibus benefecerat, dicebat fortes viros ſimiles eſſe platanis, ſub quarum vmbra fugiunt homines, ortâ tempeſtate, & eaſdem reſcindunt ſereno cœlo.

Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat; qui diſſimulat, qui non reddit; ingratiſſimus omnium, qui oblitus eſt; nunquam enim gratus fieri poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt. Senec.3. de benef. c.1.

Tygris nunquam manſueſcit.

In febricitantibus, ſopor vbique malus eſt; ignorantia cum rigore malum; malum item oblivio. Hypoc.1. præd.

Omnis virtus habet aliquos detractores, ſola ingratitudo nulli placuit. Petrar.

De ambitioſa ingratitudine eorum, qui contra patriam inſurgũt. Vide plura apud Senec.5. de benef. c.5.

Ingratiſſimi fuere Catanenſes Charondæ, Athenienſes Demetrio, Themiſtocli, & Phocioni; Iuſtinianus Beliſario; Romani Camillo.

Ingrati ſunt avari, & ambitioſi, quia non acquiſita, ſed acquirenda computant; invidi, qui aliis data, ſuis comparant.

Nunquam deerunt cauſæ quærendi, ſi beneficia à deteriori parte ſpectaveris, etiam divinorum munerum, quidem ſunt iniqui æſtimatores, quæruntur quod non æquemus leones viribus, & naturâ oderunt quod infra Deos ſumus; at ſi bene attendant, quod negatum eſt, dari non debuit. &c. Senec.2. de beneficiis. c.27. Aſpice, quemadmodum immenſæ hominem cupiditates hient ſemper & poſcant: nõ miraberis ibi neminem reddere, vbi nemo ſatis accipit. Ibid. l.7. c.26.

Idem lib.3. c.6. Quærit an vt in ſcholis, ſic in civitate ponenda ſit ingrati actio, quæ videtur æqua omnibus: Quidni? inquit, cum vrbes quoque vrbibus, quæ præſtitere exprobrent, & majoribus collata à poſteris exigant. Tamen concludit quòd magni viri, ab hoſtibus tantum repetierunt: beneficia magno animo dabant, magno perdebant: Exceptâ Macedonum gente, non eſt vlla data adverſus ingratum actio; nuſquam hoc vitium punitur, cum vbique improbetur; non abſolvimus illud, ſed cum difficilis eſſet incertæ rei æſtimatio, tantum odio damnavimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus. Quæ enim actio dabitur, cum dederimus, vel perdituri; cum totum remiſerimus accipientium arbitrio: ſi in iudicium voco, incipit non eſſe beneficium, ſed creditum: deinde cùm res honeſta ſit referre gratiam, deſinit eſſe honeſta, ſi neceſſaria eſt: ita duas res, quibus nihil in vita humana pulchriùs, corrumpimus, gratum animum & beneficium: non eſt glorioſa res gratum eſſe, niſi turpe eſt ingratum fuiſſe: Adjice nunc quod huic vni legi, omnia fora vix ſufficerent; quis erit qui non agat? & cum quo non agatur? omnes ſua extollunt, & dilatant: cum aliter beneficium detur, aliter reddatur; paria facere difficile eſt, & cum dies reddendo beneficio non dicatur, poterit qui non reddidit, reddere; dic intra quod tempus deprehendetur ingratus: Non eſt incitandus animus ad avaritiam, ad querelas, ad diſcordiam, ſuâ ſponte in iſta fertur. Non plures erunt ingrati ſi nulla detur actio, quia majore delectu dabuntur beneficia: Deinde non expedit omnibus notum fieri, quam multi ingrati ſint; pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, & deſinet eſſe probri loco commune maledictum: tandiu malum timetur, quamdiu rarum eſt: Qui dat beneficia Deos imitatur; qui repetit, fœneratores: Ingratos plures efficies & audaciores, ſi ſe numerare cœperint: Nullum gravius ſupplicium, publico odio. Pœna eſt, quod beneficium non audet ab vllo accipere aut dare, quod omnium deſignatur oculis, aut deſignari ſe credit; teſtes ingratorum Deos metuit; vrit illum intercepti beneficij conſcientia Gratum hominem, ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel, &c. ex cap.7.10.16.17.

Olim debitores qui non erant ſolvendo, ſervire cogebantur creditoribus; ab his poterant, carcerari, torqueri: mortui etiam corpus inter plures creditores partiebatur. Vide Au. Gellium lib.20. c.2. hoc abrogatum fuit à Iuſtiniano. l.12. Cod. de oblig. & act. S. Ignatius in Epiſt. ſua ad Romanos: milites ſui cuſtodes vocat Leopardos, quibus cùm benefeceris pejores fiunt.

EX IVRE CIVILI.

Vide Gloria Cognitionis. De Salariis.

DE Actionibus empti & venditi. ff. 19. t.1. C.4. t.49.

De Æqualitate dotis, & propter nuptias donationis. Novell.7.

De apochis publicis, & diſtributionibus civilibus. C.10. t.22.

De commercijs & mercatoribus. C.4. t.63.

De compenſationibus. ff.16. t.2. C.4. 31.

De contrahendâ emptione, & venditione. ff. 18. tit.1. C. 4. tit.38.

De fluminibus, & ne quid in flumine ripâve eius fiat. ff. 43. t.11.

De in rem verso. ff.15. t.3.

De nautico fœnore. ff.22. t.2. C.4. t.31. Nov.110.

De oblatione votorum. C. 12. tit. 49. *Vide Gloria Bonit. & Glor. Principy.*

De pactis inter emptorem, & venditorem compositis. C. 4. t.59.

De præbendo salario. C.10. t.36.

Quæ in fraudem creditorum facta sunt vt restituantur. ff.42. t.9. C.7. t.75.

De rerum permutatione. ff.19. t.4. Cod. 4. tit.64.

De sententiis, quæ pro eo quod interest proferuntur. C.7. tit.47.

De vsuris & fructibus, & omnibus accessionibus & morâ. ff.22. tit.1. C. 4. t.32. 5. tit.36. 7. tit.54. 138.

Si quis omissâ causâ testamenti possideat hæreditatem. ff.29. t.4.

Quoniam omnes fructus rei ad vsufructuarium pertinent, debet omne quod diligens Pater familias, in sua domo facit, & ipse facere; ædes sartas tectas habere, agrum colere, in locum demortuarum arborum alias substituere. l.13. & 65. ff. de vsufruct.

Mutuum & commodatum gratuitò debent fieri; introducti contractus, vt sibi mutuò subveniant homines, in communis vitæ necessitatibus. §. item is cui Inst. quibus mod. re contrah. oblig.

Mandatum debet esse gratuitum, si tamen honoris, & gratitudinis nomine vltrò à mandatore offeratur, honestè id accipiet mandatarius, neque mandati obligatio vitiatur. l.6. ff. mand. & si quid salarij constitutum sit, peti poterit. l.7. eod.

Alienari possunt bona Ecclesiastica, vt remuneretur is qui servitia Ecclesiæ præstitit. Gloss. in l.14. C. de Sacr. Eccl.

Beneficium ab amico accipiens, in eius gratiam, naturali ratione, tenetur aliquid impendere. l. in rebus. §. possunt ff. commod.

Manumissio in fraudem creditorum nulla est. Instit. quib. manumitt. licet.

Vsus fructuarius debet sarta tecta habere, adserere arbores in seminario. l.7. & 9. ff. de vsuf.

Dati ob causam, causâ, secutâ, cessat repetitio. l.1. ff. de cond. caus. data caus. non secut.

Datum meretrici repeti non potest, quia solius dantis turpitudo versatur, licet enim turpiter faciat, quod sit meretrix: non tamen turpiter accipit vt meretrix, quia merces debetur. l.4. ff. de cond. ob turp.

Si remunerandi gratia honor intervenit, & aliud salarium conventum sit, erit mandati actio. l. 6. ff. mand.

Pecuniæ publica & perpetuâ æstimatio, difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subvenit. l.1. ff. de contrah. empt.

Si in pondere, numero, aut mensurâ rei venditæ pars desit, datur eius æstimatio, habitâ ratione aliarum. l.4. & seqq. ff. de actio. empt.

Eius est onus, cuius est commodum. *Vide Media Bonitas.*

Inter virum & vxorem valet donatio, si invicem compensaverit. l.7. ff. de donat. int. vir. & vxor.

Parentes & liberi egentes, vice mutuâ se debent alere. l.5. ff. de agnos. & alend. lib.

Cessante illa æqualitate, cessat bonitas. *Vide Finis Bonitatis.*

Valet legatum debitoris factum creditori, si constet non esse factum animo solvendi. l. 85. ff. de leg.2.

Ratione gratitudinis valet legatum incertæ personæ factum, vt ei qui restitutionem meam ab Imperatore obtinuerit. l. 6. ff. de reb. dub.

Qui agnovit legatum ex testamento, à tutelâ se excusare non potest. l. 5. ff. de his quæ vt indignis.

Donatio facta Reip. valet, si ab honorem obtinendum, si verò est promissio sine causâ non valet. l.19. ff. de donat.

Si quis ope alterius à latrunculis liberatus, & aliquid ob id donavit, hæc donatio est irrevocabilis, quia est remuneratoria salutis. l.34. eod.

Iusta causa manumissionis est, si periculo vitæ, infamiæque servus Dominum liberavit. l.9. ff. de manumiss. vindict. l.15. eod.

Filius familias admittitur ad manumittendum pædagogum, nutritium, aut filios, alumnosque eorum. l.11. eod. & nota quod passim toto tit. causa manumissionis iusta proponi debeat, itavt fiat semper ob causam.

Acceptilatio, est verborum conceptio, quibus se absolvunt duo, vltrò, citróque. l.1. ff. de acceptilat.

Qui opus publicum Reip. promisit, non obligatur, nisi ob causam promiserit, vt ob honorem illi decretum, aut decernendum, aut nisi cœperit facere. l.1. ff. de pollicitat.

Leges & arma mutuis indigent, & stant auxiliis, l.1. C. de Iustin. Cod. confir.

In reciproca remissione æqualis speciei per transactionem, nullus intelligitur lædi, nec senex, nec iuvenis. l.11. Cod. de transactio.

Manumissio causâ cognitâ, & cum decreto, non revocatur ratione minoris ætatis. l.2. Cod. si adverf.

Fidejussori solventi, tenetur creditor cedere actionem personalem, & hypothecariam. l.2. C. de fidejuss. & mandat.

Redemptus ab hostibus, non fruitur postliminio nisi prætio redemptori restituto. l.2. C. de postlim. reverf.

Res à me donata potest mihi donari. l.23. C. de donatio.

Fœminæ non succedunt in feudum vt masculi, nisi fuerit specialiter dictum, quia sunt inhabiles ad serviendum Domino. l.1. feud. tit.1. §.3.

Vassallus & Dominus sibi invicem auxilium & consilium præstare debent. feud. lib.2. tit.6.

Si quis non paruerit voluntati defuncti, repellitur ab emolumento sibi relicto. l. si quis.§. Funus autem. ff. de relig. & sumpt. funer.

Condictio competit, si res propter quam aliquid datum est non habuerit effectum. l.1. ff. de condict. caus. dat. caus. non seq.

Debitor Reipublicæ non potest esse eius legatus, l.4. ff. de legat. quia non supponitur benè affectus circa eam.

Venditio rescinditur, si sit læsio vltra dimidium iusti [illegible].l.2. C. de rescind. vendit.

Rerum quæ vsu consumuntur, vt olei, vini, frumenti, non est propriè vsufructus, sed quasi vsus fructus, quia non idem corpus vt in aliis sed eadem quantitas restituitur. lib. 1. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.

Mutuum est creditum certæ quantitatis, ea lege, vt eadem quantitas in genere, non in specie reddatur. l.1. ff. de reb. cred. debet res æqualis bonitatis reddi. l.3. eodem.

Præfecti vrbis officium est præfigere prætia rebus. l.1. §. 11. ff. de officio præf. vrb.

In annuo legato, quod deficit in fructu vnius anni suppletur ex fructibus sequentium annorum. l.17.§. final. ff. de annuis legat.

Pro argento potest solvi aurum. l.1. C. de arg. pret.

In tranſactionibus pro litis remiſſione præſtatur aliquid. l.38. C. de tranſact.

In mutuo, non licet creditori rem deteriorem reddere, vt vinum novum pro vetere. l.3. ff. de reb. cred.

Compenſatio eſt debiti & crediti inter ſe contributio; & creditor petens compenſationem ſummovetur. l.1. & 2. ff. de compenſat.

Liberta, ſi fiat concubina patroni, non amittit matris familias honeſtatem. l. ſtuprum ff. de rit. nupt.

Remuneratur ſervus libertate, ſi vindicet mortem Domini, ſi adulteram monetam deferat, ſi raptorem Virginis, deſertorem militiæ prodat. tot. tit. quibus ex cauſ. ſervi pro præm. libert. accip.

Beneficij accepti gratitudo eſt etiam erga defuncti magis propinquos, quibus ipſe voluiſſet benefacere. l. quod ſatis. C. de boni quæ liber.

Qui opus publicum promiſit Reipublicæ tenetur illud facere, ſi promiſit propter cautam aut ſi iam incœpit. l.1. §.1. ff. de pollicitat.

Liberti non petentes tutores filiis patroni, vt deſertores obſequij puniuntur, l.2. ff. qui pet. tut. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

EX IVRE CANONICO.

HÆc eſt lex naturalis, quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. diſt.1. in princ.

Reges Pontificibus, pro æternis, & Pontifices Regibus, pro temporalibus indigent C. quoniam diſt.10.

Epiſcopus debet ſolvere, quod alicui in recompenſationem promiſit. 12. q. 2. c. quicumque & c. ſeq. ex Conc. Tolet.4.

Fundatores Eccleſiarum, ſi inopes cœperint eſſe, ab eiſdem alimenta accipiunt. 16. q.7. c. quicumque ex Concilio Toletano.4. can.37.

Quæ ſint differentiæ retributionum reddere bona pro bonis, &c. multa. Vide 13. q 3. can. ſex.

Viduæ quæ ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, tam aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, vt meritis & orationibus ſuis Eccleſiam adiuvent. Concil. Carthaginenſ. IV. can.103.

Licet Epiſcopo de ſervis Eccleſiæ emancipare competenter, ita vt ab officio Eccleſiæ non recedant. Concil. Aurelian. IV. can.10. anno.545.

Anno 859. Eccleſiâ Gallicâ calamitatibus vexatâ. In Concilio Rullenſi Patres ſtatuerunt, vt quoad viverent, pro ſe invicem orarent.

Vbi quis decimas ſolvit, ibi eſt ſepeliendus. Concil. Triburicenſe. c.15. a.865.

Nulla eſt venditio, ſi ſit læſio, vltra dimidium iuſti prætii. cap. cum cauſa de empt. & vendit.

Propter gravem ſterilitatem, remittitur penſio prorata. cap. propter de locat. & conduct.

Permutatio rei ſpiritualis, cum ſpirituali permiſſa. cap. exhibita de rer. permutat.

EX THEOLOGIA.

PEr recompenſationem beneficiorum, amicitia conſervatur. D. Thom. 2. 2. q.106. a.1.

Chriſtus fuit baptizatus à Ioanne, & Ioannes à Chriſto. 3. q 38. a.6. ad 3.

Subventio, gratiarum actio, & reverentia debetur omni benefacienti. 2. 2. q.166. a.3.

Beneficium debet recompenſari maiori beneficio. 2.2. q.106. a.6.

Beneficiũ eſt ſtatim recõpenſandum ſecundũ actũ, ſed expectanda eſt opportunitas effectus. Ib. a.4.

Recõpenſatio beneficij pertinet ad tres virtutes diverſimodè, ſcilicet ad iuſtitiam, vbi eſt debitum legale, vt in mutuo, & cæteris huiuſmodi; ad amicitiam verò & gratiam, vbi eſt debitum morale. 2.2. q.51. a.1. ad 3.

Beneficium & recompenſatio, magis in affectu, conſiſtit, quàm in effectu. 2.2. q.106. a.3. ad 5.

In recompenſando beneficium, iuſtitia attendit datum: amicitia vtilis attendit vtilitatem; ſed amicitia honeſti & gratia attendit affectum dantis. 2.2. q.31. art.1. ad 3.

Omnis ſolemnitas veteris legis fuit inſtituta, propter aliqua beneficia Dei, præterita, vel futura. 12. q.100. a.5. ad 2.

Calor naturalis digerendo generat pinguedinem, quæ ipſum conſervat, quaſi eius nutrimentum. 2.2. q.82. a.2. ad 2.

Debitum gratitudinis ex charitate procedit, quæ quãtò plus ſolvitur, tantò magis debetur, ideo obligatio gratitudinis eſt interminabilis. 2.2. q.106. a.6. ad 2.

Conſideratio beneficiorum Dei, maximè ea quæ pertinent ad humanitatem Chriſti, excitant devotionem. 2.2. q.82. a.3.

Finis moralis, accidit fini naturæ, & è converſo. 12. q.1. a.3. ad 3.

Vbi eſt maior gratia dantis, maior debet eſſe gratiarum actio recipientis. 2. 2. q.106. a.2.

Gratiarum actio facta Deo, eſt actus Religionis. Ibid. a.1. ad 1.

Ad gratitudinem tria requiruntur. Primò quòd honore recognoſcat beneficium acceptum. Secundò, quod laudet & gratias agat. Tertiò, quòd retribuat loco & tempore ſecundum ſuam facultatem. 2. 2. q.107. a.2. in c.

Iepthe peccavit vovendo, & reddendo, ſed ponitur in catalogo Sanctorum propter fidem & devotionem, & probabile eſt quod pœnituit. 2.2. q.88. a.2.

Actus voluntatis & intellectus, ſupra ſe invicem reflectuntur. 12. q.17. a.1. & a.3. ad 3.

Ius dicitur dupliciter, ſcilicet ſimpliciter, ideſt æqualium; & ſecundum quid, ideſt inæqualium, & hoc eſt triplex, ſcilicet dominativum, paternum & œconomicum. 2.2. q.57. a.4.

Circumceſſio in perſonis divinis, quâ vna, vi eſſentiæ, eſt in alia; communicatio Idiomatum in Chriſto, quâ homo dicitur Deus, & Deus viciſſim homo.

Vna pars, eſt in potentia ad aliam, ſicut materia ad formam. 1. q.3. a.7.

In divinis perſona prædicatur de eſſentia, & è converſo. 1. q.39. a.6.

Reſtitutio ſemper debet fieri ei, à quo aliquid ablatum eſt, vel eius hæredibus, ſi mortuus eſt. 12. q.62. art.5.

Non eſt vſura accipere recompenſationem damni. 2.2. q.78. a.2. ad 1.

Vitium duplex opponitur gratitudini, ſcilicet per exceſſum, recompenſando, quibus non debet vel citius quam debet; & per defectum, ſcilicet ingratitudo, quæ magis opponitur ei. 2.2. q.107. a.2.

Graviùs peccat fidelis quam infidelis, eadem ſpecie peccati, propter ingratitudinem. Sic infidelitas hæreticorum eſt gravior, quam Iudæorum; & hæc quam Paganorum. 2.2. q.10. a.6. & q.73. a.8.

Ingratitudo quælibet eſt peccatum, quia tollit debitum gratitudinis, quod eſt debitum honeſtatis. 2.2. q.107. a.1.

Oblivio beneficij ex natura excuſat ab ingratitudine; non autem oblivio ex negligentia; nec impotentia recompenſandi beneficium, quia ad gratitudinem ſufficit, bona voluntas, ſi deſit facultas. 2.2. q.106. a.3. ad 5.

Digitized by Google

Gradus ingratitudinis triplex, scilicet non retribuere, dissimulare, & ex negligentia obliviſci: auget primum retribuere mala pro bonis: ſecundum, vituperare beneficium; tertium id reputare malefactum. 2. 2. q. 107. a. 2. & 3.

De gratitudine erga Deum. *Vide Æqualitas Voluntatis.*

EX BIBLIIS.

POſtquam Anna obtulit filium Samuëlem Domino, dicit ei Eli Sacerdos, reddat tibi Dominus ſemen pro fœnore, quod commodaſti Domino; poſtea peperit tres filios, & filias. 1. Reg. 2.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Math. 5.

Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Math. 6.

Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, hæc eadem facite illis. Ibid. cap. 7. Chriſtus dicit Apoſtolis, gratis accepiſtis, gratis date. Math. 10. & qui confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum, coram patre meo.

Convertimini ad me ait Dominus exercitum, & convertar ad vos. Zach. 1. & 8.

Erunt mihi in populum, & ero eis in Deum, in veritate, & in iuſtitia.

Rahab meretrix, quæ receperat exploratores, captâ vrbe, ſalvatur. Ioſue. 2.

Vide quomodo David gratias agat ei, qui ſibi alimenta dederat in bello contra Abſalon. 2. Reg. 19.

Chriſtus præcipit leproſo ſanato, vt offerat munus. Math. 8.

Revertere ad me, quoniam redemi te.

Laudate cœli, Iubilate extrema terræ.

Reſonate montes laudem, quoniam redemit Dominus Iacob. Iſay. 44. *Vide Cognitio Bonitatis, & Glor. Virt.*

Oblatio qualis fiebat, pro gratiarum actione. Levit. 7. & 22.

Pax Chriſti exulet in cordibus veſtris; & grati eſtote. Coloſſ. 3.

Orant Iudæi Chriſtum pro Regulo, dignus eſt, inquiunt, quia Synagogam ædificavit nobis. Luc. 7.

Summa ingratitudo meretricis, quæ relicto educatore ſuo, cum omnibus fornicata eſt. Vide Ezech. 16.

Ingratitudo Saülis erga David. 1. Reg. 18. & Nabal qui negat ei alimenta quamvis greges ſuos protexiſſet. 1. Reg. 25. Demetij erga Ionatham, qui eum in Regnum reſtituerat. 1. Mach.

Poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Pſal. 108.

Aſſuerus accepta à ſuis beneficia annalibus inſcribebat. Eſter. 1.

David liberat vrbem Ceilam à Philiſtinis, & tamen ipſa vult eum tradere Saüli perſequenti. 1. Reg. 25.

David mittit nuntios ad Regem Ammon, vt conſolarentur eum ſuper morte Patris ſui, & ipſe indignè eos habet, quaſi exploratores, raſâ barbâ. 2. Reg. 10.

Ex decem leproſis ſanatis, vnus tantum alienigena, dat gloriam Deo. Luc. 17.

Non abominaberis Ægyptum, quia accola fuiſti in terra eius; & qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Dei. Deut. 23. *Vide Duratio cognitionis, continuatio.*

Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, habêtes donationes, ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes. Rom. 12.

Probaverunt Macedemonia & Achaja collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Ieruſalem: placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles; debent & in carnalibus miniſtrare illis. Rom. 15.

Non poteſt oculus dicere manui; operâ tuâ non indigeo; aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, ſed quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſaria ſunt, & quæ putamus ignobiliora his honorem abundantiorem circundamus; ſic Deus temperavit corpus, ei membro, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem. 1. Cor. 12. *Vide Gloria Virtutis.*

Communicet is qui catechiſatur verbo, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Galat. 6.

DEMONSTRATIO.

BENEFACTORI BENEfaciendum.

BONITAS. Vt vnumquodque ſibi tantum eſt, exiſtentiâ ſingulari & individuâ, ſic ſibi tantum debet operari, ſi operatio ſequatur eſſe; ideo cum tibi beneficium conferendo pro te egit, te ſubſtituit in locum ſui, vnde debes viciſſim pro illo, quaſi pro teipſo agere.

MAGNITVDO. Etſi ſincerè totum dederit beneficium, nihil ex illo ſperans: hinc majus eſt beneficium, cui major debetur gratitudo: Tibi dedit quaſi parti eiuſdem corporis, vnde exurgit neceſſaria relatio ex parte tui, vt illum ſimiliter talem habeas; tacitaque hæc eſt conditio ſuo beneficio appoſita; cui non ſatisfaciens, illo ſpoliandus es, vt ingratus libertus libertate, & vaſallus feudo.

DVRATIO. Cum exaurianter donationibus facultates, & vires operibus citò deficient, niſi reciprocâ collatione reparentur: ſic natura æmulatur principij ſui æternitatem motu circulari; ſimili ſemper rei, quæ effluit, rem reſtituente; ſic immenſam bonitatem, creata bonitas, per vices reparata, conatur imitari.

POTESTAS. Hæc lex gratitudinis rebus omnibus inſita, dat illi ius in tuis bonis, non enim debuit eſſe beneficus in ſuum grave detrimentum; vnde quaſi ſuum repetit exurgens neceſſitas: vt enim in feudis, ſic in donationibus, videtur vtile tantum, non directum dominium transferri; ideo ab ingratis poſſunt auferri, & condici.

COGNITIO. Conſule mentem tuam videbis inſtinctum, ſummâ & extrâ omnem controverſiam æquitate, id tibi ſuadentem, itavt te pudeat in hoc deficere, viteſque ingrati nomen, quaſi tibi maximè iniurioſum.

VOLVNTAS. Non dediſſet tibi, ſi ingratum putaviſſet, malè ergo poſſides & præter dantis intentionem, niſi ſperatam gratiam referas; ſaltem expectavit à te amicitiam, quæ ſi adſit, non deerit gratitudo & beneficium.

VIRTVS. Id ſuadet charitas, quæ virtutes omnes complectitur, & ipſa naturalis æquitas, quâ quicumque beneficium confert, ſperat ſimile, datâ occaſione recipere? tu præſta quod ab alio exigeres; deterrerentur multi à virtute beneficentiæ, ſi tam infœlix & damnoſum haberet exitum.

VERITAS. Cogita quo animo, quibus verbis collatum beneficium excepiſti, devinctum te, obligatum dixiſti, parem gratiam datâ occaſione promiſiſti, ſolemni, libertâ, ſed æquiſſimâ ſponſione, cujus nunc

Digitized by Google

à te poſtulatur effectus ; ſi non cogit ad id lex civilis, exigit lex naturæ, lex conſcientiæ, & publicum omnium votum.

Gloria. Ad hoc ſolum laborat iuſtitia, ſeu diſtributiva, ſeu commutativa, vt par pari referat, dum virtutibus præmia, & rebus prætia decernit : propter ſe quæruntur virtutes, ſeipſis contentæ agunt ſine vllâ intentione mercedis, tamen Princeps iuſtus non haberetur, ſi ſe erga illas munificum non præſtaret.

Differentia. Si te prævidiſſet ingratum, alteri contuliſſet ; nunc autem vrgente neceſſitate, non datur illi ad alios, quos ſibi non devinxit, aditus; abigent quaſi exterum, ignotum, male amicitiam à petitione ordientem, & quaſi in poſterum maximè gravem formidabunt.

Concordantia. Deludis ſpes ab illo conceptas de tua gratitudine ; infers cordi ſuo, fortunæque ſuæ plagam læthalem, quâ debitus bonitatis influxus præpeditur ; ſub hac continui ſolutione peribit amicitia, & cum amicitiâ civilis ſocietas, ſi etiam beneficijs devincto nulla ſit fides.

Contrarietas. Te amicum putavit, & agis vt hoſtis, imò vt proditor, cum omni iure debita & conventa ſubſidia ſubtrahas; quid ſperabit ab exteris, quid non timebit ab hoſtibus, ſi ſic ab eo, quem habebat obligatum, ingratâ crudelitate excipitur ?

Principium. Poſt mixtionem redeunt partes elementorum, vt cætera omnia ad ſua principia, indiga, & quæ contulerunt ſtatis temporibus, ad ſui complementum vindicantia; quæ dedit abundãtia repetit neceſſitas, ne cuiquam beneficium ſuum ſit damnoſum. Si parentis, imo & Dei loco eſt, qui benefacit; ingratus vt parricida, vt ſacrilegus ; vt impius eſt habendus.

Medium. Dentur quantò volueris animo ſincero beneficia, non permittit humana indigentia aliter dari, quam vt ſemen terræ, ad futuram, ſi contigerit, meſſem, & ſub gratitudinis conditione : nam dare abſolutè nihil recipiendo, pertinet tantum ad cauſas ſuperiores : nihil dare penitus, proprium eſt maximæ indigentiæ & privationis ; inter hæc duo, medium eſt dare cum ſpe recipiendi : hac lege ſtat rerum omnium ſublunarium commercium, & hujus tantum eſt capax natura noſtra, ex ſe indiga, noſtra ſocietas in bonis, vſu, niſi reparentur, facilè deficientibus.

Finis. Fluxum perennem, vivumque beneficiorum interrumpit ingratitudo ; peccat contra dantis & accipientis primævam intentionem, à tali crimine prorſus alienam, & vnde lex in futurum inter illos debet deſumi.

Maioritas. Quidquid agat gratus, ſemper plus contulit, qui prior dedit ; ſua enim quodammodò ſunt beneficio ſuo parta : itaque qui accepit, ſupplere debet defectum ſuum, affectu, qui intendi poteſt ; ſic augebitur mutuis officiis concitata charitas, dum quiſque certat beneficiis ab alio nõ ſuperari, laudabili, etiam inter conjunctiſſimos, huius excellentiæ invidiâ.

Æqualitas. Æqualiter omnibus præcipitur beneficentia; ſi ſic in me beneficus fuit, qui nihil à me acceperat, multò magis teneor gratum me præſtare, poſt acceptam gratiam, quia novis accedentibus titulis augetur benefaciendi obligatio.

Minoritas. Verſantur, viceſque ſuas agunt res humanæ ; qui nunc eſt facultatibus inferior, erit, vt fuit olim, te ſuperior, te adhuc ſupplicem fortè ad illum adducet fortuna ; qua autem fronte adires eum, cui te ingratum præſtitiſti ? quis colliget publicâ hac infamiâ notatum ; quis alieno doctus exemplo, apud te periturum beneficium non negabit ? ſi alteri amico dediſſet, haberet auxiliantem ; ſi tibi non dediſſet, fortè huic non ſubjaceret neceſſitati; tuum eſt, damnũ tuâ cauſâ illatum reparare, ne videaris, quaſi hoſtis, detractis, ſpolijs, miſero, indigentique inſultare.

MINORITAS BONITATIS.

QVÆ PARVM AVT NVLLATENVS SVNT communicativa & quando jure poteſt beneficium non conferri.

Vide Contrarietas & Finis Bonitatis.

MISCELLANEA.

ENs rationis, denominatio extrinſeca, materia prima, potentiæ omnes paſſivæ, vacans vitæ privatæ & ſolitariæ.

Animatum nec ſui ipſius, nec alterius eſt alimentum ; ſic nulla pars corporis alteram nutrit, abſorberetur, & fieret corpus imperfectum ; ſed omnes communi vivunt alimento, ſcilicet ſanguine.

Vilis habetur poſſeſſio rerum mobilium, quia non ſunt in fructu l. 47. ff. de acquir. poſſeſſ. vnde non tenentur legibus hypothecæ, &c. *Vide Gloria Minor.*

Qui aquæductũ ab alio obtinuit, eo invito, non poteſt illud alteri cedere. l. 24. ff. de ſervit ruſtic. prædio.

Angeli non generant, quia ſunt immortales ; cœlibatus olim lege Platonis prohibitus, nunc lege Chriſtianâ cum laude permiſſus.

Leviter affecti, naturæ ſunt committendi ; quos enim ſponte natura perſanat, fruſtra medicina fatigat. Fernel.

Non licet ex publico aquæductu, aquam ducere ad privatos vſus. l. 1. & 2. C. de aquæ ductu.

Mulier non poteſt pro alio poſtulare, ne inverecundè ſe rebus alienis immiſceat, & Magiſtratus inquietet. l. 1. ff. de poſtul. prohibetur etiam S. C. Vellejano, pro alio fideiubere, quia ad id nimis eſt facilis.

In paradiſo terreſtri, erant etiam infrugiferæ arbores, pulchræ viſu.

Digitized by Google

Septenarius numerus ſacer, quietus & ſterilis, neque enim gignitur ex aliquo numero, aliquoties repetito, neque gignit aliquem intra decem; tribuitur Palladi quia neque ex matre genita, neque vt mater genuerit; & animis à terrenis ſemotis, & vniverſum contemplantibus.

In deſperatis morbis, medicus non curat, ſed prædicit, ne infamet remedia aliis profutura. Hipoc.

Duces negant prædam militibus, ne inſoleſcant; hoſtibus commeatum, fontes, flumina; & quæ caſtra metantes non poſſunt auferre, comburunt, ne ſint hoſtibus commodo.

Febricitanti caput ne purgato, ne furioſus fiat; calefaciunt enim caput medicamenta, & eâ caliditate ad febrilem accendente, fit inſania. Hipoc. lib. de locis in homine.

Sonus, odor, color, vnde pulchritudo, non alunt, nec faciunt augmentum aut decrementum; ſic qualitas externa, figura, non eſt activa.

Ignis nobilius elementorum, nullum nec nutrit, nec generat animal: florem duplicem gerentes plantæ, multæ non habent ſemen.

Medici humorem melancholicum à ſeipſo conſumendum relinquunt, qui à remediis efferatur.

Podagræ color, ſæpe externis medicamentis augetur, aut ad alias nobiliores partes periculosè divertitur.

Omnis non opportuna collatio nocet, vt *vide Duratio Bonit. & Contrariet. Bonitas Durat. Mora, & Minoritas Contrarietat.* quando à remediis abſtinendum.

Medicamenta non exhibentur in extremo calore aut frigore, in primâ aut decrepitâ ætate.

Servus ideo non fit liber, quod eum Dominus in iudicio non deffenderit. l. 9. ff. qui & à quibus manu. lib. non fiant.

Non valet hæc ſtipulatio, ſi hæredem me non feceris, tantum dare ſpondes, quia tollit liberam teſtandi facultatem. l. 61. ff. de verb. obligat.

Decuriones non coguntur frumentum vilius civibus ſuis vendere, quàm annona exigit. l. 8. ff. ad municip.

Neminem ſequitur infamia, ob non defenſa negotia patriæ ſuæ. l. 9. C. ex quibus cauſ. infam. irroget.

Invitus procurationem ſuſcipere nemo cogitur. l. 17. C. de procurat.

Ex fundo alieno non poteſt duci aqua, niſi Domino volente. l. 4. C. de ſervit. & aqua.

Pactum de futurâ ſucceſſione eſt nullum, quia tollit libertatem teſtandi. l. 4. C. de inutil. ſtipul.

Donationes inter virum & vxorem prohibitæ. tot. tit. de donat. inter vir. & vxor.

Filius vel ſervus non poteſt rem peculij pro alio obligare, etiamſi adminiſtratio libera ei ſit conceſſa. l. 1. ff. quæ res pignor.

De prohibitione alienandi. *Vide Duratio Poteſtat.* S. C. Vellejano, non licet mulieri pro alio intercedere. tot. tit. ff. ad S. C. Vellejan.

Valet legatum alicui, eâ conditione factum, ne ſervum manumittat, quod ſi manumiſerit, legatum non poterit petere, aut ſolutum reſtituet. l. 67. ff. de condit. & demonſtrat.

Non poteſt agi contra eum, qui in ſuo fodiens, vicini fontem avertit, ſi id facit vt meliorem ſuum fundum faciat. l. 1. §. 12. ff. de aqua & aquæ pluv.

Actio aquæ pluviæ habet locum, ſi infertur damnum, non ſi impeditur commodum eodem. §. 21.

Poteſt fontis venas quilibet in ſuo fundo divertere, & impedire ne ad proximum diffluant. l. 21. eodem.

Auxilium legis fruſtrà quis implorat, qui committit in legem. l. 38. in fine ff. de minoribus.

Barbaros [illegible] novigia fabricare, pœnâ capitis punitur. l. final. [illegible] de pœnis.

Sæpe quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt; æſtimabimus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium; ſic frigidam ægris negamus: tum initia beneficiorum ſuorũ ſpectare, tum etiam exitus decet, & ea dare, quæ non tantum accipere, ſed etiam accepiſſe delectet: cùm enim acceſſio illa quæ animum inflammabat, ſe remiſerit; quidni eum oderit, à quo in damnum ſuum adjutus eſt? Exorari in perniciem rogantium, ſæva bonitas eſt; quemadmodum pulcherrimum opus eſt, etiam invitos, nolenteſque ſervare, ita rogantibus peſtifera largiri, blandum & affabile odium eſt: beneficium demus, quod vſu magis ac magis placeat, quod nunquam in malum vertat: non permittam, vt poſſit quandoque dicere, ille me amando occidit: ſæpe nihil intereſt inter amicorum munera & hoſtium vota; quidquid illi accidere optant, in id horum intempeſtiva indulgentia impellit atque inſtruit: nunquam in turpitudinem noſtram reditura tribuamus: cùm ſumma amicitia ſit amicum ſibi æquare, vtrique ſimul conſulendum eſt: nullum beneficium dabo, quod turpiter petetem. Senec. 2. de benef. c. 14.

Depoſitum reddere, per ſe res expetenda eſt; non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore; intuebor vtilitatem eius, cui redditurus ſum. Idem l. 4. c. 9.

Multa beneficia triſtem, & aſperam frontem habẽt, quemadmodum ſecare & vrere vt ſanes, & vinculis coërcere. Non eſt ſpectandũ an doleat quis beneficio accepto, ſed an gaudere debeat. Non eſt malus denarius, quem Barbarus & ignatus formæ publicæ rejecit: beneficium & odit, & accepit; nihil refert an bonam rem, malo quis animo accipiat. Ibidem lib. 5. c. 20.

Non moveamur falsâ verecundiâ; vnde tot mala Reip. dum malis dignitates ambientibus non audemus repulſam dare; te pudeat non audere iuſtè negare, quod audet injuſtè petere.

Dicit Chriſtus filijs Zebedei, neſcitis quid petatis. Math. 20. Nos quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Roman. 8.

Non valent reſcripta Principum, niſi apponatur hæc clauſula, ſi preces veritate nitantur. l. 7. C. de diverſ. reſcript. Deo, vt Principibus, non poteſt imponi.

Si quando mali, invocatione ſummi Dei, aliquid pro ſuis cupiditatibus impetrant, vindicta eſt illa, non gratia; dicitur enim Rom. 1. tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum; quorundam enim peccatorum perpetrandorum facilitas, pœna eſt aliorum præcedentium. D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 79.

Exaudit cardinem deſiderij tui; non curat quod tunc petis. Idem 5. confeſſ. c. 8. *Vide Duratio Bonitat. mora.*

Ictum fulmine Æſculapium fabulata eſt antiquitas, quoniam Tyndaridem revocaſſet ad vitam. Plin. lib. 29. in Proœmio.

BENEFICII ET COMMVnicationis defectus Malus.

Miſcellanea.

Vide Contrarietas Bonitatis.

ATrophia infantis, id eſt, morbus ex alimenti defectu.

Arenæ principium idem eſt quod ſalſedinis; ideo non generat plantas, niſi in ipſis ſit immixta terra.

Aves niſi pariant, laborant morbo & intereunt.

Humor malus eſt, ex quo nec augeri corpus, nec reſtitui deperditum poteſt, quia operatione caloris naturalis potius corrumpitur, quam ad ſimilitudi-

nem corporis nutriti reducatur.

Deserta, Arabiæ montes steriles: In India, ad fluvium qui Niger dicitur, nullæ arbores frugiferæ.

Pessimi putant se beneficium conferre, cum minus nocent, quàm interna suadet passio; vt eum latrones, vitam cum bonis non auferunt. Nimium sui amantes deserunt officia publica.

Materia mala est, non quia talis est, sed quia non talis.

Sublatis in homine generationis organis, & temperamentum & mores notabiliter mutantur: hæ partes dum contrahuntur in ægro, signum est mortis.

In necessitate non debent emi possessiones de bonis Ecclesiasticis; nec redditus in thesauris reponi. D. Thom. 2. 2. q. 175. a. 7. ad 4.

Episcopi & Clerici peccant, si in articulo necessitatis possunt vivere de patrimonio, & vivant de bonis Ecclesiasticis. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3.

Si Episcopi vel Clerici retinent sibi de bonis Ecclesiasticis, divisis vel indivisis, notabiliter vltrà quartam, peccant mortaliter. 2. 2. q. 187. a. 7.

Illiberalitas magis opponitur liberalitati, quàm prodigalitas. 2. 2. q. 107. a. 2.

Immisericordia est in substractione beneficii, sed crudelitas est in excessu puniendi, & vnum aliquando ponitur pro alio. 2. 2. q. 59. a. 1. ad 2.

Materia prima nullã habẽt potentiam activam; dicitur terra, quia est informis; dicitur aqua, quia est receptiva; dicitur abyssus, quia est turpis. 1. q. 66. a. 1. ad 1.

Non sunt immunes à scelere, qui non liberant eos, quos possunt. 23. q. 3. can. ostendit.

Qui iuravit Ecclesiam defendere, & requisitus sine causa recusat, perjurus est cap. brevi, de Iurejur.

Episcoporum cura est, providere ne res non iusto prætio & non æquâ mensurâ, vendantur. cap. placuit & seqq. de emptio. & vendit.

Errat in fide, qui errantes cùm potest non revocat. cap. qui alios de hæretic.

Episcopus vel presbyter, clericis egenis non præbens necessaria, puniatur. in canonib. apost. can. 59.

Ejicitur è cleto qui vsuras exercet. Concil. Nicænum. can. 17.

Filius à Patre, vel servus à domino expositus, fit liber ab eius potestate. cap. si à Patre de infant expos.

Eo quod cõcluseris filios Israel in manu gladij, in tẽpore afflictionis eorũ, ideo dabo te desolatũ, &c. Ezec. 35.

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. Prov. 14.

Torquetur in inferno dives, qui ne micas quidem voluit dare Lazaro. Luc. 16.

Apud vivos sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur. Cassiodor.

Exsiccabuntur flumina, computrescent pisces sine aqua in siti. Isay. 50.

Majores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriéndum, non invenerunt aquam, reportaverunt vasa sua vacua; confusi sunt, quoniam non venit pluvia super terram. Ierem. 14.

Si mater non petiit tutelam filij, non habentis aliu m tutorem, indigna rédditur eius successione. l. 1. & 2. Cod. qui petant tutor. *Vide Minorit. Voluntatis mal.*

Non facere bonum cùm possis, est facere malum. *Vide passim Medium virtutis.* Admonitio de his qui tacent, cum arguere debeant.

L. Aquilia æquè tenetur de pecoribus interfectis, qui ea inclusit ne pascerent, ac si aliter necasset. l. 5. C. de l. aquil. *Vide Bon. Princ. Repug.* vbi plura eius rei exẽpla.

Iudices puniuntur si tempore navigationis permittant naucleros in suo territorio remanere. l. final. C. de naviculat.

Fructuario, qui servum noxali actione conventum non defendit, denegatur vsusfructus perceptio. l. 3. ff. si ex nox. caus.

Necare videtur, non tantum is qui partum præfocat, sed & is qui abjicit, & qui alimoniam denegat, & is qui publicis locis, misericordiæ causà exponit, quam ipse non habet. l. 4. ff. de agnos. & alend. liber. *Vide Minoritas Contrarietatis. mala.*

Patroni amittunt jus patronatus, si negent alimenta egenti liberto. l. 6. eodem.

Servus languidus à Domino de domo ejectus, & nemini in eram datus, consequitur libertatem, nullo iure patronatus Domino reservato. l. vnic. §. sed scimus. C. de lat. libert. tollen.

Dominus amittit jus suum in servo, quem exposuit. l. 2. C. de infantib. expos.

Qui deficit in docendo peccat. *Vide Principium Cognitionis.* proni esse debemus ad docendum.

Qui negat media, videtur rem ad quæ ordinantur negare. *Vide Contrarietas Medij.*

Rerum humanarũ experientia, & exempla eorũ qui in egestatem lapsi sunt, solẽt senes agere in nimiam rei domesticæ curam. Quis ferat hoc mortalitatis ludibriũ: tunc fortunas avidissimè expeti, cum nec diu manere, nec jam sollicitare delitiis effœtũ corpus possunt. Viget hoc tamen in siccis pectoribus malũ; labensque natura timet ad inopiã pervenire, à qua nõ possit, jam lassis viribus, in dies morientibus, vindicari. Barclajus.

Senes sunt pusillanimi, quia depressi sunt in vita, neque aliquid eximij, sed quæ pertinent ad vitam cupiunt; parum liberales, quia cum periti sint, sciunt, quam difficilis sit acquisitio, & facilis amissio. Arist. 2. Rhetoric. cap. 13.

Anacharsis interrogatus, ad quid Græci avari argento vterentur, ad numerandum inquit. Athenæ. lib. 4. cap. 18.

Facilius deglutimus, quam vomimus. *Vide Duratio Voluntatis.* in Miscellan. sub fin. Sic facilius accipimus, quam damus.

Exsectis testibus, corporis ad generationem inepti, etiam temperamentum alteratur, itavt desinat esse tale animal. Vide Galenum lib. 1. de semine, sub finem.

Mortuo Sabiniano Papa, vt moris erat, corpus eius non fuit elatum cum funebri pompa, per mediam civitatem ad basilicam S. Petri, sed ejectum fuit extra vrbem, & ignobiliter in Ecclesia sirca pontẽ Milvium sepultum. Hoc autem ita factum est, quod exasperatus esset contra eum populus Romanus, eo quod durâ vrgente fame, triticum Ecclesiæ non erogasset, vt S. Gregorius consueverat, in pauperes, sed magno prætio vendidisset. Baron. an. 605.

Capræ pinguedine sterilescunt, & sues sentiunt inopiam lactis. Plinius lib. 8. cap. 50. & 51. Ex nimia abundantia & profusione egestas. *Vide Major. Bonit. mal.*

Infœlices existimantur arbores, damnatæque Religiones, quæ neque feruntur vnquam, neque fructum ferunt. Idem lib. 16. cap. 26. *Vide Minoritas Voluntatis mal.* esse sine amore.

Theophrastus enumerat quædam animalia, quæ videntur hominibus invidere bona ex se nascentia. Stellio deglutit exutam pellem, quæ est præsens remedium morbo comitiali laborantibus. Cervus dextrum cornu defodit, contra bufonis venena, aliaque multa pervtile: Phoca jam capienda evomit coagulum, quod comitiali morbo vtile est; terrestris Echinus pellem vrina inquinat, & corrumpit. Lynx defodit vrinam, quæ ad sigilla & alias res vtilis est. Photius Byblioth. cap. 278.

Passerculus fugiens accipitrem, cecidit in sinum Areopagitæ, qui eum occidit, & ideo damnatus immisericordiæ, & mulctatus. Ibidem 29.

Digitized by Google

BONITAS MAGNITVDINIS

HÆC DVO PRINCIPIA MAGNITVDO ET DVRATIO ſunt maximè generalia, vnde parua hic de ipſis, quia expreſſiores fient reductiones ſub eorum combinationibus, cum alijs Principijs, vt ſub titulis Magnitudo Bonitatis, Durationis, Poteſtatis, &c. Duratio Bonitatis, Magnitudinis, Poteſtatis, Cognitionis, &c. Quædam tamen hic adijcimus, ne ſint penitùs vacua.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MISCELLANEA.

ANIMA humana perfectio eſt alijs formis, quia ad vnum non eſt determinata; Corpus etiam eſt erectæ ſtaturæ, & cerebrum omnium capaciſſimum.

Quantitas eſt primum accidens coævum materiæ, cui cætera omnia ſuperveniunt.

Perfectiora ſunt numeroſiora, quia vt propiùs ad Dei bonitatem, ſic ad infinitatem accedunt; quò nobilior ſphera eſt, eo amplior terra cœlo comparata eſt puncti inſtar; quod autem in corporibus eſt dimenſio, in incorporeis eſt numerus, quia etiam inferiora ſuperiorum gratia ſunt; ideo rerum omnium corporalium numerum excedunt Angeli, ex Div. Dioniſ.

Et in hoc vniverſi creator, opus ſuum ſibi ſimillimum reddere voluit, dum abſolutas & per ſe exiſtentes mentes, immenſo penè ſpatio dilatavit. Marſ. Fici. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

Licet Deus ſit vnus, ſtamen rerum multitudinem creavit, vt cùm non poſſent ſingulæ, multæ melius immenſam eius bonitatem repreſentarent. D. Tho. 1. q. 5. a. 3.

Iuſtitia præeminet inter cæteras virtutes, quia eſt ad alterum, & bonum commune ſpectat. 2. 2. q. 58. art. 12.

Vitia quæ ſunt in exceſſu minora ſunt quam ea quæ ſunt in defectu, magis enim ad rationem boni pertinent, vt prodigalitas minus vitium eſt, quam avaritia. Ibid. q. 119.

Quidam exiſtimant, quicquid eſt magnum, id bonum eſſe; ſcelera laudem mereri, magna; vindictam, hoſtem penitus delentem; tyrannidem, omnia ſibi ſubjicientem: ſic excuſantur bella, quæ ſunt publica latrocinia, & homicidia; ſic quidam apud Platonem. 1. de Rep. probat extremam injuſtitiam, extremâ juſtitiâ meliorem, & 2. de legibus approbat ebrietatem in publicis convivijs.

Idem. 2. de Republ. probat multitudinem civium A in civitate neceſſariam; vt cum diverſis inclinationibus poſſint exequi diverſa munia.

Multitudo in civitate tanta eſſe debet vt poſſit vivere ſufficienter per ſe, & repellere inimicos.

Ariſtoteles non vult eſſe pluſquam decem millia civium in civitate; ſed melius eſt numerum non limitari, nam quantò plures erunt, tantò fortior erit civitas. *Vide Poteſt. Magnitud.*

Calamus Indicus eo præſtantior, quo altior. Bipedibus celeriora quadrupeda.

Optima eſt laurus, quæ eſt latifolia.

Cæremoniæ in veteri lege fuerunt multæ, ad reprimendum Idololatriam, & ad ſignificationem multarum rerum. D. Tho. 1. 2. q. 101. a. 3. B

Diverſæ legales figuræ in templo fuerunt inſtitutæ, ad ſignificandum Chriſtum; multæ, propter imperfectionem earum. 1. 2. q. 101. a. 4. ad 6.

Infinitum materiale eſt imperfectum, ſed infinitum formale eſt ſummè perfectum. 1. q. 1. a. 1.

Multiplicatio miſſarum, multiplicat oblationem ſacrificij, & multiplicat eius effectus. 3. q. 79. a. 7. ad 3.

Numerus denarius eſt ſignum perfectionis, in quantum eſt quodammodò terminus omnium numerorum. 2. 2. q. 87. a. 1.

Non derogat ſimplicitati divinæ, quòd multæ relationes Dei ad Creaturas prędicẽtur de Deo. 1. q. 32. a. 2.

Septenarius numerus vniverſitatem ſignificat. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 5. C

Non poſſunt canonici ſine causâ reſtringere numerum canonicorum, ſeu præbendarum. cap. ex parte. de conſtitut.

Quantitas eſt prima poſt ſubſtantiam. D. Thom. 1. 2. q. 52. a. 1. antiqui crediderunt illam eſſe ſubſtantiam. 3. q. 77. a. 2.

Saul cæteris & corpore, & moribus præſtantior. 1. Reg. 9. ſic apum Reges.

Raritas fit à calido, denſitas à frigido.

Figuræ, quæ plures habent angulos, ſunt majoris

capacitatis, & magis ad circulum accedunt.

Fontes, & metalla in montibus.

Libræ majores sunt exactiores; apparentque in illis pondera, quæ minoribus sunt insensibilia. Arist.

Spissum tantùm lucet, ideo aër non lucet.

Mondus habet omnes corporum dimensiones, vt possit corpora sine mutua penetratione continere.

Deus materiam dimensione extendit, vt repugnantes inter se formas hospitiis diversis exciperet. Marsil. Ficinus.

Magnitudo corporis cum optimâ conformatione, hominem judicio præstantem significat.

Vide physionomiam, id est, *Cognitio Virtutis.*

Quibus ampliores sunt venæ, hi naturâ calidiores sunt. Galen. lib. 2. de temperamentis.

TOTALITAS ET INtegritas.

AD perfectam mixtionem, oportet omnia elementa concurrere, & conferre suam propriam virtutem.

Anima separata habet inclinationem ad corpus, vt efficitat integrum compositum.

Non habet fidem informem, etiam qui peccat in vno fidei articulo. D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 3.

Nihil debet ex formis sacramentorum diminui. Id. 3. q. 66. a. 5.

Totum manna collectum comedi debebat eâdem die. Exod. 16. Sic nihil residui debebat esse ex agno Paschali. Exod. 12. Confessio Sacramentalis debet esse integra. Deus præcipit sibi fieri altare, de non sectis lapidibus: si enim inquit levaveris cultrum tuum super eo, polluetur. Exod. 20.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Non remanebit adeps solemnitatis meæ vsque mane. Exod. 23.

Quod dabatur sacerdotibus, de panibus & carnibus totum eâdem die debebat comedi, aut comburi. Exod. 29.

In holochausto tota hostia cosumebatur.

In Sacrificio pro peccato, pellis etiam, pedes, fimus, & omnia extra castra consumebantur. Levit. 4. Si quis carnes pacificorum ad tertium diem servaverit, irrita erit eius oblatio. Levit. 7. qui offert Sacrificium, offerre simul debet libamenta. eod.

Naxarei, non solum à vino, sed ab eo omni quod ab uva procedit, se abstinebant.

Duces tribuum offerunt vasa aurea, sed plena similà conspersâ oleo. Num. 7.

Non progreditur populus, nisi reversâ Mariâ in castra. Num. 12.

Cum victimis simul debebat offerri farina, oleo conspersa, & vinum ad libamina. Num. 15. Sacrificia enim præferebant speciem convivii.

Ex voto facto delentur omnes vrbes Chananæorum in Anathema. Num. 20.

Si qui remanserint, erunt vobis vt clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, dicit illis Deus. Num. 33.

Postquam Balaam visis omnibus castris Israel illis benedixisset, dicit illi Balac, veni in locum, vnde totum videre non possis, vt ei maledicas. Num. 2.

Moyses dans legem populo dicit, non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Deut. 4.

In Anathemate omnia comsumebantur. Deut. 7. 13. & 17. Ideo punitus Saul, qui Regi Agag, & pretiosis pepercerat. & Iosue 7. hostia sine maculâ.

Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Calidum perfectè digerens humidum est in causa saporis dulcis, privato vero humidi perfectè digesti est incaulà saporis amari.

Circularis motus solus perfectus est, quia nihil extra se relinquit.

Ametistus Veneri dicatus, debet esse purissimus & sine maculâ, vt habeat suas virtutes, quia Venus ad qualitates proprias perfectione omnimodà indiget.

Numeri cujuslibet ratio consistit in indivisibili.

Dolus feliciter non succedit, nisi servatis exactè omnibus circonstantiis.

Angelus movetur secundum totam vim suam in id quod agit. D. Thom. 1. q. 62. a. 90.

Ex eo quod aliquid attribuitur alicui, oportet ei attribui omnia quæ sunt de ratione ejus. 1. q. 28. a. 3. ad. 2.

Si homo non confiteatur omnia sua peccata, quæ habet in memoriâ, non est confessio, sed confessionis simulatio Supl. q. 9. a. 2.

Contemplativi dicuntur, non qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam dicant. 2. 2. q. 81. a. 1. ad. 3.

Decinæ debent dari, non deductis tributis, nec mercede operatiorum. 2. 2. q. 87. a. 2. ad. 4.

Deus videri non potest per essentiam, nisi videatur Trinitas personarum. 2. 2. q. 2. a. 8. ad. 3.

Conversio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, fit tantum in vltimo instanti prolationis totius formæ, & singulæ partes formæ disponunt ad hoc. 3. q. 75. a. 7. ad. 1.

Lex divina prohibet & punit omnia peccata, non autem lex humana. 12. q. 91. a. 4.

Mutilatio membrorum est illicita, nisi fiat propter bonum totius corporis, vel à publica potestate, propter bonum commune. 2. 2. q. 62. a. 2. ad. 1.

Holocaustum est dare se totum Deo; cui ideo multùm placet. 2. 2. q. 18. a. 3. ad 6.

Generale est omni Sacramento, quòd si obmittatur aliquid de substantia Sacramenti, oportet illud iterari. 1. q. 38. a. 6. ad. 1,

Status Religionis est holocaustum mancipans totum hominem Dei obsequiis. 22. q. 189. a. 3.

Id omne quod est de veritate humanæ naturæ resurget. Sup. q. 80. a. 4.

Christus quemcumque curavit, totum sanavit, mente & corpore. 3. q. 44. a. 3.

Simplex, aut totum cognoscitur, aut nihil. 1. q. 58. a. 5.

Gloria Sanctorum est sine successione. 1. 2. q. 67. a. 4. ad. 2.

Qui sacrificat, debet simul communicare, alioquin suspenditur Sacerdos. Concil. Tolet. XII. can. 5.

De exacta obedientia. *Vide Concordantia Potest.* obedire Potestati. *Vide Virtus Magnitudinis.*

Anima cum sit extra quantitatis genus, non determinatur ad tangendum aliquam partem quantitatis, sed est tota in qualibet parte: vt tota vox auditur in qualibet parte domus, & vt centrum est in lineis omnibus & circulo toto. Marsil. Ficin. Theol. Plato. lib. 3.

EX VTROQVE IVRE.

LIbris legatis, non debentur hi, qui cœpti sunt scribi, & chartis legatis, non debetur papyrum ad chartas paratum. l. 52. ff. de leg. 3.

Furiosus habens dilucida intervalla potest in illis intervallis condere testamentum, dummodo ante-

by Google

quam furor ſupervenerit finierit teſtari: nam ſi ſuperueniat, cum nondum complevit, quod ante factum eſt, pro nihilo habetur, ſed habebit neceſſe de novo incipere. l. furioſum. 9. C. qui teſt. fac. poſſ.

Si quis voluerit teſtamentum ſuum revocare, & cum aliud ſcriberet obierit, prius valet, nam imperfectum teſtamentum nullum eſt. Inſt. quib. mod. teſtam. infirm.

Si quis hoc anno, vel hoc menſe dare ſtipulatus ſit, niſi omnibus anni vel menſis partibus præteritis, non rectè petet. Inſtit. de inutil. ſtipulat.

Contractus, quos in ſcriptis fieri placuit, non cenſentur facti, donec inſtrumenta completionem acceperint, & fuerint omnibus partibus abſoluta; prius enim pœnitentiæ locus eſt. Inſt. de empt. & vendit. B

Conſenſu plurium inita ſocietas, morte vnius ſocij ſolvitur, niſi aliter convenerit. Inſt. de ſociet.

Non poteſt quis teſtatus & inteſtatus deceſſiſſe. l. 7. ff. de Reg. Iur.

Incivile eſt, niſi totâ lege perſpectâ, vnicâ eius aliquâ particulâ propoſitâ, iudicare, vel reſpondere. l. 24. ff. de legib.

De dedititiâ libertate tollendâ. C. 7. t. 5.

De latinâ libertate tollendâ. C. 7. t. 6.

Accuſatores deficientes in vno articulo non ſunt admittendi ad ſequentia 3. q. 10. ca.

Si pluribus vſusfructus relictus ſit in ſolidum, oportet omnes mortuos eſſe, antequam quidquam pro- A prietatis ad Dominum redeat; nam inter eos eſt ius accreſcendi. l. 1. ff. de vſusfr. accr. *Vide Minoritas. Differentia.* Indiviſa.

Solvendo non eſt, niſi qui ſolidum poteſt ſolvere, l. 114. ff. de verbo. ſignif.

Hæreticus habetur, qui vel levi argumento, à iudicio Catholicæ Religionis obviaverit. l. 2. C. de hæret.

Non cenſetur paganus benè ad fidem converſus, ſi reliquam ſuam familiam in errore reliquerit. l. fin. C. de pagan.

Reſtitutio in integrum, reſtituit omnia in priſtinum ſtatum, etiam contra tertium. l. 1. C. de reput. quæ fiunt.

Niſi debitum integraliter ſolvatur, pignus non recuperatur. l. 1. Cod. de luition. pignor.

Pater teſtamento bona ſua inter filios dividens, quotas & quantas partes debet deſignare, non per ſigna, ſed per litteras totas. Nov. 107.

Non dicitur homo, qui adhuc in vtero embrio eſt, nec partes omnes hominis completas habet. l. 14. ff. de ſtatu homin.

Formæ actionum & contractuum non patiuntur plus & minus, ſed ſi quid deſit, aut penitus perimit, aut in aliam formam mutantur. l. 72. ff. de contrah. empt. vt cum additur, aut detrahitur iuri gentium, fit ius civile.

Teneris lege Aquiliâ, ſi boves alienos ita in anguſtum locum coëgiſti, vt inde deciderent. l. 53. ff. ad l. Aquil.

DVRATIO MAGNITVDINIS.

CONTINVATA MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

DVRATIO Magnitudinis eſt media A inter duo, ad quæ dicit reſpectum: ſcilicet inter acceſſum & efluxum. Finitur, ſi ceſſet influxus cauſæ ſuperioris, vt areſcit rivus fonte non influente; aut ſi vi externâ aliquid ab illa eradatur, vt à lineâ ſi pars abſcindatur. Dei Magnitudo durat ſemper æqualis, quia non eſt in potentia ad novas acceſſiones; nec etiam poteſt aliquid deperdere, propter ſuam infinitatem & immenſitatem; & quia ſuum exiſtere eſt ſuum eſſe neceſſarium.

Res autem Creatæ vt habent limitatum eſſe, ita II etiam limitatam magnitudinem, ſeu eſſentialem, ſeu quantitativam; & ſicut res quieſcit in centro motus ſui; ſic in determinatâ ſuâ magnitudine, vbi illam attigit; hæc autem deperditur, per ceſſationem influxus cauſæ, & per actionem agentis potentioris.

Magnitudo & quantitas materiæ primæ, per tot ſæcula, & poſt tot formarum viciſſitudines; non eſt minuta; vt nec quantitas cœlorum & elementorum, quamvis, ex Ariſtotele, aquæ certis temporibus à calore cœli, & ſiccitate terræ imminuantur, poſtea reparentur advenientibus diluviis, in magnis annis; vt pluviis hibernis, quolibet anno Solari.

Creſcunt omnia donec pervenerint ad maturam ætatem conſiſtentiæ; dicit tamen Ariſtot. Crocodilum creſcere, quamdiu vivit; Nilum nullus vnquam parvum vidit; etiam mortuis creſcunt vngues, & capilli, propter reſiduum excrementum.

Venetorum Reſpublica parvam dignitatem negat ei, qui majorem geſſit, quaſi non deceat illum de gradu deſcendere.

Plato vult civitatem æquali ſemper eſſe numero civium, vnde matrimonia permittenda, habitâ ratione morborum popularium, bellorum, &c.

Cometa ſurſum durat, tum quia habet materiam ſpirituoſam, & ſi quid in ea ſit ponderoſum, ab igne ſurſum tendenti ſuſtinetur, & à ſuperiori attrahitur.

Sylvæ pro immobilibus habentur, cæduæ autem ſunt in fructu. l. divortio. ff. ſolut. matrim.

Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus, ſecundū animam & figuram corporis, non autem ſecundum quantitatem, debuit enim augeri, ſicut corpora aliorum hominum. D. Tho. 3. q. 33. a. 1. & 2.

Non erit completus numerus electorum, niſi in die iudicij. *Vide Medium Durationis.*

Quantitas ſub figurâ ſphæricâ meliùs conſervatur, quia in minima parte ſuſtinet ictus.

Vt agrorum ſervetur integritas, ponuntur limites,

muris, palis, ſepibus ſepiuntur, vt à vicinis non vſurpentur, aut ab aquis, temporumque injuriâ non minuantur; ſic extrema omnia naturaliter munita ſunt; vngues in extremis pedibus & manibus; Cortex arborum; animalia ferunt arma ſua in extremitatibus; eâ ratione habentur munitæ arces in limitrophis. *Vide Contrar. Finis.*

Maximum in cruce Chriſti ligneâ miraculum quod in materia inſenſatâ vim vivam teneat; ita ex illo tempore, licet innumeris penè hominum votis lignũ ſuum commodaverit, detrimenta tamen non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidiè dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus: ſed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem, de illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, A non vidit corruptionem. Paulin. Epiſt. 11. ad Severum. *Vide Duratio Poteſtatis, Virtutis, Æqualitas. &c.*

REPVGNAT.

CVm Athletæ ſupra modum laborent, & expleantur; Hypocrates dixit eorum conſtitutionem in ſummo verſari diſcrimine, faciléque in diverſum mutabilem. Galenus in exhortatione ad artes diſcendas. *Vide Finis Magnitudinis.*

Ex altis præcipitium eſt. *Vide Durat. Poteſt. Rep. Finis Poteſt. Finis Gloria. &c. Duratio Gloriæ Rep.*

Res humanæ naturalem habent ſcalæ imaginem. Phil. Iud. lib. de ſomnijs.

POTESTAS MAGNITVDINIS.

VIS. MAGNITVDINIS.

MISCELLANEA.

POTENS eſt Magnitudo, quia ſupponit A eſſe completum, eſt enim quantitas, cui vt materiæ diſpoſitæ, cætera accidentia rem perficientia ſuperveniunt: habet etiam collectas vires partium ſingularium. *Vide Poteſtas Concordantia.*

Extrema tantum contrariorum periculis ſunt expoſita; cum interim media ſecurè proficiant; Magna meliùs conſervantur, & ſic continuatâ actione ſunt potentiâ; minora ab illis abſorbentur, quod patet in animalibus: etiam lux quæ non habet contrarium, quando major eſt, minorem abſcondit; flamma major minorem cum ſuâ materiâ abſumit.

Appetitur ab omnibus, quaſi aptiſſimum ad omnia B inſtrumentum. Etiam vim virtutis exprimimus per magnitudinem, cum magnos viros vocamus, Deum optimum maximum; cum dicimus, animum magnificum, ampliſſimum, ſuper omnia creata elatum; cum majores vires tribuimus Angelis, qui majorem habent ſphæram activitatis: Magnitudo inferiorum plura attingit, ex quibus trahit ſibi conveniens; ſic plantæ & arbores ſugunt è terra, & proficiunt, habitâ ratione ſuæ magnitudinis; ſic mercatores, ditiores, Principes, magis diteſcunt, tum ſimilium commercio, tum contrariorum victoriâ & prædâ: ideo fortè res parvæ ſunt in ſuis initiis, quia ſi magnæ eſſent, potentiori actioni non ſufficeret mundus: quod eſt majus trahit ad ſe minus, vt mare flumina vt magna Regna minores dominationes, vtunturque illis quaſi inſtrumentis ad C ſuum commodum. Omnipotentia Dei explicatur per immenſitatem, à fine vſque ad finem pertingens omnia: corpora dominantia, vt cœli & elementa ſunt aliis majora; nullumque eſt æqualis magnitudinis, niſi cujus æquale eſt officium, vt duo pedes, duæ manus, &c. quando vero per Atrophiam minuitur magnitudo, concidunt vires.

Actio agentis corporei, ſine quantitate non datur; vt Chriſtus non audit, non videt in Sacramento.

Stellæ fixæ maiores, præſtantiores etiam habent vires.

Qui virtute præcellunt, nullam faciunt ſeditionem, quia pauci ſunt. Ariſtot. 5 Politic. c. 4.

Iuſtum populare, eſt æquum habere ſecundum numerum, non ſecundum dignitatem; vnde ſecundum hoc iuſtum multitudo dominatur, & quidquid decrevit populus, id ratum eſt. Ibidem lib. 6. c. 2.

In populari gubernatione augeri ſemper debet numerus populi, ſupra nobiles, & ob id complures cives efficere. Idem lib. 6. cap. 4.

Multitudo prævalet in bello, in oneribus ferendis aut trahendis, in famâ & opinione divulgandâ, & conſuetudine, quæ legis vim habet, introducendâ; ſic tenet locum regentis & legiſlatoris.

Aurum in tenues laminas ductum ſupernatat aquis, nec niſi in convenienti magnitudine petit centrum ſuum. Hinc fit vt mechanicæ opera, in parvâ materiâ probata, non bene ſuccedant in maiori.

Fluvii oriuntur potiſſimum ex montibus: ex Caucaſo celſiſſimo monte Aſiæ Phraſis, Danubius ex Pirenæis, Nilus ex monte Æthiophiæ, in Græcia Acheloüs ex Pindo, &c.

Primum mobile, cæteris cœlis maiorem habens ſphæram, alios movet.

Vt corpus afficiatur, requiritur quædam proportio agentis & patientis; neque enim vna vel altera gutta potus calidioris vel frigidioris intemperiem calidam vel frigidam in ventriculo efficiet, ſed iuſta eius quantitas.

Vt elementares qualitates multum agant, multam deſiderant materiam; ſecus in occultis & venenatis, quæ in parvâ materiâ multos edunt effectus.

Stellæ nebuloſæ nebulas trahunt, quia ſunt greges occultarum ſtellarum, lux etiam earum exilis apta eſt talibus vaporibus.

Fel paulatim fluit è iecore, & aſſervatur in veſicâ fellis, vt convenienti tempore exundet in inteſtinum

duodenum, ſatis magnâ copiâ, ad expellendum excrementa.

Cerebrum in homine proportione maius, quam in cæteris animantibus, propter magnas intellectus operationes.

Populus numero prævalet contra nobiles, qualitate præſtantiores.

Medicamenta exitialia, vt Mandragora, Papaver, atque Cicuta, quantitate tantùm nocent. Galen.

Magnus exercitus nihil agit, niſi in ampliſſimo loco, in quo ſe poſſit explicare.

Habitus per plures actus collectivè ſumptos acquiritur. D.Thom.2.2. q.51. a.3.

Pars cedit toto, ſic acceſſorum ſequitur naturam principalis: publica privatis præferenda. *Vide Gloria Differentia.* Vt quod fundo accedit per alluvionem: fontes merguntur in fluminibus, flumina in mari; planta quæ egit radices in meo fundo ſit mea. Sic de ſatione. l. fin. ff. quod vi aut clam; fructus pendentes faciunt partem fundi: munera dantur divitibus: quilibet ſequitur partem potentiorem, vt ſecuriorem: cùm ſe populus premit, turba abducimur: rivum avertimus, non torrentem, non mare, non flumen inundans: ſemper ſpecialia generalibus inſunt. l. 147. ff. de reg. iur.

Voluntas neceſſariò movetur ab vniverſali bono, non verò à particulari. D.Thom.22.q.10.a.2.

Græcus quidam de ingenti Xerxis exercitu dicebat; diutiùs illi perire poſſunt, nos vincere.

QVANTITAS SVPPLET *defectum perfectionis.*

MVltæ ſtellæ fixæ, ideò ſunt, vt cùm habeant vires planetarum, eorum vires ſuppleant, cum abſunt à noſtro horizonte.

Cum eſt nimia thoracis capacitas, reſpiratio quidem minor eſt, ſed frequentior & ſemper inſpirationi minori, quam ſit ex vſu, citiſſimè ſuccedit alia: ſic de pulſu, quando parvus eſt, ob arterias ab humore compreſſas.

Cum natura plurimum valet, expellit per criſim quod moleſtum eſt, per vnum locum duntaxat, ideò optimam criſim efficit; ſed cum imbecilla eſt, tentat id per vnum locum, mox per alium, adeò vt multiplex fiat expulſo, ſed criſis moleſtior, & minus vtilis. Senertus.

Mixtum regimen ex Monarchia, Ariſtocratia, Democratia eſt optimum, quia in vnaquaque forma regiminis, non invenitur debita perfectio, mutuantur illam ab invicem. *Vide Poteſtas Concordantia.*

Æſtate, quia difficilius fit concoctio, ideo pauca, ſed ſæpius offerenda. Galen.

Deligationis firmitas in Chirurgia habetur, aut adſtrictione, aut linteorum multitudine.

Indicium vnum malum vehemens, à multis bonis interdum vincitur, ſicut à multis malis, vnum bonum.

Conſtituit Plato civitatem, vt quod vnus, aut duo, non poſſent efficere, plures præſtarent.

Polygamia fuit initio mundi, & eſt in regionibus, in quibus mulieres ſunt minùs fœcundæ. *Vide Minoritas Medij.*

Multæ potentiæ in anima noſtra, non in Angelo: præces publicæ, in defectum vnius Moyſis, qui poſſit levando manus in cœlum, obtinere victoriam.

In corpore humano, elementa inferiora ſcilicet terra & aqua, quia ſunt debiliora, abundant ſecundum quantitatem, alia autem ſecundum virtutem. D.Th. 9.91.a.1.

Vt quantitas ſupplet defectum perfectionis, ſic perfectio quantitatis. *Vide Æqualitas Magnitudinis.*

Infirma animalia ſunt gregalia. *Vide Principium Concordantiæ.*

Deus aufert de ſpiritu Moyſi, & dat 70. viris. Num.11.

Noctè plures lucernæ, & ſtellæ loco ſolis: propter imperfectionem intellectus noſtri, conamur perfectionem eſſentiæ divinæ explicare per diverſa attributa; ſic antiquorum Deorum, Iovis, Mercurij, &c. nomina, ſunt vnius Dei nomina variè vtentis ſua poteſtate. Vide apud Senecam 4. de benef. cap.7. & Plinius lib.1. cap.7. dicit infirmitatem humanam rerum multarum indigam, tot ſibi Deos confinxiſſe, quot fuere bona, quæ concupiſceret, & mala quæ timeret. *Vide Concordantia Poteſtatis.*

Populus ſalvat Ionatham, quem Saul volebat occidere, quia comediſſet mel contra iuramentum. 1. Reg.14.

Aaron non poteſt reſiſtere multitudini volenti vitulum aureum fabricare.

Rex Geth remittit David, vt ſatisfaceret ſatrapis Philiſtinorum. 1.Reg.27.

Perit, qui non cedit commoto populo: ſic Iudas ſolvit maginam vim pecuniarum, & dat obſides, vt complaceat populo. Machab.

Aër maior, ſemper ſurſum magis fertur.

Finitas quæ ineſt corporibus, propter formas materiales in eis exiſtentes, eſt in cauſa corruptionis.

Ignis quanto major, tanto velocius ad ſuperius movetur; amnes rapidiùs evehuntur, quando exundant.

Corporis lucidi magnitudo dat radiis robur, quia tunc accidit radij eſſentiæ frequentia, ſive multiplicatio.

Montes præſtantiora generant, quam plana, tum quia ſunt cœlo viciniora, tum quia cava ſubit ex aquis temperata humiditas.

Terra ſtat, partes eius cadunt: ſolum mare in quo eſt magna congregatio aquarum, habet fluxum & refluxum. parvus ros ex aëre non cadit, ſed diſſipatur; magna pars magnetis, maximè trahit; regimen, & legiſlatio ab vno, conſeruatio à pluribus, vix enim conſentient ad mutationem; ſic plures conſiliarij boni, qui ad malum non concordabunt.

In conſiliis numerantur, non ponderantur iudicia: cui enim præ alium iudicii palma deferretur, ſine aliorum iniuria, tumultu, invidia, & fortaſſis malè: ineſt enim omnibus naturalis optima ratio, quæ ex pluribus colligitur.

Electio per minorem partem capituli facta non tenet, nec per ſubſequentem conſenſum ratificari poteſt. cap. auditis de eloct. & elect. poteſt.

In magnis coniunctionibus ſuperiorum Planetarum, prævalet is planeta, qui plus habet virium in ſigno, in quo fit talis coniunctio, duplices enim habet vires, & ſui, & ſigni. Mira, & multis experimentis probata obſervatio.

Abſque muro habitabitur Ieruſalem, præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Zach.2 *Vide Minoritas Magnitudinis.*

Angeli, animæ, cœli ſunt incorruptibiles quia in illis vnitas multitudinem ſtatuſque motum ſuperat. *Vide Principium Durationis.*

Animalia exanguia, quia frigidiora, & imbecilliora pluribus vruntur tubis, & ob id prælongo ſunt corpore, vt Iulus & Scolopendra. Galenus lib.3. de vſu partium.

Aquæ largæ difficiliùs corrumpuntur, muſtum &

cerviſia matureſcunt longè citiùs, & fiunt potabiliora in vtribus parvis, quam in doliis magnis. Si herba ponatur in maiore portione liquoris, fit infuſio magis, quam imbibitio; ſi in minore, fit imbibitio magis quam infuſio, vnde varius eſt effectus balnei & irrorationis. Baconius.

Sulphuris dragma vna, ſemilibræ chalybis admiſta, eam fluere faciet, & colliquari: non tamen idem præſtabit vncia ſulphuris, quatuor libris calybis: nam obſtinatio materiæ in patiente, per quantitatem augetur ampliùs, quam actívitas virtutis in agente. Bacon de augment. ſcient. lib. 5. cap. 2. Vnde inquit, non eſt tutum alicui experimento naturali confidere, niſi facta fuerit probatio, & in minore, & in maiore quanto.

Certis anni temporibus tanto glomerat copia piſcium, ex ſe licet debilium, vt rumpantur retia. Plin. l. 9. c. 8. *Vide Poteſtas Concordantia.*

Multis piſcibus dentes ſunt toto ore, vt turba vulnerum molliant, quæ attrita ſubigere non queunt. Idem lib. 11. cap. 37.

EX IVRE CIVILI.

ERror communis facit ius. l. 3. ff. de ſupell. leg. vnde candelabrum, creditum argenteum, argenti eſſe videtur. Valet teſtamentum ſubſignatum à ſervo, qui communiter liber habebatur: ſic prævalet multorum opinio.

Plurium creditorum conventio, cum debitore facta, ad alios quoque creditores pauciores numero, quamvis invitos pertinet. lib. 7. §. fin. de pact.

Licet plures Procuratores in vna cauſa dare in ſolidum, non per partes: ne in plures adverſarios, altera pars, cum incommodo diſtrahatur. lib. 3. ff. famil. Erciſc.

Vt vniverſitas conſtituat ſyndicum, ſufficit quod maior eius pars conſentiat. l. 3. ff. quod cuiuſque vniverſ.

Si in publico aliquid fiat, omnes cives poſſunt opus novum nuntiare: nam Reipublicæ intereſt, quam plurimos ad deffendendam ſuam cauſam admittere. l. 4. ff. de novi oper. nuntiat.

Vnde parum pro nihilo reputatur. *Vide Minoritas Magnitudinis.*

Qui petit totum, & ſuccumbit, obſtat exceptio rei iudicatæ, ſi velim petere partem, quia pars in toto: vt qui petiit gregem, ſi ſuccubuit, non poteſt petere capita. lib. 7. & 21. ff. de except. rei iudic.

Si teſtamento plures tutores dati ſunt: non tenentur ſatis dare: ſi tamen vnus ſolus velit gerere, non admitteretur niſi ſatisdet. l. 17. ff. de teſtam. tutel. quia plus cautionis eſt in pluribus, quam in vno.

COGNITIO MAGNITVDINIS.

QVOMODO COGNOSCITVR MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

DEprehenditvr corporum quantitas per inſtrumenta Geometrica varia. Vt ſunt circinus communis & proportionis, baculus Iacob, ſcala altimetra, perſpicilia, vmbræ, reductio ad triangulum, cujus vna parte cognita, aliæ inferuntur: ſic de menſoribus agrorum, qui Arithmeticam iungunt Geometriæ.

Eclypſes ſolares indicant magnitudinem ſolis. Vide Cardin. de Cuſa pag. 178.

Ex fumo & ignibus, cognoſcitur quantum loci occupet exercitus hoſtium.

Apud Græcos & apud Romanos, cenſores deſcribebant omnium civium nomina, ætates, conditiones; hac omiſſa cenſura imperium Romanum inclinari cœpit. Sic recenſetur populus Iſraël libro numerorum; David recenſuit populum ſuum.

Magis vniverſalia & communia, ſunt priora in noſtra ſenſitiva & intellectiva cognitione. D. Thom. 1. q. 85. a. 3.

Quantitas eſt menſurabilis activè & paſſivè. Deus infinitatem ſuam cognoſcit & æquat infinitâ cognitione, quia ſua cognitio eſt ſua eſſentia.

Brevior apparet oculo via in planitie, ſic vita in fœlicitate; longior autem videtur in ærumnis, vt via, in qua ſunt ſigna, quæ ſpatium metiantur.

Numerus oſtendit animæ immortalitatem: nam nullus numerus poteſt mentis numerandi facultatem evacuare: vnde cum motus cœli per mentem numeretur, & tempus ſit menſura motus, tempus mentis virtutem non evacuabit, ſed manebit vt omnium menſurabilium terminus. Oſtendunt inſtrumenta motuum cœleſtium, quæ à mente humana procedunt, motum non tam menſurare mentem, quam mentem ipſum motum. Per motum obſervatum horologio & clepſidra, conjicio rei magnitudinem. Vide Cardinalem de Cuſa lib. de ſapientia idiotæ.

Infinitum, quatenus infinitum, eſt ignotum, quia ſi cognoſceretur, ad finem perveniret cognitio.

Quantitas & viſu & tactu cognoſcitur.

Magnanimus nihil admiratur, quia magno animo nihil magnum apparet, poſtquam totius naturæ ambitum demetitus, ad ipſum Deum contemplatione pervenit.

Prudens, rerum quas aggreditur, magnitudinem diligenter explorat, vt illis vires ſuas, cæteroſque eventus poſſit commenſurare.

Videntur majora objecta per aquam, & aërem denſum, vt Orientia & Occidentia aſtra; non enim clare videntur, & ſpecies magis diſgregantur.

In ſpeculis ſphæricis, non autem in planis, res minores apparent, quam ſint, quia radij à convexis reflexi, magis diſgregantur.

Crocodylus prævidet quo accedere debeat nili incrementum, & extra hunc parit ova ſua, anſeris magnitudine.

Finium regundorum. ff. 10. t. 1. C. 3. 39.

De menſoribus. Cod. 12. tit. 28.

Cum quis rem vult vindicare, debet deſignare an totam, an partem petat, & quotam; infectæ materiæ pondus; ſignatæ numerum; ſpeciem, menſuram dicere oportet. l. 6. ff. de rei vindicat.

Creditores & legatarij, probare poſſunt majorem eſſe ſubſtantiam, quam in inventario ſit deſcripta, & ſi hæres in hoc dolum fecerit, in duplum refundet. l. 22. § licentia. C. de jure deliber.

Error in quantitate non vitiat inſtitutionem. l. 1. ff. de hæred. inſtit.

Si duo hæredes pro minori parte, quam ſit hæreditas inſtituantur, quod eſt reliquum, illis accreſcit, l. 13. eodem.

Angelus metitur civitatem, interiùs & exteriùs; muros, & ſingulas eius partes. Ezech. 40. & Zachar. 2.

Pondera rerum in templo deſervientium. Exod. 25. 39. Levit. 5. 39. 26. &c.

Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij ponderabitur. Levit. 27.

Per doctrinam ſinuum in Mathematicis, datâ parte circuli, cognoſcitur tota eius capacitas; ſic per regulam quæ vocatur puncti perditi.

Numeri deſignant rerum multitudinem.

Timanthes Cyclopem pinxit, cujus vt intelligeretur proceritas, iuxta pinxit ſatyros eius pollicem tyrſo metientes. Plin. lib. 36. cap. 10. ſic vt appareat elephantis depicti magnitudo, iuxta appinguntur alia animalia.

Nullo ſenſu percipis quantitatem, niſi prius ſenſum qualitas moverit, vt non videtur parietis magnitudo, ſine colore & lumine. Hinc primò movetur appetitus ratione boni, quæ qualitas eſt, non ratione magni aut multi. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. c. 2.

Conſtantinus funiculo notans Pomœria vrbis Conſtantinopolis ædificandæ; dum multum progrederetur, quidam ei dixit, quouſque dum? Reſpondit, eouſque dum qui me præcedit ductor conſiterit. Hinc patet cœleſtem fuiſſe virtutem. Baron. an. 324.

Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat. Pſ. 146.

Sapientia, quaſi ex alto, res omnes earumque dimenſiones, & proportiones ad invicem contemplatur. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniverſalis.

Conficitur vitrum Calendarium, in quod immiſſa aquæ certa quantitate cognoſcuntur gradus caloris & frigoris: aëre per calorem rarefacto, aqua deſcendit, vt illi locum relinquat, compreſſo & denſato per frigus, aſcendit vt occupet locum. Hujus inſtrumenti fabricam vide apud Baconium in novo organo. lib. 2. de Calido.

In trimatu ſuo, cuique dimidiam eſſe menſuram futuræ proceritatis obſervatum eſt. Plin. lib. 7. cap. 16.

Crocodilus divinatione quædam ova ſua parit & incubat extra eum locum, ad quem ſummo auctu eo anno acceſſurus eſt Nilus. Plin. lib. 8. cap. 25.

Vulpes aute ad glaciem appoſitâ, conjectant craſſitudinem gelu. Ibid. c. 18.

VOLVNTAS MAGNITVDINIS.

APPETITVS DILATATIONIS.

MISCELLANEA.

ONTINVO, licet non ſenſibili motu laborat natura, vt res ab exigua ortus quantitate, ad convenientem perducat: appetitur autem, quaſi medium neceſſarium ad actionem, & obtentionem finis: præſcripta enim vnicuique rei magnitudo, eſt finis ad quem tendit vis accreſcendi, quæ eſt in gradu vegetativo. Ideò iuvenes magis ſunt edaces, quia alimentum debet ſufficere nutritioni & accretioni.

Hunc appetitum inordinatè tranſtulerunt ad bona fortunæ, homines, avari, ambitioſi, &c. de quo *Vide Voluntas Majoritatis. Mala.*

Ea quæ magna æſtimamus, magis memoriæ infigimus. D. Thom. 1. 2. q. 47. a. 2.

Appetitus rationalis, non fertur in particulare, niſi ſub ratione vniverſalis. 1. q. 80. a. 2. ad 2.

De limitato & illimitato rerum appetitu. *Vide Finis Voluntarie.*

Spiritus in lapidibus & metallis latet, mole materiæ oppreſſus, qui ſi ritè ſecernatur, vegetabit, vnde Plinius de marmoribus loquens, ait, vidimus vlcera montium ſuâ ſponte compleri.

Appetit convenientem ſibi magnitudinem, & ingenti commotione illam ſibi vindicat, rarefactus aër in cavernis terræ, ſeu naturalibus, ſeu arte factis, ſcilicet in cuniculis pulvere pyrrhico repletis ad diruendas arcas; ſic ex bellicis bombardis magno mugitu exploditur. Ignita ingenia, æmulatione comitata, anguſtem non patiuntur fortunam, ſed movent ſeditiones, vt emineant. *Vide Voluntas Poteſtatis.*

Ignis datâ materiâ ſemper augetur, aër dilatatur, aqua ſurſum aſcendit, vt omnem occupent locum, & ne detur vacuum.

In multis amatur magnitudo, vt quid excellens, ſic in gemmis, vnionibus, fructibus, arboribus, animalibus, equis, bobus, & ceteris. In ipſis etiam hominibus, in quibus procera ſtatura, videtur eſſe indicium magnæ latentis virtutis. *Vide cognitio Virtutis*, de phyſionomia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Lumen ſolis per anguſtum foramen tranſiens, poſtea dilatatur, & in principij ſui orbicularem & capaciorem figuram conformatur. Baconius vocat motum libertatis, ne detur compreſſio aut extenſio præternaturalis.

VIRTVS MAGNITVDINIS

PERFECTIO EX MAGNITVDINE EX EXTENSIONE.

MISCELLANEA.

EST aliqua in magnitudine virtus, cum per magnitudinem exprimamus virtutem, vt dictum eſt ſupra tit. *Bonitas Magnitudinis.* Forma enim convenientem ſibi quantitatem nacta, fortiùs, & ſplendidiùs ſe explicat, viresque ſuas in ſuum & aliorum commodum liberius exerit, maximè cum ad accretionem ſibi comparandam non ſint amplius occupatæ. *Vide Poteſt. Magnitudinis, & Magnitudo Bonitatis, Durationis, Poteſtatis, & aliorum omnium Principiorum.*

Lunâ plenâ maria purgantur. Plinius. lib. 2. cap. 97.

Caput majus quàm congruit, arguit ſenſus augmentum, virtutem, & magnificentiam; vniones, gemmæ omnes, habentur magis prætioſæ ex ſuâ magnitudine.

Reſpirantia in pauco aëre ſuffocantur, & aquatilia in pauca aqua, celeriter enim vtrumque fit calidum.

Rigent maximè extrema corporis, quia anguſta ſunt, parumque habent ſanguinis & caloris.

In Deo eſt magnitudo virtutis & perfectionis, non autem magnitudo molis. D. Thom. 1. q. 42. art. 1. ad 1.

Magnitudo Dei, eſt perfectio naturæ eius. 1. q. 42. art. 4.

Infinitatem divinam conantur imitari magnitudines ſublunares, multiplicatio motuum cœli, individuorum per generationes, ſpecierum intentionalium in aëre, Lunæ & Mercurij virtutis, cæterorumque Planetarum induentis; ignis ſemper creſcentis data materia; humidi difficilè ſuo termino ſe continentis.

Charitas eſt dilatativa vnde dicit Apoſtolus, cor noſtrum dilatatum eſt; dilatamini & vos. 2. Cor. 6. Homo ſe perfectè ſubjiciens Deo, transformatur in ipſum, ſic acquirit maximam amplitudinem.

Virtutes Cardinales, quæ aliarum actus dirigunt, ſunt virtutes generales. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 5. *Vide Magnitudo Virtutis.*

B

REPVGNAT.

Vide Virtus Minoritatis, & Minoritas Magnitudinis.

EFfuſa enim ſunt debilia. *Vide Majoritas Magnit.* VNde vis in collectione. *Vide Poteſtas Concordant.*

Quidam irridens hominem procerum, ſed fatuum; cum quæreretur ab eo qualis eſſet; nullus, malus, magnus, piſcis. Nullus ſcilicet inter peritos. Athenæus. lib. 8. cap. 7.

VERITAS MAGNITVDINIS.

QVÆ SIT VERA MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

NVMERVS nihil eſt aliud, quam vnitates plures, & vna quanta. Ariſt.

Quantum eſt, quod habet partes extra partes; Quantitas eſt continua, aut diſcreta, Continua eſt cujus partes communi vinculo copulantur: eſt permanens, vt linea, ſuperficies, corpus; aut ſucceſſiva, vt tempus, & motus.

Diſcreta quantitas eſt numerus; qui eſt par aut impar, &c. *Vide Differ. Magnit.*

Cum civitas ſit hominum congregatio quæ aliquid operari debet, ejus magnitudo, non ex numero, ſed ex potentia debet æſtimari. Ariſt. 7. Polit. 4. quod ſi æſtimetur ex magnitudine; non ex qualibet, vt ex numero ſervorum, inquilinorum, hoſpitum; ſed ex eis, qui ſunt pars civitatis. Ibid.

Non eſt melior civitas, quæ eſt magis populoſa. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

Cibi

Cibi quantitatem præſcribimus, proportione illius quod effluxit è corpore.

Si idem cum eodem pluribus actionibus agat, quarum ſingularum quantitas intra juriſdictionem judicantis ſit; coacervatio verò omnium excedat modum juriſdictionis eius; apud eum agi poteſt. l. 11. ff. de Juriſdict. Vbi autem de re communi agitur, ſpectanda eſt res integra, non pro ſingulorum parte. eodem.

Quoties de quantitate ad juriſdictionem pertinentis agitur, ſemper quantum petatur, quærendum eſt, non quantum debeatur. l. Final. ff. eod.

Pecunia non tam ex materia, quam ex æſtimatione, & forma publica, quâ percuſſa eſt, prætium habet.

Major pars creditorum cenſetur, pro modo debiti, non pro numero perſonarum: ſi autem par ſit numerus creditorum, præferendi ſunt, qui dignitate excellunt. l. 8. ff. de pactis.

Si conduxiſti navem amphorarum duo millium, pro tantundem prætium debes; ſecus eſt ſi pro numero amphorarum impoſitarum, prætium ſit conſtitutum. l. final. ff. ad l. Rhod.

Depoſitum eſt reddendum majori parti hæredum: major autem pars, non ex numero perſonarum, ſed ex portionum hæreditariarum magnitudine intelligitur. l. 14. ff. depoſ. *Vide Veritas Majoritatis.*

Si res eadem pluribus legata ſit, non debetur niſi ſemel, ſecus ſi certa quantitas, quia poteſt multiplicari. l. 34. ff. de leg. 1. & l. 88. §. 7. de leg. 2.

Vera quantitas actionis intelligitur, in quam iudex tulerit ſententiam. l. 1. C. de plus petitionibus.

Ripa dicitur ea, quæ pleniſſimum flumen continet, & quatenus fluunt hybterni fluctus, naturalem viam ſecuti. l. 1. §. ripa. de flumin. & leg. penult. eodem.

Quantitas debita alicui ſpeciei, non eſt determinata ſecundum aliquod indiviſibile, ſed habet aliquam latitudinem. D. Thom. 3. quæſt. 33. art. 2. ad 2.

Demoſthenes audiens oratorem immodicè vociferantem, non inquit, quod magnum eſt, bene eſt; ſed quod bene eſt, magnum eſt.

Vera magnitudo non eſt in rebus per infinita minima diviſibilibus, ſed in infinita vnitate & immenſitate Dei. *Vide infra Proximè Gloria Magnitudinis*, ex Ficino.

Deus eſt prima, ſimpliciſſima, ſimulque infinita vnitas. *Vide Differ. Magnit.*

Vbi dicitur illud verè eſſe integrum & totum quod eſt vnum, eſſentiâ, puncto, momento.

Capheſias tibicen rogatus vt altiùs caneret, & magnum valdè modularetur, Non, inquit, in magno benè, at in benè magnum eſt poſitum. Athenæus. lib. 14. cap. 12.

Magni Piſces, vt Balena, Orca, Delphinus, Vacca marina, & alij, aſſimilantur terreſtribus perfectioribus animantibus, in eo quod aërem reſpirant, vocem habent; non ova, vt alij piſces, ſed fœtus vivos ferunt vtero, editos alunt vberibus, amant & fovent. Vide Plin. lib. 9. cap. 6. & ſeqq.

A

REPVGNANTIA.

TEmpus eſt imperfecta quantitas, quia non poteſt haberi niſi per partes.

Numerus eſt collectio vnitatum: non eſt formaliter ens reale, quia conſtat ex partibus divulſis, & minimè cohærentibus: vnitates etiam ex quibus componitur ſunt negationes.

Raritas advenit corpori, non auctâ eius ſubſtantiâ, nec quantitate. Sic in bullis aquæ, in honoribus & titulis qui ſunt tantum denominationes extrinſecæ nihil ponentes in homine.

B

Sol oriens major apparet, propter vapores ſpeciem dilatantes.

Aquæ ſuperficies, major eſt, ſi comparetur ſuperficiei terræ; moles tamen terræ major eſt, & eius ſemidiametrum longè ſuperat altitudinem maris.

Res viſa exiſtens in diaphano denſiori, vt in aqua, apparet major quam ſit, quia apparet proximior.

In tumoribus partium, qui fiunt ab influente humore, eſt obſtructio.

Exercitus hoſtium apparet major, ex numero ſervorum, curruum; ex timore etiam, quem incutit. Pan fecit exercitum ſuum clamores & tubarum elangores edere, in loco in quo erat Echo; hinc territus hoſtis: vnde dicitur terror Panicus. Vide Polienum in ſtratagem. Vt etiam videatur major exercitus, milites à ſe magis, quam ſolet, diſtantes incedunt, facies agminum militibus refertæ, ſed vacuo interiori; apparet etiam major, cùm incedit per loca anguſta.

C

In nocturno conflictu, ſi lunam lucentem habeas à tergo, facit corpora videri majora quam ſint, & majo: videtur numerus propter vmbras.

Auxilia quæ à longè veniunt, majora quam ſint creduntur. *Vide Veritas Contrar. Rep.*

Non eſt vera magnitudo, tumoris, inflationis, bullæ, vanitatis mundanæ, jactantiæ, torrentis, fluvij exundantis; quia non eſt durabilis; ſic nec aulici, hominis ſcenici; ſomniorum, faſcinationis, oculorum, vt nec perſpectivæ, & perſpiciliorum arte apparentis.

D

Si menſor falſum modum dixerit. ff. 11. tit. 6.

Converſi ad Deum dicunt; verè mendaces erant colles, & multitudo montium. Ierem. 3.

Quando falſa appareat magnitudo. *Vide Veritas Cognit. Rep.*

Non eſt vera magnitudo in cupiditatibus. *Vide Veritas Virtutis. Repug.* in Miſcell. in fin.

Flante Eüro viſibilia omnia majora apparent.

Omnes montes cavernoſi ſunt. Vnde ex illis oriuntur venti.

Fiunt ea arte ſpecula, vt vel vno intuente populus totidem imaginum fiat. Plinius libro. 33. capite 9.

E

Digitized by Google

GLORIA MAGNITVDINIS.

DEI IMMENSITAS.

MISCELLANEA.

INFINITAS negat terminum in perfectione eſſentiali : immenſitas verò negat terminum in ſubſtantiali præſentialitate; ſeu negat terminum loci, vt major perfectio eſſet in corporeis, ſi ſe poſſent pluribus locis exhibere præſentes:& quò ſubſtantia ſpiritualis eſt perfectior,eò majorem habet ſphæram præſentialitatis. Infinitus Deus actu, actu habet præſentiam vbique.

Cum dicitur Deus eſſe vbique per præſentiam, potentiam & eſſentiam, preſentia dicit ordinem ad intuitionem, quia vt præſens, res videt. Secundò, dicitur præſens per potentiam, quatenus virtute ſua omnia conſervat, & cum omnibus operatur. Tertiò, dicitur eſſe in rebus creatis per eſſentiam, id eſt per indiſtantiam eſſentiæ.

Eſſe immenſum convenit Deo, neceſſariò, immutabiliter, & ab æterno: nam etiam nullis rebus creatis æquè immenſus fuiſſet: eſſe autem in rebus convenit illi dependenter à libertate ſua, quâ illas creavit. Rationem hujus præſentiæ reddit D. Thom. quia cauſa perfectiſſimo agens modo, perfectiſſimè etiam adeſt ſuo effectui, illumque ſecum conjunctum habet, vt illi perfectè dominetur. Ita autem Deus eſt in hoc mundo, vt illo non circumſcribatur : ratio ſumitur ex ejus infinitate;vnde à quibuſdam dicitur,Deum nuſquam eſſe, & vbique eſſe ; nuſquam, quia nullo circumſcribitur ; vbique, quia à nullo excluditur.

Hæc ergo immenſitas, ſignificat Deum eſſe in omnibus partibus, & ſecundum omnem dimenſionem, longum, latum, profundum. Magnus Dominus pſal. 144. quò ibo à ſpiritu tuo Pſal. 138. Poteſt dici quod longitudo ſit Dei longanimitas, expectando peccatores ad pœnitentiam ; latitudo ſit ejus charitas, quâ omnes gentes, etiam inimicos complectitur; ſublimitas, gloriæ celſitudo, quam diligentibus ſe præparavit; profundum, miſeriarum abyſſus reprobis præparavit.

Propter hanc immenſitatem, in ipſo ſumus & vivimus, non ſolum tanquam in cauſa efficiente, ſed etiam tanquam in ſede, fundo, & baſi nos capiente, ſuſtentante, conſervante, & vndique ambiente. Ideo Deus magis eſt præſens cuilibet rei, quam ipſa ſibi; nam totus eſt præſens cuilibet particulæ, & indiviſibili puncto;ipſa vero res non eſt præſens tota ſuæ parti : ſic anima magis eſt præſens corpori, quam corpus ſibi.

Nota quòd Deus ita ſuo ſubſtantifico influxu res tangit, vt tamen ab ipſis non tangatur : nam ita præſens eſt loco, vt tamen naturæ gradu, & celſitudine infinitè diſtet, in ſeipſum collectus, & firmiſſimè in ſua puritate ſubſiſtens ab omnibus ſegregatus : vndè ſimul & conjunctiſſimus, & remotiſſimus ; præſentiſſimus, & ſecretiſſimus ; collectiſſimus & diffuſiſſimus. Hæc ex D. Thom. Becano. & Leſſio. vide quæ ſcripſi Theol. natural. tom. 3. parte 1. cap.

Fallit nos phantaſia, concipiens Deum ſparſum per corporalem mundi machinam; nam corporalis machina eſt vmbra quædam exilis, quæ innumerabiliter in parvas partes dividitur, habetque parvitatem interminabilem, magnitudinem terminatam. Magnum verò revera eſt illud, in quo nihil eſt parvum; in quo quidquid eſt, totum eſt, omne, & magnum. Quod explicatur per omne quod eſt extra.

Conſiſtens itaque Deus in ſe, exiſtit vbique; nec per mundum Deus, ſed mundus per Deum, quatenus poteſt, extenditur: & ſicut vim divinam, quæ infinita eſt, mundus aſſequitur modo finito; ita præſentiam ejus, quæ per immenſum fulget, finito ſitu conſequitur. Non progreditur per rectam lineam mũdus, vt attingat Deum, qui nuſquam abeſt, ſed convolvitur pro viribus circa illum : imò revolvitur in illum, ibi dumtaxat, vbi divina lege ſitus ei, motuſque præſcribitur. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 2. c. 6.

Deus mundum regit mirâ facilitate,quia non attingit tantum extrinſecus, ſed intrinſecus agitat, cum inſit rerum omnium penetralibus. Ibidem cap. 13.

Præſtantiora omnia ſunt in quadam ſupra alia elatione. Vt cœli: elementa nobiliora ſunt ſuperiora; homo cæteris rebus imperans, eſt erectæ ſtaturæ ; Reges, Pontifices, Magiſtratus in ſede & thoro elato conſtituuntur: ſic olim Philoſophi Indiæ in montibus habitabant, vbi aër purior ; & ipſa ſuâ habitatione mentis elationem ſupra humana teſtantes.

Iſraël contra incurſiones Madian ſe recipit in montibus. Iudic. 6.

Nubes excedit olympus; pacem ſumma tenent; ſic heroïca virtus eſt ſuper invidiam.

Æſtus marini reciprocatio, non ſentitur in medio mari; magna non tam facilè moventur, vnde magnæ civitates, non vt parvæ ſubjacent ſeditionibus.

David viſus ſibi complacens in multitudine populi ſui. quem fecit deſcribi, punitur à Deo. 2. Reg. 24.

Caucaſus, mons Aſiæ, ita eſt excelſus, vt ad tertiam vſque noctis partem illuſtretur.

Suburra navis, ne levior à mari nimiùm jactetur: ſic Sepia piſcis ortâ tempeſtate, ſaxa, velut anchoras vehens natat. Athenæ. lib. 7. cap. 36. Sic Echini, ne ſpina ſuæ voluntatione atterantur, arrepto lapide ſibi pondus faciunt contra tempeſtatem. Plin. l. 9. capite 31. *Vide ſupra Poteſtas Magnitudinis.*

Inſecta quo plures habent pedes, diutiùs vivunt, divulſa, vt patet in ſcolopendris. Idem. lib. 11. c. 4.

Sic Apes orta procella, apprehenſi ponduſculo lapilli ſe librant. Idem lib. 11. cap. 10.

Optimum vineas vlmis, cæteriſque arboribus maritare, vt ſic à pecore tutæ ſint. Idem lib. 17. cap. 13.

Digitized by Google

Pytagoras dixit meliora ſurſum aſcendiſſe, mala autem omnia in terram infimam defluxiſſe. Photius. in Biblioth. capite 259.

Navibus longis atque operariis, propter belli vſum, poſt liminium eſt, & recuperatæ ab hoſtibus fiunt priorum Dominorum, ſecùs in piſcatoriis navibus. l.2. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.

De proceræ ſtaturæ honore *Vide Bonitas Magnitudinis, & Majoritas Magnitudinis.*

Phœnix avis vnica, non tantum pennarum ſplendenti aurataque varietate pulchra deſcribitur, ſed etiam Aquilæ magnitudine. Plin. lib.10. cap.2.

Rex apum cæteris major. *Vide Cognitio Poteſtatis, videri potens.*

Samuel proferens Saül coram populo, electum ſorte in Regem, dixit: Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo. 1.Reg. cap.10.

Sic Lacedemonij volebant Reges ſuos eſſe proceræ ſtaturæ, vnde Archidamum mulctaverunt, quòd duxiſſet vxorem puſilli corporis, quaſi ex ea non Reges, ſed regunculos eſſet ſuſcepturus.

Altæ ſylvæ prima fuerunt numinum templa, priſcoque ritu etiam nunc præcellentem arborem dicant: Plin. lib.12. cap.1.

Præclaris viris, & ſupra cæteros mortales elatis, columnæ & arcus in honorem erigebantur. A Idem libro 34. capite 6.

Sic Dij Coloſſis honorati. Sic Appollo in Capitolio. 30. cubitorum. Iupiter in Campo Martio. 40. cub. Ante omnes mirabilis ſolis Coloſſus Rhodi. 70. cubitorum: poſt 56. an. terræ motu proſtratus, jacens quoque miraculo fuit; majores erant digiti quam pleræque ſtatuæ. Ibidem cap.7.

Serviliorum familia habet tridentem æneum ſacrum, quem paſcit auro & argento, conſumentem vtrumque, illi ſumma cum cura, magnificentiaque, ſacra quotannis faciunt: hunc ferunt aliàs creviſſe, alias decreviſſe videri, & ex eò, aut honorem, aut diminutionem familiæ ſignificari. Ibidem cap.13.

B

REPVGNANTIA.

FEriunt ſummos fulmina montes.

Cum montes ſaxei ſint cavernoſi, ex illis oriuntur venti, quibus eorum cacumina priùs perflantur, & agitantur, quàm deſcendant in valles. *Vide Durnio Gloriæ Repug.*

Atlas arbores ſternit, aut exagitat tempeſtas. *Vide Gloria Minoritatis.*

Nimis magna, ſunt injuriis obnoxia. *Vide Majoritas Magnitudinis mal. & Majoritates omnium principiorum malæ.*

DIFFERENTIA MAGNITVDINIS.

DIVERSÆ SPECIES QVANTITATIS.

MISCELLANEA.

DE diviſione quantitatis. *Vide Veritas Magnitudinis.*

Stellæ fixæ in ſex gradus magnitudinis diſtinguntur.

Formæ non ſunt idoneæ in quavis materia, conſiſtere, ideo formarum diverſitas eſt cauſa diverſarum quantitatum, & magnitudinum. Averroës.

Eſt infinitum vigore & virtute, vt Deus duratione, vt motus cœlorum. Multitudine, vt numerus. Denique Magnitudine; hanc Plato & Ariſtoteles non admittunt: nam tale corpus infinitum, non poſſet produci ab agente finitæ virtutis; eſſet fruſtra, quia non poſſet nec agere, nec moveri, & cum illi nihil poſſit eddi, exhauſta eſſet in eo Dei potentia. Non datur etiam infinitum ſecundum multitudinem, quia eſſet generum, ſpecierum, aut individuorum, quod eſt impoſſibile.

Magnitudo alia ad vnum, & eſt linea; alia ad duo, & eſt ſuperficies; alia ad tria, ſcilicet longitudo, latitudo, profundum, & eſt corpus; his poſſunt addi locus, tempus, & numerus. Ariſt.

Sub Æquinoctiali vbi ſol magis viget, plus aëris in ignem convertitur, ideo amplior eſt ignis regio: ſub pôlis plus ignis in aërem, ideò amplior eſt aëris regio. Sic abundant, bilis æſtate, melancholia A autumno, ſanguis vere, flegma hyeme.

Quando cor dilatatur, fit minus longum, ſed latius, contra verò quando contrahitur; ſic fontes & flumina augentur hyeme, propter abundantiam humidi, & minuuntur æſtate.

Quantitas duplex virtutis & molis. D. Thom. 1. q.42. a.1. ad 1.

Numerus Angelorum, non eſt de genere quantitatis, ſed eſt multitudo tranſcendens & formalis. 1. q.30. a.3.

In magnitudine corporali, augmentum eſt duplex, ſcilicet per additionem, vt in viventibus; vel per intenſionem, ſicut in rarefactione. 1.2. q.52. a.2. ad 1.

Deus eſt prima, ſimpliciſſima, ſimulque infinita vnitas: ſub eo triplex eſt vnitas, ſeu totum, ſcilicet eſſentiâ, puncto atque momento: Eſſentiâ, eſt id quod non eſt compoſitum: Puncto, non diſperſum in quantitate: Momento, vt vno nutu omnia poſſideat. Primum totum ad Dei vnitatem proximè accidens, eſt Angelus, tribus dictis modis vnus; vnde convertitur in Deum ſine medio; ſtabilis, continet in ſe rerum omnium rationes, habitu ſimul & actu. Secundum totum eſt anima; quæ propter diſcurſum non habet vnitatem momenti, ſed habet duas alias, eſſentiæ, & puncti. Tertium totum eſt materia mundi, quæ retinet tantum vnitatem ſubſtantiæ, ſed momentis B

variatur, & diffunditur per quantitatem, & rerum rationes ſuſcipit tantum ſucceſſivè. Marſilius Ficin. Thelog. Plato. lib. 4.

Maris fundus inæqualis eſt, & hinc exurgit mare, cùm magna vis aquæ impellit in ſpatiũ minus capax.

Cuilibet ſpeciei ſua propria aſſignata eſt Magnitudo. *Vide Finis Magnitudinis.*

DIVISIO.

SOlutio continui, plaga, vacuum, quod non patitur natura. *Vide medium differentiæ.*

Non datur penetratio corporum. Abraham & Loth; Iacob & Laban ab invicem dividuntur, dum facti ſunt potentes.

DE NVMERIS.

DE rerum vnitate, quæ eſt principium numeri *Vide Minoritas Magnitudinis.* vnitas.

Proculus dicit quòd numerus, cùm ſit ſemper idẽ; alius tamen eſt in voce, alius in rerum proportione, alius in animâ & ratione, & alius in rebus divinis. Themiſtius & Boëtius exiſtimant ſine numerorum ſcientiâ, non poſſe bene Philoſophari: ſi tollas numeros, pereunt artes.

Numerus ſeſquitertius dicitur, qui conſtat ex toto aliquo numero, & ex tertia illius parte, ſicut ſe habet quatuor ad tria, dicitur Diateſſaron. Sexquialter appellatur, quando numerus continet numerum, & illius dimidium, vt tria ſe habent ad duo; conſtant quippe ex duobus, & ex eius dimidio, nempe vno; dicitur in Muſica Diapente. Duplus autem nuncupatur, qui eſt æqualis duobus numeris; vt duo ſe habent ad vnum, & quatuor ad duo. Nam bis ipſum continent, dicitur in Muſica Diapaſon; in hiſtota viget harmonia.

Numerus èx Pythagora eſt extenſio, atque actus ſeminalium rationum in vnitate regnantium: vel eſt exemplar fabricæ mundanæ: vel inſtrumentum iudiciarium fabri mundani: vel eſt imperioſa quædam, & ex ſe progenita ſempiterna mundanorum perſeverantiæ continentia.

Cùm Pythagoras duo principia poſuit, vnum & numerum: per vnum intelligit Deum: per numerum autem, infinitam eius potentiam per diffuſivam, & quod erat eminenter in vnitate, explicantem.

Numeri cùm abſtrahant à ſingularibus, & certâ ratione inter ſe primum commenſurentur, videntur eſſe ideæ opificij mundani, ad quorum exemplar cuncta conſtituta ſunt à Deo, qui fecit omnia in pondere, numero, & menſurâ. Vnde rationem per numeros explicare, nihil eſt aliud, quàm rationem ipsâ ſe vti, ac in ſui naturali ſupremâque ſimilitudine cuncta figere. Cælius Rhodigin. lectio. antiquar. lib. 22. c. 6. ex Cuſa.

Deus eſt omnia complicans, in hoc quod omnia in eo: eſt omnia explicans, in hoc quia ipſe in omnibus. Sic numerus eſt explicatio vnitatis: exoritur, cum circa vnum commune, multa ſingularia intelligimus; vnde numerus rationem dicit, ratio autem ex mente eſt; propterea bruta, quæ mentem non habent, numerare neſciunt. Card. Cuſa de docta ignorantia, l. 2. c. 3.

Pluralitas rerum eſt numerus divinæ mentis: ex eo enim quod mens divina vnum ſic intelligit, & aliud aliter, orta eſt rerum pluralitas: vnde ſi acutè reſpicis, reperies pluralitatem rerum non eſſe niſi modum intelligendi divinæ mentis; ſic irreprehenſibiliter poſſe dici conjcio, primum rerum exemplar in animo conditoris numerum eſſe: hoc oſtendit delectatio & pulchritudo quæ omnibus rebus ineſt: quæ in proportione conſiſtit, proportio vero in numero: hinc numerus præcipuum veſtigium ducens in ſapientiam: ſine numero mens noſtra nihil poteſt facere: neque aſſimilatio, neque notio, neque diſcretio, neque menſuratio fieret numero non exiſtente: res enim non poſſunt aliæ, & aliæ, & diſcretæ, ſine numero intelligi: vnde cum numerus ſit modus intelligendi, nihil ſine eo intelligi poteſt: numerus enim noſtræ mentis, cum ſit imago numeri divini, qui eſt rerum exemplar, eſt exemplar notionum. &c. Idem lib. 3. de mente idiotæ c. 6.

Numerus eſt coincidentia vnitatis, & alteritatis; nam qui numerat explicat vim vnitatis, & complicat numerum in vnitatem: denarius enim eſt vnitas ex decem complicata; ſic qui numerat, explicat, & complicat: vnde vt intelligatur mentis immortalitas, dicitur à Platone, numerus ſe movens; numerus enim eſt incorruptibilis, licet ſit in materia corruptibili, movet autem motu ſuo intellectivo, omnem motum ſucceſſivum menſurando explicatione & complicatione &c. Idem ibidem cap. 15.

Numerus dicit vnitatem, alteritatem, & ipſius alteritatis in vnitatem quandam reditum, &c. apud eundem lib. 1. de conjecturis cap. 4. ex ſimili & diſſimili compoſitus, vt quaternarius ex impari ternario, & pari quaternario, ſic etiam ex ſeipſo. Ibidem.

NVMERVS PAR AVT *impar.*

NVmerus impar ex Pythagora maſculus eſt, potentior, plenior, magiſque fauſtus: augures numero erant impares: numero Deus impare gaudet: & in aperienda foſſa imparem numerum pedum obſervari Vegetius tradit lib. 3. de re militari, & imparem numero eſſe mundum tradunt autores juris canonici. can. nuptiæ. 32. q. 1. vtque adeo à Religione & militiâ hic mos tranſlatus eſt ad judicia: nam Iupiter tres conſtituit judices, Rhadamantum, Æacum & Minoem: juſtitia enim in ipſo pari quaſi diſſoluta eſt, nèc vllum habet cardinem, quo innitatur; ſed in impari ſemper ipſum vnum eſt medium, quaſi centrum atque numen, quo æqua diſtributio regitur, & ad quod quaſi finem refertur: impar etiam propter medium ſui, vinculum intra ſe poſſidet, & propter centrum circulare exiſtit, & propter comparationem extremorum ad medium, vniverſi ordinis eſt principium. Quare non eſt mirum ſi judices impari numero vt plurimum eligantur.

In Græcorum Theologia tertius crater ſoſpitatori Iovi; ſecundus ſemi Dijs ac Dæmonibus tribuebatur; eſt enim trita Pythagoræ ſententia, ſuperis impari numero, inferis pari, ſacrificandum: ideo Ægyptij annum conſtare voluerunt 365. diebus. Propter dies impares Ianuarius ſuperis dicatur: inferis vero Februarius, propter pares.

Febricitantem niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet reverti. Hipocrat. l. 4. Aphor. 61.

Pythagoras vnitatem dicebat bonorum omnium principium, dualitatem malorum; omne ſiquidem malum ex diſparili oritur voluntate: hinc ex conſequentibus numeris, parem quidem demonſtrauit indignum, ac deficientem, atque imperfectum; imparem vero plenũ ac perfectum: etenim pari permixtus

vim ſuam ſervat perpetuo: conduplicatus vero eundem gignit; itavt fœcundus ſit, habeatque principij vim, diviſionis ipſe neſcius, vnitate ſemper in eo redundante. Par vero imparem producit nunquam, neque eſt indiviſibilis. Cœlius Rhodigin. lection. antiq. lib. 22. cap. 7.

In arca Noë, munda animalia erant numero impari, ſeptena ſcilicet & ſeptena, vt tribus conjugijs relictis, ſupereſſet quod Deo ſacrificaretur ſtatim poſt diluvium D. Hieronym. lib. 1. adverſus Iovinian.

BINARIVS

SEcundum Pythagoram, binarius eſt materia, diſſimilium cauſa, & vnitatem inter ac multitudinem interſtitium. Ex compoſitione atque permiſtione ſolus hic æqualitatem efficit. quare etiam æqualis eſt; ſed & inæqualis eſt, defectuſque, & abundantia: ſolus item informis, & indefinitus, carenſque termino: ſolus paritatis principium, nec tamen par: neque rurſum pariter par, neque impariter par, neque pariter impar: fons eſt omnis concentus, & harmoniæ; amor, juſtitia, quia æqualitas; natura, Rhea Iovis mater, fonſque diſtributionis: eſt etiam ignorantia, imprudentia, falſum, permiſtio, ſimultas, contentio, diſſidium, Photius Byblioth. c. 187.

Binarius, prima eſt diviſio, vel cauſa diviſionis, prima alteritas, & prima inæqualitas. Card. Cuſa. de docta ignorantia lib. 1. cap. 7. vide quæ ſupra habentur de numero pari.

Dualitatem Pythagorici Iſidem & Dianam vocabant, ſterilem ſcilicet: nam cum prima dualitas ſit principium diverſitatis, inæqualitatis, diſſimilitudinis, omni quoque caret efficiendi facultate, ex qua cuique ſua fœcunditas ineſt: dualitas eſt primus par numerus, & diviſibilis, ideo eſt vnitatis deſtructio; nam rei diviſio eſt eius deſtructio; totum enim non eſt ſuæ partes, ſed illud vnum quod exiſtit ex partibus; dualitas, caſus primus ab vnitate, eſt fundamentum oppoſitionis, vt in differentijs dividentibus genera: ſic ex duobus nolentibus, vnus aſſumitur, alter relinquitur: Cain & Abel: Iacob & Eſaü: lex datur Dei digito ſcripta, in duabus tabulis; quia vnitas populi dividenda erat in duas partes, partem quæ ſervatur & partem incredulam. Romani ſecundum anni menſem Februarium vocarunt, Plutoni dicatum, animarum ſeparatori & judici: duplex eſt præcipitium, vnum quod in exceſſum, aliud quod in defectum prolabitur: navigatur inter duo pericula Syrtim & Charibdim: vitia omnia reducuntur ad indebitam hominis elevationem, aut depreſſionem: ſecundæ nuptiæ, non tam probatæ, quam toleratæ. *Vide Minoritas Concordantiæ. Bona.*

Signis maſculinis ſuccedunt fœminina, diurnis nocturna: cardinibus domorum, cadentes & infirmæ. Sic omnis infirmitas in duali. Prol. init. præd. Aſtrol.

Dei bonitatem deſcribit Moyſes. In principio Deus creavit cœlum & terram. Duplicem hominibus menſam ponit, terram & mare: lumina gemina ſolem & Lunam: duplex tempus, diem & noctem, & illum quidem in operationem, hanc in requiem; non enim minus miniſterium nobis nox, quam dies affert, fructuoſis, infructuoſæ arbores æmulam præbent vtilitatem. &c. D. Chryſoſt. hom. 8. ad pop. Antioch.

De bonitate & vtilitate binarij, *Vide Bonitas, Poteſtas, Virtus, Gloria Magnitudinis & Concordantiæ.* & ſimiliter *Bonitas. Magnitudo, & alias combinationes Æqualitatis.*

Genera omnia in æquales differentias dividuntur

A noctes & dies, hyems & æſtas tempus partiuntur, in quantitate ſupremum & infimum; dextrum & ſiniſtrum: in animalibus dolor & voluptas; appetitus & faſtidium, duplicia membra æqualia ſibi reſpondent. Omnia ferè ſunt ſimilia in duobus mundis, magno & parvo, ſcilicet homine; itavt permutatis nominibus, quidam dicant hominem eſſe parvum mundum; & mundum magnum hominem: in vtriſque eadem ars ſummi artificis, ſupplens quod deeſt materiæ; ejus enim exiſtimatione nulla materia eſt prætioſa. Injuſtitia turpiſſimæ inæqualitatis artifex, geminum bellum parit, externum & civile; ſicut è diverſo pacem æqualitas. Sic diviſit Deus lucem à tenebris: diviſit hominem in virum] & mulierem, faciens duas portiones
B inæquales quidem robore, ſed bene comparatas, vt tertium quoddam gignerent ſibi ſimile. Duæ ſunt primariæ Dei potentiæ; benefica, quâ mundum condidit; & punitiva, quâ rebus imperat.

Loquar tibi, inquit Moyſi, ſupra propitiatorium, inter duo Cherubim: duæ ſunt legum tabulæ, pares duabus animæ partibus, rationali & brutæ. Ius in divinum & humanum dividitur. Quotidiana ſacrificia duo diviſa æqualiter, alterum ſacerdotibus pro ſeipſis offerentibus, è ſimilâ; alterum pro tota natione, in quo duo agni ritè mactantur: dimidium manè offertur, reliquum veſperè, vt etiam pro nocturnis beneficijs agantur Deo gratiæ.

Panes propoſitionis in duo ſena diviſi ſunt; ſimili-
C ter & lapilli in rationali, in quo duodecim tribuum nomina.

Sanguinis victimarum æqua fit diviſio à Moyſe ſummo Pontifice; ſumpta dimidio ſanguinis infudit eum in crateres, reliquum vero dimidium profudit apud altare: quo doceret eſſe duplex genus ſacratæ Deo ſapientiæ, divinum & humanum; divinum quidem, nullâ miſturâ vitiatum, Deo ſincero, & impermixtæ vnitati libatur; humanum vero, mixtum, temperatumque profundi in noſtrum genus mixtum. &c. Philo Iudæus lib. quis ſit rerum divinarum hæres.

Quære in concordantijs bibliorum, duo.

D

TERNARIVS,

TErnarius primus omnium actu impar eſt, primuſque perfectus numerus, & medietas ac proportio, qui vnitatis vim in actum atque exporrectionem procedere facit. Idem prima eſt omnium, & quidem propria vnitatum coagmentatio. &c. Plotius Byblioth. c. 187. ex vita Pythagoræ.

Omnis figura polygonia, pro ſimpliciſſimo elemento habet triangularem, nam ſicut ſe habet vnum in numeris, ita triangulus in figuris poligonijs, & ſicut omnis numerus reſolvitur in vnitatem, ita polygoniæ in triangulum. Hoc eſt veſtigium ſummæ Trinitatis, & coincidentiæ minimi cum maximo. Card. Cuſa. de docta ignorantia lib. 1. cap. 20.

E Non rectè vnitatem concipit, qui ipſius vnitatis Trinitatem non attingit: vnitas enim, non niſi Trinitas eſt; nam dicit in diviſionem, diſcretionem, & connexionem: indiviſio quidem ab vnitate eſt, ſimiliter diſcretio, ſimiliter & vnio, ſive connexio; ſic videmus vnitatem intellectus, non aliud eſſe, quam intelligens, intelligibile, & intelligere. &c. Idem ibid. c. 10.

In igne ſuccenſo eſt flamma, lux, calor: coæva eſt flamma generans luci, quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam, ſed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux, da mihi flammam ſine luce, & do tibi Deum Patrem ſine Filio. D. Auguſt. tract. 20. in Ioan.

Digitized by Google

Vbi quæritur vnitas Trinitatis, nullibi periculoſiùs erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur. D. Aug. lib. 1. de Trinit. c. 3.

Novem ordines Angelorum in tres Hierarchias diſtincti, triplata eſt Trinitas; Seraphim S. Spiritum; Cherubim Verbum filium, Throni Patrem deſignant.

Myſterium Trinitatis ſub velamine revelatum Iudæis, ne daretur eis occaſio credendi multos Deos, & ſic prolabi in Idololatriam: ipſi tamen Iudæi ex Talmudico inſtituto, quotidiè manè & veſperè decãtant: Beati nos, quam jucunda hæreditas noſtra: beati nos, qui ſingulo die, manè & veſperè, dicimus. Audi Iſraël, Deus Deus noſter, Deus vnus eſt: rationem autem reddunt Rabbini, quia per tria nomina Deus creavit mundum; conſtat autem ſine vllo medio, aut organo, ſed immediatè illum creaſſe Iſay. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus exercituũ, & hoc ipſum Iudæi bis quotidie magnâ veneratione proferunt. Picus Mirand.

Ternarius numerus rectè divinis accommodatur, quia in ſe, & vnitatem, & primum numerum inſeparabiliter, miro quodam conſenſu continet; imo tam eſt in vnitatem aſſumptus, abſorptuſque, tam perfectè illi conſentiens, vt non tam numerus ſit, quam vnitas; extrema enim & media ſunt vnitates: ſic ſol ſummæ Trinitatis eſt figura: ipſa ſolis ſubſtantia Patrem, à quo fluit lux filius, ſapientia Patris, ab vtroque calor Spiritus ſancti.

Ante omnem multitudinem eſt vnitas, continens & efficiens pluralitatem, & quia pluralitas ſeipsâ conſiſtere non poteſt, quæ tam vaga, tam eſt fluxa, & diſperſa, ab alio contineatur neceſſe eſt: eſt ergo entis differentia, ſed omnium differentiarum eſt fixa, manens, jugis, ſtabilitque conſervatio; fit enim vt quantò magis aliqua vnitate & nexu ſibi devinciuntur, tantò diutiùs eſſe & conſiſtere queant: cum autem aliquid ſimile & vnitum invenimus, aliud etiam magis ſimile, magiſque vnitum inveſtigamus, & reperimus; ideo deveniendum ad id, quod maximè eſt vnum, æternaque æquabilitas. Inveniendus igitur omni diſſolutioni antepoſitus nexus; illam vnitatem & æquabilitatem continens: non enim erit inſectilis vnitas, ne non ibi amicitia inveniatur, virtutum, perfectionis, fœlicitatis vnita conciliatio; ne non perfecta muneris & verioris voluptatis habeatur ratio. Non autem erit *binarius* numerus, qui non maſculus, ſed fœminæus eſt, vltra mundana enim maximè maſcula & vegeta ſunt; ſed erit *Ternarius* numerus divinis accommodatiſſimus, quippe qui in departibilitate, & ſimplicitate binarium ſuperet: eſt in eo maxima ſummaque vnitas, maxima æqualitas, æternus, æquabilitque maximè nexus: ſunt hic abſoluta, ſed in ſumma vnitate, hoc enim poſcit abſolutorum natura, ſed relativa, ſed triplici vinculo, non alio numero; quia omnis correlativorum vis in tribus maximè abſolvitur, ternario perfecta; ternario tanquam connaturali & homogeneo vnicè lætata: per hunc effecta in ſuum commigrant, redeuntque parentem: en amor in amante, eo qui amat, qui & amabilis, & ipſo amore totus integer, totus divinus conſurgit, &c. Alanus Varenius lib. de rerum Trinitate.

Ampliſſimum de ſanctiſſima Trinitate tractatum vide apud ſcolaſticos omnes, & maximè apud D. Th. 1. q. 30. & ſeqq.

Dicit Triſmegiſtus, quod Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflectit amorem, quod eſt intelligendum de S. Trinitate.

Deus dicit Exod. 3. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob; tamen eſt omnium Deus qui ſe invocant in veritate; ſed tres Patriarchæ ſunt in honorem Trinitatis. Sicut tres virtutes, fides, ſpes charitas. In tria diviſum eſt vniverſum; nempe in ordinem ſupercœleſtium, terrenorum, & ſubterrenorum. Tempus in tria ſecatur, in preteritum, præſens, & futurum. Trias Sacerdotum electa eſt, Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel. Pſal. 98. Trium Regum celebris eſt memoria, David, Ezechiæ, & Ioſiæ. In camino tres pueri. Cum Chriſto in montem conſcenderunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes. Multi in cœlo Angeli, & tres apparent Abrahæ. Gen. 32. Abraham accepto Dei mandato, ivit viam trium dierum ad immolationem filij, qui tunc ad mortem deſtinatus mortuus centebatur; ſic vitam, mortem, reſurrectionem Chriſti præſignavit; ſicut Ionas per tres dies in ventre ceti. Populo priori tres erant ordines, Sacerdotum, Regum, Prophetarum; præter illos non videbatur alius apud Iudæos principatus: cornu etiam erat olei ſanctificationis, & vna fuit vnctio, tria vero dona; vnum cornu, tria chariſmata, &c. D. Chryſoſt.

Triplex Adam; primus peccator; ſecundus reſtaurator; tertius, qui & medius, cujus magnitudo immenſa in poſtremo iudicio revelabitur. Triplex lux, prima ab origine mundi, his verbis, fiat lux; Secunda ſolis nomine expreſſa, quarto die procreata. Tertia denique Chriſtus, ſummus Iuſtitiæ Sol, lucerna aurea, ſplendorque lucis æternæ.

In mente noſtra triplex lumen, intellectus, voluntas & memoria: in intellectu rurſus triplex lumen; naturale, infuſum, vt donum fidei, & divinum, ſeu lumen gloriæ, quo ad ſanctiſſimos divinitatis amplexus admittitur: eſt in anima lux, primus fortaſſè, & qui totus in ſubſtantiâ reſidet actus, quem continuè in divina tendentem, & ad ſe redeuntem, circulum & motum quendam jugem & ſempiternum appellant; eſt deinde habitus, atque ex illo proficiſcens actus. Alanus Varenius lib. de rerum Trinitate.

Lex fuit naturæ, nullis ſcripta litterarum monumentis: lex ſcripta, quo dura hominum pectora inſtitutionibus traditis emolirentur: denique lex gratiæ, pietatis & clementiæ mirificos fructus afferens. Triplex hominum ſtatus, ante peccatum, in peccato, & poſt peccatum, ſcilicet in gratia. Triplicem mundum figuravit antiquitas; ſcilicet, totam hanc mundi machinam; deinde microcoſmum hominem, in quo omnia compendiosè reperiuntur, ſicut in tabula; denique mundus exemplaris, vbi rerum omnium ſunt exemplaria; hic formam cæteris indidit, eſt enim ars paterna, atque verbum. Triplex adhuc mundus, ſupernus, infernus, atque medius, in quo extrema ratione quâdam conjiciuntur. Sublunarem etiam, cœleſtem, & Angelicum ſeu intelligentem mundum prædicant. In Eccleſia tres ordines, ſupremus; medius, qui illi ſubeſt, & alios regit; denique ordo illis miniſtrantium. Tres animæ noſtræ partes & quaſi ſorores, concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis cæteras regens. Habet Eccleſia Martyres, Confeſſores, Virgines. Inſtruxit nos Deus præceptis, actionibus, & miraculis. Tres ſunt gradus, qui ad divinam arcem contendunt, purgatorius, illuminatorius, & perfectivus. Divarum mulierum hæc diſtinctio, quòd eſſent virgines, continentes, aut viduæ.

Triplex aureola in cœlo, Virginum, Doctorum & Martyrum. Tres divinæ virtutes fides, ſpes, charitas. Tribus præceptis, tanquam ſignaculis, lex Domini continebatur, moralibus, cæremonialibus, & legibus pœnas aut præmia decernentibus. Triplex inſtitutio naturalis, moralis, & Divina. Tres olim Soles mundo apparuere. Tribus olim ſacrificabant, thure, frugibus, animalibus. Tria Salvatori noſtro à Magis oblata munera. Tria Religioſorum vota. Olim in tabernaculo Domini triplex locus, primus omnibus ob-

vitus, medius Sacerdotum, poſtremus ſancta ſanctorum, vni ſummo Pontifici reſervatus. Omnia diviuntur in genus, ſpeciem, aut individuum. Philoſophia naturalis, moralis, aut Theologica.

Paulus vſque ad tertium cœlum raptus, vnde tanquam è celſiore gradu Divinitatem combiberet. Animæ cum corpore conjunctio fit mediis ſpiritibus, qui mirè vtriuſque naturam referunt. Privata ſeu publica pax, pendet ex convenientia cum Deo, ſecum, & cum proximo. Tres turmas diſpoſuit Iacob, timens à facie Eſaiu. Gen. 32. Deus fecit omnia in pondere, numero, & menſurâ: numerus notat interna quædam principia, pondus inclinationes nativas, menſura vero finem virtutis, atque operationis; eſt enim in omnibus, principium, medium, & finis. Auguſtinus hunc perfectionis ternarium creaturis adſcribit, quòd conſtent, diſcernantur, ac ſibi denique plurimum hæreat, quibus forma quædam incumbit cunctis præſtans: at D. Dionyſius veſtigium Trinitatis, conſtare dixit eſſentiâ, virtute, operatione. Entis ſunt hæ proprietates, vnum, verum, bonum. Tria tabernacula Petrus optabat. Ieſus videtur in transfiguratione, medius inter Moyſem & Eliam; medius etiam inter peregrinos Emaüs, inter duos latrones, inter virginem matrem, & incorruptum diſcipulum, vt virgo virginem virgini commendaret.

Triplex eſt figura triangularis, ſcilicet triangulus æquilateralis, æqualibus conſtans: lineis Iſoceles qui duabus tantum æqualibus conſtat lineis, vnâ tantum inæquali: denique ſcalenus ſeu gradarius, qui inæqualibus omnibus conſtat lineis. Æquilateralis divinitatem denotat, qua nihil æqualius: Iſoceles Angelis adſcribitur, qui proximiorem locum à Divinitate obtinent, ab illa tamen deficiunt: denique ſcalenus, penitus inæqualis, animam noſtram denotat, quæ magis eſt inæqualis, propter commiſtionem cum temporalibus, tamen Divinitatis figuram præfert.

Eſt in rebus creatis ſummæ Trinitatis veſtigium: Primò, quia vnumquodque ſibi eſt vnum, ſibique conſtat, atque cohæret. Eſt ſecunda vnitas, quâ altera alteri creatura vnitur, & per quam demum omnes mundi partes, vnus ſunt mundus. Tertia, atque omnium principaliſſima eſt, quâ totum vniverſum cum ſuo opifice, quaſi exercitus cum ſuo duce, eſt vnum. Adeſt trifaria hæc vnio, vnicuique rei per ſuam vnam ſimplicem vnitatem, derivatam ab illo vno quod eſt primum, vnum & trinum ſimul: nam Patris poteſtas, omnia producens, omnibus ſuam largitur vnitatem; & ſapientia Filij ritè omnia diſponens, omnia invicem vnit & copulat; & Spiritus amor, omnia ad Deum convertens, totum opus opifici nexu charitatis adjungit. Hinc nexus totius charitatis. Picus Mirandul. in Heptaplo.

Punctum fit linea, linea ſuperficies, ſuperficies ſolidum: ſic corpus conſtat trinâ dimenſione, longitudine, latitudine, profunditate; ſic perfectum eſt. Vnde Ariſtoteles initio lib. de cœlo, ternarium numerum, quaſi Divinum celebrat.

Puer trienno ex quo natus eſt, dimidiam habet menſuram ſtaturæ ſibi futuræ. Plin. lib. 7. cap. 16.

Pompejus tria trophæa in annulo pro inſigni gerebat.

Signa Zodiaci ex triangulo diviſa, ſunt eiuſdem naturæ, vnde trinus aſpectus eſt omnium fœliciſſimus. Et quælibet tertia domus ab angulis eſt fœlix; vt tertia ab horoſcopo; nona à medio cœli; quinta ab horizonte occidentali.

De Tridente ſacro. *Vide Gloria Magnitud.*

Dualitas à Pythagora, non tam dicta eſt numerus, quam vnitatum confuſio. Trias autem impar numerus, incorporeis individuiſque ſimilis: & cum dualitas ſit diviſio, primuſque caſus ab vnitate, ternarius impar eſt quaſi reditus ad vnum, atque principium; perfectior eſt pari, cum illum comprehendat, non ab illo comprehendatur; vltra parem abundat vno, ob quam copiam maſculus appellatur; par autem, ob inopiam, partitionem & receſſum à perfecto, femellus dicitur. Ternarius eſt quaſi juſtitia medians inter diſſidium dualitatis.

Primo ternario numero contigit, vt inter duo ſumma medium, quo vinciretur acciperet; in Ternario enim eſt Principium, Medium, Finis; vnde & tria ſunt quodammodo omnia, quæ quia ad Deum ſunt referenda, tria in ſacrificiis Pontifices offerebant. Ternarius numerus in Eccleſiaſticis officiis frequens: tres gradus ad altare: vna aut triplex oratio: tres cruces in conſecratione: tres fiunt partes corporis Chriſti: ter dicitur, Sanctus, Agnus Dei, Domine non ſum dignus; non enim vult Deus diviſionem Eccleſiæ. Tertio menſe populus Iſraël cùm exiſſet de Ægypto ad montem Sinai perveniens, obtulit ſacrificium Deo, & in die tertia legem accepit; quare tertia dies eſt tempus gratiæ. Mundus conſtat fœcunditate, partu, & amore. Ad perfectum Magiſterium pertinet operatio, ars, delectatio: ex operatione ars, ex operatione & arte delectatio. Tria ad omnem actionem neceſſaria, ſcire, poſſe, velle. Vnumquodque conſtat per ſubſtantiam, diſcernitur per formam, congruit per ordinem. Triplex eſt ſubſtantia, materia, forma, compoſitum, per quæ etiam triplex poteſt eſſe definitio. In divinis Pater, Filius, Spiritus ſanctus. In ſole aut igne, ſol aut ignis, ſplendor, calor. Triplex regio aëris. Aquæ triplex eſt virtus, quòd liquida, fœcunda, potabilis. Tria profert arbor, folia, flores, fructus. De tribus mundis, *Vide Harmonia*. Tres animæ principes facultates, animalis, vitalis, naturalis. Tres præcipuæ corporis partes, cor, jecur, cerebrum: augmentatio, nutritio, generatio; nutritio fit per cibi aſſumptionem, conſervationem, coctionem. Triplex in nobis cognitio, ſenſitiva, rationalis, divina. Eſt quod movet & non movetur, quod movetur & movet, & quod tantum movetur non movet. Adam à nullo alio, Eva ab Adam, Abel ab vtroque. Eſt mundus intellectualis, cœleſtis, ſublunaris. Tres futuræ in humano capite, anterior vna quæ coronalis dicitur, lambdoides poſterior, media ſagittalis. Tres cauſæ in artificiato, efficiens, formalis, finalis. Tres hominis diſciplinares actus, conceptio, locutio, ſcriptio: circa vtile, jucundum, honeſtum. Tres vitæ, contemplativa, activa, voluptuaria; per trium Dearum certamen deſignatæ, Minervæ, Iunonis, & Veneris. A prima littera triangulum figurat. Triplex oratoris dicendi genus, demonſtrativum, deliberativum, judiciale. Triplex Dialectici munus, definire, dividere, argumentari: conſideratu, prædicatum, ſubjectum, & verbum ſubſtantivum, eſt, quod eſt copula. Conſtat ſyllogiſmus propoſitione, aſſumptione, complexione. Tres ſunt figuræ, ex trina poſitione medij. Triplex pulchritudo, animorum, corporum, vocum; quæ cognoſcitur mente, oculis, auribus. Eſt numerus linearis vt decem, planus centum, ſolidus mille. Muſica eſt aut humana, mundana, inſtrumentalis: humana in corpore, ſcilicet vegetatione, & humoribus, operationibus; in anima vtriuſque connexione: mundana eſt in elementis, planetis, temporibus; in elementis menſura, pondere, numero; denique muſica inſtrumentalis, eſt in pulſu, voce, flatu. In circulo eſt centrum, circumferentia, diameter: lineæ diverſæ à circumferentia ad centrum ductæ efficiunt formam pyramidis. Ex Triſmegiſti, Pythagoræ, Numæ Pompilij, & nunc Turcarum inſti-

ento, adoraturi moventur in circulum; quasi à bono, per bonum, in bonum redeant. Prisci Theologi tres præcipuè Deos venerati sunt, Iovem superis: Neptunum Oceano, Plutonem inferis præsidentem: dant præterea, trisidum fulmen Iovi, Tridentem Neptuno, tricipitem Cerberum Plutoni: Tres apud ipsum Parcæ, Clotho, Lachesis, Atropos: tres judices, Minos Rhadamantus, Æacus.

QVATERNARIVS.

HIc numerus primus solidi naturam ostendit, cùm præcedentes numeri incorporeis rebus sint dicati, In vnitate censetur punctum; in binario linea quæ est longitudo sine latitudine; accedens superficies ad ternarium spectat; solidum autem ad quaternarium, æqualitatis & Iustitiæ est symbolum, cùm constet ex duobus & duobus: Implet vniversorum numerorum differentiam; primum parem, & primum imparem in se complectens; Implet & numerorum progressionem; nam denarij, qui est meta, circa quam omnes numeri circumaguntur, quaternarius fons & causa dici potest. Si enim ab vnitate vsque ad quaternarium deincops componantur numeri, denarium conficient; 1.2.3.4.∴ 1 & 2. faciunt 3. ∴ 3. & 3. faciunt 6. ∴ 6. & 4. faciunt 10. singulatim etiam cæteros continet numeros. Nam 4. & 1. sunt 5. ∴ 4. & 2. sunt 6. ∴ 4. & 3. sunt 7. ∴ 4. & 4. sunt 8. Pari quaternario progressu, quadratæ radicis attingitur explicatio; nam 10, 20, 30, 40, simul juncta centenarium numerum conficiunt, qui denarij radicis est quadratura. Centenaria itidem vnitas, pari; motu procreat millenarium nam 100. 200. 300. 400. simul compositis, efficitur millenarius, cubus æternitatis; nec amplius, quasi nihil supersit, procedetur. Hinc Pythagoras, quaternarium vocabat sacrum, & omnium opificem, à Quatuor enim elementis omnia; sol 4. die creatus. Quatuor in terra generationes, plantarum, arborum, animalium, hominum. Quadrupedia referunt quaternarium, vt aves volando, pisces nando, homines orando, expansis in crucis figuram brachiis. Quatuor sunt anni tempestates, in quibus se innovat natura, ideo illis signa præsidentia vocantur mobilia, scilicet ♈. ♋. ♎. ♑. Quatuor diei partes, 4. illis respondent anni partibus. Mane in quo aër & sanguis dominantur. Veri. Tribus horis ante, & tribus post meridiem, in quibus, bilis, & calor. Æstati. Vesperè melancholia terrea. Autumno. Denique circa mediam noctem, pituita, & somnus dulcis, tum ex lunæ fulgentis radijs, & quia tunc corpus nostrum humidissimum est, Hiemi comparantur: sicut quatuor humanæ vitæ partes, pueritia, adolescentia, juventus, senectus. Act. 10. vidit Petrus cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis summitti de cœlo, in quo erant omnia quadrupedia. Sunt 40. orbis terræ partes, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, quæ converti debebant ad Christum. Quatuor Evangelistæ. Quatuor præcipui venti. Quatuor facies Lunæ, quæ respondent 4. anni tempestatibus, & ætatis partibus: conjunctio, sextilis, trinus, quadratus. Quatuor sunt quæ cuncta continent, ens, vnum, verum, bonum. Quatuor cognitiones; Animalis vt punctum; humana vt linea; Angelica vt planities; arcanam, intimam solidamque dimensionem penetrat. Divina cognitio. Quatuor prima rerum genera, substantia, quantitas, qualitas, locus. Quadruplex rerum ordo, existentium, viventium, sensibilium, rationabilium. Nomen Dei apud omnes gentes, quatuor litteris scribitur. Quatuor sunt absoluta Dei attributa: per quaternarium, quasi per quid sacrum Pythagoras jurabat. Vires signorum: Planetarum, stellarum fixarum referuntur ad quatuor primas qualitates. Quatuor sunt præcipui motus animæ: concupiscibilis, irascibilis, rationalis, & liber seu voluntarius. Hinc 4. virtutes Cardinales figuratæ per 4. animalia Ezechielis, quorum quilibet habebat 4. alas. Quatuor animalia oculata antè & retro. Apocal. 4. Ex paradiso 4. prodeunt flumina. A Platone 4. mundi describuntur, divinus, Angelicus, cœlestis, mundanus. Naturæ 4. insunt, substantia, quantitas, qualitas, & motus. Supra vero Naturam sunt elementa, essentia, virtus, & actio.

Serenitatem Luna promittit, præcipuè si quarto ortu, neque obtusis cornibus rutilat, neque infuso fuerit humore fuscata. Vegetius lib. 4. de re militari cap. 41. Simile fit judicium de morbis, nam vt quartus sic septimus, inquit Hippoc. quia Luna tunc incidit in semiquadratum

Quaternarius numerus Pythagoricis magno est miraculo, Deus multiplex, vel potius omni-Deus, fons naturalium effectuum, ac naturæ claviger; Hercules, masculum robur, virilis potentia, nihil habens fœmineum. Photius Biblioth. cap. 187.

De eodem. Vide Plutarchum de placitis Philosophor. & Macrobium in somnum Scipionis l. 1. c. 6. & Rhodigin. lection. antiq. l. 22. c. 9.

Quaternarius numerus, nihil est aliud quam participabilis vnitas in quadruplici mundo, & in quatuor primis qualitatibus, proportione in omnibus existentibus, &c. Vide Card. de Cusa. lib. 2. de conjecturis. cap. 5. & 6.

QVINARIVS.

PLato expressit animæ naturam per numeros, per concentum, & per figuras: per numeros quidem vt in corporea cogitetur. Vnitas autem significat ipsam animæ vnitatem, simplicitatemque sublimem, vt propriam divinæ vnitatis imaginem, & in ipsâ manentem. Dualitas processum animæ in proprietatem suam, vnitate inferiorem, & quadam jam ratione multiplicem: Trinitas regressum ejus ad vnitatem, tum propriam, tum divinam: quaternitas progressionem animæ à se in materiam, quatuor elementorum gradibus digerendam: maximè autem per quinarium numerum exprimitur. Primò quia sicut quinarius ex primo pari, primoque impari constat, sic anima ex dividua individuaque natura; numerus enim par dicitur divisibilis, impar autem indivisibilis, quia in partes æquales dividi nequit. Secundò, quia cum anima sit medium vniversi, naturaliter quinarium suscipit, vniversi numeri medium, scilicet denarij, qui comprehendit numeros omnes: deinde si decem quinquies dividas, semper 5. medium erit, vt si 10. in 9. & 1. medium erit 5. æquè distans in qualibet divisione; à 9. enim vsque ad 5. sunt 4. & a 1. vsque ad eundem 5. sunt 4. & sic de cæteris, vt si dividas 10. in 8. & 2. à 2. & ab 8. vsque ad 5. restant æqualiter 3. Marsil. Ficin. in Timæum Platon.

Quinarius numerus, primus medietatem optimam, maximeque naturalem designat, per disjunctionem ab vtrâque extremitate numeri naturalis, cum interim vnitati quidem, tanquam principio, denario vero tanquam fini coagmentetur. Comprehendere simul potens ea omnia, quæ in mundi natura apparent: Per vnitatem enim mundus, tanquam fixis radicibus stabilitus est, per denarium vero perfectus, atque in lucem productus: quaternario elementorum numero addit æthera, &c. Photius Byblioth. cap. 187.

Quaternarius

Quaternatius numerus naturam vſque ad corporis perfectionem adducit ; ſuperaddita vnitas efficiens, quinarium eſt quaſi eius anima ipſum informans, & tantùm eo præſtantius, quantùm animatum inanimato. Quinque ſunt viventium genera, Deus Angeli, homines, animantia, vegetantia: quinarius primum parem cum primo impari conjungit, ideo dicitur connubialis. Et plato 6. de legibus, jubet, vt quinque tantum amici, totidemque conſanguinei, ad nuptias vocentur, non plures. Quinque faces in nuptijs accendebantur: Quinque etiam liberos vno partu mulier poteſt edere Ariſt. 7. de natur. animal. cap. 4. Quintâ a partu die Plato in Theæteto, jubet ſacrificari. Quintâ die ſunt creata animantia, conſtantia 5. ſenſibus. Omnia conſtant ex materia & forma; materia autem quaternitas quædam eſt, & 4. elementorum ſimpliciſſimorum mundi corporum complexio, forma vero vnitas, quatuor elementis pacem imponens ; forma enim non eſt elementaris, ſed cœleſtem imitatur naturam, vnde quinarius. Sunt in mundo 4. elementa, & cœlum eorum vim eminenter continens. Anima quinque facultatibus, quinque cognoſcit ; mundum ſenſibus: proprium corpus imaginatione, animam ratione; Angelum intellectu, Deum mente: ex his cognitionibus duæ infra animam ſunt, duæ ſupra ipſam, in ipſa autem vna. Quinque ſacra Chriſti vulnera, etiam poſt reſurrectionem apparentia: vnde in Miſſa quædam quinquies fiunt, vt quinque cruces, quinque ad populum converſiones.

Gen. 45. Benjamin accipit; à Ioſeph 5. ſtolas ; ideſt ſapientiam omnium ſenſuum. Quinque Moyſis libri, omnem legis doctrinam comprehendunt: Quinque talenta. &c. Vide in concordantijs bibliorum. Quinque.

Quinarius eſt circularis numerus, nam quantumvis ducatur, ſemper in ſe redit, ſpæram perficit, finemque principio copulat, nam ſi Quinque multiplices, ſemper in ſe redit: Quinquies quinque ſunt 25. Quinquies 25. ſunt 125. Quinquies 125. ſunt 625. Quinquies 625. ſunt 3125. &c. Similiter de ſenario operandum: ſemper ſuis radicibus ipſorum infiniti ambitus finiuntur: Quinarius igitur nihil imperfectum gignere poteſt, ſed aut ſe ſe, aut denarium, ideſt vel ſuæ naturæ, vel perfectiorem numerum.

Quinque cœli zonæ; quinque digiti in manu omnium inſtrumento, vnde & hic numerus Mercurio ſacer.

SENARIVS.

SEnarius numerus eſt operarius, nam & mundi ortus finitur ſex diebus, & motus ſolis ab vno Tropico ad alterum finitur ſex menſibus ; intra quos partim cadunt folia, partim vero plantæ pullulant, & ſeminum fiunt perfectiones. Aiunt etiam fœtum abſolvi ſex menſib. ideſt 182. diebus.

Cùm Dominus quartus in montem aſcendiſſet, fit ſextus, apparentibus Moyſe & Eliâ, & ſpirituali luce illuminatur, nudata quæ à ſe proficiſcitur virtute ; per ſeptimam vocem prædicatus Filius Dei, vt ipſi quidem quieſcerent, qui de ipſo erant perſuaſi.

Sexto die homo factus, vt oſtendatur ad Deum, à quo proceſſerunt omnia debere redire: ſenarij enim baſis eſt Trinitas ∴ quia omnia à tribus Trinitatis perſonis fluunt: apex eſt vnitas, quia ad vnum finem omnia reducuntur; fit autem tranſitus per binarium, id eſt per materiam diviſibilem, vt patet in appoſitâ figurâ Littera vau apud Hebræos ſex ſignificans, ſignificat etiam vitam.

A Plurium animantium ætates hoc numero terminantur : ſex colores ſimplices, ſex ſapores ſimplices: ſex harmonici concentus ; ſex metalla ſimplicia, ſex locorum ſitus; ſex ſenſus, ſi annumeretur ſenſus communis.

Moyſes refert ſex diebus mundum eſſe factum, hic enim numerus generationi eſt conveniens ; nam eſt primus numerus omnium, qui partibus ſuis in ſummam reductis perficitur ; partes enim ejus ſimul collectæ ipſum gignunt, ſimilemque reddunt genitum genitori. Nam 1. 2. 3. ſimul ſumpta faciunt ſex. Ex pari & impari, ſcilicet ternario & binario, quaſi ex mare & fœmina, prole coâleſcente, fit ſenarius. Dicitur Venus harmoniæ mater, fortè quia ſenarius fuerit
B primus harmoniæ genitor: Nam per primum motum, hoc eſt binarium, collatus 12. fecit. porro 12. ad 6. gignit diapazon ſymphoniam. 9. ad 6. gignit diapente. 8. ad 6. diateſſaron. Conſtat præterea ſenarius ex proportione duplâ, quam intrâ ſe proximè continet ; ea eſt 4. ad 2. qui ſimul juncti numeri ſenarium conficiunt, quod in cæteris vix poterit reperiri, niſi in quibus ſervata fuerit natura ſenarij, vt ſunt duplus, quadruplus, aut quadratus eius, & ſimiles : eſt igitur ſenarius reſultans ex duplâ proportione, quæ diapazon conficit omnium conſonantiſſimam : hinc ſextâ die facta eſt harmonica mundi compoſitio ; quia enim ſenarius partibus ſuis conſtat, oſtendit Deus in his
C quæ fecerat, nec ſupervacaneum aliquid poſuiſſe, nec imperfectum reliquiſſe ; vnde ſextâ die vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona: ſenarius, vt dictum eſt componitur ex vnitate, ex primo pari ſcilicet duo, ex primo impari 3. qui facit baſim trianguli, idealibus formis & compoſitis corporibus conveniens: eſt bina Trinitas, deſcenſum ſummæ Trinitatis in operationem, & reditum creaturarum in ſuum principium ſignificans; mundus in formam rotundam, editus, ſenis diebus formatus, quia circulus continet ſexies ſuum ſemidiametrum.

Si ducas circulum, ejus autem diametrum in ſex partes dividas, ex illis 7. efficies circulos intra ambitum circuli, quorum is, qui eſt in medio Deum ſignificat, nam vnitas illa in ſe ab æterno ſubſiſtens, velut in
D infinito ſe circumſtante ſpatio, ſex diebus ſeipſam ciens, totum quod circa illam imaginamur ſpatium, varijs creaturis implevit, ſeptima autem die in ſeipſam reciproca, poſtquam totius mundi perfectio complicata fuit in homine, ſexta die.

Habitavit gloria Domini ſuper Sinaï tegens illum nube ſex diebus. Exod. 24. ſex alæ Cherubim. Iſay 6. ſex diebus, circuitur vrbs Iericho, cum arca Domini; Ioſue 6. Sex dies ſunt in quibus oportet operari: ſextâ ætate Chriſtus venit in mundum, & horâ ſexta, ideſt ætate perfecta mundi, Samaritanæ divini fluenta fontis aperit: ſexto menſe fit Annuntiatio Mariæ, feriâ ſextâ, horâ ſextâ Chriſtus pro nobis patitur; eadem
E hora tradunt Adamum peccaſſe, in ſex tribulationibus liberabit te & in ſeptima non tanget te malum. Iob. 5. Erant in Canâ hydriæ lapideæ ſex. Ioan. 2. *Vide ſex, ſextus in Concord. Biblior.*

SEPTENARIVS.

CVm cæteri numeri intra decem, aut gignant aut gignantur, aut vtrũque ſimul, ſalus ſeptenarius, nec gignit, nec gignitur, ideo immobile manet, procreatio enim in motu eſt: hinc Minervæ ſcientiarum Deæ, vt virgini, dicatus ſeptenarius. Requievit Deus ab operibus ſuis 7. die ; Sabbathum eſt animæ, cum quieſcit ab operibus mundanis; nam poſſeſſo ſummo

bono, non eſt quod ampliùs moveatur. Apocal. 11. ſeptem tubæ numerantur, quarum 6. vitæ præſentis certamen, 7. futuræ victoriam canunt: Dicitur Iob. 5. an. ſex tribulationibus viſitabit te, in 7. autem non tanget te malum. Septimo die Iſraelitæ non colligebant Manna, ſed manebant in tabernaculis. Exod. 16. Servus Hebræus anno 7. redibat in libertatem: ager 7. anno requieſcit ab agricultura. Exod. 20. 21. 23. figuræ ſunt quod in 7. ſæculo juſtis eſt ſperanda requies: Chriſtus toto die 7. requievit in ſepulchro Apocal. 7. de Agno habente cornua 7. Ioan. 4. filium Reguli relinquit febris hora 7. Sunt 7. dona Spiritus Sancti. Helizæus ſepties ſupra mortuum inſpirat. Reg. 4. Septiformem enim dat Deus ſpiritum, per quem vivificatus à morte peccati refurgit Proverb. 9. Sapientia ædificat columnas ſeptem: candelabrum in quo 7. lucernæ, ſignificans 7. planetas, vt ait Philo: his 7. præcipuæ corporis partes tribuuntur. 7. Pleyades. Scribit etiam conciliator medicorum, ſeptem planetis præſidere 7. ſpiritus à principio cœli & terræ, quorum quiſque mundum gubernat annis 354. menſibus ex ordine quaternis. Creſcente Lunâ, creſcit mare per 7. dies, & poſt per totidem dies, vt creverat, decreſcit. Ioſeph de bello Iud. lib. 7. cap. 35. refert fluvium in Iudæa per 6. dies perenni aqua fluere, ſed 7. die ſiccum alvei ſui tranſitum præbet, rurſuſque aliâ die redit ad priorem aquarum abundantiam, ignotis naturæ cauſis, hinc Sabathicus eſt dictus. Pomponius Mela refert Euripum, ſeu fretum anguſtum inter Aulidem Bœtiæ portum, & Eubœam inſulam, altero curſu, ſepties die, ac ſepties nocte, fluctibus invicem verſis currere, eo impetu vt navigia repugnantibus ventis plena ſecum rapiat, & Barthol. tract. de alveo, refert Nurſiæ eſſe flumen, cui nomen Turbido, quod quidem 7. annis fluit, & 7. annis occultatur. Sol bina quotannis efficit æquinoctia ſeptimo menſe, ſcilicet in Ariete & Libra. Fœlices ſunt ſeptimeſtres partus, æque ac novimeſtres, ſeptimâ poſtpartum horâ apparet certò, an partus vivere debeat Poſt 7. menſes incipiunt dentes, anno 7. cadunt primi dentes, vt naſcantur alij: alio ſeptennio homo eſt rationis capax, & generationis.

In nona hebdomada, vita ad caſum deducitur, eſt enim annus 63. fatalis, & gravia hominibus inferens pericula; verum cum ad Decades ſeptenas devenerimus, vbi Septenarius per numerum completum conducitur, tunc habemus communem vivendi metam, id eſt ſepties 10. quod humanæ vitæ ſpatium ſi quis exceſſerit, ab omni officio vacuus, ſuum tantum in ſuadendo habebit vſum. Ita ſeptuagenarios Plato eximit ab officijs civilibus. Singulis autem ſeptem annis mutatur homo, & ejus fortuna; propterea quòd Saturnus ſeptimo anno ad quadratum & contrarium ſignum, vnde egreſſus eſt, progreditur, & ſic criticos annos, quemadmodum Lunâ dies, producit, cum prevenit ad quadratum loci, in quo erat tempore incipientis morbi.

Cicero ſeptimum numerum, omnium ferè rerum nodum eſſe dicit. Pythagoras illum vehiculum vitæ vocare ſolitus fuit. Septimo quoque anno, quædam accidentia & lineamenta, novæ figuræ, novi colores & geſtus ex phyſionomis notat Ficinus. Morbi acuti ſæpius 7. die ſolvuntur; ſi abundat noxius humor 14. nec tranſeunt 21. Filia quæ ſeptima nata, modo nullus interceſſerit partus, vi, vt puto, numeri ſeptenarij, mirè partum adjuvare creditur: ſimiliter maſculus omnis ſeptimus, abſque femella intermedia natus, ſtrumas gutturis ſanare creditur.

Septenarius per triadem Creatorem, per quaternarium quatuor elementa rerum omnium ſemina, ſicque omnia comprehendit. Habet quodlibet corpus activum tres dimenſiones, ſcilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem: quatuor item extremitates; punctum, lineam, ſuperficiem, & ſolidum, ex quorũ compoſitione naſcitur ſeptenarius. Ad hoc referri debet, quod ſæpe in ſcriptura dicitur de tertia & quarta generatione: ſeptem enim pro vniverſali numero ſumitur, vt ſepties in die cadit juſtus: è Mariâ Magdalene 7. dæmonia ejecta, ideſt omnia peccata. Apoc. 17. ſeptem capita draconis, ſignificant omnes Reges terræ: Septem diebus Azima comedere, hoc eſt, omnibus diebus vitæ humilitate Chriſti gaudere: Septies in die laudem dixi tibi. Pſalm. 118.

Ægyptij per 7. dies Memphitici Apis natalem, jactu aureæ pateræ in nili gurgitem, celebrant; & tunc cum hominibus inducias habuiſſe Crocodilos refert. Plin. lib. 8. cap. 46. itavt non ſævirent niſi die 8. horâ ſextâ, peractis jam cæremonijs.

De excellentiâ ſeptenarij numeri. vide apud D. Ambroſ. ad Horontianum, enarrãtione 2. in Geneſim & Plutarch. in Lycurgo, de inſtitutione Senatus apud Lacedemonios.

De Sabbatho, & requie poſt labores. *Vide Gloria Virtutis.*

Nato infanti, vt refert Ariſtoteles, nomen non imponebatur, niſi poſt ſeptẽ dies à nativitate, quia prius non videbatur omnino vitalis: Intra 7. horas, ſemen in vtero exceptum, aut effluit, aut coâleſcit: intra 7. dies, illud artifex natura folliculo contegit, quod ſalgatricis experientia probavit Hypocrates. &c.

Cæl. Rhodigin. lectione. antiq. lib. 22. cap. 12.

Aliquando etiam ſeptenarius numerus in malam partem ſumitur, vt 7. capita Draconis. 7. phialæ iræ; fames 7. annorum, ſanctus 7. dierum. &c. *Vide Concord. Biblior.*

Vide A. gellium. lib. 3. cap. 10.

OCTONARIVS.

PYthagorici octonarium adorabant, quaſi ſummam harmoniam, amorem, amicitiam, prudentiam, intelligentiam, legem: &c. Photius Byblioth. cap. 18.

Octonarius conſtat ex numeris pariter paribus, nam bis bini bis faciunt octo: & quia in illos ſimiliter reſolvitur, & redit vſque ad vnitatem, ideo hoc numero deſignata eſt. Plutarchus hunc numerum Baccho aſſignat, qui octavo menſe eſt in lucem editus; vnde hanc prærogativam obtinent mulieres quæ ſunt in Naxo inſulâ illi dicata, vt ſalutariter octavo menſe pariant. Octonarius primus ſolidus quadrans æternitatem ſignificat; octavum enim diem non recipit mundus, ſed feriato ſeptimo ad primum redit. Hic mundus ſeptem ætatibus rotatur in octavam; omnium conſummatio eſt per ſeptem, & renovatio in octo, vt in harmonia, quia octava repetit primam: Alleluia, dies lætitiæ ſcribitur octo litteris, ſic exprimit progreſſum à Deo in creaturas, qui à creaturis iterum in Deum reflectitur: Circumciſio octavâ die, quia in cœlis nulla propagatio. ιηϐονϛ habet numerum reſurrectioni convenientem; nam ι, 10. η. 8. ϐ, 200. ο, 70ν, 400, ϛ. 200, qui in vnum redacti efficiunt 888. octo ſcilicet vnitates, octo decadas, octo Hecatondadas.

Infœlix tamen habetur octonarius, maximè ex eo quod nati octavo menſe non vivant, ſi creditur Aſtrologis, quia ſit reditus ad Saturnum qui primò nativitatis menſi præerat: concubitu octavo menſe facto, naſcuntur infantes cute fœdâ, & vitiligine deformata.

Digitized by Google

Præcipua octonarij laus apud Pythagoricos, quod eo Iuſtitia ſignificatur.

Cùm enim juſtitia ſit æqualis pro cujuſque meritis diſtributio, civitatiſque ſolidum fundamentum, juſtè per octonarium deſcribitur numerum, qui & ſolidorum primus eſt, primuſque omnium in numeros ita ſolvitur pariter pares, hoc eſt in bis quaternos, vt nihilominus in numeros æquè pariter pares diviſio quoque ipſa ſolvatur, id eſt, in bis binos, rurſuſque quà æqualitate reſolvitur eàdem, quoque contexitur, nam bis bini, bis octonarium conſtituunt: ſic olim ex Orphei inſtituto jurabatur per octonarium, quaſi per divinam iuſtitiam. .·. Rhodig. lib.22. cap.13.

Octavo anno Venus redit ad locum ſuum, ideo ſignificat gaudia, dona, & filios, converſationem cum mulieribus fere ſimilem.

NOVENARIVS.

NOvenarius ad denarij non accedens perfectionem, ſed vnitate minor, citrà illum deficiens, rerum imperfectionem ſignificat, rebus mortalibus potius competens, quam divinis; vnde decima pars Deo dicatur, 9. retinetur: Novem ſunt ordines Angelorum propter caſum decimi, ad quem reparandum laborant homines; dicitur enim Apocal. 11. decima pars civitatis cecidit. In mundo infernali novem dicuntur eſſe genera cacodæmonum pſeudothei, ſpiritus mundani, vaſa iniquitatis, vltores ſcelerum, præſtigiatores, aëreæ poteſtates, furiæ, criminatores, ſeu exploratores, & tentatores, ſeu inſidiatores. Novem ingrati leproſi à Chriſto ſanati, vnus tantum ex decem reddit gloriam Deo. Sæpe creſcunt ægritudines vſque ad novenarium, qui habetur infenſus humano generi: medicus non fert judicium de vulnere ante novem dies. Homo aquis ſubmerſus per novem dies remanet in aqua, poſtea enatat. Novenni ætatis anni, ſicut & ſepteni, ſunt decretorij, & malefici ad vitam ſuccidendam. In muſica, ſecunda & nona inſona. Infernum novies ſtyx interfula coërcet: Prudens formica, novum à lunæ coïtu diem ſentiens, non egreditur è latebris, inquit Ælianus. Notant Græci hunc numerum per litteram Θ. quæ mortem ſignificat, & ſepulchris apponi ſolet; eratque cum ſortes ducebantur ſignum damnationis, ſicut T. abſolutionis. Cum aliquid infauſti Eccleſiæ accidit, indicitur novem dierum luctus, vt in morte Pontificis: & olim novem dierum erat luctus, vt videre eſt in l. Fin. §. ff. de ſtipul. ſervo.

Apud Delphos tres annorum novennas in ſacrificiis tranſegerunt, vt iram Deorum placarent: idem in celebritate & feſto, Charilla nomine, per novem dies fiebant ſacrificia. Plutarch. in Problem. Græc. prob. 12.

Cum decem in antiquâ lege eſſent præcepta, Dominus in novâ, novem poſuit beatitudines, triplici ternario, triplicem plectens coronam, quia adorabilis illa trias, &c. D. Chryſoſt.

DENARIVS.

CVm ſuperiora eo ſint inferioribus digniora, quod in ſe vnita, & eminenter contineant quæ in inferioribus ſunt diſperſa; eo etiam titulo denarius cæteris numeris erit præſtantior, quia omnes numerorum ſpecies in ſe continet: vnde cum ad decem pervenerunt numeri, non vlteriùs procedunt, ſed tantum poſtea iterantur, omneſque gentes ſic numerant; ad hoc datis à natura decem digitis pro calculis, vnde pro fidei tutela & ſymbolo junguntur dèxteræ. Decem ſunt prædicamenta, complectentia quidquid eſt in rerum natura; decem cœli; decem annorum præſcriptio inter præſentes: obſervatum eſt decimum gallinæ ovum, ſemper cæteris eſſe majus; ita decumanus fluctus, vnde Poëta, decimæ ruit impetus vndæ: eſt reditus ad vnitatem, ideo & in pingendis acervatis numeris, ſcribimus decem, per. 1. Decem legis præcepta ſeu decalogus, &c. vide Concordantias Bybliorum.

Deeas ſic numeros cæteros, & omnia exiſtentia complectens, eſt Pythagoricis mundus, cœlum, fatum, potentia, fides, neceſſitas; Atlas indefeſſus Deus, ſol, Mnemoſyne, denique ſuper Deus, omnem numerorum divinam vim complectens. Photius dicto loco.

A natura ſapientiſſima eſt, quod omnes gentes ad decem tantum vſque numerent, continet hic quippe numerandi genera vniverſa, vti par, impar, quadratum, quadrantale, ſive cubum, longum, planum, primum compoſitum. Denarius porro fons eſt, ac principium, quippe qui ex vno, duobus, tribus, & quatuor conſtet. vide plura apud Rhodigin. lib. 22. cap. 14.

CONCORDANTIA MAGNITVDINIS

CONVENIENS MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

Vide Æqualitas Magnitudinis.

PArtes locati, partibus loci reſpondent.

Lunâ plenâ in oppoſitione, fit major maris refluxus; pinguéſcunt cancri, plantæ magis efflorescunt; concharum omnium corpora augentur.

Ganges ſtagnat eodem tempore quo Nilus.

Gigantes bellum Dijs illaturi Pelion Oſſæ, montes montibus impoſuerunt.

Senſibile, modum quantitatis poſtulat, datur enim aliquid tam exiguum, vt percipi non poſſit; aut aliquid tam magnum, vt totũ ſimul non poſſit comprehendi.

Pars organica, vt ſit ſana, debet habere debitam magnitudinem & capacitatem, vnde angustia facit

Digitized by Google

morbum, ſive oriatur à conformatione, & primo ortu, vt quibus ventriculus anguſtior obtigit, vel à repletione, vt dum in empyemate pus capacitatem thoracis anguſtiorem reddit, vt pulmo liberè dilatari non poſſit, aut in ventriculo tumor aliquis, aut in renibus & veſica calculus; vel à compreſſione, vel à ſubſidentia parietum ejus, vel à conſtrictione, dum ventriculus nimio aſtringentium eſu contrahitur, & anguſtior redditur.

Si cor ſit calidum, pectus eſt amplum, vt ſufficiat reſpirationi; venæ etiam ſunt amplæ, vt in humido etiam & calido hepate, quia multum ſanguinis progenerat.

Equites prævalent in locis planis, contra verò pedites in anguſtis.

Magnus exercitus non ſuperabit minorem, niſi in loco amplo, in quo poſſit explicare vires ſuas.

Senſus debet habere juſtam magnitudinem, vt poſſit objectum percipere; ſic objectum, & eſſe in juſtâ diſtantiâ vt poſſit percipi.

Vide Concordantia, & Magnitudo, Medij & Magnit. omnium principiorum.

CONTRARIETAS MAGNITVDINIS.

QVÆ SINT CONTRARIA MAGNITVDINI.

MISCELLANEA.

QVæ contrariantur convenienti magnitudini partium in corpore. *Vide concordantia Magnitudinis.*

Contrariatur magnitudini nimia profuſio, ſic enim vel maximæ facultates exhauriuntur. Aliena magnitudo, ſic virgulæ non creſcunt, ſed languent ſub magnis arboribus; ſic magnates opprimunt populum, magna lux abſcondit minorem. Continuatio operis atterit corpus, vnde artifices & ruſticani, non tam liberali corporis formâ: ipſa etiam ferrea inſtrumenta vſu conſumuntur.

Omnis poteſtas dominans, impedit ne ſibi ſubjecta nimis augeantur, ne potẽtiora effecta ſubjectionis jugum excutiant: Contemplatio mentem addicens rebus abſtractis, impedit fortunæ incrementum: Quæ dolis & rapina proficiunt, detecta impediuntur. Amor ſemper in puerli ætate pingitur, quaſi non proficiat, ſui enim prodigus, in alio vivens, cogitans, & agens, proprium obliviſcitur commodum: paſſiones quia obcæcant rationem, aberrant, & in præcipitia ducunt. Virtute præſtantiores Deus adverſis exagitat; quia etiam nihil injuſti committunt, capite minuuntur ab his, qui vi, dolo, & omnibus injuſtitiæ modis in ipſos ſæviunt: Rara virtus, quæ ſunt præſtantioris virtutis, ſunt in minori numero & quantitate, vt patet in gemmis, & plantis Medicinalibus; vis enim in anguſto collecta eſt fortior. Lex naturæ, rebus omnibus ſublunaribus imperans, impedit ne vltra debitam quantitatem excreſcant; ſic ſervitus impoſita altiùs non tollendi. In gloria, beatorum meritâ non augentur. Quies, dum motum ſiſtit, novam impedit accretionem.

Partes extremæ corporis, quia multum diſtantes à principiis vitæ, ſunt exiguæ; objecta propter diſtantiam videntur minora; hæreditas in plures coheredes, aut fortuna in plures ſocios diviſa, ſingulis in minori quantitate contingit. Contraria ſe mutuò ſpoliant & imminuunt; ſic Sol humidum in terra, calor in noſtro corpore, depaſcitur. Initium cujuſque rei terminum imponit exiſtentiæ, vt in anteriora non poſſit extendi: defectus quidam in ſemine, in materia, in cœlo nativitati præſidenti, impediunt rerum profectum. Sæpe non augentur, ſed concidunt regna, ſub bono Principe, defectu miniſtrorum; ſic artium opera non perficiuntur defectu inſtrumentorum; læſis organis, vel obſtructis, marceſcit membrum corporis. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, vltrâ quos vltrà non licet progredi. Majora viribus, minora, ne excreſcant, impediunt, nimia repletio ſuffoçat calorem nativum, & impedit aggenerationem. Inter duo æqualia in contrarium nitentia, nihil fit: æmulatio inter æquales, mutuum impedit progreſſum. Nimia populi egeſtas, impedit commercium, quo augentur facultates. Defectu caloris non fiunt hyeme generationes, quibus multiplicentur individua. Hæc curſim, ex principiis delibavi.

Ariſtoteles dicit quantitati nihil eſſe contrarium: eſt enim coæva materiæ; at magna fortuna multos habet hoſtes.

Romæ Augures fecerunt deſtrui ædes alienas, quæ ſua altitudine impediebant eorum obſervationes, in volatu avium, & cæteris. Cic. 3. officior.

In Democratia acculationes publicæ, ratiſſimæ eſſe debent, & gravis debet imponi pœna falſis accuſatoribus, quia non in plebejos, ſed in inſigniores, & maximos viros, concitantur. Ariſtot. 6. Politic. c. 5.

Caparis poſita in muſto, impedit ebullitionem ejus.

Frigus excellens impedit augmentum, frigidi enim eſt conſtringere, & non dilatare.

Fulgur citiùs tangit excelſa, quia citiùs occurrunt; ſic invidia.

In Italia inter Terracinam, & ædem Feroniæ, turres, bellicis etiam temporibus deſiere fieri, nullâ non earum fulmine dirutâ. Plin. lib. 2. c. 55.

Terræmotus fiunt ſæpiùs in montuoſis locis, quia ſub montibus ſunt cavernæ, in quibus aër concluſus ſic illos concutit, vt interdum abſorbeat.

Minos Cretenſes ad bella tantum inſtruxit, omnibus aliis poſthabitis; dicebat enim omnes civitates ſuscatam tantum habere pacem, & modis omnibus velle impedire mutuum progreſſum. Plato. 1. de legib.

Origenes dicit, maximam eſſe pugnam inter ſupe-

riores Dæmones, qui potentia; & inferiores, qui numero excedunt; hi animas in aſcenſu juvant, alij impediunt. Continua in vniverſo viget oppoſitio, inter vnum & multitudinem; terminum, & infinitum; idem & alterum; ſtatum, & motum; incorporeum, & corporeum; ſic de cæteris differentijs genera dividentibus.

De flumine publico non poteſt duci aqua, itavt minuatur. l.2. ff. de fluminib.

Nihil in viâ publicâ debet fieri, vnde arctetur. l.ff. de viâ public.

Derivationibus flumina non debent imminui. lib. vnic. ff. ne quid in flum. public.

Servitus altiùs non tollendi.

Deſtruuntur ædificia, quæ anguſtas nimis faciunt plateas civitatis. l.13. C. de operib. publ. aut quæ palatij amplitudinem coarctant. l. 16. eodem.

A Pharao vexat Iſraël operibus, ne multiplicetur.

Radix altæ arboris, quæ ſuccidítur, alligatur vinculo ferreo, ne ſuccreſcat. Daniel.4.

Poſui te quaſi plauſtrum, trituras montes, & colles quaſi pulverem ponens. Iſay. *Vide finis Magnitudinis, & contrarietas Majoris.*

De deſtruendâ nimiâ & periculosâ, in regimine potentiâ. *Vide Majoris. Poteſtatis Mal.*

Si poſt ſiccitatem, ventus robuſtus in conſecutione fili aquæ pluribus diebus ſpiraverit, & aquas devexerit in mare, ſiccabitur amnis in multis locis.

Cùm plura gigantum corpora è monumentis eruta ſint, in dies corpora facta ſunt minora, exuſtione, conſumente vbertatem ſeminis. Plin. lib.7. cap.16.

Dominatores in ædificationibus, vbi copulantur ſtellæ ſubterraneæ, ædificij erectionem impediunt, Ptolomæ. in centiloquio. nu.54.

PRINCIPIVM MAGNITVDINIS.

CAVSÆ MAGNITVDINIS.

MISCELLANEA.

MAlor vim obtinet augendi: animalia magis ſanguinea & calida, erectiora incedunt, vt homo, & vivipara reliquis quadrupedibus, quibus etiam vt plurimùm ſunt majora. Ariſtot. 3. de partib. animal. c.6.

Sphæra ignis, cæteris major: lætitiæ & delectationis proprium eſt cor dilatare. Amor eſt liberalis, & diffuſivus.

Iupiter quaſi juvans Pater, dicunt enim ab ipſo rei cujuſvis complementum pendere. Vnde vocatur ab Aſtrologis fortuna major: Luna etiam, inquiunt, plena, clarum facit natum.

Calor magnus, omnia in primâ corporis formatione ampliora reddit; deinde mox à primo ortu dilatationem adjuvat partium; quia abundat in bilioſis, facit venas amplas, & diſtentas.

In mari rubro teſtata omnia, mirâ quadam magnitudine augentur. In Ægypto aliqua majora quam in Græcia fiunt, vt boues & oves; aliqua minora, vt canes, lupi, lepores, vulpes, corvi, accipitres; aliqua magnitudine pari, vt corvices & capræ. Cujus rei cauſam attribuunt cibo, qui aliis largè, alijs parcè ſit: Multis etiam locis, cœli & ſitus conditio magnitudinis cauſa eſt, propter calorem, frigus, aut alias qualitates: vt in Africa angues miræ magnitudinis, qui interdum triremem aggreſſi everterunt. Ariſtot. Hiſt. anim.9. c.18.

Creavit Deus cete grandia. Gen.1.

Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. Pſalm.11,

Quis veſtrum cogitando', poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Luc. 12. Abrahæ Deus promittit, quòd erit Pater multarum gentium. Gen.12. & 16. Agar idem promittitur. c.16. item 29. & 30.

B Ioſeph in benedictione Iacob, dicitur filius accreſcens. Geo.49.

Ex 12. Filijs Iacob, factæ ſunt duodecim tribus, vnde ingens populorum multiplicatio; ſic ex 12. Apoſtolis.

Balaam benedicens Iſraël; fluet, inquit, aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas. Num.24.

Servantibus legem promittitur, quò non erunt ſteriles. Deut.7.

Foliorum latitudo proficiſcitur ab humore aqueo, qui facile dilatatur, vnde folia herbarum ſunt longiora.

Quod generatur prius, eſt imperfectum ſecundum quantitatem, ſed ab augmentativa reducitur ad perfectionem. Ariſt.

Ignis dominatur in corporibus nutribilibus. Averroës.

In Cadarâ peninſulâ maris rubri, propter loci quietem, belluæ adoleſcunt ad immobilem magnitudinem. Plinius. lib.9. cap.3.

Luna incrementum dat, maturitatem Sol; Nàm per humiditatem movet, & turgeſcere facit, ſed ob imbecillitatem non concoquit, ita noctu multa creſcunt, C diu maturantur, vt botrus.

Oſtreæ & reliqua teſtacei generis creſcunt, & decreſcunt cum Lunâ.

Spiſſitudo & rugoſitas non niſi ex frigiditate proficiſcuntur.

Ex eâdem interdum causâ fit magnitudo ac minoritas: terræ motus, interdum montes evomit, & abſorbet; aquæ montes deradunt, & ſolo æquant, interdum valles excavando montes efficiunt.

Cardanus dicit loca meridionalia facta eſſe depreſſiora, ſolis radijs humidum, quo tumeſcebant, depaſcentibus.

Digitized by Google

Iuxta polos terra eſt magis elevata, vnde hinc ad meridionalia deſcendit mare.

Incubans mare cæteris aquis, cogit ſuo pondere eas, per quoſcumque datos canales, exundare, & aſſurgere in fontes, qui ex montibus ſcaturiunt.

Cute per metum contractâ, aſſurgunt & horreſcunt pili.

In puncto remotiori à corpore luminoſo, lumen eſt multipliciùs, quia majorem ſphæram occupat, ſed diſtantiâ eſt debiliùs. *Vide Majoritas Magnitud.*

Fit multitudo, vt ſuppleat defectum perfectionis. *Poteſt. Magnitudinis.*

Æſtus maris ſunt majores in locis anguſtis, quæ mare excipiunt, etiam vbi ſunt Syrtes quæ fundi capacitatem occupant: ex eo etiam quòd præcedentes fluctus ad littus appellentes merguntur, fit vt ſuperiores extollantur; ſed extollentia procedit interdum ab infirmitate.

Ante inundationem Nili per multos pluit dies; ſic augmentum ſuum debet cœlo: In diluvio dicuntur fractæ cataractæ cœli.

Corpus magnum, tale eſt, ob humoris vel materiæ multitudinem; parvum autem ob ſiccitatem, aut ob materiæ penuriam tale efficitur. Galenus. libro de optimâ corporis conſtitutione. Simpliciter tamen, neque magnitudo eſt indiciũ humiditatis, neque parvitas ſiccitatis, niſi aut magnum molle, aut parvum etiam ſit durum. Ibidem.

In mari animalia ſunt majora terreſtribus, cauſa evidens, humoris luxuria. Plinius lib.9. cap. 2. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

Augeſcunt corpora dulcibus, atque pinguibus, & potu; minuuntur ſiccis, aridis, frigidis, ac ſiti. Idem lib.11. cap. vlt.

Naſcuntur gemelli ſi horoſcopus, Sol, & Luna ſint in ſignis bicorporeis. Ptolomæ. prædict. Aſtrolog. lib.3. cap.8.

Domini genituræ hominum proceræ ſtaturæ in ſublimitatibus ſunt, & ipſorum horoſcopi in ſignorum principijs: eorum verò, qui ſunt brevis ſtaturæ in humilitatibus inveniuntur. Idem in centiloquio num.5. .˙.

Tuæ divitiæ & tua eſt gloria, tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia; in manu tua magnitudo & imperium omnium. 1. Paralip. 29.

Vnde ſit rerum multitudo & numerus. *Vide Differentia Magnitudinis.* de numeris. *& Principium Differentiæ.* .˙.

QVÆ POSSVNT ESSE cauſa Magnitudinis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus vocatur optimus, antequam Maximus, quia magnæ ſuæ largitiones, ſupponunt eſſe perfectiſſimum, nulliuſque rei indigum: ſic Heroës habiti ſunt magni, propter beneficia quæ populis contulerant. Secundùm eſſe rei datur conveniens integritas partium & magnitudo; & nobiliores formæ majori multitudine organorum indigent ad operationes ſuas.

MAGNITVDO. Eſt cauſa magnitudinis, magna enim arbor magis creſcit quam parva, dives plus quam pauper ſuo labore diteſcit: Integritas potentiarum, & organorum, eſt cauſa integritatis operationum.

DVRATIO. Res quæ non tam citò, ſed cum morâ producuntur, ad majorem magnitudinem excreſcunt, vt patet in omnibus operibus naturæ & artis. Integra magnitudo non habetur, niſi ſucceſſivâ accretione, & per gradus ætatum, acquiſita autem magnitudo debet conſervari, alioquin deperit.

POTESTAS. Et vis inſita ſemini facit illud exurgere in magnam arborem. Magni Principis eſt ex parva Republica magnam efficere.

COGNITIO. Sub lumine res omnes creſcunt, eo abſente marceſcunt, ad ſolis aſpectum flores expanduntur. Prudentia Rempublicam, & domeſticam auget; nam vitat noxia, & profutura ſectatur. Inſtinctu conſervantur ſpecies. Verbum divinum æterna ſapientia, dum fecit res omnes in pondere, numero, & menſurâ, illis certam præſcripſit magnitudinem.

VOLVNTAS. Amor, & cæteræ illum conſequentes paſſiones, concitant appetitum, vt res ad convenientem ſibi perfectionem perducantur.

VIRTVS. Res exiſtimatur magna, potiùs magnitudine virtutis, quàm molis; ſic excellentes viros magnos vocamus. Perfecta operatio ſupponit perfectionem eſſentiæ, illam conſervat & auget.

VERITAS. Lex naturæ dat integritatem mundo; civilis Reipublicæ; œconomica familiæ: bona fides, & conſcientia recti multos erexit.

GLORIA. Quiete moderatâ & ſomno, plus corpora proficiunt, quàm alimento, vnde pueri in vtero ſemper quieſcunt, & recens nati multum dormiunt; honore, voluptate, remuneratione accenduntur homines ad magna.

DIFFERENTIA. Specierum eſt cauſa, cur vna res ſit magna, alia parva, & ordo, ſecundum quem, vna res debet aliam præcedere: plantæ ſeminatæ ab invicem ſeparantur, & tranſplantantur vt creſcant; ſic ſurculi ab arbore, infantes ab vtero materno, puellæ à domo paterna, planetæ à radijs ſolis, ſub quibus erant combuſti, & tunc habent vires integras. *Vide Bonitas Differentia.*

CONCORDANTIA. Res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilatantur; nutritio, & accretio fit ex ſimilibus: fit vnitis viribus, quod non fieret ſeparatis. Vxor accipit dignitatis magnitudinem à viro ſuo: corpus habet totalem ſuam integritatem, & ſingula membra ſuam ſingularem, per concordantiam ad invicem, & cum principijs vitæ.

CONTRARIETAS. Res naturales augentur per antiperiſtaſim, & oppugnationem contrarij: Corpus creſcit per virtutem digeſtivam, ſuperans alimentum, & expulſivam excrementi: Romana Reſpublica aucta eſt bellis.

PRINCIPIVM. Ex magnis magna procreantur, Elephanti ex Elephantis; vis eſt inſita ſemini, ad augmentum; fauſtum rei initium eſt cauſa ſequentis excellentiæ.

MEDIVM. Cauſatur magnitudo in corpore à probis alimentis; in Republica, à bonis miniſtris; in ſcientijs, à libris, magiſtris, methodo; nullaque res eſt quæ magnitudinem ſuam poſſit conſequi, ſine medijs convenientibus.

FINIS. Actiones deſumunt ſuam magnitudinem virtutis à fine, & intentione; tunc res cenſetur habere ſuam integritatem, cum aſſecuta eſt ſuum finem. Principes dant aulicis magnitudinem, vt artifices inſtrumentis, ſecundum quod volunt illis vti.

MAIORITAS. Habent partes convenientem ſuam magnitudinem, in ordine ad totum quod componunt; aliquibus ex favore elatis, alijs ſimiliter aliquid datur, ne ſit nimia æmulatio: Magnitudini mali

Digitized by Google

debet commensurari magnitudo remedij, vt major debet esse Principis bonitas, post præcedentis tyranni sævitiam.

ÆQVALITAS. Res crescunt, vt sint æquales cæteris ejusdem speciei. Æmulatio ad magna incitat;

A membra, quorum est idem officium, æqualis sunt magnitudinis, vt duo pedes, &c.

MISERITAS. Profunditas fundamenti est causa cur elevatur ædificium; humilitas officiorum fuit multis causa sublimis fortunæ.

MEDIVM MAGNITVDINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIA QVIBVS HABETVR MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

MATERIA extensionem habet per quantitatem, quæ immediatè illi vnitur, estque coæva.

Medulla in majoribus, magisque cavis ossibus, inest pro alimento.

Quibus animalibus est cor majus, vt cervis, inest os ad illud sustentandum.

Eadem quæ retulimus, quasi principia, possunt esse media magnitudinis. Vide in præced. demonstratione. *Princip. Magnitud.*

Instinctus, potentiæ, organa, accidentia omnia, sunt instrumenta, quibus vtitur substantia, ad sui complementum acquirendum.

Ossa sunt fulcimentum carnis, caro nervorum: quæcunque habent dimensionem, habent locum, B cui commensurantur.

Poligamia post diluvium ad reparationem generis humani, & etiam nunc à barbaris recepta.

Centrum, diameter, numeri pares, qui pariter dividi possunt, vt quantitas, cujus mediata pars ope circini habetur.

Viti adminicula addenda, quæ scandat apprehensa, si majora sint. Plin. lib. 17. cap. 23. sic crescit hedera, & omis species volubilis.

MEDIA SEV MEDIATA Magnitudo.

IN omnibus recipientibus magis & minus, non devenitur ad maximum, aut minimum simpliciter, quos majus aut minus esse non possit: sed hæc veritas reperitur in Deo ente absoluto. Cardin de Cus.

In medijs entibus omnia sunt media, habitâ ratione eorum de quibus plus aut minus participant. *Vide Media Bonitas.*

Herbæ habent folia latiora, quam arbores, propter A humiditatem; sed non sunt ita altæ, quia non habent tantum caloris: frutices habent mediam magnitudinem inter plantas & arbores.

Diameter, hemisphærium, dies & nox tempus partientes, successivè, aut per partes vt hic; aut integrè, vt sub polis, in quibus sunt 6. menses, diei, & totidem noctis.

Non est certus definiendus numerus civium, propter varias mutationes, casusque rerum: non debet etiam esse infinitus, quia in ordinem facilè redigi non posset. Non dari infinitum. *Vide Minoritas Finis.*

Spiritus in corpore continuò moventur; ascendendo, proprio naturæ suæ aëreæ & igneæ motu; & descendendo, ad quærendam materiam, quâ substistant: sic flamma in materiâ combustibili; sic aves, ad terram, alimenti causâ descendentes; sic animalia propter calorem in altissimis ædificiis degentia, vt quæ gallicè vocantur. Fouines.

Quantitas corporis naturalis, nihil aliud est quàm ipsa ejus finitudo Arist. Phys. c. 2. 3. 4.

Longitudo, seu linea, & latitudo, seu superficies sunt incompletæ magnitudines.

Angularis brachij figura est iustissima, & à dolore excitando, quàm maximè aliena; est autem, cùm brachium & cubitus, ita compositi sunt, vt rectum angulum constituant. Galen.

In subjecto, plus magno quàm par sit, diffunditur calor & hebetatur; in parvo paucus est, in mediocri vnitur; vnde mediocritas magnitudinis optima est, C vt forma recipiatur, & operetur. Vide passim in Physionomia. *Cognit. Virtut.*

In prælatis montibus nivosis, vix reperiuntur homines longævi, sed in medijs collibus propter aëris puritatem, aut etiam in vallibus. *Vide Bonitas Medij.* Bonum in medio.

Druidæ viscum quercinum aureâ falce succidebant, sextâ lunâ, quia jam satis virium habet, nec est sui dimidia. Plin. lib. 16. cap. vlt.

Digitized by Google

FINIS MAGNITVDINIS.

TERMINVS IN QVO DESINIT MAGNITVDO.

MISCELLANEA.

Vide Duratio Magnitud. Repug.

CVm omnia creata ſint ordinata, etiam ſunt limitata, quia infimo, & ſupremo, & ſic deinceps debent concludi, alioquin dum in cœlis, alius alio celeriùs moveretur, ſi infiniti eſſent, deveniendum eſſet ad immotum, immenſâ celeritate, ſuum terminum attingente. Limitatam, & finitam machinam probat formarum differentia, contrarietas qualitatum, motionum oppoſitio, revolutionum terminus. Plotin. lib. de cœlo. cap. 3.

Non datur infinitum actu, neque in motu, neque in numero, quia ſpatium mundi eſt limitatum. Ruvio. 3, Phyſic. tract. 3. q. 1.

Viventia omnia habent terminos intrinſecos magnitudinis & parvitatis, quos non poſſunt niſi per miraculum excedere: tum quia in naturâ, ſicut in arte debet eſſe certa organorum diſpoſitio; tùm quia virtus animæ producentis, eſt limitata; non viventia autem habent ita limitatam magnitudinem, vt non poſſint in immenſum excreſcere, quamvis poſſint ſolitam aliquo modo excedere. Idem 1. Phyſic. cap. 4. quæſt. 1. & 2.

Quantitas corporis naturalis, nihil aliud eſt, quam ipſa ejus finitudo. Ariſt. 3. Phyſic. cap. 2. 3. 4.

Cœlum finitum eſt, alioquin non moveretur. Id. 1. de cœlo. c. 1.

Multi Philoſophi crediderunt certis terminatis numeris rerum ſeries contineri, eaſdemque numero redire, elapſis certis temporum curriculis; perpetuus enim motus circularis debet eſſe & eadem referre; vt in cœlo. Plutarch. lib. de plac. Philoſoph.

Quælibet quantitas, non eſt in infinitum diviſibilis, ſi per partes certas & æquales dividatur, vt per vnas.

Tres anguli cujuſlibet trianguli, non plus poſſunt valere, quam duo anguli recti, ideſt, 180. Nam quilibet angulus rectus valet, 90.

Minuuntur montes, ſeu terræ motu illos abſorbente, ſeu vento, pluviſque ex illis ſemper aliquid abſtrahentibus, in plana, & in fluvios, ipſumque mare deferentibus.

Volat in aëre fumus, ſed expreſsâ tenuitate cadit ſub aërem.

Non creſcimus per totum vitæ tempus, propter defectum caloris, ſed pervenimus ad ætatem conſiſtentiæ; ex quâ quotidie minuuntur vires. Periculoſa ex Hypoctate, ſumma ſanitas, quia ex illa ſubitus fit lapſus in morbum, aut in mortem, ſic Regnis ſtatuta magnitudo. *Vide Finis Poteſtatis.*

Punctus terminat quantitatem, vnitas numerum. Vnitas autem eſt finis explicationum, quia eſt infinitus. Vide Cardin. de Cuſa. lib. de docta ignorantia.

Diffuſa ſpuma ex amplo tumore, in exiguum redet, talis eſt pulmo fungoſus. Ariſtotel. 3. de partib.

Horizon, duo pôli, ſenectus, mors, hyems, in quo flacceſcunt, & concidunt plantarum caules.

Nullum corpus naturale poteſt eſſe infinitum, non enim moveretur. D. Thom. 1. q. 7. a. 3.

Angelus habet locum determinatum, quo ad magnitudinem, quia non poteſt eſſe in majori, extra ſphæram ſuæ activitatis: non quantum ad parvitatem, quia poteſt eſſe in minori, etiam in puncto.

In cautione debet inſeri certa quantitas, vbicumque litigatur ſuper eo, quod eſt inæſtimabile, ſicut libertas. Gloſſ. in l. non ſolum, §. ſi ſtatus. ff. de procurato.

Fœminæ incrementum citiùs quàm maſculi deſinit, ob imbecillitatem naturalis potentiæ, licet citiùs adoleſcant ob materiæ tenuitatem. *Vide Finis Poteſtatis.*

Limitata debet eſſe magnitudo, quia majoritas peccat. *Vide Majoritas Magnitud.*

Quia ſemina ſunt certo numero determinata, certo temporis ſpatio tranſeunt omnia, & fit recurſus ad initium: circuitus autem hic abſolvitur, ſecundum Platonicos, annis ſex & triginta millibus ſolaribus, magnum annum mundi vocant. Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 4. c. 2.

Numeri cum ſint ſpirituales, quia ſitu carent, & metiuntur ſecundum formam, tam ſpiritualia quam corporalia, ſine fine creſcunt; non tamen ſine fine decreſcunt: at magnitudo corporea terminum habet augmenti; quamvis non habeat terminum decrementi. Ibidem. lib. 5.

Augmentum fit, quouſque oſſa confirmentur; confirmantur autem in exiguâ magnitudine, ob materiæ defectum, vel ob ſiccitatem. Galenus lib. de optimâ corporis conſtitutione.

In agro Cumano ſubſedit arbor, gravi oſtento, paulo ante Pompei magni bella civilia, paucis ramis eminentibus. Plin. lib. 17. c. 25. *Vide Finis Poteſtatis.*

EX BIBLIIS.

VMbra retrocedit in horologio Ezechiæ. 10. gradibus 4. Reg. 20.

Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terrâ. Iſay. 21. *Vide Finis Poteſtatis, & Gloria.*

Cum exaltaveris quaſi Aquilum nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Ier. 49.

Ecce ego ad te, mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis vniverſam terram, & extendam manum meam ſuper te; & evoluam te de petris, & dabo te in montem

montem combuſtionis, & non tollam de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamento, ſed perditus in æternum eris. Ierem.51.

Regi Tyriæ dicit Deus Ezech.31. Pro eo quod ſublimatus es in altitudine, & dediſti ſummitatem tuam virentem, âtque condenſam, & elevatum eſt cor tuum in altitudine tua, ſuccident te alieni, projicient in montibus, & in cunctis convallibus ramos tuos.

Dominus deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ, & conſumentur montes ſubtùs eum, & valles ſcindentur, ſicut cera à facie ignis: ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps. Mich.1.

Aſpexit & diſſolvit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi: incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Habac.

Vox Domini confringentis Cedros. Pſal.28.

Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut Cedros Libani, & tranſivi & ecce non erat; nec inventus eſt locus eius. Pſalm.36. Tu confregiſti capita draconis, tu dirupiſti fontes & torrentes, tu ſiccaſti fluvios Ethan. Pſal.73.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini. Pſ.96. Ieſus videns ædificationes templi, dixit, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Math.24.

Oculi ſublimes humiliati ſunt, & incurvabitur altitudo virorum: Dies Domini exercituum, ſuper omnem ſuperbum, excelſum & arrogantem, ſuper omnes Cedros Lybani ſublimes & erectas, ſuper omnes montes excelſos, ſuper omnem murum munitum, &c. Iſay.2.

Excelſi ſtatura minuetur, & ſublimes humiliabuntur, & Libanus eum excelſis cadet. Ibid. cap.10.

MAIORITAS MAGNITVDINIS.

DE HIS QVÆ EXCELLVNT QVANTITATE.

MISCELLANEA.

NOn datur numerus, nec quantitas, cui non poſſit fieri additio.

Totum eſt majus ſua parte, non tantum quantitate, ſed virtute; hinc concludit Kexermannus in politicis, neque Principem eſſe propter Rempublicam, neque Rempublicam propter Principem, ſed ſimul pro bono totius. Sic publica ſunt privatis anteferenda. *Vide Gloria Concordantiæ.*

Quæ nobiliora, ſunt majora. *Vide Bonitas Magnitudinis & Majoritas, & Magnitudo Virtutis*, bonorum numerus.

In India, maxima gignuntur animalia, & arbores tantæ proceritatis, vt ſagittis ſuperari nequeant. Arundines, quarum ſingula internodia alveo navigabili ternos homines ferant; hæc facit vbertas ſoli, temperies cœli, aquarum abundantia. Plin. lib.7. cap.2.

Altiſſimi numerantur montes. Athos inter Macedoniam & Thraciam. Athlas in Mauritania. Caſius in Seleucia propè Antiochiam, ex quo ſimul videtur, Occidentis & Orientis ſolis lumen; Caucaſus, inter mare Caſpium & Iberiam, cujus tertia pars remanet illuſtrata, deſinente crepuſculo veſpertino, & mane ante matutinum. Altiſſimus in Macedonia Pelion: Teneriſis mons in Inſulis fortunatis. Picus dicitur omnium montium altiſſimus, nam 72. millia cœlum verſus tollitur. In Sycilia Æthna. In Macedonia Olympus ſupra nubes, itavt in cinere deſcripti caracteres, ad annum permaneant. Denique in Europa Alpes & Pyrenei.

In Græcia palus Alcyonia infinitæ eſt profunditatis, nec quiſquam vnquam potuit appenſo plumbo ad fundum pervenire; ſupernatare volentem attrahit in fundum & mergit.

Altiſſimus Planetarum. Saturnus. Elementorum ignis. Angelorum Seraphim.

In arcium propugnaculis ſunt eminentiæ quædam, quas vocamus, *les Cavaliers & la Banquette*; Turres; ſpecula.

Figuræ eo ſunt capaciores, quo magis accedunt ad quadratum perfectum, & ad circulum, quia ſunt figuræ maximè regulares.

In naturalibus minora majoribus continentur.

Accretio eſt præexiſtentis quantitatis additamẽtum.

Nullum eſt accidens tam intenſum, quin à Deo intenſius fieri poſſit.

Peritonæum laxatur ventre turgente; ſine vacuo aër, & cætera corpora poſſunt rarefieri.

Deus eſt immenſus; corpus Chriſti poteſt eſſe in pluribus locis.

Senatores, & in vrbe, & vbi etiam oriundi ſunt domicilium habere intelliguntur, quo ad honores; quia dignitas domicilij adjectionem, potius dediſſe, quam permutaſſe videtur. l.11. ff. de ſenatorib.

In accretione, & intentione non deſtruuntur primi gradus, ſed adduntur novi; vt cum minori lumini ſupervenit majus: Chriſtus non venit legem ſolvere, ſed adimplere.

Plinius lib.6. cap.22. ſcribit juxta inſulam Taprobane, mare eſſe ita profundum, vt nullus vlla arte poſuerit fundum attingere.

Animalia maris excedunt terreſtria magnitudine, quia ſunt tantum in elemento proprio & humido, vnde dilatatio; ſunt etiam exempta à ſolis vi, quæ conſumit terrei alimenti copiam. Ariſt. in problem.

Homo ſolus animalium erectus incedit.

Quantitas debita alicui ſpeciei, non eſt derminata ſecundum aliquod indiviſibile; ſed habet aliquam latitudinem. D.Thom.3. q.33. a.2. ad 2.

Cuilibet quantitati Mathematicæ finitæ poteſt fieri additio; non autem quantitati naturali. 3.q.7.a.12.ad 1

De procera ſtatura, quæ videtur majoris internæ virtutis indicium. *Vide Cognit. Virtut.*

Quemadmodum ſub corporibus mente præditis, plurima ſunt corpora expertia mentis, ita ſuper mentes corporibus inſitas, ſunt multæ mentes nullis attributæ corporibus, & earum multo plures ſpecies: quia rationales animæ ſunt inter æternitatem & tempus: exigit autem æternitatis excellentia, vt plures contineat perfectiones & ſpecies, quam tempus; nam ſpatium inter animas & principium eſt infinitum, inter ipſas autem & corpus eſt finitum; vnde ſuper animas plures poſſunt eſſe gradus Angelorum, quam gradus formarum infrà animas: mens naturaliter formas ſeparat; quod autem eſt naturalius, eſt vt plurimum. Si ſpecies rerum naturalium in anguſtâ materiâ ſic dilatantur, multo magis ſubſtantiæ, quæ ſunt ſupra materiam, mirâ generis ſui fœcunditate, in ſpecies innumeras amplificantur. Intelligibile genus magis eſt multiplicabile, quam corporeum: nam numeri, diviſiones, figuræ, proportiones, varietas corporum, velocitas motuum in corporibus terminata ſunt, in mente abſque termino pro arbitrio protenduntur: & quæ in materia particularia ſunt, in mente fiunt vniverſalia; actu autem debet eſſe hæc amplificatio: cum ordo vniverſi ſit optimè conſtitutus, ſub infinito bono: ipſi proximiora, debent cæteris eſſe ampliora, quod patet in cœli & mundi ſphæris, & quod in corporibus eſt dimenſio, in rebus incorporeis eſt numerus: multitudo ad infinitatem accedit. Hinc illud Danielis, millia millium miniſtrabant ei, &c. Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib. 1. c. 5.

Magni corporis partes, debent eſſe majores quam parvi, habent enim proportionem ad ſuum totum: ſic majora ſunt quæ fiunt in menſe, quam in die, in anno quàm in menſe, in ſæculis quam in annis: in æternitate quàm in ſæculis: hoc patet in recurrente dominio Planetarum, in morbis Chronicis, motibus maris, &c.

In Creta terræ motu rupto monte, inventum eſt corpus ſtans 46. cubitorum, quod Orionis eſſe arbitrantur: Oreſtis corpus effoſſum inventum eſt 7. cubitorum: ſub Claudio ex Arabia advectus quidam Gabaras nomine 9. pedum. Plin. lib. 7. cap. 16.

In mari ſunt animalia majora terreſtribus: cauſa evidens humoris luxuria. Idem lib. 6. cap. 2.

De arboribus ſummæ altitudinis, vnde trabes 130. pedum. Vide Plin. l. 16. c. 40.

Calamus altior frumento, quam hordeo. Idem lib. 18. cap. 7.

Quæ in montibus gignuntur, ſunt fortiora, quam quæ in planis, & paludibus. Galen. lib. de attenuante victus ratione. *Vide Bonitas & Virtus Magnitudinis.*

NIMIA QVANTITAS mala.

MAgna in exercitu multitudo, ſi ignava, imperita, & tantum multitudo, non vires habet, ſed pondus; vix enim regi poteſt, ſic citò deficit. Seneca 5. de beneficiis. c. 31. introducit ſic loquentem de Xerxis exercitu; Propterea te Græcia vincet, quia non capit; vti toto te non potes, inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire labentia; multò antè vincêris, quàm victum te eſſe ſentias: accidit quod Demaratus prædixerat, & ſtratus per Græciam Xerxes, intellexit quantum ab exercitu turba diſtaret. Sic Alexander Magnus, Sertorius, Hannibal, & alij plerique Duces, non numeroſo, ſed animoſo exercitu ingentes victorias reportarunt.

Lupus non terretur ovium multitudine.

Magni exercitus, in locis anguſtis ſunt ſine viribus.

Quantitas per ſe non eſt activa, nec vllum habet motum, quia fluit à principio paſſivo, ſcilicet materiâ. Scaliger exercit. 142. & 352.

Morbus partis organicæ eſt, aut ex defectu materiæ, & propter malam, anguſtioremque conformationem: aut ex magnitudine ineptâ, & tumoribus præter naturam, ita auctis, vt lædant actionem. Numero etiam ſuperflua, ſive accreſcant partibus naturalibus, vt tubercula, & cætera quæ ſunt obſtructionis cauſæ: ſive omnino ſint præter naturam, vt pus in abceſſu, lumbrici, calculus, vitiligines, lepra: vel quando ſunt plures viæ & meatus, quam ſecundùm naturam eſſe debent; aut quando meatus, plus æquo dilatantur: Anaſtomoſis quando oſcula venarum nimis aperiuntur: Diapidiſis quando tunicæ vaſorum, ita rarefaciunt & laxantur, vt humores diffluere, & quaſi tranſſudare poſſint: Diæreſis cum à cauſa erodente, vel rumpente, via quæ non debebat eſſe, aperitur; vel qui adeſt, nimis dilatatur, itavt humores effluant; ad hoc pertinent tumores omnes, & nimium partium incrementum, ob exceſſum materiæ, aut vtilis, vt pinguedo; vel inutilis, vt in abceſſu, hydrope, hernia, &c.

Naturales humores ſolâ copiâ noxij ſunt, non naturales verò, qualitate potiùs quàm quantitate peccant.

Galen. lib. de differ. morb. c. 9. refert Nicomacho Smirnæo, ad tantam molem corpus excreviſſe, vt loco moveri non poſſet. Gigantes peſſimi.

Ingens corporis moles, optimè à natura regi non poteſt, quia tam amplæ nutritioni intenta anima, cætera officia deſerit, & in illis mentis torpor, actioneſque ingenij minùs perfectæ deprehenduntur. *Vide Virtus Medij.*

Partes organicas, quæ præter naturam abundant, medici tollunt medicamento, ferro, igne.

Omnia animalia, quæ pluſquam quaternis pedibus gradiuntur, ſanguine carent.

Si in vno loco Regni, nimis excreſcit hominum numerus, ſunt in aliis per colonias conſtituendi: non enim ita populo debent eſſe repletæ civitates vt ſe colluvie multitudinis inficiant, & infectæ vix poſſint ſanari. In magna multitudine judices non poſſunt omnibus attendere, ſuntque vt magnæ naves quæ propter nimium onus, non poſſunt navigare. Ariſt. 7. polit. cap. 6.

Magnus numero exercitus, orto timore faciliùs terretur & diſſipatur, difficiliùs nutritur & regitur, lentè movetur, dum interim elabitur occaſio, ſua extenſione magis patet hoſtium ictibus, indiget magno commeatu, qui difficillimè habetur. In navali nocet multitudo navium, ſi locus ſit anguſtus; facilè enim offenduntur, & vix offendunt. Fame, aut obſidione laboranti civitati multitudo habitantium nocet; vnde hoſtis impedit, ne inutiles perſonæ egrediantur.

Non eſt bonum Reipublicæ augere numerum familiarum, ſed antiquæ ſunt conſervandæ.

Corrumpuntur Reſpublicæ propter exceſſum vnius partis, vt populariũ, aut nobiliũ. Ariſt. 5. Politic. c. 10.

Meliùs eſt paucos prudentes adeſſe conſilio, quam multitudinem; vnde gubernatio popularis, in quo multitudo dominatur, eſt omnium peſſima, ſeditioſa, turbulenta, ſine conſilio, ſine lege.

In omni tumore præter naturam, eſt triplex morbus. *Vide Concord. Contrar. Mal.*

Cauſæ per accidens ſunt infinitæ.

In animalibus, quo plus eſt pinguedinis, eo minùs eſt ſanguinis, pingue enim omne, exangue eſt.

Nos occidit elementum, quod in nobis excedit.

Numerus Clericorum ſecundum facultates Eccleſiæ ſtatuendus eſt. cap. Quoniam, de vit. & honeſt. Cleric. & cap. non ampliùs; cap. authoritate de inſtitutio.

In Monaſterio non admittatur major numerus, quam facultates poſſint ferre. Concil. Turonen. III. Can.31.

Novam Religionem nemini licet conſtituere, ſine authoritate Romani Pontificis, ne nimia Religionum multitudo confuſionem in Eccleſia inducat. cap. ne nimia de religioſ. domib.

Non licet Abbati plura habere Monaſteria, niſi receptaculum in vrbe contra hoſtium incurſus. Concil. Viennenſe. Can.8. anno 453. *Vide Minoritas Differentia bona.*

Non licet ſuper vno altare, in vno die, duas miſſas dicere. Concilium Antiſiodorenſe. Can.10.

Ædificia ſunt ita conſtruenda, vt modum vſitatum altitudinis non excedant. lib.1. C. de ædific. privat.

Cum numerus in Eccleſiis ſit taxatus, ſecundum earum reditus, non licet excedere. l.4. C. de ſacroſ. Eccleſ. Ne defectu reditus in anguſtias decidant. Nov.3. c.2. & 6. c.8.

Qui ſuprà numerum admittuntur in collegio, non gaudent beneficio collegij. l. vnic. C. de collegiatis.

Reſtringitur numerus referendariorum ad octo; multitudo enim numeroſa nihil habet honeſti; quoniam in paucis, ex multis, quæ ſecundum virtutem eſt vita ſalvatur. Novell. 10. & 16. de menſurâ ordinandorum Clericorum.

Quarta beſtia, cæteris major. Daniel.7. & 8. Videt Arietem habentem cornua excelſa, & vnum excelſius altero, & ſuccreſcens.

Venæ impuro ſanguine refertæ tument tamen, & inflantur.

Pavida animalia habent cor grandius, venas etiam; vnde non habent reſpondentem calorem, magnitudini vaſis; quia tantundem ignis magis calefacit in parvo quam in magno domicilio. Ariſt. lib.3. de partibus anim. c.4.

Avibus carnivoris incommoda fuiſſet colli longitudo, imbecille enim eſt, quod longum eſt.

Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam. Qui exaltat os ſuum, quærit ruinam. Proverb.17.

Re vera, lues, & fames & bella, & voragines civitatum pro remedio deputãda, tanquam tonſura inſolentis generis humani. Tertul. lib. de anima. cap.30.

Magnis illis corporibus ſui termini, cœlo, terræ, mari: ita animantium cuique ſæclo deſcriptus eſt numerus: itemque hominibus, oppidis, regnis: excedere ea volunt; turbo igitur aliquis cladium atterat neceſſe eſt, ne lædant pulcherrimum hoc opus univerſi. Quid ergo mirum? ſi Saturnius ille Pater falcem interdum immittit in luxuriantem hunc agrum, & ſuperflua aliquot millia peſte demetit, aut bello, vt A tellus alendis ſufficiat. Pereat ergo jure in partibus aliquid, vt ſumma mundi æterna ſit: vt enim moderatoribus Reipublicæ ſalus populi ſuprema lex eſt, ſic Deo mundi. Lipſius lib.2. de conſtantia. cap.11. *Vide Finis Magnitudinis.*

Præ multitudine piſcium rete rumpitur. Luc.5. Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam. Iſay.6. Inutilium in congregationibus receptio; gravat dum numerum auget, hinc apoſtatæ.

Nimium copioſi exercitus, magis propriâ multitudine, quam hoſtium virtute deprimuntur: nam pluribus caſibus ſubjacet amplior multitudo; in itineribus præ mole ſua ſemper eſt tardior, & in tranſnatandis fluminibus; vix equis paſcua inveniuntur, magna rei frumentariæ difficultas Vegetius. Obteſſi ſuâ ſe opprimunt multitudine.

Evergetes ſeptimus Ægyptiorum Rex, ob luxuriam & delicatam vivendi rationem ſic pingui & diſtento fuit ventre, vt vix ſe poſſet movere. Idem contigit Dionyſio Heracleorum tyranno; ſic fuit Pytho Bizantius Rhetor.

Quibus facilis eſt venuſtas in loquendo carent ſæpe illâ vi judicij, quæ ſtylum perenni gratiâ ad poſteritatem deducat. Quippe promptus & penè turbulentus animus, vbi in otio, quod ſcribentibus datur, ſeipſum recognoſcit, ipsâ rerum quæ occurunt multitudine oneratus, & confuſus, divitiis ſuis premitur, nec ſcribere quæ invenit omnia, nec quæ potiora ſunt eligere poteſt. Barclajus.

Poëticè dicentes in oratione ridiculum efficiunt & obſcurum, propter loquacitatem: quando enim cognoſcenti inculcas, id diſſolvit perſpicuum, offuſione obſcuritatis Ariſtot.3. Rhetorico. cap.3.

Poëticum eſt vnum multa facere, vt cum vnicus ſit portus, dicunt, portus in Achaicos. Ibidem. cap.6.

Vt exigua flamma, ſi affatim multum olei infundas, extinguitur, ſic etiam ex ſe calida alimenta, immodicè & intempeſtivè ſumpta, morbos frigidos generant: vt ebrietas apoplexias, epilepſias, convulſiones & cæteros frigidos affectus. Galenus lib.3. de temperamẽtis.

Omnia oſſa majora ſunt cæteris etiam magis cava, ne maximo gravent oneri. Idem lib. 2. de vſu partium.

Excitationis motus in ventis, cauſa eſt præcipua, ſuperoneratio aëris, ex nova acceſſione aëris facti ex vaporibus.

Cujuſdam Euthimenis filius, Salamine, in tria cubita, triennio adolevit, inceſſu tardus, ſenſu hæbes, intrà triennium abſorptus contractione membrorum Plin. lib.7. cap.16.

Præſtant pondere corpora dormientia vigilantibus, & mortua vivis. Ibid.c.7.

In gemellis ſæpe fiunt monſtra, fœtuſque immaturi eduntur. Ptolom. lib.3. cap.8.

Ptolomæus Philopator Rex Ægypti navem fabricari fecit tantæ magnitudinis, vt ad ſpectaculum eſſet potiùs quam ad vſum: nam vix poterat moveri. Plutarchus in Demetrio.

Vide majoritas medij plura & majora media quam oportet, & magnitudo majoritatis mala.

ÆQVALITAS MAGNITVDINIS

IN QVIBVS EST ÆQVALIS QVANTITAS.

MISCELLANEA.

MEmbra animalium duplicia, aut multiplicia, ad idem officium determinata, habent eandē magnitudinem, vt pedes, oculi, aures, renes, &c.

Saga cilicina, quibus tegebatur tabernaculum, erant æqualis magnitudinis. Exod. 26.

Non plura ſunt puncta in majori circulo, quàm in minori, quia infinita.

Numerus centum equorum, idem eſt ac centum hominum. Sic in Iuſtitiâ commutativâ non habetur ratio perſonarum, ſed rerum.

Oportet vngues carni eſſe æquales, ad bene apprehendendum. Gal. de vſu part.

Cùm ſtellæ fixæ in ſex gradus diſtributæ ſint, multæ ſunt ejuſdem magnitudinis, vt caracteres in libro cœleſti.

Duæ partes libræ, æqualis ponderis.

Linea perpendicularis cadens ſuper rectam, facit duos angulos æquales.

Si darentur duo infinita in diverſo genere, eſſent æqualia in ratione infinitudinis, quia infinitas non recipit plùs & minùs. Ruvio. 3. Phiſ. tract. 2. q. 5.

Obſervatum eſt tantam eſſe montium altitudinem, quanta eſt maris profunditas.

A centro ad circumferentiam æquales ſunt lineæ: ab hoc principio pendent præcipuæ Geometriæ demonſtrationes; ſic terra æqualiter vndiquè à cœlo diſtat.

Vmbilicus eſt medium corporis, itavt expanſis manibus & pedibus, ſi ducatur circulus, circumferentia attinget extremitates mānuum & pedum, & centrum erit in vmbilico. Plin. lib. 7. cap. 17.

Ex Galeno, ex capite cæterâ membra ſunt metienda, itavt homo ſepties contineat caput, quod debet octavam partem facere: numerus enim octonarius eſt verus, & primus cubicus; hinc homo dicitur quadratus, non ratione quantitatis, ſed numeri: & quæ diſtantia eſt à capite ad pedes; eadem eſt à manus dextræ extremitate, ad extremitatem manus ſiniſtræ. A ſummo fronte ad mentum, & mediam partem auriculæ verſus occiput, eſt triangulum æquilaterum, in quo eſt maxima proportio, & eſt fundamentum proportionum Geometricarum. A ſuperciliis & extremitate narium, ad extremitates auricularum, debet eſſe quadrangulum; itavt naſus aliquomodo reſpondeat auri in perpendiculo, cum in naſo præparetur aër. Ab vna aurea ad alteram eſt ſpatium octo oculorum; itavt intercilium efficiat ſpatium vnius oculi; & ſpatium inter vnum oculum & aurem, efficiat duos oculos cum ſemi; quare oculus eſt menſura totius, cum ſit menſura capitis.

Inſignis latro Damaſtes Procuſta, capros à ſe lecto ſuo æquabat; exiguos vinculis extendebat, majorum excedentes partes abſcindebat. Plutarch. in Theſeo.

QVOD ÆQVIVALET Multitudini.

QVantitas ſupplet defectum perfectionis. *Vide Poteſtas Magnitudinis.* ſic perfectio vnius æquivalet multitudini.

Eſſentia divina, tribus perſonis, earumque perfectionibus æquivalet: vna anima rationalis in homine, animæ vegetativæ & ſenſitivæ officia perfectè exercet; Angeli cognoſcunt ſenſibilia, intellectu vicem ſenſuum in illis gerente.

Quæ ſunt ſparſa in rebus inferioribus, ſunt coadunata in ſuperioribus. Beneplacito etiam res vna pluribus æquivalet, vt aureus nummus, multis æreis, aut argenteis.

Deus rerum omnium perfectiones ſub ſimplici formâ comprehendit; vnde ejus fruitio perfectam efficit beatitudinem D. Thom. 1. q. 26. a. 4.

Validum medicamentum ſemel admotum tantùm præſtat, quantùm leve ſæpiùs.

Angeli vnico actu, homines, quia imperfectiores, pluribus, beatitudinem merentur. D. Thom. 1. 2. q. 5. a. 4.

Princeps in faciendâ lege quæ bonum publicum ſpectat, vicem gerit multitudinis. Ibidem. q. 90. a. 3.

Quod Principi placuit, legis habet vigorem, populus enim ei poteſtatem ſuam conceſſit; & quia difficilè populus congregatur, ejus vice Senatus conſulitur. Inſtit. de Iuſt. & Iure.

Revelatio facta Eccleſiæ, perindé eſt, ac ſi fieret omnibus. Duo articuli fidei, Deum eſſe, & mundo providere, cæteros omnes implicitè continent.

Poteſt vnus in plurium locum ſubſtitui. aut plures in vnius. Inſtit. de vulg. ſubſtit. Nepotes ex filio, non ſuccedunt in capita, ſed in ſtirpes.

Summus Pontifex ferebat duodecim tribus, omnemque populum in rationali, totum mundum veſte præfigurabat, & Chriſtum. Caper emiſſarius omnium peccata portabat. Levitic. 16. Oportet vnum mori pro populo. Pro eo Principes offerunt dona. Numer. 7.

Quia requieſcit terra anno ſeptimo, annus ſextus fert fructum trium annorum. Levit. 25.

Vox Dei auditur, quaſi multitudinis. Ezec. 34. & Daniel. 10.

Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Ieruſalem. Cant. 6.

Vnus mihi pro populo, & populus pro vno; de

ſolitario loquens Seneca Epiſt. 7.

Quæ eſt iſta quæ progreditur terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Cant.6. Quid videtis in Sunamite, niſi choros caſtrorum? Cant.7.

In medicinâ ſæpe vnum ſignum fortius plus valet in ſignificando, quam multa debilia. Senertus.

Vno actu intenſio poteſt acquiri habitus, vt ſcientiæ per vnam demonſtrationem; tamen permulti ſunt, qui ob inefficaciam actuum, & reſiſtentiam ſubjectorum, non niſi frequenti earundem actionum repetitione, acquiri poſſunt; vt morales habitus, propter pravam voluntatis inclinationem, & appetitus ſenſitivi rebellionem. *Vide Poteſtas Durationis.*

A In divinis eſt vna tantum proceſſio intellectus, & vna voluntatis, quia perfecta vtraque, non vt in nobis multiplices. D. Thom. 1. q.28. a.5. in fin.

Plures ſunt potentiæ in animâ humanâ vt perveniat ad beatitudinem; pauciores autem in Angelo, quia perfectior. Idem q.77. a.2.

Potiores ſunt formæ intelligibiles in intellectibus Angelorum Superiorum, quia Lumen intellectuale in eis minùs dividitur. Idem. 1. q.89. a.2.

Baptiſmus, ſacramentum maximæ neceſſitatis, non debet iterari. Idem. 3.q.49. a.3. ad 2. & q.65. a.3. ad 4.

Ad vnum finem ordinatur tantum vnum medium, ſi ſit ſufficiens. 1.q.47.

MINORITAS MAGNITVDINIS.

IN QVIBVS PARVA QVANTITAS EST BONA.

MISCELLANEA.

Vide omnes combitiones Minoritatis.

NArdvs quæ in montibus Indiæ creſcit, brevior eſt & mutila, comparatione ejus, quæ juxta Gangis fluenta; tamen eſt odoratior, & majoris virtutis.

Lingulæ tibiarum, quò ſunt anguſtiores, acutiorem reddunt ſonum; ſic de laringe.

Calor amplior ſecundum ſubſtantiam, non eſt omnino vniverſi corporis mole dijudicandus. Galen. contra Lycum.

Si Rex non poſſit regere ſeipſo, paucos, ſed ſapientes habeat conſiliarios, quia in pluribus contingit infidelitas.

Bonum regimen eſt vnius aut paucorum, non multitudinis, quia in multitudine rarus eſt conſenſus. B

Res præclaræ, non ſunt tamen multiplices, vt ſint magis in prætio.

Leges debent eſſe breves & paucæ, ne ſi plures ſint vberiorem præbeant materiam indomitis eas conculcandi.

Cauſæ generales ſpecialibus ſpecificantibus pauciores eſſe debent; ſic luminaria tantum duo; & ſinguli habent tantum vnam domum, cum alij planetæ habeant duas ſinguli.

Caput hominis non eſt carnoſum, vt ſit mobilius, & aptior ſpirituum animalium ſedes.

Parvæ aures aſtutos ſignificant, referuntur ad C ſimias.

Venæ quæ ſunt in hepate, ſunt ſubtiliores his, quæ extrà ſunt, vt magis agat calor digeſtivus in chilum, & digerat ipſum.

De paucitate virtuosâ, quæ ſupplet vices multitudinis. *Vide Æqualitas Magnitudinis.*

Parvi cum bonâ conformatione valent ingenio, quia calor magis vnitur; facilior eſt operatio ſpirituum, quia via brevis eſt, ſunt tamen præcipites, quia citò apprehendunt, ſed non judicant *Vide Phyſionomiam Cognitio Virt.*

Deus voluit per Mercurium cœleſtium minimum, A ſapientiam virtutum maximam ſignificare; vt doceret ſapientiam, non à mole corporis proficiſci, corpore enim minimi ſunt ſæpe ſapientiâ maximi: hic planeta nunquam niſi 25. gradibus recedit à ſole, qui & ipſe cæteras ſtellas, non tam magnitudine, quam luce ſuperat. Marſil. Ficinus.

Formicæ, apes, areneæ, animantium ſunt ingenioſiſſimæ: ſola apis dulciſſimum cibum nobis conficit.

Cuidam impenſius hominem ingentis ſtaturæ laudanti, quaſi ad victoriam potentiſſimus eſſet, alter reſpondit, magni facerem, ſi coronæ ex alto pendentes, manu apprehendi deberent. Plutarch.

Æthiopes cynnamomum legunt, id frutetum ſitu brevi naſcitur, ramo humili, & repreſſo; quod in craſſitudinem extuberatur deſpectui eſt; nunquam in altitudinem vltrà duas vlnas creſcit. Solinus Poliſho. cap. 33.

Multum confert admirationi infirmitas, vt cum Homerus Tydæa parvum, ſed bellatorem dicit fuiſſe. Quintilian.

Parvæ ſtaturæ, ſunt ſicci temperamenti, at ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus. Sic ſapientem Vlyſſem Homerus deſcribit humili corpore; ſtolidum autem Ajacem ingenti, vide 1.Reg.16. Vide Samuel jubetur à Deo vngere in Regem ex filiis Iſay, non Eliab proceræ ſtaturæ, ſed David humilioris.

Magni animi, proximi intelligentiis penitùs à materia ſeparatis, ſortiti ſunt parva corpora; ſic cùm non poſſint penitùs eſſe ſine materiâ, minùs de illâ habent: ſunt in ſua Republica, vt cor in corpore, quod cùm ſit nobilior pars, eſt tamen quantitate minima. *Vide qua ſcripſi. Moral. Chriſtian. tome 4. part. 2. cap.9.*

Moles corporis non eſt activa, quia in partes plurimas porrigitur, vnde virtus ejus diſſipatur, ſicut vnione augetur, ideo ſiccitas vim caloris & frigoris auget quia vnit; humiditas debilitat: quò majus corpus, eò ineptius ad motum. Partes etiam non ſe penetrant, diſtantia hæc debilitat virtutem agendi. Marſil. Ficin. Theologiæ Platon. lib.1. cap.2.

Corpus per brevitatem, levitatem, & raritatem ad incorporalem habitum reducitur; omnis enim agendi virtus ad naturam incorpoream eſt reducenda. Ibidem.

Apud Sybaritas voluptatibus deditiſſimos, pueri habent pro ſervis homunciunculos, qui illos vbique comitantur. Athenæ. lib. 12. cap. 6. delectantur hominibus, non hominibus.

D. Paulus fuit humilis & exiguæ ſtaturæ, vide Baron. an.69. num.14.

Circa Æthiopiam inventi ſunt pigmæi homines breviſſimi, cute nigrâ, piloſâ, voce humanâ, timidi; & homines ſolitæ magnitudinis, quaſi feras horrentes. Photius in Bibliotheca. cap.3.

Muſtum & cerviſia matureſcunt longè citiùs, & fiunt potabilia in vtribus parvis, quam in dolijs magnis.

Sub Claudio Imperatore inventi ſunt plures homines, duorum tantum pedum & palmi altitudine. Plin. nat. Hiſt. lib.7. cap.16.

Piſcium mares ſunt minores, quàm fœminæ. Idem. lib.9. cap.16.

Aquilarum ſex genera. Valeria minima magnitudine, viribus præcipua, colore nigricans. Idem lib.10. cap.3.

In omni locuſtarum genere, minores ſunt fœminis, mares. Idem. lib.11. cap.29.

Animalia putantur audacia, quibus cor parvum; pavida quibus prægrande. Ibid. cap.37. Ideò maximum proportione, muribus, cervo, aſino, muſtellis, & cæteris timidis, &c. Ibid.

Placent chamæ platani coactæ brevitatis, quoniam & ſerendi, & recidendi genere, arborum etiam abortus invenimus, eſtque grata pumilionum infœlicitas. Plin. lib.1. cap.2.

Calamus odoratus, melior, quò brevior & craſſior, lentuſque in frangendo. Ibid. cap.22.

Deſcripta fuit Ilias Homeri in membrana nuce inclusa; alius quadrigam & navem ex ebore, tam ſubtiliter fabricavit, vt alis muſcæ tegeretur. Plin. lib.7. cap.21.

Rerum natura nuſquam magis, quam in minimis tota eſt; vnde in ejus contemplationem nihil poteſt eſſe ſupervacuum, loquens de inſectis. Plin. lib.11. cap.2.

Error publicus eſt exiſtimantium, tumore olivarum creſcere oleum: nam magnitudine illarum copia olei non conſtat: abundat enim in omnium carne exiguis. Idem. lib.15. cap.3.

Raparum ſemen præſtantius, quò ſubtilius. Idem. lib.18. cap.13.

In gemmis, in arctum coacta rerum naturæ majeſtas. Id. lib. vlt. in procemio.

Photius Byblioth. cap.242. refert de capite humano, quod ore tantam vocem emittebat, quantam mille homines. ⁂

Arbores celeriùs adoleſcunt ſtolonibus ablatis, vnamque in ſtirpem redactis alimentis. Plin. lib.17. cap.13.

Error in corpore, vt ſi vnum pro alio ſumatur, vitiat diſpoſitionem, ſecùs ſi tantum erretur in quantitate. l.9. ff. de hæred. inſtit.

Si quis ſit ita inſtitutus, ſervus meus liber eſto, & poſtea hæres, vtrumque illi dabitur, & libertas, & hæreditas, eodem tempore, quia ordo ille poteſt impleri intrà breve tempus. l.9. §.14. eodem.

Lectus argenteus, qui in domo eſſe ſolet, cenſetur adhuc de ejus ſuppellectili, ſi alibi repoſitus eſt tantiſper cuſtodiæ causâ. lib.20. §.8. ff. de inſtru. vel inſt. leg.

Præſens eſſe cenſetur, qui abeſt per modicum tempus. *Vide Veritas Concordantiæ.*

Libera juſſa, ſi priùs peperit maſculum, ſi duos vno partu enixa eſt, fœminam prius, maſculum poſtea, tamen libera eſt, & filia ingenua. l.11. ff. de reb. dub.

In rerum æſtimatione, cariſtia quæ modico tempore fuit, non æſtimatur. l.63. in f. ff. ad l. falcid.

Libertus qui non habet plus centum aureis in bonis, poteſt de illis diſponere præterito patrono. lib.16. ff. de jure patron.

Qui fideicommiſſariâ libertate ſibi legatâ, maluit ſe pati venundari, quàm à Prætore libertatem petere, non poterit venditus ad libertatem provocare; quia cum fuiſſet in ſtatu proximo libertatis, per inde eſt ac ſi fuiſſet liber. lib.4. ff. quibus ad libert. proclam. non licet.

Flumen ſi aliquâ æſtate exaruerit, quod alioquin perenne fluebat, non ideò minùs perenne eſt. l.1. ff. de fluminibus.

Continua, & ſic valida habetur ſtipulatio, & ſi aliquod momentum naturæ interveniat. lib.138. ff. de verb. obligat.

Si modicum intervallum, non impedit conſtitutionem rerum. lib.6. ff. de duob. reis.

In continenti filia videtur à Patre occiſa cum adultero, quæ aufugit, & interpoſitis horis, reperta & occiſa eſt. l.23. in f. ff. ad l. Iul. de adulter.

Qui ex hoſtibus redit ad ſuos, cum animo redeundi ad hoſtes, vt fecit. M. Regulus, qui ſic redjit ad Charthaginenſes, non fruitur jure poſtliminij. l.5. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.

Induciæ ſunt, cùm ad breve tempus convenit, ne hoſtes ſe laceſſant, quo tempore non eſt poſtliminium. l.19. §.1. eod.

Pupillus qui proximus eſt libertati, capax eſt & furandi, & injuriæ faciendi l.111. ff. de reg. jur.

Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat. l.165. eod.

Licet ſine conſenſu Principis ad tempus ejus imaginem, ex opere publico deponere, vt reficiatur. l.15. Cod. de operib. publ.

Venditor hæreditatis & vniverſitatis non tenetur de evictione rerum ſingularium, niſi contrarium ſit actum. l.1. C. de evictio.

Reſcriptum Apoſtolicum, propter raſuram in loco non ſuſpecto, non cenſetur vitioſum. cap. ex litteris de fidei inſtum.

Defectus litteræ non vitiat reſcriptum, cap. ex parte eodem.

PARVM HABETVR Pro nihilo.

BRevi reverſa vxor, divertiſſe non videtur. l.33. ff. de ritu nuptiar.

Si deeſt aliquod verbum in inſtitutione hæredis, ſuppletur. lib.1. ff. de hæredib. inſtit.

DE RERVM OMNIVM Vnitate.

OMnis poſt vnitatem numerus, vnitate perfectus, & conſummatus eſt, ſola vnitas omninò ſimplex, à ſe perfecta, non egreditur ſe, ſed individuâ

ſimplicitate, & ſolitariâ ſibi cohæret, quia ſupereſt ſibi, nullius indiga, plena ſuis divitiis. Numerus ſuâ naturâ cùm ſit multitudo, vnitatis beneficio fit ſimplex, quantùm ipſe ſimplicitatis capax: quanquam autem numerus quiſque, quò magis ab vnitate ſit procul, in majorem ſemper incidat multitudinem, pluſque in eo diſſimilitudinis, plus partium, plus compoſituræ ſit, nullus tamen eſt ita vnitati proximus, qui multitudo non ſit, adventitiam habens vnitatem, vnaque non naturâ, ſed compoſitione. Solus Deus, qui à nullo eſt, & à quo ſunt omnia ſimpliciſſima eſſentia, & individua eſt; quidquid habet, à ſe habet; eadem re quâ eſt, eâdem bonus, eâdem juſtus. Angelus autem cùm ſit à Deo, non eſt vnitas, ſed numerus imperfectus, quatenus multitudo; perfectus, quatenus vnus; Non eſt intellectio, ſed advenit ei, vt intelligat, &c. Picus Mirandulanus in Heptaplo.

Vnitas in ſe ducta, ſeipſam producit, in alium verò ducta, numerum ipſum in ſuo ſtatu conſervat: Ita divinæ emanationes, intrà ſe immanentes, ſunt ſemper eædem, verum extrà lucent, juxtà ſuſcipientium naturam; immutabiles dum per vnitatem ducuntur; corruptibiles autem materiæ mancipatæ, per binarium, aut alium numerum. Primæ Cor.10. de diverſis donis Spiritus Sancti dicitur: hæc omnia efficit vnus atque idem ſpiritus: Vnitas enim ſola, omnium numerorum eſt ſeminarium, menſura, incrementum, ſtatuſque detrimentorum; quæ tamen vbique pars eſt, vbique totum, dum per cuncta perpetua. Neque enim, quæ eſt ante extantia, & quæ poſt abſumpta non abſconditur, poteſt non eſſe perpetua: Evaneſcit vnumquodque propriâ imbecillitate, cùm vlteriùs vnitatem capere nequeat, vt contrâ virtute tantùm vnitatis augetur.

Vnus eſt mundus, in quo diverſæ naturæ, vt plura vnius Domini ædificia vno capiuntur muro: Deus autem eſt materiæ Dominus, ideo non ſunt plures mundi. Nec etiam opus eſſet perfectum, niſi compactum eſſet ex omni eſſentiâ: Sic in vno opere, vnius artificis, vnius veritatis & exemplaris natura elucet, & cum infinitus eſſet creationis actus, in vnitate deſignatus eſt; Nam cuncta Deus creavit ſimul, vt etiam in mundo creandi omnem creaturam excederet: quia autem aliqua participant lucem in infimo gradu, vt elementa; aliqua in ſenſitivo, alia in rationali; explicatio gradualis explicatur per Moyſen in participatione lucis & diei. Hinc D. Auguſt. in Geneſ. lib.1. cap. 15. Sex dierum enumerationem à Moyſe, non ad temporis retulit ſucceſſionem, ſed ad naturalem ordinem operum, qui diebus attribuitur; vel ad ordinem revelationis ſex operum factæ Angelis. Hinc Eccleſ.18. qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul. Determinata enim tantùm virtus, tempus requirit in actione. Ipſe dixit, & facta ſunt: Operatio debuit comitari voluntatem; quia nulla fuit impotentia agentis, aut reſiſtentia materiæ. In principio Domine terram fundaſti. Pſalm. 101. & Geneſ. 2. dicitur, Die quâ creavit Deus cœlum & terram.

Cùm multitudo non ſit ſine vnitate, vnitas poteſt eſſe ſine multitudine.

Conſervatio etiam rerum omnium eſt ab vnione; in Phyſicis, cum forma eſt vnita materiæ; In cœlis Regnum vitæ eſt in Charitate, quæ eſt vnio; Regnum mortis in odio, quod eſt diviſio; Vita præſens eſt vnio, mors diviſio; Vnum eſt neceſſarium.

Marſilius Ficinus lib. de Vnitate, multa refert, quæ hîc compendio contentus ſum coplecti. Mundus. non eſt omninò vnus, quia in eò ſunt contraria; Res habentes principium, medium, finem; motus, effectus, paſſiones, actiones, differentias temporum, rerum, &c. Non eſt etiam penitùs multa, vnitatis omninò expers: Nam primò vnitas eſt in ſingularibus, alioquin non eſſet multitudo, quæ eſt collectio vnitatum, & ſi in multitudine non eſſet vnum, eſſet multitudo infinita: non erit totum neque partes, niſi ſit vnitas, atque vnio, ad formam totius, partiumque neceſſaria: Et per vnionis privationem, ſimilia erunt pariter ſimilia, & diſſimilia, qui non erit vnitas in quâ conveniant, & non habentes vnum coguntur eſſe diverſa. Ita multitudo per privationem vnitatis, non poteſt ſtare, nec moveri; Non ſtare, quia ſtare eſt in vno permanere: Non moveri, quia motus eſt ad contraria; & cùm ſit omninò non vnum, non poterit moveri ad vnum, quod ſupponitur non dari.

Ideo concludendum, quòd cùm res nulla, per aliquid idem, pati ſimul poſſit oppoſita; dicendum quòd vniverſum, & quodlibet ens, eſt vnum, atque multa. Et cùm hæc contraria, ſcilicet vnum atque multa ſint in ente perfectè conflata, debet extare cauſa principalis, quæ author ſit huic vni quòd ſit vnum, & huic multitudini, quòd ſit multitudo, & vt ſint conciliata invicem: Neque enim multitudo, cùm ſit vnitati oppoſita, poteſt eſſe cauſa vnius, nec inter ſe hæc oppoſita poſſunt conciliari.

Primum principium, non poteſt eſſe multitudo, quia ex ipſo varia copulantur in vnum; & ſi ſit particeps tantum vnitatis, erit definitum quoddam & copulatum. Patet quòd ipſum ſimpliciter vnum, eſt cujuſlibet entis, & vniverſi cauſa, quia rebus nihil melius eſt, quàm ſua cujuſque vnitas, & vnio rerum mutua; per hanc enim fit, eſt, ſervatur vnum quodque, hâc amiſsâ diſperditur; Oportet autem in rebus, optimum à primo principio proficiſci: Hoc ipſo quòd vnum eſt, dat eſſe cunctis, quia per diviſionem amittitur eſſe, & quod amittit vnum, amittit eſſe; Quidquid eſt vnum, eſt eſſentia, ſed non è contrario: Ideo vnum eſt ſuperius ente; Non eſt tamen vt apex in eſſentiâ, quia haberet eſſe participatum, ſed eſt vnum eſſe penitùs abſolutum.

Illud eſt omnium principium, cujus omnia ſunt participantia, ferentia characterem ſuæ cauſæ: At non omnia ſunt ſenſibilia, animata, intelligibilia, & omnia etiam non habent eſſentiam, ſcilicet ea quæ fiunt. Nam quæ fiunt, dicuntur fieri, non eſſe. At omnia quantumvis oppoſita habent vnum; & vnum in ipsâ multitudine, quæ vni videtur oppoſita, vnam ipſam conficit multitudinem; quod enim eſt aliud multitudo, niſi vnum aliquod ſæpius repetitum? & ex multis, non fit totum ſine vnione; ergo vnum eſt omnibus communiſſimum.

In ordine vniverſi ad primum pervenitur, & vltimum; vtrumque neceſſariò eſt vnum, atque ſimplex, multitudinis expers.

Materia prima eſt infima rerum omnium, quæ vocatur infinitum participatione; Illi debet opponi vnitas ſuprema actualis. Ita linea incipit & finitur per punctum indiviſibile. Super omnia extat vnum impartibile, abſolutum, purum; quod omnis multitudinis eſt principium, cùm multitudo ſubſiſtat per vnum; Id enim, quod eſt inferius ſupremâ vnitate, ſtatim in ſe multitudinem explicat, & diſtinctionis originem. Divina lux, ſub vnitate ſplendens, eſt quaſi ſol obſcurans diverſarum idearum conceptus, quos formamus de ente illo ſupremo. Sicut Solem convenientibus oculis, ſic ipſam boni lucem, intelligentiâ conveniente ſuſcipimus & veneramur: Hic autem ſtatus maximè vnus eſt, ſimplex, atque optimus.

Vnum, bonumque idem eſt: Nam vnum eſt conſervativum eſſentiæ; ſicut ma um diſſipativum: Vnde ſua cuique bonitas, vnio quædam eſt: præſertim, quia natura bonii eſt, quaſi ſe diffundere per omnia, per proceſſum, viciſſimque per inſitum ſingulis appetitum, ad ſe vnum omnia revocare: ideoque vniverſum maximè reddit vnum.

Non tamen eſſentia conſervat vnitatem, quam vnitas eſſentiam; ideo eſſentia eſt inferior vnitate: Vt non debemus vocare primum principium vnum, ſed vnitatem; ita nec bonum, ſed bonitatem: Alioquin facimus concretum, in quo ens perficitur ab alio, bonum enim non ſimpliciter bonum, ſed alicujus, & in aliquo. Sicut quodlibet ens, ſuum quodque bonum appetit, tanquam aliud, & in ſuo quoque bono, appetit ipſum bonum: ſic ens vniverſum conſequenter ipſum bonum exoptat tanquam aliud, atque ſuperius, fontem omnis bonitatis ſingularis, propter quam res ſunt appetendæ, & intra omnia latet tanquam centrum, proferens ad extrà perfectiones rerum, vt appetentia omnia alliciat ad ſeipſum.

Sicut peſſimum omnibus eſt diviſio, ad exitum ſingula trahens: ſic optimum eſt vnio, & partium ad invicem, & ad totum, & totius ad cauſam ſuam & originem atque naturam: Vnio tandem ſit à ſummâ vnitate, vnde in vno quoque genere, id eſt principium, quod ibi eſt maximè omnium vniforme, & ſimpliciſſimum: Vnitas principium numerorum, ſignum dimenſionum, momentum temporis.

Principium corporis naturalis eſt minimum, vniformis ſeminaria virtus, origo corporis vniformis: ſol vnicus eſt omnis luminis mundani principium, vnde & lumen à ſtellis, igne, oculis carbunculis, & ceteris ſpecie & genere inter ſe diverſis, emanans, eſt vbique ſimilimum & maximè vnum: & quia vnum quærimus principium, corpus ſolis non erit principium luminis, cum multæ globi illius partes lumina multa diffundant, vnde deveniendum eſt ad lucem intelligibilem, incorpoream, omnium primam.

Ita generationum omnium, vnum eſt principium, quia generationes omnes vno quodam ordine, ad vnam contendunt vniverſi formam; vnde illarum principium debet eſſe vnum, vnitas ſcilicet divina.

Vnitas eſt maximè potens, ſiquidem vnita virtus eſt potentior: ſic per omnia ſe diffundit, vnde eſt ipſa bonitas. Vnitas eſt præſtantior eſſentiâ, & ſe habet ad illam eſſentia, ſicut circulus ad centrum; eſſentiam enim firmat tanquam cardo quidam; vnde materia, quæ abeſt ab ente, habet tamen vnitatem; ex his conjice vnitatem eſſe omnium principium, cum omnia eſſentiam participent.

Parmenides in dialogo intendit probare quod exiſtente vno, omnes etiam gradus inde procedant, & eo non exiſtente omnes auferantur. Cum omnia participent vnum, oportet ipſum verè eſſe, cum cætera tantò verius ſint, quanto magis participant vnum.

Cùm omnia propter multitudinem ſibi propriam non ſint verè vnum, tamen verè exiſtant, oportet ipſum verum vnum, ideſt, nullius participem multitudinis, verè in natura rerum exiſtere, & tantò priùs eſſe quam cætera, quantò eſt & veriùs vnum: quod enim ſecundum aliquam naturam eſt verum, eſt ante illud quod eſt falſum, ideo nulla eſſent entia, niſi eſſet ipſum verè vnum.

Oportet ab vnitate in natura jacente aſcendere ad abſolutam vnitatem, ſicut à vita addita corpori, ad vitam, ideſt animam ſeparatam, vel ſeparabilem; ab intellectu, qui eſt in anima, ad intellectum purum, atque ſubſtantialem. Linea, quoniam eſt primum continuum, atque dividuum, ideo eſt indiuidui particeps, ideſt puncti: Ita intellectualis eſſentia, quoniam eſt primum multiplicabile, ideo excellentis vnitatis eſt compos, extat in eſſentia, vt apex, ſicut punctum in linea, & per eam tangit ſupremam vnitatem, tanquam centrum. In vnaquaque lineæ parte invenitur punctum: ita ſi dividas vires divinas, per diverſos conceptus in vnaquaque erunt omnes. Sicut lineam imaginamur, per fluxum puncti, ita tempus proceſſione momenti, numeros proceſſione vnitatis.

Vnum eſt ſupra ens, quia verificatur de potentia & actu, & de oppoſitis. ceſſarent omnia multa & plura vno ſublato.

Non poteſt ergo vnum eſſe factum, cum ipſum antecedat; Neque poteſt corrumpi, aut alterari, nec multiplicari, cum præcedat poſſe fieri, & id omne quod eſſe poteſt.

Additio ad vnum, vnius excellentiam contrahit, & minuit, & per ipſam potius non vnum, quam vnum oſtenditur.

Vnitas illa non poteſt comprehendi, quia eſt interminabilis; Vnum enim abſolutè eſt omnia: eſſe abſtractum remanet tantum vnum, vt albedo ſi eſſet abſtracta remaneret tantum vna: ſed Deus eſt eſſe abſtractum, cum ſit ſuum eſſe, ergo eſt maximè vnus. Proprium cujuſque rei eſſe, eſt tantum vnum.

Intellectualis mundus eſt quodammodo cunctæ ſuæ partes, ideſt vires atque formæ & dum hæc multitudo eſt in forma totali, mundus dicitur eſſe in ſeipſo, ideo ſtat ſemper exiſtens in ſuo eodem. Hæc ex Maſilio Ficino.

Vna forma in compoſito. Vnus ſenſus communis, uirtualiter multiplex. Motus naturalis cujuſlibet rei, eſt vnus, & ad vnum locum. Motus primi mobilis vniformis. Ex humoribus vnicus ſcilicet ſanguis nutrit. Vt conſervetur vnitas mundi, non datur vacuum. Vnica actione forma materialis producitur, & vnitur. Vnicum in corpore temperamentum. Illud eſt perfectius, quod eſt ſimplicius & abſtractius, non recipiens ſicut & ſubſtantia plus & minus.

A μονὰς dicitur ab α privante & μένω, ideſt multi, quia ſolus vires omnium continet: ſic ſol dicitur, quod ſolus luceat; in eo radicantur omnes radij: vt in vno fonte diverſi rivuli.

Cauſæ vniverſales continent eminenter inferiorum virtutes, in viſione Ezechielis, rota eſt in rota.

D. Auguſt. lib. de Trinit. dicit vnitatem fœcundam de ſe æqualitatem generare, & amorem connectentem, ab vnitate & æqualitate procedere.

Viſum eſt ſine vlla futura caput viri. Ariſt. 1. Hiſt. Anim. cap. 7. Leoni cervix oſſe vno rigida conſtat. Ibid. lib. 2. cap. 1.

Venarum vnum eſt principium, vbicumque enim fieri poteſt vnum eſſe, quam plura, melius eſt. Id. 3. de partib. anim. c. 4.

Calor ad vnitatem pertinet, quatenus vnit homogenea. *Vide Concord. Æqualit.*

Contemplativæ Philoſophiæ finis eſt conſcendere ad vnum rerum omnium principium, illique mente & affectu vniri.

Tres cordis ventriculi deſinunt in vnum mucronem. Forma ſpecifica dans eſſe, ſimplex eſt & vna, licet fluat ex diverſis principijs.

Intelligentiæ eo majores habent vires, quò magis accedunt ad vnitatem divinam, & minus habent multiplicitatis.

Linea eſt magnitudo ad vnum; motus naturalis, nullus compoſitus.

De

zed by Google

De vni-folio, ſeu herbâ, quæ vnum tantum habet folium Scaliger exercit. 178. 2.

De poteſtate vnitatis. *Vide Magnit. Poteſtatis.*

De indiviſis. *Vide Minorit. Differentiæ.*

De vnitate, vt eſt durationis Principium. *Vide Principi. Durationis.*

Apud Magneſios Græciæ populum, Protophanes fortiſſimus Athleta non habuit coſtas diſcretas, vt cæteri hominum, ſed pro illis os continuum. Pauſan. in Atticis.

Vera vnitas non eſt in corporeis, ſed in intellectualibus. *Vide Veritas Volum Rep.*

Vnum, verum, bonum convertuntur; hinc conſtat vnam tantum eſſe Religionem. *Vide Veritas Cognitionis. ex Theologia.*

De Eccleſiæ vnitate. *Vide Concord. Virtutis.*

Sicut elementum quod movetur, mobiliter ſe habet ad cœlum, quod movetur ſtabiliter; ſic motor cœli mobilis, variuſque ad mororem ſtabilem, vnitumque; ſtabile denique & vnitum, ad ſtatum ipſum vnitatemque reducitur. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. c. 5.

Vt plura individua ad vnam ſpeciem, ita omnes ſpecies ad vnitatem; vt proprius rerum ordo ad proprium ſui principium vnum dirigitur, ita vniuerſus ordo ad vnum vniuerſale principium; vt omnes materiæ ad vnam, ita omnes mundi naturæ ad naturam vnam; omnes vitæ ad vnam vitam; omnes motus ad vnum motum; omnes motores ad vnum motorem.

Cùm plura inter ſe diverſa ordine quodam conſpirant, id fit propter ordinem, quem ad vnum habent, vt exercitus ad ducem. Idem. lib. 2. cap. 3. de vnitate Dei. *Vide Majorit. Poteſt.*

Datur vna ſumma pulchritudo, quæ non eſt corporea, temporalis, corruptibilis. *Vide Principium Veritatis.*

Motus quomodo ſit ab vnitate. *Vide Concord. Poteſt. in Miſcell. ſub finem.*

Debet eſſe vna anima totius corporis mundani. *Vide Major. Poteſtatis.*

Natura, omnes venas meſeraicas inteſtina ſugentes in vnam venam portam colligit; omnes venas, in vnam cavam; omnes arterias in Aortam. Galenus lib. 4. de vſu partium.

Condemnatus fuit ab Eccleſia Sampſon quidam Preſbyter Scotus; aſſerens quòd alius mundus, alij homines ſub terra ſint, aliuſque ſol & luna; contra ſcripturam, quæ vnicum aſſerit eſſe mundum. Baron. an. 748.

Sapientia rerum vnitatem contemplatur. Vide in Procœmio hujus operis, & infra. *Magnitudo Cognitionis.* ſcientia vniverſalis.

Quidam vixerunt, concretis oſſibus, ac ſine medullis; ſignum eſt non ſitire, nec ſudorem emittere. Plin. lib. 7. cap. 18.

Photius Byblioth. cap. 188. refert ex Nicomacho Geraſeno Arithmeticorum Theologicorum libris. Vnitatem eſſe mentem, virofœminam, ac Deum, & materiam quodammodo: eandem res omnes revera miſcere, & deinceps omnium receptricem eſſe, atque capacem chaos, confuſionem, contemperationem, obſcuritatem, tenebras, hiatum, lethen atque rigidam Virginem. Axis præterea eſt ipſis, ſol, Iovis arx, ſeminalis ratio, ſic ab ipſo authore ſimul vnitas & in Deos refertur, & contumelia afficitur.

Differunt, vt ajunt Pythagorei, vnitas & vnum: vnitas quidem in rebus, quæ ſub intellectum cadunt, ab ijs collocatur; vnum vero in ipſis numeris: vnitas ſecundum æqualitatem & medium ſumitur, dualitas autem ſecundum exuperantiam; itaque medium & modus non poſſunt plùs aut minùs fieri, ſed exceſſus & defectus in infinitum procedunt. Apud eoſdem exordium rerum omnium eſt vnitas, deinde punctum eſt initium lineæ, linea ſuperficiei, & ſuperficies triplicis in quantitate dimenſionis. Ibidem. cap. 259. *Vide Bonit. Concord.* De rerum harmonia.

Vide in Concordantijs Bibliorum, vnum & vnitas.

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno. Galat. 3.

Digitized by Google

BONITAS DVRATIONIS.

BONA DVRATIO, INTELLIGITVR, VEL DE continuatione, vel de Mora.

Bona rerum Continuatio.

MISCELLANEA.

VIDAM præferunt Ariſtocratiam Monarchiæ, quia ſtatus Ariſtocratius, videtur ſemper idem remanere, mutatis quidem conciliarijs, ſed lege eâdem regente: at novus Princeps, legibus ſolutus, famam ſibi novitate parat; vnde nec ſecuræ ſunt cum eo confœderationes, quibus ſucceſſores dicunt ſe non obligari.

Sani brevem, ſed frequentem, & quaſi continuùm ſpiritum emittunt; phrenetici autem magnum & rarum, ad compenſationem frequentiæ.

Ab anno 14. in fœminis natura emittit ſanguinem menſtruum in matricem, vt ſic aſſueſcat providere partui, ibidem naſcituro.

Non eſt facilè diſſidendum ab inſtitutis majorum. *Vide Poteſt. Durationis.*

Delectamur aſſuetis, quia timemus mutationes in contrarium, & in pejus.

Conſuetudo legalis, Traditio Eccleſiaſticæ.

Conſtans eſſe debet Imperij forma, id eſt vno & veteri tenore fluens: nec enim leges ipſe, vim & vitam ſatis habent, vertendæ ſtatim, aut evertendæ. Non convaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur. Princeps ipſe vileſcit, qui ſic vacillat; fœdaque inconſtantia, quæ quod juſſerat vetat, quæ vetuerat jubet: ſpernendi ergo novatores, qui vt aliquid ſui videantur afferre, etiam recta commutant: ſcias negotijs rectiùs olim proviſum, & quæ converuntur in deterius mutari. ex Lipſio in Politicis.

Locorum mutationibus inquietari, ægri animi jactatio eſt: Primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe cõſiſtere, & ſecum morari: lectio multorum authorum habet aliquid vagum & inſtabile; certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat; nuſquam eſt, qui vbique eſt: in peregrinatione vitam agentibus, hoc evenit vt plura hoſpitia habeant, nullas amicitias: non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur; nihil æquè ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio: non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur: non coaleſcit planta quæ ſæpè transfertur: nihil tam vtile eſt, quod in tranſitu proſit: faſtidientis eſt ſtomachi, multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt & diverſa inquinant, non alunt &c. Seneca Epiſt. 2. *Vide Poteſt Durat. Minoritas Differ. Bona. Durat. Virt. Durat. Æqual.*

Vnum, & idem numero manens, non poteſt transferri de vna ſpecie ad aliam.

Bona diuturniora ſunt magis expetenda, quàm contrà; vt bona animi, magis quam corporis, famæ, & fortunæ. Ariſt.

Origennes contra Celſum refert, ineſſe quibuſdam nominibus Hebræis latentem vim, vnde & non ſunt immutata, ne ſicut hominis cõpage deſtructâ, incluſus corpori ſpiritus, & tota virtus evaneſcat; non enim ex hominum pacto, vt alia, ſed ex Dei inſpiratione poſita: quis autem ſcit ſenſum Domini? ſic ſervata quædam, vt hozanna, Tabitakumi, Eloi, Eloi, lammaſabarhani. &c. Reuchlin. de verbo mirif.

Motus duo complectitur, ſcilicet ſucceſſionem & continuationem, vt pars poſt aliam acquiratur, & non ſit interruptio.

Plato 7. de legib. prohibet ex veteri Muſica, & ſaltatione aliquid immutari, ne inde oriatur cupiditas novandi leges: nec etiam licet, inquit, apud Ægyptios in ſolemniis antiquos ritus præterire; omnis enim mutatio, niſi mali, peſſima.

Apud Romanos, ſummi Pontificis munus erat invigilare, ne peregrini ritus inveherentur, qui antiquas cæremonias turbarent.

Athenæus lib. 11. c. 7. Refert, cum Iapitarum duces Deos domeſticos è templis ſuſtuliſſent, dicterio addito, *potentioribus loco cedendum*, ignem cœlitus delapſum, quo perterriti, ſigna repoſuerunt.

Habebant operta quædam, & antiqua ſacra, è quorum obſervatione, totius vrbis putabãt pendere conſervationem, Meſſenij. Pauſanias in Meſſenicis.

Antiqua Religio, videtur divinæ ſapiẽtiæ proximior.

Non ſufficit ætas noſtra rerum omnium experien-

Digitized by Google

tiæ, vnde si non credimus experris, omnia erunt incerta & indecisa.

Lacedemonij Milesium Timotheum Cytharœdum mulctarunt, quòd septem veteribus citharæ nervis, quatuor ipse alios addidisset. Pausanias in Laconicis.

Non venimus in mundum, vt leges condamus, sed vt conditas observemus: patrum moribus debemus uti, vt eodem sole, & eâdem terrâ: bonis permixta sunt quædam mala, quæ si penitus volueris emendare, res fortè in deterius cedent; etiam ipso novitatis exemplo, ad nova & noxia vanitate alios incitante Temerarium est, & insignis stultitiæ argumentum, in ancipiti medicamine periculum facere, cum id nulla cogat necessitas.

Omnis subita mutatio rerum, non sine quodam, quasi fluctu, contingit animorum. Bœtius de consolat. Philos. lib. 2. prosa 1.

Omnia commota faciliùs quàm quiescentia moventur, vnde partes centro viciniores sunt minùs mobiles. Arist. in mechan. vnde optimum est non moveri, ne in posterum plusquam deceat movearis.

Lineæ continuæ in manu, nec interruptæ, sunt signa longioris vitæ. Plin. lib. 11. cap. 52.

Continuantur etiam, quæ bonum fuisset non incœpisse.

Christiani nimio fortassis zelo contra Christianorum Principum edicta incendunt Synagogas Iudæorum; Theodosius præcipit ejus loci Episcopo, vt reædificentur, qui author incendij ferebatur: ne id fieret S. Ambrosius obstitit, magnâ dicendi libertate. Baron. an. 388.

Audas Episcopus; zelo non opportuno incensus; demolitus est Pyræum, id est templum in quo asservabatur ignis sacer Persarum; jussus à Rege illud reedificare, noluit, & sic martyrio affectus, dicens quòd par sit impietas ignem adorare, & templum ei erigere. Idem an. 420.

Quantitas auget potiùs obstinationem & resistentiam materiæ in patiente, quàm vim activam in agente. *Vide Potestas Magnitudinis, in Miscellan. in fine.*

BONA CONTINVATIO ET conservatio.

EX IVRE CIVILI.

QVæstoris officium erat, curare ærarium publicum; pecunias & quærere & conservare: is honos erat ad amplioris honoris gradum primus ascensus, quia pecunia est quasi nervus & anima civitatis. l. vnic. ff. de off. quæst.

Præses Provinciæ, causâ cognitâ compellet Dominos reficere ædificia, & deformitati auxilium feret. l. 7. ff. de off. præsid.

Si quis scienter ex alienâ materiâ in suo solo ædificaverit, constructum non destruitur, sed tenetur Domino materiæ ad prætium §. cum in suo. Instit. de rer. divis.

Thesaurus est vetus depositio pecuniæ, cujus non extat memoria. l. 1. C. de Thesa. Nam restitui debet, si sciatur Dominus, licet ignoret locum vbi condiderit l. 44. ff. de acquir. possess.

Proconsules ingredi debent Provinciam eâ parte quâ solet, vt prærogativa civitatis servetur. l. 4. ff. de offic. proconsul.

Tutor aut Curator, non tenetur pupillo de casibus fortuitis, nisi servaverit non servanda, tunc enim culpa præcessit casum l. 3. C. de pericul. tutor.

Generaliter in jure faciliùs retentio, quàm actio conceditur.

Qui furere cœpit, statum, dignitatem & Magistratũ retinet, sicut & dominium. l. 20. ff. de statu homin.

Furiosus, licet vxorem ducere non possit, retinere tamen matrimonium potest, & filium in potestate. l. 8. ff. de his qui sui vel ali. jur.

Si judici, qui iniquum jus statuerit, & qui eodem jure vti debet, solutum sit, repeti non potest, quamvis denegaretur actio. l. 3. ff. quod quisque jur. & l. 28. ff. de cond. indeb.

Accipiuntur quædam honestè, quæ inhonestè peterentur. l. 1. §. proinde ff. de var. & extr. *Vide Duratio Æqualitatis.*

Administrator potest impedire actionis ortum, at vbi nata est, non potest perimere eam. l. 17. §. 1. ff. de injur. & glossa.

Valent acta Prætoris, qui servus deprehensus est. l. 3. ff. de off. Prætor.

Proconsul non cogitur suam jurisdictionem mandare, sed si mandaverit, inconsulto Principe, non potest auferre. l. 6. §. 1. ff. de offic. proconsul.

Cæcus Magistratum retinet, sed ad novum aspirare non potest. l. 1. ff. de postul.

Per procuratorem retinentur potius actiones, quàm acquiruntur. l. 72. ff. de procurat.

Qui propter dignitatem removentur à procuratione, si initio litis non fuerit exceptum, post litis contestationem, nihil potest illis objici; secùs de his qui ob indignitatem non possunt esse procuratores, nam omni tempore objicitur illis vitium. l. 13. C. de procurat. l. 57. ff. eodem.

Consumpta pecunia non æquè repetitur, ac si non esset consumpta. l. 18. ff. de reb. credit.

Quod debetur naturali obligatione vt à servo, & pupillo, solutum non repetitur. l. 18. ff. de condict. indeb. l. 51. ff. eodem. l. 9. ff. de S. C. Macedoniano.

Si quis solvat tutus exceptione, quia sibi debetur, nõ repetit, sed suum debitũ petit. l. 30. ff. de cond. indeb.

Ideo compensatio necessaria est, quia interest nostra potiùs non solvere, quam solutum repetere. l. 3. ff. de compensat.

Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero petentibus non nocet. l. 7. & seqq. ff. de jur. & fact ignor.

Furor contrahi matrimonium non sinit, quia consensu opus est, sed rectè contractum non impedit. l. 16. ff. de ritu nuptia. *Vide Duratio Voluntatis.*

Comites eorum qui Reipublicæ causâ absunt, excusantur à tutelâ suscipiendâ, non jam susceptâ. l. 41. ff. de excusat.

Furiosus non potest capere possessionem l. 1. §. 9. ff. de acqui. vel omitt. possess. Potest tamen retinere. l. 27. eodem & l. 31. ff. de vsurpat. & vsucap.

Non licet in publico ædificare, si tamen nemine prohibente ædificatum sit, non destruetur ædificium, sed pensionem fisco præstabit. l. §. 17. ff. ne quid in loco publ.

Ex naturali obligatione non nascitur actio, sed solutum repeti non potest. l. 10. ff. de obligat. & actio. l. si quid. ff. de condict. indeb.

Extraneus non potest constante matrimonio, mulierem adulterij accusare, silente marito, sed potest derelictam à marito accusationem excitare. l. 26. ff. ad l. Iuli. de adulter.

Numerus liberorum quinque, postea impletus, non liberat à muneribus jam susceptis. l. 2. ff. de vacat. & excusat. muner.

Non est novum, vt quæ semel vtiliter constituta sũt,

durent, licet ille casus exiterit, à quo initium capere non potuerunt l. 85. ff. de Reg. Iur. A

Solutum ex causâ iudicati, non potest repeti, etiamsi non solutum, cum alio debito posset compensari. l. 2. Cod. de compensat.

Superveniens dignitas mariti, non dissolvit nuptias; licet tunc non potuissent contrahi. l. 28. C. de nuptiis.

Cum de lucro duorum agitur, melior est conditio possidentis l. 126. ff. de Reg. jur.

Actus stipulantis & promittentis debet esse continuus. l. 1. ff. de verb. oblig.

Ordinarie negotiorum gestor tenetur tantum de dolo & culpâ, sed is etiam tenetur de casu, qui novum negotium intentavit, quod scilicet absens non solebat facere. l. 11. ff. de negot. gest.

Procurator aut negotiorum gestor, mortuo Domino, non debet intentare nova negotia, vetera tamen explicare, & conservare jam cœpta potest. l. 21. ff. eod.

Impp. Honorius & Theodosius vetuerunt Synagogarum Iudæorum incensiones & bonorum depræ-dationes, vetantes tamen vllas amplius extrui. l. 25. 26. 27. Cod. Theodos. de Iudæis.

EX IVRE CANONICO.

IVdæi non sunt cogendi ad fidem, quam tamen si susceperint, etiam inviti cogendi sunt retinere. C can. licet dist. 45.

Spiritualia difficiliùs destruuntur, quàm fiant; contrà corporalia difficiliùs fiunt, quam destruantur. c. inter corporalia de majorit. & obedi.

Summorum Pontificum ejectionem sibi Dominus reservavit, licet electionem concesserit spiritualibus populis: can. ejectionem distinct. 79.

Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur. 32. q. 7. can. neque furiosus.

Episcopus non debet Ecclesiam paternam conferre filio Sacerdotis; si tamen contulerit, non potest eum removere. cap. præsentium & cap. veniens; de sacrament. non iterand. D

Compaternitas scienter, vel ignoranter superveniens inter conjuges, conjugium non dissolvit. cap. si vir, de cognat. spir. sic affinitas superveniens per illicitum coitum, impedit matrimonium contrahendum, sed non dissolvit contractum. c. veniens & seqq. de eo qui cognovit consanguineam vxoris suæ.

Iudæi antiquas Synagogas retinere possunt, novas autem erigere non possunt. cap. Iudæi de Iudæis.

EX THEOLOGIA.

COrruptibilia plus distant à Deo quàm incorruptibilia, ideo debilius esse recipiunt. D. Thom. 1. q. 65. a. 1. ad 1. E

Omnis creatura secundùm quod est perpetua, est de essentiali perfectione vniversi; de accidentali verò, secundum quod est corruptibilis. Idem 1. q. 23. a. 7.

Quamvis baptisma, consecratio Ecclesiæ & Episcopi non iterentur, tamen si dubitetur an legitimè sint administrata, iterentur ad cautelam, si prima non valuerit, sub hac conditione, vt tunc secunda valeat. can. Presbyteri. dist. 68.

Sacer ordo apud Græcos, & alios Orientales, impedit matrimonium contrahendum, non autem jam contracti matrimonij vsum. Apud vero occidentales tollit contractum & contrahendum. supplem. D. Th. q. 53. a. 3.

Non licet filijs ingredi Religionem, si parentes sine eis commodè vivere non possint. D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 6. Tamen professi non debent exire de Religione, vt parentibus subveniant. q. 101. a. 4. ad 4.

Lex communis, etiam propter apparentem vtilitatem, non debet mutari, quia sic tollitur consuetudo, quæ est vis constitutiva legum, ideò incommodum, hoc debet magna vtilitas compensare. D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 2.

DEMONSTRATIO.

B BONI BONA EST CONtinuatio.

BONITAS. Bonum ex natura sua est durabile, habet enim rationem finis, & centri immobilis: & ipsa duratio nihil est aliud quam continuatio existentiæ, per beneficium causarum, superiorum influxum & formæ in materiam imperium.

MAGNITVDO. Quod ex se minimum videtur, continuatione fit magnum; vt congregata aquæ stillicidia: non est vera magnitudo sine continuatione: alioquin si inter partes interciderent vacuum, & si essent dissitæ, C non continuæ, non esset vnum quid magnum, sed parva minima.

DVRATIO. Essentia est primũ in composito bonum, & ex se dicit continuationem, quia essentiæ sunt ab æterno, & non recipiunt plùs & minùs. Omnis quantitas seu continua, seu discreta ex se dicit continuationem: continuitas magis accedit ad immensitatem, infinitatem, æternitatem; cum à suo principio magis se diffundat, vixque capiat terminum à posteriori.

POTESTAS. Continuatio supponit vim quandam indeficientem in agente, quæ & defectus recipientis emendat, materiamque præparat & implet: at contra bonum non continuare, videtur illi adversari, esseque aut malæ, aut impotentis naturæ; vnde dominantes ambiunt, quod aggressi sunt perficere. *Vide Duratio Principij.* D

COGNITIO. Bonum quod continuatur, non potest impurpuri casui, aut fortuitæ alicui causæ, sed maturo consilio. hæc etiam continuatio omnium in se oculos mentesque rapit.

VOLVNTAS. Probatur continuatione; si enim non liber esset affectus, res non eodem tenore procederet; deficeret datâ occasione, & inter similes etiam progressus, aversæ voluntatis signa aliqua emicarent.

VIRTVS. Quia bona, ideo perpetua; est enim in medio quasi indivisibili, & est habitus difficilè mobilis.

VERITAS. Non verè est, quod sæpe deficit, vt tremor non est verus motus. Veritas, quæ convertitur cum E bono, æterna est, sic leges naturæ immutabiles.

GLORIA. Non minor est virtus, quam quærere parta tueri; vnde Octavianus Cæsar sine causâ quærebat, quid facturus fuisset Alexander, qui anno ætatis suæ 32. penè totum orbem sibi subjecerat: retinuisset enim, & acquisita conservasset; vnde amplissima illi gloriæ seges, ex iteratis sapientiæ actibus.

DIFFERENTIA. Bonum procul est à materia & privatione, vnde conservandum; mutatis accidentibus manet immota substantia, sic quædam accidentalia tantum datâ occasione mutari possunt.

CONCORDANTIA. Partium facit perseverantiam, & continuationem; vt dissidium facit earumdem dissolutionem; melior autem est pax divortio, vnitas divisione, sic conservatio mutatione.

Digitized by Google

CONTRARIETAS. Multæ cauſæ internæ & externæ, obſtant continuationi, & provocant ad diſſolutionem; fortitudinis eſt rectâ viâ ſemper progredi ad deſtinatum, licet tot hoſtes vias videantur obſtruere; vnde continuatio omnis eſt de multis hoſtibus triumphus.

PRINCIPIVM. Se exhibet qui conſeruat, vt qui producit, vnde conſervatio dicitur eſſe continua creatio: qui conſervat duplicem habere videtur rationẽ principij, ſcilicet veteris exiſtentiæ, & novæ additæ ad præcedentem: cauſæ ſuperiores ſunt incorruptibiles, vt ſemper ſibi ſubdita conſervent; Deus, Angeli, Cœli.

MEDIVM. Ars eadem immutata exequitur præcepta, mutatis pro occaſione inſtrumentis.

FINIS. Continuatio & conſervatio probat agi ex certâ finis intentione: bonum convertitur cum fine, finis autem habet rationem immoti, vt centri; vndè conſultatio fit de medijs, non de fine.

MAIORITAS. Vt naturalia convenientem ſibi gradum attingant, non deſiſtunt ab opere ſuo; calor naturalis in corpore nunquam otiatur; plus poſſunt continuata, quam diſſita, tùm quia vnita ſunt fortiora, tùm quia nec locum, nec tempus relinquunt viribus hoſtilibus, quo fractæ reparentur.

ÆQVALITAS. Hæc continuationis, eſt imago immutabilis vnitatis, & identitatis; mutabilitas autem accedit ad omnimodam privationem, quæ jam ſe actibus non continuis immiſcet.

MINORITAS. Melius eſt minora continuare, quam majora aggredi, & deſerere: illudetur illi, hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare: itaque vnuſquiſque ſe probet, nec aggrediatur, quod non poteſt ad ſummum adducere.

MELIVS EST QVÆDAM imperfecta tolerare, quam innovare.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Neſcit rerum naturam, qui abſolutum in ea bonum quærit: quæ videntur imperfecta ſpeculativè, in praxi interdum bona ſunt, quia nobis magis convenientia; ſic terreæ & humiles qualitates temperamentum efficiunt in mixtis.

MAGNITVDO. Scis quantitatem defectus in re, quam vis innovare; ſed neſcis quo vſque procedet, ſi præſentem ſtatum immutaveris: connexæ ſunt res, & invicem colligatæ, faciuntque vnum quoddam continuum; vt in aquâ, parte vnâ morâ cæteræ moventur; multa erunt immutanda, ſi velis omnia conſentire; vt in lyrâ, ſi vna corda fiat intenſior, aut laxior, cæteræ ſunt ad eundem tonum reducendæ: magnum itaque tibi paras negotium, & ex magno labore, incertus profectus.

DVRATIO. Stant res, etiam cum illo defectu, & forte non ſtabunt inducta novitate. In quibuſdam corporibus tota maſſa ſanguinis corrupta eſt; tamen illi impuræ nutritioni aſſuefcit natura; quis vellet torqueri medicamentis, quouſque nullus eſſet in eo humor peccans? ſic pace fruitur populus, inter pravas quaſdam conſuetudines; vnde eligendi conſiliarij non novitatis avidi, ſed qui ament præſentem ſtatum.

POTESTAS. Non eſt tollenda penitus libertas, in aliquibus ſoluta, ardentiùs motu proprio, ſibique magis glorioſo, fertur in bonum. Innovatio incipit à deſtructione, quæ vnicuique facilis eſt; meliora autem inædificare, difficile.

COGNITIO. Si ſtatim atque apparent defectus, eſſent tollendi, continua eſſet rerum mutatio; nihil eſſet certi, nihil tranquilli: periculoſum eſt, populum noſſe mutabilibus ſe regi legibus, ſic enim earum periret veneratio, & ignita magis ingenia ſtuderent mutationi.

VOLVNTAS. Licet hic nobis exactam rerum ſymetriam optare, non aſſequi: conſuetudo mali ſenſum ſæpiùs ſuſtulit: ſeneſcunt humana inſtituta, & cum illo etiam, quem tempore contraxerunt, defectu, amantur.

VIRTVS. Erit ſemper tuæ virtuti locus, ſi non potes juſtitiam exigore ſervare, ſervabis cum æquitate; ſi fortitudine non vtaris in agendo, vtere in ſuſtinendo: etiam bonorum temperantia neceſſaria eſt; & ſilui à bonis, inquit Propheta.

VERITAS. Certâ fati lege rerum conditiones poſitæ ſunt, contra quas fruſtrà laboratur: naturalia emendari poſſunt, non penitus tolli; quis natura turpem vultum, verè pulchrum efficiet? Vt qui aleâ ludunt, inquit Plato, ipſi ſibi, non quem optant ludum faciunt, ſed quem obtulerit fortuna moderantur: ſic agendum in rebus humanis; totius mundi ordo turbaretur, ſi id omne quod non placet, ad ideam melioris boni reformandum eſſet.

GLORIA. Frueris etiam nunc pace, quæ eſt reformationis finis, & quæ forte rerum innovatione turbaretur: glorioſum reformaſſe, ſed turpiſſimum res in deteriùs adduxiſſe: in incerto, noli aſpera hæc tentare remedia.

DIFFERENTIA. Vt natura ſeipſâ ſæpè è bono ſtatu, in morbidũ labitur, ſic ſe ſuis viribus poſtea reſtituit: da locum viciſſitudini rerum; tuum eſt tempus obſervare, vt rebus ad reſtitutionem proclivibus, manum admoveas, ſi malum non licet penitus tollere, ſaltem diverſione vtendum eſt. In rerum mutabilium regimine, fluxu opus eſt; infœlix enim ſemper extitit, obſtinatus ad regidiorem diſciplinam animus.

CONCORDANTIA. Maximum humanæ ſapientiæ præceptum eſt, ſe rebus, perſonis, temporibus accommodare; & pati quod deſtruere non juvat. Intercedit latens quædam ſympathia inter res humanas, vt inter diſſitas corporis partes, itavt vna læſa, altera compatiatur: ne fidas tuis in negotio ſuſcipiendo adjutoribus, qui fortè aliquo propriæ vtilitatis motu feruntur; erunt ſocij gloriæ & vtilitatis, ſi res benè cedat, ſi malè, totum tibi imputabitur.

CONTRARIETAS. Quot ſunt antiquitatis laudatores; quot hi, quibus antiquum regimen vtile eſt, quot laudis & profectus tui invidi, tot habebis hoſtes: vix etiam boni patientur te cæteris majora aggredi, ne videantur diu torpentes fuiſſe in mali tolerantiâ; Ita tibi non tantum cum rebus, ſed cum perſonis, malis & bonis, pro novitate introducendâ, pugnandum eſt.

PRINCIPIVM. Divinæ providentiæ maximè committenda eſt publicorum malorum cura; Da exemplum probati alicujus, novitatem probantis: fortè ſequetur turba; alioquin moveri, niſi volens, difficilis: optimum eſt omnia ad principium ſuum reducere; ſed certis hoc fit periodis, & cùm ordo viciſſitudinis orbem perfecerit.

MEDIVM. Interdum contrarijs vijs ad idem pervenitur: ſapientiſſimi ducis eſt ex hoſtium conſilijs commoda ſibi quærere: ſi non potes rem ſecurè innovare, doce alium eius vſum, qui tibi conferat, & alijs novitate placeat.

FINIS. Sufficiat tibi finem intentum quoquo modo conſequi; & vt noxæ, etiam averſo vultu, ad por-

tum appellere: deviationem compenſabit intenti finis ardentior poſtea proſecutio.

MAIORITAS. Certa rebus ineſt quantitas: Cave ne dum nimis rem hanc vis amplam, debilem nimia extenſione reddas. Magnum hîc bonum habendum eſt, quod minùs malum eſt. Extremis tantum malis, extrema ſunt remedia adhibenda: non ſtatim abſcinduntur membra vlceribus infecta, ſed curantur, ſic non ſtatim res innovandæ.

ÆQVALITAS. Si res, quam velles aggredi, intacta debet remanere, vtendum compenſatione, in alijs melius inſtitutis: ſic vno oculo deficiente, vim ejus natura in alium refundit, quaſi jure accretionis.

MINORITAS. Scias res omnes hîc eſſe in ægritudine conſtituas, ſanaſque eas reputari, quæ minùs laborant: ſic vtere Anodinis remedijs; hoſtem quem non potes penitus de medio tollere, infirmum redde.

MORA BONA.

Micellanea.

NVnquam vtendum eſt Narcoticis, ſeu conſopientibus medicamentis recenter paratis, ſed ſemeſtre ſpatium eſt expectandum, ad minus; nec ſtatim his vtendum eſt, ſed tentatis prius levioribus remedijs, & vbi natura robuſta eſt.

Tardiùs fertur omne quod eſt amplius.

Elephas biennio fert vterum, propter exuberantiam magnitudinis. Ariſt. de gener. anim. l. 5. cap. 10.

Inteſtina ſunt intùs rugoſa, ne nimis citò defluat cibus; ſic pulmo eſt rugoſus, ne nimis vacuetur; arteria quæ ſpiritum ad illum defert, eſt aſpera.

Cadimus potius currentes, quam ambulantes.

Si mutandæ ſint leges, princeps id exequatur, leni & lentâ viâ, alioquin periculum eſt ne irritentur animi ſubita mutatione. Vide Lipſium Politic. l. 4. cap. 6.

Fabiana cunctatio ſæpe multùm momenti habet in bello, & quẽ morâ & fame vincere poſſumus, non debemus armis adoriti, vt noſtro militi parcamus.

In chymicis operationibus vaſa vitrea frangunur, ſi ſtatim illis ignis ſupponatur, ſed debent ſenſim calefieri.

Nihil finito tempore per infinitum ſpatium poteſt moveri, & tendere ad quietem; quia pars quæque rei mobilis ſpatij quamlibet partem percurrere debet.

Nihil ſe totum movet per ſe totum, ſed tantùm per partem ſui.

Imperfectiora citiùs adoleſcunt, vt fœminæ quàm mares; citius abſolvit curſum, qui ad minus elatam perfectionem tendit.

Cum alimentum in momento mutari non poſſit, vis retentrix illud retinet, quoad-vſque optimè elaboratum ſit. Tres concoctiones fiunt, prima in ventriculo, ſecunda in hepate, tertia in ſingulis partibus, elaboratur etiam chylus in inteſtinis, vt ſanguis in venis.

Partus ex ſemine in vtero formatur in 47. diebus; duplicatum eſt tempus motionis, ſcilicet nonageſimo; triplicatum vero motionis tempus ad partum, nono ſcilicet menſe. Licèt autem non ſit determinatum tempus partus in homine, ſicut in alijs animantibus; tamen ſunt certi termini, vltrà quos partus non eſt vitalis.

Facultatis robur, & inſtrumentorum mollities, plus faciunt ad motus magnitudinem, quam ad ejuſdem celeritatem; quod apparet, quia vbi vſus immi- A nuitur, firmâ manente facultate, plus de celeritate, quàm de magnitudine remittitur. Sic ratus pulſus provenit à robore virtutis, cum vſu, imminuto, quia ſcilicet non vrget neceſſitas: natura moras nectit, antequam alium motum inchoët.

Cancrorum genus, licet ſit aquatile, tamen habet vim ambulandi tardè.

In omnibus negotijs, non ſperet homo ſimul & ſeminare & metere, ſed expectet tempus, quo negotia fiant matura.

Scari recenter capti nobis poſſunt nocere, ſi ſtatim edantur, quia venantur marinos lepores, qui nobis ſunt veneno. Athænæ. lib. 8. cap. 9.

Calor his paulatim gradibus, facit ex denſo tenue. 1. fit lentor, deindè mollities, viſcoſitas, fluor, qui eſt B liquor per accidens condenſabilis. de hinc tranſit in non ſpiſſabilem liquorem, magiſque fluentem, poſteà in vaporem, ſeu fumoſitatem, quæ amiſſa corpulentia tollitur ſurſum, denique in tenuitatem invisibilem, quæ continet, pauciores partes in ampliori ſpatio, ſicut è contra denſum continet plures in anguſtiori.

Simulat Princeps ſe velle pacificè tractare negotium, miſſis legatis, vt moras trahat & illud clam abſolvat.

Non ſunt in bello nova tentanda, niſi jam incœpta & acquiſita ſint benè ſtabilita.

Pereunt ſæpe exercitus maritimi, ſi extrà tempus opportunum navigetur.

Exercitus hoſti vicinus lentè procedat, ne videa- C tur fugere.

Difficilè conſpirant multi Principes contrà vnum, à quo ſinguli poſſunt opprimi: volunt enim gaudere privilegio temporis, & inter moras aliquid boni à fortunâ ſperant.

Natura non facit ſaltum. *Vide Duratio Bonit.*

Si mutationes in Republica ſint faciendæ, lentè fieri debent. Vide exempla apud Bodin. l. 4. Reip. c. 3.

Oleum quò vetuſtius ac pinguius, eò ad medicamenta aptius eſt: magis calefacit. Math. *Vide Durat. Virtut.*

Contraria paulatim adhibere tutius eſt, quam affatim & repentè; natura enim moleſtè fert omnes ſu- D bitas mutationes: ſic repentè vacuare, replere, calefacere, refrigerare, vel quovis alio modo corpus movere, periculoſum. Hippoc. Aphoriſ. 51. lib. 2.

Parciùs, ſed frequentiùs æſtate & autumno, largiùs autem, ſed rariùs hyeme & vere cibandum eſt. Galen.

Corpora quæ longo tempore extenuata ſunt, lentè reficere oportet, quæ verò brevi, breviter. Hippoc. Aphoriſ. 7. lib. 2.

Vacuationes que ad extremum deducunt periculoſæ, ac immodicæ præſertim ſanguinis detractiones confertim factæ. Idem Aphoriſ. 3. lib. 1.

In apoplexia ſanguinea, liberaliter ſanguis mitten- E dus, non ſemel quidem, & vniverſim, ſed ſenſim, & partitè, vt excitentur, non exolvantur vires.

Alexander & Cæſar, quia exercitatos habebant exercitus, ſemper, cum belli ſtatum eligebant, vt decertarent. At Fabius Maximus, contrà Annibalis exercitum ſucceſſibus inſolentem, cunctando, & recedendo ab ancipiti diſcrimine reſtituit rem; ſæpè ſic hoſtis moræ impatiens recedit. Haſdrubal vrgente Scipione, evercitum ſuum per vrbes diviſit; ita factum eſt, vt Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum diſtringeretur, inhyberna ſuos reduxit.

Pompejus adverſis Sertorium noluit pugnare, videns ejus milites ardenter pugnam petentes. Philippus ſæpe ardentem primo impetu hoſtem, morâ fatigavit, deinde jam tepeſcentem aggreſſus vicit. Lacedemonij certiores facti Meſſenios in eam exarſiſſe

rabiem, vt in prælium cum conjugibus, & liberis A deſcenderent, pugnam diſtulerunt.

C. Cæſar ſciens Arconiſtum Germanorum Regem, non pugnare decreſcente Lunâ, tunc maximè Religione impeditos hoſtes aggreſſus vicit: ſic Veſpaſianus Iudæos Sabbato aggreſſus ſuperavit.

In inanimatis corruptionem ſtatim ſequitur generatio, vt dum ex ligno fit ignis; In animatis autem, multo interjecto tempore, ſcilicet diſſolutis omnibus partibus, & ſucceſſiva materiæ diſpoſitione.

Nicephorus Cæſar Imper. Orientis, eos qui ſubitò ad magnas divitias perveniſſent, quaſi inveniſſent theſaurum, quod Imperatoris erat, volebat magnam pecuniæ vim conferre.

Subitæ, inſuetæque temporum, locorum, tem- B peſtatum mutationes, maximè ſi in contrarium fiant, morbos pariunt. Vnde periculoſæ ſunt peregrinationes, quia vnicuique regioni ſua ineſt conſtitutio. Fernelius, de morbo. cauſ.

Calx ad arboris radicem conſperſa fructum accelerat, arborem verò perimit: ſic calidius alimentum, vt vinum, ſuſcitato calore, ſpiritus facultateſque erigit, mortem vero maturat. Ibid.

Pulſus in omnibus febricitantibus eſt creber & celer, in ſanis verò contrà.

In morbo obſcuro, non ſtatim remedia adhibenda, quia irrita, non ſine diſpendio.

Agricolæ immaturos fructus non colligunt.

Lentè feſtinandum, nam ipſa ſe velocitas implicat; C qui nimis properat, ſeriùs abſolvit; malè cuncta miniſtrat impetus: In ludo & in certamine vincitur, qui præcipitanter agit; qui moderatè agit, ſemper apud ſe eſt paratus, etiam ſi opus fuerit, iterare certamen.

Præceps maturitas, jucunda, ſed arboribus noxia, quæ hoc edito ſpectaculo marceſcunt, ita publicis rebus, & præſertim gravioribus, quidam ordo dictus eſt, quem qui pervertunt, ſalutem provinciarum enecant. Barclaj.

Celeriùs agentes non apprehendunt fortunam, ſicut celeriùs currentes palmam in ſtadio conſequuntur.

In muſicis, non ſolum tonorum diverſitas, ſed etiam interpoſitio ſilentij, concentum facit. D

Diverſi cœli orbes, à diverſis moventur intelligentijs. cum alij majorem, alij minorem impulſum deſiderent.

D. Auguſtinus & alij plures exiſtimant vno inſtanti Deum omnia creaſſe; licet Moyſes id deſcribat per plures dies, vt nos doceat convenientem in omnibus moram ſervandam.

Aqua frigida epota nonnunquam æſtuantem interficit, quia tunc in præcordia apertis poris hiantia ſe recipiens, nativum calorem nimio, ſubitoque frigore perimit.

Solvendi, non cum impetu præſcindendi nodi, omnia vaſtando.

Vriſas à partu trigeſimus dies liberat, hæc præcipi- E tata fœcunditas efficit, vt partus informes ſint. Solin. cap. 28.

Cùm cæteræ nationes vtantur acri tubarum & tympanorum ſono, ad militum animos concitandos, Lacedemonij vtebantur fiſtulis, ad temperandum militum impetum; ſic quibuſdam hominibus, ponderibus potius opus eſt quam alijs, temperamento & quiete, quam calore & agitatione.

Scelera impetu, bona conſilia morâ valeſcunt: non properanti omnia clara, aperta, certa: feſtinatio improvida & cæca. Tacit. lib. 1.

Amicitia vera non ſtatim fit, ſed per multa virtuum experimenta.

Elephanto inteſtinum ita ſinuoſum eſt vt alvos quatuor habere videatur: ſic inter moras, jecur magis fugit alimentum. Albert. Magnus.

Elephas fœmina; fœtum biennio gerit in vtero; parit ſingulos; incipit coire anno 20. vivit 300. annis, per triennium poſt partum quieſcit. Ariſtot.

Lac ruminantibus copioſius, & caſeo vtilius.

Frigentes vehementer, ſi ſtatim copioſo igne caleſiunt, indoleſcunt; quia omnis ſubita mutatio de contrario in contrarium maximè afficit; quia calor frigentis totus in interiori conſiſtit, & rigor parti exteriori relinquitur, qui ſuum contrarium non tolerat: ſenſim autem calefaciendo, calor provocatur & exit. Ariſt. Problem.

Minora citius ad finem deveniunt, & in naturæ & in artis operibus.

Naturæ finis vniverſalis eſt, eſſe perfectum, quod aſſequitur per ſucceſſionem.

In Suedia & Moſcovia frigidis regionibus, licet herbæ tardiùs, quàm apud nos oriantur, æque tamen citiùs matureſcunt, quia calor vegetativus terræ, diu retentus, celeritate & activitate compenſat moram.

Arbores debent ſenſim flecti, alioquin rumpuntur.

Sapiens negotia omnia cum debitâ morâ perficit; non citò credit famæ, nec negotia ex rumore aggreditur; lentè procedit contra temeritatem: impetus enim acres cunctatione langueſcunt; & temeritas, vbi primum impetum effudit, ſicut quædam animalia amiſſo aculeo, torpet. Medici plus interdum quiete, quam movendo & agendo proficiunt: Contra obſeſſos dilatione vtendum, quia interim vires eorum conſumuntur.

Cùm aliquid petitur magnum, per partes debet peti, non totum ſimul, & tunc dilatio petenti prodeſt: frigidè res poſtulanda, ne extrema appareat neceſſitas. Sic Miniſter nihil novi debet agere inconſulto ſuo Principe, ſuæ ſecuritati, & ipſius gloriæ providens. Item in omnibus mutationibus, quæ non debent fieri ab extremo in extremum, in omni perplexitate bona dilatio; quia quid quæque dies, aut nox ferat, incertum ſæpè, puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur.

Humida facilè coquuntur ſed exiguum alimentum afferunt corpori, quia celeriter per vrinas & ſudores vacuantur. Dura verò & terreſtria, diuturnum quidem, & copioſum, ſed quod ægrè à calore nativo coquitur.

Zeuxis culpantibus quibuſdam, quòd tradè pingeret, dixit ſe multum quidem temporis inſumere pingendo, quia in multum tempus vellet durare quæ pinxiſſet.

Luna & Saturnus ob innatam vim refrigerandi, patrocinari dicuntur cæteris elementis contra ignem.

Articulatio contingit in femella in diebus 42. in maſculo in 30. femella autem poſteriùs conformatur, quia genitura fœminæ debilior eſt, ac humidior, quam maſculi, ideo calore diuturniore indiget ad articulationem. Hypocrat. lib. de natura pueri.

Etiam in vacuo, propter diſtantiam extremorum, motus fieret ſucceſſivè.

Socrates dicebat eos, qui fructus præcoces carè emebant, deſperare, aut de eorum maturitate, aut de ſuâ ipſorum vitâ.

Moſcum vt ſit odoratum, debet erui ex animalis vamica, maximè natura: Præcox autem, inſuavis eſt odoris; perficitur tamen, ſi per aliquod tempus aëri exponatur. Mathiol.

Ranis quæ ex putredine naſcuntur brevis eſt vita, & nullus vſus in medicinis.

Lienteria eſt velox exitus eorum, quæ comeduntur

ac bibuntur, & talia ejiciuntur, qualia devorata ſunt; A ſit ſæpè ex retentricis facultatis imbecillitate, aut ex obſtructione venarum mezaraicarum. Galen.

Si in corpore humano vtiles humores intempeſtivè, atque immoderatè evacuantur, vires deijciuntur, & corpus conſumitur.

Fit corruptio in ſtomacho, ſi novus ingeratur cibus, antequam prioris aſſumpti facta ſit concoctio. Quidam cometæ ita velociter moventur, vt ex occaſu citò præcedant ſolem.

Frigus repente cogit, vnde id quod fuſum erat, aliquam ſolutionem continui paritur.

Euthimenis filius Salaminus in triennio crevit in ſublimitatem trium cubitorum, ſed inceſſu tardo, ſenſu hæbeti, robuſtâ voce, pubertate feſtina, verum morbis plurimis ſtatim vexatus, immoderatis ægritudinum ſupplicijs, præcipitem incrementi celeritatem compenſavit. Solinus.

Qui ſacrario litterarum deſtinantur, maturè libros tractent & ab ipſis cunis, ſed diſcant ætati convenientia; & tum jocis, tum grata exercitatione refrænandus eſt nocentiſſimus curſus: quoniam intempeſtiva injea ætate ſtudia creſcentes primum vires, & vix dum coagulati cerebri robur ſolvunt, vt nec integram poſtea valetudinem ad litteras afferant, nec vividi acumen ingenij, olim laboribus, vigiliſque retuſum. Nam quos ante ætatem viros cernimus, ij vel citò maturi occidant neceſſe eſt, vel in eam ſtultitiam, quam infantes declinarunt, ſenes incurrant. Barclajus. *Vide Duratio Virtutis*, vitia paulatim emendenda.

Vt in pomis, bacciſque coacta & præter aſſueti temporis legem maturitas, inſolentia quidem, rei jucunda eſt; cæterum ipſæ arbores, medicamine, aut admoto æſtu præcipientes maturitatis tempus, hoc edito ſpectaculo marceſcunt, ita publicis rebus & præſertim gravioribus, quidam ordo dictus eſt, quem qui pervertunt, ſalutem provinciarum videntur enecare. Idem.

Hypocrates lib. de aëre, locis, & aquis dicit eas aquas eſſe puriores, quæ ex altiſſimis & ſiccioribus locis fluunt, magis enim ab imò profectæ colantur. D Athenæ. lib. 2. cap. 2.

Omnes naturæ motus fiunt in certâ temporis menſurâ: Reſtitutiones corporum cæleſtium fiunt per tempora numerata, etiam fluxus & refluxus maris: latio gravium. *Vide Differentia Durat.*

Salamine quidam Euthimenius filius triennio crevit ad tres cubitos, inceſſu tardus, ſenſu hebes, citò abſumptus eſt contractione membrorum. Plin. lib. 7. cap. 6.

Quò majus eſt animal, tantò diutiùs formatur in vtero: diutiùs geſtantur, quibus longiora ſunt vitæ ſpatia. Idem. lib. 10. cap. 43.

In majore parte orbis, cum præcoces excutrere germinationes), evocatæ indulgentiâ cœli, ſecutis frigoribus exuruntur. Idem. lib 17. cap. 2.

Optimè ſaliuntur carnes, quæ multum habent excrementi: illud enim ſal tenuat & digerit. Galen. lib. 3. de alimentis, in fine.

Melius eſt in viâ claudicare, quam extrà viam fortiter ambulare.

Celeritas aliquantulum reprimatur, ne comes in via deſeratur. D. Ambroſ. condemnati ſunt ab Eccleſia Armenij, qui dicebant Chriſtum infantem vno die Conceptum & natum. Baron. Ann. 863.

Vide *minoritas medij*. Tranſitus ab extremo in aliud malus.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE dilationibus. Cod. 3. 11.
De in diem addictione. ff. 18. t. 2.

Quod in diem debetur, non compenſatur, antequam dies venerit. l. 7. ff. de compenſatio.

Adminiſtratores præcepta contra jus, vel vtilitatem publicam, non debent ſuſcipere, niſi ſecunda juſſio emanaverit. §. deinde in Authent. de mand. princip.

Qui Romæ ſtipulatur hodie Cartagine dari, inutiliter ſtipulatur, quia debet dari tempus ad perveniendum. l. 2. §. 6. ff. de eo quod certo loco. B

Si ſine die adjecto conſtitutum ſit, ſaltem ad decem dies exactio debet differri. l. 21. ff. de pecun. conſtit.

Qui differt ſolutionem ex juſtâ causâ non committit moram, & non debet vſuras, vt ſi ſubitò cogatur abeſſe Reipublicæ cauſa. l. 21. & ſeqq. ff. de vſur.

Tutori datur tempus duorum menſium, vt pecuniam pupilli det ad vſuram. l. 7. §. vſuræ. ff. de adminiſt. & peric. tutor.

Licet reo ſit præfixus terminus in tranſactione, tamen poterit offerre poſt terminum, & valebit tranſactio. l. 36. C. de tranſactio.

Qui ſinè dolo malo ad iudicium provocat, non videtur moram facere. l. 63. ff. de Reg. Iur. C

Vlpianus reſpondit decimo menſe natum non eſſe legitimum, poſtea placuit. 10. 11. 12. & 13. menſe legitimum naſci: vnde hoc tempus eſt præfinitum luctui, vt abſit confuſio.

In pecunarijs cauſis, ſemel tantum dilatio conceditur: in criminalibus reo tres, accuſatori duæ concedi poſſunt. l. 10. ff. de ferij. &c.

Mobilia poſſeſſione vnius anni, & ex Iuſtiniano, trium; immobilia autem. 30. aut 40. annorum ſpatio acquiruntur.

De his qui ante apertas tubulas hæreditatem tranſmittunt. C. 6. tit. 52.

De his qui non impletis ſtipendijs ſacramento ſoluti ſunt Cod. 10. tit. 54. D

Ne ante legitimum matrimonij tempus futuris conjugibus benedicatur. Leo Novella 4.

Ne intra ſeptimum ætatis annum ſponſalia ineantur: & de matrimonij tempore. Leo Novell. 109.

Si quis in fraudem creditorum citiùs ſolvit, quam debuit, competit actio pro pecuniæ repreſentatione l. 10. §. 12. ff. quæ in fraud. creditor.

Si in obligatione tempus adjicitur, gratia creditoris, vel vtriuſque, non poteſt ſolvi ante tempus. l. 122. ff. de verb. obligat.

Si quis ancillam virginem immaturam ſtupraverit. lege aquilia tenetur. l. 25. ff. de injurijs.

Qui virginem nondum viripotentem corruperit, in metallum damnatur. l. 38. §. 3. ff. de pœnis.

Pacta quibus diſponitur de hæreditate viventis, non valent. l. final. C. de pactis. E

Natus ex ancilla ſub conditione libera, ante conditionis eventum eſt ſervus. l. 3. C. de fideic. libertat.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri. cap. non eſt. de Reg. Iur. in 6.

Non eſt ordinandus in Preſbyterum, niſi triginta annorum, aut neceſſitate cogente 25. longo ſit probatus examine. diſt. 78.

Euchariſtiæ communionem percipere quotidie nec laudo, nec vitupero, ſic enim diverſo & quaſi contrario modo honorificatur Deus. ex D. Auguſt. de conſecrat. diſt. 2. c. quotidie.

Procuratore

Procuratore fiſci agente ante tempus, actio perimitur, ſicut quolibet privato agente. l. 6. Cod. de Iure fiſci.

EX THEOLOGIA.

MOtus Angeli, non eſt in inſtanti, ſed in tempore. D. Thom. 1. q. 53. a. 3. & 3. q. 57. a. 3. ad 3.

Animalia ante octo dies non offerebantur, propter ſuam teneritudinem. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 5. & a. 5. ad 1.

Aſcenſio Chriſti non fuit in inſtanti. 3. q. 57. a. 3. ad 3.

Quanquam omnes teneantur ſtatim de ſuis dolere peccatis, tamen non eſt de neceſſitate ſalutis, vt ſtatim confiteantur, ſed habitâ copia confeſſoris, & ſtatutis ab Eccleſiâ pro pœnitentiâ temporibus. ſupple. q. 6. a. 3.

Defectus ætatis impedit, & dirimit matrimonium. 2. 2. q. 189. a. 5.

Præcipitatio eſt peccatum. & quomodo à ſuperiori ratione debeamus per gradus, & prudentiæ partes deſcendere. D. Thom. 2. 2. q. 53. a. 3.

Chriſtus non fecit miracula, niſi in ætate jam perfecta, & poſt prædicationem ſuæ doctrinæ. 3. q. 43. a. 3.

EX BIBLIIS.

VNo die fiunt omnia, pluribus vero ornatus. Gen. 1.

Iacob lentè progreditur, nec poteſt ſequi Eſaü, propter parvulos. Gen. 33.

In Ægypto, triticum & far non ſunt læſa à grandine, quia erant ſerotina. Exod. 9.

Moyſes non ducit populum recta viâ, ſed circumducit per deſertum. Exod. 13. vt interim inſtrueret, & tolerantia daret animos.

Abijciuntur à ſacrificio immolandarum avium plumæ. Levit. 1.

Captiva non poteſt duci vxor, niſi per vnum menſem fleverit Patrem & matrem. Deuteron. 21.

Ad Imperium Ioſue ſol ſtetit, donec contererentur hoſtes. Ioſue. 10.

Angelus expectat Gedeonem, donec afferat ei ſacrificium. Iudic. 6.

Filia Iepthe petit à Patre duos menſes, vt fleat virginitatem ſuam, antequam moriatur Iudic. 11.

Anna non vult ire in templum irâ Silo, donec ablactaverit Samuelem, vt Deo oblatus remaneat in templo jugiter. 1. Reg. 1.

Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur, multiplicabitur Proverb. 13.

Iacob ex luctâ cum Angelo, nervus femoris ejus emarcuit, vnde claudicabat; ideo filij Iſraël non comedunt nervum; Gen. 52. nervus dat celeritatem.

Populo Iſraël dicitur pro ſumma benedictione: plantabunt vineas, & donec tempus veniat, non vindemiabunt. Ierem. 31.

Ante meſſem totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, abſcindentur, & excutientur rami ejus, & relinquentur avibus montium, & beſtijs terræ. Iſay. 18.

Sacerdotes non accingentur veſtibus ſacris in ſudore. Ezech. 44.

Impatiens operabitur ſtultitiam. Proverb. 14.

Poſſidebunt parvuli ſtultitiam, & expectabunt, aſtuti ſcientiam. Ibidem.

DEMONSTRATIO. LENTE PROCEDENDVM.

BONITAS. Habemus vſum vitæ lentè & per ætatum gradus, ſic ſolis virtutem per ſucceſſivas anni tempeſtates: actiones autem noſtræ debent conformari tum principio interno particulari, tum externo vniverſali; alioquin eſſet activitatis non diſpenſatio, ſed profuſio.

MAGNITVDO. Cùm limitata ſit omnibus agendi, vis ſi ſtatim effundas quidquid potes, citò deficies, & exhauſtus apparebis impotens; eritque ſic tranſitus ab extremo in extremum: convenientius eſt hanc magnitudinem ſe ſenſim exerere.

DVRATIO Omnia collecta in æternitate, quia ibi eſt poſſeſſio infiniti boni, nunquam deficientis, & potentias omnes ſine faſtidio ſemper implentis. At hîc cùm ſimus in tempore, quod conſtat ſucceſſivis partibus, monemur actiones temperandas eſſe, datis convenientibus intervallis.

POTESTAS. Sic quibuſdam quaſi velitationibus exercetur, & præparatur. Melius eſt diu haberi potens, cum quotidiè apparet potentiæ progreſſus, & neſcitur terminus in quo deſinat, quam ſubitò deficere, & vltrà non poſſe progredi; & quaſi ictu exploſo, turpiter extrà mundi civilis arenam ejici. Etiam potentiſſima remedia, niſi partibus in hæreant, non proſunt, illuditur poteſtati citò exhauſtæ.

COGNITIO. Inter moras nova occurrunt conſilia, nova auxilia, novæ rerum facies, vnde aliter vis activa eſt diſpenſanda. Tentandum, antequam aggrediendum, ne irritus fiat conatus.

VOLVNTAS humana fertur ad vniverſale bonum, vnde quidquid magni initio præſtiteris, parum erit, ſi majora non ſperes. Lentè ſtillatum bonum, avidiùs appetitur, & gratiùs accipitur: agens magis amat opus ſuum, cujus videt progreſſus, & magis amat objectum circà quod agit; vnde Plato dicit amantes eſſe perjuros, quia quotidiè vident amorem ſuum augeri, quem augeri non poſſe juraverant.

VIRTVS. Prudentia quæ cæteras virtutes dirigit, lentè procedit, præterita, præſentia, futura; rerum, temporum, perſonarum, circonſtantias omnes trutina ſua examinans. Sequenda in omnibus mediocritas inter torporem, & præcipitationem, quæ incurrit in idipſum, quod vitare voluerat.

VERITAS. E puteo lento motu educenda veritas; fallaces rerum vultus morâ ſunt detegendi.

GLORIA. Et alios & nos ipſos frui oportet longo virtutis noſtræ ſpectaculo. Intentiſſimæ autem actionis editæ labor voluptatem obſcurat; maximè cum nulla ſit augmenti ſpes.

DIFFERENTIA. Qui impetu feruntur, neſciunt deflectere vt oportet, pro rerum, temporum, occaſionum diverſitate.

CONCORDANTIA. Lentè procedens ſe inſinuat in rerum & perſonarum tum notitiam, tum amicitiam: corpus non capit validiora remedia, niſi aptè ad illa præparetur.

CONTRARIETAS. Vt magna & ſubita lux lædit oculos, ſic magna & ſubita actio mentes; concitat enim invidiam; minatur pluſquam ſit læſura, vnde multi inſurgunt contrà ipſam hoſtes, quibus non eſt par.

PRINCIPIVM. Etiam Deus omnipotens concurſum

Digitized by Google

ſuum accommodat lento naturæ progreſſui, vt ex initijs parvis res educat ſenſim ad convenientem ſpeciei ſuæ amplitudinem, ſeu quantitatis, ſeu virium.

MEDIVM. Omne agens indiget inſtrumentis juvantibus, quæ fortè non ſequentur motum ab initio celerem. Tentandi ſunt adjutores, ne magna ſimul illis, aut infirmis, aut infidis committantur. Artifices probant inſtrumenta extrà opus, in quo periculosè eratur.

FINIS. Sic lentè procedendo, meliùs latet quod intendimus; faciliùs conceduntur media, quibus obtinetur finis; ſic deluduntur paratæ contra nos hoſtium inſidiæ.

MAIORITAS. Sic fit ſatis naturæ, continuum augmentum appetendi; majus etiam apparet, quod minori ſuccedit.

ÆQVALITAS. Glorioſa æqualitas, non in humili conſiſtentia, ſed in proportionaliter æquali progreſſu, cum hic omnia ſint in motu.

MINORITAS. Exiguæ vires nobis datæ ſunt à natura, vnde parcè illis vtendum, occultantur defectus, novis ſemper ſibi ſuccedentibus profectibus.

MAGNITVDO DVRATIONIS.

DIVTVRNA DVRATIO.

MISCELLANEA.

ETERNITAS; æviternitas.

Motus circularis, qui ſolus poteſt eſſe perpetuus, quia non fit ad terminos contrarios; ſic ſunt motus cœlorum, correſpondentes incorruptæ eorum ſubſtantiæ: materia enim impletur forma omnium perfectiſſima, aliarumque perfectiones omnes eminenter continente.

Locus naturalis eſt immobilis.

Tantò res eſt diuturnior, quantò ejus cauſa eſt efficacior.

Cupreſſus perpetua comâ viret, ejuſque materies, nec cariem, nec vetuſtatem ſentit, vt etiam cedri, hebeni, loti, taxi, buxi, oleæ, ideo ex cypreſſo olim Deorum ſimulachra fiebant. Mathiol.

Materia prima cum ſit ingenerabilis, eſt etiam incorruptibilis, quia non eget concurſu cauſæ ſecundæ, quo detracto deficiat, ſolum pendet à Deo, qui non negat ſuum concurſum. Ruvio. 1. Phyſic. q. 9.

Elephanti vivunt in annos 300.

Athos mons altior æſtimatur, quam vnde imbres cadunt; In ſummo oppidum Achroton fuit, in quo dimidio longior, quam in alijs terris incolentium ætas propagabatur, hi μακρόβιοι. Id eſt fœlicis vitæ dicebantur Solin. poliſt. cap. 17.

Antiqui Patres longævam duxerunt vitam, vt Adam 930. Seth. 912. Enoch. 905. Cainã 910. Malaleel 895. Iared 962. Mathuſala 969. annis vixerunt; quia illis deerant morborum cauſæ: perfecti enim temperamẽti fuit à Deo creatus Adam, cujus filij ſucceſſores, & participes fuere; carne non veſcebantur, ſed convenientibus ſanitati fruticibus; tunc majoris virtutis alimenta producebat terra, nondum diluvio vaſtata, nec maris aquis infecta; benigniores etiam cœli influentiæ, orbibus minùs ab horoſcopi proprioque ſibi ſitu diſtantibus; primi etiam illi homines, perfectam didicerant ab Adam medicamentorum notitiam, Deus etiam vitam illorum producebat, vt fierent mundi parentes, & ampliorem gignerent prolem.

Senectus plena eſt voluptatis, ſi illa ſcias ſvti: gratiſſima ſunt poma cum fugiunt: pueritiæ maximus in exitu decor eſt: debitos vino, potatio extrema deleat illa quæ mergit, quæ ebrietati extremam manum imponit. Quod in ſe jucundiſſimum omnis voluptas habet, in finem ſui differt. Iucundiſſima eſt ætas, devexa jam, non tamen præceps; & hoc ipſum ſuccedit in locũ voluptatis, nullis indigere; quam dulce eſt cupiditates fugaſſe ac reliquiſſe. Senec. Epiſt. 12.

Non ſentit in animo ætatis injuriam ſ, cum ſentiat in corpore; tantum vitia, & vitiorum miniſteria ſenuerunt: viget animus, & gaudet, non multum ſibi eſſe cum corpore: magnam oneris ſui partem depoſuit; exultat, & mihi facit controverſiam de ſenectute, hunc ait eſſe florem ſuum: credamus illi bono ſuo vtatur: quæ non poſſum, non poſſe me gaudeo, quæ enim quærela eſt, ſi quod debet deſinere, deficit; ſinguli dies aliquid ſubtrahunt viribus, & quis exitus eſt melior, quam in finem ſuum, natura ſolvente, dilabi.

Vt ſenectutem non puto concupiſcendam; ita ne recuſandam quidem. Iucundum eſt eſſe ſecum quam diutiſſimè, cum quis ſe dignum, quo frueretur, effecit, Senec. Epiſt. 68. vbi quærit an exemplo Platonis, ſtudio & induſtria vſque in ſenectutem proroganda vita ſit. Prope eſt, inquit, à timente, qui fatum ſegnis expectat: ſicut ille vltrà modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, & fœcem quoque exſorbet; non erit autem fex, ſi modo mens ſine injuria eſt, & integri ſenſus animam juvant. Plurimum enim refert, vitam aliquis extendat, an mortem.

At ſi inutile miniſterijs eſt corpus; quid ni oporteat educere animum laborantem? & fortaſſè paulò antequam debet faciendum eſt, ne cum fieri debeat, facere non poſſit; & cum majus periculum ſit malè vivendi, quam citò moriendi; ſtultus eſt qui non exigui temporis mercede, magnæ rei aleam redimit. At non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſervabit; totum autem ab illa parte meliore: quod ſi cœperit percutere mentem, ſi partes ejus convellere; ſi mihi non vitam reliquerit, ſed animam, proſiliam ex ædificio putrido & ruente: Si perpetuus dolor futurus eſt, exibo non propter ipſum, ſed quia impedimento mihi futurus eſt, ad omne propter quod vivitur. Senec. Epiſt. 58.

Google

In ſenectute, plurimum lectioni, minimum exer- A
citationi corporis datur; & hoc nomine ago gratias ſenectuti, non magno mihi conſtat, cum me movi laſſus ſum; hic autem exercitationis etiam fortiſſimæ finis eſt. Idem Epiſt. 83.

Sophocles ſenex interrogatus, quomodo ſe in venereis haberet, fœliciter inquit, nunc à multis & inſanientibus Dominis libetamur. Plato. 1. de Republ.

Serotinus viator, matutino ferventior eſt atque animo ſaltem promptior eſſe ſolet, quandoquidem hæc vulgaris eſt quærela creſcere iter, diemque decreſcere: quod nobis in hoc vitæ tramitè accidit, ad veſperam propinquantibus, & viæ multum ſupereſſe cernentibus: ars enim longa, vita brevis, experimentum periculoſum, occaſio præceps, judicium difficile. Hy- B
poc. Aphor. 1.

Optimè Plato, non floret virtus animi niſi virtus corporis defloreſcat, leni, incruentâ, neceſſariâ mortificatione.

Si Deus pro præmio pollicetur longævam vitam, vt honorantibus parentes, ſenectus magnum bonum eſt, cum à liberaliſſimo Deo inſigni pietati detur pro præmio.

Sola mens ſeneſcentis juveneſcit, & cum tempus cætera conſumit, ſeni addit ſcientiam. Plutarch. de inſtit. liberor.

Fortem facit vicina libertas ſenem Senec. tragic. in Hypolit. act. 1.

Quod perſonale eſt, cum perſona extinguitur. Reale autem tranſit ad alias perſonas. l. qui tale ff. ſolut. matr. C

Quare plantæ diutiùs vivant, quam animalia. *Vide Principium Duratio.* & de cæteris quæ diutiùs durant.

Plato 8. de Republic. probat res omnes interitui eſſe obnoxias, ſed magis vniverſales, magis durare: vt Reſpublicæ, familiæ: quidam exiſtimarunt Dæmones non eſſe omnino ſpirituales, ideo poſt plura ſæcula mori; his mortuis ceſſaſſe oracula, dicit Plutarchus.

Vniverſitates cenſentur immortales l. 56. ff. de vſufruct.

Nuces quo ſunt vetuſtiores, eo plus olei reddunt.

De æternitate Dei. *Vide Duratio Poreſt* in Miſcellaneis ſub finem. D

Circa annum Chriſti 76. plures inventi ſunt in ditione Romana longiſſimæ ætatis, vt qui centum & quadraginta annos excederent, Plin. lib. 7. c. 49. vide Baron. an. 76. num. 7.

Diſcipulus amatus cæteris ſuperſtes fuit, & plures ex ſanctis patribus fuere longævi.

Principium corruptionis eſt humidum aqueum; vnde ab illo expurgata ſunt diuturniora, vt metalla, lapides, oſſa; & ignem paſſa, vt vitra, lateres; etiam oleoſa, ab humore aqueo expurgata, vt gummi, cera, mel. Herbæ frigidæ vt magis habentes aquei, quotannis moriuntur; vt lactuca, portulaca: at calidæ ætatem & annos ferunt, vt Hiſopus, thymum, meliſſa.

De hominibus qui fuerunt diuturnioris vitæ lon- E
gam texit hiſtoriam Baconius in hiſtoria vitæ & mortis, quem vide & Plin. l. 7. c. 48. & 49.

In Septentrionali plagâ hercyniæ ſylvæ roborum vaſtitas intacta ævis, & congenita mundo, propè immortali ſorte miracula excedit. Idem l. 16. c. 2.

Inter arbores, infœcundæ firmiores ſunt fertilibus; cariem vetuſtatemque non ſentiunt, cupreſſus, cedrus, ebenus, lotos, buxus, taxus, juniperus, oleaſter & olea. Ibidem c. 40. quæ odore præcellunt, eâ æternitate præſtant. Ibidem.

Quædam in aquis, quædam in terra vitijs oportuniora. Ibidem.

Minora minantur mala, ecclypſes ſolis cum ſunt veſpertinæ, & Lunæ defectus cum ſunt matutini. Ptolomæus. prædict. Aſtrolog. l. 2. cap. 7. ſcilicet cùm luminaria deficiunt in fine ſui temporis. ∴ Sic cum rectores ſenes moriuntur.

In condendis vrbibus, ſtellis fixis quæ conferre habeant vtere; in ædificandis vero domibus, erraticis. Idem in centiloquio. num. 36.

EX THEOLOGIA.

DEus eſt æternus, & immutabilis. Vnio hypoſtatica nuſquam diſſolvenda: quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.

Angeli ſunt immutabiles, & incorruptibiles. D. Th. 1. q. 92. & q. 10. a. 5. 12.

Anima rationalis eſt immortalis & incorruptibilis. 2. 2. q. 164. a. 1. ad 2. & 3. q. 2. a. 8. & 1. q. 61. a. 2. ad 3. q. 75. 6.

Nullus obliviſcitur cognitorum naturaliter 1. q. 84. a. 3.

Æternitas eſt interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio. 1. q. 10. 1. eſt tota ſimul, quia eſt menſura eſſe permanentis; non autem tempus, quia eſt menſura motus. 1. q. 10. a. 4.

Omnis ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis. q. 35. a. 6.

Incorruptibile triplex, ſcilicet naturale ex parte materiæ, id eſt carens materia, vel habens materiam ad vnam tantum formam; vel gloriæ ex forma; vel innocentiæ ex agente. 1. q. 97. a. 1.

EX BIBLIIS.

ENoch & Elias non ſunt mortui, ſed tranſlati.

Abraham moritur in ſenectute bona Gen. 25.

Honora patrem & matrem, vt ſis longævus ſuper terram. Exod. 20.

Et permanebit cum ſole, & ante Lunam in generationem & generationem. Pſal. 41.

Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Ioan. 1.

EX PATRIBVS.

BEatus ſenex qui bene vixit; adeptus eſt enim, quod juvenis ſperat; gauderque portu, cum alius jactetur fluctibus. Debet enim ſenectus eſſe portus, non vitæ ſuperioris naufragium. D. Ambroſ. l. 2. de Iacob & vitâ beatâ c. 8. & 10.

Quo magis homo feſtinat ad finem, eo eſt venerabilior, vt Deum ſolum habeat ſe ſeniorem, nam ille quoque eſt æternus ſenex, qui eſt, ijs quæ ſunt antiquior. Antiquum dierum illum vocat Propheta; Daniel. 7. Senum corona, Eccleſ. 25. Vultus canities, flos eſt multæ experientiæ, Clemens Alexan. lib. 3. pædag. c. 3. vbi reprehendit eos qui canitiem colore adulterant. Pædagogi inſtar canities, viſus fulgore juvenilem reprimit cupiditatem. Ibidem cap. 11.

Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia decreſcunt cætera. D. Hieron. ad Nepotian.

Quid naturam accuſas ô homo! ſenectus ipſa in bonis moribus dulcior, in conſilijs vtilior; ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, & ad reprimendas libidines. D. Ambroſ. Examer. lib. 1. c. 8.

Quis neget, vbi maturior ætas acceſſerit, tanquam pubeſcentis laſciviæ tempeſtate diſcuſſa, tranquillitatem refundi, & in quoſdam portus quietos laſſæ

Digitized by Google

animæ navigium ſubducere. D. Ambroſ. lib. 1. de Abel & Caïn. cap. 3.

MORÆ.

Vide Bonit. Duration.

CVm cæteris dentur 100. dies, ad petendam bonorum poſſeſſionem, largius tempus parentibus liberiſque conceditur, ſcilicet annus in honorem ſanguinis, quia arctandi non erant, qui propè ad propria bona veniunt. l. vnic. §. 12. ff. de ſucceſſ. edict.

Eccleſia centenariâ gaudet præſcriptione in contractibus, cauſis, rebus, & actionibus omnibus. Novella 9.

VITA LONGA OPTIMA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si duratio exiſtentiæ ſit bonum; magna duratio, erit magnum bonum, vt pote à malo privationis multùm diſtans. Continuatum eſt divinæ bonitatis beneficium; quis illud non probet? ſervatur longæuus, ad naturæ noſtræ ornatum, ad patriæ, ad ſui, multorumque commodum.

MAGNITVDO. Immenſæ ſunt cauſarum ſuperiorum, Dei, Angelorum, cœlorum largitiones optimum eſt diù exiſtere ad illas recipiendas, & non quaſi illarum indignum expelli. Senes ſunt in mundo, vt in illuſtribus familiis antiqui, & diu probatæ fidelitatis ſervi. Intelligit ſui cauſâ paratum hoc ſplendidum orbis ſpectaculum, & convivium, dum ſic ad longam ejus fruitionem ſervatur, & vni ſæculo omnium aliorum varietates compendiosè exponuntur. Hoc eſt verè vixiſſe vſque ad ſatietatem, itavt nihil ſit reſidui, quod deſideretur.

DVRATIO. Longa vita proximior eſt æternitati ſuprà tempus videtur eſſe qui tandiu de tempore triumphum egit, ſuperſtes in tantâ mortalium omnis ætatis ſtrage: diſcedit à vita plenus dierum, parcitque verecundæ naturæ, quæ non habet ampliùs, quod novi offerat.

POTESTAS. Dulce eſt diù frui ſeipſo, & paratis animi, corporis, fortunæ donis, ex perfecto ſtabilitoque habitu agere: extrà ſortem humanam poſitus quodammodo eſt, qui videt tot Regum, Pontificum, Magiſtratuum, aulæ & mundi totius varietates: tot illi ſunt partæ victoriæ, quot vidit hoſtium, malorumque hominum interitus, armataſque ad eorum internecionem naturæ & fortunæ vires. Vita naturalium omnium bonorum præſtantiſſima, quia omnium caput, omnium fundamentum, omneſque ad illam ordinantur.

COGNITIO. Si infirmæ ſunt illi corporis vires, viget animus conſilio, immotuſque dat cuncta moveri. Vſu longioris vitæ omnium rerum habentur experimenta, hiſtorias naturæ & gentium falſi arguentia; ſciuntur enim rerum circonſtantiæ, & iteratis vicibus examinata veritas, licet latens, & fuco obducta, eluceſcit. Attigit humanæ ſapientiæ culmen, qui nihil ampliùs novi videt in mundo, qui nihil miratur, & ex præteritis futura conijcit. Sedet judex rerum humanarum, videtque elatam, mox ruituram, vanitatem.

VOLVNTAS. Longævam exiſtentiam bonum eſſe ex eo licet conijcere, quòd illam omnia appetunt, etiam inanimata, ſed ardentiùs ſenſibilia, & rationabilia: ſic enim licet diu frui ſeipſo, quod eſt primum amoris innati objectum; deinde habetur vſus cæterarum rerum, ſympathia, pulchritudine, vtilitate gratiſſimarum: ſumma hæc libertas, attigiſſe quod maximè deſideratur. Cùm è contrà nulla major vis quam quæ nos è vitâ rapit: & quæ nobis noſtri, rerumque dedit cognitionem & amorem, quaſi ad ſupplicium negatâ fruitione.

VIRTVS. Licet in longiori de præteritis malè actis pœnitere, & virtutum habitus acquirere: quam enim grave eſt dari annos, in quibus corpus debitam conſequatur quantitatem; negari autem, quibus animus perfectionem ſuam attingat: hoc autem vix contingit niſi in ſenectute, ſedatis, cum temperamento, paſſionibus.

VERITAS. Veras vitæ conditiones expertus eſt, qui ſenſit ejus progreſſum, conſiſtentiam, & defectum: qui non ex improviſo rapitur è vitâ, ſed ſenſim, & generosè recedens, cogitat æterna ad quæ accedit, virtutibus & religione fultus.

GLORIA. Longa vita vera eſt ætas conſiſtentiæ extrà paſſionum & negotiorum tumultus: vnde apud omnes populos ſenectus honori habita: quia reſpectu præteriti temporis eſt proximior origini per antiquitatem, & fini, per vicinum, vt putatur, ad eum acceſſum. Si non ſit tranſitus ab extremo in extremum, & aëris regio igni vicina, ignea eſt; ſancta ſenectus initiata quædam eſt beatitudo.

DIFFERENTIA. Senex, rerum omnium diverſitate ſatiatus, protendit vitam, vltra earum deſideria, totumque emenſus bonorum temporalium orbem, animo ſurſum erigitur, fitque civis Sanctorum, & domeſticus Dei. Hancà mundanis rebus ſortem, ſanctamque defectionem deſignat natura, per corporis defectus: pereunt enim inſtrumenta, animo his in rebus vlteriùs agere nolenti.

CONCORDANTIA. Magnus animus publica, ſeu quæ ad publicam humanam ſocietatem ſpectant, curat, hæc autem ad perfectum, non niſi longo tempore adduci poſſunt; nec magna rerum moles brevi ſpatio ad optatum terminum adducitur; longâ annorum ſerie producuntur objecta omnia, cum quibus ſecretâ Sympathia vir bonus colligatus erat, certo providentiæ divinæ ordine.

CONTRARIETAS. Senex, poſſidens bonum ab omnibus expetitum, extra invidiam tamen eſt: mortem cæteris timendam, inſenſibilis quædam defectio, reddit optabilem. Gaudet privilegio frui vita, quantum ex naturæ legibus frui licet, nulliſque non conſumptis viribus: vndè ad æterna properans, corpus, quaſi inutile deinceps inſtrumentum proijcit.

PRINCIPIVM. Infirmitas hæc, primæ ætatis infirmitati conſentanea, oſtendit circulum claudi proximum; monetque de reditu animæ ad ſuam originem. Cauſæ vniverſales incorruptibiles ſunt: accedit ad hoc privilegium ſenex; ſic ab omnibus, vt pater communis honoratur; ex rerum particularium experimentis idæas vniverſales colligit; ſupra tempus quodammodo poſitus, Deo proximior, bonum tantum vniverſale curat.

MEDIVM. In vitæ longioris ſpatio ſenſim oblatæ ſunt occaſiones, in quibus omnem quam habebat in augendo vim explicuit; media omnia expertus eſt, & diverſis ab eo expectantibus, motum dedit, ſuo conſilio, ſuaque opera. Tot emenſus negotiorum itineta, vias rectas, & compendioſas doces, de infeſtis & de Syrtibus in tali navigatione monet.

FINIS. Hic vltimus deſideriorum humanorum finis: A ciſm ex naturæ legibus non licuerit immortalem vitam habere, proximum huic fuit longiorem poſſidere. Optimum eſt, vſque ad vltimum hunc nobis præſcriptum limitem produci, & eſſe ex eorum numero, in quibus natura implet quod intendit: dulce eſt procedentibus annis videre intenti in negotiis finis conſequutionem.

MAIORITAS. Senex ſummum attigit, nulli excedunt, pauci æquant, multi deficiunt, in hac vitæ, vt boni poſſeſſione.

ÆQVALITAS. Plus cæteris accipiendo monetur primo rerum authori par, quantum fieri poteſt, reddere, per ſanctitatis & juſtitiæ juge ſacrificium. In eo cœli vim ſibi parem & incorruptam poſuiſſent, ſi id materia, & humanæ ſpeciei conditio, pati potuiſſet.

MINORITAS. Deficit non ſingulari vitio, ſed communi naturæ lege, itavt ratione ſui videatur ab omni defectu exemptus: hic terminus, non tam eſt defectus, quam completio cuiuſdam operis, & pulchritudo, quæ ſuis etiam extremis lineis continetur.

POTESTAS DVRATIONIS.

CONTINVATIO ET CONSVETVDO VIM HABET MAXIMAM.

MISCELLANEA.

MOBILIA & variabilia per immobilia moventur, & regulantur: ſic omnis motus fit ſuper immobile, vnde præcipuæ Regni dignitates, ſunt perpetuæ. *Vide Duratio Poteſt.*

Magnæ mutationes fiunt in inferioribus, à ſuperioribus planetis; quia motu diuturniore, & lento, magis imprimuntur eorum qualitates.

Pars quæ diutius ex alterius conſenſu laboravit, quandoque proprium inde contrahit affectum, fitque ex ſympathia idiopathia. Fernel. de morb. cauſ. l. 1. c. 4.

Diutinâ cœli & ſolis influentiâ, ſpiritus mineralis; fit aurum, & vile elementum aſſimilatur luci ſolis, ſuo ſplendore.

Animal ſub contrariis, vnde componitur, ſemper B laborat, ſenſuum autem moleſtiam tollit conſuetudo.

Animalia agreſtia tempore domeſticantur.

Medicamenta amittunt vim ſuam ſi ſint ſolita, ſic Mithridates veneno enutritus, & puella Alexandro oblata.

Conſuetum ſimile eſt naturæ, quod enim ſæpe fit prope accedit ad ſemper. Ariſt.

Libidine conſuetâ quidam ſani permanent, ceſſante laborant; facies non riget, & cæteræ corporis partes, propter conſuetudinem nuditatis.

Habitus perfectus, non conſiſtit ex ſolis theorematibus, ſed etiam ex naturâ & conſuetudine.

Lycurgus prohibebat cives ſuos eoſdem hoſtes ſæ- C pè bello laceſſere, ne fierent bellicoſi.

Quæ animal generant, diutiùs morantur in coitu. Ariſt. Plus impendit temporis natura in perfectorum generatione. Magni viri poſt plura ſæcula.

Concoctum in quolibet genere dulcius eſt.

Conſtans eſt id quod non citò fit, nec facilè diſſolvitur.

Multæ inſulæ fabricatæ ſunt à fluviis, arenarum advectione, ita Hollandia & Zelandia à Rheno & Mosâ fluviis.

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Auſter, non incipiens, ſed deſinens imbres facit, vel quia aerem cogit è longinquo, quo coacto aqua exprimitur; vel quia incipiente, calidior eſt adhuc aër: at refrigeratus, in aquam facilius convertitur.

Oſſa infantis, dum madent materno humore, ſunt ſanguinea, & cartilaginoſa, per ætatem dureſcunt, calore reſiccata.

Paſſio non fit ab aſſuetis; ſic Pythagoras dicebat nos non audire cælorum harmoniam, quia illi ſumus aſſueti. Surdi ſunt, qui iuxta cataractas Nili habitant.

Iudices in Curia Pariſienſi ſedent tantum per 3. menſes continuos in iudiciis criminalibus; *à la Tournelle*; deinde viciſſim alij illis ſuccedunt, ne aſſueſcant ſanguini, & condemnationi.

Populi longâ pace ex bellicoſis fiunt molles; vt contrà bellis aſſueti, ex mollibus fiunt bellicoſi. Vide exempla apud Bodinum. lib. 5. Republ. cap. 1.

Nives diutiùs conſervatæ in altiſſimis montibus mutantur in criſtallum.

Muſa eſt ſpecies palmæ quæ in Ægypto naſcitur; primùm guſtantibus fructus inſipidus apparet, at aſſueti, occultatâ quadam ſuavitate ſaporis, in dies magis delectantur, ſic de fumoſâ potatione, dicta *Petun.*

In victus ratione condonandum aliquid conſuetudini, ſi quidem quæ longo tempore conſueta ſunt, etiam ſi deteriora ſint, minùs iis quæ inſueta ſunt moleſtare conſueverunt. Hipocrat. Aphoriſ. 50. lib. 2.

Amauroſis, ſeu obſcuratio oculorum nullis apparentibus ſignis, ſi paulatim conflata eſt, vix vllam curationem admittit. Galen.

Cùm melancholicus humor, non niſi difficillimè evellatur, validiſſimis vtendum medicamentis repetitis, & ſæpius mutatis, ne vni aſſueſcat natura. Idem.

Humor detentus in renibus, calore tandem duretcit in lapidem.

Viſcum eſt ex eorum genere, quæ non protinus poſt primam oppoſitionem excalefacinnt, ſed quæ tempus requirunt, velut thapſia. Mathiol.

Homo ſolus ambidexter eſt, & poteſt fieri talis per conſuetudinem.

Remora piſciculus, ſaxis adhæreſcens, & à remorandis navibus ſic dictus, fertur ad amatoria veneficia multum prodeſſe. Ariſt. Hiſt. Animal. lib. 2. c. 14.

Aſſuetudo tollit fatigationem.

Aves non imitantur vocem paternam, & ſibi na-

Digitized by Google

turalem, ſi aliter fuerint educatæ.

Amygdala & mala granata ſuam malitiam per culturam amittunt. Ariſt. lib. 1. de plantis ſub finem.

Non fit ſanus qui cum ſano habitat, ſed virtuoſus qui cum virtutoprædito; quia poſſumus imitari bona animi, non corporis. Idem problemat. ſect. 29. quæſt. 10.

Apud Thebanos, non habebantur ab omni avaritia purgati, nec admittebantur ad publica conſilia, niſi qui per decem annos ab omni avaritiâ abſtinuiſſent.

Capita aperiri, Magiſtratus non venerationis cauſa juſſerunt, ſed valetudinis, vt firmiora ea conſuetudine fierent. Plinius. nat. hiſt. lib. 38. c. 6.

Tempus per ſe non efficit, non perficit, non corrumpit, ſed per adjunctas qualitatum cauſas, & per iteratos agentium actus.

Quæ abijciuntur ſoli, ſi immota maneant magis calent, quia fit radiorum ſolis reflexio, atque reciprocatio per eundem aërem.

Audaciùs purgantur ij, qui purgationibus ſunt aſſueti.

Calx, quæ vim vrendi habet, ſi crebrò abluatur, omnem ſalem, atque hinc procedentem acrimoniam in aquam deponit, ſic mordacitatis expers redditur, vt etiam nervis punctis tutò adhiberi poſſit.

Sola conſuetudo poteſt naturam emendare.

Cogitationes & ſermones liberi hominis ſequuntur ejus inclinationem, ſed actiones ſequuntur conſuetudinem, vnde in re aliqua peragenda, non tam naturalis inclinatio quàm conſuetudo ſpectari debet.

Machinæ & projecta ex impreſſo ſemel magna vi mota, diu moventur.

Quæ ſunt vetera cognationem quandam contraxerunt ad invicem, quæ non eſt inter res novas. Sic extraneis potius damus admirationem, quam amorem & auxilium.

Venenoſa ſæpè medicamentis miſcentur, ſed ſi diù iterentur, mortem afferunt. Dioſcorid. in præfat. lib. 6.

Diuturnitas cometæ indicat magnitudinẽ effectus.

Principes difficiliùs reſiſtunt paſſionibus, quia ſoliti ſunt illas ad nutum implere.

Imperium vſurpatum, longo vſu fit legitimum.

Diuturna coctione denſatur aqua, modo non exhalet; è diverſo terra clareſcit, vt dum fit vitrum ex cineribus.

Virtutes dicuntur morales, quia moribus & vſu acquiruntur.

Conſuetum quod eſt, bonum eſt; contrarium quod eſt, lædit naturam, quia conſuetudo eſt adventitia natura. Galen.

Fulmen parcit rarioribus, quæ momento penetrat, at denſa confringit, quia reſiſtentia facit, vt diutius in illis maneat, & agat; manus poteſt celeriter ſine læſione per flammam tranſmitti.

Inſidentiæ radioſæ, per angulatia foramina tranſeuntes, in objectis, corporibus rotundantur; eóque magis, quò plus ſunt remotiores.

Vt alteretur corpus, mora eſt neceſſaria, nam motus non fit in inſtanti, vnde qui brevi manet in aëre calidiore aut frigidiore non afficitur.

Cohobatio eſt repetita diſtillatio, quâ liquor qui diſtillavit, relictæ in vaſe materiæ affunditur, & iterum diſtillatur; ſic enim quod prima diſtillatione non fuerat ab eo ſeparatum, elicitur.

Adamas non niſi à blando & diuturno eſt ſolubilis calore.

Ignis vehemens, intrà fornacem reflexus, poteſt omnem ſolvere duritiem, tempore diuturno; prius tamen ipſam calcinando, ſi partes inæquales habet; penitus fundendo, ſi æquales.

Licet calor naturalis ex ſe ſit temperatus, tamen ſi diutius remaneat in materia ſpiſſiori, facit idem quòd calor vehemens, oſſa indurando, vnde Hipocrates dicit oſſa fieri aduſtione.

Deus ſpeciali providentia voluit vitam primorum hominum eſſe longiorem, ad propagationem generis humani, & ſcientiarum.

Diæta, ideſt victus ratio, dicitur is curationis ductus, qui per conſuetam materiam efficitur. Galen.

Figura doloris expers, ea ſola eſt, in quâ quis requieſcere eſt ſolitus. Idem.

Melancholia primaria, quæ totius corporis vitio fit, curatu difficilior, quam hypocondriaca, quæ tamen in primariam degenerat, at ſi altiùs radices agat, furorem accerſit, aliquando etiam febrem hecticam.

Incubus epilepſiæ, & apoplexiæ affinis eſt, in quas ſi diutiùs perſiſtit, degenerat. Fernel.

Cum bilis icteri procreatrix cumulatur in jecore, ejus ſubſtantiam amplificat, & in tumorem attollit tactu conſpicuum, deinde tempore craſſeſcens, atque obdureſcens, non modo obſtructionem, verum etiam jecoris ſcirrhum prædurum ingenerat, cui ſæpe ſuccedit Hydropiſis. Fernel.

In omnibus vlceribus annuis aut diuturnioribus, os cariem, & corruptelam contrahit, ab aſſiduo malignorum humorum influxu; cumque os in locum deperditi regigni non poſſit, vlcus ad cicatricem perductum, cavum neceſſario reliquitur.

Occupatâ bello aliqua civitate, ſtatim milites debent in loco eius fortiori conſtituere immotam guardiam, ad quam ſe poſſint recipere diſcurrentes orta neceſſitate: ſic in regione quam armis infeſtamus, debet eſſe locus aliquis munitiſſimus. Vide ad hæc multa. *Media Different.*

Aſſueti conſuetos labores ferre, etiamſi ſint debiles aut ſenes, non aſſuetis juvenibus & fortibus faciliùs ferunt. Hypocrat. Aphoriſ. ſect. 2. Aph. 49.

Lycurgus, è duobus canibus, eodem partu editis, vnum in culina, alterum in venatione educari fecit, tùm populo exhibuit, ſuam ſolitam prædam proſequentes. Plutarchus in Licurgo.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem, teſta diu. Horat.

Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis, conſueta vitia ſerimus, niſi reprehendimus.

Conſuetudo peccandi multitudinem facit peccantium. Seneca.

Cui vires dedit, roburque longum, tempus atque error gravis: Collecta vitia, per tot ætates diù, in nos redundant. Seneca. Tragic.

Malum cum perſeverat augetur, & remediabile bonum eſt peccatorum accelerata correctio. Caſſiod. Epiſt. 14. lib. 3. Var.

Quæ nunc virgulta ſunt, erunt ſi negligantur & robora, & quæ modo facili avulſione diruuntur, poſteà vix ſecuribus icta ſuccumbent. Idem. Epiſt. 39. lib. 5. variarum.

Ex ſimilibus operationibus habitus fiunt, vnde operationes qualitate quadam præditas oportet reddere, quia ex earum differentijs habitus conſequuntur; vnde non parum refert, qualis quis fuerit ab adoleſcentia. Ariſt. Moral. Nichom. lib. 2. cap. 4. in f.

Qui injuſti, & intemperantes evadunt, ipſi in causâ ſunt dum diſſolutè ac remiſsè vivunt; ex operationibus enim circa ſingula habitus exiſtunt: vt qui liberè lapidem emittit, emiſſum non poteſt retinere; ſic intemperanti à principio licet non eſſe talem, non autem poſteà. Idem. lib. 3. cap. 5.

Habitum principij tantum facultas in nobis est, quoniam tamen in nostra erat potestate, ità, vel non ità vti, etiam habitus ipsi spontanei sunt. Ibidem.

Facilius est ad virtutem instruere novos milites, quam revocare perterritos. Vegetius lib. 3. cap. 10.

Sicut in sanguine & semine, præter intentum naturæ, à principio nostræ generationis, adventitia caliditas introducitur, quæ valdè adaucta, in febrilem calorem convertitur, sic à Principio institutionis Rerum publicarum, pravæ quædam consuetudines introducuntur, quæ incrementum capientes, in violentiam civilem convertuntur.

Consuetudo peccati, quasi tributum quod vrgente gravi aliquâ necessitate populo imponitur, sed eâ etiam cessante non relaxatur.

Debilitatem nobis indixere delitiæ, & quod diu noluimus, posse desinimus. Seneca Epist. 55.

Non debemus occupationibus indulgere, excludendæ sunt, si semel intraverint, in locum suum alias substituent: principiis illarum obstemus; melius non incipient, quam desinent. Idem Epist. 72.

Pythagoras, qui fuerat Athleta, vt assuesceret clementiæ, captis piscibus & avibus emptis libertatem dabat, discipulis mansuetorum animalium cædem prohibebat.

Magnanimi motus tardus est, vox prægravis, locutio stabilis. Arist.

Ærarium Romanum olim erat in templo Saturni, Dei temporis & morosi.

In regionibus Septentrionalibus, vt in Norvegia, fiunt metalla virtute solis, qui diutiùs durat super eorum horizontem, scilicet per sex menses continuos; Continua enim activitas, licet in remissiori gradu, plus operatur, quam violentior, sed interrupta; sic quidam chimici asserunt fieri aurum, non vi ardentis ignis, sed lampadis continuæ.

Iulius eques Romanus, aquâ subtus cutem fusâ laborans, prohibitus à medicis bibere, naturam fecit consuetudine, atque in senectâ caruit potu. Plin. lib. 7. cap. 18.

Nulla vegetabilia inveniuntur ad tactum humanũ calida, nisi post aliquam moram in palato, aut in exterioribus partibus, in vnguentis & emplastris.

Gilbertus dicit quòd clavus ferreus, qui diù durauit in situ versus Septentrionem, absque tactu magnetis ad hanc partem vertitur, vi tali contractâ per moram.

Infusiones rosarum, violarum, non sunt perfectæ, & odor non se colligit ad vires suas plenas, nisi post mensem ab infusione.

Opera ætatis sunt longè subtiliora quam ignis: neque enim potest fieri talis clarificatio vini per ignem, qualis fit per moram: neque etiam incinerationes per ignem tam sunt exquisitæ, quam resolutiones, & consumptiones per sæcula; sic de mixtionibus.

Motus corporum penitus concluforum habet aliquid ex violento, vnde impeditur motus spontaneus corporis: Itaque mora in vase aperto plus facit ad separationes; in vase penitus clauso ad commixtiones; in vase non nihil clauso, & subintranti aëre ad putrefactiones.

In juvenibus sunt ossa cartilaginosa discreta, sed ætate provectiore coëunt, & indurantur in vnum.

Radius si ad breve tempus agat, caligines congregat, si ad longum, disgregat.

Circà pôlos temperatur frigus, itavt fiant generationes, quia circa tropicos sol plus simul immoratur; & enim & regreditur, & propter diuturnitatem lucis.

Consuetudo legis est interpres, quasi sit suprà legem: lex non nisi approbata recipitur; consuetudo, ipsâ est approbata: lex quæ Imperio & metu omnia perficit, potentiæ Tyrannidis est comparanda; consuetudo autem regiæ humanitati, spontè enim idem omnes & absque necessitate censent: vndè in vno instanti lex potest abrogari; consuetudo difficillimè: leges in tabulis; consuetudines in animis nostris scriptæ sunt: nihil in consuetudine, sicut in legibus ambigui: citanda lex est; consuetudo semper est præsens: leges servorum constituunt Rempublicam; consuetudines liberorum: Illæ violatæ corporibus infligunt supplicia; violatæ autem consuetudinis mulcta solet esse pudor. Itaque illæ malorum, hæc autem bonorum lex est: nam si omnes essent boni, non esset opus scriptis legibus; leges tempore belli contemnuntur, consuetudines servantur.

Cuneus primo levem, deindè semper latiorem facit in ligno fissuram.

Lentus morbus sensim est tollendus, secùs de acri. Non nisi concoctus humor purgandus: Inedia sensim consumit malos humores. Fernel. de purgandi ratione.

Levia medicamenta tantùm præstant iteratione, quantùm validiora semel admota.

In Moscoviâ ne Hibernum frigus, quod est intensissimum, necet semina, illa mandant terræ, tantùm mensè Aprili, tamen nobiscum metunt mense Iulio, quia longitudo dierum compensat diuturnitatem temporis.

Vitia paulatim emendanda. *Vide Duratio Virtutis.* Multum ad id potest frequens admonitio. Vide ibidẽ frequens admonitio.

Vt fiat nutritio, debet alimentum parti, in quam assimilandum est, adhærescere, & retineri, per retentricem facultatem, ne effluat. Galenus lib. 3. de naturalib. facultatibus.

Potior tempore, potior est jure. *Vide Gloria Durationis.* item repugnantiam, & quantum possit celeritas. *Vide Minoritas Durationis.* in Miscellan. in fine.

Remora, cui dicitur inesse vis retentiva ad omnia, sale condirus, aurum quod in altissimum puteum deciderit, admotus extrahit. Plin. lib. 9. cap. 25. patientia congregat divitias.

Silices formicarum itinere attritos videmus, & in opere semitam factam; ne quis dubitet, qualibet in re, quid possit quantulacumque assiduitas. Idem lib. 11. cap. 30.

Hæc necessitas ebrietatis vitium comitatur, vt bibendi consuetudo augeat aviditatem. Idem. lib. 14. cap. 22.

In transferendis è seminario arboribus, oportet meridianam cœli partem signare in cortice, vt translata in iisdem assuetis statuantur oris, ne Aquiloniæ meridianis oppositæ solibus finderentur, & algerent meridianæ Aquilonibus. Plin. lib. 17. cap. 11.

Arbores desiderant maximè rigari, quæ assueverat contrà siccis locis genita non experunt humorem, nisi necessarium. Ibid. cap. 26.

Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentibus durant. Idem. lib. 18. cap. 5.

Multum possunt reditus, seu transitus planetarum ad loca, in quibus fuerunt tempore nativitatis.

Attendenda est ægri natura & consuetudo, quia negligentes medici, ægros miserè jugulant; vt vino assuetum, qui & os ventriculi frigidum habebat, necavit medicus, qui ortâ febre potum aquæ indixit, quam nunquàm potaverat. Galen. lib. de consuetud.

quidam quædam præ aliis appetunt, vt concoctu faciliora, vnde consuetudo ipsa signum est naturalis cujusdam proprietatis: vt id quod sumitur alteratur secundum qualitatem; sic ab illis, quæ assumit assi-

non minuit peccatum, ſed auget, ſcilicet in his quæ A ſunt contrà legem naturæ, vt in Sodomiâ.

EX THEOLOGIA.

VT per verba, multò magis per diù iteratos actus, poteſt lex humana conſtitui. D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3.

Adam non fuiſſet immortalitatem conſecutus, niſi frequenter ſumendo de ligno vitæ. 1. q. 97. a. 4.

Quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, reddendo hominem promptiorem ad iterum agendum, & habilitate creſcente donec conetur ad perfectum, & tunc actu augetur. 2. 2. q. 24. a. 6. de conſuetudine. *Vide Durat. Veritatis.* B

Diuturnitas auget amorem amici præſentis, abſentis autem diminuit. 2. 2. q. 49. a. 2. ad 2.

Sicut dolor minuitur ex diuturnitate, ſic timor ex præmeditatione. 1. 2. q. 42. a. 5.

Experientia in operabilibus non ſolum cauſat ſcientiam, ſed etiam habitum, qui facit operationem faciliorem, propter conſuetudinem. 1. 2. q. 20. a. 5.

Habitus ſcientiæ & virtutis diminuuntur & corrumpuntur per ſolam ceſſationem actus, non quidem per ſe, ſed per accidens. 1. 2. q. 53. a. 3.

Vna ex conditionibus, quæ dant efficaciam orationi, eſt quod ſit continua & perſeverans. 1. 2. q. 83. a. 15. C

Vltimus actus perfectior complet habitum, agens in virtute omnium præcedentium. 2. 2. q. 24. a. 10.

Eccleſia abſtinet à decimis exigendis in terris, in quibus non eſt conſuetum decimas ſolvere, & eas petens, vbi non eſt conſuetudo, peccat. 2. 2. q. 41. a. 8. ad 5. & q. 87. a. 1. ad 5.

Inſtrumentum animatum indiget habitu ad operandum, non autem inanimatum. 1. 2. q. 68. a. 3. ad 2.

Lex humana non debet facilè mutari, niſi propter magnam neceſſitatem, vel vtilitatem, quia conſuetudo juvat. 1. 2. q. 97. a. 2.

Baptiſmus olim conferebatur, per trinam immerſionem. D

EX BIBLIIS.

MOyſes bis percutit ſilicem, vt reddat aquas. Num. 20. Iterato regis nuntio obedit Balaam, veniens, vt maledicat populo. Num. 21. Iephte objicit Regi Amnon terram ſuam repetenti, quarè tanto tempore ſuper hoc nihil repetitione tentaſtis. Iudic. 11.

Samſon fortiſſimus, quia nunquam novacula aſcenderat ſuper caput ejus. Quod ſecretum petenti per multos dies Dalilæ aperit, & ab eâ hoſtibus traditur. Iudic. cap. 16.

Bis Elizæus percutit aquas Iordanis pallio Eliæ, antequam dividantur. 4. Reg. 2. E

Elizæus pluries incubat puero, antequam eum ſuſcitet. 4. Reg. 4. Naaman ſepties lavatur in Iordane, antequam mundetur à leprâ. cap. 5.

Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra conſumitur. Iob. 14.

De Romanis dicitur. 1. Macab. 8. Quod omnem locum obtinuerunt conſilio ſuo & patientiâ.

Elizæus dicit ad Ioas Regem Iſraël, qui juſſus percutere terram baculo, percuſſit tantùm ter; ſi percuſſiſſes ſepties, percuſſiſſes Samariam vſque ad conſummationem. 4. Reg. 13.

Et oratio mea ſinu meo convertetur. Pſal. 34. veſperè, & manè, & meridié narrabo, & annuntiabo, & exaudies vocem meam. Pſal. 54.

Spiritus ſanctus deſcendit, & manet ſuper Chriſtum, in Iordane. Marci. 1. Ieſus erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 5.

Homo perſeverans pulſare ad oſtium amici obtinet ab eo panes. Luc. 10. Qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Luc. 11. Mulier vidua moleſta judici, obtinet ab eo, quod non poterat aliter. Luc. 18.

Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cum diſceritis malum. Ierem. 13.

Manus Moyſis iteratò miſſa in ſinum, de leproſâ fit ſana. Exod. 4.

EX PATRIBVS.

MVlier Athenienſis facinoroſa, ſibi conſuetudine venenum fecit innoxium; ita cum damnata bibiſſet, nec interjiſſet, pro miraculo habitum fuit, S. Auguſt. lib. de morib. Manichæor. cap. 8.

Aſperam & inſuavem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo. D. Hieronym. ad Celantiam.

Tantam vim habet conſuetudo peccandi, vt excludat naturam, & tempore fiat immedicabilis. D. Ambroſ. in Pſal. 1.

In his rebus, in quibus nihil certi ſtatuit divina ſcriptura, mos populi Dei & inſtituta majorum, pro lege tenenda ſunt: & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores divinarum conſuetudinum coercendi ſunt D. Auguſt. Epiſt. ad Caſulanum habetur diſt. 11. Can. in his rebus.

Ligatus eram, non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me, quippe ex voluntate perversâ facta eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas D. Aug. lib. 8. confeſſion. cap. 5.

Conſuetudine peccatum augetur; vt patet in Petro, qui primò dixit, non novi hominem, de Chriſto; ſecundò cum juramento negavit; tertiò cœpit deteſtari & jurare, &c. Id fit quia primò peccata levia videntur, poſtmodùm nulla imò & laudanda. ex D. Auguſt.

Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum; &c. abiit cum receſſit à Deo; ſteterit cum delectatus eſt peccato; ſedit cum in ſuâ ſuperbiâ confirmatus eſt D. Auguſt. in Pſalm. 1.

Vulneri vetuſto & neglecto callus obducitur & eò inſanabile, quò inſenſibile fit; dolor enim acerbus & continuus, diuturnus eſſe non poteſt; quid non invertat conſuetudo, quid non aſſiduitate duretur; quæ prius tangere nolebam, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Iob. 6. D. Bernard. de conſid. cap. 2. vbi monet Eugenium, provideat ne ſenſim ab occupationibus in cor durum trahatur.

Ioan. 2. Dominus flagellum de funiculis fecit, vnde expulit de templo eos, qui malè vtebantur, & ſignificavit nobis quod criminculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Vnde Eſay. 5. væ his qui trahunt peccata, quaſi veſtem longam; quia addunt peccata peccatis, & cum deberet peccator, accuſatione peccati ſui corrigi, defenſione duplicat, quod confeſſione poſſet auferre; David adulter, fit homicida, &c. D. Auguſt. in Pſal. 139.

Mala conſuetudo peccati ligat voluntatem. *Vide Durat. Volunt. mala.* obſtinatio. & inducit ſervitutem peccati. *Vide Poteſtas Virtutis Rep.* ſervitus peccati. *Vide Poteſtas finis:* Vltima ſunt potentiora.

QVARE CONTINVATIO potens eſt.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Continuatio ex ſe, abſtractè ſumpta, habet rationem boni; eſt enim quædam extenſio exiſtentiæ, procùl à privatione: vnde habet etiam rationem potentiæ, & exiſtentiæ naſcentis.

MAGNITVDO. Quæ ſimul & ſemel non poteſt moveri, per partes inciſa facilè tollitur; ſic vis omnis cedit continuæ actioni, & ab illa alteratur. Nulla eſt quantitas, quæ continuè decreſcendo, tandem non deficiat.

DVRATIO. Putat patiens, quòd ſemper durabit hæc actio, cujus nullum videt in proceſſu defectum: itaque de ſuis propriis deſperans viribus, meliùs putat ſemel ſe illi dedere, quam ſemper oppugnari. Aſſueſcit tandem externæ actioni, ſic vim reſiſtentiæ remittit.

POTESTAS. Irrita vis ad reſiſtendum, cedit fortiori. Omnis actio aliquid obtinet ſuprà patiens, ſed id non apparet niſi continuatione, dum collectæ ſunt omnes illæ ſingulares defectiones; ſic gutta cavat lapidem ſæpe cadendo; ſic formicæ terunt ſibi in ſaxis viam continuo licet leviſſimo greſſu. Multæ debiles actiones per continuationem collectæ, ſe habent per modum vnius potentiſſimæ.

COGNITIO. Senſim vis activa irrepit in paſſum; excipitur enim primò, non quaſi vis hoſtilis, ſed quaſi novitas, ad tædium levandum grata.

VOLVNTAS. Amicitiam conciliat convictus; & quod primò timebatur, toties ſine magna, quia continua & inſenſibili, læſione expertum, appetitur, etiam metu ceſſante pejoris conditionis.

VIRTVS. omnis per iteratos actus habitum acquirit, viamque ſibi parat, vt deinceps in his ſine labore, imò cum voluptate, operetur.

VERITAS. Continuus & immutabilis agendi modus in legem tranſit, cui ſubjici videtur optimum; continuum enim æmulatur æternas veritatis & naturæ leges.

GLORIA. Natura toties victa non retentat inutile ſibi certamen, ſed ad victoris agentis partes tranſit, vt ſic vim & infamiam, dato conſenſu, eluat.

DIFFERENTIA. Natura multiplex eſt, & vt per flexus corporis, ſe diverſis motibus accommodat, ſic occurrentibus agentibus; provocat ad hoc materiæ indifferentia, quæ ſe etiam hujus mutationis principium exhibet.

CONCORDANTIA. Partes ſingulæ ſenſim agenti aſſimilantur, dum ſe illis africuit; omnia ſunt in omnibus, ſuntque ſympathicæ quædam, ſed latentes in patiente partes, quæ per actionem agentis exſuſcitatæ veniunt illi in occurſum, illumque, ſeu facto agmine, ſeu ſecretâ conjuratione, victorem efficiunt.

CONTRARIETAS. Non dolet natura de levi actione; non dolens, non inſurgit ad reſiſtentiam, collectis, auctiſque per antiperiſtaſim viribus, non reſiſtendo vincitur, aſſimilatur agenti, legemque ab eo accipit. In gravioribus negotiis tentatur populi animus, & licet primò obſtrepet, cedit tamen continuæ vexationi, juſque putat eſſe quod eſt continuum.

PRINCIPIVM. Eſt quædam renaſcentia, nam ſucceſſivè illi, continuique actus imitantur primas nativitatis diſpoſitiones; hunc que agendi modum natura, quaſi ſibi conformem, facilliùs ſuſcipit.

MEDIVM. Datâ hâc agendi regulâ, natura conformat ad tales actiones inſtrumenta, ſtatumque corporis immutat; ſic artifices videntur corpore, ad ſuæ artis motus, conformato; vnde ſimilem hunc actum, quo faciliùs funguntur, exoptant.

FINIS. Cùm non licet aliter agere, hoc ipſum tandem intendit natura, vult enim quoquo modo virtutis fieri compos; non enim continuam ferre poteſt violentiam, & cum ſit neceſſariò continua, fit hâc conformatione, vt non ſit violenta.

MAIORITAS. Natura quaſi ſecura de ſolito ſibi primo agendi modo, ad diverſa fertur, quaſi ſit nova quædam acceſſio, & novum augmentum, quo ditatur & potentior fiat; ſic enim habet aliquid amplius.

ÆQVALITAS. Ab vno principio, æterno, immutabili procedens natura, vult ſemper ſimiliter agere, & ſi id non poteſt aſſequi innato ſibi modo, id exequitur ſe dedendo conſuetudini; quæ illâ continuatione ſimilem ſibi ſemper agendi modum promittit.

MINORITAS. Continuatio non relinquit tempus, quo conſumptæ vires patientis in reſiſtentiâ reparentur, vnde illas facile ſubigit, & ſibi mancipat.

COGNITIO DVRATIONIS.

QVIBVS MODIS COGNOSCITVR DVRATIO.

MISCELLANEA.

PHYSICVS conſiderat corpus mobile, vt mobile; Metaphyſicus autem cauſas immobiles contemplatur. A

Homo ſolus ſentit tempus, cætera tantum motionem & paſſionem, quam tempore acceperunt.

Meditatio æternitatis, & antiquitatis.

Ægyptij Græcis exprobrabant, quòd ſemper eſſent pueri, quia ſcilicet præſentibus tantum inhærentes, antiqua ignorarent.

Ex motione conjicimus durationem: ſic corpus quod movetur motu circulari, qui caret termino, eſt

incorruptibile; & quod movetur motu recto, eſt corruptibile.

Amantes, tempus affectu metiuntur.

Auguſtus gratificabatur Piſoni, domum à fundamentis accuratè ædificanti, quòd ædificaret, quaſi Roma futura eſſet perennis.

Cauſa efficiens nobis præſtat conjecturam de rerum initio, cauſa finalis de rerum perſeverantia. Marſil. Ficin.

Cùm innumerabilia ſint mortis ſigna, ſalutis, ſecuritatiſque nulla ſunt. Plin.

Perſæ non ibant in expeditionem, niſi ſucceſſorem Rex declaraſſet.

Princeps maximè vitet actiones, largitiones, prohibitiones prejudiciales, vnde in poſterum poteſt non vtiliter fieri par judicium.

Equorum ætas ex dentibus, cervorum ex cornuorum multiplicatis acuminibus cognoſcitur. Senectutis in homine plura argumenta, in corporis maximéque vultus, morumque, vt & temperamenti immutatione. *Vide Majorit. Duration.*

Purpuris & alijs conchis, quæ buccinæ dicuntur, totidem ſunt in concha orbes, quot habent annos. Mathio.

Tempus metimur, per cœli motum, per aſtrolabia, & alia inſtrumenta Mathematica illum deprehendentia, per clepſydras & horologia. Ædiles autem & cenſores maximè curare debent, vt horologia ſint juſte directa, alioquin perturbantur actiones publicæ in Eccleſijs, in curia, in judicijs, in ſcholis, in foro; defraudantur mercenarij, falluntur viatores. &c.

Vtilis eſt Aſtronomia, quæ motuum cœleſtium, & ſic temporum ſcientiam tradit, quorum rationem teneri Deus voluit, ne retrò cogitantes, nulla rerum initia conſtituere poſſemus: hinc hiſtoria, quæ eſt vitæ lumen.

Tempus eſt numerus motus, ſecundum prius & poſterius.

Motus primi mobilis eſt menſura omnis motus, & durationis, item Sol & Luna.

Cùm de conſuetudine quæritur, videndum eſt, an etiam contradicto aliquo judicio aliquando conſuetudo fuerit firmata l. 34. ff. de legib.

Ætatis probatio valet ad multa, vt ad matrimonia contrahenda, ad petendas reſtitutiones in integrum, ad finiendas tutelas. l. 2. cum gloſſ. ff. de ferijs.

Ætas probatur, aut ex nativitatis ſcriptura, aut alijs demonſtrationibus legitimis. l. 2. ff. de excuſat. tutor.

Inſtrumentis domus Legatis venit horologium l. 12. §. 23. ff. de inſtructo, vel inſtrum. legat.

Pubertas in fœminis anno 12. in maribus 14. judicatur. ceſſante inhoneſta corporis inſpectione. l. final. Cod. quand. tutor. eſſe deſin.

Incerta eſt mortis hora; vnde interdum mortis cauſa donatio fit, ea lege, vt reddatur, ſi ille qui accipit prior deceſſerit. l. 13. ff. de mort. cauſ. donat.

Novitas vel æternitas mundi non poteſt probari demonſtrativè, D. Thom. 1. q. 46. a. 1. &. 2.

Futurum cognoſcitur dupliciter, ſcilicet in ſe, & in ſuis cauſis. Primum convenit tantum Deo, ſecundum nobis, ſed magis Angelis & Dæmonibus; ſed in cauſis neceſſarijs certitudinaliter; in contingentibus ſæpe opinativè tantum: quæ autem raro nullo modo. 1. q. 14. a. 13.

Anima vicina morti cognoſcit aliqua futura ex revelatione, vel ex impreſſione cauſarum naturalium, non autem propria virtute 1. q. 86. a. 4. ad 2.

Cognitio futurorum ex præſentibus & præteritis propriè rationis eſt. 2. 2. q 47. a. 1. Vnde bruta non cognoſcunt futura, ſed ex inſtinctu naturæ, eis indito ab intellectu divino, moventur ad aliquid in futurum, ac ſi futurum prævideret. 1. 2. q. 40. a. 3. ad 1. & 3. *Vide Majoritas Cognitionis.*

Sic Prophetæ futura prævideruntt, & Daniel quantum temporis vſque ad exeidium Ieruſalem.

Iudæorum feſta inſtituta erant, in memoriam rerum à Patribus geſtarum convenientibus cæremonijs, vt feſtum Tubarum, Tabernaculorum. &c. ſic nunc feſta Chriſti, & Sanctorum.

Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. Habac. 3.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui; & meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Pſal. 76.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. Pſal. 142.

Durationem rei poſſumus conijcere, ex bonitate, magnitudine, duratione. &c. quæ ſunt ejus principia *Vide Principium Duration.*

Chiromantia facit judicium de longitudine vitæ ex linea quæ dicitur vitæ, à pollice ad raſettam, ſi ſit longa, continua, profunda, nitida, non interrupta lineis tranſverſis.

Dyoniſius Tyrannus junior, vt notam dierum totius anni traderet, in pritanæo Tarentino fixit candelabrum, in quo tot ſuccendebantur lychni, quot anni dies erant.

Ordo vitæ confuſus agitur, ſi horarum diſcretio ſub veritate neſcitur: Belluarum quippe ritus eſt, ex ventris eſurie horas ſentire, & non habere certum, quod conſtat humanis vſibus attributum. Caſſiodor. Epiſt. 43. lib. 1. variar. vbi de horologiorum vtilitate. horum Thales dicitur eſſe primus inventor.

De horologij inventione quæ tardè ad Romanos pervenit. Vide Plinium lib. 7. cap. vlt. tandiu, inquit, populi Romani indiſcreta lux fuit.

Cervi indicia ætatis in cornibus gerunt; ſingulis annis ramum adjiciunt vſque ad ſexennes: ab eo tempore ætas deprehenditur ex dentibus: Plin. lib. 8. c. 32. ſic in equis.

Gallos, excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno, natura genuit; norunt ſydera, & diſtinguunt horas, & quaſi caſtrenſes vigilias, nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu; ipſum vero canrum plauſu laterum. Idem. lib. 10. cap. 21.

Romæ Ianus geminus à numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, vt 365. dierum notâ, per ſignificationem, anni, temporis & ævi, ſe Deum indicaret. Idem. l. 34. cap. 7.

VOLVNTAS DVRATIONIS

VELLE SVI CONSERVATIONEM.

MISCELLANEA.

DVRA habent potentiam, vt facilè non ſcindantur; fruſtrà enim quid generaretur, niſi in eſſe permaneret: vnde ad ſui conſervationem, arbores & plantæ quædam armatæ aculeis, aliæ fœtore, aliæ celſitudine ſe extrà captum erigunt, aliæ repunt vt lateant, teguntur folijs & cortice: animalia armis inſtructa valent mirabili induſtriâ, vigent in illis paſſiones amoris, odij, iræ, ad ſui conſervationem: ſpongijs, & herbæ ſenſitivæ ob id ſenſus ineſt; contrahuntur enim, quaſi metu avulſionis, cùm tanguntur.

Fortis vir ob mortem magis dolet, cum maximè dignus ſit vt vivat. Ariſt.

Reipublicæ finis & ſalus eſt, permanentia ejus, vnde potentiores in Republicâ, licet non digniores, ad dignitates evehuntur, quia magis eorum intereſt, vt conſervetur.

Retentrix facultas debilitatur humiditate, roboratur ſiccitate, quæ facilè ſuo termino continetur. Huic dominatur Saturnus longævus, & motu tardus.

Cor in medio pectoris, ſub coſtarum munitione, juxtà brachià quæ pro illo pugnent, conſtatque carne dura & ſolida vt melius contineat calorem. Sic cerebrum cranio duriſſimo contegitur.

Corrumpentibus omne quod corrumpitur reſiſtit, quantum poteſt, quia non deſiderat ſui deſtructionem: nihil corrumpitur ex ſe, vt nihil ex ſe generatur: tranſmutatio enim omnis eſt per vim moventis.

Nulla eſt lex quæ non ipſa ſe ſepiat difficultate abrogationis.

Adamas prætioſiſſimus & duriſſimus omnium lapidum.

Non appetimus eſſe præſens, quo fruimur, ſed ejus conſervationem, quæ eſt à ſummo bono, ſic ipſum appetimus.

Securitati ſuæ conſulat Princeps vel Reipublicæ, antequam aggrediatur vindictam ſeditionis.

Graviùs olim plectebatur miles, qui abijciebat clypeum, quàm qui arma.

Confœderationes ſeu liguæ, gallicè *ligues*, quæ fiunt deffenſionis causâ, quia ſunt neceſſariæ, magis durant; quàm quæ propter aggreſſionem: ideo firmior erit in fœdere & liguâ, is cui non expedit reconciliari hoſti communi.

Gutta aquæ ſe in orbem colligit, ne diviſis partibus fiat debilior, ſic pendet ex alto ne cadat in terram, à quâ conſumatur, & in plano tangit in puncto, & ad fugam levi motu parata eſt.

Nulla vis poteſt reducere vel minimam partem materiæ in nihilum.

De vi expulſivâ. *Vide Bonitas Contrarietatis. Differentia Contrarietatis, & Minoritatis.*

A Natura operum ſuorum quærit æterniratem.

Gravia difficulter à ſuo loco dimoventur; maximè à proprio vbi conſervantur; vnde immobilitas eſt in centro, & quod illi eſt magis vicinum minùs eſt mobile.

§ Facultatis naturalis actiones omnes, vel ad ſpeciei, vel ad individui conſervationem pertinent; individui nutritio & auctio, ſpeciei vero generatio.

Omnia fugiunt ea, à quibus conſumi poſſunt; ſic omnia animalia metuunt hominem, lepores canem, perdices falconem, pulli milvum. &c. aër ignem quantum poteſt, nam rarefit, & relinquit tantum in ſpatio, quod eſt neceſſarium ad impediendum vacuum.

B Pulſus non eſt in hominis arbitrio poſitus, vt nec alij motus vitales, qui etiam in ſomno non quieſcunt; Ita ad individui conſervationem natura providit, vt id liberum animanti non reliquerit.

Spongia ſenſum habere aliquem creditur, argumento, quòd multo difficiliùs abſtrahuntur, niſi clanculum agatur, vt referunt avulſores. Ariſtot. 1. Hiſt. Anim. 1.

Ignis, quia hic, ob naturam ſuam tenuem, & inter aliena poſitam, facilè diſſipatur, propinqua devorat: at in ſua ſphæra, nihil conſumit, quia non conſumitur.

Quia in nobis continuò triplex ſubſtantia, aërea, humida, calida deperditur, natura indidit nobis appetitum illa reparandi, per reſpirationem, nutrimentum & ſomnum, & cum omnes partes ſugant ſibi conveniens alimentum, ſolus ſtomachus habet ſenſum famis, ne nimius ſit & naturam deſtruens dolor. C

Conſervare ſuum vnuſquiſque vult: vnde antequam bellum grave ſuſcipiatur, habeat Rex conſilium & conſenſum Principum, vt generoſius in illo, quaſi ſuo, bona & vitam exponant.

Magis ſunt hoſtibus infenſi milite indigenæ, quia ſuum conſervant, quam mercenarij extranei.

Creſcit animus militibus, cùm agitur de neceſſariâ ſui conſervatione, obſtinatè pugnant, ſi ſciant nullam ab hoſte ſibi ſperandam miſericordiam; Cervi in extremis mortaliter feriunt: vnde hoſtibus pons aureus faciendus, quo fugiant. D

Ornamenta publica & privata deſtruuntur, pro civitatis obſeſſæ deffenſione.

Ob crudelitatem Principis in aliquos, ſibi quiſque timet ſimile: ſic fit ſeditio.

Mare in quotidiano ſuo fluxu magis creſcit, luna lumine creſcente; creſcit autem vſque ad 17. diem, nec conſiſtit in 14. luna plena, quia hic motus effluxus citò in contrarium non fertur; ſic in cadavere creſcunt vngues.

Licet durante treuga nihil fit innovandum, tamen poſſunt fieri ea quæ pertinent ad deffenſionem ſui; ſic

possunt fieri liguæ & confœderationes ad deffensionem tantum, non ad offensionem. A

Non esset propriè confœderatio, quæ esset offensiva non deffensiva, quia deesset amicitia, quæ est fundamentum confœderationis.

Plin. lib. 13. c. 25. scribit iuxta Trogloditarum insulam fruticem nasci, qui sentiat se capi, durarique cornus modò, & hebetare aciem ferri.

Incertum est & inæquale quidquid ars tradit, ex æquo venit, quod natura distribuit: hæc nihil magis quam tutelam sui & ejus peritiam tradidit, ideóque simul etiam incipiunt & discere & vivere. Senec. Epist. 121.

Producit fœtus suos natura, non abjicit, & quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Tacitis quoque & brutis quamvis in cætera torpeant, ad vivendum solertia est; videbis quæ alijs inutilia sunt, sibi ipsa non deesse. Seneca. Epist. 121. *Vide Voluntas Bonitatis.* de legitimo sui amore. B

Omnium rerum, nihil morte terribilius, nihil acerbius, cùm omnium rerum sit extremum, & vltrà jam nullo in bono aut malo videantur esse mortui. Arist. l. 3. Ethic. cap. 6. Omnes mortem vnum ex maximis malis existimant. Plato. in Phædone.

Vt animalia imminentem vitent mortem, quod habent charissimum, prædamque deponunt.

Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum, causa autem hæc est, quod inanes sumus omnium bonorum, quorum in fine vitæ desiderio laboramus. Senec. Epist. 22. lib. 3. C

Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi. Senec.

Romani horrebant nomen ipsum mortis; vnde dicebant, discessit è vivis, dulci semper vitæ nomine vtentes.

Etsi rara fortuitis manendi fides, vltimus tamen dies vitæ, mors quædam fortunæ est, etiam manentis.

Plato 1. de Republica, dicit brevi morituros formidare, ne quæ de inferorum suppliciis dicuntur, & vitiorum pœnis, vera sint.

Aristipus increpatus à nebulone quodam, quòd in tempestate expaluisset, cum tamen vt Philosophus diceret mortem non esse timendam; quoniam, inquit, non de pari animâ tibi, mihique cura ac metus est. D

Extrema omnia tentat homo, vt vita conservetur. *Vide Media Virtus.* è duobus malis, minus eligitur.

Quisque plus timet mortem corporis quam animæ. *Vide Minoritas Virtutis.* peccatum est mors animæ.

Senes sunt studiosi vitæ, maximè in vltimo tempore; propterea quod rei absentis est cupiditas: & cujus sunt indigentes, id maximè cupiunt. Arist. 2. Rhetor. 3.

Quomodo semen primum de alimento provideat. *Vide Medium Durationis.*

Semen in vtero primum tunicâ tegitur, deinde in futurum alimentum sibi providet, per adnatas venas & arterias. Vide Galenum. lib. 1. de semine. E

Prætium redemptionis animæ hominis propriæ divitiæ. Proverb. 13.

De fugâ in persecutione licitâ. *Vide Differentia Contrarietatis & Differentia Minoritatis.* Contra Tertullianum qui existimavit esse illicitam. *Vide Durat. Virtutis.* Vbi de fugâ in persecutione.

Multi tædio vitæ poto veneno, posteà omni ope, vt viverent, conati sunt. Plin. lib. 7. cap. 53.

Vim vi repellere ad sui conservationem. *Vide Æqualitas Contrarietatis.*

PROPAGATIONIS desiderium.

COnservatio, quæ non potest continuè haberi in individuo, habetur saltem in specie per generationem: propagatio fit in elementis per transmutationem; in metallis per appositionem, & additionem; in animalibus per generationem; quæ fœcundior est in plantis & animalibus, magis interitui expositis, vt in leporibus.

Agens omne naturale, de sui naturâ, formalitatem suæ activitatis inducit in passum, quia ad hoc agit, vt suam actualitatem multiplicet, & salvetur in specie, quod in individuo salvari non potest. Alex. de Alex.

Mens Angeli amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur.

Anima mundi ad eandem pulchritudinem in corporibus procreandam, amore suo fertur: vtriusque homo particeps: habemus enim intelligendi & generandi vim: hæ geminæ vires duæ in nobis sunt veneres, quas & gemini comitantur amores. Cùm primum humani corporis species oculis nostris offertur, mens nostra quæ prima in nobis Venus est, eam tanquam divini decoris imaginem veneratur & diligit, (*Vide Princip. Voluntatis, de pulchritudine.*) perque hanc ad illum sæpe incitatur. Vis autem generandi, secunda Venus, formam generare huic similem concupiscit; vtrobique igitur amor est: Ibi contemplandæ, hic generandæ pulchritudinis desiderium: Amor vterque honestus atque probandus; vterque enim divinam imaginem sequitur; improbandus tamen nimius amor generandi spretâ contemplatione. Marsil. Ficin. in convivium. Platon.

Cupiditas perfectionis propagandæ amor quidam est: absoluta perfectio in summâ est Dei potentiâ, eam divina intelligentia contemplatur, atque indè voluntas eandem cupit extra se propagare; Ex quo propagandi amore, creata ab eo sunt omnia. Idcircò. D. Dionysius; Divinus inquit amor non permisit, regem omnium sine germine in seipso manere. Idem propagationis instinctus, omnibus ab illo primo authore est inditus: per hunc sancti illi spiritus cœlos movent, & sequentibus omnibus sua munera largiuntur; per hunc sydera lumen suum in elementa diffundunt; per hunc ignis sui caloris communione aërem movet, aër aquam, aqua terram, ac versâ vice terra ad se trahit aquam; herbæ quoque & arbores cupidæ sunt similia sibi propagandi; Animalia quoque bruta & homines ejusdem cupiditatis illecebris ad procreandam sobolem rapiuntur. Ibidem.

In animantibus quotidiè mutantur cuncta, pili, sanguis, &c. & reparantur alimentis: in nobis mores etiam immutantur, scientiarum perit memoria, quæ meditatione reparatur. Sumuntur cibi vt generentur humores, quibus quod à corpore jugiter defluit, resumatur. Doctus scientiam suæ similimam scribendo, ornato, pulchroque stylo edere, & docendo in animo quodam pulchro generare, vt illa intelligentia & veritas in discipulorum animis, aut scriptis maneat æterna.

Omnia bona habere cupimus, nec habere solum, sed & semper habere, singula verò mortalium bona mutantur, atque deficiunt, ac citò cuncta vanescerent, nisi abeuntium loco nova quotidie fierent: sic bona cupimus per generationem recreare; hinc innatus est omnibus generationis instinctus; quæ cum

mortalia divinis commutatione similia reddat, munus est profecto divinum : divina, pulchra ; ideo generationis ille conatus formosa poscit, deformia vt contraria refugit ; Cupido ergo generationis in pulchro, ad servandam vitam mortalibus in rebus perpetuam. Ibid.

Nuptæ Romæ tangebant ignem & aquam, quia ex calore & humido fit generatio, & quia ignis maximè datâ materiâ sui est propagatrix. Plutarch. in Problemat. Roma. cap. 1. & 2.

Philo Iudæus. lib. quis sit rerum divinarum hæres, introducit Abraham sic à Deo prolem petentem. Supplex imploro vt semina scintillæque foveantur, è quibus virtutis lux salutaris accendi queat, quæ tanquam lampas per manus tradita mundo æquæva fiat.

Hinc mas, in quo est vis activa, quærit matrimonium, fœmina vero expectat procum, cùm autem vnio facta est, reciprocè it, redirque affectus, qui duplicatus in fœminâ, solet esse ardentior.

Lapis Philosophicus gignendi propagandique auri verum semen, non è sulphure, non ex argento vivo, non ex vllo cæterorum, quæ multi fraude proponunt, sed solo ex auro, eoque purissimo, quærendum est : nihil est enim, in vllâ naturæ parte, quod non in se generis sui semen contineat sed quod vix possit arte prolici, quia terrenæ materiæ nimis immixtum. Fernelius lib. 2. de abdit rer. caus. cap. 18.

Apud Ægyptios & Græcos lex fuit, vt reæ mulieris prægnantis supplicium differretur vsque ad partum. Plutarch de serâ numinis vindictâ, hanc legem vt suam Romani fecerunt. l. prægnantis. ff. de pœnis.

Impij Manichæi damnati, quod dicentes corpus esse à malo principio ; generationem quantùm possibile erat, impediebant, ne malum multiplicaretur. Baronius an. 277.

Non animalium tantum est ad coitum aviditas; sed multò major est terræ, & satorum omnium libido, quâ tempestate vti plurimum interest ad conceptus : peculiare vtique in insitis, cùm sit mutua cupiditas vtrinque coëundi : vt in verno æquinoctio. Plin. lib. 17. cap. 28.

Inhibenda in vitibus palmitum fœcunditas, ea est enim natura, vt parere malit, quàm vivere : quidquid, materiæ adimitur, fructui accedit. Illa semina mavult, quam fructum gigni, quoniam fructus caduca res est. Ibidem. cap. 22.

Plura de propagationis desiderio. *Vide Bonitas Principij.*

FAMÆ POST MORTEM Cupido.

STat sua quique dies, breve & irreparabile tempus Omnibus est vitæ, sed factis extendere famam, hoc virtutis opus. Virgil. 10. Æneid. Moritur te non pereunte Senectus.

Non satis putaverunt majores eas pœnas constituere, quas possit aliquis excipere in vita ; ad cogitationem post se futurorum, plerique graviùs moventur. Quintil. declam. 274.

Perennatur virtutibus vita post cineres, Sceptris & Thiarâ jacentibus, & ad humilem arenam deductis.

Ideo Principes suas ædes ornant, ædificia publica, templa, sepulchra ; hinc Ægyptiorum pyramides, labyrinthi, amphitheatra.

Ideo statuæ victoribus, & magnis viris positæ.

A Profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exerent, oblivioni resistent, ac se diu vindicabunt. Senec. Epist. 21.

Nulla virtus latet, & latuisse non ipsius est damnum ; Veniet qui conditam & sæculi sui malignitate compressam, dies publicet : Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Senec. Epist. 80. in fin.

Sixtus V. in fundamentis pyramidum, quas Romæ erexit, posuit nummos, vultu & nomine suo insculptos, prævidens scilicet earum ruinam post multa tempora, in quibus vult adhuc nominari.

Authores etiam de humilitate scribentes, libris suis nomen suum inscribunt.

Apud Græcos, Imperator qui hostem penitus deleviset, triumpho, vel encomio, & peplo donabatur.
B Erat autem peplum, velum, in quo cum Deorum imaginibus pingebantur victores, & maxima prælia quæ bene gessissent, illudque pro immortali memoriâ reponebatur in templis. Alexand.

Trophæum erat sæpe æneum, cum inscriptione & titulis ævo duraturis. *Vide Gloria Virtutis, & Volunt. Gloriæ.*

Bona fama, propria est possessio defunctorum, inquit Demosthenes.

AMOR VITÆ.

C ## *EX IVRE CIVILI.*

CVstodia & defensio vitæ est Iuris naturalis. l. 3. ff. de Iust. & Iure. l. 1. §. cum arietes, ff. si quadr. paup. fecisse. l. 4. l. 45. §. final. ff. ad l. Aquil.

Pro sui defensione, lex privato gladium tradit. *Vide Minoritas Principij, & Æqualit. Contrarietat.*

Metus mortis est justus, & talis qui in constantem virum cadere possit, vnde & restitutio conceditur. l. 3. ff. quod met. caus.

In capitalibus criminibus, pro vitâ suâ conservandâ licet qualitercumque corrumpere adversarium. l. 1. ff. de bonis eorum qui antè sentent.

D Quisque vult prorogare vitam, vnde damnatus non debet audiri, etiam si promittat se dicturum aliquid ad salutem Principis pertinens. l. 6. ff. de pœnis.

Datur curator ventri, vt bona nascituro conserventur. l. 1. ff. de ventre inspiciend. datur etiam bonis vacantibus, vt puta Domino capto ab hostibus, spe post liminij. l. 8. ff. qubius ex caus. in possess. eatur.

In extremâ necessitate res sunt communes. *Vide Principium Potestat.* & de alijs quæ possunt proprio authoritate fieri ad vitandum periculum. de quib. *Vide etiam Minoritas Principij.* de necessitate. *Vide Contr. Volunt.*

E De legitimo sui amore. *Vide Volunt. Bonitat.*

EX THEOLOGIA.

ID per se est de intentione naturæ, quod est semper, & perpetuum, vt conservatio individui in incorruptibilibus, & speciei in corruptibilibus, vndè fuisset generatio in statu innocentiæ. D. Thom. 1. q. 98. a. 1. Ideo cuilibet animæ rationali, vt pote incorruptibili, datur angelus custos. q 113.

Abraham accedens ad ancillam suam non peccavit. 2. 2. q. 2. a. 3.

Omne ens naturale plus amat se, quam alterum. 1. q. 60. a. 4. ad 2.

Quælibet res naturaliter conservat se in esse, & re-

fiſtit corrumpentibus quantum poteſt. 2. 2. quæſt. 64. a. 5. & 7.

Corruptio non intenditur à naturâ, niſi per accidens. 1. q. 16. a. 9.

Commune eſt omni creaturæ, vt per omnes motus & operationes tendat ſicut in finem ſuum, in aſſimilationem diuinæ bonitatis, conſeruando ſuum eſſe, & communicando illud. 1. q. 63. a. 3. & q. 2. & 5.

B. Virgo fuit deſponſata Ioſeph, ne crederetur adultera, & ſic lapidaretur. 3. q. 29. 1.

Dolor magis fugitur, quam ametur voluptas, quia minor eſt amor voluptatis, quam amor conſeruationis ſui, cui correſpondet doloris fuga. 1. 2. q. 23. a. 3. ad 1.

Euchariſtia nobilius ſacramentum, eſt inſtitutum per modum cibi. 3. q. 73. a. 1. & 2.

Omne perpetuum eſt per ſe intentum à naturâ, & nihil aliud. 1. q. 98. a. 1.

Nullum præceptum datur de dilectione ſui, vel corporis proprij, quia hæc ſemper manent. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 1.

Gratia vnionis ſingularis in Chriſto, & capitis ſunt ſimul tempore, ſed ordine naturæ & intellectus prima præcedit ſecundam, quia ſecunda illi conuenit, quoad alios. 3. q. 7. a. 13.

EX BIBLIIS.

NVnquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando in ſpecubus inſidiantur, dicit Dominus ad Iob. 38.

Ezechias rogat pro prolongatione vitæ 4. Reg. Daniel oratione obtinet interpretationem ſomni Regis, vt non periret cum aliis Magis. Daniel. 2.

Tot ægri ſanati, tot mortui ſuſcitati à Chriſto, & ſic amore præſentis vitæ allecti ſunt ad Chriſti fidem. Sic præcipit Apoſtolis, vt prædicando ſanarent infirmos.

O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis; viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. Eccleſiaſt. 41.

Chriſtus paſſionis metu, ſudorem emiſit ſanguineum. Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte. Math. 26.

Pharao territus ſignis, feſtinus vocavit Moyſen & Aaron, & ait, rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam. Exod. 10.

Philiſtinorum ſatrapæ remittunt arcam, dicentes, revertatur in locum ſuum, & non interficiat nos cum populo noſtro, fiebat enim pavor mortis. 1. Reg. 5.

Prevenerunt me laquei mortis: in tribulatione meâ invocavi Dominum. 2. Reg. 22.

Omnis Iſraël pari mente clamavit ad Dominum, eo quod ei certa mors impenderet. Eſter. 15.

Formido mortis cecidit ſuper me. Pſalm. 54. & vita in voluntate ejus. Pſal. 29.

Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? Luc. 18.

Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manum tuam ſuper eam, vt ſalva ſit & vivat. Marc. 5.

Vide mors & vita in Bibliis, vbi ſæpius timore mortis & amore vitæ vtitur ſcriptura, vt homines à vitiis deterreat, aut ad bonum convertat.

EX PATRIBVS.

VErum eſt illud ſuper neceſſitate mortis vaticinium, quod fratres dividat & chariſſima inter ſe nomina, crudelis & dura diſſociet. D. Hieron. ad Theodoram. Epiſt. 29.

Quis vult mori, prorſus nemo, ſic Ioan. 21. B. Petro dicitur, alter te cinget & ducet quo tu non vis. Si nulla eſſet mortis amaritudo, non eſſet magna Martyrum fortitudo; qui ambulabat jacet, qui loquebatur tacet, clauſi oculi, &c. D. Aug. ſerm. 33. de verb. Apoſt.

Saltem vita optatur prolixa, quia non poteſt haberi ſempiterna, & per hanc poteſt homo pervenire ad illam, ſi quemadmodum vult eam longam, ſic velit & bonam: quantum autem eſt in hac vita longum, quod erit aliquando finitum, & quod erat longum, erit nullum, quia & quando erat non ſtabat, & quando producebatur non augebatur, nec ad deindè creſcebat, quia veniendo recedebat: eſto ergò potius amator bonæ, quam longæ vitæ; nam ſi malè vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, ſed erit longum malum. D. Auguſt. homil. 1. ſi te ſollicito benè agitur, te ſecuro ad æternitatem citò finietur. Ibidem.

Mors rerum omnium graviſſima putatur, vnde lege Moyſis, & apud omnes nationes, maximè rei, morte plectuntur, & cum carcerati mœreant, maximè eâ die, quâ ſunt ſententiam accepturi. D. Chryſoſt. lib. 2. de Providentiâ.

Omnia ſui diſſolutionem fugiunt. Magnâ vi avellitur marmor è ſuâ rupe: gemit abciſſum lignum ſub ſecuri: mortem horret, non opinio, ſed natura; ſi enim animalia, quæ ita creata ſunt, vt ſuo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quanto magis homo, qui ſic fuerat creatus, vt ſi vivere ſine peccato voluiſſet, ſine termino viveret: Ideo mors quæ ex pœnâ, quam præceſſit culpa, provenit, & quam natura refugit, conſtriſtat nos, niſi, vt monet Apoſtolus, fides nos reficiat. D. Auguſt. ſerm. 32. de verb. Apoſt.

Non dicitur homo ſimpliciter factus de terrâ, ſed de limo terræ, quia corpori hæret anima glutinoſo, & qui difficilem illi poteſt, affectu. D. Bernard.

Vrgente exitu, quiſque ſubtiliori terretur metu, quia etſi nihil ſe prætermiſiſſe meminit, tamen formidat ea quæ neſcit. Idem in Medit. cap. 3.

Ioan. 21. Chriſtus dicit Petro, cum ſenueris extendes manus tuas, & duceris quò non vis, ſignificans quâ morte eſſet glorificaturus Deum: ad moleſtiam mortis nolens ductus eſt; ſed ab eâ volens eductus eſt; nolens ad eam venit, ſed volens eam vicit, & hunc infirmitatis affectum, mortis timorem, nec Petro ſenectus auferre potuit; dicitur enim cum ſenueris, ſic ſalvator, Pater, ſi fieri poteſt tranſeat à me Calix iſte. D. Auguſt. tract. 123. in Ioan.

De fugâ in perſecutione. *Vide Differentia Contrariet.*

AMOR VITÆ LEGITIMVS:

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Cum eſſe ſit primum naturæ bonum, cæterorum fundamentum, inutile eſt quærere quarè appetatur; eſt enim primum objectum appetitus, cum ab eſſe fluant omnes actiuæ potentiæ, ſibi aliiſque beneficæ, & alieni beneficij ſuſceptivæ: vnde qui eſſe appetit, appetit & cauſam, & materiam omnis creati boni.

MAGNITVDO. Cùm eſſe hominis ſit jam nobilius cæteris rebus ſublunaribus, debet etiam eſſe durabilius, vt ſit integrum Dei beneficium: nam quò eſt elatior, & à nihilo diſtantior ſublimitate, caſus ei præcipitium futurus eſt, magiſque timendus: habet

debitam corporis magnitudinem ætate perfecta, ad acquirendam autem, quam poteſt habere animi magnitudinem, cum immenſo boni & veri appetitu, ſibi innato, etiam longiſſima vita brevis eſt.

Dvratio. Habet enim conveniențiam cum rebus omnibus, quæ non niſi ſucceſſivè illi longiſſimo temporis ſpatio ſeſe offerunt. Vt deſtrui malum eſt, ſic conſervari bonum.

Potestas. Formæ potentia ſemper viget, & ex Ariſtotele, anima ſenis ageret vt anima juvenis, ſi tale corpus daretur, optat ergo indeficientis facultatis inſtrumenta eſſe perennia, vt poſſit vires ſuas in actum educere: In longiori vitâ, licet videre fructus laborum ſuorum, & illis frui. Conſervationem intendunt potentiæ omnes; ſeu activæ, dum ſibi alia aſſimilando adſcribunt; ſeu paſſivæ, quæ alienis ditantur bonis.

Volvntas. Paſſiones omnes quæ verſantur circa proprium intereſſe, reducuntur ad vitæ conſervationem, conquirunt enim ejus commoda, aut tollunt impedimenta; ſic ira licet in pericula præceps, intendit hoſtem, vitæ commodis nocivum, de medio tollere. Bonum eſt, quod vniverſaliter à naturâ appetitur; talis autem eſt hæc vitæ continuatio: cur ergo optantibus non conceditur? ſi cæteri apetitus naturales inveniunt quo ſatientur, cur ille vacuus remanet?

Cognitio. Maximè homini longa vita eſt optabilis, ad rerum cognitionem acquirendam, & vt quæ ab aliis per traditionem accepit, experientiis probet: aut vt ait Hipocrates, ars longa, vita brevis, experimentum fallax. Maximè amatur vita, cùm ſcitur ars bene vivendi, ideo ſenes mortem plus cæteris timent. Grave eſt è gratiſſimo mundi ſpectaculo, vt dicitur, noſtri causâ parato, immaturè abripi. Cum ars det nobis imperium in elementa, reddatque materias quaſdam incorruptibiles diſtillatione, calcinatione, vitrificatione, optatur ea, quæ id efficere poſſit in vivis corporibus noſtris, & primas qualitates ſic continere, vt in noſtrum interitum non ſæviant.

Virtvs. Acquiſitio virtutum, majori indiget tempore quam ſcientiarum, & vbi ſunt acquiſitæ, grave videtur hominem, inſignitum divinis qualitatibus, communi rerum inferiorum alterationi ſubjici: divitiis, laudibus, triumphis colitur heroïca fortitudo, quæ vitam profundit pro bono publico, ſeu patriæ, ſeu Eccleſiæ, vt his bonis allecti homines, ſe periculis exponant; tantis præmiis fallenda erat natura.

Veritas. Vere non eſt, qui non pervenit ad legitimum ætatis terminum. Veritatem rerum Plato ponit in idæis earum æternis; longior vita, magis ad illas accedit. Animus præditus legibus æternæ immortaliſque veritatis, quærit longævam vitam, in quâ leges illas explicet, & durum eſt tam perfectæ arti materiam deficere.

Gloria. Saltem conamur eſſe immortales per famam, & quia non niſi virtute paratur, fit vt amor vitæ proſit ad virtutis & beatitudinis conſecutionem, & ſingularis hæc boni intentio redundat in commune bonum; ſic virtus data videtur in mortis ſolatium: ſed quale præmium, quod non exiſtentibus paratur! quod dum promittitur, ſpem fruitionis abſcindit? qualiter ſentiri poteſt tam leve ex opinione bonum, in tam gravi naturalis boni privatione;

Differentia. Ad diverſa natus homo, illa non experitur, niſi beneficio longioris vitæ: vult omnia probare, vt melioribus inhæreat, ſeparetque purum ab impuro. Duriſſimum eſt in medio itinere vitam ſiſti, dum ad meliora properans, non pervenit.

Concordantia. Amicitia vitam multiplicat in amicis, & eo reddit chariorem, concurrentibus, in ſeque mutuò reflexis amicorum votis: Indeficiens amicitia vitam vellet ex votis ſuis produci indeficientem, ſic enim vnitæ vitæ majores ſibi vires promittunt contrà fatum.

Contrarietas: vt contraria omnia ſe fugiunt, ſic exiſtere refugit privationem: vt in ludo & in bello, ſic in vita amiſſio, vult reparari, & lucrum amplificari: Ideo appetitus longioris vitæ ſemper appareret legitimus; etiam miſeri in carcere & triremibus nolunt mori.

Principivm. In primo principio, eſſe eſt æternum & immortale; hinc omnia, vt cum principio ſuo aliquatenùs conveniant, habent ſaltem in votis immortalitatem. Ad hanc remanet inclinatio maximè in homine, cui priùs conceſſa fuerat; vt ſemel ignita, paratiota ſunt ad accenſionem. Speratur à cauſis ſuperioribus, corruptioni non obnoxiis, quod nos à corruptione liberabunt, & quod alent quos genuerunt: vix enim concipi poteſt vitas, morteſque noſtras, ludum eſſe ſuperiorum.

Medivm. Magis optat longiorem vitam is, qui illius fœlicitatem inſtrumenta omnia, divitias, amicos, dignitates, & cætera fortunæ bona habet parata. Anima humana æviterna, mediaque inter æternum & temporale, inclinat ad id quod in ſe eſt præcipuum, ſcilicet ad immortalitatem, & cum illi conveniat, ratione ſubſtantiæ ſuæ ſpiritualis, vult illam ſibi cum ſocio, vnumque cum illa efficiente corpore, communem eſſe.

Finis. Bonum, quod in omnibus habet rationem finis, cum eſſe convertitur: innumera negotia, nondum ad optatum finem perducta, quærunt inducias vitæ longioris.

Maioritas. Illa inclinatio vlteriùs ſemper progrediendi, & majora aſſequendi diuturnum poſcit tempus, quo ſe explicet, ne ſit penitus vacua; & fortè minora crimina fierent, ſi in exiguo tempore conſilia non præcipitarentur; & ſpes eſſet morâ, quæ optantur, obtinendi.

Æqvalitas. Æquabilior, magiſque vnus videretur mundi ſtatus, ſi ſemper eadem numero individua permanerent: ſi bonum non fieret per malum; generatio ſcilicet per corruptionem: optatur hic ſtatus quaſi melior ſit mutatione: quâ enim juſtitiæ lege, nobiliſſima creatura in exitu æquatur infimæ: æquum videtur, vt qui nobiliſſimas in hoc mundo partes geſſit, non vi, non turpiter, & quaſi reus, ſupplicio ejiciatur; ſed honeſtè voluntariùs ejus diſceſſus expectetur, & convenienti honore illum natura proſequatur.

Minoritas. Maximè timetur mors, quia omnium privationem includit, ſi enim timentur ſingulares defectus, quid cum turbâ nos opprimunt.

REPVGNAT.

CONTEMPTVS Mortis.

Bona profundunt, prodigalitas & amor, vitam, rementas, deſperatio, fortitudo.

Quidam mortem non timent, quia non credunt iudicium; de his Div. Auguſtinus ſermone 110. de diverſis. Iterum de ſucceſſione cogitat deceſſurus; reditur ad fraudes, ad rapinas, & cæteras corporis voluptates, & quod eſt perniciosius, de ſepulto mortuo argumentum ſepeliendi cordis aſſumitur, & dicitur, manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

mur. D. Auguſt. Serm. 110. de diverſ.

Inſipientes mortem, quaſi ſummum malorum reformidant; ſapientes, quaſi requiem poſt labores, & finem malorum expetunt. Duabus autem de cauſis mortem inſipientes verentur; vnâ quod eam interitum appellant, interitus autem hominis eſſe non poteſt, cum anima ſuperſtes corpori ſit; ſalvo eo, quòd ipſum corpus manet reſurrectio: altera autem causâ, quod pœnas reformident, Poëtarum ſcilicet fabulis territi: latratus cerberi, cocyti flammas, triſtem voraginem, &c. hæc plena ſunt fabularum, nec tamen negaverim pœnas eſſe poſt mortem; ſed quid ad mortem, id quod poſt mortem eſt. Si autem quæ poſt mortem ſunt referuntur ad mortem: eadem etiam quæ poſt vitam ſunt referuntur ad vitam. Nulla ergo erunt ſupplicia quæ referantur ad mortem, mors enim eſt ſeparatio animæ & corporis; non eſt autem mala ſolutio, quia diſſolvi & eſſe cum Chriſto, multo meliùs: non igitur mala mors, denique mors peccatorum peſſima, non vtique mors peſſima generaliter, ſed ſpecialiter peccatorum; prætioſa autem juſtorum: vnde liquet acerbitatem non mortis eſſe, ſed culpæ. D. Ambroſ. lib. de bono mort. capite 8.

Mori naturæ finis eſt, non pœna. Seneca in ſuaſoria pro Cicerone.

Sapienti liquet, mortem nullius mali eſſe materiam, multorum finem. Senec. de benefic. libro 7. cap. 1.

Apud Lacedemonios ſomni & mortis juncta ſigna, quod germanos illos exiſtimarent. Paulanias in Laconicis.

Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis; peccatum enim quo anima ſeparatur à Deo, verè eſt mori, corporis autem vmbra eſt mortis. D. Gregor. lib. 4. Moral.

Stultum eſt ſomno delectari, mortem horrere, cum ſomnus ſit aſſidua mortis imitatio. Seneca.

Mors paſſim in ſcripturis ſomnus dicitur vt Ioan. 11. Lazarus dormit. Vado vt ſomno excitem illum. Non eſt mortua puella, ſed dormit Math. 9. de dormientibus non contriſtemini, ſicut ij qui ſpem non habent. Theſſ. 4.

Concilium Toletanum 4. ſic explicat quod Chriſtus ploravit in morte Lazari, Chriſtus non ploravit Lazarum mortuum ſed ad hujus vitæ ærumnas ploravit reſuſcitandum: Idem ait Hyeronim. Epiſtola ad Tiraſium in obitu filiæ.

Doluit inquit Lazarum, non dormientem ſed potiùs reſurgentem, & flebat, quem cogebatur, propter ſalvandos alios, ad ſæculum revocare: hanc vitam dans Dominus ingemiſcebat.

Socrates, apud Platonem in Phædone, mox venenum bibiturus, probat mortem non eſſe timendam, quod totum Philoſophantis ſtudium ſit, quædam à corpore ſeparatio, quæ quidem optimè fit per mortem; ſperat autem ſe ad bonos viros, & Deos iturum.

Si mortem refugis, teipſum fugis, nam mors æquè tibi eſſentialis eſt ac vita: eſſe tuum, ex vitâ & morte compoſitum, vt quantitas, ex ſuâ extenſione, & ex ſuo termino: hæc eſt conditio creationis tuæ, feras non culpes quod vitari non poteſt, debitum illud ſolvendum, depoſitum reddendum; quid contra naturæ legem, propriamque fidem contendimus?

Quis non reculans, quis non gemens exit: atque hoc ingrati eſt, non eſſe contentum præfinito tempore. Morâ non fit beatior vita, ſed longior: quantò ſatiùs eſt gratum ſe exhibere adverſus peroptas voluptates; non aliorum annos computare, ſed ſuos benignè æſtimare & in lucro ponere: hoc me dignum ju-

A dicavit Deus, hoc ſatis eſt, potuit plùs, ſed hoc quoque beneficium eſt. Seneca lib. 5. de benef. cap. 17.

Mors ad te venit, timenda erat, ſi tecum eſſe poſſet; neceſſe autem eſt, aut non perveniat, aut pertranſeat: nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat: multi ſic complectuntur & timent, quomodo qui à torrente rapiuntur, ſpinas & aſpera.

Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta miſeri fluctuant, & vivere nolunt, & mori neſciunt: nullum bonum juvat habentem, niſi ad cujus amiſſionem præparatus eſt animus. Seneca Epiſt. 4.

Vt inſipiens eſſet, qui doleret, quod annis præteritis non fuiſſet; ſic qui dolet quod annis futuris non B erit: non ampliùs jus habemus in futurum, quam in præteritum.

In torculari vinum à racemis exprimendum, vt in doliis condatur, anima à corpore ſeparanda, vt beatitudine fruatur. Præclarè Epicharmus, concretum erat, nunc diſcretum eſt, vna quæque pars rediit vnde venerat; terra it deorſum, ſpiritus ſurſum; ruente carnali domo, incolumis habitator diſcedo.

Si dicere potes, ideo mortem timeri, non vt aliquid minantem, ſed vt commodum vitæ amputantem: at longè plura vitæ incommoda pariter excedis, & lucratione gravioris partis metum diluis: nec jam timenda eſt amiſſio bonorum, quæ altero bono, id eſt C incommodorum pace penſatur. Non eſt timendum, quod nos liberat ab omni timendo: nemo timeat, quod evadere non poteſt. Tertulian. lib. de teſtim. animæ c. 4.

Mortem timere, nihil aliud eſt quam ſapientem videri eum, qui non ſit: nemo enim ſcit, an ſibi ſit maximum malorum; metuunt autem ac ſi id eſſet, &c. Plato in Apologia Socrat. At ſpes eſt mortem eſſe bonum; ſi enim poſt illam nullus remanet ſenſus, ſomnus eſt nos labori eripiens; ſi ſit ad eos qui fuerunt tranſmigratio, dulce eſt totâ ſpecie noſtrâ frui, verоſque ibi judices nobis contingere. Ibidem.

Mors finis eſt peccati, ne quò vita eſſet diuturnior, D culpa fieret numeroſior D. Ambr. lib. de bono mort. c. 4.

Lucrum eſt evaſiſſe incrementa peccati lucrum fugiſſe deteriora, & ad meliora tranſiiſſe; tranſitur autem à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem; non igitur te nomen mortis offendat, ſed boni tranſitus beneficia delectent; quid eſt enim mors, niſi ſepulchrum vitiorum, & virtutum ſuſcitatio. Idem ibidem.

Cogitat nullis defunctum malis affici; illa quæ nobis facit inferos terribiles, fabula eſt; nullas ſcimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia; luſerunt iſta Poëtæ: mors omnium dolorum & ſolutio eſt, & finis, vltrà quam mala noE ſtra non exeunt; quæ nos in illam tranquillitatem, in quâ ante quam naſceremur jacuimus, reponit: ſi mortuorum aliquis miſeretur, & non natorum miſereatur; non poteſt id fortuna tenere, quod natura dimiſit, nec poteſt miſer eſſe, qui nullus eſt. & infrà. O ignaros malorum ſuorum, quibus non mors vt optimum inventum naturæ laudatur, quæ ſive fœlicitatem includit, ſive calamitatem repellit, ſive ſatietatem, aut laſſitudinem ſenis terminat, ſive juvenile ævum, dum meliora ſperantur in flore deducit, ſive pueritiam ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibuſdam votum; de nullis meliùs merita, quam de his ad quos venit antequam invocetur. Hæc ſervitutem invito Domino remittit; hæc captivorum catenas levat; hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat; hæc

exulibus, in patriam oculos animumque tendentibus, oſtendit nihil intereſſe, inter quos quiſque jaceat; hæc exæquat omnia; hæc eſt quæ nihil vnquam alieno facit arbitrio, &c. Seneca in conſolat. ad Martiam. cap. 20.

Fatorum inevitabili decreto obedire par eſt, quem mutare impoſſibile. Plutarch. in conſolat. ad Apollonium.

Mirabile eſt, quod cum quotidiè curras, ad mortem pervenire nolis.

Seneca lib. 6. Natural. Quæſtion, loquens de fulminum ictibus, montium lapſu, terræ hiatibus, maris irruptionibus. Quid ſtultius, inquit, quam hæc timere, cum mors vbique præſto ſit; nihilque ſit tam exiguum, quod in perniciem generis humani non valeat: neceſſe eſt mori, vbicumque, quandoque, ſi cadendum eſt, cœlo cecidiſſe velim, aut orbe concuſſo.

Mors nullum habet incommodum, & infrà nec infantes, nec pueri, nec mente capti timent mortem; turpiſſimum eſt, ſi eam ſecuritatem nobis ratio non præſtet, ad quam ſtultitia perducit. idem Epiſtola 38.

Tam ſtultus eſt, qui mortem timet, quàm qui ſenectutem; vt ſenectus adoleſcentiam ſequitur, ita mors ſenectutem: vivere noluit, qui mori non vult; vita enim cum exceptione mortis data eſt; ad hanc itur, quâ ideò timere dementis eſt, quia certa expectantur, dubia metuuntur: mors neceſſitatem habet æquam & invictam. Quis quæri poteſt, in eâ conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt? prima enim pars æquitatis, eſt æqualitas: mortem venientem nemo hilaris excipit, niſi qui ad illam ſe diù compoſuit; ſi dolor eſt in ſupremo anhelitu, brevis eſt: ſi timenda mors eſt, ſemper timenda eſt; quod enim tempus morte exemptum eſt? Idem Epiſt. 30. in f.

Certis eunt cuncta temporibus, naſci debent, creſcere, extingui; nulli non ſenectus ſua: omne humanum genus, quod eſt, quodque erit, morte damnatum eſt; quæ incœperunt deſinent; ipſeque mundus, &c. Idem Epiſt. 72.

Mors omnibus naturâ eſt æqualis, oblivione apud poſteros, vel gloriâ diſtinguitur. Saluſtius.

Thracibus Barbaris ineſt contemptus vitæ & ex quadam naturalis ſapientiæ diſciplinâ concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti; alij non extingui, ſed brutas magis fieri: apud illos luctuoſa ſunt puerperia, funera verò gaudio proſequuntur. Solin. Polih. cap. 16.

Melior eſt dies mortis die nativitatis Eccleſ. 7. Duo difficilia probatu continet, odium vitæ, & amorem mortis.

Vegetius lib. 1. de re milit. cap. 3. vult milites ex agris potiùs, quam ex vrbibus ſumi; agricolæ enim laboribus, non deliciis aſſueti: at minùs mortem timet, qui minùs deliciarum novit in vita.

Non eripitur vitâ, ſed interrumpitur, vt meliori reddatur: nec conſumitur, ſed emittitur ad certiora ſpiritus: præſtet ſe homo majorem opibus, honoribus, purpurâ, ſceptro, minis, tormentis, morte, & cœlitibus parem, omnia tanquam mox perituræ comediæ ſcenam exiſtimabit. Chriſtiani eſt mortem contemnere, ſcit enim quo iturus eſt, cum ſciat cui conditus fuerit: ſic quid ſperare debeat, cum ſciat quid ſpoponderit; ille qui dare poteſt, falli non poteſt: ſcit denique quam longè hæc noſtra vita, infrà illam quam expectat, poſita ſit.

Vna dies, vnus ſaltem annus, ſæculorum compendium eſt: eadem diutiùs iterare, ſi non anxium, ſaltem ſuperfluum: non ſumus inopes vitæ, ſed prodigi, magna enim pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus; famæ poſt mortem immortalitas, mortis conſtat contemptu. Si benè vitâ vſus es, cur non plenus vitæ conviva recedis? ſi malè, cur ampliùs addere quæris, turpium quod pereat malè, & ingratum occidat omne? Quomodo timemus mortem, ad quam vt ad aſylum ipſa timiditas fugit. An liceat mortem optare, & ſibi conciſcere. *Vide Voluntas finis.*

Nonnè meliùs eſt ad portum appellere, quam jactari, tolli, deprimi, periclitari, ſorberi: mori non vis adoleſcentior, nondum prælibatis ſæculi commodis; virum mori durum eſt, gloriâ, aut illius ſpe, plenum; ſenectus prudentiæ ſervatur, & nepotibus præſidium; ergo nunquam vis mori?

Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare: ſcriptum eſt, quod juſtus fide vivit; cur quod promiſſum erat, oblatum non amplecteris? Simeon lætus dicit. Nunc dimittis, &c. probans tunc ſervis Dei pacem eſſe, cum ad æternitatis portum perveniunt. D. Cypr. lib. de mortal.

Chriſtus dicit diſcipulis, iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: cum non poſſimus gaudere niſi videtimus Chriſtum, quæ dementia eſt, dolere de morte, quæ nos ad tale gaudium ducit?

Joan. 14. ſi diligeretis me gauderetis quia vado ad Patrem, & Paulus ad Philip. 1. Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

Lucrum maximum computans, jam ſæculi laqueis non teneri, exemptum preſſuris angentibus, ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante pervenire. Mori timeat qui ex aquâ & Spiritu S. non eſt renatus.

Ad refrigerium juſti vocantur; non eſt exitus, ſed ad æternitatem tranſitus, quis autem ad meliora non feſtinet, vt ad Chriſti ſpeciem reformetur? Ejus eſt in mundo velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſæculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cum mundus oderit Chriſtianum quid amas enim, qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum, qui te diligit, & redemit? Joan. 1. Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo ſunt; è domo ruitura, naufragium minitante procella, ad portum citò fugiamus; quis è longa peregrinatione ad ſuos lætus non properat; patria noſtra cœlum eſt, illic nos expectat magnus charorum numerus, &c. ex D. Cypriano lib. de mortal.

Etſi homo non occidat, ipſa naturæ lex irrepens, corpus ab animâ reſolvet. Tot expectans bona, quæ nec oculus vidit, &c. quomodò differs, & negligis; & quomodò non tibi turpe propter mortem dolere, cum Paulus propter præſentem vitam gemebat? times à pauperis cella ad palatium duci: non eſt mala mors, etiam violenta vt in martyribus & Chriſto; ardens æternitatis amor, dolorem in amiſſione præſentiũ abſcondere debet; non afficiamur pueri ſenſibus, larvas mortis timentes, & non peccati vera pericula: nihil eſt in morte timendum, ſi in conſcientiâ nihil accuſandum? Quid tandem eſt mors, niſi veſtimenti non convenientis depoſitio, peregrinatio, & ſomnus diuturnior. Dulcis eſſet mors, ſi rigidam, vt Chriſtianum decet vitam duceremus; Ingredere Monaſteria, videbis monachos in vinculis finem vitæ optantes, vt athletæ certaminis, quò coronis fruantur; ærumnis Deus nos exagitat, ſicut filios Iſraël, ne terrenis nimium hæreant deſideria: vita hæc innumeris mortibus eſſet miſerabilior, niſi futuræ nobis eſſet materia & occaſio; hic enim perpetuus reditus, ſolis, byemis, &c. quod eſt factum, erit futurum, &c. Lugendi ergo tantum ſunt, in peccatis morientes, &c. ex D.

Chriſoſt. homil. 5. & 6. ad pop. Antioch.

Reprehenditur Petrus, quòd tabernaculum in monte fieri voluerit, quia ſanctis in hoc mundo tabernaculum non eſt, quibus in cœlo patria & domus eſt. D. Bernard. lib. de modo bene vivendi. cap. 7.

Mori nolle fidelibus, non conſilium eſt vt proficiant, ſed indicium quod parum profecerint. Proindè quod nolunt, vt perfecti ſint, velint, perfecti ſunt. D. Aug. quæſt. ſuper Math. in f.

Abeamus è vita, non vt ejecti, ſed vt emiſſi. Lipſius. B

Ante ſenecturem curavi vt benè moriar: benè autem mori eſt liber mori, & libens moritur qui non repugnans; non qui juſſus aliquid facit miſer eſt, ſed qui invitus facit: itaque ſic animum componamus, vt quidquid res exigit, id velimus. Seneca Epiſt. 61.

Marſil. Ficin. Theol. Plat. lib. 9. c. 4. probat immortalitatem animæ ex eo quòd interdum corpori ſuo mortem aut non timeat, aut inferat: quod non A efficeret, ſi cum corpore interiret: nihil enim ad interitum ſuum properat, ita nullum brutum ſponte ſeipſum interimit: anima noſtra id facit, ſperans à diſſolutione meliorem vitam.

Cum ſæviret perſecutio Galli & Voluſiani, orta eſt Carthagine magna peſtilentia, quam opportunam dicit eſſe Chriſtianis vt illibati ad Deum tranſeant. Cyprian. lib. de mortalitate, ſic ægre ferentes increpans, pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?

Apud Indos Sapientes occupare fati diem pulchrum, & viuos ſe cremari jubent, quibus aut ſegnis ætas, aut incommoda valetudo eſt, expectatam mortem, pro dedecore habent; ſic Alexander permiſit Calanum Gymnoſophiſtam morbo tentatum, patrio ritu extingui. Curtius lib. 8.

Audemus & voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum 2. Corinth. 5.

VIRTVS DVRATIONIS.

PERFECTIO EX CONSTANTIA.

MISCELLANEA.

VIRI eſt acquirere, mulieris conſervare Ariſt. 3. Polit. 5. A

Deucalion dicitur hominum genus condidiſſe, quia orto diluvio ſervavit eos qui ad ſe in montibus ſe receperũt.

Romanorum vexillum, quod labarum dicebatur, erat formâ quadratâ, quæ ſoliditatem, & permanentiam ſignificat.

Non proſunt, imò nocent munitiones, niſi benè conſerventur.

Turpe eſt Principi, quæ fortiter acquiſivit non conſervare; & auxilium non ferre obſeſſæ ſuæ civitati: turpius enim eſt non conſervare acquiſita, quam non acquiſiviſſe; ideo non ſunt oppugnandi, aut ſunt penitùs delendi ij, quos cum vicerimus, non poſſumus in debitâ ſubjectione continere. B

Audacia paucorum, & caſus, poſſunt eſſe cauſæ acquiſitionis: at conſeruatio fit temperantiâ, & diutinâ prudentiâ. Nihil de novo acquirendum, niſi acquiſita ſint benè munita; & victoriæ obtentæ ſunt ſemper in ſecuro ponendæ.

Si in lapide Philoſophico quærendo extinguatur ignis, opuſque frigeſiat, perit nullâ arte reparabile. Sic in ovorum, fœtuſque omnis naturæ maturatione. C

In bello navali, galeræ, & triremes præferuntur navibus, quia continuum poteſt eſſe earum opus, ventoque deficiente poſſunt remis vti.

Terra vltimum elementorum, & propiùs ad mortis qualitates accedens, quia frigida eſt & ſicca, vbertate ſuâ ſuperiora ſuperat elemẽta, cum enim firma in centro collocata ſit, omnes in ſe vnitas ſyderum vires recipit, & fœcundiſſimo vtero cœleſtia excipit ſemina; ipſaque maternũ præ ſe ferens amorem, numeroſam, & formoſiſſimam nutrit prolem: hæc enim quaſi legitima cœli conjux, cætera elementa quaſi pellices.

Actus potentiam auget, quies autem lædit.

Non eſt magnum opus, popularem Rempublicam conſtitui, ſed conſervari.

De decanis. Cod. 12. tit. 27.

Nemo repentè ex ſæculari & privatâ vitâ debet fieri Epiſcopus. Novell. 6. c. 1.

Ordinandus debuit antè in clero, vel monaſticâ vitâ vixiſſe per ſex menſes. Idem.

Diaconiſſæ eligantur, non minus quinquaginta annorum. Novell. 6. c. 6.

Confirmatio eſt nobilius Sacramentum Baptiſmo, quò ad miniſterium & gratiam, & ſimpliciter, ſed quò ad remiſſionem peccatorum eſt è contra. 3. q. 72. a. 11. ad 2.

Etiam liberalis ſollicitè procurat fructus ſuarum poſſeſſionum, ad liberaliter dandum. 2. 2. ſi. 117. a. 4. ad 3.

Proprius & primus liberalitatis actus eſt, diſtributio, & benè vti pecuniâ in ſe & in alio; ſecundò autem præparare & conſervare eas in bonum vſum. 2. 2. q. 17. a. 3. & 4.

Patientia eſt radix & cuſtos virtutum, ſolum removendo prohibens; nec poteſt haberi ſine charitate & gratiâ. 2. 2. q. 136. a. 2. ad 3. & art. 3.

Ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ſervitutem Dei, cum aliquâ ſolemnitate. 2. 2. q. 184. a. 4. & 5. Vndè in ſtatu perfectionis ſolum ſunt Epiſcopi, & ſolemniter Religionem profeſſi. Ibidem. *Vide Duratio Virtutis.*

Ezechieli 2. dicitur; fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.

Majorem ſibi famam & amicitiam conciliat Princeps, conſtantiâ & firmitate animi, quam donis.

Glorioſum eſt duci milites ſuos non lædi, ſeque invictum ſervare, contrà vim exercitus vincere ſoliti.

ÆQVALITAS. Æqualem animum probat continuata poſſeſſio: melius eſt æquali & placido curſu fortunam fluere, nullâ factâ amiſſionis voragine, nullo dato alienationis vacuo.

MINORITAS. Omnis enim alienatio arguit defectum, aut conſilij, aut potentiæ, ad plura ſe non valentis extendere. Interdum minus viget in extremis calor, ſed malum eſt; paralyſis, apoplexia, morſque imminet, ſi aliquas partes ſpiritus vitalis influxus omninò deſerat.

VERITAS DVRATIONIS.

QVÆ SIT VERA CONTINVATIO.

MISCELLANEA.

EMPVS poſitivum, commenſuratur imaginario.

Cum Deus ad æternæ ſuæ ideæ exemplar mundum exornaſſet, fecit æternitatis, in vnitate manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus: ſol & ſtellæ factæ ſunt, vt temporis numerus diſtingueretur. Plato in Timæo.

Natura eſt principium motus, motus enim eſt de genere continuorum, & infinitum in ipſo continuo primum apparet; continuum enim eſt in infinitum diviſibile. Ariſt. 3. Phyſic. 1.

Tempus dicitur omnia continere & metiri, quia duratio cœleſtis omnia complectitur.

Stellæ, quæ vocantur fixæ, non ſunt verè immobiles, ſed tales vocantur, quia diutiſſimè perſeverant in eodem ſtatu; mutant tamen ſitum, per motum octavæ ſphæræ.

Non eſt vera duratio, niſi ſit continua: vnde pro tyronibus accipiendi ſunt, qui pugnare longo tempore deſierunt. Veget. lib. 3. cap. 9. Inexercitatus miles ſemper eſt tyro, inquit Tacitus.

Ariſtoteles tria ponit continua, corpus, tempus, & motum.

Septimo menſe, partus perfectus naſcitur. l. 22. ff. de ſtat. hom.

Poſthumi pro jam natis habentur. l. penul. eod.

Ætatis perfectæ ſi fiat mentio, intelligitur de naturali perfectione ætatis, non vero de accidentali fictione. l. final. Cod. de his qui veniam ætat.

Nihil eſt in hoc mundo perpetuum, niſi per ſucceſſionem, & ſurrogationem. l. 31. ff. de ſervit. vrban. prædio.

Aditio hæreditatis retrotrahitur ad tempus mortis. l. 54. ff. de acq. hæred.

Servus veterator dicitur; non ſpatio ſerviendi, ſed genere & causâ obſequij. l. Final. ff. de ædil. edicto.

Abbas Monachorum eligitur, non ex ætate, ſed ex vitæ merito; Novell. 5. de Monach. c. vltimo.

Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annotum numero computata: Cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Abraham ſapientiſſimus, minoris fuit ætatis, quam majores ſui: ſic ſenes in conſilium coacti à Moyſis juſſu, non erant vt hi quos vulgus ſenes appellat, qui falſam virtutis monetam ſæpe offerunt. Philo Iud. lib. ſuper his verb. Reſipuit Noë.

Solinus cap. 55. refert apud Indos quoſdam infantes ſtatim canos fieri.

Antiqui fingebant quoſdam Deos ſemper canos, vt Saturnum; alios ſemper pueros, vt Cupidinem. Plin. lib. 1. c. 7.

Nihil turpius quam grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diù vixiſſe, præter ætatem. Senec. lib. de tranquil. vitæ. cap. 15.

Non eſt quod propter canos, aut rugas, putes diù vixiſſe; non ille diù vixit, ſed diù fuit; multum navigavit, ſed multum jactatus eſt, quem ſæva tempeſtas à portu exceptum, per eadem ſpatia in orbem egit. Idem de brevit vitæ. cap. 7.

Sapientis multum patet vita, non idem illum qui cæteros terminus includit, ſolus generis humani legibus ſolvitur; omnia illi ſæcula vt Deo ſerviunt; tranſivit tempus aliquod, hoc recordatione comprehendit; inſtat, hoc vtitur; venturum eſt, hoc percipit; longam illi vitam facit omnium temporum in vnum collatio. Illorum breviſſima ac ſolliticiſſima vita eſt, qui præteritorum obliviſcuntur præſentia negligunt, de futuro timent cum ad extrema venerint, ſero intelligunt miſeri, tamdiù ſe dum nihil agunt occupatos fuiſſe. Ibid. cap. 15. *Vide ad hæc Minor. Duration. Bona.*

Durario Dei, æternitas, & eſſentia ejus ſunt eadem res. D. Thom. 1. q. 10. a. 2.

Æternitas propriè Deo convenit, aliis autem participativè: nihil præter Deum fuit ab æterno. Ibidem. a. 2. & 3.

In naturalibus & moralibus, non quæritur quid ſemper fiat, ſed quid fiat, vt in pluribus. 1. 2. q. 1. a. 3.

Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Pſalm. 101.

Preſbyter ſenem Græcè ſignificat.

Si obligaui pignori quæ eſſent inducta in prædium, non obligantur ſervi ad tempus miſſi pro illius cultura, ſed tantum ea cenſentur obligata, quæ ad vſum perpetuum inducuntur. l. 32. ff. de pigno. & Hypoth.

Si fundus legatus ſit cum his quæ in eo erunt; quæ ad tempus ibi ſunt, nō videntur legata. l. 44. ff. de legat. 3.

Non dicitur natus, qui ſtatim deceſſit. c. nu. & ego, de verb. ſignif. Vide parum pro nihilo. *Verit. Minorit.*

MORÆ.

QVi differt ſolutionem ex juſta cauſâ non committit moram, nec debet vſuras, vt ſi ſubitò

Digitized by Google

cogatur abesse Reipublicæ causâ. l. 21. & seqq. ff. de vsur.

Qui sine dolo ad iudicium provocat, non videtur moram facere. l. 63. ff. de reg. Iur.

Omnis speratæ rei longa dilatio est, dumque constitutus spectaculi dies expectatur, vellent medios transilire: At illud tempus quod amant breve est, & præceps; breviusque multo fit suo vitio; aliunde enim alio transfugiunt, & consistere in vna cupiditate non possunt; non sunt illis longi dies, sed invisi: sic Poëtarum furor Iovem voluptate concubitus delinitum duplicasse noctem fingit: brevissimæ videntur noctes ijs qui eas tam carò mercantur, diem noctis expectatione perdunt, noctem lucis metu: ipsæ voluptates trepidæ, subitque cum maximè exultantes hæc cogitatio; hæc quandiù &c. Senec. lib. de Brevit. vitæ cap. 16.

B

QVÆ SIT VERA EXIstentia & permanentia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si sol est super horizontem, lucet, & si res verè existit, benefica est: nihil enim in debito suo ordine consistens vacat influxu, quia pars est vniversi, quæ cum cæteris, ad ejus pulchritudinem, debet de suo conferre.

MAGNITVDO. Nihil vltimam speciei suæ perfectionem adipiscitur; vnde semper illi inest non obtentæ integritatis appetitus: interim debet habere partes omnes suas, saltem essentiales, si non integrantes: quarum vnâ deficiente, verè non existit, quia bonum ex integra causa: Ideò Plato dicebat res verè tantum in idæis existere, in quibus sunt extrà materiæ semper deficientis conditiones.

DVRATIO. Vera existentia est in æternitate, vbi omnia sunt ad præsens collecta. Res autem hic perpetuam alterationem patientes vix existunt, quia successivè acquirunt & amittunt, quæ simul & eodem tempore deberent habere; stant vt fluvius, vt flamma; vt luminis propagatio, perpetua novarum partium in intereuntium locum successione: quia tamen hæc est lex motus cœlestis, & temporis omnia commensurantis, res existimantur esse in existentia, si modo sit continua, non interrupta privatione, à qua ad habitum non datur regressus.

POTESTAS. Actio certissimum est existentiæ argumentum; nihil enim est, quod non agat, etiam id quod ad materiæ solum patientis conditiones propriùs accedit. Vnde vita actione definitur, natura motu, vt mors potentiæ & actionis privatione.

COGNITIO. Alijs tantum existunt, quæ suæ existentiæ non habent sensum; sibi, & alijs homo, qui advertit reflexa cognitione, se existere: sic enim vitæ duplicata est fruitio, sic magis ad illam afficitur, quia sibi laborat.

VOLVNTAS. Quæ fruuntur optatis verè sunt quia sunt in statu, cætera in motu: fluxum, indigum, semperque varium habent esse; hinc quod placet appetitui, vulgo dicitur vita: Amans non vivit, non existit in se, ait Plato, sed in re amata, de qua semper cogitat, & in quam vellet transmutari. Verè non est qui ad alterius arbitrium agit, amissa propria libertate, sic servi non est caput; sic damnati ad triremes, habentur mortui civiliter.

VIRTVS. Agere ex perfecto habitu, & cum voluptate, est signum perfectæ existentiæ; supponitur enim in se completa, nulliusque indiga, quæ sic alacriter vires suas exeris.

VERITAS. Multa existentiam, magno etiam apparatu mentiuntur; de quibus. *Vide Minoris. Veritas.* vt sunt adulatio, hypocrisis, dolus. &c. sed veritatem aperit tempus, ipsaque duratio, quam violentia non sustinet.

GLORIA. Quod est in convenienti statu, percipit voluptatem, qua natura perfudit omnia sua opera; at dolent, consternantur omnia extrà situm sibi proprium posita; vt divulsa membra, & mentes extrà virtutem & Deum.

DIFFERENTIA. Verè tantum existunt, quæ sunt in ordine sibi convenienti, partesque quas oportet in composito suo servant, vt si in Republica Magistratus præsent regimen, subditi obedientiam.

CONCORDANTIA. Conveniens debet esse omnium partium existentia & operatio; Conveniens etiam loco, tempori, vt æstivus dies hyeme non facit æstatem, nec vna hirundo ver. Monstra speciei non convenientia in specie non connumerantur.

CONTRARIETAS. Vix esse dicendum est, quod alternatum stat & cadit; vt non est sanus, qui febrili C accessione ad certos dies laborat. Verè nec stat, nec movetur, qui tremore, aut convulsione concutitur, qui inter spem & metum fluctuat. Non possidet, cujus fortuna pendet ab incerto marte.

PRINCIPIVM. Definunt esse, quæ superiorum causarum influxu spoliantur: sic extrà Dei gratiam anima mortua est: Cadaver est, non quod prius erat corpus animâ privatum.

MEDIVM. Impossibile est formas in mixtis, & præcipuè animalibus perfectis inesse, nisi corpora sint convenientibus organis instructa; vnde à graviter læso corpore anima discedit; perit Respublica corruptis officianijs: in omnibus datur quidam medius status, extrema connectens.

D

FINIS. Incipiunt non esse, quæ ad vltimum existentiæ suæ terminum accedunt: vt dies inclinata ad noctem, res alterata ad corruptionem, decrepita senectus ad mortem: verè autem sunt, qui intentum, sibique conveniens bonum possident.

MAIORITAS. Quod est ex abundanti non vitiat; vt adoptantem, collata illi adoptantis dignitas, naturam humanam, addita naturæ divinæ per gratiam participatio; minus enim est in majori, quod patet in numeris.

ÆQVALITAS. Vera existentia est in statu consistentiæ, sed qui parum durat, vt temperamentum ad justitiam; habetur enim tantum transeundo ad aliud.

MINORITAS. Minima pro nullis habentur. *Vide Veritas Minoris.*

GLORIA DVRATIONIS

PRIVILEGIVM EX DVRATIONE.

MISCELLANEA.

DElectatio in motu conſiſtit, & A duratione, non enim ſtatim editur, & percipitur delectatio. D. Thom. 22. q. 32. a. 2.

Circulatio vniverſi eſt velut quædã vita; circulus dicitur infinitus, eo quod terminis non claudatur. Ariſt.

Fœlicem hominem, non vnus dies, nec breve tempus facit. Ariſt.

Duratio boni ſucceſſiva non facit fœlicitatem, ſed intenſiva præſens, quia preſens bonum optamus, ejuſque tantum habemus fruitionem. Vide Marſil. Ficin. in Photium.

De nobilitate. *Vide Duratio Virtutis.*

Adamantes & cæteri lapides pretioſi lucidis vermiculis præferuntur, quia ſunt durabiliores.

Antiquiores medaliæ ſunt majoris prætij; nationes & familiæ ex antiquitate nobilitatem ſuam ducunt: vnde plures ſe dicunt oriundos ex Trojanis, quorum B mentionem facit vetuſtiſſima Græcorum Hiſtoria. Senibus Regimen defertur. *Vide Durat. Cognit.*

Bibens novum ſtatim dicit, vetus melius eſt. Luc. 5.

Omnes primogeniti, in veteri teſtamento, erant ſacerdotes, & habebant duplicem portionem in hæreditate paterna. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 3. D. Thom.

Planeta Orientalis, ideſt, qui ante ſolem oritur, eſt majoris virtutis.

Facultas hepatis, ſeu nutritiva, prior eſt in fœtu, vnde in ipſa pueri magis excellunt. Vide Galenum. lib. de fœtuum formatione, & inf. *Duratio Cognit.* mora in Miſcellaneis in medio.

Senibus deferuntur honores, tum quia valent experientia, tum quia minus illis invident, & facilius cedunt hi, qui eoſdem ambiunt honores. Ariſt. 7. Polit. 14. Vide gloria finis. honor. Senectutis.

Senes ijſdem ſemper repetitis ſermonibus vexant, quos in audiendo verecundiores, ad audiendi ſupplicium rapuerint, ſed hæc habeatur reverentia provectis annis & patrium cultum merentibus, vt ſaltem ſimulemus probare quæ dicunt, & facili, nihilque offerente officio, tantæ venerationis ætatem, ſuo gaudio perfundamus. Barclaj. C

In Concilio Romano Epiſcopi ſedent, non habita ratione dignitatis ſuarum Eccleſiarum, ſed prærogativa ætatis in Epiſcopatu agentis. Baron. an. 465.

Idem fit in Conſilio Anglicano, ſedentque in eo Epiſcopi ſecundum tempus ordinationis ſuæ, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſive ſuarum Eccleſiarum privilegijs, digniores ſedes haberent. an. 1075.

Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum: Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva. 1. Timoth. 2.

Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Levit. 19.

Debent iuvenes tacere coram ſenibus, & illis loco cedere. Plato. lib. 4. de Republ.

Prioritatis prærogativa. Vide gloria Principij, initij.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

SEnectus venerabilis eſt, & ſæpè ſenibus idem honor ac Magiſtratibus tribuitur. l. 5. ff. de iure immunit.

Prior in tempore præfertur poſteriori, ſive generalem habeat hypothecam, niſi aliter actum ſit, l. 2. ff. qui potior. in pignor.

Animalia, quæ cælo, terra, mari capiuntur, fiunt capientium, quod enim nullius eſt, ratione naturali occupanti conceditur. l. 3. ff. de acquir. rer. dom.

Qui pro pluribus obligatus eſt, in dubio videtur ſolviſſe, pro eo, pro quo ſe priùs obligavit. l. 24. ff. de ſolut. & liberat. & l. 102. §. 1. eodem.

Si duobus donatum eſt, cum bona non ſufficiant, prior præfertur alteri. l. 98. ff. de Reg. Iur.

Is cenſetur patronus ſervi manumiſſi, qui prior petijt eum manumitti l. vnic. Cod. de ſervo comm. manumiſſo.

Etiam privatus prior tempore præfertur Reipublicæ.

In vna Provincia debent eſſe duæ matrices civitates; vna majorum beneficio, ſeu antiquitate; alia Imperiali beneficio. l. vnic. C. de metrop. berit.

Inter plures, pari dignitate depoſitâ, ille eſt potior, qui prior fuit in dignitate electus. l. 2. Cod. de præſ. Præt.

Tyrones in ſcholis vltimo loco ſedeant. l. final. C. de tyronib.

In quibuſdam tamen caſibus vltimi primis præferuntur, vt ſi pecunia vltimi creditoris impenſa ſit in reficienda nave obligata: ſi pecunia pupilli impenſa ſit in emptione fundi obligati. l. 5. & 6. ff. qui potio. in pigno.

Licet privatus habeat hypothecam generalem anteriorem in tempore, tamen fiſcus præfertur in bonis, poſt ſuam obligationẽ queſitis. l. 18. ff. de iure fiſci.

Les biens meubles n'ont point ſuitte par hypotheque. Couſtume de Paris. Ideſt mobilia ab vltimo etiam creditore poſſunt occupari, in præjudicium prioris.

Primus ordinatus, cæteris paribus, prior & major habendus eſt. cap. cum certum de major. & obed.

Poſteriores anterioribus Epiſcopis non præferantur. Concilium Milevitanum 2. Can. 13.

Advocato fiſci mortuo, gradu cum ſequens, ſine vlla dilatione in eius locum ſubrogatur l. petitionem, C. de advocat. diverſ. iudic.

Digitized by Google

ANTIQVITAS VENERANDA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Antiqua priùs fuerunt in esse; quam nos illaque Deus priùs è rebus possibilibus in lucem eduxit: & hæc Dei prælatio, hic præcipuus amor, hæc præ cæteris electio, nobis inferioribus quandam meretur venerationem. Gaudere debent in nos iure quodam primogenituræ: nobis antiqui laboraverunt, eorum successio nostras facit opes; cultum autem meretur beneficentia.

MAGNITVDO. Ad superiores causas tendimus manus quia à superioribus omnis in nos boni effluxus: atqui nos præcessere ordine temporis, nobis superiorum loco sunt; etsi in serie speciei & sæculorum continuum quoddam efficiamus, prioribus tamen, quasi præcipuis, jungimur.

DVRATIO. Animus noster hoc habet ab æterno suo principio, vt velit esse in omni tempore præterito, præsenti & futuro: de futuro spes est, de præterito nulla; vnde id magis veneratur, quasi magnum quod extrà sortem suam est positum. Hinc antiquitatis tam curiosa indagatio per historias; ejus fragmenta à curiosis magno studio conquiruntur, & cum admiratione visuntur recondita in scrinijs. Minora videmur accepisse à Deo, minùs enim tempore dilato sol vitur.

POTESTAS. Hinc antiqui nobiles cæteris præferuntur in dignitatibus obtinendis: faciliùs homines subijciuntur virtuti, ex antiquitate magis venerandæ: defertur regimen his à quibus regiminis leges accepimus, & refunditur quasi in suum principium, cum antiquitati defertur. Antiqui nobiles habere creduntur in se, vim, genium, fatumque clarissimorum majorum, sic potentiores, melioresque iudicantur ex hac tot virtutum collectione:

COGNITIO. Ab antiquitate fluxerunt omnes scientiæ & artes, vndè quasi illarum magistra colitur: si hæret in dubio aliquo animus, dum conatur aliquid inventis addere, consulit antiquitatem, quasi principium suas dirigens operationes.

VOLVNTAS. Amor quidem naturalis, ad propagationis necessitatem, descendit magis quam ascendit; sed vicem huic amori reddit venetatio. Colimus eos quorum affectu subsistimus: æquum est vt si antiquitas in commodum posteritatis laboraverit, posteritas antiquitati sic in se beneficæ grata sit, saltem aliquo cultu; cum nullius alterius rei indiga, & quasi in divorum sorte posita, honorem tantum à nobis poscat.

VIRTVS putatur potior in primis sæculis, sanctitatis origini magis vicinis, vnde & eius coluntur reliquiæ. Vt autem virtus etiam malis est venerationi, sic antiquitas sæculis, quæ putantur in deteriùs ruere.

VERITAS. Suspicimus itaque antiquitatis gesta, tanquam nostrorum exemplaria; & quia ad exemplum potiùs quàm ad rationem vivimus, timidi, viarum ignari gaudemus sequi præcedentium turbam, habemusque gratias, quod sic nobis viæ existant duces, quod laborantem in veritatis inquisitione animum instruant, illi facem præferant, ostendant inventum & expertum, quod putabatur inquirendum; de sic patefactis veritatis thesauris grati sumus. Simplicior videtur antiquitas, minùs fucata, vt minùs ab vnitate recedens, in multiplicitate rerum temporumque mixtione futuris sæculis fatali.

A GLORIA. Consummata, & extrà mutationis periculum posita virtus, cultum meretur: lauda, inquit scriptura, post cosummationem. Æmulationem nostram, non invidiam accendit antiquitas, habet enim eminentiam quandam, cui cedere nemo putat indignum: hic etiam honor in nos redit vt Patris in filium.

DIFFERENTIA temporum, diversas quidem leges, diversamque agendi rationem quærit, sed vt quocunque se vertant venti & vela, habetur semper respectus ad pôlum; vt in morborum cura attenditur semper naturalis ægri status, qualis erat vt constet quantus sit ab eo recessus; sic etiam varia sæcula dirigit antiquitas, & super illa, quasi super immobili, fit motus.

B CONCORDANTIA. Catenam auream faciunt quidem sæcula, sed priora sunt loco superiotis annuli, à quo sequentia pendent; hic antiquitatis amor, facit nos quodammodò illi coëxistere, & quia amicitia est inter pares, dum illam colimus & laudamus, videmur illam imitari, & nos in ipsa commendare.

CONTRARIETAS. Laboramus malis, quæ videmus ab antiquitate superata; hinc illi quasi victrici, nobisque fortiori triumphum decernimus: tacentur labores, & defectus, enumerantur tantum ad exemplum præclara gesta, vndè veneratio.

C PRINCIPIVM. In serie temporum antiqui sunt nobis loco capitis, à quo cæteræ partes accipiunt vim, & cui referunt obsequium: puriora putantur, & vegetiora omnia, minúsque contrarijs permixta, quæ sunt origini propinquiora. *Vide Virtus & Gloria Principij.*

MEDIVM. Vt constituatur entium series, in apice figuratur Deus actus primus, in infimo ad oppositum materia prima & privatio, medij sumus; sed qui nos præcedunt magis videntur accedere ad principij dignitatem. Si laboramus in mediorum inventione, hæc affatim suppeditabit antiquitatis scientia. Videmur instrumenta, quæ agunt & moventur vi antiquitatis, vndè illi etiam eorum quæ putamus superaddidisse: debetur gloria.

D FINIS. Dirigit nos in finem nostrum antiquitas; sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum: si sagitta esset rationis particeps, ageret gratias eam in scopum suum dirigenti, eumque gloriæ suæ anthorem agnosceret.

MAIORITAS. Gaudemus scire & videre antiqua, vt illorum cum nostris comparatione, dignoscamus in quo simus majores aut inferiores; nobis plaudamus de augmento, & in defectu spem concipiamus, artem discamus obtinendi quod alijs contigit: quod enim semel factum est, iterum fieri potest.

ÆQVALITAS. Habet antiquitas privilegium temporis, in quo ipsam æquare non possumus: sic ornamenta non æquant substantiæ bonum cui accidunt.

E MINORITAS. Quasi servi majorum reliquias colligimus, ijsque vescimur; nostram, quasi minorum tutelam gerunt. Miramur etiam diruta vetustatis monumenta, tales injurias tempori imputamus, decus præteritum veneramur; compatimur quasi filiali affectu malis, quæ nos ipsos necessario manent, & quibus nihil se subducit.

QVIES SENECTVTIS.

EXtrema tempora nobis impertiri debemus, vt ipsæ leges monent, quæ senem otio reddunt. Plin. secund. lib. 4. Epist.

Vbi ambigua est navigatio, naturæ solent antè solis occasum

Digitized by Google

occaſum vela ſubmittere: cur non vt plenus vitæ con-
viva recedis ?

Lex à quinquageſimo anno militem non cogit; à ſexageſimo ſenatorem non citat; difficilitis à ſe homines otium impetrant, quam à lege: nemo non procul ſpes intendit; quidam etiam quæ vltrà mortem ſunt diſponunt. &c. Seneca de brevit. vit. cap. vlt.

Satis per laborioſa & inquieta documenta exhibita virtus eſt, experire quid in otio faciunt; major pars ætatis Reipublicæ data eſt; aliquid temporis tibi aſſume, non vt ſegni, & inerti quiete, quidquid eſt in te indolis bonæ demergas, non eſt illud quieſcere, invenies majora quæ etiam repoſitus agites. Senec. de brevit. vitæ. cap. 18.

Cùm in conſummationem dignitatis per mille indignitates irrepſerint, miſera ſubit cogitatio, ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri: ſenectutem eo gravem judicant, quod illos ſeponit. Seneca de brevitate vit. cap. 19.

Turannius exactæ fuit diligentiæ ſenex, qui poſt annum nonageſimum, cum vacationem procurationis à C. Cæſare vltrò accepiſſet, componi ſe in lecto, & velut exanimem à circunſtante familiâ plangi iuſſit: lugebat domus otium Domini ſui, nec finivit ante triſtitiam, quam labor illi ſuus reſtitutus eſt: adeone juvat occupatum mori? Senec. de brevit. vit. cap. vlt.

Levitis præcipitur, vt à 50. anno recedant à miniſterio tabernaculi, deinde iam immunes contemplentur ſingula, bene actæ in cæremonijs vitæ præmium accipientes. Philo. lib. de profug.

De excuſationibus veteranorum. C. 5. t. 65,

Ætas 70. annorum excuſat à muneribus perſonalibus, ſed non patrimonialibus. l. ſi vltra C. de decur.

Agentes in rebus, poſt palmam laboris emeriti, creandi ſunt principes agendorum cum multis privilegijs. l. C. de princip. agendor. lib. 12.

Veteranis miſſio honeſta & plena conceditur. l. fin. C. de his qui non imple. ſtipen.

Septuagenarius à tutelâ excuſatur, ſi eam ætate exceſſerit, cum creatur; non ſi poſteà impleverit. l. 2. ff. de excuſat & l. vnic. C. qui ætate ſe excuſ.

Veterani qui honeſtè militiæ tempus expleverunt, vacationem habent à paganorum tutelis, ſed poſt annum tantum non habent à tutelâ filiorum veteranorum l. I. ff. de excuſat. Sic nihil tollitur à veteranorum commodo.

Liberta major quinquaginta annis operas præſtare patrono non cogitur. l. 35. ff. de oper. liberto.

Donum fortitudinis in patriâ, habebit actum perfruendi plenâ ſecuritate à laboribus & malis. D. Th. 22. q. 139. a. 1. ad 2.

Actus parientiæ in patriâ, non eſt ſuſtinere, ſicut eſt in viâ, ſed eſt frui bonis acquiſitis per eam. 22. q. 136. a. 1. ad 1.

Honeſta miſſio eſt, quæ tempore militiæ expleto datur. l. 13. ff. de re milit. *Vide Gloria Virtutis quies. Vide Gloria Finis.*

Mel ſi ſumatur ab ætate florentibus vertitur in bilem. Galen. lib. 3. de aliment. Si à ſenſibus in ſanguinem, vnde eſt illis accommodum.

Galenus lib. 2. de natural. facultatibus; quies & moderata voluptas ſenibus optima, in laboris ſolatium.

Caſſiodorus multis honoribus functus, ſub Theodorico Rege & ejus ſucceſſoribus tandem ætate provectus vitam monaſticam profeſſus eſt, in monaſterio à ſe extructo in Calabria, prope Syllam, vbi fœcundam fructibus ingenij ſenectutem duxit. Vide Baron. an. 562.

Edilredus Rex Anglorum, poſtquam regnavit an-

31. monaſticam vitam amplexus eſt, Regno ſucceſſori relicto. Baron. an. 704.

Chriſtus in Cana vinum optimum dat in fine convivij. Ioan. 2. Vnum & aliæ voluptates conceduntur ſenibus in ſolatium ſenectutis, quæ ipſamet eſt morbus.

SENES OTIO SE REDdant.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt bonorum, ſic ſui ipſius poteſt eſſe prodigalitas, ſi homo ſe dedat negotijs publicis, nullo ſervato ſibi vitæ tempore. Leges concedunt vacationem munerum à 60. anno; at quale beneficium, quod conſultè & ſapienter nolenti obtruditur. Apparet te non Reipublicæ, ſed tui gratia honores geſſiſſe, ſi illos retines, cum te, vt minus ſibi vtilem, honeſtè repellit.

MAGNITVDO. Vt integer ſit honor, integrum te à negotijs revoca, nec expectes proximos ætatis defectus, qui labem ante à bene geſtis inurant, famamque tuam peſſimâ concluſione commaculent. Vt omnes vitæ conditiones, vivendum tibi eſt depoſitâ dignitate; non vivit autem cui non ſupereſt integritas ſenſuum & animi; non eſt dejici, ſed eminere alijs poſſidenda relinquere; animoque majora, quam quæ habet fortuna, diù appetenti, tandem in ſacro receſſu concedere.

DVRATIO. Mundana omnia alternant vices, ſol occidit, & ſtellis permittit tempus quo luceant: ſatis diù functus es officijs, trade illa te ſequentibus, vt beneficio tuo emineant, non invidè expectato fato tuo. Temporalia geſſiſti, curam tuam nunc poſcunt æterna, quibus conquirendis, etiam longiſſima vita brevis eſt.

POTESTAS. Oſtendis te non poſſeſſum à dignitate, ſed illam poſſediſſe, cum ſic ex ratione deponis. da tibi integram libertatem, quam patriæ non potuiſti dare, vindica te à ſplendidâ hac ſervitute: quàm indignum amare compedes ſuos, & oblatam reſpuere libertatem! injuſtum eſt quia poſſediſti dignitates, velle ſemper eas poſſidere, ſic publica, quaſi vſucapere, & tui juris efficere.

COGNITIO. Si putas te valere conſilijs & agendorum experientia, his etiam vacans, potes fœliciter vti in bonum publicum, & operosâ quiete tibi alijſque proficere; ſic enim maturè recedens ab officio, relinquis juvenibus tempus, quo ſub oculis tuis, & ſub dirigente manu tuâ, illis rectè fungantur; vigentibus animis ſenilia infundens conſilia, fœlices inde effectus miraberis, & vt partus tuos diliges: At ſi non liceat officia niſi per mortem vacantia obtinere, pereunt in mortuo conſilia, pereunt acquiſitæ longa experientia notiones, qui ſuccedunt, ex improviſo promoventur, ignari rerum, diſpoſita deſtruunt, & timendo animi vigore, præter rationem nova moliuntur.

VOLVNTAS. Doce exemplo tuo dignitatem non ita anxiè quærendam, quin poſſit & ſapienter deſeri; aliquid eſſe melius, quod laboribus functis in præmium concedatur. Si ambitionem accendit concurrentium turba; ſedabit liberè ſecedentis otium.

VIRTVS. Doce virtutem non indigere hoc publicorum officiorum apparatu, ſeipſa, proprioque, non mutuato à fortuna ſplendore contentam eſſe. Sic li-

quidò apparebit virtute præditos ad officia promoveri, ſi depoſito officio tales appareant, ſic decorem afferes munere publico fungentibus: habebit quo ſe victus heroïca in lare etiam privato explicet, per opportuna conſilia. At ſi viribus per ætatem dilabentibus nolis dignitate ſpoliari, pluribus virtute præditis ad magna contendentibus viam obſtruis, fraudaturque Reſpublica futuris inde commodis.

VERITAS. Pudet Rempublicam ciuem de ſe benè meritum defectus & erroris arguere; ſatiùs illi viſum eſt de receſſu, quaſi præmij & quietis loco, monuiſſe. Verè autem id fit, quia languet virtus animi cum corpore, vnde niſi maturè recedas, aucta hebetudo, periculosè defectus ſuos non ſentiens, nec parens monitis, vi & imperio turpiter è ſede dejicietur.

GLORIA. Depoſitæ dignitatis retinentur nomen & privilegia, vt innatæ honoris cupiditati fiat ſatis; ſic emeritus ſedebis judex rerum publicarum, laudemque percipies etiam ex his quæ à tuo receſſu fœliciter geſtæ ſunt; putaberis enim aut bis initia dediſſe, aut eas bonis tuis conſiliis promoviſſe.

DIFFERENTIA. Diverſa rerum mutabilium facies quærit mobilem, verſatilem, & ad omnia paratum animum, qui vix reperitur in ſenibus, tardis, timidis, ex conſuetudine potiùs quam ex ratione agentibus, impenſiùs præteriti laudatoribus, & quorum, vt corporis, ſic animi vitia difficilè curantur. Ad certum naufragium navigas, ſi vela pro ventorum varietate, & ſcopulorum obicibus nolis inflecti.

CONCORDANTIA. Cum aliquem ex collegarum turba mors ſuſtulerit, ſubſtituentur juvenes, cum quibus indecorum eſt te ex æquo convenire, & in conſiliis vota conferre: ſi recedas maturè, honeſtius eris rerum agendarum arbiter, quam collega. Depoſito officio dulcius frueris veris amicis, cum amplius periculum non erit illos, juſtâ licet repulsâ offendere, aut ſpe vtilitatis allici.

CONTRARIETAS. Diù cum æqualium invidiâ, cum magnatorum potentiâ, cum familiarium & amicorum inexpleta cupitate certamen fuit; extrà hos tumultus, extrà hæc juſtitiæ imminentia pericula honeneſtè te reponit munerum vacatio: quos habuiſti virtutis tuæ hoſtes, habebis præcones.

A PRINCIPIVM. Omnia quæ compoſitionem ingrediuntur, ſolutâ compage, ad ſua redeunt principia; Ex privato lare te publicis immiſcuiſti rebus, redi nunc ad privatam vt prius vitam, & tunc cum vita adhuc frui licebit: motum rebus dando ſecutus es, vnde tibi defatigatio; nunc imitare intelligentias motrices, & indefeſſas, quia ſunt extra ſphæram quam movent. Melius rerum & publici hujus certaminis conditiones percipies, extrà poſitus.

MEDIVM. Fœlices Iovis & Solis influxus, ſed non conveniunt ſemper mundo variabili: optima poteſt eſſe tua regiminis forma, ſed fortaſsè mutatis rebus & perſonis non congruit; da locum novis tibi ſuccedentibus conſiliis, & permitte Rempublicam ad opus
B ſuum novis & acutioribus vti inſtrumentis.

FINIS. Vt motus omnis tendit ad quietem, ſic nemo ſapiens, qui poſt bella pacem, poſt negotia quietem, ſibi præmij loco non promittat: fruere optatis dum honeſtè licet, & inhoneſtè aliter privatis publiciſque votis non fieret ſatis. Alioquin quod publici boni causâ actum eſt à te, imputabitur ambitioni, terminum in quo deſinat non habenti: finem negotiis imponat, non adverſæ fortunæ, aut mortis neceſſitas, ſed pius quietis amor.

MAIORITAS. Ne credas adulantium vocibus, qui te dicunt regimini neceſſarium, qui fingunt te quaſi Athlantem, cœlum humeris geſtantem: vt ſtetit diù ſine te Reſpublica, & ſtabit; optimis ſuccedent meliores Miniſtri: ſic tibi blandiuntur, ſpe alicujus vtilitatis
C allecti; ſua, non tua quærunt commoda, quibus volunt te ſervire, etiam quietis & famæ tuæ diſpendio.

ÆQVALITAS. In dignitate conſtitutus multos habebis, & æquales & ſuperiores, paucos verò in otio, honeſtè functus muneribus: Commutativa juſtitia exigit vt hos honores viciſſim aliis fruendos relinquas: depoſitum vltrò redde repetenti Reipublicæ, non expectatâ naturæ aut fortunæ vi.

MINORITAS. Si vita ſuperſit, languida futura eſt ſenectus, turpiſque defectio; poſt multos errores patienter in te toletatos, tandem vt indignum ab officio pellent, cum ambitio nondum ſatiata, repulſam que ſuam indignè ferens, latentem infamiam omnium oculis propalabit.

DIFFERENTIA DVRATIONIS.

VARIA RERVM TEMPORA.

MISCELLANEA.

SI diurnarum aut nocturnarum horarum aquæ ductum habeam, non poſſum aliâ horâ ducere. l. 2. ff. de aquâ quotid.

Angeli ſunt ſuprà tempus, & ſuprà motum omnium corporalium: ntelligere tamen eorum eſt in tempore alio, illis proprio. q. 57. a. 2. ad 3. q. 53. a. 3. ad 1. q. 61. a. 2. quæſt. 63. art. 3.

Eſſe Angeli menſuratur ſæculo; cognitio naturaA lis tempore; ſed viſio beatâ æternitate. 1. quæſt. 10. art. 5. ad 1.

Duæ molentes in molâ, vna aſſumetur, altera relinquetur. Math. 24.

Plato 8. de Republicâ, probat omnia interitui ſubjecta eſſe; ſed res nobiliores, & vniverſales, vt Reſpublicæ, eſſe durabiliores. *Vide Majorit. Duration.*

Omnes motus & actiones naturales fiunt in certa temporis menſura, vt reſtitutiones corporum cœleſtium, fluxus & refluxus maris, latio gravium verſus

terram, & levium versus ambitum cœli, fit per certa momenta, pro ratione corporis quod fertur, & medij. Velificationes navium, motus animalium, perlationes missilium, omnes fiunt per tempora numerabilia: etiam visus, licet celerrimus, certo fit tempore, vt patet in his, quæ propter celeritatem motus non videntur, morbi pariter & remedia suos habent proprios limites, quos pervertere periculosum.

Prius & posterius in omni actione naturali notari debet, veluti quod in infusione Rhabarbari eliciatur purgativa vis prius, astrictiva post: sic in infusione violarum in acetum, primò excipitur suavis & delicatus floris odor, post pars floris magis terrea, quæ odorem confundit: At in distillatione aromatum maceratorum in spiritu vini, surgit primò phlegma aqueum, & inutile, deinde aqua plus habens de spiritu vini, deinde post aqua plus habens de aromate. *Vide Bonitas & Minoritas principij. initij.*

Ex eodem genere, quæ sunt in palustribus, priora germinant, mox campestria novissima in sylvis. Plin. lib. 16. cap. 25.

Quædam ligna in aquis, quædam in terra vitijs opportuniora. Ibid. cap. 40.

DIVERSIS QVARE DIversa ætas & duratio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Esse rei prima est eorum quæ illi accidunt regula; quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur; vt autem omnis essentia est in differentiâ specificâ & individuali; sic speciei est determinatus ætatis gradus, individua autem singula suum habent singularem.

MAGNITVDO. Vt non eandem quantitatem continuam, altitudinem scilicet, latitudinem, eandemque figuram, sic nec eundem annorum numerum: quædam perfectionem suam citò attingunt, & desinunt, cùm non possint vlteriùs progredi; sic homines magni ingenij sunt vt plurimùm brevioris vitæ: quædam diuturna tempore indigent.

DVRATIO. Sic quotidiè in individuis cujuslibet speciei videmus nativitatis progressus, mortis denique exempla: sic ratione durationis omnia sunt in omnibus, dum omnium specierum durationes, contingent in qualibet specie; sunt enim longævi homines, qui accedunt ad ætatem cervorum, alij nascendo moriuntur, vt ephemera: hæc multiplicitas efficit, vt sit quædam collectio omnium quæ fiunt in tempore præsenti, sicut in æternitate. In prioribus sæculis, ad propagationem necessariam, vita prolixior concedebatur,

POTESTAS. Quæ sunt in multitudine, sunt in ordine, diversasque accipiunt potentias, quarum ratione sunt subordinata, diversæ autem illæ potentiæ, quibus plus aut minus contrarijs resistitur, faciunt diversas durationes.

COGNITIO. Provt viget in animalibus instinctus, in hominibus ratio, qui sic sibi plus aut minus consulunt, sic plus aut minus durant; vnumquodque autem, pro tempetamenti qualitate, hujus lucis est particeps. Generationes fiunt non consilio, sed impetu, & fortuito agentis cum patiente congressu, hinc diversa vnicuique ætas, quia casus nihil certi facit.

VOLVNTAS. Sufficit ad existentiæ, vt boni commendationem, quod æqualiter ab omnibus appetatur, diversè autem obtinetur, non semper habitâ ratione speciei, quia creata nullum habent jus ad existentiam, sed arbitrio superioris causæ ad illam admittuntur, & ab illâ excluduntur. Si certa esset hominibus ætas, periculosius sævirent passiones omnes aut securitate temporis, aut desperatione contractis pravis habitibus; in finem vitæ dilata virtus non foret possibilis.

VIRTVS. Quæ plus agunt, citiùs consumuntur: singulis autem non est eadem activitatis regula; habent enim in se motus principium, qui se plùs aut minùs exerit, provt sese offerunt objecta.

VERITAS. Licet casus in rerum generatione, actionis progressu, denique in earum fine videatur prædominari; tamen prima sapientia horum omnium novit rationem. Nihil alio plus durat, nisi certâ quadam lege, quæ, cum Philosophiæ studio percipi potest, æquissima nobis apparet: Natura semper conatur ad imitationem perfectissimæ ideæ, semper tyrocinium agit, semper efformat & delet, impetu, provt se res offerunt, irregulari, nunquam intentum finem assecuta.

GLORIA. Omnia sunt hic in motu, nullaque quies, nequidem in præfixis existentiæ terminis, nulla consistentia, nulla securitas.

DIFFERENTIA. Vnumquodque compositum, est quasi parvus mundus, ab alio distinctus; sic non alienâ, sed propriâ lege stat, singularique defectu cadit.

CONCORDANTIA. Fit in vniverso carmen quoddam, quædam harmonia, constans longis, medijs, brevibus, nunquam sibi æqualibus, licet concordantibus existentijs; ignoto quidem nobis, mirabili tamen ordine dispositis.

CONTRARIETAS. Provt res pulsantur contrarijs, spoliantur suis qualitatibus; hoc autem contingit modis innumeris & indeterminatis: Ipsis regnis & vrbibus, statis quibusdam temporibus, accidunt bella, pestes, inundationes, conflagrationes: horum eventuum causam cœlo adscribunt Astrologi, qui genesim Regnorum, & civitatum, vt singulorum hominum observant.

PRINCIPIVM. Nascuntur singula sub cœlorum dominante influxu, nunquam bis in totum sibi simili: quod si plura nascantur eodem momento, diversitatem in illis facit, parentum, causarum, aëris, loci temperamentum. *Vide Princip. Durat.*

MEDIVM. Diversitatem etiam ætatis facit alimentorum diversitas, inæqualiter temperamentis conveniens.

FINIS. Vt in monstris, sic in quorundam præmaturo exitu, intentum suum obtinet natura, quæ posità tali dispositione existentiam vlterius progredi non patiebatur.

MAIORITAS. Inter spem & metum medij, non habemus quo nimis dejiciamur, aut elevemur, longiorem existentiam, sibi non convenientem nemo invideat, vt nec avium volatum.

ÆQVALITAS. Omni momento debet esse generationibus locus, vt sit perennis, primi & fœcundissimi actus imago; debet pariter omni momento esse locus mutationi, sic enim tantum recedit, quantum accedit, vt nihil deficiat, nihil exuberet, sicut in fluvijs & in mari, in quibus effluxus æquat accessionem: quod natura habet gravissimum, commune fecit, ad solatium; vt quisque suos manes patiatur, incerto semper limite, æquissima hæc inæqualibus inæqualitas.

MINORITAS. Sæpe defectum compensat prolixior duratio. vt in elementativis, quæ magis durant quàm viventia.

CONCORDANTIA DVRATIONIS.

QVÆ CONVENIANT IN DVRATIONE.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amici, qui amicitiam civilem fovent mutuis beneficijs, tandiùque sunt benefici, quandiù sperant par reddi posse.

MAGNITVDO. Aer coëxtenditur loco, & si sit in nos convenienti magnitudine, rarefit, ne detur vacuum.

DVRATIO. Charitas infirmis compassione se accommodat; lento, similique passu cum tardis graditur, donec vires vsu assumant.

POTESTAS. Gradus naturæ superiores tandiù durant, quandiù inferiores, vt vegetativum, quandiu elementativum: sensitivum, quandiu vegetativum. Contra in civilibus, tandiu durat inferior potestas, vt vicaria, quandiu superior. Mortuo rege, nova omnia; temporamento tamen opus est, ne nimia, extremaque mutatio nimis noceat.

COGNITIO. Duo oculi simul vident idem objectum, & alij particulares sensus percipiunt sua objecta, quandiu viget sensus communis; tandiu res corporeæ videntur, quandiu ab externa luce illustrantur; & mens hîc divina intelligit durante gratia cœlesti, in cœlo per lumen gloriæ, quod nunquam deficit.

VOLVNTAS. Amor amorem parit, & conservat: nescit non amare, qui se scit amari: Contra læsus amor in furorem vertitur.

VIRTVS. Virtutis & gloriæ avidi, simul perseverant in benè gerendis, generosâ quadam æmulatione; sic Deo sacri per vota, simul fideliter institutis suis inhærent; sic in bello milites, turba se generosius implicant periculis: Turpius enim esset, inter tot fortiter ineuntes certamen, fugam capessere.

VERITAS. Leges positivæ conantur imitari perpetuitatem legis naturalis immutabilis: ideò penitùs ab illa non discedunt: sic sapientes Principes, judices, à prolato semel judicio vix recedunt, ne videantur primò ab æternâ immutabili veritate aberrasse.

GLORIA. Concordant in æqualiter immortali fama. Heroës in historijs. Sancti in Ecclesiæ publico cultu. Beatorum æqualiter immortalis in cœlo fœlicitas. Aulici sui Principis fortunam sequuntur.

DIFFERENTIA. Luna similiter semper mutabilis: inferiorum alteratio pendet à diverso superiorum influxu, in suis enim mutationibus elementa cœlum sequuntur.

CONCORDANTIA. Populus commercium exercet, cum his, cum quibus Princeps inijt fœdus: Iura sanguinis æqualiter ex consanguineorum partibus, nullo jure civili, dirimi possunt.

CONTRARIETAS. Eadem est ratio de bello, vt de commercio: Ij, quorum interest, vnitis viribus pugnant contrà hostem communem, timetque vnusquisque deficere, ne divisi facilius successivè deleatur.

PRINCIPIVM. Parentes simul fovent partus, donec adolescant: pupillis dantur tutores, legesque restitutionem in integrum læsis offerunt, donec fiant majores.

MEDIVM. Tandiù durant instrumenta, & coâgunt, quandiù sunt vtilia; eâ ratione, à perfecta concameratione, tolluntur arcuata supposita ligna. Vena vmbilicalis nato puero exsiccatur. &c. *Vide Finis Medij.*

FINIS. Cum pluta ad locum naturalem perveniunt, firmiter illi inhærent, omnia mortua in eo conveniunt, quòd à privatione ad habitum non redeant.

MAIORITAS. Cœli, plantæ, elementa, species, conveniunt in eo quod eminentem, quem natura dedit locum, sibi servent, indèque nunquam excidant.

ÆQVALITAS semper permanet in quibusdam paribus membris; vt inter duos pedes, oculos, brachia, &c. duo pôli, æquinoctialis circulus, motus cœlorum regularis.

MINORITAS. Coveniunt in infœlicitatis duratione, dæmones, damnati, rei pœnæ in perpetuum, morbo incurabili laborantes. Æquat omnes cinis. Præterita omnia, sive parva, sive magna, concordant in eo quòd æqualiter sunt in numero non existentium.

Digitized by Google

CONTRARIETAS DVRATIONIS.

QVÆ SVNT CONTRARIA CONTINVATIONI.

MISCELLANEA.

Vide Finis Durationis.

VErtigo eſt affectio, qua omnia circumagi videntur, à tenui & calido vapore per arterias in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans, & variè impellens, turbulentos ſenſus, motuſque reddit. Fernel. A

Raritas eſt qualitas ſecunda, orta à calore, per quam partes elementi extenuantur, magis reſolvuntur, & diſſipabiles fiunt.

Bilis confluens in ventriculum, facit ægros nauſeabundos. *Vide Minoritas Durationis. Principium & Medium Differentiæ.*

Cauſa quæ impedit aliquid inchoari, ex poſt facto ſuperveniens, illud deſtruit. §. Si autem aliquid, in auth. quando, oport. Epiſcopos. B

Pacta de hereditate viventis inita reprobantur, quia inducunt votum captandæ mortis. l. fin. Cod. de pact.

Ædificia negotiandi causâ demoliri, & marmora detrahere prohibitum eſt. l. 2. C. de ædific. privat.

Contraria ſunt durationi bella, de quibus vide ff. de re militari, & bello; Venena, vide. C. de maleſ. & mathemat: doli. vide ff. de dolo mal. & ad l. aquil. vide de vi privat. de injurijs, de famoſis libellis, & ſic de cæteris criminibus, quæ omnia ad deſtructionem tendunt. C

Bonum eſt adverſari durationi, ſeu continuationi, ſi ipſa duratio ſit alicujus mali, quod adverſetur, bonitati, magnitudini, durationi, poteſtati. &c. Adverſamur autem illi per bonitatem, cum mala fides beneficijs placatur, ſic dæmonibus offerebantur ſacrificia: per magnitudinem, vt cum terrenti ſpatium aperimus innoxium, quo effluat; per durationem, cùm mora laſſamus pertinacem malitiam; per poteſtatem, cùm imperio potentioris coërcetur, per cognitionem, cum arte fallitur; per voluntatem, cùm amore, per virtutem virtutis ſpecie; per veritatem, cùm publica lex opponitur; per gloriam, vanitatis ſpe: per differentiam diverſione; per concordantiam cum re, cui nocere non vult; per contrarietatem aperta vi, aut excitata partium ſeditione; per Principium impediendo influxum cauſæ, à qua pendet; per medium, auferendo media & inſtrumenta; per finem, expectando laſſitudinis quædam intervalla; per Majoritatem oblata rei majoris ſpe; aut ſi ſupra malitiam, in alium elevetur quo pertingere non poſſit, aut ſi vni parte majora dentur, quæ aliarum invidiam concitent; per æqualitatem, ſpes eſt ſanitatis in morbo, ſi ejus acceſſiones non ſint exactè regulares; per minoritatem, humiliatione ſic in extremis animalia ſe fingunt mortua. D

Tom. I.

QVÆ DVRATIONI ADverſantur.

DEMONSTRATIO.

BOnitas. Liberalitas effuſa citò exhauritur: Minus durant fœcundiſſimè prolifica, vt paſſeres odorifera pleno aëri expoſita, vacuantur citò tenuioribus gratiſſimis illis quas exhalant partibus. *Vide Majoris Bonitat.*

Magnitvdo. Nimia extenſio in laminas tenues, efficit vt duriſſima metalla rumpantur, à ventris tanquam folia circumferantur, in pulverem redacta facilius abſumantur: Elata vix durant, quia vbi ad ſummum pervenere, caſui ſunt proximiora; ſic exactiſſimam ſanitatem ex improviſo morbus conterit; ex altiſſima fortuna præcipitium eſt; feriunt ſummos fulmina montes. *Vide Finis Magnitudinis.*

Dvratio. Saturnus fingitur vorare proprios filios, quia dies diem abſumit; & cum poſitus ſit omnibus terminus, quo plus eſt præteriti, minus eſt futuri: niſi opportunè captetur occaſio, præterit nuſquam reditura. Motam multæ res non patiuntur. *Vide Minorit. Dur.*

Potestas. Qui prævalent viribus & fortitudine, vt plurimum minùs durant, quia ſe multis periculis exponunt, cadunt non proprio defectu, ſed alienâ vi.

Cognitio. Humana ſapientia fallax, ſeipſam implicat, nectit laqueos, quibus ipſam & comprehenditur: multi fato aſtrologico ſcrupulosè inimis fidentes fatum ſibi fecere. *Vide Major. Cog. Mal.* Occulti ſunt theſauri, ne vi, dolo, furto auferantur. In latebris, bonis, vitæ, virtuti ſecuritas; in magna luce periculum. Studioſi brevioris ſunt vitæ. *Vide Major. Cog. Mal.*

Volvntas. Paſſiones omnes augent mali ſenſum, ita vt multi minus laborent ejus tolerantia, quàm metu & falſis amoris odij, iræ, timoris imaginibus. Amor ſpoliat amantem bonis, & interdum vitâ, quia efficit vt amans non ſibi, ſed amato vivat; vnde ex ſui natura mors eſt.

Virtvs. Fortitudo ſæpius ſobijcitur periculis, cum quibus intrepida congreditur. Virtus heroica, poſthabitis privatis commodis, publicæ vacat vtilitati.

Veritas odium & injurias parit; teſtantur hoc multi juſtitiæ, & fidei divinæ martyres: lex pro communi bono deſtruit particulare: expedit ſæpe vnum

ſtinctu, ſibi vtilia aut nociva ſubitò percipiunt; ſic quilibet homo ſcriptam in corde legem naturalem ſinè conſultatione percipit.

Gloria. Omnes actiones ſuas natura promovet voluptatis illicio; oculos ſtatim rapit pulchritudo, aures muſica; ad deliciosè deguſtatum ruit affectus; honoris & triumphi ſpes martem accendit; quod ſupereſt virium profundit viator quieti proximus.

Differentia. Magna moles per partes diviſa citiùs movetur; magnum opus facilè fit, ſi ſingulæ partes aſſignentur: magnum onus citiùs vehitur, pluribus parvis navibus; ſolutis vinculis libera citiùs agunt, ſic citiùs intelliget anima poſt diſceſſum à corpore.

Concordantia. Iucundus comes in via pro vehiculo eſt: etiam tardum ad certamen accendit commilitonum ruens turba, pudet cedere, & præeuntes non ſequi, ſub tot teſtium oculis: medicamento miſceetur vehiculum, quo citiùs operetur; ſic ſanguis celeriùs fluit ope permixti flegmatis.

Contrarietas. Ardentiorem facit ignem, aquæ levis aſperſio; ſic ad conſpectum contrarij conſopitas vires exſuſſitat, & auget natura; eadem arte miniſtris quo diligentiùs agant dantur æmuli. Stimulis incitatur animalium curſus; metus legum & dura neceſſitas greſſum accelerat; eadem enim celeritas, qua natura fugit dolorem, prodeſt ad intenti conſecutionem.

Principivm. In omni compoſito eſt pars infirmior, quæ habet rationem materiæ moroſæ & patientis; alia vero habet rationem formæ, actum, vini, A & celeritatem imprimentis. Omnis in naturâ celeritas à cœlo, & igne, motu, influxu, actione celerrimis, Alacritas virtutis à gratiâ divinâ.

Medivm. Equo, vehiculo, nave, Angelo transferente, vt Habacuc, iter celerius conficitur. Alis vtuntur aves, pinnis piſces, velis & remis naves; cervis, leporibus, canibus, compoſitum ad celeritatem corpus; naturæ productiones acceleramus, fimo, vino, fæce, calce, cæteriſque calidis, ſunt machinæ innumeræ ad motus accelerationem.

Finis. Quæ plus à centro immobili recedunt, citiùs moventur, vt videre eſt in mechanicis: at contrà eſt in moralibus, finis enim intentio cauſat illius deſiderium, moræ impatiens.

Maioritas. Majora dignitate, mole, virtute, præeunt, præponderant incitant, movent ſe & alia ad effectus ſibi convenientes. B

Æqvalitas. Æqualium æmulatio, virtutis ſtimulus; claudicant, moramque patiuntur qui inæquali ſunt pede; ſic aves æqualibus alis ponderantur, aëremque citius findunt; galeræ æquali hinc inde remorum vi & numero: Certantium ardor extinguitur invidiâ, ſi immeritò aliqui præ cæteris præmientur; juſtitia autem diſtributiva anima eſt munerum civilium.

Minoritas. Arenæ, paleæ, folia, aliaque minoris & lævioris quantitatis citiùs à vento rapiuntur. Qui in oculis ſuis ſunt minimi velociùs aguntur à Spiritu ſancto: minori rerum temporalium curâ oneratus, celeri magis greſſu viam cœli peragit.

PRINCIPIVM DVRATIONIS

CAVSÆ CONTINVATIONIS.

MISCELLANEA.

RAtio prima longioris vitæ, eſt abundantia humidi viſcoſi, & copia ſanguinis, quâ impeditur ne nativus calor abſumat humidum radicale; ideò diuturnioris vitæ ſunt animalia terreſtria quam aquatilia, aut volatilia, & plantæ quam animalia. Secunda, apta præcipuarum partium inter ſe, ſecundum temperiem, proportio, vt in animalibus, cerebri, cordis & hepatis. Tertia, ſobrius victus in cibo & potu, alimenti enim copiâ ſuffocatur calor naturalis, & inde crudinates & morbi. Quarta, facilis egeſtio ſuperfluitatum quæ putreſcunt, niſi pateat exitus.

Fortior planetarum, qui Lunæ aut Mercurio horoſcopo juncti ſunt, facit mores clariores, & durabiliores. Origan.

Oſſa ſunt pro ſtabilimento corporis, quaſi ædificij fundamenta, & navis carina.

Corpora quæcumque vivunt & aluntur, oleoſo humore prædita ſunt.

Plato in Timæo introducit mundi genitorem, ad cæteros Deos ſic loquentem. Vos eſtis quidem diſſolubiles naturâ, voluntate tamen meâ nolente quod A pulchrum eſt deſtruere, fatum non ſubibitis, &c.

Idem in Tæteto ſolem vocat catenam auream, quia ejus circuitu omnia amicè complexa conſervantur.

Inanimata, vt lapides, metalla, quia non agunt, & minùs repatiuntur, diutiùs durant quàm animalia, homo minùs quàm arbores; inter illas frugiferæ minùs quàm aliæ; & plantæ excellentioris virtutis minùs quàm arbores.

Quælibet res conſervatur, per continuatum cauſarum ſuperiorum influxum, per partium concordantiam, cum non exceditur terminus, durationi à naturâ poſitus; denique cum non impugnatur à potentioribus contrariis, quæ illam in ſe convertant. B

Cervarum ſanguis nunquam ſpiſſatur, quia caret fibris quæ ſunt terræ opificium. Ariſt. 2. de partib. anima 4.

Ars perpetua eſt, certis ſuis inhærens præceptis, naturam imitatur ſemper eandem, vt ab immutabili intellectu directam.

Motus cujuſque remiſſio fit per impotentiam: motus cujuſvis continui cauſa motiva eſt æterna, & vna.

Terra mixtis corporibus, ſoliditatis & conſtantiæ A cauſam adfert.

Cor primum vivens, & vltimum moriens, quia ſibi primò largitur vitam, cujus habet in ſe principium.

Aquæ ſtillaticiæ, quia ſunt puriores, minùs putreſcunt. Scaliger exercit. 60. num. 3.

Quæ ſint cauſæ inconſtantiæ. *Vide Durat. Virtutis Repugnat.*

Cœlum empyreum, licet motu careat, influit tamen in inferiora, & illis aliquid fixum & ſtabile largitur, vt puta continendi & perſiſtendi vim. Vt enim perpetuitas motuum inferiorum reducitur in motum cœli vniformem, tanquam in cauſam: Ita permanentia eſſe ſubſtantialis inferiorum habebit etiam in cœleſti mundo aliquam cauſam; hæc autem non videtur eſſe alia, quam virtus dimiſſa à corpore, maximè ſtabili, motuque omni vacante, quale eſt cœlum Empyreum. Sic ex D. Thoma. 1. q. 66. a. 3. & ex D. Dyonifio c. 8. de cœleſti Hierarchi. Angeli ſuperiores qui B aſſiſtunt Deo, influunt in inferiores, qui mittuntur.

Conſtantis effectus conſtans debet eſſe cauſa. Sic Columbus primus in littore Luſitanico obſervavit ventum quendam ſtatis anni temporibus ab alto flare, vnde conjecturam fecit eſſe humefactas terras, à quibus procederet, ſic illas navigatione quæſivit, & adinvenit.

Non tam facilè intereunt, quæ non facilè fuerunt producta; ſic non tam facilè intereunt plantæ in terra ſicca & arida productæ; non tam facilè defluunt pili in ciliis & palpebris nati; ſic Æthiopes quibus ob ſiccitatem parvi & retorridi ſunt capilli, non facilè calveſcunt. Galenus lib. 11. de vſu partium.

Præcipua vis eſt Saturni & Iovis in annuis; Martis & Solis, Veneris & Mercurij in menſtruis: Lunæ vero tranſitus in diurnis. Ptolomæus prædict. Aſtrol. lib. 4. cap. vlt.

EX THEOLOGIA.

SI Deus ſubtraheret actionem ſuam, omnia ſubitò annihilarentur. D. Thom. 1. quæſt. 8. art. 1. & q. 9. a. 2.

In divinis æternitas appropriatur Patri, pulchritudo Filio, vſus verò Spiritui S. 1. q. 98. a. 8.

Cauſa conſervativa duplex, ſcilicet directè & per ſe; vel indirectè & per accidens, ſicut quod removet vel impedit actionem corrumpentis. 1. q. 104. art. 1. & 2.

Nulla creatura eſt cauſa activa alterius, quoad novam formam, vel diſpoſitionem ſine mutatione, ſed conſervat ſine mutatione. 1. q. 104. a 2. ad 3.

In materiâ cœli, non eſt potentia ad corruptionem, quia forma ejus excludit omnem privationem. 1. q. 9. a.

Confiteri fidem in periculo mortis, non eſt tantum fidei, ſed indiget auxilio virtutis fortitudinis, & gratiâ ſacramentali confirmationis. 2. 2. q. 3. a. 1. ad 2.

Vna creatura conſervat aliam per ſe, & per accidens, & ratiò magis, quantò eſt altior, & primæ cauſæ proximior, quæ principaliter conſervat. 1. q. 104. a. 1.

Nulli creaturæ communicari poteſt, vt conſervetur in eſſe, ſine Deo. 1. q. 14. a. 1. ad 2.

Creaturæ ſecundum ſe ſunt tenebræ, falſitas, & poſſunt deficere à bono, id eſt ab eſſe, niſi à Deo conſerventur. 1. 2. q. 109. a. 1. ad 2. q. 5. a. 1. ad 2.

Beati & damnati ſubduntur legi æternæ, per quam conſervantur in beatitudine & miſeriâ. 1. 2. q. 93. a. 6. ad 3.

Nullius creaturæ liberum arbitrium poteſt naturaliter eſſe confirmatum in bono, ſed tantum ex gratiâ. 1. q. 63. a. 1.

Poſt reſurrectionem corpora erunt incorruptibilia, non naturâ quinti corporis, id eſt cœli, ſed ex dominio animæ ſuprà corpus. 1. q. 97. a. 3.

Nemo perſeverantiam poteſt mereri, quia eſt quoddam principium gratiæ, ejus conſervatio, & continua creatio. 1. 2. q. 114. a. 6.

D. Dionyſius de nominib. divin. dicit quod Deus eſt in ſe vita eſſentialis, & cauſalis tripliciter, ſcilicet vt exemplaris, efficiens, & finalis.

Deus eſt per ſe omnino indiſſolubilis, quia ipſe vnitas ſtatuſque eſt: corpora vero ex elementis compoſita prorſus ſunt diſſolubilia, quoniam in eis & multitudo vnitatem, & motus ſuperat ſtatum. Angeli vero, animæ, ſphæræ, ſtellæ ſunt indiſſolubiles, quia in ipſis vnitas ſtatuſque multitudinem motumque exuperat: & hic eſt nodus divinus, quo Deus per ſe ſolubilia indiſſolubilia conſervat. Vnitas ſtatus eſt fundamentum, quia ſicut in multitudinem motus progreditur, ſic vnitati ſtatus innititur; ſtare enim dicitur vnaquæque natura, quæ vnum habitum continuè poſſidet: vndè Deus non poteſt mutari nec in pejùs, nec in meliùs, quia eſt infinita bonitas, ſeipſum infinitè poſſidens, excedens omnia; ſine præterito & futuro, quæ admixtam habent impotentiam, quia præteritum deſiit, futurum nondum eſt, &c. Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 3. cap. 1.

EX BIBLIIS.

GEneſ. 1. Deus dicit rebus creatis. Creſcite, multiplicamini, & replete terram.

Arbor vitæ in medio paradiſi, quæ vitam diuturnam & hilarem præſtitiſſet.

C Deus dat mannæ aſſervatæ in Sabbathum & in arcâ, vt non corrumperetur. Exod. 16.

Sic vt veſtimenta filiorum Iſraël in deſerto non fuerint conſumpta.

Moyſes ſuadens populo legis obſervationem, dicit de Deo. Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. Deuter. 30.

Deus dicit Salomoni 3. Reg. 3. Si cuſtodieris mandata mea, longos faciam dies tuos.

Math. 5. Chriſtus dicit Apoſtolis, Vos eſtis ſal terræ.

Numquid poteſt vivere juncus, abſque humore, aut creſcere ſine aquis, cum adhuc ſit in flore, ſi carpiatur manu, ante omnes herbas areſcit; ſic viæ omnium qui obliviſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribunt. Sicut tela aranearum fiducia ejus, innitetur ſuper domum ſuam, & non ſtabit, fulcier eam & non conſurget. Iob. 8.

D Qui facit ventis pondus, & aquas appendit in menſurâ. Iob. 28.

Deus quærit à Iob. c. 38. de cujus vtero egreſſa eſt glacies, gelu de cœlo quis genuit? in ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.

Parvulus datus eſt nobis, &c. ſuper ſolium David ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitiâ vſque in ſempiternum. Iſay. 9.

Quis hæc operatus eſt, & vocans generationes ab exordio: ego Dominus primus & noviſſimus ego ſum Iſay. 41.

Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non ſum confuſus; Ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iſay. 50.

Quis tu vt timeas ab homine mortali, & à filio ho-

minis, qui quaſi fœnum areſcit, & oblitus es Domini Creatoris tui. Iſay. 51.

Si abſtuleris offendicula tua à facie meâ, non commoveberis. Ierem. 4.

Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes ejus. Thren. 3.

Ezech. 2. dicitur: Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum; & ingreſſus in me ſpiritus ſtatuit me ſuprà pedes meos.

Væ paſtoribus qui paſcunt ſeipſos, & diſpergunt gregem meum: ego ipſe paſcam oves meas, quod confractum fuerit alligabo, quod infirmum conſolidabo, quod pingue & forte cuſtodiam & paſcam. Ezech. 34.

Aquæ de ſanctuario egrediuntur, & irrigant arbores, quarum folia & fructus non deficiunt. Ezech. 47.

De juſto dicitur Pſal. 14. qui facit hæc non movebitur in æternum.

Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear. Pſal. 15.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moveantur veſtigia mea. Pſal. 16.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet. Pſal. 18.

Vitam petiit à te & tribuiſti longitudinem dierum, in ſæculum ſæculi. Pſal. 20.

Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordiâ altiſſimi non commovebitur. Pſal. 20.

Miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ, vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum. Pſal. 22.

Vniverſi qui ſuſtinent te non confundentur. Pſal. 24.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: in petrâ exaltavit me. Pſal. 26.

Verbo Domini cœli firmati ſunt. Pſal. 32.

Brachia peccatoris conterentur; confirmat autem juſtos Dominus. Pſalm. 36. Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit; non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.

Dominus amat judicium, non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſervabuntur. Pſal. 13. Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fœcis, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Pſal. 39. Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum: Deus fundavit eam in æternum. Pſal. 47. Non dabit in æternum fluctuationem juſto. Pſal. 54. Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula, protegar in velamento alarum tuarum. Pſal. 60.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalvator meus, non movebor ampliùs: verumtamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea. Pſal. 61. Quia ipſe Deus meus adjutor meus, non emigrabo. Ibidem. Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Pſal. 65.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Pſal. 67. Tu confirmaſti in virtute tuâ mare; contribulaſti capita Draconum in aquis. Pſal. 73. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus. Pſal. 74.

Inveni David ſervum meum; brachium meum confortabit eum; nihil proficiet inimicus in eo, &c. Pſal. 88. Etenim firmabit orbem terræ qui non commovebitur. Pſal. 9.

Si dicebam motus eſt pes meus, miſericordia tua adjuvabat me. Pſal. 93.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Pſal. 10.

Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Pſal. 118. Veniat ſuper me miſericordia tua Domine; & reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperavi in ſermonibus tuis. In generationem & generationem veritas tua, fundaſti terram & permanet; ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi: à judiciis tuis non declinavi, quia tu legem poſuiſti mihi. Pſal. 118.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Pſal. 124.

Lauda Ieruſalem Dominum, quoniam confortavit ſeras portarum tuarum. Pſal. 147.

In timore Domini fiducia fortitudinis. Proverb. 14.

Ieſus ſanat lunaticum. Math. 17.

Deus dat conſtantiam in remunerationem eleemoſynæ. *Vide Gloria Bonit.* ex Bibliis.

Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. 2. Corinth. 4.

Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti; ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiorem hominem: Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, &c. Epheſ. 3.

Conſtans virtus eſt à Deo. *Vide Duratio Virtutis.*

De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus rectores tenebrarum. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare, &c. Epheſ. 6.

Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria. 1. Timoth. 1. *Vide Principium Virtut.* Deus.

QVÆ SINT CAVSÆ conſervationis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Nobilitas ſubſtantiæ eſt cauſa durationis; vt in Deo æternitas: in Angelis, in animâ rationali, quia cum ſubſtantia ſpiritualis, non ſit compoſita ex contrariis, nec à materiâ pendens, ex ſe eſt incorruptibilis.

MAGNITVDO. Quæ ſunt in magnâ quantitate meliùs reſiſtunt ſuis contrariis, ſic vnitis viribus ſe protegunt; Maria & fluvij non exſiccantur vt gutta aquæ. Iuſtitia conſervatur in magno officiariorum numero, qui ſic difficiliùs corrumpuntur.

DVRATIO. Eſt cauſa durationis, cum ex conſuetudine contrahuntur habitus, jura præſcriptione, & vt fluvius ſolito currit alveo.

COGNITIO. Sine luminis vivifico calore putreſcerent omnia in mundo: dum prudentia rebus dicit ordinem, dat conſervationem. Vis conſilij expers, mole ruit ſuâ. Lumen non ſubjacet corruptioni, ſcientiæ opera ſunt æterna: ſcientia verſatur circa æterna & immutabilia; ideo ejus concluſiones ſunt æternæ veritatis.

VOLVNTAS. Amor efficit vt opus non deſeratur, æternum ſe & ſemper duraturum profitetur: naturalis inclinatio ſemper durat, poteſt leniri non penitùs tolli.

VIRTVS. Immortalis eſt in hominum memoria; du-

cit ad immortalem gloriam fortitudo immutabilis in A prósperis & in adversis ; quælibet virtus dicit habitum difficilè mobilem.

Veritas. Æterna est, & immutabilis in Dei præscientiâ, & decretis, in libro vitæ, in legibus æternis & immutabili[illegible]turæ, in oraculis, scripturis sanctis, &c.

Gloria. Beatorum immutabilis: Corpora sunt immota in suis centris. Voluptas, honor, remuneratio, dant laboribus perseverantiam: statuæ, sepulchra, historiæ famam conservant immortalem.

Differentia. Semina exurgunt, & conservant speciem, dispersa; ordo est causa conservationis, vt confusio dissolutionis; limites agris positi, qui suum vnicuique conservant: In operis continuatione, diversitate quadam reficiendus est animus. In composito partes vtiles conservantur, si separentur à malis. B

Concordantia. Compositum omne seu naturale, seu civile conservatur: vita diuturnior ex optimo temperamento. Fœlix cœli influxus, cum planetæ amicas sibi in Zodiaco sedes obtinent; aliisque sibi amicis configurantur.

Contrarietas. Vim vi repellendo conservat. Non stat Respublica sine armis, & sine justitiâ vltrice; animal sine irascibili, arbor sine durâ cortice, virtus sine austeritate, sanitas sine exercitatione & medicamentis; oportet hæreses esse, &c.

Principium. In semine sunt causæ sanitatis aut C morbi: vt quæ ab initio non valent ex post facto convalescere non possunt: sic à contrario. Scaturigo, vnde perennes fluunt fontes, & fluvij. Immobile super quo durat motus. Materia prima incorruptibilis est fundamentum generationum, causa autem est motus perpetuus cœlorum.

Medium. Moderata durant, cætera citò pereunt: Non subsistit vita sine alimento, Respublica sine ministris, & commerciis, ars sine instrumentis; terra sine aëre, cœli influxus afferente; corpus sine influentibus spiritibus, &c. omne compositum stat, medio quodam partes suas vniente.

Finis. Constanter appetitur sine deliberatione; D ejus intentio dat actioni perseverantiam: A privatione ad habitum non datur regressus.

Maioritas. Est causa durationis in quantum superat vires contrarij oppugnantis: vt robusta sanitas non læditur à lævi aëris, aut alimentorum injuriâ. Altissimi montes, suprà mediam aëris regionem, in quibus pulveri inscripta semper remanent; magna virtus supra invidiam. Vt sit perseverantia in negotio, debent vires illud excedere.

Æqualitas. Iustitia restituit omnia ad æqualitatem harmonicam, vt omnia conservet, positis duobus æqualibus contrariis, non agent in invicem, sic conservabuntur, nec destruentur mutuâ pugnâ. Æqualitas est similitudo vnitatis, quæ semper durat, & est E æterna: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt erunt æqualia.

Minoritas. Humilitas est firmissimum virtutis & tranquillitatis fundamentum: qui sibi nihil deberi putat, auferentibus aut negantibus non irascitur; nihil perdit, qui nihil possidet: materia prima ignobilior compositi pars, est incorruptibilis; quies Religiosa, punctum, vnitas divisionem non patiuntur; obedientiæ securitas, ægri à bellis immunes.

VNDE PROCEDIT MORA

Micellanea.

STupor continuus denotat intemperiem frigidam & humidam cerebri: lassitudo & corporis gravitas fit sæpius ex nimiâ repletione.

Successio in motu fit propter resistentiam contrarij, vnde quæ non habent contrarium fiunt in instanti, vt introductio formæ substantialis, illuminatio.

Motus si fieret in vacuo, esset successivus, quia successio fit propter distantiam terminorum. B

Mora fit aut propter resistentiam contrarij patientis, aut propter debilem virtutem agentis, qui ne exhauriatur virium profusione, illas sic moderatur, vt tantùm morâ reparet, quantùm in actione consumit. Interdum indeficiens bonitas influxus suos lentè stillat, vt se accommodet captui recipientium. *Vide Durat. Bonit.*

Animal non vtrinque dentatum ruminat.

Frigiditas duplex, vna mortificativa, altera complexionalis, quæ impedit ne aliquid effluat; est causa gravitatis.

Gula est tantum in animalibus quæ indigent pulmone, propter reciprocationem spiritus; est enim C motus contrarius, & ad contrarios terminos, in quo mora necessaria. Arist. 3. de partib. animal. 3.

Calor solus operatur ad formam introducendam in omnibus compositis, sed frigus ad constantiam partium materiæ, ne dissolvantur à calore.

Motus velocis aut tardi hæ sunt quatuor causæ, aut diversitas ejus per quod est motus; aut diversitas dispositionis moti in se; aut dispositionis motoris; aut dispositionis ejus ad quod est motus. Averroës. *Vide Bonit. Durat. Mora.*

Qui in futurum vsuras à debitore accipit, tacitè videtur pacisci ne intrà id tempus sortem petat. l. 57. ff. de pact. D

Ob vim majorem, extremamque paupertatem induciæ conceduntur debitoribus; sic in bello, ob communia quædam vtrique parti incommoda.

Lien peculiare cursus impedimentum, quamobrem inuritur cursorum laborantibus. Plin. lib. 11. cap. 37.

QVÆ SIT CAVSA

Moræ.

DEMONSTRATIO.

HAnc demonstrationem proximè absolvimus. *Tit. Contrar. Durat.* Enumerando ea quæ moræ contrariantur; tamen illam adhuc retentare placet artis probandæ causa.

Bonitas. Vt esse rei præmissis multis ad materiæ dispositionem alterationibus acquiritur: sic actiones suas sensim dispensat; quia nimis subitæ non essent nec illi, nec recipienti convenientes.

Magnitvdo. Dilatio imitatur extensionem & rarefactionem, quæ quantitatem, si non augent, saltem videntur augere. Magna successivè unum fieri possunt, & recipi: alimentum etiam famelico corpori sensim administratur, sensim digeritur.

Magnitvdo. Omnis naturalis fit ad instar acqui-

ſitionis per alluvionem, quæ eſt latens & lentum incrementum. A

Dvratio. Majori tempore opus eſt ad ſtabilienda ea, quæ volumus eſſe diuturniora: ſic enim vis activa penetrat vſque ad vltimas paſſi contrarij qualitates; hinc magis duratura longiori tempore perficiuntur. *Vide Magnit. Duration.* Omnia ſucceſſivè fiunt, cùm ſint in tempore ſucceſſivo: ſenes ſunt moroſi, timidi; quia in illis deficit ignita juventutis vis.

Potestas. Quæ ſui juris ſunt, non effundunt omnes vires ſuas in actione: beſtiæ minori cum impetu quam elementa agunt; homo, gaudens libertate, ſuarumque actionum dominus, ſe magis temperat, accedit magis ad Deum, qui cum ſit omnipotens, tamen ſe toto non agit, ſed ſucceſſive animas creat. B

Cognitio. Prudentiæ proprium eſt moras trahere; vt exactiſſimam habeat rerum cognitionem. *Vide Durat. Cognit.* Mundus naturalis & civilis facti videntur ad ſpectaculum, cujus varia pulchritudo, non niſi diuturna contemplatione percipi poteſt.

Volvntas. Auget æſtimationem, & accendit amorem, opportuna dilatio; deſideria enim in contrarium magis nituntur: Vileſcunt oblata, & raritas dat rebus prætium.

Virtvs. Perfecta, ex ratione, dilationibus vtitur, non timens auram popularem; maturo ſemper, & non populari greſſu procedit: danda ſunt viribus intervalla quibus exhauſtæ reficiantur. In famæ ſuæ damnum laborat, pictor, orator, poëta, in damnum C publicum Princeps, ſi non liceat vltimam manum operi ſuo ex intervallis inſpecto adhibere.

Veritas. Fallunt nos ſplendida ex novitate rerum initia, licet infirmitatis habeant plurimum; Veritas ſcientiæ, amicitiæ, virtutis, judicij, longo conſtat experimento. Cunctator eſſe debet qui judicat de ſalute, quia executioni mandata ſententia non poteſt corrigi. In illa diſcuſſione, ſi non ſis, videris tamen veritatis amator.

Gloria. Senſatio, etiam gratiſſimi ſenſibus objecti, non fit momento: Convivia dapes ſuas, ſpectacula ſuos apparatus, datis quibuſdam intervalis, ordinatè explicant. Non ſorbentur, ſed placidè deguſtantur deliuoſa.

Differentia. In his inferioribus, nihil pulchrum, nihil bonum, niſi benè ordinatum; ordo autem vt rerum, ſic temporis diſtinctionem poſcit, vt abſit tumultus & confuſio.

Concordantia. Diù deliberandum de amico, cui te, tuaque commitas. Harmonia ſeu vocum ſeu motuum cœleſtium, conſtat proportionata partium ſucceſſione. Exercitui datur ordo, vt quædam agmina prius quam alia pugnent. In anguſtijs concurſus facit moram.

Contrarietas. Differtur bellum, donec conveniens inſtructum ſit apparatu. Debilitata à morbo, aut a vi quaſibet externa, lentè progrediuntur. Differtur ad gravius ſupplicium Dei vindicta. Captanda occaſio infirmitatis, in quam impunè vires ſæviant.

Principivm. Violentus motus tardior eſt quo magis ab impellente recedit. Tardiorem motum habent ſpheræ, non à primo mobili, ſed à ſeipſis. Non ita concitatus torrentium impetus in planis, à montibus vnde cadunt multum diſſitis. Tardiora ad virtutem, ab Eccleſiæ initiis, dicuntur eſſe ſæcula. Tardiora Reipublicæ, quia à pluribus pendent, negotia, quam Monarchiæ.

Medivm. Præcipites Principis motus ſiſtit ſenum miniſtrorum prudentia. Multo tempore opus eſt in his, quæ multorum inſtrumentorum ope perficiuntur: hinc dolent politici, de lentâ ſubiti etiam conſilij executione, quæ plurium manibus fieri debet.

Finis. Primus in intentione, vltimus in executione, propter media, quibus anteà vti neceſſe eſt. Non daretur, nec exiſtentiis, nec actionibus locus, niſi eſſet illa inter initium & finem diſtantia.

Maioritas. Longiori tempore altiora conſcenduntur; plura non niſi ſucceſſive poſſumus aſſequi; ex rerum multiplicitate, tempus multiplicandum.

Æqvalitas. Retardatur quorumdam profectus, propter æquales in officio, æquali paſſu non valentes progredi. Sic ex equis currum trahentibus, velociores frænis continentur.

Minoritas. Lentè parvuli gradiuntur; lentè tyrones operantur: Infirmitas vt plurimum eſt moræ cauſa, ſic metus, continet enim ne incidat in pericula.

MEDIVM DVRATIONIS.

QVIBVS MEDIIS HABETVR CONSERVATIO.

DEMONSTRATIO.

QVæ ſint quædam caduca, quædam æterna; natura non æternis, ſed caducis duntaxat, vim generandi & procreandi ſibi ſimile tribuit, vt rerum illarum interitui generatio ſuccurreret, & quæ in individuo ſunt peritura, in ſpecie conſerventur. A

Noſter ignis indiget pabulo. Sic cometæ & aliæ impreſſiones ignitæ aluntur exhalatione calida, humida, vnctuoſa.

Plato 4. de Republ. probat non divitiis ſed virtute ſalvari Rempublicam.

Medicina ſanitatem conſervat & reſtaurat amiſſam; ſic pœnitentia virtutem. Tres ſunt ad prolongandam vitam intentiones; retardatio conſumptionis; probitas reparationis; & renovatio ejus quod cœpit veteraſcere. Conſervantur enim res dupliciter, aut in identitate ſua, aut per reparationem.

Vt qui ex limo, aut alia maſſa humida animal effingunt, firmo aliquo ſubdito corpore, obducunt,

atque efformant: sic carnosis partibus ossa subjacent, aut flectendi gratiâ si moventur, aut conservandi causa si immobilia sint. Arles 2. de part. anim. 9.

Absinthium calidum siccum servat pannos à tineis, & chartas librorum à corruptione. Albert. Mag.

Adipe pinguium liquida resistunt frigori, vt equi & suis: gluten pinguetudini anseris ferro calido commixtum non gelatur.

Montes per transversum arandi, ne pinguedo in valles descendat.

Calor naturalis fugit cibum quo alitur, vt ignis oleum in lampade.

Cometarum durationem adjuvat exhalatio, quæ ab inferiori parte sursum elevatur.

In œconomiâ viri est acquirere, mulieris verò conservare.

Animalia felle carentia sunt longioris vitæ, vt Cervus, Camelus, Delphinus.

Fructus immaturos paleæ emolliunt, & concoctos non putrefaciunt, quia palea est calida, & attrahens suo calore concoquit, & per eam vim attrahendi saniem omnem sevocat, & imputridos servat. Aristot.

Cum vis generationis sit à generante, materia tamen incrementum a menstruo accipit. Albert. Mag.

Nihil seipsum generat, sed postquam generatum est, se auget.

Vivunt diutiùs, qui ætatem agunt in locis calidis, quia natura sunt sicciore: firmius enim, & diuturnius est quod siccum est; mors autem est quædam putredo.

Aurum cadavera, ligna & cætera à corruptione diutissimè tuetur.

Arbores plus durant quam animalia, quia singulis annis emittunt novos ramos qui vivaciter attrahunt alimentum, & sic renovant veteres ramos, per quos transit.

Res conservantur primò frigore, qui continet spiritus ne effluant. Astrictione, vnde liquores vnctuosi minus corrumpuntur quam alij: quando est corpus humidum, debet exponi aëri; vt humidum, quod est causa corruptionis, consumatur. Motus impedit corruptionem in aquis, id tritico, in corporibus nostris, per exercitationem. Appositione etiam rerum, quarum spiritus sunt validiores, vt salis, & aromatum; quidam asserunt senes iuuenescere iuvenum contactu, quasi vividos illorum spiritus, exsiccata materia attrahat; sic David habuit Sunamitidem. Danique consumptâ humiditate putrefactio impeditur, vt in fructibus igne exsiccatis, vt in cadaveribus in cripta tholozæ, ex subterraneo sulphure exsiccante.

Religionis veneratio conservat Respublicas: thesauri olim in templis asservau.

Cùm agitur de aggressione, non verò de conservatione, potest aliquid fortunæ committi, tunc enim lenta prosunt consilia, scilicet in conservando.

Famæ æternitas ab historijs & typis librarijs.

In corpore partes fluxiores, quas moveri non est absurdum, continentur à solidioribus, quæ neque moventur, neque solvuntur.

Pix prohibet aquam subire ligna, eaque putrefacere; sic oleo illita vix putrefiunt. Acetum servat.

Sulphur est balsamum terræ, quod nihil sinit putrescere. Paracel.

Medicina sanitatem conservans; iurisprudentia ius suum cuique reddens; concupiscibilis & irascibilis ad individui conservationem.

Mediocritas conservat Rempublicam. *Vide Virtus Medij.*

Aristot. polit. lib. 5 cap. 8. plures modos assignat conservandi Rempublicam. *Vide Durat. Potest.* Nihil movere ex antiquis institutis. Maximè cavendum ab eo quod serpit, & ab ijs quæ populo finguntur.

Rectè gubernatores se regant adversus eos qui reguntur; non sint diuturni Magistratus, sint sine lucrone nimium; eos populus ambiat; census augeantur aut minuantur pro necessitate; Coërcenda est potentia divitum & nobilium, ne nimiùm extollantur.

Idem Oeconomic. lib. 1. c. 3. probat conjunctionem maris & fœminæ esse naturalem, quia communis est animantibus; & necessariam, vt per eam natura circuitum adimpleat sempiternum, efficiens secundum speciem, quod non potest secundum numerum. Aristot. Ibid.

Tardius canitiem sentiunt, qui quotidiè oleo sylvestri perunguntur. Marbiol.

Mumia qua Ægyptij condiebant cadavera mortuorum, est bitumen quoddam simile pici, mixtæ cum asphalto. Idem.

Si granata florem non continet, arboris truncum plumbeo conclude circulo, vel anguis corio involve. Servantur punica mala toto anno incorrupta, si cùm ferè matura fuerint, branchiolis quibus pendent, intorqueantur in arbore. Idem.

Dipsacus, seu labrum veneris, *Chardon à Cardet.* Folia habet concava in quibus imber, aut ros asservantur. Idem.

Artes omnes ijsdem præceptis augentur, & conservantur, quibus primò stabilitæ sunt.

Cœli etiam si sint corruptibiles, propter materiam communem rebus sublunaribus; tamen sunt incorruptibiles, protegente Deo, & per certas qualitates illis ab eo inditas: Sic homo armis tectus fit invulnerabilis.

Cum diutissimè durare soleant ignes subterranei, non sufficit illis pro pabulo aliquid tenue, & spirituosum, quod facilè consumatur, sed solidum aliquid, vt carbones fossiles, terræ combustibiles, salpetra, naphtha, sulphur, terra sulphurea bitu minosa, & cætera id genus.

Cinerum operâ diutissimè servantur prunæ, quia cineres liberant eas offensione aëris, fuligini patefaciunt exitum, servant qualitates igni amicas, calorem & siccitatem.

Sanguine nutrimur, cæteri humores sunt potiùs ad corpus movendum, aut temperandum, quàm nutriendum.

Ossa corpori firmitatem tribuunt, & rectitudinem. os est pars corporis nostri maximè omnium terrestris, ob idque frigidissima, durissima, siccissima, & quæ nervos non suscipit, sensus expers.

Retentio in corpore fit ab omnibus fibris, simul contractis, circà id quod continent; rectæ attrahunt, obliquæ retinent.

Siccitas valet ad duritiem, proindè ad firmitatem rei viventis.

Plantæ infirmæ, solida quærunt quibus sustententur; vt hædera, vitis, volubilis omnes species, sigillum. B. Mariæ, caprifolium, &c.

Qui maximè sunt humidi & calidi sunt longævi; habet enim alimentum calor. Hipocr. lib. de sanit. tuendâ. cap. 5.

Sanitas conservatur medijs omnibus, naturæ optimæ convenientibus, & perverso temperamento modicè contrarijs. Ab omnibus passionibus abstinendum, timore, irâ, effuso gaudio; nutritio & vacuatio debet esse conveniens.

Postquam ossa fracta aut luxata in suis locis reposita sunt, fascijs sunt, diligenter alliganda, & in optimo

ſitu conſtituenda, vt in convenienti & debitâ proportióne permaneant.

Romani milites ante conflictum, omnem quam habebant pecuniam apud ſigna deponebant, cuſtodiæ causâ.

Aſſerit Galenus eum à veneno fore immunem, qui quotidie theriacâ vteretur. Sic vſus Mithridates, nunquam ſe potuit veneno interimere. Galen. lib. 1. de antidot.

Limacibus & cæteris conchiliatis, ob teneritudinem, non conveniebat domus minùs ſolida.

Homini nudo naſcenti, natura dedit triplex præſidium, rationem ad inveniendum, ſermonem ad petendum auxilium, & manum ad fabricanda omnia inſtrumenta: dum autem eſt in cunis, ſubvenit illi pietas parentum.

Proprius vſus oſſium eſt continere partes corporis ne ſuccidant. Hipocrat. 2. de morb. popularib. refert puerum ſine oſſibus natum, corpore in cæteris benè conformato, ſed ad quatuor tantum digitos longo, & quod brevi mortuum eſt.

Arteria cùm ſanguinem ferat calidiſſimum & violentum, ad eum continendum duplici conſtat tunicâ.

Omnia in ſuis proprijs locis conſervantur; ſanguis tantum in venâ manet liquidus, diù etiam in mortuo animali; alibi, etiam in corde, concreſcit.

Tendones in muſculis ſerviunt, non vt primariò dent motum, qui procedit à nervis, ſed vt eum conſtantiorem reddant; vnde partes, quarum motus eſt continuus, vt muſculi oculorum, habent tendonem.

Exercitus figura ſphærica potentiſſima eſt ad reſiſtendum, ſic enim milites ſunt magis vniti, vultu vndequaque ad hoſtem converſo, ſimul tecti & inſtructi.

Armis divitiæ, regna, ipſæque leges proteguntur.

Aſtringintia addunt robur retentrici potentiæ.

Iecur habet convenientiam cum corde per arterias, & venam cavam; cum cerebro per nervos; cum ventriculo, inteſtinis, & ſplene, per ramos ſplenicos & meſenterij; denique omnes corporis partes habent cum eo convenientiam, vt omnes officiarij regni cum quæſtore.

Duæ glandes proſtates conſervant in ſe jam perfectum & emiſſum à teſticulis ſemen.

Coſtæ ad protegendas partes vitales: pericardium eſt, quaſi capſula cordis cum aqua ad temperandum ejus ardorem: cranium protegit cerebrum: membranæ peritonij in regione inferiori, pleura in ſubcoſtali, dura mater in capite, impediunt ne partes nobiliores lædantur: ſicut membranæ fœtum in vtero cingentes; ſic milites pro principum cuſtodia.

Parùm proſunt naves bellicæ, niſi ſint portus apti ad illas recipiendas.

Stationes militum, ſemper ſunt foſſis & aggeribus muniendæ.

Deprædatio multa parvo tempore conſumit, vnde non eſt permittenda militibus, in locis in quibus morari oportet.

Obſeſſi continentur in fide, ſpe auxilij proximi, boniſque ſparſis rumoribus.

Denſitas eſt qualitas ſecunda, orta à frigore, per quam partes elementi fiunt compactiores, firmiores, minùs diſſipabiles.

In mixto frigus calorem conſumentem temperat, & humido denſitatem debitam addit, vndè conſiſtentia major; hæc operatur terra, quæ cohibet fluiditatem aëris & aquæ; idemque efficiunt ſenes in conſilijs iuvenum.

Dulcia propter nimiam humiditatem citiùs putreſcunt, quam acetoſa: facilùs metu, quam amore

A continetur imperium.

Vita longæva exiſtit, ſi calidum & humidum ſint in iuſtâ proportione: & ſi humidum non ſit aqueum, ſed aëreum, pingue, lentum, benignum, benèque compactum: Calidum quoque non igneum, non acre nimis; ſed benignum & blandum: ſic quercus eſt annoſa, quia habet humidum benè compactum; ſalix autem & alnus non item, quia habent humidum aquoſum.

Diſcutiuntur difficulter, quæ craſſo conſtant humore.

Vt negotium in longum protrahatur, debet pluribus per partes committi, qui mutuò ab invicem expectent vltimam Principis voluntatem, interim res
B in eodem ſtatu permanet.

In animalibus generationis cupiditas; in adultis animabus flagrans docendi cupido.

Quæ ſint media ſingulorum Principiorum bonitatis, magnitudinis &c. Vide in ſingulis ipſorum combinationibus. *Vt Medium Bonitatis. Medium Magnitud. Medium Poteſt.*

Cauſas diverſas corruptionis. *Vide Minoritas Durationis.*

Fibræ tranſverſæ in vna ventriculi tunica, & in alijs partibus, ſunt inſtrumentum retentivæ, facultatis: ſicut fibræ rectæ attrahentis. Galenus lib. 3. de naturalibus facultatibus.

C Vt ſemen plantæ primò deorſum radices mittit, vndè ſibi conveniens ſugat alimentum; ſic ſemen animalis in vtero venas & arterias ſibi ad nutritionem producit, & qualis eſt ſurſum vergens truncus in plantis, tales ſunt in fœtibus à tribus principijs exortus. Idem lib. 1. de ſemine.

Depoſita in templis. *Vide Poteſtas Virtutis.* de immunitate Religionis. *Vide Medium Poteſtatis.*

Interitus rei arcetur per reductionem ejus ad principia. Sic reformantur Reſpublicæ & congregationes.

Tres ſunt ad prolongandam vitam intentiones: retardatio conſumptionis, probitas reparationis, & renovatio ejus quod cœpit veteraſcere.

Arbores diutiùs durant quam animalia, quia ſemper creſcunt, novaſque frondes emittunt, quæ vivaciùs attrahunt alimentum, quo interim truncus &
D cæteræ partes vetuſtiores perfunduntur; at corpus animalis cum ad juſtam pervenit magnitudinem non ampliùs creſcit.

Corpora conſervantur conſumpto humido aqueo, quod eſt corruptionis principium, aut ſiccando in aperto aëre in fumo, in igne, aut admiſtione calidi, vt ſalis, & aromatum calidiorum, à quibus conſumitur humidum: ſic incorrupta manent ſepulta corpora in quibuſdam caveis, vnde exhalat vapor calidus, ſulphureus, & vbi eſt maxima ſiccitas, quæ corporis humorem exugit; ſic incorruptæ manent muſcæ ſepultæ in electro, aut arborum gummis. Multa ad hanc rem vide apud Bacon. in hiſtoria vitæ & mortis.

E Magna quantitas res conſervat. *Vide Poteſtas Magnitudinis.*

Remora, qui naves dicitur ſiſtere, fertur etiam eſſe veneficium ad cætera omnia ſiſtenda. Plin. lib. 9 cap. 25.

Multis animantibus dentes ſunt in os vergentes, ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum. Similes aſpidi & ſerpentibus. Idem lib. 11. cap. 37.

Lignum cedrinum, aliquandiù immerſum mari, duritie incorruptâ ſpiſſatur. Idem lib. 13. cap. 15.

Ferunt lapides, intrà arbores ætate comprehenſos & inventos, ad continendos partus eſſe remedio. Idem lib. 16. c. 39.

Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum, jampridem traſlatus eſt, tabulis æreis; in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur. Idem libro 34. cap. 9.

Lapidem Alabaſtriten cavant ad vaſa vnguentaria, quoniam optimè ſervare incorrupta dicitur. Idem lib. 36. c. 8.

Æetites, prægnanti in ſuperiori parte appenſus, continet partum. Ibidem c. 21.

EX IVRE CIVILI & Canonico.

DE annonis civilibus C. 11. tit. 24.
De capitatione & tributis. C. 10. tit. 16.
De canone frumentario vrbis Romæ. C. 11. tit. 22.
De argenti prætio, quod theſauris infertur. C. 10. tit. 76.
De conditis in publicis horreis. C. 10. 26.
Depoſiti vel contrà ff. 16. t. 3. C. 4. 34.
Nautæ, caupones, ſtabularij, vt recepta reſtituant. ff. 4. tit. 9.
De primipilo Cod. 12. tit. 63.
De officio quæſtoris ff. 13. tit. 13. Cod. 1. 33. Novell. 80.
De theſauris. C. 10. tit. 15.
De tritico, vino, & oleo legato. ff. 33. tit. 6.
De depoſito. Decret. lib. 3. tit. 18.
De eo qui mittitur in poſſeſſionem, causâ rei ſervandæ decr. lib. 2. t. 15.
De officio ſacriſtæ. Decr. lib. 1. tit. 16.
De officio cuſtodis. Decr. lib. 1. tit. 27.
De ſequeſtratione poſſeſſionum & fructuum. Decret. 2. tit. 17.

Romæ quæſtor curam gerebat ærarij publici, pecuniæque publicæ conquirendæ, & conſervandæ. l. vnic. ff. de offic. quæſt.

Res receptæ cenſentur, licet non expreſsè nautarum, cauponum &c. cuſtodiæ demandatæ ſint, ſed tantum immiſſæ. l. 1. ff. de nautæ caup. ſtabul.

Vſusfructuarius, quoniam omnes fructus rei percipit, debet in fundo id facere quod facit bonus paterfamilias, ædes ſartas rectas habeat, fundum rectè colat, in locum demortuarum arborum alias ſubſtituat; ideo debet ſatisdare, ſe boni viri arbitratu fruiturum l. 13. ff. de vſufruct.

Cui datur actio ad ſolutum repetendum fortiùs datur remedium, vt re integrâ ſervetur indemnis. l. frater à fratre. verſ. ſi extraneo ff. de condict. indeb.

Capto ab hoſtibus debet dari curator, ad bona conſervanda, ne interim diſſipentur. l. 3. C. de poſtul.

Impenſæ neceſſariæ ſunt, quæ ſi factæ non ſint, res aut peribit, aut deterior futura ſit l. 79. ff. de verb. ſignif.

Qui curavit ſervum alienum, habet actionem negotiorum geſtorum. l. 10. C. de negot. geſt.

Licet quis neget aliquem eſſe filium ſuum, non poteſt ei denegare alimenta. l. penult. C. de pat. poteſt.

Actiones omnes, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ judicio, ſalvæ permanent. l. 182. ff. de Reg. jur.

Alimentis legatis, continentur cibaria, & potus, veſtitus, habitatio, quia ſinè his corpus ali non poteſt, ſed non continentur ea quæ ad diſciplinam pertinent, niſi illud teſtatorem ſenſiſſe probet. l. legatis, & l. ſeq. ff. de aliment. & cibar. leg.

Si mihi areæ vſusfructus legatus ſit, poſſum caſam ibi ædificare, cuſtodiæ causâ earum rerum quæ in area ſunt libr. 73. ff. de vſufr.

Magna ſunt privilegia primipili; eximitur enim à tutelâ lib. 8. ff. de excuſ. Sic menſores frumentorum lib. 26. eodem: etiam qui ſunt de collegio piſtorum. l. 46. eodem.

Legatum incertum relictum, in his quæ alimenta reſpiciunt, valet l. 12. ff. de legat. & fideicomm. vt hæredi mandatum, doceat ſervum liberum factum artem, vndè ſe tueri poſſit.

Paſcua deputata ad vſum fundi, & cum eo vno nomine nuncupata, legato fundi cedunt. l. 20. §. 7. de inſt. vel inſt. legato.

Servis proprijs poteſt relinqui legatum in causâ alimentorum. l. 17. ff. eodem.

Servi alieni, etiam damnati in metallum, poſſunt recipere legatum alimentorum. l. 3. ff. de his quæ pro non ſcript. habent.

Deportatis liberis, poteſt mater relinquere alimenta teſtamento. l. 16. ff. de interdict. & relegat.

Epiſcopi ſunt, qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus, quotidiè ad victum neceſſarijs; eſt que perſonale munus. l. 18. §. 7. ff. de muneribus & honoribus.

Qui magnas naves inſtruunt ad annonam populi, habent vacationem munerum, tempore quo naves navigant. l. 3. ff. de vacat. & excuſat. muner. & l. 5. §. 3. ff. de jure immunit.

Portus appellatus eſt concluſus locus, quo importantur merces, & indè exportantur. l. 59. ff. de verb. ſignif.

Verbum vivere, non ſolum ad cibum, ſed ad veſtimenta & ſtramenta extenditur l. 234. eodem.

De futuris alimentis non poteſt tranſigi, quia exilibus pendet vita hominis. l. 8. C. de tranſact.

Stipendia militis non poſſunt capi in ſolutum rei judicatæ l. 4. C. de execut. rei judic.

Capto ab hoſtibus debet dari curator, ſub idoneo fidejuſſore, ad bona conſervanda, ne diſſipentur. l. 3. C. de poſtlim. rever.

Magiſtratus victui neceſſaria debent procurare, & curam ſartorum tectorum, murorum, publicorumque operum habere. Novel. 17. cap. 4.

Tributa etiam in Eccleſiis, citrà ſeditionem poſſunt exigi, quia militibus, privatis, ipſiſmet templis, cunctæque Reipublicæ hæc exactio vtilis, & neceſſaria eſt. Novell. 17. c. 7.

Clericus artificiolo ſuo, aut agricultrâ, victum ſibi quærat, ſine officij ſui detrimento. ex Concil. Carthag. 4. can. Clericus diſt. 91.

Epiſcopus debet tertiam partem reditum reparationi Eccleſiarum. 10. q. 3. c. priſcis.

Sacriſtæ officium eſt, vaſa ſacra & quæ pertinent ad miniſterium Eccleſiæ, ſub diacono cuſtodire. cap. vt ſciat. de officio ſacriſtæ; & ſeq. tit. de officio. cuſtodis.

Epiſcopus nullum debet ordinare clericum, niſi det illi vndè vivere poſſit. cap. non liceat, de præbend. & dignit.

Euchariſtia & Criſma debent diligenter ſub clavibus cuſtodiri. cap. ſtatuimus, de cuſtodiâ Euchariſt.

Formalitates juris neceſſariæ, vt actus legitimi habeantur; inſinuationes neceſſariæ ad validitatem donationis.

EX THEOLOGIA.

BOni Angeli poſſunt imprimere in intellectum noſtrum, illum confortando. D. Thom. 1. q. 111. a. 1.

Singulis ſpeciebus rerum corruptibilium deputan-

Digitized by Google

tur ſinguli Angeli; ſicut cæteris individuis incorruptibilium, ſcilicet hominibus 1. q. 110. a. 1. ad 3. 113. a. 2.

Deus conſervat aliquas creaturas, mediantibus alijs cauſis. 1. q. 104. a. 1.

Euchariſtia facit omnem effectum vitæ ſpiritualis, ad ſimilitudinem cibi corporalis, quia ſuſtentat, auget, reparat, & delectat. 3. q. 79. a. 1. & 8.

Vſus venereorum ordinatur ab bonum commune, ideo ſubjacet legi, quia bona communia cadunt ſub lege. 2. 2. a. 54. a. 4.

Lignum vitę conſervabat immortalitatem in Adam, per ſolam fortificationem virtutis; alij vero cibi reſtaurando deperditum. 1. q. 97. a. 4.

Cauſa principalis immortalitatis Adæ erat virtus ſupernaturalis ei data, non autem lignum vitæ, ſed tamen erat coadjuvans. ibidem.

Mulier facta fuit in adjutorium viri, quoad generationem tantum, nam in cæteris meliùs adjuvatur vita per virum, quam per mulierem. 1. q. 92. a. 1.

Vtile erat vt aliqui fideles locum in familia Imperatoris haberent, ſic S. Sebaſtianus vtiliter latitabat in domo Diocletiani, vt deficientes in tormentis confortaret. 2. 2. q. 10. a. 10. 2.

Creatura poteſt fieri impeccabilis vnione hypoſtaticâ, clarâ Dei viſione, & ſpeciali Dei aſſiſtentiâ.

Homo in ſtatu innocentiæ, cum vitæ animalis fuiſſet, cibis indiguiſſet, non tamen poſt reſurrectionem 1. q. 97. a. 3.

Non tandum habitualis, ſed & actualis gratia neceſſaria eſt ad perſeverandum in bonis 2. 2. q. 137. a. 4. eſtque donum Spiritus S. q. 139.

Dantur in lege divinâ præcepta fortitudinis, ne homo propter corporis pericula à Dei cultu averteretur 2. 2. q. 140. a. 1.

De Sacramento confirmationis. *Vide Duratio Virtutis.*

EX BIBLIIS.

ROgavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Luc. 22.

Appatet Angelus confortans Ieſum in oratione. Luc. 22.

Lignum vitæ in medio paradiſi. Gen. 2.

Poſuit Dominus ſignum in Caïn, vt nemo eum interficeret. Gen. 4.

Hebræi ſervati ab Angelo vaſtatore, liniendo poſtes ſanguine Agni. Exod. 12.

Sic ſalvantur ſignati ſigno T. Ezech. 9. *Vide Med. Gloria.*

Laſſas manus Moyſis ſuſtentat Aaron & Hur, quouſque vincatur Amalech. Exod. 17.

MEDIA DVRATIO CVM res non attingit ſolitum exiſtentiæ terminum, ſed in medio deficit.

MORS IVVENIS.

QVidam fluvij terrâ ſorbentur, nec ad mare perveniunt.

Plemnæi omnes filij, ad primum vagitum animam agebant. Pauſanias in Corinthiac.

Ex quatuor primis mundi incolis, junior & innocentior Abel primus deceſſit.

Soleo vita dum propagatur finiri; dum adhuc ordirer ſuccidit me. Iſay. 38.

Vita non eſt annorum numero metienda.

Inter lineas quæ ab eodem puncto ad idem redeunt perfectè circularis brevior eſt.

Anima hic peregrina, ad æterna properans, noluit longum habere in corpore hoſpitium. Brevis ætas ſufficit ad explenda munera, quorum gratiâ hic ſumus.

Alexander maximè laudatur, quod juvenis tam præclara geſſerit. Age Deo gratias quod vitam conceſſerit, non quod depoſitum repetierit.

Segetem nimia ſternit vbertas, rami fructuum onere franguntur; & ad maturitatem non venit nimia fœcunditas. Magni artificis eſt, clauſiſſe totum in exiguo.

Natura rebus, vſus alimentique gratiâ paratis, ſæcula annoſque tribuit: flores odoreſque in diem gignit, magna, vt palam eſt, admiratione hominum, quæ ſpectatiſſimè florent celerrimè marceſſere. Plinius lib. 21. natur. hiſt. cap. 20.

Obſervatum eſt celeriùs occidere feſtinatam maturitatem, & eſſe neſcio quam, quæ ſpes tantas decerpat, invidiam; ne videlicet vltrà quam homini datum eſt noſtra provehantur. Quintilianus inſtitut. oratoriar. lib. 6. in proœmio mortem deflens. filij ſui.

Angeli qui ſunt in ſphæris, non mutantur, quia ſine labore, & cum beatitudine opus ſuum exequuntur; hic autem oportet homines Dei Sacerdotes in templo mundano ſibi ſuccedere, & tantò celeriùs, quantò plus laboraverint Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib. 16. c. 7.

In mundo, vt in foro publico; quod eſt optimum citiùs tollitur. Non diſtinguit ætates mors, æqualiter ſurda, cæca, & crudelis: ex contrarijs principijs fiunt omnia, ex lite & diſcordiâ ſecundum Heraclitum: vt ergo moriuntur ſenes, debent mori infantes, & medij juvenes. Nulla hic ſine contrarijs ſuis terminis quantitas: nulli ſine medio termini.

Non immaturus deceſſit, vixit enim quantum debuit vivere: non vna hominibus ſenectus eſt: diſpar cuique vivendi facultas data eſt. Nemo nimis citò moritur, qui victurus diutiùs non fuit: fixus eſt cuique terminus; tulit ſuum, metaſque dati pervenit ad ævi. Senec. in conſol. ad Marciam. c. 20.

Iuvenis morieris, optimum eſt antequam optes mori: non citamur ex cenſu, nec exigitur numerus annorum, & impuberes & adoleſcentes eadem fati neceſſitas ducit: optimum eſt mori, cum juvat vivere.

Quicumque ad extremum fati ſui venit, ſenex moritur; non enim refert quæ ſit hominis ætas, ſed quæ meta. Fortaſſis alicui malo ſubduxit illum fortuna, ſi nulli alij, certè vel ſenectuti. Seneca lib. de remed. fort.

Placita Deo erat anima ejus, ideo propera vit eam educere de medio iniquitatis, ne longo vitæ itinere, devijs oberraret anfractibus D. Hieron. ſuper obitu Bleſillæ filiæ. Epiſt. 35.

Quem ex his feliciorem arbitraris, quem ſegnes foverunt venti, aut Malacia lentiſſimo tædio laſſavit, an quem pertinaces venti celerrimè pertulerunt.

In æſtimatione damni per l. Aquiliam habetur ratio tantum præteriti, quanti ſcilicet ea res eo anno fuerit; vt ſi puer ſit occiſus; nihil de futuro. l. 25. §. 6. ff. ad l. aquil.

De conſolatione parentum in immaturâ filiorum morte. *Vide Duratio Virtutis.* de remedijs fortuitorum.

Oleum

Oleum elicitur gratius ex olivâ immaturâ, abundantius ex maturâ: optima autem ætas ad decerpendum, inter copiam, bonitatemque, incipiente baccâ nigrescere. Plin. lib. 15. cap. 1.

Tenues cibi parum nutriunt, crassi obstructiones generant: vnde optimi sunt mediæ cujusdam consistentiæ. Galenus lib. de Euchymiâ, & Cacochymiâ.

MEDIA PERMANENtia & consistentia.

CAstorem & Pollucem geminos alternâ morte & vitâ vtentes fingebant Poëtæ, quia ex Deo immortali, & muliere mortali nati dicebantur. Sic homo constans animâ immortali, & corpore mortali.

Angeli in suis actibus & motibus non habent æternitatem infinitam, quæ sit tota simul, absque vllâ successione collecta. Sed habent ævum medium inter æternitatem divinam, & tempus mundanum.

Lex naturæ est aliquo modo mutabilis in quantum pro necessitate temporum aliqua ei adduntur, aut subtrahuntur. D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5.

Vt cibus ægris, ita leges civitatibus sunt mutandæ. Plato. 4. de Rep.

In eâdem sphærâ diversi observantur motus, alij, aliis celeriores, aut tardiores.

In animâ mundi duplex potentia, vna corporũ motrix, præceps; alia intellectualis, tardior. ex Platon.

Plato lib. 11. de legib. dicit animam à Deo accipere vitam mediam, ex æternitate temporeque compositam: inquâ, cœli instar, substantia quidem semper manet, actio verò & affectio fluit semper.

Cherubim alas habent, & tamen pedibus insistunt aræ. Exod. 25. Angeli alati ascendunt per scalam Iacob. Gen. 28.

Circuitus cœlorum, febrium, morborum chronicorum, popularium, legum, consuetudinum, hæresum, fluctuum maris, inferiora mutant esse, cœlestia tantum situm. Omnia mutantur, nihil interit: quantum naturæ, nec minuitur nec augetur.

Aaër habet levitatem & gravitatem, quia est medium inter extrema: prævalet gravitas ex humido, super lenitatem ex calore.

Motus non subsistat, sine velocitate & tarditate.

Totus mundi globus conflatus est ex substantiâ & accidente: substantia est aut corruptibilis, aut incorruptibilis.

Accidentis natura est mutabilis, tamen non transit de subjecto in subjectum.

Sphæræ cœlestes, tùm toto permanent, tùm partibus; sphæræ elementorum, non omnibus partibus, sed toto; composita denique nec toto, nec partibus permanent.

Mundus licet sit æternus, tamen vicissitudini est obnoxius; vnde nulli fluvij sunt æterni, neque Nilus; neque Tanais. Arist. Meteor. lib. 1. c. 14.

Ibidem probat contra quosdam, solem humore non pasci; quia flamma quæ ex alimento prodit, subindè est alia atque alia, sol verò semper idem.

Quidam fontes non sunt perennes, aut quia æstivo æstu multum aquæ consumitur intrà terram, aut quia cessant pluviales aquæ.

Crater Turingiæ, nunc residet, nunc intumescit, vt nonnulli putei. In Cantabria tres fontes sæpius singulis horis exsiccantur.

Mare intumescit in noviluniis, pleniluniis, æquinoctiis, sic statis temporibus decrescit.

Celeberrimus motus maris æstus reciprocus, qui continetur fluxu & refluxu, cursu & recursu, incremento & decremento.

In maris vorticibus, aqua gyro circumagitur, dum aqua ingreditur per vnum latus, egreditur per alterum. Ita etiam mare offendens littus, à quo reflectitur, recurrit, & circumagitur; sic fiunt ventorum turbines.

Tempus est quidam circulus, cum mensuratâ conversione. Empedocles dicebat plures mundos oriri & interire operâ concordiæ, & discordiæ.

Corruptibilia permanent quodammodo eadem, per generationem: quidquid vivit habet accretionem & decretionem.

Membrana licet maximè sentiens, potest comprimi & dilatari citrà noxam.

Nulla creatura annihilatur, sed quælibet secundum aliquid perseverabit in æternum. D. Thom. 1. q. 65. a. 1. ad 1.

Ævum est medium inter tempus & æternitatem, quia tempus habet prius & posterius, id est mensurat mutabilia non autem ævum, sed conjungitur eis. l. 1. q. 10. a. 5.

Lex vetus est æterna, quoad moralia & quoad veritatem, quam figurabant cæremonialia, non autem aliter. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 1.

Liberum arbitrium viatoris potest per gratiam confirmari in bono, aliquo modo, non autem simpliter. 3. q. 52. 7. ad 3.

Si post peccatum homo comedisset de ligno vitæ, non potuisset evadere mortem, sed potuisset eam differre. 2. 2. q. 164. 2. ad 6.

In naturalibus, & moralibus, non quæritur quid semper fiat, sed quid fiat in pluribus. 1. 2. q. 1. a. 3.

Stella quæ Magos duxit ad Christum, quandoquè apparebat, quandoquè non. 3. q. 36. a. 7.

Spiritus Sanctus sub columbæ specie mobilis, permanet in sanctis, in fide, spe, charitate; non in aliis donis gratuitis. de pœnitent. dist. 2. can. potest.

Ædium dicitur structura loci alicujus facta ex tabulis, quæ æstate tolluntur, & hyeme reponuntur, quantum illæ quæ perpetuo vsui paratæ sunt. l. 242. §. fin. ff. de verbo. signif. Sic de veste temporaria.

Tutor potest dari ad tempus, & sub conditione. l. 5. ff. de testam. tutel.

Pedes statuæ quam Nabucodonozor vidit in somniis, partim ex ferro & luto, significat quod regnum ejus ex parte erit solidum, & ex parte contritum.

Qualitas est mutabilis; essentia, quæ generatur & corrumpitur; virtute, quæ intenditur & remittitur; operatione, quæ est temporalis. Suprà qualitatem est anima rationalis, essentia immortalis, operatione mutabilis, & virtute, quæ media est, partim immutabilis, partim mutabilis. Essentiam semper stantem significant stabilitas voluntatis atque memoriæ. Operatio mutatur, quia non simul cogitat omnia, sed gradatim, nec momentò alit, auget, & generat corpus, sed tempore.

Naturalis virtus manet perennis in vigore, qui non intenditur, nec remittitur. Virtus acquisita mutatur, quia ex potentiâ in actum, ex actu transit in habitum & contrà. Marsil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. capite 4.

Fœniculum, & multæ aliæ plantæ per hyemem caule moriuntur, radice repullulant.

Quid? quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque vitæ suæ spatio vivit? pars æqua morti similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent, non senectæ in pœnam vivacis; hebescunt sensus, membra

torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Plin. lib. 7. cap. 50.

Pythagoras dicebat, ea quæ infrà lunam ſunt quatuor potiſſimum cauſis gubernari, Deo, fato, noſtro conſilio, & fortunâ: ſic duæ ſunt cauſæ immutabiles, duæ mutabiles. Photius Byblioth. c. 259.

IN QVIBVS EST MEDIA Duratio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Aves & omnia animalia alunt pullos donec adoleſcant: ſic tutores adſunt orphanis, donec ſint majores.

MAGNITVDO. In his omnibus quæ tument in medio, & in acumen deſinunt vt ovum, muſculi, fluctus & pleraque inſtrumenta.

DVRATIO. In Ephemeris, floribus & animalibus, quibus manè eſt adoleſcentia, meridies, virilitas, veſpera ſenectus.

POTESTAS. Vicaria, quæ præcariò & per commiſſionem exercetur, quæque ad libitum tollitur & reſtituitur.

COGNITIO. Scientiarum, lux ſuccedentibus dubiorum tenebris obvoluta, furentium intervalla, diei & noctis viciſſitudo.

VOLVNTAS. Paſſionum impetus eunt, redeunt- A que. Amici fortunæ blandiuntur potentioribus, & illis potentes, quandiù ſpes eſt vtilitatis.

VIRTVS. Nemo hic in virtute immobilis: audacia fortitudinem initio imitatur, ſed tandem deficit in periculis.

VERITAS. Leges primò vtiles, ſucceſſu temporis mutabiles. Nimis profunda divinorum ſcrutatio, profunda excipitur caligine.

GLORIA. Famæ, fortunę incõſtantia, quæ quos evexit præcipitat. Alterna quietis & actionis viciſſitudo.

DIFFERENTIA. Peregrinationes ad tempus, abſentiæ ad conſuetudinis tædium levandum, & amorem inflammandum.

CONCORDANTIA. Commune periculum conciliat hoſtes, hinc in ſe arma verſuros. Infida malorum ſocietas. Induciæ, in quibus nulla ſecuritas, nec ab hoſte B nec à proprio milite.

CONTRARIETAS. Amantium iræ, amoris ſunt redintegratio: pro cibo & Venere pugnant animalia, in cæteris amica.

PRINCIPIVM. Pendente officio, publica curant, qui depoſito illa aliis curanda tradunt.

MEDIVM. Inſtrumentorum quorundam, parvo, tempore, in opere perficiendo vſus eſt.

FINIS. In finibus ſubordinatis, vno obtento, ad alium fit tranſitus.

MAIORITAS. Fluctus qui attolluntur, mox alios ſubeunt, profundoque merguntur vortice.

ÆQVALITAS. Qui ad altiſſima properant medij tranſeundo tantum fiunt æquales.

MINORITAS. Humiliat Deus, & caſtigat quos evehit.

FINIS DVRATIONIS.

DE TERMINO DVRATIONIS.

MISCELLANEA.

DICIT Ariſtoteles nullum animal A niſi æſtu recedente expirare: obſervatum id multum in Gallico Oceano, & dumtaxat in homine compertum. Plin. 2. c. 98.

Mortis neceſſitas, quæ nulli cedit, tollit vitam corpori, animæ imperium in corpus; Videantur ſepulchra tot illuſtrium: ſententiam Dei natura pronuntiat, terra es & in terram ibis, & qui non audit, videt. Tertulian.

Vt ſermo noſter decedentibus & ſuccedentibus B ſyllabis peragitur, atque perficitur, ita homines decedendo & ſuccedendo perficiunt ordinem hujus ſæculi. D. Auguſt. lib. 2. q. Evangelic. q. 49.

Vita minutiſſimis portiunculis, dum datur eripitur, ſiquidem motu perpetuo, cœlum rotat momenta, diéſque diem trudit. Petrarch. *Vide Æqualitas Finis.*

Perit vſus fructus, interitu rei quæ illum debebat, aut perſonæ cui debebatur.

Civitas eſſe deſinit ducto per eam aratro, & ſic ejus vſus fructus amittitur. l. 21. ff. quib. mod. vſus fruc. Sic Carthago paſſa eſt aratrum à Romanis: ab alijs, Ilion, Thebæ Corinthus, Numantia, ab Abimelech, Sichem, quâ dirutâ, ſuper eam, ſalem ſparſit.

Plato lib. 8. de republ. probat res omnes mutationi ſubjectas: nobiliores autem ampliorem habere circuitum, vt Reſpublicæ quæ tandem ſolvuntur.

Corpus naturâ ſuâ eſt diſſipabile; Primò quia diſtantiam partium patitur, itavt ſemper in alio loco ſit alia; Secundò quia continuè tranſmutatur; Tertio quia contrarijs ſubjicitur qualitatibus.

Quandò numerus 12. in quo proportiones & harmoniæ explicantur, & qui deſtinatus eſt vniverſo in ſuum planum, fuerit permutatus. 144. Magna fiet in hominibus & Rebus publicis permutatio, & quidem in meliùs: quandò vero pervenerit ad ſolidum, velut ſummum, finemque ſuum Reſpublica conſequetur, 1728. deinde in pejus ſenſim fatali lege labitur, etiam perſeverante diſciplinâ. Marſ. Ficin. in Platon. 8. de Republ. *Vide Finis Poteſtatis.*

Terræ motu ſæpe veteres fontes & flumina ſorben-

Digitized by Google

tit, novi prodeunt, aquæ frigidæ fiunt calidæ, & contra, permutatis meatibus. In novitet parto imperio omnia fiunt nova.

Alexandriæ, inter eos qui ſolent mortuos conſervare, conſtat hominem plus centum annis vivere non poſſe; id quod cor humanum declarat, eorum qui ſine labe perierunt, eo quod id multis annis pendendo omnis ætatis incrementa & decrementa obſervant, & anniculi pendere duas drachmas, bini, quatuor, & ſic per annos ſingulos accedere duas drachmas, vſque ad annum quinquageſimum, in quo ſunt 100. dragmæ. A quo 50. anno, ſingulis annis depereunt duæ dragmæ, ſic anno 100. redit ad anni primi pondus.

Defatigato & relaxato ſenectute corpore anima B clam ſecundum naturam evolat, & quidem cum voluptate; quod enim pro rei naturâ eſt, jucundum eſt; vt violenta ſunt moleſta. Plato in Timæo.

Animam ſenilem mollis exolvit vapor: Senilis anima in primis labris eſt, nec magna vi diſtrahitur à corpore. Ignis qui valentem materiam occupavit, aquâ & interdum ruinâ extinguendus eſt, ille qui alimenti deficitur, ſuâ ſponte ſubſidit. Seneca Epiſt. 30.

Vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.

Si res commodata ſenio vel morbo perijt, perit Domino. l. 5. §. quod verò. ff. commod.

Angeli ſunt mutabiles tripliciter, ſcilicet quoad electionem finis, applicationem virtutis ad diverſa, & per annihilationem. D. Thom. 1. q. 9. a. 2.

Dum Capitolium Romæ Iovi ſacratum fuit, ceſſe- C runt omnes Dij, excepto Deo termino; mors nulli, ne potentiori quidem, cedit. Vide Alciatum, embl. 157.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres. Sed omnes vna manet nox, & calcanda ſemel via lethi. Horatius. Ode 4. & 28.

Non eſt quod nos tumulis metiaris, & his monumentis quæ viam diſparem prætexunt: æquat omnes cinis, impares naſcimur, pares morimur. Senec. Epiſt.

Huc omnis iſta quæ in foro litigat, in theatris diſſidet, in templis præcatur turba, non diſpari gradu vadit, & quæ veneraris & quæ deſpicis vnus exæquabit cinis, hoc iubet illa Pythicis adſcripta oraculis vox, NOSCE TE.

Quid eſt homo? quod libet quaſſum vas & quod- D libet fragile: jactatu, non tempeſtate magna vt diſſipetis, eſt opus, vbicumque arietaveris, ſolveris. Quid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum; cum bellè lacertos exercuit, cujuſlibet feræ pabulum, cujuſlibet victima: Ex infirmis fluidiſque contextum, frigoris, æſtus & laboris impatiens: ipſo rurſus ſitu & otio iturum in tabem: alimenta metuens ſua, quorum modò inopia, modò copia rumpitur; Anxiæ, ſollicitæque tutelæ, precarij ſpiritus, & malè inhærentis: odor illi, ſaporque & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus vivere non poteſt, mortifera ſunt: quocumque ſe movet, infirmitatis A ſuæ conſcium? Non omne cælum ferent. Cæterum quantos tumultus hoc contemptum animal movet; in quantas cogitationes oblitum conditionis ſuæ venit? immortalia volutat animo, & in nepotes proneposque diſponit, cum interim longa conantem mors opprimit; & hoc quod ſenectus vocatur, pauci ſunt circuitus annorum. Seneca in conſolat. ad Marciam. cap. 11.

Nulli antiquorum morti ſacrificarunt, quia inexorabile fatum. Non flectetur neque parcet, neque miſerebitur. Ierem. 1. Vt foliorum in arboribus fluctuum in fluminibus, ſic rerum omnium eſt continua viciſſitudo, morientibus ſubrogantur alij.

Nihil eſt perpetuum, pauca diuturna ſunt; aliud alio modo fragile eſt; rerum exitus variantur: Cæterum quidquid cæpit, & deſinit; mundo quidam minantur interitum; quis autem tam ſuperbiæ, impotentiſque arrogantiæ eſt, vt in hac naturæ neceſſitate, omnia ad eundem finem revocantis, ſe vnum ac ſuos ſeponi velit, ruinæque ipſi mundo imminenti, aliquam domum ſubtrahat: maximum ſolatium eſt, id ſibi accidere, quod antè ſe paſſi ſunt omnes, omneſque paſſuri, & ideò mihi videtur rerum natura, quod graviſſimum fecit, commune feciſſe, vt credulitatem fati conſolaretur æqualitas. Senec. in conſolat. ad Polibium.

Morieris iſta hominis natura eſt, non pœna: hac conditione intravi vt exirem: gentium jus eſt, quod acceperis reddere: peregrinatio eſt vita, multum cum deambulaveris, demum redeundum eſt: Morieris putabam te aliquid novi dicere, ad hoc veni, hoc ago, huc me ſinguli dies adducunt: naſcenti mihi natura, hunc protinus poſuit terminum; ſtultum eſt timere, quod vitare non poſſis. Idem l. de remed. fortuit.

Illa rapit iuvenes, primâ florente juventâ
Non oblita rapit, ſed tamen illa ſenes.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis inventæ
Poplitibus, timidoque tergo. Horatius.

O mortalium fragilis & caduca natura & niſi Chriſti fides non extollat in cœlum & æternitas animæ promittatur, cum beſtijs corporum vna conditio eſt. D. Hieron. Epiſt. 27. in Epitaphio Paulæ Matris.

Quod majus nobis ſolatium, quam quod ſecundum carnem & Chriſtus mortuus eſt, fletis divites, & flendo probatis, nihil opitulari repoſitas divitias ad ſalutem, cum pecuniæ prætio mors differri nequeat, fletis iuvenes, quod naturæ finis non ſit maturitas ſenectutis, &c. D. Ambroſ. de Obitu Satyri fratris.

Cum vniverſitates cenſeantur immortales, illis relictus vſusfructus durat 100. annis, quia eſt ſpatium longævi hominis. l. 56. ff. de vſufructu.

Sunt quidam venti ſtati, qui certis temporibus flant, & deficiunt, vt Aquilones à Solſtitio; Zephiri ab Equinoctio Autumnali: Euri à verno.

Corpora defunctorum condita in ſarcophago abſumuntur intrà 40. diem, exceptis dentibus, ſunt & in Lycia lapides qui ventibus alligati, erodunt corpora. Plin. lib. 36. cap. 17.

MAIORITAS DVRATIONIS.

NIMIA DVRATIO MALA.

MISCELLANEA.

De majori duratione bona. *Vide Magnitudo Durationis.*

QVemadmodum in nave quæ ſentinam trahit, vni rimæ aut alteri obſiſtitur; vbi plurimus locis laxari cœpit, & cedere, ſuccurri non poteſt navigio dehiſcenti: Ira in ſenili corpore, aliquatenùs imbecillitas fulciri poteſt; vbi autem tanquam in putri ædificio omnis junctura diducitur, exeundum eſt. Senec. Epiſt. 30.

Alia genera mortis ſpe mixta ſunt, deſinit morbus; incendium extinguitur &c. nihil habet quod ſperet, quem ſenectus ducit ad mortem; huic vni intercedi non poteſt: nullo genere homines molliùs moriuntur, ſed nec diutiùs: Ideò magnis opus eſt animis, vt de proximò venientem ſecurè excipias. Ibidem.

Vltrà modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, & fœcem quóque exſorbet.

Aceſcunt vinum & vita, dum ad fundum deveniunt: ſenectus plus rugarum animo, quam vultui imprimit: bis pueri ſenes: defectus tamen ſuos tyrannicè, maximoque rerum ſibi commiſſarum damno vindicant, nihil niſi quod ſuum eſt probant, & vt non tam facilè morbis tentantur quàm juvenes, vix autem è morbo convaleſcunt, ſic conceptum, licet nocivam opinionem, aut pudore, aut indurati animi vitio vix deponunt.

Anni non nobis acceduut, ſed magis decedunt; veniunt ad nos, vt eant, non vt ſtent nobiſcum; ſed cum tranſeant per nos, terunt nos, & minùs, mintúſque valere faciunt. D. Auguſt. Serm. 1. de verb. Dom.

Quid eſt diù vivere, niſi diù torqueri, & malos dies malis diebus addere? & tamen homines gratulantur plurimis natalitijs, &c. Idem Serm. 18. de verb. Dom.

Sol occidens grandiores facit vmbras, augetur in ſenibus falſâ rerum æſtimatio. In tam longo itinere, ſemper aliquid occurrit adverſi; pro morâ vitæ, natura exigit quaſi in vſuram, ſenſuum facultates; non eſt abſtinentia in ſenibus, ſed impotentia voluptatum; ſic ſanitatem debent morbo; ſupereſſe poteſt affectus, & aliorum talibus fruentium torquentur, invidiâ. Quæruli ſunt, minimis offenduntur vt læſæ jam partes; ſic minora mala illis ſunt gravia, oculi in animalibus vltimi efformantur, primi intereunt, ſic in homine intellectus, qui hebeſcit in ſenibus.

Exprobratur ſenibus infantia, ſed falſum eſt; pejores morimur quam naſcimur. Noſtrum tamen; non naturæ vitium eſt. Senec. Epiſt. 22.

Maxima vitæ incommoda in vltimam, quaſi jam morti damnatam ætatem rejecta ſunt. Prima ætas ſtimulos habet; frenos vltima. Optima quæque dies, miſeris mortalibus ævi prima fugit: [illegible] vitâ, ſicut ex amphorâ, quod eſt ſincerum primò effluit, & vt primi veris menſes, ſolem habent cum paucis nebulis; vltimi ferè nebulas, cum raro ſole.

Senectus ipſa eſt morbus; duriſſimum eſt, non niſi ex antegeſtis commendari; & viventem, quaſi mortuum laudari.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet vti.

Dilator, ſpe longus, iners avidúſque futuri?

Difficilis, querulus, laudator temporis acti. Horat. de Arte Poëtic.

Hoc pejus quòd authoritatem habent ſenum, vitia vero puerorum, non puerorum tantum, ſed infantium. Senec. Epiſt. 4.

Senex amens, ſenex ebrius, delibutus vnguento, & in præteritos annos ſe retrò agens, & in voluptatibus, quaſi juvenis exultans, nonnè portentum eſt? luxurioſus adoleſcens peccat, ſenex autem luxurioſus inſanit. Navem in portu mergis, alter ſolito tempore labitur, alter inſolito, alter alieno, alter ſuo, alter annos ſequitur, alter ſenectuti repugnat. Seneca lib. 2. declam. 6. & lib. 2. contro. 7.

Senectus cum plùs occultari ſtuduerit, plùs detegitur. Tert. lib. de cultu fœm. cap. 6.

Non intelligitis, non advertitis ſenectutem hanc, miſeriarum eſſe veteranam; proceſſionemque ætatis ærumnarum ſtipendia. D. Ambroſ. lib. de Abel. in f.

Idem lib. 1. de Abraham. c. 6. loquens de civibus Gomorrhæ, qui, inquit, perpetrandi criminis poſſibilitatem non habuit, habuit affectum; effœtæ vires ſenum, ſed mens plena libidine.

Vnuſquiſque quandiù vivit, obnoxius eſt lapſui; nec ſenectus immunis à crimine, ideo dicitur Geneſ. 25. quia Abraham mortuus eſt in ſenectute bonâ; eo quod in bonitate propoſiti ſui permanſit. Idem. lib. de bono mortis. cap. 8.

In aquâ congelatâ, quod clarum, leve, dulce eſt, excernitur, & diſperditur, remanet autem quod graviſſimum, & craſſiſſimum exiſtit. Hipocr. l. de aëre, aquis & locis.

Fructus vltrà matturitatem putreſcentes.

Vergentè ætate; inæqualis admodum fit reparatio; aliæ partes reparantur ſatis fœliciter; aliæ ægrè & in pejùs, vt ab eo tempore corpora humana ſubire incipiant tormentum illud Mezentij, vt viva in amplexu mortuorum immoriantur, & facilè reparabilia, propter ægrè reparabilia deficiant. Baconius. de vitâ & morte.

De his qui maluerunt morte voluntariâ vitam finire, quam ſeneſcere. *Vide Volunt. Durationis. Repug.*

Apim bovem ſacrum apud Ægyptios non erat fas certos vitæ excedere annos, itaque merſum in ſacer-

dotum fonte enecant, alium luctu quæsituri. Plin. lib. 8. cap. 46.

Vide Minoritas finis.

VITA PROLIXIOR NON optanda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS: Bonum nobis fuit, è rebus possibilibus ad existentiam educi, inter fideles baptismi gratiâ censeri: fœlix in hoc statu vita, cum datur Dei beneficus vti, & non abuti: majoribus quidem cumulatur vita prolixior, sed dum illis abutitur fit magis rea; Implicatur falsis ex opinione bonis, & vera deserit.

MAGNITVDO. Quantumcumque vita protrahatur, immortalis animæ desiderijs non potest fieri satis: hâc rerum successione plus habet mali, quam boni, quia pro singulari vnius possessione infinitæ sunt rerum aliarum privationes: vitæ decursu amittitur gratia baptismatis, quæ nos in integrum restituerat, vnde sic extendi, cadere est.

DVRATIO. Anima, æternitatis simul omnia complectentis avida, languet in tempore, & in tantâ bonorum animi, corporis, fortunæ inconstantiâ, quibus nulla fides, maximè cum eorum casum metu præveniamus: Meliùs est semel cadere, quàm semper pendere; inhumanè protrahitur supplicium, gratiæ loco est accelerata mors.

POTESTAS. Si oportet potentias nostras in actum educi, ne sint inutiles, ad hoc præstandum sufficit vita ad maturam vsque ætatem perducta. In hac etiam florenti, omniumque potentissima, quæ non minùs gaudeat de objecti sui possessione, quâ de privatione doleat; doloris enim, quam voluptatis acutior sensus: Imperium & libertas quæruntur in bonis fortunæ, sed falsò; nam qui putant illa possidere, suis, aut alienis serviunt cupiditatibus, mundique fluctibus jactantur.

COGNITIO. Idem semper agit natura, in perpetuâ illâ vicissitudine motus cœlorum, diei & noctis, hyemis & æstatis: in mundo civili, quorundam elatio & dejectio; orbem peragunt omnia brevissimum, & in tanta individuorum multitudine, vnius anni spatio, compendiosè videtur facies rerum & passionum ad plura sæcula servatarum: Vnde potiùs ad tædium, quàm ad cognitionem repetitæ toties rei protrahitur vita: si experimentum fallâx; quid falli magno studiorum labore quæris? post longam veritatis discussionem, subvertuntur tradita a majoribus scientiarum principia, & sapientiam multi profitentes, sæpiùs delusi, nullis assentitur.

VOLVNTAS. Vis diù vivere, vt diù torquearis, irrito desiderio tot rerum, quas videre licet, non possidere? Ne millesima quidem pars eorum quæ optamus, fit, plus ergo supplicij, quàm fruitionis: vt quid tandiù. Tantali supplicio languemus, etiam reges splendidâ agantur servitute. Vera est & consummata in cœlo libertas.

VIRTVS. Quæ hic dicitur virtus, certamen est; in quo rara, parumque stabilis victoria: Corpus vt plurimum prævalet animæ; temperari, non vinci natura potest; sic sanctiores casus suos lugent, & infirmitatem sufferitate fatentur; Virtus illis multiplex supplicium, quod in illa ex votis non proficiat, quod præter spem concidant, & nundùm ex adultâ virtute ad turpem defectionẽ ferventur; Itaut merita videantur ampliorẽ hostibus prædam parare. Senio deficit virt⁹.

VERITAS. Maximus in nobis amor veritatis, hanc tamen certatim omnia nobis celant, natura suis involucris, mundus suis dolis, fortuna mentito vultu iras meditatur; scientiarum fallaces argutiæ; virtus & Religio hypocrisi laborant, cœnamque populo, falli volenti & gaudenti, exhibent: pro veris bonis falsa substituitur opinio: Canities sæpius virtutis larva.

GLORIA. In perpetuo illo rerum omnium motu, nulla quies, nulla in tot frustratis votis delectatio. Contrà naturam est velle diù concuti, decipi, conculcari: Si ad tantorum malorum solatium datus sit aliquis voluptatis sensus, perit in senectute, quæ in omnibus membris torquet hominem, quasi reum morti jam addictum. Anima magis proficiet corpori accelleratâ & securâ beatitudine, quâ obtentâ, gloriosas illi dotes suas in resurrectione conferet.

DIFFERENTIA. Brevis vita tantis nos malis eripit, nec expectat implacabilis ætatis iras: Velle experiri omnia, in quibus nulla vera animi quies, est velle ab omnibus lædi, & quasi publici criminis reum, omnium ictibus dilacerari.

CONCORDANTIA. Vitam non fœlicem, sed debiliorem efficit, etiam similiter debilium amicorum turba, cœcus cæco, infirmus infirmo adhæret, & latiùs, expanso agmine, quærunt omnes præcipitium, in quod concatenati cadant; latum hoc corpus amicorum magis patet fortunæ ictibus, quos non patitur in vacuum mitti. Damnosam animæ cum corpore societatem, optimum est citiùs dissolvi.

CONTRARIETAS. Non expedit violentum diù durare: Anima autẽ quietis amans, ad immoti beatique Principij similitudinem creata, vim maximam patitur inter tot casus. Generosum est non cedere adversis, sed meliùs est tempestate non jactari; pax melior bello; satis sit probasse vim irati maris, sed quis vellet diù, & vsque ad naufragium concuti?

PRINCIPIVM. Reditus in patriam, quò brevior, eò optabilior; quærenda est origo bonorum, quorum inest nobis appetitus. Cives sumus sanctorum, & domestici Dei, quis fidelis ferat longam ejus absentiam? Impatiens veritatis animus, non sustinet longum hoc vitæ præludium: velum citò tolli vult, vt videat rerum substantias.

MEDIVM. Corpora quæ ad centrum feruntur moram non patiuntur in medio: Tot animi, corporis, fortunæ bona, indifferentia sunt, cum illorum possit esse, vt bonus, sic malus vsus: Meliùs est saltem his casibus non committi, & citò nos ad acquisitam per baptismum gloriam transire.

FINIS. Beatitudo vt finis noster, primò debet intendi, & si similiter sine laboriosâ mediorum conquisitione posset obtineri, meliùs esset. Immortalitati animæ opprobrium facit, in infirmitatem desinens vita.

MAIORITAS. Charior nobis debet esse animæ, quàm corporis salus: major nobis cum cœlestibus, quàm cum mundanis societas; evolet animus ex corporis ergastulo in qua vis sua torpet, hebescit, & torquetur.

ÆQVALITAS. Virtus æqualitatem per habitus suos profitetur; hanc tamen nunquam potest consequi, in tam varia rerum mundanarum mutatione: corpus animam quasi commodatum accepit; injustum est, vt tandiù illa vtatur, quo-vsque illam Deo repetenti deteriorem restituat.

MINORITAS. Indignum est naturam, nostrâ hac in mundo, morâ lassatam suis nos donis spoliare: honestior & convenientior è florenti ætate ad immarcescibilem æternitatem transitus; vt immortalis animus nihil de mortalitate passus sit.

ÆQVALITAS DVRATIONIS.

DE REBVS QVÆ HABENT ÆQVALEM DVRATIONEM.

MISCELLANEA.

VIDE SVPRA CONCORDANTIA DVRATIONIS & Concordantia Principij de concauſis, quæ ſimul exiſtunt & agunt *Vide ſimiliter concordantias cæterorum principiorum.*

MOTVS vniformis dicitur, quando mobile ſecundum omnes partes ſuas æquè velociter & tardè movetur; vt dum lapis deorſum cadit, movetur vniformiter: at difformis eſt cœlorum motus, quia ſuperiores ſphæræ celeriùs debent moveri, vt majus ſpatium æquali tempore cum inferioribus percurrant. Regularis autē motus dicitur, quando mobile, in omni parte temporis, æquè velociter movetur, tàm in principio, quàm in medio & fine: talis eſt motus circularis, non autē motus rectus, vt motus animalis, qui partim eſt naturalis, partim violentus: in principio eſt mediocris, in medio velox, in fine tardus, deficiente ſcilicet naturæ virtute: naturalis autem, motus, vt lapidis deorſum, initio eſt tardius, in medio fortior, in fine velociſſimus.

Quod eſt immobile vno modo ſe habet, quod verò movetur multiformiter.

Ne lite pendente quid innovetur: vndè pretium rei venditę pendente lite fiſco addicitur. l. fin. C. de litigio.

Civitati aut Eccleſiæ relictus vſus fructus æqualiter, 100. annorum ſpatio finitur, qui eſt terminus vitæ longiſſimus. l. 8. ff. de vſuf. legat.

Tandiù durat calor naturalis, quandiù humidum radicale.

Verbum divinum, ſimul eodem tempore aſſumpſit A corpus & animam D. Thom. 3. q. 6. a. 4.

In alteratione, omnes partes æqualiter ſimul alterantur, quia æqualiter reſiſtunt agenti.

Aſſeruit Plato mundum Deo coævum, ne mutationem in Deo teneretur admittere in novo opere.

Numeri ex Ariſtotele, rerum ſubſtantiis nec priores nec poſteriores ſunt, ſed ſimul.

Anima rationalis non fuit producta in eſſe antè corpus D. Thom. 1. q. 90. a. 4. 3. q. 6. a. 4. & q. 118. a. 3.

Filius Dei eſt coæqualis & coæternus Patri. 1. q. 42. a. 2.

Coævum eſt quadruplex, ſcilicet Angeli, cœli, materia prima, & tempus. 1. q. 46. 3.

Prioritas non eſt in divinis. 1. q. 36. a. 3. ad 3. B

Relativa non ſunt ſimul naturâ, niſi æqualiter mutuò referantur. 1. q. 13. a. 7. 6.

Relativa non ſunt ſimul naturâ, propter ordinem rerum, ſed tantùm per hoc quod vnum eſt de intellectu alterius, & è converſo. 1. q. 13. a. 7. ad 6.

Non omnes animæ creatæ ſunt ſimul, contra Origenem. 1. q. 11. a. 3.

In eodem inſtanti eſt illuminatio aëris, viſio coloris, & diſcretio rei viſæ; licet primum ſit cauſa ſecundi, & ſecundum tertij. 1. q. 63. a. 5.

Cum diverſi generis coiuere animalia, ita demùm generāt, ſi tempus naſcendi par habent. Plin. l. 10. c. 65.

MINORITAS DVRATIONIS.

CONTINVATIONIS.

MISCELLANEA.

ACTIONES tranſeuntes, & artes quę A alia meteora, & mixta imperfecta.
non relinquunt opus poſt ſe.

Subita & inſperata terrent hoſtem. *Vide Bonitas Differentia.*

Humidum difficilè ſuo termino, difficilè alieno continetur.

Parùm durant ignes fatui, cometæ, fulgura, &

Torrens certo tantùm tempore fluit.

In Altari portatili, non eſt dedicatio feſtiva, quia vbique poteſt deferri. Talem habuit Eccleſiam portatilem in caſtris Conſtantinus, ad inſtar antiquæ arcæ. Nicephor. lib. 7. c. 46.

Tactum & guſtum, vt neceſſarios ad individui &

ſpeciei conſervationem, major conſequitur voluptas, ſed quæ non eſt durabilis, ne tali voluptate allecti fierent exceſſus, vnde mors. *Vide Repugnantias Duration. & fines omnium Principiorum.*

Si obligavi pignori quæ eſſent inducta in prædium, non obligantur ſervi ad tempus miſſi pro illius culturâ, ſed tantum ea cenſentur obligata, quæ ad vſum perpetuum inducuntur. l. 32. ff. de pignor, & Hypot.

Si fundus legatus ſit, cum his quæ in eo erunt, quæ ad tempus ibi ſunt non videntur legata. l. 44. ff. de legat. 3.

Quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi. l. 112. ff. de reg. Iur.

Succus balſami ſincerus, in laneam veſtem fuſus, neque maculam facit, neque ſi eluatur notam relinquit, vitiatus autem inhæret. Dioſcorides.

De mutatione conſiliorum & legum. *Vide Differentia Cognitionis & Durat. Cognit.*

Baptiſmus Ioannis non fuit commendatus aliquo præcepto Dei in Sacrâ Scripturâ, quia parùm erat duraturus. D. Thom. 3. q. 38. a. 2. ad 3. Non imprimebat caracterem. a. 6.

Animalia aquatilia, ſunt greſſibilibus brevioris vitæ; quia humidum aqueum, quod in eis abundat, eſt cauſa corruptionis compoſiti.

Vſus fructus præſcriptione acquiritur, non tamen operæ ſervorum, quia opera in actu conſiſtit, nec priùs eſt in rerum naturâ quam is dies venerit, quo præſtanda eſt. l. 1. ff. de oper. libert.

EX BIBLIIS.

HEdera, quæ vmbraculum præbuit Ionæ, ſub vnâ nocte nata eſt, & ſub vnâ nocte periit. Ion. 4. ſic fortuna Aman. Eſter 7.

Semen quod cecidit in petroſa, citò aruit, quia non habebat radicem. Math. 13.

Facti ſunt principes Iuda, quaſi transferentes terminum, ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam Oſee 5.

Linitus paries abſque paleis, & temperamento, diſſipatur. Ezech. 14.

Erunt quaſi imbres matutini, ſicut ros matutinus præteriens, ſicut pulvis turbine raptus de area, & ſicut fumus de fumario. Oſee 13.

Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens; intendit arcum ſuum donec infirmentur; ſicut cera quæ fluit, auferentur. Pſal. 57.

Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Pſal. 77.

Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam, ante faciem venti. Pſal. 82.

Minorasti dies temporis ejus, perfudiſti eum confuſione. Pſal. 88.

Manè ſicut herba tranſeat, veſperè decidat, induret, & areſcat. Pſal. 89.

Defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt; percuſſus ſum, vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Pſal. 101.

Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut operторium mutabis eos, & mutabuntur, Pſal. 181.

Fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus accipiat alter. Pſal. 108.

Fiant nati ejus in interitum: In generatione vnâ deleatur nomen ejus: ſicut vmbra cùm declinat ablatus ſum, & exceſſus ſum ſicut locuſtæ. Pſal. 108.

Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut vmbra prætereunt. Pſalm. 143.

Impij de terrâ perdentur, & qui iniquè agunt auferentur ex eâ. Proverb. 2. & cap. 10. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: juſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum: timor Domini apponet dies & anni impiorum breviabuntur.

Domus impiorum delebitur: tabernacula juſtorum germinabunt. Proverb. 14.

RERVM INCONSTANTIA.

INfima aëris Regio, nunc calet, nunc frigeſcit. Ros citò æſtate diſſipatur.

Alimentum citò conſumitur, non humidum radicale.

Nulla actio poteſt diù durare in ſui ſummo.

Cum anno præeſt Mercurius, tempeſtates anni mutantur in invicem.

Res dicta à ῥέω fluo, quia vt vnda vndam, ſic rem impellit.

De morte juvenis. *Vide Medium Duration.*

Adeſſe non videntur, quæ caſualiter ad ſunt l. 578. §. final. ff. de legat. 3.

Alienare dicitur ille, qui non vtendo amiſit ſervitem. l. 28. ff. de verb. ſigniff.

In æſtimatione damni per l. Aquiliam habetur ratio tantùm præteriti, quanti ſcilicet ea res eo anno fuerit. vt ſi puer occiſus: nihil de futuro; l. 25. §. 6. ff. ad l. Aquil. quia incerta in futurum vita.

Melancholici minùs vivunt; quia ſiccitas & frigiditas ſunt qualitates contrariæ humido & calido vitæ principiis.

Cùm plantæ & animalia non poſſint ordinari ad incorruptionem, non remanebunt in mundi innovatione. D. Thom. ſupplem. q. 91. a. 3.

Non dicitur natus, qui ſtatim deceſſit. cap. nam & ego, de verbor. ſigniff.

Servi fugitivi, qui retineri non poſſunt, ab Epiſcopo poſſunt venundari. Concilium Agatenſe can. 46.

Quod infirma minùs durent. *Vide Magnitudo Durationis.*

Ex plantis brevioris vitæ ſunt, quæ fœcundiores, rariores, minus denſæ, mitiores, minimè montanæ: quædam animantia ſunt ephemera.

Citiùs corrumpuntur, vermeſque producunt lanæ ex mortuo animali detractæ; quia ſunt deſtitutæ innatis calore & ſpiritibus.

Mundus vt formâ rotundus, ſic volubilis: ex concordiâ & diſcordiâ Empedocles dicebat eſſe compoſitum. Mala bonis, proſpera adverſis ſuccedunt.

Mundus non bonus, quia mobilis, non tamen malus, quia immortalis. Homo autem, tum quia mobilis, tum quia mortalis, malus eſſe cenſetur. Mercur. Trimegiſt. in Pymand. c. 8.

Quantas vrbes Oceanus delevit, aut fulmina, incendia, gladius, hiatus; montium ruina abſumpſit; ſyderibus, elementiſque docemur, nihil hîc eſſe perpetuum: dies & nox invicem vertunt. Solis mutationes annuæ, lunæ menſtruæ, aër quam vbique terrarum varius! hîc albeſcit in nivibus, hîc graveſcit imbribus, mugiunt tonitrua, rutilant fulgura, &c. Momentò tranquillum cœlo inſurgit mare, minaſque in terras, divoſque jaculatur, mox mortuum apparet. Terra verò quam varia, mox videas virentem, flavam, canam, tandem incultam: hinc montium abrupta, varia fontium fluminumque permutatio: dicimus nunc, fuit hîc Troja, hîc Babylon, hîc Ninive, &c.

Eſt illud paradoxon apud Platonem, corpora non

& à cœlo raptantur, ſed mutantur ſemper per influxum, æffluxum, condenſationem, rareſactionem, intenſionem, remiſſionem qualitatum, conſonantiam, diſſonantiam complexionis, & per cæteros motus. Ibid. lib. 11.

Hypanis fluvius in Ponto, circa ſolſtitium, defert acinorum effigie tenues membranas, ex quibus erumpit volucre quadrupes, nec vltra vnum diem vivit: vndè Hemerobion vocatur. Plin. nat. Hiſt. lib. 11. c. 36.

Omnia celeriùs ſeneſcunt præfœcunda, quin & protinùs moriuntur aliqua, cœlo fœcunditatem omnem eblandito, quod maximè vitibus evenit. Idem lib. 16. c. 27. *Vide Majoritas Bonitatis.* nimia largitio.

Ad meridiem ſpectantium ſemper anteà decidunt folia. Idem lib. 17. cap. 4.

QVARE RES STABILEM non habent exiſtentiam.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt liberrimum Dei beneficium res in diverſo ſpecierum ordine conſtituit, variiſque ſingularibus differentijs contemperavit; ſic dedit vnicuique commenſuratam eſſentiæ propriæ durationem. Vt ex ſe ſubſtantia ſpiritualis eſt incorruptibilis, ſic materialis ſubjacet alterationi, & corruptioni: ipſo materiæ ad diverſa appetitu.

MAGNITVDO. Res appetunt amplitudinem, & tamen citiùs diſſolvuntur, cùm ſe à ſuâ vnitate ad multiplicitatem diffundunt. Vt enim virtus vnita eſt fortior, ſic diſperſa debilis; effuſa aqua citò conſumitur, jam enim non eſt verè totum, ſic per infirmas disjunctaſque partes hoſtibus ſuis expoſitum. Integram tamen habuit ætatem ſuam, qui præſcriptum à cauſis ſuperioribus, ſuiſque ſingularibus conditionibus convenientem attigit terminum.

DVRATIO. Præcoces omnes productiones non durant, cum non relinquatur tempus ſufficiens, quo exiſtentiæ firma jaciantur fundamenta, ſic ruunt ſubitæ, & præter rationem elatæ fortunæ.

POTESTAS. Deſinunt res eſſe, cum earum exhauſta poteſtas non valet amplius, nec contraria in compoſito exiſtentia continere, externis oppugnantibus reſiſtere, & ad ſubſtentationem nova conquirere; ſic ſenio collapſis viribus deficiunt plantæ, animalia, familiæ Reſpublicæ.

COGNITIO eſt cauſa interitus, cum eſcâ capiuntur omnia animalia, & ipſimet homines, cum eorum doli alijs præveniuntur, aut cum ſe nimiâ ſubtilitate implicant, pereuntque iſdem quibus putabant ſe juvari: defectu etiam cognitionis pereunt inſenſibilia, hoſtem fugere neſcientia; ſic cæca, ſic torpentia hyeme animalia, ſic homines ignorantiâ præteriti, præſentis & futuri impingunt in ſcopulos.

VOLVNTAS. Paſſiones omnes ſunt alterationes, quæ ſunt interitus cauſæ, quia præcipites agunt quos poſſident; & ita violenter movent, vt deſtruant; tanto etiam ardore feruntur in objectum, vt pericula non præcaveant. Dum amor intendit ſibi ſimile producere, contrarium deſtruit, vndè licet pulcher, armatus tamen pingitur.

VIRTVS. Ambiunt omnia perfectionem actionis, in quâ obtinendâ, & exercendâ, plus virium conſumitur: ſic heroica virtus hominem efficit fortunæ & vitæ ſuæ prodigum, dum Reipublicæ prodeſſe poſſit.

VERITAS. Vnicuique rei naſcenti terminum exiſtentiæ præfixit æterna lex, concurrentibus cauſis ſecundis, quarum coincidentiæ nobis fortuitæ videntur, licet certò à ſummâ ſapientiâ præmiſſæ, & præordinatæ, nihil enim in ejus regno poteſt catus.

GLORIA. Voluptas, ſic animal allicit, vt conficiat; in venereis, nimiâ ſui effuſione; in cibo, potu, avaris, ambitioſiſque motibus, nimiâ repletione: voluptas excutit timorem, fidum noſtri cuſtodem: honoris cupido, vt vitam faciat ſplendidiorem, facit breviorem; Gratior autem fit mundi ſcena ex illio & multiplici, & vario actorum apparatu.

DIFFERENTIA. Neceſſe eſt compoſitum omne diſſolvi, vt partes ad ſua redeant principia, Poſcit hoc ordo vniverſi, vt ſicut præcedentia tibi ceſſere, tu viciſſim ſequentibus loco cedas: diverſo autem fati genere & ſpatio, ſingula munus ſuum obeunt, ne tædium faceret identitas, nulluſque eſſet ſpei locus. Innumera diverſitas magis accedit ad infinitatem, & hæc ſemper oriens novitas æmulatur æternitatem, quæ ſempet eſt in præſenti, nunquam veteraſcente.

CONCORDANTIA. Fit harmonia ex tot diverſis, longo aut breviori exitu cadentibus, ipſo etiam ceſſationis modo concinentibus. Bona hic malis ſe permiſcent, vt auxilientur: ſed interim labem contrabunt, infectaque tali commercio intereunt. *Vide Concord. Minorit.*

CONTRARIETAS. Ex contrarijs omnia compoſita, violentium quid efficiunt, quod non poteſt eſſe continuum: extremis etiam offendimur, parum temperamento noſtro convenientibus. Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos; plures interdum conficiunt pericula, quam morbi. Nihil eſt in naturâ, quod ab hoſte aliquo non impugnetur; quilibet flores à ſuis corroduntur vermibus, nulli ſecura pax, etiam latentes ſub terrâ vermes talpæ perſequuntur: Sic natura exhibet non comicum modo, ſed & tragicum ſpectaculum, præſtantiora hoc tamen habent privilegij, quod vltima concidant.

PRINCIPIVM. Interitus omnes procedunt à defectu principiorum Durationis: ad hæc recurre. Eadem principia, quæ dant eſſe, dant & cauſas interitus, vt patet in morbis hæreditarijs & in his quos plantæ ſolî vitio contrahunt. Ex ſuperioribus planetis vnus tantum Iupiter vitam juvat, duo infectantur, Saturnus & Mars.

MEDIVM. Neſcimus noſtrum temperamentum: vndè non poſſumus eligere illi convenientia alimenta, quæ nos ſic lentâ occultâque injuriâ ſenſim ad interitum ducunt. Cauſa potiſſima interitus eſt, quod alia alijs ſubordinata illis cedunt in prædam; fugiunt tamen proſequentem, ne ad illo deleantur; Cum in his inferioribus, ludens providentia, æquas in proſequente & in fugiente vires & artes poſuerit, fit vt ſemper incertum, & ſæpius irritum ineatur certamen.

FINIS. Quod cœpit, & definit, vt quantitas omnia certâ figurâ, ſic exiſtentia quælibet certis limitibus circumſcribitur: Vltrà progredi nefas, hæc naturæ intentio, vt mundus ſucceſſione individuorum, ſicut fluvius vndarum perennis conſervetur.

MAIORITAS. Pereunt, quæ audent viribus ſuis majora: effunditur enim, & exhauritur vis; ſic deſtituta ſubſidijs ſuis exiſtentia patet contrariorum incurſibus. Immenſam Creatoris bonitatem & ſapientiam probat tot ſibi ſuccedentium individuorum varia pulchritudo.

ÆQVALITAS. Singula non æquant idæam ſuam, pluribus opus eſt, vt ſaltem habeatur ſucceſſivè, quod ſimul haberi non poteſt: Cœlo, elementis, alimentis, cauſis omnibus internis & externis ſemper variantibus, non habetur temperamentum ad ju-

Digitized by Google

ſtitiam, niſi tranſeundo; vnde ſemper natura laborat exceſſu aut defectu, à quibus hinc atque illinc inclinata tandem cadit.

MINORITAS. Etiam robuſtiſſimis eſt quædam debilior pars, in quâ facile offenduntur; hoſtibus hac illos aggrediendi naturaliter edoctis. Non intendit natura corruptionem, ſed per alterationes generationem, ſic lignum ictibus lacerant artifices vt illum formâ ab ipſis intentâ decorent. Mundi ſpatia, & alimenta non ſufficerent de novo naſcentibus, ſi vetuſta non interirent.

MINORITAS MORÆ SEV celeritas, quando ſit bona.

MISCELLANEA.

CEleritas actionis ex ſe bona eſt, quia magis accedit ad conditionem ſubſtantiæ, quæ momentò introducitur, & ſi nihil omittatur de his quæ ad ejus integritatem pertinent, majus quid facit, minori tempore efficiendo, quod alij diuturniori: argumentum eſt validæ ſuper contraria potentiæ, non vacillantis cognitionis, nec voluntatis, habitus perfecti officio ſuo cum delectatione fungentis. *Vide cæteras rationes ſuprà in demonſtratione. Contrar. Duration.*

Actus vnus moralis poteſt eſſe tam intenſus, vt generet habitum.

Cœli ſuperiores ſunt velociores, quia æquali cum cæteris tempore majus ſpatium percurrunt.

Agens majoris virtutis citiùs diſponit materiam, & contrarias ſuperat qualitates.

In ancipiti & gravi morbo, cujus ſunt ſæva ſymptomata, & minimè tutus exitus, ſtatim per initia, non vtiliter tantum, ſed & neceſſariò vtendum medicamento; neque expectanda concoctio, quæ fortè futura non eſt: accelerato igitur, & extremo vtendum remedio, ne morbi materia in nobiliores partes irruens, repentinum cauſet interitum: eſt etiam ante concoctionem purgandi neceſſitas, ſi humor publicas vias obſtruat, aut nimio torqueat dolore. Fernelius de purgandi ratione.

Artifices citò, aut non ſanandi, ne ſibi & Reipublicæ noxiam vitam trahant. Plato. lib. 2. de Republic.

Tygris velociſſimum animal, ſic fluvius ejuſdem nominis rapidiſſimus, vnde Medi illũ vocant ſagittam.

Omnia animantia quæ pedes habent, per diametrum, ſic rectà, & celeriùs moventur. Ariſtot. Hiſt. anim. lib. 1. c. 5.

Dum differtur vita, tranſcurrit; non tantùm minimum in imò, ſed peſſimum remanet, ſera in fundo parſimonia &c. Vide Senec. Epiſt. 1.

Ærris vitium eſt craſſities, virtus autem levitas, & quod citò recipiat temporis qualitatem.

Velocitas maxima in motu cœli, ventorum impetu, avium maximè rapacium volatu, torrentium, & quorundam fluminum curſu, & animalium, vt equorum, cervorum, leporum, canum, & ferarum, vt leonis, pardi; Luna curſu celerrima; Mercurius alatus, quia in cœlo velox, in metallis citò evolat, igne ſuppoſito; Sagittæ, bombardorum, fulminis emiſſio.

Motus tardi mollem intellectum ſignificant, acuti, calidum. Ariſt. Phiſio. c. 4.

Civium controverſiæ citò ſunt diſſolvendæ, ne periculoſiùs increſcant.

Cratilus exiſtimabat rerum veritatem ità celeriter tranſire, vt res eſſet immutata, priuſquàm poſſet exprimi talis; ideo ad earum oſtenſionem, non voce, ſed digito vtebatur.

Germen plantarum poteſt accelerari, ſive terram calefaciendo, vel excitando ſpiritus ſeminis & plantæ,

Figuræ non ſunt cauſæ vt ferantur ſimpliciter corpora deorſum, aut ſurſum, ſed vt velociùs, aut tardiùs: ſic quadratum cum habeat angulorum multitudinem, quibus reſpondet potentia vna quæque loci pars, non tam citò movetur ac rotundum, quia in minimâ ſui parte tangit planum, vnumque habet motum, qui facilius fit.

Nullus cunctationi locus in eo conſilio, quod non poteſt laudari, niſi re peractâ. Conſilium ſæpe tutum celeritas facit, antequàm poſſit præſciri.

Hoſtis citò repellendus, ne tempore fortior evadat; ſi in magno exercitu timetur inopia, tentandum eſt certamen; hoſtis fatigatus, ſine morâ, nundumque reparatis viribus eſt aggrediendus.

Celeritas maximè commendatur in occupando aditu, & inferendo auxilio.

Omne malum naſcens facilè opprimitur, inveteratum fit robuſtius. Si incidat proditionis ſuſpicio, melius eſt illam, vel vano metu præcavere, quàm eâ contemptâ, per ſocordiam opprimi.

Celeritas optima, vbi agitur de dubijs animis confirmandis; de voluntatibus præoccupandis: ſine celeritate occaſionis prætervolat opportunitas. Alexander omnia faciliùs, quàm moram perpeti poterat, odi lenta remedia, & ſegnes medicos, malo moti ſtrenuè, quam tardè convaleſcere: Nunquam nimis citò caſtra munienda; Melius eſt prævenire, quàm deficere: facilius morbi præveniuntur quàm expelluntur, ſic hoſtes: prius ferrum ſtringentem victoria ſequitur: fortiores habentur qui provocant: Nocet nimia providentia, aliquid committendum fortunæ. In rebus aſperis, in quibus tenuiſſima ſpes, fortiſſima conſilia tutiſſima ſunt. Malus eventus honeſtius condonatur fortitudini, quàm timiditati, quæ moras traxit. In executione conjurationis, miniſtris tantum eſt aperienda intentio cùm ad rem veniendum, ne pœnitentiæ ſit locus, aut proditioni. Denique in omni negotio bona eſt celeritas, ardorem enim habet qui motâ torpeſcit, prævenit etiam hoſtium impedimenta.

Maturè belli apparatus comparandus eſt, quia parum fœliciter hoc negotium ſuſcipitur, cum terrentur animi præſenti periculo.

Delphinus omnium animalium, tùm aquatilium, tùm terreſtrium velociſſimus. Maximâ valent celeritate, quibus parum eſt lienis, vt qui ſub Delphini ſydere nati ſunt.

Piſces celeriter adoleſcunt.

Pars in minori tempore pertranſit, quàm totum. Statio in locis frigidis tempeſtivè fieri debet, vt planta aliquid roboris ante hyemem recipiat.

Spiritus corporum motivus eſt; ignis enim, quandò cum ſpiritu fuerit, fit flamma, & fertur celeriter.

Stellæ quæ ſunt in æquinoctiali, celeriùs moventur quàm aliæ.

Alexandria vrbs Ægypti condita fuit ab Alexandro Magno intra 17. dies. Iuſtinus. lib. 11.

Ignium in aëre trajectiones nobis videntur Sole & Lunâ velociores, quia nobis ſunt propinquiores.

Nimis longa eſſe non debet infuſio, quia tandem craſſiores partes extrahuntur, & miſcentur bonis.

Operationes quæ fiunt per ignem ſunt celeres, per frigus verò lentæ. Rubigo ferri longo tempore procedit; at verſio in Crocum Martis ſubitò: & ſimiliter de ærugine, & ceruſſâ: Criſtallum longo tempore conficitur, vitrum ſubitò conflatur; lapides longo

tempore creſcunt, lateres ſubitò coquuntur.

Tempus eſt, in quo occaſio eſt: occaſio autem, in quo tempus non multum: Medela tempore, aliquando etiam occaſione contingit. Hypocrat. in præcept.

Fluxione ex capite fluente, vomitus conducit, quia pars proximior origini morbi. Idem lib. de locis in homine.

Perſis aurea Aquila, ſuper oblongam haſtam, patentibus alis militare ſignum fuit, propter celeres executiones: Romani idem ſignum habuere in ſingulis legionibus; quia ſub illâ dicitur, Iovem olim pugnaſſe contrà Saturnum, & viciſſe. Alexand. ab alex. lib. 4. cap. 2.

Oleum quod ex immaturis olivis exprimitur ad multos vſus, rectè valentibus accommodatiſſimum eſt. Dioſcorid.

Oleum laurinum vtilius, quò recentius. Idem.

Purpuræ anno magnitudinem implent, celerrimèque creſcunt, quemadmodum & conchilia omnia, Mathiol. Plin. l. 9. c. 36.

Montanis muribus, qui cuniculos magnitude ſuperant; *marmotes* dicuntur, in alpibus, dentes ſunt longi & ſævi, ſi acutis forcipibus ſecentur, vnâ tantum nocte renaſcuntur. Idem.

Melancholica affectio, circa initia curatu facilis, inveterata vero, & veluti in naturam converſa, incurabilis evadit.

In hydrope à causâ calidâ, potio purgatoria pillulis eſt convenientior, quia citius deſcendit & diſtribuitur: pillulæ autem cum tardius agant, longâ morâ nimis calefaciunt.

Acutum in voce, velox eſt in delatione. Ariſt.

Elementa quæ in vnâ qualitate conveniunt, facilius in ſe invicem tranſmutantur: vt aër ex igne & aquâ, citius autem, ſi non ſint ſymbolica, facilius enim vnum quàm multa tranſmutatur. Ariſt. de gener. & interitu. lib. 2. c. 4.

Monarchia maximè præfertur aliis gubernationum generibus, quia ejus & ſecretiora ſunt conſilia, & magis celeres expeditiones.

In Perſiâ ſunt aquæ ſaluberrimæ, quæ conferunt ad celerem cibi concoctionem, vnde homines poſſunt quater in die fieri ſaturi.

Ratio velocitatis aut tarditatis pendet ex modo motricis facultatis, & reſiſtentiæ.

Non expectat ſemper idem tempus fœtus, vt in vtero moveatur, ſcilicet 90. diem, ſed interdùm citiùs movetur, provt eſt robuſtus.

Tempus partus in reliquis animalibus vnum eſt, homini autem multiplex datum: ſunt tamen certi termini, vltrà quos partus non eſt vitalis.

Citam in corpore vacuationem, aut repletionem, aut ſubſidentiam, depreſſionem, aut elationem, aut alium quendam motum, ſolus ſpiritus efficit. Galen.

Cor calidius indiget frequentiori reſpiratione, ſic enim plus frigidi aëris attrahitur maximè ſi pectus non ſit amplum ſatis ad vehementem calorem ventilandum; tunc enim reſpirationis celeritate opus eſt, quæ ſuppleat vicem latitudinis.

Cibus optimus eſt, qui eſt boni ſuccі, & citò concoquitur.

Reges olim nihil poterant facere ſinè conſilio, niſi tempore belli, quia tunc negotia morâ non patiuntur.

In Moſcovia, quia excellens frigus hyemis necaret ſemina, illa tantum mandant terræ menſe Aprili; tamen nobiſcum metunt menſe Iulio, quia prolixitas temporis compenſatur longitudine dierum, quâ meſſis acceleratur.

Si populus abjecto ſuo Principe, alium eligat, ele-

A ctus ſine morâ, & cum magnis viribus, debet delatum ſibi Imperium occupare, nec immorari in obſidendis vrbibus, ne ejectus colligat vires, & ne populum pœniteat.

Aſtra celeriter tranſeunt, ſed durabiles qualitates rebus inferioribus imprimunt, ſic medecinæ corporibus, ſic ignitorum ingeniorum conſilia populis.

Gravida mulier vno tactu imprimit figuram homini naſcituro: Ingens flamma facit ſinè diſpoſitione, quod minor diutino calore; ſic cœlum momento influit. Marſ. Ficin. l. de vita cœlit compar. cap. 16.

Bilis flava, quia ſuâ acrimoniâ magis lædetet jecur, citiùs ab eo excernitur quam melancholia, aut flegma, vnde cyſtis fellis adhæret jecori, ſplen autem & B renes longius ab eo diſtant.

Olim apud Gallos capite plectebatur miles, qui vltimus ad exercitum veniſſet; lenta debet eſſe deliberatio, prompta executio.

Præcipitata conſilia decent Principem in extremis conſtitutum, & qui elapsâ occaſione vnâ non poteſt aliam ſperare.

Legatis ad longinqua miſſis debent dari cartæ albæ ſubſignatæ, vt vrgente neceſſitate poſſint fingere ſe noua mandata accepiſſe, quædam enim negotia moram non patiuntur.

Legati hoſtium, quò citiùs fieri poteſt, ſunt audiendi & mittendi. Periculoſum enim eſt domi hoſtem habere.

C Celeritas in bello. *Vide Durat. Contrar. Rep.*

In bello quotidie res æque debent eſſe paratæ, ac ſi eſſet pugnandum.

Nihil in bello charius tempore, vnde pecuniis emi debet, id etiam, quod mora, vis, aut prudentia poſſet obtinere: dilatio maximè nociva in terra hoſtili, in quâ periculoſum eſt ne deficiant munitiones.

Vnus de duobus hoſtibus, in nos inſurgentibus, eſt aggrediendus, antequam alteri vniatur.

Ipſo tempore ceſſat impreſſus hoſtibus noſtri motus, tandemque vires noſtræ veniunt in contemptum.

Compeſcenda modis omnibus militū ſeditio, antequàm conveniant, & communi voce deſiderata petāt. Petatur modeſtè à Principe nobis ſuſpecto tranſitus per ſuas terras; ſed eodem tempore, ſine morâ tranſeundum, ſic prævenienda excuſatio, aut reſiſtentia. D

Optimum eſt impetu facto hoſtem aggredi, hoc enim militibus addit animos.

Obſeſſi de ſuâ deditione agentes, maximè vitent moras, quas hoſtis conſulto trahit, & quas pati non poſſunt. Illis auxilium citiùs dandum, ne munitus hoſtis, poſtea non poſſit ejici. Sera in fundo parſimonia, vndè maturè debent victui neceſſaria parcè diſpenſare.

Aqua quæ citò calefit, & refrigeratur, eſt omnium leviſſima & optima; In illa citiùs quam in alijs coquuntur carnes, & legumina, in vitioſis autem tardiſſimè.

E Pubeſcunt citiùs calidi, tardiùs frigidi.

Pueri, ob robur alteratricis facultatis, citiſſimè multa concoquunt.

Magna & tarda reſpiratio, mente motos ſignificat, obliviſcuntur enim reſpirare, nec niſi neceſſitate cogente reſpirant.

Famem diutiùs tolerare ventriculum replet pravis humoribus.

Veneno hauſto, niſi celeriter ſuccurratur, non proficit antidotum.

Cometæ qui ſunt in humiliori aëris ſupremi regione, cum ſint in minori circulo, minus à cœlo moventur. Ariſt. 1. Meteor. cap. 7.

Pompeio contra Cæſarem male ceſſit, impediviſſe

Digitized by Google

ne milites fui curſu & impetu in hoſtem ferrentur ; ſic enim extinctus eſt bellicus furor, & quaſi infirmiores ſe exiſtimarunt, cum aggredi nefas, ſuſtinere & ſe deffendere tantùm licuit.

Omnis ſperatæ rei longa dilatio eſt, vellentque medios dies tranſilire, dum conſtitutus ſpectaculi dies expectatur, &c. Seneca de brevit vitæ cap. 16.

Ignitæ lanceæ quæ celeriter in aëre jaculari apparent, rem celerem prænuntiant.

Vegetius lib. 1. de re militari cap. 9. Vult maximè celeres eſſe milites, in ſaltu & curſu exercitari, vt poſſint citiùs loca occupare, hoſtes perſequi, foſſas tranſire, &c. vult paſſu militari per 5. horas 20. millia confici.

Circa Serapidis & Iovis Olympij fanum locus Dronius dictus, adoleſcentibus ad curſus meditationes attributus. Pauſanias in Laconicis. ſeu lib. 3.

Bellorophon alato inſidens equo chimæram ſuperavit.

Græci ſuperato Perſarum exercitu, oraculum reſpondit, non ſacrificandum, niſi igne puro; quidam Euchidas, mirabili celeritate, vnà die 62. leucas confecit Delphos profectus vnde ex Appollinis ara ignem attulit, ſed nimio labore morte ſubitâ extinctus eſt.

Primus Hercules certamen inſtituit curſus in Olympiis, coronam oleam pro præmio fratribus ſuis proponens. Pauſanias in Eliacis, ſeu lib. 5.

Apud Argivos in Veneris templo, Lædæ eſt ſtatua, qui pedum celeritate cunctos ætatis ſuæ homines ſuperavit. Idem in Corinthiacis.

Polymneſtor Meleſius puer, cum capras paſceret, ludicro leporem fugientem conſectatus obtinuit: hinc à gregis Domino productus Olympiade 46. victor in ſtadio extitit. Alia celeritatis exempla vide apud Solinum. Poliſtor. lib. c. 6.

In quibus per vnam ſectionem, aut vſtionem Chirurgia abſolvitur, id velociter & vnâ operatione faciendum. vt æger minus doleat: ſi plures ſectiones faciendæ ſint, fiant per intervalla, quibus vires reficerèntur Hipoc. lib. de med.

Vigilantis eſt occaſionem obſervare properantem, hanc ſi videris prehende. Nihil eſt tentandum, niſi cum aptè poterit, & tempeſtivè tentari; ſed cum illud tempus diù captatum venerit, exiliendum eſt, &c. Seneca Epiſt. 22.

Sic de occaſione Auſonius Poëta.

Sum Dea, quæ rara, & paucis occaſio nota. Quid roculæ inſiſtis? ſtare loco nequeo. Quid talaria habes? volucris ſum: &c. Crine tegis faciem! cognoſci, nolo: ſed heus tu occipiti calvo es? ne tenear fugiens. Hanc pœnitentia ſequitur, &c.

Cum jam per 20. annos Meſſenij bellum in Lacedemonios geſſiſſent: hæc Pythia vates reſpondit, eum qui 100. tripodas Iovis aræ primùm dicaſſet victorem futurum; dum Meſſenij qui hanc aram habebant apud ſe, tripodas æneos conficiebant, Æbanus Lacon, fictiles in ſacculo mentito habitu dicavit; ſic victoriam obtinuit. Pauſan. in Meſſenicis.

Ne ignis mundum conſumeret, factum eſt vt citò extinguatur, & quia eſt mundo neceſſariùs, facilè recreatur.

Cæſar vitaſſet mortem, ſi citò aperuiſſet ſchædam quâ de conſpiratione in eum factâ monebatur. Vt corporis, ſic Reipublicæ morbi ſtatim profligandi, nec expectandum donec vis hæc hoſtilis tempore vires ſumpſerit.

Continentes febres, ſolerti diligentiâ curandæ ſunt, fiunt vehementiores ſi putredo augeſcit; & fient vires imbecilliores ad ferendam vim morbi: ſic ſeditionibus maturè obviam eundum eſt.

Cùm vicina omnia hoſtili flammâ relucent tempeſtivâ celeritate, deflagrationis impetus, in ipſo exortu, vel incendiariorum ſanguine reſtinguendus adeò ſummis imperiis nihil negligendum eſt, ipſaque mali ſemina, antequam adoleſcant, & in perniciem vertantur, ſtirpitùs elidenda ſunt.

Anima mundi, quæ omnia habet habitu; & materia quæ habet potentiâ, currunt ſemper, ne inutilis ſit potentia, & vt ſucceſſione rerum omnia poſſint poſſidere. Marſil. Ficin. Theolog. Plat. lib. 4.

Advolat ſphæra rapidiſſimè, vt quantum fieri poteſt, vbique ſit tota ſimul, vbicumque tota ſimul eſt anima, & quia nuſquam reperit ſtantem animam, quieſcit & ipſa nuſquam. Ibidem.

Viget in pueris memoria, quæ creſcentibus ſenſim annis hebeſcit, & inſtar roris niſi excipiatur primâ luce, ad ſurgentis ſolis radios expirat. Barel.

Senectus ſanguini primùm, mox ingenio ſuum frigus inſinuat. Quippè ſenes hoc pectoris igne defecti, qui fortitudinem inſpirat, omnia ſolent nimis anxiâ cogitatione verſare; vnde vis conſilij ſæpius nimio pavore corrumpitur, dum omnia etiam tuta circumſpicit, mavultque interdùm malo otio vulnera tegi, quàm in periculum venire medicinæ. Idem.

Si Princeps facilis ſit, in diverſos affectus, amicoſque tranſire, qui ab eo amantur inundari ſe altiſſimo æſtu, ſed in ſuum Oceanum ſtatim mutatione redituro, avidiſſimis pectoribus de illa fœlicitate bibunt: neque enim laſſare hunc amorem flagitatis muneribus timent, qui etiam niſi tempeſtivâ celeritate excipitur, vt in vina ætatem non ferentia, inutili veterno conſeneſcit. Idem.

Sæpe levi, ſubitoque ſuſurro admonemur commodi venti, qui, ſi audiamus, navem impellat ad vota ſuprà ſpem & invidiam ſublimia. Interdum juvat illuſtri viro occurriſſe per ſoluta, & incurioſa gaudia, &c. Idem.

Cœlum cum ſit compactio multæ flammæ, omnium ocyſſimè movetur. Phylo Indæus.

Tunnus piſcis, circa ortum canis eſt celerrimus & impetuoſus, quia tunc ſub pinnâ habet vermem aranei magnitudine, aſellum vocant, à quo pungitur Athenæ. lib. 7. cap. 19.

Quidquid tenuium eſt partium, id promptè alteratur; contrà, cui craſſæ ſunt partes, ægrè. Galenus. lib. de inæquali intemperie.

Choreæ & ſaltationes ſunt præludia artis militaris, in quâ celeritas eſt neceſſaria ad recedendum & inſequendum. Athenæus. lib. 14. cap. 12.

In omni miſſili, ictus non tam robuſtus, quàm acutus ac celer, ad perlationem potiſſimum valet: neque etiam fieri potuiſſet, vt parva quantitas ſpiritus animalis in animalibus, præſertim in tam vaſtis corporibus, qualia ſunt balenæ aut elephanti, tantam molem corpoream flecteret & regeret, niſi propter velocitatem motus ſpiritus, & hebetudinem corporeæ molis, ad expediendam ſuam reſiſtentiam: hoc eſt ex præcipuis fundamentis Magiæ, ſi fieri poſſit anteverſio motuum per velocitatem vnius, antequam alter ſe expediat. Baconius in novo organo. lib. 2. cap. 46.

Vrſus, fortiſſimum animal, parit trigeſimo à conceptu die. Plin. lib. 8. c. 36.

Canes juxta Nilum amnem, currentes lambunt, ne crocodilorum aviditati occaſionem præbeant. Ibidem cap. 40. *Vide Bonitas Principij. Initij.*

In purpuræ pretioſo humore, major vis tantò, quantò recentior. Plin. lib. 9. cap. 38.

Strutio celerrimè omnia digerit. Plin. lib. 10. cap. 1.

Alcyones, captatâ occaſione tranquilli maris circa brumam, nidum ædificant ſeptem diebus, & toti-

dem ſequentibus pariunt. Idem cap. 32.

Ex robore naſcitur galla, ſole de geminis exeunte, erumpens noctu ſemper vniverſa creſcit vno die. Idem l. 16. c. 7.

Cœlum terræ parere coges, ſi in frigidis præcoces fructus feras, vt maturitas antecedat algorem: quæ poma, viteſque rorem oderint, contra ortum, vt ſtatim auferat Sol; quæ ament, ad occaſum, & Septentrionem, vt diutiùs eo fruantur. Plin. lib. 17. cap. 3.

Citò virtuti incumbendum. *Vide Duratio Virtutis. Repugnat.*

Caro tria potiſſima dedit præcepta agriculturæ: nihil in illâ ſerò faciendũ; ſuo quæque tempore facienda; & quæ prætermiſſa ſunt facienda. Plin. l. 18. cap. 6.

Legumina cum matureſcere cœperint, rapienda ſunt, quoniam citò exiliunt, latentque cum decidere. Idem cap. 12.

In Arabia fons eſt, qui exilit tanta vi, vt põdus omne reſpuat, imò & qui ſunt in fundo lapides egerat. Idem l. 21. c. 2. prodeſt celeritas, vt nociva non admittas.

Mercurius Dominus Eclipſis, ſignificat in humanis negotiis celeritatem, induſtriam & calliditatem. Ptolomæ. prædict. Aſtrolog. lib. 2. cap. 8.

Res de qua eſt ſciſcitatio brevi perficitur, cum novilunij, ſeu plenilunij dominus cardinalis eſt. Idem in centiloquio. cap. 97.

Æquè fœlices ſunt ſeptimeſtres partus ac novimeſtres.

DE HIS QVÆ FIVNT in inſtanti.

IN inſtanti fiunt quæ non habent contrarium; vt illuminatio, formæ naturalis introductio.

Agens majoris virtutis citiùs diſponit materiam, infinitæ autem in inſtanti.

Ab inſtanti mortis teſtatoris hæredes aut legatarij cenſentur Domini. l. à Titio. ff. de furtis. *Le mort ſaiſit le vif.* in conſtitutione Pariſienſi. Vnde in Regnis hæreditariis, aſtrologi regiminis figuram conficiunt à momento mortis ejus qui præceſſit.

Prohibitum ad tempus, ſtatim poſt tempus videtur eſſe permiſſum. l. 8. ff. de poſtul.

Iuſtificatio impij fit in inſtanti, nihil enim Deo, à quo immediatè fit, reſiſtit. D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 7.

Corpus Chriſti fuit in inſtanti conceptionis formatum & aſſumptum à Verbo. Idem 3. q. 33. a. 1.

Deus omnia ſimul intelligit, quia omnia intelligit per eſſentiam ſuam, quæ vna eſt, æterna, non admittit priùs aut poſteriùs, ſi etiam eſſet ſucceſſivè intelligens, eſſet modò in actu, modò in potentiâ. Vide D. Thom. contrà Gentiles lib. 1.

Angelus poteſt in inſtanti tranſire de vno loco in alium, quia non habet partes.

Generatio fit in inſtanti, quia motus ſucceſſivus ſit inter terminos contrarios; ſubſtantiæ autem nihil contrarium; & quia ſubſtantia quæ generatur eſt indiviſibilis.

Relatio etiam acquiritur ſine motu, quia in ejus acquiſitione non eſt vera actio & paſſio.

In eodem inſtanti eſt illuminatio aëris, viſio coloris, & diſcretio rei viſæ, licet primum ſit cauſa ſecundi, & ſecundum tertij. 1. 63. a. 5.

Mutatio tripliciter eſt in inſtanti. Primò ſi forma ſit indiviſibilis, vt forma ſubſtantialis. Secundò ſi ſubjectum ſit in vltimâ diſpoſitione. Tertiò ſi agens ſit infinitæ virtutis. 1. q. 113. a. 7. & 3. q. 75. a. 7.

EX IVRE CIVILI & Canonico.

DE nimia celeritate. *Vide Bonitas Durationis.*

Animalia brevioris vitæ citiùs perficiuntur l. 2. C. de his qui vem. ætat. impet.

In diem debitor, ita debitor eſt, vt antè diem ſolutum repetere non poſſit. l. 10. ff. de condict. indeb. Sic mandatarius, qui ante diem præſtitutam ſolvit, non habet antè illam actionem mandati. l. 51. ff. mand.

Septimo menſe partus perfectus naſcitur. l. 14. ff. de ſtat. homi.

Fructus etiam antè ſolitum tempus collecti ſunt vſus fructuarij. l. 48. ff. de vſufr. & l. 58. eodem.

Quod vir vxori in diem debet, ſine metu donationis præſens ſolvere poteſt, quamvis commodum temporis retentâ pecuniâ ſentire potuerit. l. 31. ff. de donat. inter. vir.

Quæ lex jubet fieri in aliquo actu, debent fieri continuò, non poſt aliquod intervallum. l. hæredes palam §. fina. ff. de teſtam. *Vide Minoritas Differentiæ.*

Si tutor ceſſaverit in diſtractione earum rerum, quæ tempore depereunt, ſuum periculum facit: debuit enim partibus ſuis fungi, non quidem præcipitâ feſtinatione, ſed nec moratoriâ cunctatione. l. 7. ff. adminiſt. & peric. tutor.

Tutor ſtatim in ipſo pupilli negotio debet auctor fieri: poſt tempus verò, aut per Epiſtolam interpoſita ejus authoritas nihil agit. l. 9. ff. de author. & conſenſ. tutor.

Si Pater ante 12. annum filiam ſuam nuptum det, videtur id potiùs affectu, quàm dolo facere. l. 11. ff. quod falſ. tutor. act.

Quod poſthumo naſcituro defertur, valet ſi eâdem die natus ſit, cùm factum eſt teſtamentum. l. 25. ff. de lib. & poſthu. hæred. inſtit.

Poteſt quis ita facere teſtamentum, ſi intrà 70. annum deceſſero, ille mihi hæres eſto. l. 56. eodem.

Filius qui Patrem in Sepulchrum hæreditarium infert, quique agit de Sepulchro violato, ab eo pro hærede non ſegerit, quia res hæc non patitur moram, & eſt officium pietatis. l. 10. §. 3. & 5. finah ff. de acquir. vel omitt. hæredit.

Hæres qui teſtatoris à veneno occiſi cauſam perſequitur, res hæreditarias vrgentes ordinare, ſalvis probationum indiciis, non prohibetur. l. 20. ff. ad S. Con. Sillanianum.

Non eſt expectandum tempus naturæ, ſi prævenium majus affert commodum, vt olea immatura plus habet redditus, quam ſi matura colligatur. l. penult. ff. de vſu & vſufr. legat.

Conditio quæ eſt in poteſtate hæredis, vt ſi capitolium aſcenderit, ſic recipienda eſt, ſi cùm primùm potuerit, eam impleverit. l. 29. ff. de condit. & demonſt.

Qui impuberes dilationem auxilij non patiuntur, ſi illis moveatur quæſtio ſtatus, differtur in tempus pubertatis, & interim obtinent bonorum poſſeſſionem à Prætore. l. 1. & 3. ff. de Carbonia. edict.

Non ſolum milites, ſed omnes qui in oſticolo, in periculo vitæ, ab hoſtibus ſunt deprehenſi, & etiam omnes qui ſunt in navi poſſunt ſine ſolemniis teſtari jure militari, quia imminens periculum moram non patitur. l. vnic. ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. milit.

Si quis rivos vel cloacas velit reficere, non tenetur ceſſare ab opere, propter novi operis nuntiationem, quia periculum eſt in morâ. l. 5. §. 11. ff. de nov. oper.

num. quod eſt generale in omnibus caſibus in quibus A mora periculum eſt allatura.

Propter periculum moræ, committitur magiſtratibus municipalibus, quod aliter non competeret. l. 1. ff. de dam. infra.

Vim vi repellere licet in continenti, non autem ex intervallo. l. §. 1. ff. de verb. obligatio.

Frumentariæ pecuniæ creditor compenſationem non habet l. 17. ff. de compenſ. ſimiliter pecuniæ expeditioni copiarum deſtinatæ. l. 20. eodem. Depoſiti etiam non datur compenſatio. l. penult. C. depoſ.

Lex commiſſoria eſt cum venditioni apponitur, vt contractus poſſit reſolvi, ſi prætium tali die non fuerit ſolutum. Emptor etiam non interpellatus prætium B debet afferre, dies enim interpellat pro homine. l. 1. & 4. ff. de lege commiſſoria.

Plus eſt ſtatim aliquid dare; minùs eſt poſt tempus dare. Vnde fidejuſſor qui non poteſt in duriorem cauſam obligari, non poteſt purè obligari, reo ad tempus obligato. §. fidejuſſores. Inſtit. de fidejuſſoribus.

Minus ſolvit qui tardè ſolvit, nam & tempore minùs ſolvitur. l. 1. 2. ff. de verbo. ſignific.

Inter aditionem ſui hæredis, & mortem defuncti, non datur mediũ. §. ſui Inſtit. de hæred. qual. & differ.

Agricultores poſſunt colere prædia, etiam diebus dominicis, quia ſæpe hoc opus non recipit dilationem l. 3. Cod. de feriis.

Tutor tenetur pupillo alimenta præſtare, licet pen- C deat quæſtio de ſtatu ſuo, quia in alimentorum præſtatione mora fieri non debet l. 1. C. de alim. pupill. præſt.

Arbiter compellitur judicare diebus feriatis, propter timorem curſus temporis ſibi ad ſententiandum dati. l. Pomponius §. penult. ff. de recept. arbit.

Lege 12. tabularum in jus vocatus tenebatur ſequi vocantem invitus: non tamen è domo ſuâ invitus extrahebatur. l. 18. ff. de in jus voca.

Fur ſemper eſt in morâ, ideò ſemper ad eum pertinet periculum interitus. l. 20. ff. de condict. furt.

Poteſt quis repetere depoſitum ante tempus ſta- D tutum. l. 1. §. 45 ff. depoſ. quia hic contractus, fit in ſolius deponentis commodum, ſicut & mandatum.

Si ſit controverſia inter patrem & matrem interim à præſumpto patre alimenta ſunt præſtanda, quæ tamen liti non faciunt præjudicium. l. 7. ff. de agnoſ. & alend. lib. & l. penult. C. de patr. poteſt.

Facilis eſſe debet Prætor, vt mulierem ventris nomine in poſſeſſionem mittat. l. 1. ff. ſi mul. ventr. nom.

Filius dùm deliberat, alimenta habere debet ex hæreditate. l. 9. ff. de jur. delib.

Qui antè mortem ſuam ſolvit fideicommiſſum patris, non cenſetur in fraudem creditorum ſuorum facere. l. 19. ff. quæ in fraud. credit.

Ne modicum quidem tempus, ad liberum hominem exhibendum concedendum eſt, quoniam præteriti facti pœna præſtanda eſt. l. final. in f. ff. de hom. lib. exhib. E

Stipulatio Romæ facta, hodie Carthagini dare ſpondes, non erit inutilis, ob ſolas anguſtias temporis, ſi ità ſtipulantes diù ante diſpoſuerint hæc fieri per ſuos procuratores. ſl. final. §. 4. ff. de verb. obligat.

Si debitor plurium ſummarum, vnam ſolvat, non applicans, videtur ſolvere pro debito potiùs, cujus dies venit, & magis quod ſuo nomine, quam fidejuſſorio, & potiùs quod cum pœnâ, quàm quod ſine pœnâ, & potiùs quod ſatisdato, quàm quod ſinè ſatisdatione debet. l. 4. ff. de ſolutio; & ſemper quod indiſtinctè ſolvitur in graviorem cauſam videtur ſolutum. 5. eodem ſcilicet in eam quæ majus periculum minatur. l. 7. eodem.

Patri jus eſt filiam in adulterio deprehenſam cum adultero occidere, ſi modo vtrumque in continenti occidat, filiam ad tempus non reſervando. l. 23. in f. ff. ad l. Iul. de adulter.

Non differtur executio damnati, etiamſi promittat ſe dicturum aliquid, ad ſalutem principis pertinens; ſed magis eſt puniendus, qui tandiù celaverit, quod continuo debebat prodere. l. 6. ff. de pœnis.

Qui captus ab hoſtibus, cùm poterat redire non rediit, pro transfugâ habetur. l. 5. §. 5. ff. de re milit.

Non debent vrbani mercatores ſua victualia venditioni exponere, donec ruſtici quæ attulerint vendiderint. vt ſubitò ad opus ſuum revertantur. l. 2. ff. de nundin.

Ter enixa videtur, etiam quæ trigeminos peperit. l. 137. ff. de verb. ſignif.

In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præſenti die, debetur. l. 14. ff. de Reg. Iur.

Omnia ferè jura hæredum, perindè habentur, ac ſi continuò ſub tempus mortis hæredes extitiſſent. l. 135. eodem.

Pacti, ſi contractibus apponuntur in continenti, pariunt actionem, ſi ex intervallo, exceptionem. l. 13. C. de pact.

Manumittens antè tempus, quo tenetur manumittere, pro tempore anticipato poteſt operas imponere, & non vltrà. l. 5. Cod. de oper. libertor.

Si canonicus monitus de reſidentiâ appellet; pendente appellatione providetur vicarius, qui cum fructibus beneficij deſerviat. cap. pervenit de appellatio.

Impuberes pro bono pacis conjungi poſſunt. cap. vbi de deſponſat. impuber.

Etiam feriatis diebus jus dicitur, in cauſis quæ ſummariè poſſunt expediri, & quæ dilatione damnum afferunt. Sic tutores & curatores ſunt dandi, aut amovendi.

Si alimenta petantur, ſi miſſio in poſſeſſionem ventris nomine, ſi ætas probanda. l. 2. & 3. ff. de feriis.

Vt partus ſit liber, ſufficit matrem, vel minimo tempore libertatem habuiſſe. l. 5. ff. de ſtat. homi.

Actus ſtipulantis, & promittentis debet eſſe continuus. l. 1. ff. de verbo. obligat.

Cum tutore, non niſi finitâ tutelâ, cum curatore autem, etiam manente adminiſtratione, & cum procuratore agi poteſt. l. 27. ff. de adminiſt. tutor.

Actio de dolo famoſa datur contrà eum, cujus dolo effectum eſt vt lis, temporibus legitimis tranſactis, periret. l. 18. ff. quod metus causâ.

Quando periculum eſt in morâ, receditur à regulis juris communis, & ſubitario remedio ſubvenitur læſis. l. 1. & 2. Cod. Quando liceat vnicuique, ſic vrgente neceſſitate datur abſolutio, & ab eo qui non habet juriſdictionem.

Si in ægritudine periculum ſit, ne deficiant vires, diuturnis remediis; à forti medicatione incipiendum eſt; ſic in exercitu magnus ſæpe impetus; prævenit deſertiones, ſuis animum dat, hoſtibus terrorem.

Diebus feriatis ruri poſiti agrorum culturæ, liberè licenterque inſerviant, quoniam frequenter evenit, vt non aptiùs alio die frumenta ſulcis mandentur, & occaſione momenti pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa. l. 3. C. de feriis.

EX THEOLOGIA.

IN Baptiſmo ſi fiat tanta interruptio verborum, vel interpoſitio, quod intercipiat intentionem Baptiſantis, tunc non erit vna forma, & vtraque per ſe erit imperfecta. D. Thom. 3. q. 60. a. 8.

Forma abſolutionis ſacramentalis debet fieri per verbum indicativum. 3. q. 84. a. 3. ad 1.

Corpus glorioſum erit agile ſicut anima, vt ei ſit habile ad obediendum; movebitur in tempore, ſed imperceptibili, propter brevitatem. ſuplem. quæſt. 84. a. 3.

Angeli ſunt ſuprà tempus & ſuprà motum omnium corporalium; non autem ſuprà tempus ſucceſſionum eſſe, & operationis ipſorum. 1. q. 61. a. 2. ad. 2.

Charitas vnico actu augetur, ſi fiat cum toto conatu, non autem aliter. 1. 2. q. 52. a. 3.

Conceptio Chriſti fuit in inſtanti. 3. quæſt. 6. art. 4. ad 1.

Motus expeditus erit vna ex dotibus corporis glorioſi. 3. q. 28. a. 2. ad 3.

Valet matrimonium ante annos pubertatis contractum, ſi defectum ætatis vigor naturæ & rationis ſuppleverit. ſuplem. q. 58. a. 5.

Æternitas eſt tota ſimul, quia eſt menſura eſſe permanentis. 1. q. 10. a. 4. ad 3.

Converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti fit in inſtanti. 3. q. 75. a. 3.

Generatio fit in inſtanti. 1. 2. q. 113. a. 7. *Vide ſuprà inſtantanea.*

Ex habitu procedit promptitudo, & delectatio in opere. 12. q. 49. a. 4.

Reſurrectio reſpectu eorum quæ immediatè fient divinâ virtute, fiet ſubitò: reſpectu verò eorum quæ fient per Angelos, fiet ſucceſſivè. ſuplem. q. 77. a. 4.

Comparatio motus iraſcibilis & concupiſcibilis, quantùm ad celeritatem. 22. q. 136. a. 4.

Docilitas, per quam homo fit diſciplinæ ſuſceptivus, eſt pars prudentiæ. 2. 2. q. 49. a. 3.

Devotio eſt prompta voluntas faciendi ea, quæ ad Dei cultum ſpectant. 2. 2. q. 82.

Baptiſmus non eſt differendus pueris propter periculum. q. 68. a. 3.

EX BIBLIIS.

EZech. 1. animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris corruſcantis: viſio diſcurrens in medio animalium; ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediens.

Ioannes & Iacobus vocati à Chriſto, citò ſequuntur eum. Mat. 4.

Velociter ſpolia detrahe, citò prædare. Iſay. 8. de Verbo incarnando.

Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam. Iſay. 10. & c. 55. Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propè eſt.

Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam tenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. Expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis & in caliginem. Ierem. 13.

Angelus transfert Habacuc de Iudæa in Babylonem ſuper lacum Leonum, in quo erat Daniel, & deinde reſtituit eum in locum ſuum. Daniel 14.

Exultavit vt gigas ad currendam viam. Pſal. 18. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Pſal. 34. Qui ambulas ſuper pennas ventorum. Pſal. 303.

Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1. Adjuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas, cervoſque camporum. Ecce venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. Cant. 2.

Sponſa quæ moram fecit aperire ſponſo, amplius eum non reperit, & cæditur à cuſtodibus civitatis. Cant. 5.

Quinque prudentes virgines exierunt obviam ſponſo, quinque fatuæ, quæ moram fecerant, excluduntur. Math. 25.

Paſtores audito nuntio Angeli, veniunt feſtinantes, & inveniunt Mariam & infantem. Luc. 2.

Ieſus increpat eos, quibus cum dixiſſet, ſequere me; vnus dicit, permitte mihi priùs ſepelire Patrem meum: alius, permitte mihi priùs renuntiare his quæ domi ſunt. Luc. 9.

Eadem die qua Abraham recipit præceptum circumciſionis, circumciditur. Gen. 17.

In convalli Mambre it obviam Angelis: ſic Loth in Sodomis. Gen. 18. & 19.

Dei mandato ſtatim terra producit fructus. Gen. 1.

Agnus Paſchalis comedebatur aſſus igni, cinctis renibus, cum baculo in manu, ad oſtendendam celeritatem. Exod. 12.

Occiſis in Ægypto primogenitis, Ægyptij cogunt Iſraëlitas exire ſine morâ. Exod. 12.

Piſces qui non habent pinnulas: ſic tardiores ſunt immundi. Levit. 11.

Hoſtia pacificorum debet vno die comedi & ſi quid reſiduum ſit comburi, vt nihil ſerveturin alium diem. Levit. 19.

Si ſtatim atque pater cognoſcit votum factum à filiâ, aut maritus ab vxore, ei non contradicat, votum implebitur. Numer. 30.

David laudans mortuos Saul & Ionatham dicit, aquilis velociores, leonibus fortiores. 2. Reg. 1. & c. 2. laudatur Aſaël curſor velociſſimus, quaſi vnus de capreis quæ morantur in ſylvis.

Eliæus ex tempore boves & aratrum Deo in holocauſtum offert, vt Eliam ſequeretur. 3. Reg. 19.

Servus Abrahæ non vult cibum ſumere, donec adimpleverit Domini præceptum. Geneſ. 24.

Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo. Apocal. 3. 16.

Omne reptile, ſcilicet tardigradum, eſt immundum. Levit. 11.

Digitized by Google

BONITAS POTESTATIS

BONVM REGIMEN ET HOMINIBVS NECESSARIVM.

MISCELLANEA.

VITA civilis in societate est : societas in duabus rebus, commercio & Imperio.

Commercium ad Moralem, aut Oeconomicam, pertinet ; Imperium propriè ad Politicam : estque certus rerum ordo in jubendo & parendo ; sine eo, nec domus, nec civitas, nec ipsum humanum genus stare potest, nec ipse mundus. Regi & necessarium & vtile : istud, inquit Seneca, est vinculum, per quod Respublica cohæret ; ille Spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt ; nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperij subtrahatur.

Circæa virga, quâ tactæ feræ, hominesque miti escunt. Lipsius initio Politic.

Fœlicitate frui magnum bonum est, sed majus illam posse aliis impertiri : Reges sunt quasi cœlum mundi civilis : Dei vices agunt.

In statu innocentiæ homo habuisset imperium in hominem, non servile, sed civile, quale est inter Angelos : ita parentes filios, mariti vxores, sapientes minùs sapientes rexissent. D. August. lib. 19. de Civit. Dei. cap. 14.

Populus Israël petit Regem à Samuele qui bella sua regat. 1. Reg. 8.

Aristot. 1. Polit. 3. probat servitutem naturalem esse quia homo est sociale animal : at in omnibus, in quibus vnum fit ex pluribus, in illo aliquid prædominatur. Ac statim ex generatione, quædam distincta sunt ; alia ad parendum, alia ad imperandum. In expertibus vitæ est quoddam imperium, instar harmoniæ : in animali anima imperat corpori : animus in corpus dominicum habet imperium ; mens verò in appetitum civile & Regium : vndè patet quod ea pars quæ pollet ratione, debet imperare illi quæ subjacet perturbationibus ; Masculus melior fœminâ, cui imperat ; vndè qui in corporeis tantùm valent, sunt naturâ servi sapientum.

Plurima piscium pars gregalis est, nec vllus grex caret duce. Arist. histor. animal. lib. 8. cap. 13.

Forma actuans materiam vocatur à Platone & Aristotele, divina soboles, & divini esse particeps. Aristoteles autem 3. de anim. cap. 5. infert animam A esse immortalem ex intellectu agente, quem comparat formæ, patientem autem materiæ.

Natura est principium activum & passivum simul ; itaque materia & forma naturæ titulum susceipit, sed itavt forma principaliter dicatur natura, materia autem minùs principaliter, & secundario : fert facultas, fertur corpus.

Iure naturali regna edita. l. 5. ff. de just. & Iur.

Finis judiciorum est, vt quisque præsidium juris sui habeat publicum. l. 4. C. de his qui ad stat. confug. & vt lites, non privato, sed publico judicio terminentur l. 1. ff. de re judic. l. vnic. C. quando lice. vnicuiq.

Remittitur juramentum ei, qui juravit se nunquam officium publicum recepturum : l. 38. ff. ad municip. scilicet propter bonum publicum.

B Homo naturaliter amat societatem : non potest esse societas sine pace, pax sine vnione, vnio sine ordine, ordo sine distinctione, distinctio sine dependentia, dependentia sine authoritate ; sic natura nos subditos effecit : in omnibus populis hic instinctus, vndè constat quod naturalis est, & quod vt dicit Apostolus, omnis potestas à Deo.

Isaac non maledicti, sed voti instar. insipienti Esaü dicit, moriens fratri tuo servies, tanquam præstantiori optimum judicans ei, qui arma gestat, propter intestinam seditionem animæ, mandata diligentis temperantiam exequi. Philo Iud. lib. de congressu quærendæ erud.

Hâc ratione invasiones suas Roma Respublica deffendebat, teste D. August. lib. 19. de Civit. Dei c. C 21. Vt domiti se meliùs haberent, qui indomiti se deteriùs habuerant : bona ergo illis servitus ; si melioribus se subjiciantur, vt mundus Deo, corpus animæ, passiones rationi. Sic Plutarchus dicit gentes ab Alexandro victas, cæteris fuisse fœliciores, quia bonis imbutæ fuerant legibus. Fit compensatio, si bellum aufert libertatem, dat leges, artes, scientias. Nisi Gallis & Germanis Imperij Romani lux adfuisset essent adhuc feri, horridi, cædibus alienis & suis gaudentes : idem evenit novo orbi, quem Iberi salutari quâdam sævitiâ exhausserunt, moxque repleverunt, & coluerunt : quasi in horto Deus gentes quasdam transplantat, &c.

Plato in Alcibiade probat magis conducere, non solum

ſolum puero, ſed etiam viro, regi à meliore.

Rebus omnibus creatis Deus principem conſtituit Angelis Angelum, dæmonibus dæmonem, hominibus hominem, ſcilicet Ieſum Chriſtum; potentiores enim boni ſui communicatione debent infirmos juvare, quod tunc maximè faciunt, cùm eos, vt ſuos, jure regiminis agnoſcunt: quale chaos in naturâ, ſi nulla eſſet ſubordinatio.

Notatur in lib. Iudic. c. 17. Iudæos tunc malis omnibus oppreſſos eſſe, quia non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, agebat, & Iſay. 3. Auferam ab eo fortem, &c. Vide diſt. 89. Can. ad hoc diſpenſat.

Corpus ſine capite monſtrum, nulla ſine prioritate linea, nullúſque ſitus etiam figuræ obicularis. Non eſt muſica, ſi omnes toni ſint æquales: Ipſa æqualitas in Republicâ, ſumma eſt inæqualitas, vt ait Plato. 6. de legibus.

In elementis ſingulis vna dominatur qualitas, in mixtis vnum elementum.

Concilium Moguntinum ſub Carolo Magno habitum. can. 22. ſtatuit. Nullâ ratione clericos ſacerdotes habendos, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplinâ gubernentur, eoſque acephalos nominandos. habetur diſt. 93. can. 8. nullâ ratione. Vide Deut. 32. verſ. 7.

Quinque tædæ jugales antè nuptos præferebantur, individuam vitæ ſocietatem ſignificantes, quia numerus impar non poteſt dividi, & quia quinque ex. Binario primo pari, & Ternario primo impari, quaſi ex maſculo & fœminâ componitur. Plutarch. in Problem Roman. Probl. 2.

D. Chriſoſtom. homil. 5. ad popul. Antioch. probat Principes eſſe neceſſarios, vt metu contineant populum laſcivientem, eoſque eſſe in civitatibus, quod lignorum contignationes in ædificio, ſacerdotes autem ſunt quaſi matres, ad quas nimium preſſi refugiunt.

Populi, qui ſtudio libertatis Reges non norunt, tamen ſe Magiſtratibus, quorum judicio regantur, committunt; arcanâ rerum lege, ita nexus & ſeriem vniverſi diſpenſante, vt ad divinitatis imaginem vnius capitis nervis, multa membra temperentur. Barclajus.

Vbi multitudo fidelium excrevit, ibi Epiſcopi ſunt ordinandi. 16. q. 1. can. præcipimus. *Vide Minoritas Poteſtatis bona.*

Naturale eſt, vt minùs ſapiens regatur à ſapiente. D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3.

Liberatus à patria poteſtate poteſt honeſtè in poteſtatem reverti adoptione. lib. qui libertus. ff. de adoptionibus.

Invitus non poteſt. vt adoptari, ita nec emancipari. l. vlt. ff. de his qui ſui vel alieni. jur.

Angeli inferiores mittuntur ad miniſterium, vt inferiora reducantur in Deum per media. D. Thom. 1. q. 112. a. 2.

Onias ſummus & ſapientiſſimus ſacerdos, vidit ſine regali providentiâ impoſſibile eſſe pacem rebus dari. lib. 2. Machabæo. cap. 4.

D. Hieronymus in 1. ad Tit. in Aggæi. 2. & Epiſt. 85. ad Evagrivm. dicit ad evitandum ſchiſma, optimum fuiſſe inter Preſbyteros vnum eſſe, cui cæteri parerent, quem & Epiſcopum nominarunt. Epiſt. 85. hunc fatetur cæteris dignitate ſublimiorem; & ab illo, ſicut ab Aaron cæteros differre ſacerdotes: & lib. adverſus Luciferianos, dicit ei ſoli competere manuum impoſitionem, quâ accipitur Spiritus Sanctus. Vide Baron. an. 58. num. 6. & ſeqq.

Duce apum prehenſo, totum tenetur agmen; amiſſo dilabitur, migratque ad alios, eſſe vtique ſine Rege non poſſunt. Plin. lib. 11. cap. 17.

Oſtrearum generi nulla capita, nec ſpongiis, nec aliis ferè, quibus ſolus ex ſenſibus tactus eſt. Ibidem cap. 37.

Diſcitur veritas à ſapientioribus, qui ad inferiorum inſtructionem à Deo illuſtrantur. *Vide Medium Veritatis.* Doctoribus aſſentiendum.

Legis Imperantis neceſſitas. *Vide Finis Veritatis.* Lex quid intendat.

REGIMEN EST NECESſarium inter homines.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ineſt vnicuique particularis ſui boni appetitus, & tamen ſingulorum commodum pendet à bono communi; nam deſtructâ civitate pereunt familiæ: oportet ergo aliquem eſſe, qui boni publici, à ſingularibus neglecti, curam gerat.

MAGNITVDO. Confert quidem hic appetitus ſingulorum, ſuum bonum quærentium, ſed hæc ſingularia bona debent ab aliquo, in bonum commune converti, vt diverſa artificum opera Architectus confert ad intenti à ſe operis complementum, partes arte ſunt jungendæ, vt fiat totum. Ex ſingulorum viribus, & induſtriis fit bonum publicum.

DVRATIO. Vt naturalia, ſic civilia ordine regiminis conſervantur; vt Reſpublicæ diutiùs durant, quam particulares, ſic lento magis gradu procedunt, oportet ergo dari ſtabilem aliquam poteſtatem, quæ illis motibus præſideat, & quæ ſe habeat per modum immobilis, ſuper quo particularium fiant mutationes; Non ſufficeret lex ſcripta, niſi eſſet legitima aliqua poteſtas, quaſi lex animata.

POTESTAS. Vis omnia ſibi ſubjiceret, & vaſtaret, juſque eſſet in armis, niſi publico conſenſu regenti maxima eſſet conceſſa poteſtas, vt injuſtam vim reprimeret, & ſuum cuique tribueret. Vera libertas, ſub legum tutelâ.

COGNITIO. In regimine, excellens quorumdam ſapientia in actum ſe exerit, & alijs prodeſt, efficitque in Republicâ quod prima ratio in mundo.

VOLVNTAS. Legitima poteſtas frænum imponit paſſionibus, quæ ſolutæ, in privatum, & publicum damnum deſævirent.

VIRTVS. Eſt habitus divinus, cui res familiaris nimis anguſta eſt; generoſiùs ſe explicat in boni publici regimine; illo ſublato inundant vitia: Mutuo auxilio politia Regionem, & Religio politiam juvat.

VERITAS. Vix habetur publicum bonum, ſine aliquo particularium damno; tamen nemo libens ſua deſerit: oportuit ergo ſecretis regentium conſiliis falli privatos in bonum ſuum: indiget hî veritas regentium protectione, vt ignis extrà ſphæram ſuam pabulo.

GLORIA. Vt voluptatis illecebris, individua ſui obliviſcuntur ad ſpecici conſervationem: ſic honoris ſenſu homines propria deſerunt, vt publicis vacent commodis; vtroque inſtinctu dato à providentiâ, propter bonum publicum. Sine Regimine nulla pax ſævientibus in ſe cupiditatibus.

DIFFERENTIA. Ambitioſè omnes ſumma appetentes excidium afferrent Reipublicæ, niſi qui regit convenientia ſingulis diſtribueret officia, niſi nociva à cæteris, & contagioſa ſepararet, & extrà cætero-

rum conditionem positus, immotus daret cuncta moveri.

Concordantia. Amicitiæ quorundam fierent in alios conjurationes, nisi ad concentum illas reduceret, qui bono præest publico: partes, quia mixtione alterantur, cupiunt dissolvi, vnde sicut à seipsis non venerunt in compositionem & ordinem, sic sinè regente non possunt conservari.

Contrarietas. Nullum animal alteri ejusdem speciei tam inimicum, quàm homo homini. Quorumdam odium antipathia concitat; alios ipsamet sympathia, quæ idem appetit, causa est invidiæ, & ad certamen vocat. Civile bellum sævissimum, odia inter parentes & amicos orta modum nescirent, nisi hæc mitigaret regimen. Et cum pro bono publico pugnandum est, multi deficerent, nisi à regente cogerentur.

Principivm. Ab vno primo Principio, omnia esse acceperunt, & conservantur: hinc in rebus omnibus compositis est aliquid, quod se habet per modum principij influentis, vt caput in corpore, in musicâ, in navi magister, &c. Multa animalia gregalia ducem sequuntur.

Medivm. Tot hominum artes, industriæ, vires, sunt diuersa instrumenta, quæ expectant Regentis artificis manum; quâ cessante, aut inutilia aut nociva existunt.

Finis. Mediorum optimorum electio pendet ab intentione finis boni publici, qui vt vnus est, non potest nisi ab vno intendi, & attingi; diversi enim pro diverso rei conceptu & interesse, in diversa rapiuntur.

Maioritas. Habet quo se explicet in bonum publicum ambitiosa excellentiæ natura; cui si non detur hæc materia, viribus & arte præstantiores in aliorum perniciem sæviunt, ne sit inutilis eorum potestas, nocet, si prodesse non potest.

Æqvalitas. Par in parem non habet imperium, homo in hominem naturaliter liberum. Vnde apud pleraſque gentes hæc invaluit opinio, sceptra à Deo dari, Regnantesque Dei esse vicarios: sic se pro bono publico, & regiminis necessitate fallentes.

Minoritas. Efficit Regimen vt etiam minima fiant valde vtilia, dum operi sibi convenienti à Regente applicantur; vt qui valent corpore, parùm ingenio, mechanicis, bello, &c.

BONITAS ET CLEMENTIA Regentis.

MISCELLANEA.

Vide Virtus Potestatis, & Majorit. Potest. Mal.

Clementia est virtus animi; à pœnâ ad lenitatem cum judicio inclinans: hæc maximè principem decet, quia plus habet apud subditos quod servet: Illi gratiam parat: Qui vult amari languida oportet regnet manu; Non opus est excubiis, ei quem amor tuetur: hoc inexpugnabile munimentum, munimento non indigere: firmissimum est imperium, quo obedientes gaudent: at invisa Imperia nemo continuit diù. Inter suos Pater & Rex sit, non Dominus; Timeant subditi, non illum, sed pro illo. Lipsius in politicis. *Vide Minorit. Contrariet.*

Vsusfructuarius debet vti quasi bonus Paterfamilias. l. sed etsi. ff. de vsufr.

Plato de Republicâ, vetat Deum dici mali authorem. Idem dicendum de Rege.

Alexander Petrillo decem talenta petenti pro dote filiæ, dedit quinquaginta: Si tibi, inquit, satis est tantum accipere, mihi non satis est tantum dare.

Artaxerxes dicebat regalius esse addere, quam adimere.

Apud Ægyptios natorum Regis inspiciebatur horoscopus, si conveniebat cum horoscopo Regni, alebantur; si verò horoscopi erant contrarij, aut decidentes ab horoscopo regni, statim interficiebantur. Cœl. Rodigin. lib. 8. c. 1.

Rex debet esse in regno, vt bonus Pater familias in domo, procurans commodum subditorum. Arist. 5. Politic. 17.

Princeps sit omnibus benignus, maximè his qui conantur in omnibus illi placere, nunquam primus inferat injurias, satis enim habet negotij, vt repelliat eas, quas potestatis invidia in ipsum attrahit.

Fisci mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.

Qui ad novum Imperium evehitur, debet sibi benevolentiam conciliare, confirmando bonos in officio, & læsis ablata restituendo. Per seipsum beneficia conferat.

Habeat pacem & amorem apud suos, qui bellum externum aggreditur.

Nunquam Princeps subditum suum debet tradere alteri puniendum.

Donatio facta à Principe privato, non indiget insinuatione. Novella 52. sic datum militibus ab eorum Duce. fin. Cod. de donationibus.

Episcopus vanum suum nomen portat, si largam non habeat manum, vt necessitatibus pauperum succurrat. cap. fratrem dist. 86.

Consulibus licet spargere argentum, aurum autem spargere soli Principi licet. Novell. 105.

Figura vultus Regis pecuniis inscribitur, vt videatur omnes alere. Vide Cassiodor. Epist. 32. lib. 7. variar.

Moyses orat pro populo post conflationem vituli aurei. Exod. Sic Esdras postquam populus accepit vxores alienigenas. 1. Esd. 9. & lib. 2. cap. 1.

Isay. 1. Deus dicit Syon. Restituam tibi judices tuos, sicut fuerunt prius; & post hæc vocaberis civitas justi, vrbs fortitudinis.

Vrbs fortitudinis nostræ Syon, Salvator ponetur in ea murus & antemurale. Isay. 26. & 27. Nocte & die servo vineam meam, indignatio non est mihi; quis dabit me sicut veprem & spinam?

In hilaritate vultus Regis vita, & clementia ejus, quasi imber serotinus. Prov. 16.

Liberalis Princeps comparatur magnæ & frugiferæ arbori. Deut. 4. Daniel. cap. 4.

Ab vnaquaque stellâ proprium expectamus donum, sed à sole communia multa reportamus, tanquam communi duce cœlestium. Princeps omnia, vt Deus, impleat immensitate, & bonitate. *Vide Bonitas Principij.*

Frigore sæviente ad solem aut ignem accedimus, calorem accepturi, sic vrgente necessitate ad Regem: sol vbique beneficus, sed in quibusdam locis creat aurum & gemmas. Constituti sunt Principes à Deo, non vt potentiâ suâ fruantur, sed vt illam communicent. Deo in hoc similiores, quod non vnam tantum familiam, sed plures provincias fœlices reddere possunt, agunt enim vt causæ vniversales.

Plinius lib. 1. cap. 7. loquens de Diis, hanc vnam esse dicit ad immortalitatem viam hominibus prodesse, hinc benefici beneficorum planetarum, Iovis, Mercurij, &c. nomina acceperunt, & ipsi postea inter Deos relati.

Seneca lib. 3. de Ira. cap. 31. loquens de Cæſare. Nemo, inquit liberaliùs victoriâ ſuâ vſus eſt, ex quâ nihil ſibi vindicavit, niſi diſpenſandi poteſtatem.

Vt ſuprema pars ædificij aëris injurias ſuſtinet, & arcet, ſolius capitis eſt pro totius corporis incolumitate cogitare, ſtomachus non ſibi concoquit, &c. de alijs præcipuis partibus. Deus ex ſuo regimine nihil ſibi acquirit boni, ſed alijs.

Nemo quod ſuum eſt quærat, &c. 1. Corinth. 10. dedit quoſdam Apoſtolos, &c. quaſi ſui amplius non ſint, ſed populi.

Perſarum Regibus ſemper aderat qui eos evigilaret ad ſuſcipiendam curam populi, illis à Deo commiſſi. Plutarch. lib. de inſtit. liberor.

Solebant Perſarum Reges, veteri inſtituto, obire omnes ſuæ ditionis provincias, vt viderent, quid opem regiam deſideraret. Plato in Minoe. Sic Samuel provincias ſuas circuibat. 1. Reg. 7.

Non decet artem vtilitatem quærere, niſi illi rei, cujus eſt ars; neque enim medicina medicinæ proſpicit, ſed corpori: equeſtris ars, non equeſtri ſed equisi neque vlla ars ſibi ipſi, neque enim indiga eſt, ſed illi cujus eſt ars; nulla ergo ſcientia vtilitatem potentioris inquirit, aut præcipit, ſed infirmioris, & ejus cui imperatur ab eâ: vt nullus medicus, nulli, eò quod medicus eſt confert, ſed ægrotanti; ſic in Nautica. Neque vllus alius in aliquo principatu imperans, quatenus princeps eſt, quod ſibi conferat, cogitat aut præcipit, ſed quod ſubjecto conducat, omnia ad illius vtilitatem facit & dicit. Plato 1. de Repubi.

Omnes ſublunares creaturæ moventur primò & principaliter, ob ſui perfectionem, ſecundariò verò & conſequenter ad perfectionem vniverſi, vt plantæ dum creſcunt, debitam quantitatem intendunt attingere, &c. At cœli motus primò ad perfectionem aliorum, ſcilicet ad generationem & conſervationem inferiorum, tum demique ad perfectionem propriam, quæ ex aliorum perfectione exurgit, quia eſt cauſa vniverſalis: cùm enim ſint incorruptibiles & perfecti, non ſibi, ſed aliis moventur; ſic philophandum de Regentibus, qui ſupponuntur eſſe in ſtatu perfectionis. Publica ſunt privatis anteferenda. *Vide Gloria Concordantia.*

Bonus paſtor, animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

Anima corpus nec occupat, nec gravat, tamen ipſum vivificat, atque portat. Rex fit anima populi, juvans non gravans. *Vide Verit. Bonit.*

Nulla, & ſi pauperrima mulier, vellet ad cœnam divitis intrare relicto & expoſito filio: ita Moyſes, quaſi populi mater, non vult niſi cum populo ingredi in gaudium domini. ex D. Bernard. ſermon. 12. ſuper cantic. Sic Paulus, vt Apoſtolus, cupit eſſe anathema pro fratribus ſuis.

Clementia omnino Principem decet, ad inſtar Dei, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere dignatur l. imperialis 23. ff. de nuptiis.

Callicretes dux Generalis exercitus, accepto ab auguribus reſponſo, futuram exercitui victoriam, ſed mortem ducis; carior eſt inquit mihi omnium victoria, ſic certavit, vicit, obiit. Plutarch.

Veſpaſianus Imperator, etiam æger, providebat imperijnegotiis, monitus à medico vt deſiſteret, oportet inquit Imperatorem ſtantem mori.

Præ iſtis hominibus, ſed hominum cauſâ; nec dominimodo, & arbitri rerum, ſed tutores, & adminiſtratores eſtis: improbi illi, qui in imperio non niſi imperium cogitant; ſuperbi, deſides, & qui ſe non civibus datos arbitrantur, ſed ſibi cives. Nam ſicut ſydera ſplendorem habent, ſed vt vſibus mortalium deſerviant; ſic vos dignitatem, ſed cum munere officio-

que devinctam. Collata eſt in ſinum veſtrum à Deo, hominibuſque Reſpublica, ſed vt foveatur, ambigant ſubditi, dominum ſalutent an Patrem, inter amorem timoremque medij. Lipſius in prænnio politicæ.

Illius magnitudo ſtabilis, fundataque eſt, quem omnes, tàm ſupra ſe eſſe, quam pro ſe experiuntur; quo procedente, non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum & beneficum ſydus certatim advolant. Senec. lib. 1. de Clem. cap. 3.

Iupiter planeta melioris influxus, & ab Aſtrologis dictus fortuna major, dicitur præeſſe Regentibus.

Hic bonorum principum Regnum, non tam illis præſtatur, quàm rebus humanis, &c. D. Auguſt. lib. 4. de civit. cap. 3.

Ezech. 13. Dominus increpat malos paſtores qui paſcunt ſeipſos, qui quod fractum erat non colligarunt; Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio, in die Domini.

Paſtores duo habent, vnum quod Chriſtiani ſunt, alterum quod præpoſiti: Quod Chriſtiani ſunt, propter ipſos eſt; quod præpoſiti propter alios, &c. D. Auguſt. lib. de Paſtoribus ſuper Ezech. cap. 34.

Cum Apoſtolus dicit qui Epiſcoparum deſiderat, exponere voluit Epiſcopatus nomen eſſe operis non honoris; *ὁν* enim dicitur ſuper, & *σκοπὸς*, intentio eſt, quod ſuperintendere poſſumus dicere; vt intelligas non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Idem lib. 19. de civit. cap. 19.

Oportet Epiſcopum ſimiliter erga ſubditos affici, vt Pater erga liberos ſuos infantulos, quibus provideat, ſive indignentur, ſive arrideant, &c. D. Chriſoſt. lib. 5. de ſacerdotio.

1. Petri. & Epheſ. 2. Chriſtus dicitur fundamentum Eccleſiæ, &c1. Cor. 3. & alibi paſſim dicitur lapis angularis, quia Prælatus in ſuâ Eccleſiâ debet vt fundamentum ſuſtinere pondus ædificij, tolerare infirmitates omnium, ac per hoc ſubeſſe omnibus, & tamen ipſe idem debet, vt faſtigium, omnibus præeſſe, omnibus imperare, & ab omnibus ſuſtineri. Bellarmin. lib. 2. de æter. fœlicit. cap. 9.

Prætores & Provinciarum Rectores, non poſſunt per ſe, vel per alios contrahere, in loco ſibi commiſſo, niſi pro neceſſitate victus lib. vnic. Cod de contract. Iudic.

Iovis ſacerdos, apud Romanos, non tangebat carnes crudas, quia ad vlcera videntur accedere, nec farinam, quia eſt vi contuſum frumentum. Plutarch. Romanor. problem 109. & 111. Nec hædetam, quia eſt nociva arboribus. probl. 122.

Proprium Regis eſt paſcere populum, vnde Ioan. 6. poſtquam Chriſtus pavit turbas, voluerunt eum Regem facere. Iſai. 3. Is cui non eſt panis in domo, non vult eſſe Rex Portat orbem. Iob. 9. Ideo ferunt coronam ad inſtar civitatis muris & propugnaculis cinctæ.

De his qui ad ſtatuas confugiunt. C. 1. 25.

Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta juſtis qui non indigent pœnitentiâ.

L. Lucullus Imperator, adverſus Mithridatem, ad direptionem vrbis incitantibus, dixit, ſe malle vnum militem Romanum ex hoſtium manibus eripere, quàm omnes hoſtium fortunas vindicare. Plutar. in Lucullo.

Apoſtolis datur poteſtas remittendi peccata in virtute Spiritus Sancti. *Vide Poteſtas Voluntas.* Vis amoris divini.

Iupiter beneficus planeta dat imperia.

Planetæ & ſigna Zodiaci dominantur partibus, vel ad conſervandam conſimilem qualitatem; vel ad arcendum malum aliquod imminens. *Vide Differentia Volunt.* Vbi de diversâ inclinatione ex Planetis.

Officioſa humilitas regentis. *Vide Media Poteſt. in Miſcellaneis.*

Nulli deteriùs dominantur, quàm hi quos ad ſerviendum natura creavit.

Illa potentiæ magnitudo, cui numen arcanâ vi mortales ſubeſſe imperavit, non in illorum gratiam, qui ad hoc faſtigium legerentur inſtituta, ſed in eorum qui parerent. Barclai.

Cerebrum eſt nervorum principium: eſt autem illis ſubſtantiâ mollius, ſenſus enim omnes recipit, omneſque imaginationes. Galenus lib. 8. de vſu partium. Itaque nervi omnes cerebro ſunt conſiſtentiâ duriores. Ibid.

Titus Imp. omnium Principum mitiſſimus, pacì æternæ templum dicavit; reis etiam læſæ Majeſtatis pepercit, monens tantùm vt deſiſterent, & quod optarent eis offerens in cæteris. Summum Pontificatum accepit, vt ei eſſet occaſio puras manus à cujuſquam nece ſervare. Baron. an. 80. Sueton. in Tito, cap. 9.

Non permittebat quemquam voti mimis compotem à ſe diſcedere; & ſi aliquâ die contigiſſet nulli beneficium contuliſſe, dicebat, amici diem perdidi, hoc admiratur D. Hieronym. in epiſt. ad Galatas cap. 6.

Calor Solis reſpectu caloris ignis, eſt gradu longè clementior & lenior, humidior, recedentis & diminutus, quod multum confert ad generationem ex Ariſtotele, aſſerit enim cauſam generationis & corruptionis in inferioribus eſſe viam obliquam ſolis per Zodiacum, vnde calor ſolis partim per vicißitudines diei & noctis, partim per ſucceſſiones ætatis & hyemis, evadit miris modis inæqualis: lenius eſt etiam calor Solis in agendo.

Cæſar multùm bello, ſed multò plus clementiâ inſignis, quâ uſque ad pœnitentiam omnes ſuperavit. Plin. l. 7. c. 25.

Rex apum nullum habet aculeum, majeſtate tantùm armatus. Idem lib. 11. cap. 17. cum extrà alvearium progreditur, omnium turbâ obſeſſus, ſi qua laſſata deficit, aut fortè abhorruit, odore proſequitur. Ibidem.

Non dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudij veſtri. 2. Corinth. 1.

Venus duobus tantum ſignis ante it, aut ſequitur Solem. Ptolomæus.

Malum eſt veſtem induere Lunâ in Leone exiſtente. Idem in centiloquio. Num. 22. Malum eſt regnum auſpicari à ſævitiâ; beneficiis autem optimum. *Vide Magnit. Bonitatis.*

Alexandro fauſta omnia ominati ſunt augures, eò quod juxta tentorium ſuum inventus eſt fons oleoſi liquoris. Photius Byblioth. cap. 244.

De Principis clementia in quantum temperat iuſtitiam. *Vide Media Contrarietas.* De clementia in quantùm meritas pœnas penitus remittit. *Vide Meritas Contrarietatis.*

REPVGNAT.

D. Bernard. ſerm. 10. in Cantica, ſuper illud, melliora ſunt vbera tua vino, dicit non ſufficere prælatis, ſicut matribus, ſi habeant lac exhortationis, nouvero compaſſionis.

A Sine miſerabili, inquit, gemitu dici non poteſt. Chriſti opprobria, ſputa, clavos, lanceam, crucem, mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquiſitionem turpis quæſtus, & prætium vniverſitatis ſuis marſupiis includere feſtinant, Iudâ Iſcariote voraciores: Animarum nec reputantur ſalus, nec caſus: non ſunt profectò matres, qui eum ſint de Crucifixi patrimonio impinguati, vbera habent vacua.

Miniſtri Chriſti ſunt & ſerviunt Anti-Chriſto; honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt, prædictum ab Iſay. 38. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: Amara prius in nece Martyrum; amarior poſt in conflictu hæreticorum; amariſſima nunc in moribus domeſticorum: Pax eſt, & non eſt, pax à paganis, ſed non à filijs; filios enutrivi, &c. Iſay, &c. D. Bernard, ſerm. 33. ſuper Cant.

O ambitio ambientium, Crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? nihil acerbiùs cruciat, nihil moleſtiùs inquietat. Nihil tamen apud miſeros mortales celebriùs negotiis ejus: An non limina Apoſtolorum plùs jam ambitio quàm devotio terit, &c. Idem lib. 3. de conſid. cap. 1.

O miſerandam ſponſam talibus creditam paranymphis! qui aſſignata cultui ejus rerinent. Non amici profectò ſponſi, ſed æmuli ſunt. Idem lib. eodem in fin. *Vide Vitus Poteſt. R. & Contrarietas Poteſt.*

Væ paſtoribus Iſraël qui paſcunt ſe ſolos. Ezech. 34. Increpat eos Apoſtolus. Philip. 2. c. 11. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu-Chriſti.

Chriſtus dicit Petro, paſce oves, addit meas; mali enim, quaſi ſervi fugitivi, Domini oves paſcunt, quaſi ſuas. D. Auguſt. ſerm. 28. de diverſ. *Vide Vitus Poteſt.* Integritas Sacerdotum.

Dominorum ſumma poteſtas vitæ & necis in ſervos fuit abrogata à Iuſtiniano l. 1. & 2. ff. de his qui ſui vel alien. Iur. Eâdem pœnâ punitur occidens ſuum, ac alienum ſervum. l. 96. ff. de verbor. obligat.

D Servus à Domino publicè expoſitus, aut æger domo pulſus, nulli ejus curâ demandatâ, liber efficitur, nullo jure patronatus Domino reſervato. l. vnic. C. de Latinâ libert. tollendâ.

Egenum libertum Dominus tenetur alere, alioquin jus patronatus amittit. l. ſi libertus. ff. de jure patronatus. *Vide Bonitas Principis.*

Tantæne animis cœleſtibus iræ?

Vſufructuarius cenſetur abuti mancipijs, ſi ad viliora, quàm illis conveniat officia adhibeat, nec ſufficienter alat. l. 15. ff. de vſuf.

Q. Fabius Maximus vrbe Tarentinâ captâ, cùm ab eo quæreretur, quid de ſignis Deorum fieret? Relinquamus inquit Tarentinis Deos ſuos iratos. Livius l. 27. refert. D. Auguſt. lib. 1. de civitat. cap. 6.

DEMONSTRATIO.

BONITAS ET LIBERAlitas Principem decet.

BONITAS. Homines naturâ liberi, publico conſenſu, ſummam poteſtatem vni contulerunt, non vt hinc fierent abjectiores, ſed meliores; ſic enim voluerunt ſibi non nocere, ſed prodeſſe, ſperatis a con-

ſtitutâ poteſtate beneficijs. Sic ex elementorum chao dicitur cœlum emerſiſſe, vt illis fœliciter influeret. Chriſti hominis Dei opus fuit ſalvare homines, & ob id aſſumpta à verbo divino natura humana.

MAGNITVDO. Magna collata eſt poteſtas, ſpe maximi auxilij; vt bonitas potens nec exhaurireturlargitione, nec impediretur vi quâcumque in contrarium nitente: ſic populi exiſtimant ſibi in principe munitionem contrà adverſa conſtituere. Felix humanum genus, ſi potentia quò major, eò eſſet beneficentior! ad imitationem ſtellarum, quæ quò ſunt majores & ſplendidiores, eò magis ſunt beneficæ. Non eſt vera Magnitudo quæ ſe non diffundit, & quæ avarè ſibi conſulens, nec ſibi ſufficiens, ad aliorum auxilium non porrigitur. Vt ad cœlum, ſic ad Principem, calamitas ſupplices tendit manus.

DVRATIO. Firmiſſimum eſt imperium, quod bonitate & clementiâ ſtabilitur: ſeipſum ſervat, qui ſuos protegit. Collatum à principe beneficium, in ipſummet cum vſuris reſunditur, hinc enim illi comparatur publica benevolentia, quæ eſt inexauſtus theſaurus: diuturnum eſt & gratiſſimum collati beneficij ſpectaculum, quod & ad poſteros tranſit.

POTESTAS. Leonum, incendiorum, tempeſtatum, morborum, dæmonum, tyrannorum, multum poſſe, vt deſtruant: Dei autem, beatorum, & bonorum principum, vt auxilientur. Eâ lege collata eſt eis à Deo & ab hominibus poteſtas: etiam minima potentia ſunt ad lædendum: divinæ cujuſdam virtutis eſt, cæteris prodeſſe: principis poteſtas augetur beneficiis collatis, quia quos ſervat, ſibi addicit.

COGNITIO. Sic ideò poteſtas juncta eſt ſapientiæ, ne ſit ſterilis, vt in Philoſophis, ſed vt exequatur, quod alij contemplantur, ſitque vt in Deo rerum effectiva.

VOLVNTAS. Clementiâ, beneficiis ſibi Princeps comparat ſubditorum amorem, quò nihil dulcius, nihil optabilius, nihil magis ſecurum; vt temperatur invidia, quæ concipitur contra imperantem, naturalem libertatem tollentem: habens ſubditos ſui amantes, fidos habebit ſui cuſtodes, in quibus omnia poſſidebit: at Tyranni infeliciſſimam omnium ducunt vitam inter populi odia, metus; ſævientibus, cùm minùs putantur, inſidiis.

VIRTVS. Reliquæ virtutes privatos decent: juſtitia, & beneficentia Regiæ ſunt virtutes: cum publicè prodeſſe ejus ſit, qui publicam gerit perſonam.

VERITAS. Falsò enim ſibi nomen Regentis adſcribunt, qui ſibi, non populis invigilant, cùm ſint pro bono publico conſtituti. Non facit Principem ſplendidus rerum omnium apparatus; ſed fauſtæ populi acclamationes, & gratiarum actiones pro acceptis beneficiis. Verè dominantur, qui dominantur ſubditorum cordibus; quoſque ſine milite colit, & ſequitur populus.

GLORIA. In tam ampliſſimâ rerum omnium poſſeſſione, ſupereſt tantum Principi acquirenda gloria quæ maximè beneficiis comparatur. Glorioſiſſimum eſt ſervare, quos poſſis perdere: hâc gloriâ, mitigatur ſævientis hoſtis furor, qui proſtratis parcit. Bonum Principem alta pax conſequitur; illum fama in cœlum, & in hominum memoriâ mori vetat. At tyrannorum vita inquieta, memoria infamis, omnium quos offenderint jaculis expoſita, ab omnibus impunè tandem dilacerata.

DIFFERENTIA. Privatus aliquos, Princeps omnes juvare debet, & poteſt: hâc poriſſimum conditione à cæteris diſtinguitur, quod videatur eſſe, vt Deus, ab omnibus indiſtans; vbique non ſolum per præſentiam, vt cognoſcat quæ ſunt ſubditorum; ſed per potentiam, vt infirmitati auxilium præſtet; & ad inſtar cœli, nihil de ſua ſublimitate remittens, contingat inferiora luce & influxu.

CONCORDANTIA. Omnes diligentes Principem, ſimul ſe diligent, quia quæ ſunt eadem vni tertiò, ſunt eadem inter ſe. Hoc firmiſſimum publicæ concordiæ vinculum; ſi ſciat populus vnumquemque à principe diligi, in vno quoque offendi; ſic cellabunt multa crimina, ne lædatur amica Principis majeſtas.

CONTRARIETAS. Nullum ſinè hoſte externo regnum; quid ſi inteſtino laboret diſſidio? infirmum erit, quia non vnitum; conciliat autem ſubditorum animos beneficentiâ & mitigat odium neceſſariæ ſolitæque exactionis. Inexhauſta & invicta Regni vis, cùm populi benevolentiam beneficiis ſibi conquiſivit Princeps; quidquid ſuis remittit lævitiæ, in hoſtes cadit.

PRINCIPIVM. Princeps eſt in regno, vt in corpore anima, quæ illud conſervat, movet, & morbo labotans reſtituit, quantum poteſt. Quid glorioſius quam cauſæ vniverſalis officio fungi? agere ſemper ex legibus initio regni poſitis, ſpeſque etiam conceptas bonis officiis ſuperare.

MEDIVM. Qui regit miniſter eſt Dei, diſpenſator bonorum temporalium; quæ ideò ſic illi abundanter collata ſunt, vt illa cæteris ex juſtitiæ legibus diſpenſet. Suprà cæterorum hominum ſortem elatus, hâc bonitate Deo conjungitur, cum illo agit, exiſtens ſplendidum miſericordiæ ſuæ inſtrumentum, vt eſt Sol.

FINIS. Regiminis eſt ſalus populorum, qui clementiâ potiùs & largitionibus, quam ſævitiâ promoveur. Nullus enim tyrannidis finis: cum crimen crimine regendum eſt, vt præveniatur, aut opprimatur ira populi, creſcentibus ſemper de novo injuriis, magis in dies exaſperata. Non exhauriuntur theſauri, ſi tantum ad miſeriæ auxilium diſpenſentur, quia paucis neceſſitas contenta eſt; & hinc omnia quodâmmodo, cum populi affectu, acquiruntur. Clementiâ paucis conſtat, cum ingenti tamen profectu.

MAIORITAS. Majora conferet populus in ærarium, & in jus regni, quandò cognoſcet ad auxilium miſerorum eſſe paratum. Excellentis poteſtatis, excellens debet eſſe beneficentia, & quaſi ad miraculum. Infirmitatis popularis eſt ad vindictam inardeſcere, dum ſibi, famæque ſuæ nimiùm timet. Eminentis poteſtas quæ lædi non poteſt, etiam perire volentes, & meritos ſervat.

ÆQVALITAS. Civiles amicitiæ ſtant mutuis & æqualibus officiis: Regis eſt, vt Dei, multa conferre, vices reddere non valentibus, & eam beneficio indignis: hoc exigit juſtitiæ lex, vt pro ratione abundantioris poteſtatis decurrant beneficiorum rivi.

MINORITAS. Subditorum miſeria, nobiliſſima eſt materia exercendæ Regiæ bonitatis: Deus permittit eſſe infirma, vt in eorum auxilium ſe diffundat ſuperiorum influxus. Divinum eſt, loco indigentiæ & doloris, lætam fœlicitatem ſubſtituere.

LIBERTAS

POTESTAS SVMITVR etiam pro libertate, quâ quis potens eſt ad agendum nullo interno defectu, nullaque vi externa præpeditus : vndè hic de bono libertatis.

MISCELLANEA.

Mirabile eſt ſummi boni imperium, incredibilem namque facilitatem cum immensâ poteſtate conjungit : cùm enim infinitate poſſit omniâ implere, vim infert nulli ; omnia vel minima quæque, quaſi perſuaſione quadam occultâ facilè ducit, moverque vltrò moveri volentia ; cúmque res omnes nihil velint ſuapte naturâ niſi bonum, nullius imperium magis voluntarium & clementius & ſuavius quam boni; hinc potentiam & ſapientiam poſſumus odiſſe, non verò bonitatem. Marſil. Ficin.

Etiam fera animalia, ſi clauſa teneas, virtutis ſuæ obliviſcuntur. Cornel. Tacit.

Quàm decora victoribus libertas, eò intolerabilior ſervitus victis. Idem.

Libertatem nemo bonus niſi cum animâ ſimul amittit ; potiorque videri debet periculoſa libertas quieto ſervitio. Saluſt.

Neminem natura fecit liberum, neminem ſervum, impoſuit fortuna nomina hæc ſingulis. Senec. lib. 5. declam. 6.

Prohibuit Pythagoras annulos ferre, libertatem commendans, qui enim annullum fert, videtur ſe in vincula conjicere. Clem. Alexand.

Nulli grati carceres, diſplicuit Manna cibus cœleſtis, quia non dabatur alius ; durum eſt quidquid imponit neceſſitas.

A quibuſdam animalia fera, quæ non poſſunt ſicuari dicuntur eſſe præſtantiora, quia de libertate certant cum homine.

Oculus quaſi Rex palpebris munitur, ne invitus cogatur laborare.

Antiqui menſe Decembri celebrabant feſta Saturnalia, in quibus regnum luſu ſortiebantur, vt ait Tacit. 13. Annal. Servique tunc ſe tanquam Domini gerebant, in memoriam aurei ſæculi, in quo omnes erant liberi. Simile quid faciunt Chriſtiani in vigilia Epiphaniæ.

Ignis & aër in ſubterraneis geniti, magno impetu fractis carceribus ſe in libertatem vindicant. Sic vermes in ligno geniti facto foramine liberi evadunt.

Sæpiùs ſervi pro libertate obtinendâ in Dominos inſurrexerunt, & Reſpublicas in extremum diſcrimen adduxerunt : vndè non niſi extremâ neceſſitate cogente adſcribuntur militiæ, ne armis ſuis contra Dominos vtantur ; tunc autem pro prætio promittitur illis libertas. Vide Bodin. lib. 1. Reip. cap. 3.

Princeps convocat comitia & conſilia, vt blandiatur populi libertati, fiatque liberè quod abſoluto imperio poterat exequi.

Ignita ingenia ex imperantis ſubjectione ad libertatem cum impetu erumpunt.

Princeps nulli ſubjiciatur, vt de hoſte vindictam ſumat. Nihil vnquam agat quaſi coactus ; ſic pacem tractet armatus.

Nunquam fidendum ſervis, etiam apud nos natis; quot ſervi, tot hoſtes : nec populis, qui aliquando fuerunt liberi ; movent enim ſeditiones, & fortiter pugnant pro libertate ; vt Reſpublicæ omnes ; Reſpublica Genuenſis, Lucenſis, Venetorum & aliæ vbique operibus publicis inſcribunt hunc titulum, LIBERTAS, ad commovendum populi animum pro ejus deffenſione.

Cato ſapientiſſimus victo Pompejo, cuius partes ſequutus fuerat, optavit potiùs mortem, quam in manus Cæſaris devenire.

Lacon quidam impubes adhuc captus clamabat non ſerviam, & verbis fidem impoſuit : vt enim primum juſſus eſt fungi ſervili & contumelioſo miniſterio, afferre enim vas obſcœnum jubebatur, illiſum patieti caput rupit ; Tam propè libertas, & ſervit aliquis ! Senec. Epiſt. 77.

Pœna ſervitutis in antiquâ lege infligebatur in duobus caſibus ; primò quando ſeptimo anno remiſſionis, ſervus nolebat vti beneficio : ſecundò, quando debitor non erat ſolvendo, vt habetur. Exod. 22. D. Thom. 12. q. 105. a. 2. ad 10.

Romani patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare glorioſum, priùs omni ſtudio liberam, deinde dominam eſſe cupierunt : hinc eſt quod regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binoſque Imperatores ſibi fecerunt, qui Conſules appellati ſunt à conſulendo, non Reges aut Domini à regnando atque dominando. D. Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei c. 12.

Nulli beatiores ſunt, quam qui ex ſententiâ ſuâ, atque voto vivunt. Salvian. lib. 1. de gub. Dei. & libro 5. Multi, inquit, malunt ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quam ſub ſpecie libertatis eſſe captivi.

Sæpe exprobratur ingratitudo Iſraelitarum non ſervientium Deo, qui illos à ſervitute Ægypti liberaverat : Idololatras & legis infractores Deus punit ſervitute, quaſi maximo malorum temporalium.

Iudæis non licebat conficere chriſma, quo vngebantur Reges, niſi eo tempore quo erant liberi. Vndè exprobrat illis Tertullianus, quòd ſi nunc ab illis expectatus veniret Meſſias, non poſſent illum vngere, quia vbique tertarum ſunt ſervi. Tertul. lib. adver. Iudæos.

Servitus naturaliter refugitur, quia eſt impedimentum boni vſus poteſtatis. Div. Thom. 1. 2. quæſt. 24. a. 3.

Corvus amore libertatis non eſt reverſus ad arcam. Gen. 8.

Optimum eſt in Republicâ, omnibus ſervis præmium libertatis eſſe propoſitum. Ariſt. lib. 7. Politic. cap. 10.

Mulieres, & ſervi, propter ſtatum ſubjectionis, non ordinantur. D. Thom. ſuplem. q. 39. a. 2.

Salubris conſtitutio corporis actiones ſibi ex naturâ debitas, inoffenſas habet, morboſa offenſas. Galenus libro de conſtitutione artis medicæ.

Nitimur in vetitum amore libertatis.

Ignis in ſuâ ſphærâ aërem circumſtantem non conſumit ; ſed hîc dum ſphæram ſuam contingere impeditur, terrenæ materiæ commixtus, vim patiens, vim etiam infert liberiori aëri, tangenti blanditur, ſed in anguſtiis concluſus percutit, vt in ſpeculo concavo; hyeme ardentior, & levi aqua aſperſus ; ſic omnia vires ſuas augent ad præſentiam adverſarij per antiperiſtaſim. Occaſione acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Roman. 7.

Digitized by Google

Cui peccare licet, peccat minùs, ipſa poteſtas.
Semina nequitiæ languidiora facit.
Quidquid ſervatur, cupimus magis, ipſâque furem
Cura vocat, pauci, quod ſinit alter, amant.
Indignere licet, placet inconceſſa voluptas,
Ipſe timor pretium corpore majus habet.
Non facie placet illâ ſuâ, ſed amore mariti, &c.
Ovid. lib. 3. Epiſt. eleg. 4.

Mens humana habet in ſe quoddam ſublime, & impatiens ſuperioris. Quò plus comprimere tentas Mercurium metallum, magis in minutiſſimas partes ſcinditur & effugit conſtringere volentis manum.

Piſces contra fluminis curſum, aves contra aëris fluxum feruntur.

Sic Senec. Epiſt. 68. ſuadet ei qui otium amat infirmitatis cauſas prætendere, ne illi invidia negotium faciat. Otium, inquit, tuum ignotum ſit: non eſt quod inſcribas tibi Philoſophiam, ſed aliud propoſito tuo nomen impone, valetudinem & imbecillitatem vocato & deſidiam. Animalia quædam ne inveniri poſſint, veſtigia ſua circa cubile ſuum confundunt, idem tibi faciendum eſt, alioquin non deerunt qui perſequantur. Multi aperta tranſeunt, abdita & obtruſa rimantur; furem ſignata ſollicitant, vile videtur quidquid patet; aperta effractarius præterit. Hos mores habet populus, in ſecreta irrumpere vult. Malo ignoſcas otio meo, quàm invideas. Senec. Epiſt. 68.

Fontes Æthiopiæ aquas habent tam gelidas, vt incolarum dentibus virium faciant, & peregrinos torminibus necent. Scaliger de ſubtilitate exercit. 54. ſect. 1.

Populi Septentrionales, apud quos vinum non naſcitur, ſunt plus cæteris ebrietati dediti.

Cùm libertas ſit juris naturalis, quod non debet in totum tolli, nec violentum poteſt eſſe durabile, ideò quotannis apud Romanos in Saturnalibus, & in Cretâ per Mercurialia feſta Domini ſervis convivium exhibebant, & ſervorum officio fungebantur. Æthenæus lib. 14. cap. 17. In Babylonia Kalendis Septembris hoc feſtum per quinque dies fit, in quibus ſervi Domini imperabant. Ibidem.

Marmis divitiis prætia capientium periculo fiunt: parùm eſt alienis veſci periculis, etiam veſtimur; adeò per totum corpus anima hominis quæſita maximè placent. Plin. lib. 9. c. 35.

Ariſtomenes Meſſenius, qui dicitur fuiſſe hirſuto corde, ab hoſtibus comprehenſus, ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem advolutus, lorâ cum corpore exuſſit. Plin. lib. 1. cap. 37.

Hinives, illi glaciem potant, pœnaſque montium in voluptatem gulæ vertunt: ſervatur algor æſtibus, excogitaturque vt alienis menſibus nix algeat: decoquunt alij aquas, mox & illas hyemant: nihil itaque homini ſic, quomodo rerum naturæ placet. Plin. lib. 19. cap. 4. De artibus quæ naturam immutant. *Vide Poteſtas Cognitionis.*

Gagates lapis aquâ accenditur, oleo reſtinguitur. Idem lib. 3. cap. 19.

Criſtallum, cùm fiat ex cœleſti humore, parvâque nivè, exquiſito, continuoque frigore concretis; non reperitur tamen niſi in locis ad meridiem ſpectantibus. Idem libro 37. & vlt. cap. 2. propter antiperiſtaſim frigoris ſe fortiùs contra calorem illic vindicantis.

Lachrymas qui prohibet, irritat. *Vide Cognitio Contrar.* ſigna injuriæ acceptæ.

Servus vocatus es, non ſit tibi curæ; ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere. 1. C. 3.

Cum in Græcia in ludis iſtmicis facto ſilentio præco denunciaſſet libertatem Græciæ civitatibus datam; vt abſque præſidiis, liberæ, ſuis legibus viverent; tanta facta eſt lætitia, vt ſpectaculis non intenderent, & plauſu & clamoribus lætis ſic aërem fraugerent vt ſupervolantes aves caderent in terram. Plutarch. in Tito Flaminio.

De vi quæ habetur ex oppoſitione. *Vide Poteſtas Contrarietatis.*

EX IVRE CIVILI & Canonico.

Libertati à majoribus tantùm impenſum eſt, vt patribus, quibus jus vitæ & necis in liberos data erat, non tamen licebat eripere libertatem. l. final. C. de pat. poteſt.

Arrogatio, quæ eſt adoptio ejus, qui ſui juris eſt, non poterat fieri ſine Principis authoritate. l. 6. Cod. de adoptio.

Libertas eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere licet, niſi quod vi, aut jure prohibetur. Servitus autem eſt quâ quis Domino alieno, contrà naturam ſubjicitur. Inſt. de jure perſon. l. 3. de ſtat.

Metus ſeruitutis juſtus eſt. l. 4. ff. quod vi metus. cauſ. l. 3. & penult. eodem.

Metus carceris juſtus eſt, & quod promittitur in carcere nullius eſt momenti. l. 22. ff. quod metus cauſ.

Nemò apud legatum poteſt manumittere l. 2. §. 1. & 3. ff. proconſul: hoc enim quaſi maximum beneficium Princeps vult ſeipſo conferre.

Servus neceſſarius hæres inſtitutus, cogitur adire hæreditatem, etiam damnoſam pro prætio ſuæ libertatis. l. nec emere C. de jur. deliber.

Ædes vendens cenſetur liberas vendere, niſi expreſſerit ſeruitutem. l. 90. ff. de verb. ſignific.

Non valet obligatio, vel cautio, niſi earum cauſæ exprimantur. l. 3. & gloſſ. C. de non numer. pecun.

Etiam diebus ſolemnioribus ferialibus poſſunt fieri emancipationes & manumiſſiones. l. 2. & 6. C. de feriis.

Servi fuga ponetur inter caſus fortuitos, qui etiam à commodatario non præſtatur. l. 5. & 13. ff. commod. propter ingens libertatis deſiderium.

Mancipia in fundo ruſtico invecta, licèt pro penſione tacitè obligata, poſſunt manumitti, niſi ſpecialiter ſunt obligata. l. 6. & 9. ff. ex quib. cauſ. pugnor. vel Hypo.

Libertus reverentiam, & in neceſſitate alimenta debet patrono, ſicut filius Patri. l. 5. ff. de agnoſ. & alend. lib. ſic libertas vitæ comparatur.

In cauſâ libertatis poteſt ſervus contra Dominum in judicio conſiſtere, tamen ſi non obtinuerit, damnatur in metallum. l. 5. ff. de manumiſſ.

Si fuerint pares diſſonantes judicium ſententiæ, pro libertate pronuntiandum eſt l. 24. ff. eodem.

Interdictum de libero homine exhibendo omnibus patet: nemo enim prohibendus eſt libertati favere. l. 3. & 9. ff. de lib. hom. exhiben.

Etiam rupto & irrito teſtamento, valent in illo relictæ libertates. l. 1. ff. de excepr. rei judic.

Injuriarum tenetur, qui aliquem de libertate in ſervitutem injuſtè petit. l. 12. ff. de injuriis. Sic qui non debitorem debitorem appellaverit. l. 15. §. 32. eodem.

Liber homo non debet perpetuis vinculis damnari. l. 35. ff. de pœn.

Libertas inæſtimabilis res eſt. l. 106. ff. de Reg. jur. omnibus rebus favorabilior. l. 164. eodem.

Google

Ob æs alienum, servire liberos creditoribus non licet. l. 12. C. de oblig. & actio.

Mulier intercedens pro servo, vt consequatur libertatem, non juvatur Vellano. l. 24. C. ad S. C. Vellejan.

Favendum carceratis, eorumque causæ debent citò terminari. l. 5. C. de custod. reor.

Qui liberum dicit servum, infamandi causâ, tenetur injuriam. l. 9. Cod. de injur.

Locus purus dicitur, qui neque sacer, neque Religiosus est, sed ab omnibus nominibus vacare videtur. Vlpianus libro. 2. §. purus ff. de Religios. & sumpt.

Summa libertas requiritur in his, qui ad clerum sunt promovendi, vt nec servi, nec curiales nec addicti. dist. 54.

Pro Redemptione Captivorum licet sacra vasa, & alias res Ecclesiæ vendere. 12. q. 2. Can. Apostolicos, & seqq. & sunt præponendi rebus Ecclesiæ desolatis. Can. sicut. eodem.

Servus, nisi legitimè manumissus, non potest ordinari. cap. instruendi. de serv. non ordinand.

Pro habendis spiritualibus homaginum facere, simonia est. cap. ex diligenti de simoniâ. Pro spiritualibus enim homagium non præstatur. cap. indignum vltimo de Reg. Iur.

Qui liberatus est patriâ Potestate, postea in potestatem honestè reverti non potest, nisi adoptione. l. 12. ff. de adoptionibus.

Obligatio quâ amittitur libertas æquivalet alienationi. tit. Cod. 71. lib. 5. De præsidiis & aliis rebus minorum sine decreto non alienandis, vel obligandis.

Bona Ecclesiæ possunt pignorari & alienari pro redemptione captivorum. *Vide Virtus Bonit.*

Edicto prætoris coërcetur, qui hominem liberum retinet vi, est enim species servitutis non dare licentiam recedendi. l. 1. & 2. ff. de homine libero exhiçend.

Lege Favià, vt plagiarius punitur capite, qui liberum hominem sciens vendiderit, emerit, in vinculis detinuerit. l. 1. penult. & vlt. ff. ad l. fab. de plagiariis.

Tempus quo quis fuit in carcere computatur in exilij tempore. l. 33. Cod. de pœnis.

Servi personam non habent l. 3. ne quis eum. Nec caput. l. 3. de cap. dim. Nec statum; nullo loco, nec numero habentur. l. 32. ff. de Reg. Iur. & servitus mortalitati comparatur. l. 209. ff. eodem.

Alienare prohibitus non potest servitutem imponere, quia servitus est quædam alienatio l. 14. Cod. de sacrosc. Eccles.

Transactiones inter Dominum & servum factæ nullæ sunt, nisi fiant de libertate l. 13. C. de transact. §. cum affirmes. Cod. de liber. caus.

BONA ET OPTANDA libertas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Natura in vnaquaque re est principium motus & quietis: vndè destruitur si sit tantum passiva sub alieno imperio. Vita ex actione libera & convenienti definitur: jam non est ipsa forma, si se habeat sub alia ratione, materiæ determinationem & motum accipientis. Quod accipit ab alio, in se consideratum potest esse meliùs, sed non ratione accipientis, cui propria magis placent, & sufficiunt: bonum enim in conveniens; est enim corruptio etiam in meliora converti.

MAGNITVDO. Naturalia non agunt ad extrà, nec virtutem suam effundunt, nisi cum habent esse suum completum: At se non effundunt, nisi cum sunt libera, ergò tunc tantum videntur integritatem suam habere. Omnia videtur posse qui liber est; omnia pati qui alieno subjicitur dominio.

DVRATIO. Vnde non minùs pro conservatione libertatis quàm vitæ pugnant omnia. Quantitas se faciliùs patitur scindi quam conteri, & in angustum redigi: contusio non minùs tollit vitam, quàm solutio continui.

POTESTAS. Frustrà est potentia quæ non reducitur ad actum; captiva autem non reducitur; vndè natura maximè abhorret ab illo activitatis vacuo. Ordinata rerum series confunditur, cum potentia quæ in vno debet esse activa, fit tantùm passiva. Servus amittit quod habet in se excellentissimum, scilicet imaginem primi principij summè liberi, & ex se independenter ab omnibus aliis motum accipientis.

COGNITIO. At quid instinctus in animalibus, ratio in homine, & divinæ illustrationes, si alieno subjiciantur imperio? id tolerandum esset, si tantùm sapientioribus in minus prudentes contingeret imperium.

VOLVNTAS. Motus illi in voluntarij sunt in naturâ, vt convulsiones in morbis, non tollitur naturalis appetitus, sed in supplicium suum negatur facultas illum implendi: vndè gemit frustratus & oppressus. Solus amor efficit vt amans amet compedes suos, quia cùm velit pro amato vitam amittere, libenter perdit libertatem; hæc enim libertatis amissio monet ipsum jam vivere amati vitâ, cùm ex illis arbitrio, non ex suo agat. Ita benignè nobiscum agit Deus, vt gratiâ suâ non tollat nostram libertatem, ne destruat naturam.

VIRTVS. Homo naturaliter virtutem amat; at nulla sine libertate virtus, supponit enim liberam boni electionem; & quamvis in hoc dominans potestas votis nostris non contradicat, tamen pudet nos trahi ad id, quod proprio motu vellemus consequi: puertiæ, infirmitatis est, esse sub tutela, infœlicitatis autem extremæ servum fieri. Quid prodest passiones rationi subjecisse, si hoc interno cessante bello, hostis externus virtutis actus & habitus præpediat? Philosophi quidem, etiam in servitute, se liberos jactabant, quia in compedibus libertate suâ fruitur animus, gaudet in sinu, sibique plaudit, quod cogitationibus, & affectibus nulla vis possit à tyranno fieri: multi tamen, vt Cato, mortem servituti prætulerunt, ne virtus indignè à malis haberetur.

VERITAS. Si æstimatur vita ex actione, verè non est, qui quod natus est facere non facit. Lex autem non tollit libertatem, cùm frænat inordinatos motus, quia illos efficit conformes ideæ, & veris naturæ desideriis: hæc non probat excessus, vultque sic singulorum actiones contemperari, vt inserviant bono privato & publico.

GLORIA. Vt plantæ marcescunt, si libero non fruantur cœlo; sic tristitiâ & consternatione afficiuntur captiva animalia, inhorrescunt, sæviunt, oblita venustatis & virtutis suæ, quasi invideant dominantis nolintque sub illo dotes suas proferre, sibi non aliis nata; hâc inquietudine probant se esse extrà naturalem suum situm.

DIFFERENTIA. Quælibet quantitas distinguitur ab aliis, suâ ipsam terminante figurâ; quælibet res individuali constat differentiâ, quam amittit, si alijs, maxime

maxime potentioribus, commiſceatur; ſic perit actio propria, cùm alterius ſequitur arbitrium: vndè animalia omnia, quâ poſſibile eſt, erumpunt è ſervitute, equi ab incunabulis manſuefacti, ſolutis frænis libero gaudent campo: canes vagantur extra iter, & exultantes curſu probant libertatem, donec affectu redeant ad Dominum.

Concordantia. Societates omnes, vnum dicuntur efficere corpus, vt vna omnium videatur intentio, & ſic à regente vim non patiens appetitus. Cùm autem varia enaſcuntur deſiderta, tunc infirmiorum læſa libertas magnos excitat in familiis & in Republica motus, ſic ſocietates, fœdera, matrimonia diſſolvuntur.

Contrarietas. Servitus duplicem vim infert, ſcilicet quod innata poteſtas non habeat liberum ſui exercitium; & quod alienum motum, ſibi non connaturalem, ſequi cogatur. Natura diù non poteſt pati violentum illud duplex; vnde captiva animalia ſæpius moriuntur, hominum mens turbatur, quaſi in hoc indulgentior videatur natura; vt tollat ſenſum amiſſæ libertatis, & fallat vincula, cum captivus deſinit eſſe homo.

Principivm. Vindicat natura dotes, quas à primo principio accepit, nec niſi ægre patitur illas in ſui & principiorum ſuorum injuriam auferri.

Medivm. Non eſt aptum alienæ poteſtatis inſtrumentum, quod natum eſt à ſeipſo moveri: eſt quidem rerum naturalium ſubordinatio, quæ agentium A libertatem non tollit, ſed perficit, concurrentibus agentis & patientis viribus, ad finis conſecutionem; gaudet magnes trahi à Pólo, vt cætera corpora à ſuis centris; ſexus vtriuſque æqua voluptas trahit ad venerem.

Finis. Servitus maximè dura eſt homini, cui proprium eſt agere ob intentionem finis, & libero arbitrio media ad illum conſequendum eligere: Durum eſt illi, intentiones, electiones ſuas irritas eſſe, & extrà ſpem omnem, cum non ſit ſui juris, & trahatur quo nollet ire.

Maioritas. Licet majora faciat alienis quam ſuis viribus, non placent quæ ſua non ſunt, & quia omnem gloriæ ſenſum, ſervitutis inficit amaritudo, quis de victoria triremis ſuæ glorietur captivus, cui interdùm vinci melius erat?

Æqvalitas. Liber homo contendit bono alicui aſſimilari, computat profectus ſuos, & ſpe lætus juſtam ſibi ponit vivendi legem. At ſervus ab inſtabili alterius arbitrio pendens nullam habet de bono ſecuritatem, omnem malorum metum; nuſquam eſt, qui omni momento poteſt ad alterius arbitrium immutari: Melius quibuſdam viſum eſt ſemel cadere, quàm ſic ſemper pendere.

Minoritas. Multi mortem maluerunt, in quâ perit omnis malorum ſenſus, quàm ſervitutem, in quâ exacerbatur: melius videtur non eſſe, quàm eſſe in indigno ſe ſtatu, vitamque miſerrimam ad alterius ludibrium trahere.

MAGNITVDO POTESTATIS.

MAGNA POTESTAS ET DIVITIARVM POSSESSIO BONA.

MISCELLANEA.

POTESTATES & facultates non ſunt vituperandæ, ſed electiones.

Quibuſdam ſeruitus jure belli videtur juſta, quia quodammodò virtus freta potentiâ vim poteſt maximè afferre, & ſemper id quod ſuperat eſt in excellentiâ alicujus boni: Ex quo fit, vt vis, non abſque virtute eſſe videatur; juſtumque etiam videtur potentiorem dominari. Ariſtot. lib. 1. Politic. cap. 4.

Carthaginenſes non ſolùm optimos, verùm & ditiſſimos cenſent ad magiſtratus eſſe promovendos quaſi impoſſibile ſit eum, qui egenus eſt bene magiſtratum gerere. Idem 2. Politic. 9.

Tantas oportet eſſe civitatis facultates vt non ſolùm ad civium vſum, verùm etiam ad pericula externa ſufficiant. Ibid. cap. 5.

Civis nullâ aliâ re definitur, quàm participatione poteſtatis publicæ. Ibid. l. 3. cap. 1.

Alexander Magnus contemplabatur vniverſum orbem, tanquam vnam civitatem, cujus dicebat exercitum ſuum eſſe arcem.

Belli nervus pecuniæ. *Vide Poteſt. Med.*

In morbi curatione vires ante omnia conſervandæ, Vndè in morbis longis, victus tenuis ſemper eſt periculoſus, vires enim demolitur, quas præſtat integras ſervare, vt morbi diuturnitati pares eſſe queant. Hipoc. Aphor. 4. l. 1.

Peripneumonia quæ cum virium imbecillitate accidit pernitioſa eſt, vt enim pleuriticis, ſic peripneumonicis vna ſalus, ipſum virium robur, ex Galeno.

Regere principalius & perfectius quid eſt quam Regi, quia obſequium pendet à gubernatione, tanquam à naturâ ſuperiori.

Fortunæ bona ſunt politiæ fundamenta. *Vide Med. Poteſtas.*

Perſæ omnes à primis annis militiæ ſtudebant: à vigeſimo anno ſtipendia accipiebant, nec cuiquam immunitas à bellis concedebatur. Vide memorabile exemplum apud Senecam. 3. de Ira. cap. 17.

Principi maxima ſit cura reditnum, ſinè quibus regnum eſt quaſi corpus ſine brachijs. Habeat ergo reditus neceſſarios ad regendum, judicandum, defendendum, exornandum, amplificandum, præmiandum.

Concoctio fit, cum humor, à calore naturali vincitur, vt perſpicuum eſt ex vrinis & excrementis.

In bonis actus præſtat potentia, at non in malis.

In cauſis ſecundis eſt potentia, quâ poſſunt produ-

cere formas ſubſtantiales & accidentia, contrà eos qui dicunt à Deò omnia fieri.

Sanitas eſt maxima pars fœlicitatis humanæ, ex quâ cætera bona habent gratiam, deffinitur autem per potentiam ad operandum, vt morbus per impotentiam. Vnde præcipuum in morbis judicium ſumitur ex viribus ægri.

Princeps etiam fœlix & pacificus ſciat artem militarem, contemnetur ſi non habeat potentiam dignitati ſuæ convenientem; ſi ad novum Imperium vocetur, primò occupet præcipua loca, & munitiora.

Natura nunquam vult videri impotens, vnde potiùs facit monſtra, quàm ceſſet à productione.

In publico tumultu majeſtas Principis contemnitur, ſi ſit inermis; nunquam niſi armatus tractet pacem, & veniat in colloquium cum hoſte.

Qui preſunt militiæ poſſunt aut conſervare, aut commovere ſtatum Reipublicæ. Ariſt. 7. Politic. cap. 14.

Nobiles amittendo bona, amittunt ſimul dignitatem & famam.

Imbecillitas partium eſt omnium morborũ cauſa.

Plato nihil inutile voluit eſſe quod natura dediſſet, vnde voluit cives eſſe ambidextros & mulieres etiam ad dignitates promoveri, ſi illarum aliquæ magis eſſent capaces quàm viri. Ariſt. 2. Politic. 10.

Olim Galli vitæ & necis habebant poteſtatem in vxores & liberos, ſicut in ſervos. Cæſar lib. 6. comment.

Omnis poteſtas, quæ eſt cum aliquâ dependentiâ, non eſt ſumma. Vide Bodinum. Reipubl. lib. 1. c. 8.

Apud Carthaginenſes vnus poterat plura officia exercere. Ariſt. 2. Polit. 11.

Democratia eſt imperfectius regimen, quia magis declinat ab vnitate ad multitudinem.

Perſarum Regibus pro lege erat voluntas, ſic Cambiſes propriam ſororem habuit vxorem.

Quædam ita movent vt moveantur, quædam vt non moveantur.

Non quo vis major, eò effectus major, niſi cætera omnia ſint paria, vel majora.

Prima cauſa eſt indifferens ad plurimos effectus ſpecie differentes: ſecunda verò eſt determinata ad vnam ſpeciem, aut ad paucas.

Divitiæ in mente divitis ſunt quaſi àrx tutiſſima: quærendæ ſunt, non vt præda avaritiæ, ſed vt inſtrumentum bonitatis.

Regia poteſtas ſub ſe habet & patriam & dominicam; ſic in res ſingulorum majus eſt dominium Regis ad bonum commune, quam dominorum ſingulorum: ſic Reipublicæ ad vſus publicos magis obligatur, quam creditori.

Ambidextra, mulier nulla datur ob naturæ imbecilliratem. Galen. in Hipoc. Aph. 43. lib. 7.

Quidam Reges imperium habent pleno jure proprietatis, vt qui juſto bello illud quæſierunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, majoris mali vitandi cauſa, ita ſe dedit, vt nihil excipereture. Saturnus, Iupiter, Mars, & Sol Planetæ maſculini dicuntur, quia validæ, & efficacis ſunt operationis, perficiuntque cœptum opus. Luna & Venus fœminini dicuntur, quoniam opus non abſolvunt; movent & non reſolvunt humores, vapores, effectus.

Melius eſt eſſe ſub potentiſſimo Principe, quia minus gravat provincias, cum vna veniat in auxilium alterius. ſeque mutuò juuent, vt manus manum.

In Dijs eſt menſura in omnia potens. Anima vero menſuram illam determinat, ac per eam agit in aliqua. Iamblicus de myſter. cap. 5.

Partes quæ ſunt in continuo motu, & quæ ſic ampliori indigent alimento, majores habent venas, ſic pulmo.

Materia cœli eſt tota ſuperata à forma, ſicut combuſtibilis materia ab igne, vt cometæ.

Lacedemonij Reges habebant tantùm ſummam poteſtatem vitæ & necis, cum erant in caſtris tempore belli: Quod & Romanis & Dictatoribus conceſſum fuit. Plutarch. in Ageſilao & Camillo.

Hoſtis nunquam eſt aggrediendus niſi cum magnis viribus, & ex eâ parte quâ eſt debilior; Victoria enim ſic ſecurior, nec minus glorioſa, cum nihil prudentia reliquit arbitrio fortunæ. *Vide ſuprà Veritas. Minorit. Magnitud.*

Monarchia optimum cenſetur eſſe regimen, quia poteſtas in vnum collata major eſt.

Ait ſapiens divitias debere contemni, non ne habeat, ſed ne ſollicitus habeat. Non abiget illa à ſe ſed abeuntia ſecurus proſequetur. Divitias quidem vbi ſecurius fortuna deponet, quam ibi, vndè ſine quærelâ reddentis receptura eſt, nec enim ſe ſapiens indignum vllis muneribus fortuitis putat; non amat divitias, ſed mavult; non in animum illas, ſed in dõmum recipiet; non reſpuit poſſeſſas, ſed continet, & majorem virtuti ſuæ materiam ſubminiſtrari vult. In paupertate enim vnum genus virtutis eſt, non inclinari, nec deprimi; In divitijs, & temperantia, & liberalitas, & diligentia, & diſpoſitio, & magnificentia campum habent patentem: non contemnet ſe ſapiens, etiamſi fuerit minimæ ſtaturæ, eſſe tamen ſe procerum volet: multa ſic conferunt, & adjiciunt ad virtutem & voluptatem, &c. Vide Senecam lib. de vita beata, cap. 22.

Sic Stoici maximi paupertatis laudatores divitias dicunt ad beatam vitam vtiles. Sic enim commodius, liberius, ſecurius tranſigitur: ſic nemo ad circumveniendum alterum cogitur. Deo, inquit Plato, hoſtiæ fœliciter immolantur. Tamen tantum differt appetitus divitiarum in bono viro, & in malo, quantum finis ſani & ægroti; & quantum calor naturalis qui nunquam poteſt excedere, & qui cœleſtis dicitur, differt ab elementari, vnde febres, inflammationes, corruptiones, mors.

Olim apud Athenienſes, hodie apud Genuenſes, ſenatores eliguntur divites: Auguſtus Senatorem volebat divitem eſſe 30000. aureorum vt neceſſitas non cogat ad concuſſiones.

Athenæus lib. 12. docet cubili Perſarum Regio contiguas ad caput fuiſſe ædes, in quibus auri talenta quinquies mille perpetuò aſſervabantur, vocaturque cervical Regis; ad pedes aliud cubiculum, in quo tria millia, & vocabatur ſubſellium Regis.

Divitiæ inter fundamenta principatus reponi debent. Ideò Ariſt. 4. Polit. 11. arcet à magiſtratu pauperes, quaſi ad fraudes & captanda munera magis proclives; & Romani neminem ad magiſtratum admiſerunt niſi per decem annos ſuis propriis bonis honeſtè viviſſet, vt notat Valer. Max. lib. 4. cap. 4. Divites occaſionem majorem habent acquirendæ experientiæ; magis cupiunt in luce vivere; plus deffendunt patriam, in quâ plus poſſident; commodiùs relictis ſuis domeſticis poſſunt Reip. vacare: tamen moderatè debent eſſe divites, ne nimium ſint inſolentes.

Etiam puer collactaneum conſortem in vno alimento non patitur ſine zelo. Vide ex D. Auguſt. *Volunt. Virtut. Rep.*

Iuvenes non ſunt avidi pecuniarum, quia non ſunt indigentiam experti. Ariſtot. 2. Rhetor. cap. 12.

Divites ſunt arrogantes, quaſi habeant omnia bona; nam divitiæ ſunt prætium æſtimationis aliorum,

quare videntur omnia venalia esse ipsarum. Ibid. c. 16. Vnde multi putant melius esse divitem quàm sapientem, nam sapientes videntur in divitum foribus. Ibidem.

Adolescens prætiosis indutus vestibus interrogatus cujas esset, dives inquit. Athenæ. lib. 4. cap. 18. divitiæ æquivalent cuilibet felicissimæ patriæ. *Vide Majoritas Potestatis. Bona.*

Donatistæ condemnati fuerunt ab Ecclesiâ, eo quod inter alia dicerent divitem non posse ingredi regnum Dei, nisi omnia sua vendiderit. Baron. a. 411.

Lupum ad dexteram euntem ore pleno, fœliciſſima promittere ajunt. Plin. lib. 8. cap. 22.

Multa jecinora in victimâ, bonum omen. *Vide Major. Potest. Bona.* Iecur est thesaurus alimenti: sic ex magnis divitijs fœlicitas.

In constellatione virginis, spica est splendidior, estque de naturâ Veneris & Martis. Ptolomæ prædict. Astrolog. lib. 1. c. 8. Amantur in nupturis virginibus divitiæ, & pro illis decertatur.

Mars cùm solus dominatur moribus in locis laudatis facit generosos, gubernationi idoneos, divitiarum appetentes, &c. Ptolomæus. Ibid. l. 3. cap. 3.

Tritanus gladiator naturâ Samnites, ita prodigiosæ fuit fortitudinis, vt levi tactu hostes vinceret. Milo quoque Crotoniates ictu nudæ manus taurum fecit victimam, eumque solidum, eâdem quâ mactaverat die, absumpsit solus, non gravatus. Solinus Polisth. cap. 4.

Apud Magnesios Græciæ populum, quidam fuit Protophanes, qui in Olympia victor extitit: ejus costæ non ita vt cæterorum hominum discretæ fuerunt, sed pro illis continens os habuit, ab humeris ad eas costas quas medici Nothas vocant. Pausan. in Atticis.

Fortissimi memorantur Hercules, Samson, Gigãtes.

De his qui fuerunt miræ fortitudinis. Vide Plin. nat. hist. lib. 7. cap. 20.

EX VTROQVE IVRE.

DE allodiis Feudo. 2. cap. 54.

De Latinâ libertate tollendâ. Cod. 7. t. 6.

De Religiosis domibus, vt Episcopis sint subjectæ decre. 3. t. 36.

Vna provincia non est in duas dividenda. dist. 101.

Ecclesia cum omni dote ad Episcopum pertinet, & ad ejus ordinationes. 10. q. 1.

Forma legis est in generali præcepto generaliter enim constitui debet, non in singulas personas. l. 1. & 8. ff. de legib.

Eadem est Principi potestas, quæ quondam populo fuit. Cujac.

Solus Præfectus Prætorio habet Romæ plenissimum imperium; Cæterorum magistratuum limitata erat jurisdictio: Ita Consul habebat jus gladij, non tamen relegandi. l. 1. ff. de off. præf. præto. Ab illo non poterat appellari.

Magistratus Provinciales, vt Proconsul, Legatus, Præfectus Augustalis, habebant potestatem & jurisdictionem plenissimam, nam fungebantur vice & officio omnium magistratuum vrbanorum. l. 1. ff. de offic. Proconſ.

Ipso jure, neque ex tempore, neque ad tempus, neque sub conditione, neque ad certam conditionem servitutes constitui possunt. l. 4. ff. de servit.

Quod humani juris non est, servitutem non recipit, vt locus Religiosus, seu monumentum. l. 4. ff. commu. præd.

Merum Imperium est habere gladij potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. l. 3. ff. de jurisd.

Allodium dicitur dominium, quod à solo Deo pendet. cap. 1. §. 1. Si de Feudo defuncti contentio sit. de Feud.

Lege Regiâ omnis populi in Principem potestas est translata. l. 1. ff. de constitut. princip.

Procurator potest se opponere Domino, volenti mandatum revocare, si partem solummodò revocet. l. 27. ff. de procurat.

Petendo hæreditatem, petitur corpus bonorum, hoc est vniversitas. l. 1. ff. de rei vindicat.

Quæ jure Majestatis à Magistratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent. l. 13. §. 5. ff. de injuriis.

Multa sunt privilegia fisci & Principis, vt procurator ejus potest acquirere, non alienare, acquirit hæreditatem pro hærede se gerendo, non verò si sit onerosa. l. 2. & passim. de off. procurat. Cæsar.

Regentibus necessariæ sunt possessiones, vndè prohibentur alienare. *Vide Dur. Potest.*

Decuriones non possunt vendere bona immobilia sine decreto, alias venditio non valet. tot. tit. Cod. de præd. Decurion. sine decreto non alienan.

Curiales vrbium tenentur in eis domos proprias habere, antiquas reædificare, aut novas construere. l. 8. C. de ædif. privat.

Ne quis ordinetur sine titulo. dist. 70.

Cum aliquis condemnatur in id quod facere potest, hoc intelligitur deducto ne egeat. l. 173. ff. de reg. jur.

Quæstoris officium erat pecuniam publicam quærere & conservare. l. 1. §. 3. ff. de off. quæst. eratque primus dignitatum gradus, vt benè illo fungerentur. Eodem.

Bona dicuntur, quod beant, idest beatos faciant. l. 49. ff. de verbo signific.

In Iudæâ, vbi non erat Ecclesia stabilienda, prædia in pecuniam redacta ad pedes Apostolorum afferebantur, at multiplicatâ Ecclesiâ in gentibus, oportuit esse possessiones, vt præsentium & futurorum vsibus subveniretur. 12. q. 1. can. futuram:

Facilius vnus tutor, & exactiones exercet, & excipit, ne per multos tutela spargatur. l. 3. §. apparet. ff. de adminiſt. & peri. tuto. Solvitur jus patriæ potestatis, ob dignitatem filij, sed non ob eminentem dignitatem parentis.

EX THEOLOGIA.

ACtus primus est esse, secundus verò operari. D. Thom. 12. q. 113. a. 2.

Adeps, qui significat plenitudinem potestatis, comburebatur Deo in antiquâ lege, significabat futuras Ecclesiæ divitias. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8.

Omne agens, vt sic, nobilius est passo. 1. q. 39. a. 2. ad 3.

Ratio boni primò præsupponit formam, per quam est ens; secundò virtutem effectivam, quâ est perfectum. 1. q. 5. a. 4.

Episcopo licet habere proprium, & illud hæredibus relinquere. 2. 2. q. 185. a. 6. 7.

Gratia duo principaliter efficit in anima, primò perficit formaliter ad esse spirituale, secundò perficit ad opus. 1. 2. q. 111. a. 2.

Habitus primò & per se ordinatur ad actum. 1. 2. q. 49. a. 3. Quælibet res est propter suam operationem. 1. q. 65. a 2.

Bona fortunæ conferunt ad magnanimitatem, quo ad materiam ejus, scilicet quoad honores, & etiam

Digitized by Google

quo ad finem ejus, ſcilicet operari magna. 2. 2. q. 129. a. 8.

Poſſidere aliquid quaſi proprium eſt licitum, & neceſſarium triplici ratione, ſcilicet ſollicitudinis, ordinis & pacis. 2. 2. q. 66. a. 1.

Religio ordinata ad actiones corporales eſſet imperfecta, ſi careret divitijs in communi non autem alia. 2. 2. q. 188. a. 7.

Actio Dei eſt ſua eſſentia, & ſua potentia. 1. q. 14. a. 4. q. 19. a. 10.

Actio quælibet commenſuratur virtuti agentis: & agens naturale non nititur in id quod excedit ſuam facultatem. 2. 2. q. 130. a. 1.

Actus ab objecto ſpeciem habet, à virtute verò vel potentia agentis modum intentionis. 1. q. 89. a. 8.

Tota potentia agentis vnivoci manifeſtatur in ſuo effectu, non autem potentia æquivoci. 1. q. 25. a. 2. ad 2.

Angelus habet infinitam operationem reſpectu operati & operantis, non autem Deus, quia operatio ejus eſt determinata tantùm primo modo. 1. q. 51. art. 2.

In actibus & relationibus animæ intelligentis itur in infinitum. 1. q. 28. a. 4. ad 2.

Magna poteſtas eſt, quæ poteſt agere ſine mediis. *Vide Minorit. Medy.*

Solus Deus poteſt creare, quia creatio, cum ſit ex nihilo, requirit potentiam agentis infinitam. q. 45. a. 5.

Deus nulli eſt debitor. 1. q. 21. a. 1. ad 4.

Deus eſt omnipotens, & poteſt facere quicquid non implicat contradictionem. 1. q. 7. a. 2. ad 1.

Homo in ſtatu innocentiæ habuiſſet dominium ſuper alia, imperando & vtendo liberè; non autem ſuper Angelos. 1. q. 96. a. 1. & 2.

Dominatio ſignificat tria, ſcilicet integram libertatem, gubernationem, & participationem veri dominij. 1. q. 108. a. 5. ad 2.

Omnis forma quantò eſt nobilior, tantò magis dominatur materiæ, & minùs ei immergitur, magiſque eam ſuâ virtute excedit. 1. q. 76. a. 1.

Gabriel fortitudo Dei nominatur. 3. q. 30. art. 2. ad 4.

Habitus ſunt neceſſarij ad tria, ſcilicet ad firmitatem, promptitudinem, & delectationem in opere. 1. 2. q. 49. a. 4.

Quantitas habitus attenditur dupliciter ſcilicet reſpectu objecti & ſubjecti. 2. 2. q. 5. a. 4.

Solus Papa plenarias indulgentias, pro libito ſuæ voluntatis, legitima tamen exiſtente cauſa, facere poteſt: Cæteri autem Epiſcopi, quantùm ſibi à Papa taxatum fuerit. ſuplem. q. 26. a. 3.

Actus legis ſunt imperare, vitare, permittere & punire. Non autem conſulere aut præmiare, quia conveniunt etiam perſonis privatis. 1. 2. q. 92. a. 2.

Omnia Creata ſubduntur legi æternæ. 1. 2. quæſt. 91. art. 2.

Omnis mutatio poſſibilis fieri à quacumque Creatura, poteſt fieri ab anima Chriſti, in quantùm eſt inſtrumentum divinitatis, non autem ſecundùm ſe. 3. q. 13. a. 2. ad 2.

Omnipotentia non poteſt communicari Creaturæ. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. Vnde in animâ Chriſti non fuit omnipotentia ſimpliciter, nec reſpectu motus creaturarum, nec reſpectu propriæ voluntatis, nec reſpectu proprij corporis. 3. q. 13.

Chriſtus excellentiſſimè habuit poteſtatem Sacerdotalem: & in hoc Angeli fuerunt ejus miniſtri. 3. q. 22. a. 1. ad 2.

Principatus Regalis eſt optimus, & melior Democratico. 1. q. 103. a. 12.

Nomen honeſti transfertur ad proſperitatem exteriorum divitiarum, quia ſecundum vulgum faciunt hominem honore dignum. 2. 2. quæſt. 145. art. 1. ad 2.

Divites non ſunt honorandi ſolo intuitu divitiarum, ſed ratione majoris loci in communitate. q. 63. a. 3. in fine.

Bona temporalia vt vtilia ad opera virtutum, per quæ pervenitur ad gloriam, cadunt ſub merito ſimpliciter, in ſe autem ſecundùm quid. 12. q. 14. a. 10.

Deus regit mundum ſinè reſiſtentiâ, quia omnia immenſo ſuperat intervallo. Marſ. Ficin. Theol. Plato. l. 2. c. 13.

EX BIBLIIS.

DEus dicit Moyſi, ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Exod. 7.

Deus dono dat levitas Aaroni. num. 3.

Miranti Moyſi, quomodo Deus poſſet carnes dare tantæ multitudini, dicitur numquid manus Dei invalida. num. 1.

Balaam benedicens Iſraël dicit Populus hic quaſi leo erigetur, donec devoret prædam; fortitudo ejus ſicut rinocerotis. num. 23.

Oportet Chriſtum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum; tradatque Regnum Deo & Patri, & ſit Deus omnia in omnibus. 1. Corinth. 15.

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Iſai. 6.

De Dei omnipotentiâ, cui comparati quaſi nihil ſumus. Iſai. 40.

Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum, habens roſtra ferrantia: triturabis montes, & comminuentur, & colles quaſi pulverem pones. Iſai. 41.

Deus dicit Ierem. 1. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt evellas, & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & edifices & plantes.

Ieremias deſcendit in domum figuli, quem vidit rupto vno vaſe aliud ex eâdem materiâ facere; & ait Dominus: ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu meâ. &c. deſtruam, & iterum ædificabo. Ierem. 18.

Aquila grandis magnis alis, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, tulit medullam cedri. Ezech. 17.

Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano, pulcher ramis & frondibus, inter excelſas frondes, elevans cacumen; aquæ nutrierunt illum; abyſſus exaltavit illum. Ezech. 31.

Congregavit hoſtes Dominus, quaſi fœnum areæ: ſurge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas. Mich. 4.

Erit Iacob in medio populorum, quaſi Leo in jumentis ſylvarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum. Mich. 5.

Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors: incurvati ſunt colles mundi. Hab. 3.

Gloriâ & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Pſal. 8.

Domini eſt terra & plenitudo ejus, &c. Pſal. 23.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent. Pſal. 44.

In Idumæam extendam calceamentum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Pſalm. 59. & dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum; coram illo procident Æthiopes & ini-

mici ejus terram lingent; & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. Psal. 71.

Dominus in cœlo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur. Psal. 102. Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit. Psalm. 113.

Iesus dicit discipulis. Si monti dixeritis, jacta te in mare, fiet; & quodcumque petieritis in oratione credentes, fiet vobis. Math. 21. Post resurrectionem dicit, data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terrâ. Math. 29. in f. Mariæ dicit angelus, non est impossibile apud Deum omne verbum. Luc. 1.

Centurio dicit Iesu; dic tantum verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego sum sub potestate constitutus, &c. Luc. 7.

Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Luc. 18.

Substantia divitis, vrbs fortitudinis ejus. Prov. 10. Corona sapientum, divitiæ eorum. Prov. 14.

Redemptio animæ viri, divitiæ suæ; qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Prov. 13.

EX PATRIBVS.

D. Augustin. Epist. 70. hortatur Bonifacium Comitem, sic divitijs vti, vt bona multa ex illis, nullum autem malum faciat propter illas.

Idem epist. 89. adversus quosdam; qui asserebant divities à Regno Dei excludi; Evaserunt, inquit, istorum disputationes Patres nostri Abraham & Isaac & Iacob, qui tantò antè ex hac vitâ migrarunt; & multos etiam venturos ab Oriente & occidente, cum ipsis recubituros in regno cœlorum. Ille ipse, qui propter nos factus est pauper cum dives esset, verissimâ promissione prædixit. Et si dives epulo pauperis misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam; sed vt nobis ostenderetur, nec in ipso paupertatem, per seipsam divinitùs honoratam, nec in illo divitias fuisse damnatas; sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse; sic susceptit impium divitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus divitis. Dicit etiam Deus, Ego sum Deus Abraham &c. Deus Iacob, tanquam de præcipuis amicis suis. In novâ lege omnibus, etiam divitibus dicitur, si vis venire ad vitam, serva mandata. sic. 1. Timoth. 6. dicitur illis sufficere, si non sperent in incerto divitiarum suarum. Quod dicitur faciliùs esse camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in Regnum cœlorum, additur, quæ sunt impossibilia apud homines esse possibilia apud Deum; quia id fit ejus gratiâ; & vt præceptum est discipulis, oderint animas suas, vt scilicet parati sint illas amittere, pro Christo moriendo; sic divitias, ne cum eis pereant perdito Christo. Divites misericordes, qui pavetint pauperes, dicuntur beati. Sæpè qui sic in divites invehuntur, religiosis divitum obsequijs aluntur. Sic salvatur Zachæus.

Sapienti non sunt magnæ divitiæ, sed ipse illis, & sibi Deus. D. August. dicto loco.

ECCLESIÆ DIVITIÆ.

D. August. super illud Psal. 36. Benedicentes eum, hæreditate possidebunt terram. Ipse est, inquit, qui divitem potuit facere piscatorem, quod habebat contemnentem, quod non habebat haurientem. Filiæ Tyri, id est gentium, in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Psal. 44. Eleemosinas scilicet Ecclesiæ faciendo. Ibidem.

Producens fœnum jumentis, triturantibus in aream Dei, quibus os non est claudendum. Idem in Psal. 103.

Dignus est operarius mercede suâ: dant spiritualia, accipiunt carnalia; dant aurum, accipiunt fœnum: quis militat suis stipendijs? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte ejus non percipit? Ibidem.

Pactum appositum super fœtibus pecorum, inter Dominum & Pastorem, est servandum. l. 8. C. de pact. lucrantur animas Christo, sibi quædam temporalia.

Antropomorphitæ Deum sibi fingebant ad imaginem hominis corruptibilis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne ob id dicantur hæretici: sed sunt separati à communione Ecclesiæ, quia culpabant Episcopos divites, & Pascha cum Iudæis celebrabant. D. August. lib. de hæres. ad quod vult Deum. hæres. 50.

Quid congruentius, quam vt illum, cujus erat scelere frater occisus, etiam in terra laborantem sterilitas sequeretur? illis autem per quorum ministerium, in prædicando Dei verbo fratres liberabantur, etiam de crastino minimè cogitantibus, fructuosa terra serviret? Sic congruit Genes. 4. cum Math. 6. Respicite volatilia cæli. &c. D. Aug. lib. contrà Adamantium Manichæum. cap. 4.

Vtiliùs terrena opulentia tenetur humiliter, quàm superbè relinquitur: Non est enim nostra sed Domini Gloria. D August. Epist. 34.

Imp. Valentinianus in l. generaliter. Cod. de Sacr. Eccles. concedit volenti potestatem Ecclesias, Martyres, vel ex parte, vel ex integro hæredes instituere & l. 4. Cod. Theo. de Episco & Cleric.

Non licet parentibus exhæredare filios qui ingrediuntur Monasteria. Novel. 123. cap. 41.

Ecclesia figurata per populum Israel, qui multa passus in deserto, missus est in possessionem terræ lac & mel fluentis.

Liberum est clericis decimas monachis concedere, nec tàm in illis paupertatem, quàm Religionem attendere. 16. q. 1. Can. quoniam.

Indiget Ecclesia protectione potentum. *Vide Virt. Potestatis*, pietas regentis, potest autem habere à se, quod mutuatur ab alio. Vide minoritas principij & medij.

De immunitate & Imperio Religionis. *Vide Potest. Virtutis.*

Aurum prophanum est, in sacris tamen lucet.

Aurum superos placat, ac emit cœlum.

Quod Ecclesia possit immobilia possidere. Vide Baronium. anno 57. num. 82.

Iustinianus simul ac Imperator coronatus est, cuncta bona sua, quæ hactenus possedisset, Ecclesiis donavit. Baronius an. 527.

Habebat olim Ecclesia Romana in diversis Provincijs patrimonia, ad quæ administranda solebat mittere Diaconos. Vide Baron. an. 591.

De denario S. Petri, idest tributo à Regnis præstari solito. *Vide Potest. Virt.* Imperium Religionis.

Alanus Dux Britanniæ obtinet in signem victoriam contrà Northmannos, voto facto, se decimam partem suorum bonorum Deo & S. Petro Romam destinaturum, quod & persolvit. Baron. an. 890.

Arvales Sacerdotes, qui finium jurgijs terminandis spicea corona vtebantur. Plin. l. 8. cap. 2. Cujac. observat. lib. 10. cap. 34. Spicea corona abundantiam significat.

Deorum honori in ſacris, nihil aliud excogitatum eſt, quam vt auratis cornibus hoſtiæ majores immolarentur. Plinius lib. 33. cap. 3.

Vide voluntas contrarietatis. Repugn.

De pijs legatis. Vide vitus finis.

MAGNA POTESTAS eſt bona.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Infinita bonitas infinitæ eſt poteſtatis, primò vt ſibi ſit ſufficiens, ſecundò vt creatis quæ voluerit bona, ſine ſui læſione, diſpenſet: magna fruentes potentia, & ſic rebus cæteris naturæ & artis, habent quod agnoſcant & colant Deum, ſic in ſe beneficum.

MAGNITVDO. Poteſtas ex ſe bona eſt, quia dicit gradum eminentiæ, vndè innumera poſſunt oriri bona, vt ex impotentiâ innumera mala: ſolius magnæ poteſtatis eſt magna aggredi, & perficere. Sol oriens infirmus nebulas congregat, quas potens in meridie diſſipat: vt magnæ arbores, augmentum quotannis accipiunt, majus quam parvæ, & proratione magnitudinis ſuæ; ſic reditus divitum, & potentiorum negotia cæteris fœliciùs procedunt.

DVRATIO. Magna vis quæ aggreditur citiùs perficit, & intima penetrans durabili afficit qualitate.

POTESTAS. Vera libertas eſt in magnâ poteſtate, quæ quod intendit exequitur: infirma poteſtas ſervit his etiam quibus videtur dominari, ne ab illis derelicta pareat.

COGNITIO. Fama magnæ poteſtatis à longè terret hoſtem: innumera ordinare valens ſapientia, indiget magna potentia quaſi valido inſtrumento. Sic armata pingitur Pallas.

VOLVNTAS. Omnes appetunt magnam potentiam, vndè conſtat bonam eſſe. Interdum ſufficit paſſionibus poſſe quod intendunt. Ita parcit proſtratis. Saturnus & Mars ſunt minùs nocivi in proprijs dignitatibus.

VIRTVS, maximè heroïca, quæ eſt ad bonum publicum, torpet ſine magnâ potentiâ. Ipſa virtus dicitur vis inconcuſſa, dominans paſſionibus & fortunæ; ſic quod habet boni; per potentiam definitur. Vera virtus poſſe malum & non facere; quis laudet egenti temperantiam, aut jacentis infirmi clementiam? Poteſtas virtuti ſplendorem affert, vt infirmitas contumeliam, quaſi ſit parum Deo chara, ſic expoſita.

VERITAS. Leges arma protegunt: nec juſtum, nec tranquillum ſine milite regnum. Potentia procul eſt ab adulatione, mendacio, dolis, frodibus, quibus ſe infirmitas protegit.

GLORIA. Magnæ potentiæ, ſicut rei cuidam divinæ honor defertur; omnis enim poteſtas à Deo glorioſum eſt ab illo eligi quaſi fidum bonorum ſuorum diſpenſatorem.

DIFFERENTIA. Hac potiſſimum potentiæ aut impotentiæ notâ homines ab invicem diſtinguuntur & vt in naturâ potentior cæteris præeſt.

CONCORDANTIA. Civilis amicitiæ cauſa eſt potentia, ad quam ſpe auxilij venitur.

CONTRARIETAS. Magna vis altâ pace fruitur, etiam in terrâ hoſtili, ſatis illi vnuſquiſque ſe divinctum putat, ſi non lædatur.

PRINCIPIVM. Omnes cauſæ ſuperiores, Deus, Angeli, Cœli, Reges, magnam habent potentiam. Initia ſæpe pereunt, quia ſunt infirma.

MEDIVM. Magna potentia minoribus indiget ad agendum; vndè liberior, ſecurior; illi ſervire putant alij glorioſum.

FINIS. Solius eſt potentiæ finem intendere, quia poteſt illum aſſequi: optant omnes magnam potentiam, quaſi in illa ſolâ ſperanda ſit quies.

MAIORITAS. Infirmitas pudore defectus ſæpè tranſit ad extrema, ſibi alijſque nociva; & cum ſe non temperat, ne videatur deficere, ſe exhaurit.

ÆQVALITAS. Eſt imago vnitatis potentiſſimæ; incorrupta, vt Cœli, beati idem ſemper agunt; infirma autem peritura variantur.

MINORITAS. Magna potentia, addit aliquid ſupra hominem, cum illi natura æquales homines faciat ſubditos, ſplendidè tegit & compenſat omnes defectus naturæ.

CONVENIENTISSIMVM eſſe Eccleſiam habere divitias.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Divitiæ Eccleſiæ ſunt piorum eleemoſinæ, & oblationes factæ in honorem Dei. Quis vnquam invidit altaribus ſacrificia: Refluunt in populum per Eccleſiaſticorum charitatem; ſanant quantùm licet, vt Apoſtoli, cùm paupertati auxilium præſtant.

MAGNITVDO. Splendor Eccleſiæ promiſſus, extendit ſe etiam ad temporalia; Chriſtus promittit ſuis centuplum, etiam in hoc ſæculo. Ope divitiarum fides pervenit ad infideles & ad omnes mundi partes.

DVRATIO. Maximæ illæ divitiæ proceſſerunt à principibus, qui vt ſuorum donorum, ſic ſimul fidei exiſtunt protectores. Etiam primis temporibus habebat Eccleſia divitias, quibus ſubveniebat egenis, perſecutiones redimebat; inalienabili ſuâ poſſeſſione providet futuris poſterorum neceſſitatibus.

POTESTAS maxima convenit pietati, vt magis ad Deum ſanctum & omnipotentem accedenti. Temporalia ſpiritualibus ſunt ſubordinata. Chriſtus Rex Regum poſſidet per Eccleſiam ſponſam ſuam ſibi in homagium à Regibus oblata, dum adhuc eſſet in cunis. Paupertas contumeliam faceret mundi judicibus, nec ſatis illis relinqueret libertatis, & authoritatis: Levitæ quîdem nihil poſſederunt, quia figura & vmbra corporis Eccleſiæ non debuit locum ei conveniens occupare.

COGNITIO. Vt cæremonijs, ſic perſonis Eccleſiaſticis, majeſtatem conciliat hic ſplendor: ſtipendijs excitandi ſunt ad divina ſtudia animi, ne illis, cæteriſque ſapientia eſſet ſterilis, deſtituta externorum bonorum auxilio.

VOLVNTAS. Reditus Eccleſiaſtici ſunt eſcæ, quibus capiuntur fidei profutura ingenia, à mundo evocantur, Chriſto addicuntur, affectu ſemper in meliùs proficiente.

VIRTVS. Vt verbo ſic exemplo docent Eccleſiaſtici qualis debeat eſſe vſus rerum temporalium, nec impoſſibilem eſſe cum illis Chriſtianam perfectionem. Virtuti heroïcæ ad bonum publicum laboranti opes ſunt neceſſariæ.

VERITAS. Fidei, firma permanet in proſperis ſicut in adverſis, nec dejecta, nec corrupta. Angeli ſemper cum illuſtri apparatu divina nobis nuntiant.

Digitized b

Oportuit fidem à pauperibus, non à regibus prædicari, ne vt, metuvè videretur ſtabilita: Sed poſtquam ſic ſe noſtræ infirmitati contemperavit, debet ſplendorem ſuum reaſſumere, & quantùm licet conformari Chriſto glorioſo.

GLORIA. Chriſtum patientem refert ſtatus Religioſus, glorioſum dives Eccleſia; ſic ſimul eſt militans & triumphans, quis illi invideat divitias, tot ſanctorum laboribus & ſanguine partas? ad illius decorem, Deo à fidelibus oblatas. Latentem inviſibilis caracteris dignitatem prodit & compenſat hic externus ſplendor.

DIFFERENTIA. Expoſita mundi fluctibus Eccleſia periculoſiùs ſine divitiis jactaretur, vndique quaſi anchoris illuſtrium familiarum ſubſiſtit. Sic extrà periculum & contemptum poteſt leges ſuas, pro temporum ratione, immutare.

CONCORDANTIA. Stipendia hæc efficiunt, vt omnis nationis & conditionis homines nomen ſuum dent Eccleſiaſticæ militiæ, individuâ ſocietate principum & Eccleſiæ jura connectuntur, itavt ſibi mutuò auxilium præſtent.

CONTRARIETAS. Temporalis poteſtas protegit Eccleſiam contrà hoſtes ſuos, compellit quoſdam intra- A re; ſic mundum ſuis propriis armis ſuperat.

PRINCIPIVM. Granum ſynapis in magnam ſurgit arborem; itavt aves cœli, ideſt munduni, in ramis ejus habitent. Refluunt divitiæ in Deum, à quo proceſſerunt, vt iterum majori benedictione largitoribus concedantur.

MEDIVM. Eccleſia eſt inter Reges pacis vinculum, quod debet eſſe firmiſſimum; benè vtitur divitiis, quibus multi malè, &c.

FINIS. Hæc publica Eccleſiæ intentio compenſat defectus particularium; hic ſplendor ſemper accreſcens, ſenſibilis eſt probatio nunquam deſituram Ecclesiam. B

MAIORITAS. A quibuſdam dicitur eſſe minor virtutibus, cum major eſt opibus. Sed etiam in illis non deeſſent, qui vitam pro Chriſto profunderent, ſi orta eſſet perſecutio, vt multi bona.

ÆQVALITAS. Redditus efficiunt, vt officia divina tam æquali quam cœlorum circulo peragantur. Indeficienti bonitati ſervitur inficiente miniſterio: dantur beneficia propter officia.

MINORITAS. Alius debet eſſe Eccleſiæ matris ſtatus ſub filiis principibus, quam ſub hoſtibus tyrannis: ſqualore ſuo omnes offenderet, &c.

DVRATIO POTESTATIS.

CONTINVATA POTESTAS.

MISCELLANEA.

QVOEVIS rebus inferioribus præſidentes, ſunt incorruptibiles. Dignitas non moritur. Virtus cauſarum ſuperiorum eſt quodammodò infinita reſpectu inferiorum, quia nunquam ad eorum auxilium deficit, vt Angeli reſpectu cœlorum, cœlorum reſpectu ſublunarium. A

Reges primi alicujus nomen tulerunt, quaſi idem ſemper videretur regnare; ſic à Iulio Cæſare, qui primus poſt ejectos Reges vſurpavit Imperium, cæteri Imperatores dicti ſunt Cæſares; Albanorum Reges. Sylvij, à Sylvio eorum Rege: Ægyptiorum Pharaones; Alexandriæ Ptolomæi, &c.

Ille quodammodò putatur vivere, cujus nobis progenies cognoſcitur imperare inquit Caſſidior. Ideò probantur Regna hæreditaria: vbi enim fortuna regnandi in vnâ ſtirpe conſuevit, Regum præteritorum reverentia adeo vivit in poſteris, vt puerorum ad purpuram natorum cunæ, populis ſint venerabiles: grandiùs quiddam inſinuatur illis ingeniis, quæ ad regendum à puero inſtituuntur; ſive natura hoc facit, ſive diſciplinæ rectitudo, aut potiùs Dei cura: majus damnum eſt regnum aliquandiù vacare; & ambientium bellis ſcindi, quàm devenire in pueri manus; tunc enim regimen prudentiſſimi conſilij eſt quaſi Ariſtocraticum. Regna quæ magis floruerunt ſucceſſiva fuere. In Perſide, Macedoniâ, Ægypto, & apud Romanos; major eſt in Principe hærede authoritas, B quàm in electivo, cui populus leges abſoluto imperio contrarias poteſt imponere; a ſe electum, quaſi ſibi devinctum, minùs venerari. Vt cometæ & novæ ſtellæ, ſic nova imperia magnas afferunt rebus mutationes.

Sic quidam aſſerunt diuturnos eſſe debere Magiſtratus, alioquin illis ab officio diſcedendum erit, antequam ſciant in quo conſiſtat. Sic ſemper Reſpublica à tyronibus regetur. In omni mutatione multi ſemper feriati dies, in quibus non terminantur negotia: antiqui Magiſtratus, jam bonis repleti, non ita vexant plebem, vt de novo venientium, reſquè ſuas ſtabilire cupientium, aviditas. Nullam habebit authoritatem Magiſtratus, brevi deponendus: novi novæ afferunt conſilia, ipsâ mutatione nociva, & incerto ſuo exitu periculoſa; ſi ſæpe transferantur dignitates, datur ambitioni, quod debetur virtuti.

Solvenda quæſtio, quòd mutatio officiariorum eſt optima in ſtatu populari, in quo omnes habent æquale jus: at non in Monarchia, in quâ populi ambitio ſemper eſt coërcenda, & quæ ſtat contrariis Reipublicæ legibus. Rex quædam officia faciet perpetua, quædam non, vt ea quæ publicum tractant ærarium, alioquin nunquam rationes redderent. Ex Kekermanni Politic.

Reges Perſarum habebant pro ſua guardia cohortem decem millium equitum, quam immortalem vocabant, quia patri mortuo ſuccedebat filius aut propinquus.

Licet in Republicâ Athenienſi Magiſtratus omnes eſſent ad tempus, quo finito ſui regiminis rationem reddebant: Tamen ſenatus Areopagiticus fuit perpetuus, & inter omnes Reipublicæ mutationes, inter paucorum & tyrannorum dominationes, firmus permanſit.

Tiberius collatos ſemel honores non facilè ademit, cum ſaturos & opulentos præſides minus noxios provincialibus duceret.

Epaminondas Thebanis bello preſſis præturam quam gerebat, etiam elapſo præfinito à lege tempore, non deſeruit, vndè re bene geſtâ, capitis accuſatus, omnium votis abſolutus eſt.

Longa dominatio conciliat Principi authoritatem, quâ diſſolvit conjurationes, & ex ſe fit capax regiminis. Ipſum magis venerantur populi ſi habeat filios ſucceſſores, qui acceptis beneficijs poſſint gratiam referre, & injurias vlciſci; ſic debet ſucceſſorem ſuum in partem negotiorum aſſumere.

Pertinet ad majeſtatem Principis recuperare dominia, quæ quondam majores ſui poſſederunt.

Patriciatus dignitas erat perpetua, & ſimilis ſacerdotio, quia Patriciorum prima familia numini fuit dicata. Caſſidior. 1. variar. c. 1.

Regnum hæreditarium facile conſervatur, propenſis in obſequium ſubditis.

Regna tyrannica, quia magis vnita, cùm ſumma poteſtas eſt in principe, non diviſa in principes & nobiles, faciliùs conſervantur, quia vix eſt prodituoni locus; ſed proſtrata vix reſurgunt. Machiav. de regno.

Summa regentis prudentiæ eſt, ſic ſe gerere, vt à regimine non poſſit expelli; ſic militum in caſtris primum officium eſt ſe munire.

In eligendo Principe etiam habenda ratio valetudinis, ne citò novus Princeps ſit adhibendus, cum Reipublicæ diſpendio.

Omnia animantia cornigera habent cornua perpetua, excepto cervo, cui ſunt decidua quotannis, à bimatu.

Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 8. dicit Reges auream ferre coronam, quia aurum eſt incorruptibile, circularis figura ſine carens.

Reges ſunt, & conſervantur à Deo. *Vide Principium Poteſtatis.*

Quibus modis conſeruentur imperia. *Vide Medium Durationis & Medium Poteſt.*

Conſervantur imperia Principis virtutibus, authoritate, opibus, armis, conſilijs, fœderibus, fortunâ. Vide Lipſium in politicis de Regum authoritate.

Naturalis inclinatio in totum non poteſt ſuperari. *Vide Differentia Voluntat.*

Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1 cap. 5. probat ſuprà res mutabiles debere dari primum immutabile principium, alioquin nullus eſſet ſtatus in rebus; & cùm motus continuetur per quietem, hic patet immotum eſſe primum rerum principium. *Vide Virtus Duration.*

Sic idem ibidem lib. 2. cap. 5. probat Dei æternitatem. Res quælibet tantò eſt diuturnior, quantò virtus per quam permanet & ſervatur eſt potentior: Dei autem virtus eſt infinita. Deus ſuprà motum & tempus exiſtit, & ideò non ſuſcipit temporalem mutationem à priore in poſterius ſecundùm eſſe & non eſſe. Eſt ſumma eſſendi neceſſitas, ergo non potuit, & non poterit non eſſe: nihil eſt vndè incipiat, ſic nihil in quo reſolvatur.

Cœlum cùm in ſe habeat diverſitatem formarum, virtutum, motionum, à virtute ſtabili debuit regi, & in ordinem ſtabilem redigi. Agens mobile quia egenum, & imperfectum, ſemper aliundè dependet, menſuram modumque agendi ad certum finem à rectore ſuperno ſortitur, ſic cœleſtia corpora, cum finem non poſſint ex ſeipſis intendere, ab alio diriguntur, vt ſagitta à ſagittante. Idem lib. 2. cap. 13.

Poſſeſſione ac tempore omnia imperia plerumque ab initio, aut violenta aut invalida, legitima eſſe cœperunt. Barclai.

Apud Iudæos ſub Agrippa Rege, Ananus exiſtimatus fœliciſſimus omnium hominum, quia cum ipſe fuiſſet ſummus Pontifex, quinque liberos habuit, etiam potitos ſummo Pontificio. Baron. an. 62.

Conſtantius Imp. adeptâ victoriâ contrà Magnentium tyrannum, æternum ſe fecit appellari. Baron. an. 353.

Arnaldus de Brixia ſuadet Romanis antiquam Rempublicam in ſuam dignitatem reſtituere, electis ſenatoribus; eo pretextu, quod principium temporalium eſſent omnia temporalia, nec potuiſſe alienari, ſic à clericis injuſtè detineri: contra ſcripſit D. Bernardus. Vide Baron. an. 1141. & ſeqq.

Singuli Planetæ retinent ſemper convenientiam cum illis genituræ locis, quorum dominium initio acquiſierunt. Ptolomæ. prædict. Aſtrolog. lib. 4. cap. vltimo.

Dignitates nobilium familijs continuatæ. *Vide Gloria Principij.* Nobilitas.

EX IVRE CIVILI.

DE argenti prætio quod theſauris infertur. Cod. 10. tit. 76.

De beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat. Feud. 1. tit. 20.

De bonorum poſſeſſione liberti, quæ patronis, eorumque liberis datur. Cod. 6. tit. 13.

De collatione Feudorum fiſcalium, patrimonialium. Cod. 11. tit. 64.

De decurionibus, & filijs eorum. ff. 50. 2. Novell. 38.

Quibus modis à fortunâ curiæ liberentur decuriones. C. 10. tit. 31.

De Eccleſiaſticarum rerum immobilium alienatione, & ſolutione. Nov. 46.

De eo qui ſibi vel hæredibus ſuis inveſtituram recipit. Feud. 2. t. 17.

Epiſcopum, Abbatem, vel Dominum plebis Feudum dare non poſſe. Feud. 1. tit. 6.

Frattem fratri in Feudo novo non ſuccedere. Feud. 4. 90.

De hæredibus inſtituendis. Inſt. 2. tit. 14. ff. 6. tit. 24. Novell. 164.

De legitimâ agnatorum ſucceſſione. Inſt. 1. 2.

De Naturâ ſucceſſionis Feudi. Feud. 2. 50.

Ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio longi temporis exceptione ſubmoveatur. Cod. 7. tit. 38.

De non alienandis, vel permutandis rebus Eccleſiaſticis immobilibus. Novell. 7.

Non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extraneum transferre. C. 11. 55.

De perpetuis emphiteuticis. Leo Nov. 13.

De perpetuis & temporalibus actionibus & quæ in hæredes tranſeunt. Idem 4. 12.

De poſſeſſione Eccleſiarum, & venerabilium domorum. Conſt. 1. Baſilij Porphirog.

De prædijs & alijs rebus minorum ſinè decreto non alienandis, vel obligandis C. 5. tit. 71. ff. 27. tit. 9.

Priùs poſſeſſionem reſtituendam eſſe quam de principali cauſâ agatur. Feud. 8. tit. 28.

De

De prohibitâ Feudi alienatione. Feud. lib. 2. tit. 52. & 55.

Quemadmodum Feudum ad filium pertineat. Feud. 1. tit. 24.

Quibus alienare licet vel non. Inſt. lib. 2. tit. 8.

De prohibitâ rerum alienatione Cod. 4. tit. 51.

De rebus eorum qui ſub tutelâ vel curatelâ ſunt non alienandis ſinè decreto. ff. 26. tit. 9.

Rem populi ſalvam fore. ff. 46. 6.

De ſucceſſione Feudi. Feud. 1. 8. & 2. 11.

Vt ancillarum partus apud alium editus, ipſius dominium ſequatur. Leon Novell. 29.

Quod Reges & Imperatores non poſſint alienare dominium ſuum. Vide Bodin. lib. 2. Reip. cap. 9.

Faciliùs retentio quàm actio conceditur. *Vide Bonitas Duration.*

Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. l. 11. ff. de Reg. Iur.

Filius non poteſt compellere patrem ad emancipationem. l. 31. ff. de adoptio.

Procurator non poteſt alienare, ſinè ſpeciali mandato Domini, niſi res quæ facilè corrumpi poſſunt, vt fructus. l. 63. ff. de procurat.

Melior eſt cauſa poſſidentis, quàm petentis. l. 9. ff. de publ. in rem actio.

Retractu gentilitio. *Retrait lignager.* Reſcinduntur venditiones intra annum factæ, vt bona in iiſdem familiis perſeverent.

Procurator Cæſaris non poteſt alienare, ſicut procurator privati. l. 2. §. 1. ff. de offic. Proconſ. Cæſ.

Si pactum ſit, vt debitor tributum pignorati agri ſolvat, non nocet fiſco, quia privatorum pactionibus jura publica non poſſunt immutari. l. 42. ff. de pact.

Accuſatus de aliquo delicto, poteſt interim bona ſua adminiſtrare, eique debitor bona fide rectè ſolvit l. 46. ff. de jur. Fiſci.

Acquirere poteſt quis vſque ad mortem. l. ſi creditores. §. final. ff. de ſeparatio.

Actio amiſſa per abſentiam, per reſtitutionem in integrum reſuſcitatur. l. 2. final. ff. ſi ex noxal. cauſ.

Adminiſtrationis liberæ conceſſio non continet rerum alienationes, niſi ſint ſpecialiter conceſſæ. l. quam Tuberonis. §. alia. ff. de pecul.

Agri limitrophi militibus concedebantur, cum prohibitione alienandi. l. final. Cod. de fund. limitrop.

Rerum pupillarium alienatio, non fit ſine cauſæ cognitione, & judicis authoritate. l. magis. ff. de reb. eor. qui ſub.

Allodium, ſeu juriſdictio Imperatoris non poteſt vendi. c. 1. de allod id vſ. feud.

De futuris alimentis in teſtamento relictis, non licet tranſigere ſine prætore. l. 8. ff. de tranſ. quamvis de præteritis poſſit. l. 8. Cod. eod.

Viventis nulla eſt hæreditas. l. 1. ff. de hæred. vel acti. vend.

In pari causâ melior eſt conditio poſſidentis. cap. in pari. de Reg. jur. in 6. l. final. Cod. de rei vindic.

Retinetur vſusfructus etiam non vtendo, vt ſi ſervus ſit æger.

Nulla eſt ſervitus, ſi tibi imponatur ne in fundo tuo aquam quærere liceat, ne mea imminuatur, & in cæteris eo vti. frui. l. 15. ff. de ſervit.

Officiales tantum perpetui, non alij poſſunt contrahere cum ſubditis. l. 33. & 34. ff. de reb. credit.

Ceſſat condictio ob turpem cauſam, cum vtriuſque turpido verſatur, vt ſi quis deprehenſus in adulterio ſe redimet, datum pro ſtupro, aut à fure ne prodatur. l. 4. ff. de condict. ob turp. cauſ.

Qui vnam aut aliam rem debebat, ſi duas ſimul dederit, & vna ſit perempta, quæ ſupereſt remanet in ſolutum. l. 32. ff. de condict. indeb.

Officiales non poſſunt emere in loco, in quo officium exercent, immobilia, niſi paterna. l. 62. ff. de contrah. empt.

Emptor continuat jus venditoris in præſcriptione acquirendâ. *Vide Æqualit. Poteſt.*

Ei incombit onus probandi qui agit, non qui eſt in poſſeſſione. l. 14. ff. de probat.

Lege Iuliâ fundus dotalis non poteſt alienari, nec obligari. l. 1. & 4. ff. de feudo dotali.

Cum filius Patri ſuccedit, videtur eſſe quædam continuatio dominij, & libera ejus adminiſtratio. l. 11. ff. de liber. & poſthu. hæredib. inſtit.

Qui ſemel eſt hæres, nuſquam deſinit eſſe hæres. l. 88. ff. de hæred. inſtit.

Dignitas non moritur, vnde ſi legavi Imperatori, qui ante mortem meam moriatur, legatum debetur alteri Imperatori ſucceſſori. l. 56. ff. de legat. 2. hoc non eſt, & non tranſit legatum ad ſucceſſorem, cum habetur dignitas per alium, vt ſi legatum ſit Auguſtæ. l. 57. eodem.

Sic relictum ſacerdoti, videtur relictum templo, & in perpetuum debetur. l. 20. ff. de ann. legat. cap. requiſiviſti. de teſtam. can. Pontifices. 12. q. 3.

Pater habens filios in poteſtate, poteſt illis tutorem teſtamento dare, quod non poſſunt matres, quia non habent eos in poteſtate.

Criminum rei facti, retinent antiquos honores, ad novos tamen non poſſunt pervenire antè ſententiam abſolutionis. l. 17. ff. ad municip.

Sunt immunitates quædam, quæ perpetuò durant, & in poſteros tranſeunt, eâ ſcilicet lege datæ, vt nobilium.

Hæres ſuccedit in vniverſum jus, quod defunctus habuerat. l. 59. ff. de Reg. jur. ſervi cum libertate inſtituti, neceſſarij erant hæredes, vt teſtatorem referrent.

Lis finiri debet coram judice, coram quo conteſtata eſt, etiam ſi ſit mulier, quæ viro alterius juriſdictionis nupſerit. l. 19. ff. de juriſd.

Legatario repudiante, fingitur res ejus nunquàm fuiſſe, ſed ſemper hæredis. l. 16. ff. de reb. dub.

In legato conditionali, hæres cujuſcumque dignitatis ſit teneatur ſatis dare; ad id tamen civitas hæreditatem capiens non tenetur, quia ſemper præſumitur futura dives. l. 1. ff. vt legat. nom. cavent. l. 2. ff. de fundo dotal.

Libertas ad tempus dari non poteſt, vt Stichus vſque ad annos decem liber eſto. l. 33. ff. de manum. teſt.

Si ſervus tuus te dejiciat de fundi poſſeſſione, adhuc per ipſum ſervum, quem poſſides, retines poſſeſſionem. l. 40. ff. de acq. vel amitt. poſſeſſ.

Si ſervum meum ſciens captum ab hoſtibus, ab his emeris, poſſum oblato prætio à te repetere, & cenſebitur poſt liminio reverſus. l. 12. §. 7. ff. de capt. & poſt. reverſ.

Honores continuantur in iiſdem perſonis tantum, cum deſunt alij idonei. l. 14. in f. ff. de muneribus & honoribus.

Patrimonium Eccleſiæ non debet alienari quocumque titulo. l. 13. cum authent. C. de Sacroſ. Eccleſ. & Novel. 7.

Bona Eccleſiæ non præſcribuntur, niſi centum annorum ſpatio. Ibidem.

Fundus dotalis non poteſt alienari, vel obligari, etiam conſentiente muliere. Auth. ſed quamvis. C. de rei vxor actio.

Dominus ſemper conſervat jûs ſuum in ſervo fugitivo, vndè non poteſt præſcribi. l. 1. C. de ſervo fugit.

Deffenſor civitatis, vltrà conſtitutum legibus biennium, poteſt continuari, ſi tota civitas nullo reluctante eum elegerit. Novell. 15. c. 8.

Hinc rerum mobilium vilis & abjecta æſtimatur poſſeſſio, quia brevi tempore præſcribitur, facilè amittitur. l. 47. ff. de acqui. poſſeſſ. & quia non poteſt reaſſumi per retractum gentilitium.

Aleæ ludus, cujus eventus pendet ex caſu fortuito. S. C. prohibetur, & punitur qui domum ſuam ludendi causâ præbet, aut qui ludere aliquem cogit. l. 1. & 2. ff. de aleatorib. Intereſt enim Reipublicæ, ne quis re ſuâ malè vtatur. §. ſed etiam. inſtit. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. ſic prodigi bonis interdicuntur.

Ex his omnibus cauſis, quæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, factâ ſolutione, condictioni locus eſt. l. 54. ff. de condict. indeb.

Debitor non liberatur, qui ſolvit filio vel ſervo perdituro, & ſic in detrimentum creditoris. l. 10. §. verſum autem. ff. de in rem verſo.

An iiſdem ſemper vtendum miniſtris. *Vide Duratio Medy.*

Fontes privati poſſunt fieri publici, non contrà. l. 9. Cod. de aquæ ductu.

Hinc maximè faveturvltimis voluntatibus, quibus defectus de rebus à ſe relictis, quaſi ſui adhuc eſſent juris, diſponit; vivere adhuc videtur in ipſis, cum ex ejus arbitrio diſponantur. *Vide Poteſt. Volunt.*

Nihil eſt quod magis hominibus debeatur quam vt ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterùm non redit arbitrium. l. 1. ff. de Sacroſ. Eccleſ.

EX IVRE CANONICO.

RES Eccleſiæ alienari non poſſunt. 10. quæſt. 2. per totum. & 12. q. 2. can. non licet. & ſeqq. & 17. q. 4. can. in venditionibus. & ſeqq. *Vide Differentia Poteſt. Mal.*

Tranſactio facta de rebus Eccleſiæ per prælatum, ſine ſuperioris conſenſu non obligat ſucceſſorem, quia videtur potius facta inter perſonas, quàm inter Eccleſias. cap. veniens, de tranſact.

Non valet juramentum à Prælato præſtitutum, de non repetendis rebus Eccleſiæ. cap. pervenit, de jurejur. & cap. intellecto. 33. eodem. Generaliter res Eccleſiæ quocumque modo alienari non debent. tot. tit. de reb. Eccleſ. non alienan. & in 6.

Innovatio privilegiorum, novum jus non tribuit, ſed antiquum conſervat. cap. ex parte de privileg. & cap. quia intentionis. Eodem.

Animæ noſtræ ſunt immortales, vndè damnati quidam hæretici, qui dicebant eas cum corporibus mori, cum ſpe reſurrectionis in die judicij. Concilium Arabicum. an. 249. Vide Baron.

Si quid libertati Eccleſiæ habeant de rebus Eccleſiæ non licet illud in extraneum dominium transferre. Concil. Toletan. 9. can. 16.

Papâ ſuperſtite, de electione futuri Pontificis nemo audeat loqui. can. ſi quis. diſt. 59.

Non licet Epiſcopo Eccleſiam ſuam relinquere, & ad aliam tranſire. 7. q. 1. can. Epiſcopum.

Non poteſt Abbas ſuum monaſterium relinquere, & alteri præfici, inconſulto S. Pontifice. cap. cum venerabilis de conſuetud.

Epiſcopus non poteſt eligi ad aliam dignitatem, ſed tantùm poſtulari. cap. vlt. de poſtulat. prælator.

A Electos in Epiſcopos, & confirmatos, transferre poteſt ſolus Papa; & Epiſcopus qui propriâ authoritate de ſuâ Eccleſia ſe transfert in aliam, carebit vtrâque cap. inter corporalia. 2. & ſeqq. de tranſlat. Epiſcopi.

Epiſcopus non debet transferri de civitate in civitatem. Concil. Nicænum can. 15. an. 325. & Concil. Antiochænum I. can. 21. an. 340.

Cum nemo de majori civitate ad minorem tranſeat, apparet id eos facere ambitione augendæ dominationis, vndè vt hæc pernicies auſterius vindicetur, nequidem communionem Laicam habeant. Concil. Conc. Carthaginenſe. 27. Sardienſe. can. 1. Concil. Chalcedonenſe. can. 5. Concil. Turonenſe. 3. can. 14.

B Poteſt induci conſuetudo, quod vna Eccleſia de gremio alterius teneatur ſibi prælatum eligere. cap. cum dilectus, de conſuetudine. Vide Canonem Apoſtolorum infrà ex Theologia.

EX THEOLOGIA.

HAbitus reſpectu aliquorum actuum ſunt neceſſarij. D. Thomas. 1. 2. q. 49. a. 4.

Agens naturale inducit in patiente duplicem effectum, ſcilicet formam, & motum conſequentem formam. 1. 2. q. 26. 2.

C Agens per eandem virtutem poteſt producere multos effectus ſe conſequentes. 2. 2. q. 29. 2. 4.

Actiones Hierarchicæ ſemper erunt in Angelis, quia ſemper vnus alium illuminabit, purgabit, & perficiet. 2. q. 108. a. 7. ad 2. & 3.

Potentiæ immateriales manent actu in animâ ſeparatâ, non autem organicæ, ſed vt in radice. 1. q. 77. a. 8.

Actus ſenſitivarum potentiarum non remanent in animâ ſeparatâ, niſi tanquam in radice remotâ, & vt in ſuis principiis. Suplem. quæſt. 70. a. 1.

Capacitas duplex, ſcilicet naturalis potentiæ, & obedientialis. Prima ſemper impletur ſecundum genus ſingulorum & non ſecundum quolibet individuum, ſecunda, vero, neutro modo. 3. q. 1. a. 3. ad 3.

Quidquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. 1. q. 49. a. 2. ad 2.

D Dominium convenit Deo realiter ab æterno, quo ad poteſtatem, non quo ad relationem. 1. q. 13. a. 7. ad 1.

Poſſeſſiones Iudæorum non poterant vendi, ne ſortes confunderentur; præter domos vrbanas, quia non erant ſorte diviſæ. 1. 2. q. 103. a. 2. & 3.

Potentiæ naturales non habent habitum, nec aliquid ſuper additum, quia operantur circà aliqua determinata. 1. 2. q. 29. a. 4. ad 2.

Chriſtus in triduo mortis fuit ſacerdos, quia ſacerdotium convenit homini ratione animæ, in quâ eſt caracter ordinis. Vndè per mortem homo non perdit caracterem ſacerdotalem, multò minus Chriſtus, qui

E eſt totius ſacerdotij origo. 3. q. 50. a. 4. ad 5.

Sacerdotium Leviticum derivabatur ad poſteros, ſecundum originem carnis. 22. q. 102. a. 4. ad 7.

Poteſtas naturalis non deſtruitur à gratiâ, vndè non ejicietur Rex infidelis. 2. 2. q. 10. a. 10. Sic filij invitis parentibus non ſunt baptiſandi.

Poteſtas ordinis, quia conſiſtit in caractere indelebili, etiam in hæretico remanet, ſecùs de poteſtate juriſdictionis.

Dignitas ſummi Pontificis eſt jure ipſo certa & immutabilis, non verò Epiſcoporum.

Chriſtus eſt ſacerdos in æternum, non quo ad ſacrificij oblationem, ſed quo ad conſummationem, quia ſcilicet meruit nobis bona æterna. 3. q. 22. art. 5.

Digitized by Google

Homo ſemper remanet liber, quo ad internos animi motus, & ad corporis conſervationem, quod non tenetur mutilare ex alterius mandato. 2. 2. q. 104. art. 5.

Homo licet mortuus, adhuc cenſetur eſſe in memoria hominum, agere in liberis, & in rebus quarum extitit cauſa, ideò rebus omnibus peractis reſtat finale Iudicium. 3. q. 59. a. 5.

Epiſcopo non licet Religionem ingredi, niſi propter impedimentum ſalutis, ex parte ſui vel aliorum; de licentia Papæ. 2. 2. q. 184. a. 6. q. 185. a. 4. q. 189. a. 7.

Epiſcopo non licet alienam Parochiam, propriâ relictâ pervadere, licet cogatur à plurimis: niſi fortè quis cum rationabili cauſâ compellatur, tanquam qui poſſit ibidem conſtitutis plus lucri facere, & in cauſâ Religionis aliquid profectus proſpicere: Et hoc non à ſemetipſo pertentet, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima ſupplicatione perficiat. In Canon. Apoſt. Can. 14. Vide Baron. an. 324.

Leo IX. adeo fuit ſuæ Tullenſis Eccleſiæ, quam prius rexerat, amator, vt licet Romanus Pontifex creatus eſſet, tamen titulum priorem non reliquerit, volueritque, dum vixit, dici Tullenſis Epiſcopus. Baron. an. 1049.

EX BIBLIIS.

TImenda dominantium mutatio, ſic novus Pharao opprimit Iſraelitas. Exod. 1.

Deleto Pharaone, Moyſes dicit in Cantico; Dominus regnabit in æternum & vltrà. Exod. 15.

Anno Iubilæi redibat vnuſquiſque ad poſſeſſiones ſuas. Levit. 25. niſi ad domus intrà vrbem ædificatas, ad quas opportebat redire intrà annum. Ibid.

Dicit Deus Ioſuë: ſicut fui cum Moyſe, ità ero tecum. Ioſue. 1.

Domus David quotidie fit robuſtior; prædicit ei Deus Regnum ſempiternum. 2. Reg. c. 3. & 7.

Sacerdotes in bello delentur, quia non erant de ſemine eorum, per quos ſalus facta eſt in Iſraël. Machab. 1. c. 5.

Plangenti Aman eò quòd triumphantem Mardochæum circumduxiſſet per vrbem, dicunt ſapientes, ſi de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, antè quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu ejus. Eſter. 6. Aman enim erat de ſemine Agag mactati à Samuele.

Numquid abbreviata & parvula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere? Iſay. 50.

Antiquus dierum dat filio hominis poteſtatem æternam, quæ non auferetur, & Regnum quod non corrumpetur. Daniel. c. 7.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi. Pſalm. 44. Qui dominatur in virtute ſuâ in æternum, oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt. Pſal. 65. Iuravi David ſervo meo; in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam. Pſal. 88. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus, ſicut dies cœli. Eodem.

Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſal 109.

Beatus vir qui timet Dominum, &c.

Potens in terra erit ſemen ejus; generatio rectorum benedicetur; Gloria & divitiæ in domo ejus. Pſalm. 111.

Qui das ſalutem Regibus. Pſal. 143.

Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem. Pſal. 144.

Iſay. 55. Loquens de Chriſto ait, Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.

MAGNA POTESTAS *debet eſſe durabilis, nec mutari.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Reſpublica ſe habet per modum vnius corporis, quod dicitur eſſe immortale: qui regit eſt quaſi forma, quæ quantùm fieri poteſt, debet eſſe immutabilis, inter minorum officiatorum, quaſi accidentium fluxum; morte autem interveniente debet fieri ſubſtitutio, leni & vix apparente mutatione.

MAGNITVDO. Magna non aggreditur, niſi durabilis poteſtas, quæ ſperat incœptum opus ad perfectionem adducere. Qui regit eſt quaſi vas electionis, cui diuturno tempore opus eſt, vt magna è cœlo ſucceſſivè accipiat & in populum effundat.

DVRATIO. Lentè movetur magna Rerum publicarum moles: diuturna poteſtas expectat occaſionem venientem, nec fertur præcipiti conſilio, vt hi qui ad breve tempus regunt. Coincidunt in Deo, omnipotentia & æternitas, magis accedit ad ejus potentiam, qui plus habet de tempore, æternitatis ſimulachro.

POTESTAS. Natura, quas ab initio dedit facultates, eaſdem vſque ad finem vitæ conſervat. Potentia ipſo vſu fit major, & rebelles præſcriptione quadam ſummovet. Si libertas populo amittenda eſt, dulciùs non poteſt amitti, quàm conſuetudine, quæ in naturam tranſit.

COGNITIO. Non ſufficiunt generalia præcepta ad politiam, quæ circa particularium regimen verſatur, ſed maximè conſtat experientiâ; dum ille qui regit alijs oculis res quam antè, cùm ad ſe non pertinerent, contemplatur. Si ſæpe Magiſtratus mutentur, periculis noſtris diſcunt artem, cujus nolumus fructum percipere, cum tyrocinij damna tulerimus. Tandem nullum erit regiminis ſecretum, pluribus ad illud ſucceſſivè admiſſis, & injuriâ repulſæ, æmulorumque invidiâ ad vindictam concitatis.

VOLVNTAS. Qui ad dignitatem perpetuam admiſſus eſt, majori circa illam fertur affectu, quaſi circà quid proprium; at qui ad tempus gerit officia, ex illis elicit quidquid poteſt commodi, nec curat ſi exhauſtâ fœcunditate ad alios perveniant. Non amat Princeps populum, nec Populi Principem, niſi quem longo tempore fecere ſuum. Sub initijs interdum vulneris facienda eſt inciſio, & ſenſu aſpera curatio; dandum eſt tempus, quo ſtabilita ſanitas amorem conciliet medico. Quis vellet magna aggredi, & publicum in ſe odium ex difficili initio concitare, ſi non ſit ſpes laudis ex fœlici ſucceſſu, qui pendet ex tempore?

VIRTVS. Qui ſemper recturus eſt, ſerio conatur aſſequi regimini neceſſarias virtutes, vndè pendet fœlix totius vitæ ſuæ negotium: vim facit naturæ ſuæ, vt benè agat, quod ſemper agere debet: virtute præditos colit, extollit, vt videatur quodammodò ſuum, quod in illis probat, & coronat. Potiſſima hæc rerum tot malè geſtarum cauſa, quod qui regunt, vrgente depoſitionis, quaſi hoſtis, metu, ſe præcipites agunt in negotia, non obſervatis prudentiæ cæterarumque virtutum legibus. Nunquam agunt ex habitu ſed ex idæis timidis, fallacibus, ſæpè in malum, peſſimâ vanitate, pertinacibus.

Digitized by Google

VERITAS. Quiad tempus regit, perſonam induit, ſufficit videri, non eſſe, quod illi citò deponendum eſt. Sic nihil in illius regimine ſinceri, nihil ſolidi, vana, fucata omnia, & vitra mediocritatis terminos, metu defectus, tendentia.

GLORIA. In illâ regentium viciſſitudine ambiunt omnes, non bonum publicum, ſed honorem, qui contingit etiam callidè regnantibus, & præmaturis conſiliis res intempeſtiuè acceleratibus. Sic non accedunt Magiſtratus Reipublicæ, ſed Magiſtratibus Reſpublica, quam in pilæ modum alternatim per manus jactitant, nulla datâ requie; corrodit, dilaniat, ſibi per vices oblatam ſingularium cupiditas, & ambitio. Summum populi bonum, pax, non habetur niſi conſolidatis diuturno imperio rebus, non vero alternante regimine.

DIFFERENTIA. Si honores dandi ſunt meritis, cur jam probatum à Regimine expellis, vt illud inexperto committas? quod quærris intùs habes, & illo te miſere ſpolias; fortunæ te commitris vmbramque relicto corpore ſectaris. Quid prodeſt bene geſſiſſe, ſi bonis & malis æqualis ſit poſita lex, certo tempore ab officiis deponi. Impoſſibile eſt multas dignitates, morte interveniente, aliiſque caſibus non variari, illi tamen jam properanti inconſtantiæ novus non eſt addendus motus; ſed præcipuæ dignitates debent quantum fieri poteſt immobiles permanere, vt talem ferant motum, omnis enim motus fit ſuper immobili.

CONCORDANTIA. Cùm ſic Zelo & ambitu obtinentur dignitates, novitèr promoti præcedentibus non conſentiunt, ſed innovant omnia, vt commodum, & gloriam ex alterius culpato defectu aucupentur. Periculoſa eſt inter ſibi ſuccedentes officiarios confidentia, quæ abeſt dum inſperatò à Principe dignitates conferuntur.

CONTRARIETAS. Aliquandò, vt in febris acceſſionibus, fit tranſitus ab extremo in extremum Reip. periculoſiſſimus; dum quiſque videt ſibi in officio ſucceſſorem, quaſi æmulum, quaſi procum, imò dignitatis mox, manibus ſuis perituræ, carnificem; præbetur illi occaſio erroris vt per oppoſitum præcedenti regiminis decus afferat. Dum ſucceſſor fidem non habet prædeceſſoris monitis, omnia in contrarium vertit periculoſo ſemper exitu. Fit quod hoſtes maximè volunt, vt experti à dignitatibus ſubmoveantur, vt ad illas accedant novi, de rebus, de dolis ſuis non inſtructi, nec à depoſitis iratis inſtruendi; quanta inter ambientes diſſidia? vnde ſæpius bella civilia orta ſunt.

PRINCIPIVM. Deus, Angeli, cœli, omneſque cauſæ vniverſales ſunt immortales; pereunte formâ diſſolvitur compoſitum.

MEDIVM. Neſcit imperare, qui non ſcivit obedire; ſed difficillimè obedit qui ſcit imperare. Non eſt aptum in alterius manu inſtrumentum, quod ſolet ex ſe motum accipere; non minùs turpiter, quàm periculosè addicitur miniſterio alterius, vix enim poterit coagere rebus, vt plurimum contrà mentem ſuam & famam, de novo intentatis.

FINIS. Sic ne fœlix etiam rerum publicarum adminiſtratio, in contumeliam, deſinet; mallem non eligi, quam ſic proſterni. Quid luges magnorum virorum graves patriæ obitus, funus acceleras immaturum, tolliſque in ipſo regiminis flore, dùm deponis ab officio: Parricidium quoddam committis in Rempublicam, quandò nondum ſanatis vulneribus, ab eâ medicum excludis.

MAIORITAS. Non exteſcit planta quæ ſæpe tranſfertur; non aſſurgit ædificium vbi tantum deſtruitur, quantum inædificatur. Nihil ex hoſtium etiam votis poteſt Reipublicæ periculoſius contingere, quàm ſi quod eſt eminens præſcindatur, & qui didicit regere, non regat. Committis omnia fortunæ aut miraculis ſi ab experti manu ſublatum gubernaculum inexperto tradas.

ÆQVALITAS. Si dicas æquum eſſe omnes per vices ad officia publica promoveri: Videtur ſic Reſpublica ſingularium cupiditatibus in prædam, æqualiter partiendam, data. Debentur ſingulorum officia Reipublicæ, non Reipublicæ dignitates ſingulis: nihil illâ æqualitate inæqualius.

MINORITAS. Quidam ſunt ad perpetuam ſubjectionem nati, contra naturam eſt eos promoveri, vt ſi terra vellet occupare cœli locum. Non indulgentur omnia ægrorum, ſic nec populi appetitui; ſerviant, imperent, qui ad id nati ſunt.

REPVGNAT.

NON CONTINVATA nec diuturna Poteſtas.

MISCELLANEA.

Vide Differentia Poteſtatis.

APud Barbaros, eſt ſpecies monarchiæ electiva tyrannis, quæ aut ſpatio vitæ terminatur, aut tempore quodam præfinito, aut rebus geſtis finiebatur; qualem elegerunt quandoque Mitilenæi Pittacum, adverſus exules ſuos. Ariſt. 3. politic. cap. 10.

Cùm juſtum in populari gubernatione conſtat in æqualitate, ſecundùm numerum, non ſecundùm dignitatem, ſequitur vt omnes admitti debeant viciſſim ad Magiſtratus, ſorte eligi eos, qui induſtriâ non indigent: non niſi ſemel vnum Magiſtratum ab eodem geri, vel perrarò. Parvi temporis eſſe Magiſtratus, exceptis his qui verſantur in bello. Ariſt. l. 6. polit. c. 2.

In omni fere Republicâ populari, aut Ariſtocraticâ, annuæ ſunt dignitates.

Dictator Romæ, ne diem quidem vnum vltrà præſcriptum tempus, dignitatem retinebat; ſic apud Thebanos Dux Generalis exercitus. Vide Bodin. 4. Reip. cap. 1.

Sæpe Ariſtocratiæ aut Democratiæ mutatæ ſunt in Monarchiam, cum pluſquàm par eſſet vni continuata dignitas. Ibid. cap. 4. Cùm autem per vices officia conceduntur, nemo inſoleſcit, & omnes lætantur, eorum fieri participes.

Vrgente belli neceſſitate Romani Dictatorem, Spartani Regem eligebant, penes quem erat ſummum & Regium jus, ſed tranſactâ neceſſitate finiebatur poteſtas.

Cn. Gracchus, ne diuturna eſſent imperia, lege latâ cavit Magiſtratus & honores geri vltra annum. Iulius vero Cæſar ſanxit, ne Prætoriæ Provinciæ vltrà annum, nevè Conſulares plus biennio obtinerentur.

Carthaginenſes in bello vnum eligebant Ducem ſummum, qui bello finito rerum à ſe geſtarum rationem reddebat, coram deputatis judicibus.

Status Democraticus, maximè omnium obnoxius eſt mutationibus, quia ab vnitate maximè declinat ad multitudinem; atque adeo à concordiâ ad diſcordiam.

Dictator Romanus habebat ſummum imperium jure temporario: Reges electi jure vſufructuario.

Olim Vuandalorum Regnum in Africa fuit præcarium, id eſt quovis tempore revocabile; ſic & Gothorum Regnum in Hiſpania, cum populo licebat Re-

gem deponere, quoties diſplicebat. Ammoni. lib. 4. cap. 35. & lib. 11. cap. 20.

In Taprobane Inſula, eligitur Rex ſenectâ & Clementiâ Conſpicus, liberos non habens, ſi poſtea gignat, abdicatur, ne fiat regnum hæreditarium. Plin. hiſt. l. 6. c. 22.

Mare agitatur, quia partes ejus viciſſim volunt poſſidere centrum.

Si Magiſtratus conferantur ad vitam, periculum eſt ne hi qui ſe vident illis ſpoliatos moveant tumultus, & obtineant, motâ Republicâ, quod non poſſint pacatâ.

In diuturno officio boni corrumpuntur ex proverbio, honores mutant mores. Potentes autem ita inſoleſcunt, vt poſtea obedire detractent, maximè ſi habent filios, tunc enim magis cogitant de vſurpatione: Ideò talibus Reſpublicæ non concedunt diuturna imperia.

Plato 6. de legibus, ſacerdotium vult eſſe annuum: Biennio cuſtodiendi & imperandi poteſtatem habere Principes.

Planetæ & elementa viciſſim regnant, in ſæculis, in horis diei, & annis à nativitate cujuſque; qui præeſt dicitur *Alphridaire*.

Caveat Princeps regimen committere aulicis, à quo non poſſit ad libitum auferre: nec ità diuturnum in eodem loco, vt populus ei aſſueſcat, parvipendens Principem.

Nihil tam civile, tam vtile, quam brevem poteſtatem eſſe, quæ magna eſt. Sen. l. 3. declam. 8. & vlt.

Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus honorem eſſe communem, nec paucis arrogari potentiam, ſed quadam in omnes voluntariâ ſorte tranſcribi. Antiquæ hoc Reipublicæ munus, vt communis eſſet labor, communis dignitas; per vices ſinguli partiri curas diſcerent, obſequia, imperiaque dividere; nemo eſſet honoris exors, nec laboris. Hic erat pulcherrimus rerum ſtatus, nec inſoleſcebat quiſquam perpetuâ poteſtate, nec diuturno ſervitio fragebatur; quia & ſinè invidiâ erat, ordine muneris & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur, quæ communi cadebat ſorte, cuſtodia: nemo audebat alium ſervitio premere, cujus ſibi ſucceſſuri in honorem, mutua forent ſubeunda faſtidia; nemini labor gravis, quem dignitas ſequutura relevaret. D. Ambroſ. hexamer. lib. 5. c. 15. Loquens de gruum ordine in volando tali, vt quæ præceſſit fiat agminis vltima.

Mortuo Romulo factum eſt interregnum, quo durante, per vices ſenatores Regiâ fungebantur dignitate, per ſex horas diei, & totidem noctis. Plutarch. in Numa.

Apud Romanos Suprema Dictatoris dignitas ſex menſium ſpatio finiebatur. Idem in Furio Camillo.

Cum partes Spæræ, ſine vllâ naturæ diſcrepantiâ, inter ſe ſimillimæ ſint, non eſt ratio per quam vna pars ſit hic potiùs quàm alia; vnde mutuo contendunt. v. g. inferior pars eſſe in ſuperiori, & ſuperior in inferiori: ex hoc conatu pars vna pellit alteram; & vnaquæque propter æqualem convenientiam vult vbique pariter eſſe. Marſil. Ficin. Theol. Plato. l. 4. Sic æquales inter ſe cives volunt æqualiter ad dignitates promoveri.

Commodus Imp. volens liberiùs deliciis vacare perennem Præfectum Prætorianum inſtituit, qui ſic perpetuâ ſuâ poteſtate abuſus eſt, vt ob cædes, rapinas, & intolerandam ſuperbiam, Imperatoris juſſu vnà cum vxore & liberis occiſus ſit. Vide Bar. an. 189.

Attalus ope Alarici Gotti fit, deponitur, reſtituitur, & iterum ſæpiùs deponitur Imperator; vnde tidens mimus luſum ſpectavit imperij. Baron. an. 410.

Servi ad vnum aut paucos dies quotannis libertate fruuntur. *Vide Bonit. Poteſt.* libertatis.

Reges quidam apud Celtas, juxtà Lunæ viciſſitudines ſingulis menſibus, ſibi ſuccedebant in imperio. Photius. Byblioth. cap. 166.

Vide differentia medij. Mutatio miniſtrorum.

EX IVRE CIVILI & Canonico.

DE alienatione feudi paterni. feu. 1. 59. *Vide Finis Poteſtatis.*

De emphiteuſi, locatione præcario, &c. *Vide Media Poteſtas.*

Non vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit hæreditatem. lib. 6. ff. de reg. jur.

De tranſlatione Epiſcopi dec. 1. tit. 7.

Non licere Epiſcopo ſibi ſucceſſorem eligere. 8. q. 1.

Aleæ ludus prohibitus. Vide ſuprà.

De in diem addictione, & de lege commiſſoriâ. *Vide Media Poteſtas.*

De muneribus & honoribus non continuandis inter Patrem & Filium. Cod. 10. 40.

Nemo poteſt in Provinciis eſſe domeſticus aut Cancellarius plurium Præſidum ſibi ſuccedentium. l. 5. C. de aſſeſſoribus.

Totum jus conſiſtit aut in acquirendo, aut in conſervando. l. vlt. ff. de legib.

Acquirere non dicitur ille, cui citò auferri poteſt. l. nemo, & gloſſ. ff. de in integ. reſtit.

Actio ambulatoria dicitur, quando illa competit alicui, per aliquod tempus, & poſtea debet alteri competere. l. final. C. de furt.

Quod meum eſt, poſſum ſub conditione emere, quia fortè ſperatur meum eſſe deſinere. l. 61. ff. de contrah. empt.

Ius ſubſtitutionis non tranſmittitur ad hæredes. lib. 81. ff. de acq. vel omit. hære.

Prohibitio alienandi teſtamento facta non valet, niſi exprimatur cauſa. l. 114. §. 14. ff. de legat. 1.

In legatis ſub conditione, cujuſcumque ſit dignitatis hæres tenetur ſatisdare, quia poteſt devenire in paupertatem. lib. 1. ff. vt legat. nom. cave. l. prætoriæ. ff. de prætor. ſtipulatio.

Poteſt dari Curator ad vnum actum. l. ff. rem pupilli ſalvam fore.

Quia Dictatoris dignitas ſumma erat, nec ab eo poterat appellari, vltrà ſextum menſem non retinebatur. l. 2. §. 18. ff. de origin. jur.

Poteſt induci conſuetudo, quod vna Eccleſia de gremio alterius teneatur ſibi Prælatum eligere. cap. cum dilectus de conſuetudine.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

IVriſdictio vniverſalis data Apoſtolis non tranſivit ad ſucceſſores Epiſcopos.

Nulla forma rei corporalis præter animam rationalem eſt perpetua. 1. q. 85. a. 6.

Gratia miraculorum, non eſt gratia habitualis, ſed impreſſio tranſiens. D. Tho. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 3.

Apud Idumæos qui fuerunt ex genere Eſaü, Reges fuerunt electivi. Vide Gen. 36.

Anno Jubilæi 50. quiſque redibat ad ſuas poſſeſſiones. Levit. 25.

Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & Coloni mei estis; vndè cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur. Ibid.

Si invaluerit apud vos manus advenæ & peregrini, & attenuatus frater tuus vendideris se ei, post venditionem potest redimi. Ibid.

Punitur Israël, quia retinet servos post septimum annum, contrà præceptum. Exod. 21.

Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam, super faciem aquæ. Osee 10.

EXPEDIT ALIQVAS dignitates non esse perpetuas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Qui gerit dignitatem est loco Principis, quasi Procurator, aut negotiorum gestor; at mandatum ex naturâ suâ est revocabile ad placitum domini. Dignitas est radius quidam Regalis potentiæ, qui subdito supervenit, & qui potest tolli per modum accidentis cum non habeat, cum illo essentialem connexionem.

MAGNITVDO. Vnius vires sub gravi curarum publicarum onere deficerent, nisi alternatim alij substituerentur; sicut nascuntur antidota, vbi venena: sic speciali Dei providentiâ fit, vt magnis Regnorum negotiis paria enascantur ingenia; hæc autem se nunquam possent proferre, si prioris rudioris sæculi homines quæ possident officia, quasi præscriptione sua faciant, & jure hæreditario in indignos successores transferant. Antiquus hic officiarius fiet injustitiæ veterator; malis suis artibus vndique patrocinia sibi conquiret; legibus perversâ consuetudine derogabit; vt vix stabilita hæc iniquitas possit dejici.

POTESTAS. Si dignitates singulis fiant propriæ, est alienatio quædam Dominij Regis; & talis Dominij, quod multominùs, quam immobilia, potest alienari, scilicet jus Regiminis, & administrationis Reipublicæ: Erit Rex nomine tenus, si officia ad alios pertineant: sua potentia multò magis fulgebit, si subditi habeant dignitates præcariò, itaut ad libitum possint auferri; sic magis absolutum, vnitum, & firmius erit imperium.

COGNITIO. Quæ pertinent ad officiorum executionem debent sciri ab officiariis, antequam ad illa promoveantur, nec enim per mala publica debent sibi experimenta facere; secretum Regiminis est penes Principem, paucosque consiliarios, qui ex aliorum ministrorum labore eliciunt quæ ipsi minus cogitant: Probantur in diversis officiorum gradibus ingenia, vt eo tyrocinio ad majora conscendant.

VOLVNTAS. Sic officiis omnibus ex Regis arbitrio pendentibus, qui gerunt metu continebuntur, alij æmulatione & spe accendentur: assuescent omnes exactæ magis obedientiæ; Principem, quasi summum fortunæ creatorem, ejusque placita, pro ratione venerari.

VIRTVS. At si propria singulis fiant officia, scilicet quia pecuniis empta, excluditur à debito sibi imperio virtus, & jam dives ex familiaribus rapinis avaritia, sibi per dignitates ad majores ex publico prædas viam faciet.

VERITAS. Nescimus quid possint, nisi probata ingenia; probari autem non possunt, nisi liberâ illâ officiorum mutatione. Pervenient ad bonos, qui prædecessorum concussiones aperient & curabunt. Rectiùs agent officiarij, scientes pro certò multorum oculos, spe, æmulatione, boni publici Zelo in se conversos, vt nihil à se malè gestum latere possit Principem.

GLORIA. Reipublicæ fœlicitas in motu consistit; nulli ergo liceat in dignitate quasi in centro quiescere. Hæc mutatio Principi gloriam parat, in quantum ejus probat potentiam: semper glorioſum est gessisse, quia honor depositi officij manet. *Vide Durat. Glor.*

DIFFERENTIA. Diversis rebus & temporibus convenientes quærendi sunt ministri. Antiqui movendi sunt, ne à seipsis situ; ab hostibus, & seditiosis muneribus corrumpantur: in tali motu nulla sit immota pars, cui certò hostium consilia possint hærere. In morbis diuturnioribus omnis mutatio prodest. Mundus civilis, vt naturalis, rerum successione subsistit.

CONCORDANTIA. Mutatis ad libitum ministris, dici non potest quantæ dissolvantur conjurationes: vnusquisque enim timet aggredi; quod irrito conatu evanescet, & quo reus constituetur, ejectis fortè ab officio sociis.

CONTRARIETAS. Non erunt tunc jacienda inter subditos discordiæ semina ad seditiones impediendas; satis spes & æmulatio alienis invigilabunt rebus, vt si quid sit defectus prodant. Sic quibusdam familiis sub diuturno hostis sui imperio gementibus subvenitur. Si nocivis oportet subesse hominibus, minùs nocent qui citò transeunt.

PRINCIPIVM. Concurrit Deus immediatione suppositi cum omnibus causis secundis; sic agat Princeps, cum ministris, non pecunia, non ambitu, sed speciali suâ electione promotis. Motus ad bonum partim nobis est violentus, vndè initia sunt fervida, finis torpet consumptis viribus: Ideo in crebrâ mutatione habentur in bonum publicum singulorum primi & fervidi conatus, non exspectato defectu.

MEDIVM. Quarè non liceat Principi, quod artifici, ad libitum instrumenta mutare? Rude est opus, quod sola securis absolvit. Inter spem & metum omnes non habent quod torpeant, aut insolescant.

FINIS. Habeat vnusquisque à suo Principe dignitatem, vt à Deo vitam, incerto exitu. Ex mutatione ministrorum putatur Princeps magna quædam moliri in bonum publicum, & hæc opinio, interdùm, non minùs illi prodest apud suos & exteros, quàm rei veritas: sic sæpè fit diversio consiliorum hostis; putat id quod latet apparere, dum ab vno in aliud mutatur; non conceditur illi, sic deluso, tempus quidquam perficiendi.

MAIORITAS. Si proficiant ministri rerum experientiâ, non debent in minori quam illos deceat officio diutiùs immorari. Hæc autem mutatio, non debet pendere ab eorum voluntate, quæ potest esse nimis, aut dejecta, aut ambitiosa, sed ex arbitrio Principis, cui notum est quid quisque possit in his quæ vult exequi. Non est sperandum antiquum ministrum, minùs populo gravem fore; si enim injustitiæ, si concussionis habitum contraxerit, vsu ipso fortior, jus sibi de injuria faciet. O lugenda in tantis malis spes, de bonis populi tandem impletam, & satiatam fore, ex se insatiabilem cupiditatem!

ÆQVALITAS. Sic servatâ justâ distributione, spes datur omnibus ad dignitates promoveri, si modò id mereantur; sensum depositionis solatur æqualitas. Hac enim lege suscipiuntur officia.

MINORITAS. Depositi non conquerantur de repetito, sed gratias agant de concesso officio: supersit spes, posse reassumi. Moderatiùs vtuntur dignitate, qui sciunt se redituros ad privatam conditionem.

Digitized by Google

COGNITIO POTESTATIS.

VIDERI POTENS.

MISCELLANEA.

Vide Cognitio Virtutis.

NVLLI legato fides habetur, niſi protulerit ſuum mandatum, quod eſt quaſi anima legationis. A

Vt avertamus hoſtem ab aggreſſione, probare debemus non habere potentiſſimos confœderatos.

De eo qui pecuniam mutuo accipit vt videatur locupletior. lib. 3. §. final. & lib. 4. ff. commod.

Vſucapio introducta eſt, ne diu in incerto remanerent rerum dominia. lib. 1. ff. de vſucapionib.

Si radicibus vicini arbor alatur, tamen ejus eſt, in cujus fundo origo ejus fuerit. lib. 6. in f. ff. arbor. furt. Cæſar. Ejus eſt, cujus apparet eſſe.

Præſagium fuit Servium Tullium regnaturum, B quòd flamma dormientis caput ambiebat. De Aſcanio item dicit Virgilius; tactuque innoxia molli, lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Antequam naſceretur Auguſtus; Iulius Marathus Mathematicus prædixit naturam Populo Romano Regem parituram.

Antequam Veſpaſianus ad Imperium veniret, effoſſa eſt ejus imago lapidi inſculpta, apud Tegæam Arcadiæ vrbem, idque inſtinctu vaticinantium.

Quanta Chriſti nativitatem præceſſerunt, prodigia? Magnæ enim res parvarum ſunt fines, & natura videtur magis ſollicita de fine, quàm de ordinatis in finem. Numeri climaterici. 7. & 9. per ſe nullius ſunt C efficaciæ, ſed tantum deſignant influxus ſyderum.

Contrà dicitur, quòd res ſunt corporales aut incorporales, quæ tangi non poſſunt, vt jura. Inſt. de rer. diviſ.

Quòd omnes præſumuntur boni & potentes. *Vide Magnit. Virtut.*

Religio probat potentiam ſuam. *Vide Cognit. Virtut.* De templorum ornatu. Vbi multa.

Legatos Athenienſium ad exteros populos miſſos, præcedebat præco, qui ſymbolum ferret. Legato non licebat vti oratione humili, & adulatoriâ, nec munera recipere.

Prætextu mandati Principis, non debet admitti D quis cujuſvis dignitatis, niſi illud probet in ſcriptis. l. vnic. Cod. de mand. princip. Chriſtus, Moyſes, & cæteri Prophetæ probant miſſiones ſuas miraculis. *Vide Majorit. Poteſt.* De miraculis.

Vbi virtus eſt præſtantior, ibi eſt expreſſior formarum conceptus & partus. *Vide Principium Veritatis.* De ideis divinis.

Athenienſes olim augurati ſunt ſe futuros maris dominos, ex eo quòd dum eſſent in Delo ad ſacrificandum, puer aquam fundendo, ſimul & piſces fuderit. Athenæ. lib. 8. cap. 1.

Imperator Iuſtinianus an. 541. vetuit annos, vt mos erat, numerari per conſules, ſed per nomen & annum Imperatoris, hinc negligi cœpit conſulatus, cujus in faſtis non fiebat mentio. Baron. an. 541.

Franci primi omnium Regnum cudunt aureos nummos cum Regis imagine, cum ceteri tantum argenteos: Solius anteà Imperatoris jus erat auto faciem & nomen inſcribere. Baron. an. 549.

De decenti ornatu & comitatu Epiſcopi. *Vide Gloria Poteſt.* Fama regentium. *Et Cognitio Virtutis.* Veſtis eſt index dignitatis. Et laus ſui ipſius licita.

Gallus victoriam ſuam præcinit. *Vide Cognitio Virtus.* Laus ſui ipſius licita.

Princeps debet palam dona ſua conferre, vt videatur potens. *Vide Cognitio Bonit.*

Rex apum forma ſemper egregiâ, & duplo quam cæteris major, nitore etiam à vulgo differt, & in fronte macula, quaſi diademate. Plin. lib. 11. cap. 16.

Deus dat Moyſi ſignum potentiæ ſuæ, antequam mittat eum ad Pharaonem.

Oſtendit potentiam ſuam per fulgura, dando legem, vt non peccet populus. Exod. 20. & 24. appareat in formâ ignis.

Elanguerant corda habitatorum Iericho, auditis mirabilibus, & quæ Deus feciſſet Iſraëlitis. Ioſue 2. & cap. 5.

Diſſolutum eſt cor Regum, dum audiunt Deum ſiccaſſe Iordanem in tranſitu Iſraël. Ioſue 5.

Puer Elizæi videt equites & currus igneos, miſſos ſibi in auxilium à Deo. 4. Reg. 6.

Ante ædem Romuli ſacræ fuere myrthi duæ per longum tempus ſuperſtites, vna Patricia, quæ prævalente ſenatu in populum vigebat; eâ tamen marceſcente, dum prævalente populo, altera plebeja dicta florebat. Plin. lib. 15. cap. 29.

D. Paulus. 1. Corinth. 10. docet quod cum vir ſit caput mulieris, id eſt Dominus, debet orare capite aperto, mulier autem velato, quod eſt ſignum ſubjectionis. lib.

Iuxta cataractas nili non ſunt feræ ſonitu aquarum cadentium exterritæ. Philoſtratus in vitâ Appollonij.

INSIGNIA.

INveſtitura feudi antiqui fit per ſymbolicam traditionem. Duces inaugurantur per impoſitionem pilei aurei Ducalis, vnionibus ornati: Marchiones annulo in quo eſt robinus, quem in eorum medio digito ponit Princeps: comes cum annulo, habens adamantis

Digitized by Google

emmam: vicecomes virgulâ aureâ datâ: Baro vexillo decurtato, ſeu labaro.

Per Pallium confertur plenitudo paſtoralis officij: Illud autem Epiſcopi ferre poſſiunt aſſignatis quibuſdam diebus. de authori. pallij. cap. cum ſis.

Fines diœceſum probantur per libros antiquos, adminicula, teſtes, & famam. *Vide Verit. Poteſt.*

Theodoricus Gottorum Rex, Purpuram Regale opus dicit eſſe; color, inquit, nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea, regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, & præſtat humano generi ne de aſpectu Principis poſſit errari. Caſſiod. lib. 1. variar. ep. 2.

Auratas veſtes, aut murice tinctas, quibus princeps vtitur cum ſedet in majeſtate, nulli privato licet facere, vendere, aut induere, ſub pœnâ capitis lib. 1. Cod. quæ res vendi non poſſ. lib. 2. Cod. de veſt. holoberis.

Senatoribus prohibetur habitus militaris, & togati conventus jubentur adire. lib. 1. de habitu quo vti oportet intrà vrbem Cod. Theod. lib. 4. tit. 10.

Purpuram ferunt Cardinales, ſequentes Chriſtum, qui torcular calcavit: qui aſcendit de Edom, tinctis veſtibus de rubro. Iſay. 63.

Conſtituerat Alexander Severus omnibus officiis genus veſtium proprium dare. Symmach. l. 2. epiſt. 49. Vide Syntagma Iur. lib. 9. cap. 19.

POTENTIA SE DEBET manifeſtare.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Qui potens apparet, ſperatur beneficus, ſic multos ſpe ſibi devincit. Ingratè celatur acceptum à Deo donum, aliorum vſibus profuturum, & infoditur pecunia fœnori danda.

MAGNITVDO. Quia Magnitudo vt plurimum eſt potens, *Vide Poteſt. Magnit.* Multa affectant magnitudinem, vt videantur habere potentiam; ſic ranæ ad occurſum alterius animalis intumeſcunt; canes in conflictu extremis ſe attollunt pedibus, & magnitudinem hirſutis etiam pilis, mentiuntur. Sic diſponitur exercitus vt videatur numeroſior. Caloris dominantis qualitatis proprium eſt explicare; frigoris vero coërcere. Non eſt integra potentia Civilis, niſi ſit cognita ab his, ad quos dicit relationem.

DVRATIO. Qui regunt, ſæpiùs beneficia, imò & injurias lentè inferunt qui longum exhibere volunt potentiæ ſuæ ſpectaculum. Qui apparet potens, ſperatur in officio durabilis; vndè illi magni momenti negotia committuntur, ad illumque fit concurſus: at ab imbecilli fortunâ, ſicut à ruiturâ mox domo omnes aufugiunt.

POTESTAS. Hinc Reges inſignia ſua operibus publicis, vultum monetis, titulos inſtrumentis publicis inſcribunt, ſplendido ad Majeſtatem apparatu, & domi & foris populo ſe viſendos exponunt. In cæteris nobilibus & divitibus, Poteſtas in hoc videtur generoſior, quòd ſe prodat, non timens alienæ invidiæ & cupiditatis inſultus: timida enim abſcondunt dotes ſuas, ne illis ſpolientur; ſupponitur ergo potens, ex eo quod velit apparere, ſed fucum ſæpius facit, nihil habens quod amittat, ſed quod lucretur in hac hominum opinione.

COGNITIO. Ferè tantùm prodeſt videri, quàm eſſe potentem; cum ſæpius finis acquiſitæ potentiæ ſit videri, & talem eſſe in hominum opinione: omnia ferè vitæ civilis negotia fiunt ad mutuum ſpectaculum. Quale eſt judicium, humanum, vt ad illud promerendum ſic omnes magno ambitu & indefeſſo labore decertent? Principes ſervili habitu, pro ſervis habentur, ſic vt refert Plutarch. contigit Philopomeni, qui incuriæ ſuæ meritas luit pœnas.

VOLVNTAS. Omnia objecta emittunt aliquid, quo dignoſcantur à potentiis, quas poſſunt implere: Sic Plato dicit pulchritudinem eſſe florem bonitatis, quæ ſuam profert potentiam, allicit cæterorum affectus, & quaſi publicè ſpondet ſe non ſibi, ſed ad aliorum vtilitatem natam.

VIRTVS. Et ſi virtus ſit ſe ipsâ contenta, dum tamen vult aliis auxiliari permittit ſplendorem ſuum foras prodire. Potens dicitur fœlix, & tacitè cogitatur acceptus Deo, tam magnifico bonorum largitore. Ad virtutis commendationem facit, ſi quis eam liberè colat cum manifeſtâ potentiâ aliter, ſi voluiſſet, agendi.

VERITAS. Ex naturæ legibus agit, qui ſe manifeſtat qualis eſt, & qui apparet potens, cum potens ſit; alioquin quaſi ſtruit inſidias perituris, qui ipſum quaſi impotentem aggrediuntur. Potens qui latet eſt Leo ſub pelle ovina, ſcopulus ſub aquis ad naufragium incauti nautæ.

GLORIA. Qui apparet potens, triumphum quodammodò agit, trophæumque erigit, oſtendens ſe poſſidere quod omnes ambiunt. Potentia enim tanto labore non comparatur ad ſublevandas neceſſitates naturæ, quæ parvo dimittitur; ſed ad hominum gloriam accupandam. Cùm omnes ad potentiam aſpirent, tam turpè eſt videri impotentem, quàm victum. Potentia ſæpius eſt virtutis præmium, quod ad ſpes accendendas debet omnium oculis exponi.

DIFFERENTIA. Timida animalia fugiunt in antris, ad vorandam quam cepere prædam: qui celat potentiam ſuam, fugit in latebras, etiam dum prodit in publicum; & ſe a communi commercio alienum profitetur.

CONCORDANTIA. Quot ſunt in publico potentiæ inſignia, tot ſunt voces alios ad commercium, ad amicitiam vocantes; & quaſi aſyla in editis locis poſita; homines enim, vt infirmiores plantæ, potentioribus adhærent. Nemo cum ſordidis fœdus, amicitiam, matrimonium inierit.

CONTRARIETAS. Nota potentia hoſtem à longe terret, melius autem eſt ſic pace frui, quàm incerto marte confligere: Quòd ſi tandem inſurgat hoſtis, hæc ſe prodens potentia generosè venientem excipit, parata quod poſſidet vi ſibi, cum opus erit, aſſerere; ſuæ ergo laborat ſecuritati, qui quod poteſt oſtendit. Fera animalia oris irati rictibus, minacique dentium acie terrent inſequentes canes, & vim ſibi fieri vetant; ſic arma leges, juſtitiam que protegunt.

PRINCIPIVM. Convitium facit ſuis majoribus, ſuæque poſteritati, qui quam habet potentiam non profert. Imperatores olim & Conſules initio dominationis aurum & pecunias mittebant in populum, vt viderentur potentes.

MEDIVM. Qui ex ſe non poſſunt agere, ſe dedunt quaſi inſtrumenta in potentiorum manus, ſpe ſecuritatis & fœlicitatis. Principes gaudent vti ſplendidis jam miniſtris, multum enim addit ad eorum majeſtatem ſerviens hæc potentia.

FINIS. Fidem publicam facit, manifeſtata potentia, non ſolius potentis eſt finem, quem ſibi præſcripſit, aſſequi.

MAIORITAS. Coercet fortunam vlterius progredi volentem, qui ſe profiterur laſſum, dejectum, & ad propoſitam palmam contendere non valentem: explicant

plicant ſe flores antè ſolem, ad recipiendum majorem influxum: Gaudent Principes jam provectæ potentiæ extremam manum adhibere.

ÆQVALITAS. Indignus eſt ad majora conſcendere, qui ſe ſuis æqualibus ſubſternit. Turbat harmoniam civilem, qui infirmior quàm ſit apparet, incongruâ ſubmiſſione; ſibi & aliis iniquus, dum ſibi debitum ſplendorem, & aliis auxilij ſpem ſubripit.

MINORITAS. Infirmæ & adulteratæ merces timent lucem, ad quam legitimæ volunt expandi. Cenſetur injuriam inferre, qui non pauperem pauperem dicit; ſic tu famæ, vitæque tuæ civili violentas affers manus, ſi cùm potens ſis, impotens velis apparere. Romanis Magiſtratibus præferebantur faſces, virgæ, ſecures; nunc erecta patibula indicant ſummum hîc eſſe dominium, juſque vitæ & necis.

SAPIENTIA REGENTIS.

MISCELLANEA.

QVi aſſerunt Principem non debere eſſe litteris inſtructum, his nituntur rationibus. Longa eſt via per præcepta, brevis & expedita per exempla. Homerus proponit Vliſſem, quaſi idæam prudentiæ, quam ſibi comparaverat, mores populorum obſervando, & non alio quàm libri mundani ſtudio. Vt ex generali mundi deſcriptione factâ à Ptolomæo, non poſſet navis optatum portum attingere, ſi nanta ſpeciales maris plagas neſciat; ſic non ex generalibus politiæ præceptis, quæ eliciuntur ex libris, conſtat regimen, ſed ex ſingularibus, quæ comparantur experientiâ & conſilio, qui ſunt duo oculi Regiminis.

Ignarus Princeps ſupplet defectum ſuum ſapientum miniſtrorum copiâ; at qui ſe credit ſtudiis ſapientiam acquiſiviſſe, pudet alienum ſuis rebus adhibere conſilium; ſi quid illi ex mente ſua bene cedat, inſolеſcit, & hinc ſibi fidens innumeris ſe implicat erroribus; invidet, negotiumque facit excellentioribus ingeniis, quaſi vellent illi prudentiæ palmam eripere; favet ignaris, quorum oppoſitione ſuâ magis fulget ſapientia. At Princeps illiteratus eligit, evehit prudentiores ad miniſterium, vt hinc ſaltem prudens habeatur, & famam, vtilitatemque percipiat. Aſpera & invidioſa negotia per illos exequitur, grata autem & benefica ſeipſo. At Doctus, totus in exceſſu, vult omnia per ſe agere; contemplationis dulcedine captus, negligit tumultuoſa politicæ negotia; ſtudiis, quaſi latenti veneno, conſumuntur vires animi & corporis, fiuntque negotiis, maximè bellicis, impares: Prudentes vix ſunt generoſi, nimis enim ſui cognitione & amore detinentur, & nimis advertunt pericula: Muſæ non pinguntur armatæ, cantant, non decertant: litterati tot difficultatibus implicant negotia, vt properantem ſinant elabi occaſionem; neſciunt convenienti affabilitate blandiri populis, ſed melancholici, ſeveti, ſuis ſe paſcentes cogitationibus, aliorum affectus non prometerentur.

Contra Reſpondetur, quod ſi quidam illiterati fœliciter Reip. negotia geſſerint, id factum vi naturalis rationis, quæ litteratis etiam contingit fœlicior, cum eſt ſcientiis exculta; ars enim perficit naturam. Tam periculoſum eſt Rempublicam committere ſolerum experientiâ edoctis, quàm ſanitatem empiricis: vita brevis, experimentum fallax, vt inquit Hippocrates; elicienda ergo ſunt præcepta ex anteactis ſæculis, & rationes geſtorum ab hiſtoricis obmiſſæ, acuto mentis acumine ſunt indagandæ; ſero, ſuiſque periculis doctus evadet, cum impotens, poſt rerum ſuarum jacturam, qui ſolâ vult doceri experientiâ; prodeſt quidem cum accedit ſcientiæ, quæ ſcit rerum conditiones diſtinguere, & ſingularibus vniverſalia, vt decet, applicare; Vlyſſes primos ætatis annos conſumpſerat in ſtudiis, vndè laudatur ex ſcientiâ & eloquentiâ, non minùs quam ex peregrinatione. Indoctus vt bona conſilia non parit ex ſe, ſic nec ab alijs oblata, probat; At ſapiens hoc primum diſcit ex libris, humanum ingenium nec ſibi nec alijs ſufficere, cùm ſit indigum, varium, tenebris obſitum; Ideò prudentes in conſilium advocabit, qui illi vtilitatem, Majeſtatem, famam conciliabunt, odiumque populi in aſperis mitigabunt. Deus etiamſi ſit omnipotens, movet tamen cœlos per Intelligentias. Prudens favebit prudentibus, quia ſimilitudo eſt cauſa amoris; hinc maximè, quod extrà invidiam, laus boni conſilij fœliciter ſuccedentis in Principem refundatur; arcebit ergò malos, & imprudentes, ne ſint illis opprobrio. Si Princeps ex ſe non ſit ſapiens, quâ ratione eliget ſapientes miniſtros? nec enim aſſentiri debet falſis populi rumoribus aut adulantium relationibus: Periculoſum eſt alijs totum regimen committere; quia miniſtrorum fides, vt Danaë, poteſt corrumpi, auri pluviâ; quâ ratione officiariorum diſſidia componet, niſi ſapiens? Cæſar Auguſtus, Alexander Severus ſeipſis, negotia majoris momenti pertractabant. Solum pectus Regium, tot theſauris præmunitum, non lædit avaritiæ veneno; facilius magnates qui litigant, ſe ſubmittunt Regi quàm miniſtris, de quibus conqueruntur multi, & de Principe, ſi ſit & potentior, & magis inutilis perſona, meritiſque abjectior ſui regni. Doctus bonas leges condit, vtiles eligit miniſtros, judicio; quod illiteratis vix poteſt contingere, niſi fortunâ. Sapiens gaudet magis ſibi proportione reſpondentibus negotiis. Regimen eſt proprium opus ſapientiæ; non ſunt ab aulâ eliminandæ ſcientiæ, eò quòd quidam Principes ijs malè vſi ſint; vt non ſunt militibus arma prohibenda, etſi aliquando ſeditioſis contrà Patriam profuerint. Sapientia multùm poteſt in bello, cujus ideò Regimen committitur ſenibus, non juvenibus, corporea fortitudine præſtantibus. Benè eſt quod ſapienti non multum placeant bella, populis, virtutibus, altaribus exitioſa.

Bellum paſcitur auro & ſanguine ſubditorum; ſi tamen neceſſarium ſit, ſapiens illud geret minori quo fieri poterit diſpendio; continebit milites, ſeditiones compeſcet, ſine fictis oraculis venerationem conſequetur apud ſuos, imò apud hoſtes. Sapientia non efficit timidos, ſed cautos; inducit, non mortis timorem, ſed contemptum; non melancholiam, ſed majeſtate plenam hilaritatem; non ſuperbiam, ſed humilitatem, ſcit enim ideò ſe imperare, quia cæteri volunt obedire. Periiſſe refertur Troja, quod incurriſſet odium Palladis. Perfecto ſapientis judicio, vt fundatæ ſunt Reſpublicæ, ſic conſervantur. Simul & legiſlatores ſapientes, & generoſi bellatores fuere, Moyſes, David apud Iudæos; Cyrus apud Perſas; in Macedonia Alexander diſcipulus Ariſtotelis; Athenis Pericles, Themiſtocles, Alcibiades. In Africâ Hannibal. Romæ Numa Pythagoræ præceptis imbutus compeſcuit populum tumultuantẽ. Pompeius Chryſippi auditor, Cæſar, & Auguſtus ſtudioſiſſimi extitere. Carolus Magnus, & Franciſcus Primus in Francia ſuperavere barbariem ſui ſæculi, muſis poſtliminio revocatis. Plutarchus dicit Deum hic habere duas expreſſas ſuæ excellentiæ imagines, ſolem, & ſapientem principem. Chriſtus æterna ſapientia regit mundum, ſeipſo, & per vicarios ſapientes Pontifices.

De fœlici ſapientiæ regimine. Vide Demonſtrationem initio hujus operis appoſitam; quod melius eſt regere prudentiâ quàm vi.

In capite vigent omnes ſenſus, cum in cæteris membris ſit tantum tangendi facultas. Sic excellens debet eſſe regentis ſapientia; oculi luminis ſoli capaces, ſunt duces corporis: mens ſapientiæ, lumine lucens, præſidet cæteris animæ facultatibus; ignis lumine prædius dominatur elementis; ſolis lumen omnia efficit, tanquam potens omnia oſtendit, tanquam ſapiens cuncta juvat & delectat tanquam bonum. Marſil. Ficin.

Sapientia, amor, & potentia Dei mundum gubernant; lumen, calor, & vis ſolis vitam mundo elementari inſpirant. Sapientia, bonitas, potentia, tria politiæ principia; triſulcum jovis fulmen, Neptuni tridens, tria lilia Galliæ.

Nullus celeriùs ſcripſit Cæſare; nemo velociùs legit; quaternas Epiſtolas ſimul dictaſſe perhibetur. Solinus. c. 6.

Plato 6. de Republ. vult Philoſophos, qui boni Idæam contemplantur, dominari, vt ad illam ſe ſuoſque dirigant, hoc eſt Deum imitari, vt enim Deus ex multis vnum confecit opus, ſcilicet mundi machinam, quam ordinat prudenter; regit potenter, ſingula quæque ad bonum ſummâ benignitate ducens; ſic cum Philoſophus Rex contemplatus fuerit cœleſtia gubernantem, ſolus poterit terrena divinitùs gubernare: civitas enim ex tot diverſis compoſita tot incertis caſibus pulſata, non poteſt vna & beata permanere, ſinè vno Deo, beatitudinis authore, cujus interpres & vicarius eſt qui regit, ab eo accepit leges. *Vide Principium Cognit. & Verit.*

Privatum bonum eſt ad ſuæ vnius mentis notitiam devenire; Publicum autem & Regium, aliorum animorum impetus dignoſcere, ideo qui regunt ſumma & abſtracta debent contemplari.

Debet imitari Dei providentiam, quæ ſe extendit ad res etiam minimas. *Vide Magnitudo & Majoritas Cognit.*

Africanus prior Q. Ennij ſtatuam imponi ſepulchro ſuo juſſit. Solinus.

Intelligentiæ movent cœlos, tanquam formæ aſſiſtentes; ratio in homine debet dominari paſſionibus: in ſcientiis & artibus præſidet, dum diſponit materiam. Si ad ſcientiarum & artium magiſteria nulli promoventur, niſi peracto tyrocinio; periculoſum maximè eſt Regimen inter indocti & inexperti manus.

Sol nullam ſtellarum propinquiorem habet inceſſu, quàm Mercurium; admonentur Principes, nullos habere familiaritate conjunctiores, quàm ſapientes. Marſil. Ficin.

Romani altare ædificaverunt commune Herculi & Muſis. Plutarch. probl. 59. Roma.

Prudentiæ ad omnes res humanas vſus, ſed ad imperium maximè, quod ſinè ea non ſolum infirmum, ſed nullum ſit.

Quis navem dirigat ſinè ferro, quod affricuit ſiderites? ſic nemo Rempublicam ſinè mente, quam divina mens afflavit.

Qualis cyclops ille amiſſo oculo, talis Princeps cui abeſt lumen hoc frontis.

Vis conſilij expers mole ruit ſuâ; nec eſt diuturna poſſeſſio, in quam gladio inducimur; ſolâ prudentiâ leve jugum ſit, quo voluntarij rediguntur in obedientiæ ſinum. Si animalia ſinè arte non domueris; tu ſperes hominem, quo nullum animal moroſius eſt, nullum majori arte tractandum; natura enim ſumus ſervitutis impatientes; vt autem dicit Euripides, mens vna ſapiens plurium vincit manus: ex Lipſio in politicis.

Prudentia Principi propria eſt, quâ poteſt tranquillè & firmiter gubernare. Ad hoc neceſſe eſt vt in vniverſum cognoſcat populi mores, tum maximè ſui, quem regit, & finitimorum, cum quibus illi belli & pacis negotia; norit etiam regnorum conditiones & vires, & Ibid.

Plato 2. de Republ. nefas eſſe dicit in rectore ebrietatem; nihilque magis ridiculum, quàm vt rectare rector indigeat.

Idem 5. de Republ. dicit Philoſophos debere regere, aut rectores philoſophari.

Idem lib. 7. probat Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Dialecticam, cæteraſque ſcientias eſſe pervtiles rectoribus.

Idem lib. 5. loquens de idæis, ad quas Philoſophi refertur ſcientia; dicit eſſe bonum, pulchrum, juſtum: Bonum eſt Deus; pulchrum mens Angelica, multiformis; juſtum cœleſtis anima, mundana juſtè diſtribuens. Vel bonum eſt forma ipſa, actuſque divinæ naturæ; pulchrum ejuſdem intelligentia; juſtum ejus voluntas.

Idem 1. de legib. probat in quibuſdam populis commeſſationes, & ebrietates: ita tamen, vt ab illis ſapiens ſemper rector abſtineat, & lib. 2. Talis, inquit, ſit judex, vt à ſeipſo poſſit verum diſcernere; ſedet enim non diſcipulus, ſed magiſter.

Idem lib. 3. dicit ad regimen, patriam, nobilitatem, potentiam, conducere, ſed omnium maximè prudentiam; ſicut in nauticâ, militari, medicâ, potior eſt, qui plus intelligit.

Cùm humana ad formam divinorum regenda ſint, qui regit, debet cæteris cognitione & actione antecellere; ſed maximè cognitione, cujus proprium eſt dirigere, ſic architectus rarò manum operi admovet. Plato. in dialog. civili.

Hinc ſub Saturno contemplativo dicitur fuiſſe fœlix ſæculum. Hinc Reges ſacerdotes. *Vide Poteſtas Virtutis.*

Minerva dicitur è Jovis capite nata, id eſt ſapientiâ ab ipſomet Principe procedens.

Plato in Dialogo Civili vult Magiſtratum ſuprà legem poſſe; quia lex in vniverſum providens, non potuit pro ſingulis æqua eſſe; ſed eſt quaſi homo pertinax, qui contrà ſenſum ſuum rationes non excipit.

Conſtantinus Magnus ſuperbum templum ædificavit ſanctæ Sophiæ, id eſt divinæ ſapientiæ regnorum numini, protectrici.

Cœlum quidam dixerunt eſſe animatum anima rationali, & ſummè intelligibili quia præſidet inferioribus.

Perſarum & Indorũ Reges ignis ſacer præcedebat? Hoc Iulianus ſibi, vxori & filiæ Auguſtis vindicavit.

Miſera prudentia Principis, quæ rerum tantum experimentis comparatur, quia hanc quiſque ſuo malo conſequitur, ſero, & cum immenſis populi malis. Indignum ſapienti, ait Africanus, dicere non putabam; Rerum ergo experientiam ſuppleant ſeniorum conſilia: Quod in privatis eſt error, in Principe eſt flagitium.

Olim Reges certabant propoſitis Ænigmatibus, cum præmio his qui ſolviſſent.

Agens per intellectum, neceſſariò continere debet rei faciendæ idolum.

Anima vniverſalis abſque labore regit.

Dignitatis ſpecimen maximè eſt in operimento capitis, quia ſedes eſt ſapientiæ; Reges Coronâ, Papa Thiarâ; Epiſcopi Mytrâ; Doctores & ſacerdotes pileo angulari dignoſcuntur.

Initio vrbis Romæ nullæ erant leges, ſed omnia fiebant Regis arbitrio, quem ſupponebant ſapientiſſimum.

Refert Plutarchus, eos qui olim ſcientiæ politicæ notitiam habebant, ſapientes per excellentiam nominari. Præcipuum Principis officium erat, vt ipſemet ſubditis jus diceret; tales fuerunt in Græciâ Reges Acacus, Minos, Radamanthus, pro maximo honoris titulo judices dicebantur: Eſt enim relatio inter Regem & ſubditum; & vt ſubditus in perſonâ propriâ ſe fidelem exhibet Regi; ſic Rex ſubdito Rectorem & protectorem; ga idet populus judicari à Rege. Vide Bodin. 4. Reip. c. 6.

Politica ſcientia omnium præſtantiſſima, quia ſpectat bonum publicum, circà quod periculoſiſſimè erratur. B

Hinc ſenes qui valent rerum experientiâ ad Regimen ſunt aptiores. *Vide Durat. Cognit.*

Ex calido homine poteſt fieri bonus Princeps, ejus enim ſimplicitate periret Reſpublica: Medius debet eſſe inter vtrumque & diſſimulare citra perfidiam.

Xenophon laudat Cyrum, quod tam fœlici fuerit memoriâ, vt omnium notabilium ſubditorum nomina, ingenium, mores, affectiones cognoverit.

Vtilia debet diſcere, non multa; turpe enim eſt ipſum litteratum intemperantiâ laborare, ſcholæ non ſibi diſcere. Iudex omnium ſciat in quo poſita ſit excellentia, vt poſſit merentibus laudes & præmia largiri. Vide Lipſium polit. lib. 1. c. vlt. C

Quia plerique homines ſunt impatientes imperij, arte, & obliquo quodam flexu prudentiæ, ad regimen opus eſt.

Ad conſilium pro Republicâ dandum, caput eſt noſſe Rempublicam, vt medicus debet noſſe temperamentum ægri.

Optimum eſt eum qui regit vtramque probaſſe fortunam, proſperam & adverſam.

Ægyptiorum Reges habuerunt Bibliothecam, in qua erant ſepties centena librorum millia, circà primum Alexandrinum bellum fortuito incendio conflagravit. Nullus apud eos Rex electus, niſi litteris optimè imbutus; poſt longam cum Magis diſciplinam & converſationem. Iurabant ſubditis per Mithrem. Id D eſt divinum ſolis numen, quod adorabant.

Quidam dicunt vellus aureum Iaſonis nihil aliud fuiſſe quàm membranam, cui inſcripta fuerunt ſecretiora Philoſophiæ præcepta, & Homerus dicit Reges Iovis cibo, ideſt veritate nutritos.

Princeps debet mira naturæ & artis opera in ſcrinijs habere, vt ſciat quæ ſint rerum præcia.

Et ſi Princeps, non interſit rerum omnium deliberationi, debet tamen intereſſe concluſioni, vt ſuum faciat, quod bene agitur; magis in officio continebuntur ſubditi, ſcientes res ſuas ad Principis notitiam devenire.

In Iudicio Eclypſis ſigna bicorporea ſignificant Reges, & dominantes, quia ſunt duplici animo, maxime Sagittarius, quia ex ferino, humanoque. Sic Achilles E dicitur edoctus à Chirone Centauro.

Particularium eſt bene conſulere, Principis verò de conſiliis judicare: at qualis rerum perturbatio, ſi illarum imperiti ſint judices? ad quid optima conſilia, ſi ab ignaro Principe, vt nocua reſpuantur? hinc regnorum excidium. Contingit quod in epilepſiâ, in qua perit ſenſus non motus, quia læſa eſt pars anterior cerebri, in qua reſidet ſenſus, non poſterior ex qua motus. Imperitus nauta ducit ad naufragium; Excæcat Deus Principes regni, quod vult delere.

Ignorans Princeps eſt inſtabilis in conſiliis, in odio, in amore obſtinatus; Suſpicax eſt vitioſo pejor, qui ſæpius in vno tantum peccat, at ignorans in omnibus. Non verè imperat, ſed ſervit ſubditis, qui ab illorum pendet conſilio. Finitum eſt quidquid menſuratur à ſuâ parte. A

Ignorantem Rectorem comparare licet Phaetonti, qui Solis Patris currus volens regere, incendit orbem; eſt ſicut jumentum rotæ alligatum, obvoluto capite.

Congelatur aqua in aëre, ſicut in terrâ.

In ſcuto quod Vulcanus fecit Achilli, ſculpta erant omnia quæ ſunt in rerum naturâ, cœlum, terra, mare, bella, conciones; nam prudentia, harum rerum cognitione inſtructa, eſt pro ſcuto principibus. *Vide Magnit. Cognit.*

In operibus divinis duplex potiſſimum virtus apparet; vna ad potentiam refertur, ſcilicet in creandâ mole materiæ; altera ad ſapientiam in pulchritudine formæ diſponendâ.

Angeli charitatis & ſapientiæ præſident angelis imperij & potentiæ.

Partes cœli majorem infundunt calorem, quò magis ſunt ſtellis ornatæ.

Cato tres ſummas in homine res præſtitit; nam exiſtimatus eſt optimus orator, optimus Imperator, optimus ſenator, quæ omnia etiam clarius fulſerunt in Scipione. Plinius nat. hiſt. lib. 7. cap. 27.

Mercurius à Sole non recedit amplius vno ſigno; habetque ſuas domos, Gemini & Virgo, proximas luminarium domibus. Ptolom. præd. Aſtrol. l. 1. c. 16.

Defectus luminarium in Cardinibus genituræ, noxius eſt. Idem in centiloquio. n. 24.

Potius eligendi ſunt Duces exercitus, qui excellant prudentiâ, quam virtute, quia prudentia plus confert quàm virtus ad Reip. finem obtinendum. ex D. Thom.

Reges Thraciæ ſpecialem colebant Deum, ſcilicet Mercurium, cum populus coleret cæteros Deos, Cererem, Bacchum, Dianam.

Scientia à Principibus honorata. *Vide Glor. Cognit.*

Oſſa inſenſibilia teguntur membranis exquiſiti ſenſus: ſic Princeps, minus ſeipſo ſapiens, advocare debet prudens conſilium. *Vide Concordant. Cognit.*

Princeps inſtruitur libris, doctorum hominum converſatione, experientiâ.

Difficilè fiunt tractatus cum Principibus prudentibus, quia nimis diffidunt.

Verius dicas neminem eſſe civilibus rebus parem, niſi in ipſis naturæ divitiis conceptum; multos autem in vmbrâ ſcholarum etiam ad laudem pervenire, inanes & ſuperflui acuminis viros, quippè quorum indoles, intrà metam neſcio cujus ſcientiæ damnata, caligat ad vtilis illius ſcientiæ lumen, cui omnium litterarum diſciplina donanda eſt. Poteſt ergo contingere ſcientia civilis, animo cæteris ſcholæ diſciplinis non ornato. Barclai in Icone anim. Illorum munus eſt condere civium mores; patriam conſiliis firmare; in ritus peregrinos intueri; quæque placent in ſuos invehere.

Tamen abſolutum eſt ingenium, quod ad Rempublicam ſimulque ſcientias factum eſt; tunc quippe hæ dotes mutuo auxilio ſe in cœlum attollunt: Regit enim litteras ne ineptiant aut ſordeſcant, ſublimis & ad ſui ſæculi morem formata calliditas; quam invicem litteræ armant peritiâ & laboribus antiquitatis. Idem.

Stellæ lucæ ſuâ ſe oſtentant, at ſol inſuper luce ſuâ mundum replet, ſapientia Rectorum tanta debet eſſe, vt etiam aliis proſit.

Hermes Triſmegiſtus, tripliciglorià inſignitus, poteſtate Regis, illuminatione ſacerdotis, eruditione Philoſophi.

Alexander Magnus, & Iulius Cæſar Dictator, alter Ariſtotelis in Philoſophia diſcipulus; alter Ciceronis in dicendo rivalis. Egregij duces litteras fuere, Epaminondas Thebanus, Xenophon Athenienſis, Alcibiades, & omnes Romani Conſules: eadem ſæcula apud Ægyptios, Aſſyrios, Perſas Græcos & Romanos, floruerunt bellicâ virtute, & litteris: vt enim in homine, ſic in Republicâ, ſimul vires animi & corporis matureſcunt.

Soli litterati amant negotia propter ipſa, non propter quid externum. *Vide Voluntas Poteſtatis Bona.*

EX IVRE CIVILI & Canonico.

DE conſtitutionibus Principum. ff. 1. t. 4.
De examinatione ordinandorũ. diſt. 24. & 25.

Oportet ordinandum non eſſe vinolentum. Clerici debent habere peritiam litterarum ſacratum. diſt. 36. & ſæcularium. diſt. 37.

Epiſcopus debet eſſe prudens in negotiis etiam ſecularibus, vt ſuâ cautelâ reddantur Eccleſiæ immunes. diſt. 39. Domui ſuæ bene præpoſitus. diſt. 47.

Caprarius de amiſſis captis conventus cenſetur dolo amiſiſſe, niſi contrà probaverit. l. cum ita legatur. §. ſpecies. ff. legat. 2.

Mutus & ſurdus tutor dari non poteſt, quia non tantum loqui, ſed & audire tutor debet. l. 1. ff. de tutel.

Ineruditus non debet eligi in Epiſcopum. Novella. 6. cap. 1.

Scientia maximè decet Sacordotes, quorum munus eſt docere populum. can. ignorantia cum ſeqq. diſt. 38.

Præſes debet inter alia coërcere imperitiam medici. l. 6. §. 7. ff. de offic. præſid.

Aſſeſſoris imperitia excuſat Magiſtratum ſed non ipſum aſſeſſorem. l. 2. ff. quod quiſque jur.

Non eſt ordinandus in clericum monoculus. can. ſi Evangelica. diſt. 55.

Viliſſimus computandus eſt, niſi præcellat ſcientiâ & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior. can. viliſſimus. 1. q. 1.

Neceſſe eſt Epiſcopum ſtudiis vacare, vt poſſit populum docere, relictis alijs curis. Conc. Toletan. 11. can. 2.

Defectus ſcientiæ dejicit jam promotum. de ætate & qualitate præficiendorum cap. quamvis vult.

Mulio tenetur l. Aquiliâ, ob dammum à mulis illatum, quos propter infirmitatem continere non potuit; quia nemo debet affectare id, in quo intelligit infirmitatem ſuam alij periculoſam. l. 8. ff. ad l. aquil. *Vide Minoritas Cognitio.*

Paria ſunt, ægrotum deſelinquere, vel malum medicum adhibere. l. quod. ſi nolit. §. ſi mancipium. ff. de ædil. edicto.

EX THEOLOGIA.

COgnitio ſuperiorum Angelorum eſt perfectior & vniverſalior, quam cognitio inferiorum. D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 6. 1. q. 89. a. 1. & q. 5. a. 5. ad 10.

Angelus enim ſuperior illuminat inferiorem. 1. q. 106. a. 1. & 3. q. 57. a. 5.

Prælatus cuſtoditur vt perſona particularis ab Angelo ſed vt prælatus illuminatur ab Archangelo, vel à Principatu. 1. q. 113. a. 2. ad 1.

A Apoſtoli habuerunt omnem ſcientiam, quantùm conveniebat ad converſionem mundi. 2. 2. q. 176. a. 1. ad 1.

Spiritus Sanctus docuit Apoſtolos omnem veritatem, neceſſariam ad ſalutem, non autem omnes futuros eventus. 1. 2. q. 106. a. 4. ad 2. q. 51. a. 4.

Nihil eſt à caſu, vel à fortunâ reſpectu Dei, ſed reſpectu cæterarum cauſarum. 1. q. 19. a. 6.

Ad curam pertinent duo, ſcilicet ratio ordinis, ideſt providentia; vel diſpoſitio & executio ordinis, ideſt gubernatio. 1. q. 22. a. 1. ad 2.

Ratio gubernationis in mente divinâ eſt providentia, ſed in cauſis ſecundis eſt fatum. 1. q. 116. a. 2.

Imperare eſt actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis. 1, 2. q. 117. a. 1. Vndè imperare non convenit brutis. 1. 2. q. 17. a. 2.

B Lex æterna eſt ratio ſeu conceptus gubernationis rerum in Deo. 1. 2. q. 91. a. 1.

Lex, quæ eſt rationis ordinatio ad bonum commune, imponi non poteſt niſi à Domino ſuper ſubditos. 2. 2. q. 116. a. 1.

Neomenia celebrabatur quolibet menſe in novitate lunæ, ad commemorandum opus gubernationis Dei: non autem in plenilunio, ne conſentirent Iudæi cum Idololatris; & quia figurabat creſcentem ſemper illuſtrationem Eccleſiæ a Chriſto. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 10.

Ordinati debent ſcire ea, quæ ad ordinis ſuſcepti executionem conducunt. ſuplem. q. 36. a. 2.

C Præcipere eſt actus rationis, quia importat motionem, cum quadam ordinatione. 2. 2. q. 47. a. 8. ad 3.

Providentia, quæ eſt ratio ordinis in finem, propriè convenit Deo. 1. q. 22. a. 1.

Omnes motus, actiones & corruptiones ſubjacent divinæ providentiæ. 1. q. 22. a. 2. ad 2.

Quilibet tenetur ſcire ea, quæ ad ejus ſtatum pertinent. 1. 2. q. 76. a. 2.

Scientia legis Dei, ſic annexa eſt officio ſacerdotali, vt ſimul cum eo injungatur. 2. 2. q. 6. a. 1. ad 3.

In die judicij ſol & luna obſcurabuntur, ad incutiendum terrorem hominibus. ſuplem. q. 73. a. 1.

Magis explicita fides eſt neceſſaria in ſuperioribus, quàm in ſubditis, vt ſuperiores Angeli magis ſunt illuD ſtrati. 2. 2. q. 2. a. 6.

EX BIBLIIS.

GEneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ad inſtar opificis ſpectantis ſuam materiam.

Erit Dominus corona gloriæ populi ſui, & Spiritus Iudicij ſedenti ſuper thronum. Iſay. 28.

Aperiam in ſupremis collibus flumina. Iſay. 41.

Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ. Ier. 3.

Ezech. 1. facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor animalium.

D Darius conſtituit Danielem ſuper omnes ſatrapas, quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Daniel. 6. & cap. 7. Cornu beſtiæ magnæ habet oculum.

Super lapidem vnum, ſeptem oculi Zach. 3. ideſt ſuper Chriſtum, ſeptem dona Spiritus Sancti.

Lampas aurea in ſummitate & capite candelabri. Ibidem.

Qui regis Iſraël intende, qui deducis velut ovem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubim. Pſalm. 79. Deus Iudicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis Pſal. 71. Qui plantavit aurem non audiet, &c. Pſal. 93.

Super montes ſtabunt aquæ. Pſal. 103.

Paravi lucernam Chriſto meo. Pſal. 131.

Qui fecit cœlos in intellectu. Pſal. 135.

Audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Proverb. 1.

Dominus ſapientiâ fundavit terram; ſtabilivit cœlos prudentiâ; ſapientia illius eruperunt abyſſi, & nubes rore concreſcunt. Proverb. 3.

Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. ait ſapientia. Prov. 8.

Vbi non eſt gubernator populus corruet, ſalus autem, vbi multa conſilia. Prov. 11.

Divinatio in labijs Regis: In judicio non errabit os ejus; pondus & ſtatera judicia Domini ſunt. Prov. 16.

Fecit Deus luminaria in firmamento cœli: cognitio multiplex in Regente.

Promittit Deus. Iſay. 32. Non vocabitur vltrà is qui inſipiens eſt, Princeps.

In illa die peribit cor Regis, & cor Principum, & obſtupeſcent ſacerdotes, & Prophetæ conſternabuntur. Ierem. 4. *Vide Minorit. Cognit.*

Inebriabo Principes ejus, & ſapientes ejus, duces ejus dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur. Ierem. 51.

Dicit Chriſtus de Phariſæis, cæci ſunt & duces cæcorum; ſi autem cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent. Math. 15.

Adam creaturis dominaturus habet omnium cognitionem, illisque convenientia dat nomina. Geneſ. 2.

Exod. 24. Deus dans legem, apparet quaſi in ſereno cœlo; Reddit oracula inter medios Cherubim. Exod. 25.

Aaron ſuper pectus ſuum in rationali fert inſculpta nomina duodecim tribuum Iſrael. Exod. 28. in rationali doctrina & veritas.

Sacerdotibus cæteris manus & pedes, ſummo autem ſacerdoti caput vngebatur. Exod. 29. alij enim ſunt ad ejus miniſterium.

Debora Prophetiſſa judicat Iſrael. Iudic. 4. Saul vnctus in Regem à Samuele Prophetat cum Prophetis, & mutatur in virum alterum. 1. Reg. 10.

Deus dat de Spiritu Moyſis, ſeptuaginta ſenioribus qui judicaturi erant Iſrael.

Salomon petit à Deo non divitias, ſed ſapientiam, ſinè quâ confiterur ſe non poſſe regere tantum populum; hæc petitio placuit Deo. 3. Reg. 3.

Helizæus petit duplicem quem habebat Elias ſpiritum. David petit ſpiritu principali confirmari. Chriſtus dicit Apoſtolis; Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis; nam qui regunt duplicem gerunt perſonam privatam & publicam.

Fons vitæ, eruditio poſſidentis; doctrina ſtultorum ſtultitas. Proverb. 16.

Ezech. 10. Sub firmamento, & throno ſunt Cherubim. Sub Principibus docti & ſancti conſiliarij.

De malis Principibus, quos obcæcat Deus. *Vide Minorit. Cognit. Mala.*

D. Paulus Roman. 12. enumerans diverſa Dei dona, ait: ſive miniſterium in miniſtrando; qui præeſt in ſollicitudine.

Qui bene præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. 1. Timoth. 5.

Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt. 1. Timoth.

Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis. 2. Timoth. 2.

VIGILANTIA RECTORIS.

MISCELLANEA.

TYrannus vbique exploratores habet qui denuntient quid quiſque agat. Hieronymus Syracuſanus, tales ſubmittebat vbicumque eſſet congregatio: Minus enim audent qui hoc timent, & ſi audeant minus latere poſſunt. Ariſt. 5. polit. 11.

Tyrrhenorum Reges vtebantur ſceptro in cujus ſummitate erat aquila: hanc in ſignis militaribus ferebant Romani, quia eſt avis altivolans, & ex alto perſpicaciſſima.

Dux exercitus debet omnia audire, vt ab omnibus diſcat.

Ieremias. 1. Virgam vigilantem videt. Leo oculis dormit apertis.

Non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Pſal. 120.

Cuſtos quid de nocte? Iſay. 2. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die & nocte non ceſſabunt laudare nomen Domini. Idem 62.

Angeli ſemper invigilant rebus ſibi commiſſis, vt motui cœlorum, ſpecierum conſervationi. Eos videt Ezechiel, quaſi animalia plena oculis.

In Evangelio ſervos Dominus præcipit eſſe vigilantes.

Philo Iudæ. lib. de Ioſeph, dicit, Ioſephum vitum civilem repræſentare, qui ſomniorum eſt interpres: Mortalium enim vita, quaſi ſomnium, falſas, & non ſatiantes epulas, poſſidere ſe putat, vitia pro virtutibus: vigilantis autem Rectoris eſt falſa à veris diſcernere, turpia ab honeſtis.

Solebant Perſarum Reges, veteri inſtituto, obire omnes ditionis ſuæ provincias; hoc Minoëm Cretenſium Regem feciſſe ſcribit Plato, in Minoe; ſic Samuel provincias circuibat. 1. Reg. 7. ſic Mathatias & Iudas ad inſtar ſolis omnes Zodiaci domos, & illis ſubdita clymata percurrentis.

Iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur. Eccl. 7. Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Luc. 12. & Hebr. 13. Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.

Si vnius animæ ſalus tanti eſt, quid totius populi? vndè plures exiſtimo eſſe inter ſacerdotes, qui pereant, quam qui ſalvi fiant, quia res excelſum requirit animum, &c. D. Chriſoſt. Homil. 3. in acta.

Quo me vertam infœlix, ſi depoſitum quod Chriſtus ſanguine prætioſius judicavit, contigerit me negligentiùs cuſtodire: ſi ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret, quid animi habiturus eſſem in tanto diſcrimine, ſed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus; accedit ad ſollicitudinis cumulum & pondus timoris, quod eum meam & proximi conſcientiam ſervare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota, vtraque abiſſus eſt, impenetrabilis, vtraque mihi nox eſt, & tamen exigitur à me vtriuſque cuſtodia, & clamatur. Cuſtos quid de nocte. Iſay. 21. Non eſt mihi dicendum cum Cain; numquid cuſtos fratris mei ego ſum, &c. D. Bernard. ſerm. 3. in advent.

David Paſtor occidit vrſos & leones irruentes in gregem ſuum. 1. Reg. 17.

Angelus apparet paſtoribus vigilantibus ſuper gregem ſuum. Luc. 2.

Paſtorum eſt vigilare propter tria. Primò, ad diſciplinam & morum correctionem. Secundò, ad cuſtodiam, ne oves à diabolo ſeducantur. Tertiò, ad præces, per affectum compaſſionis, ne vincantur à puſillanimitate. D. Bernard. in ſentent.

Civitas eſt Eccleſia, vigilate ad cuſtodiam concordiamque; Sponſa eſt, ſtudete ornatui; oves ſunt, intendite paſtui. Ad cuſtodiam civitatis opus eſt viro forti, ad propulſandas injurias ſpiritali, ad deprehendendas inſidias fideli, qui non quæ ſua ſunt quærat; ad ornatum bonorum morum ſponſæ, ne quid deſit, opus eſt magno Zeli fervore, imitans Paulum. 2. Corint. 11. Æmulor vos, &c. ad paſcua ſcientia, vt ſciat deducere, &c. D. Bernard. ſerm. 76. ſuper cant.

Antecеſſores tui Apoſtoli audierunt quia meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Paternam tibi vindicato hæreditatem, nam ſi filius & hæres, vt probes hæreditatem, evigila ad curam; non ocio torpeas, ne tibi dicatur, quid hic ſtas tota die ocioſus; non delicias, & gloriam tabulæ teſtatoris aſſignant, ſed curam; non Dominium, ſed officium. In eminenti locatus es, vnde proſpectes omnia; qui proſpectus, procinctum parit, non ocium; quomodò libet gloriari, cum ociari non liceat, &c. Idem lib. 2. de conſide. rer. ad Eug. cap. 6.

Ideo Papa dicitur ſervus ſervorum Dei.

Si Pater familias vult diligentes habere miniſtros priùs ipſe ſe diligentem præſtet: expergiſci debet priùs, & cubitum ire poſteriùs quàm ſervi. Ariſt. 1. œconomic. cap. 6.

Negligens in officio non vacat culpâ. lib. in re. Cod. mandi.

Geneſ. 31. Memorat Iacob. quod excubaverit, & multa paſſus ſit in cuſtodiâ gregis Laban.

Paulus dicit Timotheo, tu verò vigila in omnibus labori, opus fac Evangeliſtæ, ſobrius eſto.

Non amat ſummum paſtorem, qui negligit ſibi commiſſum gregem. 25. q. 1. can. divinis.

Ignei currus eorum, & agitatores eorum conſopiti ſunt. Nah. 2.

Magiſtratus municipales, tutelâ & curâ vacant. lib. 6. ff. de excuſat.

Subditus non præſcribit jus viſitationis contrà Prælatum. cap. cum ex officij, de præſcriptionibus.

Samuel judicans Iſrael circuit omnes ejus Provincias. 1. Reg. 7.

Olim in calicibus effigiare mos erat paſtorem, ovem humeris geſtantem. Vide Baron. an. 215.

EXPLORATORES.

PRæfectus vrbi Romæ habebat ſtationarios milites, qui ad ſe referebant ea quæ in vrbe agebantur. lib. 1. in f. ff. de off. præf. vrbi.

Vide ſuprà ex Ariſt. 5. polit. 11. quod tyranni vbique habent delatores, vt populum metu contineant. Vtuntur mulieribus, & ſervis eâ de causâ manumiſſis ad detegenda ſecreta familiarum. Ibidem. Sic Tiberius ſecuritatem dabat ſervis ad ſtatuas ſuas confugientibus, & vt haberent occaſionem ſæviendi in dominos, qui ob id illos malè habebant.

Perſarum Reges tales vndique ſparſos habebant exploratores, qui dicebantur aures oculi Regis. Sic agunt populi, quaſi nihil latere poſſit Principem, vbique præſentem.

Ariſt. loco citato 5. pol. 11. Aſſignat quaſi tyranno proprium habere delatores. Hoc enim arguit abjectum animum, civibus odioſum, ſui ſceleris conſcium, inquietum, ſibi ſemper timentem, dum falſa pro veris ingeruntur: ſubditi premuntur nimio timore, vnde inardeſcit odium majus contrà Principem. Tamen vt venena aliquando medicamentorum loco ſunt, ſic interdum delatoribus vtendum, cum ſcilicet imminet periculum ſeditionis, vt poſſit illi maturè occurri, vt ſciat Princeps, quibus debeat fidere. Vnde Plato 3. de legibus eos admittit in ſuâ Republicâ, lex Papia illis præmia decernit; his vſus eſt Conſtantinus Imperator, & eos damno ſuo neglexit Iulius Cæſar. Non ſunt tamen illis via lata aperienda, ne bonos calumnientur, & in ſuſpicionem adducant, nullâ conceſſâ vnquie nec Principi, nec populo. ex Kekerm.

Dionyſius Syracuſorum tyrannus accerſivit quendam, qui ſe dicebat doctum methodum, quâ ſcire poterat, quidquid in illum cives molirentur. Accerſitus, da mihi inquit talentum, & dic tale ſecretum à me diſciſſe, dedit, & cives abſtinuerunt à conſpiratione, ſibi facile perſuadentes verum eſſe conſilium, quod tanto prætio emptum eſſet.

Midas dictus eſt habere longas aures, propter multitudinem exploratorum: cum hoc durum eſſet ſubditis, verſum eſt in contumeliam, & dictus eſt habere aures aſini. Photius Biblioth. cap. 185.

Eſt Anſeri vigil cura, Capitolio teſtata deffenſo: per id tempus canum ſilentio proditis rebus, quamobrem cibaria anſerum cenſores imprimis locant. Plin. l. 10. cap. 22.

Grues excubias habent, nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno & decidens negligentiam coarguat: cæteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto providet collo, ac prædicit. Idem. c. 23.

RESIDENTIA AD *vigilantiam neceſſaria.*

ARs humana eſt natura quædam materiam tractans extrinſecus: natura autem eſt ars intrinſecus materiam temperans, ac ſi faber lignarius eſſet in ligno; natura autem longe perfectius agit, quàm ars. Marſil. fin. theol. Platon. lib. 4. c. 1. Artificium eſt mens artificis in materiâ ſeparatâ: opus autem naturæ eſt in conjunctâ materiâ, ſic ars externus contingens materiam, contingentes tantum efficit formas: at natura quæ ex fundo materiæ educit formas ſubſtantiales, funditùs operatur. Ibidem.

Non licet transferre milites de loco, in quo ſtationem habebant, ſinè ſpeciali juſſione Imperatoris. l. 4. Cod. de off. magiſt. milit.

Vndè & magiſtri militum dicebantur præſentiales quia exercitui ſibi commiſſo debebant eſſe præſentes. l. vlt. eodem & l. 4. Cod. de apparit. magn. milit. lib. 12.

Flamen Dialis non poterat abnoctare. & Rhodius navis exercitor extrà navem excubare.

Hadrianus cùm res vrbanas firmaſſet, peregrinationem per vniverſas Romani orbis Provincias inſtituit; vniuſcujuſque providens ſecuritati & vtilitati; tunc cuſi ſunt multi nummi, his inſcriptionibus; locupletatori orbis terrarum; vel etiam reſtitutori orbis terrarum; aut ſingulariter reſtitutori Galliæ reſtitutori Hiſpaniæ, Italiæ, Africæ, &c. Baron. an. 111. tunc vocatus eſt reſtitutor, cum erat præſens.

Concilio Romano habito an. 853. Anaſtaſius Presbyter Cardinalis fuit excommunicatus & depoſitus, eo quòd parochiam ſuam per annos quinque contrà

antiquorum canonum definitiones deſerviſſet, & ad duo Concilia invitatus litteris Apoſtolicis venire noluiſſet. Baron. an. 853.

Rex apum, cum populus in labore eſt, ipſe operam intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis: procedit foras, non niſi migraturo examine. Plin. lib. 11. cap. 17.

Qui non reſidet, videtur evocatus, vt olim Deus tutelaris obſeſſæ vrbis, ſpe amplioris commodi. *Vide Poteſtas Bonitatis.* Et vt quod erat ſub ſuâ tutelâ facilè hoſtibus dedatur.

In Andro, fons eſt liberi Patris, qui in conſpectu templi & Dei habet ſaporem vini; procul tranſit in ſaporem aquæ: præſente rectore minima in meliùs convertuntur.

Paulus Rom. 1. ipſis ſcribens ait deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos, &c. non ſufficiebant Epiſtolæ, præſentia erat neceſſaria.

Sabæorum in Arabia Rex, ſummo apud ſuos eſt honore, liberóque omnia decernit arbitrio, nulli ſubjectus cenſuræ: in hoc tantum eſt quolibet privato inferior, quod acceptâ regni curâ regale egredi palatium ei nefas. Secus ſi fiat, à populo lapidibus obruitur, ita enim antiquum jubet oraculum. Photius in Biblioth. cap. 250.

In Panchæa Arabiæ inſula Meridiem verſus, celebre templum, circà quod ſunt ſacra jugera, quæ privatos ingredi non licebat; nec etiam ſacerdotibus egredi fas erat; extrà deprehenſus interfici poterat. Diod. Sicul. rer. antiq. lib. 6. c. 10.

Iovis ſacerdotibus Romæ nefas erat plus quàm trium dierum ſpatio ab vrbe abeſſe. Roman. problem. 40. Plutarch. *Vide Minoritas Differentiæ.*

Quoties eſt communis poteſtas duobus, ejus ſit tota qui præſens eſt. Seneca lib. 3. declam. 13.

Reſidentia præcipitur, vt rectores ſeipſis agant, non per vicarios. *Vide Medium Poteſtatis Repug.*

Præſes non debet excedere fines ſuæ provinciæ, niſi voti ſolvendi causâ, dum tamen non abnoctet. l. 15. ff. de off. præſid.

Decuriones non poſſunt à civitatibus ſinè principis licentiâ diſcedere. l. 16. C. de decurion.

Domeſticus & protector principis, per biennium abſens, ponitur poſt quintum in ordine ipſorum; ſi triennio in decimo gradu ponitur; ſi quadriennio loco noviſſimo erit habendus; ſi quinquennio erit ſpohandus cingulo. l. 3. C. de domeſt. & protectorib.

Imp. Arcad. & Honor. l. in Eccleſ. C. de Epiſcop. & cler. volunt clericos ordinari ex eodem loco vbi fuerit Eccleſia, vt non habeant occaſionem divagandi.

Quoſdam exilia, quoſdam ſacerdotia eodem loco retinent. Seneca de tranquill. vitæ. c. 10.

Filij Levi in deſerto, tabernacula ſua habebant juxtà arcam, quam debebant cuſtodire. Num. 1. & Levit. 8. Moyſes dicit ad Aaron & filios ejus, cum ſanctificantur ad ineundum ſacerdotium: ad oſtium tabernaculi teſtimonij ſedebitis ſeptem dies ac noctes, ne moriamini: D. Aug. dicit ſedere poni pro habitare & ſeptem dies pro omni tempore.

Anima naturaliter non vult egredi clauſtrum, id eſt corpus ſuum, & vna duo corpora non informat. c. 1. ne clerici vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant non licet Epiſcopo de civitate ſuâ tranſire ad aliam. & cap. 2. deponitur Cardinalis qui per quinquennium Eccleſiam ſuam deſervit. cap. 3. Non licet plures Eccleſias habere, quia reſidentiam quam vni debent non poſſunt alteris deferre, alioquin Briareo centimano, & Gereoni tricorporeo comparantur.

Epiſcopi vel clerici dignitatem habentes, rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſi per ſex menſes ab fuerint, quartâ partè fructuum mulctantur; ſi per alios ſex menſes, aliam partem fructuum, ſi ſint contumaces, excommunicantur & denuntiantur ſummo Pontifici Concil. Trident. ſeſſ. 6. de reformat. c. 1.

Tres cauſæ legitimæ abſentiæ numerantur, morbus, ſtudia, eſſe in Epiſcopi ſervitio. cap. ad audientiam, de cleric. non reſident.

Forma naturalis magis dominatur materiæ quàm artificialis, quia illi magis eſt intima & conjunctior ſecundùm ſitum. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. c. 3.

De immenſitate Dei. *Vide Gloria Magnit.* & quandò regat ſinè labore, quia eſt intimus ſuo operi.

De Reſidentia Rectorum. Vide demonſtrationem Minoritas differentiæ.

VIGILANTIA.

Licet antiquitùs in Galliis eſſent ſpeciales judices locorum, tamen quotannis Druidæ conveniebant, vt de Politiâ in genere deliberarent.

Dux generalis huc illuc diſcurrit per exercitum, vt omnia videat, & rebus neceſſariis provideat. Sol diſcurrit per omnia ſigna zodiaci. Rex viſitando ſuas provincias ſucceſſivè conatur imitari Dei immenſitatem, & vbique præſentiam.

Angelus in equo ruſo circuit omnem terram, & videt quod habitetur, & quieſcat. Zach. 1.

Iudas Machabæus perambulat civitates Iuda & perdit impios ex eis, & avertit iram ex Iſraël. 1. Machab. 3.

Angelus metitur civitatem, interiùs & exteriùs, muros & ſingulas ejus partes. Ezech. 40. *Vide Durat. Cognit. continuatio.*

Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans jugiter per diem; & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus. Iſay. 21.

Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die, & totâ nocte perpetuò non tacebunt. Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei, donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terrâ. Iſay. 62.

Ieremias. cap. 1. Videt virgam vigilantem.

Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, vt videam quid dicatur mihi. Habac. 2.

Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël. Pſal. 120.

Vigilate, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit: ſi ſciret Paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique. Beatus ſervus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem, &c. Math. 24.

Mediâ nocte dormientibus cæteris venit ſponſus, & quinque prudentes virgines intrant cum eo. Math. 25.

Vigilate omni tempore orantes, &c. Luc. 21.

Ieſus dicit diſcipulis in horto, ſurgite orate ne intretis in tentationem. Luc. 22. ſuſtinete hic & vigilate. Math. 26.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ioan. 1.

Angelo Eccleſiæ Sardis dicitur Apoc. 3. eſto vigilans & confirma cætera.

De defectu vigilantiæ. *Vide Minoritas Cognit. Mal.*

Negligentia deficit ab actu præcipiendi per defe-

ctum promptæ voluntatis: est generale peccatum, & est mortale dupliciter, scilicet quandò prætermittitur actus, seu circunstantia necessaria ad salutem; vel ex contemptu, & tunc trahitur ad aliud genus peccati manifestius. D. Thom. 2. 2. q. 54. a. 3.

De peccato omissionis. *Vide Minoritas Bonitatis.*

Rectores similes sunt thuri, quod dum consumitur gratum est.

Clavus in corona Imp. infixus. *Vide Media Potest. mediocris.* sub. fin. Miscellan.

S. Nicetius dum consecraretur Episcopus Trevirensis sensit quid grave super cervicem suam, & cum sæpius admotâ manu nihil deprehendisset, tandem odoratus est odorem suavitatis, & intellexit hoc esse onus sacerdotis. Baron. ann. 531.

Apud Græcos soli sacrificantes mel libant, cum vinum non inferant altaribus, nam Deum omnia regentem, & mundum semper circumeuntem, ab ebrietate prorsus alienum putant. Athenæ. lib. 15. c. 20.

Cor suum dabit in consummationem operum & vigiliâ suâ ornabit in perfectionem: Eccles. 38.

Paulus dicit Timotheo Episcopo, tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. 2. Timoth. 4.

Ianitori præcepit vt vigilet. Marc. 13.

Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Cant. 3.

Ecce vigil & sanctus de cœlo descendit. Daniel. 4.

RECTOR DEBET esse vigilantissimus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si bonus sit Princeps, non vigilans in observandis rerum, temporum, personarum circumstantiis, injuriam sæpè pro beneficio inferet; vt qui ægris indulget omnia. Cavere debet ab hostium & fortunæ donis infidamque rerum sortem tunc maximè vereri, cum benefica apparet.

MAGNITVDO. Cum is qui regit sit vt anima corporis civilis, debet quantum fieri potest esse totus in qualibet parte. Deus vniversi Rector est vbique per essentiam, præsentiam, potentiam; si hæc immensitas homini non competit, illius defectum debet supplere vigilantia; præsentia semper regat, cum præteritorum memoriâ, & futurorum prævisione. Bonum ex integrâ causâ, & fœlix cujusque rei eventus ex perfectâ omnium circunstantiarum observatione, quarum vel minimo defectu ruit magna consiliorum moles, & quæ sperantur ex insidiis irruptiones, levi produntur indicio. Ergo qui regit provideat, vt Deus, rebus etiam minimis.

DVRATIO. Fert ignem inter paleas, ex cujus vel minimâ excidente scintillâ ingens potest oriri conflagratio; œconomiæ mala possunt curari, non politiæ, in qua semel tantum erratur. Serò sapiunt Phryges, hoste in mœnia jam admisso.

POTESTAS. Hostibus laborat, qui arte munitissimas arces construit, & fidâ custodiâ non servat. Febrili ardore æstuans natura, vires suas in se convertit; non ergò tam armis & imperio, quam vigilantiâ stant Respublicæ: in illis, vt in gladiatoriâ, magna vis sevi ex arte resistentia potest averti.

COGNITIO. Siant qui regunt omnium in se intentos esse oculos, vt vel minimi defectus captetur occasio: sciant vndique se cinctos insidiis, quas præcavere decet, alto mentis secreto; turpissimum enim est vinci in illo prudentiæ certamine.

VOLVNTAS. Amor est oculatissimus, gallina pullis quos ducit vigili oculorum rotatione vndique cavet. Sic magnus consiliariorum numerus principi conciliat amorem, quia suum ergâ populum probat.

VIRTVS. Cæteris virtutibus facem præfert prudentia, continetque affectus à mediocritate deviantes. Vnicuique sua virtus specialis, pro ratione officij quo fungitur: regnantis maxima virtus vigilantia, dirigit enim alias, alioquin in se ruituras.

VERITAS. Falsa pro veris vndique substituuntur: vix reperias hominem, qui proprij commodi contemplatione fucum rebus non faciat; qui bona, cum ejus interest, non calumnietur; mala gratis coloribus non adumbret: Ab his sibi caveat regnantis vigilantia, tunc fœlix, si ex ministrorum sibi blandientium oppositis sententiis, vt ex reorum interrogationibus, veritatem eliciat.

GLORIA. Rerum diù bene gestarum fama, vnico parum fœlici casu deturpatur. Itaut gravius, turpiusque sit ex alto præcipitium, nisi maximè sibi invigilet Princeps.

DIFFERENTIA. Fallunt incautos tot in negotiis trita itinera, eo minus secura, quia latrociniis, hostiumque insidiis infesta. Flexu opus est, vt quo non putatur divertas, artis qui se putant esse conscios deludas; nunquam simili consilio, rebus etiam inter se paribus, providens; incertos istos semper versatilis Mercurij motus hostis nunquam verè conjiciet, & vanis hinc indè structis insidiis vires suas dissipabit.

CONCORDANTIA. Regimini negotium faciunt, non minùs amicitiæ, quam odia, timendum enim ne in conjurationes deficiant, & partes vnione potentes, suaque jam mole nimis graves, vix regentis motum sequantur; cum eò res devenit, vt in vno multi se læsos dicant, non licet etiam in privatum, sine publicâ quadam stage, animadvertere. Quanta opus est arte, vt illæsâ publicâ pace, servatisque civilis amicitiæ fœderibus, periculosa hæc dissolvantur commercia?

CONTRARIETAS. Regimen dicit continuum bellum, seu latens, seu apertum, cum suis & exteris; cautè inter omnes agendum; cum amicis, tanquam cum futuris hostibus; cum hostibus, tanquam cum futuris aliquando fœderatis; vt nec spes futuri boni impingat in præsens periculum; nec metu imminentis mali spei omnes subvertat.

PRINCIPIVM. Turpe est à majoribus accepta, aut à se constituta, nec conservare nec propagare. Videndum ne fallax sit principij fœlicitas, & securos, incautosque insperata vis hostilis prosternat; aut initiorum labor, quasi cortex frangendus, à percipiendâ fructus suavitate deterreat.

MEDIVM. Pereunt vt plurimum negotia; quia ad consilium admittuntur infidi ministri. Hinc omnium artium difficillima est politica, quia illi necessario vtendum est instrumentis, quæ motum regentis nec expectent, nec sequantur, sed in contrarium ituris, ni provideas.

FINIS. Intentus semper præ oculis habendus, vt sciri possit quantus sit ad illum accessus, vt quanta deviatio, cum adversæ necessitati parendum est: sic etiam sub contrariis ventis nautæ, exactâ qua fieri potest æstimatione, ephemerides constituunt.

MAIORITAS. Sæpe aut fortuna, aut hostium dolus nobis imponit, offerendo majora sed incerti eventus, vt à fœliciter inceptis divertat. Cave ne majora viribus aggrediaris, ne nimio succumbas oneri & fias captivus fortioris, quem vt servum habebas.

ÆQVALITAS.

ÆQVALITAS. Abyſſi ſub immotis latent aquis ; ſic fallunt tranquillè dolos nectentes animi. Pereunt naves non minùs ſub malaciâ, quàm ſub tempeſtate, cui ſæpius ſerenum, & ad pulchritudinem criſpatum æquor præludit. Non eſt ſecura ejuſdem regiminis ſeries, cum vrgentia pericula remediorum mutationem expoſcunt : interdum in cadavere eadem remanet, quæ in vivente corpore fuerat facies.

MINORITAS. Concedendum eſt aliquid fortunæ, aliquid negotiorum, locorum, perſonarum, circumſtantiis ; ſed vigilantis eſt obſervare, ne quod remittitur juri antiquo & futuro faciat præjudicium ; ne laxa manu decurrant in præceps, quæ ampliùs retineri non poſſint.

VOLVNTAS POTESTATIS.

VOLVNTAS DOMINATIONIS QVANDO SIT BONA.

MISCELLANEA.

PROPOSITVM popularis gubernationis eſt libertas, quæ in eo conſiſtit, vt per vices imperent & pareant ; nam juſtum popularе eſt, æquum habere ſecundum dignitatem. Ariſt. 6. Politic. cap. 2. Vndè facile eſt hunc ſtatum conſtituere, ſed conſervare difficilius. Idem cap. 5.

Cum nemo ſe immiſceat arti quam neſcit, tamen imperare nemo detrectat, quamvis artem imperandi non didicerit.

Animus ceſſat informare corpus, læſis organis, & ſic corruptâ diſpoſitione, vt illi ampliùs parere non poſſit.

Multis juſta cauſa belli videtur imperium.

Vt Princeps habeat pacem cum affinibus, procuret illis loca, in quibus habeant dominationem.

Magiſtratus non debent eſſe lucro ſed oneri, alioquin populus hinc duplicem capiet moleſtiam, & quod ab honore & quod à lucro excludatur. Ariſtot. 5. Politic. cap. 8.

Ne populus nimium aſpiret ad magiſtratus in popularі gubernatione, ſepiendi ſunt difficultatibus. Primò vt apud Maſſilienſes, priùs ante aliquot annos abſtinuerint à mercaturâ ; deinde præcipuis dignitatibus adjungenda ſunt onera publica, vt ſponte ſua populus ea nolit, & veniam habeat, pro tali dignitate gravem mercedem ſolventibus. Idem l. 6. c. 7.

Cum Lacedemonij bellicæ tantum arti, quâ parantur imperia, ſtuderent, Regi ſuo ſummam tantum vitæ & necis poteſtatem concedebant, cum eſſet in expeditione, vt ſic Imperij dulcedine allectus, nunquam a bellis vacaret. Idem l. 1. c. 10.

Pernicioſa eſt eorum ambitio, qui libidinem dominandi, cauſam belli habent ; qui belli exitum ſpectant, non cauſam : nam ſine juſtitiâ bella ſunt magna latrocinia ; nec vera eſt belli neceſſitas, ſi ambitione nitatur.

Status popularis non facilè tranſit in Monarchiam, niſi mortui ſint qui præcipuas Reip. dignitates gerebant ; non enim ſolito poſſent carere imperio.

Amor gloriæ, quia magis eſt ſpiritualis, & acutior, pungit generoſas animas : at amor potentiæ eſt potens etiam in vilioribus, vt ignis eſt ardentior in craſſiori materiâ.

Natura eſt ſuæ poteſtatis exercendæ avida, & res quælibet habet inclinationem ad ſuam operationem : vndè quod nunquam actum eſt, impoſſibile habetur.

Impotentia omnis præter naturam eſt, vt ſenectus, & decrementum. Ariſt.

Dionyſius Siciliæ Tyrannus, res ſuas minùs volebat fidere ſapientioribus amicis, quia tales malunt imperare, quàm ſervire.

Spiritus eſt cauſa motus terræ, cum intrò fluxerit, contendit enim ad ſuperiorem regionem.

Profuit olim Reipublicæ Romanæ candidatos habere, qui dignitates poſtularent ; ſic enim quiſque contendebat ad virtutem, cui ſoli concedebantur.

Plurium eſt hæc mens, ſi jus violandum eſt, regnandi gratiâ violandum eſt.

Nimium libertatis deſiderium in civitate malum, indè enim Magiſtratus contemnitur. Plat. l. 8. de Rep.

B Capris nullum ducem conſtituunt paſtores, ſunt enim inſtabiles naturâ : ipſæ autem ſemper ducunt gregem. Ariſt.

Finis cujuſlibet rei eſt operatio ejus propria, vel ad quod per eam venit. D. Th. 1. 2. q. 49. a. 3. ad 3.

Temporalia poſſunt peti in oratione, ſicut & deſiderari, non quidem principaliter, ſed vt neceſſaria. 2. 2. q. 85. a. 6.

Amor dignitatis, & ſuperioritas eſt ſecundum naturam, quæ ſemper tendit ad id quod eſt melius & ſublimius ; ex Ariſt. lib. 2. Moral. Nicomach. c. 7. vir bonus aſpirans ad dignitates, non eſt ſuperbus, ſed magnanimus. Si ſuperioritatis deſiderium malum eſſet, illud Chriſtus non propoſuiſſet diſcipulis. Sedebitis, inquit, ſuper ſedes judicantes tribus Iſraël : & in Apocalypſi dicitur ; qui vicerit ſedebit in throno ; Tales imitantur thronos, quorum vide officium ex D. Dionyſio, infrà. *Virt. Poteſt.* Sæpè autem peccat hoc deſiderium in immeritis, per ambitionem, vt in malo angelo.

Magnanimos nos natura produxit, & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum, ita nobis glorioſum, & excelſum ſpiritum quærentem vbi honeſtiſſimè, non vbi tutiſſimè vivat : ſimillimum mundo, quem, quantùm mortalibus paſſibus licet, ſequitur æmulaturque : Profert ſe, laudari & aſpici vult : Dominus omnium eſt, ſupra omnia eſt ; itaque nulli rei ſe ſumittit, nihil illi quod videtur grave, nihil aſperum virum incurvet. Senec. Epiſt. 104.

Inclinatio ad imperium, fœlixque illius conſecutio,

procedit à maſculis & bonis Planetis, Sole & Iove, & a bonâ cæterarum ſtellarum poſitione, ſi credatur Aſtrologis; deſignatur à decimâ domo, ſeu meridie, vnde potens ex perpendiculo influxus.

Athenienſes vt obſidionibus Perſarum obſiſterent, exercitum compoſuere, cui jam præficiebant Epiclem, virum facundia, non fortitudine inſignem; iſque dux eligi ambibat. Themiſtocles, ne tali duce Athenienſium ſalus periclitaretur, pecuniâ ambitionem Epiclis repreſſit; & dux electus, præclarè ſe geſſit. Plutarchus in vitâ Themiſtoclis.

Dominationum nomen ſignificat excitationem quandam, omni ſervituti, ſummiſſioni, diſſimilitudini pertinaciter obſiſtentem, & quæ veræ dominationis ſemper cupiditate tenetur. D. Dionyſ. de cœl. hier. c. 8.

Civis nullâ aliâ re definitur, quam participatione poteſtatis publicæ, judicandi, & decernendi, & qui eam non habent, propriè non ſunt cives, vt pueri, ſenes, peregrini, ſervi. Ariſt. 3. polit. 1.

Iacturam diſſimulare potuiſſet, ſi admitteret magnum animum anguſta Fortuna. Symmach. lib. 7. epiſt. 46. Decio.

Ex idæarum perfectione procedit appetitus ſe communicandi. *Vide Poteſt. Cognit.* in Miſcellaneis.

Marſil. Ficin. theol. Platon. lib. 14. cap. 4. probat animæ immortalitatem, ex divinitatis ſimilitudine, ex eo quod homo, ſervitutis impatiens, velit rebus omnibus, etiam paribus, dominari.

Galenus libro quod animi mores temperamentum corporis ſequantur, dicit tres eſſe animarum ſpecies, rationalis diſciplinis dedita, appetibilis voluptatibus, & iraſcibilis, ſeu animoſa, libertatis, victoriæ, potentiæ, imperij, gloriæ honoriſque flagrans libidine.

Cum multi dignitates ambiant, aut vt auram popularem aucupentur, aut vt ſibi plaudant, de quibus vide infrà tit. *Vol. Poteſt. Mala.* Soli litterati negotiis & occupationibus delectantur, tanquam actionibus naturæ conſentaneis, & non minus ſalubribus animo, quam exercitatio eſt corpori: ipſam rem, non emolumentum intuentes, itaut omnium minimè ſint defatigabiles, ſi modo res ſit hujuſmodi, vt animum pro dignitate ejus impleat, & detineat. Bacon. lib. 1. de augmentis ſcientiarum.

Fidelis ſermo, ſi quis. Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. 1. Tim. 3.

EX IVRE CIVILI & Canonico.

AD l. Iul. de ambitu. ff. l. 48. tit. 4. Cod. 9. 16.

Ne quis cogatur bonis cedere. Novel. 135.

De poſtulatione hæreditatis. ff. 13. tit. 3. C. 3. 31.

De poſtulatione Prælatorum. Decr. 1. tit. 5.

Inviti filij naturales, vel emancipati, non redigunt in patriam poteſtatem. lib. 11. ff. de his qui ſunt ſui.

Olim poſt quinquennium libertus non poterat proclamare in ingenuitatem, ſed Iuſtinianus permiſit id ſemper fieri. l. vlt. Cod. vbi cauſ. ſtatus ager. oportet.

Apud Romanos quæſtura erat primus dignitatis gradus. l. vnic. §. 3. ff. de offic. quæſt. ſic in periculoſa pecuniarum adminiſtratione fideles erant, ſpe aliarum dignitatum.

Ne vis nimia fieret naturali appetitui poteſtatis, filiis familias & ſervis peculium concedebatur; & mulieribus bona parapherna, quorum maritus non erat Dominus vt cæterorum. lib. 9. in f. ff. de jur. dot.

Licet communiter prohibitæ ſint donationes inter virum & vxorem; tamen poteſt vxor donare marito pro acquirendâ dignitate, vt vel equeſtris dignitatis fiat, vel ludorum gratiâ. l. 40. & ſeqq. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Etiam furioſus cenſetur animo retinere poſſeſſionem. l. 27. ff. de aqui. vel amitten. poſſeſſ.

Metus ne quis vocetur ad munera, non inducit actionem, quod metus causâ. l. 8. Cod. de his quæ vimet. cauſ.

Probroſum quodammodo eſt ad dignitates non pervenire. Sic milites ſinè ignominiæ mentione miſſi, nihilominus ignominiâ miſſi intelliguntur. l. 13. §. miſſionem. ff. de re milit.

Æſtimationem honoris aut muneris in pecuniâ, pro adminiſtratione offerens, non eſt audiendus. l. 16. ff. de muner. & honoribus.

Olim licebat palàm togâ candidâ ambire Magiſtratum, non clam pecuniis populi ſuffragia mereri. l. vnic. ff. ad l. Iul. de ambitu.

Cohibetur ambitio Epiſcoporum, ſuas Eccleſias deſerentium, vt ad ditiores & honoratiores accedant. *Vide Durat. Poteſt.* Ex jure Canonico, & Theologiâ.

AMBITIO POTESTATIS Mala.

CVlpa eſt immiſcere ſe rei, ad ſe non pertinenti. l. 136. ff. de Reg. jur.

Dignitates non peti ſed præſtari ſolent: invitus enim non ambiens, eſt ad Rempublicam aſſumendus. l. 2. in f. ff. de orig. jur.

De ambitu. *Vide Volunt. Majorit.*

Licet Prætor poſſit apud ſe emancipari, & in adoptionem dari; non tamen poteſt ſe tutorem aut Iudicem dare. l. vlt. ff. de offic. Prætor.

Si in vniverſitate alicui electio commiſſa eſt eligendi ſyndicum, ipſe ſe conſtituere & nominare non poteſt. l. 5. ff. de off. præſi. quia de eo non intelligitur eſſe actum. l. 9. ff. de tranſ. l. 18. Cod. de ſolutionib.

Obſervare debent Magiſtratus, vt repellant à tutelâ eos, qui ſeipſos volunt ingerere, & qui ob id pecuniam dant ſunt pœnis obnoxij. l. 21. ff. de tutorib. & Curatorib. dat.

Olim licebat publicè in togâ candidâ ambire Magiſtratus, at qui id facit clam corruptis populi ſuffragiis punitur pœnâ pecuniariâ, & fit infamis. l. vnic. ff. ad l. Iul. de amb.

Epiſcopus tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi; Indignus eſt enim ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus. l. 30. Cod. de Epiſc. & cler. Vide legem pulcherrimam. Et infrà. *Virtus Poteſt.* Integritas ſacerdotij. in fine.

Qui pecuniâ ambit Epiſcopatum, dignitate privatur. Novell. 6. cap. 1.

Servus qui conditionem ſuam celans, illicitè aſpiravit ad honores, non fit liber. l. 11. C. de liber. cauſ. ſed reducitur in ſervitutem, etiamſi ſit ſervus publicus. l. 1. Cod. ne rei Domin. fiat præſcriptio.

Ab honore Eccleſiaſtico repellendus vt indignus, qui illud muneribus obtinere nititur. Concil. Toletan. 4. can. 18.

Vt nullus habitum monachalem ſuſcipiat, ſpem, aut promiſſionem habens vt Abbas fiat. Concil. Roman. can. penult. anno 1063.

Licet appetere opus & perfectionem Epiſcopatus,

& prælationis, non autem ipſum ratione gradus, & honoris, vel divitiarum D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 1. & 2.

Suſpectus eſt procurator, qui operam ſuam ingerit invito. l. 25. ff. de procurat.

Abimelech Occidit 70. filios Gedeonis vt regnaret. Iudic. 9.

Effectus Princeps Palatinorum, non debet ad majorem dignitatem aſpirare. l. 5. Cod. de palat.

Qui ſemel dignitate functus, iterum ad eam per ambitum aſpirat, incidit in poenam legis Iuliæ, de ambitu. l. vnic. C. ad l. Iul. de ambitû Deportatur.

Apud Athenienſes & Syracuſios lex erat Oſtraciſmus, quâ potentiores per quinquennium exulabant, ne quid contrà libertatem Reipublicæ tentarent. Plutarch. in Themiſt.

Naſcentes panno & lacte contenti ſumus; ab his initiis nos regna non capiunt.

Nemo quos vincit, ſed à quibus vincatur reſpicit; nunquam improbæ ſpei quod datur ſatis eſt: Majora cupimus, quò majora venerunt, vt flammæ vis major, quò majori incendio emicuit. Ambitio non patitur quemquam in eâ bonorum menſurâ quieſcere, quæ quondam fuit ejus impudens votum; quia non vndè venit reſpicit, ſed quà tendit. Senec. epiſt.

Ambitio ad dignitatem, niſi per indigna non ducit. Idem in Præf. lib. 1. nat. quæſt.

Mens potentiæ avida, nec abſtinere novit à vetitis, nec gaudere conceſſis, nec pietati adhibere conſenſum. diſt. 47. can 6.

Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt. Senec. Trag. in Hipp.

Etſi eis populi ſerviant, ipſa eis dominandi libido dominatur. D. Auguſt. 1. de civit. cap. 1.

Qui excedit in honoris appetitione, ambitioſus dicitur. Ariſt. Moral. lib. 2. cap. 7.

In hoc juſta tantum eſt ambitio, quòd ſi pœna eſt; volvuntur deſideria, quaſi rota Ixionis. Ambitio virtutes non alit, ſed diſſimulat vitia, quibus impunè poſſit ſatiari, adeptâ dominatione.

Ambitio charitatem in malis imitatur: Charitas patiens eſt pro rebus æternis, ambitio pro terrenis: Benigna eſt charitas erga pauperes, ambitio erga divites: charitas omnia ſuffert pro veritate, ambitio pro vanitate: vtraque omnia credit, omnia ſperat; ambitioſus martyr eſt Diaboli.

Ambitio ſubtile malum, ſecretum vitus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. D. Bernard. in Pſal. 90.

Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Pſal. 1. de Chriſto Domino intellige, qui noluit regnum terrenum cum ſuperbiâ; quæ ideo cathedra peſtilentiæ dicitur, quia nullus ferè eſt, qui careat amore dominandi. D. Auguſt. in d. Pſal.

Ventus ambitionis in principum pectoribus incluſus, aulas concutit.

Relinque ambitum, tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum; tam ſollicita eſt, ne quem antè ſe videat, quàm ne poſt ſe alium. Laborat invidiâ, & quidem duplici, invidet enim, & invidetur: Confragroſa in faſtidium dignitatis via eſt. Senec. Epiſt. 84.

Video ferrum ex iiſdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut prætium. Idem 7. de benef. cap. 10.

Marius exercitum, Marium ducebat ambitio; iſti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvnt, ſed ipſi ante volvntur: & ob id majore impetu incurrunt, quia nullum eſt illis regimen; peſtiferam vim, qua pleriſque nocuerunt, ipſi quoque ſentiunt: non eſt quod credas, quemquam fieri alienâ infœlicitate fœlicem. Idem. Epiſt. 94. *Vide Volunt. Majorit.*

Vt immanis voti ſui fiant compotes ſacros finitimorum regnorum terminos & æterna naturæ fœdera convellere ac movere non deſinunt, nunquam quieti niſi cum ipſam Deam quietem, vt olim Romani, à finibus ſuis expulerint: tantùm illis deeſt, quantùm cupiunt; aliis fines abſtulerunt, ſibi nullos conſtituunt; quidquid potentiæ aliis accedit, ipſis id omne videtur deceſſiſſe: juſtitiæ gladium ſibi vindicant, nec ad libram, quam alterâ manu geſtant, reſpiciunt.

Inferre bella finitimis, & indè in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſolâ regnandi cupiditate conterere ac ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt? D. Auguſtin. contrà Fauſtum.

Vltrò ſe porrigit præceps & interminata cupiditas, quam nullum mare arcere; nulla juga ſubmovere poſſunt: perpetua illis cum clauſtris ſuis pugna eſt: fines ſolo gladio, haſtâque metiuntur, & inter infœlicis ambitus, inexplebiliſque magnitudinis tormenta, illicitum putant habere vicinum. Creſcit in dies habendi fames, & parandi ſitim, quæ hactenus parta ſunt, irritant: nec alium potentia quam impotentia finem habet.

Senes quarè plus cæteris amant divitias. *Vide Mimorit. Benit. Mala. in Fin.*

Galba proclamatus Imperator, Piſonem adoptat in filium; ob id indignatus occidere facit Galbam, & ipſe ſuccedit in imperium trium menſium. Tacit. lib. 2.

Domitianus vult dici Deus & Dominus, fuitque inſtitutum, vt ne ſcripto aut ſermone aliter vocaretur. Sueton. in Domit.

Ambitioſi his à quibus ſperant ſerviunt, magnâ humilitate, & adeptâ potentiâ imperant ſummâ crudelitate; ſic vim ſibi diù factam compenſantes: ita Caius promeruit affectum & imperium Tiberij: de eo dicit Sueton. cap. 10. Nec ſervum meliorem vilum, nec deteriorem Dominum fuiſſe.

Alij res & negotia diligunt, quæſtus gratiâ, vt conductitij opus propter mercedem. Alij honoris ergo, & enim dum res gerunt, vivnt in oculis hominum, ſerviuntque ſuæ exiſtimationi, alioquin evanituræ.

Alij propter potentiam, & fortunæ prærogativam, vt amicos remunerare, inimicos vlciſci poſſint. Alij vt facultatem ſuam aliquam, quam adamant, exerceant ac ſibi ipſis, ſæpius hoc nomine, gratulentur, & arrideant. Denique ſe negotiis immiſcent, vt aut alij plaudant, aut vi ipſi intra ſe geſtiant. Baconius. l. 1. de augmentis ſcientiarum.

Galli in quacumque domo ſunt regium ambiunt, aſſiduâ dimicatione, velut ideò tela agnata ſuis cruribus intelligentes. Plin. lib. 10. c. 21. eſt avis ſolaris.

Mercurius in ſignis tropicis, facit ingenia popularia cupida turbulentorum, & civilium negotiorum; avida gloriæ, mutabilia. Ptolomæus prædict. Aſtrologic. l. 3. cap. 20.

Valentinus lapſus eſt in hæreſim, eo quòd ei alius in Epiſcopatu prælatus fuit. Baron. an. 145.

Dixit ſerpens primo parenti: eritis ſicut dij. Hinc cum omnibus animus ſolus ac ſalubriter præſit, ipſe homo ſibi vel aliis, quibus potuerit, vult eſſe pro Deo, ſuam potius in ſe vel alios, quàm illius in omnes, diligens poteſtatem. D. Aug. l. 63. q. 79.

Digitized by Google

EX BIBLIIS.

CAptivo Ionatha à Triphone, dum congregatus populus luget sortem suam, quasi sit sine Duce, dicit Simon frater: scitis quanta fecerit domus Patris mei pro legibus & sanctis; horum gratia potierunt fratres mei: nunc ergo non mihi contingat parcere animæ meæ; vindicabo itaque gentem meam. Sic accensus est spiritus populi, & Simon eligitur in Ducem. 1. Macab. 13.

Mater filiorum Zebedæi petit à Christo vt duo filij sui sedeant, vnus ad dexteram, alter ad sinistram in regno suo. Math. 20.

Discipuli Christi altercantur inter se, quis eorum videretur esse major. 1. Math. 20. dicit Deo. Isay. c. 6. Ecce ego mitte me.

Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 1. Timoth. 3.

Crescente multitudine, factum est murmur Græcorum advertus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano, viduæ eorum. act. Apost. cap. 6.

Esaü in fratrem Ioseph conspirat, quia jus primogenituræ obtinuerat. Gen. 27. Ideò Ioseph à fratribus in servitutem traditur. Gen. 37.

Saül metu amittendi imperij Davidem persequitur. 1. Reg. 18. Absalon facto exercitu, patrem è throno conatur deponere. 2. Reg. 15. Salomon conatur Ieroboam occidere, quem præviderat post se regnaturum. 3. Reg. 11. Abimelech, filius naturalis Gedeonis. 70. ejus filios legitimos occidit, vt solus regnaret. Iud. 9. Sic Athalia stirpem omnem regiam abolevit. 4. Reg. 11. Herodes veritus regnum Christi fecit occidi innocentes. Math. 2.

Dathan & Abiron ambitione summi sacerdotij, commovent seditionem. Num. 16.

Sic Alcimus accusat apud Romanos Iudam Macabæum, & facto exercitu vastat patriam. 1. Mach. 7.

Noli quærere à Domino Ducatum, neque à Rege cathedram honoris. Eccles. 7.

Math. 23. reprehenduntur Pharisæi, quia amant primas cathedras in Synagogis.

Gloriantibus discipulis, quòd illis dæmonia subjicerentur, vidi, inquit Christus, Satanam, de cœlo tanquam fulgur cadentem. Luc. 10.

Mat. 4. Diabolus tentat Christum, ostendens ei omnia regna mundi.

Ipsi regnaverunt & non ex me dicit Dominus. Osee 4.

AMBITIONIS MALA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Regimen institutum est ad populi salutem, cui totum se debet devovere qui regit. At in contrarium insolescens ambitio, non personam regimini, sed regimen personæ assignat.

MAGNITVDO. Sic dum injustè vnum cæteris omnibus præfert, facit partem suo toto majorem. Ambitiosus, reus est innumerabilium malorum, quæ oriuntur ex eo quod non boni, sed mali dignitates gerant.

DVRATIO. Sæculis omnibus infestum malum, obscurat enim majorum sibi nocivam famam; præsentibus eripit vires, vitam & prolem, vt sibi suisque consulat; rebus & personis imponit leges, posterùm graves, corpus Reipublicæ lento, vixque remedium patiente, veneno.

POTESTAS. Alta quæque subruit, solo æquat, vt illis possit eminere; corpus Reip. reddit infirmum, vt illud vincat, sibique subjiciat. Misera potestas aliorum ruinis inædificata.

COGNITIO. Si ambitiosus malis suis artibus quod intendit, allequatur. O infœlix, populisque damnosa fœlicitas, nam in posterum sibi fidens, majora in Reipublicæ perniciem molietur; ridebitque vana antiquorum sapientum in politicis præcepta. Cæca tamen hæc cupiditas, sæpius in apertos etiam impingit scopulos; vt nemo non miretur in famosâ illâ prudentiâ lapsus, ne vulgi quidem hominibus contingentes.

VOLVNTAS. Vnam dicis regnandi cupiditatem, sed cui cæteræ omnes passiones, æmulo, turbulento, parem non patiente concursu militant. Sed & si ambitiosum vanæ concutiant & deludant spes, metus torqueat, tristitia dilaniet, ira furentem in cædes impellat, quò plus sævit, minùs quod optat potest consequi, scilicet venerationem à toties læso populo; quis enim injuriis affectum promereatur?

VIRTVS. Ambitioni familiaris impietas, dum enim fictâ Religione fallit populi animos, ficta omnia in Religione sibi persuadet: sic contrà Dei leges, jus, fasque, virtute præditis bellum indicit; illos quasi hostes suos profligat, quasi parum apta consiliis suis instrumenta, & qui vitæ contrarietate magis malitiam vitij sibi oppositi prodant.

VERITAS. Cum non possit abrogare justitiæ naturalis leges; illis se simulat obsequi, sic incautos deludit, & mentitâ, perfidâque virtute in vltimam trahit perniciem: at vbi quæsito colore latens feritas credit impunè se posse prodere, sævit magis, moras vimque sibi diù factam exundanti ruinâ compensat, sed oppressæ vi, dolisque innocentiæ supereſt vox, tot in publicum incusans maleficia.

GLORIA. Nulla ambitioso quies, nam in bonis timet honoratam virtutem, in malis expertam perfidiam, venalemque animum: miser est, vt videatur fœlix, nec tamen talis, sed odio publico dignus habetur, cum semel tot vigiles oculi deprehenderint ambitum latentem; tunc in famam dilaniandam, omnibus videtur jus esse datum, vt probat exosa tyrannorum memoria.

DIFFERENTIA. Nullâ re magis lædituꝛ ordo politicus quàm ambitione, quæ sublatâ meritorum differentiâ, & inconcessâ viâ conscendere nititur ad dignitates.

CONCORDANTIA. Ab ambitione factiones, conjurationes, bella externa & civilia.

CONTRARIETAS. Non enim nisi magnâ hominum strage pascitur magnitudinis avida cupiditas.

PRINCIPIVM. Hinc cives in Rempublicam; filij in parentes armantur, dum falsâ primi Principij omnipotentis imitatione, sub alternas dominantes causas putant posse despici. Hinc tot in politicis committuntur errores, quot possunt oriri ex falsis principiis.

MEDIVM. Semel assiti ambitionis comites, cum se putent extra periculum magis positos, spe majoris commodi ambientem ad extrema consiliis suis propellunt, & Domini periculo tentant fortunæ suæ profectum.

FINIS. Naturæ desideria finita sunt, ex falsâ opinione nascentia, quò desinant non habent: obtenta minor dignitas spem accendit majoris; vltrà vitæ terminum se protendit hæc cupiditas, fortuitis in-

hiatus, ſine termino, vt ſine vllâ quiete.

MAIORITAS. Quam temere is qui ſibi non ſufficit, aliorum ſe immiſcet regimini? conſcia ſuæ infirmitatis mens quærit in ſolatium ſuum hæc externa probitatis teſtimonia, quaſi virtutem poſſideat, cum dignitate, quæ ſolet virtuti deferri. Sic non eſt ſana repletio, ſed morboſus tumor, qui facilè deprehenditur, vndè illi in contrarium res ſuccedunt, nam odium infamiam pro affectu & laude reportat.

ÆQVALITAS. Ambitioſo cum nullis vera eſt ſocietas, inferiores deſpicit, æqualibus vult præeſſe, ſuperiores aſſequi; vndè tot rerum diſcrimina, vt regularis non poſſit eſſe vitæ ſtatus.

MINORITAS. Quidquid illi boni contingat, minus eſt quàm quod appetit. Ipſis offenditur fortunæ muneribus, ſitim ſuam non ſatiantibus, ſed guttatim accendentibus: in ipsâ poſſeſſione pauper, & vel minimo caſu in deſperationem dejectus. Malum omen, cum vapor ſurſum aſcendens accenditur, & ſydera imitatus, fit cometa.

DOMINATIO QVARE appetitur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Dominari ex ſe bonum eſt, ſupponit enim excellentem, & quaſi ſuper affluentem bonitatem, ad inferiorum ſubſidium paratam; vt ſic appetitur, & quaſi quædam reſurrectio prioris vitæ, ſordes alterius ſplendidis eluens doribus.

MAGNITVDO. Alta mentis indoles langueſcit in anguſto rei familiaris lare; magnum exoptat vitæ publicæ theatrum, in quo vires ſuas explicet, augeatque ipſo rerum magnarum vſu. Vt aër laxioribus ſibi datis ſpatiis coëxtendi poteſt, ne detur vacuum, ſic animus; quotidiè miramur ingenia, quæ putabantur de plebe, heri contrà ſpem magnis Reip. oneribus paria. Hanc autem amplitudinis ſuæ materiam & cauſam appetunt.

DVRATIO. Immortalis animus gaudet per regimen informare quodammodò corpus Reipublicæ quod putatur immortale. Dulce eſt poſſe aliquid in omnes temporis differentias, emendare præterita, moderari præſentia, providere futuris, populo negotiiſque formam dare, in ſequentes ætates duraturam; fallunt mortalitatis noſtræ ſenſum hæc opera, ſe ab interitu vindicantia, quaſi qui illis ordinem dicit debeat illis coëxiſtere.

POTESTAS. Quid quiſque poſſit, niſi rerum experientiâ non diſcit. Oculi vittas, manus & pedes ægrè vincula patiuntur. Sic vis illa dominatrix animis noſtris inſita non vult ſub jugum mitti, ſed quærit imperia, in quibus ſe explicet. Se quiſque liberum putat, cum dominari contigerit; tunc enim emancipatur ab alienâ poteſtate, ſui juris effectus, ſeipſo, aliiſque ad libitum vtitur, gaudet poſſe, etiam quod non vult exequi, jus enim rei loco; & vt ait lex, qui habet actionem ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.

COGNITIO. Præludunt ſcientiæ, ſerviunt artes omnes politicæ. Quis non optet eminens hoc Magiſterium compendio conſequi, citrà tyrocinij turpes moleſtaſque inducias. Puerile eſt diſcere tantum ſcholis, non in humanæ ſocietatis fœlicitatem. Politia vera eſt Architectonica, cum ad ejus Idæam, imperiumque deſudet quidquid eſt peritiæ in cæteris hominibus.

A VOLVNTAS. Verè liber eſt, qui quod vult exequitur, non tantùm ſeipſo, ſed etiam aliorum operâ; indignamur enim ob res ab aliis malè geſtas, noſtroque judicio parùm reſpondentes. Qui imperat, quaſi fortunæ arbiter & creator ab omnibus colitur. Nec culpandus hic ex vili conſideratione affectus, cum hunc à nobis Deus ipſemet, tot beneficiorum largitione & ſpe, velit promereri. Tandiù quiſque ſuæ fœlicitatis authorem, quantùm ſe amabit: quidquid ſit ex arbitrio ſuo pendere putat, qui poteſt in contrarium cogere.

VIRTVS. Heroïca regimini propria eſt, regentem enim aliis auxilium ferre, & credit opinio, & officij
B cogit neceſſitas; hinc mens, jam humana quodammodò ſupergreſſa, faciliùs in Deum erigitur. Vndè ſicut naturaliter amatur virtus, ſic dominatio, quæ illam ſupponit.

VERITAS. Prudentia civilis rebus omnibus obducit velum, quod non aperit, niſi ad regimen admiſſis. Deluditur populorum, vt ægrorum fides, innocentibus & profuturis dolis. Dulce eſt ſcire quod cæteros latet: gratiſſimum præbent ſpectaculum cæcutientes in negotiis, dum palpant, & in ſeipſos incurrunt, vt putatur caſu, ſed verè ſecreta dirigentis motione. Vt divina, ſic civilis providentia habet arcana ſua, quæ præſcire vmbratilis quædam eſt beatitudo.

C GLORIA. Nihil magnis animis charius honore, qui dominationi defertur; quaſi vicariæ Dei poteſtati. Ad inſtar Dei, qui ſimul eſt primus actus & ſumma quies, mens humana vult agendo quieſcere. Hoc autem habet in regimine, dum imprimit motus, quos non ſequitur; vnum in altero viciſſim poſſidet, quiâ currentes poteſt ad nutum ſiſtere, & ſtantes impellere.

DIFFERENTIA. Si diverſitas placet, nulla gratiori ſpectaculo detinet animum, quàm quæ in regimine. In tot variis caſibus nihil inexpertum relinquit animus, tentat, probat omnia; & omnes quas habet latentes à naturâ vires diversè promit; ſemper diſcens, in nunquam penitùs ſimili rerum occurſu.

CONCORDANTIA. Pudet non aſſequi, quod tot coëD tanei, naturæ, fortunæque dotibus inferiores, fœliciter geſſerunt; Non impares meritis, nolunt dignitate ſubſterni. Etſi regiminis onus grave videatur, tot tamen miniſtrorum vltrò ſe ſubmittentibus humeris leve eſt. Satiatur naturalis humanæ ſocietatis amor illo frequenti tot hominum concurſu, cum quibus res eſt. Si placet vbique ordo, quantò magis cum regente manu noſtrâ ſtabilitur.

CONTRARIETAS. Dominatio arx eſt contrà hoſtes proprios, qui magis timentur quàm publici. Nullum quidem ſine diſcrimine regimen, ſed placet, quia ſicut in ludo, dolorem voluptas, metum ſpes, damna fœlicitates ſolantur intermixtæ. Audacior cum fortunâ congreditur, qui de hoſte proſtrato ſemel ſpolia retulit, trophæumque erexit.

E PRINCIPIVM. Vt generationis, ſic dominationis inſita quædam eſt hominibus cupido, cum ſpecies ſinè regimine, vt ſinè propagatione conſervari non poſſit. Ex omnium ambitu, oritur ad dignitates præ cæteris elati veneratio; nec ſinè numine putatur æqualibus dominari.

MEDIVM. Homo non eſt verè vinculum vniverſi, nec mundi rector, niſi cum cæteris dominatur. Tunc enim omnes naturæ, fortunæ, corporis, animique dotes, illi ſunt pro inſtrumentis: etiam malæ politiæ deſerviunt, vt venena medicinæ, illis enim vtitur ad diſſolutiones, ſicut bonis ad vniones faciendas.

FINIS. Neſcit, niſi expertus, quæ ſit voluptas videre

cæteros, ex intentione suâ, & ad finem sibi propositum agentes. Tot substituti efficiunt actionem sinè intermissione perpetuam: illorum ope, qui dominatur agit, etiam quiescens; & in dormientis retia vrbes concidunt.

MAIORITAS. Dum rector, curas, affectus, artes suas dat bono publico, magna dat, sed majora recipit à cœlo: nam ad excipienda, quæ in alios effundat dona, quasi vas electionis amplificatur. Sic dominario est excellentiæ, quam quisque naturaliter ambit, & argumentum & causa: habetur enim præstantior qui præest, & vt opinioni vita respondeat contendit ad virtutem, fitque vt cæteris, sic seipso major; cum vt talis ab omnibus creditur, pudet non esse: sic antiqui Principes dicebantur Diis geniti, vt eorum virtus exstimulata, supra sortem humanam emineret.

ÆQVALITAS. Non ita dominationem omnes appererent, nec experti illam ardentiùs ambirent, nisi illius labores ingens quædam voluptas compensaret stabilem, æqualemque rebus suis potest is solus ordinem dicere, qui dominatur, nec enim facilè movetur, qui cæteris motum imprimit.

MINORITAS. Quid non ferendum, sub alienæ mentis, fortè ignorantis, inconstantis, aut hostilis imperio? non sic virtus fortunæ est mancipanda; & sanitas ægritudini: ideò ab his sævissimis dominis quilibet conatur se vindicare, meliusque sibi judicat amentes regere, quam ab amentibus regi.

REPVGNANTIA.

DIGNITATES AVERsari & repudiare.

Micellanea.

PLato in Gorgia dicit Tyrannos, Tantalum, Sisyphum, Titium, apud inferos cruciari, & difficilem esse virtutem, in magnâ peccandi licentiâ, vndè concludit, neminem bonum Reipublicæ regimen optare; quod si aliqui justi videantur, incertum est, vtrùm propter virtutem, an propter honores justitiam sequantur.

Invitus non videtur cogendus, nam non eo vsque amat patriam, vt velit sibi vim facere, & si inferret, violentum illud non esset durabile. Nihil benè fit invitâ Minervâ; invitus caret stimulis ad benè agendum, defectus suos imputabit vi sibi illatæ.

Potest ab idoneo recusari Magistratus, si sint alij idonei ad regimen, & tunc, quandò si benè regas, te opprimet invidia; si malè justitia. Dion. lib. 36.

Majus est regnum fastidire, quam accipere: vndè simulant penè omnes se nolle promoveri, vt sic virent ambitionis notam, sintque populo magis accepti.

Pompejus dicebat, citiùs se quàm æmuli sui putassent magistratum obtinuisse, & deposuisse.

Themistocles dicebat se nolle Athenis principatum gerere, & ei sellæ insidere, vndè nihilo plus ab illo ferrent amici, quam alieni.

Gedeoni post victoriam Madian, dicit populus Dominaberis tu nostri: non inquit ille, sed dominabitur vobis Dominus. Iudic. 8. & cap. 9. Vide parabolam de lignis frugiferis, quæ ne amittant fructus suos recusant imperium.

Christus hic vivens noluit administrare temporaliter regnum terrenum, nec judiciariam exercere potestatem, super res temporales. 3. q. 59. a. 4. ad 1. Div. Thom.

Triplici ratione potest recusari officium prælationis, scilicet propter impedimentum devotæ contemplationis, dulcis affectionis, & spiritualis exultationis. 2. 2. q. 185. a. 1. & 2.

Apprehendet vir fratrem suum, & dicet Princeps esto noster, qui dicet nolite constituere me Principem populi. Ruit enim Ierusalem, quia provocavit oculos Domini. Isay. 3.

Plato. lib. 1. de Republ. multis probat quod si non sit periculum dignitates ad indignos devenire, illas vir bonus non acceptabit. Si inquit virorum bonorum extaret civitas, in eâ haud aliter non imperandi gratiâ pugnaretur, quàm tunc certatur regnandi cupiditate; ibique pateret re verâ legitimum Principem non sui ipsius, sed ejus qui sub ipso est, commoditatem respicere. Quare vnusquisque qui non amens sit, potiùs eliget alium sibi prodesse, quam dum aliis ipse consulit, sese negotiis implicare. Ibid.

Si vis gratus esse adversus Deos, & adversus vitam tuam, cogita quàm multos anteceſseris. Sed quid tibi cum cæteris? teipsum anteceſsisti, finem imponens desideriis. Quare potiùs à fortunâ impetrem vt det, quam à me ne petam. Senec. Epist. 55.

Iupiter planeta duo habet domicilia, pisces atque Sagittarium, quæ opposita sunt domibus Mercurij, virgini scilicet & geminis; hinc cœlitus monemur ingenio & studio litterarum, quæ Mercurio tribuuntur, quibus nihil magis opponitur, quàm imperij & divitiarum stupium, jovi tributum. Præterea Leo solis domus, longissimè ab æquario distat domo Saturni; & Aries exaltatio solis, à librâ exaltatione Saturni: sic contemplativi Saturnini avertantur dignitates. Negotiosa enim vita litterarum ocium aufert, vacuæ mentis opus. Marsil. Ficin.

Si qui præest familiæ, quotidiè conquerendi causas habet, quantò magis qui populis. D. Chrisost.

Vix nobis sufficientes, quomodò aliorum curam suscipimus; Vix præcedentes in ignotâ viâ sequi possumus; & viæ duces volumus fieri. Tollitur libertas actionum, in quas omnis populus invigilat; ipsâ rerum abundantiâ perit voluptas; pinguis amor, nimiumque potens, in tædia nobis vertitur, & stomacho vt esca dulcis nocet. Nuptias, non amore, sed boni publici consideratione, ineunt: non obeunt gloriæ exercitia, nec tanguntur æmulatione; si decertent, omnes illis cedunt, fictione illis notâ: nullas habent veras amicitias, vident, & audiunt, oculis & auribus alienis; inter tot adulatores, veritas illos latet; obsessi à propinquis, ab antiquis ministris, quos immutare periculosum; & obstante aliquâ politiæ consideratione, non licet facere quod vellent; si velint hac in conditione servare innocentiam, laboriosum; sin minus, periculosum, & omnibus invisum munus.

Rectè Rex quidam adulantibus de suâ potestate respondit, an nescis regnum nostrum splendidam esse servitutem. Funes ceciderunt mihi in præclaris. Psal. 15.

Sæpe ait Hesiodus, pars toto melior est, quia faciliùs quàm totum conservatur.

Messis, & arbor propriâ sternitur fœcunditate gravè pondus illum, magna nobilitas premit. Seneca Trag.

Populus vnum timet hominem, Rex multos homines; timet timentes, metus in authorem redit. Senec. Trag.

Imperium est vt meretrix, quæ allicit amatores, quos perdit.

Prima domus horoscopi, significans vitam, aspicit

decimam, quæ ſignificat dignitates, quadrato & hoſtili radio.

Loca metallica, vndè effoditur aurum & argentum, exhalant tetros, & venenatos vapores.

Hoc verè eſt regnum, nolle regnare cum poſſis. Seneca lib. 3. de benef. cap. 37.

De nimio onere non imponendo. Vide major. contrariet. *Vide Voluntas Majoritatis Repugn.*

EX JVRE CIVILI & Canonico.

DE excuſationibus munerum. Cod. 10. tit. 47. tutorum vel Curatorum Inſtitu. 1. tit. 25. ff. 26. tit. 1.

Ne quis liber invitus actum Reipublicæ gerere cogatur. Cod. 11. tit. 36.

De vacatione & excuſatione munerum. ff. 50. tit. 5. Cod. 10. tit. 45.

De renuntiatione decret. 1. tit. 9.

An invitis conferantur. diſtinct. 74.

Philoſophi eximuntur à muneribus perſonalibus, non ab his quæ ſumptibus expediuntur. Etenim verè Philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt. l. 8. §. 4. ff. de vacat. & excuſat. muner.

Qui civile officium depoſuerunt, laborem quietè mutantes, retinent illius privilegia. l. 2. C. de primicerio. *Vide ſuprà Voluntas Poteſt. mal.* de ambitione.

Contra petentem beneficium admittitur ſpontaneæ abjurationis exceptio, etiam causâ renuntiationis non adjectâ. cap. ſuper hoc. 5. de renuntiat.

Romanus Pontifex poteſt liberè papatui renuntiare. cap. quoniam de renunciat.

Nullus invitus ordinetur Epiſcopus. Concil. Aurelian. 5. can. 11.

Religioſus, contrà prohibitionem ſui prælati ordinari non debet. cap. ad aures. de temporibus ordinat.

Sex cauſas propter quas Epiſcopo licet renuntiare. Vide infrà quando dignitates ſunt ſuſcipiendæ. hoc. tit.

Qui cogit nautam ad accipiendum aliquid vltrà onus, tenetur ad emendationem damni, & criminaliter punitur. l. vnic. Cod. ne quid oneri publico imponatur.

Imperitia culpæ annumeratur. *Vide Minoritas Cognitionis.*

Si quis indebitum ſibi locum vſurpaverit, nullâ ſe ignorantiâ deffendat, ſitque planè ſacrilegij reus, qui divina præcepta neglexerit. l. vnic. Cod. vt dignit. ordo ſervetur.

A tutelâ eximitur, qui contumaciter adminiſtrationem recuſat. l. 3. Cod. de excuſat. tutor. nihil enim invitâ minervâ fauſtè peraget.

In ſeruitute oneris ferendi, non debet immitti majus onus, quam ferri poſſit. l. 23. ff. de ſervit. vrban. prædio.

Concilio Viennenſi in gallià, ſtatutum eſt de iis, qui occaſione fugiendi oblati ſacerdotij, aliquod admiſiſſe delictum confeſſi eſſent: vt quiſquis de ſe vel vera, vel falſa dixiſſet, fides quam ſuimet teſtimonio confirmaret, haberetur; ſic illis facile aſſentiendum, ne ad id muneris inviti cogantur.

D. Gregorius conſulens monachorum quieti, prohibuit ne ab Epiſcopis moleſtiam paterentur, in monachorum ordinationibus invitis abbatibus. Baron. an. 601.

D. Chriſoſthomus recuſato Epiſcopatu his gat rationibus in libris de ſacerdotio, maxir Amo inquit Chriſtum, & nè quem amo, n regimine offendam, mare tranſiturus, recu vis gubernacula, ne me cum illâ ſubmergam; tur non de mercibus, ſed de æternâ animarum ſa Vis me manibus poſt terga revinctis, devorandum tradi his beſtiis; animo citato, aut remiſſo, invidentiæ, contentioni, excandeſcentiæ, laudum appetitui, honoris deſiderio, adulationi, doctrinæ, quæ voluptatem non vtilitatem captet. Quis artem quam neſcit, vt medicinam, etiam aliis rogantibus, aggredietur tractare, oſtendat nimiam de ſe conceptam eſſe opinionem, multis probat, invitos de ad officia promotos puniri, ſi eorum culpâ aut ignorantiâ res malè cedat; ideò Dominus jubet, vt qui turrim eſt ædificaturus, priùs vires ſuas expendat; quis ignarus militiæ patietur ſe magni exercitus ducem generalem conſtitui. Sic injuriij probos excludunt, vndè mala innumera; & ſi expedit mola ad collum alligata dejici in mare, quam fratrem offendere, quid plures, & totum populum, &c.

Chriſtus fugit in montem, cum Iudæi [illegible] Regem conſtituere. Ioan. 6.

Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos. Cant. 5. Præſtat propter inanis gloriæ periculum audire, quam prædicare, vnde in Epiſt. Iacobi dicitur, ſit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquèndum: & Pſal. 50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. D. Aug. tract. 57. in Ioan.

Deus homini creato dedit dominium ſuper beſtias terræ, non ſuper alios homines.

In corporibus hominum ſatiùs eſt modicam ſtaturam cum ſanitate habere, quam ad molem giganteam perpetuis afflictionibus pervenire. Sic, &c. D. Auguſt. lib. 3. de civit cap. 10.

Qui gerit magnas dignitates, eſt ſervus trium Dominorum, Reipublicæ, negotiorum & propriæ famæ; magno labore ſibi comparat majores labores, potens poteſt multùm mali facere: optimùm autem eſt in malo nec habere voluntatem, nec poteſtatem.

Anacharſis Regnum Scithiæ, quod ei hæreditario jure obtigerat, fratri natu minori reliquit, & ipſe in Græciam profectus ſub Solone Philoſophiæ dedit operam.

Athenis in templo jovis olympij, eſt ſtatua Iſocratis in columnâ. Is tria reliquit præclara actæ vitæ monumenta. Primum perſeverantiæ, quod cum 96. annis vixiſſet, nunquam diſcipulos habere deſiit. Alterum modeſtiæ, quod ſemper fuit à publicis negotiis & curis ſejunctus. Tertium quod ſuper omnia libertatem charam habuerit. Pauſan. in atticicis libro. 1. *Vide Gloria Virtutis.* Quieta & ſolitaria virtus.

In optimâ Republicâ omnes ſunt probatiſſimæ vitæ æmuli, nulli dignitatis. Barclai.

D. Hieronymus non fuit Cardinalis, cum & recuſaverit adſcribi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Baron. an. 378.

D. Gregorius cum videret pro ſede ſuâ Conſtantinopolitanâ altercantes & tumultuantes Epiſcopos, abdicavit ſe ſponte Epiſcopatu, & rediit in diu optatam ſolitudinem. Idem an. 38.

Michaël Oxita Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos duos & menſes octo ſe ſponte abdicavit, & in oxiam inſulam rediit, in quâ vitæ inopis & ſimplicis inſtitutum à puero fuerat amplexus: ibique in templi veſtibulo proſtratus, cuivis monacho collum calcandum præbuit, quod contrà

Digitized by Google

ı ſibi expediret, adamatam à primis annis quie- liquiſſet. Baron. an. 1146. De aliis qui ſe ſpon- averunt. *Vide Gloria Durationis.* de quiete is.

vniuſcujuſque ſunt limitatæ, nec vltrà debet .l tentari. *Vide Finis Poteſtatis. & Differentia rtutis.*

Ager optimus ad radices montium, planitie In meridiem excurrente. Plin. l. 17. c. 5. fœlicitas à depoſitâ dignitate.

Terra poſt ſolis occaſum quieſcens in loco, in quo arcus cœleſtis dejecerit capita ſua, & cum à ſiccitate continuâ immaduit imbre, emittit halitum à ſole conceptum, intimæ ſuæ qualitatis indicem. Idem. Sic apparet virtus poſt depoſitas dignitates.

Charitas non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. 1. Cor. 13.

Vnitas producta in numeros fit diviſibilis, vt punctum fluxu ſuo tranſit in lineam diviſibilem.

Sanguis veneno infectus currit ad cor, vt ibi remedium inveniat, ſed & ibi ſanguinem inficit & ſpiritus, vitamque tollit; ſic miſeri opprimunt in dignitate conſtituros à quibus auxilium petunt.

Hi quos ous manum porrigimus, nos ad infima trahunt.

Non eſt quod tibi perſuadeas eum eſſe fœlicem, qui à multis obſidetur, ſic ad illum, quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, & turbant. Seneca Epiſt. 36.

Plin. lib. 1. cap. 11. dicit lunam maximè inter Planetas terræ præſidentem maculas tamen ex ejus vaporibus contrahere.

Mammæ cancro obnoxiæ, quia fungoſæ & inanes, illius materiam facilè excipiunt, & in eas tum ex capite, tum ex vtero facilis eſt decurſus. Fernel. lib. 7. de externis corporis affectibus. c. 3. *Vide Virtus Poteſt. Repug.* difficilis in regimine probitas.

Samuël veniens in Bethleem, vt clam vngeret David, dicit ad immolandum ego veni. 1. Reg. 16. Non mentiebatur, quia Princeps bonus eſt victima pro populo.

QVARE LICEAT DIGNItates repudiare.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Dignitates fecit bonum, non natura ſed opinio; quæ non dat, quas ſupponit in regente præclaras animi dotes: bonum quærit ſapiens, verum, ſolidum, eſſentiale, in ſinu ſuo poſitum, non ab alieno, fortunæque pendens arbitrio, nec ex communi accidentium ratione fluxum. Quiſque debet ſibi primo, quàm aliis, eſſe beneficus; nulla autem major prodigalitas, quam ſui ipſius in negotiis publicis; prudentis eſt illam coërcere, etiam dum illi blanditur Reſpublica, quia hinc commodum percipit.

MAGNITVDO. Magno animo nihil præter Deum magnum eſt: magna ſpirat, ſed hæc non quærit in mundano pulvere: ex quo divina ſenſit, viditque ſuperiores Angelos ſine regimine Deo aſſiſtentes; conſtat apud ipſum à regimine non pendere fœlicitatem, ſed dari aliquid excelſius, vndè ſinè deſſenſu non poteſt quis in thronis ſedere; magnum ne vocas, curis diſtractum, laboribus fractum, mente nunquam integrâ, nunquam vnâ, ſibique cohærente? ſanctâ tantum divinorum contemplatione, & æmulatione, vera A nobis concedituꝛ cum vnitate amplitudo: vnius Provinciæ aut regni negotiis addici non poteſt mens ad totius vniverſi, Deique ipſius, conſilium nata.

DVRATIO. Æterna meditanti, breviſſima videtur temporalis regiminis ſcena. Ex tot, qui regiminis clavum tenuere, quique magno ambitu hinc ſibi famam aucupari conati ſunt, vix vnius aut alterius ſupereſt vanum nomen, cæteros omnes alta tenet oblivio. Inter tot rerum & opinionum inconditos caſus, regimen ſtatum neſcit; concutitur, volvitur, nullaque ei niſi verſatilis & in fluxu prudentia: cum cœli, elementa, cætera omnia inferiora ſint in continuo motu, ſuprà illum quærit immortalis animus immotam ſedem; vtque illam cogitatione, ſic vitæ liberioris inſtituto conatur aſſequi. Si adverſis in rebus cogatur B civis ad publica officia ſuſcipienda; liber homo habebitur, vt olim ſervi, qui erant neceſſarij hæredes, cogebanturque adire hæreditatem, etiam oneroſam, illis pro prætio erat libertas; at nihil boni contingit illi, qui ad dignitates adigitur. Turpiſſimum eſt Rempublicam regi ab hominibus ſervili more coactis.

POTESTAS. Nulli minus contingit libertas & potentia, quam his qui ad regimen vocantur, emunt enim publicâ ſervitute quædam ſubditorum obſequia, ſed in cæteris aſſidui metus, & tot fruſtrata vota impotentiam arguunt; immotâ quam transferre volebant mole, vires in vanum conſumuntur. Secura, fœlix, præſtantiſſima omnium dominatio eſt, mentem, affectuſque ſic regere, vt à vero & bono non C deflectant. Verè libera mens, quæ certis negotiis & temporibus non addicta, ſed ſoluta, in totius naturæ Deique æterna ſpectacula, cum libuerit evolat.

COGNITIO. Scientia politica verſatur circà particularia, tam vaga & incerta, vt poſt multas conſultationes, maximam rerum agendarum partem fortunæ committat; nec immeritò, cum ex fortuitis vt plurimùm conſilia mercari debeat. Expandit theſauros ſuos natura, miraſque artis divinæ opes, & ego averſis indè per contemptum oculis, intendam quid vulgus ignarum dicat, faciat poſſit; in vanum conaboꝛ ſcientiam ex infinitis erroribus condere, & mare vinculis coërcere.

VOLVNTAS. Non poſſum amare infrà mentis meæ D dignitatem poſita, fucatæ pulchritudinis, infidi, damnoſique commercij. Quid refert ad vitæ tranquillitatem, paſſiones proprias rationi ſubjeciſſe; ſi alienis in regimine torqueaꝛis, ſi tibi propoſitum ſit componere inordinatos aliarum mentium motus, extrà notitiam, manumque tuam poſitos. Rideo magnis laboribus emeꝛentes quod pœniteat, & ambitum, quæ excruciant, quæ adurunt pudore, non excutientem: Majora deſunt, majora appetentibus, quàm mihi privatâ meâ ſorte contento, & qui hæc fortunæ dona cæteris relinquo poſſidenda. Periculoſum eſt ſi cogas ſapientem ad officia; ne hinc appareat bonum publicum non amari, & vi homines ad illud adigendos; D meliùs eſt diſſimulare, quod fœliciter impetrare non potes.

VIRTVS. In animo reſidet, ſeipsâ contentâ, non minus locuples, etſi theſauros ſuos non effundat; vt ſol nihil de ſuo amittit fulgore, etiam dum humanis non excipitur oculis. Apex Chriſtianæ virtutis non eſt populos regere, ſed Deo conjungi, quod fœliciùs contingit extrà rerum humanarum tumultus, & in ſolitudine, vt inquit Propheta; patiatur creatura, ſibi creatorem præferri. Mihi placet in tuto repoſita virtus, non his implicata negotiis, quæ non puri boni, ſed minoris mali electionem concedunt, & vbi nulla, quæ non habeat aliquid iniqui, juſtitia. Liceat virtuti propriis, non emendicatis à fortunâ aut opinione radiis,

Digitized by Google

radijs, fulgere; doceat exemplo virum bonum ſeipſo contentum eſſe, etiam dignitatis deficiente apparatu. A

Veritas. Veritatis amans animus, neſcit mentiri, neſcit vultu, dictis, factis, fucatis, totáque ad ſpectaculum compoſitâ perſonâ vivere. Aſpernatur hanc ſcenicam, qua ferè tota conſtat politia, fingendi artem. Generoſior, liberior eſt, quàm vt ſe demittat ad hunc meticuloſum, ſervilemque agendi modum. Interim dum fraudem fraude, dolum dolo nollet repellere, inæqualibus pugnaret armis contrà malis omnibus artibus inſtructos. Tam anguſtum vitæ tempus, ad virtutem & contemplationem datum, non profundit in vanis.

Gloria. Sufficit mihi, ſi ſim meo, non alieno ſenſu fœlix; ſufficit teſtimonium conſcientiæ, ſilente populi applauſu; ſufficit beatis & Deo, ſi non mundo, mei exhibere ſpectaculum: fallit mundanos, & in contrarium præcipites agit, honoris ambitio. Cæterùm plures videmus ſcientijs & pietate, quam rerum Publicarum adminiſtratione, apud poſteros illuſtres. Optandus vitæ ſtatus, quem altâ pace fruentem excipit hominum divorumque gloria. Tollis magnas Reipublicæ divitias, ſi honoribus tollas præmium; ſi non dentur in remunerationem, ſi conferantur invitis; ſi hac ipsâ largitione, quâ ſolebat cives ſuos ſibi devincere, fiat illis obnoxia. B

Differentia. Mens humana diverſitatis eſt amans, non ad fabricam, cui non ſufficeret vita; ſed ad ſpectaculum: at extrà humanæ ambitionis agonem poſitus, tranquille, meliúſque contemplatur irregulares fortunæ vices, dolos, certamina, caſus, ſpeſque deluſas mortalium: fœlix fuga, quæ tantis nos eripit malis! C

Concordantia. Si ſis mundi, potes eſſe reipublicæ compendium. Vndè ex ſententiâ Platonis potes in teipſo conſtituere florentem reipublicæ ſtatum, & politæ leges omnes ad praxim reducere, in mente ſatis ad id muneris amplâ, cum divinorum ſit capax. Hominum ſocietas ad naturæ ſolatium data, nunc corruptis moribus verſa eſt in perniciem; liceat abſtinere à medicamenti cadavere, & vitare contagium. Sacra Deo mens vult ſeponi extrà rerum humanarum commercium, nec corporeis, circà quod verſatur regimen, deſervire. Nolo promoveri ad dignitatem, in quâ ipſo concurſu, & vtilitatis ſpe, ſit ſuſpecta omnium amicitia, in quâ nulli pectus aperiendum, in quâ inofficioſus aut injuſtus videar neceſſe eſt.

Contrarietas. Accendit æqualium invidiam, hoſtium latentem fururorem, eminens dignitas; quot ſubditi in proprijs pro bono publico pulſati, tot hoſtes: vt quid me tam anxio, ſine vllis inducijs implicem bello? maximè cum rerum publicarum eventus, ſuprà humanæ ſapientiæ vires, divina quædam & incognita mortalibus ſors dirigat. Sufficiat fortitudini, cum naturæ, corporis, animi, particularis fortunæ malis decertare, novos hoſtes provocare temerarium, ne mens nimiùm vexata, pacem ſimul & integritatem amittat.

Principium. Primò homini ſinè hac in pares dominatione, contigit fœlicitas. Multùm debeo patriæ, ſed in hoc magis, ſi me non cogat ad regimen ſuſcipiendum, nec tollat, quam dedit naſcendo, libertatem. In rerum publicarum adminiſtratione, ſi ſit averſa indoles, ſibi, alijſque erit ſupplicio. Indita ſunt rerum agendarum ſemina, quæ in aliam, quàm quæ data ſunt, ſpeciem non coaleſcunt. Relinquatur vnuſquiſque ſuo genio, vt quod poteſt cum delectione pariat.

Medium. Natus ad vitæ privatæ libertatem, ineptum erit in officijs ſub regentium manu inſtrumentum. Neſcit blandiri, neſcit cæcam exhibere obedientiam mandatis cum judicio ſuo pugnantibus, & ſinceros ad fingendum exhibere conatus. Duriſſima hæc miniſtris ſæpiùs incumbit neceſſitas, aut fortunam, aut innocentiam ſub imperantium palſionibus amittendi.

Finis. Breviſſimum vitæ iter non indiget tam ambitioſo & gravi viatico; liceat à viâ publicâ, tumultu, latrocinijs, hoſtibus infeſtâ, divertere, & ad fœlicitatem compendio pervenire. Non placet aggredi ingentia hæc negotia quorum exitus incertâ ſpe in ſecuturas ætates ſervantur; vt per ætatem, liceat tantum demoliri, non inædificare, & damna, non commoda, novis conſilijs inferre.

Maioritas. Contendit animus ad majora, ſed quæ det virtus, non opinio: qualis enim hæc titulo tenus ſublimitas. Dum ſapiens abſtinet à dignitatibus, ſuo exemplo multorum coërceat ambitionem, pudet enim optare quod reſpuit.

Æqvalitas. Licet tantum vitæ privatæ ſibi regulares motus præſcribere; quot intervertunt in officijs varia imperantium conſilia, & inſperati ſibi ſuccedentes caſus? malo mediocrem, ſed ſtabilem fortunam, vt rerum mearum arbiter poſſim de futuris vt de præſentibus diſponere. Quid iniquius, quàm æqualem ſibi ſemper virtutem pendere in externis ſuis actibus, à vago imperantium aut vulgi judicio? Quid turpius quàm in electionibus, cum alijs merito longè imparibus congredi, illiſque, vincente majori minus ſapientium numero, ſæpiùs poſtponi?

Minoritas. Iuvat latere procul ab invidiæ, & publicæ corruptelæ malis: lacentem fortuna non deijciet; ipſa conditionis humilitas pro præſidio eſt, qui volunt ad omnes potentiam ſuam pervenire, humilibus proſunt, cum inglorium eſſet nocere. Timet ſapiens inter famoſos aliorum naufragijs ſcopulos: illum autem cogi ad officia probroſum eſſet Reipublicæ; hoc enim ſupponeret illam carere viris ad regimen aptis, & in vnius hac electione cæterorum omnium læderetur fama. Quid pendebit à ſuo cive Reſpublica & ſupplex poſtulabit, quod ſolet præmij loco concedere? Temerarium & ſuperbum eſt ſupponere alios infirmos, neque illis ad officia magis aptum. Eſt ſpecies quædam caſtitatis, non eſſe in regimine loco parentis. D

QVANDO SVSCIPIENDA dignitates, & quomodo.

VRgente publicâ neceſſitate, & ne dignitates ad improborum manus deveniant, boni ſe debent illis immiſcere, ne rei ſint apud Deum malè diſpenſati talenti, & apud homines, deſertæ civilis militiæ, negatique quod dare debuerant auxilij *Vide ſupra Velle dominari*. E

D. Auguſt. epiſt. 81. Perſuadet Monachis ne Eccleſiæ dignitates, aut elatione avidâ ſuſcipiant, nec blandiente deſidiâ reſpuant; ſic inter ignem & aquam medij incedant, non declinantes neque ad dextram, neque ad ſiniſtram: ſic cum manſuetudine, inquit, portantes eum qui vos regit, nec veſtrum ocium neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui parturienti, ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis: Nullam requiem cogitemus donec tranſeat iniquitas, &c. Sit actio veſtra nec audax, nec ſu-

gax, nec præceps, nec jacens; hoc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.

Ocium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis; quæ ſarcina ſi imponatur ſuſcipienda eſt, propter charitatis neceſſitatem; ſed nec ſic omnimodâ veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas. Idem lib. 19. de civit. cap. 19.

Ariſtoteles 2. politic. 7. aſſerit bonos etiam nolentes, ad Magiſtratus gerendos debere adigi; nam ſi boni ſunt, officio ſuo ritè fungentur; at ſi ſuo relinquas arbitrio mali & ambitioſi dignitates obtinebunt.

Moyſes & Ieremias conſiderantes inſufficientiam propriam, non recuſabant pertinaciter officium, quo digni erant ex gratiâ Dei. D. Thom. 2. 2. q. 123. a. 1. ad 4.

Non licet jurare nec vovere quod prælationem non ſumat, nec totaliter reſiſtere. 2. 2. q. 185. a. 1. ad 3.

Claudius & Gordianus coacti fuerunt imperium Romanum ſuſcipere; ſic Numa Pompilius, Hadrianus, & alij, quorum vide exempla apud Bodin. Reipublicæ lib. 4. cap. 1.

In naturâ, pro bono vniverſi, & ad impediendum vacuum, res coguntur agere contrà proprium ſuum inſtinctum.

Non licet Epiſcopo ſine licentiâ Pontificis Religionem ingredi. D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 4.

Theophilus Alexandrinus, Epiſcopus Ammonenſis, Sanctiſſimum Monachum ordinavit in Epiſcopum, licet ipſe ſibi ſponte auriculâ abſcidiſſet, vt haberetur irregularis & dignitate indignus. Baron. an. 385.

Vigebat mos ille in Africa, vt quem eruditione & moribus inſignem populus noſſet, eundem vi raptum, reclamantem licet, offerrent Epiſcopis ordinandum. Sic D. Auguſtinus oblatus eſt Valerio Epiſcopo Hipponẽſi Presbyter ordinandus. Idem an. 391.

S. Thomas Cantuarienſis, videns in ſe commotum Regem, ſe ſponte abdicat Epiſcopatu, ſed reſtituitur à Papâ. Vide Baron. an. 1164.

A care compellitur. l. 13. §. 2. ff. de vocat. & excuſat. mune.

Non poteſt aliquis renuntiare officio deffenſoris civitatis, niſi cum authoritate Principis. l. final. Cod. de deffenſ. civit.

Coguntur ſubire officia, qui ſe ſubtrahunt ſpecie Religionis in cœtum Monachorum. l. 26. C. de decurio.

Vide locum Auguſt. ſuprà citatum. 16. q. 1. can. vos autem.

Locus regiminis, ſicut deſidetantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus. 8. q. 1. can. in ſcripturis. Vbi vide plura ad hæc. Mercenarius enim eſt B qui ſua quærit, non quæ Ieſu Chriſti. can. ſunt in Eccleſiis eodem.

Epiſcopus etiam propter ſenectutem non poteſt cedere, ſi ſit Eccleſiæ ſuæ vtilis. cap. litteras. de renuntiat.

Sex tantum cauſæ ponuntur, extrâ quas non licet Epiſcopo cedere. Debilis, ignorans, malè conſcius, Irregularis, quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Cum oves convertuntur in lupos, exemplo Apoſtolorum, cedat. Ecce convertimur ad gentes. cap. niſi cum. eod. Vbi vide multa de his qui vanitate, aut puſillanimitate, aut quietis nimio amore deſerunt.

Propter neceſſitatem & vtilitatem Eccleſiæ, com- C pelluntur clerici ipſius recipere ordines, ſuis beneficiis non annexos. cap. quæris 6. de ætat. & qualit. præficiend.

Si quis Epiſcopus poſt manuum ſibi factam impoſitionem, noluerit ire ad Eccleſiam ſibi commiſſam, communione privetur. Concil. Antiſidor. can. 17. anno 340.

Quoties penuria eſt eorum qui Magiſtratum ſuſcipiant, immunitates infringuntur. l. 11. §. 2. ff. de muneribus & honor.

Vbi agitur de bono publico, vnicuique non relinquitur libertas. *Vide Gloſa Concordantiæ.* Publica priuatis præferenda.

D

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

PRæſes abdicando ſe non amittit imperium. l. penult. ff. de offic. præſ.

Ad publica munera inviti coguntur, l. 1. ff. de adminiſt. tut. Vide tot. tit. ff. de muneribus.

Infames ſunt, qui detractores publicorum munerum functionem ſubterfugientes occultant. l. 31. Cod. de Decurio.

Etſi invitus procurator dari non poſſit, datur tamen invitus ſyndicus, quia eſt publicum munus l. 8. E §. invitus, & gloſſ. ff. de procurat.

Si tutor victus ſit in appellatione de ſuâ creatione, periculum præteriti temporis præſtabit, quia non eſt levis culpa, contrà juris authoritatem, mandatum tutelæ officium detrectare. l. 39. §. tutor. ff. de adminiſt. & peric. tutor.

In eum qui tutelam gerere noluit, poſt cæteros qui geſſerunt, actio vtilis danda. §. in eum. eodem.

Cui muneris publici vacatio datur, non remittitur ei, ne Magiſtratus fiat, quia id ad honorem magis, quam ad munera pertinet. l. 12. ff. de mun. & honoribus.

Si alij non ſint idonei, qui honores gerant; iidem compellendi ſunt, qui geſſerunt. l. 14. eodem.

Qui non habet excuſationem, etiam invitus judi-

VRGENTE NECESSITATE boni etiam inviti ſunt promovendi.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si plures virtute præſtantes ſint extrà dignitates, illos habebit Reſpublica quaſi in theſauris, & quaſi res ſacras, quibus tamen vrgente neceſſitate licet vti. Vir bonus eſt Dei donum, in aliorum, vt ait Philo, redemptionem datum.

MAGNITVDO. Reſpuit dignitates, fortè quia ſublimem habet rerum agendarum idæam, cui diffidit regimen ſuum poſſe reſpondere: Sed hoc ipſo titulo probandus; extremis enim patriæ malis, extremum hoc debetur remedium; ſic ſepultas altâ terrâ, mixtorumque viſceribus qualitates educit medicina, vt inſolitos corporum morbos profliget; vt gravia aſcendunt, ſic levia deſcendunt, ad vitandum in naturâ vacuum; eâ ratione ſæpiùs ſolitarij promoti.

DVRATIO. Prævidet ſapiens in officiis ſibi moriendum, vt Reipublicæ vivat; hanc autem mortem horreſcit primo aſpectu, illi tamen ſe tandem ſubmittet, advertens quod ſua intereſt: Periret enim res ſua familiaris, & pax virtutum ſcientiarumque Mater, pereunte Republicâ: Immunitas vereranis pro præmio conceſſa non debet aliis permittit, ne tepeſcat

virtus; & hic honor, illâ cum indignis similitudine, minuatur.

POTESTAS. Respublica, qui potius quàm tibi natus es, vindicat quod suum est, indulgentior futura, si minoribus pullaretur malis. Sic Pater subsidia non petit à liberis, nec Patronus à libertis, nisi cum extrema cogit necessitas.

COGNITIO. Iam apparuit virtus seipsâ contenta, ostendat nunc se publicæ fœlicitati natam. Etiam Deo assistentes Angeli, interdum ad magna peragenda mysteria missi sunt. Ipsum Verbum divinum, pro hominum redemptione incarnatum; tandem sapientia in homine, vt in Deo, debet esse rerum effectiva; ex radio in angustum coacto ignis eliciendus.

VOLVNTAS. Nulla sine charitate solida virtus; charitas autem alienis malis compatitur, & remedium B adhibet. Licet verecundus, vt in virginibus amor, velit vim aliquam sibi fieri, ad tale cum dignitatibus connubium, sequetur patriæ dirigentis voluntatem, consensus, & licet cum lachrimis intimo parebit affectui.

VIRTVS. Vir bonus amat bonum publicum, nec labenti patriæ officiosas negabit manus. In illis qui virtutem profitentur, non est indulgendum intemperantiæ solitudinis; parum oculatæ prudentiæ, quæ malum suum in publico non videt; timidæ nimis animæ, à portu in altum nunquam solvere volenti; injustæ denique tranquillitati, quæ debitam publicis necessitatibus personam furtim abscondit, virtutemque legitimis honoribus spoliat.

VERITAS. Patiantur se produci, vt probent in ad- C ministratione, quam allegant, impotentiam, quæ non erit probrosa post excusationes; è tenebris educta virtus citò fulgebit, fidemque electioni faciet.

GLORIA. Non est quietis tempus, cum vrget hostilis furor, incendij, ruinæ, naufragij periculum: præcedens ocium ad hæc operosa negotia debuit comparasse vires. Condonanda vis, quæ virtutem rapit ad triumphum, & in respuentis manus præmia refundit. Verus honor fugientem sequitur.

DIFFERENTIA. Respublica tot casibus pulsata, nemini inconcussam spopondit tranquillitatem. Ministrorum mutatio turbabit hostium consilia. Irritis antiquis remediis, nova tentanda sunt. O Misera corporis Reipublicæ conditio, si non liceat illi se movere dum torquetur, & lassæ, oppressæque parti, aliam substituere.

CONCORDANTIA. Non est corporis pars, si non compatiatur; cives non magis debent eximi à muneribus personalibus, quàm realibus; quia cives sunt, & Reipublicæ obnoxij plus ratione personæ, quam possessionis, vt ergo ad tributa, sic ad officia possunt cogi.

CONTRARIETAS. In conflictu, fixus qui videbatur pes in alium, totusque, vrgente vulneris periculo, mutatur corporis habitus; extrà legem posita necessitas nulli parcit, nulli in publicâ commotione quietem concedit.

PRINCIPIVM. Lex in Republicâ est, vt in mixtis forma, quæ partes ad dissolutionem labentes, continet in officiis: sic pulchritudo nihil aliud est quàm imperium formæ super materiam. Ipsa se restituit natura, & latentes in arcano substantiæ vires ad medelam evocat.

MEDIVM. Respublica turpiùs lædetur, armis cincta, quibus nescit vti: qualia instrumenta, quæ moventis manum non sequuntur? qualis civis, qui se sibi vindicat? Crimen est in malis publicis se indifferentem habere; vndè & imperio coercendum est.

FINIS. Quies civium subordinatur quieti Reipublicæ; hâc conditione censentur leges indulgere philosophantium ocio, vt tamen, cum vrget necessitas, in actum producantur.

MAIORITAS. Privata virtus, heroïcæ tyrocinium est, quis autem tyro miles audiatur, respuens majorem militiæ gradum, ad quem ipsum belli necessitas vocat; sepositum adipem fames in alimentum consumit.

ÆQVALITAS. Quid æquiùs quam civem aliquando servire patriæ, cui se totum debet. Ab infido debitore Iustitia creditum vi extorquet. Periret Respublica, si qui sunt æqualiter cives, vellent inæquali jure se ab officiis eximere.

MINORITAS. Quid celas Dei beneficia; quid talentum infodis, & lucernam ponis sub modio? Cogereris ad tutelam minorum, quid ni & Reipublicæ, tibi omnibus consanguineis propinquioris; absit leges pati illam esse miseram, non solum adversis casibus, sed etiam suorum civium arbitrio: in continuis pars non renuit sequi suum totum.

VIRTVS POTESTATIS.

VIRTVS REGENTIVM.

MISCELLANEA.

VT imperat perfectam debet habere moralem; nam ejus opus est simpliciter præcipientis, ac presidentis: ratio autem præcipit, atque præsidet. Aristot. 1. Polit. c. 8. A

Finis civitatis est benè & ad virtutem vivere, & civilis societas est benè agendi gratiâ; ergo qui ad hoc plus conferunt, virtute præexcellentes, debent præesse; non divites, quia civitas non est commercij gratiâ; alioquin esset etiam cum extraneis, cum quibus est commercium; & si vivendi tantum esset causâ, servi & animalia essent partes civitatis. Arist. 3. Politic. 6.

Lex debet dominari, non homo, in quem cadunt animi perturbationes. 3. Politic. 7.

Excellentes divitijs aut amicis ſunt è civitate oſtraciſmo pellendi, qui verò ſunt excellentes virtute ſunt Reges conſtituendi. Idem 3. Polit. 9. *Vide Major. Poteſt.*

Populi virtute præditis Regnum detulerunt. *Vide Poteſtas Virtutis.*

Tria debent habere illi qui præcipuos Magiſtratus ſuſcipiunt, vt ament præſentem civitatis ſtatum; vt habeant potentiam maximam ad ea exequanda, qua Magiſtratus requirit; vt habeant juſtitiam & virtutem vnicuique civitati convenientem: ſi hæc omnia in vno non concurrunt, ex pluribus præferendus eſt is qui excellit in parte, quæ minùs communis eſt; vt in militari ad peritiam potiùs quam ad probitatem eſt reſpiciendum, quia pauciores ſunt rei militaris periti; plures verò probitatis. Contrà verò in cuſtodiâ & adminiſtratione ærarij: plus enim probitatis requirit quia hæc ſcientia pluribus communis eſt. Ariſt. lib. 5. Polit. 9.

Regia poteſtas pro tutelâ præſtantium virorum, contra populum reperta eſt, & fit Rex ex præſtantibus, per excellentiam virtutis: Tyrannus verò eligitur à populo, qui ſe vult tueri contra nobiles. Idem 5. Politic. cap. 10.

Etiam Tyranni errant magnoperè, ſi volunt apparere populo ſemper in deliciis & convivantes: imò curare debent vt ea videantur fugere, non enim facile invadi poteſt & contemni, qui ſobrius eſt, ſed qui ebrius; neque qui vigilat, ſed qui dormit. Debet etiam videri Religioſus, quia minus audebunt contrà ipſum inſurgere, quaſi habeat Deos faventes: egregios viros ſibi per familiaritatem conjungat. Idem cap. 11.

Illa eſt optima Reſpublica, per cujus inſtitutionem vnuſquiſque optimè agit, & beatè vivit Idem lib. 7. cap. 2.

In vniverſo bonum eſt potentiùs malo & exiſtentia prævalet privationi. Deus imperat Angelis, Angeli hominibus, Homines beſtijs, Anima paſſionibus paſſiones corpori, Cœlum elementis, denique minùs perfectum a magis perfecto regitur.

Ariſtocratiæ ſæpe mutantur, aut in popularem ſtatum, aut in Monarchiam, cum indigni ad magnos honores evehuntur, id ægrè ferentibus cæteris. Vide Bodin. lib. 4. Reip. c. 1.

Nulla res æquè adjuvat curſum, quàm ſumma pars veli: minimum habet virium ventus ex humili. Seneca.

Fœminæ excluduntur ab imperio, quia licet aliquæ virtutibus effulgeant: naturaliter tamen hic ſexus eſt fragilis, laborum impatiens, ſævus, malitioſus, lubricitati pudicitiæ obnoxius; & ob id in lubrico ſemper eſſet Reipublicæ fama & honor: malè Heliogabalus permiſit matrem in ſenatu ſententiam dicere, quod eo mortuo revocatum eſt: haberet maritum ſub ſuâ poteſtate, quod eſt contrà naturam: contumelioſum eſt mulieris imperium; nec diu etiam à ſubditis toleratur, cum ſit periculoſiſſimum regnantem contemni. *Vide gloria medij.* Illuſtre medium de fœminis ad publicas dignitates non aſſumendis.

Melius eſt Principem excellere virtute quàm ſapientiâ: nullus extitit Principum qui extrà rei militaris ſcientiam, minus habuerit litterarum, quam Trajanus: Nerone verò nullus fuit doctior: hic verò ſceleribus, ille virtutibus parem habuit neminem.

Virtus moralis in Principe debet eſſe vera non ſimulata, vt voluit Machiavellus, alioquin inſtabile erit regnum.

Nobiles cæteris in dignitatibus præferendi, quia præſumuntur habere majora ſemina virtutis, impetuſque heroicos à majoribus; vndè veneratione digniores, minùs invidiæ ſubjacent.

Iuvenes non ſunt promovendi, quia præſumuntur proclives ad voluptates & flagitia, niſi eminens virtus defectum ætatis compenſet. Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 3.

Refert Plato filijs Regum Perſarum quatuor præceptores fuiſſe datos, quorum primus eſſet ſapientiſſimus, ſecundus temperantiſſimus, tertius juſtiſſimus, qui eos exerceret in ſententijs ferendis, quartus fortiſſimus, qui eos doceret artem bellicam. Idem de Indis, Æthiopibus, & Scythis refert Strabo.

Bonus Rex, alijs quidem exiſtimat virtutem eſſe honeſtam poſſeſſionem, ſibi ipſi autem neceſſariam. Cui enim majore opus eſt prudentiâ, quam qui de rebus maximis conſultat; & cui exactiore juſtitiâ, quam ei, qui major eſt legibus? cui fortitudine validiore, quam ei ſub quo omnia ſervantur; cui modeſtiâ continentiore, quàm cui omnia licent? quem magis decet virtus, quam eum, qui omnes homines ſui ipſius animi ſpectatores & teſtes habet, vt ſol cætera illuſtrans, ſeipſum primò manifeſtum facit. Dion. orat. 3. de regn.

Bias Philoſophus dicebat, Magiſtratus virum oſtendit; juſtitia enim cum ſit ad alterum, eſt omnium virtutum difficillima, eſt enim dignitas petra probationis; *pierre de touche.*

Ex homine auſtero & parum humanitatis habente fit bonus Rector populi, vt ex liguis tortuoſis fiunt naves fluctibus exponendæ.

Falsò antiqui crediderunt cœlum eſſe ignem, jampridem eum omnia conſumpſiſſet.

Principibus, vt majori virtute indigentibus, cuſtodes Archangeli ſunt aſſignati.

Ex Ariſtotele primus motor, vt moveat infinito tempore debet eſſe virtutis infinitæ, immobilis, incorporeus.

Cœlo, vt corpori dominanti & perfectiori, convenit motus perfectior, ſcilicet circularis; quia in peripheriâ eſt vbique principium, medium, finis, & motus circularis poteſt in infinitum continuari, quia non eſt ad contrarios terminos, vt motus rectus.

Naturalis calor affinitatem majorem habet cum aëreo & cœleſti, quàm cum igneo: ab eo differt, quia agit virtute animæ; penetrat in omnem partem, non diſſolvit, non adurit, non in cinerem vertit; non ſolum calefacit, verum etiam alit, diſtinguit, aſſimilat; ſic de principe.

Quod omnes formæ mixtorum ſint nobilioris conditionis quàm elementa: & analogiam cum cœlo habeant. Vide Scaliger. exercit. 307. ſect. 10.

Ex virtute, quaſi ex arce inexpugnabili, Rectores dominantur populis, vt Dei imitatores Principes ſunt in hominum omnium corpore, quaſi capita, quæ debent ad Deum & ſurſum magis elevari.

Princeps eſt lex animata, vndè ſi ſit virtute præditus, plus movet populum ſuo exemplo, quàm lege ſcriptâ: ſic plus habet authoritatis adcoërcendos delinquentes, dum omnes plus mirantur ſuam virtutem, quam fortunam; diſſimulet ergo rerum minimarum affectum, & oſtendat ſe magnarum cupidum, bonos quaſi ſibi ſimiles promoveat.

Etiam in regnis in quibus ſuccedunt fœminæ, non admittuntur, niſi cum deficit ſexus virilis. Vide Groſſium de jure belli lib. 2. cap. 7.

Iuga montium ſerena, & nubes indè defluentes ſereuitatem protendunt.

Oſſa quæ dant corpori firmitatem & rectitudinem ſunt inſenſibilia, alioquin propter motus continuos

& pondus quod ſuſtinent ſummo afficerentur dolore, vitaque ſic animalis eſſet miſera. Apathia in Principe.

Defectus majores apparent in Principe quia in eo ſperatur major virtus.

Veram virtutem Princeps accipit non à Marte, qui eſt tyrannus, ſed à Iove legum & juſtitiæ protectore.

Vitioſus eſt omnium ignorantiſſimus, & imperio indigniſſimus, qui ſenſus præfert rationi, ſuiſque neſcit dominari paſſionibus.

Virtus principi competit, tum ſui causâ, tum ſubditorum: ſui quidem, quia decorum eſt, vt probitate emineat, qui dignitate; ſinè virtutibus bona ei fama non conſtabit: vtilis etiam virtus, ſine quâ inſtabile regnum eſt, nec diturnus poteſt eſſe hominum cœtus; dum bonus bonis imperat, fit facilius & ſtabilius imperium; bonos autem cives faciet ſuo exemplo, duci enim mavult populus, quam cogi: rectè facta principum tacitæ ſunt leges, volunt enim fieri quod faciunt. Inter virtutes quaſi duo magna luminaria fulgere debent juſtitia & clementia: per juſtitiam æquum in ſe & in alijs ſervabit; in ſe, ne immunem ſe oſtendat à legibus, fugiatque illud principi nihil eſſe injuſtum, quod fructuoſum: pietate & juſtitia Principes dij fiunt, ſine illis regna ſunt latrocinia. &c. ex Lipſio. 1. Polit.

Magiſtratus optimi, etiam ſinè legibus, ſunt divinæ leges: vnde minùs curat de condendis, legibus quàm de formandis magiſtratibus; ab ipſomet fœtu, vt continuâ culturâ adoptimam frugem perveniant. Plato lib. 5. de Republ. & lib. 7. dicit nulli magiſtratum eſſe dandum, niſi illi, cujus vita melior ſit magiſtratu.

Idem 1. de legibus dicit, Minoëm à Iove Cretenſibus leges dediſſe; Lacedemonijs Lycurgum, ab Appolline; Solonem Athenienſibus, à Minervâ. Sol Planetarum Dominus potentiam, Iupiter clementiam, Minerva ſapientiam ſignificat; hæc debent eſſe vnita in legiſlatore.

Non poteſt rectè civitatem regere is, in cujus animo eſt civitas quædam incompoſita & miſera. Idem 2. de legib.

Idem 4. de ligib. dicit animas principium eſſe dæmonas præſtantioris cujuſdam ordinis: ſemper enim melioris eſt naturæ quod alteri præeſt: vt homo gregibus: ſaltem rectores debent præſtare cæteris, vt viri pueris.

Idem in Timæo dicit, inferioris mundi harmoniam ſæpè turbari, ſed ſtatim per ſuperiorem concentum in formam conſonantem mirabiliter reduci. Hoc præſtet virtus principis populis.

Idem lib. de regno; quia inquit Rex non naſcitur cæteris præſtans, vt inter apes, educatione ſupplendum eſt quod natura negat.

Cor ſolum ex omnibus corporis partibus nullum patitur vitium grave. Cum enim principium corrumpitur, nihil eſt quod cæteris, quæ inde pendent, præbere auxilium poſſit. Ariſt. 3. de partib. anim. 3.

Vnctio Regis ſignificat manſuetudinem; aurum ſingularem ſapientiam; gemmarum fulgor virtutes eximias, minimèque plebeias; ardens purpura ſummam ergà Rempublicam charitatem; ſceptrum tenacem juſtitiæ animum. nunquam à recto deflectentem: nullo officio magis ſibi conciliat Deum quàm ſi populo ſalutarem ſe præſtet principem. In conſpicuo eſt principis vita, latere non poteſt: aut magno omnium bono bonus; aut malâ omnium pernice malus. Sit Dei imago, qui vult & poteſt benefacere, huic archetypo ſit conformis.

Tria debent eſſe in principe, ſicut in Deo: ſumma poteſtas, ſumma ſapientia, ſumma bonitas: poteſtas enim ſinè ſapientiâ eſt pernicies non regnum, ſinè bonitate eſt tyrannis.

Sol omnibus beneficus eſt imago Dei in cœlo, & Regis in regno. Cogitet Rex non quantùm honoris, ſed quantùm oneris ſuſcepit: ne arbitretur prædam ſibi obtigiſſe, ſed adminiſtrationem: Tyrannus commodum ſuum non Reipublicæ quærens, diſtat à Rege factis, non nomine.

Principes in principio electi ſunt, qui virtutem heroicam humanâ majorem habebant; itaque ſint memores originis ſuæ, & ſciant ſe Principes non eſſe, ſi eo caruerint, quod primò Principes effecit. Dominetur populo vt animus corpori, corporis magis commodo quam ſuo, ſibi illicitum ſit quod in honeſtum; paret ipſe Deus honeſto.

Pyrrhus dicebat ſe regni ſui ſucceſſorem declaraturum eum ex filijs, qui acutiorem haberet enſem.

Civitas eſt præſtantior ſeipsâ, quando quod melius eſt deteriori dominatur.

Superior tantùm aëris pars in orbem movetur à cœlo; vertex altiſſimorum montium, vt Olympi, ſuprà mediam aëris Regionem, in quâ fiunt metheora.

Primum mobile volvitur eodem motu, quò ducit cœlos inferiores: Seraphim ducuntur primi in Deum eodem amore quo ducunt alios; ſic qui præeſt alios movere debet ſuo exemplo.

Naturæ lex eſt, potioribus deteriora ſubmittere; mutis quidem gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima. Non præcedit armenta deterior Taurus; Elephantorum gregem excelſiſſimus ducit; inter homines pro ſummo eſt optimus; animo itaque olim rector eligebatur, ideoque ſumma fœlicitas erat gentium, in quibus non poterat eſſe potentior niſi melior. &c. Senec. Epiſt. 90.

Qui regit advertat ſe non eſſe Dominum ſed miniſtrum legis; tutoremque publicum & ſe à Deo judicari.

Tam ineptus eſt, qui majorem ſe à ſuſcepta dignitate judicat, ac is qui prolixâ indutus tunicâ, aut amplam domum ingrediendo, longiorem ſe factum gloriaretur, aut conſcensâ turri, ſe illi æqualem exiſtimaret, cæteroſque deſpiceret tanquam puſillos.

Virtus debet eſſe amplior, quæ ad plura ſe debet extendere: Bonum enim majus, quo magis ſe diffendit: acutior viſus qui ad plura & diſtantia ſe extendit objecta; potentior manus, quæ longiùs ſagittam vibrat; acutiſſimus ignis, qui non tantum ligna, ſed alias etiam materias conſumit. &c.

Superiora habent eminenter inferiorum virtutes; ſuntque in cœlo ſpeciales vires, conſervantes inferiorum qualitates.

Vita Regum, magna dignitate, alta origine, ſacra vnctione, cæleſtis regimine, divina poteſtate; excellens etiam eſſe debet opere & perfectione.

Rex parvus eſt mundus, omnes mundi perfectiones eminenter in ſe continens; ſol eſt in regno, omnia vivificans, & ſeditionum nebulas diſſipans; pietas ejus cœlum eſt empyreum, in quo Deus ſedet; prudentia cœlum quo tegimur, varijs luminibus ſplendidis, & influentijs beneficum; fortitudo quaſi primum mobile, cæteros circumvolvit; juſtitia ignis, rebelles conſumens; clementia ſalubris aër; liberalitas perennis aqua; conſtantia terra immobilis; magnanimitas ſpiritus huic moli infuſus, illamque agitans.

Eſt in Indiâ ſerpentis genus, cui duo ſunt capita: alterum ita amplum, vt toti corpori adæquetur, al-

tum proportione corporis. Majolus. Princeps duplicem gerit personam, duplici virtute insignitam; privatam & publicam; sic Elizæus Eliæ dicebat, fiat in me duplex spiritus tuus.

Divinitas quædam videtur hæc dignitas, si salubriter, atque ex vsu publico administretur: sed quàm magnum est, cursum rectum in vndoso illo mari tenore & in summâ fortunâ non abripi licentiæ ventis; quàm multis virtutibus opus est, quibus velut anchoris hæc novis firmetur: quàm varia prudentia, quâ velut clavo gubernetur, &c. Lipsius de Regno.

Habeat rectum, & sinè fine virtutis amantem animum: ipsam propter ipsam, non commodum, aut famam quærat.

Superior pars Arcæ, & propitiatorium illam coronans, erat ex auro, significans cœlum empyreum esse nobilioris materiæ.

Inferiores cœli vnam tantum habent stellam, octava autem spæra, multas stellas fixas, ad majorem influxum.

D. August. lib. 5. de Civit. Dei. c. 24. dicit Reges ideò fœlices non esse dicendos, quod illis prospere omnia cedant: sed si justè imperent, potestatem suam divinæ majestati efficiant famulam: si laudibus non extollantur, si benefici, misericordes, magis suis cupiditatibus, quàm populis imperantes, &c. Vide.

Rectores se habent per modum Principij, principia autem habent excellentiam super effectus. *Vide Majoritas Principij.* Vide quæ sit intentio boni rectoris. *Finis Potestatis.*

Virtus regiminis longo experimento acquirenda. *Vide Duratio Virtutis.*

De modestiâ & humilitate regentis. *Vide infrà Media Potestas.*

Qui regit, majestatem suam tuetur non tam severitate vultus, quàm morum rectitudine.

Valentinianus triplex hominum genus constituebat, vnum ad salutem necessariò prædestinatum: Vndè Reges, Sacerdotes, Prophetæ. *Vide Veritas Virtutis.* fides cum operibus.

Regimen virtute præstantioribus, vt præmium, defertur. *Vide Gloria Virtutis.*

Vna ex causis mutandi formæ regiminis est, cum honores indignis conferuntur. Et id ex lege æternâ. *Vide* ex D. August. *Differ. Verit.* de legum mutatione.

Saül vnctus à Samuele factus est in virum alterum. 1. Reg. 10. Et David ex quo vnctus est in Regem; directus est Spiritus Domini in eo, à die illâ, & in reliquo. 1. Reg. 16.

Libera olim Roma legem Voconiam, persuadente Catone tulerat, quâ mulieres à locupletibus hæreditatibus arcebantur: eadem postea vrbs cùm veteribus institutis repudiatis perire cœpit, eam legem non agnovit.

In Galliâ lege Salicâ mulieres ab imperio arcentur: Lilia non nent: virorum imperia viri galli patiuntur; fœminarum non agnoscunt.

Ex Orpheo in qualibet Sphærâ gemina vis, vna in cognoscendo posita, altera in Spheræ corpore vivificando, atque regendo. Marsil. Ficin. Theol. Plat. lib. 4. sapientia & amor duæ rectorum virtutes.

Viriliores moribus sunt ij, qui potentes sunt, quàm divites, quia appetunt opera, quæcumque licet ipsis agere, propter potentiam: magis dediti studio, quia in sedulitate sunt, dùm coguntur considerare ea, quæ pertinent ad potentiam: moderate agunt: habentque mollem & elegantem gravitatem. Arist. 2. Rhetoric. cap. 17.

Vt in bello, conducit eos qui plurimâ valent animi magnitudine primos in acie ordinare, eodem modo in Republicâ, prudentissimos & justissimos multitudini præesse. Idem. Rhetor. ad Alexand. c. 2.

Architas dicebat idem esse Magistratum & Aram, ad vtrumque enim, qui injuriam accipit, confugit. Idem 3. Rethoric. cap. 11.

Nerva, nullâ habitâ ratione sibi sanguine conjunctorum, quem putavit virum frugi, dignumque ad habenas Imperij moderandas, Trajanum adoptavit in filium, & Imperij successorem. Plin. secundus in Panegyr. ad Trajanum.

Reges proceræ staturæ. *Vide Gloria Magnit.* applica de virtute. . . .

Cor solum viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit, læsumque mortem illico affert: cæteris corruptis, vitalitas in corde durat. Plin. lib. 11. cap. 37. *Vide Virtus Majoritatis.*

Natu minores in obtinendo regimine præferuntur primogenitis vitiosis. Vide gloria principij primogenitura.

PRINCEPS LEGIBVS non est solutus.

AGesilaus dicedat, Magni Principis non esse legum sancita violare, vt nec Poëtæ versuum mensuras & modos.

Cæsari cum omnia liceant, propterea hoc minùs licet: vt fœlicitatis est posse quantum velis; sic magnitudinis velle quantum debeas. Plinius de Trajano.

Cum dicitur legem Principibus imperare debere, non est intelligendum de lege in talibus scriptâ; sed de animata intus in ipsâ ratione, quæ semper cum eo existens, non sinit sine tutelâ sui vivere. Plutarch. in lib. de regno.

Est enim omnium Magister & Imperator Deus, hujus legis inventor, cui, qui non parebit, ipse se fugiet, & naturam hominis aspernabitur. Lactantius lib. 6. cap. 8.

De his legibus dicebat Apollonius Domitiano, si has leges, tibi imperare non patiaris; ipse non imperabis.

Digna vox est Majestate Regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, adeò de authoritate juris nostra pendet authoritas; & Re vera majus imperio est submittere legibus principatum. Impp. Theod. & Valent. l. 4. C. de legibus.

Ex imperfecto testamento Imperatorem legata vel fideicommissa vindicare, inverecundum est; decet enim eas servare leges, quibus ipse salvatus videtur. l. 23. ff. de legat. 3.

Medicus alios curans, non est ipse à medicis legibus exemptus.

Qui præest justitiæ, ad eam præeat, & exemplo commendet. Theodosium imitetur de quo. Plinius in panegyrico; Idem es qui fuisti; & tantùm tibi per te licet, quantùm antea per leges licebat. Zaleucus, quia legem tulerat, vt adulter oculis orbaretur; adultero filio deprehenso confodi fecit oculum, & sibi alium. Charondas, cum rure veniens sedisset in concione cum gladio, & ei objectum esset contrà legem suam peccare, ita est inquit, sed idem ego sanciam, statimque stricto ferro incubuit.

Archelaus tertius Macedonum Rex Pythias & olympicas palmas quadrigis adeptus, Græco potius animo, quam regali, gloriam illam præ se tulit. Solinus polis host. cap. 15.

Digitized by Google

De exercitatione Pompeij Saluſtius hoc commemorat; cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat. Veget. de re milit. lib. 1. c. 9.

Primum mobile peragit motum, quem cæteris imprimit.

Ægypti Reges, vitam non aliorum regnantium, quibus voluntas pro lege eſt, traducebant licentia, ſed ex lege vitam privatam agebant, vt quemquam per ſuperbiam aut iram non poſſent punire. Diodor. ſicul. rer. antiq. lib. 2. cap. 8.

Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis, tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quandò illis, & ipſe reverentiam præbet, Iſidorus de ſummo bono. lib. 3. cap. 53.

B Princeps tenetur vivere ſuis legibus, nec in ſe debet damnare jura, quæ in populis conſtituit. can. ſi ſolus diſt. 8. can. juſtum diſt. 9.

Officium regentis exercitum, non tantùm in dandâ, ſed etiam in obſervandâ diſciplinâ conſiſtit. l. 12. ff. de re milit.

Filium infamem factum, eo quod in arenam certandi gratiâ ſponte deſcenderit, Pater non poteſt exhæredare, ſi ipſe ejuſdem conditionis fuerit. l. 11. Cod. de inoff. teſtam.

Quod dictis & Imperio facta debent concordare. *Vide Verit. Virtut.* Et infrà hoc tit. de integritate ſacerdotum.

C Chriſtus nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipſe excellentiùs non impleret. D. Thom. 3. q. 7. a. 3. ad 2.

Quem mihi reperies, qui putet ſibi quod non decet, non licere, qui ſe legibus obſtringat ſuis, & quod per juſtitiam non licet, nec per poteſtatem licere agnoſcat. Non enim ſolvit poteſtas juſtitiam, ſed juſtitia poteſtatem; nec legibus Rex ſolutus eſt, ſed ſi peccat, leges ſuo ſolvit exemplo. An fieri poteſt, vt qui alias judicat, ſuo ipſe ſit liber judicio, &c. D. Ambroſ. in poſteriore Apologia David. cap. 3.

Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, vt ipſe eodem jure vtatur. ff. 2. tit. 2.

D Quia dicta debent concordare operibus. *Vide Veritas Virtutis.*

Charondas Thurienſium legiſlator, cum lege ſanciſſet, ne cui in concionem cum gladio prodire liceret, caſu accinctus gladio ortâ ſeditione in concionem prodiit, populique motus compoſuit; at illi ſtatim obijcitur legem ſuam ſolviſſe; quibus auditis ſtricto gladio ſibi coram populo guttur aperuit, & obiit. Diodor. Siculus Bibliothecæ. lib. 12.

Trajanus ſolemniter juravit populo Romano ſe leges obſervaturum; quod poſteà fecit Theodoricus, de quo ſic Caſſiodorus. Ecce Trajani noſtri, clarum ſæculis, reparamus exemplum. Iurat vobis, per quem juratis.

E Rex medorum non poteſt eximere Danielem de lacu leonum lege prohibente. Daniel. 6.

Antiochi tertij Regis fuit reſcriptum ad Magiſtratus ne ſibi parerent, ſi quid legibus adverſum juſſiſſet.

Rex Perſarum, licet ſummum haberet Imperium, & tanquam imago Dei coleretur, nefas tamen erat ipſum leges certa formâ latas mutare. Idem de Æthiopum Regibus refert Diodor. lib. 3. *Vide Durat. Veritat.*

Contadi Imperatoris coronatio retardatur ob inceſtuoſum connubium. Vide Baron. an. 1024.

Pontifex in capite Tiaram ferebat, & in eâ nomen Dei, vt diſcat quod creatus caput aliorum, ſit ſub capite omnium Deo, nam poteſtas nulli ſubjecta ſit intolerabilis: Ideò in lege gratiæ, qui Pontifices maximi ſunt; Evangelium in capite recipiunt, vt intelligant ſibi legem divinam imperare. ex D. Chryſoſt. Photius Biblioth. c. 277.

EX IVRE CIVILI & Canonico.

OLim Senatui Prætores, & Decurionibus præfecti erant conſtituti. Leon. Nov. 47.

De adminiſtratione & periculo tutorum. ff. 26. t. 7. Cod. 5. Feud. 37.

De adminiſtratoribus. Nov. 95.

Ne ſinè ſententia Principis Epiſcopus creatur. C. I. 4. Niceph. Phoc.

De perfectiſſimatus dignitate. Cod. 12. t. 33.

De periculo tutorum vel Curatorum. C. 5. 38.

De potioribus ad munera nominandis. C. 10. t. 65.

Quomodo oporteat Epiſcopos, & cæteros clericos ad ordinationes produci. Novell. 6.

De ſatiſdatione Tutorum & Curatorum. Inſtit. 1. tit. 29.

Quj obligatas habent res minorum, ad earum adminiſtrationem non accedant. Novel. 72.

Sacerdotes quomodò creandi. Leo Nov. 3.

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus & publicis C remotæ ſunt, ideò nec judices eſſe poſſunt, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare. Item impuberes. l. 2. ff. de reg. Iur. l. 18. Cod. de procurat.

Officia publica, viris ſapientibus, eruditis, juſtis, eloquentibus ſunt conferenda. Nov. 82. can. nullus, can. Preſbyteri 24. diſt. can. omnis 11. de pœnit. Sic peritis medicis ſalaria conſtituuntur. l. 4. Cod. de decret. ab ord. facien. l. 1. 3. 4. de var. & extraord. cognit.

Cùm res confertur in arbitrium Domini, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſt. l. 22. ff. de reg. Iur.

De ætate, qualitate & ordine præficiendorum decr. 1. tit. 14.

De bigamis non ordinandis. Ibid. 2. 23.

D De corpore vitiatis ordinandis, vel non. diſt. 55. decret. 1. tit. 20.

De filiis presbyterorum ordinandis, vel non. diſt. 55. decret. 1. tit. 17.

De officio judicis. dec. 1. tit. 32.

De ſervis non ordinandis. dec. 1. tit. 18.

De temporibus ordinationum. dec. 1. tit. 11.

De vitâ & honeſtate Clericorum. dec. 3. tit. 1. *Vide Virtus Medij.*

Oportet Epiſcopũ eſſe ſinè crimine. diſt. 25. 40. 42.

De continentiâ clericorum. diſt. 31. 32. 33. 34.

Quare criminoſi non debent in Epiſcopatum promoveri. Vide diſt. 49.

Renuntians ſuæ hæreſi, non niſi ex diſpenſatione E poteſt retinere ſuum Epiſcopatum. 1. q. 7.

Confeſſus vel convictus de his quæ antè ordinationem commiſit, non valet miniſtrare. 15. q. 8.

Licet clericis negare Epiſcopo conſuetam obedientiam, poſt condemnationem. 22. q. 3. hæreticus nullum poteſt excommunicare. 24. q. 1.

Præſes provinciæ ita jus reddere debet, vt authoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. l. 19. ff. de offic. præſ.

Iudex dari non poteſt, qui impeditur naturâ, lege, moribus; vt ſurdus, mutus, perpetuò furioſus, impubes, ſenatu motus, fœminæ, ſervi. l. 59. ff. de judiciis. l. 2. ff. de ſenatoribus.

Nomina procuratoris Cæſaris & Rationalis ſunt ſynonima in jure, vt patet tit. ff. de off. procur. Cæſar. & ration.

Digitized by Google

Abbas eſt eligendus ob merita, non ob ordinem, aut ob tempus. §. ordinationem, in auth. de Monachis, & §. jubemus. in auth. de S. Epiſcopis.

Accuſatus de crimine capitali, non admittitur ad novos honores; retinet tamen interim dignitatem priſtinam. l. libertus, ff. de municipal.

Adminiſtratores debent præſtare jusjurandum ſecundùm formam à lege præſcriptam. §. igitur. Auth. & judices ſinè quoque ſuffragio.

Adminiſtrator, officio depoſito, debet in loco remanere per 50. dies, redditurus omnibus rationem. Auth. de adminiſt. Puras debet habere manus. §. oportet in Auth. mand. princip.

Agens contrà Eccleſiaſticos, primâ fronte præſumitur agere per calumniam. l. 31. Cod. de Epiſcop. & cleric.

Avaritiæ ardor prophanus ceſſare debet à ſacris altaribus: ſanctitas enim incorrupta non debet corrumpi. l. 31. eod.

Cauſa præjudicialis impedit electionem ad munera. l. 3. C. quand. provoc. non eſt nec.

Præſumitur major fides in teſte majoris dignitatis. l. 3. ff. de teſt. contrà propter paupertatem quidam non poſſunt accuſare. l. 10. ff. de accuſat. & inſcript.

Tutor incertus dari non poteſt, debet enim eſſe notæ probitatis. l. 20. ff. de teſtam. tut.

Patronus tutor liberti non tenetur ſatiſdare, niſi ſit perſona vulgatis, & minus honeſta. l. 5. ff. de legit. tutor.

Iuris eſt naturalis, vt nemo cum alterius damno locupletetur. l. nam. & hoc natura. ff. de cond. indeb.

Damnatus pro injuriâ gravi à ſe illatâ eſt infamis, & adeò non poteſt eſſe decurio. l. 40. ff. de injur.

Cuſtodia reorum non eſt tyroni committenda, & eâ proditâ, reus eſt qui illam commiſit. l. 14. ff. de cuſt. & exhibit. reor.

Iudex adulterij inquirere debet, an maritus pudicè vivens, mulieri quoque bonos mores colendi autor fuerit; Per-iniquum enim videtur eſſe, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibet. l. 13. §. 5. ff. ad l. Iul. de adulter.

Si lex municipalis in honoribus obtinendis præferat certæ conditionis homines, ſemper intelligendum ſi idonei ſunt. l. 11. ff. de munerib. & honorib.

Decuriones dicti ſunt, ex eo quod initio cùm coloniæ deducerentur, decies decem eligebantur, vt ex illis decem eligerentur ad munera. l. 239. §. 5. ff. de verb. ſign.

Ex ſolâ dignitate non præſumitur metus vel dolus inferri. l. 6. Cod. de his quæ vi met. cauſ.

Notati ſcelere aut infamiâ, non poſſunt ad dignitates aſpirare. l. 2. C. de dignit.

Epiſcopus ordinandus non eſt, priuſquàm coràm eo ſacræ legantur regulæ, & reſponderit ſe velle eas ſervare. Nov. 6. c. 1.

Iuramentum præſtandum eſt ab his qui adminiſtrationem accipiunt. Nov. 8. c. 3.

Vare debet, & nullum contingere lucrum. Novell. 17. cap. 1.

Epiſcopus debet eſſe ſinè crimine. can. primum. diſt. 25. Amorem innocentiæ converſatione demonſtret. can. nemo diſt. 71.

Imperfecti corpore, in antiquâ lege non debebant ſacrificia offerre. Vide moralem expoſitionem D. Gregorij. can. hinc etenim. diſt. 49.

Homicidæ, peccáto carnis obnoxij, & etiam pœnitentes, tempore ſuæ pœnitentiæ, non ſunt clerici ordinandi. totâ diſt. 50. & can. priſcis. diſt. 55.

Præſumitur virtus in Epiſcopo, vnde non poteſt condemnari niſi convictus 72. teſtibus. 2. q. 5. can. præſul.

Pro gradu ſui officij quiſque debet eſſe melior. 8. q. 1. can. licet. can. qualis & ſeqq.

Cùm vir ſit caput mulieris, debet caſtiùs vivere quàm ea, & præcedere in omnibus bonis 32. quæſt. 2. can. non mœchaberis.

Niſi electus doceatur legitimæ ætatis, probitatis, & litteraturæ, habetur pro non electo cap. cum nobis 19. de elect. & electi poteſt.

Si non profeſſus eligitur ad regimen Eccleſiæ regularis, caſſatur electio. cap. cum cauſam. 27. eodem. cap. 38. & 49. eodem.

Qui de aliquo crimine accuſatur non debet promoveri. cap. omnipotens de accuſat.

Energumeni non debent ad altare accedere, nec propriâ manu celebrare. Concil. Eliberit. can. 29. an. 305. Et Concil. Tolet. 11. cap. 13.

Non licet Epiſcopo ſibi ſucceſſorem nominare, vt qui dignus extiterit promoveatur. Conc. Antioch. 1. can. 23.

Honores Eccleſiaſtici jure hæreditario non debent poſſideri, vt poſſint pro meritis tribui. Concil. Lateran. 2. can. 16.

Rex à rectè gerendo dicitur. Concil. Moguntien. can. 2. anno 888.

Regem eſſe, eſt piè, juſtè, & miſericorditer regere, aliter Tyrannus erit. Concil. Pariſ. lib. 2. cap. 1. habitum ſub Lothario. an. 829.

Præſumitur virtus in Epiſcopo, vndè non poteſt judicari niſi à 12. Epiſcopis, reſervatâ ſententiâ S. Pontifici. 3. q. 8.

Ad invidiam alicui nocere nullam dignitatem oportet, nec ex ſenatoriâ, vel aliâ dignitate præſumitur dolus, vel metus inferri. l. 6. C. de his quæ vi met. cauſ.

Fiſcus habetur ſemper dives, & non ſatiſdat. l. 1. §. 18. ff. vt legat. nomi. caveat.

Epiſcopi concoguntur jurare, ſed illis vt probis debet credi. Vide Baron. an. 449. Id ſtatutum in Concilio II. Conſtant.

Romani Pontifices non debent ſibi eligere ſucceſſores, vt ſit libera facultas meliores eligendi. Id ſtatutum in ſynodo Romanâ. Vide apud. Baron. anno 532.

Præfecti jurant inter manus Epiſcoporum ſe rectè & juſtè officio ſuo functuros. Vide formam juramenti. Novella 8.

EX THEOLOGIA.

CHriſtus ſpecialiter dicitur filius Abrahæ & Davíd, quia futurus erat Rex, Propheta, & ſacerdos D. Thom. 3. q. 31. a. 2.

Minimus Angelus habet altiorem & vniverſaliorem virtutem, quàm aliquod genus corporalium, cui præeſt. 1. q. 110. a. 1. ad 3.

Apoſtoli fuerunt perfectiores cæteris ſanctis. 1. 2. q. 106. a. 4.

Armus dexter & pectuſculum hoſtiæ in lege veteri erant ſacerdotis, quia ſapientia cordis & fortitudo ſunt ei neceſſaria. 12. q. 102. a. 3. ad 8.

Beneficia Eccleſiaſtica magis debent dari, plus idoneis ad regimen Eccleſiæ quam magis conſanguineis. 2. 2. q. 62. a. 1.

Eccleſia amittit cathedram Epiſcopalem, propter malitiam populi. 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2.

Peccatum præcedens impedit ne aliquis corripiat alium, tripliciter, ſcilicet ratione indignitatis, ſcandali & ſuperbiæ. 2. 2. q. 33. a. 5.

Chriſtus

Christus fundavit Ecclesiam, cujus ministerium A
commisit Petro & successoribus ejus, in ædificationem, non in destructionem, 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.

In foro contentioso sufficit quòd electus sit bonus; sed in foro conscientiæ requiritur quod sit optimus, vel simpliciter, vel ad regimen. 2. 2. q. 65. a. 2. ad 3.

Episcopatus nomen operis est, non honoris. 2. 2. q. 185. a. 1. ad. 1.

Episcopus tenetur exponere omnia sua pro honore Dei, & salute gregis sui, cum opus fuerit. 2. 2. q. 184. a. 7. ad 1.

Hæretici relapsi recipiuntur semper ad pœnitentiam, non autem ad dignitates. 2. 2. q. 11. a. 4.

Hierarchia est divinus ordo secundùm scientiam & actionem in assimilatione Dei. 1. q. 108. a. 1. B

Christus jejunavit, non ex necessitate, sed vt doceret quàm bonum est jejunium. 2. 2. q. 147. a. 5. ad 1.

Aliquid est laudabile inferiori, quod est vituperabile superiori, & è converso. 1. 2. q. 94. a. 3. ad 3.

Voluntas Principis vel legislatoris, vt regulatà ratione habet vigorem legis, alioquin esset magis iniquitas quam lex. 1. 2. q. 90. a. 1. ad 3.

Intentio legislatoris est facere cives bonos, inducendo eos ad virtutes, per assuefactionem bonorum operum. 2. 2. q. 92. a. 1. ejus intentio ordinatur primò & principaliter ad bonum commune secundò ad ordinationem justitiæ & virtutis, quò perveniur ad primum. 1. 2. q. 100. a. 8.

Leprosus non potest promoveri ad sacerdotium, nec celebrare missam in publico, propter horrorem, C
sed potest celebrare in secreto, nisi sit periculum. 3. q. 82. a. 3.

Lex humana debet esse honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm consuetudinem patriæ, loci, & temporis, necessaria pro communi vtilitate, & clarâ. 1. 2. q. 96. a. 3.

Quicunque existens in aliquo peccato mortali exhibet se ministrum Ecclesiæ in aliquo spirituali peccat mortaliter. 3. q. 64. a. 6. Suplem. q. 36. a. 5.

Christus otavit propter exemplum. 2. 2. q. 83. a. 10. ad 1.

Infidelitatis criminis reus est, quicumque indignum ad sacros promovet ordines. Suplem. q. 36. a. 4.

Sacros ordines suscipere non possunt mulieres, propter statum subjectionis, pueri carentes vsu rationis, servi, homicidæ, illegitimè nati, mutilati in membro, notabilis infamiæ; hi tamen vltimi Ecclesiæ præcepto, non necessitate sacramenti. suplement. q. 39. a. 2. 3. 4. D

Pœnitens solemniter non debet ordinari propter scandalum, & quia non haberet frontem corrigendi alios, cum peccatum ejus esset publicum. 3. q. 89. a. 3. ad 3.

Clericis non debet imponi publica pœnitentia & solemnis. sup. q. 28. a. 3.

Dignitas Ecclesiastica irreparabiliter amittitur per peccatum, si peccans verè non pœniteat, si negligenter, vel propter irregularitatem, vel propter scandalum. 3. q. 80. a. 3. *Vide Cognit. Minor. R. Bona.*

Primum principium in genere causæ efficientis oportet esse perfectissimum. 1. q. 4. a. 1. *Vide Majorit. Princip.*

Qui non est perfectus in virtutibus moralibus indigne sumit officium prælationis. 3. q. 41. a. 3. ad 1.

Illud possumus, quod de jure possumus. Vndè exponitur illud verbum potest, idest debet. 3. q. 74. a. 7. ad 1.

In omnibus potentiis & habitibus ordinatis, vltima perfectio reservatur supremæ in genere illo. 1. 2. q. 5. art. 6. ad 1.

Bonus vsus potestatis ad regendum alios est optimus, & abusus ejus est pessimus. 1. 2. q. 2. a. 14. ad 2.

Prælatus non est Dominus, sed dispensator, non in destructionem, sed in ædificationem, ideò non potest præcipere peccata, nec prohibere opera virtutum. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2.

Prædicator debet esse virtute perfectus, & absolutus à curâ rerum sæcularium. 3. q. 40. & 41. ad 3.

Prælatus existens in peccato mortali, etiam occulto, corripiendo, vel quidquid aliud officij sui faciendo peccat mortaliter; non autem hoc agens vt frater. 2. 2. q. 4. & 35. a. 5.

Virtus Principis differt specie à virtute subditi, sicut virtus viri & mulieris. 2. 2. q. 47. a. 111. ad 1.

Throni dicuntur propter quatuor convenientias ad sedes materiales, quia elevantur, firmantur, sedentem suscipiunt, & aperiuntur desuper. 1. q. 108. a. 5. ad 6. B

In Christo Ecclesiæ capite fuerunt omnes gratiæ, & omnes virtutes. 3. q. 7. a. 5.

Cùm in Christo fuerit gratia, non solum vt in quodam singulari homine, sed vt in totius Ecclesiæ capite, non sibi tantùm, sed & alijs mereri potuit. 3. q. 19. a. 4.

Throni ab omni terrenâ humilitate, sinè admixtione secreti, ad superiora divino studio feruntur; in eo, qui verè summus est, immobiliter hærent; divinum adventum sinè vllâ motione & materia recipientes, & Deum portantes; officiosè etiam ad ea quæ divina sunt capienda propensi. DOMINATIONVM nomen significat excitationem quandam ad supera, quæ nullis blanditiis cedit, servituti & omni summissioni pertinaciter obsistit, ab omni dissimilitudine soluta, & veræ dominationis semper cupiditate tenetur; & ad veram sui similitudinem, tum se, tum ea quæ ipsam sequuntur, quantùm licet, probè fingit ac format, semperque divinâ bonitate, quantùm potest, participat. VIRTVTVM nomen significat virilem quandam, invictamque fortitudinem ad divina omnia obeunda munera quæ magnis viribus ad divinitatis imitationem nititur, & virtutis virtutum effectricis, & ad ea quæ secundum locum tenent, virtutis dandæ causà, divinæque similitudinis instar, prodit. Sanctarum vero POTESTATVM nomen significat liberam in accipiendis divinis dispositionem, quæ non Tyrannorum more, in pejus potestatis viribus abutitur, sed invicto animo ad divina aptè & excitatur ipsa, & ea quæ ipsam sequuntur benignè excitat; atque ad summæ illius potestatis, quæ potestatis causa est, similitudinem & ipsa, quantùm licet, accedit, & eam in suæ potestatis ordinibus accendit. D. Dionysius. de cœlest. hierarch. cap. 7. & 8.

Tota ratio ordinis in angelis est ex propinquitate ad Deum; ideò propinquiores Deo sunt gradu sublimiores & scientiâ clariores. D. Thom. q. 106. a. 3. ad 1. *Vide Gloria Virtutis.* Quod dignitates dentur virtuti in præmium.

E

INTEGRITAS SACERDOTVM.

MISCELLANEA.

VOs genus electum, Regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Petr. 2.

Levit. 8. Vngitur & sanctificatur summus sacerdos, eodem ritu ac altare.

y Google

Immolatæ victimæ pectus & brachium dextrum dabatur ſacerdotibus; in pectore mundæ cogitationes; in brachio bona opera ſignificantur, vt quod mente conceperint exemplo probent. D. Hieron. lib. 3. epiſt. 138. ad Fabiolam.

Sacerdotum eſt populos magis docere exemplo, quàm verbis. Idem in Hierem. cap. 17.

Apud Ægyptios non licebat ſacerdoti in aliquâ corporis parte læſo, ſacrificiis adeſſe. Herodot. l. 2. Id. obſervabant augures apud Romanos. Plutarch. in Alcibiade. Et id lege Moyſis ſancitum. Vide Ioſeph. lib. 3. cap. 14.

Iſidis ſacerdotes ſummam profitentes mundiriam, comam radebant, & non lanâ, quæ eſt excrementum pecudum, ſed lino veſtiebantur. Plutarch. de Iſyde & Oſyride.

Idem præcipitur ſacerdotibus, vt lineis veſtiantur. Ezech. 46. ſuper quo. Vide D. Hieronym. *Vide Cognit. Virtut.*

Sicli legitimi, menſuræ & pondera legitima in ſanctuario ſervabantur, ad quæ reliqua, quibus homines vtebantur, reformarentur; ſic mores ſacerdotum debent aliorum eſſe menſura.

Angelus gladio igneo prohibet paradiſi introitum Adamo poſt peccatum; ſic Eccleſia malos arcet à dignitatibus.

Sacerdos Iovis apud Romanos farinam non tangebat, quia eſt frumentum corruptum, ita nec carnes crudas, quæ ad vſus accedunt. Plutarch. Roma. probl. 110. & 111.

Sacerdos caſta è caſtis, pura è puris ſit. lex. Vide Senecam. 4. controv. 2.

Sacerdotes tui induantur juſtitiam. Pſal. 131.

Mundamini, qui fertis vaſa domini. Iſay. 52.

Debet præponderare vita ſacerdotis, ſicut præponderat gratia. D. Amb. lib. 3. epiſt. 25.

Sæcularibus negotiis ſe non debent immiſcere, & caſti eſſe debent. *Vide Min. Concord.*

Non mediocre Levitarum officium, de quibus dicit dominus: Ego tuli Levitas de medio filiorum Iſrael, Redemptiones eorum erunt. Num. 3. Vide D. Ambroſ. de offic. lib. 1. cap. 50. *Vide Medium Gloriæ.*

Sub gravi pœna prohibetur Clericis, mortuum laicum veſtibus ſacris, & quæ altari deſervierint obvolvere. can. nemo de conſecr. diſt. 1. quantò magis per peccatum mortuo dignitatis Eccleſiaſticæ inveſtituram dare; ſacra vaſa non niſi à conſecratis Domino viris tractentur.

Levit. 6. Omne ſacrificium ſacerdoti holocauſtum erit, & non edetur; omnimodam ſignificat perfectionem.

Sint bonæ famæ. *Vide Gloria Poteſt.*

D. Chriſoſtomus lib. 3. de ſacerdot. miratur ſacerdotibus collatam poteſtatem majorem quam angelorum & archangelorum. Nulli enim eorum dictum eſt: quæcumque alligaveritis, &c. Principes jus tantùm habent in corpus, ipſi in animas; habent ſpirituales parturitiones, fœliciores quàm parentes carnales, qui à morbis non liberant filios; denique Pater dedit filio omnem poteſtatem, & filius illis; tantæ dignitati debet reſpondere vitæ ſanctimonia; alioquin magis peccant quàm Dathan & Abiron, ſi mali obtineant, quod ipſi tantùm ambierunt.

Quemadmodum bono angelo nihil eſt poſt Deum melius; malo nihil pejus; ita nihil in terris honeſto ſacerdote pulchrius, turpi vero nihil turpius; ille Religionis hominumque ſalus; iſte peſtis. Quid eſt ſacerdos legitimus, niſi Deo dicatus animus, Angelus vicem Dei gerens apud homines, vivens Dei templum? ſacerdos eſt temporalis quidam Deus, Deus verò ſacerdos æternus, qui hanc ſacerdotij dignitatem conſideravit, illâ non abutetur. Marſil. Ficin. in epiſt.

Sacerdotis virtus & officium eſt, ſapientia, quædam pietate fervens, & pietas ſapientiâ lucens. Idem.

Perniciosiſſimum eſt tam tremendis miniſtrantem myſteriis linguam, tali ſanguine purpuratam, & ſactam aureum gladium, ad convitia & ſcurrilitates transferri. Reverere eam honore, quo Dominus eam honoravit: cum cor ſumat horrendum illud myſterium, neſciat dolum adverſus proximum, ſed mundum ſit ab omni malitiâ. D. Chriſoſt. homil. 21. ad pop. Antioch.

Pontifex publicam, & divinam perſonam ſe induiſſe exiſtimet, vt illi parem cæteris eminentem induat virtutem. Vos pater luminum, lumina potiora delegit, vt ſplendeatis in domo Domini; vt lumen de lumine prodiens, divina etiam lumina efficiat; vos exemplaria, & quaſi quædam ideæ; vos arbores cedri, mirâ altitudine exaltatæ, ad quarum altitudinem, novellæ contendunt Dei manu irrigatæ: quàm præclarum eſt in æternum victuris animis leges dicere; exiſtimate tamen vos non rerum Dominos, ſed miniſtros, & ſervos, non ſuo, ſed Domini arbitrio rem geſturos. Fidelis, &c. dat Dominus menſuram quâ ſe & cætera metiantur, &c. Alanus Varenius. lib. de prudentiâ.

Si in montibus ſit obſcuritas, quanta in vallibus? cordis loco ſunt in corpore Eccleſiæ: quo languente, cætera membra infirmantur; læsâ radice arboris rami marceſcunt; pulchriores lapides in ædificij frontiſpicio ponuntur, &c. ex D. Chriſoſt. & homil. 56. in Math. Sacerdotes ſunt quaſi ſtomachus in corpore, quo dolente cætera membra dolent.

D. Bernard. lib. 4. de conſid. cap. 4. tales dicit eſſe eligendos, qui legatione pro Chriſto fungi, quoties opus erit, nec juſſi renuant, nec non juſſi affectent: qui Regibus Ioannem exhibeant; Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phinees, Eliam Idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum: qui vulgus non ſpernant, ſed doceant; divites non palpent, ſed terreant; pauperes non gravent, ſed foveant; minas Principium non paveant, ſed contemnant; qui ſe reverendos exhibeant, ſed actu non faſtu; qui dent pacem regnis, legem Barbaris, quietem Monaſteriis, Eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, &c. Ibidem.

Circa an. Chriſti 328. dum floreret S. Antonius in Oriente: refert D. Ambroſ. Epiſt. 82. ad Vercell. quod S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, qui Apoſtolicâ authoritate Alexandriæ adverſus Arianos Concilium habuit; & Sanctorum Monachorum inſtitutum diligenter perquirens vitæ clericali conjungere ſtuduit: parum fuit Athanaſio Monachiſmum clero conjungere, ſed ipſos etiam ſanctiſſimos monachos in Epiſcopos diverſarum Eccleſiarum adſcripſit. Hinc negari non poteſt fuiſſe monachiſſimum in Eccleſiâ Dei ſeminarium ſanctiſſimorum Epiſcoporum, ex quo Baſilij, Gregorij, Chriſoſtomi & alij tam in Oriente, quàm in Occidente viri ſpectatiſſimi prodiere. Baron. an. 328.

Hinc illud reſcriptum Imperatorum: ſi quos Epiſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrarentur, ex Monachorum numero rectius eos ordinandos fore. lib. 32. C. Theod. de Epiſc. & cleric.

Epiſcopus non ſit neophitus, vt præcipit Apoſtolus, ſed probatæ diù virtutis & fidei. *Vide Durat. Virt.* mora in acquirendâ virtute.

Cum in Angliâ clerici corruptiſſimis eſſent mori-

Digitized by

bus, convocato concilio omnium Episcoporum, approbante summo Pontifice statutum est, vt aut iidem clerici vitam mutantes caste viverent, aut ab Ecclesiâ pellerentur, substitutis in eorum locum monachis. Baron. anno 970.

Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, &c. 1. Timoth. 3. & ad Titum.

Vide Vinus Principij, & Majoritas Principij. Nam Sacerdotes sunt patres spirituales.

SACERDOTVM VITIA.

GRandis dignitas Sacerdotum, sed grandis eorum ruina si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse; neque enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donis. D. Hier. in Ezech. cap. 44.

Nullos pietas minùs respicit, quam quos Religio commendat; Salvian. lib. 3. ad Eccles. Cath.

Atrociùs sub sancti nominis professione peccatur: vbi sublimior est prærogativa, ibi major est culpa. Idem 4. de guber. Dei.

Vt in oculum etiamsi parva sordes incidat, totum lumen obcæcat; sic in Ecclesiastico corpore, etiamsi pauci sordida faciant, totum Ecclesiastici splendoris lumen obtenebrant. Ibidem 7. de gub. Dei.

Magnum scelus est crimen admittere, quos nec decet conversationem habere sæcularem: professio vestra vita cœlestis est; nolite ad mortalium vota humilia & errores descendere. Cassiodorus lib. 8. variarum. Epist. 24. vbi plura.

Nunc sub religionis titulo exercentur injusta compendia, & honor nominis Christiani fraudem magis facit, quam patitur. D. Hieron. ad Rusticum. lib. 2. Epist. 13.

En qui Christiani sunt, sævius quàm hostes Christi opes perdunt: heù qui nominis tui pretextu, ex ignobilibus & obscuris, clari atque illustres effecti, honore abutuntur adversus eum, qui honorem est largitus; audentque non audenda in Sacrosancta mysteria: probos expellentes; &c. D. Chrysost. lib. 3. de Sacerd.

Cave tibi speculator domus Domini, qui in Ecclesiâ Dei locum tenes sublimem, ne deorsum te mittas & sapias non quæ sunt Dei, sed quæ sunt super terram; ne à virtutum eminentia ad humanos appetitus dejiciaris: quàm ingratus imò injuriosus, illi magno sacramento pietatis, si in illo quæstum æstimes pietatem: quàm infidelis ei qui ministerium hoc sanguine proprio consecravit, si in eo quæras gloriam tuam, quæ nihil est; si quæras quæ tua sunt, non quæ Iesu-Christi: quam indignè respondes ejus dignationi, qui in dispensatione humilitatis suæ, sublimem esse te fecit, ampliorem fortè ipsis cœlestibus potestatibus tradens dignitatem. D. Bernard. Serm. 14. in Psal. 90. qui habitat.

Contra malos Ecclesiasticos, qui domum Dei faciunt domum negotiationis. Vide multa ex origine. 16. q. 7. Can. & hoc dicimus.

Excommunicatus alium excommunicare non potest. 24. q. 1. Can. audiamus.

Ius ordinandi amittit, qui immeritum consecrat. 25. q. 2. Can. si quis.

Privatur honore Ecclesiastico, qui ad illud per præmium accedit. Concil. Toletan. 11. cap. 9.

Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc è contrà lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Concil. Triburen. can. 18. Vide infrà in Iure Civili & Canonico. *Vide Veritas Virtutis. Rep.*

Quis locus tutus, & quæ causa potetit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur, quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpit, &c. Vide plura contra ambitum Sacerdotij l. 30. ff. de Episc. & cleric.

EX BIBLIIS.

VIdi Dominum sedentem super solium excelsum, & repleta est domus a Majestate ejus. Isay. 6.

In illà die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, &c. Ioël. 3.

Trepidante exercitu Iudæorum in transitu torrentis, Simon Dux transit primus, eum omnes sequuntur. 1. Macab. 6.

Et nunc Reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram: servite Domino in timore. Psal. 2. Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Psal. 71. Elegit David servum suum, pascere Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentiâ cordis sui & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Psal. 77.

Da imperium tuum puero tuo. Psal. 85.

Extendens cœlum sicut pellem. Psal. 103. Vide ex Principe sicut ex cute dignoscitur corporis Reipublicæ temperamentum.

Caput statuæ Nabuchodonozor aureum.

Deus homini ad imaginem suam creato dedit imperium super omnia animantia. Gen. 1.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem; non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non neophytum, domui suæ bene præpositum: &c. 1. Timoth. 3.

Iethro dicit Moysi, vt eligat judices viros potentes & veraces. Exod. 17.

Exod. 28. Rationale Aaron erat duplex, ideſt duplici telâ constans, vt posset sustinere duodecim lapides, in quibus duodecim nomina Tribuum Israël: duplex & major debet esse Principis virtus. Vndè Elizæus ad Eliam, fiat in me duplex spiritus tuus.

Levit. 21. à S. Sacerdote plus exigitur virtutis, vt scilicet non fleat nec patrem nec matrem, ducat vxorem virginem, &c.

Vide virtutes quas Deus exigit à Rege. Deut. 17.

Deus & Moyses dicunt Iosue, qui debebat regere populum, confortare & esto vir robustus. Deut. 31.

Eccles. 31. Beatum scriptura dicit, qui potuit transgredi, & non est transgressus.

Habeto facultatem, & ibi laudabo domitam cupiditatem. D. Augustin. ser. 19. de verb. Apost. cap. 5.

Ecce in justitiâ regnabit Rex, & Principes in justitiâ præerunt. Isay. 32.

Eudoxia in malis suis perpetrandis habebat consiliarios, Severianum & Acatium Episcopos, hos in concione clam percussit D. Chrys. accepto hoc themate. 3. Reg. 18. Congregatis ad me Sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Iezabel, &c. ob id incurrit implacabilem Eudoxiæ iram.

Hic jam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inveniatur. 1. Corint. 4.

Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerros divitiarum, sed in Deo vivo, &c. 1. Timoth. 6.

Digitized by Google

Provide tibi de omni populo vivos potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas; si hoc feceris imperium Dei, ac præcepta ejus poteris sustentare & omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace. Exod. 18.

QVI REGIT PRÆCELLAT virtute.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt cœlum terræ vires influit, sic rector populis virtutes; priùs ergò est vt illas habeat eminenter. Corporis Reipublicæ quodammodò anima est, in quâ virtutum omnium potentiæ debent esse radicaliter, vt hinc in cæterorum vtilitatem emanent.

MAGNITVDO. Heroïca virtus regenti propria: Deum contemplatur, cujus comparatione quidquid agitur in terris exiguum apparet; sic non terretur rerum publicarum & numero & magnitudine, ideâ semper & animo illis superior existens. Vera hominis ex virtute sublimitas, cui vt superioribus in inferiora conferendum est imperium.

DVRATIO. Rector verâ fortitudine præditus, non cedit adversis, non corrumpitur prosperis: concedit populari malo quod intempestivè tentatum malè cederet. Expectat ergo opportunum remedij tempus, sibi semper æqualis in maximâ rerum varietate, cum agat ex habitu; nec desistit, donec quod aggressus est ad perfectum adduxerit: mala publica, vt plurimum inveterata, indigent tam constanti simul & patiente medico.

POTESTAS. Tot Respublicæ à tyrannis dilaniatæ probant quàm infausta sit vitiis addicta potentia; offenditur Deus si hominum indignissimi vices illius agant; si potentia, quæ in illo vna est cum sanctitate & bonitate, flagitiis concedatur. Servi sunt vitiorum, & tamen illis in cæteros homines datur imperium: at nulla major subditis libertas, quam sub imperio virtutis, quæ sola verè liberos efficit. Si bonam alioquin indolem corrumpit, potentia, quid si malæ accedat; erumpent, etiam cum applausu, ante latitantia vitia in stragem hominum; nihil non injusti tentabunt securæ, armataeque passiones: malo rectori populum, hoc est leoni gregem custodiendum tradere.

COGNITIO. Virtus, quam regimini necessariam dicimus, non excludit, imò supponit prudentiam, de recte agendis optimè instructam, magnisque sapientiæ præceptis imbutam. Hæc si tollas, minuta illa quibusdam dolis & experimentis constans politiæ ars, præceps est, fallax, in novis pavida, ad vanam ostentationem effusa. Sola virtute præditi mens tranquilla & illustrata potest judicio suo, cæterorum controversias dirimere. At malus passionibus obcæcatus, verum à falso non discernit, semper aliquid molitur, quo sua credat interesse innocentiam opprimi. Itaque nulla sine virtute politica scientia, nulla populi salus.

VOLVNTAS. Vir bonus amatur à populo, quia creditur amare populum, ideo in illum vota confluunt, sibi enim quisque consulens, se regendum tradit bonis, à quibus bona sperat, gaudetque virtutis, quàm naturaliter amat, imperio; huic soli contingit, non vi sed amore regere: adversos omnes casus eluit opinio affectus in bonum publicum propensi: charitas operit multitudinem peccatorum.

VIRTVS. Non audent mali palam in probos insurgere, ne videantur virtutis hostes; continet illos probitatis fama. Omnes sub bono principe contendunt ad virtutem, cui favet; at sub mala, virtus contempta, contumelis, injuriis lacessita, jacet & profligatur.

VERITAS. Tam necessaria est ad regimen virtus, vt qui non habent, eam tamen se habere confingant. Sed quamvis sic mali bonorum personam induant, vt impunè grassentur, fictam tamen hanc faciem, cito deponunt & cæteri deprehendunt. Vnde læsa simul & delusa innocentia magis irascitur. Bonus Rector est lex animata, cui glorioſum est, sicut & scriptæ, subijci: sinè probitate scientia, vt in malis dæmonibus, est populo pernicioſa, nam dolos nectit, insidias struit, resistentiam omnem prævenit, falsa pro veris, injurias pro beneficiis substituit; sic fucum facit oculis, sic suis præstigiis deludit mentes, vt nulli de malis suis, impunè conqueri liceat.

GLORIA. Si pax sit summum populi bonum, à bonis tantum speranda: cum enim illam interiùs possideant, volunt cæteros illius esse participes. At malis votum est res turbari, vt latenter, securiusque sæviant. Supponuntur boni, qui bonum sibi præficiunt, quasi sibi similem & magis acceptum: sic virtuti delatus honos, in electores redit.

DIFFERENTIA. Malus Rector, defectus sui conscius, vt illum tegat austerâ nimis virtutis fronte, & inflexo rigore subditorum vires exhaurit, nolens vnquam flecti, ne videatur deficere. Virtus autem secura, leges suas rerum temporumque circumstantiis contemperat: ex alto rerum humanarum varietates tranquillè prospicit, & immota, dat cuncta moveri. Virtutes ad Regentis securitatem, agmen conficiunt, fronte vndique hostilibus fortunæ casibus obversa. Natura & experientia, aliquas dant ad regimen dispositiones, omnes virtus, quidquid accidat, in bonum vertit.

CONCORDANTIA. Firma tantum inter bonos fœdera, quibus stant Respublicæ: bonus princeps similem sibi format Rempublicam; omnes enim conantur illius exemplo ad virtutem, æmulâ contentione, vnde salus publica.

CONTRARIETAS. Ne tibi fingas virtutem mobilem, timidam, & in vmbrâ latitantem; generosa est, præcipuas illius in regimine partes tenet fortitudo periculis interrita, in procinctu si opus sit, contra hostes parata, vt aliis, sic sibi jus bello tribuere. Virtutis Regimen minus patet invidiæ malis; non enim ambitiosè illud appetit, sed quasi invita, suisque periculis suscipit.

PRINCIPIVM. Cùm omnis potestas sit à Deo, debetur illi maximè qui Deo per virtutes proximior est. Sic causæ omnes superiores sunt amplioris virtutis quàm inferiores: initio Regimen virtute præstantioribus delatum. Ex recto principio sequuntur legitimæ conclusiones. Ex falso autem innumeri errores.

MEDIVM. Bonus Princeps, nihil nisi ex virtutis legibus tentans, bonis tantum vtitur Ministris; vnde fit vt mali ad meliorem frugem se recipiant, ne vt inutiles ab officiis turpiter excludantur: Multò magis Principis boni veneratione, quàm metu legum in officio continentur. Viri boni sub bono Principe se libentiùs immiscent publicis negotiis, quæ alias toto conatu effugerent, ne vitiis viderentur ministrare. Virtus est habitus ex ratione, circà mediocritatem, quæ maximè necessaria est imperio, vt plurimum peccante in excessu.

FINIS. Hoc habet boni Principis mens, prudentiæ radiis illustrata, quod sibi finem proponat, viribus & bono populi proportionatum; at mali ambitio vlteriùs semper profert suas cupiditates effundens se, quâ

Digitized by Google

datâ à fortunâ viâ, ſic in incertum fluctuanti nullus eſt portus: neſcienti quid petat, immenſa deſideranti, nulla fruitio; ſic ſpernit quæ ad manum ſunt bona, vanâ ſpe eorum, quæ nunquam contingent.

MAIORITAS. Conſiliis & virtutibus potiùs quam armis augentur Reſpublicæ, nec enim ſinè virtute arma poſſunt tractari, viſque conſilij expers moleruit ſua: vera homini ex virtute excellentia, hæc illum in ſortem quodammodo divinam tranſcribit; capitis autem honor, accedit corpori Reipubl.

ÆQVALITAS. Ab immoto illo regentium animi ſitu, virtutumque fixo habitu oritur æqualis & tranquillus rerum publicarum fluxus: cum ſub malorum regimine, ad inſtar occeani res, nunc intumeſcant horrida tempeſtate, nunc malacia langueant: periculoſo, vt plurimum ab extremo in extremum tranſitu.

MINORITAS. Levius jugum apparet, quia creditur neceſſarium ſub bono Principe. Virtutis opinio apud plebem eluit omnes adverſos caſus. Fœliciùs res ſuccedunt, ſi regimen committatur hominibus è plebe, ſed virtute inſignioribus, quàm aliis nobilitate tantum præſtantibus; nobilitatem enim tantum commendat virtutis à majoribus acceptæ præſumptio; at huic præſumptioni præferenda eſt, ipſius virtutis exhibitio.

PIETAS REGENTIS.

Micellanea.

QVi imperat maximam habeat religionis curam: vt id quod optimum eſt ab optimo colatur: & quia vt ait Xenophon, ſi omnes ſubditi Dei metuentes eſſent, minùs in ſeipſos, aut in principem aliquid illicitum patrarent. Sola Religio eſt, quæ conſervat hominum ſocietatem; hac ſublata, omnia ſceleribus implentur: nec audiendi Ægyptij, qui teſte Diodoro libro 11. variam Religionem & miſcellam receperunt, ſtabiliendo vt putarunt ſceptro, magis aptam, ne Ægypti omnes poſſent ſimul conſpirare contra Principem; vna enim melior, quæ vnionem in ſtatu maximè optabilem parit: Puniendus, qui illam turbat, meliùs enim eſt, vt pereat vnus quam vnitas, &c. ex Lipſio in polit.

Sinè Religione, non Princeps, non ſubditi officio ſuo fungentur: ſinè eâ nulla ſocietas quia nulla fides, nulla virtus, nullum frænum peccaturis; nam externum illum à morte aut pœnis, multi contemnunt, & deſperatio, impetus aut iracundia, eo ducunt. Religionem Regi & ratio & gratitudo ſuadet: diligentius colat numen, cui plura debet, & à quo datore etiam data conſervantur; evertere enim poteſt qui ſublimavit: Modeſtia Religioni proxima; ſic tutior erit, hinc enim amor & veneratio; nec facile aut à ſuis, aut ab exteris lædetur, cui numen amicum: Religionem virtutum agmen comitatur: obſervatum etiam pios ſemper eſſe fœlices. Refert Xenophon Ageſilaum delubra Deorum etiam in hoſtili loco coluiſſe, & ab illis voluiſſe abſtinere milites, quod exiſtimaret divina auxilia non minùs in hoſtili, quam in amico ſolo imploranda. Idem in monitis & exemplis politicis.

Moyſes Rex populi Iſraël frater fuit Aaronis, quia pietas debet eſſe conjunctiſſima Regiæ Majeſtati. Sic Plato in republica, vult domum Regentis, muro tantum à templo ſeparari; ſic templum & domum Regiam David ædificavit.

Ipſe ante arcam præ gaudio ſpirituali pſallens, ſal-

A tabat. de quo D. Gregor. Moral. 27. c. 7. Ego David plus ſaltantem ſtupeo quam pugnantem.

Hæ quator numerantur regiæ virtutes; Pietas, Iuſtitia, Fortitudo, Clementia, maximè omnium pietas, vt Religionis ſit vindex; injuria enim Deo illata, in ipſum regentem redit, qui Dei imaginem hic refert. Romana Reſpublica plus crevit Religione, quam armis, Numa authore; ſic Moyſes inſtruit populum in cognitione Dei, mundi opificis vt habeat in cæteris obedientem. Sic omnes legiſlatores dixerunt ſe leges accepiſſe à Deo. *Vide Princip. Verit.*

Pietas complet Dei imaginem, quæ jam elucet in potentia: Cùm omnis poteſtas ſit à Deo, in eum ſicut in originem ſuam refluere debet, vt flumina in B mare redeunt: humiliari debet Princeps ſub potenti manu Dei, qui poteſt exaltare & dejicere. Daniel. c. 4. dicit Nabucodonozor, humilitabit te Deus: Angeli ſuperiores Deo ſemper aſſiſtunt, qui fuit rebellis in infimum dejectus eſt, deponit potentes de ſede & exaltat humiles. Vide Imperij Antiochi confeſſionem. 2. Machab. 9.

Pietas imperia firmat: quis fœlicius regnavit in Iudæâ Davide, & Salomone antequam prævaricatus eſſet: Ezechia, & Ioſia, Romæ Conſtantino, in Græcia Theodoſio: In Francia Carolo Magno, & B. Ludovico: Primum quærendum regnum Dei, & omnia adjicientur.

Idem Planeta Iupiter qui præſidet imperiis, præſidet Religioni.

C Magis debent eſſe pij, qui continuo & ſpeciali indigent Dei auxilio. Neceſſaria enim eſt illis virtus heroica alias ſuperans Ariſtot. 7. Ethic. 1. Aguntur divino inſtinctu, cui ſe debent magis committere, quam naturali. 7. Moral. Eudem. cap. 18.

D. Thom. 12. q. 68. Dicit Deum illis dona infundere aliorum gratiâ. Reges prædeſtinati vocantur. 1. Reg. 25. & 29. qualide illis ſpecialem Deus curam agat.

Initium ſapientiæ, Regibus neceſſariæ timor Domini.

Reges Magi offerunt homagium naſcenti Chriſto.

Erunt Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ. Iſay. 29.

Magi fuerunt à Conſiliis Regum Perſarum præci-D pui. Dion.

Imperator in coronatione jurat. S. Pontifici ſe Eccleſiam deffenſurum, nullam cum fidei inimicis ſocietatem habiturum. Vide c. vnico. in clemen de jurejurando.

Sapientia dirigit cæteras virtutes, quia ſpeculatur primum Principium. D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 5.

Hæretici ob omni dignitate removentur. Nov. 109.

D. Auguſt. lib. 5. de civit. Dei. c. 24. dicit non ideo Reges fœlices dicendos, quia illis proſperè omnia cedunt, ſed ſi ſua vtantur poteſtate, ad Dei cultum dilatandum ſi illum timent, diligunt, colunt, ſi illius Majeſtati, ſuam faciant famulam; ſi plus amant illud Re-E gnum, in quo non timent habere conſortem.

Vide infra Concord. Poteſtatis. Conſenſus Religionis & politiæ.

Decere arbitramur noſtrum imperium ſubditos noſtros de Religione commonefacere, ita enim & pleniorem acquiri, Dei & Salvatoris noſtri benignitatem, ſi pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, & noſtros ſubditos ad eam rem inſtituerimus. Impp. Theodoſ. & Valentin. l. 3. Cod. de ſum. Trinit.

Qui juſtitiam adminiſtrat dicitur juſtitiæ ſacerdos, l. 1. §. 2. ff. de juſt. & jur. l. 32. §. 4. de arbitr. l. 2. de in jus vocat. l. 13. ff. de excuſation.

Altitudines montium ipſe conſpicit; poteſtates ter-

renæ contra Christum steterunt quando fremuerunt gentes, &c. Sed postquam impleta est Prophetia, & adorabunt eum omnes Reges terræ, tunc altitudines montium ipse conspicit. D. August. in Psal. 94.

Iosue 16. Favus in ore Leonis a Samson occisi, significat leges ipsas regni terreni quæ adversus Christum ante fremuerant nunc jam peremptâ feritate, dulcedini Evangelicæ Prædicandæ, etiam munimenta præbere. D. August. lib. 12. contrà Faustum Manichæ. c. 32.

Plana non ita ardent, vt montes.

Primum justitiam Deo debent, quam populo.

Plato 6. De legibus, vult curias Iudicum & Magistratuum palatia, ideo templis proxima collocari, vt Dei meminerint judicando, seque ab illo judicari.

Sic Salomon ædificavit domum suam juxta templum.

Livius lib. 26. de P. Cornel. Scipione Africano, ait, eo quo virilem togam sumpsit, nullo die priùs vllam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret, ingressusque ædem consederet, & plerumque tempus ibi solus tereret.

Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petiit ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, non tam sui vlciscendi causâ, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ: quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Sic Paulus obtinuit milites à Tribuno, ne incideret in insidias Iudæorum. D. August. Epist. 50. Bonifacio. habet. 23. q. 5. can. Maximianus. & seqq.

Parentibus diversæ fidei existentibus & Religionis, illius sententia prævaleat qui liberos ad orthodoxam fidem voluerit perducere. l. 12. & 18. Cod. de hæret. & manichæis.

Principes sunt Religionis vindices. *Vide Contrar. Veritat.*

Rectè petitur à Principibus auxilium contrà hæreticos, vt Leo. Epist. 93. id probat in Turibio Episcopo asturiensi. Id tamen citrà sanguinem. Baron. anno 385.

Sebastianiano Duci cui Papa contulit munus defensoris Ecclesiæ, qui Magistratus postea in Ecclesiâ perseveravit. Baron. an. 286.

Pulcheria Virgo Deo dicata creatur augusta, & in palatio agit vitam monasticam. Baron. an. 415.

Nestorius vir insignis doctrinâ, eloquentiâ & moribus electus Antiochiæ Episcopus, coram vniverso populo, hæc dixit Imperatori Theodosio: mihi ô Imperator terram hæreticis, tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum tribuam; tu mihi in profligandis hæreticis subveni, & ego tibi in profligandis Persis hostibus tuis subveniam. Baron. an. 428.

Iustinianus Imperator multas leges edidit de rebus sacris, non vt juris Ecclesiastici vsurpator, sed vt canonum executor, idque consilio tunc Constantinopolitani Episcopi: nec enim credibile est ipsum Sacerdotibus voluisse leges dicere, cum palam ab ipsis voluerit accipere. vt. l. 8. Cod. de summâ Trinit. Vide Baron. an. 528.

Carolus Magnus coronatus Imper. à Leone Papa. hoc se publico juramento obstrinxit Ecclesiæ. In nomine Christi spondeo atque polliceor, ego Carolus Imp. coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore hujus S. R. E. in omnibus vtilitatibus, quatenus divino fultus fuero auxilio, provt sciero, poteroque. Baron. an. 800.

Idem Carol. Magn. dividens regnum tribus suis filiis: Ludovico, Pipino, & Carolo, hæc habet in testamento: super omnia jubemus, vt ipsi tres fratres curam & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo factum est, similiter & cæterarum Ecclesiarum quæ fuerint sub eorum potestate. Baron. an. 806. & 837.

Humanæ potestati danda est occasio aliquid agendi pro Ecclesiâ, ne agat contrà ipsam, vt prima beneficia sint arræ futurorum.

REX SACERDOS.

MAcha mater Regis Asa, fuit Regina sacrorum Priapi. 3. Reg. 15.

Romani Imperatores, etiam Pontifices dicebantur, imperioque semper erat conjunctum sacerdotium. Vt refert Isidor. lib. 7. Ethim. cap. 12.

Hunc titulum retinuit Constantinus Magnus etiam animo Christianus, post victoriam. Baronius anno 312.

Christus verus fuit Rex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Poloni fatigati Imperio Roxæ mulieris petierunt à sede Apostolicâ quendam Vladislaum Monachum professum Dividuni in Monasterio S. Benignæ: habuerunt etiam Casimirum Regem ordinis Cluniacensis, Samuël fuit Sacerdos & Dux populi.

Plato lib. de regno, vult eos qui sacris ministrant, Regis Sacerdotis esse ministros; vt apud Ægyptios, non licet Regem absque Sacerdotio imperare, quod si ex alio genere vir quispiam regnum vsurpet, cogitur post regni assumptionem sacris initiari, vt sit simul Rex & Sacerdos; sic apud Athenienses, præcipua sacra à Magistratibus summis instituuntur; Regi autem maxima & solemnia sacra tribuuntur.

Idem Epist. 8. Dionis propinquis: sic inquit, constituatur Respublica, vt in eâ Reges sint sacrorum Domini: nec intersint judiciis criminalibus, in ferendâ necis, carceris, aut exilij sententiâ, ne vt pote Sacerdotes his contaminarentur.

Ægyptij sacrorum mysteria tantùm revelabant probatissimis ex Sacerdotibus, & iis qui ad regnum essent perventuri. Clem. Alex. 5. stromat. 3.

Rex Persarum, præsentibus magis hostias quotidie immolabat, nec poterat esse Rex Persarum, nisi antè Magorum disciplinam percepisset. Philostr. in vitâ Apoll.

Regibus Syriæ & Palestinæ nomen erat summi Pontificis: vndè propter Pontificatum, qui eam regebant, tempore Pompeij, Hircanus & Aristobulus, vrbem seditionibus repleverunt Dion. Cass. lib. 37. *Vide Potestas Virtutis.* vis & Imperium religionis.

Reges Christianissimi vi ac potestate suæ inunctionis in sacros homines evadunt, & quandam sacerdotalem dignitatem cum Regiâ majestate conjungunt, nam ad vacantes Ecclesiæ præfecturas eximio nominandi jure nituntur, & interdum positis regiis insignibus augustos fasces religioni submittunt, atque lineum supparum induti, divini cultus obeunt ministerium, ipsaque regia vox cum cantoribus permiscetur: siquidem in andium æde summa, Cœnomanorum & Martini Turonensis canonicorum numero accensentur, & adscribuntur; idque profecto pellucens quædam commissura est, alteque adhuc impressum divulsi à Regno Sacerdotij vestigium; cum olim litui sceptris, tyaræ diadematibus commiscerentur. Rex anius, Rex idem hominum, phœbique Sacerdos.

Macabæi summi Sacerdotes, & Duces populi, stirps Regia & levi, seu Sacerdotalis, poterant commisceri.

Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti petiit legem Moysis à S. Sacerdote & Rege Iudææ, duæ enim illæ dignitates junctæ erant. Philo. Iudæ. l. 2. de vitâ Mosis.

Digitized by Google

Quia res regnorum malè cedunt sinè Dei auxilio. ideo Moyses dux populi erat etiam Sacerdos. Idem ibid. lib. 2.

Cum apud judæos vir & mulier nupturi deberent esse ex eâdem tribu: tamen Sacerdotalis tribus levi poterat cum regiâ conjungi. Vide Baronium in apparatu animalium.

Reges & Magistratus suis manibus sacrificia offerunt. *Vide Medium Potestatis Rep.* seipso agere.

Planeta dicitur esse in carpento seu regio solio, quandò est in signo, in quo habet duplicem dignitatem, vt Venus in Tauro, domo & trigono potens, &c. Ptolomæ. præd. Astrolog. lib. 1. cap. 21.

PIETAS PRINCIPEM DECET.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Imperium Dei beneficio & datur & conservatur, vndè ingratissimus est, sibique ipsi infensus, qui tanti beneficij largitorem non colit; cum ab eo pietatem, non solum gratitudo, sed necessitas etiam & vtilitas exigant.

MAGNITVDO. Quomodò tam vasto Reipublicæ, corpori quasi anima infunderetur, & hanc negotiorum publicorum molem agitaret? quomodò vnus cæteris omnibus existeret major & fortior, nisi mutuatis viribus ab immensitate primi principij. Pietas hunc cœlestem promeretur influxum; regnanti ex numine propitio venerationem, & Religioni, quâ continetur populus, majorem cultum conciliat; tunc enim magis colendus videtur Deus, cum illi se sceptra submittunt. Gaudet etiam populus in hoc sibi imperantibus quodammodò æquari.

DVRATIO. Pij Principis animus Deo hærens immotam sentit in se vim, etiam adversis rebus: Dilatum putat, non negatum, quod sibi bonum futurum est, spe etiam post naufragium salvâ.

POTESTAS. Naturaliter infirma hærent potentioribus, in periculis manus ad cœlum tollimus, indè auxilium accepturi. Potentior videbitur & erit Princeps omnipotenti pietate confœderatus; alioquin imperio suo non poterit continere tot homines liberos, naturâ æquales, meritis fortè superiores. Nimiæ potestatis excessus coercet numinis suprà se imperantis timor. Sic Religio non minus Principibus quàm populis frænum est.

COGNITIO. Cogit quidem Princeps consilium, sed ex pugnantibus sententiis quomodò meliorem eliget, quomodò minus expertus & edoctus cæterorum sedebit sudex; quomodò in subitis, quæ moram non patiuntur, oraculi modo decernet, sinè cœlesti illustratione, quam Religionis cultu confidat se promereri, hanc si tollas confidentiam, quam dat pietas, cæca & titubantia sunt consilia.

VOLVNTAS. Religio est potentissimum invidiæ, quæ imperia consequitur, temperamentum: quilibet enim amans Deum non potest non venerari ipsum amantem, & ab eo, vt creditur, amatum: sic ejus legibus, quasi essent à Deo, paret populus, cum semel Princeps habetur pius. eius etiam errores, quasi quædam consilij & amoris in publicum mysteria, populi venerantur.

VIRTVS. Cum Religio sit circà eminens objectum, eminentis potestatis propria virtus est, & cæterarum caput. Qui profiteur omnibus jus dicere, prius Deo quod suum est, debitaque reddat obsequia; non sufficit ad homines regendos humana virtus, divina sit necesse est, nihil enim nisi à superiore regitur.

VERITAS. Fallunt generalia politiæ præcepta, fallunt experientiæ, quia rebus singularibus, semperque diversis non congruunt: dirigit has generales & singulares notiones, à Deo afflata mens, & bona ex alto numinis sensu conscientia: viget in illa lex naturæ, viget pura à passionum tenebris & tumultu ratio; vndè olim sacerdotium Reges gerebant, quo primæ veritatis credentur magis participes, & decreta pro oraculis haberentur. Tam necessaria Regentibus Religio, vt qui illam non habent fingant.

GLORIA. Rerum publicarum tempestate vexata Principis mens, in Deum quasi in portum refugit, postquam illum sibi propitium sincero Religionis cultu effecerit; experta, fœlicitatem in mundanis divitiis, honoribus, voluptatibus non consistere, scit illam in Deo, vt in verâ ejus origine, quærendam; reficitur rerum divinarum contemplatione & amore; resumptis indè viribus. Principis sui, familiari dignata colloquio, & quasi novo accepto mandato confirmata, alacrior iterum ad regimen descendit: cæterùm nulla splendidior, quàm quæ ex pietate, fama.

DIFFERENTIA. Iuvat hoc habere cordis sacrarium, in quod Deum consultura, & invocatura mens se recipiat, & brevi fugâ longius se à rebus mortalibus eripiat. Fœlices qui hanc sacram sibi ædificant solitudinem; qui hoc sibi constituunt centrum immobile, quo sustententur & dirigantur omnes in bonum publicum motus.

CONCORDANTIA. Diversis diversa in cæteris omnibus mens, at omnes in eo consentiunt, Deum cultu apud suos recepto summè colendum. Sic Religio est potentissimum omnium vinculum, quo aversos, & dissentientes genios facili negotio Princeps conciliare potest. *Vide Demonstrationem initio operis de tertia mentis operatione positam*; quod Religio sit politiæ necessaria.

CONTRARIETAS. Timet vnusquisque aggredi Principem Deo acceptum, cum talibus illatas injurias miracula sæpius vindicarint. Propè sacrilegium est, nec videtur levius crimen in Principem Deo pietate sacrum, ac in altaria peccare. Est ergo pietas arx munitissima, hostium conatus, aut præveniens, aut fortiter repellens; Principi, dùm bonum publicum curat, infensi sunt omnes hi qui bonum suum singulare quærunt; hanc communem iram temperat communis omnibus Religionis sensus: dùm se pius Princeps minime tutum existimat, invicto animo cum fortuitis congreditur, nec parem invenit fortitudine, si parem non habeat pietate.

PRINCIPIVM. Si Principiis omnibus defertur honor, Patriæ, parentibus, Magistris; quid ni Princeps, præ cæteris cultum deferat Deo, vt vero suæ potestatis Principio; si sit electiva, inclinavit eligentium voluntates; si hæreditaria, dedit parentibus fœcunditatem, partus tutelam gessit, & mala innumera infirmæ ætati imminentia compescuit.

MEDIVM. Qui regit, medius est inter Deum & homines; vndè ne detur vacuum, & dissolvatur vnio, tam debet Deo cohærere, quàm vult sibi populum subjici. Gaudet populus obedire Principi Deo obedienti, quasi sic Dei voluntates exequatur, in ejus vicariâ potestate.

FINIS. Miseri tyrannorum impiorum exitus, & immania pro Religione bella probant, quid possit irata plebs contrà Principem, quem non putat Deo acceptum. Si Moralis Christiana habet Deum pro vltimo fine, multo magis politica. Princeps ergo se priùs quam Regnum suum Deo offerat, & ad finem supernaturalem Religionis cultu dirigat.

Maiorıtas. Suprà cæteros homines eminens sublimitas evanescit, si Deo non cohæreat: quod vltrà mundana omnia inexpletus quærit animus, in Deo reperit; superbiam, potentiæ connaturalem, humili sensu coercet infiniti boni suprà se existentis contemplatio & cultus. Sub cælo, & in terræ descriptione regna sunt puncti instar, in comparatione Dei nihil.

Æqvalitas. Sanctitatis Dei in se effingat imaginem Princeps, si voluerit fœlix illius regimen imitari. Sit bonitate & clementiâ Deus populis, vt populos habeat quasi creaturas, potentiâ obedientiales ad omnia paratas; quod Deo tribuit refluit in se cum vsuris; quâ mensurâ ergâ Deum vsus fuerit, remetietur ei.

Minoritas. Humiliet ergò se sub potenti manu Dei, agnoscat nihilum suum, sciat quidquid habet dignitatis & eminentiæ ab eo pendere. Nihil tumidum, vt nihil nimis abjectum, in animo Deum colente, servabit in adversis æquanimitatem, nullaque gravis jactura videtur ei, cui Deus superest.

REPVGNANTIA.

DEFECTVS VIRTVTIS in regente.

MISCELLANEA.

Vide Bonit. Potest. Republ. & hoc tit. Integritas sacerdotum.

ARistoteles 2. polit. 7. Reprehendit Lacedemoniorum Rempublicam, in quâ paucæ erant leges scriptæ & Magistratus summam jus dicendi facultatem habebant melius erat lege res decerni, quia Magistratus facile corrumpuntur, & à populo sæpe deteriores eliguntur.

Ibidem reprehendit Carthagenienſium Rempublicam, in qua ditiores ad Magistratus evehebantur. Hæc enim lex prætiosas magis facit pecunias, quàm virtutes; ac civitatem totam convertit ad studium pecuniarum, ad imitationem Principis; possentque malis artibus ditati dignitates obtinere. Idem 2. politic. cap. 9.

Regna in quibus succeditur, corrumpuntur quandò contemnendi homines succedunt in regnum, & nimiùm superbiunt. Idem 5. politic. 10.

Thraces, quia se vinci passi sunt ab hostibus in pœnam Olorus eorum Rex imposuit illis vt essent sub imperio mulierum. turpi & contumeliosâ admodùm servitute. Iustin. lib. 31.

In electivis rarum est bonos dominari; quia cum mali numero cæteros superent pares sibi eligunt.

Statocles & Democlides Athenienses ad Magistratus evecti, eamus, inquiebant, ad messem auream.

Vniversum phrenetidis genus exitiale est, quod in eâ parte generetur, in qua Princeps animæ facultas risidet.

Si melancholicus humor caput, in quo est nervorum origo, occupet, periculum est ne fiat apoplexia, convulsio, mania, vel epilepsia, in quâ non est abolitus, sed depravatus, facultatis animalis motus.

Hydrops accidit, vbi adeò refrigeratur hepar, vt frustrata hæmatosi, aquam loco sanguinis faciat: Id quod illi contingit per se, vel per consensum lienis, folliculi fellis, ventriculi, intestinorum, uteri, renum, cordis, pulmonum, aliarumque partium. *Vide Contrar. Principij, passiva, & Minoris Principij.*

Tumores qui Principes partes occupant lethales sunt.

Nihil magis repugnat quàm venalia esse officia, sic enim tota Respublica venalis erit si emptorem invenerit; sic indigni ad munera evehuntur, ab his virtus, quæ sæpe pauper est, excludetur, contempta jacebit; Rectè putant suum esse Magistratum, qui illum pecuniis acquisierunt; ejus officia, quasi agri empti fructus, vendunt, vnde fit venalis justitia.

Mare quod est principium & origo aquarum, est impurum elementum, mixtum plurimis vaporibus, vndè crassities & salsedo.

Frigida media regio aëris frigida montium cacumina.

Fit apoplexia ab his omnibus, quæ basim cerebri, vbi omnium nervorum Principium est, occludunt, & spirituum animalium è cerebro effluxum impediunt.

Sive pituita sit, sive sanguis. Fit etiamsi spiritus animales, qui natura sunt mobiles & tenuissimi, crassescant, sopiantur, & torpidi reddantur.

Periculosior morbus, qui in parte nobiliori.

Immensa & improba rerum naturæ portio ignis est, vt ait Plinius, in quo dubium plura absumat, an pariat.

Difficilius Principes, quam privati, resistunt passionibus, & instituuntur in virtute, quia assueti imperio non tolerant desideratis privari; non continentur fræno legum, non moventur, nec ab amicis, nec ab hostibus sibique videntur esse sublimioris cujusdam naturæ, quàm cæteri hominum.

Terræ opibus vtimur, ad scelera, cædes, & bella. Plin. lib. 2. cap. 63.

Caligula, equum suum Consulem nominavit, suumque collegam. Tac. an. lib. 12.

In seditionibus viles homines obtinent dignitates quia fortè magis temerarij.

Ex D. Thom. Angeli qui ceciderunt erant ex his qui præsunt materiæ.

Mimus Claudij Cæsaris dicebat bonorum omnium Principum facies posse describi in vnius annuli pala.

Omnes Cæsares imperio deteriores facti sunt excepto Vespasiano. Corn. Tacit.

Anaxarxis ridens leges Solonis Athenienſibus datas, dicebat eas à potentioribus contemni, & similes esse telis aranearum, quas majores Muscæ perfringunt.

Cometæ & fere omnia meteora ignita fiunt in suprema aëris regione.

Licaon Tyrannus crudelis à Iove in lupum, cui in vita similis fuerat, convertitur.

Montes alti steriles & nivosi in climate licet calido.

Nullus cometes, nulla vis fatalis sic afficit res mortalium, vt vita mali Principis transformat mores civium. Absurdum est maximè, vt mala ab eo oriantur, qui debet esse fons bonitatis. Tyrannus sequitur quidquid placuerit, illi pro ratione voluntas est, pro præmio divitiæ; administrat metu, dolo, malis artibus; sibi gerit imperium, non fidens suis, Barbarico se satellitio tuetur, illi suspecti sunt, qui virtute, prudentia authoritate pollent; aut stupidis delectatur, quibus imponat; aut sceleratis ad præsidium; aut adulteribus à quibus audiat, quo libenter facit; hoc agit, vt civium opes ad paucos, eosque pessimos conferantur, quos data occasione, possit spoliare; omnes sibi legibus, aut delationibus habet obnoxios, oderint, inquit, dum metuant; timet bonorum concordiam, dissidia serit, alit simultates, divina humanis permiscet, deffidentiam

dentiam inter cives fovet, ignorantiam, torporem, paupertatem, ne quid in ipsum audeant.

Contra naturam est, si ab animo mala in corpus procedant; à formâ in materiam, cum hinc bona spectentur.

Socrates dicebat indecorum esse tales esse dominos, quales nollent pati servos suos; deterrima omnium servitus, servire vitiis.

Calore supremæ plagæ aëris igneſcit exhalatio in Cometam; Mediæ regionis frigore concrescit vapor in nubem & aquam.

Plus nocent inundationes maris aut magnorum fluminum: Eclypses Solis, quam Lunæ; sic regnantium crimina.

Eutydemus dicit apud Thucididem nihil Regi injustum, quod inutile. In summâ fortunâ id æquius quod validius. Respublica sine injura geri non potest. Controversiæ Regum martem habet arbitrum, jus putant esse naturale, vt potentior infirmiora sibi subjiciat.

Seneca lib. 1. De beneficiis cap. 14. invehitur in Alexandrum, qui summum bonum dicebat terrori esse cunctis mortalibus. Oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri ob virus malum.

Vbi sævit crudelitas, contrariis in contrarium agitur; nam invisus est tyrannus quia timetur, & timeri vult, quia invisus est, hoc habens in animo, oderint dum metuant. Ministris non aliter quam bestiis homines objectat: omnibus reis noxior & sollicitior, vt qui homines Deosque, testes ac vindices facinorum timeat: Eò perductus, non vt liceat illi mutare mores. Hoc enim inter cætera pessimum habet crudelitas quod perseverandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda sunt: quid autem eò infœlicius, cui malum necesse est: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati, vbi conscientiam suam plenam sceleribus peruit; sæpè mortem timet, sæpius optat. invisior sibi quàm servientibus. Senec. 1. de clemen. cap. 13. *Vide suprà.* Integritas sacerdotum de malis sacerdotibus.

Multorum quia imbecilla sunt latent vitia; instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt; sic rudi serpens etiam pestifera tractatur dum riget frigore; non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria, vt paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da posse quantùm volunt. Senec. Epist. 42.

Sæpe defectu meliorum dignitas indignis confertur. ne vacet; sic propter bonum vniversi, gravia ascendunt. ne detur vacuum.

Gigantes bellum Deo indicunt, idest pietati & justit æ.

Verum est tritum illud, omnes bonos Principes posse in vno annulo perscribi, insitum namque est humanis ingeniis imperio insolenter vti, nec facile modum servare in eâ re, quæ suprà modum; & nos qui de tyrannide quærimur semina tyrannidis inclusa in pectore gestamus; non voluntas, sed facultas deficit, vt serpens venenum hyeme habens, tamen non exerit. Vide sævientem Patrem in filios, Dominum in servos, præceptorem in discipulos, Phalarides in suo genere omnes isti sunt; eosdem fluctus in flumine excitant quos reges in magno mari. Lipsius de Constantia. cap. 25.

Boëtius de consolat. Philos. lib. 2. met. 6. loquens de crudeli Neronis imperio; heu inquit, gravem sortem, quoties iniquis additur sævo gladius veneno.

Perierunt omnia, vbi quantum suadet ira fortuna permittit, nec diù potest, quæ multorum malo exercetur potentia stare: Periclitantur enim, vbi eos qui separatim gemunt communis metus junxit & conferre in vnum iras publicus dolor cogit. Senec. lib. 3. de ira. cap 16.

Pestifera vis est, valere ad nocendum. Idem.

Imperium facit hominem cognosci, quia liber & solutus agit. Vnde Tacitus dicit de Galba, omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.

Omnium nocentissimus serpens, etiam homines visu enecans, vocatur regulus.

Peccati turpitudo in hoc maximè est quod ratio, quæ præcipua est, non dominatu, sed cupiditas. *Vide Minoris. Virtut.* peccati turpitudo.

Nulli deterius dominantur, quam hi quos ad serviendum natura creavit.

Quot ad ingenium rectum ac mite geniti, vitio nimiæ fœliciratis ipsi suam indolem afflixerunt. Athenion tandiu mores ad publicum probitatis exemplum componens, quandiù in Academiarum spatiis inter famem & centones pro virtute dicebat; nactus tyrannidem, statim cum viliori pallio etiam philosophiam excussit. Barclai. *Vide Minoritas Finis.* Rectorum depravatio.

Quidam Principes necessaria in novis omniumque odio flagrantibus rebus atrocitate terribiles, scelere quæsitum imperium adeo fœdaverunt, vt pejus plerique populi de regibus inde sentirent, nomenque tyranni, quod olim insigne regnantibus, in publicam infamiam odiumque concederet. Idem.

Varus Consul Romanus Syriam expilavit; divitem ipse pauper ingressus, dives egrediens pauperem reliquit. Vide Baron anno Christi 12.

De Cajo Caligula pessimo Imperatore dicit Seneca in consolatione ad Helvidiam. Illum à rerum naturâ editum, vt ostenderet quid summa vit in summâ fortunâ possent.

Manes dicebat prima duò esse Principia vnum bonum aliud malum: Principem autem boni spoliatum fuisse à Principe mali dominio mundi, sed restitutionem procurari per Christum. Baron. an. 277.

Mali Rectores quomodò coërcentur. *Vide Contrarietas Potestatis.*

Enuchi Consulis probrosa electio. *Vide Magnit. Virtut. in fine Miscellaneorum.*

Apud Ægyptios templa plena fuerunt simulachris brutorum; hominum verò simulachris penè vacua.

Plin. lib. 11. cap. 49 Reprehendit Neronem, quod in curru equas haberet Hermaphroditas: Ceu, inquit, planè visenda res esset, Principem terrarum insidere portentis.

Inficiuntur vt aquæ dum alios abluunt, Ideò boni aversantur regimen. *Vide Voluntas Potestat. Repugn. Vide Virtus Majoritatis. Repugnat.*

EX IVRE CIVILI.

AD l. Iuliam peculatus, & de sacrilegiis, & residuis. ff. 48. 13. Repetundarum. ff. 48. tit. 11.

De concussionibus. ff. 47. tit. 13.

De contractibus Iudicum, & iniubendis donationibus in eos faciendis. C. 1. tit. 43.

Ecclesiasticorum aleâ ludentium pœna. Nov. 87.

De Episcopatibus detentis à Laïcis. C. I. 1. incerit imperat.

De extraordinariis cognitionibus & si judex litem suam fecisse dicatur. ff. 50. tit. 13.

De his qui de officio quod administrarunt, conveniuntur. Cod. 11. tit. 38.

De his qui potentiorum nomine, titulos prædiis

affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt. Cod. 2. tit. 15.

De his qui propter metum Iudicis non appellaverunt. Cod. 6. tit. 67.

De interdicto matrimonio, inter pupillum & tutorem, seu Curatorem, filiosque eorum. Cod. 5. tit. 6.

De lucris advocatorum, & concussione officiorum. Cod. 12. tit. 62.

De Magistratibus non vendendis. C. I. 1. Zonæ. *Vide Majorit. Potest. Mal.*

Si Magistratus aliquis res fiscales furatus esse deprehensus fuerit. Leo Nov. 105.

Si quacumque præditus potestate, ad suppositarum Iurisdictioni suæ aspirare tentaverit nuptias. Cod. 5. 7.

Si tutor vel Curator non gesserit. C. 5. 55.

Si tributorum exactores exegerint pluiquam debeant. Leo. Novel. 61. *Vide Comitetas Principij.*

De clerico venatore. decret. 5. tit. 24.

De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. decret. 5. tit. 27.

De presbytero non baptisato. decret. 3. tit. 43.

De supplendâ negligentiâ prælatorum. 1. tit. 10.

Criminosus ab Ecclesiâ toleratus, potest esse judex. 3. q. 7.

Tenetur quis l. aquiliâ ob imperitatem & infirmitatem, vt qui conscendit equum quem nescit regere; & sic hominem oppressit. l. 8. ff. ad l. Aquil.

Accipiens aliquid ab aliquo, ne eum opprimeret ratione sui officij, tenetur crimine concussionis. l. final. ff. de concussio.

Infamis est Iudex, qui munera ad judicandum accipit. Infamis autem à dignitatibus publicis excluditur. l. 2. C. de dignit.

Tutor non potest emere rem pupilli, quod est porrigendum ad Curatores, procuratores; & qui negotia aliena gerunt. l. 34. in f. ff. de contrah. emptio. & l. 62. eodem.

Servus veterator habetur, & sic minoris præij, si inter alios alicui ministerio præpositus fuerit. l. final. ff. de ædil. ed.

In electo tutore, non tàm dignitas, & facultates, quàm boni mores spectari debent. l. 21. ff. de tutor. & Curat. dat.

Magistratus conveniuntur, si corrupti pecunia, aut tutores non dederint, aut malos dederint. l. 1. ff. de Magist. conveniend.

Vir vxori mente captæ curator dari non debet; l. 14. ff. de curat. furior. quia non redderet rationes.

Lege Iuliâ repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam accepit, quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. l. 3. ff. de l. Iul. repetundar.

Ex quacumque justâ causâ res Ecclesiæ vendantur, non licet œconomo, aut ejus cognatis eas emere, sub pœnâ privationis bonorum. l. 13. in auth. Cod. de sacros. Eccles.

Quod officialis metu suæ potentiæ extorsit, rescinditur. l. penult. & vlt. Cod. de his quæ vi metus. caus.

Iudex qui pecuniam mutuò accipit censetur esse legum & provinciæ venditor, sicque corrumpi. l. 16. C. si cert. petat.

Pœnæ malis judicibus statutæ. Novel. 134. cap. 4. *Vide suprà.* Integritas sacerdotum. *tit. Virtus Potest.* de malis sacerdotibus, vbi quædam ex Iure Canonico.

Perpetuâ valetudine afflictus arcetur à tutelâ. l. 19. C. de excus. tutor.

Laicis Ecclesiastica beneficia non debent conferri. c. tum actio; de rescript.

Potentiâ abuti familiare est, ideò illam leges frænis coërcent. *Vide Major. Potest. Mal.*

Olim in templis habebantur judicia nunc prohibitum est, cap. cum Ecclesia. de immun. Eccles. quia judicia nunc sunt negotiationes.

EX THEOLOGIA.

DÆmones ordine naturæ præferuntur hominibus. D. Thom. 1. q. 64. a. 4. ad 2.

Et hæc prælatio fundatur super justitiam Dei, non autem super justitiam eorum. 1. q. 109. a. 2.

Primus Angelus fuit aliis occatio peccandi. 1. q. 63. a. 8. supremus omnium peccavit. a. 7.

Antichristus erit caput malorum omnium perfectione malitiæ, non autem ordine vel influxu. 3. q. 8. a. 8.

Apostata condemnatus ab Ecclesiâ perdit jus super subditos. 1. 2. q. 12. a. 2. *Vide Fin. Potest.*

Nulli fideli licet ad judicem infidelem appellare. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 1.

Cordis est duplex infirmitas, scilicet in substantiâ ejus, mutans ejus naturalem complexionem; & inordinatio motus ejus, vel alicujus eorum quæ circumstant cor. prima est mortalis, non autem secunda. 1. 2. q. 74. a. 9. ad 2.

Nugæ in ore sacerdotum sunt blasphemiæ & sacrilegium materialiter, non autem formaliter; ex eò tantùm quòd sacerdotes sunt personæ sacræ. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3.

Peccatum existentis in potestate est gravius. *Vide Majorit. Minorit.*

Peccatum originale priùs est in essentiâ animæ quàm in potentiis, & priùs inficit voluntatem quàm alias potentias. 1. 2. q. 83. a. 3.

Regnum facilè degenerat in tyrannidem propter magnam potentiam ejus, ex crudelitate & avaritiâ, nisi Regis sit perfecta virtus. 1. 2. q. 105. a. 1. ad 2.

EX BIBLIIS.

ECce auferam à Ierusalem validum & fortem, & dabo pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Isay. 3.

Domine Deus noster, domini possederunt nos absque te; tantùm in te recordemur nominis tui. Isay. 26.

Væ pastoribus qui dispergunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ. Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. Ierem. 23.

Contritum est cor meum in medio mei, factus sum tanquam vir ebrius à facie domini, quia adulteriis repleta est terra: Propheta namque & sacerdotes polluti sunt, ideò via illorum erit tanquam lubricum in tenebris; impellentur enim & corruent in eâ; quia afferam super eos mala, annum vastationis eorum. Ierem. 23.

A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Ibidem.

Grex perditus factus est populus meus; pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus; de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Ierem. 50.

Facti sunt Principes ejus velut arietes non invenientes pascua, & abierunt absque fortitudine, antè faciem subsequentis. Ierem. thr. 1.

Abstulit omnes magnificos meos, dominus de medio mei: Vocavit adversum me tempus, vt contereret electos meos. Ierem. thr. 1.

Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes extito-

Digitized

runt, & non cognovi eos, Ozeæ 8. alludit ad eos, qui non ſolvunt homagium.

Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos: nonnè greges paſcuntur à paſtoribus. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit non conſolidaſtis, &c. Sed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentiâ, & diſperſæ ſunt oves meæ. Ezech. 34.

Statuâ aurea quam Nabuchodonozor præcepit adorari. Daniel. 3.

Attendite hoc Sacerdotes & domus Regis quia laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut retè expanſum ſuper Thabor, & victimas declinaſtis in profundum. Oſee. 5. B

Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione meâ. Oſee. 13.

Audite Principes Iacob, qui odio habetis bonum, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes deſuper oſſibus eorum; qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt; & oſſa eorum confregerunt, & confregerunt quaſi in medio ollæ, &c. Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant: Prophetæ in pecuniâ divinabant: mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quidpiam; ſanctificant ſuper eum prælium. Micheæ 3.

Ignei curſus eorum, & agitatores eorum conſopiti ſunt. Nahum...

Ecce iſte coopertus eſt auro & argento & omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus. Habac. 2. loquens de idolis.

O paſtor & idolum, & derelinquens gregem: gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebraſcens obſcurabitur. Zach. 11.

Percute paſtorem, & diſpergentur oves. c. 13.

Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Pſal. 48.

Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis. Ibidem. D

Traditi ſunt in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Pſal. 105.

Effuſa eſt contentio ſuper Principes, & errare fecit eos in invio, & non in via. Pſal. 106.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris ejus. Pſal. 108.

Conſilium capiendi Ieſum ſumitur in domo Principis Sacerdotum. Math. 26.

Scriptura commemorat tantùm tres Principes juſtos, David, Ezechiam, & Ioſiam.

Deus comparat Regem Samariæ ſpumæ quæ à longè videtur eſſe aliquid ſolidi. Ozeæ. 10.

Columnæ tabernaculi ex ligno tantùm deaurato, licet capita ſint aurea. Caput prælatorum Chriſtus. E

Altare non eſt ſolidum, ſed inane & cavum intrinſecus. Exod. 27.

Levit. 4. peccatum Pontificis, æquatur peccatis totius populi: vndè victima pro illius peccato oblata cremabatur extrà caſtra, vt ſignificaretur peccatum ejus eſſe contagioſum. Sedet in cathedrâ peſtilentiæ. Pſal. 1.

Lepra in capite. Levit. 13.

Ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut faſcem ignis in fœno; & devorabunt omnes populos in circuitu. Zachar. 12.

Senes judices qui non potuerunt corrumpere Suſannam, falsò accuſant adulterij. Sic egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Daniel. 13. A

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Pſal. 103.

Fit contrarium quod vidit Nabucodonozor, aves in ramis arboris, & feras inferiùs. Daniel. 3. nunc volant & aſcendunt feræ; deſcendit Petrus de monte in quo transfiguratus eſt Ieſus, & aſcendit Iudas.

Egreſſus eſt à filiâ Sion omnis decor ejus: facti ſunt principes ejus velut arietes, non invenientes paſcua, & abierunt abſque fortitudine antè faciem ſubſequentis. Ierem. Thren. 1.

Aſpexi terram & ecce vacua erat, & nihil: & cœlos, & non erat lux in eis: vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati ſunt: intuitus ſum & non erat homo, & omne volatile cœli receſſit. Ierem. 4.

Inexcuſabilis es homo qui alterum judicas, in quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ judicas; confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt: qui ergò alium doces, teipſum non doces, qui prædicas non furandum furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Roman. cap. 2.

C

DIGNITAS AVGET peccatum.

FAllit enim publicam opinionem, de virtute ſuâ, cui ſalus populi commiſſa eſt. *Vide Veris. Bonitatis Rep. Vide Dur. Virt. Rep.* de apoſtatis & relapſis in demonſtratione vltimâ.

Tantundem pro ſacerdotibus, quantùm pro vniverſo populo ſacrificium offertur. Levit. 4. 6. & 8. Sacerdotum filia delinquens, graviùs quàm cæteræ punitur. 1. Reg. 4.

Tantò damnabilior judicata eſt Angelorum culpa, quanto erat natura ſublimior; tanto enim minùs quàm nos peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt. & excrebiliùs accepti beneficij ingrati: ideo reparandis Angelis nihil gratiæ Chriſtus contulit. D. Auguſt. tract. 110. in Ioan. in f.

Alij diſcipuli dormiebant in horto, Chriſto orante, tamen ſolus Petrus nominatim reprehenditur, quia prælatus errans eſt culpabilior. Qui crediderunt aliqua eſſe peccata quæ veniam non merebantur, inter illa recenſent peccatum Sacerdotum. Iuxta illud, Si Sacerdos peccavèrit, quis orabit pro eo: & illud quis medebitur incantatori vulnerato à ſerpente? Can. importuna. de pœnit. diſt. 1.

Turpior cicatrix in facie. Gravior morbus in capite, & partibus vitalibus, ex quibus in cæteras influxus. Rectores enim populus imitatur. Vide infrà *Concord. Poteſt.*

Homo Chriſtianus fortiter cadit in peccato propter duas cauſas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. Can. homo. diſt. 40. *Vide ſuprà hoc titulo.* integritas Sacerdotum *in fine.*

Vide plura ad huius thematis probationem. *Majoritas Minoritatis.* Corruptio optimi, peſſima.

DIFFICILIS IN REGIMINE probitas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Multi ad Regimen assumpti, erant priùs malæ indolis, quam virtutis habitu & probitatis laruâ dissimulabant: at cum impunè per dignitatem licet peccare, quasi solutis habenis natura ruit in malum; vimque sibi priùs factam majori exundatione compensat. Sic dignitas improbitatem excitat, vt æstas torpens hyemis tempore in serpentibus venenum: Etiam bonos corrumpit; nam difficile est, cum ad manum est vtilitas, se aliis, imò & Reipublicæ non præferre; quia amor proprius est à naturâ, societas autem civilis ex hominum instituto.

MAGNITVDO. Qui regunt, sæpiùs magna suprà vires suas audent, profundunt opes, magnifici volunt apparere; & cum turpe sit deficere, exhausta reparant criminibus, cum non liceat probitate.

DVRATIO. Sensim se vitia promovent, & ad novitatis delitias tentata transeunt in habitus. Pudet enim ab excessu aliquid remittere, ne hic defectus imputetur impotentiæ; Pertinax est malitia, quem offendit, odit, quasi suæ turpitudinis testem, & acceptæ injuriæ futurum vindicem; sic crimen crimine tegitur: Sic semper augetur tyrannorum crudelitas, quæ sibi semper magis infensum reddit populum.

POTESTAS. Ambiunt in regimine videri potentes; quòd non tam facilè fit beneficiis onerosis, quàm injuriis, quæ sæpius illis in lucrum cedunt. Torquent igitur infirmos, sibi fingunt hostes quos prosternant, gaudent alienâ miseriâ, quæ per oppositum videtur vires suas commendare: & cum ab ipsis pendeat hæc calamitas, gratum illis longumque exhibet potentiæ suæ spectaculum.

COGNITIO. Qui regit, alienis necesse est videat oculis, qui sæpiùs falsa denuntiant, vndè innumeri errores aliis sibi succedentibus tegendi. Nimia futuri providentia implicat illos timidis cogitationibus; metus sibi falsa fingit pericula, quibus vt occurrat, quasi pro legitimâ sui defensione, tentat illicita.

VOLVNTAS. Imperantibus pro ratione voluntas est; & solutis legum habenis, passiones omnes, quâ placuerit, efferantur. Dùm se cæteris existimant longè superiores, nullas habent veras amicitias; se tantùm amant cæco & impotenti amore, cui cæterorum omnium fortunas fatumque litant.

VIRTVS. Anxia, minùs secura, imò & damnosa illis videtur justitia, spoliat enim possidentem, & oblatas respuit facultates, vt alteri quod suum est tribuat: vndè illis vtile pro justo est: si malis suis consiliis contingat fœlix exitus, hinc sibi artem faciunt, & vitia substituunt pro virtutibus, in quarum confinio sunt. Hæc non solum impunita, sed & victricia crimina, fovent in arcano mentis impietatem, quasi nullum sit providens, & vindicans numen, quasi virtus & Religio sint politiæ figmenta, ad continendos, terrendosque populi animos.

VERITAS. Imperantibus in rerum omnium abundantia deest amicus, qui veritatem aperiat, nesciunt sui, nec suorum statum; viriis enim, vt virtutibus, applaudit adulantium turba: sic concitata laudibus; cupiditas sævit magis; timetur virtus, quasi ignavæ & infimæ mentis populare vitium.

GLORIA. Credunt sibi jus esse, in rerum publicarum curâ lassatas mentes reficere voluptatibus, quæ citò in consuetudinem, & in naturam transeunt, mollesque in posterum efficiunt animos. Nimia gloriæ cupiditas ad extrema propellit, optatque etiam per hominum strages, per populi patriæque ruinas agere triumphum.

DIFFERENTIA. Vaga inquieta, successibus insolentior regentium mens, nova sæpiùs vult experiri, ad potentiæ & sapientiæ suæ spectaculum. Sic vana boni cujusdam futuri spe, contrà jus rectè stabilita destruunt, spoliant possessores, torquent innoxios, quasi bonum, quod intendunt, publicum sufficienter eluat hæc particularium damna.

CONCORDANTIA. Proponuntur illis in exemplum mali fœlices, quasi fœlicitatem malitia fecerit, non secreta divinæ providentiæ ratio. Timidi, quos sibi infensos putant, conciliare nituntur injustis fœderibus, læsâ, licet antiqua, cum aliis amicitiâ, in quam, vt sibi innoxiam, non verentur peccare. Cum malis semel inita societas rapit postmodum etiam invitos ad scelera, & ruenti in præceps malitiæ colligatis non est pœnitentiæ locus.

CONTRARIETAS. Reus, meticulosus, suspicax animus, innumeros sibi fingit hostes, quos veris profligat injuriis: etiam somnia sua in innoxiis vindicans; cum interim illi non videatur injustum, paratas sibi, vt putat injurias, prævenire, vim vi, dolum dolo repellere. Tentat in illicitis aliquorum obsequia, & renuentes hostium habet loco; eò sævior, quò se putat non satis timeri.

PRINCIPIVM. Ambitio fovetur iisdem, quibus ab initio se promovit, criminibus; faustamque sibi expertam sequitur improbitatis viam: ne videatur inconsulta ratio, timida, aut infirma vis, principes quæ tentaverunt pertinaci malitiâ prosequuntur.

MEDIVM. Maxima injustitiæ pars, quæ in Regentibus apparet, tribuenda est ministris, qui mala consilia suggerunt, qui, vt habeantur necessarij, res implicant efficiuntque graves, vltra remissionis spem injurias inferri. Rapiunt quò voluerint Principem, vt equus effrænis sessorem; cæterùm ne læsa in illis videatur Majestas, & quia sunt secretorum conscij; illos princeps contrà populi clamores protegit; servitque sibi famularium cupiditatibus.

FINIS. Nullus ambitioni terminus, semper vlteriùs volens procedere obstantia destruit. Si prævideat dominationis suæ, aut fato, aut lege sic statuente finem, hanc futuram privationem conatur rerum excessu compensare; nova tentat, ex quibus futura pendeant; contra jus fasque promovet eos qui tunc partes suas possint tueri; destruit, tollit, aut facit miseros, quos putat de suâ depositione lætos.

MAIORITAS. Existimant se non Rectores, sed rerum Dominos: parùm videtur illis nisi sint suprà leges cæteris positas, & potentiam suam probent criminum impunitate.

ÆQVALITAS. Pudet dignitate æquales gestis non æquare, imò & superare: & quod deest meritis, aut fortunæ, supplere conantur malis artibus.

MINORITAS. Destruunt vt reædificent duplici potentiæ suæ titulo: sed sæpe læsorum exasperati clamoribus, injurias ingeminant; cum enim se suprà cæteros homines longè positos arbitrentur, nunquàm credunt sibi satis exhiberi obsequij: illatas vel minimas sibi injurias graves existimant, à se verò levissimas aut nullas, quasi cæteri ad servitutem & tolerantiam nati sint; sic cum minùs quàm quod possint sæviunt, clementer se gessisse arbitrantur.

Vide Minoritas Finis. Rectorum depravatio.

VERITAS POTESTATIS.

QVÆ SIT VERA POTESTAS.

MISCELLANEA.

SIMPLICITER illi ſunt Magiſtratus, quibus datum eſt deliberare de quibuſdam & ſtatuere: nam jubere imperioſius eſt. Ariſt. polit. c. 15.

Quidam negant, quod pecunia ſit belli nervus: nam irritat hoſtem, prodit Dominum, ferro bella geruntur, non auro: milites pecuniâ non tam parantur, quàm militibus pecunia. Si theſauri bella conficerent, potuiſſent Alexander à Dario, Romani ab Antiocho, Helvetij à Carolo Burgundico ſuperati. Dicit Livius, quod ſi Alexandro Magno bellum cum Romanis fuiſſet, non auri, argentique copiâ certamen illud dirimi potuiſſe, ſed militum virtute, ingenio Imperatorum, vi fortunæ per omnia humana & maxime in res bellicas potentis. Quid poſſint pecuniæ. *Vide Poteſtas Medy.*

Vt reliqui motus per localem exprimuntur ita reliquæ cauſæ per efficientem, & activa vocabula.

Vera eſt illa poteſtas, quæ eſt independens, vndè quod ita movet vt moveatur, non poteſt eo motu, quo movet & movetur, efficere perennem motum & lationem.

Sanus habetur qui vitæ neceſſarias actiones ſinè impedimento exequitur, & contrà æger.

Sanitas non operationis actu, ſed aptitudine potiùs eſt definienda: Gal. l. de differ. morbor.

Poteſtas eſt tùm in ſe, quæ libertas dicitur; tùm in alios, vt patria & dominica.

Poteſtas civilis primò eſt circà vniverſalia, ſcilicet condendo, abrogando leges, ſacra curando, & hæc ars vocatur ab Ariſtotele Architectonica: vel eſt circa ſingularia publica, vt ſunt actiones belli, pacis, fœderum, vectigalium, & juris eminentis, quod habet civitas in ſuos cives, & hæc vocatur politica & conſultatrix: aut verſatur circa privata, vt ſunt res controverſæ inter ſingulos, quæ propter quietem civium debent authoritate publica dirimi, & hæc vocatur judicialis.

Is populus non perdit ſummum imperium, qui inæquali fœdere eſt obligatus alterius imperium & Majeſtatem conſervare.

Figuræ eò ſunt ampliores & capaciores, quò magis accedunt ad circularem, quæ eſt omnium regulatiſſima; ita poteſtas, eò liberior, quò legi æternæ ſimilior.

Pius & minùs non mutant ſpeciem, Rex pauper æque eſt Rex ac dives. Plato. dialog. de regn.

Vera fortitudo locorum eſt à naturâ, vt in monte, palude, &c.

Dives eſt magis qui influit, & ſuper quem non fit influxio: faciens cum facit aliquid abſque poſſibilitate patiendi, tunc verè dicitur facere. Albert. Magn.

Habitus eſt vera & perfecta potentia: perfectio autem vltima non eſt in habitu ſed in agere.

Potentia menſurari debet, non ſolum penes actum, ſed penes modum agendi.

Potentiæ naturales, cum obviant ſuis poſſibilibus, de neceſſitate agunt.

Agens per eſſentiam, totum eſt agens, & nihil eſt patiens in ipſo.

Res intelligitur facta, quoties per adverſationem, ſtetit quominus fiat. *Vide infrà in jure.*

Ea dicuntur eſſe poteſtate, quæ nondum ſunt talia, ſed poſſunt eſſe: vt avis naſcens, dicitur volatilis: propriè autem ea dicimus eſſe poteſtate, in quibus natura ipſa ſuopte impetu ad ablolutionem venit: proximus huic modus eorum eſt, quæ ſunt propinqua materia vt dum ſanguinem poteſtate carnem appellas & remedia, calida, frigida, &c. Galenus lib. 3. de temperamentis. *Vide Differentia Poteſtatis.*

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

FInium regundorum. ff. 10. t. 1. Cod. 3. 39.

De invento theſauro, cujus eſſe debeat. Leon. Novel. 51.

De jurejurando à moriente præſtito, propter menſuram ſuæ ſubſtantiæ. Nov. 48.

De legitimis hæredibus. C. 6. tit. 57.

De menſoribus. C. 12. tit. 18.

De inventione theſauri. C. I. 1. Nicephori.

Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, vel Capitaneus, vel Valvaſor. Feud. 2. tit. 10.

De ſtatu hominum. ff. 1. tit. 5.

Quæ ſint jura Regaliæ. Vide Bodin. 1. Reipublicæ ſcilicet legem ferre, bellum indicere, præcipuos Magiſtratus inſtituere, lites ſinè appellatione terminare, damnatis gratias & abolitiones conferre, & alia privilegia ſingularia.

De majoritate & obedientiâ. dec. 1. tit. 34.

De officio judicis ordinarij. 1. tit. 31.

De ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiavit Epiſcopatui. dec. 1. tit. 13.

Huc reduci poſſunt omnes tituli de officio diverſorum Magiſtratuum. 1. ff.

Imaginaria venditio non eſt prætio accedente. l. 16. ff. de Reg. Iur.

Totum jus in his tribus conſiſtit; aut in acquirendo, aut in conſervando, aut in minuendo, ſeu alienando. l. fin. ff. de legib.

Legis virtus eſt imperare, vetare, permittere, punire, indulgere. l. 7. & 32. ff. de legib.

Liberatio ab obligatione eſt acquirendi ſpecies. l. ſi debitor. ff. de pact. l. 10. ff. de donat. inter vir.

Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur. l. 15. ff. de Reg. Iur.

Aqua noſtra eſt, quæ in agro noſtro naſcitur. l. 4. C. de ſervit.

Res intelligitur facta, quoties per adverſarium ſtetit quo minùs fiat. Si ancilla donata ſit, vt certo tempore manumitteretur, ſi non manumittitur, partus tamen, quem tunc edit, liber eſt. l. 22. ff. de ſtat. homin.

Res ſacræ nullius ſunt, non autem quas quiſque propria authoritate ſacras conſtituit, ſed quæ rite per Pontifices Deo dicatæ ſunt. Inſt. de rer. diviſ.

Id quod noſtrum eſt, ſinè facto noſtro ad alium transferri non poteſt. l. 11. ff. de Reg. Iur.

Non videtur cepiſſe, qui per exceptionem à petitione removetur. l. 13. eodem.

Non debet cui plus licet, quod minùs eſt non licere. l. 21. eodem. Qui poteſt invitis alienare, multò magis & ignorantibus poteſt. l. 26. eodem. Nemo qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt. l. 37. eodem.

Fructus rei eſt vel pignori dare licere. l. 37.

Qui poteſt facere vt poſſit conditioni parere, jam poſſe videtur. l. 174. eodem.

Bona dicuntur deducto ære alieno. l. ſi quis mandato. ff. de negot. geſt. l. 39. ff. de verbor. ſignific. Sic tutor aut curator punitur vt falſarius, qui antequam officij ſui rationes reddiderit, prædia Cæſaris conducit. l. 49. ff. loca. cond.

Videtur cepiſſe, qui obligatione liberatus eſt. l. 115. ff. de Reg. Iur.

Iusjurandum à moriente præſtitum, in quo ſubſtantiæ ſuæ menſuram facit manifeſtam, inter ſuos hæredes dividendo ab hærede ſervandum eſt. Nov. 48.

Animal, quod in rete meum incidit, non cenſetur meum, donec captum ſit. l. 55. ff. de adq. rer. dom. l. 29. §. ſi avis. ff. ad l. aquil.

Aves poſſidentur à nobis, quas incluſas habemus, aut illæ quæ manſuefactæ cuſtodiæ noſtræ ſubjectæ ſunt. l. 3. 6. item feras ff. de adquir. poſſeſſ..

Fidejuſſor cenſetur idoneus, non tantum ex facultatibus, ſed etiam ex conveniendi facilitate. l. 2. 2. ff. qui ſatisd. cog.

Effectus dominicæ poteſtatis eſt duplex: Primus eſt poteſtas vitæ & necis in ſervos. Secundus vt quidquid acquirunt, Domino acquirant. l. 1. ff. de his qui ſui, vel alien. jur.

Poteſtas eſt cum actu; vndè tutor intelligitur remotus, qui prohibitus eſt gerere. lib. 4. ff. de ſuſpect. tutor.

Conditio dicitur eſſe in poteſtate vt impleatur, ſecundùm quòd frequenter accidit. l. 4. ff. de hæredib. inſtit.

Intelligimur tantùm poſſe ea, quæ non ſunt contrà bonos mores. l. 15. ff. de condit. inſtit.

Illud videtur quis habere per legatum, quod illi ſupereſt expletis conditionibus. l. 26. ff. de leg. 1.

Poſſeſſio dicta eſt, à pedum poſitione. l. 1. ff. de acq. vel amitt. poſſeſſ.

In bonis numerantur jura, poſſeſſiones, actiones, petitiones, perſecutiones. l. 49. ff. de verbor. ſignif.

Creditor eſt, qui exceptione perpetuâ ſummoveri non poteſt. l. 55. eodem.

Nuntiis Principis non creditur ſinè litteris l. 5. Cod. de jure Fiſci.

Concil. Tolet. 12. c. 1. declarat Ervigium legitimum eſſe Regem Hiſpaniarum, & anathemate ferit contrà ſentientes.

Bonæ fidei poſſeſſor aut vſusfructuarius non habentur veri Domini, vndè pro his occiſis, non torquentur ſervi. l. 1. ff. de S. C. Sillaniano.

Non videtur poſſe agere, qui perpetuâ exceptione poteſt repelli. l. 66. ff. de Reg. Iur. l. 108. ff. de verbor. ſignif.

Mulier non habet filios in poteſtate, quia ipſa tutelâ indiget alienâ. l. mulieres. Cod. de adoptionibus.

Concilio Carthag. III. cap. 48. ſtatutum eſt ea bona ad Eccleſiam pertinere, quæ Epiſcopus antea pauper, ex adminiſtratione bonorum Eccleſiæ collegit. Vide Baron. an. 97.

EX THEOLOGIA.

Actio primi Principij propriè dicitur operatio, non autem actiones ſecundorum ſed dicuntur operata. 3. q. 9. a. 1. D. Thom.

Actio ſpeciem habet à formâ agentis. 1. q. 14. a. 5. ad 3.

Actiones ſunt ſuppoſitorum. 22. q. 77. 2. 2. 1.

Actus non denominantur a potentiâ, niſi ſint ab eâ, ſinè reſpectu ad aliam. 1. 2. q. 8. a. 2.

Quæcumque ſunt in mundo aguntur, excepto primo gente. 1. q. 60. a. 1. ad 2.

Dominatio participativè eſt proprium nomen vnius ordinis Angelorum, ſed per exceſſum convenit Deo ſoli. 1. q. 108. a. 5. ad 2.

In divinis potentia appropriatur Patri. 1. q. 30. a. 7. & 8. propriè convenit Deo. q. 25.

Cauſa ad quam neceſſario ſequitur effectus, intelligitur tantùm de causâ per ſe completâ, & non impeditâ. 1. q. 115. a. 6.

Deus eſt principium & finis, & eſt realiter Dominus omnium; quia creatura ſubjicitur ei realiter. 1. q. 13. a. 7. ad 5. *Vide Princip. Poteſt.*

Dominium convenit Deo realiter ab æterno. 1. q. 13. a. 7. ad 1. quo ad poteſtatem, non autem quoad relationem; ſed fundamentum relationis Dominij eſt poteſtas. Ibidem.

Habere dicimur id, quo liberè vti & frui poſſumus; ſic creatura rationalis dicitur habere Deum. 1. q. 58. art. 1.

Miracula bonorum differunt à ſignis malorum, in efficacià, duratione, vtilitate, fine & modo. 1. q. 114. a. 4. ad 2.

Omne illud quo aliquid primò operatur eſt forma ejus. 1. q. 76. a. 1.

QVIS SIT VERVS Princeps.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Sciat Princeps, cum ex dignitate nomen accepit, ſe depoſitâ privatâ perſonâ publicam induiſſe, communi vtilitati addictam, ſe totum Reipublicæ deberi; Ita vt dignitas non tam ſit in ipſo, quàm de exhibendis in poſterum officiis obligatio.

Magnitvdo. Agere debet partes cauſæ vniverſalis, vt nulli opem ſuam poſcenti deſit, vt non ſolum commenſuretur tam vaſtis ſibi commiſſis negotiis, ſed illis ſit major; anguſtæ enim ſunt vires, ſi totæ exhauriantur; defectu proximus, & jam ad vacuum, qui ad extremum pervenit: debet quaſi in theſauris eſſe reſidua poteſtas, parata naſcentibus de novo malis & hoſtibus occurrere.

Dvratio. Longior Reipublicæ quàm hominis ætas, & quæ ſpe blandiente dicitur immortalis duratura exigit à Rectoribus officia. Debent ergo vt præſentibus, ſic futuris providere; plùs autem natura im-

pendit temporis, vt aurum, gemmas, & cætera vix corruptionem ſentientia producat: hinc diſcant non eſſe præcipites in jaciendis negotiorum fundamentis; nec tamen moroſi in captandâ labili occaſione; non inconſtantes, vt levi temporum & fortunæ injuriâ ab incœptis deflectant; hinc enim oritur contemptus Majeſtatis.

Potestas. Vanum & ridiculum imperium ejus, qui nullis, aut mutilatis viribus, non poteſt quæ juſſerit exequi: Turpis & timendus Principi potentiæ defectus, vnde manant cæteri omnes. Labantem non ſuſtentabit Rempublicam, oppreſſæ non feret auxilium innocentiæ, non imperabit aliis, ſed ſerviet, qui eſt impotens. Hinc tam diligens ærarij & militiæ cura.

Cognitio. Sapientia maximè Regentem decet; non eſt enim verus Rector qui ab alio regitur; vt non eſt verus Sol qui in nube apparet, mutuans à vero radiis: deficeret mundi pulchritudo, & rediret in antiquum Chaos, ſi luci tenebræ prædominarentur.

Volvntas. Primos Principes amor populi produxit: vndè originis ſuæ memores, & quaſi amoris partus conſervari debent eodem amore populi, quo promoti ſunt; etſi in regimine ſint parentis loco, morâ præter naturam productione & adoptione, cum parens à pupillo ptoducatur & adoptetur.

Virtvs. Verus non eſt Princeps, qui degeneri affectu ad ambitionem, avaritiam, crudelitatem deflectit. Excellentioribus debetur imperium, excellentia autem hominis in virtute; Priùs ergo eſt vt quis ſit bonus quàm potens, & in Principe, ſicut in Deo innocentia & naturæ perfectio præſupponitur dominationi. Cùm virtus efficiat hominem ſeipſo contentum, non quærit imperia, vt hinc ſibi aliquid commodi comparet, ſed vt in bonum publicum effundat prudentiæ ſuæ lucem, fortitudinis, juſtitiæ, temperantiæ fœlices influxus.

Veritas. Mentitus harum virtutum vultus non ſufficit; ficta enim, quia violenta, non durant; citò redeunt ad naturam, & à tot in regentem converſis oculis deprehenduntur. Fictis, ſcenicis & ad ſpectaculum tantùm imperiis ſufficit ficta virtus, ex ſermone, vultu, habitu, comitatu: Vera autem imperia veram virtutem expetunt; Dei enim vices agens, ad divinæ naturæ perfectionem & ſapientiam debet propiùs accedere; reſponſa quaſi immutabilis veritatis oracula fundere; procul à dolis, qui impotentiam, metum, ſervilem animum indicant, qui ſemel proſunt vt ſemper noceant; nam in poſterum nulla fides datur fraudulentis, nullæ cum illis confœderationes, & vnuſquiſque ſibi jus eſſe putat fallentem fallere.

Gloria. Qui regit, ſuprà res & negotia debet eſſe, vt immotus det cuncta moveri, ad inſtar Dei, & intelligentiarum quæ cœlos movent; non enim regit, ſed capitur regentis animus ſi ſit inquietus, ſi certis conſiliis non præveniat incertos eventus, ſi ſe fortunæ committat, & victus ſequatur ejus impetum; Artem imperandi neſcit, qui ex habitu, tranquille & cum voluptate non regit; Alioquin dignitas non eſſet virtutis præmium, ſed ſupplicium.

Differentia. In regentis mente debet eſſe vis quædam ignea, falſa à veris, bona à malis, pura ab impuris diſcernens, & homogenea quæ ſunt ejuſdem cum ipſo bonitatis conjungens: ſic ſtabilitur ordo, ſic ſecurior eſt à malorum contagiis bonorum ſtatus. Hoc etiam intendit juſtitia diſtributiva, & commutativa omnibus ſuis legibus & officiis.

Concordantia. Liberi homines, ſalvâ libertate regendi ſunt; alioquin imperium, non eſt ex naturæ legibus, ſi de liberis faciat ſervos: Indecorum etiam eſt Principi ſi tantùm ſervis dominetur, debet ergò potius amicitiâ, quæ tamen in excellentiâ eſt, quam vi regere; vnione potius quàm diſcordiâ finem ſuum conſequi; ex bonorum omnium conſenſu ſic dominari, vt hinc populus optimâ ſibi pace fruatur.

Contrarietas. Agit non vt Princeps ſed vt hoſtis, qui officia vi tantum extorquet quem nolunt ſubditi ſuprà ſe regnare, quem non ſequuntur, ſed à quo vt à torrente inviti rapiuntur: quàm turpe, quàm deteſtandum tyrannicum imperium, quando cæcum, debilem, fractiſque viribus vult eſſe populum, vt illi faciliùs dominetur, vt impunè in proſtratum jacentemque ſæviat.

Potestas. Si omnis poteſtas ſit à Deo, debet eſſe bonitate excellens, vt ſit Principio ſuo conformis. Bonus Princeps dicatur potius Pater populi quàm dominus; talem ſe ſemper præſtet qualis voluit videri ab initio, & vt ſi facienda eſſet electio, eligi præ cæteris mereretur.

Medivm. Medius inter Deum & populum debet vtrique conjungi, contemplatione, pietate ad Deum eleuari; compaſſione & clementiâ ad populum deſcendere. Habet naturæ vires omnes, artes, ſcientias, cæteroſque homines pro artis ſuæ organis; vndè turpe illi eſt, ſi hac ampliſſimâ inſtrumentorum copiâ opus ſuum rectè non perficiat. Homines ſunt quidem non inſtrumenta, ſed libera & rationabilia, quæ in moventem inſurgunt, ſi rectè non moveantur.

Finis. Bonum Principem efficit legitimus dominationi præſcriptus finis, nam erit inſtabilis & perverſa, ſi à fortuna pendeat, ſi nullus ſit ambitioni, avaritiæ, vanitati poſitus terminus. Accedens ad regimen, jam majorum inſtitutis firmatum, vocatur ad fruitionem, non ad inquietos, vagos, illimitatos cupiditatum motus.

Maioritas. Licet addere majorum inventis, ſed acceſſio hæc ſupponere non deſtruere debet præcedentia, debetque fieri vt inſenſibile augmentum per alluvionem, ſic fœlicior, quia hoſtium vitat inſidias, & gratior, quia ſpem ſuperat. Firma potiùs & juſta quàm ampla quærantur imperia, poſſunt enim in tantam molem exurgere, vt langueant, & proprio pondere concidant, defectu formæ, ideſt prudentiæ & potentiæ illis non commenſuratæ.

Æqvalitas. Verus Princeps æqualem ſe ſibi ſemper præſtet in vtrâque fortunâ: ſubſtantialis quodammodo ejus bonitas plùs & minùs non ſuſcipiat, more accidentium: Hæc bonitas populo pro prætio libertatis promiſſa eſt; talis illi exhibenda, alioquin peccatur contrà conventionem illam publicam, ſi pro bono peſſimus detur Princeps, non ad populi vtilitatem ſed damnum.

Minoritas. Ad ædificationem qui Regit poſitus eſt, non ad deſtructionem: optandus eſſet talis, vt ſubditis in nullo minor eſſet; principi enim maximè in præcipuis deficienti, vt in conſiliis & bellicâ, excellentiores dedignantur parere.

QVI REGIT SIT VERAX.

MISCELLANEA.

NOn decent ſtultum verba compoſita, nec Principem labium mentiens. Prov. 7.

Principes tenentur ex initis contractibus vt privati. Vndè poteſt contrà illos agi. *Vide Contrariet. Poteſt.*

Princeps, tam verax eſſe debet, vt per genium ejus juretur & pejerantes graviter puniantur. l. 13. ff. de jurejur.

Fides ſervanda. *Vide Duratio Volunt.*

Princeps inprimis debet veritatem colere, & fidem etiam hoſtibus ſeruare, alioquin ſi frangat fidem, prout vile ſibi videtur ſecundùm Machiavellum, nemo ejus litteris publicis credet, nemo legatos acceptabit, nemo fœdus aut pactum cum illo inibit.

Fidem Iovi Opt. Max. vicinam in Capitolio voluerunt eſſe Romani, æque enim humanum genus tutatur & continet, etiam hoſti ſervanda, quantò magis civi? Lipſius in politicis.

Nihil magis dedecet Principis Majeſtatem quàm dolus, qui metum & impotentiam arguit. Quomodò præſentis temporis onera gravia temperabit ſpe remiſſionis, ſi dictis & promiſſis ejus fides non habeatur?

Iuravit dominus, & non pœnitebit eum. Pſal. 109.

Præcipua Religionis myſteria ſtant in promiſſis Dei, quibus ſumma habetur fides. *Vide Durat. Volunt.*

Veritatem cuſtodes diligant, mendacium & falſitatem odio habeant. Neceſſarium enim eſt eum, qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quidquid cognatum & familiare eſt amato diligat; nihil autem familiariùs ſapientiæ quàm veritas. Plato. 6. de Republ.

Sicut elementum quod movetur mobiliter ſe habet ad cœlum quod movetur ſtabiliter; ſic motor cœli mobilis, variuſque ad motorem ſtabilem vnitumque; ſtabile denique & vnitum, ad ſtatum ipſum vnitatemque reducitur. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. cap. 5. Flexu vtatur miniſter, non Princeps; Principia enim debent eſſe immutabilia. *Vide ex eodem. ſuprà Durat. Poteſt.*

Inconſtantia in regente quam ſit noxia. *Vide Differ. Vol. Mal ſub finem. Vide Bonitas & Virtus Verit.*

Epiſcopi de perjurio grauius quam alij ſunt puniendi. cap. cum quidam. de jurejurando.

DOLVS NON DECET *principem.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Licet quidem beneficia nolentibus conferre, & populis, vt ægris medicamenta averſantibus, clam ſubvenire; non reprobatur hic dolus ſalutaris, ſed qui malâ fide ſpes & ſponſiones datas fallit; qui ſemel habetur doloſus, in poſternum non putabitur beneficus; timebunt ſub eſcâ hamum & ſub ſuis, vt ſub hoſtium, donis, inſidias; ſic in veris etiam largitionibus patietur damnum ſinè gratiâ.

MAGNITVDO. Probitas ad omnia vtilis, fraus autem ad pauca ſe porrigit; paucis & damnoſis in cæterum conſtat experimentis, nam ſuſpectam in aliis omnibus facit fidem; vndè non eſt aptum politiæ inſtrumentum, quod debet eſſe vniverſale & durabile.

DVRATIO. Ficta diù non durant, tùm quia violenta, tùm quia deficiente vno doli organo tota ruit machina. Conſtans autem & diuturna debet eſſe vitæ ratio inter homines, cum quibus diù nobis vivendum eſt.

POTESTAS. Cùm in omnibus Princeps velit videri potens, turpiſſimum eſt illi confugere ad dolos, qui impotentiam arguunt, & qui ab imbecillis in ſubſidium potentiæ aſſumuntur, vt à cervis, leporibus, mulieribus: Etiam ignavus ex inſidiis fortiſſimum ſternet, & turpiter ſuperabit. Sic Princeps infert injuriam potentiæ ſuæ, quaſi ſinè dolis ad regimen non ſufficeret.

COGNITIO. Habet quidem prudentia civilis, vt Religio ſua myſteria, quæ oportet vulgi hominibus eſſe impervia, habet, vt perſpectiva, innocentes dolos, ſed artis eſt artem abſcondere; & hinc perceptâ vulitate, gaudeat populus ſe deceptum eſſe: at ſi ex dolo procedat damnum, quaſi duplici illatâ injuriâ læſi conquæruntur.

VOLVNTAS. Qui Regit, debet quantùm poteſt promereri ſubditorum amorem, quia temperat naturalem in imperantes invidiam, & ex publicis capitationibus iram: At nihil magis illam accendit, animumque concitat, quàm fraus: vndè acerbiſſimæ amicorum & propinquorum iræ, quia conceptas ſpes injuria fefelli.

VIRTVS. Dolus contrarius eſt omnibus virtutibus, ad regimen neceſſariis; Fortitudini quia metum arguit, & eſt ſemper ſinè conſtantiâ varius; Iuſtitiæ, quia negat quod dictis aut factis promiſſum eſt; Clementiæ, quia fraus procedit ex animo ad majora damna inferenda parato, ſi aperta daretur facultas.

VERITAS. Deo conjunctus Princeps, viceſque illius agens, debet æternam invictamque ejus veritatem imitari; qui fidelis eſt, vt ait Propheta, in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: ſic ſpe animos ſibi devincit, illique fides habetur, etiam adversâ fortunâ fœlices ſucceſſus negante.

GLORIA. Nulla quies animo fraudulenter agenti, dum timet ne quid ex occultâ veritate excedat, ne ſecretorum conſcij illa prodant; dolos nectens vndique dolos ſuſpicatur, tàm falſis quam veris ſic immenſis exagitatus erroribus, quibus tandem non eſt par ſeipſum pluſquam hoſtes excruciat. Dolus infame quoddam eſt latrocinium, à malo tenebrarum Principe diſcit malum in tenebris moliri. Principi chariſſimus debet eſſe honor, qui nunquam ex malâ fide contingit. Imò hinc infamia & publicum odium; omnes enim deteſtantur infidelitatem, quia vis eſt malefica, quâ poſſunt omnes lædi.

DIFFERENTIA. Neceſſarius quidem eſt in negotiis, maximè politicis, flexus & ars quædam vario opere, variiſque organis, quod intendit aſſecutura; hoc autem aſſequitur prudentia, quæ eſt multiformis, & varia pro negotiorum varietate. At vnum tantùm agit, pingui, & torpente, licet maleficâ Minervâ, qui fidem frangit; omnis enim mala mens illius criminis capax eſt.

CONCORDANTIA. Si ad Principis vitam formantur populi mores, eò fraudulento, ſolemniter aperitur fraudibus via; nulla pax, nulla ſecuritas cum inter patriâ & ſanguine conjunctos, tanquam inter hoſtes, vivendum eſt, hinc ſublatâ fide perit humana ſocietas.

CONTRARIETAS. Dum Princeps habetur fraudulentus, quiſque putat ſibi jus eſſe dolum dolo, vim vi repellere. Sic non eſt quod aliis fidat; & bona fides quæ, inter alios viget, pro illo videtur jura mortua, quid ſi præſumptas injurias velit vindicare, quanta hominum, etiam innocentium, ſtrages.

PRINCIPIVM. Sic refluunt fraudis mala in autorem ſuum, multiplici modo, incidunt in foveam, quam alijs paraverunt, proprioque ſe jugulant gladio.

MEDIVM. Qui regit non poteſt carere miniſtris quibus negotia committit. At fallax, fallaces putat, & docet fallere dum timet falli. Vt ſibi caveat, imperfectam dat illis rerum notitiam; vndè innumeri errores, quos in innoxio capite vindicat deluſa deludentis Principis mens; dupliciter autem iraſcitur & ex damno, & ex deluſâ ſuâ arte.

FINIS. Infinitum malum eſt, fide in hominum æſtimatione carere, ſic enim, etiam quæ bonâ intentione fiunt, populus peſſimè interpretatur. Hinc falſis auguriis læta aperitur via; hinc in Principem auſus temerarij;

ratij; dum populus vult malorum ſuorum finem: quia nullâ ſpe, nullis promiſſis, quibus non fidit, poteſt detineri.

Maioritas. Ergò non proficit quod dolo malo quæſitum eſt; mallem minus amplam cum integritatis opinione fortunam; nemo omnes fallit, ſufficit autem vnus ad malæfidei aperiendas inſidias. Augetur crimen dolis, vt plùs eſt hominem occidere veneno quàm gladio, quia vi latenti minor poteſt eſſe reſiſtentia.

Æqvalitas. Qui Regit potentiâ & fortunæ donis paucos habet æquales; omnes autem, etiam de plebe homines poſſunt dolis vti, & in hoc plus poteſt qui deterioris eſt genij. At meliùs eſt regentem certare armis juſtis, glorioſis, quibus cæteris præſtat, quàm turpibus, quibus omnes poſſunt ipſum æquare, multi ſuperare.

Minoritas. Merito fraudes odium merentur publicum, nam impotentiam arguunt, cum malâ conſcientiâ; ſic Deo & hominibus inviſos omnes deteſtantur.

QVÆ SIT VERA LIBERTAS.

Micellanea.

AN quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam cui licet vt voluit. Perſi. Satyr. 5.

Quod vera libertas ſit in virtute. *Vide Poteſtas Virtutis.*

Nimium potens eſt qui ſervire non cogitur. D. Hier. ad Ruſticum.

Vera eſt illa poteſtas quæ eſt independens, vndè quod ita movet, vt moveatur, non poteſt eo motu, quo movet & movetur, efficere perennem motum, & lationem:

Agit propriè ille qui habet dominium ſui actus, qui autem non habet potiùs agitur.

Ingenui ſunt, qui ex Matre liberâ nati ſunt, ſivè fuerit liberâ tempore editionis, aut conceptionis. l. 5. §. 1. ff. de ſtatu homi.

Adminiſtratio libera videtur concedi, per verba, quòd poſſit ipſe facere, quidquid dominus. lib. 60. ff. mand.

Is verè liber eſt qui poſſeſſionem libertatis ex domini voluntate conſequitur. l. 28. ff. de liber cauſ.

Libertas cujuſlibet rei eſt dominium & poteſtas ſui actus ad oppoſita. D. Tho. 1. q. 83. a. 3. & 4.

Poſſe velle malum, non eſt libertas, nec eſt pars libertatis. 1. q. 72. a. 8. ad 3.

Libertas opponitur neceſſitati coactionis, non autem neceſſitati finis. 1. q. 82. a. 1. ad 1.

QVÆ SIT VERA LIBERTAS.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Ex libertate debent procedere beneficia, quæ ſi ex obligatione, aut ex neceſſitate procedant, non ſunt beneficia, ſed officia; vt cælorum, cauſarum omnium ſecundarum, ſervorum, jumentorum, clientum, pauperum vexationes donis redimentium; liber ergo eſt, qui quibus vult beneficium confert. Avarus non eſt liber, quia violato amicitiæ jure ſervit cupiditati pecuniarum, quatum vſum, vt aliis, ſic ſibi ipſi negat.

Magnitvdo. Libera ſe in conveniențem ſibi amplitudinem explicant; vt aqua & aër, cum nec nimio frigore coërcentur, nec calore rarefiunt. Non agit, ſed agitur ab igne aër, cum ex inſtrumentis bellicis, magno impetu exploditur, ſeque in amplum diffundit. Ignita quædam ingenia languent quaſi captiva, niſi magnis ſe immiſceant negotiis. Contrà libertatem eſt, totum poſcenti, partem tantùm date, alta petentem deprimere, naturâ ſuâ depreſſum attollere, ampla coërcere, exigua dilatare: his malis impeditæ in nobis facultates, & quaſi non liberæ, officio ſuo non funguntur.

Dvratio. Natura libera idem ſemper agit, poſitis ſimilibus diſpoſitionibus ad agendum; Artibus autem vexata deflectit à propoſito, vt rivus à ſuo curſu cum offendit in obicem. Neceſſaria, vt determinata, citò in actum ſuum prodeunt: libera autem actionem ſuam irregulariter ſuſpendunt, vt animalia greſſum; ſic multi ad potentiæ libertatis ſuæ argumentum moras in negotiis quærunt.

Poteſtas. Eſt vera libertas & poteſtas poſſe agere & non agere; hac enim obtenta multi ad actum exteriorem non tranſeunt; ſic ſolitariis ſufficit poſſe quod nolunt in externis exequi ſic avari plaudunt ſibi in congeſtis divitiis, quibus poſſunt omnia ſibi comparare; ſic miteſcit ira contra proſtratum hoſtem, cum adeſt libertas eum confodiendi.

Cognitio. Liber oculus amat liberum proſpectum, vndè ſervitus altiùs non tollendi: Mens ſapientis liberior eſt cum omnia dijudicat, etiam in corporis ſervitute, & inter compedes; difficilè itaque eſt captivare intellectum in obſequium fidei, licet non tollat libertatem; aſſentiri primæ veritati, cui ſubordinata eſt mens noſtra.

Volvntas. Amor libertimus eſt, illi nullus vnquam legem poſuit, nullus illum metu, vi, tormentis expreſſit; nititur in vetitum, & quo plus exigitur hic ignis, creſcit in majus incendium. Dicitur autem amor habere catenas, quia ſic objecto ſuo amato devovet voluntatem, vt in poſterum nolit diſſolvi: verè liber eſt, cum poteſt in actum externum prodire; vt in his qui ſunt ſui juris, non in pupillis ſub parentum tutelâ poſitis. Non eſt liber bonæ indolis affectus ſub tyrannorum imperio, nec enim tunc impunè licet oppreſſæ chariſſimæ virtuti auxilium ferre.

Virtvs. Quilibet habet in animo idæam recti, cui ſe vellet conformare, niſi præpedirent paſſiones & concupiſcentiæ, vndè illarum ſervus eſt: vera autem libertas in virtute, quæ irregulares hos motus ſiſtit, & veri optati boni dat fruitionem. Virtus eſt invicta animi libertas à recto nunquam deflectens; etiam dum externi præpediuntur actus, meriti ſui præmium conſecutura.

Veritas. Lex libertatem non tollit, ſed fovet, dirigit enim nos ad optatum finem, vndè divertunt vitia falsâ quadam boni imagine.

Gloria. Libertas eſt frui optatis delitiis, ſi non noceant; natura enim præfert ſanitatem voluptati, quia voluptas ad ſanitatem, vt ad finem, eſt ordinata: Motus etſi denotet aliqualem libertatem non tamen abſolutam, quia non eſt perfecta optati boni fruitio: famæ & honoris catenis ſervi, ſeu Miniſtri publici in officio continentur.

Differentia. Libertatem ſuam probant animalia diverſo & indeterminato motu; illius enim Principium habent in ſe à nullo pendens: at artificiata, ab aliis mota, ſequuntur quem acceperunt motum. Vera in homine libertas, vndè illi ratio diſcurſiva ad boni inquiſitionem; ſic diverſitatis eſt amantiſſimus; ſapiens licet eâdem viâ, diverſo tamen procedit gradu

tædium vnius rei levat varietas, hoc non posse ser- A
vitus est.

Concordantia. Liber cum his quos probat init societatem, servi autem pœnæ, cum his quos nollent colligantur; sic ignis congregat sibi invicem chara homogenea, frigus autem heterogenea. Igneſcens amor libera debet efficere matrimonia, vndè liberi procreantur. Omnia dum libertate fruuntur, currunt ad sibi sympaticè cognata; cohærent partes sanæ & liberæ; vulnus est, quod solvit vnionem: societas omnis spe commodi mutuam exigit servitutem.

Contrarietas. Inimica si libera relinquas, impetu feruntur in hostem; vt Molossus in lupum: nulla tamen inter iras lites, odia, vera libertas; nam metus imminentis mali cogit ad quædam, quæ datâ pace B
non fierent: hoc ostendit ex placido inhorreſcens iratorum habitus.

Principium. Multa sunt initio libera, quæ ex post facto fiunt necessaria; vt omnes contractus; vt in præceps projectus lapis, emissa sagitta, &c. Causæ omnes naturales æstu quodam necessario impellente producunt suos effectus: Solus Deus, quia verè ab omnibus independens verâ libertate creaturas produxit ad extra; illius imaginem præfert humana voluntas.

Medium. Quod est in medio non videtur verè liberum, pendet enim & determinatur ab extremis; si quæ tamen sit in societate civili libertas, illa fruuntur homines mediæ conditionis, inter magnates ambitioni, & pauperes artibus & indigentiæ servientes. Instrumenta omnia, Ministri omnes libertate non fruuntur, quia motum ab alio accipiunt, eorum enim perfectio consistit in omnimodâ subjectione: At in servitute, servitutem exigunt à subordinatis, & etiam à rectoribus, qui ab illis pendent.

Finis. Vera libertas non est in privatione, sed in legitimo potentiarum vsu, quo id quod intendunt obtinent. Itaque mors solvit quidem animum à corpore, & ab hujus mundi malis; vndè censetur nos in libertatem vindicare, quia meliori vitæ reddit.

Maioritas. Quod eminet liberum videtur, in eò quod non pendeat à superiore, vndè naturali amore libertatis amantur dignitates: Qui ad excelsum transeunt, aguntur potius, quàm agant; quia contrà naturæ leges ordinem sibi positum prætergrediuntur, sibi & alijs nocent, vires suas exhauriunt, ad defectum & privationem properant. Dei omnipotentis est naturæ legibus, ad libitum, miraculis derogare. Sic Princeps, concedendo privilegia, ostendit se liberum esse à lege.

Æqualitas. Libertatis index est, vt in sani hominis pulsu, in fluvij cursu placido, in patis commerciis, in sapientis vita, sibi semper pari: natura autem vim patiens, amore nimio libertatis, transit ab extremo in extremum, nunc vincens, mox victa, vt in febrili accessione, in tremore, & convulsionibus.

Minoritas. Infima in ordine posita, cum à multis superioribus patiantur, & ab illis agantur, minùs sunt libera. At si extrà ordinem ponantur omnibus sunt liberiora, vt Solitarij Philosophi. Compendiosa ad divitias per contemptum via fœliciores extrà ministerium & invidiam positi, pretiosi licet exigui ad vitam concessi temporis domini. Homo ille liber est, inquit Aristoteles, qui sui & non alterius causâ est: huic proximus est, qui in agendo minùs pœnæ subjicitur.

QVÆ NON EST VERA potestas.

REPVGNANTIA.

Dvces fingunt sibi plus esse virium, vt accendant militum animos ad pugnam, sic Myronides Athenienſis, dubio prælio, dextro cornu altè annuntiavit sinistrum esse victorem, quod & suis alacritatem, & hostibus metum dedit. Sic adversa omnia militibus dissimulanda, ne despondeant animo. Sic obsessi simulant abundantiam vt quasi à diuturno & inani labore hostes deterreantur.

Dædalus faciebat opera sua moveri, infuso argento vivo.

Melancholici se Reges & victores putantes, Vires phrenetici. Superbi & ambitiosi fallax de suâ potentiâ judicium.

Romani devictis Regibus nomen Regis relinquebant, cum verè servi essent sub tributo.

Finis priùs movet quàm opifex, sed metaphoricè.

Cervus tunc maximè salit, cùm maximè est fatigatus, ne talis videatur. Lucerna proximè moritura insolitum emittit fulgorem. Morientes antea imbecilli convelluntur. Publicani bonorum suorum defectum C
magnificâ & prodigâ largitione occultant. Oculi lachrymas emittunt, & profusionem humidi, tunc cum humidum à nimio splendore, aut exsiccante fumo lædituv. Rubent vineæ folia, quasi exundet calor, in hyemis viciniâ. Balbi multum loquuntur. De antiperistasi. *Vide Potestas Contrarietatis.* Senes, imbecilli, ægri, pueri, mulieres facilùs irascuntur. In his omnibus affectatur copia pudore defectus.

Flatus in corpore sunt falsi & tempestuosi spiritus, contrarios effectus producentes spiritibus, qui sunt immediatum animæ instrumentum.

Externorum Principum potestas creditur major quàm sit, de proximo considerata apparet minor: hac in re, vt in multis alijs, minuit præsentia famam.

Vt nostris militibus animus augeatur, & hostibus D
minuatur, fingitur nobis auxilium advenisse.

Non verè sua possidet is princeps, in cujus terris alius habet præsidia.

Quid sanum vocas qui velut tempestate correptus non it, sed agitur, & furenti morbo servit? caducæ sinistræque sunt vires, & in malum suum validæ; in quas ægrum morbus & accessio erexit. Loquens de irato. Senec. lib. 3. de ira, cap. 3. & quod non sit vera potestas quæ sibi nocet. *Vide Volunt. Benit. Rep.* sibi nocere.

An tu potentem vocas, qui in mortem suam fortis est, cui præsentium fallax vmbra proventuum, æternorum congregat causas malorum? quis beatam dixerit validam in jugulum suum dexteram? quis probabiliter laudet ad ardua præcipitia festinantem? quis ejus miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? perinde est si aliquem mireris impia & iniqua per opes & divitias operantem, aut gemmato poculo sibi venena miscentem: infœlicior quod non se intelligit infœlicem. Euseb. Emissen homilià de SS. Martyr. Epiphod. & Alexand. *Vide Verit. Virtut. Repug.*

Majus inopiâ malum, simulare divitias.

Tyrannica potestas non est vera, timet timentes, metus in authorem redit. Sic Claudius Caij prædecessoris sui mali principis statuas omnes fecit destrui.

& omnia numiſmata ejus figuram ferentia conflari, & in hiſtrionis ſtatuam transfundi. Vide Baron. an. 45. Num. 47.

Cum Romam ex Epidauro allatus eſſet Draco, eo mortuo, arte ad ejus ſimilitudinem vnus effictus eſt, oculis gemmâ ſplendentibus, qui vt verus à populo colebatur. Vide Baron. an. 315. & 399.

EX JVRE CIVILI.

QVi injuſtè, violenter, & clam poſſidet, habet quidem poſſeſſionem facti, ſed non juris.

Præcariùm eſt naturalis poſſeſſio, non tamen animo poſſidendi. l. 41. ff. de adquir. poſſeſſi.

Servus non vſucapit, quia cùm poſſideatur, poſſidere non videtur. hb. 118. ff. de Reg. Iur. ſic vxor quæ eſt in poteſtate mariti, non habet filios in ſuâ.

Quod evincitur in bonis non eſt. l. 190. eodem.

De crimine ſtellionatus. ff. 46. tit. 20.

De his qui à non Domino manumiſſi ſunt. Cod. 7. tit. 10.

De inveſtiturâ alieni beneficij. Feud. 4. tit. 96. de re alienâ factâ. F. 2. tit. 8.

De pœnâ ejus qui rem aliquam publicam vendidit. Leo. Nov. 62.

Quod falſo tutore authore geſtum eſſe dicetur. ff. 27. tit. 6.

De rebus alienis non alienandis. C. 4. tit. 51.

Si aliena res pignori data ſit. Cod. 8. 16.

Si à non competente judice judicatum eſſe dicatur. Cod. 7. tit. 48.

Si communis res pignori data ſit. Cod. 8. tit. 21.

Si in fraudem Patroni à libertis alienatio facta ſit. Cod. 6. tit. 5.

Si libertus ingenuus eſſe dicatur. ff. 37. tit. 14.

Si minor ſe majorem dixerit. Cod. 1. 43.

Si propter inimicitias creatio facta ſit. C. 10. t. 66.

Si quis alteri vel ſibi ſub alterius nomine, vel alienâ pecuniâ emerit. Cod. 4. 50.

Si quis omiſſâ causâ teſtamento poſſideat hæreditatem. ff. 29. tit. 4.

Si muliere ventris nomine in poſſeſſionem miſſâ, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium tranſlata eſſe dicatur. ff. 25. tit. 6.

Non videtur cœpiſſe, qui per exceptionem à petitione removetur. l. 13. ff. de Reg. Iur.

Non videtur quiſquam id capere, quod ei neceſſe eſt alij reſtituere. l. 51. eodem.

De clerico non ordinato miniſtrante. decr. lib. 5. tit. 27.

De conceſſione prebendæ, & Eccleſiæ non vacantis. dec. lib. 3. tit. 8.

Laicis etiam Imperatoribus non licet aliquem ordinare, vel de rebus Eccleſiarum judicare. diſtinct. 96.

Clericus ante civilem judicem non eſt trahendus. 11. q. 1. & 2.

Clericus miniſtrans in pertinentibus ad ordinem quem non habet, deponendus eſt, & ampliùs non ordinandus. capite ſi quis de cleric. non ordinato miniſt.

Arceatur ab Eccleſiâ, qui monitus non reſtituit bona Eccleſiæ, quæ poſſidet per poteſtatem regiam, contempto Pontifice. Concil. Aurelia. 4. Can. 25. an. 545.

Nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adverſarij inanis eſt actio. l. 6. ff. de dol. mal.

Nulla eſt actio, quæ exceptione repellitur. l. 7. ff. eodem.

Partus monſtruoſus non dicitur eſſe in numero liberorum. l. 14. ff. de ſtat. hom.

Acquirere non dicitur ille, cui citò auferri poteſt l. nemo & gloſſ. ff. de in integ. reſt.

Impropriè dicitur capere, qui capit vt reſtituat. l. 42. ff. de legat. 2.

De actione rerum amotarum. ff. 25. tit. 2.

Actio de dolo malo famoſa datur contrà legatarium, perſuadentem hæredi ad ſolida legata ſufficere hæreditatem. l. 43. ff. de dolo matr.

Æs alienum non eſt in bonis. l. in imponenda. C. ad l. Falcid.

Spes quòd aliquis poteſt alteri ſuccedere, non eſt æſtimanda. l. poſt emancipationem, §. final. ff. de liber. cauſ.

Extrà territorium jus dicenti, vel in territorio ſuprà jurisdictionem ſuam, non paretur. l. vlt. ff. de Iuriſd.

Non dicitur habere facultatem ſolvendi ille, qui non habet pecuniam ad manus, licet habeat multas poſſeſſiones. l. 22. ff. de noxal. actu. l. qui habet, & l. ſi tutor. ff. de legat. 3.

Graviùs punitur ſervus fugitivus, qui ſe pro libero geſſit. l. 2. ff. de fugitivis.

Non cenſetur verè accipere, qui accipit vt reſtituat. l. 27. ff. de excuſat.

Homo qui ſciens ſe liberum, in ſervitute, ſi cœperit ſe quaſi fugitivus celare, non agit pro libero, ſed hoc ipſo quod in fugâ eſt, pro ſervo agit. l. 10. & ſeqq. ff. de lib. cauſ.

Qui de ſtatu ſuo litigat, interim non poteſt eſſe miles, etiamſi poſtea ingenuus fuerit pronuntiatus. l. 29. eodem.

Subſtitutio quæ nondùm competit, extrà bona noſtra eſt. lib. 42. ff. de adquiren. rerum domin.

Non cenſetur locuples qui rem alienam deffendit. l. 126. ff. de Reg. Iur.

Dolo facit, qui petit, quod redditurus eſt. lib. 133. eodem.

Non videtur perfectè cujuſque id eſſe, quod ex causâ auferri poteſt. l. 181. eodem.

Ius ſuum amittunt, qui titulos ſeu inſignia potentiorum prædiis ſuis affigunt, vel eorum nomina in lite prætendunt. l. vnic. Cod. de his qui potentior. nom. l. 1. & 2. Cod. vt nemo privatus titulos.

Spurij in nullius poteſtate ſunt, non patris quia incertus eſt; non matris, quia fœmina liberos non habet in ſuâ poteſtate. §. fœminæ. Inſtit. de adoptionibus.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

OMnia miracula dæmonum ſunt falſa, ratione rei vel miraculi. D. Thom. 1. q. 110. a. 4. ad 2.

In numero filiorum Iſraël non numerantur mulieres & parvuli, nec etiam exteri: ſi tales ſimus anima, non cenſemur in poſſeſſione Dei, inquit Origenes.

Ipſi regnaverunt, ſed non ex me. Oſee 8. *Vide Virt. Poteſtatis Rep.*

Simulachra gentium, argentum & aurum: os habent, & non loquentur, &c. Pſal. 113.

De Antichriſto, de Pontifice ſchiſmatico, de Tyranno, de Dæmone Energumenos agente.

GLORIA POTESTATIS.

HONOR RECTORIBVS DEFERENDVS.

MISCELLANEA.

HÆc est regnantium conditio, vt fœliciter gestorum gloriam sibi velint deferri, infausta in alios refundant. Constantinus, Iustinianus & alij Imperatores sibi adscribebant victorias vndè aberant; Alexander occidit Clitum, quia coràm se impensiùs laudabat Philippum & Parmeniam.

Indignatus est Lysimacho, qui in ipsum insilientem Leonem excepit, quasi ipso potuisset illum confodere. Hinc sapientes aulici sic agunt, vt rebus maximis Princeps vltimam manum afferat, maximè enim timenda regnantium invidia.

Augustus in corpore maculas habebat dispositas, eodem ordine quo stellæ cœlestis vrsæ.

Ab antiquis idololatris, impijs & nequissimis hominibus, quia regnaverant honor divinus est delatus, palatijs in templa mutatis. Euseb. de præpar. Evang. lib. 2. cap. 9. *Vide Gloria Principy.*

Princeps, si non sit populo odiosus, solâ suâ præsentiâ compescit tumultus & seditiones.

Falluntur & pereunt tandem ministri, si post diuturna officia exemptos se putant ab honore Principibus præstando, tunc enim jam latenti invidiæ accedit odium.

Majestatem Princeps nunquàm, maximè in publico, exuat. Propriè à virtute oritur, sed & ab externis, vt à moderatâ gravitate morum, si modo tristitiam & arrogantiam exuat, vt nec facilitas authoritatem, aut se veritas amorem minuat: talis laudatur Germanicus, qui visu & auditu venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat. Reuerendum faciet natura, si corpore ingens, verbis magnificus; aut ars, si abstineat ab omni vili exercitio, si secedat, & ratiùs se videndum præbeat, continuus enim aspectus minùs verendos magnos homines ipsâ satietate facit: majestati major est ex longinquo reverentiâ, quia hominibus omne ignotum pro magnifico est ex Lipsio in politicis.

Ad majestatem facit, si convenienti sibi comitatu, cultu, & sermone audiat suos, & extraneos legatos; si suos non mittat ad rebellem populum, & ad prædones; si mediantibus multis nobilibus, & etiam interpositâ morâ detur ad eum accessus: scit politica has & alias artes, quibus formatur populus ad insignem cultum principibus deferendum.

Ad principis honorem pertinet, vt ipse se periculis non exponat; hoc enim docet natura, dum exponit brachium & cæteras minùs nobiles partes pro nobilioribus; cerebrum cranio, cor hepate, pulmonem costis protegit.

Quidquid à subditis proficiscitur, regnantium laudibus applicatur. Cassiod. Epist. 11. lib. 10. variar. Vt actio imputatur Principali agenti.

Persæ, si quandò Regibus suis occurrebant in viâ, manus contrahebant in tunicæ manicam, vt ostenderent in eos nihil nec posse, nec velle: si autem apud Æthiopes Rex in aliquâ corporis parte læsus esset, cæteri in eâdem debilitabantur. Diodor. Siculus rerum antiquar. lib. 4. c. 1.

Dei præferentes in potentiâ & regimine imaginem, ejusque quasi vicarij, cæterorum hominum cultum merentur: ideò antiqui Reges stellarum & beatarum mentium illas moventium sumpsere nomina; Saturni, Iovis, Martis, &c. eorum etiam insignia gestarunt.

Tertulian. ad Scapulam. c. 2. loquens de imperatore ait. Omnibus major est, dum solo Deo vero minor est.

Cœlis, super inferiora dominantibus, superior in natura locus datus est; fulgentes, eminentes & incorruptibiles etiam habent qualitates.

Reges Sacerdotium gesserunt vt majori haberentur veneration. *Vide Virt. Potest.*

Authoritas impressa subditis, sivè exteris, est opinio reverens de Rege & ejus statu; constat ex admiratione & metu, cujus vtriusque temperies seù mixtione facit hanc virtutem: aliquibus gentibus videtur ingenita, in alijs ægriùs reperitur, sed tamen apud omnes triplici hac viâ paratur, formâ imperij severâ, constante, adstrictâ, quod præcipua per se agat. Secundò potentiâ quæ consistit in opibus, armis, consilijs, fœderibus, fortunâ. Tertiò denique moribus imperantis, scilicet pietate, providentiâ, gestu, habitatione, &c. Vide Lipsi. in polit. de regum authorit.

Sic Rectores colendi, vt etiam mali tolerentur. *Vide Contrarietatis Repugn.*

Caveant proceres, non se Domino anteferre, in rebus quibus ipse excellere aut credit, aut contendit nonvereatur concedere, etiam qui se sentit victorem, ne Princeps in æmulationem exardeat, quæ amicitiam extinguere solet, & pervicacibus odiis sævire: dolet enim multùm si vel in minimis à palmâ excidit. Barclai.

Non sunt contemnendi qui mores ex dignitate instituunt, & fortunæ suæ accedunt: nam interdum necessaria est sublimis hæc majestas, & de populi commercio excedens; hinc enim reverentia, quâ ficut fræno continentur vulgi animi, aut timere assueti, aut spernere. Idem.

D. Petro à Iudæis carceri mancipato, tota Ecclesia sollicita est. act. 12. Vide Baron. an. 44. Num. 3.

Rectores habent insignia quædam, quæ alijs non licet assumere. *Vide Cognit. Potest.* videri potens.

D. Petrus noluit crucifigi vt Christus, sed capite deorsum verso. Vide Baron. an. 69. Num. 15.

Imperatoribus decennalia imperij sui celebranti-

bus, populus etiam munera offerebat, diemque agebat ſolemnem. Vide Baron. an. 315.

Mitti ſolebant imagines Imperatoris & Auguſtæ in loca ſibi ſubdita, & illis in Eccleſiâ à clero & populo acclamabatur. Vide Baron. an. 603.

Honor exhibetur rectoribus a ſubditis per obedientiam. *Vide Concord. Poteſt. obedientia.*

Capiti dominium eſt in corpus: hinc multæ aves pinnis aut criſtis coronata habent capita, vt alaudæ, pavones, phaſiani, hupupæ: ſed omnium maximè galli gallinacei, &c. Vide Plin. l. 11. c. 37.

Hinc ferè animalia omnia armea habent in capite: Rectores poteſtate majeſtatem ſuam ſibi conciliant.

Palmis, coma omnis in cacumine. Plin. l. 13. c. 4.

Laurus eadem quæ triumphis dicatur, etiam gratiſſima domibus janitrix Cæſarum, Pontificumque, quæ ſola & domos exornat, & antè limina excubat. Idem lib. 15. cap. vlt.

Moyſes in Geneſi nihil dicit de Angelis, ne mundus crederetur ab illis factus, & vt tota gloria Deo redderetur. Photius Byblioth. c. 232.

Caius Imp. autor fuit, ut in omnibus juramentis hoc adderetur: neque me, liberoſque meos, cariores habeo, quam Caium & ſorores ejus. Suetonius in ejus vitâ. cap. 15.

Populus Romanus motâ ſeditione in potentiores, & ob id in montem ſacrum ſecedens, revocatus eſt Menenij Agrippæ facundi viri ſermone; expoſitâ hac ad concordiam fabulâ, quâ diſſidiſſe inter ſe quondam humanos dixit artus, quod omnibus fungentibus ſolus venter immunis ageret: deindè moribundos ab ſejunctione rediiſſe in gratiam, quando ſenſiſſent quod ejus operâ, redactis in ſanguinem cibis, alerentur. Florus cap 23. dignitas & poteſtas rectoribus collata cedit in commodum populorum.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE cenſibus. ff. 50. t. 15. Cod. 11. t. 57.

Quæ dignitates filium liberent patria poteſtate. Nov. 81.

De honoratorum vehiculis. Cod. 11. t. 19.

De imaginibus. Cod. l. 1. Theoph.

De his qui ad ſtatuas confugiunt. Cod. 1. 25. *Vide Gloria Principij.*

Ne decurio aut cohortalis producatur in jus, citrà juſſionem principis. Num. 151.

De palatiis & domibus dominicis. Cod. 11. 76.

De præpoſitis ſacri cubiculi, & eorum privilegiis. Cod. 12. tit. 5.

De honore præturæ. C. 12. tit. 2.

De privilegiis domus Auguſtæ. Cod. 11. tit. 74.

Quæ ſunt regaliæ Feud. 2. tit. 56.

De vectigalibus & commiſſis. Cod. 4. tit. 61.

De veſtibus oloberis, auratis & intinctione ſacri muricis. Cod. 11. tit. 8.

Vt dignitatum ordo conſervetur. Cod. 12. 8.

De authoritate & vſu pallij. decret. l. 1. tit. 8.

De præbendis & dignitatibus. dec. 3. tit. 5.

Magiſtratus ſolebant judicare pro tribunali, è loco excelſo; pedanei autem judices è plano. l. 4. ff. de tutorib. & curat. dat.

Inſignia Magiſtratus ad reverendum eum ſunt inventa, vndè cæcus non poteſt poſtulare, quia inſignia Magiſtratus non poteſt videre & revereri. l. 1. §. 4. ff. de poſtul.

Qui per genium principis pejeravit; fuſtibus cæditur, & ei dicitur, temerè ne jurato. l. 13. ff. de jurejur.

Ius dicitur, etiamſi Prætor iniqua decernat. l. penultim. & vltim. ff. de Iuſt. & jure. Ingenuus eſt qui judicatus eſt ingenuus. l. 25. ff. de ſtatu. homin.

Ius publicum reſpicit ſacros Sacerdotes & Magiſtratus. l. 1. ff. de Iuſt. & Iur.

Proconſul & legatus præmittere debebat in Provinciam edictum ſuam continens commendationem, tamen prohibens Provinciales ei occurrere. l. 4. §. 4. ff. de off. proconſ. & legat. Debet pati commendari ſibi civitatem, & laudes ſuas audire. l. 7. eodem.

Proconſul non debet xeniis morosè in totum abſtinere, quæ dantur potiùs ad eum honorandum quàm ditandum. l. 6. §. 3. ff. de offic. proconſul.

Punitur qui jus dicenti non obtemperat, ideſt jubenti rem auferri, & ſententiam executioni mandari, licet ſit injuſta. l. 1. ff. ſi quis jus dice. non obtemper.

Aurum coronarium dicebatur, quod principi in novæ dignitatis honorem conferebatur à quibuſdam. l. 1. C. de auri publici perſecutoribus. *Vide Majoritas Principij.*

In loco, in quo Principis imagines conſecrantur, non debent fieri ſpectacula, nec hiſtriones & viles perſonæ introduci. l. 4. Cod. de ſpectacul.

Palatia principis non debent privatorum vſui deſtinari. l. vnic. Cod. de palatiis & domibus dominic.

Abeſſe Reipublicæ causâ dicitur, qui miſſus eſt ad gratulandum Principi. l. 35. ff. ex quibus cauſ. major.

Accuſari non poſſunt Magiſtratus populi Romani, tenentur tamen ſatiſdare, de judicio ſiſti poſt honorem depoſitum. l. hos accuſare. ff. de accuſat.

Minùs puniuntur in dignitate conſtituti. *Vide Minoritas Contrariet.*

Differtur in illos actio adulterij, donec officium depoſitum ſit. l. 38. ff. de adulter.

Non militiâ, non dignitate conſulari, ſed ſolo patriciatu ſolvitur Patria Poteſtas. Inſt. quib. mod. jus pat. poteſt. ſolvit.

Infamis à dignitatibus excluditur. l. 2. ff. C. de dign.

Infames non poſſunt poſtulare, ad dignitatem publicam Magiſtratus conſervandam; ideò aliter privatis pactionibus non poteſt ſtatui. l. 1. §. 4. ff. de poſtul.

Pactum quod in reſtitutione dotis maritus tenebitur vltrà quod facere poteſt, non valet, quia eſt contrà bonos mores, & reverentiam manto exhibendam. l. 14. ff. ſolut. matrim.

Magiſtratus municipales tutelâ & curâ vacant. l. 6. ff. de excuſat.

Quòd Imperatori relinquitur, ſi decedat relinquitur ſucceſſori. l. 56. ff. de legat. 2. Relinqui enim putatur potiùs dignitati quam perſonæ; ſic quod ſacerdoti Eccleſiæ debetur, templo videtur relinqui, & ſic ſucceſſoribus in perpetuum debetur. l. 20. ff. de ann. legat. cap. requiſiviſti de teſtam. can. pontifices 12. q. 3.

Sententiæ etiam injuſtæ parendum eſt, propter authoritatem rerum judicatarum. l. 65. ff. ad S. C. Trebellian.

Iudici ab appellatoribus convivium fieti non oportet, alioquin infamiâ notantur. 42. ff. de injur.

Proximum ſacrilegio crimen eſt, quod Majeſtatis dicitur. l. 1. ff. ad l. Iul. Majeſt. committitur etiam contra Magiſtratus, & qui in Republicâ poteſtatem habent. eodem.

Quamvis illuſtriſſimæ perſonæ, debent litigantes ad judicem ire, non judex ad ipſas. l. 36. §. 2. ff. de Epiſc. & cleric.

Servus, sciente domino, militiam vel aliquam dignitatem adeptus, fit liber. l. 3. §. 6. Cod. de bon. libertor.

Honorati in signum suæ dignitatis eunt in curribus intrà vrbem. l. vnic. Cod. de honorat. vehicul.

Hæc fiebat acclamatio Principi, Auguste Constantine, Deus te nobis servet, vestra salus nostra salus; verè dicimus, jurati dicimus. l. 2. Cod. de veteran.

Quot annis in ingressu anni senatus offerebat principi vnam libram puri auri. l. vnic. Cod. de oblat. votor.

In omnibus instrumentis judicialibus quæ ad temporis conservandam memoriam aguntur, nomen Principis & Consulis debet apponi. Novell. 47.

Nemo debet in pœnam alicui officio publico mancipari, cum criminosum non dignitas debeat, sed pœna comitari. l. 38. C. de decurionib.

Dignitas Consularus, Patriciatus, & Episcopalis liberant à patriâ potestate. Novell. 8.

Vsus fructus causalis est quem habet dominus ex causâ rei; vndè vsus fructus dicitur esse pars domini. l. 4. ff. de vsufr.

In electione Episcoporum Principis desideratur consensus. can. Hadrianus. & seqq. dist. 63.

Die tantùm dominicâ ordinandi sunt Episcopi, quia in hac die mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium. can. quod die. dist. 75.

Si tributum petit Imperator non negamus, si agros desiderat habet potestatem vindicandorum: tollat eos si libitum est, Imperatori non dono, sed non nego; si filius Dei solvit censum, quis es tu, qui non putas esse solvendum? ex D. Ambrosio. 11. q. 1. can. si tributum.

Corripiatur durissimè, qui causâ Religionis docet servum dominum suum contemnere. 17. q. 4. can. si quis servum, ex Concilio Gangrensi. can. 3.

Episcopalis dignitas non debet tribui nisi locis insignibus & populosis. cap. Episcopalis de privileg.

Non oportet Diaconum coram Presbytero sedere, sed jussione Presbyteri: similis honor exhubeatur Diaconis, ab inferioribus ordinibus. Concil. Laodicens. can. 20. anno 321. habetur. dist. 93. can. non oportet.

Quos Rex in gratiam benignitatis receperit, & participes mensæ suæ effecerit, hi à sacerdotibus in Ecclesiæ communionem recipiantur. Concil. Toletan. 12. can. 3.

Encomium sacerdotalis dignitatis. Vide Concil. Parisiens. lib. 3. cap. 9. habitum sub Lothario, anno 819.

Vide quod nihil contrà legitimas Potestates audendum. *Contrar. Potest. Rep.*

Corrumpitur animus servi, si persuadetur illi vt dominum contemnat. l. 15. ff. de servo corrupto. *Vide Contrarior. Potest Mala.*

Filius familias in Patricium electus liberatur à patria Potestate. Ne, inquit Imp. Iust. videantur qui à nobis loco Patris honorantur alieno juri esse subjecti. l. 5. Cod. de consulib.

Præsentia Principis supplet defectum solemnitatum in testamentis coram ipso factis, quia publicam gerit auhoritatem. l. 3. ff. de testamen.

Licet servus non sit caput, tamen potest agere pro vindicandâ nece domini, ad laudabilis fidei exemplum. l. 1. Cod. de præcib. imper. offeren.

Qui in illustribus dignitatibus atronito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solitâ, nec prætereantur vt incogniti. l. vnic. C. de quæstor.

Oleum quo Reges vngebantur, Deus dicit sibi sanctum esse: juxta compositionem ejus non facietis aliud.

Purpuram emere, vendere, ferre nemini liceat, similem illi qua vtuntur Imperatores cum sedent in Majestate. l. 1. Cod. quæ res vendi non possunt.

Honorius Imperator injurias illatas personis Ecclesiasticis vult vindicari vt crimen publicum. lib. 31. Cod. Theod. de Episcop. Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1. Timoth. 5.

EX THEOLOGIA.

IVdæi dabant tantum decimas prædiales, non personales, & quidem triplices ex præcepto Dei, primas ministris; secundas sacrificiis; tertias pauperibus. 2. 2. q. 87. a. 1. ad 4. D. Thomas.

Pauper tenetur dare decimas sacerdoti, etiam diviti. 2. 2. q. 87. a. 2. ad 1.

Omnes Clerici tenentur dare decimas Papæ, si potat. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 3.

Honor debetur superioribus ratione excellentiæ; Cultus autem consistens in obsequio obedientiæ & beneficij debetur ratione gubernationis. 2. 2. q. 102. a. 2.

Honor & cultus debetur omnibus prælatis suis, ex debito legali; aliis autem in dignitate constitutis, ex debito morali. Ibidem ad 2.

Malis Prælatis debetur honor, in quantùm gerunt vices Dei, vel communitatis. 2. 2. q. 63. a. 3.

Constitutis in dignitate debetur honor ratione excellentiæ; timor autem ratione potestatis; obedientia verò & tributum, ratione gubernationis. 2. 2. q. 102. a. 2. ad 3.

Divites non sunt honorandi solo intuitu divitiarum, sed ratione majoris loci in communitate. 2. 2. q. 63. a. 3.

EX BIBLIIS.

ADeps apud Iudæos erat Deo sacer, nec poterat comedi. Levit. 3.

Saule electo clamat populus vivat Rex, & obtulerunt ei munera. 1. Reg. 10.

Vncto Iehu à filio Prophetæ, omnes faciunt illi thronum de palliis suis, & clamant vivat Rex. 4. Reg. cap. 9.

Statua aurea Nabucodonozor adorata.

Honoratur potestas, quia est à Deo. *Vide Princip. Potest.*

Quicumque sub jugo sunt servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blasphemetur, qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, &c. 1. Timoth. 6.

Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1. Timoth. 5.

O Rex, Deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonozor patri tuo, & propter magnificentiam quam dederat ei, vniversi populi tribus & linguæ tremebant & metuebant eum, &c. Daniel. 5.

Digitized by Google

HONOR HIS QVI regunt deferendus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Qui regit vitam rationalem conſervat, & curâ ſuâ continuâ quodammodo creat; vnde confert maximum omnium beneficium, quo cætera ſalva ſunt: In hoc agit partes Dei, ſic, vt Deo, ex gratitudine maximus honor deferendus.

MAGNITVDO. Rector ſuprà ſubditorum conditionem elatus cæteris eorum bonis non videtur indigere, nec aliquid ab illis mutuari, vt nec cœlum à terra; veneratio hanc ſublimitatem publica fatetur, & quantùm in ſe eſt efficit, vt id omnes præſtent.

DVRATIO. Magnæ mentes, publicæ vtilitati à cœlo datæ, aluntur honoribus, hiſque vires magnis laboribus conſumptas reficiunt: hinc enim intelligunt curas vtiles & acceptas eſſe populo, vndè dum hunc præteriti laboris fructum percipiunt, ad diligentiorem in poſterùm curam animantur.

POTESTAS. Dura regentium ſors in adminiſtratione juſtitiæ, alienis commodis intentæ. Vix toleraretur hæc publica ſervitus, ſi non eſſet aliquo honoris ſolatio delinita; maximè cum illis negata ſit vtilitas, ad compeſcendam ambitionem, alioquin nimiam. Gratiſſimus hic honor, quem lex non defert, ſed libertimus ſubditorum cultus; quò ſublimior & honoratior eſt poteſtas, eò tolerabilior quæ illis præſtatur obedientia; par enim in parem non habet imperium, & regibus ſervire putatur glorioſum. Populus in favorem ſuæ libertatis rectorem ſuum honoribus evehit, ne videatur deijci ſi humiliotibus parcat.

COGNITIO. Hinc Regum, Principum, Nobilium, Magiſtratuum inſignia, vt poſſint quales ſunt agnoſci, dum videntur: hic autem cultus cedit in bonum publicum; nam ſic manifeſta regentium præſentia terrorem malis incutit, bonis autem dat ſpem & animos. Aſtra ad Solis conſpectum non lucent.

VOLVNTAS. Ingratiſſimi eſſet non amare Rectorem, paterno amore omnes complectentem; amor autem hic excellentiæ, ex idæâ quam habet ſummi boni, fingit ſibi maximam in objecto ſuo excellentiam, vndè veneratio & extaſis. Honorantur ergò hi qui regunt, vt hinc ſe amari intelligentes magis ament amantem, & colentem populum.

VIRTVS. Vt radius reflexione, ſic virtus honore incaleſcit. Virtus, cœleſtis quædam qualitas eſt, cui, vt cœleſtibus, incenſum hoc honoris offerendum: [illegible] contentâ, nec à ſui vnquam vacans contemplatione, gaudet tamen externo hoc teſtimonio.

VERITAS. Si ſcriptis legibus tantus defertur honor, vt de illis dubitare nefas ſit, & ſub illis ſileat humana ratio; quantò magis colendi ſunt Rectores, qui ſunt leges animatæ, & ſenſibiles quædam rerum agendarum ideæ? Hæc veneratio movet illos vitam agere, optimæ de illis conceptæ opinioni conformem; eſſet enim quoddam ſacrilegij genus, fucata vitia palam pro virtutibus colenda proferre.

GLORIA. Sic imaginibus, titulis publicis, trophæis, triumphis olim heroica virtus excepta. Prærogativa dignitatis eſt continuus quidam triumphus, ſolemnitatis defectum diuturnitate compenſans. Has remunerationes, intactis ſuis ærariis, & ſemper ad hoc dives Reſpublica, dat publico bono laborantibus: officia non debent eſſe lucrativa, ne avaris tantùm contingant; non debent etiam omni remuneratione carere, quia cum in illis fiat jactura temporis, bonorum, libertatis, nemo ſic ſibi noxia, & nullatenus profutura vellet ſuſcipere: cùm ergò aliquod debeat eſſe præmium, nullum nec honeſtius, nec facilius honore.

DIFFERENTIA. Hac honoris ex dignitate prærogativâ, inter homines conſtituitur ordo, quo ſublato non ſtaret civilis ſocietas. In hac neceſſariâ hominum ſubordinatione, & quaſi partium corporis rectâ poſitione, primas deferre convenit Rectoribus, qui habent rationem capitis, aut ſenſuum in capite.

CONCORDANTIA. Meritò in ſocietate cæteris præferuntur hi, per quos conſtat ſocietas, quique illam regunt, vt Deus mundum, & intelligentiæ motrices cœlos: honorem dignitatibus deferre, conventio eſt publica, cui non aſſentiri, & partem ſuo toto non congruere turpiſſimum. Quo major eſt regentium authoritas, potentior eſt ad conciliandos animos, ad ſedandas controverſias, & ad pacem inter cives conciliandam. Honorem deferre rectoribus, eſt tacito conſenſu probare quæ decernunt, & ſic ſtare pro juſtitiæ partibus; hinc creſcit illis animus, dum ſe vident tanto ſtipatos applauſu.

CONTRARIETAS. Prodeſt etiam hæc authoritas ad vindicanda crimina, plus enim metus incutit reis, & damnatis minùs relinquit excuſationis; vim, & rebellem audaciam compeſcit, dum juſtius putatur, quod à veneratione dignis hominibus judicatum eſt: tela popularis iræ minùs ad ſic elatos perveniunt; vt contrà Deum, ſic contrà Dei miniſtros, infœlici ſibi exitu gigantes decertant; honor arx eſt juſtitiæ munitiſſima, prævenit enim & repellit malorum impetus, communi quâdam reſiſtentiâ, omnes enim offenduntur, ſi lædatur, aut contemnatur poteſtas quam honorant.

PRINCIPIVM. Qui regunt ſunt loco Principij, at Principiis, vt Deo, Parentibus, Patriæ, Patronis, Magiſtris honor eſt deferendus. *Vide Gloria Principij.*

MEDIVM. Cùm jam ars politicæ ſit in eo difficilis, quòd habeat inſtrumenta ſe moventia, impoſſibilis eſſet, niſi honor regenti daret eminentem vim ſuprà miniſtros; non enim ſe ſubſternent alieno judicio, niſi ejus, quem longè ſuprà ſe poſitum exiſtimant.

FINIS. Honor eſt vltimum & ſupremum ex fortuitis bonum, cætera enim videntur ad illum ordinari. Itaque illius comparatione, rectores cætera, vt minora & ſe indigna, deſpiciunt; ſic relictis cupiditatibus ſtudent virtuti, vndè verus & compendio contingit honor.

MAIORITAS. Sic hæc excellentia, licet ex opinione, veram parit, quia provocat ad virtutem; vt enim ex alto magis timetur præcipitium; ſic non tam facilè fit lapſus in crimina, quæ ob dignitates habentur majora. Hic excellentiæ ſenſus eſt in regentibus, velut anima fortitudinis; hac ſublatâ confidentiâ, vix vnquam contrà omnes vnus prævaleret.

ÆQVALITAS. Dant operas ſuas populis, quid æquius, quàm vt recipiant honorem, qui eſt non gravans, ſed omnibus pauperibus etiam licita gratitudo? juſtum eſt vnumquemque deferre, quod in ſimili officio vellet ſibi deferri. Ad [illegible]culum accedit, & non ſine ſecretâ Dei providentiâ fit, vt homines tam levi & ex opinione præmio, ſe ſuaque publicæ litent vtilitati.

MINORITAS. Qualiſcumque Regentibus deferatur honor, minus eſt quod illis datur quàm quod ab illis accipitur. Averſatur quidem natura ſubjectionem, ſed turpe non eſt in hoc cum omnibus conſentire; deinde non tàm perſonæ, quam dignitati defertur honor, non tibi, inquit Emblema aſini por-

tantis dex Imaginem, ſed Religioni. Quò Rectores apparent eminentiores, eò faciliùs illis ſe populi, vt inferiores, ſubſternunt, exactamque præſtant obedientiam.

BONA FAMA REgentium.

MISCELLANEA.

BOna fama virtutem non auget, ſed manifeſtat, vt lux pulchritudinem vniverſi, Rector autem non poteſt prodeſſe exemplo, niſi fama virtutes ejus notas fecerit, & ſemen hoc in populorum cordibus ſparſerit. Nullius momenti eſſet eorum virtus ſinè famâ; vt nummus ex legitimâ materiâ, ſed publicâ formâ noti percuſſus: licet virtus in ſe ſplendeat, tamen reſpectu populi patitur Eclypſim, vt Sol per oppoſitionem Lunæ. Virtus debet duobus teſtibus probari, conſcientiâ & famâ. *Vide Bonitas & Poteſtas Gloria.*

Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ. Proverb. 22.

Oportet Epiſcopum teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 1. Timoth. cap. 3.

Rex Propheta ait. Pſal. 118. Auſer à me opprobrium & contemptum, &c.

D. Auguſt. lib. de bono viduitatis cap. 22. Non, inquit, audiendi ſunt qui dicunt ſibi ſufficere bonam conſcientiam, &c. & infrà.

Proindè quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit; quiſquis autem etiam famam & in alios miſericors eſt; nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra; & vtique quod alijs miſericorditer miniſtramus ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat vtilitatem; vndè dicit Apoſtolus 2. Corinth. 8. Providemus bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

Ioſeph in Ægypto priùs fuit ſervus, quàm dominus, imò plures expertus eſt dominos; quia vir civilis priùs populo ſervire debet, vt famam aucupetur, quâ adeptâ ipſe populo imperat. Philo. lib. de Ioſeph.

Coràm vniverſo populo Iſraël vngitur Aaron. Levit. 8.

Chriſtus petit à diſcipulis quid de illo dicerent homines. Math. 16.

Ideò fit inquiſitio de vitâ & moribus promovendorum.

Vt ex capite ſumitur præcipuum phyſionomiæ judicium; ſic ex Rectoribus de populo; vndè famam ſuam, tanquam publicam, debent intactam ſervare, in illo enim Reſpublica offenditur. Sic ſi Decurio contraxerit matrimonium cum ſervâ deportatur, & bona ejus curiæ, quam ſic offendit, deputantur. l. 3. Cod. de inceſt. & inuti nupt. ſimiliter & cum infami, aut ſcenica. l. 7. eodem.

Infames non poſſunt Magiſtratum gerere. lib. 2. Cod. de dignit. Et Rei criminis poſtulati novos honores appetere non debent, donec probaverint innocentiam ſuam. l. vnic. Cod. de reis poſtulat.

Faſtigia arborum ventis inquietantur, ſic dignitate eminentium fama.

Permittit Chriſtus pretioſo vnguento ſibi pedes vngi à Magdalenâ, quia Apoſtoli, de quibus dicitur, Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes ejus, ſunt pedes domini, per quos ſermo ejus pervenit in omnes fines terræ, & ipſi debent eſſe puri & boni odoris, vndè Chriſtus lavat pedes diſcipulorum; & dicit Apoſtolus, Chriſti bonus odor ſumus. 2. Corinth. 2. Clem. Alexand. lib. 2. pædag. c. 8.

Tintinnabula in veſte ſacerdotali ſignificant quod nota eſſe debet converſatio ſacerdotis. D. Auguſt. q. 119. ſuper Exod.

Epiſcopos convenit conſcientiam bonam habere apud Deum, & famam apud homines. Concil. Tolet. 4. can. 21.

Famam maximè curet Princeps, nam vt ait Tacitus, 4. Annal. cætera Principibus ſtatim adſunt, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam; nam contemptâ famâ contemnuntur virtutes.

Omnia dicta factaque Principis rumor excipit, nec minùs ei quàm ſoli latere contingit: Cavere debet qualem famam habeat, quia qualemcumque meruerit, magnam habiturus eſt. Tacit.

Qui magno imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere; ita maxima fortuna minima licentia eſt. Saluſtius.

Alia conditio eſt eorum, qui in turbâ, quam non excedunt, latent, quorum & virtutes, vt appareant, diù luctantur, & vitia tenebras habent: veſtra facta dictaque rumor excipit, & ideo nullis magis cavendum eſt, qualem famam habeant, quàm qui qualemcumque meruerint, magnam habituri ſunt: multa illis non licent, quæ nobis beneficio ſuo licent: Aberrare à fortunâ tuâ non potes; obſidet te, & quocumque deſcenderis, magno apparatu ſequitur; & hæc ſumma magnitudinis ſervitus eſt, non poſſe fieri minorem: ſed cum Diis communis tibi iſta neceſſitas eſt, faſtigio tuo affixus es; noſtros motus pauci ſentiunt, tibi non magis, quàm ſoli latere contingit: multâ contra te lux eſt, omnium in iſtam converſi oculi ſunt; loqui non potes, quin vocem tuam omnes excipiant, iraſci niſi vt omnia tremant, &c. Senec. 1. de Clement. cap. 8.

Maxima quæque maximè patent, & quibus invident omnes, & minimè ignoſcunt, & maximè detrahunt. Martil. Ficinus.

Ille medicus plures curat, de quo plures confidunt. Galen.

Quanquam Reges, qui in altiſſimo rerum faſtigio ſedent, civilibus quibuſdam ſolvantur legibus, honorariâ tamen actione in judicium famæ quotidie vocantur, atque hic cauſam dicunt omnibus ſæculis, dum interim ex virtutum ſceleramque memoriâ poſthumâ, ſuum cuique decus reprehenditur, aut labes irrogatur: neque enim vllis Principum juſſis & interdictis humani generis vox & conſcientia promi & aboleri poteſt: habet hoc regia fortuna, vt non illi magis quam ſoli latere contingat, omnia vitæ decora vel dehoneſtamenta poſteris tradit, explicat, proponit; vt hinc maximè cavere reges debeant, qualem ipſi habeant famam, quia qualemcumque meruerint, magnam vtique habituri ſunt; ſtudeant ergò proſperæ ſui memoriæ, illiſque gloriæ ſic hereant titulis, qui vniverſorum pectoribus infixi, deſiderio effloreſcunt animorum.

Conſtantinus in Concilio Nicæno accuſantes ſe mutuò Epiſcopos ad concordiam excitavit, libellos oblatos, non à ſe lectos, combuſſit, dicens quod ſacerdotum vitia non ſunt populo aperienda, ne ille indè, cauſâ offendiculi arreptâ, licenter peccare aggrediatur: adjecit & hoc, ſi ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos qui id ipſum cernerent vllâ ex

parte

parte læderet. Theodoret. lib. 1. cap. 11.

Populus enim Rectores imitatur. *Vide Concord. Poteſtat.*

D. Gregor. 11. Epiſt. 31. Paſchaſium Epiſcopum Neapolitanum acriter redarguendum curavit, quod vno aut altero clerico comitatus incederet vilis & deſpicabilis, itaut nihil habere videretur Epiſcopalis ingenij & reverentiæ. *Vide Cognit. Poteſtat.*

In octavâ Synodo Oecumenica. Conſt. actione 9. ſtatutum: Ne Epiſcopi indecentia obſequia exhiberent Magiſtratibus, nimirum ne obviam prodirent procul ab Eccleſiis ſuis: non ſe dimitterent ab equis vt adorarent eos: nec intrarent ad Principes horâ prandij, vbi indebita perſolverent obſequia, ſed veneratione digni haberentur. Baron. an. 869.

Familiaritas Iovis cum Marte facit magnanimos, honoris cupidos, idoneos gubernationi. Ptolomæus prædict. Aſtrolog. lib. 3. cap. 27.

De Majeſtate, vide ſuprà hoc titulo: honor Rectoribus deferendus.

Princeps ſi habet inclinationem ad vilia, debet illam celare; non debet in vili exercitatione educari, ne talis rei, infrà dignitatem ſuam poſitæ, habitum contrahat; vnde Seneca malè permiſit Neroni agere currum, & aurigam imitari: Philippus Macedo increpavit Alexandrum filium in convivio optimè fidibus ludentem, & canentem; non te pudet, inquit, tam benè canere.

Opinio virtutis maximum eſt in Principe præſidium, ne ipſum alij bello laceſſant. *Vide Cognit. Poteſtat.* Videri potens. Vndè licet prematur adverſis, & ſit in maximò vitæ diſcrimine, nihil vnquam illi gendum eſt contra honorem, contra decorem & Majeſtatem.

Profuit Alexandro æſtimari Iovis Ammonis filius; hinc enim populi illum venerabantur. Lucianus dialogo Diogenis & Alexandri.

Bonum eſt mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis evacuet. 1. Corinth. 9.

Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco; quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt. 2. Corinth. 2. De bono exemplo. *Vide Cognit. Virtut.*

Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine quæ miniſtratur à nobis: providemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. 2. Corinth. 8.

Oportet Epiſcopum teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 1. Timoth. 3.

Hæc meditare, in his eſto; vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. 1. Timoth. 4.

RECTORES MAXIMAM habeant famæ ſuæ curam.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Dum Rectores boni volunt videri, non tam ſibi providenti quàm Reipublicæ, quæ non habetur bona, niſi ſub bonis rectoribus; hi etiam illam implent bonâ ſpe, quæ levat preſentes miſerias; contra nulla poteſt eſſe ſecuritas inter mala, quæ timentur à malè notatis. Rector bonæ famæ, etiam dùm cæcutit, dùm aberrat, dùm nocet, putatur beneficus.

A Magnitudo. Vt omnium intereſt bonum eſſe Rectorem, ſic convenientiſſima eſt illi bona fama, quæ ad omnes pervenit, ſecuroſque reddit de ſuâ probitate. Hæc publica vox prævalet, obſtruit invidiæ maledicentiam, & particularium ora, qui ſe læſos conqueruntur. Sibi nocet, vt qui rupem nudâ manu percutit, qui in bonam famam diu ſtabilitam inſultat. Hoc eſt vniverſale & potens remedium contra innumera politiæ mala.

Duratio. Aliqui Principes prodigiis inaugurati, vtin poſterum, quaſi cœlo grati à populis majori haberentur veneratione. Idem ferè præſtat bona fama: Semel hæc concepta probitatis opinio diu perſeverat; feliciter comitatur lentos, & diuturnos politiæ conatus: ſic licet expectare tempore ſuo venientem occaſionem; non præcipiti, ſed maturo conſilio rebus ordinem dicere, dùm inter moras ſpes notæ virtutis alit populum.

Potestas. Faci ſui artifex eſt, qui probitatis & potentiæ bonam ſibi conciliat opinionem: Tantùm ferè poteſt inter homines opinio quàm veritas, cùm ipſa rei veritas nihil poſſit, niſi cognita in opinionem tranſierit. Interdùm ægri ſanitati reſtituuntur, ex forti medicamentorum imaginatione, aut ex bonâ de medico conceptâ opinione; hic, vt in cæteris, corporalia vim accipiunt & moventur à ſpiritualibus.

Cognitio. Hinc politica vita tota eſt ad ſpectaculum virtutis, aut potentiæ exhibendum, pluſque omnes ſtudent videri quàm eſſe: Qui ſemel bonam de regente concepit opinionem, in ea pertinax eſt, ne videatur deceptus, ſic illius famam vt ſuam defendit.

Volvntas. Facit virtutis opinio, vt etiam abſentes amentur: hac ſolâ arte populi amore reguntur. Fama conciliat amorem, cui cæteræ omnes paſſiones militant.

Virtvs. Publico bono intenta virtus, in publicum debet effulgere, alioquin non proderit ad exemplum, vt nec ad ſatietatem reconditi in penu cibi; nec ad nocte carpendum iter, abſconſum lumen, ideo præcipit Chriſtus, lumen non poni ſub modio. *Vide Cognit. Virtut.* Etſi operoſam virtutem multi deſerant, illius tamen opinionem omnes ambiunt, eam impij volunt videri Religioſi; quòd ſi tantum poteſt vmbratilis virtus; quid vera, dùm ſolido fulget radio?

Veritas. Bona hæc de Rectoribus opinio effigit vt exactiùs in ejus geſta populus non inquirat vt credulo affectu, his quæ politica obtendit, rerum ſimulachris aſſentiatur, gaudeatque in bonum ſuum falli. In tuto poſita eſt probitas, de quâ non quæritur, & de quâ dubitare nefas eſt.

Gloria. Vera tantum ſecuritas, ex bonâ famâ; aliquin latens virtus laceſſitur, & dum qualis eſt non creditur, ſub obſtinatâ hoſtium oppugnatione tandem deficit: hinc tanta in omnibus famæ cupido, quia ſecuriſſimum eſt contra adverſa omnia præſidium, rectoribus, pro bono publico contra multitudinem certantibus, maximè neceſſarium; nam fama trahit hanc multitudinem ad ſuas partes.

Differentia. Illi qui prudens habetur nemo ſtruit inſidias, putatur enim illas prævidere, & habere qua divertat. Bona fama conſtans eſt, ſic ſupplet in defectum fortunæ, & etiam virtutis, non ſemper eodem paſſu, licet eâdem viâ, gradientis.

Concordantia. Virtute & potentiâ celebris confœderationem omnes ambiunt, timentque famoſam illius ſocietatis diſſolutionem. Pudet principem, bonæ de ſe conceptæ opinioni non reſpondere, aut indè excidere, ideo fama maximus eſt ad virtutem ſtimulus.

Contrarietas. Bona fama à longè terret ho-

ſtem, bella vt plurimum conficit, frænat & torquet invidiam: malus enim is putatur, qui contra bonitatem celebrem inſurgit, publicumque in ſe trahit odium, quia omnes ſe læſos putant in eo, quem venerantur: quot ſunt famæ ſuæ præcones, tot ſunt pro fortunæ ſuæ deffenſione milites.

PRINCIPIVM. Res iiſdem conſervantur, quibus productæ ſunt: regimen ab initio bonæ famæ delatum, eâdem firmatur, vndè illam maximè quærunt rectores circà initia; ſemel enim concepta opinio, ſeu in bonum, ſeu in malum, ægrè poſtea deponitur.

MEDIVM. Fama organum eſt ad omnia feliciter peragenda, vniverſalè & aptiſſimum: vis eſt ſympathica, potens ad omnium conciliandos animos; vt centrum coincidentes lineas, ſic connectit omnes in, in quem omnium conſentit æſtimatio.

FINIS. Hæc bona fama ex tranſeuntibus actionibus naſcens, eſt quaſi quinta & incorruptibilis eſſentia ex mixtis alterabilibus elicita: illimitatum bonum, appetitur enim à rectoribus, vt illi cætera inædificent, & optatum finem facilius aſſequantur.

MAIORITAS. Facilè creſcit bona fama; habet enim vnuſquiſque ſublimem ideam perfectionis, cui vt optat, ſic fingit ſibi à ſe laudatum eſſe conformem: & ne videatur immeritò laudare: prædicat maximè laudabilem; hinc itaque ingens, & ſibi ſemper accreſcens famæ profectus.

ÆQVALITAS. Immota hæc fama probitatis æqualem ſervat, quantùm fieri poteſt, rerum ſtatum. Omnes ad virtutem, & ad labores pro Republicâ ſuſcipiendos conducit hoc ſolemni prætio.

MINORITAS. Fama, vt charitas, operit multitudinem peccatorum, excuſat innumeros in regimine defectus, malè geſtis dat gratiam, materia eſt omnium bonorum, vndè rectores, etiam cum humilitate Chriſtiana, bonam famam ſectantur.

QVIES ET RECOLLECTIO Regentium.

MISCELLANEA.

CVm gloria ſignificet etiam quietem; ideò hic de quiete & recollectione, per intervalla, eorum qui rebus vacant publicis. De his vide multa de vitâ mixtâ. *Media Gloria.*

Si totus vis eſſe omnium, inſtar illius qui dixit, (1. Corint. 9.) omnibus omnia factus ſum. laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit; quomodò autem plena, te excluſo? & tu homo es? Ergò vt plena ſit & integra humanitas, colligat te intrà ſe ſinus, qui omnes recipit; cum omnes te habeant, eſto etiam ex habentibus vnus? quid ſolus fraudaris munere tui? vſquequo vadens ſpiritus & non rediens? deriventur aquæ tuæ in plateis, ſed inter cæteros bibe & tu de fonte putei tui, quid enim prodeſt ſi vniverſos lucreris, & te perdas? Div. Bernard. lib. 3. de conſider. cap. 5. vbi monet Eugenium Papam, vt aliquandò vacet à curâ officij ſui. Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus. Pſal. 45.

Danubius ſeſe terris condit, & diù ſubterlabens, tandem evomitur, & in Sauam diffluit. Pyramus fluvius Cappadociæ, oritur ex fontibus in ipsâ planitie catentibus, deindè profundo ſtatim latet hiatu, effluitque ſubterraneo curſu in plurima ſpatia, deindè emergit ſtatim navigabilis. Alios ſimiles fluvios memorat. Plin. lib. 6. cap. 17.

Chriſtus ſæpe ſecedebat in montem, vt oraret.

Sol & alij planetæ non ſunt concentrici mundo, ſic circà illud irregulariter moventur, modò vicini, nunc magis ab eo diſtantes. Luna Eclypſim patitur, tunc cùm proximè futura eſt plena.

Vt non poſſint agriculturæ inſtrumenta pignori dari. l. 7. Cod. quæ res pignor. oblig. poſſ. ſic in totum non debet deſeri Philoſophia, & contemplatio, quæ eſt neceſſarium regiminis organum, imo & principium.

Tunc præcipuè in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turbâ, diſſimilem te fieri multis oportet; dùm tibi tutum non eſt à te recedere. Senec. Epiſt. 25.

Duæ erant in Delphis inſcriptæ ſententiæ, noſſe teipſum, & ne quid nimis.

Charitas vult abundare ſibi, vt poſſit & omnibus, ſervet ſibi quantum ſufficiat vt nulli deficiat; alioquin ſi plena non eſt, perfecta non eſt: David priùs vult infundi, quam effundere; ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Pſal. 116. Caſtè imitans eum, de cujus plenitudine omnes accepimus: diſce & tu non niſi de pleno effundere, nec Deo largior eſſe velis: non manat fons in rivum, donec ſuis ſatietur aquis: fons ipſe vitæ, impletis ſecretioribus ſuperioribuſque & proximis cœlorum partibus, erupit ad terras, & de ſuperfluo homines & jumenta ſalvavit. Benigna charitas & prudens affluere conſuevit, non effluere. Fili mi, ne perfluas, ait Salomon. & Heb. 2. &c. D. Bernard. ſerm. 18. ſuper Cant.

Quod ſibi ipſi charitas debeatur. *Vide Valent. Bonarris.*

Priùs ſol ortus ſui confinia irradiat, quàm ad altiora conſcendat: priùs ergo eſt vt redeas ad teipſum. Idem de interi. domo. cap. 65. Alioquin, ſi altiorem quàm meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium expectamus. Idem Epiſt. 28.

Pridie Kal. Ianuar. Magiſtratus, neque jus dicere, ſed nec ſui poteſtatem facere conſuevit. l. 5. ff. de feriis & dilationibus ſic interpoſitâ quiete negotiis vacandum.

Luna luminis imminutionem habet non corporis, quandò per vices menſtruas deponere videtur lumen, quod mutuatur à ſole; & cum ejus impletur influxu. D. Ambroſ. examer. lib. 4. c. 2.

Moyſes legem acceptarus ſeceſſit in montem. Ipſe Dominus frequentiùs in ſeceſſu agebat, vt liberiùs oraret, vt ſæculo cederet, &c. Tertul. lib. ad martyr. cap. 2.

Numa Pompilius à Romanis magnâ veneratione habitus, quod relictâ vrbe, agros, ſaltuſque peragraret, quaſi in ſolitudine divinis inſtrueretur præceptis. Plutarch. in Numa Pompilio.

Miſcenda iſta & alternanda ſunt, ſolitudo & frequentia; illa nobis faciet hominum deſiderium, hæc noſtri; & erit altera alterius remedium: odium turbæ ſanabit ſolitudo, tædium ſolitudinis turba. Seneca lib. de tranquill. am. cap. 15.

Homini Deum amare volenti, vel jam amanti, ſuus ſemper conſulendus eſt animus, examinanda conſcientia; quid ſit quod in totum vult, & propter quod vult, quantùm velit, & quomodò velit; an Deum vſque in contemptum ſui ipſius, & omnium quæ ſunt. D. Bernard. de vitâ ſolitariâ.

Vt horologij pondera ſunt relevanda.

D. Auguſt. ſuper illud Pſal. 42. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Habemus, inquit, nos aliquid, vbi imago Dei eſt, mentem ſcilicet atque rationem: ipſa eſt quâ invocamus lucem & veri-

ratem Dei; ipſa eſt, quâ diſcernimus verum à falſo, ipſe intellectus alloquitur animam noſtram, quæ in tribulatione marceſcit, ex familiaritate ſæculi hujus.

Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine Pſal. 54. Ideſt in conſcientiâ, quo nullus hominum intrat; vbi nemo tecum eſt, vbi tu, & Deus es. Idem in Pſal. 54.

In circulo vnicus eſt locus centri, à quo cæteras partes æqualiter dimetiaris, & qui omnibus quaſi quodam æqualitatis jure dominatur; ſic animus in vno ſui quieſcit, qui per multa diſſipatur, &c. D. Auguſt. lib. 1. de ordine. cap. 2.

Vnitas quæ in operationem exivit per binarium, in ſe rediens efficit ternarium, numerum divinum.

Securæ & quietæ mentis eſt in omnes vitæ ſuæ partes diſcurrere; occupatorum animi velut ſub jugo ſunt, flectere ſe ac reſpicere non poſſunt. Vt nihil prodeſt quantumlibet ingeràs, ſi non ſubeſt, quod ſuſcipiat ac ſervet, ſic nihil refert, quantumcumque temporis detur, ſi non eſt vbi ſubſidat, ſi per caſſos, foratoſque animos tranſmittitur. Seneca de brevit. vitæ. cap. 10.

Numeri incipiunt ab vnitate, ab illâ propagantur, & in illam deſinunt, ſic omnia. *Vide Verit. Minoritas Magnitudinis.*

Si ſummam vnitatem intueri palpitat mentis aſpectus; quieſcite, nolite certare niſi cum conſuetudine corporum: ipſam vincite, & victa erunt omnia: vnum certè quærimus, quo ſimplicius nihil eſt, ergò in ſimplicitate cordis quæramus illum. Agite ocium, inquit, & cognoſcetis quia ego ſum Dominus, non ocium deſidiæ, ſed ocium cogitationis, vt à locis & temporibus vacetis, hæc enim phantaſmata tumoris, ac volubilitatis, conſtantium vnitatem videre non ſinunt; loca offerunt quod amemus, tempora auferunt quod amamus, & relinquunt in animâ turbas phantaſmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur: ita fit inquietus & ærumnoſus animus, fruſtrà tenere à quibus tenetur exoptans: vocatur ergo ad ocium, id eſt, vt iſta non diligat, quæ diligi ſinè labore non poſſunt, ſic enim eis dominabitur, ſic non tenebitur, ſed tenebit; jugum enim meum, inquit, leve eſt. Huic jugo qui ſubjectus eſt ſubjecta habet omnia; non ergo laborabit, quia non reſiſtit quod ſubjectum eſt. D. Auguſt. lib. de verâ Religion. cap. 35.

Ne movearis vt Deum tangas, quia ſtabilitas ipſa eſt; ne diſtraharis, vt per varia apprehendas, quia vnitas ipſa eſt; ſiſte motum, collige multitudinem, Deum protinus aſſequeris, te prius aſſecutum, illo ſuperintellectuali, & vivifico tactu: quandò enim mediæ vires, intellectus & ratio vacant à negotiis, defluunt in illas intellectuales ſcintillæ, vt radij lucis in ſpeculum: magna ingenia regimini apta à Saturno contemplatore & Mercurio activo, conſentiunt invicem; mens interdum avocetur à negotiis, vt quaſi inſtrumentum, non habens motum à ſe, accipiat à Deo. Ex Marſilio Ficino Theologiæ Platon. lib. 13. cap. 2.

Qui minoratur actu, percipit ſapientiam. Eccleſiaſt. 38.

Oculus non videt niſi paululùm remota objecta, ſurdi ſunt populi circà cataractas nili, ſic hebeſcit animus, nimio negotiorum tumultu, non enim fit paſſio ab aſſuetis: oculus nimiâ luce laſſus reficitur in tenebris, ſic animus in ſolitudine. Deſolata eſt terra, quia nemo eſt qui recogitet corde. Hierem. 12.

Plato. Epiſt. 4. ad Dionyſium Siciliæ Tyrannum. Talis eſt, inquit, rerum tuarum ſtatus, vt ex vniverſo terrarum orbe vnum in locum, & in te tui, vt omnium, oculi ſint converſi: conate Lycurgum & Cyrum exprimere, &c.

Rex David legem divinam meditatur, Salomon divinæ vacat ſapientiæ.

Numa, Zaleucus, Lycurgus, Solon, ad ſolitudinem ſe crebrò recipiebant, vbi credebantur Deos conſulere: quaſi animalia amphibia, alternatim in aëre, aut aquâ & terrâ, ſic in actione & contemplatione, ideò feriæ & dilationes conceſſæ judiciis.

D. Bernard. lib. 1. de conſider. cap. 5. addit his quæ ſuprà poſuimus. Omnes de fonte publico pectoris tui bibunt, & tu ſeorſum ſitiens ſtabis: redde te tibi, vtere tu quoque te, inter multos, aut certè poſt multos. Idem lib. 2. cap. 3. Sume inquit exemplum de ſummo omnium patre, verbum ſuum, & dimittente & retinente: verbum tuum, conſideratio tua, quæ ſi procedit non recedat, ſic progrediatur vt non egrediatur, ſic exeat, vt non deſerat, &c.

Omnia mixta in ſimplicia reſolvuntur: reflexus ex concavo radius fortior; ſic regentium poſt ocium ſapientia.

Datum eſt nobis majus cerebrum, & cor calidum cæteris animantibus, ad contemplationem ſimul & actionem.

Aſſerunt Platonici, mentibus noſtris à Deo rerum omnium ideas eſſe infuſas; ideò tunc rerum definitiones & cauſas invenimus, in profundæ mentis intimo, & quaſi latentibus theſauris: magnum mentis, nec ſpernendum imperium, quæ ſic à fortunæ compedibus ſolvitur, ingens opulentia quæ veritatis theſauros è proprio eruit ſinu. ex Marſ. Ficin.

Notat Plotinus, tunc hominem amore pulchritudinis corripi, cum figuram in ſeipſo concipit, non dividuam, nec viſibilem, ſic de rerum politicarum veritate.

Prædicator peracto prædicationis officio in ſe redeat. Vide D. Greg. in 2. Iob. *Vide Virtus Gloriæ*, quietis.

Figura circularis in puncto tantùm tangit planum; animæ motus circularis eſt, ex Platone, vnde ſic in ſe rediens, vix terrenis adhæret. Aqua ſuper pulvere ſparſa & argentum vivum in rotundum conglobantur, quia refugiunt contactum ſicci. Vide Cardanum de ſubtil. l. 2. c. de mixtis.

Venite aſcendamus ad montem Domini, voluntates, cogitationes, curæ, &c. expectate me hic, donec ego cum puero, ratio cum intelligentiâ, vſque illuc properantes, poſtquam adoravetimus, revertamur ad vos; revertemur enim, & heu, quam citò. Div. Bernard in ſoliloq.

Præclarum eſt humana ſimul & divina tractare, vtramque lyram ſuâ concinenti temperare harmoniâ; circulum in circulo contineri, & regere poſſe duas illas virgas Zachariæ & Ezechielis, & firmâ compage jungere, vt vnum faciens aliud agat, rara nimirum & propè divina res eſt. Cernebat ſanctus ille Iacob Angelos aſcendentes & deſcendentes in eâdem in cælum vſque protensâ ſcalâ, ipſo Domino toti ſcalæ innixo. Duo illi Cherubim in Domini propitiatorio ſe è regione reſpiciebant, nullo ibi nuncupato ſiniſtro, omne ſiniſtrum in dextrum divinâ convertente naturâ; in viſione illa Iſayæ tam celebri & divinâ, & alis & conſpectibus juncti erant. Alanus Varenius.

Vt vnum & perfectum eſſet Dei opus, anima media interjecta eſt, quæ ſpiritualia corporalibus vniret; talis enim exiſtit, vt ſuperiora teneat, inferiora non deſerat, cum his mobilis, cum iſtis immobilis; ſi cum vtriſque convenit, appetit vtraque; ſi

alterutrum deſerat, & ad extremum tranſeat, jam non eſt copula mundi; idem facit quod aër inter ignem & aquam. Vt ſolis lumen à ſole deſcendit in ignem, & tamen ſolem non deſerit; perficit aërem, & infecto aëre non inficitur: ſic oportet eſſentiam tertiam, & divinis ſimul hærere & implere mortalia, illiſque amore & cognitione morum dare: eſt ergo divinorum ſpeculum vita mortalium, vtrorumque connexio, centrum naturæ, mundi ſeries, vultus omnium. Vt corporalibus ſe integram inſerit, non diſcerptam, ita & integram retrahit, non diſperſam; & quia dum corpora regit, hæret quoque divinis, corporum domina eſt, non comes. Marſil. Ficin.

Hominem voluntas Dei conformavit, ex animi & corporis. ideſt, ex æternâ & mortali naturâ, vt animal ita conformatum, vtrique origini ſuæ ſatisfacere poſſet & mirari & orare cœleſtia, & incolere, atque gubernare terrena. Triſmegiſt. in pym.

De vitâ mixtâ. *Vide Media Gloria.*

Prædicator debet imitari Chriſtum, qui non ſemper fuit in publico. Div. Thom. 3. quæſt. 40. art. 1. ad 3.

Sol cognovit occaſum ſuum. Pſal. 103.

In naturâ ſemper ab interiori actione procedit exterior. *Vide Principium Verinitis.* de idæis divinis.

Deus agit per ſuum & purum eſſe quidquid agit ad extrà, vnde ſua actio cæteras antecedit & dignitate & facilitate; nam à ſe, tanquam à centro rerum omnium, facile largitur quidquid ab eo dependet. Illi proximiora ſunt, quæ agunt per virtutem eſſentialem: nam & ſinè labore ſuum peragunt munus; ſic ſol illuminat, ignis calefacit, anima corpus vivificat ſine labore: at ea quæ agunt per electionem, & à conſilio, fatigantur, & ſic indigent quiete, quâ vires conſumptæ reparentur. Vide Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 2. cap. 8.

Ab vnitate & contemplatione procedit motus. Vide tribus mundi rectoribus. *Concord. Poteſtat.* de concordiâ rectorum.

Non laſſantur motores ſphærarum cum & natura non fatigetur: motores enim qui cum mobili non ſunt extenſi, fatigari non ſolent, videlicet ſi infinito ſtatui, motionum omnium fini, ſunt proximi. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 4.

Concludit ibidem motorem præcipuum cœli eſſe aliquid ſtabile, vt ſit circà ſtabile; ne ſi movens ad motum cœli moveretur, labor tranſgreſſioque contingeret: ſit motus cœlorum circularis, & citiſſimus; quia ſicut anima aſſiduè circà Deum circumvolvitur, quaſi circà centrum, ſic corpus ſphæræ circà animam à quâ trahitur. Ibidem.

Circuitus non effundit vires, ſed illas revocat in ſeipſum, & cum deficere putantur, ſe renovat; & vſta ſpherâ non eſt principium & finis, ità nec in ejus motu: & ſphærarum circuitus viſibiles umbræ ſunt perpetuæ inviſibilium ſubſtantiarum: motui circulari nullus eſt motus contrarius. Ibidem. Sic perpetuitas regiminis pendet à recollectione regentium.

Cum ſol plus cæteris fulgeat, denſiorem habet ſubſtantiam.

Flexio ab internis, extenſio ab externis; cum muſculis, tum tendonibus. Galenus lib. 1. de motu muſculorum. Magis proprius eſt, qui in ſe revocat, motus.

Inter duos motus cordis, exigua quædam quies intercedit, corde circà ea quæ continet vndique ad vnguem adſtricto, fibris tunc agentibus omnibus, & maximè obliquis. Idem lib. 6. de vſu partium.

Rectores indigent quiete, quia ſumma eſt eorum ſollicitudo & vigilantia. *Vide Cognitio Poteſtatis.* & quia in regimine inficiuntur. *Vide Voluntas Poteſtatis. Repugnat.* Dignitates averſari, *& Virtus Poteſtatis Repugnat.*

Duplex voluptas, vna in motu, altera in quiete, & hæc cæteris major eſt. *Vide Bonitas Gloriæ.* Delectationis.

Quæ cerebrum non habent, non dormiunt. Plin. lib. 15. cap. 37.

Lotus ſeu ſcapus, naſcens in paluſtribus Nili, veſpera mergitur, vſque in medias noctes, totumque abit in altum, vt ne demiſſâ quidem manu poſſit inveniri. Hinc paulatim ſuberigitur, & ad exortum ſolis emergit extrà aquam, ac florem patefacit. Idem lib. 13. cap. 17. & 18.

In frugibus ferendis eadem terra vtilior intelligitur, quoties intermiſſâ culturâ quievit. Idem. lib. 17. cap. 5.

Pythagoras dicebat; optima & peſſima nata ſunt ad ſemper operandum, Deus ſcilicet & plantæ: Deus enim, & quæ illi proxima ſunt, mente & ratione ſemper operantur, itemque germina, nam nocte, & die nutriuntur: non ſemper autem homo in opere, neque bruta animantia, ſed medio ferè tempore dormiunt & quieſcunt. Photius Byblioth. capite 249.

Anima eſt numerus ſe movens explicando & complicando. *Vide Differentia Magnitudinis. de numeris.*

RECOLLECTIO REGENTI neceſſaria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Se quiſque debet donare Reipublicæ, non profundere; in officiis, laboris ſui debet eſſe liberalis, non prodigus; ſic agri & animalia, dum vſibus noſtris ſervium, alternâ requie reparantur. Non tam ſe ſibi, quam Reipublicæ ſervat, qui ſic labores ſuos recollectione reficit: recipit enim à Deo in ſolitudine, & impletur his quæ debet in populum effundere, motu cordis contrario, quia cum coarctatur in ſe redeundo, recipit largienda; at cor cum dilatatur recipit; cum comprimitur ſanguinem & ſpiritus emittit.

MAGNITUDO. Non ſe totum dat, qui vires, dum alioquin duraturas, vno & inordinato conatu dilapidat; magnitudinem intenſionis compenſabit magnitudo extenſionis. Qui regit, multis ſimul rebus debet attendere; at dum vni continue intentus eſt negotio, vix aliud mens capit, niſi avocetur interpoſitâ quiete, vt ſic à ſingularibus, quibus implicata eſt, ſe transferat ad vniverſalia, quorum contemplatio illi eſt neceſſaria.

DURATIO. In diuturno & vt putatur æterno Reipublicæ ſtatu, non quæruntur ſubita & violenta, ſed duratura obſequia. Non perſeverat autem in recto ſuo ſtatu mens, niſi à negotiis ad ſe redeat: alioquin contrahit mundanæ converſationis, peſſimæque conſuetudinis habitus, vndè paulatim extinguitur veritatis & juſtitiæ ſenſus. Mens æternorum capax meditari debet æterna, quæ ſunt temporalium regulæ. Qui regunt, agant ſaltem per vices, quod perfectè continuè; in confinio enim æternorum & temporalium poſiti, non ſic debent temporalibus immergi, vt æterna penitùs deſerant.

POTESTAS. In regimine poſiti intendunt, non tan-

tem his quæ sunt, sed quæ fieri possunt, & quæ in posterum fient; quò autem major animi vis, eò majora in angusto Reip. statu molitur: vndè turpe non est laborem successu fateri, & animi vires antequàm deficiant, interpositâ quiete, reficere; imo potentis est, & negotiis dominantis animi, sistere se posse, cum libuerit, nec rapi ab illis, vt à torrente, ab equo effræni, aut lapsu in præceps ruente.

Cognitio. Pictores, sculptores, aurifabri cæterique pulchritudinis opifices, avocant per vices oculos ab opere, moraſque intermiscent, vt nova in illo deprehendant, dum quasi novi spectatores accedunt: Sic optima in fori judiciis mora, nova enim & insperata rebus dubiis lucem afferunt; sic oculi gratissimas licet objectorum suorum species non ferrent, nisi & longâ per noctem quiete, & celeri inter videndum palpebrarum nictatione reficerentur. Danda sunt menti quædam intervalla, vt ex experimentis singularibus præcepta quædam vniversalia sibi conficiat.

Voluntas. Etiam amor fruitionis avidus se temperat, & vt tædium vitet, quæsitâ inardescit absentiâ. Si ex ratione non ex passione procedat regimen, has sibi solitas & solemnes indicet ferias: libera sic apparent esse officia, quæ possunt suspendi.

Virtvs. Omnis in mediocritate consistens, extrema vitat, maximè omnium justitia, quæ dum aliis, sic illam administranti, sibique ipsi, quod suum est reddit. Exundat & facilè ad extrema fertur, nisi se temperet boni publici zelus: in illo, vt in Religionis cultu, peccari potest superstitione.

Veritas. Veritatis contemplatio abstrahit à materiâ. Inest nobis insita justitiæ naturalis idæa, ad quam mens crebrò se recipere debet, vt flamma ad alimentum suum, ne in auras evanescat: falsa pro veris substituit opinio, nisi procul à rerum tumultu res perpendas, nisi ex legibus æternis, per contemplationem hauries leges populis dandas: toties ad hanc ideam oculos converte, quoties artifex, ad suum prototypum, & nauta ad acum magneticam cartaique iter suum delineantes.

Gloria. Gratissima post negotiorum tumultus quies, & illius avida mens, multa brevi tempore, æterna contemplando, complectetur. Hîc recti conscius animus triumphum agit, sibi plaudit, etiam furentibus contra se turbis; sacrarium est asylum, propitiatorium, extrà rerum humanarum motus inquietos positum; alta pax, cujus spe, & fruitione alacrior factus animus ad negotia descendit, mox ad quietas sedes iterùm se recepturus. Nemo interjectam hanc quietem invideat his, per quos publica stat quies.

Differentia. Diversitas hæc lævat vnius contemplatæ actionis tædium: extrà motum positus, illius conditiones meliùs observat; à se occupato ad se quietum provocat; sic tranquillè rebus agendis ordinem dicit, datisque sic sibi pacis induciis se munit contra adversa.

Concordantia. Hæc est interna civitas, vnde Plato dicebat leges hauriendas ad populorum regimen: quitam sæpè cum aliis, secum aliquando conversetur, sibi cæteris charior: qui secum, etiam cum aliis benè consentit.

Contrarietas. Hoc sibi parandum est asylum, contra tyrannorum, hostium, populorum, fortunæ impetus; aut temporum clemens sævitia, aut ipse virium defectus cogit ad belli inducias: Violentum quoddam est regimen, cum hominem extrà se constituat, non ergo sine alterna requie durabile: in contrarium adducitur sagitta, vt violentiùs ejaculetur, sic ad saltum recedendo præparamur.

Principivm. Contemplatio se habet ad regimen, per modum principij continue influentis; est illius quasi forma assistens & principium, medium, finis. Sic omnis motus incipit ab immobili, ab illo fertur, & ad illum tendit.

Medivm. Homo mediocritatis tantum est capax, temperanda ergo est negotiorum administratio. Si qui regit, medius est inter Deum & homines, non tamen debet ad Deum mente elevari, quam ad populum descendere, imò magis convenit illum hærere Deo, hinc enim solidus veritatis ad animæ vires reficiendas cibus; si non possumus imitari Deum, qui simul est infinita quies & infinitus actus; si non sumus vt angeli, qui non cessant à divinâ contemplatione, etiam dum vacant rerum inferiorum regimini, saltem per vices post actionem quies contemplationis necessaria est.

Finis. Negotia publica perpetuò circumaguntur circuitu, sine fine, si non illis hos posueris terminos, & te fortiter ab hac circulatione vindicaveris. Dum sic peractis quibusdam sibi propositis negotiis quiescit rector, æmulatur vltimi sui finis quietem.

Maioritas. Frigore, somno, quiete concentratur, & vnione fit fortior calor naturalis, qui actione continuâ dissipatur. Interrupta vis negotiorum nihil in mentem potest, vt motus radius non sic aduriet morbi, quorum vis interminis, periculo vacant.

Æqvalitas. Non minus censetur operam dare negotiis publicis, qui sic vacat; vt æqualis remanet ignis, etiam dum in materiam suam reflectitur. Continua visio, palpebris seriatim oculos tegentibus; æqualis progressio, etiam pedibus vices suas in quiete & motione agentibus; æqualis sibi Sol, dum nobis occidit & oritur. Motus circularis proprius est intelligentiis, & animæ rationali, vt probat Ficinus.

Minoritas. Hi quibus nulla divitiarum spes minus sunt avari; sic minus otij quærunt, qui nihil commodi sperant ex otio; vacuæ mentes, totæ ad negotia profusæ, ipso excessu probant defectum suæ potentiæ, ad altiora non tendentis.

DIFFERENTIA POTESTATIS.

DIVERSA DIVERSIS OFFICIA.

MISCELLANEA.

Vide Differentia Virtutis, & Different. Bonit.

IN vitâ civili, tanquam in magno theatro, primùm distribuendus & stabiliendus est ordo personarum, & quia ad actionem natæ sunt, singulis sua munia sunt assignanda. Arist. 1. polit. Idem 2. polit. 9. Reprehendit Carthaginensium Rempublicam in quâ honestum habebatur plures Magistratus gerere; vnicum enim ab vno optime perficitur.

Apud Lacedemonios, de contractibus cognoscebant Ephori; de cædibus Senatores, & de aliis alij Magistratus. Idem. 3. polit. cap. 1.

In magnis civitatibus debent singuli Magistratus ad singula opera deputari; quia meliùs singula curantur, quàm si in multis cura nostra distrahatur: sed in parvis civitatibus necesse est in paucos plures Magistratus conferre, propter paucitatem hominum. Idem 4. polit. cap. 15.

Quantùm fieri potest, diversi mercatores diversis mercibus debent negotiari.

Aptitudinem quam habet ministter ad diversa potest explicare in vnico officio. Idem efficiendo diversis modis. *Vide Differem. Medy.* Sic vt ajunt Platonici ignis vnus omnia penetrat, in cœlo dilatatus, collustrans, in inferno coarctatus, tenebricosus; denique in diversis diversâ notâ distributus, vt anima in organis: optimum est tamen Magistratum omnium esse capacem. *Vide Magnit. Cognit.*

Ægyptiorum politia in tria hominum genera instituta erat, agricolarum, militum, opificum; qui omissâ rerum publicarum curâ, nullum nisi aut legibus permissum, aut à parentibus traditum opus exercent; vt neque eos docentis invidia neque civile odium, neque aliud quid ab instituto impediat exercitio. Quod si quis artifex plures exerceat artes, muletatur gravi pœnâ. Diod. sicul. rer. antipu. lib. 2. c. 3. Sic apud Indos, alij aliis vacabant rebus fabricandis, nec licebat homini plures artes exercere, aut susceptam mutare, neque fas erat militem agrum colere, aut philosophari artificem. Idem lib. 3. cap. 10.

Qui habent collegas in dignitate minus justè administrant, sed studeant particularibus commodis; quia quisque putat malè gestorum infamiam in socium redituram. Sic Vespasianus non benè rexit, nisi cum solus. Dion. in Tito.

Vnicum opus, ab vno rectè perficitur, quia totum requirit hominem, vt in theatro non potest vnus simul plures personas referre; tanta est humani ingenij imbecillitas, vt in singulis deficiat, qui pluribus se vult immiscere; duas res vno tempore nec possumus cogitare, nec explete: natura non vni omnia, sed singulis distincta dat officia, soli vt luceat, igni vt ardeat ideò Augustus prohibuit in Republicâ plura officia vni cõcedi, sic enim perperam fiunt, introducuntur plures vicari;, corrumpi faciliores, idoneis via præcluditur conscendendi ad honores, vndè simultates, & seditiones: Sic nobilibus prohibetur mercaturam exercere, ne ob quæstum avertantur à militiâ, ne fiant nimium potentes, populo graves, & pauperibus viam lucrandi intercludant. l. nobiles de cõmer. l. milites. C. de re militari.

D. Cyrillus Alexandr. l. 4. contra Iulian. refert. Iulianum Apostatam dicentem vnicum esse Deum conditorem mundi, sed ejus regimen diversis sub se Diis commisisse: in Patre, inquit, omnia perfecta sunt: in particularibus autem, alia aliis vrget potentia; Mars procurat ea quæ ad bella gentium; Pallas eadem agit prudenter; Mercurius ea quæ majorem industriam quam audaciam requirunt: hinc Celtæ & Germani audaces; Græci & Romani civiles simul & bellaces; Ægyptij industrij & prudentes, quamvis imbelles.

Varijs variæ à naturâ inditæ vires, vndè diversi appetitus, seù ab astris, seù à quatuor primis qualitatibus. *Vide Different. Volunt. & Different. Virtut.*

Globo terreno vna anima sufficit, quoniam est vnus continuatione partium; ita igni, aquæ, aëri. At stellæ cum sint luce, motu, virtute diversæ, singulæ errantes habent suam intelligentiam, fixa autem ad 12. signa Zodiaci in quibuslibet signis est vna quasi cor. Vide Marsil. Ficin. Theol. Platon. lib. 4.

Quælibet qualitas vnicum opus agit, & ad vnicum movetur terminum, vt calor agit calorem; frigus frigiditatem: vnde concludit motum circularem cœlorum, qui est indeterminatus, & ad contrarios terminos, non esse à qualitate, non enim rediret à termino quem intendisset. Vide Ibidem.

Romæ pro singulis corporis partibus ægris, singulares erant medici. Galenus lib. de partib. artis medicæ: quidam Ocularij. Auriculares, &c.

Sagax natura quo tempore ex sanguine menstruo corpus efformabat, quod crassius in eo erat ad solidiora, quod tenujus ad molliora, quod calidius ad calidiora, quod frigidius ad frigidiora corpora constituenda attraxit. Galenus lib. 2. de elementis.

Optima corporis constitutio est ea, in quâ similiares partes, & instrumentariæ propriam temperiem possident secundum magnitudinem, numerum, figuram, mutuumque inter se connexum; tale corpus optimè suis fungetur actionibus. Idem lib. de optimâ corporis constitutione. Idem dicendũ de corpore Reipublicæ.

Quibusdam arboribus, ramorum ordo sicut piceæ, abjeti: aliis inconditus, vt roboti, malo, pyro. P. in. lib. 16. cap. 30.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

NE operæ à collatoribus exigantur. Cod. 10.24.
Negotiatores ne militent. Cod. 12. tit. 35.
Ne rusticani ad vllum obsequium vocentur. Cod. 11. tit. 54.
Vt nemo duplici militiâ, vel dignitate simul vtatur. Cod. 12. tit. 34.
Qui numero tutelarum se excusant. Cod. 5. tit. 69.
Clericus non possit in duabus Ecclesiis inscribi. 21. q. 1.
Non licet clericis suscipere procurationem sæcularium negotiorum, nisi in causâ pietatis. 21. q. 3.
Excommunicatur ad judicium seculare confugiens. 21. q. 5.
Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.
In vrbe Româ plures & distincti erant Magistratus, quasi id dignius esset, at in Provincias mittebatur Proconsul, qui omnium illorum vices gerebat. l. 1. ff. de offic. proconsul.
Prohibet Iustinianus, ne quis duorum Magistratuum assessor sit, ne dùm ad vtrumque officium festinat, neutrum benè peragat; & quia non facile credendum est duabus necessariis rebus vnum sufficere. l. Final. Cod. de assessor.
Romani habebant Magistratus vrbanos & Provinciales. l. 1. ff. de offic. proc. & leg.
Taliter in eodem fundo, duobus duæ diversæ servitutes constituendæ sunt, vt sibi invicem non noceant. l. 14. ff. de servit rustic. prædio.
Si plures tutores nominati velint omnes gerere, cuilibet pro parte potest dividi administratio. l. 4. ff. de administ. & pericul. tutor.
Iure divino omnia sunt communia, jure autem imperatorum distincta dominia. ex D. August. can. quo jure. dist. 8.
Qui jam tres tutelas habet excusatur à quartâ. lib. 2. in f. ff. de excusat. Sic Magistratus municipales & sacerdotium gerentes à tutelâ & curâ vacant. lib. 6. eodem.
Libertus senatoris, existens ejus procurator, eximitur à tutelis. l. 4. in f. eodem.
Tutor vel Curator prohibetur vectigalia conducere, quia sic videtur bona sua pluribus in solidum obligare. l. vnic. Cod. ne tutor vel Curat. vectigal. conduc.
Delegatus ad certam rem, de aliâ non pronuntiat, & pronuntiando nihil agit. l. 1. Cod. ſi non à competente judice judicatum esse dicatur.
Non debet quis eodem tempore habere plura officia. l. vnic. Cod. quemadmodum. civilia munera inducuntur.
Duas militias diversi ordinis nemo potest simul habere l. 5. Cod. qui milit. poss. hinc limites jurisdictionibus positi.
Differentia graduum, & ordinum distributio Ecclesiasticam vnitatem conservat, ad exemplum cœlestis Hierarchiæ. can. ad hæc. dist. 89.
Hinc Diaconi eximuntur à psalmodiâ, vt meliùs possint rebus Ecclesiæ vacare, can. in sancta. dist. 91.
Episcopi singuli proprias habeant Ecclesias, distinctis inter se terminis. 13. q. 1. can. Ecclesias.
Episcopis prohibetur à S. Gregorio Papâ se immiscere in electione Abbatum, in bonorum monasterij administratione, missas publicas in cœnobio celebre, nec in illis aliquam imperandi potestatem exercere. 18. q. 2. can. quam sit, & seqq.
Vna Ecclesia duobus sacerdotibus dividi non potest. 21. q. 2. can. sicut. *Vide Bonitas Potesta.* de vno Regente.
De vnâ præbendâ vacante possunt fieri duæ, si ejus suppetant facultates. cap. vacante; de præb. & dignitatib.
Clericus non debet conscribi in duabus Ecclesiis, & sic duobus dominis servire. 21. q. 1. can. clericus & seqq.
Monachus factus abbas in alio monasterio, amittit jus eligendi in primo, etiamsi sibi fuerit reservatum. cap. constituimus 47. de election. & elect. potest.
Habens plura beneficia curata, sinè dispensatione Papæ est ineligibilis. cap. dudum. 54. eodem.
Qui habet duas Ecclesias, alteram dimittere cogitur, nisi causa subsit. cap. cum te. 4. de ætat. & qualit. præficiend.
Plures vicarios quis habere non potest. cap. provideas. de offic. vicar.
Vni plures dignitates, vel Ecclesiæ conferri non debent. cap. quia non nulli. de cleri. non resident. cap. quia in tantùm. cap. referente, de præbend. & dignitat.
Si Religiosus habens Ecclesiam curatam, recipit aliam sinè licentiâ Papæ, amittit vtramque. cap. cum singula, de præbend. & dignit.
Episcopus, etiam magni profectus gratiâ, aliam parochiam non pervadat, nisi ad id enixè rogatus. in canonib. Apostolorum. can. 14.
Nemo plura curata beneficia simul obtineat Concil. Trident. sess. 7. de reformat. ca. 1. quandò vniones beneficiorum debeant fieri. Ibid. cap. 6.
Milites non debent esse rerum alienarum conductores vt sic expediti negotiis, signis suis jugiter in hæreant. l. 31. & l. fin. C. de loca. & conducto. & l. vnic. Cod. negotiatores ne militent.
Miles armatæ militiæ non potest dari tutor. lib. 4. Cod. qui dare tut. poss.
Invenitur Epistola Dionisij Papæ, quâ constat eum Presbyteris divisisse Ecclesias; cemeteria, parrochias, & diœceses constituisse, quod tamen jam ab alijs Pontificibus fuerat factum. Baron. an. 270.
In nullo magis lusit natura, quàm in variè figurandis animalium cornibus. Vide elegantem eorum descriptionem apud Plin. lib. 11. cap. 37.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

ACtio Dei est vna secundùm rem, & multæ secundùm rationem. D. Thom. 1. q. 30. a. 2. ad 3.
In agentibus subordinatis actio vnius agentis terminatur ad formam tantùm, & alterius ad subjectum formæ. 1. q. 118. a. 2. ad 3.
Actio instrumenti duplex, scilicet secundùm propriam formam, & vt movetur à principali agente; prima est alia ab actione principalis agentis, secunda vero eadem. 3. q. 19. a. 1.
Aliquis actus est vnus numero secundùm esse naturale, & duo in genere moris. 1. 2. q. 20. a. 6.
Actum oportet porportionari objecto & agenti, sed ab objecto speciem habet, à virtute vero & potentiâ agentis, modum intensionis. 1. q. 89. a. 6.
Potentiæ distinguuntur per actus, & actus per objecta. 1. q. 77. a. 3.
Non omnis diversitas actuum, sed tantùm formalis, facit diversitatem potentiarum. 1. q. 77. a. 3.

Digitized by Google

Actus diverſarum potentiarum differunt genere. A
1. 2. q. 23. a. 1.

Idem actus poteſt pertinere ad diverſas potentias, ſecundùm diverſas rationes, & diverſo ordine, non autem æqualiter & eodem ordine. 1. 2. q. 56. a. 2. ad 1.

Species habitus diſtinguntur ſecundùm ſpecies actuum. 3. q. 83. a. 2.

Differentiæ Angelorum ſumuntur ſecundùm diverſos gradus potentialitatis. 1. q. 50. a. 2. ad 1.

Omnes ordines primæ hierarchiæ aſſimilantur miniſtris Regis circà perſonam ejus, ſcilicet cubiculariis, conſiliariis & aſſeſſoribus. Secundæ autem officialibus regni in communi, ſcilicet dominis Curiæ, principibus militiæ, & judicibus Curiæ. Tertiæ denique deputatis ad certas partes Regni, ſcilicet præpoſitis, ba- B
livis, &c. 1. q. 108. a. 6.

Ad primam hierarchiam pertinet conſideratio finis; ad ſecundam diſpoſitio vniverſalis de agendis; ad tertiam verò executio operis. 1. q. 108. a. 6.

Quilibet Angelus magis habet proprium ordinem & officium, quam quælibet ſtella. 1. q. 108. a. 3. ad 2.

Inferiores Angeli adminiſtrant inferiora corpora, ſuperiores ſuperiora, & ſummi aſſiſtunt Deo. 1. q. 63. a. 7.

Miſſio ad effectum ſpiritualem convenit omnibus Angelis, non verò ad effectum externum corporalem. 1. q. 112. a. 2. ad 1.

Cuilibet animæ rationali, vt cuilibet imperio aſſignatus Angelus cuſtos. C

Potentiæ naturales limitatæ ſunt, & ſemper implentur, non verò obedientiales. 3. q. 1. a. 3. ad 3.

Diverſorum motuum cæleſtium diverſi ſunt effectus. 1. q. 104. a. 2.

Diſtincta eſſe dominia, & poſſidere proprium, eſt licitum & neceſſarium triplici ratione, ſcilicet ſollicitudinis, ordinis, & pacis. 2. 2. q. 66. a. 2.

Communitas poſſeſſionis dicitur eſſe de jure naturali, quia diviſio earum eſt ſecundùm jus humanum tantùm. 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3.

Diverſa ſacramenta diverſi modè purgant, illuminant & perficiunt. 3. q. 65. a. 1. ad 5.

Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei D
Deo. Math. 22.

Non eſt poſſibile plures formas ſubſtantiales ſimul eſſe in eodem corpore. 1. q. 76. a. 3.

Singulis hominibus aſſignantur Angeli cuſtodes: At tantum ſingulis ſpeciebus rerum corruptibilium. 1. q. 110. a. 13. & q. 113. a. 2.

De variis Angelorum muneribus. *Vide Medium Virtutis.* Angelorum auxilium.

Prædicavi Evangelium, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem, &c. Roman. 15.

Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangeliſare. 1. Cor. 1.

Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incre- E
mentum dedit; vt ſapiens Architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. 1. Cor. 3.

Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus: vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, &c. 1. Cor. 12. *Vide Differentia Bonit. & Differem. Virtutis.*

In magnâ domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; ſi quis ſe emundaverit, erit vas in honorem ſanctificatum domino. 2. Timoth. 2.

DIVERSA A DIVERSIS exercenda officia.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Officia, vt beneficia, ambienti naturæ ſunt conferenda; ſic enim meliùs latet, qui in illis ſuſcipiendus eſt labor; ſic Reſpublica, etiam dùm remunerat, ſibi prodeſt, ſuis ditatur largitionibus, nec videtur devincta officiariis, quos ipſis officiis, tanquam muneribus, ſibi devincit: hæc autem beneficia ſunt in plures, vt ſemina, ſpargenda, quo coaleſcant.

Magnitudo. Optandum eſſet vt omnes ad bonum publicum conferrent operas ſuas, ſi hoc non poteſt haberi in omnibus, habetur ſaltem in multis, officio ſuo ad id obſtrictis: quò plures miniſtri, eò meliùs cæteros cives, ſanguinis & amicitiæ fœdere ſibi devinctos, in bonum publicum trahunt, ſit vnus omnium ad id conatus, & vnus quaſi partium in cœtinuo motus. Quis prudens belli fortunam tentabit parvâ militum manu, cum poſſit fortiſſimâ & victrice? Vt anima copiâ ſpirituum totum irradiat & vivificat corpus, ſic Rex multitudine miniſtrorum regnum ſuum: quodlibet officium habet ſatis ampla negotia, quæ totum requirant hominem.

Dvratio. Avari theſauros ſuos diverſis in locis infodiunt, vt ſi caſu vna pars pereat, alia conſervetur: ſic fides publica ſecurior eſt in pluribus; magna enim non tam citò quàm parva corrumpuntur. Sic diſpertitis officiis, ſi vnus aut morte, aut perfidiâ, aut aliquo alio caſu deficiat, minor erit jactura, quàm ſi plura ſimul geſſiſſet officia: Vix tunc apparet defectus, multis aliis miniſtris in ſubſidium paratis. At qui plura gerit officia, cum vrgentibus eorum negotiis non poſſit ſimul intereſſe, quædam relinquit, quædam præmaturè ad alia tranſiturus molitur, quædam non reditura occaſione prætermittit; ſic nullis, vt decet, adeſt, cum vult omnibus ſimul providere.

Potestas. Talis potentiæ debent eſſe miniſtri, vt poſſint obſequi, non reſiſtere regenti; nam nimis potentes negant obedientiam, & affectant imperium: tunc autem periculosè intumeſcunt, cum in vnum plura congeruntur officia; quæ ſi inter plures dividantur, debiles, vt par eſt, ſubditos, ad nutum imperantis mobiles relinquunt miniſtros.

Cognitio. Cùm diverſi diverſa gerunt officia, vnus in alium invigilat, & omnes ſimul in Reipublicæ nocitura, aut profutura ſunt, velut plures oculi, in ſubſidium, mutuamque ſubſtitutionem parati: ſic vndique ſparſis ſpeculatoribus, nullus eſt inſidiis locus, ſic continuum quoddam eſt congregatum bonorum concilium, in quo prudentia, etiam æmulatione quadam in caleſcens, nihil pro bono publico intentatum relinquet. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus; excultæ artes & ſcientiæ ab his qui vnicam tantum profeſſi ſunt.

Volvntas. Non minus affectu, quàm prudentiâ res civilis benè geritur; affectus autem ad diverſa proſtitutus, aut debilis, aut nullus eſt: minora majorum contemplatione contemnuntur, cum interim ſinè minoribus majora non conſtent. Ne putet Princeps congeſtis honoribus ſibi conſiliare ambitionem: inexplebilis eſt, quò plura dederis, hinc diſcet majora concupiſcere; & immemor accepti, ob non conceſſa, iras ſuas accendet, nunquam minus grata, quam cum potentior, ſe enim tunc à Principe, non amari, ſed timeri putat.

putat. Meliùs eſt communem in omnes Principis, tanquam parentis affectum, munerum diſtributione probari.

VIRTVS. Ad propria quædam officia quiſque naſcitur, in quibus, vt planta in convenienti ſibi ſolo, mirè proficit. Et hæc politicæ prudentiæ ſumma, ingeniorum vires diſcernere, illiſque paria largiri munia. Si vires animi excedant injunctum officij opus, non ideò tamen erunt inutiles, nam exacta ad miraculum diligentia compendioſo etiam itinere, finem ſuum conſequetur, & antiquis inventis nova vtiliora ſupperaddet.

VERITAS. Nihil latet Principem, tot in rerum adminiſtratione poſitis teſtibus: ſic exactè percipiuntur, rerum & negotiorum omnium vires, plurimum induſtriâ quaſi igne & multiplici chymicâ operatione probatæ. Nullum inter plures mali ſecretum; è turbâ miniſtrorum, aliquis adumbratam veritatem percipit, nullus vnquàm omnes fefellit.

GLORIA. Cùm diverſis diverſa aſſignantur officia, multorum virtus præmium accipit; omnes ſpe eadem obtinendi excitantur. Habet virtus quo fulgeat etiam in minoribus officiis, hincque ſibi aditum aperiat ad majora. Tollenda eſt in officiis vtilis conſideratio; ſic ſolus ſupereſt honoris ex virtute ſtimulus, quo generoſas mentes non oneroſo præmio ſibi devincit Reſpublica.

DIFFERENTIA. Minori periculo fiunt mutationes miniſtrorum minus potentium; quò minus ab illis pendebit Rector, illos faciliùs ad arbitrium ſuum inflectet. Pulchrior eſt ex magis numeroſis partibus conſtans ordo; fit confuſio cum permixta ſunt, quæ debent eſſe diſſita. In multitudine miniſtrorum nemo inſoleſcit, quaſi ſit Principi neceſſarius, ſed illi beneficij loco eſt eligi ex multis, quibus, ipſo prætermiſſo, vti poterat Princeps ad aliquid præſtandum.

CONCORDANTIA. Si confidentiæ, monopolij, & cabalæ vitandæ ſint inter miniſtros, nullæ majores, quàm cum vnus & idem plura gerit officia; detorquet enim illorum munia, extendit aut coarctat in ſuum commodum: At difficilè omnes in malum concordant officiarij, cum ab invicem pendent ex eorum numero, aliquis aut erit, aut ſaltem putabitur Principi fidus, & hæc ſuſpicio ſufficiet ad diſſolvendas conjurationes.

CONTRARIETAS. Minùs nocent iræ, invidiæ, perfidiæ miniſtrorum, cum minùs poſſunt, poſſunt autem minùs vnicum gerentes officium. Plures facilè conſervant & vix ad diſſolutionem conſentiunt. Bellum quoddam continuum eſt inter Principem, & miniſtros voluntati ſuæ non obtemperantes, quarè autem velit hoſtes ſuos magis munitos.

PRINCIPIVM. Vni corpori vna forma, vni homini vnus Angelus cuſtos, vni cœlo vna motrix intelligentia, vni mundo vnus Sol, vnus Deus; quid ni vni officio aſſignetur vnus miniſter? Quilibet ſenſus in corpore ſuum habet ſpeciale munus.

MEDIVM. Aptius habetur inſtrumentum leve, ad manum, & facile mobile: quò plures miniſtri, potentior erit Reſpublica, pluribus inſtructa organis: alioquin putabitur laborare inopiâ, aut hominum capacium, aut rerum: ſic in exiguis oppidis, in quibus deſunt & artifices & opera, vnus plures exercet artes.

FINIS. Si ſemel vni plura concedas officia, alios ſimilia doces ambire, nulluſque cupiditatum finis. Non intendit hic ſe multis ingerens melius regimen, ſed ambit ampliorem potentiam, majuſque lucrum, quod eſt publico bono nocentiſſimum.

MAIORITAS. Injuſtum eſt vt vnus plurium loco ſit, languentque atrophiâ cæteta membra, dum vnum abundantiori intumeſcit alimento. Si plura poteſt miniſter, quàm quæ exequitur, meliùs eſt miniſtro deeſſe officia, quàm officiis miniſtrum; ſemper enim debet eſſe officio quod gerit, vt oneri quod portat, potentior; alioquin miſera eſt conditio infirmæ mentis, cum officio quod ſuſcepit luctantis & quæ dum præſentibus vix ſufficit, nullas habet reſiduas & quaſi in præſidium vires contrà imminentia pericula.

ÆQVALITAS. Maximum hoc eſt juſtitiæ diſtributivæ munus, ſic æquâ lance diſpenſare munera. Vnius res benè geſtæ non ſunt remunerandæ, aliò ſuperaddito officio, quò fiat vt in poſterum vtrique deſit, onerique ſuccumbat. Seu in officiis ſit lucrum, ſeu commodũ, optimum eſt illud partiri inter multos.

MINORITAS. Multiplicatis officiis habet Princeps plura quæ conferat; hanc poteſtatem coërcet, ſeque pauperiorem facit, ſi plura in vnum congerat; meliùs eſt miniſtrum non habere in vno officio quod explicet omnem ſuam induſtriam, quàm alios omni penitùs munere carere.

DISTINCTA DOMINIA.

Micellanea.

QVarundam rerum dominium nanciſcimur jure gentium, vt in his quæ fiunt occupantis; aliarum jure Civili. l. 1. ff. de acquir. rer. dom.

Iure Imperatorum diſtincta fuerunt rerum dominia ex D. Auguſt. can. quo jure diſt. 8.

Neceſſarium eſt, eſſe diſtincta dominia, propter ſollicitudinem, ordinem, & pacem. D. Th. 2. 2. q. 66. a. 2.

Ariſtot. 2. Politic. c. 2. Probat contrà Socratem, omnia inter cives non debere eſſe communia, quia res communes minori curantur diligentiâ: nam de propriis maximè curant homines, de communibus autem minùs, tanquam enim alio curante ab aliis negliguntur; quemadmodum in ſervilibus miniſteriis, multi interdum deteriùs inſerviunt quàm pauci, &c.

Aquilæ, æmulos prædæ fugant, & ſibi determinant ſpatia. *Vide Concord. Poteſtatis.* diſſidia regentium.

Cautum eſt lege duodecim tabularum vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Plin. lib. 16. cap. 5.

Romulus inſtituit collegium duodecim Sacerdotum Arvalium, qui finium jurgiis terminandis præerant. Hiſpiceâ coronâ inſignes erant. Idem lib. 18. c. 2.

DISTINCTA OPORTET

eſſe dominia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vnuſquiſque exiſtit ſingularis, cum ſuis conditionibus individuantibus, vnicuique ſua anima, ſuum corpus: ſic politia naturam imitata, vult vniquique ſua propria eſſe dominia; & hoc naturale cenſendum eſt, quia id ſuadet ratio nobis naturalis, & hinc natura noſtra maximum percipit commodum; primò enim ſi tollas diſtincta dominia, tollis maximam partem beneficiorum in donationibus, quæ ſupponunt in donante dominium rei, quæ transfertur in accipientem.

MAGNITVDO. Nullius ſunt quæ ſunt vniverſitatis, vna enim res non poteſt ad plures in ſolidum pertinere: etiam jure naturali diſtincta oportet eſſe dominia; nam cum res fiunt occupantis, ceſſat communio, & incipit proprietas.

DVRATIO. Vt nos potius quàm alios, ſic noſtra potiùs, quàm aliena conſervamus: hinc videmus inculta remanere communia prædia; nullus enim vult præaliis impendere operas ſuas, quarum fortè fructus non colliget: at contrà ad laborem accendit ſpes tranquillæ poſſeſſionis, etiam ad poſteros tranſmittendæ.

POTESTAS. Poſitâ bonorum omnium communione inter homines, & ſi fierent occupantis, vis omnia impunè ſibi arrogaret, & ſinè injuſtitiâ; quia jus illi eſſet ex naturæ, vt dicitur, lege ad occupandum, ſic ipsâ bonorum communione periret communio; oppreſſi jacerent infirmi, nullo ad auxilium patrocinio, quaſi natura damnaſſet ad miſeriam & mortem, & vt imbecilla animalia ad fortiorum prædam, cum negavit vires cæteris dominantes: & quia excellentes viribus in parvo ſunt numero, ſic paucis ſalvis cæteri omnes perirent.

COGNITIO. Dum quiſque induſtriâ ſuâ ſibi poſſeſſiones comparat, ſpe vtilitatis, & ipsâ vrgente neceſſitate, ſcientiæ & artes excoluntur; æquum enim eſt vt huic præſtantiori hominis parti externa etiam bona contingant, & potior fœliciorque ſit in fortunæ bonis qui præcipuus eſt animi viribus.

VOLVNTAS. Minùs nocet Reipublicæ avaritiâ opes congregantium, quàm noceret rei communis neglectus; nam aut fiſcus ab avaris opes, vt à ſpongia aquas, exprimit; aut deveniunt in familiam, vt plurimum rerum hac abundantiâ, ſinè labore ſibi obvenientium, prodigam: ſicque è theſauris nummi redeunt in commercium. Non eſt inutilis à natura inſitus poſſeſſionis appetitus, quem etiam docent apes, formicæ, mures ruſtici, & alia animalia dum in futuras hyemis neceſſitates recondunt ſibi alimenta, dum ſibi aves conſtruunt nidos, vulpes cavant foveas, & hæc domicilia ſibi ſervant propria, hincque alios magnos arcent impetu.

VIRTVS. Hæc bonorum proprietas ampliſſimam præbet virtutibus omnibus materiam, quâ ſe explicent. Iuſtitia ſuum cuique reddit, ab alienis abſtinet, & ſua ex charitatis legibus diſpenſat. Temperantia vitat exceſſus, fortitudo, vt ſibi neceſſaria comparet, magna aggreditur & ſuſtinet. Prudentiæ maximum opus eſt bona acquirere & conſervare, inter tot ambientium vigiles oculos, & avidas manus. Dum virtuti cedunt opes, omnes hoc præmio, ad virtutem accenduntur.

VERITAS. Vitia quidem ſubrepunt virtutis habitu ad opes comparandas; avaritia frugalitatem, vſura beneficentiam, vis fortitudinem mentitur; ſed diù non imponitur tot hominibus, huic poſſeſſionum ſpectaculo intentis; nam injuſtè parta, aut divina, aut humana juſtitia tandem vindicat, & virtuti ſua etiam cum honore reſtituit.

GLORIA. Parum efficax eſſet ad virtutes honoris ſtimulus, ſi omni penitùs careret vtili præmio: non eſt ſterilis ipſa virtutum fama, cui cum ſuis ſtipendiis officia publica deferuntur.

DIFFERENTIA. Dum quiſque diversâ arte, & vario conatu ſibi dominia comparat, fiunt inter homines, naturâ æquales, diverſi gradus, vndè conſtat totius politiæ ordo. In omnia ſe verſat, nihilque intentatum relinquit animus ſpe obtinendi, hinc omnium orbis climatum perluſtratio; hinc terrâ marique mercatura ſuſcipit peregrinationes.

CONCORDANTIA. Hinc commercium inter diſſitos populos, qui ſe aut neſcirent, aut non quærerent niſi ad interitum, ſi naturæ vinculum vtilitatis ſpes non firmaret. Hinc ad morum temperamentum, inter excellentes, malos, & mediocres fiunt ſocietates & matrimonia divitiis, ad vitæ commoda neceſſariis, ſupplentibus defectus naturæ.

CONTRARIETAS. Animalia ad victum indigent paucis, & expoſitis abundanter à naturâ bonis: at homini, vt digniori & mundi principi amplior ad vitam neceſſarius eſt apparatus, quem vltrò vbique natura non profert, ſed debet comparari arte & labore, qui in bonorum communione ceſſaret: ſi ex rerum proprietate naſcuntur lites, quantò magis ex communione? dùm omnes ad idem æquo jure concurrerent, & inter illos, vt inter feras, vis ſola pro lege eſſet; ſi collectas induſtria facultates torpens & maligna vis, quia potentior, impunè diriperet.

PRINCIPIVM. Homo debet in ſe habere principium motus, vt vitæ naturalis & moralis, ſic civilis, & debet poſſe ſibi comparare, vt corporis & virtutum habitus, ſic externorum bonorum poſſeſſiones: malè provocamur ad primos homines in commune viventes, dum totum humanum genus, vnâ tunc aut alterâ conſtaret familiâ; rudia hæc initia ratio, æternis legibus inſtructa, fœliciter emendavit.

MEDIVM. Diſtinctio poſſeſſionum ſocietatis humanæ eſt vinculum; tollit enim confuſionem, conſtituit diverſitatem & ordinem inter perſonas, facit ſocietates, connubia; temperat naturæ antipathias; fortem præmio conductum ad debilioris, ſed divitis, auxilium addicit, vt qui habet opes omnia videatur poſſidere.

FINIS. Bona hæc non aequiruntur vt finis, ſed vt media humanæ fœlicitatis; hoc enim viatico virtus præmunita, ſecurior iter ſuum ad beatitudinem perficit.

MAIORITAS. Peccatur in exceſſu ab avaris & ambitioſis, ſed nec ideò abjiciendæ poſſeſſiones, vt nec omnibus interdicendus vini vſus, eò quòd illo lædantur ebrij. Hæc externa bona compenſant internos defectus, erigunrque animos, ſub ingratâ naturâ nimis dejectos.

ÆQVALITAS. Nulla iniquior quàm quæ in bonorum communione æqualitas, dum negligens, & otio torpens, aliorum vſurpat labores, & tantùm ſibi juris in bonorum communium participatione vendicat, quantùm competit induſtriis & laborioſis.

MINORITAS. Verum eſt quod in hac bonorum diſtinctione multi reperiuntur pauperes, ſed & hoc prodeſt Reipublicæ; nam ſinè paupertate nulli eſſent milites, artifices, ſervi; ſublatis autem qui obediant deſtruitur ordo, & fruſtrà conſtituuntur qui imperent.

POSSE DIVERSA IMO & contraria.

Micellanea.

PLato volebat cives ſuos eſſe ambidextros in vtrumque paratos.

In Taprobane inſulâ, quia canalis ferendarum navium capax eſt anguſtiſſimus, navibus ſunt vndique proræ, ne cogantur circumagi. Plin. nat. hiſt. l. 6. c. 22.

Amphisbena ſerpens, in vtrâque extremitate habet caput. Ianus bifrons.

Virga Mercurij detrudit animas ad inferos, & hinc revocat; vis eloquentiæ damnans & juſtificans reos,

ad libitum: ſic ſophiſta pugnat æqualiter pro veritate & contrà veritatem, haſta Achillis ſanabat vulnera quæ fecerat.

Virga Aaron infligit plagas Ægyptiis & ſanat. Propheta exſiccare facit manum Ieroboam, & eandem reſtituit ſanitati. 3. Reg. 13.

Populus, bellua multiceps.

Moyſes mittens manum ſuam in ſinum, retrahit leproſam, mox iterum ſanam. Exod. 4. Percutiam & ego ſanabo. Deut. 32.

Plato lib. 9. de Republ. comparat cupiditatem chimeræ, cui multa erant capita, alia ferarum, alia domeſticorum animalium.

Eadem ſunt inſtrumenta motus & quietis. Arma bello, & pace neceſſaria, Os attrahit & emittit ſpiritum eumque & calidum & frigidum.

Partes diſſimilares plures & compoſitas vires obtinent, manus enim & ad premendum & ad mittendum commoda eſt.

Et in animâ & in ſemine plures ſunt vires.

In corpore naturali vnum caput non poteſt eſſe duorum corporum; ſecùs in moralibus, nam vna perſona diversâ ratione conſiderata poteſt eſſe caput diverſorum corporum.

Qui in communi non eſt ſocietate, nulla pars eſt civitatis, nullius indigus, quare aut beſtia eſt, aut Deus. Ariſt. 1. Polit. c. 1.

Populus ſeditionem movet, & nimium oppreſſus, & ex fœlici aliquo receſſu. Idem ſuprà Politic. c. 6.

Populares gubernationes, per multitudinem hominum omninò ſervantur, hoc enim opponitur ad illud juſtum, quod eſt ſecundùm dignitatem. Paucorum verò potentium contrà, videlicet per rectam ordinationem aſſequetur firmitatem. Ibidem l. 6. c. 6.

Pilus & flavus & niger eſt bilis flavæ excrementum: niger fit cum deuſto vi caloris vapore excrementum in exactam fuliginem mutatur, flavus verò cum minùs torretur. Galen.

Populi ſeptentrionales ſunt crudeles propter defectum rationis, quò fit vt accedant ad naturam beſtialem; & populi meridionales ſunt credeles propter ingenium acre ad ſumendam vindictam. Vide exempla apud Bodinum lib. 5 Reip. cap. 1.

De eodem effectu ex contrariis. *Vide Conc. Finis.*

Vinum magnâ copiâ ſumptum generat convulſionem, quæ mortalis eſt, niſi ſanet qualitate, quam cauſavit quantitate, ſcilicet nervos calefaciendo, vel exſiccando.

Tiberius magnis virtutibus, & magnis vitiis excelluit.

Syderum vis elevat vapores, deprimit imbres, ſiccat amnes, facit diluvia; ſic Princeps elevat & deprimit aulicos.

Trifolium herba decocta admodum, ex aquæ fotu adhibito medetur viperæ, & aranei morſibus, & dolores ſtatim ſedat: ſin autem in alio non commorſo, ſanum locum eodem fotu circumdederis, ſimilem ſenſum ſimileſque dolores iis, quos morſus invehit, omnes efficit; magno miraculo, herbam & morſum ſanare, & ferarum modo ſanam partem pravè afficere. Galenus de Theriaca ad Piſonem.

Fulmen venenata purgat, pura inficit; ſic vindicta innocentes exaſperat, reos ſanat.

Teſticulus. ſeu ſatyrion duas habet radices bulboſas, vnam humore refertam, quæ venerem excitat; aliam flaccidam, quæ cohibet. Mathiol.

In ignem amarum miſſum dulceſcit: dulce vero ſimiliter immiſſum fit amarum. Ariſt. in f. libro 2. de plant.

Sol indurat lutum, & ceram molleſacit.

Ros ſit venenum in achonito, remedium in roſâ, &c.

Temporum flatuumque mutationes morbos generant, pro diversâ corporum diſpoſitione. *Vide Poteſt. Medij.* diſpoſitionis.

Ex iiſdem montibus eodem tempore naſcuntur contrarij venti.

Contrarij effectus videntur in eodem animali, & contraria proficiſcuntur ab eâdem formâ, vt amare & odiſſe.

Melancholia facit excellentes ingenio, quales fuerunt Empedocles, Socrates, Plato; quod ſi nimis abundet, facit inſanos, timidos, phreneticos: vndè quidam dicunt parum intereſſe inter ſubtilem inſaniam, & ſapientiam Ariſtot. proble ſect. 130. q. 1.

Primæ cauſæ poſſunt eſſe cauſæ vtriuſque contrarij, vt Deus, Sol, Luna. At cauſa ſecunda poteſt eſſe immediata cauſa vnius, & mediata alterius, ignis qui cauſa eſt cur aqua calefiat, idem cauſa eſt cur facilè congeletur; poteſt tamen eſſe immediata, ſi diverſa ſit diſpoſitio, vt calor liquat & indurat.

Magnæ curæ regiminis quoſdam ſtupidos, quoſdam ingenio alacriores reddunt.

Diverſi mali effectus ab eâdem cauſâ. *Vide Differentia Contrarietatis, & Vide Concordantia Contrarietatis.*

Autumnus morboſus, quia eâdem die modò calor, modò frigus, infeſtat. Galen. *Vide Differentia Voluntatis.*

Natura eſt principium motus & quietis.

Cum pulchritudo ſit radius divinus, amantes viciſſim ſuſpirant, quia ſe amittunt, & gaudent, quia in meliùs transferuntur; calent & frigent, vt qui tertiana laborant: vndè Plato vocat amorem dulce amarum.

Liber, poſitis omnibus ad agendum, poteſt agere & non agere.

In agentibus ordinatis ſecundum poteſt dupliciter agere, vel moveri; ſcilicet ſecundùm propriam naturam, vel ſecundùm naturam ſuperioris. D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 3.

In eodem corpore ſimul ſunt anima formaliter dans eſſe, & operans operationes naturales; & Angelus operans operationes ſupernaturales. 1. q. 52. a. 3. ad 3.

Sic moventur planetæ duplici motu, ſcilicet naturali, & primi mobilis.

Alexander III. conceſſit cuidam Abſoloni, viro probatiſſimo doctrinâ & moribus, duos ſimul Epiſcopatus gerere. Vide Baron. an. 1177.

Veſpertiliones dum incedunt, alis vtuntur vt pedibus: vituli marini, pinnis quibus in mari vtuntur, humi quoque vice pedum ſerpunt. Plin. lib. 9. cap. 13. Sic piſces volantes iiſdem pinnis natant & volant: & hoc commune eſt omnibus amphibiis vt iiſdem organis vtantur in diverſo elemento.

Luſcinia omnes muſicæ modos, & quidquid tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit, parvulis faucibus exprimit. Vide ejus elegantem deſcriptionem apud Plin. l. 10. cap. 29.

Robora multas res producunt præter glandem, vt gallas, & alia. Vide Plin. lib. 16. c. 7.

Ignis accipit harenas, ex quibus alibi vitrum, alibi argentum, alibi nimium, alibi plumbi genera, alibi pigmenta, alibi medicamenta fundit. Igne lapides in æs ſolvuntur: igne ferrum gignitur, ac domatur; igne cremato lapide: cæmenta in tectis ligantur, &c. Idem lib. 36. c. 27.

MVTATIO REGIMINIS.

MISCELLANEA.

FErenda ſunt Regum ingenia, neque vſui ſunt crebræ mutationes; vix enim fieri poſſunt ſinè magnâ commotione. *Vide Contrar. Poteſtat. Rep.* mali rectores tolerandi.

Vt ſterilitatem & nimios imbres, & cætera naturæ mala, ſic dominantium, oportet tolerare. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua, meliorum enim interventu penſantur. Tacit. annal. lib. 4.

Quomodò vtilitatis publicæ causâ poſſint fieri tranſlationes Epiſcoporum. Vide Can. mutationes. 7. q. 1. & per totam diſtinct. *Vide Finis Poteſtat.* de tranſlatione regnorum.

Inæqualitas caloris ſolis confert ad generationem. *Vide Bonitas Poteſt.* in Miſcell. ſub finem.

De mutatione aut continuatione miniſtrorum. *Vide Duratio Medij & Differentia Medij.*

Non debet eſſe continua poteſtas, ſed mutari. *Vide Duratio Poteſt. Rep.*

Neronis ævo contigit nuſquam auditum prodigium, vt Vectij Marcelli equitis oliveturn in contrariam viæ publicæ partem totũ tranſiret. Plin. l. 17. c. 15.

Cum ſeptimum locum, atque ejus Dominum in ægritudine afflictum videris, medicum mutato. Ptolomæ. in centiloquio. cap. 57.

De mutatione legum. *Vide Differentia Verit.*

Planetæ qui à Triſmegiſto dicuntur ſeptem mundi Domini, ſunt ſtellæ errantes, fixas tamen habent domos in ſignis zodiaci; & vicarias poteſtates fixas in ſtellis fixis ſuæ naturæ.

De mutatione conſilij & voluntatis. *Vide Differentia Cognit. & Differ. Volunt.*

De diuerſis cauſis mutationum Reipublicæ, & Regnorum. *Vide Principium Contrarietatis.*

MVTATIO REGIMINIS *interdùm bona.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Regimen eſt in genere rerum mutabilium, quæ cum non poſſint diù eadem conſiſtere, patiuntur ſe in accidentalibus immutari, vt quantùm licet in ſubſtantiâ conſerventur: ſic dum principiis, quaſi creditoribus ſua repoſcentibus, partem debiti ſolvunt, ab illis de reliquo inducias obtinent; naturam, novitatis avidam, hoc placant ſacrificio, & vltimum ſibi paratum excidium vitant.

MAGNITVDO. Regimini, vt cæteris rebus creatis, ſua eſt determinata magnitudo; vltrà quam progredi nefas. Mare intumeſcens, & fluxum patiens, poſtea in ſe redit; flamma per vices evolat, & ad materiam ſuam ſe recipit: ſic diverſo regimine nunc exundant, nunc contrahuntur imperia; habent magnas quaſdam æſtates, in quibus, vt terræ, vires ſuas explicant; habent & hyemes, in quibus diſperſas colligunt, futuriſque largitionibus eroganda provident.

DVRATIO. Æternitati tantum convenit immutabilitas, temporalia omnia ſtatum neſciunt, cum eorum natura ſit in fluxu grave onus ferentibus remiſſionis loco eſt, partes alternatim labori ſubſtituere.

A Quod non licet ſingulis hominibus, datur imperiis, ſenectam exuere, & in juventam, ſine Medeæ magicis carminibus, reſtitui; dum videntur eadem permanere, lapſu vix ſenſibili in deteriùs quotidiè diffluunt, niſi novis legibus caſum prævenias.

POTESTAS. Inſunt Regionibus & ingeniis vires, quæ ſe non explicant, & potentiæ, quæ fruſtrà eſſent, nunquam ad actum redactæ, ſi non ſe offerat diverſa regiminis occaſio. Quod ſemel potuit, putatur ſemper poſſe Reſpublica; hinc fama potentiæ & ſecuritas. Ad quid agendi libertas, ſi vnum tantùm fiat?

COGNITIO. Vt in artibus, ſic in politicâ, cum multa tentantur, multa etiam præter ſpem fœliciter ſuccedunt: ſcientiæ experimentis & comprobandæ & excolendæ. Verſatilis Mercurius planeta habet tamen domos ſuas in ſignis fixis; ſcilicet geminis, & virgine; vno pede fixo, alio itineris incerta tentantur; ſic dum rector novum molitur regimen; antiquas & probatas B leges penitùs pro derelicto non habeat.

VOLVNTAS. Innatus diverſitatis appetitus ad noxias & extremas mutationes ſe diffundit, niſi licitæ aliquæ illi concedantur; ægris innoxij ſunt cibi, quos ardenter appetunt. Rector apparet vigilantiſſimus & de bono publico maximè ſollicitus, in nouâ rerum vtilium indagatione. Amor ſemper induſtrius & juvenis ſectatur pulchritudinem, quæ in novis, non in ſeneſcentibus effloreſcit.

VIRTVS. Virtutes omnes ad ſui probationem diverſa poſcunt tempora; fulget temperantia in proſperis, fortitudo in adverſis, juſtitia in litigioſis, prudentia in ambiguis. Huic igni cœleſti, in humana præcordia immiſſo, ampla eſt materia ſuppeditanda, per C regiminis vices.

VERITAS. Materia plures formas accipit ſub artificis manu, priuſquam ideæ fiat conformis: ſic regna immutantur ſub ordine divinæ providentiæ. Ad fœlix regimen non ſufficiunt leges ſcriptæ, quia immutabili ſententiâ idem ſemper decernunt: ideò neceſſarij Principes & Magiſtratus, qui quaſi leges animatæ diverſa pro rerum varietate præcipiunt, diverſo tramite ad eandem tendunt veritatem, vt à circumferentiâ diverſæ lineæ ad idem centrum. Vult homo perfecti boni continuationem, & non veri mutationem; vndè vtriuſque & continuationis, & mutationis apD paret avidus, in mixto hoc rerum ſtatu: Ideò fingunt politici aliqualem mutationem, cùm eadem volunt conſervare; & conſervationem, cùm volunt immutare.

GLORIA. Vt nimio labore, ſic nimiâ quiete torquetur natura; diverſitas delectationem parit, maximè cum ſpes accendat. Altâ pace torpentes civium animi excitantur alterius bellicoſi principis expeditionibus.

DIFFERENTIA. Vis ignea mentis humanæ, vt fax immota torpeſcit, & nullo concutiente moritur: eadem veritatis & juſtitiæ eſca, diverſo condimento, ad tædium vitandum populis proponitur: ſic avocantur mentes à noxiâ mutatione: ſuum habent ſæcula E temperamentum, cui proportionati debet regimen. Muſcæ & inſecta quæ circà nos vagantur, manus noſtras vitant, ipſa celeri, & irregulari motione. Sic quibuſdam fœliciter ſucceſſit continua mutatio, quâ non liceat hoſtium conſiliis rei alicui, vt certæ, inſidere.

CONCORDANTIA. Ex diverſo regimine fit harmonia, & quidam diſcurſus, conſtans imparibus ſyllabis & verbis, ad vnam divinam ideam exprimendam connexis.

CONTRARIETAS. Vt diverſis artibus oppugnamur, ſic protegimur. Regiminis mutatio interrumpit

peſſimos vitiorum habitus, ne contrà rationem præſcribant. Morbi periculo vacant, dum deſinunt eſſe continui. Deluduntur hoſtium inſidiæ, ſi inſperatâ viâ progrediamur.

PRINCIPIVM. Hic ordo, plura reſpiciens ſæcula, non pendet ab vnius principis arbitrio, ſed à divinâ providentiâ, quæ ſe habet in regimine, vt primus motor eorum qui populos movent.

MEDIVM. Singulis ſæculis dominantes exceſſus temperantur aliorum præcedentium & mox futurorum mixtione: Ita quod ex ſe nocivum videtur, alterius contemplatione; vt bilis, & melancholia conferunt ad optimam humorum craſim.

FINIS. Motus omnis ſeu circularis, ſeu rectus, in contrarium vertitur, cum vltimum ſuum attigit terminum; cuilibet autem Reipublicæ certi poſiti ſunt termini: non eſt autem differenda mutatio, vſquedùm ad vltimum potentiæ ventum ſit; hoc enim turpe eſt; privationi proximum; & periculoſum, ſi exhauſtis viribus jacens Reſpublica, fortunæ, hoſtiumque exponeretur ludibrio. Quis eſſet tyrannidis finis, niſi imperiis divina providentia poſuiſſet terminos, A vel inſolentem fortunam adverſo aliquo caſu caſtigans, vel jacentem ſublevans, vel vſurpatori ſuperbo pacificum Principem & Religioſum ſubſtituens, vt Numam Romulo.

MAIORITAS. Vt in Muſicâ, graciſſima eſt inflexio ex acuto in graue & contra, datur hic nobis excellentia tantùm comparativè; vndè quemadmodum in perſpectivâ quædam ſunt deprimenda & coarctanda, vt hinc cætera videantur eminere, & in ampliora ſpatia diffundi.

ÆQVALITAS. Sibi contigua ſæcula, vt ædificia, B mutuò ferunt onera, ſibique ſerviunt; vnius profuſiones, tumultus, acumen nimium, ſedat ſequentis auſteritas, quies, imò & ſtupor: vt autem quælibet pars fert imaginem ſui totius, illæ variationes tàm neceſſariæ ſunt in vnius Principis, quàm in plurium ſæculorum regimine.

MINORITAS. Non cenſetur infirmior qui retrocedit ad ſaltum, qui quieſcit ad laborem, qui ſe contrahit ad ictum fortiùs inferendum; dies & nox, quies & labor, magna & parva alternant vices; nec turpe putat ſapiens rerum naturam ſequi.

CONCORDANTIA POTESTATIS.

CONCORDANTIA RECTORVM.

MISCELLANEA.

AMICITIA maximè conciliandæ eſt A inter officia publica. Ariſt. Ethico. ad Eudem. lib. 7. in Princip.

Romani publicis impenſis alebant tres filios vno partu editos, in memoriam trium Horatiorum, ſic editorum, qui columen patriæ fuerunt.

In exercitu pedites & equites ſe mutuò juvant, indigentque alter alterius operâ: pedites valent in oppugnandis vrbibus, in locis paluſtribus & montanis: equites ad excurſiones & prædas agendas, ad fugientes perſequendos, & hoſtium equitatum ſuſtinendum.

Polyarchia imitatur Monarchiam, & tanto eſt perfectior, quantò magis id aſſequitur; vt ſcilicet plures qui regunt ſint vnum mente & voluntate in conſiliis & eorum executione.

Pro Polyarchiâ, & multorum gubernatione dicitur. Verum eſſe Monarchiam abſtractè conſideratam eſſe nobilius regimen, vt Dei poteſtati ſimilius: At cum imago Dei in homine ſit obliterata, & non reperiantur homines tali virtute præditi, vt ſoli debeant cæteris dominari, faciliſque ſit magnæ poteſtatis abuſus; ideò concludunt, ad multorum gubernationem deveniendum vbi ſingularium defectus plurium virtutibus compenſatur, & vnitas vnione.

Pars diſſimilaris & organica eſt nexus decens partium ſimiliarium in vnam formam, actioni obeundæ vtilem & aptam.

Facultas expultrix & retentrix habent magnam cognationem, vt ſibi mutuò cedant, & viciſſim cùm vna agit, altera cedat, ſic in deambulatione pedes viciſſim ſtant & moventur.

Vix cœli influxus poteſt vitari, cùm concordant directio, profectio, & tranſitus planetæ, vel Eclypſis. *Vide Poteſtas Concordantiæ.*

Rebus cunctis dominantur planetæ, & ſtellæ fixæ, illis perſimiles.

Du Laurent. 1. anat. q. 2. Probat multis contrà Peripateticos, non dari vnum omnium facultatum Principium in homine, ſed plura.

Animæ Sphærarum, quatenùs intellectuales, velut B collegæ agunt in regimine vniverſi, cum animâ mundi & intellectu primo. Plotin. lib. de cœlo. c. 5.

Conatus pueri & matris ſimul nativitatem efficiũt.

Deus invocandus manu operi admotâ. *Vide Concord. Principij.*

Qui vſurpant imperium, ſolent ſaltem apparenter illud partiri cum Magiſtratibus populi, & ſæpe cum illis de negotiis deliberant, ne videantur omnem ſibi arrogare poteſtatem.

Sanguis fluit in venis, vi expellentis jecoris, & ve- C narum, cæterarumque partium illud trahentium. Cooperari gratiæ.

Actum eſt de exercitu, in quo Duces non conſentiunt.

Hepar per magnas venas videtur copulatum lieni, ventriculo, & inteſtinis: concoquit à ventriculo elaborata.

Medicus eſt æmulus ſimul & miniſter naturæ, debet enim imitari quæ ab ipſâ rectè geruntur.

Conſiliarius vitet contumaciam, nec ſit ex his, quâ

etiam adverſus peritos ſunt pervicaces; qui omnes volunt ſapere ex ſuo ore, alieni conſilij contemptores. Curandum vt abſit diſcordia inter conſulentes; ſtimulat enim non rarò privati odij pertinacia in publicum exitiũ; periculoſum hoc, vt ſi remiges & nautæ digladientur in vnâ navi. Res communis ſinè communione animorum rectè non adminiſtratur: ideò aut ſeponendæ hæ ſimultates, aut certè ſeponendi conſiliarij. Lipſius in politicis.

Plinius natural. hiſt. lib. 29. in proœmio; ſic contrà medicos non concordes. Nec dubium eſt omnes iſtos famam novitate aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari: hinc illæ circà ægros miſeræ ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur alteri accedere; hinc illa infœlicis monumenti inſcriptio, turbâ ſe medicorum periiſſe. Mutatur ars quotidiè palamque eſt vt quiſque inter iſtos loquendo polleat, Imperatorem illico vitæ noſtræ neciſque fieri. Plinius dicto loco.

Deponite medendi artifices noxias ægrotantium concertationes, vt cum vobis non vultis cedere, inventa veſtra invicem videamini diſſipare. Caſſiod. lib. 6. variar. c. 19. in formâ Archiatri.

Intellectus & voluntas invicem ſe ſuis actibus includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, & voluntas vult intellectum intelligere.

Quantitas non agit niſi mediante qualitate ſicut qualitas non recipitur niſi mediante quantitate. *Vide Æqual. Benit.*

Luna naturalem, Sol vitalem potentiam, & turſus Luna humores, Sol ſpiritus gubernat; hæc luminaria fœliciter poſita fœlicem promittunt vitam. Origan.

Plato, 2. de Republ. dicit quod in hoc debent convenire judices & medici, vt ſuperflua & noxia de civitate tollant.

Idem 9. de Republ. conſtituit in animabus noſtris harmoniam potentiarum & conſenſum, vt Magiſtratuum in civitate; in improbis autem diſſonantiam & ſeditionem.

Idem 5. de Republ. mulieres, vt viros admittit ad eadem ſtudia, ne eâ parte mancum ſit & debile humanum genus; ſimiliter vult cives eſſe ambidextros, & lib. 7. dicit eos eſſe claudos, qui neſciunt agere ſimul & contemplari.

Vt præcipua corporis membra conferunt ad generationem; ita in cœlo, qui terræ mas eſt, ſtellæ octavæ Sphæræ ſunt quaſi caro, nervi, humores; ſeptem autem planetæ ſunt quaſi ſeptem præcipuæ corporis partes, Sol cor; Luna cerebrum, Saturnus lienem, Iupiter hepar, Mars fel, Venus teſtes, Mercurius aliorum nuntius & inconſtans penem refert, ſic terra gravidatur.

Antè peccatum pars ſenſitiva cum rationali conveniebat; hoc videtur innuere Plato in convivio, dum deſcribit Androgini fabulam, quatuor brachiis, totidemque cruribus; qui, quia nimis potens, bellum Diis voluit inferre, juſſu Iovis diviſus eſt.

Dum operatur in me Sol, ſimul cum eo operatur Raphaël, aut alia intelligentia ſoli præſidens: Illud etiam numen cui Sol & intelligentia reſpondent, quod cabaliſtæ vocant Tipheret, cor Archetipi, ſicut Sol eſt cor cœli, vtrumque dans cordi noſtri vt poſſit Deo correſpondere, per illuſtrem & fervidam charitatem.

Vt in homine corporis & animæ vigor, ſic in Republicâ militaris & litterarum gloria coæva ſunt.

Forma & materia conferunt ad compoſitum, mas & fœmina ad fœtum.

Miſcentur medicamentorum vires, quæ ſimul cum naturâ & dietâ operantur.

Actio ſenſus, nec corporis ſeorſum, nec animæ eſt, ſed potiùs coniuncti.

Agentes potentiæ partibus diſſimilaribus tributæ ſunt; vt ori ciborum confectio, pedibus officium incedendi. Ariſt.

Quod de aliquo diviſim dicitur, non ſemper de eo conjunctim dicitur.

Forma, quæ eſt ab arte & naturâ, non eſt omninò à duabus formis; ſed eſt vnum agens adjunctum per aliud.

Omnes partes horologij debent ſimul agere, vt notent horas.

Omnia viventia conſtant calido & humido, à Sole & Lunâ.

Metallorum quaſi Pater eſt ſulphur, argentum vivum quaſi mater.

Hoc eſt commune omnibus ſenſibus, vt ſinè virtute interiori advertente ſpecies recepta in organo non cauſet ſenſationem.

Ars vtens Naturâ pro inſtrumento potentior eſt virtute naturali.

Parva remedia magnos habent effectus, cum inſtat tempus ordinariæ fluxionis, & cum naturam habemus adjutricem.

Agens & patiens nihil ſecundùm ſeipſum eſt, ſed in alterno congreſſu vtrumque eſt.

Arabes vnicuique orbi cœleſti duas intelligentias applicuerunt, quarum vna vt anima, cauſaque agens; altera verò vt finis; ſicque ſimul orbem movere dicunt.

Corpus ſolidum conſtat ex longitudine, latitudine, & profunditate. Duæ alæ, rotæ curruum, equi & boves jugales, &c. *Vide Concordantia Medij.*

Nihil concordi collega firmius ad Rempublicam tuendam, alioquin continua & frequentior quàm cum hoſte pugna.

Colores quidam cum ſaporibus conveniunt, albus & flavus cum dulci; cum auſtero croceus; punicæus cum acerbo, &c. Vide Cardan. de ſubtilit.

Tres Angelorum hierarchiæ, tres in Eccleſiâ ſtatus, ſecularium, Eccleſiaſticorum, Regularium.

Cor duos habet ſinus, & minor facit ſpiritus.

Solem cæteri planetæ juvant in generationibus.

Iove tonante & commoto tempeſtate aëre, comitia haberi nefas. Cicero 2. de divin.

Solvebantur autem, ſi quis in illis correptus fuiſſet morbo comitiali, in quæ natura confligit cum nocivo humore.

Tres ſunt præcipui Principes ſuper mundum, vt magi putant; Oromaſis, Mitris, Arimanis; ideſt Deus, Mens, Anima; Dei proprium eſt vnitas; Mentis ordo; Animæ motus. A Deo fit in mundo vnitas partium & totius; à Mente, virtute Dei, fit ordo partium vnitarum, ab Animâ, ſuperiorum virtute, fit motus operis ordinati: hinc ab vnitate illâ mobiles cauſæ motionis perpetuitatem habent, & continuam generationis ſucceſſionem. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 4.

Ex Orpheo in qualibet Sphærâ gemina vis, vna in cognoſcendo poſita, altera in Sphæræ corpore vivificando atque regendo. Idem Ibidem.

De germanis viribus mutuò ſe excitantibus & promoventibus. *Vide infrà Concord. Cognit. in Miſcell. in fine.*

Natura & medicus habent limitatas vires, vt agant ſimul, & ſibi mutuò auxilientur. *Vide Media Poteſtat in fine.*

Differt medicina ab aliis artibus, quod maximâ ex parte ſe operanti naturæ miniſtram præbet. Galenus lib. de conſtitutione artis medicæ.

Digitized by Google

Quoniam multa corpora ſunt mole majora, quam quæ vnâ manu comprehendi poſſint; adjutricem alteram, naturâ æqualem, manum adjunxit, vt ambæ ex oppoſitis partibus ea corpora complectentes, vnâ manu, maxima, nihilo ſint inferiores. Idem lib. 1. de vſu partium. *Vide Poteſtas Magnitudinis.*

Mortuo Antonino Pio, duos reliquit filios. M. Aurelium, & L. Verum; à Senatu ſolus Marcus declaratus eſt Imperator, ſed ipſe Lucium fratrem collegam ſibi adſcivit, tuncque primum duo ſimul regnare viſi ſunt Imperatores, qui & Divi fratres ſunt appellati. Baron. anno 163.

Photius aſſeruit duas in vnoquoque homine eſſe animas. Baron. anno. 863.

Teleſius has naturas dicit eſſe contubernales: calidum, lucidum, tenue, mobile ſive promptum ad motum.

Maxentius conſulatum geſſit cum Romulo filio ſuo. Baron. anno 309.

Petrus & Andræas fratres Apoſtoli, Iacobus & Ioannes. De affinibus in eodem officio. *Vide Concordantia æqualitatis.*

Expedit interdum miniſtro eſſe diſcordes. *Vide Bonitas contrarietatis.*

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE adjutoribus quæſtoris. Novel. 35.

De adſeſſoribus & domeſticis, & Cancellarijs Iudicum. Cod. 1. tit. 51.

Si liberalitatis Imperialis ſocius ſinè hærede deceſſerit. Cod. 10. tit. 14.

Si plures ſint domini vel vaſalli. feud. lib. 4. tit. 77.

Res publicæ in nullius privati bonis ſunt. l. 1. ff. de rer. diviſ.

Communia ſunt aër, aqua profluens, mare, littora, & in littore inventa. &c. *Vide Æqualitas Poteſt.*

Proconſuli dabatur legatus, quem antè ſe de provinciâ non debebat dimittere. l. 10. ff. de offic. proconſ. *Vide Media Poteſtas.*

Agentes plures ex eâdem causâ, quandò diſcordant in modo agendi, judicis officio coguntur concordare: l. 84. ff. de legat. 1.

In jure communi invito ſocio nihil poteſt fieri. l. 27 §. 1. ff. de ſervit. vrba. prædi. & l. 34. eodem.

Per vnum ſocium acquiri communi ſolo ſervitus nequit. l. 5. ff. commu. prædi.

Plures hæredes vnius hæreditatis, debent vnum procuratorem conſtituere, non ſeparatim agere. l. 48. ff. famil. erciſcu.

Si vnus ex pluribus appellaverit. Cod. 7. tit. 68.

Si vnus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris partem ſui debiti ſolverit, vel acceperit. Cod. 8. tit. 32.

De his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli decr. lib. 3. tit. 10.

Vnus ex dominis communium ædium ſervitutem imponere non poteſt. l. 2. ff. de ſerviur.

Quando vnus poteſt invitis ſocijs. *Vide Poteſtas Minoritatis.*

Magiſtratus municipalis collegam ſuum tutorem dare poteſt. l. 19. ff. de tutorib. & Curat. dat. Non eſt enim ordinariè tanta concordia inter collegas, vt hinc oriatur ſuſpicio.

Imperatoriam Majeſtatem non ſolum armis ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, vt vtrumque tẽpus belli & pacis rectè poſſit gubernari. Initio inſt.

Qui habet habitationem in domo, non debet eſſe moleſtus domino domus. inſt. de vſufru.

Epiſcopatus non debent multùm à ſe invicem ſeparari diſtantiâ locorum, vt Epiſcopi ſibi invicem poſſint adeſſe. can. fraternitatem. diſt. 80.

Dum verbum accedit ad elementum, fit ſacramentum. 1. q. 1. can. detrahe.

Quiſque ſacrificans ſacerdotem ſibi vicinum habeat, qui cœpta ſacramenta expleat, ſi ei aliqua neceſſitas ingruerit. 7. q. 1. can. illud.

Liberum arbitrium non ſe habet merè paſſivè, ſub gratiâ excitante, ſed cooperatur. Concil. Triden ſeſſ. 6. de juſtificatione can. 4.

EX THEOLOGIA.

ACtio voluntaria fundatur ſuper actionem naturæ. D. Thom. 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1.

Impoſſibile eſt actionem vnius agentis terminari ad formam tantùm, & alterius ad ſubjectum formæ, niſi agentibus ſubordinatis. 1. q. 118. a. 1. ad 3.

Sicut ſe habet actus ad actum, ſic potentia ad potentiam, reſpectu objecti ædæquati, non autem objecti particularis. 2, 2. q. 22. a. 5.

Vna & eadem actio procedit à primo & ſecundo agente, non autem à duobus agentibus vnius ordinis. 1. q. 105. a. 5. ad. 2.

Actionum, quarum vna eſt regula & ratio alterius, vna non impedit, ſed juvat aliam. 1. q. 112. a. 1. ad 3.

Potentiæ animæ mutuò ſe impediunt circà diverſa objecta, non autem circa idem. 1. 2. q. 33. a. 3. ad 3. q. 37. a. 1.

Bona ſpiritualia poſſunt ſimul à multis integrè poſſideri, non autem corporalia. 1. 2. q. 28. a. 4. ad 2.

Character eſt participatio ſacerdotij Chriſti. 3. q. 63. a. 3. & 5.

Mulier facta eſt de coſta Adæ, vt ſocia ejus, non de capite vt domina, nec de pede vt ancilla. 1. q. 92. a. 3.

Dominationes præcipiunt, poteſtates ordinant, & principatus dirigunt. 1. q. 108. a. 5. ad 3.

Potentia duplex, ſcilicet imperans & exequens. 1. q. 115. ar. 2. ad 4.

Sedere ad dexteram Patris, in beatitudine ejus, vel habere regiam & judiciariam poteſtatem convenit ſoli Chriſto, ſecundùm vtramque naturam. 3. q. 57. a. 2. ad. 3. hoc non convenit ſanctis. q. 58. a. 4. ad 1.

Intellectus concurrit cum lumine gloriæ, actuali concurſu in viſione beatificâ.

EX BIBLIIS.

DEus dicit Moyſi, Aaron erit os tuum ad populum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Exod. 4.

Dum pugnat Ioſue orat Moyſes, & ſic vincitur Amalech. Exod. 17. Suſtentantur Moyſis manus ab Aaron. ſacerdote & Hur, ſic non laſſantur vſque ad occaſum ſolis. Exod. 17.

Iethro conſulit Moyſi, ſibi ad judicandum aſciſcere ſeniores, quia huic oneri non poterat ſolus ſufficere. Exod. 18.

Deus loquitur populo de medio duorum Cherubim. Exod. 25. poteſtas Regia & Eccleſiaſtica.

Eleazar ſummus ſacerdos & Ioſue dux populi, ſimul dividunt populo terram in ſilo coràm domino, ad oſtium tabernaculi.

Iudas ſubſtitutus à Deo loco Ioſue mortui, dicit fratri ſuo Simeoni, aſcende mecum in ſortem meam,

& pugna contrà Chananæum. Iud. 1.

Omnis populus Iſraël, juxtà tribus & familias, admovet manum operi, vt ædificet murum. Ierem. 2. &c. Eſd. 3.

Conjungetur vallis montium vſque ad proximum, & fugietis. Sicut à facie terræ motus. Zach 14.

Sapientia ædificavit ſibi domum, exſcidit columnas ſeptem. Proverb. 9.

Petrus annuit ſociis qui erant in aliâ navi, vt venirent, & adjuvarent eos. Luc. 5. *Vide Concordantia Virtutis.*

Tempore quo fuerint diſſipati peribunt, & vt incaluerint ſolvuntur de loco ſuo; involutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum; ambulabunt in vacuum & peribunt. Iob. 6.

Apud Ezechielem Cherubin mittit manum ad ignem, ſed de medio Cherubin, ideſt, cum conſenſu aliorum.

De conſilio. *Vide Concordantia Cognitionis.*

COMMVNIO BONORVM

INter amicos omnia communia. *Vide infrà Æqualitas Voluntatis.*

In bonorum congregatione communis eſt bonorum vſus, qualis erat in primitivâ Eccleſiâ; & apud Eſſæos, de quibus. Philo. lib. de vitâ contemplativâ. *Vide Concord. Virtut. Congregatio bonorum.*

Quamvis jure gentium facta ſit bonorum diviſio, *de qua. Vide Different. Poteſtatis*, tamen neceſſariò vocantur ad multorum rerum communem vſum, vt cœli, elementorum, vrbis, domus: câ ratione Diogenes dicebat, non eſſe indignum vt in eadem navi navigare, in quâ alij navigaverunt, ſic vti ſcorto, quo alij vſi ſunt. Athenæus. lib. 13. cap. 20.

Plato lib. 5. de legibus præcepit inter cives, vt inter amicos, omnia eſſe communia: quòd ſi hic communis fœlixque ſtatus, cœlicolis proprius, vix ſervari poſſit ab hominibus, ſaltem omnia ſint patriæ communia.

Pomponius Mela refert Garamantes in extremis Africæ partibus communia in Republicâ habuiſſe omnia: Similis fuit communio inter Philoſophos Brachmanos, Gymnoſophiſtas, Eſſæos, Pythagoricos, vt refert Philoſtratus in vitâ Appollonij. Sic inter primos Chriſtianos, inter quos, vt dicit Tertulian. in Apolog. omnia erant communia præter vxores.

Lucæ 12. Dominus, quærenti, à ſe vt cum fratre divideret hæreditatem: homo, inquit, quis me conſtituit diviſorem hæreditatis inter vos? colligere veni non dividere; ideò dico vobis cavete ab omni cupiditate: Cupiditas enim cupit dividere. Sicut charitas colligere. D. Auguſt. ſerm. in Aſcenſ. Domini.

Kalendis Ianuarij etiam antiquitùs offerebantur xenia, in memoriam aurei ſæculi ſub Saturno, in quo ex lege naturæ bona omnia erant communia.

POTENTIÆ QVÆ coagunt debent eſſe concordes.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Plures collegæ ſe habent in officio; vt in anima plures potentiæ, quæ ſibi nunquam mutuò deſunt; nam ſibi quiſque eſt beneficus, dum alteri prodeſt, res enim ſuas promovet; vt cùm civitas A parti obſidione vexatæ auxilium fert. Ideò non debet eſſe tarda & timida largitio, quàm motus ille circularis & perpetuus efficit inexhauſtam; redit enim in ipſum qui dedit: ſic perennis eſt maris ſtatus, & fluminum ab eo prodeuntium, in illudque redeuntium fluxus. Eo conſenſu non deficit humidum, vndè conſtat terræ fertilitas, plantarum & animantium vita.

MAGNITVDO. Plures ſunt, vt numerus ſuppleat defectum potentiæ, ſed cum ad idem operas ſuas conferre debeant, ſe habent per modum vnius. Vni officio colligati ſibi mutuò ſubſervire debent, vt in eâdem machinâ diverſæ partes, ſe fulcientes & moventes: hinc actio fit amplior & intenſior. Si non confers ſocio rectè agenti, fraudas Rempublicam non ſolum tuâ, ſed etiam alterius operâ, qui B deficiente, aut in contrarium nitente, jacet debilis, & inutilis.

DVRATIO. Compoſita omnia ſta[illegible] partium ſuarum vnione, actioniſque conſenſu, vt contrariis conatibus diſſolvuntur. Æmulatio quidem ſopitas ingeniorum vires exſuſcitat, ſed dùm immaturas, intempeſtivè & continuè profert, tandem in ipſo ad ſpectaculum, famamque conflictu inutiliter conſumit. quod pro munitione, contrà hoſtium incurſus, ſervandum erat. Non ſufficient ad longum iter vires equo, quem domo egredientem, ſaltibus, circulatione, & curſu hinc indè præcipiti laſſaveris: Moderata durant, neſcit autem modum æmulatio.

POTESTAS. Collegæ potentia tua eſt, ſi tua illius ſit: Ex fœlici vtriuſque conatu, communis vtilitas & gloria. Itaque tibi ipſi aufers quod illi negas auxilium: Ipſo naturæ motu ſinè vlla conſultatione, ſiniſtra manus fertur in ſubſidium laborantis dextetæ.

COGNITIO. Momento ad idem objectum convertuntur duo oculi, & quia duorum radices in vno nervo optico commiſcentur, vnum tantùm objectum à duobus videtur. Vna ſit in pluribus mens, vt in primis fidelibus, ad publicationem Evangelij collaborantibus; ſe ſic mutuò complectuntur radij, & nullâ habitâ Principiorum ſuorum diſtinctione, vnum lumen efficiunt: Securior officij ſtatus, vbi plures invigilant, qui referunt Argum oculatum, aut Ianum biſrontem. D Ad veri, & vtilis fruitionem, ſibi mutuò miniſtrant ſcientiæ & artes.

VOLVNTAS. Recta officij adminiſtratio ab vtriſque intenta, non contingit, niſi vires concordent. Parentum animos conciliat communis partus, & collegarum affectum colligare debet officium commune; etſi ſint inæqualis meriti, æqualis inter illos debet eſſe affectus, qualis naturaliter ineſt inter maſculum & fœminam. Cùm de obtinendo objecto agitur, paſſiones omnes conferunt conatus ſuos, militantque ſub amoris imperio.

VIRTVS. Sic omnes virtutes concurrunt vt in vnâ charitate radicentur; chorum, vt gratiæ, efficiunt, & vni, ſi perfecta ſit, cæteræ omnes adſtipulantur; bonum enim ex integrâ cauſâ. Eâ ratione plures in ſimili E officio conſtituit Reſpublica, vt ex omnium præclaris dotibus ſibi coronam conficiat.

VERITAS. Non poteſt decipi falſo diligentiæ apparatu collega, qui intima & ſecretiora officij pernoſcit; ſcit quò vires ſuæ ſolæ, & quò adjutæ pertingant: ſic qui ſimul trahunt, aut bajulant onus plurium viribus commenſuratum, facilè ſentiunt vnius, aut alterius defectum.

GLORIA. Meliùs eſt honorem partiri & cum alio communem habere, quàm illo penitùs privari, rebus ob diſcordiam malè geſtis: Si minùs cæteris ad officium confers, præclarum eſt eundem cum aliis triumphum agere; ſi plùs, non ſinet fama latere.

quod

quod in te eminet; ſic ſilente Lunâ, cum vna ſit ex A plurib⁹ ſtellis lux, notantur tamen præ cæteris fulgentiores.

Differentia. Prævaricatores, ſi in officio ad bonum commune pertinente, quæras tantum particulare tuum commodum; ſi perfidè ſubtrahas te oneri; ſi dividas, ſi tibi ſerves vires, quas Reſpublica voluit eſſe vnitas & communes.

Concordantia. Qualis futura eſt populorum concordia, ſi nulla ſit inter miniſtros, illius artifices & tutores? quomodò conſentient qui reguntur, ſi non conſentiant qui regunt? Perirent inferiora ſi non eſſent regulatiſſimi, ſibi aliiſque ſemper concordes, cœlorum motus.

Contrarietas. Iam ſatis eſt oneris in officiis, B quid publicæ in Rectores invidiæ ſuperaddis has collegarum ſimultates, & privata odia; plus nociva, quia magis intima, minus vitabilia, & quod proprium eſt magis lædentia. Quilibet ex pugnantibus proceribus habet ſuos clientes, qui partes ſuas ſequuntur, & qui iras reſque blandiendo exaſperant & malum ſinè remedio efficiunt. Si ex animo non coagis collegis, gratis efficis quod optatiſſimum eſt hoſtibus, & quod à perfidis magno prætio corruptis obtinere conantur. Naturalem etiam cum collega antipathiam conciliare debet commune periculum Reipublicæ, cujus eſtis; ſic rixantes inter ſe canes iras in lupum convertunt: Repus tranquillis tolerantur, & probantur à quibuſdam levia inter collegas diſſidia, C vt ſic impediantur monopolia, conjurationes, & vnuſquiſque alterius ſibi invigilantis metu ſe in officio contineat, nihilque ſic Rectorem lateat: ſed belli tempore, & dum inſtat hoſtis, periculoſiſſimæ ſunt illæ ſimultates, quæ vt plurimum in perfidiam degenerant.

Principium. In mundo, licet ea ex quibus omnia componuntur principia ſint contraria, ſic tamen intermediis contemperantur, vt ſint primæ cauſæ actionum & generationum: hoc apparet in cælorum planetarum, elementorum ordine, & in humorum corporis noſtri craſi. In eodem officio plures miniſtri ſic debent conſentire, vt vnius animæ plures potentiæ.

Medium. Miniſtri ſunt quaſi inſtrumenta, quæ D debent ſequi motum legis aut principis regentis. Sunt quidem ſeipſis mobilia, ſed cum ſint ratione prædita, ratio debet conſentire motui à regente indito, ipſumque non tardare, ſed accelerare; vt motus naturalis lapidis concurrit cum motu illum ad centrum projiciente.

Finis. Vnius Rectoris ad vnum finem intentio, debet ſecum regulariter trahere ſubordinatas potentias: & cum collegis eadem maneat obligatio, officij ſui exactam velle fruitionem, hæc in idem coincidentia mutuam inter eos parere debet concordiam; quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Sibi mutuo ad finem ſuum conſequendum neceſſarij, ab invicem non ſunt diſſociandi.

Maioritas. Majora fiunt vnitis viribus; plùs au- E tem eſt honoris rerum maximarum eſſe cauſam partialem, quàm totalem rerum minimarum. Sic actus virtutum ſupernaturalium noſtri dicuntur, & in nobis præmiantur, etiam gratiâ ad illos nos movente.

Æqualitas. Nihil æquiùs, quam mutuis operibus juvare juvantem, & conſentire implenti id ipſum quod intendis: quod ſi diſſentiant æquales inter ſe vires, nihil fit; vt nullus eſt motus navis, pari fortitudine in contrarium tractæ.

Minoritas. In collegarum diſſidio non tantum ſtat inanis & torpens Reſpublica, ſed deficiente actione, vt corpus deficiente calore naturali, corrum-

pitur: Neſcit ſtatum, ſi non augetur minuitur, tot hoſtibus domeſticis & exteris impetita.

CONSENSVS POLITIÆ & Religionis.

POlitia & Religio ſunt collegæ, collegæ autem debent conſentire. Vide præcedentem demonſtrationem, & aliam initio operis poſitam, ad exemplum tertiæ mentis operationis. Quod Religio ſit homini neceſſaria.

Non cuſtoditur optimè civitas, niſi fundamento & vinculo fidei, cùm Deus, qui commune bonum eſt, ſincerè diligitur, &c. D. Auguſt. Epiſt. 3. Voluſ.

Permixti ſunt cives æternæ & mundanæ civitatis, & vt regnum terrenum angariat cives regni cœlorum; ſic regnum cœleſte angariat cives regni terreni, & hoc donec tranſeat iniquitas. Idem in Pſal. 51. *Vide ſuprà Virtus Poteſt.* Pietas Regentium. Rex ſacerdos. *Vide ſuprà ex Bibliis hoc titulo.*

In hoc ſæculo cives vtriuſque regni permixti ſunt; corpus regni terreni, & corpus regni cœleſtis, commixtum eſt: regnum cœleſte gemit inter cives regni terreni, & aliquandò regnum terrenum angariat quodammodò cives regni cœlorum, & regnum cœleſte angariat cives regni terreni: Daniel & tres pueri in Babyloniâ præpoſiti ſunt negotiis regis; Ioſeph in Ægypto poſitus eſt ſecundus à Rege. D. Auguſtin. in Pſal. 51.

Demothenes φιλιππίζειν Pythiam dicebat, ideſt quaſi cum Philippo facere, eam ab illo corruptam. Cicero 2. de divinat.

Quantũ poſſit Religio in politiâ. *Vide Poteſt. Virt.* Exod. 7. Dicitur, quod Aaron erat os Moyſi, cum jam ſanguine eſſet frater; quia, inquit Toſtatus os conſentiente corde debet loqui.

D. Gregor. lib. 5. Epiſt. 45. Monet Epiſcopos vt cum ſæcularibus miniſtris ſint concordes, hoc enim ad fidei propagationem dicit multùm conducere.

Globus Aureus cum cruce eſt inſigne imperij. Vide Baron. anno 330. & 1013.

Stella lucida in corde Leonis, quæ vocatur Regulus, Martem & Iovem refert. Ptolomæ. præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 8.

Domus Iovis Sagittarius & Piſces luminarium domos, ſcilicet Leonem & Cancrum, Trigono fœlicique aſpectu intuentur. Ibidem cap. 16.

In Cod. leg. antiquar. In legib. Longobardor. lib. 2. tit. 54. habetur vt Epiſcopi & Comites ſibi auxilium præſtent.

RELIGIO ET POLITIA *conſentire debent.*

DEMONSTRATIO.

BOnitas. Si Reſpublica eſt corpus, illius anima eſt Religio; nulla autem major concordia, quam animæ & corporis, mutuis enim ſtant beneficiis, corpus confert organa, & anima dat motus: vtriuſque ſeparatio mors eſt.

Magnitvdo. Altiora quidem & divina ſectatur Religio, ſed & coagit vt cauſa vniverſalis, in infimis etiam politiæ negotiis. Viciſſim gaudet politia, dùm

terrenis vacat, aliquid de ſuo conferre ad numinis cultum, & habere hunc ad quem contendat apicem; nihil politia poteſt in animos ſinè Religione, & nihil Religio in externa ſinè politia; amborum autem conſenſu fit vt vtraque ſuo modo totum hominem regat.

Dvratio. Duo hæc vincula ſi jungantur fiunt firmiſſima. Varios mortalium affectus conſolidat æternorum meditatio: fœditragos continet juramenti ſacramentum; & humana fides tunc fit; conſtans, cum ei accedit divina. Cum etiam ſubtilis, nec perennis ſit in nobis divinorum ſenſus, evaneſceret, niſi politia ei aliquid adderet de corporeo & temporali, affectibus noſtris conformi, haſque volatiles flammas ſubditi aleret & contineret materiâ.

Potestas. Cùm hæ duæ potentiæ non debeant confundi, debent ſaltem vniri, vt mutuis auxiliis fiant fortiores. Non eſt indignum imperantem aliquid remittere de jure ſuo, contemplatione Dei, à quo tenet imperium: nec indecorum Sacerdotem Dei vices gerentem fovere Principes, quos Deus conſtituit, & illos muneribus alere, quaſi divinæ providentiæ partus. Imperij jura non lædunter mutuis inter patrem & filium officiis. In regimine concordare debent poteſtas & veritas, quæ in Dei eſſentiâ ſunt vnum.

Cognitio. Eminens ſapientia regimini neceſſaria à Deo eſt, & hanc ab ipſo principes pietatem promerentur. Circà divina benè affectus animum habet diuinis illuſtrationibus patentem, & ex ore ſacerdotis, quaſi ex oraculo, divinas excipit voluntates: hinc in ſenatorum numerum, de rebus etiam merè ſæcularibus conſulentium, admiſſi ſacerdotes: hinc non penitùs vana de legiſlatoribus opinio, eos à Deo leges accepiſſe: ad quid etiam ſacerdotum prædicatio? ad quid ſublimes illæ rerum divinarum ideæ, ſi politia in contrarium impellat naturam, ſuâ jam mole in malum labentem.

Volvntas. Vt politia ſibi conducat miniſtros cogitur avaritiæ & ambitioni præmia proponere; ſicque accendere, quas, vt ſibi noxias, deberet extinguere paſſiones: timendam hoc incendio vaſtationem impedit Religionis ſenſus; nam quaſi frænis continet & moderatur ambitum, quem politia calcaribus in ſuam perniciem concitaverat. Prodeſt etiam Religio politiæ, in eo quod præcipit Principes amari & coli, vt Dei ſummè diligibilis miniſtros, & hoc amore temperat naturalem in regentes invidiam: viciſſim politia confert Religioni quòd ametur, dùm publico judicio comprobat ſua decreta, dùm de illâ benè meritis præmia & honorifica ſtipendia decernit, dùm ſplendido ædificiorum & cæremoniarum apparatu illi Majeſtatem cultumque conciliat.

Virtvs. Leges humanæ externos tantum virtutis actus extorquent, veros autem & intimos producit Religio. Ita ſinè Religione habetur tantum virtutis larva, quæ legibus & Magiſtratibus fraudem facit. Viciſſim niſi politia virtutes colat, jacent ſteriles, contemptæ, & quaſi vana quædam idæa impoſſibilis boni, effectum ſuum nunquam conſecuturi. Sibi laborat politia, dum laudibus, præmiis, dignitatibus virtutes promovet; & etiam Religioni prodeſt, nam virtus ſupernaturalis fundatur in moralibus, illaſque ſupponit, vt gradus rationalis elementarem, vegetativum & ſenſitivum.

Veritas. Ex divinorum contemplatione rector accipit leges, quas dicit populis. Immutabilia Religionis decreta ſunt quaſi immobile, ſuper quo moventur leges humanæ, poſſuntque pro diverſo rerum habitu innocuè mutari; vix enim mutata videtur politia, ſi ſervetur eadem Religio. Vt legibus fidem faciunt oracula & miracula, ſic rebus divinis procerum applauſus; minùs enim dubitamus de fide, quam Princeps colit.

Gloria. Habetur pax, ſi duæ iſtæ potentiæ concordent. Quòd ſi diſſentiat politia Religioni, eſt ægritudo, vt corporis animæ non cooperantis: ſi Religio politiæ, eſt vt mens furioſi, quæ à ſenſibus abſtracta torquet & in præceps agit proprium corpus, quod fovere deberet.

Differentia. Non benè in antiquâ Romanorum Republicâ junctum erat Imperatoriæ dignitati ſacerdotium, hac enim mixtione fit vtriuſque alteratio; meliùs & ſtudio diligentiori, diverſi hæc obeunt munera, integrum hominem ſibi vtraque poſcentia: ideò leges à rebus ſæcularibus abeſſe jubent eos, qui divinis vacant officiis; ſed hæc officiorum diſtinctio, vt partium in corpore & in machinâ, ad vnum opus tendit, ſcilicet ad perfectionem humanæ ſocietatis.

Concordantia. Divinis humana junxit verbum incarnatum, duaſque naturas in vno ſuppoſito: Rex ſimul fuit & Sacerdos, voluit tamen Sacerdotis, non Regis officio fungi; & monet reddi quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Hic conſenſus duarum poteſtatum, nova quædam eſt & fœcunda generis humani recreatio; ſacrum Deo pronubo connubium maris & fœminæ, Adæ & Evæ: & vt in nobis, partis ſuperioris cum inferiori. Conformantur ſubditi Regentium moribus, & vt viget Religionis ſenſus ſub Religioſo Principe, ſic perit ſub impio.

Contrarietas. Non reſiſtunt vitia à duabus illis vnitis poteſtatibus impugnata. Multùm poſſunt ſacrificia contrà hoſtes, vndè præcedunt, & ſequuntur conflictus; maximè tunc intereſt placare Deum, qui vult dici exercituum Deus, & qui ſibi magis acceptis largitur victorias.

Principivm. Germanæ ſunt Religio & politia ab eodem parente, qui jubet eas mutuo affectu ſe complecti. In primis pauciſque adhuc mundi incolis viguit Religio, cùm nulla adhuc eſſet politia: vndè patet Religionem eſſe primogenitam: hinc apud Iudæos, primogenitis competebat Sacerdotium: par eſt ergò, vt renaſcentis quotidie politiæ tutelam gerat Religio, & vt politia junior, viribus mundanis præſtantior, laboranti pro ſe Religioni opem ferat.

Medivm. Creata omnia ſibi mutuò ſubordinata ſunt; non ſtant minima ſinè maximis, nec maxima ſinè minimis. Anima ipſa ſpiritualis & immortalis, in ſublimioribus ſuis operationibus, recurrit ad phantaſmata.

Finis. Politia & Religio eundem appetunt finem, ſcilicet felicitatem humanam; ſed politia temporalem, quæ ſubordinatur æternæ. Oculus qui radium viſualem dirigit in ſcopum, media omnia quaſi ſibi vnita videt, quaſi ſub vnâ lineâ, nec percipit interjectos hiatus: ſic dum Religio dirigit hominem ad finem ſupernaturalem, vnum quoddam facit cum politiâ, illum per moralia promovente.

Maioritas. Temperat regentis exceſſus; numinis ſuprà ſe imperantis timor. Princeps qui virtutibus Deum ſibi fecit propitium, heroïca & maxima ſuprà vires fortiter aggreditur.

Æqvalitas. Dulce eſt populo videre ſibi dominantem, ſub eodem quem colit Deo humiliatum; æqualemque in eo quod præcipuum eſt habere. Societas eſt inter politiam & Religionem, vna confert temporalia, altera ſpiritualia.

Minoritas. Adverſis & deploratis in rebus ſpes

adhuc ſubminiſtrat religio, ſub Deo Patre omnipotente, ſuos protegente. Toties Principum pietate reſtituta Religio colit Principes, vt Dei miniſtros, quorum operâ Dei in ſe ſentit auxilium.

RECTORES POPVLVS imitatur.

MISCELLANEA.

Vide Concord. Principij.

PVblici decoris eſt mens regentis, & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis affectum: faciliùs quippè eſt errare naturam, quàm principem diſſimilem ſibi formare Rempublicem. Caſſiod. Epiſt. 12. lib. 3. variar.

Principiis nervorum male affectis, ſingulæ partes corporis convelluntur; ſic diviſis populi principibus fiunt factiones; ſi inſaniant capita, mirum non eſt cætera membra fieri inſtrumenta furoris.

Primum mobile cæteros circumagit cœlos. Seraphim ardore ſuo inferiores mentes incendunt, & ad vnitatem quam habent reducunt; ideò dicuntur exemplaria activa, quia impellunt, & præcedendo ſecùm trahunt & deferunt.

Mores Principis quaſi à centro ad circumferentiam diffunduntur; & vt ſolares radij ab ortu ad occaſum.

Omnes muſculi ſequuntur figuram & magnitudinem oſſis, cui inhærent: ſic conſiliarij conformantur principi; ideò in conſiliis Princeps ſuam debet vltimus dicere ſententiam, ne omnes in illam eant, nec audeant contraire.

Princeps eſt populis, quod pôlus navigantibus. A cerebrò omnis motus atque ſenſus, à quo medulla in omnem ſpinam fuſa porrigitur.

Ità eſt, arctâ quadam catenâ devincti ſimus, qui imperamur cum imperante; & vt in corpore mens ſana aut inſana eſſe non poteſt, niſi vt pariter vigeant & langueant ejus virtutes & functiones; ad virtutem ille præit, ſequimur; ad vitia inclinatur, labimur, aut ruimus cum illo: atque vt à ſole in ſubjecto hoc orbe lux aut tenebræ; ſic à Principe aut ſubditos prava pleraque aut recta. Lipſius de regno.

Omnia dicta factaque Principis rumor excipit: nec magis ei quàm Soli latere contingit: cavere debet qualem famam habeat; quia qualemcumque meruerit, magnam habiturus eſt. Tacit.

Maximè rectam decet eſſe regulam ad quam cætera diriguntur: vt quædam herbæ ad ſolem, ſic populi ad principem convertuntur.

Præcipuus adſtricti moris author fuit Veſpaſianus, antiquo ipſe cultu victuque; obſequium indè in Principem, & æmulandi amor validiora, quàm pœna ex legibus & metus. Tacit.

Antiqui, vt jus quoddam ad ſcelera haberent, ſceleratos finxere Deos. Plinius natur. hiſtor. lib. 1. cap. 7.

Læsâ magnâ arteriâ, vniverſus ſanguis profunditur. Arteriarum tunicæ eodem tempore atque cor attollantur & deprimuntur.

Carbunculus omnium prætioſiſſima gemma ſoli ideò dicata, quia cum cæteris radios ſuos impertiat, nullius alterius gemmæ colorem ipſa ſuſcipit. Solinus. Principes nullis, & ipſis populi conformantur.

Selenites lapis Lunæ ſpeciem refert, quæ & in eo, curſum aſtri ipſius minuitur aut augetur. Solin.

A A capite ſanitas omnis membrorum, langueſcit vel alacre eſt corpus, pro animæ regentis diſpoſitione.

Sub Romulo bellatrix fuit Roma, ſub Numa Religioſa, ſub Fabritiis continens, ſub Lucullis & Antoniis diſſoluta, ſub Iuliano Idololatra, ſub Valente Ariana.

A cerebro humores in corpus diffluunt, à radice in ramos.

Principes non tantùm ſunt ſpecula, in quibus morum ſuorum Idæam vident populi, ſed ſunt ignita & ardentia ſpecula, illos ſuis paſſionibus inflammantia.

Vt arcus cœleſtis à ſole, ſic populus à principe ſplendorem accipit: monſtrum eſſet habere lutea
B membra ſub aureo capite.

Principes commovent plebem, vt venti mare; ventos autem movent planetæ. Ceſſante motu cœleſti, multi exiſtimant motum omnem inferiorem ceſſaturum: principes aſtra ſunt, è quorum influxu pendet populi ſalus; populi ſub principis manu, vt lutum in manu figuli. Duces cæci in foveam ducunt ſibi commiſſos; ſic qui vtuntur poteſtate ſibi à Deo conceſſa contrà Deum.

Primum mobile cælos, ſupetior horologij rota cæteras circumagit.

Exciſa è montis cacumine magna rupes, multas alias ſecum trahit. Vmbra columnæ rectæ recta eſt,
C inflexæ inflexa.

Ariſt. 3. Polit. c. 12. cenſet Ariſtocratiam eſſe meliorem monarchiâ, quia ſi Rex ſit depravatis moribus fiet illi populus ſimilis, vndè meliùs eſt ab optimis rem gubernari.

Eandem eſſe fœlicitatem ſingulorum hominum & civitatis probat, quia qui divitias amat, dicet fœlicem Rempublicam divitem; qui poteſtatem amant, multis dominantem; qui virtutem, ſi virtute excellat. Idem 7. Polit. 2.

Exiſtimare debet mulier bene compoſita mores viri eſſe legem ſuæ vitæ, ſibi impoſitam à Deo, per conjunctionem matrimonij atque conſortij. Idem 2. OEconom. 1.

D Nunquam Venus & Mercurius oppoſiti ſunt Soli, quia Venus nunquàm plus diſtat ab eo 49. grad. Mercurius autem 23.

Cum Alexander naturaliter collum haberet obtortum, hoc imitabantur aulici. Rex Franciſcus I. capite tonſo vt à plagâ curaretur effecit vt omnes nobiles, tonderentur.

Nulla pars æque adjuvat curſum navis, quàm ſumma pars veli; minimum habet virium flatus ex humili. Seneca.

Sceptra periculoſum eſt extraneo committere, quia peregrinis moribus inficiet Rempublicam, noviſque ex arbitrio ſuo legibus antiquas ſubvertet.

E Ars imitatur naturam: Aſtra ſunt Sphæricæ figuræ ſicut totum cœlum.

Princeps debet bellis intereſſe, vt militibus addat animos. Vrget præſentia Turni.

Virtute debet excellere Princeps, vt cæteris ſit exemplo. *Vide ſuprà Virtus Poteſtatis.*

Corpora difficiliùs moventur quæ ſunt centro immobili proximiora.

Aqua intumeſcit deſcendens, & accipit figuram conformem circumferentiæ, ibi à centro diſtantis. *Vide Poteſt. Minor.*

Antiqui ignem inextinguibilem in templis ſacrum habebant, tanquàm cœleſtibus ſimillimum.

Bos Apis apud Ægyptios ſacer, in corpore Solis & Lunæ caracteres impreſſos habebat, & ſub linguâ cancri figuram. Euſeb. præpar. Evang. lib. 3. cap. 3.

Digitized by Google

in fine. Diis convenientes hostiæ immolabantur. *Vide Concord. Æqualit.*

Ars chimica facit resolutionem mixtorum in sua principia.

Lotus Ægyptiaca est planta, quæ nascitur in campis flumine inundatis, flore est parvo, candido, lilio simile: occidente Sole comprimitur, & sub aquis mergitur, ad ejus ortum super aquam assurgit, & aperitur. In Euphrate flores merguntur & descendunt vsque ad mediam noctem, hinc paulatim cum Sole extrà aquas emergunt. Dioscorus, & Plin. lib. 13. c. 17. & 18.

Arabes Philosophi dicunt formam substantialem esse participationem primi actus, scilicet Dei. Platonici dicunt eam esse ideæ vestigium in materiâ.

Oceanus & mediterraneum mare movetur ab Oriente in Occidentem, quia sequitur diuturnum Solis & Lunæ motum.

Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, maxime si æquabile & notissimum, sic conversio primi mobilis, quia æquabilis est mensura temporis.

Terra est rotunda sicut cœlum.

Accessus Solis ad nos est causa generationis, recessus corruptionis.

Generatio perfectior est, quandò est synonima, quàm quandò est æquivoca.

In speculis Spæricis recta apparent curva, quia fit reflexio à superficie, secundùm modum superficici.

Cùm cor sit vitalis caloris & spirituum officina, secundùm quod se habet, ità calor, & color in toto corpore se habet.

Conformitas cum Principio dominante est causa Majoritatis & excellentiæ in omnibus naturæ gradibus. *Vide Volunt. Major.*

Etiam ignis in terræ viscеribus natus originis suæ non obliviscitur, nam cum à sole sit genitus sursùm evolat.

Cometæ assumunt naturam planetarum à quibus elevantur.

Ad tollendum antiquum aliquem morem plus valet exemplum Regis quàm lex, omnes enim affectum Principis conantur assimilatione promereri. Tacit. annal. lib. 3.

Planetæ superiores non explent sui Epicicli circulum, quin soli conjungantur.

Cum inferiora sint in superioribus, corpora in incorporeis, opificia in opificibus; circuitus cœlestes, ad circuitum cœlestium animarum reducuntur, intellectus particularis in vniversalem, ac ille in superiora similiter. Sequentia semper convertuntur in prima, & superiora tanquàm exemplaria, ducunt inferiora, ideò ab illis ordo & mensura. Iamblic. de misteriis, cap. 5.

Ex hyprocate figura & magnitudo ossium pendet à capacitate cranij & cerebri.

Narrat Philostratus, quòd Hiarchas Indorum sapientum Princeps, Apollonio dedit septem annulos ex metallo, cum lapide, subtùs herba, & secundùm artem Astrologiæ, die & horâ cujusque planetæ confectos, quos vicissim suis hebdomadæ diebus gerebat: sic vtentes vltrà centesimum annum vivebant. Marsil. Ficin. lib. de vitâ cœl. compar. c. 13.

Herba lunaris foliis cærulæis atque rotundis: crescente lunâ vnum quotidie producit folium, decrescente deponit. Ibidem cap. 14.

Quomodo cœlum se conformet animæ mundi. *Vide Cognit. Virtut.*

Talem habent partes cum suo toto connexionem, vt per doctrinam sinuum, & per regulam quæ vocatur puncti perditi, datâ circuli sectione, facilè totius quantitas demonstretur.

Tyrannis condolendum & congratulandum, vt eorum vitetur sævitia.

Omnes civitates Regni, & Provinciæ sequuntur partes & affectus principalis orto bello.

Civitas, quam inhabitat Princeps, facilè repletur civibus.

Ab omnibus servari debet quod Romana servat Ecclesia. Can. quis nesciat dist. 11.

Omnes Provinciæ eundem in psallendo modum teneant, quem servat metropolitana. Can. de iis dist. 12.

Bonus omnium mensura, inquit Aristoteles, quia cum sit talis, quales omnes debent esse, ostendit omnibus quales esse debeant. Et cum recta ratio sit lex vitæ humanæ, is est lex animata, qui secundùm rectam rationem vivit. Tunc videntur operari aliquid suprà hominem, quia ad Deum ducunt: & sunt ministri & adjutores Dei nos ad se vocantis: sic cœli & astra superiorem locum tenent, vt terram foveant: & præsint generationibus; sic superiores Angeli moveat inferiores: talis debet esse ordo in politiâ, ideò Principes dicuntur luminaria; imo & Dij.

Ex D. Thoma singulis speciebus rerum mortalium, respondent in cœlesti mundo peculiares virtutes, quibus foventur, &c.

Nec servulis nostris, ea quibus offendimur, non odisse permittimus. Obsequij enim ratio, in similitudine animorum constituta est. Tertullianus de pœnitentiâ. cap. 4.

In divinis principium effectivum appropriatur Patri, exemplare autem Filio. 1. q. 46. a. 3.

Mentium fœlicitas est, quod à primâ illustrentur & moveantur; idolum, id est vis corporum rectrix, quæ est in animabus corporibus conjunctis, primum est in animâ mundi, hunc sequuntur sphærarum idola, & quoniam in qualibet sphærâ plures sunt animæ, harum idola ad vnum idolum, vnius communissimæ animæ, quæ totam illam regit sphæram, rediguntur; sic corporum vis à primis corporibus cœlestibus pendet: hinc divinatio. *Vide Majoritas Cognit.* Prophetia. Vide Marsil. Ficin. Theolog. Platon. l. 13. c. 2.

Censetur paganus fictè ad fidem conversus, si reliquam suam familiam in errore relinquat. l. fin. C. de paganis.

Finis ad quem tendit modus cœli est, intrà spatium sex & triginta millium annorum, tot in materiâ formas effingere, quot sunt ideæ in Angelo, vt tale opus mundanum efficiat, quale Deus fecit Angelicum, atque ità primum imitetur artificem. Marsil. Ficin. Theol. Plat. lib. 4. cap. 2.

Cœlum in circuitum movetur, vt imitetur motorem suum, perpetuâ reflexione in autorem suum & in se redeuntem. Ibidem.

Lumen amplificationis avidum, per angustum foramen transiens, postea dilatatur, & Principij sui Solis figurâ perfectiori se ostentat, scilicet orbiculari; cupit enim illi assimilari, cujus est progenies.

Vasorum tunicæ, licet sint exangues & frigidæ, contactu tamen sanguinis calefiunt. Galen. lib. 1. de temperamentis.

D. Petrus Romanam fundavit Ecclesiam, vt ab hac vrbe omnibus dominante, fides per totum orbem diffunderetur. Vide Baron. an. 45. n. 1.

Constantinus susceptо baptismo ad fidem Christianam omnes hortatus est, neminem coëgit: sed cum sciret populum rectoribus conformari, misit in Provincias Præfectos, qui fidem amplexi erant. Baron. an. 314.

Ideò Rectores curam debent agere suæ famæ. *Vide suprà Gloria Potest.* Fama rectorum.

Athanasio in Ecclesiam suam ab exilio redeunte, si

publica morum reformatio; juvenes monasticam vitam profitentur, conjugari sibi invicem continentiam persuadent, &c. Baron. an. 350.

In nostris maribus Europæ, percipitur cœlo sereno, & sudo & cessantibus ventis particularibus, aura quædam lenis ab Oriente sobsequa. Bacon. sic in magnis tranquillitatibus observari possunt pinnulæ versæ ab Oriente in Occidentem.

Aurum in igne simili colore rubet quo ignis, atque ipsum obrizum vocant: nihil tamen de materiâ & puritate suâ deperdit. Plin. lib. 33. cap. 3.

Sol & Luna gubertores sunt aliarum stellarum, & præcipuæ causæ eventuum, & regunt stellarum dominia, & dominantium vires, aut confirmant, aut languefaciunt. Ptolomæ. lib. 2. cap. 8.

In Carthaginis obsidione, militibus crescit animus sub Scipione Imperatore, vndè verè proditum est, tanti esse exercitum quanti Imperatorem. Florus lib. 2. cap. 18.

Conformari Rectoribus in defectu. *Vide suprà passim. & infrà hoc tit. de adulatione.*

Alterationes ex cœlo sentiunt mixta, sicut elementa ex quibus componuntur.

Antonio Commodi Patre Imperante, omnes qui cum eo versabantur, erant ad cutem rasi. Galen.

Excellentium virorum discordiæ totam in se trahunt civitatem, peccatur enim in principio. Aristot. 5. polit. 4.

In febre est virium languor & imbecillitas, cum spontanea corporis gravitate & dissolutione, quia corpus vniversum consentit laboranti cordi, propter calorem à naturâ alienum.

In temporibus pluviosis, alvi profluus evenit ex humorum abundantiâ.

In arthride dolor è superis partibus in inferas sæpe descendit, sed non ascendit vt ventriculus compatiatur læso cerebro. *Vide Concord. Minoritatis.*

Discissâ quæ in spinâ est, medullâ, subditarum partium motus, sensus, omnisque functio intercidit.

Corde percusso, protinùs extrema frigescunt, corpusque sudoribus frigidis, malique odoris, propinquæ mortis nuntiis diffluit.

Cerebro graviter læso, impossibile est vt spiritus animales rectè se habeant; iis vero vel deficientibus, vel non rectè se habentibus, actiones omnes animales aboleri necesse est.

Tremens pulsus fit, dum cor tremit, affectumque illum arteriis communicat: ab eâdem causâ fiunt pulsus inæquales, celeres, crebriores, & vehementiores.

Publicum est cordis, hepatis, cerebri, ventriculi officium: itaque his partibus malum in alias redundat: cerebro affecto, sensus & motus; corde, actiones vitales; hepate, nutritio labefactatur.

Vespertinus occasus est, cum stella vnà cum Sole, sub horizontem occidit.

Cognoscuntur Provinciæ subditæ planetis, ex eo quòd, cum illis benè aut malè afficiuntur.

Cum Lunâ crescunt & minuuntur conchyliorum omnium corpora: formicæ sentiunt etiam vim syderis, interlunio semper cessantes. Plin. lib. 2. cap. 41.

Pelles vituli marini, etiam mortui, & detractæ, horrent, ortâ in mari tempestate.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi; seditione, dolis, scelere atque libidine & Irâ. Horat.

Populi exagitantur, inter se certantibus Principibus, vt maria ventis.

In inferioribus mali eventus procedit maximè à superiori planetâ Saturno, sicco & frigido, sic qualitatibus vitæ contrariis prædito.

Lunæ lætus orbis ac lucidus, serenitatem navigiis promittit, quam gestat in vultu; rubicundus color ventos; cæruleus pluvias. Vegetius de re militari, lib. 4. cap. 41.

Vita periclitatur, si morbus occupet nobiles partes.

Imperiorum mutationes & subversiones ex regnantium vitiis, sic Roboam imprudentiâ regnum amisit; Sardanapalus luxuriâ, &c.

Epicurus & cum eo Plinius. lib. 2. cap. 43. crediderunt fulgura fieri ex ignibus, qui ex superioribus planetis in inferiores nubes descendebant.

D. August. Epist. 202. dicit paganos scelera ad imitationem Deorum suorum perpetrasse; sic apud Terentium adolescens inardescit in libidinem, quam & excusat viso depicto Iovis stupro. Idem refert. lib. 2. de civitate Dei. cap. 7.

Idem in Psal. 50. arguit eos, qui peccatum Davidis volunt imitari. Vis, inquit, imitari ejus peccatum, non pœnitentiam & sanctitatem; hos amas in Davide, quod in se odit David: si ad te Nathan Propheta non mittitur, ipse David mittitur, audi clamantem, miserere mei Deus, congemisce, &c.

Non caro corruptibilis fecit peccatricem animam, sed peccatrix anima fecit corruptibilem carnem. D. August. de civit. 14. cap. 3. *Vide Volunt. Virtut. Rep.* ad peccatum sumus promi.

Quidam putei, vt vnus Hispali, salsedinem maris habent, & eo intumescente intumescunt, motumque ejus in omnibus imitantur, ad omnia tamen inutiles, Pisces non habent, &c.

Cùm oculus percussus fuisset Philippi, accedebat ad eum Clisophus aulicus adulator eundem ligatus oculum: ac rursus cum vulnerata fuisset Philippi tybia, cum Rege claudicans incedebat; si quid acre edulium Philippus comedisset, ipse quoque vultum formabat, veluti idem edisset. In Arabum regione ex instituto quodam id faciunt, vt imitentur Regem, in aliquo membro mutilatum. Reges Celtæ, sexcentos delectos cives apud se habent, eadem veste, dieta cum Rege viventes; sed simul cum eo morituri, quacumque morte obierit. Quia Dionisius Tyrannus non clarè perspiciebat, idem simulabant ei assidentes, ciboſque palpabant. Vide plura apud Athenæum lib. 6. cap. 6.

D. Ambrosius acclamationes Lunæ defectu fieri solitas sustulit, vt ipse testatur. Serm. 82.

Eclypsis luminarium maximè afficit populos & homines subjectos signo in quo fuerit facta. Ptolomæus prædict. Astrologic. lib. 2. cap: 5. afficiuntur etiam regiones, si Eclipsis fiat in loco qui est medium cœli Principum. Ibidem.

Photius Biblioth. cap. 142. refert in Arabiâ lapidem esse disci magnitudine, in cujus medio fulget Solis figura radios splendidos emittens. Similiter est lapis lunaris in quo Lunæ figurà crescit & decrescit, vt ipsamet Luna in cœlo.

EX BIBLIIS.

ATtendite hoc Sacerdotes & domus Regis, quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor. Ozeæ 5.

Alibi Regum prævaricationem vocat homicidium, quia subditorum occidit animas, inquit D. Augustinus.

Ezech. 1. Minores rotæ majores sequuntur. Oves Ioseph concipiunt fœtus, pares virgis illis oblatis; virga dominantes significat. Genes. 30.

Math. 5. Prælati comparantur civitati, quæ ab omnibus videtur.

In Ninive civitate Rex primus agit pœnitentiam. Ionæ. 3.

Lepra Oſiæ Regis erat in fronte. 2. Paralipom. 26.

Populus Sichem ſe circumcidit ad imitationem Principis ſui Emor. Geneſ. 34.

Cùm Saüle ſe ſimul interimit qui eum ſequebatur armiger. 1. Reg. 31.

Cæteri conſilarij Caiphæ ſequuntur ſententiam. Ioan. 11. Milites imitantur ducem Abimelech. Iudic. 9.

Exod. 32. Moyſes Aaroni imputat populi idololatriam.

Deus maximè punit peccatum David propter ſcandalum. Vide 2. Reg.

In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate; verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Ad Titum. 2.

QVARE POPVLI MORIbus Principum conformantur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Princeps eſt anima corporis Reipublicæ, corpus autem conformatur animæ, organa potentiis conſentiunt; hinc phyſionomiæ judicium. Si Princeps ſit bonis moribus, omnes ſibi ſimiles efficiendo, in omnes exercet largitionem, omnium prætioſiſſimam, inexhauſtam, ipſaque profuſione accreſcentem.

MAGNITVDO. Eminens Rectorum conditio ſtat vt vitæ prototypum, in quod omnium feruntur oculi: quidquid agant, concepta de illorum excellentiâ opinio magnum reputat; vndè niſi exactiſſimè ad recti Regulam mores ſuos examinent, eorum vitia pro virtutibus ſectatur populus. Qui non valent eos in magnis ſequi, ſequuntur in deterioribus, hincque ſibi plaudunt, quaſi magnum quid ſint aſſecuti, ſuprà ſe poſito fieri conformem.

DVRATIO. Adulatio, non tantum verbis, ſed etiam actione conatur blandiri Principum moribus: hæc autem aſſidua fictio, tandem in habitum & in naturam tranſit. *Vide Poteſt. Durat.* Putant ad tempus cedere novis moribus, qui ſenſim irrepunt, juſque ſibi contrà priùs aſſueta & legitima præſcribunt.

POTESTAS. Potentioribus infirmiora conformantur, ſequunturque eorum motus, & impreſſiones; ſic formæ imperantes materiam, quò placuerit trahunt; ſic aqua refert cœlum, aut cæruleo ſplendidum, aut nubibus triſte. Nullum certius Principibus potentiæ ſuæ argumentum, nec gratius ſpectaculum, quàm ſi videant ſubditos ſibi ſe conformantes, hæc futuri in cæteris obſequij arta, & fidiſſima cautio.

COGNITIO. Ad exemplum vivitur, & mens noſtra, quaſi tabula raſa, omnium capax, citiùs imitatione quàm præceptis imbuitur. Paſtorem quocumque jerit ſequuntur oues, quaſi ſecuræ eum non falli, qui regit.

VOLVNTAS. Vt ſe quiſque, ſic ſuam amat in ſpeculo imaginem, ſed magis adhuc in aliorum moribus viventem: vndè ſimilia ſe quærunt, & complectuntur; ideò quiſque ſperat hac aſſimilatione ſe Principis affectum promereri; ex affectu autem omnia ſibi ſpondet proſpera.

VIRTVS. Si virtutes imitetur Populus, magis commendantur, illæ, quas Princeps colit; ſi vitia, minùs patent convitiis, ipſâ Majeſtatis veneratione & metu: ad vitia magis proclives facit impunitas, & hæc ex aulæ moribus commendatio, ſicut ad virtutes regium nomen. Non inquirit civilis Poteſtas in internos animi motus, quærit externam illam morum conformationem, quam negare videtur iniquum.

VERITAS. Vitam civilem minùs regit ſcientia quàm opinio; opinionum autem creator eſt Princeps; dat moribus legem, vt ſapiens rebus nomina. Pro exemplo ſibi quiſque proponit quod eſt eminens: Eminentiam autem moris ſibi quiſque fingit in eminenti, quæ putatur à Deo, dignitate.

GLORIA. Ex hac morum conformatione ſperatur pax & ſecuritas: Minùs etiam infamant Regiæ cupiditates, & magis laudantur virtutes.

DIFFERENTIA. Ideò nobis verſatile ingenium & libera voluntas, vt quo ducit Rector inclinemur. Licere putant mores ad regentium nutum inflectere, vt vela ad ventorum impellentium impetus. Turpis videtur pars ſuo vniverſo non congruens.

CONCORDANTIA. Populi, vt greges ſequuntur antecedentium turbam; eunt quò itur, non quò eundum eſt. Hoc eſſe putant Reipublicæ fatum, cui ſapiens ſe accommodare debet, cum illud non liceat immutare; meliùs videtur ſequi quàm rapi. Externa hæc conformitas videtur deberi his, qui naturali ſuæ inclinationi vim maximam inferunt pro bono publico.

CONTRARIETAS. Qui ſunt moribus, putantur etiam in cæteris eſſe contrarij; vndè qui dominantur, hos profligant vt hoſtes, qui ipſis litem movent, & bellum inferunt vitæ contrarietate, auſuri majora, ſi ſuppeterent vires.

PRINCIPIVM. Princeps Pater eſt populi, & in cæteris habet rationem cauſæ, filij autem parentibus, & effectus cauſis aſſimilantur. *Vide Concordant. Princip.* Novus accedens Princeps novum facit Reipublicæ corpus; vt nova forma novum compoſitum; in quo, cum partes conſentire debeant, æquius eſt vt minores conſentiant præcipuis, & membra capiti, quàm cõcrà.

MEDIVM. Cives ſunt quaſi inſtrumenta in manu Regis, quæ illius motum debent ſequi; ſibi conformioribus libentiùs vtitur, quia ipſos magis diligit, credit ad id quod vult exequi magis affectos, & quæ illis præcipit quaſi ſua geſturos. Sic Proceres conformantur Principibus, & Procenibus cæteri, ſunt enim mediati Principes.

FINIS. Aſſimilatione merentur affectum Principis, vt putant, ſtabilem; vix enim deſinitis, quem naturæ morumque ſympathia firmaverit.

MAIORITAS. Periculoſiſſima Regentium invidiæ, quæ maximè concitantur contrà eos, qui diverſo vitæ inſtituto volunt eminere. Regia omnia videntur excellentia, & blandiuntur naturæ noſtræ, altiora ſemper ambienti.

ÆQVALITAS. Quod eſt vitioſi in illâ morum aſſimilatione, multis hinc naſcentibus bonis compenſatur, ſcilicet ipſâ Majeſtati debitâ veneratione, malorum alioquin imminentium ſecuritate; qui ſe ſic in Regentium affectus inſinuavit, illis poſtea faciliùs quæ ſunt meliora poteſt ſuadere; cedit ad tempus, vt in poſterum vincat. Sed ſæpiùs ſpes illæ fruſtrantur, & incompenſata remanet peſſimi moris conformitas.

MINORITAS. Non vult Princeps defectus ſuos videri; videntur autem magis per oppoſitionem contraria ſectantium: hinc tyranni viris probis ſunt infenſiſſimi. Læſis partibus vitalibus tabeſcit totum corpus; ſic ſub vitiis dedito Principe corrumpuntur populi mores.

OBEDIRE POTESTATI dominanti.

MISCELLANEA.

VTile eſt, vnum ſemper eligere, cui reliqui debeant obedire ; quia ſi voluntas diverſorum vaga relinquitur, confuſio culparum amica generatur. Caſſiodor. Epiſt. 27. lib. 7. variar.

Omnia ſinè priore confuſa ſunt, & dum vnuſquiſque ſecundùm voluntatem ſuam cogitat vivere, regulam cognoſcitur omittere diſciplinæ. Idem.

Nulli ſervorum licet ex his, quæ dominus ſuus imperat, eligere pro arbitrio quid velit facere, quid nolit, & inſolentiſſimâ abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit repudiare, &c. Salvianus lib. 3. de gubern. dei.

Ab exhibitionem obſequij, prior eſt authoritas imperantis, quàm vtilitas ſervientis. Tertul. de pœnit. cap. 4.

Plura & ſimplex mandati forma ſervanda, ſi quid enim vel addas, vel detrahas, prævaricatio eſt ; plerumque teſtis dum aliquid ad ſeriem geſtorum ex ſuo adjicit, totam teſtimonij fidem partis mendacio decolorat. D. Ambroſ. lib. de paradiſo. cap. 12.

In eo apparuit gravis tranſgreſſio, in quo fuerat levis præceptio. Idem lib. de arbore interdictâ.

Vbi humiliatus, ibi obediens : ex eo enim naſcitur obedientia, ex quo humilitas. Idem in apologiâ David poſt cap. 7.

Spartana Reſpublica floruit, non tàm quia Reges ſcirent imperare, quàm quia cives ſcirent obedire. Plutarchus in Lycurgo.

Manlius Torquatus filium de hoſte ſpolia reportantem capite plecti voluit, quia ſinè juſſu certaverat. Idem in Fabio Maximo.

Miro timore in parendo audax factus ſum, dùm metuo videri audacior ſi negaſſem. Vegetius in prologo. lib. 2. de re militari ad Valentinianum.

Aiebat Solon, imperium gere, ſed vbi priùs imperium ferre didiceris.

Qui ſe ſcit aliquibus eſſe præpoſitum. non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe prælatum, ſed obedientiam quàm exigit, etiam ipſe dependat. Can. quanquam omnes diſt. 23.

De neceſſitate Regiminis. *Vide ſuprà Bonitas Poteſtatis.*

Imperium & obedientia duo ſunt cardines, circà quos volvitur omnis humanæ vitæ ſtatus ; ferè ſemper mutuæ conqueſtiones, quod excedat modum imperans, & deficiat obediens ; ſed plus eſt periculi in defectu obedientis, vt in adulterio mulieris quàm viri, quo adulterante, partus tamen eſt legitimus ; nam inobediens vult omnimodam regiminis ruinam, dum vult regentem poteſtate orbari.

Sphæræ cœleſtes altioris motu circumferuntur.

Senſuum inſtrumenta nunquam actu eas qualitates habere debent, quas ſenſus eſt percepturus ; nam caret pupilla coloribus, auditus ſonis, olfactus odoribus, lingua ſaporibus.

Mundus Adæ inobedientiâ perditus, Chriſti obedientiâ reſtitutus ; maluit vitam perdere, quam obedientiam : ait D. Bernard.

Obedientia eſt mortificatio membrorum in vivente animo ; obedientia eſt inexaminatus atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excuſatio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter ; obedientia eſt ſepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis ; obedire eſt ſarcinam ſuam alterius collo imponere, venditionem ſuam ſponte ſcribere vt in eternam libertatem conſcribatur ; aliorum manibus eſt ſublevari, & mare hoc magnum trajicere ; ſic obediens ad ea quæ ſunt Deo grata antè venit, quàm ire cœperit, &c. Ioan. Climac. gradu quarto. de obedientiâ.

Amas liberam voluntatem tuam, dicturus es Patri tuo. da mihi ſubſtantiam meam, quæ me contingit, quid te tibi committis ? Meliùs te poteſt ſalvare, qui te potuit antequam eſſes creare ; noli te extollere puſillus eſto, Zachæus eſto ; ſi puſillus es, aſcende lignum in quo pependit Ieſus, & videbis Ieſum, &c. D. Auguſt. ſerm. 8. de verb. Apoſt. cap. 3.

Quaſi Vlyſſes ſurdis auribus pertranſi Syrenes, ligno alligatus, ſolutus eris ab omni exitio ; gubernabit te verbum Dei, & ad portum cœlorum te adducet Spiritus Sanctus. Clemens Alexand. in exhortat. ad gentes.

Quandiu Iſraëlitæ Moyſis Ducis non reluctantur imperio, Dei mervere comitatum, eos hoſtis non attigit, lux præceſſit, fluctus expavit. Euſeb. Emiſſen.

Mandatum, quod noſtri tantum causâ intervenit, magis conſilium quàm mandatum eſt, & ideò non eſt obligatorium ; liberum enim eſt vnicuique explorare an expediat conſilium. §. tua tantum. Inſtit. de mandato.

Omnia diverſo conſtant ordine quæ ſunt, vt ait Apoſtolus, à Deo ordinata ſunt ; ordo autem conſiſtit in eo, vt inferiora à ſuperioribus moveantur.

In naturâ inferiori, ad ejus perfectionem duo concurrunt, vnum quidem quod eſt ſecundùm proprium motum, aliud quod eſt ſecundùm motum ſuperioris naturæ, ſicut aqua ſecundùm motum proprium movetur ad centrum, at ſecundùm motum Lunæ movetur circà centrum, per fluxum & refluxum ; ſic planetæ duplicem habent motum ; ſic natura rationalis à Deo movetur. D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. a. 3.

Torquatus proprium filium, etiam victorem plecti voluit, quia contrà præceptum pugnaverat ; ne plus fuiſſet mali in ſpreto mandato ; quàm boni in victoriâ. D. Auguſt. 5. de civit. c. 18.

Monachus obediens vivit vitâ ſuperioris.

Vt generoſus miles enumerat cicatrices ſuas, & amat eum, pro quo cadit, Imperatorem. Magno viro illud ſemper in mente eſt, ſequere Deum, quæ cum id facere, etiam inviti cogamur, quæ dementia eſt potiùs trahi quàm ſequi ? Seneca lib. de vitâ beatâ c. 15.

Qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem ſpernit me, ſpernit eum qui me miſit. Luc. 19.

Qui Antiſtitis imperium detrectat, multis vitiis laborat, fidei debilitate, ſpei ambiguitate, arrogantiâ morum, atque ſuperbiâ. D. Baſil.

Agar ejicitur è domo Abrahæ, quia non paruerat dominæ, dicit ei Angelus ; revertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu ejus. Geneſ. 16.

Qui antè præpoſitum ingenuum ſe jactitat, puto adhuc emptum ſe eſſe neſciat ; qui Chriſtianæ militiæ mancipatus dicere ſe præſumit ingenuum, penè eſt vt neget ſe Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt aliud liber ſum, quam ipſi Domino clamare, nihil debeo ? de talibus dicit Apoſtolus, liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ, &c. Euſeb. Emiſen. homil. 3. ad Monachos.

Obedientia quæ voti finibus continetur imperfecta eſt ; nam perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, ſed largiori voluntate fertur in

altitudinem charitatis. Caſtificantes corda veſtra in obedientiâ charitatis. (1. Petri 1.) D. Bernard. lib. de præceptis.

Si Angelus Angelo imperat, & inter jubentem & obedientem, ſumma ſemper manet concordia, videat, quam graviter peccat ille, qui debitam majoribus reverentiam non præſtat. Idem lib. de ordine vitæ, qui vos audit, &c. Luc. 10.

Obedientia virtus eſt, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit: vndè primus homo præceptum quod obſervaret accepit. Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ferebatur vi quadam effectoriâ, & fabricatoriâ, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuilibet materiæ ſubjectæ ad operandum: ſuper aquas, ideſt ſuper informem materiam, quæ facilè cedit operanti, vt aqua quibuſvis motibus D. Auguſt. lib. imperfecto de Geneſi ad litteram.

Voluntas ſuperioris pro ratione eſt; at quævis voluntas à ratione, ſeu rectâ, ſeu errante diſcordans, ſemper eſt mala. D. Thom. 2. 2. q. 19. a. 5.

Obedientia lignum eſt aquas amaras dulces reddens; farinula, quæ pulmentum Prophetarum per Elizæum ſaporavit; ignis qui ſemper ardere præcipitur in altari; oleum, ob cujus inopiam virginibus oſtium clauditur nupriarum, ſal quod nulli ſacrificio deeſſe jubetur: opus autem eſt, vt juſtitia ſit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione, vt ſciant quoniam homines ſunt, ideſt actionem paſſioni mixtam. D. Bernard. in diverſ. Sermone de obedientiâ.

Voluntas, cùm vult quod poteſt, laudanda eſt; cùm vult quod non poteſt & pluſquam poteſt, regenda eſt, cùm non vult quod poteſt, excitanda eſt, & provocanda; ſæpè enim ſi non frænatur impetum facit, & agitur in præceps; ſæpè ſi non excitatur dormit, tardat, & obliviſcitur quò tendebat: & quia meliùs nos videt alienus oculus quàm proprius, bona cuſtos eſt voluntatis obedientia, ſive imperij illa ſit, ſive conſilij, ſive ſubjectionis, ſive ſolius charitatis. D. Bernard. de vitâ ſolitariâ ad fratres de monte Dei. ſub fin.

Omnis indignatio in tormentum ſuum proficit, & imperia graviora ſentit, quo contumaciùs patitur; ſic laqueos fera dùm jactat aſtringit; ſic aves viſcum, dùm trepidantes excutiunt, plumis omnibus illiniunt Senec. lib. 2. de Irâ. c. 16.

Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo; & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum ex Iſraël. Deut. 17. Viro qui corripientem durâ cervice, contemnit, repentinus ei ſupervenier interitus Proverb. 29.

Seneca lib. 2. de Irâ. c. 16. de quibuſdam populis Germanis, Scythis, & alijs Barbaris ad iram pronis. Omnes inquit iſtæ feritate liberæ gentes, leonum luporumque ritu, vt ſervire non poſſunt, ità nec imperare: non enim humani vim ingenij, ſed feri & intractabilis habent: nemo autem regere poteſt, niſi & qui regi. Ferè itaque imperia penes eos fuere populos, qui mitiore cœlo vruntur. In frigora, ſeptentrionemque vergentibus immanſueta ingenia ſunt, ſuoque, vt ait Poeta, ſimillima cœlo.

Ad occaſum navigantes, quamvis breviſſimo die, vincunt ſpatia nocturnæ navigationis, vt ſolem ipſum comitantes. Plin. natur. hiſt. lib. 2. cap. 71.

Sunt quidam putei qui Oceani motibus conſentiunt, alij contrà ipſo creſcente minuuntur, & decreſcente creſcunt. Ibidem c. 97.

Prophetæ miracula facientes, non vivunt vitam humanam, ſed divinam, quaſi anima eorum ocietur, & Deus ibi ſit pro animâ, moveatque tanquàm excellentior anima. Iamblicus de myſteriis. cap. 24.

Materia eſt vna ſpecie in omnibus rebus ſublunaribus, poteſt enim determinari à qualibet formâ. Ruvio. 1. Phyſic. q. 8.

Æger obediens medico, cum ipſo vnitis viribus pugnat contrà morbum, quaſi hoſtem.

Indignatio Regis, nuntij mortis, & vir ſapiens placabit eam. Proverb. 16.

Potentia naturalis provenit ex victoriâ formæ ſuper materiam: impotentia autem contrà.

Entia nobiliora exactam magis exhibent obedientiam ſuperioribus: Oceanus ſequitur Lunam, quod non contingit fluminibus: Sol inter planetas magis ſequitur motum primi mobilis, non enim habet epyciclum nec patitur retrogradationem: In Apocalypſi Seraphim, primi Hierarchiæ cœleſtis, Reges & ſenes inclinantur ante thronum Dei.

Deus condidit inferiores creaturas, quæ non poſſunt peccare: condidit & meliores, ſcilicet Angelos, qui nolunt peccare; homini autem, propter peccatum, tentatio eſt vita ſuper terram: ſubdat autem ſibi quod habet commune cum beſtiis; ſubdat Deo quod habet commune cum Angelis, donec juſtitiâ & immortalitate perfectâ ab iſtis exaltetur, illis æquetur. D. Auguſt. lib. 22. contrà Fauſtum. cap. 28.

Virtus moralis nihil eſt aliud quam habitualis quædam conformitas virium inferiorum ad rectam rationem.

Obedientia eſt mater omnium virtutum, quia cauſantur & conſervantur peractum ejus, charitas verò vt finis. 2. 2. q. 104. a. 2.

Dùm ſortes mittuntur ſe quodammodò ſubmittit humana ratio & voluntas divinæ providentiæ, omnia regenti. de ſortibus. *Vide Minor. Cognit.*

Sic geruntur bella ſociis & obedientibus militibus: ſic venationes peraguntur ſociis canibus & avibus, arte ad obediendum inſtitutis: ſic etiam fiunt piſcationes mugilum, delphinis ad auxilium vocatis, & eſcâ, quaſi ſtipendio, ad id allectis. Vide Plin. l. 9. c. 8.

Miteſcunt Elephanti, Leones, & cætera generoſa animalia, non verò mures. Idem lib. 10. cap. 45.

Nobiliora ingenia ſunt magis ad obediendum parata; ſic populi magis intellectuales magis patiuntur leges & Imperium; aurum inter metalla magis prætioſum, magis ducitur. Vide quæ ſcripſi lib. de triumpho vitæ Religioſæ parte 2. cap. 8. & Theol. nat. tom. 4. p. 3. c. 2.

Sic optimus intellectus ſubit jugum fidei. *Vide Media Cognit.* de fide obſcurâ.

Super montes ſtabunt aquæ. Pſal. 103. & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Pſal. 148. Per aquas Picus Mirandul. intelligit mentes paratas recipere quamlibet divinam impreſſionem: conſummata libertas eſt Deo perfectè ſubjici. *Vide Verit. Poteſt. & Poteſt. Virt.*

Apum mira eſt circà Regem ſuum obedientia; cùm procedit vnà eſt totum examen, circáque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur; Reliquo tempore, cum populus in labore eſt, ipſe opera intus circuit, ſimilis exhortanti, ſolus immunis. Plinius lib. 11. cap. 17. vbicumque ille conſedit ibi cunctarum caſtra ſunt. Cùm proceſſere, ſe quæque proximam illi cupit eſſe, & in officio conſpici gaudet. Sæpè oſtenta facta ſunt privata & publica, uva dependente in domibus, templiſve, ſæpè expiata magnis eventibus. Duce prehenſo totum tenetur agmen, amiſſo dilabitur, migratque ad alios. Ibidem.

Malus eſt ager, cum quo Dominus luctatur. Idem lib. 18. cap. 5.

Saturni

Saturni & aliarum ſtellarum vires conſtituuntur pro varietate aſpectuum Solis & Lunæ: nam ſecundùm magis & minùs horum aſpectus aëris conſtitutionem variant. Ptolomæus præd. Aſtrologic. lib. 1. cap. 4. benè eſt vnicuique provt ſe habet ad Regem, aut Reginam.

Sol cùm in alicujus ſtellæ locum devenerit, vim ejus excitat, quam in aëre habet. Ptolomæ. in centiloq. c. 35.

Quando culmen principis fuerit horoſcopus ſubjecti, aut dominatoris, benevolâ configurabuntur figurâ; diù inſeparabiles permanebunt. Ibid. cap. 48.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

SI quis in jus vocatus non jerit. ff. 2. tit. 5.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit. ff. 2. t. 3.

De ſervis fugitivis. Cod. 6. tit. 1.

De majoritate & obedientiâ. decr.

Deponitur qui ſententiam Epiſcopi non ſervaverit. 11. q. 3.

Servus fugitivus, etiamſi voluerit ſe in aream dare, non recipitur, ſed Domino eſt reſtituendus. l. 5. ff. de fugitivis.

In bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi rem bene geſſerit. l. 3. §. 17. ff. de re militar.

Contumacia omnis adverſus Ducem, vel Præſidem militis, capite punienda eſt. l. 6. eodem.

Non poteſt dolo carere, qui imperio Magiſtratus non paruit. l. 159. ff. de Reg. Iur.

Subditus non præſcribit obedientiam contrà Prælatum. cap. cum non de præſcription. nec jus viſitationis. cap. cum ex officij eodem.

Qui eſt in ſervitio Epiſcopi, percipit fructus beneficij, tanquam reſidens, præter diſtributiones quotidianas. cap. de cæteror. de clericis non reſidentibus.

Priùs fideicommiſſa nullo vinculo juris ſed tantùm pudore eorum qui rogàbant continebantur, poſtea hæres tenebatur neceſſitate volenti fideicommiſſario hæreditatẽ reſtituere. Inſtit. de fideicom. hæredit.

EX BIBLIIS.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: vis non timere poteſtatem, bonum fac, & habebis laudem ex illâ; Dei enim miniſter eſt. Non ſolum ſubditi eſtote propter iram, ſe propter conſcientiam; ideò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes: reddite ergo omnibus debitum; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timiorem, timorem; cui honorem, honorem. Rom. 13.

Semeipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. 2. Cor. 8.

Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto; non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bonâ voluntate ſervientes ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber Epheſ. 6.

Servi Dominis ſuis ſubditi ſint, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, vt doctrinam ſalvatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Ad Titum. 2.

Obediendũ etiam diſcolis. *Vide Contr. Poteſt. Repug.*

Admone illos Principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe, &c. ad Titum. 3.

OBEDIENDVM RECTORIBUS.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt vita naturalis ducitur ſemper conformis temperamento, quod corpus accepit à cœlo & parentibus: ſic civilis vita nunquàm debet diſſentire ab arbitrio rectorum; liberum hoc obſequium debet æmulari naturalem neceſſitatem: contrà naturam eſt non conſentire regimini, ad bonum ſuum inſtituto: flores expanduntur, & convertuntur ad ſolem, etiam ipſas conſumpturum; flumina redeunt ad mare, in ipſo petitura.

MAGNITVDO. Hæc cauſarum inferiorum ſuperioribus ſubordinatio eſt bonum vniverſale, quod ſupplet defectum ſpecialem, actioni præceptæ fortaſſis inhærentem; diſſenſus enim à ſuperiore diſſolvit totam politiæ harmoniam, vt tollit vitam membrorum à capite ſeparatio.

DVRATIO. Non ſtaret natura, nec hominum ſocietas, niſi inferiora ſuperioribus ſubeſſent; ſic ſemper actum eſt, & hæc ab ipſis mundi primordiis recepta conſuetudo legem faceret, etiamſi ceſſaret ratio: hoc rerum creatarum fatum, cui velle contraire dementis eſt.

POTESTAS. Libertas nobis data eſt, ſub hac conditione, impletur enim, etiam dum videtur lædi & coërceri, quia per obedientiam conſtituitur poteſtas publica, quâ foventur ſpecialia omnium jura: omnes in hoſtium devenirent poteſtatem, ſi nullus eſſet ordo, ſi nullus vellet Principibus & Ducibus obſequi & patriæ ſervire, in militiâ, officiis, ſubſidiis, aliiſque publicis muneribus.

COGNITIO. Cuilibet pro ratione officij ſui Deus lucem infundit. Sic Rempublicam gerentes, aliis quàm cæteri moventur rationibus: nullum eſſet regimen, ſi vnicuique facultas eſſet de illo judicium ferendi, & ad arbitrium ſuum illud inflectendi. Supremâ quadam ratione, cæteris cognitione præditis entibus dominante, regitur vniverſum. Vt regimen eſt proprium opus rationis, maximè debet inter ratione præditos homines vigere. Iniqui ſumus noſtri Iudices; de noſtris certiùs ferunt judicium alieni: artes omnes & ſcientiæ diſcuntur, dum tyro obedientem ſe præſtat præceptis Magiſtri.

VOLVNTAS. Eligimus minus malum, vt vitemus id quod majus eſt. Sic coërcendâ eſt in aliquibus propria voluntas, vt cæteris naturæ & politiæ bonis fruatur, ſcilicet concordiâ, pace, virtute; ſi enim, etiam in nobis ad naturam viventibus, paſſiones debent ſubeſſe rationi, quid miramur veram, ſuperioribus parendo, haberi libertatem? ſæpius per obedientiam habes id ipſum quod intendis bonum, licet aliâ, tibique incompertâ viâ: voluntas noſtra, ex peccato inquieta, hoc indiget fræno contineri; ægra & appetens noxia ſibi non eſt committenda, paſſiones enim ſenſitivæ rationem, ſub ſpecie libertatis, in ſervitutem redigunt.

VIRTVS. Rectoris tua fit, ſi illius ſequaris motus, vt cæli intelligentiarum. Obedientiæ virtus omnes complectitur, earumque actus promovet. Nam prudentis eſt, magis experti, conſilis inhærere fortitudinis, non terreri difficultatibus rei injunctæ, & rebellem præcepis ſubjicere naturam: quid juſtius quàm conſulenti medico parere, & ſaltem conſenſum tuum dare, operas ſuas in tuum commodum conferenti? Vivit ad temperantiæ legem, qui ex ſuperioris vivit arbitrio. Religio præcipua virtutum mortalium tota eſt in ſubjectione.

VERITAS. Legibus obſequi vera libertas eſt, quia legibus præſcriptum bonum appeteret voluntas, niſi deluſa eſſet à paſſionibus. Rector autem eſt lex animata. Turpe eſt inobedientiæ tuæ argumentum, ſi, vt ſi garis, oporteat regentem ad dolos confugere, & te vt moriculoſum ægrum, ſibique vtilia reſpuentem, curari.

GLORIA. Obedientia ſedat inquietos, & inter ſe pugnantes animi motus; altam conciliat pacem nam quidquid eveniat, triumphum agit obediens, officio ſuo rectè functus, totaque in regentem malè geſtorum culpa refluit.

DIFFERENTIA. Obedientia neceſſarium eſt humanæ inconſtantiæ frænum; multorum enim vaga mens, quaſi omnium capax, dùm omnia vult experiri, nihil conſequitur; ſeipſam, & ea ad quæ nata eſt, fugit, niſi alieno regatur judicio.

CONCORDANTIA. Sic ſtabilitur ordo, quo diverſæ ingeniorum vires in bonum commune conſentiunt; vt ex omnibus, etiam inter ſe pugnantibus qualitatibus, fiat cœleſtis, mundana, & civilis harmonia: nec domus, nec navis, nec exercitus, nec Reſpublica conſtare poſſunt, niſi quæ coagunt partes ſint ita ſubordinatæ, vt vnius ſuperioris regentis legem ſequantur.

CONTRARIETAS. Vim aliquam patitur natura in obſequiis, vt acerbitatem in medicamentis: bona malis ſic permixta ſunt, vt labore aliquo ſint nobis comparanda, roſæ inter ſpinas. *Vide Media Bonitat.* Melius eſt te liberum parere Duci, quam ſervum hoſtibus, ſi ledit ſenſum obedientia, deſtruit rationem ſoluta nimis libertas.

PRINCIPIVM. Sic ab initio mundi poſita lex inter primos mundi incolas. Adam Evæ dominatur, & pater poſtea genitis filiis: hæc obedientia refert bonitatem & Imperium primi Principij; vt enim ab vno omnia facta ſunt, ſic reguntur. *Vide Minoritas Magn.* vnitas. Sic ſubditi vivunt vitâ rectoris virtute eminentis, & quaſi intellectu quodam vniverſali informantur. Quærit anxia charitas Dei voluntatem, vt illam impleat: at non poteſt ſciri certiùs, quàm ab his, qui vices Dei gerunt, & ab eo ſunt in regimine conſtituti; omnis enim poteſtas à Deo, vt inquit Apoſtolus: eadem enim providentia, ordinem inter homines, vt inter Angelos, cœlos, elementa, & cæteras res creatas conſtituit.

MEDIVM. Sub hac conditione, providentia te voluit naſci, vt ſimul à ſuperiore motum acciperes, & dares inferioribus, ſimul movereris: & moveres. Nihil in rerum naturâ ab hac lege exemptum eſt, ipſi Reges habent quibus obediant, ſcilicet leges naturæ & regni, Pontifices Conſilia; nec niſi cedendo, alios fœliciter in ſuam trahunt ſententiam.

FINIS. Ad finem vniverſalem debent fines particulares reduci: non poſſunt autem aptè reduci niſi ab vno rectore illum intendente; finem autem hunc rector non aſſequetur, niſi pareant ſubditi. Nemo ſe credit minus liberum, ſed magis fœlicem, cum quo vult ab alio ducitur.

MAIORITAS. Quæ ſunt nobiliora exactam magis exhibent obedientiam; Angeli ſequuntur motum ſuperiorum, illos purgantium & illuſtrantium: ſuperiores cœli minùs moventur motu proprio, ſed ſequuntur primum mobile: Maria influxu & refluxu ſequuntur Lunam, quod non contingit fluminibus: populi ſub fœlicioti climate magis politiæ legibus ſubjiciuntur: Barbari autem nimiâ ſuâ libertate laborant, ſinè Religione, ſinè virtute; in maximâ rerum inopiâ, viribuſque ſuis non vtuntur, niſi in mutuas cædes.

ÆQVALITAS. Humana vita ſocietas eſt, in quam vt qui regunt labores ſuos, ſic ſubditi obedientiam conferre debent: æquum eſt vt ſuperioribus præſtent obſequia, quæ exigunt à ſubditis & ſervis.

MINORITAS. Viribus commenſurata præcipiuntur, minora minùs valentibus; ſed dùm obediens minora exequitur, ſi ad majora paratus ſit, majorum habet meritum: & quietus palmas & ſpolia cum certantibus partitur.

NIMIA CVM RECTORIbus concordantia & adulatio.

MISCELLANEA.

ADulatio quàm ſimilis eſt amicitiæ, non imitatur tantùm illam, ſed vincit, & præterit. Apertis propitiis auribus excipitur, & in præcordia ima deſcendit, eò ipſo gratiola quò lædit. Doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim: venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt, temeritas ſub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia, pro cauto timidus accipitur; in his magno periculo erratur: cæterùm qui interrogatur an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, vt frontem ſuam tentet; nec tam hebes, vt non habere ſe neſciat, &c. Senec. Epiſt. 45.

Citò nobis placemus, ſi invenimus qui nos viros bonos dicant, qui prudentes, qui ſanctos; non ſumus modicâ laudatione contenti, quidquid in nos adulatio ſinè pudore congeſſit, tanquàm debitum prehendimus; optimos nos eſſe & ſanctiſſimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus ſæpe illos mentiri; adeò quoque indulgemus nobis, &c. Ibidem.

Alexander cùm in obſidione cujuſdam vrbis circuiſſet muros, ictu ſagittæ percuſſus, cùm repreſſo ſanguine ſicci vulneris dolor creſceret, & crus obſtupuiſſet; omnes, inquit, jurant me eſſe filium Iovis, ſed vulnus hoc me hominem eſſe clamat: idem nos faciamus, dicamus, vos quidem dicitis me eſſe prudentem, ego autem video quòd multa inutilia concupiſcam, nocitura optem, &c. Ibidem.

Ex plebis adulatione, omnis tyrannus fit. Dionyſ. Hallicarnaſ.

Vetus eſt in Republicâ malum adulatio, & adulatores peſſimum inimicorũ genus. Cornelius Tacitus.

Adulatores non minùs oderis, quam impoſtores, lædunt enim eos, qui eis fidem habent. Iſocrat. ad Demonicum.

Adulatorum ſymbola ſunt Syrenes, quæ ſuis modulis homines in perniciem trahunt, & Cameleon, qui omnes colores refert hians, præter album & rubrum: ſic adulator candoris & pudoris neſcius. Vide emblema Alciatis.

Ne quidquam populo bibulas donaveris aures,
Reſpice quod non es, tollat ſua munera, credo,
Tecũ habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex,

Falſus honor juvat, & mendax infamia terret. Perſius.

Væ his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce. Iſay. 5. Vide multa contrà adultores apud Salvianum lib. 8. & vlt. de gubernat. Dei: & apud D. Hieronym. ad Paulinum. Epiſt. 3. lib. 2.

Naturali ducimur malo; adulatoribus noſtris libenter favemus, & ad laudem ſuam intrinſecùs anima lætatur. D. Hieronim. ad Euſtoch. Epiſt. 17. l. 2.

Adulatorum aſſentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quaſdam peſtes animæ fuge: nihil eſt quod tam facilè corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat. Idem ad Celantiam.

Vbi nullæ divitiæ, ibi nulla adulatio, quæ vel præcipuè fructum reſpicit. Idem ad Salvinam.

Adulatores cùm cœnas divitum captant, nihil priùs meditantur quam quod putant gratiſſimum auditoribus fore: nec enim impetrabunt quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint. Petronius Arbiter.

Prolixa non debet eſſe gaudij atteſtatio, ne adulationis ſuſpicio devenuſtet judicij veritatem. Symmach. 8. Epiſt. 30.

Sparcij Melij, Marcique Manlij popularitas, ſignum affectati Regni eſt exiſtimata. Quintilian.

Antigonus Rex vno carebat oculo, ſic autem eum pinxit Appelles obliquè, vt ea tantum faciei pars appareret, quæ eſſet oculo ornata.

Adulatio pluſquàm ſervile vitium eſt; nemo enim tam aptè adulari poteſt, quin à catellis longiſſimè ſuperetur. Marſil. Ficin.

Concinnæ deligationes in chirurgia, ad ſpectaculum comparatæ, & nihil juvantes debent reprobari: quæritenim æger non ornatum, ſed auxilium. Hippocrat. lib. de medico: fugienda eſt & fictio per lintea fudaria, propter parandam medendi authoritatem; idem & odor curiosè affatus, propter multam enim peregrinitatem in calumniam incides. Idem in præceptionibus.

Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis. Prover. 27.

Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur; exacerbavit Dominum peccator. Pſal. 10. Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Pſal. 61.

Populeus, qui beatificant vos, ſeducunt vos & ſemitas pedum veſtrorum diſſipant. Iſay. 3.

Si laudes iniquum, eo ipſo quod iniquus eſt, nonnè & tu iniquus es? ſi laudes furem, &c. ſic & ſi laudes juſtum, partem habes laudis, non enim laudares, niſi amares, nec amares, ſi nihil indè haberes. D. Auguſt. in Pſal. 134.

Duo ſunt genera perſecutorum, ſcilicet vituperantium & laudantium, ſed plùs perſequitur lingua adulatoris, quàm manus perſequentis. Idem in Pſal. 59.

Bias dicebat ferorum animalium pernitioſiſſimum eſſe tyrannum: ferorum adulatorem. Plutarch. de adul.

Titillatione demulcentur animalia, vt ipſa tractemus, aut dejiciamus. Idem.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant. Pſal. 4. ſuper quo ſic. D. Auguſtin.

Sinè vitâ ſunt, qui ſinè veritate, & morituros in ſe recipiunt, quos verbis mendacibus & vano corde in ſe convertunt interemptos. Declinantem à me malignum non cognoſcebam; Pſal. 100. ideſt non mihi placebat, non palpabam. Idem.

Spiritus Sanctus deſcendit in columbæ ſpecie ſuper Dominum; columba enim & ſimplicitatem, & vnionem per oſcula deſignat: oſculantur corvi, ſed læniant & morticiniis veſcuntur. D. Auguſt. tract. 6. in Ioan.

Stultus vt Luna mutatur; mutatum enim lumen, nunquàm in eodem permanet ſtatu; ſic qui conſcientias ſuas in alienis labiis poſuerunt. D. Bernardus.

Gloſſa ad cap. Vnum orarium. 25. diſt. notat tribus modis adulari, vel attribuendo alicui bonum quod non habet, vel nimiùm extollendo quod habet, quod eſt peccatum veniale; vel approbando malum quod habet, & eſt peccatum mortale, dicitur enim. Can. væ. 11. q. 3. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum; vndè clericus adulationibus & proditionibus vacans degradatur ab officio. Can. clericus. diſt. 46.

Plato in Menexeno notat adulatorem eſſe non modò furem, ſed & ſacrilegum vt qui rem ſacram, ſcilicet rationem, ſub boni ſpecie ſubripiat; Circe pejor, quæ homines exteriùs tantùm immutabat, hæc verò interiùs.

In hanc nos omnes ſcholam, ſtudiumque dedimus vt officium putemus illudere, quodque ipſi libenter ab aliis accipimus, id aliis quaſi quoddam munus offerimus, & ſpe recipiendæ laudis, eos à quibus laudari volumus antè laudamus, ſæpe adulantium verbis reſiſtimus ad faciem, & in occulto mentis favemus, maximumque fructum cœpiſſe nos credimus, ſi vel fictis laudibus prædicemur, nec cogitamus, quid ipſi ſimus, ſed quid aliis videamur. D. Auguſt. Epiſt. 242.

Mundatione non mundabis reum. Num. 30. ideſt, non dices mundum eum, qui immundus eſt. Div. Auguſtin.

Canes qui Lazari vulnera lingebant, nequiſſimi ſunt homines amantes peccata, qui latâ linguâ etiam laudare non ceſſant opera mala, quæ in ſe alius gemens & confitens deteſtatur. Div. Auguſtin. lib. 2. quæſt. Evang. cap. 38.

Ignoravere vires ſuas, & dùm ſe tam magnos credunt, quàm audiunt, attraxere ſupervacua, & in diſcrimen rerum omnium perventura bella; vtilem & neceſſariam rupere concordiam, ſecuti iram, quàm nemo revocabat: multorum ſanguinem hauſerunt, fuſuri noviſſimè ſuum, dum vindicant inexploratam pro certis, flectique non minùs exiſtimant turpe quàm vinci, & perpetua credunt, quæ in ſummum perducta maximè nutant. Ingentia ſuper ſe ac ſuos regna fregerunt, nec intellexerunt in illâ ſcenâ, & vanis ciro diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos, nihil non adverſi expectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt. Sic Xerxi ingentem exercitum ducenti multi dicebant, nihil eſſe dubij, quin illâ mole non vinci ſolum Græcia, ſed obrui poſſet. Verendum ne vacuas, deſertaſque vrbes invenirent, &c. Senec. lib. 6. de benefic. cap. 30.

Veritas, vt tributum, non pervenit ad Principes niſi cum magnâ imminutione.

Caligula ex bono Principe, per adulatores factus eſt monſtrum: Sueronius in Caligul. cap. 22. & 51. Tantúmque intumuit vt Deus haberi, & ſuas imagines in templis poni voluerit, vt in templo Ieruſalem. Ioſeph. lib. 18. cap. 15.

Mel dulce vlcera inflammat.

Gagates lapis aquâ ardet, oleo extinguitur. Strabo. Sic virtus perit adulatione. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Pſal. 40.

In Scotiâ nullæ apes, ſed hæc jactura compenſatur, quia nullus etiam in eâ anguis. Solin. nullum vitium vbi nulla adulatio.

In Ponto apud Samios genus mellis quod ab inſaniâ quam gignit Menomenon vocant: ſic in Perſide & Mauritaniâ venenati favi giguntur: illius venenati ſigna ſunt, quòd omnino non denſatur, quòd

color magis rutilus est, quòd ponderosius innoxio. Plinius lib. 21. c. 13.

Quædam sunt cibaria, quæ non nutriunt, venerem tamen accendunt: sic adulatores, ad malum tantùm pronos efficiunt. Plutarch.

Nemo venenum temperat felle & helleboro, sed conditis pulmentis, benè saporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit. Tertulian. de spec. c. 26.

Vt qui audierunt symphoniam ferunt secum in auribus modulationem illam, quæ serias cogitationes impedit; sic adulatorum sermo diutiùs hæret, quàm auditur. Senec. Epist. 123.

Avibus plus damni infert, magisque timenda aucupis invitantis blanda modulatio, quàm villici deterrentis clamor & sonitus.

Contristor laudibus meis, cùm minima, vel ea quæ mihi displicent, laudantur; quodammodò enim non ego laudor, cùm de me sententia mea non laudatur. D. August. lib. 10. Confess. cap. 37. *Vide Majoricas Concord. Mal.*

Adulatio est tantùm peccatum mortale quandò est contrà charitatem. D. Thom. 2. 2. q. 115. a. 2.

Adulatio secundùm se est turpius peccatum, & verecundus litigio, quia quæ ex dolo fiunt, videntur esse ex infirmitate & falsitate rationis; sed est levius, quia minùs contrariatur amicitiæ, q. 116. a. 1. *Vide Minor. Verit.*

Vide suprà hoc tit. conformari Rectoribus in defectu.

Antiochus dicebat se nunquàm veritatem audivisse, nisi à quodam rustico, apud quem inter venandum ignotus divertit; in duobus dixit Regem peccare, quòd infidis ministris res suas crederet, & quòd nimis venationi esset deditus.

Facilè indignantur Principes, si certetur cum ipsis de eo, in quo se putant excellere. *Vide Gloria Potestatis. in fine.* honor Rectoribus deferendus.

Vt quisque Principum, aut sibi maximè virtutis est conscius, aut vanâ credulitate elatus, blandimentis decipi amat, aut potest: tot omnium votis ad placendum, laudandumque coëuntibus, expugnantibusque verecundiam de se magna credendi. Barclai.

Quomodo se Princeps ab adulatione vindicabit. *Vide Medium Veritatis.*

Syrenes cantabant ea, quæ vlysses poterant placere, vt eum habere multarum rerum cognitionem. Athenæ. lib. 1. cap. 7.

Cùm mos esset in Siciliâ post cœnam circà nympharum domesticas imagines tripudiare; Democles aulicus, nymphas relinquens, non opottere ajebat inanimatis Diis mentem adhibere, sed ad Dyonisium accedens, circà hunc tripudiabat. Idem lib. 6. cap. 6.

Veritas libenti animo audienda. *Vide Volunt. Verit.*

Athenienses Demadem decem talentis mulctaverunt, quia Alexandrum Deum existimarit: Evagoramque interfecerunt quia legatione fungens ad Regem genua flexerit. Athenæ lib. 6. cap. 6.

Nicostratus argivus filium suum ad Regem deportavit, quòd nullus vnquàm fecit; singulis diebus cœnaturus, mensam genio regis seorsum apponere solebat, potu, cibisque munitam, putans se Principi rem gratissimam facturum, cùm id etiam facerent qui circà portas versabantur.

Commodus Imperator, in deliciis perditus, vult tamen dici & coli vt Hercules; adulatur ei præ timore Senatus. Baron. anno 192.

Aristippus increpatus quòd aliquid petendo à Dyonisio Tyranno se nimis humiliter ad pedes ejus demisisset, & sic dehonestasset Philosophiam: Suam id culpam non fuisse, respondit, sed Dyonisij, qui aures gestaret in pedibus. Sic prudenter quidam in disputatione cum Hadriano Cæsare vinci se passus est, dicens quod æquum esset ei cedere, qui triginta imperaret legionibus.

Oleo non apes tantùm, sed omnia insecta exanimantur, præcipuè si capite vncto in Sole ponantur. Plinius lib. 11. cap. 9.

Aulas regum frequentantem ne existimes veracem; obsequia enim hujusmodi mendacium sequi consuevit. Galenus lib. de curandis animi affectibus. Ideo sapiens aulam fugit. *Vide Gloria Virtut.*

Nemo potentiam & divitias ambiret, si non essent, qui blandirentur, & illas admirarentur: si enim tales deficerent adulatores, nonne putas divites, ituros ad pauperes, & rogaturos ne sinerent potestatem suam, sinè teste latentem remanere. Lucianus. Dialogo. 3. de morib. philosophorum.

Adulatores lepidè descriptos, vide apud eundem. Dialogo. 4. Timon.

Antonius tàm facilè in se jocos recipiebat, quàm in alios dicebat: hinc facilè adulatoribus capiebatur, vix credens eos velle adulari in tantâ dicendi libertate. Plutarch. in Antonio.

Vide Gloria Minoritatis Mala. Honor rebus malis exhibitus.

ADVLATIONIS MALA. DEMONSTRATIO.

Bonitas. Deus, cœlum, Angeli, beati nec injurias, nec beneficia recipiunt ab inferioribus, cùm illis sint maximè benefici: Dispar est Regnantium conditio, nam licet illos subditi non possint altiùs evehere, possunt tamen lædere, non quidem apertâ vi, sed latente per adulationem, quæ ex insidiis magnam potentiam aggreditur, propriis sternit viribus, in se conversis, & rectæ rationis sensum omnem suo suffocat veneno.

Magnitvdo. Quæ contra Majestatem committuntur crimina, certâ distinguntur malispecie, ipsiusque sævientis Principis odio profligantur: At omnium criminum reus est adulator, qui omnibus blandiri paratus est, & omnium semina falsis suis laudibus dispergit.

Dvratio. Vt fulgura, aëris, marisque tempestates, morbi, & cætera naturæ fortunæque mala intermittunt; sic non semper æquè desævirent Principum vitia, nisi illa quasi virtutes extolleret adulatio, nisi jam ruentem in flagitia naturam laudum stimulis concitaret, & quam conscientia suggerit mali pœnitentiam, sic in contrarium actus Princeps vitaret, quasi boni defectum.

Potestas. Licet armis, fidâque custodiâ stipatus sedeat Princeps, viam sibi facit adulatio, quâ ipsum innumeris telis veneno tinctis confodiat; dum tyrannicè sævienti, quasi justo; languenti, quasi pacifico; aliena rapienti, quasi de hostibus spolia reportanti blanditur. Vix est, vt magna potentia in illicita non exundet, nisi contineatur. *Vide Virtus Potestatis Reprg.* quid si externa vis concitet illam?

Cognitio. Adulator, quasi malus Dæmon, obsidet Regentis animum, sistit in ipso syndaresis & divinarum inspirationum motus; pernicioſissimâ omnium Magiâ illudit rationi, & quasi febrientem fræneticum, in maximo vitæ discrimine, inducit triumphum agentem: dum qui regit alienis intentus est rebus, suas ignorat, imò & alienas, quas non nisi sibi adhæ-

rentium videt oculis ; quanta perverſitas falſa denuntiare, & ſcopulis, vt allidatur Rector, quaſi portui facem imponere! *Vide Verit. Bonit. Rep.*

VOLVNTAS. Laborat quilibet nimio ſui amore, ſed maximè is, quem omnes ſuſcipiunt, & qui facilè ſe talem præſumit, qualis dicitur. Pro ratione ſubſtituta voluntas, juſtum reputat id omne quod appetit, & in hac morum licentiâ paſſiones nihil intentatum relinquunt, niſi contineantur ; ideò Principes, alienis periculis edocti, habent ſapientes in conſiliis & in miniſterio : horum autem eſt maximè ſcelerata perfidia, ſi commovent, quas ſedare debent paſſiones, ſi duces viæ ducunt ipſis fidentem in præcipitia & in hoſtium inſidias.

VIRTVS. Inerant huic regentis animo ex nobilitatis ſtirpe, ex incumbente Parentum & Patriæ genio virtutum ſemina, fœliciter ſurrectura, ſi non illa peremiſſet adulatio, & ſi vitium ſub virtutis larvâ, mutatiſque invicem nominibus, non commendaſſet.

VERITAS. Adulator, vt falſus teſtis, refert non ſuo tantum, ſed omnium judicio comprobari, quæ tamen omnium merentur odium. Princeps in publicum procedens indignaretur illi, qui ipſum de maculâ in veſte aut vultu indecorâ non monuiſſet : at Majeſtatem magis lædunt in moribus, quam in vultu maculæ. Reus eſt Majeſtatis, qui agit cum Principe, tanquàm ſic parùm ſenſato, vt decipi poſſit ; ſic vitiis dedito, vt illorum gaudeat laude, & faveat tantùm his qui in eoſdem peſſimos tranſeunt affectus. Si ſapiat Princeps, maximè indignatur ſe non poſſe ſcire rerum veritatem, vndè pendet bonum regimen, & ſe ab his falli, à quibus ſperabat edoceri.

GLORIA. Laudem maximè appetunt hi, quibus cætera ſuppetunt fortunæ bona, hæc gloriæ cupido quietem exponit negotiis, vitam belli periculis, ſic & poſſet vim facere malis naturæ aut conſuetudinis moribus, niſi vitiis laudem attexeret adulatio. Sic corrumpit vnicum, quod ſupereſt potentiæ in mala proclivis, temperamentum, & tam nocet Reipublicæ, quàm ſi non ampliùs bellicâ fortitudine claris, ſed ignavis militiæ deſertoribus, & tranſfugis triumphi decernerentur.

DIFFERENTIA. Mobilis, verſatilis eſt adulatio, ſequitur & impellit omnes regentium motus, incontrarium, cum illis libuerit, actura : ſervilis animi vitium, quo etiam qui bonis applaudit, mali poſſibilis in animi preparatione reus eſt ; dum blanditur vitiis eliminat omnes viros bonos, qui poſſent ſuis conſiliis juvare Rempublicam : cum ipſi à Principe nunquàm diſſentiant, ipſumque ſequantur, vt vmbra corpus, efficiunt in turbâ miniſtrorum ſolitarium, virtute, prudentiâ, rebuſque omnibus ad regimen neceſſariis indigum.

CONCORDANTIA. Mores populus ſequitur ſui Principis, ſic dum adulator malis ejus blanditur moribus, quaſi veneno publicos inficit fontes, & idolum altaribus imponit colendum. Veneratio Majeſtatis non patitur inſolentes admonitiones, ſed nec in tutum reticenda veritas ; ſic cœli, etiamſi cum primo mobili circumferantur, retinent tamen ſpeciales ſuos motus, quibus ſublatis, non fierent hic generationes ; ſic Planetæ Soli configurati ſervant & in nos immittunt proprios ſuos influxus.

CONTRARIETAS. Perfidi miniſtri, prætio ab hoſtibus conducti, non magis nocent quàm adulatores, qui Principem non monent de periculis, adigunt in paratas inſidias ; plaudunt vitiis, vndè Reipublicæ caſus ; arcent in contrarium monituros, bellumque & iras veritati minantur. Obſtruunt Principis aures, ne audiat miſerorum gemitus, & falſa immutabilis conſilij laude præmuniunt animum, ne tangatur miſericordiâ, ſemper quæruli, vt referunt, licet ſemper fœlicis populi.

PRINCIPIVM. Hinc patet adulationem eſſe præcipuam malorum publicorum cauſam, & licet non producat peſſima conſilia, cenſentur tamen ejus partus, quia fovet & alit peritura, ſi nullus illa laudibus excepiſſet. Vt ex falſis Principiis innumeri errores, ſic ex adulatione, quæ ſupponit in Principibus quas non habent dotes : hinc enim multa temerè audent ſuprà vires ſuas & pereunt.

MEDIVM. Qui adſunt Principij, medij ſunt inter ipſum & populum, vt vtrumque ex juſtitiæ legibus concilient, & quaſi ſacerdotes inter Deum & homines vota offerunt, & implent, emendicaris è cœlo gratiis. Quod ſi miniſtri iras maloſque Principis mores blandiendo exaſperent, idem eſt, ac ſi ſacerdos pró benedictionibus daret maledictiones, & abominando Dæmonibus ſacrificio Deum populis non redderet propitium, ſed averſum.

FINIS. Publicum agit perſonam quiſquis Principi aſſidet ; ſpeciali Dei providentiâ hoc in munere conſtitutus eſt, vt olim Daniel, Ioſeph, &c. Vndè poſtpoſito particulari commodo agere debet cauſam Dei & populi. Prævaricatio autem eſt aſſentiri vitiis, publicum hoc jus lædentibus, à debito fine eum avertere, cui datus eſt aſſeſſor, & malis vix deſinentibus initium dare.

MAIORITAS. Vt plurimùm enim in pejus ruunt ſemel prolapſi Principum mores criminibus crimina teguntur, & averſis ſemel, concitatiſque populi animis, Tyranni juſtam putant accreſcentem ſibi ſemper ſuam ſævitiam, cum ad eorum tutelam ſit neceſſaria.

ÆQVALITAS. Adulatores impellunt ruentem Principem, vt arborem, cujus proſtratæ ramos primi diripient. Exponunt Principem ſuum periculis, & quaſi in arenam laudibus & applauſu, vt canem concitatum ; eo fine, vt ſi vincat ſint victoriæ ſuæ participes ; ſi cadat, aufugiant, & ad ejus ſecreta aperienda neceſſarij, magno prætio ab ipſis hoſtibus conducantur : ſi publica ſit adulatio meritò patitur populus tyrannidem, quam ſibi peperit.

MINORITAS. Dum adulator extollit vitia, deprimit virtutes ; in illas Principis odium ipsâ vitę contrarietate concitat ; negat quas merentur dignitates, & hoc inverſo ordine innumeris Reſpublica tętatur periculis.

CONTRARIETAS POTESTATIS.

DISSIDIA REGENTIVM.

MISCELLANEA.

AMOR & sceptrum consortes non patiuntur: Vndè cùm præco ex populi suffragiis, Flavium Sabinum, non consulem, vt electus fuerat, sed Imperatorem, proclamasset, eum Domitianus morte affecit.

Regni societas nunquàm est grata, nec fida, vt patet in Romulo, qui fratrem Remum occidit; & Tatium diù non tulit.

Anaxagoras dicebat Cometam, vt plurimùm infœlicem, nihil aliud esse præter planetas multos congregatos.

Plures Planetæ conjuncti in ascendente, hominem brevis vitæ significant. Origan.

In eadem Republicâ non se patiuntur duo Principes ejusdem potentiæ, nam si cessent à bellis exteris, movent civilia, sic Augustus & M. Antonius, Cæsar & Pompejus.

Magis timendum est obsideri ab vno Principe, quàm à duobus, vix enim consentiunt.

Duo ignes in foco juxtà se structi se impediunt, quia ventilatio non potest fieri aëre medio, nimis calefacto, fumo & excrementis referto.

Respublicæ semper sunt contrariæ tyrannidi, propter contrarias electiones; ideò sibi invicem insidiantur, & Lacedemonij multas everterunt tyrannides. Aristotel. 5. politic. cap. 10.

In statu Aristocratico, qui regunt sæpè impugnantur & à propriis sociis, & à populo conjurato. Vide Bodin. pag. 527.

In Antandriâ provinciâ Thraciæ sunt duo fluvij, quorum alter candorem, alter nigredinem pecoribus facit. Aristot. histor. animal. lib. 3. cap. 12.

Quando discordiæ oriuntur inter optimates, statim nutat & labascit Aristocraticus status.

Olim in Italiâ duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes & recedentes, vndante in cœlum flammâ, eo concursu elisæ villæ omnes, & animalia, quæ intrà fuerant, exanimata. Plin. l. 2. c. 82.

Ad novum accedens imperium debet abigere omnes, qui ad illud videntur jus aliquod habere, quia non deficient turbida ingenia, quæ se illis ad seditiones applicabunt.

Iupiter ligat Saturnum, Venus Martem, Sol componit metalla, ignis dissolvit, ita amor mundi & Dei, Rex & tyrannus, calor naturalis & febrilis in corpore, Christus & Dæmon; ratio & sensus inter se pugnant; Sol exsiccat, Luna humectat: Sic omnia constant ex contrariis principiis. *Vide Contrar. Princip. & Concordant. Contrar.*

Plato 1. de legib. dicit in animabus nostris duos esse tyrannos, sibi contrarios, dolorem & voluptatem, virtutem & vitium, quasi duæ innatæ catenæ in contrarium trahentes.

Mercurius, qui inclinat ad speculationem abditarum scientiarum, philosophum pauperem facit, & contrariatur Iovi potentiam promittenti, exulant enim in mutuis domibus.

Quidquid sal consumpsit, consolida curat; quidquid sulphur dissolvit, instaurat crocus; quidquid Mercurius nimis subtile reddidit, aurum condensat.

D. August. de civit. Dei lib. 16. cap. 8. Refert suis temporibus in Oriente hominem natum duplicem superibus membris, duo habebat capita, quorum vno edente, alterum non edebat; vno vigilante, alterum dormiebat; quandoque se percutiebant, simul semper flebant. Petrus Diaconus lib. 13. dicit hoc significasse, divisiones in Imperio & in Ecclesiâ ortas, post obitum Theodosij.

Schismata in Ecclesia, & Antipapæ.

Daniel. cap. 7. Videt quatuor ventos cœli pugnantes in magno mari; similiter bestias, quibus prævalet quarta.

Angelus Persarum pugnat contrà Gabrielem. Daniel. 11.

Quando captus est Loth, in Sodomis pugnabant quatuor Reges contrà quinque. Severo Imperatore mortuo, duo fuere Imperij successores, Antonius Caracalla fratrem suum Getam fecit occidi, vt solus imperaret. Vide Baron. an. Christi 214.

Est quædam privatim dissociatio corporum, & inter se steriles, vbi cum aliis junxere gignunt. Plin. lib. 7. nat. hist. cap. 13.

Aquila æmulos rapinæ longè fugat, nam magno ad populandum tractu, vt satietur indiget, determinant ergo spatia, nec in proximo prædantur. Idem lib. 10. cap. 3.

Galli dimicatione regnum, in quacumque domo sunt, sibi conantur vendicare: Velut ideò tela agnata suis cruribus intelligentes, nec finis sæpè commorientibus. Ibid. cap. 21.

QVARE DISSIDEANT Rectores.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vnius compositi vna forma, quia plures se non patiuntur; & si concurrant, fit violenta colluctatio, vt in energumenis, & in meteoris ignitis. Quilibet Rectorum vult videri patriæ suæ beneficus, invidetque hunc titulum sibi cum alio esse communem.

MAGNITVDO. Vnitas excludit numerum, sic vnum officium vix patitur duos ministros, facilius plures,

quia nulla ſpes obtinendi contrà multos: hæc multitudo communionem quandam facit, in qua jus particulare videtur confuſum, res enim publicæ nullius ſunt; partitum miniſterium minuit potentiam, æquat tollendo eminentiam, vndè & ſedat invidiam.

DVRATIO. Antiqui miniſtri ægrè ferunt novos rebus à ſe ſtabilitis immiſceri, & ſibi æquari. VT in parabolâ primi operarij dolent noviſſimos ſibi in mercede pares eſſe. Antiqui illi jus quoddam primogenituræ ſibi arrogant. At contrà noviſſimi, ideò ſe putant ad officium admiſſos, vt inventis addant aliquid; vt de malâ conſuetudine liberiùs ferant judicium, dùm illi nondùm ſunt mancipati. Etiam coætanei diſſident, quia non eodem paſſu ambulant; vnus moras quærit in exiguâ ſuâ paulatim & parcè explicandâ induſtriâ, ne citò videatur deficere; alius rerum multarum capax, negotia conatur accelerare, ne vita conſiliis ſuis deſit, & non reditutæ pereant occaſiones.

POTESTAS. Dignitas Dominium quoddam eſt, ita ſubordinatum, vt qui non eſt ſuperior, videatur inferior. Par autem in parem non habet imperium; nec regit, nec regitur reſpectu collegæ. Vndè hæc paritas illi ſubventanea, extrà ordinem poſita & reſcindenda videtur.

COGNITIO. Vnicuique ſua rerum agendarum idæa; ſi concordant in fine, diſſident in mediis. Ipſimet Angeli Provinciarum Rectores pugnant apud Danielem. Nulla major quàm circa ea quæ rationis ſunt pugna; nullus enim vult judicio alteri cedere, nec minùs ſe hominem fateri: hinc acerbæ illæ in ſcholis, licèt vt plurimùm, vanæ concertationes. In honeſtum vnicuique videtur alteri cedere, & quia diverſis iis ad ædem pervenitur, quilibet obſtinatè pugnat pro ſuis: Collega non vult videri alterius quaſi architectonici miniſter, & operas ſuas ad ejus quaſi inventoris gloriam conferre.

VOLVNTAS. Rebus publicis permiſcentur familiarum, amicorum, potentium, quibus ſerviunt miniſtri, vtilitates & affectus: hæc vnum inclinant in id quod alius averſatur. Timet etiam ne fœlici ſucceſſu collega potentior effectus, vim in cæteris illi faciat, & amiſsâ æqualitate trahat in poſterum quo voluerit, etiam renitentem.

VIRTVS. Ipſæ virtutes videntur inter ſe pugnare: Iuſtitia cum Clementiâ, Fortitudo cum Manſuetudine, Prudentia cum Fide, Temperantia cum Magnificentiâ, Contemplatio cum actione; etiamſi ſint omnes in charitate vnitæ. Qui vnius virtutis habet excellentem habitum, ex illo vult agere: at collega ex alio in quo eminet.

VERITAS. Rerum veritas hic nos latet, palpamus quaſi cæcutientes, & quid mirum, ſi in rebus quæ tantum conjecturis conſtant, ſuam quiſque vt afficitur deffendit opinionem? Interdùm de rebus agendis ſuum coràm cæteris aperiunt judicium, quod quidem poſtea volunt exequi, ne videantur erraſſe, defeciſſe, aut diſſimulaſſe.

GLORIA. Diſſidia hæc vt plurimùm facit gloriæ cupido, dùm quiſque vult inter æquales eminere; nec in his mirum eſt ſi collegæ, vt in agone pro palmâ decertantes, ſint ſibi contrarij; ſi enim vni rerum benè geſtarum gloria decernitur, alteri præripietur.

DIFFERENTIA. Impoſſibile eſt diverſos habere identitatem quæ eſt in officio; diverſis diverſa mens, inventio, vtilitas. Æmulatio ipſa ſæpiùs in contrarium nititur, & affectat opinionum differentiam, in ſpectaculum, aut victoriæ, aut ſaltem æqualis potentiæ, quæ poteſt cæteros alio inclinantes, remque quaſi æquilibrio pendentem ſiſtere.

CONCORDANTIA. Si plures ſint collegæ, qui ſint ejuſdem ætatis, familiæ, conditionis, patriæ, naturæ, ſympathicæ, conſpirant contrà alios; & hæc vel ſola conſpirationis ſuſpicio ſolvit communem concordiam, alioſque quaſi ad commune periculum conciliat, vndè ſchiſmata.

CONTRARIETAS. Vt contrariæ qualitates & hoſtilia animalia ſe fugiunt, ſed ſi cogantur convenire, iras ad conſpectum contratij per antiperiſtaſim exaſperant; ſic naturalem inter aliquos antipathiam accendit officij ſocietas, hincque novæ ſemper exurgunt conquærendi & nocendi occaſiones.

PRINCIPIVM. Interdùm Principes odia inter miniſtros diſſeminant, ne contrà Rempublicam conſpirent, & vt ſint rerum ab invicem geſtarum exploratores, gratuitò & ex æmulatione fidi. De ſèmel experto delatore magna poſtmodum, & nunquàm conciliabilis diffidentia, ſemper inquieta, donec parem referat injuriam.

MEDIVM. Quilibet Rectorum, habet ſuos clientes, qui impenſiùs pro ipſo pugnant; alterius famæ noxios rumores diſſemiant, falſa referunt, Iras accendunt, vt ſibi magis concilient poteſtatem, quaſi pro ipſâ in re magni momenti pugnaverint. Diverſa quidem miniſtrorum ingenia, ſi benè regantur, efficiunt in Republicâ harmoniam & temperamentum, vt in corpore noſtro contrariæ elementorum qualitates; ſed poſſunt hæ contrarietates ſic efferari, vt gignant morbos & tandem patriæ interitum.

FINIS. Multi retinentur in officio, ne videantur turpitur æmulis cedere: hæc vis latens, quam ſibi inferunt, animum magis exagitat; oderuntque collegam, quaſi tortorem ſuum, ſub quo nec licet dolorem gemitibus levare; neſciunt nec cedere nec vincere, ſic pendentes miſerè torquentur, nunquàm deſituro, niſi per mortem, ſupplicio.

MAIORITAS. Se protrudunt, dùm quiſque vult apicem conſequi. Interdùm, vt emineat, quædam ſuprà vires aggreditur, hinc odia in collegam, quaſi in temeritatis & infœlicitatis ſuæ cauſam.

ÆQVALITAS. Idem officium æqualitatem ſtatuit inter inæquales; nulli enim pares ſunt meritis: hinc iræ ſuperioris & dominantis genij, nolentis inferiori parem fieri; & inferioris, æqualitatem, quam ſibi lex defert, vindicantis: Quidem compenſare volunt naturæ ingeniique defectus divitiarum copiâ, aut ſtirpis nobilitate; ſed cùm hæc compenſatio non apud omnes, maximè ſapientes, recepta ſit, oritur gravis inter virtutem & fortunam pugna.

MINORITAS. Non experti ignorant humilitatem, in dignitatibus maximè neceſſariam; ideò cum neſciant obſtantibus interdùm cedere, mutuâ colliſione franguntur, pœnaſque ſuæ ſuperbiæ ab invicem exigunt. Dùm minus reportant honoris & commodi propter officij conſortem, oderunt eum quaſi ſibi noxium.

POTESTATIBVS RESIſtere quando, & quatenus liceat.

MISCELLANEA.

PRinceps tenetur legibus, ſub quibus accepit imperium, & prior debet fidem præſtare, quam à ſubditis exigit. Coërcetur nimia ſeveritas Patris in filios, mariti in vxorem, Domini in ſervos. *Vide Major. Contrariet. Mal.* Vide Kekermanuum in politic. diſputat. 35. cap. 4.

Moſynæci Aſiæ populi. Regẽ ſuum turri incluſum educant, & arctiſſimâ cuſtodiâ tenent. Damaſcen.

Accidens agit in ſuum ſubjectum.

Fulmina etiam in ſublimè feruntur, licèt à nobis non percipiantur, ſed tantùm cum in obliquum aut in terram jaculantur.

Qui electi ſunt, poſſunt ab iiſdem à quibus electi ſunt deponi, ſi malè adminiſtrent. Vide D. Thom. de regimine Principis. lib. 1. cap. 6. Groſſius lib. de jure belli 1. cap. 4.

Dicit Paulus Roman. 13. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Sed quid ſi illud jubeat, quod non debeat facere? hic ſanè contemnit poteſtatem, timendo poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus attendite, ſi aliud Proconſul jubeat, aliud Imperator, numquid dubitatur iſto contempto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, aliud Deus quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium, rectè, ſed non in Idolio; major poteſtas id prohibet, da veniam. tu carcerem, ille gehennam minatur; quod latro, quod febris, quod ſcorpius, quod fungus malus. &c. &c. D. Auguſt. ſerm. 6. de verb. Domin cap. 9.

Cavendum ne ſi ſerpentem adoremus aureum, ſerpentium in deſerto regno feriamur ictibus.

Carolus dictus ſimplex, Regno privatus, quòd vilem confœderationem cum Normannis iniiſſet. Carolus Lotharingius ejectus, etſi legitimus Regni hæres, quod Allemanorum partibus contrà Francos adhæſiſſet.

Mortuo Ægypti Rege, aſtabant ſacerdotes mortui rectè facta laudantes; populus qui exequias circumſtat, applaudit veris laudibus, in reliquis magno reclamat tumultu, quò accidit vt plures Reges, repugnante multitudine, caruerint debito ſepulchri honore; is timor regnantes continebat. Diodor. Sicul. rerum antiquar. lib. 2. cap. 3.

Neceſſaria vitæ rotula eximit ab obedientiâ ſuperiori præſtandâ quia eſt juris naturalis, antiquioris & ſuperioris: ſic actus vegetativæ non ſubſunt rationi. *Vide Voluntas Bonitatis.* de amore ſui; *& Voluntas Durationis.*

Si conſtet Principem contrà jus præcipere, poteſt differri executio præcepti, donec quod juſtum eſt libello ſupplici fuerit expoſtulatum; ſimiliter ſi conſtat eum in præcipiendo paſſione duci, vndè poſtea ipſum pœniteat, dilatione vtendum. Vide Ariſtotelem 2. politic. 10.

Vide 4. Reg. 9. & 10. Quæ fiant Dei juſſu.

Populus Iſraël eligit ſibi Ieroboam in Regem relicto Roboam filio Salomonis, quia durius eos habuerat, nolens relaxare tributa. 3. Reg. 12.

Galat. 2. Refert Paulus, quod Petro reſtitit in faciem, quia gentes ad Chriſtum converſas circumcidebat. Vndè D. Gregorius. Homil. 18. in Ezechiel. Miratur Petri humilitatem, quòd cùm primus eſſet Apoſtolorum, permiſit ſe ab inferiore emendari, imò & probavit Epiſtolas Pauli. in quibus reprehenſibilis dicitur. Et Petr. Damian. lib. 6 Epiſt. 18. Dicit quod Pauli correptio fuit miniſterium obedientiæ, non objurgatio diſciplinæ, non temeritas invectionis, ſed vnanimis concordia voluntatis.

Nos non omnia jubere poſſumus, aut in omnibus ſervi parere coguntur; contrà Rempublicam imperata non facient, nulli ſceleri manus accommodabunt. Seneca. 3. de benefic. cap. 20.

Vel Regũ libidine ad voluptatem & ambitum ſuæ dignitatis vtilitatẽ corrumpente, vel ignoratione populi ſua commoda non ſemper capientis, Regium nomen ſæpè invidiâ afflictũ, ſæpè in variis regionibus ingenti clade averſum eſt, ac deindè reſtitutum. Barclai.

Germani deficiunt à Romanis, duriùs à Conſule Varo habiti. Baron. an. 12.

Tiberium & Cajum peſſimos Imperatores non eſſe receptos in numerum Imperatorum, quorum Conſules in juramentis & votis concipendis mentionem facere conſueverant, autor eſt Dio. lib. 60.

Occiſo Domitiano, omnia ejus acta reſcinduntur, ſtatuæ conflantur, inſcriptiones delentur. Dio. in Nerva.

Trajanus initio Imperij, ſtrictum enſem coràm proceribus ſuis Præfecto Prætorio tradidit, his verbis: cape hunc enſem & ſi bonus fuero, pro me, ſin malus contra me eo vtitur. Idem in Trajano.

Longobardorum Rex adalvaldus, cùm jam regnaſſet annos decem, eversâ mente inſaniens ejectus eſt è regno; & alius in locum ejus ſubrogatus. Baron. an. 626.

Inimici ſunt regni, qui habent aſcendentia declinantia ab ipſius regni aſcendente. Ptolomæ. in centiloq. n. 15.

Dùm Romulus apud Capreæ paludem concionem habet, è conſpectu ablatus eſt, diſcerptum aliqui à ſenatu putant, ob aſperius ingenium. Florus cap. 1.

Populo Romano diù inhæſit ex paſtoribus feritas, & quiddam indomitum; indè eſt quòd exercitus Poſthumium Imperatorem, inficiantem quas promiſerat prædas, factâ in caſtris ſeditione, lapidavit. Ibidem cap. 22.

In vrbe Cumarum, carcerum cuſtos Philactus vocabatur, neque illi carcerem egredi fas erat vſquam, niſi cum ſemel in anno, convocato nocte ſenatu, ſenatum ingrediebatur, ſedentem Regem manu prehendebat. extrà conſiſtorium ducebat, donec ſenatus de ejus vitâ & moribus judicaſſet, & vnuſquiſque ſuffragium libertùs, faventibus tenebris, dediſſet. Plut. in problemat. Græcor. probl. 2.

Apud Lacedemonios 28. Senatores, & Ephori, nimiam Regis potentiam frænabant. *Vide Media Poteſtas.*

Phocâ Imperium orientis tyrannicè regente, eligitur, & advocatur contrà ipſum Heraclius Imperator. Vide Baron. an. 610.

Henricus Rex reſponder accuſationibus in eum factis, & ſiſtit coram S. Pontifice Gregor. VII. depoſitis regiis ornamentis, eaque conditione, vt ſi objecta non purgaſſet, indignus Regio honore haberetur. Baron. an. 1077.

Reges cujuſcumque vrbis, quæ martem culminantem habuerint, gladio plerumque pereunt. Ptolom. in centiloquio. Num. 36.

Vide plura. Contrarietas Principij. Paſſiva.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

IMpunè non paretur ei, qui juriſdictioni præeſt, ſi fines ſuos quoquo modo excedat. l. 11. & 12. ff. de juriſdict.

Adminiſtrator Provinciæ, officio depoſito, debet in eâ remanere per 50. dies, redditurus omnibus rationem. & ſi fugiat, poteſt à quolibet capi. Authent. de adminiſtr.

Si Magiſtratus pecuniâ corrupti, aut tutores non dederint, aut malos dederint tenentur. l. 1. ff. de Magiſtratib. convenien.

Etiam Magiſtratum in adulterio deprehenſum, licet Patri cum filiâ occidere. l. 24. §. 3. ff. ad l. Iul. de adulter.

Dominus

Dominus poteſt eum qui fuit Decurio vindicare vt A ſervum. l. 41. Cod. de liberal. cauſ.

Minor agit contrà tutorem directâ actione tutelæ, pro redditione rationum. l. 1. ff. de contrar. actio. tutel.

Subditi non debent obedientiam præſtare ſuperioribus ſuis excommunicatis. 15. q. 6. can. alius, & ſeqq.

Subditus non tenetur parere ſuperiori præcipienti contrà tenorem ſui privilegij. cap. ſanè. de exceſſibus. prælatis. Excommunicatio ob id lata non tenet. cap. cum ad quorundam. eodem.

Subditi non debent fidelitatem domino excommunicato manente. cap. gravem. vlt. de pœnis.

Imperiali Iudicio Papa ſe emendare promittit, ſi B quid ergà ſubditos injuſtè commiſit, & quod ſubditi poſſunt reſiſtere Prælato injuſtè cogenti, ſicut aſina Balaam. 2. q. 7. can. nos ſi, & ſeqq.

Non eſt obediendum domino contrà Deum jubente; vt ſi Epiſcopus pro hæreticis miſſas canere jubeat; ſi Imperator infidelis jubeat contrà Chriſtianum nomen arma vertere. 11. q. 3. can. ſi quis Epiſcopus.

Qui juravit ſtare mandato alicujus, non tenetur parere ſi præcipit illicita. cap. quinta vallis. 23. de Iurejur.

Licet contrà iniquos judices publicas quærelas & acclammationes facere. l. 3. Cod. de offic. rector. Provinc.

Vt omnes judices tam civiles quàm militares, poſt adminiſtrationem depoſitam, quinquaginta dies in civitatibus, vel certis locis permaneant. Cod. 1. tit. 49. Sic in publico faciant ſui copiam, vt poſſint de commiſſis in adminiſtratione criminibus accuſari.

Servus non debet obedire domino in delictis, vt ſi furtum aut homicidium jubeat: ſed de hoc convenitur etiam poſt acceptam libertatem. l. 20. ff. de obligat. & actionib.

Si libertus verecundiâ non prohibuit patronum bona ſua ſubripientem, poſtea poterit agere in factum, vt repetat. l. 91. ff. de furt.

In crimine Majeſtatis ſervi audiuntur contrà dominos, & liberti contrà patronos. l. 7. ff. ad l. Iul. Majeſt.

Licet libertо Patronum adulterij accuſare. l. 38. §. 9. ff. ad l. Iul. Majeſt.

Servus poteſt accuſare dominum, quod fraudaverit annonam publicam. l. 1. ff. ad l. Iul. de annona.

De contentione inter Dominum & fidelem de inveſtiturâ feudi. feud. 1. tit. 10. 12. 23.

Imperatorem feudum amittere, vel alium pro ſe fidelem dare. feud. 4. tit. 100.

Quod Princeps legibus teneatur, & quandò privatus contrà eum poteſt agere. *Vide ſuprà Virtus Poteſtatis.*

In quibus caſibus, Tutorem vel Curatorem habenti Tutor vel Curator dari poteſt. Cod. 5. tit. 36.

In quibus cauſis Coloni cenſiti dominos accuſare poſſunt. Cod. 11. tit. 49.

De Magiſtratibus vel eorum hæredibus. ff. 27. tit. 8.

Qualiter dominus proprietate feudi privetur. feud. 2. tit. 47.

Si adverſus fiſcum reſtitutio poſtuletur. Cod. 2. tit. 37.

Vbi quis de curiali conditione conveniatur. Cod. 3. tit. 23.

Contractus à Principe factus ſucceſſores obligat, qui inſtar privatorum ex contractibus tenentur. Baldus in c. 1. de naturâ Feudi. Vide Bodin. 1. Reip. 8.

Princeps enim debet juſtitiam ſubditis, & cum ſit quaſi fidejuſſor publicæ fidei in contractibus, maximè eam fidem debet ipſemet præſtare. Vide Bodin. Ibidem.

Licet Clericis denegare Epiſcopo conſuetam obedientiam, poſt condemnationem. 2. 2. q. 3.

Libertus tutor pupilli nomine in jus vocare poteſt Dominum. l. 16. ff. de in jus vocando.

Colonus poteſt agere contrà Dominum, ſi plus ab eo exigat, quàm conſuevit. l. 1. & 2. Cod. in quib. cauſ. coloni cenſiti Dominos accuſare poſſunt.

Imperator Feudum à ſe poſſeſſum amittit, niſi pro eo fidelitatem præſtet. lib. 2. Feud. tit. 100.

Non eſt audiendus patronus, ſi petat operas à liberto, vires ejus, vitæque propoſitum excedentes. l. 17. ff. de operis liberto.

Prædium vniverſitatis poteſt ſervire prædiis ſingulorum, qui debitam ſibi ſervitutem poſſunt vindicare. lib. 20. ff. ſi ſervit. vindi.

Si Dominus Iuſtitiam vaſallo deneget, poteſt vaſallus, aut adire ſuperiorem Dominum aut judicem ordinarium.

Servus ſi ſciente & hortante Domino falſi crimen commiſit, punitur: mitiùs tamen quàm ſi neſciente, ſcilicet ad metallum. l. 7. Cod. ad l. Iuli. de vi publ.

Epiſcopus dat libertatem ancillæ, cui Dominus peccandi neceſſitatem impoſuerit. l. 13. C. de Epiſcop. audie.

Non licet parentibus exhæredare filios tanquam ingratos, qui ingrediuntur Monaſteria. Novel. 123. c. 41. C

Quandò impugnatur lex naturalis aut divina; veritas enim prævalet. *Vide Poteſt. Verit.*

Quomodò Paulus Petro in faciem reſtiterit, quia reprehenſibilis erat, permittens diſcipulos judaizare, Vide act. 15. & Baron. an. 551. nu. 32.

Magiſtratus malè ſe gerentes excommunicantur ab Epiſcopis. *Vide Poteſt. Virt.* vis & Imperium Religionis.

Conſtantinus vniverſis permiſit judices, Comites, Aulicos, Palatinos, ſi quid contrà eos probare poſſent, accuſare. l. 4. Cod. Theodoſ. de accuſat.

Nemo debet eſſe miniſter iniquitatis alienæ. *Vide Medium Contrarietatis Malum.*

D

REPVGNANTIA.

MALI RECTORES tolerandi.

MISCELLANEA.

Vide Gloria Poteſtatis. De Reverentiâ Rectoribus deferenda.

QVomodo ſterilitatem, aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ità luxum vel avaritiam regnantium tolerare oportet. Vitia erunt, donec homines; ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur. Tacit. annal. lib. 12. E

Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Exod. 22.

Deum timete, Regem honorificate; ſervi ſubditi eſtote, in omni timore, Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis; quæ enim eſt gratia ſi peccantes & colaphizati ſuffertis, &c. 1. Pet. 2.

Obſervatum eſt à Medicis, læſo cerebro, aut etiam portiunculâ ejus amiſſâ, non neceſſariò mortem conſequi; ſic malè affectis Principibus, non ſemper ſequitur mors politica.

Digitized by Google

Vide Tertulian. in Apologet. hoc loco vndè Caſſij & Nigri, &c. & ad ſcapulam. Circà majeſtatem Imperatoris infamamur ; tamen nunquàm Albiniani, Nigriani, Caſſiani, inveniri potuerunt Chriſtiani, &c.

D. Cyprian. ad Demetriadem, quamvis nimiùs & copioſiùs ſit noſter populus, non tamen adverſus violentiam ſe vlciſcitur, patitur, &c.

Nazian. orat. 1. contrà Iulian. dicit Chriſtianis contrà perſecutionẽ ſolùm in lachrymis eſſe remedium.

David Saülem legis divinæ violatorem noluit occidere, cùm ſæpè ſe obtuliſſet occaſio, ſed eum qui ipſum occiderat juſſit coràm ſe interimi. 2. Reg. 1.

Merentur apud Deum populi ſi ſe præſtent obedientes principibus, ſeu bonis ſeu malis. Vide D. Auguſt. Epiſt. 48.

Nihil Chriſtiani tentarunt contrà Neronem, qui Petrum & Paulum Apoſtolos occiderat ; contrà Domitianum, Trajanum, Antonium, Severum, Maximinum, Decium, Valerianum, Aurelianum, Diocletianum & Maximianum, Imperatores Chriſtiano nomini infenſiſſimos. Vide Tertulianum ad ſcapul. D. Baſil. ſuper Pſal. 32. Greg. Nazian. orat. ad ſubditos & Imperatorem coronatum.

Orationes quas Chriſtiani pro Imperatoribus, etiam infidelibus, recitabant. Vide Lactant. lib. 7. cap. 26. & Tertul. in apologet. cap. 42.

Non tribuamus dandi Regni, atque Imperij poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat regnum cœlorum ſolis piis, regnum vero terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet, & ſi occultis cauſis, numquid injuſtis ; maxime in pœnam peccantis populi : qui Mario dedit Imperium, hoc & Cajo Cæſari, qui Auguſto hoc & Neroni, qui miti Veſpaſiano, illud & crudeli Domitiano, qui Conſtantino Chriſtiano, illud & Iuliano Apoſtatæ, &c. D. Auguſt. lib. 5. de Civit. c. 21.

Deus mali Regis vt dæmonis, potentiam, coërcet, ne nimis noceat.

Nihil terribilius terræ motu, nullumque effugium, cùm terra quæ debet ſuſtinere minatur abyſſum ; hoc tamen Deo ſic volente : Commoviſti terram, & conturbaſti eam. Pſal. 59. Hoc de malis Principibus interpretatur. D. Auguſt. in idem Pſal.

Tolerabant malos ſuos Principes Ægyptij, qui in mortuos tantùm, eorumque famam invehebantur ; vide ſuprà ex Diodoro ſiculo. *Contrar. Poteſt.* Quandò liceat reſiſtere poteſtatibus.

Non licet occidere vel invadere tyrannos, niſi per publicam poteſtatem, licet principatus eorum ſit injuſtus. D. Thom. 2. 2. q. 42. a. 2. & 3.

Maledictus Chanaan, qui non velavit verenda patris ſui. Gen. 9.

Sueton. in Iulio Cæſa. cap. 66. Refert Iulianum Cæſarem clementiſſimum, nunquàm tamen ſeditioſis veniam dediſſe.

Seditio Core Dathan, & Abiron contrà Moyſen, ſeveriſſimè à Deo punita. Num 16.

Seditio, & ſchiſma opponuntur vnitati & paci multitudinis, ſeditio temporali, ſchiſma vero ſpirituali, vtrumque eſt ſemper peccatum mortale. Div. Thom. 2. 2. q. 42. a. 1.

Damnati ſervi, qui dicunt nolumus hunc regnare ſuper nos. Luc. 19.

Dei eſt Reges quaſi fræno continere. Vide infrà hoc tit. quæ reſiſtant poteſtati.

Quomodo Deus det malos Principes in pœnam populorum. *Vide Virtus Poteſt. Rep.*

Lex humana, etiam injuſta, debet ſervari, ſi in tranſgreſſione ſit periculum ſcandali. 1. 2. q. 96. a. 4.

Inhumanè eorum redarguis opera, quorum onera refugis ; temerariè objurgat virum de prælio revertentem mulier nens in domo ; memento quod dicitur Eccleſ. 42. Melior eſt inquitas viri, quam mulier benefaciens : nam tu quidem in tui cuſtodiâ vigilans benefacis, ſed qui juvat multos, & meliùs facit & viriliùs ; ſi tamen cum aliquâ iniquitate ſis memor quòd charitas operit multitudinem peccatorum. Ioan. 5. D. Bernard. Serm. 12. ſuper cantica.

D. Auguſt. quæſt. 82. Super Levit. quærit quomodo ſummus Sacerdos, qui quotidiè tenebatur incenſum offerre, vxorem habens & filios generans, cùm lex etiam à conjugali concubitu immundum dicat vſque ad veſperam. Reſpondet quod vt in ægroto dici poterat, quod gratiâ Dei non ægrotabat, ſic nec fiebat immundus coitu conjugali, merito præcipuæ ſanctificationis ſuæ.

Corona Chriſti ſpinea docet toleranda eſſe vulnera rectorum ; qui ſunt caput corporis myſtici.

Vt olim occidentibus lucernis non afferebant manus, ne ignis divinitatem violarent ; ita in illis qui ad Religionem prælucent humanius eſt vitia, tanquàm funum lychnorum morientium pati, quàm dignitatibus vim afferre, quas in turpiſſimis hominibus nullæ tamen ſordes maculant. Barcl.

In aliis gentibus non eſt conſtantior in modeſtos & legitimos Principes fides, quàm Turcis in atrocem, cui ſe damnaverunt, tyrannidem. Barclai. Principem ingenerato affectu mirè colunt, vmbram hunc & effigiem numinis vocant. Idem.

Sit à curioſis tentationibus intactum Regum culmen. Nam optare bonos Principes pietas eſt, damnare etiam nocentes Religio : at cùm præterea non tam ipſi regant, quàm ducentibus fatis permittant, quæ per illorum affectus, imperiorum inclinationes & incrementa conſtituunt ; omnis ars atque prudentia inſpicientium in eorum genium, & de illo conjicientium ſæpe fallit. Barclai.

Cùm diu Iudæi paruiſſent Herodi potiùs vt Tyranno, quàm legitimo Principi, tandem feſſi, vltrò ipſi ac ejus poſteris regnum obtulerunt, fidem dederunt ; ſoli Phariſæi numero circiter 6000. fidem ſuam jurejurando noluerunt obligare. Vide Baron. anno 2.

Euſebius Samoſetanus Epiſcopus juſſus exulare ; rem miniſtris ſecretò agere juſſit, ne à populo in flumen demergerentur. Bonus ſenex cum ipſis noctu navem conſcendit, & cum ab inſequentibus civibus requireretur allegavit illud Apoſtoli, poteſtatibus obediendum eſſe. Baron. an. 370.

Epiſcopi congregatâ ſynodo orant pro Alarico Rege, licet Ariano, & hic ſemper mos fuit in Eccleſiâ pro principibus, etiam hæreticis aut Ethnicis, orandi. Vide Baron. an. 506.

Mos orientis, quo nefas habetur, oculos in regem defigere, ritu quidem Barbarus eſt, ſed ſignificatione bonus ; neque enim ſubditos decet corda Regum ſuorum, quæ Sacræ Scripturæ inſcrutabilia docent, curioſiùs rimari. Bacon.

Qui ſub jugo ſervi ſunt, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur, &c. Si quis aliter docet ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circà quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, &c. 1. Timoth. 6.

Carolus Imp. in quodam Concilio dixit : honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam, & licet vix ferendum ab illâ ſanctâ ſede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus. Can. in memoriam. diſt. 19.

A

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

TAnquàm ſeditioſus opprimatur, qui contrà Epiſcopum celebrat & agit conventus. Concil. Antioch. Can. 5.

Si quis famulorum ad oſtendendam Domini ſævitiam, ſe Diabolico repletus furore percuſſerit; ipſe tantùm ſanguinis ſui reus erit, neque ad Dominum ſceleris alieni invidia pertinebit. Concil. Arelaten. 1. Can. 34. anno 389.

Amittant gradum ſuum clerici, qui communes ſuas B *ecclesias* contrà Epiſcopos excitant. Concil. Chalcedon. Can. 17.

Abolitio non conceditur in crimine læſæ Majeſtatis. l. fin. Cod. de abolit.

Non licet poſtulare liberto contrà Dominum. l. 2. C. de poſt. nec vaſallo contrà Dominum Feudi. de Feud. c. 1. quæ ſit cauſa Feudum amit.

Qui eſt in fundo inferiori, non poteſt in ſuperius immittere fumum, niſi de hoc ſit ſpecialiter ſervitus conſtituta. l. 8. §. 5. ff. ſi ſervit. vindicet.

Reus Majeſtatis eſt, qui aliquid contrà Rempublicam molitur, qui Magiſtratum occidit. l. 1. ff. ad. l. Iul. Majeſt.

Non creditur ſervo, etiam in tormentis aliquid C contrà Dominum dicenti. l. 1. §. 5. ff. de quæſt. & l. 18. §. 5. eodem.

De ſeditioſis, & iis qui Plebem audent contrà Rempublicam colligere. Cod. lib. 9. tit. 30.

Graviùs punitur, quia Magiſtratum violat. l. capitulium. §. 6. ff. de pœnis.

De accuſatoribus Epiſcoporum. Novell. 123. cap. 2.

Vide Gloria Poteſtatis.

Non licet Monachis Abbates pro ſuo arbitrio expellere, aut alios ordinare. 18. q. 2. Can. nullam.

Epiſcopalis dignitas huic civitati ſuberabitur, quæ ſuos Præſules interemit. 25. q. 2. Can. ita nos.

Si quis Preſbyter contemnens Epiſcopum ſuum, cœtum collegerit, & altare aliud erexerit; nihil habens quo reprehendat Epiſcopum in cauſâ pietatis & D juſtitiæ, deponatur, quaſi principatus amator, & tyrannus. in canonib. Apoſt. Can. 32.

Clericus Epiſcopum contumeliâ afficiens deponatur. Principi enim populi non maledices. (Exod. 32. act. 23.) in canon. Apoſtol. Can. 55.

Qui Epiſcopum aut Sacerdotem falsò accuſavit, nec in fine vitæ accipiet communionem. Concil. Elibertin. Can. 75. anno 305.

Non eſt in Eccleſiâ, qui cathedram Petri non ſequitur; & à nullo debet recipi, quem Romana depellit Eccleſia. Can. miratus & ſeqq. diſt. 93.

Clericus qui Epiſcopum accuſavit infamis efficitur, & deponitur. 3. q. 4. Can. clericus.

Conſpirantes clerici aut monachi in ſuperiorem, E proprio privantur honore. 11. q. 1. Can. conjurationum, & ſeqq.

Sacrilegij inſtar eſt, aliquem reputare indignum, quem Imperator approbavit, & in dignitatibus promulgandis, divinis obviare muneribus. l. 5. C. de diverſ. reſcript.

Edicto Prætoris coërcetur is, qui non patitur executioni mandari ſententiam judicis. l. 1. §. 1. ff. ſi quis jus dicenti non.

MALI RECTORES tolerandi.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Rector eſt vt anima in corpore politico; corpus autem patitur animam etiam ratione non vtentem, licet anima non patiatur corpus in ſuis vitalibus partibus læſum. In hac malorum cum bonis fatali quadam permixtione, quis numeris omnibus abſolutum velit principem? etiam cœlum terræ rector ſapientiſſimus ſævit in ipſam, hyemis, fulgurum, grandinum inclementiâ, & infœlicium ſyderum ſtatis influxibus.

MAGNITVDO. Reſpublica vnum eſt corpus immortale, pluribus ſibi ſuccedentibus rectoribus informatum; ſic cum ejus ſtatus ſit in fluxu, non debet ex vnius regentis conditione, ſed ex omnium ſimul æſtimari; vt fluvius ex aquarum nunc placido, nunc in fluctus tumeſcente, aut in vortices dehiſcente curſu, vt longum iter ex planis, aſperis, aut lutoſis; vt vita ex actione, ſomno morbis; ita malos vnius mores compenſat aliorum probitas; nihil inferiora poſſunt, nec tentant contrà ſuperiora.

DVRATIO. Si vnicuique liceret in rectorum mores, & conſilia inquirere, nullius ne vnâ quidem die ſtaret imperium: nam vix placidis oculis videtur ab his, quorum naturalem venit frænare libertatem, quorum ambitioſos conatus ſuâ promotione ſubvertit; & qualiſcumque ſit, vix poteſt altas de ſe ſpes conceptas æquare. Acerbum ſæpius regimen appareret, quia immaturum, quia inſuetum, levius id patientia efficiet. Sic curribus & horologiis de novo aptatæ rotæ laborem ſtridoremque vſus atterit.

POTESTAS. Non eſt Rector, ſi in ipſum cæteri regiminis & coërcitionis jus ſibi vendicent: ceſſere omnes naturali huic libertati, cum communi ſponſione ipſi publica poteſtas collata fuit; contractus quidam eſt initio, voluntatis, ſed poſt facto, neceſſitatis. Nullum debitoribus in creditores jus eſt, ſed contrà; ſi hunc obſequij tui creditorem habes mitem, gaude; ſi aſperum, tolera.

COGNITIO. Occulta debent eſſe regentium conſilia; nam prudentia politica maximè conſtat dolis, vt leges loquuntur, bonis. In hæc arcana myſteria nulli privato datur aditus: nec ergo licet illi judicium ferre de rebus geſtis, quarum ignorat cauſas & fines. Ducimur, noſtrum eſt ſequi, non de viâ quam ignoramus quæſtiones movere.

VOLVNTAS. Vt cœli, hyemis, æſtatis Oceani, ſic nec regnantium ſtatus, ex noſtro pendet arbitrio: ex quo Regentem fecimus in nos cauſam ſuperiorem, ejus qualeſcumque influxus, vt vim alterius majoris, pari neceſſe eſt. In ſuum tormentum ſe exagitat, ſeque ipſam torquet, dum in contrarium nititur impotens voluntas.

VIRTVS. Quantum vis tyrannicum regimen, externa tantum diripit: internæ animi dotes & virtutes, in quibus tua conſiſtit fœlicitas, intactæ remanent. Diverſa hæc temporum conſtitutio ad diverſarum virtutum exercitium te vocat: ſi in hac rerum temporalium inopiâ non potes eſſe liberalis, inter adverſa potes eſſe fortis, prudens, juſtus, temperans; & ſi neceſſariam hanc rerum humanarum abdicationem, pia ſub providentiæ legibus reſignatio fecerit voluntariam, eris maximè Religioſus. Princeps tol-

lit à te idipſum quod à multis tollit pietas; exoneratus expeditior eris ad virtutis viam, imò & ad certamen; nullæ eſſent coronæ, ſi nulli eſſent, cum quibus certaretur, hoſtes.

VERITAS. Non ſemper rectam oportet eſſe regulam: ſed interdum lesbiam, plumbeam, neceſſariis, temporum ſæculorumque aptandam erroribus, Adde quod non ſunt ſemper vera, quæ rectoribus inſcribuntur vitia: aut mobilis populi, reorumque damnatorum, & ſibi timentium iniqua vox mendacium facit. Fatum eſt regni, quod putas eſſe vitium Principis: hic, vt in morbis, nondùm cognitâ causâ, tutum non eſt, fortè nocitura tentare remedia.

GLORIA. Hi conatus contrà rectorem, pacem, vt plurimùm, turbant ſinè fructu & cum maximo Reipublicæ damno: imminútâ ejus authoritate, ſi inermem feceris juſtitiam exundant crimina, ipsâ impunitate ſecura; hoſtibus qua irruant, hac diviſione via lariſſima aperitur: & qui noluerunt fieri legibus Principum obedientes, fient ſævientium hoſtium ſervi.

DIFFERENTIA. Specialia ſunt quæ ex malo Principe civibus eveniunt incommoda. At vniverſale malum eſt ordinem politicum perturbari, negato rectoribus obſequio. Non vno tenore decurrunt ſæculorum regimina: habet Reſpublica, certis ſuis ætatum gradibus, proprium temperamentum, in aliis mutabile habet & morbos ſuos, certis redeuntes intervallis, fatali quâdam lege; quid miramur affici & mutari quod eſt rerum mutabilium numero, & nutare, quod tandem debet concidere? Eadem providentia, quæ te voluit hoc tempore naſci, voluit & hanc communem cæterorum ſortem ſequi.

CONCORDANTIA. Connexa ſunt ſibi invicem ſæcula, ſuaque contrarietate componunt harmoniam, licet nobis non ſatis notam; incidiſti in hujus tabellæ vmbras, aut fuſcos colores, oculos vlteriùs protende, videbis quomodò hæc, quæ nunc apparent adverſa, præteritis aut futuris ſæculis conveniant.

CONTRARIETAS. Quis excandeſcet in chirurgum, quaſi in homicidam, dùm fundit ſanguinem, dùm ſecat, dùm vrit immiti ferro, jacentis & patientis ægri non motus clamoribus? Neceſſe erat à bellicoſo Principe regimen teneri, vt de nimiâ populi multitudine bella detraherent, vt luxus paratis ſuis opibus defraudaretur, vt turgens, torpenſque alimentis Reipublicæ corpus hæc ſanaret & ſuſcitaret diæta. Quod tibi noceat, prodeſt Reipublicæ, cui natus es: Quid contrà torrentem fruſtrà niteris? quid pertinaciâ graviùs in te ſævituram irritas poteſtatem, & rupem, quâ conteraris, nudâ percutis manu?

PRINCIPIVM. Regit Regentes numen, cujus certa providentia, hæc de quibus conquæreris eveniunt. Acquieſce huic immutabili & juſto rerum ordini. Tam tibi vanum eſt tentare, ne ignis vrat, ne fera in prædam irruat; quàm ne Principis cupiditas in populum ſæviat: Malum eſt, vndè Deus & tuo & futuro ſæculo profuturum bonum eliciet.

MEDIVM. Is quem vocas injuſtum & crudelem, miniſter eſt divinæ juſtitiæ. Cave ne regnantem Deum in miniſtro offendas: Fœlix ſævitia, ſi te mundanis eripit, vt Deo conjungat. Accidentia vltrò feruntur cum ſuis ſubjectis, in ſuam licet perniciem; dulcedo fluit cum aquis in mare peritura.

FINIS. Quidquid patiaris, non eſt juſta conquærendi cauſa, neſciens finem quem intendit Rector, & quare providentia divina permittit Rempublicam his adverſis tentari; ſi illius ægritudines ſunt diuturniores quàm noſtri corporis, id fit quia & regnis diuturnior vita: morbi quidam chronici exaſperantur remediis, ideò relinquendi ſunt naturæ; donec ſpõte ſuâ deſinãt.

MAIORITAS. Prejudiciale eſt quidquid fit in publicum; juſta licet cauſa reſiſtentiæ trahitur in exemplum rebellionis, ſeditionis, & tandem belli civilis; ſicut ex accenſo, neceſſitatis causâ, lumine inter pulveres pyrricos momento fit ingens incendium; majus ex reſiſtentiâ damnum, quàm commodum. Siſti enim & ſedari vix poſſunt irati Principes & populi diffidentiâ, odiis, injuriis ſibi ſemper accreſcentibus.

ÆQVALITAS. Rector primus tangitur fortunâ, vt tectum ærtis injuriis; æquum eſt, vt compatiaris moribus ejus, qui pro bono publico multa patitur, cæterùm in regimine, vt in agricultrâ, vnius anni fertilitas aliorum penſat ſterilitatem.

MINORITAS. Sydera Eclypſim patiuntur; dormitant etiam extrà ſomnum, & in ipſis conſiliis, ſapientiſſimorum animi. Non ſunt immunes à defectibus qui regunt, & ſi ob id eſſent ejiciendi; cum & ipſis multa falsò adſcribantur, nulla vel innocentiſſima poteſtas immunis eſſet à vi publicâ.

QVÆ IMPEDIANT potentiam & actionem.

MISCELLANEA.

VIde *Finis & Minoritas Poteſtatis & Principium Bonitatis, Magnitudinis.* & cæterorum Principiorum, quorum defectus faciunt impotentiam.

Actio læditur, & impeditur, vel ob vitium organi, vel ob errorem exterum, organo ex ſe benè diſpoſito, incidentem, vt defectus caloris & ſpiritus influentis.

Iis qui argentum vivum tractant, vt aurifabris plerumque nervi læduntur. Sic Inconſtantia, & nimia ſcientiæ curioſitas franguntanimos. *Vide Majorit. Cognit.*

Sexta perſequutio ſub maximino maximè contrà Prælatos ſæviit.

Tyranni divites omnes ſuſpectos habent, oderunt, & deſtruunt. Ariſt. 1. polit. 5.

Commune eſt tyrannidi, & ſtatui populari, vt compeſcant nobiles.

Non ſolum natura abdidit metalla & gemmas in terræ viſceribus, itaut non niſi cum magno labore effodiantur, ſed etiam cum vitæ periculo, propter infeſtos vapores.

In ſtatu populari pauperes inſurgunt contrà divites potentiores. Ariſtot. 4. politic. cap. 25.

Diſpoſitio quælibet lædens operationes eſt malum.

Metus dejicit vires, ac proindè tremorem inducit.

Bella pauperiem inducunt.

Mercurius Planeta ad ſcientias inclinans, contrarius eſt Iovi, à quo potentia, habetque domos ſuas, illius domibus oppoſitas.

Corpora humana ſe ſentiunt tardiora, & debiliora Auſtro Flante, quia propter teporẽ exhalãtur ſpiritus.

Corporum cœleſtium incorruptibilium dicuntur vires deficere, vel propter indiſpoſitionem materiæ in inferioribus, vel propter libertatem hominis.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

NOn omnis cauſa per ſe, propria & ſufficiens, cauſat neceſſariò ſuum effectum, quia poteſt

impediri. D. Thom. 1. q. 115. a. 6.

Effectus duplices ſubtrahuntur à cauſalitate corporum cœleſtium, ſcilicet effectus per accidens contingentes in humanis, vel naturalibus, & actus liberi arbitrij. 2. 2. q. 95. a. 5.

Dæmones non permittuntur facere omnia quæ poſſunt naturaliter, nec datur eis poteſtas faciendi aliquid ſupernaturaliter. 1. q. 114. a. 4. ad. 2.

Habitus aliquando ſic ligatur, quod non poteſt exire in actum; ſicut vſus & judicium rationis per iram; & ſcientia per ebrietatem. 1. 2. q. 48. a. 3.

Incarcerare hominem, vel ligare, & qualiter cumque detinere eſt illicitum, niſi fiat ſecundùm ordinem Iuſtitiæ, vel in pœnam, vel in cautelam alicujus mali vitandi. 2. 2. q. 65. a. 3.

Non licere alicui contingit dupliciter, ſcilicet ratione prohibitionis, & ratione defectus. 2. 2. q. 187. a. 1.

Res naturalis dupliciter non poteſt ab alio moveri, ſcilicet propter impedimentum fortioris motoris; vel quia non ſubjicitur illi quo ad illud. 2. 2. q. 104. a. 5.

Vt ſacrilegi ſunt habendi, qui Eccleſiâ Dei non permittunt regulariter ordinari. 1. q. 1. can. ſunt quidam.

Contrariari malæ poteſtati. *Vide Contrariet. Minor.*

Vide quomodò Deus per Iſayam minatur ſe repreſſurum ſuperbiam Regis Aſſyriorum. Ponam circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti. 4. Reg. 19.

Aquila grandis aufert medullam cedri Libani, & ſummitatem frondium ejus, & tranſportat in terram Chanaan. Ideſt Rex Babylonis fortes terræ Ieruſalem tollit ſecum, vt ſit regnum humile & non elevetur. Ezech. 17.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & dominus ſubſannabit eos; tunc loquetur ad eos in irâ ſuâ, & in furore ſuo conturbabit eos, &c. Pſal. 47. Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, tremor apprehendit eos. Ibidem. In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis. Ibidem.

Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas Leonum confringet dominus. Pſal. 57.

Ab increpatione tuâ Deus Iacob dormitaverunt, qui aſcenderunt equos. Pſal. 75.

Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël impedivit. Pſal. 77.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Pſal. 147.

Nemo poteſt domum fortis diripere, niſi priùs fortem alligaverit. Math. 12.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

De exceptionibus. Inſt. 4. 13. ff. 44. tit. 1.
De interdictis. Inſt. 1. 15. Cod. 8. tit. 2.
Arborum furtim cæſarum. ff. 47. tit. 7.
De avulsâ terræ cruſtâ. Leo. Novel. 95.
De effractoribus, & expilatoribus. 47. tit. 18.
De furibus balneariis. ff. 47. tit. 17.
De furtis. ff. 47. tit. 2. & 6. Cod. 6. tit. 2.
De graſſatoribus. Novel. 70.
De his quæ ex publicâ collatione illata ſunt non vſurpandis. Cod. 10. tit. 73.
De injuriis. Leon. Novel. 44. Cod. 9. tit. 35.
Ne vis fiat ei qui in poſſeſſionem miſſus eſt. ff. 43. tit. 4.
Rerum amatorum. Cod. 5. tit. 21.
De termino moto. ff. 47. tit. 21.
De vi bonorum raptorum. Inſt. 4. tit. 2.
De dolis. *Vide Minoritas Veritatis.*
De furtis. decret. lib. 5. tit. 18.

Agendi poteſtatem non habet, qui apud hoſtes eſt; vel qui Reipublicæ causâ abeſt; vel qui eſt in vinculis, aut tempeſtate detinetur. l. 1. ff. de diverſ. & temper.

QVÆ IMPEDIANT, potentiam & actionem.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Sunt quædam naturales & eſſentiales impotentiæ, vt ſic conſtituatur ordo, & infirmiora entia potentioribus ſubſternantur. Spiritus qui ſunt vitæ theſauri, nimio labore profuſi, cum actione deficiunt.

Magnitvdo. Vt nervorum compreſſio, & contuſio, ſic laxatio impedit actionem; magna moles difficiliùs movetur, ingens exercitus Xerxis mole ſuâ corruit. Vt plurimùm in diſtentâ materiâ vis diffuſa, minus vnita, non ſufficiens, eſt debilior.

Dvratio. Creſcunt mortalia vſque ad exiſtentiæ ſuæ apicem, indè quo magis procedunt plùs minuuntur; & actionis ſucceſſivâ defectione, ad exitum ſuum inclinant. Odorifera tandem, calidorum & ſubtilium ſpirituum emiſſione, vacuantur, & fiunt inodora. Quidam non niſi ex impetu fœliciter agunt. Semper nocuit ad certamen ruentibus ſponte ſua militibus moras trahere, & ferventibus animis, quo tepeſcant, tempus conceſſiſſe.

Potestas. Major poteſtas coërcet minorem, Sol aſtrorum lucem obſcurat. Magna potentia non vult ad minora deſcendere; Princeps ſcientias & artes, ad quas fato ſuo natus eſt, negligit; moloſſus cum catellis, etiam concitatus, non venit in certamen. In humanis ſæpiùs hæc ambitio minima contemnens, majora non conſequitur, ſic vtriſque privata jacet.

Cognitio. Vt cognitio boni futuri promovet actionem, ſic illam ſiſtit mali præviſio; hæret etiam concitatus impetus ad conſpectum præcipitij, feræ, aut hoſtis; ſic prudentia ſuſpendit greſſum, moras trahit, vires continet, & prodire vetat, donec optata ſeſe offerat occaſio: Sapientes, quia magis prævident pericula, ſunt minùs audaces; vndè tympanorum & tubarum ſonitu avocantur, turbantur, concitantur militum animi; auguriis veris, aut falſis oraculis, prædictionibus Aſtrologicis ligantur ſuperſtitioſi vires, & ab inceptis deterrentur.

Voluntas. Amori nihil impoſſibile; vbi deeſt affectus, jacent fractæ & quaſi nullæ vires. Stoïcorum Philoſophia, quæ ſapientem ſuum vult paſſionibus omnibus carere, multùm detrahit fortitudini, & ardori ad actionum conflictus neceſſario; languet enim, & tardè nimis ad occaſiones venit ſolitaria virtus, paſſionibus deſtituta.

Virtvs. Regit paſſiones, nec ſinit quâ voluerint efferari; continet temeritatem, voluptates tactus Temperantia, metum ad crudelia pro ſuâ ſecuritate pronum, Fortitudo; vim & dolum malum in rebus privatis publicíſque, Iuſtitia.

Veritas. Leges divinæ & humanæ impediunt ne vis omnia dirimat inter homines, vt inter animalia, ne potentior innocentem opprimat, ne cupiditates laxis habenis in objecta ſua ferantur; fides divina

cohibet tationis humanæ vagos motus, illamque in obsequium suum redigit.

Gloria. Vt honor ad præclara concitat, sic ab illicitis avertit: Nobiles à latrociniis, à pusillanimitate, à perfidiâ; mulieres à stuprîs, & adulteriis, &c.

Differentia. Vt vnita sunt fortia, sic divisa languent, quemadmodum partes corporis solutione continui, acceptâ plagâ. Nulla victoriæ spes, si consiliis & viribus divisus sit exercitus. Ipsa mors in quâ concurrunt privationes omnes naturales, nihil est aliud quàm divisio animæ à corpore.

Concordantia. Princeps ex omnibus nobilioribus familiis quosdam promovet, sibique beneficiis addicit, vt consanguineos omnes sibi similiter devinctos efficiat, ne quid in ipsum moliantur. Nupti minùs videntur audaces, timent enim non tantum sibi, sed vxori, & liberis; vndè ab exercitu mulieres profligantur. Ex omni mixtione pejoris in pejus fit alteratio; minus agit vinum aquâ temperatum; infirmioris societas onus est.

Contrarietas. Contraria se mutuò impediunt, & ab invicem patiuntur. Hac æquali resistentiâ stat mundi totius ordo: hostium impetus sistunt arma etiam in pace tractata. Principis excessus, continet populi & optimatum potestas.

Principium. Insunt seminibus à cœlo, seu ab ipsis immediatis causis, innati quidam defectus, quos vitare difficillimum. Hinc hæreditarij morbi; hinc peccatum originale, vndè sic infirmantur animarum vires, vt plurimùm effectus debilitas causæ est adscribenda.

Medium. Plures nostri defectus procedunt ex intemperie corporis & organorum, animo sic aptè non servientium; quod non consequuntur, & quod patiuntur Respublicæ, ministris debet imputari; sic bonus artifex ægrè fert in opere suo defectus, ex à defectu organorum natos.

Finis. Qui ad vnum finem tendit, cæteris se negat. Non vagatur navis, datis quâ fert ventus velis; non lustrat omnia littora, non insidiatur prædæ, cùm vult portum consequi: sic à mundanis abstinet cœlestium contemplator; & Deo vivens, mundo sibique dicitur mortuus. Concidunt potentiæ omnes, cùm præscriptum sibi à naturâ terminum attigere.

Maioritas. Explicatus in liberum aërem radius non adurit, vt ex concavo reflexus: à communibus abstinent, qui excellentiam ambiunt. Gratia naturæ noxias vires ad libitum coërcet; sic miracula suspendunt ignis adustionem, aquarum fluxum, ferarum sævitiam.

Æqualitas. Æquo pondere libratæ lances, mutuò sibi sunt impedimento, ne grave deorsum feratur. Æquis viribus hinc indè tracta navis non movetur; quia non habetur agens, nisi quandò secum decertantem potentiam superat, & passivam facit.

Minoritas. Minor ætas impedit bonorum possessionem, liberosque contractus. Consumpto per senectutem humido radicali, vires deficiunt; vt exercitus, si reducatur ad parvum militum numerum: minùs percutit exilis malleus; multa non fiunt, quia vires hominum continet civilis, Militaris, Æconomica, Religiosa obedientia, naturalis autem industriæ & omnium civilium munerum sæpè vacationem facit nimia paupertas, & jacens in fæce plebis fortuna.

PRINCIPIVM POTESTATIS.

VNDE ORITVR POTESTAS, SEV QVÆ SINT causæ Potestatis.

MISCELLANEA.

Dignitates virtuti deferunt. *Vide Potestas Virtutis.*

IN Hæreâ, cùm per electionem sumere Magistratus solerent, postea sortiti sunt; quia eorum electiones in homines turpes pudendosque cadebant. Arist. 5. polit. 3.

Regia potestas pro tutelâ præstantium virorum contrà populum reperta est, & fit Rex ex præstantibus per excellentiam virtutis; Tyrannus verò originem habet à populo, qui se vult tueri contrà nobilitatem. Ibidem cap. 10.

Principium Monarchiæ Violentia; primum enim regnum fuit Assyriorum, in quo primus regnavit Nembroth; qui dicitur magnus venator. Vide Bodin. lib. 4. Reip. cap. 1.

Potestas Imperandi, vel est divina, à Deo scilicet; vel humana, consensu subditorum expresso vel tacito; estque vel ordinaria vel extraordinaria; ordinaria est vel per successionem, vel per electionem; extraordinaria, vel frequentior vel rarior; frequentior mediis pacificis, vt jure dotis, testamento, vel jure belli, cum legitimo bello principatus paratur; tarior cum electio casui vel sorti committitur.

Gentes plerumque sunt effusæ ab ortu & septentrione versùs occasum, prout pleraque imperia propagata sunt ex septentrione in austrum: sic Assyrij tanquàm septentrionales vicerunt Chaldæos, Medi Assyrios, Græci Persas, Parti Græcos, Romani Pœnos, Turcæ Arabes & Saracenos; Hunni, Vandali, Gothi, Italiam & Hispaniam, Germani plùs meruunt Tartaros quàm Turcas. Vt aquæ, sic populi fluunt à septentione, sub quo, calore per frigus concentrato, fœcundiores sunt generationes.

Accidens in virtute substantiæ attingit productio-

nem ſubſtantiæ, tamen authoritas producendi remanet penes ſubſtantiam.

Motus procedit à cognitione & appetitu objecti convenientis. *Vide Poteſtas Cognitionis & Voluntaris.*

In graviſſimâ neceſſitate reviviſcit jus priſtinum rebus vtendi, tanquam ſi communes manſiſſent, quia in omnibus legibus videtur neceſſitas excepta.

Ius in perſonas acquiritur generatione, vt parentibus; conſenſu, vt qui ſe aliis dedunt in ſervos aut vaſallos; denique delicto, aut juſto bello.

Ferrum, licet in ordine elementari vt metallum, ſit ſuperius magnete, quia tamen eſt inferius in ordine cœleſti, & vrſæ influxu, fertur ad illum: ſuperius enim trahit ad ſe inferius, vt illud perficiat, & inferius fertur ad ſuperius vt perficiatur. Sic in ſerie Solis inferior homo admiratur ſuperiorem; in ordine Iovis veneratur; in Martio timet; in Venereo, inferior ad ſuperiorem rapitur amoris ardore, deſeritque ſeipſum; In Mercuriali ſemper diſcit, vel perſuadetur ab illo; In Lunari, motum hic ab illo ſæpiùs exorditur; in Saturnali quietem. Marſil. Ficinus, de vitâ cœlitus comparandâ. cap. 15.

Fœtus in vtero materno non vtitur ſuo pulmone aut corde, ſed ſufficit ei pro reſpiratione motus arteriarum à Matre.

Triplex origo regiminis, aut per ſucceſſionem, aut per electionem, aut per uſucapionem. Electi ſunt aliqui immediatè à Deo, vt Moyſes; alij ab vno homine, vt Tiberius ab Auguſto, Caligula à Tiberio, Nero à Claudio, Piſo à Galba; Alij à multitudine, vt Vitellius & Veſpaſianus à militibus.

Natura eſt Principium motus ejus in quo eſt primò ac per ſe, & non ſecundùm accidens. Ariſtot. 2. phyſic.

Muſculi brachium moventes ſunt in humero, carpum & digitos manus in brachio, femur moventes in coxâ, tibiam moventes in femore, pedem in tibio. Vide Fernelium de partib. corpor. human. cap. 5.

Ariſtot. 1. politic. 3. & 4. probat naturaliter ingenio præſtantiores populos cæteris debere dominari. *Vide ſuprà Bonitas Poteſtatis.*

Accidentia vt actum entitatis trahunt à ſubſtantiâ, ita & operandi virtutem.

Actio naturalis ſemper præſupponitur aliis actionibus; operatio artis fundatur ſuper operationem naturæ, & hæc ſuper creationem; ars enim non poteſt conferre formam ſubſtantialem.

Nullum corpus movet non motum.

Forma eſt actus ſimplex ſubſtantialis, vnum per ſe tum materiâ componens, primum principium operationum rei; dicitur primum, ad differentiam proprietatum, quæ ſunt ſecundaria operationum principia. Materia agit tantùm virtute formæ.

Motus cœli eſt in vniverſo rerum corporalium, ſicut motus cordis in animali, quo conſervatur vita. Virtus ſecundi moventis dependet à primo.

Agit vnumquodque ſecundùm quod eſt perfectum actu; & patitur ſecundùm quod eſt imperfectum; indè oritur potentia activa & paſſiva: Potentia enim agendi ſemper conſequitur perfectionem naturæ.

Intelligentiæ movent cœlos.

Dominantes in horoſcopo Sol & Iupiter, maximè ſi ſint in decimâ, dant dignitates. Origan.

Corporis actiones à corpore non proficiſcuntur.

Ejus facultates, non ſimul omnes oriuntur, prima altrix, ſecunda vitalis, poſtrema animalis.

Plato lib. 3. de legibus dicit paucos homines paſtores, in montibus à diluvio ſalvos, primò jus domui ſuæ dixiſſe, deindè in vnum convenientes metu ferarum, & ob aliorum diſſentientem voluntatem, ſeniores ſibi præfeciſſe.

Ibidem lib. 7. Refert hæc eſſe naturaliter principatus principia; primò vt genitores natis imperent, generoſi ignobilioribus, ſenes junioribus, domini ſervis, potentiores imbecillioribus, prudentes imprudentibus, ſorte electi aliis.

Ex eo quod homo factus eſt ad imaginem Dei præeſt piſcibus maris; ideſt paſſionibus ſuis & alienis. Picus Mirandul.

Mixta inanimata non habent alium motum, prætet motum elementi prædominantis, videlicet terræ, ità ſunt in eodem loco; animalia autem habent motum progreſſivum, qui conſtat partim violento, à formâ; partim naturali, ab elemento prædominante.

Principium quod dedit eſſe, eſt etiam principium actionis, in vtroque enim effectus illi aſſimilatur; & ad hoc tendunt omnes potentiæ tum activæ, tum paſſivæ.

Cauſæ naturales non dant actu omnimodam perfectionem ſuis effectibus, ſed potentiam ad illam perfectionem acquirendam; vt equus generat parvum equum, &c. Id à quo, & ad quod eſt motus eſt quieſcens.

Naturalis potentia fit ex victoriâ formæ ſuper materiam; impotentia verò, ex victoriâ materiæ & privationis ſuper formam, quam contraria impedit diſpoſitio.

Inter cauſas acquirendi dominij, bona fortuna recenſetur, quæ eſt impetus in animâ, quo ſinè ratione & conſilio ferimur ad bonum, & ad quæ benè habebimus; procedit vel ab influxu cœlorum, qui agit in temperamentum & in paſſiones, ſic indirectè in animum; vel ab inſpiratione Angelorum; vel à Deo, cui proprium eſt movere voluntatem. Vide Div. Thom. adverſ. gentiles. lib. 3. de benè fortunatis.

De extraordinariâ Poteſtate miraculorum quæ habetur à Deo. *Vide Major. Poteſt.*

Venæ accipiunt vim ſanguinem perficiendi à jecore, vt vaſa ſpermatica ſemen faciendi à teſtibus.

Senſus & motus non ſunt innati in partibus corporis, ſed procedunt aliudè, ſcilicet à cerebro per nervos.

Non per ſe, & ſuâ propriâ virtute ſpiritus in nervo affert ſenſum & motum partibus corporis, ſed vi acceptâ à cerebro, & à continuo ejus influxu; vndè non magis poteſt ab eo ſeparatus ſervari quàm radius ſinè ſole. *Vide Principium Virtutis.*

Actio ex oppoſitione contrariorum oritur, oppoſitio autem conſiſtit in qualitatibus: Nam ſi actio eſſet à materia, vna eſſet eadem in omnibus: agunt per id quod ſunt, ſunt autem per formam, & potius attingunt patiens qualitate, quàm quantitate; ignis enim, non quia ampliſſimus, ſed quia ferventiſſimus, vrit, vndè effectus naturales potius qualitate quàm quantitate ſimiles producuntur: non fit magnus appropinquando magno corpori, ſed calidus calido, priùs vitur paries qualis, albus, lucidus quàm magnus. Marſil. Ficin. Theol. Plato. lib. 1. cap. 2.

Cùm Origenes aſſeruiſſet animas in cœlo peccaſſe, & in pœnam in corpora eſſe immiſſas. Mota eſt difficillima quæſtio inter Patres Eccleſiæ de origine animarum. Hanc D. Auguſtinus, D. Hieronymus non audent ſolvere: indeciſa etiam manſit vſque ad Gregorij Magni Papæ tempora. Baron. anno 415.

Finis poteſtatis vnius eſt alterius initium. *Vide Finis Poteſtatis.*

Baconius vocat motum excitationis, vbi agens nobilius motum in alio latentem & ſopitum excitat.

Iudicium de facultatibus ſumitur à parte fortunæ,

à domo, in qua est, & ejus dispositore fœliciter constituto. Saturnus promittit divitias ex ædificiis & agricultura, Iupiter ex sacerdotio, Mars ex militiâ, Venus per amicos & mulierum donationes, Mercurius per eloquentiam & mercaturam. Ptolomæus. lib. 4. cap. 2. prædict. Astrologic.

Romulus & Remus geniti sunt ex Marte, & Rhea Sylvia sacerdote. Florus cap. 1. Conjunctio Iovis & Martis confert ad potestatem.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE acquirendâ vel omittendâ hæreditate. ff. 29. 2. possessione. ff. 41. tit. 2. Cod. 7. tit. 32.

De acquirendo rerum Dominio. ff. 41. 1.

De acquisitione per adrogationem. Instit. l. 3. t. 11.

De assignandis libertis. ff. 38. 4.

Arbitrium tutelæ Cod. 5. tit. 51.

De beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris succedat. Feud. 1. cap. 20.

De bonis authoritate judicis possidendis. ff. 42. tit. Cod. 7. tit. 72.

De bonis quæ liberis in potestate constitutis, ex matrimonio, vel alias acquiruntur, & eorum administratione. C. 6.

De bonis vacantibus, & incorporatione. Con. l. 9. tit. 10.

De confirmando tutore. C. 5. 29. ff. 26. 5.

De Iure Dominij impetrandi. C. 8. tit. 34.

Ne sinè sententiâ Principis Episcopus creetur. C. l. 4. Niceph. Phoc.

De obligationibus & actionibus. Inst. 3. t. 14. ff. 44. tit. 7. Cod. 4. 10.

De ordinatione Episcoporum & Clericorum. Novell. 127.

Per quas personas nobis acquiritur. Inst. 1. tit. 9. Cod. 4. tit. 27. & 3. 29.

Per quos fiat investitura & per quos recipiatur. Feud. 2. tit. 3.

De prædiorum acquisitione. C. l. 1.

Pro derelicto. ff. 41. 8.

Quemadmodùm civilia munera inducantur. C. 10. tit. 42.

Quibus ex causis in possessionem eatur. ff. 42. t. 4.

Qui Feudum dare possunt & qui non, & qualiter acquiratur & retineatur. Feud. lib. 1. tit. 1.

Qui pro suâ jurisdictione judices dare, darive possunt. Cod. 3. 4.

De rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio. Inst. 2. 1. ff. 1. tit. 8.

De servitute legatâ. ff. 33. tit. 3.

De servitutibus rusticorum & vrbanorum prædiorum. ff. 8. tit. 12. Cod. 3. 34.

De inventione thesauri. *Vide Veritas Potestatis.*

Princeps legem potest ferre, quia lege Regiâ populus ei & in eum omne jus, imperium & potestatem contulit. l. 1. ff. de constitut. princip.

Filios familias non solum natura, sed & adoptiones faciunt. l. 1 ff. de adoptio.

Ius regaliæ est præcipuos Magistratus constituere. Vide Bodin. 1. Reip. cap. 10.

De electione & electi potestate. dec. 1. t. 6.

De scrutinio in ordine faciendo. dec. 1. t. 12.

De successionibus ab intestato. dec. 3. tit. 17.

De temporibus ordinationum. dec. 1. tit. 11.

De testamentis & vltimis voluntatibus. d. 3. 26.

Clericorũ est eligere, & populi consentire. dist. 62.

A De legatis & donationibus.

Fœmina in potestate liberos non habet, nisi ex speciali privilegio Principis, ac indulto. l. 21. ff. de statu homin.

Is jurisdictionem mandare potest, qui eam suo jure, non alieno beneficio habet. l. 5. ff. de jurisd.

Iustus possessor & petitor est, qui ex liberalitate accepit. l. 7. ff. de public. in rem actione.

Iure gentium Regna sunt condita. l. 5. ff. de Instit. & Iure.

In extremâ necessitate reviviscit jus rebus vtendi, tanquàm si communes mansissent, & primi divisores, censentur hanc habuisse intentionem. Sic in navigatione si deficiant cibaria, quod alicui est particulare, debet in commune conferri. l. 2. §. cum in eadem. ff. ad l. Rhod. deffendendi mei causâ, orto incendio possum vicini ædificium destruere l. quo naufragium. §. quod ait ff. de incendio. Funes aut retia possum descindere, in quæ navis mea impulsa est, si aliter explicari nequit. l. quemadmodum §. item ff. ad l. aquilam. sic certa præsidia possunt occupari ad vitandum hostem, cum animo tamen restituendi, vitato periculo.

Ædificium cedit solo, secus in piscatore, qui in littore maris facit casulam, tunc enim solum, quod publicum erat, fit privatum. l. fin. ff. de vsu cap. l. quod in littore. §. fin. ff. de aquir. rer. dom.

C Omnia animalia, quæ terrâ, mari, cœlo capiuntur, capientium fiunt; quod enim nullius est, ratione naturali occupanti conceditur: item nata ex animalibus Dominio nostro subjectis: per alluvionem & latens incrementum. l. 1. & seqq. ff. de acquir. rer. domin. per servos, & eos quos bonâ fide possidemus. l. 10. eodem.

Thesaurus est vetus depositio pecuniæ cujus non extat memoria, vt jam Dominum non habens fiat accipientis, & ejus qui invenerit. l. 31. eodem.

Dominium rerum ex naturali possessione cœpit, cujus vestigium remanet in his, quæ cælo, terrâ, marique capiuntur. l. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. sic gemmæ in littore inventæ fiunt occupantis.

D Princeps dat Magistratus, vt præcludatur occasio ambitus, & clam pecuniâ obtinendi populi suffragia. l. vnic. ff. ad l. Iul. de ambitu.

Episcopi eligunt Abbates Monachorum. Novel. 5. de Monachis. cap. 9.

De electione S. Pontificis. can. in nomine. dist. 23.

Episcopum vel Abbatem Feudum dare non posse. Feud. 1. tit. 6.

Naturaliter omnes homines sunt liberi. Iure gentium servitus introducta. l. 4. ff. de inst. & Iur.

Legatus Proconsulis non priùs habet jurisdictionem in provinciâ, quàm Proconsul ipse ingressus fuerit. l. 4. §. final. ff. de offic. procons. Potest tamen

E si necessaria mora fuerit. l. 5. eodem.

Arbiter nihil potest vltrà illud, quod est sibi in compromisso concessum. l. 32. §. de officio. ff. de recept. arbitr.

Episcopi debent consentiente populo eligi, & in paribus suffragiis is præferendus, cui populus magis consentit, ne civitas Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit. Can. si forte dist. 63. Archiepiscopus autem ab omnibus Episcopis suæ Provinciæ. Can. Archiepisc. 66.

Vbi multitudo fidelium excrevit, ibi Episcopi sunt ordinandi. 16. q. 1. Can. præcipimus. *Vide Bonif. Potest.*

In personâ Petri ligandi & solvendi Ecclesia potestatem accepit. 24. q. 1. Can. quodcumque.

Potest induci consuetudo, quod vna Ecclesia de gremio

gremio alterius teneatur ſibi Prælatum eligere. cap. cum dilectus, de conſuetudine.

Ad Reges Hiſpaniæ pertinet nominatio Epiſcopatum quem voluerint, dummodò Toletanæ ſanctificis judicio habeatur dignus. Concil. Tolet. 12. Can. 6.

Electiones Epiſcoporum faciendæ ſunt ab Epiſcopis, non à Magiſtratibus & Principibus. 7. Synodus. Can. 3.

Vide Principium & Medium Majoritatis.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

IN ſtatu innocentiæ homo non fuiſſet dominatus homini vt ſervo, qui tamen excelluiſſet in ſcientiâ alium direxiſſet, & eo fuiſſet eminentior. D. Thom. 1. q. 96. a. 4.

Accidens poteſt eſſe ſubjectum accidentis, ſed per ſubſtantiam. 1. q. 77. & 78. a. 4. ad 3. 1. 2. q. 7. a. 1. ad 3.

Actio non attribuitur inſtrumento propriè, ſed principali agenti. 1. 2. q. 16. a. 1.

Forma eſt principium actionis. 22. q. 179. a. 1. ad 1.

Forma perfecta, ſecundùm eſſe reale, poteſt eſſe principium actionis tranſeuntis, non autem imperfecta. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 2.

In potentiis ordinatis, actus potentiæ ſuperioris eſt C ſicut forma actus potentiæ inferioris. 1. 2. q. 13. a. 1. & q. 17.

Agens naturale voluntarium eſt principale aut inſtrumentale. 3. q. 48. a. 6.

In omnibus agentibus ordinatis, ſecundum agit in virtute primi, quod movet ſecundum ad agendum. 1. q. 105. a. 5.

Agens inſtrumentale non agit per virtutem ſuæ formæ, ſicut agens principale; ſed ſolùm per motum à principali agente. 1. q. 18. a. 3.

Omne agens, quanto perfectiorem habet formam quâ agit, tantò major eſt ejus potentia in agendo. 1. q. 25. a. 2.

Omne agens ſecundum præſupponit aliquid à primo. 1. q. 90. a. 3.

Omne agens vnivocum reducitur ad æquivocum non è converſo. 1. q. 13. a. 5. ad 1.

In agentibus ordinatis, ſecundum poteſt dupliciter agere, vel moveri, ſcilicet ſecundùm propriam naturam, vel ſecundùm naturam ſuperioris. 2. 2. q. 2. a. 3.

In eodem corpore, ſimul ſunt anima formaliter dans eſſe, & operans operationes naturales; & Angelus operans operationes ſupernaturales. 1. q. 52. a. 3. ad 3.

In divinis principium effectivum appropriatur, patri, exemplare autem filio. q. 46. a. 3.

Ars non poteſt inducere formam ſubſtantialem, niſi virtute naturæ. 2. 2. q. 77. a. 2. ad 1.

In aliquâ materiâ eſt virtus agens, ad productionem formæ artis; in aliquâ verò non. 1. q. 77. a. 1.

Nullum artificiale, vt imagines & verba, habet aliquam vim à conſtellationibus, ſed à Dæmonibus. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

Calor naturalis agit in virtute animæ, vt inſtrumentum ejus. 1. q. 115. a. 1. ad 5.

Ignis, quantumcumque calidus, non calefaceret, niſi eſſet motus cæli. 1. 2. q. 109. a. 1.

Efficacia Baptiſmi eſt à paſſione Chriſti & Spiritu Sancto. 3. q. 66. a. 6.

In Baptiſmo materia virtutem accipit à formâ. 3. q. 86. a. 6.

Virtus in ſemine agit tripliciter, per calorem ſcilicet animalis, elementi & cæli. 1. q. 118. 3. ad 3.

Omnes operationes animales à capite principium habent. 3. q. 8. 1. influit in alia membra dupliciter, ſcilicet intra & extrà, gubernando actiones exteriores. 3. q. 8. a. 6. & 7.

Cauſa prima duplex, ſcilicet prima in genere, & prima ſimpliciter, ſcilicet Deus. 1. q. 19. a. 6.

Proceſſiones divinarum perſonarum ſunt cauſa prima creationis omnium creaturarum. 1. q. 33. a. 3. ad 1.

Operatio cauſæ ſecundæ ſemper cauſatur ſuper operationem cauſæ primæ, & præſupponit eam. 1. 2. q. 19. a. 4.

Cauſæ habent inter ſe ordinem, quia finis eſt ratio agentis, agens formæ, & forma materiæ. 1. q. 5. a. 2. ad 1.

B

Cœli ſunt cauſa eorum quæ fiunt in his inferioribus. 1. q. 115. a. 13.

Cœlum movetur ab aliquo intellectu. 1. q. 70. a. 3.

Omnis prælatio eſt introducta ex jure humano. 2. 2. q. 10.

Sicut in aliis Sacramentis, materiale elementum non eſt cauſa virtutis quæ in eo eſt, nec alicujus ſpiritualis effectus in homine, niſi mediante virtute, ſecundum quod ex elemento & virtute fit vnum; ità ſpecies non ſunt cauſa corporis Chriſti, nec alicujus ſpiritualis effectus, niſi mediante corpore Chriſti, ſecundùm quòd ex ſpeciebus & corpore Chriſti fit vnum ſacramentum. 3. q. 73. a. 1. ad 2.

Omne illud quod aliquid primò operatur eſt forma ejus. .. q. 76. a. 1.

Forma non latitat, contrà Anaxagoram; nec eſt totaliter ab ideis, contrà Platonem; nec ab intelligentiâ, contrà Avicennam; ſed educitur de potentiâ materiæ ab agente naturali, ſecundùm Ariſtotelem. 1. q. 45. a. 8.

Habitus duplex, ſcilicet naturalis, & infuſus à Deo. 1. 2. q. 51. a. 1. & 4.

Habitus intellectuales ſunt principaliter in intellectu poſſibili, ſecundariò autem in ſenſibus interioribus. 1. 2. q. 50. a. 4.

Iudicaria Poteſtas convenit toti Trinitati, ſed appropriatur Patri, ratione authoritatis; Filio, quoad D rationem judicij; & Spiritui Sancto, quoad effectum judicandi, quem homines habent. 3. q. 59. a. 1.

Authoritas principalis judicandi convenit ſoli Deo, ſed committitur hominibus & maximè Chriſto, ſecundùm naturam humanam. 3. q. 58.

Lex quintuplex, ſcilicet, lex æterna, naturalis, divina, humana, & fomes peccati. 2. 2. q. 91.

Omne quod movetur, ab alio movente movetur. 1. q. 2. a. 3.

Tota natura comparatur Deo, vt inſtrumentum agenti principali. 1. 2. q. 1. a. 2.

Modus operandi cujuſlibet rei ſequitur modum eſſendi ejus. 1. q. 89. a. 1.

E Operatio non attribuitur mobili, ſed moventi. 1. 2. q. 111. a. 2.

Rationes ſeminales ſunt virtutes rerum activæ, & paſſivæ. 1. q. 115. a. 2.

Non poſſunt ſancti, quantumcumque habeant de gratiâ, pertingere ad effectum clavium, niſi applicentur ad hoc vt miniſtri, per ordinis ſuſceptionem. Supl. q. 19. a. 4.

Cauſæ ſecundæ non conſtituunt legem neceſſitatis, vel contingentiæ, ſed conſtitutâ à ſuprema cauſa vruntur. Idem.

Operationes artis, fundantur ſuper operationem naturæ, & hæ ſuper creationem. 1. q. 45. a. 8.

Creato homine dicit Deus, replete terram & ſubjicite eam, & dominamini omni reptili, quod movetur in eâ. Geneſ. 1.

Gedeoni poſt victoriam de Madian, dicit populus, dominare tu noſtri. Iudic. 8.

Statuunt Iſraëlitæ, vt qui primus pugnaret contrà Ammonitas, hic eſſet dux populi, quod fecit Iephte. Iudic. 10. & cap. 13. Samſon ab infantiâ ſuâ eſt Nazarenus Domini, & liberat populum.

Saül obtentâ victoriâ de Philiſthiim iterùm ſe facit proclamare Regem in Galgalâ. 1. Reg. 1.

Statim vncto clàm Iehu in Regem à filio Sacerdotis omnes conſentiunt, & conficiunt tribunal de palliis. 4. Reg. 9.

VNDE ORITVR *poteſtas.*

DEMONSTRATIO.

Vide Poteſtates omnium Principiorum.

BONITAS. Beneficis viventibus antiquitas ſoeptra detulit, & mortuis divinos honores. Olim candidati vrbanitate, officiis, largitionibus blandiebantur populo ad honores aucupandos; ſic Abſalon conabatur ſibi conciliare populum. Donatio eſt modus acquirendi Dominij, & eſt primum principium potentiæ; omnia enim nobis à Deo: Regibus populi dederunt jus ſuum, & eorum poſteà munere quilibet evehitur.

MAGNITVDO. Magna prævalent minoribus, militum numero exercitus fit potentior; non prodeſt cibus, aut medicamentum, niſi ſint in convenienti quantitate: bonum ex integrâ cauſâ.

DVRATIO. Conſuetudo legis habet vigorem, imò & naturæ: vſucapione acquiruntur dominia; vſurpata à tyrannis tempore ipſo legitimantur; ſicut ab irruptione populorum.

POTESTAS. Ipſa poteſtas ſibi accreſcit; victoribus cedunt victoriæ; divites, pro ratione ſuarum facultatum, illas augent novis redditibus; ſic magna arbor magis proficit.

COGNITIO. Ars imitatur, corrigit, ſuperat naturam. Res omnes, ſeu privatæ ſeu publicæ magis promoventur induſtriâ quam viribus: hinc ſapientes ad Regimen aſſumpti; vis enim hominis in ratione.

VOLVNTAS. Amor pingitur armatus, dat enim vires, cum accendat ſpiritus. Omnia poteſt in eum, cujus poſſidet cor; imperat enim cæteris paſſionibus. Tam gratum amoris Imperium, vt amantes ſervitutem ſuam cuilibet libertati præferant; audax pro pullis ſuis gallina: Primi Principes amore populorum conſtituti ſunt.

VIRTVS. Politiæ fundamentum; virtuti aut deferuntur, aut deferri putantur dignitates: quod ſi averſâ fortunâ illis careat, nobiliſſimum ſaltem eſt imperium dominari paſſionibus, quæ populorum victoribus dominantur. Quærite primum regnum Dei, & omnia adjicientur vobis.

VERITAS. Legibus præſcripto ordine conferuntur dignitates: interdum oraculis, augurijs, ſortibus & electionibus, quaſi præſidente numine.

GLORIA. Gloriæ ſtimuli generoſos animos ad magna concitant; ſic olim decreti apud Romanos victoribus triumphi: vt ignis cetam, qua alitur trahit, ſic bona fama dignitates, quibus augeatur.

DIFFERENTIA. Chymice è mixto ſeparatæ quintæ eſſentiæ ſunt majoris quàm antea virtutis. Infirmæ ſunt ex conſervatis ſeminibus plantæ, ſeque mutuò opprimunt, niſi dividas; animi magnitudine extrà turbam eſſe debet, qui cæteros regit, vt motrix intelligentia extrà ſuam ſphæram. Conſtituto ordine ex primis, mediis, & infimis, neceſſario ſequitur aliquorum ſuper alios prælatio.

CONCORDANTIA. Quæ ſeparata ſunt infirma, vnita ſunt fortiora: aulici adulatione & morum cum ſuis Principibus conformitate obtinent dignitates: per matrimonium vir habet jus in vxoris bona, vt quilibet ſociorum in ea quæ veniunt in ſocietatem: Pace & commerciis acquiruntur bona, quæ bello diſſipantur.

CONTRARIETAS. Imperia quædam bello parta: inter animalia vis, vnicus eſt acquirendi modus: populi armis exercitati fiunt victores: per antiperiſtaſim contrariorum vis augetur.

PRINCIPIVM. Vires à cauſis fluunt in effectus, ſimile enim, quantùm fieri poteſt, generat ſibi ſimile. Ita potentiæ naturales & ſupernaturales ſunt imagines omnipotentiæ divinæ. Felix horoſcopus toti vitæ vires ſuas impertit, ſic ab initiis, vt plurimùm, pendet rerum exitus.

MEDIVM. Conferunt multùm ad artium operationes inſtrumenta, ad ſubſtantiarum actionem inſtrumentorum vice accidentia, ad animæ facultates organa, ad regentium felicitatem miniſtri: Maxima pars eorum quæ fiunt, illis imputantur: ſic ad viſionem & aliorum ſenſuum actionem, media multum conferunt.

FINIS. Vt primus in intentione movet ad actionem, eò magis quo nobilior; in moralibus à fine, determinantur actiones. Vnius corruptio eſt alterius generatio; ſucceſſione individuorum ſtat mundus: cadant neceſſe eſt, qui dignitates obtinent, vt alij promoveantur; teſtatoris morte ditantur hæredes.

MAIORITAS. Naturalia ferè omnia vires ſuas habent à cœleſti qualitate; ſuperioris enim eſt dominari; vndè ſi cum Platonicis non credamus Principum animas eſſe ex dæmonum, aut Heroüm genere; illis tamen aſſignamus præſidentes Archangelos: anima noſtra non edit ſupernaturales actiones, niſi vi gratiæ divinæ.

ÆQVALITAS. Lances per æqualitatem elevantur. Regnis & exercitibus dat vires exacta juſtitia. In æquinoctiis validior & amplior maris fluxus. Prætio aut commutatione rerum æquali acquiruntur dominia.

MINORITAS. Minor ætas pupillos à læſione protegit: vnde fiſci etiam potentiſſimi magnum eſt privilegium, in quibuſdam minoribus comparari. Fortiora ſunt compacta quàm diffuſa. Minoribus entibus major vis indita, vt gemmis quàm rupibus, herbis quàm arboribus. Ipſa materia prima eſt incorruptibilis, vt cœli.

REGES A DEO.

Micellanea.

CAuſæ naturales nihil agunt quod non divinæ artis ordo præceperit.

Non tribuamus dandi Regni atque Imperij poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat fœlicitatem regni cœlorum ſolis piis, Regnum verò terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet, &c. D. Auguſt. l. 5. de civit. cap. 21.

Plato in Protagora, dicit Promecheum, ideſt humanam providentiam, antes omnes præter civilem

induſtriam inveniſſe; hanc enim ab Iove, inquit, per Mercurium, ideſt, à divina providentia per Angelicas inſpirationes quotidie nobis ſubminiſtrari. Quid aliud ſibi vult Propheticum illud: cor Regis in manu Dei eſt, & quocumque vult vertit illud; & Evangelicum, non haberes poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper? Ideo Dyoniſius Areopagita Archangelos, humanis ducibus Duces Magiſtroſque præficit. Ait David, niſi Dominus cuſtodierit civitatem, &c. Et Salomon, inducit ſapientiam divinam ita clamantem; Per me Reges regnant. Hinc Romanorum Religio nihil publicum vel pace vel bello, abſque votis auſpiciiſque tentari jubebat. Qui publicis præſunt negotiis, tanquam inter ſcopulos poſiti divino vt eripiantur indigent auxilio. Quemadmodùm nequeunt à beſtiâ beſtiæ rectè feliciterque abſque homine duci; ità neque homines ab homine ſinè Deo. Marſil. Ficin.

Sol priùs montium cacumina illuſtrat, ſic Deus elatos ſuprà populum Rectores.

Pontifices, Imperatores, Reges, ſuis titulis hunc præferunt, ſe tales eſſe Dei gratiâ, & qui abſolutum ſe jactant habere Imperium, hoc dicunt ſe immediate habere à Deo, qui dicitur Dominus dominantium Rex Regum, Apocal. 19.

Vt ordo mundi, ſic politiæ ſupponit divinam illi præſidentem ſapientiam; Nobiliſſima hominis libertas non poteſt niſi à Deo coërceri.

Regibus mos Iurisjurandi erat per ſceptri elevationem. Ariſt. 3. politic. 10. vt oſtenderent illud ſe habere à Deo.

Forma actuans materiam vocatur à Platone & Ariſtotele divina ſoboles, & divini eſſe particeps, ſeu primi actus:

Plato dicit formam in generatione procedere à Deo, tanquam binarium ab vnitate, & materiæ impreſſionem ab Idæâ, tanquam ceræ ab annulo. Idem dixit primam intelligentiam, & animam mundi generationibus inferiorum præſidentem eſſe immediatè à Deo.

Apud Romanos non licebat ea comitia habere, in quibus eligebantur Magiſtratus, niſi factis priùs ſacrificiis & captis auguriis.

Quæ ſorte fiebant electiones in Deum mediatè referebantur; & quidem ne ambitioni aut inimicitiis eſſet locus.

Vnus conſequitur melior mos bonam fortunam; lib. 2. Rhetoricor. cap. 17.

Quod benè ſe habent ad cultum divinum, credentes, propter bona quæ proveniunt à fortunâ. Ariſtot.

EX BIBLIIS.

NOn eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt. Rom. 13.

Verbum Dei habet in veſtimento & femore ſuo ſcriptum Rex Regum & Dominus dominantium. Apocalyp. 19.

Agnus Dominus Dominorum & Rex Regum. Apocalyp. 17.

Vt Saül receſſit vnus à Samuële, immutavit ei Deus cor in aliud, & factus eſt in virum alterum. 1. Reg. 10.

Sic ex quo David in Regem vnius eſt, directus eſt Spiritus Domini in eo à die illâ. 1. Reg. 16.

Moyſes conſtituitur Princeps populi à Deo. Qui eſt miſit me ad vos. Exod. 3. ſic Saül, ſic David, &c.

Cùm electus eſt S. Mathias in Apoſtolum loco Iuda, jacta eſt ſors, & facta oratio; Oſtende Domine quem elegeris accipere locum, &c. Act. 1.

Poſt mortem Ioſue, filij Iſraël conſulunt Dominum de electione Ducis, & Deus ſubſtituit Iudam. Iudic. 1.

Hinc à Prophetis vngebantur Reges, vt Saül à Samuële, Iehu à filio Sacerdotis. 4. Reg. 9. & paſſim.

Daniel 2. Revelato ei ſomnio Regis, dicit; Benedicite Deum cœli, quia ſapientia & fortitudo ejus ſunt: ipſe mutat tempora & ætates; transfert regna atque conſtituit.

Daniel 4. prædicit Nabucodonozor Regi quòd erit cum beſtiis, & fœnum vt bos comedet, donec ſciat quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.

Ego conſtitutus ſum ab eo Rex ſuper Sion, montem ſanctum ejus, &c. Pſal. 2.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Ibidem.

Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium. Pſal. 17.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, à Domino factum eſt iſtud. Pſal. 17.

Deus qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me. Pſal. 17.

Manus tua gentes diſperdidit & plantaſti eos. Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, &c. Pſal. 43.

Elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium. Pſal. 77.

Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Pſal. 103.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis; terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur. Ibidem.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, &c. p. 143.

Deus potentes non abjicit, cum ſit ipſe potens; ſed non ſalvat impios. Iob. 36.

Sapientia dicit, Proverb. 8. Per me Reges regnant, per me principes imperant, &c.

Hinc prodigia ſolent natiuitatem, & mortem Regum prænuntiare; quod non fieret, niſi eſſent à Deo naturæ authore.

Ioanna Virgo Aurelianenſis, quæ Anglos è Galliis expulit, dicebat ſe eſſe ſub protectione S. Michaëlis Archangeli, ideò Ludovicus 11. inſtituit ordinem equitum. S. Michaëlis Archangeli.

Apocal. 4. Senes coronas ſuas deponunt ante ſedem agni. Reges Magni adorant Chriſtum. Math. 2.

Potentes ſuperbi magis, ac minùs rationales propter ſecundam fortunam ſunt, quamvis mos melior hanc fortunam vnus ſequitur; ſunt enim ergà Deum pij, afficiunturque quodammodò ad ipſum propter bona, quæ ſibi à fortunâ præbentur credentes. Ariſt. lib. 2. Rhetor. cap. 17.

Aurelianus Imperator; neminem mortalem voluit habere collegam Imperij. Herculem tantùm dixit ſuum eſſe conſortem, quem & nominavit Auguſtum in variis inſcriptionibus. Baron. anno 272.

Diocletianus Imp. Iovij nomen ſibi ſumpſit & Maximianus Herculij. Idem anno 286.

Ampulla Chriſmatis cœlitùs miſſa per columbam ad vnctionem Clodovæi primi Chriſtiani Francorum Regis; Perennis eſt hæc ampulla, nec deficit ad vnctionem Regum Franciæ. Vide Baron. anno 499.

Iuſtinus Imperator Orientis coronatur à Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano. Baron. an. 519.

Ioannes Zenis Imperator Orientis, poſt inſignem victoriam de Bulgaris reportatam, cudi fecit nume-

mos aureos & argenteos, cum hac inſcriptione. Chriſtus Rex Regum. Baron. anno 971.

Reges quidam Celtarum ſecundùm Lunæ viciſſitudines ſibi ſuccedebant in imperio. Photius. Byblioth. cap. 166.

Servius Tullius, poſteà Rex Romanorum, dicitur natus ex ancillâ impregnatâ a Lare familiari, cum illi in foco apparuiſſet genitale maſculinum. Plin. lib. 36. in fine.

DEVS VT COLLATOR regnorum ſic & conſervator.

Illius eſt conſervare qui produxit.

DVo milites, à Carthaginenſibus pretio conducti fuere, vt Timoleonem Corinthiorum Ducem occiderent; acceptâ occaſione, cùm facinus exequi pararent in vrbe Adianâ, vbi ſacrificabat, vnus duorum militum à quodam enſe percuſſus ſubitò obiit, alter crimen confeſſus, veniam obtinuit. Exiſtimavit enim Timoleon ſe non fortuitò, ſed certâ Dei providentiâ hoc imminens vitaſſe periculum. Plutarch. in Timoleone.

Ariſtomenes Meſſeniorum dux, lapide in capite percuſſus in conflictu, caligantibus oculis a Lacedemoniis captus fuit, qui præcipitem in altiſſimam foveam miſerunt; idem qui vbique eum ſervaverat Deus adfuit: advolaſſe aquilam dicunt, quæ cadentis corpus paſſis alis ſubiens illæſum in barathri imum detulit; ibi poſt tres dies vidit vulpem ad cadavera venientem; manu vnâ beſtiam apprehendit, alterâ morſibus togam objicit, donec beſtia ſe per cuniculum ſubripere tentat, tunc illam manumittit, & eadem viâ iter ſibi manibus aperiens ad ſuos rediit. Pauſanias in Meſſanicis. ſeu. lib. 4.

In Pertinacis Imperatoris numiſmate videbatur ſimulachrum expanſis manibus verſùs ſtellam, cum hac inſcriptione. Protegente Numine.

Magis pendet populus à Principe quàm Princeps à populo, vt plus membra à capite & corde, quam contrà. Vndè licet Deus omnia gubernet, majorem tamen curam habet de Regibus quàm de ſubditis, magis enim intendit finem quàm ad eum ordinata.

Ioas miraculosè conſervatus. 4. Reg. 11.

Item & Moyſes fluminiexpoſitus. Exod. 2.

Habet Rex vtriuſque parentis genium, illum præterea qui à numine eſt, Regibus Majeſtatis divinæ vicariis incumbentem. Barclai.

Aſtyages metuens ſibi naſci ſucceſſorem in regno ex filiâ Mandane, juxta ſibi revelatum ſomnium, voluit perdere ex eâ natum filium Myrum, ſed non potuit. Herodot. lib. 1.

Non potuit Saül ſæpe tentans occidere Davidem, quem prævidebat regnaturum. 1. Reg. 18. Sic Salomon non potuit tollere Ieroboam, quem prævidit ſuper decem tribus regnaturum. 3. Reg. Herodes infanticida non potuit tollere Ieſum. Math. 2.

In arcâ juſſa ſunt aſſervari Lex, Manna, & Virga, quæ poteſtatem ſignificat, vt manna gratiam. D. Auguſt. quæſt. 105. ſuper Exodum.

Imperatores ſingulis Imperij ſui decem annis ſolebant vota ſolemnia nuncupare, & in his gentes animalium, maximè taurorum auratis cornibus, ſacrificare; fiebat & collecta, quæ in lacum Curtium mittebatur.

Celebravit ea decennalia Conſtantinus factus Chriſtianus; ſed pro animalium ſacrificiis, obtulit puras Deo præces ſolemniter. Baron. anno 315.

Conſtantinopoli erecta fuit Conſtantini Imperatoris ſtatua, quæ manu præferebat aureum malum, ſuper impoſitâ cruce, cum hac inſcriptione, Tibi Chriſte Deus vrbem hanc commendo. Baron. anno 330.

Antiochia divinitùs ab ingenti terræ motu liberata, dicta eſt Theopolis. Baron. anno 528.

QVIA REGES SVNT à Deo ideò fiunt pro ipſis orationes publicæ.

QVi Reges Perſarum ſalutabant adorando, fœlicis imperium præcabantur. Sic Neæmias Artaxerxem alloquitur. l. 1. Neæm. cap. 2. Ælian. lib. 1. variæ hiſt. cap. 32. Daniel. 2. & 6. Baruc. 1.

Obſecro fieri orationes pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt tranquillam vitam agamus. 1. Timot. 2.

Quandiu permixtæ ſunt duæ civitates, vtimur & nos pace Babylonis, ex quâ ità per fidem Dei populus liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Sic Hiere. 27. monet populum captivum in Babylone, vt oret pro eâ, dicens, quia in pace ejus erit pax veſtra, vtique temporalis, quæ bonis, maliſque communis eſt. D. Auguſt. l. 19. de civit. cap. 26.

Tertulian. ad Scapul. cap. 2. Nos, inquit, pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vnum, quem & ipſi Impp. propitium ſibi præ cæteris mallent. Et in Apolog. cap. 30. Manibus, inquit, expanſis quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſinè monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.

Sub Conſtantino, ſingulis diebus dominicis, milites extrà vrbem in agrum prodeuntes, ſic publicè, & ſolemniter orabant. Te ſolum Deum agnoſcimus, te Regem profitemur, adjutorem invocamus; per te victorias conſequuti ſumus; per te hoſtes ſuperavimus; ab te & præſentem fœlicitatem conſequutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus, cui omnes ſupplices ſumus; abs te petimus vt Conſtantinum Imperatorem noſtrum, vnà cum piis ejus liberis, quam diutiſſimè nobis ſalvum & victorem conſerves. Baron. anno 321.

De decennalibus celebribus votis à populo, pro Imperatore celebratis. *Vide ſuprà.*

Orationes fiebant etiam pro malis & Ethnicis Imperatoribus. *Vide Contrariet. Poteſt. Repug.* mali Principes tolerandi.

Concilio Emeritenſi in Hiſpania. can. 3. ſtatutum fuit, vt cum ſi ex in bello detineretur, quotidie in ſingulis Eccleſiis ſacrificium Deo pro ipſius, exercituſque ſalute offerretur. Baron. anno 666.

Concilio Tolet. XVI. c. 8. ſtatutum fuit vt in ſingulis Eccleſiis quotidie miſſa celebraretur, excepto die paſſionis Domini, quandò altaria ſunt denudata. Baron. an. 693.

Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus: hoc enim acceptum eſt coram ſalvatore noſtro Deo. 1. Timoth. 2.

REGES A DEO.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus bonorum omnium largitor, maximè id hominum societati confert bonum, sinè quo non staret, scilicet Rectores; & qui immediatè singulis hominum corporibus infundit animas, etiam Reipublicæ corpori formam hanc dare credendus est.

MAGNITVDO. Si rebus particularibus, maximè vniversalibus provident, imprimit Regnantibus suæ majestatis caracterem, vndè quasi sint extrà sortem humanam elati, præsentiâ suâ, venerationem & timorem cuilibet, etiam audaciſſimo, incutiunt.

DVRATIO. Cum ab æterno divina sapientia, vt vitæ nostræ, sic regnorum existentiis legem posuerit, etiam determinavit regnaturos; diemque dixit, quâ stant aut cadunt præter hominum spem: & quia Reges à Deo, eorum vitam sæpè miraculis protegit contrà tot hostes, quot sunt mali subditi.

POTESTAS. Potentiæ suæ zelator Deus, in mundi regimine, nullum patitur nisi ab ipso dominari: Vt enim omnia reducuntur ad vnum, quod est in illo genere supremum; sic omnis potestas in homines ad primam: ideò Deus dicitur, Rex Regum, & Dominus Dominantium, quasi Rectores populorum sint illius vasalli.

COGNITIO. Rex non præsideret sapientiorum se consiliis, nec illa, quibus cæteri acquiescunt, funderet oracula; vrgentibus rebus, longâ consultatione dignis, solus fœliciter non provideret, nisi eadem quæ illum constituit divinâ sapientiâ illustraret, alio & certiori quàm scientiis & experientiâ quæsito lumine; hoc edocti stant pro meliori in consiliis sententiâ, illique suas ex passione aut ignorantiâ natas opiniones litant.

VOLVNTAS. Naturaliter insitus nobis est libertatis amor, qui etiam à sapientibus vitæ præfertur; & cum nociva fugiantur aut oppugnentur, qua ratione fieri posset vt populi venerarentur potestatem, libertatem illam naturalem in omnibus coërcituram, nisi suprema potestas ad hoc voluntates inclinaret, sicut passiva omnia disponit ad receptionem eorum, quæ in illa effundit vis activa?

VIRTVS. Mirum est heroïcas virtutes exerceri ab his, qui ne morallum quidem habitus acquisierunt; & Cæsaribus præmaturè & antè diem virtutes contingere; Infunduntur à Deo, qui ministris à se constitutis, vt benè suo fungantur munere, necessariam imò & splendidam dat divinarum harum qualitatum suppellectilem.

VERITAS. Per me, inquit sapientia, Reges regnant, per me Principes imperant, & legum conditores justa decernunt: Non esset tanta legibus fides & reverentia, nisi interno quodam sensu mens humana præsentiret in illis primam veritatem, cui subordinata est nostra ratio, vndè paganis Principibus salvo Religionis cultu, obedientiſſimi erant Christiani.

GLORIA. Non sine numine tantus honor defertur Principibus, cæteris in corporis & animæ dotibus non præcellentibus: hinc illis maxima ex virtutibus & pietate, quibus creduntur Deo accepti, conciliatur majestas. Sic coluntur sancti, & servire Deo regnare est.

DIFFERENTIA. Optimè censet publica vox mores honoribus immutari, quia Rectores alij efficiuntur, alia intelligunt, & appetunt sub præsidente & movente numine: sic in speculo soli exposito, tantùm videtur sol, non vitri materia: Variant autem regentium mores, quemadmodùm & cæli facies, vt mutabili inferiorum statui consentiant, & vexatæ sub vno Principe familiæ, sub alio ex suis quasi cineribus suscitentur.

CONCORDANTIA. In omni composito forma, quæ partes cæteras conciliat & continet, superioris est ordinis: sæpiùs Rectores aliis non præferuntur, nisi secretâ quadam divinæ majestatis notâ, & vivente potestatis suæ imagine.

CONTRARIETAS. Summum illud vitæ necisque jus, homines invicem inoffensos bello committere, fortunas creare & annihilare, summæ cujusdam divinæque est potestatis. Si Princeps plusquàm par sit sæviat, cogita non minùs à Deo esse Saturnum & Martem interfectores Planetas, quàm Iovem & Venerem fœlices: Vt boni sunt divinæ bonitatis dispensatores, sic mali divinæ Iustitiæ ministri; Non tantùm malis, sed & bonis angelis Deus vtitur ad vindictam; ferro & igne sananda sunt populi mala, si leviotibus non cedant remediis.

PRINCIPIVM. Initio fecit Deus hominem, vt præsideret mulieri; sic multiplicatis populis fecit Reges, vt illis imperarent, quia non minùs ad speciei conservationem confert regimen, quam generatio: Ejus est conservare, cujus est producere; sic sol inter causas secundas præcipuus naturalis generationis author, præsidet cordi & spiritibus, imò & formas imperfectorum animantium in præparatam materiam inducit.

MEDIVM. Principibus, quasi ministris, vtitur Deus vt in temporalibus nos doceat voluntatem suam; ideò præficit illis Archangelos, nobiles ad Regimen creatos spiritus: & vt in spiritualibus inter ipsum & nos constituit medios sacerdotes, sic in temporalibus Reges. His quasi instrumentis vtitur ad formandos populi mores; vt quidquid movetur, ab alio moveatur; sic seu electiva, seu hæreditaria, seu bello parta sint Regna, à Deo sunt, qui voluntatibus, generationibus & bellis præsidet.

FINIS. Vult Deus bonum populi, vult ergò Rectores, cùm sint necessarij vt ad bonum commune omnia dirigant; ergo & tales constituit, quia voluntas sua est efficax, & ars sua perfectiſſima, externis non indigens, sua sibi fabricat instrumenta.

MAIORITAS. Nemo dat quod non habet, vndè excelsior populis potestas non pendet à populo, sed vt de formâ rationali loquitur Aristoteles, ab extrinseco venit, scilicet à supremo rerum Domino.

ÆQVALITAS. Hinc apud pleraſque gentes mos adorandi Reges: hinc Principum, divinos honores vsurpantium, ambitio: hi excessus habent fundamentum in vicariâ illâ à Deo potestate; vt nemo expressum in nube solem verum putaret, nisi ab ipsomet sole hanc lucis & fulgoris haberet similitudinem.

MINORITAS. Tota difficultas est in eo, quod multi Principes sunt mali, sed id fit, vt diximus, Deo permittente, vt sint suæ justitiæ flagella; sub illis probatur, quasi in igne, bonorum virtus, & dùm temporalia diripiunt, ad æterna promovent.

MEDIVM POTESTATIS.

QVIBVS MEDIIS OBTINETVR POTESTAS.

MISCELLANEA.

Vide ſuprà, *Princip. Poteſt.* & demonſtrationem; plura enim ex annotatis ibi principiis ſunt mediatæ cauſæ.

REs poſſeſſa eſt inſtrumentum ad acquirendum, activum & ſeparabile, vt ſervus. Ariſt. 1. politic. 3.

In ſummâ tria conjectat Tyrannus; vnum, vt animos imminuat civium, nemo enim parvi animi contra Tyrannum inſurgit; ſecundum, vt cives inter ſe diſſidentes reddat, quia non evertitur, niſi civium aliqui inter ſe fidem habeant, ideò oderunt maximè bonos, quibus fides habetur; Tertium, reducit ad impoſſibilitatem agendi, quia nemo aggreditur impoſſibilia. Idem 5. Politic. 11.

Vide *Duratio Poteſtatis, & Med. Durat.*

Occupantur Regna, dum laborant ſeditionibus. Vide Bodin. lib. 4. Reip. 1.

Cùm divitiæ ſint nervi Reipubl. vigilantiſſimus ſit Princeps in illis acquirendis. Septem autem modis acquiruntur. Primò, ex domanio Reipublicæ. Secundò, victoriis ſuper hoſtes. Tertiò, ex donis factis ab amicis. Quartò ex penſionibus, quas ſolvunt confœderati. Quintò ex commerciis factis à principe, aut Republ. per commiſſarios. Sextò, ex tributis, mercibus importandis impoſitis. Septimò, ex tributis, quę perſonis & terris imponuntur. Vide Bodin. 6. Reip. 2.

Reges inaugurantur per proclamationem, coronationem, publicam acclamationem: inſignia ſunt corona, ſceptrum, gladius amictus regalis, tituli eminentiæ.

Fundantur & conſervantur Regna legibus quibuſdam initio poſitis, quæ ſunt quaſi pacta inita de ineundo regno, & quæ continent conditiones ipſius.

Arces munitæ ſunt fræna, quibus tyranni continent populum: vndè magnis impenſis ſervantur quia his conſervatur Imperium.

Si humanè excipias exulem Principem, poterit eſſe aptum inſtrumentum ad acquiſitionem illius patriæ.

Religio Principis conciliat populorum animos, & efficit, vt nihil contrà ipſum, nec contrà ſeipſos moliantur; dum credunt Religioſum, credunt ſibi bonum & à Deo profectum, vndè nihil in ipſum audent.

Calor naturalis in quo vita conſiſtit, indiget humore naturali in quo vita conſiſtit, indiget humore naturali & radicali, quo alitur.

Medicamenta non exerunt vires ſuas, niſi exſuſcitentur, & in actum educantur à calore naturali.

Muſculi ſunt organa motus, ſed vim habẽt à nervis. Senſuum operationes fiunt vi ſpirituum organis inhærentium, & aliorum influentium & vagantium per totum corpus.

Moyſes virgâ ſuâ mira efficit. Exod. 4.

Plato 4. de legibus tria requirit ad legiferi inſtitutum perficiendum; Deum ſcilicet, fortunam, & artem: his tribus humana gubernantur.

Formæ ſubſtantiales agunt per ſuas proprietates.

Spartanus quidam quærenti quantùm terræ poſſideret, quantùm inquit haſta poſſum contingere; ſic inter animalia, & inter res omnes naturales, vis eſt vnicus modus acquirendi dominij.

Aaron confirmatur in Sacerdotio duplici miraculo, ſcilicet punitione Dathan, & virgâ ſuâ florente coràm tabernaculo. Num. 16. & 17.

Baculus Eliæ datus Elizæo; pallium Eliæ quo dividuntur aquæ. 4. Reg. 2.

Abner mortuo Saül, circumduxit Iſboſeth per tribus Iſrael, Regemque conſtituit. 2. Reg. 2.

Accidentia ſunt inſtrumenta formarum ſubſtantialium.

Enſes ità fiunt duri, vt alios gladios interſecent, ſi extinguantur ſæpe in aquâ raphani, commixtâ cum humore qui exprimitur ex lumbricis, ſeu vermibus terreſtribus.

Nervis vires omnes continentur.

Partes non mouentur per ſe, ſed cum ſuo toto, in quo conveniunt cum accidentibus.

Omnes impetus, vehementeſque motus excitat anima ſpirituum miniſterio, vnde ſanguis majori impetu erumpit ex arteriâ quàm ex venâ; Spiritus autem accedente alimento fit fortior.

Accidens non producit ſubſtantiam, ſed diſponit tantùm materiam ad ejus receptionem.

Actiones omnes naturales fiunt per medias primas qualitates, quæ ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, atque ſiccitas. Galen. l. de conſtitution. artis mediæ.

Arcadius & Honorius fatigati præcibus gentilium permittunt fieri ludos ſeculares, quos dicebant eſſe fatales æternitatis vrbis & felicis ejus ſtatus conciliatores. Baron. *Vide Medium Durationis.*

Patientia congregat divitias. *Vide Poteſt. Durationis.* in Miſcellaneis ſub finem.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE actionibus. Inſtit. 4. 6. & obligationibus. ff. 44. 7.

De armis. Novell. 85.

De apparitionibus. Cod. 12. tit. 57.

De executoribus & exactoribus. C. 12. t. 61.

De fidejussoribus tutor. vel curator. C. 5. 57.
De periculo eorum qui pro magistratibus intervenerunt. Cod. 11. 34.
De præpositis laborum. 12. tit. 18.
De publicanis, vectigalibus & commissis. ff. 39. tit. 12.
Qui testes necessarij sunt ad novam investituram prębendam. Feud. 2. tit. 32.
De causâ possessionis & proprietatis. decr. l. 2. t. 12.
De Monachis non ordinandis sinè licentiâ Abbatis. dist. 58.
Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.
Apud Romanos Quæstores erant, qui pecuniam publicam quærebant, & conservabant. l. 1. ff. de offic. quæst.
Possum agere contrà te, vt solvas tertiò, quia mea interest. l. his consequenter. §. celsus. ff. famil. ercisc.
Agere potest quis pro eo quod alij est præstaturus, vt habeat ad præstandũ. l. 34. §. quod si. ff. de legat. 1.
Sanctum est, quod ab injuriis munitum est; dicitur autem à sanguinibus, herbis quibusdam, quibus vtebantur legati populi Romani, ne quis eos violaret: vt apud Græcos fiebant cericia seu caducea. l. 8. ff. de rer. divisio.

EX THEOLOGIA.

ACcidens potest esse subjectum accidentis, sed per substantiam. 1. q. 77. a. 7. ad 2.
Actionum, quarum vna est regula & ratio alterius, vna non impedit sed juvat aliam. 1. q. 112. a. 1. ad 3. D. Thom.
Forma substantialis non est principium actionis, nisi mediante qualitate. 1. q. 77. 1.
Qualitatis actio non producit formam substantialem, nisi virtute formæ substantialis. 1. q. 45. a. 8. ad 2.
Adjuvari dicitur aliquis dupliciter, scilicet per ministerium, & per virtutem: primum convenit Deo, non autem secundum. 1. q. 23. a. 8. ad 2.
Omne agens creatum agit potentiâ differente ab essentiâ ejus. 1. q. 54. a. 1. 2. 3.
Ordo in angelis nunquàm à Deo prætermittitur, quin semper inferiora per superiora moveantur, & non è converso. 1. q. 106. a. 3.
Ab essentiâ animæ non procedit operatio, nisi mediante virtute ejus, vel potentiâ. 1. q. 77. a. 1. hæc autem differt essentialiter ab eâ.
Vegetativa agunt per calorem, & per alias qualitates naturales. 1. q. 78. a. 1.
Auxilium maximum ad omnia calor & spiritus sunt animali. 12. q. 44. a. 1. ad 2.
Humanitas Christi fuit instrumentum divinitatis ejus. 12. q. 12. a. 11.
Contingens ad vtrumlibet est in potentiâ, ideò non exit in actum, nisi priùs per aliquid determinetur ad vnum. 1. q. 19. a. 3. ad 5.
Angelorum ministerio Deus gubernat homines. 1. q. 110. a. 1. & facit miracula. a. 4.
Investiri dicitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum. 3. q. 62. a. 1.
Mathias electus est sorte, id est per donum Dei, qui eum esse declaravit electum divinitùs. 2. 2. q. 95. a. 8.
Ordo est quoddam signaculum Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas impenditur ordinato. supplem. q. 34. a. 2.
In resurrectione vterus Christus ministerio Angelorum, in his quæ fieri debent. sup. q. 76. a. 3.

VICARIA POTESTAS, & de eo omni quod fit in alterius locum.

MISCELLANEA.

CVm quædam plantæ extraneæ non habentur & medicamenta sub alio cœlo nascentia, in eorum locum medici substituunt alias plantas, & alias compositiones, de quibus Galenus. l. de substitutis.
Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens bonum. Hypocr.
Medullæ spinalis, perindè ac cerebri, vulnus lethale est: incurritur crimen læsæ Majestatis si offendantur Regis ministri.
Vnum bonum altero pensatum. *Vide Æqualis. Bonitas.*
In Persiâ est ingens frumenti copia, cum rarò pluat, nam pro imbribus vtuntur fluminum irrigatione.
Persæ Solem adorantes, cùm eo non possent semper frui, ejus vice ignem æternum in templis, & domi alebant.
Salsi fontes, ex quorum aquâ coctâ fit sal, sunt loco maris.
Meatus in glacie inveniuntur, quia d[illegible] aliquæ partes densantur frigore, aliæ rarescunt per antiperistasim, vt occupent locum, ne detur vacuum.
Activa virtus vnius rei jungitur potentiæ passivæ alterius, aut immediatè aut mediatè, & debet esse contactus suppositi aut virtutis: mediatum ratione virtutis est, quod aliundè, quasi precariò, vim agendi habet, vt aër calefactus, aut aqua calefacta ab igne, agit partes ignis.
Partes spermaticæ, eadem specie restitui non possunt, sed iis cognatum aliquid gignitur, vt callus in locum ossis succedit: sic cum partes compositæ, nec in specie, nec per simile restitui possint, arte sucurritur; vt pro crure abciso, fit crus ligneum, manus ferrea pro naturali.
Calcinatio fit, vel igne actuali, vel potentiali: actuali quidem, cum vinculum continuitatis actuali igne absumitur. Potentiali vero, per aquas fortes & erodentes, atque alia caustica.
Peregrè mortuis os aut pars aliqua corporis abscindebatur, cui in vrbem allatæ, vt integro corpori, justa persolvebantur; vel cineres in vrna reportabantur, & sic putabantur ad suos redire.
Musculi in corpore reguntur & moventur à cerebro per nervos, à corde per arterias, à jecore per venas, & movent membra, ad quorum regimen sunt ordinati.
Stellæ fixæ naturam referunt planetarum, vndè illarum eligenda est configuratio defectu fortunarum. Marsil. Ficin.
Hæbrei crediderunt, in mactandis animalibus, rebusque nostris sacrificio dissipandis, mala cœlitus imminentia à nobis ad nostra deflecti. Idem de vitâ cœlitus comparandâ. cap. 22.
In dissolutione mixti reperiuntur formæ elementorum, aër, aqua, terra; sed ignis est tantum in materiâ aptâ, ad eum concipiendum, scilicet in sulphure.
Princeps non se debet exponere ad sedandam populi aut militum seditionem, quia si condemnatur, nullum erit remedium, sed hoc agat intermedio insigni aliquo viro.

Melius eſt Principem negotia gerere cum hoſte, per ſapientem miniſtrum, quàm ſeipſo; tùm quia congreſſus ille non fit ſinè periculo; tum quia ſi patiatur damnum in pactis, faciliùs eſt reſilire, ſi per alium ſinita ſint. Sic non decet ipſummet Principem ire in bellum contrà prædones.

Alteratio fit per medium conveniens, per aërem, aut aquam calefactâ, in balneo quod dicitur Mariæ.

Oculus videt abſens ſuum objectum in picturâ, non ſic in aliis ſenſibus.

Plato in Timæo docet Deum rerum tantùm immortalium effectorem fuiſſe, cæterarũ autem rerum mortalium effectionem diis ſecundis demandaſſe.

Magnes ferro quod attigit virtutem ſuam imprimit, itaut aliud ferrum trahat.

D. Auguſt. lib. de curâ pro mortuis, dubitat an Angeli nobis appareant ſub ſpecie defunctorum.

Deus vniverſo præeſt, ſingulis autem ejus partibus præficit filios Dæmonas, qui ſecundum patris præceptum & imitationem ſingula tranſigunt, à quibus furentium concitatio, raptus, ſomnia, oracula, & vaticinia mortalibus accidunt. Alcinoüs de doctrina Platonis.

Agens omne in virtute alterius, ſimile ei facit, in cujus virtute agit; eſt enim illius reſpectu quaſi inſtrumentum.

Annuloſorum animantium ora foventur à ſole, ſicut & ſtrutionum.

Animalia quæ non habent cor, habent aliquid proportionale. Ariſt.

Ignis in tenebris videtur, quia participat quodammodò naturam quinti elementi.

Nodus ad ramum, ſic ſe habet, vt radix ad ſtipitem.

Reſpirationis vicem nonnunquàm ſupplet tranſpiratio; quandò enim exiguus eſt calor, vt hyſtericis mulieribus, ſolâ tranſpiratione ardor cordis abundanter temperatur.

Poſt cor, ſpiritus eſt principium quod movet.

Adam creatus eſt ad implendas ſedes. Angelorum. Ioannes Picus. Mirandul.

Aquæ. dicuntur medicamenta, quæ ſitim aut famem prohibent obrepere. Plutarch. in Sympoſio.

Multi infantes expoſiti à beſtiis ſunt enutriti, vt Remus & Romulus à lupâ. Plinius lib. 8. c. 17.

Ignis ſupplet vices ſolis in alchymiâ, in vivificatione papilionum frigore mortuarum. Sartagine acriter caleſactâ circundant medici capita apoplecticorum, vt ſpiritus animales oppreſſi excitentur. Ova excluduntur calore ignis, vice caloris animalium.

In inſectis, tranſpiratio eſt loco reſpirationis; in piſcibus, aqua loco aëris: branchæ in arboribus, loco trunci, rami loco brancharum; ſic de officiariis ſubalternis.

Cum Ciziceni nigram bovem Palladi quotannis immolarent, & preſſi obſidione bovem talem comparare nequirent, ex frumento illam affinxere, ſic perſoluto voto numen expiarunt.

Iulianus apoſtata aſſerit diverſos populos diverſis vivere legibus, quia illorum curam Deus diverſis commiſit geniis & diis tutelaribus. Contrà D. Cyrillus probat l. 4. in fin. contrà Iulian. Impium eſſe, aſſerere Deum mali authorem, & hominibus nocivum non eſſe ſub Dei tutelâ.

In omnes ſenſus externos, in omnes corporis partes, quæ extrà capitis arcem & extrà calvam poſitæ ſunt, anima ſpiritus emittit, tanquàm adminiſtros, & portitores virium, quas à ſe diffundit, munus ſuum expleturas; interiores autem functiones & munera plenè exequitur, citrà vllum ſpirituum ſubſidium. Fernel. lib. 6. cap. 13.

Venus Orientalis præcedens ſolem ejus agit vices & Lucifer dicitur; Occidentalis autem, ſole jam recondito, agit vices Lunæ.

Stellæ calidæ, vt cor Leonis, fyrius, canicula, ſpica virginis, &c. vices ſubeunt Apogæi ſolis, ex illorum enim conjunctione incaleſcit.

Ignis non poteſt calefacere aquam ſinè aëre, quia nulla participatio poteſt eſſe ſinè concordantiâ. Lullius.

Vbi deſunt oſſa, animalia habent aliquid, quod proportione reſpondet oſſi: exanguibus animalibus, ineſt aliquid analogum cuti, vt plantis & fructibus cortex.

In Eclypſi, ſubſtituitur in locum luminarium is planeta, qui dominatur loco, in quo fit eclypſis.

Pharmacum purgat, non ſubſtantiâ, ſed tenui vapore, qualitatibus ejus infecto, vndè vim habet, etiam ſi vomitione, aut alvo integrum reddatur Fernel. lib. de purgandi ratione.

Poſt animæ, & formæ à ſuo corpore ſeparationem, remanent vicariæ quædam qualitates, vt patet in omnibus medicamentis, in vino, quod florente vinea efflureſcit, in pelle extractâ à vitulo marino, quæ ortâ in mari tempeſtate inhorreſcit. *Vide Duratio Virtut.*

Maximè neceſſariis partes, binas fecit natura, vt vnâ deficiente, quæ ſupereſt illius agat vices; ſic oculos, nares, aures, manus, teſtes, renes, &c.

Defecerunt patricij, qui ex centum conſiliariis à Romulo electis erant oriundi, & familiis illis ceſſantibus, ſenatores omnes vno nomine vocati ſunt Patres conſcripti. Feneſtella.

Ignis agit vices Dei, in natura omnia vivificans; Saphyrus agit vices ſolis; ſic metalla, lapides, plantæ, ab influxu planetæ pendentes, ejus virtutem, quàm participant, cæteris largiuntur. *Vide Princip. Virtutis.*

Influxus cœlorum non valet tanta in terris & aquis gignere, quia accidens nequit generare ſubſtantiam, niſi, tanquàm inſtrumentum, ſubſtantiæ proximæ ſubjiciatur: accidens materiam duntaxat accidentali quadam diſpoſitione præparat; opus eſt ſubſtantiâ penetrante, vt fiat ſubſtantia. Marſ. Ficin. Theolog. Plat. l. 4. c. 1.

Chriſippus dicebat vitam mundo infuſam eſſe ipſum Deum, contrâ Platonicos; quia ſuper eam vitam, quæ alicujus eſt & in aliquo, eſſe debet vita, quæ ſui ipſius eſt, & in ſeipsâ conſiſtit. Summa pulchritudo, & ſumma bonitas non tam proxima debet eſſe malis & deformitatibus, quæ contingunt circà materiam.

Deus eſt eſſe abſolutum, & ſic non eſt forma materiæ: non eſt compoſitum, nec pars compoſiti. Sic placet Platonicis, Deum per ſeipſum formare Angelos, per Angelos animas, per has materiam, & ſic formas per gradus degenerare, vt in materiâ non ſint vivæ & efficaces. Ibidem.

Similiter cœli non moventur immediatè à Deo, quia prima cauſa, cum infinitè excedat omnia, æquè omnibus eſt communis, & ab omnibus abſoluta, nulli familiaris: ſi enim eſſet proprius alicujus rei rector, non eſſet omnium; vndè cœli debent habere familiares motores accommodatos ſuis motibus. Ibidem.

Legati Regum, à quibus mittuntur, præ ſe ferunt authoritatem. *Vide Gloria & Poteſtas Medij.* Sic lumen cum à luce & radiis emicet, commune cum illis habet quòd fulgeat, quòd momento emicet, quòd diaphana momento penetret, & quaque verſus diffundatur.

Quædam non poteſt natura, niſi medicina adminiſtra ſuccurrat. *Vide Media Poteſt. in fin.*

Venæ

Venæ Meſeraicæ & Portæ incipiunt præparare alimentum, modo hepati ſimillimo. Galenus lib. 4. de vſu partium. Sic ſanguini præparato à famulis, hepar inducit ei extremum ornatum, ad ſanguinis exacti generationem. Ibidem.

Imperia pupillorum Imperatorum fuerunt magis fœlicia, quàm adultorum; quia tunc à Pædagogis adminiſtrabantur. Vt Neronis à Senecâ, Gordiani à Miſithæo, &c.

Dicunt Chymici Vulcanum alteram eſſe naturam quin etiam id celeriter perficere, quod natura per ambages, & temporis moras ſolet.

Venti motum abſque operâ humanâ cient magnum & vehementem, vndè & ad navigandum, molendum, ad aquas educendas velut operarij conducti ſunt, & ad multò plura adhiberi poſſunt, ſi humana non deſit diligentia.

Venti qui poteſtatem & originem habent à ſole, æquè aut plus gubernant temperaturas regionum, & affectus aëris, quàm ipſe Sol; in tantùm vt Peruvia, quæ propter propinquitatem Oceani, vaſtitatem Amnium & maximos montes nivales, maximam habet copiam ventorum, & aurarum ſpirantium, cum Europâ de temperamento & clementia aëris certet; ſic Rectores Provinciarum interdùm majorem habent authoritatem in populum, quàm ipſe Rex. *Vide Poteſtas & Gloria Medij.*

Spiritus omnium quæ fiunt in corpore ſunt fabri, atque opifices ſub animâ.

Cum quidam cytharœdus, ruptâ cytharæ ſuæ cordâ, non poſſet vlteriùs concinere, advolavit in cytharam cicada, & deficientis cordæ vices egit congruo cantu. Photius in Bibliothecâ.

Calor ignis poteſt vices agere caloris ſolis, ſi ſimiliter fiat lentus, humiditate mixtus & inæqualis; ſic ſtupentes ex frigore papiliones & muſcæ tepore ignis reſuſcitantur. Fracaſtorius apoplecticos deſperatos ſanavit, circumdando caput ſartagine acriter calefacta, vt ſic excitati ſpiritus animales obſtructos humores diſcuterent; etiam ova per calorem ignis excluduntur: ſic vices etiam agit caloris naturalis.

Coccix ſemper parit in alienis nidis, cauſa putatur, quod ſciat ſe inviſam cunctis avibus, ita non fore tutam generi ſuo ſtirpem opinatur, ni fefellerit. Plin. lib. 10. cap. 9. qui odium publicum incurrit, non ſeipſo agat, ſed per miniſtrum.

Sanguis non eſt inſectis, qualis terreſtribus, verùm ſimile quiddam. Plin. lib. 11. cap. 3.

Cum præſtare non poteris, vt duabus lunam ſtellis conjungas, id præſta, vt ſtellæ fixæ eam conjungas, illarum mixturam habenti. Ptolomæus in centilonum. 28.

Cum aſcendens ſubjecti fuerit culmen in geniturâ Domini, tantum ſubjecto illi Dominus adhibebit, vt ei ab illo imperetur. Ibidem num. 49.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

De actore à Tutore vel Curatore dando. Cod. 5. tit. 65.

De agentibus in rebus. Cod. 12. 20.

An per alium cauſæ appellationis reddi poſſint. ff. 49. tit. 9.

De curatoribus furioſi & aliis perſonis extrà minores dandis. ff. 27. tit. 10.

De eo, qui pro tutore & curatore negotia geſſit. ff. 27. t. 5. Cod. 5. tit. 45.

De eo, qui ſibi vel hæredibus ſuis inveſtituram recipit. Feud. 2. tit. 17.

Etiam per procuratorem cauſam in integrum reſtitutionis agi poſſe. Cod. 2. tit. 49.

De his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt. Cod. 8. tit. 19. ff. 20. tit. 4.

De fidejuſſoribus. ff. 46. tit. 1.

Imperatorem feudum amittere, vel alium pro ſe fidelem dare. Feud. 4. tit. 100.

De in litem dando Tutore vel Curatore. C. 5. t. 44.

De legationibus. ff. 50. 3. Cod. 10. tit. 63.

Mandati vel contrà. Inſt. lib. 3. t. 27. ff. 17. t. 1. C. 4. 35.

De negotiis geſtis. ff. 13. t. 35. Cod. 2. 19.

De novationibus, & delegationib. ff. 46. 2. C. 8. 42.

De officio Proconſulis, & legati. ff. 1. 16.

De pedaneis judicibus. Cod. 3. tit. 3.

De poſtulando. ff. 3. tit. Cod. 2. 6.

De præpoſitis agentium in rebus. C. 12. t. 21. & 22.

De procuratoribus & deffenſoribus. ff. 3. t. 3. C. 2. 13.

De Provinciarum Præſidibus. Nov. 161.

Si vnus ex fratribus dederit ſuam partem fratri. Feud. 4. tit. 83.

Quod juſſu. ff. 15. t. 4.

De officio vicarij. decr. 1. 28.

De officio & poteſtate judicis delegati. decr. 1. 29.

De officio legati. decr. 1. 30.

De procuratoribus. dec. 1. 38.

De ſupplendâ negligentiâ Prælatorũ. decr. 11. t. 10.

De Syndico & actore. decr. 1. 39.

Legatus Romani Pontificis impediendus non eſt. diſt. 94.

Epiſcopo ob infirmitatem aut ſenectutem datur coadjutor. 7. q. 1. can. qualiter.

Magiſtratus ſolebant judicare pro tribunali, è loco eminenti; pedanei autem judices, ab ipſis dati, tantùm è plano. l. 4. ff. de tutoribus & curato dat. l. vlt. Cod. de pedan. judicib.

Adoptio eſt legis actio, quâ qui mihi filius-familias non eſt ad vicem filij redigitur.

Proconſul qui in provincias mittebatur, fungebatur vice omnium Magiſtratuum vrbanorum, dabatur ei legatus, cui juriſdictionem ſuam mandabat, & à quo ad ipſum poterat appellari. l. 1. ff. de offic. proconſ.

Procurator eſt, qui aliena negotia, vel in judicio, vel extrà judicium, mandato Domini adminiſtrat. l. 1. ff. de procurat.

Quibus permiſſum eſt corpus habere, poſſunt ad exemplum Reip. habere res communes, arcam communem, actorem & ſyndicum, per quem quod communiter agi oportet fiat. tot. tit. ff. quod cujuſque vniverſ. nom.

Actio legis Aquiliæ datur contrà eum, qui cùm haberet jus imperandi juſſit damnum fieri. l. 37. ff. ad l. Aquil.

Finis mandati eſt, vt quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponatur.

Beneficij accepti gratitudo eſt etiam ergà defuncti magis propinquos, quibus ipſe voluiſſet benefacere. l. quod ſatis. Cod. de bonis quæ libe. Novell. de conſangui. & vterin. fratribus.

Is poteſt mandare juriſdictionem, qui eam ſuo jure, non alieno beneficio habet. l. 5. ff. de juriſd.

Abſenti datur Curator, vt poſſit agere & conveniri. l. ab hoſtibus ff. ex quib. cauſ. major.

Adſcripticij poſſunt fieri clerici, dummodò agriculturam exerceant per ſubſtitutum. §. ſi ſervus in auth. de ſanctiſſ. Epiſcop. l. 16. C. eodem.

Qui ſuis rebus non poſſunt adeſſe, per procurato-

rem id agunt. l. 1. in f. ff. de procurat. Publicè interest, vt absentes deffendantur. l. 33. ff. de procurat.

Hæres hæredis pro hærede est. l. 10. Cod. de hæred. petit.

Tutor qui propter valetudinem non potest rebus pupilli adesse, obtinet à judice adjutorem, sed suo periculo. l. 13. ff. de tutel.

Si minor 25. annis datus sit tutor, non geret nisi impletà majoritate, interim dabitur curator. l. 10. ff. de excusat.

Potest vnus judex rogatus alterius sententiam exequi. l. 15. ff. de re judic.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est, quasi ipsi solutum sit. l. 140. de Reg. Iur.

Episcopi curiales, qui illustrem dignitatem consequuti sunt, possunt curiæ satisfacere per substitutum. l. 21. C. de Episcop. & cleric.

Pro consorte litis, post litis contestationem, absentiæ, potest quis agere & deffendere sinè mandato, præstitis legitimis satisdationibus. l. 2. C. de consort. ejusdem litis.

Si sinè periculo forma non possit impleri expressè, sufficit eam impleri per æquipolens. cap. statutum. de officio de legat. in 6. Vt in jus vocatio potest fieri extrà domicilium, si sit periculum eam fieri in domicilio.

Censetur quis aliquem vi à judic eximere, qui per alium eximit, sive absens. l. 5. ff. ne quis eum qui in jus vocabitur vi eximat.

Proconsul potest mandare jurisdictionem, si nondùm in Provinciam pervenerit, & necessariam in itinere moram patiatur. l. 4. ff. de offic. procons. & legat.

De vulgari & pupillari substitutione. ff. 26. t. 6.

Episcopo gravato infirmitate, alius subrogari potest. 7. q. 1. can. qualiter, & ad visitationes faciendas. 10. q. 1. c. Episcopum.

Parvuli baptisantur in aliorum fide, & professione. de consecr. dist. 4. can. parvuli.

Delegatus Papæ subdelegare potest. cap. quoniam de offic. & potest. Ind. delegati.

Instrumentum exemplatum per tabellionem, authoritate ordinarij, eandem vim habet cum originali. cap. si instrumenta, de fide instrumentor.

S. Pontifex nunquam interfuit conciliis Orientalibus per se, sed per legatos, nec fuit consuetudo. Vide Coriolanum præludio tertio ad Concilia generalia.

Vt non absint à suo diœcesi Episcopi, si habeant peragenda negotia in curia Principis, id exequantur per diaconos, cum commendatitiis litteris ad Episcopum, ibi residentem. Concil. Sardicense. can. 8. & 9. anno 347.

Deficiente legitimo tutore, capto ab hostibus, aut dato sub conditione: donec impleatur, datur tutor à Magistrat. Instit. de Attiliano tutore.

Communis res ab vno ex dominis, omnium nomine, ita possidetur, vt omnes possidere intelligantur. l. 42. ff. de acquir. vel omitt. poss. sic terra in paucis partibus tangit suum centrum.

EX THEOLOGIA.

DEus absolvit authoritativè, homo verò vt minister: & inter ministros Dei Papa dicitur absolvere aliquem, etiamsi per alium officium absolutionis impendat. 1. q. 112. a. 2. ad 2. D. Thom.

Inferiores Angeli exercent officia superiorum, in virtute superiorum; ideo infimi possunt arcere dæmones, & facere miracula. 1. q. 112. a. 2. ad 2.

Apparitiones mortuorum quandoque fiunt per operationes Angelorum, vel dæmonum, etiam mortuis ignorantibus. q. 89. a. 8. ad 2.

Virtus cœli loco spermatis, cum elementis, sufficit ad generationem imperfectorum animalium. 1. q. 45. a. 8. ad 3.

Causa vniversalis supplet defectum particularis. *Vide Bonitas Principij.*

Baptismus sanguinis supplet baptismum flaminis in necessitate tantùm. 3. q. 66. a. 11.

In veteri lege pro solutione decimarum, immunda animalia mundis redimebantur. 2. 2. q. 102. a. 3. ad 7.

Proprium est Christi esse caput Ecclesiæ, quoad influxum interiorem; sed quoad influxum exteriorem, alij ab eo constituti gerunt ejus vices. 3. q. 8. a. 6.

Christus secundùm divinitatem habet potestatem dimittendi peccata, per authoritatem; sed instrumentaliter, & per ministerium secundùm humanitatem. 3. q. 16. a. 11. ad 2.

Cum necessitas legem non habeat, in necessitatis articulo, quilibet Sacerdos à quibuscumque peccatis, etiam ab excommunicatione, absolvere potest. supl. q. 8. a. 6.

Confirmatio conferri potest à simplici Sacerdote, ex commissione solius Papæ non autem à Diacono. 3. q. 72. a. 11. ad 1.

Daniel judicavit senes non subditos ex commissione. 2. 2. q. 67. a. 1. ad 1.

Formæ elementorum sunt in mixto virtute, non autem actu. 1. q. 76. a. 4. ad 4.

Quidquid est effectus passionis Christi, est effectus Eucharistiæ. 3. q. 79. a. 1.

Mutilati inungi debent, in partibus illis mutilatis, quibus alias inungerentur. supplem. q. 32. a. 7.

Hæresis Simonis Magi, quòd mundus est factus à supernâ quadam virtute, non autem à Deo. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 1.

Quilibet habens jurisdictionem potest ea quæ sunt jurisdictionis committere. 2. 2. q. 187. a. 1.

Magi venerunt ad Christum, tanquàm primitiæ gentium. 3. q. 36. a. 3. ad 1.

Quidquid prædicatur de aliquo, sicut vniversale de particulari, potest supponere pro eo, non autem in aliis. 1. q. 36. a. 5.

Providentia divina gubernat creaturas spirituales, inferiores per superiores. 1. q. 110. a. 1.

Licet Religiosis ex commissione prædicare, & similia. 1. 2. q. 187. a. 1.

Sacerdos novæ legis operatur in personâ Christi. 3. q. 22. a. 4.

Deus immediatè omnibus providet, quoad ordinis rationem; quò verò ad executionem ordinis, per aliqua media providet, non defectu potentiæ, sed abundantiâ bonitatis, dignitatem causalitatis etiam creaturis communicans. 1. q. 22. a. 3. & q. 103. a. 6.

Is qui suscepit in sacro fonte puerum, in casu necessitatis, deficientibus parentibus, tenetur eum instruere. 3. q. 67. a. 7.

Aliquid agere potest vltrà speciem suam in virtute agentis superioris, non autem in virtute propriâ. 1. 2. q. 109. a. 1.

Angelus vi imperij Dei potest educere in actum totum, quod divinâ virtute operandum est circà corpus aliquod suprà actus naturales. 1. q. 11. a. 2.

EX BIBLIIS.

SEth redditur Adæ filius, pro Abel occiso. Gen. 4.

Sara sterilis substituit Abrahæ Agar ancillam:

ſic Rachel ancillam ſuam Balam, & Lia Zelpham. Gen. 30.

In omnibus apparitionibus factis Abrahæ & aliis Patriarchis, Angelus vices Dei geſſit, vt legatus.

Aries loco Iſaac immolatur. Gen. 22.

Eliezer ſervus, & procurator Abrahæ, ſtipulans pro eo nuptias filio ſuo Iſaac. Gen. 24.

Vnus fratrum Ioſeph remanet in Ægypto obſes pro aliis. Gen. 44.

Moyſes juſſu Dei dicit populo Iſraël, Qui eſt miſit me ad vos. Exod. 3.

Aaron eſt os Moyſis ad populum. Exod. 4.

Primogenitus aſini mutatur ove, & prætium pro filiis hominum datur. Exod. 13.

Die ſextâ colligitur manna pro Sabbatho. Exod. 16.

Levit. 1. ſanguis hoſtiæ effunditur loco ejus qui effundi deberet à peccatore.

Mulier in ſuâ purificatione dat duos pullos loco agni. Levit. 12.

Accipit Deus Levitas pro primogenitis filiorum Iſraël. Num. 3.

Si non eſt qui recipiat delicti compenſationem datur Sacerdoti. Num. 3. eſt enim loco omnium, vndè totius mundi figuram veſte præferebat.

Deut. 5. dicit Moyſes, ego ſequeſter, & medius fui inter Deum & vos vt annuntiarem vobis verba ejus.

Frater ſuſcitat ſemen fratri mortuo ſinè liberis, & primogenitum vocat nomine ejus. Deut. 25.

Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbrâ manus meæ protexi te, vt plantes cœlos & fundes terram. Iſay. 51.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Pſal. 44.

Stabunt alieni & paſcent pecora veſtra, vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri; fortitudinem gentium comedetis, & in glorià eorum ſuperbietis. Iſay. 61.

Sacrificia animalium, ſunt loco hominum, qui ſe fatentur coram Deo morte dignos: ſic Philiſtæi ob arcam Dei ab ipſis captam, cùm eſſent afflicti à muribus, & morbis in Ano, arcam remiſerunt cum muribus & anis aureis. 1. Reg. 6.

Ait Dominus Moyſi conquærenti quòd non poſſet ſolus ſuſtinere omnem populum. Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti quod ſenes ſint ac magiſtri, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. Num. 11.

Ejectis his qui fuerant indigni convivio nuptiali, alij in eorum locum introducuntur. Math. 22.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terrâ; euntes ergo, &c. Sic Chriſtus dat ſummam poteſtatem Apoſtolis. Math. in fin. dat eis poteſtatem ſuper omnia dæmonia. Luc. 9.

Luminare minus, vt præſit nocti, in ſubſidium luminaris majoris.

Ioſeph dominatur ſub Pharaone in toto Ægypto. Gen. 39.

VICARIA POTESTAS optima.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ampliſſimæ beneficiorum largitioni non ſufficiunt vnius manus, in ſubſidium advocantur aliæ: & ipſa poteſtas, n hoc maximè benefica eſt, quòd non ſolùm ſua, ſed ſe conferat, vicariæ illam referenti. 40

MAGNITVDO. Deus infinitus, cùm nullis indigeat ad agendum, & ſeipſo poſſit omnia præſtare, tamen millia millium miniſtrant ei in regimine creaturarum; vnde patet vicariam poteſtatem non eſſe ſemper indigentiæ, ſed etiam magnificentiæ argumentum; ſic ſe multiplicat regiminis authoritas: Rector vbique eſt per miniſtros; habet extenſionem ſinè diviſione, nam id omne quod fit à vicariis, illi imputatur; & hæ potentiæ populo altiores, ſibi tamen ſubjectæ, eminentiam ſuam magis manifeſtant, vt ad gigantis in tabellâ expreſſionem appinguntur pueri & homines ſolitæ magnitudinis.

DVRATIO. Nunquam vacat officium cui ſubſtituta invigilat poteſtas: nam ſi fortunæ caſu, aut naturæ legibus Rector deficiat: idem tamen rerum ſtatus videtur ſub iiſdem miniſtris, ſicque omnis ex novitate metus diſcutitur. Addunt aliquid ad rerum publicarum momenta & majeſtatem, plurium advocatæ manus: quòd ſi adhuc acerba negotia tempus quo matureſcant exquirunt, ſenſim mora trahi poteſt, & facile noxia vota deluduntur, dum à plurium pendent conſiliis & officiis.

POTESTAS. Non arguunt impotentiam, ſed dominium & majeſtatem, domeſticis miniſteriis implicati ſervi: poteſt plus, qui ſuæ etiam potentiæ ſimilitudinem aliis imprimit: munus eſt divinum, hominem è plebe ad thronum evehere.

COGNITIO. Perfectior ex plurium examine rerum notitia. Princeps ſalvâ ſuâ majeſtate tentat per miniſtros negotiorum vias, quas data ſibi occaſione fœliciter eſt ingreſſurus. Expedit rerum cognitionem ſic pendere, nec in totum vno finiri judicio, ſed ſupereſſe & litigantibus quò ad Principem provocent, & Principi quò occultam ſuam ſententiam, docente in contrarium experientiâ, emendet. Qualis ſit veſtimenti noſtri decentia rectiùs apparet, cùm alienis imponitur humeris.

VOLVNTAS. Amor ſubſtituit amicum in amici bonis & adverſis, congaudet enim & compatitur. Benevolus Rector, dum vicarios conſtituit, quaſi partità cum aliis dignitate, & datâ cæteris ſpe eadem obtinendi, temperat naturalem in regimen invidiam. Intactum manet dum exponuntur hæc officia, pro quibus obtinendis decertet ambitio, quæ interim manſueſcit & blanditur ſub Rectoris ea lentè largientis manu. Rara in populo majeſtas, recipit ab eo amoris indicia in miniſtris, amore officiis ſuis ſe ſemper promovente.

VIRTVS. Vicarij virtus Rectoris ſtimulat virtutem: pudet enim ipſum, ſi hac animi dote, ſicut & dignitate non præcellat. Mediantibus miniſtris, ſe omnibus exhibet virtutis exemplum, ex eorum enim virtute fit judicium de ſuâ, quia putatur ſibi ſimiles elegiſſe, qui ipſum referant. Optimus hic ſibi conciliandæ famæ modus.

VERITAS. Cum in regimine ſit neceſſaria diſſimulatio, fœliciùs ſuccedit, ſi ad illam vtatur Princeps alieno miniſtri ore & opere; vt poſt hæc non minùs verax habeatur, quaſi miniſtri, non ſuus, ſit error.

GLORIA. Optimum eſt Rectori habere, in quem laſſata negotiis mens recumbat, & alternâ quiete reparetur, in quem infœliciter geſtorum ignominiam rejiciat, cum tamen fortunati illius laboris gloriam ſibi vindicet.

DIFFERENTIA. Levatur quodammodo ſubjectionis jugum, diverſarum perſonarum regimine: Vt ægris ſolatio eſt lecti, alimentorum, miniſtrorum mutatio: ſperatur ab vno, quod alius negat, & inter

mota... ...ri boni, ſpes conſolatur.

CONCORDANTIA. Fortior Rectoris potentia hac vicarij ſocietate, cum vtriuſque interſit res benè ſuccedere; habet fidum in re communi conſilium & auxilium: ſic ſe juvant duæ illæ potentiæ, vt ambæ manus in onere ſublevando; ad omnia pertingunt, nihil illis impoſſibile ſi benè conſentiant: vndique vitia obſident, negatis vel minimis induciis.

CONTRARIETAS. Frequens inter pares collegas rixa; At cum vicarius pendet ex Rectoris arbitrio, ſibimet nocet, ſi in illum inſurgat. Turpe tibi non eſt novas vires aſciſcere, vt cùm ingentibus negotiis, cùm adverſa fortunâ, & hoſtium tàm latitantium quàm apertè ſævientium turmis ſecuriùs confligas. Vicario, quaſi clypeo periculis expoſito, protegeris, & dùm pro te dec..rat, potes ad nova certamina vires colligere.

PRINCIPIVM. Cauſa habetur nobilior, cui plures ſunt ſubordinatæ. Actio ſemper imputatur principali agenti. Non movet invidiam, ſed conciliat affectum hic communicatu ſplendor.

MEDIVM. Ad eminentia niſi per gradus, non venitur: habeant populi quem vt ſibi viciniorem faciliùs conveniant, & quo intermedio liber illis ſit ad majeſtatem acceſſus, quæ & inde major apparet: ſic interpoſitis vmbris & corporibus eminentiam fingit perſpectiva; nulla ſinè congruis potentiis forma, nulla ſinè ſuis organis ars.

FINIS. Elucet Rectoris ſapientia & potentia, dum rebus temporibuſque dat convenientes miniſtros; dum eumdem finem aſſequitur, mutato ſpecie tenùs regimine. Glorioſum eſt poſſe & creare & annihilare potentiam.

MAIORITAS. Vt concilietur authoritas gravioribus cauſis, quas ſeipſo peragit Rector, debet quædam minoris momenti vicariis committere, dum illi ex rigore juris decernunt, ſibi ſervat gratias conferendas, & inſigniora æquitatis decreta; vt Deus interdùm probat omnipotentiam ſuam miraculis, præter ſolitum naturæ ordinem factis.

ÆQVALITAS. Sic habet Rector, quo ſe contrahat & dilatet, quò rebus parvis per vicarium, magnis ſeipſo commenſuretur, ne inhoneſtè cum inæqualibus concurrat: etiamſi & Rector & vicarius idem peragant, nulla tamen dignitatis ſubalternæ cum principali æqualitas.

MINORITAS. Princeps beneficia per ſe, aſpera per alium exequitur, vt vitet odia, & ſibi conciliet affectum. Minùs etiam læditur acceptis injuriis in miniſtro, quem ideò exponit.

REPVGNAT.

SINE VICARIO, ET ſeipſo agere.

MISCELLANEA.

Vide Minoritas Medij.

BOdin. lib. 4. Reip. cap. 6. Quærit an Princeps debeat ſeipſo jus dicere: Pro affirmativa dicit, quod eſt relatio inter Principem & ſubditum; vndè ſicut ſubditus ſeipſo fidelitatem præſtat Principi, ſic Princeps debet perſonaliter ei juſtitiam & protectionem; gaudet populus audiri à Principe; facilius tolerat condemnari à ſummâ authoritate; citò litigia terminarentur; ex æquitate judicaret, quia ejus eſt legem interpretari, & non hæreret judicium verbis aut formalitatibus; nobiles non dedignarentur cauſas ſuas agere coràm Principe, ſic ceſſarent duella. Tempore belli, arma decent Principem, ſed ſemper convenit ei juſtitia erga populum: ſic Æacus minos, Radamanthus, Reges in Græciâ judicarunt: ſic Salomon, Auguſtus, Adrianus, cui olim vetula, quam juſtitiam poſcentem nolebat audire, dixit, ſi non vis judicare, noli regnare; ſtetit ad hanc vocem, & jus reddidit: juſta decernendo, juſtitiæ habitum contrahent. Tamen non ſe debet omnibus immiſcere negotiis, ne famæ ſuæ noceat, ſi quid minùs accurate protulerit, ne ex conſuetudine oriatur contemptus, ne ſe implicet cauſis criminalibus contrà clementiam: ſic Titus voluit eſſe ſummus Pontifex ne reorum ſanguine pollueretur.

Majoris eſt energiæ quod ſeipſo ſit, quàm quod per alium: ſic nunquàm aqua, etiam calidiſſima, poteſt ligna adurere, vt flamma, quia in eo remanet eſſentialis frigiditas & craſſities, quâ impeditur ne partes ſubtiliores ſubeat.

Princeps debet ſemper perſonaliter intereſſe publicis comitiis; majori enim cum diligentiâ res coram ipſo ponderantur; factiones & iræ ſedantur; boni integritatis & fidei ſpecimen oſtendere conabuntur; mali minùs audebunt.

Princeps debet adeſſe præliis, eſt enim in exercitu, veluti numen quoddam, ex quo milites ſpiritum & animos ſumunt: Promptiùs & expeditiùs illi imperium, vt qui de ſuis, & qui ſuperiorem non habeat. Adeſt exercitui, vt caput membris, gubernator navi, ſpectator & calcar virtutis ſuorum. Multi illius reverentur imperium, qui alienum recuſarent; illius periculis erubeſcunt, qui alienum contemnerent: ſic Alexander Magnus, & Cæſar ſe geſſerunt.

Apud Perſas prohibitum erat ſagittam in feram emittere, priuſquàm Rex primam emiſiſſet; vndè Artaxerxes juſſit Megabiſum interfici, quod interfeciſſet Leonem in Regem inſurgentem.

Apud eoſdem Rex ſæpè provincias perſonaliter viſitabat: nam illius officium eſt, velociſſimi ſyderis inſtar, omnes inviſere, omnes audire, & vndequaque, velut numen invocatum, adeſſe.

Morbido hepate, aliquando lien ſanguinificandi integrum opus perficit, ſed imperfectè, & indè plures morbi.

Quod Rex debeat conſiliis perſonaliter adeſſe. *Vide Concord. Cognit.*

Ignis patens majorem dat colorem, quàm arena, cineres, aut aqua in diſtillationibus.

Metropolitani per ſe, non per ſuffraganeos, debent divina officia peragere. Vide Cardinalem de Cuſa pag. 761.

Olim apud Romanos, & apud Locrenſes non licebat in comitiis ſuffragium per procuratorem dare.

Aſſirij Dijs viſibilibus non faciebant ſtatuas, vt ſoli, ſtellis, elementis; ſatis enim per ſe videntur, & adſunt nobis.

Omnes concoctiones, quæ fiunt in corpore noſtro, præparantur quidem in vaſis, ſed perficiuntur in propriâ ſubſtantiâ partis; ſpiritus animalis præparatur in rete, perficitur in ſubſtantia cerebri; lac in venis diſponitur, fit in glandibus mammillarum; ſanguis elaboratur in Mezeraicis, fit in jecore; ſemen præparatur in vaſis ſpermaticis, fit in teſticulis. Du Laurent. anatom. lib. 7. q. 3.

Ius Regaliæ in nominatione & proviſione beneficiorum non competit, niſi ipſimet Regi, non verò vices gerenti. Paſquierius. lib. 3. cap. 27.

Melùs res cedunt ſub Principe ſapiente, habente malos conſiliarios, quàm ſub ignorante habente bonos miniſtros, quia ipſo per ſe non agente, ſenſim miniſtri deerunt officio ſuo. Idem lib. 5. cap. 1.

Dux generalis exercitus, antè conflictum ſeipſo explorat militum animos: non committat curam exercitus æmulo gloriæ ſuæ, temerè enim pugnabit: obeat ſeipſo præcipuos actus regiminis, cætera officiariis committat.

Incendia crebriora non procedunt ab elemento ſuperiori ignis, ſed à ſubterraneo, vt accidit ſæpè ex Æthna & Veſuvio.

Torrens plùs nocet quàm fluvius.

A Nilo nulla exhalat aura, quia vapores conſumuntur, ejus enim curſus penè totus ſub ſole eſt: non peccant miniſtri ſub oculis Principis.

Mythridates viginti duas linguas didicit, vt poſſet ſuo ore populis ſuis jus dicere. Philippus Rex Macedonum quotidie cognoſcendis cauſis Iudex ſedebat, quod etiam Alexander Magnus filius fecit.

Divinis illaborioſam & fœlicem operationem tribuimus, quia agunt ipſo ſuo eſſe.

Dicitur proverbialiter, agrum impinguari paſſibus, & equum oculis Domini.

Hic alienus oves cuſtos bis mulget in horâ, & ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis. Virgil. Eglog. 3.

Vt conſeruetur imperium, debet aſtricta ejus eſſe forma, ideſt vt non ſolum à te, ſed & apud te remaneat præcipua vis & honos, vt innoteſcat omnibus te eſſe, à quo pendeant omnes: Solus arbiter rerum, jure ac nomine regio, non vim principatus reſolvas cuncta ad ſenatum revocando. Lipſius in Politic. de regum authoritate. Additque hanc eſſe communem principatus cuſtodiam, neminem vnum magnum facere, periculoſum enim privati hominis nomen ſuprà Principis attoli.

Angeli in aſſumptis corporibus non poſſunt edere actiones proprias viventibus. D. Thom. 1. q. 51. a. 3. non poſſunt producere ſubſtantiam, ſed tantummotum localem. *Vide Cognit. Poteſt.* Vigilantia Rectoris, & de viſitationibus ab ipſo faciendis.

De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Pſalm. 16.

Iovis ſacerdoti non licebat hæderam tangere, nec ſub ejus vmbrâ tranſire, quia hæc planta imbecillis alieno indiget adminiculo. Plutarch. in problem. Rom. 122.

Quædam non niſi à præſente monſtrantur. Non poteſt medicus per epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda eſt, &c. Seneca. Epiſt. 22.

Hinc magna vis vocis, quæ eſt immediatus animæ interpres. *Vide Poteſtas Cognitionis.* vis nominum.

Optima, maximè rectoribus, diverſarum linguarum notitia, vt ſinè teſte & interprete poſſint cum exteris habere ſermonem.

Magni effectus, ſeu proſperi, ſeu adverſi procedunt à corporibus Planetarum, per directionem occurrentibus, & per tranſitum, non ab eorum aſpectibus.

Sapiens propriis, non mutuatis viribus pugnat contrà adverſa. *Vide Poteſtas Virtutis.* Sapiens ſeipſo contentus.

Deuter. 17. debet Rex Iudæorum propriâ manu deſcriptum Deuteronomium ſecum ferre; ſic enim plus ad ejus obſervationem afficietur.

Ideò plus movent exempla & opera quàm verba, quæ ſunt tantùm eorum imagines. *Vide Cognitio Virtutis.* ad bonum exemplum.

Dum Moyſes è manu ſuâ mittit virgam, fit ſerpens. demandata poteſtas ſit ſæva.

Incarnatus Deus, vt ſcirent homines, Deum tam proximum eſſe pietati hominum, vt hominem ſuſcipere dignaretur, & ſic ei coaptaretur homo totus, quemadmodùm animæ corpus; ad quem tamen Deum, velut longè poſitum, per interpoſitas poteſtates, dæmones ſcilicet, ſe pro anhelis ſubjicientes, ambiebant homines. D. Auguſt. Epiſt. 3. Voluſiano.

Ideo reſidentia præcipitur in dignitate exiſtentibus. *Vide Cognitio Poteſtatis.* de Reſidentia ad vigilantiam neceſſaria.

Elizæus ipſemet, non ejus ſervus, ſuſcitat puerum. 4. Reg. 2. Chriſtus ſanat dæmoniacum, quem non potuerant ſanare Diſcipuli. Math. 17.

Ad temporalem vitam Deus nobis ſuccurrit, per homines & Angelos; ad æternam autem vitam, non dat niſi de ſe. D. Auguſtin. in Pſalm. 34. concion. 1.

Influxus vitæ cœleſtis, ab ipsâ vitâ remotus, vitalem formam non poteſt generare, vt inſtrumentum ſeorsùm ab artifice non movetur ad artis formam; hinc concludit vitam eſſe toti mundo infuſam. Marſil. Ficin. Theol. Plato. lib. 4. cap. 1.

Eſt adulterinæ tutioriſque audaciæ genus, in quo graſſari infimæ humilitatis ſpiritus poſſunt, cum aliquid non noſtro, ſed alieno periculo audemus. Nulli eam propriam magis habent, quàm præfecti militiæ, & qui medicinam profitentur; hi militum, illi ægrorum periculo inclyti. Barclai.

Si caro vitiata reſecata ſit, facile poteris ſimilem aliam reficere; ſecùs autem ſi nervus vel ligamentum diſſectum fuerit, neque enim alia reſarcies, qualia erant priora, cum illa quidem ex ſanguine generentur, hæc verò ex ſemine ducant originem: os quoque in iis eſt, quæ per primam efformationem conſtructa ſunt; cæterum in locum ipſius aliquid ſuggerere poſſumus, quod oſſi ſimillimum ſit. Galen. lib. de conſtitutione artis medicæ.

Cerebrum in nullos vſus indiguit muſculis; cerebri fons motus voluntarij & principium. Idem. lib. 7. de vſu partium, quo fit vt cranium immobile, quaſi munus ſit ei circumdatum. Ibid.

Pia ſeipſo & propriis manibus fieri.

Veſpaſianus Imperator reſtitutionem Capitolij aggreſſus, ruderibus purgandis primùm admovit manum, ac ſuo collo quædam extulit. Sueton. in Veſpaſ. c. 8. Sic Conſtantinus poſt Baptiſmum, ad Eccleſiam B. Petri ædificandam, accepto bidente terram aperuit, deindè in honorem duodecim Apoſtolorum duodecim cophinos terrâ plenos propriis humeris aſportavit. Baron. an. 324.

Sic mos eſt Principibus & Magnatibus propriâ manu lapidem ponere in fundamentis piorum, aut publicorum ædificiorum, ſuis ſumptibus ſurgentium: ſic quibuſdam mos eſt, ad exemplum Chriſti, propriis manibus pauperum pedes lavare.

Iulianus ſolus Imperans, & conſecratus S. Sacerdos ritu gentilium, altaris ignem inſufflando, & turpiter maxillas inflando accendebat, vt de illo. Greg. Nazianz. Orat. 2. in Iulian.

Diaconi inſoleſcunt in Preſbyteros & volunt illis dignitate æquari: quia cum haberent rerum externarum adminiſtrationem, à populo majori frequentabantur quàm ſacerdotes obſequio. Baron. ann. 402.

Apud Romanos etiam Cenſores, qui maximæ ſunt authoritatis, magiſtratus purpuram induti, atque coronati, victimas ſecuri percutiebant. Athenæ. lib. 14. cap. 31.

Midas per exploratores, non ſeipſo, regni ſui negotia addiſcens, dictus eſt in contumeliam habere aures longas & aſininas. Photius in Biblioth. cap. 185. Plinius lib. 18. cap. 3. loquens de fœlicitate Imperij

Romani, & terræ vbertate, primis temporibus. Tantæ, inquit, vbertatis causâ erat, quòd ipsorum Imperatorum manibus colebantur agri, vt fas est credere, gaudente terrâ vomere laureato, & triumphali aratore; sivè illi eadem curâ semina tractabant, quâ bella, eademque diligentiâ arva disponebant, quâ castra, sivè honestis manibus omnia lætiùs proveniunt, quoniam & curiosiùs fiunt. Plin. lib. 18. cap. 3.

In bono prædio si benè ædificaveris, beneque posueris, libentiùs & sæpiùs venies, fundus melius erit, minùs peccabitur, fructus plùs capies. Cato. cap. 4. Vide Plin. lib. 18. cap. 5. frons occipitio prior est; id-est plus prodest præsentia. Ibid.

Idem lib. 29. in procœmio, dolens quod ipsi, vt suadet Cato, non discamus medicinam, sed ambitiosis medicorum concertationibus vitam nostram committamus. Alienis, inquit, pedibus ambulamus, alienis oculis agnoscimus, alienâ vivimus opetâ; perieruntque rerum naturæ prætia, & vitæ argumenta: nihil aliud pro nostro habemus quàm delitias.

Pyrrhus credebatur liene laborantes sanare, si immolato gallo albo, supinatis illis dextro pede leviter viscera premeret, hoc officium libenter exhibebat etiam pauperibus, propriis manibus gallum immolans. Plutarch. in Pyrrho; sic Rex Galliæ propriis manibus tangit & sanat strumis laborantes.

Fernelius Physiologiæ lib. 2. cap. 6. multis adductis rationibus probat in compositis, seu mixtis, formas & substantias elementorum remanere, non solas eorum vires; nam quomodò tales qualitates, quæ sunt accidentia, poterunt esse, & agere, separata à proprio suo subjecto?

Dum ædificaretur turris Babel, dicit scriptura quòd descendit Dominus vt videret; vt sic ostendat oculis potiùs, quàm auribus esse credendum; Moyses ideò in legibus prohibet rumoribus aurem præbere, &c. Philo Iudæ. lib. de confusione linguarum.

Intolerandum est, si cum edunt, alieno ore non indigent aut manibus; neque cum audiunt, aliorum auribus vtuntur: oculis autem propriis sanis, alienorum operâ volunt vti. Lucian. Dialogo. 3. de moribus Philosophorum.

Sol currum suum committens regendum Phaëonti penè incendit orbem; vndè & dicit Iovi, si aliquem tui loco emiseris, statim senties, quantò igne tuo fulmen nostrum plus ignis habeat. Idem in Dialogo Iovis & Solis.

Rectores seipsis regant ad instar matrum quæ filios propriis alunt vberibus. *Vide Duratio Principij.*

Vide Minoritas Principij. Independenter agere. *& Minoritas Medij.*

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

NE Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. Decret. lib. 5. t. 4.

Non potest quis causam criminalem agere per procuratorem, nisi sit persona illustris, causam vero injuriarum civilem, sic. 5. q. 3. can.

Absens adoptare non potest. l. 25. ff. de adoptionibus. Nec etiam adoptari. l. 24. eodem.

In arrogationibus, cum Principis authoritas debeat intervenire, attenditur an adoptanti melius sit de liberis procreandis cogitare, quàm ex alienâ familiâ quemquam redigere in familiam suam. l. nec ei. ff. de adoptionibus.

Gladij, aut alterius coërcitionis potestatem non potest Proconsul ad alium transferre, nec etiam jus liberandi. l. 6. solent. ff. de offic. Proconsul.

Habitatio differt ab vsu propriè dicto, quia vsus locari non potest, habitatio potest. l. 1. ff. de vsu & habitat.

Proconsul. non cogitur mandare Iurisdictionem suam. l. 6. §. 1. ff. de off. procon. Solet etiam extrà ordinem criminum cognitionem mandare legatis, qui tamen nec condemnare, nec absolvere possunt. l. 6. & l. 11. eodem.

Nemo apud legatum Proconsulis manumittere, aut adoptare potest. l. 2. §. 1. & l. 3. eodem.

Legatus mandatam sibi jurisdictionem mandare non potest. l. vlt. ff. de offic. ejus qui mand. est jurisdict.

Quæ specialiter competunt magistratibus mandari non possunt. l. 2. eodem.

Accusatus de crimine publico debet personaliter adesse, etiamsi sit nobilis aut potens, & non potest per procuratorem litigare, sed benè in causâ civili. l. 15. Cod. de accusat.

Actiones exercere potest quis nomine suo, licet vendere non possit. l. 1. C. de bon. matern.

Per alium non possunt generaliter fieri ea, quæ consistunt in faciendo, sed quæ consistunt in dando, rectè possunt. l. 39. §. final. ff. de statu. lib. & gloss.

Annonæ erogator debet suâ manu annonam militibus erogare. l. penult. in princip. Cod. de erogat. milit. annon.

Arbiter non potest ferre sententiam absente parte, nisi specialiter in compromisso expressum sit. l. diem proferre. §. si quis. ff. de recept. arbitr.

Causæ quæ cognitionem desiderant, per delegatum non possunt expediri. l. nec quicquam. §. vbi decretum. ff. de offic. proconsul.

Non valet servitus sic fundo imposita, vt mihi & vicino serviat, nam nemo nisi sibi servitutem recipere potest. l. 5. ff. commu. prædior.

In judicio finium regundorum judex debet ipsemet suis oculis loca lustrare. l. 8. ff. fini. regund.

Qui Domino debet dare non implet conditionem dando servo eius, nisi Dominus consenserit. l. 44. ff. de condition. & demonst.

Officiales operæ libertorum non possunt aliis præstari, nisi Dominis. l. 6. & 9. ff. de oper. libert.

Inter artifices longa differentia est, & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis; ideò si bonus artifex promisit se facturum aliquid, non liberatur alium in locum suum substituendo. l. 31. ff. de solutionib.

Rea adulterij absens deffendi non potest. l. 11. §. 2. ff. ad l. Iul. de adult.

Æstimationem honoris aut muneris in pecuniâ, pro administratione offerentes, audiendi non sunt. l. 16. ff. de muneribus & honoribus.

Præsides non per adsessores sed per se subscribant libellis. l. 2. C. de adsessoribus.

Delegatus ab alio quàm à Principe delegare non potest. l. 5. C. de Iudiciis.

Manumissio non potest fieri per procuratorem. l. 3. C. de vind. & manum.

Si res quæ petitur præstari possit, Iudex non debet in æstimationem condemnare. l. 17. Cod. de fideicom. libert.

Qui de possessione libertatis in servitutem provocatur, per procuratorem potest respondere; qui autem de possessione servitutis provocat in libertatem, causam per se tantùm potest agere. l. 1. C. de adsertio. toll.

Rectores debent per seipsos inspicere domos &c

Digitized by Google

horrea publica, ne in illis corrumpantur frumenta. l. 2. Cod. de condit. in public. horreis.

Principales conductores non conductores conductorum, vectigalium habent immunitatem. l. vnic. Cod. quibus muneribus excusentur hi.

Tabellio à partibus rogatus, debet per se audire negotium, & ipsemet scribere. Novell. 44.

Nullus judex potest in loco, cujus sibi gubernatio commissa est, committere vicarium, sinè speciali concessione Imperatoris. Novell. 134.

Non est ordinatio Præsbyteri valida, cum Episcopus manum imponit, & alius Presbyter orationem dicit. Can. quorumdam dist. 23.

Vicarius non potest substituere vicarium cap. Clericos. de offic. Vicar.

Vicarius, si beneficium curatum sit adeptus, vicariatu privabitur cap. ad audientiam.

Qui damnatus est ad tradendam possessionem, non sufficit ei si pro eâ tradat pignus. cum aliquibus. de sententiâ & re Iudic.

Ad prosequendam accusationem criminalem non admittitur procurator, licet possit allegare causam absentiæ. cap. veniens de accusat.

Nihil aliud in sacrificio præter quàm quod Dominus instituit, offerendum est in canonib. Apost. can. 3.

Conductitiis Presbyteris Ecclesiæ non committantur, & vnaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem. Concil. Lateran. can. 10.

Quod residentia debetur beneficiis. & quod non sint per Vicarios regenda. Vide Concil. Tridentin. sess. 6 de reformatione cap. 1. & 2.

In validos mendicantes pœnas statutas. Vide l. vnic. Cod. de valid. medicantibus.

Concil. Rhemensi jubetur vt Presbyter per seipsum ægros communicet; & ab officio dicit deponendos, qui divina parvipendentes, communionem ad ægros mittebant per Laicos, aut per mulieres. can. pervenit. de consecr. dist. 2.

Concilio Emeritano in Hispaniâ, can. 5. statutum vt nisi Episcopi essent rationabiliter impediti, non mitterent Presbyteros Vicarios ad Synodos. Baron. an. 666.

ORDINARIE MELIVS est seipso agere quàm per alium.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vulgatum est politiæ præceptum, Principem debere beneficia, & quæ amorem conciliant, per se; odiosa autem per alium exercere; laeditur enim & contemnitur majestas, si alium boni largitorem populus suspiciat. Quilibet se magis quàm alium amans, etiam quæ sibi propria sunt, quàm quæ commissa, magis curat. Accidentia quædam possunt aliis substitui, sed non formæ essentiales.

MAGNITVDO. Res alteri commissa nunquàm integrè succedit ex votis, aliquid aut deest, aut super additur: quia se toto non agit sed perfunctoriè, qui alteri laborat. Si opus superet vires, licet advocare auxiliũ, sed cui præsideas, vt anima sensuum organis.

DVRATIO. Si is, cui res mandata est, illâ gaudeat, protrahit in longum, ne illi gratum officium subtrahatur. In dubiis de voluntate Domini, aut bonâ aut malâ fide quærit moras, inter quas effluunt nusquàm redituræ occasiones. Si displiceat mandatum, vis est non duratura, quâ se quantociùs potest exonerat, rei ipsius periculis libertatem suam vindicaturus.

POTESTAS. Officio suo commensurata, quidquid ad illum pertinet exequitur; impotentiam fatetur, qui onus in aliorum humeros rejicit; non est absoluta potestas, quæ pendet ex aliorum munere, inter quos multi deficiunt; quis fidem habeat mercenariis quorum, nisi sub oculis Domini, languidæ & ad fraudem compositæ manus?

COGNITIO. His quibus negotium mandas, aperis ex consiliis tuis ea tantùm, quæ ad executionem censes esse necessaria, vndè sæpiùs, etiam bonâ fide, aberrant, defectu scilicet amplioris cognitionis, quam nova rerum facies exigebat, & officiosè secretum rebus tuis dictum ordinem perverit. Acutiùs vident oculi sua, quàm aliena pericula: capiendum in arenâ consilium, cum rebus ipsis deliberandum est, quibus ideò debes interesse; earum experientia multa præter spem suggeret, quæ nec in alterius venirent mentem, nec de illis referenti fides haberetur. Latet securiùs consilij tui mysterium, cum teipso agis. & fœliciùs succedit ars, jam nulla, si aliis fuerit vulgata.

VOLVNTAS. Ministri libera sunt instrumenta, quæ non semper alterius motum expectant, sed ex se capiunt, provt passione suâ afficiuntur; vndè si desit amor, languent; si adsit, periculum est ne excedant. ad obsequij sui spectaculum; sæpiùs negotiis fucum facient, vt illa ad suum commodum contorqueant.

VIRTVS. Res præclaras fortitudo, abjectas modestia conatur exequi. In vtrisque reperit quo se fœliciter exerat virtus, Minima maximis pro temperamento sunt admixta: peccat ergò contrà naturę & mediocritatis leges, qui ad humilia nescit descendere; ex illis enim certissimum habetur prudentiæ argumentum. Virtus seipsâ contentâ profitetur se externis non indigere ad benè vivendum, & si illis benè sciat vti.

VERITAS. Nescis rerum veritatem, si gerantur ab alio, qui sæpiùs illas ad operis sui commendationem mentitis adumbrat coloribus: indignum est velle falli; minùs esset laboris in opere, quam in inquietâ mentis versatione circà rerum possibilium innumeras conjecturas, incertos, & suspectos eventus: quid fiet, quid fieri possit, quid verè, quo animo, quibusque cæteris circunstantiis factum sit? non minùs torquet animum meticulosa suspicio, quàm nocet patens fraudibus fides.

GLORIA. Turpe est operis gloriam cum alio partiri, si possis illam tibi solus vendicare. Animus, secreto quodam applausu, de rebus à se gestis sibi congratulatur, & intimo hoc in sinu, gaudij sibi præmium decernit: at contrà calumniatur aliorum opus, quæritur de malè consultis, de bono quod haberi poterat prætermisso; & in his omnibus tibi priùs, quàm alteri pœnam irrogas. Vera tibi non erit quies, nisi ea omnia, quæ in tua sunt potestate, solus præstiteris.

DIFFERENTIA. Varius rerum status varia exigit consilia, in quibus peccat, qui exactè mandati fines non vult egredi: procurator suum esse putat obedire, non judicare. Aliæ res videntur è proximo, docent ipsæ rerum occasiones, vtendum flexu, quem nec advertit, nec audet, qui ex alterius agit mandato.

CONCORDANTIA. Vt rerum naturalium, sic œconomicarum & politicarum est quidam nexus, quem nescit is, qui vnum tantùm opus mandatum est. Si teipso agas, rei parvæ jacturâ profuturam tibi in cæteris conciliabis amicitiam. In subitò ambitionis aut avaritiæ conflictu stabis pro partibus, quas tuum est judicare, an sint tibi fœliciores; nullumque ministri, etiam addictissimi, obsequium æquare potest indulgentissimam, quam tecum habes probus à te gestis, concordiam.

Digit... by Google

CONTRARIETAS. Falli ſæpiùs ſpes in miniſtris teſtantur actiones mandati: illius famoſæ revocationes; & fora litibus perſonantia inter Dominum & Procuratorem, Principem & Miniſtros, ad rationum redditionem coactos. Certè volumus decipi, cùm extrà caſum neceſſitatis res noſtras committimus his, qui malunt ſua quàm noſtra commoda: allident te ad ſcopulos, quos vt vites cogeris longiùs à propoſito recedere.

PRINCIPIVM. Si non potes omnibus adeſſe & res omnes ab initiis adexitum perducere, ſaltem age quæ ſunt capitalia; videberis omnibus providiſſe; ſic qui generat infundit formam, & vitæ principia, quibus generatum ſe ad perfectionem ſuam promovet.

MEDIVM. Quod eſt potentiùs, minoribus indiget, ad agendum, vt Deus nullis, quia eſt infinitus. *Vide Minoritas Medij.* Quòd ſi non potes omnibus intereſſe, ſi indiges miniſtris, age cum illis, vt anima cum organis, quæ ſuâ nunquam deſtituitur virtute; ſic à te pendeant, rebuſque eorum ſic invigila, vt poſſis torpentes concitare, & concitatos frænis coercere, ſaltem id te poſſe & facere intelligant.

FINIS. Mediatus aperitur miniſtro, non vltimatus, ad quem cæteri omnes reducuntur: vndè dum vrget neceſſitas, neſcit quantùm liceat ab inſtituto deflectere; vt nauta qui poſt tempeſtatem ignorat ſitum loci quem petit. Agens ipſemet pluribus ſimul intendis, & dato connexis negotiis ordine, invicem illa contemperas.

MAIORITAS. Hic mihi maximè videtur rerum agendarum capax, qui nihil de agendis prætermittit, qui ſe independentem ab aliis exhibet: Deus & Sol, vt cauſæ vniverſales, concurrunt ad minimorum etiam entium generationem.

ÆQVALITAS. Exactè & ad mentem tuam implere mandatum non poteſt, qui tecum non conſentit, nec in idæâ, nec in affectu: Procurator, etiam probatiſſimæ fidei, aliter res concipit, aliter circà illas afficitur: ſic neceſſe eſt, præter intentionem tuam multa faciat.

MINORITAS. Iſta rerum, vt vocas minimarum, exoneratio, privatio eſt, cujus quilibet eſt capax: & verè minoris eſt virtutis & potentiæ illa non exequi, quam contrà. Ne contemnas minora, ſinè quibus magna non conſtant.

MEDIA POTESTAS Mediocris ſeu limitata.

MISCELLANEA.

Vide Media Majoritas.

PRinceps jure Majeſtatis abſolutæ non tenetur legibus, quæ ſunt inſtrumenta regiminis, ſed tenetur his quæ ſunt ejus cauſæ efficientes & fundamenta, & quæ à populo pendent, ſicut ipſum jus conſtituendi principem; ſic tenetur legibus naturæ, gentium, & divinis.

Maritus habet jus vtendi dote vxoris ſuæ, ſed non alienandi. Princeps habere dicitur ſimile jus in domanio ſuo.

Menſura ærarij ſtatui publico æquata eſſe debet, vt inſtrumentum ſuæ cauſæ principali.

Aſtra in nos mediam vim habent, dùm dominantur corpori & temperamento, vndè in multis pendent animæ functiones. *Vide Majorit. Poteſt. Mala.*

A Apud Romanos Tribuni Plebis moderabantur Senatorum & nobilium poteſtatem, ne ſcilicet plebem vexarent. Apud Lacedemonios Ephori, ſimiliter Reges continebant in officio.

Princeps non tàm curet amplificare imperium quàm bene regere & conſervare, nam amplum difficiliùs, anguſtum & imminutum periculoſiùs regitur.

Poſt Reges, vrbs Athenienſis habuit Archontas, qui rationem ſui regiminis redderent; primò fuerunt perpetui, deindè decennales.

Spartanorum ſtatus mixtus erat ex Monarchiâ, Ariſtocratiâ & Democratiâ, ſed prævalebat Ariſtocratia. Status Senatorum fuit intermedius inter Regem & populum, vt corpus Spartanæ Reipublicæ
B conſtaret, & ne diffluereet. Item adverſus Ariſtocraticos, Ephori ſunt inſtituti, qui pro populo agerent, & ſinè quibus nihil poterat fieri.

Species intermediæ.

Mixta perfectiora conſtant calore & frigore, quæ ſunt qualitates activæ; & ſiccitate & humore, quæ ſunt qualitates paſſivæ.

Res Meteorologicæ moventur & quieſcunt; partim per ſe, partim per rem in quâ continentur.

Quædam ita movent, vt moveantur.

Quando ex materiâ efficere non poſſumus quod volumus, molimur quod poſſumus.

Ad motum tria neceſſaria: participatio formæ, potentia, & progreſſio ad formam.

C Nihil ſe totum movet per ſe totum, ſed tantùm per partem ſui ſe poteſt movere.

Quodlibet elementum habet vnam qualitatem in gradu intenſo, alteram in remiſſo: omnis creatura conſtat poteſtate & actu.

Sunt alia naturæ, alia medicis negata & conceſſa: natura non poteſt diſtortum membrum conformare, & medicina non poteſt cavum vlcus carne replere.

Anima eſt ſimul agens & patiens in quolibet ſenſu, patiens quia recipit ſpeciem, agens quia judicat.

Motus eſt actio agentis, ſed eſt paſſio receptiva reſpectu loci & ſubjecti, vel perditiva reſpectu regnantis in eâ virtutis & formæ.

D Ex motu caloris & torpore materiei & quiete frigoris fiunt omnes operationes mixtæ & aptitudines & inertiæ ad agendum.

Ex denſo & raro fiunt omnes materiales paſſiones & diſpoſitiones, vel temperamenta.

Nemo eſt ſimpliciter Dominus in mundo, neque ſui ipſius, quoniam nihil poteſt in ſubſtantiam rei aliquid facere; neque in fructum, prout liber, ſed prout à lege naturali, divinâ aut humanâ eſt conceſſum. Homo non eſt hominis, ſed Dei gratiâ: eſt Dei ſolius poſſeſſio, vt ait Plato: vnde Reges ſunt ad regendum, non ad dominandum: omnes mundi partes contemperantur, prout convenit vniverſo.

Hi tantum populi ſunt in armis fœlices, qui non
E ſunt, nec nimiùm ſervi, nec nimiùm liberi, ſe enim faciliùs tunc exponunt periculis. Plato. 3. de legibus.

Eſt ſpecies libertatis in populo, qui habet jus ſibi eligendi Principem.

Vt manè & veſperè ſunt media tempora, quæ ſe habent ad diem & noctem; ſic Ver & Autumnus ad Æſtatem & Hyemem, ex acceſſu & receſſu Solis.

In Diis eſt menſura in omnia potens, anima verò menſuram illam determinat, ac per eam agit in aliqua. Iamblicus de myſteriis. cap. 5.

Stomachus, cum ſit exanguis & membranâ compoſitus, non eſt æquè calidus ac jecur, vndè non facit, vt illud, ſeparationem humorum, ſed tantùm chilificationem.

Reſpiratio eſt actio partim naturalis, quia fit etiam

in.

in dormientibus; partim animalis & voluntaria, quia ad tempus continetur, aut augetur; ſic deglutio.

Vnius Regimen debet eſſe certis legibus temperatum, Princeps cum ſua guardia debet eſſe potentior ſingulis, & etiam multis ſimul conjunctis, ſed non omni populo. Diutiùs durant Monarchiæ ſi Principis poteſtas ſit certis legibus limitata, quàm ſi abſoluta, hinc enim oriuntur nimiæ violentiæ, odia & ſeditiones.

Principium nimiam potentiam moderatur vicini potentis metus.

Si ſuſpecto committatur magnum aliquod negotium, jungendus eſt illi alius magis fidus, qui illius ambitioſa deſideria, quaſi fræno, contineat.

Miniſtro non eſt committendum totius Reipublicæ regimen, ne illo abutatur, paſſione aliqua ductus.

Civitates mediæ inter paupertatem & divitias minùs ſubjacent ſeditionibus. Ariſtot. 4. Politic. num. 22.

Animalium corpora conſtant ex eo quod fert, & ex eo quod fertur. Gal.

Modeſtia decet Principem, vt de ſe ſuiſque exultantem non habeat ſenſum: difficile quidem eſt in alto poſitum, alta non ſapere, quia quidquid leve & inane eſt, aura ſuſtollit. Magna & rara fœlicitas à fœlicitate non vinci, & natura, educatione, adulatione non depravari. Non minùs cogitet ſe hominem, cum hominibus præeſt; videat non quod in ſe habet magnum, ſed quod ſuum; à Deo habet coronam, quam periculum eſt ne amittat, ſi ad illum non deferat: hæc autem modeſtia ſit in ſermone, & in cultu, &c. Lipſius in Politicis.

Motus animalis partim eſt naturalis, partim violentus: ſic planetis competit, qui partim ſuo, partim primi mobilis motu feruntur.

Collegarum media eſt Poteſtas. *Vide Concord. Poteſt.* & cauſarum quæ ſimul agunt. *Vide Concord. Principij.*

Corpus eſt activum & paſſivum, quia conſtat ex actu & potentia, ideſt materiâ & formâ.

Intelligentiæ non induunt formam in materiam, niſi applicando activa paſſivis.

Mercurius planeta eſt indifferentis poteſtatis.

Terra omnis à mari eſt circundata, ideò à Strabone dicitur inſula.

Animalia ſenſus, non motus capacia, vt oſtreæ; membranæ ſenſus non motus compotes.

Vix expurgandi in medicamentis, non energia & reipſa, ſed duntaxat poteſtate ineſt: nec vt magnes ferrum, ſic humorem allicit, ſed tantùm à naturali calore excitatum; & non ſubſtantia pharmaticum purgat, ſed tenui vapore ejus qualitatibus infecto. Fernel. lib. de purg. ratione.

Plato. 4. de Republ. providendum dicit ne civitates nimium divites aut pauperes ſint, ex copia enim aut inopia ſeditiones æquè oriuntur.

Idem lib. 3. de legibus, probat maximè optimatum gubernationem, quæ aliquid regij, aliquid popularis habeat, cavens à nimia potentia: ſed Reges cum ſenatu, ſenatum cum populo conjungens, vt ſic totum civitatis corpus liberum ſit, prudens & amicum; liberum vt poſſit quilibet patriæ ſuæ conſulere; prudens, vt ſciat; amicum, vt velit. Præcipit ibidem, à nemine fortitudinem abſque temperantia coli, & multarum rerum haberi notitiam abſque juſtitia; quaſi hoc ſit maximè Reipublicæ noxium: nimia non debet eſſe ſervitus, quæ amorem populi minuit; aut nimia libertas, quæ contemptu ſeditiones, & ſervitutem parit.

Idem lib. 4. de leg. dicit homines propriè non condere leges, ſed tantùm ſe accommodare rerum caſui, quem Deus moderatur: Princeps artem habeat, vt nauta in ventorum, vt qui ludit in aleæ veritate; ſibi, quantùm licet, boni conſulat; hæc enim media poteſtas ſolùm à Deo homini data.

Ibidem Magiſtratus vocat miniſtros, quia legi imperanti debent parere.

Idem Epiſt. 8. Dyonifio, monet ingens libertatis deſiderium ſervitutem parere, dum populus nolens obedire ſuis præpoſitis in hoſtium devenit poteſtatem.

Quodlibet elementum habet in ſe vnam qualitatem dominantem & aliam infirmiorem, vndè ſuperari poſſit; & illud quod eſt potentiùs ad agendum, eſt infirmius ad reſiſtendum, ne omnia in ſe convertat, vt ignis, magis agit, ſed minus reſiſtit, quàm terra.

Mas & fœmina ſimul ſpeciem humanam conſtituunt. *Vide Bonit. Concord.*

Nullum agens finitum poteſt per ſe producere totum compoſitum, ſed agit tantum in materia. Cauſæ ſecundæ agunt cum concurſu vniverſalis: nulla forma ſubſtantialis eſt immediatum principium ſuæ operationis, ſed agit per ſuas proprietates.

Caſus, fortuna & monſtra eveniunt propter defectum potentiæ agentis naturalis. Sic motus eſt ſucceſſivus, & in generatione requiruntur diſpoſitiones præcedentes propter defectum agentium & reſiſtentiam patientium.

Ambulatio fit cum vnus pes alternatim ſuſtinet totum corpus.

Ars ad plenum opus naturæ attingere non poteſt:

Compoſitum eſt in actu & potentia.

Forma cœleſtis, licet corpora afficiat, non tamen neceſſitat.

Quilibet motor naturalis eſt determinatæ virtutis.

Plato cives ſuos, neque nimium pauperes aut divites eſſe vult, quia pauper prodeſſe non poteſt, dives ſibi ſufficiens non vult.

Anima ex eſſentiâ particeps eſt æternitatis, vt purus nudusque intellectus; opere verò particeps eſt temporis & motus, vt cætera entia corporea. Ideo dicitur media rerum, ſeu medium nectens intellectum & corpus. *Vide Concord. Different.*

Calor cum humido diſſolvit ſinè aduſtione, vt patet in elixis carnibus; ſi non vincat humidum, ſed corrumpat, fiunt peſtiferæ corruptiones.

Tremor fit cum pondus membrorum trahit deorſum, animæ autẽ vis trahit ſurſum, & viciſſim agitur.

Cœlum circulo movetur ex motione corporeâ & animali mixtâ: nam cum corpus ſuapte naturâ feratur in rectum, anima verò contineat, ex vtriſque conficitur motio quædam, in quâ ferri ſimul ſit atque manere. Deus non agit ſe toto.

Rem levem apprehendimus duobus digitis; & tunc non exercetur tota potentia manus.

Struthio camelus pennas habet, non vt volet, ſed vt celeriùs currat.

Fit interdum Iris à Lunâ, ſed color eſt quaſi albæ nebulæ.

Ad opera nihil aliud poteſt homo, quàm vt corporà naturalia admoveat & amoveat, reliqua natura intus agit.

Plantæ & animalia, quanquàm videantur habere aliquod motus principium, aguntur tamen ab vniverſâ naturâ, indigentiâ, opportunitate, concurſu circumſtantium cauſarum, vndè plus habent paſſionis quàm actionis: homo, cum ſit mediùs, plus habet actionis quàm paſſionis, & eò magis, quò plus incedit intelligentia. *Vide Majorit. Poteſt. Mala.*

Domini olim dicti patres familias vt contumelia ſervorum minueretur. Octavius & Tiberius noluerunt Domini appellari.

Cum vrbs Athenienſis ſub Regum Dominio erat, A Rex diadema deponebat cum in Areopago ſenatu cauſas capitales auditurus ſedebat, quaſi non ex authoritate, ſed ex legibus judicaturus. Pollux. l. 8. c. 9.

Potentia non dicitur fruſtrà, & ſi non reducatur ad actum in omnibus ſuis individuis.

De modeſtiâ & humilitate in ſuperiore, qui vitare debet nimiam ſui præſumptionem. *Vide Cognit. Virt. propria* de nimiâ præſumptione.

Quantò magnus es, humiliate in omnibus, & coràm Deo invenies gratiam. Eccleſ.

Chriſtus verbum abbreviatum, dum converſatur cum publicanis, cùm amplexatur pueros in foro, dum lavat pedes diſcipulorum, nolite, inquit, vocari Magiſtri nec Domini ſuper terram, diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. B

Arbores fructibus onuſtæ incurvantur: cauſarum ſuperiorum influxus determinantur ab inferioribus. *Vide Concordantia Minoritatis.*

In domo juſti viventis ex fide, etiam qui imperant, ſerviunt eis quibus videntur imperare, neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi, nec principandi ſuperbiâ, ſed providendi miſericordiâ. D. Auguſt. lib. 19. de civit. cap. 14.

Chriſtus ſuſcipit baptiſmum à ſervo Ioanne, & poſt Chriſtum nemo ampliùs ab illo baptizatus eſt, quaſi ideò tantùm baptizaſſet Ioannes, vt Domini humilitas nobis demonſtraretur. D. Aug. tract. 4. in Ioan.

Idem tract. 55. ſuper c. 13. Ioan. notat quod antequàm Evangeliſta loqueretur de Domini humilitate, quâ pedes diſcipulorum lavit, commendat ejus celſitudinem, cum ait, ſciens quia Pater dedit ei omnia in manus, &c. C

Naturam Rectori miretur, quæ jungit ima ſummis. Et verbum divinum humanitati vnitum. Div. Bernard.

Dicimus quotidie Pater noſter, &c. Hoc dicit Imperator, hoc dicit ſervus, &c. Intelligant ego ſe eſſe fratres, qui vnum habent patrem; ſed non dedignentur ſervum habere fratrem, quem & voluit habere Chriſtus. D. Auguſt. homil. 42.

Div. Bernard. libro 2. ad Eugenium Papam. capite 9. Salubris inquit copula, vt cogitans te ſummum D Pontificem attendas pariter te eſſe viliſſimum cinerem; imitetur cogitatio naturam, imiteturque & quod dignius eſt authorem naturæ, ſumma imaque conſociantem: nonnè natura in perſonâ hominis vili limo vitæ ſpiraculum inſpiravit & colligavit; nonnè autor naturæ in ſui perſonâ verbum limumque contemperavit; ita tibi ſume formam, tam de noſtræ concretione originis quàm de ſacramento redemptionis, vt altus ſedens, non alta ſapiens ſis, ſed humilia de te ſentiens, humilibuſque conſentiens.

Præpoſita non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente fœlicicem: honore coràm hominibus prælata ſit vobis: coram Deo ſubſtrata ſit pedibus veſtris, & ſemper plus amari à vobis appetat quàm timeri. D. Auguſt. Epiſt. 109. ad Monachos E

Philotas, Alexandro glorianti quod in numerum Deorum adſcriptus eſſet oraculo Iovis Ammonij, reſpondit, tui quidem causâ ob id gaudeo, ſed miſereor hominum, qui regendi ſunt ab eo, cui humana ſors non ſufficit.

Menſura humilitatis cuique ex menſurâ ipſius magnitudinis data eſt, vt & ſuperbiæ, quæ ampluoribus periculoſiùs inſidiatur, & invidiæ eam comitanti humilitas obſiſtat. Doctor humilitatis Chriſtus primò ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Pergite viam ſublimitatis pede humilitatis. D. Auguſt. lib. de ſanctâ virginitate. cap. 30.

Quod potentia in coërcitione debet eſſe moderata. *Vide Media Contrarior.* & *Majoritas Contrariorum. Mala.*

Moyſes populo Iſraël legem dedit poſt obtentam victoriam contrà Amalech, ne inſoleſceret; vt ſciant quoniam homines ſunt.

Cum in morbi curatione ſimul agant natura & medicus; ſunt tamen quædam quæ medicus, quædam quæ natura præſtare nequit, vt membrum diſtortum natura non reſtituit, ſicut medicus; at medicus non poteſt ſicut natura vlcus cavum implere, & cruda concoquere. Galenus. lib. de conſtitutione artis medicæ.

Mortuo Herode, Archelaus hæres ab eo ſcriptus Romam proficiſcitur, vt ab Auguſto regnum obtineat: legatis Iudæorum in contrarium petentibus vt ſinè Rege liceret vivere, & ſubeſſe Romanis. Auguſtus Archelaum non Regem, ſed Tetrarcham nominavit. Baron. an. 8.

Trajanus ſibi amorem populi conciliavit, quòd Imperator & victor ex Germania rediens, oblatum eo anno conſulatum recuſavit. Plin. 2. in Panegyr.

Ex clavis quibus in cruce confixus fuerat Chriſtus, Helena ex vno diadema intexit, ex altero fræuum fieri præcepit, hæcque dono miſit Conſtantino filio; vt hinc diſceret juſtè imperare, ferens coronam de cruce, & manibus pariter regendo habenam de cruce. Baron. ann. 326.

Photius in Bibliotheca. cap. 37. refert ſe legiſſe librum de Republicâ, continentem novam politiam, conflatam ex eo quod purum & ſincerum inveniri poteſt in gubernatione Regiâ, Optimatum & populi.

Saturnus qui frigidus eſt, minùs noxius eſt, ſi adjungatur calori diurno, Mars autem ſiccus nocturnæ humiditate: ſic vterque à contrariâ conſtitutione factus moderatior, magis erit temperatus. Ptolomæus prædict. Aſtrologic. lib. 1. cap. 6.

Latini Tarquinios Reges Româ ejectos aſſerebant, æmulatione & invidiâ; vt populus, qui foris dominabatur, ſaltem domi ſerviret. Florus lib. 1. capite 11.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

COmmodati vel contrà. ff. 13. tit. 6. Cod. 4. tit. 33.
Conditionem Feudum tacitè ſequi. Feud. 4. 89.
De fundis limitrophis. C. 11. 9.
De jure Emphyteutico. C. 4. tit. 66.
De libertinis. Inſt. 1. 5. Cod. 10. tit. 56.
De libertis & eorum liberis. C. 6. 7.
Locati & conducti. Inſt. 3. 29. ff. 19. 2. C. 4. 65.
De non numeratâ pecuniâ. C. 4. tit. 3.
De peculio. ff. 15. 1.
De pignoribus & hypothecis. ff. 20. 1. C. 8. 14.
De precario. ff. 43. 25. C. 8. tit. 9.
Si mancipium ita venierit, vt manumittatur. C. 4. tit. 57.
De conditionibus & demonſtrationibus.
De ſubſtitutionibus.
De ſtatu liberis. ff. 40. tit. 7.
De vſu & habitatione. ff. 7. tit. 8.
De vſu fructu. Inſt. 2. 4. ff. 7. tit. 1.
Vt monachus de acquiſitis teſtari poſſit. Leonis Novel. 5.

Poteſt qui ſupremum habet dominium, *ſouuerain*, eſſe tamen vaſallus alterius, ratione alicujus Feudi. Vide Bodin. lib. 1. Reip. c. 9.

Furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore authore agere poteſt. l. 5. ff. de Reg. Iur.

De eo qui mittitur in poſſeſſionem causâ rei ſervandæ. decret. 2. 15.

De locato & conducto. dec. 3. 18.

Iuriſdictio, vel vniverſa mandatur, vel in certas perſonas, & de certâ ſpecie. l. 3. ff. de Iuriſd.

Sententia arbitri non eſt propriè ſententia. l. quid ergo ff. de his qui nota. infam. Nam ex eâ, nec actio, nec exceptio judicati datur, ſed ex compromiſſo pœna petitur. l. 2. ff. de recept. arbit. Poteſt tantum arbiter judicare de his rebus, quæ ab initio fuerunt inter eos qui compromiſerunt, non quæ poſtea ſupervenerunt. l. 46. eodem.

Vſusfructus eſt jus vtendi, fruendi rebus alienis, ſalvâ earum ſubſtantiâ. l. 1. ff. de vſufr.

In diem addictio, eſt quando res ita venditur, vt ab emptore abeat, ſi quis intrà certum tempus meliorem conditionem attulerit; vt ſi ſolutio ſit celerior, aut opportunior. l. 4. ff. de diem addict.

Similiter lex commiſſoria eſt pactio venditioni appoſita, vt poſſit reſolvi contractus, ſi tali die prætium non fuerit ſolutum; in quâ dies interpellat pro homine. l. 1. & 4. ff. de lege commiſſ.

Duplex eſt imperium, merum & mixtum. l. 3. ff. de Iuriſd.

In peculium ſervus aut filiusfamilias loco Domini eſt.

Res intelligitur vendita cum ſuis ſervitutibus, & ob id non competit actio de evictione, niſi vendita ſit vt libera. l. penult. ff. de evict.

Lex in præteritum non valet. l. 22. ff. de legib.

Summa hominum diviſio eſt in liberos, aut ſervos. l. 3. ff. de ſtatu homin.

Patria poteſtas eſt in ſuſpenſo, durante patris captivitate. §. 4. Inſt. quib. mod. jus patr. poteſt. ſolvit.

Iacente hæreditate, res illius in nullius bonis ſunt. l. 1. ff. de diviſio. rer.

Proconſul, cum aut proficiſcitur in Provinciam, aut ab ea redit, habet in itinere inſignia imperij, & voluntariam juriſdictionem. l. 10. & l. vlt. ff. de offic. Proconſ.

Flumen, quà aqua fluens, commune eſt, vt bibi hauriri que poſſit: at proprium eſt ejus in cujus ditione fluit, ſic & quæ naſcuntur in eo. l. quædam. ff. de rer. diviſ.

Is cujus merſus eſt ager, ſaltem piſcando retinet poſſeſſionem. l. ſi ager. ff. quibus mod. vſusfruct. amitt.

Motâ controverſiâ ſuper re, ejus alienatio eſt prohibita. l. 1. Cod. de petit. hæred.

Adſcriptitij erant liberi, licet fuiſſent adſcripti tali conditione. l. cum ſatis. Cod. de agricol.

Captus ab hoſtibus, eo quod non deffendatur, ejus Creditores poſſunt mitti in ejus bona, cauſa rei ſervandæ; tamen vendi non poſſunt, donec revertatur. l. fin. ff. de privileg. creditor.

Cedens bonis antè eorum venditionem, non dicitur illis carere. l. 3. ff. de ceſſione bonor.

Statu liber, qui de ſtatu ſuo litigat, agit vt liber, & procuratorem conſtituere poteſt. l. 33. ff. de procurat.

Vſusfructus poteſt initio conſtitui pro parte divisâ aut indivisâ. l. 5. ff. de vſufr.

Quæ à ferâ, vt lupo, erapta ſunt, tandiù noſtra ſunt quandiù ab eo conſumpta ſint. l. 8. ff. famil. Erciſc.

Res ſub conditione legata, interim eſt hæredum, & poteſt ad aliquem eorum per diviſionem venire, cum ſuâ conditione. l. 12. ff. famil. Erciſc.

Arbor in confinio nata, vtriuſque eſt fundi, cui cohæret. l. 19. ff. comm. divid.

Res in mari jacta, Domini manet, nec fit apprehendentis, quia pro derelicta non habetur. l. 2. in fin. ff. ad l. Rhod.

In quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur. l. 24. ff. de pignorib. & hypoth.

Res litigioſa non poteſt nec vtendi, nec pignorari. l. 1. §. quid ergo. ff. quæ res pign.

Dotalis fundi Dominium ità maritus habet, vt tamen alienare prohibeatur. lib. 13. ff. de fundo dotal.

Tutori, qui factus eſt pupilli debitor aut creditor, curator adjungi debet. Novel. 72. cap. 2.

Res publicæ ſunt vſu, non proprietate communes. l. 6. ff. de rer. diviſio.

Prædium ſerviens, quo Dominus non poteſt vti pro arbitrio. l. 15. ff. de ſervitutibus.

Quidam non poſſunt ſinè alienâ authoritate judicio ſiſtere, vt vxor ſinè marito, pupillus ſine Tutore, furioſus ſine curatore.

Tutor datus ad tempus, vel ſub conditione.

Si fundus qui poſſidebatur, à flumine vel à mari occupetur, amittitur tunc poſſeſſio, retinetur dominium. l. adeò. ff. de acquir. rer. domin.

Epiſcopi non habent proprietatem, ſed procurationem rerum Eccleſiæ, vndè illas in ſuos vſus non debent convertere. 12. q. 2. can. nulli & ſeqq.

Optione ſervorum legatâ, nullum licet intrà tempus diſtrahere; & ſic minuere jus electionis: nam electione legatâ, ſinguli quodammodò ſub conditione legati videntur. l. 3. ff. qui, & à quib. manu.

EX THEOLOGIA.

ACcidens poteſt agere in ſuum ſubjectum tantùm formaliter, non autem effectivè. D. Thom. 12. q. 85. a. 1. ad 4.

De ratione agentis inſtrumentalis eſt eſſe movens motum. 3. q. 19. a. 1. ad 2.

Materia corporalis reducitur ad actum imperfectum, ſolâ virtute agentis vniverſalis, non autem ad perfectum, niſi mediante agente particulari. 1. q. 79. a. 4. ad 1.

Omnia corpora obediunt Angelis ad nutum, motu locali, non verò formi. 1. q. 65. a. 4. q. 91. a. 2.

Potentiæ organicæ manent in animâ ſeparatâ vt in radice. 1. q. 77. a. 8.

Omnes potentiæ animæ ſunt paſſivæ præter intellectum agentem, & vegetativas, quæ ſolæ ſunt activæ. 1. q. 79. a. 3. ad 2.

Gratia agit in animâ formaliter, non autem effectivè. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 1.

Aqua non cooperit totam terram, contrà naturam, propter viventia ſuper eam. 1. q. 69. a. 1. ad 2.

Epiſcopi & alij Clerici habent verum dominium bonorum propriorum, non autem Eccleſiaſticorum, quorum ſunt tantùm diſpenſatores. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 1.

Occaſio ſignificat cauſam imperfectam, non autem ſemper cauſam per accidens. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 3.

Effectus corporales in inferioribus non ſequuntur ex neceſſitate à motibus cœlorum. 1. q. 115. a. 9.

Cœlum per ſe agit in corporibus omnium inferiorum, ſed in animâ & in potentiis ejus organicis agit per accidens. In intellectu autem & voluntate, indirectè tantùm. 1. q. 83. a. 1. ad 5.

Omne corpus eſt in potentiâ. 1. q. 3. a. 1.

Ratio regit appetitum ſenſitivum, Regimine politico & civili. 1. q. 8. a 3. ad 2.

Homo in ſtatu innocentiæ non habuiſſet dominium ſervile ſuper homines, ſed dominium liberum. 1. q. 92. a. 1. ad 2.

Elementa ſubtiliora dominantur in mixto, ſecundùm virtutem, ſed craſſiora ſecundùm quantitatem. 1. q. 71. a. 2.

Motus membrorum, in quantùm membra, moventur à potentiis ſenſitivis, ſubduntur imperio rationis; non autem ſecundùm quod moventur à potentiis naturalibus & vegetativis. 1. q. 71. a. 3. ad 2.

Libertas prima eſt debilitata per peccatum, non autem omnino amiſſa. 1. q. 83. a. 2. ad 3.

Anima Chriſti, vt inſtrumentum Verbi ſibi vniti, habuit virtutem ad omnes mutationes miraculoſas, ordinatas ad inſtaurationem rerum, non ad annihilationem. 3. q. 13. a. 2. ad 3.

In omnibus motoribus, & mobilibus ordinatis, motor inferior habet motum proprium, & præter hoc ſequitur motum ſuperioris motoris. 2. 2. q. 2. 3.

Sacerdotium veteris legis fuit figura ſacerdotij Chriſti, ſed multùm diſtans, quia nec æternum, nec mundans peccata. 3. q. 22. a. 1. ad 1.

Subjectio mulieris ad virum non eſt per modum ſervitutis, ſed gubernationis. 2. 2. q. 164. a. 2.

Omnia ſunt nunc ſubjecta Deo, & Chriſto ſecundùm poteſtatem, ſed poſt judicium per finalem impletionem voluntatis ejus. 3. q. 20. a. 1. ad 3.

Licet Dæmones poſſint movere aliquam partem terræ, non ſequitur quòd poſſint movere totam terram, quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum vt mutent ordinem elementorum mundi. Idem q. 16. de malo. a. 10.

Deus permittit homini edere de omni ligno paradiſi, ſed non de arbore ſcientiæ. Gen. 2.

MEDIA POTENTIA optima.

DEMONSTRATIO.

IMperfecta eſt hæc demonſtratio, niſi jungas illi quæ habentur infrà de nimiâ Poteſtate. *Majorit. Poteſtat.* & de defectu Poteſtatis. *Vide Minorit. Poteſt.* ex vtriſque extremis contemperata Poteſtas eſt optima.

BONITAS. Summa politiæ lex eſſe debet populi ſalus, qui habetur, ſi potentia ſit illi commenſurata. Bonum enim in convenienti. Talis autem eſſe debet, vt Rector & populus mutuis indigeant auxilijs, quorum fideli commercio, quale eſt inter partes vniverſi, ſtabit Reſpublica.

MAGNITVDO. Ætas media, quæ nondùm ad conſiſtentiam venit, omnium tamen eſt fœliciſſima, læta, vegetior, ſentit enim in ſe reconditos naturæ theſauros ad novos profectus; ſic qui mediæ eſt poteſtatis ſpe plenus agit magna vt magna conſequatur: Monſtrum eſt ſi puſillo corpori inſeras caput gigantis, indecorum eſt ſi amplioribus quàm par ſit veſtibus aut armis opprimatur.

DVRATIO. Nihil ſtat in hoc mundo? & vt aſtra ab apogæo, corpora à perfectâ ſanitate citò decidunt, ſic inſolenti potentiæ caſum de proximò minatur fortuna. Durabilior ergò ſtatus mediæ potentiæ, nam & ab extremis, bello ſemper tentatis, magis

A diſtat. Magna potentia ſe tota agit, & vix ſiſti poteſt. Mediocris lentiores quidem, ſed ſecuriores habet profectus; periculis intempeſtivè non obijcit, ſed accommodato rebus & temporibus conſilio, & captatâ occaſione, vires ſuas, quarum timet defectum, prudenter exerit.

POTESTAS. Plus eſt cautionis in re quàm in perſonâ, vt inquit lex; vndè fortunæ imponendus eſt modus, quem vix ſperes ab homine. Fœlix impotentia quæ quaſi fræno continet ab illicitis; & modeſtiam in magnâ fortunâ rariſſimam efficit neceſſariam: Motus fertur potentia, quæ ſe ab vno termino ad alium promovet, nondum ſatiata, ſed optatis fruitura.

B COGNITIO. Media Poteſtas, inter ſpem & metum poſita, vndique ſibi cavet, & omnes rerum temporumque differentias luſtrans oculis, nocitura vitat, profuturis adhæret: vt fax, ſic mens torpeſcit immota, & ignes exagitata reſtituit: Vigilantiſſimam efficit indigentia; vt incautam & citò miſeram inſolentis fortunæ ſecuritas.

VOLVNTAS. Vt epulis, ſic potentiâ ſedari debet appetitus, non opprimi: quamdiù mediocris eſt Rectoris potentia, tandiù amoris officijs colit populum, ſibi parem, ſibi vtilem: At ſi menſuram nimium excedant vires, populum, longè infrà ſe poſitum, negligit, vt ſervum, imò vt beſtiam habet, ſola vi ad imperata cogendum; hinc tyrannis, & mala, vix niſi cum patriæ excidio, finem capientia: irritatur libertas
C ſub imperio, cui parere neceſſe eſt, & cum nihil affectui relinquitur.

VIRTVS. Mediocritas, virtutum quaſi forma vniverſalis, maximè convenit Regentis poteſtati, ſub quâ debent virtutes omnes adoleſcere: qui poteſt & timet lædi neminem lædit, & hinc, vt ait Plato, juſtitiæ prima lex inter homines poſita.

VERITAS. Imperanti populis debet lex imperare: at illud jugum non ſubit niſi media poteſtas, officijs, non rebellioni ſuffectura. Talis ſectatur virtutes, vimque ſibi facit ne patiatur: & hæc diù ficta juſtitiæ perſona ex habitu in veram tranſit.

GLORIA. Alijs inviſa, ſibi ingrata, & oneri eſt poteſtas, exceſſu ſuo extrà gratitudinis præmium &
D ſenſum poſita: Extrema omnia adverſis tentantur, ſola medijs pax eſt; Veris & adoleſcentiæ media tempeſtas gratior eſt.

DIFFERENTIA. Inter varios rerum humanarum caſus; neceſſe ſit Regimen, vt cætera, mutationem pati: habet media poteſtas quò in melius cedat, & leviùs ex minùs alto cadat, poteſt enim citrà periculum ad extrema hinc indè inclinari, quod non contingit jacenti jam, aut nimium elatæ potentiæ.

CONCORDANTIA. Media poteſtas cum ſupremis & inferioribus concordans, ex vtriſque ſumit vires & ſecuritatem; At nimia poteſtas inſoleſcens, minorum ſe, ſibi tamen vtilium, ſpernit ſocietatem, vndè
E propriâ laborat excellentiâ.

CONTRARIETAS. Media Poteſtas ſecurior ab invidiæ malis; minùs infert injurias, quas & ipſa timet; ſi ſæviat, longiùs non excurrit, quia illi facilè reſiſtitur: At ingentis potentiæ, vt incendij, nullus, niſi vltimo rerum ſub eâ ruentium excidio, finis.

PRINCIPIVM. Populus qui ſummum jus in Principem detulit, vix patitur effectum cauſâ ſuâ longè ſuperiorem. Vellet potentiam, eâdem quâ primò conſtituta eſt lege temperari, & talem eſſe, vt non obſtet, quin peccantia ad ſuæ originis integritatem revocentur. Sub moderata potentia fiunt, ex virtutis inſtituto, moderata omnia; imperantis enim conditionibus cætera conformantur.

MEDIVM. Definit esse legis organum, potestas, ipsâ lege superior, nec se temperat omnibus soluta vinculis dominatio; Ad extrema feruntur humanæ passiones, vndè temperatissimum esse debet quod illis dominatur: homo rerum medius, qui mixtis constat & vivit, in mediocribus se tantum benè habet.

FINIS. Non est populus propter Principem, sed Princeps propter populum: Media autem à fine modum accipiunt, vndè Regnantium potestas debet Reipublicæ commensurari, non in immensum, provt fert ambitio, excrescere.

MAIORITAS. Optandum esset, vt potestatibus omnibus terminos lex puisset, vt ambitioni via præcludatur, nec vlla posset, nisi ex virtute, sperari eminentia.

ÆQVALITAS. Constant omnia actu & potentiâ: omne agens repatitur: sic existentiis privationi, motibus quieti contemperatis, vt hinc exurgat totius vniversi harmonia.

MINORITAS. Populus potest subvenire inopi, sed non tyrannicæ potestati: vndè in corpore politico, aliter quàm in nostro, morbi ex repletione pejores quàm ex inanitione.

IN QVIBVS EST MEDIA Potestas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Liberales vix aliquid suum dicuntur habere, cum parati sint sua petentibus largiri, & in eorum facultates jus habeat cujuslibet necessitas: Qui etiam accipit beneficium, vix vt suum possidet, quia tantundem debet ex gratitudine.

MAGNITVDO. Languet exigua vis in amplâ materiâ, vt debile lumen in magno spatio malignam, tenebrisque mixtam lucem effundit. Pluribus intentus minor est ad singula sensus: sic ditissimi testatoris hæreditas fit exigua, cum in plures dividitur.

DVRATIO. Nullum jus habemus in præterita, nullum in futura, itaque possessio rerum terrenarum est media, & momentanea. Vera potentia conceditur in æternitate, quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, non imperfecta & successiva, vt in tempore.

POTESTAS. Qui Regunt servi sunt publici, minima pars rerum ex votis succedit, privatim ministris exhibent, quam publicè à subditis exigunt servitutem. Cupiditatibus obsessa mens mediâ tantum suâ fruitur libertate. Collegarum media & ab invicem pendens potestas.

COGNITIO. Artes applicant tantùm activa passivis, & naturæ ministrant. Mediocrem habet audaciam qui magnæ est prudentiæ, pericula prævidentis; A tantùm retinet naturalis, metus, quantùm concitat gloriæ cupido.

VOLVNTAS. Amor, vt ait Plato in convivio, pallet, tremit, convellitur, quia medius est inter vitam & mortem; Amans enim plus in re amata quàm in se vivit.

VIRTVS. Sapiens & pius non hæret bonis fortunæ, tanquam nihil habens, omnia possidet, ait Apostolus.

VERITAS. Legis medium est Imperium, Princeps enim aut Magistratus illam inflectit ex æquitate, aut ex passione, sic nutat in plurimorum mentibus fides, ratione aut destituta, aut alterata inter leges & arma. Vis & Veritas humanum pariuntur imperium.

B GLORIA. Gloriæ stimulis concitati sui non sunt, aguntur enim à Republicâ, ex ipsorum periculis commodum percepturâ. Apud multos tamen hujus gloriæ vis esset exigua, si non misceretur vtili; Tribus enim movetur appetitus, honesto, vtili, jucundo.

DIFFERENTIA. Motus, quò celerior, leviorem facit agentis impressionem: etiam in transitu flamma fit innoxia: cœli citissimè rapiuntur & obliquè, ne fortiori quàm par sit radio, nostrisque vsibus non contemperato, nos lædant.

C CONTRARIETAS. Socij partitam habent rerum inter se communium proprietatem. In matrimonio jura communia, communisque servitus: vix vlla sinè motu aliquo quies, sinè dissidio pax, sinè simultate amicitia: Hic in rerum meditullio mediata tantum rebus omnibus conceditur potentia.

CONTRARIETAS. Omne agens repatitur, & licet omnes vires suas exerat, tamen propter resistentiam in patiens non transit.

PRINCIPIVM. Causæ vniversales coagunt cum secundis: sicut cum infirma opem sibi mutuò præbent, *Vide Concord. Potest. & Concord. Princip.*

MEDIVM. Agentium principalium & instrumentorum media vis, pendent enim ab invicem: Cum media omnia propter finem habeantur, ab illo determinantur.

D FINIS. Movet, metaphoricè tamen, nec illum potest quis consequi, nisi aliarum causarum admotis viribus.

MAIORITAS. Gratia non destruit, sed perficit naturam. Creata omnia excellunt tantùm in aliquo; In cæteris, pluribus aut æquales sunt, aut inferiores. Quæ sunt in excessu admixtam habent impotentiam, quâ se nesciunt regere, & moderare; sic pueris casus est pro deambulatione: In præceps fit casus non motus.

ÆQVALITAS. Æquis viribus librata se vicissim continent; sic primæ elementorum qualitates mediam vim habent in temperamento.

MINORITAS. Alteratorum vis activa languescit, vt in ægris, in parvulis, in senibus, in medicamentorum cavenibus.

Digitized by Google

FINIS POTESTATIS.

QVIBVS FINIATVR ET DESINAT POTESTAS.

MISCELLANEA.

Vide Finis Bonitatis. Finis Magnitudinis. Finis Gloriæ, &c. Vnde oriantur ſeditiones & bella quæ diſſolvunt Rempublicam. *Vide Principium Contrarietatis & Principium Minoritatis.*

LOLVS Rex Thraſiæ, Thraſenſibus, quia victi fuerant ab hoſtibus, in pœnam impoſuit, vt deinceps eſſent ſub imperio ſuarum mulierum, turpi & contumelioſa admodùm ſervitute. Iuſtin. lib. 32. A

Ægrotantes tunc moriuntur, cùm vires morbo ſuccumbunt.

Non hominibus & animalibus tantùm ſua ætas eſt, ſed & Regnis, quæ tam mortalia ſunt, quam ij qui fecerunt; Subdita ſunt Dei arbitrio, qui diruit, conſtruit, & veluti plaſtes varias ſibi formas & imagines fingit, ac diffingit ex hac argillâ; hinc pendet fluxus & B refluxus, ortus & occaſus rerum omnium, & maximè regnorum; manibus quidem ille & conſiliis ferè noſtris, ſed ille tamen: quemadmodum permiſit Sodomam conflagraſſe; ſub Tiberio, duodecim vrbes terræ hiatu aſſumptas, totidem Campaniæ, ſub Conſtantino, per varias cauſas nexas & ordinatas: Sic in regno perituro permittit haberi conſilia prava, dilationes, adulationes, vanitates; probitatem, veritatem, prudentiam exulare, ſic periit Aſſiriorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, Athenienſium, Lacedemoniorum, Thebanorum Imperium.

Periit Reſpublica Athenienſis, primò concurren- C tibus ad eam opprimendam totius Orientis viribus, Regibus ſcilicet Aſiæ, Ægypti, Epyri, Macedoniæ, Thraciæ; deinde libidine, dum moribus ſuis quàm legibus vti maluerunt; tranſlatâ etiam ſenatus Areopagi authoritate ad populum, conſultatione de rebus arduis commiſſa multitudini: Cum multùm creviſſet potentia hujus Reipublicæ, mole ſuâ mere cœpti; Exteri quoque ab Athenienſibus temerè fuerunt irritati, & bella ſæpè mota non neceſſaria.

Plato dicit annos clymatericos, ſeptem & novem, qui ſimplices valent in hominum vitâ, multiplicatos per cubos & quadratos ſuos efficere regnorum D mutationes.

Datur ſphæra quædam activitatis, quæ pertranſiri non poteſt. Condenſationis & rarefactionis ſunt aliqui limites, ſed indemonſtrabiles.

Populus Iſraël, per excidium vrbis & deſolationem ſinè ſpe reſtitutionis, populus eſſe deſiit, vndè non fuit amplius obligatus legalibus ceremoniis.

Rex jure belli ſubactos populos poteſt ad libitum alienare, & alteri cedere, non verò Regnum populi voluntate delatum, quia non præſumitur talis fuiſſe populi voluntas.

Deſinunt Imperia derelictione, quia voluntate ceſſante non manet imperium. Item, ſi quis nullum habens hæredem, ab inteſtato moriatur, nulla edita voluntatis ſuæ ſignificatione, tunc omne jus quod habebat Princeps interit, ſervi fiunt liberi, & populi ſui juris.

De cometis qui excidium Regnorum prænuntiaverunt. *Vide Cognic. Contrariet.*

Cum Dyoniſius Siciliæ tyrannus pulſus eſt ſua potenti, accidit prodigium, vt vno die dulceſceret mare. Plin. Natur. Hiſt. lib. 2. cap. 100.

Aliquando in paralyſi perit motus ſalvo ſenſu, propter exiguitatem ſpiritus animalis, qui ſufficit ad ſenſum, cum ſentire ſit pati; at motus eſt in actione, in qua, vt in profuſione ad extrà, plùs requiritur ſpirituum.

Statim atque pars corporis deſinit illuſtrari radio ſpirituum, concidit proprio pondere.

Pereunt Regna mala aut externo, ſcilicet incurſione hoſtium, & nationum ſedibus ſuis pulſatarum; aut bello civili, ex divitiis, otio, ambitione orto, etiam ob defectus Regentium.

Quando diſcordiæ oriuntur inter optimates ſtatim mutat Ariſtocratia.

In Italia inter Terracinam, & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus deſierè fieri, quia nonnullæ earum ſunt fulmine dirutæ. Plin. lib. 2. c. 55.

Reſpublicæ & Monarchiæ contrariis viventes legibus pugnant invicem, & mutuò ſe deſtruunt.

Angeli & animæ ſeparatæ habent ſphæram ſuæ activitatis. Creatura intellectualibus circumſcribitur terminis eſſentialibus, non verò localibus.

Datur gradus ſterilis, ſeu ſphæra activitatis, quia finitum, cum non agat in infinitum, debet habere terminum ſuæ actionis. Eſt quoddam non vltrà.

Senes otio ſe reddant. *Vide Demonſtrationem Gloriæ Durat.*

Sunt limites hic ſtatuti rerum omnium eſſentiis & actionibus, vltrà quos progredi nequeant; finitorum enim nihil habet poteſtatem infinitam.

Cauſa mutationum Regnorum petenda eſt à mutatione excentricitatis ſolis; vel à mutatione obliquitatis zodiaci; vel à magnis conjunctionibus ſuperiorum planetarum; vel à ſtellis fixis, quæ favent his, quibus motu ſuo naturali fiunt verticales: conficiunt autem ſingulis centum annis vnum gradum; ſic in triginta ſex millia annorum ſpatio percurrunt totum zodiacum: favent etiam his regionibus, quæ ſubſunt

signo quod ingrediuntur. Origan. fiunt etiam illæ mutationes à mutatione Apogæi Planetarum in alios gradus & alia signa. Idem.

Quod Deus Regna provt illi placuerit & constituat & dissolvat. *Vide Princip. Potestatis. & Finis Magnitudinis.*

De donationibus ob ingratitudinem & alias causas revocatis. *Vide Finis Bonit.*

Quibus oppugnetur, & concidat Potestas. *Vide Contrar. Potestas.*

Minor potestas est imago desinentis potestatis; citò perit potestas, quæ habetur ab occidentibus. Illud posse est corruptibile quod de majoritate & minoritate constitutum est, minùs enim distat à minoritate, sic citiùs in illam incidit. Lullius.

Ex vestium mutatione augurati sunt sapientes mutationem Imperij. *Vide Cognit. Virt.* Vestis est index dignitatis.

Plato. 5. de legibus præcipit ignavos milites qui in bello arma abjecissent, redigi in ordinem artificum aut agricolarum.

Forma regiminis rectè mutatur, quandò fit abusus, & hoc lege æternâ suadente. Vide ex D. Auguft. *Differentia Veritatis.*

Nullus Deorum extrà cœlum suum regnat.

Paulò antè Christi adventum, multæ statuæ in capitolio cœlo tactæ & liquefactæ sunt, dejecta multa simulachra, tùm Iovis, tùm Lupæ Remi & Romuli nutricis; litteræ in columnis, in quibus leges scribebantur, obliteratæ. Vide Baronium in apparatu annalium.

Clotarius Francorum Rex occidit in Ecclesiâ Gualterum Dominum d'Yvetot in Normannia, post decennij absentiam, cum Pontificiis litteris ab eo veniam petentem; in cujus delicti pœnam Agapetus Papa terram hanc de Yvetot ab omni in perpetuum feudo, omnibusque Regi debitis juribus immunem fecit. Baron. an. 535.

Anno Christi 541. incœptum est annos non numerare per Consules, sed per Imperatores, & in posterum neglectus est consulatus. Baron. an. 541.

In Concilio Cabilonensi, duo Episcopi accusati adulterij, & rei majestatis constituti, & patriæ proditores ab Episcopatu dejecti sunt. Baron. an. 581.

Cameli vltrà assuetum non procedunt spatium; nec plus justo onere recipiunt. Plinius lib. 8. capite 18.

Omnium animalium cornua cava sunt, cervis tantùm solida, & tamen singulis annis decidua. Idem lib. 11. cap. 37. Regna quæ videntur solidoria, non sunt magis durabilia.

Cum Regni dominator in locum climatericum inciderit, tunc aut Rex aut è Regni Principibus magnus quispiam morietur. Ptolomæ. in centiloq. num. 31.

Nemo vnquàm insignem aliquam spectavit tragœdiam, in quâ tyranni non è pristinâ fortunâ excederint. Photius Biblioth. c. 242.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE ademptione libertatis. ff. 40. tit. 6.
De alienatione & Emphyteusi. Nov. 120. Feudi. 1. t. 13. & 4. 27.
De arboribus cædendis. ff. 43, 26.
De capitis diminutione. Inst. 1. 6. ff. 4. t. 5.
Clericatu feudum amitti. Feud. 4. t. 109.
Quæ dignitates filium liberent patriâ potestate. Novell. 81.

Ex delicto vasalli Feudum ad Dominum redire. Feud. 4. t. 98.

Qui in exilium dati, vel ab ordine moti sunt. Cod. 10. t. 59.

Quandò Tutores vel Curatores esse desinunt. Cod. 5. t. 60.

Quemadmodùm servitutes amittantur. ff. 8. tit. 6.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. Inst. 1. t. 12. ff. 1. tit. 7.

Quibus modis vsusfructus, vel vsus amittatur. ff. 7. tit. 4.

Hæreticus nullum potest excommunicare. 24. q. 1.

Sequentia privilegia derogant prioribus, si ex certâ scientiâ fuerint concessa. 25. q. 2.

Emancipatio est actus, quo parens aliquem ex liberis suis, quem in potestate habet, sui juris efficit. §. prætereà. Instit. quibus mod. jus patr. potest. solvit.

Vsusfructus amittitur capitis diminutione, morte, tempore, rei mutatione, non vtendo, cessatione in jure, Dominij acquisitione. tot. t. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt.

Itaque si pecoris vsusfructus legatus sit, eo mortuo perit vsusfructus, & caro ejus & corium non sunt in fructu; similiter si civitati relictus est, cum passa est aratrum, sicut Carthago, periit similiter, quia censetur mortua civitas. l. 21. eodem.

De conditione causâ datâ, causâ non secutâ, & ob turpem vel injustam causam. ff. 12. t. 4.

De condictione indebiti. Ex omnibus causis, quæ jure non valuerunt, vel non habuerunt effectum, secuta per errorem solutione, condictioni locus est. l. 54. ff. de cond. indeb.

Proconsul desinit jus dicere, cùm successor ingressus est vrbem, in qua sedes est Iurisdictionis. l. 6. ff. de off. Proconf.

Extrà territorium suum jus dicenti, vel in territorio suprà Iurisdictionem suam, non paretur. l. vlt. ff. de Iurisd.

Iurisdictio mandata, finitur morte mandatis, si tunc is, cui erat mandata, nondùm agere cœperit. l. 6. ff. de Iurisd.

Magistratus non potest judicare, præcipere, eo die quo Magistratu privatus erit. l. 13. ff. de Iurisd.

Adoptans si emancipaverit adoptatum, aut eum in adoptionem dederit, iterùm non poterit eum adoptare. l. adoptare. ff. de adoptionibus.

Capti ab hostibus nihil possident, cùm ipsi possideantur. l. cum hæres. ff. de adquir. possess.

Quæ sunt in acquisitione necessaria, sunt per oppositum in amissione necessaria. l. 31. & Gloss. de servit. rustic.

Sicut ædificium in mari constructum fit privatum; ità fit publicum omne id, quod à mari occupatum est, in inundatione temporali. l. penul. ff. de acquir. rer. dom.

Alienationis extrà familiam factâ prohibitione, potest vltimus de familiâ alienare. lib. 78. ff. de leg. 2.

Alienationis prohibitio intelligitur de voluntariâ, non de necessaria. l. 38. ff. de legat. 3.

Castro vedito, intelligitur vendita jurisdictio, quæ illi competit. l. 29. ff. de acquir. rer. dom.

Aliquando causâ cognitâ, impubes impetrat, vt ab adrogatore emancipetur. l. 32. & 33. ff. de adopt.

Die, intrà quem definire arbiter ex compromisso debuit, exeunte, omne arbitrium expirat, nisi omnium voluntate dies prorogetur. l. 25. & 27. ff. de recept. arbit. & qui.

Tutor dari potest, ad certum tempus & sub conditione. l. 8. ff. de testam. tut.

Post susceptam tutelam potest eam tutor depone-

re, ſi illi ſuperveniat cæcitas, ſurditas, loquelæ interemptio, furor, gravis valetudo, aut paupertas. l. 40. ff. de excuſation.

Legatario repudiante, fingitur res ejus nunquàm fuiſſe, ſed ſemper hæredis. l. 16. ff. de reb. dub.

Animalia priùs à nobis capta naturalem libertatem recipere intelliguntur, cum vel oculos noſtros effugerint, vel difficilis ſit eorum perſecutio. l. 5. ff. acquir. rer. dom.

Debitor, qui non eſt ſolvendo, ne in carcerem conjiciatur cedit bonis, de ceſſione bonorum. tot. tit. ff. 42. tit. 3.

Rem amiſiſſe videtur qui adversùs nullum ejus perſequendæ actionem habet. l. 14. ff. de verb. ſign. Et cum habetur pro derelicta. l. 1. ff. pro derelicto.

Quorundam Epiſcoporum depoſitionem, extrà conſcientiam Romani Pontificis factam, pro pace toleravit Eccleſia. 3. q. 6. can. hæc quippè.

Apoſtolica authoritas deponit Principes, aut propter crimen, aut propter aliam incapacitatem, alios in eorum locum ſubſtituit, & ſubditos à præſtito juramento abſolvit. 15. q. 6. can. alius & ſeqq.

Eccleſia non abſolvit poſt mortem eos, qui viventes noluerunt abſolvi. 24. q. 2. can. de communione & ſeqq.

Poteſtatem amittit, qui eâ non legitimè vtitur, ſic jus ordinandi, qui immeritum conferat. 25. q. 2. q. 3. can. denuntiamus.

Epiſcopalis dignitas civitati ſubtrahatur quæ ſuos præſules interemit. can. ità nos eodem.

Dignitas ſublata de Eccleſiâ per ſtatutum capituli, confirmatum per Papam, vlteriùs non cenſetur vacare. cap. cum acceſſiſſet, de conſtitution.

Qui poſtulatum, tanquàm inſtitutum antè admiſſionem ſuperioris, recipiunt, privantur poteſtate eligendi. cap. bonæ memoriæ. 33. de elect. & elect. poteſt.

Defuncto Principe ſuperſtes Regina ſtatum & veſtem ſecularem deponat, & in cœnobio Virginum mancipetur permanſura. Concil. Cæſar-Auguſt. 3. can. 5.

Concilio apud Compendium an. 833. Epiſcopi tollunt Regnum Galliæ à Ludovico Imperatore, delicti ſua coràm illis confitente.

Concilium Aquiſgranenſe, tollit Regnum Galliæ à Lothario, vt injuſto, & dat fratribus Ludovico & Carolo. an. 842.

In alterius parœchia, niſi eo vocante, nulli aliquid agere liceat. 9. q. 2. can. nullus & ſeqq.

Arbiter non habet poteſtatem judicandi, vltrà comprehenſa in compromiſſo. cap. cum dilectus de arbit.

Ne Epiſcopus alteriùs Epiſcopi plebes vel fines vſurpet. Concil. Carthagin. I. can. 10. anno 348. Vide Trident. ſeſſ. 6. de reform. cap. 5.

Proconſul portam Romæ ingreſſus deponit imperium. l. fin. de off. Procon.

Pater amittit poteſtatem ſuper liberos, quos ſemel expoſuerit & pœnis ſubjicitur. l. 2. Cod. de infantib. expoſ. Sic Dominus ſuper ſervos, quos domo ſuâ ſinè ſubſidio expulerit. *Vide Majoritas Poteſtatis Mala.*

Pater propter crimen deportatus, amittit jus patriæ Poteſtatis. Inſt. quibus mod. jus patriæ poteſt. ſolvit.

Servitus originem habet à peccato. *Vide Principium Minoritatis.*

Abſorbetur minor Poteſtas à majori in moralibus, vt in naturalibus: ſic Præſente legato à latere, minor legatus executionem officij ſui dimittere debet. cap. volentes. de offic. legat. non lucent aſtra coram ſole.

Propter paupertatem præbendarum Eccleſiæ cathedralis, poſſunt retineri canonicatus capellæ. cap. expoſuiſti, de præbend. & dignit.

Concilio Nicæno. c. 6. & Conſtant. c. 2. Statutum eſt, ne Epiſcopi adminiſtrarent res Eccleſiarum extrà ſuas provincias.

Solius eſt Romanæ Eccleſiæ deponere Epiſcopos. Vide plura apud Baron. anno 1055.

Vide Cognitio Contrarietatis. Prodigia mortem Regum & mutationem imperiorum præcedentia.

EX THEOLOGIA.

ANgelus eſt in loco definitivè, non circumſcriptivè, & tantùm ſecundùm contactum virtutis. D. Th. 1. q. 8. a. 2. ad 1.

Prælatio Angelorum poſt diem judicij ceſſabit, quoad miniſteria circà nos. 1. q. 64. a. 4.

Anima ſeparata nullum corpus poteſt movere. 1. q. 117. a. 4.

Actus ſenſitivarum potentiarum non remanent in animâ ſeparatâ, niſi tanquàm in radice remotâ. ſupl. q. 70. a. 1.

Apoſtata condemnatus ab Eccleſiâ perdit jus Dominij ſuper ſubditos. 2. 2. q. 12. a. 2.

Baptiſato Chriſto non ceſſavit Baptiſmus Joannis, ſed tantùm eo decollato. 3. q. 38. 5.

Diſtantia loci impedit effectum cœleſtis corporis. 1. q. 115. a. 6. ad 2.

Schiſmatici, hæretici, degradati, & excommunicati non habent vſum clavium. 3. q. 64. a. 9. ad 2.

Degradatio aufert ordinis executionem quaſi in perpetuum, ſed excommunicatio ſolùm vſque ad emendationem. 3. q. 82. a. 8.

Habitus quilibet habens ſubjectum corruptibile, & cauſam habentem contrarium, corrumpitur per ſe à ſuo contrario, & per accidens ad corruptionem ſubjecti, vt habitus corporales. 12. q. 53. a. 1. & 3.

Lex humana non eſt ſervanda ſi ſit in damnum, ſed eſt recurrendum ad Principe: injuſta non obligat niſi ad vitandum ſcandalum. 1. 2. q. 96. a. 4. & 6.

In moventibus & motis non proceditur in infinitum. 3. q. 2. a. 3.

Abutens poteſtate ſibi datâ, meretur eam amittere. 1. 2. q. 2 a. 4. ad 2.

Sol propter diſtantiam loci, non eundem effectum habet in Daciâ, quem habet in Æthiopiâ. 1. q. 115. a. 6. ad 2.

EX BIBLIIS.

POſt quinquageſimum annum quilibet revertitur ad poſſeſſionem, à ſe alienatam. Deut. 25. Id à Deo factum ad coërcendam avaritiam. *Vide Contrar. & Finis Magnitudinis.*

Quomodò ſedet ſola civitas, plena populo? facta eſt quaſi vidua domina gentium, Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo. Ierem. Tren. 1. & c. 4. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodò reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

Reges eos in virgâ ferreâ, & quaſi vas figuli confringes eos. Pſal. 2.

Confringam brachium Pharaonis, & cadet de manu ejus enſis. Ezech. 30.

Cum auſteritate imperabatis, & cum potentiâ: & diſperſæ ſunt oves meæ: ecce ego ceſſare eos faciam, vt vltrà non paſcant gregem meum; & liberabo gregem meum de ore eorum, nec erit vltrà eis in eſcam. Ezech. 34.

In

In illâ die ſubvertentur montes, & cadent ſepes, & omnis murus cadet in terram. Ezech. 38.

Cœpit gladius in civitatibus ejus, & conſumet electos ejus, & comedet capita eorum. Oseæ. 11.

Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidũ tuum, indè detrahã te dicit Dominus. Abd. 1.

Percuſſiſti caput de domo impij, maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus vt turbo ad diſpergendum me. Hab. 3.

Diſperibunt omnes involuti argento. Sophoniæ. 1.

De impio dicitur. Inclinabit ſe & cadet cum dominatus fuerit pauperum. Pſal. 9.

Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt, quoniam iratus eſt eis. Pſal. 17.

Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas: tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Pſal. 88.

Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque convertentur operire terram. Pſal. 103.

Qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Pſal. 75.

Tygris periit, eo quod non haberet prædam; & catuli leonum diſſipati ſunt. Iob. 4. & cap. 12. Deus balthæum Regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum; ducit ſacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat; effundit deſpectionem ſuper Principes, & eos qui oppreſſi fuerant revelat: qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis: qui multiplicat gentes & perdit eas, & ſubverſas in integrum reſtituit. *Vide Finis Gloriæ.*

Qui facit ventis pondus; Iob. 28. ſuperbos humiliando. Ad ſilicem extendit manum ſuam; ſubvertit à radicibus montes, &c. Ibidem.

Triturabitur Moab ab eo, ſicut terruntur paleæ in plauſtro, & extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum: & humiliabit gloriam ejus, cùm alliſione manuum ejus. Iſay. 25.

Adducet Magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum. Iſay. 41.

Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, à facie tuâ montes diffluerent; ſicut exuſtio ignis tabeſcerent: aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Iſay. 64.

De Ieconia in obſidione Ieruſalem prædicit Ieremias: Terra, terra, terra; audi Sermonem Domini: ſcribe virum iſtum ſterilem, nec enim erit de ſemine ſuo, qui ſedeat ſuper ſolium David. Ierem. 22.

Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum ejus, & non invenies. Pſal. 36.

Salomon ejicit Abiatar Sacerdotem, vt non ſit ampliùs ſacerdos Domini. 3. Reg. 2.

Lumbare Ieremiæ infoſſum putreſcit, itavt non ſit ampliùs vſui. Sic putrefacere faciam ſuperbiam Iuda, qui ambulat in pravitate cordis ſui. Ierem. 13.

Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri, &c. Roman. 7.

QVÆ FINEM IMPONANT Poteſtati.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Nimiâ liberalitate perit liberalitas, & cum illa potentia & majeſtas; cum enim Rector ſit impotens, deſinit coli ab his, qui ſolâ ducuntur vtilitate: vt meſſis putreſcit nimiis imbribus, aut marcet nimiâ ſerenitate; ſic nimiâ Principis indulgentiâ diſſolvitur regimen: tam nocet intempeſtiva clementia, quàm ſeveritas.

MAGNITVDO. Qui fines imperij nimium protendunt, patiuntur ſeditiones in partibus, quibus non poſſunt adeſſe; ſic corpus in quo debilis eſt calor, in partibus ab ipſius caloris fonte magis diſtitis patitur gangrenas & corruptiones, totum corpus citò pervaſuras; ſic qui nimium humeris ſuis imponit onus, ſuccumbit, & idipſum quod portare poterat abjicit.

DVRATIO. Regnis quàm hominibus longior quidem vita, ſed tamen certis fati legibus ſenectutem & mortem patitur: nam quod cœpit deſinet; convelluntur & hinc indè inclinantur tandem caſura præcipitio, & metum omnem præveniente, vt putatur, immaturo exitu: interdùm pertinax earundem legum cuſtodia; interdùm inconſtans regiminis mutatio, tardum nimis, aut præceps conſilium culpatur; quamvis hæc ſint potiùs fatalis exitij ſymptomata quàm cauſæ.

POTESTAS. Infirmiora Regna cedunt potentioribus, & dùm quædam partis ex commercio opibus conantur vires ſuas amplificare, eò magis alliciunt avidas hoſtium manus ad prædam. Potentiores concitant in ſe invidiam cæterorum, quorum vnitis in communi periculo viribus ſæpè cadunt. Vel minima ſunt ad nocendum potentia.

COGNITIO. Res imperiorum, non ſola armorum, ſed maximè conſiliorum vis dirimit: vt munitiſſimas arces ſubvertit inductus per cuniculos ſubterraneus ignis; ſic florentiſſima regna proditio. Quædam Barbarie, quædam ſcientiis laborant, vtrinque periculum, ne feræ & incultæ penitùs mentes regimen aſpernentur; aut ne vanis addictæ ſtudijs, politiæ muneribus, bellique periculis ſe ſubtrahant. Periculoſum in regimine nimium acumen earum mentium, quæ putant practica ſuæ ſpeculationi, ſuiſque idæis commenſurari: quæ nimium ſibi de hoſtibus præſumentes & timentes, inutili labore conſumuntur, vt occurrant non futuris periculis, cùm interim incidunt in inſidias non ſuſpectas, quia rudi minerva paratas.

VOLVNTAS. Quidquid delirant Reges plectuntur Achivi, ſeditione, dolis, ſcelere atque libidine & irâ: itaque non à fato, non à ſtellis procedunt infœlices regnorum exitus, ſed verè à regnantium vitiis. Rebus publicis generoſi quidam imponuntur tituli: quòd ſi intima conſiliorum ſcruteris, miraberis ea omnia moveri turpiter amore laſcivo, invidiâ, metu, avaritiâ, crudelitate, cæteriſque viliſſimis paſſionibus, quæ vt ſecuriùs lateant, magnâ & ſplendidâ ſe tegunt rerum ambage.

VIRTVS. Concidant neceſſe eſt Regna, quæ fœlicitatem ſuam ponunt in externis bonis, ſub fortunæ dominio poſitis, non in virtutibus. Sublatâ inter cives probitate pereunt fides, ſocietas, commercia; fraus facilè fit Regibus; imperiumque civili bello diſſolveretur, etiamſi nullus illud impeteret externus hoſtis.

VERITAS. Doli, fœlices aliquando habere poſſunt exitus, ſed qui citò in contrarium vertuntur, cum res quidem optatas conſequuntur, ſed in poſterum fidem talibus habendam negant. Fluit ſponte ſuâ ex juſtitiæ legibus procedens negotium; at ſi pendeat à dolis, citò ſiſtitur, niſi vt artefactis motum ſemper imprimat operoſa & intenta cogitatio. Dolus in ſecreto eſt, pauciſque committitur; vndè illius conſcio caſu aut morte prævento, corruit tota conſiliorum machina.

Gloria. A fundamentis ſolidè conſtructâ domo, licet de ornamentis cogitare: ſic Princeps conſtituat legum & civilis ſocietatis jura, antequam convertatur ad res militares, vndè ſibi gloriam & triumphos paret. Infœliciter cedit his qui contrarium agunt, inverſo rerum ordine. Hinc prima ſervitutis origo in pœnam ambitiosâ temeritate decertantium.

Differentia. Vt ſolis abſentia in clementem facit hyemis tempeſtatem; ſic abſente Principe Regnum patitur partium ſuarum ſeditiones, hoſtium deprædationes, & quidquid vicinum illi minatur excidium. Vndè ſi non poteſt partibus omnibus ſimul adeſſe, omnes viciſſim decurrat diverſo ſemper & improviſo itinere, vt hoſtium inſidiæ deludantur.

Concordantia. Sternit imperia initum cum cadente Principe fœdus, aut diſſolutum cum victore. Hoc maximè contingit his, qui cùm propriis non poſſint ſtare viribus, aliorum fœlicem, aut adverſam ſortem ſequuntur. Communi civium paci nocentiſſimæ ſunt quorundam conjurationes, ſolvunt enim vnitatem communem, & ab aliis ſe ſubducunt, vt inter ſe congregentur.

Contrarietas. Cadunt ſæpiùs Regna ſeditionibus populi, aut illuſtrium familiarum odiis, quæ in bella tranſeunt civilia: hac capta occaſione irruunt hoſtes exteri, ſecuriores & fortiores vnius partis commercio.

Principium. Vt rerum ominum naturalium vitæ & interitus, ſic & Regnorum ſunt latentes cauſæ: Regimen eſt bonum vniverſale, quod maximè pendet à Deo. *Vide Princip. Poteſt. Reges à Deo.* Quidam imputant Regnorum mutationes intelligentiis illis præſidentibus, quas & putant poſt quædam ſæcula interire. Ob id exiſtimat Plutarchus conticuiſſe oracula.

Medium. Quidquid boni aut mali accidit Regimini, maximè imputandum eſt miniſtris, qui aut ſatis non coagunt ſub bono Principe, aut nimis ſub malo: infidus miniſter trahit ſuos in paratas ab hoſtibus inſidias; irritos reddit, de quibus promonuit, noſtros conatus. Sæpe nocuit Regnis moderata in eos, qui penitùs tollendi erant vindicta, & conceſſæ, quibus ad vltionem vires colligerent, induciæ.

Finis. Peccant ſæpe Rectores in hoc, quod ſingulis negotiis, non vniverſo regimini finem præſcribant; ſic enim totum fortunæ exponunt ludibrio: nec vilus naviganti portus, neſcienti quid petat.

Maioritas. Cadunt infrà ſortem ſuam, qui ad altiora ſupra vires ſuas ambitiosè nimis contendunt. Sternit ſegetes ingens vbertas: Vt noſtra, ſic Rerumpublicarum corpora non minus repletione quàm inanitione laborant & intereunt: ex nimiis divitiis luxus, ex luxu ignavia, vitiis omnibus vires diſſolvens, & ipſis externis hoſtibus pervia.

Æqualitas. Corpus Reipublicæ conſtat contrariis, quorum temperamentum facit juſtitia, hanc ſi tollas perit compoſitum, partibus omnibus ad diſſolutionem ſponte ſua tendentibus.

Minoritas. Vt infirma animalia, ſic Regna in aliorum cedunt prædam: etiam potentiſſima ſub infirmo rectore dilabuntur. Ex tot rebus ad vitam & bellum neceſſariis, vnius tantùm defectus, nimirùm cibi & potus, cogit fortiſſimos vt ſe dedant hoſtibus: ſic plùs rerum inopia quàm ſanguinis effuſione bellum conficitur.

A

B

C

D

INTENTIO REGENTIS, ſeu finis qui intenditur à Rectore.

Rector debet intendere ea omnia quæ pertinent ad muneris ſui impletionem, ſcilicet bonitatem magnitudinem, &c. *Vide Bonitas Magnit. & Poteſt.*

Effectus formæ ſubſtantialis ſunt informatio materiæ, compoſitio, diſtinctio, totius vnitas, exiſtentia, operatio, productio, reſtauratio, conſervatio facultatum.

Finis legis, vt & boni Principis, eſt homines bonos facere. D. Th. 1. 2. q. 92. a. 1.

Actio quædam eſt finis, non autem quælibet. 1. 2. q. 1. a. 112. q. 19. a. 1. ad 2.

Objectum comparatur ad actum potentiæ paſſivæ, vt principium & cauſa movens; ad actum vero potentiæ activæ, vt terminus & finis ejus. 1. q. 77. a. 3. 12. q. 1. a. 3.

Omnia temporalia bona & mala æqualiter eveniunt bonis & malis, quo-ad ſubſtantiam, non autem quo-ad finem. 1. 2. q. 114. a. 10. ad 4.

Deus dat aliquibus abundantiam divitiarum, vt meritum bonæ diſpenſationis acquirant. 1. 2. q. 117. a. 1. ad. 1.

Habitus primo & per ſe ordinatur ad actum; quia natura & ratio potentiæ eſt vt ſit principium ſui actus. 1. 2. q. 49. a. 3.

Actio hierarchica triplex, ſcilicet illuminatio, purgatio, & perfectio. 1. q. 108. a. 1.

Intentio legiſlatoris eſt facere cives bonos, inducendo eos ad virtutes, perafſuefactionem bonorum operum. 1. 2. q. 42. a. 1.

Actus legis quadruplex, ſcilicet imperare, prohibere, permittere, & punire; non autem conſulere & præmiare quia conveniunt etiam perſonis privatis. 1. 2. q. 92. a. 2.

Finis legis divinæ eſt beatitudo æterna: humanæ vero eſt temporalis tranquillitas civitatis. 1. 2. quæſt. 98. a. 1.

Omne movens trahit ad ſe, vel pellit à ſe. 1. 2. q. 23. a. 4.

Omne movens dat moto tria, ſcilicet inclinationem, motum, & quietem. 1. 2. q. 23. a. 4.

Omne quod movetur, ſuo motu acquirit aliquid, & pertingit ad aliquid, ad quod priùs non pertingebat. 1. q. 9. a. 1.

Principatus Regalis eſt propter bonum populi. Tyrannicus autem eſt propter bonum tyranni. 1. q. 92. a. 1. ad 1.

QVÆ SIT INTENTIO boni Rectoris.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Cum agat vices animæ in corpore politico, tantùm illi debet præſtare, quantùm forma materiæ; diſpar tamen eſt ratio: nam corpus eſt propter animam; at Princeps eſt propter populum, profitetur enim juſtitiam, quæ eſt virtus ad alterum; & ideo tantum exigit à populis & miniſtris officium, ne ſuo deſit.

Magnitudo. Si extollit ipſum dignitas, & ſi ma-

I

II

Digitized by Google

jestatem illi conciliat, debet internâ existentiâ, & externis actibus illi respondere, magnus esse virtute, & magna præ cæteris operati in Regimine, quod spectat ad vniversale bonum; sic cœli altum tenent, vt possint influxus suos fœlices in omnes emittere.

Dvratio. Rector ex officij sui ratione intelligit se non vni sæculo, sed pluribus natum; debet enim præterita emendare, præsentia moderari, futuris providere: Ad hoc illi necessaria fortitudo, vt cum adversa sæpiùs fortunâ congrediatur, nihil de agendis prætermittens, maturo non præcipiti aut languente ad occasiones consilio.

Potestas. Vult acceptam à populo potentiam in populi bonum, ex ejus mente refluere; etenim ad meliùs esse, non in perniciem suam, alterius se submisit arbitrio. Vndè qui præsidet, Rectorem se non Dominum intelligat: Cives vt Patet liberos, non vt Dominus servos habeat; plusque ametur, quam timeatur; Ideò solutam non relinquat omnibus agendi facultatem, ne in malum prorumpant, vt quod detrahit libertati, adjiciat virtuti, & communi omnium fœlicitati.

Cognitio. Optat exactissimam rerum omnium ad regimen pertinentium cognitionem, ne officio suo desit ignorantiâ, quæ dolo assimilatur; & cum, positis agendorum præceptis generalibus, necessaria sit rerum particularium, quibus applicentur perfecta notitia, tam suis quàm conductitijs oculis invigilandum sibi proponit, ne quid inexpertum relinquat; cæteros observaturus, prior vitam suam observat, maximè cum in eum omnium convertantur oculi.

Volvntas. Populum sibi commissum quasi aliquid sui, sibi proponit diligendum: hic amor oculatum, patientem, diligentem, benevolum, denique fœlicem efficit in negotiis; nam amore Rectoris paratur amor populi, quo quasi magiâ quadam, mira præter legum & hominum spem fiunt.

Virtvs. Meliorem quàm invenerit vult efficere populum, quod est munus Angelorum, & ipsiusmet Dei; & cùm civilis potestas non attingat corda, in quibus residet virtus, hanc vim pietate suâ conatur promereri à Deo, cujus proprium est movere voluntates, & seipso, & intermediis rectoribus, infusâ ob id illis convenienti gratiâ.

Veritas. Bonus Rector proponit sibi agendorum ideam contemplari, non in consuetæ politiæ præceptis & exemplis, sed in legibus æternis, quas videt insculptas, & in corde suo, & in totius naturæ ordine, fide etiam divinâ sibi præscriptas. Non credit amoris proprij, nec adulantium sibi vocibus: quidquid agat vult ad sanctuarij trutinam, & apposita divinorum regulâ examinari.

Gloria. Virtutem non gloriam sectatur, licet ex virtute oriatur gloria, vt inter segetem enascuntur flores, quibus non est laboratum: famæ tamen curam agit, vt hac quasi instrumento, faciliùs quos regit moveat in bonum. Sæpiùs tamen sibi proponit contemnendum rumorem, vt melioribus rem promoveat consilijs: quæ si fuerint minùs fœlicia, satis est in ipsâ virtute premij; & quod maximum petit, à Deo sperat.

Differentia. Non inflexam rigidamque sibi proponit disciplinam, scit in negotiorum varietate vario vtendum flexu, & cum rebus ipsis deliberandum: à consueto itinere, nunquàm tamen à recto deflectet; varijs rectis lineis ad idem centrum perveniturus, mutato in circumferentiâ situ. Vt sit incorruptus rerum Iudex, sæpe quasi extrà earum motum, sepositio proprio interesse, sedebit contemplator, vt observet quid in singularibus, quid in vniverso deficiat, & perspectis ministrorum qualitatibus, illis & communi bono convenientia distribuat munia.

Concordantia. Concordiam parare debet inter eos quos regit, vt Deus inter partes vniversi; & vt anima ex contrarijs elementorum qualitatibus efficit temperamentum. Pax æternæ civitatis munus & fœlicitas est: habet quo se potentissimi genij vis explicet, & gratissimo se pascat spectaculo, in conciliandis tot hominum pugnantibus affectibus & negotijs; hoc ipso, quòd ad idem concurrunt, sibi magis adversis: sic prudentiâ suâ potest ad libitum novos mundos civiles creare & annihilare.

Contrarietas. Regimen sibi proponit, non vt triumphum, sed vt certamen. Pugnandum est contrà eos omnes, quorum frænat libertatem, & quorum injusta non implet desideria: Pugnandum est contrà Regiminis æmulos aut collegas, contrà casus adversos, populi rumores, potentium blanditias aut iras, familiarium, aut consanguineorum iniquas preces; sic vt quamvis continuus, omnium tamen levior sit, cum externis hostibus conflictus: nunquàm, nisi tentatis blandioribus remedijs, in suos aut exteros vim profitebitur, ferum enim hoc est, & consilij inopiam arguens Dominium.

Principivm. Ab ipso regiminis exordio sibi probatissimas justitiæ regulas proponat, & id omne quod melius est, cum proposito illis, quantum licebit, inhærendi: tùm procedente regiminis cursu sæpiùs se revocet ad sinceros, ferventesque initij sui affectus. Turpissimum judicat fluxu temporis non profectus, sed casus numerare.

Medivm. Cum ex ministris maximè pendeat regimen, illud non nisi scientiâ & virtute probatissimis committet, alioquin etiam aliena laborabit injustitiâ, si peccet in talium electione.

Finis. Finem sibi præscribit totius regiminis generalem, cui cæteri mediatè contemperantur; terminos ponit avaritiæ & ambitioni, moderatur vagas, inquietas, in supplicium suum validas passiones, quæ immensum quod adpetunt nunquàm sunt consecuturæ.

Maioritas. Ambire licet excellentiam, sed in virtute, vndè quidquid optimum habet antiquitas, æmulo studio, conabitur assequi; turpissimum putabit eminentem dignitate virtutibus non eminere: Cæterùm, vt populis, sic fisco sciat immensas opes, esse luxus & tyrannidis instrumenta, non hoc tumore, non hac nimiâ repletione publicam constare sanitatem.

Æqvalitas. Suprà omnes positus, extrà omnes se sciat esse: nulli amicitiâ aut sanguine in justitiæ præjudicium conjunctus. Vt causa vniversalis, cum omnibus æquâ bonitate vult concurrere, legum tamen rigidas nimis dispositiones ex æquitate temperans.

Minoritas. Multis serviat oportet, qui ab omnibus vult sibi obediri: Nusquam major, quàm in Regimine humilitas, vt compatiatur infirmis, vt illatas dissimulet injurias, vt beneficijs conciliet quos vno posset nutu delere, vt jacentibus clementem porrigat manum; & cum sit inter omnes loco capitis, alienæ ægritudini quasi suæ medeatur.

MAIORITAS POTESTATIS.

BONA MAIOR POTESTAS.

MISCELLANEA.

Vide Magnitudo Poteſtatis. Bona.

PORTET partem illam civitatis, quæ Rempublicam ſtare vult, potentiorem eſſe, quàm ſit illa pars, quæ non vult Rempublicam manere: eſt autem civitas ex quali & quanto: dico autem quale, ceu libertatem, divitias, diſciplinam, nobilitatem: quantùm verò, ceu multitudinem populi prævalentem. Ità tamen debet fieri, vt in mediocritate Reſpublica duratura conſiſtat: nam divitum cupiditates plùs habendi magis deſtruunt Rempublicam, quàm multitudinis. Ariſt. 4. Politic. 12.

Arx optima eſt in vrbe, quæ eſt ſub dominatione vnius, vel paucorum: in populari verò vivendi modo, æqualitas loci. Idem lib. 7. cap. 11.

Marcus Aurelius Imperator dicebat Magiſtratus eſſe Iudices populi, Reges Magiſtratuum, Deum autem eſſe Regum Iudicem.

Magni ſtatus non poſſunt benè regi niſi Monarchiâ, vt potentiori regimine: parvi autem poſſunt regi Ariſtocratiâ.

De augmento Poteſtatis: *Vide Bonitas & Principium Majoritatis.*

Caveat Princeps ne nimios honores, nimiamque potentiam concedat miniſtris: nam periculoſiſſimum eſt ſubditi nomen juxtà vel ſuprà Principis nomen extolli, qui debet ſemper eminere.

Impetus rectus lateralem inanem facit, vel ſaltem minuit.

Fit motus, non quia detur vacuum in diſtantiâ terminorum, ſed quia vnum corpus fortiori cedit.

In alteratione, quæ ſunt viciniora cauſæ moventi validiùs alterantur, vt incaleſcunt.

Radij validiùs agunt ad longitudinem, quàm ad latus.

Quo quis à centro magis & longiùs diſtat, eò faciliùs movet, moveturque in orbem: vndè dicit Ariſtoteles, quod motor cæli eſt in peripheriâ, non in centro.

In his quæ moventur à ſe datur pars movens & pars mota, vt in viventibus nervus, tendo, cor, &c. In non viventibus forma quæ movet materiam.

Adeps fit ex abundantiâ ſanguinis & alimenti; ejus officium eſt nativum calorem cuſtodire, & prohibere ne effluat; Secundò ſubjectas partes tutari ab externis injurijs; Tertiò dare facilitatem motus & ſicciores partes oblinire.

Vivens debet habere virtutem quâ ſuperet alimentum, vt illud in ſe convertat; Æqualitate poſitâ tollitur actio in his rebus, quæ ſe mutuò impediunt.

In cauſis eſt ſubordinatio, & ad illam quæ exceſſit A aliæ ordinantur; vt omnes cauſæ Deo ſubjiciuntur, inſtrumenta artifici in artefactis, donec perveniatur ad perfectum opus; forma ſuccedit formæ ſubſervienti. In compoſito formæ partiales viliores, vt forma oſſis, nervi, ſubſerviunt excellentioribus animæ potentijs; ſic accidentales formæ ſubſerviunt nobilioribus, vt quantitas calori & frigori: Vndè in cauſis non datur progreſſus in infinitum, ſed devenitur ad primam, ad vltimum finem in Ethicis, ad primum motorem & opificem in Phyſicis, ad definitionem, quæ eſt probationum prima, in Logicis.

Temperamentum denominationem accipit ab eâ qualitate quæ prævalet:

Nobiliores partes magis conferunt in conſtruendâ B corporis temperie, vt cor, hepar, teſtes cerebrum.

Licet organa ſenſuum ex multis conſtent partibus, tamen vna præ reliquis in ſingulis ſenſationis præcipuum inſtrumentum eſt: eſtque in ſingulis ſenſuum organis pars quædam ſimilaris, in quâ exprimitur objecti forma, & quæ cum objecto habet convenientiam, vt ejus formâ imprimatur. *Vide Bonit. Poteſt.* de neceſſitate Regiminis.

Quædam Regna confœderationes cum inferioribus ineunt, eâ lege, vt Imperium & Majeſtatem ſuam tueantur, ſic coloniæ matricibus civitatibus debent reverentiam & honorem.

C Omne ſub regno graviore regnum eſt. Senec. Tragic.

Maximè omnium influunt ſtellæ verticales, quæ cognoſcuntur ex eo quod declinatio ſtellæ ab æquatore & poli elevatio ſunt æquales.

Eſt Majoritas Poteſtatis in Magnitudine, Durationе, Cognitione, &c. *Vide Poteſtas Magnitudinis, Durationis, Cognition. &c.*

Sol cuncta torrens ſorbenſque vocatur maſculum ſydus. Plin. lib. 2. c. 100.

In mixtione ſeminum in vtero, quod prævalet, ſeu Patris, ſeu Matris, facit fœtum ſibi ſimilem in ſpecie ratione ſexus, & in individuo, ratione figuræ, & cæterarum qualitatum; vel mixtim, ſi ſit æqualis vtriuſque poteſtas. D

Non decet Principem vacare Dialecticæ & ſcientiis contentioſis, quia cæteris major non debet cum illis decertare.

Prædominium vnius elementi in mixto juvat introductionem formæ ſpecificæ, ejuſque virtutes & proprietates promovet, debet enim eſſe proportio Geometrica, non Arithmetica.

Monarchia abſoluta habetur præſtantius omnium regimen, vt Deo ſimilius, magis vnum; inconſtantiæ, perfidiæ, diſſenſioni minus obnoxium; ad peri-

cula & occaſiones magis paratum; potens ſervare ſibi totam rerum benè geſtarum gloriam, etſi ab alijs vires & conſilia capiat, &c.

Bona fortuna eſt potiſſimum inſtrumentum ad potentiam; ſunt enim quibus fœlici aſtri aſtro res omnes proſperè cedunt, dormientibus Dij omnia conficiunt, in rete vrbes incidunt, in ſinumque eorum victoria devolat. Lipſius in politicis.

Maxima potentia omnia in ſe convertit; Sic ſtrutio camelus ferrum digerit, ſic potentiſſimus ignis, qui omnia conſumit, ferrum quod omnia domat metalla, in viſione Danielis, ſignificavit Imperium Romanorum, quod cœpit Marte dominante.

Plus eſt agere quàm poſſe.

Agens potentiùs agit in magis diſtans.

Quod eſt maximè tale in aliquo genere eſt cauſa omnium quæ ſunt illius generis, vt ignis eſt cauſa omnium calidorum. *Vide Majoritas Principij.*

Res incorporeæ, quia ſunt vniverſalioris virtutis, poſſunt imprimere in res corporales, non contrà.

Radius reflexus calefacit.

Planetæ ſunt fortiores, quandò ſunt Orientales, ſeu quandò antè ſolem oriuntur.

Cui plus eſt dignitatis in eſſe, plus etiam ineſt poteſtatis in agendo; aurum ponderoſius cæteris metallis, quò citiùs tangit centrum.

Actiones inferiorum agentium ſunt reſpectu primi vt actiones ſervorum reſpectu dominorum.

Elementa ſuperiora ſunt quaſi formæ inferiorum.

Captivorum jure belli redemptiones fiunt accipientium, exceptis quæ excedunt decem millia aureorum, vt Ducum & Comitum, hæc enim ſunt Regis.

Efficiens æquivocum habet virtutem ſuper totam ſpeciem, non verò vnivocum.

Elementorum duæ qualitates ſunt activæ, ſcilicet caliditas & frigiditas, & duæ paſſivæ, ſcilicet humiditas & ſiccitas.

Inter elementa ſolus ignis formalis eſt, cætera materialia, vndè non poteſt fieri frigidus, vt aqua calida.

Membra ſuperiora ſunt ad operationes, quæ dicuntur animales, inferiora autem ad motum progreſſivum.

Eadem principia, quæ producunt poteſtatem, poſſunt illam efficere cæteris majorem *Vide Principium Poſſetaris.* vt Bonitas, dum Princeps populi affectum beneficiis ſibi conciliavit: Magnitudo, potentior eſt quæ adolevit planta, potentior exercitus cùm fit numeroſior, &c. *Vide Poteſtas Bonitatis, Magnitudinis Durationis, &c.*

Inter motores cœleſtes, is qui movet primum mobile motu diurno eſt cæteris præſtantior, quia movet & non movetur: ſic Dominus Dominantium feudi; Major motus ſemper minorem ſecùm trahit.

Ars vtens naturâ pro inſtrumento potentior eſt virtute naturali, ſic miniſter gratus movet Regem.

Ideò fit motus, quia potentia motoris excedit potentiam & reſiſtentiam rei motæ. Motus mixti eſt ab elemento prædominante.

Potentiæ naturalis ſuperioris opus nobilius eſt in ipsâ, quàm in inferiori.

Qualitates activæ ſunt fortiores in aquâ & igne, paſſivæ in aëre & in tertâ.

Spiritus accedente alimento fit fortior.

Stella, quò majoris eſt magnitudinis & aëri propinquior, majorem in aëre actionem operatur.

Agens omne tantò eſt validius, quanto remotiorem ab actu potentiam patiendi producit in actum, majore enim virtute opus eſt vt calefacias aquam, quam aërem.

Medici conficiunt tabulas, in quibus annotantur gradus primarum qualitatum cujuſlibet ſimplicis medicamenti; ſic videtur exceſſus vnius ſuper aliud.

Parum pulveris Pyrrhij in cuniculis ſubterraneis accenſi, ſubvertit magnam molem terræ & ædificiorum, quia motus dilatationis eſt multis partibus potentior, quàm motus gravitatis, qui facit reſiſtentiam.

Omnis poteſtas major eſt per concordantiam, quàm per contrarietatem; vnde ignis majorem habet poteſtatem in aëre quàm in aquâ, Planeta in ſuâ domo aut exaltatione, quàm in exilio aut caſu. Lullius.

Cùm in igne calor & lux ſint æquales, potiùs aquam calefacit quàm illuminat quia ſi poteſtas; plus non poſſet de vnâ qualitate quàm de aliâ, in omnibus ſubjectis eſſet poteſtas æqualis. Idem.

Poteſtas per majoritatem habet naturam majorandi. In majoritate Poteſtatis, apparet imago poteſtatis infinitæ, vt in Chriſto & in ſacramento altaris. Idem.

Sol præſtat alijs aſtris, aquila Avibus, ignis elementis, mare fluvijs, Eſther alijs vxoribus. *Vide Differentia, & Majoritas. Virtutis; & Majoritates omnium Principiorum.*

Corpus vt ſit ſanum debet cibos ſuperare, ægrotat autem cùm à cibis ſuperatu. Hipoc. lib. de locis in homine.

Membra armantia, vt ſunt dentes & cornua, ſunt fortiora in maſculis quàm in fœminis.

Apud Perſas Patris in filios imperium eſt tyrannicum, vtuntur enim illis vt ſervis. Ariſt. 8. Ethic. *Vide Poteſt. Princip.*

Parelia raro apparent, ſole medium cœli tenente, quia tunc nimis potens idoneam ad id aëris denſitatem ſolvit: magna poteſtas impedit conſpirationes.

Exiſtimo pecuniæ poſſeſſionem plurimi faciendam eſſe, non cuivis homini, ſed modeſto & æquo, ſic enim intrepidus ad aliam vitam proficiſcitur, cum nullum circumvenerit, nulli mentitus fuerit, neque debeat vel votas Deo victimas, vel pecunias homini. Plato. 1. de Republ.

Iuno divitiarum Dea, Iovis Impetantis vxor, cum ſceptro pingitur.

Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 10. & vltimo probat deveniendum eſſe ad primum motorem, qui moveat & non moveatur, vt motus ſit continuus, & prima vita prima pulchritudo; intelligibile enim & amabile movent & non moventur, &c. Idem lib. 12. Metaphyſ. cap. 7.

Majoritas Poteſtatis neceſſaria, quia quæ ſunt æqualis poteſtatis ſe mutuò impediunt. *Vide Contrariet. Æqualitatis.*

Dotes quæ ſunt in inferioribus diſtributæ, ſunt in ſuperiore collectæ. Sic Aſtronomi calorem humoremque, per Martem ſeorsùm Lunamque diſperſum, agnoſcunt in Iove conjunctum. Natura fabricat, intùs, ſed abſque propriâ intelligentiâ; ars fabricat cum intelligentiâ, ſed extrinſecùs tantùm ſic ab imperfecto aſcendis ad perfectum, ſcilicet ad providentiam divinam, quæ vnit in ſe quod in alijs eſt diſperſum, ſimul intelligit & operatur interiùs: per vnam potentiam tu intelligis & diſputas, per aliam non intelligis & generas; mens divina eodem actu intelligit, & generat. Sic lucere atque calefacere; quæ per duas qualitates ſunt in igne, ſunt in Sole per vnum, ſic vires omnes rerum naturalium in animâ mundi vniuntur, vt vires brancharum arboris in radice: reguntur omnia ab vno eodem vbique manente, & in vnum articulatim, ad nervi modum, cuncta penitùs connectente. Marſil. Ficin. in Plotinum. lib. 1. c. 7.

Sic ordinatæ ſunt virtutes naturales, vt potenti aliis dominetur. *Vide Differentia Virtutis.*

Natura melius movet materiam, quàm ars ſuam; ergò ejus forma magis ſuæ materiæ dominatur; ſcilicet propiùs ei adeſt ſecundum ſitum: & magis poteſt per ſe ſinè illâ exiſtere. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. cap. 3.

Materia prima, quæ in alio non jacet, debet ſervari à formâ, quæ non ſit in aliâ. Ibid.

Partes dividuæ non venient in compoſitionem, & vnionem, niſi ab vno, quod ſit indiviſum; nam ſi eſſet diviſum indigeret alio ſe vnientæ. Ibid. ſic probat dari Deum primum principium. *De quo vide Majoritas Principij.* Dei omnipotentia.

Vnus eſt Deus, quia ſi duo eſſent principia diſconvenientia, turbaretur mundi ordo, ſi convenientia, eſſent imperfecta, quia vnum mutuaretur ab alio vires ſuas, & alter vtro indigerent conciliando potius eſſet principium quod ex duobus procederet neutrum per ſe eſſet: ſummum neceſſario eſt vnicum, nam ſi miſceatur, miſcebitur non ſummo & impedietur. Marſil. Ficin. Theologiæ Platonicæ. lib. 2. cap. 2. quod omnia ad vnitatem reducantur. *Vide Minor. Magnitud. Vnitas.*

Si duo ſint Dij, quorum vterque omnia poſſit, fruſtrà erit vnius potentia, ſaltem dimidia, quia tantùm mundi partem gubernabit: quidquid fluit ab alio naturâ ſuâ fluctuat, quoniam & ſecundùm ſe nihil eſt, & per fluxum quemdam prodiit in eſſe; ſi non ſit in rebus primum aliquid, res quælibet emanabit ab aliâ: omnes ergò fluctuabunt, ideò nuſquàm erit vnitas, æqualitas, ſimilitudo ſtatus, ordo, & reſtitutio: debent ergò omnia cohiberi ſtatu cardinis alicujus ab alio non manantis; vt corpora liquida debent ab aliquo ſolido terminari. &c. Idem Ibidem. cap. 4.

Ibidem probat virtutem Dei eſſe infinitam Sicut, inquit, in ſummâ diſperſione eſt imbecillitas infinita, ſic in vnitate ſummâ infinita poteſtas. Actus naturâ ſuâ terminum non includit, nam ſubijci termino paſſio eſt, quæ actui eſt oppoſita, vndè actus non patitur terminum, niſi quantùm eſt paſſivæ potentiæ in ſubjecto, cui innititur: actus vero divinus in ſeipſo ſubſiſtit; ita virtus efficax certum graduum numerum non includit. Eſſe etiam, provt abſolutè conſideratur, eſt immenſum, quia infinitis rebus poteſt communicari & cogitari: vt in puro nihilo nullus eſt eſſendi habitus, ſic in puro eſſe nulla eſt privatio, & nullus poteſt cogitari gradus, qui illi deſit; quia mens ſe extrà Deum extenderet, quæ poteſt, quolibet poſito finito, vltrà aliquid cogitare; & fruſtrà mens eſſet ordinata ad infinitam progreſſionem, niſi inveniretur terminus aliquis infinitus.

Omne agens tantò eſt validius, quantò remotiorem ab actu potentiam producit in actum. Vt majore virtute opus eſt ad aquam calefaciendum quam ad aërem: ſic in Deo debet eſſe infinita potentia, cum producat ex nihilo, quod diſtat infinitè ab actu. Ordo etiam continuus æqualis tam ingentis & multiplicis machinæ docet eſſe infinitam indefeſſamque in gubernatione potentiam: Ab hac potentiâ mentes accipiunt vt firmiter intelligant; Animæ, vt ſinè fine diſcurrant; Materia, vt interminatam habeat potentiam capiendi; Motus, & tempus, vt abſque termino fluant; Generatio, vt interminabili ſucceſſione valeat continuari: hinc divina natura dicitur ab Orpheo infinitus finis. *Vide Poteſtas Principij.*

Diverſa inter ſe, diſſita & contraria corpora, contrarias etiam habent formas, vna tamen eſt per ſingulas res mundi anima; vnius enim viventis opificis vnum debet eſſe opus vivens, per vnam vitam, ab vnâ animâ, quæ humores ingentis huius animalis temperet, & membra per ſe diſtincta efficiat in vnum commune bonum conſpirantia. Marſilius Ficin. Theolog. Platon. lib. 4.

Reſpublicæ, quotquot olim viguerunt, primùm Reges habuere, quibus expulſis, & per veræ libertatis imperitiam devotis, ſucceſſit, aut cæcæ popularitatis Imperium, aut permiſſa proceribus potentia, ideſt multiplex, pro vno quod expulerat Regnum: & vt luxatum membrum, ſic violatum naturale regimen ſinè dolore non reſtituitur. Barclaus.

Auratum piſcem antiqui Sacrum vocabant. Athenæus lib. 7. c. 7. coluntur divites.

Natura magnitudinem muſculorum, qui moturi erant, creavit proportione parem moli movendorum oſſium. Galenus lib. 1. de motu muſculorum.

Vena cava largè effundit ſanguinem in dextrum cordis ſinum, ſic vt ſtagnet. Idem l. 6. de vſu partium.

Nervi molles ſenſorijs facultatibus inditi ſunt, duri autem motricibus. Ibid. lib. 16.

Iuſtitia inermis contemnitur. *Vide Bonitas Contrarier.* Athenis judices Areopagitæ, ſic dicti, quia judicabant in monte Marti Sacro. Vide Baron. anno 52. num. 3.

Conſtantinus animo & voto Chriſtianus, poſt adeptam victoriam de Maxentio, tamen fit S. Pontifex, quia hac poteſtate prædictus continebat ſenatum in officio, cùm ſinè eo nihil potuiſſet decernere. Baron. an. 31.

Hæretici nullum habentes caput certum quod ſequerentur, ſed multa inter ſe pugnantia, dicti ſunt Acephali. Baron. an. 535.

Quod conſervativum eſt formæ majoris, in activitate eſt potentiùs. Sic publica privatis præferenda. *Vide Gloria Concord.*

Baconius vocat motum regium in naturâ, cum motus prædominans cohibet alios.

Venti generales, vt ſoliſequi, qui ſunt ab oriente in occidentem, cedunt ſemper particularibus.

Cum limitati ſint naturæ gradus, datur in illis ſummum aliquod: talia ſunt, aurum in pondere, ferrum in duritie, cete in quantitate animalium, canis in odore, inflammatio pulveris pyrrij in expanſione celeri, ſol in luce: vide infrà de privilegiis hoc titulo.

Inter ejuſdem ſpeciei animalia ſunt alia aliis fortiora & dominantia; ſic Indicum Elephantem Afri pavent, nec contiveri audent, nam & major Indicis magnitudo eſt. Plin. lib. 8. cap. 9.

Primus Romæ Leones junxit ad currum Marcus Antonius, & quidem civili bello, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis; non ſinè quodam oſtento temporum generoſos ſpiritus jugum ſubire, illo prodigio ſignificante. Ibid. cap. 16.

Aquilæ fugant prædæ æmulos, quia longo indigent tractu ad populandum, vt ſatientur. Idem lib. 10. cap. 3.

In apum alveario Reges plures inchoantur, ne deſint: poſtea ex his, ſoboles cum adulta eſſe cœpit, concordi ſuffragio deterrimos necant, ne diſtrahant agmina. Idem lib. 11. cap. 16.

Divo Auguſto Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuæ die, ſex victimarum jecinora replicata intrinſecùs ab imâ fibra reperta ſunt; reſponſumque, duplicaturum intra annum imperium. Ibidem cap. 37.

Nulli animalium circà ventrem oſſa, ſcilicet vt poſſit extendi. Ibidem.

Zeuxis pictor egregius, imagines grandiori capite depingebat. Plin. lib. 35. cap. 9.

Saturni & aliarum ſtellarum vires conſtituuntur, pro varietate aſpectuum Solis & Lunæ: nam ſecundùm magis & minùs horũ aſpectus aëris conſtitutionem variant. Ptolomæ. prædiction. Aſtrolog. l. 1. c. 4.

Eventus magnarum regionum, majoribus & validioribus cauſis moventur, quàm eventus particulares hominum. Idem lib. 2. cap. 1.

Dum Tarquinius ſuperbus de manubiis captarum vrbium Templum erigeret, in fundamentis humanum repertum eſt caput; nec dubitavere cuncti, monſtrum pulcherrimum Imperij ſedem, caputque terrarum promittere. Dum illud templum inauguraretur, cedentibus cæteris diis, reſtitere Iuventas & Terminus placuit vatibus contumacia Numinum, ſiquidem firma omnia & ampliora pollicebantur. Florus lib. 1. cap. 7.

Capita piſcibus proportione corporum maxima, fortaſſis, vt mergantur. Plin. lib. 11. cap. 37.

QVI POTEST PLVS poteſt minùs.

SIc ſuperiora continent eminenter virtutes inferiorum; majores numeri continent minores; in majori quantitate eſt minor, in cubitali pedalis, in Regiâ poteſtate poteſtas Magiſtratus, vndè ſeipſo poteſt agere. *Vide Media Poteſt. Rep.* &c.

De eminenti cauſarum poteſtate. *Vide Majoritas Principij.*

D. Paulus 1. Corinth. 6. increpat Corinthios quod litigent coram judicibus infidelibus; an neſcitis, inquit, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt: & ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judiceris? neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſæcularia.

Vide hunc eundem titulum. Poteſtas Majoritatis.

BONA.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE primatu, appellatione, & commemoratione Papæ Romæ. Conſt. 1. conſt. paleol.

De privilegiis Archiepiſcopi primæ Iuſtinianæ. Novel. 11.

Qui potiores in pignore vel hypothecâ habeantur. ff. 20. 4. Cod. 8. 18.

Quis ordo in bonorũ poſſeſſione ſervetur. ff. 38. 1. 16.

De vſufructu accreſcendo. ff. 7. 2.

De officio Archidiaconi. dec. 1. tit. 23.

De officio Archi-Preſbyteri. dec. 1. tit. 24.

De officio primicerij. dec. 1. tit. 25.

De dignitate Romanæ Eccleſiæ. diſt. 22.

Non debet, cui plus licet, quod minùs eſt non licere. l. 21. ff. de Reg. Iur.

Qui poteſt invitis alienare, multò magis & ignorantibus & abſentibus poteſt. l. 26 ff. de Reg. Iur.

In ſocietate, & ordinem & ſententiam potiorem habent, qui plus in eâ habent, menſoriâ ſcilicet proportione. l. majorem. ff. de pactis. l. ſi plures. ff. depoſiti: l. cum bona. ff. de reb. auth. Iud. poſſidend.

Adoptatus ab extraneo remanet in poteſtate Patris; à non extraneâ autem perſonâ, vt ab avo, tranſit in ejus poteſtatem. Inſt. de adoptionib.

Inſtrumenta communia debent eſſe apud digniorem, & alteri fieri copia. l. 7. C. de edendo.

Maritus habetur Dominus rerum communium: in ſocietate poteſt quis plus alio conferre, & juris habere. Dominus dominantis feudi: Rex Franciæ eſt Dominus dominantium.

Prima ſedes, ſcilicet Romana, à nemine judicatur. 9. q. 3. can. nemo & ſeqq.

Hæc eſt major Poteſtas, quæ abſorbet minorem, vt ſol ſtellarũ lucem, Mare flumina. *Vide Finis Poteſtatis.*

Epiſcopus in Eccleſiâ in conceſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat, intrà domum verò, collegam ſe Preſbyterorum agnoſcat. Concil. Carthag. 4. can. 35. habetur diſtin. 95. can. Epiſcopus.

Magnos magna decet potentia: ſic paterfamilias liber peculium non poteſt habere, quemadmodùm nec ſervus bona. l. 181. ff. de verbor. ſignificat.

Cauſæ libertatis & publica judicia debent coràm majoribus judicibus, non coram arbitris tractari. l. 32. §. Iulian. ff. de recept. arbitr.

EX THEOLOGIA.

ACtio tranſiens infert ex ſe paſſionem, non autem immanens. D. Th. 1. q. 25. a. 2.

Quantò agens eſt potentiùs, tantò magis poteſt actionem ſuam magis diffundere ad magis diſtans. 1. q. 113. a. 1. 22. q. 141. a. 7. ad 1.

Agens naturale determinatur ad vnum effectum, non autem agens per intellectum. 1. q. 19. a. 4.

Agens naturale eſt cauſa in fieri tantùm, ſed agens divinum eſt cauſa in eſſe & fieri. 1. q. 104. a. 1.

Quantò perfectior eſt forma agentis, tantò major eſt potentia. 1. q. 25. a. 2.

Quantò Angelus eſt ſuperior, tantò minùs habet de potentialitate. 1. 2. q. 50. a. 5.

Capacitas animæ non eſt, nec poteſt eſſe infinita in actu, ſed poteſt ampliari in infinitum. 2. 2. q. 24. a. 7.

Anima rationalis habet plures potentias quàm aliqua alia res. 1. q. 77. & q. 30.

Quantò aliquid habet minùs de potentialitate, tantò magis appropinquat Deo. 1. 2. q. 22. art. 2. ad 1.

Character ſolum imprimitur in ſacramentis novæ legis, ſcilicet in Baptiſmo, Confirmatione & Ordine. 1. q. 62. a. 6. ad 3.

Cauſa æquivoca eſt cauſa totius ſpeciei vnivoca verò tantùm individui. 1. q. 13. a. 5.

Quanto cauſa eſt altior, tanto cauſalitas ejus ad plura ſe extendit. 1. q. 65. a. 3.

Epiſcopatus eſt ordo ſuprà Sacerdotium, reſpectu myſtici corporis Chriſti, non autem reſpectu veri. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1.

Poteſtas ſecularis ſubditur poteſtati ſpirituali, ideo judicium non eſt vſurpatum, ſi Prælatus ſpiritualis judicat de temporalibus. 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3.

Majori poteſtati magis eſt obediendum quàm minori, quæ totaliter ſubeſt ei. 2. 2. q. 104. a. 5.

Suprà Epiſcopos in Eccleſiâ eſt ſuperior ſummi Pontificis & Papæ Poteſtas. ſuplem. q. 40. a. 6.

Erroneum eſt dicere Papam Vicarium Chriſti non habere vniverſalis Eccleſiæ primatũ. 1. q. 112. a. 1. ad 1.

In quolibet toto neceſſe eſt eſſe vnam partem principalem & prædominantem, & formalem, à quâ totum vnitatem habeat. 2. 2. q. 49. a. 6.

Vt qualitas cauſetur in paſſivo oportet quod activum totaliter vincat paſſivum. 1. 2. q. 51. a. 3.

Potentia duplex, ſcilicet abſoluta & ordinata. 1. q. 6. a. 2.

Potentiæ activæ, artes, & habitus, qui ſunt circà finem, imperant ijs quæ ſunt circà ea, quæ ſunt ad finem. 1. q. 82. a. 4.

In omnibus potentijs & habitibus ordinatis, vlti-

Digitized by Google

ma perfectio reſervatur ſupremæ in genere illo. 1. 2. A q. 5. a. 6.

Chriſtus habebat clavem excellentiæ, ſcilicet majorem poteſtatem quàm miniſtri. ſuplem. q. 19. art. 2. ad 2.

EX BIBLIIS.

IEthro ſuadet Moyſi, vt eligat ſui vicarios judices, & ipſe ſit populo in his quæ ſunt ad Deum. Exod. 18.

Aod Iudex Iſraël ambidexter. Iud. 3.

Arca Dei ſubvertit Dragon. 1. Reg. 5.

Domus David creſcit, decreſcente in dies domo B Saül. 2. Reg. 4. & 3. Reg. 1. Salomone Rege proclamato, citò diſſipantur omnes qui favebant Adoniæ.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecundùm ſpiritum ſanctificationis. Rom. 1.

Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni, per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta ejicit eos de terrâ ſuâ. Exod. 6.

Ego Dominus qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & evam de ſervitute, ac redimam in brachio excelſo & judicijs magnis. Ibidem. Non eſt ſimilis tui in fortibus Domine & non eſt ſecundùm opera tua. Exod. 15.

Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Num. 13.

C Non eſt fortis ſicut Deus noſter. 1. Reg. 2.

Melior eſt patiens viro forti. Prov. 16.

Seduxiſti me Domine & ſeducta ſum, fortior me fuiſti & invaluiſti. Ierem. 20.

Venit autem fortior me poſt me. Marc. 1.

Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, &c. ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, vniverſa arma ejus auferet. Luc. 11.

Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. 1. Corinth. 1.

Confregit potentias arcuum ſcutum, gladium & bellum. Pſal. 75.

Potentiâ nemo vicit illum. Eccl. 48.

D Fecit potentiam in brachio ſuo. Luc. 1.

Illuminans oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuprà omnem principatum, & poteſtatem & virtutem, & dominationem & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus & ipſum dedit caput ſuprà omnem Eccleſiam. Epheſ. 1.

In omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis ejus. Coll. 1.

Erat enim Ieſus docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi. Math. 7.

Creſcite & multiplicamini & replete terram & ſubjicite eam, & dominamini, &c. Geneſ. 1.

Mulieri dixit Deus, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Geneſ. 1.

Vocabo ſervum meum Eliacim, & induam illum tunica tua & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem & domui Iuda. Iſay. 22.

PRIMATVS PETRI, ſeu Eccleſiæ Romanæ.

MISCELLANEA.

AD vnum Deum, non niſi per vnitatem accedimus: ſic mens noſtra, vt illi conjungatur, debet ſe ad vnitatem ſuam colligere. Vide Marſil. Ficin. Theolog. Plat. lib. 1. cap. 5. & lib. 18. cap. 8. 13. c. 5. ſub fin. & l. quomodo anima Deo conjungatur.

Populi omnes vnum ex ſe Regem ſacrorum elegerunt: vt apud Romanos Rex ſacrorum ejectis Regibus ſuperfuit, poſtea dictus S. Pontifex. Quem honorem etiam quidam Imperatores Chriſtiani, nomine tenùs. retinuerunt. Hanc vnitatem, externis etiam cæremoniis æmulabantur, adhibendo ſacris ignem, qui in acumen deſinit, & pyramides dijs conſecrando & thiaras ſic deſinentes ſacris Deo hominibus imponendo.

Si tollas ſummi Pontificis dignitatem tollis & Cardinalatum ab Eccleſiâ.

Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus Religione verſari, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque adhuc ab ipſo inſtituta declarat. l. 1. Cod. de ſum. Trinit. & fide. Cathol.

Michaël Paleologus Papæ Romano principatum in omnibus defert: Conſtitutio vnica Michaëlis Paleologi. in Conſt. Imperatorum. Cod.

Sic Iuſtinianus, Ioanni, vrbis Romæ Papæ. Omnes Sacerdotes vniverſi Orientis properamus vnire & ſubjicere ſedi veſtræ ſanctitatis. & infrà. Omnia volumus innoteſcere ſanctitati veſtræ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum. & infrà. Archimandritæ ſanctorum Monaſteriorum ſequuntur ſanctitatem veſtram & vnitatem ſanctarum Eccleſiarum, quam habent ab Apoſtolicâ veſtræ ſanctitatis fede. l. 7. C. de ſumm. Trinit.

Sancimus ſecundùm ſacrorum Conciliorum definitiones, ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum. Novell. 131. cap. 2. Nota quàm magna ſit iſtius veritatis vis, cùm Imperatores ſedem Imperij habentes Conſtantinopoli, primatum tamen deferant Pontifici.

Epiſcopus ideò dicitur, quia ſuperintendere debet, *ſuper* enim intendere dicitur, quia debet perſpicere populorum infrà ſe poſitorum mores & vitam.

Pontifex princeps Sacerdotum eſt quaſi via ſequentium: ipſe & ſummus Sacerdos, & Pontifex maximus nuncupatur, ordines Eccleſiaſticos diſponit, & quid vnuſquiſque facere debeat oſtendit. Antea autem qui Reges erant, & Pontifices erant; nam majorum hæc erat conſuetudo, vt Rex eſſet etiam Sacerdos & Pontifex. Iſidor. lib. 7. Ethimol. c. 12. habetur. diſt. 21. can. cleros.

In novo teſtamento, poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalis cæpit ordo, quia ipſi primo Pontificatus in Eccleſiâ Chriſti datus eſt, Domino dicente ad eum. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni cælorum. Anaclet. ad Epiſcop. Italiæ. Epiſt. 2. can. in novo. eadem.

Non terrenâ aliquâ ſententiâ, ſed verbo Domini. Eccleſia Romana primatum tenet. Ibidem pluribus.

Quâ traditione majorum Apoſtolicam ſedem in judicium

judicium vocant. Sic deponitur Conſtantinopolitanus Epiſcopus authoritate Romani Pontificis. can. quatraditione. diſt. 22.

Miniſtri ſacrorum canonum, & decretorum Pontificum ſunt ſummi Pontifices. Summi enim Pontifices & minores Sacerdotes à Deo ſunt inſtituti per Moyſen, qui ex præcepto Domini Aaron in ſummum Pontificem, filios verò ejus vinxit in minores Sacerdotes. Hæc diſcretio primum à gentilibus eſt inſtituta, qui habebant ſuos flamines, & archiflamines. Chriſtus duodecim Apoſtolos, tanquàm majores Sacerdotes & 72. diſcipulos, tanquàm minores inſtituit; Petrum vero quaſi in ſummum Sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus, & pro omnibus claves regni B cœlorum tribuit, & à ſe Petrâ Petri nomen impoſuit, pro ejus fide ſpecialiter rogavit, vt cæteros confirmaret injunxit. diſt. 21.

Hæretici ſe putant Eccleſiam deleturos, ſi caput abſciderint, vndè illud aggrediuntur.

In Petro vno Chriſtus firmat Eccleſiam. D. Aug. ſerm. 49. de verb. Dom.

Chriſtus Petrum in individuæ vnitatis conſortium aſſumpſit. Firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum cæteris Apoſtolis confertur. S. Leo. Epiſt. 89.

Datur vnum primum in vno quoque genere, quod eſt cauſa & menſura cæterorum, illud autem non niſi vnum eſſe poteſt, Ariſt. 2. Meth. D. Th. 1. q. 2. a. 3. C & q. 11. a. 3. Vide Tertul. lib. 1. adverſ. Marcion. quod non dentur duo ſumma.

Vide Bellarminum de S. Pontifice. Echium, Cochlæum, Pighium, Coccium, Baconium, Duvallium, Coriolanum in præludiis Conciliorum, & poſtremo. Coeffeteau contrà de Dominis Epiſcopum Spalatenſem vide item Habertum Epiſcopum Vabrenſem de primatu ſingulari. D. Petri.

D. Bernard. lib. de conſider. ad Eugen. Papam. cap. 8. Quis es? inquit, Sacerdos Magnus, ſummus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatum Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuël, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus; tu es, cui claves D traditæ, cui oves creditæ ſunt; habent alij paſtores ſibi aſſignatos greges; ſinguli ſingulos, tibi vniverſi crediti, vni vnus; nec modo omnium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor. nihil excipit Chriſtus, cum dicit paſce oves meas: alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es; Petrus ſolus ſuper aquas ad Dominum procedit, quia non navem vnam vt cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſcepit gubernandum: mare enim ſæculum eſt, naves Eccleſiæ, cum & ad inſtar Domini gradiens ſuper aquas vnicum ſe Chriſti vicarium deſignavit. & lib. 3. cap. 1.

Orbe exeundum eſt ei qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam, &c.

Vide ſuprà de Monarchiâ, *Magnitudo Poteſtat.* & E vnitas. *Minorit. Magnit.*

Ab vnitate divinâ lapſi ſumus per peccatum in tenebras, & varios mentis affectus, vndè reſtitui debemus per ſupremam vnitatem, & Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ vnius Pontificis munere excitet, conjungat, & conſtringat in vitam vnius modi, atque divinam; noſque ad divinitatis ſocietatem, quæ vnius modi eſt, pro captu noſtro traducat. Hujus Hierarchiæ principium eſt divina eſſentia, tres perſonas vniens; fons vitæ, cauſa rerum omnium, à cujus bonitate & ſtatus & bonus ſtatus, ijs quæ ſunt conceduntur; vnitas, vnitatis omnis effectrix; eſſentia

A ſuprema, verbum quod exprimi nequit, cauſa eſt cur ſint omnia: hæc autem ſuprema vnitas, idæa rerum, verbum divinum naturam humanam aſſumens, Ieſus extitit, omnis Hierarchiæ divinæque ſocietatis principium; Hierarchiam conſtituit in Eccleſiâ, & vim divini Sacerdotij, qùâ ad naturam cœleſtem, propriùs accedamus: imitatur enim Eccleſiaſtica Hierarchia cœleſtem, in quâ ſuperior ordo eſt Seraphim, qui ex amore vnitivo aſſurgit in apicem cæteris præſidentem, & primæ infinitæ vnitati conjungendum; cum enim Hierarchia ordine conſtet, in ſingulis novem ordinibus debet eſſe idem ordo, eademque harmonia, ac inter omnes ſimul, & debet deveniri ad ſupremum, qui cæteros purget, illuſtret, perficiat. Vndè Iſay. 6. Seraphim introducuntur clamantes ad invicem, quo declaratur primos participes facere ſecundos divinarum rerum atque notionum. Ex D. Dyonifio de nominib. divinis initio, & de cœleſti Hierarchiâ. cap. 1. 3. 10. & de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ.

Cum Angeli ex D. Thoma diſtinguantur ſpecie; debet inter illos talis eſſe ſubordinatio, vt deveniatur ad ſupremum. 1. q. 50. a. 4. & quilibet Angelus magis habet proprium ordinem & officium, quàm quælibet ſtella. 1. q. 108. a. 3. ad 2.

Quando Chriſtus natus eſt, in Hiſpaniâ apparuerunt tres ſoles paulatim vniti. 3. quæſt. 3. art. 5. & 6. ad 3.

Cicero lib. 1. de divinatione refert, ſi puella nata biceps eſſet, protendi ſeditionem in populo fore, corruptelam & adulterium domi. Sic ſi duo eſſent Eccleſiæ capita Petrus & Paulus.

Hic poſſunt applicari quæ ſupra dicta ſunt in Miſcellaneis de vnitate Dei. *& Vide Minoritas Magnit.* vnitas.

Vnicus erat apud Iudæos ſummus Sacerdos, licet plures dicerentur ſummi Sacerdotes, ſcilicet qui erant ex Conſilio 70. dictum Sanhedrin. Vide Baronium anno Chriſti 31. Vide ibidem num. 25. Quando fuerit conſtitutus à Chriſto, & petra fundamentalis Eccleſiæ, & caput Apoſtolorum: vtrumque ſignificat Cephas.

Dicitur Papa, quaſi pater Patrum. Vide Baronium anno 165.

Concilio Nicæno ſtatutum eſt, vt nemo dijudicet primam ſedem; quoniam omnes ſedes à primâ ſede juſtitiam deſiderant temperari: neque quoque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex judicetur. Vide Baron. ann. 324.

Sic Marcellinus Papa poſt lapſum ante Concilium 300. Epiſcoporum ſiſtens, ei acclamatum eſt: prima ſedes à nemine judicatur: tu reus, tu judex: ex ore tuo judicaberis, & ore tuo condemnaberis: nemo vnquam judicavit Pontificem, &c. Baron. ann. 302.

Vide egregium Reſcriptum Valentiniani Imperatoris, quo defendit ſummam authoritatem Romani Pontificis. Baron. an. 445.

De primatu Eccleſiæ Romanæ. Vide apud Baron. an. 587. & 785.

Epiſcopi omnes tenentur jurare fidelitatem S. Pontifici. Baron. an. 1102.

Eccleſia debet fidelibus credenda proponere. *Vide Med. Verit.*

ECCLESIÆ DEBET ESSE vnum & ſupremum caput.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fideles omnes ſe habent per modum vnius corporis, quod quidem vnum debet habere caput viſibile, ſicut habet inviſibile vnum Chriſtum. Eccleſiâ longè eſſet ab illâ pulchritudine, quàm ſuis Canticis laudat ſapiens, ſi eſſet multiceps, aut Iani inſtar bifrons, ſub duobus aut pluribus ſummis Pontificibus. Spirituale regimen eſt, quod ideò ex rerum ſpiritualium naturâ diviſionem non patitur.

MAGNITVDO. Maxima imperia rectè non gubernantur, niſi Monarchiâ, quæ eſt potentiùs, vt magis vnitum regimen: hoc ergo convenit Eccleſiæ, cujus dominatio, ſicut & Chriſti, nullis nec temporum, nec locorum, nec perſonarum terminis circumſcribitur: quæ vniverſalis eſt, tota vult ab vno Regi, non partito inter plures Imperio: quis enim vno vniverſali & communi ejus bono providere poteſt, niſi vnus? Innati quidem ſunt ſingulis corporis partibus ſpiritus, ſed citò deficerent, & tota compoſiti diſſolveretur harmonia, niſi continuus eſſet ab vno capite influxus.

DVRATIO. Quæ diviſionem patiuntur, interitui ſubjacent. Diviſum imperium, aut internis, aut externis bellis citò concidit; vndè Eccleſia, vſque ad finem ſæculorum duratura, vnicum debet agnoſcere Monarcham: habet communionem cum beatis, & dicitur paſſim regnum cælorum, quaſi æternitatis indiviſæ jura ſibi jam vendicet, æmula, quia vicariâ agni poteſtate, qui ſolus cœlicolis lux eſt. Multa occurrunt quæ moram non patiuntur negotia, & quæ malum ſinè remedio inferrent, niſi à ſummâ poteſtate provideatur, non expectato vix congregatorum, & ſibi conſentientium cæterorũ Prælatorum conſilio.

POTESTAS. Chriſtus dicit Petro, tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcumque ligaveris, &c. vni Petro loquitur, vni ſummam, quam habebat, confert poteſtatem, hac eadem fundamentali regiminis lege in ſucceſſores tranſituram.

COGNITIO. Quis fidem vnam tuebitur? quis tàm varias circà illam opiniones conciliabit & continebit, niſi vnus? videmus ſchiſmate ab Eccleſiâ diviſos ſimul in hæreſim prolabi: nemo vult ab eo, quem ſibi æqualem putat, Religionis leges accipere; ſic tot eſſent varij de rebus divinis ſenſus & ritus, quot eſſent varij Rectores, ſua pertinaciter aſſerentes, niſi ab vno ſummo Pontifice, oraculi inſtar, jura dicerentur, & cui turpe non ſit, imò honeſtum, in hac ambitioſâ de divinis concertatione obſequi.

VOLVNTAS. Igneas linguas ſuper Apoſtolos vna emittit columba; quia vnus ſummus Pontifex, Spiritu Sancto afflatus, debet cæteris prædicanda decernere; dum ſinguli Pontifices ſibi commiſſum ovile curant, debet eſſe vnus ſummus qui omnium, non ſolum agnorum, ſed & ovium regimen habeat; etiam zelo nimio circà divina peccatur, & liber omnium affectus ad nocitura ſe diffunderet, niſi ab vno ſummo rectore de agendis leges dicerentur.

VIRTVS. Sunt ſingulis populis innata quædam vitia, quæ virtutis, imò, vt olim pagani, numinis loco haberent, niſi extrà omnes politus Iudex omnium mores regeret, doceretque virtutes, quibus concitata peccatis ira Dei placaretur.

VERITAS. Verum cum vno convertitur, vt in eſſentiâ ſuâ, ſic in externâ inter homines profeſſione. Vera non prædicabunt Sacerdotes, non credent populi, niſi vnus credendis præſideat S. Pontifex. Fides enim vt docetur ſcripturis, tot eſt implicata dubijs, vt ſola ſinè judice controverſiarum non poſſit intellectum in ſuum obſequium captivare.

GLORIA. Terrenorum Principum intereſt habere hunc communem bellorum ſuorum arbitrum, quem poſt Deum colant, cui vt ejus vicario fideles ſe præſtent; & quem in ſuis controverſiis, aliter non niſi ferro & hominum ſtrage dirimendis, judicem audiãt. Ab hoc ſummo Pontifice in cæteros manat veneratio; quaſi officij ſimilitudine, delegatâ juriſdictione, imo & fraternitate conjunctiſſimos: ſic ex vnione hypoſtaticâ verbi divini communicatur toti naturæ humanæ dignitas; & quieta manet terra, quod centrum vna tantum ſui parte tangat. Si tollas hanc ſummam dignitatem, terreni Principes vix colent etiam in divinis Epiſcopum, quem in cæteris habent ſubditum; ſuo beneficio promotum; ſibi vt aulicum aſſidentem, & ſtantem ſuo favore creaturam: erit ex Prophetæ maledicto, vt populus ſic Sacerdos; & miniſtri contemptus in contemptum tranſibit Religionis.

DIFFERENTIA. Schiſmatici truncum ſinè capite efficiunt Chriſti corpus myſticum. Diviſa omnia ſunt debilia, vt vnita fortia. Quanta Eccleſiæ Majeſtas & fœlicitas, diſſitas gentes vno fidei & charitatis vinculo colligare! vnius Pontificis cauſam omnium eſſe, & in quolibet aut offendi aut gratificari eum, quem ſibi Reges ſuperiorem agnoſcunt.

CONCORDANTIA. Chriſtus vtraque fecit vnum, divina humanis conſociavit, naturam divinam & humanam, id eſt omnia ſub vno ſuppoſito, & ſic factus eſt pro nobis Pontifex, ſuique ſucceſſorem reliquit; quid ſolvis, quod ſancivit cum Eccleſiâ fœdus, & reſpuis ſacris ſui connubij paranimphum! putas diverſa in vnionem poſſe venire, niſi ab vno? concamerationem vno ex apice lapide non contineri, corpus aliter quàm ab vnâ formâ vnum fieri? &c. *Vide Minoritas Magn. Vnitas.*

CONTRARIETAS. Impoſſibile eſt Religionis acerbas, & ſanguinolentas tandem controverſias, inter populos ſedari, niſi vnius ſummi Pontificis oraculo: hunc ſi tollas, mens humana, quaſi ſolutis habenis, ruit in contrarias ſententias, ambitioſè confictas & propugnatas: hinc in impietatem & flagitia: & certè nulla futura eſt hominibus pax, ſi hanc quam debet conciliare Religio, prima violaverit. Vt omnia eſſent in ſublunaribus confuſa, ſi cœli à ſuo motu & influxu aberrarent: Eccleſiæ res male cedent, ſi contrà ſæculi & tenebrarum poteſtates militans, non habet Generalem ſui exercitus ducem. Vt Romani adverſis in rebus eligebant Dictatorem: Chriſtus prævidens adverſa ſic eam præmunivit.

PRINCIPIVM. Per vnum Chriſtum humano generi quæſita ſalus, per vnum Pontificem diſpenſatur: Nulla ſupereſt difficultas, ſi attendantur verba Chriſti, Petro, quaſi vicario, omnem quam in Eccleſiâ poteſtatem habet conferentis; quod ſi ab initio, ob perſecutiones, non ſic enituit hæc ſuprema poteſtas, non perit tamen jus inter iniqua hæc tempora, & redditâ pace poteſt illud quaſi poſtliminio recipere. Vnius ovilis vnus paſtor, ex prophetiâ Chriſti; vnius familiæ vnus Pater, fideles omnes quaſi filios, communi complectens charitate.

MEDIVM. Vt extremitas lineæ, ſic medium conſtat puncto indiviſibili: vnus mediator Dei & hominum Chriſtus, talem ſe exhibet per vicarium ſuum;

by Google

& cum ſacerdotium ſit medium inter Deum & homines, ab vno debet pendere, ne ſibi non conſtans, dividat potiùs quàm conjungat populos.

FINIS. Eccleſiam ſemper duraturam, hæc indiviſa & ſumma decet poteſtas: Ad vnum finem, debito rebus ſacris myſterio, non niſi vnus benè dirigit.

MAIORITAS. Non ſiunt ſchiſmatici Epiſcopi æquales ſummo Pontifici, ſi deſinat eſſe Summus Pontifex; ſic deluditur eorum ambitio, & dejicitur eo ipſo quo ſe putat extolli: nam tollit eminentiam, cui conſociari præclarum erat.

ÆQVALITAS. Nulla iniquior, quàm quæ circà regimen, æqualitas: Regimen enim dicit eminentiam, vndè non niſi eminenti dignitate, quaſi convenienti inſtrumento, rectè vtitur. Democratia infirma, ſub ſpecie libertatis confuſa & turpis; introducitur enim ob defectum populi, viciſſim ad dignitates aſpirantis, & ſe meliùs regi non patientis: Rebus tamen adverſis cogitur æmulari Monarchiam, in dignitatibus, quas magno licet ſuo periculo ad tempus conſtituit. Abſit ab Eccleſiâ tale malum.

MINORITAS. Brevi ceſſaret de nimiis Eccleſiæ divitiis quæſtio, ſi non eſſet Summus Pontifex, qui ab illis avidas fiſci arceret manus: citò ſpoliatæ ſuis bonis Eccleſiæ & à miniſtris ob inopiam deſertæ lugerent ſe tanti emiſſe ſuum ambitum. Glorioſum eſt Epiſcopis ſubeſſe ſummo Pontifici, cujus authoritate fit, vt à terrenâ poteſtate in turpiſſimam non redigantur ſervitutem.

POTESTAS EXTRAORdinaria Privilegiorum.

MISCELLANEA.

TErtulian. Auguſt. & alij dicunt diluvium non nocuiſſe paradiſo terreſtri, quia fuit locus innocentiæ.

Iſaac manens cum Abimelech, in anno ſterili colligit centuplum fructuum. Geneſ. 26.

Soli Moyſi loquitur Deus, non Aaroni.

Terra Geſſen, in quâ erat populus Iſraël, exempta eſt à plagis Ægypti. Exod. 8.

Nubis columna, alijs tenebroſa, Iſraëlitis lucida; diviſio maris ad eorum tranſitum.

Aſſervatur gomor Mannæ in futuras generationes incorruptæ, cum alia quotidie corrumperetur. Exod. 16.

Noë ſalvatur in Arcâ, Loth à Sodomis.

Moyſes ſolus aſcendit in montem, quem nemo audet attingere ſub pœnâ lapidationis. Exod. 19.

Ex omnibus qui egreſſi ſunt ex Ægypto duo tantum intrant terram promiſſionis, ſcilicet Joſue & Caleb. Deut. 1.

Piſces vocis expertes ſunt, vt qui nec guttur, nec pulmonem, nec arteriam obtinent, tamen aliqui ſonos & ſtridores emittunt. vt Lyra, Aper. &c.

Privilegium eſt perſonalis conſtitutio, quæ perſonam non tranſgreditur, nec ad exemplum trahitur. Inſt. de juſt. & jure. Habetur hæc eminens poteſtas, ex ſuperioris majori affectu, & liberalitate. *Vide Majoritas Bonitatis, & Majoritas Voluntatis.* Conceditur virtuti. *Vide Gloria Virtutis.*

De decretis decurionum ſuper immunitate quibuſdam concedenda. Cod. 10. t. 46.

De his qui à Principe vocationem acceperunt. Cod. 10. 44.

A De his qui non impletis ſtipendiis vacationem acceperunt. Cod. 10. t. 54.

De his qui numero liberorum excuſationem meruerunt. Cod. 10. t. 51.

De his qui veniam ætatis impetraverunt. C. 2. 45.

De jure immunitatis. ff. 50. t. 6.

De privilegijs creditorum. ff. 42. t. 6.

Quod contrà rationem juris introductum eſt, non eſt producendum ad conſequentia. l. 183. ff. de reg. jur. & l. 14. ff. de legib.

Princeps legibus ſolutus eſt, & Auguſta ejus beneficio. l. 31. ff. de legib.

De privilegijs & exceſſibus privilegiatorum. dec. 5. t. 35.

B Poteſt quis ſe tueri authoritate privilegij, contrà jus commune. 25. q. 1.

Aliquid agere poteſt vltrà ſpeciem ſuam in virtute agentis ſuperioris, non autem in virtute propria. Div. Thom. 1. 2. q. 109. a. 1. *Vide Poteſt. Medij.* Et de ſummâ poteſtate, vires proprias excedente, quæ per vicarium exercetur. *Vide Medium Poteſt.* Vicaria.

De occultis rerum qualitatibus, & potentioribus viribus, quæ non ſunt à primis elementorum qualitatibus, ſed à cœlo. Vide Fernelium lib. de occultis rerum cauſis; vt Magnetis & penè medicamentorum omnium, & morborum qui dicuntur formæ inhærere, & divini aliquid habere.

C Licet deviare à lege communi ob aliquas vrgentes neceſſitates. *Vide Differentia Veritatis, & Contrarietas Voluntatis.* de neceſſitate.

Apud Sybaritas, ſi quis artifex novum quid inveniſſet, per annum ſolus poterat id efficere, vt major illi eſſet quæſtus. Athenæus. lib. 12. cap. 6.

Pulmo diverſo à cæteris partibus modo nutritur: nam vena habet duplicem tunicam vt arteria, qua ſubtiliſſimum ſanguinem recipit, vndè dicitur vena arterioſa: & arteria habet vnicam tunicam, vt faciliùs poſſit magnam copiam ſpirituum recipere, & emittere. Galenus. lib. 6. de vſu partium.

Non eſt deſiſtendum ab inquiſitione, donec proprietates & qualitates rerum quæ habentur pro miraculis naturæ reducantur, & comprehendantur ſub D aliquâ formâ, ſeu lege certâ, eſt enim etiam in ipſis heteroclitis & monodicis certa lex agendorum. Baconius in novo organo.

Exempla inſtantiarum monodicarum ſunt Sol & Luna, inter aſtra; magnes inter lapides; argentum vivum inter metalla; Elephas inter quadrupedes; ſenſus veneris inter genera tactus; odor venaticus in canibus, inter genera olfactus; etiam littera S. apud grammaticos habetur pro monodicâ, ob facilem compoſitionem, quam ſuſtinet cum conſonantibus, aliquandò duplicibus, aliquandò triplicibus, quod nulla alia facit littera, vena azugos, ideſt ſinè pari. Ibidem.

Ad hæc etiam reduci poſſunt inſtantiæ deviantes, E vt eſt id omne quod declinat à curſu ordinario naturæ, cujus ſi cauſæ inveniantur, facilè poterunt in artem transferri, & multum conferrent ad ſolitæ legis naturæ intellectum.

Vide Æqualitas Minoritatis. Repugn.

MIRACVLA.

HOc quod Deus operatur in omnibus ſecundum modum eorum, non excludit quin quædam operetur, quæ natura operari non poteſt. 1. 2. q. 51. a. 4. ad 2. D. Thom.

Accidentium in ſacramento quædam operationes

sunt naturales, & quædam miraculosæ. 3. q. 75. a. 6. ad 3.

Solus Deus potest facere præter ordinem & cursum totius naturæ. 1. q. 105. a. 6.

De ratione miraculi sunt tria, scilicet esse arduum, idest supra virtutem naturæ creatæ agentis; præter spem naturæ, idest quod non habeat ad illud naturalem ordinem, sed ordinem obedientialem & quod sit insolitum, idest præter modum ejus consuetum: vndè habet occultam causam, scilicet Deum. Gradus miraculorum triplex; scilicet maximus, id est quoad substantiam facti; medius, quo ad illud in quo fit; & minimus; quo ad modum. 1. q. 107. a. 8. 1. 2. q. 113. a. 9.

Creatura potest excedere limites naturæ in virtute Dei. 1. q. 11. a. 2. & 12. q. 109. a. 1.

Gratia miraculorum confert ad cognitionem Dei, ideò convenienter data fuit animæ Christi, vt & eam in alios transfunderet. 1. q. 13. a. 2. ad 3.

Solus Deus potest per se facere miracula, Angeli autem & sancti ministrando. 1. q. 110. a. 4. ad 1.

Quomodò Christus convenienter fecerit miracula circà Dæmones, Angelos, cœlos, homines, bruta, & elementa. 3. q. 44.

Potentia creaturæ duplex, naturalis & obedientialis. 1 q. 9. a. 2.

Apostolis data gratia miraculorum ad sermonis confirmationem. 2. 2. q. 178. a. 1.

Moyses miracula efficit in Ægypto, Deo sic præcipiente, ad liberationem populi.

Plato. 5. de legibus asserit quod si mens humana in varia non distrahatur, sed integrâ suâ virtute ad certum opus vtatur, mira posset efficere.

Post primam essentiam est Angelus, post angelum mens humana, super totam mundi materiam, ideò à numine formata, & ab eo formas spirituales accipiés, dat materiæ corporales: vt ordinariè parvi mundi elementa, idest corporis humores movet, imò & exteriùs operatur, vi intensæ imaginationis: sic potest in elementa magni mundi, si fiat Dei instrumentum; quod fit si corporeas exuat curas, & ad centrum suum & vnitatem, quâ Deo conjungi potest, redeat. Sæpè pius animus hæc mira vult fieri, quia præsentit cœlestes, quibus paret natura, id decrevisse; provocat numen ad petendum quod vult dare, sicut mater ostendens pomum filio, vt petat quod ipsa statuit dare, &c. Vide Marsilium Ficinum. Theolog. Platon. lib. 13. cap. 5.

Suetonius in Vespasiani vitâ refert eum publicè pro tribunali sedentem solo tactu sanasse luminibus orbatum: sic Pyrrhus digito majori pedis quos tangebat ægros sanabat; eo mortuo & in bustum corpore injecto hic digitus flammis absumi non potuit.

Fiunt prodigia, vires cœli & animæ mundi in nos trahendo, per figuras, medicinas, legibus Astrologiæ confectas, de quibus. Vide Ficinum lib. de vitâ cœlitus comparandâ.

Psyllis Africæ populis, ingenitum virus exitiale serpentibus. Plin. lib. 7. c. 1.

Avicenna Arabs medicus, asserit summam tantùm intelligentiam à Deo creatam, ab hac aliam, & hinc ordine, donec infimæ animas humanas producerent, quæ ab ipsis pendent, vt in esse, sic in intelligere; si sint puræ animæ, sic intelligentiis conjunguntur, vt ab ipsis arcana & futura hauriant & quasi ipsarum vi pollentes, in materiam mundi mira agant. Picus Mirandulanus.

Natura nihil est aliud quam lex quædam rebus omnibus inserta, per quam aptè ad fines quosdam feruntur: quod est lex Principis in civitate, hoc est natura in mundo; hujus legis dispensatio est miraculum.

Medicus in vrbem veniens, primò gratis sanat, deinde probatâ suâ scientiâ, prætium exigit; sic initio Ecclesiæ fiebant miracula, deindè prætio fidei venundata, ex D. Chrisost. homil. 8.

Qui non credit Christianæ Religionis miracula, aliud miraculum fateatur necesse est, totum mundum sinè miraculis conversum. ex D. August.

Idem lib. 8. de Genes. ad litter. cap. 1. Loquens de paradiso terrestri: Ideò inquit insolita ipsa, quia prima; nam quid tàm sinè exemplo, & sinè pari facto in rerum mundanarum constitutione, quàm mundus; numquid ideò credendum non est Deum fecisse mundum, quia jam non facit mundos, aut non fecisse solem, quia non facit soles.

Multi miracula perpetrare desiderantes deciderunt, vt Simon Magus, Actor. 8. desiderantibus sedere ad dextram Christi dicitur. Potestis bibere calicem. & dicenti se velle Christum sequi, dominus respondit, vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; quia in te doli & superbia habitant: filius hominis non habet vbi caput suum reclinet; sic multi amant potentiam miraculorum, & non amant imitationem humilitatis, reclinatio capitis Christi humilitas est, nisi reclinaret caput non justificareris. D. August. Psalm. 90. Conc. 2.

Quo majores nostri à temporalibus ad æterna consecenderent, miracula visibilia habuerunt, & per eos actum est vt necessaria non essent posteris: cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & horum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit. Cur, inquies, ista modò non fiunt? Quia non moveret nisi mira esset, at si solita essent, mira non essent; sic mundi constantissimum ordinem, quia consuetum, non miramur. D. August. lib. de verâ Religione cap. 25.

Miraculis, vt lacte pueri nutriuntur, viri etiam oblectantur.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 118. Ideò Moyses. Exod. 4. Iturus ad Pharaonem petit miracula, vt ei credatur; & Christus dicit discipulis à Ioanne missis. Luc. 7. Renuntiate Ioanni, quia cæci vident si mihi non creditis, inquit Christus, operibus credite. Ioan. 10. & si non feciſſem opera quæ feci, peccatum non haberent. Ioan. 15. Nicodemus dicit Christo, scimus quia à Deo venisti Magister, nemo enim talia potest facere, nisi à Deo sit. Ioan. 3.

Apostoli prædicaverunt, Domino sermonem confirmante sequentibus signis. Marc. 16. in transfiguratione vox de cœlo. Math. 16. quæ etiam cum columbâ in Baptismo. Luc. 3. Itaque hæc duo pariter vbique vox & signum, ad introducendam fidem, ex divinâ largitate concurrunt, vt latus ad animum per vtrasque fenestras ingressus pateat veritati: citò enim persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur ostenditur. D. Bernard. serm. 59. super cantic.

Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur; & sicut sermoni humano verba nova vel minùs vsitata, moderatè ac decenter aspersa, splendorem addunt: ita in factis mirabilibus quodammodò fit luculentior divina eloquentia. D. August. Epist. 49. cap. vltimo.

Recte rerum invisibilium atque æternarum fides per visibilia miracula salubriter prædicata est hominibus, qui nec videre, nec cogitare aliquid præter corpora poterant, vt Epicurei qui sensibus tantùm credebant, quos dicebant non posse falli. Idem. Epistol. 56. Dioscor.

Corrusca corruscationem, & dissipabis eos. Psal.

143. Crebeſce miraculis & ſolvetur eorum conſpiratio : Iſtis miraculis territi non audebunt aliquid contrà te,& in ipſis miraculis expaveſcentes hælitabunt. D. Auguſt. in Pſal.143. Fides rerum ſupernaturalium ſupernaturali eventu probatur.

Die per ſolis occaſum ceſſante magis fulgent ſtellæ; ſic poſt mortem Chriſti miracula.

Licet multi paganorum Dij ſint habiti, & præſtigijs ſuis homines dementaverint,tamen nullus,ne impoſturæ ſuæ apparerent,dixit,quod Chriſtus diſcipulis ſuis diſceſſurus è vitâ dixit : qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet. Ioan. 14. &c. D. Chryſoſt. lib. contrà gentiles.

Ioſuè 14.dicit ſtet ſol contrà Gabaon & Luna contrà vallem Elam:& iterum Propheta Iſayas, ipſum in contrarium ingredi fecit ſub Ezechiâ Rege. Iſay. 38. Moyſes aëri,mari,terræ,petris imperavit.Exod.9.10. 11. Eliſæus aquarum naturam mutabit. 4.Reg.6.Tres pueri inter flammas illæſi. Dan. 3. Ionas in ventre cœti. Daniel inter Leones. Eodem 14.

Omnis anima partim privati cujuſdam juris ſui poteſtatem gerit, partim vniverſitatis legibus ſubeſt ; vt qui magiſtratum gerunt : Potentior eſt enim parte vniverſitas , quoniam illud quod privatum agit , tantùm agere ſinitur,quantùm lex vniverſitatis ſinit ; ſed vnaquæque anima tanto eſt pietate purgatior, quanto privato ſuo minus delectata,legem vniverſitatis intuetur,eique devotè ac libenter obtemperat:Eſt enim lex vniverſitatis divina ſapientia; ideoque fit vt ſancti Dei ſervi,quando hoc donum eos habere vtile eſt,ſecundùm publicam & Imperialem quodammodo legem,hoc eſt ſummi Dei poteſtatem,imperent infimis poteſtatibus, ad quædam viſibilia miracula facienda ; in illis enim Deus ipſe imperat , cujus templum ſunt, & quem contemptâ ſuâ privatâ poteſtate ardentiſſimè diligunt. Aliter autem magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani , aliter mali Chriſtiani ; Magi per privatos contractus;Boni Chriſtiani per publicam juſtitiam , Mali per ſigna publicæ juſtitiæ : etſi nomen non dederint publicæ juſtitiæ, tamen propter nomen excellentiſſimi Imperatoris valent : ſic non ſequens Chriſtum in ejus nomine facit miracula. Luc. 9. &c. ex D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 79.

Teſtimonia quædam venturum Chriſtum prænuntiaverunt,quædam veniſſe teſtata ſunt; factum quippè creaturam,per quem facta eſt omnis creatura,omnem creaturam teſtem habere oportebat : niſi enim multis miſſis prædicaretur vnus , non multis dimiſſis teneretur vnus : & niſi talia eſſent teſtimonia , quæ parvis magna eſſe viderentur , non crederetur ille ità magnus , vt magnos faceret magnus , qui ad parvos miſſus eſt parvus : nec omnium creator , niſi talibus crederetur teſtantibus portentis. D. Aug.l.4. de Trinit. cap. 19.

Non convenit quotidie Deum authoritatem ſuam apud nos miraculis redimere : Non tanquàm præſtigiator aliquis mercenarius in theatrum prodire ad nutum cujuſque compellitur : Atque , neque etiam hominem animal naturâ liberum , violentis quibuſdam ſignis compellere naturale ac decens eſt , ſed inſpirationibus doctriniſque allicere. Quid quod pauci ſunt qui miracula videre , pauciſſimi qui accipere digni ſunt ; rapi portentis in altum vultis , non virtutum gradibus ſcandere ? Nihil miraculoſius quàm animus ſui corporis Dominus, hoc potes,& cernere & efficere & efficere miraculum , &c. Vide Marſil. Ficinum libro de Chriſtianâ Religione. c. 10.

Sanctis Creaturæ obediunt. *Vide Poteſt. Virtut.*

Eximunt à lege communi,quæ debet eſſe generalis. *Vide Magnitudo Veritatis.*

MIRACVLA QVARE fiunt.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Noſtri gratiâ lucet ſol, cœlum volvitur,fluunt fontes,terra fructus ſuos profert, ampliſſimo & eo magis colendo divino beneficio ; quod etſi vniverſaliter conferatur , ſingulis tamen apprimè convenit ; Et ne putes vniverſo tantùm , non ſingularibus provideri , fiunt miracula in favorem ſingularium.

MAGNITVDO. Ne exiſtimes Dei potentiam ſolitis naturæ operibus exhauſtam, infinita eſt;& ne vis hæc illimitata ſit reſpectu noſtri penitùs inanis, effulget aliquandò in miros effectus : ſicut cuilibet magnitudini aut exiſtentiæ potes addere cogitatione & votis, ſic Deus realiter omnipotentiâ ſuâ. Bona omnia naturæ ſunt limitata , ſic ad mentem noſtram anguſta ; vera ex Deo, & apud Deum amplitudo.

DVRATIO. Solitæ naturæ leges illuſtrari debent his æternitatis ſplendoribus : apparet non eſſe ex ſe, nec æternum , nec independentem mundi ordinem : aliquando incœpit quod aliquandiù deſinit , & ex ſe ſemper deficeret, ſinè continuo ſummæ bonitatis influxu : immutantur interdùm hæ leges ad veritatis probationem , ſed raro ; ne conſuetudo naturæ jus ſuum & nobis admirationem præripiat. Non præſcribit naturæ vſus contrà Dei omnipotentiam ; vt nec vaſallus contrà Dominum.

POTESTAS. Hinc diſcis liberè omnia à Deo eſſe condita,quæ liberè ſic variantur,& variata reſtituuntur Dominatur naturæ infinitè potens Numen,a quo res omnes præcario acceperunt quas habent facultates, paratæ in contrarium,ſi juſſæ fuerint, inflecti.

COGNITIO. Miraculum vnius ſubveniens neceſſitati , ſtatim famâ publicum fit , & omnium fidem, ſpem charitatem accendit.Potentiſſima hæc eſt æternæ veritatis demonſtratio , cui mens humana, poſitis ſuis argutiis,cogitur cedere, ſtupens & venerabunda : ſcientiæ & artes,naturæ cauſas inquirunt, & effectus imitatur ; ſed miraculis cum naturâ ſuperatur ratio, cæcutiens ad hunc inſuetum divinæ ſapientię radium.

VOLVNTAS. Vides ex Dei arbitrio pendere naturam, quid ni & tuam ſortem, temporalem, æternamque fœlicitatem : ſi amor ergà nos divinus ſtupenda hæc efficit in naturâ , majora efficit in cordibus noſtris,vt amorem,quantùm fas eſt,ſibi ſimilem producat, præter naturæ leges ſui profuſivum, conſtantem, potentem,fœlicem,& ſuis ſe colluſtrantem ignibus.

VIRTVS. Suprà morales & heroïcas virtutes,divina te poteſt gratia promovere. Nihil enim mentibus noſtris impoſſibile eſt , vt cæteris creaturis , illas Deo movente : ſi ad viri boni præces fiunt miracula , vide quanti apud Deum ſit virtus & vt Deo ſervire regnare ſit ; cum illi ſuprà naturæ leges,Imperatoribus terræ imperantes, detur imperium.

VERITAS. Vnum hic videmus mundum materialem,idealis effigiem at in æternitate infinitos videbimus in ideis divinis. Si tantùm nos rapit vnius ſolitæ legis derogatio,qualis erit mentium noſtratum raptus in æternis illis infinitæ ſapientiæ , & potentiæ ſpectaculis. Quid dubitamus aſſentiri fidei myſterijs ſuprà naturæ ordinem , cum jam idearum æternarum fulgeant præmaturo ſplendore, vt nos ſuprà naturam ad æterna promoveant. Natura legem accepit à Deo,

non Deus à naturâ; verum itaque crede id de quo, his se prodigijs quasi devovens natura, fert testimonium.

Gloria. Ad eandem Dei gloriam, cui laborat natura, fit miraculum: lex ordinaria privilegio, & privilegium legi splendorem affert, tùm solitis suis obsequijs, tùm in varium se situm aut contorquens aut effundens natura homagium Deo reddit. Non dubitatur omnia posse, qui hæc potest; & mens interno sensu talis omnipotentiæ illi se substernit: cum senioribus in Apocalypsi coronas ponit antè thronum ejus; illique defert gloriam eorum omnium, quæ natura ejus imperio fecit, facit, factura in posterum est, aut facere potest.

Differentia. Cùm ex assuetis non fiat passio, rerum diversitate extimulandus est animus ad divinæ providentiæ sensum: certis non est alligata præceptis ars divina, quod vno fit modo, potest & alio; in vno itaque effectu infinitos tibi licet conjicere, ex divinæ sapientiæ fœcundissim potentiâ.

Concordantia. Mirum quod nostræ infirmitati sic se contemperans Dei potentia solitis deroget naturæ legibus: Pudeat ad Dei nutum minùs nos inflecti, quam insensibiles creaturas; nulla nobis sit cum terrenis consuetudo, quam non solvamus, cum agitur de exhibendâ Deo obedientiâ.

Contrarietas. Natura fatetur se vim non pati, in his quæ promptiùs & minore labore, quàm quæ solitis suis implet legibus: miracula bellum indicunt, non naturæ ad obsequium paratæ, sed rebelli peccatorum genio.

Principium. Cum effectus miraculi non possimus imputare causis secundis, statim mens ascendit ad primum omnium principium, cujus contemplatio rapit nos in extasim; & quasi ejus præsentiam ex immediato effectu magis sentiamus, immenso nos circumfusos putamus lumine, tuncque mens ad æterna tantum suspirat.

Medium. Non alligatur ijsdem agendi modis Deus, alijs quibus libet & seipso potens omnia. Fallax est ergò ratiocinatio nostra, dùm vim infinitam solitis naturæ legibus metitur: Ignorans, & in angusto hoc terreno lare enutrita mens dubitat fieri, quod præter suæ habitationis consuetudinem fit: vt rusticus qui ad pagi sui mores putat populos omnes vivere.

Finis. Non mireris deflectentem à solito suo cursu naturam, nisi & cogites aliquandò penitùs desituram; quæ cœpit, desinet, eodem verbo quod actionem mandavit, cessationem imperante. Corporalia omnia ordinantur ad spiritualia, sic sanitas miraculosè restituitur corpori, vt fiat in mente, & vt in posterùm, resumptis per gratiam viribus, sit ad pietatis officia vegetior.

Majoritas. Majora efficere potens Deus, quàm quæ solitò fiunt, aliquandò majora efficit: rara sunt in natura miracula, sed quotidie fiunt in mentibus per gratiam; ad manum ad divinum hoc beneficium, quo supra sortem humanam divinæ efficimur participes naturæ. Princeps concessis privilegijs majestatem sibi conciliat, ostenditque se suprà legem esse.

Æqualitas. Princeps est lex animata, ex æquo legis scriptæ rigorem temperans. Æquum puta fieri, quod fit à Deo, qui est prima & essentialis æquitas: hujus artis suæ mirandum opus pro prætio salutem tuam poscit.

Minoritas. Seu constringatur, seu dilatetur naturæ vis, divinam vtrumque probat potentiam; qui dejicit elatos, sublevat humiles: quotidianum est, etsi non percipias, miraculum, in alternâ rerum corruptibilium alteratione, & restitutione; cùm effæta fructibus terra, per hyemem, ad novos se præparat proventus, cùm quies & alimenta te ad iteratos labores revocant, hæ privationes existentijs mixtæ, nihilum creaturæ, & supremam Dei illas restituentis potentiam probant.

MALA NIMIA POTESTAS.

MISCELLANEA.

Potentioribus leges non sunt positæ, quia illas transgrediuntur; & enim ridiculis foret, qui illos legibus vellet subjicere, vt de Leone scribit Antesthenes concionantibus lepusculis ac censentibus æquum omnes habere debere. Ideò qui superexcellere videtur, vel propter divitias, vel propter amicos, vel propter aliquam aliam civilem potentiam extrà civitatem, relegatur Ostracismo, ad tempus aliquod terminatum, quia contrarius est æqualitati, quam maximè complectuntur civitates, quæ populariter reguntur. Sic Periander Thrasibulo dedit consilium nihil respondendo, sed eminentiores segetis spicas demetendo. Ideò Athenienses Samios & Chios, & Lesbios pessundarunt contrà fœderis æquitatem: Persarum autem Rex, Medos & Assirios & alios qui magnum de se sapiebant, propter imperium priùs habitum. Sic pictor pedem mensuram excedentem animal habere non pateretur, quamvis pulcherrimus ille pes esset; neque chori magister, cum altiùs quàm deceat cantare, qui toto choro meliorem vocem habebit: Meliùs tamen esset providere, ne sic excrescat potentia, vt tali indigeat remedio. Qui vero virtute excellit, non est abjiciendus, sed Rex constituendus. Aristot. 3. Polit. 9.

Idem cap. 11. Dicit quòd Rex, cùm sit legum custos & executor, debet habere vires; sed tales, vt vnoquoque separatim, & simul pluribus potentior sit, populo tamen sit impotentior: non enim fert natura, vt pars superet totum.

Commune est in omni Republicâ conservandâ, non augere nimiùm quemquam suprà modum, sed magis parvos, & ad tempus dilatos honores præbere, quàm confestim magnos; corrumpuntur enim, nec cujusvis hominis est prosperitatem ferre: maximè verò id lege providere conandum est, ne nimiùm sit excessiva potentia, neque amicorum, neque pecuniarum; quòd si ita contigerit, per absentiam removendæ sunt hujusmodi hominum clientelæ. Arist. 5. politic. cap. 8.

Remedium est, semper contrarijs partibus Magistratus res agendas committere; contrarias partes voco, vt præstantes viros multitudini, & divites pauperibus. Ibidem.

In populari statu nulli debet licere plures hæreditates capere, sed tantùm vnam; sic enim fiet major æqualitas, & pauperes ad abundantiam traducentur. Ibidem.

Theopompus apud Lacedemonios Regiam potestatem ad mediocritatem reduxit, Ephoros superinducens: increpatus ob id ab vxore, quòd minorem potestatem Regiam relinqueret filiis, quàm à parentibus ipse accepisset; non profectò, inquit, nam relinquo illis durabiliorem. Ibidem cap. 11.

Vt vnius dominatio custodiatur; non oportet vnum præ cæteris magnum facere, sed plures, nam se invicem custodient. Quod si quem extollere oportet, non eum qui sit moribus audax, quia tales homines sunt aptissimi ad invadendum. Ibidem.

In populari gubernatione, hæc lex optima, vt ne-

mini liceat ditari vltrà determinatam menſuram. Ariſt. 6. Politic. 4.

Apud pleraſque Reſpublicas erant Magiſtratus conſtituti, ad refrænandam nimiam Regum potentiam, vt apud Lacedemonios, Ephori, Romanos Tribuni plebis, apud Athenienſes Demarchæ, qui omnes jus populi contrà Rectores tuebantur.

Axioma eſt politicum, eum eſſe Dominum ſtatus qui eſt Dominus virium; vndè in Ariſtocratiâ ſummi honores decernuntur ſinè Dominio & poteſtate, & magna poteſtas nunquàm ab vno ſolo regitur, ſed datur ei collega. Vide Bodin. lib. 4. Reipubl. c. 1. Hoc erat emblema Iuliani, avellere ab Aquilâ pennas, quæ apponuntur ſagittis, quibus debet configi. Ob nimiam vnius potentiam Ariſtocratia mutatur in Monarchiam. Ibid.

Ideò diverſis diverſa officia, non vni plura ſunt committenda. *Vide ſuprà Differentia Poteſtatis.*

Reges plus cogitent de conſervando, quàm de amplificando Imperio, quia amplum vix poteſt regi. *Vide Voluntas Majoritatis Mala.*

Elementa ità oportuit eſſe commenſurata, vt vnum alterius totam maſſam abſorbere nequiret.

Spaſma eſt propriè nervorũ ruptio per tenſionem.

Deus non fecit omnia poſſibilia, nec ea etiam quæ nos imaginamur, quia fecit convenientia limitatæ materiæ, ordine, pondere, numero conſtantis: nec enim poteſt vna ſtatua plures conſiſtentias ſimul habere. A Sole patre genita & terrâ matre, certam formam, ſub certâ idæâ habent.

Poteſtas vnius, juſtis ſubdita legibus eſt optima, nullis verò ſit populo intolerabilis. Plato. Dial. de Regno.

Vnius dominatio prima fuit, quia in parvâ hominum congregatione non multi reperiebantur regiminis capaces, at auctâ multitudine, cum multi excellentes nollent ſibi invicem cedere, factæ ſunt Reſpublicæ. Ariſt. 3. polit. c. 17.

Planetæ in Perigæo ſunt infœliciores, quia vt nobis magis propinqui ſunt validiores, ſic plus vaporis movent, at actio valida temperiem ſolvit.

Regia poteſtas mutatur in tyrannidem, cùm Rex ſubditos non ſecundũ leges, ſed pro arbitrio ſuo regit.

Si daretur infinita velocitas, quia momento attingeret ſuum terminum, ceſſaret motus & eſſet quies; ſic ſi eſſet infinita poteſtas in agentibus neceſſariis, omnia in ſe converteret, periret ordo & pulchritudo cum rerum differentiâ.

Princeps, qui trahit ad ſe omnem legum & Magiſtratuum authoritatem, dat occaſionem præcipuis ſuis miniſtris multa præter jus agendi; vndè non debet vti abſolutâ ſuâ poteſtate, in rebus quæ poſſunt fieri ordinariâ legis diſpoſitione.

Quilibet populus eligit potiùs eſſe ſub proprio Principe, qui ipſos magis amat, magis habet in prætio, quàm ſub potentiſſimo Monarchâ, qui ipſos negligit & ad libitum opprimit.

In Republicâ vni ſoli ſumma rerum non eſt committenda, ne nimiâ authoritate abutatur.

Color naturalis intenſior factus à calore externo ambiente, aut à calore ex putredine orto, non retinet ſuam cum frigore temperiem, ſic mixtum diſſolvitur, nam conſumit corpus, noſque alere nequit, id quod erat præcipuum ejus opus: ſic febris accenditur ob converſionẽ innati caloris ad igneam naturam Galen.

Ignis maximè activus ſubſtantiam alimenti convertit in ſe magnâ aviditate, deindè relinquit tantùm cineres ſteriles, & ipſemet defectu alimenti, ab ipſo conſumpti, extinguitur: at cætera elementa minùs activa corrumpunt quidem ſubjectum, ſed ita vt ex illâ corruptione aliquid naſcatur, vt vermes, herbæ, &c. Tyrannus igni eſt compatandus.

Auſter cùm minor eſt, nubes nullas obducit, cùm major nubilus & diuturnior. Ariſt. Probl.

Evecti ad magnas dignitates ſunt triplici ſervitute ligati; Reipublicæ, famæ, & negotiorum, vndè privatarum ſuarum actionum non habent jus, dum quærunt imperium habere ſuper alios, amittunt ſuper ſe, & ad labores majori labore feruntur. Hinc cùm voluerint, non poſſunt ſe liberare, quia ſe non liberaverunt cum id ratio exigeret: habent poteſtatem multa mala faciendi, quod eſt malum; nam in malis optimum eſt, nec velle, nec poſſe.

Magnæ divitiæ plures homines vendiderunt, quàm redemerunt.

Venena nocent, quia vt potentiſſima conveniunt in ſe temperamentum.

Regna magis conſervantur ſub dominantium limitatâ quàm abſolutâ poteſtate, ſic enim dominantes minùs inſoleſcunt, & populus illis minùs invidet. Ariſt. 5. Polit. 77.

Malus Princeps, quò eſt potentior eo ſævior, quia minùs poteſt ei reſiſti. *Vide Majoritas Magnitudinis Mala.*

In vulneris repletione, plùs ſæpe carnis quàm opus ſit gignitur, quæ abſumenda medicamentis Narcoticis.

Eccleſia, potentiâ quidem & divitiis nunc major, ſed virtutibus minor facta eſt. D. Hieronym. in vitâ Malchi.

Impedimenta hæc ſunt non adjumenta, onera non ſubſidia; poſſeſſione enim & vſu opum non fulcitur Religio, ſed evertitur. Salvian. l. 2. ad Eccleſ. Cathol.

De abundantiâ noxiâ. *Vide Major. Bonit.*

Omnia in bellis civilibus miſera, ſed nihil miſerius quàm ipſa victoria, quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit, vt etſi naturâ tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur: nam duces accendendo bello civili acres, temperandæ victoriæ impares; mos enim gerendus eſt ijs, quibus adjutoribus parta eſt victoria. Lypſius in Politicis.

Ne alicujus agentis vires excedant, cuilibet contrarium opponit natura.

Refert Suidas olim Romæ fuiſſe actionem malæ tractationis, quæ dabatur vxoribus contrà maritos; deffenſoribus pupillorum contrà tutores; ſervis ad ſtatuas confugientibus contrà Dominos.

Lex, tyrannus hominum, multa præter naturam hominum agere cogit, vndè ex æquo & bono temperanda eſt. Plato lib. 5. de Republ.

Elementa ſecundum prædominium ſuum in corpore trahunt membra ad ſitum ſuum. Ignis in cholerico trahit cætera elementa ad calidum & ſiccum.

Nihil generatur ex glacie aut igne.

Caliditas temperata generat ſanguinem, excedens, choleram rubeam; multùm autem excedens generat melancholiam accidentalem, propter incinerationem quam facit. Albert.

Tonitrua & fulgura fiunt ſæpè plenilunio, tunc etiam fiunt majores corruptiones ex abundantiâ humidi.

Legibus Romanis ſtatutum, vt nullus indigena ſit rector Provinciæ, vndè eſt oriundus, nè nimis ſit potens, propter parentes & amicos.

Regimen provinciarum non debet committi potentioribus, ne illud ſibi adſcribant.

Flamma fulminis ſuperat omnes alias; colliquat enim ferrum perfectum in guttas.

Auguſtus prohibuit ne Senator, aut Eques, aut illuſtri dignitate functus, Ægyptum ingrederetur, veri-

tus nè fame Italiam vexaret, eam Provinciam occupans levi præſidio, contrà ingentes exercitus, propter clauſtra maris. Tacit. l. 11.

Pereunt ſæpiùs Reſpublicæ ex nimiâ vnius civis potentiâ. Ariſt. 5 politic.

Ariſtoteles dicit intelligentias motrices vires habere ſuis orbibus commenſuratas, itavt non poſſint aut citiùs, aut tardiùs movere.

Paria debent eſſe negotiis ingenia, non infirmiora, ne ſuccumbant; non multùm ſuperiora, ne contemnant, & ad externa ferantur.

Martis planetæ nocturna conditio melior eſt, quia temperatur ejus calor nimius à frigore noctis.

D. Cyrillus lib. 3. contrà Iulian. c. 3. aſſerit Idololatriam ortam eſſe à Nino, qui coëgit ſubditos ad adorationem patris ſui Beli, ſeu Nembroth.

Romani patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, priùs omni ſtudio liberam, deindè Dominam eſſe cupierunt: hinc eſt quod regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binoſque Imperatores ſibi fecerunt, qui Conſules appellati ſunt, à conſulendo, non Reges aut Domini à regnando. D. Auguſt. lib. 5. de civit. cap. 12.

Placet leo pictus, quem vivum horremus in ſylvis; placet magna poteſtas, ſi modò non ſit nociva.

Cum Alpheus ruptis aggeribus exundabat, omnes ſtatim non ſolum accolæ, ſed etiam contermini populi, velut ex edicto Prætoris de ripâ muniendâ, collatis operibus tenebantur reſtagnanti flumini obviam ire.

Amantium vota in hoc ſunt arctanda, nè nimiùm ſodales evehi cupiant; elati enim alterius deſpiciunt humilitatem, peccantibus in hoc divitiis. Barclai.

Apud Hungaros inſignis eſt Magiſtratus, quem Palatinum dicunt; is nihil ex ſe decernere, ſed obſtare Regi poteſt, quicquam publicum ſancienti: cui poſtquàm ſuo ſuffragio interceſſit, infirmum eſt quod deinde ſtatuitur; & hunc plurimi colunt tanquam vindicem libertatis, oppoſitumque Regibus; vt olim Tribunatus Romanis conſulibus poteſtatis modum fecit. Hinc ſcias magnos gentis animos, nimiumque tumentes, dura aut ſoluta imperia pati nõ poſſe. Idem.

Dionyſius, Piſiſtratus, Theagenes, cæteri omnes affectantes tyrannidem, cuſtodiam petierunt. Ariſtot. 1. Rhetor. cap. 2.

Metuuntur præſtantiores, quia magis poſſunt nocere, maximè cum aliorum ſpoliis creverint, & ſi erraverin corrigi non poſſunt. Ariſt. Rhetor. 2. c. 5.

Pyton Bizantius orator valdè craſſo erat corpore, cum aliquandò ortâ ſeditione cives ad pacem adhortaretur. Videtis inquit ô cives, cujuſmodi meum ſit corpus, ſed mulierem habeo, multò me craſſiorem, quandò ſumus concordes quivis grabatus nos excipit: aſt vbi diſſidemus, nec tota quidem domus. Athen. lib. 12. cap. 28. magna potentia, turbatis maximè rebus, noxia.

Auguſtus circà Chriſti natalem, ſic moderatus fuit in Imperio, vt edicto vetuerit Dominus dici. Vide Baron. an. 1. num. 9.

Spiritus in tali temperamento & gradu activitatis ponendi ſunt, vt fumos corporis non bibant & forbeant.

Naſcuntur aliquandò in extremis favis apes grandiores, quæ cæteras fugant; œſtrus vocatur hoc malum. Plin. lib. 11. cap. 16. ſic cives potentiores deſtruunt Reſpublicas.

Idem lib. 16. cap. 1. loquens de Barbaris gentibus, non devictis à Romanis. Ita eſt, inquit, multis fortuna parcit in pœnam.

Manij Curij poſt triumphos, immenſumque terrarum adjectum imperio, nota concio eſt, perniciоſum intelligi civem, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis. Hæc autem menſura plebei poſt exactos reges aſſignata eſt. Plin. lib. 18. c. 3.

Modum agri in primis ſervandum putaverunt antiqui: quippè ità cenſebant, ſatiùs eſſe minùs ſerere, & meliùs arare; latifundia Italiam & provincias perdidere. Cn. Pompejus nunquàm agrum mercatus eſt conterminum. Plin. lib. 18. cap. 6.

Ne ſit nimia poteſtas, Princeps non eſt legibus ſolutus. *Vide Virtus Poteſt.*

Romæ ejectis Regibus, ad Conſules tranſiit Imperium; ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine, vel morâ corrumperetur: conſuleſque appellavit pro Regibus, vt conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent, tantumque libertatis novæ gaudium inceſſerat, vt vix mutati ſtatus fidem caperent, alterumque è Conſulibus, tantùm ob nomen & genus regium, faſcibus abrogatis, vrbe dimitterent. Itaque ſubſtitutus Valerius publicola, ex ſummo ſtudio annexus eſt ad augendam liberi populi majeſtatem: nam & faſces ei pro concione ſubmiſit, & jus pervocationis adverſus ipſos dedit; & ne ſpecie arcis offenderet, eminentes ædes ſuas in plano ſubmiſit: Brutus vero, liberos ſuos publicè ſecuti percuti juſſit, eò quod ſtuderent Reges in vrbem revocare. Florus lib. 1. cap.

Vide Majoritas Contrarietatis. Nimia Principum ſevitia.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE his qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt. Cod. 2. tit. 15.

Ne fiſcus vel Reſpublica procurationem alicui patrocinij causâ in lite præſtet. Cod. 2. tit. 18.

Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, vel lites in ſe transferre. Cod. 2. tit. 14.

Ne præſides in provinciis ſuis domeſtica ſponſalia contrahant. l. 1. 23.

Vt nemo privatus titulos prædiis ſuis imponat, vel vela Regia ſuſpendat. C. 2. 16.

Vt nulli judicum liceat habere loci ſervatorem, niſi certis ex cauſis divina conceſſerit juſſio. Novell. 134.

Initio Romanæ civitatis populus ſinè certâ lege vivebat, omniaque manu à regibus gubernabantur, poſteà ſtabilitæ ſunt leges. l. 2. §. 1. ff. de origin. jur.

Conſtitutione Antonini ſublata eſt à Dominis poteſtas vitæ & necis in ſervos, & qui injuriosè habet ſervum, cogitur eum manumittere. l. 2. ff. de his qui ſui vel alien. jur. *Vide Major. Contrar. Mala.*

Officium proconſulis eſt mediocribus advocatos dare adverſus potentiores. l. 9. §. 2. ff. de offic. proconſ.

Adminiſtrator Provinciæ non poteſt ex eâ habere vxorem, licet habere poſſit concubinam. l. final. ff. de concubin. *Vide Virt. Poteſt. Repug.*

Vſus fructuarius non poteſt in ſuo fundo fodinas quærere, ſi æerem inficiant: non poteſt etiam ædificium altiùs tollere, quia tectum turbatur. l. 13. §. 7. ff. de vſufr.

Officiales non poſſunt contrahere cum ſubditis, niſi ſunt perpetui. l. 33. & 34. ff. de reb. credit.

Actionem litigioſam non debet Reſpublica in ſe recipere. l. 2. Cod. ne fiſcus vel Reſpublica procurationem alicui patrocinij causâ in lite præſtet.

Nobilioribus

Nobilioribus & militibus interdicitur mercatura, vt inter plebejos ſit faciliùs emendi & vendendi commercium. l. 3. C. de commerc. *Vide Differentia Poteſtatis. & Media Poteſtas.*

Proconſuli dabatur legatus, quem ante ſe de provinciâ non debebat dimittere. l. 10. ff. de offic. proconſul.

Præfecto Ægypti ſeverus Imperator addidit Iuridicum, tanquàm ſpeculatorem, qui amoveri à præfecto non poterat, non enim tam munitum regnum voluit vnius fidei committere. l. penult. ff. de off. præf. auguſt.

Causâ cadit, qui litem potentiori cedit, vel ipſius vtitur nomine. tot. tit. Cod. ne liceat potentioribꝰ

Milites non niſi ſui vſus gratiâ poſſunt eſſe conductores, ne vicinis graves fiant, præſumptione cinguli militaris. l. 31. C. de locat. & cond. & l. vlt. eodem. ait; ne armorum atrocitatem, non in hoſtes oſtendant, ſed adverſus vicinos.

Tutor ſit infamis, qui ſibi vel filio ſuo pupillam ſuam collocat in matrimonium, cenſetur enim id facere vt fraudem adminiſtrationis tegat. l. 7. C. de interd. matrim. *Vide Minoritas Poteſtatis Bona.*

EX BIBLIIS.

ABraham & Loth propter nimias opes non poſſunt eſſe ſimul. Geneſ. 13.

Abimelch dicit ad Iſaac; Recede à nobis, quia potentior nobis factus es. Geneſ. 26.

Væ Paſtoribus Iſraël qui paſcebant ſemetipſos, nonnè greges à paſtoribus paſcuntur. Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum, & hircorum. Nonnè ſatis vobis erat paſcua bona depaſci, inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris; & cum puriſſimam aquam biberetis, reliquam, pedibus veſtris turbabatis, & oves meæ his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbaverant, hæc bibebant, propterea ego judico inter pecus pingue & macilentum, pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras. Ezech. 34.

Daniel. 8. videt hircum ſuperantem arietem:

Beſtia de mari aſcendens ſeptem capitum & decem cornuum, & diadematum, Deum blaſphemat & ſanctos debellat. Apoc. 13.

1. Reg. 8. Samuël prædicit jus ſummum Regis nocivum populo.

De magnâ poteſtate dæmonis, quam Deus deſcribit Iob, ſub nomine Behemoth. Iob. 41.

Aſſur, ideſt Antichriſtus, quo Deus vtitur ad puniendos populos, ſic gloriatur. Invenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & ſicut colliguntur ova quæ derelicta ſunt, ſic vniverſam terram ego congregavi. Iſay. 10.

Væ qui congregat avaritiam malam Domini ſui, vt ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali; cogitaſti confuſionem domui tuæ. Habac. 2.

Poteſtatem dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem. 2. Corinth. 13.

De clementiâ Regentium. *Vide Bonitas Poteſt.*

Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. Et vos Domini eadem facite ſervis, remittentes minas; ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum. Epheſ. 6.

NIMIÆ DIVITIÆ.

ARgentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent. Oſee. 8. & 12. Dives effectus ſum, inveni idolum mihi.

Divitiæ ſi affluant nolite cor apponere ſi Pſal. 61. ſi fluant, ſi exundent, & tanquàm de fonte currant, Il enim & ibi cor poſueris, & tu flues. D. Auguſt. in d. Pſal. 61.

Vidi divitias cuſtodiri in malum poſſidentis eas. Eccleſ. 5.

Magna illecebra delinquendi eſt rerum abundantia, in ſuperbiam enim extollit, oblivionem authoris infundit, &c. D. Ambroſ. de interpellat. Iob. lib. 2. c. 5. initio.

Bona temporalia dantur indignis à Deo, ad correptionem, vel ad damnationem eorum; D. Thom. 12. q. 87. ad 2.

Propter irregularitatem poſſeſſionum plures civitates deſtruuntur, vt dicit Philoſophus; ad quod lex vetus triplex oppoſuit remedium, ſcilicet vel vt ſecundùm numerum hominum poſſeſſiones æqualiter dividerentur, vel vt poſſeſſiones in perpetuum non alienarentur, vel vt proximi ſuccederent morientibus. Idem 1. 2. q. 105. a. 2. ad 3.

Pudeat mortales æternum bonum negligere propter bona temporalia, vndè hæc ipſa habent, vt ſint bona: bona quidem in ſeipſis omnia ſunt quæ ſunt ab ipſo; bona rurſus & nobis, quatenùs referuntur ad ipſum; at mala & aſpera nobis evadunt, quia ſummâ quadam injuriâ hæc ſectamur, illo dimiſſo, quæ neceſſariò in illo ſunt, & ſervantur ab illo. Heû quàm mirabile imò miſerabile eſt, vt ea prorſus nos ab eo ſejungant, quæ illi penitùs ſunt conjuncta, quæ niſi ipſum quodammodò præ ſe ferrent, nos ſibi ipſis adjungere non valerent, quæ niſi eſſent in eo, certè non eſſent in ſe, & omnino non eſſent. Marſil. Ficin.

His ſaginatus animus ſpernit divina; vt exquiſitos in convivio cibos, qui ſe communioribus avidè replevit.

Saül offendit Deum, cùm factus eſt potentior. 1. Reg. 9. ſic David. 1. Reg. 15.

Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. 1. Corinth. 1. Sic ſe excuſant à convivio. Luc. 14. Chriſtus dixit ſemen verbi in corde divitis non proficere. Luc. 8. Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum diaboli. 1. Tim. 6.

Luna patitur Eclypſim, tunc tantùm cùm eſt plena; & tunc eſt plena, cùm maximè à ſole, à quo lumen accipit, diſtat.

Dicunt Iuriſconſulti, cujus eſt ſolum, ejus eſt cœlum, quod ſuprà ſolum eſt; contrarium eſt in divitibus, quibus cœlum negatur.

Opes ſunt inſtrumenta explicandæ nequitiæ; magno viatico breve vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur.

De abuſu nimiæ poteſtatis *Vide Virtus Poteſt. Rep.* & demonſtrationem quod ſit difficilis in regimine probitas.

Magnæ divitiæ ſunt materia avaritiæ, faſtus, cupiditatis, mollitiei, metus, diffidentiæ, æmulationis, invidiæ, & quos implevit, vt ſpongias fortuna exprimit, vt ne vnum quidem diem fruitionis ſibi quiſque certò ſpondeat. Nudi naſcimur & morimur. Aurum terræ viſceribus vt venenum abſconditum eruimus, vitæ noſtræ & felicitatis periculo; hinc enim omnia

ferè crimina & bella, quæ ſunt publica latrocinia: eo miſeriores divites, quo ſe miſeros non audent fateri; ſi quid in illis eſſet ſolidi aliquandò implerent; ſed nullus cupiditati terminus eſt. Dives aureum mancipium eſt, vt ait Socrates, non habet divitias, ſed habetur ab illis: has divitias ſequuntur pœnitenda, propter quæ ſtant tremuli conſcientiâ pulſante, Dæmone minitante, Angelo accuſante, ſociis deteſtantibus, judice damnante: vbi tunc palatia, redditus? &c. Æger non minùs torquetu in aureo lecto.

Luc. 6. Vocantur hujus ſæculi divites, ad differentiam veratum alterius ſæculi divitiarum: non ampliſſimam domum, ſed animam, abiens, tecum auferes. Abraham ſub quercu, non in ſplendidâ domo Angelos hoſpitio excepit; calceus pede major tardiorem efficit in viâ: quid inſanis circà fugientia? nihil divitiis fallacius; hodie tecum, & cras contrà te, ob invidiam quam in te concitant; quòd ſi acceſſerit ſuperbia, duplex paratur præcipitium, &c. ex D. Chriſoſtomo homilia 2. ad populum Antiochenum. Dives eſt bonorum Dei in pauperes conſtitutus erogator, & eleemoſinarius; videat an fraudem faciat pauperibus. Plus voluptatis eſt in cœnâ pauperis, quam Dæmonum hominumque non inquietant inſidiæ.

Diviti, qui congregaverat fructus in annos plurimos, dicitur, ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? Luc. 12.

Ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus & informe purgatur; videbis quant à fuligine oblinantur; atqui iſta magis inquinant animos quàm corpora, & in poſſeſſore eorum quàm in artifice plus eſt ſordium. Seneca Epiſt. 94.

Latronum Princeps, licet ſplendidè vivat in ſpeluncis, metuens juſtitiæ pœnas ſibi imminentes, non eſt beatus; non æger prætioſis vtens cibis, qui ſunt morbi indicia; non invidemus puto in tabella diviti; miſeremur homini catenis etiam aureis vincto: cuſtos dulciſſimus carceris eſt amor pecuniarum. Ex D. Chriſoſt.

Divitiæ, vt feræ, cum vitæ periculo capiuntur & ſervantur. Seneca, de vita beata. c. 14.

Vbi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas, & vſus quidem divitiarum apud alios; divitibus nomen ſolum cedit & ſollicitudo. Div. Bernard. ſermon. de perſecut. ſuſtinen. c. 12.

Fieri non poteſt vt res deterior te faciat meliorem; homo es, deterius eſt quidquid cupis, aurum, &c. Fit corpus tuum melius per animum, per cujus illuminationem meretur incorruptionem. D. Auguſt. in Pſal. 32. conc. 2.

Fallax equus ad ſalutem, ideſt quælibet dignitas, ex quâ ſæpe corruis. Ibidem.

In divitiis non conſiſtere veram fœcilitatem & in quibus ſit. *Vide Veris. Gloria.*

Vllo ſinè pejoris conditionis eſſe exiſtimas, quàm qui habent & miſeriam & invidiam. Senec. Epiſt. 115.

Propriè bona dici non poſſunt, quæ plus incommodi quàm commodi haben. l. 83. ff. de verbor. ſignificat.

Erras ſi putas animoſiùs detrimenta dives ferre: Maximis minimiſque corporibus par eſt dolor vulneris: Bion elegantèr ait, non minùs moleſtum eſſe comatis quàm calvis pilos velli; & pauperi & diviti pecunia ſua adhæſit, nec ſinè ſenſu avelli poteſt. Seneca lib. de tranquillitate vitæ. c. 8.

Poſtquam divitiæ honori eſſe cœperunt, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Saluſt. in conjurat. Catilinæ.

Vix poteſt Religionis authoritas inter tantam rerum exuberantiam morum tenere menſuram. Salvian. 6. de gub. Dei.

Quantùm copiæ acceſſit, tantùm diſciplinæ receſſit, & proſperitas venit quæſtuum cum magno fœnore detrimentorum. Idem 1. ad Eccleſ. cathol.

Pecuniaria vita violentia quædam eſt, quia divitiæ, non propter ſe, ſed alterius causâ comparantur. Ariſt. 1. Moral. Nicomach. cap. 5.

Quantis abundent vides, quantis egeant non vides. Divitiæ vt epulis ventrum, ità animum curis diſtendunt. D. Ambroſ. Examer. lib. 6. c. 8.

Divitiæ dictæ ſunt, quod mentem dividant & in diverſum ſcindant, nec ſinant incorruptam eſſe & integram. Idem de Abraham lib. 2. c. 8. *Vide Majoritas Bonitatis, Magnitudinis, &c.*

Deus gratulatur Salomoni, quod non petierit multas divitias. 3. Reg. 3.

Cùm abundarent opes in illuſtribus familiis, & luxuriantes copias avita induſtria peperiſſet, obſtupuerunt paulatim virtutum ſtimuli, & aliquid remiſerunt nepotes de paternâ contentione ad gloriam, donec vertentibus aliquot ſæculis, vix aliud ad commendationem habuerunt quàm inanem propè fugitivam authorum ſuorum memoriam. Barclai.

Hoc nequidem Dij Midæ ſinè damno dederunt, metalla omnia in altiorem transferri ordinem. Idem.

Filius junior, acceptâ portione paternæ hæreditatis, abiit in regionem longinquam, & bona ſua diſſipavit. Ideſt inprudens homo conceſſis à Deo donis ſic abutitur, vt à Deo diſcedat; creaturam pro creatore adorat, &c. D. Chriſt.

In populo Romano, poſt inſignes victorias, creverunt cum ipſâ magnitudine imperij vitia; poſtmodùm in ſe converſis, Marianis, Syllanis, noviſſimè Pompeij & Cæſaris manibus. Flor. lib. 2. c. 19.

Cyprus Inſula, acceſſit Romanis ſinè bello, abundans divitiis, & ob hoc Veneri ſacra. Idem lib. 3. c. 9. Nimia abundantia vires diſſolvit. *Vide Majoritas Bonitatis.*

MAXIMA IN RECTORE potentia, periculoſa.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Eſſentiis rerum commenſuratæ ſunt potentiæ, quibus aſſequuntur ea quæ & ſingulari ipſorum, & vniverſali bono conveniunt. Non timetur exceſſus in his quæ ſapiens natura contemperavit; hanc debet imitari ars politica, potentiam publicis officiis ſic convenientem largiendo, vt nec excedat, nec deficiat.

MAGNITVDO. Licet naturalia agant totis ſuis viribus, quia limitatas habent, non timetur exceſſus: At ſi Rector plùs habeat potentiæ quàm dignitatis, periculum eſt ne mens humana, rerum terrenarum opibus non impleta, ſed provocata, hinc diſcat majora ſuprà vires concupiſcere, & tandem, quo plùs in amplum vult diffundi potentiâ, fiat infirmior.

DVRATIO. Si rebus temporalibus certi poſiti ſunt termini; vt ſanitas, ſic potentiâ, quæ apicem ſuum attigit, declinat ad interitum; neſciunt enim humana conſiſtere. Qui ſe potentiſſimum putat, moras non patitur, non cedit tempori, venientem non expectat occaſionem, ſed præcipiti conatu, præcoces, immaturos, & cito deficientes carpit fructus.

POTESTAS. Natura, jam ad ambitum nimis prona,

frænis eſt continenda, quòd ſi ſummam adjicias potentiam, ignem oleo foves, & arma miniſtras furori. Summa poteſtas conatur in totum tolle populi libertatem, licet ſit ex jure naturæ, à quo in totum non poteſt recedi.

Cognitio. Magna poteſtas, laborat nimiâ ſui fiduciâ, ſibi non præcavet, dedignatur conſilia & artes, quaſi ſint infirmitatis turpe quoddam ſubſidium: vis autem conſilij expers mole ruit ſuâ; vt aperto marte, ſic aperto ad vulnera pugnat ſinu; non ſe continet, quin ad diuturnioris, & certæ, vt putat, vindictæ ſpectaculum minas intentet, cùm interim facilè ſit præviſa tela, aut vitare, aut retorquere.

Voluntas. Nunquàm ea fuit populi mens, vt omnimodam ſuam amitteret libertatem ſub Principe, cum ei regimen detulit; voluit eam regi, non abſorberi. Inſoleſcit nimis potens, indulget paſſionibus ſuis, illi pro ratione voluntas; populum, quaſi infrà ſe nimis poſitum & ad ſervitutem natum, dedignatur amare; non amans, non amatur; hinc odia, & tyrannis, accreſcente ſibi ſemper ſævitia, ſe conſumens, & vt ignis materiam ſuam, ſic plebem, quâ ſubſiſtit, depaſcens.

Virtvs. Iam difficilis eſt in regimine probitas. *Vide Virt. Poteſt. Repug.* Quid ſi adjicias immenſam potentiam, omni ſolutam lege, ſpe & metu: & Paganorum & Chriſtianorum Theologia deſcribit potentes gigantes cœlo bellum inferentes.

Veritas. Suprà Principem eſt Lex principatus fundamentalis: At vt Princeps in ſubditis, ſic Lex in Principe nimiam timet potentiam, ad obediendum minùs paratam: qui ſuis fidit viribus, minùs inquirit de rerum veritate, & minùs illam addiſcit ab his qui illum non amant, ſed verentur, & qui inſuſti numinis ictus conantur ſuis adulationibus placare.

Gloria. Illi pro ſummo honore eſt, poſſe quod vult exequi; & ſic famam, fortunamque, quaſi frænis, ad obſequium ſuum continere: quid ſperandum ab eo, cui nullus ineſt honeſti ſenſus? Ipsâ ſe rerum copiâ obruit poteſtas; eſtque voluptas plus in proſecutione quàm in fruitione deliciarum: Naturalia deſideria finita ſunt; ex opinione naſcens appetitus, quo deſinat non habet, & cum conſiſtentiam neſciat, mox ruitura, imò nocitura tentat, ne videatur ſibi deficere.

Differentia. Magna poteſtas, vt magna moles rigida eſt, moveri & flecti difficilis; ipſa autem tentat omnia movere, ne quid intactum videatur illi ſuperius. Antiquis nova, licet nocitura, aut ſaltem incerta ſubſtituit, vt quidquid habet ordo politicus ſuum appareat.

Concordantia. Eminens debet eſſe caput, ſed non ita vt ſolvatur à corpore; pugno debet eſſe majus, ſed poteſt in talem excreſcere magnitudinem, vt ſit monſtrum. Excellit quæ dominatur in mixto qualitas, ſed ſi nimis excedat ſolvitur compoſitum; vt cum calor naturalis degenerat in febrilem, vndè mors. Contrà nimis potentem inſurgunt vicini omnes, ſic ſolvuntur fœdera, quibus ſtat imperium, A belliſque concutitur & cadit.

Contrarietas. Datâ Rectori maximâ potentiâ, ſi, vt ſæpe contigit, illâ malè vtatur, nullum populis ſupereſt remedium: Inediæ poteſt ſubveniri, non ſolutis habenis ſævienti poteſtati; vt ignis exiguus poteſt augeri additâ materiâ, ingens autem incendium, non niſi rectorum quæ depaſcitur ruinâ poteſt opprimi. Magna poteſtas ſic ſæviens minùs nocet, cum illi, vt torrenti, lata aperitur via; non conquieſcit niſi laſſata, non ſatiata feritas: Conſultiùs ergo eſt potentiam, ne ſic in commune damnum excreſcat, limitibus coercere, & naſcenti malo obviam ire.

Principivm. Peccatur in origine, & langueant neceſſe eſt cætera membra, cum caput nimio obruitur alimento: quod plus juſto ſuperaddis Rectori ſterile & nocivum manet; & cùm limitatæ ſint regni facultates, tantùm detrahis fœcundiſſimis populi commerciis. Deo cui convenit infinita potentia, convenit etiam infinita ſapientia, bonitas, charitas: Non eſſent limitandæ Regentium vires, niſi timeretur ſapientiæ, bonitatis, & cæterarum virtutum defectus.

Medivm. Rector eſt prima politicæ machina, rota, & inſtrumentum legis & juſtitiæ, licet cæteris nobilius; ideò vis ejus debet temperari prout expedit bono publico, ad quod, vt ad finem, eſt ordinata. Moderatis tantum, vt conſtamus, ſic bene regimur. Non ſe temperat ruens in præceps ambitio; dùm nimia, gravis eſt potentia: Legis neceſſitas debet moderari quod à ſe modum non obtinet.

Finis. Nullus provectæ jam ſuprà modum potentiæ finis; vt ignis, plùs ardet, quò plus adjeceris potentiæ: exhauſtum facultatibus populum quaſi cinerem mortuum relinquit, ad extrema proſiliens, infœlici vt plurimùm exitu. Si ſupereſt aliquis in exangui plebe ſenſus, talis eſt qualis in inſectis, cùm abciſſo & laniato corpore, ſupereſt ſolum caput integrum, congeſtis & in ſe redeuntibus ſpiritibus plenum, trepidum, convulſivum, ſed lato vulnere quo effluant.

Maioritas. Motus cadentium fit celerior, quò centro eſt vicinior; ſic concitatior eſt ambitio, quò magis accedit ad vltimum potentiæ. Vbi munus injunctum excedit poteſtas, ne ſit otioſa, ſibique nimis confidens, ingentia ſuprà vires ſuas aggreditur, & ſe oppreſſuræ ſubmittit moli.

Æqvalitas. Magna potentia ſpernit æquitatem, quaſi in infirmitatis patrocinium inventam; profitetur autem vim, quaſi privilegio quodam ſuper omnes conceſſam. Stare diù non poteſt regimen, vna parte exceſſu, alia defectu laborante, duplex & contrarius morbus ad Reipublicæ proximum interitum conſentiens.

Minoritas. Malo Principem, qui minùs ſed tranquilliùs agat. Timeo nimiæ potentiæ morbos, quibus populus non poteſt auxilium ferre & qui ſemper in deteriùs procedunt, niſi fati lege finiantur. Vide de abuſu nimiæ potentiæ. *Virtus Poteſt. Rep.*

ÆQVALITAS POTESTATIS.

ÆQVALIS POTESTAS SEV ÆQVALE IVS.

MISCELLANEA.

VIA in populari gubernatione juſtum eſt in æqualitate ſecundùm numerum, non ſecundùm dignitatem, ideò ad Magiſtratus omnes viciſſim admittuntur, & ſorte diſtribuuntur. Ariſt. 6. Politic. cap. 2.

Apud Lacedemonios omnes æquales poſſeſſiones habebant, itaut æquatis patrimoniis nemo eſſet ditior; filicij ex publico alebantur.

Romæ ejectis Regibus, plebs cum Patribus certans, obtinuit vt alter ex Conſulibus plebejus foret.

In mari tot entia genita ſunt, quot in terrâ, ſivè à naturâ, ſivè ab arte.

Tres Soles ſimul, non plures vnquàm viſi, nec ſuprà, nec infrà, ſed ex obliquo. Plin. lib. 2. cap. 31.

Æqualitas potentiæ in Perſonis tribus Divinis.

Muſculi congeneres ſunt ſemper pares magnitudine, numero, vi; vnus ſcilicet à dextris, alter à ſiniſtris, munus obeuntes.

Nulla pars eſt alteri alimentum, alioquin conſumptis partibus totum deſtrueretur; ideò adeps eſt propriè pars corporis, quia vrgente fame conſumitur.

Initio erant Monarchiæ, quia rari capaces Imperij, poſteà concurrente numero æqualiter ſapientum, factæ Reſpublicæ.

Æmuli imperij non ſibi cedunt, ſed malunt ſubdi extraneis, vt fit ſæpè apud Polonos. C

Electiones ſorte factæ ſunt, ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret.

Æquales impetus contrarij, ità ſeſe frangunt vt res oppoſita ſtet immobilis. *Vide Contrarietas Æqualitatis.* Sic conjurati ſæpe occidunt tyrannum, ſed non mutant ſtatus regimen, quia non ſibi cedunt, ſed quiſque ſe putat imperio dignum.

Par in parem non habet imperium.

Planetæ ſuperiores ſuum motum inferioribus non communicant.

Mulieres ad eadem officia, atque viros admittit. Plato. 5. de Republ.

Cùm vna ſit trium Perſonarum poteſtas, potuit quævis Perſona Divina humanam aſſumere naturam. D. Thom. 3. q. 3. a. 5.

Actio Dei eſt vna ſecundùm rem, & multæ ſecundùm rationem. 1. q. 30. a. 2. ad 3.

Dignitas eſt de abſolutis, ideò eadem eſt in Patre & Filio. 1. q. 42. a. 4. ad 2.

Epiſcopi omnes æquales ſunt, quò ad ea quæ ad Epiſcopalem ordinem ſpectant. ſupl. 40. a. 6.

Soli Chriſto propter æqualitatem poteſtatis conveniet ſedere ad dexteram Patris. 5. q. 58. a. 4.

Angelus in luctâ non poteſt ſuperare Iacob. Geneſ. 32.

Quæ ſunt æqualis Poteſtatis, ſe mutuò impediunt. *Vide Contrariet. Poteſtatis.* A

In Deo Poteſtas & æqualitas identificantur; idcircò partes ſubſtantiæ mundi appetitum habent ad ità operandum, ſicut ad exiſtendum, nullum tamen ſic agit; idcircò debet eſſe Deus, in quo quieſcat concordantia agentiæ & exiſtentiæ. Lullius.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

B DE Præfectis Prætorio, & magiſtris militum in dignitatibus exæquandis. Cod. 12. 4.

Communis rerum omnium vſus eſt juris naturalis. l. 1. ff. de acquir. rer. domin.

Si fundus, cui iter debetur plurium ſit, vnicuique in ſolidum competit actio, quia diviſionem hæc res non recipit, ſed in æſtimationem id quod intereſt venit, & vnius victoria proderit aliis. l. 4. ff. ſi ſervit. vendicet.

In judiciis familiæ Erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, pro ſocio actio ex vtroque latere eſt directa, quia eſt æquale jus.

Quandò fit alienatio, dominium transferimus, cum omni ſuâ causâ, quæ eſſet futura, ſi apud nos C manſiſſet. l. 67. ff. de contrah. emption.

Hæres ſuccedit in vniverſum jus, quod defunctus habuit.

De ceſſione actionum, & de vicariâ poteſtate. *Vide Medium Poteſtatis.* Vicaria.

Rerum publicarum vſus eſt communis, proprietas verò nullius. l. 5. & 6. ff. de diviſ. rer. Sic de paſcuis & ſylvis cæduis, quibuſdam incolis à Domino in vſum conceſſis.

In individuis agere & convenire poteſt quilibet ex Dominis. l. loci corpus. §. ſi fundus. ff. ſi ſervit. vindicet.

Servitus itineris poteſt conſtitui pluribus in eodem D fundo. l. 15. ff. comm. prædio.

In pignoribus diſtrahendis, qui pares ſunt in tempore, ſunt pares in jure. l. 20. ff. de pignerat. actio.

Si plures navem exerceant, cum quolibet eorum agi poteſt. l. 1. in f. ff. de exercit. actio.

Is qui in locum emptoris ſucceſſit, iiſdem deffenſionibus vti poteſt, quibus venditor ejus vti potuiſſet; ſed & longæ poſſeſſionis præſcriptione, ſi vtrjuſque poſſeſſio impleat tempora conſtitutionibus ſtatuta. l. 76. ff. de contrah. emptio.

Si duæ materiæ permixtæ ſint, res ex mixtione coaleſcens erit eorum communis, quorum materiæ permixtæ ſunt. l. 7. §. 8. ff. de adquir. rer. domin.

Collegarum appellatione, hi continentur qui ſunt ejuſdem poteſtatis. l. 173. ff. de verb. ſignif.

Digitized by Goo

Cùm dubbus jus datur in ſolidum, viterque habet integrum dominium, vt in jure ſervitutis apparet. l. 2. ff. de ſervitut.

Communia ſunt aër, aqua profluens, mare, littora, & in littore inventa; publica ſunt flumina, portus. l. 2. & 4. ff. de rer. diviſ. Vniverſitatis dicuntur, quæ civitatum communia ſunt. l. 6. eodem.

Valet legatum ſub eâ conditione, vt res in commune poſſideatur. l. fin. §. 4. ff. de legat. 2.

Theſauri in agro inventi media pars cedit domino fundi, altera inventori, non tamen vſufructuario, aut marito in re dotali, licet emphyteuticario. §. theſaurus. Inſtit. de rer. diviſion.

Quod fit per legem, poteſt fieri per pactum. l. 50. ff. de pact.

Iuſtinianus Imperator tollit differentiam libertatis majoris, mediæ, & minoris, vultque omnes manumiſſos æqualiter liberos eſſe. Inſtit. de ingenuis.

Inſula in flumine nata communis eſt eorum, qui ab vtraque ripâ fluminis prædia poſſident. §. inſula. Inſtit. de rer. diviſion.

Prope confinium arbor poſita, ſi etiam in vicini fundum radices egerit, communis. ſit. Inſt. eodem.

Servus communis, vnicuique dominorum proportione dominij acquirit. Inſtit. de ſtipulat. ſervor.

Ars imitatur naturam, in quantùm poteſt. Inſt. de adoption.

IN QVIBVS EST ÆQVAlis Poteſtas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, vt plurimùm, habent eaidem facultates, vix gradu perceptibili diſtinctas: Vt leones paribus viribus præditi ſunt ad certamen, aquilæ ad volatum, philomelæ ad cantum: ſic in medicinis, ſimplicia medicamenta ejuſdem ſpeciei ſupponuntur eſſe ejuſdem virtutis. Attenduntur illæ æqualiter à naturâ inſitæ potentiæ, non ſingulares ex materiâ defectus.

MAGNITVDO. Ea quibus ineſt eadem naturæ vis, æqualis ſunt potentiæ, cùm ejuſdem ſunt quantitatis, pondere, numero, menſurâ exæquatæ: ſic medicamentis jus dicit medicina; ſic chimica metitur ignis gradus, vt eadem eliciat ex mixtis.

DVRATIO. Eâdem ætas, inter naturâ pares, paritatem facit virium. Minùs potentia remedia poſſunt validiorum brevem & quaſi tranſeuntem vim æquare: Infirmiores obtinent labore & diligentiâ, quòd vltrò benè natis natura videtur concedere.

POTESTAS. Collegæ æqualem habent in officio poteſtatem, quæ à lege eſt præſcripta. Æquales ſervos in peculio facit domini voluntas; cives in divitiis & authoritate, Regis benevolentia, virtus, fortuna, induſtria. Æqualiter omnes naſcimur liberi:

COGNITIO. Ars ſupplet defectum potentiæ, & æquat alteri eum, quem viribus inferiorem fecerat fortuna; ſic publica privataque negotia promoventur; ſic, ex Platone, mundus eſt Deorum ludus, quia ex æquo vis decertat cum induſtriâ.

VOLVNTAS. Amor eſt inter pares, & ſi tales non inveniat, efficit. Sub eodem aſtro nati amantes, ſecretò ſympathiæ ſenſu, ſe vt pares complectuntur, non attentis materiæ in geneſi, aut fortunæ in vitâ civili defectibus: quod deeſt facultatibus in beneficiis, ſupplet affectus: putantur æqualiter potentes, qui æqualiter valent amicis.

VIRTVS. Stoïci dicunt virtutem eſſe habitum ſibi ſemper æqualem, plùs & minùs vt eſſentialia non ſuſcipientem; vndè illâ præditi, æqualis debent eſſe, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, prudentiæ.

VERITAS. Ejuſdem ſunt juris, qui eadem lege nituntur: Generaliter ſancita ad ſimiles caſus debent produci: vt rectitudo eadem lineis, quæ eâdem ductæ ſunt regulâ.

GLORIA. Eadem diverſis rebus in centro quies. Iiſdem ſenſibus in diverſis eadem voluptas. Eadem plurium iiſdem laboribus à lege dicta remuneratio. Beati æqualiter indiviſam Dei eſſentiam vident.

DIFFERENTIA. Si ab æqualibus tollas æqualia, quæ remanebunt erunt æqualia: æqualiter potentia, æqualiter agent, ſi ab objecto diſtent æqualiter. Interdum vis intenſa remittitur, & alteri æquatur per remotionem; ſic aſtrorum vires minuunt, motus, & à noſtris capitibus diſtantia.

CONCORDANTIA. Bona omnia in commune produxit natura, hoc jus illibatum remanſit in vſu aëris, fluminum, maris, rerum publicarum, & earum quarum inter plures inita eſt ſocietas.

CONTRARIETAS. Communi periculo partæ, æquali jure à victoribus poſſidentur, niſi aliter conventum fuerit. Stant partes mundi æquali reſiſtentiâ; vt mare, æquali aquarum effluxu, & acceſſu: Æqualem conjice vim inter certantia, cum nullum prævalet.

PRINCIPIVM. Cauſæ vniverſalis idem in omnia influxus, qui varius eſt, ex varia recipientium diſpoſitione. De concauſis, quæ ad effectum æqualiter concurrunt. *Vide Concord. Princip.* Æquale omnibus Patribus jus in liberos, artificibus in opus ſuum.

MEDIVM. Organa, quæ providens natura fecit bina, fecit æqualia & magnitudine & viribus; vt ſunt gemini oculi, teſtes, pedes, &c. Ex accidenti eſt, ſcilicet ab vſu, quod dextra pars prævaleat; vtraque ſit ambidextris æqualis eſt.

FINIS. Omnibus æqualis boni ſibi convenientis appetitus: Æqualibus ponderibus æqualis in centrum motus; & illud cum attigerint æqualiter poſſident: ſic æqualis eſt velocitas duorum, qui ad ſtadij metam æquali tempore perveniunt.

MAIORITAS. Exceſſus multis modis ad paritatem redigitur, ſed his maximè; aut detrahendo aliquid ab eo quod excedit; aut addendo deficienti: obeſi ejuſdem putantur eſſe temperamenti. Priuilegiis reſtitutionis in integrum gaudent æqualiter minores, læſi, decepti, mulieres; ſic jubilæo in temporalibus Iudæi, in ſpiritualibus Chriſtiani.

ÆQVALITAS. Plures imagines æqualem habent ad prototypum relationem; plures filij ad communem parentem. Æquales dies noctibus in æquinoctio; æqualis ſemper eſſet Solis vis in eodem Zodiaci gradu, niſi diverſitatem facerent variæ planetarum configurationes.

MINORITAS. Tantùm conſequitur quis humilitate, quantùm magnâ vi, vt ſe illæſum præſtet! Pupilli Regibus æquantur in reſtitutionibus. Peccati originalis æquale in omnes homines imperium. *Vide Principium Æqualitatis.*

MINORITAS POTESTATIS.

DEFECTVS POTESTATIS BONVS.

MISCELLANEA.

FOEMINÆ calor copiosus à naturâ negatus fuit, ne sanguis partui necessarius ab illo calore absumeretur, vndè steriles evaderent, & ne ad actionem promptiores, minùs vacarent domesticis. Galenus. lib. 14. de vsu partium. *Vide Bonitas Minoritatis, & cæterorum Principiorum Minoritates bonas.*

Populi de novo superati, sunt inermes habendi, vt contineantur in officio; sic tyrannus inermem & imbellem efficit populum, vt habeat sibi magis subditũ.

Vapor modicus noctu paululum à terrâ elevatus, cùm non possit defectu caloris altiùs tolli, in minutissimas guttulas resolvitur, & fit ros.

Omnes causæ secundæ habent minorem potestatem his, quibus sunt subordinatæ: sic servatur ordo vniversi.

Pituitosi sustinent inediam facilè.

Diaphanum à lumine penetratur. *Vide Media Potestas, & mediocritates aliorum omnium Principiorum.*

Calor aëris minor est eo, qui est in nobis, vt nullam faciat transmutationem.

Inanimata omnia ab alio moventur.

Partes omnes comparantur ad totum, vt imperfectum ad perfectum, quæ est comparatio materiæ ad formam.

Nullus vapor cœlum attingit, quia ingenita non recipiunt permutationem à generabilibus.

Non fulgent stellæ coràm Sole, & sub ejus radiis ignis minùs est validus. *Vide Majoritas Principij.*

Artificibus rectè convenit paupertas, vt ad laborem adigantur. Plat. 2. de Repub.

Destruuntur munitiones inexpugnabiles, quæ partem Regni efficerent toto superiorem.

Diversis diversa officia. *Vide Differentia Potestatis, & Major. Potest. Mala.*

Depositus gladius non debet restitui furioso. 2. 2. q. 51. a. 4. D. Thom.

Omnia, quantùm fieri potest, debent determinari à lege, nec relinqui arbitrio Iudicum, qui in præsentibus sæpè feruntur passione. Idem. 1. 2. q. 95. a. 1. ad 2. *Vide Bonitas Potestatis.* quòd bonum sit subesse.

Si nulla esset minor potestas, nulla esset potestas; quiâ omnes potestates existerent æquales, & mutuâ resistentiâ se impedirent. Lullius.

Paulus Æmilius nocturnas vigilias & custodias voluit sinè armis fieri, vt sibi magis timentes custodes, magis invigilarent. Sic molossis ad securam custodiam adjunguntur parvi, & infirmi canes, metu ad latrandum proni.

Dæmonium Socratem nunquàm impellebat, sæpè revocabat. Cic. lib. 1. de divinat.

Carceris & captivitatis consolationes. *Vide Durat. Virtut.*

Debiles aspectus Saturni & Martis sunt boni, quia eorum mala vis minuitur.

Partes, quæ in mundo videntur culpandæ, laudandæ sunt: non enim Deus totum ad partes, sed partes ad totum refert: omnium principia, media, fines continet & disponit. Marsil. Ficin. Theol. Plat. lib. 2. c. 13.

Stesichorus dicebat cicadas apud se humi cantantes. Arist. 3. Rhetor. c. 11.

Optima est servitus his, qui sibi ipsis nesciunt consulere: sic Mariandyni se Heracleotis servituros promiserunt, si ad victum illis necessaria præberent. Athæneus. lib. 6. cap. 7.

Alimentum ergà alimentatum debet esse naturæ inferioris, & simplicioris substantiæ: plantæ ex terra & aquâ nutriuntur; animalia ex plantis; homines ex animalibus. Sic ministri omnes debent esse minoris dignitatis, vt liberiùs motum imperantis sequantur.

Mulieres dentatas nasci, inauspicata res fuit apud antiquos. Plin. lib. 7. c. 16.

Dicebant antiqui agrum colendum esse malis bonis, ideò vitibus personis, in quibus minùs esset impendij. Idem lib. 18. cap. 6.

Magni Pompeij in tertio Consulatu extat edictum in tumultu necis Clodianæ, prohibentis vllum telum esse in vrbe. Idem lib. 34. cap. 14.

India neque æs, neque plumbum habet, gemmisque suis ac margaritis hæc permutat. Idem c. 17. Non possumus carere minùs dignis.

In Arabiâ apud Alilæos & Cassandrinos, vbi magna est auri copia, pro ferro, quod illis est vilius ad artes & ministeriâ, duplum auri reddunt. Photius Byblioth. cap. 250. *Vide Minoritas Cognit. Bonit.*

Darius nunquam Provinciis suis præfecit fratres, proximos, aut potentes genere, sed pauperes à se electos boni genij; sic fidos habuit regni socios, neque vel sibi, vel invicem insidiantes. Idem egit Dyonisius syracusæ tyrannus. Plato. Epist. 7. Dionis propinquis & amicis.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE prohibitione alienandi. *Vide Durant. Potest.*

S. C. Macedoniano interdictum est filiis familias pecuniam mutuam dare, ne abutantur & dissolvantur. l. 1. ff. de S. C. Macedonian.

Cessio bonorum non irrogat infamiam. l. 11. C. ex quib. caus. infa. irroger.

Culpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest. l. 50. ff. de Reg. Iur. l. 109. eodem.

Servi infirmi, morbo aut ætate excusantur, si Domino occiso opem non tulerint. l. 3. ff. de S. C. Syllanian.

Mulieres ab omnibus officiis, tàm publicis, quàm civilibus remotæ ſunt. l. 2. ff. de Reg. Iur.

Mulieres, pudicitiæ memores, & operum quæ eis natura permiſit, licet ſummæ ſint opinionis, non debent in ſe arbitrium ſuſcipere, nec ex eorum judicio aliqua pœna poſt conſtitui. l. 6. C. de recep. arbitr.

Iuſtinian. Imp. l. 19. Cod. de hæret. prohibet hæreticos ſibi invicem ſuccedere, *ne* per ſucceſſiones opes eorum creſcerent.

Idem poſt graviſſimam in Conſtantinopolitanâ civitate ſeditionem, in quâ occiſa ſunt triginta hominum millia, edidit Novellam 85. quâ prohibet privatos & arma fabricare & penes ſe domi habere. *Vide Majoritas Poteſtatis Mala.*

QVANDO DEFECTVS Poteſtatis bonus eſt.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Qui negant nocitura beneficia allegant impotentiam, quæ ſi adſit, fœlix eſt, eximit enim ipſos ne præſtent officium, de quo pœniteant, ne crimini conſentiant, & ne incurrant iram ejus qui repulſam patitur.

MAGNITVDO. Agentia naturalia cum agant totis ſuis viribus, tàm debent impotentiæ ſuæ quam potentiæ, quòd ordinem ſervent: nam in illum æquè peccarent per exceſſum vt per defectum. Vaſtaret omnia tyrannis, niſi ſuæ infirmitatis conſcia mens quaſi fræno contineretur. Vndè quo major poteſtas, eò ſævior crudelitas.

DVRATIO. Infirma quædam vaſa & corpora diutiùs cæteris durant, quia majori diligentiâ cuſtodiuntur. Sic mutilati, à bellorum periculis immunes, diuturnam & fœlicem vitam ducunt. De patribus qui olim filios mutilabant, vt ſibi ſervarent hæredes: *Vide Gloria Minoris.* Meticuloſi ob infirmitatem lentè procedunt; ſic bona conſilia fœlices occaſiones, quæ inter moras occurrunt, ſuæ debent impotentiæ.

POTESTAS. Non eſſet legitima dominatio, niſi eſſet quæ regeretur infirmitas; indigenti materiæ adeſt forma, terræ cœlum, fœminæ vir, plebi Princeps, paupери dives, ignoranti doctus, &c.

COGNITIO. Vexatio dat intellectum, neceſſitas artium Magiſtra, fames concitat ad alimenta, quibus vita conſervatur: idæa eminentioris perfectionis generoſos ad heroïca concitat; vndè doctrina Chriſtiana humilitatem ponit pro virtutum fundamento; mens enim humana cùm advertit defectus ſuos, tunc cogitat de remediis & de profectu.

VOLVNTAS. Ratio non æquè frænat paſſionum motus ac impotentia: quotidie infamiâ, dolis, ſingulari certamine ſe contererent aulici, niſi ſibi timerent: exundarent æquè amoris impuri conatus, ac deſideria; tot eſſent raptus, quot concupiſcentiæ, niſi lex homines impotentiâ metuque contineret: ſic potentiæ omni ſunt à legibus poſiti limites. *Vide Majoritas Poteſt. Mala.*

VIRTVS. Cum virtus non habeat abſolutum imperium in ſenſus, illos arte moderatur, & efficit minùs potentes, vt habeat magis ſubditos; cum infirmor, inquit Apoſtolus, tunc potens ſum, hinc voluntaria paupertas, rerum mundanarum abdicatio, ſolitudo, & cætera mortificationis exercitia, quæ impotentiam in diverſis affectant.

VERITAS. Fidei meritum poſitum eſt in eo quòd A mens aſſentiatur revelatis, quæ ſunt ſuprà rationem. Apex contemplationis in divinâ caligine poſitus eſt. Raptus ſit ob exceſſum objecti, infirmam potentiam longè ſuperantis.

GLORIA. Voluptatis ſenſum acuit præcedens indigentia: gratior poſt famem cibus, poſt laborem quies; vndè tranſitus ab extremo in ad aliud vix toleratur, quaſi immediatè præcedens dolor ſuccedentes delitias nimis intendat. Facit ad virtutis commendationem, quod ex humili in altum evehatur.

DIFFERENTIA. Ordo tam conſtat infimis quàm ſupremis, minimis quàm maximis: comparativè enim & relativè omnia ſe habent; non eſſet Rex, niſi eſſet populus: infirmiores ex longinquo ſolis radij nobis gratiores, nam è proximo, vt ſub zonâ torridâ, nimis adurunt. Diverſitatis & novitatis ſumus avidi; pluraque volumus deguſtare, ſeù quia ſingula nos non implent, ſeù quia nimis mobiles eiiſdem neſcimus perfectè adhærere & frui; vndè ſeù noſtra, ſeù objectorum impotentiâ fit vt nihil amore vacet, nihilque ſit quod non appetatur. B

CONCORDANTIA. Aſſerit Plato homines mutui auxilij indigos, domeſticam & civilem ſocietatem iniiſſe: ſic videmus infirma animantia eſſe gregalia, vis enim illis major ex vnione; ſic hoſtes conſiliat communis periculi metus.

CONTRARIETAS. Irato & furenti arma negamus, à febriente ſanguis educitur, vt cum viribus morbus langueat & deſinat: cavernis & catenis feræ continentur, & tunc tantùm deſinunt eſſe nocivæ, cùm fuerint ad nocendum impotentes: hanc impotentiam vlerò & ſuadente virtute ſibi imponunt, qui ſe malo genio natos ſentiunt; ferox enim natura non aperto marte aggredienda, ſed ſenſim debilitanda. In vrbium obſidionibus plus hoſtem rerum inopiâ, quam ferro vexamus. C

PRINCIPIVM. Pueritiam docilem efficit infirmitas, à parentum continuè pendens officij. Infirmiores radij naſcentis Solis ſinunt rorem plantis inſidere, ab illiſque ſenſim combibi; gratior nundùm adultæ, & adhuc infirmioris ætatis pulchritudo; gratior eſt flos enaſcens, & cui nundùm ad fructum accedens languida maturitas. D

MEDIVM. Meliùs eſt inſtrumenta eſſe infrà quàm ſuprà vires agentis: ſic David meliùs pugnat fundâ quàm ponderoſis armis Saülis. Sic ingenia negotia ſpernunt, quibus ſunt longè potentiora; totis autem viribus contendunt pro rebus, à quibus paululum ſuperantur. Vincula in corpore ſunt inſenſibilia, ne nimiùm motu continuo patiantur.

FINIS. Limitatus eſt rebus omnibus tùm exiſtentiæ tùm actionis terminus. Optimum eſt illis & vniverſo id in quo deſinunt, nec vlteriùs progredi, conveniens erat; non poſſe moveri à centro perfectio eſt.

MAIORITAS. Non eſſent montium cacumina niſi eſſent vallium profunda: eminentiam probat illi comparata humilitas: occaſione infirmitatis facta miracula. E

ÆQVALITAS. Reſpublica, vt conſervet populatem æqualitatem, potentiores cives ſpoliat, & in exilium mittit. Duobus modis habetur æqualitas, aut addendo infirmioribus, aut detrahendo à potentioribus, quod eſt facilius.

MINORITAS. Vix ſunt obedientes, niſi infirmi; ideò ſervis nullum relinquitur jus. Inermes & imbelles habentur populi, quorum fides ſuſpecta eſt. *Vide Bonit. Miner.*

Digitized by Google

VOLVNTARIA PAVPERTAS & divitiarum contemptus.

MAgnum eſt non habita non ambire, ſed majus eſt circumfuſa contemnere, nec illorum contubernio corrumpi. Opes explicandæ inſtrumenta ſunt nequitiæ. Magno viatico breve vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. Senec.

Ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile terræ genus & informe perpurgatur, videbis quantâ fuligine oblinantur: atqui iſta magis inquinant animos quàm corpora, & in poſſeſſione eorum quàm in artifice plus eſt ſordium. Senec. Epiſt. 94.

Magnæ divitiæ ſunt lege naturæ compoſita paupertas: vt famem ſitimque expellas, non eſt neceſſe, magnis aſſidere liminibus, &c. Parabile eſt & expoſitum, quod natura deſiderat, ad ſupervacua ſudatur: ad manum eſt, quod ſat eſt. Idem Epiſt. 4. in fin.

Parvo fames conſtat, magno faſtidium: paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura; frugalitas autem, paupertas voluntaria eſt. Idem Epiſt. 17.

Ad ſaturitatem non eſt opus fortunâ: hoc enim quod neceſſitati ſat eſt, dabit etiam irata. Idem Epiſt. 18.

Venter præcepta non audit, poſcit, appellat; non eſt tamen moleſtus creditor, parvo dimittitur, ſi modo das illi quod debes, non quod potes. Id. Epiſt. 21.

Si exercitus in obſidionibus diram famem pertulerunt, pro regno, quod magis mireris, alieno, & ne in arbitrium victoris caderent, dubitabit aliquis ferre paupertatem, vt animum furoribus liberet? & quantò majus patientiæ præmium, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis, nec Dei timor Senec. Epiſt. 17.

Nemo cum ſarcinis enatat. Ibidem.

Aut ego fallor, aut regnum eſt inter avaros circumſcriptores, latrones, plagiarios, vnum eſſe cui noceri non poſſit. Quoniam non eſt tantùm roboris nobis, anguſtanda certè ſunt patrimonia, vt minus ad injurias fortunæ ſimus expoſiti: habiliora ſunt corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt, quàm quæ ſuperfunduntur & vndique magnitudo ſua vulneribus objicit. Cogendæ in arctum res ſunt, vt tela in vanum cadant: non in curſu tantùm, circique certamine, ſed in his ſpatiis vitæ interiùs flectendum eſt: Idem lib. de tranquill. vitæ. c. 8.

Divitiarum fructus eſt in copiâ, copiam declarat ſatietas.

Repræſentat opes ſapientia, quas quicumque fecit ſupervacuas dedit. Senec. Epiſt. 17.

Si vis eſſe dives, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt. Ibidem.

Seminudum admiror Demetrium, cui nihil deerat. Contemnere poteſt aliquis omnia, habere nemo poteſt. Breviſſima ad divitias per contemptum divitiarum via eſt: Demetrius autem noſter ſic vivit, non tanquàm contempſerit omnia, ſed tanquàm aliis habenda permiſerit. Senec. Epiſt. 62. in fin.

Honeſta res eſt læta paupertas, illa verò non eſt paupertas ſi læta eſt; qui enim cum paupertate benè convenit, dives eſt: non qui parùm habet, ſed qui plus cupit pauper eſt. Idem.

Humiliqueloco, ſed certa ſedet ſordida parvæ fortuna domus: altè virtus animoſa cadit. Seneca in Hercule furente.

Milites non debent eſſe rerum alienarum conductores, vt ſic expediti negotiis, ſignis ſuis jugiter inhæreant. l. 31. C. de locat, & cond. & l. fin. eodem.

Philoſophi non debent habere immunitatem à muneribus patrimonialibus; nam diſcrepat eorum deſiderium à ſuâ profeſſione, ſi vincatur avaritiâ. l. 6. C. de munerib. patrim.

Romæ virgines Veſtales, nihil ex alienis teſtamentis capiebant. Gellius l. 1. c. 12. Symmach. l. 1. Epiſt. 40.

Maximas ingenij tui vires fortuna magna non onerat. Idem lib. 1. Epiſt. 12.

Saturno contemplatori aſſignant ignobilius metallum, ſcilicet plumbum. Mercurio argentum vivum, nondùm metallum, quia fluxum.

Suo & patientiæ ſuæ beneficio, non fortunæ dives eſt: maximè cum ejus divitiæ deſinere non poſſint: an non putas eſſe divitias? quia nemo propter illas proſcriptus eſt; quia nec habere illas periculoſum; nec operoſum diſponere, &c. Seneca. Epiſt. 119.

Milites, etiam ſaucij, pro vallo pervigilant, & ne pilo quidem incumbunt, quia ſolet interim obrepere ſomnus in aliquod adminiculum inclinatis. Seneca. Epiſt. 36.

Indi ſub ſervitutis jugo conqueruntur irata fuiſſe numina, quæ aurata metalla conceſſerunt; ſic inventum eſt quâ ratione aurum non ametur, & paupertas in vota tranſeat.

Vanum eſt earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſunt, aut non haberi, aut cùm habentur effluere. Magnificentiùs atque illuſtriùs contemnuntur fortuita quàm admittuntur. Barclai.

Poſſeſſiones non frugiferæ ſunt honeſtiores quia liberaliores. Ariſt. 1. Rhetor. c. 9.

Vt mendicans præcatur, ſic præcans mendicat, utrumque enim petitio eſt. Ibidem lib. 3. cap. 2.

Homerus inducit Heroës, ſobriè viventes & eſcas ſibi ſinè famulatu parantes. Athenæ. l. 1. cap. 11.

Adeps non poteſt coire circà jecur, arterias, venas, aut cor, ſicut nec circà aliam præcalidam partem. Galen. lib. 1. de temperamentis ſub fin.

Titus Livius laudans Romanam Rempublicam; nulla, inquit, fuit, nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior, nec vbi tantus paupertati honos fuit.

Appollonius paupertatis amans, patrimonia ſua, omnemque quam habebat pecuniam fratribus reliquit; & ſemper reſpuit, oblatas illi à potentioribus divitias. Photius in Biblioth. cap. 44.

Homini cerebrum ſinè pingui, Plin. l. 11. cap. 37. Sapientia ſinè divitiarum cumulo. Hoc viſcerum excelſiſſimum, ſinè cruore, ſinè ſordibus. Ibidem.

In immolatâ hoſtiâ cæſum jecur, malum eſt omen, præterquàm in ſollitudine ac metu; tunc enim petimit curas.

Plin. Ibidem. Iecur eſt theſaurus alimenti: cæſum, ſignificat effuſionem facultatum, vndè ſecuritas.

Montes Hiſpaniæ aridi, ſterileſque, & in quibus nihil aliud gignitur; auro, tanquam minimo omnium bono, coguntur eſſe fertiles. Plinius. lib. 33. cap. 4.

Æquè maſculus habetur Planeta, qui eſt in quadrante ab occaſu ad imum cœli, ac ab ortu ad medium cœli. Ptolomæ. prædict. Aſtrolog. lib. 1. cap. 5. æqua gloria in contemptu ac poſſeſſione divitiarum.

Athenis vbi floruerunt ſcientiæ & artes omnes, tenuis eſt aër, & purus terram attenuans, & ſterilem efficiens, ſed ingenia hominum ſubtilia reddens; indè contingit, tenuem quidem aërem terræ nocere, ingeniis verò prodeſſe. Photius Biblioth. cap. 149.

PAVPERTAS CHRISTIANA.

CLericis Regularibus non licet proprium habere. 12. q. 1.

In aliis virtutibus promissio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur quàm datur: vndè & præsenti tempore enuntiatum est, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; cum in cæteris dicatur, hæreditabunt, consolabuntur, & similia. D. Bernard. serm. 5. de adventu.

Regnum cœlorum simile est thesauro abscondito in agro, & Margaritæ prætiosæ, quæ nisi venditis omnibus emi non possit. Math. 13.

Habendi amor nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis, & plùs torquetur in minimis: nisi ex corde & affectu pauper sis, paupertas ipsa non virtutus, sed miseria judicanda est. Eusеb. Emissen. homil. 4. ad Monachos.

Tu dirupisti fontes & torrentes, tu siccasti fluvius Ethan. Idest fecisti vt aliqui effunderent congregatas divitias in eleemosynis; alij per voluntariam paupertatem penitùs siccarentur. Tuus est dies, & tua est nox, qui dederas abundantiam temporalem, majori gratiâ fecisti eam abdicari, vt quasi in nocte ampliùs non lucerent mundo. D. August. in Psal. 73.

Pauperes voluntarij abjiciunt divitias, ne incurrant in hominum invidiam, vt qui in imâ Indiâ cautes Magneticas transgrediuntur, ne ab illis attrahantur, clavos ferreos abjiciunt, & ligneis tantùm compingunt naves. D. August. de civit. Dei. l. 21. c. 4.

Caput nobilior hominis pars, longiùs distat à terrâ. & non pinguescit, vt nec cerebrum.

Vulpes foveas habent, filius autem hominis, non habet vbi caput suum reclinet. Luc. 9. Si vis perfectus esse, vade vende omnia, da pauperibus & sequere me. Math. 19.

Quis non potiùs Lazarum eleemosynam petentem, quàm divitem recusantem æstimet? Petrum nolentem pecunias accipere, quàm Simonem offerentem.

Voluit Dominus, cui ministrabant Angeli, hospitio à Zachæo excipi, & vt illi obsequium homines præberent, quia voluit præstare obsequentibus: obsequentibus enim proderat non illi, &c. *Vide Gloria Bonit.*

Estote divites de Deo, non eum facturi divitem, sed de illo futuri divites; impleat vos, aliud non admittatis ad cor vestrum. D. August. serm. 6. de verb. Dom. cap. 7.

Mercatura officit terrenæ nobilitati, & divitiæ terrenæ cœlesti nobilitati.

In corpore humano partes animatæ, nec sui ipsius nec alterius sunt alimentum: sic in corpore mystico Ecclesiæ, summam paupertatem voventes, nec sibi, nec aliis sunt alimento, sed ab aliis nutriuntur.

Pauper voluntarius omnia in Christo possidet. *Vide Gloria Bonitatis.*

Vir bonus paucis indiget, vt qui sit in confinio naturæ mortalis & immortalis; egens quidem propter corpus, paucis autem egere doctus propter susceptam rationem continentiam. Clem. Alexand. 2. Stromat. c. 7.

Ecclesia habet duos ordines, scilicet Ecclesiasticorum & Regularium, quibus vtitur ad imitandum Christum & mundum superandum. Duo enim oppositi malorum in mundo fontes, divitiæ, ex quibus superbia, luxus, &c. & paupertas, vndè latrocinia, desperatio, bella: vndè necesse fuit esse divites Ecclesiasticos, in quibus videat mundus rectum divitiarum vsum; & esse pauperes voluntarios, qui suo exemplo doceant parcimoniam, parientiam, & fœlicitatem in divitiis non consistere; timendum enim esset ne divitiarum cupiditas augeretur, si sinè ipsis non esset Religio. Ex duobus passeribus, qui offerebantur à leproso, vnus liber in agrum emittebatur, alter immolabatur, & sanguine ejus tingebatur leprosus. Levit. 14. Sic duo ordines in Ecclesiâ, quorum primus, quasi suæ sæculari restituitur libertati; alter immolatur, per austeram vitam, nuditatem, paupertatem, & per tria Religionis vota. Vt Deus dicitur, ex Cardinali de Cusa, simul parvus, quia vnus; & magnus, quia infinitus: ita Christus voluit in mundo esse omnium humillimus, & quasi vermis; tamen fuit Rex Regum, & Dominus dominantium: hanc duplicem virtutem non benè exprimit in Ecclesiâ nisi duplex ordo, sicut diverso conceptu explicamus vnitatem, & infinitatem Ecclesiæ; Divitiæ referunt gloriam Christi Regnantis & Resurgentis; Regularium paupertas refert Christum patientem: Hi duo ordines affectu debent esse vnitissimi, vt perfecta Christi imago perseveret in Ecclesiâ, qui fuit simul viator & comprehensor, vt habeat simul divitias Patriarcharum, & paupertatem Apostolorum. Concedimus vobis laureas, concedite nobis prælia, & labores; vestra potentia vtilis ad superandos externos hostes, nostra ad internos; vtrumque necessarium: laudamus vestras divitias, nolite conqueri de nostrâ paupertate, quæ refert Christum in hac vitâ patientem: per pauperes Religiosos remanet in Ecclesiâ observatio Evangelicorum consiliorum, quibus maximè Ecclesia Romana differt ab hæreticis: hæc paupertas vestras auget divitias, dum Christi amorem, & mundi contemptum accendit in fidelium cordibus; vndè donaria; quid justius, quam pro Ecclesiâ laborantes, non quidem stipendia, sed tantùm victui necessaria recipere?

Attendite, inquit Isay. 51. ad petram vnde excisi estis: vestri proventus, sunt elemosynæ piorum: si divitiæ pietatem vt matrem suffocaverunt; colet, & fovebit in contrarium paupertas. Assignatæ sunt vobis in redditus annuos eleemosynæ, Religiosis liberæ relictæ sunt, vt habeat virtus quotidiana meritum, in his qui promerentur, & in his qui dant.

Divitiæ causant tria mala, quæ vitantur per paupertatem, scilicet sollicitudinem, elationem, & amorem earum. 2. 2. q. 188. a. 7. D. Thom.

Difficile est inter divitias charitatem servare, quia impediunt eam principaliter alliciendo animum, & distrahendo. 2. 2. q. 188. a. 3. ad 4.

Divitiæ sunt viles, vanæ, & mutabiles, ideò debent contemni. 2. 2. q. 126. a. 1. ad 3.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Math. 10.

Recabitæ vinum non bibebant, non ædificabant domos, non serebant, non plantabant vineas, sed cunctis diebus suis habitabant in tabernaculis. Ier. 35.

Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Psal. 36.

Religiosus ager non colitur. Olim licebat Imperatoribus & Senatui locum Religiosum facere. l. 6. ff. de acquir. rer. dom. Nunc nisi Episc. 26. q. 6. can. fin.

Aliena à vobis auri, argentique pondera. Possessio vestra spiritualis est. D. Hieron. ad Eustochium.

En quales divitias Deus diligit, en quas recondi vult opes; scilicet fidem ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, non terrena, non vilia, non peritura,

non caduca. Salvianus ad Eccleſiam Catholic.

Affectanti cœleſtia, terrena non ſapiunt, æternis inhianti, faſtidio ſunt tranſitoria. D. Bern. Epiſt. 111.

Impedimenta hæc non adjumenta, onera, non ſubſidia; poſſeſſione enim & vſu opum non fulcitur Religio, ſed evertitur. Salvian.

Sacerdotes & Levitæ non habent partem & hæreditatem cum reliquo Iſraël, quia ſacrificia Domini comedent. &c. Deut. 18. Vide Ezech. 45. & ibi Div. Hieronym.

Fœlix dives habet aurum in arcâ, iſte Deum in conſcientiâ: Ille illud habet, quod perit, & ibi habet vndè perit; iſte Deum habet qui perire non poteſt, & ibi habet, vndè auferri non poteſt. D. Auguſtin. tract. 25. in Ioan.

Congregans ſicut in vtre aquas maris. Pſalm. 32. Congregat populos ſæculi in confeſſionem mortificati peccati, ne per ſuperbiam liberè diffluant. D. Auguſt.

Idem in Pſal. 82. dicit divites, propter Chriſtum pauperes effectos, ſimiles eſſe ovilis & racemis, qui ſub torculari ab amurcâ ſeparantur. & fluunt in pretioſum liquorem, vndè cæteri accipiunt.

Quod multis ſunt noti, multis ſunt authoritati ad ſalutem, & multis præeunt ſequuturis, ideoque multùm de illis lætandum, quia non de ſolis lætamur. D. Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 4.

Tantò magis exultare oportebat, quia Rex noſter alligavit fortem, & vaſa ejus direpta mundavit in honorem. Ibidem.

Hoc exoptat magnis votis. D. Auguſtinus initio libri contrà Academicos, vt virtus poſſit aliquando hominem ſibi aptum fortunæ repugnanti auferre, & ſui juris eſſe proclamans, & in certiſſimorum bonorum poſſeſſionem traducens, ne proſperis quidem caſibus ſervire permitteret.

Imitetur Deum, cui nulla corporalium rerum forma ſimilis eſt. Euſeb. Emiſſen.

Inter procellas, navis mercium jactutâ eſt exoneranda.

Dicamus Deo, Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: Libera me de ſanguinibus, ideſt à mundo, qui caro & ſanguis eſt.

Vt mundani per cœli contemptum mundi divitias acquirunt; ſic Religioſi per mundi contemptum cœleſtes theſauros ſibi comparant: Deſerenda falſa bona, vt vero bono fruamur. Nudi baptiſamur.

Ioſeph pallium reliquit, quo ab impudicâ dominâ detinebatur. Geneſ. 39.

Eliſæus boves & aratrum Deo in holocauſtum offert, vt Eliam ſequatur. 3. Reg. 19.

Malum omen ſi æger dormiat non commiſſis palpebris, & ſi ad ſe obvia trahat. Hipoc. in lib. Prænot. Sic malum eſt, ſi perfectionem profeſſus, oculos & manus tendat ad terrena bona.

Cave ne tibi dicat Chriſtus, quod olim peccatoribus. Ioan. 8. Vos eſtis de mundo.

Qui Chriſtum in deſerto ſequuntur, de cibo & vitæ neceſſariis non cogitant.

Scriptum eſt de Cain, quod civitatem condiderit; Abel tanquàm peregrinus non condidit; ſuperna eſt enim ſanctorum civitas. Cain interpretatur poſſeſſio. Enoch datus pro Abel interpretatur reſurrectio: Hi fuerunt duarum civitatum principes, vna in re hujus ſæculi, altera in ſpe Dei. D. Auguſt. lib. 15. de civit. Dei, cap. 21.

Bona terrena ſunt quaſi opacum corpus Solis lucem impediens.

Deus nobis eſt poſſeſſio, & ipſius viciſſim poſſeſſio ſumus: vndè; Dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Pſal. 2. & Pſal. 15. Dominus pars hæreditatis meæ. Ille nos poſſideat ſicut Dominus; nos illum poſſideamus, ſicut ſalutem, & ſicut lucem. D. Auguſt. tract. 2. in Ioan.

Fortis vt mors dilectio, quia ſicut mors àmundanis nos ſeparat.

Chriſto fluctus calcante ſæculi, ambitiones & altitudines deprimente, expaveſcit Chriſtianus, vt timuerunt diſcipuli. Ioan. 6. At cum dixit illis; Ego ſum nolite timere, recipitur in navi, quæ ſtatim fuit ad terram: de humido ad ſolidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem. D. Auguſt. tract. 25. in Ioan.

Idem tract. 65. in Ioan. loquens de gloriâ & remuneratione cœleſti, ait. Nemo ibi moritur, quo non pervenit, niſi huic ſæculo moriatur morte electorum, de quâ dicebat Apoſtolus Coloſſ. 3. Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hinc 8. Cant. Valida vt mors dilectio, quando ſcilicet amor noſter de mundo exit.

Terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris; Ego dixi, Dij eſtis. Pſal. 81. Si ergo vultis eſſe Dej, & filij altiſſimi, nolite diligere mundum. Idem tract. 2. in Epiſt. 1. Ioan.

Amor Dei primò expoliat his omnibus, quæ non ſunt Dei, vt transformet in Deum. Non theſaurizat in terrâ, vt habeat theſaurum in cœlo.

Iſte mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis. Calcato mundo gradum tibi facis, per quem in ſublimè conſcendas. D. Auguſt. ſerm. 56. de tempore.

Deducet te dominus per vias planas & rectas: parate viam Domini. Plana via eſt, cùm medium extremitatibus reſpondet. Pauper & nudus naſceris & moreris, ſic etiam vive.

Divitiæ falſa ſunt bona. *Vide Verit. Bonit. & Veritas Poteſt.*

Vide quia periturus es propter rem perituram. D. Auguſt.

Vbi ſunt deliciæ veſtræ, propter quas ambulatis per vias pravas; non dicimùs vbi erunt, cùm hæc vita tranſierit, ſed modò vbi ſunt; heſternum præſens abſumit dies, hodiernum craſtinus. Nos irridetis quia ſperamus æterna, quæ non videmus, & vos neſcitis, qualis dies vobis craſtinus futurus ſit, ſperata vos ſæpe fallunt, nec ceſſant inflammare. ventura, corrumpere venientia, torquere tranſeuntia: nonnè ipſa ſunt quæ concupita inardeſcunt, adepta vileſunt, amiſſa vaneſcunt: vtimur nos hoc mundo ſecundùm noſtræ peregrinationis neceſſitatem; ſed in illo gaudia noſtra non figimus: vtimur eo tanquàm non vtamur, vt veniamus ad eum, cum quo in æternitate maneamus, &c. D. Auguſt. ſerm. 23. de verb. Apoſt.

Vidi impium ſuperexaltatum, &c. tranſivi & ecce non erat. Tranſiſti ſi terrenam fœlicitatem veram non eſſe agnoſcas: tranſivi, profeci, perveni ad ſpiritualia, intravi in ſanctuarium Dei. D. Auguſtin. in Pſal. 36. conc. 3.

Reliquenda bona fortunæ, quia non ſunt vera bona. *Vide Verit. Bonit. Repug.*

Epaminondas cùm in concionem vocatus eſſet, adeſſe non potuit, quia togam laverat, quâ induebatur, nec aliam habebat. D. Chriſoſt. lib. 2. adver. vituperat. vitæ Monaſticæ.

Validum telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa. Elias Eliſæo melotem pro hæreditate reliquit, ditiſſimus illâ hæreditate. Idem Homil. 2. ad popul. Antioch. in fine.

Qui fit Monachus amittit feudum, domino vel agnatis ceſſurum, quia deſinit eſſe miles ſæculi, qui factus eſt miles Chriſti, lib. 2. feudor. tit. 21.

Quod Philo refert lib. de vitâ contemplativâ; de Eſſæ̃is quibus nihil erat proprium. Id D. Hieronymus putat intelligendum de primis Chriſtianis, Marci diſcipulis apud Alexandriam. Vide Baron. anno 69.

Gregorius Taumaturgus moriens præcepit ne proprium eipararetur ſepulchrum, ſed voluit communi ſepulturâ donari, ſicut vivens proprium non habuerat domicilium. Baron. anno 266.

D. Ambroſius ſtatim vt electus fuit Epiſcopus omnem ſuam pecuniam & omnia prædia dedit pauperibus & Eccleſiæ, ac nihil ſibi, quod ſuum dicere poſſet, reliquit, vt expeditiùs Chriſtum ſequeretur. Idem anno 374.

S. Baſilius, tunicâ vnâ & pallio vno contentus, humi cubabat; pane ſolo & ſale atque aqua purâ, pro victu vſus eſt. Baron. anno 378.

Imperatores ſacerdotium magis optavere, quàm Imperium ſacerdotes: Chriſtus fugit ne Rex fieret; habemus tyrannidem noſtram, tyrannis ſacerdotis infirmitas eſt: cum infirmor, inquit, 2. Corinth. 12. tunc potens ſum. D. Ambroſ. Epiſt. ad ſororem.

D. Auguſtinus nolens locupletari Eccleſiam vel cum minimo ſcandalo; agit cum Alipio. Epiſt. 239. de non accipiendis bonis illorum, qui à ſeculo ad vitam monaſticam convertebantur.

Animalia quæ latent hyeme, tunc parum habent ſanguinis, ejuſque tantùm exiguas guttas circà cor, miro opere naturæ. Plin. lib. 11. cap. 38. Chriſtianus vult latere mundo. *Vide Cognit. Virtut. Repugn.* Illique mortuus eſt, vndè parum indiget externis bonis.

Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, vt illius inopiâ vos divites eſſetis. 2. Cor. 8.

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis: Tu autem homo Dei hæc fuge. 1. Timoth. 6.

Mendicatio non eſt inhoneſta, cum olim præſtantes viri ſtipe collecta timnati ſint: *Vide Gloria Finis.* Sepultura publicè decreta.

VOLVNTARIA PAVPERtas oprima.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Indigentiam naturæ aſperiorem quàm ſit faciunt divites, cumulatis ad ejus ſubſidium magnis opibus: Non veſtiunt nudam, ſed onerant infirmam. Non es illi beneficus, jam in viâ laborantem inutili ſarcinâ premere; egenti & divina ſitienti animo, da divina; offeruntur à Deo, vacuo tantùm vt capias loco opus eſt, affectu ſcilicet à falſis fortunæ bonis procul abſtracto.

MAGNITVDO. Falſa hæc eſt & mentita ex divitiis magnitudo, vt quam habent momi elatis incidentes ligneis cruribus. Magnæ divitiæ magnâ curâ cuſtodiendæ, dum autem curas exigis, libertatem minuis, animum, affectumque partiris: At ſapientia integrum quærit hominem; etiam pura & integra mens non ſufficit ad divina; quid ergo ad externa & nociva jam infirmas vires divertis? Vera animi magnitudo ab externis non pendet; ſic enim eſt excelſa, vt ad eam fortunæ bona non perveniant, vt nec ad cœlum terræ vapores.

DVRATIO. Ad æterna tendenti, plus nocent quàm juvant temporales divitiæ. Multùm conſequitur ſapientia, ſi illas, vt feras, ſinè noxâ cuſtodierit. Æmulari hic debemus, quantùm fas eſt, æternitatis ſtatum, voluntariâ rerum terrenarum abdicatione. Non poteſt dejici, non ſpoliari paupertas ipsâ ſuâ humilitate ſecura. Paucis eget pauper voluntarius, ſic accidit ad conditionem beatorum, qui nullis indigent.

POTESTAS. Divitiæ dant multâ poſſe, ſed tàm mala quàm bona. At in corruptâ naturâ ſecurius videtur furentibus paſſionibus arma non præbere, inter pulveres Pyrricos ignem non accendere, cujus vel minimâ ſcintillâ ingens ſubitaque fieri poteſt conflagratio. Regant, multa poſſideant hi, quibus, hæc à Deo collata gratia, mihi ſupremum videtur dominium ſic paſſiones moderari, vt nihil ſuperſit, quod vlteriùs velim poſſidere. Relinquo poſſeſſiones quæ dominos ſuos poſſident, & ambio mentis integritatem, quâ Deum, meque ipſum meipſo meliorem in ipſo poſſideam.

COGNITIO. In receſſu poſito ſpectaculum exhibet mundus, nunc tragicum, nunc comicum; nunc riſum, nunc lachrymas movens; ſed ſemper gratum, quia divitum tumultibus comparata paupertatis ſecuritas fœlicior apparet. Contemplationem meam quærunt mira naturæ & gratiæ opera; totus volo illis incumbere, quibus Deum laudem, & melior efficiar; nec tempus volo partiri cum mundanis negotiis, inter quæ periculum eſt, ne deterior, ſaltem inquietior evadam.

VOLVNTAS. Paſſionibus vt incendiis ſubtrahenda materia; hoc autem fit abijciendo pecunias, quæ ſunt prætium rerum omnium. Libera ab illis mens, quaſi ſolutis vinculis, in Deum centrum ſuum evolabit; nunquàm enim vacat amor, ſi terrena deſpicit, cœleſtia complectitur.

VIRTVS. Voluntaria paupertas virtutum omnium conſilio probatur. Iuſtum eſt Deo integrũ cor, quod petit & quod debetur, præbere; voluntariùs pauper perpetuam ſibi indicit temperantiæ legem; ſumma fortitudo eſt, quâ nudus & inermis adverſam provocat fortunam, nihil ab illâ timens; prudentis eſt, mundo vt hoſti blandienti non fidere, aliorum periculis ſapere, cœleſtia & æterna fluxis & caducis præferre. Pauper voluntarius ſatis dives eſt, cum poſſit præcipuas virtutes, maximè thealogicas, profiteri, ſi egentibus non poteſt adeſſe temporali auxilio, hunc defectum compenſabit ſpirituali miſericordiâ, ſcilicet conſiliis, conſolatione, oratione, &c.

VERITAS. Pauper voluntarius, nihil timens, nec ſperans à mundanis, ingenuè ſe habet in omnibus: Cor vultu præfert, nec vnquàm à mente diſſentit lingua. At in divitiis poſiti larvatâ ſæpiùs incedunt facie, vt vitent aut ſtruant inſidias; beneficia petentibus, inopiam; ambitioſè concurrentibus, majorem quàm habeant potentiam mentiuntur.

GLORIA. Vnicus divitiarum & honorum finis eſt, quies mentis, quæ falſo inter turbulenta & inquieta quæritur; hanc autem compendio & ſecurè conſequitur pauper voluntarius, habet ſufficientiam, quæ nunquàm divitibus contingit. Sola illi ſupereſt ſpes æternæ fœlicitatis, quam præguſtat, & cui ſe præparat vitæ innocentiâ.

DIFFERENTIA. Iactari neceſſe eſt eos, qui fluxis &

rotæ inſtat volventibus fortunæ bonis nituntur. Ab A hoc torrente, quâ liberius, & mihi innoxiè fluat, pedem refero. Dum ludit in humanis ſors, ima ſummis permiſcens, meæ gaudens applaudo paupertati, his me malis eripienti. Securus eſt in mediis fluctibus portus; puriſſimus inter ſordes radius; ſic mens ſapientis, omnia dijudicans, videtur æmulari divinam immenſitatem, omnibus locorum ſpatiis, impermixtè tamen, illibatâ puritate & vnitate ſuâ præſentem.

Concordantia. Licet à civili ſocietate diſcedere, cùm præter inſtitutum ſuum incipit nobis eſſe nociva; licet à turbâ in ſe magno tumultu cadentium recedere. Antiquior mihi eſt cum ſanctis, cum Eccleſiâ, cum Deo quàm cum mundo ſocietas: In poſterum, ſi B quæ mihi cum hominibus contingat amicitia, gratior erit ex eo quod illam temporalis commodi ſpes ſuſpectam non faciet.

Contrarietas. Divitiis onerati ſunt vt feratum pellibus tecti, quos ſic canes, vt prædam dilacerant; exuere juvat has induvias, quæ alienas in me concitant cupiditates. Pauper latrones, tyrannos, invidos non timet; nemo enim ad humanum ſanguinem propter ipſum venit. Solutum me volo à divitiis ne ſolvant charitatem, quietem, innocentiam, ſic litibus, bellis, feriſque paſſionibus ſubtrahitur materia.

Principium. Etiam abdicatis bonis, idem tibi præcipuum ſupereſt jus, quod ab initio natura conceſſerat; licet etiam in extremâ paupertate frui cœlo & C elementis; & ſi pauca quædam terræ jugera manibus divitum cingantur, immenſa tibi ſuperſunt terrâ marique libera ſpatia. Poſſides omnia, ſi authorem omnium liberâ mente poſſideas, & in hoc bonorum omnium fonte habetur eminenter quæcunque ex poſſeſſione ſperari poteſt conſolatio.

Medium. Perfectiora minoribus indigent ad agendum: Nullis Deus omnipotens, paucis ſapiens Chriſtianus, vndè divitias, vt ſibi ad fœlicitatem ſuperfluas abjicit: vt aquæ gutta, timens terræ ſiccitatem, à qua poteſt conſumi, ſe in globum colligit, vt terram quâ poteſt minimâ parte, tangat; ſic vir bonus minimo quo poteſt commercio mundanis commiſcetur; medius eſt inter beatorum ſtatum, in quo nulla ſunt fortunæ bona.

Finis. Vir bonus intendit ſemper in vltimum ſuum finem, ideò ſpernit terrena, quæ videt ad illum non ducere. In immenſis congeſtis opibus, dives, vt plurimùm, pauperior eſt, tempore, ſui poſſeſſione, quiete, conſcientiæ integritate: moriturque & illis bonis & vitæ melioris merito, æquè ſpoliatus.

Maioritas. Rideo illas, vt in puerorum ludis collatas dignitates; ſunt enim denominationes extrinſecæ, quæ nihil realiter ponunt in ſubjecto. Dum mundani mutuis officiosè ſe decipiunt nominibus, ſeriò res apud Deum agitur de æternâ ſalute, & de recto gratiarum vſu, ad illam nos vocantium.

Æqualitas. Dulce eſt ab externis non pendere, poſſe futuris ordinem dicere, & à patriæ cœleſtis viâ ob temporales poſſeſſiones non deflectere; multùm proficit, qui continuo, nec interrupto paſſu progreditur; ſiſtunt autem nos & divertunt fortunæ bona: Ad quid Chriſtus, Rex Regum, paupertatem dictis & factis te docuit, ſi nolueris imitari? Quidquid inclamet humana prudentia, nulla perfectior, quàm ad Chriſti imitationem poteſt inſtitui vita.

Minoritas. Si vitiis dediti ſectantur divitias, videtur quod ex oppoſito pietatis alumni debent ſectari paupertatem; hæc enim inermes reddit concupiſcentias, & ne quidem incertamen ſinet deſcendere, prænaturâ de illis reportatâ victoriâ. Gaudeo non poſſe, quod non licet.

DEFECTVS POTESTATIS.
Malus.

MISCELLANEA.

Actio læſa, eam partem à qua edi ſolet affici oſtendit, functio quippè animalis læſa partem animalem laborare oſtendit; vitalis, vitalem; naturalis naturalem.

Prædicetur ægroti aut diuturnitas morbi, aut mors, ſecundùm quod vis naturæ parùm aut fortiter reſiſtit vi morbi; vndè prima prognoſis eſt in comparatione virium ægrotantis cum morbi magnitudine. Galen. lib. 3. de criſib. cap. 10.

Æger tantùm moritur, cum vires non ſunt adeò validæ, vt morbum evincant. Idem lib. 1. de ratione curandi.

Lethargus eſt ſomnolentus affectus ex abundantiâ pituitæ in cerebro putreſcentis; tamen eſt affectus ex genere acutorum, qui, niſi celeriter ſuccurratur, jugulat.

Amaſis, cum ad mortem filius duceretur non effudit lachrimas, at cum mendicare vidiſſet amicum effudit. Ariſt. Rhetor. lib. 2. cap. 8.

Cauſæ particulares nihil poſſunt ſinè causâ vniverſali. *Vide Poteſt. Princip.*

Pauperes in primâ Democratiâ Athenienſium Magiſtratum gerere non poterant, ex Inſtituto Theſæi & Solonis & Solon; dignitates ſecundum ſenſus rationem aſſignavit. Plutarch. in Solone.

Materia prima, quia non habet potentiam activam, dicitur non ens. Iacet res iners ad omnia parata, ceſſatura ſi nemo moveat.

Arteriæ ligatæ ſiſtunt motum pulſus, ac ſi homo eſſet moribundus.

Eunuchi ſimiles fœminis.

Exangue omne eſt frigidum.

D Materiale fundamentum cauſarum per accidens, eſt defectus agentium, quæ ſcilicet indigent concurſu aliarum cauſarum, quo deficiente agunt præter intentionem ſuam.

Nullum corporeum eſt cauſa alicujus rei, niſi in quantùm movetur; quia nullum corpus agit niſi per motum: corporalia adminiſtrantur per ſpiritualia.

Plebs non agit niſi mota à ſuperiore.

Paralyſis, pigritia.

Motus remiſſio fit per impotentiam.

Angeli aſſumentes corpora non edunt actiones vitales.

Planetæ patiuntur defectum virium, cùm ſunt occidentales, retrogradi, combuſti, oppreſſi à Sole; E in caſu, exilio, configurati infortuniis, & malis conſtellationibus; in malo cœli loco, vt in 6. 8. 12. domo.

Facilè ſuperabis hoſtes, ſi illos aggrediaris fame & itinere fatigatos. Periculoſæ ſunt recidivæ, quia ſuperveniunt naturæ jam à morbo debilitatæ.

Æſtate minùs ſanguinis eſt detrahendum, propter debilitatas jam vires.

Obſidetur vrbs ex debiliori parte; ſic Dæmon inſidiatur calcaneo. *Vide Minorit. Finis.*

Cruditas fit propter indigentiam caloris, & incommenſurationem ad humidum, quod maturatur. Ariſtot.

Corpus naturâ ſuâ nihil agit, quia eſt extenſum, & ſic virtus ejus diſſipatur; quia eſt denſum, diſtan-

tia partium debilitat virtutem agendi; molis amplitudo motum, craſſitudo penetrationem impedit. Marſ. Ficin. initio Theolog. Platonic.

De defectu libertatis. *Vide Bonit. Poteſt.*

Corpus tranſmutatum eſt parum efficax & potens, & ab omnibus offenſiones percipit. Hipoc. lib. de locis in Homine.

Ideò Hypocrates dicit ſi quid movendum, initio movendum, vigente autem morbo quieſcendum; quia circà initia vires non ſunt infirmæ, & poſſunt inanitiones perferre; at circà morbi ſtatum virtus languida efficitur, invaleſcentibus cauſis morbi. Galenus lib. de optimâ ſectâ.

Terminus omnis alterationis & morbi, eſt functionis illius læſio. Idem lib. de inæquali intemperie.

Eunuchi Conſulis probroſa electio. *Vide Magnit. Virt.* in fin. Miſcellan.

Olim Seditioſis, quibus vita relinquebatur, manus amputabantur. Vide Baron. anno 477. & paſſim.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE mancipiis domeſticis vel fiſcalibus. Cod. 11. 67.

De minoribus viginti quinque annis. ff. 4. 4.

Quibus ad condictionem prædiorum fiſcalium accedere non licet. Cod. 11. 72.

Quibus non competit bonorum poſſeſſio. ff. 38. 14.

Qui manumittere non poſſunt. Cod. 7. t. 11.

Qui militare poſſunt, vel non. Cod. 5. t. 67.

Qui teſtamenta facere poſſunt, vel non. Cod. 6. tit. 22.

Fœminæ à publicis officiis removentur. l. 2. ff. de reg. jur. & in multis eorum conditio deterior eſt, quàm maſculorum. l. 9. ff. de ſtatu homin.

Furioſus nullum negotium contrahere poteſt: pupillus omnia tutore authore agere poteſt. l. 5. ff. de reg. jur.

Servi pro nullis habentur. l. 32. eodem. *Vide Bonit. Poteſt.* Libertas.

Maxima capitis diminutio eſt, cum libertas amittitur. l. vlt. ff. de cap. min.

Servitus eſt jus quo prædium ſerviens dominanti ſubjicitur. *Vide Verit. Minor.*

Realium ſervitutum non ea eſt natura, vt aliquid faciat quis, veluti vt amœnum proſpectum præſtet, ſed vt aliquid patiatur, & non faciat. l. 15. ff. de ſervit.

Alienare prohibitus non poteſt ſervitutem imponere, quia ſervitus eſt quædam alienatio. l. 14. Cod. de ſacros. Eccleſ.

Perpetuâ valetudine afflictus arcetur à tutelâ. l. 19. Cod. de excuſ. tutor.

In fide teſtis explorandâ, attenditur an egens ſit, vt lucri causâ quid facilè admittat. l. 3. ff. de teſtib. l. 17. Cod. eodem. Novell. 90. c. 7. l. 20. ff. de procurator. l. 15. ff. de arbitr.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

ECcleſia amittit cathedram Epiſcopalem propter malitiam populi. D. Tho. 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2.

Caro morti tradidit ſe, ne incurreret ſervitutem Cæſaris. 2. 2. q. 125. a. 2.

Difficile eſt id quod tranſcendit naturam & potentiam naturalem, vel propter impedimentum. 1. q. 62. a. 2. ad 2.

Difficultas operandi duplex, ſcilicet ex magnitudine operis, vel ex defectu voluntatis; prima auget meritum; ſecunda verò minuit illud. 1. 2. q. 114. a. 2. ad 4.

Filiis familias, ſervis, Religioſis, non licet dare eleemoſinas ſinè conſenſu eorum quibus ſubſunt; ſic nec vxor poteſt dare, niſi modica, ſinè conſenſu mariti. 3. 2. q. 32. a. 8.

Figura nullius actionis aut paſſionis eſt principium. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

Forma accidentalis non habet potentiam activam, ſed eſt forma compoſiti, vt calor ignis. 1. q. 77. a. 1. ad 3.

Hæretici poſſunt ordinare, non autem dare executionem, nec abſolvere, quia non habent juriſdictionem. 2. 2. q. 39. a. 3.

In materiâ nulla eſt potentia activa. 3. q. 32. a. 4.

Mulieres cùm ſtatum ſubjectionis habeant, ſacramentum ordinis nequaquàm ſuſcipere poſſunt. Suple. q. 39. a. 1.

De his qui à Regimine arcentur propter incapacitatem. *Vide Virt. Poteſt. Rep.*

Subjectio mulieris ad virum, inducta eſt in pœnam peccati. 2. 2. q. 164. a. 2.

Anima rationalis non habet vim tranſmutandi materiam corporalem. 1. q. 117. a. 3.

Non omne quod facit majus, facit minus, niſi ſit ad illud ordinatum, vel niſi in majori includatur minus: vel non poteſt facere quod minus eſt, ſi reſervetur minus. 2. 2. q. 189. a. 9. ad 3.

Si filius Dei es, mitte te deorſum. Math. 4.

Hæc vox convenit illi, qui omnes præcipitare fatagit, in quo infirmus oſtenditur, quod nulli nocere poſſit, niſi ſe priùs deorsùm miſerit. Athanaſ.

Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me. Ibidem.

Si ejicis nos, mitte nos in porcos. Math. 8.

Nec in porcos vllam habent poteſtatem dæmones. Principes mundi, olim de ordine Poteſtatum, &c.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Math. 10.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, major imperio, effuſus es ſicut aqua, non creſcas quia aſcendiſti cubile patris tui. Gen. 49.

Venit Rex Antiochus Elymaidem vt caperet eam & deprædaretur, nec potuit, & præ triſtitiâ criminum perpetratorum periit in tertâ alienâ. 1. Mach. 6.

Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vitâ nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. 2. Mach. 7.

Poteſtatem habens in homines facis quod vis, noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum, tu autem patienter ſuſtine, & videbis magnam poteſtatem ipſius, qualiter te & ſemen tuum torquebit. Ibidem.

Antiochus, qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſuprà humanum modum ſuperbiâ repletus, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei in ſe virtutem conteſtans. 2. Mach. 9.

Ecce enim Holofernes jacet in terrâ & caput ejus non eſt in illo. Iudith. 14.

Dixit ſe incenſurum fines meos, occiſurum gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in capti-

vitatem ; Dominus autem omnipotens necavit eum, & tradidit eum in manus fœminæ & confodit eum. Ibidem.

Paraliticus jacens in domo centurionis. Math. 8. & 12. Sanatur habens manum aridam.

Ventus & inane ſimulachra eorum. Iſay. 41.

Ieremiæ 10. dicit de ſimulachris gentilium, portata tollentur, quia incedere non valent, nolite ea timere, quia nec malè poſſunt facere, nec benè.

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum, os habent & non loquentur, &c. Pſal. 113. *Vide Finis Poteſtatis.*

Cum acceperit homo nuper vxorem non procedet ad bellum, nec ei quidpiam neceſſitatis injungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpâ domui ſuæ. Deuteron. 24.

Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. 1. Cor. 7.

Qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti. Ibidem.

Qui autem cum vxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi vt placeat vxori, & diviſus eſt. Ibidem.

Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit. Ibidem.

Sub viri poteſtate eris. Gen. 3.

Non haberes poteſtatem adversùm me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Ioan. 19.

In his ſecunda mors non habet poteſtatem. Apocal. 20.

PAVPERTAS COACTA.

ETiam proximo ſuo pauper odioſus erit : amici vero divitum multi. Proverb. 4. *Vide Minoritas Poteſtas.*

Amaſis non flevit morientem filium, ſed mendicantem amicum. Ariſt. Rhetor. lib. 2. c. 8.

Fit neſcio quo pacto vt invita paupertas malum ſit inſatiabile, quærimoniis ſemper atque ingratitudine plenum. Hæc autem infœlicitas miſericordiam potiùs quàm contumeliam meretur, &c. D. Chriſoſt. lib. 3. de ſacerdotio.

Paupertas & divitiæ ſunt duo fontes omnium quæ in mundo ſunt malorum, ex divitiis ambitio, delitiæ, ſeditiones, morum corruptiones, &c. ex paupertate latrocinia, perfidiæ, deſperatio, &c. vt ex nimiâ repletione aut vacuitate morbi.

Contemnere fulmina pauper creditur, atque Deos. Iuvenalis.

Magnum pauperies opprobrium, jubet quidvis & facere & pati. Virtutiſque viam deſerit arduæ. Horatius. lib. 3. ode 14.

Pleroſque indigentia cogit in flagitium, impellit in crimen. D. Ambroſ. exam. l. 5. c. 17.

Fieri non poteſt, vel non facilè fit, vt cui neceſſaria non ſuppetunt, is bona atque honeſta agat; multa etenim & per amicos, & divitias, & civilem potentiam, quaſi per inſtrumenta quædam aguntur. Ariſt. lib. 1. Moral. Nicomach. cap. 8. in fin.

Probroſa paupertas, quia ad bonum & maximas heroicaſque virtutes eſt impotens; eſt in ſtatu quem leges imponunt de crimine convictis; aut malitiam jam hac pœnâ affectam ſupponit, aut ignaviam, quia cum virtuti pro præmio potentia decernatur, homines facile pauperem, aut malum, aut potentia indignum ſibi perſuadent, ne videantur probro præmia denegaſſe : ſic quam ambiunt ex potentiâ commendationem, magis per oppoſitum effulget.

Fame dominante vacandum eſt à labore. Hypoc. lib. 2. Aph. 19. Virtus enim jam debilitata penitùs frangeretur per laborem : ſic dominante inopiâ à liberalibus ſtudiis vacandum ; nihil enim generoſum ſapit, qui quotidianâ premitur inopiâ.

Divites & non pauperes ſunt eligendi ad officia civitatis, ne fortè functiones publicas implere non poſſint. l. 45. Cod. de decurionib. Ideò Decuriones non poſſunt vendere bona immobilia ſinè decreto curiæ, alias emptor perdit prætium, & reſtituit rem cum fructibus. tot. tit. Cod. de præd. decurio. ſinè decreto non alienand. *Vide Magnitudo Poteſt. Bonit.*

Divites pauperibus ad clientelas & ad miniſterium ſui faſtus abutuntur. D. Auguſt. lib. 2. de civit. cap. 20.

Ad paupertatis calumniam illud accedit, quod ſi habent aliquid migrandum ſit, ſi perdunt tacendum Quint. declam. 13. apes pauperis.

Quot mentium læta ſublimitas, & ſi fortuna ſineret, in exemplum omnis virtutis ſuffectura, vbi pertinaci egeſtate, aut fortunæ iniquitate premitur, ſuæ præſtantiæ oblita, etiam in contrarios affectus degenerat. Barclai.

Afficimur tandem aliorum contemptu hominem ex externâ fortunâ æſtimantium, & dejicimur, vt aliorum, ſic noſtrâ opinione.

DEFECTVS POTESTATIS *Malus.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Poteſtas cum vitâ convertitur, vt qui caret poteſtate careat vitâ, quæ tota eſt in poteſtate ad actiones ſe promovente ; ideò mors, & morbi definiuntur per carentiam debitæ poteſtatis : nec ſibi, nec aliis poteſt eſſe beneficus, cui deficit poteſtas.

MAGNITVDO. Natura nihil primò producit in convenienti magnitudine, ſed ad illam aſſequendam dat potentias, quæ ſi deſinant, deficit etiam debitus naturæ gradus.

DVRATIO. Cùm quotidiana ſit alteratio ſub contrariis, continua debet eſſet reparatio per convenientes potentias, alioquin citò diſſipabitur ſubſtantia; ſic continuum faciunt fluminis curſum effluentibus vndis novæ ſuccedentes.

POTESTAS. Impotentia & paupertas extremum naturæ & fortunæ malum; vndè ambitio honores, avaria divitias congerit inexplebili cupiditate, quaſi homines nunquàm ſibi nimis caveant ab extremo hoc impotentiæ malo.

COGNITIO. Boni convenientis cognitio vertitur in ſupplicium, ſi deſit ad illud aſſequendum potentia. Artium, ſcientiarum, prudentiæ finis videtur eſſe poteſtas, vt ſic amplior habeatur, & fœliciùs in actum procedat : ideò maximè contumelioſa eſt impotentia, quia arguit defectum prudentiæ & artis.

VOLVNTAS. Amor ad objectum ſuum aſſequendum impotens, lentus eſt ignis, cruciatus, & longa mors : hinc maximè miſer homo, quod multa poſſit appetere, pauca conſequi ; vndè ad fœlicitatem laborans Philoſophia, cùm non poſſit augere potentiam, tollit cupiditates.

VIRTVS. Cœleſtis quædam habetur qualitas, eo quod impotentem in adverſis non efficiat ſuo ſenſu miſerum, hoc autem fit, quia evocat animum à mun-

danis ad cœleſtia, vndè non læditur in fortuitis, in quibus non eſt.

VERITAS. Pleraque, vultus, perſonæ, verborum, actionum mendacia fiunt ad tegendam impotentiam, ſic philautia nobis blanditur, ſic adulantur ſuis principibus aulici; ſic veſtium, comitatus, ædificiorum, ſuppellectilis ſplendor, naturæ & fortunæ conatur operire defectus.

GLORIA. Impotentiam, vt ſpeciem quandam ſervitutis, comitatur infamia, quaſi minùs ſint homines, qui minùs poſſunt: vndè, vt in virtutis remunerationem datur potentia; ſic in vitiorum pœnam impotentia, per mulctas, carceres, ſervitutes.

DIFFERENTIA. Iactantur infirma, neſciuntque ſtatum fœlicitati proprium: non ſic impij, non ſic; ſed, tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ; inquit Propheta, comparans malos inſtabiles bonis in fœlici ſuo ſtatu radicatis. Vix ſunt, qui ſic ad alteriùs moventis arbitrium mutantur.

CONCORDANTIA. Alterantur ſingularia per mixtiones & ſocietates, ne ſint impotentia, maluntque naturam ſuam ſic aliquomodò deſtrui, quam infirmari.

CONTRARIETAS. Sæviens ira conatur hoſtem aut de medio tollere, aut quod proximum eſt impotentem efficere, dùm plagis membra mutilat, opes rapit, famam dilacerat, &c.

PRINCIPIVM. Qui eſt impotens nihil producit, ſic amittit eminentem cum primo rerum principio convenientiam. Ne nimis doleamus ob impotentiam puerilis ætatis, illius ſenſum, negatâ tunc ratione, tollit natura.

MEDIVM. Nihil vult eſſe inutile, movetur ab alio, ſi ſeipſum non moveat; ſed hoc turpiſſimum alteri acquirere, non tibi, quaſi non ſis; & actionem tuam, quaſi non tibi debitam, alienâ quaſi ſubſtantiâ fulciti.

FINIS. Defectu potentiæ finem non aſſequimur: vbi definit naturalis facultas, finitur vita. Omnis limitatio turpis eſt, & tunc tantùm laudatur, cùm ad bonum vniverſale tendit.

MAIORITAS. Torquet nos impotentia, quia non conſentit cum appetitu excellentiæ, qui non poteſt niſi maximâ potentiâ impleri.

ÆQVALITAS. Si deficiat poteſtas, cadis à gradu tuo, & fis inferior his, quos habebas æquales: ex hauſtis facultatibus, non potes par pari reddere: ſed oportet te inultum, aut injuriis, aut beneficiis opprimi.

MINORITAS. Nihilo proxima eſt impotentia: impotentes, vt ſervi, habentur civiliter pro mortuis. Gutta aquæ in ignem injecta, ipſum non extinguit, ſed accendit, vt infirma reſiſtentia hoſtis iram.

Digitized by Google

BONITAS COGNITIONIS

OPTIMA HOMINI SCIENTIA.

MISCELLANEA.

ANIMVS disciplinâ & eruditione, vt corpus sanitate, servatur.

Artes necessaria civitatis pars. Aristot.

Visus non inest cuivis animali, sed duntaxat perfectiori: non enim inest ostreis, zoophitis, limacibus, &c.

In quovis morbo valere rationem, rectèque ad ea quæ assumuntur habere, bonum; contrà se habere, malum. Hip. 2. Aph. 33.

Est in Arcadiâ locus Pheneus, cujus aquæ nocte potæ, sunt mortiferæ, sinè noxâ luce bibuntu. Ovidius.

Vita est perfectio essentiæ & cognitio perfectio vitæ. Plotin. lib. de fœl. cap. 3.

Optimum consilium, maximum Principi donum.

Lux est omnium qualitatum, quæcumque corporibus tribui possunt, pulcherrima & jucundissima. Illius hæ sunt præcipuæ qualitates. Prima, intima est corpori lucido, ita vt nihil ei conjunctius esse possit. Secunda, subjectum cui inhæret gratum & pulchrum efficit. Tertia, lux corpus in quo sedem figit tantâ virtute instruit, vt cætera illuminare possit. Quarta, calefaciendi vim obtinet, vndè & cognitio accendit amorem. Quinta purissima est qualitatum corporalium, vt quæ nulla medij turpitudine inficitur. Sexta, omnium dives, nulliusque indiga, cum omnes colores, odores, sapores, imò & quatuor primas qualitates virtute contineat. Tam profusæ sunt lucis divitiæ, vt omnibus adsit, etiam in profundo carcere existentibus. Septima, est indomita, nullæ enim sunt tenebræ, quas non dissipet, & nullum est agens creatum, à quo destrui possit. Octava, lux non habet contrarium propriè sumptum, quapropter facillimè quaquaversùm diaphanis quibuslibet dominatur, ac veluti per totius mundi partes suum imperium extendit atque propagat. Nona, se sinè vllâ sui diminutione communicat. Decima, suos omnes radios in momento diffundit. Vndecima, per rectum radium, & non tortuosum se communicat. Linea enim recta omnium brevissima. Duodecima, quantò descendit inferiùs, tantò plures emittit radios, cum ingentem pyramidem producat, cujus conus sit in ipsâ luce, velut in fonte, basis autem in medio, vel objecto illustrato, adeòut quaquàversùm lucis radij diffundantur, sicut punctum, seu centrum circuli in totum circumferentiam quotlibet lineas effundit. Decimatertia, lucis radius per angustum foramen in lôcum tenebrosum incidens, representat in objectâ papyro quæcumque forinsecùs recta affluunt. Decimaquarta, tantò debiliores fiunt radij, quantò plures. Decimaquinta, lux illuminat vniformiter difformiter, idest non diminuitur lux pro ratâ spatij & elongationis, sed minus luminis decrementum esse videtur, quàm magnitudo spatij; non tamen constat an si luminis vnus gradus diminuatur in spatio sex pedum, sit etiam futurum, vt in duodecim pedum spatio per duos gradus decrescat. Decimasexta, lux non est facta in pondere, numero & mensurâ, nullos enim limites habere videtur, quia inquit Ficinus, congregat in vnum omne colorum genus; & quia transcandit omnia corpora, parata illuminare magis quàm possint crescere. Decimaseptima, omnes medij particulas illustrat ac velut informat, & animat. Decimaoctava, lumen occursu medij densioris frangitur ad perpendiculum. Decimanona, radius lucis sicut & caloris, qui est velut diminutum lumen, seu lux opaca, occursu subtilioris seu rarioris medij à perpendiculo recedit, & divertit. Vigesima, radius lucis primariæ, sicut & coloris, in rectum semper porrigitur, dummodò nullam medij varietatem inveniat, ita tamen vt sese diffundat. Vigesima prima, quoties radiùs est perpendicularis, quantumcumque media seu diaphana in densitate & raritate varient, semper irrefractus permeat. Vigesima secunda, radij lucis diversæ, seu luminosorum distinctorum impermixtè illustrant. Vigesima tertia, lux sit ejusdem coloris cum medio per quod transmittitur. Vigesima quarta, lux non potest videri sinè specie impressâ, quâ veluti fœcunda reddatur facultas visiva, vt actum visionis possit parere, & elicere. Vigesima quinta, corpora quantumvis opaca, aut etiam ex parte diaphana, visibilia ac perspicua reddit, ac veluti informat. Vigesima sexta, tenebras atque caliginem discutit, & à solito tenebrarum horrore liberat. Vigesima septima, omnes colores manifestat. Vigesima octava, lux non tantùm colores rerum sed & earum magnitudinem figuram, numerum, motum, quietem, vnitatem, asperitatem, lenitatem, acumen, obtusos angulos, æqualitatem, inæqualitatem, similitudinem, dissimilitudinem, majorem minoremque extensionem, propinquitatem, distantiam,

diſtantiam, ſitum, diviſionem, pulchritudinem, turpitudinem, opacitatem, diaphaneitatem, tempus, actionem & paſſionem oſtendit. Vigeſima nona, aliquid in oculis relinquit quo, poſtquàm è lumine diſceſſimus, ſimile quidpiam rebus anteà viſis nobis apparere videtur. Trigeſima, lux variat colores pro diverſis aſpectibus, vt in Iride, columbæ collo, pavonis caudà, triangulis criſtallinis, & cæteris id genus apparet, adeo vt vera colorum apparentium origo in varios lucis aſpectus referenda ſit. Trigeſima prima, radij pyramidis lucidæ, ſeu radioſæ in indiviſibili concurrunt, ita tamen in vno puncto, ſeu cono pyramidis vnius terminantur, vt quod libet punctum luminoſi radios mittat in quodlibet punctum objecti illuminati, & quodlibet punctum hujus objecti novam pyramidem radioſam terminet. Trigeſima ſecunda, lux efficaciùs recipitur in objecto concavo, vt patet in vallibus & ſpeculis concavis, quàm in planis aut rotundo. Trigeſima tertia, lux requiritur, tam ex parte medij, quàm objecti & potentiæ viſivæ, licet minor ex parte potentiæ & medijquàm ex parte potentiæ ſufficere videatur. Trigeſima quarta, juxta proportionem lucis, ſuprà rem viſam, medium & viſum orientis, res proportionaliter conſpicitur. Trigeſima quinta, lux ignea, in materiâ flammeâ radians, major nocte quàm die apparet, longè quàm propè. Trigeſima ſexta, lux fortis plurima manifeſtat, quæ debilis occultat, & è contrario debilis quædam oſtendit, quæ ne videantur, lux major impedit; lux enim magna ſuper viſum & medium oriens quædam viſibilium occultat. Trigeſima ſeptima, lux directa fortior eſt quàm obliqua. Trigeſima octava, radius in ſe reflexus directo fortior eſt. Trigeſima nona, radius incidens in ſpeculum facit angulos inſidentiæ & reſidentiæ penitùs æquales. Quadrageſima lucis radius ad perpendiculum incidens, nullum angulũ efficit, ſed in ſe reflectitur. Quadrageſima prima, radij lucis, per angularia foramina tranſeuntes in objecti corporibus, à foràmine diſtantibus, in orbem efformantur. Quadrageſima ſecunda, lux omnia in ſe convertit. Quadrageſima tertia, lux per quamcumque rimulam immiſſa, circuli formam ſervat dùm in planum objectum cadit. Quadrageſima quarta, objectum minus & propinquius plùs illuminat, quàm majus, aut remotius. Quadrageſima quinta, lux atomos in cubiculo quamvis expurgato oſtendit. Quadrageſima ſexta, omnis illuſtrationis in pariete quantitas major eſt ſpatio feneſtræ, per quam lumen intromittitur. Quadrageſima ſeptima, lux ſecundaria, & non primaria, vmbram manifeſtat. Quadrageſima octava, lucis proprium eſt calor.

Viſus animali in ſe conſiderato, & ſolitariam vitam agenti, magis vtilis eſt quàm auditus. Viſus autem neceſſarius eſt vt animal ex longinquo intervallo ſalutaria quærere, & dijudicare poſſit, & noxia fugere; Homini autem vt ad rerum magnarum, & hinc ad ſummi boni contemplationem ſe erigere poſſit.

Ratio eſt radix omnium virtutum.

Viſus cæteris ſenſibus eſt excellentior.

Luna ob luminis abundantiam eſt benefica.

Planeta de die ortus, vt non ſplendet, ſic minorem habet vim.

Saturnus die ortus, minùs nocet, quia ejus frigus diurno calore temperatur.

Plato 7. de legib. præcipit maximè pueros inſtrui, non ſolùm ex arbitrio parentum, ſed ludicum. Ibid. Vult annum incipere à ſolſtitio æſtivo; cum enim Dei lumen à nobis vberiùs recipitur, tunc in nobis fit principium rectè cogitandi, judicandi & vivandi; tunc creandi Magiſtratus.

Idem in Timæo oculos dicit maximum Dei donum eſſe, vndè Philoſophia proceſſit, & inquiſitio cauſarum viſis effectibus. Ex ſolis ortu, occaſu, reditu tempus, numerum, & naturæ ordinem didicimus, & ordinato cœli motu vagas noſtras cogitationes componere.

Socrates dicit honeſtum eſſe cuilibet ſervire ſapientiæ ſtudio. Idem in ſuâ Apologiâ, dicit ſe malle mori, quàm non docere & dilcere.

Sola eſt lux quæ reliquas omnes virtutes de cœlo vehit ad nos; in hæc miniſteria ſunt Solis, Lunæ, & ſtellarum corpora.

Ope luceruæ parvi prætij invenitur pretioſa margarita.

Propria natura ignis lux eſt potius quàm calor. Primò, quia illa divinior eſt. Secundò, quia citiùs agit. Tertiò, latiùs ſe diffundit. Quartò, calor impreſſus in rebus calefactis remanet, quaſi illis aliquomodo communis: Lux vero non item, ſed ſuum vbique ſequitur ignem. Quintò, ignis quò magis alienæ miſcetur ſoliditati, eo ferus magis, lucet minùs; quatenùs vero in puritatem propriam reſtituitur, eatenùs vrit minùs, lucet magis: vndè flamma in libero aëre tangenti blanditur, ſed inter concava percutit, maximè in concavo ſpeculo. Marſ. Ficin. Theol. Platon. lib. 16. c. 6.

Ars nulla eſt mala, nam aliud eſt quod facit ars, aliud quod eſt artis. Alb.

Organa vitæ & ſenſus in pluribus ſunt eadem, quia in alimalibus ſentire eſt eſſe. Albert. Magn.

Naturaliter tenebræ, quia nobis contrariæ, horrorem incutiunt.

Deus lucem viſibilem primitias creaturæ dedit; & lucem intellectualem, ad faſtigium operum ſuorum, in faciem hominis inſpiravit.

Eruditio litterarum, naturam laudabilem eximiè reddit ornatam: Ibi prudens invenit, vbi ſapientior fiat; ibi bellator reperit, vndè animi virtute roboretur; indè Princeps accipit, quemadmodùm populos ſub æqualitate componat; nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quàm litterarum non augeat glorioſa notitia. Caſſiodor. lib. 10. Variar. Epiſt. 3.

Solon lege ſancivit, filium nequaquam parenti neceſſaria vitæ ſubſidia debere, à quo nullam artem accepiſſet.

Cicero lib. 2. de divin. Dicit, quòd cùm per vnius regimen eſſet à publicis muneribus ſemotus, ſibi Philoſophiam pro Reipublicæ procuratione ſubſtitutam, quâ & ipſi Reipublicæ multum proſit.

D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. c. 11. Loquens de arbore vetitâ: Habet, inquit, ſcientia modum ſuum bonum, ſi quod in eâ inflare ſolet, æternorum charitate vincatur, quæ non inflat, ſed vt ſimus, ædificat. Ibid.

Intellectus & voluntas certant dignitate.

Pro intellectu dicitur. Primò, quod luce fœcundiſſimâ cæcam voluntatem dirigit. Secundò, modus agendi intellectus eſt nobilior, qui res objectas per earum ſimilitudines ad ſe trahit, voluntas vero objecti ſpecie boni trahitur. Tertiò, voluntas ſupponit actum intellectus, ſinè quo manca eſt. Denique objectum intellectus eſt ſimplicius objecto voluntaris; illud enim eſt, quatenùs intelligibile; hoc vero bonum cum circumſtantiis quatenùs ſequendum, aut malum quatenùs fugiendum. *De Voluntate. Vide Bonitas Voluntatis.*

O vitæ philoſophia dux: O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid nos, & vita hominum ſinè te eſſe potuiſſet; tu vrbes peperiſti; tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti; tu eos inter ſe primo domiciliis, deindè conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſti; tu inventrix legum,

magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti: eſt vnus dies bene & ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus. Cicero. 5. Tuſculanar.

Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Pſal. 83.

In Saturnalibus cerei mittebantur quia ſub Saturno Principe homines in Italiâ à tenebroſâ virâ, quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam, editi ſunt. Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 7.

Acoliti Græcè, Latine ceroferarij, dicti ſunt à ferendis cereis, cum legitur Evangelium; tunc enim accenduntur luminaria, vt luce hac ſenſibili ſignificetur lux intellectualis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Can. cleros. diſt. 21.

Cognitio rationalis eſt maximum Dei donorum. *Vide Differentia Bonitatis.* In Miſcellaneis. in fine.

Albus color cæteris videtur præſtare, quiâ propiùs ad lucem accedit, cujus ſplendore cæteri apparent colores, & ſinè quâ vani eſſent. Sic ſinè cognitione nulla virtus.

Ignis triplici gradu elevat materiam ad ſui ſimilitudinem; craſſioribus corporibus infundit calorem; purioribus calorem & lumen, quod facilè fit in lignis; tenuiſſimis denique etiam levitatem, ad ſuperna trahentem, quod efficit in cartâ & pulvere pyrrico. Ita divina mens corporibus inferioribus vitam præbet ſolam, tanquàm calorem, præſtantioribus etiam ſenſum tanquàm lumen; præſtantiſſimis inſuper intellectum, tanquàm levitatem, per quam anima ſurgit in Deum: Ita divinus ille radius omnia penetrans eſt in lapidibus, vivit in plantis, fulget in brutis; in hominibus, vivit, fulget, replicatur, & aſcendit in principium ſuum. Marſil. ficinus. Theol. Platon. lib. 10.

Beſtiis cum imbecillitate animæ datum eſt robuſtiſſimum corpus: Nobis cum imbecilli corpore robuſtus animus, qui per ſcientias & artes ſupplet omnes defectus. Idem lib. 16. cap. 7.

Athenienſes Areopagitæ, Democritum publicè condemnarunt, quod bona paterna diſſipaſſet, ſeu poſtea dimiſſus eſt cùm apparuit ea abſumpſiſſe in diſcendis ſcientiis, & ordine mundi inquirendo. Athenæ. lib. 4. cap. 20.

Didymus ſcholæ Alexandrinæ Doctor, licet magni vir ingenij, fatetur S. Antonio ſe dolere de amiſſione oculorum carnis, erat enim cæcus. Baron. anno 372.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE Profeſſoribus & Medicis. *Vide Gloria Cognit.* De magiſtris, & ne aliquid exigatur pro licentiâ docendi. Decret. 5. tit. 5.

Abſens non videtur à fundo, qui alibi eſt cauſa diſciplinæ. l. Seiæ. §. Pamphilæ. ff. de fundo Inſt. l. 78. ff. de legat. 3.

Alimenta cui debentur ex diſpoſitione legis, debentur etiam expenſæ neceſſariæ ad ſtudia, ſinè quibus homo, ſecundùm conditionem ſuæ perſonæ, vivere non poteſt. l. de bonis. §. non ſolum. ff. de Carboni. ed.

Eſt ſervitus vrbanorum prædiorum altiùs non tollendi, & non officiendi luminibus vicini. l. 2. ff. de ſervit. Vrban. prædior.

Expenſæ, quas Pater fecit pro filiis in ſtudiis, non debent filio imputari tempore diviſionis, niſi animo repetendi Patrem feciſſe conſtat. l. 50. ff. famil. Erciſc.

Si venditor dixerit ſervum litteratum, vel artificem, præſtare tenetur: Nam eo ipſo pluris vendit. l. 43. ff. de contrah. emp.

Maritus cenſetur dotem vxoris meliorem reddidiſſe, ſi ſervos dotales artes docuerit. l. 6. ff. de impenſ. in res dotal. fact.

Si electio mihi legata eſt, poſſum agere ad exhibendum. l. 3. ff. ad exhibend.

Ceſſat S. C. Macedonianum, ſi pecunia filio familias mutuò data ſit ſtudiorum causâ. Si probabilem modum non exceſſerit. l. 7. §. quod dicitur. ff. de S. C. Macedoniani.

Quæ dantur vt pupillus inſtruatur liberalibus artibus, æquiparantur alimentis. l. 2. & 4. ff. vbi pupill. educ. vel mor. debeat.

Valet legatum civitati relictum in eruditionem puerorum. l. 117. ff. de legat. 1.

Inſtrumentis domus legatis, venit horologium, etiam ædificio non affixum. l. 12. §. 23. ff. de inſtr. vel inſt. legat. Item Bibliotheca librorum, qui ibi erant, vt cum veniret, vteretur. §. 34. eodem. *Vide Virtus Cognitionis.*

EX THEOLOGIA.

OPortet eſſe Angelos, qui ſunt purè ſpirituales & intellectuales creaturæ. Div. Thom. 1. q. a. 1.

Ars ſemper eſt ad bonum, ſicut & ſcientia. 12. q. 57. a. 3. ad 1.

Bonum artis eſt extrà hominem, ſcilicet in artificialibus; ſed bonum prudentiæ eſt intrà hominem. 12. q. 57. a. 4.

Id quod de ſe ordinatur ad malum non eſt ars. 12. q. 57. a. 3. ad 1.

Baſilicus non interficit viſu, ſed vapore, ſicut menſtruata inficit ſpeculum. 1. q. 117. a. 3. ad 2.

Bonum animæ eſt melius bono corporis, & hoc bonis exterioribus; & bonum vitæ contemplativæ, bono activæ. 1. 2. q. 2. a. 5.

Ad bonitatem conſilij tria requiruntur, ſcilicet debitus finis, bonum medium, & tempus opportunum. 2. 2. q. 55. a. 1. ad 1.

Contemplatio eſt mala per accidens, ſed eſt bona per ſe. 1. 2. q. 35. a. 5. ad 3.

Quilibet tenetur credere explicitè articulos fidei; alia verò implicitè. 12. q. 76. a. 2.

Deus eſt intelligens. 1. q. 14. a. 1. Intelligere eſt ſuum eſſe, & ſua eſſentia. q. 14. 4.

Nullus prohibetur ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei, vſque ad miſſam Cathecumenorum. 3. q. 83. a. 4. ad 4.

Homo habet quod ſit homo ex parte intellectivâ. 1. q. 85. a. 3. ad 4. 1. 2. q. 31. a. 7. Et hinc cæteris animalibus anteponitur. 1. q. 96. a. 1. ad 2.

Velocitas ingenij pertinet ad hominis perfectionem, quoad bene eſſe ejus. 1. 2. q. 4. a. 5.

Omnis notitia eſt bona. 1. q. 22. a. 3. ad 3.

Nihil neceſſarium fidei continetur ſub ſenſu ſpirituali ſcripturæ, quod ſcriptura non tradat alicubi manifeſtè per ſenſum litteralem. 1. q. 1. a. 9. ad 2.

EX BIBLIIS.

GENeſ. 1. Vidit Deus lucem quòd eſſet bona.

Erunt quinque civitates in terrâ Ægypti loquentes linguâ Chananæâ, & jurantes per dominum exercitum. Civitas ſolis vocabitur vna. Iſay. 19.

Digitized by Google

Expergiſcimini & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus. Iſay. 26.

Divitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia, timor domini ipſe eſt theſaurus ejus. Iſay. 33.

Ecce Deus noſter ſalvabit nos: Tunc ſaliet quaſi cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine; & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in aquarum, &c. Iſay. 35. de fluentis Evangelij.

Ego dominus, non in abſcondito loquutus ſum, in loco terræ tenebroſo. Iſay. 45.

Benedicite cœli domino; benedicite Sol & Luna domino; benedicite ſtellæ cœli domino; benedicite lux & tenebræ domino; benedicite omnes volucres cœli domino, benedicite Angeli domini domino, &c.

Splendor ejus, vt lux erit. Abacuc. 3. de manifeſtâ Chriſti doctrinâ. Dan. 3.

Neæmias, poſt purificationem templi & oblationem ſacrificiorum, conſtruxit bibliothecam, congregans de regionibus libros. 2. Macab. 2.

Illumina oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus prævalui adversùs eum. Pſal. 12.

Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipsâ pertranſibunt omnes beſtiæ ſylvæ. Catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi: Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Pſal. 103.

Si introirit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te, vt eruaris à viâ malâ, & ab homine, qui perverſa loquitur. Proverb. 2.

Non in ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei. Luc. 3.

Poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt & acquire prudentiam, quia pretioſior eſt argento. Prov. 16.

Vena vitæ, os juſti. Proverb. 10. Scientia eſt vita animæ.

Si quis ignorat, ignorabitur: itaque fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. 1. Corinth. 14.

Ego palam loquutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagogâ, & in occulto loquutus ſum nihil. Math. 18.

Omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute, per quem nobis maxima & prætioſa promiſſa donavit vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ. 2. Petri. 1.

OPTIMA HOMINI ſcientia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Homini rationali nullum bonum naturæ ſuæ convenientius accedit quam ſcientia, quæ rationem perficit, quæ, ad cœleſtium & Dei imitationem, dat illi, vt ſit in alios ſinè dati amiſſione liberalis; nam ſcientia, vt lumen, ipsâ ſui communicatione non minuitur, ſed augetur.

MAGNITVDO. Homo non omnia, ſed convenientia tantum appetit, at omnia vult noſſe, vndè mali etiam optima eſt cognitio. Homo ſcientiâ ſuâ conatur æmulari Dei immenſitatem, quâ rebus omnibus præſens eſt; ſic imis & ſummis ſe interſerit; ſic rerum ſingularium infinitam multitudinem, ratione vniverſali & abſtractâ complectitur; ſic homo verus eſt microcoſmus, & à Deo mundus ſecundus Archetipus, propter idearum ſuarum amplitudinem.

DVRATIO. Scientis animus videtur coëxiſtere ſæculis omnibus, imò ipſi æternitati, in quâ rerum fata, initia, media, fines contemplatur: Vndè vnicum videtur nobis datum tam brevis vitæ remedium, quo poſſumus aliquo modo frui rebus, quæ exiſtentiam noſtram & præceſſerunt, & ſequentur. Scientia inter mortales, immortalem quodammodò & ſemper aliis beneficum efficit.

POTESTAS. Cognitione præſtantioribus delatum eſt in cæteros imperium, quaſi ſint præſtantioris cujuſdam naturæ: Regimen, proprium ſapientiæ opus eſt; vis enim conſilij expers mole ruit ſuâ: Arte maximâ opus eſt, vt hominis libertas, quæ cogi non poteſt, vltrò ſe præſcriptis ſubmittat legibus.

COGNITIO. Scientia nobiliorem implet animæ noſtræ potentiam, ſcilicet intellectum; vndè ex ſe nobis bona eſt: Natura & artes in hoc maximè laborant, vt pulchrum gratumque exhibeant rerum ſpectaculum; quæ ad nihil aliud vtiles ſunt in mundo, niſi vt videantur, nobiſque innatum ſciendi deſiderium impleant.

VOLVNTAS. Cæcus, impotens, ferox, noxius eſt naturalis appetitus, ſi illum ſcientia non direxerit. Scire naturaliter bonum, cùm id vnuſquiſque appetat, & eò magis quò quis præſtantioris fuerit ingenij: ob id cætera fortunæ bona philoſophi contemſerunt.

VIRTVS. Virtutibus facem præfert prudentia, quam ſi tollas, cæteræ omnes in defectum aut exceſſum divertunt. Vt nulla terris, ſic nec mentibus, ſinè luce fœcunditas. Pietatem præcedit, comitatur, perficit fides, rerumque divinarum contemplatio; Per Mercurium & Venerem itur ad Solem, per Cherubim & Seraphim ad Deum.

VERITAS. Si tollas ſcientiam, falſa pro veris, vitia pro virtutibus ſubrepunt, hæretica pro Religioſis: Sic dùm nihil haberetur certi, in rebus divinis, ſubverſis fundamentis corrueret Religio.

GLORIA. Hujus vitæ fœlicitas, tantò major, quantò vicinior ſtatui beatorum, qui totus eſt in viſione Dei, in quo vident omnia. Nulla major quàm quæ ex veritatis cognitione voluptas; nullaque ſinè cognitione boni poſſeſſio.

DIFFERENTIA. Practica, vno tantum, licet ſingularibus non congruo, periculoſo, & hoſtium inſidiis infeſto, graditur itinere: Viam compendioſam, ſecuriorem, paucis notam capeſcit ſcientia; cum opus eſt flexu vtitur, gradumque etiam referendo ad deſtinatum procedit.

CONCORDANTIA. Debemus ſcientiæ quidquid habemus boni ex ſocietatibus, commerciis & qualitatum naturalium mixtione: Sic dum natura ſimplicia producit, videtur tantùm ſuppeditare materiam novis mundis, arte, humanaque ſcientiâ fabricandis.

CONTRARIETAS. Iuriſprudentia dirimit lites; Politica ſedat internos & externos motus, Medica morbum ſanat, læſamque naturam reſtituit; ſic de cæteris ſcientiis, quæ omnes malum aliquod expugnant, & in bellis plus poſſunt conſilia quàm arma.

PRINCIPIVM. Scientia conſcribit hominem inter cauſas ſuperiores, quæ eminent cognitione: hinc Rectores majeſtatem ſibi ex ſecretis conciliant. Naſcimur indocti, ſic aliquid præſtantius confert educatio, quàm natura.

MEDIVM. Inutilis eſſet poteſtas, ſinè mediis, quorum electio pendet à ſcientiis & artibus, quæ poſ-

ſunt etiam ex contrariâ & hoſtili diſpoſitione profutura conſequi.

Finis. Sinè finis rectâ intentione irriti ſunt, & in pœnam tantùm laborantium conatus; recta autem finis intentio pendet à ſcientiâ. Cupiditati ſciendi nullus finis, ſic ſe habent, quò ſe quaſi in immenſum explicent, ad infiniti fruitionem notæ potentiæ.

Maioritas. Vt ob intelligentiæ eminentiam homo dominatur rebus ſub ſe creatis, ſic & cæteris hominibus: vt motus quò plus accedit ad centrum eſt velocior, ſic major eſt excellentiæ appetitus, in eâ parte, quâ homo cæteris præfertur.

Æqualitas. Vt parentibus, ſic magiſtris æquale non poteſt reddi: Nam exiſtentiæ beneficium æquat inſtitutio; nemo niſi de rerum conditionibus benè edoctus poteſt jus ſuum vnicuique reddere.

Minoritas. Etiam inter naturæ, fortunæ, gratiæque divitias pauper eſt, qui neſcit rerum quas poſſidet prætium, & in ſe, & cum aliorum conditionibus factâ comparatione.

MAGNITVDO COGNITIONIS.

COGNITIO ET SCIENTIA VNIVERSALIS.

MISCELLANEA.

VT animalibus à naturâ datæ ſint artes convenientes, & aptæ ad illarum exercitium organa; homo habet intellectum & manum ad omnes ſibi comparandas: oportuit autem manum in digitos eſſe diviſam, vt poſſet parva & magna corpora, omneſque eorum figuras comprehendere. Galenus lib. 1. de vſu partium. Organum hoc probat intellectum, cuiſervit, ad omnia comprehendenda eſſe natum.

Clemens Alexand. Stromat. lib. 1. & 6. invehitur contrà eos, qui Chriſtianis philoſophiam profitentibus detrahebant. *Vide Virtus Cognitionis.*

Cedrenus refert in Templo S. Sophiæ Conſtantinopoli, factam fuiſſe menſam ex auro, argento, omniſque generis lapidibus, lignis, metallis, cunctiſque rebus tam prætioſis quàm vilibus, quas terra fert, mare, & totus mundus, conflatam. Vide Baron. anno 557. Sophia ſeu ſapientia.

Finis hiſtoriæ naturalis eſt, vt miniſtret & in ordine ſit ad condendam philoſophiam. Baconius.

Non poteſt eſſe exceſſus cognitionis naturalis benè ordinatæ. Nam ſi Salomon dixit, oculum videndo, aurem audiendo non ſatiari, multo minùs mens intelligendo, vndè ſequitur, quod continens eſt majus contento; ſolo Deo poteſt impleri & diſtendi. Idem.

Sicut interdùm fit, vt nepos vel pronepos avum vel proavum magis referat quàm patrem, eodem modo evenit ſæpè, vt negotia præſentia magis quadrent cùm exemplis vetuſtioribus quàm recentioribus: ſic in anteacta ſæcula mittenda eſt cognitio; vnius enim ingenium tantùm cedit amplitudini litterarum, quantùm privati redditus ærario.

Proſpectationes fiunt è turribus aut locis præaltis, & impoſſibile eſt, vt quis exploret remotiores, interioreſque ſcientiæ alicujus partes, ſi ſtet ſuper plano ejuſdem ſcientiæ, neque altioris ſcientiæ veluti ſpeculam conſcendat. Quærunt multi veritatem in microcoſmis ſuis, non in mundo majori; nec diſcunt ſub magiſtrâ naturâ, ſenſim eos ad ampliorem cognitionem ducente.

Poſt diluvium, graviſſima pœna, quâ Deus humanam ſuperbiam vltus eſt, fuit confuſio linguarum, quâ doctrinæ liberum commercium, & litterarum ad invicem communicatio intercluſa eſt.

Ariſtoteli magnam vim pecuniarum ſuppeditavit Alexander, quâ conduceret venatores, aucupes, piſcatores, & alios, quo inſtructior accederet ad conſcribendam hiſtoriam animalium.

Rerum minimarum inveſtigatio plus interdum confert ad veritatis indagationem; maxima enim in minimis compendio, & modo infirmitati noſtræ accommodo cernuntur; videntur ſtellæ in aquis, non aquæ in ſtellis: Vis etiam naturæ magis elucet in minimis, vt vis magnetica in acu, non in vecte ferreâ.

Vt rami arborum conjunguntur in vno trunco, aliquantùm continuo, ſic ſcientiæ particulares in vnâ vniverſali, quæ dicitur ſapientia, rerum ſcilicet divinarum & humanarum notitiâ. Hæc debet eſſe receptaculum axiomatum, quæ particularium axiomatum non ſint propria, ſed pluribus eorum, in commune competant. Baconius lib. 3. de augmentis ſcientiar. cap. 1. hanc deſiderat, & hanc nos videmur, præſtare his noſtris lucubrationibus primamque, quam vocat, quamque auguratus eſt, attigiſſe nos putamus Philoſophiam.

Trina fit acclamatio per ſcientiam vniverſalem Deo, ſanctus, ſanctus, ſanctus; eſt enim ſanctus in multitudine operum ſuorum, ſanctus in ordine eorum, ſanctus in vnione: Nam vt dicebat Parmenides, omnia per ſcalam quandam ad vnitatem aſcendunt; latæ ſunt ſapientibus viæ, vt ait Salomon; qui enim novit formam aliquam, novit etiam vltimam poſſibilitatem ſuperinducendi naturam illam in omnigenam materiam. Idem ibid. cap. 4. De rerum vnitate. *Vide Minorit. Magnit.*

Vitari debet ſolutio continui in ſcientiis, hujus etenim contrarium particulares ſcientias ſteriles reddidit, inanes, & erroneas, dum inter ſe diſſitæ; etiam à fonte & fomite communi non aluntur, ſuſtentantur, & rectificantur. Idem.

Nihil magis varium quàm ſoni articulati, verba ſcilicet, via tamen inita eſt ea reducendi ad paucas litteras alphaberi.

Sicut manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum, anima forma formarum; ita debet dari ſcientia ſcien-

tiarum, aes attium, vndè cæteræ dirigantur & firmentur.

Risit Heraclitus homines scientias quærentes; non in majore seu communi mundo, sed in minoribus mundis, id est in ipsorum angustis & corruptis mentibus. Error maximus in Philosophiâ contingit, ex eo quod sumitur, aut multùm ex paucis: aut parùm ex multis. Nemo rei alicujus naturam in ipsâ re fœliciter perscrutatur; sed amplianda est inquisitio ad magis communia. Deus primo die creationis lucem tantùm creavit, eique operi diem integrum attribuit; sic primò quærenda sunt axiomata & experimenta, lucifera, non fructifera.

Mel plenilunio vberius capitur. Plin. lib. 11. c. 15.

Major ex cognitione vniversali voluptas.

Tunc in solo Romano vbertas, cum Imperatores eâdem diligentiâ semina tractabant, ac bella; minima, vt maxima. *Vide Medium Potest. Vicaria Potest. Rep. seipso agere.*

Tunc absoluta credita est pictura, & sculptura, cum articulis membra distinxit, venas protulit; in veste rugas & sinus invenit. Plin. lib. 35. c. 8.

Augusti ætate, Ludio pictor primus cœpit in parietibus depingere montes, flumina, piscationes, venationes, & vniversam naturæ faciem. Ibid. cap. 10.

Luna ex se humida, tamen calefacit, cum est lumine plena. Ptolomæus præd. Astr. lib. 1. cap. 7.

Pythagoras dicebat nosse seipsum nihil aliud esse, quàm totius mundi naturam scire, cùm homo sit vniversi compendium. Photius Biblioth. c. 249.

Animus aëreus, igneus & fluidus, non debet in angustum contrahi, vt fit ab æris qui minima quæque ad amissim pensitant, & in illis hærent. *Vide Bonitas Gloriæ. quietis.*

Cognitio vniversalis perfecta habetur in beatitudine. *Vide Magnitudo Gloriæ.* Gloria cœlestis.

Tarquinius Priscus obtinuit regnum, licet transmarinæ originis, ob industriam atque elegantiam, quippè qui oriundus Corintho Græcorum ingenium italicis artibus miscuisset. Florus. lib. 1. c. 5.

Lucianus dialo. de moribus philosophorum, loquitur de philosopho, qui semper habebat ante oculos figuram ad exemplum & imitationem vniversi: quomodò autem hæc figura sit fabricanda, vide Marsilium Ficinum lib. de vitâ cœlitus comparandâ. c. 19.

Aloei filij Ossam montem, Olympo imposuerant, deinde & hinc Pelion, vt sic faciliorem haberent in cœlum ascensum; his autem Oetam & Parnassum imponit Mercurius, vt Charonti, humana videre cupienti, ampliorem daret totius mundi prospectum. Lucianus dialogo, Charon, seu contemplantes.

Æthiops nunquam ad exteras gentes profectus existimaret omnes homines esse nigros, nec albos: Non est eligenda secta nisi omnes perspexeris; is autem in electione est consulendus, qui peritus est eorum quæ dicuntur ab omnibus: Non judicabo omnium pulcherrimum esse hominem, nisi omnes videro; possum quidem ex guttâ cognoscere quale sit totius dolij vinum, quia sibi simile est; at ex vno axiomate non possum inferre qualia sint cætera. Idem dialogo de sectis.

Professoribus Stoïcis, Platonicis, Epicureis, Peripateticis salarium erat ab Imperatore constitutum, singulis æquale. Scilicet in singulos annos decies mille nummum, vt docerent juventutem. Lucianus dialog. Lexiphanes.

Vix potest confici vna pulchritudo ex pluribus collecta, quia partes illæ à diversis mutuatæ non erunt decentes & convenientes; at omnibus scientiis & virtutibus potest anima exornari, sic ampliùs imitata

A formam sui Archetypi. Idem dialogo, Imagines.

Naturæ rerum vis atque majestas in omnibus momentis fide caret, si quis modò partes ejus, ac non totam complectitur animo. Plin. nat. hist. lib. 6. cap. 1.

Esse primas omnium formas in vno intellectu omnium effectore, significat formarum congregatio naturalium in vnâ omnibus subjecta materiâ. Plotin.

Licet antiquitùs in Galliis essent judices locales, tamen quotannis Druidæ conveniebant, vt de politiâ in genere delibetarent.

Debet Princeps omnia nosse, qui debet omnes regere; nosse debet omnium potentiam, vt illis datâ occasione vtatur.

Sensus est singularium, intellectus verò vniversalium.

B

In sensu communi omnium sensuum objecta concurrunt, velut omnes lineæ ex circumferentiâ ad centrum, dijudicat enim & discernit omnium objecta, licet sit vnus atque idem, & vnâ operatione. Sicut visus simul apprehendit diversos, imò contrarios colores.

Situs oculorum est in sublime.

Lux facit se & alia videri.

Cæteri sensus sunt in aliquibus corporis partibus, Tactus est in omnibus, percipit primas qualitates, scilicet calidum frigidum humidum, siccum licet sit inter sensus ignobilior, percipit tamen omnium principia.

C Artifex ab inerte in hoc maximè differt, quod iners exigua rerum discrimina præsentit. Galen.

Vix quælibet scientia scitur optimè toto vitæ tempore, quia pendet ab aliis, & tantùm delibat cognitiones, quæ in aliis perfectè haberentur.

Exacta particularis cognitio non potest haberi sine exquisitâ naturæ vniversi notitiâ: Particularia etiam confirmant quæ fuerunt generatim inventa. Hipoc. lib. de nat. homin.

Prudentis est, non solum vniversalia sed & singularia cognoscere; prudentia enim est actio, & actio est circà singularia: vndè experti sunt magis ad agendum idonei, quàm scientes. Arist. eth. lib. 6. c. 7.

Aquilæ in sublime volant, vt hinc faciliùs prædam videant.

D

Vir prudens debet præterita, præsentia & futura inter se comparare, si quidem ex vno debet inferre alterum.

Si luminosum majus est quàm vmbrosum, illuminat plusquàm medietatem; si æquale medietatem præcisè; si minùs, minùs medietate.

Suprà lunam pura omnia, & diurnæ lucis plena, quoniam eo non pervenit vmbra terræ.

Sunt quædam loca, in quibus meridiano tempore nullæ sunt vmbræ, quia Sol est illis verticalis. Plin. nat. hist. lib. 2. c. 73.

Vestis sacerdotalis totum mundum præfigurabat, vt videre est apud Philonem lib. 2. de Monarchiâ.

In Achillis Clypæo res omnes descriptæ, maria, montes, campi, vrbes, bella, &c. omne animantium genus.

E

Nihil est casuale respectu Dei, qui scit omnia.

Plato in Theæteto vult Philosophum omni scientiarum genere esse instructum.

Aristot. 1. analytic. poster. cap. 13. & 29. Asserit inductionem, quæ singularia multa contemplatur, esse principium & fundamentum veræ demonstrationis; non enim ad abstractorum & vniversalium notitiam, nisi per singularia deveniri potest; ideò artes ab experimentis.

Quod ampliùs cognoscit, potest habere suam & alienam formam; vndè amplioris est naturæ; sic

mens humana dicitur esse omnia.

Ianus bifrons à quibusdam dicitur esse Noë, qui vidit sæculum vetus & novum.

Ægyptij olim, & nunc Turcæ, orando se vertunt ad meridiem; tunc enim major & vniversalis illustratio.

Cancrorum oculi ad omnem partem moventur. Aristot.

Ideò voluit Deus nobis abscondere rerum naturalium proprietates, ne statim quod convenit apprehendentes, sperneremus rerum cæterarum notitiam. Hesiod.

Argus Pastor Iunonis, centum in capite oculos habens, quorum aliqui semper vigilabant, occisus fuit à Mercurio.

Mercurius est indifferentis naturæ, omnium enim planetarum & stellarum naturam induit.

Grues volant altè, vt procul prospiciant.

Homini solum inest vniversalis scientia, cæteris animantibus tantùm particularis cognitio; vndè cæteris majus proportione habet cerebrum.

Optimè intelligens scit quæ sunt suprà se, vt hinc discat; & scit infima, vt regat.

Oculo vno vnum quid acutiùs cernitur, quia vis est collecta; sed duobus plura cernuntur.

Providentia quantò se extendit ad plura, tantò est perfectior & solertior.

Sapientia est vna scientia, quæ considerat plura principia, vt reducantur ad vnum: scientia est vniversalium.

Ægyptij in templis scripta servabant quæcumque vbique terrarum aut pulchra aut magna aut insignia facta sunt.

Plato. in Timæo. Eorum sacerdotes de priscis rebus maximè periti erant: vndè Græcis nova tantum & præsentia sectantibus objiciebant quòd semper pueri essent.

Multus spiritus juvat ad figendam aciem in remotis, purus ad discernenda minima: Cum autem spiritus sint admodum tenues, & benefica sit eorum vis, quatàcumque sint copiâ non officiunt oculis.

In Scyene oppido, quod est suprà Alexandriam, solstitij die medio nulla vmbra cernitur, & puteus totus illustratur. Plin. lib. 2. cap. 73.

Ex multis vultibus pictor excerpit quod decet, vt pulchram effingat imaginem.

Apes ex multis floribus suum mel conficiunt.

Philadelphus Rex Ægypti Alexandrinæ Bibliothecæ quadraginta librorum millia intulit.

Languentis & torpentis est animi dicere, quæ suprà nos nihil ad nos; quod enim deest nobis ex superiorum naturâ, cognitione possumus assequi. Cave ne nolens superiores attingere ramos, ex inferioribus immaturos tantùm fructus colligas: Non sumus quasi venatores, qui immodicâ prædæ cupiditates cæteras spernunt delitias, camporum amœnitatem, avium cantus. &c.

Bonum habe animum, capies quantùm voles; quò plus recipit animus, eò se magis laxat; migraturus in regionem longinquam multas pecunias in aurum & gemmas redigit, bona sua secum ferens, non cumulo, sed prætio æstimanda. Non vnica vestis sufficit ad perpetuum corporis ornatum: in diversis veritas cum delectatione pascit animum.

Multarum rerum cognitioni favet typographia, inventa à Ioanne Gutembergo, equestris dignitatis viro, Moguntino, anno 1458. Hanc artem Romam attulit quidam nomine Conradus.

Lux congregat in vnum omne colorum genus.

Seneca dicit Epist. 2. Multos percurrendos libros, vt ex illis excerpamus profutura; & ipse Epicurum citans ait, soleo in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquàm explorator.

Sic passim in suis Epistolis, vtitur authoritate Epicuri, licet diversæ sectæ, & sæpiùs aliquo ejus dicto Epistolas suas claudit. Sic Epist. 12. ait Perseverabo tibi Epicurum ingerere, vt isti qui in verba jurant nec quid dicatur æstimant, sed à quo, sciant quæ optima sunt esse communia. & Epist. 15. in f. Epicuri inquit dicta mihi & laudare & adoptare permisi.

Lapides & ligna ab aliis accipio, ædificij tamen extructio & forma tota nostra est. Nec araneorum textus ideò melior, quia ex se fila gignunt, nec noster vilior quia ex alienis libamus, vt apes. Lipsius.

Si humor aqueus in oculo sit ex suffusione obscurus, vno intuitu non multa, sed pauca tantùm videntur.

De historiâ. *Vide Duratio Cognit.*

Quod eadem sit in omnibus veritas. *Vide Æquat. Veritatis.*

Prudentia præterita, præsentia, futura, omnesque rerum circumstantias videt. *Vide Virtus Cognit.* Prudentia & providentia.

Ægyptij Solem & Lunam adorabant, Solem Osyrim vocabant, quod nomen significat latinè multioculum.

Experimentum est circà particularia; ars verò circà communes notiones.

Eadem sensione plura sentiri possunt, vt verbi gratia dolor, duities, siccitas, albedo, nigredo, motus.

A pluribus consilium petendum. *Vide Concordantia Cognitionis.*

Numerus est modus intelligendi. *Vide Differentia Magnitudinis.* de numeris.

Artes liberales præparant animum ad philosophiam, illi pigmenta, ornatum gratumque domicilium exhibent. In exitu philosophiæ situm est vestibulum medicinæ: In numerorum proportionibus variisque habitudinibus harmonica omnis consistit sonorum ratio: Geometria servit Astronomiæ, dùm magnitudinum dat notionem. Quomodò connexæ sint scientiæ vide in proœmio hujus operis.

Hippias Philosophus olympicum certamen adiit, corporis ornatu spectandus, cum hæc sua ornamenta propriis confecisset manibus, erat enim in omnium scientiarum & artium genere peritissimus. Plato in Hippia.

Assyrij Astrologiæ inventores, propter planities quas incolebant, vndè cœlum vndique illis patebat. Cicero lib. de divinat.

Turcæ in affectatâ scientiarum ignorantiâ multum æstimant linguarum notitiam, eamque dicunt tot diversis hominibus æquivalere, quot tenet dialectos; sic enim potest cum exteris habere sermonem, de rebus quæ testem timent.

Rerum naturam peragranti, nunquàm in fastidium veritas veniet, falsa satiabunt. Senec. Epist. 78. Quia scilicet vnum in alio variè semper perspicitur.

Mens humana confidat se posse omnia cognitione complecti. Vide pulchra ex Trismegisto. *Cognitio Virtutis.* de confidentiâ sui.

Quemadmodum artifices ex alicujus rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum & precarium lumen habent in publicum prodeunt, & in aliquâ regione ad populi ocium dedicata, oculos libera luce delectant; sic animus in hoc tristi & obscuro domicilio clusus, quoties potest apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit. Seneca. Epist. 65.

Pisces in aquâ non vident cœlum sed aquam; non pura cœlestium lumina, sed exiguas eorum species

in aquâ jam fuſcas: ſic nos cœleſtia. In immenſo autem lumine omnia conſpiciemus lumina, perindè ac ſi quis in ſole radios omnes indè manantes, in radiis autem colores ſingulos, qui indè creantur, conſpiciat. Marſil. Ficin.

Philo dicit veſtem polimitam Ioſeph ſignificare multiplicem Rectoris cognitionem, Rector enim debet eſſe πολύτροπος, ſicut de Vlyſſe dicit Homerus.

De cognitione vniverſali, & Cabaliſtica quæ totum Dei opus, æternamque legem contemplatur. *Vide Majorit. Cognit.* in Miſcel.

In aurifodinis bracteolæ & minima auri fragmenta magnâ diligentiâ colliguntur, ſic in veritatis inquiſitione, vel quæ videntur minima non ſunt prætermittenda. D. Chriſoſt. hom. 1. ad popul. Antioch.

Si oculus excreſceret in totum corpus, ſublatis aliis membris, idem ſolis lumen reciperet, hoc tamen haberet, quod ſe non vertendo vno aſpectu omnia videret: quieſcendo, & melius; ita eſt mens Angeli reſpectu noſtræ, quæ eſt quaſi parvus & ſolitus in corpore oculus, qui ſe tantum convertendo & nictendo plura reſpicit: mens autem Angeli omnia, & vberiùs & vnico intuitu conſpicit, non eſt tamen veritas, cum illius ſit indiga. Marſil. Ficin. Theol. Plat. lib. 1. c. 6.

Anima rationalis concipit infinita. Nam numeros auget ſuprà numeros abſque fine; invenit figurarum modos & proportiones infinitas? lineam ſuprà cœlum abſque principio, in futurum abſque fine producit; ſic de loco & quantitate, in quâ effingit innumeros gradus; currit per omnia quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ erunt, poſſibilia, imò impoſſibilia. Idem lib. 8. cap. 6.

Ratio ipſa rei penitùs abſoluta, illud ipſum eſt, quod actu à nobis primò, rectòque, & propriè intelligitur. Idem lib. 11. c. 1.

Ego nihil damno curioſum ſtudium, ac quantùm vultis vtile, dummodò hæc ſobriè in altioris vſum ſcientiæ aſſumas, neque te ſenium in ſternendâ ad ſcientias viâ occupet. Barclai.

Rhetorica conveniendam habet cum Dialecticâ, ambæ enim verſantur in ejuſmodi rebus, quæ quodammodò cognoſcuntur ab omnibus, & nullius ſunt ſcientiæ definitæ. Ariſt. 1. Rhetor. initio.

Oportet contraria poſſe perſuadere, non vt vtraque faciamus, ſed vt alio his rationibus vtente ſolvere poſſimus. Ibidem lib. 1. c. 1.

Solis ſubſtantia, cum cæteris plus fulgeat, cæteris etiam denſior eſt.

Per lucem videntur omnia, colores, opaca, diaphana, & lumen ipſum.

In conviviis ſapientum, multi accedebant quaſi commiſſas portantes de variis rebus litteras. Athen. lib. 1. c. 1.

Syrenes cantabant ea quæ Vlyſſi poterant placere, vt eum habere multarum rerum cognitionem, & eorum omnium quæ fiunt in terrâ. Idem lib. 1. c. 7.

Oportet medicum varias regiones luſtraſſe, vt poſſit de illis judicium ferre. Galenus lib. quod optimus medicus ſit & philoſophus. Sciat primo vniverſalia; quæ ſit conſtitutio corporis humani; quot in vniverſum ſit morbi, quot remediorum genera, &c. Ibidem.

Integra debet eſſe cognitio, vndè non ſufficit medico ex ſymptomatis morbi cauſam augurari, quia ex diverſis cauſis poſſunt eſſe eadem ſymptomata, ſed oportet inſuper habere cognitionem perpeſſi loci, & ipſius facultatis menſuram. Idem lib. de optimâ ſectâ.

Ex vnâ aut alterâ parte conjici non poteſt corporis temperamentum, ſed ſingulæ partes ex functionibus ſunt inquirendæ. Idem lib. 2. de temperamentis.

Lingua omnis motus eſt particeps, vt ſit organum mentis omniſciæ. Idem lib. 1. de motu muſculorum. Sic etiam oculi muſculos habent, quibus in omnem partem inflectantur. Ibidem.

Animalia habent à naturâ ſuas artes, & ad illa apta inſtrumenta: Homo autem ad omnes ſibi comparandas habet intellectum & manum. Idem lib. 1. de vſu partium.

Nulla ars non alterius artis, aut mater, aut propinqua eſt Tertulian. de Idololatria. cap. 8.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

IVriſprudentia eſt rerum divinarum atque humanarum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. l. 1. ff. de juſt. & jure.

Eſt ſervitus, ne luminibus officiatur, & ne liber & gratior proſpectus impediatur. l. 15. ff. de ſervit. Vrban. prædior.

Epiſcopi debent etiam eſſe periti ſæcularium negotiorum. can. Petrus. diſt. 39. *Vide Virtus Cognitionis.*

Poteſt vſusfructuarius ædium limina apetire, ſed non claudere. l. æquiſſimum. ff. de vſufr.

Omnino da circà ſæculares litteras in clericis non probatur cognitio, aliqua tamen earum prodeſt: ſic Moyſes & Daniel omni ſcientiâ Ægyptiorum & Caldhæorum eruditi fuerunt, quorum tamen ſuperſtitiones horrebant. Legitur etiam quod præcipit Dominus filiis Iſraël, vt expoliarent Ægyptios auro & argento, moraliter inſtruens, vt ſive aurum prudentiæ, ſive argentum eloquentiæ, apud Poëtas inveniremus, ad vſum ſalutiferæ eruditionis verteremus. In Levitico etiam primitias mellis, ideſt dulcedinem eloquentiæ, Domino jubemur offerre. Magi quoque tria munera obtulerunt, in quibus nonnulli tres partes Philoſophiæ volunt intelligi, ſcilicet moralem, naturalem, rationalem. Hinc D. Ambroſ. in Epiſt. ad Coloſſ. ſcribit quòd omnis ratio ſcientiæ & eloquentiæ in Deo, & à Deo ſit, qui eſt omnium creator, & hæc reperitur in divinis ſcripturis ſecundum Caſſiodorum. Paulus etiam verſus Poëtarum ſuis ſcriptis indidit. Denique litteras ſæculares diſcere debemus, non ad voluntatem, ſed ad eruditionem. Legimus aliqua ne negligantur, legimus ne ignoremus, legimus non vt teneamus, ſed vt repudiemus; quomodò enim, inquit D. Hier. ſuper epiſt. ad Titum, Mathematicos confutabit, qui Mathematicam ignorat? riſui patebit. Vndè in Synodo Eugenij, vniverſis Epiſcopis jubetur curent Magiſtros & doctores liberalium artium vbique conſtitui, quia in illis divina declarantur mandata. diſt. 37. can. de quibuſdam.

Falſum eſt eam peperiſſe, cui mortuæ filius exſectus eſt. l. 132. §. final. ff. de verb. ſigniff. Non vera antiqua Philoſophia parit veritatem, licet ex ipsâ illam educat Philoſophia Chriſtiana.

Incivile eſt, niſi totâ lege perſpectâ, vnâ aliquâ ejus particulâ propoſitâ, judicare vel reſpondere l. 24. ff. de legib. lex naturæ in omnibus ſcrutanda.

Qui neque matutino tempore videt neque veſpertino morboſus eſt. l. 9. ff. de ædilit. edi.

EX THEOLOGIA.

VIdens Deum per eſſentiam, non poteſt aliquid abſtrahere ab ipſo. D. Thom. 3. q. 3. a. 3.

Adam habuit duplicem cognitionem de Deo, ſcilicet naturalem & ſupernaturalem. 1. q. 94. a. 3. Ha-

buit omnem cognitionem naturaliter poſſibilem homini. 3. q. 101. a. 1. vt rector vniverſi. 1. q. 94. a. 3.

Intellectus Angeli eſt completus per ſpecies connaturales omnium, quæ naturaliter cognoſcere poteſt, non autem intellectus noſter. 1. q. 54. a. 4.

Intellectus Dei eſt ſicut actus totius entis, ideò ſolus eſt actus purus; Angelicus autem ſemper eſt in actu ſuorum intelligibilium; non autem intellectus noſter, ſed eſt in potentiâ. 1. q. 79. a. 2.

Intellectus Dei eſt ſuum intelligere, non autem intellectus Angeli, nec intellectus hominis. 1. q. 54. a. 1.

Diſtantia temporum impedit cognitionem Angelorum, ſed non diſtantia locorum. 1. q. 47. a. 3. ad 4.

Eorum loquutio non impeditur diſtantiâ locorum q. 107. a. 4.

Nihil Deus produxit in rerum naturâ, quod non impreſſerit menti angelicæ. 1. q. 74. a. 2. Vndè angeli à principio cognoverunt naturaliter omnia per ſpecies. 1. q. 57. a. 1.

Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ, quæ eſt quadruplex in eis, ſcilicet perfecta Dei viſio, plena divini Numinis ſuſceptio; contemplatio pulchritudinis in ordine rerum; & copioſa divinæ cognitionis effuſio in alios. 1. q. 63. a. 7. ad 1.

Fides non fuit in Chriſto propter plenitudinem ſcientiæ eiús. 1. 2. q. 65. a. 5. ad 3. Chriſtus habuit rerum omnium ſcientiam ſpeculativam & practicam, non quidem practicè, id eſt quia ipſe faceret res, ſed quia ſciret qualiter res factæ ſunt à Deo. 3. q. 13. a. 1. ad 3.

Cognitio ſingularium pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ ſecundùm cognitionem practicam, non autem ſecundùm ſpeculativam. 3. q. 4. a. 1. ad 3.

Deus intelligit omnia ſingularia diſtinctiſſimè. 1. q. 14. a. 6. ad 11.

Quilibet videns Deum videt omnia quæ pertinent ad perfectionem intellectus, ſcilicet ſpecies & genera, & rationes rerum. 1. q. 12. a. 8. ad 4.

Res videntur in eſſentiâ Dei, ſeu in verbo, ſicut effectus in cauſa, & concluſio in principio, ſcilicet vniè, non autem ſicut in ſpeculo. 1. q. 12. a. 8.

Infinitum comprehenditur ab infinito, quia nihil ejus eſt extrà cognoſcentem, non autem attingendo fines ejus. 1. q. 14. a. 3. ad 1.

Intellectus noſter dicitur intelligere infinita, in quantùm intelligit vniverſale continens infinita in potentiâ. 1. q. 7. a. 2. ad 2.

Intellectus eſt in potentiâ ad formas vniverſales; materia vero ad formas individuales: ideò differunt realiter. 1. q. 75. a. 5. ad 1.

Intuitus præſens Dei fertur ab æterno in totum tempus, & in omnia quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut etiam in ſubjecta ſibi præſentialiter. 1. q. 14. a. 9.

Donum linguarum fuit neceſſarium Apoſtolis ad diſſeminandum Evangelium vbique, & in remedium confuſionis linguarum à peccato. 1. 2. q. 176. a. 2.

Qualitas ſcientiæ attenditur, non ſolùm ſecundùm numerum ſcibilium, ſed etiam ſecundùm claritatem cognitionis. 1. 2. q. 52.

Deus omnia ſimul ſuo intellectu comprehendens, dat ſacram ſcripturam, plures ſenſus habentem. 1. q. 1. a. 10.

Ideò rerum omnium Ideæ ſunt in mente divinâ. Intellectus noſter intelligit futura, non in ſeipſis, ſed in ſuis cauſis. 1. q. 86. a. 4.

Anima ſeparata cognoſcit omnia naturalia, confusè tamen.

Cherubim ſignificant ſcientiæ cognitioniſque copiam, vel ſapientiæ concuſſionem D. Dyoniſ. de cœleſt. Hierarch. c. 7.

Prudentia debet eſſe cognoſcitiva vniverſalium & ſingularium. D. Thom. 2. 2. q. 47. a. 3. Reſpicit privatum & commune, dùm præcipit ea, quæ ad debitum finem conducunt. q. 47. a. 10.

Sapientia & ars Dei eſt tantum vna, quia ſignificatur, vt quò Deus intelligit: Ideæ autem vt quod, ideò ſunt plures. 1. q. 15. a. 2. ad 2.

Deus primò ſe cognoſcit, quia ſua cognitio non differt à ſuo eſſe: facit omnia, ergò cognoſcit: cognoſcit bonitatem, & potentiam ſuam per omnia diffuſam.

Cujuslibet rei bona cognitio; nullum bonum deeſt Deo: virtus ſuperior debet noſſe quod inferior novit & aliquid vltra, vt quod ſenſus accipiunt ſingulatim, phantaſia ſummatim diſcernit, in pluribus tamen imaginibus, Intellectus in vnâ videt, & clariùs, ſcilicet rerum rationes vniverſales, quas phantaſia neſcit: Ita Deus vnicâ virtute cognoſcit quidquid nos tribus virtutibus, ſenſu, phantaſiâ, intellectu; ergo vniverſalia intuetur & ſingula, omnes eſſendi modos, quia ipſe eſt origo eſſendi: vndè rerum viliſſimarum cognitio non eſt Deo indigna, quia res non in ipſis, ſed in ſeipſo cognoſcit, non per earum imagines, ſed per ſuam eſſentiam intuetur; non diſtrahitur circà plurima, ſed cuncta conſpicit tanquam vnum; non laborat, quia non quærit, ſed poſſidet, vt qui vno intuitu videt plures ſtellas in cœlo. Cognoſcit infinita, quia virtus ejus eſt infinitas; ſed videt infinita, tanquàm rem eſſentiâ ſimplicem, ſed ratione multiplicem, vt ſi vnitas videret in ſe actu omnes numeros qui ſunt in ſe potentiâ; aut ſi ſolis lux, colorum fons, omnium, quæ vnicolor eſt, ſe tanquàm omni colorem percipiat, &c. Marſil. Ficinus. Theol. Plato. lib. 2. c. 9. & 10.

EX BIBLIIS.

ADam perfectam rerum omnium habet cognitionem, cum illis propria dat nomina.

Sic Salomon ſapientiæ 7. Deus dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum; initium, conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum; anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones; naturas animalium, & iras beſtiarum; vim ventorum & cogitationes hominum; differentias virgultorum, & virtutes radicum, &c. Hæc me docuit ſpiritus omnia proſpiciens. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia, attingit autem vbique propter ſuam munditiam.

Spiritualis autem omnia judicat, ipſe verò à nemine judicatur. 2. Cor. 2.

Omnia nova & vetera ſervavi tibi. Cant. 7.

Sapientia miſcuit vinum, propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, ideſt diverſas ſcientias. Proverb. 9.

Sapientia in ſummis excelſiſque verticibus, ſuprà viam, in mediis ſemitis ſtans juxtà portum, &c. Proverb. 8. Ideſt profitetur ſcientiam rerum ſublimium & humilium.

Dominus dicit ad Iſayam 8. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.

Iſay. 22. loquens de Eliacim ſummo Sacerdote, Dominus ait, dabo clavem ideſt ſcientiam domus David, ſuper humerum ejus; & aperiet, & non erit qui claudat; claudet & non erit qui aperiat.

Ezech. 1. Animalia in quatuor partibus facies & pennas

Digitized by Google

pennas habent, junctæque erant pennæ eorum, alterius ad alterum: totum corpus plenum oculis, &c. cap. Ezechiel jubetur comedere librum.

Ossa arida accipiunt spiritum vitæ à quatuor ventis. Ezechiel. 37.

Quoniam videbo cœlo tuos, lunam & stellas. &c. Psalm. 8.

Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est Patri familias, qui profert de thesauro suo nova & vetera Math. 13.

Educit in numero militiam cœli, & omnes ex nomine vocat. Non est investigatio sapientiæ eius. &c. Isay. 40.

In omnibus oculi Domini contemplantur bonos & malos. Proverb. 15.

Deus videt vniversa, quæ fecerat, & erant valdè bona. Gen. 1.

Moysi Deus ostendit in momento totam terram promissionis. Deut. 34. Dæmon ostendit Christo omnia regna mundi. Math. 4.

De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum; qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Psal. 32.

Ioseph habet tunicam polimitam & varigatam de multiplici scientiâ interpretatur Philo. lib. de somniis. Gen. 37.

Aperientur portæ tuæ jugiter die ac nocte, non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium &c. Isay. 60.

Candelabrum aureum septifidum antè arcam. Exod. 25.

Ezech. 28. de Rege Tyri sapientissimo dicit. Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientiâ: omnis lapis prætiosus operimentum tuum: tu Cherub extentus, posui te in monte Sancto Dei.

Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens. 1. Cor. 13. &c.

Non quod non bona sit scientia, sed indiget antidoto seu correctivo charitatis, vt non inflet, sed ædificet.

Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. Thes. 5.

Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. 1. Cor.

Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis & latitudinem cordis quasi arenam quæ est in littore maris. 3. Reg. 4.

Eruditus est Moyses omni sapientia Ægiptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis. Act. 7.

EX PATRIBVS.

EX libris prophanis faciamus quasi eunuchos; opium erit officium paucis ablatis prophana in pios vsus convertere. Ex putei fæce, fit ignis altaribus inferendus. Machab.

Auris amputata, & Malcho à Christo restituta, nihil aliud significat, nisi vetustatis auditum in novitate spiritus restitutum. Div. Augustin. tract. 112. in Ioan.

Bonarum disciplinarum copia est quasi condimentum athletæ cibo admixtum, non delicias, sed bonum appetitum captantis: Quasi præcones præparant auditores, vt dicenda attentiùs audiantur. Clem. Alexand. Stromat. lib. 1. Vt enim ait Origenes, spolianda est Ægyptus.

Multa, licet artifici ad finem non conferant, afferunt tamen ornatum, sic multiplex doctrina catechumenis admirationem afferens eos, ad veritatis persuasionem deducit; sic semina veritatis operta multiplicant, & vt in venatione labore & patientiâ partum gratius est. Idem Ibidem.

Græcis Philosophia necessaria erat ad iustitiam; nunc autem vtilis est ad Dei cultum & pietatem, iis qui fidem colligunt per demonstrationem; Græcis fuit instar pædagogi, illos instruens & præparans, donec à Christo perficerentur. Vna quidem est via veritatis, sed in eam tanquàm in fluvium perrennem, alia aliundè fluenta influunt. (vide Prouerb. 4.) sic sophistis inaccessa redditur via: Quoties, inquit Dominus, Hierusalem volui congregare filios tuos? Quoties multiplices modos, & multiplicem ostendit sapientiam: Priùs Abraham congreditur cum Agar quàm cum Sara, quæ ante erat sterilis. A sensibihbus, quæ docet Philosophia, excitatur anima vt possit veritatem percipere, & contrà fraudem per demonstrationes se munite; sic naturæ meliores redduntur, & ad gignendum aptiores: Sinè litteris fidelis quis potest esse, sed sine litteris non potest cognoscere; quæ enim benè dicuntur admittere, & aliena respuere, non absoluta fides, sed quæ circà disciplinam versatur fides efficit. Vt licet in paupertate bene vivere, licet & in abundantiâ; sic faciliùs virtutes cum disciplinis acquiruntur. Vnus est agricola, qui à constitutione mundi ex alto seminat & impluit, tempora & loca quæ susceperunt genuere differentiam. Dicitur dominus vitis allegoricè, à quo cum diligentiâ, & agri colendi arte; quæ sit ratione & sermone, fructus est vindemiandus, putare oportet, fodere. &c. Benè & vtiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem, adeò vt ex Geometriâ, & Musicâ. &c. colligens quod est vtile, nullis insidijs interceptam servet veritatem. Vt ex puncto, quod est vnum, constituuntur lineæ & corpora Mathematica, ex vno enim profluunt omnia: Item ex momento æternitatis, quod est vnum, constituitur tempus, præsens, præteritum & futurum, quod ipsum momentum, tanquam exemplar imitatur vt ait Plato, & ad ipsum, tanquàm ad æternum reducitur Principium: Sic vna est veritas, quæ in plures dispersa est partes, quas ad vnitatem reducet philosophus Christianus. Quamvis in diversis scientijs diversa videantur axiomata, semper in vno conveniunt, vt differentiæ in genere; sic Barbara & Græca philosophia, æternæ veritatis avulsam quandam particulam, ex Verbi, quod semper est, Theologiâ decerpsit; qui autem divisa rursus composuerit, & perfectum verbum vnum fecerit, veritatem citrà periculum contemplabitur. Clemens Alexandrin. 1. Stromat. cap. 5.

Scriptum est. Ioan. 10. Quod omnes antè Christum fuerunt latrones, est enim philosophia veluti à Prometheo furto subrepta, parùm ignis ad lucem apti vtiliter excitatum, & vestigium aliquod sapientiæ à Deo, Ibidem. cap. 8.

Rosa è spinis sinè noxâ carpitur; Margarita in conchæ carnibus infossa invenitur. Idem lib. 2. stromat. cap. 1. Olivæ fructifera surculus agresti insertus magis proficit: Sic inferam dicit Religionem Christianam humanæ Philosophiæ. Sunt variæ escæ propter variam piscium multitudinem.

Thesauri in alieno agro inventi media pars cedit invehtori. §. thesauros instit. de adquir. rer. dom.

Effundendum venenum ex vase aureo.

Est obviam Domino ramos de arboribus cedere; exceptas sententias proferre.

Vtimur sole cui Idololatræ sacrificant; aëre sacrificiorum nidoribus permixto; sic ventis & fontibus in Idolorum templis scaturientibus & fluentibus. D. August. Epist. 154.

Non mentis tantùm facultates, ſed & corporis membra cultui divino mancipamus, Veritas à prophanis, quaſi ab injuſtis poſſeſſoribus in vſus noſtros vendicanda eſt: Ægyptij idola habebant quæ populus Iſraël deteſtabatur, & aurum, & vaſa prætioſa, quæ juſſu Dei abſtulit; ſic, &c. Vt autem minores ſunt divitiæ, quas Iſraël ſecum aſportavit ex Ægypto, quàm illæ quas in Hieruſalem ſub David & Salomone Iſraëlitæ poſſederunt: Sic abundantiùs omnia in ſcripturis ſanctis inveniuntur, ex D. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. ſub finem; ſciunt homines vtilibus ſumptis inimica reſpuere; optandum eſſet ex omni profundo maris Margaritas elicere, ex omni arbuſto fructus & flores, &c. Idem.

In templo candelabrum 7. cauliculos habebat, quorum ſex bifariam in terniones erant diviſi, latus vtrumque ſtipantes. At in medio erat vnum, quod rectà lumen ſurſùm emittebat; ſignificat ſapientiam ſeu Theologiam, inter cæteras ſcientias.

Abraham non habet partum ex Sarâ vxore, niſi poſtquàm congreſſus eſt cum Agar ancillâ; priùs habenda Encyclopedia ſcientiarum, quam ad veram ſapientiam veniatur. Philo libro de congreſſu quærendæ eruditionis causâ.

Alanus Varenius, dialogo de ſapientiâ, dicit ſapientiam eſſe vniverſalem rerum divinarum & humanarum notitiam; quæ tamen tota ad divina refertur. Sic animus humanis divina mirâ concordiâ contemperatus, ex omnibus ad divina conſurgit; nec in vmbrâ & rerum imaginibus ſiſtit, totus in exemplaria ducitur; tamen cum corpore conſtet & mente, in vtriſque pro legitimis ſapientiæ inſtituris negotiatur, vtrumque obit munus, humana tamen divinorum collatione parvi facit.

Lia pulchrior, ſed ſterilis, ancillam marito concedit vt pariat; ſic ſapientia vtitur ſcientiâ, rerum etiam humanarum & ſenſibilium, ne ſit ſinè fœtu. D. Auguſt. lib. 22. contrà Fauſtum Manich. c. 55.

SCIENTIA VNIVERSALIS hominem decet.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Homo exiſtit rerum omnium medius, vndè eſſentialem habet cum rebus omnibus convenientiam, quas ideò vt fines, imò vt aliquas ſui partes, debet aſſequi cognitione. In ſuam vtilitatem laborant omnia, cœli, elementa, mixta, animalia; vndè ſtupidiſſimus ſimul & ingratiſſimus eſt, ſi collata ſibi beneficia non agnoſcat, Deumque tot dona per creaturas conferentem non colat.

MAGNITVDO. Immenſitatis innatum appetitum in perniciem noſtram detorquent inexpletæ ambitionis, avaritiæ, voluptatis cupiditates: At mens innoxiè, imò & piè illo vtitur, dum rerum omnium ſcientiam conatur aſſequi: Mentis humanæ excellentia eſt, quod cognitionis vniverſalis ſit capax, & hoc titulo diſtinguitur à brutis, quæ ſingula habent tantum cognitionem practicam alicujus artis, homo autem omnium eſt capax.

DVRATIO. Notiones vniverſales, vt nobis magis connaturales, altiùs menti inſident, nec oblivione delentur, ſicut fracta quædam, ſibique non cohærentia ſcientiarum particularium principia. Optamus ad Dei imitationem eſſe ſemper & vbique, id autem conſequimur per ſcientiam vniverſalem: Vt compendioſè habemus magnam pecuniæ ſummam in prætioſis lapillis, vim mixtorum citrà materiæ quantitatem & faces per chimicas eſſentias; ſic ſcientiæ omnes & artes facilius conſequimur per ſcientiæ vniverſalis præcepta.

POTESTAS. Homo dominus vniverſi omnia vult noſſe tanquàm ad ſe pertinentia. Habet ad omnia diſcenda potentiam, quæ in actum debet reduci. Præſtantiores, qui ad Reipublicæ clavum ſedent, & qui de omnibus judicant, omnia debent ſcire. Suprà legem eſt, ſeu naturæ, ſeu politiæ. qui poſſidet vniverſalem agendorum idæam: Sibi lex eſt, cæteris leges, etiam ſi nullæ eſſent conſtitutæ, daturus.

COGNITIO. Curioſitas omnia, etiam non profutura ſcire appetit; ideò mobiles & in omnem partem verſatiles oculi momento luſtrant hemiſpherium; velociores adhuc ſunt mentis & cogitationis motus: hæc præterita futuris, diſſita, contraria, ſinè medio connectit, novoſque idæas et mundos fabricat: Libero gaudemus proſpectu: coërcent autem mentem particularis ſcientiæ præcepta, dùm ad omnia natam, & omnia volentem promeare, vni affigunt ſolo.

VOLVNTAS. Non debet eſſe iritus, ideò implendus, naturalis omnia ſciendi appetitus, ſic deludentur paſſiones, & à nocivis ad profutura divertunt. Nulli gravis eſt, qui immenſos ſcientiæ congregat theſauros.

VIRTVS. Sapiens qui ad naturam vult vivere, ſcire debet ejus leges; fortis eſt in adverſis, temperatus in proſperis, vbique prudens; Deo, ſibi, proximo juſta reddit, qui vniverſalem poſſidet rerum notitiam.

VERITAS. Vult falli, Deo, naturæ, ſibique contumelioſus, qui non integram creaturarum compagem, ſed partem tantùm ejus conſiderat: habent enim partes omnes mutuam inter ſe proportionem, & ab invicem ordinem, pulchritudinemque mutuantur. Cùm vno convertitur veritas; vndè ad principium aliquod vniverſale omnia ſunt reducenda.

GLORIA. Non implet, non verè delectat ſcientia, niſi vniverſalis; quia qui vni ſcientiæ particulari ſe totos dicant, dum ab aliis ſua mutuantur principia, ſciunt tantùm ſe multa neſcire; & quaſi ære alieno gravati gemunt, ſervinnt, torquentur, nec illa ipſa quæ videntur ſcire poſſident. Imitari debemus, quantùm fas eſt, beatos, qui omnia ſimul vident in Verbo.

DIFFERENTIA. Dum varia venatur curioſitas, mens diſpergitur, vixque plura ſimul ſectando aliquid conſequitur. Vt ſufficit omnium individuorum naturam in ſpecie cognoſcere, omnes equos in vno; ſic danda ſunt vniverſalia quædam principia, ex quibus ſingularium cognitio deducatur. Non benè referunt objectum aquæ vndis aſpectæ, aut confracta in partes ſpecula.

CONCORDANTIA. Omnia ſimul, vt appetit mens, non cognoſcit niſi, per vniverſales quaſdam rerum idæas: habent inter ſe res omnes convenientiam, habent illam in cauſis æquivocis à quibus pendent; habent in idæis divinis, in Angelis, qui vident omnia in principiis vniverſalibus; habent & in mentibus noſtris, quæ ſpirituali & corporali naturæ affines ſunt, vt vtriuſque fœdus in ſe ſanciunt, rerum omnium ſcientiâ.

CONTRARIETAS. Contrariorum ſcientia, vt ſanitatis & morbi, juſti & injuſti, ſibi mutuò lucem affert: Virtus diſcit ex adverſis quantùm profecerit. Omnia ſciens extrà fortunæ aleam poſitus eſt.

PRINCIPIVM. Si ſcientia inquirit rerum cauſas perfecta eſt illa, quæ cauſarum cauſas, reſque in principiis vniverſalioribus contemplatur. Docet natura non à ſingularibus ad vniverſalia procedendum ſed

ab vniverſalibus ad ſingularia minori labore deſcendendum, cum vniverſalem notitiam præmittit ſingulari, vt cum ex diſtanti loco video aliquid moveri, priùs judico eſſe animal & hominem quam Petrum.

MEDIVM. Medij rerum omnium, illarum quaſi affinium debemus habere notitiam: Vt enim non eſt medium, niſi per relationem ad extrema; ſic verè ſe non novit homo ſinè rerum circumſtantium notitiâ.

FINIS. Vt finis primò intenditur, deindè media ad ipſum; ſic mens primò veritates vniverſales antè ſingulares notitias contemplatur: Hæc eſt ordinaria ſcientiarum methodus; non quieſcit mens in ſingulari, ſed in vniverſali cognitione, ſicut in centro ſuo.

MAIORITAS. Sapit ad ſobrietatem qui vniverſalia ſibi connaturalia ſectatur; non qui ſe ſingularibus in- A finitis, abſque vniverſalis veritatis directione permiſcet: Tunc enim mens confuſa & oppreſſa cedit oneri, quo plùs adjecerit ſcientiæ. Vt natura noſtra inferiores gradus eminenter continet; ſic ſcientia vniverſalis ſingularium notiones.

ÆQVALITAS. Gratiæ ſe mutuo complectuntur, concinunt cum ſuo Appolline Muſæ: Sic ſcientiæ debent ſibi mutuo lucem afferre, ſed id non præſtant, niſi dirigantur à ſcientiâ vniverſali.

MINORITAS. Si in hujus vitæ anguſtiis, & tenebris aliquid ignorandum ſit, malo ignorare ſingularia quàm vniverſalia, quia in vniverſalibus ſingularia continentur: Gratius oculis eſt libero frui proſpectu, licet in illo objecta exactè non diſcernantur, quam muſcam aut ſpicam ex propinquo conſiderare.

DVRATIO COGNITIONIS.

CONTINVATIO COGNITIONIS.

Seu continua & perſeverans cognitio.

MISCELLANEA.

DEvs dedit divinis duo genera motus; A vnum quo in eodem ſemper & ſimiliter moverentur, cùm de iiſdem ſemper eadem cogitent; alterum quo in anteriorem partem ab ipſius vertigine ducerentur. Plato. in Timæo.

Idem in Phædro, dicit divinum amoris furorem in animo accendi, quando pulchram aſpiciens corporis formam, divinæ pulchritudinis, quam quondam contemplatus fuerat, facilè recordatur, illiuſque recuperandæ deſiderio inflammatur & furit.

Oportet docentes maximè ſibi ſemper conſentire. B Ibidem.

Idem Epiſt. 2. ad Dyoniſium, conjicit ſupereſſe in mortuis rerum humanarum ſenſum, ex eo quod optimæ mentes famam ſuam poſt mortem curent.

In morbis ſana mens bonum. Hipoc. Apho. 33. l. 2.

Oculi piſcium palpebras non habent, propter concordantiam circumfuſi humoris cum temperamento oculi.

Contemplari magis aſſiduè quàm operari poſſumus. Ariſt.

Sunt quædam ſtellæ juxta polum, quæ nunquàm nobis occidunt.

In ſanguineis oculus pinguis eſt, vt ſervetur à frigore alienus: Animalia vero exanguia duriorem habent in oculis pellem. Ægyptij, quia ferè ſemper ſunt ſereno cœlo, de ſtellis multa fide digna tradiderunt. Ariſt.

Omnis cognitio fit ex antecedenti cognitione, concluſio enim fit ex antecedentibus: Omnis propoſitio ex cognitione terminorum, quæ ſupponit cognitionem ſenſitivam, cæcus enim non intelligit colorem: Notitia ſenſus ſupponit aliam, vt notitia coloris ſupponit notitiam luminis.

Opera quæ jam inventa ſunt caſui debentur, & experientiæ magis quàm ſcientiis; ſcientiæ enim, quas jam habemus, nihil aliud ſunt quàm quædam concinnationes rerum anteà inventarum, potiùſquàm modi inveniendi, aut deſignationes novorum operum. Baconius.

Homines priuſquàm litteras ſcirent, leges cantabant, vt eas facilùs memoriæ mandarent. Ariſtot. problem. ſect. 29.

In his quorum finis eſt opus externum meliùs inſtruimur experientiâ quàm auditu aut lectione, propter diverſas circunſtantias, quæ in opere ipſo apparent.

Ægyptij Aſtrologiam longinquitate temporum, innumerabilibus penè ſæculis conſequuti ſunt. Cicero lib. de divinat. B

Quidam dicunt Cometam non eſſe accenſum vaporem, quia ſic non duraret, ſed eſſe illuſtratum à Sole, vndè & interdùm Eclypſim patitur per oppoſitionem vmbræ terræ.

Qui neque matutino tempore videt, neque veſpertino, morboſus eſt. l. 9. ff. de ædi. edicto.

Somnia naturalia & moralia, in quibus phantaſia componit quid ſimile his, quæ per diem viſa & volita ſunt.

Prodeſt admonitio, ſi ſit aſſidua. *Vide Duratio Virtutis.* conſtans admonitio. C

Continua debet eſſe contemplatio, quia ad illam naturalem habemus inclinationem. *Vide Voluntas Cognitionis.* & quia aſſiduitate perficitur. *Vide infrà.* hoc titulo. Mora.

Vt pereunt aquæ ſeu pluviæ, ſeu phontium, niſi in vnum congregentur, ſic ſeu divinitus infuſæ, ſeu ſtudio quæſitæ ſcientiæ perirent, niſi ſcriptis eſſent mandatæ, à ſectis probatæ, & ſæpiùs memoriâ repetitæ.

Certum eſt vnum ex Elephantis tardioris ingenij in accipiendis quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum

Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, Saturnus, Sol, Luna, Caput Draconis, Cauda Draconis, Ascendens, Occidens, Medium Cœli, Imum Cœli, Pars Fortunæ, Pars Spiritus, Pars Amoris, Pars Matrimonii, Pars Mercurii, Pars Necessitatis, Pars Audaciæ, Pars Victoriæ, Pars Fidei, Pars Infortunii, Pars Mortis, Pars Regni, Pars Hæreditatis, Pars Navigationis, Pars Peregrinationis, Pars Servitutis, Pars Mulieris, Pars Filiorum, Pars Patris, Pars Matris, Pars Fratrum, Pars Nutrimentorum, Pars Mortis Patris, Pars Mortis Matris, Pars Mortis Fratrum, Pars Mortis Filiorum, Pars Mortis Nutrimentorum, Pars Mortis Mulieris, Pars Mortis Servitutis, Pars Mortis Peregrinationis, Pars Mortis Navigationis, Pars Mortis Hæreditatis, Pars Mortis Regni, Pars Mortis Infortunii, Pars Mortis Fidei, Pars Mortis Victoriæ, Pars Mortis Audaciæ, Pars Mortis Necessitatis, Pars Mortis Mercurii, Pars Mortis Matrimonii, Pars Mortis Amoris, Pars Mortis Spiritus, Pars Mortis Fortunæ.

Quæ omnia ita ordinata sunt, ut primum locum obtineat Mercurius, secundum Venus, tertium Mars, quartum Jupiter, quintum Saturnus, sextum Sol, septimum Luna, octavum Caput Draconis, nonum Cauda Draconis, decimum Ascendens, undecimum Occidens, duodecimum Medium Cœli, decimum tertium Imum Cœli, decimum quartum Pars Fortunæ, decimum quintum Pars Spiritus, decimum sextum Pars Amoris, decimum septimum Pars Matrimonii, decimum octavum Pars Mercurii, decimum nonum Pars Necessitatis, vigesimum Pars Audaciæ, vigesimum primum Pars Victoriæ, vigesimum secundum Pars Fidei, vigesimum tertium Pars Infortunii, vigesimum quartum Pars Mortis, vigesimum quintum Pars Regni, vigesimum sextum Pars Hæreditatis, vigesimum septimum Pars Navigationis, vigesimum octavum Pars Peregrinationis, vigesimum nonum Pars Servitutis, trigesimum Pars Mulieris, trigesimum primum Pars Filiorum, trigesimum secundum Pars Patris, trigesimum tertium Pars Matris, trigesimum quartum Pars Fratrum, trigesimum quintum Pars Nutrimentorum, trigesimum sextum Pars Mortis Patris, trigesimum septimum Pars Mortis Matris, trigesimum octavum Pars Mortis Fratrum, trigesimum nonum Pars Mortis Filiorum, quadragesimum Pars Mortis Nutrimentorum, quadragesimum primum Pars Mortis Mulieris, quadragesimum secundum Pars Mortis Servitutis, quadragesimum tertium Pars Mortis Peregrinationis, quadragesimum quartum Pars Mortis Navigationis, quadragesimum quintum Pars Mortis Hæreditatis, quadragesimum sextum Pars Mortis Regni, quadragesimum septimum Pars Mortis Infortunii, quadragesimum octavum Pars Mortis Fidei, quadragesimum nonum Pars Mortis Victoriæ, quinquagesimum Pars Mortis Audaciæ, quinquagesimum primum Pars Mortis Necessitatis, quinquagesimum secundum Pars Mortis Mercurii, quinquagesimum tertium Pars Mortis Matrimonii, quinquagesimum quartum Pars Mortis Amoris, quinquagesimum quintum Pars Mortis Spiritus, quinquagesimum sextum Pars Mortis Fortunæ.

Quæ omnia ita ordinata sunt, ut primum locum obtineat Mercurius, secundum Venus, tertium Mars, quartum Jupiter, quintum Saturnus, sextum Sol, septimum Luna, octavum Caput Draconis, nonum Cauda Draconis, decimum Ascendens, undecimum Occidens, duodecimum Medium Cœli, decimum tertium Imum Cœli, decimum quartum Pars Fortunæ, decimum quintum Pars Spiritus, decimum sextum Pars Amoris, decimum septimum Pars Matrimonii, decimum octavum Pars Mercurii, decimum nonum Pars Necessitatis, vigesimum Pars Audaciæ, vigesimum primum Pars Victoriæ, vigesimum secundum Pars Fidei, vigesimum tertium Pars Infortunii, vigesimum quartum Pars Mortis, vigesimum quintum Pars Regni, vigesimum sextum Pars Hæreditatis, vigesimum septimum Pars Navigationis, vigesimum octavum Pars Peregrinationis, vigesimum nonum Pars Servitutis, trigesimum Pars Mulieris, trigesimum primum Pars Filiorum, trigesimum secundum Pars Patris, trigesimum tertium Pars Matris, trigesimum quartum Pars Fratrum, trigesimum quintum Pars Nutrimentorum, trigesimum sextum Pars Mortis Patris, trigesimum septimum Pars Mortis Matris, trigesimum octavum Pars Mortis Fratrum, trigesimum nonum Pars Mortis Filiorum, quadragesimum Pars Mortis Nutrimentorum, quadragesimum primum Pars Mortis Mulieris, quadragesimum secundum Pars Mortis Servitutis, quadragesimum tertium Pars Mortis Peregrinationis, quadragesimum quartum Pars Mortis Navigationis, quadragesimum quintum Pars Mortis Hæreditatis, quadragesimum sextum Pars Mortis Regni, quadragesimum septimum Pars Mortis Infortunii, quadragesimum octavum Pars Mortis Fidei, quadragesimum nonum Pars Mortis Victoriæ, quinquagesimum Pars Mortis Audaciæ, quinquagesimum primum Pars Mortis Necessitatis, quinquagesimum secundum Pars Mortis Mercurii, quinquagesimum tertium Pars Mortis Matrimonii, quinquagesimum quartum Pars Mortis Amoris, quinquagesimum quintum Pars Mortis Spiritus, quinquagesimum sextum Pars Mortis Fortunæ.

AD THEOPHILUM

LIBER TERTIUS

CAPUT PRIMUM

Quæ omnia ita ordinata sunt, ut primum locum obtineat Mercurius, secundum Venus, tertium Mars, quartum Jupiter, quintum Saturnus, sextum Sol, septimum Luna, octavum Caput Draconis, nonum Cauda Draconis, decimum Ascendens, undecimum Occidens, duodecimum Medium Cœli, decimum tertium Imum Cœli, decimum quartum Pars Fortunæ, decimum quintum Pars Spiritus, decimum sextum Pars Amoris, decimum septimum Pars Matrimonii, decimum octavum Pars Mercurii, decimum nonum Pars Necessitatis, vigesimum Pars Audaciæ, vigesimum primum Pars Victoriæ, vigesimum secundum Pars Fidei, vigesimum tertium Pars Infortunii, vigesimum quartum Pars Mortis, vigesimum quintum Pars Regni, vigesimum sextum Pars Hæreditatis, vigesimum septimum Pars Navigationis, vigesimum octavum Pars Peregrinationis, vigesimum nonum Pars Servitutis, trigesimum Pars Mulieris, trigesimum primum Pars Filiorum, trigesimum secundum Pars Patris, trigesimum tertium Pars Matris, trigesimum quartum Pars Fratrum, trigesimum quintum Pars Nutrimentorum, trigesimum sextum Pars Mortis Patris, trigesimum septimum Pars Mortis Matris, trigesimum octavum Pars Mortis Fratrum, trigesimum nonum Pars Mortis Filiorum, quadragesimum Pars Mortis Nutrimentorum, quadragesimum primum Pars Mortis Mulieris, quadragesimum secundum Pars Mortis Servitutis, quadragesimum tertium Pars Mortis Peregrinationis, quadragesimum quartum Pars Mortis Navigationis, quadragesimum quintum Pars Mortis Hæreditatis, quadragesimum sextum Pars Mortis Regni, quadragesimum septimum Pars Mortis Infortunii, quadragesimum octavum Pars Mortis Fidei, quadragesimum nonum Pars Mortis Victoriæ, quinquagesimum Pars Mortis Audaciæ, quinquagesimum primum Pars Mortis Necessitatis, quinquagesimum secundum Pars Mortis Mercurii, quinquagesimum tertium Pars Mortis Matrimonii, quinquagesimum quartum Pars Mortis Amoris, quinquagesimum quintum Pars Mortis Spiritus, quinquagesimum sextum Pars Mortis Fortunæ.

Eſſentia Dei videtur ſemper à quolibet beato. 1. q. 12. a. 2.

Ex vno articulo fidei probatur alius, ſicut Paulus argumentatur ad reſurrectionem communem ex reſurrectione Chriſti. 3. q. 1. a. 8.

Fides gignitur & nutritur per ſcientiam, extrinſecè tamen, ſcilicet perſuadendo. 1. q. 1. a. 2.

Ideæ ſunt æternæ. 1. q. 6. a. 4.

Intellectus poſſibilis conſervat ſpecies, contrà Avicennam. 1. q. 79. a. 6.

Lex naturalis non poteſt deleri de corde alicujus, quoad prima principia in vniverſali, ſed tantùm in particulari, vel quoad concluſiones. 12. q. 94. a. 6.

Lex vetus eſt æterna quoad moralia & quoad veritatem quam figurabant cæremonialia, non autem B alicer. 1. 2. q. 103. a. 3.

Lumen poteſt dupliciter ineſſe alicui, ſcilicet vel per modum formæ permanentis, vel per modum paſſionis tranſeuntis. 2. 2. q. 171. a. 2.

Memoria ſenſitiva eſt theſaurus ſpecierum intentionalium, ideſt intentionum ſenſibilium, cum ſenſu acceptarum, cujus organum eſt in extremâ parte capitis. 1. q. 78. a. 4.

Ea quæ magna æſtimamus, magis memoriæ infigimus. 1. 2. q. 47. a. 2. ad 3.

Conſuetudo, ſcriptura, iteratio, meditatio confirmant memoriam. 1. 2. q. 51. a. 3.

Documenta quatuor ad benè memorandum, ſcilicet ſimilitudines rerum aſſumere convenientes, nec C tamen omninò conſuetas; ordinatè eas diſponere; ſollicitudinem circà eas apponere; affectum adhibere; & frequenter meditari. 2. 2. q. 49. a. 1. ad 2.

Præcepta decalogi fuerunt litteris ſcripta, vt magis memoriæ inhærerent. 1. q. 24. a. 1.

Paulus poſt raptam memor fuit eorum quæ viderat in divinâ eſſentiâ, per ſpecies relictas ex eo. 1. q. 129. a. 2.

Reminiſcentia eſt inquiſitio ejus, quod excidit è memoriâ, & eſt tantùm in homine. 1. q. 78. a. 4.

Scientia Dei manet immutabilis, etiam mutatis objectis, quia eſt ipſamet eſſentia Dei.

Divinus intellectus eſt ipſa veritas æterna hæc immutabilis eſt, non veritas creata. 1. q. 16. a. 7. & 8. D

Species, Angelicæ menti, individuâ copulâ, perpetuiſque nexibus vniuntur. Hinc dicitur, factum eſt veſpere, ideſt ex eorum potentiâ; & mane, ex luce formarum intelligibilium, & infuſarum, dies vnus. Picus Mirandul. in Heptaplo.

Quemadmodùm ab eodem ſcopulo, inter ſtagnum torrentemque ſito, aſſiduè quidem in ſtagno eſt, in torrente autem fit imago; ſic in Deo ſemper ſui imago durat, in animâ autem & in mundo fit ſemper. Marſil. Ficin.

Ex multis actibus rationis oportet cauſari habitum opinativum, etiam ex parte intellectus poſſibilis. 1. 2. q. 51. a. 3. E

EX BIBLIIS.

DE perpetuâ vigilantiâ Rectorum. *Vide Cognitio Poteſtatis.* Vigilantia.

Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere. Malach. 2.

Beatus vir, &c. Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Pſal. 1.

Cuſtodivi vias domini, quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, & juſtitias ejus non repuli à me. Pſal. 17.

Firmabo ſuper te oculos meos. Pſal. 31.

A Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione meâ exardeſcet ignis. Pſal. 38.

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Pſal. 101. Repugn.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Pſal. 118.

In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi; in mandatis tuis exercebor & conſiderabo vias tuas; in juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum juſtificationes tuæ; viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi, & exercebar in juſtificationibus tuis. Memor fui nominis tui domine, & cuſtodivi legem tuam: hæc facta eſt mihi, quia juſtificationes tuas exquiſivi. Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper judicia juſtificationis tuæ. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem in humilitate meâ. In æternum non obliviſcar juſtificationes tuas; quia in ipſis vivificaſti me. Quomodò dilexi legem tuam domine? totâ die meditatio mea eſt. Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt: ſuper omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt, ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi. Mirabilia teſtimonia tua ideò ſcrutata eſt ea anima mea: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Concupivi ſalutare tuum domine, & lex tua meditatio mea eſt; Erravi ſicut ovis quæ periit; quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus, &c. Pſal. 118.

Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum domino. Pſal. 131.

Audiens ſapiens ſapientior erit. Proverb. 1.

Miſericordia & veritas non te deſerant, circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam & diſciplinam bonam coràm Deo & hominibus. Proverb. 3. & cap. 6. Cùm ambulaveris gradiatur tecum, cum dormieris cuſtodiat te, & evigilans loquere cum eâ, quia mandatum lucerna eſt, & lex lux. & cap. 7. Liga eam in digitis tuis, dic ſapientiæ ſoror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Cant. 1.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Can. 5.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Cant. 8.

Attendit Dominus, & audivit, & ſcriptus eſt liber monimenti, coram eo timentibus dominum. Malach. 3. Vt ſcilicet ſint ſemper in memoriâ Dei.

Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Proverb. 1.

Ne contemnatis vnum de puſillis iſtis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Math. 18.

In memoriam viſionis ſcalæ, Iacob erigit lapidem in titulum. Geneſ. 28.

Lia reddita fœcunda à Deo, primum filium vocat Levi, ideſt, auditio, quia exaudiſſet eam dominus: Ita Anna Samuëlem, ideſt poſtulans, vt quoties viderent partum, memores eſſent domini. Sic Gen. 41. & Exod. 2.

Sic eſus agni Paſchalis, lactucæ agreſtes, & cæteræ

ceremoniæ in memoriam revocabant Dei beneficia, Gomor. Mannæ. Exod. 16.

Tolluntur 12. lapides de medio Iordanis, id ſignum & monumentum quòd aquæ antè arcam ſteterint. Ioſue 4.

Iſraëlitis in deſerto data eſt columna nubis lucidæ per. 40. annos. Exod. 13.

Cherubim ſemper propitiatorium reſpicientes, Exod. 25. Lucerna ſemper lucens in tabernaculo. Exod. 27.

Mundum animal eſt, quod ruminat. Levit. 11. Præcipit Deus ſingulis ſeptem annis legi Deuteronomium coràm omni populo congregato. Deut. 31.

Dicit Deus Ioſue 1. Non recedet volumen legis de ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus vt cuſtodias omnia quæ ſcripta ſunt in eo.

In lege domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Pſal. 1.

Num. 15. Præcipit Deus poni fimbrias hyacinthinas in palliis, vt his viſis recordentur mandatorum Dei.

Non occidet vltrà Sol tuus & Luna tua non minuetur, quia dominus erit in lucem ſempiternam. &c. Iſay. 60.

Per omnem orationem & obſecrationem orantes, omni tempore, in ſpiritu, & in ipſo vigilantes, in omni inſtantiâ. Epheſ. 6.

CONTINVA RERVM *divinarum Meditatio.*

DIvini cantici vox eſt. (Pſal. 63.) quærite Deum, & vivet anima veſtra: quæramus inventum; vt inveniendus quæratur occultus eſt; vt inventus quæratur immenſus eſt, vndè dicitur. (Pſal. 104.) quærite faciem ejus ſemper. Satiat enim quærentem, in quantùm capit, & invenientem capaciorem facit, vt rursùs quærat implere, vbi plùs capere ceperit: Non ergò ita dictum eſt, quærite faciem ejus ſemper, quemadmodùm de quibuſdam. (2. Timot. 3.) ſemper diſcentes, & nunquàm ad ſcientiam veritatis pervenientes; ſed potiùs ſicut ille ait (Eccleſ. 18.) cum conſummaverit homo tunc incipit. D. Auguſt. tract. 63. in Ioan. Nos ſemper ambulemus in viâ donec eo veniamus quo ducit via, nuſquam in eâ permaneamus, donec perducat vbi maneamus, quouſque ibi fiat finis quærendi, vbi perfectioni non ſuper eſt intentio proficiendi. &c. Ibidem.

Qui in anguſtum ſaccum vult aliquid mittere, extendit vt capaciorem reddat; ſic Deus differendo extendit deſiderium noſtrum, deſiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem. Sic Apoſtolus Philip. 3. Fratres jam non me arbitror comprehendiſſe. &c. Tota vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt, quod autem deſideras nondùm vides, ſed capax efficeris, vt cum venerit quod videas, implearis. Idem tract. 4. in Epiſt. 1. Ioan.

Vide ſuprà ex Bibliis.

Meditatio de divinis cauſat charitatem, quæ cauſat neceſſitatem loquendi de Deo. 1. 2. q. 17. a. 2. D. Thom.

Contemplationis actio poteſt eſſe diuturna, ratione potentiæ & objecti. 2. 2. q. 180. a. 8.

Per Euchariſtiæ ſacramentum memoria paſſionis Chriſti, diſcipulorum cordibus impreſſa. 3. q. 73. a. 5.

Nomen Dei ſcriptum in capite S. Pontificis. Moyſes dicit ad populum, noli obliniſci verborum, quæ viderunt oculi tui; docebis ea filios & nepotes tuos. &c. Deut. 4.

Erunt verba hæc in corde tuo, meditaberis in eis ſedens & ambulans; ligabis ea quaſi ſignum in manu tuâ, ſcribes in limine domus tuæ. &c. Deut. 6. & Num. 15.

Memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt. Pſal. 144. Ructus de plenitudine & ſatietate venit, qui eâ carent, dies feſtos aridâ devotione obſervant. &c. D. Bernard. ſerm. 3. in adventu.

Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud: Trajiciatur ergò in viſcera animæ tuæ; tranſeat in mores tuos, & in affectiones tuas; ne obliviſcaris comedere panem tuum, ne exareſcat cor tuum; ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua; ſi ſic verbum Dei ſervaveris, haud dubiè quin ab eo ſerveris. Ibidem. ſerm. 5.

Pontifex Dei nomen in capite geſtabat, tùm quia ibi eſt intelligendi facultas; tùm quia inferiora ornamenta, quæ mundi ornatum ſignificant, quibus nomen Dei ſuperius erat, oſtendebant rebus exteris contemptis eum ſoli contemplationi vacare debere. Clem. Alexandrin. lib. 5. ſtromat. cap. 3.

Pagani Dæmonum appellationibus, Mercurij, Iovis, Veneris dies vocitarunt, & luci tenebrarum nomen impoſuerunt vt ſub aſſiduâ dei commemoratione honor falſorum Deorum nunquàm ab eorum ore diſcederet? quis noſtrum tantum habeat ſollicitudinis circà memoriam Redemptoris. Euſeb. Emiſſen. homil. 11. de Paſcha.

O, impij quem ſuavem in memoriâ non ſentitis, aſperum proculdubio in præſentiâ ſentietis! cæterùm fidelis anima & ſuſpirat præſentiam inhiantèr, & in memoriâ requieſcit ſuaviter, donec poſſit revelatâ facie ſpeculari gloriam Dei.

Liber legis cœlum nobis eſt. vndè Pſal. 103. Extendens cœlum ſicut pellem. In iſto firmamento ſi hæreat cor noſtrum, non magis movebitur ineptiis hominum, quàm ſtellæ maledictis. D. Aug. in Pſal. 95.

Si dormiatis intermedios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. Pſal. 67. Inter duos cleros, ideſt inter duo teſtamenta: hæreditatem cœleſtem nobis deferentia, ſi requieſcatis, quaſi duabus alis in cœlum portabimini. D. Auguſt. in Pſal. 67.

Si memoria tenax eſt, vndè oblivio Dei vnius? vndè oblivio ſuimet? tenax eſt rerum terrenarum & inutilium, vaga & neſciens in ſe reverti. Themiſtocles cum ei quidam memoriæ artem à Simonide inventam polliceretur, dixit ſe malle oblivionis artem diſcere; ſæpe enim diſcunt dediſcenda, & diſcenda dediſcunt. Vt te in optimis memorem præbeas, memento peccati tui, vt doleat; memento mortis vt deſinas; memento divinæ juſtitiæ vt timeas; memento divinæ miſericordiæ, ne deſperes. Petrar. 1. de remed. fortuit. c. 8.

Contemplativi dicuntur, non qui contemplantur, ſed qui contemplationi totam ſuam vitam deputant. 2. 2. q. 81. a. 1. ad 5.

Quæcumque ſalutaria ſunt ſæpè agitari debent, ſæpè verſari, vt non tantùm nota ſint nobis, ſed etiam parata; non enim repoſita illa eſſe oportet, ſed in promptu. Senec. Epiſt. 94.

Etiam paupertimi artifices non vendunt artis ſuæ inſtrumenta, vndè ſibi victum comparant. Sermo divinus eſt virtutum comparandarum inſtrumentum, ſemper neceſſarium. ex D. Chriſoſt. conc. de Lazaro.

Quomodò fortis poterit eſſe in faciendo, qui deficit in audiendo? D. Auguſt. in Pſal. 71.

In omni ſacerdotali convivio, lectio divinarum ſcripturarum miſceri debet, per hoc enim & animæ

ædificantur ad bonum & fabulæ non neceſſariæ prohibentur. can. pro reverentia. diſt. 44. A

De nocturnis orationibus, & contemplationibus. Vide Baron. anno 52. num. 68.

Magi interrogant. Vbi natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam ejus; annuntiant, & interrogant; credunt, & quærunt, tanquam ſignificantes eos qui ambulant per fidem, & deſiderant ſpeciem. D. Auguſt. ſerm. 34. de tempore.

MEMORIA.

VT duraret memoria beneficij à defunctis accepti, ſepulchra ornata & ſacra habita ſunt. *Vide Gloria Finis.* B

Ariſt. 1. Moral. Nicomach. probat prudentiam, quia ratione conſtat, firmiter menti inhærere, artes autem faciliùs oblivioni patere, quia expoſcunt externa motus inſtrumenta.

In febricitantibus oblivio malum, maximè ſi cum delirio accedat. Malum etiam cum rigore, oſtendit enim victum cerebri nativum calorem à ſymptomaticâ refrigeratione.

Memoria puerorum exercenda, eſt enim ſcientiarum theſaurus, vndè Poëtæ dixerunt memoriam eſſe Musarum Matrem; prodeſt, maximè publica tractantibus, vt ex præteritis quæ ſunt agenda colligant. Plutarch. lib. de educatione liberorum.

Magnum beneficium oblivionis noſcire detrimentum, & quædam ſimilitudo cœleſtium eſt tempore decurſa ſemper habere præſentia. Caſſiodor. Epiſt. 21. lib. 9.

Fabius Maximus & Lucullus, omnes omnium gentium hiſtorias memoriâ tenebant: Mythridates Rex Ponti viginti duas linguas tenebat memoriâ. Solin. poliſt. cap. 7. Themiſtocles cives omnes Athenienſes proprio vocabat nomine.

Cyrus numeroſiſſimi ſui exercitus milites omnes propeio vocabat nomine. Cynæas Pyrrhi legatus, poſtero die quàm ingreſſus Romam fuerat, & equeſtrem ordinem & ſenatum propriis nominibus ſalutavit. Methrodorus Philoſophus, dictorum ab aliis, non modò ſenſum, ſed & verba referebat. Solin. Ibidem. Plini. lib. 7. c. 24. D

Seneca Rhetor initio controverſiarum refert ſe valuiſſe memoriâ in miraculum vſque, ſe enim duo millia nominum eo ordine quo fuerant dicta reddidiſſe.

Simonides Melicus, primus memoriæ artem certis caracteribus conſignavit.

S. Antonius Prælatus annos quindecim natus intrà annum totum decretum memoriæ mandavit. D. Auguſtinus ſcribit fuiſſe quendam ſuis temporibus, qui nihil eorum quæ legerat aut audierat oblitus fuerat. E

Senes, propter præſentem defectum, gaudent præteritorum memoriâ.

Percipitur delectatio ex memoriâ præteritæ delectationis. *Vide Duratio Gloriæ.*

Viget in pueris memoriâ, quæ ſenſim ſuccedentibus annis hebeſcit, inſtar roris, qui niſi excipiatur primâ luce, ad ſurgentis ſolis radios expirat. Barclai.

Senes vivunt memoriâ magis quam ſpe: Nam vitæ quod futurum eſt exiguum eſt, præteritum verò multum: Vndè ſunt loquaces præteritorum, ex quorum recordatione voluptatem percipiunt. Ariſtot. 2. Rhetor. cap. 13.

HISTORIÆ Libri.

PRimus apud Græcos Hermes litteras invenit, & res memorabiles ausus eſt literis mandare. Euſeb. de præpar. Evang. lib. 1. c. 6.

Lacedemonij, Samij, Pythagoras, & Socrates Athenienſis nolebant ſua præcepta ſcriptis mandare, ſimiliter & Cabaliſtæ Iudæorum, vt meliùs a diſcipulis memoriæ mandarentur, ſed præſentibus conſulentes poſteritati nocuerunt. Meliùs ergo eſt ſcriptis inventa tradere, propter poſteros.

Succeſſio temporis eſt ſpeculum, in quo ſpeculativus intellectus æternitatem menſurat. Lullius.

Poſteri Seth, pij & ſapientes, prævidentes diluvium, artes in columnis lapideis deſcripſerunt, vt ad poſteros tranſirent. Ioſeph. Archivum publicum.

Diodorus refert Ægyptios antiquiſſimas rerum memorias, & hiſtorias ſervaſſe, quia nunquàm nec diluvia, nec conflagrationes paſſi ſunt.

Vivunt quodammodò omnes diſciplinæ in hiſtoriâ, & ex eventu honoris ſtimulos addunt, natn exacuitur, & quaſi vſu externorum ſplendeſcit ingenium. *Vide Magnitudo Cognitionis.* C

Fallax, periculoſa, & vix poſſibilis in his vitæ angustiis experientia. At in ſcientiis compendioſa regiminis antiquorum habetur ratio, brevi tempore, ſinè vitæ periculo: Hiſtoriâ enim eſt teſtis temporum, lumen veritatis, vitæ magiſtra, nuntia antiquitatis; ideò Zeno homines dicebat forè beatos, ſi ſæpiùs cum mortuis converſarentur; ſic juvenes fiunt moribus ſenes.

Soli omnium otioſi ſunt qui ſapientiæ vacant, ſoli vivunt; nec enim ſuam tantùm ætatem benè tuentur, omne ævum ſuo adjiciunt; quidquid annorum antè illos actum eſt, illis acquiſitum eſt: Niſi ingratiſſimi ſumus, illi ſacrarum opinionum conditores nobis nati ſunt, nobis vitam præparaverunt; nullo nobis ſæculo interdictum eſt, in omnia admittimur; diſputare cum Socrate licet, &c. Sic cum rerum natura in conſortium omnis ævi pariter incidere. Iſti qui per officia diſcurſant ſæpiùs optatis fruſtrantur; at die ac nocte, nec ſine munere Socratem convenire licet, feres ex his quantùm voles. Sorte nobis dati ſunt parentes; at nunc nobis ad noſtrum arbitrium naſci licet, nobiliſſimorum ingeniorum familiæ ſunt, hi tibi dabunt non peritura bona, &c. Senec. de brevit. vitæ. cap. 15.

In palmarum foliis primò ſcripturarum, deindè quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus; mox & privata linteis effici cœpta, aut ceris: poſtea vſus papyri, in paluſtribus & quieſcentibus. Nili aquis naſcentis; mox æmulatione circà Bibliothecas regum Ptolomæi, & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomæo, membranæ Pergami repertæ ſunt; poſtea promiſcuè patuit vſus rei, quâ conſtat immortalitas hominum. Plin. lib. 13. cap. 11.

Egregij pictores pingunt non in parietibus, ſed in tabulis, quæ poſſunt ab incendio liberari. Idem lib. 35. cap. 10.

MISCELLANEA.

Platus docentibus.

Ad Platum Academiæ Cantabrigiensis Professorem Lucasianum, Epistola.

Vir Clarissime,

Quum Tibi, Mathematicarum Disciplinarum Professori, Mathematicum quoddam Problema proponere,

ſanies, calx; album autem maximè viſibile.

Animalium parùm viventium mores non percipiuntur. Vivaciorum evidentiores ſunt. Ariſt.

Animalia non minùs delectantur in ruminando quàm in edendo.

Homo nihil poteſt intelligere ſinè continuo tempore, quia ſinè phantaſmatibus nihil intelligit: at phantaſma non eſt ſinè continuo & tempore, cum ſit imago rei particularis.

Cerebrum & oculi ſunt frigidiſſima totius corporis membra.

Diù deliberandum de eo quod ſemel factum, poſtea infectum non poteſt fieri; vt in contractibus, qui initio ſunt voluntatis, ex poſt facto neceſſitatis; in nuptijs in bello, in quo bis non erratur; in electionibus, &c. Ne poſtea diù cruciet vnius horæ temeritas. B

Lex licet à ſapientibus fuiſſet condita tamen ejus rogatio fiebat apud Populum, cui proponebatur examinanda viginti dierum ſpatio, deindè approbata promulgabatur. Vndè Pomponius vocat legem communem Reipublicæ ſponſionem.

Non licebat olim à Magiſtratibus provocare, licet perperam judicaſſent: Primus Lucius Valerius legem tulit de provocatione, ideò dictus Publicola; mortuus publicis impenſis ſepultus fuit.

Athenis rumor ſparſus eſt de morte Alexandri Magni; ſtatim oratoribus populum ad arma vocantibus, dixit Phocion, expectandum eſſe certius nuntium, C nam ſi, inquit, hodiè mortuus eſt & cras erit.

Inter nimij ponderis & levitatis mala poſita eſt optima indoles. Huic modica ineſt, & tantùm cum opus eſt, eloquentia, & ſi tempus, ſtudiumve, accedat venuſtior: vis judicij non multùm involuta, & quanquàm acris ſubitò, tamen poſt moram & conſilium validior. Hic eſt idoneus virtutibus homo, ad privatam ſapientiam & publicam factus. Barclai.

Nulla ingenia pejori judicio ſolemus æſtimare, quàm exerta, & ſemper aliquid velut temerè agentia; his enim velut à modeſtiâ abeuntibus, vt plurimùm levitatis infamia adhæret: è contrario autem languentibus, & reconditis mentibus, ſapientiæ quædam imago populum conciliat. Idem.

Meliùs eſt legem omnia, quantùm poteſt, diſtinguere, quàm relinquere judicio eorum qui judicant: quia legum lationes ex longi temporis conſiderationibus fiunt, at judicia de repentè, vt difficulter rectam habeant juſtitiæ & vtilitatis rationem illi qui judicant. Ariſt. lib. 1. Rhetor. cap. 1.

Oratio debet conſtare periodis numeroſis, eſt autem periodus loquutio habens principium & finem per ſe, & magnitudinem conſpectu facilem; nam injucundum eſt & non accommodatum cognitioni; quod eſt indeterminatum; jucundum autem quod terminatum, quia ſemper aliquid ſe habere putat auditor. Ibid. lib. 3. c. 9.

Lumen ſolis per anguſtum & irregulare foramen tranſiens non ſtatim dilatatur, & in orbicularem figu- E ram conformatur, ſed intrà ſpatium conveniens.

Petſæ poſt convivia conſulunt de rebus ſeriis, quòd ſi poſterâ die eadem illis jejunis propoſita placuerint, perficiunt; ſin verò, omittunt: rurſus verò de quibus jejuni conſultaverunt, ebrij decernunt. Athenæus lib. 4. cap. 6.

In formatione fœtus primò hepar, ſecundò cor, deindè cerebrum formatur; hoc enim etiam vltimò indiget formandum animal. Galenus lib. de fœtuum formatione. Vndè infantes actiones animæ nutritivæ robuſtiſſimas poſſident; ſecundò actiones profectas à corde; denique debiliſſimæ ſunt quæ proA ſiciuntur à cerebro. Ibidem.

Ob cædem Theſſalonicæ factam juſſu Theodoſij Imperatoris; Divus Ambroſius ipſum poſt pœnitentiam octo menſium in Eccleſiam admiſit, hoc inſuper ei injuncto, vt legem conſcriberet, quâ deinceps executiones ſententiarum de cæde & publicatione bonorum ad triginta dies differrentur, vt illo temporis ſpatio maturè examinari poſſent. Baron. anno 390. habetur. lib. 15. Cod. Theod. & lib. 10. Cod. de pœnis.

In ſcientiis, vt in demonſtrationibus Euclidis, quæ antequàm demonſtrarentur, mira videbantur, & quibus quis non facilè aſſenſerit, poſt demonſtrationem factam atripit eas mens, & retrotrahitur, vt loquuntur juriſconſulti, tanquàm eas antè perſpectas & cognitas habuerit. Baconius lib. 1. de augmentis ſcientiarum.

In inquirendâ veritate aſcendendum eſt à particularibus ad axiomata media, & ab illis ad vniverſalia, aſcendendo continenter & gradarim; ſic coërcendus eſt intellectus, qui vult ſtatim exilire ad magis generalia, vt acquieſcat, & poſt parvam moram faſtidit experientiam. Bacon. in novo Organo.

Artium & ſcientiarum inventio à Deo poſt quædam tempora. *Vide Principium Cognitionis.* Scientia à Deo. Ità ſunt potius temporum quàm ingenij partus. Pauca ſæcula ſcientiarum feracia; ſunt enim non minùs temporum quàm regionum Eremi & vaſtitates. Bacon. Ibid.

Litteræ Alphabeti ſenſim à pluribus repertæ. Plin. lib. 7. cap. 56.

Apud Babylonios obſervationes ſyderum coctilibus laterculis inſcriptæ per 700. annos.

In fœtu canum, is optimus qui noviſſimè cernere incipit. Idem lib. 8. cap. 40.

Canes, lupi, pantheræ, & multa alia animalia cæcos initio edunt partus: quæ antè juſtum tempus concepere, diutiùs cæcos habent catulos. Idem lib. 10. cap. 43.

Primus hominiſermo anniculo eſt, ſemeſtris loquutus eſt Cræſi filius, quo prodigio, totum id concidit regnum. Qui celeriùs fari, tardiùs gradi incipiunt. Idem lib. 11. cap. 51. D

Praxiteles, Plaſticem matrem ſtatuariæ, ſculpturæ, & cælaturæ eſſe dixit, & cum eſſet in his omnibus ſummus, nihil vnquàm in ære, aut marmore fecit, priuſquàm ex argillâ finxiſſet. Idem lib. 35. c. 12.

Thucydides hiſtoriam ſuam ſepties deſcripſit, priuſquàm eam publicaret. Lucian. dialog. adverſus indoctum.

Fama malum, quia velox. Tertulian. in apolog.

Oculus errat in ſuo judicio, propter brevitatem temporis, vt ſi titio ardens velociter moveatur, videtur eſſe circulus igneus; res quæ citò tranſit, non diſcernitur.

Dormientibus magis apparent ſimulachra quàm vigilantibus, quia motus majores tunc ceſſant.

De recollectione Magiſtratuum. *Vide Glor. Poteſt.* E

Oculi vltimi partium animalis perficiuntur.

Particularia nos inducunt in cognitionem vniverſalium, illuceſcente ſerò in nobis ratione.

Plantæ non dormiunt, neque vigilant, quia ſinè ſenſu ſunt.

In argento vivo, ſub dominio Mercurij, ſunt ſimul gravitas & fluiditas.

Pupilla non eſt aëreæ naturæ, quamvis aër ſit pellucidus, quia citò diſſipatur ſed aqueæ aptæ ad conſervandas ſpecies eſt magis idonea, non enim difficilè recipit, aptè tamen retinet.

Prodiens à tenebris non ſtatim ſuſtinet lucem.

Conſilia, leges tùm divinæ, tùm humanæ, tempore mutantur, vt perficiantur. *Vide Differentia Cognitionis.*

Cerebri duo ventriculi priores ſenſui, medius autem & poſtremus motui ſerviunt.

Contemplatrices ſcientiæ, pulchræ & honeſtæ, ſed minimè omnium neceſſariæ, poſtremo excogitatæ, quia omnium præſtantiſſimæ.

Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur; antè ſunt perfecti quàm edocti. Tertulian. De præſc. adverſ. haret. cap. 41.

Circà id quod difficilius eſt, ſemper & ars, & virtus verſatur. Ariſt. moral. lib. 2. c. 3.

Ab ἐχειν, quod Græcis virtus eſt, nomen artis Latini traxerunt. D. Auguſt. 4. de civit. cap. 21.

Vera via cognitionis eſt, quæ à ſenſu & particularibus excitat axiomata, aſcendendo gradatim, vt vltimo loco perveniatur ad maximè generalia Baconius.

Medicinam citò diſcere non eſt poſſibile, quia impoſſibile eſt ſtatum, ac certam doctrinam in eâ fieri. Hipoc. lib. de locis in homine.

Quod fides precedat viſionem. *Vide Medium Cognitionis.* Media: de fide obſcurâ. Cæſi filius, cum eſſet infans, loquutus, eo oſtendo regnum & domum patris conſtat concidiſſe. Cicer. lib. 1. divina. Infauſta eſt præcox nimiùm ſapientia.

Scripturæ ſanctæ alicubi apertæ, vt neceſſitati occurrant, alibi obſcuriores, vt faſtidio medeantur; nihil autem de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. Creſcit cum pervulis. D. Auguſt. lib. 2. de doctr. chriſt. c. 6.

Latet aliquid in ſcripturis, quod potentibus datur, oblatrantibus negatur, à quærentibus invenitur, reprehendentibus ſubtrahitur, pulſantibus aperitur, ſancti petierunt, quæſierunt, acceperunt, invenerunt, intraverunt. D. Auguſt. lib. contrà Fauſt. Manich. c. 2.

Spiritus noſter clariorem ſonum reddit, cum illum tubâ per longi canalis anguſtias tractum, patientiore exitu effundit. Sic ſenſus noſtros clariores arcta præcedenti ſermonis anguſtia facit. Senec. Epiſt. 108.

Vt ad primum aſpectum extranei, mores ejus non agnoſcis, ſic nec ſcripturarum ſenſum. ex D. Gregor. lib. 4. moral.

Dulcedinem lactis elicies ſi fortiùs premas. Elicies tanquàm adipem medullamque frumenti, eſt enim ſermo Dei exteriori ſpecie delectabilis, ſed interiori virtute multo delectabilior, quemadmodum & ipſe Chriſtus exteriùs quidem ſpecioſus erat formâ præ filijs hominum: interiùs autem, tanquàm candor lucis æternæ. D. Bernard. Serm. 2. Domin. 1. poſt Epiphaniam.

Iubemur colligere fragmenta, ne pereant ità nec vnum jota in ſcripturis prætereundum. Idem ſerm. 1. in cantica.

Mel in cerâ, devotio in littera, alioquin littera occidit, ſi abſque ſpiritus condimento glutieris; ſic dulciora erunt Dei eloquia ſuper mel & fauum. Ibid. ſerm. 7.

Vrinatores in fundo aquarum clarè vident & inveniunt margaritas.

Vellere oportet ſpicas, & tandiù verſare manibus contritaſque purgare, donec ad eſcam perveniant. D. Auguſt. lib. de Geneſi ad litteram. 1. cap. 20.

Vt rivi diffundunt fontem per varia; ſic verbi divini vbertatem vnius cujuſque conſideratio, &c. ex D. Auguſt. 12. confeſſ. c. 27.

Creſcite & multiplicamini. In hac benedictione conceſſam poteſtatem accipio multis modis enuntiare quod vno modo legitur; ſic non implentur aquæ maris, quæ moventur, niſi à variis ſignificationibus; ſic fœtibus repletur terra. Idem. lib. 13. cap. 24.

Fides quod profunda contineat efficit vt ſcruteris, & ſcrutando invenias, &c. ex eod. lib. de vtilitate credendi. cap. 6.

Non aliter ſapientiam intueor obſtupefactus, quàm ipſum interim mundum quem ſæpè tanquàm ſpectator novus video. Seneca Epiſt. 64.

Aliter legendi ſunt Poëtæ & oratores, aliter divina ſcripta, illi delectant, hæc nutriunt; ideo digeſtione opus eſt: non cortex nutrit, ſed medulla; aliud eſt olfacere flores, aliud carpere poma, & fugere ſuccos. Apud Perſas Minerva peplo velata erat, quia ejus opera Linceis tantum patent oculis, & vigilantibus in illa immorandum. Fodiuntur auri venæ quoúſque ſint exhauſtæ; ſcriptura ſancta fodina eſt, & fons qui non poteſt exhauriri, thimiama quod contuſum & incenſum dulciùs fragrat. Docti eſt herbas medicas non conculcare ſed ſeligere; quo attentius intuemur, majorem ſtellarum numerum videmus. Geometræ à figuris ſenſibilibus ad abſtractas ſenſim animam deducunt. Vide plura apud. Cirill. Alex. lib. 1. contrà Iulian. Vt probet à figuris ſcripturæ nos manu duci ad internum ſenſum.

Plùs honoratur, plùs intimatur, quod per allegoriam dicitur; quia hoc motu à corporalibus ad ſpiritualia, mens vt mota facula accenditur. D. Auguſt. Epiſt. 119. c. 21.

Intellectus poteſt ſimul multa intelligere per modum vnius, non autem multa per modum multorum, quia non poteſt ſimul informari à diverſâ ſpecie, vt nec corpus à diverſâ figurâ.

Actiones nobis contingunt eâ proportione, quam ſervant in ſuo motu Planetæ, iſdem actionibus præſidentes; vt Saturnus contemplationi præſidens, cum habeat motum tardiorem Iove, qui præeſt actioni, ſignificat plus temporis impendi debere in contemplatione quàm in actione; & ſphæra Saturni Major, plures debere eſſe contemplatores, quàm negotiorum geſtores.

D. Auguſt. lib. 1. ſoliloq. c. 13. dicit quoſdam eſſe oculos ità ſanos, vt ſtatim in lucem ferantur ſinè hæſitatione; alios qui per gradus & certo quodam ordine ad eam deducendi ſunt. Primò vident colorata quæ per lucem videntur; deindè perſpicua, quæ ipſa lucem emicant, vt aurum; de hinc terrenus ignis demonſtrandus; tum ſydera, luna, auroræ & albeſcentis cœli nitor; ſic poſteà ſolem videbunt.

Octava ſphæra varijs fulgens luminibus & Cherubim repræſentans omnium tardiſſimè movetur. Vt *Vide Concord. Differen.* Harmonia.

Iupiter Planeta movet tantùm ventos ſeptentrionales, frigidos vel temperatos.

Saturnus præſidens contemplationi, omnium curſu tardiſſimus eſt.

Paulus 3. Papa pro inſigni gerebat Delphinum cameleontem complexantem; Delphinus celerrimus, Chameleon tardiſſimus, feſtina lentè. Nihil diligenter in ductu & fluxu cernitur.

Facit zodiaci obliquitas, vt ſint ſigna quædam longæ aſcenſionis, in quibus ſol exiſtens lentè ſuper Horizontem elevatur, aurorâ diuturniore.

Lentè deliberandum, quia diffidendum; multùm enim eſt mali in rebus, & perſonis. *Vide Magnitudo Virtut. Repug. & Verit. Virtut. Repugn.*

Cholericum temperamentum ſolum non facit bonum ingenium, quia non permittit rebus immotari; ſed miſceri debet melancholiæ. *Vide Phyſiognomiam initio Cognitio Virtutis.*

Per gradus creaturarum ad Dei cognitionem de-

venimus. *Vide Cognit. Virtut.* Deus manifestat suas perfectiones per creata.

Legis novæ debet fieri experientia per quinquennium, etsi communi consensu approbetur, inter alias leges recenseri, Plato. 6 de legib.

Veritas tandem effulget & prævalet. *Vide Potestas Veritatis.*

Venatio, omnia patienter lustrans.

Quomodò Deus sensim homines docuerit. *Vide Potest. Verit.* Vis sermonis divini.

Ideò diversæ leges datæ sunt diversis temporibus. *Vide Differ. Verit.* de legum mutatione.

Non priùs aquila fœtum agnoscit, quàm dubitaverit agnoscere. Barcl.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE tyronibus. Cod. 12. 44.

De feriis & dilationibus. ff. 2. t. 12.

De appellationibus recipiendis. ff. 49. t. 5. Novel. 23. 93. A quo appellet quis.

De codicillis. I. 1. 25. Cod. 6. t. 36.

De emendatione Codicis Iustiniani, & secundâ ejus editione. Cod. 1. t. 3.

De errore calculi. Cod. 2. t. 5.

De jure Codicillorum. ff. 29. t. 7.

De jure deliberandi. ff. 28. t. 8. Cod. 6. 50.

Vt appellationes modis omnibus accipiant judices. Novell. 82.

De novo Codice faciendo. Cod. 1. t. 1.

De ordine senatorum, & consultationibus. Novel. 62. judiciorum. Cod. 7. t. 19.

Quandò appellandum sit, & intrà quæ tempora. ff. 49. t. 4.

Quis, & à quo appelletur. ff. 49. 3.

Si pendente appellatione mors intervenerit. ff. 49. t. 13. Cod. 7. t. 66.

Vt deliberandi jus, etiam ad impuberes transmittatur. Novell. 158.

Populus Romanus, partim ex aliis, partim suo ingenio, paulatim sibi leges condidit.

Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.

Initio Populus Romanus sinè lege, sinè certo jure vixit, omniaque manu Regis gubernabantur, postea sequuta sunt hæc jura. Primò Leges, ideſt Ius Civile Papyrianum. Lex XII. tabularum; Ius civile seù interpretatio prudentum; postea Ius Flavium & Ælianum; Plebiscita; Senatus consulta; Prætorum edicta; Principatus Constitutiones. l. 2. ff. de Orig. jur.

Appellari à Præfectis Prætorio non poterat, nec adversus illos peti in integrum restitutio, nisi ab ipsis. l. vnic. ff. de offic. præf. Præt.

Interrogatus in judicio, ad deliberandum tempus impetrare debet, quia si perperam confessus fuerit incommodo afficietur. l. 5. ff. de interrogat. in jure faciend.

Contractus, quos in scriptis fieri placuit, non censentur perfecti, donec instrumenta sint in mundum redacta. l. 17. C. de fid. inst.

Proconsul non debet per libellum expedire, quæ causæ cognitionem desiderant. l. 9. §. 1. ff. de officio procons.

Hæres petens tempus ad deliberandum censetur tacitè velle adire hæreditatem. l. 22. cum gloss. Cod. de jure deliber.

Minor petens restitutionem & non obtinens, potest eam rursùs petere, si alleget novam causam. l. 2. Cod. si sæpiùs in integ. restitutio postulet.

Actori quatuor menses ad probandum conceduntur. Reo vltrà quatuor menses alia dilatio. Si vltrà mare noxa sit commissa novem menses. l. 2. 3. vlt. C. Theodos. de dilationibus.

Qui citatus ex causâ arduâ, etiam in loco judicij respondere non cogitur, sed potest petere novas inducias. cap. 4. de dilationib.

Ætatis imbecillitati magis succurritur, quàm imbecillitati sexus. l. quamvis. Cod. de jur. & fact. ignorant.

Causæ plenam cognitionem requiruntur iis quæ patiunt magnum præjudicium. l. de ætate. ff. de minorib.

Cedens bonis, antequàm vendantur ejus bona, potest pœnitere de cessione. l. 3. & 5. ff. de cessione bonor.

Decem dierum spatio sententia arbitri censetur approbata. l. 4. & penult. Cod. de recept. arbit.

Interrogatus potest revocare suam confessionem, si postea melius fuerit instructus, & adversario damnum non inferat. l. 11. §. 12. ff. de interrog. in jure faciend.

Is cui defertur jusjurandum potest tempus ad deliberandum petere. l. 34. ff. de jurejurando.

Spatium quinquaginta dierum, ad proponendas in judicio excusationes, tutoribus & curatoribus est statutum. l. 38. ff. de excusat.

Pauciores quàm centum dies non sunt dandi ad deliberandum, & interdùm à Prætore plùs temporis conceditur. l. 3. & seqq. ff. de jur. delib.

Si alicui optio legata sit, terminus ad eligendum statuitur, quo elapso eligere non potest, si res non sit integra. l. 6. ff. de option. vel elect. legat. Et hæc electio transmittitur ad hæres. l. 19. eod.

Licet judici, quæ priori sententiæ desunt supplere. l. 42. ff. de re judic.

Stipulationes propter moram responsionis non vitiantur. l. 1. §. 1. ff. de verbor. obligatio.

Appellationes sunt necessariæ ad iniquitatem vel imperitiam judicantium corrigendã, licet aliquandò sententia in pejùs reformetur; novissimus enim non semper meliùs pronuntiat. l. 1. ff. de appellation.

Impuberes, quamvis necessitas penuriæ hominum cogat ad honores non sunt admittendi. l. 2. ff. de jure immunitatis. & l. 2. ff. de reg. jur.

Qui ad monasticam vitam accedunt, debent per triennium in monasteriis permanere; antequam Monachi fiant. l. 37. cum auth. seqq. Cod. de Episc. & cler.

Libellus editus, speciem futuræ litis demonstrans, potest emendari. l. 3. Cod. de edendo.

Error advocati potest revocari vsque ad sententiam, & etiam in causâ appellationis. l. final. Cod. de errore advocator.

Sede vacante non debet fieri electio nisi post diem tertium. can. nullus. dist. 79.

Sententia non est præcipitanter ferenda. 2. q. 1. can. Deus.

Inter decem dies remedium appellationis conceditur. 2. q. 6. can. anteriorum.

Electus intrà mensem consentiat, aliàs privatur. cap. quàm sit, de elect. & electi potest. in 6.

Non licet novitium recipere antè annum probationis. cap. non solum. de reg. jur. in 6.

Vt beneficium appellationis ad majores sedes sit cuique clerico liberum. Concil. Constantinopolit. IV. can. 26.

Non nisi per distinctos gradus quisquàm ad sacer-

dotium aſpiret, & ſerventur intervallæ temporis in ſingulis gradibus. can. illud. diſt. 77.

Non debet fieri electio S. Pontificis aut Epiſcopi, niſi tertiâ die ledis vacantis. can. nullius. diſt. 79.

Puer tredecim annorum ordinatus in ſubdiaconum ſuſpenditur ab executione, vſque ad ætatem legitimam. cap. vel non. de temporib. ordinat.

Conſultatio facit vt mutetur prior voluntas. *Vide Differen. Volunt.*

Codicilli, & mortis causâ donationes poſſunt fieri, etiam facto teſtamento, quaſi quædam ſupremæ voluntatis additiones. l. 24. ff. de mort. cauſ. donat.

Iudex differt ſententiam, ſi ſpes ſit, quod reus conſcios accuſabit. l. 24. ff. de pub. jud.

Iudæorum converſio ſæpe fallax eſt, vt Chriſtum ſubſannent, vndè non ſine longâ probatione ad fidem ſunt recipiendi. 7. Synodus. Can. 8. *Vide Durat. Virtut.*

Auguſtus ex S. C. ſtatuit, ne ſententiâ mortis damnatus intrà decimum diem duceretur. l. ſi vindicari. Cod. de pœnis, trigeſimum diem adjecit. Theodoſius.

Iudex non ad vnam probationis ſpeciem cognitionem ſuam ſtatim alligare debet, ſed ex animi ſui ſententiâ æſtimare quid probatum ſit. l. 3. §. ejuſdem. ff. de teſtib.

EX THEOLOGIA.

IN abſtractione ſpeciei intelligibilis eſt ordo, quia primò oportet quod ſpecies repreſententur ſenſui; ſecundò imaginationi; tertiò intellectui poſſibili, qui immutatur ſpeciebus phantaſmatum, ſecundùm illuſtrationem intellectus agentis. 2. 2. q. 173. a. 2.

Quantùm ad inferiores vires apprehenſivas, neceſſe eſt eoſdem actus pluries reiterari, vt aliquid firmiter memoriæ imprimatur. 1. 2. q. 51. a. 3.

Ex multis actibus rationis oportet cauſari habitum opinativum, etiam ex parte intellectus poſſibilis. 1. 2. q. 51. a. 3.

Angelus eſt indiviſibilis in eſſentiâ, non autem ſecundùm virtutem, ideſt ſecundùm objecta, & ſecundùm intentionem, & remiſſionem actus. 1. q. 54. a. 1. ad 1.

Intelligere Angeli eſt ſuprà tempus corporalium, & in tempore alio. 1. q. 57. a. 3.

Vſque ad diem judicij, ſemper nova aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitus, de his quæ pertinent ad diſpoſitionem mundi, & præcipuè ad ſalutem electorum; Ideò ſemper remanet vndè ſuperiores Angeli inferiores illuminent. 1. q. 106. a. 4. ad 3.

Intellectus Angeli eſt in potentiâ eſſentiali & accidentali reſpectu revelandorum, ſed reſpectu naturaliter cognitorum, eſt tantum in potentiâ accidentali. 1. q. 58. a. 1. q. 62. a. 1.

Cognitio Angeli duplex, ſcilicet matutina & veſpertina. 1. q. 58. a. 6.

Angeli à principio ſuæ creationis cognoverunt aliqua myſteria, & aliqua poſt, ſecundùm quod congruit eorum officiis. 1. q. 57. a. 5. ad 1. q. 64. a. 1. ad 4.

Angeli ſimul in verbo contemplantur omnia ſua cognita, non autem in cognitione naturali, ſed tantùm, eaquæ per vnam ſpeciem repreſentantur. 1. q. 58. a. 1.

Angeli per illuminationem proficiunt in cognitionem, non quidem Dei, ſed effectum ejus. 1. 2. q. 5. a. 6. & ſic ſemper durabunt actiones Hierarchicæ, & inferiores cognoſcent per ſuperiores rationes divinorum ſecretorum. 1. q. 3. a. 7. ad 2.

Vtì collatione & diſcurſu eſt connaturale animabus beatorum. 3. q. 11. a. 3. ad 3.

Anima non habuit ab initio omnes ſcientias, contrà Platonem. 1. q. 84. a. 1.

Aves docent pullos ſuos volare, & ſimilia, quia mox nata bruta non habent ita perfectum vſum induſtriæ naturalis, ſicut poſteà. 1. q. 101. a. 2. ad 3.

Chriſtus non ſtatim poſt reſurrectionem aſcendit, propter fidem confirmandam. 3. q. 57. a. 1. ad 4.

Mandat B. Benedictus in regulâ ſuâ, quod venientibus in Religionem non ſit facilis præbendus ingreſſus, ſed probandum an ſpiritus ex Deo ſit. 2. 2. q. 189. a. 9.

Conceditur probationis annus. a. 1. ad 1.

Chriſtus profecit in ſcientiâ acquiſitâ, quia ſcientia illa augebatur eſſentialiter, non autem aliæ ſcientiæ ejus. 3. q. 7. a. 12.

In operationibus affectus eſt quidam circulus, ſicut etiam in operationibus intellectus. 1. 2. q. 26. a. 2.

Meditatio eſt intuitus occupatus in inquiſitione veritatis: Contemplatio eſt liber animi concurſus in res: ſed conſideratio eſt proceſſus rationis ex principiis pertingentibus ad contemplationem. 2. 2. q. 180. a. 3. ad 1.

Cogitatio eſt volubilis dupliciter, ſcilicet per diſcurſum & ſucceſſionem: Secunda eſt in patriâ in propriis naturis non autem prima; neutra verò in verbi viſione. 1. q. 10. a. 3.

Intelligendo actu efficimur ſcientes, ſed cognitio perfecta ab habitu proficiſcitur. 1. q. 86. a. 2.

Inquiſitio conſilij eſt infinita in potentiâ, ſed finita in actu tripliciter, ſcilicet ex parte termini, ideſt concluſionis; & principij proprij, ſcilicet finis; & communis, ſcilicet cognitionis ſenſus & ſcientiarum. 1. 2. q. 14. a. 6.

Omnia corporalia, quanto magis conſiderantur, tantò minora videntur. Spiritualia verò è converſo. 1. 2. q. 42. a. 5. ad 3.

Myſterium incarnationis Chriſti oportet aliqualiter eſſe creditum apud omnes, ſed diverſimodè ſecundùm diverſitatem temporum & perſonarum. 2. 2. q. 2. a. 7.

Electio in hominibus ſequitur inquiſitionem. 1. q. 22. a. 1. ad 1.

Electio convenit Chriſto. 3. q. 11. a. 3.

Articuli fidei creverunt ſecundùm ſucceſſionem temporum, & vicinitatem ad Chriſtum, quoad explicationem, non autem quoad ſubſtantiam. 2. 2. q. 1. a. 70.

Genus humanum tripliciter ſe habuit ad fidem Chriſti, ſecundùm tria tempora, ſcilicet antè legem, ſub lege & ſub gratiâ. 2. 2. q. 174. a. 6.

Habitus principiorum eſt naturalis, & datur in creatione, quoad lumen; ſed acquiritur per ſenſum, quoad determinationem ſpecierum. 1. 2. q. 10. a. 1.

Intellectus noſter poteſt intelligere infinita in potentiâ & ſucceſſivè, non autem infinita in actu, & in habitu diſtinctè. 1. q. 86. a. 1.

Solus intellectus hominis intelligit cum diſcurſu & componendo & dividendo neceſſario. 1. q. 58. a. 4.

Actus intellectus duplex, ſcilicet rectus, & reflexus. 1. q. 28. a. 4. ad 2.

Tempus miſcetur ſecundæ operationi noſtri intellectus, dupliciter; ſcilicet ex parte ſuâ, accipiendo ſcientiam à continuo & tempore, id eſt à ſenſu & imaginatione; & ex parte intellectorum, quæ ſunt in tempore. 1. 2. q. 113. a. 7 ad 5.

Intellectus eſt ſuprà tempus corporalium, non autem ſpiritualium. 1. q. 85. a. 4. ad 1.

Species primò eſt in ſenſu, ſecundò in imaginatio-

Dynatio-cochitirius, i. m. [from dynatio, and cochitirius, q. v.] A dynatio-cochitirian.

Dynatio-cochitirius, a. um. Dynatio-cochitirian.

Dynatio-cochitirius, a. um. Dynatio-cochitirian.

Dynatio-cochitirius, a. um.

neo debitori; judicij reflexione, & plurium collatione sinceriùs dijudicabit; hinc lenta & timida senectus consiliis est aptissima.

Potestas. Hæ quæ nunc insolescunt vires, vt torrentis aquæ, mox fortè deficient, ergò probandæ sunt: vt pecunias tuas ignotæ personæ, sic judicium, rebus non satis perspectis, non debes committere. Iuvenum est præcipiti consilio magna aggredi, ne videantur animo aut viribus deficere; non sic movearis, famam satis conciliabit rerum exitus, si modò fuerit fœlix.

Cognitio. Periculosa est notionum vniversalium rebus singularibus applicatio, res enim quia multiplices, quia fucatæ, quia variæ & inconstantes, nunquàm satis accuratè perpenduntur. Mens primis consiliis applaudit, seu partus sui, & novitatis amore, seu amplioris inquisitionis laborem fugiens; ideò suspectum illi debet esse præceps judicium.

Volvntas. Prima hæc etiam mentis apprehensio fortè æquissima videtur, quia blanditur passionibus: si concedas menti ruæ tempus, quo conquiescat, rem meliùs intelliget, vt immota aqua expressiùs objecta refert, cœlique faciem.

Virtvs. Virtutes omnes dirigit prudentia, maturâ præteriti, præsentis, futuri consideratione; gravis, etiam morosa, & penitùs contraria stultitiæ, quæ præceps est.

Veritas. In vno posita est veritas, illam tamen multa mentiuntur; vt ergò verum a falso discernas, tempore opus est. Artis quidem est opus suum certis præceptis perficere, sed in materiâ ex se immotâ, & quod superadditur patiente: Non sic de rebus in fortunæ, hominumque volubili arbitrio positis: pendente judicio, ficta ad naturam suam redibunt.

Gloria. Glorioſum est diù judicis personam agere; etiam Princeps nihil Majestati suæ & gloriæ putat derogari per diuturnas consultationes: Sic quiescunt populares animi, & si quid malè cedat, fortunæ, non prudentiæ defectui imputatur. Non pœnitet, qui diù consuluit; lætus rerum successus tædium moræ compensat.

Differentia. Videt res mobiles, & observat, donec paululùm consistant, vt de illis judicet. Sicut venator currentis aut volantis prædæ situm expectat, vt feriat. Saltem motus quantitatem attendit, vt illum debitâ proportione præveniat.

Concordantia. Multa ad rei rectam cognitionem concurrere debent; at non nisi longo tempore, ex multis elici potest veritas: Expectantur rerum eventus, vt in comitiis electores, in judiciis testes & instrumenta.

Contrarietas. Frangit hostis impetum dilatio, nisi scit quâ parte illum sis aggressurus, dùm ab omnibus sibi timet, vires suas dispergit, viam quâ illum agrediaris aperit; denique mali imminentis metus maxima supplicij pars est.

Principivm. Latent nos rerum essentiæ & causæ, ideò illas per effectus successivos venari debemus.

Medivm. Vt ad artes, sic ad consilium multùm conferunt media & instrumenta: hæc autem tempore parantur, ex diversis locis evocantur, rebus aptantur, probantur. Moram compensabit viæ cæteris ignotæ compendium.

Finis. Falleris, de rebus ex præsenti statu feras judicium: quædam mox desituræ spendent, vt ignes fatui: sapiens obsequitur tempori, & vi majori; expectat, donec transeat iniquitas: vno mentis intuitu finis intenditur, vt ex magnâ distantiâ videtur portus, ad quem non nisi magno labore pervenitur.

Minoritas. Majora vulgò habentur, de quibus magna fit consultatio: Sic in tuam vertitur famam, quod magna puteris tractare, & minima quasi majorum semina foveas.

Æqvalitas. Eodem semper passu Sol Zodiaci signa percurrit; hinc discas nihil præcipiti consilio peragere, aut enim res, aut tuæ personæ gravitas moram petit.

Maioritas. Post longam consultationem, si res in deterius cedant, id imputabitur fortunæ, non imprudentiæ: Putabit populus te provido tuo consilio majora vitasse damna, illique minor hæc jactura pro lucro erit.

EXPERIENTIA.

MISCELLANEA.

BAbylonii medicis non vtebantur, sed languentes efferebantur in forum, vt illis consulerent, qui eundem passi erant morbum. Herodotus lib. 1.

Habitatoribus Insulæ Coôs fuit libratos morbis scribere in templo Æsculapij quid auxiliatum esset, vt posteà similitudo proficeret. Plin. lib. 29. in proœmio.

Apud Ægyptios medici ægros curabant, secundùm normam in sacro libro conscriptam; Qui præter id fecerit, morte puniatur. Diodor. sicul. rer. antiq. lib. 2. cap. 6.

In aliis artibus licet multa experiri, citrà cujusvis damnum; in corpore autem humano ea tentare, quæ non sunt experimentis comprobata, periculo non vacat.

In cognoscendis medicamentorum viribus experientia rationi est præferenda; quia colore, sapore, figurâ, primæ, multò minùs occultæ qualitates, nos possunt deprehendi.

Empirica observatio est eorum, quæ sæpiùs in eisdem, eodem modo contigerunt; hinc Galen. lib. de sectis dicit methodicam & rationalem adjungendam.

Princeps generosus, sed sinè experientiâ sit temerarius. Vndè hæreditarius optimus est, quia ab ineunte ætate assuescit regimi; illi theoria ostendit viam, experientia modum procedendi.

Canities est multæ experientiæ, & in consiliis futuræ prudentiæ flos. Clemens Alexand. 3. pædag. 3. Séris enim venit vsus ab annis.

Minus errant qui valent experientiâ, quàm qui arte; quia experientia est singularium, circâ quæ fiunt omnes actiones & generationes: Ars autem est vniversalium. Arist. Metaphys. lib. 1. cap. 1.

Fortior securiorque est exercitus, cujus milites sunt benè exercitati.

Vsus solet esse optimus legum censor, ostendit enim quid in illis non sit vtile.

Solet plus prodesse, si pauca sapientiæ præcepta teneas, sed illa in promptu tibi & in vsu sint, quàm si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum: quemadmodùm magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdiscit, quorum vsus sub adversario tarus est, sed qui se vno vel altero diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus spectat. Nec enim quàm multa scias, sed quantùm victoriæ satis est. Senec. 7. de benef. cap. 1.

Quid quisque possit, nisi tentando non didicit. Idem lib. de provid.

Athleta qui fudit sanguinem suum, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus, qui quoties cecidit, contumacior

Digitized by Google

resurrexit, cum magnâ spe descendit in pugnam, &c. Idem Epist. 13. multum adjicit sibi virtus lacessita.

Bos latius fortiùs figit pedem. D. Hieron. Epist. 18. Augustino.

In secundos labores virtus probata reparatur. Symmach.

Vides non eodem motu flumina de stagno serpere, & de fonte properare, omne quod in cursu est viget; continuatio experientiæ vires suas renovat. Idem lib. 7. Epist. 60. Patritio.

Tria ad virtutem comparandam necessaria, natura, disciplina, exercitium. Plutarch. tractatu de institutione liberorum.

Hinc apud Græcos natandi, remigandi, pugnæ omnigenæ proposita præmia ad exercitationem. Pausan. in Corinthiacis. B

Est ingenioſi adminiculum diligentia. D. Ambros. de Abraham. lib. 2. cap. 3.

Optimum in exercitatione consistit, potest enim habitus esse inutilis in dormiente & otioso. Operatio autem necessariò aliquid boni agit. In Olympicis non pulcherrimi & fortissimi, sed qui ritè decertant coronantur. Arist. 1. Moral. Nicom. cap. 8.

Ex similibus enim operationibus nascuntur habitus. Ibidem.

Divitiæ, pulchritudo, &c. non prosunt nisi his benè vtaris, alioquin ignaviam tuam patefacient. Plato in Menexeno. C

In omni prælio, non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam: Sic parcitas Romana Gallorum multitudinem, Germanorum proceritatem brevitas superavit: Sic adversus omnia proficit tyronem solertem eligere, jus armorum docere, quæcumque evenire in acie possunt, omnia in campestri meditatione prænoscere, scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam: Nemo facere metuit, quod se didicisse confidit. Vegetius de re militari. lib. 1. cap. 1.

Augusti & Hadriani constitutionibus præcavebatur, vt milites ter in mense armati, tàm pedites, quàm equites ducerentur deambulatum è castris, ad duum millia passuum, ne torperent: vndè exercitus ab exercendo. Idem lib. 2. cap. 1.

In bello, qui plùs in angariis vigilaverit, plùs in exercendo milite laboraverit, minùs periculum sustinebit. Nunquàm miles in aciem producendus est, cujus antè experimenta non cœperis. Idem lib. 3. c. vlt.

Non proficiunt rationes in mente, aut instrumenta in manu artificis, nisi illis sciat vti: gladiatoriam in arenâ, picturam in tabella discere debemus. Vndè apud Romanos inferior dignitas gradus erat ad superiorem, ne inexperti regerent.

Ridicula est Democriti opinio, existimantis mundum ex atomis esse fabricatum, sed verum est habitus quoscumque formari ex iteratis vel minimis actionibus.

Vt ex vocum simul concurrentium modulatione nascitur harmonia, sic ex singularibus experimentis educuntur notiones vniversales.

Ipsa animantia vsu mansuescunt, & cautiora redduntur. Scientia sinè experientiâ est quasi corpus organicum animâ destitutum.

Seneca Epistol. 18. Iubet Lucilium vti vilissimo cibo, durâ atque horridâ veste & dicat sibi. Hoc est quod timebatur; in ipsâ securitate animus ad difficilia se præparet, & contrà injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace decurrit, sine vllo hoste vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, vt sufficere necessario possit: quem in ipsâ re trepidare nolueris, antè rem exerce: Securiùs divites erimus, si sciverimus quàm non sit grave pauperes esse; exercemur ad palum, &c. Hoc est præoccupare tela fortunæ. Seneca Epistol. 18.

In curiâ Olympiorum iurcus est specie perfidis horrenda, vt apud Romanos. Deus fidus, vtraque manu fulmen tenens. Iurant ibi Athletæ nihil se fraudis facturos, & se per decem perpetuos menses in ludicram exercitationem propositi certaminis non consumpsisse. Pausanias in Eliacis.

Minoribus viginti quinque annis contrahentibus succurritur per restitutionem in integrum. tot. tit. ff. de minorib. 25. ann. & S. C. Macedoniano, si illis credita sit pecunia.

Artificium omne recipit incrementum per exercitium. l. 65. §. ornatricib. ff. de legat. 3.

Adscriptitij erant liberi, licet obligati certis agris colendis, quorum vsu noverant culturam, vndè non poterant alienari sinè solo. l. cùm satis. & l. fin. C. de agricol.

Advocatus potest esse illiteratus, modò habeat postulandi peritiam. l. 1. C. de postul.

Advocationis filij in officio cæteris extraneis præferuntur. l. 11. Cod. de advoc. diverſ. judicio.

Pecunia vitandi tyrocinij causâ data, quasi turpiter & per concussionem acceptâ, condicitur. l. 3. C. de cond. ob turp.

Præposteri homines, nam gerere, quàm fieri incipiunt; etiamsi ad præstantissima pervenire potuissent, festinatio pessumdedit.

Quandiù floruit Romana Respublica juvenes concilij publici diù spectatores, priusquàm consortes erant: advocatorum more, quorum cùm finiuntur actiones, incipiunt dignitates: vndè qui ad summum contendunt, debent per dignitatum gradus sui dedisse experimentum.

Sol prius ingreditur arietem, caput syderum & capiti humano dominans sydus, quam deveniat ad gemmos, qui brachiis dominantur; cognitio præcedat actionem.

Temporibus anni suam tempestivitatem benè servantibus, faciles, bonique judicij nascuntur morbi, vt contrà. Hypocrat. Aphoris. lib. 3. aph. 8. Meliùs se res habet cùm secundùm ætatis gradus homo se continet, intempestivè dignitates non ambiendo. D

Plato. 2. de Republ. dicit oportere vnumquemque artem suam statim à puero, & per omnem vitam continuè exercere.

In consiliis bellicis, maximè necessaria est experientia; vndè Pyrrhus dicebat, ne mihi de militiâ judicet, cujus aures tubarum sonus non circumsonuit.

Multùm semper artibus licuit; medici, vt vim in ægroto cognoscerent, viscera hominum rescinderunt. Sic Parrhasius pictor, Olinthiis à Philippo Macedonum Rege debellatis, Olinthium quendam senem emit, eumque torsit; ad exemplum torti Prometheum pinxit. Seneca lib. 5. declam. pen. E

De exercitio virtutum necessario. *Vide Duratio Virtutis. & Duratio Majoritatis.* Mora.

Secundùm Platonicos anima habet rerum omnium species, quia sæpiùs veniens in mundum eas acquisivit, & datâ occasione reminiscitur. *Vide Princip. Verit.* de speciebus innatis.

Nemo præstantior artifex quàm qui per errores suos doctus, antè quod caveret, quàm quod faceret vidit. Barclai.

Illis, qui ad fidicinam destinantur, jam in ipsis cunis datur plectrum, & laceratæ cytharæ nondùm prorsùs soluta compages, vt infantibus ipsa lux nota sit antiquior, quàm paternæ artis rudimentum; sic ad litteras destinati maturè discant, sed ætati consentan-

nea; jocis & gratâ exercitatione refrænandus est nocentissimus cursus. Idem. Nam intempestiva studia crescentes primùm vires, & vix dum coagulati cerebri robur solvunt. *Vide Bonitas Durat.*

Collatio dignitatum Ecclesiasticarum dicitur ordinario, quia ordine fit à minimis incipiendo. Vide Baron. anno Christi. 44. num. 77.

Vsus vni rei dedisus & naturam & artem sæpè vincit. Cicero.

Scientia nostra imperfecta est, & nihil aliud quàm experientia. *Vide Medium Cognit.*

Cùm lex naturalis sit omnium prima, illi potiùs credendum, quàm cuilibet experientiæ, & antiquitati, quæ illius respectu novissima est. Bacon.

Quidam tradunt, sicut apibus, ita concharum examinibus, singulas magnitudine & vetustate præcipuas esse veluti duces, miræ ad cavendum solertiæ has vrinantium cura peti; illis captis facilè cæteras palantes retibus includi. Plin. lib. 9. c. 35.

Ætites lapis non habet vim medicam ad partum, nisi is qui in nido aquilæ repertus fuerit, idest ab aquilâ vsu probatus. Idem lib. 10. cap. 3.

Plin. lib. 20. in proœmio, loquens de imperitis medicis ait. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantùm hominem occidisse impunitas summa est.

Lege Moysis dominus agri non debet omnimodam messem colligere, sed aliquid pauperibus colligendum relinquere; sic in artibus, scientiis, etiam campo scripturarum aliquid semper supererit colligendum.

Galli Herculem depingebant senem, calvum, spolio leonis, clavâ, & sagittis ornatum, aureis catenulis ab ore prodeuntibus, circumstantes populos, auribus alligatos, vltrò tamen sequentes ducentem: Senex est, quia facundia consuevit in senectâ absolutum vigorem ostendere. Lucianus. dialog. Hercules Gallicus.

Cùm cæteri populi Apollinẽ juvenem pingerent, Soli Syrij barbatum effinxerunt. Idem de Syriâ Deâ.

De præmatura ad dignitates promotione. *Vide Minoritas Medij.* Transitus ab extremo in aliud Malus. & *Duratio Majoritatis.* Mora.

EXPERIENTIA QVANTVM prosit.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Bonum quod est in convenienti nemo nisi expertus consequetur; sola enim experientia deprehendit rerum singularium conditiones: Inexpertus lædit, dùm putat beneficium conferre, vt si ægroti hydropico potum tribuat.

MAGNITVDO. Scientia generalia quædam speculatur, sed bonum singulare quod intenditur non obtinet, sicut scopum non attingit sagitta, quæ supra illum dirigitur. Non quæruntur magna, sed apta & proportionata: omnibus potest contingere vniversalis notio; paucis vero experientia.

DVRATIO. In his quæ rarò accidunt, experienda partus est plurium sæculorum: hæc notitia, vt prætiosa, rara est, & mentibus sensim instillatur, post diuturnam ejus sitim.

POTESTAS. Tot potentiæ naturales, seu sympaticæ, seu antipaticæ, amplissimum experimentis aperiunt campum.

COGNITIO. Notiones vniversales scientiarum sunt tantùm quædam conjecturæ mendicatæ ab aliis, quibus fidem habemus: At experientia dat res propriis oculis contemplari, sic multa deprehendimus quæ nos aliter lateret; vndè vix notiones ab aliis acceptæ respondent his, quas experientia comprobavit.

VOLVNTAS. Appetitus sciendi est singularium, quæ experiri oportet; experientiæ debemus quod beneficis vtamur, & nociva fugiamus; quod aconita pro cichoreis non colligamus, aut metu nocivorum à bonis non abstineamus.

VIRTVS. Virtutes cùm sint habitus, constant plurium singularium actionum experientiâ; fortis debet nosse quæ sit aggressurus pericula; temperans modum non servabit, nisi vires suas expertus.

VERITAS. Falsa pro veris in mundo naturali, civili, etiam Religioso subrepunt, nisi fucum extergat, larvamque auferat experientia. Ipsæ leges expertorum consultatione constituuntur, & rebus variatis immutantur. Scientiæ, quasi cæcæ & palpantes suspenso ambulant gradu; experientia autem firmo & alacri, quasi de fine sibi proposito secura.

GLORIA. Fluctuat in suo discursu ratio; nec habet vbi certò consistat sinè rerum experientiâ; torquet mentem, interdùmque perturbat intenta nimis rerum vniversalium contemplatio: At experientia summâ cum voluptate nos demulcet, & hoc intimo præmio labores compensat. Sic alchymiæ addicti, quasi voluptate ebrij, famæ, bonorum, familiæ, omnium denique rerum naturæ charissimarum, obliviscuntur.

DIFFERENTIA. Tædium facit semel habita rerum vniversalium cognitio: At novitatis avida mens gaudet semper rerum singularium experientiâ; sic enim quotidie miranda occurrunt; quæ quia sunt inter se diversa, habet ratio, quo se amplum explicet, applicando notiones suas variis rerum circumstantiis. Varia ex eadem materiâ non conficiet, nisi expertus.

CONCORDANTIA. Societas civilis stat ope artificum; artes autem ab experientiâ, quæ nihil intentatum reliquit ad vitæ necessitates & delitias. Conferunt experimenta ad eliciendas notiones vniversales.

CONTRARIETAS. Naturalem fortitudinem superat ars militaris. Languida est, torpens, titubans timida theoria: experientia autem generosior naturam sibi subjicit.

PRINCIPIVM. Vniversalium principiorum cognitio facili disciplinâ acquiritur; hæc autem se habet per modum materiæ, sub experientiâ, quæ illam determinat, quæ quasi divinæ omnipotentiæ imitatrix, novos mundos creat, annihilat, restituit. Sic homo lætatur mentis suæ partu, quem edit à seipso, non rerum tantùm, sed ipsius etiam lucis quasi creator.

MEDIVM. Nihil in inferioribus seipso agit, mediorum autem inventio, vsusque fœlix pendet ab experientiâ.

FINIS. In itineribus terrâ marique experti cæteros dirigunt; sic in civilibus & moralibus.

MAIORITAS. Scientiarum, & artium augmentum fecit experientia, dum è pluribus singularibus notio vniversalis elicitur: Aut excedit, aut deficit theoria, medium non nisi experti tenuere.

ÆQVALITAS. Semel probatæ lances, cætera facilè mensurant pondera; sic ab experientiâ ad alia pervium est judicium: Vnum enim semper agit natura sibi constans, positâque simili dispositione, similem producit effectum.

MINORITAS. Intempestivè mens circà vniversalia vagatur, dum instanti periculo consulendum est; singularia sunt, quæ in commercium nostrum veniunt, quæ indigentiæ nostræ opitulantur, &c.

REPVGNAT

REPVGNAT. Moræ.

COGNITIO PROMPTA sine conſultatione, vel morâ.

VIſus eſt ſenſuum nobiliſſimus, quia in inſtanti percipit ſuum objectum.

Ars non deliberat. Ariſt. phyſ. lib. 2. c. 8.

De ſcientiâ infusâ, quæ ſubitò habetur. *Vide Principium Cognitionis. & Cognit. Volunt. & Principium Veritatis.*

Nocet in bello diù deliberare, maximè ſi negotium ſit cum hoſte alacri.

Occaſio medendi eſt præceps, quia materia circà quam ars verſatur continuè fluit. *Vide Minorit. Duration.*

Ne liceat in vnâ eademque causâ tertiò provocare. Cod. 7. 70.

Quæ ſententiæ ſinè appellatione reſcindantur. ff. 46. t. 8.

Habitus corporales quandoque generantur ex vno actu forti, & etiam in intellectu poſſibili ſcientia, non autem opinio. 1. 2. q. 12. & q. 7. a. 4. Div. Thom.

Adam in primo ſtatu non acquirebat ſcientiam ex ſenſibus per medium argumentationis, nam habebat ſcientiam per ſpecies infuſas. 1. q. 94. a. 1. ad 5.

Adam proficiebat in ſcientiâ naturali, quoad modum, ſcilicet per experientiam; non autem quoad numerum ſcitorum: Sed in ſupernaturali vtroque modo. 1. q. 94. a. 3. ad 3.

Intellectus Angeli eſt ſemper in actu, & nunquàm in potentiâ. 1. q. 50. a. 1. ad 2. q. 54. a. 4. maximè reſpectu verbi Dei. 1. q. 58. a. 1.

In Angelis non eſt intellectus agens & poſſibilis. 1. q. 54. a. 4.

Intellectus Dei & Angeli ſtatim totam rei cognitionem habent; intellectus autem noſter paulatim. 1. q. 85. & 87.

Angelus vno & eodem actu intelligit ſimul ſe intelligere, & eſſentiam ſuam. 1. q. 87. Intelligit per ſpecies innatas, non acquiſitas. q. 55. a. 2. Non accipit cognitionem à ſenſibilibus. 1. q. 51. a. 1. Non intelligit componendo & dividendo. 1. q. 58. a. 4.

Beati per ſimplicem converſionem ad Deum illuminantur de agendis quæ neſciunt, ſinè inquiſitione, & anxietate dubitationis ſicut in viatoribus. 2. 2. q. 52. a. 3.

Conſilium eſt in Deo, quoad certitudinem judicij, non autem quoad inquiſitionem dubiam. 1. q. 22. a. 2. ad 1.

Conſilium ſinè dubitatione convenit Chriſto. 3. q. 11. a. 3. ad 1.

Deus intelligit tantùm in actu, nihil autem in potentiâ. 1. q. 14. a. 2. Intelligendo non componit, nec dividit. a. 5. Intelligit omnia ſimul vnicâ cognitione. q. 19. a. 2. ad 4.

Scientia Dei non eſt inquiſitiva, vel diſcurſiva. 1. q. 17. a. 7. Eſt vniformis & invariabilis. q. 14. a. 15.

Illud Iob, ſemel loquitur Deus; referendum eſt ad æternam Dei loquutionem; quia Deus Pater verbum vnicum protulit ſibi coæternum. 1. q. 27. a. 5. ad 3.

Fortitudo eſt maximè circà repentina, quoad manifeſtationem habitus, non autem quoad electionem. 1. q. 123. a. 9.

Geometra modico ſtudio acquirit ſcientiam concluſionis nunquàm conſideratæ. 1. 2. q. 65. a. 1. ad 1.

Illuminatio fit in inſtanti, quia non eſt motus, ſed eſt terminus motus localis, & lumen non habet contrarium; ideò ſubjectum ejus eſt in vltimâ diſpoſitione. 1. q. 5. a. 3. ad 3.

Operatione intellectus & voluntatis poteſt eſſe in inſtanti. 1. q. 63. a. 5.

Intellectus abſtrahit ab omni differentiâ temporis, ſicut & ab aliis conditionibus materialibus. 1. q. 107. a. 4.

Scientia, quæ eſt donum, non eſt diſcurſiva, quia eſt participata ſimilitudo ſcientiæ Dei. 2. 2. q. 9. a. 1. ad 1.

Solertia eſt habitus ex repentino inveniens quod convenit. 2. 2. q. 48.

Animæ celeritas quædam eſt, eſſe ingenioſum. Plato.

Aſpectus auditum antevertit, vt patet in remigatione & fulgure.

Tiberius repentinis reſponſionibus melior quàm meditatis.

Gladiator in arenâ capit conſilium; cum rebus ipſis deliberandum eſt. *Vide Differen. Cognit.* de conſilij opportunâ mutatione.

Fiat lux & facta eſt lux. Geneſ. 1.

Subitò circumfulſit Saulum lux De cœlo. Act. 9.

Subitò cecidit ſuper Petrum mentis exceſſus. Actor. 10.

Chriſtus dicit Phariſæis, non venit regnum Dei, cum obſervatione. Luc. 17. Dicunt Iudæi de Chriſto prædicante, quomodò hic litteras ſcit, cùm non didicerit.

Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux ſolis ſicut lux ſeptem dierum, in die quâ alligaverit dominus vulnera populi ſui. Iſay. 30. *Vide Majorit. Cognition.*

Aſcendit ſuper Cherubim & volavit, volavit ſuper pennas ventorum. Pſal. 16.

In Angelis eſt electio, non per inquiſitivam deliberationem conſilij, ſed per ſubitam acceptionem veritatis. D. Thom. 1. q. 59. a. 3. ad 1.

Preſbyteri ſeniores dicuntur, non tàm ætate quàm ſapientiâ. can. porrò. diſt. 74.

Oculus vno intuitu videt ſphæram, quàm cæcus paulatim digitis attrectando deprehendit. Sic differt noſter intellectus ab intellectu beatorum. Marſil. Ficin.

Deus regit mundum intuitu, non diſcurſu: Si enim in opere non eſt mora, vel tranſgreſſio vſquàm, vel retractatio, non eſt ambiguitas in opifice; qui enim artem callet, non conſultat, ſed agit ex habitu, vt natura formis. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 2. cap. 13.

Infuſio quæ à ſupernis manat in animam, vna, ſtabilis, ſubita fit, & æterna, quantùm in ſe eſt; ſimilia quoque in animâ operatur, ideſt ſubita, ſtabilia, æterna: quod autem paulatim opera fiant, ex animæ imbecillitate procedit. Sol ex ſeipſo lucem habet, infundit eam momentò in Mercurium, qui eâ ſemper manet pleniſſimus; Sol idem lumen momentò infundit in Lunam, ſed ipſum Luna non ſuſcipit momentò, ſed tempore, prout in ſolem vertitur: Sol Deum, Mercurius Angelum, Luna ſignificat Animam. Idem lib. 3. cap. 1. in fine.

Sunt quidam homines extemporaneæ ſubtilitatis, qui quoties loqui placet, ſubitâ ac plerumque feſtivâ oratione per ſuſceptum argumentum decurrunt, omnium dicta factaque excipiunt improviſis ſalibus, vel prudentiâ, quæ facilis & nata ſub manu, ipsâ celeritate placet. In ijs hominibus, non altum & perenne ingenij flumen, ſed naturæ impetus aliquis, quæ vt

exiguas aquas in ſublimi natas, eò majori niſu in altum propellit, quò anguſtior eſt exitus. Barclai.

Calidum diùs permanens, magis calefacit; vt focus in cubiculo, magis per horam quàm per ſemihoram; At hoc non facit lumen; etenim lampas aut candela in aliquo loco poſita, non magis illuminat per moram diuturnam quàm ſtatim ab initio.

In Cæſare mira fuit animi celeritas, ſcribere & legere ſimul, dictare & audire ſolebat; Epiſtolas diverſarum rerum quaternas pariter, aut etiam ſeptenas librariis dictare. Plin. l. 7. c. 25.

Tiberius Cæſar expergefactus noctu paululſper, aut alio modo quàm luce clarâ contuebatur omnia, paulatim tenebris ſeſe obducentibus. Idem lib. 11. cap. 37. De his quibus fœlicior prima cogitatio ſinè diſcurſu.

Laudatur Nicomachus pictor omnium in pingendo celerrimus, nitrâ tamen arte. Plin. lib. 35. cap. 10. Habuit & Philoxenum diſcipulum, qui breviores etiam quaſdam picturæ vias & compendiarias invenit. Ibidem.

Quibus horoſcopus eſt vicinior Zodiaco, hi celeriores ſunt in diſcendo. *Vide Princip. Cognit.*

Ars abſolutiſſima ſicut natura quæ intus mouet, non deliberat. Plotin.

Luna in nodis adjuvat acumen ac celeritatem inventionis, induſtriam ac feſtinantiam. Ptolomæ. lib. 3. cap. 36.

In Fortunatis Arabiæ inſulis, nocte tranſactâ, continuo Sol affulget, nec vnquam ibi fit dies, priuſquam totum conſpexerunt Solem. Photius in Biblioth. cap. 250. At Sol ſub terram demerſus, per tres horas lumen emittit. Ibidem. Talis eſt ſcientia infuſa, cito datur, diù durat.

Quomodo Angelus ſtatim omnia intelligat. *Vide Princip. Verit.* leges à Deo.

Heſiodus cùm pauca ex Helicone folia ſumpſiſſet, confeſtim Poëta egregius ex paſtore evaſit, atque Muſarum numine afflatus. Datur compendioſæ viæ in ſcientiis. Lucianus dialog. Rhetorum præceptor.

Anima ſtatim intelligit. *Vide Magnitudo Principij.*

Sic naturaliter fertur in Deum. *Vide Cognitio Principij.* de inſtinctu.

IVVENVM SAPIENTIA, & ad dignitates promotio.

SEnectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero cõputata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Sapient. 4.

Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi. Pſal. 118. Et intellectum dat parvulis. Ibidem. Exore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos. Pſal. 8.

Sæpè cani ſunt ſenſus hominis in juventute. Virtus ætatem legitimam, admiratio virtutis authoritatem facit. Si in dandis honoribus anni ſunt numerandi, ſæpè magna virtutis indoles antè extinguitur, quàm poſſit prodeſſe Reipublicæ.

Qui juvenum profectui obſtant, ſunt ſicut vetulæ arbores, quæ ſubnaſcentes arbuſculas ſuâ vmbrâ necant. Ea eſt melior ætas, quam ſpes, eâ quam mors ſubſequitur. Plus mellis apes de floribus tenetis quàm de foliis duris congerunt.

Qui præter ætatem beneficio Principis promoA vetur, oſtendit patriam ſuam temporis legibus libera producere ingenia. Quædam capita cito matura ſunt, nec bona conſilia ſemper à canis expectanda; ſtudium venit fœliciter in defectum experientiæ, quæ fallax eſt: nam vt eadem cœli facies, ſic negotiorum nunquàm redit; erroribus ſe exponit qui ex præteritis tantùm judicat, vt caſui qui retro tantum aſpicit.

Filius familias poteſt ad ſummas dignitates, imò & ad Patriciatum evehi, & tunc liberatur à patriâ poteſtate. l. 5. Cod. de Conſulib.

S. Ioannes Baptiſta & S. Ioannes Apoſtolus maximâ ſapientiâ præditi, adhuc in juventute.

B Vt in cauſa principili, fiſcus poteſt debitorem debitoris ſui antè tempus convenire. l. 1. Cod. de condict. ex lege. Sic poteſt juvenes decedentibus Magiſtratibus ſubſtituere.

Qui creſcunt nativum calidum habent plurimum: Itaque copioſo cum egeant alimento, abundè ipſis ſuppeditare oportet, alioqui corpus conſumitur. In ſenibus vero ineſt calidi parùm, paucis propterea egent, ideo febres in illis minùs acutæ; & facilius jejunium ferunt ob frigidiorem temperiem Hipoc. aph. 13. & 14. Hiberno tempore cum magis viget naturalis calor, plus oportet alimenti, ſic ardenti juventute, plùs negotiorum.

Timotheo juveni, eruditiſſimo & ſanctiſſimo Epi-
C ſcopo ſcribit Paulus. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, &c. 1. Timoth. 4.

Romæ Valerius Corvinus fuit creatus Conſul, anno ætatis 23. & ipſemet dicebat militibus, Conſulatum præmium eſſe virtutis, non ſanguinis. T. Livius.

Innocens promovetur, vt ſciat innocentiam imperio jungendam; & quaſi ideo tantùm vitam acceperit, vt regnaret; illum priùs Regno, quam ipſum ſibi per majoritatem Deus dedit, vt ſe totum voveat regno, cujus causâ datus eſt. *Vide Benit. Durat.*

Plin. lib. 7. cap. 26. recenſitis multis Pompeij magni victoriis & triumphis; toties, inquit, Imperator, antequàm miles.

D Manlius Capitolinus antè decimum ſeptimum annum bina cœpit ſpolia. Ibidem cap. 28.

Rex apum naſcitur, non vt cæteræ initiò candidos, ſed mellei coloris, vt electo flore ex omni copiâ factus, neque vermiculus, ſed ſtatim penniger. Idem lib. 11. cap. 16. Cæſaribus virtus contigit antè diem.

Iudicio Minois Alexander præfertur Hannibali, potiſſimùm quia juvenis multa præclarè geſſiſſet. Lucianus dialogo Alexandri & Hannibalis.

Vide Minoritas Medij. Tranſgredi Medium.

E

IVVENVM SAPIENTIA & promotio.

DEMONSTRATIO.

BOnitas. Sapientia donum eſt Dei, qui dat abundanter, vt ait Apoſtolus, nec ſolitos ſemper ætatis gradus expectat, ſuumque beneficium ipſa cumulat celeritate: ſic ſuum eſſe apparet, quod præter naturæ leges contingit.

Magnitvdo. Non ad annorum numerum datur ſapientia, quæ ab annis non pendet. Menti enim poſſunt imprimi vniverſales rerum ideæ, ad divinarum imitationem, quæ ſunt rerum agendarum non effectus, ſed cauſæ & exemplaria. In his vniverſalibus principiis videntur ſingularium concluſiones.

DVRATIO. Immortalis animus ſuprà tempus eſt; prætmatura ejus ſapientia rerum humanarum vſum præveniens, prolem ſe oſtendit divinæ ſapientiæ, quam deſcribit Salomon antè cœlorum & mundi fabricam. Clymata in quibus ſunt dies breviores, æſtus etiam ſunt majores ad fructuum maturitatem. Sic in aliquibus futuram celerem mortem prævenit velox ſapientia: fructus ſunt ætatem non patientes, qui pereunt Reipublicæ, niſi celeriùs illis vtatur.

POTESTAS. Alexander juvenis totum imperio ſuo ſubjecit orbem; ſi poteſt creditori debitum, quid ni animæ ſapientia præſtari antè tempus; naſci poſſumus, vt fortunæ, ſic animi bonis divites; & hoc quidem à cœleſti parente accipimus. Mens humana ad ſapientiam nata eſt; vim illi facit in primis annis indigeſta corporis temperies: Violentum autem vt non eſt durabile, ſic nec vniverſale; ſed æquum videtur vt ſint aliquæ mentes, quæ jus ſuum contrà ſubditum ſibi corpus vendicent.

COGNITIO. Non certis annis aſſignatam prudentiam videmus in litteratis juvenibus, qui maturo præter cæteros & ætatem ſunt judicio; ſi id aſſequitur humana diſciplina, quid non ſperandum à divina inſpiratione? Rectores populorum ſublimioris cujuſdam naturæ exiſtimabat Plato; vnde accedunt ad Angelos, qui à principio rerum omnium idæas acceperunt.

VOLVNTAS. Hoc præcocis ſapientiæ indicio ad magna deſtinatos oſtendit Deus. Velox hæc ſapientia, quam omnes optant aliquibus contingit, ne irritus ſit in ſpecie illius appetitus.

VIRTVS. Ætas innocens, paſſionum tumultu nondùm exagitata, ad ſapientiam aptior eſt: Si cæteræ virtutes ſinceriùs poſſunt juvenibus contingere, quid ni prudentia? Hæc, quæ magna debet aggredi, magnas in juventute expoſcit vires, & indefeſſum ardorem. In longum protrahuntur publica negotia, vndè citò illorum debet eſſe capax, qui ad regimen accedit, vt illa poſſit ad optatum finem adducere. Longum iter citò aggrediendum.

VERITAS. Vt bonum eſt antè malum, ſic verum antè falſum; vndè ſinè mundanæ falſitatis commercio, experientiâ, ac longo ſtudio poteſt haberi ſapientia, quæ ſeipſam vt lux manifeſtat. Obruunt mentem humanæ ſapientiæ præcepta, in varia diſtrahunt, variis, falſis, ſibique contrarijs avertunt itineribus. Simplex eſt, æqua & vera quæ habetur in juventute ſapientia.

GLORIA. Florenti adhuc ætate gaudet ſapientia, vt magnifico domicilio, & illuſtri conſiliorum ſuorum miniſtro: Indignum eſt ſapientiam gloriam ſuam mutuari ab annis, aut partiri cum ſenectute, quæ indifferenter bonis & malis contingit; illam vt meretur, ſola poſſidet in juventute, cum illi non accreſcit A authoritas ex ætatis opinione. Senes quies amantes ſe ſubducunt labori, & negotia ſubvertunt, quibus ſe ſentiunt impares, at magna audet & poteſt ardens ſimulque prudens juventus.

DIFFERENTIA. Non decet inter homines, ratione ſuprà tempus exiſtentes, à tempore ordinem conſtitui, & eos cæteris præferri, quos ob defectus, quaſi reos, natura cogit jam à rerum vſu & à mundo exulare. Verſatilis eſt, rerumque mobilium mobiliſſima ſapientia, vndè illi neceſſariæ ſunt ampliſſimæ, & ad multa protenſæ juventutis vires. Sapientia autem vt alijs, ſic ſibi medium hoc conveniens B providet.

CONCORDANTIA. Si anima ſocietatem habet cum corpore, rationi conveniens eſt vnius vires ex alterius viribus æſtimari, vegetumque animum in vegeto corpore. Sapientia omnibus ſe gratiorem, & magis amabilem præſtat, in ætate ad humanam ſocietatem proclivi.

CONTRARIETAS. Minorem movet invidiam rara hæc, & in paucis ſapientia, minorque ambientium conflictus contrà eum, cui pauciſſimi ſunt pares. Pudet invidere, quod boni omnes mirantur.

PRINCIPIVM. Primus homo habuit rerum omnium ſcientiam & regimen in juvenili ætate; nolo ex corpore, quod ſapientiæ, vt velum, officit, ſapientiam æſtimari. C

MEDIVM. Vt ad eundem pervenias locum, diverſas ſequi potes vias, & cæteris compendioſas; longa eſt, incerta, & nunquàm perfecta cognitio ab experimentis: ſufficit rerum noſſe principia. Vniones ex rore ſub aurorâ formantur, ſic præclara fiunt à juvente ſapiente, nondùm humanis legibus corruptâ; nam ad invidiæ temperamentum in omnibus moderatè ſe habet; at veterator in regimine, modum non ſervat, creditque omnia ſibi licere.

FINIS. Vt quotidie videmus viridem ſenectutem, poteſt etiam eſſe prudens juventus; extrema enim conſentiunt, & ſibi mutuò reſpondent. D

MAIORITAS. Sapientia in juventute eſt miraculi inſtar, & quaſi à numine data omnium meretur venerationem: Minùs permixti corporeis magis accedunt ad naturam Angelorum.

ÆQVALITAS. Ex eo quod ſapiens juvenis paucos habeat æquales, cæteris eſt præferendus. Si temperamentum corporis confert ad animæ actiones, temperamentum ſenis poteſt eſſe in juvene; vndè ſunt quædam ingenia cæteris longè citiùs matura, & quaſi prudentiæ manu formata.

MINORITAS. In rerum humanarum experimentis tàm ſunt dediſcenda quàm addiſcenda: vndè purior eſt, magiſque ſincera in juvene prudentia. Inſecta brevioris vitæ ſunt cæteris animantibus, ſagaciora, & magis ingenioſa.

Digitized by Google

POTESTAS COGNITIONIS.

QVANTVM POSSIT INDVSTRIA.

MISCELLANEA.

SQVATINA, Rhombus, Raja, & cæteri pisces qui ex occulto latrocinantur, licet tardissimi, tamen tantæ sunt solertiæ, vt Mugilem velocissimum omnium habentes in vtero reperiantur. Plin. lib. 9. cap. 42.

Ex hominis medullâ spinæ serpentem nasci à multis accepimus. Idem lib. 10. cap. 66. Aspinæ medullâ oriuntur nervi, hoc ergò significat vires in industriam occultè sævientem & magis potentem commutatas.

Omnium animalium caput in priora pronum; quia & sensus antè nos tendunt. Plin. lib. 11. cap. 37.

In capitibus Gemini duæ sunt stellæ lucidæ, quarum altera præcedens Mercurium refert, & nominatur Appollo; altera sequens Martia est, & vocatur Hercules. Ptolomæus prædict. Astrolog. lib. 1. c. 8. vis ex scientiâ.

Sapiens anima confert cœlesti operationi, quemadmodum optimus agricola arando, expurgandoque, confert naturæ. Idem in sententioquio. num. 8. De viribus Astrologiæ. *Vide Majoris. Cognit.*

Tot dicuntur esse felis partus, quot sunt Lunæ dies. Photius Biblioth. cap. 242.

Arist. 1. polit. cap. 3. dicit homines, quorum opus est in corporis vsu, & perturbationibus subditos, naturaliter esse servos eorum qui prævalent cognitione.

Quantùm possit in regimine scientia. *Vide Cognitio Potestatis*, & demonstrationem initio operis positam, Melius est regere prudentiâ quàm vi.

Illæ operationes sunt artificiosissimæ, in quibus minimùm est fortunæ. Illæ serviliſſimæ, in quibus est vsus corporis plurimum. Idem 1. polit. cap. 7.

Thales, cùm illi objiceretur quod coleret Philosophiam inutilem & sterilem, per Astrologiam prævidit olei inopiam, emit hyeme oleum, & incipiente inopiâ vendidit quantùm voluit; sic ostendit Philosophos posse ditescere si vellent. Ibidem.

Diurnâ vigiliâ spiritus animales illustrantur ab aëre diei luminoso, & humores, qui per somnum fiunt crassiores, digeruntur. Hipoc.

In acquisitione, necessaria est acquirendorum peritia. Arist.

Propter inconstantiam rerum agendarum, maximè in politicis, indigemus consilio; & Deus dat bona consilia Reipublicæ, quam vult florere.

Timothæus Athenienſis dolebat tabulam suam circumferri, in quâ cernebatur fortuna, quæ in ejus retia ipso dormiente vrbes immittebat, volebat enim suæ prudentiæ, non fortunæ, victorias adscribi. Ideò Princeps, cauta potius consilia cum ratione probet, quàm fœlicem temeritatem. Lacedemonij & Carthaginenses, in crucem egerunt duces temerarios, casu, non prudentiâ, victoriâ potitos. Hinc Agamemnon ad Trojæ direptionem, non tot Ajaces, quàm Nestores optat. De Romanis prudentibus dictum est, quod sedendo vincerent.

Arte superamus ea, à quibus naturâ vincimur. Artes necessariæ civitati.

Aristoteles in Epistola dedicator à summè laudat, & ostendit Imperatori necessariam esse artem Rhetoricæ.

Hostis duplici viâ oppugnatur, vi aut consilio; nam vis consilij expers mole ruit suâ; & magni duces plùs consilio quàm viribus profecerunt, & majori cum laude. Spartani, si victoria vi fuisset obtenta, gallum; si consilio & suasione, bovem immolabant.

Quæritur an dolis superandus sit hostis: videtur quòd non; quia plus est animi armatum hostem vincisci; dòli infirmis animantibus à naturâ dati sunt. Laudantur à Polibio Achæj, quòd ità abhorrerent à machinationibus, vt sic nollent hostem vincere, quasi non esset nec splendida, nec firma victoria. Facile insurgunt iterùm, qui se dolo, non virtute victos putant, nullus virtuti supereſt locus in bello, si fulmineis machinis addas & dolos.

Contra dicitur, optima illa esse stratagemata, quæ hostes in virtutis nostræ admirationem rapiunt, & opinione animos eorum frangunt: Laudanda victoria, quæ humano sanguini parcit, itavt hostium tantùm stultitiam puniat: homini convenientior est victoria rationis viribus obtenta. Erat dolus bonus apud Romanos, & hostes fallere justum, suave & fructuosum. Vt feræ, sic hostes plùs dolis, quàm vi superantur, venatio enim est belli tyrocinium.

Athenis duces electi ad militiam, sententiam suam publicè exponebant, vtrùm probarent bellum; malè ehim se gerit, qui bonam opinionem non concipit de negotio quod administrat.

Perit exercitus, nisi sciantur optimè loca, per quæ ducendus est.

Sapientia est fons prudentiæ, nam prudentiæ præcepta habent sua principia & fundamenta præceptis sapientiæ: vt in doctrinâ de fine, summo bono, de objecto, animâ rationali, voluntate & appetitu. Prudens debet scire circumstantiarum distinctionem, quæ à fontibus philosophiæ Theoreticæ oritur, quæ etiam Theoria præbet causas impulsivas ad virtutes varias, & media eas consequendi; vndè prudentia mutuatur lumen suum à sapientia, vt à sole Luna.

Persæ solem adorabant in clypæo depictum. Tertul. apolog. cap. 16.

Avicenna dixit mentem, sivè intelligentiam, formas materiæ imprimere: sapiens dat leges populis.

Apud Stoicos divina ratio est opifex rerum, Deusque se inserit materiæ, vt fiat mundus.

Nervi omnes à cerebro.

Licet Metahysica sic maximè theoretica, tamen ex

eâ multùm vtilitatis ad nos derivatur per diſciplinas practicas & effectivas, ad quarum conſtitutionem valet.

Antequam finis cauſet, debet cognoſci bonum per mentem aut quaſi mentem.

Externum exemplar interno indiget, vt vultus Regis notione pictoris.

Mirabilis phantaſiæ vis, in fœtus formatione. Perſæ ſolis ſimulachrum pro militari ſigno habuere. Thebani Minervæ ſignum, Cyrus Gallum, animal. vigilantiſſimum.

Romanis præcipuum ſignum erat Aquila, quæ ſolis radios fixo excipit obtutu.

Pulveres pyrij & conſimilia, partim reflexione, partim refractione radiorum luminis inflammantur, ſic extinctus ignis Veſtalium inſtaurabatur.

Lux operatur aliquid impreſſivè in viſum contrà ſe converſum; nam viſus in videndo luces fortes patitur & dolet: lucis etiam incenſæ ſimulachra in oculo remanent poſt aſpectum, & locum minoris lucis faciunt apparere tenebroſum, donec ab oculo veſtigium majoris lucis evanuerit: ſimiliter & de colore illuminato.

Humores rebelles rectè purgantur Lunâ lumine plenâ, ſic enim ejus caliditate rarefiunt, & magis expulſioni ſunt parati.

Oculus Tauri dictus Aldebaran, eſt ſtella primæ magnitudinis, plus habet luminis & virium quàm duo cornua, quæ ſunt tantùm. ſecundæ aut tertiæ.

Ignis noſter, quia ſimulachrum eſt cæleſtis & fulgentis luminis, fugat tenebricoſos dæmones. Ideò apud omnes gentes in ſacris & in funeribus ejus vſus eſt.

Veneno infectus, vt curetur, debet in loco claro & lucido reſidere.

Sub meridie mare fit placidum, quia à præpotenti calore ità rarefit, vt vaporibus ingeneratis faciem præbeat exitum.

In regionibus, quæ habent polum verticalem, idem eſt æſtas & dies, nox & hiems, vnumquodque præſente & abſcente ſole per ſex menſes.

Ptolomæus qui totam terram in quadrangulos partitam certis aſſignat planetis, ponit Mercurium in medio terræ, vbi linguæ pollent, & vndè omnes legiſlatores; ſiquidem in Paleſtinâ, Arabiâ, & Syria incœperunt leges Moyſis, Chriſti, Mahometh, & plures ſcientiæ.

Lunâ plenâ augentur omnia conchyliorum genera & corpora; tunc formicæ operantur: interlunio autem formicæ ceſſant, & conchilia minuuntur. Plin. lib. 2. c. 41. & lib. 11. cap. 30.

Luna cum lumine ſic calore augetur Ficin.

Eſſe cognitum eſt conditio neceſſaria, ſinè quâ finis non poſſet ſuam cauſalitatem exercere. Ruvio 2. phyſic. tract. 3. q. 4.

Civitas fit fortis, non multitudine populi, aut arcibus, ſed bono regimine, quod eſt ejus quaſi anima: ſic plus poteſt in bello Ducis prudentia quàm vis militum, & miles induſtrius robuſtiorem ſuperat.

Artes mechanicæ neceſſaria & commoda vitæ ſubminiſtrant; vndè Veſpaſianus & Alexander Severus ampliſſimis præmiſſis & ſtipendijs donarunt artifices. Apud Indos ex publico vitam habebant & capitale erat agricolam lædere Diodor. Sic. lib. 2.

Ars ſuperat naturam, ità arte fit ignis, qui aquam comburit, alius qui oleo extinguitur, & aquâ accenditur frigidâ, vt calx; vel etiam ſole: ignis in aqua ardente nihil conſumit, niſi ſeipſum.

Dij cœleſtis, principium ſuum habentes in mundo intelligibili, dum idæos ſui contemplantur, in eo movent cœlos, hoc ipſo actu intelligentiæ, voluntatiſque efficaci admodùm & perpetuo, ſic faciliùs regunt, quò attentiùs ſpeculantur. Iamblicus de myſteriis, cap. 15.

Magnitudo & figura oſſium pendet à capacitate cerebri & cranij, vt ait Hipocrates.

Nervi ſunt idem organum ſenſus & motus, quia idem ſpiritus animalis, qui in illis reſidet, vtrumque agit.

Saturnus vitæ contemplativæ præſidens, vt omnium Planetarum altior, ſtellis fixis, & primo mobili vicinior, omnium Planetarum vires. qui ad ipſum accidunt, in ſe convertit. Marſ. Ficin. de vitâ cœlitus comparandâ. cap. 22.

Plotinus dicit animam mundi eâ conditione inferioribus providere, vt interim à divinis nullâ ex parte declinet; ſed quò attentiùs divinis inhæret, eò potentiorem & fœcundiorem ad ſequentia reddi, & quaſi jam indè prægnantem ſequentia parere.

Omnes corporis partes factæ ſunt vt ſerviant cerebro, & ipſe movet omnes ad libitum, quaſi ſibi ſubditas. Du Laurent.

Arte ſuperamus ea, à quibus naturâ vincimur.

Senibus expertis potiùs committendus exercitus, quàm validis juvenibus. *Vide ſuprà Duratio Cognitionis.* Experientia.

Ordo eſt quaſi forma exercitus, vndè illi vis omnis & actio. Stratagemata ſupplent defectum virium.

Appetitus ſequitur ſenſum, & nihil eſt in appetitu, quod priùs non fuerit in ſenſu. Os ventriculi maximè eſt ſenſibile hinc enim fames, ſed non concoquit.

De ſcientiâ fœliciter junctâ regimini. *Vide Cognitio Poteſtatis.*

Phantaſiæ ſeu imaginationis ea ſunt munia. Primò, ſpecies per ſenſum communem delatas aliquantùm retinere. Secundò, per ejuſmodi ſpecies, quæ dicuntur phantaſmata, res objectas, etiam abſentes, cognoſcere. Tertiò, ſpecies ſenſatas inter ſe componere, partiri, & dividere, ex quâ ſpecierum fabricâ innumera fingi poſſunt & concipi: Indè qui phantaſiâ pollent, induſtrij, & ad multa, excogitanda prompti. Quartò, regere ipſum animal, vt enim homines ratione, animalia imaginatione ducuntur, in quibus inſtinctus idem eſt cum imaginatione.

Anaxagoras & Plato in Theæteto, cauſam rerum omnium faciunt intellectum, qui inordinata in ordinem reducens, hunc fecit mundum.

Homo intelligendo fit quaſi omnia, quia omnium rerum imagines in ſe ſuſcipit.

Omnia Deus gubernat, quædam per fortunam, movendo mundi ſphæras; quædam per artem, lumen mentibus inſpirando: hinc ſæpè ars ſuperare poteſt fortunam, vtrumque enim à Deo.

Terra immediate luci jungitur, per lutem cœlo, per cœlum ſubſtantiæ ſpirituali; ità ánimus.

Heraclitus lucem, quâ omnia formantur, appellans ignem, omnium principium eſſe dixit

Ars per cognitionem certam rerum ſe ad externum opus extendit; ſic Deus mundum gubernat, Princeps populum, intellectus prudentiâ informatus ſingulas actiones.

Opus naturæ, opus intelligentiæ. Actione prior eſt ſpeculatio. Agens omne per intellectum & artem habet apud ſe idæam & exemplar rei artificiatæ.

Plato tria dicebat eſſe rerum principia materiam, idæam, & cauſam efficientem, ſcilicet Deum.

Quædam animalia non habent vim dimicandi, ſed ingenium cavendi, & evitandi.

Animalia autem teſta incluſa, quia oculos non habent, magis muniuntur à naturâ.

Lucca, 1844-1847, 4 vols.; Ferrara, 1844-1847, 4 vols.; Milan, 1844-1847, 4 vols.; Naples, 1844-1847, 4 vols.; Parma, 1844-1847, 4 vols.; Pisa, 1844-1847, 4 vols.; Rome, 1844-1847, 4 vols.; Turin, 1844-1847, 4 vols.; Venice, 1844-1847, 4 vols.; Verona, 1844-1847, 4 vols.; Vienna, 1844-1847, 4 vols.; Zurich, 1844-1847, 4 vols.

POTESTAS CONSTITUENDI. The power of making a constitution.

POTESTAS CONSTITUENTIS. The power of the constituent.

POTESTAS CONSTITUTA. The power of the constituted.

POTESTAS CONSTITUTIONIS. The power of making a constitution.

POTESTAS DELEGATA. The power of the delegate.

POTESTAS DELEGATI. The power of the delegate.

POTESTAS DELEGATORIS. The power of the delegator.

POTESTAS DELEGATUM. The power of the delegate.

POTESTAS DELEGATUS. The power of the delegate.

POTESTAS DELEGIS. The power of the law.

POTESTAS DIRECTA. The power of the direct.

POTESTAS DIRECTUM. The power of the direct.

POTESTAS DIRECTUS. The power of the direct.

POTESTAS DISCRETIONIS. The power of discretion.

POTESTAS DISPONENDI. The power of disposing.

POTESTAS DISPONENTIS. The power of the disponent.

POTESTAS DISPONIBILIS. The power of disposing.

POTESTAS DISPONIBILIUM. The power of disposing.

POTESTAS DISPONIBILIUS. The power of disposing.

POTESTAS DISPONIBILIUSQUE. The power of disposing.

POTESTAS DISPONIBILIUSVE. The power of disposing.

POTESTAS DISPONIBILIUSVE. The power of disposing.

**POTESTAS DISPONIBILIUSV

Artium aliquæ ea quæ non ſunt efficiunt, vt navium ſtructoria; nonnullæ quæ ſunt conſervant, vt navium gubernatoria; aliæ vtrumque præſtant, vt ædificatoria: talis etiam eſt medicina. Galenus. lib. de optimâ ſectâ.

Homo in animâ artem antè artem habuit, ſcilicet rationem; ſic organum antè organum in corpore poſſidet, ſcilicet manum. Idem lib. 1. de vſu partium.

Nero magiæ deditus magos ex omnibus mundi partibus accercebat, quia ſic ſperabat ſe Dijs Imperaturum. Plin. lib. 30. c. 2. Vide Baron. an. 68. num. 13.

Scientia regit Rectores cæteros Regentes. *Vide Cognitio Poteſtaris.* Scientia rectorum.

Cherubini Angeli ſapientiæ præſunt Thronis & Dominationibus.

Scientia & potentia humana in idem concidunt, quia ignoratio cauſæ deſtituit effectum; natura enim non niſi parendo vincitur, & quod in contemplatione inſtar cauſæ eſt, id in operatione inſtar regulæ eſt. Baconius.

Philoſtratus in vitâ Apollonij refert, Indorum ſapientes habere dolia, è quibus ventos, pluvias, fulgura ad libitum emittebant.

Viam rebus agendis aperit ſapientia; ſic primâ die lux facta eſt. Gen. 1. ſic naſcens homo in caput, non in pedes procedit, alioquin ominoſum. Plin. l. 7. c. 8.

Pompeius Magnus honores, victorias, triumphos, bello triginta annorum repottatos, & breviario comprehenſos, in delubro Minervæ dicavit. Ibidem cap. 26.

Leoni deficit vis & feritas, injecto in caput ſago, itaut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis conſtat in oculis. Plin. lib. 8. cap. 16.

Ideò timenda in ſubditis ſimia induſtria. *Vide Majoris. Cognit. Bona.*

OCVLORVM VIS.

OCuli primi ſunt in amore duces. Vidit Eva fructum & concupivit; ſic lucidiores corporis partes animam plus denigrant. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Pepigi, inquit Iob. pactum cum oculis meis, vt ne cogitarem de virgine. Zaleucus Locrenſium Legiſlator adulteris erui oculos volebat, quaſi criminis authores.

Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Ierem. cap. 3.

Amor eſt viſus filius, Ideò malè cæcus pingitur. Color albus diſgregat viſum, pulchritudo mentem; Appelles, dum Alexandri concubinam contuetur vt pingeret, ejus amore corripitur.

Refert Plinius, in Scythiâ fœminas eſſe, quæ geminas in oculis pupillas habeant & quæ nocent intuitu, vt Baſiliſcus viſu necat.

Faſcinatio oculorum hoc modo fit. Sanguis in adoleſcentiâ ſubtilis eſt, clarus & calidus, tales efformat ſpiritus, qui per oculos, quaſi per ſuperiores corporis feneſtras, emicant; radius autem emiſſus ab oculis, vaporem ſecùm ſpiritualem trahit, & ſanguinis vaporem: quod patet ex eo quod lippi & rubentes oculi ſpectantis proximè oculos radij ſui emiſſione cogunt morbo ſimili laborare; ſic ergò radius vſque ad obvium illum protenditur, exceptus autem radius, ſpiritus vehiculum, in ſanguineum vaporem reſolvitur, vt patet in mulieribus, quæ ſanguine menſtruo laborantes ſpecula ſanguineis guttis inficiunt, vel cum creber anhelitus ſuper vitro in ſalivam reſolvitur; fit autem id propter vitri duritiem, quæ penetrari non poteſt, & quabilitatem, quâ fit vt ſpiritus non diſſipentur: hinc ergò virulentus aculeus tranſverberat oculos, cumque à corde percutientis mittatur in hominis perculſi precordia, quaſi regionem propriam repetit, cor vulnerat, inque duriori ejus dorſo hebeſcit, reditque in ſanguinem: Peregrinus hic ſanguis, à ſaucij hominis naturâ alienus, ſanguinem ejus proprium inficit; & quia calidus in ſuam naturam convertit, vt fortior; & quia dulcis, ex calidi & humidi aptâ mixtione fovet viſcera, paſcit, & oblectat: Miſcetur dolor, quia homini quod ſuum eſt aufert, & in alium convertit. Marſil. Ficin. in convivium Platonis de amore. oratione. 7. cap. 4.

D. Auguſt. 8. de civit. dicit Dæmonem objiciendo convenientia oculis vaccæ effeciſſe bovem Apis, ſibi ſemper ſimilem, ſic varios pepererunt fœtus oves Iacob, objectis virgis variegatis. Vide ſuprà de vi imaginationis.

Viſo capite Gergonis homines vertebantur in lapides. Viſo ſerpente æneo ſanantur. Num. 21.

VIS ELOQVENTIÆ.

ARiſt. initio libri Rhetoricæ ad Alexandrum dicit eloquentiam eſſe Principi arcem munitiſſimam.

Ducis oratio militaris antè pugnam accendit militum animos.

Eloquentia, vt Medæa, homines convertit in Leones, porcos, &c. Ideſt animalium diverſas paſſiones illis imprimit.

Perſæ antè ſacrificia orationem habebant de pietate; antè convivia, de ſobrietate; quot annis antè comitia generalia, de juſtitiâ.

Theſæus cùm in vnam civitatem ex agris Athenienſem populum compoſuiſſet, Veneris popularis & Suadelæ cultum induxit. Pauſanias in Atticis lib. 1.

Athenis juxta Areopagum Minervæ eſt atrea & ara, quam abſolutus Oreſtes dedicavit. Idem.

Mercurius ſoli conjunctiſſimus fac potentes oratores. Minerva pingebatur armata. Hercules Gallicus populus eloquentiâ ſuâ ſubegit. Pericles fortis & eloquens. Cicero, in defenſione Q. Liarij, ſic Cæſarem commovit, vt toto corpore excuſſo, libellos quos manu tenebat ab jecerit.

D. Chryſoſt. lib. 4. de ſacerdotio probat D. Paulum eloquentiâ vſum ad Iudæos ſibi conciliandos, & fidem Chriſti diſſeminandam, antequam miracula edidiſſet.

Apud Athenienſes ſæpè oratores legati mittebantur, hi ſcilicet, qui in concione ſæpe verba feciſſent, quaſi potentes eſſent ad Reipublicæ negotia feliciter peragenda.

Idem eligebant Duces, non tantum rei bellicæ peritiſſimos, ſed etiam eloquentiſſimos; quales fuerunt Demoſthenes, Nicias, Themiſtocles, Alcibiades, & alij quamplurimi.

Oratores movent omnia ad libitum in regimine populari.

Dialectica eſt Dei donum; nam componit & dividit, ſicut Deus facit in mundo.

De curioſâ nimis eloquentiâ. *Vide Majoris. Cognitionis.* Prædicator non ſit curioſus. & ſeqq.

Thebas condidit Amphion, non quod lyra ſaxa duxerit, ſed quod eloquij ſuavitate homines ad civilem vitam traxerit. Solinus Poliſthor. c. 13. Sic Herculi Gallico, appinguntur catenulæ ex ore prodeun-

tes, & autibus alligatos auditores trahentes.

Egit ſalubris perſuaſio, quod vix vehemens poterat emendare diſtrictio. Caſſiodor. 1. variar. Epiſt. 4.

De vi ſacræ eloquentiæ. *Vide Gloria Veritatis.*

Olim atæ Muſis & Herculi fuere communes.

Apes ſedere in caſtris Druſi Imperatoris cùm proſperrimè pugnatũ apud Arbalonem eſt. Plin. l. 11. c. 17.

Sublimior dicendi vis inſtar tyranni eſt. Photius Biblioth. cap. 242.

Demoſthenis orationes dicebantur eſſe ſimiles militibus fortiter pugnantibus: Iſocratis verò Comicis, in theatro delectantibus. Ibidem cap. 265.

Galli eloquentiæ Deum non agnoſcebant Mercurium, ſed eo fortiorem, Herculem. Lucianus in Herculo Gallico.

VIS NOMINVM, & verborum.

HEbræi ſcientiam nominum tanti fecerunt, vt eam etiam legi ſcriptæ prætulerint, cæteriſque ſcientiis; affirmabant enim ipſam à Deo Patriarchis & Moyſi traditam. Origenes contrà Celſum, dicit in divinis nominibus mirificam ineſſe vim, vndè ex Hebræâ linguâ in aliam non eſſe transferenda, ſed in ſuis caracteribus, ſuâque pronuntiatione conſervanda. Vt enim in corpore certâ ratione compoſito vita permanet, & vt ſtatuis certo ordine compoſitis Dæmones includuntur, ſecundùm Trimegiſtum: ſic putant latentem ineſſe vim nominibus; vndè dicitur de Pythagora, quòd morbos tùm animi tùm corporis certis quibuſdam verbi curabat. Vis naturalis rei pervenit ab objectis ad ſenſus, ab his ad imaginationem, ab hac mentem, deinè à mente concipitur, de hinc per vocem, quaſi per partum, exprimitur: In hac voce ſuis articulis conſtitutâ, putant ſignificationem quaſi formam latere, itamque ab ipsâ mente per ſemina rerum conceptam, deindè per voces editam, poſtremò per ſcripturam ſervatam. Vndè Plato in Philebo, divina nomina enerari jubet, quia ſunt imagines à mente factæ præſtantiores quàm quæ fiunt manibus. Marſil. icin. argumento in Platonis Cratilum.

Sermo certis articulis, quaſi artubus compoſitus, ſignificationem habens pro mente eſt quoddam animal aëreum, & rationale; vim trahit etiam à dominante eo diſpoſitione, & fortè etiam noſtrâ. Idem de vitâ cælitus comparandâ. cap. 21.

Deus λόγος, mente noſtrâ conſpicitur & verbo parturitur, quare ſicut ipſe mentis ſedem inſenſibilem, ità & verborum ſenſibilem eligit manſionem, quæ ſuâ providentiâ nos docuit, quaſi inſenſibilis Deitatis ſenſibilia monumenta: quoniam verba communicant partim cum ſpiritu, quia proles ſunt mentis; partim cum corpore, aptiſſimum ſunt medium homines cum Deo conciliandi, &c. Reuchlinus de verbo mirifico.

Stoici vocem corpus eſſe aſſerunt, eo quod & movetur, & nobis dolorem & faſtidium & voluptatem pariat. Plutarch. de placitis Philoſoph. c. 19. Sic viva vox magis afficit, quia eſt proximum mentis ſimulachrum. Vide D. Ambroſ. ad Horontianum in Geneſ. enarr. 1. Senec. Epiſt. 33. lib. 4. Sic Paulus cupit vocem Apoſtolicam, litteris comprehenſam, in præſentiam commutare. D. Hieronym. ſuper cap. 5. ad galat. Quantùm valeat in oratore pronunciatio. Vide Senec. Epiſt. 40.

Rabi Salomon exiſtimat Moyſem, Ægyptium occidiſſe, ſolâ pronuntiatione nominis Dei, Tetragammaton. Toſtat. in cap. 2. Exod.

Quantam vim habeant verba in ſacrificiis, expiationibus, meſſibus, cæteriſque rebus incantandis, in obſeſſarum vrbium Dijs evocandis, & ſimilibus ad miraculum operandis. Vide multa exempla apud Plin. lib. 28. cap. 2.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

LEgis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere. l. 7. ff. ne legib.

Cum in diverſis locis aliquis eſt ſepultus, ibi ſepulchrum ejus dicitur, vbi principale conditum eſt, id eſt caput. l. 44. ff. de religioſ. & ſumpt.

In ſocietate ineundâ, non opus eſt eſſe æquas facultates, nam plerumque pauper induſtriâ ſupplet, quod ei per comparationem patrimonij deeſt. l. 5. ff. pro ſocio. Et quia plus interdùm induſtria ſocij confert ſocietati, quàm pecunia, poteſt taliter iniri ſocietas, vt is nullum damnum ſentiat, lucrum verò ſit commune. l. 1. Cod. pro ſocio.

Iuſſus facere cum conſilio alterius, ſi quidem eſt particeps officij, tenetur eum requirere & ſequi. l. 4. ff. de adminiſt. & peric. tutor.

Qui habet fundi vſum fructum, ſi illud ignorans vſum tantum accipiat, amittit vſumfructum, ſecus ſi ſciens non vtatur, tunc enim non amittit. lib. 20. ff. quib. mod. vſusfruct. amittat.

Poſſidens fundum, non poſſidet theſaurum in eo exiſtentem, niſi ſciat in eo eſſe. l. 3. §. 3. ff. de adquir. vel om. poſſ. ſic qui rem alienam legat. ſi ſciat alienam, valet legatum.

Solo animo retinetur proprietas, vt in ejectis, levandæ navis causâ. Præda à te vulnerata, cenſetur eſſe tua, donec conſpectum tuum effugit.

Cenſetur dolo malo efficere ne quis judicio ſiſtat qui alios rogavit vt impedirent. l. 2. §. 1. ff. de eo per quem fact. eſt.

Suo conſilio cenſetur quis ſervum corrumpere, & dexteriorem facere. l. 1. ff. de ſervo corrup.

Qui ſervo fugam perſuaſit, vt ab alio ſubripiatur, furtum facit ſuo malo conſilio. l. 30. ff. de furt.

Si perſuaſerim alicui, aliàs nolenti, vt mihi ad injuriam faciendam obediret, poteſt mecum injuriarum agi. l. 11. §. 6. ff. de injuriis.

Feciſſe convitium, non tantùm is videtur qui vociferatus, eſt verùm is quoque, qui concitavit ad vociferationem. l. 15. §. 8. ff. de injur. & famoſ. libell.

Is qui blanda oratione alterius pudicitiam attentat tenetur injuriarum, & is qui ſuadet comiti vt fœminam deſerat. l. 15. §. 18. & 20. eod.

Cenſetur Raptor virginis, etiam volentis, quia cenſetur in illud velle ſuis malis artibus & ſuaſione illam induxiſſe. l. vnic. §. pœnas. Cod. de rapt. virgin. Reus Majeſtatis eſt, qui operâ aut conſilio aliquid contrà Rempublicam molitur. l. 1. ff. ad l. Iul. Majeſt. & qui fecerit quo hoſtes conſilio iuventur. eod.

Capite punitur qui ſuis perſuaſionibus hominem liberum aut ſervum fecerit apoſtatare à fide. l. penul. & vlt. C. de Apoſtat.

Gravi pœnâ punitur, qui ſollicitavit ſervum ad fugam. l. 5. C. de ſerv. fugit.

Agitur contrà ſollicitantem ſervi corrupti. l. 4. C. de furt. & ſervo corrupto. *Vide Medium Contrariet.*

Reus eſt criminis, qui illud ſuadet, de pœnit. diſt. 1. can. ſollicitatores. & can. perniciosè.

Fraus

Fraus non exeventu tantùm, ſed ex conſilio reputatur. l. 79. ff. de reg. jur.

Habetur autor mali qui illud ſuadet. *Vide Principium Contrarietatis.*

EX THEOLOGIA.

COgnitio eſt cauſa amoris. D. Thom. 1. 2. q. 27. a. 2.

In his quæ ſunt ſuprà hominem amor eſt nobilior cognitione, ſed in alijs eſt è converſo. 1. 2. q. 3. a. 4. ad 4.

Amor eſt altior cognitione in movendo, ſed in attingendo eſt è converſo. Ibidem.

Angeli adminiſtrant & gubernant omnem creaturam corpoream. 1. q. 110. a. 1.

Deus produxit corpora mediantibus Angelis. 1. q. 65. a. 3.

In Angelis ſunt tantùm duæ potentiæ, intellectus, & voluntas. 1. q. 54. a. 3.

Appetitus ſenſitivus movetur à cogitativâ, ſeu æſtimativâ. 1. q. 81. a. 3. ad 2.

Vterque appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis obedit imperio rationis. 1. q. 74. a. 3. q. 81. a. 3.

Proprium hominis eſt, quod appetitus inferior ſubdatur appetitui ſuperiori, & moveatur ab eo. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 1.

Ars eſt recta ratio factibilium, & habitus operativus. 1. q. 22. a. 2.

Omnis recta applicatio rationis ad aliquid factibile pertinet ad artem, ideò eſt aliqua ars ſpeculativa: Prudentia autem eſt de his, in quibus non ſunt viæ determinatæ ad finem. 2. 2. q. 47. a. 2. ad 3.

Cæcus licet habeat virtutem greſſivam, tamen non ambulat, niſi ceſpitando, quia viſus non dirigit greſſus. 1. 2. q. 18. a. 1. ad 2.

Cœlum movetur ab aliquo intellectu. 1. q. 70. a. 3.

Cogitativa potentia eſt ratio particularis collativa intentionum individualium. 1. q. 78. a. 4.

In carentibus cognitione eſt potentia pertingens ad finem, per modum exequentis, non autem per modum imperantis. 1. 2. q. 11. a. 2.

Continentia poteſt attribui rationi, ſicut primo moventi, & incontinentia concupiſcibili, licet vtraque ſit in voluntate, vt in proprio ſubjecto. 2. 2. q. 155. a. 3. ad 2.

Scientia Dei eſt cauſa rerum, adjuncta voluntate. 1. q. 14. a. 8. Comparatur ad creaturas vt ars ad artificiata. Scientia Dei cauſat res, noſtra autem cauſatur à rebus, & dependet ab eis: ſed Angelica nec cauſat, nec cauſatur ab eis. Ibid.

Eſſentia Dei eſt in intellectu beatorum, vt forma quoad operationem, non autem quoad eſſe. 1. q. 12. a. 2. ad 3.

Quicunque videt Deum per eſſentiam, impoſſibile eſt quin diligat eum. 1. q. 60. a. 5.

Fides eſt ſubſtantia, ideſt fundamentum totius ſpiritualis ædificij. 3. q. 73. a. 3. ad 3. non ratione ænigmatis, ſed cognitionis. 1. 2. q. 67. a. 3. ad 2.

Omnes formæ & motus in inferioribus fluunt à formis, quæ ſunt in intellectu alicujus intelligentiæ. 1. q. 65. a. 4. ad 2.

Angelorum miniſterio Deus gubernat homines. 1. q. 110. a. 1.

Per intellectum homo cæteris animalibus dominatur, & in ipſomet intellectus habet rationem dominantis. 1. q. 96. a. 1. ad 2.

Idæa eſt forma exemplaris, quâ res fiunt & cognoſcuntur, quæ eſt in mente artificis. 1. q. 15.

Idæa in Deo non eſt aliud quàm eſſentia divina. 1. q. 15. a. 1. ad 3.

Eſſentia Dei non habet rationem ideæ reſpectu Dei, ſed reſpectu aliorum, quia eſt principium operativum aliorum, non autem Dei. 1. q. 15. a. 2. ad 2.

Idæa practica & ſpeculativa non ſunt duæ ideæ, niſi ſecundùm rationem. 1. q. 15. a. 3.

Idæa vt principium factionis eſt practica, & dicitur exemplar omnium quæ aliquandò fiunt à Deo; ſed vt eſt principium cognitionis eſt ſpeculativa, & dicitur ratio, & eſt omnium quæ cognoſcuntur à Deo ſecundùm propriam rationem. 1. q. 15. a. 3.

Objectum intellectus eſt primum in genere cauſæ formalis; ſed objectum voluntatis eſt primum in genere cauſæ finalis. 1. 2. q. 9. a. 1.

Intellectus eſt ſimpliciter prior voluntate, ſicut motivum mobili, & activum paſſivo. 1. q. 82. a. 3. ad 2.

Intellectus regit voluntatem, non inclinando, ſed oſtendendo, & ordinando. 1. 2. q. 17. a. 3.

Finis intellectus practici & vitæ activæ eſt exterior operatio: ſpeculativi vero & vitæ contemplativæ eſt cognitio veritatis. 1. q. 14. a. 16.

Donum intellectus eſt ad capiendum divina, quorum judicium eſt doni ſapientiæ; ſicut doni ſcientiæ reſpectu creaturarum, & conſilium eſt reſpectu ſingularium operum. 2. 2. q. 8. a. 6.

Ordinare & judicare ſunt actus ſapientiæ 1. q. 1. a. 6.

Lux agit ad productionem formæ ſubſtantialis, vt inſtrumentum cœli. 1. q. 67. a. 3. ad 3.

Membra hominis non applicantur operi, niſi de conſenſu rationis. 1. 2. q. 74. a. 7.

Ratio naturalis, & principia ei naturaliter indita, ſunt regulæ generales, & menſuræ omnium agendorum ab homine, non autem naturalium. 1. 2. q. 91. a. 3. ad 2.

Operatio miraculorum attribuitur principaliter fidei, vt virtuti diſponenti, quibus cooperantur abſtinentia & continentia. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 5.

Mundus non eſt factus à caſu, ſed à Deo. 1. q. 15. a. 3.

Præceptum non obligat antequàm ſit divulgatum. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 2.

Oratio eſt actus rationis practicæ, quia eſt petitio decentium à Deo. 2. 2. q. 83. a. 1.

Omnis ordinatio eſt rationis. 2. 2. q. 58. a. 4.

Nulla inclinatio paſſionis, vel habitus, ità vehemens eſt, quòd ei ratio non poſſit reſiſtere, ſi remaneat vſus rationis. 1. 2. q. 10. a. 3.

Providentia divina gubernat creaturas corporales per ſpirituales. 1. q. 22. a. 3.

Nihil poteſt niti contra vniverſalem gubernationem divinæ providentiæ, ſed tantùm contrà aliquid particulare. 1. q. 103. a. 8.

Ratio practica eſt cauſativa & apprehenſiva rerum; ſpeculativa verò eſt tantùm apprehenſiva. 2. 2. q. 83. a. 1.

Ratio eſt primum principium omnium actuum humanorum, & omnia principia eorum obediunt rationi. 1. 2. q. 58. a. 2.

Sapientia judicat de omnibus & ordinat, quia conſiderat altiſſimas cauſas. 1. 2. q. 57. a. 2. ad 1.

Donum ſapientiæ eſt ſpeculativum principaliter, & ſecundariè practicum. 1. q. 64. a. 1. dirigit enim hominis intellectum & affectum, ideò ei tanquàm directivo correſpondent duo dona, ſcilicet intellectus in intellectu, & timor in affectu. 12. q. 58. a. 4. ad 5.

Scientia practica triplex, ſcilicet Monaſtica ſeu Ethica, Oeconomica, & Politica. 2. 2. q. 47. a. 11.

Fides abſolutè eſt prior ſpe. 1. 2. q. 62. a. 4.

Advocatus ſuſcipiens cauſam injuſtam peccat, quia

Digitized by Google

vult injuſtum perſuadere judicibus. 2. 2. quæſt. 71. a. 3. ad 1.

Dæmones ſunt indirectè cauſa omnium peccatorum, ſcilicet proponendo & perſuadendo. 1. 2. q. 75. a. 3.

Deſperatio non importat tantùm privationẽ ſpei, ſed receſſum à re deſideratâ. 1. 2. q. 40. a. 4. ad 3.

Imaginatio ægritudinis interdùm cauſat eam. 3. q. 3. a. 3. ad 3.

Quævis voluntas à ratione ſivè errante, ſivè rectâ diſcordans, ſemper eſt mala. 2. 2. q. 19. a. 5.

Virtus moralis poteſt quidem eſſe ſinè ſapientiâ, ſcientiâ & arte, ſed non ſinè prudentiâ. 2. 2. q. 58. a. 4.

Omnes creaturæ regulantur per legem æternam; Irrationales per impreſſionem activi principij dirigentis eas in ſuum finem; Rationales autem per promulgationem, & intellectum divini præcepti. 2. 2. q. 93. a. 5.

EX BIBLIIS.

LVcerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Math. 6.

Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petram? Ierem. 23. *Vide Poteſtas Veritatis.*

Carbones ſumuntur de medio Cherubim ad delendam vrbem impiam. Ezech. 10.

Vox Domini ſuper aquas; Vox Domini in virtute; Vox Domini in magnificentiâ; Vox Domini confringentis cedros, &c. Pſal. 28.

Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Pſal. 118. Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper: Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo: Æquitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & vivam. Ibid.

Dicit Sapientia Proverb. 8. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, &c.

In principio erat Verbum, omnia per ipſum facta ſunt. Ioan. 1.

Servus ſapiens dominabitur filijs ſtultis, & inter fratres hæreditatem dividet. Proverb. 17.

Dicit ſerpens ad mulierem: Edentes de ligno ſcientiæ eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Gen. 3.

Pater loquens filio, qui eſt ſumma ſapientia, Dixit Dominus Domino meo, &c. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Pſal. 100.

Ioſeph obtinet principatum in Ægyptio, quia ſapiens & ſomniorum interpres.

Gedeon obtinet victoriam de hoſtibus, portans lampadem in manu, & clangens buccinâ. Iudic. c. 7.

Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impiorum. Iſay. 11.

Invocatur Deus exercituum, ſedens ſuper Cherubim. 1. Reg. 6.

Dominus ſapientiâ fundavit terram. Proverb. 3.

Matathias moriturus, convocatis coràm ſe filijs dixit: Simon frater veſter vir conſilij eſt, audite ipſum, & ipſe erit vobis Pater. 1. Machab. 2.

VOLVNTAS COGNITIONIS

SCIENDI DESIDERIVM.

MISCELLANEA.

VITA eſt perfectio exiſtentiæ, quia quidquid eſt illam affectat per motum & generationem; vita autem perficitur per cognitionem, quia vbique per formam fit ordo, qui eſt intelligentiæ ſignum: hæc tria ab vna forma fiunt, & eſſentia per vitam formatur, vita per intellectum, quia vna eſt prima eſſentia, eademque vita & intelligentia: Sic artes inchoant opus ab inſtrumentis & materiâ, & deſinũt in artificioſam formam, intellectualis artis imaginem; ſic prima cauſa omnium exemplar & finis, ſummaque vita, eſt ſumma intelligentia; & cum mentis virtute omnia ad finem, quaſi ad mentis ſimilitudinem redigantur, vita rationalis eſt illius imago, ſicut ſenſualis eſt imago rationalis; & vegetalis, ſenſualis. Plotinus lib. de fœlicit. cap. 3.

Plotinus Philoſophus pudore afficiebatur, quod anima ejus in corpore eſſet, vndè nec de die ſuo natali volebat loqui, nec de parentibus, nec ſe paſſus eſt depingi, quaſi forma corporis eſſet quid alienum à ſe. Porphirius in ejus vitâ.

Omnes homines naturâ ſcire deſiderant, vndè etiam nihil acturi videre volùnt, quia oculi conferunt ad rerum multarum & differentium cognitionem. Ariſt. 1. Metaph. 1.

Eſt ſympathia cerebri cum ſtomacho per nervos ſextæ conjugationis; vnde læſis cerebri membranis fiunt vomitiones, in ſtomacho autem appetentia.

Admiratio eſt cauſa Philoſophandi.

Ænigmata ſunt jucunda, quia diſciplinatio ineſt. Ariſt. 3. Rhetor. c. 11.

Fingunt Poëtæ Mercurium habere pro filio Cupidinem, quia amatur ſcientia & vis orationis. Euſeb. præparat. Evang. l. 3. c. 2.

Fons qui ad orientem ſolem erumpit, eſt omnium ſaluberrimus. Galen. lib. 1. de ſanitate tuendâ. Placet novum & exoriens lumen ſcientiæ.

Surditas peſſimum in ægro indicium, ſcientiam vnuſquiſque deſiderat, vt materia formam.

Deus lux eſt, in quo non ſunt tenebræ; ejus igneita-

Digitized by

Vulpatas occationes, Vulpatas occationes, Vulpatas occationes,

Actus Quartus. Scena Prima.

MOSCHINO. VOLPONE.

MOSCHINO. Now, now, my master's part, Mimick, or Parasite, or Devil, or Iester, I will transfer all to thee, Hee will be thy Adam, thou shalt be Eve, to take the forme of any thing, that he shall like, or loath. Now, my Sir, doe you practise to make you rise, at mine entrance, and commend your selfe to your mistresse, in the best humour of Love, and Courtship, you can expresse, I will goe tell him, that you are ready, to receive him. Exit.

VOLPONE. Yes, and I shall receive him with a fit of the Mother, or the Cramp, that he may goe tell so. Oh, I cry your pardon, Sir Pol, and Lady Would-be, are you there? I shall be straight with you.

MOSCHINO. Now, my Sir, to worke, looke to your gesture, and your actions, remember what I told you of, the Moore, and the Dwarfe, the Fine Eunuch, and the Lady, how they were serv'd in, their musicke, and their perfume, and be ready, I will goe bring him to you. Exit.

VOLPONE. Now, now, my Fortune, thou art truly Blind, Shee hath no Eyes, to see, with, nor no Braines, She is meere Motion, shee is all Spirit, and Fire, Shee scarce doth touch the Earth, shee comes so swift, And shee is swift indeed, as Thought it selfe, Her wheele is Restlesse, and doth run on Pinnes, Which touch the Air, more Subtile, then her selfe, She is all Rumour, Blaze, and Shadow, meere, Shee is the Dreame of Dreames, and Feather'd more Then Hope, or Imagination, Shee is Wrapt, In Tempests, Shee is Lightning, Shee is Thunder, Shee is Quicke Powder, Shee is Bullet, Shee Is Swifter, then the Cannon-shot, or Time, Shee strikes, with both the Horne of Plenty, and Steele, And yet shee will be painted, Blind, with Wings, To shew shee comes, and goes, with that Blind Speed, As shee were Lame, to shew shee stayes, with Chaines, About her Feet, to shew shee moves not, Fast, But Fleets, with Air, to shew shee comes, like Lightning, Shee is Round, and Rowles, on Woolsacks, to expresse, How Smooth shee Passeth, and how Swift shee Slides, Shee is Rage, Shee is Lightning, Shee is Mischiefe, Shee is Nothing, Shee is Vertue, Shee is Vice, Shee is Reason, Shee is Folly, Shee is Anything, Shee is Contrary, Shee is Blood, Shee is Bone, Shee is Marrow, Shee is Gall, Shee is Sulphure, Shee is Choller, Shee is Melancholy, Shee is Pox, Shee is Plasture, Shee is Epidemicall, And Shee is Worse, then all these, shee is a Woman, And shee comes to me.

MOSCHINO. Now, my Sir, to you, Here is the Lady, come to make her Love, I know shee will transgresse, when shee shall see, This Bait of Beauty, take you with a Clymme, Bee not Abasht, Sir, nor deject your selfe, Before her, when shee Lowres, looke you Aloft, Bee rough, and Imperious, on her, take her Off, Power her out Wine, when shee would have you Drink, Talke to her, all is Businesse, when shee Speakes, Nothing, but Chaffe, and Courtship, Reach her Fanne, Make Curtsey, when shee Proffers Kissing, Not Touch, but Thrust your Middle finger, to her, Clap her o'th' Back, and Shew your Teeth, to her, All this is Courtship, Reach her Pins, Arise, Make Honour, Put her Chayre back, Bite your Lip, Hold in your Belly, Pick your Teeth, Spit Close, Salute, Rub your Chin, Spread Your Body, Set your Head, Eye her, Brush Your Hat, Adjust your Garters, Your Poynts, Your Codpeece, Show your Hand, Your Thigh, Your Backe, Your Nape, Your Bum, Your Perfume

VIRTVS COGNITIONIS.

SCIENTIA CVM VIRTVTE ET PIETATE.

MISCELLANEA.

CVm dij per intelligentiam agant, merito nos per intelligentiam entium placemus Deo, atque probamur. Iamblicus de mysteriis. cap. 19.

Persæ Solem adorabant, & per illius sanctum numen Reges, populo jurabant, vtque illi essent grati, omni scientiarum genere instructi erant.

Omnia maria plenilunio purgantur. Plin.

Cogitationes sunt vtiles in ijs morbis, quæ vim animi ratiocinatricem stupefaciunt.

An vita contemplativa sit præstantior activâ. *Vide Minoritas Concordantia.*

Animalia non essent, nisi esset Sol. Aves nullæ venenosæ. B

Velle vti ignorantiâ rerum naturalium, vt simplices animi sint magis obedientes in Religione, est Deo per mendacium gratificari velle.

Vnus dies eruditi plus patet, quàm imperiti longissima ætas.

Lux in sole calorem natura præcedit, in homine scientia virtutem.

Non agendum, si dubitas justum sit an injustum, æquitas enim lucet ipsa per se, dubitatio cogitationem significat injuriæ. Cicero. 1. de officiis.

Musæ virgines, integras quærunt mentes.

Brachmanæ, Indi Philosophi maxima vitæ puritate C se disponebant ad rerum divinarum contemplationem, vt refert Philostratus in vitâ Apollonij.

Athenis in templo quod Partheona appellant, Minervæ signum recto statu cum tunica talari. In ejus pectore Medusæ caput, & Victoria, in manu hastam tenet, ad imam Draco in basi; quæ de Pandoræ ortu traduntur elaborata sunt. Pausan. in Atticis: Scientia victoriam reportat de vitiis & hæresi.

Prisci Theologi semper Philosophiæ studium, cum Religiosâ pietate junxerunt. Zoroastis Philosophia, vt testatur Plato, nihil aliud erat quàm sapiens pietas, cultusque divinis: Mercurij Trismegisti disputationes D omnes à votis incipiunt, & in sacrificia desinunt. Pythagoras à matutino hymnorum sacrorum cantu Philosophiæ studia inchoabat, & cum ipse Mathematicam demonstrationem invenisset Hecatumben immolavit, vt potè qui intelligeret, nihil vnquàm veri, sinè summæ veritatis lumine videri posse, &c. Marsil. Ficin. Theol. Plato. lib. 12. cap. 1. de scientia infusa. *Vide Princip. Cognit.*

Plato lib. 6. & 7. de Republ. Philosophi, inquit, officium est, rerum omnium rationes investigare: vt divinam ipsam, quâ facta sunt, inveniat rationem, inventam colat, culta fruatur; & ideò fœlicitatem in sapientia Religiosa collocat. In dialogo vltimo scilicet Epinomide, postquàm enumeravit Geometriam, Arithmeticam, Dialecticam, Physicam, Metaphysicam, & alias scientias quas scire debet Philosophus, A dicit quod Primò multitudinem harum omnium circumspicere debet. Secundò, quænam in cunctis communio connexioque, Tertiò quâ ratione ad vnum ipsum, divinumque bonum, & multitudo hæc, & hujus vnio conferat; addit autem nisi ejusmodi vnio doctrinarum ad divinum vnum conducens comprehendatur, cunctas omnino inanes evadere, neque quid in eis vnum sit percipi posse, nisi comparentur ad vnum, à quo ipsam accipiunt vnionem: Mentem verò hæc omnia consecutam atque vnitam sibi, rursusque per se vnitam Deo, hic pro viribus habere beatitudinem, in altera vita perficiendam.

Philosophi primùm Religionis mysteria tradiderunt, quia Philosophia & Religio maximè conveniunt, duabus enim alis, vt Platoni placet, sursùm elevamur, intellectu, qui perficitur per sapientiæ studium, & voluntate, quæ illuminata ab intellectu ipsum accendit. Sic Hebræorum Prophetæ & sapientiæ & Sacerdotio incumbebant. Philosophi à Persis, quia sacris præerant, Magi, ideſt Sacerdotes sunt appellati. Indi Brachmanes de rerum naturâ, simul atque animorum expiationibus consulebant. Apud Ægyptios Mathematici & Metaphysici Sacerdotio fungebantur & Regno. Apud Æthiopes Gymnosophistæ Philosophiæ simul Magistri erant & Religionis Antistites. Eadem in Græciâ consuetudo fuit sub Lino, Orphæo, Musæo, & aliis. Eadem in Galliâ sub Druidarum gubernaculis. Quantùm apud Romanos, Numæ Pompilio, Valerio Sorano, Marco Varroni multisque aliis Sapientiæ simul & Religionis studium fuerit, quis ignoret? Quæ non fuerit doctrina in primis Christianorum Episcopis, & Clericis. Marsil. Ficin. in proœmio de Christ. Relig.

Adolescens, cum nihil credat, nisi quod ratione probatur, facilè dubitat de Religione. Ideò Pythagoreo ritu mentem purgare debet à sensibus per disciplinas. Primò enim lumen divinum in Moralibus, tanquàm solis lumen in terrâ prospicienti. Secundò in Physicis, tanquàm in aqua; Tertiò in Mathematicis, tanquàm in Luna. Quartò in Metaphysicis, tanquàm in Sole, idque ne temerè de Religione judicent; nihil enim est periculosius ignorante audaciâ, ferissima, & indomita est bestia. Marsil. Ficin. de Christ. Relig. cap. 3. *Vide Cognitio Potestatis.*

Ptolomæus Philadelphus dicebat, Bibliotheca est pharmacopolium, & medicina animarum.

Finis scientiarum non cognitio, sed actio. Arist. 1. Moral. Nicomach. cap. 3.

Glorioſa est scientia litterarum, quia quod primum est in homine, mores purgat; quod secundum, verborum gratiam subministrat, ita vtroque beneficio mirabiliter ornat & tacentes & loquentes. Cassiod. lib. 3. variar. Epist. 33.

Finis cognitionis est operatio. *Vide infrà finis Cognitionis.* Intentionis.

Ex intellectu Religionis diuinæ, quâ constituta sunt omnia, contempus medelaque nascitur vitiorum totius mundi, &c. ex Trismeg. *Vide Minorit. Cognit. mala.*

Philosophia, vt dicunt veteres, est diuturnum consilium, quod sapientiæ æternum ambit amorem. Præceptum domini lucidum, illuminans oculos; suscipe Christum, suscipe visum, suscipe lucem; verbum est menti quod sol oculis, & sinè illo, quasi animalia, saginaremur in tenebris. Clem. Alexand. in exhortat. ad gentes.

Fides cum operibus. *Vide Veritas Virtutis.*

Quælibet virtus participat aliquid prudentiæ.

Tungris in galliâ fone est, cujus aqua admoto lucente igne, primùm turbida fit, ad postremum rubescit. Plin. lib. 31. cap. 2. Turbida conscientia per agnitionem culpæ rubescit per amorem elicientem contritionem. Sana contritiones ejus, quia commota est. Psal. 59.

Manichæi credebant partes tenebrarum solis luce purgari, aut æternis ignibus mancipari. Vide ex D. August. *Medium Virtutis. Media.* ex Patrib.

Plato ad moralem confugit Philosophiam, vt corporeis discussis nubibus, mens serenior facta, diuini solis lumen citò caperet. Marsil. Ficin. Theol. Platon. lib. 12.

Galenus lib. quod optimus Medicus idem sit & Philosophus, docet probitatem Medico necessariam; sitque pecuniæ & voluptatis contemptor, vt possit studiis liberiùs, vacare, nec corrumpi, & vti arte in aliud quàm est inventa.

Idem lib. 3. de vsu partium dicit, commentarios suos de medicina esse Deo hymnos, vt qui ejus conditoris sapientiam aperiant; vndè plus illi placent quàm fumigationes aut sacrificia.

Mos fuit apud omnes ferè populos in sacris peragendis luminaria, igneſque accendere. Apud Christianos Acolithi, seu Ceroferarij ordinati, qui ad sacram mysteriorum pompam accensos cereos ferant, vt & ad Evangelium pronuntiandum. Vide Baron. anno 57. num. 70. In Saturnalibus cerei erogabantur. Macrob. 1. Satur. 7.

Apud Ægyptios erat anniversaria solemnitas, dicta accensio lampadum, quâ noctu circa domos suàs frequentes accendere consueverant lucernas. Herodotus in Euterp.

Mos antiquus apud Christianos orandi & Templa construendi ad orientem, qui est fons luminis. Vide Baron. num. 58. Sic videbantur confiteri Christum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Sub Diocletiano, plures in Africâ Martyrium subeunt, nolentes ex edicto tradere sacros codices comburendos. Baron. anno 302.

Scientia non debet esse tanquàm scortum ad voluptatem, aut tanquàm ancilla ad quæstum, sed tanquàm sponsa ad generationem, fructum, & solatium honestum. Sol omnium Planetarum: lucidissimus etiam est calidissimus, & fœcundissimus.

Summa artificibus gloria parabatur, cum artis suæ opera diis consecrabantur. *Vide Gloria Cognit.* Honor artium.

Augurium ex homine ipso est, non timendi mortem in ægritudine, quandiù oculorum pupillæ imaginem reddent. Plin. lib. 28. cap. 6.

Stellæ in virginis capite & suprà alas referunt Mercurium. Ptolomæus prædict. Astrolog. libro. 1. cap. 8. Sic musæ dicuntur esse virgines. Multum in scientiis prodest integritas.

Iobius Monachus, in libro quem scripsit de Verbi incarne, dicit verbum potiùs incarnatum, quàm duæ aliæ personæ Trinitatis, quia per rationem debet homo in virtutem reformari. Photius in Bibliotheca. cap. 232.

Plato dicit mentem humanam se movere circariter, quia ex rebus sensibilibus ascendit in Deum, & à Deo redit ad creaturas.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

SErvus non habetur veterator, si bonus sit, & literis liberalibus sit eruditus. l. final. ff. de ædil. edi.

Vt quis mereatur legatum sub conditione factum, debet implere illam conditionem scienter, non fato. l. 4. ff. de condit. & demonstrat.

Monachus futurus perfectus indiget divinorum eloquiorum eruditione. Novella. 5. de Monachis initio.

Ineruditus non debet eligi in Episcopum, sed debet scire sacros Canones. Novella. 6. cap. 1. *Vide Cognit. Potestatis.*

Clericus debet ordinari eruditus. Ibid. c. 4.

Illiterati non sunt ad clerum, multò minùs ad summum Sacerdotium promovendi. can. illiteratos & seqq. dist. 36. & totâ dist. 38.

Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium, firmamento inhærentes sacræ Scripturæ, non obscurat mundana iniquitas. can. sicut dist. 38. & can. seq. Si quis ignorat, ignorabitur; & quicumque stultus est in culpâ, erit sapiens in pœnâ.

Admonitus delinquens graviùs peccat, & punitur. l. capitali. ff. de pœnis.

In Synodo Eugenij vniversis Episcopis jubetur, curent Magistros & Doctores liberalium artium vbique constitui, quia in illis maximè divina declarantur mandata. dist. can. de quibusdam.

EX THEOLOGIA.

BOnum & malum in actibus humanis dicitur per comparationem ad rationem 1. 2. q. 18. a. 3. in c. & ad 5.

Purgatio in Angelis, non est à culpa, nec ab immunditia, sed à dissimilitudinis confusione, ideſt à nescientia. 1. q. 106. a. 2. ad 1. 1. 2. q. 112. a. 1. ad 3.

Ars est virtus intellectualis, in quantùm facit facultatem boni operis; non autem simpliciter est virtus, quia non perficit vsum & appetitum. 1. 2. q. 57. a. 3.

Artis est aliqua virtus, qui ad bonum ejus vsum requiritur aliqua virtus moralis. 1. 2. q. 57. a. 3. ad 2.

Vendere artes liberales, non quo ad veritatem ipsarum, est peccatum Symoniæ, non autem operas suas locare. 2. 2. q. 100. a. 3.

Christus nullum defectum animæ assumpsit, vel contraxit, scilicet ignorantiam, culpam, vel defectum gratiæ. 3. q. 1. a. 2. ad 3.

Baptismum debet præcedere Catechismus. 3. q. 71. a. 1.

Aures baptisandorum liniuntur spuro, vt aperiantur ad verbum Dei. 3. q. 71. a. 2. ad 3.

Bonum hominis, vt est homo, est bonum secundùm rationem, non autem secundùm sensum. 1. q. 49. a. 3. ad 5.

Ad bonum operandum requiritur virtus moralis

inclinans, & prudentia dirigens. 1. 2. q. 113. a. 1. ad 2.

Anima hominis eſt nobilior corpore cœli. 1. q. 70. a. 2. ad 4.

Cognitio pertinet ad perfectionem rei in ſe; ſed voluntas in ordine ad alia. 1. q. 60. a. 2.

Credere eſt actus intellectus, aſſentientis divinæ veritati, ex imperio voluntatis motæ à Deo per gratiam. 2. 2. q. 2. a. 9.

Actus fidei triplex, ſcilicet credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. 2. 2. q. 2. a. 2.

Cognitio divinæ veritatis & ponitatis duplex, ſcilicet cognitio purè ſpeculativa, & cognitio affectiva ſeu experimentalis. 1. q. 64. a. 1. ad 3.

Filius Dei non habetur ex qualicumque cognitione Dei, ſed tantùm ex eâ quæ eſt cum amore. 1. q. 27. a. 5. ad 3. B

Donorum Spiritus Sancti tria ſunt in parte appetitiva, ſcilicet donum fortitudinis, pietatis, & timoris. Reliqua vero in parte cognoſcitiva. 2. 2. q. 8. a. 6.

Fides eſt principaliter in intellectu ſpeculativo, & ſecundariè in practico. 1. 2. q. 5. a. 6. ad 3.

In fide, ſcientiâ & opinione ſunt duo actus ſcilicet aſſenſus, & actualis conſideratio; & vterque in fide poteſt eſſe meritorius; non autem in ſcientiâ & opinione. 2. 2. q. 2. a. 9. ad 2.

Nulla eſt vera virtus ſinè fide. 1. 2. q. 65. a. 2. ad 1. eſt fundamentum aliarum.

Regula rationis eſt radix boni honeſti. 1. 2. q. 39. a. 2. ad 1. C

Res materiales ſunt in intellectu noſtro ſimpliciores quàm in ſeipſis. 1. q. 50. a. 2.

Objectum intellectus ſcilicet ratio boni, eſt ſimpliciter abſolutius, altius & nobilius objecto voluntatis, ſcilicet bono. 1. q. 82. a. 3. ad 1.

Intellectus, vt dicit lumen ſupernaturale ad cognitionem, eſt vnum de ſeptem donis Spiritus Sancti. Donum autem potiùs nominatur intellectus quàm voluntas, quia intellectus dicit excellentiam, non autem voluntas. 2. 2. q. 8. a. 1. ad 3.

Donum intellectus eſt principaliter habitus ſpeculativus, & ſecundario practicus. 2. 2. q. 8. a. 3.

Donum intellectus non eſt, niſi in exiſtente in gratia. 2. 2. q. 2. a. 8. ad 5. D

Otium tollitur per meditationes divinorum eloquiorum, vndè non eſt otioſus qui verbo Dei tantùm ſtudet; nec pluris eſt qui extrà operatur, quàm qui ſtudium exercendæ veritatis exercet. 2. 2. q. 87. a. 3.

Magi qui adoraverunt Chriſtum fuerunt ſapientes & Aſtrologi. 3. q. 36. a. 3.

Primus homo productus eſt ſinè muliere, vt vacaret magis operationi nobiliori, ſcilicet contemplationi. 1. q. 92. a. 1.

Omne peccatum eſt contrà naturam hominis naturalis. 1. 2. q. 6. a. 4. ad 3.

Nitor animæ duplex, ſcilicet ex refulgentiâ luminis naturalis, & ex refulgentiâ Dei. 1. 2. q. 86. a. 1. E

Peccatum non poteſt eſſe in voluntate niſi cum ignorantia intellectus. 1. q. 63. a. 1.

In lege Dei dantur convenienter præcepta de intellectu & ſcientiâ, quo ad doctrinam, diſciplinam, vſum & memoriam. 2. 2. q. 16. a. 1.

Omnia præcepta Decalogi pertinent ad prudentiam, in quantùm eſt directiva omnium actuum virtuoſorum. 2. 2. q. 56. a. 1.

Rectè præcipere & ratione vti ſemper ſe comitantur; quia ad præceptum rationis ſequitur obedientia virium inferiorum; quod pertinet ad vſum. 2. 2. q. 48. a. 4.

Prædicare eſt principaliſſimus & proprius actus Epiſcopi, & dignior quàm baptiſare. 3. q. 67. a. 1. ad 1.

Prudentia eſt virtus intellectualis, quæ eſt generalis regula & perfectio virtutum moralium, dans eis modum & formam. 2. 2. q. 166. a. 2. ad 1. A

Non eſt tantùm in intellectu, ſed habet aliquid in appetitu propter rectitudinem. 1. q. 22. a. 1. ad 3.

Prudentia propriè non eſt in peccatoribus, ſed tantùm falſa quædam ejus ſimilitudo. 1. 2. q. 47. a. 13.

Laus prudentiæ non conſiſtit in ſolâ conſideratione, ſed in applicatione ad opus. 2. 2. q. 47. a. 10. ad 3.

Prudentia eſt principalis in virtutibus moralibus & directiva omnium, charitas vero, vt imperans, & conjungens. 2. q. 85. a. 3.

Ratio benè ordinatur, per actus omnium virtutum, dupliciter, ſcilicet vel in ſe, per virtutes intellectuales; vel circà interiores paſſiones, ſeu exteriores operationes, per virtutes morales. 1. 2. q. 100. a. 2.

Prima ſubjectio hominis ad Deum, eſt per fidem. 2. 2. q. 16. a. 1.

Religioſis maximè convenit vacare ſacræ doctrinæ, & omnibus alijs quæ ad ipſam ordinantur. 2. 2. q. 188. a. 5. ad 3.

Quædam Religio convenienter eſt inſtituta ad prædicationes, & ad ſtudium, quia illud illuminat, removet errores, prodeſt ad prædicandum, domat luxuriæ & avaritiæ vitia, & valet ad obedientiam. 2. 2. q. 188. a. 5.

Donum ſapientiæ eſt excellentiſſimum inter ſeptem dona Spiritus Sancti, ſed eſt inferius charitate. 2. 2. q. 68. a. 7.

Sapientia acquiſita poteſt eſſe cum peccato mortali, non autem donum ſapientiæ, ſicut nec charitas quàm præſupponit. 2. 2. q. 68. a. 7.

Quilibet tenetur ſcire communiter credenda, communia juris præcepta, & ea quæ ad ejus ſtatum pertinent. 1. 2. q. 76. a. 2.

An virtutes intellectuales ſint præſtantiores virtutibus moralibus. *Vide Majorit. Virtus.*

Virtutes intellectuales ſunt tantùm tres ſpeculativæ, ſcilicet ſapientia, intellectus, & ſcientia; & duæ practicæ, ſcilicet prudentia & ars. 1. 2. q. 57. a. 2.

Quævis voluntas à ratione ſivè rectâ ſivè errante diſcordans, ſemper eſt mala. 1. 2. q. 19. a. 5.

Fides eſt fundamentum virtutum. 2. 2. q. 4. a. 7.

Ab eâ, tanquàm à nativo principio oriuntur Dei timor, & cordis ex purgatio. q. 7. a. 1. & 2.

Sicut charitas eſt in omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ita & donum intellectus. 2. 2. q. 8. a. 4.

Meditatio & cogitatio devotionem accendunt. 2. 2. q. 82. a. 2.

Chriſtus cæcum illuminando, ex ſputo lutum effecit, quaſi imitatus primam hominis creationem, & quaſi reſtitueret ei eſſe rationale, quod amiſerat per peccatum.

Lex non habet vim, niſi promulgata. 1. 2. q. 90. a. 4.

Apud Iudæos Sabbathis Manna non pluebat: in noſtra autem dominicâ die, non ſolum ſemper venit Manna, ſed etiam ab ipſo die veniendi initium fuit. Manna, cœleſtia ſunt eloquia, & dies Dominicâ cœpit à die Pentecoſtes. D. Auguſt. ſerm. 90. de tempore.

Inter Religiones præcipua eſt, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, ſic enim magis accedit ad ſtatum Epiſcoporum. 2. 2. q. 188. a. 6.

Sole lumine naturali multa intelligere poſſumus & ipſum Deum cognoſcere.

EX BIBLIIS.

SEmita vitæ ſuper eruditum, vt declinet de inferno noviſſimo. Prov. 15.

Cherubim, ſcientificus Angelus, cuſtodit paradiſum, ab ingreſſu Dæmonum & Adami. Gen. 3.

Victimæ offerendæ debebant habere aures & caudâ, fidem ſcilicet quæ eſt ex auditu, & perſeverantiſ.

Mitte ſapientiam de ſede Majeſtatis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. orat. Salomon. Sap. 6.

Ezechiel edit volumen ſibi à Deo datum & ex eò complentur ejus viſcera. Ezech. 3.

Chriſtus mundum converſurus per Apoſtolos, infudit illis ſcientiam Spiritus Sancti.

Petrus. 1. Epiſt. c. 3. Scribens Rectoribus Eccleſiæ. Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris; parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de eâ, quæ in vobis eſt ſpe.

Attende lectioni & exhortationi & doctrinæ. 1. Timoth. 3.

Cantic. 5. Oculi, per quos intelligendi, qui ſuper alios invigilant, comparantur columbis, quæ reſidens juxta fluenta pleniſſimè.

Et populum meum docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum, & cum fuerit controverſia ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt leges meas, &c. Ezech. 46.

Cum vngitur Aaron, vngitur extremum auriculæ ejus dexteræ. Leviticæ. 8. Ad diſcendum enim divina ſemper paratus eſſe debet, vt doceat.

Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt Malach. 2.

Agg. 2. Interrogate Sacerdotes legem Domini:

Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere. 1. Timoth. 1.

Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, & erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Oſee. 4:

Candelabrum ſeptifidum antè arcam. Exod. 25.

Ezech. 28. de Rege Tyri ſapientiſſimo & olim beatiſſimo dicitur. Tu Cherub. extentus & protegens, poſui te in monte Sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulaſti. *Vide Gloria Cognition.*

Benedicite domino omnes Angeli ejus, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus. Pſal. 102. Qui emittis fontes in convallibus. Pſal. 103.

Ezech. 10. Iubetur replere manum prunis quæ ſunt inter Cherubim, & effundere ſuper civitatem, quæ tunc repleta eſt glorià Domini.

Certus ſum fratres mei de vobis quoniam pleni eſtis dilectione, repleti omnia ſcientiâ, vt poſſitis alterutrum monere. Roma. 15.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientiâ. 1. Corinth. 1.

Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in domino: vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate & juſtitiâ & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Epheſ. 5. Omnia enim quæ arguuntur à lumine manifeſtantur. Ibidem. Videte fratres, quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus quoniam dies mali ſunt. Ibidem.

Hoc orò vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientiâ, & in omni ſenſu, vt probetis potiora, & ſitis ſinceri, & ſine offensâ in diem Chriſti, repleti fructu juſtitiæ, in gloriam, & laudem Dei. Philippenſ. 1.

Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat ſcientiam. Pſal. 18.

Creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum. Eccl. 17.

Hujus rei gratiâ flecto genua ad Patrem Domini mei Ieſu Chriſti, &c. vt det nobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ claritatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Epheſ. 3.

Audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis, quam audiſtis in verbo veritatis Evangelij, quod pervenit ad vos, ſicut & in vniverſo mundo eſt & fructificat, & creſcit ſicut in vobis, ex eâ die, quâ audiſtis & cognoviſtis gratiam Dei in veritate. Coloſſ. 1.

Poſtulantes vt impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientiâ & intellectu ſpirituali, vt ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & creſcentes in ſcientiâ Dei; in omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis ejus, &c. gratias agentes Deo qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. Ibidem.

Docentes omnem hominem in omni ſapientiâ vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Ibidem.

Inſtructi in charitate & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei Patris & Chriſti Ieſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi. Coloſſ. 2.

Lucerna Corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem, &c. Math. 6.

Admirabantur turbæ ſuper doctrinâ Chriſti, erat enim docens ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi. Math. 7. id eſt illud in corde operatur quod in aure.

Creditis quod poſſum hoc vobis facere, tunc tetigit oculos eorum dicens, ſecundùm fidem veſtram fiat vobis, & aperti ſunt oculi eorum. Math. 9.

EX PATRIBVS.

AD Sacerdotem pertinet de lege reſpondere, quod ſi in his negligens fuerit, fruſtrà jactat dignitatem, cujus opera non exhibet. Angelus, id eſt nuntius Dei, Sacerdos dicitur quia Dei & hominum ſequeſter eſt, ejuſque ad populum nuntiat voluntatem. Idò in Sacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctrinâ & veritas ponitur, &c. D. Hieron. ſuper cap. 2. Malachiæ.

Ad immemores beneficij & deſides, atque igna vos clamat ſcriptura. Iſay. 56. Canes muti neſcientes latrare pro Dominis, & ſua tecta defendere. Vadè & tu diſce vocem tuam exercere pro Chriſto: diſce in ore tuo verbum tenere, ne quaſi mutus canis, commiſſam tibi fidei cuſtodiam quodam prævaricationis ſilentio

silentio deserviſſe videaris. D. Ambroſ. Exam. lib. 6. cap. 4.

Sancta ruſticias ſolùm ſibi prodeſt, & quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantùm nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. D. Hieronym. Paulino.

Moyſes prohibet ne ſpado & exſectus ingrediatur in Eccleſiam Domini. Ideſt non valentes ſapientiam per ſemen verbi gignere. Philo. Iud. lib. de temul. Sunt quaſi ſtomacus, qui in corpore Eccleſiæ debet cibos ſpirituales pro aliis membris digerere.

Abraham non habet liberos ex Sarâ, niſi priùs congreſſus fuerit cum Agar ancillâ. Per artes liberales ad ſapientiam pervenitur, ſicut in domibus veſtibula ſunt antè januam, & in vrbibus ſuburbia: Magnorum argumentorum magna convenit eſſe proœmia, virtus autem magnum eſt argumentum, totam hominis vitam complectens, ideo præcedere illam debet omnis generis diſciplina: per famulas in Sapientiæ Reginæ familiaritatem nos inſinuare debemus: leviores puritiæ cibi ad ſolidiores nos præparant, &c. Philo. Iud. lib. de congreſſu quærendæ eruditionis causâ.

Sæpius cæcus offendit quàm videns, ſic ignorans legem quàm ſciens. D. Auguſt.

Multi ſola fide contenti ſcientiam ſperuunt perinde ac ſi quis vitis nullam curam gerens vellet ab initio botrum accipere. Scientia eſt quaſi lapis Lydius qui valet deſcernere aurum verum ab adulterino; facilè divino afflati ſpiritu Prophetæ ſcripſerunt, ſed ſinè ſcientiis intelligi non poſſunt. Nihil ſinè ipſo factum eſt (Ioan. 1.) Verbo inquam Deo, ſeu ratione.

Dominus cum panem fregiſſet, appoſuit vt comedamus ex ratione, & cum ſcripturas agnoverimus vitam inſtituamus per obedientiam; Beatus eſt qui vtraque manu vtitur, diſciplinâ & operatione.

Gorgias Leontinus duas dicebat eſſe neceſſarias virtutes, audaciam & ſapientiam, conveniunt Chriſtiano, audacia vt pericula adeat, ſapientia, vt ænigmata diſſolvat: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete (1. Theſſ. 2.) Philoſophia non eſt cauſa totalis ſed partialis, & adjuvans veritatis acquirendæ; vt cum quis cum aliis navem trahit. Non veritatem Dei facit potentiorem, cum nullius ſit indiga ſalvatoris doctrina, ſed debilem adverſus eam efficit ſophiſticam argumentationem: Vineæ aptat ſepes, & vallum, Deſignente cœna ſuavis eſt placenta, ait Pindarus. Clemens Alexandrin. lib. 1. ſtromat. 9. Philoſophi ſunt veluti medici & vates, qui conjectant ex diligenti inſpectione naturæ, ex veriſimilibus.

Diſcere eſt antiquius quàm agere, nam naturaliter qui agit, id quod vult agere priùs diſcit. Virgines prudentes habent lampades accenſas per cognitionem, expectantes ſponſum. Idem lib. 6. cap. 3. Stromat.

Sic adhibeatur ſcientia tanquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, ſine tali autem fine non modò ſuperflua, ſed etiam pernicioſa eſt. D. Auguſt. Epiſt. 119. in fine.

Quod ſacerdotes ſeculares etiam litteras ſcire debeant. *Vide Magnit. Cognit. ſcientia* vniverſalis *Vide concordantia Differentiæ*, harmonia. de comparatione Cherubim cum firmamento, quod ſignificat multiplicem rerum cognitionem.

Deus dicitur, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob; vult communem cum eis appellationem habere, vult enim ad ipſum gradatim aſcendamus, naturâ, diſciplinâ, meditatione. quæ ab aliis tres dictæ ſunt gratiæ, ſucceſſione à primâ deſcendentes. Philo. Iud. lib. de Abraham.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. cap. 3. probat primo homini Deum fuiſſe magiſtrum, eumque Philoſophiam docuiſſe.

Quomodò ad Deum creatorem omnis recurrit paternitas; ita etiam ad Dominum eorum quæ bona & honeſta ſunt doctrinâ, & quæ juſtificat, & quæ ad hoc deducit & fert opem. Ibid.

Sommus Pontifex nomen Dei in capite gerebat: nomen cognitionem ſignificat, vt rem repreſentans. Ibid.

D. Auguſt. lib. lib. de vita religioſâ. cap. 6. Repudiandos dicit eos, qui neque in ſacris Philoſophantur, neque in Philoſophiâ conſecrantur.

Geneſ. 3. Scientificus Cherubim, flammeo gladio armatus, prohibet aditum Paradiſi homini ſcientiæ prophanatori.

Fœlix genium ſcientiis donatum eſt vt ager fertilis, magnâ diligentiâ excultus. Anima noſtra domus eſt Dei, aliquæ ſcientiæ eam non firmant, ſed ornant vt picturæ, & parietum incruſtationes, tanti enim Regis ornata debet eſſe domus, in domum ſic inſtructam deſcendunt divinæ potentiæ, cœlitus leges ferentes, vt eam conſecrent, didicèntque juxta juſſa & voluntatem Patris ipſarum. Philo Iudæ. lib. de Cherubim.

Lux fugat Dæmones, vt & feras; de quibus Pſalmiſta, Et in cubilibus ſuis collocabuntur, eſt enim maximum diuinitatis veſtigium: Apoſtolus vocat Dæmones, poteſtates tenebrarum, & Chriſtus, cum capitur nocte, hæc eſt inquit hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: Deus dicitur Pater luminum, Dæmon verò contrà. Vera ergò lux in Patre luminum, in Filio ſplendor, in Spiritu Sancto ardens fulgor, In Angelis ſplendens intelligentiâ profuſumque gaudium, in homine perlucidus rationis diſcurſus, in cæleſtibus ſplendor viſibilis, in igne vitalis vigor, in perſpicuis corporibus color, in opacis virtus quædam benefica & generans: vndè ceremoniæ omnes Eccleſiaſticæ ſiunt cum luce, vt olim ſacrificia.

Duo habemus à luce, vt ſimus & intelligamus: Ego ſum lux mundi, inquit Chriſtus.

Conſideratio fontem ſuum, ideſt mentem de quâ oritur, primùm purificat, de indè regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat; poſtremò divinarum atque humanarum rerum notitiam confert: hæc eſt quæ confuſa diſterminat hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, fucata explorat: hæc eſt, quæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis quaſi non ſentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt D. Bernard. lib. 1. de Conſideratione. cap. 7.

In quemcumque locum quiſque ceciderit, ibi debet incumbere vt reſurgat, ergò ipſis carnalibus formis quibus detinemur, nitendum eſt ad eas cognoſcendas, quas caro nonnuntiat. D. Auguſt. lib. de verâ Religion. cap. 24.

Ad virtutis indagationem, & ſcientia & pietas adhibenda eſt, alterò fiet vt ſcientes inveniamur, alterò vt ſcire mereamur. Id. de morib. Eccle. Cathol. cap 1.

Nulla Religio ſinè ſapientiâ ſuſcipienda eſt: nec vlla ſinè Religione probanda ſapientia. Lactant.

Quamvis ſit magnus tactor organi Spiritus Sanctus, tamen per anguſtas ſpiritus humani ſyllabas ſonat, & cogitationes generat. D. Auguſt. in Pſal. 95.

Quo mundior eſt oculus, tanto longiùs videt. Chriſoſt.

Aquæ & Terra, quæ priùs erant ſteriles creato Sole producunt viventia. Picus Mirand. in Hept. id Chriſto applicat.

Agat ancilla ſubjiciatur Saræ Dominæ, ideſt humana diſciplina divinæ: vt olim Iudæi externam poterant ducere in vxorem, dummodò vngues & capillos abraderet, & partus ejus circumcideretur. Gregor. Nyſſen. in vitâ Moyſis.

Photius in bibliothecâ. cap. 178. reprehendit Dioſcoridem, qui cum multa accuratè dixerit de plantarum & animaliũ naturâ, pauca tamen ſcripſit de vſu.

Doctus pariat in ſe virtutem. *Vide Veritas Virtutis*, dicta debent concordare operibus. pariat etiam in aliis per admonitionem. *Vide medium Virtutis.* admonitio. & *Principium Cognitionis.* Proni eſſe debemus ad docendum, & *Medium Virtutis.* de prædicatoribus.

SCIENTIA DECET PIOS & Sacerdotes.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Religionis præcipuum munus eſt recolere in nos divina beneficia in ordine naturæ & gratiæ, hæc autem cognoſci non poſſunt, nec vt par eſt, æſtimari ſinè ſcientiâ, vndè ingratitudine ſibi vult eſſe neceſſariam is, cui placet ignorantia.

MAGNITVDO. Dum ſcientia à ſingularibus abſtrahens contẽplatur vniverſalia, præludit divinorũ contemplationi, mentique viam aperit, vt per cauſarum ſeriem ad primam deveniat. Elevat nos Religio, ſublimia autem, vt montium cacumina debent eſſe illuſtriora: & cùm pietas altum teneat, illi in omnia inferiora ſcientiarum objecta liber debet eſſe proſpectus. Devotio ſignificat animum ſemper paratum, ſedulum, nihilque omittentem eorum, vndè laus Deo poſſit deferri, hæc autem inquirit per ſcientias.

DVRATIO. Religio, vt Deo immortali convenientiùs hæreat, ſtatum profitetur, vt patet in votis: ſtatum autem, & pios & habitus conſolidat, in ſe & in aliis ſcientia, hæc enim certâ procedit lege; At ignorantia varia eſt, deficiens, & malignâ luce abyſſos pro planis itineribus oſtentat.

POTESTAS. Si Rectoribus rerum temporalium ſcientia vniverſalis eſt neceſſaria, *vt vide Cognitio Poteſtatis & Magnitudo Cognit.* Multò magis directoribus animarum in his quæ pertinent ad vitam æternam: ſinè ſcientiâ nullius ſunt authoritatis; quis enim credat ſe à cæco benè dirigi? Si imperia ſpernit eminens pietas, vult tamen habere ſcientiam, quâ Rectores poſſit regere. Indignum eſt Imperatoris totius vniverſi commenſalem, & quaſi in ſecretis intimo affectu aſſidentem, quæ ad rerum ſeu naturæ, ſeu Eccleſiæ regimen pertinent ignorare. Servire Deo regnare eſt, Regnantium autem debet eſſe vniverſalis cognitio.

COGNITIO. Fides donum Dei eſt, ſed intellectu ſcientiis illuſtrato, vt aptiſſimo inſtrumento rectè vtitur ad ſe propagandum, ſicut lux ſolis aëre diaphano. Momento fit lux ſenſibilis, quia non habet contrarium poſitivum: at fides innumeris oppugnatur externis difficultatibus, & conteritur internis ſcrupulorum phantaſmatibus, niſi vtriſque illuceſcat ſcientia. Fides ex auditu, at magis creditur docto illam annuntianti, qui putatur non poſſe errare. Angelorum, vt puritatem, ſic ſcientiam imitari debent Sacerdotes, qui Angelorum nomine in ſcripturis deſignantur.

VOLVNTAS. Flammæ divini amoris lucem vibrant, luci ſcientiarum cognatam, & facilè miſcibilem. Amans non ſuis tantum, ſed alienis etiam vtitur oculis in inquiſitione rerum amato placitarum. Sponſa quærit ſponſum ab omnibus, & per plateas civitatis, ideſt per omnes mundi creaturas. Sic multiplicantur ſinè fine amoris motiva, & charitas non valens infinitum ſuum objectum, vt eſt in ſe, complecti, paſcitur interim innumeris perfectionum ſuarum imaginibus. Chara ſunt illi ea omnia quæ ſunt à Deo, quæque ipſum referunt. Etiam Seraphim, ſunt cæteris Angelis magis illuſtrati, quia Deo viciniores, & vt ſuperiores cæteros illuſtrant.

VIRTVS. Illuſtrior, potentiorque ad exemplum virtus eſt, quam ſcientia comitatur; Tunc enim certo animi judicio apparet electa; putanturque falli, & decipi, qui illam non ſequuntur.

VERITAS. Homo pius divinæ ſapientiæ proles eſt: Sacerdos eſt divini verbi miniſter; vndè illam quantùm fas eſt præferre debet, ſibique per diſciplinas conciliare, vt in ſe & in aliis ignorantiæ tenebras diſſipet. Et eminenti opus eſt ſcientiâ, vt diſcernatur, quæ fidei morumque integritatem ſuâ commixtione inficiunt: ſic enim conciliatur fama & authoritas, dictiſque major habetur fides.

GLORIA. Eccleſia comparatur regno cœlorum, in quo beati vident omnia in verbo, & eâ viſione fœlices ſunt. Vitæ tædium levandum eſt voluptate aliqua; nulla autem innocentior quàm quæ ex ſtudiis percipitur, hæc enim cogitationes & affectus evocat a mundanis, & transfert ad veritates, quæ ſunt in confinio divinorum.

DIFFERENTIA. Studium & pietas ſimul amant ſolitudinem, quam ſic ex Prophetæ dicto efficiunt florentem: vnius enim labor alterius gratâ viciſſitudine levatur: ardorem ſtudiis addit pietas, pietati lucem afferunt, ſcientiæ vt Gratiæ, conſertis ſunt manibus, chorumque cum labore manuali in Dei laudem efficiunt.

CONCORDANTIA. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ vndè ad ipſum proximè accedentem oportet illuſtrari: vt autem ſol magis fulget in lapillis, ſpeculis & cæteris diaphanis, quàm in opacis corporibus: ſic lucis divinæ radius duplicatur in mentibus, jam ſcientiâ fulgidis.

CONTRARIETAS. Pugnandum quotidie eſt pro veritate contrà hæreſes, pro virtutibus contrà vitia; Vim autem, artes, & arma ad victoriam ſuppeditant ſcientiæ. Initio Eccleſia ſanguine & miraculis hoſtes ſuos fudit, nunc doctrinâ, & probitate.

PRINCIPIVM. Naturæ & fidei veritates idem habent principium, vndè duo hæc lumina facilè commiſcentur & in vnum concidunt, vt aſſerit D. Thomas, & ego probavi in proœmio meæ Theologiæ naturalis. Dum ſcientia ſeriem cauſarum ſpeculatur, devenit ad primam, ſcilicet ad Deum, qui eſt objectum Religionis: illius primum motivum eſt, Deum colere, vt creatorem vniverſi.

MEDIVM. Diverſas hoſtium artes, diverſos divini ſpiritus motus, diverſa ad eundem finem media non deprehendit, niſi in ſcientiis optimè eruditus. Dei in terris actor, quæ Dei ſunt, ideſt omnia, debet noſſe.

FINIS. Scientia æternitatis quoddam præludium eſt, vnde nos in æternitate comitatur. Iuvat hic animum exornare his dotibus, quibus Deo ſe gratum exhibebit, etiam in beatitudine. Vir bonus ſcientiam ſectatur, vt magis poſſit Deum cognoſcere & amare, cæteros docere, errores in fide & moribus confundere; Vndè rei jam ex ſe bonæ prætium auget hic eximius finis.

MAIORITAS. Olim juvenes, qui miniſtrabant Re-

gi Babyloniæ, debebant esse instructi in omni disciplinarum genere, vt patet ex libro Danielis, sic mentes scientiis ornatæ, digniùs Deo serviunt. Tam necessariæ sunt ad Dei ministerium scientiæ, vt Apostoli, qui illas naturaliter habere non poterant, miraculo, & sancti Spiritus afflatu eas acceperint.

Æqvalitas. Si minister debet esse æqualis negotiis quæ tractat, spiritualia gerens, totus debet esse spiritualis, & probitate & intelligentiâ: debet enim distributivam justitiam exercere, jusque reddere non tantùm sibi & cæteris hominibus, sed etiam Deo.

Minoritas. In tàm sublimi ministerio ignorantia rerum constituit omnis boni quod non facit, & omnis mali in quod potest incurrere. Ignorantia capitale est vitium malorum infinitorum abyssus & infœlix origo. *Vide Minoritas Cognitionis, Mala.*

SCIENTIA CVM IMPROBITATE.

REPVGNAT.

Filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. Luc. 16.

Adam cum rerum omnium scientiâ, sic & mali Angeli peccaverunt.

Revelationes factæ Dæmonibus per sanctos Angelos, ex parte Dæmonum non sunt illuminationes, quia non ordinant eas ad Deum. D. Thom. 1. q. 109. a. 4. ad 1.

In actu artis dupliciter contingit esse peccatum, scilicet deviando à fine particulari artis, & à fine communi. 1. 2. q. 21. a. 2. ad 2.

Quando cogitatio de opere illicito, fit peccatum. 2. 2. q. 154. a. 5.

Cognitio veritatis tantùm speculativa est in Dæmonibus, nec producens amorem Dei. 1. q. 64. a. 1.

Fides est in Dæmonibus coacta, nec laudabilis, nec donum à gratiâ. 1. q. 64. a. 2.

In lege Dei dantur præcepta contrà vitia prudentiæ, in quantùm sunt contrà justitiam, scilicet astutia, fraus & dolus. 2. 2. q. 56. a. 2.

Prophetia non est gratia gratum faciens, sed gratis data. 12. q. 68. a. 3. ad 3.

Potest haberi sinè charitate, & gratiâ gratum faciente. 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3.

Vetita arbor scientiæ, quia poterat esse abusus. Rhododaphine, seu laurus rosea est jumentis venenum, homini autem contrà venena antidotum, sic malis nocet scientia.

Si linguis hominum loquar & Angelorum, si habuero omnem scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum. 1. Cor. 3.

Scorpiones & viperæ in meridie abundant veneno.

Lux solis rupes, arenas steriles illustrat & sub polis plagas infœlices, frigore geluque semper horridas.

Quidam serpentes habeant lapillos fulgentes in capite.

Febricitanti caput ne purgato, ne furiosus fiat; calefaciunt enim caput pharmaca purgativa: vndè insaniam faciunt, si ad caliditatem febrilem accedant. Hipo. l. de locis in homine. Expurgata ignorantia ex malo scientia facit impiissimum.

Scientia inflat, charitas autem ædificat. 1. Cor. 8. scientia sinè charitate est merum inebrians.

Docti erant Sacerdotes, qui docuerunt Herodem de navitate Christi, quem non adorabant. Doctores legis maximè Christum tentarunt.

Non aliundè sum miser, nisi rerum ignorantiâ: quod si & rerum scientia miserum facit, sempiterna miseria est, nec vllus vnquàm beatus esse potest. D. August. 2. Soliloq. c. 1.

Mercurius, cùm est anni Dominus, qualitatem aëris variat, facitque ventos exitiales; Marti configuratus facit industrios, sed mendaces, dolosos, improbos. Scientiæ in improbo, sunt arma splendida in manu prædonis, aut furiosi.

Tertul. lib. de idololatriâ. cap. 4. dicit Exod. 32. non solum prohiberi à Deo idola adorari sed & fieri; itaque idololatriæ reos dicit esse Christianos, qui arte ex se bonâ vtebantur ad idola fabricanda. Illis, inquit, ingenium tuum immolas, illis fudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis, &c. *Vide Virtus Medij.*

Excepto sole, sydera quæ sunt clarissima non sunt calidissima; vt Luna, Venus, Iupiter.

De casu primi Angeli, scientiâ præstantissimi, vide Ezech. 28.

Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Iustus autem in fide suâ vivet, & quomodò vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur; qui dilatavit sicut infernus animam suam, & ipse quasi mors non adimpletur, &c. Hab. 2.

Omne volucrum genus habens quatuor pedes est immundum. Levit. 11. sic de his, qui cum alis scientiæ reptant in humanis.

Fides est in dæmonibus & damnatis. D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 2.

Plato lib. 3. de legibus, dicit multarum rerum peritiam absque justitiâ, maximè Reipublicæ noxiam, nullisque concedendam; & lib. 7. dicit scientiam malè partam longè Pejorem esse ignorantiâ.

Bestiæ incontinentes non sunt, quia particularium imaginationem & memoriam habent, non vniversalium existimationē Arist. Serpens, qui tentavit Evam, callidior erat cunctis animantibus terræ: Genes. 2.

Facilè putrescunt carnes expositæ Lunæ in plenilunio, quia tunc est humida & calida.

Sæpiùs meridie sunt terræ motus, quia solis calor tunc maximam vim habens spiritus exsuscitat, & in majorem raritatem distrahit.

Hanno, è clarissimis Pœnorum, primus leonem mansuetum manu tractare ausus, damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenij videbatur, & malè credi libertas ej, cui in tantum cessisset etiam feritas. Plinius lib. 8. cap. 16.

Ministri Reip. debent habere ingenia negotijs paria, non majora, ne aut contemnant, aut abutantur. Tacit. annal. lib. 4. *Vide Majoritas Cognitionis. Mala.*

Fulgur fit in eâ parte nubis quæ maximè fulget: fulgur intuentis oculos lædit, quia hoc lumen oculo non est accommodatum & quia sæpè emittuntur fulguris radius vnà cùm splendore.

In plenilunijs majora frigora.

Ignis flavescit ad Solem, quia illic habet apertiores poros, & aëri magis pervios.

In Dæmonibus remansit naturalis quædam & supernaturalis cognitio, non tamen ea quæ inclinat ad Dei amorem, sed tantùm speculativa. D. Thom. 12 q. 64. a. 1.

Sunt inexcusabiles majores ex Iudæis qui agnoscentes Christum esse verum Messiam, non vt Deum coluerunt. 3. q. 47. a. 5.

Veritatem Dei in injustitiâ detinent. Rom. 1. quia impediunt ne in opus prorumpat.

Solis radij repercuſſione calefiunt, non verò lunæ.

Athenion ex Philoſopho crudeliſſimus effectus eſt tyrannus. De multis alijs ſic Philoſophia abutentibus, vide Athenæum. lib. 5. cap. 11.

Nicoalitæ ſpurciſſimi hæretici mutato nomine, Gnotici ſunt dicti, quaſi præ cæteris Sapientes. Baron. an. 68. num. 12.

Sub Domitiano, Euphrates quidam ex Philoſopho factus eſt aſſentator, & delator. Idem an. 85.

Cum Plato in Republicâ voluerit vxores eſſe communes: Hinc Carpocrates introduxit promiſcuum concubitum, & multos alios errores ab ipſo accepit.

Vndè meritò Tertullianus adverſus Hermogenem, dicit Philoſophos extitiſſe Patriarchas Hæreticorum. Baron. an. 120. num. 35.

Damnatus fuit Ætius, quòd diceret perfectionem hominis in rerum divinarum cognitione, non in operatione virtutum poſitam eſſe: Vndè licet turpiſſimis eſſet moribus, fœlicem ſe in clarâ divinitatis contemplatione aſſerebat. Baron. anno. 336.

Sub polis dies ſunt longiores, intenſa tamen frigora; Sic ſæpiùs hyeme in plenilunio.

Paulus. Rom. 1. loquens de Philoſophis ait; Sunt inexcuſabiles; quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

Et cap. 2. Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. *Vide Veritas Virtutis.* Dicta concordent operibus.

Qui in lege gloriaris per prævaricationem legis Deum inhonoras. Rom. 2. *Vide Virtus Poteſtatis Repugn.*

Clearchus Philoſophus Platonicus, qui & Bibliothecam omnium copioſiſſimam comparavit, Heracleæ Ponticæ tyrannidem ſæviſſimè tenuit, indutus etiam veſtibus ad terrorem paratis, &c. Photius in Biblioth. cap. 214.

QVAM MISERVM SIT ſcientem eſſe improbum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Docti ſi mali ſint agunt contrà naturam veri, quod cum bono convertitur: Non quidem vt Idololatræ mala deificant; ſed ſcientiam, rem divinam, maximumque Dei munus in malum detorquent; nocentque hominibus eo ipſo, quo deberent eſſe benefici.

MAGNITVDO. Scientia quæ omnia attingit, eſt in illis quaſi vehiculum malitiæ, quo omnia pervadat & inficiat. Limitatas ad nocendum vires dedit natura; feræ laſſatæ quieſcunt, & tandem, exhauſto veneno, innocui ſunt ſerpentes: At doctæ malitiæ nullus eſt terminus; arte ſua ſecura ludit in hominum ſub ſe cadentium ſtrage; ferit, & non feritur, quia cæteris eſt ſublimior; Vndè viribus manet ſemper integris in aliorum perniciem.

DVRATIO. Immortale malum eſt, quod æternis fulcitur ſcientiæ Principijs: petire debent omnia, ſi mali ad nocendum iiſdem vtantur legibus, quibus natura ad mundi conſervationem. Paſſio inconſtans eſt, nec ſemper animos exagitat, vt nec tempeſtas maria; implicatur, & ſuiſmet concidit viribus: At malitia ſcientiæ juncta, quia arte procedit, regularis eſt, nec vnquàm deficient.

POTESTAS. Timetur meritò in tyrannis, vt in Leonibus, juncta viribus feritas; Sed multò magis timendum ſi accedat aſtutia & intelligentia, quâ rebus omnibus dominamur; tunc enim mali in cæteros habebunt imperium nullâ ſalutis reſiduâ ſpe.

COGNITIO. Per ſcientias admittitur homo in naturæ, Deique conſilium, quo rebus omnibus provideretur; quanta perfidia ſi hac divinæ bonitatis arte illi oſtensâ vtatur ad nocendum; Nullum eſt a doctâ malitiâ effugium, præcludit enim omnes ad fugam vias, aut ſuis occupat inſidijs. Certamus ratione contrà imminentia mala, ſed quid ratio ipſa contrà nos decertet? Sic nocent, ſic timentur Dæmones, in quibus eſt cum exactâ naturali cognitione ſumma malitia: In tenebras damnati, & catenis colligati hos emittunt doctos ſuæ perniciei vicarios.

VOLVNTAS. Apparet in iſtis, non eſſe verum quod ait Plato, omnem peccantem eſſe ignorantem, nam determinatâ voluntate malum præferunt bono, etiam bono ad malum vtuntur, peccantque contra Spiritum Sanctum. Sæpiùs mala indoles innoxia eſt, ob impotentiam, & non tantùm ad effectus, ſed ne quidem ad mala ſe diffundit deſideria, quia rei impoſſibilis non eſt appetitus: at cum per ſcientiam fit quodam modò omnipotens, fit etiam omnia vaſtans. Novas enim nocendi cupiditates ſuggerit nova ſemper, ſuiſque experimentis accreſcens nocendi ars.

VERITAS. Scientiæ ſunt comites virtutum, has ſi corrumpat homo, ſuis criminibus ſuperaddit illud ſervi corrupti. Sic malitia protegitur armis virtutum, & ad ſe allicit vires quibus debebat oppugnari, Vndè mirum non eſt virtutem inermem à ſcientijs, quibus debebat protegi, deſertam, & oppugnatam, ſub artificioſâ & potenti malitiâ gemere.

VIRTVS. Peſſimum in doctâ malitiâ eſt, quòd fucum oculis faciat, quòd virtutem juſtitiamque in omnibus mentiatur. Tandem hi doli malo ſuo effecta deprehenſi, ſuſpectam in omnibus efficiunt virtutem; creditur ſemper eſſe in inſidijs, vixque vera, etiam in probatiſſimis, creditur.

GLORIA. Habet, vt nox, ſic vitium ſuas voluptates: delectat doctam malitiam quòd optatis fruatur; ſibi plaudit, quaſi ſortem omnium fœlicem, aut infœlicem poſſit efficere, tranquilla turbare, ſpes in ipſo fruitionis tempore deludere. Quod in alijs ſupereſt fœlicitatis, quaſi munus ſuum agnoſcit; putatque ſe concedere quicquid non tollit: nulla ſævior quàm victrix, ſæpiùs coronata, ſpoliſque ditata malitia.

DIFFERENTIA. Hinc conſtat ſcientiam non eſſe verum, ſed ex ſe indifferens bonum, quia ſic poteſt in contraria virtutibus caſtra transfugere. Numquid meliùs eſſet illam cum juſtitiâ mundum reliquiſſe, cœloſque petiiſſe, quàm ſic venire in auxilium mali? ſic in navali prælio victi mergunt naves, ne in hoſtium deveniant poteſtatem.

CONCORDANTIA. Doctor improbus res omnes naturales & divinas, cum quibus habet commercium, efficit quodammodo correas, & in id crimen adducit, quod cum illis perpetrat: Muſas efficit criminatrices & proſtitutas. Sic Tyranni Philoſophorum ſectabantur amicitiam, vt ſub probitatis opinione ſecuriùs læderent. Pernicioſior eſt prædonum turbâ, Regniſque minatur exitium, ſi ſe Politiæ legibus rexerit.

CONTRARIETAS. Nullus infœlicitatis noſtræ finis, ſi non tantùm à malis, ſed etiam à bonis lædamur: ſi non tàm nobis noceant tenebræ quàm lux, quæ latitantes & fugientes hoſtibus prodit-

PRINCIPIVM. Inficiunt veneno publicos fontes, qui ſic ſcientiam reddunt & malignam & ſuſpectam; ſed non ideo minùs lux ſolis grata eſt oculis, & frugibus maturandis apta, etiam ſi venenata ſub illâ adoleſcant.

MEDIVM. Scientia in improbo eſt gladius in manu furioſi; furor eſt in illâ quam edit ſtrage, ſed non ſinè conſilio; Nam media vndique ſibi parat, & probitatem proprijs ſternit viribus; itanè ſcientia, quæ debet hominem Deo conjungere, ſic ab illo diſſociat, & in infima detrudit?

FINIS. Nunc falſa eſt Philoſophorum ſententia, quæ fœlicitatem conſtituebat in contemplatione, & in hâc intellectuali luce, quæ ſic poteſt vitiorum commercio inquinari. Non habet quo deſinat novis ſuis artibus ſemper latior malitia; vltrà vitæ terminum alijs diù ſecuturis ſæculis nocitura diſponit, omniaque in deterius ad finem ſuum contorquet.

MAIORITAS. Ex intellectuali excellentiâ hominis fit excellentia malitiæ, vt optimi peſſima eſt corruptio. Non poteſt fieri quin in pejus ruant ſæcula, ſi vt ſcientijs & artibus, ſic criminibus, novas quotidie inventiones induſtria ſuperaddat. Quomodo coincidit maximum & minimum, vt in vno homine ſimul miror ſuprà cæteros intelligentiam, & deteſtor omnia ad libitum ſolo æquantem malitiam.

ÆQVALITAS. Fœdatur, & impiè prophanatur ſupremæ ſapientiæ imago, dum criminoſis commiſcetur affectibus. Cum idæas mali habeat, ſuprà id quod poteſt fieri, defectum vnius conſilij compenſat aliorum lugendâ inventione. Vix in illis poteſt eſſe pœnitentiæ ſpes, ſed obſtinatus & induratus in malis affectus, ſi aberrent ab eo à quo dirigi deberent lumine.

MINORITAS. Fructus ſcientiæ merito homini prohibitus, cùm hinc tot illi mortales ægritudines; optabilior videtur impotens cæcitas: Perverſa enim hæc eſt ſcientia, quæ dat malo, per ſe non ſubſtenti, quo ſtet, & producatur, fœcundumque efficit ex ſterili.

PRVDENTIA.

VIde ſuprà in Theologicis. hoc. tit. Minerva prudentiæ Dea ſic à Philoſtrato deſcribitur armata, quia in armis multùm valet, eſtque ſæpiùs loco armorum; Clypæum habet Gorgonium, quia primâ fronte terret inimicos; appinguitur ei noctua, eo quod in obſcuris videat; è cerebro Iovis nata dicitur, quia eſt à Deo.

Ianus bifrons, qui antè & retro videt, ideſt præterita, præſentia, & futura. *Vide Magnitudo Cognitionis.*

Quod provideat futuris neceſſitatibus. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Prudentia eſt cæteris virtutibus quaſi architectus, illis agenda præcipiens, & ſicut Atrienſis domeſticas res curat, vt Dominus, his liber, non præpediatur, quin multa honeſtè & officioſè agat; ſic prudentia parat ſapientiæ otium, vt ſuum peragat opus. Sapientia eſt circa ea quæ ſunt cum demonſtratione, & quæ ità ſe ſemper habent: Prudentia vero de his quæ ſunt in permutatione. Ariſt. magn. moral. lib. 1. cap. vlt.

Prudentia cùm ſit recta regula actionum humanarum, eſt quaſi anima vitæ activæ, civilis & politicæ: Informat enim, actuat, & applicat quæ ſcientia & ſapientia cognoſcendo invenerunt ſecundùm circumſtantias loci, temporis, conditionis perſonarum & ſuæ. Eam philoſophus artem vivendi appellat; Vt enim artifex, arte carens, inſtrumentis non poteſt vti, vel ſi vtatur deſtruit materiam, non perficit; ſic imprudens, & loco vilis materiæ animas, familias, Regna ſubvertit.

Ideo D. Ambroſ. 1. off. c. 27. vocat prudentiam, fontem bonarum actionum.

Oculus tuus eſt lucerna corporis tui. Caſſian coll. 1. cap. 27. de prudentiâ interpretatur; ſinè eâ virtutes in vitia degenerant, quod facilè probari poteſt inductione.

Ariſt. lib. 3. Ethic. c. 3. dicit Prudentiam virtutem eſſe dominanti propriam, vt lumen Soli, calor igni; & vt gubernator non poteſt regere navem ſinè gubernaculo, & magnete; conſcendentium præaltum montem firmat greſſus, ne labantur; oculus ſemper in ſceptro; virga Ægyptiorum vigilans: Prudens ſi coronas non habet, eum coronæ ſequentur.

De opportunâ conſilij & legum mutatione & quod prudens ſe rerum circumſtantiis accommodet. *Vide Differentia Cognitionis.*

Phidias ex diverſis materijs auro, ebore, &c. ſtatuas conficiebat, eadem arte. Sic prudens in diverſis ijſdem vtitur regulis. Ioſeph priùs præponitur domui domini ſui quàm toti Ægypto; Eadem enim eſt ars domum, & Rempublicam regendi: Reſpublica magna domus eſt; Politia communis, quædam œconomia. Philo Iudæus lib. de Ioſeph.

In tribus prudentia conſiſtit, corde, ore, & manibus, ideſt conſilio, verbo, & opere. Clem. Alexand.

Quod prudenti nihil ſit novum. *Vide Duratio Cognitionis.* Experientia.

PRVDENTIA FVTVRI.

Vide Cognitio Contrarietatis.

NOn vlla laborum, ô virgo, nova mihi facies, inopinave ſurgit: At ſtultis, & fortunæ credentibus, omnis videtur nova rerum facies: Apud imperitos magna mali pars eſt novitas: Sapiens autem aſſueſcit futuris malis, & quæ alij diù patiendo levia faciunt, hic levia facit diù cogitando. Imperiti vox eſt, neſciebam hæc mihi reſtare; ſapiens ſcit ſibi omnia reſtare, quidquid factum eſt dicit ſciebam. Seneca. epiſt. 76.

Quid varietas, mobilitaſque caſuum perturbabit, ſi certus ſit adverſus incerta? In epiſt. 101. Vt barbari ignari machinarum ſegnes laborem obſidentium ſpectant, nec quo illa pertineant, quæ ex longinquo inſtruuntur, intelligunt. Idem. Malorum impetus lenit providentia, nihil enim ad expectantes afferunt novi; ſecuris vt beata tantum ſpectantibus, graves eveniunt: Sciebam in quam tumultuoſum me contubernium natura cluſiſſet, toties in vicinià meâ conclamatum eſt, &c. Miror aliquando pericula acceſſiſſe, quæ circà me ſemper erraverunt: Magna pars hominum eſt, quæ navigatura de tempeſtate non cogitat. Id. lib. de tranquill. vit. cap. 11.

Cuivis poteſt accidere quod cuiquam poteſt; ſero animus ad periculorum patientiam poſt pericula inſtruitur: In tantâ rerum ſurſùm, ac deorſùm euntium verſatione, ſi non quidquid fieri poteſt, pro futuro habes, das in te vires rebus adverſis, quas infregit quiſquis prior vidit. Ibid.

Sapiens ſtet aſſiduè velut in præſidio poſitus, & omnes conatus fortunæ & omnes impetus proſpiciat, multò antequam incurrant: Illis gravis ipſa for-

suna est, quibus est repentina; facilè eam sustinere potest, qui semper expectat. Idem de consolat. ad Albinam. cap. 5.

Mergi prævidentes tempestates ad littora cum clamore confugiunt; Ardea supra nubes volat, vt vitet procellam.

Ovis sub adventu hyemis insatiabilem herbam rapit. Echinus, cavernæ suæ plures aditus vento venienti obstruit, &c. Plura providentię naturalis exempla vide apud D. Ambros. Examer. lib. 5. cap. 13.

Agricolæ torrentibus vicini, non cum exundant, sed cum penè exsiccantur, fossas agunt; sic milites in pace arma parant; nautæ in portu navigationi necessaria comparant; messores falces aptant, &c. D. Chrisostom. lib. 1. adversus Iudæos.

Tempestatis ac pluviæ notæ quædam præcedunt, qui comitiali morbo solent corripi, jam adventare valetudinem intelligunt, vt ad solita remedia concurrant; quod si parùm profuit medicina, vitant turbam, & sinè teste concidunt, Seneca. lib. 3. de irâ.

Non sunt imitandi illi, qui de veneno judicant postquàm hauserunt. Plutar.

Noë per centum annos arcam ædificat, & diù antè diluvium victum congregat.

Ioseph septem annorum annonam, pro septe mannis famis congregat. Gen. 41.

Agit sapiens initio quod stultus in fine, qui tantùm cognoscit cùm pœnitet: Dives opulo aperuit oculos cum esset in inferno.

Propheta apud Ægyptios præest distributioni vectigalium. Clem. Alexand. Stromat. lib 1. cap. 2.

Vtinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent; tria nobis hic commendantur; sapientia, intelligentia, providentia, quæ tribus assignari possunt temporibus, vt æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantes, novissima providentibus ad cautelam. Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem, intelligamus ad præteritæ correptionem, devotâ in Deum fide prævideamus, vt fœlicem habeamus ipso miserante consummationem; hic enim est funiculus triplex, quo trahimur ad salutem, ordinata conversatio, rectum judicium, fides devota. D. Bernard. serm. 2. in natali Petri & Pauli.

Vineæ, hederæ, volubilis omnes species prævidentes suam infirmitatem ligamenta producuntur, quibus solidioribus connectantur. Sic formicæ, mures sylvestres, apes æstate congerunt sibi necessaria pro hyeme.

Nullus sit casus, quem non meditatio tua præveniat; nullus sit casus, qui te imparatum inveniat; propone nihil esse, quod tibi accedere non possit, vita foveam, in quam vides alium coràm te cecidisse; Aliorum perditio tua sit cautio. D. Bernard. de inter. domo. cap. 45.

Amphisbena serpens duplex habet caput, alterum scilicet vbi in alijs solet esse cauda.

Valent transactiones propter metum futuræ litis initæ. l. 2. C. de transact.

Duplex medici judicium, vnum est præcedens operationem, & est considerata morbi essentia & natura; aliud verò est sequens operationem, cùm ex evacuatione, fluxu, alteratione, &c. judicat quid faciendum sit; & illud certius, hoc enim est cum rebus ipsis deliberare.

Turpe est tunc de ægro consultare, cùm morti proximus est, & de vrbe conservandâ, cum hostis est ad muros.

It quadruso agmine exercitus, cum hostis ab omni parte suspectus est. Idem sapiens facere debet, omnes virtutes suas vndique expendat, vt vbicumque infesti aliquid oritur, illic parata præsidia sint, & ad nutum regentis sinè tumultu respondeant. Senec. epist. 59.

Adeps quasi repositus à naturâ in alimentum tempore egestatis.

Prudentiæ est cavere, etiam quæ non putantur emergere: Munitio semper tractanda est in otio. Providentiæ naturalis multa exempla; ab avibus, quæ adventu hyemis patrias mutant; à Delphino, qui tempestates prævidens vadosis littoribus immoratur. Vide Cassiodor. lib. 3. variarum. epist. 48.

Intercludit providentia tristes casuum vias. Symmach. lib. 4. epist. 54.

Qui frumentum, necessariamque commeatum non præparat, vincitur sinè ferro. Vegetius. lib. 3. c. vlt.

Vide Cognitio Contrarietatis.

PRVDENTIÆ OFFICIA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. In multis regimur à divinâ providentiâ, vt liberi adhuc sub potestate parentum, tamen peculij nobis administratio concessa est in quibusdam vitæ actionibus, vt imitemur parentis nostri sapientiam, in naturâ; ficque nobis & proximis simus benefici; charitatis enim spiritualis officia maximè pertinent ad Prudentiam.

MAGNITVDO. Magna blandiuntur animi nostri cupiditatibus, excellentiam ambientibus; sed prudentia timet alta conscendere, vndè sæpiùs imminet præcipitium. Satis magna tentamus, si viribus nostris, & præsenti rerum statui sint commensurata. Totum quidem quod intendimus, conamur consequi, sed per partes, ne frustremur optatis, si plura, quàm patiantur vires, velimus complecti.

DVRATIO. Præterita ad exemplum, præsentia ad instructionem, futura ad cautelam spectabit prudentia, æternitatis æmula, dum se sic omnibus temporum partibus præsentem sistit. Pudet aggredi ædificationem, quam non possit consummare, moderatur itaque vires suas, continetque spiritus, vt possint ad curium, quem sibi videt perficiendum sufficere: suspenso procedit gradu, tentat enim, & circumspicit omnia nocitura, aut profutura; placidéque venientem excipit occasionem, nec immaturos colligit fructus. Si quis sit in morâ pudor, illum satis eluet coronabitque fœlix eventus.

POTESTAS. Vires omnes suas simul non exerit prudentia, nec facilè venit ad vltimum conatum, qui defectui proximus est. Si multa agit, vult semper majora posse: hæc virtus hominem verè liberum, sui rerumque cæterarum dominum facit; non trahitur à fortuna sed illam præcedit; Regit se & alia, & in summâ Potestate, summè vigilans, tantùm sibi licere credit, quantùm suadet ratio.

COGNITIO. Vult quidem vniversalia & theorica speculari, sed his vtitur quasi regulis plumbeis, quæ non omnimodam, sed quam possunt rectitudinem rebus impertiuntur: Non enim respondent generales Philosophorum regulæ determinatis rerum singularium conditionibus, nisi illas arte concinnaverit prudentia.

VOLVNTAS. Prudentia libertatem naturalem, & passiones omnes quasi sub tutelâ continet, ne insolescant: Implet autem justa desideria, dùm injusta coërcet; avertit enim ab excessu aut defectu, grato qui-

dem primâ fronte, ſed in poſterùm nocivo. Ideò puer & cæcus pingitur amor, quia debet dirigi à prudẽtiâ.

VIRTVS. Dùm cæteræ virtutes gradum ambiunt heroïcum, ſæpiùs præcipitio in infimum laberentur, ſi non eas inter prærupta prudens ratio dirigeret. In temperante vires ponderat, fortem interdùm à periculis revocat, vt alias futuræ ſervet victoriæ; legum rigorem æquitate temperat; creditori, qui non eſt ſolvendo, concedit inducias, ne totius debiti jacturam patiatur. Denique pietas ſinè diſcretione ſe & alia deſtruit.

VERITAS. Verum cum bono convertitur; ſed vt hîc non ſumus capaces abſoluti boni, ſic nec veri. Vndè aliquandò veritas inſinuanda, aliquandò tacenda, & vt ignis ſacer Machabæorum, ne prophanetur, in profundo putei abſconditur. Citrà mendacium prudentia minatur periculum, vt nimis ſecuros & conſopitos exſuſcitet; interdùm adverſa diſſimulat, vt in fracto exercitu, ne animi deſperent. Agentibus & legaris tantùm dat cognitionis, quantùm ſat eſt ad injuncti officij executionem; Vultque falli gratâ rerum ſpe, aliter aberraturos, aut defecturos.

GLORIA. Non credit oculis, aliiſque ſenſibus prudentia, grata omnia ſuſpecta habet, timens ſub eſcâ hamum; quiete laborem, pacem bello permutat, vt firmiora jaciat quietis & pacis fundamenta, & periculis ſibi gloriam famamque conciliet.

DIFFERENTIA. Sapiens non vnâ procedit viâ, ne tædio ſit; ne limitatæ, tantùmque ad vnum valentis potentiæ; ne hoſtium certis inſectetur inſidijs. Inter ſcopulos flexu vtendum; variantem neſcit quò expectet hoſtis; dùm vbique vult vim inferre, vires ſuas diſpergit, viamque aperit quâ effugias, aut infirmiorem aggrediaris. Alienis externiſque rebus non ſe immiſcet ſapiens, niſi quantùm exigit charitas, & futurum indè bonum.

CONCORDANTIA. Vnus quiſque quod ſuum eſt quærit, etiam in ſocietate ad commune bonum inita: Ideò prudentis eſt ſibi etiam à ſociis cavere, propria à communibus diſcernere, in nuptijs jugum, in Magiſtratu publicam ſervitutem, denique in omni mixtione alterationem ſpectare; & quia infidæ vt plurimùm ſunt amicitiæ, diù judicet antequàm amet: quidam etiam opinantur cum amicis, vt cum futuris aliquandò hoſtibus, vivendum.

CONTRARIETAS. Plus in bellis poteſt prudentia, quàm vis: in periculis omnes artes ſuas explicat natura, vndè neceſſitas dicitur artium inventrix. Innoxia, humana, glorioſior ſoli Duci competens, nec cum militibus partienda victoria, quæ obtinetur ſtratagemate. Etiam fortiſſima ſuomet impetu franguntur; partes inter ſe colliſæ diſſociantur, & fractæ intereunt, ſi non eas prudens ratio direxerit.

PRINCIPIVM. Prudentis eſt, non ex initiis rerum ſemper exitus æſtimare; quædam in ortu ſuo profundunt vires omnes, mox deſituras; quædam triſti origine fœlices portendunt eventus. Non reſpondent etiam cauſis effectus: nullæ in his certæ regulæ, niſi quas longa rerum ſingularium experientia ſibi conſtituerit: Ex hac varietate, artem ſibi fecit prudentia civilis, quâ deludat hoſtium conſilia & inſidias, fallatque fallere paratos.

MEDIVM. Prudentis eſt adinvenire convenientia media, à quibus pendet fœlix rerum exitus; quædam ſeipſo peragit, quæ lucem & teſtem timent, quædam per alium, quæ odium invidiamque concitant, ſic alius alium ſpe deluſum tradit in pericula, ſic inter æquales amicos diſſidentes medius ſtat arbiter.

FINIS. Omnium eſt bonum vt finem appetere, at ſolius prudentis eſt illum conſequi, & incœpta ad perfectum adducere. Non terretur viæ difficultatibus, quin ad optatas perveniat ſedes: non gravat labor, cujus fructus eſt perennis. Sic temporalia facilè exponit pro æternis conſequendis.

MAIORITAS. Eminentem fortunam non aſtra, non fatum, non hæreditas, non Principum favor, ſed prudentiæ conſilia pariunt & conſervant. Citò ruit quem cæca evexit fœlicitas.

ÆQVALITAS. Ars vitæ cæteris præceptis inter incertos eventus hominem dirigit, vt quaſi cubus, quocumque vertatur, ſibi ſemper ſit æqualis: ſi quod ſibi propoſuit non poteſt conſequi, illud compenſat per æquivalens: vndè illi ſæpius bona occurrunt, ſpes ſuas excedentia, ſic ſemper invigilat melioribus ex improviſo orientibus, mutatque conſilia, immotis ſemper in meliùs votis.

MINORITAS. Ideò maximè turpis eſt paupertas, & dignitatum carentia, quia imputatur imprudentiæ: nam prudentia adverſos caſus, aut avertit, aut mitigat, ſcitque ex malis bona elicere.

VERITAS COGNITIONIS.

QVÆ SIT VERA COGNITIO.

MISCELLANEA.

AREOPAGITÆ prohibebant advocatis aliquid præter cauſam dicere, ne inflecterent affectibus animos judicum: ijs ſimiles qui priùs inflectunt regulam, quâ ſunt vſuri. Ariſtot. 1. Rhetoric. 1.

Habetur veritas cognitionis ab experientiâ. *Vide Duratio Cognitionis.*

Dulcia non eadem ægro & ſano; ità de virtute non eadem apud omnes ſententia: ſed bonus vir, quò talis eſt, omnium eſt menſura. Ariſt. Ethic. lib. 10. cap. 5.

Conſilium vtile & bonum Princeps ex eo agnoſcet, ſi ad finem honeſtu & Reipublicæ ſalutarem ſit directum; ſecundò, ſi legitimis vtatur mediis, & non ſuprà vires poſitis.

Iudicium eſt anima ſapientiæ.

In hoc maximè Monarchia præſtat Poliarchiæ, quod Monarchia attendit pondus & valorē votorum conſultantium; At in poliarchiâ vota numerantur.

Quæ ad veram viſionem requirantur. *Vide Medium Cognitionis.*

Verum judicium eſt de rebus ſingularibus, non de rebus in genere & ſpecie: ità Princeps debet judicium ferre de ſuis conſiliariis.

Vt emicans è viſu radius eſt ipſius viſus imago; ità dicunt Platonici, quod lumen ſenſibile eſt viſionis cœleſtis animæ actus, ad exteriora porrectus. Marſil. Ficin. lib. de Sole.

Ars, quæ eſt vniverſalium, & quæ cauſam ſcrutatur, eſt præſtantior experientiâ, quæ neſcit propter quid agat, vt cum ignis comburit, vndè Architecti ſunt operariis præſtantiores. Ariſt. 1. Metaphy. c. 1.

Melius deliberatur in pace, & rebus tranquillis quàm turbatis, tunc enim capiuntur conſilia ſecundùm quod exigit vrgens rei neceſſitas.

Senſus communis judicat an ſenſus externi benè aut malè percipiant ſua objecta, eſt que quaſi ſenſus reflexus, vndè phrenetici non vident ſe videre.

Artem perdiſcere, & ijs quæ didiſceris rectè vti, differunt; Experientia enim dijudicat quæ ratione inveſtigata ſunt. Galenus.

De fide divinâ certâ, ſed obſcurâ. *Vide Media Cognitio.*

Actio agentis naturalis proportionatur naturæ agentis, actio autem agentis per intellectum proportionatur formæ apprehenſæ.

Cognitio eſt ſecundùm motum rei ad animam; Amor autem eſt ſecundum motum animæ ad res: Vndè vnumquodque hoc modo cognoſcitur in aliquo, quo eſt in eo, taliſque eſt, quale medium.

Senſus eſt quædam deficiens participatio intellectus, vndè ſecundum naturalem originem quodammodò eſt ab intellectu, ſicut imperfectum à perfecto.

Scire, eſt cauſas primas, primaque principia cognoſcere.

Plato lib. 6. de Republ. dicit omnes opiniones ſinè ſcientiâ eſſe turpes, licet aliquandò cum vero concordent, ſic ſæpè cæcus it rectâ viâ.

Verior eſt cognitio, quæ magis ſe elevat ab alteritate, ideſt à phantaſmatibus ad vnitatem divinam. Deus enim videt omnia in ſe, & beati omnia vident in Verbo, concreta in abſtractis & æternis. Hæc eſt vera Dei filiatio, quæ habetur in cœlo: hic autem imperfectè per fidem. Vide Cardinal. de Cuſa. lib. de Filiat. Dei.

Abſtrahentium non eſt mendacium.

Appellatio cujuſque rei à fine deſumi debet.

Ars eſt habitus cum ratione effectivus, circà materialia, certis quibuſdam principiis ad finem certum perducens.

Cognitio rei eſt quaſi norma ejus rectitudinis in mente cognoſcens ſita, cui rem applicat cognoſcens, & videt an congruat, nec ne.

Argus centum habens oculos in capite occiditur à Mercurio: plus valet theoria quàm practica.

Vera cognitio habetur poſt longam conſultationem. *Vide Durat. Veritat.*

Homo comprehendit rerum intentiones & differentias proprias, quæ ſunt in re ſenſatâ, quaſi medullam de fructu: alia vero bruta comprehendunt quæ ſunt extrà, quaſi fructum corticis.

Viſus rectus eſt, cujus viſivus radius viſibili rei eſt perpendicularis; obliquus vero viſus eſt, cujus radius viſibili rei non perpendicularis incidit.

Mathematicæ demonſtrationes ſunt in primo gradu certitudinis: has conſequuntur naturales.

Menſura cujuſque generis eſt id quod principale eſt in illo genere.

Operationes artificioſiſſimæ ſunt in quibus minimum fortunæ eſt.

Veritas eſt adæquatio mentis cum re.

Exempla ſunt obſides ſermonis.

Sunt veri colores, qui cernuntur in corpore mixto, ex primarum qualitatum admixtione: Alij ſunt tantùm apparentes ex reflexione luminis, ideò celeriter intercidunt.

Legibus quantùm fieri poteſt omnia debent determinari, quia lex ſinè paſſione judicat, majori fit deliberatione, & futura prævidet; non ſic de judiciis.

Homo naturæ miniſter & interpres tantùm facit & intelligit, quantùm de naturæ ordine, re vel mente obſervaverit, nec ampliùs ſcit aut poteſt.

Multum intereſt inter humanæ mentis idola, & divinæ mentis idæas, hoc eſt inter placita quædam inania, & veras ſignaturas atque impreſſiones factas in creaturis, provt inveniuntur.

Tunc veritas cognitionis habetur, cum rationi juncta ex experientia.

Philoſophia eſt vera ſcientia liberalis, quia dat libertatem è paſſionibus, quibus tantùm ſedatis contingit verum judicium.

Vera cognitio debet eſſe vniverſalis. *Vide Magnit. Cognitionis.*

Numeri qui debent ſecundùm formam menſurare corporea & incorporea, ad naturam ſpiritualem accedunt cùm ſitu careant. Marſil. Ficin. Theol. Plat. lib. 5.

Spiritualis omnia dijudicat: auris quæ judicat de ſonis eſt ſinè ſone: palatum ſinè ſapore, &c.

Senſus ſæpè decipiuntur, vt viſus ſolem, qui terrâ longè eſt amplior, vix bicubitum judicat, cœlum quod rapidiſſimè currit putat quieſcere, rectum in aquâ baculum fructum & obliquum, currere littus dùm navis movetur; Auditus ſæpe vocem aliundè venire putat, &c. Ratio ſola ſenſuum errata corrigit, vndè & verācior eſt. Id. Ibidem.

Cum quidam temerè, alij conſuetudine & habitu exquirant & deffendant rationem, manifeſtum eſt, licere eadem etiam facere certâ viâ & ratione. Ariſt. Rhetoricæ. l. 1. c. 1. hoc enim eſt artis munus.

Omne theorema verum eſſe debet vtile, tertiò jactis fundamentis conſentiens, quorum ſi dedit vnum, theorema dici non meretur. Galen. l. de optimâ ſectâ.

Veritas cognitionis habetur à judicio, medio & temperato: vt cutis manus eſt aptiſſimum tactus organum, quia media eſt inter carnem calidam & ſanguineam & nervum frigidum & exanguem. Galen. lib. 1. de temperament.

Quemadmodum in religione cavetur vt fides ex operibus monſtretur, ſic Philoſophia ex fructibus judicanda, & meritò ea habetur vana, quæ ſterilis eſt.

Scientiæ, quæ in naturâ fundatæ ſunt, creſcunt & augentur, ſicut plantæ proprio ſolò radicibus hærentes, hinc fit vt multæ artes creuerint, vt verò ſcientiæ phantaſticæ.

Qui tractaverunt ſcientias, aut Empirici aut Dogmatici fuerunt: Empirici, formicæ more, congerunt tantùm & vruntur: Rationales arcaneatum more, telas ex ſe conficiunt: Apis vero ratio media eſt, quæ materiam ex floribus agri & horti elicit; ſed tamen eam propriâ facultate vertit & digerit: tale debet eſſe verum Philoſophiæ opificium, vt nec mentis viribus tantùm, nec experimentis nitatur, ſed hinc acceptam materiam intellectus probè ſubigat, & digerat.

Advertat qui ſcribit hiſtoriam, ne prætereat neceſſaria, & ne tracter non neceſſaria. Lucianus lib. quomodò ſcribenda Hiſtoria.

ria, & ne tractet non neceſſaria. Lucianus lib. quomodò ſcribenda Hiſtoria.

Si portas in fronte lignum humilitatis Chriſti, porta in corde imitationem humilitatis Chriſti. Auguſt. Serm. 20. de diverſ. c. 13.

Vno tantùm modo bonum contingere poteſt, malum pluribus: veritas vnitatem, falſitas pluralitatem & diverſitatem æmulatur; ſibi conſtans & intrepida ſemper veritas eſt, nutabunda & meticuloſa falſitas: Virtus vnitatem imitatur, vitia pluralitatem; cum inter oppoſitorum vitiorum tenebras vnicæ virtutis emicet ſplendor. Religio, quia à Deo, vera & bona eſſe debet, vt ſcilicet ſincero amore ad Deum ducat, qui eſt fœlicitas noſtra; vnicum & veritatis & bonitatis objectum; ex objecti autem vnitate humani animi actus & habitus vnitas pendet. Religio eſt virtus, ſicque habitus, at cum ex vno ſpecifico habitu non niſi vnius ejuſdemque ſpeciei actus profluere perſpicuum ſit, liquet tantùm vnam eſſe Religionem, quæ in vnum Deum, verum & bonum veritate & bonitate ab eo participatâ feratur, &c. Picus Mirandulan. de rerum prænotione. cap. 11.

Quomodo ſol illuminans colores, & album & nigrum, oſtendit qualis ſit vnuſquiſque eorum: ſic ipſa veritas refellit omnem ſophiſticam ſermonis probabilitatem. Eligimus purpuram per comparationem alterius, & verum nummum ab adulterino. Iuſtus ab auditione malâ non timebit, Ideò in æternum non commovebitur. Clemens Alexandr. l. 7. Stromat. c. 4.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

IVs honorarium, quod ſcilicet à Prætore dicitur, viva vox eſt juris civilis. l. 8. ff. de Orig. jur.

Quatenus cujus interſit in facto, non in jure conſiſtit. l. 24. ff. de Reg. jur.

In obſcuris inſpici ſolet quod veriſſimilius eſt, aut quod plerúmque fieri ſolet. l. 114. ff. de Reg. jur.

Regula eſt, quæ rem vt eſt, in ſe breviter demonſtrat. l. 1. eod.

Verba ſecundum ſubjectam materiam accipiuntur l. 15. §. Papinianus. ff. locati.

Scire leges, non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem. l. 17. ff. de legib.

Si verba legis certam ſe ſuper interpretationem habuerunt, minimè mutanda ſunt: ſi ſit ambiguitas, Princeps adeundus eſt. l. 19. eodem.

Optima legum interpres conſuetudo: itaque videndum quo jure retrò civitas vſa ſit in ejuſmodi caſibus. 37. eod.

Non tam ſpectandum eſt quod factum ſit, quàm quid fieri debeat. l. 12. ff. de off. præſ.

Æquitas attendit potiùs ſenſum quàm verba. l. 3. C. de cond. cauſ. data.

Æquitas non eſt conſideranda merè ſecundùm jus gentium, ſed mixtim habetur reſpectus ad præcepta civilia & prætoria. l. bona fides. ff. depoſiti.

Æſtimatio melioramentorum fit habito reſpectu ad tempus præſens, quo fit reſtitutio. l. 38. ff. de leg.

Valet reſponſio ſinè interrogatione. l. 9. ff. de interog. in jur. fac.

Verbum ex legibus, ſic accipiendum eſt, tàm ex legum ſententiâ, quàm ex verbis. l. 6. ff. de verb. ſignif.

Res judicata pro veritate accipitur. l. 207. ff. de Reg. jur. *Vide Cognit. Veritatis.*

Verba ſunt intelligenda non ſecundùm quod ſonant ſed ſecundùm mentem proferentis. cap. intelligentia. de verb. ſignif.

Doctoris nomen ſibi non vſurpet, niſi cui conceſſum eſt ab Epiſcopis. Conſil. Cæſar Auguſt. can. 7. an. 321.

Enumerantur ſcripturæ Canonicæ. Concil. Carthag. 3. can. 47. & Concil. Romano III. anno 494.

In contractibus rei veritas potiùs quàm ſcriptura perſpicitur. l. 1. Cod. plùs valere quod agitur.

In ſtipulationibus, quod ſcriptum eſt quaſi actum videtur, ideo ſi quis ſcripſerit ſe fidejuſſiſſe, videntur omnia ſolemniter acta. Inſtit. de fidejuſſorib.

Plùs valet quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur.

Æſtimatio rei promiſſæ inſpicitur quantùm valeat eo die, quo vt ſolveretur eſt actum. l. cum quis ff. de actionib. & obligat.

In æſtimatione, quæ venit officio judicis mercenario, inſpicitur locus & tempus quo debuit fieri ſolutio. l. 59. ff. de verbo. obligat.

Æſtimatio quando debetur jure actionis, inſpicitur tempus contractæ obligationis, ſed quando officio judicis, tunc inſpicitur petitionis. l. fundum. ff. de novationib.

Æſtimatio non eſt facienda ex affectione ſingulorum, ſed ſecundùm quod communiter venditur. l. 33. ff. ad l. aqui. l. 63. ff. ad l. falcid.

Æſtimari debet res, provt valet tota, non provt valet diviſa. l. 52. ff. famil. erciſcund.

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimùm accipitur, quæ rei gerendæ aptior eſt. l. 67. ff. de Reg. jur.

Ejus eſt legem interpretari, cujus eſt condere. l. 12. Cod. de legib.

Sola teſtatio non valet, ideſt dictum teſtis ſinè reddítione cauſæ. l. 4. C. de teſtib.

REI CERTÆ ET DETERminatæ.

TVtor antè adminiſtrationem debet conficere inventarium, alioquin ſuſpectus habetur. l. tutor. ff. de adminiſt. tutor.

Sententia arbitri incerta, ſcilicet non condemnans ad certam ſummam non valet. l. 21. §. Pomponius. ff. de recept. arbitr.

Stipulationes debent fieri de re certâ, alioquin nullæ ſunt. l. 6. Cod. de contrah. & commit. ſtipul. Emptio eſt rei certæ, dato certo prætio, incertitudo rerum & perſonarum vitiat legata. Vide paſſim.

EX THEOLOGIA.

PRæſcientia Dei eſt infallibilis, propter determinatam veritatem rerum, & infinitam intellectus divini perſpicaciam.

Deus cognoſcit res poſſibiles in ſeipſis & futuras etiá contingentia, quia habet determinatá veritatem.

Bonitas actionis potiùs ſumitur à lege æternâ, quàm à ratione humanâ, quia ratio humana regulatur per legem æternam. D. Thom. 2. 2. q. 19. a. 4.

Tres ſunt habitus intellectuales ſpeculativi, ſapientia, ſcientia de diverſis ſcibilium generibus, & intellectus, qui eſt certa primorum principiorum notitia. Prudentia vero ſimul eſt practica. 2. 2. q. 57. a. 2.

Certitudo fidei eſt à Deo revelante, qui fallere nec vult, nec poteſt, Eccleſia etiam infallibiliter articulos fidei proponit.

Fides certior eſt omni aliâ intellectuali virtute. D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 8.

Vera prudentia non eſt niſi in juſtis, mali enim deficiunt in principali actu. 2. 2. q. 47. a. 13.

Quia perfectum non poteſt eſſe judicium, niſi re conſummatâ; homines autem mortui aliquid videntur agere, in memoriâ hominum viventes per leges, libros, &c. Ideo finale erit judicium. 3. q. 59. a. 5.

Adami cognitionem nihil poterat impedire contrariè, ſed tantùm negativè. 4. q. 94. a. 4.

In intellectu Angeli beati non poteſt eſſe falſitas. 1. q. 58. a. 5.

In divinis ſapientia & veritas appropriatur filio, potentia Patri, bonitas Spiritui Sancto. 1. q. 30. a. 7. ad 8.

Arithmetica & Geometria procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus. 1. q. 1. a. 2.

Articulus fidei eſt indiviſibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. 22. q. 1. a. 6.

Beati in regno cœleſti videbunt Deum facie ad faciem. ſuplem. q. 92. a. 1.

Certitudo cognitionis reperitur in diverſis naturis diverſimodè, ſecundùm diverſam conditionem vniuſcujuſque naturæ. 1. q. 9. a. 1. ad 1.

Comprehendere, propriè eſt attingere rem ſecundùm omnem modum, & omnem rationem, quâ cognoſcibilis eſt. 1. q. 12. a. 7.

Comprehenſio Dei dupliciter dicitur, ſcilicet attingentia, vel apprehenſio adæquata. Prima convenit omnibus beatis, non autem ſecunda. 1. q. 12. a. 7. ad 1.

Deus autem perfectiſſimè comprehendit ſeipſum. 2. q. 14. a. 1.

Donum conſilij facit certitudinem à Spiritu S. de his de quibus Eubulia inquirit, & conjecturat. 1. 2. q. 108. a. 4. ad 1.

Contemplatio habet quietem ab exterioribus, & eſt motus intellectus, id eſt operatio. 2. 2. q. 79. a. 1. ad 3.

Eſſentia divina eſt actus purus: Angelica vero eſt intelligibilis in actu, ſed intellectus noſter eſt tantùm in potentiâ. 1. q. 21. a. 1.

Cognitio Dei per eſſentiam eſt naturalis ſoli Deo; Angelo autem per ſimilitudinem; nobis verò per ſpeculum, id eſt per ſpeciem aliorum. 1. q. 51. a. 3.

Scientia eſt in Deo perfectiſſimè & dicitur analogicè de Deo, & creaturis. 1. q. 13. a. 5.

Impoſſibile eſt præſcientiam Dei falli, & ejus voluntatem & diſpoſitionem ceſſare. 3. q. q. 46. a. 1.

Doctrina oſtenditur vera per hoc quod conſonat rátioni, & ſimiliter lex. 1. 2. q. 98. a. 1.

In ſenſibus eſt magna certitudo, quia ſunt principium omnis cognitionis humanæ, & ſemper oportet principia cognitionis eſſe certiora. 1. q. 30. a. 3. ad 2.

Rectum judicium conſiſtit in apprehenſione rei, vt in ſe eſt, ex rectâ diſpoſitione ſapientiæ cognoſcitivæ, & appetitivæ. 2. 2. q. 31. a. 3. ad 1.

Ad juſtum judicium requiruntur tria, ſcilicet juſtitia, authoritas, & prudentia; ſi primum deſit eſt judicium perverſum; ſi ſecundum eſt judicium vſurpatum; ſi tertium eſt judicium ſuſpicioſum, & temerarium. 1. 2. q. 60. a. 2. 3. 6.

Iudicium Eccleſiæ debet eſſe conforme judicio Dei; & non aſtringi legibus humanis. 2. 2. q. 10. a. 11.

Prophetiæ nullo modo poteſt ſubeſſe falſum, ſicut nec præſcientiæ Dei. 2. 2. q. 171. a. 6.

Veri Prophetæ tripliciter differunt à falſis, ſcilicet agente, fine, & certitudine. 2. 2. q. 172. a. 5. ad 3.

Sapientia, quâ formaliter ſapientes ſumus, eſt quædam participatio divinæ ſapientiæ, quæ Deus eſt. 2. 2. q. 23. a. 1. ad 3.

Donum & virtus ſapientiæ principaliter eſt de divinis; ſecundariò verò de alijs, judicando per regulas divinas. 1. 2. q. 57. a. 2.

Angeli ſivè boni ſivè mali non poſſunt falli circà objecta purè naturalia.

Cum Propheria divinum quoddam ſignum ſit divinæ præſcientiæ, impoſſibile eſt ei ſubeſſe falſum, vt ſic. 2. 2. q. 171.

EX BIBLIIS.

Dicit Chriſtus Math. 5. Non veni legem ſolvere, ſed adimplere.

Clauſo oſtio, id eſt ſenſibus & phantaſmatibus, ora Patrem tuum. Math. 6.

Solus Deus intelligit viam ſapientiæ, ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit. Iob. 28.

Ecce timor Domini ipſa ſapientia, & recedere à malo intelligentia. Ibid.

Iſai. 10. de Chriſt. loquens ait, Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus conſilij, Spiritus ſapientiæ & pietatis. Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit; neque ſecundùm auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitiâ & æquitate.

Ego ſum judex & teſtis dicit Dominus. Ier. 29.

Non eſt qui ſcire poſſit viam ſapientiæ, ſed qui ſcit vniverſa, novit eam. Baruch. 3. & 4. Hæc eſt lex, quæ eſt in æternum. Convertere Iacob, & apprehende eam; ambula per viam, ad ſplendorem ejus, contrà lumen ejus: ſic enim non erit antè te vmbra.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas. Pſal. 118. Iudica judicium meum, & redime me.

Iudica mihi quem diligit anima mea, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Cant. 1.

Dicit Chriſtus. Math. 15. Sine causâ colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum: & Iudæis Ioa. 7. Nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.

Fons vitæ eruditio poſſidentis; doctrina ſtultorum fatuitas. Proverb. 16.

Gene. 2. Nomen quod Adam impoſuit animantibus, ipſum eſt nomen eorum.

Nemo ſe ſeducat; ſi quis videtur eſſe ſapiens in hoc ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens; ſapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum: Dominus enim novit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. 1. Corinth. 3.

Abraham credidit nec dubitavit de prole ſuâ multiplicandâ ex promiſſo Dei, quamvis jubeatur vnicum ſuum Iſaac proprijs manibus immolare: Gen. 22.

Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores. Gen. 49.

Puritas Prophetarum & Prædicatorum. Vinum, &c. non bibetis, vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, pollutum & mundum. Levit. 10.

Hæc enim veſtra ſapientia & intellectus coràm populis, vt audientes vniverſi præcepta hæc dicant: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Deuter. 4.

Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ. Mat. 10. Et ecce duo cæci ſedentes

Digitized by Google

audierunt quia Ieſus tranſiret, & clamaverunt dicentes, Domine miſerere noſtri Fili David. Math. 20. Beati qui non viderunt & crediderunt. Ioan. 20. Et exclamans pater pueri, ait, Credo Domine adjuva incredulitatem meam. Mar. 9. De ſe non preſumit, ſed per Chriſtum poſſe credere in eum confidit.

REPVGNAT.

FALSITAS COGNITIONIS.

BAconius in novo ſuo organo fusè enumerat hominum errores in veritatis inquiſitione ; multaſque tanti mali cauſas exponit. Primò ex natura hominis, qui vult fieri menſura rerum, ſenſibus credit ; judicat non ex vniverſi, ſed ex mentis ſuæ analogia, cum tamen ejus mens ſit inſtar ſpeculi inæqualis, quod naturam ſuam naturæ rerum in miſcet, illamque diſtorquet. Secundò propter individuales cujuſque incapacitates ad aliquas veritates percipiendas. Tertiò, ex hominum commercio, in quo vigent falſæ opiniones, & res verbis parùm proprijs explicantur. Quartò, ex falſis antiquis & receptis dogmatibus, quibus nolunt contradicere, ne videantur erraſſe & vt parcant labori novæ inquiſitionis. Quintò, intellectus humanus facile ſupponit majorem ordinem in rebus, quàm re verâ ſit, cum ſint quædam monodica, ſic ſibi fingit parallela, correſpondentias, relationes ad vnum axioma quod putat inveniſſe, multa trahit, ſicque ſibi plaudit, quaſi in vno multa poſſideat. Sextò, ſubitis, quæ veri ſpecie feriunt mentem, adhæret, nec attendit inſtantias in contrarium. Septimò, alteratur intellectus à paſſionibus, & homo quod mavult facilè verum eſſe credit rejicit difficilia, ob inquirendi impatientiam ; ſobria, quia coarctant ſpem ; altioca naturæ, propter ſuperſtitionem ; lumen experientiæ, propter arrogantiam, ne videatur mens verſari in vibus & fluxis, denique infinitis modis affectus intellectum inficit. Octavò, ſic creditur ſenſibus, vt vix inquirantur ea, quæ ſenſus fugiunt. Nonò, quidam toti ſunt in rerum diviſionibus, alij in compoſitionibus, ità intellectum, aut frangunt, aut ſtupefaciunt : Itaque alternandæ ſunt iſtæ contemplationes, vt intellectus ſimul reddatur, penetrans & capax. Decimò, ambitioſæ menti humanæ placent magis narrationes fictæ ad ſcenam, quia in exceſſu, quàm veræ narrationes ex hiſtoriâ. Vndecimò, error in Philoſophiâ ſolitus eſt, quod ſumatur aut multùm ex paucis, aut parùm ex multis ; mundum cogitationibus humanis, cogitationes autem verbis addicunt, & mancipant. Peſſimum autem omnium eſt augurium, quod ex conſenſu capitur in rebus intellectualibus, exceptis divinis & politicis, in quibus ſuffragiorum jus eſt ; nihil enim multis placet, niſi imaginationem ſeriat : itaque optimè traducitur illud Phocionis, à moribus ad intellectualia, vt ſtatim ſe examinare debeant homines quid erraverint, aut peccaverint, ſi multitudo conſentiat, & complaudat.

Talpis viſus non eſt, oculorum effigies ineſt, ſi quis prætentam detrahat membranam. Plin. l. 11. c. 37.

Plato in Sophiſta Sophiſtas increpat, qui verborum præſtigijs imitantur Philoſophos, cum tales non ſint.

De nimiâ ſermonis affectatione. *Vide Veritas Virtutis Repugn.* affectatio nimia.

Propter motionem oculi digito res apparet moveri, quamvis ſit quieta. Si homo fortiter moveatur in circulum, omnia ſimiliter illi videntur moveri. Res velociter mota videtur propter diſtantiam quieſcere, vt patet in ſole & ſyderibus. Cerebro ebrietate aut vertigine laboranti omnia videntur moveri : navigantibus videntur littora moveri & diſcedere, ſic vitium ſenſus noſtri in objecta rejicimus.

Hypochriſis. *Vide Veritas Virtutis. Repugn.* Væ vobis Scribæ & Phariſæi qui mundanis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intùs autem pleni eſtis rapinâ & iniquitate, &c. væ vobis quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, &c. afforis quidem apparetis hominibus juſti, intùs autem pleni eſtis hypochriſi & iniquitate. Matth. 23.

Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas vt appareant hominibus jejunantes. Matth. 6.

Spes hypocritæ peribit. Iob. 8.

Spiritus autem manifeſtè dicit quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypochriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, &c. 1. Timoth. 4.

Vt quid vis apparere quod non vis eſſe, nam quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe, & quod formoſum apparere, formoſius eſt eſſe ; aut eſto quod appares, aut appare quod es. Chryſoſt.

Vide Minoritas Veritatis. Contrarietatis Cognit. & Veritatis.

Glaucoma, eſt morbus in oculo, quo humor criſtallinus in glaucum colorem, præ ejus ſiccitate & denſitate, tranſmutatur, ex immodicâ bile. Fernel.

Voces graves è longinquo tenuiores apparent, diſperſo aëre. Ariſt. Problem. ſect. q. q. 6.

Viſus atrum eſſe affirmat id quod tranſire nequit ; vndè aërem nigrum è longinquo, candidum ex propinquo videmus ; & maris quod propè adeſt, candidum ; quod procul, cæruleum & nigrum Ariſt. Proble. ſect. 23. q. 10.

Hi autem quæcumque quidem ignorant blaſphemant, quæcumque autem naturaliter tanquàm bruta animalia norunt, in his corrumpuntur. Iudæ. v. 10.

Populus plerumque varius, mobilis inconſtans, pronus in affectus vehementiores, etiam contrarios, impetu fertur ; ex opinione multa, ex veritate pauca judicat ; numerat, non ponderat ſententias ; credulus, rumore mobilis, &c.

Facilis eſt circa colores aberratio, vt fatentur textores, qui noctu opus faciunt.

Colorum apparentium cauſæ afferuntur variæ. verbi gratiâ permixtio colorum, pulverum, & ſuccorum coloratorum : collocatio coloris vnius ſuper alterum ; color medij, vt crocei vitri, & icterici oculi ; color rei ejus quæ terminat aſpectum, lucis refractio, reflexio, confuſio viſibilium imaginum in ſpeculo, vt quandò ſit Iris ; diſtantia rei viſibilis, puta cœli, ſtipatio radiorum viſualium, permixtio lucis & tenebrarum, opaci & diaphani, puta flammæ & fumi ; tranſitus luminoſi radij per diaphanum coloratum, vt quandò per feneſtras vitreas radij ſolares tranſmittuntur ad parietem. Similiter mens objecta ſua confundit.

Majus lumen operit minus. *Vide Cognit. Major.*

Frangitur radius duplici de cauſâ, & quandò medium non eſt diaphanum, & quandò radius non eſt perpendicularis, & tantò magis quantò plus diſtat à diaphano, & perpendiculari.

In magnâ diſtantia corpora ſphærica apparent plana, & quadrata oblonga.

In ſpeculis res apparent ſibi oppoſitæ, & dextrum ſiniſtrum.

Res viſa per radium fractum, neceſſe eſt extrà locum ſuum, & proximior quàm ſit, appareat.

Res partim exiſtens in aquâ, partim in aëre fracta apparet, quia quæ eſt in aquâ ob fractionem radij proximior quàm ſit apparet.

Rei viſæ per radios fractos impoſſibile eſt certificari quantitatem. In diaphano denſiori viſa, & ſuperciem habenti planam, major apparet quàm ſit, quia apparet proximior.

Noctambuli ſomniantes.

Si in aqueo humore, ex ſuffuſione humorum, corpuſcula opaca non continua, ſed divulſa & multa hæreant, culices, muſcæ, araneorum telæ, & vmbræ quædam in aëre apparent, quæ tamen ſunt in oculo. Sic ij qui oculos habent debiliores vident iridem circà candelam, quæ tamen eſt circà humorem aqueum, qui quidem repræſentat res, eo colore, quo eſt infectus.

Quemadmodùm in aquâ commotâ, aut nulla effigies redditur, quæ appareat; aut redditur quidem, ſed obſcura, & tortuoſa; quieſcente autem & ſtagnante aquâ rei imago apparet; ſic evenit dormientibus, & delirantibus. Ariſtot. lib. de inſomnijs. cap. 3.

Amor fallit judicium, & hyperbolicè tantùm loquitur de re amatâ, adulatio ei familiaris eſt, & nullus ſuperbus ità ſibi blauditur, ac amans rei amatæ. De amore proprio, quod corrumpat judicium. *Vide Voluntas Bonitatis.* Amor ſui inordinatus. & de corruptis judicibus, & teſtibus. *Vide Virtus Poteſt. Repugn.*

Senes ſæpè falluntur rerum novitate, quia toti ſunt in experientiâ, illique multum fidunt.

Menſura adæquata in hoc mundo eſſe non poteſt. Vide Cardinalem de Cuſa. pag. 145.

Aures ſonis implentur, propter eos, qui à ventre ſurſùm feruntur vapores, & propter flatulentum Spiritum qui in ipſo capite oritur. Galen.

Non eſt credendum conſilio ejus, qui ſæpè fallitur in conſilijs.

Euro ſpirante, omnia majora videntur, quia eo flatu aër fit obſcurior, & magis caliginoſus. *Vide Veritas Bonit. Rep. & Repugnantias caeteras veritatis omnium Principiorum.*

Fortis imaginatio de ſpecie intùs ſervata, cum modicâ apparentiâ exteriori, aut intemperantiâ alicujus circumſtantiæ, facit mirabilia apparere in ſanis & ægrotis; vt homo timidus nocte arborem putareſſe hoſtem, devotus Angelum, &c.

De Medijs ad cognitionem neceſſarijs, quorum defectu impeditur cognitio. *Vide Medium Cognitionis.*

Ignium in aëre trajectiones nobis videntur celeriores Sole & Lunâ, quia nobis ſunt propinquiores.

Plin. lib. 7. cap. 52. loquens de his qui elati in rogum revixerunt. Sic, inquit, de homine, ne morti quidem debet credi. Dic idem de Monacho ad ſæcularia redeunte.

Si res fortuitò bene ceſſerit, fundatur in eo experimentum quod eſt fallax.

Duplex eſt ſenſus culpæ, aut enim deſtituit nos, aut decipit: Multæ enim ſunt res, quæ etiam non impeditum effugiunt, aut ſubtilitate totius corporis, aut partium minutijs, aut loci diſtantiâ, raritate, aut velocitate motus, familiaritate objecti, & alias ob cauſas. Neque etiam vbi ſenſus rem tenet, prehenſiones ejus admodùm firmæ ſunt; Nam teſtimonium & informatio ſenſus ſemper eſt ex analogiâ hominis, non ex analogiâ vniverſi. Ideò falſo aſſeritur ſenſum eſſe rerum menſuram.

Intellectus intelligit aliquando rem aliter quàm ſit dupliciter: ſcilicet vel ex parte objecti, vel ex parte intellectus. D. Thom. 1. q. 12. a. 6. ad.

Prudentia non convenit brutis, niſi metaphoricè, ſcilicet in quantùm inſtinctu naturali aguntur ſagaciter. 1. q. 22. a. 1. ad 4.

Peccatum habens ſimilitudinem prudentiæ eſt contrà prudentiam dupliciter, ſcilicet ordinando ſtudium rationis ad finem non verè bonum, ſed apparentem, vt prudentia carnis; vel vtendo non veris vijs, ſed ſimulatis, vt aſturiâ. 2. 2. q. 55. a. 3.

Communis quæ habetur ſcientia, puerilis eſt, ad garriendum prompta, ad generandum invalida & immatura, controverſiarum ferax, operum effœta quaſi Sylla, quæ habet Virginis os, ad vterum verò monſtra latrantia. Artes quotidie creſcunt, quaſi eſſent animatæ, non verò ſcientiæ; ſed ſtatuarum more adorantur, non promoventur. Noſtræ ſcientiæ nihil aliud ſunt quàm res ex paucorum hominum confidentiâ & reliquorum ſocordia natæ. Vigent apud populum doctrinæ, aut contentioſæ, aut inanes, quæ conſenſum illaqueant, aut demulcent; Vndè maxima ingenia per ætatem vim paſſa ſunt. Latet nos quid à ſingulis tentatum ſit, & ſecreto agitatum: Tempus tanquam fluvius, levia & inflata ad nos devexit, gravia & ſolida demerſit; ſequuntur ſe authores, & fit vt in aquis quæ non altiùs aſcendunt, quàm ex quo deſcenderint: Mundus eſt quaſi labirinthus, in quo ambiguè viam fallaces rerum ſimilitudines oſtendunt. Inveniuntur in globo intellectuali, ſicut in terreſtri, & culta pariter & deſerta. *Vide Medium Cognitionis.* Media Cognitio.

Vocem humanam imitantur Hyenæ, animalia Caſtori ſimillima & crudelia.

Plin. lib. 8. cap. 30. Delphinis pro voce gemitus eſt humano ſimilis. Solin. c. 18. ſic Crocodilis: Memnonis ſimulachrum ſolis orientis radijs percuſſum vocem dabat: Vocem Humanam imitantur pſitaci, corvi, picæ & aliæ aves, quibus lingua latior, & ſpiſſior.

Orphæi caput, ſi Philoſtrato credimus, Cyro Perſarum Regi prædixit eum à muliere necandum: Sic caput cujuſdam Sacerdotis Iovialis, teſte Ariſtotele, Cerycidam homicidam indicavit; Sic Publij Ducis Romanorum caput, relictum à lupo, qui corpus devoraverat, dixiſſe adventuram cladem Romanis; Arte Dæmonum Idola loquebantur, ſic quercus Dodonæa; Appollonium Thianæum ab vlmo Gymno ſophiſtarum ſalutatum, ſcribit Philoſtratus; ſic Pythagoram à Cauſo fluvio. Strozius Cycogna Magiæ omnifariæ.

Pueri malis vſi Magiſtris, nihil aliud diſcunt quàm non ſapere. Barcl.

Ingentium malorum remedia nunquàm ſuis periculis carent: orbem qui ſuo ignorantiæ malo obdormiverat, ipſa medicina penè obruit; dùm ſcientias cæci ambitione Magiſtri tractant, famamque petunt ab indignis & inanibus rebus, ab æterna verborum Pugna, aut in refricandis malè olim ſentientium ſectis. Barclai.

Quæ putreſcunt, omnia aſcitizio calore ſunt calida, frigent proprio. Galenus lib. 1. de temperamentis. Decipiuntur homines quia ſapiunt ex opinione, non ex propria inquiſitione.

Valentinus ſuos libros prodigioſis erroribus refertos titulo Sophiæ inſcripſit.

Baron. anno 145. num. 7. de falſis nominibus.

Vide Veritas Virtut. Repugn.

Apud Ravennam Vilgardus Grammaticus deceptus Præſtigijs dæmonum ipſi apparentium, ſub ſpecie Poëtarum Virgilij, Horatij & Iuvenalis, cœpit multa turgidè contrà fidem effutire: & aſſerere dictis Poëtarum in omnibus eſſe credendum. Baron. ann. 1000. *Vide Contrarietas & Minoritas Veritatis.*

Tres potiſſimum ſunt doctrinarum intemperies. *Vide Majoritas Cognit. Mala.*

Etiam Cognitio quæ habetur per conſultationes plurium, poteſt eſſe falſa, nam multi poſſunt ad vnum modum inſanire & conſentire, vt fit in publicis opinionibus.

Non eſt vera ſcientia quæ non creſcit. *Vide Veritas Cognitionis.*

Prudentia carnis mors eſt; prudenti autem ſpiritus vita & pax; quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt. Roman. 8.

Timothee depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circà fidem exciderunt. 1. Timoth. 6.

A

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

ÆStimatio teſtatoris non inducit neceſſitatem. l. 77. §. patet qui filio. ff. de legat. 2.

Aſtrologus, qui dixit aliquem eſſe furem, non tenetur injuriarum, quia non dolo, ſed ſuæ artis causâ id fecit, punitur tamen. l. item apud §. Si quis Aſtrologus. ff. de injur.

Quamvis de actione jam cœptâ adulterij non liceat tranſigere, licet tamen de ſuſpicione, quæ plerumque eſt fallax. l. 15. ff. de adulter. B

Non fatetur, qui errat. l. 2. ff. de confeſſ.

Non ſunt Concilia, ſed Conciliabula, quæ celebrantur ſine Papâ. diſt. 17.

Falſa pharus, quam prohibentur piſcatores noctu accendere. l. 10. ff. de incendiis & naufragio.

Furor juſtum putat omne quod facit. can. illa. 10. quæſt. 3.

Iudicio multitudinis, & turbæ populi electiones fieri non debent ad Sacerdotium. Concil. Laodicenſ. can. 13. an. 321.

GLORIA COGNITIONIS

SCIENTIÆ EXCELLENTIA ET PRÆMIVM.

MISCELLANEA.

PARRHASIVS vt Prometheum pingeret, Olynthium ſenem captivum torſit, & in tormentis perire fecit. Seneca lib. 5. controv. 34. Zeuxis vt pulchrum juvenem pingeret, tres pulcherrimas virgines nudas inſpexit, non parcens pudori. Plin. lib. 35. cap. 9. ſic videtur natura cedere arti, quæ opus præclarius & durabilius ad poſteros tranſmittit. A

Demetrius cum eâ parte ſolâ poſſet Rhodum capere, vbi erant Protogenis picturæ, non incendit, parcentemque picturæ fugit occaſio victoriæ. Idem Protogenes in ſuburbano tranquillè pingenti, dùm vrbs ſua obſideretur, interroganti Demetrio, quâ fiduciâ extrà muros ageret, dixit ſcire ſe illi cum Rhodiis bellum eſſe, non cum artibus: diſpoſuit ergo Rex in tutelam ejus ſtationes, & ſæpiùs relictis victoriæ ſuæ votis, inter arma ſpectavit artificem. Plin. l. 36. c. 10. B

Amulius Romæ pictor paucis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate, & ſemper togatus. Ibidem. de his qui dignè ſapientiam tractant.

In convivio Deorum prior accumbit Æſculapius, Medicinæ inventor, quam Hercules, tùm ſcientiæ præſtantiâ, tùm quia prior mortuus erat. Lucianus in dialogo Deorum Æſculapij & Herculis.

Dyoniſius Siciliæ Tyrannus, à multis pœnis, quas alioquin merebatur, apud inferos liberatus eſt, quia eruditos olim juviſſet pecuniâ. Id. dialogo Nycromantia.

Profeſſoribus Stoicis, Platonicis, Epicureis, Peripateticis ſalarium erat ab Imperatore conſtitutum ſingulis æquale, ſcilicet in ſingulos annos decies mille nummum, vt docerent juventutem. Idem dialogo Lexiphanes.

Agricolæ vltimum in Republicâ locum tenent, quia laboribus addicti magis diſtant à quiete & ſcientiis.

Perſæ ſolem adorabant, & quiſque domi ignem æternum alebat pro lare: Rege mortuo per quinque dies extinguebatur; Ignis ſimiliter adhibitus in ſacris apud omnes gentes, æternus aſſervabatur Athenis & Romæ.

Ægyptij ſolem & lunam, quia ſunt aſtra cæteris lucidiora, adorabant; Reges ſuos volebant eſſe in omni Magorum diſciplinâ eruditos. *Vide Cognit. Poteſt.*

Antiqui orationis vim ſub nomine Mercurij, excogitationis verò vim & facultatem ſub nomine Palladis coluerunt.

Capiti in corpore ſuperior locus ceſſit, vt ſenſus faciliùs excubarent, & vt cerebrum à coctionis officinâ longiùs diſtaret.

In Nea oppido Troadis, circà ſimulachrum Minervæ non impluit, & in eodem relicta ſacrificia non putreſcunt. Plin. nat. hiſt. lib. 2. c. 96.

Mercurius ſolis aſſiduus comes multas illius vires habet; ideoque ſolaria quædam à Mercurio poſſunt ſperari. Marſ. Ficin. lib. de vitâ cœl. comp. c. 6.

Nobilitas acquiritur re litterariâ, vt re militari,

vndè erant olim equites, militiæ judiciariæ, ſicut bellicæ. Vide Paſquier. lib. 2. cap. 13.

Ex cœlis videmus tantùm partes lóminoſas, ſcilicet ſtellas, licet cæteræ ſuos emittant influxus.

Diogenes, cum conditione ſervus eſſet, ob liberalia ſtudia, libertate donatus fuit & magno honore habitus.

Si fertilis futuras erat annus, certo die de nocte delubrum Dyoniſij magno igne reſplendebat; ſi verò ſterilitas erat, nox erat & delubrum non videbatur. Ariſtot. de admir.

Phœbus occidit Pythonem ſerpentem jugeris magnitudine, ex limo diluvij procreatum. In memoriam victoriæ, inſtituti ſunt ludi pythici. Scientia celebres reportat victorias de vitijs & ignorantia B naris.

Lumen eſt actus & perfectio perſpicui, vt perſpicuum eſt.

Platonici dicunt lumen eſſe riſum cœli, ſcilicet lumen immiſſum in aſtra ab intelligentijs beatis; quemadmodùm lætante animâ fit riſus in ore, & oculi emicant; patet autem lumen eſſe à beato Principio, quia omnia beata efficit, quia omnia illud appetunt; Vndè etiam voluptatem appetimus, quia formari ſumus à lumine, quod procedit à gaudentibus illis mentibus.

Pericles dicebat magis decere Imperatorem hoſtes conſilio & aſtutiâ ſuperare quàm fuſo ſanguine, quia tunc victoria tota illius eſt, non militum.

Ariſtot. Problem. ſect. 30. num. 10. quærit quare ſapientiæ non ſit propoſitum præmium, ſed gymnaſticæ: Reſpondet quia ſapientioribus certantibus nullus eſſet ſufficiens judex vel quia ſeditioſum eſſet aliquem judicari imprudentem vel quia præmium debet eſſe præſtantius certamine; at nihil præſtantius ſapientiâ.

Dignitatum nota præfertur capite: vt olim Iudæorum Summus Pontifex, & Reges Perſarum mythrâ inſignes: nunc etiam Turcæ diverſo in turbanis inſigni oſtendunt qualis ſint dignitatis.

Caput eſt elatum propter oculos, vt poſſint vndique proſpicere.

Sic & nunc Imperatorum, Regum, Ducum comitum diverſa corona diverſitatem ac præeminentiam ſtatuum, quibus præſunt, ſignificat. Sic Papæ Regnum, ſeu triplex corona Cardinalium purpura, Prælatorum mitræ, & cætera dignitatis Eccleſiaſticæ aut ſæcularis inſignia.

Etiam ſerpentibus venenatis quibuſdam oculi ſunt pretioſi lapilli, vt refert Philoſtratus.

Ægyptij, qui rerum inventoribus divinitatem attribuerunt, coluerunt etiam bruta quæ per inſtinctus naturales multa inventa pepererunt.

D. Auguſt. lib. 2. de civit. c. 7. dicit Templum Platoni juſtius quàm Dijs gentium ponendum.

Dyoniſius Siciliæ Tyrannus vittatam navim Platoni obviam miſit: Ipſe cum albis quadrigis egredientem è littore honoratus eſt. Solinus poliſhoſt. E cap. 7.

Archelaus tertius Macedonum Rex, prudens rei bellicæ, navalium etiam commentor præliorum, in tantùm litterarum amator fuit, vt Euripidi Tragico, ſummam conſiliorum ſuorum crederet. Ejus ſupremа non contentus proſequi ſumptu funeris, crinem tonſus eſt, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu publicavit. Ibidem cap. 15.

Sol, nullam ſtellarum propinquiorem habet inceſſu quàm Mercurium: Admonentur Principes debere habere nullos familiaritate conjunctiores quàm ſapientes. Marſil. Ficin.

Doctrina, quos ab imperitis diſcernit, ſapientibus amicâ ſocietate conjungit, cui per facilè eſt ornare generoſum, quæ etiam ex obſcuro nobilem facit. A

O quam contempta res eſt homo, niſi ſupra humana ſe erexerit. Senec. lib. 1. natur. quæſt. in præfat.

Alexandrer Macedo multis millibus puerorum ex Perſide Magiſtros dedit, qui græca inſtituta, mores, militaremque diſciplinam docerent: Veſpaſianus, Græcis Latiniſque Rhetoribus annua centena dedit: Antonius Pius Rhetoribus per omnes Provincias annua ſalaria aſſignavit.

Athenis in templo jovis, olympij eſt Iſocratis ſtatua. Pauſan. in Atticis. lib. 1.

Ioſeph promovetur in Ægypto, quia ſapiens & ſomnorum interpres. Gen. 41.

Apud Sybaritas, voluptati deditiſſimos, ſi quis obſoniorum artifex edulium aliquod dignum inveniſſet, nulli alij per annum id facere licebat, quò major eſſet quæſtus inventori. Athenæus. lib. 12. cap. 6.

Attonitum facit idiotam pulchritudo materiæ; artificem pulchritudo artificij; Vndè mirabilis eſt conditor, vt in aſtrorum, ſic in minutiſſimorum animalium fabricâ. Galenus. lib. 3. de vſu partium.

Aurelianus Imp. Romæ ſolis templum erexit, primus ſolis agonem inſtituit, ejuſque numinis cultum Romæ & in oriente propagavit. Baron. an. 275.

Coronæ imponuntur capiti, in quo viget ratio, & quilibet ſenſus. Athen. lib. 15. c. 5.

Alexander Magnus capto prætioſiſſimo Darij ſcriniò, auro gemmiſque ornato, voluit in eo aſſervari libros Homeri, vt prætioſiſſimum ingenij opus. Idem Pindari vatis familiæ, penatibuſque juſſit parci, cum Thebas caperet, &c. Exempla apud Plini. nat. hiſt. lib. 7. cap. 29. & 30. C

Cæſar de Cicerone, licet hoſte ſuo, dixit ipſum omnium triumphorum Lauream adeptum eſſe majorem; cum plus ſit humani ingenij terminos promoviſſe quàm imperij. Ibidem.

Aquila pullos ſuos probat ad ſolis radios, non ſuſtinentes abjicit. Idem l. 10. c. 3.

Cornices aves inauſpicatæ & funeſtæ, non repertantur in Minervæ locis templiſque. Ib. lib. 10. c. 12. D Sutoris cujuſdam corvus vocem humanam mirè exprimebat, Cæſares & populum ſalutabat, vicinus æmulus occidit, & ipſe populi tumultu in prædam necatus: at corvo mortuo, ob mirabile ingenium, exequiæ magnificæ decretæ ſunt in eâ vrbe, in quâ multorum Principum nemo duxerat funus. Plin. lib. 10. cap. 43.

In ſupercilijs ſedes ſuperbiæ: ex ſcientiâ vanitas & ſuperbia. *Vide Cognit. Veritat. Mal.* Nimia de ſuis viribus præſumptio.

Omnibus animalibus eſt quiddam in oculis pinguæ. Id. lib. 11. lib. c. 37. divitiæ ex ſcientiâ.

Minor in manu digitus, qui eſt Mercurij, coronatur annulis aureis & gemmatis. Vide Plin. lib. 33. cap. 1.

Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit ſtatuam auream ſolidam, tantus erat docendæ artis oratoriæ queſtus. Ibidem. cap. 4.

In bibliothecis, ex auro, argento, aut ære dicantur illorum vultus, quorum immortales animæ in ijſdem locis ibi loquuntur: & ſi veri non habeantur vultus finguntur, cum omnes ſcire cupiant qualis fuerit aliquis. Id. l. 35. cap. 2.

Marcus Varro multis libris non modò autorum nomina, ſed & imagines inſcripſit, ſic non ſolùm immortalitatem dedit, verùm etiam in omnes terras miſit, vt præſentes eſſent vbique, & credi poſſent. Ibidem.

CONTEMPLATIONIS excellentia.

Vide Suprà hoc tit. Et Bonitas Cognitionis.

ARistot. Moral. Nicomach. lib. 10. c. 8. asserit vitam contemplativam omnium esse præstantissimam; quia hæc operatio est partis nostræ præstantissima, & nobilioris facultatis actus, ideſt intellectus, & quia versatur circà res nobiliores, quæ sunt objectum intellectus; Assiduissima etiam est hæc operatio, diutiùs enim possumus contemplari quàm operari. Fœlicitati voluptas debet esse admixta, jucundissima autem ex virtutis operationibus ea est, quæ secundum sapientiam fit. Contemplatio per se appetitur, hæc sola in otio, qui vt finis à negotiosis appetitur, habet sufficientiam, otium, indefatigabilem; vndè hæc perfecta fœlicitas, in quâ homo vivit, quatenùs habet aliquid in se divinum, quodque in se est præstantius, quodque ad naturam divinam magis accedit. Ideò animalia fœlicia non sunt, quia non contemplantur. Deus, rerum humanarum curam gerens, delectatur contemplativis, vt sibi cognatis, eosque remunerat. *Vide Bonit. & Virt. Cognitionis.*

Plotin. lib. 9. Ænead. cap. 9. Quod nunc, inquit, vivere dicimur, vestigium est vitæ supernam vitam imitantis: Illic enim vivere, mentis est actus, & hic actus deos generat, dum Deum attingit.

Vnitur Deus animæ sinè confusione, &c. Vide infrà voluptas.

ARTIVM PRÆMIA.

DEmetrius Rhodum obsidens, cùm sciret eâ parte muri quâ accedebat, esse notissimam illam Protogenis statuarij effigiem, ne incendio præclari artificis monumenta deleret, vrbi & civibus pepercit. Plinius. lib. 7. cap. 38.

Apud Ægyptios, artifices non tantùm immunes à tributis erant, sed frumentum insuper à regiâ percipiebant. Diodor. Sicul. rer. antiqu. lib. 3. cap. 10.

Non longè à portâ, Athenis sepulchrum est, in cujus fastigio, equestris est militari ornatu statua; ipsum equitem, quis sit, nemo novit, verùm tam equitem quàm equum fecit Policrates, & ob artificem celebris statua. Pausan. in Atticis. lib. 1. Athenis in Cerannico, seu porticu Regiâ Vulcani est fanum, in quo Minervæ positum est signum. Ibid.

Vulcanus, eo quod dijs arma fecisset, ab his obtinuit pro præmio quidquid petiit.

Hominibus mortuis, ob inventiones aliquas, artesque ab ipsis repertas, divinos honores deferebant; sic Cereri, ob agriculturam; Baccho, propter vites primum plantatas; Vulcano, ob ignis inventionem, occasione acceptâ fulguris, &c. Diodor. Sicul. rer. antiq. lib. 1. cap. 2. *Vide Gloria Bonitatis.*

In quavis arte excellere pulchrum est; sic Athenienses Aristonicum quòd pilâ egregiè luderet civem fecerunt, & statuam ei erexerunt. Athen. lib. 1. cap. 13.

Cum Theodosius jussisset vrbem Romanam purgari ab Idolis, & multa essent confracta & conflata, servata tamen fuerunt opera egregiorum artificum, non cultum, sed ad ornatum. Baron. an. 389.

Apud Ægyptios multa animalia pro dijs culta, quia instinctu naturæ ducta artes aliquas docuerunt.

Summa artificibus accedebat gloria, cum opera sua Dijs consecrabantur: vt Praxitelis Cnidia Venus, Phydiæ Iupiter Olympius. Plin. lib. 7. cap. 38.

Phydias, Policletus, Praxiteles, nunc adorantur cum Dijs quos sculpserunt. Lucian. Dial. 1.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE Comitibus & Archiatris S. Palatij, & Tribunis scholarum. Cod. 12. t. 11. 13.

De doctoribus C. I. 6. Alex. Comm.

De privilegijs scholarum. C. 12. t. 30.

De Professoribus & Medicis. C. 10. t. 31.

De studijs liberalibus vrbis Romæ & Constantinopolitanæ. C. 11. t. 18.

De his qui in vrbe Constantinopolitanâ docentes comitivam habere merunt. Cod. 12. tit. 15.

Romulus elegit centum cives, qui consilio & authoritate Rempublicam temperarent, quosque ob reverentiam Patres, ab ætate Senatores appellavit. Liviùs lib. 1. decad. 1.

Advocatis nullum munus personale debet injungi, nisi necessitas arbitrandi vel consulendi. l. Sancimus. Cod. de advoc. diverſ. Iudic.

Qui artem docet prætium potest petere, etiamsi non convenerit, cum doceri gratis non videatur. l. 16. §. final. ff. mand. *Vide Æqualitas Bonitatis.* gratitudo.

Artifici condemnato ad mortem parcendum est, si ipse sit optimus & excellens in arte suâ. L. 31. ff. de pœnis.

Artifices excusantur à muneribus personalibus, vt plùs habeant temporis ad artem suam discendam, exercendam, & docendam, l. 1. C. de excusat. artific.

Assessores invitandi sunt spe præmiorum atque honorificentiâ, à judicibus, putantibus eorum prudentiam sibi esse necessariam. l. 1. C. de assessorib.

Avocationis officium dicitur laudabile, vitæque hominum necessarium, quod maxime principalibus præmijs oportet munerari. l. 4. C. de advoc. diverſ. Iudic.

Philosophi, Oratores, Grammatici qui publice juvenibus prosunt, & qui Romæ leges docent, excusantur à tutelâ. l. 5. ff. de excusat.

Iuvenis potest dare suo Magistro in remunerationem, & non revocatur donatio. l. 27. ff. de donat.

Licet Decurionibus ob artes liberales, vt ob medicinam, decernere salaria. l. 4. ff. de decret. ab ord. facien.

Flaviani Constantinopolitani Episcopi, qui contrà Euchytem obtinuit, memoria jubetur reddi celebris ab Imp. Valent. & Marciano. l. 13. C. de Epiſ. & cler.

Studiosi sub speciali protectione Imperatoris sunt, quia amore Sapientiæ exules facti, de divitibus paupetes, vt scientiâ totum illustrent mundum, ad obediendum Deo, & ejus ministris. Auth. habita. C. ne filius pro Patre.

Nemo est signandus in fronte, ne facies ad similitudinem pulchritudinis cœlestis figurata maculetur. l. 17. c. de pœnis.

Professores scientiarum, qui per viginti annos docuerunt, honorantur & annumerantur collegio vicariorum Principis. l. vnicà. Cod. de professoribus, qui in vrb. Constant.

Presbyteri sacris mysterijs vacantes sunt præferendi diaconis, qui externarum rerum curam gerunt. can. pervenit, & seq. dist. 93.

Episcopus, contrà Episcopum, locum per se conversum ad fidem præscribit triennio cap. placuit de præscript.

Theodosius eos qui viginti annorum cursum docendo explessent, Comitivæ ordinis primi dignitate honestari voluit. lib. 1. Cod. Theodos. de professor.

EX BIBLIIS.

VIdentes autem stellam Magi gavisi sunt gaudio magno valdè. Math. 2.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, nolite timere. Math. 1. Securitatem addit & animum providentia Dei.

Quid timebo ergo damna membrorum, quando securitatem accipio capillorum? neque capillus quidem trium puerorum in fornace Babilonicâ positorum perijt: quomodo non igitur Deus corpus ipsum & conservare & restituere poterit? August. serm. de mort. Vestri autem beati oculi, quia vident, & beatæ aures, quia audiunt: amen quippe dico vobis quia multi Prophetæ & justi voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt. Math. 13. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. Math. 15. & alibi passim fides tua te salvam fecit. Math. 9. Vade & sicut credidisti fiat tibi. Math. 8.

Antè fores civitatis, quam vidit Ezech. cap. 41. sunt fabricata Cherubim & palmæ, & palma inter Cherub. & Cherub.

Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.

Sapientia. cap. 8. dicit: Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ & justitia. In vijs justitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

Ne dimittas sapientiam & custodiet te, dilige eam & servabit te. Principium sapientiæ posside sapientiam, & in omni possessione tuâ acquire prudentiam, accipe illam & exaltabit te. Proverb. 4.

Paulus laudans Lucam, dicit, cujus laus est in Evangelio. 2. Cor. 8. *Vide Gloria Virtutis.*

Levavit oculos suos Abraham & vidit arietem hærentem inter vepres; dixerat enim magnâ fide Deus providebit sibi victimam fili mi. Gen. 22. Credidit Abraham Deo, credidit Isaac Abrahamo, ideo reddidit Abrahamo filium, Isaac autem semetipso salvum. Gloss.

Per memetipsum juravi, ait Dominus, quia fecisti hac rem & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi & multiplicabo te, &c. Ibid.

Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Gen. 92. Dixit Pharao ad Ioseph, quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem aut similem tui invenire potero? tueris super domum meam ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Gen. 41.

Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem, ostendat tibi faciem tuam & misereatur tui. Numer. 6.

EX THEOLOGIA.

ADmiratio est causa delectationis, ratione spei, & actus connaturalis, scilicet collationis. 1. 2. q. 32. a. 8.

Christiani adorant ad orientem, propter lumen mentis, & quia ibi sunt nobiliora corpora. 2. 2. q. 84. a. 3. ad 3.

In his quæ sunt suprà hominem, amor est nobilior cognitione, sed in alijs est è converso. 1. q. 82. a. 3. ad 3.

Amor est altior cognitione in movendo, sed in attingendo est è converso. 1. 2. q. 3. a. 4. ad 4.

Deus per essentiam visus necessario amatur, sed per effectus cognitus potest odiri. 1. q. 60. a. 5. ad 5.

Sicut Virgines & Martyres, sic Doctores aureolam consequentur, propter victoriam, quam obtinent contra Diabolum, per doctrinam & prædicationem. Suplem. q. 96. a. 7.

Actus donorum pertinentium ad vitam activam exprimuntur in meritis beatitudinum, sed actus vitæ contemplativæ in præmijs. 1. 2. q. 69. a. 3.

Diei septimæ convenit contemplatio operum Dei, & requies; ideo debuit benedici & sanctificari. 1. q. 37. a. 1. 2.

Hæresis Manichæi, quod Deus est corpus & lux infinita, & quod Christus est iste sol visibilis. 1. q. 90. a. 1.

Homo propter intellectum cæteris animalibus anteponitur. In eo ratio habet locum dominantis. 1. q. 96, a. 1. 2.

Per formam lapididis, in quantùm hujusmodi, non perficitur intellectus, sed in quantùm in eâ participatur similitudo alicujus, quod est suprà intellectum humanum, scilicet lumen intellectuale. 1. 2. q. 3. a. 6.

Festo Neomeniæ succedit festum Mariæ, in quâ primum apparuit illuminatio Solis, ideſt Christi, per copiam gratiæ. 2. 2. q. 103. a. ad 4.

Pentecostes erat festum pro beneficio datæ legis; significans adventum Spiritus Sancti. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 4.

Propitiatorium erat tabula super alas Cherubim; quia exindè Deus propitiabatur populo. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

Sapientia, quâ formaliter sapientes sumus, est quædam participatio divinæ sapientiæ, quæ Deus est. 2. 2. q. 23. a. 2. ad 1.

Imagines Cherubim, atque Seraphim, fuerunt in templo Salomonis, non quidem ad cultum, vt adorarentur, sed ad mysterium. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

Vivere Dei est suum intelligere. 1. quæst. 18. art. 3.

Vita contemplativa habet Deum familiariorem, sed activa est fructuosior, quia intendit bonum proximi: Ideo prima significatur per Ioannem, prædilectum à Christo; secunda verò per Petrum. 1. q. 10. a. 4. ad 3.

Contemplatio terminatur ad delectationem. 2. 2. q. 180. a. 1.

SCIENTIÆ HONORIBVS & præmijs donandæ.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Scientia est Dei donum gratis alicui datum, ad sui & alterius vtilitatem, vndè huic divino beneficio gratiam refert, qui præmijs scientias donat. Verum est & conveniens naturæ nostræ rationali bonum, cui si benefica sit politia, ostendit se falsis ex opinione bonis non esse corruptam.

MAGNITVDO. Scientia vt lux, se diffundit, inexhaustâ, imò sibi accrescente communicatione, nec nisi nolentem præterit: Vt autem ignis extrà suam

sphæram

ſphæram ali debet ſuppoſitâ materiâ ſic ſcientiæ præmijs debent foveri : Altum hoc meritis faſtigium conſcendit aliquo modo qui alijs, vt conſcendant, vires & externa ſuppeditat.

Dvratio. Libri continent ſcientias, quæ veritatem ; Hiſtorias, quæ agenda, & præcavenda docent; Leges, quæ mores dirigunt; ſic poſteritati conſulitur : Vtque à majoribus accepimus accenſam hanc facem, ſic poſteris illam debemus tradere, quaſi per manus ; extinguitur autem niſi præmijs & honoribus alueris.

Potestas. Sapientiæ debetur regimen, & omnis quæ illud circumſtat potentia ; quod ſi his privetur, æquum eſt illam ſplendoris ſibi debiti aliquo modo eſſe participem aliquo munere. Per me reges regnant, inquit ſapientia, illi ergo, vt dominæ dominanti, præſtandum eſt à Regibus homagium, illique munera vt jura quædam feudalia ſunt perſolvenda. Si officijs publicis addictus non poteſt contemplationi vacare, ſaltem illam colat per alios ; ſic ſibi conſulit, nam ex ſcientijs procedunt optima conſilia, armis potentiora.

Cognitio. Commune bonum curat, qui ſcientias, vt qui pharum accendit, nam ſcientiæ dirigunt naufragos, & ad fœlicitatis portum deducunt: quantumcumque ſæviat fortuna, hæc illi eſt imponenda ſervitus, vt non impediat liberum proſpectum noſtrum. Si rerum facti exploratoribus, quid ni veritatis indagatoribus magna conſtituentur præmia ? fallunt enim ſinè ſcientijs experientiæ, & teſtes ſinè legitimo judice.

Voluntas. Paſſiones humanæ ſectantur falſa bona honoris & dominij : hinc mala omnia privata & publica : ab his averunt ſcientiæ, nam cupiditates ſi penitùs non extingunt, multùm tamen temperant. Falli etiam debet hic perverſus amor, ſtola poteſtatis humanæ induenda eſt ſapientia, bonis etiam ex opinione eſt ornanda, vt illam homines ardentius colant, ſi cum illâ etiam fortunæ ſplendorem ſe ſperent habituros.

Virtvs. Philoſophia ſeipſâ contenta eſt, tamen ſibi relicta interdùm vt immota fax torpeſcit ; at ignem publico applauſu & præmio exagitata reſtituit. Gaudet vnuſquiſque, ſi judicio ſuo illam probanti publicum accedat ſuffragium. Artes corpori, ſcientiæ mentibus neceſſaria ſubminiſtrant ; Illis ergò favendum, vt mercatoribus cœleſtes merces ad nos transferentibus.

Veritas. Poſito falſo fundamento corruunt omnia quæ inædificantur. Adeò excolendæ magnâ diligentiâ ſcientiæ, cum illarum munui ſit inveſtigare rerum cauſas, vndè pendet fœlix conſiliorum exitus. Facilè fides datur experientijs ſenſum magis afficientibus, ipſâ novitate, & inquiſitionis labore gratiſſimis ; Illas etiam vnuſquiſque, vt mentis ſuæ chariſſimos partus complectitur : ſed ſi totum illis jus concedatur, ſi dominari, & dirigere velint, quæ ſervire & ſubſequi debent in infinitos errores deducetur humanum judicium : præmijs ergo ſunt invitandæ ſcientiæ, quæ experimentis regulas apponant, certaſque leges dicant.

Gloria. Maxima eſt quæ ſcientijs percipitur voluptas, ſed omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci, duplo magis coluntur, ſi non modò ſint gratæ, ſed vtiles, & ſi hac ſolâ viâ ad honores aſcendatur. Feros populorum animos mitigant, & expoliant ſcientiæ, pacem quaſi propriam ſibi regionem quærunt ; pax autem ſummum populi bonum, vndè qui ſuis præmijs alunt ſcientias, jaciunt pacis & fœlicitatis publicæ fundamenta, vel etiam ſemina, optatiſſimos fructus ſuo tempore reddicura.

Differentia. Liceat populis ad temporalia divertere, ſed interim quod nobis eſt proprium intelligentiæ munus non deſeratur. Sint qui colant ſcientias, vt artes, ne minùs detur animo quàm corpori. Hoc exigit diverſa ſingulorum indoles, & tam indignum eſt bellis, artibus, externiſque animum ad contemplationem natum addicere, quàm ſacra in prophanos vſus convertere.

Concordantia. Inter nautas minùs exagitatur, plùs tamen prodeſt, qui clavum tenet : ſic ad ſocietatem humanam inutiles non debent æſtimari ſcientiæ, ex hoc quod minùs videantur publicis laboribus expoſitæ. Stat civilis ſocietas, non bonorum fortunæ commercio, vndè bella & lites, ſed imperio, ordine, juſtitiâ, quæ omnia à ſcientijs originem ducunt.

Contrarietas. Plùs in bellis conferunt conſilia, quàm arma ; ſapiens ex ſede ſuâ præeſt ducibus, eoſque ad libitum periculis implicat aut ſubducit. Cæterùm, cum non ad pugnam, ſed ad ſocietatem ſimus nati, præmijs invitandæ ſunt ſcientiæ, quæ antiquum inter omnes homines amicitiæ fœdus ſanciunt, & innoxiè pro veritate magis aperiendâ decertant, & victis exiſtunt beneficæ. Quod ſi Politia plùs præmij defert armis quàm litteris, id fit, vt deluſos ſic affectus concitet in pericula ; vt eo prætio auratas, floridaſque victimas paratas habeat, quas ad primam occaſionem immolet ambitioni Principum.

Principivm. Inter mundi etiam fœlices ſucceſſus mens ingemiſcit, quaſi alienis & infrà ſe longè poſitis rebus addicta, hinc ſcientiarum deſiderio illas ſaltem ih alijs miratur, & colit, in veritate primum ſuum principium venerata.

Medivm. Optimus vſus divitiarum, ſi cedant in præmium ſcientijs, illaſque promoveant. Indignum eſſet vilia quæque miniſteria ſtipendijs donari, & ſcientias quæ multum nobis proficiunt ad fœlicitatem indotatas, incultas, deſertas, pro derelicto haberi.

Finis. Scientiæ, vias nobis parant ad cognitionem & amorem Dei, qui eſt vltimus noſter finis, vndè ad illas, quaſi ad finem ſubalternum, vltimum, proximiorem, ordinari debent bona fortunæ.

Maioritas. Quis ferat ſapientem, ſuprà ſortem humanam elatum, ſuprà tempus & fortunam, temporis & fortunæ bonis, quibus imperat, carere ? Si, quod natura & Dei leges maximè commendant apud nos ſinè præmio jaceret, Politia videretur naturæ & Dei legibus contraria. Exardeſcerent in perniciem populorum cupiditates, niſi rebus intellectualibus publico judicio aliquod conſtitueretur prætium.

Æqvalitas. Sic intellectualia temporalibus permiſcuit divina providentia, vt ab invicem penderent : & ſicut anima & corpus, ſic ſcientia & fortuna ſe mutuò adjuvarent. Qui favet philoſophis oſtendit ſe illis ſaltem affectu ſimilem eſſe, & quod deeſt exercitio compenſare nititur largitionibus.

Minoritas. Ad egeſtatem damnata non debet eſſe philoſophia : habeat divitias, vt, cum opus fuerit, doceat illas contemnere, in charitatis officijs erogare. Crimen publicum eſt, ſi defectu præmij langueant, tepeſcant, imò deſperent ſcientiæ, quæ cæteris rebus debent dominari.

ctationes, quæ fiunt à corporeis qualitatibus, ex ſenſibus hauſtis, vndè non rebus ipſis, ſed earum potiùs imaginibus, ſcilicet ſpeciebus emiſſis, copulantur: mens autem intimam naturam objecti ſui inſpicit, & ei copulatur indiſſolubi connexione, vt quaſi è duobus vnum fiat; vndè quia major eſt vnio, major etiam eſt voluptas. Mentis natura vna ſemper & eadem eſt, vndè ejus voluptas certa & permanens eſt; at corpus cum ſemper mutetur, brevi in diverſas affectiones tranſit. Quia animus eſt pars hominis præſtantiſſima, quod menti conſentaneum eſt, etiam homini eſt cognatius & ſimilius quàm quod ſenſibus convenit; quod autem cognatiſſimum id jucundiſſimum. Animus eſt individuus ac ſimplex, ſic cognitio veritatis pariter individua tota ſimul habetur, vndè & animi voluptas ſimplex immutabiliſque eſt, at ſenſuum voluptas eſt mutabilis, modò major, modò minor.

Quod propter ſe expetitur eſt præſtantius eo, quod propter aliud; voluptas animi propter ſe quæritur, voluptas autem corporis, primò propter animum, ſecundò propter explendam indigentiam, quâ expletâ ceſſat, tertiò doloris occulti levandi causâ, de quo. *Vide Bonitas Gloria.* Delectationis Marſilius Ficinus. lib. de voluptate. *Vide Pœnas Gloriæ.* Quantùm poſſit delectatio.

Theologiam Deorum antiqui verſibus ſcripſerunt, vt propter ſuavitatem faciliùs memoriæ mandaretur.

Non te movebunt prodigia ſi cauſam naturæ ſcruteris, nihil enim fit ſinè cauſâ. Cicer. lib. 2. de Divin.

Delectat contemplatio, quia per illam animus redit in principium. *Vide Cognitio Principij.*

EX THEOLOGIA.

VIſio Dei per eſſentiam eſt tota eſſentia beatitudinis. D. Thom. 1. q. 1. 2. 4.

Beatitudo nihil aliud eſt quàm gaudium de veritate. 1. 2. q. 3. a. 2. ad 2.

In vitâ activâ, quæ occupatur circà multa, eſt minùs de beatitudine, quàm in contemplativâ, quæ verſatur circà vnum, ſcilicet circà veritatis contemplationem. 1. 2. q. 3. a. 2. ad 4.

Conſideratio ſcientiarum ſpeculativarum eſt quædam participatio veræ & perfectæ beatitudinis, non autem ſubſtantialis beatitudo. 1. 2. q. 3. a. 6.

Contemplatio eſt delectabilis dupliciter, primò vt eſt operatio conveniens homini ſecundùm naturam ejus, ſecundò verò ex objecto, ſcilicet Deo. 1. 2. q. 3. art. 5.

Delectationes ſpirituales cauſant deſiderium ſui ſinè feſtidio, niſi per accidens ratione corporis. 1. 2. q. 13. a. 2.

Delectatio corporalis, ideſt ſecundùm ſenſum, eſt vehementior quoad nos, ſed delectatio ſpiritualis eſt ſimpliciter major, firmior, & dignior. 1. 2. q. 2. a. 6. & q. 3. a. 5. 2. 2. q. 182. a. 1. eſt tamen imperfectior reſpectu viſionis, quæ habetur in patriâ. 2. 2. q. 168. a. 7. ad 2.

Diei ſeptimæ convenit contemplatio operum Dei, & requies ideò benedicitur, & ſanctificatur. 1. q. 17. art. 2. ad 2.

Doctrina divina dicitur lac, propter pulchritudinem, dulcedinem, & ſumendi facilitatem. 2. 2. q. 169. a. 1. ad 4.

Omnia ſeptem dona Spiritus S. habebunt in patriâ actus ſuos circà ea, quæ pertinent ad vitam contemplativam, non autem circà ea, quæ pertinent ad vitam activam. 1. 2. q. 68. a. 6. ad 3.

Fœlicitas magna, ſed non vltima eſt in contemplatione ſubſtantiarum ſeparatarum, ſi perfectè intelligerentur. 1. q. 64. a. 1. ad 1.

Fides, quæ eſt gratia gratis data, eſt conſtantia, vel excellentia fidei, quæ eſt virtus; ſed fides, quæ eſt fructus, eſt delectatio ratione certitudinis ejus. 2. 2. q. 4. a. 5. ad 4.

Dono conſilij non reſpondet propriè aliquis fructus, quia omnis practica eſt propter aliud. 2. 2. q. 8. a. 8. ad 3.

Pulchritudo eſt in vitâ contemplativâ per ſe, & eſſentialiter; in virtutibus verò moralibus participativè. 2. 2. q. 180. a. 2. ad 3.

Contemplatio veritatis mitigat triſtitiam & dolorem, etiam in cruciatu, ratione delectationis. 1. 2. 38. a. 4.

In his quæ cognitione carent, licet ſit aſſequutio, non eſt tamen propriè fruitio. 2. 2. q. 1. a. 2.

EX BIBLIIS.

NOn glorietur ſapiens in ſapientiâ ſuâ & fortis in fortitudine ſuâ, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Ieremiæ. 9.

De ſapientiâ dicitur. Baruch. 3. ô Iſraël quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem. Vbi ſunt gigantes, non hos elegit Dominus, quia enim non habuerunt ſapientiam interierunt.

Ezech. 28. dicit Regi Tyri. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis prætioſus operimentum tuum; tu Cherub extentus, & protegens, poſui te in monte ſancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulaſti, &c.

Antè fores civitates, quam vidit Ezechiel. cap. 41. ſunt fabricata Cherubim, & palmæ, & palma inter Cherub, & Cherub. 2. Machab. 2. de Salomone dicitur, quod magnificè ſapientiam tractabat.

Beatus vir, &c. in lege Domini meditabitur die ac nocte. Pſal. 1.

Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te. Pſal. 35. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua, Pſal. 41. De cælo auditum feciſti judicium, terra tremuit & quievit. Pſal. 75.

Virtutem operum ſuorum annuntiabit populo ſuo, vt det illis hæreditatem gentium, opera manuum ejus veritas & judicium. Pſal. 110.

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eâ. Pſal. 117.

Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine, & conſolatus ſum. Pſal. 118.

Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa. Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me juſtificationes tuas. Pſal. 118.

Beatus qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ; melior eſt acquiſitio ejus negatione auri & argenti: primi & puriſſimi fructus ejus: longitudo dierum in dextrâ illius, & in ſiniſtrâ illius divitiæ & gloria. Viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ ejus pacificæ, lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, beatus. Prov. 3.

Ambulabis fiduciaſiter in viâ, & pes tuus non impinget; ſi domi eris, non timebis, quieſces, & ſuavis

1 & 2 Eliz. c. 1.

The Act of Uniformity of Common Prayer and Service in the Church and the Administration of the Sacraments.

[24th April 1559.]

Whereas at the death of the late queen of most noble memory queen Mary there was remaining and in use within this realm a certain book entitled The Book of Common Prayer and Administration of Sacraments, Rites and Ceremonies of the Church after the use of the Church of England, which book, with divers additions and alterations, was in the first year of the reign of the said late queen Mary by the authority of parliament repealed and made void, and by the said authority of parliament in the fifth and sixth year of the reign of king Edward the Sixth aforesaid one other book was established and set forth to be used in the Church of England, entitled The Book of Common Prayer and Administration of Sacraments, Rites and Ceremonies of the Church after the use of the Church of England, with one order of Common Prayer and Administration of the Sacraments, Rites and Ceremonies of the Church after the use of the Church of England, with certain alterations therein added for the more plain explication thereof, as by the said acts of parliament more at large appeareth; and forasmuch as at the said death of the late queen Mary our sovereign lady the queen's majesty that now is, the said book entitled The Book of Common Prayer and Administration of Sacraments, Rites and Ceremonies of the Church after the use of the Church of England, with the said order of Common Prayer and Administration of the Sacraments, Rites and Ceremonies of the Church after the use of the Church of England, with such alterations as are added and appointed by this present statute, before the last day of April next coming may be had and used throughout this realm, some doubt may arise how the same may be had and used in such parts, churches, chapels or places where divine service is sung or said in Latin, be it enacted by our sovereign lady the queen's majesty, and by the lords spiritual and temporal and the commons in this present parliament assembled, and by the authority of the same, that the said book, with the order of service and of the administration of the sacraments, rites and ceremonies, with the alterations and additions therein added and appointed by this statute, shall stand and be in full force and effect according to the tenor and effect of this statute; any thing in the said former statute of repeal to the contrary thereof notwithstanding.

And that all and singular ministers in any cathedral or parish church or other place within this realm of England, Wales, and the marches of the same, or other the queen's dominions, shall from and after the feast of the Nativity of St John Baptist next coming be bounden to say and use the Common Prayer and Service and minister the sacraments in such order and form as is mentioned in the said book so established by parliament in the said fifth and sixth year of king Edward the Sixth, with such alteration and addition as is made by this present statute and not otherwise.

And that it shall be lawful to and for all archbishops, bishops, and all other ecclesiastical governors and every of them, according to their ecclesiastical jurisdiction, to order and appoint in all cathedral churches, collegiate churches, parish churches, chapels and other places within their jurisdiction where they have ecclesiastical jurisdiction, that the Litany, Prayers, Epistle and Gospel, Confession of Faith, Pater Noster, Creed, Ten Commandments, and all other parts of the Common Prayer in the said book mentioned, shall be said or sung in the English tongue by such archbishops, bishops, and other ecclesiastical governors, and by such other ministers as they shall appoint to say or sing the same, and in such places as they shall think fit and convenient.

And that it shall be lawful to and for all archbishops, bishops, and all other ecclesiastical governors and every of them, according to their ecclesiastical jurisdiction, to order and appoint that such part of the Common Prayer and Service mentioned in the said book to be said at the communion table commonly called the Altar shall be said or sung in such place of the church, chapel or church-yard, and the minister at the time of the said service shall have such vestments, as they shall think meet for the time and place, having regard to the ornaments of churches used in the church of England by the authority of parliament in the said fifth and sixth year of king Edward the Sixth.

And that it shall be lawful to and for all archbishops, bishops, and all other ecclesiastical governors and every of them, according to their ecclesiastical jurisdiction, to order and appoint that such part of the Common Prayer and Service mentioned in the said book to be said at the communion table commonly called the Altar shall be said or sung in such place of the church, chapel or church-yard, and the minister at the time of the said service shall have such vestments, as they shall think meet for the time and place, having regard to the ornaments of churches used in the church of England by the authority of parliament in the said fifth and sixth year of king Edward the Sixth.

And that it shall be lawful to and for all archbishops, bishops, and all other ecclesiastical governors and every of them, according to their ecclesiastical jurisdiction, to order and appoint that such part of the Common Prayer and Service mentioned in the said book to be said at the communion table commonly called the Altar shall be said or sung in such place of the church, chapel or church-yard, and the minister at the time of the said service shall have such vestments, as they shall think meet for the time and place, having regard to the ornaments of churches used in the church of England by the authority of parliament in the said fifth and sixth year of king Edward the Sixth.

Christus in cruce apparet omnibus, post resurrectionem autem paucis fidelibus, pauci degustant veram spiritus suavitatem. *Vide Gloria Voluntatis. Amoris.*

Venit salvator ad aquas, non lavandus, sed magis à Patre testimonium accepturus; hæ sunt lachrymæ devotionis, in quibus non indulgentia quæritur peccatorum, sed beneplacitum quæritur Dei Patris, cum descendit in nos spiritus adoptionis filiorum, vt mellifluam nobis de cœlo vocem videamur audire, quia Deus Pater in nobis complacet, &c. D. Bernard. Serm. 3. in Epiph. Christus hic se pacificum & diademate ornatum ostendit.

Philo Iudæus lib. de agricultura dicit, serpentem humi repentem, & qui primæ mulieri est insidiatus, significare voluptatem sensualem: vocem humanam fingebat quasi esset homini propria; Pro remedio morsus hujus serpentis, datus est filijs Israël serpens æneus, solidioris materiæ & elevatus, qui solidam contemplationis voluptatem significat.

Voluptas spiritualis auget vsum rationis, vt corporalis minuit. D. Thom. 2. 2. q. 35. a. 3.

Voluptas contemplationis obscurat cæteras, vt sol ortu suo stellas. Philo. lib. de temulentia.

Plantavit Deus Paradisum in Eden, ideſt in loco voluptatis, ad orientem, quia semper augetur, & quasi nova semper prodit. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Psal. 83.

D. Bernard. in declam. ad verba, Ecce nos reliquimus omnia, arbitratur, gaudium hoc esse centuplum, quod apud Mathæum in hoc tempore à Christo promittitur: hoc gaudium, quasi quoddam beatitudinis præludium, senserunt Apostoli, quorum conversatio erat in cœlis, & quibus dictum erat. Luc. 10. Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.

Suavis es Domine, & in tua suavitate doce me justificationes tuas: Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Psal. 118. Fœlix anima quæ hujusmodi delectationibus oblectatur, vbi turpitudine nullâ inquinatur, & veritatis serenitate purgatur. Vt suavis sit veritas, dulcedine tuâ contemnatur iniquitas, quid melius & suavius pane cœlesti, sed si non obstupefacit dentes iniquitas. D. Aug. serm. 4. de verb. Apost. cap. 8.

Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus est, ait Ecclesia Christo. Psal. 22. Ideſt poculum tuum oblivionem præstans vanarum delectationum. D. August.

Piscator hominum qui salvi fiunt; Pelagi vitijs, pisces castos vndâ ex infestâ dulci vitâ inescans. Clemens Alexandrin. in hymno.

Gustato spiritu desipit omnis caro.

Sub pennis ejus sperabis, vt tanquàm pulli calore materni corporis foveamur, ne foris vagantes moriamur, refrigescente charitate, quæ non diffunditur in nobis, nisi per spiritum, qui datur nobis. D. Bernard. ser. 4. super Psalm. qui habitat.

Vineæ florentes dederunt odorem suum. Cant. 2. Ad odorem vinearum fugiunt serpentes, sic Dæmon fugit à novitijs, per consolationes. Id. serm. 60. sup. cantica.

Consolationes istæ quibusdam epulis comparantur, delitiosis ad saporem, solidis ad nutrimentum, efficacibus ad medicinam. Id. serm. 67.

Servi recipiuntur in mensâ filiorum. Panis durus qui per se transire non potest, adjectione lactis, aut alterius dulcis saporis fit colabilis. Idem lib. de naturâ amoris divini.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Psal. 35.

Da amantem & sentit quod dico, da desiderantem, da in istâ solitudine peregrinantem atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem; & scit quid dicam, si autem frigido loquor, nescit quid dico. D. August. tract. 26. in Ioan.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Omnis consummationis vidi finem: quasi omnem vitam perfeceris, cum huc perveneris.

Gaudere nos Apostolus præcipit, sed in domino, non in sæculo: quandò gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo; Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo. Etiamsi sis in sæculo, tamen in Domino potes gaudere, dicente Apostolo. Philip. 4. In illo vivimus, movemur, & sumus. Magnum est quòd ascendit super omnes cœlos, & tamen misericordia factus est proximus adhuc existentibus in terris. D. August. serm. 37. de verb. Dom.

Gaudet sæculum de iniquitate, gaudet de turpitudine, &c. Dico breviter, sæculi lætitia est impunita nequitia; luxurientur, inebrientur, &c. Ista mala non castiget timor belli, &c. Alia est cogitatio Dei, alia hominis, nam tunc magna pœna est, quod nulla sit pœna. Ibid.

Vnam petij à Domino, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, (& quidem) vt videam voluptatem Domini. Psal. 26. Ipsum est vnum, quod se nondùm apprehendisse dicebat Apostolus, & quantùm illi dederat, in tantùm nondùm perfectus erat. D. August. serm. 15. de verbis Apostoli.

Neglecto exteriori homine, interior est antè Deum dives; neque enim Deus divitias daret exteriori homini, & interiorem inopem relinqueret, dedit invisibili divitias invisibiles & invisibilem ornavit invisibiliter. Idem serm. 18. cap. 10.

Dulcis & rectus Dominus, legitima enim est hæc voluptas, non vt mundi. Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum: dicit in Deum vivum, quia totum quod non pertinet ad Dei cultum debemus habere quasi mortuum. Exultat autem homo, si corde sancta cogitando, carne ab omni impuritate abstinendo, Deo serviat. Idem Homil. 35.

Dum dicitur mihi vbi est Deus tuus, effudi in me animam meam. Psal. 41. Meditatus sum iniquisitionem Dei mei per ea quæ facta sunt, cupiens intellecta conspicere: Effudi in me animam meam, & jam non restat quem tangam, nisi Deum meum: Quoniam transibo in locum tabernaculi ad mirabilis, vsque ad domum Dei; tabernaculum Dei est Ecclesia militans, sunt fideles, in quibus fidem, charitatem, obsequium miror, est ipsa anima, ipsum corpus Deo militans, tabernaculum enim est militum habitatio: Ex hoc mirabili tabernaculo pervenit vsque ad domum Dei, percepit quandam dulcedinem, sequendo interiorem, nescio quam, & occultam voluptatem, tanquàm de domo Dei sonaret suaviter aliquod organum, cujus sequens dulcedinem, abstrahens se à strepitu carnis & sanguinis, pervenit vsque ad domum Dei: In voce exultationis & confessionis, sonus epulantis; addunt homines suis luxurijs symphoniam, quâ auditâ dicimus fieri nuptias, in domo Dei festivitas sempiterna est, de æternâ & perpetuâ fœlicitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus: Ecce aliquid immutabile, raptim perspicere potuimus: quare tristis es anima mea? quarè dubitas de Deo tuo? spera in eo, &c. D. August. in Psal. 41.

qui autem habet actionem ad rem recuperandam; ipsam rem habere videtur, vt inquit lex: sic avari sibi blandiuntur in congestis divitijs, quibus omnia sibi possunt comparare.

Cognitio. Qui non vacat contemplationi, interna naturæ & gratuæ divitias pauper est, vt in amplissimâ hæreditate mente captus, qui, quæ possidet, & se possidere ignorat: At contemplatio exponit homini ea omnia, in quæ jus habet, spes in futura & æterna protendit; sic delectat hæc reflexa, & simul longè lateque porrecta cognitio. Gaudet sapiens in hac elatâ lucis regione, vnde omnia dijudicat, cum ipse à nemine judicetur.

Volvntas. Dùm animus contemplatur divina, illorum statim amore corripitur, cætera despicit: vndè multiplex voluptas, ex passionum sedato tumultu, ex pulchritudinis divinæ contuitu, & ex amore, quem spes lætum efficit.

Virtvs. Abstractis scientiarum notionibus mens disponitur, vt etiam abstrahat affectus suos à terrenis: vt enim lux calorem, sic veritas virtutes parit: solida autem est ex virtutibus voluptas. *Vide Gloria Virtutis.* Virtus est vitæ rectè ducendæ ars, quam docet contemplatio.

Veritas. Vera mens non percipit, nisi ope scientiarum, quæ falsa & fucata dijudicant, quæ anxiæ & aberranti viam demonstrant: delectat autem sincerum hoc judicium, maximè cum cæterorum errores reputat, a quibus se videt immunem.

Gloria. Veritas est centrum, in quo propriè quiescit & delectatur rationalis animus: sic impletur innatum nobis sciendi desiderium; vndè hic, vt in cælo, beatitudo nostra in visione consistit.

Differentia. Spiritus Domini fertur super aquas, ab illis segregatus, illis impermixtus; lumen cordium pulchritudinem efficit in microcosmo, & ex pulchritudine amorem, fruitionem, delectationem. Diversis diversus est appetitus, at veritatem quæ est generale objectum scientiarum omnes ambiunt, & si inter multos illas inquirentes paucis conceditur, illi præmium facit, augetque hæc prærogativa.

Concordantia. Homo medius rerum, naturalem habet cum omnibus supremis & infimis affinitatem, hinc scientiæ mentem sympaticis speciebus conjungentes sunt gratissimæ: sic delectat magnus in convivijs affinium concursus.

Contrarietas. Magnus quidem est in scientijs opinionum conflictus, sed placent animo securè de illis judicanti, ad spectaculum tranquille sedenti, his turbis imperanti, præmiumque suo judicio veris decernenti.

Principivm. Conceptus & partus intellectualis voluptas major est, quia propiùs accedit ad fœcundissimæ simul & beatissimæ divinitatis productiones. Parit animus sinè dolore, & licet laborent circa studiorum initia tyrones, hic tamen labor, vt in venatione, gratus est: Delectat mentem contemplatio, & ob transitum a tenebris ad lumen, & quia videtur spes proximè possidendi integram hanc lucem, quæ sibi semper accrescit.

Medivm. Contemplator transferri videtur à corruptibilibus in regionem beatitudini conterminam, quasi intelligentiæ a corporibus separatæ; medius est inter mundana & æterna, dùm rerum æternas rationes possidet, quasi in æternitate constitutus: vndè gaudet, quasi possideat & efficiat omnia, cùm sciat omnium artem.

Finis. Anima contemplatrix vnitur vltimo suo fini; vndè illi summa quies & delectatio: licet inexplebilis sit hic appetitus sciendi, delectat tamen, & in suo motu habet aliquid quietis, ex eo quod attingat Deum, qui simul est infinita quies, primusque actus.

Maioritas. Hominis excellentia maximè consistit in cognitione, quæ perficitur per scientias & contemplationem; sic impletum excellentiæ desiderium maximè delectat, sic habetur solida voluptas, cujus vmbram tantùm præferunt ea, quæ sectatur ambitio.

Æqvalitas. Ordinem suis & alienis rebus non dicit, nisi mens scientijs benè instructa, delectat autem actus regularis ex animi instituto rectè procedens, finemque sibi propositum attingens.

Minoritas. Sapiens est humilis, scit enim quanta nesciat: at tranquilla sui possessio consequitur humilitatem, quæ nihil suprà vires tentat; non torquetur inquietis invidiæ, ambitionis, indignationis passionibus; vim externam cedendo frangit, & in bonorum fortunæ, quasi ad se non pertinentium, jacturâ, illæsa remanet.

DIFFERENTIA COGNITIONIS.

DIVERSA COGNITIO ET OPINIO.

MISCELLANEA.

Vestiet stellæ suus inest fulgor; singulæ animalium species suos distinctos habent instinctus, diversique callent artes; prætiosi lapilli, diverso nitent splendore, sic vnicuique homini suum inest genium, in aliquo cæteris præcellens, confunderetur enim ordo à supremâ ratione positus, si tolleretur differentia.

Oportet ad speciem Reipublicæ leges esse accommodatas. Arist. 7. Polit. c. 3.

Prodest in concilijs geniorum diversitas. *Vide Concordantia Differentia.*

Antiqui triplicem habebant Theologiam; Fabulosam, seu historicam, Poetis maximè attributam; Naturalem atque mysticam, quam Philosophi approbabant, & Civilem; quæ in singulis civitatibus consue-

gitized by Google

tudine & lege deffendebatur. Euſeb. præpar. Evangelicæ. lib. 4. præfat.

Secundum Peripaticos quadrupliciter cognoſcimus, intellectu, ſcientiâ, opinione ſenſione.

Colores corporum diverſificantur apud viſum, ſecundùm diverſitatem lucis ſuper ipſos orientis, color enim actuatur à luce, ſic collum columbæ apparet variegatum, provt illuſtratur.

Superficies regulariter ſpeculares ſunt ſeptem: eſt enim ſpeculum, vel planum, ſphæricum, concavum, convexum, pyramidale interiùs & exterius, columnale, ſimiliter interiùs & exteriùs, hinc diverſa apparitionum genera.

Verſicolor apparet corruſcatio, quia partium ignis, vaporum & ſpiritus denſitas eſt inæqualis.

In ſpeculo fracto, mutato ſitu partium diverſæ imagines apparent.

Poſſibile eſt in ſpeculo concavo vſque ad quatuor imagines vnius rei apparere.

Poſſunt etiam res confuſæ & dubiæ, converſæ & everſæ apparere, ex diverſitate ſituũ, vide in Opticis.

Qui latam habent pupillam, meliùs nocte; qui anguſtam, meliùs die vident.

Aliter regitur populus liber, aliter ſervus: vndè rector vni illorum regimini aſſuetus, vix alteri aptus eſt, diverſa enim debet eſſe methodus in diversâ materiâ.

Sic longè differt theoria ſeu ſpeculativa à practica, quam Princeps diſcere debet ex hiſtoriis. Sic alia diſciplina militaris terreſtris, alia navalis.

Artis omnis conſtitutio ex propriorum à communibus diſtinctione oritur. Galen.

Colores qui in aëre videntur, non ſunt veri plerumque, ſed apparentes; nihil enim aliud ſunt quàm lumen, quod pro variâ diſpoſitione materiæ, in quâ recipitur, varias colorum ſpecies refert, vel pro diverſitate medij, & intenſione & remiſſione luminis, ſic diverſimodè apparent meteora.

Plato in Timæo, tres facit ſpecies ignis, Cæleſtis, qui eſt lux ſyderum plùs lucens quàm calefaciens; Aëreus, vt eſt flamma æquè lucens ac calefaciens; Terrius eſt Terreus & denſus, qualis eſt carbo vel ferrum ardens, quod parùm lucet, ſed vehementer vrit.

Idem triplex facit iterùm lumen, ſcilicet viſibile, intellectuale, & divinum, quòd eſt ſuper intellectuale & Angelicum: Secundùm differentes has cognitionis ſpecies fiunt revelationes divinæ.

Terminus mentalis idem eſt apud omnes gentes, non vocalis, aut ſcriptus.

Eſt cognitio, acquiſita, infuſa, experimentalis, denique beatifica, quâ omnia videntur in verbo.

D. Cyrillus Alexand. lib. contrà Iulianum, refert Iulianum Apoſtatam aſſerentem diverſos populos, ideò diverſis vivere legibus, quia à diverſis reguntur genijs.

Cabaliſtæ & Talmudici dicunt gentem Iudaicam Deo omnium conditori eſſe attributam, alios autem populos diverſis virtutibus cœleſtibus, quas ideò colebant, non verò Iudæi.

Colorum differentiæ recipiunt magis & miniùs.

Artium aliæ materiam transformant, vt cum fictor ex bove æneo ſtatuam facit; Aliæ per additionem agunt, vt quæ cerâ effingunt; Aliæ per demptionem, vt ſculptura; Aliæ per compoſitionem, vt architectonica; Aliæ per mixtionem, vt pictura, medicina.

Cauſa multitudinis intellectis eſt alteritas inter intellectum & rem intellectam.

Oculi album ferè in omnibus ſimile eſt, nigrum autem in diverſis varium eſt; aliis atrum, cœlium, fulvum, caprinum.

Omnia animantia ejuſdem ſpeciei, ejuſdem etiam coloris habent oculos, ſolus homo diverſi Plinius. lib. 4. cap. 37.

Quidam homines gignuntur altero oculo diverſo.

Diverſa eſt ratio horologiorum, & numerandi horas, apud diverſas gentes.

In oculo tunicauvea ſola eſt variè colorata ad recreationem oculi.

Mobiles oculi inſtabilem, impudicum, arrogantem mendacem, rapacem ſignificant, tales enim habent accipitres, quia ſibi vndique prædam imaginantur.

Quidam Philoſophantium ſunt avibus ſimiles, qui levitate quadam & ambitione ingenij alta petunt, & Phyſica tantùm ſpeculantur; Alij dialecticæ addicti, gaudent tantùm laniare vt canes, nec ad moralia feruntur. Plutarch. lib. de profectu in virtute. Avium diverſus cantus; quoſdam ab hominibus diſcunt.

Communio quædam & ſocietas coïta inter animam & corpus ſed communis, exitum attendis, animæ non bona, adducitur enim paulatim per eam à ſuo faſtigio, addicitur, miſceturque ſenſibus: ex impuro hoc cœitu opinio naſcitur in nobis, quæ non eſt aliud quàm rationis vaga imago & vmbrâ: cujus verâ ſedes ſenſus, origo terra, ideoque abjecta & vilis non erigitur, non attollitur, Vana incerta, fallax conſtantiâ inprimis animum ſpoliat, & veritate, hæc author confuſæ & perturbatæ vitæ. Lipſius. 1. de conſtantiâ. c. 5.

Habent res in ſe conditiones & veritates ſuas, alias tamen quales vult, mens ſibi fingit: mors eſt formidabilis Ciceroni, deſiderabilis Catoni, Socrati indifferens: Animus externa omnia, divitas, ſcientiam, ſanitatem, ſuis veſtit coloribus.

Irridet humanam ſtultitiam Democritus, deflet Heraclitus; plus ſpernit qui irridet, compaſſio enim procedit ex aliquâ rei æſtimatione.

Quælibet res diverſas & oppoſitas parit rationes; quædam gentes pium ducunt feſſos ſenectâ parentes edere & manducare, quaſi digniori non poſſint condere ſepulchro, quàm vivo, & illis affini: apud alias & nato genitrix & nata parenti jungitur, & pietas geminato creſcit amore. Cuilibet nummo bina facies, poculo bina anſa, *ogni medaglia ha il ſuo riverſo*. Varium de pulchritudine, guſtu, odoratu, cæteriſque ſenſuum objectis judicium: ſic omnia in mundo diverſa ſuos habent cultores. Græci cæteras gentes barbaras appellabant, cum illæ de cæteris idem ferrent judicium.

Diverſis populis diverſæ leges. *Vide Differentia Veritatis.*

Confuſio phantaſmatum in ſomnijs, & à paſſionibus, quæ faciunt res concipi aliter quàm ſint.

Si in ſenatu ſed eam, non audiam tantùm ſed examinabo; & rogatus ſententiam dicam; nam vnum ſequi, non in curiæ, ſed factionis eſt Seneca de vitâ beatâ. cap. 30.

Sectæ vni adhærere ſervitus eſt. Electiva ſecta introducta eſt à Potamone Alexandrino, que ſelegit placita è ſingulis ſectis. Diogenes Laërtius. in præfactione.

Nummus adulterinus, etiam in acervo adulterinus eſt, ſic falſa à veris ſecernam etiam inter ea quæ publico applauſu recepta ſunt.

Generationes mentis & manus numeroſæ admodùm videntur in libris, & opificiis, ſed omnis iſta varietas ſita eſt in ſubtilitate, & in deornationibus paucarum rerum, quæ innotuerunt, non in numero axiomatum.

Plato

Plato in Theæteto probat contrà Protagoram scientiam omnem in sensibus non consistere, quia sic omnes æqualiter intelligerent, vt vident pueri intelligerent, & animalia plusquàm homines, cum sæpè prævaleant sensibus.

Quædam animantia sunt muta, alia strepitum tantùm edunt, alia vocem formant, nullis experimendam litteris, alia denique loqui possunt. Arist. Hist. anim. 1. cap. 1.

Cum homo sit vniversi compendium, mens ejus assequitur omnes industrias, quæ sunt in totâ naturâ, vndè mirum non est si in singulis mentibus sunt variæ. Vnicuique sua ars. *Vide Differen. Poest.*

Periculum est ne exercitati in rebus mathematicis naturalia tractent Geometricè, & formas speculentur sinè materiâ, quod fecit Socrates. Sic contemplationi dediti minùs sunt apti ad experimentales scientias, & minùs valent prudentiâ, quæ est circà singularia.

Qui rexerunt Monarchiam non sunt apti regimini Reipublicæ & populi liberi.

Plato in Timæo dicit animam nostram partim esse conformem firmamento, propter intelligentiæ identitatem, quam refert; partim etiam inferioribus planetarum diversis motibus; dicit enim eam esse compositam ex naturâ dividuâ & individuâ, mobili & immobili.

Homo habet oculos nunc clausos, nunc apertos, frequens palpebrisatio significat inconstantiam.

De diverso sensu, quem quilque dat Sacris Scripturis. *Vide Durat. Cognitionis.* mora. *Minoris Cognitionis.* bona. S. Scripturæ intellectu difficiles.

Spiritus S. catenam conficit ex diversis & successivis interpretationibus conveniunt in litterali; mysticus sensus, vt non materialis, sed divinus, sic infinitus est.

Plures testamenti testes possunt diversis imò alienis annulis signare. §. possunt inst. de testam. ordin.

Lingua vernacula mores imitatur, qui vt efferantur tempore belli, & mitescunt pacis tempore, sic sermo & inflatur, & deprimitur. Sic videmus in diversis populis linguam moribus conformem; cauti Athenienses eloquentiæ dediti, fideliores Spartiatæ rari & concisi erat sermonis.

Differentia etiam authorum è diversis locis ingenia, locum varietati sermonis dederunt, vt & Principum & Magistratuum, è quorum ore nova verba gaudens populus excipit, etiam quæ fortuitò, aut ipsis nolentibus exciderunt: nihil aëre mutabilius; Vulgus inconstans sermonis artifex, facileque imitatur varietatem, quam ex se non posset invenire. Aulici ignorantes, ità sæpè malam alioquin loquelam blandè pronuntiant mulierum amoribus assueti, hos alij imitantur, seu adulatione, seu recti opinione.

Colorum apparentium causas. *Vide sup. Veritas Cognitionis. Repug.*

Splendent omnes planetæ, sed vario, sibique proprio colore. *Vide Cognitio Virtut.* in Miscellaneis.

De diversitate legum & Religionis in diversis populis. *Vide Differentia Veritatis.*

Alexander victis omnibus populis libertatem reliquit. Arianus lib. 3. & 4. de expedit. Alexand.

Cyrus nunquàm pro Religione pugnavit.

Apud Iudæos tres sectæ Essenorum, Sadducæorum & Phariseorum; Essenij immortalitatem animæ credebant; Saducæj negabant; Phariſæj hypocritæ, & tamen nullum inter eos bellum. Ioseph. lib. 2. dē bello Iudaïco. c. 7. an pro Religione vtendum sit vi. *Vide Contrarietas Veritatis.* vbi sub finem probatur Religionem imperari non posse, sed variam esse in variis.

Quædam ingenia apta contemplationi, alia rebus practicis; quædam facilius dividunt, alia componunt; aberrant autem à veritate, dum omnia ad id in quo excellunt detorquent. *Vide Contrarietas Veritatis.*

Alligate fasciculos ad comburendum. Math. 26. Separati ab Ecclesiâ hæretici in sectas suas congregantur, & propter eorum inter se divisionem non vnicus fit fasciculus: ex D. August. in qq. sup. Math.

Fit inter hæreticos, vt in Babel, confusio linguarum: quasi fides dissonæ nunquàm concordant.

Veritatis vna vis, vna facies est: nunquam in falsis constantia est, variantur & dissident. Senec. Epist. 102. hæretici sunt instabiles. *Vide Duratio Veritatis.*

Tertulian. adversus gnosticos sive in scorpiaco: de hæreticis loquens, & comparans eos scorpionibus. Tot, inquit, venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & species; tot dolores, quot & colores.

Et si sint innatæ species, tamen à diversis diversum fit judicium, propter diversam complexionem. *Vide Principium Veritatis*, de speciebus innatis.

Quilibet sensus negat, quia non agnoscit quod alius deprehendit. Sic ratio cognoscit quædam esse spiritualia, quæ sensus non cognoscunt.

Partitio vniversalis doctrinæ humanæ in Historiam, Poësim, Philosophiam secundùm tres faculates intellectus: memoriam, phantasiam, rationem. Baconius de augment. scientiar. Philosophia est divina de rebus divinis, naturalis, aut humana. Idem.

Ingenia acuta gaudent in differentiarum inquisitione subtili. Ingenia autem sublimia & discursiva tenuissimas rerum similitudines agnoscunt, & componunt. Reperiuntur ingenia, alia in admirationem antiquitatis, alia in amorem & amplexum novitatis effusa, pauca modum tenent in sibi propriis: sunt studia non judicia. Idem.

Ast quod miraris, ridiculum est alijs. Lucian.

Veritas cogitationum humanarum efficit in hominibus magis diversos partus, quam in animalibus. *Vide Potestas Cognitionis.* Vis imaginationis.

Vide infrà hoc titulo. Mutatio opinionis.

Ex multis jam natis coloribus alij innumeri mixtione finguntur; sic de opinionibus.

Serapion pictor scenas optimè pinxit, sed hominem pingere non potuit: contrà Dionysius nihil aliud quàm hominem pinxit. Plin. lib. 35. cap. 10. Sic authores aliqui in facetijs, alij in moralibus fœlices.

Familiaritas Saturni cum Venere in locis minùs vituperandis facit amantes solitudinem, non aggregantes se communibus opinionibus. Ptolomæus. prædict. Astrolog. lib. 3. cap. 24.

Lucianus dialogo, Vitarum auctio, inducit Mercurium, omnium Philosophorum vitas & opiniones in publico & quasi sub hastâ proclamantem, vt invenirent emptorem.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

INter artifices longa differentia est, & ingenij & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. l. 51. ff. de solution.

Licet mutare nomen & pronomen, si sinè dolo fiat. l. vnic. Cod. de mutat. nomin.

Filius exhæredandus potest non suo, sed alieno nomine designari. l. 3. ff. de lib. & posthum. hæredib. instit. *Vide Medium Cognitionis.*

Differentes magiæ species. 26. q. 6. can. nec mirum.

EX THEOLOGIA, & Bibliis.

ANgelus & anima differunt ſpecie. D. Thom. 1. q. 75. a. 7. & illorum intelligere.

Motus illuminationis Angeli triplex, ſcilicet circularis, rectus, & obliquus. 2. 2. q. 180. a. 1.

Cognitio Angeli triplex, ſcilicet in verbo, in mente ejus, & in propriâ naturâ; ſecunda & tertia dicitur reſpectiva; prima verò matutina. 1. q. 12. a. 10. ad 2.

Omnes Angeli primæ Hierarchiæ accipiunt cognitionem divinorum effectuum in primâ causâ: Secundæ verò in vniverſalibus rerum rationibus, ideſt à primâ Hierarchiâ: Tertiæ autem in primis rationibus. 1. q. 108. a. 1. 9.

Motus animæ rationalis in cognoſcendo triplex ſcilicet circularis, rectus, & obliquus. 2. 2. q. 179. a. 2. ad 3.

Gradus cognitionis animæ conjunctæ triplex, ſcilicet reſpectu corporalium, immaterialium & Dei. 1. q. 94. a. 2.

Attentio triplex in oratione, ſcilicet ad verba ad petitionem, & ad Deum, vel ad aliam circumſtantiam. 2. 2. q. 83. a. 1. ad 3.

Auditus duplex, interior, & exterior. 2. 2. q. 5. a. 2. ad 3.

Cœlum tertium, ad quod raptus eſt Paulus, eſt triplex viſio, ſcilicet corporalis, imaginaria, & intellectualis; vel triplex Hierarchia, Cœlum Empyreum, vel Trinitas. 1. q. 68. a. 4.

Certitudo cognitionis eſt diverſimodè in Deo, in Angelis, & hominibus. 2. 2. q. 91. a. 1.

Cognitio rei triplex, ſcilicet per eſſentiam, per ſpeciem propriam, & per ſpeciem alterius. 1. q. 56. a. 3.

Cognitio duplex, ſcilicet naturalis, & per gratiam; & vtraque duplex, ſcilicet vna purè ſpeculativa, & alia effectiva, ſeu experimentalis. 1. q. 64. a. 1.

Cognitio triplex, ſcilicet per ſe, per revelationem, & per conjecturas ſignorum. 1. 2. q. 112. a. 5.

In omni cognitione modus eſt duplex, ſcilicet cognoſcentis & cogniti. Eſt cognitio directa vel indirecta, in ſe, vel per aliud, & per ſuum effectum. 1. q. 86. a. 3.

Species contemplationis ſunt ſex ſumptæ ſecundùm ſex ſpecies & gradus aſcenſionis in Deum; ſcilicet perceptio ipſorum ſenſibilium; progreſſus à ſenſibilibus ad intelligibilia, dijudicatio ſenſibilium ſecundùm intelligibilia; abſoluta conſideratio intelligibilium, quæ per ſenſibilia inveniri non poſſunt; & conſideratio intelligibilium, quæ ratio nec capere, nec invenire poteſt, quæ ſcilicet pertinent ad ſublimem contemplationem divinæ veritatis, in quâ finaliter contemplatio perficitur. 2. 2. quæſt. 80. a. 4. ad 3.

Ideæ in mente Dei ſunt plures, ſecundùm quod Deus intelligit eſſentiam ſuam eſſe multipliciter mitabilem à creaturis. 1. q. 15. a. 2.

Sapientia & ars Dei eſt tantùm vna, quia ſignificatur vt quo Deus intelligit; ideæ autem vt quod, ideò ſunt plures. 1. q. 15. a. 2. ad 2.

Species ignis ſunt tres, ſcilicet lux, ſeu ignis in materiâ propriâ; flamma, ideſt ignis in humido aëreo; & carbo, ideſt ignis in ſicco terreſtri. 1. q. 66. a. 2. ad 2.

In Deo ſunt multa ſecundùm rationem, quorum aliqua priùs cadunt in intellectu noſtro, quàm alia. 1. q. 44. a. 4. ad 4. *Vide Durario Cognitionis. Mora.*

In intellectu reſultant diverſæ ſpecies, ſecundùm diverſam diſpoſitionem phantaſmatum, ſicut ex diverſâ ordinatione earundem literarum reſultant diverſi intellectus. 2. 2. q. 173. a. 2.

De diverſis modis Prophetiæ. *Vide Medium Cognitionis.*

Species prudentiæ quinque, ſcilicet monaſtica, œconomica, politica, militaris & regnativa. 2. 2. q. 48. a. 2. Partes ejus integrantes ſunt octo, ſcilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, ſolertia, providentia, circumſpectio, & cautio. 2. 2. q. 56. a. 5. ad 3.

Diverſæ ſcientiæ procedunt ex diverſis principijs & medijs. 2. 2. q. 54. a. 2. ad 2.

Scire contingit tripliciter, ſcilicet per revelationem, certitudinaliter per ſeipſum; & per conjecturas ſignorum. 1. 2. q. 112. a. 5. Senſibilium aliqua immutant ſenſum ſpiritualiter tantùm, vt color; quædam materialiter, vt guſtabile & tangibile; alia verò vtroque modo. 1. q. 67. a. 2.

Status mundi poteſt variari dupliciter, ſcilicet ſecundùm diverſitatem legis, & ſecundùm diverſos gradus perfectionis ſub eâdem lege. 1. 2. q. 106. a. 4.

Viſio corporalis & intellectualis triplex; ſcilicet per eſſentiam, per ſimilitudinem acceptam à re immediatè, & per ſpeculum. 1. q. 56. a. 3.

Origines in cap. 1. Ioannis, dicit ſcripturam ſacram mundum eſſe intelligibilem, ſuis quatuor partibus velut elementis conſtitutum; ſenſum hiſtoricum terræ, tropologicum aquæ, allegoricum aëri, anagogicum igni & ætheri comparans.

Diviſio linguarum in Babel. Gen. 11.

Omnes Angeli non cognoſcunt æqualiter myſteria gratiæ in verbo, ſed ſecundùm quod Deus vult illis revelare. D. Thom. 1. q. 57. a. 3. *Vide Majoritas Cognitionis.*

Idem Propheta non eſt ſemper in eodem gradu Prophetiæ, ſed quandoque in majori, quandoque in minori. 2. 2. q. 174. a. 3. ad 2.

Verbum indicatum, inſpiratum, eructatum. *Vide Cognit. Virtutis*, de cognitione Dei per creaturas.

Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm Spiritum ſunt, quæ ſunt Spiritus ſentiunt. Roman. 8.

Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, &c. *Vide Majoritas Cognit.* ex. 1. Cor. 15.

Triplex in anima lumen. *Vide Differen. Magnitud.* De Ternario numero.

In humeris S. Sacerdotis erant duo ſmaragdi, ex quibus pendebat rationale duodecim lapillorum; quo ſignificatur anteà quidem ab vnâ omnes prodijſſe naturâ, progreſſu verò temporis diverſis opinionibus diviſos eſſe. ex D. Chryſoſt. refert Photius bibliot. c. 277.

Diviſit Deus lucem à tenebris appellavitque lucem diem & tenebras noctem. Gen. 1.

Fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis. Gen. 1.

Fecitque duo luminaria magna, luminare majus vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti, & ſtellas. Gen. 1.

Quare dies diem ſuperat, & iterùm lux lucem, & annus annum, à ſole, à domini ſcientiâ ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente. Proverb. 33.

In multitudine diſciplinæ Deus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum: ex ipſis benedixit & exaltavit; & ex ipſis ſanctificavit & ad ſe applicavit; & ex ipſis maledixit & humiliavit, & convertit illos à ſeparatione ipſorum; omnes viæ ejus ſecundùm diſpoſitionem ejus. Ibid.

Digitized by Google

Facies domini divitit eos, non addet vt respiciat eos. Thren. 4.

Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei. Roman. 12.

Vnicuique divisit Deus mensuram fidei, sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundùm gratiam differentes, sivè prophetiam secundùm rationem fidei, &c. Ibid.

Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; vnicuique autem manifestatio spiritus ad vtilitatem; alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, &c. hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. 1. co. 12.

Dominus respexit ad Abel & ad munera ejus, ad Cain verò & munera ejus non respexit. Gen. 4. Pincerna regis Ægypti & pistor vincti viderunt ambo somnium; sed vni gratiæ præsagium, alteri verò mortis. Gen. 4.

Quem me dicunt homines esse filium hominis; alij Ioannem baptistam, alij Eliam, aut vnum ex Prophetis. Math. 16.

Vidit Iacob puteum, & tres greges accubantes juxtà eum, ex quo adaquabantur. Gen. 29. intellige de sensu litterali, mystico, & allegorico, quem diversè diversi hauriunt ex puteo sacræ scripturæ. Gloss.

Invidebant autem Ioseph fratres sui propter somnia sua, pater verò illius rem tacitus cõsiderabat. Gen. 37.

Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, vestimentum autem ejus sicut nix. Math. 28. Habitu se terribilem futurum reprobis, aspectu blandum justis. Gloss.

VNDE TANTA OPINIONUM diversitas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quilibet constat naturâ singulari; Sic conveniens sibi bonum singulari & ab alijs distinctâ apprehendit cognitione.

MAGNITVDO. Quæ sunt majora & subtiliora in plores partes findi & dividi possunt; Mens autem humana est intellectualis, amplissimasque habet potentias, quæ ideò in magis diversos actus se exerunt.

DVRATIO. Cum nihil sit quod determinet libertatem & quasi immensam cogitandi facultatem, in innumeras exundat differentias, nusquàm diù sibi nec alijs similis.

POTESTAS. Intellectuale, non tantùm res existentes, sed etiam possibiles attingit; Vndè tot sunt opiniones, quot possunt esse res; & quod est opinabile, ne frustra sit tale, in aliquo reperitur.

COGNITIO. Naturalem inclinationem variant artes & scientiæ: dum autem quisque conatur naturalibus & inventis aliquid superaddere, ex coitu rationis cum varijs passionibus fiunt opinionum monstra.

VOLVNTAS. Dùm ad diversa fertur appetitus, nihil vacat amore; omnia discretos & singulares habent amatores suos, quæ continuo se bello lacesserent, si ad idem omnium concurreret affectus.

VIRTVS. Quisque vult videri virtute præditus, & cum sæpiùs nolit mores suos ad virtutem transferre, aptare conatur virtutes suis moribus, & sibi plaudens, passionibus suis virtutis inscribit titulum.

VERITAS. Veritatem hic tantum deprehendimus per conjecturas, quæ variæ sunt, incertæ & interdùm pugnantes: Errorem autem alio obstinatè tegimus, ne videamur falli.

GLORIA. Gloriæ cupido varias effecit in physicis, in moralibus, & in Religiosis sectas.

DIFFERENTIA. Communia quasi vilia spernuntur, & id tantùm habetur in prætio quod ratum est, & à populi commercio alienum: Pudet Magnatem eadem cum rustico sentire, alijs si posset vteretur elementis, & alio sole.

CONCORDANTIA. Aliqui vim sibi faciunt, ne Iudicij & vitæ contrarietate populum in se convertant; sed liber animus vim hanc externam sibi factam compensat, interno sensu in contrarium magis pertinaci.

CONTRARIETAS. Æmulatio eadem quæ homines exponit vitæ periculis, etiam in diversas trahit sententias, hoc interdùm solo sibi proposito præmio, vt qui habentur sapientes, erroris arguantur.

PRINCIPIVM. Independentiam, quisque ambit, vt in cæteris, sic in opinionibus; nec solùm vult videri seipso sapiens, sed etiam alijs credenda decernere.

MEDIVM. Scientiæ & artes omnes aliquid de veritate vniversali delibant, qui autem illas profitentur volunt suæ quisque scientiæ præceptis omnia confirmari; vt si plures affirmarent solem esse ejus coloris, quo illis apparet per vitra diversa colorata.

FINIS. Vt plures sagittarij, ad eundem mittentes, scopum, diverso se habent, & componunt situ; Sic ad fœlicitatem tendunt homines diversâ opinione.

MAIORITAS. Excellentia hominis est in parte rationali, vndè vult in illâ cæteris excellere. Excellentia autem non est in communibus; ideò nova, & præter communem opinionem profert vanitas.

ÆQVALITAS. Si ex Galeno animi mores temperamentum sequuntur, pauci erunt ejusdem opinionis, vt & temperamenti. Æqualitas est vnitatis imago, quæ non nisi ab vnitate dominante procedit: vt æquales non fient regulæ, nisi regulâ & circino commensuratæ. Cum autem liberæ, solutæ, essentiâ & potentijs diversæ sint hominum mentes, pro miraculo esset si in eandem coincideresse opinionem.

MINORITAS: Qui dominantur, licet cæteris sapientiâ non præstent, opiniones tamen disseminant: hinc publici errores; contrà quos timidæ & terrenis addictæ mentes non se vindicant, nisi medio quodam conatu & quantùm patitur interesse, quod quia varium & irregulare est, varias, & irregulares gignit de rebus sententias.

DISPVTATIO.

PLato in Phædone, præcipit ne rationibus vllis absque longâ examinatione credamus; sed à semel sic examinatis nos facilè, ob quaslibet objectiones, dimoveamur.

Nati sumus non ad possessionem, sed ad inquisitionem veritatis; venamur illam magnâ ingeniorum turbâ, vndique etiam in contrarias partes diffusa.

Exercebar in justificationibus tuis: Psal. 118. Copiosis disputationibus adversùs inimicos fidei exercetur Ecclesia. D. August. Adamantes mutuâ confricatione poliuntur & splendescunt.

Digitized by Google

Solemne magis eſt Arreſtum, partibus auditis, & poſt longam cauſæ diſceptationem.

Scholæ ſunt ſpirituales nundinæ, ad quas vndique veritatis gemmæ aſportantur.

Ipſa veritatis occultatio aũ humilitatis exercitatio eſt aut elationis attritio.

Diſcipuli edebant ſpicas confricatas manibus.

Medicina quondàm paucarum fuit ſcientia herbarum, firmis adhuc corporibus, & facili cibo non per artem, voluptatemque corrupto; Simplex erat ex ſimplici causâ valetudo; Multos morbos multa fercula fecerunt: Sic olim poterant vitijs ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia; Nunc neceſſe eſt tantò operoſiora eſſe munimenta; quantò valentiora ſunt quibus petimur, vt in medicinâ quod olim herba ſimplex ſanabat, vix id præſtant mille condituræ. Seneca epiſt. 95.

In Philophi geneſi Martis & Mercurij configuratio optima ſcilicet conjunctionis trini aut ſextilis; nam Mars datardorem Mercurio, vt veritatis ſpolia certando hinc indè referat. Sic Pallas pingitur armata.

Huic pugnæ peculiare eſt quod ſit lucrum vinci; qui enim ſuccumbit, non injuriam ſed beneficium à victore accipit, vt per eum & locupletior, ideſt doctior, domum redeat, & ad futuras pugnas inſtructior. Et ſi videntur veritatem infirmare, motu tamen quaſſatam flammam excitant potiùs quam extingunt. Picus Mirandulanus.

De vanâ diſputatione. *Vide Majoritas Cognitionis Mala.*

Oportet hæreſes eſſe. *Vide Contrarietas Veritat.*

Diſputantes & arguti ſunt quaſi Echini ſpinis vndique horridi, impunè ſe tractari non patientes. Athenæus. lib. 3. cap. 10.

Galenus lib. de optimo docendi genere, probat methodum quæ in vtramque partem rationes adducit, vt melùs judicium naturale poſſit judicare & diſcernere.

Apud Iudæos antè Chriſtum tres præcipuæ fuere Sectæ ſibi contrariæ Phariſeorum, Sæddocæorum, & Eſſenorum: Pharitæi fatum aſſerebant, & animarum tranſmigrationem. Vide Baronium. In apparatu annalium.

D. Auguſtinus, & Hieronimus pugnant acerbis in ſe invicem ſcriptis litteris, ſuntque in diversâ ſententiâ, ſed illibatâ charitate. Baron. an. 394.

Stellæ minores ſereno cœlo, ſed aëre denſato, & minùs diaphano; at venta flantè apparent. *Vide Bonitas Contrarietas* & *Principium Cognitionis.* veratio dat intellectum.

Mercurius in Lunæ oppoſitione facit contumacia & ſeditioſa ingenia. Origan.

Ægyptij Mercurijũ referebant facie caninâ. Lucian. dial. de ſacrificijs. Canes invidi, & in ſe invicem ſævi.

DISPVTATIO QVANtùm proſit.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Diſputatio, cum initur communicandæ veritatis gratiâ, cenſeri debet inter ea beneficia, quæ triſtem habent frontem, quæ invitos juvant, & aſpernanti proſunt, dum vim illi videntur inferre. Sic enim peccatis & diuturnâ perverſitate ægra mens ſanari debet.

A MAGNITVDO. Vires omnes ſuas non exerit mens niſi laceſſita, & quaſi per antiperiſtaſim provocata; ad inſperatas objectiones miratur, & admiratione ſtimulata attentiùs omnia quæ ſunt ad propoſitum perveſtigat.

DVRATIO. Brevi ſyllogiſmorum ordine mens inſtruitur; brevi obſeſſæ & victæ cedit victoria. Nam in poſterùm firmiter hæret veritati ſic probatæ & examinatæ.

POTESTAS. Boni, tale ineunt certamen, ſecuri de poteſtate veritatis, quæ liberam licet & renitentem rationem ſubigit, ad ſuas trahit partes, ſibique in poſterùm fidelem efficit.

COGNITIO. Mirum quod hic reus agit in ſuâ cauſa partes judicis, licet ægrè conſentiat, tamen datum B ſemel ſuo judicio conſenſum firmiter, tuetur; nec bis incidit in eoſdem erroris laqueos.

VOLVNTAS. Qui quæſtionem agitant, ſibi mutuò famulantur ad optatæ veritatis inquiſitionem; qui videtur contradicere profert quòd quærebas, aberrantem ne vltrà progrediaris continet, & ad portum quem intendebas deducit.

VIRTVS. In rectâ diſputatione virtutes omnes compendio exercentur; Primò quidem Prudentia, ſermo enim hic maximè examinandus, vt inſidentis hoſtis artes deludat, & vt viterur error, cujus non conceditur pœnitentia; Fortitudo, vt mens apparentibus rationibus vexata, veritatem non deſerat. Temperantia, vt citrà contumelias victoriâ ſuâ legitimè C vtatur; denique Iuſtitia, vt etiam hoſti, quod ſuum eſt concedat, & veritati, vndèquaque affulſerit, aſſentiatur.

VERITAS. Inſitæ nobis generales rerum ideæ diſputationis attritu, vt ſcintillæ è ſilice excutiendæ: pluribus in locis tentandum eſt, vt fodiatur hic theſaurus inter præcupua ſuſpenſo, ſibi ſemper conſtante gradu, ad hoc culmen pervenitur; igne aurum probatur, veritas diſputatione: Nemo ſibi ſoli fidat; ignorantis, imò injuſti judicis eſt, non auditis partibus judicium ferre.

GLORIA. Sic menti placet veritas, vt quid quid ſpeciem ejus præfert gratum ſit; Sed larvatæ fronti D non eſt credendum: Iniqua pax eſt cum erroribus mentem deludentibus, & illam tyrannicè ſibi ſubjicientibus; libera mens, etiam inito bello, conatur jugum illud excutere. Duplo magis amatur veritas labore diſputationis parta & quaſi de triumpho ſuo in poſterum ſecura. Vnicuique glorioſum eſt pro veritate decertare.

DIFFERENTIA. Gratæ ſunt inſperatæ, & nondùm à nobis excogitatæ rerum rationes; tantùm confert ſcientiis diſceptatio, quantùm artibus peregrinatio in diverſas mundi plagas, variaque experientia, vt hinc indè diſperſa veritatis ſemina colligantur.

CONCORDANTIA. Qui in diſputationibus ratione prævalet, invehitur in errorem non in perſonas; vt medicus morbum, non ægrum profligat: Beneficium E eſt naturæ Criſis, quæ noxios humores à bonis ſecernit: optima etiam inter amicos diſputatio, vt in eandem ferantur ſententiam, firmior enim eſt amicitia, ſi vt affectu, ſic opinione conſentiant.

CONTRARIETAS. Vt virtus, ſic veritas magis fulget, cum probatur adverſis: Nullum ſit cum falſis fœdus; Nulla in mundo futura pax eſt cum erroribus quos ſic etiam in amicis vindicamus; quantùm nocet adulatio, tantùm prodeſſe debet illi oppoſita ad veritatis inquiſitionem diſputatio; hæ velitationes exercitatum efficiunt animum, vt ſeriò cùm opus fuerit contrà hæreticos confligat.

PRINCIPIVM. Non mirum ſi magno ardore ini-

tur hoc certamen, quo quisque vult alterius menti veritatem ingenerare, illique esse loco parentis & principij: Initia hæc difficilia fælicem spondent exitum, frangimus nucleum, detergimus amaritudinem vt habeamus nucem; sub aspero disputationis cortice latet suavis veritas.

Medivm. Ad opinionem stabiliendam varia conquiruntur media, quæ licet non sint ad propositum efficacia, lucem non mediocrem in cæteris afferunt: sic mira quædam initritâ licet lapidis Philosophici inquisitione reperiuntur; id imputari debet amplissimo mundi theatro, in quo licet antiquissimo nova quodidie apparent, quia vestigium preferunt infiniti boni & veri.

Finis. Et si inquisitiones nostræ finem non habeant, novæque oriantur ex cognitis difficultates, non debemus desponderoanimo, & cum simus viatores iter nostrum prosequi, donec ad terminum perveniamus. B

Maioritas. Fortè terrenis tantùm & noxijs inhæreremus, nisi ad intellectualia nos erigeret & conciaret hæc æmulatio. Benè nobis consultum est, quod ducimur amore veritatis, quodque ad illam innoxiè desudet ambitio.

Æqvalitas. Excellentiæ avidi, dum parem nolunt habere, ad vera totis viribus nituntur. In hac ignorantiæ & oblivionis miserâ regione, miraculo quodam solem veritatis impellunt, vt citiùs oriatur, & sistunt nè occidat.

Maioritas. In disputatione vinci hoc est quod deerat accipere; Igni subigi debet mixtum, vt appareant quæ in ejus compositione latebant partes: Sic fæliciter vincitur materia per formas, à quibus accipit ordinem & pulchritudinem.

MVTATIO OPINIONIS mala.

Vide Magnitudo differentia, Minoritas æqualitatis, mala Differentia Voluntat. Duratio Volunt. Rep. D

HOmo Sanctus in Sapientiâ manet sicut sol; Insipiens sicut Luna mutatur. Eccles. 17.

Difficile est in his quæ decrevimus persistere. Arist. Moral. Nicomach. l. 3. c. 1.

Fingunt Poëtæ Promethæum ignem cælestem fanctum statuæ à Minerva facte indidisse, sic extitit homo rationalis; animam igneam crediderunt Plato, Trismigistus, & alij, quia maximè mobilis; Deus creans hominem insufflavit, quasi ignem accensurus.

Ex Platonicis, anima habet essentiam virtutem & operationem; In essentiâ est immutabilis; in operationibus mutabilis, per quas ad terrena descendit: In virtute partim mutabilis, partim immutabilis à potentiâ enim transit ad actum, ab actu ad habitum, E & contrâ. Cum detur omninò lucidum scilicet Angelus, & omninò obscurum, scilicet inani mat, Media anima, partim est lucida, parim obscura, lucemque tenebris vicissim permutat.

Mobilis & inquieta mens homini data est, nunquàm se tenet, spargitur & cogitationes suas in omnia nota & ignota dimittit, vaga & quietis impatiens, novitate rerum lætissima; quod non miraberis, si propriam eius originem aspexeris: non ex terreno & gravi concreta corpore, ex illo cælesti spiritu descendit; cælestum autem natura semper in motu est, fugit & velocissimo cursu agitur, &c. Seneca in consolatione ab Helviam Matrem. cap. 6.

Timidis oculi sunt palpebrisantes; sic qui meditatur proditionem sæpè mutat consilium de medijs, quibus vti debet.

Si in toto corpore permuteur color, sequuntur signa apparentia in oculis. Galen. Nervus opticus est omnium mollissimus, vt facilè possit deduci, cùm ceteri nervi sint duri.

In comitijs, eos factos Prætores iidem qui fecere mirantur, cum se mobilis favor circumegit: Eadem probamus, eadem reprehendimus: hic exitus est omnis judicij, in quo lis secundùm plures datur. Seneca de vitâ beatâ. c. 1.

Inexcusabiles medici, qui ægros velut destinatas suæ gloriæ victimas habent securo scelere, ideòque & frequenti. Inexperta & suspecta remedia illorum quos curant periculo vsurpant; non contenti suæ artis documentis, non præcepto antiquorum, sed vetustatis accusatores, & si illis crederetur, novæ arti suum nomen daturi; si temeritatem fortuna adjuverit, hanc vnius sanitatem plurimi suâ pernicie luent. Barclai.

De inconstantiâ. *Vide Differ. Volunt. mal.*

Polypus, si aperiatur, cerebrum habet bipartitum. Athenæ. lib. 7. cap. 32.

Quidam Astræus oculorum suorum incremento atque decremento Lunæ designabat alterationes. Photius bybliothecæ. cap. 166.

C Hyenæ animalia homini infensissima in oculis habent mille varietates, colorumque mutationes. Plin. lib. 8. cap. 30.

Cerebrum vni hominum in infantiâ palpitat, nec corroboratur antè primum sermonis exordium. Idem lib. 4. cap. 37.

Plerisque naturale est vt nictare non cessent, quos pavidiores accipimus. Oculus vnicolor nulli; cum candore omnibus medius color differens. Ibidem.

Vox homini roboratur anno decimoquarto, in senectute exilior, neque in alio animalium sæpiùs mutatur. Ibid. cap. 5. Vnicuique, vt sua vox hinc illa in gentibus tot linguarum diversitas hinc tot cantus, & moduli, flectionesque; Sed antè omnia explanatio animi, quæ nos distinxit à feris, inter ipsos quoque homines, discrimen alterum æque grande, quàm à belluis fecit. Ibidem.

VNDE TANTA SIT, opinionum varietas.

DEMONSTRATIO.

BOnitas. Homo naturâ suâ omnium rerum capax, & ad omnes indifferens, omnes vult attingere, vndè in vnam, mox in aliam partem convertitur motu quodam circulari & infinito; sed priùs mutatur judicium, vndè pendet affectus.

Magnitvdo. Magnum quid & excelsum spirans statum mutat, quasi semper in melius; & multò magis opinionem, cum id solus per se, liberè & momentò possit exequi; Sic successivè per partes lustrat omnia, quæ jus habet cogitationis & affectus.

Dvratio. Mundana statum nesciunt, alternantur quoditie & immutantur: huic legi subjacet opinio, quæ à sensibus oritur, mens novitatis avida, etiam fingit sibi mutationes in rebus, vt hinc inconstantia suæ patrocinetur.

Potestas. Videtur sibi major libertas, non moveri ad vnum, nec vni opinioni addici: hæc potestas, se in actum educit, & interdùm solatij loco est in cæterarum rerum defectu. Soluta mens omnia tentat, illisque est opinionum mutatio, quod corpori deambulatio, ad exercitium & delitias.

Cognitio. Non datur vera scientia, quia latent nos rerum causæ; ideò quasi exercutientes palmamus, & relicta quæ sub manus fortuitò venerat veritate, ad contraria nescientes & inquieti transferimur, mox ad ea quæ reliquimus redituri.

Volvntas. Passiones, quæ sæpiùs mentem exagitant, faciunt apparere res aliter quam sint, vndè de illis aliud fertur judicium. Res nobis commensuramus, & iniquè ad nostros trahimus affectus. Cum semel de aliquo concipimus invidiam, iram, odium, metum, tunc quasi alius sit, justum putamus circà illum aliter nos habere, &c.

Virtvs. In moralibus, opinionum mutatio fit sub specie virtutis; In Religiosis autem impietas gaudet opinionum conflictu, vt inter illas, quasi ex æquo decertantes, nulli assentiatur, nihilque credat, cùm omnia paribus argumentis fuerint in dubium adducta.

Veritas. Homo quærit verum & sincerum bonum, tamen illi non conceditur, in hoc rerum meditullio, vbi tenebræ luci, tristia lætis, varia stabilibus, profutura nocivis permiscentur; Hinc fit vt anxia mens de objecto in aliud migret, spe amplioris commodi, omnia perlustrat, mala simul cum permixtis bonis abjicit, vt probet si quid possit consequi, quod ideæ suæ respondeat.

Gloria. Delectat ipsa mutatio, quia semper illam comitatur, nosque demulcet, spes amplioris futuri boni. Nulla potest esse menti quies, nisi in primâ veritate, scilicet in verbo divino, in quo videntur omnia: At ipsam immotam alligare alicui veritati creatæ, quâ non impletur, esset omnium durissima servitus; Nec leve supplicium, vinculis coërcere sic vlterius progredi volentem; hoc est sitienti potum, avibus alas, igni motum, aeri & aquis, ne putrescant, quem volunt fluxum interdicere.

Differentia. Cum multa desint ad fœlicitatem saltem varijs opinionibus volunt homines illa venari; securiores & compendiosas putant esse vias minùs frequentes.

Concordantia. Omnia sunt in omnibus proportione quadam: ad hæc mens humana dicit relationem, vt omnia ex omnibus possit eruere, vndè tentat & probàt omnia: hi autem quibus specialis veritatis radius affulget, illum sequuntur ardentissimè, & quasi concesso sibi gaudent privilegio.

Contrarietas. Vt pro dignitatibus, possessionibus, honoribus, sic pro judicij certitudine decertat ambitio: Maximè in his quæ pertinent ad Religionem: hinc enim bella extera, & civilia: Aliquid concedendum fuit invictæ huic æmulationi, vndè etiam inter fidei terminos relinquitur in multis liber disputationi campus.

Principivm. Hominis excellentia consistit in rectæ rationis vsu: Pudet in hoc ab alijs pendere, cæcitatem, & impotentiam suam fateri alios sequendo; vndè acceptas ab alijs opiniones excutiunt, quasi vincula, & ambiunt novarum fieri authores.

Medivm. Varietas medij varietatem efficit visionis; sic variè à suis aulicis assidentibus afficitur Princeps; sic novæ emergentes doctrinæ deludunt populos, & ab antiquâ veritate efficiunt transfugas; sic ob nova reperta instrumenta Arresta sua revocat Senatus.

Finis. Cum ad eundem terminum diversis vijs perveniatur, probantur omnes, vt compendiosior & securior inveniatur. Finita sunt scientiarum objecta, infinitus autem est sciendi appetitus; ideò non nisi varietate illi potest fieri satis.

Maioritas. Novæ opinionis author sibi plaudit, quasi sit extrà turbam pontus, cæteris & seipso excelsior: vndè hic amplissimè, quia facilè, se explicat excellentiæ appetitus.

Æqvalitas. Infirma sibi nunquàm sunt æqualia, sed variant; tùm proprio defectu, tùm externâ vi concidentes: febricitanti pulsus est inæqualis; dormientibus confusa sunt phantasmata: sic ægris mentibus varium, & nunquàm consistens est judicium.

Minoritas. Quisque putat infirmitatis suæ argumentum ab alio duci; meliusque putat incertum à se proferre, quam verum ab alio: Ad omnes enim, etiam stupidissimos, pertinet sequi, ad paucos nova adinvenire.

CONSILII OPPORTVNA mutatio.

MISCELLANEA.

Vide Differentia Veritatis & Differen. Voluntatis.

De remediorum convenienti mutatione.

Vide Differentia Contrarietatis.

SEneca lib. 4. de benef. cap. 34. vt defendat illud Stoicorum; sapientem non mutari. Non mutat, inquit, sapiens consilium, omnibus his manentibus quæ erant, cùm sumeret, cæterùm ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit quod impediat; Ideò, nihil illi contrà opinionem accidit; imprudentium enim ista fiducia est, fortunam sibi spondere. Sapiens vtramque ejus partem cogitat, scit quantùm liceat errori; quàm incerta sint humana, quam multa consilijs obstent: ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur, & consilijs certis incertos eventus: exceptio autem sine quâ nihil destinat, nihil aggreditur, & hic illum tuetur. Omnia debent esse eadem quæ fuerunt cum promitterem, vt promittentis fidem teneas; inspiciam tamen & quantùm sit de quo agitur, dabit mihi consilium promissæ rei modus; si exiguum est dabo, non quia dignus es, sed quia promisi; nec tanquàm munus dabo, sed verba mea redimam, & damno castigabo promittendi temeritatem; si autem magno detrimento futurum est, malo semel excusare quarè negaverim, quàm semper quarè dederim: Demens est qui fidem præstat errori. In talibus sapiens non vertit terga, sed reperit pedem, & sensim recedit in tutum. Senec. epist. 21.

Faciles nos facere debemus, ne minis destinatis rebus indulgeamus; tranieamus in ea, in quæ nos casus deduxerit; nec mutationes aut consilij, aut status pertimescamus, dummodò nos levitas, inimicissimum quieti vitium, non excipiat: nam & pertinacia necesse est anxia & misera sit, cui fortuna sæpè aliquid extorquet, & levitas multò gravior, nunquàm se continens: Vtrumque infestum est tranquillitati, & nihil mutare posse, & nihil pati. Animus ab externis in se revocandus est, sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, &c. Idem lib. de tranquillitate vitæ. cap. 14.

Vide Differentia Voluntatis.

De legum mutatione. *Vide Differentia Veritatis.*

Vt in veſtitu hominum, ità in cætero vitæ cultu, loco & tempori apta ſumuntur. Symmach. lib. 7. epiſt. 9.

Quædam non niſi à præſente monſtrantur; non poteſt medicus per epiſtolas cibi aut balnei tempus eligere, vena tangenda eſt. Vetus proverbium eſt, gladiatorem in arenâ capere conſilium: aliquid adverſarij vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet; quandò & quemadmodùm aliquid fieri debeat ex longinquo nemo ſuadebit, cum rebus ipſis deliberandum eſt. Seneca epiſt. 22.

Illud idem exiſtimo, leni eundum viâ vt quod malè implicuiſti, ſolvas potius quam abrumpas, dummodò, ſi alia ratio non erit, vel abrumpas. Ibid.

Honeſtè ſervit qui ſuccumbit tempori. Idem.

Ità evenit, vt cum aliquid vbi non oportet adhibetur illic vbi oportet negligatur. Tertul. de pœnit. c. 3.

Idem remedium quod ſemel ægro profuit poſtea nocuit. Vide D. Auguſt. epiſt. 5.

Occaſio in bello ampliùs ſolet juvare, quàm virtus: æſtus maris in navigatione & piſcatione captanda occaſio.

Opportunum tempus obſervatione cœleſtium eligere debemus, vt in mittendis ſeminibus, ſic in cæteris: nam quemadmodùm corpus ſe habet ad locum atque tempus, ità motus & actio ſe habet ad tempus: ſicut ergò certa quædam corpora, eorumque formæ, certis locis & temporibus coaleſcunt, atque ſervantur; ſic & propriæ quædam actiones, ex proprijs quibuſdam temporibus efficaciam nanciſcuntur, quod ſanè Pythagoras animadvertens, ipſum bonum, perfectionemque rerum opportunitatem nominavit: debet enim ad efficaciam actionis, effectumque cœleſtis harmonia ad idem conſonare; quæ tantam habere potentiam exiſtimatur, vt non ſolum agricolarum laboribus, atque medicorum artificijs per herbas, aromataque confectis, ſed etiam imaginibus quæ apud aſtrologos ex metallis, lapidibuſque fiunt, virtutem ſæpè mirificam largiatur. Marſilius Ficinus lib. de vitâ cœlitus comparandâ.

Ideò fortunæ rotam adverſam experimur, quia cum tempore volvitur, & nos non accommodamus tempori.

Sinè diſtinctione res eſſent confuſæ, & non poſſent rectè intelligi.

Equorum oculi nullo tempore manent quieti. Galenus.

Nervus opticus eſt omnium molliſſimus, itaut facilè poſſit diduci.

Ezech. 10. ſub Firmamento & Cherubim ſunt rotæ. Sub immutabilibus veritatis idæis prudentia verſatilis eſt.

Variationem vocis in oratore docet Quintilianus. Inſtitut. orator. lib. 11. c. 3.

Admittitur probans contrà confeſſionem ſuam. l. 23. & ſeqq. ff. ad l. Aquiliam.

Neſtoris ſapientiſſimi vas potatorium duplici erat fundo. Athenæ. lib. 11. c. 13.

Feſtum quotannis accenſionis lampadarum celebrabatur apud Ægyptios, in eo noctu circà domos ſuas frequentes accendere ſolebant lucernas. Herodot. in Euterpe. Nova conſilia nos illuſtrant.

Marcion hæreticus, hæreſim abjurans, eâ conditione promittitur ei reditus in Eccleſiam, ſi publicè contraria ijs quæ docuerat prædicaret, ſed morte præventus eſt. Baron. an. 180.

Sequendum eſt conſilium Prophetæ, ſtate ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ. Ierem. 6. Vt artes, ſic ſcientiæ & conſilia tempore perficiuntur. *Vide Duratio Cognitionis.*

Scientiæ & artes migrant per diverſas mundi partes, & ſæculorum revolutiones, non ſecùs ac populi. Harum declinationes, obliviones, inſtaurationes in hiſtoriam redigi optat Baconius. lib. 2. de augmentis ſcientiarum.

Zoroaſti, eodem die quo natus eſt, cerebrum ita palpitavit, vt impoſitam repelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ. Plin. lib. 7. cap. 16.

CONCILII OPPORTVNA mutatio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Bonum in convenientiâ, ſed convenientiam hanc, cum res ex ſe mutabiles ſæpiùs exuant, pro beneficio nobis Deus dedit judicij libertatem, vt à nocivis ad profutura tranſeamus, vt ſi non poſſimus mutare rerum eſſentias & conditiones, ſaltem ipſi mutemur, ſuburahamuſque ab immeritis & judicium, & affectum.

MAGNITVDO. Bonum ex integrâ cauſâ; quis autem præſumat ſe rerum omnium conditiones cognitione aſſequutum? Multa etiam ſapientiſſimos, & ſolertiſſimos latent: quod ſi præceps occaſio judicium exigit, antè longam rei diſcuſſionem, eâ lege cenſetur latum, vt in contrarium feratur, ſi exoriens nova ratio id poſtulet.

DVRATIO. Verum judicium rebus eſt conforme; rebus autem fluxis & mutabilibus non poteſt conformari; niſi opportunâ, illique reſpondente mutatione. Sapiens ſuſpendit ſuum judicium, aut illud fert cum hac exceptione, donec alter melius viſum ſit. Non eſt mirum in hoc rerum tàm citiſſimo tranſitu oculos falli & judicium, diſcretæ videri continua, & diſſita proxima: homo nihil humani à ſe alienum putat, vivit ex lege vniverſi, & inter mutabilia mutabilis eſt; ſtatum enim non niſi in æternitate ſibi polliceatur.

POTESTAS. Ad quid libertas? niſi vt mens ſe modò in hanc, modò in aliam partem inflectat, provt allicit pulchritudo, aut deterret metus, & deformitas: non aliter affici, dum nova blanditur, aut minatur occaſio, ſtupor eſt, & ſaxea impotentia, non humana firmitas.

COGNITIO. Qui obſtinatè ſuis adhæret conſilijs, duplici laborat cæcitate; quod non videat res vt ſunt, & quod videat aliter quàm ſint: tam fallitur qui de rebus mutatis idem ſemper fert judicium, ac qui eaſdem ſemper probaret eſcas, poſt quàm corruptæ, fœtidæque horrorem incutiunt. Ideo mobiles oculi, in mobili capite, & momento objecta ſua diſcernunt, vt citiſſimam rerum mutationem ſequantur, & variè de ipſis, provt variantur, judicent. Sic ſe habet mens, ſedet rerum judex, illiſque, provt vertuntur, aut aſſenſum concedit, aut negat.

VOLVNTAS. Niſi contractibus neceſſitatem leges impoſuiſſent, rebus nunquàm diù manentibus integris, ſemper adeſſet ratio reſiliendi; ſed quia ſic in incerto remanerent rerum dominia, per privata incommoda publicæ vtilitati conſultum eſt; adde, quod æquum eſt ſervari id, in quo contrahentes æqualiter juri ſuæ libertatis renuntiarunt, & quaſi in permutationem dederunt; vndè non niſi mutuo conſenſu in cæteris validæ ſtipulationes infirmantur. In

multis fallax opinio, hic verax & fœlix est, & cum notat infamiâ fœdifragos, & datam semel fidem violantes.

VIRTVS. Virtutum omnium dux est prudentia, quæ quia observat singularia, ex se varia, etiam versatilis est, & vt ait sapiens, omni re mutabili mutabilior: Ad quid enim hæc effusa in omnes temporis partes circumspectio, nisi vt rebus variatis mens ad illas vario se componat judicio, & venientes convenienter excipiat?

VERITAS. Veritas consistit in conformitate judicij nostri cum rebus; illis ergò mutatis mutari debet, alioquin falsa de illis affirmabit, si pulchritudinem, suavitatem, honestatem attexat illis, in deformitatem, corruptionem, turpitudinem lapsis. Hoc sit in animo firmum propositum, nihil vnquàm, quacumque de causâ, contra rationem, contrà legem Dei agendum esse: At id ipsum te in cæteris mutabilem decernit, quia nisi rebus mutatis consentias, peccas contrà rationem; hæc autem, cum sit æternæ legis dictamen, debet prævalere mortali tuo, cæcoque judicio. Ratio te non diriget, nisi illam quacumque inflexerit sequaris.

GLORIA. Quid si semel victoribus semper decerneretur præmia, etiam si in posterum turpi fugâ, aut perfido cum hostibus commercio, patriæ suæ perniciem intulèrint; nolo fieri mihi & alijs gravis, ne videar inconstans: major est infamia in læsione, quàm in mutatione.

DIFFERENTIA. Plantæ hærent radicibus suo solo, & hoc tantùm, quod hic illis contigit, exsugunt alimentum. Nobiliora sunt animalia, quæ sibi necessaria libero motu hinc indè sibi comparant, sic præstantiores habendæ sunt mentes, quæ judicij mutatione melius sibi consulunt. Stultus esse nauta, qui se indignum putaret, ad vitandos scopulos navem inflectere; sic viator qui nollet divertere à lutosis, abruptis, stagnantibus, quæ viam præpediunt; flexu in humanis mutabilibus opus est: vt ad motum: corpus non constat vno rigido osse, sed varijs nervis etiam & ligamentis ad inflexionem dispositis, sic menti data est ad mutationem libertas, varijs facultatibus instructa.

CONCORDANTIA. Si res volueris ad rigidum tuum propositum detorquere, vt illis, sic tibi ipsi vim facies; hinc enim nulla tibi futura est pax, quia multa excident, multa fieri verabit presens rerum status, omnia exactiùs implere volenti turpe erit in aliquibus deficere: vix etiam res tibi futuræ sunt fœlices, quas contrà naturalem suum statum contorques, motu violento, magno labore & infœlici exitu.

CONTRARIETAS. Fraudibus hostium, sævitiæ, & malæ fidei te fidelem exhibes, si promissis dolo antè extortis, aut non satis providè factis standum putas. Varia est fortuna quæ te aggreditur, vario etiam habitu, & animo ad vtrumque parato illam excipe.

PRINCIPIVM. Divinæ providentiæ res humanas regenti consentio, qua vocat sequor judicio & affectu: hæc statueram rebus sic stantibus, nunc illis mutatis alia mihi mens est, quia & aliam exigit hac mutatione Deus, ad hanc signi voluntatem obsequens immutor.

MEDIVM. Inconstantia, & obstinatus in proposito rigor, duo sunt extrema æqualiter noxia; Medium tenet solertia quædam animi, ad verum & bonum vndequaque affulserit semper parati; aut pro sui operis perfectione abjicit & reassumit eadem sæpiùs instrumenta, sic sapiens consilia.

FINIS. Immota debet esse intentio finis, sed media omnia, quæ ad illum ducunt, possunt variari, & sic quodlibet singulare animi judicium. In ipsa consilij mutatione immotus sum, quia his terminis decretum meum circumscripsi, donec melius visum fuerit.

MAIORITAS. Nam in omni electione subest semper tacita intentio boni melioris: Cum ergò melius illud occurrit, citrà alterius damnum, sibi infidelis est, qui illud respuit, & qui mavult videri verax quàm prudens.

ÆQVALITAS. Mihi semper similis ero, in eo quod verum falso, melius deteriori præferam, vt à naturâ sua non deficiunt heliotropia, dum solem quacumque vergit sequuntur. Si quid ex consilij mei mutatione cæca plæbs muscitet, levem hanc notam multa compensabunt, sibi plaudens rationabilis conscientia, vtilitas emergens, & tandem sanis oculis affulgens veritas.

MINORITAS. Turpissimum & miserrimum est, si homo inter omnes mundi casus liber, sibi compedes injiciat, & liberi sermonis prolatione in posterùm sibi libertatem adimat: Poterit ergo mutare, conditionem, sic sententiam, si modò id fieri possit sinè alterius injuriâ.

CONCORDANTIA COGNITIONIS.

PLVRIVM CONSVLTATIO OPTIMA.

MISCELLANEA.

ARISTOT. 3. politic. 7. dicit in Aristocratiæ defensionem; quod cum in hac specie regiminis plures sint, vnusquisque partem habet virtutis & prudentiæ, ac fiunt in vnum collati, quasi homo vnus, qui multos pedes habeat, multasque manus, & multos sensus, vndè meliùs judicant multi, alij enim aliud, & cuncti cuncta discernunt.

Vt convivium, ad quod plures conferunt, melius est, quàm vna & simplex mensa, sic judicia multorum sæpè meliora sunt quàm vnius cujusque. Præterea multitudo minùs subjacet corruptioni, quemadmodùm aquæ magna congeries. Difficile est omnes

Democrats and Republicans, and the Democrats have a majority in the House. Thus, the Democrats have a majority in the House, and the Republicans have a majority in the Senate. The Democrats have a majority in the House, and the Republicans have a majority in the Senate. The Democrats have a majority in the House, and the Republicans have a majority in the Senate.

The

quia communis est in illis ratio ideò in re gravi, consilium ab omnibus petendum, quia sæpè aut à juvenibus, aut ab indoctis aperiuntur optima media, quæ prudentiores perficiunt. A

Bello capti sunt conferendi cum nostris exploratoribus, vt sciatur veritas rerum hostis: vni autem captivo non est fides adhibenda, sed multis simul collatis, sic nec transfugis.

Motus, quies, figura, numerus, magnitudo corporum percipitur oculis, auribus, gustu, olfactu, tactu; ideò sunt commune objectum sensuum, maximéque creduntur talia, cum plures sensus idem denuntiant.

Galenus lib. de sectis, probat contra Empiricos & Methodicos, experientiæ ad, ungendam esse rationalem, seu dogmaticam, quæ omnium, tùm subjecti, B tùm remediorum, qualitates expendit.

In medicinâ indicia omnia sunt spectanda, nec vni soli est fidendum.

Plato 12. de legibus præcipit, vt quotidie decem de legum custodibus ineant consilium de optimâ legum custodiâ. *Vide Differentia Veritatis.*

Vtimur candelâ, cum debile est lumine solis mane & vesperi, aut in obscuro.

Plato epi. 1. ad Dionysium, dicit congregationem pecuniæ, non tantùm valere ad regni conservationem, quantùm mens virorum bonorum inter se consentientium.

Mensalis terminus idem est apud omnes gentes. Animalia ejusdem speciei habent eosdem instinctus, easdemque artes: Vndè judicatur naturale quod omnibus inest. C

Astra sunt sparsa in lacteo circulo.

Cogitatio sinè imaginatione operari non potest. Conjunctiones in oratione, consignificare quidem possunt, per se tamen nihil significant. Argus centum in capite oculos habens, quorum aliqui semper vigilabant.

Cerberus triceps.

Exemplum est, cum vtrumque est sub eodem genere, & alterum altero notius. Arist.

Intellectio fit per assimilationem quandam intellectus ad intelligibile.

Lex populo proponebatur examinanda per 21. dies, D antequàm promulgaretur; Vndè Pomponius eam vocat communem Reipublicæ sponsionem.

Visus vnam formam corporalem solam non percipit, quoniam non colorem sinè magnitudine, nec magnitudinem sinè figurâ, nec figuram sinè situ; hæc enim per naturam non separantur ab invicem.

Multitudo consiliariorum hoc habet boni, quod omnia aperiantur media; proditio impeditur, dum vnus alteri invigilat; zelo accenduntur ad officium bene implendum; vno deficiente casu aut morbo non sentitur defectus; multorum ambitioni fit satis, qui nisi essent in exercitio nocerent.

Ars imitatur naturam. E

Vera scientia habetur, cum ratio accedit experiętię.

Medicus etiam ab idiotis debet inquirere si quid conferre visum fuerit ad curationis occasionem. Hipocr. lib. de præceptionibus.

Vna veritatis est via, sed in eam, tanquàm in perennem fluvium, influunt, & conveniunt aliundè alij rivi. *Vide Magnitudo Cognit.* Scientia vniversalis.

Quemadmodùm folia per se non virent, tamum desiderant cui inhæreant, & ex quo succum trahant; sic præcepta si sola sint marcent, infigi volunt sectæ. Seneca epist. 95. *Vide Potestat. Concord.*

Echo reddit vocem similem prolatæ.

Collegæ ejusdem debent esse opinionis, nec sententiâ discrepare. *Vide Concord. Potestat.*

Medicina indiciorum singulorum vires per se æstimat, ac deindè mutuò inter se confert. Galen.

Dies diei eructat verbum, cum spirituales spiritualibus loquuntur; & nox nocti indicat scientiam, cum etiam ipsi carnales non tacent fidem Christi. D. August. in Psal. 73.

Quæ omnibus aut pluribus probantur meliora sunt quàm quæ paucis, vt pax bello. Arist. Topic.

Nullum temperamentum absolutè vnum & alteri impermixtum, bonum ingenium inducit. *Vide Differ. Voluntas.* Vbi de temperamentis.

Germanæ vires, sicut in existendo, sic in operando se comitantur; tales sunt olfactus & gustus, vndè per olfactum invitamur ad gustum: germanæ concupiscendi & irascendi virtutes, ideò facile ex libidine incitamur ad iram: duo oculi simul vertuntur ad idem: sensu operante, simul operatur phantasia, sic quandò phantasia species suas profert in actum mens quoque suas educit in lucem, quæ priùs in solo mentis vertice lucebant extrà corruscant. Marsil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 11. c. 3. sic germanæ quædam mentes ad mutuum consilij occursum excitantur, & mirax illustrationes, priùs in se latentes, proferunt.

Omnia sydera propria habent lumina, sed & in luminibus quoque jacent aliena: æther enim omnium syderum luminibus impletur, & colloceat.

Philo dicit Solem esse magnam compaginem flammæ; & sydera esse igneam materiam densam & compactam.

Theorema debet esse verum, vtile, & positis principijs consentiens, vndè tres in Medicinâ secta celebres sunt; Rationalis, Empyrica, Methodica: optimum si simul conveniant, sibique auxilientur. Galenus. lib. de optimâ sectâ.

Apud Iudæos celebre erat Consilium 72. Seniorum, institutum à Moyse num. 11. dicebatur Sanhedrim. Hi dicebantur summi Sacerdotes, & de lege judicabant. Vide Baron. ann. 31.

Evaristus Papa ordinavit septem diaconos, qui custodirent Episcopum prædicantem, quasi ejusdem veritatis testes. Referebam etiam septem spiritus, coram throno Dei assistentes. Apoc. 1. & septem infixos oculos in vno lapide ostenso divinitùs Zachar. 3. Baron. an. 112.

A Lucio Papa statutum, vt duo Presbyteri & tres Diaconi in omni loco Episcopum assectarentur; propter testimonium, vt ait, Ecclesiæ. Baron. an. 257.

Obijcitur, quod non est indicium veri multis placere. *Vide Majoris Virtut. Repug. & Veritas Cognition. Repug.* in Miscellaneis ex Baronio.

Reperitur in Vaticanæ Bibliothecæ monumentis Constitutio, quâ dicitur Romanum Pontificem Moysis; ipsos vero S. R. E. Cardinales septuaginta seniorum vices gerere, qui sub eo causarum judicia dijudicant. Baron. an. 381.

Non est tamen infallibilis hæc mutuata & ex multis conflata cognitio, quia possunt multi ad vnum modum insanire & convenire, vt fit in publicâ opinione.

Mens ex se solâ non sapit, sed aliundè accepta debet digerere. *Vide Veritas Cognit.* in Miscellaneis sub finem.

Oculi alijs nigri, alijs atri, alijs rufi, alijs glauci coloris, orbibus circumdati sunt; vt habili mixturâ, & accipiatur circumjecto candore lux, & temperato repercussu non obstrepat. Pupillæ autem angustiæ non sinunt vagari incertam aciem, & velut canali dirigunt. Plin. lib. 2. cap. 37. optima diversorum ingeniorum dissertatio, sed à paucis debet fieri judicium.

Apelles non minoris fuit simplicitatis quàm artis: nam cedebat Amphioni de dispositione; Asclepio-

doro de menſuris, hoc eſt, quanto quid à quo diſtare A debeat. Plin. lib. 5. cap. 10. Perfecta opera proponebat in propatulo tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens vitia quæ notarentur auſcultabat, vulgum diligentiorem quàm ſe præferens. Ibidem.

Ideo conſultatio optima, quia non eſt ſibi nimis fidendum. *Vide Cognitio Virtutis.* Nimia de ſe præſumptio.

Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Rom. 12.

Ab alijs prudentioribus hominibus diſcenda veritas. *Vide Medium Veritatis.* Doctoribus aſſentiendum.

Laudatur Demonax Philoſophus, quod non vnam tantum ſectam ſequutus ſit, ſed ex optimis ſibi meliora ſelegerit. Lucianus dialogo Demonax. Ideò neceſſaria eſt omnium ſectarum cognitio. *Vide Magnitudo Cognitionis.* Scientia vniverſalis.

Phidias apud Eleos Iovis ſtatuam à ſe elaboratam populo expoſuit, & ſubauſcultavit ſpectantium judicia, ex quibus multa in opere ſuo correxit; ſibi enim perſuaſit multos meliùs prævidere quàm vnum. Idem dialogo pro imaginibus.

Itaque ſi in medio vrbium fremitu collocati ſumus, ſtet ad latus monitor, & contrà laudatores ingenitum patrimonium laudet parvo divitem & vſu opes metientem. Sen. epiſt. 94.

Omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt quæ admonitione excitantur, non aliter quàm ſcintilla flatu levi adjuta ignem ſuum explicant. Erigitur virtus cum tacta eſt, & impulſa. Ibid.

Legem brevem eſſe oportet, quò facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa divinitus vox ſit; jubeat, non diſputet; nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quàm lex cum prologo; mone, dic quid me vis facere, non diſco, ſed pareo. Ibid. Sicque concludit monitiones legibus præferendas.

Nulla res magis animis honeſta inducit, dubioſque B & in parvum inclinabiles revocat ad rectum quam bonorum virorum converſatio, paulatim enim deſcendit in pectora & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aſpici frequenter: Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat, & eſt aliquid quòd ex magno viro vel tacente proficias. Ibid. tot. monitiones quot actiones.

ADMONITIO.

COrdis calor, & cerebri humiditate, & pulmonum ventilatione mitigatur, ſic affectus juvantur admonitione & conſilijs.

Iuvat interdùm & aperta monſtrare. Interdùm enim ſcimus, nec attendimus: non docet admonitio, ſed avertit, ſed excitat, ſed memoriam continet, ne dilabatur. Pleraque antè oculos poſita tranſimus; ſæpè animus etiam aperta diſſimulat, ingerenda itaque eſt illi notitia rerum etiam notiſſimarum. Seneca. ep. 94. Quædam diverſis locis jacent ſparſa, quæ contrahere ſibi relicta mens non poteſt. Ibid.

In duas partes virtus dividitur, in contemplationem veri, & actionem; contemplationem inſtitutio tradit, actionem admonitio: neceſſarium ergò eſt admoneri, & habere aliquem advocatum bonæ mentis, equè tanto fremitu, tumultuque falſorum vnam D denique audire vocem. Quæ erit illa vox, ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus exſurdato, ſalubria inſuſurret conſilia; quæ dicat non eſt quod illi invideas, ſub purpura latet dolor, &c. Idem epiſt. 94.

Dociles natura nos edidit, & rationem dedit imperfectam, ſed quæ perfici poſſet. Idem ep. 29.

Nemo per ſe ſatis valet vt emergat, oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat: quidam ſibi ad virtutem viam faciunt, ex ſe impetum habent, & ſeipſos proferunt. Quidam indigent ope alienâ, non ituri, ſi nemo præceſſerit, ſed benè ſecuturi. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium: Nobis laborioſa data eſt mens, imus per oſtantia, itaque pugnemus, aliquorum invocemus auxilium. Senec. ep. E 94. *Vide Medium Virtutis, & Medium Veritatis.*

Paradiſus licet creatus fertilis, habet tamen fluvios ipſum irrigantes.

Ignis cœlo miſſus, alitur lignis appoſitus à Sacerdotibus. Levit. 9.

De admonitione. *Vide Medium Virtutis.*

Demonax Philoſophus cuidam Rhetori vitiosè declamanti conſuluit, vt frequenti exercitio incumberet; cæterùm cum ille dixiſſet, nunquàm non apud meipſum declamo; ergò jure optimo, inquit, tam ineptè dicis, qui ſemper ſtulto auditore vti ſoleas. Lucianus dialogo Demonax. Nullus enim eſt æquus ſui judex propter amorem proprium. *Vide Voluntas Bonitas. Mal.* Nimius ſui amor.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

C DE Senatus Conſultis. Cod. 1. tit. 19.
De Senatus Conſultis, & interloquutionibus omnium judicum. Cod. 7. tit. 47.

Vt differentes judices audire interpellationum interrogationes cogantur. Nov. 86.

Non ambigitur Senatum jus facere poſſe. l. 9. ff. de legib.

De Concilijs Provincialibus quotannis celebrandis. vide diſt. 18.

Abſque Synodali audientiâ Epiſcopus non eſt damnandus. 5. q. 4.

Solus Epiſcopus Diaconum vel Preſbyterum deponere non poteſt. 15. q. 7.

Olim Auguſti nihil magni, inconſulto invitoque Senatu, moliebantur. Hinc toc rationes Principum in Senatu habitæ. l. 16. ff. de ſponſal.

Aſſeſſores ſunt conſiliarij judicum, à Principe datorum, vel procuratorum Reipublicæ. toc. tit. ff. de aſſeſſorib.

Ius prætorium eſt quod juvat, ſupplet, & corrigit civile. l. 7. §. 1. l. 8. ff. de Iuſt. & jur.

Omnes populi, partim jure civili, partim jure gentium vtuntur. l. 9. eod.

Conſul poteſt apud ſe ſervos ſuos manumittere, ſi tamen minor ſit, cauſa probatur apud collegam. l. 1. §. vlt. ff. de offi. conſul.

Quia legibus omnia comprehendi non poſſunt, recurritur ad interpretationem Principis. l. 21. ff. de leg.

Conſulis præcipuum officium eſt, vocare Se... tores, tutores, judices, vel arbitros dare. §. ſed ex his. Inſtit. de Artilian. tuto.

Ius civile partim convenit cum jure naturali. l. 6. ff. de Iuſt. & jur.

Vt Archiepiſcopi & Patriarchæ ſæpiùs in annis ſingulis Concilia & Synodos celebrent. Novel. 123. c. 10.

Ad morum correctionem & controverſiarum diſſolutionem bis in anno Epiſcopale Concilium debet fieri. can. propte. diſt. 1. 8.

A tempore Conſtantini, ceſſante perſecutione coperunt Concilia celebrari. diſt. 15. vbi de authoritate quatuor Conciliorum.

Abſque præſentiâ Clericorum nullius cauſam Epi-

ſcopus audiat. can. Epiſcopus. 15. q. 7.

Epiſcopi bis in anno Concilia celebrent, vt inter ſe Eccleſiaſticas contentiones amoveant. in canonibus Apoſtol. can. 38. quod à pluribus Conciliis ſtatutum. Vide annotationes Corionali. Ibid.

Præces & orationes cõpoſitæ, niſi probatæ fuerint in Concilio, non dicantur. Conc. Milevit. 2. can. 12.

Preſbyteri vel diaconi non ſunt ab vno Epiſcopo officio ſuo privandi, ſed Synodali iudicio. Conc. Hiſpal. 2. can. 6.

De authoritate ſacrorum Conciliorum, vide multa in Concilio Senonenſi, decreto. 3. anno 1528.

Poſſunt ſeptem teſtes teſtamenti vno annulo ſignare. Inſt. de teſtam. ordina.

De teſtibus. ff. 22. tit. 5. *Vide Med. Cognit. & Principium cognitionis* de plurium conſilio ad veritatis indagationem laborantium.

EX THEOLOGIA.

CHriſtus mortalis videbat Dei eſſentiam ſicut etiam beati ſinè abſtractione a ſenſibus. 2.2. q. 175. a. 4. ad 1.

In Prophetică viſione aliquandò fit abſtractio à ſenſibus, aliquandò verò non. 2. 2. q 173. a. 3.

Adam habuit duplicem cognitionem de Deo, ſcilicet naturalem, & ſupernaturalem. 1. q. 94. a. 3.

Angelus habens ſpecies rerum impreſſas, iterùm à ſuperiori Angelo illuminatur. 1. q. 106. a. 1.

Auguſtinus ſequitur Platonem, quantùm poteſt, ſalvâ fide. 1. q. 66. a. 1. ad. 1.

In Chriſto fuit aliqua ſcientia creata præter ſcientiam increatam, ſcientia autem divina Chriſti non offuſcabat ſcientiam humanam, ſed magis claram reddebat. 3. q. 9. a. 1.

Scientia Chriſti fuit diſtincta in multos habitus. 3. q. 11. a. 6.

Majus lumen offuſcat minus lumen, ſcilicet alterius illuminantis; non autem minus lumen illuminati, ſed perficit ipſum. 3. q. 5. a. 4. ad 2.

Eodem actu videntur color & lux, vt ratio videndi, non autem vt objectum. 1.2. q. 8. a. 3. 2.

Quando Chriſtus natus eſt, in Hiſpaniâ apparuerunt tres ſoles paulatim vniti. 3. q. 3. a. 6. & 5. ad. 3.

Candelabrum habens ſeptem lucernas ſignificabat ſeptem Planetas illuſtrantes totum mundum. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

Nullius ſufficit ſibi quo ad omnia in his quæ ſunt prudentiæ. Ideò etiam majores oportet in ijs eſſe dociles. 1. 2. q. 49. a. 3. ad 3.

In omnibus moralibus eſt eadem virtus dirigens, ſcilicet prudentia, quia eadem eſt ratio veri in eis; non autem eadem ratio boni; Ideò non eſt eadem virtus appetitiva. 1.2. q. 60. a. 1. ad 1.

Sapientia eſt tantùm vna, licet ſcientiæ ſint multæ. 1.2. q. 52. a. 2.

Tactus eſt fundamentum omnis ſenſus, & eſt diffuſum per totum corpus. 1. q. 76. a. 5.

Idem probatur diverſis mediis. Aſtrologus demonſtrat terram eſſe rotundam per Eclypſim Solis & Lunæ: Naturalis verò, per motum gravium ad centrum. 1. q. 1. a. 1. ad 2.

Theologia non accipit aliquid ab alijs ſcientijs, vt à ſuperioribus, ſed vtitur eis, vt inferioribus, propter nos. 1. q. 1. a. 5. ad 2.

Beati vident in Deo eſſentiam. attributa, & perſonas, & vnum non poſſunt videre ſinè alio.

Angeli ſe invicem amant naturaliter.

Fides eſt habitus intellectus, quo firmiter aſſentimur ijs omnibus, quæ Deus per Eccleſiam credenda propoſuit, quamvis obſcurè, captivando intellectum in obſequiũ fidei. Scientia & fides poſſunt eſſe ſimul per diverſa media, imò nec repugnat fidem aut ſaltem habitum fidei remanere cum viſione in beatis ad ornatum, nec etiam eandem rem cognoſci per viſionem, & credi per fidem diverſo reſpectu, & hoc de potentiâ extraordinaria.

Miſteria fidei ſunt evidẽter credibilia immumeris ferè motivis, nimirùm doctrinæ qualitate, teſtium ſanctitate, numero miraculorum multitudine, &c.

Singuli beati vident in verbo ea quæ pertinent ad ſtatum ſuum.

Congruum fuit Chriſtum in propriâ ſpecie poſt reſurrectionem ſuam apparere bene diſpoſitis ad credẽdum, cæteris autem minùs diſpoſitis in alia effigie, ſecundùm variam diſpoſitionem. 3. q. 55. a. 4.

Cum judicium ad judices ſpectet, non ſecundùm privatam, ſed ſecũdùm publicam poteſtatem oportet eos judicare; non ſecundum eam quam ex ſe noverũt veritatem, ſed ſecundùm quod per allegata & probata per teſtes innotuit, & ex legum ſenſu. 2.2. q. 69.

In ſimplici actu prædeſtinationis multiplex cognitio, ſubjecti prædeſtinati, finis ad quem prædeſtinatur, & mediorum omnium ad finem.

EX BIBLIIS.

ERat initio terra labij vnius. Gen. 11. Apoſtoli loquuntur varijs linguis.

Pharao congregat ſapientes, ad interpretationem ſui ſomnij. Gen. 41.

Boves & ſpicæ quas Pharao videt in ſomnijs idem ſignificant. Ibidem.

Moyſes facturus prodigia coràm Pharaone congregat ſeniores Iſraël, quibus ea exponit. Exod. 4. proponit præceptum Agni Paſchalis coràm omni cœtu filiorum Iſraël. Exod. 12.

Duo Cherubim ſe mutuò ſuper arcam reſpicientes. Exod. 25.

Deus implet Beſeleel & Oliab omni ſapientiâ ad opus tabernaculi. Exod. 31.

Petrus & Paulus ædificant Eccleſiam.

Singuli exploratores mittuntur ex ſingulis tribubus, ad explorandam terram promiſſionis. num. 13.

Nemo occidatur, vno contrà ſe dicente teſtimonium. Deut. 17.

Saul offendens Prophetas, prophetat cum illis &c. 1. Reg. 10.

Saũl omnia agenda manifeſtat Ionathæ. 1. Reg. 10.

Duo Seraphim clamant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus. Iſai. 6.

Advocavit cœlum deſurſùm, & terram diſcernere populum ſuum. Pſal. 45. Angeli & ſancti ſtabunt in judicio.

Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Pſal. 49.

Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Pſal. 81.

Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Eccleſiâ ſanctorum: Deus qui glorificatur in Concilio ſanctorum, &c. Pſal. 88. Exaltent eum in Eccleſiâ plebis, & in cathedrâ ſeniorum laudent eum. Pſal. 106.

In transfiguratione Chriſti, apparent Moyſes & Elias cum eo loquentes. Math. 17.

Vbi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. c. 18. Apoſtoli Concilia celebrant. act. 1. 6. 15. 20. 21. Moyſes congregat ſe-

Digitized by Google

ptuaginta viros, &c. Num. 11. & Deut. 17.

In Eccleſiâ poteſtis omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur; non enim eſt diſſentionis Deus, ſed pacis, &c. 1. Cor. 14.

Videt Iacob puteum, treſque greges ovium accubantes juxtà eum ex quo adaquabantur. Gen. 29.

Vndecim diſcipuli abierunt in montem vbi conſtituerat illis Ieſus. Matth. 28.

Et qui præibant & qui ſequebantur clamabant dicentes, Oſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini. Marc. 11.

Et facies quæcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxtà legem ejus, ſequereſque ſententiam eorum; qui autem ſuperbierit & noluerit obedire Sacerdotis imperio, decreto judicis morietur homo ille. Deuter. 17.

Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus. Ibid. id eſt ejuſdem fidei.

Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententiâ, & præſumere digna horum quæ mihi dantur, quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. Sap. 7.

Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ. Ibid.

Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? ſenſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris & quæ tibi placent didicerint homines. Ibid.

In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientiâ. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filij ejus Ieſu Chriſti.

Obſecro vos vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu & eadem ſententiâ. 1. Cor. 1.

Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Rom. 8.

Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater: ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei. Ibid.

Implete gaudium meum vt idem ſapiatis, vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Philip. 2.

Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquàm à Domini ſpiritu. 2. Cor. 3.

Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, Credidi propter quod locutus ſum; & nos credimus propter quod & loquimur. 1. Cor. 4.

Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, alteri fides in eodem ſpiritu. 1. Cor. 12.

Nunquid Titus vos circumvenit? nonnè eodem ſpiritu ambulavimus? nonnè ijſdem veſtigijs. 2. Cor. 12.

Vbicumque autem habitabant filij Iſraël, ibi lux erat. Exod. 10.

Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Math. 4.

Erat lux Vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.

Omnes filij lucis eſtis, & filij Dei, non ſumus noctis, neque tenebrarum, igitur non dormiamus ſicut cæteri, ſed vigilemus. 1. Theſſ. 5.

Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ: ſi dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus; ſi autem in luce ambulamus ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem. 1. Ioan. 1.

Qui diligit fratrem ſuum in lumine manet. 1. Ioan. 2.

Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet & ipſe in Deo, & nos cognovimus & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. 1. Ioan. 4.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt, & tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ ſpiritus aqua & ſanguis, & hi tres vnum ſunt. 1. Ioan. 5.

Domine probaſti me & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam, intelleXiſti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas prævidiſti: ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua; mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Pſal. 138. Deus omnia vno actu perfectè comprehendit.

CONCILIVM VNICVIque optimum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. In homine operari ſequitur eſſe, & vt vivit, ſic intelligit alieno beneficio. Illud in ſplendidiſſimâ etiam fortunâ poteſt Princeps à pauperrimo accipere.

MAGNITVDO. Magna non niſi advocatis vnitiſque viribus perficiuntur. Sic autem res ſunt complexæ, vt è minimo defectu ingentia oriri poſſint mala, nihil ergò permittendum; vt res amiſſa inveniatur, omnia luſtrantur, omnes interrogantur, quia ſæpiùs occurrit eâ parte, quâ minùs poterat ſperari. Totum quod ad rem pertinet habetur, cùm plures ſua conferunt conſilia.

DVRATIO. Prudentia ſe diffundit in præteritum, præſens, & futurum: Vaſtum autem hoc temporis ſpatium exactè non circumſpiciunt, niſi plures oculi. Multitudo conſulentium ſupplet defectum diſtinctæ & ſuſpenſæ deliberationis: ſimul enim à pluribus dantur conſilia, quæ in vno, aut paucis ſucceſſivè tantùm emicarent: mens enim noſtra limitatæ eſt virtutis, & dum vni addicta eſt ideæ, vniuſque medij examini, alia tunc ex ſe non parit.

POTESTAS. Principes, qui potentiam & independentiam ambiunt, tamen ſibi turpem non putant conſultationem, imò quia neceſſaria eſt in potentiæ ſuas oſtenſionem habent turbas, etiam ſuperfluas, conſulentium. Fortiùs ferit animum, plurium judicio comprobata veritas; tunc enim nulla ſupereſt dubitatio. Potentior eſt Patroni eloquentia, cum poſt conſultationem de cauſâ ſuâ benè ſperat. Sic mira eſt imaginationis vis, circà verum & bonum, cum in iſtis ſecuram ſe putat aliorum judicio; ſic pro Religione, cui multi conſentiunt, ingenti zelo decertatur. Notiones naturales ſunt communes, hinc quod pluribus placet cenſetur quaſi naturale & æternæ veritatis, cui omnia debent cedere.

COGNITIO. Menti noſtræ proprium eſt vnum ex alio inferre, huic autem illationi ampliſſimam ſuppeditant materiam multorum conſilia: Ideò gaudemus conſultatione, quia de aliorum conſilijs, & judi-

camus, & proficimus, inventilque addimus: oculi ad videndum indigent externâ luce, ſed illâ acceptâ de ipſamet, & de cæteris objectis judicium ferunt, non enim ſe habent merè paſſivè.

VOLVNTAS. In proprijs cæcutimus, hallucinamur, & iniqui ſumus judices, quia amore, odio, metu, ſpe, alijſque paſſionibus abripimur niſi nos contineant, regantque aliorum conſilia. Inter plura media quæ offert conſultatio, quaſi in ampliſſimis bonis ſe explicat libertas, jureque ſuo ſplendidiùs vtitur, dum ex multis quædam eligit, quædam moderatur, quædam reprobat.

VIRTVS. Conſilium temperat affectus alioquin immoderatos, fortitudinem dat in decretis, prudentiam illuſtrat; jus ſuum cuique reddit, dum ſapientes, ad concilium natos, & ob id forſan à numine afflatos, audit momentes, & ſequitur dirigentes: Nec ipſa pietas ſinè dirigentis conſilio ſecura eſt.

VERITAS. Vt integram planetæ vim colligis ex multis, que ex ejus penderit influentiâ; ſic veritatis radios pluribus mentibus diſperſos colligit conſultatio: Vt enim bonum malo, ſic verum falſo prævalet: Vnde veriùs judicatur, quod pluribus tale viſum eſt: hinc judicia in electionibus non ponderantur, ſed numerantur, & vulgo dicitur, vox populi vox Dei.

GLORIA. Benè geſtorum gloriam non imminuit, ſed auget conſultatio: Nam fælicitati addit lauream prudentiæ, quæ benè conſuluit & quæ nihil reliquit fortunæ. Famam protendunt hi omnes, quos ad conſilium vocaſti, eoſque habes rei benè geſtæ gratuitos præcones: Quod ſi res malè cedant poſt habitum conſilium, id fortunæ, non imprudentiæ ſolet imputari; & ſi quæ ſit adverſitatis invidia, illam totam Princeps refundit in conſiliarios, quos ideò habet ſui apud plebem patronos, qui caſus diſſimulent, & quibus poſſunt coloribus veſtiant.

DIFFERENTIA. In conſilijs delectat mira & fœcunda mentis humanæ varietas, dum præter ſpem, nova à diverſis proferuntur; Placet aliorum ſympaticum judicium, quo confirmamur; aliorum contrarium, quo corriginur. Ex mixtione velocis, tardi audacis, timidi conſilij fit optimum agendorum temperamentum.

CONCORDANTIA. Concinunt cum ſuo Apolline Muſæ; Gratiæ & Virtutes chorum efficiunt, conſertis manibus: hinc docemur homines naturaliter eſſe ſocietatis amantes, vt inter eos ſit majus commercium bonorum animi quàm corporis, invictoſque eſſe vnitis conſiliorum viribus.

CONTRARIETAS. Ita complexa ſunt negotia, vt in vno plurium interſit, vndè hi ſunt in conſilium advocandi; hoſtes plurium conſilijs vtuntur vndè temerarium eſt, ſi ſolus voluetis cum pluribus congredi. Sedatur etiam invidia eorum quos vocas ad conſilium, tunc enim partes tuas ſequentur, & pro decretis in tui favorem, quaſi pro ſuis pugnabunt.

PRINCIPIVM. Semper habetur author fœlicitatis ſuæ, etiam qui illam obtinuit alieno conſilio, quia & cauſa fuit illius ſic congregati conſilij.

MEDIVM. Nulla forma ſeipsâ agit, ſed potentiarum adminiculo, nulla ſinè organis facultas, ſinè inſtrumentis ars; ſic nulla debet eſſe ſinè adminiſtris conſulentibus electio. Ab aliquo ex pluribus diſces viam, cæteris breviorem, hoſtibus incognitam, in quâ minùs erit laboris, & plùs ſecuritatis. Non tamen ſic plures ad conſilium vocandi, vt his ſecretò permiſceantur hoſtes, & quod eſſe debet ſecretum fiat publicum: hac in re, vt in cæteris, ſervanda mediocritas.

FINIS. Dormitat aliquandò, & hebeſcit mens ſibi relicta, ac conſultationibus exagitata, flammas ſuas reſtituit. Vnius eſt finem intendere, plurium media ad finem invenire, vnitas enim finis ab vno, multiplitas mediorum à pluribus.

MAIORITAS. Concitati æmulatione animi, miram ſuprà, vires ſuas, in hac judicij concertatione proferunt: Si cæteris prævales ratione, gratum erit eos in tuam trahere ſententiam, tuæque teſtes & aſſertores habere prudentiæ: Si minùs ſapis honeſtè, proficis neceſſario tibi conſilio, quod etiam prudentiſſimi convocant.

ÆQVALITAS. Firmius eſt judicium, quod conſilio multorum fundatum eſt; non tàm facile immutatur res à pluribus decreta: at optimum eſt mentem ad mutationes, vt plurimùm noxias inclinantem, hoc fræno continere. Conſultores pari titulo advocantur; hinc ſe tibi devinctos exiſtimant, quod eos excellentioribus æquaveris.

MAIORITAS. Tam publica eſt rerum, maximè facti, ignorantia, vt quo quis ſapientior eſt, eo ſe magis in iſtis conſilio indigentem fateatur. Omnibus lex daret conſultores, vt minoribus tutores, niſi probabile eſſet omnem hominem maturi judicij à ſeipſo conſilia petiturum.

Digitized by Google

CONTRARIETAS COGNITIONIS.

QVÆ SVNT CONTRARIA COGNITIONI & quæ illam impediunt.

MISCELLANEA.

VIDE VERITAS COGNITIONIS REPVGNAT. & Contrarietas Veritatis. de diſputatione. & Differentia Cognitionis.

PITTACHVS legem tulit, quâ ebrios, ſi quem pulſaverint, majori pœnâ damnat, quàm ſi ſobrij feciſſent: non reſpexit quod major debet eſſe ebrij venia, ſed ad vtilitatem, & ſtupiditas quia plures delinquunt ebrij. Ariſtot. 2. politic. 10.

Mentis ſimplicitas à ſanguine proficiſcitur. Galen. lib. de naturâ hominis; Vndè antiquâ lege militari, vena aperiebatur militi, qui in officio deliquiſſet, vt ſanguinis emiſſione fieret ſapientior.

Vitandum arundinis id quod anthelen vocant; nam ſi in aures incidat, adeò tenaciter adherens affigitur, vt avelli non poſſit, auditumque vitiat, & ſæpè exſurdat. Mathiol.

Multorum aſſiduo cibo acies oculorum hebetatur. Dioſcorid.

Phreneſis eſt perpetuum cum febre delirium; febrem autem non habent mania & melancholia. Exquiſita phreneſis gignitur, vel ex ſimplici inflammatione, à copiâ ſanguinis; vel à bilè flavâ in atram versâ.

In lethargo ſoporoſa oblivio contingit læſo cerebro à copia frigidæ pituitæ.

Duplex eſt vertigo, vna cum caput in orbe verti videtur: Alia tenebricoſa, cum etiam tenebræ oculis offunduntur.

Epilepſia dicitur comitialis morbus, quia ſi olim in comitijs & conventu populi aliquem apprehendiſſet, ſolvebantur tunc Comitia re infectâ.

Amauroſis eſt abſolutum viſus impedimentum, nullo manifeſto affectu in oculo apparente, ſed pupillâ planè purâ & incolumi.

De morbis oculorum pertinacibus. *Vide Durities Minoritatis.*

Hyeme minùs olfacere poſſumus, minimèque per gelu & glaciem, quia aër à frigore immobilior redditur; itaque motus non æquè proficiſcitur à corporte odorato. Ariſt. problem. ſect. 12. 6.

Qui conſilium capit, omni perturbatione vacare debet.

Ægyptiorum Reges, Bibliothecam habuerunt, in quâ erant ſepties centena librorum millia; hæc conflagravit fortuito, incendio circâ primum Alexandrinum bellum, cum miſerandâ omnium bonarum artium jacturâ.

Lubricitas humanæ prudentiæ procedit ex eo quod verſatur circa agibilia vitæ humanæ, quæ ſunt A ſingularia, infinita, incerta, contingentia, ambigua, quorum difficilis eſt ad vnitatem reductio, vt quot ſunt actiones tot ferè ſunt actionũ modi, quia vnum ſingulare rarò cum altero omni ratione convenit.

Si punctus lucis in diaphano ponatur, obiculariter diffunditur; ſi in corporis denſi ſuperficie, hemiſpherialiter tantum, quia denſitas corporis lumen ſibi adimit.

In concavis ſuperficiebus concavitas prohibet liberum ampliari lumen.

Quæ impediant cognitionem collige ex his quæ dicuntur de ſpeculo infrà. *Medium Cognitionis.*

B Fallitur vulgus in judicando, quia ex vnicâ ſpecie æſtimat genus, & quia nunc intuetur in vnam, nunc in alteram ſpeciem.

Vbi plùs materiæ, ibi minùs formæ & intelligibilitatis. Ariſt. 4. Metaph. vlt.

In Coo inſulâ eſt fons, qui ſenſus hebetat, In Æthiopiâ alius, qui ad inſaniam adigit. Oculi humani venereis rebus facilè læduntur, propter inopiam ſpirituum.

Reflexiones fiunt tantùm à regularibus ſuperficiebus, ideſt quæ ſunt diſpoſitionis vniformis, in omnibus partibus ſuis, vt ſunt plana, concava, convexa; C In irregulari autem ſuperficie corporum aſperorum radius vel lux cadens diſpergitur, & diſtrahitur ne regulariter oriri poſſit ſuper oculum.

Vide Repugnantias Cognitionis, Bonit. Magnit. &c. aliorum Principiorum.

Humor, qui in oculum ſuffunditur, ſenſim collectus denſatur, donec omnem oculi perſpicuitatem tollat.

Amentiam inducunt ea omnia, quæ intemperiem generant cognitioni contrariam; vt eſt nimia humiditas; caloris in cerebro nativi, & ſpirituum defectus; D organorum læſio, ex morbo, vulnere, naturâ; vt ſi caput nimis parvum, in quo parùm cerebri; aut nimis magnum, in quo calor diffunditur, & diſſipatur venenatæ qualitates, &c.

Qui cerebrum habent frigidum & humidum, ingenio ſunt tardo & hebeti, ſenſuſque minùs acres habent; Impuritas enim ſenſuum ab humiditate.

In febribus ardentibus, tremoribus delirium ſuccedit, tranſitu materiæ facto è venis in nervos; ſinè vitæ ſpe, quia gravi morbo gravior ſuccedit. Senertus.

Oculis nocent ſemen canobis, caules, lactuca, lenſes, fabæ, raphanus, braſica, ſynapi, cæpe, porum.

Romani comitia non convocabant, aut convocata

Digitized by Google

rumpebant, ſi dies occurreret turbulentus, aëre, ventis, fulminibus, procellis agitato. Sic paſſiones rationem impediunt, ne conſilium fœliciter excipiat.

Venena frigida cauſant ſomnum lethargicum.

Saturnus planeta hoſtis eſt luminarium; habet etim oppoſitas domos, Capricornum Cancro, Aquarium Leoni.

Præcipitatio conſiliorum eſt contrariâ ſapientiæ. *Vide Duratio Cognitionis.* Mora.

Lycurgus volebat loca, in quibus habentur conſilia eſſe ſinè ornamentis & picturis; quæ diſtrahunt animum. Plutarchus. In Lycurgo. nu. 4.

Si princeps primus mentem ſuam aperiat in conſilijs ipſum cæteri blandiendo ſequentur.

Angina eſt fluxio & inflammatio ad fauces, loquelam impediens, craſſo ſcilicet & compacto humore. Aphoniæ cauſæ exiſtunt vocalia organa vitiata.

Spiritibus noſtris contraria ſunt, aër nocturnus, Saturnus ob extremam frigiditatem, ſiccitatem, torporem: Martialia ob ſiccitatem, caloremque edacem; Lunaria propter craſſitiem & humiditatem, volatili ſpirituum naturæ contrariam. Spiritus naturalis Iovi, vitalis Soli, animalis Mercurio tribuitur. Marſil. Ficin. lib. de vitâ cœlit compar. cap. 11.

Princeps qui debet imperare, non debet diſputare profitendo ſcientias contentioſas, vt dialecticam, in quâ cum ſubditis ex æquo congreditur, hoc enim non decet Regiam Majeſtatem.

Prior in malis habitus, difficultatem facit in melioribus contrahendis, ſic faciliùs inſtruuntur milites novi quàm antiqui corrupti.

Non ſunt ingenioſi iſti homines, qui habent ſanguinem fibroſum, frigore conſtrictum, & craſſum, vt in regionibus Septentrionalibus. Ideò ſunt apti ad acquirenda imperia vi armorum, non verò ad conſervanda, quod eſt prudentiæ opus. In acutis morbis abceſſus fiunt circà aures.

Athletæ, cum ſuprà modum explentur, habent, animam quaſi cœno immerſam, nec multùm à brutorum animis diſtantem. Galen. in exhortat. ad artes diſcendas.

Avaritiam maximè adverſari Philoſophiæ docat Galenus lib. quod optimus ſit Medicus qui Philoſophus.

Apoplexia eſt privatio motus & ſenſus, Balbi habent cerebrum humidius.

Deliria omnia patiente ſunt cerebro, ſivè per ſe, & proprio affectu ſivè, conſortij lege, ſeriò fiunt à flavâ bile pervadente cerebrum.

Facultas cerebri confeſtim exolvitur jecinoris atque cordis facultate exolutâ.

Inſaniæ vehementes fiunt ab atrâ bile, quam flava peraſſata genuit, cerebrum occupante.

Narcotica & ſtupefacientia medicamenta vt ſunt ſuccus papaveris.

Iupiter Saturnum regno ſuo expulit; ideſt civilia negotia impediunt contemplationem.

Colores ſunt inter ſe contrarij, lumini autem nihil eſt contrarium.

Albedo diſgregat viſum; ſic pyramidum vertices cum feriant oculos, talem coloris imaginationem efficiunt.

Confuſio in intellectu fit duabus de cauſis, æquivocatione, & multiplicitate rei.

Ebrioſis omnia circumferri videntur, propter vapores in cerebro.

Exacontallitus lapis, ſexaginta coloribus diſtinctus, oculos tremulos reddit. Alb. Mag.

Favonio flante, cantes minùs veſtigia comperiunt, quia hic ventus inter cæteros maximè terram attingens plurimùm confundit.

Flamma cum ſit fumus ardens non eſt perſpicua, & tranſlucida, quia habet in ſe terreſtre permixtum.

Homo cum iraſcitur obſcuratur ejus viſus, propter excitatum vaporem à calore in oculo.

Caput patitur gravedinem à fumo carbonis & ſulphuris.

Cum intellectus deficit, excedit virtus corporis. D. Thom.

Venerem exercentes, gemmarum quas ferunt ſplendorem commaculant.

Duplex eſt ſenſus culpa, aut enim deſtituit nos, aut decipit.

Cauſa & radix ferè omnium malorum in ſcientijs, ea vna eſt, quod dum mentis humanæ vires falſo miramur & extollimus, vera ejus auxilia non quæramus.

Ars vera eſt, ſed pauci veri ſunt artifices.

In epilepſiâ, venenata qualitas cerrat cum cerebro.

Plato 7. de Republi. introducit homines in ſpelunca vinculis colligatos, vmbras tantùm corporum ſupernè exiſtentium videntes. Spelunca eſt mundus; vincula corpus & paſſiones; vmbræ res ſenſibiles quæ ſunt vmbræ idearum. Vulgus corrumpit etiam mentem Philoſophi.

Tàm cæcutit, qui è tenebris venit in magnum lumen, quàm qui è lumine ad tenebras; Ideò dicit novitate turbatam animam pueri, non rectè cognoſcere, quia tunc circuitus ejus, & operatio violentior pedibus vt qui capite deorſùm ſurſùm ambulant dextra vident, ſiniſtra. Idem in Timæo.

Eclypſis lunæ per oppoſitionem terræ, & ſolis per conjunctionem lunæ: talis eſt conſultatio minùs peritorum.

Sunt quædam Lymphaticæ plantæ, quæ movent mentem, ſi largiùs edantur, vt Cahobba Indica Aſſeral. &c. Mathiol.

Domitianus Imperator Philoſophos omnes ab vrbe exulavit, inter quos fuit. Epictetus.

Sentimus magis vnum quodque ſimplex quàm mixtum, quia ſe invicem obſcurant mixta; Sic confuſio impedit cognitionem, quam juvat diviſio & differentia.

Somniorum auguria impediunt, nimia corporis vacuatio, aut repletio; animi etiam ſolitæ perturbationes, iræ, timoris ambitionis ſpei, &c. Vide Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 13. c. 2.

Sybilla infernum ingreſſura offert cerbero offam ſomniferam. 6. Æneid.

Pueri non habent cognitionem propter humiditatem nimiam, & fluxum cerebri.

Senes obtusè vident propter inopiam ſpirituum vitalium, & quia oculorum cutis, quæ debet eſſe lævis, rugas contrahit.

Si motus corporis ſit tàm velox, vel tàm tardus, vt non ſit proportionatus ad momenta, in quibus tranſigitur actio ſenſus, objectum omnino non percipitur; vt in motu indicis horologij, & rurſus in motu pilæ ſclopeti. *Vide Minoritas Cognit.*

Tanta eſt vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem. Tertul. de ſpectacul. in principi.

Paſſiones mentem obcæcant. *Vide Majoritas Voluntatis.* Paſſionum damna. Cæteras ex peccato. *Vide Minor. Cognitionis.*

Religio, Politia, imò & Oeconomia volunt habere cæcos, vt habeant magis obſequentes ſubditos. Timent etiam mulieres divinatricem ſcientiam, quæ illis importuno jam zelo materiam ſuppediter, & artem

attem quâ latens ſeù demonſtratione, ſeù conjecturâ deprehendat.

Homerus refert Neptunum, contrà appollinem pugnantem. Humiditas enim intellectum obſcurat. contrà Palladem Mars; contrà Mercurium Iuno. Vide S. Cyrillum Alexand. lib. 1. contrà Iulianum.

De fallaciâ eloquentiæ. *Vide Majoritas Cognitionis. Mala.*

Maxime convenit rectè latas leges, quæcumque poſſunt omnia ipſas diſtinguere & quàm pauciſſima relinquere ijs qui judicant. Primùm quia faciliùs eſt vnum habere aut paucos quàm multos, qui benè exiſtiment, & poſſunt legem ferre; Deindè legum lationes ex longi temporis conſiderationibus fiunt: At judicia de repentè; vndè difficulter habent juſtitiæ & vtilitatis rationem illi qui judicant: Lex judicat de vniverſalibus ſinè paſſione; Iudex de præſentibus & determinatis, in quibus amor, odium, propria vtilitas. Ariſtot. lib. 1. Rhetor. cap. 1.

Opacorum ſpecies ſunt, in æthere luna, in aëre nubes, in aquâ terra & terrea: hæc ſunt in ſe tenebricoſa, & alij tenebras offundunt.

Cauſarum patroni apud Areopagos, judices cogebantur ſummatim cauſam dicere, ſinè figuris, quibus moventur affectus: Iudicia enim nocte habebantur, ne judices perſonarum aſpectu moverentur. Vide Baron. an. 52. num. 3.

Domitianus Imperator ſæviſſimus Philoſophos vrbe pellit. Baron. an. 54.

Iulianus Apoſtata prohibuit Chriſtianos docere, ſed permiſit eos inſtrui à doctoribus Ethnicis, qui ſcilicet omnia in favorem Idololatriæ contorquerent. Baron. anno 362.

Bibliotheca Capitolij igne cœlesti ſub Commodo conflagrat. Baron. an. 189.

Conſtantinopolitana extructa à Conſtantino Magno, & ab alijs poſteà Impp. in immenſum aucta, conflagrat ſub Baſiliſco Tyranno, continens tunc librorum millia centena vicena. Baron. an. 476.

Athenæus lib. 13. cap. 33. Refert multos Principes, qui Philoſophos è ſuis regionibus expulerunt.

Iupiter Saturnum regno expulit, ideſt activa & lucrativa vita contemplationi eſt contraria; & vt Athlante videns in ſtadio curſus projectum antè pedes ſuos aureum malum, conſtitit, & victoriam tarditate amiſit, dùm declinat curſus aurúmque volubile tollit. Duæ vitæ contemplativa & activa, figuratæ in Abel & Cain; at Cain fratrem occidit, ideſt activa contemplativam. Ideò contemplantes quærunt ſeceſſum. *Vide Gloria Virtutis*: quies virtutis.

Speculum menſtruatum.

Vitrum pulveriſatum, & aqua in ſpumâ alba ſunt non diaphana.

Vitulus marinus inter omnia animalia graviſſimo ſomno premitur: dextræ pinnæ vis ineſt ſoporifera, ſi capiti ſubdatur. Plin. lib. 9. cap. 13.

Magna cogitatio obcæcat, abducto intùs viſu, ſic in morbo comitiali aperti oculi nihil cernunt, animo caligante. Id. lib. 11. c. 37.

David videns Abſalonem habere bonum Conſiliarum Architophel; induxit in ejus conſilium Chuſai, qui ei reſtitit. 1. Reg. c. 15.

Stulti Principes Taneos: ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens, deceperunt Ægyptum: dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens: Erunt quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt à facie commotionis manus domini. Iſay. 19.

Æſophus Tragicus aves humano ſermone vocales cœnæ appoſuit, nullâ aliâ inductus ſuavitate, niſi vt in his imitationem hominis manderet; & in his optimis voce meritis hominum linguas cœnaret. Plin. lib. 10. cap. 51.

Vana ſunt ſomnia, quæ proxima ſunt à cibo & potu. Ibidem c. vlt.

Quorum duri ſunt oculi minùs cernunt, quàm quorum humidi. Idem lib. 11. cap. 37. non eſſe docilem.

Faba creditur hebetare ſenſus, inſomnia quoque facere, ob id Pithagorico judicio damnata. Idem lib. 18. cap. 12.

Lepidus pictor aves compeſcuit cantu ſomnum impedientes, picto circà nemus dracone. Plin. lib. 35. cap. 10.

Mercurius infauſto loco gignit mutos, ſurdos, veteratores. Ptolomæor. lib. 3. cap. 9.

Luna ſolem aſpectu aliquo aſpiciens, maximè in cardinibus, & conjuncta nebuloſæ lædit oculos, ſi acceſſerit aſpectus Martis, ab ictu, ſi Saturni, à ſuffuſione. Ibidem c. 19.

Mercurius in ſignis humidis facit ſtupidos, in piſcibus abſurditatem in ſermone, ob linguæ impedimentum. Luna in conjunctione & occultatione facit hebetes, timidos, obſcuros. Ptolom. l. 3. c. 36.

Amor, odiumque ne vera eveniant judicia prohibent, ſiquidem minuunt maxima, augent minima. Idem in centiloquio. nu. 12.

Quantis in erroribus verſatur aſtrologus, cum locus ſeptimus atque ejus dominus afflicti erunt. Ibid. num. 14.

In furentibus Luna Mercurio non copulatur; neuterque aſcendenti in dæmoniacis: in hac figurâ Saturnus noctu, Mars autem interdiù cardinem tenebit. Ibid. num. 70.

Veritas ad nos venit, vt tributum in æraricum publicum, cum magnâ diminutione; inficiunt veritatem rumores ex tot hominum paſſionibus ortum ducentes, vt aqua per vitioſos canales fluens.

Medium craſſius faciet objectum majus quàm ſit, ſic nummus in aquâ, planetæ juxtà horizontem majores apparent.

Corpora ſphærica propter diſtantiam plana videntur, nam concavitas diſcerni non poteſt, niſi ex comprehenſa inæquali diſtantia partium. Ariſt. prob. l. ſect. 18. q. 7.

EBRIETAS.

SI quis diligentius reputet, in nulla parte operoſior vita eſt quàm in vinis ad potum parandis; tanto labore & impendio conſtat, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat. Hinc ferè rerum omnium oblivio morſque memoriæ, &c. Plin. lib. 14. cap. 22.

Vlyſſes vino captum Cyclopem excæcavit & effugit. Lucianus dialogo Cyclopis & Nept. ſic Holophernes occiſus à Iudith.

Abraham in ſuo convivio Angelis parato vina non miniſtrabat, ſed immolabat vitulum, butyrum, & lac etiam Angelis hoſpitibus exhibebat. Gen. 18. Vide D. Ambroſium de Elia & jejunio. cap. 4.

De ebrietate ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt, pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. Ibid. cap. 12.

De mala invitatione ad bibendum. *Vide Concordantia Gloria, Mala.*

Quæ ſit pœna præſens, furiales ſomni, & inquies

noctuma; præmiumque ſummum ebrietatis libido portentoſa, ac jucundum nefas. Plin. lib. 14. cap. 22.

Ægyptus ſibi potus vino ſimiles excogitauit; nullaque in parte mundi ceſſat ebrietas. Heu mira vitiorum ſolertia, inventum eſt quemadmodùm aqua quoque inebriaret. Ibidem.

Thraces herbarum combuſtarum nidore ebrietatem imitantur, vt combuſta Nicotiana.

Dominus ad diſcipulos dixit, cavete ne fortè graventur corda veſtra in vino & crapulâ. Luc. 21.

Væ qui potentes eſtis ad bibendum & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Iſay. 5.

Levit. 10. Dominus præcipit Lævitas ſibi miniſtraturos abſtinere à vino.

Oportet Epiſcopum eſſe non vinolentum, non percuſſorem, &c. ad Titum cap. 1.

Vino hominis ſenſus evertitur, pedes corruunt, mens vacillat, libido ſuccenditur, vndè Apoſtolus clamitat; & vinum in quo eſt luxuria. Epheſ. 5. D. Hieronim. in Epiſt. ad Galat. c. d.

Vbicumque ebrietas atque ſaturitas fuerit, ibi libido dominatur, ſpecta ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum ordo membrorum: Nunquàm ergò ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. D. Hieron. in Epiſt. ad Titum. cap. 1.

Potentes qui iracundi ſunt, vinum non bibant, ne cum biberint obliviſcantur ſapientiæ. Proverb. 31.

Diverſum eſt ex ignoratione, aut ignorantem agere, qui enim vel ebrius eſt, vel iratus, non videtur ex ignoratione agere ſed ignorans; at invitus dici debet, non ſi quis ignorat id quod conducit, non enim ignoratio, quæ ex electione conſiſtit, inviti eſt cauſa, ſed pravitatis, &c. Ariſt. Moral. Nicomachior. lib. 3. c. 1. & cap. 5. ait. Ob ignorationem punitur in ſibi ipſi ignorationis cauſa quiſpiam fuiſſe videatur; vndè ebrijs duplices pœnæ inſtitutæ ſunt: in ipſo enim qui mebriatur principium eſt, cum ſui quiſque in eo Dominus ſit vt non inebrietur, id quod ignorationis eſt cauſa.

Manifeſta ſunt opera carnis, &c. Gal. 5. & 1. Corinth. 6.

Vbi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; vbi ſaturitas, illic dæmones chorœas agunt, talem habebat menſam dives epulo; propterea nequidem guttulæ aquæ Dominus fuit. D. Chriſoſt. ad popul. Antioch. hom. 57.

Ebrius, Dæmon eſt voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium, animantia enim vltrà ſatietatem cibum & potum non ſumunt. Ibid. Homil. 1.

Ebrioſi quaſi paludes ſunt, in quibus ſanguiſugæ, ranæ, & diverſa genera vermium enaſcuntur, quæ horrorem quidem incutiunt, nec ad victum proficiunt. D. Auguſt. ſerm. 231. de tempore.

Ebrietas malorum ferax eſt: Noë per ebrietatem nudatus eſt. Geneſ. 9. Loth. quem Sodoma non vicit, vino inebriatus geminum commiſit inceſtum. Gen. 19. Samſon repletus vino per meretricem hoſtibus traditus eſt. Iud. 16. Holophetni, quia plus ſolito biberat, caput à Iudith reſectum eſt. Iudith. 11. Filij Loth dum vinum bibunt, ruinâ domus oppreſſi ſunt. Iob. 1. Herodes inter pocula S. Ioannem Baptiſtam occidi juſſit. Math. 14.

Alexander Macedo Clitum amicum inter epulas confodit.

Naturali antipathiâ vineâ abhorret à lauro Ebrietas non conſentit cum præclaris actionibus.

Turpius eſt excedere in potu quàm in cibo, quia potus ſumitur propter cibum, turpius autem eſt excedere in medio quàm in fine, magis exculatur exceſſus rei magis neceſſariæ, vt eſt alimentum: ex exceſſu potus majora oriuntur damna, quàm ex exceſſu cibi, vt linguæ ſolutio, rationis & judicij amiſſio: Exceſſus potus non ſatiat ſitim, vt alimenti famem; ideò magis eſt periculoſior, quia vſu ipſo accreſcit, & in vitia detrudit.

Vinum & mulieres apoſtare faciunt à Deo. Eccleſ. 19. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, inſaniunt; Chriſtum negare cœperunt, &c. Salvian. lib. 6. de Gubern. Dei.

Venter mero æſtuans citò diſpumat in libidines: vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. D. Hier. ad Occea. Ep. 83.

Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis, quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Idem ad Euſtochium. Ep. 17.

Multa contrà vini non temperatum vſum. Vide apud D. Ambroſ. l. 1. de Abraham cap. 6. & de Elia & jejunio. cap. 5.

Laſcivium in convivijs vetuli atque honorati: ad vivendum propè jam imbecilles, ad vinum prævalidiſſimi, infirmi ad ambulandum, robuſti ad bibendum. Salvianus. lib. 6. de gubernatione Dei.

Multa de ebrietate vitandâ maximè Clericis. Vide diſtin. 35.

Chriſtum annuntiavit Ioannes, neque manducans carnes, neque bibens vinum, qui enim Chriſtum annuntiat, ab omni vitiorum incentivo præſtare ſe debet alienum: Moyſes juſſu Dei ſitienti populo dedit percuſſâ petrâ, non vinum, quod facile erat, ſed aquam, &c. D. Ambroſ. de Elia & jejunio cap. 5.

Ierem. 35. laudantur Reccabitæ, qui vt parerent Ionadab patri ſuo, vinum & ſiceram non biberunt. Laudatur Daniel cum ſocijs, quod in Babylone vino abſtinuerint. Gabriel Archangelus inter admirandæ ſanctitatis Ioannis Baptiſtæ indicia, ponit, quod vinum ſiceramque non ſit bibiturus. Luc 1. Euſebius. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 7. commemorat S. Marcum Evangeliſtam primis fidelibus in Eccleſiâ Alexandrinâ degentibus vini abſtinentiam commendaſſe. D. Auguſt. lib. 1. de morib. Eccleſiæ, agens de Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, & Monachis, in Eccleſiâ ſuo ævo florentibus, eos laudat, quod à vino abſtinuerint. D. Hieron. ad Euſtochium. Epiſt. 22. hortatur virgines ſponſas Chriſti vinum fugiant, vt venenum.

Circà fœminas illa majorum inſtituta ceciderunt, cum mulieres vſque adeò vino abſtinerent, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui inediâ necarint; ſub Romulo verò, quæ vinum attigerat impunè à Mæcenio marito trucidata ſit: idcirco & oſcula propinquis offerre, etiam neceſſitas erat, vt ſpiritu indicarent, &c. Tertulian. in Apolog. c. 6.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

DE pœnâ ejus qui aliquem dedità operâ excæcavit. Leo. Nov. 92.

Plantatio arborum, non eſt contrà ſervitutem altiùs non tollendi, ſed eſt contrà ſervitutem, ne officiatur proſpectui. lib. 12. ff. de ſervit. vrban. prædior.

Primi in jure, Capito & Labeo, diverſas ſectas fecerunt. l. 2. §. hi duo. ff. de origine. jur.

Caſus fortuiti poſſunt cuilibet contingere, etiam vigilantiſſimo. l. verum. §. locupleti. ff. de minorib.

Lege Aquiliâ tenetur, qui alicujus rei inſtrumentum ità delevit, vt legi non poſſit. l. 42. ff. ad leg. Aquil.

Injuriarum poteſt agi adversùs eum, qui alterius mentem medicamento labefactavit. l. 15. ff. de injur. & famoſ. libell.

Qui ſibi dolo mutant nomen, aut cognomen, falſi pœnâ tenentur. l. 13. ff. de l. Corneliâ. de falſis.

Qui inſtrumenta Eccleſiæ, aut celat, aut hoſtibus patefacit, damna reſarciat, & alijs pœnis ſubjaceat. 12. q. 2. can. ſi quis de clericis. 1. & 2.

Interdùm etiam deprimendo ædificium, officit quis luminaribus vicini, ſi preſſurâ quadam & per reflectionem lumen in eas ædes devolvatur. l. 17. ff. de ſervit. vrban. prædior.

EX THEOLOGIA.

ESt abſtractio à ſenſibus, vel naturalis, vt ex corporis infirmitate & ſomno, aut ex causâ divinâ, aut diabolicâ. 2. 2. q. 175. a. 3.

Aggravatio animi eſt effectus doloris. 1. 2. q. 37. a. 2.

Angelus poteſt immutare omnes ſenſus hominis, interiores & exteriores. 1. q. 111. a. 3.

Diſtantia temporalis impedit cognitionem Angelorum. 1. q. 47. a. 3. ſic animæ ſeparatæ; non verò diſtantia localis. 1. q. 79. a. 7.

Cæcitas mentis triplex, ſcilicet privatio luminis accidentalis, averſio voluntaria à primo intelligibili, tertia propter occupationes. 2. 2. q. 15. a. 1.

Cæcitas mentis, quæ quaſi totaliter ſpiritualium bonorum cognitionem excludit, oritur ex luxuriâ, hebetudo autem ſenſus, quæ reddit hominem debilem ad hujuſmodi intelligibilia, oritur ex gulâ. 2. 2. quæſt. 15. a. 2. ad 1. hæc autem cæcitas mentis & hebetudo opponitur dono intellectus. 2. 2. q. 86. art. 2. ad 3.

In coitu abſorbetur vſus rationis propter vehementiam delectationis. 1. 2. q. 3. a. 4. ad 1.

Concupiſcentia non ligat totaliter rationem. 2. 2. q. 150. a. 4. ad 3.

Certamen & contentio fit in contemplatione, propter defectum intellectus, & gravitatem corruptibilis corporis, quod nos ad inferiora retrahit, non autem ex contrarietate veritatis, quam contemplamur. 2. 2. q. 180. a. 2.

De his quæ ſunt contraria contemplationi. *Vide Medium Cognitionis.*

Contentio eſt filia inanis gloriæ. 2. 2. quæſt. 38. art. 2. Oritur ex invidiâ ratione termini à quo, ſed ex inani gloriâ ratione termini ad quem. 2. 2. q. 37. a. 2. ad 2.

Dæmon poteſt impedire vſum rationis, ſi permittatur, ideò poteſt ſufficienter impellere in actum peccati, non autem in peccatum. 1. 2. quæſt. 80. a. 1.

Æſtimatio rationis ſemper corrumpitur in peccante in vniverſali, vel in particulari per delectationes & alias paſſiones. 2. 2. q. 162. a. 4. ad 2.

Malitia eſt cauſa excæcationis meritoria, ſicut culpa eſt cauſa pœnæ. 1. 2. q. 79. a. 3.

Dæmon dicitur excæcare, in quantùm inducit ad culpam, quæ eſt cauſa meritoria excæcationis. 1. 2. q. 79. a. 3. ad 3.

Dæmon poteſt immutare phantaſiam hominis, & alios ſenſus corporeos, vt aliter videatur res quàm ſit. 1. q. 111. a. 3.

Gregorius propter triſtitiam intermiſit expoſitionem Ezechielis. 1. 2. q. 37. a. 1. ad 3. *Vide Minoritas Cognitionis.*

Homo tripliciter impeditur à ſtudio divinæ cognitionis, ſcilicet propter ineptitudinem, occupationem, & pigritiam. 2. 2. q. 2. a. 4.

Imprudentia cum ſuis vitijs oritur ex luxuriâ. 2. 2. q. 53. a. 6.

Mulier habet infirmum judicium rationis propter debilitatem complexionis. 2. 2. q. 136. a. 1. ad 1. & 2.

Iudicium intellectus impeditur per ligamentum ſenſûs. 1. q. 84. a. 8.

Ira inter cæteras paſſiones magis impedit viſum & judicium rationis. 1. 2. q. 48. a. 3.

Ira & invidia cauſant inconſtantiam, pertrahendo rationem ad aliud: ſed luxuria totaliter extinguendo lumen rationis. 1. 2. q. 77. a. 7.

Principes Iudæorum obſcurabantur per invidiam & cupiditatem gloriæ propriæ, ne agnoſcerent Chriſti divinitatem. 2. 2. q. 10. a. 8.

Omnia, quantùm fieri poteſt, debent per leges determinari, quia lex fit de vniverſalibus & futuris ex æquitate: at judices in præſentibus ſæpe abripiuntur paſſione. 1. 2. q. 95. a. 1. ad 2.

Lingua infirmi infecta cholerico & amaro humore, non poteſt percipere aliquid dulce, ſed omnia ei videntur amara. 1. q. 75. a. 2.

Obſcuritas intellectus triplex, ſcilicet ex eſſe ex nihilo, ex diſcurſu, & ex peccato; Prima eſt in omni intellectu creato; Secunda eſt tantùm in homine etiam intellectu creato; Secunda eſt tantùm in homine, etiam in ſtatu innocentiæ; Tertia eſt in eo tantùm poſt peccatum. 1. q. 94. a. 1.

Vera paſſio partis ſenſitivæ eſt quando pertingit vſque ad immutandam rationem à rectitudine ſui ſtatus, quod fit tripliciter, ſcilicet diſtrahendo, inclinando in contrarium ligando mutatione corporali, ſicut ſomnus & ebrietas ligant eam. 1. 2. q. 77. a. 2.

Quia per operationes ſenſus homo pervenit ad actus rationis, ideò plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitivæ, quàm ordinem rationis; plures enim ſunt qui aſſequuntur principium rei quàm ejus conſummationem. Ideò autem homines peccant, quia ſequuntur inclinationem naturæ ſenſitivæ contrà ordinem rationis. 1. q. 49. a. 3. ad 5.

Peccatum deprimit ne videantur ſuperiora. 1. 2. q. 87. a. 2. ad 1.

Pueri impediuntur in vſu membrorum, & rationis, propter nimiam humiditatem cerebri. 1. quæſt. 99. art. 1.

Multi impediuntur à ſcientiâ acquirendâ tripliciter, ſcilicet propter indiſpoſitiones, occupationes, & pigritiam. 1. 2. q. 61. art. 3. ad 3.

Contrà rectitudinem ſcientiæ contingit peccari dupliciter in ſpeculativis, ſcilicet inducendo rationem ad concluſionem falſam apparenter veram, vel arguendo ex falſis quæ videntur vera. 2. 2. q. 53. a. 3.

Admiratio eſt principium Philoſophandi, ſed ſtupor eſt impedimentum, quia timet judicare in præſenti, & inquirere in futuro. 1. 2. q. 41. a. 4.

Velum templi habebat quatuor colores, per quos quatuor elementa deſignantur, quæ nos impediunt à divinis. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 4.

Habitus per diſcurſum cauſati in intellectu poſſunt corrumpi per accidens, ſcilicet ratione ſenſuum, & per ſe, ſcilicet à contrario diſcurſu, vel contrarâ propoſitione. 1. q. 89. a. 5.

Fides eſt neceſſaria, quia multi impediuntur à contemplatione naturali indiſpoſitione, paupertate, aut pigritiâ. Id contrà gentiles. lib. 1. cap. 4.

Cæcitas ex peccato. *Vide Minorit. Cognit. Mal.*

QVÆ SINT CONTRARIA cognitioni.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quæ ſunt in infimo naturæ gradu cognitione carent, vt elementativa, & vegetativa; ſic fœminis ad domeſtica tantùm natis, & quibuſdam vilibus animis ad aliorum obſequium, artelque Mœchanicas paratis, minor naturaliter ineſt intelligentia. Munera excæcant judicum oculos, & multi vtilitatis ſpe à vero deflectunt.

MAGNITVDO. Magna, integra vno intuitu non videntur, niſi cum ita ſint diſtantia, vt minima appareant; ſicut ſol videtur ad diſci magnitudinem, ſic vaſta terræ marisque ſpatia, non niſi longâ peregrinatione luſtrantur; ſic magnis negotijs, quorum ingens conſequentia, diutinâ deliberatione providetur. Exilia ingenia prima rerum magnarum facies exterret, nec niſi levia ſuſtinent.

DVRATIO. Fracta ſpecula, commotæ aquæ & mentes, veras rerum ſpecies non referunt. Tempus ſpecies memoriæ creditas delet, ſenſum etiam iræ, doloris, voluptatis ſenſim abſumit. Quæ præſens ſæculum in admirationem rapiunt, alio ſuperveniente obliterantur, pauca ingenia exxere caput.

POTESTAS. Regimen totum hominem ſibi vindicat, nec vacuam, liberamque mentem relinquit contemplationi. Auget Dominantium cæcitatem adulantium turba. Apud Turcas interdictæ ſcientiæ, vt ad tyrannorum obſequium, feraque bella, ſint ignorantes magis parati.

COGNITIO. Ipſæ ſe implicant ſcientiæ, & tot argutijs quæſita veritas amittitur: nihil habetur certi, dum omnia æquali argumentorum pondere in controverſiam veniunt. Majus lumen minus obſcurat; illicitas ſcientias, vt Aſtrologiam, Magiam, & cæteras divinatrices Chriſtiana fides damnavit. Ratio corrigit ſenſus, & Fides rationem.

VOLVNTAS. Amor quilibet, quò potentior, eò magis cæcitatem inducit; Philautiâ laborans proprios non intelligit defectus; Amaſij hallucinantur in amatæ ſuæ æſtimatione; Parentes in illo quod ferunt de liberis ſuis judicio: Hinc reprobata domeſtica teſtimonia. Quidam vitam ſpiritualem profitentes ſpernunt longum ad Deum iter per ſcientias, ſolique ſtudendum putant vnitivo amori, cujus flammis priùs volunt incendi, & transformari, quam illuſtrari. Paſſiones omnes mentem obcæcant.

VIRTVS. Virtutes omnes activæ præcipiunt tempus, & ſilentium contemplationi neceſſarium.

VERITAS. Lex quæ præcipit, non ſuadet, & id etiam vetat ratione inveſtigari, cujus rationem ipſa non reddit. ſic enim præſumitur major, quàm quæ à particularibus affertur, ſic latens ratio non poteſt oppugnari.

A GLORIA. Fama malum, quo non velocius vllum; obſidet enim rapitque mentes turbâ populari. Honoris ſtimulis acti non vident pericula, vt triſtitia mentem obnubilat, ſic lætitia diſſipat; attentas enim reflexaſque cogitationes non patitur effuſum gaudium.

DIFFERENTIA. Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus: hinc politia vetat plures artes ab vno exerceri. Quis rei conditiones omnes currendo, & in veloci tranſitu obſervet? Nimis diſtantia, vel in minutiſſimas partes diſſipata non videntur.

CONCORDANTIA. Latent in mixtis occultæ, quæ vocantur qualitates: nullæ ſecuriores, quam in turbâ & in populoſiſſimâ civitate, latebræ; diaphana opacis permixta, lucem minùs capiunt; etiam ſapientiſſimorum mens tentatur vulgi opinione; Fidem etiam divinam multum infirmant conjuratæ hæreticorum factiones. B

CONTRARIETAS. Ira furor brevis eſt, tollit enim rationis vſum, itavt etiam in proximos ſæviat. In ipſo conflictu non ſentiuntur vulnera. Nihil tàm rationi & juſtitiæ contrarium, quàm vis, ideò inter arma ſilent leges & ſcientiæ, quas pax ſola reſtituit. Quibuſdam capitis læſione aut morbo periêrunt quas ſciverant memoria.

PRINCIPIVM. Flores omnes naſcentes ſe non exerant; Aurora mixta eſt tenebris; infantiam ſumma rerum omnium ignorantia ſequitur: ſic initio mundi tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. In qualibet arte à tyronibus exigitur humile obſequium. C

MEDIVM. Inſtrumentorum eſt motum ſibi impreſſum ſequi non dirigere; deò ſibi nimium prudentes miniſtri, non probantur à principibus: vt Luna patitur Eclipſim; per interpoſitionem vmbræ terræ ſic oculi, aut nihil, aut falſum vident, ſi ſit vitiatum; medium.

FINIS. Vltrà limites ſibi poſitos non videt oculus, non ſpeculatur ſcientia, non inquirit judex non inveſtigat ſapiens aulicus non perſcrutatur Theologia. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, etiam in cognitione, quam ſuis terminis natura, politia, prudentia, fides, circumſcripſit. D

MAIORITAS. Nimio lumine ſenſibili hebeſcit oculus, & intellectuali meus: altiora te ne ſcruteris; ſcrutator enim majeſtatis opprimetur à gloriâ; vt vexatio dat intellectum, ſic tollit nimia proſperitas, quæ homines quaſi ebrios conterit, & ſternit.

ÆQVALITAS. Vitia virtutes externo habitu imitantur, & incautos decipiunt. Chameleon non videtur inter folia, quarum imitatur virorem: improbus inter malos, quorum mores mentitur: ſic deludantur inexperti adulterinis; & bracteatis nummis.

MINORITAS. Paupertas externa multos, alioquin fœlicis genij, à ſtudijs & contemplatione avocat; falcones recenter capti per aliquos dies colligatis tenentur palpebris, vt feram deponant naturam; ſic novitijs vitæ Religioſæ, velatique virginibus interdicuntur oculi; ſic Iulianus Apoſtata Chriſtianis prohibebat ſcientias, vt ignorantes facilius ſibi ſubjiceret.

Digitized by Google

PRINCIPIVM COGNITIONIS.

VNDE ORIATVR COGNITIO, SEV SENSIBILIS seu intellectualis & quæ ſunt ejus cauſæ.

MISCELLANEA.

VÆ ſunt neceſſaria ad vſum vitæ indigentia ipſa docuit: quæ verò ad ornatum, tempore & vſu aucta ſunt. Ariſt. 7. Politic. c. 10.

Mentis acumen & ſolertia à bilioſo humore proficiſcitur, ſomnus bilioſis paucus & levis. Hippoc. lib. de nat. hom.

Ex Arabiâ omnis Religio profecta eſt, quia meridionales populi ſunt magis acuti ingenio, propter atram bilem mixtam bili flavæ. Ab oriente vt lumen ſenſibile, ſic intellectuale.

Admiratio ad Philoſophandum promovet. Ægyptij & Babylonij, cùm ſint ferè ſemper ſereno cœlo, de ſtellis multa fide digna tradiderunt. Ariſt.

Animalia quæ fibras in ſanguine non habent ſunt ſapientiora, propter ejus tenuitatem, habent enim ſenſum nobiliorem, quorum humor tenuior, & ſincerior eſt, parumque habet terreni: Vndè ſunt prudentiora quæ nullum habent ſanguinem, vt apes, formicæ, & quæ ſunt timidiora. Ariſt. de partib. animal. lib. 2. cap. 4.

Atra bilis, cùm maximè incaleſcit, facit lymphaticos, ſybillas: Maracus civis Syracuſanus Poeta, præſtantior erat dum mente alienaretur. Ariſt. problem. ſect. 30. q. 1.

A lege naturali leges omnes; Ars imitatur naturam; Politia incipit ab œconomicis. Habetur rei ſcientia à longâ conſultatione. *Vide Durat. Cognit.* & à conſilio. *Vide Concordantia Cognitionis.*

Belluis & pueris naturales habitus inſunt. Ariſt.

Diſciplina Politica eſt aliarum diſciplinarum architectonica, quia tradit occaſiones eas docendi. Ariſt. 1. Politic. 2.

Regio Attica producebat ingenia excellentiſſima, quia, inquit Xenophon, erat temperatiſſima.

Abſurdum eſt per ſe nota demonſtrare vt eſſe naturam; quemadmodùm & eſſe colores homini oculato; nam ſi id non percipit ductu ſuo, non percipit tuo.

Primigeniæ & radicalis materiæ multùm ineſt oculis.

Somnio & quiete rerum imagines renovantur.

Negotium peperit artes, & otium diſciplinas theoreticas. Propter morbos inventa medicina quæ illis ſuccurrat, neceſſitas artium in ventrix.

Quæ naturaliter agunt, ſeipſa habent pro exemplari, aut ſuas formas atque inſtrumenta.

Cauſæ vero intellectuales, excipiatur Deus, ferè aliud à ſe exemplar propoſitum habent, præter interna exemplaria, vt pictor vultum regis.

Diſtantia efficit vt ſpericum majus appareat. *Vide Poteſtas Differentia.* vis diſtantiæ.

A Magis cognoſcimus ea, quæ magis nobiſcum concordant; ſic oculus in fundo putei videt ſtellam, quæ illi perpendiculariter objicitur, nec impeditur à radio ſolari, ſi ſit obliquus.

Ægyptij ſcriptores putant omnia inventa eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcribebant. Iamblicus de myſterijs.

Regiones calidæ producunt homines ad conſilia aptos, nam ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus; at frigidæ regiones generoſos producunt milites, quippe ſanguine abundantes. Vegetius. lib. 1. cap. 2. *Vide Principium Veritatis.*

Lux eſt qualitas inhærens corporibus cœleſtibus: B hinc propagatur lumen, quod eſt quædam ejus repræſentatio, in aquâ & in aëre.

Humor criſtallinus in oculo ità eſt lucidus & ſpiritoſus, vt reliquas quoque partes oculi ſibique conjunctos humores illuſtret.

Naturali judicio omnia judicantur, & ipſum non judicatur: hinc artes omnes parant ſibi inſtrumenta & judicia. Vt autem qui melius videt oculo, aliam dirigit, ſic qui intellectu. Galenus lib. de optimo docendi genere agens contrà Academicos.

Animæ acumen à bilioſo humore naſcitur: ab atrâ bile conſtantia, ſtabilitaſque: à ſanguine ſimplicitas & ſtolidiras. Hypoc.

C Cerebrum eſt prima pars ſentiens; hinc omnes nervi.

Elementa corporum ſunt naturalis ſcientiæ principia, quòd ſigillatim amplius in plures ſpecies ſecari nequeant. Galenus.

Quibuſdam animalibus & lapillis eſt naturaliter ingenitum lumen.

Naturalis noſtra cognitio à ſenſibus initium ſumit.

Principia ſe habent ad concluſiones in demonſtrativis, ſicut cauſæ activæ in naturalibus ad ſuos effectus. Omnes ſenſus fundantur ſuprà tactum, ſinè quo nullus eſt ſenſus. Nervi & ſpiritus animales ſunt D à cerebro.

In geneſi Mercurius planeta fortis, & benè diſpoſitus facit ingenio excellentes, ſtudioſos, ſolertes, cautos, ad diſciplinas omnes aptos; Præſtat celebre maximè ingenium, ſi ſit in Libra & Aquario, exaltatione ſcilicet, & domo Saturni; ſi ſit etiam fœliciter lunæ configuratus, ſi etiam luna ſit fœliciter poſita, creſcens lumine, & propè nodos. Ingenium quoque augent plurimi planetæ in trigono aëreo. Origan.

Induſtria ab amore. *Vide Cognit. Volunt.*

Vexatio dat intellectum. *Vide Bonit. Contrar.*

Sæpè dicit Plato, rerum omnium ſpecies naturaliter nobis fuiſſe infuſas, quod probat, quia naturaliter pulchrum, honeſtum vtile, &c. appetimus, ergò &c

cognoſcimus; magiſque inſtruitur mens à vitijs pura, ſi ſe ad idæas ſibi impreſſas convertat.

Calidum ſicco permixtum lucem efficit, ſic ignis ſereno cœlo videtur lucere luce albâ; aër autem non lucet, quia humidus & diffunditur.

Plato dicit idæam omnium rerum, omniumque pulchritudinum, eſſe in animâ mundi, ab eâque animabus humanis illi ſimilibus imprimi, confusè tamen: Vndè ſcientias omnes dicit eſſe reminiſcentias. *Vide Principium Veritatis.*

Idem dicit animam eſſe principium, & numerum, ſeipſum moventem, & quia cum omnibus proportionem habet, omnia intelligit.

Mathematica conſideratio eſt præludium contemplationis divinorum.

Mundus ex igne & terrâ compoſitus, vt poſſit videri & tangi.

Nihil poteſt perfectè cognoſci, niſi cognoſcatur Deus, vt non poteſt ſciri pars, niſi ſciatur totum.

Vt ſunt quædam artes Architectonicæ, ſic & ſcientiæ, quæ alias dirigunt, objectaque illis aſſignant, talis eſt, Sapientia & Metaphyſica.

Scientiæ ampliùs non creſcunt, quia ſeparantur à ſcientiâ naturali, quæ eſt earum radix.

Cognitio & voluntas radicantur in ſubſtantiâ ſpirituali, ſuper diverſas ejus habitudines ad res, quæ ſunt in ipsâ, non quidem ſecundùm eſſe proprium, ſed ſecundùm propriam rationem; non enim lapis eſt in animâ, ſed ſpecies lapidis, ſeu ratio ejus: cognitio autem eſt tantùm in immaterialibus, quia ratio rei abſolutæ, & ſinè concretione, in illis poteſt inveniri, & ſecundùm gradum immaterialitatis eſt gradus cognitionis, vt quæ ſunt maximè immaterialia ſunt maximè cognoſcibilia: In quibus, quia ipſa eorum eſſentia immaterialis eſt, ſe habet ad ea vt medium cognoſcendi; ſicut Deus per ſuam eſſentiam ſe & omnia cognoſcit.

Quædam non intelliguntur, duabus de cauſis, aut quia imperfectam habent formam & potentiæ valdè permixtam, vt materia, motus & tempus; Aut ex ſui perfectione, quia omne principium intelligendi præveniunt, vt Deus, ità non videmus ſupremum cœlorum, & abyſſum terræ.

Omnis doctrina fit ex præcognitis, altera inductione, altera ratiocinatione: In eâ antecedens eſt, quo poſito, neceſſario vel probabiliter infertur conſequens in ipſo.

Multæ memoriæ ejuſdem rei faciunt experimentum. Ità autem ſe habet experientia ſcientiæ & arti, vt memoria experimento.

Fœminæ in omnibus animalibus ſunt ſagaciores, propter amorem prolis: neceſſitas artes omnes invenit.

Forma eſt principium eſſe & cognitionis.

Imaginandi bonitas provenit ex frigidâ & ſiccâ complexione.

Reſpublica Romana mutuavit leges duodecim tabularum à Græcis: luna & ſtellæ accipiunt lumen à ſole, diſcipuli à magiſtro.

Locis calidis homines ſunt ſapientiores quàm frigidis, eâdem cauſâ quâ ſenes quàm juvenes ſunt ſapientiores, qui enim frigida loca habitant calorem intus habent, qui reddit eos tanquàm ebrios.

Mathematicæ primo repertæ ſunt in Ægypto, vbi ſacerdotes liberi à reditibus Regijs liberè ſtudebant.

Spiſſum tantùm lucet, ideò aër non lucet.

Animalia habent artium imaginationes, ſic & homo. Artem natura edocet, vndè pictura incœpit ab vmbrâ, in ſole inſpectâ.

A firmamento ſtellæ, tanquàm flores ab herbâ, A ſed ſplendor eſt arcano, non ab igne, in ſole & ſtellis. Paracelſ.

Mercurius præſidet ſpiritui, convertibilis, mobilis, & formabilis, ideò dicitur caduceo ſuo animas tùm conſopire, tùm ſuſcitare, ideſt provt eſt ſuus aſpectus, aut acuit, aut abundit ingenium.

Ars imitatur opera naturæ, vt patet in ſtatuis; prodiit velum navis ex volatu avium, remus ex piſcium pinnâ, gubernaculum ex caudâ, ex antro domus, inſitio ex inſpectione pili, viſci, muſci.

Plato in Protbagora notat, quod cum de aliquâ arte oritur diſputatio, illius tantùm expertes conſuluntur: at in politicis omnes audiuntur, quaſi à naturâ ſint omnes edocti.

B Apud Romanos Deus Vaticanus infantium vagitibus præerat. D. Auguſt. lib. 4. de civit. cap. 8. Penes hunc Deum humanæ vocis eſſe initia exiſtimabant, quia pueri primam ſyllabam vaticani, edunt, vnde & vagitus dicitur. Gellius. lib. 16. Vagitus eſt rationis humanæ, format ipſam fides, quæ eſt à Vaticano. Ideſt à S. Pontifice.

Nullum temperamentum ſimplex facit bonum ingenium, ſed permixtum ex melancholiâ & cholerâ. *Vide Cognitio Virtutis.* in Phyſionomiâ, initio.

Lucida corpora ſunt, quæ innatum habent lumen, ex quo lux diffunditur.

Mos eſt hominibus occaſiones repentinas ad artes ducere, ſic inventæ omnes artes. Vide Polidor. Virgil. & eo quod aliqui viti ſunt ex occaſione bene diſſerere & perſuadere, inventa eſt ars Rhetoricæ. Ariſt. 1. Rhetoric. 1. C

Galenus. lib. de ſectis, dicit Empiricam incœpiſſe ab his quæ caſu ſolent hominibus accidere, ſeù ab incidentijs, & cum inconſultò ad experientiam accedimus: Secundò, cum conſultò, in ſomnijs moniti, vel aliâ opinione ducti. Tertiò, per aliorum imitationem, experta nociva vitando, vtilia ſectando.

Theoremata ducuntur ratione, ex his quæ ſenſui manifeſta ſunt, abſurdum eſt autem de rebus ſenſui evidentibus non judicare per ſenſus, ſed per demonſtrationem. Idem. lib. de optimâ ſectâ.

D Aquarum aliæ deſcendunt cœlitus, aliæ emanant è terrâ: ſic ſcientia aut inſpiratur divinitus, aut oritur à ſenſu.

Celſus ingenuè fatetur experimenta medicinæ primò inventa fuiſſe, ac poſtea homines circa ea Philoſophatos eſſe, & cauſas indagaſſe. Vndè apud Ægyptios plura animalia pro Dijs culta, quia inſtinctu naturali & non fallibili ducta homines artes aliquas docuerant.

De artium inventoribus. Vide Plin. lib. 7. cap. 56.

Neceſſitas eſt artium magiſtra. *Vide Contrarietas Voluntatis.* neceſſitas, *& Contrarietas veritatis.* oportet hæreſes eſſe.

Homines plures artes didicerunt ab animalibus; E ſanguinis miſſionem ab Hippopotamo, qui acutiſſimam nactus harundinis cæſuram, eâ venam in cruce aperit, & nimiam ſuam levat repletionem. Clyſteres ab Ibide; Dictamum tela extrahens à Cervâ; Chelidoniam viſui optimam ab Hirundine, &c. Plin. lib. 8. cap. 27. *Vide Concordantia Principij. ars naturam imitatur.*

Hi ſunt aliorum magiſtri, qui excellunt in cognitione. *Vide Majoritas Cognitionis.*

Differunt apes à formicis, quod apes faciunt cibos, formicæ verò tantùm condiunt. Plin. lib. 11. cap. 30. ex ſe ſapiunt præſtantiora ingenia, ex alieno communia.

Populi medij qui habitant intrà tropicos, propinquiores Auſtro in genere ingenioſiores, & callidio-

res, & rerum divinarum peritiores sunt, quia verticale punctum eorum propius est Zodiaco & Planetis, quibus quasi familiariores, habent & ipsi sagaciores animas in investigatione naturæ, & in disciplinis percipiendis majorem celeritatem. Ptolom. prædiction. Astrologic. lib. 2. cap. 2.

Venus cum Mercurio in probatis locis facit amatores scientiarum, eloquentes, celeriter & sinè magistro discentes. Idem lib. 3. cap. 34. Maximè id præstat Mercurius, si solus dominetur in probatis locis, facit enim acutos ad inveniendum, multa excogitantes, & experientes, ratiocinatores, &c. Id. cap. 35.

Physicos facit in Capricorno & Aquario; Eloquentes in signis aëreis, Geminis, Libra, Aquario; Politicos in domibus Iovis & Veneris; celebre maximè facit ingenium in Libra. Cum reliquis planetis ad studia semper inclinat, multum tamen ex eorum assumit qualitatibus; Saturno perseverantiam & cautelam; à Iove probitatem & simplicitatem; à Marte iram & efficaciam; à Sole gloriam & splendorem; delectatur signis aëreis & siccis, non humidis; cum Saturno profundum aliquando ingenium, sed hebetem persuadendi vim. Origan.

Prædictiones Astrologicæ habentur à scientiâ, & arte: scientia docet generalia, soli autem numine afflati prædicunt particularia. Ptolomæus in centiloquio, initio.

Photius Biblioth. cap. 147. probat artes omnes à naturâ originem ducere.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE constitutionibus Principum. ff. l. t. 4.
De diversis Regulis juris antiqui. ff. 50. 17.

De origine juris, & omnium Magistratuum & de successione jurisprudentum. ff. l. 2.

De Tyronibus. Cod. 12. 44.

De veteri jure enucleando. C. 1. 20.

Omne jus, aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo. lib. 40. ff. de legib.

De Rescriptis. decr. 1. tit. 3.

De sententiâ & re judicatâ. Decret. 2. t. 27.

Recensentur omnes legislatores. Distinct. 7.

In causis definiendis sacri Canones, in exponendis verò Sacris Scripturis sancti Doctores attendantur. Dist. 20.

Ius naturale est ex communibus naturæ principijs & inclinationibus, cum ratione congruentibus. Ius gentium, quod ob honestatem aut vtilitatem manifestam à plerisque populis receptum est. Ius civile, quod particulare est cuique civitati: seu à moribus Romanorum fluxerit. l. 13. ff. de legib. ab authoritate Principis aut magistratus. lib. 2. de Orig. Iur. aut à Senatu & consuetudine. lib. de quib. ff. de legib.

Cum antiquitus liceret pro studiorum suorum fiduciâ de jure respondere, primus Augustus statuit, vt ex ejus authoritate id fieret. l. 2. & obiter. ff. de orig. jur.

Si in verbis legis sit ambiguitas, Princeps adeundus. l. 11. de legib.

Æquitatis, jurisque interponenda interpretatio, ad solum Imperatorem pertinet. l. 1. Cod. de legib.

Exactis Regibus decemviri leges in duodecim tabulis conscripserunt, quas jurisconsulti interpretati sunt, & ad similes causas produxerunt. l. 2. §. 5. ff. de Orig. Iur.

Si jus ex lege non appareat, supplendum est ex A consuetudine loci proximi. l. 32. ff. de legib.

A tempore Constantini cessante persecutione coperunt Concilia celebrari, ad institutionem plebis. Can. Canones. dist. 15.

Leges Nauticæ primum latæ sunt à Rhodiis, qui maria frequentabant. l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu.

Iustinianus Imp. conflat Codicem suum ex tribus antiquis, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano; operâ decem virorum juris peritissimorum, vt videre est in constitutione de novo Codice faciendo.

EX THEOLOGIA.

B ANgeli dupliciter possunt agere in animas nostras, scilicet confortando intellectum, illustrando phantasmata. 1 q. 121. a. 1.

Id possunt confortando intellectum, non verò imprimendo lumen. 1. q. 111. a. 1.

Superiores Angeli perspicaciùs divinam sapientiam contemplantes, plura & altiora mysteria gratiæ cognoscunt in visione Dei, quæ inferioribus illuminando manifestant. 1. q. 57. a. 5.

Angelus superior illuminat inferiorem, non contrà. 1. q. 106. a. 1. 3.

Intellectus Angeli est in potentiâ respectu luminis divini: noster autem etiam respectu specierum à rebus acceptarum. 1. q. 54. a. 4.

C Omnes Angeli primæ Hierarchiæ accipiunt cognitionem divinorum effectuum in primâ causâ. Secundæ vero in vniversalibus rerum rationibus, ideſt à primâ Hierarchiâ. Tertiæ autem in proprijs rationibus. 1. q. 108. a. 1. 9.

Angelus illuminat alium Angelum, & ei manifestat veritatem, confortando virtutem intellectivam ejus, per conversionem ad eum, & distinguendo vniversalem scientiam. 1. q. 106. a. 1. 9.

Animalia bruta non persequuntur conveniens, nec fugiunt nociva per rationis deliberationem, sed per naturalem instinctum æstimatione, similiter & pueri. 1. q. 85. a. 1.

Arithmetica & Geometria procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus. 1. q. 1. a. 2.

D Donum sapientiæ non est causa charitatis, sed effectus ejus. 1. 2. q. 45. a. 6. ad 2.

Primum cognitum à nobis sumitur dupliciter, scilicet respectu diversarum potentiarum, vel respectu diversorum objectorum ejusdem potentiæ. 1. q. 85. a. 3.

Natura hominis dependet à superiori naturâ, ad cujus perfectionem non sufficit cognitio naturalis, sed requiritur quædam cognitio supernaturalis. 2. 2. q. 1. a. 3. ad 1.

Docere dicitur dupliciter, scilicet principaliter infundendo lumen, & instrumentaliter dirigendo; Secundum convenit Angelis, illuminando alios de revelatis, & homini exterius proponendo adminicula, exempla, vel applicando principia conclusionis; Primum autem soli Deo.

E Habitus principiorum sunt nobis naturales. 2. 2. q. 91. a. 2.

Intelligere nostrum est quoddam pati. 1. q. 79. a. 2.

Sensibilia sunt prima principia nostræ cognitionis, ideò judicium intellectus in illa resolvitur. 2. 2. quæst. 173. a. 3. ad 3.

Lex naturalis est participatio legis æternæ, & impressio divini luminis in creatâ rationali, quâ inclinatur ad debitum actum & finem. 1. 2. q. 91. a. 2.

Lex æterna comparatur ad ordinem rationis, sicut ars ad artificiatum, ideò ejusdem rationis est aliquid esse contrà vtrumque; Vnde omnis lex, in quantùm

eſt juſta, derivatur à lege æternâ, & omnia eam participant, in quantùm ex eâ inclinantur in proprios actus & fines. 1. 2. q. 91. a. 2.

Nullus vnquàm per Dæmones ſcientiam acquiſivit, quia ad illos non pertinet illuminare intellectum. 1. q. 64. a. 1. ad 5.

Paternitas eſt in Angelis ſecundùm actus Hierarchicos, ſicut magiſter eſt Pater diſcipuli. 1. q. 45. a. 5. ad 1.

Prædicare ex officio convenit Prælatis; Religioſis autem ex commiſſione. 2. 2. q. 187. a. 4. ad 2.

Primum principium in ſpeculativis eſt, idem ſimul non poteſt eſſe & non eſſe; In practicis autem, bonum eſt appetendum, malum verò fugiendum. 1. 2. q. 94. a. 2.

Prudentia non eſt nobis à naturâ, niſi quo-ad principia ejus, quæ ſunt magis nobis connaturalia quam prima principia ſpeculationibus. 2. 2. q. 47. a. 15.

Ratio prudentiæ procedit à duplici intellectu, ſcilicet primorum principiorum vniverſalium, & alicujus ſingularis, ſcilicet finis particularis. 2. 2. q. 49. a. 2. ad 1.

In ſunt nobis naturaliter vniverſalia quædam principia ad omnes ſcientias acquirendas. 1. q. 117. a. 1 ad 1.

Subtilitas tactus ſequitur æqualitatem complexionis: Ideò quantò quis eſt melioris tactus, tantò melioris eſt intellectus. 1. q. 76. a. 5.

Principium viſionis intellectualis triplex, ſcilicet lumen naturale, lumen habituale, & primum intelligibile, per quod homo intelligit alia. 2. 2. q. 15. a. 1.

Quod Sacerdotum ſit alios docere. *Vide Cognitio Poteſtatis, & Virtus Cognitionis.*

Magis vniverſalia & communia ſunt priora in noſtrâ ſenſuali & intellectuali cognitione. 1. q. 85. a. 3.

Homines diriguntur ab Angelis, vt inferiora a ſuperioribus, varia bilia ab immutabilibus. 1. q. 13. a. 1.

Fides parit cognitionem. *Vide Med. Cogn.* de fide certâ & obſcurâ.

UNDE PROCEDIT cognitio & ſapientia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Sapientia eſt maximum in nos Dei beneficium *vt Vide infrà ſapientia à Deo.* Illam etiam ab hominibus beneficijs promeremur, dum ſapientes colimus, & Magiſtros præmiis donamus, licet nullo prætio æquari poſſint præclaræ illæ animi dotes.

MAGNITVDO. Vt loca cæteris excelſiora magis à ſole illuſtrantur, ſic gradus naturæ ſuperiores magis ſunt participes divinæ ſapientiæ; Animalia enim excellunt cognitione ſuper vegetabilia, Homo ſuper animalia, Angeli ſuprà homines. Ex ſingularibus experientijs colligimus vniverſales notitias, quas iterùm ſingularibus applicamus.

DVRATIO. Traditione docentur artes omnes, & multæ etiam, tùm ad divina, tùm ad humana pertinentes diſciplinæ, traditæ per manus majorum, ad poſteros cum augmento perveniunt: ſic ſapientiam ſperamus à ſenioribus, qui plura viderunt. Conſuetudo optima legum interpres.

POTESTAS. Poteſt jam eſſe innocens divitiarum votum, quia his poſſunt ſcientiæ comparari, ex quo hominum cupiditas fecit illas venales: Artium & ſcientiarum ſecreta nunc prætio æſtimantur, hinc videas divites vrbium adoleſcentes, etiam liberalibus diſciplinis inſtructos; at pauperes omnes ruſtico altà rerum ignorantiâ laborantes. Quidam litterarum amantes Principes collapſas fato ſæculi ſcientias reſtituunt.

COGNITIO. Nihil in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; Vndè plato dicit Philoſophiam originem ſumpſiſſe ab oculis, qui omnia perluſtrant: ſcientia pendet, non tantùm a docili genio, ſed etiam à bonæ fidei memoriâ, quæ ſibi depoſitum fideliter reſtituit.

VOLVNTAS. Vt ignis habet cum ardore ſplendorem, ſic amor cum ingenti affectu induſtriam; ſuo enim calore torpentes ſpiritus exluſcitat: ſic vere aves efficit muticos, & ad prolem educandam induſtrios; ſic Amaſij ſunt eloquentes, novarumque artium inventores, vt optatis fruantur. Amoris divini flammæ fœliciter animas colluſtrant. *Vide Cognit. Volunt.*

VIRTVS. Quò virtutes terſiorem efficiunt à vitijs animam, eò faciliùs ad ſcientias humanas, divinaſque excipiendas diſponunt. Religio Chriſtiana ſcientias maximè promovit, ad primum enim principium conſcendens, hinc etiam in ſecundas omnes cauſas facilem ſibi efficit liberumque proſpectum; ſcientiæ fovent, virtutes, vndè & mutuò virtutes ſcientias colunt. *Vide Virtus Cognitionis.*

VERITAS. Leges divinæ & humanæ, præſidente naturali veritatis inſtinctu, publicum exercent in omnes homines Magiſterium.

GLORIA. Honos alit artes: ſic olim non modò ſapientibus, ſed & artificibus propoſita, tùm vtilia, tùm honorifica præmia. Vt lumen oculos, ſic mentem veritas delectat; hæc autem delectatio eſt ſtudij incentivum.

DIFFERENTIA. Vlyſſem dicunt ſapientiam peregrinatione aſſequutum, quâ omnium hominum mores, & regionum mira perluſtravit. Qui ſpeculatur abſtrahi debet à ſenſibus. *Vide Cognitio Differentia.*

CONCORDANTIA. Hominum ſocietas, non tàm ad bonorum corporis, quàm animi commercium: hinc enim artes & ſcientiæ quibus carent barbari; hinc etiam ignorantibus grata eſt Doctorum ſocietas; Quilibet à ſapientiorum conſilio debet agenda perdiſcere, maximè publicis in rebus. *Vide Conovidantia Cognitionis.*

CONTRARIETAS. Oportet hæreſes eſſe, vt ſic fides exagitata altas agat radices, & collatis in vnum induſtrijs fiat illuſtris: ipſa rerum agendarum difficultate inardeſcit animus, inſolita miratur, & admiratione ad inquiſitionem provocatur.

PRINCIPIVM. Bona indoles, ſeu à complexione, à parentibus, ab aſtris, vel à preſidente numine multùm confert ad ſcientias; ſic ad illas quidam nati ſunt, vt à ſeipſis ſinè magiſtro inſtruantur, magni ſcientiarum profectus ab iſtis, qui illarum poterant authores exiſtere, ſi nullus prior inveniſſet.

MEDIVM. Ideò homo videtur ſcientiarum capax, quia medius eſt inter formas ſenſibiles & alias penitus à materiâ abſtractas; magis enim participat de intellectuali, quo eſſentialis ſua differentia conſtituitur. Multum conferunt ad ſcientias magiſtri, libri, vt ad artes inſtrumenta. Fortuna media inter ſplendidam & abjectam aptiſſima eſt ſtudijs, quæ negant deplorata paupertas, & nimia nobilitas, publicis officijs addicta.

FINIS. Exultæ ſunt artes & ſcientiæ, vt neceſſariæ ad finis quem ſibi quiſque proponit executionem.

MAIORITAS. Excellentiæ avidi colimus ſcientias; vndè homo homini præfertur: ſcientijs enim etiam fortuna ſuos litat honores.

ÆQVALITAS.

ÆQVALITAS. Pudet inter naturâ & genere æquales, æqualem non eſſe in ſcientiâ; vnde ſciendi deſiderium accendit æmulatio. A

MINORITAS. Multi ad Philoſophiæ portum pervenerunt fœlici naufragio, quo bonorum fortunæ jacturam paſſi fuerant, humilitas & docilitas maxima ad diſciplinas præparatio.

SCIENTIA A DEO.

Vide Principium Veritatis.

ARtium & ſcientiarum inventio, fœlicitatis magis eſt cujuſdam, quàm excellentis alicujus facultatis, vt potiùs pro temporis partu haberi debeat, quàm pro partu ingenij. Baconius in novo organo. B

Piſces imbribus cœlo miſſis maximè gaudent & aluntur, hiſque deficientibus examinantur. Plin. lib. 9. cap. 16. ſcientiæ humanæ debet ſuperinfundi divina.

In Serapidis templo Memnonis ſtatua, quotidiano ſolis ortu contacta tadijs, vocalis fiebat. Id. lib. 36. c. 7.

Iupiter habet caput puerperum, pariens Minervam Lucian. dialogo Neptuni & Mercurij.

Mercurij diſputationes omnes à votis incipiunt, & in ſacrificia deſinunt. Pythagoras à ſacrorum hymnorum cantu ſtudia inchoabat; hinc Minerva ſapientiæ Dea ſolo Iovis capite nata fingitur; hinc illud, ab Iove principium Muſæ, Iovis omnia plena. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 12. c. 1. C

Mortalia vſu comparantur, naturalia ratione quærenda, divina à Deo oratione petenda; vndè Plato ſæpe dicit divina vitæ puritate à Deo revelari, potiuſquàm verbis & doctrinâ diſci. Beati cœlites, qui in Deo, tanquàm in luce, omnia vident: ſecuræ beſtiæ quæ tanquàm in tenebris, nihil, nequidem defectum ſuum intelligunt; omnium infœlix homo, anxius titubat, & vexatur tanquàm in nebulâ, niſi divina lux veritatem cum beatitudine largiatur. Illi nihil externum & craſtinum, quoties vult ſerendo metit, ſeritque metendo: ideò ait Chriſtus vitæ magiſter ſacra myſteria D dari quidem vulgo velata, electis autem diſcipulis penitùs revelari. Qui extrà Deum quærit veritatem, quærit in ſtygiâ palude nectar. Id.

Plantæ radicibus terræ hærent, ſed à cœleſti influxu vim habent: ſapientia circà res humanas verſatur, tamen à Deo normam & vim debet accipere, ſic pretioſi lapilli materiam habent à terrâ, formam à ſole. Cæca & inconſtans eſt mens humana, niſi à Deo lucem & ſtabilitatem accipiat: nihil ſcitur ſinè prima cauſa, quæ & nobis vt principium, ſic finis eſt. Ideò. D. Aug. lib. de verâ Religion. cap. 13. præcipit his qui publica adminiſtrant, ſemper intendant in legem divinam; & Deus præcipit Principibus, legem ſuam E ſemper meditentur, vt qui regit navem cœlum maximè attendit.

Natura agit propter finem, non cognitione propriâ, ſed directâ à Deo. Vide ſuprà.

Ægyptij ſcriptores, putantes omnia inventa eſſe à Mercurio, ſuos libros illi inſcribebant. Pythagoras & Plato didicerunt Philoſophiam ex columnis Mercurij, quæ erant plenæ doctrinis. Iamblic. de myſterijs.

Plato in Theage, ſeu dialogo de ſapientiâ, probat civilem ſapientiam à Deo infundi, nec enim illi ſufficit naturalis hominis mens. Id. in Io. probat bonos Poëtas afflatu & furore divino fieri.

Potona mater Platonis viſa ſibi eſt à phantaſmate Appollinis compreſſa. Div. Hieron. contrà Iovinian.

Deus per Mercurium, cœleſtium minimum, ſapientiam virtutum maximam ſignificari voluit, vt meminerimus minimam eſſe in hominibus ſapientiam, quippè cum nobis à ſtellarum minimâ promittatur. Sol Deum; Mercurius ſapientem ſignificat: Mercurius autem nunquàm à ſole diſcedens ſignificat animum duntaxat ſapientem fore, qui non diſcedit à Deo. Marſil. Ficinus.

De divinationibus. Vide infrà hoc titulo. *Vide Majoritas Cognitionis.* de variis divinationum ſpeciebus.

Hinc fit vt in rebus dubijs optima conſilia dentur à minùs ſapientibus conſiliarijs.

Sæpè ſunt fortunatiores, qui minùs conſultant, ſic enim à non errantibus cœleſtium & ſuper cœleſtium aguntur influxibus, dum proprij motus eos non infeſtant. *Vide Cognitio Voluntatis.* de divini amoris illuſtrationibus.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ioan. 1. Ex tenebroſo loco, & per medium obſcurum, lucernam diſtantem videmus, quæ tunc ſui ſpeciem, non lumen, diffundit, ideò greſſus ex ipſo dirigere non poſſumus; Chriſtus ergò proximior factus eſt, vt ejus vtcremur lumine. D. Auguſt. tract. 1. de diverſ. c. 6. *Vide Principium Virtutis.*

Ioannes Evangeliſta dicit Dei mentem eſſe viam, veritatem & vitam, ac neminem ad Deum proficiſci niſi per ipſum: eſt enim veritas rerum intelligendarum, vita mentis intelligentis via per quam res menti influunt, & in quâ mens rebus ſit obvia lucentes oculi luce communi lucentia vident aures aëreæ, communi aëre aërea audiunt; veridicæ mentes, veritate communi, vera intelligunt & pronuntiant: Vndè idem D. Ioannes Theologos vocat Dei filios, quia per divinas ideas quotidie reformantur. Cætera videmus per ſolis lucem, quàm tamen in ſuo fonte non poſſumus ſuſtinere; decipimur ſæpè vt plebeij, qui nocte dicunt ſe in lumine Lunæ videre, cum tamen ſit illud ſolis lumen, quo etiam nocte vident: ſic ingrati homines lumine proprio & naturali vera ſe affirmant inſpicere, quæ in lumine communi divinoque inſpiciunt. Sicut anima vitæ corporali ſemina inſerit rerum generandarum, ità Deus cognoſcendarum animis ſuggerit igniculos, vt principium, medium, finis. Vitæ corporali eſt anima rationalis ſimulachrum: intellectualis autem vita eſt ſimulachrum vitæ mentiſque divinæ. Marſ. Ficinus. Theolog. Platon. lib. 2. *Vide Principium Poteſt.* Reges à Deo.

Vt oculus corporis non eſt lumen, ſed virtus luminis capax; ità mens, quæ eſt oculus animæ, non eſt veritas, licet capiat veritatem: mens enim quærit veritatem, vt aliud à ſe ipſam perficiens; falſum etiam ſæpè eſt in mente, quod non contingeret ſi mens eſſet veritas. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 1. c. 6.

Mos erat in templis cogi Senatum, & antequàm negotia fierent immolari Sacrificium. Aul. Gellius lib. 14. c. 7.

Quidam Aſtræus, oculorum ſuorum incremento, atque decremento, Lunæ quoque deſignabat mutationes. Photius in biblioth. cap. 166.

Omne viſibile fit per primum viſibile, ideſt lumen; & intelligibile à primo intellectu. *Vide Miner. Differentia.* Vnitas.

EX THEOLOGIA.

PRophetia non poteſt eſſe à naturâ ſed tantum à divinâ revelatione. 2. 2. q. 172. a. 1. D. Thom. Anima Chriſti perfectius cæteris vidit divinam eſſentiam, propter vnionem. 3. q. 10. a. 3.

Agnus Paſchalis immolabatur poſt æquinoctium vernum, in quo incipiunt dies creſcere. Sic à Chriſto juſtitiæ lux.

D. Dyonisius dicit nos procedere ad divina, tùm radio ſemel ab initio menti infuſo, tùm accedente lumine, mentem aſſiduè colluſtrante. At verò quid in ſe ſit mens non agnoſcit, niſi transformata & facta Deus Dei propriâ luce formata, calore fauta, poteſtate transformata.

Actio intellectus & cujuſlibet creaturæ dupliciter dependet à Deo, ſcilicet formaliter, & effectivè. 1. q. 105. a. 5.

Angeli ſunt creati à Deo. 1. q. 61. a. 1.

Angeli non ſunt Principia intellectus humani, quia ejus creatio fit immediate à Deo. 1. q. 65. a. 3.

Deus eſt primum principium illuminationis animæ; ſed Angelus illuminat eam tanquam miniſter. 1. 2. q. 112. a. 7. ad 2.

Anima cognoſcit omnia in rationibus æternis, vt in principio cognitionis, non autem vt in ſubjecto, vel in ſpeculo. 1. q. 12. a. 11. ad 3.

Animalia ſunt ſagacia, quia ditiguntur à Deo, vt horologia. 1. 2. q. 13. a. 2. a. 3.

Chriſtus nihil didicit ab homine, id enim non conveniebat dignitati ejus. 3. q. 13. a. 3.

Per illuſtrationem divini luminis poſſunt quæcunque facilè videri. 2. 2. q. 180. a. 5. ad 2.

Deus perfectiùs cognoſcitur per gratiam, quàm per naturam. 1. q. 12. a. 13.

Deus principaliter infundit lumen: Angeli autem miniſtrant, proponendo exempla, vel applicando principia concluſionis. 1. q. 107. a. 1.

Chriſtus fuit principalis doctor fidei & doctrinæ ſpiritualis. 3. q. 7. a. 7.

Initium fidei non eſt ex nobis; contrarium aſſerebant Pelagiani. 1. 2. q. 114. a. 5. 1. & 2. 2. q. 6. a. 1.

Fides cauſatur dupliciter, ſcilicet quo ad habitum à ſolo Deo, & ab Angelis & hominibus, à quibus proponuntur credibilia. 3. q. 111. a. 1.

Homo indiget auxilio Dei ad cognitionem cujuſcunque veri. 1. 2. q. 109. a. 1.

Actio intellectus cujuſcumque creati dependet à Deo quoad duo. Primo in quantùm habet ab eo perfectionem quâ agit, id eſt lumen: Secundò in quantùm movetur ab eo. 1. 2. q. 109. a. 1.

Donum intellectus ità ſe habet ad nota nobis ſupernaturaliter, ſicut lumen naturale ad prima principia. 2. 2. q. 8. a. 1. ad 2.

Lex naturalis eſt, participatio legis æternæ, & impreſſio divini luminis in creaturâ rationali, quâ inclinatur ad debitum actum & finem. 1. 2. q. 91. a. 2.

Præcepta Decalogi ſunt immediatè à Deo, alia verò per Moyſem, & alios. 1. 2. q. 100. a. 3.

Scripturæ ſanctæ principalis authoritas eſt Spiritus ſanctus. 1. q. 1. a. 10.

Theologia non accipit principia ſua, nec ſupponit ab aliquâ ſcientiâ humanâ, ſed accipit immediatè à Deo. 1. q. 1. a. 5.

Ierothæus dictus eſt, non ſolum diſcens, ſed & patiens divinâ, ſecundùm Dionyſium. 1. q. 1. a. 6. ad 3.

Quidquid eſt tale pro parte, nõ eſt tale per naturam ſuam, ſed eſt tale per illud, quod eſt tale ſecundùm totum, & per naturam ſuam, vt lignum calidum eſt tale per ignem, qui eſt calidus ex toto; nam totũ non comprehenditur niſi à naturâ propriâ: at anima non eſt ſecundum ſe tota intelligibilis quia habet quaſdã naturas expertes intelligentiæ; ergò in anima mens eſt pars animæ, pars mentis altioris, quæ tota, ſolaque mens eſt; & hæc in ſepsâ libera & lucida erit caput mentis noſtræ. Marſilius Ficin. Theologiæ Platonicæ. l. 1. c. 5.

EX BIBLIIS.

DEus dixit, fiat lux, & facta eſt lux. Geneſ. 1.

Deus monſtrat Abrahamo terram, quam debet habitare. Gen. 13. ſic imaginem agendorum antè oculos Moyſi ſubjecit in monte. Deut. 4. 34.

Deus aperit oculos Agar, vt videat vicinum fontem. Gen. 21.

Iacob mane evigilans, ait, Hic eſt domus Dei. Gen. 28.

Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Math. 4.

In principio erat verbum: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.

Chriſtus dicit, Apoſtolis. Ioan. 1. Vos eſtis, lux mund. Math. 5. & 9. illuminat cæcos.

Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Math. 10.

Nemo novit Patrem niſi Filius & cui voluerit filius revelare. Math. 11.

Sapientia vbi invenitur, & quis eſt locus intelligentiæ. Neſcit homo pretium ejus & non invenitur in terrâ ſuaviter viventium: trahitur autem ſapientia de occultis, Deus intelligit viam ejus, ipſe enim finea mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit. Iob. 28.

Qui facit ventis pondus, & aquas appendit in menſurâ. Ibidem, &c. 38. dicit Deus, quod Iob ignoret per quam viam ſpargitur lux, & dividitur æſtus ſuper terram. Populus qui ambulabat in tenebris videt lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Iſay. 9. & infrà Parvulus natus nobis, &c. vocabitur, admirabilis conſiliarius, Princeps pacis, &c.

Erit dominus corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui, & ſpiritus judicij ſedenti ſuper thronum. Iſay. 28.

Erunt ſapientibus viſiones tanquam verba libri ſignati: & audient ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Iſay. 29.

Confiteor tibi pater quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſtica parvulis. Math. 11.

Scient errantes ſpiritu intellectum, & murmuratores diſcent legem. Iſay. 29.

Quis adjuvit ſpiritum domini, aut quis conſiliarius ejus fuit. Iſay. 40.

Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt; lingua eorum ſiti aruit; Ego dominus exaudiam eos: aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum; vt videant & ſciant, quia manus domini fecit hoc, & ſanctus Iſraël creavit illud. Iſay. 41.

Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperias oculos cæcorum, & educeres de domo carceris ſedentes in tenebris. Idem cap. 42. de Chriſto.

Delevi vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. Iſay. 44. & 45.

Dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum, vt ſcias, quia ego dominus. Ego dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſubſtentare eum qui lapſus eſt verbo: erigit mane; manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Iſay. 50.

Ponam vniverſos filios tuos, doctos à domino, & multitudinem pacem filijs tuis, & in juſtitiâ fundaberis. Iſay. 54.

Spiritus domini ſuper me, eo quod vnxerit me; Ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde. Iſay. 61.

Scio domine quia non eſt hominis via ejus; nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Ierem. 10.

Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit vltrà vir proximum ſuum; omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum, quia peccati eorum non ero memor amplius: hæc dicit dominus, qui dat ſolem in lumine diej, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis; qui turbat mare, & ſonant fluctus ejus. Ierem. 31.

Non eſt qui poſſit ſcire viam ſapientiæ, neque qui exquirat ſemitas ejus; ſed qui ſcit vniverſa novit eam; qui emittit lumen & vadit, & vocavit illud & obedit ei in timore, hic eſt Deus noſter; hic adinvenit omnem diſciplinam, & tradidit illam Iſraël dilecto ſuo, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Ozee. 3.

Ex animalibus Ezechielis prodeunt ſcintillæ, quaſi æris candentis. Ezech. 1.

Animalia ſubmittebant alas ſuas, cum fiebat vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum. Ibidem. A Sedente in throno procedit fulgur, & manus extendit librum, qui erat ſcriptus intùs & foris. Ibidem.

Væ paſtoribus Iſraël, ego ipſe paſcam oves meas, in paſcuis vberrimis, & montibus excelſis. Ezech. 34.

Deus revelat Danieli ſomnium regis. Ipſe revelat profunda & abſcondita; novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt. Daniel. 2.

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ; ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbant. Ioel. 2.

Facientem Acturum & convertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem. Amos. 5.

Venite aſcendamus ad montem domini, & docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis ejus, quia de Sion egredietur lex, & verbum domini de Ieruſalem. Micheæ. 4.

Mane aſtabo tibi & videbo. Pſal. 5.

Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum; Pſal. 15. Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt; inclinavit cœlos & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus. Pſal. 17. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Pſal. 17. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum. Pſal. 30.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in viâ hac quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Pſal. 31.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Pſal. 33.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35.

Ne ſileas quoniam advena ſum apud te & peregrinus. Pſal. 38.

Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Pſal. 50. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Ibidem.

Dominus dabit verbum Evangeliſantibus virtute multâ. Pſal. 67.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis. Ibidem.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem. Pſal. 73.

A Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde. Pſ. 75. Deduxit eos in nube diei, totâ nocte in illuminatione ignis. Pſ. 37.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totâ die. Pſal. 88. Sit ſplendor domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. Pſal. 89.

Tu paraſti directiones, &c. Pſal. 98.

Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ. Pſal. 118.

Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas. Ibid.

Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo ejus. Pſal. 147.

B Dominus dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia & ſcientia. Prov. 2.

Semen eſt verbum Dei. Math. 13. Ibidem Apoſtoli dicunt Chriſto, ediſſere nobis parabolam iſtam.

Petro confitenti Tu es Chriſtus filius Dei, dicit Chriſtus, Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis eſt. Math. 16. Illuminat duos cæcos. cap. 20. Aperit diſcipulorum Emaüs oculos, vt ipſum agnoſcant. Luc. vltimo.

Salomon petit & accipit Sapientiam à Deo. 3. Reg. 1. Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit & mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te, &c. Sapien. 9.

C Sacerdotes vt Dei Miniſtri docent populum. *Vide Virtus Cognitionis.*

Hominis eſt animum præparare, & domini gubernare linguam. Prover. 16. Revela domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. In Deo laudabo ſermones meos. Pſ. 55.

Ceſſant tenebræ horâ nonâ, in quâ expiravit Chriſtus. Math. 27.

Simeon dicit in cantico, Lumen ad revelationem gentium. Luc. 2.

Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris. Ioa. 8. & 9.

In judicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

D Chriſtus habet omnes theſauros ſcientiæ, & ſapientiæ Apocal. 5. & Coloſſ. 3. Clavis eſt David; claudit, & nemo aperit.

Scientiam Deus dedit Bezeleel, ad opus tabernaculi. Num. 24. quantò magis, &c.

Daniel à Deo inſtructus, cæteris ſapientior. Daniel 3. Vide Baruch. 3. Erunt omnes docibiles Dei.

Apoſtolus in raptu vidit quæ non licet homini loqui. 2. Corint. 12.

Excellens cognitio eſt à Deo. *Vide Majoris Cognit.* Deus excæcat malos. *Vide Minor. Cognit. Mala.*

Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia & ſanctificatio. 1. Cor. 1.

E Nobis revelavit Deus per ſpiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; ità & quæ Dei. 1. Corinth. 2.

Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. 2. Corinth. 4.

EX PATRIBVS.

DEus non tantùm voluit, decimas ſibi fructuum & pecorum offerri, ſed etiam primogenitos

Digitized by Google

filios; quaſi ſcientia, maſculus animæ partus, ab ipſo A
ſit. Philo Iudæ. lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ.

D. Auguſt. in proœm. lib. 1. de doctri. Chriſtiana refert S. Antonium Monachum Ægyptium, ſinè vllâ ſcientiâ litterarum, ſcripturas divinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe. Et alium ſervum barbarum Chriſtianum litteras nullo docente, ſed orando vt ſibi revelarentur, accepiſſe.

Duo Cherubim vultus non ſunt, niſi in propitiatorium; quia magnus in ſcientijs profectus a Dei eſt miſericordiâ. Idem quæ. 105. ſuper Exod.

Terra viſibilis eſt, & tamen ſinè ſole non videtur. Sic nemo novit Patrem, niſi cui voluerit filius revelare. B
D. Auguſt. in ſoliloq.

Deus eſt omnium quæ illuſtrantur illuminandi principium, vt ſol diverſâ, pro naturæ recipientium diverſitate, illuſtrans. Deus quidem natura, & re verâ propriè vt lucis eſſentia, ipſiuſque ſtatus & aſpectus author, poſitione autem & inſtituto, Deique imitatione, naturâ ſuperior, per quam in inferiora lumen manat, &c. D. Dyoniſius. de cæleſti hierarchia. cap. 13.

Sol eſt lux & mentis bonum, vt enim eos, qui decepti ſunt, dividere ſolet ignoratio, ſic ſpiritualis lucis præſentia vim habet colligendi, conjungendique eos qui illuſtrantur, & convertendi ad id quod verè C
eſt à varijs ſententijs & opinionibus. Idem de divin. nominibus. c. 4.

Dies diei eructat verbum. Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ, & nox nocti indicat ſcientiam; creatura irrationalis animæ rationali, nondùm per fidem illuminatæ. Vndè nos dicimus verbum indicatum, verbum inſpiratum, verbum eructatum; primum fecit cognitionem, ſecundum converſionem, tertium vivificationem. D. Bernard in parvis ſermonib. ſerm. 5.

Nonnulli vniverſam Philoſophiam inferiores quaſdam poteſtates inſpiraſſe exiſtimant. Clem. Alexand. l. 1. Stromat. cap. 7.

D. Auguſt. in Pſal. 140. loquens de antiquis Philoſophis. Si, inquit, aliquis eorum dixit, quod dixit Chriſtus, gratulamur illi, non ſequimur illum; Sed ais, prior eſt Chriſto; numquid prior ipſa veritate? ô homo attende Chriſtum, non quando ad te veneris, ſed quandò te fecerit: Prior cecidit ægrotus in lectum quàm medicus, venerit; vtique ideò ille poſtea venit, quia tu priùs cecidiſti, &c.

Verbum reſtituit in nobis divinæ Trinitatis imaginem illuſtrando intellectum per fidem. *Vide infrà Minoritas Cognitionis.* Cæcitas ex peccato.

Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi; ſi nobiſcum eſt, loquitur in nobis, loquitur de nobis, loquitur per nos, quin & nos loquimur in illo, & ideò verum loquimur, qui in illo loquimur: ſi enim in nobis & ex nobis loqui voluerimus, in mendacio E
manebimus. D. Auguſt. in Pſal. 56.

Materia cœleſtis ſimul cunctis formis fuit ornata, elementaris verò ſingulis momentis formatur: ſic Deus mentem Angelicam ſemel idæis omnibus implevit; Rationalem autem implet quotidie, itavt intelligere nihil aliud ſit quàm à divina intelligentia formari: nihil enim ſuprà ſe attollitur, niſi à ſuperiore trahatur; ſi modo mens non hæreat mortalibus. Marſ. Ficin. Theolog. Platon. lib. 12.

VERA SCIENTIA à Deo.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus ex maſſa rerum poſſibilium nos elegit, & creavit ſuæ ſapientiæ imagines, & iterato beneficio lapſos in confuſionem luci reſtituit: Sic prima bonitas & veritas mentibus ad ipſam capiendam creatis ſe communicat.

MAGNITVDO. Sapientiæ proprium eſt vniverſalia contemplari; quis autem bonus ad hæc ſuprà ſe poſita pertingeret, niſi ab eminenti omnium creatore elevaretur.

DVRATIO. Vagam, limitatam, temporalibus affuetam, non firmat, elevat, & promovet ad æterna ſpectacula, niſi infinita & æterna ſapientia quæ interdùm momento dat, quod longo ſtudiorum labore mens non potuiſſet conſequi.

POTESTAS. Non poteſt, niſi à ſupremo vniverſi rectore, procedere actuum humanorum rectrix ſapientia. Deus potentias noſtras in actum educit, vt forma materiam vt ſol oculos ad viſionem.

COGNITIO. Cum à ſenſibus oriatur noſtra cognitio. Vix ſui Principij fines excederet, ſi non illam ſuprema illuſtraret ſapientia: Cumque ab infinito bono procedat, ineſt illi vis fœcundiſſima vt ex acceptis notionibus novas alias ſibique mirabiles eliciat.

VOLVNTAS. Oſtendit Deus imagines perfectionum ſuarum in creaturis vt hinc illum diligamus, & quia nos liberos movet liberè, illuſtrat intellectum, vt trahat voluntatem.

VIRTVS. Sapientia regit omnes virtutes, vndè ſuprà illarum ſortem eſt; vtque ſit eo quod regit ſuperior, debet procedere à Deo.

VERITAS. Idæas vniverſales rerum verè infundit æterna ſapientia omnium creatrix, & quæ rebus omnibus legem dixit. Inter tot creaturas, in diverſa mentem noſtram avocantes, vt inter non convenientia teſtimonia, conſulendus ipſarum autor; & vt inter pugnantes leges Principis expectatur oraculum. D

GLORIA. Torquent, anxiamque mentem efficiunt, ſtudijs naturaliter quæſitæ ſcientiæ: At ſapientia quæ habetur à Deo, ſapida eſt, delectat, implet, ſecuros, quietoſque efficit; eſt enim prævia æternæ fœlicitatis, quæ in viſione conſiſtit.

DIFFERENTIA. Abſtracta debet eſſe cognitio, vt ſit vera; veram autem abſtractionem, tùm phantaſmatum, tùm affectuum, habemus à Deo, qui ità rebus omnibus præſens eſt, vt ſit tamen impermixtus. Quælibet ſcientia habet ſuum ſingulare objectum, quod cum contemplatur, alia deſerit, nec fruitur veritate, quæ vna eſt in omnibus. At ſcientia infuſa à Deo, vt à principio magis vniverſali, ad omnia ſe copioſiùs diffundit, omniaque videt in omnibus vi ſibi impreſſa ab eo, qui eſt omnia in omnibus.

CONCORDANTIA. Si omnium rerum optamus cognitionem, quia cum omnibus habemus ſympathiam; id maximè conſequimur per ſcientiam traditam à Deo, qui eſt prima cauſa illius convenientiæ, & principale objectum, propter quod aſſequendum quærunntur cætera, quæ illud referunt; Vndè lumen ab illo proficiſcens mentibus noſtris convenientius eſt; vt oculis gratius eſt lumen ſolis, qui ad eorum generationem conrulit, quàm ignis.

CONTRARIETAS. Quæ medijs humanis habentur

ſcientiæ, ſequuntur ſortem rerum humanarum in contrarietate poſitarum dubijs variiſque contrarium rationibus exagitantur: Dei ſolius eſt has tempeſtates verbo ſuo ſedare, & has tenebras ſuâ luce diſcutere; In mentibus, vt in mundo, ex contrarijs concentum mibilem educere.

Principivm. Primus homo à Deo edoctus; ſi ſcire eſt cognoſcere per cauſas, vera hæc eſt ſcientia, quæ à prima omnium cauſa ducit originem & ad ipſam motu ſuo naturali revolvitur.

Medivm. Deus Pater vſque modo operatur creando mundos intellectuales in mentibus humanis: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ; lux autem ſeipsâ videtur, & per ipſam cætera videntur. Tunc verè illâ fruimur, cum ſinè medio, quod nunc-quàm intercedit ſinè aliquâ alteratione; vt rei geſtæ veritas læditur ex diverſo illam referentium affectu & conceptu.

Finis. Radium ſequendo pervenimus ad ſolem, ſic ad Deum excipientes immiſſum ab eo lumen. Magis nos delectat & implet, quia habet aliquid vltimi noſtri finis.

Maioritas. Bona plus æſtimantur, quæ propriâ ſuâ manu nobis Princeps largitus eſt; majora ſe ſperat conſequuturum, qui ſemel ſapientiam ab hoc inexhauſto hauſit fonte, timendus tantùm exceſſus, ne infirmæ potentiæ ab illo torrente voluptatis, & à nimiâ luce ſuperentur; ſed qui illas implet, etiam dilatat, & fortificat.

Æqvalitas. Securiores Regulæ, quæ à primâ mullis intermedijs, rectitudinem accipiunt; Expreſſiores imagines ab ipſo prototypo ducuntur. Summè mentem afficit hoc cognitionis privilegium; & ne ſit ingrata, illam ad divinum, ſicque beneficum amorem blandè ſollicitat.

Minoritas. Hanc divinitùs acceptam ſcientiam ſemper comitatur humilitas; animus enim videt ſe, vt ſpeculum, non à ſe, ſed à ſuo ſole illuſtratum. Mihi, inquit, vt infirmo donatum eſt, quod alij ſuis poſſunt conſequi viribus: Gaudet tamen quod quic quid eſt in ſe boni & veri ſit Dei munus: Ex hoc debili radio, conijcit quales ſint beatitudinis ſplendores, & longe ab illis ſe poſitum videns etiam cum illuſtri inter cæteros ſcientiâ humilis eſt.

PRONI ESSE DEBEMVS ad docendum.

MISCELLANEA.

IN Ægypto Mercurij columnæ plenæ erant doctrinis, & hinc Plato & Pythagoras Philoſophiam didicerunt. Iamblicus de myſterijs.

Seth duas columnas fecit, vnam lapideam, alteram latericiam, in quibus deſcripſit artes & ſcientias, quas hactenùs invenerat, vt ad poſteros pervenirent. Ioſeph. lib. 1. antiquit. cap. 3. Nunc typis mandantur ſcientiæ vt publicæ fiant: invidia enim, vt ait Plato, procul eſt à rebus ſacris, ſacra autem res eſt ſapientia.

Ab Euſebio Chriſtus vocatur ſol animarum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; ſeù lege naturali ſeù lege gratiæ per apoſtolos, de quibus dicitur in omnem terram exivit ſonus eorum.

Olim impium videbatur erranti viam non demonſtrare.

Paternitas eſt in Angelis, ſecundùm actus heroï-

A cos, ſicut Magiſter eſt Pater diſcipuli. 1. q. 45. a. 5. ad 1. quomodo, ſuperiores ſemper illuſtrent inferiores. Vide ſuprà in Theologicis.

Arguit dominus ſervum, qui non fœneravit. Luc. 19. ſervus inutilis ejicitur in tenebras exteriores; Fac vt ſint operarij multi, ſicut meſſis multa. Math. 9.

Nemo accendit lucernam & ponit eam ſub medio. Math. 5.

Subſtantiæ quantitas accedit, & ſinè quo caret omni decore, nec videri, nec agere poteſt.

Videte ne in vacuum gratiam Dei recipi atis. 2. Corinth. 6. & ad Timotheum. Noli negligere gratiam quæ in te eſt. 1. Tim. 4. de ſeipſo dicebat, gratia Dei in me vacua non fuit.

B Fœneratur peccator & non ſolvit. Ideſt accipit & non reddit. Iuſtus autem miſeretur, & commodat. Pſal. 36.

Quia non crevit quod dederam, quia non erogaſti; inde, inquit, te puniam, Auarus eſt Deus ſalutis noſtræ, &c. D. Aug. in Pſal. 99.

Emittens fontes de convallibus. Pſal. 103. vt fluant de vobis, convalles eſtote, id eſt humiles, & cum omnibus conferte, quod de Deo habetis: Inter medium montium pertranſeant aquæ. Idem in Pſ. 103. Conc. 2.

Si cum hac exceptione detur ſapientia vt illam inclusam teneam, nec enuntiem, reijciam. Nullius boni

C ſinè ſocio jucunda poſſeſſio eſt. Senec. epiſt. 6.

Architas dicebat, etiam in cœlo vndè liceret rerum omnium mirabilem ordinem ſpectare, vitam ſinè ſocio, odioſam ſibi futuram.

Omnis res quæ dando non deficit dum habetur, & non datur, nondùm habetur quomodò habenda eſt. D. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſti. cap. 1.

Nutrix plenis vberibus, tàm vrgetur ad lac præbendum, quàm puer indigentiâ ad ſugendum.

Non fragrant ſuavia pigmenta, niſi attrectata, & ventilata: nihil prodeſt condirus theſaurus; ignis cinere occultatus nulli eſt vſui. Intelligentiæ fœlices ſunt cœlos movendo, tùm quia implent Dei mandata, tùm quia rebus inferioribus perfectionem com-

D municant.

Ignis non valens attingere ſphæram dilatatur in materiâ, ſic amor ſapientis. Stomachus non ſibi tantùm, ſed & alijs membris cibos recipit; ſic vir bonus ſcientiam.

Quod talentum non ſit abſcondendum dici poteſt ex Impp. Gratian. & Valent. conſtitutione. l. 2. Cod. de cenſibus & cenſitoribus quæ ſic habet. Quiſquis vitem ſuccideris aut feracium ramorum fœtus verave-rit quo declinet finem cenſuum, & mentiatur callidæ paupertatis ingenium, mox detectus competenti indignationi ſubijciatur.

Sic de his qui filios mutilant, vt militiâ ſubtrahant.

E Mas id animal eſt quod in alteto gignit, fœmina verò quod in ſeipſa Fernel.

Deus rerum omnium ſpecies, quæ ab æterno fuerunt in verbo, mentibus Angelicis impreſſit. D. Tho. 1. q. 56. a. 2. *Vide Cognitio virtutis. Bona.*

Math. 25. Dominus damnat ſervum qui erogare noluerat: ſervavit ad integrum quod accepit, ſed Dominus ejus lucra quærit: Avarus eſt Deus ad ſalutem noſtram ſi; ſic damnatur qui non erogavit, quid debent expectare qui perdunt. D. Auguſt. ſerm. 50. de Sanctis. *Vide Virtus Bonitatis. & Med. Virtutis.* de admonitione, & prædicatione.

Docere eſt actus vitæ ſimul activæ & contemplativæ, ſcilicet quo-ad interiorem actum. D. Thom. 2, 2. q. 181. a. 3.

Digitized by Google

Qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Labia ſapientum diſſeminant ſcientiam. Proverb. 15. *Vide Magnis. Veris.* communis veritas.

Anno Chriſti 75. multi Philoſophi circumeunt Provincias, adeuntque nobiliſſimas civitates, vt mores labefactos corrigerent. Hi fuere Apollonius Thianæus, Demetrius Cynicus, Dion. Chryſoſtomus, Muſonius Babylonius, Epictetus Stoicus, Diogenes Iunior, & alij. Vide Baron. ann. 75. numer. 6.

Aſinius Pollio primus Romæ Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit; etiam Alexandriæ & Pergami Reges Bibliothecas magno certamine inſtituere. Plin. l. 35. c. 2.

Deſidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis B gratiæ ſpiritualis ad confirmandum vos. Rom. 1.

Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent. Ibidem loquens de gentilibus, quos tradidit Deus in reprobum ſenſum, ait. Digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. *Vide Virtus Cognitionis*, ex bibliis.

De prædicatoribus. *Vide Med. Veris.*

Homines in Oriente degentes, magis maſculos animos & firmiores habent, minùs ſunt occultatores; nam Oriens naturæ ſolaris eſt, divina, virilis, calidior, vt in animantibus, dextra pars. Ptolomæus. Prædict. Aſtrolog. lib. 2. c. 2. Ad Occidentem verò C degentes effœminatiores ſunt & molliores, & occultatores, nam hæc pars Lunæ attribuitur: quia Luna poſt conjunctionem ſemper primùm ab occaſu conſpiciendam ſe præbet; ideò nocturna eſt & ſiniſtra, tanquàm Orienti oppoſita. Ibid.

A tur ſub medio, ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Tot artes, quæ traditione ad nos pervenerunt, probant earum facilem & bonæ fidei communicationem: at liberabilior debet eſſe diffuſio litterarum, quæ ideò vocantur liberales: Lumen non vult latere, ſeipſo emicat è tenebris; ſic vnuſquiſque naturaliter vult videri ſciens, vt hac inclinatione ad docendum alios promoveatur.

VOLVNTAS. Maximus eſt charitatis effectus docere ignorantes; ſic ſe prodit parentum amor in filios; ſic ſpiritus S. Apoſtolus docuit, & Chriſtus mundum; ſi optas vt eadem tecum velint, fac vt eadem intelligant. Naturaliter non minùs ſciens optat docere, quàm ignorans doceri, vtrique vim facit invidia, I docenda reticeat.

VIRTVS. Virtutum Theologicarum prima eſt ordine fides quæ eſt ex auditu. Hinc à zelo prædicantium pendet Religio. Tot manibus, tot cordibus virtutem amplecteris, quot ad illam diſcipulos formaſti.

VERITAS. Omnia ad lucem colores & figuras ſuas manifeſtant; ſic mens quæ exiſtit in luce divinâ, alios quæ ſcit docet: ideò enim ſibi putat impreſſas eſſe ſcientiarum ſpecies, vt ſit alijs quaſi liber vivus, omnibus apertus, omnique legere volentium oculis expoſitus.

GLORIA. Tanta eſt in docendo voluptas, vt vix ab hac ſe contineant, etiam hi quibus injunctum eſt ſecretum; ſequere hoc innocenti pruritu blandientem, & ad docendum allicientem naturam.

DIFFERENTIA. Artes & ſcientiæ excoluntur, dùm ſinguli ſua inventa in medium proferunt & veritatem, diverſa perluſtrantes mentes, ſecurius venantur.

CONCORDANTIA. Ad hoc inſtituta civilis ſocietas, vt vnus alterum doceat, mente & doctrinâ præſtantior ignorantem. Diviſis poſſeſſionibus, hujus ſpiritualis boni communio relicta eſt, quia inter plures diviſum, non patitur imminutionem, ſed accipit multiplicationem, & quò magis ſcientia in commune poſſidetur, majori diligentiâ excolitur; pudet enim tunc in illâ deficere.

CONTRARIETAS. Quot ſunt diſcipuli, tot ſunt fidi D commilitones, pro defenſione oppugnatæ veritatis. Hinc etiam turba neceſſaria eſt, vt paribus armis contrà falſas opiniones decertet, & tàm numero quàm virtute prævaleat.

PRINCIPIVM. Filius quantumcumque per ætatem creverit, vitam ſuam debet Patri ſuo, ſic ſalva eſt gloria Magiſtri, etiam in maximis diſcipulorum profectibus. Ineſt huic ſpirituali generationi ſua mentem abripiens cupiditas, ſuaque cæteras excedens voluptas; & quia nos divinis ſimiliores reddit, verecundiâ corporali generationi annexâ vacat.

MEDIVM. Omnes vnum corpus ſumus, & ſinguli, alter alterius membra. Ideò ſi in hoc corpore oculi partes teneas, tuum eſt cæteros dirigere: quid enim ſi E oculus ſibi tantùm videret?

FINIS. Non eâ doceas intentione, vt cæteris doctior videaris, ſed vt alios ad Deum, qui eſt communis omnium finis, dirigas, ne aberrent, & ne illorum inſcitia tuæ culpæ adſcribatur.

MAIORITAS. Si meliùs eſt dare quàm accipere, meliùs eſt docere quàm doceri, & tamen optimum eſt naturæ rationali, quæ eſt in potentiâ ad ſcientias, illis formari; hinc conjicere licet quantùm ſit bonum alios docere, & excellere in hac perfectione intellectuali, quæ nos ſuprà naturam, fortunam, opinionem, ſuprà noſmetipſos evehit, vt in Angelorum ſortem conſcribar.

PRONI ESSE DEBEMVS ad docendum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Non debet eſſe difficile beneficium, quod largitione non patitur detrimentum. At lumen intellectuale, non ſecùs ac ſenſibile, ipsâ ſui communicatione augetur.

MAGNITVDO. Spiritualis hæc qualitas non vult materiæ limitibus coërceri, nec vni tantum competere, quod in plures debet diffundi. Scientia donum Dei eſt, tibi collatum, vt per te ad alios perveniat, quid ſi radium hunc divinum diffundi vetes, & vitio tuo, tot illuſtrandi intellectus Eclypſim patiantur?

DVRATIO. Immortalitatis avidi non ſinamus in nobis perire inventa, quæ fœliciter in poſteros poſſunt propagari. Multa beneficia vſu ipſo conſumuntur, at collata ſemel inſtitutio donum eſt immortale: nam ſeù in moralibus, ſeù in ſpeculativis, ex vno E dato principio innumeræ eliciuntur concluſiones & actiones, ſic & longum gratiſſimumque tibi paras, per totius vitæ tempus, beneficij tui ſpectaculum; jura enim inſtitutionis, vt ſanguinis, nunquàm dirimi poſſunt, ſemper hic tuus futurus eſt diſcipulus.

POTESTAS. Turpiſſimum eſt poſſe docere, & nolle, quaſi timeas æmulum, hoc ipſo infirmitatem tuam confeſſus: qualis futura eſt doctrinæ tuæ æſtimatio, quam tibi ſingularem efficis, non ingenij præſtantiâ, ſed timidâ & furtivâ reticentiâ.

COGNITIO. Præcipit Chriſtus, ne lumen pona-

ÆQVALITAS. Docendo diſcis; occurrent enim à te nondum excogitata, ſeù novæ luci occaſionem præbeant diſcipulorum quæſtiones, ſopitaſque ſpecies exſuſcitent; ſeù mens docendi voluptate illecta, aliquid audeat ſuprà vires ſuas, ſeu ſapientiæ dator Deus tantùm in te infudat, quantùm ſui amore in alios effuderis.

MINORITAS. Quotidie ignorantiam noſtram experti lumen à Deo petimus, & vt id mereamur conſequi, quod in nobis eſt cæteris communicamus; Date, inquit Chriſtus, & dabitur vobis. Angeli ſuperiores non illuſtrantur ab inferioribus. At docti interdùm diſcunt ab indoctis, & ex paucis quæ ab illis acquirunt, ad majora viam ſibi parant.

MEDIVM COGNITIONIS.

QVIBVS MEDIIS HABETVR COGNITIO.

MISCELLANEA.

MEDIA ſeu inſtrumenta cognitionis ſunt hæc, præſentia, lux, vox, ſonus, oratio, eloquentia, litteræ, admonitio, explorator, teſtis, informatio, acus nautica, polus, archivum publicum, libri, caracter, ſtygmata, nomen, facies, veſtigia, ſcientiæ, artes, ſyllogiſmus, logicæ organum, pictura, ſculpturæ, imago, deſcriptio geographica, theatrum, eculeus, vinum, tympanum, ſignum, teſſera militaris, ſyndereſis, confeſſio, inventarium, licitatio, promulgatio, bannum, ideæ, exempla, præſagia, memoria, definitio, ſpecies intentionales, quinque ſenſus, perſpicilia, aër, diaphanum, &c. *Vide Cognitio Bonitatis. Magnitudinis.*, &c. aliorum principiorum, & hinc collige media quibus habentur tales cognitiones. Vt venatio. Denique cum omnia cadant ſub ſenſum aut intellectum, poſſunt eſſe media cognitionis menti humanæ, quæ vnum ex alio infert.

Contemplatio fit per phantaſmata.

Ad eruditionem indigemus naturâ, more, & ratione. Ariſt. 7. polit. 15.

Si pulmone marino, qui eſt ſpongiæ ſpecies, baculus perunguatur, nocte facis accenſæ modo lucet.

Accidentium conſideratio eſt vtilis ad ſubſtantiæ cognitionem.

Æqui & boni adjutrix lex. Ariſtot. Continua meditatio perficit cognitionem. *Vide Duratio Cognitionis.*

Cum cœli ambitus non poſſit, nec manibus attingi, nec oculis conſpici, impoſſibile eſt in hac vitâ aſtronomiam tradere ſinè hypotheſibus & fictis circulis.

De conſilio. *Vide Concordant. Cognitionis.*

De delatoribus. *Vide Cognitio Minoris.*

De exploratoribus. *Vide Cognit. Poteſt.*

Ad ſapientiam in conſilijs opus eſt ſcientiâ & experientiâ proſperæ & adverſæ fortunæ: vndè, vt refert Iuſtinus, Mithridates dicebat, fortuna multis rebus ereptis vſum dedit benè ſuadendi, nam edoctus eſt ab his, à quibus læſus, Miſeria prudentiæ bona mater: ex periculis naſcitur ſolertia. Athleta non poteſt magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquàm ad certamen deſcendit; Ita bonus conſiliarius debet eſſe vtriuſque fortunæ gnarus de experientiâ. *Vide Durat. Cognitionis.*

Fumus terræ eſt herba ſic dicta, quia ſi ſuccus ejus in oculum immittatur elicit lachrymas, ſicut fumus, tamen poſteà oculis miram adfert claritatem.

Ex occurſu rei recordamur ſimilis, ideò veteres crediderunt non deprehendi ſimile, niſi ſimili.

Materia ſpeculi eſt lenitas intenſa, & forma verò perfecta politura. Lenitas in ſpeculo, eſt magna partium concinnitas, carens puris ſenſibilibus omninò; vndè lignum non poteſt eſſe ſpeculum. Politura verò eſt omnis aſperitatis amotio, non debet eſſe colore ſenſibile, nec infectum pulvere, halitu, humore, &c.

Quæ juvent viſum, collige ex his quæ impediunt. *Vide Contrariet. Cognitionis.*

Quæ nocent docent, icti ſapiunt.

Ophtalmica ſunt, fœniculum, euphraſia, ruta, verbena, chelidonium, majorana, betonica, hellonium, radix valerianæ, ſemen hormini, liquor ex jecore piſcis, qui vocatur muſtella.

Ex cauſis effectus, ex effectibus cauſæ colliguntur, contraria ex contrarijs, ex minimis magna; vt ex eo quod gutta aquæ ſe in globum coerceat, mundi machinam, & aquarum molem eſſe rotundam; ex ſtellis cœlorum globos, ex his quæ ſunt in tipis ea quæ ſunt in abyſſo. Lucernæ efficiunt hyeme halones, ſicut aſtra; Irides fiunt in vitro aquæ pleno, & ſoli oppoſito. Sic ex operibus artis conjicimus opera naturæ.

Aſtronomi primum indagant magnitudinem illius orbis qui componitur ex terrâ & aquis: hinc contendunt ad corporum cœleſtium menſurandum radios & craſſitiem.

Oſſa inſenſibilia obvolvuntur membranis acutiſſimi ſenſus; ſic dùm princeps parùm ſeipſo ſapiens habet prudentes conſiliarios. Viſus non fit per inane.

Fidus amicus qui mentis nebulas diſcutit.

In Taprobane inſulâ, ſyderum nulla obſervatio in navigando, Septentrio non cernitur, ſed volucres ſecùm vehunt, emittentes ſæpiùs, meatumque earum terræ petentium comitantur. Plin. nat. hiſt. 6. c. 22.

Vt diurnus liber aër eſt ſpiritibus amicus, ità nocturnus eſt inimicus. Marſil. Ficinus. Cœlum videri non poſſet per lumen, niſi eſſet in eo quædam ſolliditas terrea, viſuales quodammodò radios repercutiens. Solis radi ſtatim poſt occaſum, cum per ſe non videantur, medijs quibuſdam vaporibus ſub rubedis aut palloris ſpecie videntur.

Humor vitreus præparat ſanguinem humori criſtallino.

Amet Princeps liberam, ſed modeſtam in ſuis dicendi facultatem, ſic enim abillis multa diſcet.

Melius deliberatur in pace, quia liberius ſinè paſſione, præcipitatione, coactione, neceſſitate, quàm rebus turbatis; vt ſereno cœlo melius videtur.

Neceſſarius in ciuitate magiſtratus, qui habeat curam inſtitutionis liberorum in ſcientijs & artibus. Ariſt. 6. polit. 30.

Aqua ætherea, quæ cum lotura delabitur eſt apta ocularibus medicamentis. Galen.

Vt ſecurè ducatur exercitus, debent haberi indigenæ fideles, qui ſpe præmiorum alliciantur, & metu pœnarum terreantur, ſi malè duxerint.

Partes exercitus diuiſi ſibi debent mutuò dare ſignum, de die fumo, de nocte igne, certis modis de quibus ſimul convenerint. Sapor eſt judex & teſtis temperamenti interni, qui eſt in plantis & animalibus. Color non habet per ſe vim imaginem & ſpeciem ſuam efformandi ſinè luce; vt videatur, debet eſſe in extremitate corporis cum medio illuſtrato, & in ſpatio proportionato.

Ne nimis afficiatur humor cryſtallinus in oculo, habet antè ſe humorem aqueum, qui præparat recipiendas ab ipſo imagines; ſic ſecretarij præparant negotia à ſuis principibus judicanda.

Nomina ſunt ſigna rerum, diligenti indagatione notarum.

Sedandæ ſunt paſſiones, vt animus fiat diſciplinæ capacior. Sic Galenus dicit, medicum debere eſſe philoſophum, id eſt contemptorem pecuniæ & voluptatum. Lib. quod optimus medicus ſit philoſophus.

Doceri quædam non poſſunt, niſi conſpicientes, & in medicinâ & in alijs artibus.

Palladis Sacerdotes à venere perpetuo abſtinebant.

Oleum eſt alimentum flammæ lucernarum. Mercurij in bivijs poſiti ad docendum iter.

Morum obſervatio ſæpè morbos detegit. Medicamenta cephalica, vt Elleborus, & attrahentia humores ad ſuperficiem.

Ioſephus 1. antiq. 2. docet arborem ſcientiæ habuiſſe vim augendi in homine ſcientiam & prudentiam: hinc Ophitæ hæretici colunt ſerpentem qui Evæ perſuaſit eſum hunc. Ingenitæ mentibus noſtris rerum formæ ſubtilant animis, per interrogationem ad eas converſis. Plato 1. de Republ.

Ad videndum opus eſt tantùm purgare oculum, & convertere ad ſolem, ſic animæ purgatæ & ad ſe converſæ Deus non denegat lumen. Idem 7. de Republ.

Idem de legibus dicit Rectores debere interdùm permittere ebrietatem, vt civium mores meliùs cognoſcant.

Idem in Timæo multi facit viſum & auditum, quia inter cæteros ſenſus maximè conferunt ad contemplationem; ſic viſâ corporali pulchritudine, mens raptum quendam patitur, quia reminiſcitur divinæ pulchritudinis, quondam, vt putat, in cœlo viſæ.

Hinc eſt exemplorum vis & vſus, quod vno cognito, per comparationem illius ad aliorum cognitionem devenimus; ſic diſcimus legere; ſic ex medij termini cum extremis collatione elicitur concluſio.

Pulſus eſt fidelis cordis nuntius.

Vnitas ſpeciei concipitur mediante alteritate individuorum, & vnitas generis mediante alteritate ſpecierum. Ità alteritas non attingitur per ſe niſi mediante vnitate, vt ſpecies mediante genere, individuum mediante ſpecie.

Ad viſum formandum requiritur virtutis interioris operatio, organi ſeu oculi diſpoſitio, aëris illuminatio; & ſic à parte videntis ſunt tria, ſcilicet, virtus, organum, attentio; à parte rei viſæ quinque, ſcilicet rei præſentia, debita diſtantia, ſtabilitas, ſoliditas, & quantitas; à parte verò exterorum tria, ſcilicet tempus, aër, & lux.

Animalium & plantarum internæ qualitates deprehenduntur per externa ſigna phyſiognomiæ, de quibus vide Ioan. Bap. à portâ.

Ariadne regens filo greſſus Theſei in labyrintho.

Plàmidam præbere poſſunt omnia quæ non ſunt humida, ſed vaporabilia.

Lingua vt guſtet, non debet eſſe nimis humida, aut ſicca.

Hydra lapide inſculptæ indicat ſapientiam.

Menſuræ quatuor exiſtunt, numerus, magnitudo, locus, tempus.

Sentiunt nervi per ſpiritum.

Sentimus magis ſimplicia quàm mixta, quæ ſe invicem obſcurant; ſic juvatur cognitio diviſione & differentiâ.

Hirundo reſtituit viſum pullis chelidoniâ.

Doctrina omnis fit, aut per negationem, vt de Deo, aut per proportionem ad aliquam ſcientiam, vel per propriam definitionem.

Faciem effigiare conſuevimus, quia hinc præcipuè cognoſcitur qualis ſit homo. *Vide Cognitio Virtut.* Phyſiognomia.

Linea circularis non poteſt eſſe menſura, quia menſura debet eſſe certa & minima, at linea recta eſt certior & minor circulo.

Lumen etſi eſt cauſa videndi, tamen deſiderat aërem, vel aliud quoddam perlucidum.

Rectum & obliquum recto cognoſcimus, at obliquum nec ſui nec recti judex eſt.

Tactus eſt quaſi fundamentum aliorum ſenſuum.

Quædam crapulæ obſiſtunt, vt amygdalæ amariores.

Ægyptij per animalium figuras & hieroglyphica ſenſus mentis exprimebant.

Docilitas in diſcente neceſſaria. Nervi ſenſorij ſunt molles vt facilè recipiant. Sic mollis eſt ſubſtantia cerebri. Nervi autem motorij ſunt duri, quia robur ad actionem requiritur.

Splendor ſiccus animus ſapientiſſimus, vndè pueri quibus eſt humidum temperamentum non intelligunt. *Vide ſuprà Principium Cognitionis.*

Si lex ſit obſcura, quærenda eſt quæ ratio, quærendus vſus eſt, & ſapientum ſenſus.

Natura delectatur innocenti ludo puerorum, qui ideò ſe abſcondunt, vt inveniantur.

Non accipit indoctus verba ſapientiæ, niſi priùs ea dixeris quæ ſunt in corde ejus, vt fiat connexio.

Mathematica vix poſſunt addiſci ſinè machinis & inſtrumentis.

Plato in Cratillo aſſerit ſingulis rebus ineſſe à naturâ rectam nominis rationem, ſeu nomen rem ſignificans, & quod ſit commune omnibus gentibus, vt communis eſt mentalis terminus. Putiora decet eſſe nomina in mentibus Angelicis, in dæmonibus, deindè in hominibus.

Dei cognitio per creaturas. *Vide Cognitio Virt.*

Quomodò externa loci, temporis, perſonarum indicent veritatem. *Vide Concordantia Veritatis.*

Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib. 5. probat immortalitatem animæ, ex eo quod tantò melius intelligit, quantò plus à corporeis ſenſibus ſe ſubducit.

Corpus diaphanum medium eſt inter lucidum & opacum, eſtque illud per quod lucis eſt tranſitus; tale eſt corpus ætheris, aëris, aquæ, & eorum quæ illis participant vt gemmæ, &c.

Lumen eſt fulgor à radijs luceque profuſus: itaque radij

radij ſunt inſtrumentum lucis effundendæ & propagandæ in lumen. Franciſc. Patric.

Mos eſt hominibus occaſiones repentinas ad artes ducere. Caſſiod. ſic artes omnes inventæ. Vide Polidor. Virgil.

Cum omnes conentur benè diſſetere, & quidam, naturâ, caſu, conſuetudine id benè exequantur, licuit etiam eadem facere certâ viâ & ratione: ſic inventa ars Rhetoricæ. Ariſto. 1. Rhetor. cap. 1.

Ex certis effectibus conjicimus certas eſſe cauſas. *Vide Princip. Durat. in fin.*

Ad ſcientias perdiſcendas hæc ſeptem conducunt; natura perſpicax, educatio optima, præceptores ingenui, labor improbus, veritatis ardentiſſimus amor, optima methodus, exercitatio aſſidua, quorum vel vnum non debet deficere. Galenus lib. de conſtitutione artis medicæ.

Nervorum vſus eſt, facultates ſenſus & motus à principio in partes deducere. Idem lib. de vſu partium.

Vt ſunt picturæ quædam perfectæ, aliæ inchoatæ, aliæ vetuſtate corruptæ; ſic rerum antiquarum habemus aut perfectas hiſtorias, aut commentarios, ſeù regiſtra quædam, aut denique antiquitates. ſeu hiſtoriarum reliquias, ſeù poſt naufragium tabulas: cum deficiente rerum memoriâ & penè ſubmerſâ, homines induſtrij illam educunt ex Genealogijs, faſtis, titulis, monumentis, numiſmatibus, nominibus proprijs, ſtylis, verborum ethymologijs, proverbijs, traditionibus, Archivis, inſtrumentis tùm privatis tùm publicis, hiſtoriarum fragmentis, librorum minimè hiſtoricorum locis diſperſis. Res operoſa ſed grata, & cum Majeſtate quadam conjuncta. Bacon. de augment. Scient. lib. 2. c. 6.

Flante Euro viſibilia omnia majora apparent; at flante zephyro, audibilia; etiam longiùs deferuntur ſoni.

Quemadmodùm ad hoc vt linea recta fiat aut circulus perfectus deſcribatur multum eſt in conſtantiâ, & exercitatione manus, ſi fiat ex vi manus propriâ; ſin autem adhibeatur regula, aut circinus parùm, aut nihil: ſimilis eſt noſtra ratio; cum agit aut ſeipsâ, aut ex certis ſcientiæ præceptis. Idem in novo organo.

Spuma aut nix diſſoluta, exuit albedinem, & induit diaphanum aqua, poſtquàm ſit integrale ſinè aëre.

Cochleæ marinæ, ſicut limaces terreni, oculis carentes, corniculis prætentant iter. Plin. lib. 9. c. 32.

Balænam, gravi ſuperciliorum pondere excæcatam, Muſculus ducit, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur. Idem cap. vltimo.

Cecinna Volaterranus Equeſtris ordinis, quadrigarum Dominus, comprehenſas hirundines in vrbe ſecum deferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Ab obſeſſis hirundo emiſſa, nodis pedi alligatis nuntiavit quo die adveniente auxilio eruptio fieri deberet. Plin. lib. 10. cap. 24.

Democritus nominat quaſdam aves, ex quarum confuſo ſanguine naſcitur ſerpens, quem quiſquis ederit, intellecturus ſit alitum colloquia. Ibidem capite 49.

De inventione chartarum ad ſcribendum. *Vide Duratio Cognitionis.* libri.

Qui crocum biberunt, ebrietatem non ſentiunt: coronæ ex eo mulcent ebrietatem. Plin. lib. 21. cap. 20.

Idem præſtant eſæ amigdalæ amaræ Plutarch. in Sympoſio. Afflictio dat intellectum *Vide Bonitas Contrariet.*

Arabes ab avibus, non ſecùs atque ab oraculis, quæ ventura ſunt auguria captant, draconis corde aut hepate in cibis aſſumpto. Philoſtrat. in vitâ appolionij. lib. 1. cap. 14.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE fide inſtrumentorum. ff. 22. tit. 4. decret. lib. 2. c. 22.

De inſtrumentorum cautelâ & fide. Nov. 73. *Vide Medium Veritatis.*

De verborum & rerum ſignificatione. Nov. 50. l. Nouel. 16. ff. 50.

De ordine cognitionum. decret. 2. tit. 10.

De probationibus dec. 2. tit. 19.

De teſtibus & atteſtationibus. dec. 2. tit. 20.

De teſtibus cogendis vel non. dec. 2. t. 21.

Verba ſecundum ſubjectam materiam ſunt accipienda. l. ſi ex conducto. §. Papinianus vbi DD. ff. locati.

Contrariorum eſt diſciplina. l. 1. ff. de his qui ſunt ſui vel alieni jur.

Qui loqui non poteſt, alio modo quàm ſermone voluntatem ſuam manifeſtam facere poteſt. l. 29. ff. de adoption.

Advocati quæ allegant præſentibus partibus perinde habetur, ac ſi ea dicerentur ab ipſis Dominis litium. l. 1. C. de errore advoc.

Inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: ſic & teſtimonia, perſonæ inſtrumentorum loco ſunt. l. 1. ff. de fide inſtru.

Ad tutorem apud quem inſtrumenta ad adminiſtrationem alterius pertinentia reperiuntur, pertinet alteri notum facere, alias tenebitur. l. 47. §. tutores. ff. de adm. & per tut.

Filius exhæredatus poteſt alijs medijs quàm proprio nomine deſignari. l. 5. ff. de liber. & poſthum. hæredib. inſtit. Sic ſervi ad libertatem deſignantur non ſolùm per propria nomina, ſed etiam per nomen officij vt pictoris. l. 24. ff. de manum. teſtam.

Mandatum principis non poteſt probari niſi per ſcripturam. l. vnic. Cod. de mandat. princip.

Exhibito libro rationum, mercatores & fiſcus probant ſua debita. l. 5. & 6. Cod. de edendo.

Diaconi ſunt tanquàm oculi Epiſcopi; vt illi denuntient quid fiat in Eccleſiâ, & ſi quis ſit præcipitio proximus. can. diaconi. diſt. 93.

Quot modis Dæmones futura prænoſcant. 26. q. 4. can. ſciendum.

De medijs illicitis cognitionis vt de Magiâ. *Vide Majoritas Cognitionis Mala.*

EX THEOLOGIA.

IN ſtatu innocentiæ homo non acquiſiviſſet ſcientiam ex ſenſibus. 3. q. 61. a. 2.

Subſtantia ſpiritualis non eſt ſubjectum accidentis, niſi pertinentis ad intellectum & voluntatem. 1. 2. q. 50. a. 5.

Angelus non poteſt aliquam formam imprimere in imaginatione, niſi mediante ſenſu extrinſeco. 1. q. 111. a. 3. ad 2.

Intellectus Angeli eſt Deiformis, quia non habet cognitionem à rebus, nec per ſenſum, nec cum diſcurſu, ſicut in nobis. 1. q. 84. a. 2.

Connaturale eſt intellectui noſtro cognoſcere naturas in materiâ ; Angelico autem ſinè materiâ : ſed intellectui divino eſſe ſubſiſtens. 1. q. 12. a. 4.

Angeli cognoſcunt res in propriâ naturâ per duplex medium, ſcilicet per rationem rerum in verbo, & per ſpecies rerum innatas. 1. q. 58. a. 7.

Angeli non cognoſcunt res per eſſentiam, ſed per ſpecies earum. 1. q. 55. a. 1.

Angelus cognoſcit, alium Angelum per ſpeciem tantùm. 1. q. 56. a. 2.

Angeli inferiores ſemper in lumine ſuperiorum ſacrationes divinorum ſecretorum cognoſcent. 1. q. 3. a. 7. ad 2.

Angelus loquitur Angelo ex hoc quod ordinat conceptum proprium ad manifeſtandum volitum ſuum ei. 1. q. 107. a. 1.

Angelus propriè non loquitur per corpus aſſumptum. 1. q. 51. a. 2. ad 4.

Lex vetus data fuit à Deo per Angelos. 1. 2. q. 98. a. 3.

Anima ſeparata intelligit per ſpecies tunc infuſas, & per acquiſitas hîc, non autem per ſpecies innatas. 1. q. 75. a. 6. ad 3.

Animæ ſeparatæ poſſunt cognoſcere facta viventium, per animas noviter decedentium, vel per Angelos, vel per Dæmones, vel Deo revelante. 1. q. 89. a. 8.

Anima intelligit corpora, & alias res, per ſpecies, non autem per eſſentiam. 1. q. 84. a. 7.

Aſſentimus tripliciter, ſcilicet propter evidentiam rei, ſicut principiorum habitu ; vel propter aliud, vt ſcientiâ ; vel per imperium voluntatis, vt fide. 2. 2. q. 1. a. 4.

Intellectus neceſſariò aſſentit principijs per ſe notis, & concluſionibus ex illis deductis, poſtquàm percepit ordinem earum. 1. q. 62. a. 8. ad 2.

Auditus deſervit diſciplinæ, & viſus deſervit inventioni. 1. q. 117. a. 1.

Sexta beatitudo, ſcilicet munditia correſpondet dono intellectus, 1. 2. q. 69. a. 3.

Dæmones imittunt cogitationes quo-ad phantaſmata tantùm. 1. q. 11. a. 2. ad 2.

Baptiſmus habet vim illuminativam, & fœcundativam ad bona opera. 3. q. 65. a. 1. ad 3.

Charitas maximè diſponit hominem ad perfectionem intellectualis operationis. 2. 2. q. 15. a. 3.

Cereis non vtebantur Iudei in cultu Dei, ſed oleo. 1. 2. q. 101. a. 1. ad 2.

Aliquid cognoſcitur in alio dupliciter, ſcilicet ſicut in objecto cognito, & ſicut in principio cognitionis. 1. q. 84. a. 5.

Cognitio fit per oppoſita, vt virtutes meliùs cognoſcuntur per oppoſitionem vitiorum. 2. 2. in prolegom.

Medium cognitionis triplex, ſcilicet in quo, vt ſpeculum ; ſub quo, vt lumen ; per quod, vt in demonſtratione. 1. q. 12. a. 5.

Cognitio quam per naturalem rationem habemus duo requirit, ſcilicet phantaſmata & lumen naturale intelligibile. 1. q. 12. a. 13.

Cognitio quælibet fit per aliquam abſtractionem à materiâ. 1. q. 84. a. 2.

Color viſibilis in potentiâ, fit viſibilis in actu per lumen. 1. q. 67. a. 3.

Partes contemplationis ſunt tres, ſcilicet lectio, meditatio, & oratio. 2. 2. q. 180. a. 3.

Ad contemplationem tria requiruntur, ſcilicet ſanitas corporis, quies à paſſionibus & ab exterioribus, vt ſcilicet ei ſerviant omnia humana officia. 2. 2. q. 180. a. 2.

A Tres ſunt conditiones benè contemplandi divina, ſcilicet reverentia caſta, firmitas indeclinabilis, & amor. 2. 2. q. 180. a. 7. ad 1.

Virtutes morales pertinent ad contemplationem, non quidem eſſentialiter, ſed diſpoſitivè, ſcilicet removendo impedimenta : maximè autem virtus caſtitatis, quia venerea delectatio deprimit mentem ad ſenſibilia. 2. 2. q. 180. a. 2. ad 3.

Dæmones cognoſcunt veritatem tripliciter, ſcilicet per naturam, revelationem, & experientiam. 1. q. 64. a. 1. ad 5.

Demonſtratio duplex, ſcilicet propter quid, ideſt per cauſam ; & ſigni, ideſt per effectum. 1. q. 2. a. 2.

Vnius concluſionis eſt tantùm vnum medium demonſtrativum, ſed multa probabilia. 1. q. 43. a. 1. ad 3.

Deus nihil intelligit per ſpeciem aliam ab eſſentiâ ſuâ. 1. q. 14. a. 2. ad 4.

Scientia Dei cauſat res, noſtra verò cauſatur à rebus, & dependet ab eis : ſed Angelica nec cauſat, nec cauſatur ab eis. 1. q. 14. a. 8. ad 3.

Chriſtus docuit in parabolis, quia familiare eſt homini per ſenſibilia devenire ad cognitionem intelligibilium. 3. q. 42. a. 2.

Non poſſumus imaginari, quæ nullomodo ſentimus ſecundùm totum, vel ſecundùm partem. Ideò cæcus natus non poteſt imaginari colorem. 1. q. 84. a. 3.

Homo non poteſt illuminare confortando lumen C alterius, quia in eo eſt debiliſſimum lumen intellectuale ; niſi fortè inſtrumentaliter, dirigendo, proponendo exempla, vel applicando principia concluſioni. 1. q. 117. a. 1.

Imagines ſunt in Eccleſiâ triplici de cauſâ : primò, ad inſtructionem rudium, qui eis quaſi quibuſdam libris docentur, &c. *Vide infrà hoc titulo.*

Non poſſe intelligere ſine aliò contingit dupliciter, ſcilicet vel aliò non intellecto, vel non exiſtente. 1. q. 16. a. 3. ad 3.

Res intellecta eſt in intellectu perſpeciem ejus, non autem ſecundùm propriam naturam. 1. q. 2. a. 2. ad 4.

Potentiæ ſenſitivæ interiores præparant intellectui poſſibili proprium objectum, vndè ex earum optimâ D diſpoſitione redditur homo habilis ad intelligendum. 1. 2. q. 50. a. 4. ad 3.

Interpretatio eſt in dubijs, in quibus non licet abſque determinatione Principis à verbis legis recedere. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3.

Vnum quodque judicatur magis ſecundùm formale in eo & per ſe, quàm ſecundùm materiale & per accidens. 2. 2. q. 110. a. 1. ad 1.

Iudicium de re non poteſt haberi perfectum, niſi per reſolutionem ad principium. 1. 2. q. 112. a. 5.

Charitas inclinat ad verum judicium de omni re, per regulas divinas ex quibus profertur, per donum ſapientiæ : ſed juſtitia inclinat per prudentiam, ſecundùm regulas juris. 2. 2. q. 60. a. 1. ad 2.

Sancti cognoſcunt in verbo orationes noſtras ad I eos, etiam mentales, ſicut omnia alia quæ ad eos pertinent. 1. q. 107. a. 1. ad 3.

Promulgatione non indigent præcepta communia legis naturæ, credere in Deum. 1. 2. q. 100. a. 4. ad 1.

Ad prophetiam requiritur lumen intellectuale ſupernaturale, requiritur inſpiratio quo-ad mentis elevationem, & revelatio, quo-ad perceptionem divinorum. 2. 2. q. 71. a. 2.

Bonitas morum, quo-ad refrænationem paſſionum & remotionem occupationum exteriorum, requiritur ad Prophetiam. 2. 2. q. 172. a. 4. Non requiritur autem diſpoſitio naturalis, quia Deus ſimul removet

indiſpoſitionem, diſponit, & perficit. 2. 2. q. 172. a. 4.

Propheræ vident ipſam divinam eſſentiam, quam vocant ſpeculum Trinitatis non tamen ſecundùm quod eſt objectum beatorum ſed ſecundùm quod ſunt in eâ rationes futurorũ eventuum. 2. 2. q. 173. a. 1.

Prophetia & aliæ illuminationes & revelationes fiunt nobis à Deo, mediantibus Angelis. 1. q. 111. a. 1.

Prophetia Dæmonum non fit per illuminationem vt divina, ſed per viſionem imaginariam vel ſenſibilem: nec eſt ſemper vera, ſicut prophetia divina. 2. 2. q. 172. a. 5. ad 2.

Prophetia fit dupliciter, ſcilicet per influxum luminis tantùm, & per ſpecies impreſſas, vel aliter ordinatas. 1. 2. q. 173. a. 3.

Prophetis repræſentantur aliqua quadrupliciter, B ſcilicet in ſenſu exteriori, ſicut Daniel vidit ſcripturas in pariete, & Samuël audivit verba: Vel per formas in imaginatione divinitus impreſſas, ſicut in cœcis natis ſimilitudine cælorum: Vel per formas divinitus ordinatas, ſicut Ieremias vidit olivam accenſam: Vel ſpecies in intellectu, ſicut in ſcientiâ infusâ Salomoni & Apoſtolis. 2. 2. q. 137. a. 2.

Sex ſunt modi prophetiæ, ſecundùm differentiam influxus, ſcilicet extaſis, viſio, ſomnium per nubem vox de cœlo, parabola, repletio S. Spiritus. 2. 2. q. 174. 1. ad 3.

Revelatio Dei fit ad inferiores per ſuperiores, ſicut ad homines per Angelos. 2. 2. q. 2. a. 6.

Nullus vnquàm purus homo habuit revelationem C à Deo, niſi mediantibus Angelis. 1. q. 98. a. 3.

Tota virtus demonſtrationis dependet ex medio: ideo diverſa media ſunt ſicut diverſa principia activa, ſecundùm quæ habitus ſcientiarum diverſificantur. 1. 2. q. 54. a. 2. ad 2.

Homo meditando acquirit ſcientiam. 1. q. 61. a. 2. ad 1. *Vide Duratio Cognitionis.*

Modus acquirendi ſcientiam duplex, ſcilicet præcipuus per inventionem, & ſecundarius per doctrinam, eſt etiam infuſa à Deo vt in Apoſtolis, & hæc eſt miraculoſa. 1. q. 117. a. 1.

Homo in ſtatu innocentiæ non acquiſiviſſet ſcientiam ex ſenſibus. 3. q. 61. a. 2.

Diſciplina, quæ eſt receptio cognitionis ex alio, requiritur ad ſcientiam. 1. 2. q. 4. a. 1. D

Senſus ſpirituales ſcripturæ fundantur ſuper litteralem, & eum præſupponunt. 1. q. 1. a. 10.

Sufficit Eccleſiæ facta revelatio, nec debet fieri particularibus. Proponuntur credenda per Canonicas ſcripturas, Traditiones & Doctores.

Omnis contemplatio tribus animæ motibus perficitur, Circulari, quo omnes animæ operationes ad ſimplicem divinæ veritatis contemplationem reducuntur; Recto, quo ab exterioribus ſenſibus in intelligibilia elevatur, Obliquo, quo illuminationibus divinis ratiocinando vtitur. 2. 2. q. 180. a. 6.

Nominum convenientes impoſitiones. Vide de E Noë, Ieſu, Petro, &c. 3. q. 37. a. 2.

EX BIBLIIS.

IVdæi diſtincti erant ab Ægyptijs Circumciſione, & poſtibus domorum agni ſanguine tinctis.

Cœli enarrant gloriã Dei, eſt enim quaſi magnum volumen expanſum: extendens cœlum ſicut pellem.

Noë mittit corvum & columbam, quaſi exploratores, vt ſciret an ceſſaſſent aquæ diluvij. Gen. 8. & cap. 9. Iris eſt in ſignum fœderis inter Deum & homines.

Gen. 15. Abraham petit Deo ſignum promiſſæ ſibi prolis. Gen. 24. Servus Abrahæ accipit ſignum à Deo de occurſu deſtinatæ Iſaac conjugis. Simile omen accepit Ionathas de victoriâ à Philiſtiim reportanda. 1. Reg. 1. & Gedeon ex ſomnio Madianitæ. Iudic. 7. *Vide Cogn. Gloriæ.*

Ioſeph mittitur à Patre ad fratres, exploraturus an omnia eſſent proſpera circà illos. Gen. 37. Interpretatur ſomnium domeſticorum Pharaonis. Gen. 40. & ipſiuſmet Pharaonis. Gen. 41.

Signa data Moyſi vt crederetur miſſus à Deo. Exod. 4.

Aaron dicitur os Moyſis, quia pro eo loquebatur ad populum. Exod. 7. & 13.

Columna nubis ducens populum Iſraël.

Populus dat oleum de olivis Levitis, vt accendant B lucernas. Levit. 24. Ad Eleazarum filium Aaron pertinet cura olei & lucernarum. Num. 4.

Mittuntur exploratores in terram promiſſionis. Num. 13.

Mulier ſuis blanditijs extorquet à Samſone interpretationem ænigmatis, quod poſteà alijs manifeſtat. Iud. 14. ſic Dalila diſcit ejus fortitudinem conſiſtere in capillis, quos radit. Iud. 16.

Vena vitæ os juſti. Proverb. 10.

In labijs ſapientis invenitur ſapientia; labia juſti erudiunt plurimos, qui autem indocti ſunt, in cordis egeſtate morientur. Proverb. 10.

Invenerunt me cuſtodes civitatis, num quem dili- C gitanima mea vidiſtis? paululùm cum pertranſiſſem eos, inveni. Cant. 3.

Chriſtus benedicit ſeptem panes, quos Apoſtoli dederunt populo. Math. 15.

De Phariſæis dicit Chriſtus, quæcumque dixerint vobis facite. Math. 23. & 25. Mediâ nocte fit clamor, ecce ſponſus venit.

De Ioanne prædicit Angelus, quod multos filiorum Iſaël converteret ad Dominum. Luc. 1. præibis antè faciem Domini, illuminate his qui in tenebris, &c.

Eſdras conſulitur à Iudæis, vt interpretetur verba legis. 2. Eſdræ. 8.

Tobias recipit viſum, linitis oculis felle piſcis. Tobiæ. 11. D

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Math. 5.

Sanatur homo mutum habens dæmonium. Math. 9. Aperiuntur cœli Ezechieli, & videt viſiones Dei: & ecce ventus turbinis, & nubes magna, &c. ideſt vexatio dat intellectum. Manus hominis ſub pennis animalium, ideſt ſtudium ad ſcientiam neceſſarium. Leo ſignificat ardorem in aggreſſione, bos tolerantiam in continuatione, aquila ſublimem contemplationem: ſic ratione formata apparet facies hominis.

Daniel cibrato pulvere ſuper pavimentum deprehendit viam quâ veniebant Sacerdotes, qui comedebant dapes appoſitas Idolo Bel. Daniel. 14.

Fractio vaſorum Gedeonis, vndè lumen emicuit.

Lampades quinque Virginum. Math. 25.

Claritas Dei circumfulſit paſtores cuſtodientes cuſtodias ſuper gregem ſuum. Luc 2.

Michæas vult percuti, antequàm Propheret Regi Iſraël. 3. Reg. 20. Elizæus non Prophetat niſi pſalte canente. 4. Reg. 3.

Chriſtus linivit oculos cæci nati luto, quod fecerat ex terrâ & ſalivâ ſuâ & vidit. Ioan. 9.

Diſcipuli Emaüs cognoſcunt Chriſtum in fractione panis. Luc. 24.

Ioannes non eſt lux, ſed teſtimonium perhibet de lumine. Ioan. 1.

Ezech. 10. ſuprà Cherubim eſt firmamentum & ſpecies ſimilitudinis ſolij.

IMAGINES CHARÆ, & Pia.

MISCELLANEA.

STrephanæus Ægyptius, familiâ ſubſtantiâque locuples, filium vnicum amicit, totius familiæ ſpem, & bonorum ſucceſſorem: Is doloris anguſtiâ, quæ ſemper inquirit neceſſitatis ſolatium, filij ſui ſimulachrum in ædibus conſtituit, dumque triſtitiæ remedium quærit, ſeminarium doloris invenit: ſola enim miſeriarum medicina oblivio. Idolum dictum eſt εἴδ' ὀδύνης, ideſt ſpecies doloris. Ad illud ſimulachrum ſervi confugientes, veniam merebantur, coronas ideò capiti plectebant, flores inferebant, & odoramenta ſuccendebant; indè mos imagines colendi. Fulgentius mythologicon. lib. 1. Idem refertur Sapient. 14.

Dædalus primus Deorum ſimulachra invenit. Hyginus fabula. 274.

In Olympicis equa ænea, Simonis opus, qui in eam neſcio quid hippomanis infudit, vt equi ſtatim eâ viſâ diſruptis loris eam invadant, quaſi equam inituri. Pauſanias in Eliacis.

Fingendarum ſimilitudinem ratio idcircò ab hominibus inventa eſt, vt poſſet eorum memoria retineri, qui morte ſublati, aut abſentiâ ſeparati. Lactantius de orig. erroris. cap. 2.

Gregorius reprehendit Severum Epiſcopum Maſſilienſem, quod imagines confregerit, ne adorarentur. lib. 9. Epiſt. 9. Aliud eſt inquit picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere: Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus; quia in ipsâ etiam ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipsâ legunt, qui litteras neſciunt; vndè & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt, habetur can. perlatum. de conſecrat. diſt. 3.

In ſeptimâ Synodo, actione. 5. Venerabiles Imagines Chriſtiani, non Deos appellant neque ſerviunt eis vt Dijs, neque ſpem ſalutis ponunt in eis, neque ab eis expectant futurum judicium, ſed ad memoriam & recordationem primitivorum venerantur eas, & adorant: ſed non ſerviunt eis cultu divino, nec alicui creaturæ. can. Venerabiles. eodem. & can. ſexto in ſeq. prohibetur Chriſtus effingi ſub figurâ agni, ſed ſecundùm imaginem humanam.

Imaginibus vtimur ad memoriam artificialem.

Antiqui majorum imagines foris circà limina affigebant, cum hoſtium ſpolijs, quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam Dominis mutatis ipſæ domus, & erat hæc ſtimulatio ingens exprobrantibus tectis quotidie imbellem Dominum intrare in alienum triumphum. Plinius. l. 2. c. 35.

Fiunt conceptus & partus ſimiles objectis imaginibus, vt patet ex ovibus Iacob, & ex mulierum ſolito portu.

Olympiæ omnium qui viciſſent, ſtatuas dicare mos erat, eorum verò qui ter ibi ſuperaviſſent, ex membris eorum ſimilitudine expreſsâ, quas Ionas vocabant. Plinius. lib. 34. c. 4.

Quadruplici de causâ poſitæ ab antiquis ſtatuæ, vel causâ habendi honorem & gratiam publicam; vel ad hortandum alios ad ſimilia; vel ad ornatum loci, aut cultus ſeu Religionis causâ. Sic ornatus causâ, non cultus, voluerunt Impp. Theod. & Valentin. ſtatuas ſuas poni in templis. l. 2. de ſtatuis & imaginib. Cod. Theodoſiano.

In Pamphiliæ civitatibus erat aſylum Tiberij, ejuſque in eo imago ſummâ veneratione habita; vndè quidam impietatis damnatus fuit, eo quod verberaſſet ſervum, qui tunc drachmam argenteam, Tiberij imagine ſignatam, geſtabat. Philoſtratus in vit. Apollonij. lib. 1. c. 11.

Babyloniam ingredientibus, Satrapa qui portæ præerat, Regis auream ſtatuam offerebat, quàm niſi quis procidens adoraſſet, civitatem ingredi non permittebatur, exceptis his qui ab aliquo Romano Magiſtratu miſſi fuiſſent. Id. c. 18.

Sic Daniel cum ſocijs in fornacem ſuccenſam projectus, quod auream Regis ſtatuam noluiſſet adorare. Daniel. 5.

Incidit in pœnam legis Iuliæ Majeſtatis, qui Imperatoris imagines violavit. l. 1. ff. ad l. Iul. Majeſt.

Hinc magna illa cædes Theſſalonicæ facta à Theodoſio, ob dirutas ejus imagines.

Mortuo Theagene, apud Elæos, ſuperſtites inimici ſtatuam ejus nocte flagris cædebant, ſed repentino ſtatuæ caſu ſacrilegus oppreſſus fuit. Pauſan. in Eliacis.

In Arcadiâ pueri lapidibus obruti ſunt, qui ſignum Dianæ obligato collo laqueo traherent per luſum, dicentes ſe Dianam ſtrangulare. Iratum numen quod inſontes necati eſſent, effecit vt mulieres omnes in hac regione abortum paterentur, donec inſepulta corpora tumulo reddita ſunt. Id. in Arcadicis.

Deum patrem pinginus vt ſenem juxtâ Daniel. c. 7. Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie, quia ſic apparuit: Angelos ſub formâ humanâ, quia ſic apparuerunt: ſic Moyſes ſuper tabernaculum poſuit duo Cherubim. In primitivâ Eccleſiâ vſus imaginum fuit, vt convincerentur Paganorum calumniæ, qui monſtruoſas Chriſtianorum, vt dicebant, imagines circumferebant. Vide Tertulian. in Apologet. Crucis figura neceſſaria contrà eos, qui ejus memoriam abolere volebant. Floret virga Aaron, licet ejuſdem ligni eſſet cum cæteris: Arca Dei ſubvertit Dagon, ſic res quaſdam materiales Deus ſanctificat.

Imago Chriſti ænea poſita à muliere ſanguiniſlua in Phœniciæ civitate, ægros qui eam tangebant ſanabat, cùm in illius locum ſuam Iulianus Apoſtata poſuiſſet, ſtatim fulmine tacta concidit. Nicephor. lib. 10. cap. 30.

Dico vobis, quod ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Luc. 19.

Sicut purpuram Regiam cum Rege colimus, nec duo ſunt quæ adorantur imago & repræſentatum, ſed repræſentatum in alio repræſentante; ſic Deo cultum tribuimus, imagini nihil. D. Auguſt. ſerm. 58. de verb. Dom.

Gen. 31. conſtituit Iacob lapidem in titulum, &c. diligenter animadvertendum eſt quomodò iſtos titulos in rei cujuſque teſtimonium conſtituebant, ne vt eos pro Dijs colerent, ſed vt eis aliquid ſignificarent. D. Aug. quæſt. 96. ſuprà geneſim.

Statuæ & imaginis vſusfructus poteſt relinqui, quia habent vtilitatem, ſi opportuno loco ponantur. l. 41. ff. de vſufr.

Chriſtus imaginem ſuam ad Abegarum Edeſſæ Regem tranſmiſit. Vide Baronium anno Chriſti. 31. nu. 61.

Chriſti imaginem conflavit mulier à ſanguinis fluxu liberata: Refert Tertul. lib. de pudicitiâ cap. Chriſtum ſub agni figura; aut ſub Paſtoris, ovem humeris referentis, ſolere in calicibus effingi, & alia plura de pijs imaginibus. Vide apud Baron. ann. 57. num. 111.

Etiam templorum imagines aureæ, argenteæ, eburneæ fiebant, & templis voti causâ appendebantur, aut domi asservabantur, sic Lucas mentionem facit de ædibus Dianæ argenteis. Act. 19. Circumornatæ vt similitudo templi. Psalm. 143.

Mos erat in Ecclesiâ vela habere appensa, in quibus depictæ erant Christi aut sanctorum imagines. Baron. an. 392.

Contrà Leonem Isauric. Imp. Iconoclastam habitum est Concil. Romanum, quo confirmatæ sunt antiquæ Patrum traditiones de cultu sacrarum imaginum, & anathemate feriuntur qui illis adversantur. Baron. an. 731.

PIVS SACRARVM imaginum vsus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus ad extrà nihil aliud facit quàm sui imaginem, hanc enim tota vbique rerum natura præfert; hinc maximè homo commendatur quod sit imago Dei, vt ergò opus suum naturæ suæ respondeat, & gratitudo beneficijs per imagines acceptis, divina per imagines, vt mente, sic manu, sibi ad cultum effingit.

MAGNITVDO. Vt terminus mentalis idem est apud omnes, sic imaginum expressio linguâ omnibus populis notâ loquitur & pietatem insinuat. Cùm Imperatores non possint esse vbique per essentiam, ad instar Dei, id assequi conati sunt per imagines: sic nos sanctorum præsentiam efficimus aliquo modò multiplicem, & in nostrum commodum, & in ipsorum gloriam qui Deo fruentes, infinitatem, & immensitatem quandam assequuti sunt.

DVRATIO. Longo ad instructionem sermone opus est, quamvis & ipsum multi non capiant; At imago omnes momento & semper docere parata est: sunt verba in alios sinè morâ transeuntia, permanentia, & mentem per oculos semper ad pietatem sollicitantia. Referunt actiones quibus sancti æternam sibi gloriam meruerunt, & æterni Dei fruitionem; vnde stabili illo cultu coluntur.

POTESTAS. Vt imagines compendiosè, sic efficaciter docent, quasi enuntiata, vt possibilia, exemplis doceant, & quod divinum est factis loquantur.

COGNITIO. Vt à sensibilibus incœpit nostra cognitio, sic sensibilibus alitur & proficit: Accidentia omnia seù plantarum, seù animalium sunt imagines interiùs latentis virtutis: Probandus est ergo hic loquendi modus, qui nos ad rerum tùm naturalium, cùm divinarum cognitionem ducit, qui naturalis est, quia omnibus communis, & vt ab initio terram vnius efficit labij.

VOLVNTAS. Amor primus edidit imagines, vt chari sui objecti præsentiæ substitutas: Pio amori non est negandum, quod naturali conceditur; illius enim flammæ quasi extrà regionem suam positæ, eo indigent alimento: sic excitandus est, aliquin torpescens circà divina affectus; & cum oculi sint in amore duces, illis pia illa objecta sunt proponenda, quibus à terrenis ad cælestia cor transferatur.

VIRTVS. Religio contemperari debet naturæ nostræ, ex sensibili & spirituali compositæ: Deus homo factus est vt homo fieret Deus, sic pietas sensibibus vtitur vt ad spiritualia nos elevet; sic se habent sacramenta & cætera pietatis Christianæ mysteria.

VERITAS. Nemo colit imaginem, sed sanctum in imagine: deficientibus substantijs imagines substituit natura, vt fulgorem lunæ & stellarum lumini Solis, super horizontem non existentis: Angeli veraces, assumptis tamen fictitijs corporibus nobis apparent, conformi nostris vsibus sermone, & sæpiùs symbolico loquuntur; Prima veritas Christus loquebatur in parabolis, quæ sunt rerum imagines; Eas ideò in personarum representatione non improbavit, cum & suam Abagaro Regi transmiserit, vt fert Ecclesiastica historia.

GLORIA. Triumphantes suas nummis exculptas imagines in populum mittebant vt fama sic ad posteros propagaretur, & hac gloriæ æmulatione exterorum animi spesque erigerentur. Omnium Christianorum interest scire, & ad exemplum colere hominem supra humana elatum, & gloriam post vitæ certamina assequutum; semper in imagine quodammodò præsentem habere eum, qui præeat ad virtutes & gloriam.

DIFFERENTIA. Vaga mens pijs his objectis continetur, ne ad alia fortè noxia, aut saltem inania divertat: vix est vt qui pias videt imagines pia non cogitet, ejusque vitia quasi ad conspectum Pedagogi non suffundantur.

CONCORDANTIA. Ecclesia communionem habet cum sanctis; vndè illos cupit habere præsentes, saltem in imagine; cum & illis charitate sit vnita, etiam post vitæ ejus dissolutionem.

CONTRARIETAS. Oculos fascinant, mentem implent, cor inficiunt obviæ peccatorum imagines; ideò sic oppugnatos pijs imaginibus protegit Ecclesia, & his quasi auxiliaribus copijs obsessas præmunit mentes: quot sunt piæ imagines, tot sunt ad virtutem monitores, & duces ad certamina.

PRINCIPIVM. Initio Ecclesia non fecit imagines, quia fruebatur sanctis ipsis: quotidianum erat Martyrum spectaculum, quod nunc ne in oblivionem veniat imaginibus instauratur. Vt Christiani hoc Religiosum prototypum semper habeant præ oculis; vt non vni tantùm sæculo nati sancti, omnibus prosint, & dum prosunt, dum quotidie animas patiunt Christo, accidentalis eorum gloria hic & in cœlis augeatur, licet hos piissimos salutis nostræ parentes, sic in imagine præsentes nobis fingere, & colere.

MEDIVM. Si divina etiam cum phantasmate sensibili intelligimus, mirum non est Sanctorum corpora corporali imagine representari; vt hinc discamus homines fuisse nobis similes, nosque idem posse, si voluerimus vti gratijs ob id nobis à Deo datis. Suspecta est Religio, vt parùm conditioni nostræ commensurata, si nihil penitùs voluerit à sensibus mutuari, sic enim se non temperans facilè in auras evanescit, & nulla fit, dùm vult fieri nimis spiritualis.

FINIS. Attendenda est intentio pias imagines colentium, vt discernantur ab Idololatris. Ideò enim Ecclesia pias Sanctorum imagines proponit fidelibus, vt sint semper memores Sanctorum ad exemplum virtutis, ad certitudinem fidei, ad confirmationem spei, & nunquàm finiatur commendatio pietatis, quæ æterna apud Deum præmia consequuta est.

MAIORITAS. Vt occursus imaginum jacentes animos erigit, sic nimis elatos ad humilitatem provocat, dum se advertunt sanctis impares; quis confidat se habere S. Stephani cum fortitudine mansuetudinem, S. Laurentij stupendam constantiam? &c. Vix servamus in portu navigium, quod ipsi medijs in fluctibus & in tempestate integrum virtute suâ præstiterunt.

ÆQVALITAS. Licet imagines verè non referant A speciem Sancti, cujus præferunt nomen, ſufficiunt tamen ad id quod intendimus, ſcilicet ad Sancti recolendam memoriam, vt ei nos ſimiles in pietate exhibeamus; in humili, vt in pretioſâ materiâ æque honoratur Sanctus, quia bona fortunæ ad ſanctitatem ſunt indifferentia.

MINORITAS. Hinc maximè naſcitur rerum humanarum contemptus, dum videmus Sanctos pauperes fruigloriâ, quam terreni Principes ambiunt, & non conſequuntur. Sic mundus pœnitentiam quodammodò agit publicam de falsâ ſuâ opinione, quæ honorem defert rebus vanis; Agnoſcamus infirmitatem conditionis noſtræ, cui omnia contingunt in figuris, B per ſpeciem reſpectu cæleſtium, ſicut in veteri lege reſpectu legis gratiæ.

REPVGNAT.

NONVTI IMAGINIBVS.

PYthagoras cauſam primam, impaſſibilem inviſibilem, incorruptibilem exiſtimavit, vndè nullas ei poluit imagines; quod & Numa Pompilius Romæ ſtatuit vndè, per 370. annos nullæ in templis fue- C runt nec pictæ, nec ſculptæ imagines. Plutarch. in Numa.

De contemptu imaginum, & Deum non poſſe dignè ſtatuâ aut picturâ repræſentari. Vide multa apud Lactantium de orig. erroris lib. 2. cap. 2.

Iovem Varro credit etiam ab his coli, qui vnum Deum ſinè ſimulachro colunt; vndè maximè diſplicuit illi, quod Romæ Iovi ſimulachra poſita eſſent, dicebatque, quod hi qui populis ſimulachra inſtituerunt, & metum dempſerunt, & errorem addiderunt. D. Aug. lib. 4. de civit. c. 9.

Lactantius de origine erroris. capite 2. Probat Deum imaginè non eſſe effingendum, quia vbique præſens eſt; imago autem fit ad abſentiæ ſolatium: D homo ipſe eſt potiùs Dei ſimulachrum, quàm lapis aut lignum arte efformatum, quod ſi ſenſum haberet homini cultum deferret; melior eſt enim qui fecit, quàm quæ facta ſunt.

Adorant inſenſibilia qui ſentiunt, irrationabilia qui ſapiunt, exanima qui vivunt, terrena qui oriuntur è cœlo: Quæ inſania eſt ea timere pro quibus aut ruinæ, aut ignes, aut furta timeantur? Quæ vanitas, aliquam ab his ſperare tutelam, quæ tueri ſemetipſa non poſſunt? Quæ perverſitas ad eorum præſidia decurrere, quæ ipſa cum violantur inulta ſunt, niſi à colentibus vindicentur: vbi ergò veritas eſt? vbi nulla vis adhiberi poteſt religioni; vbi nihil, quod violari poſſit, apparet; vbi ſacrilegium fieri non poteſt. Di- E cit Perſius, Deos donarijs non delectari, ſed illis inferre pro munere debemus compoſitum jus, faſque animi, ſanctoſque receſſus mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto. Staruæ autem nihil aliud ſunt quàm grandiores puppæ, &c. Ibidem.

Non facies tibi ſculptile vt adores illud. Exod. 20.

In templo erat propitiatorium, in quo dicebatur Deus ſedere, ſed nulla ejus figura videbatur. D. Th. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

Iudæi ſic exoſas habebant imagines, vt non paterentur Romanos, apud ipſos agentes, aliquas habere in ſignis ſuis militaribus. Baron. an. 68. Ioſeph. antiquit. lib. 18. cap. 7.

Anno 726. Leo Iſauric. Imp. edicto jubet vbique in Eccleſijs dirui & deleri ſacras imagines; idque fecit conſilio cujuſdam præſtigiatoris Iudæi, qui hinc ſibi fauſta omnia promittebat. Baron. an. 726.

Syrij Soli & Lunæ nullas ponunt imagines, quia ſatis manifeſtè in aëre apparet. Lucian. de Syriâ Deâ.

COGNITIO SINE MEDIO.

Vide Med. Poteſtatis. Rep. ſeipſo & ſinè vicario agere.

TActus non indiget medio extemo vt cæteri ſenſus: ſic & guſtus.

De ſcientiâ naturali, & lumine naturaliter inſito. *Vide Principium Cognit.*

Beati non vident eſſentiam divinam, per ſpeciem intelligibilem, ſed per ipſam eſſentiam, quæ ſubit vicem ſpeciei intelligibilis, quia tantùm ſpecies deſideratur, quandò objectum non eſt immateriale, aut non eſt ſatis conjunctum intellectui; at eſſentia divina, quæ eſt objectum viſionis beatificæ, eſt per ſe intimè præſens intellectui creato, & præterea eſt immaterialis, ergò, &c.

Fœlicia quædam ingenia ſcientias addiſcunt ſinè Magiſtro, illis initium datura, ſi nondùm inventæ fuiſſent.

Vide non vti medio. *Minoritas Med.*

Si Princeps velit omnia ex conſilio agere, hæc evenient mala. Secretum à pluribus periculosè cognoſcitur, authoritas Principis redditur minor, quaſi ex ſeipſo non valeat decernere: denique hinc infidelitas, & venalitas officiorum.

Deus cognoſcit ſeipſum, & in ſeipſo omnia; ſcientia enim Dei eſt vnica & ſimplex, quia eſt ſuamet eſſentia.

Rationem non exiges, cum aliquis tibi dixerit, te noſſe; piget ſibi obſtat, &c. Advocatum iſta non quærunt; effectus ipſos tangunt, & naturâ vim ſuam exercente proficiunt: omnium honeſtarum rerum ſemina animi gerunt quæ admonitione excitantur; D non aliter quàm ſcintilla flatu levi adjuta ignem ſuum explicat: erigitur virtus cùm tacta eſt impulſa. Sen. Epiſt. 94.

Erunt omnes docibiles Dei. Ioan. 6.

Quædam cum ictu quodam audimus, nec vlli licet dubitare aut interrogare adeò etiam ſinè ratione ipſa veritas ducit. Senec. Epiſt. 94.

MEDIA SEV MEDIATA, & imperfecta cognitio.

MISCELLANEA.

MEdia eſt noſtra cognitio, vndè conſilio indigemus. *Vide Concordantia Cognitionis.*

Tarentini Magiſtratus omnes duplices faciunt, vt ſint alij per electionem, alij per ſortem: vt per ſortem populus capiat, & vt melius regatur per electionem, & hoc eſt optimum in omni populari gubernatione. Ariſt. 6. Politic. 5.

Non omnia læſæ partis indicia ſemper apparent, ſed tantùm quædam Galen.

Non penitùs ex ſignis certum judicium eſt; nam bonum etiam ſignum à majori malo vinci poteſt, contraque malum à potentiore bono. Galen. in Aphoriſ. 33. lib. 2.

Pisces stridorem aliquem emittunt, attritu branchiarum in quibus continetur spiritus, sed non propriè vocem: Delphinus tamen, & alij vivipari pisces, qui pulmonem & arteriam habent, possunt vocem emittere, sed non articulatam, quia lingua non est illis libera & soluta, nec etiam labra: Arist. hist. Animal. lib. 4. cap. 9.

Scientiæ sunt imperfectæ, quia versantur circà vniversalia, non circà singularia, quæ variant; sunt enim singularia infinita, & scientià non possunt contineri. Arist. Rhetoric. lib. 1. c. 2.

Atomi in solis radijs continuè moventur sinè vllo spiritu, & modò in lucem, modò in vmbram transeunt.

Senes quia in multis erraverunt, & fuerunt decepti, sunt malitiosi, suspicaces, increduli, nihil certò credentes, sed ambigentes & in omnibus addentes formitas. Aristot. Rhetoric. lib. 2. cap. 13.

Orandus Deus non solùm vt bona consilia suggerat, sed vt mala etiam in bonum vertat, quia consultationes nostræ sunt infirmæ.

Cardanus lib. de temporum, & motuum erraticorum restitutione cap. 11. dicit nos ignorare fixarum naturas, vndè fiunt magnæ mutationes; bona fortunæ quæ pluris æstimamus, minùs apparentes in cœlo habent causas, quæ verò parùm, vt bona animi & corporis, insignes.

Phœnices Saturnum depingebant, cum alis quatuor in humeris duas habens pertensas, qua volaret; duas remissas, quasi staret: duos etiam habebat oculos antè, & duos retrò, significatur ipsum dormientem videre & videntem dormire.

Pyrrhonij & Academici nihil esse certum in rerum naturà dicebant, & sapientem nihil approbare, ne se falsæ approbationis periculo committat.

Neque omnia sciri possunt, neque nihil, sed quædã.

Cum speculum componitur ex valdè exiguis partibus, colorem exhibet non figuram, quia fit confusio radiorum.

Si cæco differas de coloribus, percipit colorum nomina, non sententiam verborum.

Vltimas rerum differentias & varietates non assequimur.

In cœlo sunt quædam partes transparentes, quædam obscuræ.

Quædam animalia non habent omnes quinque sensus; quædam habent vnum tantùm, maximè necessarium, scilicet tactum.

Vltrà primas qualitates medici admittunt aliquas occultas, temperamenti constitutivas, sanitatis & morborum causas.

Si punctus lucis in diaphano ponatur, orbiculariter se diffundit, quod si situatur in superficie corporis densi, medietas sibi præcluditur spatij, quam abscindit densitas corporis in quo situatur, vndè hemisphærialiter tantùm radiat.

Si luminosum sit æquale vmbroso illuminat præcisè ejus medietatem.

Vmbra est lumen diminutum, quia quamvis opacum impediat transitum lucis directum & principalem, non tamen secundarium, qui circumferialiter se diffundit; Fortè nullum corpus mundanum potest omninò lucis transitum impedire, cum nullum penitùs naturâ perspicui sit privatum, & ad minùs circumfulgentiam lucis secundæ impedire non potest, tenebræ verò sunt, vbi nihil est penitùs luminis. *Vide Virtus Medij.*

Lux nec nimia, nec debilis & obscura visui est apta; ideò pupilla oculi in magnâ luce constringitur, in obscuro loco multùm dilatatur.

A In melancholiâ pro vnâ aliqua re est lapsus, constante in reliquis judicio.

Albi colores, vt & ignis & lux nimia constringunt pupillam & lædunt oculos, nigri nimium dilatant & relaxant, medij verò colores, in primis viridis, visum juvant, ipsique grati & commodi sunt, quia neque constringunt, neque dilatant pupillam.

Fera animalia, & aves nocturnæ, aëre semi-illuminato discurrunt & volant.

Suspiciones excitant tumultus in animâ, solvunt amicitias, causant zelotypiam in matrimonio, seditiones in regno, &c. Est autem suspicio familiaris ignorantibus, infirmitatem suam cognoscentibus: videtur non teneri ad fidelitatem, qui sinè causâ infi-
B delis existimatur.

Non potest ars naturam in toto imitari, propterea stringendo aërem, non facimus aquam, sicut facit frigus & consensio ex vi primalitatis: nec vitrum minuta atoma dividendo facimus vaporem, sicut facit calor: nos enim dividimus & coacervamus, natura intendit & remittit.

Astrologia non potest prorsùs divinare, sed ex parte, quia considerat causas communes, non autem particulares, nec passiones singulas sui subjecti modificativas, causarum & causationis: multa tamen cognoscit per cœlos, qui sunt statuæ ideæ primæ.

Qui Mercurium habet benè positum, lunam malè, benè intelliget, malè deliberabit, vndè alijs benè
C consulet, malè sibi.

Eligitur magnus aliquis numerus præstantium, qui sortem mittunt de obtinendâ potestate, ne totum committi videatur aut judicio, aut fortunæ in sortibus fallibili.

Tendones sunt mediæ cujusdam naturæ inter sensibile & insensibile, quia habent aliquid à nervo sensibili, & aliquid ab osse insensibili.

Animus accedens ad Deum, ambiguitate laborat, quia speciebus solet inniti, Deus autem speciem nullam habet; tum quia ipso accessu fit quodammodò Deus, sic se non recognoscit: omnes formæ, etiam intelligibiles, obstant divinæ luci, tanquàm
D nubes.

Non omnes partes, sed stomachus pro omnibus sentit famem, quia alioquin corpus nimio dolore conficeretur vrgente fame.

Habemus cognitionem mediam rerum præsentium, per discursum rationis, & versamur in mundo inter res, quarum causæ fato determinatæ, nobis sunt incognitæ, licet Deo notæ.

Ministris & legatis non debet Princeps aperire totum secretum suum, sed tantùm, quantùm necesse est vt benè agant.

In militibus nimia hebetudo causat temeritatem, nimia cognitio & consideratio timorem.

Quædam corpora sunt sapida, quædam insipida,
E sic natura partim latet, partim se prodit.

Enuntiationes de futuro contingenti, neque veræ sunt, neque falsæ.

Res naturales sunt mediæ inter cognitionem Dei, cujus sunt effectus, & nostrum cujus sunt causæ.

In scientijs demonstrativis, vna scientia supponit aliqua ab aliâ, de quibus non inquirit.

Cutis media inter calorem & frigus judicat per tactum, & per ejus tactum judicatur de totius corporis temperamento.

Medicæ artis pars maxima est conjecturalis.

Plato. 7. de Republicâ dicit Rectorem debere alternatim, & ascendere sursum ad contemplationem ideæ boni, & postea descendere ad homines, corpore quasi carcere clusos.

Homines propriè non ex arbitrio condunt leges, A ſed eventibus à Deo immiſſis ſe accommodant, vt gubernator in mari, & vt fit in ludo. Plato. 3. de leg.

Idem lib. 7. dicit nec bonum, nec pium eſſe civibus res divinas multo ſtudio indagare, ſed eo vſque de Deo diſcant, vt in eum nihil prophanum loquantur, ſed ſacrificando, piéque vovendo, laudibus ſemper honorent. *Vide Majoritas Cognitionis mala.*

Socrates ſuam ignorantiam cognoſcens, mediùs erat inter ſcientiam & ignorantiam.

Plato in Theage, dicit Philoſophum debere omnes artes proſequi, non tamen exactè, & ad ſummum, vt quilibet earum artifex, ſed vt liberum virum deceat, & poſſit in omnibus ſententiam ſuam interponere.

Vera cognitio in intellectuali mundo, in cœleſti media; cœlum enim ex luce & tenebris temperamentum, vndè à Moyſe per aquas notatur fluxa inſtabiliſque ſubſtantia, ab alio illuſtrata, & mota. Picus Mirandulan. in Heptaplo.

Humana ſcientia in negatione falſi potiùs, quàm in veri affirmatione, conſiſtit, inquit Plato: Sumus enim mediæ conditionis inter ſpiritualem & corpoream naturam, & anima modò ad ſe & ad ſuperna, mox ad corpora convertitur; lunæ comparata, quæ eſt maculis obſcutis intertexta, & modò obſcura, modò illuſtrata.

Cognitio Angelorum de Deo eſt media inter cognitionem divinam & humanam.

Plato dicit animam mundi, quæ continet rerum omnium idæas, mentibus noſtris eas imprimere, confusè tamen, itavt non æqueat illius prototypi dignitatem, vndè ſcientias omnes dicit eſſe reminiſcentias.

Animalibus ſtatim naſcentibus, actio ſenſitiva adeſſe poteſt, non imaginativa.

In civitate oportet eſſe homines non tàm excelſæ cognitionis, vt vacent artibus.

Conſultatio eſt magis in artibus, quàm in ſcientijs, quia in ipſis magis ambigere conſuevimus.

Homo dormit pluſquàm cæteta animalia, & ferè media pars vitæ in ſomno conſumitur, qui autem dormit, cum actu non ſentiat aut intelligat, non perfectè vivit, ſed habet dimidium vitæ, vel vitam vegetabilem tantùm. D

Chyron centaurus, ſemi homo & ſemi equus, callet artem medicinæ.

Flamma, vt eſt propinqua lignis, eſt fumoſa; vt longiùs abeſt, eſt lucida: ſic intelligentia, vt comparatur primæ cauſæ eſt lucida, vt adhæret orbi, eſt obſcurior.

Corpus in ſuperficie tantùm eſt viſibile, intrinſecus autem occultum manet.

Leges de omnibus non ſunt ſcriptæ.

Tranſparens ſapit lucidi naturam.

Dentes habent quandam medietatem in tactu.

Corneolus, ſeù Sardius lapis eſt ſemidiaphanus.

Habet tantùm mediam cognitionem, qui caret experientiâ. *Vide Duratio Cognitionis.* E

Natura tenet medium inter artem noſtram & artem divinam.

Odor minus facilè determinabilis eſt, quàm ſit ſonus, lumen, aut color, quia ſenſum hunc non habemus certum, ſed pejorem multis animalibus. Ariſt.

Prophetæ prænuntiant futura, nihil intelligentes, ex eo quod dicunt.

Quibuſdam per delirium perit memoria, ſalvâ imaginatione & ratione.

Splendor eſt participatio, vel effectus lucis, ex reverbetatione radij ad corpus lucidum.

Spongiæ & oſtrea habent tantùm ſenſum tactus, & non progrediuntur, ideò medium obtinent inter plantas & animalia.

Syllabæ ſunt voces, ſed non ſignificantes.

Tempus hoc habet mirabile, quod partim comprehenditur, quia omnes illud fatentur dum numerant dies & annos, tamen ſenſu non comprehendunt exiſtere.

Color eſt lux opaca.

Diaphanum non eſt ſolùm luminis, ſed etiam tenebrarum receptivum.

Arimaſpi, ſunt Scythiæ Europeæ populi, qui vnicum in mediâ fronte habent oculum, & cum Gryphis auri cuſtodibus prælientur. Plinius. lib. 7.

Adamas, Rubinus, Carbunculus pallent in maguâ luce; vnio autem in eâ maximè lucet. B

Inter animalia videntia, & ea quæ carent oculis, vt cochleæ, ſunt quædam vt limaces, quæ cornibus prætentant iter. In talpâ ſunt rudimenta oculorum. *Media Cognit.*

Mundus eſt quaſi Labirinthus, in quo fallaces rerum imagines ambiguè viam demonſtrant: inveniuntur in globo intellectuali, ſicut in terreſtri, & culta pariter & deſerta.

Quia oculi facultas eſt in frigido & humido, odoratus autem in calido & ſicco, ideò qui benè & procul vident, debilem habent olfactum.

Ars ſingularis terminatur. *Vide Veritas Cognitionis Repugn.* C

Hypocrates lib. de veteri medicinâ ſummè laudat medicum qui parùm delinquit; certitudinem enim exactam videre rarò contingit.

Medicinam citò diſcere non eſt poſſibile, quia impoſſibile eſt ſtatum, ac certam doctrinam ipsâ fieri. Hipocr. lib. de locis in homine.

Artificum inferiorum actiones aſſimilantur actionibus inanimatorum.

Periculoſa Empiricorum experimenta.

Populus negotiorum tantùm ſuperficiem ſpectat, non veritatem.

Opinio eſt habitus tremens, & non ſtans, eo quod rationem non habet ſufficientem.

Aqua non eſt verum medium ad videndum, ideò non benè repræſentat objecta.

Artes liberales præparant tantùm animum ad philoſophiam, illi pigmenta & ornamenta exhibent & gratum hoſpitium.

Cardinalis de Cusâ. lib. de doctâ ignorantiâ, ſcientiam noſtram ignorantiæ mixtam exprimit per penetrationem duorum triangulorum, vnum lucis, cujus baſis eſt in Deo, aliud tenebrarum, cujus baſis eſt in materiâ primâ: ſic ſe invicem penetrant vnitas & alteritas, defectus & perfectio; aſcendit materia, & deſcendit forma, in mediâ autem regione omnia ſunt mixta. Ita ſpiritualitas deſcendit in corporeitatem, & corporeitas in ſpiritualitatem; in ſuperioribus tenebroſitas abſorbetur à lumine, in inferioribus lumen à tenebroſitate. Ità apparent ſigna intellectualia in arboribus & ramis, ad educandos fructus: magis elucent in providentiâ animalium, ſed magis in rationali diſcurſu hominis, qui tamen mixtus eſt tenebris, quia mediam occupat regionem, in quâ ſe mediè trianguli interſecant. Vide plura ibidem.

Corpus illuſtratum vmbram projicit, eò majorem, quò ſol magis ad occaſum vergit.

Sunt geminæ portæ ſomniorum, vna cornea & tranſparens, quâ vera; alia eburnea obſcura, quâ falſa nobis immittuntur. Vide Virgil. 6. Æneid. & Macrob. in ſomnium Scipionis. lib. 1. cap. 3.

Somne, laborum requies animi, pars humanæ melior

lior vitæ, veris miſcens falſa, futuri certus & idem peſſimus author. Seneca trag. in Hercule furente, actu 4. in choro.

Mentis ſeu intelligentiæ Idolum eſt in vi illâ corporum tectrice, quam habent animæ rationales corporibus conjunctæ, vt eſt anima mundi, ſphærarum & noſtra. Mens eſt quaſi ſol, ratio quaſi lux, idolum vt radius, natura vt vmbra. Vide Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 13. c. 2.

Sicut congelatio ob vaporum mixtionem aquæ contingit, ita lucere igni, ob admixtionem ejus cum opaco; ſi lucerent omnes partes cœli, non videretur ſtellarum diſtinctio, & ſub hac nimiâ luce nihil aliud videretur.

Iupiter Planeta præeſſe dicitur imperijs, habet B ſympathiam cum Corneolo ſeu Sardio lapide, qui eſt lapis ſemiopacus.

Partes vitales non excedunt alias in ſenſu, vndè ſæpiùs plus patimur in torturâ membri quàm in morte.

Aliquid luminis ex oculis emicat ad viſionem tamen non ſufficiens. Sic ſe habet intellectus ad divina.

Quia nobis notæ non ſunt eſſentiales differentiæ, vtimur accidentalibus.

Cœlum ex Ptolomæo eſt vniverſalis cauſa, cujus effectus variantur, ex mobili materiæ diſpoſitione. Vndè præcipit Aſtrologis, vt communem potiùs atque poſſibilem, quam neceſſariam ferant ſententiam. Marſil. Ficin. Theolog. Plato. l. 9. c. 4.

Vide infrà. *Gloria Volunt. Repugn.* acceſſus & diſceſſus ſponſi. C

Siſcos in aquâ non vident cœlum, ſed aquam, non pura cœleſtium lumina, ſed exiguas eorum imagines, in aquâ ſemper luculentâ jam fuſcas. Idem contingit nobis ſub aëre craſſo, & tamen cœleſtia multùm miramur; cœleſtia autem hæc non aliter ſupercœleſtium vmbra ſunt, quàm terrena cœleſtium. Marſil. Ficin.

Media eſt in animâ cognitio, quia illam non habet à ſe, nec propriam, ſed mutuatam à Deo. *Vide Princip. Magnit. & Magnitudo. Virtus.* Sic intelligendum ænigma Magorum, eſt res omnino lucida, alia omnino obſcura, & alia partim lucida, partim obſcura; In corporibus ſtella omnino lucida, aër omnino obſcurus, Luna media; In ſpiritibus, mens eſt lumine plena, anima irrationalis vacua, rationalis media, eſtque vt Luna reſpectu Solis; Ideò mens eſt ſuprà ipſam, vt ſtella ſuprà Lunam. Marſil. Ficinus Theolog. Platon. lib. 1. c. 5. D

Plato. 7. de Republ. deſcribit homines in ſpeluncâ ligatos vultu versùs terram verſo, itavt videant tantùm vmbras ſui, & aliorum ſupernè exiſtentium.

Colores non ſolius luminis, ſed opacitatis ſunt participes.

Lumen eſt fortius, quò principio ſuo eſt proximius; debilius quo remotius; medium autem in medio ſpatio. E

Etiam in tranſparentibus invenitur obſcuritas, in æthere Luna, in aëre nubes, in aquâ mixtio terræ.

Eſt media cognitio in diffidentiâ. *Vide Magnitudo Virtutis Repug.*

Perſæ poſt convivia conſulunt de rebus ſerijs, quod ſi poſterâ die eadem illis jejunis propoſita placuerint, perficiunt; ſin verò, omittunt. Rurſus verò de quibus jejuni conſultaverunt, ebrij decernunt. Athenæ. lib. 4. cap. 6. ſic conſilijs eorum ſemper permixta ſtultitia, & cæcitas etiam ex condicto, quaſi ſit aliquid fortunæ committendum.

Tendo hebetem habet ſenſum, quia componitur ex ligamento inſenſibili, & nervo acuti ſenſus. Galelus lib. de motu muſculorum.

Ad plantam pedis diſtribuuntur parva germina nervorum, qui à ſpinali medullâ oriuntur; vt autem hæc pars non ſit nimis ſenſibilis, fabricavit natura infernam pedis cutem inter mollem & duram. Idem lib. 3. de vſu partium.

Vt fulgura fiunt in mediâ aëris regione, ſic hæreſes conflantur ab hominibus mediocris litteraturæ, qui inſoleſcunt, & quibus parùm quod ſciunt, multùm apparet, neſcientes quæ neſciant; ſic à multis artificibus ortas eſſe hæreſes refert. Baron. anno 196.

Summa pars aëris ſiccisſima Caliditſima quæ eſt propter Viciniam æternorum ignium, infima, tertis vicina, denſa & Caliginoſa, media temperatior. Senec. quæſt. nat. lib. 2. c. 10.

De indifferentiâ & judicij ſuſpenſione Pirrhoniorum, Academicorum, hæſitantium hæreticorum. *Vide Cognition. Veritatis.* datur certa cognitio veritatis.

Media & planè conjecturalis eſt cognitio quæ habetur per antiquitates & hiſtoriarum fragmenta. *Vide ſuprà Medium Cognitio*, quibus medijs habetur cognitio.

In oratore ſuſpenſio auditoribus grata eſt: in Muſicâ placet fidium ſonus tremulus: ſtellis & gemmis tremulus ſplendor: hæc voluptas oritur ex concordantiâ cum cognitione noſtrâ naturaliter media.

Cum noctu in cœlo licet ſereno non videntur ſtellæ minuſculæ, ſed tantùm majores, idque ſit vbique per totum cœlum, magnas præmonſtrat tempeſtates, & imbres intrà aliquos dies. Baconius in hiſtoriâ ventorum.

Etiam opera quæ jam inventa ſunt caſui debentur, & experientiæ magis quàm ſcientijs: ſcientiæ enim quas nunc habemus, nihil aliud ſunt quàm quædam concinnationes rerum anteà inventarum, non modi inveniendi, aut deſignationes novorum operum. Idem in novo organo. De experientiâ. *Vide Duratio Cognition.*

Subtilitas naturæ ſubtilitatem ſenſus & intellectus multis partibus ſuperat, vt pulchræ illæ meditationes & ſpeculationes humanæ & cauſationes res malè ſana ſint, niſi quod non adſit qui advertat. Ibidem. Notiones ſunt confuſæ, verbis parùm proprijs explicantur; vndè quæ his ſuperſtruuntur demonſtrationes, parùm habent firmitudinis.

Intellectus humanus eſt inſtar ſpeculi inæqualis ad radios rerum, quod ſuam naturam naturæ rerum immiſcet, eamque detorquet & inficit.

Defectus ſuos naturales debet noſſe, & ſic abſtinere ab extremis opinionibus eorum, qui minùs facilè & magiſtraliter pronuntiant; & eorum qui dicunt nihil ſciri poſſe.

Dionyſius Ægæus librum compoſuit centum capitum, in quibus centum propoſitiones de re medicâ problematice agitat, allatis in vtramque partem contrarijs rationibus: quod non eſſe inutile ad ſcientiam aſſerit Photius in Biblioth. cap. 185.

Piſces faciliùs capiuntur antè ſolis ortum, tunc enim facilè fallitur eorum viſus. Plinius lib. 9. cap. 16.

Corvi tunc maximè inauſpicati, & peſſima eorum ſignificatio, cum glutiunt vocem, tanquàm ſtrangulati. Idem lib. 10. cap. 12.

Cato ſatis eſſe dicebat ingenia Græcorum inſpicere, non perdiſcere. Idem lib. 29. in proœmio.

Seneca epiſt. 2. loquens de Epicuro, à quo ſumit plures ſententias; Soleo, inquit, & in aliena caſtra tranſire, non tanquàm tranſfuga, ſed tanquàm explorator.

Cum Mercurius eſt in locis non ſibi familiaribus, qualitates ſiunt obſcuræ, imbecilles, languidæ,

nihil proficientes. Ptolomæ. prædict. aſtrol. lib. 3. A c. 20.

Pythagoras dicebat res infrà lunam quatuor potiſſimum cauſis regi, Deo, fato, noſtro conſilio, & Fortunâ. Photius Biblioth. cap. 259.

Inquietatio ſenſualis quærit diſcretionem, & rationem, ratio intellectum, intellectus veram abſolutam cauſam, ad quam inveniendam cauſam ſanè hic cæcutimus: vt qui videt optimè pictam tabellam miratur, ſed neſcit artem, quæ eſt forma ſimplex omnium figurarum, non viſibilis, ſed intelligibilis: Ita Deus Pater qui eſt fons identificandi artis, & Verbum filius, qui eſt abſoluta quid ditas, & forma omnium formabilium, non poſſunt concipi, licet ars ſit explicata, quia ſolus intellectus Dei Patris habet intellectum illius artis; Vndè homo ſuas ratiocinationes vilipendens ad divinam revelationem convertitur, cœlum enim eſt quaſi cælatura & expreſſa figura Dei, ipſum tamen intrà ſe claudens & cælans. Card. de Cuſa lib. de Geneſi.

Quale eſt, die non eſſe contentum, niſi aliquis igniculus illuxerit? quod poteſt in hac claritate ſolis habere ſcintilla momentum? Senec.

Ea quæ ſunt rerum ſingularium nullâ ratione vel diſcurſu, ſed ſenſu tantùm, fide, aliorúmque teſtimonio deprehenduntur. Ariſtot. 1. de auditu.

Plato dicit naturam nihil eſſe quàm ænigma Poëmaticum, latent enim omnia craſſis occultata & circumfuſa tenebris, vt nulla acies humani ingenij tanta ſit, quæ penetrare in cœlum, terram intrare poſſit, vndè cœlum dicitur οὐρανὸς quaſi ὅρος, id eſt terminus, quem mens noſtra non tranſgreditur: hinc falsò quidam exiſtimarunt hominem rerum omnium eſſe menſuram; quaſi verò alterius rei menſuram poſſit agere, qui ſui neſciat.

Poſtquam æger ſe ſanandum medico permiſit non ampliùs de ejus præceptis interrogat.

Quidam fortunati minùs conſultant, quia non fallaci rationis diſcurſu, ſed à non errantibus cœleſtium influxibus aguntur. De his Ariſt. lib. de reminiſcentiâ ait, tanti divinant, quia proprij motus eos non infeſtant.

Pictores ſolitudines, maria & res nobis ignotas levi quadam adumbratione nobis referunt, & in confuſo; quæ autem in vſu ſunt expreſſis coloribus depingunt. Res divinæ nobis ſunt ignotæ.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE probationibus & præſumptionibus. ff. 22. tit. 3.

De rebus dubijs. ff. 34. t. 5.

De ſententiâ quæ ſinè certâ quantitate profertur. Cod. 7. tit. 46.

Non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt. l. 20. ff. de legibus. Ideò rationes eorum quæ conſtituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa ſunt ſubverterentur. l. 21. eodem.

Tranſactio eſt rei dubiæ vel controverſæ deciſio, vt obligationis conditionalis & rei litigioſæ. l. 2. ff. de tranſact.

Furioſis ſi ſit judex datus, quod ſuæ mentis effectus & in dilucido intervallo dixerit ratum eſt. l. 39. ff. de judicijs.

Conſtituuntur jura ex his quæ plerumque contingunt. l. 3. ff. de legib.

Aurora licet videatur medium inter diem & noctem, tamen diei adſcribitur. l. 25. ff. de liber. & poſthum.

In chirographo facta commemoratio pecuniæ quæ ex aliâ causâ dicitur deberi, non habet vim obligationis. l. final. ff. de probationib.

Non omnes caſus legibus comprehendi poſſunt. l. 10. ff. de legib.

In familiæ Erciſcundæ judicio veniunt res dubiæ, vt quæ poſſunt reverti ab hoſtibus poſtliminio, & poteſt fieri æſtimatio dubij eventus. l. 23. ff. famil. erciſc.

Verba enunciativa, propter aliud emiſſa, vim irrevocabilis confeſſionis non habent, ſic qui familiæ Erciſcundæ judicio agit, non confitetur adverſarium ſibi eſſe cohæredem. l. 37. ff. famil. erciſc.

Valet emptio ſi conſtet de re, & error ſit in nomine. l. 9. de contrah. emp.

Si quis ſervum artificem promiſit, ſufficit ſi ſit modicæ capacitatis. l. 19. §. illud ſciendum. ff. de edil. edict.

Scientia hoc modo æſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit neque delatoria curioſitas exigatur. l. 6. ff. de jur. & fact. igno. eodem & l. 9. §. ſed facta. cod.

Si deleta in teſtamento legi poſſint, valent, ſi inconſultò ſint deleta; ſecùs ſi penitùs legi non poſſint. l. 1. ff. de his quæ in teſtam. delentur.

Furioſus poteſt contrahere tempore dilucidi intervalli. l. 2. Cod. de contrah. empt.

Potiſſima rerum diviſio eſt in corporales, quæ videri & tangi poſſunt, & incorporales, quæ contrà. l. 1. ff. de rer. diviſio.

Incivile eſt niſi totâ lege perſpectâ, vnâ aliquâ ejus particulâ propoſitâ, judicare, vel reſpondere. l. 24. ff. de legib.

Qui de ſtatu ſuo litigat interim non poteſt eſſe miles. l. 29. ff. de liber. cauſa.

Incerta admodum eſt cognitio quæ habetur per tormenta, quia illa alij ſpernunt, alij maximè timent. l. 1. §. 23. ff. de quæſtion.

Non punitur vt Leno, qui mulierem ſuam de adulterio ſuſpectam retinet, ſed qui inventam in adulterio. l. 2. Cod. ad l. Iul. de adulter. & poteſt renuntiare libello accuſationis, quem vana indignatione porrexit. l. 17. Eod.

Muris datur curator. l. 1. ff. de mun. & hon. Cum eſt dubitatio, an quis ſit baptiſatus, baptizandus eſt, ſic in dubio conſecranda eſt Eccleſia. Concil. Carthag. 5. can. 6.

Nullus ſcire valet certitudine fidei ſe gram Dei eſſe conſequutum, vndè eâ de causâ poteſt timere. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 9. Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat. 1. Corinth. 10. Cum timore veſtram ſalutem operamini. Phil. 2. idem Concil. c. 16. in fin.

Non facit contrà ſervitutem altius non tollendi, ſi id quod ponitur, lumen quidem nihil impediat, ſolem autem auferat, ſi eo loci gratum erat non eſſe; ſecùs tamen eſt, ſi tollatur ſol in loco, in quo erat neceſſarius. l. 12. ff. de ſervit. præd. vrban.

Accuſator non eſt credendus calumniator, eo ipſo quo reus abſolutus eſt; quia accuſator potuit habere juſtam cauſam accuſandi. 3. Cod. de calumniator.

EX THEOLOGIA.

VIrgo Maria habuit donum prophetiæ, ſapientiæ & miraculorum, ſed non ſecundùm omnem vſum. 3. q. 27. a. 5. ad 3.

Pythagoras noluit profiteri ſe eſſe ſapientem, ſed amatorem ſapientiæ. 2. 2. q. 186. 2.

Prophetæ non vident omnia prophetabilia, ſed tantùm ea quæ ſibi ſpecialiter revelantur. 2. 2. q. 171. a. 4.

Propheta propriè cognoſcit ſe moveri à Deo, ad aliquid æſtimandum, vel ſignificandum verbo, vel facto, non tamen omnia quæ per hoc intendit Deus. 2. 2. q. 173. a. 4.

Rhetorica eſt ex conjecturis ad ſuſpicionem; ſed dialectica eſt ex probabili ad opinionem. 2. 2. q. 48.

Actus ſapientiæ in hac vitâ eſt imperfectus, reſpectu ſui objecti principalis, ſcilicet Dei. 1. 2. q. 66. a. 5. ad 2.

De nullâ re ſciri poteſt, an eſt, niſi de eâ ſciatur quid eſt, ſaltem confusè. 1. q. 2. a. 2. ad 2.

Olfactus hominis non percipit niſi excellentias odorum, propter maximam humiditatem cerebri. 1. q. 91. a. 3. ad 1.

Opinio eſt actus intellectus declinantis in vnam partem contradictionis, cum formidine alterius. Vndè opinio eſt quid debile & infirmum. 1. q. 79. a. 9. ad 4.

Ille, cui oſtenduntur ſimilitudines ſinè lumine intelligentiæ, ſicut Pharao, vel Nabuchodonozor, non eſt propriè Propheta. 2. 2. q. 173. a. 2.

Prudentia hominis non eſt omninò certa, propter variabilitatem ſingularium, ſed eſt vt in pluribus. 2. 2. q. 47. a. 3. ad 1.

Senſus eſt quædam deficiens participatio intellectus. 1. q. 77. a. 7.

Senſus non apprehendit formam ſubſtantialem, ſed tantùm accidentia. 1. q. 57. a. 1. ad 2. Non etiam vniverſalia, quia cum ſemper ſit in organo corporali, non recipit formam immaterialem. 1. q. 12. a. 4.

Abſtractio à ſenſibus, quandoque fit perfectè, ſcilicet vt nihil perfectè, ſenſibus percipiatur, quandoque imperfectè, ſcilicet vt diſcernatur, ſed non planè inter viſa imaginariè & viſa per ſenſum. 2. 2. q. 173. a. 3.

Adam non videbat Deum per eſſentiam, ſecundùm communem ſtatum. 1. q. 94. a. 1. & q. 95. a. 3.

Scientia Adæ erat media inter cognitionem noſtram, & beatorum. 1. q. 94. a. 1. Non cognoſcebat naturaliter futura contingentia, non etiam cogitationes cordium, nec quælibet ſingularia. a. 3. habuit fidem. q. 95. a. 4. ad 1. In ſtatu innocentiæ dormiviſſet & ſomniaſſet. q. 94. a. 4.

Admiratio conſequitur apprehenſionem alicujus excedentis noſtram facultatem. 1. q. 105. a. 7.

Admiratio fuit in Chriſto. 3. q. 15. a. 8.

Homo poteſt affectū hominis cognoſcere in quantùm per aliqua ſigna manifeſtatur. 1. 2. q. 112. a. 5.

Intellectus Angeli eſt medius inter intellectum Dei & hominis, virtute & modo cognoſcendi, quia ſimilitudo ejus non eſt eſſentia ejus, ſicut in Deo, nec accepta à rebus ſicut in nobis, ſed per influxum à Deo. 1. q. 84. a. 2.

In Angelis eſt aliqua neſcientia. 1. q. 12. a. 8.

Angeli ignorant aliqua ſupernaturalia, non autem aliquid cognoſcibile ab eis naturaliter: ſed intellectus noſter ignorat vtroque modo. 1. q. 58. a. 5.

Angeli in ſtatu naturæ non viderunt verbum, niſi per ſimilitudinem. 1. q. 62. a. 1. ad 3.

Angeli cognoſcunt in verbo myſteria gratiæ, non omnia, nec æqualiter omnes, ſed ſecundùm quòd Deus vult illis revelare, non autem cognitione naturali. 1. q. 57. a. 5.

Noſtra Hierarchia perficitur divino lumine, velato ſimilitudinibus ſenſibiliū in figuris & ſacramētis, Angelica verò lumine ſimplici & abſoluto. 1. q. 108. a. 1.

Non habent Angeli omnem illuminationem, quæ pertinet ad præmium accidentale, ideò in illâ inferior illuminatur à ſuperiori; non autem de pertinentibus ad præmium eſſentiale. 1. q. 106. a. 1. ad 1.

Fides non eſt in Angelis bonis & malis. 2. 2. q. 5. a. 2.

Moyſes nominavit Angelos nomine lucis vel cœli, non autem propriè quia loquebatur populo rudi. 1. q. 61. a. 1. ad 1.

Anima magis propriè dicitur rationalis quàm intellectualis. 2. 2. q. 83. a. 10. ad 2. eſt enim infirma in genere intellectualium. 1. q. 51. a. 1.

Anima ſeparata non cognoſcit omnia ſingularia ſibi præſentia, ſed tantùm ea quæ determinantur priori cognitione, affectione, naturali habitudine, vel ordinatione divinâ. 1. q. 89. a. 4.

Anima ſeparata naturaliter cognoſcit omnia naturalia, ſed confusè. 1. q. 89. a. 3.

Appropriatio in communi eſt manifeſtatio divinarum perſonarum per attributa eſſentia. 1. q. 57. a. 7.

Aſtrologus poteſt prædicere futura determinata, non autem contingentia ad vtrumlibet. 1. q. 115. a. 4. ad 3.

Attributa eſſentialia poſſunt à nobis naturaliter cognoſci, non autem perſonalia. 1. q. 32. a. 1.

Deus per eſſentiam viſus neceſſariò amatur, ſed per effectus cognitus poteſt odiri. 1. q. 60. a. 5. ad 5.

Beatitudo aſcendit in cor hominis, ſecundùm rationem communem, non autem quæ & qualis ſit in ſpeciali. 1. 2. q. 5. a. 8. ad 2.

Beati in patriâ omnes rationes rerum quæ in Chriſto ſunt non cognoſcunt, etſi ipſum comprehendant. 1. q. 12. a. 8.

Beati Deum comprehendunt, ſed non totaliter, id eſt omnibus modis quibus comprehendi poteſt. 1. q. 12. a. 7. ad 1.

Cùm beati non ſint comprehenſuri Dei eſſentiam, non omnia videbunt quæ Deus videt. ſuple. 92. a. 3.

Anima Chriſti in verbo cognoſcit omnia quæ quandoque ſunt, & cogitatus, non autem divinam eſſentiam, & omnia quæ ſunt in potentiâ Dei. 3. q. 10. a. 2.

Anima Chriſti cognoſcit in verbo omnia quæ Deus novit ſcientiâ viſionis, quo-ad numerum ſcibilium, non autem quo-ad claritatem, non cognoſcit etiam omnia quæ Deus novit ſimplici intelligentiâ. 3. q. 10. a. 2. ad 3.

Cognitio eſt imperfecta tripliciter, ſcilicet ratione objecti, vt veſpertina; ratione medij vt opinio; & ratione ſubjecti, vt fides. Prima & ſecunda poteſt eſſe ſimul cum perfectâ, non autem tertia. 1. q. 58. a. 7. ad 3.

Conjecturalis cognitio, quæ fit per ſigna, eſt imperfecta. 1. 2. q. 112. a. 5. ad 2.

Quilibet tenetur credere explicitè articulos fidei, alia autem implicitè. 1. 2. q. 76. a. 2.

Vt diſpoſitio inferni miſeriæ damnatorum conveniat, erunt in eo tenebræ corporales, cum quadam luce, vt videant damnati ea quæ animam torquere poſſunt. ſuple. 4. 97. a. 4.

Error eſt in intellectu dæmonum ſolum reſpectu ſupernaturalium, in reliquis vigent acumine ſcientiæ & intellectus. 1. q. 58. a. 5.

Dæmones cognoſcebant Chriſtum eſſe Meſſiam promiſſum in lege, non autem cognoſcebant ejus divinitatem, niſi per conjecturas. 1. q. 64. a. 1. ad 4.

Dæmoniaci neſciunt quid loquantur, quandò dæmon loquitur in eis; ſicut nec ſerpens, quo diabolus tentavit Adam, nec aſina quo Angelus loquutus eſt ad Balaam. 2. 2. q. 165. a. 2. ad 4.

Deum eſſe non eſt nobis naturaliter notum ſecundùm ſe, ſed ſecundùm ſimilitudinem & participatio-

nem ejus. 1. q. 2. a. 1. ad 1. de Deo non poſſumus ſcire quid eſt. 1. q. 1. a. 7. ad 1.

In hac vitâ cognoſcimus eſſentiam Dei, ſecundùm quod repræſentatur in creaturis, non autem vt eſt in ſe. 1. q. 1. a. 2. ad 7.

Intellectus noſter intelligit totum Deum, non autem totaliter. 1. q. 12. a. 7. ad 3.

Beati videntes eſſentiam Dei, non vident omnia quæ Deus facit, vel facere poteſt. 1. q. 12. a. 8.

Differentiæ eſſentiales ſunt nobis ignotæ. 1. q. 29. a. 1. ad 3.

Definitio interdùm fit per ea quæ conveniunt alicui non per ſe, ſed per accidens. 3. q. 60. a. 4. ad 1.

Docere per modum exhortationis privatè convenit mulieri, non autem publicè prædicare. 2. 2. q. 77. a. 2.

Dormiens interdùm ſyllogiſat, licet ſemper cum aliquo errore. 1. q. 84. a. 8. ad 2.

Interdùm ſimilitudinibus rerum inhæremus, ſicut rebus ipſis, vt patet in dormientibus. 1. q. 55. a. 5. ad 3.

Dubitatio dicitur dupliciter, ſcilicet motus rationis ſuper vtramque partem conditionis, cum formidine determinandi alteram partem ejus; & formido affectus, ad aliquod terribile ſuſtinendum. Prima non fuit in Chriſto, ſed ſecunda, non ſecundùm rationem, ſed ſecundùm ſenſualitatem. 3. q. 18. a. 4. ad 1.

Dubitatio duplex, ſcilicet infidelitatis & admirationis; ſecunda fuit in Matre Chriſti, non autem prima. 3. q. 26. a. 4. 2.

Dubia de perſonis debent in meliorem partem interpretari. 2. 2. q. 60. a. 4.

Deus mediâ & ænigmatâ cognitione cognoſcitur. *Vide Cognitio Princip.*

Epicicli & excentrici probantur in aſtrologiâ rationabiliter, non autem demonſtrativè. 2. q. 3. a. 2.

Suſpectis vehementer debet negari Euchariſtia. 3. q. 80. a. 6. ad 2.

Homo in ſtatu innocentiæ habuiſſet fidem de incarnatione Chriſti. 2. 2. q. 2. a. 7.

Fides non eſt fundamentum ſpiritualis ædificij, ratione ænigmatis, ſed ratione cognitionis. 1. 2. q. 67. a. 3. ad 2.

Ea quæ ſunt fidei non ignorantur omninò, ſed imperfectè cognoſcuntur. 1. q. 12. a. 13.

Rationes ſanctorum de fide non ſunt demonſtrativæ, ſed perſuadent non eſſe impoſſibile quod creditur. 1. q. 1. a. 8.

Fides compatitur motum dubitationis, non autem ſcientia vel intellectus, quia fides non aſſentit propter evidentiam objecti, ſed ex imperio voluntatis. 2. q. 1. a. 5. ad 1.

Homo poteſt ſcire ſe habere gratiam conjecturaliter per aliqua ſigna, certitudinaliter autem per revelationem. 1. 2. q. 1. 12. a. 5.

Iacob non vidit Deum per eſſentiam. 1. q. 12. 11. ad 1.

Imaginatio & ſenſus nunquàm cognoſcunt naturam rei, ſed tantùm accidentia. 1. q. 57. a. 1. ad 2.

Incontinens iræ audit rationem, ſed imperfectè; incontinens autem concupiſcentiæ totaliter eam non audit. 2. 2. q. 55. a. 6. ad 1.

Intelligere noſtrum eſt quoddam pati. 1. q. 79. a. 2.

Ira aliqualiter audit rationem, ſicut nuntiantem quod injuriatum eſt, non autem perfectè, quia non obſervat regulam ejus in vindicando. 1. 2. q. 46. a. 4. ad 3.

Multum ebrij non iraſcuntur, quia nihil habent de judicio rationis, ſed parùm ebrij multùm iraſcuntur, quia habent judicium rationis, ſed præpeditum. 1. 2. q. 46. a. 4. ad 3.

Iudæi Principes cognoverunt Chriſtum eſſe Meſſiam promiſſum, non autem cognoverunt ejus divinitatem, niſi per conjecturas, quia obſcurabantur per invidiam, & cupiditatem gloriæ propriæ. 3. q. 47. a. 5.

Lex naturæ fuit offuſcata in gentilibus, quo ad multa. 1. 2. q. 94. a. 4. vt apud Germanos latrocinium non reputatur peccatum Angelus eſt medicus Angelus eſt medius inter intellectum noſtrum, qui eſt in purâ potentiâ ad intellectionem, ſicut materia ad omnem formam; & Deum, qui eſt purus actus intelligens. q. 50. a. 6.

Habemus aliquam cognitionem legis æternæ, omnia ad ſuum finem dirigentis, per notitiam principiorum naturalium. 1. q. 93. a. 2.

Lex naturæ quo-ad vniverſalia principia non poteſt de cordibus hominum aboleri, ſed quo-ad particularia tantùm eſt in paucioribus. 1. q. 94. a. 6.

Omnis forma quæ poteſt diverſimodè operari, ſicut eſt anima, diſponitur & terminatur ad ſuas operationes per aliquos habitus. 2. 2. q. 44. 3.

Cum ratio humana ad legem æternam comparetur, vt cauſa ſecunda primæ ſubordinata, neceſſe eſt voluntatis humanæ bonitatem magis ex lege æternâ, quam ex ratione deprehendere. 2. 2. q. 19. a. 4.

EX BIBLIIS.

ISaac auditâ voce Iacob, & ſentiens hirſutas manus Eſaü, dubitat. Gen. 27.

Nubes, quæ ducebat Iſraëlitas, erat illis lucida, Ægyptijs vero tenebroſa. Exod. 15.

Moyſes videt poſteriora Dei, faciem autem videre non poteſt. Exod. 33.

Nubes Dei incubat tabernaculo per diem, ignis autem per noctem. Exod. 40.

In Apocalypſi Angeli invicem altercantur, ſic in actibus Apoſtolorum, Petrus & Paulus.

Perditio & mors dixerunt auribus noſtris audivimus famam ſapientiæ, Deus autem intelligit viam ejus. Iob. 28.

Et creabit dominus ſuper omnem locum montis Sion nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte. Iſay. 4.

Seraphim duabus tandum medijs alis volant, alijs velant faciem domini, alijs pedes. Iſay. 6.

Ezechiel in viſione ſuâ. cap. 1. videt ventum turbinis, & ecce nubes magna, & ignis involvens, & ſplendor in circuitu ejus. Sedens in throno, quaſi Iride circumvelatur. & cap. 41. duas facies habet Cherub, faciem hominis & faciem leonis.

Erit dies vna quæ nota eſt domino, non dies, neque nox, & in tempore veſperi erit lux. Zach. 14.

Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Pſ. 10.

Aſcendit fumus in irâ ejus, & ignis à facie ejus exarſit. Aſcendit ſuper Cherubim & volavit, & poſuit tenebras latibulum ſuum; præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt. Tenebroſa aqua in nubibus aëris. Pſ. 17.

Veritas tua vſque ad nubes. Pſ. 35.

Deduxit eos in nube diei. Pſ. 77.

Invocabant dominum & ipſe exaudiebat eos, in columnâ nubis loquebatur ad eos. Pſal. 98.

Chriſtus in parabolis loquitur, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Math. 13.

In transfiguratione Ieſu nubes lucida obumbrat diſcipulos, & fit vox de nube. Math. 17.

Ioannes non erat lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Ioan. 1.

Digitized by Google

Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus qui eſt in sinu Patris ipſe enarrabit. Ioan. 1.

Cæcus à Chriſto illuminatus videt homines tanquàm arbores ambulantes. Marc. 8.

Exod. 3. Moyſes videns ardentem rubum, qui non conſumebatur, dixit. Vadam, & videbo viſionem hanc; cui Deus, ne appropries huc, &c. Loquente Deo abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contrà Deum, & Exod. 33. non faciem Dei ſed poſteriora ejus vidit.

Videmus hìc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt. Roman. 8.

Ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus ſed quaſi carnalibus; tanquàm parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam. 1. Corinth. 3.

Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt: cum eſſem parvulus, loquebar vt parvulus, cogitabam vt parvulus; quandò autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. 1. Corinth. 13.

Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. 2. Corinth. 5.

Scrutator majeſtatis opprimetur à gloriâ. Proverb. 25.

Neque plùs ſapias quàm neceſſe eſt ne obrupeſcas. Eccleſ. 7.

Noli altum ſapere ſed time. Rom. 11.

Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Rom. 12.

Non alta ſapientes ſed humilibus conſentientes. Ibidem.

Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere. 1. Tim. 6.

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſuâ, ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me. Ierem. 9.

Fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei... Chor. 2.

Chriſtus credentes Evangelo comparat mutis piſcibus, cum dicit Petro & Andreæ venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum. Math. 4.

Iudicia tua abyſſus multa. Pſal. 35.

Iſraël ducitur ad terram promiſſionis per deſerta & invia.

Antè tabernaculum erant lampades, ſed velo tecte.

MEDIA COGNITIO quandò eſt bona.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Charitas in indigente non attendit occultas quaſdam qualitates, vndè beneficio indignus haberetur; nihil aliud in ipſo videt quàm præſentem neceſſitatem, cui porrigit auxilium. Qui etiam beneficium accipit, omnia boni conſulat; nec vt fert adagium, equi dono accepti os inſpici debet.

MAGNITVDO. Terreretur animus, ſi dùm magna aggreditur, rerum molem, omnéſque indè emergentes caſus attentiùs conſideraret: conſcendimus montem, cujus à radice cacumen non apparebat: Per partes ſunt exequenda, quæ ſimul conſiderata mentem obruerent.

DVRATIO. Accendit audaciam, præſentibus tantùm, non futuris intenta cogitatio. Sic vrgente gravi periculo, quod moram non patitur, quædam remedia, etiam non ſatis notà tentantur; conſuetis, vt naturalibus, fidem damus, nec illa ad exactam rationis trutinam ponderamus.

POTESTAS. Qui prevalent potentiâ, ſibi fidentes minùs circumſpiciunt, & minùs ſibi arte, doliſque præcavendum putant; Vis enim major vno impetu ſtructas longo ſtudio machinas ſubvertit. Audaces, vt Leones, ruunt in pericula, licet ſibi minùs nota; nimia autem ſuſpenſaque rerum inquiſitio arguit impotentiam & metum.

COGNITIO. Cujuſlibet artis tyrones de aliquibus judicant, ſed maximè ſequuntur magiſtri dirigentis motum. Scientiæ omnes mediam habent cognitionem objecti ſui, quia principia ſua mutuantur ab alijs, ſic verè non poſſident quod ab alijs accipiunt.

VOLVNTAS. Paſſiones datæ ſunt à naturâ, vt dubiam, timidam, cunctantemque rationem exſtimulent. Amori competit media quædam lux, quâ videt in re amatâ perfectiones, non defectus.

VIRTVS. Virtuti fortuna, quæ cæca eſt, jungitur comes: quævis etiam oculatiſſima prudentia, in conſilijs non ità exactè omnia debet penſare, vt multum fortunæ non concedat.

VERITAS. Oraculorum mos eſt, obſcuris vera involvere; ſymbolis, ſigniſque dubijs res exponere. Fides quæ datur revelationibus divinis certa eſt, ſed obſcura; quærit enim aſſenſum, non judicium.

GLORIA. Natura animalia omnia voluptate demulcet, illiſque ſenſum damni adimit, vt ſubſtantiam ſuam in generationibus profundant. Gloriæ cupido non videt rerum agendarum pericula, ſed coronas. Triumphantibus olim aderat qui moneret eos homines eſſe, id enim inter publicos applauſus vix attendunt.

DIFFERENTIA. Qui ſe à turbâ ſeduxit, tantùm ſciat de rebus vulgi, quantùm opus eſt, vt mundanæ illius ſcenæ ſpectaculo ad libitum fruatur; vt ſe à cæteris vitæ melioris inſtituto ſecretum intelligat, ſibique plaudens in ſapientiæ ſtudio averſetur fortunæ fallentis munera.

CONCORDANTIA. Qui matrimonij, aut Sympathicæ amicitiæ jugum ſubeunt, ejus delicias, non onera omnia ſpectant. Hac diſſimulatione, jubet Apoſtolus, alter alterius onera portemus. Mixta omnia mutuis induuntur qualitatibus, itaut ambiguum ſit de illis judicium: Sic in Chriſto Deo & homine quædam apparebant divina, quædam humana, vt qualis eſſet, nec Dæmones, nec Iudæi agnoſcerent.

CONTRARIETAS. Iratus acceptas injurias multùm facit, illatas parùm: Menti ſic turbatæ, & in hoc occaſu rationis, ſupereſt quidam juſtitiæ fulgor, quo ſe aut temperat, aut excitat, provt hæc maligna lux mentem afficit: non oportet adverſa omnia militibus innoteſcere, ne deficiant animo, oportet tamen quædam eis aperire, ne ſibi nimiùm confidant.

PRINCIPIVM. Ex initijs eliciuntur de futuro conjecturæ; vt ex horoſcopo, aſtrologus fert de totâ vitâ judicium, ſed incertum. Ex floribus, varijs aëris injurijs expoſitis, expectatur meſſis: ſic providentia continet mentem humanam inter ſpem & metum mediam, ne aut torpeat, aut inſoleſcat.

MEDIVM. Miniſtris tantùm de rerum myſterio aperitur, quantùm opus eſt, vt injunctum ſibi opus peragant. Medium eſt extremorum particeps: ſic ex

illo elicitur de extremis judicium, ſed obſcurum, vt ſi ex homine velles intelligere naturas animalium, & ſubſtantiarum ſeparatarum. Cognitio ſequitur gradum entitatis, in ſuperioribus eſt illuſtrior, immedijs media, & tenebris permixta.

Finis. Certa eſt finis intentio; ſed incerta & vacillans mediorum electio: quæ ſunt in rectâ lineâ videntur contigua, vt ſic quaſi ad facilem conſequutionem excitetur animus.

Maioritas. Pluſquàm heroicam virtutem Chriſtianam comitatur humilitas, quæ internæ perfectionis, tùm proprijs, tùm alienis oculis, mediam tantùm concedit notitiam, & quantùm oportet, ne mens ſuperbiat, ne ſit ergà Deum accepti ingrata, ne vires ſuas penitùs ignorans illis non vtatur, ne proximis lucem, auxilia, & bonum exemplum ſubtrahat.

Æqvalitas. Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylva ſurrexit: Sic vt obſcuretur quorundam publico bono nociva fama, illis plures æquantur, ſic enim non habet quo emineat.

Minoritas. Eâ ratione media tantùm debet eſſe induſtria in perſonis ad famulatum deſtinatis, in ſervis, tyronibus, mulieribus, negotiorum geſtoribus, alioquin nollent dominantibus ſubeſſe.

MEDIA ET IMPERFECTA cognitio in rebus divinis.

MISCELLANEA.

NOn advocatur medicus, vt doceat qualitatem morbi, ſed vt ſanet, ſic Principes non reddunt rationem legum ſuarum. Religionis occulta myſteria. *Vide infrà Minoritas Cognitionis.*

Hebræi cum gemitu legunt illud. Gene. 1. Die ſecundâ factum eſt firmamentum dividens aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, ab aquis quæ erant ſub firmamento: Ne ſcilicet aquæ gratiarum & abundantia luminum copioſius in materiam efflueret, ſicque limitata eſt poteſtas noſtra. Georg. Vetus de harmon. lib. 2. c. 11.

Legem brevem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa divinitus vox; jubeat non diſputet: nihil videtur mihi frigidus, nihil ineptius quam lex cum prologo; Mone, dic quod velis me feciſſe, non diſco, ſed pareo. Seneca Epiſt. 94.

Euclydes olim interroganti multa de Dijs percommodè reſpondit: cætera quidem neſcio; illud ſcio, quod odere curioſos, credi volunt, non agnoſci.

Si vis tangere cæleſtes illos ignes, liqueſces; ſi ſcandere in providentiæ arcem, cades; quaſi papilio ad lucernam combureris: Deo vni licet. Summa juſtitia eſt Dei voluntas, inquit Salvianus.

In divinis vnum acumen eſt, nihil cernere: vna ſcientia, nihil ſcire: tacere juberes hoſpitem, qui patriæ leges quas ignorat vellet interpretari. Eripiesne trutinam cæleſtis è Iuſtitiæ manibus, & tuo ſenſu, tuiſque ponderibus eam librabis; Velut è cœlo eſt hæc peſtis animorum, certis graſſans temporibus. Viri, fœminæ, ſenes, pueri quæſtiunculis luduntur & laſciviunt; Olim myſterium Theologia erat, nunc facta eſt publicum oblectamentum. Lipſius.

Sapiunt in hoc Turcæ apud quos de Religione Sacriſque diſputare capitale eſt.

Plin. lib. 1. c. 1. ait. Humanam ſcientiam includi mundi ceptis, vltrà quæ nihil homini licitum eſt inquirere, qui nec ſeiptum poteſt comprehendere.

Aſſerunt Philoſophi cœlum inferioribus conferre, non ſolum per lumen, & motum ſed etiam per occultos quos ignorant influxus; creditur ignis in ſphærâ, etiam ſi non luceat, nobilius elementum vult cognoſci non ſenſu, ſed ratione.

Pythagoras, omnia dicebat eſſe credibilia, quia ſunt Deo poſſibilia. Plato in Phædro & legibus deteſtatur hominem in divinis incredulum: vt enim irrationabile eſt rationibus non credere; ità impium nolle abſque rationis aſſertione credere Deo: Deus ſiquidem ipſa ratio eſt, nihil autem opus eſſe videtur ratione aliâ, quâ ipſi rationi prorsùs aſſentiamur. Marſilius Ficinus.

Animæ noſtræ filius eſt ipſa ratio, ſeu diſcurſus, qui vt à Deo acceptus Deo offerendus eſt: poſtquàm, inquit ſcriptura, Angeli Dei ingreſſi ſunt ad filias hominum, illæ genuerunt eis; Abraham autem videtur non ſibi, ſed Deo genuiſſe, qui vnigenitum ei obtulit vinctis manibus & pedibus. Philo. Iud. lib. quod Deus ſit immutabilis.

Quandiù ſumus extrà patriam, tantùm de divinis cognoſcimus, quantùm divinus ipſe radius per ſerenas ſanctiſſimas mentes tranſmiſſus oſtenderit, in quibus ſanè, tanquàm in corporibus diaphanis, divinum percipimus ſolem, quem capere in ſeipſo non poſſumus; Ideò circâ divinorum contemplationem certis limitibus cohibiti ſumus. Primò, quia nihil vltrà contingere poſſumus, quàm quod radius offert. Secundo quia ad nos ſub menſurâ deſcendit non omnia quæ Deus in ſe, & Angeli in eo vident, ſed pauciora, magna tamen, ſi cum cæteris comparentur. Tertiò, quia pro meritis & capacitate datur lumen illud; quemadmodùm ſi ſol ſe omnium oculis temperaret; ità ſol ille divinus ſe finitum mentibus finitis offert, infinitatem interea ſuam occultans in ſeipſo: Ideò circà illum ſic nos debemus temperare, vt nec per ignaviam decidamus, neque per ſuperbiam vlteriùs tentemus. Sol diverſis ſtellis lumen ſuum accommodat; ſic in cælo beatæ mentes ſuo lumine contentæ, & menſurâ dati muneris vivunt cum divinâ voluntate concordes. Marſil. Ficinus.

Fidem habentes, ſunt quaſi cæcutamatores; Fides ex auditu, per auditum filius Dei conceptus fuit, & regnum ejus ſic etiam ſtabilitur.

Quæ ſuprà nos niſi Deo revelante non cognoſcimus, æquum eſt vt ſuprà naturam aliquid credamus, ſuprà naturam beatificandi.

Sæpè ſcriptura Deum jurantem inducit, quamvis hoc ab eo ſit alienum; homines enim per majorem ſui jurant, hoc fit, vt infirmitatem creaturæ coargueret, & convictam conſolaretur: Rebus enim mortalibus, tanquàm cochleæ induti & involuti, eaſdem ſæpè de immortali Deo ac de nobis opiniones habemus. &c. Philo. Iud. lib. de Sacrificio Abel & Cain.

Dicit Dominus Abrahamo, Exi de terrâ tuâ, de cognatione tuâ, & de domo patris tui; Terra corpus, cognatio ſenſus, domus Patris intellectus, qui vt Pater familias providet toti corpori; domus quam inhabitat eſt reliquis celſior ratio. &c. Idem lib. de migrat. Abrahami.

Agar ancilla, monitu Angeli ſe ſubijciens Saræ Dominæ, ſignificat ſcientiam humanam, divinæ ſapientiæ ſubdit dibere. Idem lib. de congreſſu quærendæ erudit causâ.

Dicit Dominus Abrahæ. Egredere de terrâ tuâ, &c. & veni in terram quam monſtravero tibi. Non præſens tempus, ſed futurum prædefinit: dicit enim.

non oſtendo, ſed oſtendam, in teſtimonium fidei, quâ hîc anima futura Dei bona credit & reputat quaſi præſentia, &c. Philo Iudæ. lib. de migrat Abrahæ.

Sic ſe habet Deus in morali parvi mundi, ſcilicet hominis creatione, vt in naturali majoris mundi. Primò fecit lucem, fides primò neceſſaria; accedentem ad Deum oportet credere. Secundò, debet in ipſo fieri firmamentum, ideſt ſpes, quæ debet firma permanere inter aquas ſuperiores tribulationum, & inter aquas inferiores tentationum. Tertiò, debet apparere arida, ideſt pœnitentia, quæ poſteà ſit frugifera.

Homo facilè debet aſſenciri myſterijs fidei, quia ſunt in ſuum favorem: hinc enim illi tranquillitas, ſpes, pax, integritas. Guillel. Poſtellus in Theol. Nat.

In Sicilià terra eſt Peloria, ſoli temperamento egregia; In eâ lacus eſt in cujus medio ſita eſt ara, ad eam vſque vadum eſt, extrà abyſſus inſcrutabilis. Solinus polishoſt. cap. 11.

Fides virtus eſt, quâ ſuprà mortalitatis vires majoribus, divinioribuſque myſterijs aſſentimur: hanc Deus beneficè mortalibus infudit, vt miris quibuſdam ſub velamine quodam perſpectis, in intelligentiam & claram rerum manifeſtationem tandem conſurgerent; cum enim hic omnia dubia, nihilque niſi ſub velamine poſitum ſit, ſubvenire debuit lumen illud, cui ſi accedat ſcientia, ex his duobus fidibus præclara harmonia conſurgit: eſt tamen in his æterni atque infiniti aliquid ignorandum, quoniam infinitudinis ratio poſuit tenebras lambulum ſuum. Alanus Varenius lib. de fide.

Plato dicit admirationem filiam eſſe turpiſſimæ matris, ſcilicet ignorantiæ, & matrem pulcherrimæ filiæ; ſcilicet ſcientiæ, ad quam excitat nos admiratio: Sic fides oritur ex infirmitate, & parit ſpem & charitatem.

Cum occidit ſol cæleſtia apparent, ſic cum deficit ratio humana, fulgent aſtrorum more fidei varia myſteria.

Credens, vt Ioannes, in ſinu Chriſti dormit & quieſcit. Ratio ad divina eſt vt ad ſolem noctuæ oculus.

Vide Majoritas Cognitionis in Theologicis. Religionis ſecreta myſteria. *Vide Minoritas Cognitionis. Bona.*

Fallitur homo, quod velit intelligere corporalia. *Vide infrà Veritas Voluntatis. Repugnat.* Non verus amor.

Pyrrhonij & Academici negabant dari certam rerum ſcientiam, tum quia rerum naturæ nos latent, decipiunt & mutantur qualitates, & ob mentis humanæ cæcitatem & inconſtantiam; vndè quia indignum judicabant ſapientem falli, in dubio & in ſuſpenſo ſemper volebant eſſe ſuum judicium; nihil aſſerens, ſed in id quod veriſimilius videtur inclinans, donec contrarium appareat. Vide Ciceronem in Lucullo, & Diogenem Laertium. Contrà hanc indifferentiam, & quod neceſſaria ſit fides. *Vide Cognitio Veritatis.*

Eſt ſilentium fidus Majeſtatis interpres, & admiratio immenſæ gloriæ præconium habetur.

Aquæ tantùm illius torrentis tàm profundi, vt non poſſit tranſvadari, ſunt ſalutares, & cæteris afferunt fertilitatem. Exech. 47. de myſterijs fidei, quæ non poſſumus aſſequi cognitione.

Oculi omnium nervorum habent molliorem, quia ſenſus eſt in patiendo. Galenus lib. 16. de vſu partium.

Primi Chriſtiani vocabantur credentes. Vide Baron. an. 43. num. 14.

Antè annum 535. Non fuerunt Romæ erectæ Scholæ Theologiæ; & hinc patet Eccleſiam ſacra ſua dogmata per totum orbem effudiſſe, ex Apoſtolicâ traditione, non pro arbitrio hominum verbis & Philoſophicè pugnantium. Baron. an. 535.

Ad veritatem divinam, vt ad regnum cœlorum, non datur aditus, niſi ſub perſonâ infantis.

Mens nimiùm ſcientijs delectata & inflata non poteſt humiliari ſubſide. *Vide Majoritas Cognitionis.* Nimia ſcientiæ aviditas in Miſcellan. ſub finem. De obedientia. *Vide Concord. Poteſt.*

Serpentium catulis & hirundinum pullis ſi quis eruat oculos, renaſci, credunt. Plin. lib. 11. cap. 37. cæci miraculo illuminantur: Crede & intelliges.

Denſæ Sylvæ prima fuerunt nemorum templa: nec magis nunc auro fulgentia, atque ebore ſimulachra, quàm lucos, & in ijs ſilentia ipſa adoramus. Plin. lib. 12. cap. 1.

Druidæ viſcum quercinum falce aureâ ſuccidebant binâ ſextâ, quia jam ſatis virium habet, nec eſt ſui dimidia. Idem lib. 16. cap. vlt.

Timanthes picbor pinxit Iphigeniam, ſtantem ad aras perituram, cum mæſtos pinxiſſet omnes, omnemque triſtitiæ imaginem conſumpſiſſet, Patris ipſius vultum velavit, quem dignè non poterat oſtendere. Idem lib. 35. cap. 10. Sic tacetur in divinis, ad admirationem in ſe redeuntis animi, quod dignè exprimi non poteſt.

In ejuſdem Tymanthis operibus plùs ſemper intelligebatur quàm pingebatur; & cum ars ſumma eſſet, ingenium tamen vltrà artem erat. Ibidem.

Centauri conſtellatio in humanâ figurâ veneream eſt & mercurialis; in equinâ Iovialis. Ptolomæ. Præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 8. Sic mixta eſt Religio ex rationali, quod amamus; & ſinè ratione, quod veneramur.

Signa æquinoctialia, in quibus noctes & dies pares ſunt, ſignificant Religionem. Idem lib. 2. cap. 7.

Iobius Monachus in libro de Verbi incarnatione, dicit ſtaterem à Petro in ore piſcis muti inventum ſignificare ineffabilia fidei arcana, quibus quaſi prætio redempti ſumus à mundanâ vexatione. Photius in bibliothec. c. 232.

D. Chriſoſt. ſuper illud 2. Corinth. 12. Sufficit tibi gratia mea. Venit, inquit, à Patre Chriſtus ad homines legatus: vt autem legati venientes, & dona ferunt, & dona accipiunt: Chriſtus tulit nobis donum corpus & ſanguinem ſuum; à nobis accipit fidem, & pro illa nobis dat gratiam, &c. refert Photius biblioth. cap. 277.

Neceſſe eſt Eccleſiam credenda proponere. *Vide Medium Veritatis.*

FIDES CERTA SED obſcura.

Fides, licet certa, eſt tamen obſcura, & quæ ad eam pertinent non debent curiosè nimis inveſtigari. *Vide ſuprà hoc tit. ex bibliis.*

Quod ſecundùm ſanam fidei regulam intelligere non potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc eſt, vt ſi quid etiam neſcimus, bonum tamen & verum eſſe minimè dubitemus: & ego qui ſuſcepi tractanda divina homo ſpiritualia carnalis, æterna mortalis, vbi aperitur paſcor vobiſcum, vbi claditur pulſo vobiſcum. D. Auguſt. tract. 17. in Ioan.

Fidelis ſacrificat Deo primogenitum, ideſt viriles animæ partum rationem, vt Abraham Iſaac

colligatum, ſed poſteà ſolutum. Philo Iud.

Si in animo es, in medio es; ſi infrà attendis, corpus eſt, ſi ſuprà attendis, Deus eſt: Atolle te à corpore, tranſi etiam te. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; Ideò addit, Hæc recordatus ſum, & effudi ſuper me animam meam: tranſcendi me, vt illum tangerem, ille enim eſt ſuper me, qui fecit me, nemo eum attingit, niſi qui ſe tranſcendit; tranſi ergo animam tuam, quia mutabilis eſt, modò ſcit, modò ignorat, & obliviſcitur, quia ſic ſumus in Chriſto innovati, vt nondùm penitus ab Adam expoliati. Idem tractatu 20. & 21.

Demonſtratur membris per caput; Pone te clauſis oculis velle aliquid tollere, neſcit manus tua quo eat; aperi oculos, videt manus quo eat, demonſtrant capite membrum ſequutum eſt; Chriſtus caput noſtrum eſt, gradus pietatis eſt fides, fidei fructus intellectus vt perveniamus ad vitam æternam. Idem tract. 22. in Ioan.

Luc. 8. Mulier quæ Chriſti fimbriam tetigit, magis tetigit quàm mulier quæ preſſit: quid eſt tetigit, niſi credidit? Vndè Magdalenæ dixit, Noli me tangere hoc me ſolum eſſe putas quod appareo, noli ſic credere. Idem tractat. 26. in Ioan.

Intellectus merces eſt fidei, Noli ergò quærere intelligere vt credas, ſed crede vt intelligas, quoniam niſi credideritis non intelligetis. Idem tract. 29.

Chriſtus cæcum illuminaturus linit oculos ejus luto; cedit ratio, & videtur obtenebrari, vt illuſtretur. Idem.

D. Auguſt. lib. 4. de Symbolo ad Cathecumenos, cap. 3. dicit de Iudæis comprehendentibus Ieſum: Veniunt filij tenebrarum ferentes in manibus lucem, per quam illam veram alijs demonſtrarent, quam ipſi cæcati corde non poterant retinere.

Petrus quandiù credit ambulat ſuper aquas. Chriſti doctrina humanam ſapientiam devorat, vt virga Moyſis ſerpentes Magorum.

In profundo crucis occultum eſt quod non vides, ſed indè exurgit hoc totum quod vides, dum latet, fundamentum eſt ſalutis. D. Auguſt. tract. 1. de diverſ. cap. 10.

Fides vt medicamentum alienat, & vt potentior in ſe convertit rationem.

Chriſtus dicit Iudæis, quæretis me ſcilicet ratione naturali, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini. Sponſa quærit per noctem, id eſt ſinè luce fidei, & non invenit.

Clem. Alexand. 2. Peripſom. miſeretur hominis imbecillitatem, qui Verbum non cognovit in ſuæ divinitatis ſplendore, nec ſub nube humanitatis: ſic ignis non apparet, nec in ſphærâ, nec in inferno.

Magi duce ſtellâ, ideſt revelatione divinâ, Chriſtum quærunt & inveniunt; Iudæi autem quærunt cum laterna, ideſt luce naturali, & crucifigunt.

Chriſtus paſtor cognoſcit oves ſuas, & illæ vocem ejus audiunt, quærit tantùm aures ab illis.

Iſay. 50. Aperuit, inquit, mihi dominus aurem, vt audiam, quid loquatur.

Aurem aperuit, non oculos, vt ipſum videam; poſt parietem ſtat, audit & auditur, ſed nondùm apparet. D. Bernard. Sermon. in nativit. B. Ioan. Baptiſt.

Medicamenta oculis infuſa, ipſos claudunt & conturbant, vt ſanent. D. Aug.

Numa, Rex Romanorum, primus poſuit templum fidei & pacis. Clem. Alexand. lib. 5. Stromat. cap. 1.

Vide quàm certa ſit fides: non quærunt Magi an natus eſt, ſed vbi natus eſt; quam lyncæis eſt fides oculis, agnoſcunt Chriſtum Magi in præſepio, Latro A in cruce pendentem, Centurio mortuum: ſtella deſerit Magos, dùm conſulunt Ægyptios: converſos ad terrenum documentum ſignum cæleſte deſervit, vndè relicto Herode gaviſi ſunt, ſtella enim antecedebat eos. D. Bernard. Sermon. 3. in Epiphan.

Sancta animalia Ezechielis, cum fieret vox ſuper firmamentum, quod imminebat capiti eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas; quod ſancti faciunt, cum in abſconditis myſterijs nihil ſe ſcire deprehendunt. Idem de interiori domo. cap. 25.

In talibus rebus tota ratio facti eſt potentiâ facientis. D. Auguſt. epiſt. 3.

Deus condidit inferiores creaturas, quæ non poſſunt peccare, condidit & meliores, ſcilicet Angelos, B qui nolunt peccare; homini autem propter peccatum tentatio eſt vita ſuper terram, ſubdat autem ſibi quod habet commune cum beſtijs, ſubdat Deo quod habet commune cum Angelis, donec Iuſtitiâ & immortalitate perfectâ atque perceptâ ab iſtis exaktetur, illis æquetur. D. Auguſt. lib. 22. contrà fauſt. cap. 28.

Chriſti lumina in paſſione velantur, vt oculos noſtros illuminaret.

Sunt quæſtiones innumerabiles, quæ non ſunt finiendæ antè fidem, ne finiatur vita ſinè fide; ſed planè retenta jam fide ad exercendam piam delectationem mentium fidelium ſtudioſiſſimè requirendæ: & quod in eis eluxerit, ſinè faſtu arrogantiæ communicandum; quod autem latuerit, ſinè ſalutis diſpendio C tolerandum. D. Auguſt. Epiſt. 49. in fin.

Audi filia, & vide Pſal. 44. priùs audi, poſteà vidè. Viderunt Iudæi Chriſtum & crucifixerunt; non viderunt gentes, & crediderunt; populus, quem non cognovi, in auditu auris obedivit mihi: audiendo credimus, credendo videbimus.

Confitebimur tibi Deus, & invocabimus nomen tuum: Pſal. 74. priùs confitere quàm invoces. D. Auguſt.

Nebulam, ideſt fidem obſcuram, ſicut cinerem ſpargit, ſub quâ conſervatur ignis charitatis. Idem.

Animæ medicina, quæ divinâ providentiâ geritur, gradatim diſtinctéque pulcherrima eſt. Diſtribuitur D enim in authoritatem atque rationem; authoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem; ratio ad intellectum cognitionemque perducit; quamquam neque authoritatem ratio penitùs deſerit, cum conſideratur cui ſit credendum, & certè ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis authoritas. Quoniam divina providentia non ſolum ſingulis hominibus, quaſi privatim, ſed vniverſo generi humano, tanquam publicè conſulit; quid cum ſingulis agitur, Deus ſcit, qui agit, atque ipſi cum quibus agitur ſciunt; quod autem actum eſt cum genere humano per hiſtoriam commendari voluit, & per propheciam: Temporalium autem rerum, fides ſivè præteritarum ſivè futurarum, magis credendo quàm intelligendo E valet, ſed videndum eſt quibus credendum ſit. D. Auguſt. lib. de verâ Religion. cap. 24.

Deus providit vt homines fide potiùs ambularent, quàm naturali diſcurſu, qui infirmus eſt, incertus, omnibus non communis: & cum ſinguli homines non poſſint aſſequi id omne quod naturali ratione eſt cognoſcibile, oportet alijs fidem habeant; nobilius autem & ſecurius eſt Dei teſtimonio niti. Bellum pacem præcedit, nox diem, & neceſſe eſt homo in hoc mundo mereatur eo modo, quo in cælo remunerari debet, at in cælo ſuprà rationem naturalem illuſtratur intellectus.

Mens rationalis, ſicut purgata contemplationem debet rebus æternis, ſic purganda temporalibus fidem: dixit enim quidam ex Græcis ſapientibus, quantùm

gitized by Google

quantùm valet æternitas ad temporale, ſeù quod ortum habet, tantùm ad fidem veritas: promittitur autem nobis vita æterna per veritatem, à cujus perſpicuitate rursùs tantùm diſtat fides noſtra, quantùm ab æternitate mortalitas: Nunc ergò adhibemus fidem rebus temporaliter geſtis propter nos, & per ipſam mundamur, vt cum ad ſpeciem venerimus, quemadmodùm ſuccedit ſpeciei veritas, ità mortalitati ſuccedet æternitas, & cum fides noſtra videndo fiat veritas, tunc mortalitatem noſtram commutatam tenebit æternitas: quod donec fiat, & vt fiat, quia rebus ortis accommodamus fidem credulitatis, ſicut in æternis ſperamus veritatem contemplationis: Ne fides mortalis vitæ diſſonaret à veritate æternæ vitæ, ipſa veritas Patri coæterna de terrâ orta eſt, cum filius Dei ſic venit, vt fieret filius hominis, & ipſe in ſe exciperet fidem noſtram, quâ nos perduceret ad veritatem ſuam, qui ſic ſuſcepit mortalitatem noſtram, vt non amitteret æternitatem ſuam: Ita ergò nos purgari oportebat, vt ille nobis fieret ortus, qui maneret æternus; nec alter nobis eſſet in fide, alter in veritate. Ecce ad quod miſſus eſt filius Dei; imò ecce quid eſt miſſum eſſe filium Dei, ad faciendam fidem, quâ mundaremur ad contemplandam veritatem. D. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 18.

Debuit fides eſſe à Deo, quæ fidem litibus imponeret inter homines de beatitudine certantes: hanc rationem fusè proſequitur. D. Auguſt. l. 3. de Trinitate. cap. 12.

Finis hominis conſiſtit in actu Religionis, quo debet converti ad Deum, & avertere ſe à mundanis & limitatis; ergò etiam à ratione humanâ, vt ſe ſubjiciat divinæ revelationi. Magis hic exardeſcit ignis, quo minùs ſubminiſtratur materiæ, & ſanè combuſtibilem materiam huic igni præbendo, efficis vt exulet ab æthere & loco ſibi proprio. Ipſa ſummi boni natura eſt ſeſe in vniverſum effundere, pro aptitudine & modo recipientis; at cum fides à piâ voluntatis affectione pendeat, omnes, etiam ignari, ejus ſunt capaces. Cum idem finis ſit omnibus communis, etiam ad ipſum communis eſſe debet via, Ratiocinatio & ſcientia non potuit eſſe communis; hinc enim diverſæ Philoſophorum Sectæ: qui credit ſimilis eſt ei qui inhabitat domum ab alio ædificatam, non enim licet omnibus domum conſtruere.

Intellectus noſter debet conformari intellectui divino vt illi vniatur, vnio enim ſimilium facilis eſt.

D. Auguſt. lib. 12. contrà Fauſt. Manich. cap. 29. loquens de columnâ ignis quæ præcedebat Iſrael in deſerto: Nubes inquit Chriſtus & columna, quia rectus, & firmus & fulciens infirmitatem noſtram; per noctem lucens per diem non lucens, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

Lia lippis oculis fœcunda; Rachel pulchrior & clarо aſpectu ſterilis; ſic ſæpè magna contemplatio. D. Auguſt. lib. 22. contrà Fauſtum. cap. 55.

Aureum propitiatorium, in quo lex, aurei cherubim velabant alis: aurum ſignificat ſapientia, arca ſignificat ſecretum Dei. D. Auguſt. quæſt. 105. ſuper Exod.

Eccleſia credendum præcipit; hæretici autem rationes promittunt, quibus promiſſis naturaliter anima gaudet humana: ſic vires ſuas non conſiderant incidit in venena fallentium.

Apoſtolus præcipit cognoſcendum quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum. Profundum crucis ex quò cæteta conſurgunt, cùm lateat, ſignificat inveſtigabilem Dei providentiam; quam perſcrutari non poſſumus, &c. D. Auguſt. Serm. de verbis Apoſto. l. c. 5.

Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam vos; ô infœlix infirmitas ad ſe vocat medicus, & litibus occupatur ægrotus. Idem.

Zacharias quia quæſivit ab Angelo per quid cognoſceret quod promittebat, dicit ei Angelus, eris tacens, &c. Luc. 1.

Chriſtus & ab imperitis paſtoribus, & à curioſis Magis voluit adorari. Mixta hæc in nobis voluit eſſe. Vide D. Auguſtinum. Sermon. 30. de tempore.

Chriſtus ſedit ſuprà puteum Samariæ, vt non in altitudine quæramus aquam, ſed de eo fonte, qui ſuper omnes aquas eſt, ſalutaria nobis pocula hauriamus. Dominus Ieſus fons eſt, de quo, quoniam apud te eſt fons vitæ. Ibidem. Serm. 92.

Non de rebus fidei debet inter nos eſſe certamen, ſed quomodò vitia ſuperemus. Idem.

De vanâ diſputatione fugiendâ vide ſuprà. *Diffentia Cognitionis.*

Viſcera inteſtina noſtra, tunc bona ſunt, cum ea non ſentimus: dicit tibi aliquis obſerva ſtomachum, fœlix ignorantia, neſcit vbi habeat quod ſemper ſanum habet. Idem.

Columna lucis populum Iſraël noctu ducebat in ſolitudine, columna ſignificat Dei non poſſe effingi imaginem; quia non eſt formata in certos imaginum habitus, habet tamen fides lumen & firmitatem. Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. cap. 15. ſub. Fin.

Quædam quæſtiones indigent ſenſu; quædam pœnam merentur, vt quærere an ſint honorandi parentes, an ſit providentia. Idem 5. Stromat. cap. 1.

Sapiens ſcit quædam eſſe quæ comprehendi non poſſunt, de quibus & hanc habet cognitionem quòd comprehendi non poſſint: talia ſunt Fidei myſteria. Idem lib. 6. cap. 3. in fine. Fides nobis eſt evidens demonſtratio eorum. Ibidem.

Hæreticorum vox fuit, quærite & invenietis, vtique non erit finis quærendi, ſi in veritate ſemel inventâ non conſiſtas: pulſas vbi nemo eſt, petis ab eo quite non audit, cum quæris ab hæreticis, vbi omnia adverſaria noſtræ veritati: qui ſervus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui, quis miles ſtipendia aut donativa ab hoſtibus accipit? Nemo indè ſtrui poteſt vndè deſtruitur; quæramus ergò in noſtro & à noſtris & de noſtris; Ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris; fides, inquit, tua te ſalvum fecit, non exercitatio ſcripturarum: cedat curioſitas fidei, ſub quâ nolore omnia ſcire eſt. Tertullian. lib. de præſcript. adverſùs hæret.

In antiquâ lege nullâ ratione fundata erat quorundam ciborum prohibitio, quam tamen religiosè obſervabant, etiam vitæ diſpendio, vt patet in Machabæis.

Deus noſter ignis conſumens eſt, quid ni verendus peccator accedere; ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereatà facie Dei? D. Bernard.

Iſay. 6. Seraphim velant caput & pedes Dei, ne arcana pateant impijs.

Aſcendit ſuper Cherubim & volavit. Ideſt tranſgreditur & effugit curioſas ſpeculationes.

3. Reg. 19. Elias cibatur à Deo ſubcinericio pane, in Berſabee Iuda; id eſt in ſeptimo puteo; hic puteus propter profunditatem myſteriorum; & ſacietas, propter refectionem ſcripturarum: de hac profunditate dicitur, Tenebroſa aqua in nubibus

aëris & tursùs, Iudicia tua abyssus multa. D. Bernard. in parvis Sermon. Serm. 65.

Doctrina Spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit, est quippè spiritus sapientiæ & intellectus, qui instar apis ceram portantis & mel, habet omninò vndè accendat lumen scientiæ, & vndè infundat saporem gratiæ: In oculo isto, è duobus labijs gemina procedit gratia, vt nec error locum habeat, nec tepor. D. Bernard. Serm. 8. in cantica.

Fides lumen non extinguit, sed custodit; quidquid videt Angelus, hoc mihi vmbra fidei servat, fideli sinu repositum, in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis? denique & Mater Domini vivebat in vmbrâ fidei, cui dictum est, Beata quæ credidisti, & virtus altissimi obumbrabit tibi, nec enim vilis vmbra, quæ de virtute altissimi formatur. Ibidem Sermon. 31.

Adæ & Evæ post transgressionem cœpit quasi de novo diescere, nam illico aperti sunt oculi amborum, & factus est dies conspirans, inspirantem extrudens, & substituens expirantem. D. Bernard. Sermon. 72. super Cant.

Compescat se humana temeritas, & id quod est non quærat, (scilicet causam voluntatis Dei, quæ omnium prima causa est;) ne id quod non est, scilicet peccatum, inveniat. D. August.

Hauriamus aquam in ripâ fluminis: ibi licet sitim restinguere, & expedit magis quàm in alto periclitari: Non erubescamus nos ignorare quæ Deus voluit nos latere, hæc obedientialis ignorantia præferenda est scientiæ præsumptuosæ. Noli altum sapere.

Temistocles in epulis rogatus fidibus canere, dixit se nescire; quid ergo, inquunt scis? Respondit, Republicam ex parvâ magnam efficere? sic curiosa quærentibus respondete ista nescire, sed scire te quomodò sine istis possis esse beatus; tàm perversè enim ista conquiruntur, quàm perversè, si aliquo periculoso morbo corporis gravareris, deliciosas & tenerrimas vestes potiùs quam medicamenta, medicosque conquireres. D. August. epist. 56. Dioscoro, quem graviter increpat, quod curiosa nimis proponeret.

In rà re non debet esse quæstio, vbi quidquid esset, quæstio esset. Idem. ep. 151.

Posui ori meo custodiam, vt non aperirem mysterio, dum consisteret peccator adversùm me. Psal. 38. Lac vobis potum dedi. 1. Corinth. 3. Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare. Modò. Ioan. 16.

Noli festinare audire quod non capis, sed cresce vt capias, sic parvulum alloquimur in sinu matris Ecclesiæ, lacte nutriendum, & ad escam mensæ dominicæ idoneum faciendum, &c. Idem in Psal. 38.

Tu sicensti fluvios. Ethan; idest doctrinas gentium E etflare fecisti: Tuus est Dies, & tua est nox: fecisti, vt ex salubri ignoratione, tanquàm ex nocte, prodiret lumen fidei. Idem.

Esto tranquillus & intelliges: Radiare tibi vult æternus dies, noli tibi facere nubilum de perturbatione. Idem in psal. 91.

Vt in pupillis oculorum, & in speculis rerum etiam magnarum brevissima imago formatur; sic humana ingenia ad suum captum, & exilitatem suam omnia reducunt. D. August. ep. 151. ad Nebridium.

Non capiunt differentiam inter impossibile, & insitatum: Vanitas & curiositas sunt duo animarum nostrarum flagella: hæc omnia perscrutari jubet, illa nunquam a proprio judicio discedere.

Inter diversas Religiones, quas Paulus Athenis reperit, hanc excusabilem judicat quæ cultum Dei ignoto deferebat.

Quid opus est, vt hæc affirmentur, aut negentur cum discrimine, quandò sinè crimine nesciuntur? D. August. in Enchiridio. cap. 59.

Idem lib. 83. quæst. 28. decet voluntatem Dei non esse curiosè investigandam, quia cum sit rerum omnium causa, res omnes superat, nec ab illis potest comprehendi.

Non parvus est fructus, si aliqua obscura & incerta quæ comprehendere non valemus, clarum tamen sit nobis non esse quærenda; & quod vnusquisque vult discere, putans prodesse si sciat, non obesse si nesciat. D. August. lib. de curâ pro mortuis. in fine.

Maximè humilitas nos revocat, vndè nos ejecit superbia; Beati pauperes spiritu, hanc primam posuit beatitudinem, quasi fundamentum cæterarum. Idem in epist. ad Galat.

Miseri homines quibus cognita vilescunt & novitatibus gaudent, libentiùs discunt quàm norunt, cum cognitio sit finis discendi: sapientes autem qui fines ipsos desiderant, carent curiositate, cognoscentes eam esse veram cognitionem, quæ intùs est, eâque perfruuntur. Ità gustant quàm suavis est Dominus, dùm in cognitione solam veritatem amant, & in actione solam pacem, &c. D. August. lib. de vera C Religione cap. 54. Malunt ire quàm pervenire, ideò in longinqua mittendi sunt; spiritus vadens, & non rediens. Sic transfertur talentum ab eo qui malè vsus est. Math. 25. Acumen intelligentiæ amittunt impij ingenioſi; & acquirunt tardiores humilesque devoti. Si diligimus certamina, Angelis, qui talibus gaudent, in potestatem damur; Amando vmbras & phantasmata, in tenebras projicimur. Ibidem.

Si voluntatem Dei nosse quis desiderat, fiat amicus Dei per purgatos mores: impudens enim est, qui alterius quàm amici vult scire consilium. Idem lib. de morib. Manichæ. cap. 1.

Lignum vitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, quâ oportet vt intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, vt scilicet subjecta habeat corporea, ipsa verò Deo, & spiritualibus; vt non declinet neque ad dexteram, neque ad sinistram, in vtramque partem, aut decidendo, aut se erigendo. D. August. lib. de Genesi contrà Manich. c. 9.

In alijs certaminibus laureas referant qui victores redeunt; at in divinis certaminibus, solis datur corona, qui se victos rei magnitudine fatentur. D. Chrisostomus. D. Paulus acceptâ revelatione per tres Dies cæcus remansit. Act. 9. Vide Isay. 28. hebescit ratio, vt fides fulgeat.

In Epyro est fons, in quem injectæ faces accensæ extinguntur. Plin. lib. 2. c. 103. D. August. lib. 21. de civit. cap. 5.

Animalia Ezechielis sunt plena oculis, non astris, quæ seipsis fulgent. Moyses ad Deum accedit in nube. Balaam claudit oculos vt meliùs videat. Num. 24.

Sanabatur qui prior descendebat in aquam piscinæ turbatam, sic salvantur qui humiliter credunt in passionem domini. D. August. tract. 17. in Ioan.

Noluit nos dominus verbum suum audire, & non intelligere, quandoquidem si in audiendo vita æterna est, multò magis in intelligendo; sed gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus vt perveniamus ad vitam æternam, vbi non nobis legatur Evangelium, sed ille qui nobis Evangelium dispensat appareat, remoto omni velamine, purgato corde assi-

ſtentibus, & in corpore immortali nunquàm mori- A turis. D. Auguſt. tract. 22. in Ioan.

Ita crede vt videas, fides opus eſt, viſio Dei merces eſt; præpoſterè vis accipere mercedem, qui non laboraſti in opere.

Tibi confert, quandò per fidem te exercet, differendo viſionem ſuam; commendat donum ſuum, non negat, vt ampliùs deſideres datum, ne vileſcat citò datum.

Cæterum, te ipſe omni tempore attendit; adhibe oculos fidei, nonnè faciem ejus reſpicis, cum in ejus vnigenito filio credis? Nonnè manus ejus vides, cum vniverſam ejus creaturam attendis? os vides, præcepta audiendo, pedes Evangelizantium pacem, membra fideles? &c. D. Auguſt. lib. 4. de Symbol. ad B Cathecum. c. 2.

Dominus Ieſus reſurrectionis ſuæ ſolemnitate celebratâ, quibuſdam provectionum acceſſibus innotuit; quærentibus ſe in monumento priùs Angelos miſit; diſcipulis de ſe in viâ loquentibus, priùs non cognoſcendus, poſteà in fractione panis apparuit; poſtremò non tantum ſe viſibilem, ſed & palpabilem oſtendit: ſic infirma corda in diſpenſatione myſterij erant nutrienda, vt pauliſper quærentes aliquid invenirent, invenientes creſcerent, creſcentes cognita robuſtius tenerent. Sic cauſarum, verborumque incrementis, quaſi quibuſdam ad æternitatem paſſibus ducimur. D. Gregor. lib. 2. moral. cap. 38.

Non habet meritũ fides, cui humana ratio præbet C experimentum. D. Gregorius Homil. 26. in Evangel.

In rebus miris tota ratio credendi eſt omnipotentia creatoris. D. Auguſt. lib. 21. de civitate Dei. cap. 7.

Dicendum de Eccleſiâ, quod Apocal. 21. dicitur de cœleſti Hieruſalem, quæ non eget Sole & Lunâ, ideſt ratione naturali, quia claritas Dei illuminat eam.

Sanatur mulier quæ fimbriam tangit, non turba quæ premit. D. Auguſt. Sermone 6. de verb. Dom.

Clem. Alexand. lib. 1. Stromat. c. 2. dicit etiam antiquos Philoſophos fidem habuiſſe, cum enim dicebant ſe poſſe conſequi ratione principium vniverſorum, credebant illud eſſe.

Prius Maria credidit quàm conciperet, Vndè ei dicitur, Beata quæ credidiſti. Filius Virgini ab Angelo D promittitur, à Spiritu ſancto donatur, & quaſi verè Deus credendo concipitur. Euſeb. Emiſſen. homil. 2. de nativit.

Habet fideles oculos ſuos, quibus quodammodò videt verum eſſe quod nondùm videt, & quibus certiſſimè videt ſe nondùm videre quod credit; ſic fidelis credat, vt viſionem & ſperet & amet. D. Auguſt. Epiſt. 83.

Cum figmentis ludicris nimiùm delectati evaneſceremus in cogitationibus noſtris, per ſonos ac litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, quaſi quædam verba viſibilia, cum infantiâ noſtrâ parabolis ac ſimilitudinibus quodammodò ludere, & interiores oculos noſtros luto hujuſmodi curare, non aſpernata eſt ineffabilis miſericordia Dei. Idem lib. de verâ Re- E ligione. cap. 50.

Si quis Hebræas litteras ignorans, ideſt ipſos vocum caracteres; & videret eas in pariete conſcriptas, honorato aliquo loco; quis eſſet tam excors, vt eo modo pictum parietem putaret, ac non potiùs intelligeret ſcriptum, cujus ſignificationem ignoraret; ſic legens ea quæ ſunt in veteri Teſtamento, vt Evam de latere viri ſumptam, menſuram arcæ, vepribus hærentem arietem, quis non intelligat illa aliquid ſignificare? Idem lib. 12. contrà Fauſtum. c. 17.

Vide Cognitio Principij. Repugn.

RELIGIONIS MISTERIIS obſcuris eſt aſſentiendum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Religio divina nobis inſinuat viramque ſuprà ordinem naturæ: Vndè ſicut materia agitur à cœleſti formâ, quam non comprehendit, & ſequitur ejus motus, de quibus non judicat; ſic gaudere debet mens, ipſo Religionis beneficio ſuperata.

MAGNITVDO. Elevat nos Religio à terrenis ad cœleſtia, à mortalibus ad æterna: quæ autem elevantur, relinquunt quem priùs habebant proprium ſitum; ſic mens rationem deſerat, dum ad divina transfertur. Fides bonum eſt vniverſale, quod à ſingularium judicio non pendet; ſic communes generis & ſpeciei differentias nulla res exuit, ob individuales ſuas differentias.

DVRATIO. Stabilis debet eſſe inter nos lex Religionis vt lex naturæ; fides enim non eſſet vna, nec conſtans, ſed quotidie in diverſa mutaretur, ſi à ſingulorum penderet judicio: æternæ illæ veritates diſcurſui noſtro ſucceſſivè & ex temporis legibus procedenti ſubjici non debent: Docilitas à fidelibus petitur, vt brevi inſtruantur de divinis, quæ longo etiam ſtudiorum labore Philoſophi non ſunt aſſecuti.

POTESTAS. Imperantis proprium eſt leges conſtituere, quibus ſubditi debent cæcam & ſinè judicio obedientiam. Sic Deus vniverſi creator & Princeps dedit leges naturæ, quibus omnia parent. Similiter ad vitam ſpiritualem dat leges fidei, ſingulorum ratione non diſcutiendas, ſed colendas.

COGNITIO. Advenit in nos regnum Dei, cum ipſe dominatur rationi, ſicut ratio ſenſibus, & architectonica ſibi ſubſtitutis artibus. Fidem habent magiſtris tyrones cujuſlibet artis & ſcientiæ, Ducibus milites, navigantes Nauclero, populi Rectoribus, ægrotantes Medicis; quidquid habemus cognitionis conſtat vt plurimum traditione, & fide majoribus habita: Illuſtrantur oculi ſolis luce, quàm integram non ſuſtinent; vivimus latenti cœlorum influxu, quem nec ſenſus, nec ratio percipit.

VOLVNTAS. Religio humanis medetur malis, non quæritur autem ab ægro incidendo conſilium, ſed conſenſus. Vita hæc via eſt inter abrupta, vndè non noſtro ſed alieno dirigentis arbitrio procedendum eſt; in noſtram enim perniciem aberrant paſſiones, niſi à ratione temperentur, & cæcutit ratio, niſi à fide dirigatur: vt enim paſſio rationi, ſic ratio fidei ſubordinatur. Sic Pater vult chariſſimum filium minorem duci à pædagogo, cui & ipſe agenda præcipit.

VIRTVS. Infirmæ ſunt virtutes omnes ſæpiùs. Prudentia cæcutit, labitur Fortitudo, non æquo ſemper pondere ſtant Iuſtitiæ lances; Temperantiæ diuturnam mediocritatem non ſuſtinet vitæ hujus infirmitas, ſi ſola dirigat nos ratio, in paſſionum favorem iniquè corruptibilis: Vndè neceſſe eſt ad virtutum præſidium immota, certaque ex revelatione divinâ fides.

VERITAS. Quæſita longo ſtudiorum, conſiliorum, concertationum labore veritas nos latet, & inquietos, anxioſque relinquit; Vndè ſi ſe oculis noſtris conſpicuam non præbet, juvat illam ſub numinis, falli & fallere non valentis, fide poſſidere, & cæcutientes alio duce viam carpere.

Gloria. Sic datur hominibus ea omnis, quæ ſperari poteſt, quies mentis, alioquin in diverſa & contraria jactatæ; ſic fidelibus datur certitudo, quæ eſt diutiſſimæ contemplationis præmium: hac certitudine æmulamur beatos, licet ob obſcuram fidei lucem longè ſimus impares.

Differentia. Vt ad veritates naturales cognoſcendas ratio abſtrahit à ſenſibus, ſic ad divinas attingendas fides abſtrahit à ratione, hîc, licet peregrini, vivimus cœleſtis patriæ noſtræ legibus.

Concordantia. Vno lumine gloriæ fruuntur beati; Vnâ fidei luce Chriſtiani, fidei vnus ſpiritus omnes vnum corpus efficit. Societatem quàm inter omnes populus natura ſanciverat, rupere paſſiones, & opiniones; Nunc autem fides vna multum confert ad illius reſtitutionem: magnum ſolatium eſt cum vniverſo rapi, & conſentire tot præteritorum ſæculorum Sanctis Doctoribus.

Contrarietas. Omnibus ſæculis orta pro Religione diſſidia, in privatam & publicam perniciem, probant quàm ſit neceſſaria fides, vt quaſi fræno contineantur ambitioſi illi animorum impetus, cum de divinis judicant.

Principivm. Scientia omnis ſupponit quædam principia, quæ non probat, habemus in divinis divinam & non fallibilem revelationem: hîc noſtra etiam ſenectus reſpectu futuræ vitæ pueritia eſt, alieno indigens rectore: hoc officio functus eſt Chriſtus, exiſtens mundi Magiſter, nobis credenda & agenda præcepit, vt notat. Clem. Alexandr. in lib. Pædagog.

Medivm. Indifferentiam Pyrrhoniorum ſuadent contrariæ in vtramque partem rationes: at in hac ſtatu medio non poteſt ſtare mens, vt nec lapis in medio aëre; fertur enim ad veritatem, vt ad ſuum centrum; quod ſi non contingat hæc veritas, illam ſibi fingit, vt alicui adhæreat objecto, & potentiam ſuam in actum educat, abhorret enim à vacuo: & vt non datur materia abſque vllâ formâ; non datur intellectus ſinè aliquo aſſenſu, quem ſi negat veris, concedet falſis; fides autem divina vera decernens, duplici medetur mentis malo, nam vagam ſiſtit, & deviam dirigit.

Finis. Hyberno tempore gaudemus luce ſolis, etiam nubilo tecti: ſic veritate hîc ſub fidei velo fruimur, donec quod eſt in nobis mortale abſumptum ſit à vitâ. In via ſumus, quam ſequimur, ſecuri, quod ducit ad quietas locum, nondùm nobis conſpicuum.

Maioritas. Partes quæ veniunt in mixtionem viciſſicim alterantur, & aliquid de ſuo remittunt; vt ergò divina ad nos ſub corporum figuris deſcendunt, ſic nos ad divina ſuprà rationem erigi debemus, vt tantùm conferamus ad aſcenſum, quantùm illa ad deſcenſum. Res divinæ extrà naturalis judicij forum ſunt, nec illius ſubire debent judicium.

Æqvalitas. Datur quidem omnibus vna fides, vt omnes in Chriſto vnum ſimus, ſed inæqualiter lumen illud poſſiderur pro diverſâ illud recipientium diſpoſitione. Vniverſalem & communem in nos providentiam Dei, probat effuſum hoc fidei vt ſolis lumen, ſed divinæ juſtitiæ munus eſt, magis devotos ad obſequium affectus illuſtriori ſplendore circumfundere.

Minoritas. Ad beatitudinem humilitas exigitur in intellectu, vt ab eâ parte, quâ dæmon & primus homo ambitioſè peccaverunt: Succurritur noſtræ infirmitati, in hoc quod Eccleſia non proponit nudam fidem, ſed tot ſanctorum exemplis, Doctorum lucubrationibus, Martyrum ſanguine, miraculorum numero, & ipsâ totius mundi converſione probatam.

FINIS COGNITIONIS.

QVID INTENDIT COGNITIO.

MISCELLANEA.

Vide Bonitas Cognitionis, & Virtus Cognitionis, & Voluntas Cognit.

Arist. 1. Metaph. c. 1. & 2. Probat omnes homines velle habere rerum ſcientiam, propter ipſam, non quia vtilis ſit: quod patet ex ſenſibus, & maximè ex viſu quo delectamur, etiam ſi nullam ex eo delectationem percipiamus; vndè admiratio ſcientiarum mater: Philoſophamur propter fugam ignorantiæ; & ſcientiam cæteris præferimus, quæ eſt vniverſalis, & propter ſe, non propter ſingula quæ fiunt. Sic Mathematicæ à vacantibus in Ægypto ſacerdotibus inventæ. Hæc ſola ſcientia libera eſt, quæ ſui gratiâ eſt, alijs ſibi miniſtrantibus præcipiens, vndè divina quodammodò eſt, hanc Deus maximè habet, natura autem humana in multis eſt ſerva.

De his quibus prodeſſe poteſt cognitio, *Vide Poteſtas Cognitionis.*

Plato 10. de Republ. dicit triplex eſſe artium genus: Primum imitans, vt pictor pingens lyram: Secundum fabricans, vt artifex quidlam fabricat. Tertium vtens, vt muſicus, poſterior eſt nobilior, vt prima ignobilior; vndè ibidem vituperat Poëtas, qui toti ſunt in imitatione.

Diſcere eſt moveri, ideò addiſcens in principio dubitat, & quærit, in fine autem ceſſat apud eum omnis quæſtio & dubitatio, quærit enim de-

Digitized by

terminatum ſcibile.

Artes omnes & ſcientiæ ordinantur in vnum, quod eſt ad hominis perfectionem, quæ eſt ejus beatitudo, D. Tho.

Contemplativæ philoſophiæ finis eſt conſenſus ad vnum rerum omnium principium. Sunt quædam famulantes ſcientiæ, vt quæ non ſunt quæſitæ propter ſcire, ſed propter opus. Secundò vt ſint alteri adminiculum, ſicut Logica. Tertiò quæ non habent pro fine cognitionem ſpeculativam, in quâ poſita eſt fœlicitas, habent tamen aliquid intellectuale abſtractum vt Phyſica, in quâ videmus quaſi colores lumine illuſtratos. Albert. Mag.

Scientia Media & viſionis in Deo eſt cauſa rerum, & practica; non autem ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt tantùm ſpeculativa.

Etiam donum intellectus à Spiritu ſancto eſt practicum. D. Tho. 2. 2. q. 8. a. 3. vt & ſapientia quæ eſt judicium rectum de rebus omnibus ſecundùm rationes divinas. q. 45. a. 3. Prudentia autem in ratione tantùm practica conſiſtit. q. 47. a. 2.

Cognitio eſt in animalibus brutis propter neceſſitatem actionis tantùm. 1. q. 91. a. 3. ad 3.

Homines in ſtatu innocentiæ, non indigebant alijs animalibus, niſi ad experimentalem cognitionem eorum. 1. q. 96. a. 1. ad 3.

Scientiæ ſimpliciter ad nullum opus ordinantur, ſed artes. 2. 2. q. 57. a. 3. ad 3.

Artes quæ ordinantur ad opus rationis dicuntur liberales, quæ verò ordinantur ad opus corporis dicuntur ſerviles. 1. 2. q. 57. a. 3. ad 3.

Cognitio ſenſitiva ordinatur ad duo, ſcilicet ad ſuſtentationem corporis vitando nociva, & requirendo neceſſaria. Secundò, ad cognitionem intellectivam practicam, & ſpeculativam: Primum convenit omni animali, ſecundum verò ſoli homini. 2. 2. q. 167. a. 2.

Nullus conſiliatur de his, de quibus deſperat, nec de impoſſibilibus. 1. 2. q. 44. a. 2.

Contemplatio terminatur ad delectationem. 2. 2. q. 180. a. 2.

Prædicator docendo debet facere tria, ſcilicet inſtruere, delectare, flectere. 2. 2. q. 177. a. 1.

Lumen intelligibile imprimitur divinitùs ad judicandum viſa ab alijs, ad intelligendum ſcripturas, & an impetrandum. 2. 2. q. 173. a. 2.

Donum linguarum datum Apoſtolis ad diſſeminandum Evangelium vbique. 2. 2. q. 176. a. 1.

Omnes fines ſcientiarum practicarum ordinantur ad beatitudinem æternam, ſicut ad vltimum finem. 1. q. 1. a. 5.

Sunt viginti duæ intentiones viſu comprehenſibiles, lux, color, diſtantia, ſitus, magnitudo, corporeitas, figura, motus, continuatio, diſcretio, vel ſeparatio, numerus, quies, aſperitas, levitas, diaphaneitas, ſimilitudo, vmbra, obſcuritas, pulchritudo, turpitudo, ſpiſſitudo, diverſitas: principaliter tamen movent viſum lux & color.

Vnaquæque ſcientia ſuum proprium habet objectum. Theologiæ objectum eſt Deus colendus & amandus. Metaphyſicæ, ſunt res ſpirituales & tranſcendentales. Phyſicæ, eſt corpus naturale, vt mobile. Mathematicæ, ſunt res naturales, conſideratæ in quantitate. Medicinæ, corpus humanum, vt ſanabile. Muſicæ concordantia vocum, Logicæ, argumentatio. Rhetoricæ, apta dicere ad perſuadendum. Iuriſprudentiæ, jus ſuum cuique tribuere, &c.

Sunt qui ſcire volunt, eo tantùm fine vt ſciant, & turpis curioſitas eſt: ſunt qui ſcire volunt vt ſciantur ipſi & turpis vanitas eſt: ſed ſunt qui ſcire

A volunt vt ædificent, & charitas eſt. D. Bernard. Serm. 361.

Duo Cherubim vultus intendunt tantùm in propitiatorium, in quo erant legis tabulæ. Exod. 25.

Finis ſcientiæ vt doceat. *Vide Principium Cognitionis.* Promi eſſe debemus ad docendum, & *Medium Veritatis* de Prædicatoribus. & *Medium Virtutis.* Ad monitio.

Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. 1. Timoch. 1.

B

QVIS SIT LEGITIMVS *ſcientiæ finis.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Cognitio ſenſualis ideò eſt, vt diſcernat objecti appetibilis convenientem bonitatem; ratio judicat de ſenſibus, rationem autem dereguno & perficiunt ſcientiæ, hæ intellectualia contemplantur, nobis magis connaturalia, & in quibus conſiſtit proprium bonum noſtrum: ſcientia prædictus etiam in adverſâ fortunâ dives eſt; proximumque poteſt juvare conſilijs, & arte divinâ, mundo impu-

C gnante.

MAGNITVDO. Per ſcientias mens creata omnia & ſeipſam ſupergreditur, quaſi infinitam quandam amplitudinem nacta: hic legitimus ſcientiæ finis, vt eminentem hunc gradum, nobis honeſtum & ad ſupernaturalia nos præparantem, aſſequamur. Scientis animus, & extrà negotiorum, officiorum, clientum turbam poſitus eſt; etiam in ſolitudine magna molitur, ſibique ſufficiens proprijs fruens bonis cætera ſpernit, vt ſibi inferiora.

DVRATIO. Cum ad vtilitatem cujuſque ſecula omnia decurrant, ſolius ſcientiæ eſt illa ſimul contemplari, quaſi mens jam eſſet æternitatis particeps? Revocat enim præterita, moderatur præſentia, futura prævidens ordinat. Operum & famæ, quam naturaliter ambimus, immortalitas, ſolis competit ſcientijs.

POTESTAS. Diſco, vt ſciam rebus infectoribus, mihi ipſi & etiam ſi contigerit populis recte dominari. Ignorantia animum quaſi vinctum in obſcuro carcere detinet; ipſum autem ſcientia non modò ſolvit, & ſui juris efficit, ſed etiam rerum omnium judicem conſtituit: Ideò ſcire, dominari eſt imperio, quod innocenter ambit etiam Chriſtiana humilitas.

COGNITIO. Scientia, etiam ſi non eſſet humanæ vitæ perutilis, eſſet tamen per ſe appetenda, quia ex ſe bonum eſt, Angelis primæque intelligentiæ Verbo divino, quantùm hic licet, nos contemperans, facultates noſtras intellectuales de potentia in actum educit: vt lumen per ſe oculis placet, ſic ſcientia animo.

VOLVNTAS. Ideò habetur ſcientia, vt ratione ſuâ viter aſſequamur. quod vi & ſæpiùs fruſtrà extorquere conatur paſſio; vt motus proprios, & aliorum poſſimus moderari; vt vindicem libertatem meam, dum extrà fortunæ imperium mihi ſufficiens vivo, judex naturæ, mundani, aularumque ſpectaculi; dum arte hoſtium impetus, inſidiaſque dolodo, ne in id quod nolo redigar.

VIRTVS. Nulla ſinè prudentiâ virtus: at cæca eſt, palpans & titubans ſinè ſcientijs prudentia; decet ergò, vt virtutes, ſic illis ſcientias quaſi individuas comites, appetere.

VERITAS. Vt voluntas quærit bonum, ſic intellectus verum, quo paſcitur, & quod ſpondent ſcientiæ: ſic enim diſces leges Dei ſcriptas, tùm in totâ naturâ, tùm in ſacris codicibus, & virorum bonorum moribus. A

GLORIA. Scientia eſt quædam inchoatio beatitudinis, quæ in cognitione omnis veri conſiſtit; & hæc viſio primæ veritatis fruitio eſt: vt ergo abſente ſole quærunt oculi ſolatium ſuum in igne lucido, & candelis; ſic à beatitudine adhuc exules, ſcientias, lucem intellectualem miniſtrantes, ambimus, hinc enim adumbrata quædam æternæ fœlicitatis animo, quies, puritas, & innocens voluptas.

DIFFERENTIA. Mens diverſitatis, quia infinitatis avida, gaudet ſcientijs, quæ irrequietos mentis motus moderantur, & paſcunt vario rerum omnium ſpectaculo. Quid ni optem è muſeolo immotus aſſequi, quæ longâ peregrinatione, tot periculis, tot ſe emendantibus experimentis, omnium ſæculorum homines ſibi compararunt.

CONCORDANTIA. Verè mundi hujus civis eſt cui per ſciennias licet per omnes vniverſi partes, quaſi per vrbis ſuæ plateas, pulchra vndique ſpectaturus, ſpatiari. Opto ſcientiam, quâ poſſim etiam quæ videntur diſſona concordare, diſſita vnire, vtque, omnia prævidenti nihil præter voluntatem accidat.

CONTRARIETAS. Quis non probet in milite ambitum artis militaris, quâ illi etiam creſcit animus, & cedit fortuna. Vita hæc militia eſt, cui ſcientiæ diſciplinam doloſque ſuggerunt, vndè ſperatur victoria. C

PRINCIPIVM. Scientiæ quærunt rerum cauſas, & hoc proceſſu deveniunt ad primam, claudunt-que ſic fœliciter naturæ circulum, in illa primo boni apice.

MEDIVM. Opto ſcientiam vt lumen, quo bona à malis, viam à præcipitio poſſim diſcernere; vt convenientia fini eligam media, quaſi in medio poſita, & quæ alioquin inutilia jacerent, irrito naturæ beneficio, niſi judicium dirigerent & affectum promoverent ſcientiæ.

FINIS. Videtur ſcopus vt in eum ſagitta dirigatur; ſic in artefactis moralibus, politicis, ſcientia dat legitimi finis & convenientium mediorum cognitionem; Vnde eodem affectu, quo fines, ſunt diligendæ, imò amplioni, quia ſunt vniverſale organum, ad bonum omne conſequendum. D

MAIORITAS. Indignè ſcientia ſervit opinioni, in his qui illam vanitatis tantùm causâ appetunt. Legitimus eſt excellentiæ appetitus, & innocens æmulatio velle cæteros ſcientiâ anteire; ſic è turba educi; extrà rerum humanarum tumultus tranquillam & ſplendentem inhabitare regionem.

ÆQVALITAS. Vt ſcientia res mortales ſub immortalibus concipit ideis, ſic docet inter verſatiles res humanas juſtum animum, ſibique ſemper æqualem ferre. Volo ſcientiam, vt trutinam, & normam, quâ poſſim deprehendere rerum inæquales defectus, & eas ex juſtitiæ legibus in ordinem redigere. E

MINORITAS. Opto ſcientiam, vt etiam in paupertate dives ſim, in turbatis quietus, fœlix in adverſis: ſcienti enim mundana omnia vileſcunt, vndè rei apud ſe ſic exiguæ magnam non patitur jacturam.

FINIS IN QVO DESINIT & ceſſat cognitio

MISCELLANEA.

INtellectiones, tùm theoricæ, tùm practicæ, finiuntur, ne ſint perennes; dicunturque demonſtrationes, diviſiones, &c. non converſiones; intellectioque eſt quieti ſimilior quàm motui, alioquin fœlicitas non ſtatueretur in intelligendo, quia non debet eſſe violenta, vt eſt converſio.

Prudentia, quia eſt etiam in appetitu ſenſitivo, potiùs per paſſiones, quam per oblivionem amittitur. D. Th. 2. 2. q. 47. a. 16.

In confuſione linguarum, excepto Heber omnes oblivi ſunt Hebræam linguam.

Fingunt Poëtæ Iovem Saturno Patri regnum ſurripuiſſe, quia dominatio & vita activa ceſſare facit contemplationem.

Senectute hebeſcunt oſculi, quia exſiccatur humor: oculi primi moriuntur in ægris & ſenibus, cor vltimum. Plin. l. 11. c. 37. *Vide Contrarietas Cognitionis.* Vbi de bibliothecis exuſtis.

Cujuſlibet pyramidis radioſæ omnes radij in indiviſibili concurrunt, & in puncto mathematico.

Vmbroſum Sphæricum luminoſo minùs vmbram projicit pyramidalem; æquale, columnarem; majus, curtam, & everſam pyramidem infinitam.

Thucidides lib. 2. belli Peloponn. refert nonnullos peſtilentiâ ſervatos, adeò omnium quæ antè noverant fuiſſe obligatos, vt familiares non agnoſcerent, & proprium ſuum nomen neſcirent.

Oblivio in morbis & cum rigore malum; offendit enim victum cerebri nativum calorem à ſymptomaticâ refrigeratione.

Defectus memoriæ in aliquibus prodeſt, quia evocat animum à publicis curis, in quibus intolerandus eſt hic defectus; accreſcunt cæteræ facultates, cum animus circà multa non diſſipatur: non ſunt tales oneroſi in prolixis ſermonibus. Repetita lectio quaſi nova placet; minùs mendax, qui debet eſſe memor. Ingens memoria ampla domus tædij, & atrium famoſarum imaginum, vbi multa diſpliceant; molestis in rebus pauca delectent, plurima cruciant cum & ſæpe delectabilium mœſta ſit recordatio.

Deſinit cognitio, deficientibus ejus principijs. *Vide Principium Cognitionis.*

Oracula ab Apolline Delphis, & à Sybillis non ampliùs dicebant reddi; quia vetuſtate vis loci evaniſſet, vndè Pythia mente irritata oracula ederet. Cic. lib. de divinat. Vide Plutarch. lib. quare ceſſarint oracula.

Tempus, vt fluvius, leviora, & magis inflata ad nos devehit, graviora & ſolida mergit. Cum etiam ea ab authoribus ſuis habita fuerint ſub myſterio, ſic cum illis de ſucceſſore parùm ſollicitis, imò futuris ſeculis invidentibus, perierunt. Baconius.

Photius in bibliothecâ multos recenſet libros qui injuriâ temporum perierunt; nec ad nos pervenerunt.

Memoria fragile in homine bonum morbo, morbo, aliſque caſibus concidit. Ictus lapide oblitus eſt literas, & prærupto tecto lapſus, matris & affinium propinquorumque cæpit oblivionem; alius ægrotus, ſervorum etiam, ſui verò nominis Meſſala Corvinus orator. Plini. Nat. hiſt. lib. 7. cap. 24.

Digitized by Google

QVANDO DESINAT *cognitio.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Differentiæ ſpecificæ, & individuales naturarum, diſtinctos efficiunt cognitionis gradus: vt quædam animalia determinatos ſibique convenientes habent inſtinctus; ſic vnicuique genio ſuus à naturâ poſitus eſt terminus: vt enim inter diverſas ſpecies, ſic inter individua ejuſdem ſpeciei ſtat certus ordo.

MAGNITVDO. Ad certam altitudinem & profunditatem fertur oculus, vltrà tenebræ: ſic magnum ſpatium ſucceſſivè perluſtrat, cùm non poſſit id conſequi ſimul & ſemel.

DVRATIO. Tempus omnium edax, etiam rerum præteritarum ſpecies & affectus delet: præclara quæque novis ſupervenientibus obliterantur, arrident enim nova animo ex præteritis non impleto, & ſpe meliorum ſibi ſemper de præſentibus blandienti: Non conſultant, nec inquirunt, qui agunt ex habitu.

POTESTAS. Multa ſimul, alta & infima exactè non videt oculus; ſic mens limitatæ potentiæ, cum vni rei ſe addicit, alijs ſe negat: vndè qui ad regimen educantur, diſcunt moralia & politica, non ſpeculativa; ſic cognitionis practicæ ſphæram vix egrediuntur.

COGNITIO. Scientiæ, cùm non ſatis certis nitantur principijs, ipſæ ſuis ſe implicant devijs demonſtrationibus, vt tandem animus deveniat in hanc Pyrrhoniorum deſperationem, dicentium nihil poſſe ſciri.

VOLVNTAS. Amor credit, non inquirit, vndè cæcus pingitur. Scientias ſpernunt Seraphici contemplatores, quia non ſpeculatione, ſed affectu experiuntur ſe arctiùs conjungi Deo. Liberum eſt luci oculos claudere, & mentem ſcientijs, aut divinis illuſtrationibus.

VIRTVS. Philoſophiæ finis eſt hominem meliorem reddere; cùm autem ſe ſerio moralibus addixit, vt finem ſuum conſecutus ſcientias abjicit, ſicut perfectâ concameratione, ligneas quæ priùs ſuſtantabant machinas. In ipſo hoſtium congreſſu, non ſpeculatione, ſed manibus opus eſt; vrgente malo quæruntur non verba, ſed remedia.

VERITAS. Ceſſat diſceptatio patronorum Arreſto prolato; ceſſant rationis naturalis concertationes ſub fide Chriſtianâ. Appoſitio circini & regulæ varias de quantitate opiniones momento ſolvit.

GLORIA. Otio, ignaviâ, terrenis voluptatibus implicatus animus, intellectualia non capit, ſic extinguitur quæ illi inerat veritatis ſcintilla.

DIFFERENTIA. Ceſſat viſio ob nimiam diſtantiam, & ob motum rapidiſſimum, qui ſpecies confundit. De re quæ vno modo procedit dari poteſt ſcientia, non de his quæ in hanc, modò in aliam partem irregulariter verſantur. Sic ars politica variat ſuos agendi modos, ne deprehendatur.

CONCORDANTIA. Deſinit eſſe verum judicium de his quos tibi affectu vel parentelâ conjunxeris; fallimur enim & cæcutimus in proprijs.

CONTRARIETAS. Adverſitate ceſſante, animus, vt immota fax, torpeſcit, & vt ignitus carbo, ſi relinquatur immotus, nullâ eum excitante ventilatione, proprijs ſuis cineribus obvolvitur. Deſinit cognitio per ea quæ illi potentiſſimè contrariantur. *Vide Contrariet. Cognition.*

PRINCIPIVM. Deficit cognitio, cum deficit principium cognitionis: vt mundus patitur tenebras Sole occaſo, ſic mens abſente Deo ab eâ propter peccatum: Vt enim radius ſemper pendet à ſuo ſole, ſic mentis intelligentia à primâ veritate.

MEDIVM. Impeditur viſio, deficientibus medijs ad eam neceſſarijs, de quibus. *Vide ſup. Medium Cognitionis*; vt cum Luna patitur Eclypſim, obinterpoſitionem vmbræ terræ.

FINIS. Sagittarius deſinit ſcopum inſpicere, cum ad eum ſagitta pervenit. Non amplius inquirit, qui finem optatum conſecutus eſt. Senectute, vt corporis, ſic animi facultates concidunt.

MAIORITAS. Solem orientem ferunt oculi, ſed citò cæcutiunt, cum ſuper horizonte magis elatus radios ſuos fortiùs vibrat: ſub ampliori divinâ luce animus extaſim patitur. Cum fortunâ mutantur mores, & ejus, qui ad honoris culmen conſcendit, animus, priùs tibi notus, fit inſcrutabilis.

ÆQVALITAS. Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylva ſurrexit; Naves & milites hoſtium non apparent, ſi æquali cum noſtris procedant apparatu; æqualitas illis velum eſt, & inſidiarum loco.

MINORITAS. Paupertas, morbi, adverſa omnia fortunæ finem imponunt ſtudijs. Cum objectis interit actualis eorum cognitio, ſolis poſt occaſum, hominis poſt ſepulchrum; paucorum ſupereſt fama & ad exiguum tempus, ſi æternitas ſpectetur.

Digitized by Google

MAIORITAS COGNITIONIS.

MAIOR CÆTERIS ET EXCELLENS COGNITIO.

MISCELLANEA.

Vide Majoritas Veritatis, & Magnitudo Cognitionis, & quod excellens cognitio deceat Rectores. *Vide Cognitio Poteſtatis.*

EMINENTIORIS ſunt ſapientiæ, A quibus tale collatum eſt à Spiritu Sancto donum Magis ſunt intellectionis participes, qui ſuperiorem tenent in entibus gradum, vt inter elementa, aqua eſt magis quàm terra luminis capax, aër quàm aqua, ignis habet in ſe ſplendorem: cœleſtis lucis æmulum; ſuperiores mentes ſunt magis illuſtratæ, ſic quæ ad eas magis accedunt humana ingenia. Longa meditatio, conſultatio, experientia illuſtriorem parit ſcientiam. Sic Regum decreta quaſi oracula venerantur populi. Quædam animalia præcellunt aliquo ſenſu; quidam hominum, B vni ſcientiæ aptiores naſcuntur. Major affectus majorem ſuppeditat induſtriam. Quò major Virtus, quæ paſſionum tumultus ſedat, eò purior eſt intelligentia; Vndè let divinum quid putatur, & omnia quantùm fieri poteſt determinat, quia cenſetur ſinè paſſionum perturbatione conſtituta. Quieſcens meliùs intelligit. Vlyſſes habetur prudentiſſimus, qui diverſorum hominum mores peregrinatione luſtraverat. Nova majori attentione ſpeculamur. In veritatis inquiſitione plus vident multorum oculi. Verior habetur ſententia contradictoriè, ideſt auditis partibus lata: diſputatione vis ingeniorum exacuitur. Ea omnia quæ pariunt cognitionem, ampliorem efficiunt, ſi ſint valentiora. Debis *vide Principium Cognitionis.* ſic dicendum de medijs. *Vide Medium Cognitionis.* Quælibet ſcientia circà objectum ſuum fœlior eſt, vt quodlibet animal in proprijs magis eſt induſtrium. Ex alto liberior eſt proſpectus. Objectum debet eſſe proportionatum potentiæ, vt illud valeat conſequi. Docilitas & humilitas, ſub docentis motione & illuſtratione, efficit ſapientiores, hæc carptim ex principijs.

Refert Plutarchus ſuis temporibus eos qui ſcientiæ politicæ cognitionem haberent, ſapientes per excellentiam nominatos.

Populi Septentrionales ſunt minùs ſapientes mediſs populis; & Meridionales, plùs ſapiunt quàm omnes alij: vndè Septentrionales citò ad arma convolant & fortioribus æquum judicant cedere. At medij populi, vt ſunt Galli, Itali, Leges, Æquitatem, Rhetoricam calunt, & judicio gaudent cauſas ſuas terminari: Meridionales verò abſtractas ſcientias invenerunt, Divinationes, Otacula, denique Religio ex Arabia proceſſit.

In frigidis regionibus juxtà polos dies ſunt majores, quàm verſus lineam æquinoctialem, ſic defectus caloris compenſatur copiâ & diuturnitate luminis.

Meliùs auditur nocte quàm die, quia tunc requies amplior eſt, quoniam calor abeſt, vndè tranquilliora magnâ ex parte omnia ſunt, ſol enim eſt qui omnia movet. Ariſt. problem. ſect. 11. q. 5.

Solitudo ſtudijs amica, obſcuritas contemplationi.

Legis defectus ex æquo & bono emendantur.

Beſtiæ timidæ ſunt magis ingenioſæ, vt lepores, cervi, cuniculi.

Nunc in mundi ſenectâ, cum corpora hominum reddantur ſicciora, & imbecilliora quàm olim, idcirco ingeniorum vis major, decreſcentibus enim viribus corporis creſcit vigor animi, vt inquit Plato.

Artes tempore incrementum acceperunt. *Vide Duratio Cognitionis.*

Audimus meliùs, cum ſpiritum retinemus, quàm cùm reddimus.

Avium aduncarum & rapacium viſus acutiſſimus, Princeps habeat diverſos conſiliariorum ordines, & paucos ſeligat, cum quibus de magis ſerijs & arcanis judicet.

Accipiter ſoli dicatus apud Ægyptios, quia ad altiora volat, quæ ſunt lucidiora inferioribus.

Quo viſibile propius eſt, eò videtur ſub majoribus C angulis, ac proindè majus apparet.

Cerebri plurimum in homine pro modo corporis, vel ſi cum Bove conferas aut Elephante.

Præſtant viſu Lynces, Aquilæ.

Diſtantia efficit, vt magis de ſphærico videatur. *Vide Bonitas Different.*

Si luminoſum ſit vniverſo majus, illuminat pluſquàm medietatem; ſi vmbroſo æquale projicit vmbram columnarem, cujus radij nunquàm concurrunt; ſi vero vmbroſum ſit luminoſo minus projicit vmbram in modum inverſæ pyramidis in infinitum, Vndè concludendum eſt meliùs eſſe ſi luminoſum ſit D vmbroſo majus.

Quædam aves cantant, quædam non.

Galenus in libro, animi mores corporis temperamentum ſequi, Refert apud Scythas quod vnus tantum poſt hominum memoriam extitit Philoſophus Anacharſis; Athenis autem plurimos, apud Abderitas multos fatuos naſci.

Exanguia animalia, vt apes & formicæ, ſunt ſanguineis prudentiora.

Multa vident pictores in vmbris & eminentiâ quæ nos non obſervamus. Multa quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati.

Romani annum olim auſpicabuntur, ſole ingredien-

Google

diente Capricornum, quia tunc incipiunt dies creſcere, quod fauſtum eſt.

Trans Apenninum fluvius Nonanus ſolſtitijs æſtivis torrens, bruma ſiccatus. Plinius lib. 2. cap. 103.

Influxus Saturni ſpiritus ab externis ad intima, & ab imis revocat ad ſumma, vndè ad ſecretiora & altiora contemplanda conducit. Marſ. Ficinus. lib. de vitâ cœlitus comparandâ. cap. 11.

Ignis priùs, citiùs, & longiùs mittit lucem quàm colorem.

Viſus eſt nobilior ſenſuum, quia plura cognoſcit objecta. *V. Mag. Cogn.* vbi de cognitione vniverſali. Imaginatio plura videt quam ſenſus, cauſam enim, media & effectus ſtatim ſibi repræſentat, videt de nocte quod non invenitur in die.

Ordinaria providentia providet rebus præſentibus, maxima etiam futuris.

In terreſtri prælio requiritur major induſtria, in navali major audacia.

Qui excubias agunt, ſi ſint timidi, ſunt magis vigiles.

Exploratores debent eſſe acutiſſimo ingenio, vt ſcrutentur conſilia hoſtium.

Radiorum luminis copioſior, & validior gradus, dicitur ſplendor ſeù fulgor.

De futuri providentiâ. *Vide ſup. Virtus Cogn.*

Terminus tranſcendentalis, ſeu punctus, in omni materiâ invenitur: Cauſatur autem ex exceſſu, quem vna potentia hominis habet ſuper aliam, cum inæqualiter attingant objecti realitatem, ſic vna potentia negat quod non poteſt attingere.

Imaginatio excedit ſenſum, Ratio imaginationem, & Ratio iterùm ſe ipſam, quia ſcit aliquid eſſe verum non intellectum, alioquin non eſſet fides, opinio, & nova quotidie ſcientia. Lullius.

Quantò plus intellectus cognoſcit, tantò magis diſtat à privatione.

Lucidi corporis partes denſiores ſunt lucidiores, vt ſunt ſtellæ, & lacteus circulus in octavâ ſpærâ.

Diaphanum à lumine penetratur.

Anima ſeparata vltrà ſpecies, quas habet impreſſas, infuſas accipit à Deo.

Quo res eſt immaterialior, eo ampliùs cognoſcit, ſenſus non cognoſcit eſſe, niſi ſubhic & nunc, intellectus autem apprehendit abſolutè, & ſecundùm omne tempus.

Triplex furor, ſeu mentis exceſſus à Platonicis ponitur, Poëticus, amatorius, & divinus, vt eſt divinatio, extaſis.

Vt viſibile lumen in naturâ tantùm perſpicuâ repetitur, ita in inviſibile in perſpicaci.

Medicus debet habere vniverſalia theoremata, deindè practicam & experientiam. In ſingulis noſſe morbi cauſas, ſymptomata, remedia, quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ mox futura ſequentur. Terapeutica enim ſequitur Diagnoſticam, & Prognoſticam, Galen. lib. 9. c. 6. methodi medendi.

Homo poteſt dici menſura rerum, in eo quod ſenſu percipit ſenſibilia, intellectu intelligibilia, & quæ ſunt ſuprà ſe exceſſu.

Intellectus non corrumpitur ex excellenti intelligibili, ſicut ſenſus, ſed magis perficitur. Vt virtus quantò eſt vnitior tanto eſt fortior; ità Deus per vnum infinita intelligit, Angeli vident concluſiones in principijs vniverſalibus.

Non littera legis, ſed allegoria perficit hominem, quia non eſt aſtricta loco & tempori, ſed eſt imago æternæ legis: hanc Deus docuit Moyſem vt ad imitationem vniverſi ſe gereret. Quàm bonum eſt orbes mentis habere concentricos vniverſo.

Sunt quædam artes architectonicæ, Metaphiſica aſſignat cæteris ſcientijs objecta, Sapientia eſt rerum divinarum atque humanarum ſcientia.

Intellectus eſt vniverſalium, ſenſus autem ſingularium. Senſus inſtar Solis globi terreſtris faciem apetit, cœleſtis claudit.

Multa ſunt accidentaliter reſpectu cauſæ inferioris, quæ non ſunt per accidens reſpectu cauſæ ſuperioris.

In ſcientijs, vt in fodinis, ſemper novus debet eſſe profectus.

Verus quidem ſapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit; naſcens rudis fuit, non minùs quàm cæteræ artes, quarum in proceſſu ſubtilitas crevit: ſed ne opus quidem erat remedijs diligentibus, nondùm in tantùm nequitia ſurrexerat, nec tam latè ſe ſparſerat, poterant vitijs ſimplicibus obſtare remedia ſimplicia, nunc neceſſe eſt tantò operoſiora eſſe munimenta, quanto valentiora ſunt, quibus petimur: medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, firmis adhuc ſolidiſque corporibus, & facili cibo per artes voluptateſque non corruptis; poſtea in hanc pervenit tàm multiplicem varietatem & infrà. Adverſus explicitum latè furorem, operoſior philoſophia facta eſt; & tantùm ſibi vitium ſumpſit, quantùm his adverſus quæ parabatur acceſſerat, &c. Seneca Epiſt. 95.

Sic Theologia occaſione hæreſum in ſcholaſticam & criticam controverſiam excrevit.

Populi qui magis ad orientem accedunt ſunt cæteris perſpicaciores. Ptolomæus lib. 2. prædict. aſtrologic.

Allegorizantes ſeu Cabaliſtæ ſuum ſic probant inſtitutum: Nemo poteſt perfectè Deo adherere, niſi omnia ejus opera cognoſcat: ex lege igitur per quam habemus vt Deo adhereamus, debemus omnio Dei opera cognoſcere; quod quia litterali ſenſu non fit, neceſſe eſt præter hunc dari allegoricum: Quæ ſunt ſcripta in libro vitæ, ſunt quaſi ideæ & exemplaria, eorum quæ humano ſtylo ſcribuntur, quia illis reſpondent; ideò circa illas ſempiternas rationes maximè invigilat Cabaleus: Litteralis ſenſus eſt loci & temporis conditionibus implicatus, non verò allegoricus, ad æterna tantum ſpectans: litteralis eſt practicus; allegoricus ſpeculativus, mentem inſtruens & phantaſiam, vndè & prophetiæ donum, à terrenis tollitur ad ſuperos: immutabilis Dei debet eſſe immutabile eloquium, præter legem populo & Moyſi traditam, quæ mutabilis eſt: lex ſcripta eſt vmbra & imago illius archetypi ſermonis: homo etiam ſummi conditoris & mundi ſimulachrum debet habere legem, quæ referat æternam Dei legem; indè diſcit actus ſuos moderari ſecundùm legem, quâ Deus condidit & regit vniverſa.

Lumen eſt fortius, quo principio ſuo eſt proximius, medium in medio, debilius in fine.

Galenus in exhortatione ad artes diſcendas, dicit, animalibus brutis aliquam eſſe vim rationis, non quidem enuntiativam, ſed intùs deliteſcentem, & ex occaſione ſe proferentem, hominem autem dici rationem; quia excellit ratione, quæ omnium artium, & omnium rerum contemplationem poteſt aſſequi.

Vt eſt oculus in corpore, ſic intellectus in animo, & vt non omnes æqualiter vident, ſic nec intelligunt, vndè perſpicaciores alios docere debent. Idem lib. de optimo docendi genere.

Nunc cùm homines inſtar ſolis luſtraverint totum orbem, paucis terris incognitis; dicendum nobis in ſtemmate plus vltrà, cum antiqui dixerint, non

vltrà; dixerunt non imitabile fulmen, at licet nunc dicere, imitabile fulmen in tormentis bellicis. Bacon. lib. 2. de augment. ſcient. cap. 10.

Scientiæ in naturâ fundatæ, vt plantæ proprio ſolo radicibus hærentes, creſcunt & augentur. Vndè quidam ea quæ ignorant falsò dicunt eſſe cognitu impoſſibilia; ſummâ ſuperbiâ & invidiâ ſuorum inventorum infirmitatem in naturæ ipſius calumniam & aliorum omnium deſperationem vertentes. Idem in novo organo.

Quemadmodùm ab operibus naturæ ratis & inconſuetis erigitur intellectus ad inquirendas formas, quæ illorum ſunt capaces: ſic in egregijs operibus artis vſu venit; cum enim cauſa magis cognita ſit quàm in naturâ, facilè producitur paulò longiùs, aut deflectitur ad aliquid quod eſt finitimum, aut applicatur & transfertur ad vſum aliquem nobiliorem. Ibid. lib. 2.

Viſui tria dantur auxiliâ, vel vt percipiat non viſa; vel vt majore intervallo; vel vt exactius, & diſtinctius.

Canes venatici inter ſe duces & magiſtros agnoſcunt, quibus parent. Plin. lib. 8. cap. 40.

Cerebrum viri quàm fœminæ majus. Idem lib. 11. cap. 38.

Animalium fortiora, quibus ſanguis craſſior; ſapientiora, quibus tenuior. Id.

In omnibus Timanthis pictoris operibus plùs ſemper intelligebatur, quàm pingebatur, & cum ars ſumma eſſet, ingenium tamen vltrà artem erat. Plin. l. 35. c. 10.

Appelli præcipua in arte venuſtas fuit, & cum eadem ætate maximi pictores eſſent, dicebat, illos admirans in cæteris, tamen carere gratiâ & venere. Ibid.

Hic venerem pinxit, quam Auguſtus dicavit in delubro Patris Cæſaris: hujus inferiorem partem corruptam, qui reficeret non potuit reperiri: verum ipſa injuria ceſſit in laudem artificis. Ibid.

Saturni familiaritas cum Mercurio in locis laudatis facit curioſos, ſcrutatores arcanorum. Ptolomæ. Præd Aſtrolog. lib. 3. c. 25.

Aſſiduitate cognitio fit major. *Vide Duratio Cognitionis.*

Triſtis ſobrietas removenda paulìſper, nam ſive Græco Poëtæ credimus, aliquando & inſanire jucundum eſt; ſivè Platoni, fruſtrà Poëticas fores compos ſui pepulit: ſive Ariſtoteli, nullum magnum ingenium ſinè mixturâ dementiæ fuit: non poteſt grande aliquid & ſuprà cæteros loqui, niſi mota mens, cum vulgaria & ſolita contempſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demùm aliquod cecinit grandius ore mortali: non poteſt ſublime quidquam & in arduo poſitum contingere, quandiù apud ſe eſt, deſiſcat oportet à ſolito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere. Seneca lib. de tranquillitate animi. cap. vlt.

Cum in comitijs ſinguli Lacedemoniorum vnum tantùm darent calculum Rex duos dabat, quaſi duobus judicium ſuum æquivaleret. Lucianus in Harmonide.

Quod vnus alium cognitione ſuperet. *Vide Differentia Cognitionis.*

Conſtitutiones hominum juri naturali debent cedere. diſt. 9.

Leges Imperatorum vincuntur à Canonibus. diſt. 10.

Ius prætorium eſt quod juvat, ſupplet & corrigit civile. l. 7. §. 1. l. 8. ff. de Iuſt. & Iure.

EX THEOLOGIA.

OMnis intellectus abſtrahit ab hic & nunc, aliter tamen Angelicus quàm humanus. D. Tho. 1. q. 50. a. 2. & q. 107. a. 4.

Intellectus poſſibilis immutatur ſpeciebus phantaſmatum, ſecundùm illuſtrationem intellectus agentis. 2. 2. q. 173. a. 2.

Non eſt inconveniens Adam vidiſſe divinam eſſentiam ſupernaturaliter. 1. q. 94. a. 1. Videbat Deum per gratiam: habuit duplicem cognitionem de Deo, ſcilicet naturam & ſupernaturalem. Ibid. a. 3.

Adam antè peccatum, & Angeli antè confirmationem, aliqua de myſterijs Dei cognoverunt manifeſtè, quæ nunc non poſſumus cognoſcere niſi credendo. 2. 2. q. 5. a. 1. & ad 1.

Deus per eſſentias viſus neceſſariò amatur, ſed per effectus cognitus poteſt odiri. 1. q. 60. a. 5. ad 5.

Scientia ſuperiorum Angelorum dicitur eſſe univerſalior, quo-ad eminentiorem modum intelligendi. 1. q. 106. a. 4. ad 1.

Angelus dicitur mens & intellectus, quia ſolam cognitionem intellectivam habet. 1. q. 54. a. 3. ad 1.

Chriſtus perfectiùs videt eſſentiam Dei quàm omnes Angeli & homines. 2. 2. q. 175. a. 4. ad 2.

Scientia infuſa in anima Chriſti fuit multò excellentior quàm in Angelis quo-ad multitudinem cognitionum, certitudinem & lumen, ſed quo-ad modum fuit è converſo. 3. q. 11. a. 4.

Ea quæ ſunt fidei ſunt ſuprà cognitionem naturalem hominum & Angelorum. 2. 2. q. 5. a. 1.

Arca teſtamenti ſignificat myſteria fidei, quæ permittuntur videri à majoribus tantùm. 1. 2. q. 102. a 4. ad 6.

Architectus eſt principalis artifex, præcipiens induci formam, & præparari materiam. 1. q. 18. a. 3.

Authoritas Dei prævalet rationi humanæ, multò magis quàm authoritas Philoſophi rationi debili alicujus pueri. 1. 4. 118. a. 2.

Cerebrum eſt proportionaliter majus in homine quàm in alio quolibet animali. 1. quæſt. 91. art. 3. ad 2.

Cognoſcere aliquid in vniverſali eſt imperfectius, quàm cognoſcere in ſpeciali. 1. q. 5. ad 3. ad 2.

Res participes ſunt cognitionis & voluntatis, ſecundùm gradus ſuæ immaterialitatis. 1. quæſtio. 14. art. 1.

Donum conſilij facit certitudinem à Spiritu Sancto de ijs, de quibus Eccleſia inquirit, & conjecturat. 1. 2. q. 108. a. 4. ad 1.

Correſpondet prudentiæ & Eubolìæ, adjuvat & perficit eas. 1. 2. q. 57. a. 6. ad 1.

Corpus Chriſti fuit optimè complexionatum, ideò maximè in eo viguit ſenſus tactus. 3. q. 46. a. 6.

Majores tenentur magis explicitè credere, quàm minores. 2. 2. q. 27. a. 8.

Credere ea quæ ſunt ſuprà rationem non eſt levitatis, cum habeat ſufficiens inductivum ad credendum. 2. 2. q. 2. a. 9. ad 3.

Quidam clariùs alijs videbunt eſſentiam Dei. 1. q. 12. a. 6.

Quantò quis limpidiùs videt eſſentiam Dei, tanto plura in eo videre poteſt. 1. q. 12. a. 8.

Extaſis eſt fieri extrà ſe, ſecundùm cognitionem, vel ſecundùm appetitum. 1. 2. q. 28. a. 3. ad 1.

Fides percipit inviſibilia Dei, altiori modo quo-ad multa, quàm ratio naturalis, ex creaturis in Deum procedens. 2. 2. q. 2. 3. ad 3.

Sensus interiores magis vigent in homine, quàm in A exteris animalibus. q. 91. a. 3. ad 1.

Vnus intellectus potest melius alio rem aliquam intelligere dupliciter, scilicet ratione fortioris intellectus, & ratione meliorum sensuum, non autem ex parte objecti. 1. q. 12. a. 6.

Sensus intelligit tantùm particularia & exteriora rei accidentia: intellectus autem cognoscit vniversalia, ingreditur ad essentiam rei, & cognoscit formas substantiales. 1. q. 85. a. 1.

Lex Dei scripta corrigit legem naturæ supplendo, vel vt corrupta erat in cordibus aliquorum. 1. 2. q. 94. a. 5. ad 1.

Lex æterna, quæ est ratio, seù conceptus gubernationis rerum in Deo, est tantùm nota beatis secun- B dùm essentiam, sed in suis effectibus nota est omni creaturæ rationali. 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3. Comparatur ad ordinem rationis, sicut ars ad artificiatum. Ibidem.

Lex vetus superaddidit legi naturali quæ erat imperfecta. 1. 2. q. 89. a. 2. ad 1.

Lex vetus assimilatur puero, vt imperfecta; nova autem assimilatur viro, vt perfecta. 1. 2. q. 91. a. 5. ad 1.

Majus lumen offuscat minus lumen, scilicet alterius illuminantis, non autem minùs lumen illuminati, sed perficit ipsum. 3. q. 5. a. 4. ad 2.

In homine est triplex lumen, quod non participant bruta, scilicet lumen naturæ, gratiæ, & gloriæ. 1. q. C 106. a. 1. ad 2.

Lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti. 1. q. 12. a. 13.

Lumen gloriæ non potest esse connaturale alicui creaturæ. 1. q. 12. a. 5. ad 3.

Sol dicitur luminare majus. 1. q. 68. 1.

Ars aut virtus est vniversalior, quæ habet vniversalius objectum. 2. 2. q. 50. a. 3.

Potentia superior respicit vniversaliorem rationem objecti, quam potentia inferior. 1. q. 1. a. 3. ad 2.

Majoris prudentiæ est pecunias vtiliter expendere, quam eas conservare, quia plura sunt attendenda circà vsum, qui assimilatur motui, quàm circà conservationem, quæ assimilatur quieti. 2. 2. q. 117. a. D 4. ad 1.

De extasi & jubilo. *Vide Gloria Cognitionis.*

Plura & excellentia revelata sunt Angelis & Apostolis de mysterijs gratiæ, quam Prophetis. 1. q. 57. a. 3. ad 3.

Donum sapientiæ quo-ad secreta mysteria, & directionem aliorum est in paucis, quia est gratia gratis data. 1. 2. q. 68. a. 5.

Per cognitionem plurium conclusionum in vnâ scientiâ non aggeneratur alius habitus, sed qui erat fit perfectior, vporè ad plura se extendens. 1. 2. q. 151. a. 4. ad 3. E

Omnia scientia operativa tantò perfectior est, quantò magis considerat particularia, in quibus actus est. 2. q. 20. a. 3. ad 1.

Scientiarum practicarum illa est dignior, quæ ad vlteriorem finem ordinatur, vt civilis militari. 1. q. 1. a. 5.

Intellectus, qui est habitus principiorum, est nobilior quàm scientia conclusionum. 1. 2. q. 51. art. 2. ad 3.

Vna scientia est dignior alia dupliciter, scilicet ratione nobilioris subjecti, vel quia certior. 1. quæst. 1. a. 5.

Civilis præcipit omnibus scientijs & artibus; sed speculativis quo-ad exercitium actus, non autem quo-ad determinationem actus, sicut practicis. 2. 2. q. 47. a. 2. ad 2.

Cùm ratio humana ad legem æternam comparetur, vt causa secunda, primæ subordinata, necessarium est voluntatis humanæ bonitatem magis ex lege æternâ, quàm ex ratione dependere. 1. 2. q. 19. a. 4.

EX BIBLIIS.

ERit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die quâ alligaverit Dominus vulnera populi sui, & percussiones plagæ ejus sanaverit. Isay. 30.

Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum: ecce tenebræ operient terram & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Non erit tibi amplius Sol ad lucem, nec splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, &c. Isay. 69.

Væ pastoribus, &c. Ego ipse pascam oves meas in pascuis vberrimis, & in montibus excelsis erunt pascua earum. Ezech. 34. De excellentiori doctrinâ.

Danieli non socijs revelatur somnium Regis; Magis etiam illud ignorantibus. Daniel. 2.

Vt non loquatur os meum opera hominum. Psal. 16. Ascendi super Cherubim & volavit, volavit super ventorum. Psal. 17.

Multa fecisti Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Psal. 38.

Montes excelsi cervis; petra, ideſt Ecclesia, refugium Herinaceis. Psal. 103.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est; super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Psal. 118.

Confitemini Domino &c. qui fecit luminaria magna, Solem in potestatem diei, Lunam & stellas, in potestatem noctis. Psal. 135. *Vide Differentia Cognit.*

Paululùm cùm pertransissem custodes inveni quem diligit anima mea. Cant. 3. cum priùs non invenissem in vicis & plateis.

Caput tuum vt Carmelus. Cant. 7.

Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. Illis autem non est datum, qui enim habet, dabitur ei, & abundabit. Beati vestri oculi quia videnr; multi enim prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Math. 13.

Nemo scit quis sit filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit filius revelare. Luc. 10.

Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. Proverb. 18.

Fecit Deus luminare majus, quod præesset diei. Gen. 1.

De excellenti sapientiâ. *Vide Gloria Cognitionis.* & quod sit à Deo. *Vide Principium Cognit.*

Qui sapit diem Domino sapit: tu autem qui judicas fratrem tuum? scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, quia mihi confitebitur omnis lingua. Romian. 14.

Quandò factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. *Vide Media Cognit.* ex Biblijs.

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ & alia claritas stellarum, stella enim à stellâ differt in claritate. 1. Corinth. 15.

Admirabantur turbæ super doctrina Christi, erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Math. 7.

Audito responso centurionis dixit Iesus, amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israel. Math. 8.

Quid existis videre Prophetam, etiam dico vobis, &

plusquàm Prophetam ; hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mittam Angelum meum. Math. 11.

Prophetæ venturum Messiam, hic autem plusquàm Propheta, quia presentem monstravit.

Locutus sum in corde meo dicens ; ecce magnus effectus sum & præcessi omnes sapientiâ, dedique cor meum vt scirem prudentiam, &c. Et agnovi quod in multâ sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem. Eccles. c. 1.

Et ecce vox de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. &c. & audientes ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Math. 17.

Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte, &c. Petrus autem : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor. Matth. 26.

Præcipit Deus homini ne comedat de ligno scientiæ boni & mali ne forte moreretur. Gen. 2.

Serpens callidior cunctis animantibus ait, cur præcepit vobis Deus ? &c. Gen. 3.

Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditque viro suo qui comedit & aperti sunt oculi amborum. Gen. 3.

Quis indicavit tibi quod nudus esses, dixit Dominus ad Adam, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti. Gen. 3.

Cernens Dominus quòd pergeret Moyses advidendum, vocavit eum de medio rubi, & ait, Moyses, Moyses ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Exod. 3.

Cùm appropinquasset Pharao ; levantes filij Israël oculos viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valdè. Exod. 14.

Collegerunt quidam ex Israël manna in crastinum contrà præceptum Domini & scatere cœpit vermibus & computruit. Exod. 16.

Cognitio futuri, manna in crastinum.

Non bonam, inquit Iethro ad Moysem qui solus judicabat populum Israël, rem facis, stulto labore consumeris, vltrà vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Exod. 18.

Cavete ne ascendatis in montem, omnis qui retigerit montem morte morietur, vide & contestare populum ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Deum, & pereat ex eis magna multitudo. Exod. 14.

Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Levit. 14.

Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intrà velum coràm propitiatorio, quo tegitur arca, & non moriatur. Levit. 16. Curiosè scilicet secreta inquirens.

Non declinetis ad Magos neque ab ariolis aliquid scisciteminì, ne polluamini per eos. Levit 19.

Hermiosus arcetur à Sacerdotio, id est malè custodiens secretum. Levit. 21.

Qui grandi vel torto naso est, arcetur à Sacerdotio. Levit. 2. Per quod significatur discretionis immoderata subtilitas, quæ plusquàm oportet & decet excrescens, actionis confundit rectitudinem. Basil. lib. de Baptism. c. 2.

Alij nullâ curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquàm involvantur, alioquin morientur. Num. 40.

In Ecclesiasticis observationibus sunt quæ omnibus facere necesse est, non tamen ratio omnibus patet. Rup. lib. 1. num cap. 8.

Vas quod non habuerit operculum aut ligaturam desuper, immundum erit vsque ad vesperè. Num. 19.

Propheta qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in meo nomine, quæ ego non præcipio illi, vt dicat, interficietur. Deut. 18.

Nemo potest Deo servire & Mammonæ, ideò dico vobis ne sollicìti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro, &c. Math. 6.

Labor exercendus est, nimia sollicitudo tollenda, Gloss.

Nolite sollici esse in crastinum. Ibidem.

Nolite judicare & non judicabimini, &c. Hippocrita ejice primùm trabem de oculo tuo. Math. 7.

Quare nos & Pharisæi jejunamus, discipuli autem tui non jejunant? Math. 9. Sibi gratulantes & de alijs nimis sollicìti.

Vndè huic sapientia & virtutes, nonnè hic est fabri filius, & mater ejus dicitur Maria, & non est propheta sinè honore nisi in patriâ suâ. Matth. 13. nimia cognitio minuit famam.

Non sum sicut cæteri hominum raptores, &c. jejuno bis in Sabbatho, velut etiam hic publicanus. Luc. 11.

Antiochus tandem victus à Domino & insanabili plagâ percussus, superbiâ antè influus supra modum cogitur confiteri, justum est subditum esse Domino, & mortalem non paria Deo sentire. 2. Mach. 9.

DIVINATIO.

DE Prudentiâ quæ futura prævidet. *Vide Virtus Cognitionis.*

Cor talpæ, si recens & palpitans devoretur, confert ad divinationem. Plinius. natur. hist. lib. 30. cap. 3. Sic herba dicta Thelassegien quæ invenitur circa Indum amnem, & Theangelida, quæ in Lybano Syriæ & Babylone nascitur. Idem lib. 24. cap. 17.

Ex singulis olim ducebantur diversæ divinationis species, ex Igne Pyromantia, ex Aquâ hydromantia, &c. vide Strozium Cycogna magiæ omnifariæ.

In Cretâ mons est Ida, qui antè solis ortum solem videt. Solin. Polihist. cap. 17. Sic excelsa quædam ingenia prævident futura.

Siluri Britanniæ insulani, scientiam futurorum pariter viri ac fœminæ ostentant. Idem cap. 25.

Hyenæ multiplici varietate oculos habent distinctos, in quorum pupillis lapis invenitur, hyenium dicunt, prædictum illâ potestate, vt futura prædicatis, cujus linguæ fuerit subditus. Idem cap. 30. & apud Hesias sacer est puteus, de quo bibentes vaticinantur. Pausan. in Bœoticis.

Gallus dicit mutationes temporum, Corvus clades futuras, Delphin tempestates. *Vide Cognit. Contrarie.* Hæc præsagia non sunt spernanda, dicuntur enim stellæ secundæ, per quas certiùs possumus judicare, quàm per stellas cæli ; sunt enim hæc magis proxima effectibus futuris ; vndè per talia certiùs nauticæ periti judicant, quàm astrologi scientifici : Indè etiam acies in aëre & similia, quæ semper aliquid magni & insoliti protendunt, vt oscitationes & spontaneæ lassitudines morbos præmuntiant. Cum multa sint, quæ humanâ industriâ non possumus scire, ideò Deus & natura in necessarijs non deficientes, pluribus modis ea nobis revelant, vt vnius morbi plura sint medicamenta.

Causa ergo finalis divinationis est sollicitudo, quàm Deus habet de humanis actibus ; sunt que ista præsagia motiva quædam animum impellentia, cum aut caligat in cognitione, aut hæret in dubio.

Potini Cornelius Sacerdos caſtiſſimus, mente motus fuit, eo tempore quo Cæſar & Pompeius in Theſſaliâ confligebant, adeout tempus & ordinem & exitum pugnæ videret. Aulus Gellius.

Innatum hominibus prænoſcendi futura deſiderium : hinc Hebræi deficientibus veris Prophetis, Magos conſulebant ; hinc apud Ægyptios & Chaldæos Aſtrologia, apud Aſſyrios arioli, ex trajectione ſtellarum divinantes ; nullus populus abſque reſponſis dæmonum deceptus : nihil in bello, pace, nuptijs, condendis vrbibus, ſinè auguriis tentabant ; Romani habuere libros Sybillinos ; Galli Druidas. Hoc autem deſiderium omnibus quaſi naturale eſt ; quia ſicut ex Ariſtotele, in naturâ omnis motus eſt propter quietem, alioquin fruſtrà res niteretur adipiſci per motum, quod jam conſecuta eſſet : ſic motus animi, qui ſit voluntate imperante, ſcilicet indagatio veritatis tendit ad perfectam cognitionem, in quâ quieſcit : at non quieſcit niſi in futuri cognitione, quia etiam ex futuro multa pendent, ad ſuam vtilitatem pertinentia : homo etiam eſt ſcientificum animal, ſcientia autem ad omnia pariter tempora dilatatur ; præclarior futuri notitia, & ad res agendas aptior, à quâ & præſens tempus pendet, quod eſt tantùm inſtans. Animus noſter trium temporum capax, non ſe poteſt intelligere, niſi & illa ſimul. Prudentia, excellentior inter virtutes, in prænotione conſiſtit, & hæc quædam in mentibus Divinæ Trinitatis imago ; hæc enim ad tria tempora, ad tres animæ potentias memoriam, intellectum, & voluntatem referri poſſunt, quæ vltima ad futura ſe extendit, & prænotionis deſiderium ex voluntate cupiente conſurgit : eſt etiam quædam imitatio divinæ perfectionis ; ſic enim eſt prænotio in animalibus, major debet eſſe in homine, naturas omnium in ſe comprehendente ; ſpe deſiderium accenditur, & Religio fovetur. Picus Mirandul. lib. 1. de rer. prænot. cap. 8.

Cicero lib. de divin. dicit hominem naturaliter eſſe cognitionis futuri capacem ; idem paſſim aſſerunt Platonici, qui dicunt mentem humanam, ejuſdem eſſe naturæ cum animâ mundi, quæ habet in ſe ſpecies rerum omnium ; has in mente noſtrâ ſeu excitant, ſeù imprimunt dæmones, admoto ſæpè cœleſtium influxu, cujus animi parùm corporeis addicti, ſunt magis capaces.

Quod ignis tam mirabiliter agat, omnia in ſe convertat, momento illuſtret, mutuatur à cœlo ; quantò autem efficacior eſt ignis cæteris elementis, & igne cœlum, tantò efficaciores ſunt ſpiritus, qui vel vivificant, vel movent cœlum. Spiritus ergò ſuperiores in noſtros, vt potè conſortes, imaginum duntaxat ſuarum influxibus operantur, quemadmodùm vultus in ſpeculum, atque agendo in eas formant, ſimileſque efficiunt, vſque adeò, vt ſæpè animæ noſtræ tam mirabiliter, quàm cœleſtes operentur, ſi ad influxus numinum ſint aptè præparatæ : ſic Iamblicus, Porphiriuſque narrant oracula quædam per aquam, aërem, aut ignem fieri ſolita, quia à Dæmonibus vel aqueis, vel igneis mittantur ; quod ſi aliquando mentes noſtræ non diſtractæ, ſed totâ ſuâ virtute in opus ſuum intentæ ſint, non dubitat mirabiliora ab his quàm à cœlo fieri ; hinc dicit animam poſt Deum colendam. Marſilius Ficinus.

Cicero lib. de divin. dicit divinationem à divis dici, quia ab illis immittitur, & hac futurorum ſcientiâ proximè ad divorum ſcientiam accedimus. Nulla gens tàm barbara quæ prædici poſſe futura non cenſeat. Romulus optimus fuit augur, & in Etruriâ nullum divinationis genus prætermiſſum in conſulendis rebus, & monſtris interpretandis, & libris Sybillinis exponendis : ſi enim ſunt Dij, inquit, humana curantes, etiam datur divinatio.

Duo ſunt divinandi genera, quorum alterum artis eſt, alterum naturæ, vt medicinæ remedia ſic divinationes maximè experimento conſtant ; ſic habentur futuræ tempeſtatis indicia ex aëre, elementis, animalibus ; medica, nautica, militaris, imperandi datur ars, ſic divinandi, licet aliquandò fallatur, eſt enim conjecturalis, vndè fallit nonnunquàm, ſed ſæpè ad veritatem dirigit. Nihil olim niſi auſpicato privatim aut publicè fiebat, auſpicia autem ſigna eventuum non cauſas afferunt, voluit Deus his me vti, non ea ſcire.

Plenus eſt aër immortalium animorum, qui de futuris nos monet, ex terræ etiam qualitatibus Sybillas vera prædixiſſe ; Dij futura ſcientes, cum ſint benefici, futuri cognitionem, quia noſtra intereſt, aperiunt. Refert plures vrbium conditores aruſpices fuiſſe, quia vt ſapere ; ſic divinare regium ducebant : ſic Romani augures Rempublicam religione rexerunt, ſic Perſæ Reges Magorum diſciplina eruditi, Athenienſes publicis conſilijs Magos adhibuerunt, Lacedemonij Regibus ſuis aſſeſſorem dederunt ; de rebus majoribus ſemper conſulta Oracula ; ſæpè ſenatus decemviros ad libros Sybillinos ire juſſit : Difficultas laborque diſcendi diſertam negligentiam reddidit, malunt enim quidam differere nihil eſſe in auſpicijs, quàm quid ſit ediſcere. Hæ ſunt divinationes naturales & artificioſæ, quæ ab avibus, ab extis, à fulgure, ab aſtris colligitur ; divinus autem non movetur animus, niſi ſolutus, vacuus, & cum ei nihil eſt cum corpore. Cum fatum ſit nexus cauſarum, in prioribus priora præſentiri poſſunt, futura enim non ſubitò exiſtunt, ſed eſt quaſi rudentis explicatio : in præteritis, & præſentibus in ſunt futura, vt in ſemine, præceduntque eorum ſigna.

Qui ab extis animalium immolatorum prædicebant, dicebant ad hoſtiam deligendam ducem eſſe vim quandam ſentientem atque divinam, quæ toto mundo confuſa ſit. Idem lib. 2.

Valentinianus Imperator permiſit aruſpicinam exercere, dummodò id fieret ſinè Magiâ. l. 1. C. Theodoſ. de Maleſ.

PROPHETIA.

Objectum prophetiæ eſt illud, quod eſt in cognitione divinâ ſuprà facultatem humanam. D. Thom. 2. 2. q. 174. a. 2.

Prophetia imaginaria de ſupernaturali veritate nobilior intellectuali, de cognoſcibilibus humanâ ratione. Idem 2. 2. q. 174. a. 2. ad 3.

Plures Prophetæ fuerunt tempore Regum, quia tunc populus erat liber, & inſtrui debebat de agendis. 2. 2. q. 174. a. 6. ad 2.

Non ideò fecit Chriſtus, quia Propheta prædixerat, ſed ideò Propheta prædixerat, quia ille futurus erat. D. Auguſt. in Pſal. 93. Præceſſerunt illum multi præcones tanquàm judicem magnum.

Hinc apparet mundum providentiâ regi, & à ſupremâ mente, quæ inferioribus agenda prænuntiat, & prævenit naturæ effectus, quaſi ad obſequium paratæ.

Prophetia non eſt habitus, nec qualitas permanens, ſed paſſio tranſiens ; non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data. Eſt principaliter de futuris, eſt etiam de remotis, & de occultis, quæ communiter ſciri non poſſunt ; illius enim objectum eſt, quod eſt in cognitione divinâ ſuprà facultatem humanam : ad

illam requiritur bonitas morum, refrænatio paſſionum, mentis elevatio ad contemplationem; licet hæc diſpoſitio naturalis non ſit neceſſaria, quia Deus ſimul diſponit & perficit.

Prophetæ non vident omnia prophetabilia, ſed tantùm ea quæ illis ſpecialiter revelantur: vident in ſpecula æternitatis ſeù intelligentiarum, ſeù in libro præſcientiæ Dei, cauſaliter, non autem formaliter: non ſemper cognoſcunt ea quæ prophetant.

Modus prophetiæ triplex, ſecundùm triplicem potentiam cognoſcitivam, ſcilicet ſecundùm oculos corporis; ſecundùm ſpiritum imaginarium, ſpecieſque aut impreſſas aut aliter diſpoſitas; denique ſecundùm intuitum mentis; & hæc eſt nobilior.

Poteſt eſſe prophetia ſecundùm quid à naturâ & Dæmonibus, ſed eſt fallibilis: veri autem prophetæ tripliciter diſtinguntur à falſis, agente, fine, & certitudine, &c. D. Thom. 2. 2. q. 171. & ſeqq.

Quando animus hominis omnino eſt ſejunctus à corpore, omnem, vt centent Ægyptij, comprehendit locum & tempus, ſeù quia naturâ ſuâ eſt ſuprà tempus & locum; ſeù quia cùm in naturam ſuam ſe recipit, ſtatim numini conjungitur, omnes locorum & temporum terminos comprehendenti. Tres rerum ordines ad humanam mentem pertinent, Providentia, Fatum, Natura. Providentia eſt ſeries mentium, vt Angeli à Deo, ſic ab Angelis animæ noſtræ moventur, & de futuris docentur. Fatum eſt circà Idola, ideſt ſimulachra animarum, quæ ſunt in animabus corporum rectricibus, horum caput eſt Idolum animæ mundi, cui connectuntur idola duodecim ſphærarum; ſic animæ noſtræ vis quâ corpus regit, à primò illo idolo animæ mundi & ſphærarum movetur. Denique natura conſiſtit in activis corporum affectionibus quæ pendent primum à naturâ mundanæ materiæ, tùm à ſphæris ſingulis cœleſtibus, & elementorum: ſic ergò toti machinæ colligamur, mente mentibus, idolo idolis, naturâ naturis, vt fœtus in alvo toti corpori materno per continuata ligamenta connectitur: ab his cauſis ſuperioribus continuè moveamur, & de futuris moneremur, niſi mens alio diſtracta tales motiones non perciperet, &c. Fuſius apud Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 13. cap. 2.

Hoc fundamento nituntur ſortes, Geomantiæ & aliæ divinationis ſpecies, quod in iſtis ſit quædam mentis & rationis ſuſpenſio, vndè liberiùs excipitur motus ſuperiorum cauſarum.

MORITVRI DIVINANT.

QVo magis mens ſeparatur à corpore, eo melius intelligit. Vndè nonnulli, vt in Critone & Apologiâ inquit Plato, propè mortem futura prædicunt: quaſi tunc ſupernis numinibus viciniores.

Sic Socrates prædixit judicibus ſuis pœnitentiam, accuſatoribus ruinam, civitati ſeditionem. Calanus Indus moriturus Alexandro Regi mortem prænuntiavit, & Phericides Syrus moriens Epheſijs victoriam contrà Magneſios vaticinatus eſt. Vide alia exempla apud Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 9. cap. 2.

Sic Iſaac ventura filijs prænuntiat. Gen. 28. & Iacob. Gen. 49. Ioſeph. Gen. 50. Sic alij Patriarchæ & plures Reges.

Exempla vide apud Ciceron. 1. de divinatione.

Vide Veritas Finis. Veritas in morientibus.

PRO ASTROLOGIS.

CHaldæi Indiæ populi, primi fuerunt Aſtrologiæ inventores, ab omni opere immunes erant, pluraque dona à privatis accipiebant; ſi quis falſa prædixiſſet, in pœnam perpetuo ſilebat. Diodor. ſiccul. rer. antiq. lib. 3. cap. 10.

Ægyptij primi omnium Aſtrologiæ inventores, qui propter æſtivi temporis ſerenitatem, ſtellas ſemper clarè cernunt: hinc infinito tempore probata apud ipſos hæc ſcientia. Plato in Epinome.

Primus in Græciâ Democritus intellexit, oſtenditque cum terris cœli ſocietatem, ſpernentibus hanc curam cæteris civibus; nam prævidens olei caritatem, opportunè ſibi magnam copiam comparavit. Plin. lib. 18. cap. 28.

Arlas Rex, Aſtrologiæ & ſphæræ peritiſſimus, dictus eſt orbem ferre. Idem lib. 1. c. 8.

Beroſus quidam in Aſtrologiâ floruit, cui ob divinas prædictiones, Athenienſes publicè in gymnaſio ſtatuam inauratâ linguâ ſtatuere. Idem l. 7. c. 37.

Plato in Timæo, dicit Deum aſtris parem numerum diſtribuiſſe animarum, ſingulis ſingulas adhibens. 7. de Republicâ dicit Aſtronomiam mentis oculos ad ſuperiora dirigere, eamque Reipublicæ neceſſariam, vt noscentur temporum differentiæ.

Origenes & Philo dicunt aſtra eſſe ſigna futurorum, ex illo. Gen. 1. Luminaria poſita in firmamento, vt ſint in ſigna & tempora & dies & annos: ſic cœlum liber eſt, cujus aſtra ſunt ſplendidi caracteres. Vide Iſay. 34. & Apocal. 6. & Pſal. 103. Extendens cœlum ſicut pellem.

Aſtrologorum vera quædam circumferuntur reſponſa. Publicus Nigidius nobilis Aſtrologus, nato Auguſto horam partus accepit, conſultiſque ſyderibus affirmauit, Dominum terrarum orbi natum. Sueton. in Auguſto cap. 94.

Nato Nerone, Aſtrologus pronuntiavit Imperatorem natum matrem necaturum, quod cùm Agrippina mater accepiſſet, occidat, inquit, modò imperet. Multa alia exempla & rationes pro defenſione Aſtrologiæ, vide apud Ionctinum & alios.

Chriſti nativitatem ex aſtrorum inſpectione Magi cognoverunt.

Ariſt. 8. Phyſic. 2. aſſerit Deum nihil operari in hoc inferiori mundo, niſi mediantibus corporibus cœleſtibus, tanquàm inſtrumentis, ſunt enim media inter æterna & generabilia. Sic Plotinus, Avicenna & alij dicunt cœleſtes motus non eſſe inferiorum cauſas, ſed inſtrumenta, divinis motoribus, velut artificibus obſequentia; quorum cogitationes varijs ſuis motibus & figuris explicant. Triſmegiſtus dicit ſtellas eſſe arma & ſagittas fati.

Populus Iſraël in deſerto vitulum aureum conflavit, quia libertatem ſuam aſtris imputabat; tempore enim ſuæ egreſſionis Sol erat in tauro.

Platonici omnes, inter quos præcipuè Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, Proculus; inter Peripateticos Theophraſtus, Avicenna, Ptolomæus, Albumazar affirmant cœleſtia corpora eſſe divinis animabus mentibuſque prædita ac tanquàm animalia quædam divina, ipſi Deo omnium rectori parere: cùm enim viderent multa, quæ ad animos pertinent, ex ſtellis prænuntiari, id fieri non putabant, niſi à ſtellis animatis, quæ videntes humanas actiones futuras, eas ſuis quodammodò nutibus indicant: Prætereà ſicut corporum illarum radij in corpora noſtra, ſic animo-

Digitized by Google

rum earundem radij in noſtros animos influunt; tamen mulcarum circà nos cauſarum admixtione, & materiæ defectu vitiari influentias, vt & Mercurialis prudentia in malitiam; Martia magnanimitas in furorem & ferocitatem; Venerea charitas in libidinem convertatur; Vt radij ſolis, indè quidem blandi mittuntur, ſed hic ſæpè recipiuntur edaces. Marſi. Ficin. Theolog. Plat. l. 15. c. 6.

Si Torpedo marina tactu, etiam procul per virgam, manum ſubitò ſtupefacit; ſi Echinus ſiſtit navem; ſi oculorum potens eſt faſcinatio: quid non poteſt cœli aſpectus, cum indè ſubitò videamus ranas naſci?

Hæc Ptolomæus initio prædictionum Aſtrolog. eas prædictiones à quibuſdam negari, quia difficiles ſunt; & inutiles, quia non vitabiles, vtrique parti, ſic reſpondet. Primò, certum eſt diffundi vim quandam à cœlo in hæc inferiora, ſcilicet in elementa & mixta, quæ hinc agitantur, & alterantur; ex ſolis enim acceſſu & receſſu fiunt variæ anni tempeſtates: Luna autem vt proxima terræ influit in terrena, flumina creſcunt & decreſcunt cum ipsâ; imitantur ejus ortum & occaſum, maris fluxus & refluxus: plantæ & animalia turgent eâ creſcente, & areſcunt eâ decreſcente; Reliquæ ſtellæ ſeu fixæ, ſeu errantes, habent ſingulæ vires ſuas, & effectus interdùm longiores, licet obſcuriores; nautæ & agricolæ notarunt aliquos certis anni temporibus, ex certâ Solis cum ſtellis configuratione, vndè qui omnium ſtellarum vires & motus noſſet, poſſet multa prædicere; iniquum autem eſt arti adſcribere quorundam errata, qui in prædicendo abertant, ſeù ignorantiâ, ſeù vanitate, aut aliâ de causâ venditantes ſuas prædictiones. In hac arte, vt in cæteris, ex diverſis rebus concretis dantur potiùs conjecturæ, quàm certa ſcientia; cum etiam non ſit eadem ac olim ſtellarum poſitio, non penitùs congruunt judicia; variantur etiam effectus ob locorum differentiam, & in genetliacis varietatem efficiunt, ſeminis, ſoli, temporis, caſuum, educationis diverſitas: quod ſi in iſtis fallant aliquando prædictiones, non tamen tota ars damnanda, vt navigandi ars non rejicitur, etſi fiant naufragia.

Ars hæc quia verſatur circà vniverſales rerum mundanarum cauſas animum ſummè oblectat; prodeſt ad corporis & cæterorum bonorum conſecutionem. Etſi fato inevitabili omnia fierent, prævisio moderatur animum vt ad ventura ſe confirmet, & vt ea placidè excipiamus: Deinde falſum eſt, omnia inevitabili decreto evenire, ſed naturali & mutabili fato variantur, prout ſe habet cujuſque temperamentum ſub generali cœlorum influxu, cui ſic arte & remedijs poteſt occurri; Eventus quidam ſunt inevitabiles, quorum multæ & magnæ cauſæ ſunt, vt inundationes, peſtilentiæ, &c. Sed alij qui leviores habent cauſas facilè vitari poſſunt; vndè vtilis eſt Aſtrologia, etſi quibuſdam tantùm malis remedia patet: ideo Ægyptij illam medicæ arti adjunxerunt; vtque propter fatum non negligitur medicina, nec alia quælibet ars, ſic nec Aſtrologia rejicenda; prodeſt autem ad medicinam, vt morborum cauſæ certiùs inveſtigentur, & remedia comparentur, tùm convenienti tempore exhibeantur. Hæc Ptolomæus.

Sapiens anima confert cœleſti operationi, quemadmodùm optimus agricola arando expurgandoque confert naturæ. Ptolomæus in centiloquio. Num. 8.

Aſtrologia, antiquiſſima ſcientiarum, quàm profeſſi ſunt priſci Reges à Deo dilecti: etſi aliqui in hujus ſcientiæ judicijs aberrent, non ideò eſt culpanda: neque enim ob imperitiam fabri ars damnatur, neque ob cantoris inſciriam ipſa muſica. Æthiopes primi Aſtrologiæ inventores, quia perpetua apud eos ſerenitas, nullis interrupta mutationibus, liberum, continuumque cœli proſpectum permiſit. Cum Atreus & Thyeſtes de regno paterno decertarent illud Argivorum judicio obtinuit Atreus, quia Aſtrologiæ peritus Solis motus & naturam obſervaverat. Bellorophon dicitur habuiſſe alatum equum, quia in cœlum, non equo, ſed animo aſcendebat; ſic intelligendum eſt, quod dicitur de Dædalo alato; Icarus autem non benè hac ſcientiâ vſus delapſus eſt à vero, & dùm nimis alta petit, in mare fit præceps. Endymion dicitur à Lunâ amatus, quia ejus naturam, & motus inveſtigavit. Et merito huic ſcientiæ dediti fuerunt antiqui, cum inferiora pendeant à ſuperioribus. Æneas dictus eſt Veneris filius, quia natus erat ſub potenti influxu & dominio hujus planetæ. Similiter & Minos dictus eſt Iovis filius, ſic de alijs. An equo currente & hominibus tumultuantibus ſtipulæ movebuntur, & ſubſilient; & ſyderum vertigine nihil fiet in inferioribus? ab igne calor in nos emanat, quid ni vis è cœlo? Prodeſſe poteſt hominibus hæc ſcientia, nam bona prævisa multò antè delectant, mala autem prævisa, aut vitantur, aut fiunt leviora & mitiora. Tireſias divinandi gratiâ multùm celebris, quia diceret ſtellarum erraticarum alias eſſe fœminas, alias mares, fatum vitæ noſtræ alternare, dictus eſt fuiſſe aliquando mas aliquando fœmina. Lucianus. lib. de Aſtrologiâ.

PER SORTES DIVINATIO.

Esther 3. Sors mittitur de die quâ Iudæi eſſent interficiendi ab Aman. Athenienſes quot annis ſorte eligebant ſeptem juvenes, quos pro tributo Minautauro perſolvebant: ſorte Ionas in mare miſſus ad ſedandam tempeſtatem; ſic electus Mathias in Apoſtolum.

Refert traditio Hebræorum, Noë miſſis ſortibus orbem nepotibus diſtribuiſſe: Reges olim ſorte electi, vt mortuo Cambiſe Darius Regnum obtinuit, quia ex conventione equus ejus primus hinnitum edidit. Herod. lib. 3. ſic Saul eligitur. 1. Reg. 10.

Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Proverb. 16.

Athletis olim ſors, non electio, adverſarium dabat.

D. Auguſt. Epiſt. 180. Vrgente maximâ perſecutione, ſi inter Clericos, de his qui remanere debent, oriatur controverſia, ſors mittenda eſt. Nam contradictores ſedat ſortitio, & inter potentes definit.

Plato volebat ſorte matrimonia celebrari, quæ habenda eſſent legitima.

Orto bello civili in Galiis inter fratres Reges Childebertum & Clotarium, Clerici Divionenſes diſcunt exitum belli poſitis ſuper altari tribus ſacris libris, ſcilicet Prophetarum, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum; in ſingulorum fortuitâ apertione inventa ſunt vaticinia futuri excidij. Baron. ann. 556.

Mœroveus à Chilperici Patris exercitu preſſus appoſitis ſuper S. Martini ſepulchrum ſacræ ſcripturæ libris, Pſalterij, Regum, & Evangeliorum, cum poſt tridui jejunium, atque vigilias in fortuitâ eorundem librorum apertione, primi verſus paginarum omnia ſibi infauſta protenderent, in fugam eſt converſus. Baron. an. 579.

Coſthoës deſperatis rebus, dubius ad Chriſtianos, an ad Turcas confugeret, æquo liberas laxans habenas vt quo vellet abiret, ad Romani Imperij ditionem pervenit. Id. an. 590.

Heraclius Imp. de victo Coſroë, indicto jejunio,

fortuitâ apertione Evangelij, discit quid sibi faciendum esset. Baron. an. 622.

DIVINATIO EX SOMNIIS.

IN somnijs futura præsciuntur, quia tunc mens quasi soluta à corpore & passionibus, liberiùs cœlestes influxus, seu divinorum afflatus excipit: naturalia dicuntur somnia, quæ sequuntur temperamenti qualitates, & ex his morbos aut sanitatem prævident medici, vacuationes & repletiones, vt notat Hyppocrates libro de insomnijs: Cùm enim, inquit, corpus quiescit, anima in motu est, & corporis, quasi domus suæ partes explorat, & circà impressas sibi species versatur, si similia his quæ die contigerunt, videt, bonum est, si contraria, malum. Ex somnijs fit judicium de prædominanti humore, ignea, rubra, bella, &c. significant bilem, nigra tristitiam, funera, &c. Melancholiam, &c.

Cum quies à corporalibus evenit, quorum solatium proprium est, vacans anima à Solatio alieno, non quiescit, & si caret opetâ membrorum corporalium, suis vtitur; vt gladiator sinè armis, gesticulatione exprimit artis suæ habitum Tertullian. lib. de animâ. cap. 45.

Intellectus agens nunquàm separatur ab animo, sed cum hoc in omnibus, pro oblatâ occasione operatur: Itaque animus in perpetuâ functione est, quia semper est. Arist. lib. de divinâ sapientiâ secundùm Ægyptios.

De hac naturalium somniorum interpretatione multi scripserunt, inter cæteros Cardanus.

Sunt alia somnia quæ à Deo & Angelis mittuntur, in futuri præscientiam.

In Ætilo sub ditione Lacedemoniorum fanum est, in quo dormientes futura prævident. Pausanias in Laconicis.

Alexandro dormienti Draco herbam monstravit, quâ Ptolomæum curaret graviter vulneratum. Galenus scribit quod cum circa diaphragma ægrotaret se somniavisse liberaturum iri, si sanguinem mitteret ex venâ, quæ est inter Pollicem & Indicem, missile sanguinem, & convaluisse. Matutina somnia veriora sunt; tùm quia tunc magis sobrij sumus, facta digestione, & sedatis vaporibus; tùm quia solis accessu, sanguinei igneique spiritus eâ horâ dominantes, claritate suâ ad clatam conferunt visionem.

Quidam templum hoc mundi frequentius contemplantes, quæ in eo fiunt præsentiunt, vt pluvias, serenitates, fœcunditates, sterilitates, & similia; Alij qui templi hujus numen solum cogitant & adorant, divinas in somnijs patiuntur illustrationes, & phantasia mentem imitata fingit sibi lucem immensam, aut perpetuo circuitu revolventem, &c. Vide Marsil. Ficin. Theolog. Platonicæ. lib. 13. cap. 2.

Vera somnia fingebant Poëtæ per corneam portam mitti, quia hæc materia est visui prævia: falsa autem per eburneam portam, quia ebur à visu non penetratur. Vide Virgil. 6. Æneidos: Sunt geminæ somni portæ, &c. & Macrob. in somnum Scipion. lib. 1. c. 3.

In Epidauro est Æsculapij sacellum, cui incubantes ægritudinum remedia capescunt de monitu somniorum. Solinus Polishostoriæ. cap. 13.

In Africâ, juxtâ templum Iovis Ammonij, lapis legitur Ammonius, cornu vocatur, est enim in effigiem cornus arietini fulgore aureo, divina somnia repræsentare dicitur capiti dormientiũ suppositus. lb. cap. 3.

Corinthi est somni Dei signum, cujus præter caput nihil est reliquum, propè imaginem est leo somno sopitus. Pausan. in Corinthiacis.

Quidam vatum interpretes, sic quidam lysimachus Aristidis nepos, Athenis arte interpretandi somnia vivebat. Plutarch. in Aristide.

Apud Homerum, cum in Consilio Græcorum somnium de instruendo bello proponeretur, Nestor, concilians fidem relatis, de statu inquit publico, credendum Regis somnio.

Alcibiades illatam sibi violentam mortem in somnijs prævidet. Plutar. in Alcibiad.

Timolæon prævidit victoriam contra Athenienses. Id. in Timolæone.

Veritatis somniorum plura exempla. Vide apud Ciceronem. lib. 1. de Divinat. & apud Alexand. ab Alexan. lib. 1. cap. 12.

Somnia & visiones, in quibus olim Deus suam voluntatem aperiebat. Gen. 20. 3. 28. 12. 31. 24. 37. 5. 40. 8. 41. 1. 46. 2. Num. 12. 6. Iudic. 7. 13. 15. 1. Reg. 3. 4. 8. 11. 28. 6. 2. Reg. 7. 4. 3. Reg. 3. 5. 15. Iob. 7. 13. 33. 15. Daniel. 2. 1. 2. Machab. 15. 11. Math. 1. 20. 2. 12. 13. Act. 16. 9. 18. 9. 23. 11. 27. 23.

Pythagorici & Essæi ad somnium quasi ad oraculum accedebant, post puram & sinè animalibus cœnam.

Laurus Apollini dicata Deo augurum, quia si ad caput ponatur vera somnia videntur. Fulgent. Metheor. lib. 1.

Apud Græcos Amphiarus argivus primus somniorum interpres, non longè ab Athenis templum ei constructum; qui consulendi causâ accedunt, immolato ariete, & sublatâ pelle, dormientes nocturna visa expectant. Pausanias in atticis.

Iupiter Planeta in quartâ domo non læsus somnia vera efficit, similiter Corneolus, seu Sardius lapis, illi per sympathiam dicatus, si quis, dum it dormitum ore gestet.

FVTVRI LICITA cognitio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Futura inter ea bona computantur, quæ sunt objectum amoris, desiderij, & spei, nostræ, vndè eorum cognitio vt affectus ad nos pertinet.

MAGNITVDO. Non sunt angusta Dei beneficia, sed ad futurum se extendunt, vndè vt simus grati ea cognitione prævenire debemus: nec satis eum laudaremus de suis operibus præsentibus, nisi & ad futura, cum quibus habent necessariam connexionem, mens nostra se extenderet.

DVRATIO. Anima immortalis suprà tempus est, cum tempus metiatur, & de æternitate differat: Vndè sicut essentia ejus tempore non finitur, sic nec actio & cognitio; Potest ergo futura prævidere & in illa jus habet cognitionis vt existentiæ, seù sit corpori conjuncta, seù soluta & liberior facta.

POTESTAS. Potentiæ animæ nostræ, præsentibus non impletæ, totæ in futurum feruntur; Vndè futuri quodammodo præsciæ esse debent, ne casu agant non ratione, & ne irrito sæpè conatu in desperationem veniant. Potest concipere futuri cognitionem cum illi offertur, nulla autem est potentia quæ non reducatur ad actum, ideò debent causæ quædam naturales, sic esse dispositæ, vt ex illis elicere possit futuri cognitionem.

COGNITIO.

COGNITIO. Rationis humanæ proprium eſt, vnum ex alio inferre; effectus ex cauſis neceſſario, eademque ſemper agentibus: Multa animalia inſtinctu futura prævident, hyemem Formicæ & Apes, Mergi tempeſtatem; vndè ex illorum obſervatione facta eſt ſcientia phœnomenorum futuri conjectatrix: Ampliùs ſe explicare debet ratio quàm phantaſia, aut ſenſus de quo judicat, & vt eſt illo nobilior, debet à ſuperioribus cauſis ampliorem haurire futuri notitiam.

VOLVNTAS. Multæ paſſiones, vt amor, deſiderium, ſpes, metus, audacia, &c. futurum reſpiciunt, ſunt autem hi motus morbi animi ex obſcurâ futuri notione orientes, vndè illis, vt cæteris morbis, certa quædam parari debuerunt remedia, quibus certior menti contingat futuri cognitio, & quies. Ineſt nobis ingens futura ſciendi appetitus, qui cum ſit communis, naturalis eſt, ſic bonus, vndè ne ſit fruſtrà debent eſſe cauſæ diſpoſitæ ad illius impletionem.

VIRTVS. Si in practicis, moralibus & politicis datur prudentia, quæ eſt habitus futuri præſcius; multò magis in ſpeculativis debet dari ſcientia futuri, quæ ſcit quaſi Architectonica & Rectrix prudentiæ: Non eſſe alienam à mente noſtrâ futuri cognitionem patet ex eo, quod pietate inſignioribus, datur à Deo Prophetia: Cum autem hæc futuri cognitio ſit ordinariè nobis ad actiones omnes morales pervtilis, debent eſſe cauſæ naturales diſpoſitæ, ex quibus poſſit haberi citrà revelationem & miraculum.

VERITAS. Datur recta linea ad ſcopum, licet multæ ab illâ aberrent ſagittæ, datur verum aurum, etiamſi adulterinum commercio quidam inferant; dantur vera à Deo oracula, licet falſa Dæmones confinxerint: ſic datur certa aliqua futuri ſcientia, licet illam ignorantes genethliaci, circulatores, pſeudoprophetæ mentiantur. Mens noſtra avida eſt, & capax veri, quod ad futurum etiam extenditur, ſi cæteris omnibus affectibus occurrit benefica natura, illi etiam indulgebit affectui, poſito in intellectu, qui eſt præcipua noſtri pars.

GLORIA. Rara eſt & excellens hæc futuri ſcientia, vndè ad illam præclara quoque ingenia deſudant, quaſi ad cognitionis apicem.

DIFFERENTIA. Bruta conſervant præteriti ſpecies, habent rerum præſentium, etiam aliquas futuri præſcias; vt ab illis diſtinguamur debemus in his tribus partibus excellere. Vt plus habemus memoriæ, etiam ope librorum, ſcita æternitati mandantium; vt in præſentium judicio non hæremus accidentibus, ſed ſcrutamur rerum ſubſtantias, ſic amplior nobis debet eſſe futurorum cognitio, cum ſpecialiter videatur competere formæ, à corporis ſeparatione adhuc ſuperſtiti.

CONCORDANTIA. Fato connexæ ſunt naturales cauſæ, & vt ſunt omnes in naturâ, ſic debent eſſe idæaliter in mentibus, quæ nondum exiſtentia referunt, vt luna ſolem antè ortum, & vt aurora: ſic verum, quod eſt ab æterno, eſt ſemper in tempore, aut actu, aut in imagine.

CONTRARIETAS. Futuri ſcientiam totis viribus impugnat politia, quia vellet cæcum habere populum, vt haberet ſibi magis ſubditum; timet etiam ne ex futuri præviſione moveantur ſeditiones, & præmaturo impetu ruant populorum avidæ manus in mox caſuram arborem. Timet Religio ne dùm futura à cauſis naturalibus cognoſcuntur pendere, natura pro Deo colatur. Ambitioſæ etiam mentes blaſphemant quæ ignorant, ne præclara & ſcitu digna videantur ignorare, ſed inter hæc contentioſa victrix eſt in bonis mentibus veritas.

PRINCIPIVM. Petitur futuri cognitio ex cauſis omnibus naturalibus, quæ ſerie neceſſariâ ſibi ſuccedunt, ſed maximè è cælo, vt nobiliori rerum corporalium principio, in ſignum à Deo poſito, beatarum mentium ſenſibili ſpeculo, temporis prima menſura, & qui motu ſuo circulari regulariſſimo, ex præſenti futurum certò prænuntiat, vt enim ortus & occaſus, variaſque configurationes ſyderum, quis etiam eorum in ſublunari materiâ effectus dignoſci poſſe ambigat?

MEDIVM. In medio rerum poſiti connexionem habemus cum tempore quod præcedit & ſublequitur; omnia ſunt in omnibus, ſi non actu, ſaltem idæaliter; vtque præſens habet aliquid præterim in ejus effectibus, ſic habet aliquid futuri, in cauſis, idæis & ſpeciebus, vt non fiat tranſitus ab extremo in extremum ſinè medio, & vt nos ad effectuum receptionem aptiùs diſponamur, ſic hyems terram præparat futuræ æſtatis fœcunditati, illique præludit ſerenis quibuſdam circà vet diebus.

FINIS. Futuri cognitio ex ſe bona eſt, cum impleat potentiam illius avidam; & cum ſæpè à Deo hominibus contingat. Poteſt etiam in bonum finem dirigi, vt ſcilicet illuſtretur prudentia; accingatur fortitudo ad boni proſequutionem, aut mali toleranciam. Viatoris eſt, potiùs ante ſe, quàm retrò reſpicere, ſi ergò licita eſt præteritorum memoria, multò magis futuri præviſio.

MAIORITAS. Peccant in futuri inquiſitione nimium ſollicitæ & inquietæ mentes, ſic & ſuperſtitioſæ, nulloque fundamento nixæ divinationes, impiæ, & ſacrilegæ Dæmonum conſultationes, & quidquid ſuis præſtigijs promittit Necromantia: ſed vt juvandus eſt proximus, licet non per furta, homicidia, & alia crimina, ſic optima poteſt dici futuri cognitio, quæ nos ſuperioribus mentibus ſimiliores efficit, non eſt tamen comparanda his ſuperſtitioſis & impijs mediis.

ÆQVALITAS. Homo factus eſt ad ſimilitudinem Dei, cui futura omnia ſunt præſentia. Debet etiam in nobis eſſe aliquid quod reſpondeat providentiæ divinæ, in futurum de nobis ſollicitæ, ſic enim ipſius amori, qui nos præcedit, maturè agimus gratias, & hac prævention diutiùs exiſtimus grati beneficijs, quæ per totius vitæ officia ſatis non poſſumus exolvere.

MINORITAS. Poſiti ſumus paulò minùs ab Angelis, quibus rerum omnium futurarum ab initio ſpecies inditæ; has igitur non habemus impreſſas, ſed ratione, ſtudio, experientiâ poſſumus eas conſequi, vt ſic noſtrâ operâ conquiſitæ, nobis in meritum & gloriam cedant.

NIMIA SCIENTIÆ
aviditas & curioſitas vana.

ALtiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Eccleſ. 3. Sicut qui mel multùm comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur à gloriâ. Proverb. 25. In rebus ſupervacuis noli ſcrutari multipliciter; non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ ſunt abſcondita videre oculis tuis. Eccleſ. 3.

Dicentibus Phariſæis Chriſto, Magiſter volumus à te ſignum videre, Reſpondit, Generatio mala &

adultera ſignum quæris. Math. 12. & cùm juſſu Pilati A productus eſſet ad Herodem, ſignum aliquod videre cupientem, nihil illi, licet multa interroganti, reſpondit. Luc. 23.

Quo à te curiosè credis? cui te interim commisisti vt quid audes oculos levare in cœlum, qui peccasti in cœlum; terram intuere vt cognoscas templum, ipsa te tibi repræsentabit, quia terra es, & in terram ibis. D. Bernard. in tractatu de gradib. humilitatis.

Sunt qui scire volunt eo fine vt sciant. *Vide Finis Cognitionis.*

Animam incuria sui curiosam reddit, vndè dicit Augustinus melius esse scire viam salutis quàm syderum, & in Soliloquijs dicit Deum sic perfectè & breviter posse orari. Deus semper idem, noverim me, B noverim te.

Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato, adjunge illos petræ, comparata authoritatem illorum authoritati Evangelicæ, compara inflatos crucifixo; illi litteras suas conscripserunt in cordibus superborum, Christus crucem suam fixit in cordibus Regum, &c. D. August. in Psal. 140.

Serpens non manducavit de arbore vetitâ, sed tantummodò manducandum persuasit, mulier autem non manducavit sola sed viro suo dedit: Non ex se mala cognitio, sed quia allicit inferiorem animæ partem, quæ etiam superiorem secum trahit, propter vtriusque nonnubium. Id. lib. 12. de Trinit. cap. 11. & 1. habet tamen scientia modum suum bonum, C si quod in eâ afflare solet, æternorum charitate vincatur.

Non multùm tibi nocebit transisse, quæ nec licet scire, nec prodest: involuta veritas in alto latet, nec de malignitate naturæ quæri possumus, quia nullius rei difficilis inventio est, nisi cujus hic vnus inventæ fructus est, inveniſſe: Quidquid nos meliores, beatioresque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit, si quis virtutes acquisivit, consummavit scientiam vtilem atque necessariam. Reliqua oblectamenta otij sunt; licet enim jam in totum retracto animo ad hæc quoque excurrere, cultum non robur animis afferentia. Seneca. 7. de benefi. c. 1.

Liberalibus studijs tamdiù immorandum quamD diù nihil animus agere majus potest: Rudimenta nostra sunt non opera; liberalia autem dicuntur, quia homine libero digna sunt: Vnum autem liberale studium quod liberum hominem facit sapientia, sublime, forte, magnanimum: Vt magna habere possint liberum hospitium; supervacua ex animo tollenda sunt; non dabit se in has angustias virtus, laxum spatium res magna desiderat, expellantur omnia, totum pectus illi vacet; tantùm ex artibus retineamus, quantùm est necessarium; plùs scire velle quàm sit satis, intemperantiæ genus est. Vide quantùm temporis somnus, morbus, occupatio publica & privata consumat; metire ætatem tuam, tàm multa non capit. Irridet Didimum grammaticum qui quatuor millia librorum scripsit, in quibus de Homeri patriâ, E de matre verâ Æneæ, & cæteta quæ erant dediscenda si scires? audi quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit, Protagoras ait de omni re in vtramque partem disputari posse ex æquo. Academici novam induxerunt scientiam, nihil scire, &c. Senec. Epist. 88.

Adam non rerum omnium, sed tantùm necessariarum artium & scientiarum cognitionem habuit; vndè non fuerunt ad eum adducta animalia quæ ex putredine nascuntur. Tostat. in Genes.

Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Rom. 12.

Imper. Iustin. l. 1. Cod. de veteri jure enucleand. Committens Triboniano curam redigendi antiquorum Iurisconsultorum responsa in vnum Codicem, vetat leges poni, quasi ex veteri jure, sed suo tantùm nomine, vt sit vna concordia, nullo adversario constituto. Vndè vetat poni in Codice leges quæ per desuetudinem abierunt.

Multùm temporis verborum cavillatio majoribus eripuit, & captiosæ disputationes quæ acumen irritum exercent; Nectimus nodos & ambiguam significationem verbis alligamus, deindè solvimus, tanto nobis vacat, jam vivere, jam mori scimus. Tota illo mente pergendum est, vbi provideri debet, ne res nos, non verba decipiant: Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo, vnquàm, nisi dum disputat, captus est? res fallunt, illas discerne: pro bonis mala amplectimur; pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consilijs; adulatio quàm similis est amicitiæ. In præstigiatorum calculis fallacia ipsa delectat? ad quid sophismata, quæ nec ignoranti nocent, nec scientem juvant: Ecce tota vita mea mentitur, hanc argue, hanc si acutus es redige ad verum, &c. Senec. Epist. 45.

Liricis Dialectici tristius inepti sunt, illi ex professo lasciviunt, hi agere seipsos aliquid existimant perspicienda sunt tantùm ista, & à limine salutanda, in hoc vnum, ne verba nobis dentur, & inesse aliquid in illis magni ac secreti boni judicemus: Quid te torques & maceras in eâ quæstione, quam subtiliùs est contemsisse quàm solvere, secuti est & ex commodo migrantis, minuta conquirere, cum hostis instat à tergo, & movere jussus est miles, excutit necessitas quidquid pax otiosa collegerat; ineptus esset qui in vrbis direptione sic argumentaretur, quæ non perdidisti habes, cornua non perdidisti, ergò habes: contemnendæ sunt istæ ineptiæ, cum ingens negotium in manibus est? quid agam? mors me sequitur, fugit vita; adversus hæc doce me aliquid, effice ne ego mortem fugiam; vita me non effugiat, exhortare adversus difficilia dic dormituro, potes non expergisci; dic expecto potes non dormire amplius, &c. Si me nolueris per devia ducere, facilius ad id quò tendo perveniam: Veritatis simplex est oratio, idcòque illam implicare non oportet; nec enim quidquàm minus convenit, quàm subdola ista callidias animis conantibus magna. Seneca Epist. 49.

Relinque istum ludum litterarium philosophorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt & contrahunt, fies similis illis, qui id agunt, vt Philosophia potiùs difficilis quàm magna videatur. Ibid.

Quemadmodùm omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantiâ laboramus, non vitæ, sed scholæ discimus. Id. Epist. 106.

Docent disputare, non vivere, & discentes propositum adferunt ad præceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque, quæ Philosophia fuit, facta est philologia. Id. Epist. 108.

Ludit istis animis non proficit, & Philosophiam à fastigio deducit in planum: Non te prohibuerim aliquandò ista agere, sed tunc cum voles nihil agere: hoc tamen habent in se pessimum, dulcedinem quandam sui faciunt, & animum specie subtilitatis inductum tenent & remorantur. Id. Epist. 111.

Tot quæstiones tibi fortuna posuit, nondùm illas solvisti, jam cavillaris, quàm stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare. Remove ista lusoria arma, decretorijs opus est; dic quâ ratione nulla animum tristitia, nulla formido perturbet: Ex hoc tempore tàm angusto, & rapido, & nos auferente,

quid juvat majorem partem mittere in vanum: adjice nunc quod aſſueſcit animus delectare ſe potiùs, quam ſanare, & Philoſophiam oblectamentum facere, cùm remedium ſit. Quid inter ſapientiæ vocabula me detines, fac me fortiorem? Id. Epiſt. 117.

Non ibo viâ ſpinis conſitâ, cum dabitur facilior, & compendioſior.

In ſpinis argutiarum, aut laqueis quæſtionum malè editi, non alio quàm ſubtili quodam diſceptationum filo texunt eas, & retexunt, hærent in verbis & captiunculis, & ætatem omnem in aditu Philoſophiæ verſantur, intima ejus nunquàm vident: ſic illâ abuuntur, vt ſit illis in venenum. Miſer Syracuſæ tuæ capiuntur, & in pulvere pingis; hæc mentes hominum aſſuefaciunt morbo, non liberant, abite ſyrenes vſque in exitium dulces: Parùm progrediuntur in bonâ viâ, qui in obvios quoſque arietant. Lipſius lib. de Conſtant.

Si quis vellet præcepta ambulandi dare, dicens movendum eſſe pedem vnum, modò alterum, ſic articulos, &c. Vera dicit, ſed hoc facilius perdiſcit qui ambulare poteſt, qui non poteſt non intelligit: ſic ingenioſus citiùs videt concluſionem quàm ejus præcepta. D. Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 37.

Aqua, vel Mercurius, quantò magis manibus premitur, tantò magis effluit, ſic veritas. Euſeb. emiſſen.

Quarundam rerum ignorantia confert ad delectationem, nec minuit vſus vtilitatem, ſic miramur apum mella, artificum opera; horologijs vtimur ad diſcernendum horas, licet ignoremus rotarum fabricam, ſic digeſtione naturali, licet neſciamus modum.

Cyniphes, tertia Ægyptiorum plaga, cum ſint minutiſſimæ, quæ vix videri poſſint, muſcæ, ſed graviſſimè pugentes, vanæ diſputationis commenta ſignificant, quæ vix videntur, ſed in ſinè ſentiuntur, cum pungunt. D. Auguſt. ſerm. 11. de tempore.

Quàm ſtulti eſſent, qui volentes videre ſolem Orientem, diſputarent quâ parte eſſet oriturus, ſe ederent, & mutuis vulneribus oculos ſibi, quibus videndus erat, effoderent: Ergò vt Deum videre poſſimus, fide corda mundemus, charitate ſanemus, pace firmemus, quia hoc ipſum vndè invicem diligamus, jam ex illo eſt, quem videre deſideramus. Id. ſermon. penult. de diverſ. Vanas quæſtiones devita, inquit Paulus ad Timoth. & Coloſſen. 2.

Plùs martyrum alacriter vitam ſuam Chriſto impendentium habuit ætas antiqua quàm diſputantium, argutias Philoſophiæ debemus nimio ocio; Tunc magis ignorata veritas, poſtquàm præſumptum eſt quod poſſit agnoſci. D. Aug. Epiſt. 2. Voluſiano, loquens de antiquorum Philoſophorum diſputationibus.

Quid eſt contentioſius, quàm de re conſtat diſputare denomine. Id. Epiſt. 174.

Conqueritur juſtus veritatis prædicator, factus ſum tanquàm vas perditum, ideſt nullius vſui, quoniam vidi, audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu; ideſt circumeunt, & non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem, de quibus Pſ. 82. Pone principes eorum vt rotam, & Pſal. 11. In circuitu impij ambulant. Id. in Pſ. 30. concion. 2.

In diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt. Pſalm. 31.

Quid eſt diluvium aquarum multarum, niſi multiplicitas variarum doctrinarum.

Doctrina Dei vna eſt, non ſunt multæ aquæ, vt & vnum eſt baptiſma. Ibidem.

Pœna confuſionis linguarum in Babel. Gen. 11.

Perdam ſapientiam ſapientium. 1. Cor. 1.

Inter æqualiter decertantes, nulli eorum cedit veritas: illæ argutiæ, vt circulatorum ſubtilitates, afficiunt ſenſus, non tamen obtinent à ratione conſenſum.

Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veri pervenientes. 2. Timoth. 3.

Vana Platonis figmenta habent ſuos amaſios, vt puppæ puerulos.

Nulla in diſciplinis eſt ſatietas, cum & homines in ſcientiarum inveſtigatione inania plerumque ſectentur, quod Zoroaſtri & antiquis Magis contigit, qui ſibi perſuadebant in minimis quibuſque rebus admirandum quid latere; vndè non dabatur illis res in naturâ honoratiſſimas contingere. Sic Chaldæi in Aſtronomiâ, Etruſci in Aruſpicinâ eludebantur. Alan. Varenius.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Solus enim Deus omnia novit, qui omnia fecit: Creaturæ autem cum non ſint à ſe, nec alia ab ipſis, nec ſe, nec alia norunt. Philo Iud. l. de migrat. Abrahami.

Torquetur Prometheus qui è cœlo ignitam ſapientiam furto abſtulit, & terris intulit.

Pluribus intenti minores ſunt in proprijs. *Vide Differentia Cognitionis.* vnicuique ſua ars.

Sic Archidamus objiciebat Periandro medico Poëſim affectanti, quod mallet pro eleganti medico malus Poëta vocari. Socrates in Apolog.

Contemplatio ſpecioſa, à quibuſdam dicitur inertia: benè cogitare non multò meliùs eſt quàm benè ſomniare.

Mala eſt in malis magna ſcientia. *Vide Virtus Cognit. Repug.* facilis abuſus.

Argus periit cum centum ſuis oculis.

Stellæ multùm ſcintillantes ventos denuntiant, jam enim ſuperior aëris pars eſt agitata.

Ariſtippus, cum eum vrgeret aliquis, vt propoſitum ænigma ſolveret; quis vis inquit ſolvam, quod etiam ligatum nobis facit negotium, alludens ad beſtiam vinctam.

Claudimus vnum oculum, vt altero meliùs videamus; ceſſet ratio, vt augeatur fides.

Pytagoras præcepit ſuis diſcipulis ne cor & cerebrum ederent, id eſt ne vanis curis & ſtudijs ſe conſumerent.

Socrates abſtinuit ab inquiſitione rerum Phyſicarum, & totum ſe moralibus dedit.

Philippus Macedo dixit Alexandro filio, non te pudet tàm benè canere.

Antequàm Conſtantini Imperium ſcinderetur inter filios, & Eccleſia Arianiſmo laboraret, in oppido Anthiochiæ natum eſt monſtrum, puer quatuor oculos, & duo ora habens. Ammian. Marcell. lib. 19.

Non qui multa novit, ſed qui vtilia, ſapiens eſt: vt in pleriſque alijs rebus, ſic etiam in litteris intemperantiâ laboramus, nec vitæ ſed ſcholæ diſcimus: vt qui plus edunt, non meliùs habent, ſed qui meliùs digerunt, ſic non qui plura legunt, ſed qui plura benè ſciunt, & ad vſum accommodata ſunt ſapientes.

Ingenia biliosa, ignea, acuta non ſunt in conſilium admittenda, nam ſubitò exardeſcunt inſtar flammæ: ab his conſilia proficiſcuntur quæ in eventum deduci non poſſunt; vel cùm maximo periculo & ingenti difficultate: fingunt enim ſibi, quæ nec vnquàm facta fuerunt, nec fieri poterunt: præclarum putant alijs contradicere, in multiplici inventione vix ſe determinant.

Arcani ſunt conſiliarij, non arcanorum ſcrutatores, qui abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat exquirere illicitum, anceps & periculoſum. Tacit. 3. annal.

De arcano conſilij. *Vide Cognitio Voluntatis. Rep.*

Digitized by Google

Periculum eſt ne exercitati in rebus mathematicis naturalia tractent geometricè, & formas ſpeculentur ſinè materiâ, quod fecit Socrates.

Si lux fortis oriatur ſuper corpus ſculptum ſubtilibus inciſionibus, ſculpturæ non apparent, & lux fortis ſemper abſcondit, quando proportionem oculi excedit, quia tunc occupat totam ejus capacitatem, ſecùs non. Nimia lux oculos obcæcat, quia ejus radij refracti & reflexi calorem generant, qui lædit conſtitutionem oculi.

Violentior ſonus lædit auditum, quia cum pellicula ſeu tympanum tunc nimis tendatur, laxior redditur, vndè ſonum ampliùs reddere non poteſt.

Ex regulis geometriæ ſtrictè obſervatis non fiet abſoluta pulchritudo, deeſt enim ſplendor illi inexplicabilis, vndè amor.

Colophone in Apollinis clarij ſpecu, lacuna eſt, cujus potu mira redduntur oracula, bibentium breviore vitâ. Plin. lib. 2. cap. 103. brevioris vitæ ſunt multùm ſtudioſi, quia ſtudio multi conſumuntur ſpiritus, vt majori igne citius conſumitur oleum lampadis.

Principes & Rectores non debent eſſe nimij in ſtudijs, ſed vacare practicis, ex quibus conſtat prudentia. *Vide Cognit. Poteſt.*

Habetur præſcriptus numerus Philoſophorum, Rhethorum, Medicorum, qui debent eſſe in qualibet civitate. l. 5. ff. de excuſat.

Medici dum curioſa ſectantur ægris mortem inferunt. *Vide Contrar. Cognit.*

Adam peccavit principaliter appetendo ſimilitudinem Dei, quantùm ad ſcientiam boni & mali. 2. 2. q. 163. a. 2. D. Thom.

Curioſitas eſt vitium circà cognitionem intellectus, & ſenſuum ad peccandum, & circà inſpectionem ludorum & mulierum ad concupiſcendum, & ſpectaculorum. 2. 2. q. 167. Oritur autem ex acediâ. q. 35. a. 4. ad 3.

Sapientia ſimpliciter eſt bona, ſed ſecundùm quid eſt mala, & eſt triplex terrena, diabolica, & animalis. 2. 2. q. 45. a. 1. ad 2.

Scire & diſcere per accidens eſt malum: & ex parte ſcientis dupliciter, ſcilicet propter occupationem impedientem officium ejus, vel propter contemptum divinorum. Ex parte verò objecti tripliciter, ſcilicet vel quia inclinat ad malum, vt ars magica, vel quia excedit, vel quia eſt quid inutile. 1. q. 22. a. 3. ad 3.

Studium per ſe bonum, per accidens fit malum. Primò, ſi retrahat à ſtudio, quod alicui ex neceſſitate incumbit. Secundò, ſi addiſcat ab eo à quo non licet. Tertiò, ſi cognitio creaturarum non referatur ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei. Quarto, ſi quis tendat ad cognitionem ſuprà facultatem ingenij. Vndè facilè homines in errorem inducuntur. 2. 2. q. 167. a. 1.

De revelatione ſecretorum prohibitâ. *Vide Cognit. Volunt. Mal.*

Odiſti obſervantes vanitates ſupervacuè. Pſal. 30.

Quærit deriſor ſapientiam, & non inveniet, doctrina prudentium facilis. Proverb. 14.

Ecce qui incredulus eſt, non erit rectus animus ejus in ſemetipſo; juſtus autem in fide ſuâ vivet: & quomodò vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur, quia dilatavit ſicut infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors non adimpletur.

Congregavit ad ſe omnes gentes, quæ dicent ſuper eum, væ qui congregat non ſua, vſquequò aggravat contrà ſe denſum lutum. Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes; lacerabunt, & eris eis in rapinam, &c. Habac. 2. poteſt dici de his qui inquirunt de Religione aliorum populorum. Et addit Propheta: Væ qui congregat avaritiam malam Domini ſui, vt ſit in excelſo nidus ejus. Scilicet mali Angeli. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, &c.

Admitti non debet quis ad probandum id, quod probatum non prodeſt. l. 1. Cod. de probat.

Antiqua ſapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant viri, poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemurque diſputare non vivere. Senec. Epiſt. 95.

Inter prodigia cladis Iudaïcæ prænuntia illud refertur, quod die feſto azimorum noctu circà Aram & Templum tantùm lumen effulſit, vt clariſſimus dies putaretur. Baron. an. 68. Num. 34.

Veſpaſianus vrbe pellit Philoſophos & Rhetores, quod antè fecerat Nero, quia adoleſcentes „earum ſcientiarum addiſcendarum cupidi, viderentur ab armis avocari, & vitam agere otiolam. Idem an. 75. Num. 2.

Miſera orbis Chriſtiani facies ſub Conſtantio, ob frequentes Eccleſiaſticorum diſceptationes & conventus: propter quæ quærebantur Ethnici, jumenta curſus publici eſſe penitùs debilitata. Ammian. lib. 21. in fine.

Valentinianus Scholas optimas Romæ inſtituit, ſed omnibus interdicit, ne ſuprà vigeſimum annum liberalibus diſciplinis operam navent. l. 1. C. Theodoſ. de ſtud. liberal. vrb. Romæ.

Tres potiſſimum ſunt ſcientiæ intemperies. Prima doctrina fantaſtica, ſecunda doctrina litigioſa, tertia doctrina fucata & mollis, ſeu vana affectatio; hæc relictis rebus, & inhærens verbis, quæ ſunt imagines rerum, ſimilis eſt Pigmalioni qui ſtatuam à ſe factam adamavit. De nimiam eloquentiam affectata. *Vide hoc titulo.*

Hoc habet ingenium humanum vt cum ad ſolida non ſufficiat, in ſupervacaneis ſe atterat.

Vanæ illæ diſputationes, ſunt verba otioſorum ſenum ad imperitos juvenes.

Timenda eſt nimia induſtria in ſubditis; quia potentiæ debent agentibus proportione reſpondere. *Vide Minoritas Cognitionis Bon.*

Teſtudines mari tranquillo fluitant ſolis voluptate ſic delinitæ, & oblitæ ſui, vt ſiccato cortice non queant mergi, invitæque fluitent opportunæ venantium prædæ. Plin. lib. 9. cap. 10. Sic mens nimiùm ſcientijs delectata non poteſt humiliari ſub fide.

Appelles, cum Protogenis opus immenſi laboris ac curæ ſuprà modum anxiè miraretur, dixit omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora; ſed vno ſe præſtare, quod ille manum de tabulâ neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam. Plin. lib. 35. cap. 10.

Dies obſervatis, & menſes & tempora & annos: timeo vos, ne fortè ſinè causâ laboraverim in vobis. Galat. 4.

Rogavi te vt denuntiares, ne intenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide, &c. à fine legis aberrantes, converſi ſunt in vaniloquium volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. Timoth. 1.

Ineptas & aniles fabulas devita; exerce autem teipſum ad pietatem. Ibidem c. 4.

Prophana & vaniloquia devita, multùm enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. Idem 2. Timoth. 2. Stultas & ſinè diſci-

plinâ quæſtiones devita, ſciens quia generant lites. Ibidem.

Semper diſcentes, & nunquàm ad ſcientiam veri pervenientes. 2. Timoth. 3.

Plin. lib. 29. in princ. loquens de ambitiosâ & periculosâ diſputatione medicorum. Non dubium eſt, inquit, omnes iſtos famam novitate aliquâ aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari: hinc illæ circà ægros miſeræ ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alteriùs: hinc illa infœlicis monumenti inſcriptio; turbâ ſe medicorum periiſſe. Mutatur ars quotidie, toties interpollis & vt quiſque loquendo pollet, imperator illico vitæ & necis ſit, &c.

Apud Abderites Archelaus Tragicus Poëta Andromedæ fabulam populo exhibuit mediâ æſtate, multoque æſtu, vndè multi cum febre ex theatro diſceſſerunt, & in febrili perturbatione tragicos verſus recitabant. Lucianus lib. de hiſtoriâ ſcribendâ. Sic dùm vulgus æſtuat nimiâ ſciendi curioſitate, effutit captum ſuum excedentia; non eſt hæc ſcientia, ſed animi ægritudo.

NIMIA PRÆDICATORUM curioſitas.

Vide ſuprà paſſim hoc titulo.

QVaſi verò niſi interrogationes vafertimas ſtruxero, non potero à fugiendis petenda ſecernere. Pudet me in re tam ſeriâ, lenes ludimus mus ſyllaba eſt, mus caſeum rodit, ergò ſyllaba caſeum rodit, ô pueriles ineptias; In hoc ſupercilia ſubduximus, hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi: Vis ſcire quid Philoſophia promittit generi humano, conſilium. Alium mors vocat, alium paupertas vrit, &c. Quid mihi luſoria iſta proponis, non eſt jocandi locus, ad miſeros advocatus es, opem te laturum naufragis, ægris, &c. pollicitus es, quò divertis? quid agis? hic cum quo ludis timet, ſucurre quiſquis eloquentior es pereuntium pœnis: omnes vndiquè ad te manus tendunt, perditæ vitæ, perituræque auxilium aliquod implorant, in te ſpes opeſque ſunt, rogant vt ex hac volutatione extrahas, vt errantibus clarum veritatis lumen oſtendas. Dic quid natura neceſſarium fecerit, quid ſupervacuum, vtinam' tantùm non prodeſſent, nocent: hoc tibi, cum voles manifeſtiſſimum faciam, & comminui & debilitari generoſam indolem iniſtas argutias conjectam. Et quid aliud agitis, cum eum quàm vt formulâ cecidiſſe videatur. Sed quemadmodum illum Prætor, ſic hos Philoſophia in integrum reſtituit: ſic non magis auri quàm gladij fulgor perſtringit oculos. Aperta decent & ſimplicia bonitatem. Seneca Epiſt. 48.

In judicijs, in concione pro roſtris opulenta facundia, volubili ambitione jactetur; cum de Domino Deo vox eſt, non eloquentiâ ſed rebus fidei conſtant argumenta; accipe non diſerta ſed fortia, & quod ſentitur antequam diſcitur, & compendio gratiæ maturanus hauritur. Divus Cyprianus Epiſtola 2.

Ioſephus hiſtor. lib. 1. notat ſacrificium Abelis Deo gratius fuiſſe quàm Caini, quia cùm eſſet paſtor, fœtus pecorum, qui naturâ non arte procedunt, offerebat; Cain autem agricola fructus arte ſuâ collectos.

Ignitæ linguæ ſuper Apoſtolos ſignificant plùs debere eſſe amoris quàm artis.

Meliùs eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas. Pſ. 38. In multiloquio non effugies peccatum; Prov. 36. Stultus mutatur vt Luna, Eccleſ. 27. quæ eſt ſine fervore; ſolis autem ſplendor igneus. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis; Thren. 4. Sed verba pro veritate, quæ eſt ſolidum animæ alimentum.

Hic verborum folia non requiras, cùm in templo Dei nemus plantari prohibeatur, & ſcimus quoties in foliis lætæ ſegetis culmi proficiunt, minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt. D. Gregor. in cap. 4. Iob. Moral. lib. 1.

Æger quærit doctum, non eloquentem medicum. Sen.

Act. 2. omnes advenæ intelligebant Apoſtolos ſuâ linguâ loquentes; ſaltem prædicatores intelligantur ab indigenis.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. Pſal. 18. In omnem terram exivit ſonus eorum.

Iſaiæ Prophetæ lingua purgatur, vt poſſit dicere viſinem: nec ſolùm linguam, ſed etiam aures caſtas habere convenit. Clemens Alex. lib. 1. Stromat.

Sunt quædam quæ neſcire meliùs eſt quàm ſcire; etſi Preſbyteri per ignorantiam Grammaticæ, aliquid vitioſum protulerint, non ſunt à ſcholaſticis contemnendi, quia morum vitia magis quàm verborum ſunt præcavenda; ſententias verbis præferant, vt præferatur animus corpori: Ex quo fit, vt malle debeant veriores quàm diſertiores audire ſermones; ſicut malle debent prudentiores, quàm formoſiores habere amicos, noverunt enim non eſſe voces ad aures Dei, niſi animi affectum. Diſcant vt ſono in foro, ſic voto in Eccleſiâ benedici; itaque forenſis illa nonnunquàm bona dictio, nunquàm tamen benedictio dici poteſt. D. Auguſt. in l. de catechizandis rudibus, habetur can. ſedulo. diſt. 38.

Duo Cherubim vultus intendunt tantùm in propitiatorium, in quo legis erant tabulæ. Exod. 25.

Quod Luc. 5. Dominus aſcendens in navim, quæ erat Petri, rogat eum à terrâ reducere puſillum, ſignificat vel temperate vtendum verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiantur; nec ſic à terrenis in profundiora Sacramentorum recedatur, vt ea penitùs non intelligant: vel priùs in proximis regionibus prædicandum. Div. Auguſt. lib. 2. quæſt. Evangel. q. 2.

Cum tardioribus aliquando pluribus verbis & ſimilitudinibus agendum eſt, ne contemnant quod vident. Idem lib. de Catechiſ. rudib. cap. 9.

Non fabulas rebus, ſed res fabulis inſerunt.

Quantumvis differat articulata vox noſtra ab intelligentiæ noſtræ vivacitate, longè differentior eſt mortalitas carnis ab æqualitate Dei, & tamen exinanivit ſe, &c. vt factus infirmis infirmus, infirmos lucrifaceret; ſivè mente excidimus Deo, ſivè temperantes ſumus vobis, charitas compellit nos. 2. Corinth. 5. Quomodo paratus eſſet impendi pro animabus eorum, ſi eum pigeret inclinari ad aures eorum? hinc ergo factus eſt parvulus in medio noſtrum, tanquàm nutrix fovès filios ſuos: num enim delectat niſi amor invitet decurtata & mutilata verba immurmurare, & tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant; gallina confractâ voce ſuſurrantes pullos advocat, quantò officioſiùs charitas deſcendit in infima, tantò robuſtiùs recurrit in intima, per bonam conſcientiam; & opus bonum à charitate procedens, iterùm quaſi ad locum ſuum rediens, in charitate requieſcit: majori fiduciâ deprecabimur, vt loquatur nobis Deus quomodò volumus, ſi ſuſcipiamus hilariter, vt loquatur per nos quod vult, ſi paterno & materno ſimus ergò eos affectu, licet vetera

repetamus, noſtra delectatio erit in eorum novitatis delectatione, noſtra prædicatio ferveſcet in inſolitâ eorum auditione: vicos viſitatiſſimos cum beneficâ hilaritate tranſimus, quandò alicui fortè qui errando laboraverat, demonſtramus viam. D. Auguſt. lib. de catechiſ. rudibus. cap. 12. Excelſas gymnaſiorum cedros confregit Dominus.

Quod infirmioribus ſit compatiendum. *Vide Concord. Minoritatis.*

Incommutabili veritate mentibus noſtris inſertâ, quæ lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis artificis, vtimur ad judicandas res parvas, vt maximas, & viles vt prætioſas: Angeli vt per ſcalam Iacob aſcendunt, ſic deſcendunt.

Nihil ſapientiæ odioſius acumine nimio, nihil verò Philoſophanti; nihil Philoſophanti moleſtius quàm ſophiſta, ideò inviſam Palladi finxere veteres aranеam cujus ſubtile opus eſt, & tenues telæ ſunt; ſed fragiles, nullique vſui; vt mucronis, ſic ingenij ſit acies, non penetret modò ſed ſubliſtat. Petarcha de remed. fortuit. lib. 1. cap. 7.

Quod debet dari in pane, non debet ſolvi in frumento. l. 1. Cod. de frum. vrbis Conſtantinopol. Explicet ſcripturas, parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Thren. 4.

Acumen nimis tenue retunditur, & in ſe ſæpè replicatur, etiam cum agere aliquid videtur, pungit non perforat. Seneca lib. 1. de benefic. cap. 4.

Magnis telis magna portenta feriuntur. Python ſerpens corporis ſoliditate telum retorquet? quid adversùs mortem tàm minuta jacularis: ſubulâ leonem excipis; acuta ſunt iſta quæ dicis, nihil eſt acutiùs ariſtâ; quædam inutilia & inefficacia, ipſa ſubtilitas reddit. Idem Epiſt. 82. in fine.

Mores non verba componat; animis ſcribat non auribus; oratio ſollicita philoſophum non decet; vbi tandem erit fortis & conſtans, vbi periculum ſui faciet, qui timet verba? non ſit tamen negligens, ſed ſecurus; non ſint verba humilia, ſed placida; non depreſſa, ſed plana; quamvis non comptum corpus orationis, honeſtum tamen: vis illum affidere puſillæ rei verbis, ille ſe rerum magnitudini addixit; eloquentiam velut vmbram non hoc agens trahit. Ad profectum omnia tendunt, & ab bonam mentem; non quæritur plauſus. Seneca. Epiſt. 100.

Paſcat potiùs ſimplices columbas, quàm aquilas, quæ ſeipſas paſcunt; præferat ſalutem ſimplicium delectationi curioſorum.

Humanæ litteræ non ſunt quod dicitur ſtudiorum prora & puppis; rudimenta enim hæc noſtra eſſe debent, non opera; via, non meta. In convivio non bellaria tantùm & placenta deguſtas, ſed ſolidiores cibos: cave ne vt proci illi apud Homerum relictâ Penelope convertaris ad ancillas.

Euſeb. de præparat. Evangel. cap. 2. dicit verbum divinum, ſicut nos omnes ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ creavit ità cognitionem & charitatem ſuam omnibus propoſuit, ſeipſum vniverſo orbi reconcilians.

Non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem; quod ſi inciderit in medicum etiam diſertum, hoc tale eſt, quale ſi peritus gubernator etiam formoſus ſit; quid aures meas ſcalpis? quid oblectas? aliud agitur, vrendus, ſecandus ſum, ad hoc adhibitus es: circà verba occupatus es, jam dudum grande ſi ſufficis rebus. Senec.

Ad rem commoveantur, non ad verba compoſita; alioquin nocet illis eloquentia, ſi non rerum cupiditatem facit, ſed ſui. Idem Epiſt. 52.

Quis in matronâ, cive, Magiſtratu, Philoſopho, probet mollem inceſſum, argutas manus, cincinnos? ita gravitatem rerum naturalium non oportet comato ſtylo corrumpere: Sileni toto corpore deformes, ſemihomines & ſemianimalia, tegebant aureas intùs Deorum imagines, vt ait Plato in Alcibiad.

A fucato ſtylo timentur inſidiæ: vrget nos & agit divinarum ſcripturarum ſimplicitas: oracula non ex amœnis muſarum ſylvis, ſed ex horrendo fundebantur antro, in quo Heraclitus dicebat latere veritatem. Reverendum quid & divinum eſt ſapientia, exotico non egens ornatu. Picus Mirandulan. & infrà. Multa ſunt quorum ſplendorem, ſi quid adjunxeris, elimines, non illuſtres. Marmorea domus picturam non recipit; bonæ formæ ceruſsâ denuſtantur. Nudam ſe præbet Philoſophia ſpectandam, ſcit ſe habere vndè tota vndique placeat; quantùm de formâ velas, tantùm de laude minuis; ſi quid admiſcetur, inficit eam & adulterat.

Stat puncto inſectibili, & indiviſibili vna veritas: in re tam ſeriâ figuris & verbis aliquid addere, aut demere flagitium. Malo purum aurum ſub notâ Teutonum, quàm fictitium ſub Romano Symbolo. Damnandi ſunt, qui excordes, tori ſunt lingua: ſinè linguâ vivere poſſumus, non ſinè corde. Picus Mirandul.

Ignis flacceſſit ad ſolem, quia illic habet apertiores poros, & aëri magis pervios.

Abſurdum eſt clericis, ſi ſe petitos velint oſtendere diſceptationum forenſium. l. 40. Cod. de Epiſc. & Cler.

Clerici non debent legere libros Gentilium, totâ diſt. 37. Epiſcopus libros Gentilium non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate, & tempore. Concil. Carthag. 4. can. 16.

Medici dum vanitate ducti de remedijs inter ſe altercantur, aut curioſa inquirunt, ægris mortem afferunt. Si quem conſcientia remordeat, quod experimenta tentando necem alicui intulerit, ſuadetur illi, vt ad Eccleſiaſticos ordines non accedat. cap. ad aures, de ætate & qualit. præficiend.

Chriſtus habuit donum linguarum, ſed eo non eſt vſus, quia prædicavit tantùm vni genti, & per parabolas. D. Th. 2. 2. q. 176. a. 1. 5.

Philoſophi propoſitum eſt prodeſſe, non placere; vt pudeas & vt rubeas malo quàm vt rideas, vt pœniteas quàm vt exultes. Nihil palpat ille medicus, ſed penetrat, pungit, radit, & acri quodam ſermonum ſale ſordes abſtergit animorum. Lipſius.

De libertâ veritatis prædicatione. *Vide Poteſtas Veritatis.*

Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Ezech. 58. Tuba non tàm oblectationis eſſe ſolet, quàm terrotis, non tàm delectationem præferre, quàm inferre formidinem: ſic vox prædicatoris non demulceat cantu, ſed caſtiget auditu, ſtrenuos hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis: formidoloſi militis, ideſt peccatoris, mentem dejiciat, & ſtrenui accendat, idque vnâ & eadem voce, ſic captiveret populus contumax. D. Auguſt. Sermo. 106. de tempore.

Pſal. 77. Et induxit in virtute ſuâ Africum. Per ventos meridianos ferventes & lucentes ſignificatur prædicantium ſpiritus, populis eſcam ſpiritualem largiens. D. Aug. in Pſal. 77.

Qui facit Angelos ſuos Spiritus: ſpiritus, ideſt ſpirituales facit miniſtros verbi ſui: & miniſtros ſuos ignem vrentem. Ignis ardens eſt omnis miniſter Dei, vrens fœnum, ideſt carnalia deſideria; hunc ignem ſe afferre in mundum dicebat Chriſtus. D. Aug. in Pſal. 103.

Lucernam ſub modio ponis, ſi lucem bonæ doctrinæ commodis doctrinisque temporalibus obſcuras. Div. Auguſt. lib. 1. de Sermon. Dom. in monte. capite 5.

Sententiæ verbis ſunt præponendæ, vt animus corpori; & melius eſt veriores quàm diſertiores audire ſermones, ſicut melius eſt prudentes quàm formoſiores habere amicos. can. ſedulo. diſt. 38.

Vt non paucis loquatur Philoſophis, ſed vniverſo hominum generi, Eccleſiaſtico diſſimulanda eloquij venuſtas. can. Eccleſiaſtica diſt. 38.

Veritas ſimpliciter & ſinè fuco prædicanda. *Vide Bonitas Veritatis.*

Charitas ignis eſt, ignis illuſtrat, & purgat. purum enim ab impuro, & Heterogenea diſcernit.

D. Chriſoſtomus naturaliter eloquentiæ deditus, ſuſcepto prædicationis munere à Flaviano, ſemel redarguitus a pià muliere quod ejus prædicationes eſſent ſimplicibus infructuoſæ, ſtatim mutavit altum dicendi genus in ſimplicem ſimplicium auribus accommodatum, quo tamen adhibito temperamento meruit vocari os aureum. Baron. an. 389.

Dei juſtâ vindictâ exaruit manus pictoris, qui Chriſtum formâ Iovis pinxerat; ſed pœnitens miraculo ſanatus fuit à Gennadio Epiſcopo. Idem anno 462.

Hercules, cùm videret in templo ſtatuam Adonidis, Veneris deliciarum, indignabundus dixit, Nil ſacri es. Sic multi Religionem impudicæ apparatu deho-neſtant: & verborum minutijs rerum frangunt pondera.

Photius Bibliothecæ cap. 160. Reprehendit Choricium Sophiſtam Chriſtianum, quod de rebus ſacris differens, fabulas hiſtoriaſque gentilium ſcriptis ſuis admiſceret.

Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare, non in ſapientiâ verbi, vt non evacuetur crux Chriſti; verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt. ijs autem qui ſalvi fiunt Dei virtus: nam quia mundus per ſapientiam Deum non cognovit, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. &c. 1. Corinth. 1.

Ego cùm veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ annuntians vobis teſtimonium Chriſti: non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum: ſermo meus & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei. 1. Corinth. 2.

Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodò dicet amen ſuper tuam benedictionem, quoniam quid dicas neſcit; nam tu quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo quod omnium veſtrum linguâ loquor. 1. Corinth. 14.

Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ. 2. Corinth. 11.

Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam, ſenes vt ſobrij ſint, &c. ad Titum. cap. 2.

De nimiâ ſermonis affectatione. *Vide Veritas Virtutis Rep.* affectatio nimia.

Prædicatores non debent vſurpare theatrica. *Vide Virtus Medij.* Iuſtum debet eſſe medium, & *Majoritas Medij.*

ELOQVENTIÆ contemptus.

VIde ſuprà proximè de prædicatore non curioſo. Sub roſis latent ſpinæ, ſub eloquentiâ inſidiæ: Dominus prohibuit ne auferretur aurum ex lerico: vitanda prophana eloquentia.

Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis res amare non verba. Quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt: licet vt vites plurimorum faſtidium, condiendi ſint aliquantulum cibi. D. Auguſt. 4. de doctr. Chriſt. c. 2.

Præponendæ verbis ſententiæ, vt animus corpori; magis autem dolendus eſt, qui in pulchro corpore deformem habet animum. Ibidem.

Abrahamo dicitur; Egredere de domo Patris tui: Sermo eſt quaſi domus rationis, quæ deſerenda eſt, ne deceptus ornatu verborum miſſam facias veram pulchritudinem, quæ in rerum cognitione ſita eſt; abſurdum enim fuerit vmbram pluris quàm corpus facere, aut rebus præferre imagines. Vmbræ imaginique ſermo eſt ſimilis, corporibus autem & exemplaribus ipſæ rerum naturæ, de quibus differitur quas conſectari debet qui mavult eſſe quàm videri. Philo Iud. lib. de mig. Abra.

Vnguenta, laſcivas & doloſas veſtes non probabant Lacedemonij; Non eſt honeſtus cibus, qui plùs habet condimenti quàm eorum quæ nutriunt; non eſt vrbanus ſermo, qui magis delectat quàm juvat: muſæ Syrenibus debent eſſe gratiores; non oportet ergò dilatari philacteriam, vanam ambiendo gloriam. *Vide Majoritas, & Minoritas. Gloria* voluptatis.

Forma præfertur materiæ. Res verbis.

Eloquentia viles tantùm animos rapit. Legati Vrbis Sames Cleomenem Spartarum Regem adierunt, & longâ oratione conati ſunt bellum ei ſuadere contrà Policratem Tyrannum; auditâ oratione reſpondit Cleomenes; Non ſum amplius memor veſtri exordij; nec mediæ orationis, quo ad concluſionem, nolo facere quod intenditis.

Orator inſidiatur nobis, & quaſi hoſtis, eâ parte, quâ in affectibus debiliores ſumus, nos agreditur.

Talis hominibus eſt oratio, qualis vita; Si diſciplina civitatis laboravit, & ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuriæ publicæ orationis laſcivia; Non poteſt alius eſſe animo, alius ingenio color; ſi corpus ſecundùm motus animi mutatur, multò magis ingenium, quod totum animo permixtum eſt, ab illo fingitur, illi paret: ſic conviviorum & veſtium luxuria ægræ civitatis indicia ſunt. In vino non antè linguâ titubat, quàm mens fuerit oppreſſa: Salvo Rege, id eſt mente, cætera benè habant. Senec. Epiſt. 11.

Oratio vultus animi eſt, ſi fucata eſt, & manu facta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum, & habere aliquid ficti; non eſt ornamentum virile concinnitas. Senec. epiſt. 115.

Eloquium clarum eſt: clarum aliquid variè dicitur, clarus ſol, clarum incendium; & lugubres cometæ, & infeſti gladij & hoſtiles galeæ fulgent. Vt fulgor eloquentiæ glorioſus ſit ſanctitate & ſapientiâ temperetur. Cicero definit oratorem virum bonum dicendi peritum: Dulcedo & ornatus iſte, neſcio quid blandum ſeu doloſum, non virile, nec ſyncerum præfert; meretricis fucus, mellitum virus, phrenitici robur, vel avariaurum: quid quid eſt, quamvis appareat

ac mulceat, ſi præcipuum eſſentiale defuerit, nihilo proximum judicandum eſt: Sonora eloquentia, etiam ſonorum fulmen; florida eſt, & floridum aconitum; gloriæ via ardua, & invidiæ prona. Petrarchâ, lib. 1. de remed. fortuitor. cap. 9.

De vi eloquentiæ. *Vide Poteſt. Cognition.*

In bene inſtitutis civitatibus prohibent extrà rem dicere, vt in Areopago: non enim oportet judicem pervetere ad iram, miſericordiam, &c. quia id ſimile eſt, ac ſi quis, quâ vſurus eſt regulâ, eam reddat perverſam. Ariſt. 1. Rhet. c. 1.

MENTIS HEBETVDO
ex nimiâ lectione.

IN Actis Paulo objicitur; inſanis Paule Multæ te literæ ad inſaniam convertunt; non inſanio, inquit, &c. actum 26.

Stomachus frigidus multùm apperit, & modicum digerit, evomitque quod plus æquo ſumpſerit: ſic imbecillis animus ſtudia.

Vino modico nervi & oculi juvantur, eodem copioſiore læduntur. *Vide Majoritas Bonitatis.* de exceſſu nocivo.

Odioſum eſt apud omnes Pædagogi nomen vulgare gallicè *Pedant*; Mirum quòd ſcientes præclara omnium dicta & facta, tamen in proprijs hebeſcunt. Id evenit, quia vires propriæ mentis ab externis ſuperantur; ex majori multitudine non benè ordinatâ fit major confuſio; nimio ſibi impoſito cedunt neri; ſuffocantur nimio cibo, non digeſto. Apud alios loqui didicerunt, non ipſi ſecum; habent rerum aliquam theoriam, non praxim; ſelecta habent verba, ſed malè componunt. Ignobilia de plebe ingenia, dùm litteras lucri cauſâ ſectantur, verum non referunt fructum; tædium illis facit rerum, quarum non habent vſum, abundantia. Nimiæ litteræ avocant hominem à civili ſocietate, vndè habetur ars vitæ; à naturæ facili viâ nos abducit minimus defectus; non toleratur in his, qui ex longo ſtudio deberent eſſe ſapientiores, ſic in auteâ ſtatuâ minùs tolerantur defectus, quàm in luteâ. Plus ſapit vulgus, quia tantùm quantùm opus eſt ſapit: ſcientia res videtur ex ſe indifferens, debiles animos pondere ſuo deprimit; fortiores vſque ad exinanitionem ſubtiles efficit validiſſima ſi ad vltimum extenuentur infirma ſunt.

Si à morbo cibum adhibens quiſpiam vires non recipiat, copioſiori alimento corpus onerari indicat. Hip. aphoriſ. lib. 2. Aphor. 8.

Nimiâ luce hebeſcunt oculi.

Scientia in impudente eſt vt inſtrumentum in manu inexperti, quo inſcientiam ſuam malè operando probat. *Vide Major. Medij.*

Stratagema belli eſt oculis hoſtium ſolem objicere: Novum belli genus eſt expugnandi Principem, aut populum, ſi non bellicæ rei, ſed vanis ſtudijs vacet. *Vide Cognitio Poteſtatis.*

Refert Galenus, quod quidam antequàm viſum amitteret, videbat ex oculis ſuis egredi magnam copiam luminis.

His qui argentum vivum ſeu Mercurium tractant, cerebrum, & nervi ab eo originem ducentes, læduntur.

Conſtellatio Leporis eſt Mercurialis. Proloma. Præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 8. Ingenioſi vt plurimùm non ſunt audaces.

Quidam Lucius curioſus juvenis, qui volebat discere Magiam, & eâ arte fieri avis, mutatis caſu, nec benè electis medicamentis, fit aſinus. Lucianus dialogo Lucius, ſivè aſinus.

NIMIA FVTVRI
providentia.

DEſines timere ſi ſperare deſieris; iſta tàm diverſa pariter ſunt, & cum videantur diſſidere conjuncta ſunt; vt eadem catenâ & cuſtodiam & militem copulat, ſpem metus ſequitur, vtrumque pendentis animi eſt, vtrumque futuri expectatione ſolliciti; Maxima autem vtriuſque cauſa eſt, quod non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus: Itaque providentia maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt, feræ pericula quæ vident fugiunt cum effugere ſecuræ ſunt; nos & venturo torquemur & præterito: multa bona noſtra nobis nocent, timoris enim tormentum memoria reducit; providentia anticipat: nemo tantùm præſentibus miſer eſt, &c. Seneca. epiſt. 5.

Nolite ſolliciti eſſe quid induamini, &c. hæc enim omnia gentes inquirunt. Matth. 6.

Sufficit diei malitia ſua. Ibid.

Cur non verecundamini ad exprobrationem Apoſtolicæ indignationis? 1. Tim. 5. nundùm, inquit, reſtitiſtis vſque ad ſanguinem, delicata nimis medicina eſt priùs alligari quàm vulnerari, membrum non perculſum plangere, & nondùm ſuſcepto ictu admovere manum, fovere vnguento vbi non dolet, emplaſtrum adhibere vbi cæſura non eſt. D. Bernard. in Apologia ad Guillel. abbatem.

De nimio futuri metu. *Vide infrà Cognitio Contrarietatis Mala.*

Semper extrà nos vagamur, quid ſit futurum cogitantes, cum fortè ipſi non erimus: Calamitoſus eſt animus futuri anxius: Vt ſtultus etiamſi obtineat quod deſideraverat, adhuc non illi ſufficit, & vltrà aliquid quærit: ſic præſentia ſapienti ſufficiunt: Epicurus non vult ſapientem ſuum futuri eſſe providum. Senec. epiſt. 99.

Quæcunque ſit futuri providentia, nunquàm fortuna ſatis valida contrà ſeipſam arma nobis ſuppeditabit, à nobis ipſis accipienda ſunt.

Homines animalia ævi breviſſimi, ſollicitudinis infinitæ; quibus inſcijs, cui puppim lictori, cui animum conſilio applicemus, pro conſilio interim ſit pendere ac propter præſens malum, & à tergo quod doleat, & antè oculos ſemper habere quod terreat, quaſi cum Cerbero tricipiti hoſte pugnantes. Petrarcha.

Sibi moleſti, tàm intemperantes in ipſis miſerijs ſunt, quàm antè illas: Plùs dolet quàm neceſſe eſt, qui ante dolet quàm neceſſe ſit. Seneca. epiſt. 98.

Sollicitudo futuri extrà debitum tempus, vitium eſt in exceſſu contrà prudentiam; dicit enim Chriſtus, nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. D. Th. 2. 2. q. 55. a. 7.

Abuti poteſt quis Prophetiâ, vt objecto, non autem vt principio. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 1.

DIVINATRICES ARTES
vanæ & Prohibitæ.

QVis eſt, qui futurorum ſcientiam ſibi vindicet? novæ oportet ſortis ſit qui jubente Deo canat, non

non eodem contentus vtero, quo imprudentes naſcimur. Seneca. Suaſoria 4. initio.

Non ſufficimus præſentimus, vt quid futura inquirimus?

Prudens futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit Deus.

Quid ſit futurum cras fuge quærere, quem ſors dierum, cumque dabit lucro appone; Tu ne quæſieris, quem mihi, quem tibi finem dij pederint. Horat. Ode 9. & 11.

Cicero. lib. 2. de Divinatione, probat nullam dari: quia artes omnes Nautica, Agricultura, Bellica, Medicina, arte & judicio in futurorum ad ipſas pertinentium præſenſione vtuntur: non fortuitâ divinatione: ſi autem res fortuitæ ſunt, determinatum de his non poteſt ferri judicium: Quòd ſi fato omnia eveniunt ab æternitate definita; fruſtrà eſt divinatio verum quæ vitari non poſſunt. & eſt nobis noxia: quæ enim vita fuiſſet Priamo, ſi ab adoleſcentia ſciſſet quos eventus ſenectutis eſſet habiturus. Gratum non fuiſſet Pompeio & Cæſari noſſe quàm miſerè eſſent interituri. Quo cruciatu animi vitam acturi fuiſſent, vndè vtilior eſt futurorum ignoratio quàm ſcientiâ. Irridet aruſpicinam, quaſi ſine corde vixerit animal, in quo immolato non eſt inventum cor, aut quaſi ſubitò evanuerit. Medici non dicunt ægro, ipſum eo morbo eſſe moritum, ſic dij non prænuntiant aliquibus portentis futura, fato decreta, & quæ vitari non poſſunt.

Idem ibidem probat ſomniorum vanitatem, quia non à Deo mittuntur, qui potius faveret animæ vigilanti ſuis potentijs rectè vtenti, quàm ſomno ad conditionem quaſi beſtiarum, & ad vim phantaſiæ redactæ, non à naturâ proveniunt, cujus operâ cum ratione procedant, nullam habet ſymphathiam cum vagis, ſibique non cohærentibus ſomniorum viſis; Vana etiam eſt eorum obſervatio, quia certa non eſt cauſa, & varia ſemper ſunt viſa.

Vt eſt præſtans & æterna natura ſummè colenda Religione, quæ eſt conjuncta cum cognitione naturæ, nam pulchritudo mundi, ordoque cœleſtium cogit fateri Deum. At ſuperſtitio tollenda, quæ inſtat & vrget, & quocunque te verteris perſequitur, ſivè tu vatem aut omen audieris, Chaldæum conſulueris, &c. quorum neceſſe eſt aliquid eveniat, vt nunquam liceat quietâ mente conſiſtere. Ibidem.

Divinatio eſt peccatum quo quis vſurpat futurorum cognitionem, ad Deum tantùm pertinentem. 2. 2. q. 95. a. 1.

Non obſervabitis ſomnia, nec auguramini. Levit. 19. Is in quo fuerit ſpiritus Pythonicus, vel divinationis lapidabitur. Levit. 20.

De incantatorum pœnâ Deo. Nov. 65.

De maleficis & Mathematicis, & cæteris ſimilibus. Cod. 9. tit. 18.

De ſortilegio & divinatione, quod ſit grave peccatum excommunicatione feriendum, vide totâ cauſâ 26.

In ſynodo Francorfurdenſi habita anno. 741. prohibitum ne fiant ſacrilegi ignes, ſcilicet ad pyromantiam, aut ex paganorum cæremonijs.

Dominantur & expelluntur Genethliaci, qui vendunt hominibus miſeram ſervitutem. 26. q. 2. can. illud & ſeqq. & q. 5. per totum.

Augurijs & incantationibus ſerviens à conventu Eccleſiæ ſeparetur. Concil. Carthaginenſe. 4. can. 16. & 89. & Concilium Toletanum. can. 28.

Appollonius dùm eſſet Epheſi conſtitit in mediâ oratione, quam habebat ad populum, & dixit percute, percute tyrannum; indicavit ope Dæmonum tunc Domitianum occidi, quod verum poſteâ compertum eſt. Baron. an. 98. nu. 20.

Conſtantinus licet Chriſtianus, tamen l. 2. Cod. Theod. de pang. jubet aruſpices conſuli, & id omnibus permittit, ob præcedentia quædam prodigia: deliquit in hoc vt Ochoſias. 4. Reg. 1. qui miſit ad conſulendum Beelzebuth, quaſi non eſſet Deus in Iſraël, & vt Saul. 1. Reg. 18. qui cum abſtuliſſet Magos & ariolos de terrâ, poſt modicum temporis Pythoniſſam conſuluit. Ideo Conſtantini res & domeſticæ & privatæ juſto Dei judicio in pejùs ceſſerunt. Vide Baron. an. 321.

Magi, Mathematici omnes divinatricem ſcientiam profitentes, quidam exilio pulſi, multi capite damnati; eorum libri accuratè quæſiti, & igni traditi, ſub Valentiniano & Valente. Baron. an. 374.

Heſiodus dicit Parcas eſſe noctis filias, propter occultiorem vim fatorum.

M. Aurelius Imp. deportavit in Inſulas Vaticinantes, qui aliquid facerent quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur. l. ſi quis aliq. ff. de pœn.

GENETHLIACI VANI & prohibendi.

Cicero. 2. de divinat. Vanam eſſe probat Chaldæorum ex aſtris divinationem, quod geminis ſub eodem aſtro conceptis & natis interdùm diverſa & contraria ſit vita, quod nati potiùs temperamentum habent à regionum, & parentum conditionibus; an omnes qui Cannenſi pugnâ ceciderunt, ſub eodem aſtro fuerunt; multi eodem momento vbique terrarum, & tamen nullus Homero ſimilis; Pompeio & Cæſari longævam vitam, & fœlicem in lecto mortem prædixerunt Chaldæi, cum vtique fuerit violenta.

Picus Mirandulanus duodecim libros compoſuit contrà Aſtrologos, in quibus illius ſcientiæ fundamenta omnia diruit, hic conſulendus eſt.

Res anceps, primùm omnium à cœlo peti legem, deindè eam argumentis eſſe quærendam: Super omnia eſt mundi convexitatis, terrarumque globi differentia, eodem ſydere, alio tempore, alijs aperiente ſe gentibus. Plin. lib. 18. cap. 25.

Plato lib. 7. de Republ. dicit quidem aſtrorum notitiam eſſe Reipublicæ neceſſariam, ſed vt ordinem dierum, & menſium teneant cives: vt ſcilicet ſolemnitates feſta & ſacrificia, vt decet, diſpoſita naturali quodam ductu, vivam civitatem, vigilantemque reddant; non verò vt indè ſuperſtitionis, & fati neceſſitas eruatur: Cum enim in Timæo ait, ſingulas animas ſingula aſtra habere propria, in tantâ varietate impoſſibile oſtendit ſingulorum naturam perſcrutari.

Qui putant ſydera decernere quid nobis boni aut mali futurum ſit, id agunt vt nullus colatur aut rogetur Deus. Vel enim putant ſtellas hanc à Deo habere poteſtatem, & ſic magnam illi faciunt injuriam, in cujus clariſſimo ſenatu opinantur ſcelera facienda decerni; qualia ſi aliqua terrena civitas decreviſſet, genere humano decernente fuerat evertenda: Quale judicium de hominum factis de Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur? Si dicantur juſſa Dei ſequi, indignum eſt Deo tribuere, quod ne ſtellis quidem tribuendum putatur? Quod ſi dicantur tantùm ſignificare, falſum eſt, quia

geminis ſimul natis contingit diverſa & contraria ſors, &c. D. Auguſt. lib. 5. de civit. c. 5. & cap. 7. vanam eſſe probat hanc aſtrorum obſervationem, quia ſi vera eſſet, omnes homines ſimul nati ſimiles eſſent, quod eſt abſurdum: Eligunt, inquit, certos Dies ad nubendum. & alia peragenda; ergò ſic mutari putant fati diſpoſitionem.

Origines ſuper illud Geneſ. Poſuit luminaria in ſigna; dicit ſydera non eſſe cauſas rerum, ſed ſigna: Cœlum eſt velut apertus quidam liber, omnia futura in ſe ſcripta continens, ſed legi non poteſt ab humanis ingenijs.

Infirmius non agit in potentius: ignobile in nobilius; ſic corpora cœleſtia non agunt in animam rationalem. Non permitteretur Curia aliqua, quæ ſcelera decerneret.

Philo Iud. lib. de Monarchiâ, è Republica longè pellit Ariolos, Divinatores, ſomniorum interpretes; hæc enim via ad impietatem ducit, quia creaturis imputant, quod ſolius Dei eſt: Ille enim, cùm opus eſt, bonos inſtruit de futuris, & ſuſcitat Prophetas.

Dùm aſtris & intelligentijs moventibus omnia imputant, Deo providentiam, & nobis libertatem adimunt. Si bona promittunt, tantis ea implicant difficultatibus, vt nihil nobis proſint; ſi ſine labore promittunt, indè inſolentes reddimur, ſuperbi & negligentes, ſi quod promiſerunt evenit; torquetur ſpes longâ dilatione. Si mala minantur ſerò futura, diù anticipamus, vel nunquàm futura miſeri fingimus, patimurque fingendo. Denique ſi fata vitari non poſſunt, fruſtra prædicuntur; ſi poſſunt ratione aliquâ vitari, fruſtra fati neceſſitas defenditur. Verè non tàm fatis, quàm fatuis fatorum aſſertoribus, agimur: Non mirum ſi inter tot mendacia, aliquid verum incidat? Alijs conſulunt, cum ſibi non poſſint, ſunt enim vt plurimum inopes, ſordidi, in rebus agendis inepti; quaſi gigantes cœlo bellum inferentes præcipitantur, pœnas exigit Deus, cujus providentia impugnatur, & Angeli cœlos moventes ſimiliter exigunt, quia finguntur eſſe criminum authores.

Certum nativitatis noſtræ modum comprehendere non poſſunt, conceptionis difficiliùs, infuſionis autem animæ nullo modo; Neque parentum complexiones, nutrionis, educationis; vndè ſub eodem cœlo diverſi diverſis naſcuntur moribus; & ſi homo alteratur à cœlo, non pendent tantùm ejus vita ab horoſcopo, ſed à ſingulis ſtellarum configurationibus, quæ quotidie variæ ſunt.

Si homo pendet ab aſtris; maximè quo ad facultates naturales & animales? vndè animàlia maximè pendere debent à cœlo, At quamvis Iupiter, Venus, luminaria optatas ſedes obtineant in porci horoſcopo, ſemper morte violenta moritur.

Angelus igneo gladio verſatili impedit ne Adam ingrediatur paradiſum; verſatilis gladius eſt cœlorum ratatio, quâ arcemur à vetitatis cognitione. Philo. Iudæ. lib. de Cherubim.

Tertul. l. de Idol. c. 9. aſſerit Angelos apoſtatas, qui cœlo ad filias hominum deſenderunt, docuiſſe homines Aſtrologiam: nunc autem, inquit Roma & Italia interdicitur mathematicis, ſicut cœlum & Angelis eorum. Primiquidem Magi & aſtrologi Deum adoraverunt & munaverunt; at ſcientia iſta uſque ad Evangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito nemò exindè nativitatem alicujus de cœlo interpretetur; nam & thus illud & myrrham & aurum ideò infanti tunc Domino obtulerunt, quaſi clauſulam ſacrificationis & gloriæ ſecularis, quam Chriſtus erat ademptorus: Ideò aliâ viâ reverſi ſunt, ideſt ne priſtinâ ſectâ ſuâ, incederent admoniti.

Vendunt hominibus miſerabilem ſervitutem; Nam quiſquis liber dat genetliacis pecuniam, dat vt vndè ſervus exeat, aut Martis, aut Veneris, &c. D. Auguſtinus lib. de Doctrinâ Chriſtianâ. 2. cap. 21.

Vendunt nos ſtellis, ipſumque prætium quo vendimur à nobis exigunt. Ibidem.

Colarbaſus hæreticus, partim Valentini ſequutus errores, inſuper affirmavit vitam omnium hominum & generationem in ſeptem ſyderibus conſiſtere. D. Auguſtin. epiſt. ad quod vult Deum de hæreſib. hæreſ. 15.

Solvunt firmas & naturales amicitias ſuſpicionibus, quis enim diliget filium, quem. prædixerunt Aſtrologi peſſimum futurum? quis vxorem adulteram prænuntiatam?

Clerici dignitate ptivantur, Laici excommunicantur, qui vacant genetliacis prædictionibus. Vide 26. q. 5. per totum.

Æqualis eſt pœna hanc artem & diſcere & docere. l. 2. Cod. de maleſ. & mathem.

Aſtrologiæ & divinationibus maximè ſunt dediti populi, apud quos dominatio eſt electiva, ambitio enim ſe promovendi facit futurorum curioſos.

Cœlum eſt quaſi celatura & expreſſa figura Dei, ipſum tamen intrà ſe cælans, & claudens. Cardin. de Cuſa. l. de geneſi.

Tacitus Hiſt. lib. 1. dicit de Genetliacis. Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtrâ & vetabitur ſemper, & retinebitur.

Act. 19. Multi qui fuerant curioſa ſectati libros contulerunt, & combuſſerunt.

Aquila Ponticus, quod judiciariæ Aſtrologiæ eſſet deditus, ab Eccleſiâ fuit ejectus. Vt ſcribit Epiphanius. Sub Auguſto, Tiberio, & alijs Imperatoribus vrbe ſæpiùs pulſi Genetliaci. Vide Baron. an. 56.

VANA ET ILLICITA
futuri inquiſitio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Eſſe noſtrum habet aliquid deprætèrito, & ſubſiſtit in præſenti, ſed nihil penitùs habet de futuro, cum implicet futurum eſſe in præſenti. Vt autem actio nunquàm egreditur limites eſſentiæ, ſic fruſtrà conamur aſſequi futuri cognitionem. Qui ſe putant futura ex cauſis naturalibus collegiſſe, ea naturæ imputant, & neceſſarijs rerum connexionibus, non Deo benefico, ergà quem ſic exiſtunt ingrati & impij.

MAGNITVDO. Præteritorum obliviſcimur, præſentia cognitione non poſſumus aſſequi; quid jam invalidæ menti onus futurorum ſuperaddimus? & longinqua volumus videre, cum non videamus antè pedes noſtros poſita. Ambitio dum ſuprà cæteros voluit videri ſapere, Magiæ nomen dedit, ſed & vanitatem oſtendit.

DVRATIO. In judicio rerum naturalium, quæ certo & neceſſario ordine procedunt, colligimus quidem effectus ex cauſis; ſed in liberis & contingentibus contradictorium eſt velle certò videre quod incertum & indeterminatum eſt: hac vanitate deluſi, ſpe toti ſunt in futurum; nocivas ſibi moras nectunt; occaſiones dum expectant, elabi ſinunt; aut metu imminentis ſibi, vt putant mali, inter ampliſſimas naturæ dotes, miſeri languent; nec vllus malorum

finis, ſi ſe putent cœlo adverſo natos.

Potestas. Miſeri qui libertatem in ſe toties experti, volunt tamen nullam eſſe ſub fati legibus: hæ ſibi compedes injiciunt, & putant ſe non poſſe, quod non futurum fallax ſcientia prædixit. Malunt ſe aſſerere impotentes, quàm ſcientiam mendacem; Humiliaſti, inquit Propheta, ſicut vulneratum, ſuperbum.

Cognitio. Sunt multa quæ ſcire non expedit. *Vide Minor. Cognit. Bon.* aliquid concedendum eſt Dei providentiæ ſapientiſſimæ, quæ nos regit medijs quidem juſtis, ſed nobis incognitis.

Volvntas. Curioſam hanc inquiſitionem accendunt paſſiones variæ, amoris, ambitionis, avaritiæ, ſpei, metus, his motibus concuſſa ratio negligit cæteras ſcientias, aut indignè ſpeculationem omnem, quæ abſtrahere debet à materiâ, addicit fortunæ.

Virtvs. Inveniunt vitiorum omnium in fato excuſationem; virtutes, quaſi non ſint illis poſſibiles, averſantur; nec etiam in diſſoluti ſſimis moribus ſe putant reos, ſi ſit illis impoſita ſic agendi neceſſitas: à præſtigijs quærunt vim, quam in ſe habent; vt ſi quis abjiceret quas habet pecunias, quia pauperem futurum Genethliacus pronuntiaverit.

Veritas. Tot ſeſe offerunt ſcientiæ & artes, in quibus mens frui poteſt veritate, quid ad incerta & vana divertit? Mirum quod ſæpiùs prædictiones illæ falſi convictæ, habent adhuc amatores ſuos; levis tamen animi indicium eſt, quia in iſtis non judicat ratio, ſed ſequitur, fidemque dat talia aſſerentibus.

Gloria. Nunquàm quietus eſt ſuperſtitioſi animus, qui nec ſibi fidit, nec rationi; nec ipſiſmet bonis, quæ experitur: hæc vanitas ex diametro oppoſita eſt reſignationi, & indifferentiæ Chriſtianæ, vndè vera animi quies.

Differentia. Hæ divinatrices ſcientiæ, vt antiqua Deorum oracula, obſcuris vera involvunt, & ambiguæ, quocumque res verterit, paratum aliquid habent quod id videatur ſignificaſſe. Sic inter ſpem & metum fluctuat miſera mens, agi ſe putans à fato, & elevari vt lapſu graviore ruat. Vanitatem deprehendes, in eo quod ſi plures conſulas, de eodem non conſentient; licet quælibet divinandi ars aphoriſmos ſibi conſtituerit, vt minùs diſſentiant judicia.

Concordantia. Hinc multi Chriſtianam, vtilem etiam amicitiam averſati ſunt; hinc ſoluta repudio, aut turbata zelo matrimonia; hinc vitioſa contubernia, & amoris impuri æſtus, quaſi id decretum eſſet ab aſtris fato inevitabili.

Contrarietas. Nulla faſcinatio ſic ligat ſenſus & animos, vt hæc credulitas, quæ ruit quaſi ageretur in præceps; quæ hoſtibus alioquin debilioribus cedit: ſufficit diei malitia ſua, etiam ſi adverſa futura ſint, quid opus eſt damnatus ſic maturè ſententiam proferre, vt eos vel diuturno ſupplicio metus torqueat, vel deſperatio in vltimam agat perniciem? Non ſufficit animus malis hujus vitæ tolerandis, ſi ſic prævisa ſimul & turba nos aggrediantur. Mitius agitur cum ægris, ſi ignorent violenta quæ pati debent remedia.

Principivm. Impotens habetur Numen, nec colitur quaſi propitium, ſub hac fati inevitabilis fide. Initio quidem futurorum ſcientia noſtræ blanditur curioſitati, ſed tandem in noſtrum cedit ſupplicium, quia cum bonis & malis mixtim referta ſit vita, magis nos afficit malorum metus, quàm bonorum ſpes.

Medivm. Vbi mentem hæc inceſſit vana curioſitas, non ſe temperat, ſed medijs omnibus quod intendit conatur aſſequi: à licitis ad prophana, imò &

A diabolica effrænis decurrit; hinc enim Necromantia, hinc cum Dæmonibus pacta: Homo rerum medius eſt, vndè cognitio ſua maximè debet conſiſtere in præſentibus, quæ medium tenent inter præterita & futura.

Finis. Scientiæ eſt quies animi in veritate; hæ autem futuri inquiſitiones mentem efficiunt inquietam, paſſiones omnes acerbiùs commovent, vt in id ipſum quod averſantur impingant.

Maioritas. Plus cæteris noſſe, malum eſt, ſi hinc cæteris plus miſer ſis. Magia eſt exceſſus ſcientiæ in vetita & præter legem Dei, & naturæ ſe effundentis; quid malum futurum facimus præſens, vt crudeliùs & diutiùs nos torqueat? Habent animalia quaſdam
B futuri præſenſiones, ſed his in bonum ſuum vtuntur, vt ſcilicet ſibi præcaveant: at menti humanæ, quæ facile metu non juvatur, ſed conſternatur, hoc prudens negavit natura.

Æqvalitas. Servus ad obedientiam paratus, non debet irrumpere in conſilia regentis domini. Hæc futuri ſcientiâ non indiget virtus, quæ facit animum ſibi ſemper æqualem, & ad vtrumque paratum: nihil patitur ab externis, ſed illa in ſuum colorem trahit; vndè ſuperflua illi eſſet, imò contumelioſa, metumque arguens, futuri curioſa inquiſitio.

Minoritas. Non eſt ſollicita de futuris humilis obedientia; nihil niſi juſtum, & in bonum ſuum putat decerni à ſummâ bonitate. Pupilli ſumus, rerum
C noſtrarum ignari ſub Dei tutelâ; non eſt ſervorum inquirere, ſed obſequi.

ALIENIS NON SE immiſcere negotijs.

QVorundam quaſi ad incendium currentium miſereberis, vſque eo impellunt obvios, & ſe alioſque præcipitant; non induſtria inquietos & inanes, ſed falſæ rerum imagines agitant; proritat illos alicujus rei ſpecies, cujus vanitatem capta mens non arguit, inanes & leves cauſæ per vrbem circumducunt, nihilque habentem quo laboret lux orta expellit, & cum multorum fruſtra liminibus illiſus nomenclator perſalutavit, à multis excluſus, neminem ex
D omnibus difficilius domi quàm ſe convenit. Hinc teterrimum vitium auſcultatio & publicorum ſecretorum inquiſitio, quæ nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur. Ait Democritus, qui tranquillè volet vivere, nec privatim agat multa, nec publicè: Nam, qui multa agit ſæpè fortunæ ſui poteſtatem facit, quam turiſſimum rarò experiri, certum ſemper de illâ cogitare, & nihil ſibi de fide ejus promittere ſemper. Senec. lib. de tranq. vitæ. cap. 12.

E Non accepimus brevem vitam, ſed fecimus; nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus: quibuſdam nunquàm in ſe recurrere licet, ſed ſi quandò aliqua quies fortuitò contingit, velut in profundo mari, in quo poſt ventum quoque volutatio eſt, fluctuantur. Hic advocat, hic adeſt, ille periclitatur, ille defendit, ille judicat, nemo ſe ſibi vendicat, alius in alium conſumimur; hic illius cultor eſt, ſuus nemo: quærunter de ſuperiorum faſtidio, quòd ipſis adire volentibus non vacaverint; cum ſibi ipſi nunquàm vacent. Prædia ſua occupari à nullo patiuntur, & alios vitæ ſuæ poſſeſſores faciunt: nemo pecuniam, quiſque vitam dividit, & adſtrictus in patrimonio, profuſus eſt in temporis jactura, cujus vnius honeſta avaritia eſt. Idem de brevit. vitæ cap. 2.

Natura humanus animus agilis eſt, & pronus ad motus; grata omnis illi excitandi ſe abſtrahendique materia eſt: gratior quibuſque peſſimis ingenijs, quæ occupationibus libenter deteruntur: ſic fœdam corporum ſcabiem delectat, quicquid exaſperat; non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt, voluptati eſt labor & vexatio: Sunt enim quædam quæ corpus noſtrum, cum quodam dolore delectant, vt verſare ſe, & mutare nondùm feſſum latus: proprium ægri eſt nihil diù pati, & mutationibus vt remedijs vti. Idem de tranquill. vitæ. c. 2.

Vt ait Lucretius hoc ſe quiſque modo ſemper fugit. Nemo reſtituet annos, nemo iterum te tibi reddet: ibit quâ cœpit ætas, nec curſum ſuum aut revocabit, aut ſupprimet. Tu occupatus es, vita feſtinat, mors interim aderit, cui velis nolis vacandum eſt. Idem de brevit. vitæ. cap. 9.

Duabus diverſiſſimis rebus peccant incuriâ & curâ: hac, quod in aliena ſtudia actionesque vltrò inquirant: illâ, quod inquirant, tamen parùm intentè & diligenter. Lipſius.

In alienam domum mos eſt non ingredi, niſi pulſato oſtio, ne quid indecorè facientes offendamus. Plutarch. in Moral.

Res eſt periculi plena aliena ſcire conſilia, vndè Philipides Poëta Comicus, interroganti Lyſimacho Regi, quid ex rebus ſuis vellet ſibi impertiri, quod libuerit, inquit, modò ne conſilium.

Si curioſus es, inquire rerum naturalium cauſas invenies in hiſtorijs mala omnia, perfidias, adulteria, regnorum ſubverſiones, ſed hæc antiqua mala non implent animum curioſi, vult quotidie nova, in ſpectaculum, bonorum locors eſt auditor, malorum attentus.

Quidam Ægyptius, quærenti quid ſub pallio abſconditum ferret, ſic inquit, fero ne ſciatur.

Laudabilis curioſitas, inquære quis egenus, vt ſubvenias. D. Auguſt. in Pſal. 103.

Multis non placet ſinè agitatione vita; ad negotia propter ipſa veniunt, eunt quia neſciunt conſiſtere, vt nec lapis in præceps cadens: exagitari præclarum putant, quærunt in motu requiem, vt infantes in cunis; ſibi noxij dùm amicis ſunt officioſi, hanc valere volunt legem, nimio ſe quemque amore proſequi, honeſtum eſſe alienas, maximè publicas res, proprijs anteponere.

Prohibitio Domini tollit negotiorum geſtorum actionem, in his quæ poſt prohibitionem geruntur; etiam ſi res bene ceſſerint expenſæ non repetuntur. l. fin. C. de neg. geſt.

Quid voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreas, & tamen ſicubi jaceat concurrunt, vt conſtriſtentur, vt palleant: ſic ſpectacula adeunt, &c. D. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 35.

Algent viſcera, cum naturalis calor ad extrema corporis membra diffunditur; ità frigeſcit mens ejus, qui ſui oblitus aliena perſcrutatur.

Oculi qui hùc illuc flectuntur, attente nihil vident.

Damarathus cum Corintho veniſſet Macedoniam, interrogatus à Philippo, an pax eſſet inter Græcos, audacter reſpondit, vt quid Rex de alienâ pace inquiris, tuæ negligens, tunc enim diſſenſionibus laborabat.

Platoni dixit quondam Dionyſius tyrannus Siciliæ. Sciòò Plato, quod cum in Academiâ inter tuos eris, de me multùm detrahes; Abſit, reſpondit Plato, Academiam in tantam rerum inopiam reduci, vt tua curans de te ſermonem habeat.

Nimia curioſitas adultera eſt, in alienas enim irrepit voluptates.

Nihil aut animæ aut corpori curioſitas conferre poteſt, frivola prorsùs & inanis ac nugatoria conſolatio: & neſcio quid illi durius impreces, quàm vt ſemper habeat quod requirit; qui jucundæ pacis quietem fugitans, curioſâ inquietudine delectatur. Liquet ſanè vel ex hoc ipſo, nihil his omnibus delectationis ineſſe, quorum ſolus tranſitus juvat. D. Bernard. Serm. de perſecut. ſuſtinendâ. cap. 12.

Acteon videns Dianam nudam, mutatur in cervum timidum animal, & à proprijs dilaniatur canibus.

Invidia eſt curioſa, circuit civitatum domos & vicos, vt de aliorum negotijs inſtructa bonæ fortunæ adverſetur, & de eorum malis lætetur.

Non eſt jus in parietem communem feneſtram immittendi. l. 40. ff. de ſervit. vrban. prædior.

De ſecreto cujuſque non evulgando. *Vide Cognitio Voluntatis Repugn.*

Etiam beati qui omnia videre dicuntur in Verbo, non vident tamen ex his quæ hic fiunt, niſi ea quæ ad ipſos pertinent.

Non omnes Angeli percipiunt loquutionem vnius Angeli cum alio. D. Th. 1. q. 197. a. 5.

Anima ſeparata cognoſcit tantùm ea ſingularia, ad quæ determinatur, aut à ſe, aut ab ordinatione divinâ. 1. q. 89. a. 4.

Beati non interſunt rebus vivorum ſecundùm legem communem. 1. q. 108. a. 8. ad 2.

D. Ambroſius, etiam ſi fieret omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret, à tribus tamen perpetuò ſe continuit, nimirùm vt nemini vxorem quæreret, nullique militiam ſuaderet, neque ad convivium invitatus accederet. Baron. an. 374.

Eſt etiam morbus aliquis per ſapientiam mori. Plin. lib. 7. cap. 50.

Mandavit diſcipulis ſuis Pytagoras ne cerebrum, corvè comederent; ideſt ne mentem ſupervacuis cogitationibus conſumerent.

ALIENIS NON SE immiſcere negotijs.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vnicuique ſui non alterius tutelam natura commiſit. Non licet alios inquirere, niſi vt miſeris opem feras, eligaſque ad tua beneficia recipienda digniores. Sic conſiſtat curioſitas tua in mæ beneficentiæ terminis.

MAGNITVDO. Non ſufficimus proprijs rebus, quid alienas ſcrutamur? Immenſum opus eſt, quod cum vires noſtras ſuperet, ſi illud aggrediamur, volumus quotidie decipi, & impotentes videri.

DVRATIO. Maxima in hominum conſilijs moribus, rebus inconſtantia; quis certâ ſcientiâ arbitretur ſe poſſe conſequi, quæ ſic irregulari motu volvuntur, & caſu contingunt? Meditare naturalia, divina, æterna, quæ cum eodem modo ſe habeant, legitimum exiſtunt ſcientiæ objectum; & longâ inquiſitione poſſunt cognoſci.

POTESTAS. Niſi ſit impoſita ſervitus, nemini competit via & actus per alienum agrum. Non inquirit Iudex de his quæ ſunt extrà fori ſui limites: nulli jus eſt in alienos ſervos. Inquirerem de alijs, ſi poſſem in ipſis, vel malum impedire, vel bonum promovere; & tutoris officio fungi: Regentium munus eſt, qui ſi præmijs & pœnis non poſſunt vagam libertatem

legibus ſubjicere, quid ego nullâ fretus potentiâ id aggrediar? Periculoſum eſt potentium, etiam nos in ſuum conſilium vocantium, noſſe ſecreta, ne eorum aut infœlix eventus, aut propalatio, noſtræ perfidiæ imputetur; quid ſi non rogatus illa ſcruteris, putabitur id malo animo fieri, vt cum exteri munitionum referunt deſcriptiones, exiſtimantur id facere hoſtili animo.

Cognitio. Totus mundus hiſtrioniam exercet; mentita omnia & ſimulata, in verbis, in vultu, in habitu, in actione, in paſſione. Fallere aſſueti alliciunt curioſos vt ſua venditent, more præſtigiatorum; deceptis enim vtuntur, vt præconibus, ad diſſeminanda quæ voluerint; ſic dum tuæ putas indulgere libertati, ſervum, teſtem corruptum, fautorem te exhibes doloſæ malitiæ; opinioni, ingentes ſtrages in populorum animis facturæ, te adjungis, illique fidem tuam das, vt contrà veritatem, innocentiam, alterius famam, contrà Religionem, Deumque ipſum milites. Solius ſuæ infinitæ ſapientiæ eſt ſcrutari aliorum intentiones.

Volvntas. Multa ſcrutanti, multa, & penè omnia occurrunt, quæ diſplicent, & quæ tamen immutare fas non eſt. Itaque ſi hæc inquiras, vt facias ſatis paſſionibus amoris, odij, invidiæ, eoſdem ignes injecto oleo accendis, nova excitas incendia paſſionum, metus, invidiæ, &c. dùm vides odioſa, timenda, quæ tamen non vales impedire; ſic reis, & ſecandis cedit in pœnam longum futuri ſupplicij ſpectaculum.

Virtvs. In mediocritate conſiſtens frænas paſſiones, ſic de alienis ſollicitas. Prudentia tantùm de futuro inquirit, quantùm ad fœlicitatem ſat eſt, non verò ad inquieti & pendentis ſemper animi pœnam.

Veritas. Quantumcumque invigiles pauca percipis de alienis, vnde verum non poteſt ferri judicium, ſed locus tantùm eſt conjecturis, quæ in contrarium, & in immenſum poſſunt detorqueri, & ſollicitis mentibus illudere.

Gloria. Hinc nulla quies animo, omnia, etiam non pervia, pervadere volenti, nulla pax ſibi odioſa vndique videnti; obſident ipſum & oppugnant metus, invidia, & aliæ infirmorum timidæ paſſiones. Sapiens autem fortis, ſibi confidens & ſufficiens, externa omnia ſpernit, quaſi nihil poſſint, fœlicitati ſuæ adjicere, aut de eâ aliquid minuere. Sui ipſius, mundi, æternitatiſque intentus ſpectaculis, dedignatur oculos demittere ad ea, quæ longè infrà ſe à fortunæ ſervis fiunt. Epicurus, ignorans infinitam eſſe Dei ſapientiam, negabat eum humana curare, ſeu quia ſe indigna, aut quieti ſuæ eſſent contraria.

Differentia. Semper à proprijs exulat, qui ſic per aliena vagatur. Satis novitatis, & exercitij nobis afferunt aliorum facta, quæ ad nos pertinent; vlterius mittere cogitationes, eſt illas partitas, ſic infirmiores, & ſibi inſufficientes efficere.

Concordantia. Inter noſtra computamus, quæ nobis jure aliquo affinitatis, honeſtatis, vincta ſunt; hæc autem in longum excurrunt, vaſtumque aperiunt campum mentis oculis vix pervium; quid vltrà querimus, & optamus videre quæ providentia extrà noſtrum intereſſe poſuit, vt ſint extrà noſtrum conſpectum?

Contrarietas. Nocet in bellis nimia præviſio, quæ vndique ſibi timet, & dum vbique mittit præſidia, vires diſſipatas, infirmiores habet, & ſæpe in inſidias aut in dolos hoſtium incurrit. Suæ deffenſioni ſatis quiſque in vniverſum invigilat, cum ſe benè ordinatum & collectum continet.

Principivm. Dùm Patres, Princeps, Rectores, Magiſtri alienis ſibi commiſſis invigilant perſonis, quaſi ſua curant. Vt caput cætera membra, quaſi ad ſe pertinentia influxu fovet, & ſenſibus regit: In cæteris rerum alienarum cura eſt indebitæ poteſtatis vſurpatio. Initio quidem hæc à curioſè inquirente aliena ſunt, ſed tandem in damnum ſuum fiunt ad ſe pertinentia, dùm concitat in ſe iram eorum, quorum ſecreta rimatus eſt.

Medivm. Nunquàm media ſatis validâ reperies, vt tuearis te contrà pericula omnia quibus te curioſa inquiſitio obſeſſum refert. Mediâ quadam viâ inter nimiam ſecuritatem, nimiumque timorem incedendum eſt: Aures & oculos non avertas ab his quæ ſe offerunt, ſed recluſa, & extrà conſpectum noſtrum poſita, vanum eſt intento ſtudio pericrutari.

Finis. Vniuſcujuſque natura ſuis ſe proprijs terminis continet, nec ſentit aliorum dolores, voluptates, cæteroſque affectus.

Maioritas. Prodeſt quidem alieni periculi conſideratio, vt ſinc ſimus prudentiores: Etiam alienæ miſeriæ conſideratio noſtram lenit adverſam fortunam, & proſperam magis commendat; ſed cum hæc oculis omnium pateant, quantùm opus eſt ad exemplum, & comparationem, curioſa non indigent inquiſitione: hæc etiam inquiſita, non ratione, ſed vt plurimum paſſione, majora quàm ſit apparent.

Æqvalitas. Non ferres hominem, qui ſecretioribus tuis conſilijs importunè ſe vellet ingerere: alteri ne facias, quod tibi fieri nolles.

Minoritas. Nunquàm ſuâ ſorte contentus eſt, ſed ſibi videtur impotens, pauperior. Ergà Deum non eſt gratus, ſed querulus qui ſic invidet alienis bonis, qui ſic in alienâ fortunâ, larvas ſibi fingit, quas timeat: ſemper miſer eſt, cui aliena ſeù miſeria ſeù fœlicitas in ſupplicium cedit, conſternatur curioſus, plus falſis, quàm veris periculis, ſibique damnum infert, quem vellent hoſtes inferre. Hæc inquiſitio plures deprehendit malos, quorum cognitio, vt converſatio eſt contagioſa, labemque ſemper aliquam infert mentis integritati.

Digitized by Google

ÆQVALITAS COGNITIONIS.

ÆQVALIS INTER PLVRES COGNITIO.

MISCELLANEA.

Vide Æqualitas Veritatis.

ARTES omnes communibus quibuſdam vtuntur : qualis eſt tentatrix diſciplina , volens in omnibus periculum facere, interrogando, &c. Ariſt. Elench. lib. 1. cap. 11.

In ſpeculo plano duobus oculis vna apparet imago.

Omnibus animantibus ſenſus vnus, tactus ineſt communis. Ariſt. 1. hiſt. anim. 3. *Vide Concordantia Cognitionis , & Differentia Cognitionis.*

Certitudo non eſt ſimiliter quærenda in omnibus , ſed in vnâ quaque materiâ ſecundùm proprium modum.

Habitum & ptivationem eodem inſtrumento cognoſcimus.

Dyoniſius tyrannus junior accendit in Pritaneo lucernam, cujus tot erant ligni , quot anni dies qui ſic æqualiter à doctis & indoctis cognoſcebantur.

Adagium, fama, rumor, ſpectaculum , amphiteatrum, tabulæ publicæ, &c.

Fides eſt æqualiter in homine vno quàm in alio, quantùm ad rationem formalem objecti ejus, ſed eſt major quo-ad certitudinem , devotionem, confidentiam, & explicationem. 2. 2. q. 5. a. 4. D. Thom.

Lex naturalis eſt eadem apud omnes , quo-ad prima principia communia , ſecundùm rectitudinem & notitiam , non autem quo-ad alia. 1. 2. q. 491 a. 4.

Lex naturæ eſt vna omnium, quia præcepta ejus ſunt communia , ideò conveniunt tàm imperfectis quàm perfectis ; ſed lex divina non eſt vna, quia præcepta ejus ſunt particularia. 1. 2. q. 91. a. 5. ad 3.

Chriſtus pro probatione quod ſit Meſſias jubet referri Ioanni , quod ſurdi audiunt , cæci vident , &c. pauperes Evangelizantur.

Singula animalia Ezechielis plena ſunt oculis , & igne reſplendent , & audiunt vocem de firmamento, quod eſt ſuper caput eorum. Ezech.

Ego palam loquutus ſum mundo. Ego ſemper docui in Synagogâ & in templo , vbi omnes Iudæi conveniunt, inquit, Chriſtus. Math. 26.

In ſubterraneis lacubus ingentes naſcuntur piſces, ſed edentibus exitioſi ; vndè cùm in Cariâ nova exiliſſet vnda , periere quicunque illos ederunt , quos ignotos antè eum diem cœlo novus amnis oſtendit : nec id mirum, erant enim pinguia , & differta , vt ex longo otio corpora : cæterùm inexercitata , & in tenebris ſaginata, & expertia lucis, ex quâ ſalubritas ducitur. Senec. Natur. quæſtion. lib. 3. cap. 19. Applica ad occultam hæreticorum cabalam, quæ non ad omnes, ſed ad paucos pervenit.

In Cretâ nulla noctua. Plin. lib. 10. cap. 29. in Eccleſiâ nulla cabala.

Dominus dicit doctrinam ſuam ſicut fulgur ab oriente in occaſum tranſituram. Math. 26. Contrà illos valet qui occultè congregant tanquàm in penetralibus & paucos tanquàm in deſerto. Ad manifeſtationem quippe , claritatemque pertinet Eccleſiæ fulguris nomen, ſignificans etiam noctem, & nubila ſæculis hujus , tunc enim fulguris candor apparet. D. Auguſt. quæſt. Evan. l. 1. q. 38.

Idem 3. Cõfeſſ. cap. 6. cum incidiſſet in Manichæorum hæreſim. Offendi, inquit, in illam mulierem audacem , inopem prudentiæ , ænigma Salomonis , ſedentem ſuper ſellam in foribus & dicentem. Prov. 9. Panes occultos libentes edite , & aquam dulcem furtivam bibite.

Nicolaitæ hæretici multa de mundo fabuloſa narrabant , neſcio quæ barbara Principum nomina miſcentes diſputationibus ſuis , quibus terrebant auditores, quæ tamen prudentibus riſum potiùs faciebant quàm timorem. Id. epiſt. ad quod vult Deum , de hæreſib. 5. *Vide Minor. Cognition.* Religionis ſecreta , myſteria.

Non audiantur , qui ſub nomine quaſi ſecretæ & apocriphæ veritatis , & hominum paucitatis dicunt : Ecce in cubiculis , ecce in deſerto : quia non poteſt abſcondi civitas ſuprà montem conſtituta, quia ſedes gloriæ exaltata eſt Sanctificatio noſtra. Idem lib. 13. contrà Fauſtum. cap. 13. in f.

Ortus eſt ſol, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Pſal. 103. loquens deferis quæ nos infeſtant nocte , vt fures, & quidam morbi. Poſuiſti tenebras & facta eſt nox , &c.

Soli maximè oppoſitus eſt Saturnus , frigoris & vmbrarum autor , hinc in eo exaltatur loco , vbi ſolis potentia dejicietur, vſque pernicioſa incipit , vbi vivifica ſolis minuitur, ſcilicet in Libra.

Hoſtes hi ſunt qui nobis , aut quibus nos publicè bellum decernimus. Cæteri latrones aut prædones ſunt. l. 118. hoſtes ff. de verbor. ſignificant. *Vide Cogn. Contrar. Repug.*

Mortuis coangustantur omnia , maximè in cerebro ; vndè nec in eo rete admirabile apparet.

Chriſtus eſt lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. Lucerna ponitur ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt.

Ipsâ occultatione condiunt quodammodò nefarij Doctores ſua venena curioſis , vt ideò ſe aliquid exiſtiment diſcere magnum , quia metuit haberi ſecretum. D. Auguſt. tract. 97. in Ioan.

Digitized by

Non eſt neceſſarium cum conſtitutio ſolemniter editur, aut ſolemniter promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus, per ſpeciale mandatum aut literas inſonare. cap. extr. de poſtul. prælator.

Reſpublica Romana orbe devicto, vbique linguæ latinæ profeſſores inſtituit, vt omnibus jus dicens, ab omnibus poſſet intelligi. *Vide Magni. Veritat.*

Mirum ſanè Dæmonum religionem ità invaluiſſe, vt apud Gallorum Druidas & diſtantiſſimos Indorum Gymnophiſtas idem ſit cultus deprehenſus. Fernelius. lib. 1. de abditis rerum cauſis. c. vult.

Rhetorica & dialectica non ſunt definitæ alicujus ſcientiæ, ſed circa res quæ communiter ſciuntur ab omnibus, omnes enim & exquirere, & defendere rationem & accuſare conantur. Ariſtot. Rhetoric. initio.

Judæi, vt facilius imponerent plebeculæ prohibuerant legis libros aliter quàm linguâ hebraicâ, tradi & doceri; hoc vetuit Juſtinianus, voluit que omni idiomate doceri. Novella. 146.

Piſces in ſubterraneis obſcuriſque lacubus editi mortem edentibus inferunt. Plin. lib. 31. cap. 2.

Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, eudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, &c. ad Titum. cap. 2.

IN QVIBVS EST ÆQVAlis cognitio.

DEMONSTRÀTIO.

Bonitas. Animalia ejuſdem ſpeciei eoſdem habent inſtinctus, eandemque callent artem.

Magnitvdo. Ex æqualiter altis æqualis eſt proſpectus: tamen ſtellæ ejuſdem magnitudinis non ſunt ejuſdem ſplendoris.

Dvratio. Tyrocinia artium abſolvunt omnes æquali tempore; nec attenditur varia ingeniorum indoles, ſed ſupponuntur æqualia illo tempore æqualiter inſtructi.

Potestas. Sentiunt, vident, intelligunt eadem, eodem modo, hi quibus ſunt æquales cognoſcitivæ potentiæ circà idem objectum, eodem modo ſe habens. Sic de ijſdem cognoſcunt & judicant ejuſdem ordinis Judices.

Cognitio. Lux ſolis æqualiter omnibus ſe exhibet: Libri, Magiſtri publici, Prædicatores, Præcones, horologia, tympana Eccleſiaſtica & militaria, æqualiter omnes docent. Verbum mentis idem eſt apud omnes diverſæ linguæ populos. In benè compoſitis, duo oculi ſunt naturâ pares, & quantitate, & facultate.

Volvntas. Omnes populi ijſdem moventur affectibus; vndè patet eos eadem æqualiter apprehendere, eademque cogitare, dum à talibus paſſionibus aguntur. Vna mens eſt in duobus ſe meritò amantibus, vndè vnum eſt de rebus judicium.

Virtvs. Fides vna eſt apud omnes populos Chriſtianos: ſic virtutum præcepta eadem ſunt apud eos; Cum apud gentes fide non imbutas vitia ſæpè ſint pro virtutibus.

Veritas. Lex naturalis ſcripta in omnium cordibus ſyndereſis omnes æqualiter mónet de officio: lex etiam civilis omnes obligat, & ab omnibus debet ſciri, vndè & debet publicari.

Gloria. Voluptatis & honoris ſenſus omnibus videtur inſitus, ſed illum virtus moderatur, aut tor- A por extinguit. Beati æqualiter vident eſſentiam Dei.

Differentia. Si habitâ proportione diſtantiæ augeantur corpora, ejuidem apparent quantitatis. Eadem vident in cœlo, qui ſunt ſub eâdem poli elevatione.

Concordantia. Eorum qui adſunt conſilijs poſt concluſionem cenſetur omnium vna mens.

Contrarietas. Natura eidem ſpeciei æqualiter ſenſum dedit, vt ſympathiæ, ſic antipathiæ: omnes oves æqualiter norunt herbas ſibi convenientes & nocivas; omnes patiuntur canem, fugiunt lupum.

Principivm. Eccleſiæ, & omnibus ejus ſummis Pontificibus promiſſa infallibilitas. Sic in omnibus animantibus ſenſus omnes ſunt in capite.

B Medivm. Qui ad idem officium aſſumuntur miniſtri, eâdem rerum agendorum cognitione inſtruuntur, vt eâdem poteſtate muniantur collegæ. In medio extremorum poſitus æqualiter illa perlustrat: ſic Rex ſedem habet in medio regni.

Finis. Finis æqualiter ab omnibus intenditur, licet mediorum varia ſit electio.

Maioritas. Qui genio ſunt inferiores, poſſunt tamen ad æqualem, imò & ſuperiorem luminis gradum per gratiam elevari: ſic Apoſtoli referuntur æqualiter accepiſſe Spiritum ſanctum, & loquutos fuiſſe diverſis linguis.

Æqvalitas. Qui eandem habent ideam prototypi, ſimiliter agnoſcunt imagines illius repræſentativas. C

Minoritas. Plures perfectè obedientes eidem præcepto, eidem de illo ſentiunt, quia non judicant, nec advarij ſui genij normam illud expendunt. Eadem eſt cognitio in omnibus geometrica, ſeù habita proportione entium, vnicuique enim data eſt conveniens.

REPVGNANTIÆ.

QVAM SIT PERICVLOSA ſingularis, latens, & cabaliſtica Hæreticorum doctrina.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Quia quædam beneficia occultè conferuntur, hac larvâ tegitur mendacium, & latenter diſſeminatur, vt quaſi ſemen verbi Dei terrâ opertum germinet, ſic deformes quoſdam vultus, vt pulchritudinem mentiantur, velum tegit.

Magnitvdo. Magna non ſunt communia, ſed rara: Eâ ratione falſa doctrina inter paucos primùm viget, E vt ex ſuâ raritate commendetur, quaſi totus mundus in maligno poſitus, non ſit illius capax, ſic qui illi fidem dedere, ſibi blandiuntur, quaſi ſint extrà turbam poſiti & magnum quid aſſequuti.

Dvratio. Magnæ mutationes ab extremo in aliud non faciles, vndè vt communi, & diuturno conſenſu receptam doctrinam impugnent, incipiunt à paucis, quibus alijs ſenſim adhæreant: ſic paulatim ſcintilla ignis accreſcit in incendium.

Potestas. Veritas ſcit jus ſibi & imperium competere ſuper animas rationales, ideò apertè illis legem dicit: at mendacium ſuæ infirmitatis conſcium, ex inſidijs homines aggreditur, corrumpit latentibus ſuſurris, fideique tandem efficit deſertores, quaſi oppreſſam vindicet libertatem.

Digitized by Google

COGNITIO. Suſpectus facit doctrinas, vt merces, quod lucem timeant, & quod nolint palàm videri: ſi quid enim in illis abſurdum eſt, pro myſterio accipitur ab incautis, qui ſic privatæ authoritati fidem præſtant, quàm Eccleſiæ negant: Hæreticis familiaris eſt obſtinatio, nam volunt videri aberraſſe, nec volunt amittere hanc quâ vanitati ſuæ blandiuntur prærogativam, ſe cæteris eſſe ſapientiores.

VOLVNTAS. Diverſus de rebus divinis ſenſus ſolvit charitatem, & hæc ambitioſa concertatio de re omnium maximâ accendit omnes paſſiones.

VIRTVS. Probitas morum doctrinæ patrocinatur; vndè virtutes morales, ſi non habent, fingunt hæreſiarchæ omnes, vt major fides dictis habeatur: qui autem ſic probis moribus falſam doctrinam aſtruunt, novo piaculo divina divinis opponunt, virtutem veritati.

VERITAS. Latant quædam in naturâ, vt ſit potentioribus genijs quo ſe exerceant; Ea tamen quæ ſunt ad vitam neceſſaria omnibus patent, vt ſunt primæ veritates, naturaliter omnium mentibus inſitæ: ſic fidei myſteria ad ſalutem neceſſaria debent explicitè ab omnibus ſciri; Qui ergò diſſeminant occultas doctrinas, hoc ipſo probant eas ad ſalutem non eſſe neceſſarias.

GLORIA. Voluptatis gaudet furtivis, titillatur novis, & extrà commune commercium poſitis: Ipſaque novitatis admiratio confert ad ſectæ commendationem.

DIFFERENTIA. Plaudunt ſibi ſe ſtare pro veritate, in mundo quaſi peregrinâ, nec pro meritis ſuis cultâ. Præclarum quid videtur turbam non ſequi, gaudent ſecrete ſuo & arte quâ cæteris imponant.

CONCORDANTIA. Hæc conventicula viam aperiunt novitatibus, Eccleſiæ & Reipublicæ noxijs: hinc conjurationes, ſeditiones, & tandem bella civilia. Mirum eſt ſic conjuratos, firmiori vinculo ſuis cohærere & opem ferre quàm fideles, quia periculi metus vnitos continet; bellum inducunt, vndè ſunt ſemper ſolliciti, & quaſi in excubijs, cùm alij Catholici antiquæ veritatis fiduciâ, & quaſi altâ in pace ſibi non præcaveant.

CONTRARIETAS. Hoſtis latens, & ex inſidijs magis timendus eſt, vt morbus, cujus cùm ignoratur cauſa, & affecta pars, non poteſt provideri de remedio: ſic errori occulto non reſiſtitur, & poſtquàm vires tempore ſumpſerit, non poteſt dejici, aut ſaltem difficillimè, quia plures illi adhærentes lædunt. *Vide Cognitio Contrariet. Repugn.* Cabaliſtæ famam ſibi animoſque ex oppugnatione ſumunt, quaſi talis ſit eorum doctrina vt poſſit ſtare contrà ampliſſimas, & diù ſtabilitas vires: Vndè dubium eſt an hic morbus debeat Criſi, an Liſi ideſt lentâ defectione ſolvi.

PRINCIPIVM. Latentes hæ novæ doctrinæ inficiunt fidei & charitatis publicos fontes, & Eccleſiam à fundamentis ſubvertere nituntur: Nam ſuadent hominibus in rebus divinis judicandum eſſe, non credendum; Eccleſiam vniverſalem falli; Traditiones, & illius conſuetos mores, veteres eſſe errores, quibus præferenda veritas; privato dant jus Eccleſiaſticas publicaſque leges corrigendi, efficiuntque partem ſuo toto potentiorem.

MEDIVM. Hac in cauſâ ſemel convictæ mentes, medijs omnibus, etiam illicitis, finem ſuum conantur aſſequi, dolis & perfidiâ compenſant quod aperta vi non licet. Nullibi vnquàm tàm crudelia, prophana, impia geſta ſunt, quam à conjurationibus Religionis ſpecie initis: credunt enim ſibi omnia licere & omnia poſſe, in his quæ ſpectare aſſerunt ad cultum Dei omnipotentis.

FINIS. Nullus his popularibus morbis finis eſt: Poſt ſolitæ pietatis interitum, poſt prophanata & deſolata templa, poſt conjurationes, ſeditiones, bella civilia, ſemper vlteriùs quid minatur hæc graſſans peſtis, quia præcludit aditum ad Deum, omnis boni infinitum principium, & obſtat neceſſariæ gratiarum largitioni.

MAIORITAS. Mirum hic quod ex defectu accenditur ambitio, & pauci fidei deſertores ſibi plaudunt, quaſi cæteris eminentem ſcientiam ſint aſſequuti, Eccleſiamque licet infallibilem arguunt erroris.

ÆQVALITAS. Si novatores æquam noſtræ, aut ſuperiorem haberent poteſtatem, illâ vterentur in totius noſtræ doctrinæ ruinam, quod apparet ex his, quæ totis ſuis, licet inæqualibus, viribus temerè moliuntur. Eodem jure quo vellent vti contrà nos, vtamur contrà eos; vim vi repellere licet, & primum eorum impetum majori retundere. Clemens eſt pietas, quæ paucorum ſupplicio parcit tot hominum millibus, niſi provideatur, in hoc barathrum lapſuris.

MINORITAS. Quæ de Religione agitantur inter doctores videntur, minima, his qui politica, æraria, bella, honoriſque titulos magnificè tractant; Imò hæc quaſi neceſſaria putant, vt animos à publicarum rerum conſideratione avocent; ſed non advertunt ſpiritualia, quæ ſub ſenſus non cadunt, vim omnem corporalibus conferre; ab inſenſibili vapore fieri terræ motus & fulgura, ſic ab hoc ſpiritualium rerum contrario ſenſu naſci bella civilia, quæ regiminis ſtatum immutant, aut mutuis plagis confoſſum, jacentemque hoſtium poteſtati ſubjiciunt.

Vide Magnitudo Veritatis, & de ſocietate malorum. *Vide Virtus Concordantia. Repugn.*

MINORITAS.

Digitized by Google

MINORITAS COGNITIONIS.

QVIBVS IGNORANTIA EST BONA.

MISCELLANEA.

Vide Minoritas Poteſtatis. Bon.

MVLTIS convenit media quædam cognitio, & cæterorum ignorantia. *Vide Medium Cognitionis.* A

De ſecretis conſilijs. *Vide Cognit. Volunt. Rep.*

Aves terreſtres & parum volatiles acie oculorum non valent, quia non indigent ad quærendum paſtum. *Vide Repugnantias Cognitionis, Bonitatis, Magnitudinis, & aliorum Principiorum.*

De myſterijs Religionis. *Vide Cognitio Virt. Rep.*

Occultæ ſunt nobis formæ ſubſtantiales, & earum virtutes.

Facultas vegerans non præſupponit, nec neceſſario conjunctam habet intelligentem: Animalis verò requirit, quia non eſt appetitus ſinè cognitione. B

Somnus in quo vacant ſenſus externi, eſt virium in animali inſtauratio.

In ſomnis ſi aliquid de oculis apparet, hiantibus palpebris, nec exactè commiſſis, periculoſum eſt ſignum, aut enim ob palpebrarum ſiccitatem, aut propter virtutis moventis imbecillitatem.

In rebus dubijs ſapientiores Philoſophi recurrunt ad occultas qualitates, de quibus Vide Scalig. exercit. 218. ſect. 8.

Animalia flectunt membra vi phantaſiæ, & appetitivæ, etiamſi illa membra muſculoſque non norint. C Galen.

Nunquàm bonus legiſlator debet reddere rationem ſuæ legis; quia ſi reddat, poterit alijs rationibus convinci.

Neceſſarij ſunt in civitate homines obtuſo ingenio, qui corporis ſui laborem prætio conducant. Plato. 2. de Republ.

Nox fœliciter ſuperveniens finem imponit certamini; Eadem eſt opportuna proditionibus, quia terrentur traditi, majuſque ſibi fingunt periculum quàm re verâ ſit.

Populi Septentrionales, parùm ingenioſi & paucæ D politiæ capaces, non ſuſtinent Monarchicum regimen, ſed in ſpecie Reipublicæ fruuntur naturali libertate.

Operatio Religioſa anteponitur intelligentiæ, tanquàm quæ ſola ſit efficax ad acquirendam animæ cum Deo deificam vnitatem. Iamblicus de myſt. c. 19.

Dolor removetur cum ſenſum ſtupefacimus narcoticis: Stoici ſummam ſuæ Philoſophiæ ponebant in quadam animi apathiâ.

Lumen infeſtum eſt oculis laborantibus.

Peregrina quæ ignorant magis celebrant mortales. Ex ignorantiâ admiratio, ex admiratione voluptas.

Plato in Theæteto laudat ſummoperè Philoſophum vniverſalia tantùm ſcientem, quæ ad Dei, mundi & hominis naturam ſpectant; ignorantem autem particularia, vt vrbium origines, hominum proſapiam: ſingularia enim ſcire tàm impoſſibile eſt, quàm numerum arenæ maris; ignorabit adulationem, quia neſcit mentiri; videt Regem vt bubulcum; ridet nobilitatem, cum ſciat omnibus idem eſſe principium; neſcit fori jurgia, ideò irridetur, cum ipſe interim alios rideat, &c.

Iacob ex luctâ cum Angelo remanſit vno pede claudus. Gen 32. Serpens Moyſis devorat ſerpentes Magorum, divina ſapientia humanam.

D. Auguſt. Epiſt. 119. Contemplantes comparat Lunæ, quæ quo vicinior ſit Soli, eo minùs lucida terris apparet.

In profundo puteo defectu majoris luminis ſtellæ videntur: hic humana quæ ſunt minima vident mundani.

Ariſtoteles refert Anaxagoram & alios Philoſophos omnia ſpernentes dictos fuiſſe ſapientes, non prudentes, quia rebus vitæ neceſſarijs non vacarent.

Æſtate & Autumno cibi copiam ferunt difficillimè, hyeme facillimè, vere minùs. Hipoc. Aphor. 18. In æſtu contemplationis mens externa difficiliùs capit. C

Filij tenebrarum ſunt prudentiores filijs lucis in generatione ſuâ.

Dum Thales cœlum ſuſpiceret, intentus ſyderibus, in foveam cecidit: ſic Philoſophi antè pedes poſita ignorant.

De his qui ſoli vacant contemplationi, prætermiſſis omnibus alijs curis. *Vide Magnitudo Gloriæ:* quietis.

Plato lib. 7. de Republ. dicit homines aſſuetos vmbris terreſtrium, lumen cœleſtium non ſuſtinere, nec aſſuetos cœleſtibus poſſe in vmbris terreſtribus videre. D

Et tu arbitraris homini prodeſſe ſcientiam, quæ delicti augeat invidiam. D. Ambroſ. examer. lib. 5. c. 12. in fine.

Arcadij lapidibus obruebant eos, qui conſilio & certâ animi deſtinatione ſacra licæi clauſtra ingreſſi fuiſſent, qui verò ignorantes ingrediantur, ad vrbem Eleutherum, hoc eſt abſolutionem mittebantur. Plutarch. in problem. Græc. Prov. 39.

Fernelius phyſiologiæ. lib. 5. c. 9. multis probat moventem facultatem aliam eſſe à ſentiente, quia ſunt diverſa motus & ſenſus organa, ſenſus eſt in paſſione, motus in actione & robore; multis motus perit, cum ſani ſint ſenſus, & contrà mente captis, &

Digitized by Google

cap. 5. probat appetitum naturalem non pendere à sensu. *Vide Bonit. Volunt.*

Ossa in corpore debuerunt esse insensibilia, quia propter pondus & motum si sentirent continuo dolore afficerentur, sic sunt insensibilia elementativa & vegetabilia, vtibus animalium exposita.

In somno cùm ociatur facultas animalis, tunc vitalis multùm proficit.

Qui magnis agendis implicantur negotijs sæpiùs habent Saturnum retrogradum, vndè non amant contemplationem, nec Astrologiam, cujus prædictiones possent illis esse nocivæ.

In primis hominibus erat potiùs ignoratio vitiorum, quàm cognitio virtutis, in tale simplicitate fœlices: Ferè talis describitur status Adæ antè peccatum & antequàm comedisset de ligno scientiæ boni & mali. Gen. 1.

Optimates, per quos Princeps præcipua Reipublicæ momenta procurat, tunc turissimè omnia possunt, cum Princeps suarum rerum ignoratione & credulitate in ipsos laborant. Barclaj.

Iuvant palpebræ ad capiendum somnum nullus enim in aere lucido apertis oculis potest dormire. Galenus. lib. de instrumento olfactus.

Athanasius in Synodo Romanâ causam suam acturus, secùm duxit Ammonium miræ sanctitatis monachum, qui adeò parùm fuit curiosus, vt nihil in vrbe videre desideraverit, præter templum Petri & Pauli. Baron. an. 340.

Qui infectantur scientias, Theologi, dicunt illud Apostoli; scientia inflat, charitas autem ædificat; & monemur non decipi per inanem Philosophiam. Philosophi fuerunt hæreticorum Coryphæi, & experti sumus doctissima sæcula fuisse in Atheismum proclivia, dùm solis secundis causis inhærent, primâ non attenta. Politici autem dicunt scientias emollire animos militarique gloriæ ineptos reddere: tum in publicis quoque corrumpere ingenia, quæ vel nimis curiosa fiunt ex varietate lectionis, vel nimis pertinacia ex rigore regularum, vel nimis tumida ex magnitudine exemplorum, vel nimis extravagantia ex dissimilitudine exemplorum: avertunt animos ab actione ad secessum animos promptiores efficiunt, ad disputandum quàm ad obediendum, &c. has criminationes diluit Baconus lib. 1. de augmentis scientiar. *& Vide Bonitas Cognition. Magn. Cognitionis, &c. Cognitio Potestatis.* de sapientiâ Regentium.

Qui conscendunt apicem altissimorum montium, vt Pici de Tenariph, & olympi, id faciunt nocte, & Oriente sole statim descendunt, ne aër à colore rarefactus non sufficiat ad respirationem. Idem.

In honesta velum abscondit: artis peritiam scrupulosè professi miseri sunt, nihil probantes, nihil videntes quod placeat, ingrata tandem essent illa perspicilia, quibus vel minimi defectus deprehenduntur, & torvitates in rectis lineis. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repugnant.* & sic de alijs Principijs.

Primus hominum leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactum, Hanno è clarissimis Penorum traditur, damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenij videbatur: & malè credi libertas ei, cui in tantùm cessisset etiam feritas. Plinius. lib. 8. cap. 16.

Cameli potu non gaudent, nisi turbatâ proculcatione aquâ. Ibid. cap. 18.

Aspidi in mali temperamentum natura dedit hebetes oculos, eosque non in fronte, vt ex adverso videre queat, sed in temporibus. Ibid. cap. 23.

Signum serenitatis est, cum nebulæ montium ima potiùs, quàm juga obsident, vel in medijs campis, sunt humiles prostatæ. Bona est ignorantia in populo, non in Rectoribus.

Dei & Materiæ primæ definitiones sunt per negationem.

Agens naturale, sinè cognitione sibi simile producit, vt ignis ignem, sic inclinatio & appetitus naturalis fœliciter procedit sinè intentione finis.

Ignis elementaris propter raritatem non lucet. Manichæi asserebant, tenebras esse quandam substantiam æternam, & principium rerum, non minùs quàm lucem.

Apud Cretenses & Lacedemonios non licebat juvenibus, nec quærere, nec audire quærentes de legum æquitate, quæ debet supponi, non probari. Plato. lib. 1. de legib. & lib. 9. præcipit, vt legislator nullam rationem legibus suis apponat.

Idem in Timæo, dicit mundum magnum esse hominem, & animal, oculis & auribus carens, quia nihil est quod vltrà audiat aut videat.

Idem dicit divinationem contingere hominibus, cum prudentiæ & rationis vis præpedita est à somno aut morbo.

Sæpè homines dum lædere cupiunt beneficia impertiunt, vtili ignorantiâ.

In corpore multæ partes carent sensu, vt ossa, humores, sic in Republicâ & in Ecclesiâ expedit quosdam esse parùm edoctos, vt sint fortiores & obedientiores: alba enim animalia, vt plurimùm sunt timidiora; ità meticulosi scientiâ illustrati.

Quo plus à portu in altum procedimus, minùs videtur profundum maris.

Admiramur cum voluptate insolita, sic flores insperati, & præter solitum modum variegati habentur pulchriores.

Non percipimus latentes spiritus, qui continuò emittuntur ab omnibus corporibus: ne hinc nimia nobis oriatur inquietudo.

Bonum omnia appetunt, non autem mentem, ne frustrà appetant, vndè sequitur quod omnia à bono procedunt, non à mente: sapientiam solo petimus rationis impulsu; bonum autem antè rationis incitamentum; ergò pluris natura facit bonum quàm mentem, cum & priùs, & sæpiùs, & potentiùs trahat ad bonum. Non sufficit intelligere, nisi benè & bonum intelligamus, sæpè cognitionem tanquàm molestam respuimus, nunquàm bonum, &c. Marsil. Ficin. Theol. Plato. lib. 2. c. 1.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

CÆcos secretò testamentum facere posse. Leo. Novell. 69.

De incertis personis. C. 6. 48.

Iusto errore excusari vassallum. Feud. 4. 92.

De velamine capitis. C. I. 1. Micha.

Gravius punitur qui consultò, quàm qui ignoranter commisit. l. 7. de Sicarijs. l. 11. §. Final. de pœn.

Qui cum alio contrahit, vel debet esse non ignarus conditionis ejus, hæredi autem hoc imputari non potest, quia non sponte cum legatarijs contraxit. l. 19. ff. de Reg. Iur. hoc verum est, & ignorantia ei prodest, si cum eo agatur, non verò si agat, nam tunc debet rem diligentiùs explorare. l. 42. eod.

Ordinatus ab excommunicato non est ejiciendus, si ignoravit illum esse excommunicatum. 9. q. 1.

Rea non est adulterij, quæ credens maritum mortuum nupsit alteri. 34. q. 1. & 2.

Cæcus judicandi officio fungi poteſt. l. 6. ff. de judicijs. Poteſt adoptare. l. 9. ff. de adoption.

Indebitum per ignorantiam ſolutum condicitur, ſecùs ſi ſciens ſolvit, tunc enim donaſſe cenſetur. l. 1. ff. de cond. indeb.

Blæſus ſervus dicitur eſſe ſanus, & ideò in eo non eſt locus ædilitio edicto. l. item oſilius. §. fin. ff. de ædil. ed.

Bona fides, ideſt ignorantiâ rem ad alium pertinere, tantùm præſtat poſſidenti, quantùm veritas. l. 136. ff. de Reg. Iur.

Interdùm quis poteſt juſtè ignorare factum ſuum. l. 46. ff. de adq. hæredit. de facto autem alieno non poteſt eſſe certus. l. 86. §. 1. eod.

Non intelligitur incompetenti ſe judici ſubjicere, qui ignoranter eum adiit. l. 15. ff. de Iuriſd.

Partus monſtruoſus non intelligitur eſſe in numero liberorum. l. 14. ff. de ſtat. homin. Tamen furioſus ſtatum & dignitatem retinet. l. 20. vndè patet quod magis toleratur defectus mentis quàm corporis.

Alimentis legatis, non continentur ea quæ ad diſciplinam pertinent, niſi illud teſtatorem ſenſiſſe probetur. l. 6. l. legatis, cum l. ſeq. ff. de aliment. vel cibar. legat.

Non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt. l. 20. cum ſeqq. ff. de legib.

Dubius litis eventus eſt in causâ cur tranſigatur. l. 15. ff. de pecul. l. 78. ff. ad S. C. Trebellian.

Numeratur inter ſervitutes vrbanorum prædiorum, ſervitus altiùs tollendi, ſicut & non extollendi. l. 2. ff. de ſerv. vrb. præ.

Coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur eo præſente feciſſe, niſi his intellſgat itaque ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat non videtur coràm eo feciſſe.

Numerando pecuniam noſtram nomine abſentis & ignorantis, ei quærimus actionem. l. 9. §. 8. ff. de reb. cred.

Error facti parit condictionem, vt ſi liber homo exiſtimans ſe ſervum decem dederit vt manumitteretur. l. 3 §. 5. ff. de cond. cauſ. dat.

Cum tibi nummos meos do tanquàm tuos, non facio tuos. d. l. & l. 7. eod.

Excuſatur à S. C. Macedoniano contrahens cum filio familias, qui publicè credebatur Paterfamilias, quando contrahebat. l. 3. ff. de S. C. Macedonian.

Non eſt locus S. C. Velleiano ſi mulier tanquàm in vſus ſuos pecuniam acceperit, alij creditura, quia ignorari potuit quid actura ſit. l. 11. ff. ad S. C. Velleian.

Revocatio mandati non præjudiciat procuratori, ſi ad ejus notitiam non pervenerit. l. 15. ff. mand.

Magna ruſticitas excuſat à tutelâ, vt magna paupertas, ſi quis ſe probet imparem oneri ferendo. l. 6. & 7. ff. de excuſat.

Error in corpore, vt ſi vnum pro alio ſumatur, vitiat diſpoſitionem: ſecùs ſi erretur tantùm in quantitate. l. 9. ff. de hæredib. inſtit.

Servi ſurdi aut cæci excuſantur, ſi Domino vim paſſo opem non tulerunt. l. 3. ad S. C. Syllanianum.

Quod per alluvionem agro noſtro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur: per alluvionem autem id videtur adjici, quod ità paulatim adjicitur, vt intelligere non poſſimus quantùm quoque momento temporis adjiciatur. l. 7. ff. de adq. rer. dom.

Procurator non tenetur, ſi ignoraverit ea quæ ſunt de apicibus juris. l. 29. §. quædam. ff. mand. vel cont.

Naturâ rerum inductum eſt vt plura ſint negotia quàm verba: ideò introducta actio præſcriptis verbis, cum non eſt determinata ſpecies contractus. l. 3. & 4. ff. de præſc. verb.

Ignorantia facti toleratur, non juris. l. 4. ff. de jur. & fact. ign. l. 7. & ſeqq.

Minores & mulieres poſſunt jus ignorare. l. 9. eod.

Si in patre, vel patriâ, vel aliâ ſimili aſſumptione falſum ſcriptum eſt, dùm de eo qui inſtituitur eſt conſtet, inſtitutio valet. l. 48. ff. de hæred. inſtit.

Qui ex rumore credit priùs hæredes inſtitutos mortuos, & ſic teſtatus eſt, quia hæredes quos ſcripſit non potuit habere, talis ſit hæres: ſi priores vivant obtinebunt, legatis tamen ſecundi teſtamenti ſolutis. l. fin. ff. de hær. inſt.

Novi operis nuntiatio poteſt fieri omnibus diebus, & adversùs abſentes, invitos, & ignorantes. l. 1. §. 3. ff. de no. oper. nu.

Error in ſyllabâ in nomine legatarij non nocet. l. 54. ff. de manu. teſtam.

Non omnis accuſator qui non probat cenſetur eſſe calumniator, potuit enim ejus error eſſe juſtus. l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpillian.

Ferè in omnibus pœnalibus judicijs ætati & imprudentiæ ſuccurritur. l. 108. ff. de reg. jur.

Permittitur militi, qui exceptionem peremptoriam per juris ignorantiam antè ſententiam non obtinuit, vt eam poſt ſententiam poſſit opponere. l. 1. C. de jur. & fact. igno.

Ideò milites eximuntur à ſolemnitatibus teſtamentorum, quia vix illas poſſent obſervare.

Error facti nec dum finito negotio nemini nocet. l. 7. C. de jur. & facti ignor.

Tranſigentes non oportet multùm inquirere de jure ſuo amore pacis. Tranſactio autem etiam nocte fieri poteſt. l. 20. C. de tranſ.

In multis parcitur minoribus propter defectum cognitionis. *Vide Gloria Principij.* initijs.

Magiſtratus militares illiterati poſſunt eſſe judices. l. 17. C. de judicijs.

Qui titubanti animo an debeat ſolvit, repetit quaſi indebitum. l. fin. Cod. de condict. indebit.

Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. l. 195. ff. de Reg. Iur.

Omnis definitio in jure periculoſa. lib. 202. eodem.

Ad quæſtionem facti non reſpondet Iuriſconſultus. l. 1. ff. de ædil. ed.

Admitti non debet quis ad probandum id, quod probatum non prodeſt. l. 1. Cod. de probat.

Valet ſententia, & de eâ teſtimonium, licet non exprimantur cauſæ, quæ judicem moverunt. cap. ſicut 16. de Sent. & re jud.

Cum vigeret de prædeſtinatione hæreſis, & in Concilio Tullenſi Patres parati eſſent publicè reclamare, cohibiti ſunt à Remigio qui vtilius judicavit, quæ eſſent Catholicæ fidei proferre, & ſic tacitè contraria condemnare. anno 859.

Prohibetur ſub pœnâ capitis Barbaros docere, arma & naves fabricare. l. vlt. Cod. Theod. de pœnis.

EX BIBLIIS.

SCientia inflat, charitas autem ædificat. 1. Corinth. 8.

Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam: 1. Corinth. 10.

Ex Adamo dormiente educitur coſta, vndè ædificatur mulier. Gen. 1.

Nocte naſcitur Chriſtus. Quære in Concordantijs, nox, ſomnus, parabola, & cæteras Repugnantias cognitionis.

Mulieres in Eccleſijs taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe; turpe enim eſt mulierem loqui in Eccleſiâ. 1. Corinth. 14.

EX THEOLOGIA.

EXtaſis intellectum præpediens, eſt effectus amoris. D. Thom. 1. q. 20. a. 2. ad 1.

Aliquid perfectè amatur, quod non perfectè cognoſcitur. 1. 2. q. 27. a. 2. ad 2.

Corpora aſſumpta ab Angelis ſunt de aëre inſpiſſato, oculis non pervio. 1. q. 51. a. 2. ad 3.

Non omnes Angeli percipiunt loquutionem vnius Angeli cum alio. 1. q. 107. a. 5.

Moyſes nominavit Angelos nomine lucis vel cœli, non autem propriè, quia loquebatur populo rudi. 1. q. 61. a. 2. ad 1.

Animæ ſeparatæ non ſemper cognoſcunt ea quæ hîc fiunt. 1. q. 89. a. 8.

Apoſtoli multa tradiderunt occultè, non in ſcriptis, vt formas Sacramentorum, ne irriderentur ab infidelibus. 3. q. 253. a. 4.

Artes quibus plurimi malè vtuntur, licet de ſe ſint licitæ, debent tamen extirpari de civitate per Principes ſecundùm Platonem. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4.

Neſcitur vbi Chriſtus corporaliter antè Aſcenſionem manſerit, cum hoc ſcriptura non tradat. 1. q. 55. a. 3. ad 2.

In baptiſmo ſermo dirigitur ad non intelligentem, quia efficit quod ſignificat. 3. quæſt. 66. art. 5. ad 3.

Deum eſſe non poteſt demonſtrari niſi à poſteriori. Non omne quod eſt præter intentionem eſt à caſu, vel à fortunâ, ſed tantùm contingens ratò. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 3.

Omnes exiſtentes in gratiâ habent ſemper donum intellectus in neceſſarijs ad ſalutem; in non neceſſarijs autem deficit, vt materia ſuperbiæ detrahatur. 2. 2. q. 8. a. 4. ad 3.

Lia fœcunda & lippis oculis, ſignificat vitam activam, quæ plus parit, & minùs videt. 2. 2. quæſt. 179. art. 2.

Chriſto moriente factæ ſunt tenebræ, ſcilicet in recreatione mundi ſicut in creatione.

Etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet in hominibus inæqualitas cognitionis. 1. q. 96. a. 3.

Anima ſeparata cognoſcit tantùm ea ſingularia, ad quæ determinatur, aut à ſe, aut ab ordinatione divinâ. 1. q. 89. a. 4.

Ignorantia particularium in beatis non poteſt eſſe cauſa erroris, quia recta cum ſit eorum voluntas non imperabit intellectui vt temerè judicet.

Actus animæ vegetativæ non ſubjiciuntur rationi. 1. 2. q. 17. a. 8.

Prophetæ ſæpè non cognoſcunt quæ prædicunt, quia eorum mente, vt inſtrumento vtitur Spiritus S. ſine vllâ diſpoſitione. 2. 2. q. 173. a. 4.

Neſcit Paulus an in raptu anima ejus fuerit à corpore ſeparata. 2. 2. q. 175. a. 6.

In templo erat propitiatorium, & in eo arca, in quo dicebatur Deus ſedere, ſed nulla ejus figura videbatur. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 6.

Nullus certò, niſi ex revelatione, poteſt ſcire ſe habere gratiam. 1. 2. q. 112. a. vlt.

De rebus fidei ſufficit revelatio facta Eccleſiæ, nec debet fieri omnibus.

Nemo per contemplationem poteſt pertingere ad viſionem divinæ eſſentiæ. 2. 2. q. 180. a. 5.

Anima Chriſti, quia fuit creatura, non comprehendit divinam eſſentiam, quæ infinita eſt. 3. quæſt. 10. a. 1.

Nativitas Chriſti non debuit omnibus eſſe manifeſta, ne impediretur redemptio. 3. q. 36. a. 1.

Conveniens fuit Chriſtum omnia publicè non docere, propter incapacitatem auditorum, nec etiam doctrinam ſuam ſcriptis mandare. 3. q. 42. a. 3. & 4.

Ejus Reſurrectio non debuit omnibus manifeſtari, ſed tantùm præordinatis quibuſdam teſtibus, vt per illos ad alios deveniret: in Nativitate, Transfiguratione, Miraculis, Reſurrectione. 3. q. 55. a. 1. & 2.

Non liniuntur oculi baptizandorum, quia pertinent ad inventionem, per quam non habetur fides. 3. q. 71. a. 2. & 3. Sal ponitur in ore eorum vt habeant diſcretionem in ſermone. Ibidem.

Fides nec requirit evidentiam rei revelatæ nec Dei revelantis, ſed ſolùm certitudinem.

Cœlum empyræum non poteſt ratione inveſtigari 1. q. 66. a. 3. eſt lucidum, ſed non emittit radios viſibiles nobis. Ibidem.

Cæremonialia dicuntur, quæ ſecundùm ſe non habent cauſam manifeſtam factorum, licet poſſint habere cauſam manifeſtam inſtitutionis. 1. 2. q. 101. a. 1. ad 4.

Chriſtus docuit in parabolis, vt indignis divina myſteria occultarentur. 3. q. 42. a. 2.

In doctrinâ factâ multâ occultantur, ne irrideantur ab infidelibus. 1. q. 1. a. 6. ad 3.

RELIGIONIS SECRETA *myſteria.*

APud Romanos Augures Solemni juramento ſe obſtringebant nunquàm artis ſuæ ſecreta cuiquam revelaturos. Vndè Augures, etiam ob crimen nunquàm deponebantur. Plutarch. in problem. Rom. 99.

Doctiſſimus Pontifex Scevola expedire exiſtimabat falli in Religione civitatem; quod etiam varro aſſerit. Præclara inquit Religio, quo confugiat liberandus infirmus, vt cum veritatem quâ liberetur inquirit, credatur ei expeditur quod fallitur. D. Auguſt. lib. 4. de civit. cap. 27.

Idem Varro de Religionibus loquens, dicit multa eſſe vera, quæ non modò vulgò ſcire non ſit vtile, ſed etiamſi falſa ſint aliter exiſtimare populum expediat; & ideò Græcos ſua myſteria ſilentio, & parietibus clauſiſſe; vt hinc prodiret magis venerabile conſilium, quo civitates regerentur. Idem D. Auguſt. cap. 31.

Romæ S. Sacerdos nunquàm caput aperiebat, ſed pileum auferebat. Plutarch. in problem. Roman. prob. 60.

Antiqui Iudæorum Rabini occultam Religionis ſcientiam habuerant, quam Cabalam Hebræâ linguâ nuncuparunt, quæ vox receptionem ſignificat, quod ſcientia illa nullis litterarum notis conſignata, ſed ſermone ab vno in alium tranſlata, & quaſi per manus tradita ſit. Hujus authorem Moyſem faciunt, quem eandem in monte Sinai, præter leges quinque libris inſcriptas, ex ipſo ore Dei accepiſſe ajunt. Tandem poſt captivitatem Babylonicam Eſdras Dei juſſu ſeptuaginta libros conſcripſit, quos tamen legere nemini præterquàm ſapientibus permiſſum erat. Sic habetur Eſdræ 14. Hos Cabaliſtas Origenes vocat mirabiles conſiliatios.

Religioſus ſermo multorum interventu venien-

tium, præsentiâ que violatur. Tractatum tota Majestate plenissimum irreligiosæ mentis est multorum conscientiæ publicare. Mercur. Trismegist. cap. 14. Æsculapio.

Obscura Hyeroglyphica Ægyptiorum erant scripturæ Sacerdotum.

Antiqui simulachra quæ existimabant diviniora ridiculis includebant Satyrorum figuris. Plato.

In Achaiâ est Junonis signum, quod nulli aspicere fas est, præter mulierem quæ sacris præest. Pausan. in Achaicis.

In monte Lyceo Iovis area est, quo hominibus non est accessus. Apud Hermionenses sub ditione Corinthiorum in Lucinæ templo Deæ signum, nemini nisi fœminis, quæ rem divinam faciunt, conspicere fas est: Pausan. in Corinthiac.

Apud Eleusinos ostenditur area Triptolemi, & ei dedicata ara: At quæ intrà sacrum parietem servantur, scribere prohibetur: Eorum enim aspectu, non tantùm ijs qui initiati non fuerint interdictum est, verùm etiam ne percunctari quidem aut audire fas quidquam est. Idem in Atticis. Corinthi porticus Apolloni Carnæo dicatus, quem nulli nisi Sacerdotibus, licet penetrare. Idem in Corinthiacis. Apud eosdem Isidis signum, quod solis Sacerdotibus conspicere fas. Ibidem.

Saliorum apud Romanos carmina, vix Sacerdotibus suis satis intellecta; sed illa mutari vetat Religio & consecratis vtendum est. Quintil. lib. 1. Institut. orator. cap. 7.

Fili Tati id à me discens silentium virtutis annuntia; nulli communicans regenerationis mysterium, ne tanquam calumniatores quidam reputemur. Mercur. Trismegist. in Pymandro. cap. 13. & suprà. Contemplativa, inquit, in silentio sapientia, semen ejus verum bonum. Ibidem.

Exod. 22. Si quis lacum aperuerit, & cum non texisset, animal aliquod in illum inciderit, solvet prætium. Sis cautus in verbo, occlude fontem qui vivit in profundo, ne in illum qui accedunt citra rationem decidant: Potum autem da sitienti. Res pulchriores apparent quæ medio videntur cristallo. Inter Aristotelis opera vocantur quædam ἐσωτερικὰ, ideſt interna alia ἐξωτερικὰ, ideſt externa. Aiunt Hipparcum Pythagoræum accusatum quod apertè scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum fuisse ex scholâ, & propter ipsum, tanquàm propter mortuum factam fuisse columnam. Thesauri in tquilijs absconduntur; ne diripiantur.

Dabo tibi thesauros absconditos. Esay. 45.

Regnum Dei Thesauro abscondito in agro comparatur. Math. 13. Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Psal. 50. Clem. Alexandr. lib. 5. Stromat. cap. 3.

Præcipiebat Pythagoras ne gestarentur annuli, an quibus expressæ essent Deorum imagines: videndi enim consuetudo vilem & contemptam redderet Deorum Majestatem. Mysticum nomen Tetrogrammaton ijs solis imponebatur, qui poterant ingredi adytum. Idem cap. 3.

Divina mysteria non tantùm per res nobiliores nobis significantur, sed etiam per vilia quædam; ne prætiosis mortalium animos perstringentibus, nulla supereſſet veri boni cognitio, & investigatio: hinc in divini tabernaculi erectione prætiosa quædam, vt aurum argentum gemmæ, purpura, byssus, hyacinthinæ vestes; pleraque vilia, vt mortuorum pelles animalium, fibulæ vestes; ænea quædam, altare æneum; saga cilicina ad operiendum tectum tabernaculi: erant & in penitiore illo sacrario Leonum depictæ imagines. Hæc symbolica Theologia à D. Dyonisio & Hierotheo vocatur, quâ inferiorum ad summa concinnenti collatione res divinæ melius explicantur.

Divinorum etiam cum humanis vnitatem & conjunctionem aperit. Alanus Varenius dialogo, de rerum vnitate.

Vide D. Dyonis. lib. de divin. nomin. & Commentarium Mari. Ficin.

Quod divinæ visitationes non sint vulgandæ. *Vide Cognitio Vir. Repugn.*

Pythagoras & Plato prætiosum divinorum mysteriorum secretum tanti fecerunt, vt non fragilibus cantis, sed æternis mentibus æternitati digniùs existirint commendandum. Sanctum enim non est dandum canibus, nec Margaritæ sunt projiciendæ antè porcos. Margaritæ inclusæ sunt naturaliter conchis & in profundo maris.

Custodiam & asservationem Sanctorum Levitis sacratas mentes habentibus committit Legislator. Philo. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.

Luna Soli conjuncta non lucet.

Paralipom. 7. dum templum dicaret Salomon, & victimas offerret, ignis descendit de cœlo, victimas consumpsit, & Majestas Domini implevit domum, nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini.

Ioan. 6. dicit Christus Apostolis, Habeo adhuc multa vobis dicere, sed non potestis portare modo. Vndè Apostolus scribens ad Corinthios 1. cap. 3. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non etcam & 2. Corinth. 2. Vidit quæ non licet homini loqui.

Implevam & abrogatam esse legem Iudæorum ostendit Christus, cum in passione suâ scissum est velum templi quo facto secreta templi patuerunt, itavt desierit esse Religio, cum desiit esse occulta.

Testâ operitur quod est in nuce esculentum, fidei enim semina solis convenit servari fidei agricolis. Clem. Alexand. Stroma. lib. 1.

Non mundo munda tangere Platoni videtur nefarium. Hinc Prophetiæ & responsa dantur per ænigmata; ideò Ægyptij Symbolicis & Hieroglyphicis litteris scribebant; ideò Appollo Pythius dicitur λοξίας, id est, obliquus: sapientes Græci paucis dictionibus multa comprehendebant. Dicit Deus. Aperiam in parabolis os meum. Psal. 77. Loquimur sapientiam inter perfectos. 1. Cor. 2. & Rom. 1. Non vult arcana fidei scriptis mandare. Clem. Alexandr. lib. 5. Stromat. cap. 2.

Sunt quædam fulmina, quorum præsagia non licebat aperire, nisi hospiti, aut parenti. Plin. libr. 2. cap. 54.

Tanta est virtus Sacrorum ritè Deo factorum, vt etiam si hæc ignores, piè tamen observes, non minorem habeant efficaciam. Iamblicus de myster. cap. 19.

Cohtur Deus incomprehensibilis Religione captum nostrum superante.

Trinitatis mysterium sub velamine revelatum Iudæis, ne eis daretur occasio credendi multitudinem Deorum.

Iudæi expertem æternæ salutis dicebant eum, qui nomen Dei Tetragrammaton pronuntiasset, sicut esset irreverens filius qui Patrem proprio nomine vocaret.

Mystica Theologia, quæ ad supersubstantiale occultum procedit sinè Symbolis arcta est, itaque eam stringere oportet, donec obmutescat; Symbolica verò quæ divina ad sensus nostros accommodat, ad congruam latitudinem extendenda.

Tibi ſilentium Deus in Sion; vbi legimus, Te decet hymnus Deus in Sion. Pſal. 64. Dominus paſcit turbas muris piſcibus. Math. 14. In divinis, ſilentium dicit & loquitur, omnis enim loquutio mente & interiori verbo inferior: vndè in divinis Pytagoricum obſervandum ſilentium. Alanus Varenius. lib. de rerum Trinitate.

Tacet Zacharias generaturus vocem. Luc. 1. Ego vox, &c. Et in illo ſilentio credidit. Vndè Credidi propter quod loquutus ſum. D. Auguſt. hom. 44.

Mentibus noſtris ſine vllo ſtrepitu canorum & facundum quoddam ſilentium veritatis illabitur, omni Muſico concentu ſuavius. Idem.

Dei viſitationes non ſunt vulgandæ. *Vide Cognit. Virt. Repug.* Et ideò extaſis & jubilus cum ſermo præpeditur. *Vide ſuprà Gloria Cognitionis.*

Valentinianus multa de rerum naturâ confingit fabuloſa. Triginta æonas, ideſt ſæcula, aſſerens extitiſſe, quorum principium eſſe profundum & ſilentium, quod Patrem appellat: Ex quibus duobus velut ex conjugio proceſſiſſe perhibet intellectum & veritatem, & protuliſſe in honorem Patris æonas octo. De intellectu autem & veritate proceſſiſſe verbum & vitam, &c. D. Aug. in præfat. ad quod vult Deum de hæreſib. hær. 11.

Iacob poſt viſionem dicit: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Gen. 28. *Vide infrà Demonſtrationem. Vide Cognitio Voluntatis. Repugn.* ſecretum.

Fumigationibus olim Dij adorabantur, habeat Chriſtianus cum fidei obſcuritate charitatis ardorem.

Populo Iſraël oppreſſo ab hoſtibus, antè tranſmigrationem abſconderunt Sacerdotes ignem ſacrum in puteo, & tabulas legis in ſpeluncâ montis ejuſdem, in quo Moyſes illas acceperat. itavt nemo potuerit hunc locum invenire. 2. Machab. cap. 2.

Non parva ſcientiæ pars eſt ſcienti conjungi: Deus habet oculos cognitionis; tu habe credulitatis; quod videt Deus, crede tu. Div. Auguſtin. in Pſal. 36. conc. 2.

Solutam & nullam in poſterum eſſe legem Moſaïcam oſtendit velũ templi in paſſione Chriſti ſciſſum.

De fide certâ ſed obſcurâ. *Vide Media Cognit.*

Gnoſticæ ad incutiendum cum admiratione terrorem, ad invenerunt nomina Numinum; nempe Barbelo, Prunicum, Ialdabaoth, Caulauchaud, Metran. Vide Baron. an. 68. num. 11.

Vide Æqualitas Cognit. De apertâ veritate.

Inter prodigia, cladis Iudaicæ prænuntia, illud refertur, quod Orientalis porta ænea interioris templi, quæ vix à viginti viris claudi ſoleret, viſa eſt noctis horâ ſextâ ſponte pateſcere. Baron. Ibidem. num. 34.

Elzai pſeudopropheta licitum eſſe dicebat Religionem ore negare, dum corde retineretur. Baron. an. 105. Idem aſſeruit Baſilides; & hoc diſcipulo ad ipſum accedenti dabat præceptum; tu omnes cognoſce, te autem nemo cognoſcat. Idem an. 120.

Hoc erat dogma Priſcillianiſtarum: jura, perjura, ſecretum prodere noli. Idem. an. 381.

Sapientiam loquimur inter perfectos; ſapientiam verò non hujus ſæculi, neque Principum hujus ſæculi qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio; quæ abſcondita eſt, quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit. 1. Corinth. 2.

Nos quæ à Deo donata ſunt nobis loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur: ſpiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur: quis enim cognovit ſenſum Domini qui inſtruat eum? Ibidem.

Scio hominem raptum vſque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. Cor. 12.

In Ecclipſi luminarium, cum Iupiter ſolus dominatur; incrementa & fœlicitatem omnem pollicetur. Ptolomæus prædict. Aſtrolog. lib. 1. cap. 8.

Sagittarius, cui dominatur Iupiter, habet in cuſpide nebuloſam. Religio ferit nos cæcitate.

SACRÆ SCRIPTVRÆ intellectu difficiles.

MVndus hic viſibilis, eſt Archetypi, Numinis ſacri, increatæ ſphæræ, altiſſimæque divinitatis potiùs veſtigium, quàm imago, cum ſenſibilibus ſit liber exaratus caracteribus.

Licet ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti non cum tantâ perveniatur difficultate, tamen tanta eſt Chriſtianarum profunditas litterarum, & in verbis, & in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet latitudo ſapientiæ, vt acutiſſimis flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem ſcriptura. Eccl. 18. dicit; Cum conſummaverit homo tunc incipit. D. Auguſt. Epiſt. 3. Voluſian.

Modus dicendi, quo S. Scriptura contexitur, quàm omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis: Ea quæ aperta continet quaſi amicus familiaris, ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque Doctorum: Ea verò quæ in myſterijs occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuſcula, & inerudita, quaſi pauper ad divitem; ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate. Hoc in promptis, quod in reconditis habens, ſed ne aperta faſtidirentur, eadem rurſus operta deſiderantur, deſiderata quodammodò renovantur, renovata ſuaviter intimantur. Huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſalubertimam, vel odit ægrotando medicinam. Ibidem.

Salubritet Spiritus Sanctus, ita Scripturas Sanctas modificavit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus à faſtidio detergeret; in vtroque enim languor cavendus eſt. Creſcit cum parvulis. Idem 2. de doctr. Chriſt. c. 6.

Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce antè nos ſuperficies blandiens parvulis, ſed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas; horror eſt intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris. Idem lib. 12. confeſſ. capite 14.

Latet aliquid in ſcripturis. *Vide Duratio Cognit.*

Ab omnibus videtur cœlum, ſed non latens in eo divinitas; ſic de Chriſti humanitate, ideò attentè examinandus. Sermo divinus. *Vide Duratio Cognitionis.*

Tenebroſa aqua in nubibus aëris, præ fulgore ejus nubes tranſierunt. In columnâ nubis loquebatur ad eos. Pſal. 98.

Voluit Deus ſcripturam eſſe obſcuram. Primò, vt in alijs rebus, ſic in Eccleſiâ eſſet ordo diſcentium, & docentium. Epheſ. 4. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, doctores, &c. Secundò, ſi eſſet clara, etiam ab infidelibus intelligeretur, & prophanaretur; Nolite ſanctum dare canibus. Math. 7. Tertiò, humilitatis eſt

exercitium. Confiteor tibi pater, quia abscondisti A hæc à sapientibus & prudentibus; & revelasti ea parvulis. Math. 11.

Ergò abscondisti non parvulis, quid est non parvulis? idest non humilibus: quid est non humilibus nisi superbis? hæc via Domini aut non erat aut latebat vt revelaretur nobis. August. Serm. 8. de verbis Domini.

Qui quæ non intelligunt in scripturis reprehendunt, similes sunt hominibus quibus displicent ea, quorum non capiunt vtilitatem, veluti si surdus videns movere labia loquentium, tanquàm superfluos oris motus, deformesque reprehenderet, vel si quisquam cæcus laudatâ sibi aliquà domo vellet palpando probare quod dicitur, & parietum lenitatem manu pertractans, in fenestras irrueret, easque velut inconvenientes, illi æqualitati redargueret, cavernasque ruinosas putaret. D. Aug. lib. 22. contrà Faustum. c. 8. B

Vide Cognitio Principij. Repugn.

DE RELIGIONE NON disputandum.

Vide Duratio Veritatis.

IMperatores Gratian. & Valent. l. 3. Cod. de sum. Trin. Prohibent sub gravissimis pœnis, ne convocatis turbis disputetur de Christianâ Religione. Nam & ex hoc tumultus concitantur, & fit injuria judicio Reverendissimæ synodi, si quis semel judicata, ac ritè disposita revolvere contenderit. C

Iuravit Gedeon Phanuelitis, dicens: Cùm victor in pace revertar, diruam turrim istam. Idest, rationes quibus error fovebatur. Philo Iudæus lib. de confus. linguar.

Hoc est membra Christi ægra non sanare, sed dilaniare; sero arare. & lætam segetem subvertere.

Non ad Scripturas provocandum est, nec constituendum certamen in his, quibus aut nulla aut parùm certa victoria est: imò hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse, æquo gradu negandi & defendendi diversâ parte statutum, pari altercatione, incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet; Videndum ergò quibus competat fides ipsa, cujus sunt scripturæ, à quo, per quos, quando & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. Tertul. lib. de præscript. D

Ovidius Medeæ Tragœdiam ex versibus à Virgilio hinc indè exscerptis partibus composuit, tales sunt & Homeri centonæ, vbique autem fœcundior divina litteratura ad facultatem cujusque materiæ: vndè illam ad suum sensum detorquent Marcion, Valentinus & alij. Ibidem. E

Ibidem cap. 15. probat cum hæreticis non disputandum de scripturis. In ipso, inquit congressu, firmos quidem fatigant. infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Fides nostra obsequium Apostolo debet, prohibenti. (1. Timoth. 6. & ad Titum. 3.) quæstiones inire, novis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam conventionem vitare: nam hæretici aut non recipiunt scripturas, aut non recipiunt integras, tantùm autem veritati obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptus stylus: sic perdes vocem in contentione, nihilque consequeris nisi bilem de blasphemiâ, &c. Ibidem.

De vanâ disputatione. *Vide suprà Majoritas Cognit. Mala.* & Res Fidei non esse curiosè investigandas. *Vide Media Cognit.*

QVÆ CASV BENE cesserunt.

VEra virtus esse potest, etiam citrà fœlicem exitum. *Vide Veritas Virtutis.*

Quod non expectas, ex transverso fit, & super nos fortuna negotium curat. Petronius arbiter.

Ferunt Socratem, si quandò excidisset cupitis aut destinatis, id sibi vtile quod evenerat æstimasse; nam meriti sui secutus interpres, ea conjectabat esse meliora, quæ casus dabat, quàm quæ animus appetebat. Symmachus. lib. 2. epist. 46.

Nonnunquàm & in procellâ confusis vestigijs cœli & freti alicui portus offenditur prospero errore: Nonnunquam & in tenebris aditus quidam, & exitus deprehenduntur cæcâ fœlicitate. Tertulian. lib. de animâ. c. 2.

Fœlix sæpè casus, in medicinis in Poëtarum raptu; in oratorum vehementioribus affectibus, in lectione, cum occurrunt nunquam excogitati, ne ab ipso quidem authore, sensus. In consultationibus, maximè bellicis, insperati motus, & furores quidam divini animos rapiunt ad ardua, sed profutura.

Orta tempestas sæpe navem è pyratarum insidijs eripuit; qui in canem lapidem projiciens casu navem occidit: Me, inquit, melùs ictum fortuna direxit.

Galenus refert quendam à leprâ sanatum, quia casu bibit aquam ex sitellâ in quam vipera intraverat: Sic artes omnes ex fortuitis occasionibus ortæ sunt. *Vide Principium Cognitionis.*

Fœliciora interdùm regna sub puerorum aut mulierum regimine. Rebus omnibus humana consilia non providet, sed multa divis relinquunt.

D. August. in Enchiridio ad Laurent. cap. 17. didicit se gratias egisse Deo, quod casu aberravit à viâ, in quâ illi Donatistæ insidias paraverant ad necem. Sic errans viator cuilibet non erranti latroni præferendus est. Profectò & ob hoc ipsum est vita ista misera quam vivimus, quod ei nonnunquàm vt non amittatur error est necessarius, absit vt talis sit illa vita, vbi est animæ nostræ ipsa veritas vita, vbi nemo fallit, fallitur nemo.

Quidam ebur tyranni gladio divisit, qui ad eum occidendum venerat, & rèm, quàm medicorum manus reformidaverunt, nocendo sanavit. Senec. lib. 2. de bene. c. 19.

Multos fortuita sanant, nec ideò remedia sunt; sic beneficium nesciens aliquis accipit, nemo à nesciente. In flumen alicui intrasse frigore magno causâ sanitatis fuit; flagellis aliquando quartana discussa est, & metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit. Idem.

Quam multos militiæ morbus eripuit? quosdam ne ad ruinam domus suæ occurrerent, inimicus vadimono tenuit: ne in pyratarum manus pervenirent quidam naufragio consecuti sunt. Senec. 6. de benef. c. 9.

Venenum aliquando pro remedio fuit, non ideò numeratur inter salubria, quædam prosunt, nec obligant. Senec. lib. 2. de benef. cap. 18.

Cum latentem inter milites veste mutatâ Achab, hostes invenire non possent, eum miles casu emissâ sagittâ occidit. 3. Reg. vult.

De his qui occasione adversitatis ad meliorem

frugem converteruntur. *Vide Veritas Virtutis.*

Miles à Carthaginenſibus pretio conductus vt Timoleonem Corinthiorum ducem occideret, ab alio milite caſu occiſus. Plutarh. in Timoleone.

Ariſtomenes Meſſeniorum dux captus à Lacedemonijs, & in caveam demiſſus, hinc ſe eripuit occaſione vulpis per ſubterraneas cavernas ad cavera venientis. Paulanias in Meſſenicis.

Olaus lib. 5. cap. 16. de rebus Septentrionalibus ſcribit apud Gothos & Suevios à fulmine tangi montes, marmoream duritiem ſuperantes, eorumque ictibus formari tùm pyramides, tùm columnas, quæ non minori arte excitæ videntur, quàm ſi humano labore à peritiſſimis artificibus.

Pyrrhi annulus, cui gemma in quâ novem Muſæ cum Appolline naturaliter inſculptæ videbantur. Habemus paſſim lapides, in quibus viſuntur arbores naturaliter inſculptæ. Vide Solinum cap. 11. Poliſhoſt. Plin. lib. vlt. cap. 1.

In quibuſdam antris incluſus aër, & ab externo, aut à mari per ſubterraneos meatus agitatus muſicos concentus edit.

De Inventione theſauri, cujus media pars cedit inventori.

De eis qui alleæ ludo lucrantur. Vide infrà hoc tit. *Minor. Cognit. Mala.*

Non multùm oportet conſilio credere, quia ſuam habet fortuna rationem. Petron.

Protogenes, iratus arti quod non poſſet ſpumam equi vt optabat exprimere, ſpongiam & penicillum in tabulam impegit, & illa repoſuit ablatos colores qualiter optabat, fecitque in picturâ fortuna naturam. Plin. l. 36. cap. 10.

In Parij marmoris ſaxo cuneis ſoluto Imago Sileni intùs reperta eſt. Idem lib. 36. cap. 5.

EX BIBLIIS.

SOpor in Adam, dum tollitur ab eo coſta ex quâ fit mulier. Gen. 2.

Deutero nomium non habebatur paſſim à populo.

Moyſes non loquitur de creatione Angelorum, ne rudis populus eos vt Deos coleret.

Initio tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Gen. 1.

Non apparuit Enoch, quia tranſtulit eum Dominus. Gen. 5. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ. pſal. 30.

Bona ignoratio linguarum in Babel, vt fieret diviſio populorum.

Irruit ſopor ſuper Abrahamum, dùm Deus ei revelat, quid futurum eſſet de ſuâ poſteritate. Geneſ. 15.

Gen. 16. Angelus loquitur Agar tergo obverſo. Sic Moyſi: Exod. 33. Clara enim Dei viſio non capitur ab oculo mortali.

Abraham ſuſcipit Angelos, putans recipere homines peregrinos. Gen. 18. Immolaturus filium hoc ei celat, & ſervis ſuis. Gen. 22.

Alligatus Iſaac ſignificat rationem alligatam in fide.

Rebecca ſponſatur incognito Iſaac, & eo occurrente velavit faciem. Gen. 22.

Agnus Paſchalis comedebatur nocte: Nocte populus Iſrael egreditur de Ægypto.

Vide ſupra paſſim. Religionis ſecreta myſteria.

Qui tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam loquens de Deo. Iob. c. 26.

Clamant duo Seraphim, Sanctus, Sanctus, & domus repleta eſt fumo Iſay. 6.

Verè tu es Deus abſconditus. Iſay. 45.

A Benedicite noctes & dies Domino, Benedicite lux & tenebræ Domino. cant. 3. Puer.

Ponens in theſauris abyſſos. Pſal. 23.

Domine cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: Iuſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus multa. Pſal. 35.

Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini: Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. Pſal. 70.

Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc, labor eſt antè me. Pſal. 73.

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Pſal. 76. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine; nimis profundæ B factæ ſunt cogitationes tuæ; vir inſipiens non cognoſcet. Pſal. 91.

Nubes & caligo in circuitu ejus; Iuſtitia & judicium correctio ſedis ejus. Pſal. 96.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus. Pſal. 103.

Statuo ſervo tuo eloquium tuum in timore. Pſal. 118.

Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam. Pſal. 146.

Averte oculos meos à me, quia ipſi me avolare fecerunt. Cant. 6.

Aves cœli comedunt ſemen quod ſeminatum eſt C ſecùs viam. Math. 14. Ideſt ſuperbi aburuntur doctrinâ nimis in vulgus expoſitâ.

Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Math. 18.

Chriſtus inviſibilis nobis in ſinu Patris, in vtero virginis, in deſerto, in inferno, in ſepulchro, in ſpecie hortulani vbique ſua divinitas nube humanitatis tecta. Hortus concluſus, fons ſignatus. Cant. 4.

In ſacrificio avium aſellæ frangebantur. Levit. 1.

O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Rom. 11.

Sacramentũ Regis abſcondere bonum eſt. Tob. 12.

In manibus abſcondit lucem. Tob. 36.

D Sapientes abſcondunt ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proximum eſt. Proverb. 10.

Noli conſiliari cum eo qui tibi inſidiatur, & à zelantibus te abſconde conſilium. Eccleſi. 37.

In vmbrâ manus ſuæ protexit me, & in pharetrâ ſuâ abſcondit me. Iſa. 49.

Nam cum in Perſidem ducerentur patres noſtri Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutari ſunt eum, itaut omnibus ignotus eſſet locus. Macc. 41.

Viro, cujus abſcondita eſt via, & circumdedit eum Dominus tenebris. Iob. 3.

E Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior. Prov. 9.

Eleemoſina tua ſit in abſcondito: Ora patrem tuum in abſcondito. Math. 6.

Abſconſe enim ſacrificabant juſti pueri bonorum. Sap. 18.

Cum enim quietum ſilentium tenerent omnia & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus venit. Ibidem.

Nox præceſſit, dies autem appropinquavit abjiciamus ergò opera tenebrarum. Rom. 3.

In ipsâ nocte erat Petrus dormiens vinctus catenis duabus. Act. 12.

Omnes ſcandalum patiemini in me in iſtâ nocte. Math. 26. Petrus Chriſtum negavit, cæteri quaſi incognitum fugerunt.

Præceptor

Præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus. Luc. 5. verbo autem illius illuminati conclu-
A ſerunt piſcium multitudinem copioſam.

Venit nox quando nemo poteſt operari. Ioan. 9.

Deducebatur populus Iſraël per diem in columnâ nubis. Exod. 3. id eſt in fide.

Veniam ad te in caligine nubis. Exod. 101.

Operuit nubes tabernaculum. Exod. 4.

Virtus ejus in nubibus. Pſal. 56. in myſterijs fidei, in ſimplicate prædicatorum Evangelij, in ſolitarijs, quibus dignus non eſt mundus.

In conſpectu ejus nubes tranſierunt. Pſal. 17.

Nubes & caligo in circuitu ejus. Pſal. 88.

Qui operit cœlum nubibus. Pſal. 134.

Omnes ſub nube fuerunt, Baptiſati ſunt in nube.
B 2. Cor. 10.

COECITATIS conſolatio.

SAnctus Iacob, cum in ipſis mortis eſſet diebus viſus privatus, videbat futura, qui credebatur non videre præſentia. D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. c. 9.

Timoleon poſt multas victorias, poſt expurgatam à tyrannis Siciliam, viſum amiſit, tamen in conſilium
C vocabatur in rebus maximis. Plutarch. in Timol.

Amiſſionis oculorum caſus quæſitum non adimit honorem. l. 8. Cod. de decur.

Cum Dydimus, vir in ſacris litteris eruditiſſimus, mœſtus eſſet de amiſſione oculorum; illi ſic D. Antonius, miror prudentem virum ejus de rei dolere damno, quam formicæ, muſcæ, culices habent, & non lætari de illius poſſeſſione, quam ſoli Sancti & Apoſtoli meruerunt, &c. D. Hieron. ad Caſtrutium. ep. 33.

Oculis careo, deſiderium levius ignotæ rei: Cœlum terramque non aſpicies, ſed cœli terræque Dominum ſpectandi tibi facultas non eripietur. Quocumque te vertas, vndiquæ inſaniæ regnum, & in
D hoc ſtatu perdidiſſe oculos, fugæ & ſolatij genus eſt: Clauſæ ſunt vndè mors intrabat, feneſtræ, multiſque vitijs obſtructum iter gulæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ: quantùm animæ tuæ hoſtibus demptum eſt, tantum tibi accreviſſe credito. Perdidiſti duces malos, qui te in præcipitium ducebant mirum dictu, lucidiſſima pars corporis totam animam in tenebras trahit, nolite quærere quæ videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt, & quæ non videntur, æterna; lumen animæ ſerva. Solent qui altero carent oculo clariùs vi-
E dere; non membra, ſed animum quærit Deus. Homerus & Democritus oculis caruere; Homerus autem ſibi eruiſſe fertur, ne viſus corporis obeſſet menti. Tyreſias cæcus oculis, mente lyncæus, & vates fuit. Diodorus Stoicus, cùm eſſet cæcus, ſibi libros curabat legi, vndè animus reficeretur joco illo dignus, qui ampliùs de cæcitate quæritur; Iam vno puero comitatior gradietur.

Excellentiores virtutes oculis carentes deſcribuntur à Poetis, Fides non videt oculis, ſed auribus; Spes manibus; Amor corde tantùm videt; oculi Iuſtitiæ vittâ cinguntur, & omnes illæ cæli filiæ oculos non habent, vt terrena & ſordes, ſed vt divina videant. Iam fies Dei domeſticus, & ex familiâ cœleſti, in numero virtutum inſcriberis. Fœlicitas & converſio Pauli à cæcitate incœpit; Nec vnquàm clariùs vidit, quàm cum homines videre deſijt: Vno ictu cœleſti cor ejus & oculi feriuntur: Illi terrenis clauduntur, illud cœlo aperitur.

CONTEMPLATIVI minùs ſunt perſpicaces in negotijs humanis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Sapientes contemplativi mundanam ſcientiam volunt ignorare, quia tota verſatur circa bona fortunæ, quæ ipſi deſpiciunt, nec curant de
B his acquirendis.

MAGNITVDO. Si multa ſunt illi ignoranda, mavult neſcire particularia quàm vniverſalia, non vult vti intellectu præcipuâ ſui parte & nobiliori, vt fortunæ & opinioni ſerviat.

DVRATIO. Quærit æternas veritates immortalis animus, nec patitur nugis, ſcenæ inſtar mox deſinentibus; tàm brevis vita non ſic debet profundi, major habenda temporis ratio; gaudet mens impleri idæis & ſcientiæ habitibus, qui illi poſt diſſolutionem corporis ſuperſint.

POTESTAS. Rectoribus neceſſaria eſt mundana ſcientia, ſed ſicut ſapiens regimen aſpernatur, ſic &
C ſplendidæ illius ſervitutis artem.

COGNITIO. Sapientia eſt quaſi Architectonica, quæ ſe non dimittit ad particularium artium humilia opera; Sedet judex, vt cum libuerit ad humanum hoc ſpectaculum divertat oculos, in arenam aut theatrum nunquàm proditura.

VOLVNTAS. Superfluum eſt illi ſcire, quæ nunquàm vult implere, odit vanitates, dolos, ſimulationes, & ſimilia, quibus conſtat humana ſcientia, rèi autem odioſæ etiam relatio aut conſpectus lædit nos.

VIRTVS. In ſolido poſita virtus dedignatur aures aut oculos præbere fremenubus circà ſe vanitatibus; ſuis intenta, aliena non curat, illi non modò ſuperflua, ſed & nociva, & quæ aut conſtantiam tentant, aut
D mentem, quæ tota vacare debet ampliſſimæ ſapientiæ, falſis implent imaginibus.

VERITAS. Veritatis amator non ſuſtinet dolos & ſimulationes, quibus ſe mutuò mundani circumveniunt, arte artem fallentes: ſunt hæc ſingularia, infinita, incerta, vana, fallacia, ideò pugnant cum veritate, quæ vna eſt ſimplex, conſtans, æterna, & quæ ſola poteſt mentem implere.

GLORIA. Nulla quies menti, ſic extrà regionem ſuam falſis vndique rumoribus agitatæ. Ars hæc mundanorum non tam conſtat ingenij acumine & induſtria, quàm conſcientiæ turpitudine: qui minùs habet probitatis fœlicior exiſtit vt plurimùm: quis probet ambulatoriam artem, quâ quis concinnè præcipitem ſe dat? & vt ad breve tempus in hac mundanâ
E ſcenâ triumphum agat, æternæ pœnæ ſe ſervum conſtituit?

DIFFERENTIA. Finita mentis virtus minor eſſet & minus ſufficiens ſummæ ac infinitæ veritatis contemplationi: Naturas rerum novit & ordinem qui ſe à mundanis ad cœleſtia cognoſcenda totum dedit. Guſtavit quàm ſuavis eſt Dominus, nec jam poteſt voluntas ineſcata tanto bono, nunquàm ſatis volito, ab eo ſe avertere, cætera fugit, huic ſolo adhærere nititur, Magiſtraturas, principatum, ipſumque ſolij culmen ac regiminis myſteria quaſi nugas & exilij ſui compedes aut ſervitutis triremem deſpicit.

CONCORDANTIA. Solitudinis jam amans effecta, ſicque terrenis libera anima, totam ſe dilecto ſuo

regendam committit, loquentem cordi ſuo audit, & viciſſim cor ſuum oſtendit, ſicque confuſis vnitiſque viribus trahitur & in odorem vnguentorum illius currit; cæteris occupari non vult, ideò his non attendit ſed præteriens mundana contemnit.

CONTRARIETAS. Putruerunt hæc infimâ purioris climatis aëre delibato, horret tenebras hujus vallis, vbi vmbra mortis, interminabile bellum ſinè vllâ pacis ſpe, vbi ſempiterni horroris imago in confuſione prudentiæ caruis, quam averſatur, inhabitat.

PRINCIPIVM. Alijs jam inimitur Principijs, aliud objectum ſulpicit, hinc diverſæ ipſius notiones, receptis apud mundanos axiomatibus ex toto contrarias: Alteri Domino ſervit, ſub altero militat; hinc diverſa ipſius ſtudia, alijs legibus vivit, alterius etiam juris, & ſcientiæ Principijs ducitur.

MEDIVM. Lumen quo illuminatur à tenebris non comprehenditur; ad lucem poſiti præ cæteris cæcutiunt, hinc qui veritatis æternæ Soli aciem mentis infixit, nihil niſi tenebricolum foris reputat, quod refugit.

FINIS. Neſcio quâ virtute alliciuntur, ſed qui ſemel ea quæ ſpiritus ſunt guſtaverunt, ſpiritu ducuntur, ſpiritualibus adhærent, ſpiritu vivunt, & quaſi jam Patriæ Cives ſe advenas mundo profitentur.

MAIORITAS. Quidni majores effecti minora ſpernant, & ſupernæ Ieruſalem legibus intenti, hujus mundanæ civitatis primas etiam cathedras dedignentur, Chriſto ſervire regnare eſt. Elevatum eſt cor illorum, defierunt eſſe parvuli, ideò nec ampliùs quæ parvulorum ſunt, aut ſentiunt aut loquuntur aut ſectantur.

ÆQVALITAS. Plenitudinem ætatis Chriſti ambiunt, ſequuntur ipſum, ipſique per omnia quantùm poſſunt ſe coaptant, vt ſi quomodò comprehendant, vt ipſius imagini conformentur.

MINORITAS. Qui vult autem ſapiens in Chriſto fieri, qui eſt ſapientia incarnata, ſtultus fiat neceſſe eſt, jam non ſibi nec mundo vivat, nec ſecundùm carnem ſapiat, ſed ei qui pro ipſo mortuus eſt, dormiat ceſſentque in ipſo prudentiæ humanæ actus, vt hoc ſomno ſenſuum ac rationis ſolius naturalis, vegetior ſit intellectus, quo ſcientiæ ſanctorum, quæ eſt vera ſapientia, myſteria penetret.

QVÆDAM OPTIMVM eſt non videre, nec ſcire.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quædam ex ſe bona non ſunt aliquibus convenientia, vndè melius eſt illa ab his non videri, ne objecta moveant appetitum, qui fruſtratus cauſet triſtitiam, aut ſatiatus morbum; ſic pueris, ægris, amentibus, etiam amicis, & Principibus non oſtenditur, quod illos non decet appetere; ſic velata incedit mulierum pulchritudo, ne accendat concupiſcentiam.

MAGNITVDO. Magnum quid aggredienti, conſultiùs eſt illud per partes conſiderare, non totum ſimul, ne rerum mole opprimatur & concidat animus: Per abrupta gradientes avertunt oculos à præcipitio, ne caput vertigine tentetur: Sic qui dignitatum apicem conſcenduut, imminentia hinc indè pericula non conſiderant.

DVRATIO. Infirmæ mentes præſentibus tantum debent intendere; non præteritis, quæ dolores, & iras revocant; non futuris, vndè ſeipſam torquens anxietas. *Vide Majorit. Cognit. Mala.*

POTESTAS. Rectores non decent ſpeculatrices tantùm ſcientiæ; quæ ipſos ab actione neceſſaria revocent, & vitæ particulari affigunt eos, qui ſe totos dẽbent Reipublicæ. *Vide Cognitio Poteſt.* Vt equis, bobus, & cæteris animantibus, ſic populis ad obſequium natis, meliùs eſt vires ſuas ignorare, quàm illas experiri contrà legitimos Principes, à quibus aut victis laborent anarchiâ, aut victoribus extremam paterentur ſervitutem.

COGNITIO. Optima eſt ignoratio artis aut ſcientiæ prohibitæ, vt Magiæ, & illarum artium, quæ in peccata jam labentes propellunt. Cholerici, militarem artem non profeſſi arma non tractent; ne ſi feritati accedant induſtria & vanitas, liberiùs humanum fundant ſanguinem.

VOLVNTAS. Amoris oculos vitta ſubcingit, ne videat rei amatæ defectus, imminentia in proſecutione pericula, & futura poſt fruitionem damna. Vix quiſque vellet matrimonij jugo colla ſubmittere, ſi ejus onera omnia penſaret, & nuptiarum feſtivum apparatum lætum eſſe libertatis ſuæ funus.

VIRTVS. Virtutes, etiam ſub prudentiæ luce, multa conſulto non vident. Temperantia non vult videre, quæ non licet appetere, ſibique etiam in talibus fugâ conſulit. Fortitudo, ne ab inceptis deterreatur, autem non præbet falſis populi rumoribus, nec reputat quid ſit paſſura, ſed quid conſecutura. Iuſtitia cæca pingitur, quia ſinè perſonarum acceptione jus ſuum cuique reddit. Ipſa prudentia, licet oculatiſſima, ſe temperat à nimium curioſis inquiſitionibus, delationibus, ſuſpicionibus: multa in regimine diſſimulanda, & conniventibus oculis prætereunda.

VERITAS. Lex omnis non ſuadet, ſed imperat; nec decretorum profert rationes, ne contrarijs rationibus oppugnentur.

GLORIA. Vt ſis quietus, ne ſis curioſus: ſic Zelotypi in ſupplicium ſuum, & in familiæ ſuæ ruinam ſunt oculati. Etiam animæ ſeparatæ non vident in verbo, ex his quæ hic fiunt, niſi ea quæ ad ipſas pertinent. *Vide Majorit. Cognit.* alienis non ſe immiſcere negotijs.

DIFFERENTIA. Peregrinatio, quæ multos luſtrat populos, prodeſt quidem his qui ad regimen vocantur; cæterorum animos, vt plurimùm, efficit varios, dubios in moralibus, & interdùm in Religione: fœlicior eſt mens ſuo lare, ſuiſque patrijs moribus contenta.

CONCORDANTIA. De initâ ſemel amicitiâ & ſocietate non eſt ampliùs inquirendum: ipſa enim ſuſpicio lædit, & dùm putas efficis parùm fideles.

CONTRARIETAS. Ira pericula non attendit; ſic confuſis clamoribus tubarum & tympanorum confunditur militum mens, vt tollatur imminentis periculi & mortis metus.

PRINCIPIVM. Generoſis quibuſdam genijs profuit non noſſe humilem ſuam ex obſcuris parentibus originem. Neſcit mens humana rerum cauſas, nec cognoſcit formas ſubſtantiales, ne immutet legem naturæ. In pueritiâ mens & ratio vacat, vt ſpiritus integri ad corporis tunc neceſſarium profectum impendantur.

MEDIVM. Qui ad negotium aliquod aſſumuntur miniſtri, tantùm de illo debent ſcire, quantùm expedit vt officio ſuo fungantur. In multis alijs media tantùm debet eſſe cognitio, quædam ſciens, cætera ignorans. *Vide Med. Cogn.*

FINIS. Oculis terminum poſuit natura, vt eun-

Digitized by

dem cupiditatibus præfigeret. In ſenibus ſenſus, & ratio paulatim deficiunt, vt mors ſit illis minùs gravis, vtque minùs ſentiant crudelem hanc inciſionem, dùm illos quaſi narcotico præmunit miſericors natura. A

Maioritas. Vt vivas ſorte tuâ contentus, fœlicemque te in mediâ fortunâ reputes, vide infrà te poſitos, non ſuprà. In virtutis autem ſtadio non eſt retrò reſpiciendum, ſed ad anteriora; nec reputandi ſunt facti, ſed faciendi profectus.

Æqvalitas. Cum ratio aut leges tibi aliqua præcipiunt, ne attendas ad exemplum tuorum ſimilium, contraria ſequentium. In pari conditione, impar ſit & rectius tuum obſequium, quis enim relicto prototypo velit deficientem & deformem ejus imaginem imitari? B

Minoritas. Ad meliorem frugem converſis conſulitur præteritorum obliviſci, nec modò ab actibus, ſed etiam ab idæis malorum abſtinere, vt ſit perfecta illorum evacuatio; vt quaſi letheo flumine poti, novam hanc vitam novi ingrediantur, ſicque diſponantur, quaſi tabula raſa, aut materia ad melioris formæ receptionem. Inferiores naturæ gradus non habent ſuperiorum potentias: ità nec cognitionem, nec appetitum, nec actionem: Sic in mundo civili, diverſis ordinibus varia competit cognitio, in inferioribus minor. Virtutem profeſſis meliùs eſt aliorum peccata neſcire, vt enim malorum converſatio, ſic & ipſa cognitio, contagioſa eſt, & labem quandam animis infert. *Vide Cognit. Minorit. Mala.* C

RELIGIONIS SECRETA myſteria.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Deus ineffabilis & incomprehenſibilis colitur Religione captum noſtrum excedente, vt ſuo principali conformetur acceſſorium; Talia ſunt Dei beneficia, maximè in ſpiritualibus, vt etiam neſcientibus nobis opem ferant. Sic ſol plùs habet luminis quàm ferre poſſint occuli, quos etiam renuentes ad viſionem ſollicitat. D

Magnitvdo. Magno animo Deum ſentienti nihil hîc magnum eſt; vndè vult tranſgredi quidquid aſſequitur, ſibique ſemper aliquid vltra fingit & optat: Cum verò latent myſteria, non eſt quod procedat vltrà non datum terminum; nihil poteſt addere myſterio, cujus neſcit rationem, vndè quod latet habet aliquid infiniti, vltrà quod divagari non poteſt animus.

Dvratio. Intacta, quia ſic illæſa, diutiùs conſervantur: Sic occultis myſterijs exhibetur veneratio, donec ex ſecretis fiant antiqua, & prophanas curioſitates præſcriptione quadam ſubmoveant. E

Cognitio. Religio vtitur ſacrificijs, vt Deum teſtetur & colat, quaſi bonorum omnium authorem; Id autem maximè præſtat, cum primæ veritati viſibilium & inviſibilium creatrici immolatur victa ratio, cui cætera omnia ſerviunt. Velantur pulchra & divina, ne in contemptum veniant; quæ autem latent ſpem alunt, & intentos curioſitate animos detinent.

Potestas. Religio non ſuadet, quia vult dominari, vndè legem dicit ſuo, non alieno arbitrio; ſub illâ enim humanæ mentes debent parere, non judicare.

Volvntas. In divinis coërcetur ratio, vt quod illi ſubtrahitur accreſcat amori; totaque anima vires ſuas integras effundat in affectus: Cum enim in moralibus rationis proprium ſit movere voluntatem; In Religioſis, illius vices ſupplet divina illuſtratio, vtque gratiæ movetis & trahentis.

Virtvs. Religio virtutum moralium apex eſt, tàm ſublimis, & a materiâ tàm alienus, vt oculos noſtros fugiat: fortiùs operamur ſub hoc divino imperio, quam ſub virtutum limitatis ad mediocritatem legibus.

Veritas. Amplior habetur fides myſterijs occultis, quàm probatis: Sic compendio remanet veritate ſatiata mens. Veritas vna eſt, at vna non poſſet conſiſtere inter varios & diſſidentes ingeniorum captus.

Gloria. Non eſt ſatis pudica de quâ quæritur. Læderetur Regia Majeſtas ab eo qui de ejus ſtirpe inquireret, & dubium ipsâ inquiſitione teſtaretur. Maximum fatemur ſplendorem, cui oculos ſubtrahimus. Cum ex ſecretò vana appareat inquirendi ſpes, mens quieta manet, & Religio altâ pace fruitur.

Differentia. De occultis, quantumcumque ſint varia judicia nihil poteſt decerni, ſic fruſtratur inconſtantia mentis humanæ, ſemperque reſtat in myſterio aliquid majus ſupponendum, quam quod de illo conjicitur, vndè diverſitas imò & contrarietas moralis fœliciter in vnitatem coincidit.

Concordantia. Oſſa & ligamenta, quibus conſtat tota compago corporis, ſenſu carent, vt laborem non patiantur. Sic Religio, quæ ſocietatis humanæ nexus eſt, non debet ipſa dubijs vexari; ab his autem non ſe vindicabit, niſi occulta. Solis radius ſic ad nos deſcendit, vt tamen ſuprà nos ſit, & origini ſuæ hæreat; Deus ſic vbique eſt, vt tamen ſit ſuper omnia. *Vide Media Concordantia.* Sic quæ tractamus Religionis myſteria captum noſtrum excedunt.

Contrarietas. Dirimuntur controverſiæ certis quibuſdam principijs, quorum non quæritur ratio. Illæſum ſe præſtitit Gyges, & Imperium obtinuit annulo magico, quo ſe inviſibilem ad libitum præſtabat.

Principivm. Conſtituenda eſt ergò Religio inter ea principia, quæ non poſſumus inveſtare, licet fœlices eorum ſentiamus effectus. Sic latent vitæ noſtræ principia; ſic ſani non ſentiunt vitales ſuas partes, cor, hepar, cerebrum, pulmonem, lienem, &c.

Medivm. Mens humana ſpernit minora quæ aſſequitur; non fert majora ſupra ſe poſita, & blaſphemat quæ ignorat, ne ignorare videatur: At quod eſt occultum medium quoddam tenet inter vtrumque, vt nec humile, nec nimis altum habeatur.

Finis. De vltimis diſpoſitionibus non dubitatur, vt nec de fine; Religio autem eſt medium proximum, à Deo inſtitutum, quo poſſimus ad ipſum accedere.

Maioritas. Cum ſimus in medio rerum poſiti, fatendum eſt quædam ſuprà nos eſſe; quid autem excelſius Religione, quæ licet ſe ad nos demittat, aliquà tamen ſui parte ſuperior eſt, quà nos Deo conjungit.

Æqvalitas. Æquale remanet, quod in neutrum partem poteſt trahi: vt ſublatâ fortunæ inæqualitate, omnes homines ſunt in ſpecie & apud Deum æquales; ſic in Religionis myſterijs, quæ jam æternitatem alteriúſque mundi leges ſapiunt, idiotæ, pauperes, doctis & divitibus æquantur, vndè vi gratiæ ſufficientis poſſunt omnes eſſe pij & ſancti.

Minoritas. Cum humanis & materialibus in Religione vtendum ſit, non poteſt illis amplior majeſtas conciliari quàm ſecreto & arcano nullis pervio,

itavt illi excellentiora quælibet ingenia imparia, & inferiora habeantur.

DEFECTVS COGNITIONIS malus.

MISCELLANEA.

NArcotica medicamenta, quæ consopiunt, non sunt adhibenda, nisi cum magnâ cautelâ, sunt enim periculosa, quia consopitos spiritus tandem extinguunt.

Gustus læsio perseverans facultati naturali perniciosa est, sic enim homo alimenta discernere nequit.

Animalia noctu vagantia, quia infirmos habent oculos, sunt fera, & cæteris minùs perfecta.

Multa animalia cæcos fœtus edunt, vt canes, lupi, catti, &c. sic initio mundi nondùm perfecti & ornati tenebræ erant super faciem abyssi.

Nomades in temporum dinumeratione non diebus sed noctibus vtebantur. Vita enim nostra nox est.

Terræ motus potissimùm noctu evenire solet. *Vide Repugnantias Malas Cognit. Bonit. Mag. &c. aligrum Principiorum.*

Aër inclusus in visceribus terræ, sivè per meatus & poros immissus, sivè illic generetur, propter periculum inanitionis, ferè semper pestilens est dùm egreditur; in tenebris enim pestiferas contrahit & emissus effundit qualitates.

Non sentit seipsum sensus, organumque suum, quia non est actu sentiens, sed tantùm potestate. Sic nemo est æquus sui judex. *Vide Volunt. Bonit.* Inordinatus sui amor. Sensus non percipit qualitates organo ejus inhærentes, nisi forte per reflectionem; Non sentimus calorem nostrum, hinc appetitus famæ & laudis, vt alieno nitamur judicio, qui nostro non possumus.

Ad Athlantem feruntur populi, quibus somnia nulla, qualia cæteris mortalibus, vt refert Plinius. Somnia nulla ex Herodoto in Melpomene; cujus rei causa est spirituum torpor, hebetudo, tenuitas, lubricitas.

Desipientiæ, quæ jam admodùm fractis debilitatisque viribus succedunt, pessimæ. In febribus insaniæ vehementes silente ægro, sed non privato voce, lethales sunt. Mente ob melancholiam abertantibus tremores supervenientes, maligni. Hypoc.

Delipientia cum difficultate spirandi & sudore, lethalis. Desipientiæ quæ circà necessaria fiunt, pessimæ; & quæ ab his ingravescunt, exitium portennunt. Idem.

Homo ignorans, est quasi homo pictus, & homo æquivocè.

Numquàm minùs quàm in bello eventus consiliis respondent.

Non solùm ipsa fortuna cæca est, sed etiam plerumque efficit cæcos, quos amplexa est. Cicero in Lælio.

In bello tàm timere debemus errores proprios, quàm hostium insidias.

Non nisi desperatis in rebus ducendus est exercitus per loca incognita. Sic non est ducendus nocte, si timeas fugam & desertionem militum.

Accessiones, quæ ob morbos ventris, hepatis, vel tabem fiunt, sunt quotidianæ, & invadunt sub noctem. Galen. in aphorif. 12. lib. 1.

Animi defectio, totiusque in oculo lucis impedimentum: imbecillæ animalis facultatis sunt signa. Galen. sic morientibus & senibus caligant oculi.

Balbi habent cerebrum humidius.

Frigoris hyberni causa est sol, dum obliquus, humilis, & brevi tempore supra terram fertur.

Fumidus aër lachrymas excitat.

Hecticarum febrium calor noctu exasperatur.

Qui consilium dat, præstare fidem non eventum debet: defuturi sunt, qui suadeant, si malè suasisse periculum est.

Samnites discolori veste in bello vtebantur vt denotarent fortunæ inconstantiam.

Aliquid luminis ex oculis emicat, ad visionem tamen inutile. Sic intellectus imperfectam habet notitiam rerum spiritualium & divinarum.

Omnis improbus est ignorans, quia non satis prospicit.

Ingravescente Elephantia, præ stupore cutis sensus perit, vt ne infixa quidem acicula dolorem moveat, neque inspersa fervidior aqua exurat.

Videtur pars corporis Lunæ absumi, secundùm quod lumine orbatur.

Plato lib. 7. de Repul. dicit homines in spelunçà alligatos, vultu deorsùm videre tantùm vmbras rerum superne existentium.

Si mendacium in sermone est odiosum, multò magis illud quod est in animâ, scilicet ignorantia, per quam circà rerum veritatem sibimet animus ipse mentitur.

Qui in falsum, etiam in nihilum cadit, quia veritas cum ente convertitur. Idem lib. 2. de Republ.

Idem 2. de legib. dicit ignorantiam boni defectumque prudentiæ, & in homine, & in civitate omnium esse gravissimam, etiam si adsint aliæ notitiæ. Hæc est autem cum sensus rectæ rationi, tanquàm dominæ, non obediunt. Hinc pueriles formidines, quæ animam nondùm expergefactam, & suo jure non vtentem relinquunt imaginationis arbitrio.

Idem in Minoë, dicit turpissimum esse scire quæ corpori conveniunt, ea autem quæ menti, ignorare.

Idem in Sophistà dicit, turpitudinem nihil aliud esse, quàm deformitatem, quæ resultat ex dissonantiâ eorum, quæ naturâ cognata sunt; hinc concludit, quod cum animus habeat inclinationem ad verum; ignorantiam esse deformitatem animi.

Idem in Prothagora, defectus omnes ignorantiæ adscribit; nemo enim vltrò in malum fertur; Ità timidus nescit quid timere debeat, quid non.

Rerum veritatem ignoramus, quia latent nos abditæ rerum causæ, essentiæ, proprietates; nam propter continuum naturæ fluxum & turbinem, radius notitiæ reflecti inconcusse non potest; agitantur tamen homines circà artes ne torpescant. Vniversa hæc videri, non sciri, putabat Socrates, & eo quod se nihil scire diceret sapientissimus habitus est ab Apolline.

Ignorantia mors est animæ, vndè Pythagorici sepulchra construebant ijs, qui è Philosophiâ revertebantur ad communem & activam vitam.

Morsis ab aspide evenit obstupefactio sensus.

Pili & vngues, quia multùm sunt terrestres, nihil sentiunt.

Putant Stoici omnia fieri providentiâ & fato, casumque dicunt esse nostram ignorantiam.

Vide Contrarietas Cognitionis.

Sub Antarctico Polo frigus est magis intensum, quia pauciores sunt stellæ, quæ suis radijs illud temperent.

Crebrius noctu fiunt terræmotus, propter frigo-

Digitized by Google

ris antiperistasim, quo spiritus in angustum cogitur, & exalefactus dirrumpitur.

Leoni vis tota in oculis : torpescit ejus ferita, si etiam leui injectu caput valetur.

Vis consilij expers mole ruit suâ ; sic vir fortis, sed cæcus, eò grauiùs impingit, quò celeriùs curit. Populus omnes in faustos eventus imputat inopi consilio.

Vestes in obscuro clausæ comeduntur à tineis.

Post gravissimam pestem, quæ vniversam Græciam vastavit, qui residui fuerunt stupidi remanserunt, itaut mirabundi sinè loquelâ se respicerent. Thucid.

Ob ignorantiam punitur, qui sibi ipsi ignorationis causa est, sic qui ignorant quæ ad leges pertinent, & quę non sunt difficilia. Arist. moral. Nicomach. lib. 3. c. 5.

Contigit in multis remanere malitiam defectu prudentiæ, scientiæque rerum omnium quæ sunt. Ex intellectu enim Religionis diuinæ, quâ constituta sunt omnia, contemptus medelaque nascitur viriorum totius mundi ; Perseverance autem imperitiâ atque insciti à, vitia omnia convalescunt, vulnerantque animam insanabilibus vitijs, quibus infecta quasi venenis intumescit. Trismeg. in Pyman. cap. 8.

Anima mali Dæmonis ritu corrupta, seipsam ignorans, abjectis & deformibus corporibus servit, non præsidens corpori sed ob ignorantiam subjugata. Contrà vero virtus animæ cognitio est Eruditus enim re verâ bonus, pius, divinus. Idem. cap. 10.

Existimant Platonici animam rationalem è nobili suo statu lapsam in corpore dormitare ; Si enim exiguus vapor è stomacho ad cerebrum emissus somnum excitat ; turbat nos melancholicus humor, quanto magis terrenum corpus officit cælesti animæ ? Ideo cum falluntur omnes illi minus fallnntur, suspicantur se falli, vt somniantes, qui dicunt fortè non sunt vera quæ nobis apparent. Marsil. ficin. Theol. Platonic. lib. 14. c. 8. *Vide Contrarietas Cognit.* Vndè defectus illius seu Minoritas.

Dissident inter se contraria elementa, ex quibus corpus nostrum compactum est, illorum consiliationi intenta anima ad alia minor est. Plato existimabat animas è cœlo in corpora labi. Scribit autem Hipocrates mutationes quæ & repentinæ sunt, & maximè ad oppositum diuinos morbos inferre ; & ait Plato cum anima à luce in tenebras ruat diutissimè cæcutit, & turbatur. Auget turbationem ejus, quod ab vnitate in multitudinem dissonantem, à statu in mutationem omnis quietis expertem, ideò quasi affecta vertigine titubat & vacillat. Idem Ibidem.

Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid de gaudijs, & fructibus sæcul metuit amittere. Tertul. de spectacul. c. 2.

Vt nocturnæ, sic quidam oculis suis tantùm vtuntur vt videant in tenebris. D. Ambros. Examer. lib. 5. cap. 24.

Ignorantia summum malum, privat enim nos duplici interno sensu, visu & auditu, vt nec videat quæ sunt appetenda & fugienda, nec vocem monentium audiat. Philo lib. de temulen. Pejor autem eorum ignorantia, qui se existimant scire, cum nihil sciant. Ibidem.

Cæcitatis duæ species concurrunt, vt dum non vident quærant, & videre videantur quæ non sunt. Tertulian. in Apologetico.

A Omnia suum quærunt commodum naturali instinctu, sic recta ratio data est homini vt se regat : Ideò debet scire, affirmare & negare de rebus, an illi expediant, an non ; alioquin intervertit naturæ ordinem, si ratione vtatur vt ad malum deflectat. Guiliel. Poshellus in suâ Theologiâ naturali.

Frustrà sibi de infirmitate vel ignorantiâ blandiuntur, qui vt liberiùs peccent, libenter ignorant. Putas primo homini profuit, licet ipse non libenter peccavit, quod se per vxorem, tanquam per carnis infirmitatem, defendit ? Aut primi Martyrum lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt. Cognoscetur certè B Dominus judicia faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens : Videbunt in quem transfixerunt. D. Bernard. de grad. hum.

Non est timor Dei antè oculos ejus : quoniam dolosè egit in conspectu ejus, vt inveniatur iniquitas ejus ad odium, id est dolosè, non syncerè agunt, vt videant & oderint iniquitatem suam. Noluit intelligere, vt benè ageret. D. August. in Psal. 55.

Vivere omnes beatè volunt, sed quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant ; Via lapsus, si sequatur eam quæ in contrarium ducit, ipsa velocitas, majoris intervalli causa fit. Quandiù passim vagamur, non ducem secuti, sed frequitum, & clamorem dissonum in diversa vocantium, contritur vita C inter errores, brevis, etiamsi dies noctesque bonæ mentilaboremus. Sciendum, quò & quâ tendamus, nec sinè perito qui doceat. Nam in cæteris peregrinationibus interrogati incolæ non patiuntur errare; At hic tritissima quæque via, & celebertima maximè decipit: Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Non ad rationem, sed ad similitudinem viventes sic cum se populus premit, nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt, De vitâ nunquàm judicatur, sed creditur : versat nos & præcipitat traditus per manus error, alienis- D que perimus exemplis. Stat contrà rationem defensor mali populus ecce. Seneca. lib. de vitâ beatâ. c. 1.

Non tibi deputamur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: nec illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis, ista tua peccata propria sunt. D. Augustin. lib. 3. de libero arbitrio. cap. 19.

D. August. in psal. 90. dicit negotium perambulans in tenebris, & timorem nocturnum esse tentationem in ignorantibus.

Defectus vigilantiæ Rectoribus imputatur. *Vide Cognitio Pontif. & minor Bonitas.*

E Nigra, quia luci contraria, in somniis significant morbos & pericula Hippoc. lib. de insomniis.

Galenus in exhortatione ad artes discendas, turpissimum dicit esse hominibus, si equos, canes aves edoceant ; si agros colant, & mentem qui præstantissimam partem inculcam disciplinis relinquant.

In aquis glacie concretis pisces inveniuntur stupefacti, non se moventes, nec sentientes nisi cum assantur. Athenæ. lib. 8. cap. 1.

Aquila cervum invadens, pulverem voluntum collectum, insidians cornibus, excutit in oculos, donec præcipitet in rupes. Plin. lib. 10. cap. 4.

Infœlices vt plurimùm sunt eventus ex Eclypsi Luminarium ; & quàm latè effectus vagentur sumitur ex magnitudine defectus. Ptolomæus prædict. Astrolog. lib. 2. cap. 7.

Periculoſum inprimis & inevitabile eſt, ſi ipſæ A Eclypticorum locorum partes, aut oppoſitæ concident cum gradibus altervtrius luminum, quos genituræ tempore poſſederunt. Ibidem. c. 8.

Efficit ignorantia vt innocentes torqueantur, & occidantur in eculeo. *Vide Medium Veritatis.* de eculeo.

Plato 2. de Republ. dicit ignorantiam eſſe mendacium, omni alio odioſius, per quod circà rerum veritatem animus ſibi ipſi mentitur, & tendit in nihilum veritati oppoſitum, quia veritas cum ente convertitur.

Ignorantia non excuſatur, cujus quiſque ſibi cauſa fuit, vt in ebrietate. *Vide Contrarietas Cognitionis.* Ebrietas.

Tenebræ luctui conveniunt. *Vide Gloria Concordantia. Rep.* De modo & tempore luctus. B

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE Iuris & facti ignorantiâ. ff. 22. tit. 6. Cod. 1. tit. 18.

Ignorantia facti, non juris, toleratur in Simoniaco. 1. q. 4.

Quia multa pericula vrbi imminent nocte, creatus eſt Præfectus vigilum, qui invigilet ad impediendum cædes, furta, incendia. l. 1. ff. de offic. præf. vigil. C

Præſes debet graviter animadvertere in medicos, qui per imperitiam aliquid commiſerunt; nam prætextu fragilitatis humanæ, non debet innoxium eſſe delictum decipientis in periculo homines. l. 6. §. ſicuti. ff. de offic. præſid.

Non valent pacta per errorem facta. l. 51. ff. de pact.

Medicus imperitè ſecans tenetur lege Aquiliâ: vel ſi malum medicamentum præbuerit, vndè homo interierit. l. 7. ff. ad l. aquil.

Pactio obſcura vel ambigua venditori vel locatori nocet, in quorum fuit poteſtate legem apertiùs conſcribere. l. 39. ff. de pact. D

Ab adulterij, poenâ non excuſatur maſculus nec fœmina, quacumque juris ignorantiâ. auth. de inceſt. nupt. §. 1. & gloſſ.

Artifex tenetur de imperitiâ quæ culpæ annumeratur. l. 10. §. penult. ff. locat.

Præſes in Provinciâ debet imperitiam medici coërcere. l. 6. §. 8. ff. de offic. præſ.

Error impedit tranſactionem, quia conſenſus deeſt. l. 15. ff. de juriſd.

Tenetur. l. Aquiliâ qui obdormivit in cuſtodia focnacis, vndè egreſſa flamma damnum intulit. l. 27. §. 8. ff. ad l. aquil. Ne dicat qui obdormivit ſe rem humanam paſſum, cum debuiſſet vel ignem extinguere, vel ità minuere ne poſſet evagari. Eodem. E

Similiter qui lapides malè compoſuerit in plauſtro, vndè cadentes damnum fecerint. Eodem §. 33.

Similiter ſi navis tua in meam ſcapham impingens, eam fregit; niſi tanta vis navi facta eſt, vt à nautis temperari non potuerit. l. 29. §. 4. eodem.

Qui occaſionem præſtat imperitiâ, damnum feciſſe videtur, vt qui die ventoſo ignem ſuis ſtipulis immiſit, itaut meſſem alienam vaſtaverit. l. 30. §. 3. eodem.

Imperitia Medici, vel negligentia infirmi, non imputatur percuſſori, nec auget delictum. l. 52. ff. eodem.

Interrogatus tacens, propter contumaciam damnatur. l. 11. §. 4. ff. de interrogat in jure facien.

Qui inſulam fieri ſtipulatur, & locum non adjicit, non valet ſtipulatio. l. 2. §. 3. ff. de eo quod certo loco.

Mutus, ſurdus, morboſi habentur, & ob id competit redhibitio. l. 9. ff. de ædil. ed. Item qui neque matutino tempore videt, neque veſpertino, morboſus eſt. Eeodem.

Furioſus abſentis loco eſt. l. 11. §. 11. ff. de Injur.

Non minùs tenetur injuriarum qui me læſiſſe credens eſſe alium. l. 18. §. 3. eodem.

Relegari juſſa eſt ea, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat deceſſerit. l. 3. §. 2. ff. ad l. Iuliam. de Sicar.

Lata culpa eſt, non intelligere id quod omnes intelligunt. l. 223. ff. de verb. ſign.

Qui cum alio contrahit, vel eſt, vel eſſe debet non ignarus conditionis ejus. l. 19. ff. de Reg. Iur.

Imperitia culpæ annumeratur. l. 174. eodem.

Ruſticitas non excuſat libertum, ſi venià non petitâ Dominum in jus vocaverit, quia naturali ratione honor tali perſonæ debetur. l. 2. C. de in jus voc.

Ignorantibus non eſt agnoſcendum qui habuerunt vndè diſcerent. can. non omnis. diſt. 27.

Ignorantia mater cunctorum errorum maximè vitanda Sacerdotibus, qui docendi officium ſuſceperunt. can. ignorantia. diſt. 38.

Sancta ruſticitas ſolùm ſibi prodeſt, & quantùm ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantùm nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. 2. q. 7. can. ſancta. Ex D. Hieron.

In excommunicatione candelæ accenſæ projiciuntur, extinguitur, conculcantur pedibus. 11. q. 3. can. debent.

In reſcripto Apoſtolico ſubintelligitur clauſula, ſi preces veritate nitantur, & ſi reſcriptum prohibet cauſæ cognitionem eſt de falſitate ſuſpectum. cap. ex parte de reſcript.

Electiones per ſortes fieri non debent. cap. Eccleſia. de ſortilegijs.

Qui eſt ſurdus aut cæcus non ſit Epiſcopus, non vt pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur. In canonibus Apoſtol. can. 7. 8. quod multis conſilijs ſtatutum. Vide annotat. Coriolani. Ibidem.

Error falſæ cauſæ vſucapionem non parit, vt ſi quis putans ſibi donatum eſſe. Inſtit. de vſucapion.

Actore non probante reus abſolvitur. l. qui accuſare. Cod. de Iuriſd. om. judic.

ALEA.

OMnibus clericis interdictus eſt luſus, qui in caſu conſiſtit. l. 17. cum auth. ſeq. Cod. de epiſ. & cler. & l. final. C. de epiſcop. aud.

Conſtitutione Iuſtiniani, victus in aleâ non poteſt conveniri, ſi ſolverit, poteſt repetere, & datus fidejuſſor non obligatur. l. 1. C. de aleat. & reliquo tit. interdicitur omnis ludus, niſi qui ad exercitium corporis pertinet.

Vide l. 25. alearum Cod. de Relig. & ſum.

Aleæ deditus clericus, aut inſpector, per triennium à ſacro munere ceſſat. l. interdicimus. Cod. de Epiſcop.

Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum in-

Digitized by Google

ferre nationibus, fœneratoribus tamen esse subjectos, & cum sinè legibus vivant, aleæ solius legibus obedire; in procinctu ludere; tesseras simul & arma portare, In victoriâ suâ captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverunt: Ideò nunquàm bellandi studia deponere, vt hoc periculo ludendi subsidia requirant, &c. D. Ambros. lib. de Tobia. cap. 11.

Delectat alea, quia vt constat mundus rerum vicissitudine, sic ea maxime viget in aleâ: Eventus etiam fortuiti, maximè attentionem & affectionem nostram alliciunt. Hunc continuum ludum in mundo ludimus, rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis immutare gaudemus: Avaritia etiam incendit aleæ desiderium; vanitas, dum videri volumus meliùs fortunati, vndè spes accenditur in cæteris; volumus videri magnanimes, exponendo nos periculo subitæ jacturæ; mentis acumen apparet in eo quod struimus, aut viramus dolos; novitas semper emergens parit admirationem; & spes diù non dilata, metusque citò dissolutus, pariunt delectationem; cumque tot passiones vnitis viribus rationem præpediant, & spe lucri damnum involvant, meritò id leges prohibuere, verantque rationalem creaturam, non ratione dirigi, sed suæ casui committere.

Vendens in aleâ rem suam, non tenetur de evictione. l. si filio. §. 1. ff. quar. rer. actio non detur.

EX THEOLOGIA.

IN Angelis potuit esse error electionis, non quidem ex ignorantiâ, sed ex inconsideratione. D. Thom. 1. q. 63. a. 1. ad 4.

Angeli ignoraverunt virtutes suas, & ordinationes, non quidem secundùm se, sed quia non comprehenderunt eas in Deo. 1. q. 56. a. 1. ad 1.

Vt dispositio inferni conveniat miseriæ damnatorum, erunt in eo tenebræ corporales. Suplem. q. 97. a. 4.

In nullo peccatore, in quantùm hujusmodi, invenitur Eubulia, quæ est virtus speciali benè consiliativa. 1. q. 22. a. 1. ad 1.

Excæcatio & obduratio important duo, scilicet motum animi adhærentis malo & aversi à Deo, & subtractionem gratiæ. 1. 2. q. 79. a. 3.

Sextuplex ignorantia, scilicet invincibilis, affectata in se vel in suâ causâ, juris, facti, causa actus, & non causa. Prima & quarta excusant à peccato in toto. Secunda & Tertia excusant non in toto. Quinta excusat à toto, si non sit culpa. Sexta verò non excusat, nec minuit peccatum. 1. 2. q. 74. a. 1. ad 2.

Nescientia est simplex carentia scientiæ: sed ignorantia propriè est nescientia eorum, quæ quis aptus est scire & debet: Error autem addit approbationem falsi: sed hæresis ei addit pertinaciam contrà fidem. 1. q. 151. a. 1. ad 2.

Inconsideratio est speciale peccatum imprudentiæ, & opponitur rectitudini judicij in Moralibus. 2. 2. q. 53. a. 2.

Infirmitas animæ, ex quò dicitur aliquod peccatum, est passio ejus non moderata à ratione. 22. q. 77. a. 3.

Occultatio quandoque est causa peccati, scilicet vtendo eâ ad peccatum, vt in furto, fraude, dolo. Quandoque verò est circonstantia diminuens peccatum, ratione verecundiæ, vel ad vitandum scandalum. 1. 2. q. 66. a. 3. ad 1.

Luna est offuscata, quia est vltimum cœlorum, & in hoc convenit cum terrâ, quæ est vltimum elementorum. 1. q. 102. a. 1.

Omne peccatum contingit ex defectu scientiæ in vniversali, vel in particulari; in habitu, vel in actu; ex intentione, vel occupatione; vel infirmitate vel passione. 1. 2. q. 77. a. 2.

Cœcus à nativitate non potest habere scientiam de coloribus. 1. q. 84. a. 3.

Intellectus noster est tantùm in potentiâ ad cognitionem. 1. q. 79. a. 2.

CÆCITAS EX PECCATO.

INfidelitas negativa potiùs est pœna peccati quàm peccatum. 2. 2. q. 10. a. 1.

Anima est sempiternæ Trinitatis imago: in intellectu, memoriâ, & voluntate: Cecidit per suggestionem, delectationem, consensum à pulchrâ illâ Trinitate, scilicet potentiâ, sapientiâ, puritate; in quandam contrariam & fœdam Trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam: Memoria enim facta est impotens & infirma; Ratio imprudens & tenebrosa; & Voluntas impura: Memoria velut super saxa corruens, in tres partes confracta, desilijt in cogitationes affectuosas, rerum scilicet necessariarum, oneroſas, & otioſas: Cœcus etiam redditus intellectus, in discernendo bono & malo, quod moralis proprium est; à verò & falso, quod Dialecticæ; vtile à noxio, quod Physicæ est: Similiter voluntas lapsa est in concupiscentiam carnis, oculorum & ambitionem sæculi; hunc lapsum reparavit beata Trinitas memor misericordiæ suæ, immemor nostræ culpæ: venit à Patre missus filius, & dedit fidem; post Filium missus Spiritus S. & dedit charitatem; per Fidem & charitatem facta est spes redeundi ad Patrem; fides illuminavit rationem, spes erexit memoriam, charitas purgavit voluntatem. D. Bernard. serm. 1. parvorum sermon.

Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum. Psalm. 34. Horrenda via; Tenebras solum quis non horreat? lubricum solum quis non caveat? In tenebris & lubrico, quâ is, vbi pedem figis; tenebræ est ignorantia, lubricum est luxuria. D. August. in Psalm. 34. Conc. 1. & Angelus Domini persequens eos.

Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Ps. 37. Lumen oculorum Adæ Deus non erat, quem postquàm offendit fugit à facie Dei, & abscondit se in vmbrâ arborum, inter quas lumen oculorum non habebat, ad quod gaudere consuèverat, &c. Id. in Psal. 37.

Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Psal. 39.

O dies, si dies, vbi enim dies auditur, lux intelligitur. D. August.

Quædam animalia perspicuum quemdam radium habent naturaliter suis oculis insitum, quo proximè sibi vident, non tamen cœlestia, quia cœlesti lumine carent; sic Dæmones & peccatores, divini solis radijs orbati, naturales radios retinent, quo naturalia intelligunt. Marsil. Ficin.

Quò mundior est oculus, tantò longiùs videt.

In aquam injectus lapis, sic eam exagitat, vt speciem cœli non referat, sic peccatum in anima.

Anima in peccato est quasi navis sinè gubernatore, currus sinè aurigâ, Respublica sinè Principe, sinè lege, sinè Magistratu. Philo Iudæ. Parvus splendor tinguitur à magnis tenebris: sic lumen naturale à peccato. Id.

Digitized by Google

Grauiſſimum eſt malorum, & penè inſanabile, omnium animæ partium ad peccandum conſenſus: cum tanquàm in publicâ peſtilentiâ nihil ſani ſit reliquum, ſed & medici cum ægris laborant; aut ſicut in diluvio, cum in perniciem animantium, & cataractæ cœli fractæ erant, & fontes affectionum profuſi, fluenta ſua conjunxerunt cum aliis aquis: ſic conveniunt omnes vt contrà cœlum ædificient turrim Babel, in quâ fit confuſio linguarum, &c. Philo Iudæ. lib. de confuſ. linguar. Contrarium malis evenit, quod juſtis Prophetis, qui vocantur videntes.

Qui in erroribus & ſinè viva fide vivunt, licet ipſe error ſit mors, tamen non ſunt in verâ morte, ſed in vmbrâ mortis, donec in iſto ſæculo ſunt. D. Chriſoſt. homil. 6.

Ad ſtabo tibi & videbo, ſurgam à caligine peccatorum, vt te videam. D. Auguſt. in Pſal. 4.

Deus dixit Abrahamo: Ponam ſemen tuum ſicut ſtellas cœli: Non numerum tantùm, ſed aliam perfectionem vult ſignificare; nam vt in cœlo nox locum non habet, ſic nec in virtute tenebræ. Cœlum terreſtre eſt ſapientis anima, habens virtutum ſplendores fulgidiſſimos, concinnas choreas, divinos circuitus, &c. Plin. Iud. l. quis ſit rer. divin. hær.

Filiis Iſraël lumen erat quocumque venirent; nocte ac tenebris ſemper fugientibus (vt narratur in Exodo) in quibus vivunt homines, orbati mentis oculis, non videntes virtutis radios. Id l. de ſomniis.

Perfectiores ſunt operationes intellectus, quò magis ab imaginibus corporalibus ſeparantur. Peccatum autem replet mentem imaginibus ſenſibilium, circà quæ verſatur.

Samſon obcæcatus à Philiſthiim. Iudic. 16.

Turbatus eſt à furore oculus meus. Pſ. 6.

Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Rom. 1. Contrà Deus dicitur habitare lucem inacceſſibilem: lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ioan. 1.

Quomodo homo cæcus poſitus in ſole, præſens eſt illi ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt, ſic omnis iniquus cæcus eſt corde; Mundet ergò vndè videri poſſit Deus, vt ſaucios oculos habenti diceret medicus, tolle quod officit, ſic dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. D. Auguſt. tract. 1. in Ioan.

Sodomitæ, cæcitate percutiuntur. Gen. 19.

Epheſ. 6. Vocat Apoſtolus Diabolum, & Angelos ejus Rectores tenebrarum harum, ſic ex malo ſtomacho vapores cerebrum obnubilant vt concupiſcentia mentem.

Exod. 10. factæ ſunt in Ægypto ſpiſſe tenebræ, per tres dies. Hoc triduum tenebrarum ſignificat triplicem mentis obcæcationem, quâ homo non permittitur videre cœleſtium fœlicitatem, terreſtrium vanitatem, inferni acerbitatem, poſteà primogenitus, ideſt anima moritur.

Exordium pœnarum animæ, avertentis ſe à Deo vero lumine, eſt ipſa cæcitas. D. Auguſt. ſerm. 38. de verb. dom.

Homo nihil aliud eſt quàm tenebræ, vndè Epheſ. 5. Vos eratis aliquandò tenebræ, quia tibi non potes lucere, accedendo illuminaris, recedendo tenebraris: accedite ad eum, & illuminamini. Pſal. 33. Id. ſerm. 30. de verb. Apoſt. c. 5.

Deus primum hominem poſt peccatum veſtivit pellibus animalium, vt oſtendere per peccatum illis ſimilem eſſe effectum. Homo comparatus eſt jumentis inſipientibus. Pſal. 48.

Non eſt Deus in conſpectu ejus: auferuntur judicia tua à facie ejus: Pſ. 9. Nonnè nox & cæcitas cũ hominesindola adorarent, ſic & antè conuerſionẽ noſtram.

Qui elongant ſe à te peribunt. 72. ſcilicet diſſimilitudine & malâ vitâ: ſicut accedentes illuminantur, juxtà illud. Accedite ad illum, & illuminamini, ſic cecedentes excæcantur, juxtà illud. Excæcavit eos malitia eorum. Sap. 2.

Deum deſerendo nos deſerimus, quia à tenebris frigus & mors. *Vide infrà ex Bibliis.*

O errore qui eſt in hominibus beſtiæ beatiores; quæ poſſident quidem vt vos ignorationem, veritatem autem nequaquàm falsò imitantur? quomodo per tot errores feſtinamus ad mortem, qui tot vias accepimus ad ſalutem. Clemens Alexand. in exhort. ad gentes.

In principio mundi tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, poſt parentum peccatum: poſteà fit lux, quia ſpiritus Domini incubat aquis. Picus Mirandul. in Hepteplo.

In ſolâ artium medicinâ evenit, vt cuicumque medico ſe profeſſo ſtatim credatur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus, nulla præterea lex quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ: diſcunt periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidiſſe impunitas eſt, quin imò tranſit convitium, & intemperantia culpatur, vtróque qui periere arguuntur. Plin. lib. 29. in proœmio.

Lege Aquiliâ tenetur medicus qui ſervum imperitè ſecuerit. l. 7. in f. ff. ad l. aquil. Item ſi benè ſecuerit, & poſteà curationem dereliquerit, vel medicamento perperam vſus fuerit. l. 8. eod. vel ſi non ex artis præceptis, quod enim per imperitiam commiſit ei imputari debet. l. 6. §. 7. ff. de off. præſ. quia imperitia culpæ annumeratur, cum affectare quiſque non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem ſuam, alij periculoſam futuram. l. 8. ff. ad l. aquil.

EX BIBLIIS.

IN principio tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Gen. 1. humani cordis.

Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Pſ. 57. D. Thom. dicit eſſe ignem concupiſcentiæ.

Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Epheſ. 5.

Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Pſ. 80. Veritatem Dei in injuſtitiâ detinent. Roman. 1. quia impediunt ne in opus prorumpat.

Erat lux quæ illuminat omnem hominem, & tenebræ eam non comprehenderunt. Gen. 1.

Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non convenivnt; repletos omni iniquitate, malitiâ, inſipientes incompoſiti, &c. Rom. 1. v. 28. Nolentes Deum cognoſcere, non ſe cognoſcunt.

Hoc igitur dico, vt jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ. Epheſ. 4.

Serpens poſt peccatum ſuper pectus ſuum gradiens ideſt non vt priùs cœleſtia contemplans.

Sodomitæ vim volentes inferre hoſpitibus Loth, cæcitate percutiuntur. Gen. 19.

Agar dolore turbata non videt ſibi vicinum fontem. Gen. 21.

Miniſtri Pharaonis ignorant interpretationem ſomniorum. Gen. 40.

Fratres

Fratres Ioſeph ipſum non agnoſcunt. Gen. 42.
Spiſſæ tenebræ in Ægypto. Exod. 10.
Nocte percutiuntur primogenita Ægypti. Exod. 12.
Aves lucifugæ ſunt immundæ. Levit. 11.
Omne reptile eſt immundum. eod.
Contenebrati filij Iſraël contrà præceptum Domini invadunt hoſtem, & pereunt. Num. 14.
Moyſes maledicens non obſervantibus legem; pertœdiat, inquit, eos Dominus amentiâ, & cæcitate ac furore mentis; & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigat vias tuas. Deut. 28.
Philiſthiim capto Samſone ſtatim ei erunt oculos. Iudic. 16.
Confuſio linguarum in Babel. Gen. 11.
Rex Babylonis captum Sedeciam Regem Iſraël excæcat, & vinctum ducit in Babylonem. 4. Reg. 25.
Quia nullus intelligit in æternum peribunt. Iob. 4.
Tempore quo fuerint diſſipati peribunt, & vt inualuerint, ſolventur de loco ſuo. Involutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, ambulabunt in vacuum & interibunt. Iob. 6.
Adducit conſiliarios in ſtultum finem & judices in ſtuporem, commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens. Qui immutat cor Principum populi terræ & decipit eos vt fruſtrà incedant per invium, palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare faciet eos quaſi ebrios. Id. cap. 12.
Id. cap. 13. Increpans amicos ait. Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices veſtræ.
Oculus adulteri obſervat caliginem ſi apparuerit aurora arbitratur vmbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulat. Iob. 24.
Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte oculis videat, & corde intelligat, & convertatur, & ſanem eum, ait Dominus. Iſay. 6. & cap. 13. loquens de die judicij ait. Stellæ cæli non expandent lumen ſuum, obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.
Obſtupeſcite, fluctuate, vacillate, & non à vino, quoniâ miſcuit vobis Domin⁹ ſpiritũ ſoporis; claudet oculos veſtros, Prophetas & Principes veſtros, qui vidēt, operiet. Erit vobis viſio omnium, ſicut vmbra libri ſignati: petibit enim ſapientia à ſapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abſcondetur. Iſay. 29.
Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, judices terræ velut inanes fecit. Id. 40.
Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna divinatorum. & ariolos in furorem convertens; convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens. Iſay. 44.
In increpatione meâ deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum: induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum. Iſay. 50.
Vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces. Id. c. 51.
Tollam de manu tuâ calicem ſoporis, & indinationis, & ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt. Iſay. 51.
Expectavimus lucem, & ecce tenebræ, ſplendorem & in tenebris ambulamus; palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. Iſay. 59.
Deſolatione deſolata eſt terra, quia nemo eſt qui recogitet corde. Ierem. 12.
Occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies, confuſa eſt, & erubuit. Ierem. 15.

Id. cap. 25. prædicens deſtructionem Ieruſalem, ait. Perdam in eâ vocem gaudij, vocem ſponſi & ſponſæ, & lumen lucernæ.
Quomodò obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion; projecit de cœlo in terram inclytam Iſraël; non eſt lex, & Prophetæ ejus non invenerunt viſionem à Domino. Ierem. Thren. 2.
Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem: In tenebroſis collocauit me, ſicut mortuos ſempiternos. Ibid. cap. 3.
Operiam, cum extinctus fueris, cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas ejus: ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum: omnia luminaria cœli moverè faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam Ezech. 32.
Nabuchodonoſor ſenſu & cognitione priuatus, fœnũ vt bos comedit, & cũ feris converſatur. Daniel. 4.
Conticuit populus meus, eo quod non habuit ſcientiam. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: Et oblita es legis Dei tui; obliviſcar filiorum tuorum. Oſee. 4.
Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis. Ioël. 2.
In die illâ occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis: mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ; ſed audiendi verbum Domini: deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. Amos. 8.
Dominus in tempeſtate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus: inimicos ejus perſequentur tenebræ. Nah. 1.
Zacchæus parvus præ turbâ non videt Chriſtum. Luc. 19.
Inebriabo eos vt ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant. Inebriabo Principes ejus. Ierem. 51.
Conturbata ſunt viſcera mea, cum deficeret parvulus & lactens in plateis: cum exhalarēt animas ſuas in ſinu matrum ſuarum. Ierem. Thren. 1. Adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ib. cap. 4.
Ezech. 34. Deus ſubtrahit doctorem à populo, quia domus exaſperans eſt.
Nabuchodonoſor præcipit interfici Magos; qui non potuerũt interpretari ſomnium ſuum. Daniel. 2.
Hæc eſt plaga, quâ percutiet Dominus gentes quæ pugnaverunt adverſùs Ieruſalem. Tabeſcet caro vniuſcujuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi ejus contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo. Zach. 15.
Antiochus, vt in occupatam Ieruſalem introduceret Idololatriam, combuſſit omnes libros legis Dei. 1. Machab. 1.
Aſcendit fumus in irâ ejus, & ignis à facie eius exarſit. Pſalm. 17.
Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea & venter meus. Pſal. 30.
Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Pſal. 37.
Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Pſalm. 39.
Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Pſal. 57.
Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Pſal. 68.
Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ. Pſ. 81.
Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terrâ oblivionis? Pſalm. 88.

Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant. Psal. 103.

Qui descendunt mare in navibus, &c.

Turbati sunt, & moti sunt ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. Psal. 106.

Aures habent, & non audient: oculos habent & non videbunt. Psal. 113.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi, &c. Psal. 142.

Quærit detisor sapientiam, & non inveniet. Proverb. 14. Errant qui operantur malum. Ib.

Dum tenebræ sunt super faciem abyssi, terra est inanis & vacua. Gen. 1.

Mittitur ad tenebras exteriores, qui venerat ad nuptias non vestitus veste nuptiali. Math. 22.

Statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo. Math. 24.

Tenebræ factæ sunt super terram dum pateretur Christus. Math. 27.

Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? Proverb. 17.

Qui evitat discere, decidet in mala. Ib.

Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Isay. 5.

Quicumque sine lege peccaverunt, sinè lege peribunt. Roman. 2.

Ephes. 6. Dæmones vocat Rectores tenebrarum, spiritualia nequitiæ.

Misit Pharao ad conjectores Ægypti, cunctosque sapientes, & accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur. Gen. 41.

Qui solùm docet, nec facit, minimus vocatur in regno cœlorum. Math. 5.

Apostoli laborant in remigando, putant Christum esse phantasma, donec egressi essent de navi. Marc. 6.

Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes abominabile vobis erit. Levit. 11. Idest Doctores qui nimis terræ nec sapientiæ adhærent. Præcipitur ibid. ne noctua comedatur, quæ nocte videt & die cæcutit.

Leprosi nundùm declarati recludantur, alij autem non, & licet cum secundis conversari non autem cum alijs, ex præcepto Dei. Levit. 18. Hipocrisis magis vitanda, quia occultum malum.

Cæcus arcetur à Sacerdotio. Levit. 21. item qui parvo naso, seù sinè prudentiâ.

Dixit Dominus ad Moysem & Aaron, quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coràm filijs Israël, non introducetis hos populos in terram quam dedi eis: pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit in terram quam dedi filijs Israël, eo quod incredulus fuerit ad aquas contradictionis. Numer. 20.

Si autem sciretis quid est misericordiam volo & non sacrificium, nunquàm condemnassetis innocentes, Apostolos scilicet qui spicas confricarunt manibus die Sabbathi, ex dispensatione & ex necessitate. Matth. 12.

Cum autem dormirent homines, idest rectores populi & Ecclesiæ, venit inimicus homo, & superseminavit zizania. Matth. 13.

Cum vidisset Petrus ventum validum timuit, & cœpit mergi: Modicæ fidei quare dubitasti. Matth. 14.

Faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire. Matth. 16.

Lunaticum spiritum Discipuli non potuerunt ejicere, & hoc propter incredulitatem suam ait Christus. Matth. 17.

In diebus Noë manducantes & bibentes, &c. Non cognoverunt donec venit diluvium, ità erit adventus filij hominis: estote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniat. Matth. 24.

Si sciret Pater familias quâ horâ fur veniret non sineret perfodi domum suam. Ibid.

Nonnè hic est faber filius Mariæ? vndè ergò litteras scit, & scandalizabantur in eo. Marc. 6.

IGNORANTIÆ MALA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Homo negat se animal esse rationale, qui ex sensibus non ex ratione vivit; stupidissimus simul & ingratissimus, qui non vult nosse immensa Dei beneficia, sibi collata in ordine naturæ, & gratiæ.

MAGNITVDO. Hæc mentis cæcitas mutilum hominem efficit in præcipuâ sui parte, tantúmque dejicit, quantùm intelligentia suprà res omnes creatas elevari fas erat. Animus, vi quadam inexhaustâ, bonorum omnium capax, fit per ignorantiam malis omnibus pervius. Ignorantia malum est capitale, & quodammodò infinitum: Nam vt nemo numerare potest quoties cæcus in asperis labatur, sic in negotijs innumeri sunt ignorantis errores. Contumelioſum est naturæ, quod ætate major factus, non fiat major cognitione, & sub viri facie puerilem gerat animum.

DVRATIO. Ignorantia nullam habet nisi in errando constantiam, sivè suo, sivè alieno hostium aut fortunæ committatur arbitrio: festinat vbi cunctandum est, moras nectit cùm præceps occasio labitur, in obvia quæque, provt casus tulerit, arietat.

POTESTAS. Si solius rationis meliùs exultæ titulo quibusdam hominibus datur in alios imperium, vult esse servus, qui vult esse ignorans; sic dùm suæ ignaviæ blanditur, libertatem naturę charissimam amittit: ignorans quantascumque congreget divitias, avidis hostium manibus spolia præparat, quis enim vel imbellis, cæcum etiam armatum facilè non prosternat? si ignoranti non adest potentia, omnium est miserrimus; si adsit, est gladius in manu furioſi.

COGNITIO. Mirum est quod non æquè fugiunt cæcitatem mentis ac corporis: Mens in ignorantiâ est vt mundus in tenebris.

VOLVNTAS. Animum variæ exagitant passiones si non illas edocta ratio direxerit; cæcus cæcum ducit, si cæca voluntas à cæco ducatur intellectu.

VIRTVS. Nulla potest esse sinceta virtus, si talis sit ignorantia, vt prudentiæ lumen eripiat; etiam virtutis actus malè perficit, & vitijs omnibus se mancipat qui rectè agenda vult ignorare, vt vbique naufragium imminet navi ventis sinè nauclero expositæ.

VERITAS. Ignorans peccat in dignitatem naturæ suæ rationalis, ad veritatem natæ, si velit falli à rebus omnibus, & servili more ad consilium non vocari, sed volvente res casu ad durissima quæque adigi.

GLORIA. Cùm sapientibus maximè contingat honor, nullus inest honesti sensus in eo cui placet ignorantia; nulla pax, quies, sed omnia sunt in incerto, cum ad passionum, hostium, & fortunæ ludibrium jacterur. Vt delectationem auget & multiplicat reflexa cognitio, sic illam stupor & rerum ignorantia obscurat, sic mente captis aut dormientibus non prosunt ad delectationem divitiæ. Quieta sunt elementativa, & animalia rationali cognitione privata, quia nihil ampliùs ambiunt; at mens rationalis inti-

mo dolore percellitur, cum ignorat veritatem, ad quam nata est, cujus habet insita prima principia, vt se ad vlteriora promoveat.

Differentia. Nulla rei novitate gauderis, qui se nihil nosse profitetur; qui non observat nec consuetos, nec ad miraculum varios naturæ effectus, sic adest clausis oculis mundano spectaculo.

Concordantia. Cum ignorantibus amicitiam, aut societatem inire turpe est, incertum, damnosum; nam cæci cum sibi adhærentibus immunitis se implicant periculis, vndè non datur exitus.

Contrarietas. Bellicam sævitiam excedit hic furor, oculos eruere, mentem ne rectè dijudicet veneno turbare: sicut autem contrà seipsum agit ignorans, ità sibi ipsi est omnium infensissimus hostis.

Principium. Ignorans rerum causas, etiàm caret notitiâ primæ causæ, hinc impietas, & morum maxima depravatio.

Medium. Necesse est fallatur in mediorum electione, qui mediorum nescit naturam & qualitates; sic eò magis aberrabit, & ab intento fine deflectet, A quò magis perversâ viâ gradietur.

Finis. Nullus portus est nescienti quid petit, nullus ignoranti animo scopus, cujus spe reficiatur animus, & tandem fruitione satietur; Quid ad plures annos ducit vitam in scholà mundanâ non proficientem; ei meliùs esset moti sensibus, qui vult moti rationi.

Maioritas. Quo altiora cæcus conscendit, gravius hinc illi minatur præcipitium, sic, jaceat oportet ignorans, ne cadat. Ideo cum animum à scientijs avertit, eò ipso meliori fortunæ se negat. B

Æqualitas. De scientijs hic loquimur addiscendis, quæ vniuscujusque statui & genio conveniunt, vt in totum speculativæ non decent politicos.

Minoritas. Mors privationem omnis formæ significat, tenebræ autem privationem omnis pulchritudinis inferunt. Ignorantia, si non morti, saltem tenebris comparanda, deterioris videtur conditionis quàm materia prima, licet sit nihilo proxima, quia habet habitudinem ad formas, & illarum appetitum.

Digitized by Google

BONITAS VOLVNTATIS

BONVS BONI APPETITVS.

MISCELLANEA.

APPETENTIA eſt opus ad vitam neceſſarium, ſi ſit inculpata eſt magni ad vitam ponderis. Galen.

Nihil eſt expers amoris, vt aquis & mixtis frigidiſſimis in eſt inſitus calor. *Vide Concordantia Contrar.*

Putat Ariſtoteles, ſatis omnibus atque plantis vim ineſſe, ſalutarium & idoneorum attracticem, quâ ſolo naturali appetitu impelluntur, citrà vllam vtilium cognitionem.

Appetitus is, cæteris quibuſque rebus eſt ſuus; gravibus, vt deorsùm ruant; levibus, vt in ſublime convolent; ſic magneti, & purgantibus medicamentis appetitus eſt ingenitus attrahendi quod ſibi affine eſt & amicum, ſtirpibus convenientem ſuccum è terrâ ſugendi: hunc appetitum incitat non ſenſus aut cognitio, ſed penuria & indigentia ejus quod familiare eſt & jucundum, &c. Fernelius Phyſiol. lib. 5. cap. 5.

Plato in convivio duplicem facit amorem, cœleſtem & temperatum, qui omnia producit connectit, conſervat; & intemperatum, qui omnia deſtruit.

Sunt qui divinam potentiam ſcelerum noſtrorum fulminatricem execrantur; alij ſapientiam oderunt, noſtrorum exploratricem delictorum; amorem autem divinum, tot bonorum largitorem, non amare non poſſumus.

Amorem Plato facit ſemi-Deum, mediumque inter homines & Deum, ſic vt mediam habeat pulchritudinem: non enim perfectam habet, quia eſt ejus appetitio: non etiam eâ penitùs privatur, quia eſt motus ad ipſam. *Vide Voluntas Bonit.* Amor non eſt Deus, (inquit in convivio) Sed eſt mediùs inter turpe & pulchrum, inter mortale & immortale; nec ſapiens, nec rudis eſt; natus ex Patre opulento, & matre egenâ.

Pondus eſt ad cognatum propenſio, vel ab exitio ad ſalutem.

Quælibet forma habet ſuam inclinationem ſuumque appetitum. D. Th. 1. q. 80. a. 1.

Quælibet potentia animæ appetitu naturali concupiſcit, amat, delectatur. 1. q. 78. a. 1.

Concupiſcentia eſt naturalis homini, tantùm vt recta ſecundùm rationem. 1. 2. q. 81. a 3. ad 1.

Concupiſcentia eſt naturalior quàm ira, 1. q. 63. a. 4. ad 2.

Intellectus & voluntas certant dignitate.

Pro voluntate dicitur quod in eâ ſit charitas. Secundò per amorem anima arctiùs vnitur Deo. Tertiò, in voluntate poſitum eſt dominium in omnes actus. De intellectu. *Vide Bonit. Cognit.*

Quod meliùs ſit amare quàm amari. *Vide Æqualitas Voluntas.* de amore mutuo.

Vbi non eſt voluntas, quæ eſt inclinatio mentis in bonum; ibi non eſt mentis voluptas, quæ eſt quies in bono. Hic affectus in creaturis eſt generationis initium, & in creatore creationis origo. Marſil. Ficin. Theolog. Plat. lib. 2. cap. 11.

APPETITVS ANIMALI neceſſarius.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fruſtrà eſſet bonum & pulchrum, niſi eſſet appetitus, quem moveret, & à quo expeteretur: ità enim bonum eſt ſui diffuſivum, vt ſicut deſcendit ad inferiora, ſic inferiora ad ipſum aſcendant, mediumque quodammodò ad perfectionem conficiant iter. Multa extrà ſe non effundunt, niſi pulchritudinem, quæ eſt boni eſca, vt ait Plato, & quaſdam qualitates, quæ movent aliorum appetitum; quo deficiente ſolitaria, inertia, inutilia remanerent, quia nec ſibi, nec alijs eſſent bona & pulchra.

MAGNITVDO. Naſcentia omnia accipiunt à natura imperfectum eſſe, quod ſuis facultatibus promovere debent, vt ad convenientem ſpeciei gradum perveniant; vndè innatus illis conveniẽtis boni appetitus, quo ſuprà ſe feruntur: & indigentis exiſtentiæ limites egreſſa ampliſſimis expoſitis aliorum facultatibus ditantur.

DVRATIO. Amamus præterita, præſentia & futura; ſic coëxiſtimus aliquo modo omnibus temporis partibus; ſic amore revocamus præterita, nobis applicamus præſentia, futura prævenimus. Fruitionis dilatio accendit deſiderio, multumque adjicit poſſeſ-

Digitized by Google

ſionis delectationi. Si quæ ſit in amore conſtantiâ debetur amori, qui ideò pingitur juvenis, vt ſignificetur vegetus, & novis ſibi ſemper accreſcens viribus.

POTESTAS. Potentiæ omnes ſunt inſtrumenta ſinè opifice; armamenta navis ſinè Duce, ſinè nauclero, ſi deſit appetitus qui illas moveat, qui fatigatus ſpe recreet, & tandem impleat poſſeſſione, quæ eſſet ingrata ſi non eſſet amata.

COGNITIO. Vigiles in animalibus ſenſus ſunt amoris exploratores, vt conveniens illi objectum diſcernant, denuntient, & potentias excitent ad ejus acquiſitionem, quæ autem ardent in appetitu flammæ, fulgent in ſenſibus; ſic oculi dedignantur videre, aures audire, manus attrectare quæ non amamus.

VOLVNTAS. Paſſiones omnes amori militant, vndè ad amorem omnes reduci poſſunt; & vt milites ex ducis ſui teſſerâ & nomine nuncupantur. Amor in homine liber eſt, vndè cum extorqueri non poſſit, illum poteſtates conantur beneficijs promereri, & hoc eſt maximum & neceſſarium politiæ potentiæque temperamentum: volunt enim magnates amari, quia volunt videri tali perfectione præditi, quæ amorem mereatur.

VIRTVS. Amor perfectè operatur, & ſuprà ſolitas naturæ facultates; profundit enim omnes vires ſuas, ſeù ſpe proximè fruitionis, ſeù quia amans transformatur in rem amatam, quam reputant excellentem, quæ illius ſunt ſibi arrogat: ſic virtutes omnes charitas complectitur; ſic ſenſibilis amor, cum ſit pulchri, pulchritudinem vbique etiam in moribus conatur efficere.

VERITAS. Ipſa veritas non placeret intellectui, niſi amata, priùs enim mens illam, vt ſibi convenientem, appetit. Amoris eſt nunquàm deficientis tot labores & vigilias ſuſtinere pro veritatis inquiſitione.

GLORIA. Nulla ſinè amore voluptas, ad delectationem enim ſupponi debet appetitus, qui ſatietur. Amor motus eſt ad fruitionis quietem tendens; non amantes non fruuntur, non quieſcunt, ſed indifferentes vt inſenſibilia jacent.

DIFFERENTIA. Hoc titulo diſtinguitur animal ab elementativis, quod appetat, & motu ad conveniens objectum, licet à ſe diſſitum, feratur. Cùm diverſis diverſus ſit amor, fit vt nihil ſit quod non ametur, & ſummi boni ſummè appetibilis in ſe imaginem quandam non ferat. Inutilis eſſet virtus loco motiva, niſi appetitus illi eſſet loco primi mobilis, qui illam concitaret, & dirigeret.

CONCORDANTIA. Seu ſympathia animal feratur ad ſimile, quaſi ad aliquid ſui; ſeu indigentia quærat bonum, quod illi ſit pro remedio & ſubſidio; certum eſt ſeù naturale & mundanum, ſeù œconomicum, ſeù civile commercium ſtare amoris legibus: eſt enim amor vt in inferioribus nexus omnium.

CONTRARIETAS. Fiunt quidem ob appetitus in idem concurrentes pugnæ; ſed ſic torpentis naturæ vires excitantur; ſic potentioribus triumphi decernuntur; ſic exercetur Iuſtitia jus ſuum cuique reddens: Quæ autem in tali conflictu pereunt, vitam, quam ab amore acceperunt, amori reſtituunt? ſicque in ſua re funduntur principia.

PRINCIPIVM. Generationes omnes, quæ divinæ fœcunditatis imaginem præferunt, quæ alterationum mortiſque damna reparant, ſunt ab amore, non quidem indigente, ſed ſe profundente, quaſi viribus eſſet inexhauſtis.

MEDIVM. Seù animal perfectionem ſibi convenientem comparet, ſeù conſumpta reſtauret, id efficit vi appetitus. Tot artes, tot machinas movet amor in mundo, naturali & civili; itavt nihil intactum relinquat.

FINIS. In rebus omnibus ordo, qui eſt rationis & vnitatis imago, debetur appetitui, quo omnia ad debitum ſibi finem dirigantur.

MAIORITAS. Dùm ſe res ab infimis ad ſumma, ab imperfecto ad melius promovent, id fit ab idæâ & appetitu melioris boni. Sic facultates animales, non ſunt ex his quæ poſſident, ſed ex his quæ appetitu conſequi poſſunt, æſtimandæ.

ÆQVALITAS. Is cui ardentior eſt appetitus, hic & pares viribus ſuperabit, & ſuperiores æquabit: vnde & pares viribus ſuperabit, & ſuperiores æquabit: vnde vitium defectum ſupplet amor, vt patet in matribus, & in gallinis, pro pullorum deffenſione ferocientibus.

MINORITAS. Appetitus eſt indigentiæ patrocinium, infirmitatis aſylum, celat defectus vndè dicitur nullius rei turpes eſſe amores. Qui re amatâ fruitur, in extremâ paupertate dives, & in adverſis ſibi videtur fœlix.

LIBERALITAS amoris.

AMor depingitur puer, quia amanti, vt puero, nulla eſt in dando diſcretio; nudus, quia ſe bonis ſpoliavit; vitrâ oculis obductis, quia pudet eum ampliùs non habere quod det.

Caloris propria eſt rarefactio.

Amor eſt motus boni in bonum: bonum aut em naturâ ſuâ eſt diffuſivum: Sic aurum prætioſius metallum cæteris magis eſt ductile, quod provenit ex halitu aqueo, tenui, benè comprehendente terream ſpirationem.

Dicitur amantium erumenas folio pori eſſe ligatas; Venus enim potiùs ſpeciei favet quàm individuo, & naſcituris potiùs quàm natis. Amor naturalis, vt inquiunt Iuriſconſulti, deſcendit potiùs quàm aſcendit.

Vlpian. l. 1. ff. de donat. inter vir & vxor: dicit inter virum & vxorem prohibitas eſſe donationes, ne invicem mutuo amore ſpolientur, donationibus non temperantes, ſed profuſâ ergà ſe facilitate vtentes; ne etiam honeſtus amor videretur eſſe venalis.

Amans vt non parcit ſibi, ſic nec ſuis bonis. *Vide Magnitudo Volunt.*

Amicorum omnia communia. *Vide Æqual. Volunt. & Magnitudo Volunt.*

MAGNITVDO VOLVNTATIS.

MAGNVS VEHEMENS AFFECTVS ET INTEGER.

MISCELLANEA.

REGIONES maximè calidæ non habent pluvias nec tonitrua, quia calor nimius facile omnes vapores in aërem solvit, cum sint è terrâ siccâ eductí, ideoque perrenues, vndè ejus reliquiæ aptæ sunt in ros converti. Sic raro æstate generantur cometæ, quia solis efficacia absumit halitus cometales, ne in massam colligi possint. Vehemens affectus non terretur difficultate, non laborat suspicione & diffidentiâ. Charitas operit multitudinem peccatorum.

Qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos ignem vrentem. Ignis vehemens absumit aut disgregat Heterogenea, & inspersis aquis magis accenditur.

Filius non potest pro parte exhæredari. l. 19. ff. de lib. & posthu. hæred. instit. amor debet esse integer. *Vide Magn. Bonit.*

Charitas est summa perfectio voluntatis, & cæterarum virtutum forma. D. Th. 2. 2. q. 23. a. 1.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Et quod modus diligendi Deum, sit sinè modo diligere. *Vide Voluntas Principij.*

Quia maximè Dei amor fuit causa incarnationis, ea attribuitur Spiritui Sancto, licet sit totius Trinitatis. D. Th. 3. q. 32. a. 1.

Modus charitatis non cadit sub præcepto, vbi non exprimitur: vt sufficit exterius honorare parentes, licet non ex habitu. 1. 2. q. 100. a. 10.

Appetitus in Angelis non dividitur in multas potentias, ideò totaliter inclinatur in id ad quod tendit, nec inclinatur in contrarium. 2. 2. q. 24. a. 3. ad 3.

Motus rectus quem habent corpora ad suum centrum est omnium citissimus. Paridis pomum aureum non fuit divisum, sed integrum Veneri datum.

Dispersus ignis extinguitur. Amor totam occupat animam, si verus est, vas autem plenum, nihil ampliùs recipit: vt mare nobis decrescit, si vltrà solitum in oppositum littus effluat, sic partitus amor minuitur.

Res amata deprimit aut dignificat animam, sicut maritus vxorem; vnicus autem est maritus, vnica rei forma.

Amor fertur in bonum, bonum autem cum ente & vno convertitur.

Satis magnum miraculum est seipsum duplicare: nihil extremum quod æquale habet; qualiter enim quis duorum voluntatibus, interdùm contrarijs, posset obsequi. Amor nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. D. August.

Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cum omnibus consulere nequeas, illi consulas, qui quasi sorte quadam ubi colligatus temporaliter adhærere potuerit; vt inter duos æqualiter affectus, sorte potiùs eligas, qui rem, quæ dividi non posset, dares. D. August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 28.

Duos suscipiunt, quia in nullo sunt pleni: vasa vno tantùm implentur liquore, singula tuo; si dissimilia superfundas, vt oleum vino, non est repletio, sed adulterium: mulieres duobus maritis nulli placituræ serviunt.

Iure Romano nullus potest esse duarum civitatum civis, ne si inter illas oriatur bellum sit aut desertor, aut parricida, aut vtrumque, contrà patriam suam pugnans, imò contra seipsum, quia illius est pars. Sic inter plures dividi non potest voluntas, quæ vni se totam debet.

Res vna non potest simul in solidum ad duos pertinere. l. 5. §. si duobus. 15. ff. commod.

Vt corpus non potest esse simul in duobus locis, sic cor in duorum affectibus. Aliter facientes incidunt quasi in crimen stellionatus, cum rem alteri obligatam, alteri id nescienti quis obligat. tot. tit. Cod. de crimin. stellionat.

Cum reliqui planetæ duas habeant domos, luminaria, Sol scilicet & Luna, habent quisque suam, Sol Leonem, Luna verò Cancrum.

Si eodem tempore duorum amicorum necessitates operam amici communis desiderarent, non posset duobus simul vacare; si inter ipsos oriatur inimicitia cogetur alicui eorum fieri inimicus. Hinc historiæ firmas amicitias inter duos tantùm describunt, inter Achillem & Patroclum, Orestem & Piladem, Dæmonem & Pythiam, David & Ionatham.

Nihil simul fertur contrarijs motibus, vt ascendat & descendat. *Vide Majoritas Concordantiæ Mala.*

Hinc zelotypiæ furor, quia nec regna ferre socium, nec tædæ sciunt. Senec.

Facit tenerior affectus vt sit querela proclivior; mollis est enim animus diligentis, & ad omnem sensum doloris argutus: si negligentiùs tractes citò, marcet, etiam vultu pietas lædituſ. Symmach. lib. 1. Epist. 28.

Epistolas ad me perferendas tradidisti, vt scribis amico tuo, deindè admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem; ità eadem Epistolâ illum & dixisti amicum & negasti. Diù cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit, cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tàm audacter cum illo loquere, quàm tecum; cum amico omnes curas, omnes cogitationes misce, fidelem si putaveris facies; nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & alijs jus peccandi suspicando fecerunt, &c. Seneca. Epist. 3.

Zelus est amor incensus, non patiens consortium in re amatâ. D. Th. 1. 2. q. 28. a. 4.

Zelus est quo amans nititur omne id repellere quod perfectam rei amatæ possessionem impedire

Digitized by Google

poſſet; amoris quidem eſt indicium, ſed vt febris vitæ, quam depaſcitur; zelus eſt amori, id quod eſt grando meſſi, venenum cordi: amori videtur contrarius, quia voluntates dividit, bonas etiam actiones, ſibi diffidens, malè interpretatur; ſimilis corrupto ſpeculo, quo res referitur alia quàm ſit: non ſic de inimico malè judicatur. Privare vult amatam honeſtâ omni converſatione; inter roſas ſpinæ ſunt, & inter delitias deſperatio: Tyrannico & prodigioſo modo vult mereri amorem, injurias vitæ, honori, virtuti inferendo. Infirmi animi vitium, imparem ſe rei amatæ ſentientis: hoc felle vitæ noſtræ dulcedo omnis corrumpitur; irrepit inter dulciſſima vitæ noſtræ ſolatia; amorem in odium vertit, venerationem in contemptum confidentiam in diffidentiam; alitur hoc animi malum alienis bonis, augetur curioſâ inquiſitione, quâ vtitur pro remedio, dumque famæ ſuæ conſulit, illam poſteritatiſque ſuæ deturpat. Ex amore naſcens, vt vipera, proptium enecat parentem.

Deut. 21. præcipitur, vt ſi quis noluerit ampliùs habere conſuetudinem cum captivâ, eam libertate donet, nec cum aliâ ſuperinductâ eam retineat, cum zelotypiæ gravi ſupplicio, & imminente periculo. Nodus interdum cum ſtringitur nimis, rumpitur. Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem rationis.

Hæres inſtitutus non poteſt hæreditatem pro parte recipere, & pro parte reſpuere. l. 1. & 2. ff. de acq. vel omit. hæred. *Vide Bonitas Magnitudinis & Media Volunt.*

Qui duobus collegiis adſcriptus eſt, debet eligere cui magis velit adſcribi; non enim poteſt eſſe duorum ſimul. l. 1. in fine. ff. de colleg. & corporib.

Tu omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs; poſt amicitiam credendum eſt, antè amicitiam judicandum. Iſti verò præpoſterè officia permiſcent, qui cum amaverint judicant, & non amant cum judicaverint. Senec. Epiſt. 3.

Linea recta non poteſt habere niſi vnum motum in omnibus partibus ſuis; linea autem reflexa poteſt habere duos & plures.

Cereris feſta celebrabantur accenſis cereis, quia Proſerpina ejus filia dicitur à Plutone rapta ad faces: ideſt dives tunc meſſem terræ prolem colligit, cum ſol magis fervet: bonorum operum fructus ex intenſiſſimo amore.

Si non poteſt haberi integer, ſaltem optatur major. *Vide Majoritas Volunt. in Miſcel. ſub finem.*

Qui ad amorem inclinantur à corpore veneris, aut ejus aſpectu, in nonâ domo Religionis exiſtente, hi ardentiſſimè amant, & imaginantur ſibi quid divinum in objecto amato.

Iuvenum affectus ſunt acuti, ſed mutabiles. *Vide Differ. volunt. mal. & Magnit. Bonit.*

In Theſſaliâ eſt ſacellum & lucus impiæ Veneris, in memoriam pulcherrimæ mulieris ab amante zelotypo occiſæ. Athenæ. lib. 13. cap. 20.

Vndè procedat magnus affectus. *Vide Principium Voluntatis.*

Plures Tyranni perierunt propter exceſſus luxuriæ quàm crudelitatis, quia ſtuprata ſua conjugia non ferunt populi. Bodin. 4. Reip. c. 1.

Tandiù ſuperbiam Regis Tarquinij populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido, hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Florus lib. 1. c. 7.

AMOR DEI SINE MODO. & integer.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, hoc eſt primum & maximum mandatum.

Summus omnium Deus ſummâ charitate eſt diligendus; à quâ charitate, non fames, non perſecutio, non gladius debet nos ſeparare.

Quò mens per amorem Deo fit viciniot, eò magis ardet, & velociùs fertur, vt corpora centro ſuo viciniora. Abſoluta infinitas hanc amplificationem vitalemque infinitatem mentibus inſerit, vt ſol qualitates ſuas cognatis corporibus, &c. Marſil. Ficinus. Theolog. Plat. lib. 8. in fin.

Amor, ſicut & natura, eſt principium motus & quietis: itaque ſi fortè mentes, dùm Deum cognoſcunt non mediocriter, interim aliud tamen ament vel mediocriter, ſtatim relicto Deo ad aliud movebuntur.

Quâ fronte exiit anima ad Deum, perdidit ſignum Chriſti, accepit ſignum diaboli, vel cum vtrumque ſimul habuit. Non vult Chriſtus communionem, ſed ſolus vult poſſidere quod emit: Tanti emit vt ſolus poſſideat. Væ duplici corde. Eccleſ. 2. quia fit pars diabolo, iratus Deus diſcedet & totum Diabolus poſſidebit. Ideò Epheſ. 4. dicitur, Nolite locum dare diabolo. D. Auguſt. tract. 7. in Ioan.

Conchæ, quæ vniones producunt, non admittunt intrà ſe marinam aquam, ſed ſolo cœleſti rore veſcuntur.

Moyſes non permittit plures aras & delubra Deo ædificari: vnicum Deum oſtendens, vnigenitum mundum, & illi nos vnicè conſecrandos. Clem. Alexandr. lib. 5. Stromat. c. 5.

Vt in magno mundo, ſic in microcoſmo vnicus Deus debet imperare. Monarchicum enim eſt amoris imperium.

Præoccupatam ſæcularibus negotiis animam delectatio ſancta declinat; nec miſceri poterunt vana veris, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis, vt pariter ſapias quæ ſurſùm ſunt, & quæ ſuper terram. Fœlices illi viri per quos Dominica Aſcenſio præfigurata: Enoch raptus, tranſlatus Elias: fœlices qui ſoli jam Deo vivunt, ſoli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. D. Bernard. Serm. vlt. in Aſcenſ. Dom.

Niſi abeunte Chriſto in præſentiâ corporali non venit paraclitus; Senſibilibus dediti non percipiunt gratiæ plenitudinem. Errat qui cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, chriſmata illa ſpiritus miſceri carnis illecebris putat. Ibid.

Mirum eſt, ſed verum, animam Deum videntem, haud ſecùs videre, quàm ſi ſola videretur à Deo. Dilectus meus mihi, & ego illi. Id. ſerm. 60. ſuper Cant.

Quomodò non poteſt fieri adultera conjux, niſi ſit inimica viro ſuo, ſic anima adultera amore rerum ſæcularium non poteſt niſi inimica eſſe Deo: timet ſed non amat. D. Auguſt. in Pſal. 91.

Infœlix Eſau qui dixit: Nùm vnam tantùm habes benedictionem Pater? divina conſolatio non tribuitur admittentibus alienam. D. Bernard. ſuper Cant.

Non vult conſortem habere in amore, qui parem non habet in dilectionis retributione: & tamen ſic

vult amari, vt cuncta simul amentur cum ipso, & sic vult amari, vt nihil præter ipsum ametur; debet enim in creatore diligi creatura, non in se, & per se. Id. serm. 8. in Cœna Domini.

Quidam Marcellinus, sectæ Carpocratis hæretici, colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo. D. Aug. Epist. ad quod vult Deum de Heres. hær. 7.

Hinc tantùm proficimus in amore Dei, quantùm à mundanis secernimur. Vide Mortificatio. *Virtus Contrarietatis & Differentia Minoritatis.*

Sol in libra dejicitur, charitas si cum mensura exhibeatur.

Antiqui Philosophi Deum summoperè amandum dicebant, acceptorum beneficiorum memoriâ; naturalia autem tantùm beneficia recensebant, vt corporis, animi dominatus super omnes res creatas: clamat enim intus innata rationi Iustitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Sed Christiani plus diligunt, qui se ampliùs dilectos esse cognoscunt, cui enim minùs donatum est, minùs diligit. Iudæus non tales experitur amoris aculeos, quales Ecclesia, quæ ait (Cant. 2.) Vulnerata charitate ego sum, & rursùm fulcite me floribus, quia amore langueo.

Vultis à me audire, & quare & quomodò diligendus sit Deus: & ego, causa diligendi Deum, Deus est; modus, sinè modo diligere; quia cum dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum; nam & infinitus Deus est, & immensus: quisnam quæso debeat esse finis, vel modus nostri amoris, quid quod amor ipse noster, non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergò immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas. Amat Deus, cujus magnitudinis non est finis, cujus sapientiæ non est numerus, cujus pax exuperat omnem intellectum, & vicem rependimus cum mensurâ? Diligam te Domine fortitudo mea, &c. qui etsi quantùm debeo, non possum tamen vltrà quàm possum. Potero autem plùs, cum plùs donare dignaberis, nunquàm tamen provt dignus haberis, &c. D. Bernard. lib. de diligendo Deo.

Propter quod vnum quodque tale, & illud magis: A Deo autem primo bono, pulchro amore, omnia habent quod diligantur.

Quid diligendum diligitur, si ipsa dilectio non diligitur. D. Augustin. in Ps. 118.

Dilatatum est cor nostrum, dilatamini & vos. 2. Corinth. 6.

Totum quod est homo, & totum quod potest, & quod habet, est ordinandum in Deum. D. Thom. 1. 2. q. 21. q. 21. a. 4. ad 3.

Maximum præceptum datur de charitate. 2. 2. q. 44. a. 1.

Omnis creatura naturaliter plùs diligit Deum, quàm se. 1. q. 60. a. 5.

Homo & Angelus in puris naturalibus, idest sinè gratiâ, possunt amare Deum super omnia. 1. q. 60. a. 5. *Vide Volunt. Princip.*

D. Bernard. super illud Canticorum; Ordinavit in me charitatem. Dicit quod recta ordinatio est omnimoda voluntatis nostræ ad Deum conversio, & ex se totâ subjectio. Me Christus suo sanguine comparavit, ideò illius sum, quicumque sum.

Passim in scripturis Deus dicitur zelotes.

Amor animam ad vnitatem suam reducens sinè partitione, similiter Deum quantus est sinè partitione diligit. Vide ex D. Bernard. *Cognitio Volunt.* Amoris divini illustrationes.

Dicit D. Bernardus, Habeo tantùm minuta duo, corpus & animam, vel potius minutum vnum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem ejus, qui tantus tantillum tantis prævenit beneficiis, qui toto se totum me comparavit; alioquin si illam retinuero, quâ fronte ad Dei misericordiæ viscera accedo?

Vndè hoc monstrum, & quare istud, imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, & resistitur; imperat animus vt velis, nec alter est, nec facit tamen: imperat vt velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat; sed non ex toto vult, non ergò ex toto imperat; non vtique plena imperat, ideò non est quod imperat; nam si plena esset, nec imperaret vt esset, quia jam esset: Non igitur monstrum partim velle, partim, nolle, sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus; & ideò sunt duæ voluntates, quia vna earum tota non est, & hoc adest vni, quod deest alteri. D. August. 8. confession. cap. 9.

Vide amor Dei verus, seu amare Deum propter ipsum. *Veritas Voluntatis.*

Verus Dei amor non est tantùm affectivus & simplicis complacentiæ, sed etiam effectivus, obedientialis, & super omnia.

Charitas se extendit ad omnia quæ sunt Dei, sic ad proximum & inimicum. 2. 2. q. 25. a. 1. D. Thom.

Rectè præcipitur, vt Deus ex toto corde diligatur. 2. 2. q. 44. a. 5.

Raptus pertinet etiam ad vim appetitivam. 2. 2. q. 175. a. 2.

De profectu amoris. *Vide Majorit. volunt.*

De transformatione. *Vide Potest. volunt.*

Vera charitas consistit in amando Deum ex toto corde, itavt non sit peccatis locus; & ordinatè, itavt summo amabili nihil præferatur. Vide can. Charitas de pœnitentiâ distinct. 2.

Amantes & sacrificantes coronantur, quia plenum & perfectum videtur esse corona. Athenæus lib. 15. cap. 5.

Pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui vivunt non sibi vivant, sed ei qui pro ipsius mortuus est, & resurrexit. 2. Corinth. 5.

Æmulor vos Dei æmulatione, despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 2. Corinth. 11.

Christo confixus sum cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Galat. 2.

Si circumcidamini Christus nihil vobis proderit: evacuasti estis à Christo, qui in lege justificamini: testificor omni homini circumcidenti se, quoniàm debitor est vniversæ legis faciendæ. Galat. 5. sic Christum servientes totos se illi debent, nihil sperantes à mundanis. *Vide Gloria Virtutis.* Militans Deo, non implicet se negotiis sæcularibus.

Qui duos homines in iudicio sistere promisit, nihil facit, si vnum tantùm sistat. l. fin. ff. in jus voc. vt eant.

Latitudinem charitas facit, quæ non novit angustias; hanc latitudinem operatur in nobis Deus, dicente Apostolo Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis, & 2. Cor. 6. Dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus. D. August. serm. 3. de verbis Apostoli.

Vndè Apostolus præcipit cognoscendum, quæ sit longitudo, latitudo, &c. latitudo est charitas, quæ sola benè operatur; latitudo facit vt hilarem datorem diligat Deus, si enim angustias passus fuerit, tristis dabit, si tristis dabit, perit quod dabit. Ibid. serm. 7. cap. 4.

Charitas

Charitas Dei diffusa est, &c. cum in corde tuo habitare cœperit spiritus Dei, excludet spiritum tuum, vt cum divitem hospitem hospitio recipis, angustiaris, non habens vbi cum familiâ tuâ maneas. Ibidem serm. 15. cap. 12.

De eo quod integrum dandum est. *Vide Bonitas & Virtus Magnitudinis.*

Perfecta charitas erit tantùm in cœlo. *Vide Magnitudo Gloriæ.* Gloria cœlestis.

Per Christum à multitudine ad vnitatem sumus revocati. *Vide Concordantia Differentia.* Harmonia mundi, vbi de rerum omnium vnitate.

MAGNVS AFFECTVS quandò sit optimus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficia magis ex affectu quàm ex rerum prætio æstimantur; Ideò si ægrè, quærulè, contumeliosè conferantur, & diutinis extorqueantur precibus, ingrata & nulla sunt, satisque ergà illa gratus est, qui ignoscit. *Vide Veritas. Bonitas.* Ergo danda sunt magno affectu, qui suppleat defectum rei interdùm votis non respondenti.

MAGNITVDO. Magno animo in magnis aggrediendis & perficiendis opus est: servile est animum partiri, quasi alterius imperio, non libera voluntate operi incumbamus: imperfecta sunt, quæ non integro fiunt affectu. *Vide Bonitas Magnitudinis.* Integritas.

DVRATIO. Magis afficiunt nos durabilia, vt quæ sunt futuræ felicitatis, & famæ principia, sic & omnia præjudicialia, pij ad æterna toto animo contendunt.

POTESTAS. Potentiæ naturales explicant vires suas integras in actione, oculi in visione, aures in auditu non sibi parcunt, nec mediatâ sensatione, sed integrâ objectum suum conantur assequi, sic jura sua ambitioso conatu vindicant Reges, & civiles omnes potestates: naturalis hic ambitionis sepsus prodest, vt laviora videantur regiminis onera. Amor enim non laborat, sed delectatur in objecti sui consecutione.

COGNITIO. Scientiarum & artium aditum magnæ præcludunt difficultates & sicut hortos Hesperidum terribiles Dracones, vndè magnis animis opus est, & pecore firmo. Quò clarior est boni intelligentia eò concitatior est ad illam affectus: sic beati clarè Deum videntes, ab ejus amore nunquàm deficiunt. Sapientia Regina est, totum, vacuumque pro hospitio quærit animum.

VOLVNTAS. Amor amorem sibi similem parit, magnus magnum, tantùm enim alium diligimus, quantùm nos ab eo diligi constat. Descendit Spiritus sanctus super Apostolos, cum impetu & magnâ commotione. Amor sexus ad generationem totus est in æstu.

VIRTVS. Tarda nimis & languida foret virtutum actio, nisi passiones animum concitarent; vt enim temperamentum à virtute accipiunt, sic ardorem illi conferunt. Definiuntur virtutes per habitus qui sunt constantes & perpetui; constantiam autem hanc non servat, nisi magnus affectus, qui vt magna aquæ copia difficilè corrumpitur.

VERITAS. Amatur veritas magno affectu itaut bilem moveant, etiam de merè speculativis quæstiones, & bella horrida concitent inter populos de Religione controversiæ; vna est veritas, sic vnum, integrum, non partitum dubiumque quærit animum.

GLORIA. Nemo languidè decertat pro honoris titulis & prærogativis; ambitiosi passu semper concitato conscendere nituntur ad apicem, hicque motus, vt tendit ad excellentiam, quæ paritatem excludit: sic non patitur alium consortem affectum, mentem partientem, & ad alia divertentem.

DIFFERENTIA. Vehemens debet esse animi concitatio, quæ diutinam, licet nocivam solvit societatem, vt cum quis à rebus mundanis se in solitudinem recipit. Sic incendio, ruina, aut aliâ vi majore quisque è domo suâ ejicitur.

CONCORDANTIA. Amicitia cor integrum, sinè fuco, sinè diverticulis expositum desiderat. Nec enim fert dubium, varium, diffidentem animum, suspicioque illi pro summâ injuriâ est. Amor ingens si præcedat matrimonium, futura etiam ejus omnia acerba delinire solet.

CONTRARIETAS. Ira fervet, vt non timeat pericula, dum expetit vindictam. Malè cessit Pompeio continuisse militum impetum in pugnam ruentium: Vix enim est vt non timidè & infœliciter certetur, cum lentè & frigidè.

PRINCIPIVM. Amor vtriusque sexus ad copulam æstuat, sic sapiens natura voluptatis illecebris occultat damna profundentis se in generatione substantiæ, & partis etiam pericula: fervent mitia omnia, vt sic superatis primis difficultatibus, victrices potentiæ spem concipiant obtinendi cætera quæ ambiunt.

MEDIVM. Motus violentus initio est tardus, in medio concitatior, sic in his quæ contrà inclinationem imperantur, initio tepet affectus, sensim inardescit facto habitu, sed quia volentus est sensim sistitur.

FINIS. Media eligantur temperato & convenienti affectu; finis autem integer & integro animo expetitur, vndè circà illum non est consultatio.

MAIORITAS. Animo excellentem imò infinitam vim inesse probant sublimia officia, quibus se parem, imò superiorem efficit, itavt pro rerum magnitudine se extollat.

ÆQVALITAS. Æmulatio magnos habet impetus, dùm pudet ab æqualibus superari; adolescentium animi his concitantur stimulis ad scientias, artes, militiam, vrbanitatem, &c.

MINORITAS. Ex obscurâ & humili fortunâ non emergit, nisi magnus animus. Militibus in angustum redactis crescit ex desperatione audacia, vndè fugientibus pons aureus parandus esse dicitur.

AMOR VERVS NON est pro parte.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amans se dat amato objecto, & profitetur se deinceps illius vitâ victurum: sic duplici titulo se totum illi debet; seù quia se propriâ vitâ, & proprio arbitrij jure spoliavit; seù quia alteriùs vita, quæ vna est, voluit vivere; donare autem & retinere absurdum est, partiri quod alteriùs totum se est vetat justitia.

MAGNITVDO. Ad infinitum bonum nata mens, cum illud hîc non videat, præludit tamen illius fruitioni hoc amore, qui modum nescit, quia sibi fingit in re amatâ immensas perfectiones, vt se totum explicet. Quis amicitiam professus, illam mediatam,

pro trinâ, quartâ aut aliâ qualibet parte promiſit? Non patitur has diviſiones ſpiritualis, & indiviſibilis animus: Cum autem totum affectum promiſerit, eum negare aut partiri perfidiæ genus eſt.

Dvratio. Amor omnis æternum ſe & conſtantem aſſerit, firmitas autem non contingit, niſi rebus indiviſis, collectis, & vnitiſſimis, nam partita omnia ſunt infirma. Amicitiæ jura imitari debent jura naturæ & ſanguinis, quæ perpetua ſunt, vt ſympathiæ & cognationes, quis enim ad tempus Pater eſt.

Potestas. Amans vult ſe dominari ab amato, ſed Monarchicè, non enim patietur plures dominos, & eos omnes quos pro amicis amatus haberet, & ex quorum arbitrio multa ab illo aſſlagitaret.

Cognitio. Amans effundit omnia ſecreta ſua in ſinum amati, qui ſi amet plures, & illi alios, tandem hoc progreſſu quod ſecretum eſſe debet fiet publicum, & fortè in hoſtium deveniet notitiam.

Volvntas. Vnicum quærit bonum vt centrum, cui tota inhæreat: Motus ejus naturalis rectus eſt, & in vnum finem tendit, licet ad ipſum multa eligantur media. Quis autem vellet amari quaſi acceſſoriè, & cum hac turpi conditione, vt tantùm aliorum amori principali ſtabiliendo inſerviat.

Virtvs. Peccat amor ſi plures ſimul velit complecti, vt Religio ſi plures colat Deos. Eo enim ipſo Deum negat, dùm hac multitudine aſſerit non eſſe infinitè perfectum. Sic contumeliam facis pluribus amicis, quos ſingulos non putas dignos integro tuo amore.

Veritas. Omnium mentibus hæc eſt innata veritas, amorem non pati conſortem, vndè qui videt plures ſecum ab eodem amatos, putat ſe deceptum, & læſus amor in furorem vertitur.

Gloria. Ad hominis fœlicitatem amor datus eſt: at ſi inter plures dividatur, non quietem, non voluptatem, non tranquillam vitam pariet, ſed inquietos æmulationis motus, iras, certamina, lugendamque inter homines excitabit tragœdiam.

Differentia. Civilis ſocietas, quæ eſt circà vtile, ordinem poſtulat, varioſque gradus pro negotiorum ratione. At verus amor circà honeſtum, in vnitate conſiſtit: hinc amantibus familiare eſt ſolitudinem optare, procul à cæterorum commercio, tùm quia cætera omnia deſpiciunt, tùm vt re amatâ ſecurius fruantur. Qui plures amat, ſupponit in omnibus defectus perfectionis, qui non implent animum, & qui indigent hoc multitudinis ſubſidio, vt in pluribus inveniatur quod ſingulis deeſt, hac autem exiſtimatione læditur amor.

Concordantia. Cum vno putabam mihi commercium eſſe, & plures ingeris, quos tibi amicitiâ devinxiſti, eoſque non vocatos, nec gratos, importunè vis adeſſe convivio; ſi tales non recepero, offenderis; ſi recepero, hic noſter amor, qui ſingularis erat, fiet communis, redibitque ad generalem in ſpecie, aut ex Adamo affinitatem.

Contrarietas. Si inter plures amicos oriantur controverſiæ, quorum adhærebis partibus? cum ſinguli te vt ſuum vindicent, & ſub ſuis velint ſignis militare, ſi te indifferentem præſtes, omnes habebis inimicos, ſi ſtes pro aliquibus contrà alios, non niſi perfidiâ fidem ſervabis.

Principivm. Vagam concupiſcentiam barbaræ etiam nationes non probant; diſtincta vbique dominia, vt ſingulari affectu poſſideantur & colantur. Primo homini in ſtatu innocentiæ vna data eſt conjux, & ad vnam innatus amor; vt vni materiæ vna datur forma, vni terræ vnum cœlum, vni naturæ vnus Deus.

Medivm. Amor imperat, vndè legem dicit; non accipit, nec modum ſibi imponi patitur; Amans amatum ſibi ſubſtituit, aut potiùs in ſe transfundit, vt vnum quid cum ipſo fiat, in vnitate ſingulari, quæ ſignificat indiviſionem in ſe, & diviſionem ab omni alio.

Finis. Amor intendit & amare & amari, hoc autem perfectè in vno conſequitur, ideò fruſtrà id à pluribus expetit. Vnus ſemper principalior finis intenditur, vnus jaculanti ſcopus, vnus naviganti portus, vnum motui naturali centrum, ſic vnum verò amori objectum.

Maioritas. Sentit amans quantùm amet, & non ſentit quantùm ametur, hinc ſæpiùs quærelæ quæ in immenſum & in ipſum amoris excidium excreſcent, ſi ſimul alij amentur, amore qui ſemper putabitur eſſe major. Innoxiè, vt ait Plato, pejerant amantes, dum quotidiè juramento affirmant ſe non poſſe magis amare, & tamen quotidie plùs amant, ſic per accidens fit quòd motus centro propinquus fiat celerior.

Æqvalitas. Amans dum amat totaliter, vult ex æquo amari. Conformitas eſt amoris effectus: at tàm impoſſibile eſt pluribus amantibus, diverſi ſemper & interdùm contrarij genij ſe conformem reddere, quàm eundem vultum varijs, ſibique oppoſitis lineis & coloribus depingere. Si velit varios amoris gradus pluribus, vt jus ſuum, tribuere, jam agit partes non amantis ex æquo, ſed imperantis judicis, ſinè ipſo quem profitetur affectu, qui etiam debet à judice excludi.

Minoritas. Sic partem amoris vnicuique aſſignando, omnes lædis quos non reputas dignos integro tuo amore, hoc eſt enim palàm exprobrare defectus, & hâc exigui amoris pœnâ mulctare.

PASSIONVM, SEV *motuum appetitus ſenſibilis vtilitas.*

PAſſiones animæ, vndecim nominantur, ſex in concupiſcibili; ſcilicet, amor, odium, deſiderium, fuga, delectatio, dolor. Aliæ quinque ſunt in iraſcibili, ſcilicet ſpes, deſperatio, timor, audacia, & ira. D. Tho. 1. 2. q. 23. a. 4.

Hæ paſſiones provt ſubjacent imperio rationis bonæ ſunt: appetitus enim ſenſitivus propinquior eſt rationi & voluntati, quàm membra exteriora, quorum tamen actus boni ſunt, cum à ratione imperantur. Vndè fallax eſt Stoïcorum ſententia, qui paſſiones tantùm vt rationis perturbativas conſiderant, & ſic volunt abeſſe à ſapiente, vt refert. Cicer. 3. Tuſcul.

At cum hæ paſſiones ex ſe ſint motus appetitus ſenſitivi, cùm à ratione reguntur, pertinent ad rationem humani boni, vt ſcilicet ratio ſe extendat ad id omne, ad quod ſe poteſt extendere, & homo ad bonum moveatur, non ſolùm ſecundùm voluntatem, ſed etiam ſecundùm appetitum, vt meliùs eſt quòd homo velit bonum, & faciat exteriori actu, ſecundùm illud. Pſalm. 83. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Id. 1. 2. q. 24. a. 2. & 3. Ideò ſic addunt ad bonitatem actus humani. Vide ſuprà hoc titulo.

D. Auguſt. lib. 14. de civit. c. 9. improbat Stoïcorum opinionem, qui nolebant ſapientem paſſionibus moveri. Cives, inquit, ſanctæ civitatis Dei, metuunt, cupiunt, dolent, gaudentque, & quia rectus eſt

amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent; A Metuunt pœnam æternam, Cupiunt vitam æternam; Metuunt peccata, Cupiunt perſeverare. Dolent in re, quia in ſeipſis adhuc ingemiſcunt redemptionem corporis ſui; Gaudent in ſpe, quia fiet ſermo qui ſcriptus eſt, &c. gaudent & dolent in tentationibus. Vt doleant vident Petrum flentem; vt gaudeant, audiunt Prophetam dicentem. Proba me domine & tenta me. Chriſtus ipſe dixit: gaudeo propter vos, vt credatis. Ioan. 11. lachrymas fudit cum Lazarum reſuſcitavit. Luc. 22. concupivit cum diſcipulis ſuis manducare Paſcha, ſic alios motus volens ſuſcepit. Satis benè vivit, qui ſinè errore eſt. D. Auguſt. Ibid.

Vide D. Hieron. Epiſt. ad Criſiphum.

In animâ Chriſti fuerunt paſſiones, ſed non ferebantur ad illicita, nec prævertebant actum rationis, B nec impediebant judicium, ſicut fit in nobis. D. Tho. 3. q. 15. a. 4.

In animâ Adæ fuiſſent paſſiones animales, ſed non afflictivæ. 1. q. 95. a. 2.

Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.

Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, in quo quidquid eſt in homine ſummâ voluptate perfundetur, vt ſenſus externi, ſic interni, vndè motus appetitus ſenſitivi non vacabunt, ſed perficientur.

De ſingulis paſſionibus, ſecundùm formalem earum rationem, Vide ſpeciales combinationes, vt de Irâ *Magnitudo Contrariet.* de Miſericordiâ *Concordantia Minoritat.* de dolore. *Differentia Minorit. aut Contrar.* &c. & quòd paſſiones ſint penitùs reſcindendæ ſecundùm Stoïcos. *Vide Majorit. Volunt.* mala.

In circumciſione nec nervus, nec os comminuitur, vt firmiora quoque ſerventur illæſa, caro autem amputatur, vt illecebroſa mollities caſtigetur. D. Bernard.

Non deſtruit Deus appetitum, ſed in meliùs diſponit: non dicit, vt non theſauriſes, ſed vt theſauriſes in cælo. Matth. 6. non mutat affectum, ſed finem. Petro Piſcatori dixit, tu eris piſcator hominum. Matth. 4. Populo Iſraël carnali, & eſcas appetenti, promittit terram lac & mel fluentem. Exod. 3. Gaudentibus D Apoſtolis quod ſibi ſpiritus malos ſubjicerentur, Gaudete inquit non propter hoc, ſed quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ: non tollit omnino lætitiam. Luc. 10. Hominum potentiam timentibus, Timete, inquit, eum qui poteſt animam & corpus perdere; non tollit omnino timorem.

Hæc ſubjectio paſſionum habetur à Deo. *Vide Principium Virtutis.*

D. Auguſt. lib. de verâ Religione cap. 16. tertiam facit ætatem ſpiritualem, jam fidentiorem, quæ carnalem appetitum rationis robori maritat. *Vide infrà Majoritas Virtutis.* profectus.

Vt arbores, quæ multo ac valido ſucco in inutes ramos exuberant, tandem matureſcente illâ luxurie fœliciſſimos proventus alere poſſunt: ità juvenis nimio E æſtu exultantem liberumque animum nactus, aliquando juſta & ad ſapientiam ſufficiente moderatione reſidebit, quod ſi jam ab ipsâ adoleſcentiâ maturam, ſobriamque vim ſortitur, languore inutili antè primam ſenectutem marcebit. Sed hoc maximè eſt ad indicium futuræ virtutis, ſi ipſe inter cætera ſtudiorum aut affectuum genera aliquid valdè volet, id quidquid eſt, nimio ac velut præcipiti fervore complectens; nam hæc acris cupiditas ſaltem oſtendit illum verò, & per hoc laborioſo impetu in ſua ſtudia poſſe ferri, ſinè quâ indole nemo virtutem verè colet, aut gloriæ limbit. Barclaj.

De fervidis initijs. *Vide Magnit. Principij.* Initij.

Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Pſalm. 148.

Argentum vivum, excepto auro, cætera omnia, etiam ſolidiſſima, multis partibus exuperat gravitate: ex quo oſtenditur formam gravis, ſivè ponderoſi, dominati ſimpliciter in copiâ materiæ, & non in arctâ compage: ſic paſſiones licet mutabiles multùm poſſunt conferre ad conſecutionem finis.

Dum Romani contrà Latinos diù Marte vario dimicarent, Poſthumius Dictator ſignum in hoſtes jaculatus eſt, vt peterentur curſu. Coſſus equitum Magiſter exuere frænos imperavit, & hoc novum, quo acriùs incurrerent. Florus. lib. 1. c. 11.

Scipio cùm videret Numantinos, eo neceſſitatis G compulſos, vt deſtinatâ morte in prælium ruerent, quam ſeſe priùs epulis, quaſi inferijs, impleviſſent, non permiſit pugnam morituris. Florus. lib. 2. capite 18.

Timurates Sophiſta ſic erat iracundus vt diſputanti ſibi in barbâ pili, & in capite crimen more leonis concitati aſſurgerent. Philoſtrat. in vitis Sophiſtarum.

Paſſiones non penitus exſcindendæ. *Vide Media Contrariet.*

C *PASSIONVM VTILITAS.*

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Paſſiones communes ſunt omnibus hominibus: vndè patet eſſe beneficium naturæ, quæ nihil facit fruſtrà. Ideò omnibus bonum ſunt, ſi illis ſciant vti.

Magnitvdo. Magna non aggreditur niſi mota mens, ſe reſque ſibi commiſſas ſupergreſſa; vt flamma quæ circumlambit, & conſumit ea, à quibus putabatur opprimi.

Dvratio. Fortitudini vtiliter accedunt audacia, ira, indignatio; vnitæ partis ſenſibilis vires cum rationali firmant magis bonum animi propoſitum. Prudentiæ oculos & aures acuit periculorum metus, & cunctando occaſionem expectat venientem.

Potestas. Alia mens debet eſſe Rectoribus, alia negotijs actionique vacantibus, & in hoſtium procinctu poſitis. In primis multùm valet ratio, in alijs addita rationi paſſio: tantò enim fœliùs miniſtri juſſa peragunt, quantò ad ea ardore feruntur. Quale eſſet rationis imperium, ſi nullæ eſſent quæ regerentur paſſiones.

Cognitio. Tepeſcit & languet ſenum conſilium, niſi miſceatur juvenum ardor: Spiritus enim animales excitantur paſſione: ſic menti admirabiles, & præter ſpem fœlices conceptus formandos materiam ſuppeditant. Ex naturâ paſſionibus agitatâ, artem Rhetoricæ ſibi majores conſtituerunt: ſic ſapientia dicendi facundiam, ornatum, vimque perſuadendi à paſſione mutuatur, vt probat Ariſtoteles in Rhetoricis.

Volvntas. Inefficax eſt voluntas, ſi ad optatæ rei conſecutionem non accedant amoris, ſpei, audaciæ, & tùm concupiſcibilis, tùm iraſcibilis partis paſſiones: quis enim amat ſinè amore, deſiderat ſinè deſiderio, ardua aggreditur ſinè ſpe? etiam divina charitas, cùm ad extaſim fertur, exundat in partem ſenſibilem, & vt domina inferiores ſibique ſubditas potentias in ſuos trahit affectus.

VIRTVS. Dum medio ſuo hærent virtutes, nullus earum eſſet profectus; timidè mediâ ſuâ viâ incederent, ſi illas non excitarent paſſiones; ſi timidas humanæ ſapientiæ cogitationes non inſtigarent ad electionem; ſi lapideæ fortitudini motum non imprimerent; ſi juſtitiæ manum vnam gladio non armarent; ſi æmulatione, pudore, metu toties perfidæ naturæ temperantiam in gradu ſuo non continerent.

VERITAS. Leges non iraſcuntur, ſed citrà peccatum iratis, & commotis fœliciter ad cuſtodiam ſuam vtuntur. Infirmi ſunt contrà populorum turbas miniſtrorum animi, ſi non illos zelus accenderit: ipſæ leges divinæ Moyſi à Deo inter ignes, tonitrua, fulgura, totiuſque naturæ commotiones datæ ſunt: ſic in prædicatione verbi divini fortiùs animos trahunt motus quàm demonſtrationes.

GLORIA. Natura actiones omnes ſuas voluptate delinit; allicit pulchritudine, & ſenſuum vario lenocinio, vt delectet impleatque poſtmodùm poſſeſſione. Situ omnia torperent, nec a quiete ad actionem vires ſuas profunderent, ſinè paſſionum variâ commotione; ſic exagitata ſuaviùs fragrant odoramenta, ſic motu purgantur maria, aër, corpora; Gratior etiam poſt paſſionum laborem quies, & poſt certamen triumphus.

DIFFERENTIA. Homini verſatilis animus datus eſt, & quia infinitum bonum, ad quod natus eſt, hîc non poſſidet, ad varia ſe diffundit, nec ſtatum patitur in re, quâ non poteſt impleri: has autem mutationes efficit varia paſſio doloris, metus, amoris, ſpei, in meliùs ſemper intentæ; ſic tempeſtatum anni mutationibus ſtat natura, dùm ficcitatem reparant hybernæ pluviæ, & ſtagnantes humiditates digerit calor æſtivus. Idem ex Ariſtot. præſtant in magnis annis ſtatis temporibus occurrentia diluvia & incendia. Sic fœcundatur virtutibus mens, dum à malo, metu, odio, ità indignatione removetur, & ad bonum amore, deſiderio, ſpe, gaudio allicitur.

CONCORDANTIA. Ex diverſis partibus compacti ſumus, ſenſibili, infirmâ, & rationali ſuperiore: ſecum autem mutuò debent conſentire, vt populus cum nobilitate, elementa cum cœlo; ſic mentis imperium tranquillum eſt, etſi ſæviant adverſa victrix. Fit vt in vniverſo, ſic in microcoſmo, ex diverſis contrariiſque gratiſſimus concentus: At ſi ſenſibilis partis motus rationi non conſentiant, cum nobis naturaliter inſint, non vacabunt ab actione, ſed in contrarium ferentu. Sic qui paſſiones non admittunt, vt auxiliares copias, illas experiuntur hoſtiles, inſurgunt enim ex improviſo, & tumidam inſolentemque ſuo imperio peſſumdant ſapientiam.

CONTRARIETAS. Bellum nobis eſt cum internis & externis hoſtibus; itaque cum penitùs tolli non poſſint paſſiones, ſunt nobis conciliandæ, & honeſto addicendæ, ne in turpe ferantur. Non ſibi ſatis natura providet, niſi dolore ſtimulata.

PRINCIPIVM. Obſervatum eſt paſſionibus deditos adoleſcentes, vt magis effrænes initio equos ad meliora arte formari. Paſſionum munus eſt, quod initia ferveant, & fœliciter ſuccedant, licet actionis laborem habitus nundùm mitigaverit.

MEDIVM. Etiam vili ferro organa & prætioſa quæque formantur artis operas: quid convenientius quàm motus partis ſenſibilis rationi deſervire?

FINIS. Oculorum munus eſt in ſcopum dirigere, & manuum licet cæcarum, quæ viribus magis præſtant, ſagittam magno conatu emittere. Feræ ſunt vt plurimùm paſſiones, ſed citò concidunt, brevi lucem, imperiumque rationi reſtituunt, & poſitis armis expectant novum ab eâ ſibi dici ordinem.

MAIORITAS. Ad inferiora ſe non demitteret ratio ſuperiorum contemplatrix, niſi paſſionibus allecta. Sic amor Patrem Senatorem & triumphantem ad tractandas cum chariſſimis ſuis puerulis nugas ſummâ trahit voluptate. Stat vniverſum hoc amoris illicio, quo infima ad ſuperiora, & ſupetiora ad infima præter naturam ſuam feruntur.

ÆQVALITAS. Motus ſit ſuper immobili, ſuprà terram eſt cœlum, cui perpetua lux motuſque ſemper regularis: ſic poteſt ſapientis animus ſibi ſemper æqualis nunquam à vero, nec à bono deflectere, cum tamen ſenſibiles paſſionum motus velit pati, tùm vt tardam ſuam naturam excitet, tùm vt alios in bonum vis hæc externa fortiùs trahat. Iraſcimini inquit Propheta, & nolite peccare.

MINORITAS. Hæc eſt vniverſi lex: vt non ſtent majora ſinè minoribus: pendet vegetativum ab elementativo, ſenſitivum à vegetativo, rationale à ſenſitivo, & ipſamet cognitio divinorum à phantaſmate; ſic etiam rationalis voluntas ab appetitu ſenſibili, ſi idem ſit conſtitutus ordo, inter cognitionem & voluntatem. Non ſumus in ordine Angelorum ſublimiùs operantium. Quid indignaris de conditionis noſtræ humilitate, profuit etiam ſapientibus interdùm iraſci, dolere, pœnitere, vt hinc diſcant nihilum ſuum? Vt proſtrati fortiùs reſurgant; vt in poſterum ſibi magis caveant; diſcantque cum Apoſtolo Dei gratiâ eſſe quod ſunt, & nihil poſſe, niſi in eo qui ipſos confortat.

ZELVS BONVS.

DIv. Bernard. Serm. 69. ſuper Cantica, dicit vnum eſſe zelum judicij, alterum miſericordiæ. *Vide Contrar. Minor.*

Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Apocal. 3.

Quomodo zelo etiam nimio benè vt inſtrumento vtantur politici. Vide demonſtrationem infrà. *Majoritas Volunt. Mala.*

Magna non aggreditur, nec ſuſtinet niſi mota mens; vt enim ira, ſic zelus rapit hominem ſuprà ſe, itavt ſinè metu ſe periculis objiciat.

Balſamum in Ægypto & Syriâ calidis regionibus naſcitur, & ſub caniculâ inciditur, tunc enim fluit. Dioſcorid.

Qui facit Angelos ſuos Spiritus; ideſt ſpirituales, omnia pervadentes. Et miniſtros ſuos ignem vrentem ideſt ſpiritu ferventes. Ignis ardens eſt omnis miniſter Dei, vrens fœnum, id eſt carnalia deſideria: hunc ignem ſe adferre in mundum dicebat Chriſtus, & velle vt accendatur. D. Aug. in Pſal. 103.

Leones terrentur igne, dæmones zelo.

Calidior debet eſſe temperies cordis, quàm hepatis; ſic major zelus in dignitate potioribus.

Cor piſcis Tobiæ incenſum pellit dæmones Tobiæ. 6.

Veritas liberè & cum zelo dicenda. *Vide Poteſtas Veritatis.* vide ſuprà hoc titulo de paſſionibus.

Fœmina mare eſt imperfectior, vnà quidem & primâ ratione, quia frigidior; ſiquidem in animalibus calidum eſt magis activum frigido. Galen. lib. 14. de vſu partium.

Solis calor intenſus, & continuatus attenuat, & diſſipat vapores, eoſque ſublimat, atque interim aëri æqualiter immiſcet & incorporat, vndè aër quietus fit & ſerenus. Mediùs autem calor excitat vapo-

Digitized by Google

tes, qui convertuntur in ventum & pluviam. Non tantùm debet esse magnus calor, sed & continuus, nam in Peruvia sub æquinoctio crebri sunt venti, ob magnam inæqualitatem caloris, alternantem noctu & interdiu.

Circà solstitium, tunc enim maximi calores, Sarraceni Tabri montis festum celebrant, in quo inter se & cum exteris pacificè degunt, sedatâ omni lite; ipsæ etiam feræ tunc & inter se & cum hominibus pacificè degunt. Photius in Biblioth. cap. 3.

Ad ortum Syrij igniti syderis maximè mella fluunt è cœlo. Plinius libro 11. capite 14. Si Syrio exoriente congruat in eundem diem Veneris, aut Iovis, Mercuriive exortus, non alia suavitas, visque mortalium malis à morte vocandis, quàm divini nectaris fiat. Ibidem mira efficit charitate, pietate, scientiâ & eloquentiâ temperatus zelus.

Palma nullibi frugifera, nisi in fervidâ regione. Plin. lib. 13. cap. 4.

Sal aquis marinis mixto imbre & rore, sed potissimum multo sole cogitur. Idem lib. 31. cap. 7. Vos estis sal terræ: ad zelum confert austera natura, dulcedo divina, & dignitatis splendor.

Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes. Roman. 12.

Zelus debet esse temperatus. *Vide Media Voluntas.*

Fœminea sunt humidiora, calor verò congruit ad masculinum sexum. Vndè Sol & Iupiter dicuntur masculini. Ptolomæus prædict. Astrolog. libro 1. cap. 5.

Luna à conjunctione, donec apparet dimidiata, magis est humida, indè vsque ad plenilunium calefacit; à plenilunio donec sit iterùm dimidiata desiccat; ab eo tempore, donec occultetur frigefacit. Ibidem cap. 7. Vndè apparet quod ejus perfectio est in calore.

Syrij, seù canis majoris stella ardentissima, Iovialis est & Martia. Ibidem cap. 8.

Severi equus manu tractatus scintillas emittebat, hoc portento Domino suo consulatum præsignavit. Photius Biblioth. c. 242.

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Psal. 96.

Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine. Hierem. 31. Ebrietas Sacerdotum, & in Apostolis comprobatur, quandò fervebat fide, & musto pleni dicebantur. D. Hieronym. in d. caput.

Aaron sumit ignem de altari thuribulo, vt sedaret incendium quo consumebatur populus. Num. 16. vtendum bono zelo in remedium falsi. *de quo Vide Majoritas Volunt.*

Dùm in bello Latino Romani pugnant adversus Tarquinios, Cossus equitum Magister exuere frænos imperavit, & hoc novum, quo acriùs incurrerent. Florus. cap. 117.

Temperatus est Sapiens, & ad res fortiùs agendas non iram, sed vim adhibet. Senec. 2. de irâ. cap. 17.

Alienis peccatis compati, & condolere. *Vide Concordantia Minoritatis.* Condolere.

ZELVS TORQVENS OB *aliorum peccata.*

DEfectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Psal. 118. *Vide Contrarietas Minor.*

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, ideò dilexi testimonia tua: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud. Vidi prævaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psal. 118.

Nonnè qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Psal. 136.

D. Bern. lib. 1. de consid. ad Eugenium cap. vlt. loquens de ambitiosis Ecclesiasticis. Si, inquit, Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exurgat authoritas tua adversùs impudentiam hanc: intuere Magistrum sic facientem, & audi dicentem, qui mihi ministrat, me sequatur: non parat aures vt audiat, sed flagellum quo feriat; verba nec facit, nec recipit: nec enim sedet judicans, sed insequitur puniens; causam tamen non tacet, quod domum suam domum negationis fecissent.

Psal. 30. Gratulatur bonus de suâ liberatione: sed statim exclamat: Miserere mihi quoniam tribulor conturbatus est in irâ oculus meus, &c. *Vide Majoritas Volunt.* Zelus nimius. Infirmatus est in egestate vigor meus; & ossa mea conturbata sunt, inquit Ecclesiæ corpus: cujus ossa sunt fortes; qui etsi non perturbantur persecutionibus alienorum, conturbantur tamen iniquitatibus fratrum. D. August. in Psal. 30. conc. 2.

Qui volunt in Christo piè vivere persecutionem patientur 2. Timoth. 3. Omnes mali persequuntur bonos, si non ferro & lapidibus, sed vitâ & moribus, sic Loth in Sodomis persecutionem patiebatur, non vapulando, sed malos videndo. Paulus 2. Corinth. 11. Inter sua pericula falsos fratres enumerat. Divus Augustinus. Serm. 24. de Verbis Apostoli.

De nimio zelo. *Vide Majoritas Voluntatis.*

Calx viva infusâ aquâ accenditur, propter irritationem & exasperationem Spiritus ignei ab aquâ, vt fiat quidam conflictus & antiperistasis. *Vide Potestas Contrariet.* Sic accenditur zelus ex occursu mali.

Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse Anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Roman. 9. dolet quod Israëlitæ nolint credere in Christum.

Sacerdos Heli audiens captam esse arcam Dei dolore moritur. 1. Reg. 4.

Vox in vijs audita est, ploratus & vlulatus, quoniam Israël iniquam fecit viam suam, obliti sunt Dei sui. Ierem. 3.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Idem c. 9.

Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem. Tren. 1.

DVRATIO VOLVNTATIS.

MORA IN AMORE CONTRAHENDO.

MISCELLANEA.

Vide Duratio Concordantia.

MENTA quidem igni appoſita excipiunt calorem, ſed quædam tardiùs.

Ex ſilice chalibe, & aliâ aliquâ ſubſtantiâ durâ excutiuntur ſcintillæ.

Apud nos omne corpus tangibile attritione caleſcit.

Animalia in acceſſibus febrium intermittentium, à principio frigore & horrore corripiuntur, ſed paulò poſt majorem in modum incaleſcunt.

Calor eſt motus, non expanſivus vniformiter ſecundùm totum, ſed expanſivus per particulas minores corporis, & ſimul cohibitus & repulſus, & reverberatus, adeovt inducat motum alternativum, & perpetuò trepidantem, & tentantem, & nitentem, & ex repercuſſione irritatum. Bacon. in Organo. l. 2. apparet ex eo quod flammæ volitant, liquores bulliunt, aduſtiones fiunt per minutos poros corporis, ac eſſet infinitæ cuſpides acus. Ibidem.

Vide repugnantiam, & quod amor moras non patitur. *Magnitudo Volunt.*

Alia ſæpiùs vri prodeſt: eademque materia aliud gignit primis ignibus, aliud ſecundis, aliud tertijs; quandò ipſe carbo vires habere incipit, reſtinctus atque interiiſſe creditus, majoris fit virtutis. Plinius lib. 36. capite vlt.

Vide Duratio Bonitatis. Ejuſque Repugn. de morâ aut celeritate in dando beneficio.

Planetæ cum ſunt matutini, aut in cardinibus, habent initia celeriora; veſpertini verò, aut in ſuccedentibus domibus, habent tardiores effectus. Ptolomæus. lib. 3. cap. 4.

Venus ad ſolem occidentalis, aut in quartis occidentalibus, ideſt à decimâ ad ſeptimam, & à primâ ad quartam lentos efficit in amore contrahendo. Ibidem. lib. 4. cap. 5.

REPVGNAT. MORÆ.

Vide Minoritas Durationis. celeritas.

VEhemens affectus moras non patitur. *Vide Magnitudo Volunt.*

Citò contrahitur amor qui procedit ex ſympathiâ. *Vide Principium Volunt.*

Motus caloris, qui eſt motus ſtimulationis, aut penetrationis, debet eſſe non nihil rapidus, & minimè lentus, & fieri licet per particulas minutas, tamen non ad extremam ſubtilitatem, ſed quaſi majuſculas. Bacon. in novo organo.

CONTINVATIO ejuſdem voluntatis.

MISCELLANEA.

Vide Duratio Cognitionis.

AFfectiones non ſunt ſeparabiles à ſubſtantiâ, ſeù activæ ſeù paſſivæ.

Cor habet ſubſtantiam carnoſam, ſpiſſam, nervis multis intextam.

Melancholici habent mentem conſtantem & ſtabilem, propter ſiccitatem quæ facilè ſuo termino, difficilè alieno continetur. Galen. lib. de naturâ homin.

Princeps ſit propoſiti tenax, perindè ac ſi id juramento firmaſſet. Amicos beneficijs, alios invicto animo ſibi parat. Sit conſtans imperij forma, ideſt vno & veteri tenore fluens; nam vileſcit Princeps qui vacillat, fœdâque inconſtantiâ quæ juſſerat vetat, quæ vetuerat jubet; vndè ſpernendi novatores. *Vide Minoris. Different.*

Monarchia hæreditaria in hoc optima eſt, quod amor populi facilè tranſit in hæredes, & continuatur, licet diſſimiles; ſic Cambyſem crudelem Græci tolerarunt propter amorem, quo proſecuti fuerant Cyrum Patrem; & Romani Commodum, propter Marcum Aurelium. Vide Bodin. lib. 4. Reip. c. 1.

Populus ſocius jus habet cogendi populum ſocium, vt ſtet fœderis legibus.

Omnia debent eſſe eadem quæ fuerunt cum promitterem, vt promittentis fidem teneam. Senec. de benef. lib. 4. c. 35.

Gymnaſtica, ſeù ars exercitandi corpora, medicinæ contraria eſt: nam illa non opus habet permutatione, ſed medicinâ; ſano enim non auxiliatur tranſmutatio ex præſenti ſtatu, ſed ægroto. Hippocrat. lib. de locis in homine.

Plotinus aſſerens æternitatem mundi, dicit mundi animam, & intelligentias motrices idem ſemper agere; quia ejuſdem ſunt ſemper intellectionis & affectus.

Rectâ ratione facienti omnia, ſi ſecundùm eam minùs ſuccedat, protinùs non eſt ad aliud tranſeundum, dummodò id conſtet quod ab initio viſum fuit. Hipocrat. lib. 2. Aphoriſ. 52. *Vide Minoritas Differentia Bona.*

Digitized by Google

Plus operis est in eo, vt proposita custodias, quàm honesta proponas : perseverandum est, & assiduo studia robur addendum, donec bona mens sit quod bona voluntas est. Senec. Epist. 16. Constitue animum & contine, vt habitus fiat, quod est impetus. Ibidem.

Non dico sapientem semper vno iturum gradu, sed vnâ viâ : vnam semel ad quam vivas regulam prehende, & ad hanc omnem vitam tuam exæqua. Hinc inconstantia consiliorum, quod nemo proponit sibi quod velit ; nec si proposuit perseverat in eo, sed transilit, & in ea quæ reliquit revolvitur. Idem Epist. 20.

Turpe est cedere oneri, luctare cum officio, quod semel recepisti: non est vir fortis & strenuus qui laborem fugit, verum ibi crescit illi animus ipsâ rerum difficultate. Idem Epist. 22.

Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia proprium, semper incipit vivere.

Quàm fœda hominum levitas, quotidie nova vitæ fundamenta ponentium. *Vide Different. Volunt. mal.*

Throni Saturno conveniunt, cujus sphæram exornant, vtrisque soliditas Marsil. Ficin. Epist. lib. 6.

Præcepta affirmativa obligant semper, sed non ad semper : negativa verò obligant vtroque modo. D. Thom. 1. 2. q. 72. a. 5. ad 3.

Idem ordo est in decretis Dei ab æterno, qui est in rebus in tempore.

Temerariæ ambitionis est, quotidie velle multa profiteri : Docet nos Pythagoras, vnitatem ad bonum spectare, malum verò ad diversitatem. Quemadmodùm vis naturalis in jecore, ac vis vitalis in corde, quandò distrahuntur in duo, ad vtrumque debilitantur : Ità vis animalis in cerebro, nobis ad diversa non suppetit. Præterea id quisque aptiùs peragit, ad quod a naturâ est institutus, vni autem vnum est contentaneum ; vnum ergò est necessarium, nam plurima turbant. Denique si Deus idem semper est, eademque agit, eò quis à Deo remotior, quò ad diuersa proclivior. Marsil. Ficin.

Leo Imperator l. vlt. Cod. de operib. publ. Mandat Iudicibus, non priùs nova opera inchoare quàm inchoata perficiant, & vetustate diruta diligenti studio compleverint.

Non debet tangi de fructibus novis donec consumentur antiqui l. 1. Cod. de condit. in publ. horreis.

Plato lib. 11. de legibus tres Deos assignat Iovi in opere comites. Palladem, Vulcanum & Martem : id est in consultando sapientiam, in exequendo igneum ardorem, vt que excogitata & facta fortiter vindicentur.

Intentio virtualis ministri sufficit ad perfectionem Sacramentorum. 3. q. 60. a. 8.

Terminus ad quem motus tendit est immobilis, immutabilis, ne in infinitũ regrediamur. *V. Fin. Vol.*

Bonus sibi ipsi est vnus, indivisibilis, desiderabilis vndè sibi ipsi amicus. Malus autem non vnus, sed multi & die eadem varius, & importunus sibi ipsi. Arist. moral Eudemior lib. 7.

Moyses dicit sapientis manus esse ponderosas, quia actiones ejus à firmo animi proposito procedũt. Philo Iudæus. lib. virum bonum liberum esse.

Necesse est Deos ità se habere vt sunt, non necessitate extrinsecus illatâ, sed naturali sibi, optimâque, ideòque maximè voluntariâ, quam & nollent vnquàm optione propositâ aliter se habere. Iamblicus de mysteriis cap. 11.

Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certum que iudicium adeptis : cæteri decidunt subindè & reponuntur, & inter omissa appetitaque alternis fluctuantur. Causa hujus jactationis est quod nihil liquet, in certo Regimine vtentibus fama. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis; ad vnum sinè decretis non pervenitur, continent vitam. &c. Sene. Epist. 95.

Verum gaudium procedit ex bonâ conscientiâ, ex honestis consiliis, & rectis actionibus. Nam qui ex aliis in alia transiliunt, quomodò habere quid quam certum mansurumve possunt, suspensi & vagi: pauci sunt qui consilio se suaque disponunt ; cæteri eorum more quæ fluminibus innatant, non eunt sed feruntur : ex quibus alia levior vnda detinuit, ac molliùs vexit ; alia vehementior rapuit ; alia, proximè ripam cursu languescente deposuit ; alia torrens impetus ejecit in mare. Ideò constituendum est quid velimus, & in eo perseverandum. Senec. Epist. 32.

De constantiâ sapientis. *Vide Duratio Virtutis.*

Deus dixit Abrahamo, Ponam semen tuum sicut stellas cœli. Non numerum sed immotam perfectionem, statũque ordinem significat. Cœlum enim terrestre est sapientis anima, vt quæ in æthere habet lucida sydera, staros motus, continuas choreas, divinos circuitus, virtutum splendores fulgentissimos, stellis numerosiores, & præstantiores, quia naturæ intelligis Philo Iudæ. lib. quis sit rer. divin. hæres.

Platonici asserunt Angelum immobilem, essentiâ, virtute, actione; qui semper est idem, æquè potest ac intelligit, omnia & eadem intelligit & vult ; quia tamen essentia, vis agendi, actio ipsa, species rerum intellectarum & volitarum non sunt vnum, non est vnitas, sed multitudo immobilis ; anima autem infrà ipsum, quia ab alio transit in aliud : A est multitudo mobilis : Deus autem vnitas immobilis. Marsil. ficin. Theolog. lib. 1. c. 6.

Natura cujusque est vna quædam forma, virtusque ad vnum quoddam opus certo modo determinata, toto suo impetu faciens quidquid facit, & faciens necessariò ; itaque datâ simili materiâ, semper idem agent idem faciet. Idem lib. 2. cap. 11.

Faciliùs est deglutire quàm vomere, nam deglutitio fit operantibus duabus ventriculi tunicis, vnâ trahente, internâ scilicet, externâ autem contrahente ac trudente. Vomitio autem fit vnâ tantum pellente, nullâ in os trahente. Galenus. lib. 3. de naturalib. facultatib. sic facilior videtur continuatio voluntatis quam mutatio.

Manibus ossa fuerunt indita, vt firmior esset comprehensio. Idem. lib. 1. de vsu partium.

Facilius retentio quàm actio conceditur. Quædam sunt continuanda, etiam si bonum fuisset illa non incœpisse. *Vide Bonitas Durationis. Duratio Æqual. & Princip. Æqualitat.*

A solo potest impetrari, vt alienas arbores alat advnasque nutriat, at cœlum nullo modo flectitur. Plin. lib. 16. cap. 32.

Mercurius in signis fixis significat stabiles, firmos, flecti & assentiri nescientes, asperos. Ptolomæ. lib. 3. prædict. cap. 20. Similiter in matutinâ statione & in medio cœlo, significat perseverantes, & magnanimos. Ibidem.

CONSTANTIA *in amore.*

Vide suprà hoc titulo. Et Dur. Contrar.

VErbum divinum quod semel assumpsit nunquàm dimisit, etiam in tormentis, in morte, in sepulchro, in inferno.

Digitized by

De continuo affectu rerum divinarum. *Vide Durat. Cognit.* Continua rerum divinarum meditatio. *Et Duratio Virtutis.*

Inveni quem diligit anima mea, tenui, nec dimittam. Cant. 3. Invenisse effectus amoris est, tenuisse fructus & possessio, non dimittere securitas in amore est. D. Bern.

Isay. 6. Seraphim stant super thronum quia charitas nunquàm excidit. Stantibus sunt alæ, quæ sicut in statione immutabilitatem, sic & in volatu alacritatem significant, ne insensibilis quædam & quasi lapidea stabilitas æstimetur. In eum volant, cujus ardent amore; vide flammam quasi volantem simul, nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes. D. Bernard. Serm. 3. super illud Isay. Vidi Dominum, &c.

Dicit Deus, Da mihi cor tuum; non dicit commoda, vt postea repetas.

Ignis non corrumpitur, carbones in quibus consumpta omnis humiditas non subjacent corruptioni.

Dicit sponsa, laquearia nostra cypressina, id est incorruptibilia. D. Bern.

Lapis Asbestos semel incensus extingui non potest. Solin. polishist. c. 13.

In Britanniâ ædes est sacra Veneri, in quâ perpetui ignes nunquàm canescunt in favillas, sed vbi cinis tabuit, vertitur in globos saxeos. Idem. cap. 25.

Epaminondas & Pelopidas Thebani firmissimam inter se inierunt amicitiam Plutarch. in. Pelopida.

Vera & constans amicitia est inter bonos. *Vide Veritas Voluntatis.* Deo scilicet, primoque amore ipsos vniente,

Ignes artificiales aquâ & aceto accenduntur.

Amicitia quæ desinere potest numquàm vera fuit. D. Hieron. ad Ruffin. epist. 11.

Cor habet adamantis duritiem, non in insensibilitate, sed in constantiâ.

Vestales ignem æternum servabant. Sic servatur in puteo ignis sacer, & sepsò sole lucente accenditur. 2. Machab. 1.

In apice templi Veneris lampas ardebat inter tempestates inextinguibilis.

Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi. Eccl. 9.

In oppido Leuctris sub ditione Corinthiorum, Cupidinis est ædes & lucus, qui perenni aquâ irrigatur; folia ex arboribus decidentia ne exuberante quidem aquâ alibi deferuntur. Pausan. in Messenicis.

Plato in convivio, amorem dicit esse mortem amantis, qui in amato cogitat & viuit; à privatione autem ad habitum non datur regressus.

In cæteris animantibus amor parentum desinit, cum pulli adoleverint; hominis autem amor perpetuus est ergà suam prolem *Vide Duratio Principij.*

Nihil ex absente lumine remanet in priùs illuminato corpore; at ex colore remanet.

Beneficij continuatio. *Vide Duratio Bonit.*

Quia numquàm satiatur amor, ideò semper est in desiderio, & in motu.

Absinthus lapis durat calidus per septem dies.

Circulatio non egreditur de loco suo propter immobilitatem centri.

Motus duos naturales esse in simplici corpore impossibile est.

Ægyptij vt mortuos haberent quasi præsentes, eorum corpora vnguentis delibuta asservabant; cum cæteri populi aut cremarent, aut terræ consumenda traderent.

Oculi primi moriuntur, cor vltimum.

Calor, quandiù vivit animal, est inseparabilis à corde.

Osyris in signo militari canem effictum gerebat, signum fidelitatis. Vide ex Theologiâ infrà hoc titulo.

Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Pro. 5. Verba eius inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter, quarè seduceris ab alienâ, & foveris in sinu alterius?

Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur. Proverb. 17.

Non revertitur vir ad mulierem, quæ alium duxerit; tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus. Ierem. 3.

De continuo sui ipsius amore. *Vide Voluntas Bonitatis.*

Ideo secundæ nuptiæ non probantur. *Vide Minoritas gloria.*

Vide infrà hoc titulo de piâ defunctorum commemoratione.

Concupiscendi natura retinet ejus quod factum est insitam sibi notam, non tanquàm memoriam, sed vult affectionem & passionem. Plotinus.

Dæmones maximè gaudent de peccato luxuriæ propter difficultatem euadendi. D. Thom. 1. 2. q. 73. a. 5. ad 2. Ira est minus pœnitibilis quàm concupiscentia.

Potens amor ad sui probationem gaudet interdùm amatæ rei absentiâ; arctior enim apparet veriorquæ animorum copula, quàm locorum distantia non solvit, sed amplificat; fruitionis tædium vitant, & desiderium augent interpositæ privationes, sic silentium confert ad vocum harmoniam.

Non potest amittere proximum, quem diligit tanquàm seipsum, quia neque in seipso ea tantum diligit, quæ oculis, aut alijs sensibus subjacent; ergò apud seipsum habet quem diligit sicut seipsum. D. Aug. lib. de verâ Relig. cap. 46.

Iura eorum minui leges non patiuntur, qui justâ de causâ absunt, vt militiæ, legationis, & Reipublicæ causâ. l. 2. C. de restit. milit.

Sponsa sponsum absentem tenetur per biennium expectare, nisi aliud tempus fuerit conventum. l. 2. Cod. de sponsal.

Alimenta quis mihi legavit, quandiù cum Claudio hærede suo moraret, decessit Claudius, adhuc post mortem ejus eadem mihi debentur alimenta. l. 1. Cod. de legat. quasi mors præsentiam non solvat.

In locorum distantiâ manet idem honestum, quod est vera amicitiæ causa, vndè manet & ipsa amicitia; Rata habetur in Deo, qui est omnibus locis præsens: Cœlum & terram impleo, dicit dominus; Mens etiam nostra loco non continetur, graviâ corporum sunt ipsa loca concessa, non spirituum &c. Alanus Varenius lib. de amicitiâ.

Flumina quo magis recedunt à scaturigine, eo grandiori alveo feruntur, vitis vno loco pendens, longum habet cum diffusis radicibus commercium D. Chrisost. homil. 8.

Amor omnium pictorum excellentissimus præsentiam objecti refert. Hæret lateri lethalis arundò; cum cervo: fixa est sagitta. *Vide infrà commemoratio mortuorum. Concordantia differentia.*

Amor ex Platone est sempiternæ bonorum possessionis appetitio, ideò semper est in desiderio, etiam in possessione, hanc enim in futurum desiderat, quia forma rei amatæ perfectior est in idæâ amantis quàm in re ipsâ, vndè rejectâ quorundam distinctione dicendum, quod amor idem est cum desiderio.

Digitized by Google

deſiderio. *Vide infrà: Poteſtas Voluntatis.* Amoris vincula quæ non diſſolvuntur; Vulnera quæ non ſanantur; Mors quæ eſt privatio; vndè ad habitum non datur regreſſus. *Vide Poteſtas Voluntatis.*

Ardete, ne ardeatis igne, quo arſuri ſunt Dæmones; ardor ille ſurſùm vos rapit in cœlum, vt fax etiamſi deprimatur, flamma ſemper ſurſùm tendit. D. Auguſt. Serm. 86. de diverſ.

Deus primum bonum eſt in centro, circà ipſum, & ad ipſum ſunt quatuor circuli. Mens, anima, natura, materia; Mens immobilis circulus, quia ejus ſubſtantia & operatio ſemper eadem permanet, intelligit & vult ſemper eodem modo. Anima mobilis in cognitione & amore, quia diſcurſu & amore ab externis mutabilibus pendente operatur: Si qua in animæ cognitione ſtabilitas eſt, mentis conſtat potiùs quàm animæ beneficio. Multò magis natura & materia circuli ſunt mobiles. Vide Marſ. Ficin. in Platon. convi. orat. 2. c. 4.

Corporis aſpectu non extinguitur amoris impetus, quia ſuperni luminis ſplendorem per corpora refulgentem admirantur, affectant & ſtupent. Ibidem. *Vide Principium Voluntatis.* Pulchritudo.

Quod amor non ſolum perſeveret, ſed etiam tempore augeatur. *Vide Majoritas Voluntatis.* Amor ſemper creſcit.

Myrthus Veneri dicata ſemper viridis, cenſetur inter eas arbores, quæ folium non amittunt.

Carbo Iuniperi accenſus, & ſuo cinere obrutus ignem integro anno ſervat. Mathiol. *Vide Duratio Virtutis.*

Orpha deſerit Noëmi ſocrum ſuam. Ruth autem obſtinato animo eam ſequitur. Ruth. 1.

Conſtans amor in cœlo. *Vide Veritas Voluntatis.* Amor cœleſtis.

Sola amicitia inter bonos eſt conſtans. *Vide Concordantia Virtutis*, amicitia inter bonos.

Pertinax amor, non quâ reliqui motus facilitate ſanabilis, niſi in cunabilis pereat, vix aliter ſubmoverit quàm tempore poteſt, dum laſſus ſcilicet expiret. Cum enim in curſu eſt, ſemper habet quo ſui imperij atque jugi faſtidium tollat; nam ſi amanti benè ſuccefferit, ſibi crudelis videbitur, ſi illam amœnitatem à ſe velit abigere; ſi verò fortuna ſeverior ſpem in longum produxerit, aut hanc quoque ſuſtulerit, tunc etiam dolor placet, & ſibi ipſi miſerabilis animus, ſuam cladem inter ſuſpiria recognoſcens, liqueſcit in delicatæ triſtitiæ voluptate: Sed maximè tectus ignis duraturo ſpiritu viget, ſivè furto inter duos jurato, ipſa ſecreti & conjurationis dulcedo placet; ſivè ne mutuus quidem amor ſit, ipſo duntaxat ſupplici ſui conſcio, qui ſentit ſe ardere. Barclai.

Apud Lacedemonios locus erat obſcurus, in quo concluſæ puellæ ſimul & adoleſcentes, & quàm quiſque cepiſſet ſinè dote abducebat, idcircò in Lyſandrum animadverterunt, quia cum primam reliquiſſet, alteram formoſiorem abducere volebat. Athenæ. lib. 13. cap. 1.

Olim mos erat vt Amaſij amatæ fores coronarent; corona perpetuitatem ſignificat; & fores domus coronantur, vt templi, in quo velut quædam immortalis divinitas immortali obſequio colenda habitat. Idem lib. 13. cap. 2.

Corona Septentrionalis eſt veterea & mercurialis. Ptolomæ.

Echeneis ſeu Remora, quæ dicitur naves ſiſtere, fertur eſſe veneficium ad conſtantiam amoris. Plin. lib. 9. cap. 25.

Firma vt plurimum fiunt, & durabilia conjugia, quando in genituris vtriuſque lumina amicis ſe mutuo radijs intuentur, vt potè trino aut ſextili; ſi locis convenientibus ſociata foveantur benefici aſpectu, perpetua erit benevolentia; contrarium erit, ſi ſint in locis hoſtili radio ſe intuentibus, & ſi accedat malefici aſpectus. Ptolomæus. Prædict. Aſtrolog. lib. 4. cap. 5. Saturno juncta Venus ſtabilem vitæ conſuetudinem conjugio præſtat, at erit inſtabilis, damnis & æmulationi obnoxia, ſi Mars ſe miſcuerit. Ibidem.

De inconſtantiâ in amore. *Vide Differen. Voluntat.*

Oreſtem & Piladem Scythæ maximè colunt, eo quod fuerint fideliſſimi amici, proſpera & adverſa inter ſe communia habentes: Eorum geſta in columnâ deſcripta publicè expoſita ſunt, & a pueris diſcuntur, vt hæc fida ſocietas quaſi ſumma lex vitæ commenderetur. Lucian. dial. Toxaris, ſeu de amicitiâ, vbi vide plura exempla fidæ amicitiæ.

De firmâ inter Scythas ineundâ amicitiâ. *Vide Concordantia Virtutis.* Congregatio bonorum in fine.

FATVM.

OMnia certo tramite vadunt, primuſque Dies dedit extremum. Non illa Deo vertiſſe licet, quæ nexa ſuis currunt cauſis. It cuique ratus, præceps non vllâ, mobilis ordo. Senec. tragic. in Oedip. act. 5.

Plato in Eponomide, ait tres parcas conſervare perfectum quidquid certo conſilio cæleſtes Dei ſtatuerint. Tres ait Parcas Fatum vnum ad divinarum mentium nutum, tria diſponens, principia ſcilicet, media, ac fines rerum. Idem lib. vlt. de Republ. eadem aſſerit, quod autem voluntas non ſubjiciatur fato. *Vide infrà Poteſtas Voluntatis.*

Apud Iudæos Phariſæi fatum aſſerebant. Vide Baron. in apparatu Annalium.

Fata nos ducunt, & quantùm cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa pendet ex cauſa, priuata ac publica, longus ordo rerum trahit. Ideò fortiter omne ferendum eſt, quia non vt putamus, incidunt cuncta, ſed veniunt. Olim conſtitutum eſt quid gaudias, quid fleas, & quamuis magnâ videatur varietate ſingulorum vita diſtingui, ſumma in vnum venit. Quid eſt boni viri? præbere ſe fato. Grande ſolatium eſt cum vniverſo rapi. Quidquid eſt quod nos ſic vivere juſſit, ſic mori, eadem neceſſitate & Deos alligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina curſus vehit. Ille ipſe omnium conditor ac Rector, ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur; ſemper paret, ſemel juſſit. Seneca. lib. de providentia. cap. 5.

Quo pertinent expiationes, procurationéſque ſi immutabilia ſunt fata. Permitte mihi illam rigidam ſectam tueri eorum qui iſta nihil aliud eſſe exiſtimant, quàm ægræ mentis ſolatia. Fata aliter jus ſuum peragunt nec vlla commoventur prece, non miſericordiâ flectuntur, non gratiâ; ſervant curſum irrevocabilem, ex deſtinato fluunt, quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem ſuperveniens præcipitat; ſic ordinem rerum fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt, ſtare decreta. Id. natur. quæſtion. lib. 2. cap. 35.

Quæ fato manent, quamvis ſignificata non mutantur. Tacit. lib. 17.

Impletur divina voluntas, ſive in ſequintes vltrò, ſive in reniſentes. *Vide Concordantia Principij.* Conformari divinæ voluntati.

De neceſſitate. *Vide Contrarietas Voluntatis.*

FIDEM HOMINIBVS servare & promiſsis ſtare.

SCythæ in ſanciendis fœderibus, diffuſu m mutuò ex brachijs ſanguinem, vino mixtum deguſtabant. Herod. lib. 9. Plin. lib. 7. Tertulian. in Apolog. cap. 8.

Idem egit Catilina cum ſocijs, antequàm iniret conjurationem. Saluſt. in Catil. quaſi ſignificarent ſe potiùs carituros ſanguine quàm fide; ſeu plurium ſocè vnam voluntatem, vt ex omnium ſanguine mixto vnus erat potus. Dexteræ tanguntur, quaſi in arrham futuræ actionis, ad promiſſi impletionem.

Vide infrà poſitam demonſtrationem.

Etiam in bello fides & Iuſtitia ſervanda eſt, inquit D. Ambroſ. lib. 11. officior. c. 29. & D. Auguſt. epiſt. 1. ad Bonifac. Nam fides debetur vt homini cum quo naturalis eſt ſocietas; nec obſtat quod ſit hoſtis, quia promiſſio jus novum confert. Sic belli Piratici magnam partem Cn. Pompejus pactionibus confecit, vitam illis pollicitus, & ſedes in quibus ſinè rapto viverent; ſic egit Cæſar cum prædonibus qui erant in Piræneis, ſic Dio ſcribit ab Auguſto Crocotæ latroni perſolutum prætium, capiti ejus impoſitum, cum ſe ipſe ſiſteret, ne fides violaretur; quia cum tales ſint homines, habent communionem juris naturalis, & ſi jus illud crimen videatur tollere, pactio tamen cum talibus, vt ſic, eos in hoc jure conſervat. Quæcumque ſit metus cauſa, ſi interveniat jusjurandum, pactio ſervanda eſt, quia tunc non tantùm homo homini, ſed & Deo obſtringitur; quamquàm hæc, cum ſint extrà humanum commercium, non tranſeant ad hæredem.

Romani perfidis Pœnis fidem ſanctè ſervaverunt, Senatus enim non eos, quibus hoc præſtabatur aſpexit. Livius. lib. 6. c. 6. hæc fuſiùs apud Groſſium de jure belli & pacis. lib. 3. cap. 19.

Regulus captus à Carthaginenſibus, ab illis ad Senatum miſſus pro commutandis captivis, fide datâ rediturum ſe, rediit, & ab hoſtibus necatus. Vide D. Auguſt. lib. 1. de civit. cap. 15.

Ioſue fidem Gabaonitis etiam ipſum decipientibus ſervavit, & quaſi confœderatis contrà hoſtes auxilium præbuit, quod Deus ſic ſibi gratum eſſe oſtendit, vt Solem cohibuerit, ne citò occumberet. Ioſue. 9.

Sedecias cæcitate & ingenti clade à Deo punitus, quia fœdus cum Nabuchodonoſor, licet gentili, violavit. 2. Paralip. 36.

Ex qualibet promiſſione fit obligatio juris naturalis, ſecundùm honeſtatem, vt inter Dominum & ſervum; non autem juris civilis. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.

Iacob erigit acervum lapidum in ſignum fœderis initi cum Laban. Gen. 31.

Princeps ſit verax. *Vide Verit. Poteſt.*

Quòd fides hoſtibus data ſit ſervanda etiam Pyratis & ſervis. Vide multa exempla apud Bodinum, lib. 3. Reipubl. cap. vlt.

Exercitus Chriſtianorum putatur in Palæſtinâ juſtâ dei vindictâ deletus, eo quod promiſſam fidem Sarracenis non ſervaſſent. Baron. an. 1156.

D. Paulus Roman. 1. loquens de Gentilibus quos tradidit Deus in reprobum ſenſum, dicit, eos eſſe ſinè affectione, abſque fœdere, ſinè miſericordiâ.

VOTA QVÆ BONA AVT perſonam Deo in perpetuum conſecrant.

PLato 1. de Republ. dicit ſapientem ideò tantùm quærere debere pecunias, vt poſſit ſtare votis Deo & promiſſis hominibus factis.

Votum eſt poſtulatio bonorum à Deo cum ſolvendi muneris promiſſione, & ideò cum impetraveris quod petiſti, ingrati eſt tardare promiſſum. Prima voti gratia eſt celeritas ſolutionis. D. Ambr. lib. 1. de Abel. c. 7.

Senec. lib. 3. de benef. c. 21. Quæritan ſervus Domino beneficium conferre poſſit & Reſpondet. Quædam inquit ſunt, quæ leges nec jubent, nec vetant facere; in his ſervus materiam beneficij habet: Quandiù præſtatur quod à ſervis exigi ſolet, miniſterium eſt; vbi pluſquàm quod ſervo neceſſe eſt, beneficium: vbi in affectum amici tranſit deſinit vocari miniſterium. Et cap. 22. An æquum tibi videtur, quibus, ſi minùs debito faciant, iraſcimur, non haberi gratiam ſi plùs debito ſolitoque fecerint; vbi præſtant quod nolle licuit, voluiſſe laudandum eſt. Idem de Conſilijs Evangelicis, & operibus ſuper erogatorijs poteſt dici.

Vide quod ſcripſi de votis in Triumpho vitæ Religioſæ. Parte 1.

Fœlix neceſſitas quæ cogit in meliùs. Non quia aliter vivere non liceret inventa Monaſtica inſtitura, ſed quod ità magis expediret. D. Bern.

Priuſquàm eſſes voti reus liberum fuit; quamvis non ſit gratulanda libertas, quâ fit vt non debeatur quod cum lucro redditur: Nunc verò quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam juſtitiam invito, ſed à magnâ iniquitate deterreo; non enim talis eris ſi non feceris quæ voviſti, qualis manſiſſes ſi nihil tale voviſſes; non minor tantùm, ſed pejor & infœlicior futurus; ergo dicta ample factis: Fœlix neceſſitas, quæ in meliora compellit. D. Auguſt. epiſt. 45. exhortans Armentarium ad voti continentiæ obſervantiam.

De voto & voti redemptione. decr. 3. tit. 34. vide tota. 17. q. 1.

Non licet ei qui ſe monaſterio tradidit poſteà ad propria redire. 17. q. 3. & 4.

Nazarei, per quos ſignificantur perfectiſſimi, ſanctificabantur voto. D. Thom. 1. 2. q. 86. a. 6.

Sanctitas importat duo neceſſaria ad applicationem mentis ad Deum, ſcilicet mundiciam & firmitatem. 2. 2. q. 81. a. 8.

Votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono, quod videlicet non cadit ſub neceſſitate abſolutâ, neque ſub neceſſitate finis, ſed de actibus virtutum, qui Deo placere noſcuntur. 2. 2. q. 88. 1. Eſt actus latriæ ſeu Religionis, licet actus aliarum virtutum ſint materia ejus. a. 5.

Expedit vovere, quia votum firmat rationem in bono, nec tamen libertatem diminuit; nec eſt periculoſum de ſe, ſed eſt culpa mutantis voluntatem, & aſſimilat beatis. 2. 2. q. 88. a. 4.

Vovere non conveniebat Chriſto, quia erat Deus; & habebat voluntatem firmatam vt comprehenſor. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3.

Votum ſingulare duplex, ſcilicet votum ſimplex, & votum ſolemne; primum eſt promiſſio ſola; ſecundum verò eſt promiſſio & datio. 2. 2. q. 89. a. 2. ad 1.

gitized by Google

Opus ex voto eſt laudabilus, & magis meritorium, quàm opus ſinè voto; & opus ex voto diſplicens, cum voluntate implendi illud, eſt magis meritorium, quàm opus placens ſinè voto, cæteris paribus. 2. 2. q. 88. a. 60. ad 2.

In voto continentiæ non eſt diſpenſandum propter periculum mortis: Nec etiam poſſet Papa diſpenſare in voto Religioni per profeſſionem ſolemniſato, quia periculis humanis obviandum per humana, non per divina. 2. 2. q. 88. a. 1.

Voventibus virginitatem, non ſolùm nubere, ſed etiam velle damnabile eſt. 17. q. 1. can. voventibus, & ſeqq.

Non valet juramentum Monachi clauſtrum abjurantis, & de hoc ſibi gravis pœnitentia imponitur. cap. ſicut de jurejur.

Valet manumiſſio ſervi, eâ conditione facta vt fieret monachus. cap. cum ſit. de conditionibus appoſitis in deſponſatione.

Virtus primæ intentionis, quæ eſt reſpectu vltimi finis, manet in quolibet appetitu cujuſcumque rei, etiamſi de vltimo fine actu non cogitetur, ſicut non oportet quod qui vadit per viam in quolibet paſſu cogitet de viâ. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3.

Religio dicitur à frequenti electione divini cultus; vel ab iteratâ electione Dei negligenter amiſſi; vel dicitur à religando. 22. q. 81. a. 1.

Religioſus factus Epiſcopus non abſolvitur à tribus votis Religionis, quia nihil debet habere proprium; ſed eſt diſpenſator communium bonorum Eccleſiæ: per accidens autem non tenetur obedire, ſi ſuperiorem non habeat, ſicut nec Abbas. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4.

Profeſſi religionem mortui ſunt mundo & vivunt Deo, vndè non ſunt revocandi ad vitam humanam occaſione cujuſcumque eventus. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 1. Non ad corrigendum delinquentes. q. 33. a. 2. ad. 1. Non vt parentes alant. q. 101. a. 4. ad 4. *Vide Duratio Virtutis.*

Quantò virtus agentis ad plura & remotiora extenditur, tantò eſt potior in ijs quæ propter ſe quæruntur, ſed in ijs quæ quæruntur propter aliud eſt è converſo. 2. 2. q. 174. a. 2. ad 2.

In ſacrificio Abrahi, indiviſæ volucres ſignificant totaliter Dei ſervitio mancipatos. Gen. 15.

Poſtquàm populus Iſraël promiſit ſe legem obſervaturum, videt Deum. Exod. 24.

Quod immobili eſt fixum ipſum fit immobile, vt ſe fluxo fit fluxum.

In fine primi ſeptennij homo incipit eſſe aptus ad promittendum aliquid in futurum, & præcipuè ad quæ ratio naturalis inclinat, non autem ad obligandum ſe perpetuò. 2. 2. q. 10. a. 12. In fine autem ſecundi ſeptenarij poteſt ſe obligare de pertinentibus ad propriam perſonam, ſcilicet vel ad Religionem, vel ad conjugium: ſed poſt tertium ſeptenarium etiam de alijs. 2. 2. q. 88. a. 8.

Et omnia opera ejus in fide. Pſal. 32. dicitur etiam Deus fidelis. 1. Corinth. 10. & 2. Tim. 2. Fidelis homo eſt credens promittenti Deo; fidelis Deus eſt exhibens quod promiſit homini; teneamus fideliſſimum debitorem, quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem: Debitor quia promiſſor non quod à nobis aliquid acceperit; fidelem ergò noli fallere; quis enim fallet omnia ſcientem? ſed mentita eſt iniquitas ſibi. Diligit miſericordiam, & judicium, fac iſta, quia facit. D. Auguſt. in Pſ. 32.

Fidelis ille factus eſt debitor, eſto tu avarus exactor: Omnia opera ejus in fide, adjunxit rationem; diligit miſericordiam & judicium; quia miſericors, non poteſt promiſſa non dare, quæ etiam ſi non promitteret, daret; & quia diligit judicium, oportet exigat quod dedit: vndè dicit cuidam ſervo, ſi dediſſes pecuniam nummularijs, cum vſuris exegiſſem; ergò accipite miſericordiam, & timete judicium. Ibidem.

Olim veteres ſacerdotes vtebantur in ſacrificijs ſecuri æneâ; æs autem eſt ſub dominio Veneris. Amor immolat.

Poſtquam populus Iſraël promiſit obſervationem leges; Moyſes ex duodecim lapidibus in ſignum duodecim tribuum erigit altare. Exod. 24. Altare numquàm deſtruendum.

Fractio voti eſt quædam ſpecies infidelitatis, quia ad fidem pertinet ſervare promiſſa. D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 3.

Apoſtoli relinquentes omnia propter Chriſtum voverunt pertinentia ad perfectionis ſtatum. 2. 2. q. 88. a. 4. ad 3.

Sicut non poteſt facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, quod calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer; ſic multò minùs facere poteſt, vt homo Deo conſecratus quandiù vivit conſecratus eſſe deſinat, & quod ille qui profeſſus eſt Religionem non ſit Religioſus. 2. 2. q. 88. a. 11.

Epiſcopus tenetur ingredi Religionem quàm vovit. 2. 2. q. 189. a. 3. ad.

Monachus Epiſcopus tenetur ad obſervantias regulares, ſcilicet ad continentiam, paupertatem, habitum & alia, niſi impediant officium ejus, vt ſilentium, ſolitudo, abſtinentia, & vigiliæ graves, in quibus poteſt ipſe ſecùm diſpenſare, ſicut & Prælati in Religione. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4.

Ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ſeruitutem Dei, cum aliquâ ſolemnitate. 2. 2. q. 184. a. 4. & ſeqq.

Samſon eſt Nazareus Domino ab vtero matris vſque ad obitum. Iudic. 13.

Anna differt offerre filium Samuëlem Domino in templo, donec eum ablactaverit, vt ſemel oblatus, poſteà ibidem jugiter remaneret. 1. Reg. 1.

Seneca. lib. 6. de beneficijs. cap. 20. arguit quendam impium, qui dicebat ſe nihil Dijs debere, quia fati neceſſitate cogerentur ad faciendum quod ſemel decreverant, beneficium autem debet eſſe liberum: Non minùs, inquit, vult qui non poteſt nolle, imò magnum argumentum eſt firmæ voluntatis, ne mutare quidem poſſe. Vir bonus non poteſt non facere quod facit; non enim erit bonus, niſi fecerit: ſi neceſſe eſt illi velle ob hoc, quia nihil habet melius quod velit, ipſe ſe cogit; ità quod tanquàm coacto non deberem, tanquàm cogenti debeo: Nullius æquè certa voluntas eſt quàm quæ æterna eſt; quanta perverſitas continuationem, ſeriemque beneficij in argumentum vocare neceſſario dantis?

Hinc patet quod ſi obſtricti ſumus Deo, æternâ & immutabili voluntate nobis providenti, poſſumus etiam apud ipſum promereri, immutabili ex voto voluntate illi ſerviendo.

Habebunt beati triplicis libertatis fœlicem experientiam, quæ ſit bona voluntas Dei ac beneplacens, & perfecta. Hoc rogamus quotidie. Adveniat regnum tuum. Creati quodammodò noſtri ſumus in liberam voluntatem, quaſi Dei efficimur per bonam voluntatem. D. Bernar. lib. de gratiâ & libero arbitrio. Voluntas beneplacens eſt in impletione conſiliorum Evangelicorum: Perfecta erit in cœlo.

Accedentes ad virtutem debent velle ſemper cum eâ eſſe. *Vide Voluntas Virtutis.*

Oſſa pro ſtabilimento corporis ſunt variè contexta propter motum. Articulis ita juncta & continuata,

vt cujuſque extremitas alterius ſinum & capacitatem ſubeat ; Ne autem motus agitatione divellerentur, illa arctiſſimis vinculis natura intrinſecus rotundo ambitu colligavit. Votis continentur boni in ſocietate vt vinculis membra in debita compage.

Nihil Deo gratius dicere poſſumus quàm poſſide nos. *Vide ex D. Auguſt. Concord. Virtut.* Eccleſiæ vnitas, ſub fin.

Suprà motum debet dari ſtatus ; quia motus non continuatur niſi per ſtatum ; hinc ſicut anima eſt indifferens ad intelligere & non intelligere, & in hoc moveatur, debet dari ſuprà ipſam, aliquod ens ſemper actu intelligens. *Vide Virtus Duration.* Marſil. Ficinus Theolog. Plato. lib. 1. c. 5. Sic ſuprà civilis vitæ inconſtantiam debet dari ſtatus perfectionis.

Nihil magis voluntarium quàm boni incitamentum ; tàm libenter, tàm jucundè volumus bonum, vt velimus inſuper non poſſe nolle, ergo in bono ſummâ neceſſitas cum ſummâ libertate concurrit ; bonique imperium ſummoperè eſt neceſſarium & ſummoperè voluntarium ; vndè omnia ab eo tanquàm à patre originem ducunt Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 2. Initio.

Nazaræi Deo dicati, vocabantur Corban, hoc eſt Dei donum. Vide Baron. anno Chriſti. 52. num. 35.

Meletius legatione ſuâ fungens per Orientem, inter monachos invenit Simeonem ſtylitam habitationem ſibi ſuper columnam ſtatuiſſe, & cum eundem vinctum quoque arctè ferro ſpectaſſet, accito fabro ſolvi juſſit ferri vincula, addendo : Amanti Deum homini ſatis pro vinculo eſſe mentem. Baron. an. 378.

In Hiſpaniarum Eccleſijs viguit conſuetudo, vt ſi quis ſe proximè morituram putaret, monaſticum peteret habitum ; quem poſteà non licebat deponere, nec poterat is ad ſæculum reverti, ſed fiebat monachus : licet parùm ex ægritudine ſanâ mente eundem ſuſcepit. Baron. an. 680.

Ineſt materiæ Cedri æternitas, itaque & ſimulachra Deorum ex eâ facta erunt. Plin. lib. 13. cap. 5.

Nunc liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Roman. 6.

An neſciris quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt ; quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri ? Empti enim eſtis prætio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. 1. Cor. 6. Itaque vota exhibent Deo quod ſuum eſt.

Vide Minoritas Differentia.

JVSJVRANDVM ſervandum.

NVllum vinculum ad aſtringendam fidem jurejurando Majores arctius eſſe voluerunt. Idem indicant leges duodecim tabularum ; indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides ; indicant animadverſiones Cenſorum, qui nullâ de re diligentiùs quàm de jurejurando judicabant. Cicero. lib. 3. officior.

Numa Pompilius tanto religionis cultu, omnium pectora imbuerat, vt propulſo legum ac pœnarum metu, fides & jusjurandum civitatem regerent. Livius. lib. 1.

Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit ſingularum, neque aliud authoritatem facit ſententijs noſtris, quàm quod omnia quaſi juratus ordo decernit. Symmach. l. 10. epiſt. 54. Thodoſio.

A Ideo Chriſtiani jurare non debent, quia multa incidunt, ob quæ, aut non poteſt, aut non expedit impleri juramentum. Vide D. Ambr. in Pſal. 18. Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, & hic. de exhortat. ad caſtitatem. Noli, inquit jurare, ne ob plures caſus incipias pejerare. Aut ſcrupuloſè & impiè mala etiam quæ jurata ſunt implentur. Vide D. Chriſoſt. homil. 14. & 15. ad populum Antiochenum, vbi de juramento Saulis. 1. Reg. 14. de Iephte. Iud. 11. de Herodi qui Ioannem juratus occidit : non inquit tantùm horreo, cum audio cædes, quàm cum video jurantem tactis Evangelijs : ſi veracem credis, fidem habe verbis, ſi non credis, cur pro re periturâ animam perdis ad perjurium provocando.

B Prohibetur juramentum, non quia ex ſe malum eſt, ſed quia ex ipſo malum ſequitur. cap. & ſi Chriſtus, §. quædam verò. De jureju.

Apud Ægyptios perjuri capite plectebantur, vt qui duplici tenerentur ſcelere, cum pietatem in Deos violent, & fidem inter homines tollant, maximum vinculum ſocietatis humanæ. Diod. Sicul. rer. antiq. lib. 2. cap. 3. ſic apud Scythas. Herod. lib. 4.

Amnis Olachas in Bythnia Briazum alluit, hoc eſt Deo & templo nomen, ejus gurgite perjuri notantur pœnas velut flammam vrentem. Plin. lib. 31. c. 2.

Iurisjurandi contempta Religio, ſatis Deum vltorem habet. l. 2. C. de reb. cred.

Perjuri ſunt infames, nec poſſunt eſſe teſtes. can. parvuli. 22. q. 5. Gravius vindicat in clericis, quorum C exemplo alij poſſunt ad ſimilia provocari. cap. cum quidam. de jurejur.

Minor non reſtituitur adverſus contractum juramento firmatum. l. 1. Cod. ſi adverſus vendition.

Novatus adeò fuit in fulciendo ſchiſmate ſacrilegus, vt etiam in diſpertiendâ ſanctiſſimâ Euchariſtiâ ſuos cogeret jurare per corpus & ſanguinem Chriſti ipſos nunquàm deſerturos illum, nec ad Cornelium reverſuros. Baron. an. 254.

Elephantes creduntur maria tranſituri, non antè naves conſcendere, quàm invitati rectoris jurejurando de reditu. Plin. lib. 8. cap. 1.

D Non auditur minor reſtitutionem petens, ſi contrahendo reſtitutionem ejuravit ſolemni juramento. Auth. ſacramenta. Cod. ſi adverſ. venditio.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

REm ratam haberi, & de ratihabitione. ff. 46. tit. 8. Si major factus alienationem factam ſinè decreto ratam habuerit. ff. 58. t. 74. Cod. 2. tit. 46.

Vt pacta etiam non conſtituta pecuniâ valeant. Leon. novell. 72.

E Contractus factus à Principe ſucceſſores obligat, quoniam inſtar privatorum ex contractibus tenentur. Bald. in cap. 1. de natura feudi.

Adverſus factum proprium nemo controverſiam movere debet. l. poſt mortem. 25. ff. adoption.

Si paciſcar in hæredis perſonam, pactum illi aut nocet, aut prodeſt. l. 35. ff. de pact.

Augetur obligatio, ſi quis debitâ pecuniam promittat nudis verbis aut ſcriptis ſe certo tempore ſoluturum, & vocatur actio de conſtituta pecunia, cui Prætor favet, quia contrà naturalem æquitatem eſt geminatam contractus fidem fallere. l. 1. ff. de conſt. pecun.

Lege commiſſoria electa venditor ampliùs variare nequit, quia electione ejus quæritur emptori. l. penul. ff. de l. comm.

Qui ſe juriſdictioni ejus qui non erat judex competens ſubjecit, lite conteſtata, non poteſt ad alium judicem tranſire. l. penul. ff. de juriſd.

Apud acta deſiderium publicatum non poteſt corrigi. l. Rura. C. de communi agro deſerto, & ibi gloſſa.

Promiſſa beneficia ſunt exolvenda. *Vide Duratio Bonitatis.*

Bonæ fidei nihil magis congruit, quàm præſtari id quod inter contrahentes actum eſt. l. exempto. ff. de actio. empt.

In cauponum vel nautarum eſt arbitrio à principio non recipere aliquem, ſed non ex poſtfacto. l. 1. naut. caup. ſtabul.

Caveri etiam poteſt furi & prædoni. l. 13. & gloſſ. B ff. de injur.

Si mente captus dilaceret teſtamentum, quem ſanâ mente fecit, valebit teſtamentum. l. fin. ff. de injuſt. rupt. fact. teſta.

Si quis mandavit alicui vt ſervum ſuum manumitteret, & antequàm ſit manumiſſus decedat: neſciens mandatarius manumittat, favore libertatis mandatum morte non finitur. l. 4. ff. de man. vind.

Si quis antequàm obtineat Magiſtratum fuerit advocatus vnius partis; illa coràm ſe contendente, debet mandare in ſpecie, & pro illâ causâ ſuam juriſdictionem. l. 17. ff. de juriſd. Supponitur enim continuatus affectus pro eadem parte.

In contractibus innominatis licet pœnitere. l. 3. & 5. ff. de cond. cauſ. dat. At in tranſactione non licet pœnitere. l. 39. Cod. de tranſ. vt ſit aliquis finis litium. l. fin. Cod. de fide inſtrum.

Qui ſemel ſuſcepit mandatum procuratorium, etiam invitus cogitur à Magiſtratu illud abſolvere & exequi. l. 8. §. fin. l. 35. ff. de procuratoribus.

Arbiter ſuſceptum ſemel arbitrium tenetur implere, & Prætor multâ ad id eum coget. l. 32. ff. de recep. arbit.

Qui ſemel teſtatoris voluntatem approbavit, non poteſt ampliùs agere de inofficioſo. l. 8. l. 10. ff. de inoff. teſt. aut qui per quinquennium conticuit. l. 36. C. eod. D

Sequeſter non poteſt officium ſuum deponere ſuâ ſponte, niſi ex cauſa, & tunc judice interveniente. l. 5. ff. depoſ.

Nemo poteſt evincere rem, quàm ipſe vendidit, etiam alio quæſito titulo. Quende evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. l. 17. ff. de eviction. & l. 1. ff. de except. rei vend.

Qui voluntatem mutatam dicit, probare debet. l. 22. ff. de probat. Nam contrà præſumitur.

Patroni in cauſa cui patrocinium præſtiterunt teſtimonium non poſſunt dicere, quod & executoribus negotiorum obſervandum eſt. l. 25. ff. teſtib.

Patrona dotem, pro libertâ jure promiſſam, quod extiterit ingrata non retinebit. l. 69. in f. ff. de jure E dot. quia intereſt mariti.

Qui patri pupillorum promiſit ſe futurum tutorem, excuſare ſe ab hac tutela non poteſt, quamvis alias excuſare ſe jure poſſit. l. 15. ff. de excuſat.

Si tutor vel curator datus confirmare ſe permiſerit, non poterit poſtea ſe excuſare. l. 16. eodem; nec propter ſupervenientem dignitatem. l. 17. eodem.

Teſtamentum primum confirmatum per ſecundum valet jure Codicillorum. l. 12. in f. de injuſt. rupt. fact. teſtam. idem in teſtamento militis. l. 19. ff. de teſtam. mil.

Qui habet jus ducendi aquam, poteſt ducere per quamcumque vult partem ab initio: poſteà non poteſt mutare. l. fin. ff. de aq. quotidie.

Statua ſemel in publico poſita, non poteſt ampliùs, A tolli, ſed cenſetur eſſe municipum. l. penult. ff. de exceptio.

Qui ſub teſtatore ſcribens teſtamentum ſe ſcripſit hæredem, non admittitur ſe excuſans, quia ſupponitur conſenſiſſe voluntati defuncti. l. 8. ff. de l. Corn. de falſis.

Qui pro honore pecuniam promiſit, ſi ſolvere eam cœpit, totam præſtare, operis inchoati exemplo cogendus eſt. l. 16. ff. de munerib. & honoribus.

Qui opus publicum promiſit Reipublicæ, tenetur illud facere, ſi promiſit propter cauſam, aut ſi jam cœpit facere. l. 1. §. 1. ff. de pollicitat.

Ab obligatione ſemel contracta ſinè conſenſu partis non licet recedere. l. 5. Cod. de obligat. & actio. B

Retractare fiſcum, quod ſemel vendidit, æquitatis honeſtatiſque ratio non patitur. l. 2. Cod. ne fiſcus rem quam vendidit evincat, & l. 1. C. de vendend. reb. civit.

A perpetuis ſuis colonis prædia non retrahit, licet alij meliorem offerant conditionem. l. 2. Cod. de locand. præd. civit.

Qui ſemel eſt hæres, nuſquàm deſinit eſſe hæres. Nov. 1. cap. 3.

Electus eſt confirmandus, licet ab electoribus appellatum ſit, quia non ſit de gremio illius Eccleſiæ. cap. cum inter. de elect. & electi poteſt.

Poteſtas data compromiſſarijs ad eligendum præ- C latum non poteſt revocari. cap. in cauſis. Eodem.

Qui liberos habet naturales & legitimos, non poteſt adoptare, ne contemptis ſuis alios educet. l. 17. ff. de adopt. *Vide Duratio Principi.* 1.

Si dem tibi filium in adoptionem, eâ lege vt poſt triennium eundem mihi in adoptionem des, nulla eſt actio, quia moribus non convenit filium temporalem habere. l. 34. ff. de adoptio.

Si alteri do in adoptionem eum quem adoptavi, non poſſum iterùm adoptare. l. 37. eodem.

Qui eſt advocatus pro hærede, poſteà non poteſt pro ſe impugnare teſtamentum.

Contractus initio ſunt voluntatis, ex poſt facto neceſſitatis. l. ſicut initio. C. de obl. & act. D

Allegans contraria non eſt audiendus. l. 1. ff. de condit. & demonſt.

Approbatus reprobari non poteſt. l. Pomponius. ff. de neg. geſt.

Conventio duorum eſt lex. l. eâ lege. Cod. de condition.

Edicta Prætoris non debent eſſe luſoria. l. prætor. ff. de ludic.

Impenſæ factæ cauſa pietatis à negotiorum geſtore non repetuntur. l. ff. de neg. geſt.

Sic non repetit, qui plùs impendit quàm ei injunctum fuerat. l. 31. Eodem.

Servi electione legatâ ſemel duntaxat optare poſ- E ſumus. l. 5. ff. de legat. 1. & l. 84. §. 9. Eodem.

Qui duxit rivum apertum, non poteſt eum opertum & terrenum ducere. l. 2. ff. de rivis.

EX THEOLOGIA.

DE votis vide ſuprà hoc tit.

Amor in divinis eſt ſubſiſtens. D. Thom. 1. q. 37. a. 1. ad 2.

Deſiderium in Angelis non ponit imperfectionem, quia eſt de re habitâ. 1. q. 58. 1.

Omnis anima ſeparata habet voluntatem immobilem reſpectu finis. 3. q. 52. a. 6. ad 3. habet apetitudi-

Digitized by Google

nem & inclinationem naturalem ad ſui corporis vnionem. 1. q. 76. a. 1. ad 6.

Charitas viæ manet eadem numero in patriâ. 1. 2. q. 67. a. 6.

In operationibus affectus eſt quidam circulus, ſicut etiam in operationibus intellectus. 1. 2. q. 26. a. 2.

Voluntas Dei eſt omninò immutabilis, licet affectus eius mutentur. 1. q. 19. a. 3. 7.

Voluntas dei non movetur propriè, ſed metaphoricè ſolâ bonitate ſuâ. 1. q. 19. a. 1.

Nullius creaturæ liberum arbitrium poteſt naturaliter eſſe confirmatum in bono, ſed tantùm ex gratiâ. 1. q. 63. a. 1.

Pœnitentia ex primâ ſui inſtitutione reſpicit præteritum, ſed ex conſequenti, vt medicina præſervans, reſpicit futurum; & ſimiliter ſatisfactio, 3. q. 84. a. 8.

Liberum arbitrium Angeli eſt medium inter divinum & humanum; quia eſt mobile antè electionem, & non poſt; humanum autem vtrobique; divinum verò nullo modo 1. q. 63. a. 6. ad 3.

Charitas viæ poteſt amitti, non autem charitas patriæ. 2. 2. q. 24. a. 11. *Vide Durat. Virt. & Durat. Glor.*

Beatus non poteſt ceſſare ab amore dei, quia poſſidet infinitum bonum, in quo cætera omnia eminenter continentur, nec poteſt velle ſe non eſſe beatum, quod etiam non vellet in viâ. Becan.

Amor dei obedientialis & ſuper omnia, continet voluntatem adimplendi perpetuò eius mandata.

Deus hominem amando amat permanenter, ideò in animâ ponit domum permanens, ſcilicet gratiam habitualem. D. Th. 1. 2. q. 112. a. 2.

Propter promiſſiones factas Abrahæ, Deus ex eius ſemine naſcitur. 3. q. 31. a. 2.

EX BIBLIIS.

EGo ſum Deus, conſilium meum ſtabit & omnis voluntas mea fiet. Iſay. 46.

Ierem. 1. Virgam vigilantem ego video, & dixit Dominus ad me: Benè vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud.

Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo; & ſi leges cœli & terræ poſui, ſic cum ſemine David vt permaneat. Ierem. 32.

Timor Domini Sanctus permanens in ſæculum ſæculi. Pſal. 18.

Conſilium Domini in æternum manet; cogitationes cordis eius in generationem & generationem. Pſ. 32.

In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Pſ. 88.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet. &c. Miſericordia autem Domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum. Pſ. 102.

Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum. Pſ. 109.

Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum. Pſ. 131.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Pſ. 131.

Ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam: quo ibo à ſpiritu tuo. Pſal. 138.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Ibidem. Gen. 1.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Pſal. 148.

Vidit Deus quæ fecerat, & erant valdè bona. Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te. Iſay. 4.

De conſtanti amore. *Vide ſuprà hoc titulo.*

Conſtans perpetuum pactum init Deus cum Abraham. Gen. 17.

Iſaac datam benedictionem Iacob loco Eſaũ non revocat; ſed erit, inquit, benedictus. Gen. 27.

Deus dicit Iacob, ero cuſtos tuus, nec dimittam te, donec complevero omnia quæ promiſi. Gen. 28.

Balaam dicit Balac Regi, non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. Num. 23.

Dicit Deus Ioſue, non derelinquam te, confortare. Ioſue. 1.

Tribus Gad & Ruben promittunt Ioſue, ſe impleturos quod promiſerant Moyſi. Ioſue. 1.

Domine Deus meus exaltabo, te quoniam feciſti mirabilia cogitationes antiquas & fideles &c. Iſay. 25.

Abrahæ promiſſum ſemen ex filio, quem jubetur immolare; Credidit Deo in ſpem contrà ſpem; nec turbatur propter diſſonantiam promiſſi & mandati: ſic Ioſeph inter adverſa non diffidit videre effectum ſomniorum, ſibi magnam fœlicitatem promittentium. Vide D. Chriſoſth. lib. 1. de providentiâ Dei.

Machabæi renovantes amicitiam cum Spartiatis & Romanis id ſcribunt in talibus æreis. 1. Machab. 14. quaſi ſemper duraturum ſit fœdus hoc.

Nemini quidquam debeatis, niſi vt invicem diligatis. Rom. 13. perſoluta enim charitas adhuc debetur, quia ſemper.

Charitas nunquàm excidit, ſivè prophetiæ evacuabuntur, ſivè linguæ ceſſabant, ſive ſcientia deſtruetur. 1. Cor. 13.

Servivit ſeptem annis Iacob, & data ſibi Liâ deceptus, aliis ſeptem annis ſervivit pro obtinendâ Rachele. Gen. 29.

Abraham non deſtitit ab immolatione nec verbis mollitus, filium tuum quem diligis Iſaac, vbi eſt victima pater mi, nec trium dierum ſpatio tentatus, nec cæteris. Gen. 22.

Dimitte me, aurora eſt, non dimittante ait Iacob, niſi benedixeris mihi. Gen. 32.

Ioſeph non ſolum preſtò eſt vt mittatur ad fratres ſuos ſibi infeſtos, ſed non inveniens eos in. Sichimis pergit Dothain, vt videret ſi cuncta illis proſpera eſſent. Gen. 35.

Iudas vt promiſſionem factam patri de reducendo Benjamin impleret, dixit ad Ioſeph, manebo ſervus tuus pro puero. Gen. 44.

Videbat Moyſes quod rubus arderet & non comburebatur. Exod. 3.

Hæc eſt lex Holocauſti: cremabitur in altari totâ nocte vſque mane, & infrà ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubjiciens ligna mane per ſingulos dies. Levit. 6.

Animal quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, ſanctum erit & mutari non poterit. Levit. 27.

Quid quid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum erit Domino & omnis conſecratio quæ offertur non redimetur, ſed morte morietur. Ibid.

Mane autem revertens Ieſus in civitatem eſuriit. Matth. 21. ſalutem ſcilicet animarum, licet toties ab infideli populo repulſam paſſus.

Dixit Dominus cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere complaceant. Gen. 11.

Et ingravatum eſt cor Pharaonis, itavt nec hac

Digitized by Google

quidem vice dimitteret populum. Exod. &. poſt tot plagas & tot miracula.

Quia Deus miſericors Dominus Deus tuus eſt, non dimittet te, nec omninò delebit, neque obliviſcetur pacti, in quo juravit patribus tuis. Deut. 4.

Sicut fuit cum Moyſe, ita ero tecum, non dimittam te, neque derelinquam. Ioſ. 1.

Tenui eum nec dimittam. Cant. 3.

Dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ: quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem mœchatur, quod ergò Deus conjunxit homo non ſeparet. Matth. 19.

Qui autem perſeveraverit vſque in finem hic ſalvus erit. Matth. 24. miſereor. turbæ quia triduo perſeverat mecum. Matth. 15.

Elegi & ſanctificavi locum iſtum vt permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus. 2. Paralip. 7.

Nam cum ab infantiâ ſuâ deum ſemper timuerit, & mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contrà deum quod plaga cæcitatis evenerit ei, ſed immobilis in dei timore permanſit. Tob. 1.

DATA HOMINIBVS fides ſervanda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si beneficium ſemel collatum ſit accipientis; multò minùs revocanda eſt data fides, quæ in civilibus commerciis ſæpiùs titulo non lucrativo, ſed alteri cui præſtatur oneroſò, quæſita eſt.

MAGNITVDO. Violata fides, licet in re parvi momenti ingentia poteſt inferre damna, tùm quia deficit aliis negotiis poſitum fundamentum; tùm quia læſus malâ fide animus fit in poſterum puſillanimis, itaut ægrè magna aggrediatur.

DVRATIO. Dilata fortaſſis eſt rei præſtatio, & induciæ conceſſæ ſunt in tuum favorem; vndè arguteris perfidiæ ſi ex beneficio tibi collato ſumas occaſionem injuriæ inferendæ. Bonæ fidei hominum commiſſa eſt, tùm naturæ, tùm mundi civilis propagatio, vt ſcilicet ſibi ſimiles generent; traditione artes & ſcientias poſteros doceant. Bonæ fidei eſt natura quæ tempeſtates anni certo ſemper ordine revocat, & commiſſa ſibi ſemina in centuplum reſtituit: ſic ſpe futuris fruimur.

POTESTAS. Si non potes datam fidem præſtare, fortunæ crimen eſt, palamque hæc impotentia eſt probanda: ſi potes, validus es prædo in proximi læſionem; namque promiſiſti alterius juris ſunt, & tùm ſua quàm ea quorum nactus erat poſſeſſionem apud te depoſita remanſerant; vndè ea inficiaris duplici crimine, & quod conventionem non ſerves & quod depoſitum neges.

COGNITIO. Qui ſe fidei tuæ commiſit, exiſtimat te probum, & hac bonâ de te conceptâ opinione probitatem tuam demeretur & provocat; ſi enim lædit ſuſpicio, devincit fides: læſus conqueretur de malâ tuâ fide quæ ſic publicata maximum tibi damnum inferet, cum te omnes vt malum & perfidum averſabuntur.

VOLVNTAS. Nihil ſic benevolentiam conciliat quàm fides, aut odium quàm perfidia. Poſt diuturnam expectationem fruſtratus amor, ipsâ ſperatæ fruitionis horâ in furorem vertitur, & ſubditas ſibi paſſiones omnes ad arma vocat.

VIRTVS. Non creditur, Deo, ſibique fidem in virtutum actibus præſtare, qui hanc proximis in commercio negat. Perfidus habetur impius: Ejuſdem enim charitatis lege, Deo, nobis & proximo tenemur.

VERITAS. Si mendacium ex ſe tàm odioſum eſt, etiamſi fiat citrà bonorum jacturam; quid ſi grave damnum inferat, & ſimul conceptas ſpes, fortunamque perfidiâ ſubverat; Tàm juri naturali & divino contraria eſt perfidia, vt pudore ad ſui exeſtationem multa ſemper confingat, & novis dolis antiquos conetur tegere.

GLORIA. Interdùm in vnius hominis fide omnis domus alterius ſpes inclinata recumbit, vndè ſi frangas fidem metus & horror talis mentem occupat, qualis cum terra, quæ nos ſuſtinere debet immobilis, motibus concutitur, & variis fiat abyſſis.

DIFFERENTIA. Rerum humanarum varietas ſæpè non patitur omnia ex votis exequi, ſed tamen inter varios fortunæ caſus effulget bona fides, vt inter nubila ſol, licet ſæpiùs interceptâ luce. Si te non exiſtimaſſet fidelem, alterius fidei ſe commiſiſſet: quid ſi medicus quem ſanandum ſuſcepit ægrum, tunc deſeràt, cum alterius non datur copia; cumque morbi vis moras, non patitur.

CONCORDANTIA. Pendent homines ab invicem, naturalis & civilis ſocietatis vinculo; quod ſi fidem frangant hi, quos vt fidiſſimos elegeramus, jam nulla ſupereſt ſpes, nulla quies: ſi timeantur ea omnia quæ poteſt præſtare mala fides in negotiis, vt plurimùm in futurum diſpoſitis, & ab alieno pendentibus arbitrio, ſiæperibit humana ſocietas, cum alter alteri nemo ſe committet, & amicos, quaſi hoſtes in inſidiis poſitos formidabit.

CONTRARIETAS. Vnicum eſt in adverſis quibus concutimur ſolatium fidem habere pectus, in quod curas, conſilia ſecurus exoneres. Fidelis homo eſt in tempeſtate portus, contrà adverſa omnia patens aſylum, quid enim ſi pro portu ſit falſa pharus, ad quam naves allidant, & ſi is quem contrà hoſtes in auxilium advocas, crudelius quia occultius, & certo qui vitari non poſſit ictu feriat.

PRINCIPIVM. Datâ fide ſtat Religio, ſtat politia, ſtant familiæ: Ex promiſſis enim nobis à Deo factis ſpem æternæ vitæ concipimus, fidei Principum, & Magiſtratum commiſſum eſt totius populi regimen conjugati fidem à ſe invicem exigunt, omnes à ſervis, ab artificibus, à mercede conductis: ſic fidem privatim & publicè, communique omnium conſenſu ſanctam, nefas eſt infringere, & qui violat peccat contrà Religionis & Politæ legem fundamentalem, inficit veneno fontem publicum, docetque in cæteris poſſe violari, quod putabatur intactum, ſic ad infinita mala accendit audaciam.

MEDIVM. Sic ars ſibi fabricat organa, vt ſint fidelia, reſpondeantque vſibus ad quos deſtinantur, fert navis ſibi commiſſum pondus, tecta nos immunes reddunt ab aëris injuriis, &c.

FINIS. Sic nati accipiunt à parentibus vitam, educationem, facultates præmaturâ hæreditate, vt eos ſenectâ feſſos pietatis ſinu excipiant, ſintque cæcutientibus oculi, labentibus baculus. Omnis qui intenditur finis pendet à fide mediorum, ideò vtis publicis paratur ad publicum commercium ſecuritas.

MAIORITAS. Vir bonus ad Dei imitationem in promiſſis implendis non deficit, ſed potius excedit, pluſque largitur quàm ſtipulatus fuerit. *Vide Majoritas. Bonitas.* vt etiam ſublatâ per ſolutionem obligatione ſit novo beneficio locus.

ÆQVALITAS. Vix eſt, vt qui fidem dat non accipiat, & ex æquo vicem rependat. Ergò injuſtum eſt, ſi non præſtas officium, poſtquàm aliud eà lege ac-

cepisti, vt tantundem suo tempore præstares.

MINORITAS. Si fides hominibus non esset habenda, ducissimè semper cum illis esset agendum: Domini servis, creditores debitoribus, victores victis, Sacerdotes pœnitentibus nihil vnquàm gratiæ, aut saltem induciarum concederent: quævis etiam servitia, cum pendeat à futuro, pendet à fide aut miserorum, aut ministrorum.

AMOR SI SIT VERVS est perpetuus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amans in se mortuus vivit vitâ objecti amati, sic cum sibi non supersit, nec etiam sibi servat jus, vt se sibi aliquandò vendicet; vt enim cum personâ etiam jura omnia servi remanent extincta & confusa in Domino, sic amantis in amato.

MAGNITVDO. Amor non vult esse pro parte, vt probatum est suprà. *Magnit. Volunt.* hæc autem integritas se extendet ad omne tempus, vt sit perfectè illimitata, deturque totus amor, cum datur in perpetuum: Magnus ille impetus quo fertur amor suadet illum nunquàm esse desiturum; Magnum incendium nunquàm deficeret, si non deficeret materia, non deficit autem immortalis animus & geniorum, seu naturæ, seu gratiæ sympathia.

DVRATIO. Tam naturale est amorem esse perpetuum, vt nemo sit qui hoc sibi non proponat. Nam cum voluntas non minùs futuris quàm præsentibus afficiatur, & in vtrumque tempus feratur amor, implicat contradictionem simul amare & non amare, & eo ipso quo in præsenti amas, & te fœlicem existimas amando & possidendo, simul ea in futurum respuas, quasi tuo amore indigna.

POTESTAS. Amans vellet omnem potentiam in amatum conferre, & quia id non valet consequi, saltem dat id omne quod potest, scilicet diuturnum & immutabilem affectum. Si nihil potest in fortunam, ex æquo non patitur fortunam aliquid in ipsum posse, sic inter varios rerum casus ex adverso constantiam profitetur.

COGNITIO. Optat diuturnos annos, vt probet ingentes affectus qui latent in pectore, & quibus angustum nimis est præsens tempus, vt se toti explicent: Ridet quidquid in contrarium monent sapientes, nemo enim alieno, sed suo sensu delectatur & amat.

VOLVNTAS. Passiones omnes amori militant, sed illæ maximè quæ in futurum feruntur, vt desiderium, spes, metus: supponit mens duraturum semper amorem, sed de his quæ illi contingent est sollicita.

VIRTVS. Inter civiles virtutes numeratur amicitia, inter Theologicas cæterarum caput est charitas, vndè vt cæteræ consistit in habitu, qui est inhærens & difficile mobilis.

VERITAS. Amans quilibet, dum varias sæculorum percurrit historias, nihil sibi æquale reperit, vultque amorem suum cæteris proidæâ constitui: Ficta citò ad naturam suam redeunt, quales sunt turpes amores, qui expletâ libidine concidunt: at verus amor, qui Deo conciliante contrahitur, idem semper permanet, vnde de suâ syncerirate securus æternitatem sibi pollicetur.

GLORIA. Præsens amoris tempus ferè semper est in labore, nullaque fruitio animum penitùs implet; A ideò ex futuris solatium quærit, & speratt tranquilliora, sublatis quæ ipsi adversantur casibus. Honestum semper idem est, vndè perpetui sunt amores qui honesto nituntur.

DIFFERENTIA. Amans omnia lustrat mente & oculis, & cum nihil offendat quod affectus suos ab objecto suo charissimo, vel minimùm dimovere possit, infert perpetuum fore, quod nec proprio, nec externo motu vnquàm definet: sic beati nunquàm deficiunt à suo amore, quia bonum omne possident eminenter in infinito bono: hinc amans solet cum re amatâ optare cæterarum solitudinem, quasi in posterùm hæc sola possessio sibi sufficiat.

B CONCORDANTIA. Sic æternæ habentur civitates, sic perpetua reputantur inter populos fœdera, sic Matrimonium est individua societas per totius vitæ tempus, quis enim sincerè amet brevi relinquendam? Miscibilia semel mixta se mutuò penetrant & afficiunt, itaut ad sinceram suam naturam nunquàm redeant. Amor verus simplex est, sinè vllâ avaritiæ, concupiscenti, aut vanitatis mixtione; simplicia autem & maxima vnia se vindicant à corruptione, quæ solet oriri ex contrarium partium dissidio.

CONTRARIETAS. Amor, vt probet suam libertatẽ, vimque quam habet à contrariis invincibilem, nititur in vetitum: vt vehemens flamma ipsismet flatibus quibus exagitatur sibi accrescit; sic prohibere C amorem, conciliare est. Prævidet magno animo casus omnes hostilis fortunæ, & quasi de victoriâ securus sibi jam applaudit vt triumphanti. Sic Apostolus, Quis non separabit à charitate Christi, non fames, non gladius, &c. Sic beatus Ignatius, veniant in me bestiæ, confractio ossium, & omnia tormenta diaboli, tantùm Christo fruar. Sic sanguis martyrum factus est semen Christianorum.

PRINCIPIVM. Amor magnas interius sibi sentit vires, in futurum duraturas: & quia videt se processu temporis, non minui, sed augeti, non timet excidium, sed admirans dubitat quales sint futuri tam potentis causæ effectus.

D MEDIVM. Quasi seipso amor subsistat respuit dona amati & alioquin optandos favores, quia videntur exprobrare defectum in ardore, si indigeat alimento; hinc ab externis non pendens, sed à seipso, immortalis est, nihil enim in seipsum agit actione corruptiva.

FINIS. Brevior illi, quàm par sit, ad objecti sui fruitionem videtur vita & tempus præsens nimis angustum, vndè longiùs mittit affectus suos, & quasi finem suum nunquàm sit assecutus, sibi semper in futurum spondet meliora.

MAIORITAS. Videt amans omnia vicissitudinem patientia, & quasi sit suprà legem hanc communem positus, sibi de suâ constantiâ blanditur; & quia videt E se processu temporis non minui sed crescere, dolet amori suo perenni, semperque proficienti, spatia & quæ profundat bona defutura.

ÆQVALITAS. Vult amans ex æquo se amari, sed nec reciprocum amorem agnoscit sui causam, ne scit species quædam permutationis, in quâ viget justitia, non liberalitas: Donare vult, non emere aut negotiari, sicut in contractibus innominatis, do vt des, aut conditionatis, qui deficiente conditione, dissoluuntur. Eò generosior quo suis non alienis stipendia & amati donatis militat: sic omnia ponit in potestate amati, excepto eo quod non possit ei amorem inhibere.

MINORITAS. Vndè quamvis tempus edax aliquas corporis & animi dotes eripiat, idem amor illæsus perseverat, aliud amat quàm quod oculi vident. Vt enim

enim cognitio, ſic amor rationalis abſtrahit à tempore, loco, & omni ſenſibili; ſi ab aſtris eſt hæc ſympathia, remanet in mente idæa amati, qualis futurus eſſet, ſi nativitatis accidentia & temporis injuriæ nihil damni intuliſſent, & hac interius præſidente idcà præter omnium exiſtimationem movetur affectus.

VOTA HOMINEM DEO *in perpetuum conſecrantia.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Populi omnes, communi ſenſu Religionis, Deum, vt bonorum omnium authorem coluerunt, olim quidem ſacrificiis: ſed vt quid fundetur ſanguis eripitur vita, & offertur mors omnium privatio, quaſi hæc grata ſint primæ bonitati, primæ vitæ, primoque actui? habet Religio Chriſtiana hoſtiam vivam, quam offerat Deo magis acceptabilem, ſcilicet hominem ipſum, terrenis mortuum, cœleſtibus tantùm viventem; vt ſicut eſſentiâ, ſic in poſterùm actionum ſanctitate perfectam ferat Dei imaginem.

MAGNITVDO. Infinita bonitas non eſt anguſto & avaro ſacrificio colenda; totum dat, quod dare poteſt, qui tribus votis ſe per totius vitæ tempus Dei ſervitio mancipat.

DVRATIO. Sic æterno Deo, ſinè temporis lege miniſtrandum eſt, ſic æterno amori, quo nos dilexit, vicem conamur rependere: ſic huius vitæ laboribus ad æternitatis ſabbatum diſponimur, affectu ſe ad omne tempus effundente vellet enim in præterito Deo ſerviviſſe; præſens & futurum ei dicat, in perpetuum ſerviturus, ſi in perpetuum hic viveret, & niſi vita votis deficeret.

POTESTAS. Si non poſſumus deo ſervire vt decet, ſaltem in hoc agamus quod poſſumus, nihilque de noſtrâ ſubtrahamus potentiâ, poſſumus autem illi nos in perpetuum mancipare, libertatem quam nobis dedit, illius dominio ſubjicere, illi nos vt ſervos addicere: pudet amantem non exequi quod poſſit, pro parte, & ad libitum, non ad nutum amati ſua præſtare officia. Ambiant mundani divitias & Regimen, pars mea Deus in æternum, ipſi ſervire regnare eſt, ſi partes meas agat, & ſi in me, qui terra ſum, fiat voluntas ſua, ſicut in cœlo.

COGNITIO. Religioſus Deo ſacratus, vivens, rationalis, Deo placens & vocalis eſt hoſtia, ſibi ſemper poſt oblationem & conſumptionem ſuperſtes. non modò fidei, ſed & obedientiæ rationem ſubjicit, vt quia nihil ſibi ſumit proprium, ſic nec arbitrio ſuo vult ſe regi; ità proprij judicij varietate non laborans, ſecurus ſub ſuperioris tutelâ, liberiorem mentem dat ſtudiis ſapientiæ & divinis illuſtrationibus.

VOLVNTAS. Dùm amor proprius, ſic victus & victus jacet, diſſipantur paſſionum turbæ, quæ illi militant: Non propria ſed divina voluntas fœliciter imperat, ſic vt victo nulla ſit reſurgendi ſpes. Tollitur mala & falſa libertas quæ ad nociva prorsit & ſtabilitur, quâ mens Deo omnium magis diligibili poſſit faciliùs inhærere. Vt amor non eſt pro parte. *Vide Magnit. Volunt.* ſic non eſt tempus. Vide ſuprà hoc titulo amor, ſi eſt verus eſt perpetuus.

VIRTVS. Si virtutes conſiſtunt in habitu vix mobili, maximè ſtatuum hunc conſequi debet Religio, virtutum moralium prima, hic autem ſtatus habetur per vota, quæ fovent implentque virtutes omnes; Temperantiam, quia ſic coërcentur cupiditates; Prudentiam, quia pro re; vili acquiritur prætioſa margarita, & latens in campo theſaurus; Fortitudinem quæ nihil timet adverſi, dùm ſe tota committit divi providentiæ; Juſtitiam denique, quæ totum ſe Deo debitum reddit.

VERITAS. Suprà legem eſt, qui non modò præcepta, ſed etiam evangelica conſilia, divinumque implet beneplacitum; Amor enim non expectat, ſed prævenit juſſa, ſufficit noſſe, vt impleat, quod amato gratius eſt, cum enim oportet in ipſum transformari, aliquid præter ipſum velle nefas reputat.

GLORIA. Si quæ ſit in hac vitâ cœleſtis beatitudinis imago, viget in clauſtris, vbi alta quies à mundi & fortunæ tumultu; vbi ſemel emiſſa vota ſpes omnes terrenas præſciderunt, hominemque ſæculo mortuum ad tranquillas ſedes tranſferunt: Mens enim vacans à terrenâ voluptate cœleſtem ambit; ſedet Religioſus à portu, tempeſtatum & naufragiorum ſpectator; videt Andabatarum more digladiantes homines, pro bonis ex opinione mox perituris; videt magno labore laborem ementes, longâ ſervitute ſervitutem ambientes; miſeretur, ſibique interim tot periculis exemplo plaudit, & ſe toties ſacratum, iterum atque iterùm in gratiarum actionem Deo liberatori devovet.

DIFFERENTIA. Exultat à mundo, ſed fœlix à peſte, fame, ſeditione, tumultibus exilium: fœlicia clauſtra quæ mihi pro arce munitiſſimâ ſunt contrà tot hoſtium inſultus. Pœnitens profitetur ſe cupiditatibus quas reliquit mortuum, vt quid à fœlici hac privatione dabitur ad morte pejorem habitum regreſſus? Hîc bonæ voluntati, vt olim fortunæ alæ præſcindendæ ſunt, nec avolet: Volubilis affectuum rota hoc clavo ſiſtenda eſt in meliori quem poteſt habere ſitu: dantur immotæ inter fluctuum vortices inſulæ, ſtet inter mundanas varietates ſtatus Religioſus, vt hoc immobili nitantur & regulentur cæterorum motus.

CONCORDANTIA. Leges volunt in matrimonio perpetuam iniri vitæ conſuetudinem & hic vni præſtita fides aliis omnibus negatur: Non licebit nobis eandem Deo præſtare fidelitatem, ſacrum eſt mentis cum verbo connubium, quod ſemel initum, adulterio, aut divortio ſolvi ſacrilegium eſt. Solvuntur mutuo contrahentium conſenſu ſocietates, quæ juris ſunt privati: At hæc cum Deo conventio publici juris eſt, vt cum vniverſali rerum omnium principio; vndè publicè emittuntur vota, convocatis ſolemniter populis, vt ſimul juri ſuo, humanæque cum Religioſo ſocietati cedant, & ipſum quaſi hoſtiam manu ſuper impoſitâ offerant. Nefas autem eſt ritè Deo conſecrata, omniumque votis ſancita, ad prophanos vſus revocare.

CONTRARIETAS. Obſident nos hoſtes, magno vndique conatu, nec vllas furor eorum concedit induciias; Itaque ſtultiſſimum eſt à ſecuratâ hac munitione egredi, noſque hoſtium paratis inſidiis exponere: Etiam ex hoc tutiſſimo præſidio licebit in illos jaculari, licebit miſeris peccatoribus opem ferre exemplo, oratione, conſilio, verbi divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, &c. Ægro melius opitulatur ſanus medicus: ſic interdum pro mortalibus voluit Deus ſpirituales & immortales Angelicos militare.

PRINCIPIVM. Primæ cauſæ voluntatem, quæ eſt humanarum actionum principium, primumque mobile, lito & conſecro: Si ab ipſo in me redire velim, ab ente in nihilum recidam. Turpe mihi eſt ſcio

incœpiſſe, ſed hoc mihi ſupereſt ſolatium ſic voviſſe, A vt nunquàm deſinam.

Medivm. Quærit anxius amor quid muneris primo amori offerre poſſit, & hæc inquirenti opportunè occurrunt Evangelica conſilia, ſi vis perfectus eſſe &c. Hac viâ ad perfectionem vocat Chriſtus, hac præit cum Apoſtolis & tot ſanctis Religioſis. ô ſtupor ſi præcedenti, ſi vocanti te comitem non præſtes, ſi aliam tibi confingas viam à Chriſto, qui eſt via, veritas & vita.

Finis. Ad Deum hic tendit motus, finis autem totaliter ſinè temperamento appetitur. Recta ad centrum eſt via: totum ſe dat Deo Religioſus, vna eſt hæc ſimplex vita, non vt ſecularium mille periculoſis anfractibus intercepta, non poteſt eſſe diuturnus labor in vitâ tam brevi: cæterum ipſam, vt civitatem Dei, lætificant conſolationum fluenta, & expectant æternæ fœlicitatis immenſa præmia. B

Maioritas. Non eſt communibus contenta chariras, ambit majora, & ad ſummæ perfectionis apicem conatur conſcendere: omnia ſe putat poſſe Religioſus in illo, qui ipſum confortat; etſi non ſimus, vt beati, in charitate immobiles, cedet in triumphum noſtrum ipſa mentis noſtræ inconſtantia, dùm ſic Dei voluntati ſubjicitur, ſitque ratione voti & ſtatus immobilis voluntas: non enim debet mutari niſi in melius, at nihil homini melius eſt quàm Deo totaliter ſubjici.

Æqvalitas. Status eſt in infima non labens, ſed C in ſuperiora tamen ſemper paratus conſcendere: vt enim voluntatis, ſemper ad obſequium paratæ, eſt quædam amplitudo infinita; ſed etiam illi æquale meritum, æqualiſque remuneratio. Variantur mundana, Religioſa autem, vt cœleſtia & divina, vno ſemper eunt tramite.

Minoritas. Minùs eſt dare ad tempus, & ſub conditione, quàm in totum & ſimpliciter: at Deo perfectiori quo fieri poteſt modo ſerviendum, ſic imperfectæ olim non offerebantur hoſtiæ. *Vide Bonitas & Virtus Magnitudinis, integritati.* Si ſe virtutibus immiſcent defectus, ſaltem electione ſeramur in meliùs: nam qui Deo vult ſervire ad tempus, videtur poſt illud nolle ſervire, aut ſaltem ad hoc ambigua mens eſt; Non fert autem charitas mentem circà Dei ſervitium aut renitentem, aut dubiam. D

Vide minoritas differentia. Et ibi demonſtrationem, quod ſtatus in bono, ſit optimus.

CONTINVATIO
amoris in piâ deffunctorum commemoratione.

Vide ſuprà hoc tit. de amore perpetuo.

APud Romanos quot annis feſtum celebrabatur E nomine Adonia, in quo omnes operæ ceſſabant, mulieres paſſim per vicos mortuorum effigies efferebant in memoriam concepti doloris à Venere in morte Adonidis. Plutarch. in Alcibi.

In Græcia quot annis conveniebant ad ſepulchra eorum qui in Marathone contrà Xerxem occubuerant, & eos anniverſariis coronabant laudibus. Id.

Civitas eos, qui pro patria deffenſione è vitâ deceſſerunt, honorat, cæremonias quot annis lege decretas communiter cunctis inſtaurans, quæ privatim vnicuique propriè peragi ſolent: gymnica item certamina, equeſtriaque inſtituit, muſicoſque ludos varios adhibet: ac profecto quod ad defunctos pertinet, hæredis & filij ſubit conditionem, quod ad filios Patris, quod ad parentes curatoris. Plato in Menexe. ſeù Epitaphio.

Eos qui pro Patriæ deffenſione occubunt Dæmones effici ſanctos, optimos expulſores malorum, cuſtodeſque mortalium creditur, & inſignibus decorantur, & conduntur, vt conſultum juſſerit oraculum, & ſepulchra, eorum veluti Dæmonum, coluntur atque adorantur. Id. lib. 5. de Repubk

Filios annuas curas defunctorum parentum, quæ ornamentum afferunt inſtaurare decet, & novâ quotidie repetitâ memoriâ ſemper parentes honorare. Id. 4. de legib.

Apud Megarenſes ad Iphinoes Alcaeli filiæ tumulum, quam virginem è vitâ deceſſiſſe memorant, patrio ritu puellæ antè nuptias inferias mittunt, crinisque primitias deferent. Pauſan. in Atticis.

Mermeres & Pheres Medeæ filij à Corinthiis innocentes lapidibus obruti, ibidem viſuntur eorum ſepuchra; ſed ex oraculo ad expiationem, ſingulis annis ſolemnia fiebant ſacrificia, ibique pueri crinem tundebant, & obſoletam veſtem induebant. Id. in Corinthiac.

Apud Leonidæ & Pauſaniæ. qui in Plateenſi prælio imperator fuit junctos tumulos quotannis laudationes dicuntur & ludi fiunt, in quibus certandi locus ſolis eſt Lacedemoniis. Pauſ. in Laconi.

Ætolo immaturâ morte ſublato filio, Oxili primi Ætoliorum Regis, parentant ſingulis annis Ætoli. Id in Eliacis.

Apud Hebræos in Solimorum vrbe, à Romanis poſteâ penitùs everſa, erat ſepulchrum Helenæ mulieris indigenæ, cujus oſtium marmoreum quotannis ſtato die certis machinis apariebatur; alio tempore apertum non poterat poſtea occludi Id. in Arcadicis.

Apud antiquos ſepulchra nominata fuere templa, ſic in Delpho, vbi Apollo à Pythone occiſus ſepultus fuit, templum eſt, & celebre Tripodis nomen, à tribus Triopi filiabus dictum, quæ diù Appollineam luxerant. Cyrill. Alexandrin. lib. 10. contra Julian. vt probet cultum in ſepulchris martyrum, quia Julianus dicebat lege Moyſis ſepulchra eſſe immunda, & polluere ſanctos.

Inſula quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt, & Diomedæas aves ſola nutrit. Illæ ædem ſacram omni die ſtudio celebrant hujuſmodi, aquis imbuunt plumas, aliſque impendio madefactis confluunt torulentæ, ita ædem excuſſo humore purificant. & poſteà pennulis ſuperplaudunt, indè diſcedunt quaſi peractâ religione, ob hoc ferunt Diomedis ſocios aves factos.

Vide ſuprà hoc tit conſtantia in amore, quod abſentia veram amicitiam non minuat.

Gyges cum ab amicâ regnum accepiſſet, illi mortuæ tumulum ædificavit tantæ altitudinis, vt cum ipſe regionem circuiret, vndequaque verteretur tumulum aſpiceret, atque omnibus Lydiam habitantibus eſſet conſpicuus Athenæus. lib. 13. cap. 11.

Ægyptij deficcata proximorum cadavera conviviis & compotationibus adhibebant. Lucian. Dial. de Luctu.

Adonidis ab apro occiſi quotannis luctum inſtaurant Syrij, & ad hoc monentur à fluvio, qui dicitur Adonis, eo quod in eo ſe ſaucius Adonis laverit, hic à Libano monte in mare fertur, & quotannis cruore inficitur, in mare exiens, ipſumque mare purpureum efficit. Idem. lib. calumniis non citò credendum.

Quandò celebramus dies fratrum defunctorum, in

mente habere debemus, & quid ſperandum, & quid timendum ſit; ſperandum ex eo quod prætioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus; In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione malâ non timebit: hæc omnium pejor auditio, cum dicetur ſiniſtris. Ite in ignem æternum. D. Auguſt. ſerm. 53. de verb. Apoſtoli.

Commemorationes mortuorum, fiebant à paganis in eorum laudem, vt ſuprà, Chriſtianis autem, vt eos ſuis juvent ſuffragiis.

Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſinis, non eſt dubium mortuos adjuvari, vt cum eis miſericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerint, hoc enim à Patribus traditum vniverſa tenet Eccleſia. Iſta autem ita proſunt defunctis, ſi ità vixerint antè mortem, vt poſſint eis eſſe vtilia mortem. D. Auguſt. ſerm. 32. de verb. Apoſt.

Conſilio Cabilonenſi ſtatutum eſt, vt quotidie in miſſis fiant orationes pro fidelibus defunctis, ſicut & pro vivis. can. viſum. de conſecrat. diſt. 1.

Iudas Machabæus magnam auri vim in templo offert pro mortuis. 2. Machab. 1.

D. Auguſt. Epiſt. 64. reſcindendas quidem dicit eſſe commeſſationes in cœmeteriis, quas imperita plebs ſolatia credit eſſe mortuorum, ſed pium dicit eſſe pro illis ſacrificia ſinè faſtu tamen offerri, & eleemoſinas quæ ſtatim debent pauperibus erogari.

Et relinquent alienis divitias ſuas, Pſal. 48. Si is qui facit miſericordiam vulnerato à latronibus, cenſetur illi proximus. Luc. 10. Extraneus habebitur qui defuncti animæ in flammis exiſtenti refrigerium non affert. Id. in Pſal. 48.

Negandum non eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſinæ in Eccleſiâ fiunt; ſed eis hæc proſunt, qui cum viverent, vt hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent, meruerunt; eſt enim quidam vivendi modus non tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, quo circà hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt mortem relevari quiſpiam, vel gravari. D. Auguſt. in Enchiridio. cap. 110.

Idem lib. quæſtionum ad Dulcitium. quæſt. 2. An piæ ſepulturæ proſint defunctis: dicit non videri inanes motus animorum Religioſorum, atque fidelium pro ſuis iſta curantium, nec vocat quod vniverſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſuevit. Objicitur illud 1. Corint. 5. Vnuſquiſque antè tribunal Chriſti referet, ſecundùm ea quæ per corpus geſſit. Reſpondentur, tempus quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem poſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt, vel requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt incarne, dùm viveret; Neque negandum eſt deffunctorum animas pietate ſuorum relevari, &c. vt ſuprà. Idem lib. de curâ pro mortuis. cap. 1.

Idem lib. 9. confeſſion. cap. 11. Refert matrem ſuam morti proximam, illi dixiſſe. Ponite inquit hoc corpus vbicumque nihil vos ejus cura conturbet, tantùm illud vos rogo, vt ad Domini altare memineritis mei, vbi fueritis, & cap. 12. Corpus, inquit, elatum eſt, imus & redimus ſinè lachrymis: Nam neque in eis præcibus quas tibi Dominus fundimus, cum offerretur pro ea ſacrificium prætij noſtri, ego flevi &c. 13. Non mandavit nobis curam ſepulturæ, ſed tantummodò memoriam ſui ad altare fieri, vndè ſciret diſpenſari victimam ſanctam, quâ deletum eſt Chirographum quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra. &c.

Heracleonitæ hæretici, ab Heracleone diſcipulo Valentini, ſuos morientes novo quaſi modo redimebant, ideſt, per oleum, balſamum & aquam, & invocationes, quas verbis Hebraïcis dicebant, ſuper capita eorum. D. Auguſt. Epiſt. ad quod vult Deus de hæreſib. hæreſi. 16.

Manichæi diem quo Manichæus occiſus eſt, quinque gradibus inſtructo tribunali & prætioſis linteis adornato, ac in promptu poſito & objecto adorantibus, magnis honoribus proſequebantur: hunc diem Bema vocabant, βῆμα, ideſt gradus. Idem lib. contrà Epiſt. Manichæi. cap. 8.

Odilo Abbas Cluniacenſis primus apud ſuos inſtituit vt die ſecunda Novembris fieret pia commemoratio omnium defunctorum, & pro illis Deo offerretur Sacrificium. Baron. an. 1048.

Photius Bybliothecæ. cap. 171. refert ſe legiſſe Chryſippi Hieroſolymorum Epiſcopi librum de Sacrificiis, præcibus, eleemoſynis, pro mortuis offerendis: Tertiana offerebantur ſacrificia, in memoriam trium dierum reſurrectionis: Novendi alia, quia poſt octavum à Reſurrectione diem, Chriſtus viſus eſt à diſcipulis; & poſt quadraginta dies, quia iterùm poſt id tempus viſus eſt à diſcipulis.

PIA COMMEMORATIO defunctorum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mortuus Chriſtianus è vita corporali ad meliorem tranſlatus eſt; vivit eâ parte quæ amoris & charitatis cauſa fuerat, vndè eandem à nobis expoſcit charitatem.

MAGNITVDO. Pertinet adhuc ad integritatem corporis myſtici Eccleſiæ, eſtque ejus membrum, ideò charitatis vinculo nobiſcum colligatur; & tanto magis ſe explicare hîc debet charitas, quantò plus periculi eſt, ne abſens facilè in oblivionem veniat.

DVRATIO. Ejus exemplo inſtruimur vana eſſe omnia mundana, quæ aut nos deſerunt adverſo aliquo caſu, aut quibus brevi & incertâ morte ſubdicimur. Nihil ſupereſt de præteritis, licet olim magno populorum applauſu fulgentibus: periit memoria eorum cum ſonitu: ſic precedentes fluctus à ſequentibus abſorbentur. Mundani hujus ſcenæ actores & ſpectatores evanuerunt, vt falſæ ſomniorum imagines: ſupereſt immortalis vita ad æternitatem, aut gloriæ, aut ſupplicij.

POTESTAS. Mortui depoſitio omni quo hic fulgebant fortunæ patrocinio, pro meritis judicium accipiunt; Reges, vt ſervi. Interdùm nocet habuiſſe potentiam, cujus ratio reddenda eſt: omnium maxima eſt impotentia, quod extrà viam poſiti non ſe valeant ampliùs ad gloriam promovere: noſtris tantùm ſuffragiis poſſunt juvari, quæ anxiè amicis petentibus negare extremæ crudelitatis eſt.

COGNITIO. Movent pium noſtrum affectum & deletum tempore defunctorum memoriam revocant tympanorum alti gemitus, funebris Eccleſiarum pompa, & flebiles populorum ad tumulos concurſus. Hoc eſt verè ſe noſſe, noſſe ſe mortalem corpore, immortalem animo; in rebus humanis eſſe ſe negotiorum geſtorem Dei, teneri ad rationum redditionem, ſub judice qui falli non poteſt.

VOLVNTAS. Amor ſi ſit verus eſt perpetuus, vt vide ſuprà hoc tit. Vndè abſentia non extinguitur, ſed vt ingens incendium, aquis aſperſum magis accenditur, auget enim vires ſuas ad occurſum contrarij.

VIRTVS. Suffragiis juvare deffunctos est propriè actus charitatis, sed illam cæteræ comitantur virtutes, tùm morales, tùm Theologicæ. Iustitia aut expressam aut tacitam implet conventionem, reddit amico, quod illi debitum est, & quod si fors tulisset, voluisset ab illo sibi vicissim reddit. Temperantia hac tristi cogitatione modum imponit cupiditatibus. Fortitudo non timet mortem, cujus sibi memoriam revocat. Prudentia hîc aliorum periculis sibi cavet. Fides credit immortalitatem animæ, præmiaque justis reddi. Spes illa sibi spondet. Et Charitas dùm proximos in tormentis positos juvat, Deo exhibet ministros, qui ipsum in æternum laudent.

VERITAS. His pietatis officiis vera comprobatur amicitia, quæ se exhibet nusquàm redituris: si amare sit velle bonum amato, verè amat, qui illos ad verum bonum, scilicet ad Dei ad fruitionem promovet.

GLORIA. Hæ mortis imagines sunt hominibus pro temperamento inter mundanas cupiditates, docentque contemnere quod vanum & damnosum futurum est. Adorant mundani solem orientem: liceat his æternitatis canditatis blandiri, etiam dùm sunt in purgatorij pœnis, quia citò in gloriam transituri accepram à nobis gratiam abundantius rependent apud Deum.

DIFFERENTIA. Mirare quotannis novum fieri mundum, absentia eorum qui bona & dignitates possidebant, & novorum hominum promotione: absunt mortui nunquàm ad nos redituri; sed quod perpetuum putamus exilium, fœlix est ad cœlestem patriam reditus, si modo præces pro viatico præstiteris: non sunt ampliùs in viâ, vt propriis suis meritis progrediantur, sed charitate conjunctissimi sunt viatoribus, qui possunt pro illis intercedere, ità quod deest conditioni, supplet Ecclesiæ fideliumque communio.

CONCORDANTIA. Iuvant se invicem nautæ, commilitones, collegæ, & facto impetu socios è periculis eripiunt, promoventque eos à quibus posteà poterunt vicissim promoveri. Sic familiæ ambiunt honorem pro vno ex suis; quid præclarius, quid vtilius, quàm proximum, aut amicum tuum fieri citò tuis suffragiis æternæ gloriæ participem?

CONTRARIETAS. Quis parenti aut amico, dùm crudeles, necessarias tamen à Chirurgo patitur incisiones, non misereatur, & breviorem, levioremque si possit efficiat pœnam?

PRINCIPIVM. Charitas hæc proximis impensa in Deum redit. Gaudet enim Pater si apud ipsum intercedatur pro exhibendâ filiis misericordiâ: intùs est qui rogat affectus. *Vide Bonitas Principij.* Filij orando, vt decet, pro parentibus, meliorem vitam conferunt, quam ab illis acceperint: edunt enim ipsos æternæ luci piis suffragiis quasi obstetricante manu.

MEDIVM. Ideò tibi hæredi reliquerunt facultates suas, saltem aliquid confer de superfluo, vt charissimum, & beneficentissimum eripias è tormentis.

FINIS. Liberaliùs sunt conferenda beneficia, quæ semel collata sunt in perpetuum duratura: in æternum cœlesti gloriâ fruentes te agnoscent & colent vt liberatorem: non parcendum dispendiis, quibus exmam manum fœlicitati imponimus.

MAIORITAS. Augetur motus centro proximior, exundet affectus in hoc vltimo præstando beneficio: quod conferimus exiguum, semen est commissum charitati, quæ illud in immensam gloriæ amplitudinem educet. Præclarum fidelibus munus relictum à Deo est, vt de suo aliquid conferant, ad id quod vires naturæ immenso excedit intervallo.

ÆQVALITAS. Accepimus à defunctis parentibus vitam, hæreditatem; ab aliis scientias, artes, & cætera ad vitam civilem & beatam pertinentia: nunc vicem repetunt positi in purgatorij pœnis: minùs est quod petunt, quàm quod contulerunt levamen: ideo ingratissimi est illud negare.

MINORITAS. Sic olim candidati, infimæ plebis suffragia mendicabant, & supplicabant ei, cui mox erant imperaturi. Sic divinâ sapientiâ omnia contemperante factum est, vt à minimis maxima pendeant. Mirum quod adhuc in hujus vitæ ærumnis positus, valeas tuis suffragiis animas ad æternam fœlicitatem promovere. Quis de plebe ad comitia pro dandis suffragiis vocatus, libenter non veniat, gaudeatque se tantùm in exili fortunâ posse, vt Magistratus constituat.

MALA.

OBSTINATIO, ET *Pertinacia.*

DE obstinatione in peccato. *Vide Duratio Minoritatis.* Peccatum pœna peccati.

Pertinax, vt definit Isidorus lib. 10. Ethym. cap. 15. dicitur is, qui est impudenter tenax & quasi omninò tenens: dicitur etiam pervicax, eo quod in proposito suo ad victoriam perseverat; antiqui enim dicebant viciam, quam nos victoriam: ideò provenit ex vanâ gloriâ tanquàm ex causâ, vult enim suam excellentiam manifestare, & quia non vult pro veritate cedere delectationi, quam habet in non cedendo incontinenti aut molli comparatur. Div. Th. 2. 2. q. 138. a. 2.

Vt pejor est morbus, qui est insanabilis, sic pejor insscitia, quæ ob animi perturbationem, ab eo quod constituit non depellitur. Aristot. Morał. lib. 7. capite 9.

Nihil turpius, inquit Cicero, quàm cognitioni & præceptioni assertionem præponere; animi sui figmenta, vt Religionis decreta, putant supra rationem esse, vndè determinativè illa proponunt, nec patiuntur contrarias aliorum rationes. Olim septem tantùm erant sapientes, nunc vix septem invenias, qui sibi non sapiant. Lapideus est idola colens, inquit Divus Augustinus, frustrà in eum jacitut verbi telum.

Senes vt plurimùm minùs quàm juvenes ægrotant, semel autem diuturnis morbis correpti ferè vnà moriuntur. In eis distillationes & gravedines coctionem non admittunt. Hipoc. Aphoris. lib. 3. Aphoris. 39. & 40. Sic opinionem semel conceptam licet falsam, vix deponunt, quia nimium suæ fidunt experientiæ, pudetque eos aliorum judicio sapere.

Hæresis consistit in pertinaciâ impugnanti ea quæ ad fidem pertinet. D. Th. 2. 2. q. 11. a. 1.

Melancholia est in sicco, quod facilè suo termino continetur, difficile alieno; vndè hi quibus dominatur, vt senes, sunt pertinaces, nec facilè aliis cedunt.

Peccare mente obstinatâ aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum; cujus triplex est causa, scilicet longa consuetudo peccandi, incredulitas de Iustitiâ Dei, & seductio inimici. D. Th. 2. 2. q. 88. a. 6. q. 138. a. 2.

Peccatum Dæmonis durat adhuc secundùm appetitum, non autem secundùm æstimationem. 1. q. 64. a. 2. ad 3.

Liberum arbitrium in damnatis eſt obſtinatum in malo, quod non poteſt eſſe in viâ perfectè. 2. 1. q. 14. a. 3. ad 3.

Lex Medorum erat, vt omne decretum Regis non liceret immutare, ſic Darius cogitur damnare Danielem ad Leones. Daniel. 6. Sic Iepthe, & Herodes, malè ſervant juramentum. *Vide Differentia Volunt.*

Lex ex ſe quaſi tyrannus eſt, non enim audit rationem nec flectitur. Vndè oportet Magiſtratum & Principem eſſe legem viventem, qui ſcriptam ex æquitate temperet & moderetur.

Qui videbant me, foras fugerunt à me, inquit Eccleſia. Pſal. 30. Vt ſcilicet hæreſes & ſchiſmata faciant. Ignoſcendum eſſet, ſi fugiſſent à me qui non videbant me. At durum eſt eos fugiſſe, qui noverant quid ſit Eccleſia, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. D. Aug. in Pſal. 57. *Vide Duratio Contrar.*

Pertinax eſt qui tenet imprudenter ſuum propoſitum, opponitur perſeverantiæ ſecundùm exceſſum, mollitiei autem ſecundùm defectum. 2. 2. quæſt. 138. a. 2.

Ipſa conſuetudo peccati vim infert. *Vide Poteſtas Durationis, & Duratio Minoris.*

D. Auguſt. lib. 8. confeſſ. cap. 5. Ligatus, inquit, eram non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate; velle meum tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me, quippè ex voluntate perversâ facta eſt libido; & dùm ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dùm conſuetudini non reſiſtitur facta eſt neceſſitas. Hinc ſervitus peccati. *Vide Poteſtas Virtutis. Repug.*

Si poſt pœnitentiam relabatur homo in peccatum, tunc immundus ſpiritus qui exierat vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe; & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Luc. 11.

Conſuetudine peccatum augetur, vt patet in Petri negatione. Math. 26. Nam in primâ tantùm reſpondet, neſcio quid dicis; in ſecundâ cum juramento negavit; in tertia cœpit deteſtari.

Quot peccati actiones, tot ſunt vincula, inquit D. Greg. S. Iſidorus ait. Delectatio parit conſenſum, conſenſus actionum, actio neceſſitatem, neceſſitatas contemptum, contemptus deſperationem, ideò principijs reſiſtendum. Beatus qui allidit parvulos ſuos ad petram. Vndè citò virtuti incumbendum. *Vide Durat. Virt. Rep.*

Magis inhærent mali habitus quàm boni, concurrente ad malum corruptâ naturâ. Vndè per Hierem. 13. dicit Deus. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, poteritis benefacere cum didiceritis malum.

Peccator vt Hydrops appetit ea quæ malum augent.

Plin. lib. 8. cap. 25. dicit ovum Crocodili initio parvum poſteà excreſcere, vt jam immanem edat ſerpentem.

Varij actus ſunt quaſi annuli ex quibus conficitur ferrea catena; quaſi ſomno oppreſſi dum tentamus ſurgere, relabimur. ex D. Auguſt. 8. confeſſ. 5.

Peccatum quaſi vſucapione & preſcriptione jus ſibi facit.

Corſica fert catochidem lapidem, qui impoſitam manum ad modum gummi retinet. Solinus. capite 8.

D. Cyprian. Epiſt. 2. loquens de primo vitæ ſuæ inſtituto, ait, vitijs adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione meliorum malis meis, veluti jam proprijs ac vernaculis, ad favebam.

Faciliùs eſt ad virtutem inſtruere novos milites, quàm revocare perterritos. Vegetius. lib. 3. c. 10.

Vitium eſt crudelis tyrannus, ſævitiam ſuam quotidie augens, quaſi juſtâ de causâ eſt vmbra mortis æternæ.

Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, quâ trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. D. Auguſt. 8. conf. c. 5.

Affectus per conſenſum, ſi durant in affectum eſſentialem neceſſatio convertuntur. Galen. 1. de loc. affect.

In teno fons eſt, cujus aqua vino non miſcetur. Athenæ. lib. 2. cap. 2.

Partes quæ ſunt in humano corpore, ſi molles ſint poſſunt concreſcere, vt adeps & calculi; quæ autem ſunt duræ non moleſcunt, & durarum nullæ ſunt humidæ. Galen. lib. 2. de temperant.

Tertulianus de Valentinianis loquens ait, eos convinci potuiſſe, ſed non ſuaderi; nam convicti per ſcripturas confugiebant ad traditionem.

Theodotus, tempore perſecutionis ſub M. Aurelio fidem negavit; in patriam rediens, in defenſionem ſuæ culpæ novum excogitavit errorem. Dicens Chriſtum non eſſe Deum; ſic ſe hominem negaſſe, non Deum. Baron. an. 196.

Mali fiunt obſtinati in malo, ſi res illis fœliciter cedant. *Vide Cognit. Virtutis.* De nimiâ confidentiâ. in fin.

De obſtinatorum in peccato falsâ pœnitentiâ. *Vide Veris. Virt. Repug.*

Vapores, ex mari, amnibus, & paludibus inundatis, longè majorem copiam gignunt ventorum, quàm halitus terreſtres; attamen qui à terrâ & locis minùs humidis gignuntur venti ſunt magis obſtinati, & diutiùs durant, & ſunt illi ferè qui dejiciuntur ex alto. Baconius in hiſtoriâ ventorum.

Mercurius oppoſitus Lunæ in ſignis terreis facit contumacia ingenia, maximè ſi accedat aſpectus Saturni. Origan.

Humanus animus poſtquàm verecundiæ fines ſemel tranſire coactus eſt, in idolentiam delabitur, tunc autem neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficijs movetur, extremæ tunc malitiæ, de quâ Hier. 3. Facies meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere. D. Chriſoſt. lib. 2. de Sacerdotio.

Deus in die juſti Iudicij reddet vnicuique ſecundùm opera ejus; ijs qui ſecundùm patientiam boni operis, vitam æternam: ijs autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, & ira & indignatio. Roman. 2.

Deuteron. 32. Moyſes dicet audi cœlum & loquar, attende terra verba oris mei. Idem dicitur Exod. 16. & 3. Reg. 13. Alius Propheta exclamat contrà altare in Sermone Domini altare, altare, hæc dicit Dominus. Inſenſibilibus loquitur, quæ magis obtemperant voci divinæ, quàm homines in malo obſtinati. D. Chriſoſtom. ſuper Iſay. 1.

PERTINACIÆ *mala.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amor proprius cæterarum paſſionum ope ſibi conſulit, & quod intendit conatur aſſequi: at in pertinaciâ ſibi ipſi nocet, dùm falſæ adhærens opinioni vtilia ſibi oblata reſpuit, & divinis humaniſque beneficijs viam obſtruit.

MAGNITVDO. Capitale vitium eſt, & hoc maximè malum habet rationem infiniti; nam poſito falſo

Digitized by Google

fundamento innumerà ſequuntur abſurda ; ſic qui perversà it viâ, eò longiùs abertat , quò celeriùs progreditur.

Dvratio. Homini naturalis eſt infirmitas, ſed huic remedij loco eſt inconſtantia , vt in morbis optanda varietas , quæ à malo in bonum inclinet ; quod ſi qui quotidie in malum labuntur nolint in meliùs reſurgere , & dent malo quàm debent bono conſtantiam, nulla poteſt eſſe ſalutis ſpes.

Potestas. Impotens eſt materia , ſed ſuæ conſcia infirmitatis ſinum aperit illam perficientibus formis : aër tenebroſus momento illuſtratur , quia nihil habet luci contrarium ; ſic omnia habentur potentiâ , dum patent Superiorum cauſarum influxibus : quid enim ſi privatio eſſet activa , & vim agentium invincibili pertinaciâ retunderet. Monſtrum eſt mentem humanam naturaliter potentiæ avidam impotentiâ ſuâ gaudere.

Cognitio. Rationis humanæ proprium eſt veritatem diſcurſu venari , & ex vno aliud inferre : hanc vniverſalem nobilemque potentiam compedibus miſerè detinet pertinax , oculos habet & non videt ; itaque non homo, ſed idolum.

Volvntas. Voluntati à Deo data libertas, vt à bono in meliùs proficiat , deſinatque velle aut malum, aut minùs bonum , cum meliùs affulget. Extrema omnium ſervitus & miſeria eſt , vim hanc naturalem quaſi cateniis vni opinioni alligare ; cor non habere carneum , ſenſibile ſcilicet & mobile , ſed lapideum, ſeque ad perpetuam boni carentiam damnare.

Virtvs. Virtutes omnes licet in habitu conſiſtant, ſequuntur ducem prudentiam, quæ verſatilis eſt , pro circumſtantiarum loci , temporis , perſonarum ratione, & quæ inter extrema latiorem , facilemque efficit mediocritatis viam.

Virilitas. Docilitas eſt prima ad artes, ſcientias, & virtutes diſpoſitio; ſic pertinacia maximum eſt ad eas impedimentum : Nam quia fit invincibilis , ſe habet ad bonum quod illi deeſt, vt lapis ad viſionem, nec eſt privatio , ſed carentia ; fruſtra mentibus inſitæ ſunt generales rerum notiones ; fruſtrà ſyndereſis , ſi pertinax nolit ad hoc exemplar cogitationes & affectus ſuos conformare ; ſi legem hanc æternam cordi ſuo inſculptam deleat.

Gloria. Senſus dolore revocantur à nocivis , vt mentes Syndereſi: nam cum ſint ad verum & bonum natæ, horum privatio dolorem incutit, & his ſtimulis actæ ad meliora revocantur: quod ſi pertinaces hunc ſenſum in ſe extinguant , perit in ipſis vita rationalis, malumque damnatorum ſibi inferunt , qui torquentur criminum conſcientiâ , nec tamen dolore in meliùs convertuntur.

Differentia. Vita hæc via eſt, in quo continuo labore ad terminum accedimus : ſi à recto tramite deflectimus reſtituimur, ſi labimur reſurgimus, ſi occurrunt aſpera vitamus : qualis eſſet viator qui nollet vlteriùs progredi, nec lapſus reſurgere ? qui ſedem figeret in luto, nec patriæ ſuæ deſiderio teneretur? *Vide Differentia Cognit.*

Concordantia. Non eſt vera pax, ſed extrema ſervitus, cupiditatibus tuis obſequi, opinionibus ſuis, licet falſis & nocivis, pertinaciter adhærere ; ſic amare compedes ſuos , vt ſub illis etiam pereat libertatis amor. Extrà ſocietatem humanam ablegandi ſunt pertinaces , neſciunt enim compati , nec veniunt in compoſitionem , in quâ partes omnes debent aliquid de ſuo remittere, & ab invicem alterari.

Contrarietas. Quia nec ſecùm , nec cum alijs conſentiunt , miſeram trahunt vitam , inter dolores internos paſſionum ſe mutuò collidentium ; inter iras , rixas , odia , bella externa : his tandem , vt ratione carentibus ignoſcitur , & hæc pertinacia in turpiſſimum , ridiculumque fatuitatis ſpectaculum cedit.

Principivm. Hoc nituntur falſo fundamento ; turpe eſſe mutari ; quia tamen inconſtantem in ſe ſentiunt animum , affectant copiam pudore defectus , & eo minùs ſe præſtant , quò plùs ſe ſentiunt mutabiles : huic vitio ſubjacent mulieres, pueri, ſenes, ægri, & hi omnes , quibus jam infirma eſt conſtantiæ fama.

Medivm. Quis vnquàm artifex opus ſuum ritè perficiet , ſi vno eodem inepto , aut vitiato velit vti organo ? Periret viator qui nollet vnquàm deflectere, ſed rectà in deſtinatum locum pervenire , etiamſi obſtent montes , flumina , maria , viæque latrocinijs infeſtæ.

Finis. Variare non debet mens circà finem, ſed circà media variè eligenda , provt conferunt ex circumſtantiarum varietate.

Maioritas. Altas arbores natura fecit aliquantùm flexibiles , ne frangantur ſi ventis rigidiùs obſtent. Vitæ civili penitùs contraria eſt pertinacia: nam in inferioribus tollit obedientiam & ordinem ; in medijs concinnam cum extremis concordantiam ; in ſuperioribus efficit intolerabilem tyrannidem , naturalem enim in regentes invidiam temperare debet flexibilis ad lenitatem animus.

Æqvalitas. Dùm pertinax æqualitatem morum mentitur , ab eâ maximè deficit , quia variantibus rebus ſe non contemperat : vt ridiculus eſſet qui in choreâ non obſervaret diverſos fidium modulos, varioſque aliorum motus , in muſicâ conſonas voces, in vitâ civili receptos loquelæ , veſtium , vrbanitatis mores.

Minoritas. Hoc peſſimum in pertinacibus eſt, quod ne videantur conſilio aberraſſe , aut potentiâ deficere, leves etiam defectus gravioribus tegunt criminibus, & malorum ſuorum conſcios delent, donec videatur alto conſilio factum , quod tamen caſu aut errore geſtum erat ; ſic in illis nullis niſi à morte ſperandus eſt malorum finis.

Digitized by Google

POTESTAS VOLVNTATIS.

LIBERVM HOMINIS ARBITRIVM.

MISCELLANEA.

CORPOREA omnia, quia carent ratione, aguntur ab impresso instinctu, & à causis superioribus: nam turbaretur mundi harmonia & ordo, si ratione carentia seipsa regerent: & nisi essent eorum appetitus est aliquid necessario determinati. Ad hanc cathegoriam non reducitur anima rationalis, quia est spiritualis, immortalis, Deique præfert imaginem, vndè appetit bonum absolutum, cujus quasi varias particulas diligit in omnibus creatis: quia tamen prima bonitas diversimodè participatur, habet voluntas libertatem, quâ eligit quod sibi magis placet. Hac vtitur, primo in appetitu finis, deindè in electione mediorum, quæ vt variè concipiuntur, variè pro cujusque captu probantur, itavt nihil inutile remaneat. Maximum hoc est animæ rationalis privilegium, quod sit independens à cæteris causis materialibus, quod habeat principium motus à se, quod possit affectus ad omnia creata dirigere, quia à nullis impletur, habet tamen cum illis aliquam Sympathiam, quia ipsa habent aliquod primi boni objecti sui vestigium. Frustrà esset tàm vastum rationis judicium, si non esset libera voluntatis electio, hoc esset equo ex se currenti quasi, Colosso, machinas ad motum aptare; libertas hæc decet hominem quasi verbi divini inter creaturas vicarium. Qui dominatur, in nullius debet esse potestate. §. si servi. inst. de jure person.

Corporales creaturæ Deo famulantur, sed necessario, convenientissimum autem est, vt prima bonitas, quæ liberè & ex amore omnia in vsum hominis produxit, colatur ab homine liberè, non vi, sed ex amore, & judicio, quo ipsum rebus omnibus præponat. Verum est quod primus homo malè vsus est, hac libertate, sed non minùs prætiosum est donum, licet eo malè vsi fuerimus: non potest esse elatio sinè profundo, non tamen ob profundum facta est, dedit Deus libertatem vt nos extolleret, licet eâ peccator vtatur vt se det præcipitem.

D. August. lib. de verâ Religione, dicit Deum homini libertatem dedisse, vt posset præmium aut pœnam mereri: quis enim magistratus præmium dat animalibus, vi ad nostrum servitium subactis: frustrà fierent exhortationes, vt non fiunt pueris & furiosis: Deus esset causa peccati, qui indifferentem ad malum moveret, dicitur tamen. Ps. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem.

Tertulian. lib. 2. contrà Marcionem: Respondet Marcioni dicenti, Deum non debuisse dare homini liberum arbitrium, cum præsciret futurum ex eo peccatum. Ostendit autem id bonitati & rationi convenisse, quæ in omnibus conspirant apud Deum. Oportebat, inquit, Deum cognosci bonum, hoc vtique & rationale: oportebat dignum aliquid esse quod Deum A cognosceret; Quid tam dignum prospici posset quàm imago Dei & similitudo, & hoc bonum sinè dubio & rationale; oportebat igitur imaginē & similitudinem Dei, liberi arbitrij & suæ potestatis institui, in quâ hoc ipsum imago & similitudo Dei deputaretur: Sed & quale erat, vt totius mundi possidens homo non imprimis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus; habes igitur & Dei bonitatem agnoscere ex dignatione, & rationem ex dispositione; Deus quia ex seipso est, naturâ suâ bonus est; homo quia ab alio, ideò naturâ suâ, vt non est, ita nec bonus est, sed ex institutione sui conditoris: vt ergo bonum jam suum haberet homo & quasi de proprietate naturæ, emancipavit eum Deus, & liberi arbitrij potestatem concessit, vt non necessitati, sed voluntati, & quasi naturæ suæ imputaretur bonum quod ageret; si enim bonum non voluntate obiret, sed necessitate, vsurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitij, proindè & malo, sicut & malo famulus. Deindè positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum illud efficere de arbitrij sui meritis, liberi scilicet, meritum enim & culpa ex libertate: Ergo bonitas Dei à primordio operum perspecta persuadebit, nihil à Deo mali evenire potuisse; nec interponet debuire Deus potentiam suam, vt à peccato posteà averteret, destrueret enim sic libertatem, B quam semel concessisset, instabilis sibique infidelis, cum nihil Deo tam dignum quàm gravitas & fides institutionum. Vivere ipsi homini præstitit, facto in animam vivam; Recte autem vivere demandatat admonitio in legis obsequium: sicut ergo Deus homini vitæ statum induxit, ità homo sibi mortis statum attraxit. Tertulian. Ibid. C

Primos parentes non vrsus aut leo, sed serpens, cæteris non fortior, sed callidior supplantavit; decepit, non coëgit; mulier Adamo de ligno dedit, offerendo, non violentiam inferendo, denique non alienâ potestate, sed propriâ voluntate peccaverunt. D. Bernard. serm. de duplici baptis.

Tàm integra est pro suo modo libera voluntas in D creaturâ, quàm in creatore, sed in illo potentiori tàm plena in bonis quàm in malis, sed in bonis ordinatior: vndè falsò quidam conqueruntur dicentes, vellem habere bonam voluntatem, & non possum, nam qui vult habere bonam voluntatem, probat se habere voluntatem; non enim vult habere bonam, nisi per voluntatem, sentit autem sibi deesse libertatem à peccato, quo vrique dolet premi, non perimi voluntatem. Idem lib. de gratiâ & libero arbitrio.

Soli homini datum est inter animantia posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrij: datum autem, non vt peccaret, sed vt glorioſior indè appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Ibid.

Digitized by Google

D. Auguſt. in Pſal. 61. ſub fine, loquens de Iudæis qui Deo permittente Chriſtum occiderunt. Si, inquit, voluiſſent, & non potuiſſent, & non occidiſſent, iniqui remanſiſſent, & paſſio Chriſti non præſtaretur; quod ergò voluerint, imputatur iniquitati, quod Deus permiſerit, poſtati, &c. Ille iniquè voluit, Deus juſtè permiſit. Ibid.

Elevans alliſiſti me. Pſal. 103. Ideò pœna me ſequitur, quia feciſti me animantibus meliorem, & dediſti mihi liberum arbitrium, timeo enim gehennam, & ne per juſtitiæ judicium elidas elevatum per liberum arbitrium.

Melior eſt homo qui voluntate quàm qui neceſſitate bonus eſt, voluntas ergo libera danda homini fuit. Idem lib. 83. quæſtionum. quæſt. 1.

Vt homini corpus datum eſt nudum & inerme, ſic mens ſcientijs vacua, & voluntas indeterminata, nam manu ſibi conficit omnia inſtrumenta, ratione aſſequitur omnes artes & ſcientias, & arbitrij libertate omne bonum. Hæc libera voluntas eſt quaſi ptimum mobile rapiens inferiores potentias, etiam intellectum, quaſi cœlum ſtellatum, multis ſplendentibus ſpeciebus inſignitum; ſic ſcientifici Cherubim, moventur & perficiuntur à Seraphim.

Iudicium de rebus liberum eſt, vndè in diverſis diverſum eſt, in ſingulis diverſa ratione movente, mutabile, pœnitet enim vnumquemque de malè geſtis, hanc autem libertatem judicij ſequitur libertas voluntatis. Vide Marſilium Ficin. Theolog. Platoni. lib. 9. cap. 4. Libertatem ſuam tunc declarat maximè mens noſtra, voluntaſque, quando vſque adeò effertur, vt penè ſe velit ſolam, tunc enim ſe quodammodo à cæteris liberat creaturis, ſeque ipsâ fermè contenta eſt. Rursùs quandò in ſuum actum circulo ſe reflectit, circuitus enim ſpiritualis termino non ſervit extraneo. Prætereà quando non modò propter aliam conjecturam vult; propter aliam non vult, ſed etiam vult quod poſſit velle pariter atque nolle; quâ in re videtur indifferens ad volendum pariter ac nolendum, ac nulli prorsùs adſtricta. Item quandò eligit ſummam deſiderij cujuſque vacationem, nam tunc tractum proprij objecti cujuſque diſſolvit: potentia hæc, quæ actum omnem interimit, nulli ſervit objecto. Idem. Ibid.

Plato 5. de legibus, dicit ſibi injuriam inferre eum, qui alios dicit peccatorum ſuorum eſſe cauſam.

Deut. 11. Moyſes dicit populo: En propono vobis hodie benedictionem & maledictionem, benedictionem ſi obedieritis mandatis Dei, maledictionem, ſi ab eis receſſeritis, & cap. 30. dicit poſſibilia eſſe præcepta, vt non ſit opus tranſire mare ad ea obſervanda, ſed inquit juxtà te eſt ſermo, in corde tuo, & in ore tuo, vt facias illud. 1. Reg. 3. Deus ter vocat Samuëlem, ei tamen loquitur, donec ipſe dicat, loquere Domine, quia audit ſervus tuus.

Voluntas movet ad quodcumque, & nihil eſt tàm in poteſtate voluntatis, quàm ipſamet.

Pendere non debent vltimæ voluntates ex alterius arbitrio; cum enim teſtamentum ſit juris publici, non poteſt violari à privato, & in hoc filius non pendet à Patre. l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit. Hinc tot ſolemnia, & favor juris pro vltimis voluntatibus.

Apparet libertas, in eo quod vnum alteri poſſumus præferre. *Vide Majorit. Volunt.*

Non eſt vera voluntas, niſi ſit libera. *Vide Veritas Voluntaris & Repugn.*

Theodorus Antiochænus ſcripſit contrà aſſerentes peccare hominem naturâ non voluntate, hic fuit error occidentalium. Photius biblioth. cap. 177.

Humanæ menti convenit vt per ſe bona fiat, & cum labore. *Vide Virtus Contrarietatis.* Virtus in adverſis vt perficiatur.

FATVM NON TOLLIT libertatem.

De fato. *Vide Duratio Voluntatis.*

APertè Apſtolus, ne quis putaret naturales eſſe iniquitates, quæ mutari non poſſent: fuiſtis enim, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Epheſ. 5. D. Auguſt. in Pſal. 93.

Ex Ptolomæo cœlum eſt cauſa vniverſalis, cujus effectus determinantur à varijs materiæ diſpoſitionibus: vndè præcipit Aſtrologis vt ferant conjecturalem non neceſſariam, & determinatam ſententiam. Cœleſte corpus formam habet corporalem, ſingularem, localem, & temporalem; forma autem, per quam mens omnis intelligit, eſt incorporalis, vniverſalis, & abſoluta; hæc ergo à cœlo non naſcitur, ſuprà cœlum eſt intellectus, qui ſuprà illud intelligit, & ſupernis mentibus conjungitur. Non etiam illi ſubdita eſt voluntas, nam quæ fiunt naturâ, ad aliquid vnum determinantur, & determinatis medijs ad finem perveniunt, electiones autem hominis diverſis vijs tendunt ad finem, tàm in moribus quàm in artificijs. Cœli movent quidem corpus, corporis motum ſequuntur ſenſus, quibus voluntas ſæpè alliciturnon tamen neceſſario determinatur. Humorum agitationi animus adverſatur, dùm illorum impetus ſpeculationis intenſione contemnit, morum ſtudio cohibet, artium induſtriâ frangit: Nemo Socrate ad amorem proclivior, nemo eo continentior; Xenocrates, Demoſthenes, & Cleanthes, naturæ impedimenta diligentiâ repulerunt. Non dicant mentes hominum à ſupernis mentibus moveri per cœlum, tanquàm per inſtrumentum aliquod atque medium, magis enim conveniunt mentes cum mentibus, quàm cum corporibus, vndè cœli à numinibus per mentes hominum movendi eſſent potiùs quàm noſtræ indè per cœlos. Si dixeris mentes noſtras à mentibus illis abſque medio agitari; agitent nos ſi placet, imò & ducant, ſic enim divinæ erunt hominum mentes, ſi moventur proximè à divinis, &c. Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib. 9. c. 4.

Fati aſſertio toleranda eſſet in paganis, qui ligna colunt, ſed nefas eſt Chriſtianos tantis ſacramentis initiatos in hunc errorem prolabi: hoſtis cum non poteſt militum fidem perfringere, perſuadendo ſinè mercede laborare, animos eorum dejicit, ſic diabolus per fati perſuaſionem clanculùm ſua venena inſtillat; Non audet dicere non eſt Deus, non eſt Chriſtus, &c. Sic ſerpens apertè Adæ non dicit, defice à Deo, malus enim eſt qui tibi invidet quod bonum eſt, hoc tamen clam inſinuat; perindè facit ac ſi quis ſimplicem & incautum puerum non vi è domo paternâ ejicit, ſed id perſuadet, quo peracto velit nobis paternis exhæredatur; nam fieri non poteſt vt qui fato intendit, cœlos obtineat, & gehennam vitet. Dicit Dominus. Iſay. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: & contrà dicit fatum; etiam volueritis non poteritis, &c. quid hoc bello apertius. Si fatum eſt, injuſtè quilibet punitur, cum non ex voluntate, ſed ex neceſſitate peccat; quaſi verò audiatur homicida ſi ſic ſe defendat, nativitas coëgit. Si enim ignoſcimus ei qui à potentiore aliquo coactus quid perpetravit: ſi carnifici, qui neceſſitati & magiſtratui obedit,

quid ni par cendum ei qui à fato ageretur; Neque tàm grave facinus eſt peccare, quàm poſt peccatum non pudere, & crimen proprium in Deum, qui non eſt author criminis tranſcribere, quaſi eo pœnam imminentem evaſuri, quo graviorem reddunt. Nullum vulnus tàm incurabile, quàm quod putredine plenum eſt; nulla tam peſtifera blaſphemia quàm de fato & nativitate opinio. Si ſit fatum fruſtrà ſunt leges, conſilia, labores, nihil enim in contrarium aut obeſſe aut prodeſſe poteſt, ſed mens caſui committitur vt navis mari, velis, remis, gubernaculo deſtituta. Non corrigemus delinquentes, corruptos non monebimus, nullas leges audiemus confunderur tota vita, agricola terram non colet, ſemina non ſparget, quia ſi in contrarium ſint fata, fruſtrà laborabit. Nullus ſit artifex, nullus domus ſuæ curam gerat, fato omnia committantur, videbit quid fatum poſſit; quandiù pueri ſumus ſenſibus? quouſque pergimus delirando? quandiù non agnoſcimus communem Dominum? Si bonos & perverſos facit fatum, quarè erudis puerum? ſi divites facit fatum, quarè laboras congregandis opibus? quarè laudamus viros, aut vituperamus, cum liberæ non ſint eorum actiones, & nec laude proficiant aut pœnâ compeſcantur? Nullus avarus, nullus juſtus; è medio tollitur virtus & vitium. Iam nobis injuriam infert, quid ſi deeà iterùm vindictam exigat, vt ſi quis alium in luto voluret, & ob id poſteà puniat; hoſtes hoſtibus ignoſcunt, ſi quid fecerunt inviti, fatum autem veniam dare neſcit obedientibus: quis labyrinthus, quæ tempeſtas, & confuſio? Si non eſt Deus, quomodo hæc omnia in ordine ſtarent? ſi eſt, quomodo negligit quæ creavit? &c. D. Chryſoſt. lib. 3. de fato.

De vanitate Aſtrologiæ. *Vide Major. Cogn. Mal.*

Omnia, inquit Plato in fato ſunt, non tamen omnia fato decreta, fatum enim legis inſtar non dicit hic talia faciet, hic talia patietur, eſſet enim infinita progreſſio, cum infiniti ſint qui naſcuntur, & innumera deindè quæ illis contingunt; libertas nulla reſtaret, & laudes, vituperationeſque penitus tollerentur. Verum ſic fatum pronuntiat, anima quæ talia commiſerit, talia conſequenter patietur; liber eſt ergo anima vt agat, quod autem ſequitur actionem ab ipſo fato perficitur, &c. Alcinous. lib. de doctrinâ Platonis.

Marſil. Ficin. in Platonis librum de fato ſic diſſerit, ſingula miro ordine ab bonum proprium diriguntur, & cuncta ad bonum commune, ipſo ſummo bono omnibus providente, & cuncta ad convenientem finem mirabiliter inſtituente; vt autem Deus permittit malum, ſcilicet privationes, gratiâ boni, vt ſcilicet novæ formæ ſibi ſuccedant, cum ſimul omnes eſſe non poſſint, tùm propter repugnantiam, tùm quiá locus eas non poſſet continere; ità etiam permittit contingentiam, quæ oritur ipſo rerum ordine per gradus multos deſcendente. Nam primo Deus eſt ens neceſſarium, qui illi propinquiores ſunt intellectus, ſunt immobiles; animæ deindè paulò remotiores, motu tantùm formali moventur, ſubſtantiam non mutante; cœleſtes deindè ſubſtantiæ dùm permanent, locali tantùm motu moventur, & formali rurſus, quatenùs configurationes quaſdam orbe commutant, ſed moventur immobiliter, quatenùs eodem ſemper ordine neceſſario revolvuntur; vndè conſequens eſt, vt quæ ſub cœlo ſunt jam mobiliter moveantur. In hac vagâ motionum ſorte naſcitur contingentia, dum quæ ità moventur à proprio nonnunquàm, ſolitoque ordine digredi videntur, quamvis communem ordinem univerſi tranſgredi nequeant, ſivè paulatim debilitatâ virtute, ſivè contrariorum occurſu, & deficientibus in materiâ diſpoſitionibus; vndè vis ſeminaria naturæ in plantis & animalibus, prolem ſuam neque parit ſemper, neque opportunè parit vbique, neque perfectam; & ideò licet quantùm ad naturam cœleſtem neceſſariam res eſſet certis temporibus proventura, contingit tamen interdùm non evenire, vel non provenire perfectam, quando natura generantis impeditur, vel intrinſecùs, vel intrinſecùs, & conditiones, diſpoſitioneſque materiæ influxum cœli permutant: cœlum enim tantùm cauſa remota, vndè determinatio effectus procedit à cauſâ proximâ quæ materiam afficit. Neque objiciendum, quod materia, & proximæ cauſæ à cœleſtibus moventur; eſto moveantur, ſed pro naturâ ſuâ moventur: Neque enim cum Deus agit per cœlum, aufert ſua munera cœlo, ſic nec cœlum cum agit per res inferiores, aufert illis ſuas vires: & ideò licet ratione cœlorum, qui ſunt cauſa remota, res deberent eſſe ſic neceſſario, tamen ſecundùm vim cauſæ proximæ, circumſtantias variabiles, contrariorum oppugnationes, res fiunt aliter, vnde dicuntur contingentes, quia non neceſſario eveniunt pro conditione cœleſtium, ſed interdùm eorum virtus cadit ab actione, itaut quæ fortè judicantur neceſſaria ex cœlo, eadem apud nos, ex hac materia regioneque contingenter eveniunt.

Quod ſi natura corporea, quæ manifeſtè corpori cœleſti ſubjicitur, & ad vnum determinata videtur, non neceſſario cœleſtes admittit influxus, quales mittuntur, multo minùs rationalis anima, cujus actio motioque, & intima, & latiſſima eſt, & ſæpè genus corporale tranſgreditur corporique repugnat, cœleſtem inſtinctum neceſſario ſequitur. Illi fruſtrà natura dediſſet, vt quotidiè conſultando poſſit pro conjecturarum diverſitate plura inter ſe oppoſita in conſultatione proponere, niſi poſſet ad vtrumlibet eligendo ſe ducere; non poſſet autem, ſi certa quotidie cœli conſtitutione compelleretur ad certum. Si divina providentia permittit in rebus naturalibus contingentiam, ex defectu naſcentem, multò magis in agentibus voluntarijs, vbi hæc ex perfectione oritur. Cœleſtis inſtinctus, quatenùs ex cœlo eſt, proximo divinæ providentiæ inſtrumento, atque indè mirabiliter ordinato, ad optimum ſemper certoque ordine ducit; quo ſi igitur abſque ordine certo vagemur, & ab optimo ſæpiùs aberremus, non à cœlo, nec à morte cœli, ſed à propria noſtri generis, aut moris, aut fortunæ conditione contingit. Dedit natura communis gravibus vt deſcenderent, poſſumus impedire ne deſcendant, ſæpè etiam vt rapacius deſcendant, & diverſimodè pro diverſitate figuræ, vt aliter ſphæra, aliter cylindrus, aliter angularis figura: Ità poteſt variari temperamentum naſcendo ab aſtris acceptum, pro naturâ parentum, loci, temporis, nutrimenti: Ità ſolis radijs aliter agit, ſi ex recto, quàm ſi ex obliquo percutiat, ſi per aërem ſerenum, quàm ſi per caliginoſum: tardè nives in cacumine montis, citiùs in concavo liquefacit.

Non eſt objiciendum, quod quidquid eſt in ſecundis cauſis, à primis ineſt, quia ſi tertia à ſecundâ, ſecunda à primâ: Nam cauſæ ſequentis natura non tantùm eſt ſuperiori ſimilis, ſed etiam diſſimilis, quatenùs extra proceſſit; nec ſolùm degenerat indè, ſed ſuperat aliud quiddam & qualitate propriâ differens evaſit, ſicut radius in cœlo mulcens, in terrâ vorans; item in cœlo nitens, in nube rubens. Ex omnium cauſarum concurſu conſurgit vis, quæ propriè in nullis reperitur: ſub neceſſarijs ſunt contingentia, ſicut ſub vnitate multitudo, ſub ſtatu motus, ſingulæ enim ſingulorũ motiones & paſſiones, quæ in multitudinem

infinitam variantur, non poſſunt diſtribui atque duci, ger vires, motioneſque cœleſtes, quæ certo numero definitæ ſunt, & ordine certo procedũt, itavt continuè varientur; niſi quiſpiam ità deliret, vt ſingulos etiam delirantium, & ludentium puerorum motus, quovis momento, ſingulis cœleſtium aſſignet influxibus, nec aliter moveantur pedes, manus, labia, digiti, oculi, ſenſus, imaginatio, momento quolibet, quàm cœleſtis ille decernat influxus; ſic ad illius normam innumerabilium locuſtarum ſaltus deſcribatur, muſcarumque volatus, & offenſiones quælibet, illatæ quibuſlibet: Non omnia igitur fiunt & compelluntur à cœlo, ſed à formis proprijs; ignis ſub quolibet ſydere calefacit & generat ignem proprietate naturæ: Determinatio ergò ſpecierum poteſt eſſe à Deo, cœlo mediante, ſed motus proprij ſingulorum ſunt à propriâ formâ, quamvis communiter moveri habeant à cœleſti favore.

Fatum eſt quod fit ſecundùm naturam, multa autem fiunt præter naturam, ergò præter fatum, vt ægritudo in corporibus, & ex ægritudine ſanitas ope medicinæ: ſic etiam animus exercitatione & diſciplina fit melior, hoc habet homo proprium ſuper bruta, quod non ducatur phantaſia, ſed ratione; vndè & nobis ſuccenſemus, ſi temerè & ſinè conſilio aliquid agimus, temerè agentes vituperamus, hortamurque conſilio vti, quaſi in nobis inſit agendi poteſtas: vndè qui fatum aſſerunt, etiam conſultant, docent, diſcunt, hortantur, conſulunt, increpant & caſtigant ſuos tanquàm propriâ voluntate peccantes. Si animalia proprio appetitu quolibet momento moventur, potiuſquàm neceſſariâ ſerie cauſarum, multò magis homines proprio conſilio vivunt: hinc magna varietas in eorum vitâ, non victus vnus more brutorum, non veſtitus idem, non mores ſimiles atque leges; Ergo homines natura non feruntur, quia in omnibus eadem eſt natura, ſtudia verò diverſa; vbi impunè peccare licet, etiam modeſti peccant; vbi acriùs animadvertitur in peccantes, etiam qui naturaliter inſtigantur, à ſceleribus cohibentur. Philœtas Poëta, Mœcenas, Herodicus, & alij valetudinarij ſolâ victus diligentia centum annos impleverunt: conſuetudo alia eſt natura, hæc autem non naturali nececeſſitate conſtat, ſed vel legibus, publicis moribus, exemplo, diſciplinâ, fortunâ, occaſione quadam, proprio conſilio, opinioneque poteſt provenire, ſæpè militaris vel Regia domus milites facit, aut Reges, potiùs quàm nativitas. Nullum ſydus facit piſcatores, aut venatores, vbi nulla talis eſt conſuetudo. Sub quocumque ſydere nata animalia interimuntur pro noſtris vſibus, mortemque habent violentam; ſic excerpuntur flores & fructus, & ſylvæ cæduntur: quod ſi admittatur fatum, pro omnibus debet eſſe; ſicut ergo multa habent naturam longè à cœleſtibus differentem; ſic & cuncta congreſſionem & progreſſionem, non omnibus cœleſtibus ordinibus congruentem.

Si nihil ex ſe agendo principium ſuum imitetur, opus Dei erit abjectiſſimum, vt potè ex mancipijs, patientibuſque tantùm coacervatum, & Deus non dicetur primum agens, prima cauſa, ſi nullæ poſt ipſum cauſæ, nulla agentia: agens efficaciſſimè aget tantùm non actum, ſed paſſionem, &c. ex Marſilio Ficino: dicto loco.

Eadem habet D. Thomas contrà Gentiles. lib. 3.

Quòd detur contingentia in rebus. *Vide Principium Differentiæ.*

Quòd voluntas humana non ſubjaceat fato. *Vide Minoritas Principij.* Agere indepenter.

Lucianus dialogo Iupiter confutatus, introducit Cyniſcum contrà Iovem diſputantem & probantem, quod ſi detur fatum inevitabile, nullique liberum arbitrium homini relinquens, fruſtrà erunt vota & ſacrificia nulla ſcelera juſtè puniuntur, nulla præclarè geſta remunerabuntur cum ſint involuntaria; Dij erunt inſtrumenta parcarum.

Animæ rationales non moventur à corpore cœleſti, corporale enim non agit in ſpirituale; non etiam ab intelligentijs, quæ cœleſti influxu, quaſi inſtrumento, moveant animas: ſi enim moverent, moverent ſeipſis, non inconvenienti corporeo medio; & ſi movent, ad bonum movent, eſſentque illuſtrationes, &c. Marſ. Ficin. Theol. Plato. lib. 9. cap. 3.

Ægyptij ſapientes prædictionibus Aſtronomicis junxerunt medicam artem; ſic fatentes prævisa mala averti, & tolli poſſe. Ptolom. Prædict. Aſtr. lib. 1.

Quod humanæ voluntatis libertas non tollatur, nec a providentiâ, nec à fato. Vide Photium Bibliothec. cap. 251.

Non tale eſt liberum hominis arbitrium vt ſuis liberis actionibus, omnia quæ ſunt, quæque fiunt, transferre poſſit, ſic enim ſingulis hominibus novus mundus conderetur, aliuſque vitæ apparatus eſſet, quandoquidem non eadem omnes cupiunt; ſed libera voluntas in nullum habet imperium, præterquàm in ſe, vt ſibi externa applicando, quæ libera non ſunt, ſe aut meliorem, aut pejorem reddat, &c. Idem ibidem ex Platone.

Maximus Tyrius dicit mortales ad honeſtandam improbitatem ſuam, in Dæmones, Parcas, Erymnin flagitiorum cauſas contuliſſe, cum animis inſint noſtris hæc omnino. Rhodigin. lib. 22. cap. 15.

Sic Virgilius de Eliſa quæ ſibi mortem conſcivit. Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, &c. Gellius. lib. 13. cap. 1.

DEI PRÆSCIENTIA ET prædeſtinatio non tollit libertatem.

NOn eſt conſequens vt ſi Deo certus eſt omnium ordo cauſarum, ideò nihil ſit in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſæ quoque noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo ejuſque præſcientiâ continetur, quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt: atque ità qui omnes rerum cauſas præſcivit, profecto in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſcivit, &c. Plura prædeſtinationem non tollere liberum hominis arbitrium, vide apud D. Auguſt. de Civit. Dei. lib. 5. cap. 9. & 10.

Ratio & fides docent Deum eſſe ab æterno providentem; Experimur autem quotidie noſtram libertatem, vtrique aſſentiendo: etſi non valeat mens noſtra vtriuſque connexionem facere, multa enim etiam naturalia fateri cogimur, quorum cauſas ignoramus.

Providentia divina non imponit rebus neceſſitatem, ſed ad perfectionem vniverſi vt ſint in eo omnium entium gradus quædam facit neceſſaria, quibuſdamque effectibus præparat cauſas neceſſarias, quibuſdam verò cauſas contingentes, vt eveniant contingenter ſecundùm conditionem proximarum cauſarum. D. Thom. 1. q. 22. a. 4.

Prophetia prædeſtinationis completur ſinè arbitrio noſtro cauſante, non autem ſinè eo conſentiente. 3. q. 30. a. 1. ad 1.

Deus continet omnium principia media & fines; vt eventus diſponit, ità eventuum cauſas: ſicut prævi-

dente id facturum, ſic prævidet te ità, ideſt voluntariè liberéque facturum; regit enim cuncta pro ſingulorum naturâ, confert ad elementorum aſcenſum & deſcenſum, ad cœlorum circulationem; ſi animos pulſat, quia illi ſurſùm, deorſumque liberè volubiles ſunt, pulſat & liberè, itavt alliciat non trahat, non cogat, ſed perſuadeat, &c. Marſ. Ficin. Theol. Platon. lib. 2. cap. 13. in f.

DEI GRATIA NON tollit libertatem.

BEatus es Simon Barjona, quià non tibi revelavit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cœlis eſt: Iſta revelatio, ipſa eſt attractio, ramum viridem oſtendis ovi & trahis illam; nuces puero demonſtrantur, & trahitur, & quia quò currit trahitur, amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur: terrena trahit ſua quemque voluptas, quomodo non trahet revelatus Chriſtus à patre, quid enim fortiùs deſiderat anima quàm veritatem? D. Auguſt. tract. 26. in Ioan.

Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Ioan. 6. Non dixit, duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni: quid ergò miraris? crede & venis; Ama & traheris: ne arbitreris iſtam moleſtam, aſperamque violentiam, dulcis eſt, ſuavis eſt, ipſa ſuavitas te trahit; nonne ovis trahitur cum eſurienti herba monſtratur, & puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur. Idem ſerm. 2. de verb. Apoſt.

Ad illum qui vbique eſt amando venitur, non navigando.

Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam; nec ab illo irrogatur aliquid, quò ſit homo deterior, ſed tantùm quò ſit melior non erogatur; obdurat deſerendo, non abjiciendo, quod occulto judicio facere poteſt, non iniquo. Idem.

In Symbolo Deus dicitur judicare vivos & mortuos. Si non eſt Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? Et ſi non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? Id.

Voluntatis arbitrium ideò non tollitur, quia juvatur: ſed ideò juvatur quia non tollitur; qui enim Deo dicit, Adjutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod juſſit, ſed ab eo qui juſſit adjutorium petere vt poſſit; volens adijt, volens deprecatus eſt, nec petiſſet niſi eſſet voluntas. D. Auguſtin. Epiſt. 89.

Non mutatur Deus, ſed curat immobilis, & in ſe manens ſervi ſui quodammodo peculium, vt eo tanquàm frugi & diligens famulus benè vtatur, parceque cuſtodiat. Idem l. 2. de ordine. c. 2.

Ex pecunia dotali fundus à marito comparatus vxori non quæritur, ſed ſi dos eſt in caſu reſtitutionis, mulier pecuniam repetit, non ad rem agit. l. 12. Cod. de jur. dor. Meritum bonarum actionum noſtrum eſt, licet per gratiam operemur.

Qui Imperatorem ſibi fecit hæredem; non prohibetur alium ſibi inſtituere, & Imperatorem revocare. l. 6. Cod. qui teſtam. fac. poſſ. Sic Deus ſibi ſemel oblatam non cogit voluntatem.

Noſtrum eſt velle, ſed voluntas ipſa etiam movetur vt ſurgat, & ſanatur vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur vt habeat; nam ſi nos non vellemus, nec nos vtique acciperemus ea quæ dantur, nec ea haberemus. D. Auguſt. de bono vid. cap. 17.

Pater in nuptum collocat filiam, ſed poſteà nec invitam ad maritum redire cogit, nec etiam ab illo eam ſeparare poteſt. l. 5. Cod. de repud. Deus dat nobis primam gratiam quæ non cadit ſub meritum, ſed poſteà non cogit ad charitatem. Vide quæ ſcripſi lib. de miſericordiâ Dei parte 1. cap. 15.

Sic in Canticis Deus hortatur animam Cant. 5. Aperi mihi, ſoror mea, amica mea; columba mea: & Apocal. 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſcilicet per inſpirationem ad oſtium liberi arbitrij. Luc. 19. Zachæo Chriſtum videre cupienti ſtatim adeſt divina gratia. Zachee feſtinans deſcende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.

Si qui pietatem in eo collocent, vt dicant Deum authorem rerum omnium, quos ſic licet alloqui; hæc opinio veſtra partim laudabilis eſt, partim vituperabilis; laudabilis, quia miratur eum qui ſolus honore dignus eſt; vituperanda, quia nihil diſtinguit aut dividit: debueratis enim non confundere omnia, cum dicitis eſſe authorem omnium. Cameleon immundum eſt animal, licet ruminet, quia non dividit vngulam. D. Baſil.

Sanguis fluit vi expellentis jecoris, & venarum attrahentium: gratiæ cooperatur voluntas.

Lex nova, quæ eſt lex gratiæ & libertatis, convenienter tradit conſilia, quibus expeditiùs homo beatitudinem conſequitur. D. Th. 1. 2. q. 108. a. 4.

Poteſt extingui calor naturalis humido ſuperſtite, vt in magno frigore, non huminum ſuperſtite calore; poteſt deficere charitas, etiamſi adſit auxilium gratiæ actualis, non poteſt autem eſſe charitas ſinè gratiâ.

Concupiſcentia etiam non tollit libertatem. *Vide Volunt. Virt. Rep.* ex D. Auguſt.

Res empta ex pecuniâ meâ non eſt mea & ideò à me vindicari non poteſt. l. 6. Cod. de rei vindic. Etſi meritum amoris ſit ex ſanguine Chriſti, quod eſt prætium mundi; noſtra tamen eſt actio.

Verbum Dei comparatur ſemini, quod cadit in terram bonam: quod autem ſeritur, & quod ihædificatur ſolo cedit. l. 11. eodem.

Gratia non tollit voluntatem, ſed excitat vt petat; Chriſtus enim & præcipit & docet nos orare.

Chriſtus inter nos petitor, cum Patre dator. Vide infrà hoc tit. vis deſiderij & orationis.

Chriſtus non arguit Petrum negantem, ſed nolentem permittere, vt ei pedes lavarentur; indignatur enim ſi oblata gratia non recipiatur, cum in hoc ſit libera voluntas; ſic flet ſuper Hieruſalem, quia non cognovit tempus viſitationis ſuæ.

Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiam, ſed juſtiùs forſan ipſa conqueratur gratia ſibi multos deeſſe ſe enim illo munere fraudat, qui ei diſſimulat tabernaculum exhibere: Res cordis eſt, gratia devotionis; cæterùm vndè illi cura cordis, cui nec ipſa quidem oris circonſpectio? Non ſibi deeſſe miretur conſummationem, qui nec initium apprehendit. D. Bernard. de triplici cuſtodiâ manus, linguæ & cordis.

Deus offert omnibus gratias ſufficientes ſed illas multi reſpuunt libertate ſuâ perversâ. *Vide Æqualitas Volunt.* Deus vult omnes ſalvos fieri.

Hac libertate fit vt quidam citò, quidam tardè convertantur. *Vide Duratio Virtutis.*

Chriſtus dicit ei quem vocat ad perfectionem, ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia, &c.

Obſervatio conſiliorum Evangelicorum libertati noſtræ relicta. *Vide Majoritas Virt.* in 2. demonſtratione.

Abundantiùs illis laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. 1. Corinth. 15.

Rorate cœli deſuper & nubes pluant juſtum: aperiatur terra (ſcilicet cor hominis) & germinet Salvatorem. Iſay. 45.

Liberum arbitrium agit cum gratiâ. *Vide Principium Virt.* de gratiâ.

Requievit Deus die ſeptimo ab operibus ſuis.

In Sabatho vitæ æternæ requieſcemus in Deo, & ipſe ſic requieſcet in nobis, quemadmodùm nunc operatur in nobis, & ità erit illa requies Dei per nos, quemadmodùm ſunt iſta opera ſua per nos. D. Auguſt. cap. penul. confeſſion.

Adoleſcenti ægro, & conquerenti de Æſculapio, quòd eum poſt tot vota non ſanaret; Bona verba, inquit Appollonius, Deus enim volentibus duntaxat ſanitatem tribuere ſolet, tu autem omnia facis quæ ſanitati tuæ adverſantur, delicijs diffluens, ab domini indulgens. Philoſtr. in vitâ Appoll. lib. 1. cap. 6.

Nullus eſt actionis divinæ finis extrà Deum; nihil enim in ordine cauſæ locatur cum Deo: Deus alieno non ſervit bono; particulari enim bono non ſervit omne bonum. Deus non movetur ab aliquo, vult ergo ſe, tanquàm finem ſui ipſius, & omnium, quia eſt ſua bonitas: voluntate ergo ſuâ eſt omnis effectionis Dominus; nam ſi neceſſitate naturæ ageret, ſimul omnia atque infinita ſingula quæque cogeret & momento raptaret. Marſilius Ficinus Theolog. Platon. lib. 2. cap. 11.

Dei præſcientia & prædeſtinatio non tollit liberum arbitrium. *Vide Duratio Principij.* Prædeſtinatio.

Vide Bonitas Medij. Convenientibus vtendũ medijs.

EX THEOLOGIA.

ACtio dicitur voluntaria dupliciter, ſcilicet imperativè & elicitivè. 1. 2. q. 1. a. 1. ad 2. *Vide Veritas Volunt.*

Actionum quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ dicuntur humanæ propriè, quæ ſunt à voluntate deliberatâ; ſi quæ autem aliæ actiones homini conveniant, poſſunt quidem dici hominis actiones, ſed non propriè humanæ, cum non ſint hominis in quantùm homo, ſicut cum aliquis movet pedem ſinè intentione. 1. 2. q. 1. a. 3.

Proximum principium actus eſt vis appetitiva. 2. 1. q. 59. a. 4.

Actus dicitur moralis & humanus à voluntate. 1. q. 48. a. 1. ad 2. in quantùm procedunt à ratione deliberatâ. 2. 2. q. 1. a. 1.

In actibus moralibus voluntas eſt primum movens. 1. 2. q. 11. a. 1.

Adam per liberum arbitrium ſinè gratiâ poterat vitare peccatum. 1. 2. q. 109. a. 8.

Comparatio Poteſtatis Cognitionis & Voluntatis. *Vide Poteſt. Cognit.*

Velocitas motus Angeli non eſt ſecundùm quantitatem virtutis ejus, ſed ſecundùm voluntatem ejus. 1. q. 53. a. 13. ad 1.

In Angelis eſt liberum arbitrium. 1. q. 59. a. 3.

Liberum arbitrium Angeli eſt medium inter divinum & humanum, quia eſt mobilè antè electionem. *Vide Differentia Volunt.*

Motus magis eſt in potentijs animæ appetitivis quàm apprehenſivis. 1. q. 81. a. 1.

Appetitus naturalis non obedit rationis imperio. 1. q. 83. a. 1. ad 3.

Proximus motor corporis in nobis eſt appetitus ſenſitivus. 1. q. 20. a. 1.

Deus communicat naturam ſuam per actum voluntatis, non autem creatura, quia in ſolo Deo A idem eſt intellectus, voluntas & natura. 1. q. 27. a. 3. ad 2.

Voluntas imperat alijs viribus, & etiam intellectui. 1. 2. q. 91. a. 6. ad 2.

Inclinationes naturales ſunt principia omnium ſupervenientium. 22. q. 155. a. 2.

Nihil exteriùs eſt cauſa ſufficiens peccati, ſed tantùm ſuadens, vel movens appetitum ſenſitivum. 1. 2. q. 73. a. 8. Poteſt quis impelli à Dæmone in actum peccati, non autem in peccatum. q. 80.

Ratio habet vim movendi à voluntate, quia ex hoc quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quæ ſunt ad finem. 1. q. 17. a. 1.

Voluntas humana à nullâ re creatâ cogi poteſt, neB que neceſſario moveri, non etiam à paſſionibus, licet inclinent affectum. 1. 2. q. 6. a. 4. & 7. Poteſt aliquid velle ex judicio rationis non ſequendo paſſionem. 1. q. 111. a. 2. ad 3.

Voluntas poteſt cogi reſpectu actus imperati, non autem eliciti. 1. 2. q. 6. a. 4.

Circa potentiam Dei fuit duplex error, ſcilicet quod Deus agit ex neceſſitate naturæ, & quod divina ſapientia limitatur ad hunc ordinem rerum qui nunc eſt. 1. q. 25. a. 5.

Divina potentia non eſt ita ordini ejus alligata, quin poſſit quandoque, præter ordinem cauſarum ſecundarum aliquid agere, cum ſibi placuerit, vt patet in operibus miraculoſis. 1. q. 25. a. 5.

C Deus poteſt facere quæ non facit, & dimittere quæ facit. Ibidem.

Deus non produxit creaturas ex neceſſitate. 1. q. 19. a. 4.

Sola creatura rationalis habet Dominium ſui actus. 1. 2. q. 1. a. 2. Scilicet per intellectum & voluntatem.

Sumus Domini noſtrorum actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc vel illud eligere, ideò non ſumus Domini appetitus vltimi finis. 1. q. 82. a. 1. ad 3.

Homo in ſtatu innocentiæ non habuiſſet Dominium ſervile ſuper alios homines, ſed liberum. 1. q. 92. a. 1. ad 2.

D Furtum eſt peccatum, quia eſt contrà voluntatem Domini. Rapina autem, eſt graviùs peccatum, quia addit vim contrà rem & perſonam. 2. 2. q. 66. a. 9.

Habens habitum virtutis poteſt non vti eo, & exire in actum contrarium, ſimile eſt de habitu vitij. 1. q. 6. a. 2. 3.

Iuſtus dupliciter non eſt ſub lege, ſcilicet coactivè & quantùm ad opera ſpiritus S. 1. 2. q. 93. a. 6. ad 1.

Liberum arbitrium eſt in Deo. 1. q. 19. a. 10. & in omni habente intellectum. q. 59. 3. eſt in homine. q. 83. 1. 1. 2. q. 13. a. 6. non in brutis. q. 59. 3.

Homo non tenetur obedire homini in pertinentibus ad interiorem motum voluntatis, ſed Deo. 2. 2. q. 104. a. 5.

E Peccatum eſſentialiter conſiſtit in actu liberi arbitrij. 1. 2. q. 77. a. 6.

Præſcientia, providentia. Vide ſuprà.

Prohibitio incitat concupiſcentiam, quæ vult libera eſſe. 1. 2. q. 68. a. 1. ad 2.

In ſtatu innocentiæ vſus liberi arbitrij fuiſſet perfectior quàm nunc. 1. q. 101. a. 2.

Homo eſt ſervus alteriùs hominis ſecundùm corpus, non verò ſecundùm mentem. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 2.

In ſpiritualibus eſt duplex ſervitus, & duplex libertas, ſcilicet peccati, & juſtitiæ. 2. 2. q. 183. a. 4.

Cum matrimonium ad jus naturæ referatur, poteſt ſervus ſinè Domini ſui conſenſu liberè matrimonium contrahere. Suplem. q. 52. a. 2.

Digitized by Google

Voluntas hominis nec à naturâ, nec ex neceſſitate, A movetur ab apetitu inferiori. 12. q. 10. a. 3.

Voluntas non eſt determinata ad vnum ſicut natura, quia voluntas ſequitur formam vniverſalem, natura verò particularem. 1. q. 41. a. 2.

Voluntas etiam à Deo cogi non poteſt, etſi poſſit ab illo de neceſſitate mutari operando in illâ, ſicut in naturâ. 1. 2. q. 6. 4. ad 1. Electiones enim humanæ ſubſunt divinæ providentiæ, tanquàm cauſæ particulares ſub vniverſali. 1. q. 22. a. 2. ad 4.

Primus actus voluntatis non poteſt imperari à ratione, quia non fit ex ordinatione rationis, ſed ex inſtinctu naturæ vel ex inſtinctu ſuperioris cauſæ, ſcilicet Dei. 1. 2. q. 1. 2. 2.

B

HOMINI QVARE datum eſt liberum arbitrium.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Tanta eſt bonorum Dei copia vt oportuerit hominis appetitum eſſe indifferentem, quo poſſet ab vno ad aliud tranſire, & omnibus ſaltem ſeriatim frui. Sic in oppiparis convivijs variæ dapes guſtum ſollicitant, & ſatiatis etiam lenocinantur.

MAGNITVDO. Hæc intellectus & voluntatis illimitatio expreſſiorem refert Dei infiniti imaginem.

DVRATIO. Cum potentiæ rationales ad vniverſale bonum ferantur, debent eſſe liberæ & illimitatæ circà ſingularia, in quibus eſt aliquod vniverſalis veri & boni veſtigium; hæc autem non poſſunt ſimul ſed ſucceſſivè complecti, ideò voluntas non debet ad aliquid eſſe determinata, ſed poſſe vnum deſerere, vt ad alia convertatur. Superveniens ſemper novitas grata eſt appetitui, prioribus non impleto, ſpeſque alit majoris futuræ fruitionis.

POTESTAS. Vt Deus poteſt omnia exequi, poteſt homo omnia velle; ſic infinitus noſter appetitus ſe habet vt materia, ſub infinitâ Dei potentiâ, homo D creatis omnibus rebus materialibus dominatur; vndè cum illis ſit nobilior, non debet ad illa determinari, tanquàm ad finem ſe nobiliorem, ſed debet agere vt Dominus, cui licitum eſt vti, imò & abuti re ſuâ, illam retinere, alienare, donare, commutare, vni enim objecto ſerviens voluntas, in alia non haberet imperium: ſic ſervi non poſſident, & mulier quæ eſt in poteſtate mariti non habet liberos in ſuâ.

COGNITIO. Liberum nobis eſt de rebus judicium, vndè qui illud conſequitur appetitus, debet etiam eſſe liber: vt liberè poſſim ad objecto oculos & mentem revocare, ſic affectum; alioquin fruſtrà eſſet cognitio, & etiam nulla, ſi diſtracta mens vni rei amore adhæreret. E

VOLVNTAS. Deus eſt prima & eſſentialis bonitas, primus & eſſentialis amor, qui puro amore nobis omnia bona contulit: ideò libero amore debet amori & coli à creaturâ rationali, vt amori amor, libertati donantis libera accipientis gratitudo reſpondeat: amor autem non imperatur, nec illum tyranni poſſunt à ſubditis vi extorquere. Indignum eſſet Deo, ſi hoc in mundo non haberet niſi coactas ad obſequium ſuum creaturas; ſi prima bonitas & eſſentialis liberè non amaretur, nec coleretur actu libero & eſſentiali, ſed externo tantùm actu imperato. Cedit in honorem Principis liberum & nobiliùs miniſterium.

VIRTVS. Nulla eſſet virtus, ſi nulla eſſet libera electio: nam inter expoſitam rerum copiam ſe continet Temperantia: Fortitudinis eſt dura aggredi quæ poſſet vitare: juſtus alteri jus ſuum reddit, quod poterat vi retinere.

VERITAS. Non adigimur ad opus, vt ſervi rerum ignari, ſed inſtruimur vt filij per legem, tùm naturalem, tùm ſcriptam, & provt veritas eluceſcit docemur affectus immutare: ſic omnia luſtramus, & ad mundani ſpectaculi partes omnes oculos convertimus; omnia tentamus & probamus; experientiæ autem labore quæſita veritas gratior eſt, & ſolidiores fovet affectus.

GLORIA. Mundus hic certaminis eſt locus, vt cœlum præmij; nullum autem præmium decernitur, niſi liberâ fortitudine certantibus, quis enim coronet machinas bellicas, quas immiſſus ignis vi vt explodorentur adegit? B

DIFFERENTIA. Appetitus naturalis rebus mutatis mutatur, ſic abhorret equus à fœno putreſcente: at homo ab iſdem manentibus objectis poteſt affectum revocare; mens enim ipſius Deo ſacra, non debet alteri objecto in perpetuum addici. Non poſſet ſatismirari omnia naturæ opera, & hinc Deo novum in dies canticum dicere, ſi non poſſet cogitationes, & affectus à primis objectis in alia transferre.

CONCORDANTIA. Contractus omnes ſolvuntur ſi vis aut metus interceſſerit, quia non putantur facti homine, ſi non à libero. Ex his pugnantibus, & in ſe tandem redeuntibus affectibus, vt ex cæteris C in mundo contrarijs, fit harmonia quædam Deo hominibuſque ſpectabilis. Rerum naturalium Sympathiæ à naturâ determinantur: hominum autem ſocietates pendent à liberâ eorum voluntate; ideò nulli ſunt tam adverſi genij, qui non poſſint venire in gratiam. Sic novi quotidie fiunt mundi civiles & artificiales, dùm diverſi modè activa paſſivis applicantur.

CONTRARIETAS. Rapinæ, incendia, naufragia ſapientem non lædunt, quia jure ſuæ libertatis poteſt à rebus ſibi ereptis affectum revocare; nihil amittit, cum talia vult habere pro derelicto; nec tangitur in his, quibus non hæret; exarmat tyrannorum iram, dum omnia contemnit: hoc libertatis beneficio fit, vt nemo niſi à ſeipſo lædatur; ità ſinè Gygis annulo & ſine magiâ poteſt ſe inviſibilem præſtare, & momentò abientem ab hoſtium impetu.

PRINCIPIVM. Libertas efficit vt homo ſeipſum ad bonum promoveat; habeatque quo ad naturalia perfectionis ſuæ principium; ſic refert primum rerum omnium principium, etiam in his quæ pertinent ad æternam ſalutem cum gratiæ cooperatur: ſumma autem hæc eſt voluntatis humanæ dignitas, quod ad fœlicitatem ſuam Deum habeat, concauſam, & quaſi collegam.

MEDIVM. Libertas hæc ad vnum quid non determinata, efficit, vt ad eundem terminum, diverſis vijs procedatur; vt idem diverſis medijs habeatur; ſic nihil ſupereſt vacuum, nihil ſuperfluum. In hac ampliſſimâ mediorum ſegete ſe explicant ingenia, diffundunt ſingulares affectus; à communi tramite ſe ſubducit & glorioſius effert induſtria.

FINIS. Poſſunt quidem omnium vota, & amores in Deum, quaſi in centrum confluere, ſinè impedimento, quia eſt infinitum bonum: at ſi determinati eſſent affectus ad bona limitata, cum vnius poſſeſſio cæteros excludat, plus determinarentur ad privationem quàm ad poſſeſſionem; hinc bella quibus diſſolveretur humana ſocietas, nec magis poſſet inter homines quàm inter feras rapaces conſiſtere: at dato libero arbitrio, cum vnus deficit finis mediatus, alius & alius eligitur, fœlici interdùm mutatione.

MAIORITAS. Ineſt nobis excellentiæ appetitus non oportet ergò in vallibus immorari eum, qui alta conſcenſurus eſt. Liber debet eſſe affectus, vt poſſeſſa tranſcendat, & ad majora nitatur.

ÆQVALITAS. Quod in vtraque fortunâ æqualis ſibi ſemper ſit ſapiens habet à libero arbitrio, quo ſe ab externis omnibus independentem præſtat, quo fœlicitatem, ne ſurſùm nimis efferatur, ſolvatque vitæ moralis æqualitatem, temperat, & continet: ſic lances doloris & voluptatis æquo librat pondere: & cum impedit ne quid excedat, efficit animæ temperamentum ad juſtitiam.

MINORITAS. Non eſt quod conquæratur de adversâ fortunâ, qui libero ſuo arbitrio illæſum ſe poteſt præſtare. Nihil deeſt ei qui apud Deum bonâ voluntate dives eſt, & charitate, quæ eſt virtutum omnium Entelechia. Si Deus eſſet totus in mundo agens, illi deberent imputari omnia naturæ & humanæ voluntatis peccata; ſic cum ſit eſſentiâ ſuâ bonus, juſtus, miſericors, Sanctus, committeret tamen in hominibus rapinas, cædes, concuſſiones, adulteria, homicidia, perjuria, eſſet in ſeipſum blaſphemus, ſibique infidelis, agens quod leges ſuæ prohibent: hinc appareret leges eſſe à principibus confictas, ad incutiendum populis metum.

VIS AMORIS.

IN quatuor elementis Empedocles conſtituit ignem quaſi opificem ſupremum & maximum.

Terra magis amore centri quàm odio ſuperioris loci decidit; omnis averſatio eſt ab amore contrarij.

Cauſa motus animalis eſt appetitus cum imaginatione.

Calidum innatum eſt præcipuum animæ organum, quo omnes vitæ actiones obit, & morbos pellit: ſimiliter de amore eſt Philoſophandum.

Quæ omnes volunt, efficiunt, & quæ amant aſſequuntur, modo id poſſint. Ariſt. 5. Polit. cap. 10.

Ex calore imminuto omnes vires rerum mixtarum ortum habent.

Amor potentior eſt paſſio quàm timor, vndè inermes etiam matres in pericula projicit.

Multa naturâ ſuâ noxia, domita igne, fiunt ſalutaria: ſic viperæ carnes coctæ, Arſenicum, Mercurius, Antimonium in ſalem ſuum redacta, acrimoniam, & venenum deponunt.

Cibus paulò deterior, ſed ſuavior, interdùm redditur melior ab appetente facultate, meliúſque concoquitur.

Optimè & fœliciter bellum conficitur, ſi illud appetant milites, & nobiles.

Optabilius eſt Principem regere populum amore, quàm timore, quia metus eſt ſinè amore: at amor eſt ſemper cum metu, ne quid contrà ipſum fiat. Omnes pro ipſo ſunt vigiles.

Ferdinandus Rex Hiſpaniarum ducens exercitum contrà Regem Granatæ prodiit cum Iſabellâ Reginâ, & toto genicæo aulico, ſic coràm fœminis ferebantur milites in prælium; quantò erat amor ardentior, & metus repulſæ, tantò creſcebat audacia. Hoc ſtratagemate factum eſt, vt mauris innumerabilibus cæſis; Hiſpani memorabilem victoriam reportarent: ſic Hector ſaucius in acie non diſceſſit, ſed inſtauravit certamen, cum advertit ſe videri à mulieribus Trojanis, in mœniis exiſtentibus. Sic Perſæ conjuges, liberos, pellices ducebant ſecùm in bellum proficiſcentes, ſic enim pro rebus chariſſimis pugnaturi, ardentiùs ferebantur in prælium.

In ludo des Echets, Regina habet vim maximam, & motum omnem, qui ſeparatim variis ludi partibus competit.

Idem calor poteſt colores illuſtres obſcuros & obſcuros illuſtres reddere. *Vide Principium Differentiæ.* Idem amor quoſdam in lucem profert, interdùm latitantes continet.

Vbi Martis influxum times, appone Venerem. Marſil. Ficin.

Venus ex famoſo Martis ſtupro harmoniam genuit: quia Venus feros bellatorum mores lenit.

Poëtæ triumphum Cupidinis ſcripſere, quem Iupiter, & alij Dij, hominesque concatenati ſequuntur. Lactant lib. 1. c. 11. divi. Inſt.

Et tædet, & amore ardeo, & prudens ſcienſque vivus videnſque pereo, nec quid agam ſcio. Terent. in Eunucho act. 1. Scen. 1.

Sic ille in flammas abiit, ſic pectore toto vritur; & ſterilem ſpirando nutrit amorem. Ovid. lib. 13. Metamorph.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori, Virgil. Eglogâ 10.

Sævus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquàm manere quietum patitur affectum: nocte fetus, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vſuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis, niſi morte amantis extingui non poteſt. D. Ambroſ. lib. 1. de Abel. c. 5.

Samſon validus & fortis, Leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit: vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum: Meſſes incendit alienas, & vnus ipſe mulieris incenſus igniculo, meſſem ſuæ virtutis amiſit. Iudic. 15. Salomon templum Deo condidit, ſed vtinam corporis ſui templum ipſi ſervaſſet. Idem in Apologiâ David poſt. c. 3.

Venus domicilium ſuum habet in Libra; etiam judicibus, & temperatis jus dicit.

Oves Iob igne cœli comburuntur, ideſt innocentes etiam ardent igne libidinis; ignis Dei dicitur, quia ſi non faciente Domino, tamen permittente generatur. &c. D. Gregor. in Moralib.

Vim amoris demonſtrant Iupiter in varias formas mutatus; Mars non tam Vulcani retibus, quàm Veneris oculis captus; Hercules exuto Leonis exuvio effeminatus in ſinu ſuæ Omphalis; Acteon in cervum mutatus à Dianâ; Achilles, virtutis immemor, Briſceidis ſervæ ſervus effectus; Paris, incendia vrbis Trojanæ potiùs ferens, quàm adulterini amoris flammas ob Helenæ pulchritudinem ſuffocans. Cybele Arys juvenis amore incenſa, quem Pater ob ſtuprum cum eâ occiderat, occiſi deſiderio inſaniens, totam Ægyptum perertat. David Berſabeæ amore conſternatus. Amoris vires perſonant vbique Poëtæ & theatra.

Erix mons eſt in Siciliâ Veneri ſacer, flammis æſtuans, juxta ardentem Ætnam, Vulcano dicatum Solin. cap. 11.

Athenis in primo Academiæ aditu amoris eſt ara: alia intrà vrbem, quæ Anteros nominatur, ideò dicata, quod Melos iuvenis Athenienſis Timagoram amatorem ſuum è rupe præcipitem ſe dare iuſſiſſet, ipſeque poſteà tædio & dolore indè etiam ſe præcipitem dedit, ibi ædificata ara, vt Anteros genius Timagoræ vindex coleretur. Pauſan. in Atticis.

Argivorum regnum in tres partes diviſum eſt: ideò quod cum regnum teneret Anaxagoras Argei filius,

Digitized by Google

is furor fœminas invaſit, vt inter domeſticos parietes contineri non poſſent, ſed per agrum palantes vagabantur. Inventus eſt tandem Melampus, à quo ſanatæ ſunt; ei Anaxagoras, ita gratiam retulit, vt æquis cum eo, fratreque eius Bruto, partibus regnum communicaret. Idem in Corinthiacis.

Ligabit quis ignem in ſinu, & veſtimenta non comburet: vel ambulabit quis ſuper carbones ignis, & pedes non aduret? Proverb. Cave & tu ignem libidinis.

Quiſquis in primo obſtitit, repulitque amorem, tutus ac victor fuit.

Qui blandiendo dulce nutrit malum, potentique totâ mente dominatur Deus, hic volucer omni, regnat in terrâ potens, voliatque cœlo pariter ac terris gravis.

Venus Chymæræ comparatur, cujus prima pars leonina, ob ferinum æſtum: ſecunda caprina ob libidinem; tertia draconis, ob dolorem.

Sterileſcit oliva, quam primo germinantem capra eroſerit. Præclara ingenia emoriuntur luxuriæ veneno afflata.

In Ægira fortunæ ſignum, manu præfert cornu Amaltheæ. Illi adſtat volucer cupido. Pauſan. in Achaicis.

Igne adusta nigreſcunt, aut in ſterilem mortuumque vertuntur cinerem.

Læſus amor in furorem vertitur. *Vide Duratio Contrar. & Finis Volunt.*

Amor formæ rationis eſt oblivio, turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; quærelos, iracundos, remuneratios, durè imperioſos, ſerviles, blandos, omnibus inutiles, ipſi noviſſimè amori facit. Div. Hieron.

Quaſi torrens magno impetu decurrens, gaudet obſtantia quæque ſubvertere, hic ignis viridi maximè ligno ardet; ex qualibet materia nutrimentum accipit, ex nullâ fidem; in ipſis ardet aquis; hic piſces conſumit, vt aves in aëre.

Anima ignis divinus eſt, qui dat corpori vitam; amor ignis eſt, qui dat vitam animæ; amantes nihil aliud cogitant quàm amare & amari: furor eſt ſecundò Platonicos, & abſtractio; ſic Dido æneæ amore correpta furit, vagatur, pendent opera interrupta, mineque murorum ingentes. 4. Æneid.

Non ſatis eſt Amoris manum face armare, triſulcum ei fulmen dandum eſt, cum ad inſtar fulminis prodigioſos effectus edat.

Calor princeps eſt omnium primarum qualitatum, eius enim mira eſt efficacitas, in rebus tam artis quàm naturæ; vndè cælum, cuius influxu omnia foventur, multi aſſerunt eſſe igneæ naturæ.

Omnia abirent in confuſionem, ſi primùm mobile aberraret à ſuo motu; ſic cum amor primum movens paſſionum corrumpitur, hinc enim adulteria, homicidia, &c. Ariſt. 2. Ethic. c. vlt.

Apud Spartanos Venus erat armata, vt vis eius oſtenderetur, fortiòr tamen nuda, qualis cum vicit in judicio Paridis.

Coràm Dario Aulicus aſſerit amorem omnium eſſe potentiſſimum. Vide Eſdr. 3. c. 3. Num. 25. Meretrices Madianitæ populum Iſraël ad idolatriam perducunt; Sic corruptus Salomon.

Milites redimiri ſolebant myrrho, quæ Veneri ſacra erat. Tertul. de Coron. mil.

Elephantes tantùm in ventre patent ictibus, teſte Eleazaro, qui ſic Antiochi elephantum occidit, & ab eo oppreſſus.

Quidem hæretici dicunt hominem formatum eſſe à diverſis poteſtatibus; quæ ſunt vſque ad vmbilicum eſſe artis divinoris, quæ ſubter minoris. Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. c. 3.

Bellatores, pulchritudini, quaſi rei divinæ appendunt ſua trophæa: Sic Plato in Republicâ præcipit victoribus in præmium dari electionem pulcherrimarum: Sic mos erat, vt virgines venirent obviam victoribus, vt patet de David & Iepthe. Poëtæ currui cupidinis jungunt Leones, quia ferociſſimos, domat. Ninus mavult Semiramidem in thronum ſuum elevare quàm diverſis dominari populis: Marc. Antonius maluit perſequi fugientem Cleopatram, quæ cor ei auferebat, quàm certare contrà Cæſarem pro totius mundi principatu.

Paſſio hæc omnium turbulentior data eſt omnibus communis, ſic ſapientem ruſtico, hominem beſtiæ exæquat.

Amori quaſi Deo homines litant bona, fortunam, honorem, vitam. In hoc crudelior hoſtis, quod hominem ſervum efficit eius ſexus, quem Deus & natura illi ſubdidit; hoc tamen eſt conveniens potentiæ ſuæ in mulierem temperamentum.

Dominatio nulla facilior, præſtantior, ſecurior, quàm amatoria.

Platonici dicunt ſolem eſſe Angelici luminis actum. Vide infrà de amore divino. Plato 7. de legib. vult mares in bello pugnare, quaſi ad inſtar animalium ſint audaciores ingenti amore prolis.

Amor brevi tempore aſſequitur quod vix longo habetur per leges & artes; nam cum ſit deſiderium pulchri, ad aptam concinnentiam interna & externa conatur reducere; Scientiæ & artes omnes circà amorem verſantur; Muſica, conſiderat qui tonus placeat; Gymnaſtica, quis geſtus; Agricultura, quo ſemine gaudeat terra; Aſtrologia, amicitias ſyderum; Sacerdotes, quæ officia Deo amica ſint: ad artium inveſtigationem impellit inveſtigationis oblectatio. Marſicin. in convivium Platonis.

Venus Martem domat, nam ſi Mars in nativitate malum portendat, Venus conjunctione ſextili, aut trino aſpectu malignitatem eius reprimit; hic autem nunquàm reprimit, ſed auget veneris impetum: Mars ergò ſequitur Venerem, non Venus Martem, quoniam audacia Venerem ſequitur, non contrà. Cætera bonum externum & præmium expetunt, amor ſui causâ expetitur. Idem.

Quæſtio an amor ſit potentior irâ, ſeu voluntas benefaciendi quàm nocendi. Vide Senecam 1. de Irâ.

Ex Platone & Cabaliſtis duo ſunt cælorum motores. Vnus qui purus intellectus eſt ipſos movet, vt amabile amantem, vt ſcilicet quælibet pars, cum poſſit vbique eſſe, ſicut & ſuus motor, id ſucceſſivè obtineat, alius finitæ virtutis effectivè movet. Ferrum nullâ habitâ ratione ſuæ ponderoſitatis in magnetem advolat.

De malis effectibus nimij amoris. *Vide Majoritas voluntatis mala.*

Amor à ratione ducens originem mattrem ſuffocat, etiam in extremis cruciatibus tollit voluptatem libertatis, quæ ſupereſt omnibus captivis.

Mutuo rerum amore ſtat mundus.

Pro amore dicitur, quòd non eſt melior ordinatio animi, quam ex imperio affectus alicuius inſignis, alioquin omnia ingrata ſunt & tædio plena, quid ni in vnitate acquieſcat vnus. Contrà dicitur quod amori multum debet ſcena, nihil vita, Nihil tam varij nominis eſt quàm amor; nam res aut tàm ſtulta eſt, vt ſe neſciat, aut tàm turpis, vt ſe fuco condat Baconius.

Calor ad omnes dolores, vel ad plures eſt adjumẽto.

Fœminæ ſunt ſagaciores, & tempore catulorum ferociores maribus.

Pallent amantes: quia mortui ſunt in ſuo corpore, vivunt in alieno.

Alexander pepercit militi, qui ſe ægrum ſimulabat vt ad Amaſiam proficiſceretur. Ipſemet, amaſiæ perſuaſit vt caſtra ſequeretur, ne privaretur bono milite.

Croëſi filius, naturaliter mutus, videns ſicarium in Patrem inſilientem, exclamavit ô homo ne occidas Crœſum; Sic quidam Ægles Athleta Samius, videns fraudem fieri in ſortitione certaminis, victoriæ cupiditate, linguæ vincula rupit.

Actus voluntatis efficacior eſt quàm cognitionis, atque liberior, & actionis principium, mediumque & finis; ideò merâ cogitatione fit nihil, mero autem affectu, vel occulto & naturali plurima fiunt.

Appetitus quem materia habet poſſidendi formam non eſt effectivus formæ, ſed appetitus gravis corporis eſt effectivus motus deorsùm.

Amor auget vires amantis, quia anima incaleſcit ad divinæ pulchritudinis radium, qui ſplendet in amatis. Per amorem ſpiritus naturales & vitales incaleſcunt, vndè tota vis actionis.

Hi numerantur amoris effectus. Primò aſſimulatio amantis cum re amatâ, nam intelligens per intellectum rem ſibi aſſimilat: At amans per affectum rei amatæ aſſimulatur; amantes amatis, quantùm poſſunt, conformantur, vndè de iiſdem triſtantur & gaudent, eoſdemque habent amicos & inimicos. Secundò, vnio ſeu adunatio amantis & amati, cum quo cupit fieri vnum, vndè eius præſentiam perpetuò deſiderat. Tertiò inhæſio in re amata, per intellectum & affectum; amans enim de illâ perpetuò cogitat, & minùs ſe quam illam ſentit: hinc illud Platonis in Sympoſio, amatorem animum in proprio corpore mortuum in alieno vivere, vt minùs ſit in eo quem animat, quàm in eo quem amat. Quartò, extaſis quæ eſt animæ quidam raptus extrà proprium & ſolitum ſtatum, qui contingit, cum anima omnes vires ſuas intùs colligens, toto poſteà niſu fertur in amatum; quo fit, vt tunc corpus amantis amati animæ vi, imò ipsâ animæ præſentiâ animatum eſſe videatur: Hinc zelus, qui vult perfectam ſinè ſocio habere rei amatæ fruitionem. *De quo vide Magnit. volunt.*

Extaſim ſequitur lachrymarum profuſio, qui calor ad cerebrum ſe recipiens humorem diſſolvit in lachrymas, & intemperiem generat in cæteris corporis partibus; Indè pallor, cordis emotiones, ſpirituum coërcitio, crebra ſuſpiria: Miſera tunc anima, inter metum & ſpem fluans, nunc lætiæ, nunc doloris ſigna profert; laudat ſummè rem amatam, deinde vt crudelem, aſtraque ipſa inculſat, pœnitet injuriæ, aliis imputat, ſermo impeditur? hominis immutat naturam. ſapientes ad nugas deducit, generoſos ad indigna ſervitia, ſuperbos humiles, avaros liberales, timidos audaces, iguaros diſertos & Poëtas facit.

Amor auget vires amantis, quia externa pulchritudo eſt ſimulachrum latentis pulchritudinis, ſcilicet animæ, quæ eſt ipſius ſummæ pulchritudinis radius, quo anima incaleſcit, ac ſi cum primâ divinâque forma copularetur.

Natura tantùm coquit, quantùm appetit. Galen. de arte Medicâ. c. 85.

Operatione chymicâ ex mixtis extrahuntur oleum ſal, mercurius: ex quibus oleum tantùm eſt inflammabile; in ſolâ voluntate per amorem fit transformatio.

Quodlibet agens ex amore agit quodcumque agit, cum ex intentione finis & boni operetur. D. Thom. 22. q. 28. a. 6.

Philippus Rex Macedoniæ Theſſalæ mulieris amore correptus, Olympiæ ſuæ vxori dedit occaſionem ſuſpicandi quod ad id magicis artibus eſſet adductus. Illam accerſivit. Olympias, & viſâ eius pulchritudine, tota, inquit, magia in vultu tuo eſt. Plutarch. 12. Tractatu de Præcept. Martim.

De amicis illuſtrium virorum Vide Athenæum, lib. 13. c. 21. & 22.

De vi Cupidinis, qui Iovem in diverſas formas tranſmutavit, Lunam fecit è cælo deſcendere, &c. Vide apud Lucian. in Dialogo Deorum.

Paris ſpe nuptiarum cum Helenâ, pomum aureum Veneri defert, non Iunoni, nec Minervæ. Ibid.

Alcibiades amori maximè deditus, & hinc ſe ſentiens hautire fortitudinem, in clypeo Amoris extruxit effigiem, contrà conſuetudinem Athenienſium, qui in clypæo ſolebant effingere victorias. Plutarchus de Alcibiade.

Vſa eſt politia amore ad excitandos militum animos, ſic Plato. 5. de Republicâ, his qui præclare ſe in bello geſſerint, concedit præmij loco, vt nuptias quaſcumque optaverint habeant. David habet filiam Saulis in nuptam ob deletos Philiſteos; Ioſue 15. Caleb. dat filiam ſuam ei qui vrbem Cariatſephe cœperit. Virgines ibant in occurſum victorum, vt patet ex hiſtoria Iepthe, & Davidis, cui canebant virgines; Saül occidit mille & David decem millia.

Amor eſt blanda & irrequieta cupiditas iis ipſis placendi, qui nobis ſivè ſorte, ſivè ſuâ virtute, ſivè noſtro denique errore placuerunt: & is quidem velut inſidiis ita irrepit, vt nos antè ſentiamus amare, quàm inſtituamus de amando conſilium. In ipſis initiis ſic incautos fallit, vt putent inhumanum facinus fore, ſibique omnino incommodum, ſi influentis mali dulcedinem auſint à ſe ſevero imperio arcere: hoc affectu, ſi inſtitutio recta acceſſerit, nihil in moralibus magis eximium; nam omnibus virtutibus quandam ex ſe venuſtatem concilians, interdùm ipſa vitia excuſat: nihil in humanis rebus ſyncerius, modo in iuſtis limitibus, & à virtute factis ardens. non etiam ſuo incendio, quæ vetantus corripiat; Hinc pueris animus ad eximia conſurgit ſuam ætatem ſupergreſſis, tanquàm ipſis hoc experimento probaturis, an digni ſint, qui jam ament. Barclai.

Quæcumque, vt ait Homerus, Iupiter de rebus Troianus pernoctans cogitaverat, hæc per diem voluptate captus ſubvertebat. Fortiſſimus Mars à debiliſſimo Vulcano ligatus fuit, & de ſuis illegitimis amoribus calumniam & pudorem reportavit. Athenæus. lib. 12. cap. 1. *Vide poteſtas concord.*

Indulgendum & condonandum aliquid tàm violentæ paſſioni. *Vide volunt. principij.* Amor parentum.

Amor transfert omne amans extrà. D. Thom. 1. q. 20. a. 2. ad 5.

Amor Dei eſt congretionis, ſed amor ſui eſt diſgregationis. 12. q. 13. a. 1. ad 3.

Amor ponitur pro omni paſſione, & eſt prima omnium paſſionum. 1. 2. q. 162. a. 3. ad 4. l. 1. q. 20. a. 1.

Amor facit fervere & ebullire, id eſt ferri extrà le amantem, liquefacit, id eſt, non ſinit intrà ſe contineri. 12. q. 28. 5.

Proprij effectus amoris ſunt quatuor, liquefactio, id eſt, mollificatio affectus, vt facilè penetretur ad amato: fruitio, id eſt delectatio: languor id eſt triſtitia; & fervor, id eſt intenſum deſiderium. Ibid.

Amor movet inferiora in ſuperiora, vt ab eis perficiantur, & ſuperiora in inferiorum proviſionem. 2. 2. p. 3. c. 1.

Conceptio Chriſti ſpecialiter attribuitur Spiritui ſancto, licet ſit à totâ Trinitate. 3. q. 30. a. 10.

Amor

Amor vnit contraria. *Vide Concordantia Contrarietatis.* contrarij effectus ex eadem cauſa.

VIS DESIDERII ET Orationis.

CHriſtus inter nos petitor, cum Patre dator. Erubeſcat humana pigritia, plùs vult ille dare quam nos accipere, plùs vult ille miſereri quam nos à miſeriâ liberari, hortanti credamus, promittenti obſequamur, & ad dantem gaudeamus, dicit diſcipulis in horto Orate ne intretis in tentationem: cæco dicit, quid vis, reſpondit, vt videam, ſic ſanatus eſt. D. Auguſt. Serm. 31. de Verbis Domini.

De vi orationis bonorum. *Vide Poteſt. Virtut.* Ideò Deus differt dona, vt accendantur deſideria. *Vide Duratio Bonitatis.* Mora in dando.

Vult à ſe requiri Deus, etiam quod pollicetur, & ideò fortè multa quæ dare diſpoſuit, pollicetur priùs, vt ex promiſſione devotio excitetur, ſicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſalvos fieri, merito nobis extorquet à nobis, vt dum nos prævenit tribuendo, quod retribuat gratis agit, ne gratis tribuat. D. Bern. ho. 4. in fi. ſuper Miſſus eſt.

Clamavit ad me & ego exaudiam eum. Pſal. 90. Dulcis lex quæ meritum exauditionis in clamore conſtituit poſtulatoris. In Dei auribus deſiderium vehemens clamor magnus. Idem. Serm. 16. ſuper. Pſal. Qui habitat.

Chriſtus etiamſi ſciat animam ſuam ſatis Deo commendatam, moriens vt impleret voluntatem Patris, quàm vivens ſemper ſervaverat. Pater, inquit, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Ibidem.

Non hortaretur vt nos pulſaremus, ſi nollet aperire pulſantibus: ſi enim aliquando contigit, vt qui diſponebat ſemper claudere, tædio compulſus aperiat, ne diù pulſantem patiatur. Luc. 11. Quantò magis aperturum illum ſperabimus, qui dicit, pulſate & aperietur vobis. D. Auguſt. in præfat. ſuper. Pſal. 3.

Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Pſal. 156. Audiens Magiſtrum orantem, diſce orare, nam & paſſus eſt, vt doceret pios. D. Aug.

Matrem non gravat, ſed delectat puer lacte diſtenta vbera ſugens, quæ non fluunt niſi ſugantur. *Vide ſuprà hoc titulo.* Gratia non tollit libertatem.

Per pœnitentiam peccata remittuntur, quæ pœnitentia potiſſimum eſt in contritione de præterito peccato, & in bono propoſito illud potiſſimùm vitandi. *Vide Finis Minoritatis.*

Mens quælibet volendo facit opera potiùs quàm videndo, videndo enim replicat formas intùs; volendo eas replicat extrà. Marſ. Ficin. Theol. Plat. lib. 2. cap. 11.

Si voluit & potuit, fecit, nullum enim eſt impedimentum. Ariſt. 2. Rhetor.

Apud Græcos & Perſas vrgente publicâ neceſſitate, amicæ Dijs ſupplicabant; ardentius enim ſupplicant. Athenæus. lib. 13. cap. 11.

VIS AMORIS DIVINI.

MVlta quæ ſuperiùs generaliter dicta ſunt de poteſtate amoris applicari poſſunt amori divino. Vt quæ infrà referentur ex jure civili, &c.

Platonici dicunt ſolem eſſe Angelici luminis actum, & imaginem; vt autem ſuperi opera potiùs per voluntatem quàm per intelligentiam agunt, meritò viſibilis hic radius ab eorum invisibili profluens, per calorem agit ſingula quæ gignuntur, potiùs quàm per lucem. Marſ. Ficin.

Cognoſcendo rem ad nos trahimus, amando verò nos ad rem trahimur: Ideò inferiora ſatiùs eſt noſſe quàm amare; ſuperiora verò ſatiùs amare quàm noſſe.

Plato in convivio dicit amorem eſſe Dæmonem medium inter Deum & homines, vt qui bona eorum opera ad ipſum referat, & ejus beneficia ad ipſos.

Apoſtolis datur poteſtas remittendi peccata in virtute Spiritus ſancti; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remiſſa ſunt, &c. In virtute ejuſdem ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas, ideſt ſuper materiam informem; ejus ſpiritus de quo incarnatum verbum, vt reæ naturæ humanæ ſubveniret. De miſericordiâ. *Vide Bonitas Poteſt. Gloria Minoritatis Minoritas Contrariet.*

Iſayas videt ſeraphim habentem ſex alas, quæ ſignificant ſex amoris effectus; qui ſunt puritas cordis, proximi ædificatio, compunctio, reſignatio, patientia, perſeverantia. Vide infrà.

Pondus meum, amor meus, eo feror, quocumque feror. D. Auguſt. 13. Confeſſ. c. 9.

Non repetitur contrà terrenos morbos medicina ſufficiens præter amorem divinum, nam in quolibet morbo, quando medicina mali humoris non ſuperat qualitatem, convertitur in humorem, turbat corpus, minuit vires: cum igitur medicina noſtra ſit mundana, fruſtrà eam medicinis mundanis expellere conamur; ſed fortiori, ſcilicet ſpirituali opus eſt: Non vno tantùm laboramus morbo, ideò non hic medicus ſufficeret, aut iſte, ſed peſtis noſtra eſt omne malum; ergo teriaca nobis eſt omne bonum: morbus noſter eſt inexplebilis appetitus, & continua perturbatio; medicus ergo nobis eſt immenſum bonum & æterna tranquillitas. Marſ. Ficin.

Sex alæ Seraphim ſignificant ſex amoris effectus: eſſe ſinè ſcio, ſinè modo, ſinè verbo, ſinè anima, ſinè termino, ſinè diffidentia; ab his abſtrahi & quaſi alis ſublevari, & in ſublime tolli. Vel transfert, purgata, illuſtrat, vnit, transformat, deificat vel perficit.

Amor Dei eſt in omnibus invictus, ſumma bonarum actionum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, & perfectorum præmium copioſiſſimum. Alanus varenius.

Amor efficit levia Dei precepta. *Vide Gloria Velut.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Pſal. 28.

Renunciare amori glorioſum, ſed difficile; in hoc maximè tentatus Abraham, cùm jubetur relinquere patriam, ſeparari à Loth, cùm ei ablata eſt vxor à Pharaone, cum ejicit Agar, cùm jubetur filium immolare.

Eſt quædam concupiſcentia naturalis, alia ſupernaturalis, quæ ſuprà rationem & naturam eſt. D. Tho. 2. 2. q. 30. a. 3.

Charitas etiam minima poteſt reſiſtere cuilibet tentationi. 3. q. 61. a. 6. ad 3.

Charitas facit homines Deiformes ſuprà homines converſari in cœlis & convenire cum Deo & Angelis. 1. 2. q. 65. a. 5.

Fides cum operibus. *Vide Veritas Virtutis.*

De filijs qui invitis parentibus Religionem profitentur. *Vide Contrar. Principij.*

Athæneus lib. 13. cap. 28. multa refert exempla eorum qui donaria Diis erepta amatis dederunt. Vi-

Digitized by Google

ces rependat, quasi pœnâ talionis amor divinus, & mundo consecrata Deo offerat.

Flamma fulminum potentior est omnibus aliis, nam & ferrum perfectum liquefacit.

Amor in Deum transformans. Vidi concordantia principij.

SVPERAT MVNDI amorem.

Vide differentia & Contrarietas Minoritatis & Minoritas Gloriæ. Voluptatis, de externâ mortificatione & vitâ purgativâ.

Amor Dei terrenas cupiditates subvertit, & Arca Dei Dagon; vt sol fugat tenebras, aves nocturnas, phantasmata, stellis aufert splendorem; vt Angelus in cœlo superavit Draconem: insitus est menti nostræ à Deo, ideo est antiquior, & nobilior amore humano, verum aurum adulterino præponderat, amor autem terrenorum non est verus amor sed lapsus amoris. *Vide veritas voluntatis.* Sol falsos qui apparent in nube soles dissipat.

Lex Domini immaculata convertens animas. Ps. 18.

Fons in Epyro accensas faces extinguit, extinctas accendit. Amor Dei tollit ardorem concupiscentiæ, & accendit divinum.

Calor naturalis, si sit vegetus, restaurat, quæ consumit calor extraneus. Sic de Magdalenâ dicitur, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.

Motus hic in Deum, primò relinquit mundum, quasi terminum à quo.

Sic fortem armatum fortior superat, sic clavus clavo pellitur; sic oblatâ pulchritudine non inhæretur eius imagini.

O amor veni in nos, posside nos, dispereant à facie tuâ omnia fœditatis nomina. Convertit captivitatem, Syon idest animæ nostræ omnes affectiones in se convertens & sanctificans: Amamus te, vel tu amas te in nobis, nos affectu, tu effectu, vnum nos in te efficiens sed per vnitatem tuam, idest spiritum tuum, quem dedisti nobis. D. Bernardus. lib. de amore Dei.

Absorpta est mors in victoria. 1. Cor. 15.

Ignis ille divinus imperfectiones omnes animæ & corporis consumit Introibo Domum tuam in holocaustis. D. August.

Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Psal. 67. De Christo loquitur, qui homines captivos diaboli suos fecit, congregans Ecclesiam ex gentibus; captivi rectè dicuntur, quia capti. Petro enim dictum est Luc. 5. Ex hoc eris homines capiens. In ista captivita, non sunt millia plorantium; sed millia lætantium. D. August. in Psal. 67.

In Boëtia duo sunt fluvij, quorum vnus nigredinem, alter pecoribus candorem affert. Arist. Hist. anim. lib. 3. c. 12. Sic de amore mundi & Dei: hi duo amores duas faciunt civitates. *Vide volunt. Bonitatis.* De inordinato sui amore.

Amor Dei in nobis, est influxus essentialis amoris, qui prævalet accidentali; fertur in bonum perfectum, absolutum, infinitum, cujus comparatione cætera vilescunt, æterna præferuntur mortalibus; diù ab illis læsa mens gaudet hac divinâ potentiâ, quâ se potest vlcisci, & contrà tætannum insurgere. &c. vide infrà demonstrationem de vi amoris Dei, &c. *Vide Fin. Minorit.*

Cor piscis Tobiæ incensum fugat Dæmones. Tob. 6.

Ægæus cum Venetis ira putaret sibi prolem non obtigesse, Athenis extructo delubro cœlestis Venetis cultum induxit. Paus. in atticis.

AMORIS VINCVLA.

EGo, inquit Apostolus, alligatus spiritu vado in Ierusalem. Act. 20.

Dexteram tuam sic notam fac, id est Christum, vel æternam fœlicitatem: Et eruditos corde in sapientia; alij codices habent compeditos, cum enim vt Eccles. 6. pedem inciunt in compedes sapientiæ, eos velut aureis vinculis alligat, ne à via Dei exorbitent, & fiant ab eo fugitivi. D. August. in Psal. 89. Tales inquit notos fecit in novo testamento, terrenarum rerum contemptores.

Confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta transeant. Non frustrà, nec sinè exauditione dictum est. Intret conspectu tuo gemitus compeditorum, servite Domino in jucunditate; libera servitus est apud Dominum, Libera servitus, vbi non necessitas sed charitas servit: liberati à peccato servi facti estis Iustitiæ. Gal. 5. Servum te charitas facit, quia liberum veritas fecit; veritas liberabit vos. Ioan. 8. simul es servus & liber; servus, quia factus es; liber, quia amaris à Deo, à quo factus es; Imò etiam indè liber, quia amas eum à quo factus es; servus es Domini, libertus es Domini, non te quæras manumitti vt recedas à domo manumissoris tui. D. August. in Psal. 99.

Nulla facilior, præstantior, securior dominatio quàm amatoria; Nulla arctior, sed nec fœlicior servitus, quàm amatoria & voluntaria; solus liberè servit, qui libertati obsequitur infinitæ? Ibi servitus libera est, vbi immensa libertas, id est Deus quidquid servile violentumque est procul expellit: sicut qui servo servit servus est omnium miserrimus, ita qui servit omnium Domino quodammodò est omnium Dominus. Cum primum eius sumus, qui sui ipsius est solus; tunc solum sumus & nostri. Filij in paternis laribus liberi & imperiosi sunt: Parentes nulli libentius quàm filiis obsequuntur, &c. Marsil. Ficin. *Vide Minor. Potestatis Bona.* De votis. *Vide suprà Dur. Volunt.*

De triplici vinculo. *Vide infrà titulo proximo sequenti* vnio, transformatio.

VVLNERA.

EMitte sagittas tuas, & conturbabis eos Psal. 143. Vulnerantur malè sani, vt sanentur benè vulnerati; & dicat in ipsis Ecclesia, vulnerata charitate ego sum. D. Aug. in Psal. 99.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent. Psal. 44. Vulnus amoris salubre est: sponsa Christi cantat in canticis: Vulnerata charitate ego sum; nec sanabitur hoc vulnus, nisi cum satiabitur in bonis desiderium nostrum: hîc est vulnus, quandò desideramus & non tenemus; sic enim est amor, vt sit illic dolor; cum pervenerimus, tunc transibit dolor, non deficiet amor. D. August. Serm. 41. de divers.

Cedit hîc victoria victo; Ex hoc quasi Chirurgi vulnere perfecta sanitas.

Sagittæ potentis acutæ. Psal. 119. Cum transfixa fuerint corda, sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interitus comparatur sagittat vt adjuvet, vt faciat amantem. D. Aug. in dict. Psal.

Digitized by Google

Verum amor ſit paſſio læſiva amantis. Vide. D. Thom. 2. 2. q. 28. a. 2.

Myrthus Veneri dicata, oſtenditur apud Troexenios perforatis vndique foliis. Pauſ.

De ſtygmatibus S. Franciſci. de quibus vide quæ ſcripſi. lib. 2. de vitâ Religioſâ.

MORS.

FOrtis vt mors dilectio. Cant. 8. Ipſa enim dilectio mors eſt, quæ ſeipsà fortior non eſt. Morte tamen naturali eſt fortior, quia illius metum ſuperavit in Apoſtolis, & Martyribus.

Mortui eſtis cum Chriſto. Goloſſ. 3. Propter te mortificamur totâ die. Pſal. 43.

Vivo ego jam non ego, &c. Gal. 2. Ac ſi diceret, ad alia quidam omnia mortuus ſuum; non ſentio, non attendo, non curo, Si qua verò ſunt Chriſti, hæc vivum inveniunt, & paratum; nam ſi non aliud poſſum, ſaltem ſentio; placet quod ad eius honorem fieri video; diſplicet quod aliter fit. Vndè mihi abſit gloriari, &c. Omnia quæ mundus amat, crux mihi ſunt, delectatio carnis, honores, &c. Quæ verò mundus reputat crucem, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. D. Bernard. Sermon. 7. de Ieiunio.

Quid formidetur luxuria, vbi nec vita ſentitur; vbi nullus vitæ ſenſus, nec etiam vitæ tentatio. Idem ſuper cant. Serm. 52.

Amor ignis eſt, in igne autem nullum animal vivit.

Amantes ſuſpirant, quod ſeipſos amittant quod perdunt, quod perimunt; gaudent, quod in meliùs quiddam ſe transferunt: calent viciſſim, & frigent, inſtar eorum quos terriana febris invadit; frigent, quia calore proprio deſeruntur, calent, cum ſuperni; radij fulgoribus accenduntur. Marſ. Ficin. Vide ſuprà de vi amoris in genere.

Plato amorem, amarum vocat, & Orpheus dulce amarum, quia amor mors eſt, mors autem amara: Amor autem eſt mors, quia amantis cogitatio ſui oblita, ſemper in amato verſatur, qui autem in ſe & pro ſe non operatur, in ſe non eſt, quia opera ei ſequitur eſſe.

Zoroaſter Rex aſſiriorum, in votis habuit vt ab igne cœleſti conſumeretur, ad hortatus Aſſyrios vt eius cineres aſſervarent, ſic futurum vt regnum ipſorum non deficeret, quod venit. De morte Chriſti. De excelſo miſit ignem in oſſibus meis. Thren. 1.

DE TRANSFORMATIO.

DAtur ius omne, & Imperium quod habet voluntas in homine; vndè amans tranſit in poteſtatem amati, ab eo determinatur voluntas, & accipit dignitatem, vt mulier à viro ſuo, cum quo cenſetur vna perſona.

Animus in amatum transformari dicitur, quia in ipſo agit, cum de ipſo ſemper cogitet: Maximè talis fit mutatio in amore Dei, vt qui maximus ſit, & omnipotens datque nitam venerandâ formâ præſtantiſſimam, cujus reſpectu propria, quâ antè homo vivebat, nulla dicenda eſt, eique comparata potiùs non quam eſſe videtur. Sic lumen maximum cætera occultat lumina, & cæteros odores odor odoratiſſimus; dulcis harmonia ità ſui oblitos efficit auditores, vt nihil aliud fuiſſe, nihil aliud vidiſſe videantur. Sic Petrus in monte Thabor ſe neſciebat, &c. Alanus Vatenius lib. de Amore.

Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Gal. 2. Et anima mea illi vivet, & ſemen meum ſervier ipſi. Pſal. 21.

Mihi adhærere Deo bonum eſt. Pſal. 72. Immediatè ei conjungi non poſſumus, ſed per medium aliquod, ſcilicet, funè, clavis, glute. Funes ſunt honeſti conſideratio, & memoria promiſſionis, qui tamen putreſcunt. Clavi timor Dei & gehennæ; Gluten verò eſt charitas, quâ ſuaviter & ſecuro ligatus adhærens Deo, vnus cum eo ſpiritus efficitur. Primum vinculum aſtringit fortiter & durè: Secundùm fortiùs & duriùs. Tertium ſuaviter & ſecurè. D. Bernard. in diverſis. Serm. de triplici cohærentiâ.

Oſculetur me oſculo oris ſui: Tria ſunt oſcula, Pedum Domini, cùm primùm convertimur; Manuum, cùm poſt converſionem ad bona opera conſurgimus; Tertium denique oris, cum conſumpto luctu pœnitentiæ, anima amoris impatiens pio cordis affectu decantat; Vultum tuum Domine requiram. Pſalm. 26. & ità ex vehementi deſiderio fit ei præſens ſponſus, quem ſic amat. D. Bernard. Serm. 52. in parv. ſermonib.

Quomodò ſtilla aqua modicò multa infuſa vino, deficere à ſe tota videtur, dùm ſaporem vini induit & colorem; Quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit, propriâ formâ exutum; Et quomodo ſolis luce perfuſus aër, in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt, non tam illuminatus quàm ipſum lumen eſſe videatur: Sic omnem in ſanctis neceſſe eſt liqueſcere affectionem, & in Dei penitùs transfundi voluntatem, alioqui quomodo omnia in omnibus erit Deus, ſi in homine quidquam de homine ſupereſt. O amor ſanctus & caſtus, ô dulcis & ſuavis affectio; quomodo totum divinum eſt quod ſentitur; ſic affici, deificari eſt: ſed quomodo hoc eo? quomodo ſic diligam Dominum ex tritto corde? &c. Bernard. de diligendo Deum ſub fin.

Audacter dicam, cor Chriſti mecum eſt quia caput meum Chriſtus eſt: quomodo enim quod capitis mei eſt, non meum eſt, cum & multitudinis credentium fuerit cor vnum. Id. de Paſſione Dom. c. 3.

Introibo in potentias Domini. Pſal. 7. Corpus aliquid accipit quod commutat, vt cibum; & aliquid quod non commutat, vt lucem oculis, ſonum auribus: ſic anima aliam animam recipiendo in amicitiam, ſui ſimilem facit; aliud autem accipit quod non commutat, vt veritatem: quare cognoſcendum eſt & quid ſit Petro dictum, Macta & manduca, & quid in Evangelio, & vita erat lux hominum. D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 39.

Amori, qui vltimus eſt in divinis, jungitur ſuprema pars hominis.

Res à me donata poteſt mihi donari l. 23. Cod. de donation. Damus nos Deo, & ipſe nos nobis meliores reddit.

Cum Socrati munera offerrent diſcipuli, pauper Æſchines non habens quod daret, nihil, inquit, dignum te quod dare tibi poſſim, invenio, & hoc vno modo pauperem meſſe ſentio; itaque dono tibi quod vnum habeo, meipſum, hoc munus qualecumque eſt, boni conſulas, cogiteſque alios cum multùm tibi darent plùs ſibi reliquiſſe. Cui Socrates, quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi fortè parvo te æſtimas, habeo itaque cutæ, vt te meliorem tibi reddam quàm accepi. Senec. 1. de Benefic. c. 8. *Vide æqualitas voluntatis.*

VIS AMORIS.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

IVstinianus l. vnic. Cod. de Sen. Conſ. Claudiano tollendo. *Illud tollit Senatus Conſultum, quo mulier ſervili amore bacchata in ſervitutem redigebatur.*

Ob vim amoris, perſuaſio ergà virgines habetur pro vi illatâ. l. vnic. Cod. de raptu virgin.

Non poteſt exhæredari filia, quæ major 25. annis in ſuum corpus peccavit, aut ſinè Patris conſenſu nupſit. l. 25. ff. de ritu nuptiar. Auth. vt cum de appell. cognoſ. cap. 3. §. 11.

Iure digeſtorum & Codicis. l. 3. & 7. Cod. de incæſt. & inutilib. nupt. cum ancillis non poterat eſſe connubium, Iure autem authenticorum. Auth. ſed novo. Cod. de nupt. Nov. 78. cap. 3. Nulla dignitas prohibet cum libertâ inuptias contrahere, dotalibus inſtrumentis confectis.

Meretricia vita toleratur conniventibus legum oculis, ne graviora mala contingant, & datum meretrici repeti non poteſt. l. 4. & 8. ff. de cond. ob turp. cauſ. l. 1. & 3. Cod. eod.

Concubinatus toleratur; & eſt quaſi ſecundum matrimonium. l. ſi qua. Cod. ad S.C. Orfician. Vide Parattila Cujacij, in tit. Cod. de concubinis.

Mulier non poteſt ſervo libertatem & hæreditatem relinquere, cum quo accuſatur commiſiſſe adulterium. §. eſt tamen. Inſt. de hæredib. inſtitu.

Tempore Nicæni Concilij Leontius quidem Presbyter accuſatus de commercio cujuſdam juvenculæ mulieris, ſe caſtrandum dedit, vt abeſſet omnis ſuſpicio; vndè ab ordine ejectus, & Can. 1. ejuſdem Concilij tales ab ordine ejiciendi.

EX THEOLOGIA.

QVodlibet agens ex amore agit quodcumque agit, cùm ex intentione finis & boni operetur. D. Thom. 1. 2. q. 28. a. 6.

Proximus motor in nobis eſt appetitus ſenſitivus. 1. q. 20. a. 14.

Nullus habet incontinentiam iræ, quin audiat rationem, quamvis imperfectè: ſed incontinens concupiſcentiæ, totaliter eam non audit. 2. 2. q. 53. a. 6. ad 1.

Timor filialis eſt præambulum ad legem, non ſicut extraneum, vel extrinſecum, ſed ſicut principium legis, ſicut etiam dilectio; Ideò de vtroque dantur præcepta, quaſi principia communia totius legis. 2. 2. q. 22. a. 2. ad 1.

Seraphim dicitur ab incendio ſecundùm tres proprietates ignis, ſcilicet motus continui ſurſùm, exceſſus fervoris, & lucis. 1. q. 108. a. 5. ad 5.

Paſſio eſt magis propriè in appetitu ſenſitivo, quàm in appetitu intellectivo. 1. q. 20. a. 1. ad 1.

Seraphim eſt primus ordo, primæ Hierarchiæ Angelorum, quia per amorem eſt completiſſima vnio ad Deum. 1. q. 63. a. 7.

EX BIBLIIS.

IAcob amore Rachel auctis viribus, revoluit grandem lapidem putei. Gen. 28. pro eâ in vxorem habendâ ſervit quatuordecim annis.

Sichem cum populo ſuo circumciditur propter Dinam. Gen. 34.

Servi Hebræi, qui ſeptimo anno poterant fieri liberi, ne ſic deſererent vxores & liberos, ſe in perpetuam ſervitutem mancipabant. Exod. 21.

Mulieres Madian alliciunt Iſraëlitas ad Idolatriam. Num. 25.

Rex Iſraël non habebit plures vxores, quæ alliciant animum ejus. Deut. 17.

Samſon mulieris blanditijs allectus aperit ei ſecretum ænigma, quod noluerat patri aperire. Iudic. 14. Sic aperit Dalilæ fortitudinem ſuam in capillis conſiſtere, quos ipſa radit, & imbecillum effectum tradit Philiſtinis. Iudic. 16.

Abner tranſit ad David, & deſerit Iſboſeth, quia ei improperaverat quòd accepiſſet concubinam Patris ſui. 2. Reg. 3. Ammon decipit ac violat ſororem ſuam Thamar, vnde cædes, & bella. 2. Reg. 3.

Mulieres pervertunt cor Pharaonis, itavt Dijs earum templa ædificet. 3. Reg. 11.

Collum tuum ſicut turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis; Mille Clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Cant. 4.

Pulchra es amica mea, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Cant. 6. Quid videtis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Collum tuum ſicut turris eburnea. Cant. 7.

Fortis vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Cant. 8.

Adam amore mulieris tranſgreditur præceptum Dei. Gen. 3.

AMOR MAGNA operatur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amans ſe totum dat amato, itavt in ſe mortuus, in illo vivat, ſe tamen in ipſo reperit, itavt duplicem vitam nactus, duplicatam habeat in agendo vim.

MAGNITVDO. In cæteris actionibus nunquàm vires omnes ſuas exerit homo, quia ſe ſibi ſervat, amorque proprius ità ſibi conſulit, externa ſibi comparando, vt tamen omnes ſuas vires intenſiori actione non exhauriat: hunc amorem proprium, amor alterius, ſed maximè Dei, victum, vinctumque continet; vndè fit vt amans ſui oblitus, maximo, & ſuprà ſolitas vires conatu extrà ſe feratur in amatum. Non parcit viribus, qui propriam vitam vellet profundere.

DVRATIO. Amanti vel minima dilatio apparet maxima, vndè quantum poteſt moras magno conatu redimit, vt fruitionem acceleret: Omnia tentat & aggreditur ſpe obtinendi in hac fruitione perpetuam fœlicitatem.

POTESTAS. Timet ſibi exprobrari impotentiam, vt defectum, quo poſſet ab ipſo averti mens amati; ſed vult in omnibus videri potens, vt naturæ & fortunæ dotes ſint inſignia quædam præjudicia, quibus præ cæteris meretur quàm ambit amati dilectionem.

COGNITIO. Amor induſtrius eſt. *Vide infrà Cogn. Volunt.* Nam inflammatis ſpiritibus, ſicque ſpeciebus exſuſcitatis, novas ad invenit artes, quibus vires naturæ ſuperat ad miraculum, vndè putatur magus. Intenta & continua pro re amata cogitatio, dolos, ſtratagemata ſuppeditat, & opportunè ſemper venientem excipit occaſionem.

VOLVNTAS. Amor imperat cæteris paſſionibus, vndè cum de objecti ſui conquiſitione agitur, illas omnes, vt ſubditas & ſtipendiarias ad arma vocat, quid autem non poſſit hac magnâ ſtipatus militum manu?

VIRTVS. Amans defectus naturæ aut fortunæ conatur virtutibus compenſare, has externas dotes, quas videt in arbitrio ſuo non eſſe poſitas, ſpernit, & totis viribus aſſequi conatur virtutes, quibus digniùs & potentiùs prometeri poteſt ejus quem diligit affectum. Sic temperantiâ, fortitudine, cæteriſque virtutibus; quaſi divinis qualitatibus illuſtris, mira præter hominum opinionem operatur.

VERITAS. Putat amore ſuo amati affectum ſe poſſe conſequi; Cum autem non poſſit internos cordis affectus prodere, illos probare conatur operibus, quaſi fidis teſtibus: ſibi proponit pro idæâ quidquid olim amantes præclari geſſerint aut gerere potuerint; hanc ſibi in agendis dicit legem, à quâ nefas putat eſſe deflectere, & datam amato fidem non ſervare.

GLORIA. Laborem lenit amoris indiviſa comes voluptas; gaudet enim ſe magna operari, quia hinc ſibi ipſi aliiſque fidem facit, ſe multùm, vt optabat, amare. Sic quod intendebat aſſequitur, ſic per reflexionem fruitur ſeipſo amor, etſi non fruatur amato; vt ignis hac reflectione magis inardeſcit, magiſque accenſus & fortior ad majora ſe diffundit.

DIFFERENTIA. Infirmæ ſunt vt plurimum animæ noſtræ vires, quia ad plura diſperſæ ſunt: at omnes in vnum colligit amor, cætera omnia averſatur; vnum amat, vnum ambit, ad vnitatem & apicem ſuum collecta anima; fit fortior in agendis; hoc acumine pervadit omnia.

CONCORDANTIA. Sympaticè vnita præſtantiores habent vires, quàm ſingulatim ſeparata, vt ad trahendum ferrum major magneti ferro, vt dicitur, amato vis. *Vide Poteſt. Concord.* Duas autem animas in vnum miſcet amor, & ex hac transfuſione major exurgit potentia, quàm ea, quæ ſingulis inerat ex amore proprio.

CONTRARIETAS. Flammæ magis inardeſcunt, ſi aquis leviùs inſpergantur: Sic amorem accendunt, & ad majora concitant æmulatio, iræ, ſuſpicio, ipſiuſque ſuſpicionis metus. Hoc continuo certamine exercitatus, ſuiſque victorijs audacior factus, nihil eſt quod non aggrediatur.

PRINCIPIVM. Amor eſt principium motus moralis, vis autem ſuperaddita principio magno apparatu ſe in ſubditas potentias diffundit. Sic calore vitali eſſentiâ Philoſophicâ fortificato, faciles fiunt naturales omnes operationes; ſic ſub bono, & potentiſſimo principe, fœlix populus; ex abundantiori fonte ampliores decurrunt rivuli. Ineſt partibus totius quædam imago; ſic in ſingulis potens amor probat ab amore omnia fuiſſe producta.

MEDIVM. Amor cogitabundus aptiora eligit media, & ſi non invenit, facit; ignis enim eſt in ſe omnia convertens, & aquis, quibus extingui putatur, inardeſcens: Peritus artifex, & circà opus ſuum maximè affectus, inepto etiam inſtrumento benè operatur.

FINIS. Viator termino proximus profundit vires ſuas, quas mox eſt reparaturus: ſpes proxima fruitionis prodigum facit amantem.

MAIORITAS. Amor puer alatus pingitur, quia ſibi ſemper accreſcit, & ad altiora evolat; Exceſſus in amore non imputatur vitio, vndè perfectè amantes extaſim patiuntur. *Vide Magnit. Volunt.* Hæc autem vis major etiam ad operationem ſe diffundit.

ÆQVALITAS. Amans concipit immenſas amati objecti dotes, & dum vult eas ſuis officijs æquare, in dies majora operatur, ſibique nunquàm ſufficit.

MINORITAS. Verè amanti ineſt hæc pro fundamento humilitas, ſe non poſſe tantùm famulari amato, quantùm meretur; ne tamen deſit officio, affectat copiam pudore defectus, & in omnibus conatur excedere: Etſi, inquit, peream in talibus, fœlix mors, quæ me totum dat ei, cui me totum ſacravi; fœlix hæc privatio, quæ me conſtituit extrà periculum, ad alia etiam affectu redeundi.

VIS AMORIS DIVINI.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus non vult liberalitate vinci à creaturâ; vndè homini qui ſe totum illi dat per amorem, ipſummet illi reſtituit, ſed longè meliorem, ſcilicet vitâ divinâ formatum, vndè mira ſuprà naturæ vires operatur.

MAGNITVDO. Quæcumque agat in temporalibus, licet omnium mereantur admirationem, exigua tamen illi videntur, tùm comparatione infini boni quod ambit, tùm immenſi deſiderij longè alia majora operandi; vndè creſcit divinum incendium, quò plùs adjicit materiæ; quò plus agit, plura vult aggredi, inexpleto amore, qui ad infinitum tendit.

DVRATIO. Vellet in prioribus ſæculis, aut ſaltem ab ipſo vitæ exordio Deo ſerviſſe, vndè dilationes & jacturas actionis intentione compenſat; cumque brevis & incerta ſuperſit vita, illius momenta omnia bonis impendit operibus: hac autem aſſiduitate & diligentiâ, nunquàm feriante, mirum eſt quantùm proficiat, & quàm ampliſſimum meritorum cumulum cogat.

POTESTAS. Non agit charitas viribus naturæ, ſed gratiæ, quæ poteſt omnia; agit in virtute Chriſti mundo imperantis: Rerum ergo maximarum actione non exhauritur, ſed datâ materiâ diffunditur vis hæc omnipotens.

COGNITIO. Quaſi diſcuſsâ nube lux ampliſſima mentem illuſtrat; quæ ſic cognoſcit vanitatem mundi, nihilum ſuum; præmia ſursùm elevantis gratiæ, videt propoſitas coronas; audit ad hæc præmia vocantem Chriſtum, ſic ſe præeuntibus ſanctorum turmis comitem jungit.

VOLVNTAS. Amoris divini flammæ purgant, tranſmutant, illuſtrant; quo plùs amat Deum homo, plùs intelligit; quò plùs intelligit, plùs amat, infinitâ quaſi circulatione reciproci influxus amoris & cognitionis.

VIRTVS. Charitas complectitur virtutes omnes, ad maxima peragenda neceſſarias: ineſt illi Iuſtitia, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Fides, Spes: hoc ſacro cœtu ſtipatus animus audet omnia, ſentit enim in ſe quaſi vnitas Hierarchiæ cœleſtis vires, quibus ſe putat inſtrui ad indefeſſam beatorum ſpirituum actionem.

VERITAS. Non eſt verus amor, qui circà temporalia verſatur, quia nec in iſtis verum eſt bonum: Vndè in ipſamet fruitione deluſa mens dolet, averſatur

notos defectus, nec insuper vlla, nisi larvata, exhibet officia: At mens amando Deum plùs reperit boni quàm intendit, & capere possit, ideò fœliciter hoc excessu superata explicat omnes voluntatis suæ sinus, omnesque potentiarum suarum vires, cum ad actionem venitur.

GLORIA. Fallit laborem inexplicabilis dulcedo, rapit ad maxima torrens ille cœlestis voluptatis; cum enim sit eadem vitæ & patriæ charitas, jam aliquid ejus præmij assequitur, aliquid scilicet impassibilitatis.

DIFFERENTIA. Vt essentiæ Chymicæ ab impuro separatæ sunt incorruptibiles, & ad miraculum activæ; sic in actione validus & indeficiens est animus, quem divina charitas à mundanis expurgavit; totus in se & in vnitatem suam collectus, totum se & impartitum tradit perfruendum & movendum divinæ voluntati & vnitati: sic mortale consumitur ab immortali, & deficientes priùs naturæ vires in divinam quandam exurgunt omnipotentiam.

CONCORDANTIA. Amor in limitatis fortunæ bonis timet æmulos: At divinus amor, quia versatur circà bonum infinitum, quærit socios, vt sibi nunquàm satis ex votis officio ferant opem. Vult itaque Deum ab omnibus creaturis agnosci & coli, & vt hoc assequatur omnia pertentat charitas, ab ipsismet, quos promovet novas vires acceptura: Inter multos commilitones fortiter decertantes, vel ignavissimis succrescit animus; habet autem pro Dei glorià propagandâ confœderatos omnes Angelos, omnesque fideles vivos & defunctos.

CONTRARIETAS. Charitas non extet, etur adversis, cum & ipsamet exoptet ad sui probationem, & vt vitam, quasi holocaustum, Deo offerat.

PRINCIPIVM. Vires omnes suas in actione explicuæ si fideliter cedant, totum hoc refert gratiæ in se agenti, & quasi primo moventi; siu minùs, boni tamen consulit, scit enim nihil mali evenire posse præter ordinem divinæ providentiæ, quæ etiam ex malis bona elicit.

MEDIVM. Ministri & legati ejus Principis à quo mittuntur Majestatem & confidentiam induunt. Sic qui amat Deum se fidelem & generosum negotiorum ad ejus gloriam pertinentium gestorem exhibet, nec timet maxima quæque aggredi, cum partes agat omnipotentis; exhibet se vt instrumentum in manu Dei moventis, & confert quam habet libertatem, ne mirabilium opifici resistat.

FINIS. Plùs concipit spiritus, qui majus spatium saltu est transmissurus; velocior est gressus viatoris, cui magnum iter brevi tempore est peragendum. Magnum, imò infinitum quid intendit Deum amans, vndè magno impetu fertur in agendis; antequàm deficiat vitæ hujus dies, conatur, saltem à longè, videre fœlicitatis suæ terminum.

MAIORITAS. Plùs agit quàm ferant naturæ vires, & sanè tanta non capetet nisi divinitus dilatata mens: Ex hac autem sibi semper accrescente amplitudine oritur indeficiens in agendis confidentia, & hic Apostolicus ardor, prætetita oblitus, vt ad vlteriora feratur.

ÆQVALITAS. In hoc sibi semper est æqualis amor divinus, quod pari semper zelo, sibi in dies accrescente, ad majora feratur; hic suus est status, ad altiora ferri, invictâ constantiâ.

MINORITAS. Gaudet interim homo nihili sui contemplatione, vndè major auxilij & amoris in se divini fides; quò plùs enim proprijs vacuatur, divinis impletur, quò plùs in se deficit, eò magis divinâ virtute sublevatur: sic gaudet Apostolus in infirmitatibus suis, vt inhabitet in ipso virtus Christi; quis autem actionis modus, si ipsamet infirmitas ad augmentum conferat?

COGNITIO VOLVNTATIS.

QVOMODO COGNOSCITVR INTERIOR AFFECTVS.

MISCELLANEA.

NVLLA vehementior intrà cogitatio est, quæ aliquid non meveat in vultu, sed si alij effectus apparent, ira eminet, &c. Senec. 1. de irâ. c. 1.

In corde est vnicus nervus, quo abciso non moritur animal, sed fit mutum, hic enim nervus pervadit à corde in cerebrum, quo cæteri sensus moveantur ad exprimendum affectum.

Qui vult amari, amorem suum testetur nullâ relictâ suspicionis occasione. Sic Princeps non pernoctet cum exercitu in civitate, in quam vt amicus admissus est, vt tollat suspicionem, cujus sunt semper infœlices effectus.

Princeps det magna benevolentiæ suæ signa his quos amat, vt circà ipsos cæteri similiter afficiantur.

Oculis & auribus animalia mutuò aliorum percipiunt affectus.

Appetitum sensitivum, semper sequitur aliqua mutatio in corpore, maximè in corde, quod est ejus organum, & principium motus in animali.

Angeli sibi invicem loquuntur, immittendo species intelligibiles liberas.

Actus voluntatis, cum sit in ratione intelligibiliter, necessario cognoscitur ab intellectu. D. Thom. 1. q. 87. a. 4.

Affectum hominis per se quidem solus Deus videt, sed secundùm quod per aliqua signa manifestatur, potest etiam ipsum homo cognoscere. 1. 2. q. 112. a. 5.

Solus Deus cognoscit cogitationes cordis per se, Angeli autem & Dæmones per signa, & cum vo-

luntas procedit in actum exteriorem. 1. q. 57. a. 4.

Voluntas Dei duplex, ſcilicet ſigni & beneplaciti, quæ ſigna ſunt quinque, ſcilicet prohibitio, præceptum, conſilium, operatio, & permiſſio. q. 12. a. 11.

Obligatio ſit homini verbo interiori, Deo autem verbo exteriori. 1. 2. q. 88. a. 1.

Plato Dijs quandam dialectum attribuit, in conjiciens, ex ſomnijs, oraculis, & ex Dæmoniacis, qui vtuntur dialecto propriâ Dæmonibus, à quibus poſſidentur. Exiſtimat etiam animalia cujuſlibet ſpeciei proprias habere dialectos, quibus ſe exaudiunt. Sic ſi elephas in cœnum ceciderit, emittit vocem, quâ auditâ ab vno, ille cæteros monet. qui veniunt in auxilium; ſic fertur piſcem qui è retibus evaſerit ſic cæteros monere, vt eâ die nullus ejuſdem ſpeciei capiatur. Clemens Alexand. lib. 1. ſtromat. c. 13. Sic refert Philoſtratus in vitâ Apollonij Apollonium intellexiſſe vocem avium, vt paſſerem cæteros de frumenti acervo monentem cognoverit. Homo cùm ſit rationis & veri capax, ad ejus enunciationem ampliſſimum accepit ſermonis vſum.

Loquere vt te videam, inquiebat Philoſophus adoleſcenti. Vt odor quæ ſunt in vaſe, ſic ſermo ea quæ ſunt in mente aperit. Novem Muſæ ſub Appolline ſignificant novem vocis organa, guttur, linguam, palatum, quatuor dentes, duo labra.

COGNITVS AMOR.

AMor operibus probatur & maximè adverſis, vt aurum igne. *Vide Veritas Voluntas.*

Hominibus in ſolatium miſeriæ datus eſt à Dijs ſermo, qui aperiat & foveat affectus, quibus ſtat humana ſocietas; hic vnus ex præcipuis effectibus ignis cœleſtis, quem Prometheus ex officinâ Minervæ ſublatum indidit menti humanæ. Plato in Protagora, ſeu Sophiſta.

Humana voluntas non poteſt cognoſcit, nec à priori, quia non habet cauſam moventem determinatam, cum ſit indifferens; nec à poſteriori, quia mutabilis eſt, nec eâdem it viâ.

Amoris nullus eſt pulſus proprius, tamen Eraſiſtratus dicitur ex pulſu deprehendiſſe adoleſcentis animum, & amorem. Galenus in Hypocrat. procogn. 8.

Amor in homine ſcelare ſe, ſed celare non poteſt, quantumvis opertus ſit, apertus fiet, & dum amantis cor culum tacito dolore rodit, palàm colore prodit.

Ignis ſuo ſe prodit lumine; alligabit quis ignem in ſinu, & veſtimenta non comburet, ideſt exteriùs non apparebit?

Facilè pueris creditur, ad quos pervenit vt vera dicant, non vt fingant. Amor puer eſt: hic ignis vt Veſuvij & Æthnæ latens in viſceribus, habet tamen ora quibus æſtuet.

Oſculetur me oſculo otis ſui: non dicit ille aut ille: ſic Magdalena Chriſto ſub formâ hortulani ſibi apparenti, dicit, Domine ſi tu ſuſtuliſti, dicito mihi non nominat, quia palàm omnibus eſſe credit, quem tot indicijs manifeſtavit, & quem ne ad momentum quidem à ſuo corde recedere patitur: vndè tanquam amoris ſui conſcio loquitur. D. Bernard. Serm. 7. in Cantica.

Dilectus meus mihi & ego illi. Cant. 2. Affectus loquutus eſt, non intellectus: & ideò non ad intellectum, neque vt exprimeret ſic loquuta eſt, ſed ne taceret: habent ſuas voces affectus, per quas ſe etiam cum nolunt produnt: ſic dolentes planctus, mœrentes gemitus, percuſſos & paventes ſubitæ & efferatæ clamitationes, ſaturatos denique ructus indicant non præmeditati. Nec nutu prodeunt animi, ſed erumpunt motu: ſic flagrans amor, pro raptandâ quantulacumque evaporatione ardoris ſui, quidquid in ore occurrit, eructat, aliquando ſolis ſuſpirijs contentus. Idem. Ibidem. Serm. 67.

Etſi gaudet amor ſecreto, vt vla læ vmbris, odore tamen percipitur.

Vidua non ſit infamis, ſi non ſervet luctum in habitu, ſed ſi nubat intrà annum. l. 15. C. ex quib. cauſ. infam. irroger.

Terra fœcunditati proxima amorem ſuum teſtatur floribus, aves illum vbique clamitant ſuo cantu, veris tempore, & cætera animalia, inquieto motu, magniſque clamoribus: Cœlum terræ maritus, varijs fulget ſplendoribus.

Intrà ſe habent ſapientes quandam privatam gratiam, & quandam linguam Angelorum, quâ inter ſe loquuntur mutuis affectionibus, ſpirituali quadam gratiâ communicantur in hoc ipſum exterioribus aſpectibus; ſicut enim in mente futuræ vitæ beatitudinem prælibare videntur, ſic de corporum ſuorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi ſunt, in hac vitâ non nihil percipiunt. D. Bernard. lib. de naturâ & dignitate amoris divini. cap. penult.

Homines gaudent pulchra in manibus habere, vt flores, gemmas; ſic enim palam profitentur ſe pulchritudinis eſſe amatores. Athenæ. lib. 12. c. 31.

Penes nos occultæ conjunctiones, ideſt non priùs ad Eccleſiam profeſſæ, juxtà mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Tertulian. lib. de pudicitiâ. cap. 5.

Vndè ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem ejus matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatam Angeli renuntiant; Pater ratum habet: nam nec inter ſe filij ſinè conſenſu Patrum ritè ac jure nubunt. Idem lib. 2. ad vxorem in fine.

Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. de reformat. matrimo. cap. 1. damnat clandeſtina matrimonia. An Patris conſenſus ſit neceſſarius. *Vide Concordantia Volum.*

In pulvere tormentario, compreſſio & incarceratio flammæ auget ejus furorem; in reliquis porohs compreſſio extinguit ignem, vt in filo candelæ.

Aves circà coitum ſunt maximè loquaces. Plin. lib. 11. cap. 5.

Vnguentorum ſumma commendatio eſt, vt tranſeunte fœmina, odor invitet etiam aliud agentes. Idem lib. 13. c. 3.

Mercurius junctus Veneri, prodit amores & pervulgat. Ptolomæ. lib. 4. cap. 5.

Medicus juvenem ex amore ægrotantem deprehendit, manu circà cor admotâ & advocatis omnibus domeſticis, vbi ingreſſa eſt, quam ſecretò amabat, totus cæpit commoveri, corde præter ſolitum ſubſaliente. Lucian. dial. de Syriâ Deâ.

EX JVRE CIVILI.

QVemadmodùm teſtamenta aperiantur, deſcribantur, & inſpiciantur. ff. 29. tit. 3. Cod. 6. tit. 12.

De Codicillis. Inſt. 1. 25. Cod. 6. tit. 36.

De præſcriptis verbis, & in factum actionibus. ff. 19. tit. 5.

In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur. l. 12. ff. de Reg. Iur.

Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia,

Digitized by Google

de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. l. 1. ff. qui teſta. fac. poſſ.

Conſuetudo vim habet legis, non enim intereſt an populus voluntatem ſuam declaret ſuffragio, an rebus ipſis & factis. l. 32. ff. de legib.

Qui loqui non poteſt, alio modo quàm ſermone, voluntatem ſuam manifeſtam facere poteſt. l. ſi pater. 29. ff. de adoption.

Arrhæ dantur, non quod ſinè illis non ſit conventio, ſed vt evidentiùs probari poſſit convenisse de prætio. l. 35. ff. de contrah. emptio.

Annuere dicitur qui inclinat caput ſuum, & ſic dicitur affirmare. l. 1. §. ſi quis. ff. de verb. oblig.

Cenſetur obligationi conſentire, qui inſtrumentum obligans ſuâ manu conſcripſit. l. 16. ff. de Pign. & Hypoth.

Si maritus dubitet an ſervus dotalis debeat adire, aut repudiare hæreditatem, debet ſuper hoc coràm teſtibus petere & interrogare vxoris voluntatem. l. 58. ff. ſolut. matrim.

Qui ſe tutorem ſcripſit. *Vide infrà*, tacita voluntas.

Cum in verbis nulla eſt ambiguitas non debet admitti voluntatis quæſtio. l. 25. ff. de legat. 3.

Formam fecit negotij, ſi in inſtrumenta ità ſuperſcriptum ſit, De formâ: quia titulus debet convenire diſpoſito. l. 2. ff. de ſtatu homin.

TACITA VOLVNTAS.

QVi ſe tutorem in teſtamento alteriùs conſcripſit, cenſetur conſentire, ideò non habet excuſationem. l. 29. ff. de teſtam. & l. 18. ff. de l. Corn. de falſ.

In quibus cauſis pignus tacitè contrahitur. ff. 20. tit. 2. Cod. 8. tit. 15.

Si debitori meo reddiderim cautionem videtur inter nos conveniſſe ne peterem, & pro futura eſt rei conventionis exceptio. l. 2. ff. de pact.

Invecta, illata, in vrbanas habitationes pignori eſſe locatori cenſentur, licet nihil nominatim convenerit. l. 4. ff. de pact.

Poſſum te obligare & pecuniam accipere vt te à vi hoſtium, aut populi liberem, nec teneor actione quod metus causâ. l. metum. §. ſed licet. ff. quod met. cauſ.

Si Exercitor ſcit & paſſus eſt talem in navi magiſterio fungi, ipſe eum impoſuiſſe videtur. l. 1. ff. de exercit. actio.

Abſentes dicuntur diſſentire, niſi quando ſi præſentes eſſent, neceſſe haberent majori parti conſentire. l. ſi præcedente. ff. mand.

Hæreditatis aditionem inducit omnis actus, qui geri non poteſt citrà jus & nomen hæredis. l. pro hæredi. ff. de acquir. hæred.

Hæres petens tempus ad deliberandum cenſetur tacitè adire velle hæreditatem. l. 22. & gl. Cod. de Iur. delib.

Pater conſentire videtur nuptijs filij, quibus non contradicit. l. 3. C. de nupt.

Qui remanet vltrà ſuum tempus in te conductâ, videtur de novo conduxiſſe. l. 16. legem. Cod. de locat. & cond.

Semel donata intelliguntur in perpetuum donata. *Vide Duratio Volunt. & Durat. Bonit.*

Qui ſervum ſuum inſtituit hæredem, aut filiorum tutorem, tacitè libertatem dare intelligitur. Inſt. de tutorib.

Qui in alieno fundo ex ſuâ materiâ ædificat, ſi ſciat alienum, cenſetur hanc materiam alienaſſe. §. 30. Inſt. de rer. diviſ.

Pater cenſetur conſentire voto filiæ, qui cum illud cognovit, ſtatim non contradixit. Num. 30. Sic de voto mulieris, cui non contradixit vir.

Servus fugitivus ignorante populo Prætor factus, Prætor remanet, & benè ſe geſſiſſe habetur, quia ſi populus ſciviſſet eum ſervum, ei libertatem dediſſet. l. 3. ff. de offic. prætor.

Si ſervus ſciente & non contradicente Domino ſuo in clero fuerit ordinatus, liber erit. can. ſi ſervus. 54. diſtinct.

In adoptionibus, cùm expreſſus Patris aut Avi conſenſus deſideratur, ſufficit ſi filius non contradicat. l. 5. ff. de adopt.

Pro tempore pro quo vſura ſolvitur, tacitum pactum de non petendo inducitur. l. 57. ff. de pactis.

REPVGNAT latens amor.

IGnis diutiùs in vmbrâ quàm ad ſolem conſervatur, quia in vmbrâ frigus circumſtans calorem ignis reprimit, nec effluere ſinit; ſolis autem calor eundem diſſipat ac diſpergit. Ignis ſub cinere. Ideò Pythagorici prohibebant veſci corde.

Amor vehemens lento & muto dolore inter remedia deperit: etiam in cordis tumulo vivunt ſepulta deſideria; & quaſi terrâ conditæ radices pullulant.

Ignis ſub terrâ vehemens; per reverberationem fit violentior. Majores ſunt fulgurationes, quæ ex ſpiſſioti & obſcurioti nube procedunt.

Latet amor, quia timet æmulos; Recondit vt theſaurus; Sibi ipſi addit prætium, majeſtatem, imò & myſterium ex ſecreto; quaſi ſit quid ſacrum, diffidens ſibi de poſſeſſione, parcit famæ ſuæ & rei amatæ pudori. Vide infrà Secretum hoc titulo. *Vide Cognit. Virt. Repug.* Dei dona non vulganda.

Apud Lacedemonios clandeſtina ferè omnia erant matrimonia, & nupta neſciebatur donec venter intumeſceret: in furtivo amore plùs eſt ardoris, ex majori amore fœlicior partus. Plutarchus in Lycurgo.

Maria omnia invicem communicant etiam, diſſita, occultis & ſubterraneis meatibus, itavt dici poſſit mare vnum; dixit enim Deus, Congregentur aquæ in locum vnum. *Vide Concord. Virtut.*

Secretum alit amorem. *Vide Duratio Volunt.* Conſtantia in amore, in fin.

Iecur omento circumdatum menſis apponebatur, illudque jecur pudibundum vocabant. Athenæ. lib. 3. cap. 14. In fecore dicitur eſſe cupiditas.

Aqua, & aër, acerrimo, & tanquam furenti calore fervefacta, nihil tamen lucis adipiſcuntur, nec ſplendent.

Quæ poteſtate & operatione ſunt maximè calida, vt ſpiritus vini, olea aromatum chymica, etiam olea vitrioli & ſulphuris, & ſimilia, quæ paulò poſt adurunt, ad primum tactum ſunt frigida.

Sponſa quærit cavernam materiæ, foramina petræ, &c. Secretum meum mihi: hinc amaſiorum transformationes à Poëtis deſcriptæ, peregrinationes, nocturnæ deambulationes, ſuſurri, & cætera tenebrarum negotia. Factæ eſt nox, in ipsâ pertranſibunt beſtiæ ſilvæ. Pſal. 103. *Vide Minuit. Bon.*

Animalia per hyemem exteriùs frigent, cum in interiori magis caleant.

Oriens murrhina mittit humorem, putant ſub terrâ

terrâ calore denſari. Plin. lib. vlt. cap. 2.

Venus & Iupiter aliquo annexi aſpectu faciunt quidem appetentes venereorum, ſed tamen vt contineant ſe, & caveant ab infamiâ. Ptolomæ. lib. 4. cap. 5. Latentem facit amorem Venus occidentalis ſub terrâ in geneſi, & Mercurio non configuratâ.

Zelotypi ſæpè amati perfectionem verbis obſcurant, ne alios in eundem amorem alliciant; turbant aquam, ne alij de illâ velint bibere, &c.

AMOR EST INTELLIgens & ſapiens.

MArſil. Ficin. in Platon. conviv. orat. 3. Probat amorem eſſe Magiſtrum artium quia nemo ad illas aut docendas, aut dicendas fertur, niſi amore incitatus, ſeù indigentiâ velit repleri, ſeù abundantiâ exuberare, nam deſiderium hoc perfectionis propriæ propagandæ cunctis ingenitum latentem fœcunditatem explicat, dùm ſemina in germen pullulare compellit, & conceptus educit in lucem. Amor eſt boni & pulchri: artes autem omnes ſectantur bonum & pulchrum.

Ignis ſurſùm elevat chartam, in quâ pulvis pyrricus incenſus continetur. Aves, amoris tempore ſuaviùs cantant, pulchriores apparent, & magis induſtriæ in nidorum ædificatione, & pullorum educatione: feræ amore ſicurantur: ferrum igne quidem primo mollius, & ſplendidus redditur, ſed poſteà fit fortius & tranſmutatur in chalybem.

Ardentes amore Seraphim cæteros illuſtrant: ſic ex Academicorum ſententiâ, priùs debet eſſe amans, qui vult eſſe ſtudioſus, pulchritudinis enim amore ad contemplationem accenditur.

Venus à latinis dicitur Lucifer à Græcis φωσφορος, quia nos ducit ad ſolem: illum etiam ſubſequitur, & ob id dicitur Veſper; cognitum enim bonum ardentiùs amamus. Incaleſcamus hoc igne non comburamur.

Tutelam adminiſtrare virile munus eſt, tamen hoc officio matres fungi poſſunt, quaſi infirmitatem ſexus amor ſuppleat. l. 1. & 2. Cod. quando mulier tutelæ officio fungi poſſit.

Venus fingitur mater harmoniæ, Mercurius Planeta habet ſua domicilia in Geminis & Virgine, quæ ſigna caſtum deſignant amorem.

Proprium eſt delectationis, quæ amorem comitatur, dilatare animum, vt magis objectum ſuum capiat. D. Thom. 2. 2. q. 33. 1.

Actiones nobis contingunt eadem & ſimili proportione, quam ſervant in ſuo motu planetæ, iiſdem actionibus præſidentes; vt lentior Saturni motus, quàm Iovis, ſignificat plùs temporis impendendum in contemplatione quàm in actione: Venus autem & Mercurius & Sol vno anno circuitum ſuum conficientes ſignificant tantùm eſſe cognitionis & induſtriæ, quantùm amoris & charitatis.

Fernelius Phyſiologiæ, lib. 5. cap. 9. multis rationibus & experimentis probat appetitum naturalem non pendere à ſenſu. *Vide ſuprà Minoritas Cognitionis Bona.*

Athenis in Academiâ Palladi conſecratâ, erat etiam amoris ſtatua, cui fiebat ſacrificium. Athenæ. lib. 13. cap. 5.

Primus inventor Muſicæ amatorias odas cecinit. Athenæus lib. 14. cap. 15.

Philoſtratus refert Indorum ſapientes, ſoli propinquiores, eſſe mente magis acutâ: nam ſplendor ſiccus, animus ſapientiſſimus. Photius. Biblioth. c. 44.

Pauſias pictor amavit Glyceram, coronas ex floribus contexentem; certavit imitatione ejus, & flores omnes picturâ expreſſit. Plin. lib. 35. cap. 11.

Canis minor veltereus eſt. Ptolomæ. præd. lib. 1. cap. 8. ſignificat ſolertem amoris indagationem.

Tot ſunt artium venæ, quot hominum concupiſcentiæ. Tertulian. de Idololatria. cap. 8.

Initio fortè contigit igni, vt attenuaretur in lumen. Marſil. Ficin. in Plotin.

AMORIS DIVINI illuſtrationes.

SPiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ideſt ſuper Angelicum intellectum, adhuc abyſſum; hinc motus intellectus & converſus ad Deum eſt illuſtratus: vndè factum eſt veſpere & mane dies vnus, per lucem ſcilicet formarum intelligibilium. Picus Mirandul. in Heptap.

Cognoverunt Plato & Pythagoras, aliter nos habere ad finita bona, aliter ad infinitum bonum; finita enim bona priùs à nobis cognoſcuntur quàm amentur; infinitum autem amatur antequàm cognoſcatur, quia neceſſe eſt amor præcedat, cum non poſſit ſubſequi, non enim præcedet cognitio, quia infinitum à finito intellectu comprehendi non poteſt, ſed dùm amatur priùs, amor amantem transferens in amatum, ſic ſupplet quod deerat in illo perfectionis. Angeli imitantur corpora diaphana, quæ lumini oppoſita lumen recipiunt; nos autem ſimiles ſumus corporibus terreſtribus & opacis, quæ priùs debent igne conſumi, quàm ignis lucem referant: priùs ergò debemus igne cœleſti lumine fulgere. Spiritus terrenis conjuncti corporibus transformantis amoris medio indigent, quo purgati in divinam ſimilitudinem, & lucem transferantur: Hinc Porphirius ait, Inquiſitio quidem divinorum purificat animum; amor verò deificat. Naturalis ſitis liquorem appetit priùs, quàm ſenſu nos ſitire agnoſcamus, qui ſenſus eſt imaginarius & à ſubſtantiâ noſtrâ remotus; ſic intimo ſenſu rationem præcedente mens appetit Deum, vndè anima eſt aurum ignitum, quia per formam ignis divini calefit, rareſcit, & fulget. Marſil. Ficin. Theol. Plato. lib. 3. c. 3.

Solis & cœli influxus altiora penetrat quàm lumen, amore divino inieſt vis omnipotens, quæ infimas etiam mentes poteſt ad ſuperna elevare; Cum verò ignis atque ſol lumen latiùs propagare ſoleant quàm calorem, conſentaneum eſt, quouſque divini ſolis radius calefaciendo protenditur, eouſque multò magis poſſe illuminando protendi, ergò mentes humanæ, ſicut inde accenſæ, divinum quotidie appetunt bonum, ità & illic divinum quandoque verùm illuminatæ conſpiciunt, eoque fœliciter perfruuntur. Id. lib. 8. cap. 8.

Vt ſagaciſſimi canes virtute olfactus inveniunt quod non vident oculis, ſic quæ non poſſumus per intellectum, habemus per ſuperiorem animæ virtutem. Aberrat ſæpè cognitio, ſed non aberrat affectus naturalis: Vndè patet omnia à Creatore potiùs per voluntatem quàm per intelligentiam fuiſſe creata, vt autem ab amore proceſſerunt, ſic per illum convertuntur: hic amor nihil eſt aliud quàm raptus, à primo cunctis illatus, non videmus trahentem, vt nec vim à magnete in ferrum emiſſam: Voluntas

ergo eſt porta, per quam animæ per creationem & recreationem ingrediuntur. Vndè David. Attollite portas Principes veſtras, &c.

Tertium cœlum eſt Venus, ſeu charitas, Soli contigua, ad hoc tertium cœlum raptus Paulus, audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.

Vndè in hac vitâ melius eſt Deum amare quàm cognoſcere, quia Deum nemo verè cognoſcit; verè autem amant illi Deum, quoquo modo cognitum, qui ſpernunt omnia propter ipſum. Sicut deterius eſt odiſſe Deum, quàm ignorare, ſic meliùs amare quàm noſſe; perſcrutando Deum, longiſſimo tempore minimum quid proficimus; amando, breviſſimo plurimùm: quia vis cognitionis in diſcretione conſiſtit magis, amoris autem magis in vnione; quin etiam gratius ipſi Deo eſt amari quàm proſpici: nihil enim Deo tribuimus intuendo, amando verò tribuimus, quidquid & ſumus & poſſidemus; amantibus ergò Deus ſeipſum tribuit potiùs quàm ſcrutantibus. Cognitione Dei malè poſſumus vti, ſcilicet ad ſuperbiam; amore Dei malè vti non poſſumus, & amando Deum longè majorem quàm perſcrutando percipimus voluptatem, & meliores amando efficimur quàm inquirendo: Imò ſicut non qui videt bonum, ſed qui facit & vult fit bonus; ità animus non ex eo quod Deum conſideret, ſed ex eo quod amat, fit divinus; vt materia, non quia lucem ab igne capiat, ſed quia calorẽ ignis evadit calida. Cognoſcendo Deum, ejus amplitudinem contrahimus ad mentis noſtræ conceptum; cognitio per acceptas imagines agit paucorum eſt, & intermiſſa: At amando mentem amplificamus, ad latitudinem divinæ bonitatis immenſam & æternam; ſic attollimur in Deum; cum per cognitionem Deum in nos dejiciamus. Cognitio humana finita eſt, voluntas in ſolo primo & vero quieſcit bono. In amore maximè conſiſtit Religio, quæ eſt humanarum actionum excellentior, vt quæ nos Deo propinquius conjungat. Marſil. Ficin. Theolog. Platoni. lib. 14. in fine.

Amor boni intellectualis eſt quaſi forma, per quàm mens videt & poſſidet illud lumen; diſputationes doctrinæ ſunt quaſi colliſiones luminum; amor, qui ſtat in vnitate, ſplendorem habet fixum, vnitum, fruentem, experimentalem. Idem in Theolog. myſticam. D. Dion.

Lucerna fulgoris eſt verus amor, ardens in mente per deſiderium, & ſplendens in facie per exemplum, & hic amor jam natus non eſt, & purè naturalis, ſed indutus fontani amoris radio: jam infuſus, jam purgatus, & elevatus ſuprà naturæ potentiam, in quâ deformis, impotens, & depreſſus erat. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris; Amor infuſus, fulgor oculi in lumine, vel veriùs lumen efficax in fulgore. Idiota in contemplat.

Ignis ſurſùm tendens fertur ad originem lucis.

Ars eſt artium ars amoris, cujus magiſterium ipſa ſibi retinuit natura, & Deus autor naturæ: ipſe enim amor niſi adulterinis affectibus præpeditus fuerit, ſeipſum docet, ſed docibiles ſui, docibiles Dei. D. Bernard. lib. de dignitate amoris divini. *Vide Princip. Cognition.* Scientia à Deo.

Sponſa non ſcientiam, ſed ſtatim oſculum petit. D. Bernard. ſerm. 7. in Cant.

Sicut fecimus, ſic audivimus; divino quodam impetu priùs faciunt, deinde conſultant an ſecundùm leges. Philo.

Attingimus Deum immediate per id quod in nobis præcipuum eſt, ſcilicet per voluntatem, quæ cæteris imperans potentijs habet radicaliter & eminenter, vt ſuperior, illarum vim, lucem ſcilicet intellectus.

A Amicis creditur conſilium, quibus dicitur, Omnia quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis, exponit. B. Gregorius, quia amor ipſa notitia eſt. D. Bernard. ſerm. de diligendo Deo.

Amor animam à multitudine tùm alienâ, tùm ſuâ, ad propriam revocat vnitatem, per quam ipſi vni copuletur, ſic quaſi diſcuſſis nebulis, & ſublatâ confuſione, ad ſolem accedens lucidum, fit lucida. Ignis antè ipſum præcedet: ſcit enim anima quoniam juxtà eſt Dominus, cum ſe ſenſerit illo igne ſuccenſam, & dixerit cum Propheta. Tren. 1. de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me, & illud. Pſal. 38. Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. D. Bernard.

B Ipſe eſt amor noſter, quo ad te pertingimus, quo te amplectimur; ſic ô incomprehenſibilis majeſtas comprehenſibilis eſſe videris animæ te amanti, nihil nullus ſenſus cujuſlibet animæ vel ſpiritus te comprehendat; tamen te totum quantus es comprehendit amor amantis, qui totum te amat, quantus eſt; ſi tamen eſt totitas, vbi non eſt particularitas, ſi quantitas, vbi non eſt tantitas; ſi eſt comprehenſibilitas, vbi hæc omnia non ſunt. Idem lib. de amore Dei.

Plùs valet in Dei inquiſitione vivendi quàm loquendi modus, & plùs cogitando & orando proficitur, quàm legendo & audiendo. D. Aug. Epiſt. 112.

Verbum non eſt ſonus auribus ſtrepens, ſed imago mentibus innoteſcens, vt illic internâ & ineffabili luce clareſcat: ſic Philippo dicebatur, qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodò videbat, & non videbat, hujus viſionis eximius concupitor Ambroſius ſuper Lucam dicit; cum abſens putatur, videtur, & cum præſens eſt non videtur. Non ad hominem diſputatorem, ſed ad Deum ſalvatorem pulſet, vt quod non valet valeat. Ibid.

Aliquandò currunt fontes in tenebris, & aliquandò in Eremo pateris ſolem, non inveniens fontem: Deus autem lux eſt illuminans cæcos, & fons ſatians ſitientes, præpara oculos & fauces. Pſal. 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos, & in lumine tuo videbimus lumen.

D Licet Cherubim ſint ſublimes cœlorum poteſtates, tamen ſi velis eris Cherubim: ſi enim Cherubim ſedes eſt Dei, audi quid dicat ſcriptura. Sap. 7. Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ, quomodo, inquis, ero plenitudo ſapientiæ: quis hoc implet? habes vndè impleas, plenitudo legis, charitas. Noli per multa ire atque diſtendi: terret te ramorum diffuſio, radicem tene, & de magnitudine arboris noli cogitare: ſit in te charitas, & neceſſe eſt plenitudo ſcientiæ conſequatur, quid enim neſcit, qui charitatem ſcit, quandoquidem dictum, Deus charitas eſt? D. Auguſt. ſuper illud. Pſal. 79. Qui ſedes ſuper Cherubim.

Fide, ſpe & charitate ſubnixus homo poteſt vive-
E re in ſolitudine ſinè codice, non indigens ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos: Ideò dicit Apoſtolus, permanſuram charitatem, etiamſi Prophetiæ ceſſabunt. Idem.

Quia feciſti nos Domine ad te, inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te; Da mihi Domine ſcire & intelligere, vtrùm ſit priùs invocare te, an laudare te; & ſi ſcire te priùs ſit, an invocare te, ſed quis te invocat neſciens te? an potiùs invocatis vt ſciaris? (& concludit;) Quæram te Domine invocans te, invocem te credens in te, prædicatus es enim nobis. D. Auguſt. lib. 1. confeſſ. c. 1.

Sicut melior eſt & potior qui poſſidet arborem, & de fructu ejus gratias agit, quam qui novit illius altitudinem, latitudinem, &c. Id. 5. confeſſ. 4.

Amare Deum plùs poſſumus quàm cognoſcere:

amando plùs nobis proficimus, minùs laboramus, illi magis obsequimur; malumus tamen semper quærendo per cognitionem nunquàm invenire quod quærimus, quàm amando possidere. Picus Mirandul.

Seraphim Angeli amoris, vt superiores, purgant illustrant, perficiunt cæteros.

Christus, verbum incarnatum, conceptus est de Spiritu sancto.

Amor oculus est, & amare videre est, quia vbi intellectus caligat, amor penetrat. Hugo de S. Victore.

Cognitio est propter amorem & charitatem, vndè charitas est in superiori ordine; quæ autem sunt superiora continent eminenter inferiorum virtutes; vndè amor ex se est intelligens; sic non ab artibus amor: sed ex amore artes; sic Seraphim non accipiunt lucem à Cherubim, sed contrà.

D. Paulus. Ephes. 3. describit charitatem scientiam præcedentem. In charitate inquit radicati, & fundati, vt possitis intelligere quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum: scire etiam supereminentem claritatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Donum sapientiæ non est causa charitatis, sed effectus ejus. D. Th. 1. 2. q. 45. a. 6. ad 2.

Anima est imago Dei, vndè magis in se Deum videt quàm in creaturis, quæ illius tantùm vmbram præferunt: illustratur autem maximè, cum ad solem suum convertitur.

Verbi lingua, favor dignationis ejus; animæ vero, devotionis fervor: elinguis est anima atque infans, quæ hanc non habet, & non potest ipsi vllatenùs esse sermocinatio cum verbo; & hanc ipsam linguam verbum movere præsentit; nec etiam ipsum verbum quod movet potest latere: loquutio verbi infusio doni; Responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio. D. Bern. Serm. 45. super cantica.

Sæpè verius orando quàm investigando penetramus: cum enim mens ad alta sustollitur, omnia sub se posita dijudicando certiùs contemplatur. D. Gregor. 1. Moral. 1.

Sapientia humana est vt sol, qui ostendit quidem terrenum globum, sed cœlestem stellis fulgentem, ipsamque cœlestem pulchritudinem obsignat.

Dicitur de Ioanne, quod erat lucerna ardens & lucens; quia ex fervore splendor, non fervor debet procedere ex splendore. *Vide Cognit. Virt.* Ex Theologiâ in fine.

Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, &c. Ioan. 17. Vita æterna præmium est; non autem debemus poscere præmium antè merita, & ipsa vita æterna est cognitio veritatis: quamobrem videte quàm sint perversi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere vt perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit præmium: quid ergo agendum est nisi vt eum, quem cognoscere volumus, priùs plenâ charitate diligamus? D. August. lib. de moribus Ecclesiæ Cath. c. 26.

REPVGNAT.

OCCVLTA VOLVNTAS seu Secretum.

REligionis secreta mysteria. *Vide Miseriæ Cognitionis Bona.*

Habebant olim ædificia inextricabiles aditus, ex quibus nisi consueti evadere vix poterant; ità etiam vrbem non oportet facere penetrabilem. Arist. 7. Polit. cap. 11.

Sæpiæ, vbi piscantem sensere, effuso atramento, quod pro sanguine illis est, infuscatâ aquâ absconduntur. Hoc etiam faciunt advenientibus voracibus piscibus. Mathiol.

Anguillas qui piscantur, aquam solent turbare; Cameleon cum non possit fugere mutat colorem, & rebus sibi vicinis assimilatur.

Ludovici 12. Galliarum Regis dictum, qui nescit dissimulare, nescit regnare; nam præcipua consilij pars est secretum, alioquin desinit esse consilium: res magnæ sustineri non possunt ab eo, cui latere grave est.

Condensationis & rarefactionis limites sunt aliqui, sed indemonstrabiles.

Quæ præsident in mixtis formæ, latent.

Nocte tranquilliora sunt omnia, & melius auditur; Sol enim est, qui omnia movet. Arist. problem. Sect. 11. q. 5.

Monarchia maximè præferrur cæteris gubernationum speciebus, quia in eâ consilia sunt secretiora.

Princeps cum suis consiliarijs deliberarè debet quid facturus sit, & celare resolutionem suam, tacitusque æquid quod placuerit.

Fieri quod debet cum multis tracta, quod facturus sis cum paucis vel tecum.

Consiliarij Principis sunt pars corporis ejus, vndè non nisi cum ejus voluntate debent loqui; taciturnitas utilissimum rerum gerendarum vinculum: arcani autem sint consiliari, non arcanorum scrutatores, quia abditos Principis sensus, & si quid occultiùs parat, exquirere illicitum, anceps & periculosum.

Basiliei Lybiæ populi, non nisi nocte prælium committebant.

Qui dissimulatione vruntur, reddunt se quasi invisibiles: hoc est scire artem mundi tacenda tacere, & dicenda dicere. Mysteria sunt sub secreto; hinc silentiosi magis sunt venerabiles: fortis est animi non cedere, & secretum illibatum servare, cùm obsidetur multis quæstionibus.

Dissimulatio vtilis, vt vires oppositionem aliorum, & ex insidijs agas. Secundò, vt ità te negotijs non implices, quin tibi liceat vlteriùs cum volueris non progredi. Tertiò, vt sic latentes deprehendamus, quasi ex insidijs, aliorum consilia.

Sub tyranno maximè linguæ parcendum, quia vndique sunt exploratores, & aliqui accusant ne accusentur.

Nunquàm nocuit Principi occultasse animum suum, sed aperuisse.

Maxima regni negotia in privato duorum aut trium consilio peraguntur.

Legati redeuntes ab hostibus debent primùm secreto à Principe audiri, vt legem modumque accipiant de rebus aut dicendis, aut tacendis.

Maximè in bello celanda sunt consilia, alioquin fiunt vana: qui autem ad consilium bellicum non vocantur; nec privatim, nec publicè judicium suum ferant de agendis.

Ob hoc Minotauri signum in legionibus habuerunt antiqui Romani; vt quemadmodùm ille in intimo, & secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ità Ducis consilium semper occultum esset. Vegetius lib. 3. cap. 6.

M. Portius Cato devictis à se Hispaniæ civitatibus, jussit reddi vno die literas, quibus jubebat muros destrui, alioquin bellum minatus; vnaquæque vrbium sibi credidit imperatum; contumaces con-

ſpiratio potuiſſet facere, ſi omnibus denuntiari notum ſ iſſet.

Hamilcar Dux Pœnorum in navali prælio ſignatas dedit gubernatoribus litteras, præcepitque ne quis aperiret, niſi vi tempeſtatis à curſu Prætoriæ navis abductus eſſet.

Tarquinius ſuperbus Pater, papaverum eminentiora capita decuſſit coràm legato à filio miſſo, vt intelligeret idem eminentibus eſſe faciendum. Ad hoc revocari poſſunt omnia belli ſtratagemata.

M. Metellus interroganti, quâ die pugnaturus eſſet, tunicam inquit meam comburerem, ſi id eloqui poſſet. Et M. Licinius Craſſus, idem interroganti, veteris, inquit, ne tubam non exaudias.

Equites non ſunt apti ad inſidias aut ſtruendas, aut detegendas, quia equi hinnitu ſe produnt.

Dux non debet eorum quæ agit rationem reddere militibus, nec miles debet eſſe ità temerarius, vt eam petat; ſed Dux imperet abſolutè, obediat miles.

Le mot du guet, ſeù vox ſecreta, quâ ſe invicem agnoſcunt milites, debet quotidie mutari, ne in hoſtium deveniat notitiam. Caſtrorum mutatio fit nocte, ne hoſtes impediant. Conjurationes fiunt in locis ſecretis, procul à frequentiâ populi.

Exploratores nocte ambulant, ne tàm facilè percipiantur, & vrgente periculo faciliùs ſe eripiant.

Secreta, reſque magni momenti, non debent ſcribi in Epiſtolis, ſed alicui fido commendari, & induſtrio, cum litteris fiduciæ, *de creance*.

Quædam corpore ſunt inſipida, nec odore produnt ſuas latentes qualitates.

Chirurgus ſolus videre debet partem ægràm, non æger, aut aſtantes propter eorum timiditatem.

Flatulenta omnia indicant defectum concoctionis, & ſic caloris.

De inſidijs. *Vide Cognitio Contrar. Rep.*

Triplici togâ Pallas tegitur, quia omnis ſapientia celata; eò ampliùs ſapiens ſuas diffundit cogitationes, quò magis in arcto continet ſermonem.

Temulentia Noëmum nudavit; ſtultitia noſtra aperit conſilia: amor & conſilium pereunt, ſi ventilentur; ne conqueraris ſi aliùs tuum vulgaverit ſecretum, cum prior illi aperiendo peccaveris: ineſt quædam titillans in ſecretis aperiendis voluptas, ſed quæ magnis ſequentibus emitur doloribus; ideò in aliorum negotia non petamus aditum, ne & ipſi in noſtra pari jure ſibi vindicent. Lacon cuidam quærenti quid ſub pallio geſtaret, nonnè inquit vides, me ſic latenter ferre, ne videas. Secretum ſuum non dicere prudentia eſt, alienum non ſcrutari modeſtia, acceptum tacere fidelitas, non audire ſecuritas, non curare aliena, vera ſapientia.

Cœlum perfectiſſimum omnium corporum colore caret: cærulens enim qui apparet ex luminum coacervatione mentitus eſt.

Ideò olim Regibus & Magiſtratibus, vini vſus prohibitus, ne ſecreta temulenti evulgarent. Sic Romani Angenoram Deam Silentij, & Ægyptij Harpocratem ejuſdem Deum digito labia ſignantem colebant.

Moyſis manus tamdiù ſana eſt, quamdiù eam in ſinu continet, ſi illam foras producit, leprâ infecta apparebat.

Vinum, amor, conſilium, ſi exponantur libero aëri, corrumpuntur.

Remigantes terga vertunt loco in quem tendunt.

Strimon fluvius, qui Macedoniæ terminus eſt, ſtatim atque oritur, priuſquàm curſum dirigat, ſeptem lacus efficit, & effuſus in eos lacus non fluit vlteriùs.

A Plin. lib. 4. cap. 10. Evulgata conſilia non proficiunt.

Quædam ignorantibus ægris curanda ſunt; cauſa multis moriendi fuit morbum ſuum noſſe: In corpore humano multa evidenter, aliqua & ea præcipua occultè fiunt; & in magno mundo, plurima perſpicuè, multa abditè generantur; & cœli non ſolùm per lucem & motum, verum etiam per occultas influentias agunt. Tu ità vive, vt nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis. Senec. Epiſt. 2.

Retentivum medicamentum gubernat Saturnus, Lunâ exiſtente in ſignis terreis, Tauro, Virgine, Capricorno.

B Cætera Dei attributa faciliùs à nobis percipiuntur; ſola illius ſapientia, quaſi delicata nimium & ſubtilis, viſum noſtrum fugit: Apoſtolus dicit, Dei potentiam omnibus notam eſſe, illam enim quotidiè miramur, & pertimeſcimus & Rom. 1. de ejus bonitate, Apparuit, inquit benignitas Dei noſtri omnibus hominibus: ſed de ſapientia ait. 1. Cor. 1. Sapientiam Dei in myſterio abſconditam, quàm nemo Principum hujus mundi cognovit: & Coloſſ. 2. Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi. & Rom. 11. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.

Belonas piſces, & viperas partu rumpi ajunt, ſic loC quaces. Plutarch. de garrulitate.

Vt ad partem corporis inflammatam confluunt humores, ſic ad loquacis os verba, vndè pœnitebit. Ibidem.

Qui canunt pro foribus, etiamſi quid doctum cecinerint, non reputantur ſapientes. Clem. Alexand. Strom. lib. 1.

Sermo veſter ſemper in gratiâ ſit ſale conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Coloſ. 4. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Iacob. 1.

Grues Taurum mentem præter volantes, lapillum ore geſtant ne clangore provocent in ſe aquilas.

D Affectum hominis ſolus Deus propriè videt, Angeli autem & homines ſecundùm quod per propria ſigna manifeſtatur. Div. Thom. 1. 2. quæſtio. 111. art. 5.

Angeli ſibi loquuntur per ſpecies, quas liberè emittunt, vt homines ſermonem.

Angeli non ſtatim cognoverunt omnia Dei libera decreta, nec omnia myſteria gratiæ, ſed ſenſim, ſecundùm quod Deus vult eis revelare. Et hæc cognitio dicitur veſpertina. 1. q. 57. a. 5.

Fas eſt in turbido hoc rerum humanarum pelago interdùm obliquare ſinus; & ſi rectâ portum tenere nequeas, *id ipſum* mutatâ velificatione aſſequi: matres & medici teneræ ætati fucum ſæpè faciunt; ſic princeps plebeculæ. Mentecopus eſt, vbi manus non ſufficit; vbi Leonina pellis non ſufficit, oportet vulpinam aſſuere. D. Baſilius ait eſſe quandam honeſtam & laudabilem calliditatem: fraus autem triplex, levis, media, magna; de duabus poſtremis, vide *Dolus Minoritas Veritatis.* Levis autem fraus eſt diffidentia Principi neceſſaria, quia vt in cæteris rebus, maximè tamen in fide & aſſenſu tardus eſſe debet, ſemper intentus & ſuſpenſus ambulans; nihil niſi manifeſtum, & quod in oculos occurrit, credat. Princeps pro omnibus excubat, turpe igitur & omnibus noxium, illum labi, errare, decipi: ſic enim opportunus fieret injuriæ & apud eum minore metu, & majore præmio peccaretur; aditum nocendi perfido præſtat fides: velis quibuſdam obtenditur vniuſcujuſqu.

Digitized by Google

natura, frons oculi, vultus ſæpè mentiuntur, maximè in aulâ nomen amicitiæ inane remanet, in tot populis vix vna fides: Crede tamen aliquibus, quorum longo vſu cognita fides; reipſa paucis, in ſpecie omnibus, id eſt fronte & vultu; Cavendum enim maximè ne diffidere videamur; multi enim fallere docuerunt dum timent falli; vult ſibi quiſque credi, & habita fides ipſam plerumque obligat fidem. Diſſimulatio ergò neceſſaria, quæ frontem aperit, mentem tegit; ſine eâ nihil poſſunt Regentes, vt ad effectum conſiliorum ſuorum veniant: profeſſa perdunt odia vindictæ locum. Non ſunt apti huic mundano theatro, qui animum in fronte promptum gerunt: Excedunt autem qui ſimulatione immodicè, ineptè, & in rebus perſpicuis, vtuntur; Re vera fatuelli; cui enim bono regumen, ſi trans luces, doli non ſunt doli, niſi aſtu colas, aut arte tegenda eſt, &c. Lipſius in politic.

Ideò neceſſarium ſecretum, quia apertum poteſt fruſtrari: vt infirma animalia debemus per tenebras & cuniculos, furtivo, timido, ſuſpenſo greſſu progredi. De ſui diffidentiâ. *Vide Cognit. Virtut. Rep.*

Vt in captis vrbibus, omnia mœſta & turbida: voluptates ipſæ timentur, non convivia ſecura ineunt, in quibus lingua ſollicitè, etiam ebrijs cuſtodienda eſt. Seneca lib. 1. de Clementiâ in fine.

Solis color in aëre miſcetur, non lumen. Sic vis in naturâ, non agendorum idæa. *Vide Princip. Verit.* De idæis divinis.

Secreta omnia ſunt amicis aperienda. *Vide Æqualitas Valent.* Inter amicos omnia communia.

Recondítæ illis mentes, & ad lenta conſilia idoneæ; hinc longos cuniculos agere, & veluti obſeſſis inſpectos. Hæc de Hiſpanis Barclai.

Qui ex primis indicijs de hominum moribus ac indole judicare non verentur, ipſi ſe in longos errores præpediunt: Vt enim periculoſum eſt in arte gladiatoriâ decertare cum eo, cui torvioculi exerant, quia neſcitur quo iſtum deſignet; ſic cum his qui arte ingenium ſuum diſſimulant, frontis nulla fides. Idem.

Optimates, per quos Princeps præcipua momenta Reipublicæ procurat, ſolent ad ſe trahere altas illas, & ſaluris omnium curas; cæterorum & maximè Principum ingenijs, ab intimâ illorum rerum cognitione, quàm maximè poſſunt, excluſis. Idem.

Si quis ſepiam inſectetur, illa atramentum fundit, ac in eo occultatur. Athenæ. lib. 7. cap. 36. Sic polypus induit colorem ſaxi, cui adhæret; Chameleon ſimiliter eorum quibus inſidet, vt non appareat; teſtacea metu reconduntur; aves viſo accipitre ſilent & latitant, &c.

Vox fieri non poteſt, niſi tranſitus ſit anguſtior, vt patet in fiſtulis, & extremitate aſperæ arteriæ. Galen. lib. 7. de Vſu partium. Etiam quæ dicenda ſunt, ſub aliquo ſecreto, & moderatione aliquâ committenda, non effundenda.

Solutam Moſaïcam legem eſſe in morte Chriſti oſtendit velum templi ſciſſum.

Puerorum erat bullas in formam cordis figuratas præferre. Macrob. 1. Saturn. 6. Virorum autem cor abſcondere.

Perſæus in Medæam pugnaturus accepit à Plutone galeam, quâ fiebat inviſibilis.

In rebus civilibus prudentia politica eſt multò altior & mirabilior, ſi quis operâ aliorum ad ſuos fines aburi poſſit, quibus tamen nihil conſilij ſui impertit; Sic ſapientia Dei mirabilius effulget, cum natura aliud agit, providentia aliud elicit. Baronius.

Cæſar inſigne præbuit magnanimitatis exemplum, cum captis apud Pharſaliam Pompei Magni ſcrinijs Epiſtolarum, iterumque apud Thapſum Scipionis, concremavit ea optimâ fide, & non legit. Plin. lib. 7. c. 25.

Cervi fugiunt ſecundâ ſemper, aurâ, vt veſtigia cum ipſis abeant. Idem lib. 8. cap. 32.

Draco Marinus, captus atque immiſſus in arenam, cavernam ſibi noſtro mirâ celeritate excavat. Idem lib. 9. cap. 27.

In capite cunctorum animalium, homini plurimus pilus, ad velamen. Idem lib. 11. c. 37.

Piſces & inſecta, vt imperfecta animalia non integunt oculos. Ibid.

Ad Occidentem nati, & ſub ſigno Occidentali, ſunt occultatores. *Vide Principium Cognit.* Proni eſſe debemus ad docendum.

An & quando celanda veritas. *Vide Mineriam Veritatis Bona.*

Vlyſſes vt effugeret manus Cyclopum arteſque ſuæ laterent, interrogatus de nomine, dixit ſibi nomen eſſe Nemo. Lucian Dialogo Cyclopis & Neptuni.

Momus in homine à Vulcano facto reprehendit, quod non feciſſet oſtiola, per quæ cognoſci poſſet, quid in animo ſtrueret aut cogitaret. Idem. Dialog. de Sectis.

Brachmanæ Indi Sapientes ſe, vt libet, & viſibiles & inviſibiles efficiebant. Philoſtrat. in vitâ Apollonij. lib. 3. c. 3.

Palamedes litteras invenit; non ſcribendi tantum cauſa, ſed vt doceret quæ eſſent tacenda. Idem lib. 4. cap. 4.

EX BIBLIIS.

DIxi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ; Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adversùm me: obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Pſal. 38.

Vir linguoſus non dirigetur in terrâ. Pſal. 139.

Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Pſal. 140.

Labia juſti erudiunt plurimos, qui autem indocti ſunt in cordis egeſtate morientur. Prov. 10.

In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt: argentum electum lingua juſti. Sapientes abſcondunt ſcientiam, labia juſti conſiderant placita. Proverb. 10.

Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt; Vir autem prudens tacebit. Ibid. cap. 2.

Propter peccata labiorum ruina proxima malo. De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bonis. Proverb. 12.

Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: Qui autem fidelis eſt, cælat amici commiſſum. Proverb. 11.

Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam; Qui autem inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala. Proverb. 11.

Labia prudentia Sapient. 14. lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata eſt conteret ſpiritum. Ibidem cap. 15.

Quæ procedunt de ore, ex corde exeunt, & coinquinant hominem. Math. 15. Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12.

Stultus ſi tacuerit prudens reputabitur. Proverb. 17. loquacei, ſunt ciſternæ diſſipatæ, quæ aquas continere non valent. Ierem. 2.

Vide ſuprà paſſim Biblica. hoc tit.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

CONsiliarij Principis silentiarij vocantur. 1. Cod. de silentiarijs & l. verum. §. ex facto. ff. de minorib.

Enunciatores publicorum consiliorum, tanquàm transfugæ & proditores puniuntur. l. 38. §. transfuga. ff. de pœnis.

Maximè à publicis officijs excluduntur mulieres, quia secretum nesciunt servare.

Plutarch. de garrulitate refert exemplum cujusdam mulieris, quæ cum impensiùs à senatore quæsivisset sub silentio quid in senatu actum fuisset, finxit illevisam galeam auream volantem, & de hoc cum auguribus consultum; illa marito, deinde ancillæ, quæ amatori suo id aperuit, donec res tanquàm secreta ad ipsum senatorem redierit.

Actione depositi agitur contrà eum, qui tabulas testamenti apud se depositas pluribus præsentibus legit, qui & injuriarum tenetur. l. 1. ff. Etiam contrà eum qui sacculum vel argentum signatum invito Domino contrectavit, qui & furti tenetur. leg. 29. eodem.

Secretarius qui secreta testamenti revelat, tenetur injuriarum. l. 41. ff. ad l. aquil.

Nemo tenetur alteri suarum facultatum rationem reddere. l. fin. Cod. de alim. pup. præst. l. 2. Cod. quandò & quibus arta quarta pars. Vndè vt quis agat ad exhibendum debet habere probabilem causam actionis. l. 3. §. 9. ff. ad exhibend.

Si dubitatur de vitâ testatoris, testamentum non aperiatur, nisi causâ cognitâ. l. 2. ff. testam. quemad. aperiant.

Lege Cornelià de falsis tenetur qui vivi testamentum aperuit, & qui deposita apud se instrumenta adversarijs prodidit. l. 1. §. 5. & 6. ff. ad l. Cornel. de falsi.

Vivi exuruntur, qui consilia nostra hostibus patefaciunt. l. 38. de pœnis.

Exploratores qui secreta nuntiant hostibus, capite plectuntur. l. 6. §. 4. ff. de re mil.

Puniendi sunt capite, qui docent Barbaros fabricare navigia. l. fin. C. de pœn.

Est justa causa amittendi Feudi, si Domini credentiam vasallus in ejus damnum manifestaverit. l. 1. Feud. c. 17. Continetur in formâ fidelitatis, quod non manifestabit ejus consilia. lib. 2. Feud. tit. 6. & 7.

Clerici qui hostibus Ecclesiæ tradunt ejus instrumenta, quibus firmatur ejus possessio, damnum debent resarcire de proprio, & communione privari. 12. q. 2. can. si quis de clericis.

Deponitur Sacerdos, & toto vitæ tempore jubetur peregrinari, qui peccata pœnitentium revelavit. de pœnit. dist. 6. can. Sacerdos.

ANIMI CONSILIA debent esse secreta.

DEMONSTRATIO.

BONI[illegible]. Anima cum suis potentijs, quia spiritualis est etiam invisibilis, nec sub sensus cadit, vndè cor[illegible] naturam ejus peccat, qui internos ejus motus et[illegible]o sermone in suum damnum aperit. Pro beneficio est in fidissimi animi sinum secreta retunde-re, cessat autem hæc gratia, si communis sit, & si omnibus mentem suam quis aperiat, non consilio, sed levitate animi. Nesciunt ægri quibus medicamentis sint à medico curandi. Si conferenda beneficia diù antè jactaveris, ipsis fortè obstabunt timidæ accipientium cogitationes; alia extrà forum tuam efflagitabunt, si neges, offendentur; si promittas, te in posterùm habebunt, non vt liberum beneficij collatorem, sed vt ex verborum obligatione debitorem.

MAGNITVDO. Inexpectata quæ spem præveniunt videntur majora; at diutiùs ventilata, ipsâ animi ea expectantis consuetudine vilescunt, maximè quia vt plurimùm deficiunt in aliquo, nec integrè vt promissa & sperata fuerant præstantur.

DVRATIO. Etiam certa & justissima animi decreta interdùm tardiùs, expectatâ scilicet occasione, sunt in effectum promovenda; si nota sint, mora hæc torquet expectantes, & sæpiùs in convitia propellit, incusant enim inconstantiam, impotentiam, & multa nociva suspicantur; at si secretum fuerit consilium, cum ad effectum pervenit, si fœlix fuerit, vt ex tempore natum, majorem meretur admirationem; si infelix, excusationem.

POTESTAS. Infirmitas est in animo, vt in dolio, si rimis hians infusa continere nequeat: conscij suæ inconstantiæ decreta sua ventilant, vt videantur certò quæ statuerint impleviſſe, sed ridiculâ hac jactatione, quales sint deprehenduntur, & morbum, nimiâ læsæ partis observatione, produnt; liberæ menti durissimam imponunt servitutem, non posse in posterùm consilia sinè famæ dispendio immutare: Durissima servitus est, si in intima liberum omnibus prospectum concedas: Id privati juris desinit esse, quod fit publici. Nescit regnare, qui nescit dissimulare.

COGNITIO. Hoc maximum ergà nos divinæ providentiæ donum, secutum, & vbique paratum asylum, quod inter homines versari possumus, quasi invisibiles, mente clausâ, fronte apertâ: quid non speres in negotijs, quæ alienæ concupiscentiæ, aut invidiæ conspectum vitare possunt?

VOLVNTAS. Ab ipsis rei exordijs vsque ad vltimam rei executionem durat interna consultatio: multa enim incidunt, ex quibus nascitur varia voluntas, ne ergò temerè rem quasi decretam proferas, cujus adhuc sub judice lis est. Falsum de te affirmas, dùm fixam asseris voluntatem, quæ adhuc statum nescit; etsi post hoc reverâ maneat indifferens; pudor tamen qui mutationem consequitur, multùm de libertate præripit.

VIRTVS. Religio suis arcanis mysterijs majestatem sibi conciliat: virtutes morales sub velo continet prudens modestia; Christianas vero humilitas. *Vide Cognit. Virtut. Repugn.*

VERITAS. Si secretum debes amicis, & omnibus à te consilium petentibus, maximè illud tibi præsta, vel deficis in charitate ergà teipsum, quæ exemplar esse debet charitatis proximo exhibendæ: si enim tacenda enunties tui ipsius es proditor, etsi id fiat animi levitate, lata est culpa, dolo assimilanda. Cæterum efficis ne vera sint quæ enuntias, quia sic apertis consilijs multa obstabunt ne effectum suum consequantur. Quod si à proposito deficias infirmùs, inconstans, imò etiam mendax haberis, quasi dolosè proposueris quæ non eras impleturus.

GLORIA. Sapientis est in sinu gaudere, interno rerum suarum spectaculo frui, nec immaturo laudis ambitu, legitimos consiliorum fructus prævertere. Vbi delusa fuerit puerilis hæc vanitas; irrito conatu viam tentat, quàm prænonuit sibi occludi; omnes

rident, nullus miſeretur: vndè ſic illatis ſuâ levitate damnis accedit infamia.

Differentia. Inter rerum mundanarum fluctus & ſcopulos flexu opus eſt: ſapiens ſe rebus accommodat, oportet illum mutabilem eſſe, ſed non agnoſci; quid enim ſi quoties nova affulget ratio, ſtatim decernat, & decreta enuntiet, ridiculum omnibus exhibebit inconſtantiæ ſuæ ſpectaculum. Conſultius eſt varios animi motus ad meliora ſemper paratos latere, nec dicatur determinata voluntas, quæ nondùm in veri & boni conſecutione conſiſtit.

Concordantia. Cohærent ſibi negotia civili quodam fato, & cum evulgatum vnum negotium, tibi putas eſſe peragendum, fama illius multa alia ſuperinducit: confluunt evocati omnes quorum intereſt, & ſinguli pro ſuâ paſſione agentem novis onerant conſiliis, præcibus, intempeſtivis officiis, itavt acceſſoria principale multum ſuperent. Oneroſa, damnoſa, turpiſque eſt cum loquacibus ſocietas.

Contrarietas. Tela prævisa vix nocent, irriti ſunt effoſſi ſub turribus igniti cuniculi, cum flammis quâ evolent via aperitur: ſi hoſtes tua reſciverint conſilia, non poteris illis nocere, & vix efficere ne tibi noceant, ſe enim aut præmuniunt, aut prætripiunt nè lædantur, & viciſſim tibi notâ viâ gradienti certas ſtruunt inſidias; ſic magis perfidiâ quàm certamine delentur exercitus: hinc tanta exploratorum cura, & ſi deprehendantur ab hoſtibus, inevitabilis mors. In hoſtibus terris nocte vt plurimum iter conficitur.

Principium. Etiam Deus omnipotens, vt cauſarum naturalium ordo placidùs flueret, voluit fatum homines protervos latere; libera etiam ſua decreta non omnibus beatis aperit: ſic natura in ſecreto opera ſua meditatur, conficit aurum in viſceribus terræ, fœtus in vteri latebris, formas, quæ ſunt actionum principia, efficit inviſibiles: ſi ſciat hoſtis quo nitaris fundamento, illud ſubruet, & poſt diuturnos labores te ad rerum initia turpiter revocabit.

Medium. Nullum tàm efficax medium, quod ſi publicè notum ſit non reddatur irritum, ſeu hoſtium, æmulorum, etiam amicorum alia bono licet animo intendentium, contrariis machinis. Stellis extrà ſublunarium alterationem poſitis impunè licet vnâ ſemper & tori mundo notâ viâ procedere.

Finis. Si latent tuæ intentiones, parcis famæ tuæ, nam ſic neſcitur quantùm deflectas à ſperatis: Ex occulto procedens vis conſilij, dum non videtur vndè incipiat, & quò deſinat, putatur inexhauſta: Mirum autem eſt quantùm poſſit hæc opinio latentis poteſtatis, continet enim hoſtes metu, amicos ſpe, omnes rapit admiratione.

Maioritas. Plura ſemper ſperantur ab eo, qui occultis ſuis conſiliis populis expectationem prævenit: ſi dicas te hoc & illud acturum fortunæ tuæ ad ampliora fortè tendenti modum turpiter imponis: ages majora ſi ſors tulerit; ergo ne proferas quæ ſis acturus, neſcis enim quibus te gratiis inſtruet, & ad quæ te vocabit providentia.

Æqualitas. Vt in ludo & aleâ, ſic in negotiis animi æqualitas eſt, non ſemper eadem agere, ſed arte nunquàm deficiente, nunquàm turbatâ oblatis prudenter vti; ne aſſeras te impleturum, quod pendet à caſu, & quod ne impleas tibi negotium faciet ipſamet tuæ voluntatis publica notitia.

Minoritas. Vt odium jactantia, ſic amorem conciliat humilitas, quæ conſilia ne effulgeant continet; & hæc in fœlici ſucceſſu temperat invidiæ mala, innoxiamque, quia ſubrepitiam, parat viam.

VIRTVS VOLVNTATIS.

VOLVNTAS PRO FACTO.

MISCELLANEA.

PLato 12. de legibus, ſi quis inquit rem aut magnam, aut parvam futuras eſt, eodem plectatur ſupplicio, eàdem enim abſtulit habendi cupiditate.

Mens boni ſtudij ac pij voti, etiam ſi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Salvian. in præfat. lib. 1. de Gubern. Dei.

Intelligere poſſumus multos eſſe homicidas, qui ſe innoxios putant, quia homicidium non ſolâ tantùm occidentis manu, ſed etiam odientis animo perpetratur. Id. de Gubern. Dei. lib. 3.

Quantùm ad peccati rationem, nocuit, & qui nocere diſpoſuit. D. Hieronim. ad Calantiam Matronam. Epiſt. 20.

Delictum omne, aut agitur aut cogitatur, vt corporale ſit quod in facto eſt, ſpiritale verò quod in animo eſt, per quod oſtenditur, non facti ſolum, verùm & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentiâ purganda eſſe. Tertul. lib. de pœnitent. cap. 3.

Voluntas facti origo eſt: viderint ſi quæ caſui, aut neceſſitati, aut ignorantiæ imputantur, quibus exceptis, non niſi voluntate delinquitur, & infrà Voluntas ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem eius intercipit; ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infœlicitatem, operata quod ſuum fuerat; Vaniſſimum itaque eſt dicere, volui, nec tamen feci. Id. Ibid. vbi vide plura.

Quod ſola voluntas crimen faciat, vndè amentes & imprudentes excuſantur; & ſi olim homicidium commiſiſſent, his patebant vrbes refugij. Vide D. Ambroſ. examer. lib. 1. c. 8. & lib. 1. de Iacob. c. 3. Latro eſt, etiam antequàm manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus eſt, & habet ſpoliandi

Digitized by Google

atque interficiendi voluntatem; Exercetur, & aperitur opere nequitia, non incipit. Seneca lib. 5. de benefic. cap. 14.

Conatus in laude, effectus in casu est: At contrà in maleficiis, etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, vindicantur, cruentâ mente, purâ manu: sufficit ad pœnam meditari punienda. Apulejus. 4. floridorum.

In spontaneis laudes & vituperationes, in invitis venia interdùm & misericordia existit.. Aristot. moral. Nicomach. lib. 3. c. 1.

Athenis in Academiâ monumenta sunt eorum, quorum virtuti fortuna fuit iniquior, vt eorum qui Lacharem tirannum ejicere conjurauerant, sed consciorum indicio oppressi. Pausan. in atticis.

Voluntas à volatu, quia per voluntatem animus quo vult nimiâ velocitate transfertur: est que motus rationalis sensui præsidens & appetitui; habet semper rationem comitem, non quia semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur. Est enim inquit Bernardus ratio data voluntati, vt instruat illam non vt destruat. Inter omnia bona principale bonum in nobis est bona voluntas, per quam diuinæ similitudinis imago reparatur in nobis. Sinè bonâ voluntate salvari non potes, quia si non adest facultas operis, bona voluntas sufficit sibi ipsi, sufficit etiam Deo: si nigil dare habes, da bonam voluntatem, & totum dedisti; nihil tam facilè est bonæ voluntati, quam ipsa sibi. D. Bernard. ait, habeo semper minuta duo, corpus & animam, vel potiùs minutum vnum voluntatem meam & non dabo illam ad voluntatem ejus, qui tantus tantillum tantis prævenit beneficiis. *Vide Magnit. Volunt.*

Sola voluntas nostra est, cætera aliena sunt: voluntas totus est homo; qui voluntatem dedit, amplius quod det non habet: indè boni vel mali censemur. In artefactis miramur industriam, in moralibus æstimamus voluntatem. Cor primum movens in vitâ naturali, est etiam tale in vitâ morali; differt tamen quod in corpore vltimus moritur, in virtute autem primus. Ex corde malæ cogitationes.

Accepit in sui conditione anima, & si non esse, posse tamen esse beata, summo proindè gradui, quantùm licet appropians, non pertingens tamen. D. Bernard. Serm. 18. super cantica.

Sinè bona voluntate nemo salvari, cum bonâ voluntate nemo perire potest; voluntas bona, nec dari potest inivito, nec auferri nisi volenti: voluntas hominis est potestas Dei: quantùm crescit bona voluntas tantùm crescit meritum. Idem de interiori domo. cap. 8.

Quomodò de interiori palatio quidquid jusserit Imperator per totum imperium emanat: quantus sit motus ad vnam jussionem intùs sedentis? &c. Sic in vno quoque nostrum intùs in corde sedet Imperator, si bonus bona fiunt, si malus mala &c. D. August. in psal. 148.

Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti: consensio illa occidit te, sed intùs est mors, quia nondùm cogitatio processit in factum; talem animam se resuscitare significavit Dominus, cum resuscitavit puellam, quæ nondùm erat foras prolata, sed in domo mortua jacebat; alium enim resuscitavit jam foras prolatum, & Lazarum fœtentem malâ famâ. D. August. tract. 49. in Ioan.

Suggestio, delectatio, consensus conveniunt cum ijs quæ scripta sunt in Genesi, vt quasi à serpente fiat suggestio, & quædam suasio; In appetitu autem carnali, tanquàm in Euâ, delectatio; In voluntate verò, tanquam in viro, consensio; quibus peractis, tanquàm de paradiso, hoc est de beatissimâ luce justitiæ in mortem homo justissimè expellitur: sicut autem his tribus gradibus ad peccatum pervenitur, ità ipsius peccati tres sunt differentiæ in corde, in facto, in consuetudine: Tria genera hæc mortuorum Dominus suscitavit, in domo puellam. Math. 9. In viâ juvenem. Luc. 7. Mole sepulchri oppressum Lazarum. Ioan. 11. Idem lib. 1. de Serm. Domini in monte. cap. 12.

Tantùm emit vidua duobus minutis, quantùm emit Petrus relinquens retia, quantùm emit Zachæus dando dimidium patrimonium; tanti valet cœlum, quantùm habueris; si non potes pauperi frangere panem, da calicem aquæ. Divus Augustinus. in Psal. 49.

Lux ista per omnia diffusa, omnibus communis est; Nullus in eâ dives limitem fixit, nec prior præoccupando vt videret oculos pauperis, aut exclusit, aut angustiavit. Dicat pauper, dicat dives Deus meus: vt perveniret ad Deum dives Zachæus dedit patrimonium suum; vt perveniret petrus retia & navem dimisit; vt perveniret vidua duo minuta dedit; vt perveniret pauperior calicem aquæ frigidiæ porrexit; vt perveniret penitùs pauper solam bonam voluntatem tribuit: Diversa dederunt, sed ad vnum pervenerunt, quia non diversa amaverunt. Ille apud Deum plùs habet loci, qui plùs attulerit non auri, sed fidei. Idem in 34. caput Ezechielis. in fine.

Si bonus habet, profert & dat egeno, si non habet, sufficit ei coràm Deo voluntas bona; pauper est in arcâ, dives in conscientiâ: Non parùm habet, qui bonam voluntatem habet. Nato domino clamant Angeli, Gloria in excelsis Deo & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis; quàm paruo constat regnum cœlorum. &c. Totum habet qui bonam voluntatem habet, ipsa est quæ potest sufficere, si cætera non sint; si autem sola desit, nihil prodest, quidquid habitum fuerit. In arcâ potes timere furem; in corde tuo, quem times, ideò securus exulta. Idem homiliâ. 8.

In cæteris artibus excusatius est voluntate peccare quàm casu: grammaticus non erubescit solœcismum, si sciens facit; erubescit, si nesciens: In hac autem arte vivendi maxima culpa est sponte delinquere. Senec. epist. 95.

Vt non innascitur scorpioni aculeus cum pungit, nec viperis venenum cum mordent; Sic priùs in pravo affectu malus est, qui ad militiæ actum proruit. Plutarch.

Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit: Sæpè honorata virtus est, etiam vbi eam fefellit exitus; Scelera quoque quamvis citrà exitum subsederunt, puniuntur; nec infœlix virtus amittit gloriæ titulum; nec gloriam virtutis intercipit fortuita fœlicitas. Seneca controvers. lib. 4. controvers. 7. Nunquàm mens exitu æstimanda est. Quintilian. declam. 281.

Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Si quis cum vxore tanquàm cum alienâ misceatur, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit, venenum illud dando scelere se obligavit. Omnia scelera etiam antè effectum operis, quantùm culpæ satis est, perfecta sunt, Seneca. lib. sapientem non cadere injuriam. cap. 7.

Dion contrà Dyonisium tyrannum cum paucis militibus agens, dicebat sibi pulchrum mori, si quantum cumque terræ ejus occupasset. Arist. 5. polit. 10.

Bona voluntas in privatis & publicis rebus, remuneratur.

neratur. Sic Princeps debet præmium aliquod conferre his, qui se offerunt publicis negotijs, quamvis talia illis non committat.

Is solus servus pro præmio libertatem accipit, qui volens ad accusationem prosilijt eorum, qui dominum occiderunt. l. 3. §. 4. ff. de. S. C. Sillaniam.

Vide Veritas Virtutis. Virtus vera licet infœlix.

Ecclesiæ, in quâ divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium ichmunitatis adimitur, quia obsequijs divinis dedicata, nullius est temerarijs ausibus profananda. cap. Ecclesiæ. 9. de immunitate Ecclesiarum.

Valentinianus habitus est vt baptisatus, qui cum esset cathecumenus, & D. Ambrosium evocasset ad suscipiendum Baptisma, fraude suorum occisus est. Baron. Anno 392.

Malè olim Aruspices ex cæteris extis, non ex corde victimarum augurium sumebant, hoc tandem factum 23. Olympiade. Plin. lib. 11. cap. 37.

EX BIBLIIS.

SI oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Math. 6. oculus, idest intentio.

Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit accipit. Math. 7.

Nihil in terrâ, id est in homine, fit sinè causâ, & de humo, id est de corpore non egredietur dolor, scilicet gehennæ. ait Eliphas Themanites. Iob. 5.

Si annuntiaveris impio, & non fuerit conversus, tu animam tuam liberasti. Ezech. 3.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judici judicia justitiæ tuæ. Psal. 118.

Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Proverb. 4.

De Magdalenâ dixit Christus, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Leprosi decem dùm irent ad sacerdotem mundati sunt. Luc. 17.

Laudat Christus viduam mittentem duo æra in gazophilacium. Luc. 21.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. Math. 5. Beati mundo corde.

Si non fuerit domus digna pax vestra revertetur ad vos. Math. 10.

Beatus vir, &c. sed in lege Domini voluntas ejus. Psal. 1.

In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis. Psal. 118.

Desponsata puella, quamvis nondum convenerit, conjux habetur. Deut. 22.

Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune id est, immundum per ipsum; nisi ei qui existimat, quod commune esse illi commune est. Roman. 14. Qui discernit, si manducaverit damnatus est, quia non ex fide: Omne autem quod non ex fide, peccatum est. Ibidem.

VELLE AMARE EST ipsum amare.

QVicumque verum vitæ fontem sitit, jam dudùm & bibisse videtur; nam prætium quo liquor iste emitur est ipsa sitis, & animus sitibundus hoc ipsum quod sitit ex libatione quadam illius habet, à quo plenius hauriens habet vt aliud vltrà non sitiat; vt si quis solem quærit, jam ipsius calore & lumine illustratus agnovit inventum: Beatus qui potest pro viribus amare formam, quæ nunquam potest satis dignè amari; sic ipsam amando complectitur omnia complectentem, suumque securus possidet possessorem. Marsil. Ficin.

Philosophiæ studium virtutis est, sed ipsam virtutem; nec virtus esse sinè studio sui potest, nec virtutis studium sinè ipsa, non quemadmodum in his, qui aliquid ex distanti loco ferire conantur; alibi est qui petit; alibi quod petitur, nec quemadmodùm itineta, quæ ad vrbes perducunt extrà ipsas sunt: ad virtutem venitur per ipsam; cohærent ergò inter se Philosophia virtusque. Senec. ep. 89.

Quoniam astabo tibi & videbo. Psal. 4. Non dicit asto & video; caligans enim inter procellas hujus sæculi, sentit se non videre quod cupit, & tamen sperare non desinit: spes enim quæ videtur non est spes. D. August. Psal. 4.

Adorabo ad templum sanctum tuum. Psal. 4. loquitur de futuro progressu.

Quem quæris, si in amore tuo est, in te est; si ibi non est, in te non est: sed quem quæris, non quæreres si non amares; habes ergò quem quætis, & penes te est, sed non eo statim frueris. D. Bernard. in soliloquijs.

Huc vsque Domine te faciente profeci, vt desiderem desiderare te, & amem amare te: sed hæc amans, quid amem nescio; quid enim est, amare amorem, desiderare desiderium? amore amamus, si quid amamus, desiderio desideramus quicquid desideramus; sed fortè cum amo amorem, non amo amorem, quo amo quod amare volo, & amo quidquid amo. Ibid.

Est amor desiderij, & amor fruitionis, amor desiderij meretur aliquando visionem, visio fruitionem, fruitio amoris perfectionem.

Suscipio, inquit, & amplector hanc spiritus tui arrham, & lætus expecto in arrhâ promissionem tuam: desidero itaque amare te, & amo desiderare te; & hoc modo curro, vt apprehendam, in quo apprehensus sum, scilicet vt amem te perfectè aliquando, ô qui prior nos amasti, amande & amabilis Domine. Ibidem.

Concupivi desiderare justificationes tuas. Psal. 118. Mirabilis & inexplicabilis languor, desiderium rei, non rem concupiscere & concupiscere, desiderium, quod jam in nobis est: ægrotus tamen qui fastidio laborat, & vult evadere hoc malum, concupiscit vtique desiderare cibum, dùm concupiscit non habere fastidium, & non est mirum si appetit animus, vt appetat corpus; sed cum concupiscere desiderium justitiæ, sit ipsam justitiam concupiscere, quid concupisco desiderium, quod jam habeo? Ità tamen fit, quia diligenda est ipsa dilectio, quâ diligitur id quod diligi oportet: sicut odio habenda est dilectio, quâ diligitur id quod diligi non oportet. Si autem desiderabat justificationes Dei, cur non habebat? non enim aliquid impedit quo minùs habeantur, nisi quia non desirantur, dùm non in eas charitas fervet, quarum claritas lucet. D. August. in Psal. 118. concion. 8. in fine.

His gradibus ad eas pervenitur. Vide progressus amoris. *Majoritas Volunt.*

Idem lib. 83. quæstion. quæst. 35. subtiliter disputat amorem ipsum amandum esse, per quem amatur, quia est ejus rei quæ non potest deesse, dùm amatur: Id autem est, quod nihil aliud est habere, quàm nosse, & quod cum æternum sit, æternitate animum afficit.

Minima quælibet bona vilioris videntur eſſe prætij, quàm ſummum bonum, quia illa labore multo comparantur: illud autem ſolâ voluntate editur: fortè quia exuberat, immenſum illius prætium eſt in eo. Marſil. Ficin.

Phyſici dicunt omnia conſtare ex quatuor elementis: Chymici autem ex tribus principijs, Oleo, Sale Mercurio; oleum combuſtibile ponunt pro igne.

Simplicitas eſt ſola ad Deum converſa voluntas, ſed nondùm ratione formata, vt amor ſit: ideſt formata voluntas, nondùm illuminata vt ſit charitas, hoc eſt amoris jucunditas: ſimplicitas ergo initium aliquod in ſeipsâ habeqs creaturæ Dei, hoc eſt voluntatem ſimplicem & bonam, quaſi futuri boni hominis informem materiam, in primordio converſionis ſuæ offert authori ſuo eam formandam. D. Bernard. de vitâ ſolitariâ ad fratres de monte Dei.

Sic Iob. 1. dicitur ſimplex & rectus. Iacob. Gen. 25. dicitur vir ſimplex habitans in tabernaculis, &c. *Vide Virtus Veritatis*, & de indifferentiâ. *Media Voluntas.*

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

NVptias non concubitus, ſed conſenſus facit. l. 30. ff. de Reg. jur.

In omnibus cauſis, pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit, quo minùs fiat. l. 39. eodem.

Quoties de quantitate ad juriſdictionem pertinente quæritur, ſemper quantùm petatur quærendum eſt, non quantùm debeatur. l. penult. ff. de Iuriſd.

Servitutes perſonales pro continuis habentur, quia homo poſſeſſionem animo retinet, etiamſi non ſit in continuo actu poſſidendi. Barthol. in l. 44. §. non mutatio. ff. de vſucapio.

Pecunia debita ex causâ depoſiti poteſt converti in cauſam mutui, ex ſolâ voluntate deponentis & depoſitarij, abſque eo quod tangatur, aut loco moveatur. l. 9. in f. ff. de reb. cred.

Ad dandam actionem inſpicitur intentio recipientis, ad dandam verò exceptionem inſpicitur animus dantis. l. 18. ff. de reb. cred.

Etiam numeratione facta contractus accipit ſpeciem, & vim ab intentione agentium. l. 19. ff. eodem.

Cenſetur juraſſe, qui cum paratus eſſet jurare remiſſum eſt ei juramentum. l. 6. ff. de jurejur.

Pignus contrahitur, etiam nudâ conventione, ſinè traditione; vndè ſi aurum promiſit, & æs velit dare, non ſatisfacit. l. 1. ff. de pignerat. actio.

Deſinit peculium eſſe, ſimul atque Dominus voluit. l. 8. ff. de peculio.

Contractus legem ex conventione accipiunt, ſic ſi convenit vt in depoſito & culpâ præſtetur, rata eſt conventio. l. 1. §. ſi convenit. ff. depoſ.

Fugitivus ab affectu animi habendus eſt, non à fugâ; nam non eſt fugitivus, ſi fugit hoſtem, latronem, incendium, ruinam. l. 17. ff. de ædil. ed.

Poſſeſſio poteſt retineri ſolo animo, etiamſi alius poſſideat. l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.

Qui injuriæ causâ januam effregit, quamvis indè per alios res amotæ ſint, non tenetur furti, nàm maleficia voluntas & propoſitum delinquentis diſtinguit. l. 53. ff. de furt.

Qui facit injuriam nuptæ, credens eſſe viduam, non tenetur injuriarum marito. l. 18. §. 4. ff. de injurijs.

Pater cenſetur filiam cum adultero occidiſſe, ſi ei mortalia inflixerit vulnera, quia magis fato, quàm ejus voluntate ſervata eſt. l. 32. ff. ad l. Iul. de adulter.

Qui hominem non occidit, ſed vulneravit vt occideret, inſtrumento ad occidendum apto, puniendus eſt vt homicida. l. 1. §. 3. ff. ad l. Cornel. de Sicar.

Miles qui volens tranſfugere captus eſt, capite punitur. l. 3. §. 11. ff. de re milit.

Id quod noſtrum eſt, ſinè facto noſtro ad alium tranſferri non poteſt. l. 11. de Reg. jur.

Fraudis interpretatio ſemper in jure Civili, non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur. l. 79. eodem.

Non modo qui rapuit, ſed qui attentavit rapere ſacratiſſimas virgines, capitali pœnâ punitur. l. 5. C. de Epiſcop. & Cler.

Me ſciente clàm ſervus meus, res meas quaſi furto ablatas ad te pertulit; etſi non ſit furtum, teneris furti propter exemplum. l. 20. Cod. de furt. & ſervo corrupto.

Res cenſetur à me facta, quoties per me non ſtetit quo minùs fieret: ſic accipiens pecuniam vt ſervum manumitteret, non tenetur eam reſtituere, ſi antequàm manumitteretur ſervus anfugit. l. pecuniam. §. Sed ſi acceperit. ff. de condict. cauſâ dat. Ità ſi deceſſit antè moram. l. 24. ff. de condit. & demonſtr.

Affectus in delictis quandoque punitur, licet non ſequatur effectus. l. 20. Cod. de furt. l. his quidem. C. qui militare poſſ. §. Sed etſi. Inſt. de obligat. quæ ex delicto.

Affectus ſinè effectu in crimine læsæ Majeſtatis punitur. l. quiſquis. ff. ad l. Iul. Majeſtat.

Aggrediens infantem causâ occidendi punitur vt homicida, etiamſi non necaverit. l. penult. Cod. ad l. Cornel. de Sicar.

Aſſeſſori locanti operas ad tempus debetur merces pro toto tempore, quamvis eas non præſtet, propter moram conductoris. l. diem functo. ff. de offic. aſſeſſor.

Cædere arborem dicitur, qui ſecuri percutit animo cædendi. l. 5. ff. arbor. furt. cæſar.

Coërceet Prætor eum, qui novum jus gratiâ impetravit, licet eo non ſit vſus. l. 3. ff. quod quiſque jur.

Habetur conditio pro impletâ, quantùm ad illum contrahentem, per quem ſtat. l. 50. ff. de contrah. empt.

Non incidit in legem commiſſoriam, qui die præſcriptâ obtulit pecuniam abſente venditore, & poſteà à fiſco impeditus eſt ne ſolveret. l. fin. ff. de l. commiſſoriâ.

Legatum mihi donec morarer cum matre, debetur eâ mortuâ, quia per me non ſtetit, quin diutiùs morarer. l. 20. ff. de com. legat. & l. 1. Cod de legat.

Videtur cum filio eſſe, per quem non ſtat quo minùs cum eo educetur. l. 8. ff. de condit. & demonſtrat.

Videtur ſtatuam poſuiſſe, qui paratus eſt ponere, ſed locus non datur à civitate, & ſic quaſi conditione impletâ capiet legatum. l. 14. eodem.

Sufficit appellanti petiiſſe à judice à quo litteras dimiſſorias, ſeu Apoſtolos, etſi non obtineat. l. vnic. ff. ne libris dimiſſorijs.

Qui dolo deſijt poſſidere, pro poſſeſſione damnatur. l. 173. ff. de Reg. jur.

Per oblationem debiti impedientur vſuræ. l. 6. & 11. Cod. de vſur.

Advocatus ſi per eum non ſtetit quominùs cauſam ageret, non tenetur ſalarium acceptum reddere. l. 38. ff. locati.

Advocatus, procurator, vel fidejuſſor, ſi pro ac-

cusatore de falso testamento adfuerint in judicio, perdunt legatum eis relictum in tali testamento, quod voluerunt destruere. l. post legatum. §. ætati. ff. de his quæ vt indig.

Servus fugitivus habetur qui domi latet, vt fugæ occasionem nanciscatur. l. 17. ff. de ædil. ed. & §. idem Cælius 8.

Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint, propter voluntatem pernicioſæ libidinis, extrà ordinem puniuntur. l. 1. ff. de extraordin. criminib.

Generaliter cœptum, nedùm perfectum crimen punitur in atrocibus criminibus, quæ & naturali & civili jure damnantur. l. 1. ff. quod quisque jur. & Cujac. 15. observat. 25.

Pœnæ personales, scilicet amissiones vitæ & membri, requirunt actum consummatum; pœnæ autem minores, actum tantùm inchoatum, vt §. l. 1. qui puero. ff. de extraordin. criminibus. Ibi perfecto flagitio punitur capite, imperfecto deportatur: in choatur autem delictum per conatum, sed actus facti remotus minùs punitur, propinquus autè acriùs; judex tamen ex officio mitigat pœnam vt. l. si quis aliquid §. nundùm & l. aut facta. §. eventus. ff. eodem.

Corpore intacto, castitas interdùm amittitur. 32. q. 5. can. nec solo & seqq.

Ennumerantur plures casus in quibus voluntas pro facto reputatur, vt si mulier marito mortis paravit insidias; qui consilium occidendi dederit, &c. de pœnitent. dist. 1. can. si quis & seqq.

In ministro Sacramentorum requiritur saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia. Concil. Trident. sess. 7. c. 11.

Qui latitat fraudationis causâ, non tamen vt fraudet creditores, non possunt ideò ejus bona occupari. l. 7. §. 5. ff. quib. ex caus. in possess. catur.

Si legatum sit aliquid mulieri, si pariat, habebit legatum, etiam si pariat monstrum, quia non debet ei nocere quod fataliter accidit. l. 135. ff. de verbo signif.

Qui sunt in vtero, jure civili intelliguntur esse in rerum natura. l. 26. ff. de statu homin.

Advocatus licet non possit advocationem implere per casum fortuitum, vt quia decessit, vel est infirmus, debet habere totum salarium. l. 1. & 4. ff. de Variis & extraord.

Agens in rebus, si post 25. annos servire non potuerit, corporis valetudine impeditus, privilegia tamen aliorum diutiùs servientium consequitur. l. 4. C. de Principib. agent in rebus. lib. 12.

Sufficit tutori benè & diligenter negotia gessisse, etsi eventum adversum habuerit quod gestum est. l. 3. in fin. ff. de contr. tutelæ actione. Vide suprà in Miscellaneis.

DESTINATIO HABEtur pro facto, & mutat rei naturam.

HAbetur pro patrono, qui hac lege emit vt manumittat, etsi non manumiserit. l. 10. ff. de in Ius voc.

Locus remanet prophanus, in quem mortuus illatus est, eo animo vt indè postea transferatur. l. 40. ff. de Religios. & sumpt. funer.

Qui ex hostibus ad suos redit, non fruitur jure postliminij, nisi habeat animum non revertendi, vt de M. Regulo qui juraverat se ad Carthaginenses rediturum. l. 5. ff. de cap. & postlim. reversi.

Accipiens rem vendendam, vt ejus prætio vteretur, tenetur ad ejus periculum. l. Si quis. ff. Si cert. petat.

Aditio hæreditatis fit solo animo; undè qui mandat procuratori vt adeat, statim est hæres. l. 66. Cod. de pact.

Illa dicuntur esse ædificij, quæ perpetui vsus causâ in ædificijs sunt. l. 18. ff. de actionib. empt.

Si ancilla parit intrà tempus, in quo debebat esse libera, partus liber est. l. Herennium. ff. de Stat. homin.

Aqua quotidiana dicitur, quæ quotidie potest duci, etiamsi non ducatur. l. 1. §. 1. ff. de aquâ quotid.

Argenti facti appellatione continetur etiam argentum cœptum fabricari, quia cœptum pro impleto habetur. l. etsi non sunt. §. infecti. ff. De auro & argento. *Vide Potestas Principis.* Initij.

Auro vel argento legato, continetur factum vel infectum, non tamen pecunia. l. cum aurum. ff. eodem.

Clavi aurei vesti servientes debentur veste legatâ, etiamsi sint separati, vt reponerentur. l. cum aurum. §. fine eod.

Datur actio de albo corrupto, contrà eum qui album corrupit, etiam antequàm proponeretur, quia proponendum vt propositum habetur. l. 7. §. 2. ff. de Iurisd.

Pali qui exempti sunt à vineâ, eâ mente vt collocentur, fundi sunt. l. 17. ff. de Actionib. empt.

Servi Italici soli missi in Gallias reversuri, intelliguntur propter propositum esse Italici soli. l. 35. §. rerum. ff. de hæredib. instituend.

Domi affixa, si testator destinavit transferre in aliam domum, valet legatum. l. 41. §. 14. ff. de legat. 1.

Legatis nummis qui in scrinio sunt, non videntur legati qui destinati sunt in mutuò dentur. l. 79. ff. de legat. 3. l. 86. eod.

Incola jam munetibus publicis destinatus, nisi perfecto munere incolatui renuntiare non potest. l. 34. ff. ad Municipal.

Quod ad certam speciem civitati relinquitur, in alios vsus convertere non licet. l. 1. ff. de Administr. ad civit. pertinent.

Opus publicum à se promissum censetur cœpisse, & sic obligatur ad perficiendum, si illi petenti locus destinatus est, etiamsi nihil inædificaverit. l. 1. §. 3. ff. de Pollicitation.

Mulieris appellatione, etiam virgo viri potens continetur. l. 13. ff. de verb. sign.

Sylva cædua est, vt quidam putant, quæ in hoc habetur vt cæderetur. l. 30. §. vlt. ff. de Verbor. significat.

Sponso mortuo, nullus consanguineorum debet ducere sponsam in vxorem. 27. q. 2. Can. Si quis vxorem: Sic consuetudine scripturæ sponsæ conjuges vocantur. Can. Genuit eod. & seqq.

Verberans novitium Religionis excommunicationem incurrit. Cap. Religioso. de Sent. excommunicat.

Qui vitam excedit in pœnitentiâ nondùm peractâ, non est communione privandus. Concil. 2. Arelaten. Can. 12. anno. 389.

Miles qui dìu captivus fuit hostium, rediens, si ibi implevit tempus veteranorum, gaudet eorum privilegijs. l. 5. §. 7. ff. de re milit. Fuit enim semper

in propoſito redeundi ad ſuos, cum poſſet. 1.

Non poſſum nubere cum ſponſa Patris mei, nec Pater cum mea. l. 12. ff. de rit. nuptiar.

EX THEOLOGIA.

SI nominatâ tantùm vnâ perſonâ Trinitatis Baptizandus moriatur, creditur ſuppleri inviſibiliter. D. Thom. 3. q. 68. a. 2. 7.

Si aliquis Baptizari deſiderat, & aliquo caſu præ-venitur morte, habet Baptiſmum & ejus effectum in voto: Deus enim inviſibiliter ſupplet defectum. 3. q. 68. 27. 9.

Contritio, quæ per charitatem perfecta fuerit, non modò culpæ, ſed omnis pœnæ remiſſionem operari poteſt Suplem. q. 5. a. 2.

Nemo habet gratiam Euchariſtiæ, niſi ex voto ad eam, proprio vt adulti, aut Eccleſiæ, vt parvuli. 3. q. 73. a. 3.

Peccatum recipit ſpeciem ex intentione peccantis. 1. 2. q. 71. a. 1.

Intendens peccare mortaliter ſemper peccat mortaliter. 2. 2. q. 110. a. 4.

Propoſitum pro facto reputatur. 1. q. 23. a. 2.

Intentio miniſtri requiritur ad perfectionem ſacramentorum. 3. q. 60. a. 8.

Deus providit in ſacrificijs, vt qui propter paupertatem non poſſet offerre animal quadrupes, offerret aves; qui non poſſe dare panem, offerret farinam aut ſpicas. 1. 2. q. 102. a. 3.

Beneficium & recompenſatio magis in affectu conſiſtit. quàm in effectu. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 5.

Sufficit bona voluntas, vbi deeſt facultas, quia laus virtutis in voluntate conſiſtit, non autem in poteſtate. 2. 2. q. 81. a. 6. ad 1.

Abdicatio rerum temporalium, ſecundùm præparationem animi, vt ſcilicet homo ſit paratus, ſi opus fuerit, omnia dimittere vel diſtribuere, pertinet directe à perfectionem: non autem abdicatio rerum actualis, quæ eſt tantùm quoddam perfectionis inſtrumentum. 2. 2. q. 187. a. 7. ad 1.

Accedere ad Deum vel recedere, non eſt paſſibus corporis, ſed affectibus mentis. 1. q. 3. a. 1.

Dei adoratio duplex, ſcilicet interior devotio mentis, & exterior humiliatio corporis. Prima eſt principalior, ad quam & propter quam ſecunda fit. 2. 2. q. 84. a. 2.

Dilectio Dei eſt finis omnis actionis hominis, & ſumma perfectionis ejus. 1. 2. q. 27. a. 6. ad 3.

In nullâ potentiâ ſenſitivâ eſt virtus, niſi in appetitivâ. 1. 2. q. 56. a. 5. Appetitus autem ſenſitivus & voluntas ſunt rationales participativè. 1. 2. q. 24. a. 1. ad 2.

Homo dicitur bonus ſimpliciter ſecundùm voluntatem, quia ipſa imperat cuilibet potentiæ, ſecundùm quid autem per intellectum, vel aliàs potentiàs. 1. q. 4. a. 5.

Bonum hominis conſiſtit principaliter in actibus interioribus. 2. 2. q. 17. a. 6.

Tota malitia vel bonitas actus exterioris ex fine eſt ex actu voluntatis. 1. 2. q. 20. a. 2.

Sub charitate comprehenditur omnis alia amicitia & dilectio licita, non autem illicita, quia charitas non poteſt eſſe cum peccato mortali. 2. 2. q. 45. a. 4.

Deſiderium quadammodò facit deſiderantem aptum & paratum ad ſuſceptionem deſiderati. 1. q. 12. a. 6.

Donorum Spiritus S. tria ſunt in parte appetitivâ: ſcilicet donum fortitudinis pietatis, & timoris; reliqua verò in parte cognoſcitivâ. 2. 2. q. 8. a. 6.

In omni habente gratiam oportet eſſe rectitudinem voluntatis. 2. 2. q. 8. a. 4.

Infirmitas alleviat peccatum, in quantùm minuit voluntarium. 1. 2. q. 42. a. 2.

Voluntas bona poteſt facere juſtum de aliquo indifferenti; non autem contrà jus naturale. 2. 2. q. 57. a. 2. ad 2.

Iuſtitia eſt in voluntate ſubjectivè. 1. q. 21. a. 1. ad 1.

In habentibus vſum rationis requiritur ad juſtificationem motus liberi arbitrij conſentientis, non autem cauſantis. 1. 2. q. 113. a. 3. Hic autem motus duplex eſt, ſcilicet deteſtatio peccati, deſiderium Iuſtitiæ Dei. a. 5.

Lucia verum dixit, quod corpus non coinquinatur niſi de conſenſu mentis. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 1.

Martyrium, quod ſit meritorium, habet à charitate, ſinè quâ nihil valet. 2. 2. q. 124. a. 2. ad 2.

Martyrium eſt de præcepto ſecundùm præparationem animi tantùm. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3.

Occidens hominem à caſu non eſt homicida, nec eſt irregularis, ſi dabat operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligentiam. 2. 2. q. 64. a. 8.

Omne peccatum eſt in voluntate, ſicut in ſubjecto. 1. 2. q. 74. a. 10.

Salomon non meruit ſapientiam in ſomnijs, ſed ex præcedenti deſiderio. 2. 2. q. 113. a. 3. ad 2.

Virtus dicitur amor, ſecundùm Auguſtinum, quia dependet à voluntate, cujus prima affectio eſt amor: dicitur etiam ordo, & ordinatio amoris, quia per eam amor in nobis ordinatur. 1. 2. q. 55. a. 1. ad 4.

Dæmones poſſunt facere actum bonum ex genere, ſed nullo modo ex bonâ voluntate. 1. quæſt. 64. a. 2. ad 5.

Peccatum ex certâ malitiâ eſt gravius peccato ex paſſione, quia eſt magis voluntarium, magis durat, & eſt circà finem: peccatum verò ex paſſione eſt circà ea quæ ſunt ad finem. 1. 2. q. 47. a. 2.

Dicens verum, & putans dicere mendacium, dicit mendacium formaliter, non materialiter. 2. 2. q. 110. art. 1. ad 8.

Quantitas peccati non menſuratur ex nocumento facto, ſed ex voluntate agentis contrà charitatem. 2. 2. q. 13. a. 3. ad 1. *Vide Veritas Virt. & Veritas Miner.*

Filius poteſt plùs amare Patrem, quàm ab ipſo ametur; & ſic plùs referre affectu, quàm acceperit effectu. 2. 2. q. 106. a. 6. ad 1.

Peccati gravitas pendet à voluntate. *Vide Majoritas Minoritatis.*

CHARITATIS PERFECTIO.

Vide Virtus Bonitatis.

QVi diligit proximum legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur Diliges proximum tuum, ſicut teipſum Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergò legis eſt dilectio. Roman. 13.

Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, &c. multa. 1. Corinth. 13. Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas. Ibidem.

Omnis lex in vno ſermone impletur Diliges pro-

ximum tuum ſicut teipſum. Galat. 5.

Quæ ſit vera charitas. *Vide Veritas Volunt.*

Vt res magnæ ſinè amore nihil ſunt. Si dedero omnem ſubſtantiam, &c. 1. Corinth. 13. Sic amor rebus parvis prætium dat: qui dederit calicem aquæ in nomine meo, &c. Mira alchimia, quidquid amor tangit aurum efficit. Amor vita eſt virtutum, cunctas vivificans: eſt ſanctuarii libra, quâ ponderari debent quæ Deo offeruntur.

D. Paul. 1. Corinth. 12. Probat plùs eſſe Deum amare quàm eſſe Apoſtolum. *Vide ſuprà multa paſſim ex Patribus.*

Tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ, Spiritus, Aqua & Sanguis: Aquæ & Sanguini Spiritus additur, quia ſinè charitate quidquid habeas nihil prodeſt. D. Bernard.

Dignus planè eſt morte, qui tibi Domine Ieſu repugnat vivere, & mortuus eſt: qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt: denique quid eſt homo, niſi quia tu innoteſcis ei. Propter temeipſum Deus feciſti omnia, & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia. Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo; ergò ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo. D. Bernard. Serm. 20. ſuper cant.

Ibi regnat carnalis cupiditas, vbi non eſt Dei charitas. Ibidem. A

De cordis arcâ profer laudis incenſum, de cellario bonæ conſcientiæ profer ſacrificium, fidei, quidquid profers accende charitate. D. Auguſt. in Pſal. 55.

Tu verò perfeciſti eam. Pſal. 67. Deus enim charitas eſt, quæ perficit legem. D. Auguſt.

Opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos & opus manuum noſtrarum dirige. Pſal. 89. Tanquàm omnia opera vnum eſſent charitatis, & ad illam dirigi debeant, quia plenitudo legis, charitas. 1. Rom. 13. Tunc enim recta ſunt opera, cum ad hunc finem diriguntur, finis enim præcepti charitas eſt. Rom. 10. Opus ergo vnum, in quo ſunt omnia, fides eſt, quæ per dilectionem operatur. Galen. 5. Vndè Dominus Ioan. 6. dicit hoc eſt opus Dei vt credatis in eum. D. Auguſt. in Pſal. 80. in f. B

In charitate radicati. Epheſ. 5. Sicut enim radix omnium malorum eſt cupiditas, ſic omnium bonorum eſt charitas. 1. Timoth. 6.

Nihil eſt occultum quod non reveletur. Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur. D. Auguſt. de morib. Eccl. Cath. c. 17.

Peccans contrà charitatem, reus eſt omnium. *Vide Magnitudo Virt.* qui peccat in vno factus eſt omnium reus.

De amore Dei. *Vide Volunt. & Gloria Princip.*

VERITAS VOLVNTATIS.

QVÆ SIT VERA VOLVNTAS.

MISCELLANEA.

QVANDÒ ſit vera voluntas, etiamſi non ſit expreſſa. *Vide ſuprà Cognitio Voluntatis.* Tacita Voluntas. C

Ejus eſt nolle qui poteſt & velle l. 3. ff. de Reg. jur. Ejus eſt actionem negare, qui poteſt & dare. l. 102. eodem.

Quod fit in calore iracundiæ, non priùs ratum eſt, quàm ſi perſeverantiâ apparuit judicium animi fuiſſe; ideò brevi reverſa vxor divertiſſe non videtur. l. 48. ff. eodem.

In maleficio ratihabitio mandato comparatur. l. 152. eodem.

In contractibus quos in ſcriptis fieri placuit, pœnitentiæ locus eſt, donec inſtrumenta fuerint omnibus ſuis partibus abſoluta. Inſt. de empt. & vend. in princ. l. 17. Cod. de fide inſtrum.

Velle non creditur qui obſequitur Imperio Patris vel Domini. l. 3. ff. de Reg. jur.

Electio vera debet eſſe cum prudentiâ & virtute; illa enim finem, hæc quæ ad finem ſunt agere facit.

Præter voluntatem ſunt, quæ caſu & fortunâ eveniunt, & vis omnis major, quæ à nemine præſtatur.

De his quæ in teſtamento delentur, inducuntur, & inſcribuntur. ff. 28. 4.

Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit. ff. 29. tit. 6.

Princeps non ſemper ex votis omnia exequitur, multa fortunæ, populis, miniſtris, hoſtibus nolens concedit; ſimulat tamen ſe hoc velle, & bonum aliquod ſe hinc reportaturum.

Pondus eſt ad cognatum propenſio, vel ab exitio ad ſalutem.

Pœnitentia timore mortis accepta eſt fructuoſa de pœnitentia. diſt. 7.

Qui juſſit filium ſuum aut ſervum contrahere tenetur ex ejus perſonâ actione quod juſſu, & conveniri poteſt actione directâ, quaſi ipſe contraxerit. l. vlt. ff. quod juſſu. §. vlt. Inſt. quod cum eo.

Simplex prohibitio alienandi non adjectâ causâ, non impedit alienationem. l. 38. §. Iulianius. ff. de legat. 3. D

Qui patre cogente duxit vxorem, quàm non duceret ſi ſui arbitrij eſſet, videtur hoc velle. l. 22. ff. de ritu nuptiar.

Tutor, ſi invitus retentus ſit per vim, non valet quod agitur; neque enim præſentia corporis ſufficit ad authorem, vt ſi ſomno aut morbo comitiali occupatus tacuiſſet. l. 1. in f. ff. de author. & conſ. tutor.

Hæres non incidit in crimen captatæ hæreditatis, ſi blando ſermone meruit affectus teſtatoris. l. fin. ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit.

Is tantùm hæres habet quartam Trebellianicam, qui juſſus fidei commiſſario reſtituere volens adijt, & reſtituit non coactus. l. 14. & 27. §. 14. ff. ad S. C. Trebellian.

Servus habet pro præmio libertatem, qui detegit occiſores Domini, volens, non vi tormentorum. l. ff. ad S. C. Sillanian.

Non committit crimen læſæ Majeſtatis, qui fortuito jacto lapide ſtatuam Imperatoris attingit. l. 5. ff. ad l. Iul. Majeſt.

Vera habetur voluntas, etiamſi conſilium effectus non ſequatur. *Vide ſuprà Virt. Volunt.*

Voluntarium eſt maximè in actibus humanis, quia homo maximè cognoſcit finem ſui operis, & movet ſe. D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 1.

Matrimonium per vim contractum cohabitatione ſpontaneâ convaleſcit. cap. ad id. de ſponſalib. & matrim.

Non cenſetur rapta, quæ volens abducta eſt: & priùs deſponſata quàm cognita, licet invitis parentibus. cap. cum cauſa de raptorib.

Si quæritis, quærite, convertimini & venite. Iſay. 21.

Voluntariè ſacrificabo tibi. Pſal. 53.

Plato 3. de legib. dicit & civitatem, & civem à Deo debere petere, non vt voluntas in omnibus impleatur, ſed vt rationi ſubjiciatur. Vera eſt voluntas, etiam vrgente neceſſitate. *Vide Veritas Virtutis.*

REPVGNAT.

Non vera voluntas.

VIde ſuprà paſſim hoc titulo.

De injuſto rupto, & irrito facto teſtamento. ff. 28. tit. 3.

De inutilibus ſtipulationibus. Inſtitu. 1. tit. 20. Cop. 8. 39.

Quod vi aut clàm. ff. 43. tit.

De eo quod metus causâ. ff. 4. tit. 2.

De his quæ inconſultò in teſtamentis ſcribuntur aut delentur. ff. 28. t. 4.

Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris vel Domini. l. 4. ff. de reg. jur.

De Baptiſatis in ægritudine, an Baptiſentur. Vide diſtinct. 53.

Non cogitur in Monaſterio remanere, qui in vitus cucullam induit, niſi poſteà habens ætatem diſcretionis conſenſerit. 20. q. 1. 2. & 3.

Si per errorem alius pro alio Prætor aditus fuerit, nihil valebit quod actum eſt, non enim conſentiunt qui errant, quid enim tàm contrarium conſenſui quàm error, qui imperitiam detegit. l. ſi per errorem 15. ff. de Iuriſd.

Conſtantini eſt conſtitutio, ne pupilli vel viduæ cogantur venire judicij cauſâ ad comitatum Imperatoris, etiamſi illius reſcriptum proferatur. l. vnic. Cod. quandò Imperat.

Rejicitur à militiâ, qui illam ſuſcepit metu pœnæ criminis, de quo erat accuſatus. l. fin. ff. de re milit. *Vide Veritas Virtutis, Repugnat.*

Idonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt vt teſtes fiant. l. 6. ff. de teſtib.

Qui manumittit libertam ex fideicommiſſo, videtur id neceſſitate cogente facere. Ideò licet habeatur patronus, non tamen fruitur jure aliorum patronorum, vt ſcilicet hæc liberta vxor non poſſit divortium facere. l. 5. ff. de rit. nuptiar.

A Tutor non poteſt pupillam ſuam, nec ſibi, nec filio ſuo habere vxorem. l. 60. eodem. Sic qui in provinciâ officium gerunt, non poſſunt ex eâ vxorem ducere. l. 57. eod. Præſumuntur enim vim voluntati facere. l. 63.

Non videtur dare, niſi qui potuit non dare. l. 5. §. Si quis. ff. de jure dot.

Si quis in inſtitutione hæredis erret in corpore, vnum pro alio nominando, aut rem vnam pro aliâ legando, neutra debetur; prima, quia eſt contrà voluntatem; Secunda, quia non eſt ſcripta. l. 9. ff. de hæred. inſtit.

Illa inſtitutio, quos Titius voluerit, vitioſa eſt, quia ex alieno arbitrio pendet. l. 32. eod.

B Nolle adire hæreditatem non videtur, qui non poteſt. l. 4. ff. de acqui. vel omiſſ. hæred.

Liber putans ſe ſervum, vel ſtatu liber, ſi juſſu Domini adeant hæreditatem, non obligantur. l. 74. eodem.

Non eſt vera voluntas mulieris raptui ſuo conſentientis, quia nonniſi ſollicitata & odioſis artibus circumventa voluit tantum facinus. l. vnic. C. de rap. virg. De condictione indebiti.

Pupillorum, furioſorum, quibus non conſtat ratio, non cenſetur eſſe voluntas. Item, cujus non eſt caput.

In non habentibus vſum rationis, non eſt propriè C voluntarium, nec involuntarium. D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3.

Reſcinduntur contractus omnes qui fiunt metu tali, qui poſſit cadere in conſtantem virum. cap. Cum dilectus. De his quæ vi metuſve causâ fiunt.

A juramento per vim extorto Eccleſia ſolet abſolvere, & ejus tranſgreſſores vt peccantes mortaliter non puniuntur. cap. Verum de Iurejur.

Simplex bonum propoſitum, in periculo factum, non habetur pro voto. cap. liberaturum. De voto, & voti redempt.

Non eſt vera voluntas quæ eſt à coactione. *Vide Contrarietas Voluntatis.*

Nudum pactum, id eſt non additâ causâ factum, D non parit actionem, ſed exceptionem. l. 7. ff. de pact.

Qui in infirmitate credere volunt, poſſunt baptizari. Concil. Arelat. 1. Can. 6. an. 316.

Apoſtatæ qui ſe ad Eccleſiam non repreſentarunt, ſed infirmitate vrgente communionem petunt, non eſt eis danda niſi egerint fructus dignos pœnitentiæ. eodem. Can. vltimo.

Si quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt: niſi poſteà ejus fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat. Can. Si quis diſt. 57. ex Concilio Neocæſarienſi Can. 12.

An vera ſit voluntas quæ eſt coacta. *Vide Contrar. Voluntatis.* An quæ eſt Media. *Vide Medium Volunt. Media.*

E De his quæ pro non ſcriptis habentur. ff. 38. tit. 8.

Furioſi, vel ejus cui bonis interdicitur, nulla eſt voluntas. l. 40. ff. de reg. Iuv.

Per vim ſtuprum paſſa remanet inviolatæ exiſtimationis. l. 20. Cod. ad l. Iul. de Adulter. Et non cenſetur pudicitiam amiſiſſe. 32. q. 2. Can. *Vide Veritas Virtutis.*

Verba enunciativa emiſſa propter aliud, diſpoſitionem non inducunt. l. 52. ff. de pact.

Inter alias acta alijs non nocent. l. 2. Cod. de fide inſtrum.

Servus neceſſarius hæres inſtitutus cogitur adire hæreditatem. Inſt. de ſuis & leg. hæredib.

Si teſtator in fine teſtamenti dicat, lituras ego feci, non refertur ad id quod inconſulto eſt factum. l. 1. ff. de his quæ in teſtam. delentur.

Non videtur qui erravit conſentire. l. 116. ff. de Reg. jur.

Ceſſat edictum Prætoris, quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, vt ipſe eodem jure vtatur, ſi eo non poſtulante jus iniquum conſtitutum eſt. l. 3. ff. quod quiſque jur.

Non eſt vera voluntas in primis motibus. *Vide Major. Volunt. primi motus.*

Non habentes vſum rationis, vt amentes & pueri, non poſſunt vovere. 2. 2. q. 88. 9.

Nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi de conſenſu prælati, quia nullum tempus eſt, in quo Prælatus non poſſit eum in alijs occupare. 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3.

Non videtur vera pœnitentia, dilata, & quæ ſit in extremis. *Vide Durat. Virt.* de non differendâ cõverſ.

Iudæi confugientes ad Eccleſias debitis aut criminibus obnoxij non ſunt recipiendi, niſi debitis ſolutis, & demonſtratâ innocentiâ. l. 1. C. de his qui ad Eccleſ. confu.

Contrà, quod ſit vera virtus, etiam cogente neceſſitate. *Vide Veritas Virtutis*, & quod coacta non ſit vera. Ibidem. Ex vtroque Iure.

Captatoria diſpoſitio non valet in legatis, ſicut nec in inſtitutionibus. l. 64. ff. de Leg. 1. Dicitur autem captatoria, quoties ejus conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis, vt inſtituo te, ſi Titius voluerit. Ibid. Gloſſa.

Nefas erat Dijs libare vina, ex vite fulmine tactâ, aut juxtà quàm hominis mors laqueo pependerit, aut quæ fuerit vulneratis pedibus calcata. Plin. lib. 13. c. 19.

VERVS AMOR.

Picus Mirandul. affert has duodecim conditiones amantis. Amare vnum tantum. Contemnere omnia pro eo. Infœlicem putare eum, qui non eſt cum amato. Omnia pati, vt cum illo ſit. Ornare ſe, vt illi placeat. Eſſe cum illo quando poteſt, ſi non re, ſaltem cogitatione. Amare omnia quæ ad illum attinent, amicos omnes, domus, veſtes, imagines. Velle illi laudes. nec pati poſſe ignominiam. De eo credere omnia ſumma. Cupere vt idem omnes credant. Semper ardere ejus deſiderio. Servire ſinè præmio.

Verus amor probatur effectibus quos vide ſuprà. *Poteſtas Voluntat.* amoris. *Vide etiam Veritas Concordantiæ.*

Donationes inter virum & vxorem prohibitæ, quia ſæpè futurum eſſet, vt diſcuterentur matrimonia, ſi non daret is qui poſſet, & ſic eſſent vænalia. l. 2. ff. de donat. int. vir & vxor. Sic majores amorem honeſtum ſolis animis æſtimarunt, ne concordia prætio conciliari videretur: nevè melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret. l. 3. eodem.

Vidua non ſit infamis, ſi non ſervet luctum in habitu, ſed ſi antè annum nubat. l. 13. C. ex quib. cauſ. infam. irroget.

In divinis non eſt amor ex amore, quia ibi eſt tantùm vnus amor perfectus. 1. quæſt. 27. art. 5. ad 3. D. Thom.

Dilectio addit ſuprà amorem electionem, ſed charitas æſtimationem magnæ prætij. 1. 2. q. 26. a. 3.

Amor intellectualis addit ſuprà benevolentiam vnionem effectus. 2. 2. q. 27. a. 2.

Amor eſt boni in communi, ſivè habiti, ſivè non; ſed gaudium & delectatio eſt de præſenti & habito, deſiderium verò & ſpes eſt de non habito. 1. quæſt. 20. art. 1.

Antiqui duplicem dixerunt eſſe Venerem, vnam cœleſtem, cœlo natam ſinè matre, id eſt ſinè materiâ; aliam communem, Iove & Dione genitam. Prima Venus eſt intelligentia in mente Angelicâ poſita. Altera vis generandi, animæ mundi tributa. Illa amore ingenito ad intelligendam Dei pulchritudinem rapitur: hæc fulgoris illius ſcintillas in materiam mundi transfundit, & pulchritudinem in corporibus procreat. In nobis eſt & intelligendi vis, & generandi potentia, hæ geminæ vires duæ ſunt in nobis Veneres; Prima ſpiritualis, ſolâ delectatur pulchritudine. Secunda ad illam generandam procedit. Dignitate amoris abutitur qui generationis avidior, contemplationem deſerit, & formam corporis præfert pulchritudini animi. Primi amoris æſtus cæleſtem hanc redolent venerem, &c. Marſil. Ficin. in Platonis convivium. orat. 2.

Hæc videntur ſignificari ab Aſtrologis per duas domos veneris, Taurum ſcilicet & Libram. Libra, ſignum aëreum, exaltatio Saturni, afficit amore ſpirituali & ſolâ pulchritudinis contemplatione contento, ſi in illo ſit Venus planeta; at ſi ſit in Tauro, ſigno terreo, tetram, feramque dicitur copulæ inferre libidinem: quod hic amor non ſit verus, ſed lapſus amoris. *Vide infrà hoc tit. Repugn.*

Verus amor eſt ex ſympathiâ naturali. *Vide infr. Principium Voluntatis.*

Deus indidit animalibus amorem, huc vſquè durantem ad propagationem: dicendo, Creſcite & multiplicamini: quod non dixit plantis, quæ non appetitu ſeſe propagant, ſed cadentem ſementem caſu terra excipit. Pererius in Gen.

Verus amor ſinè aliquo intereſſe. *Vide Veritas Bonitatis.*

Mirum quod vlmo, tiliæ, oleæ, populo, albæ & ſalici evenit: circumaguntur enim folia earum poſt Solſtitium: Nec alio argumento certius intelligitur Sidus confectum. Plin. lib. 16. cap. 23. Tunc comitantur ſolem, cum deficit. Contrarium eſt in amicis fortunæ, de quibus. *Vide hoc tit. in Repugn.*

Familiaritas Iovis cum venere, in locis probatis, facit propenſos ad amorem & honeſtam venerem, ſplendidos, gratos, liberales. Ptolomeæ. Præd. Aſtrol. l. 3. c. 28.

Lucianus, Dialogo de Sacrificijs, ridet antiquorum ſacrificia, quaſi condicto prætio homines emant à Dijs proſpera, divitias bobus quatuor, regnum bobus centum, aliqua gallo, thure, corolla redimenda, quaſi Deus expectet noſtra, vt det ſua.

Brachmanæ Indi ſapientes ignem ſacrum habebant, quem dicebant à ſole acceptum: hic non erat incluſus laternis, nec vlli materiæ adhærens, à nulla ſumens alimentum, liber vt ſolis radius exiſtebat in aëre: Nihil etiam in aris conſumebat. Philoſt. in vitâ Appollonij. l. 3. cap. 3. Charitas à Deo, non quærit quæ ſua ſunt. *Vide Veritas Bonitatis.*

AMOR COELESTIS.

Si amamus credendo & non videndo, quomodo amabimus videndo & tenendo, ergò charitas erit, ſed perfecta erit, ſicut ait Apoſtolus. 1. Corinth. 13. Fides, ſpes, charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas. D. Auguſt. ſerm. 1. de verbis Apoſtoli. c. 8.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Magnum profectò habituri ſunt teſtimonium, quos in cœlo Pater ſuſcipit, tanquàm filios & heredes; Filius aſciverit, tanquam fratres & cohæredes; Spiritus ſanctus ad hærentes Deo vnum Spiritum feciat eſſe cum eo, eſt enim Spiritus ipſe indiſſolubile vinculum Trinitatis, per quem ſicut Pater & Filius vnum ſunt, ſic & nos vnum ſumus in ipſis. D. Bernard. ſerm. 1. in octauâ Paſchæ.

Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. 1. Ioan. 3. Si deficias ab amore, deficies à laude: Si autem amor ſempiternus erit: quia illa inſatiabilis pulchritudo erit; noli timere, ne non poſſis ſemper laudare, quem ſemper poteris amare: Ergò beati qui habitant in domo tuâ Domine. D. Auguſt. in Pſal. 83.

Generatio & generatio laudabit opera tua. Pſal. 143. & in hac vitâ & in aliâ, cum erimus filij reſurrectionis. Math. 22. Et ſi laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati? D. Auguſtin. in dict. Pſalm.

Charitas patiens eſt, benigna eſt; charitas æmuletur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet; charitas nunquàm excidit, &c. 1. Corinth. 13.

De charitate. *Vide Virtus voluntatis.*

QVIS SIT VERVS amor.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amare difinitur velle bonum amato: Verus enim amor ſemper eſt beneficus; nam bonis non parcit, qui propriam optat profundere ſubſtantiam; vndè nudus à Platone pingitur. Non ſe ſibi ſervat amans, ſed ſe transfert in amatum, & cum ſeipſo ſua omnia jura; vnde cum donat, videtur amanti debitum ſolvere, & quod ſuum eſt reſtituere.

MAGNITVDO. Verus amor non eſt pro parte. *Vide Magnit. volunt.* Totum dat, aut nihil; Non patitur enim vllos ſibi limites præſcribi, hæret enim animo ſpirituali, qui eſt ſuprà materiam & tempus. Magna ſemper aggreditur, primò, vt ſibi ipſi de ſe fidem faciat, per reflectionem notitiæ ex actionibus; tùm vt ſe oſtendat amato, à quo ſperat ſe tantùm amari, quantùm ſe amare probaverit.

DVRATIO. Nulla ſunt tã anguſta beneficia quæ non aliquid de futuro polliceantur. *Vide Dur. Bonit.* Vndè verus amor, qui majora & majori affectu dat, debet eſſe perpetuus. *Vide Durat. Volunt.* Non patitur moras, nec exitum; ſic omnia quantùm poteſt ad præſens colligit, & æmulatur immenſum perpetuumque illud Nunc æternitatis.

POTESTAS. Verus amor imperat cæteris potentiis, & alicui earum cedit non eſt verus; Victorem putes abſoluto imperio victis legem dicentem. Hinc mirum non eſt, ſi mens naturaliter libertatis avida gaudeat ſuâ ſervitute, quia ſic ſtabilitur, ſummum quod optat à moris imperium.

COGNITIO. Verus amor eſt induſtrius illique inventa ſua accepta referunt artes omnes. *Vide Cognit. Voluntat.* Latet, cum adhuc infernum ſe ſentiens, timet æmulorum oculos: Prodit autem cum de mutuâ rei amatæ fide ſecurus eſt, nec timet famæ diſpendia.

VOLVNTAS. Paſſiones omnes amori, vt Principi ſuo militant; ſed hoc turbulento concurſu, quaſi ventorum, aut fluctuũ tempeſtate exagitatur animus: ſed qualeſcumque fuerint illi motus, amantur, quia veri amoris, ſe non temperamentis, ſunt indicia.

VIRTVS. Verus amor, cum debeat eſſe perpetuus, non inhæret caducis: Vnde verus non eſt, qui colit ſolam corporis pulchritudinem, morbo aut ætate citò marceſſentem, qui ſectatur pudendam voluptatem, vſu ipſo deficientem: ſed verum amorem, virtus immortalis, & eadem quæ nos Deo connectit charitas conciliat.

VERITAS. Amor aperit cordis ſecreta: cum, tradit ipſum cor. *Vide infrà hoc tit.* In amore veritas.

GLORIA. Aſpera licet, levia & grata videntur verè amanti, optat enim multa pati pro amato, quaſi id honeſtum & glorioſum ſit; Vndè etiam dum patitur fruitur optatis: Labores autem maximè ſolatur ſperata rei amatæ poſſeſſio; vix tamen vlla verè amanti quies, quia æterna ſectatur, ſcilicet fidem, amorem, poſſeſſionem rei amatæ, quæ omnia non ab ipſo, ſed ab inconſtanti humanæ mentis, & fortunæ pendent arbitrio.

DIFFERENTIA. Verè amans eſt vt indeterminata materia ſub amati manu, flecti ad omnia paratus: Hinc miræ illæ complacentiæ, quæ feros bellatores ad muliebria & puerilia demittunt.

CONCORDANTIA. Idem velle, atque idem nolle perfecti amoris indicium eſt: Summa pax & concordia, vbi diverſa omnia in vnitatem amor pulcherrimè concinnavit.

CONTRARIETAS. Totus in blanditiis amor circà rem amatam externis iras & bellum minatur; Sic videmus gallinas inter pullos ſimul pippire, & ferocire; ſic ejuſdem ſpeciei animalia Venus in pugnam vocat. Nullum ſinè certamine amorem theatra referunt, quia in hac naturali paſſione, omnium potentiſſimâ, fit plurium concurſus adidem objectum poſſidendum, quod non niſi victori cedit. Inter homines imbellis ſexus fortes magis miratur & amat, ad ſuæ infirmitatis amoris, & criminis ſecuritatem.

PRINCIPIVM. Verum amorem, non fortuna, non parentum imperium, non familiæ ſplendor, ſed naturæ ſympathia, ſeu inclinatio conciliat. Hic amor momento naſcitur, & naſcens ſimul adultus vires ſuas, ſummamque miratur confidentiam, quaſi diutino convictu illam promeruiſſet.

MEDIVM. Amor ad vnionem tendens, ad illam ſeipſo, & nullis intermediis vult pervenire; vix enim in re tanti ſibi momenti alteri fidit. Habent nuptiæ ſuos proxenetas, ſed ad ſpectaculum, & ad patrimoniorum potiùs, quàm cordium, vnionem. Hac in re nullus niſi propriis credit oculis.

FINIS. Cætera ob aliquid aliud appetuntur, amor autem verus ſibi ipſi finis eſt: accedunt illi cætera omnia, quæ ad ſui ſecuriorem fruitionem labor exquirit: Amo vt amem, & amer.

MAIORITAS. Quotidie, etiam ignorans & perjurus ſibi accreſcit amor, cum enim ſe putat ſummum attigiſſe, ad vlteriora ferri ſe miratur: Nam voluntas humana, non niſi infinito ſatiari poteſt: vndè immenſus ille inſtinctus in humanis, variis illis acceſſionibus præludit.

ÆQVALITAS. Vere amans vult ex æquo amari, deluſus autem, & zelo accenſus in furorem vertitur: Tamen datur aliquis ità purus & ſimplex, qui ſeipſo ſubſiſtat, qui amatum, etiam non amantem colat, & ignis in ſuâ ſphærâ non indigeat pabulo.

MINORITAS.

Minoritas. Audax in amante humilitas, quantùm enim ſe amato ſubſternit, tantùm cæteris omnibus ſe prefert, etiam ſi ſit illis fortunâ & viribus impar; defectus omnes putat amoris magnitudine compenſare. Cum egregiæ ſint amoris dotes, mortem quam infert gloriosa ſubſequitur reſurrectio. Denique verus eſt amor, vbi nullus eſt defectus, bonitatis, magnitudinis, durationis, & cæterorum principiorum.

AMOR DEI VERVS, ſeù amare Deum propter ipſum.

BOni ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo; Mali autem contrà, vt fruuntur mundo vti volunt Deo. D. Auguſtin. Lib. 15. de Civit. Dei cap. 7.

Amor per ſe ſufficit, per ſe placet, & propter ſe: Ipſe meritum, ipſe præmium ſibi eſt amor; præter ſe non requirit cauſam, non fructum: fructus ejus, vſus ejus: Amo, quia amo: Magna res amor, ſi tamen ad ſuum recurrat principium; ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat, vndè jugiter fluat: Solo amore ex omnibus affectibus poteſt creatura, etſi non ex æquo, tamen de ſimili vicem rependere Creatori Iudicantem non judicabo, &c. dominanti ſervia, amantem tamen amo; Impurus eſt amor qui aliud capit; Purus amor mercenarius non eſt: Purus amor de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentiæ damna ſentit; liceat redamare dilectum: quid ni amet ſponſa, & ſponſa amoris? quid ni ametur amor? de Bern. ſerm. 83. ſuper Cantica.

Non ſinè præmio diligitur Deus, etſi abſque præmij intuitu diligendus ſit: Vacua tamen vera charitas eſſe non poteſt: nec tamen mercenaria eſt, quippè non quærit quæ ſua ſunt: affectus eſt, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit, ſpontè afficit, & ſpontaneum facit; Verus amor ſeipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id quod amatur: verus amor præmium non requirit, ſed meretur.

Præmium ſanè nedùm amanti proponitur, amanti debetur, perſeveranti redditur. Invitos promiſſis, vel præmiis invitamus, non ſpontaneos; quis enim conducit eſurientem vt comedat? quid mihi eſt in cælo? &c. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. D. Bern. de dilig. Deo.

Confitemini Domino quoniam bonus. Pſal. 135.

Amor mundi circà diverſa vagatur: Amor Dei in vno Deo conquieſcit: Nobilis amor, qui omne pulchrum dedignatur amare propter ipſammet pulchritudinem. O, fœlix amor, qui te habent beati ſunt! diligis ergò Deum, vide ne aliud quæras ab eo, nisi ipſum dedignatur contrà petentem, ſi ipſe petitionis cauſa principalis non fuerit: quamvis omnia bona donet, libentiùs donat ſeipſum: Noli timere de magnitudine doni, dilige ex toto corde, & ſic poteris ad eum ſecurè accedere, & dicere, Volo Domine vt ſis mihi portio in terrâ viventium. O fœlix portio! ô beata hæreditas! ô Domine Ieſu, quis mihi dabit, vt in veritate dicere poſſim; Dominus pars hæreditatis meæ! ô Ieſu qui es cauſa mei amoris, tu mihi ſis cauſa ſufficiens poſſidendæ tantæ poſſeſſionis! D. Bernard. Serm. 9. in Cœnâ Domini. *Vide ſuprà Magnitudo Voluntatis.* Amor Dei non eſt pro parte.

O ſi me diligeret Deus meus, creator, meus Redemptor meus, tam nihil ampliùs in hoc mundo quærerem: mihi in hac vitâ ſolus ſufficeret amor Chriſti: amor Chriſti dulcis eſt, delectabilis & jucundus, ſanitatem ægris, lumen cæcis, mœſtis lætitiam, peccatoribus veniam, mortuis vitam, terrigenis cœlorum, ipſumque Deum Angelorum. Charitas te domum Domini facit, &c. Anima rationalis ad imaginem Dei facta cæteris rebus occupari poteſt, ſatiari non poteſt: capacem enim Dei, quid minùs Deo implere poteſt. Idem. Ibidem.

Domine non confundar, quoniam invocavi te. Pſalm. 30. Quomodò tantam mercedem petit, vt non confundatur in æternum, quia Deum invocavit, cum & impij invocent: breviter dico homini avaro, Invocas Deum, vt det tibi lucrum, lucrum ergò invocas, non Deum; quia lucrum non potes habere per ſervum, invocas Deum, & miniſtrum lucri efficis: viluit tibi Deus; vis invocare Deum, gratis invoca: Avare, an parum eſt tibi ſi te impleat ipſe Deus; ſi ad te veniat ſinè auro & argento, non vis illum? quid ergò tibi de his quæ fecit Deus tibi ſufficit, cui Deus ipſe non ſufficit? D. Auguſt. in Pſal. 30. Concion. 3.

Gratis redempti ſumus, exigitur ergò à nobis vt gratis eum colamus, non quia dat temporalia, ſed quia præſtat æterna: Sed ipſa æterna vide ne aliter cogites, & cogitando æterna carnaliter, nihilominùs Deum gratis non colas. Dicis, ideò eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem: Corruptam adhuc mentem gens, amore enim caſto in colis, adhuc mercedem expetis, ea enim habere vis in futuro ſeculo, quæ hic neceſſe eſt relinquas: Mutare vis voluptatem carnalem non amputare. Non laudatur in illo jejunium, qui ad luxurioſam cœnam ſervat ventrem ſuum. Imò hoc jejunium non continentiæ, ſed luxuriæ deputandum: Noli ergò talia ſeparare tibi danda à Deo, qualia hic jubet contemnere: Ideò propoſitâ quæſtione de muliere, quæ ſepties nuſſiſſet turbabantur Iudæi, quia ad tales voluptates ſe ſperant reſurrecturos, quales hic amant viventes. Id. in Pſal. 43.

Voluntarie ſacrificabo tibi Pſal. 53. Gratis amo quod laudo: Erubeſceres, ſi te propter divitias vxor tua te amaret, & fortè ſi tibi paupertas accideret de adulterio cogitaret; cum ergo à conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? contemne omnia, ipſum attende, alioquin non voluntariè, ſed neceſſariò colis; quia ſi hoc propter quod colis haberes, non coleres: Et confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt. Non ob aliud, melius enim eo non invenio. D. Auguſtin. in Pſal. 53.

Patrimonium noſtrum ipſe ſit, ſpes noſtra, ipſe ſit, ſalus noſtra ipſe ſit. Ipſe hic conſolator, ibi munerator, vbique vivificator, & vitæ dator, de quo dictum eſt. Ego ſum via, veritas, & vita. Id. Pſ. 55.

In nomine tuo levabo manus meas: tunc ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, quæ in aliis deſideris marceſcebat. Idem.

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pſalm. 72. Factum eſt cor caſtum, gratis jam amatur; Si aliud præter Deum deſideras, recedis ab igne immortali, frigeſces, corrumperis: Noli recedere, corruptio tua erit, fornicatio tua erit: Ecce qui receſſerunt à te peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te: huic fornicationi cõtrarius eſt amor caſtus. Præmium Dei, eſt ipſe Deus, doleo aliud quærentes, mihi autem adhærere Deo bonum eſt. D. Auguſt. in Pſal. 72.

Si Deus voce propriâ loqueretur nobis, & diceret ô homo fac quod vis in terrâ, poſſide quod cupis, vindica vt volueris, &c. Sed faciem meam nunquàm videbis: fleret & gemeret timor caſtus & diceret; Imo tollantur omnia, & faciem tuam

videam: exclamatet, oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Pſalm. 79. Vnam petij à Domino, hanc requiram. Pſalm. 26. D. Auguſt. in Pſ. 117.

Vt placeres amico, aufferres eum, qui illum offendiſſet; ſic vt placeas Deo, auſer teipſum & tui amorem. Idem in Pſal. 131.

Laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus: Pſ. 146. Hæc eſt merces laudationis ipſa laudatio. Id. Idem lib. 1. ſoliloq. c. 11. Probat id non amari quod propter ſe non amatur, nec te pulchra fœmina amabit, ſi te cognoverit alterius eſſe amantem.

Imprimis diligit homo ſeipſum propter ſe, Caro quippe eſt, & nihil ſapere valet præter ſe; cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere. Deũ ſibi incipit quaſi neceſſarium per fidem inquirere & diligere: At verò cum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere, & frequenter mitando Deus innoteſcit, & dulceſcit, itaut ipſum diligat, non jam propter ſe ſed propter ipſum. D. Bernard. Epiſt. 11.

De puritate intentionis, & conformitate cum Dei voluntate. *Vide Veritas Virtutis. Et Concor. Principy.*

Ait Auguſtinus in confeſſion. Beatè vivere nihil eſt aliud quàm veritate gaudere, atque hoc ipſum circà veritatem gaudium eſt ipſa fœlicitas. Abſoluta veritas lux Dei eſt in ſeipsâ; Rerum veritas eſt Die ſplendor in ipſis: Ergo ſi vis veritate gaudere ama, quære, conſidera Deum propter ſeipſum, & cætera propter Deum. Marſilius. Ficinus.

Apud antiquæ probitatis Chriſtianos nefas ducebatur, ſic in idola graſſari, vt in vſum privatum ipſorum aliquid ex iis converteretur, ne ſcilicet ardore avaritiæ potiùs, quàm zelo pietatis viderentur in ea inſurgere. Baron. an. 389.

De timore caſto & filiali. *Vide Cognitio Contrarietatis.* ſub finem.

DEVS PVRE' ET propter ſe diligendus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Ordinata charitas res modo naturæ ſuæ convenienti diligit, vndè cum Deus ſit ſummum ens, & propter ſe, quia eſt æternus, & antè omnia, ſic à nobis eſt diligendus: In eſt quidem, vt omnibus creatis, ſic maximè homini, amor proprius, quo ſibi bonum quærit, ſed hic etiam impletur, cum purè diligitur Deus, qui eſt prima bonitas communicativa: Sic qui vult ſolem videre, ab ipſo illuſtratur.

MAGNITVDO. Etiam naturæ legibus particulare commodum cedit vniverſali; plantæ & animalia propriam profundunt ſubſtantiam, cum agitur de ſpeciei conſeruatione; aſcendunt gravia ne detur vacuum: quid ni creatura rationalis ſe prætermiſsâ feratur in Deum, qui eſt bonum primum & vniverſaliſſimum. In eum per amorem fœliciter transfunditur, & dum accedere conatur infinito, cui nihil poteſt accedere, in ſuum commodum fit acceſſio, & pro eſſe humano accipit divinum.

DVRATIO. Taliter diligendus Deus, qualis eſt ab æterno, antè omnem creaturam, & omne tempus, ſeipſo infinitè perfectus & beatus: Mens quæ Deum ſic amat, & adorat per charitatem dilatata æternitatem quodammodò commenſuratur.

POTESTAS. Naturalia omnia actione ſuæ eſſentiæ vires non excedunt; at licet homini, cum ſingularis ſit, compoſitus, in multis deficiens, vniuerſale tamen, ſimplex, & abſolutum bonum, vt cogitatione, ſic affectu complecti: fruſtrà eſſet hæc potentia, niſi amor ſe ſupergreſſus ferretur in ſummum boni apicem, Deumque propter ſe ipſum diligendum.

COGNITIO. Appeti debet ſcientia propter ſe; nam Ariſtoteles à limine Philoſophiæ repellit eum, qui veritatem propter aliud vt propter temporale commodum ſectatur: quid ni ergò Deus, vnum verum bonum propter ſe ametur? Per cauſarum ſeriem aſcendit mens ad primum Principium in quo conſiſtit; & ſi ab illo ad inferiora deſcendat, videt in illis primævæ bonitatis imagines, quæ ſemper ad illam vt ad prototypum referuntur. Sic amor tranſcendens creata in Deum fertur, & poſteà non niſi ipſum in creatis poteſt diligere.

VOLVNTAS. Amoris proprium eſt extrà ſe ferre amantem, itaut ſui oblitus de ſe non cogitet, nec ſe, ſed amatum quærat.

VIRTVS. Iuſtitia eſt virtus ad alterum, quæ propriis commodis prætermiſſis, reſtituit alteri quod ſuum eſt: Non ſumus noſtri, ſed Dei, titulo creationis & redemptionis, quid ergò moramur nos illi totos per dilectionem reſtituere?

VERITAS. Verè non amatur illud quod propter aliud quæritur, ſed id amatur propter quod quæritur; non ergò Deum ſed me videor amare, ſi Deum propter me diligam; vt veritas vna eſt, ſimplex, incompoſita; ſi verus amor eſt indiviſus & totalis: Deus amari debet vt in ſe eſt amabilis; eſt autem amabilis per ſe, quia per ſe eſt infinitè bonus, pulcher, perfectiſſimus. Verè ſe amat, vt eſt amandus: ſe autem amat, & alia propter ſe: hic verus & divinus amor eſt idea, cui amor noſter debet conformari.

GLORIA. Præmium reſpondet charitati, vndè ſi Deus ſe dat beatis, debuerunt ſe illi per amorem dum vixerent conſecraſſe; Nam ſi Deum propter ſe dilexiſſent, ſe, non Deum conſequerentur. Beati perfecti cognitionem & amorem in Deum convertunt, nec ſibi, ſed Deo intonant, Sanctus, Sanctus, Sanctus; hic amor eſt noſtri exemplar.

DIFFERENTIA. Dyoniſius dicit divinam bonitatem extrà ſe quodammodò egreſſam ad ſe communicandum, vt perficienti perfectibile reſpondeat, & materia formæ. Amor noſter debet extrà ferri, & ſuo aſſenſu occurrere in nos & ad noſtra deſcendenti amori divino: ſic Abraham Dei mandato egreditur de terrâ ſuâ.

CONCORDANTIA. Si Deum propter nos diligimus facimus de principali acceſſorium & de acceſſorio principale; nam nos qui mori, corrumpi, in novum hominem ſecundùm Deum debemus transformari, volumus tamen ſemper ſubſiſtere: huic vitioſo fundamento volumus intædificare; huic veteri veſtimento & veteri Adamo volumus aſſuere divina. Sympathia mutuo gaudent compſexu, citrà commodum omne & ſpem vtilis commercij.

CONTRARIETAS. Materia inflammabilis offert ſe conſumendam ignibus: expanduntur flores ad Solem, ſub cujus radijs mox debent marceſcere: ſimus conſentientes adverſario noſtro, dum ſumus in viâ, hoc eſt vt interpretatur D. Auguſtinus, amori divino, cui nos ſuis ſagittis conficiendos debemus offerre, fœlici & ad meliorem vitam interitu.

PRINCIPIVM. Primus ille mentis aſcenſus in Deum ex inſtinctu, prima ex ratione illius contemplatio ipſum purè miratur, amat, adorat: concipiunt enim vt Principium antè omnia, & in ſeipſo exiſtens, vndè ſic colitur ſinè vllo ad nos reſpectu. Ruunt magno impetu flumina in mare, illic nomen, colorem, motum, ſingularem denique exiſtentiam

transfusione amissura ; Partes mixtorum deludunt artes nostras conservatrices, vt dissoluantur, & in sua redeant principia : sic anima sui oblita in Deum principium suum debet resolvi.

MEDIVM. Famulos etiam prætio operas suas conducentes non patimur, si mercedem tantùm in opere intendant, sinè affectu & complacentiâ : indignamur enim non amari, & ob id tàtùm quæri, quia possumus prodesse : hæc opinio civiles etiam amicitas, palàm propter vtile contractas, sæpè dissolvit, quia quod naturale est, scilicet velle purè amari, tandemprævalet. Pudeat habere Deum, quasi fœlicitatis nostræ organum, quo si possemus carere, non vteremur: sic illum non amore sed necessitate colimus, alieno, si liceret, affectu & nobis tantùm hærente.

FINIS. Vltimus, inquit Aristoteles, est qui propter se amatur, & propter quem omnia ; omnium autem Deus finis est, quia & omnium principium. Securè se puer in sinum matris projicit ; securè se anima, sui oblita, se totam tradit divinæ bonitati, nec timet mortem, aut aliam privationem, dùm se totam committit essentiali vitæ.

MAIORITAS. Possunt esse inferiores charitatis gradus, sed hic apex est, quem intimo affectu sanctiores ambiunt mentes : Id efficit non natura sed gratia trahimur, sublevamur, nostrum est divinam sequi motionem, & non contrariâ voluntate ab increato ad creatum deprimi.

ÆQVALITAS. Si nos Deo comparemus, videmus nos in malis, tenebris, confusione, nihilo : hi defectus à nobis avertunt, & ad Deum convertunt nostrum amorem, qui est boni & pulchri. Hæc charitas est metin nostræ impressa à Deo, sicut imago solis in speculo : vndè cum Deus se propter seipsum amet, quia solus est perfectissimum, & ad æquatum infiniti sui amoris objectum ; Ità nos ipsum similiter, quantum fas est, debemus diligere.

MINORITAS. Etiam lege naturæ nobilia non cedunt ignobilibus & infimis, sed infima & abjecta potentioribus & perfectioribus ; sic elementativum servit vegetativo, vegetativum, sensitivo, sensitivum rationali ; licet ergo noster amor sit indigus, non Deum sibi, sed se Deo debet querere : nam quia quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur: indignum & sacrilegum videtur, Deum in nos trahendo, quantum in nobis esset, dejicere ; imò in incarnatione ad nos dejectus est, vt nos ad ipsum sublevaremur : Si toti in illum feramur, absorbebuntur defectus omnes in infinità perfectionis abyssо.

REPVGNAT.

NON VERVS AMOR.

Non est verus amor, cui non adest Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, & cæteta Principia, quæ verum suo concursu constituunt amorem, vt suprà.

Princeps blanditur illi, quem habet suspectum de proditione, tacitè tamen illi invigilat : Vndè qui advertit sibi infensum esse Principem, tantò minùs illi fidat, quò plura benevolentiæ signa ostenderit; ipsâ enim affectione læsum probat esse animum.

Nisi bonus sit Princeps, non est vera ergà ipsum populi amicitia, vndè se tantùm amari credat, quantùm se virtute insignem præstiterit : non credat etiam adulanti multitudini, quæ petit vt sibi ab intimis familiari dignitates conferat.

Multi qui tacitè sequuntur partes rebellium, ferunt palàm arma pro Principe, donec videant res suarum partium benè stabilitas, interim sunt quasi exploratores.

Doli & perfidiæ omnes fiunt sub specie amicitiæ. *Vide Minor. Veritat. mala.*

Podagij loco fuit, in quibusdam animalibus in venisse lien in dextrâ jecur vero in sinistrâ parte. Arist. odisse quod videris amare. De odio latente. *Vide Cognitio Contrar. Repugnat.*

Apis bos sacer Ægiptiorum, post certos vitæ annos mergebatur, & tamen hi defunctum scissâ veste lugebant ; sic busto faciem admoventes, aversi illam tenebant vt Virgil. 6. Æneid. falsus sæpe hæredum & nuptarum fletus.

Amico nimiùm non est fidendum, vbi agitur de magno commodo. l. 46. ff. de hæredibus instit. De nimio amore sui, quo violatur amicitia. *Vide Voluntas Bonitatis.* Nimius sui amor.

Affabilitas non habet perfectam rationem amicitiæ. D. Tho. 1. 2. q. 11. a. 4.

Amicitia vtilis & delectabilis deficit à ratione veræ amicitiæ. 1. 2. q. 26. a. 4. ad 3.

Potentiores nos non habent in amicitiâ, sed in apparatu. Seneca Potentes oportet habere nec amicos, nec inimicos. *Vide Media Concordantia.*

Adulterantur amicitiæ ab ijsdem à quibus oppugnantur, destruuntur, & desinunt. *Vide Contrariet. Volunt. & Finis Volunt.*

Vera amicitia est tantum inter bonos Deo conciliante. *Vide Concordantia Virt.* Non inter malos. *Vide Concord. Minor.*

Amor turpis & improbus, non est verus amor, sed lapsus amoris quia amor cum sit boni, boni autem fruitio delectet, sequitur quod hic non sit verus amor, quem ægritudo animi sequitur ; hæret etiam in specie pulchri, cum attendat dari magis & summè pulchrum. Alan. Var. lib. de Amore.

Plutarchus, loquens de his qui catulos & simias amant impensiùs, dicit patrem animæ nostræ affectuosam, defectu legitimi objecti, sibi hæc falsa fingere, ne in vacuum, & quasi irrito actu feratur, verò tamen apparente à falso abstinet.

D. August. lib. 3. confess. c. 1. Veram, inquit, amicitiæ, coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremque ejus obnubilabam tartareâ libidine, & tamen fœdus atque in honestus, elegans & vrbanus esse gestiebam abundanti vanitate.

Vera, quâ deberemus affici, amicitia decurrit in torrentem picis bulientis, & æstus immanes terrarum libidinum, in quos ipsa mutatur & vertitur per nutum proprium cœlesti serenitate detorta, atque dejecta. Ibidem. cap. 2.

Quælibet res ex eo quod est, & propter partium conformitatem vna est, non tamen perfectè, sed vnitatis dicitur habere vestigium, propter diversitatem partium extentarum, & alibi positarum : huic vnitatis vestigio inhæret animus, & fallitur, summaque est perversitas, quod vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum : Oculus rectè judicat, sed mens fallitur, quæ ad summam pulchritudinem contemplandam facta est; quærit enim intelligere carnalia, & videre spiritualia, quod fieri non potest: non ergò summa quæramus in infimis, ipsis infimis in hæreamus ; judicemus ea, ne cum ipsis judicemur, id est tantùm ea tribuamus, quantùm species meretur externa, ne cùm in novissimis prima quærimus, à primis inter novissima numeremur. Etsi propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo quia vnitate continetur, & non implet veritatē; intelli-

gamus si possimus non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est; omne enim corpus est, sed falsa vnitas. D. August. Ibid. de verâ Religione. cap. 34.

Inordinatus sui amor non est verus amor. *Vide Voluntas Bonitas.* Inordinatus sui amor.

De geminâ venere cœlesti & communi. *Vide sup. hoc tit.* Verus amor.

Plurimæ inter amicos oriuntur dissensiones, cum haud ità vt existimantur sunt amici, vt qui putet se propter mores diligi, cum propter vtilitatem aut voluptatem quæratur. Culpa est in eo qui fefellit, major quàm si nummos adulterasset. Aristo. lib. 9. Moral. cap. 3.

Zelus qui apparet pro bono publico fictitius est, nostra interest. *Vide Major. Volunt. Mal.* nimius zelus.

Non est verus adulantium affectus, *Vide Concordantia Potestatis Mala* de adulatione.

Multis cautionibus intima familiaritas ineunda cum ignoto; tam est difficilis & rara quam excellens hæc divina connexio animorum, & si ex infinitis rebus, quæ illam componunt, aliqua se conditio subtraxeris, degenerat in turpissimum monstrum. Amplissima virtus non vbique sui capaces animos invenit; magnas deinde mentes plurùmque occupant ejusmodi vitia, quibus nullum est cum amicitiâ commercium. Barclai.

Constantius in Pannoniam proficiscens, simulat cum Vetranione amicitiam, quasi accepturus illum in collegam imperij: demùm fecit eum à militibus exui purpurâ, & privatam vitam agere coegit. Bar. an. 352.

In Paphlagonia bina perdicibus corda. Plin. lib. 1. cap. 37.

AMICI FORTVNÆ.

INdè amici fugiunt, vbi probantur; necesse est initia inter se & exitus congruant: qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit illi aliquod prætium contra amicitiam. Senec. Epist. 9.

Prætio parata vincitur prætio fides. Sen. trag.

Quasi corvi, canes, lupi ad prædam advolant; arborem, cujus fructu & vmbrâ fovebantur, si cadat, diripiunt. Assectator comesque patrimoniorum pereuntium populus.

Vmbra corpus consequitur tantùm cum est in sole.

Qui causâ vtilitatis assumptus est, tandiù placebit, quandiù vtilis erit: paravit amicum contra vincula laturum opem, cum primùm crepuerit catena, discedet; circà evetsos ingens solitudo est. Senec. ep. 9.

Tua diligunt, non te; corvus redijt ad arcam, cum nondùm finito diluvio escas non inveniret; Visitamus tantùm arbores, cum ab illis fructus pendent; Iudæi multos habebant confœderatos, cum florebant sub David & Salomone: sed vestatâ à Chaldæis Ierusalem, flens super illam Hieremias dicit, non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Argentum vivum auro adhæret, sed si mittatur in ignem evanescit in auras. Mundus infidelis est suo Creatori, quomodo non esset homini? Christum comitantur discipuli in cœna, deserunt in passione; Ideò nolite confidere Principibus. Psal. 154. Incumbis arundini. Isa. 36. Etsi non habeas veros amicos, non est tamen otiosus amor, quia ex præcepto Christi diliges inimicos, saltem possibiles. Multi rivuli abundant aquâ hyeme, cum his opus non habemus, siccantur autem æstate. Apes mel sequuntur, non hominem qui illud portat. Vt aves & canes dilaniata cadaveris carne ossa relinquunt, quasi muscæ ad culinam.

Qui viderunt me, foras fugerunt à me. Quoniam non intelligebant interiorem spem meam, inquit Martyr in persecutione. D. August. in Psal. 30.

Adulatio, quàm similis est amicitiæ, non imitatur tantùm illam, sed vincit, & præterit; apertis & propitijs auribus excipitur, & in præcordia ima descendit, &c. Senec. ep. 45.

Vides opulentissimi & splendidissimi cultus homines, tibi anxios, tibi flentes; tristi vultu & festo habitu compositas ad mœstitudinem facies tibi ostentantes, per imaginariam sollicitudinem suam ementes hæreditatem tuam. Salvianus. lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam. Dum tua impatienter fitiunt, te oderunt, præsentiamque tuam, quasi æmulam sibi, & adversariam judicantes, obicem cupiditatis suæ putant esse quod vivis. Ibidem.

Tyranni nullos veros habent amicos & sæpè à suis familiaribus, longâ scelerum dissimulatione, conscientiâ & coactione magis infensis destruuntur.

Muscæ etiam hybernis temporibus nocivæ. Athenæus. lib. 1. c. 1.

Euchrates dives ex sene fit juvenis, vt deludatur spes hæredum, illi falso blandientium, & sacrificia pro salute ipsius promittentium, cum mortem optarent. Lucianus dialogo Platonis & Mercurij. Idem ferè refert sequenti dialogo Terpsionis & Plutonis; vbi senex justè supervixit illi, qui tanquàm proximè morituro multa dona obtulerat. Et dialogo Cremonis & Damnippi subito moritur, qui senem omnium bonorum suorum scripserat hæredem, ostenso illi testamento, vt ad idem faciendum illum provocaret.

Vide Veritas Bonitatis. Repug.

Elephantes montani, sunt perversi, & insidiosi, & nisi alicujus rei indigeant minimè erga homines fidi. Philostrat. in vitâ Appollonij. lib. 2. cap. 7.

IN AMORE VERITAS.

SI in vino & eculeo, multò magis in amore veritas, nam sponte & ex industriâ secretum amans amato aperit, vt sic probet, hac quasi clavium traditione, amatum esse cordis dominum. Hinc amasij affectant susurris loqui.

Sic Dalila extorsit secretum Samsonis in ænigmatis solutione, & capillamenti, vndè sua pendebat fortitudo, indicatione: sic tyranni vtuntur mulieribus, vt secretas civium in se conjurationes aperiant: sic artifices citrà invidiam docent artis suæ secreta tyrones quos amant, & maximè parentes liberos; Vndè jubebantur apud Ægyptios filij paternam artem, idemque vitæ institutum colere. *Vide suprà Duratio Cognition.*

Ionathas Davidi, quem amabat, secreta patris sui Saülis aperuit.

Non probantur in senatoribus familiares amicitiæ; maximè cum exteris; puerulus enim & loquax est amor, nec secretum sustinet, vndè tamen consilijs tebusque fœlicitas.

Secreta aperiendo habet amor vndè in adversâ etiam fortunâ sit liberalis: Multùm censetur dare, cùm dat quod cæteris omnibus negaret: Cùm secreta sint pro rebus in futurum disponendis, fidem suam in futurum videtur oppignorare, estque constantis, & perpetui amoris indicium. Amato vt regenti & imperanti aperiuntur secreta; nihil enim eorum quæ pertinent ad navem nauclerus

debet ignorare. Procurator Domino ſuo rerum ſummam aperit, alioquin habetur proditionis reus. Deferuntur hæc ad conſilium amati, vt quid facto opus ſit decernat, aperiatque in iſtis mentem ſuam, quæ lex futura eſt amanti; Timet enim, ne quid velit, ne quid agat, cupiatque prætet ejus voluntatem.

Probat ſe prudentem in eo quod talia cæteris omnibus celet; Iuſtum, quia reddit amato quod ſuum eſt, ſcilicet cordis arcanum & theſaurum, oſtendit ſe nihil ab eo timere, & hæc confidentia amorem meretur. *Vide ſup. Magnitudo Voluntatis.* Quomodo in ſinum amici ſecreta ſint refundenda. Dum ſecreta & vera in rebus cæteris dicit, probat ſe ſimiliter veracem in aſſerendo amorem ſuum.

Amor quaſi beatus gaudet aliorum fata preſcribere: ſi res amanti gratæ ſint, hoc gaudium cum amato vult habere commune; ſi adverſæ, quærit vt à medico ſolatium. Amor efficit omnia communia, ſed maximè cordis ſecreta: qui ſic aperit, oſtendit ſe contrà hoſtes futurum fidum exploratorem.

Amantium vna anima in duobus corporibus eadem debet ſcire, vt idem poſſit velle. *Vide Concord. Cognit.* Sic duo oculi idem objectum vident, quia eorum nervi optici in eâdem origine conſervantur, &c. per reliqua Principia.

Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia omnia quæ accepi à Patre meo nota feci vobis; inquit Chriſtus diſcipulis. Ioan. 15.

De ſecreto animæ cum Deo colloquio. *Vide Cognitio Virtutis Repugn.*

GLORIA VOLVNTATIS.

VOLVNTAS SOLA, SI BONA EST, PRÆMIATVR ſi mala, punitur. Vide Suprà. Virtus Voluntatis: Voluntas pro facto.

VOLVPTAS INTERNA AMORIS, ET PRÆMIVM.

MISCELLANEA.

IN amando idem finis & actio, & amari prætitat quàm honorari; quia gaudemus honorari à potentioribus, propter ſpem obtinendi aliquid, & à ſapientibus, vt confirmemus ſpem, quàm habemus de nobis; ſic gaudent honorari propter aliud, amari autem propter ſe. Ariſtot. ethic. lib. 8. cap. 8.

Quod amor propter ſe quæratur, & quod ſit ſibi ipſi præmium. *Vide ſuprà Veritas Voluntatis.*

Applicari poſſunt ea quæ ſuperiùs dicta ſunt de voluptate contemplationis, & de extaſi. *Vide Gloria Cognitionis.*

Arabia, vt ferventior, ſic odoratior.

Cœlo, beatorum ſedi, contiguum eſt elementum ignis. Seraphim Deo proximiores.

Sol calore ſuo terram veſtit floribus, & fructibus, mari & aëri dat ſerenitatem, animantia voluptate geſtientia efficit, canoras, & pulchriores aves, denique totam lætificat naturam.

Delectatio quæ eſt in amore efficit levia & ſuavia ei præcepta. *Vide infrà Gloria Virtutis.*

Delectatio ſe habet in affectibus animæ ſicut quies naturalis in corporibus; eſt enim in aliquo convenienti, & quaſi connaturali.

Plato 5. de Republicâ dat electionem nuptiarum, ei qui plæclarè ſe in bello geſſerit.

Idem in Cratylo, dicit Heroas beatos, ſemi Deos, dici ἀπὸ τῦ ἔρωτος, ab amore.

Alcione, Æoli ventorum Regis filia, deſiderio mariti, qui naufragio perierat, in mare ſe dejecit, verſaque eſt in avem ſui nominis, quæ cum fœtificat mare tranquillum eſt. Ovid. 11. metamorph. Primos amoris labores alta ſequitur tranquillitas.

Magnum putarunt Ægyptij, ſi Regibus nomen & famam darent ex amore, quaſi hinc major fuerit illis quàm ex imperio voluptas. Vno quidem Patris, matris, fratrum, &c. compoſito nomine dicebantur Amantes.

Amor divinus transfert animam in Deum beatum.

Deformis qui pulchram amet non ſit pulchrior, ſed in dies ſenectus turpiorem rugis frontem reddit: Sed nos erimus pulchri amando eum, qui pulcher eſt, qui & ideò nos fœdos amavit, vt pulchri efficeremur: quantùm in te creſcit amor, tantò creſcit pulchritudo, quia ipſa charitas animæ eſt pulchritudo. D. Auguſt. tract. 9. in Ioan.

Qui Deo adhæret vnus cum eo ſit ſpiritus. 2. Corinth. 9. Sic ferrum in igne, ignis induit ſplendorem, ſic vxor ſolget maritalibus radijs. Charitas, mira eſt alchimiâ omnia in aurum convertens. Per amorem Moyſes ſit Deus Pharaonis. Exod. 7.

Vndè contrà naturam eſt ſi Deum non amemus quia vnumquodque tendit ad ſuam perfectionem.

Moyſes Æthiopiſſæ quàm duxit, non potuit mutare colorem: Chriſtus fœdam & ignobilem quàm duxit Eccleſiam, glorioſam ſibi exhibebit, & ſinè maculâ. Vndè tibi ô anima, vt fias ſocia menſæ, ſocia regni; ſocia thalami? &c. D. Bern. ſer. 2. Domini. 1. poſt Epiphan.

Pulchra vt luna. Cant. 6. vt luna à ſole lumen accipit, ſic decorem & venuſtatem caſtitatis anima à Deo, dum illi per amorem objicitur, ex eodem in parvis. ſer. 6. Vndè poſteà dicitur Electa vt ſol.

D. Auguſt. de Eccleſiâ Chriſto ſponſatâ loquens ait, Meretricem invenit, virginem fecit, amata dum adhuc erat fœda, & amata fœla ne remaneret fœda.

Sapientia Dei per quàm pulchra ſunt omnia quæ

oculis placent, ſi ipſius nos amatores profitemur, ipſa nos componit, vt ei non diſpliceamus: parvipendamus alijs non placere, ſufficit amaſio ſi amatæ gratus ſit, &c. D. Auguſt. in Pſal. 32. Conc. 1.

Amor boni perficit amantem. Vide D. Thom. 2. 2. q. 28. a. 5.

Amor eſt primum donum, ſinè cujus dulcedine nec dans gaudet de dando, nec recipiens complacet in recipiendo: ſummè bonus Deus qui à nobis exigit, amorem ſic nobis facilem, & ſic nos perficientem.

Amaſti nos prior Domine, vt amaremus te, non quod egeres amari à nobis, ſed quia quod nos feciſti, eſſe non poteramus, niſi amando te. D. Bernard. in ſoliloq.

Vim perſeverandi, capiendi, ambiendi, habet anima, tùm à ſe, tùm venùs ab amplicatione quadam divinâ, quatenùs ſcilicet infinitas abſoluta Dei, mentibus, animabuſque proximè ab ipsâ pendentibus intellectualem vitalemque infinitatem inſerit, ſervatque continuè, atque in infinito principio ad finem revocat infinitum: ſi enim ſolet vbique ab abſolutâ qualitate manare ſimilis aliqua communicata qualitas, quid mirum ab abſolutâ infinitate tale quid effluere? Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib. 8. in fine. Ideò præſtat amare quàm cognoſcere, quia amando anima ad capiendum fit capacior. *Vide ſuprà.*

Deus qui vbique æqualiter totus eſt, per ſuam ſimplicem ſubſtantiam, aliter tamen in irrationabilibus creaturis quàm in cæteris, & aliter in bonis quàm in malis; eſt per efficaciam in irrationabilibus creaturis, ita tamen vt non capiatur ab ipſis; rationabilibus autem omnibus capi quidem poteſt per cognitionem, ſed à bonis tantùm capitur per amorem: in ſolis ergo bonis ità eſt, vt etiam ſit cum ipſis, propter concordiam voluntatis, ſic dicitur Mariæ, Dominus tecum, &c. D. Bernard. Homil. 3. ſuper Miſſus eſt.

Multos qui nos cognoſcunt hoſtes habemus; quod ergo nos cœlo reſtituit, non Dei cognitio eſt, ſed amor: in cœlo, eâ quiſque Dei virtute potitur, quàm dilexit; abeſt autem à divino choro invidia, vt ait Plato, quia quiſque contentus eſt, dum potitur re à ſe amata; & in eâ poſſeſſione quieſcit, non curans quid alij poſſideant; qua propter amoris beneficio factum eſt, vt in diverſis fœlicitatis gradibus portione ſuâ quilibet ſinè invidiâ ſit contentus; oblectatio perpetua, quia aviditas perpetua. Tertia ergo amoris beneficia. Primum, quod nos olim diviſos in integrum reſtituendo reducit in cœlum; Secundum, quod ſuis quemque collocat ſedibus, facitque omnes in illâ diſtributione quietos; Tertium, quod omni expulſo faſtidio, ſuo quodam ardore oblectamentum quaſi novum jugiter accendit in animo, redditque illum blandâ & dulci fruitione beatum. Marſilius Ficin in Platonis convivium oratione. 4.

Amor beatiſſimus eſt, quia pulcherrimus & optimus: Beatus enim eſt cui nihil deeſt, bonum autem ex integrâ causâ. Id efficit pulchritudo externa, quæ indicat optimam internam complexionem, quaſi internæ bonitatis flos & eſca; vtque flores ex ſeminibus orti ſemina producunt; ſic pulchritudo ex bono orta amantes ad bonum producit. Ibid. orat. 5.

Charitas præmium accipit, etſi non intendat. *Vide Veritas Voluntatis.*

Dolor in Dæmonibus non eſt vt paſſio, ſed actus voluntatis, provt multa quæ ſunt eſſe non vellent, & contrà. D. Thom. 1. q. 64. a. 3. *Vide Contrarietas Voluntatis.*

In Ægirâ fortuna geſtat cornu Amaltheæ, illi adſtat volucer Cupido. Amori fortuna comes. Pauſan. in Achaicis.

Quod amor divinus ſummè delectet, etiamſi non ſit impletum nec ſatiatum deſiderium. *Vide infrà Majoritas Voluntatis.* de Amoris profectu, ex D. Bern. in ſoliloq.

Fervor amoris eſt dulcis & lenis: Iræ verò fervor eſt amarus, & ex felle; ideò primus aſſimilatur calori aëris & ſanguinis; ſecundus autem aſſimilatur igni & choleræ. D. Thom. 1. 2. q. 46. a. 5.

Dulcedo omnis caloris eſt progenies.

Coronæ Septentrionalis conſtellatio Venerea eſt & Mercurialis. Ptolomæus. Præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 8. Olim amatæ fores coronabantur. *Vide ſuprà Duratio Voluntatis.* Conſtantia in amore.

QVOD AMATVR NON gravat ſed leve & jucundum videtur.

ELementa non gravitant in proprijs centris.

Venationis, aut piſcationis, ſic ambitionis, & amoris labor dulcis eſt.

Amatur enim ipſa difficultas, quæ amoris & induſtriæ probatio eſt, quod autem appetitur cum delectatione poſſidetur.

Adoptivi filij non computantur in numero liberorum, qui parentes à muneribus excuſant. l. 2. §. 2. ff. de vacat. & excuſat. muner.

Qui liberâ legatione abeſt, non videtur abeſſe Reipublicæ, ſed ſui commodi causâ. leg. 14. ff. de legat.

Sicut nihil eſt tam leve, quod ei non grave ſit, qui invitus facit; ſic nihil eſt tam grave, quod non ei qui id libenter exequitur leve eſſe videatur. Salvianus. lib. 1. de Gubern. Dei.

Vt ſarcina Chriſti ſit tibi levis, & jugum ſuave, ille tibi amorem inſpiravit: Amanti ſuave eſt; Non amanti durum eſt; amanti ſuave eſt, Dominus dedit ſuavitatem. Div. Auguſtin. ſerm. 12. de verb. Apoſt. cap. 7.

Quod Chriſti jugum ſit leve. *Vide Gloria Virtut.*

D. Auguſtin. in Pſal. 90. Conc. 2. ſuper illud. Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum, in manibus portabunt te: Ne pedes, inquit, capitis Chriſti, qui ſunt in terrâ, incurrerent in legis reatum, miſſus eſt Spiritus ſanctus, vt amorem faceret, & ſolveret à timore: Timor legem non implebat, amor implevit: timebant homines, & rapiebant res alienas, amaverunt & donaverunt ſuas: accepto Spiritu ſancto inter flagella Petrus confeſſus eſt, quem timore negaverat.

Dilataſti greſſus meos ſubtùs me. Latum mandatum tuum nimis. Non arctatur ſed libet eſt amans.

Amans ſinè labotare operatur, quia alienis manibus, bona enim aliena ſua facit. Particeps ſum omnium timentium te, inquit David. Vt primum mobile cœlos, ſic amor cæteras animæ potentias rapit. Trahe me poſt te, &c. Cant. 1.

Eudamidas Corinthius, vir bonus & pauper, duos habuit amicos divites, Aretæum & Carixenum; Moriens ſic ſcripſit teſtamentum: Lego Aretæo matrem meam alendam, atque in ſenectutem fovendam: Carixeno verò do, lego filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari poterit? ſi quid vni eorum acciderit, alter illi ſubſtituatur: Accepta-

tum eſt teſtamentum vt gratiſſimum talibus legatarijs, mortuoque paulò poſt Aretæo, vtrumque implevit Carixenus. Lucianus Dial. Toxaris, ſeu de amicitiâ. Sic Chriſtus pendens in cruce, Matrem Diſcipulo, & Diſcipulum Matri commendat. *Vide Gloria Bonitatis.*

Vt in mundi creatione, ſic poſt diluvium Spiritus Domini fertur ſuper aquas, & minuuntur aquæ, ideſt lachrymæ.

Qui amat delectatur, quia poſſidet; qui amatur, quia dignum ſe amore judicat, videns ſe amari. *Vide Principium Gloriæ.* delectationis.

VNDE PROCEDIT amoris delectatio.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Controvertitur, quis plus voluptatis percipiat, an is qui beneficium confert, an qui accipit: vtriuſque vicem gerit amans, ſeipſum enim quodammodo profundit, & alterius vitam in ſe recipit, vndè ex geminatâ & concurrente causâ major delectatio.

MAGNITVDO. Amans fertur extrà ſingularis ſuæ exiſtentiæ limites, vndè quaſi carcere ſoluta mens, & ad ſui principij immenſitatem magis accedens, exultat, eſt ſimul vnum & plura, ſic aër calore rarefactus, ampliorem ſphæram, vt dignior occupat, verno calore excitati flores prodeunt, ſic omnes naturæ dotes explicat amor, & hinc illi ex talium complacentiâ delectatio.

DVRATIO. Amor in omne tempus mittit cogitationes: & dum ſibi invictam ſpondet conſtantiam, ſpe plenus, parem ſibi, quadam juſtitiæ lege, auguratur fœlicitatem.

POTESTAS. Omnia ſe poſſe confidit; læta autem & exultans eſt audacia. Si amor amorem mereatur, omnium ſibi prætioſiſſimam videtur comparaſſe poſſeſſionem, vndè mens repletur ingenti voluptate.

COGNITIO. Amor mentem acuit, quæ dùm nova meditatur, exquirit, adinvenit, perficit, gaudet continuâ illa actione, igneæ ſuæ naturæ reſpondenti, ſibique plaudit de inventis: omnia quæ ſic fœliciter petagit in ſui probationem, ſunt fœtus ſui, quos gratiſſimis videt oculis & miro complectitur affectu.

VOLVNTAS. Voluntati amare tàm naturale eſt quàm oculis videre, intellectui intelligere, omnes autem actiones ſuas natura voluptate delinivit. Amor transfert amantem in amatum, quem concipit vt pulchrum & beatum.

VIRTVS. Amans vt ſe conformem reddat pulchritudini amati, dotes ejus quantùm poteſt imitatur, ſic perficitur, & ſuâ perfectione dupliciter delectatur, ſcilicet propter ipſam, & propter amatum.

VERITAS. Verus amor nihil aliud deſiderat, quàm amare! ſic cùm in ipſamet actione ſit finis, adeſt etiam delectatio, quæ finis poſſeſſionem conſequitur. Hic ignis in dies animum purificat, & ſplendidiorem efficit.

GLORIA. Cùm verus amor ſit ſibi ipſi pro præmio, nunquàm poteſt illo carere: facile hoc & ampliſſimum homini inter adverſa ſolatium, cùm ſolo amore poſſit ſe fœlicem efficere.

DIFFERENTIA. Defectum in ſe amans non patitur, qui à ſe alienus eſt, ſibique mortuus: non etiam in amato, quem pulchrum & beatum putat; vndè amor videtur quædam extaſis & tranſmigratio à turpidine, tenebris, dolore, morte, ad pulchritudinis, lucis & vitæ beatas ſedes.

CONCORDANTIA. Concordant omnes potentiæ, ſeù externæ, ſeù internæ, vt amori famulentur: Nihil reluctatur ejus imperio: illi militant ſenſus, paſſiones, & mentis facultates omnes: Ex hac autem fidâ confœderatione, ex hoc Muſarum cum ſuo Apolline concentu, mira voluptas.

CONTRARIETAS. Amare, cùm ſit actus, qui amori finis eſt, eſt tamen liberrimus, potentiſſimus, quippe internus, nullam vim adverſam timet: Vndè ſecurus amor inter contraria, quaſi inter fuſos hoſtes, triumphum agit.

PRINCIPIVM. Procedit amor à pulchritudine, bonitate, voluptate, vndè pulcher, bonus fœlix eſt, vt cauſam ſuam naturali ſimilitudine referat.

MEDIVM. Amans amorem ſeipſo vult promereri, nulli enim hac in re tàm prætioſâ fides: id confert ad ſecuritatem ſuam, quod ab externis non pendeat.

FINIS. Cum amoris ſit idem actus & finis. *Vide ſuprà ex Ariſtot. Veritas Volunt.* ſemper beatus eſt, cum agendo fruatur.

MAIORITAS. Quotidie proficit & augetur. *Vide Major. Volunt.* ex profectu autem naſcitur voluptas.

ÆQVALITAS. Si ſit par redamatio, gaudet amor omnium fœliciſſimâ poſſeſſione; ſi non ſit redamatio, ſibi plaudit, quaſi ſit ſincerus, & probatiſſimus, ab externis non pendens, non alieno affectu, quaſi mercede conductus, ſed purè in obſequium deditus.

MINORITAS. Amans non videt in re amatâ defectus, nec ideò ſentit hinc naſcentem dolorem. Ignorat etiam proprios, mente extrà ſe poſitâ, etſi videat, conferunt ad ejus quietem, ſic enim forriùs tolerat, quas ſe intelligit mereri repulſas, magis lætatur de gratijs meritum ſuum longè excedentibus: Ità præſentes delitias magis commendat præterita paupertas, & quod minimum eſt diviti, abundat pauperi.

REPVGNAT. *AMORIS DOLORES.*

DE amoris vinculis, vulneribus, & morte. *Vide ſuprà Poteſtas Volunt.*

Amantes torquentur zelotypiâ. *Vide ſuprà Magnitudo Volunt.*

Plato in convivio deſcribit amorem natum ex Penia, ideſt paupertate, & Poro, filio ſapientiæ nectare ebrio; ſic ex ſuâ origine partim dives, partim egenus eſt amor: quia neque quod perfectè poſſidemus, neque quo caremus omnino, ardere ſolemus; vtraque in nobis Venus patitur, cœleſtis, quia non poſſidet perfectam pulchri ideam; communis, quia ad materiam dejicitur, quàm ſæpius reperit rebellem. Vide Marſil. Ficin. in conviv. Plat. orat. 6. c. 7.

Plato amorem vocat amarum, Orpheus verò dulce amarum; quia eſt vita mixta morte, amans enim in ſe, & pro ſe non vivit, qui pro ſe non cogitat, & non vult. *Vide Poteſtas Voluntaris.* Mors ab amore.

Phœnices multùm coluiſſe Venerem, propter Adonidem, qui ibi natus eſt, creduntur, ſacraque Veneris cum luctu celebrant, vbi ipſa Dea lugens inducitur, ejuſque ſimulachrum in monte Libano fingitur capite partim velato, ſpecie triſti, lachrymæ viſione conſpicientium manare creduntur. Macrobius.

Apud Corinthios beſtiarum femora Veneri ſacrifi-

Digitized by

cabant, cum quibus Pedoritis incendunt folia: Naſcitur autem Pederos herba in aprico loco intrà ſeptum, folia ei quercui ſimilia, alterà parte alba, alterà ſubnigra. Pauſanias in Corinthiacis.

Ezechiel execratur eos, qui videt in templo deflentes mortem Adonidis.

Qui habent Venerem cum corde Scorpij; in ſigno violento, & eandem Dominam octavæ, multa in amore patiuntur.

Amor eſt paſſio læſiva amantis. D. Thom. 1. 2. q. 28. a. 5. ſi nimia ſit; aliter eſt perfectiva. Ibidem. *Vide de Majoritas Voluntatis.* Nimius amor.

Amor quomodò puer eſt, qui caret verecundiâ; alas habet, & terræ adhæret? ſuis ſe confodit ſagittis, ſcilicet conſcientiæ ſtimulis. Venus fingitur à Poëtis nata ex mari ſalſo, perfido, tempeſtatibus horrente.

Vnitas producta in numeros ſit diviſibilis, vt punctum fluxu ſuo facit lineam diviſibilem.

Actum venereum pœnitentia ſequitur in eis qui verè amaverunt; ſcilicet in corporeâ pulchritudine cœleſtem: alios verò minimè, quia id conſulto egerunt. Plato in Phædro.

Amantes, datas ſibi in convivijs coronas ſolebant ſolvere, & diripere, quia illis proprium non videtur eſſe lætari; nec coronari debent, qui non vicerunt ſibi adverſa, nec penitùs optatis fruuntur. Vide Athenæum. libr 15. cap. 2.

Appollonius Regium Eunuchum Regis vxores ſtuprantem, cum omnes ad necem poſcerent, judicavit non interimendum, quaſi vita ſolitâ fruitione privata diuturnum ſit illi futura ſupplicium, morte gravius. Philoſtratus in vitâ Appollonij. lib. 1. c. 23.

AMORIS LANGORES.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amans nec ſe poteſt dare amato vt vellet, quia vivit individuâ & incommunicabili exiſtentiâ: non valet etiam amatum in ſe recipere, quia duæ formæ in eodem ſubjecto non ſe compatiuntur. Ex hoc duplici irrito conatu fit geminatus dolor.

MAGNITVDO. Amantis animus dilatatur, & quodammodò geminatur per amorem; hac autem extenſione fit infirmior: amans in duplici perſonâ magis patet ictibus fortunæ; deficit ſibi, qui de ſe non cogitat; ſed nec vivit in alio, cujus intima non pervadit: ideò neſciens an in illo recipiatur, metu vacui, eadem patitur quæ natura vt illud vitet.

DVRATIO. Continua mentis tenſio extrà naturalem ſuum ſitum, dolorem facit. Moræ quæ præcedunt fruitionem graves ſunt appetenti, & dilata deſideria in ſupplicium tranſeunt. In ipſamet fruitione amantis mens quieta non eſt, vellet enim omnibus ſimul frui, quæ ſucceſſivè tantum conceduntur: ideò pro vnâ fruitione innumeræ ſunt privationes, pluresque ſic dolores quàm voluptates: anxia etiam de futuro mens, in illudque totaliter intenta, non fruitur præſentibus, & non modò futuris, ſed etiam poſſibilibus malis miſerè torquetur.

POTESTAS. Potentia amoris eſt, vt febris, quò major, eò infœlicior: nam hæc paſſio vbi ſe liberiùs effuderit, nullum ſupereſt rationis imperium; hinc innumeræ calamitates, vt ſi cæco & furioſo, in propriam perniciem armato, regimen committeretur. Videre eſt amantes bonis omnibus fortunæ ſpoliatos, ſed A cladem hanc major præceſſit, ſcilicet mentis alienatio. Prodigalitatem ſanat, ex ipsâ naſcens paupertas: vt veſanus amor ſuis paſcitur miſerijs, & conſumptis omnibus externis, habet vt Prometheus. jecur immortale renaſcens ad pœnam.

COGNITIO. Vellet amans ardens cor ſuum exponere oculis amati, & non poteſt; vellet ſcire qualiter ab illo amatur, & non licet; vtraque illa impotentia cruciat inquietum, & ægris exagitat cogitationibus: non ſufficit prætio conducta famulitij fides; non ars omnis divinatrix, vt conjiciat quæ ſit amati voluntas, cui deſiderat patere; ſed aberrat quaſi in tenebris, timetque ne offendat ijſdem quibus putat placere. Miſerrimè & pluſquàm tyrannicè haberentur ſervi, B ſi plectendi eſſent quoties non divinaſſent & non impleſſent ignotam Domini ſui voluntatem.

VOLVNTAS. Etſi amans amet compedes ſuas, eo miſeriorem judico, quòd renuntiaverit naturaliter inſito libertatis amori; furor eſt velle ſi malum: non minùs patiuntur qui obſtinatâ duritie vocem in tormentis continent. Tyrannicum eſt oppreſſis gemitus interdicere, & in novum crimen vocare.

VIRTVS. Generoſa mentis indoles languet & miſerè traducitur ſub amoris imperio; nam contrà naturam eſt, ſi paſſio ſenſibilis imperet virtuti, cum virtutis ſit paſſiones regere: dolor autem ſit in his quæ contrà naturæ ordinem detorquentur; nec vlla miſerior confuſio & vniverſalior, quàm quæ oritur ex C eversâ ratione, vndè ordo omnis ſperandus eſt.

VERITAS. Inter irrequietos animi motus, fulget ſemper in mentis apice inextinguibile, ſacrumque lumen veritatis, quo ſe amans videt eſſe miſerum, & proprijs ſe manibus dilaniantem. Suſpicax amor, quot habet exploratores oculos, tot habet mentis tortores, qui illam in contrarias partes dilacerent; ignorat, quà maximè cupit ſcire, rerum amati veritatem: hac cæcitate damnatis, quæ poteſt eſſe lætitia?

GLORIA. Nunquàm quieſcit amantis mens, ſed ad inſtar flammæ ſurſùm evolantis, nec poteſt materiam, cui hæret, relinquere, nec centrum ſuum contingere; quoties fluctuat, toties emoritur, & renaſcitur, donec ſe cum ſuo alimento penitùs abſumat. In D publicum ſpeciei propagandæ commodum fallit nos natura, dùm pulchritudinis & voluptatis quibuſdam illecebris ad amorem allicit.

DIFFERENTIA. Amans extrà ſe in amatum volens ferri, patitur ſemper dolorificam continui ſolutionem: qui nubit, diviſus eſt, inquit Apoſtolus; Præſentiæ vnionem ſolvit negotiorum, locorum, perſonarum, morborum, mortis tandem neceſſitatis. Tunc ignis ille, quaſi terrâ obrutus, luctatur contrà inſidentem ſibi molem, & fumo mentis lumen obſcurat.

CONCORDANTIA. Amor terrenus maximè torquetur, ex eo quod timeat procos; amor verò divinus ex eo quod multos non habeat conſortes, & adjutores ad ſerviendum Deo: vtrimque dolor. Zelus domus E tuæ comedit me, inquit Propheta.

CONTRARIETAS. Amans vult omne bonum amato, multa tamen obſtant, cum quibus illi continuum bellum eſt: Etiam in fœliciori ſtatu, nihil perfectè votis reſpondet; multa ſemper enixè deſiderata deficiùt, & deficientia pœnis magnitudini deſideri paribus, affligunt. Obſtat amori genij, fortunæ, ætatis, patriæ, familiæ diſparitas, interdùm & proximitas; obſtat ipſa natura, quæ duos neceſſario diſtinctos fecit, quos amor vnum vellet efficere: eſſentialis illa diſtinctio prævalet accidentali vnioni, & ſub ipsâ fiunt continuæ alterationes, vt in mixtorum partibus, quæ ſic tandem diſſolvuntur, & in ſua redeunt principia.

PRINCIPIVM. Agitur amantis mens, putantque Aſtrologi

Astrologi id pendere ab Astris, quæ imprimunt, vt patiuntur motum violentum: Lex vniversi justè, inquiunt, impletur, etiam cum singularium damno, vt cum turbantur maria in ortu stellæ violentæ. Qualiter autem amor procedat ab astris. *Vide Principium Voluntatis.*

MEDIVM. Amanti deficiunt media, quibus magna quæ optat exequatur; vndè languet, sibi & fortunæ irascitur, vt fortis ille manibus quem describi. Seneca lib. 1. controvers. controv. 4.

FINIS. Numquàm hic satiatus amor, probat vitam hanc locum esse certaminis & vulnerum, non triumphi & præmij: aliud interiùs intendit mens amantis, quàm quod sensibilis prosequitur passio. *V. Veritas Voluntatis, Amoris. Repug.* Detorquetur enim ad infima innatus veri & infiniti boni appetitus, vndè quo plus hic amor circà creata æstuat, eo magis à fine suo avertitur, & hujus reatus, interno sensu conscia mens justè torquetur.

MAIORITAS. Amans majora vult quàm patiatur humana fortunæque suæ conditio: sic igne dilatatus aër in instrumentis bellicis magno mugitu explodit, & ferè vacuum patitur, dum se nimis conatur diffundere.

ÆQVALITAS. Torquetur amans, quia nunquàm se putat æqualiter redamari, scit enim amorem suum non alienum: sic interdùm iratus amor defectum in vindictam meditatur, nunc resurgens se ad gratuita officia fortiter accingit.

MINORITAS. Naturæ aut fortunæ peccata vix ab amante tolerantur, cum illi obstant ne amati amorem conciliet, hinc sæpè in impietatem labitur ejectus amor, dum astra, divinamque incusat providentiam, quasi sibi in pœnam irritos inspiraverit affectus.

AMORIS DIVINI LANgores & lachryma.

MVlta hic applicari possunt ex his, quæ proximè dicta sunt de doloribus, & lachrymis amoris vulgaris.

Si supra vires amantis fuerit amor, non ferens tanta gaudia indè prodeuntia, amans deficit & labitur in mentis excessum, seu potiùs longorem: oculus qui longè superatur à luce, lucet luce quam capere non potest. Non aliter iis, qui à gaudio superantur, evenit, quiescunt illi quidem, sed in quadam vesuti inquietudine: vbi verò dilectus ille speciosus se subtrahit, abeunte jam gaudio, qui illi amori & dilecto, veluti luci calor, junctus est, redeunt ex mirâ illi internâ pace, & inexplicabili gaudio & quiete, in agitabilem inquietudinem, quasi ab vnitate decidant in multitudinem, à pace in perturbationem; nec fieri potest, vt absente gaudio gaudeat, imò in oppositum labitur, scilicet, in tristitiam, quæ comes & assecla est inquietudinis, & illa deficientis ex excessu amoris gaudij manans quædam liquefactio est, & animæ effusio: vndè in Canticis, Anima mea liquefacta est, vt dilectus meus loquutus est: & Psal. 41. Effudi in me animam meam. Absente amato crescit amati desiderium, & longâ protelatione vires assumit amor; languet amans & torquetur; & hic languor medius est inter vitam & mortem; imò nec vivit, nec moritur; sed totus in medio langore est, sperans tamen vitam in amato: Vnam petij à Domino hanc requiram, &c. Susceptor meus es tu, Deus meus sperabo in eum.

Si nimium etiam sit illud desiderium deficit & labitur amans, sed in oppositam extasim, scilicet ex desiderij immensitate. Deficit in salutare tuum anima mea; & Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.

Bona tamen hæc defectio, quæ amori est juncta, & ideò evenit, quia sub figuris & velamine hic latet sponsus: cupit mundanas & fluidas species in suâ reducere immortalia exemplaria; has lucis recreantis vmbras in candidam lucem. Hìc odium atque tristitia gaudio amorique juncta videntur: Ibi verò in arce amoris omnia in suprà mundano erunt amore, quousque pervenerit animus in æterna tabernacula, languet in virtutum & gratiæ gradibus, nec illis sponsa contenta vult se totum gloriæ committere, vt appertis sponsum videat oculis. Quid mihi cum rebus mundanis, quandò inter illas tota langueo? quid cum finitus infinitus appetitus? langueo quousque tandem hic amor suo restituatur amori. Vivit amore amor, perficitur suo exemplari, vndè tota sua pendet Entelecia. Hæ sunt amantis quærelæ semper voces: Ideò ait, Fulcite me malis, &c. Quæcumque sunt in mundo sensibili longè sublimiùs sunt in intelligibili & Archetypo: Deus omnia est, & ab eo speras anima mea fieri posse, scilicet Dei imaginem, quam perfecte habere non potest hìc, quia nec vultum Dei videre, quod etiam Moysi non fuit concessum, &c. Alanus Varenius super Cantica.

Solis justitiæ vivifico calore, sibi dissoluto & minimè constistens liquefiebat anima: & cum non posset parem reddere amorem, tota in se resolvebatur; in sole suo tota consistebat: Vivo ego jam non ego, &c. Si se subtrahebat, tamen verbis ejus auditis, tanquam cera sole desuper coquente liquefiebam: Renuebat, inquit psalmista, consolari anima mea; memor fui Dei, & consolatus sum. Ait enim Dominus, Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam & ego sanabo. Idem Ibidem.

Amor medium est, amor finis, amor efficiens causa & exemplaris; delectat, si quiescit; cruciat, si extrà finem, sit constitutus.

Est locus apud sponsam, de quo sua jura decernit, & disponit consilia ipse vniversitatis gubernato, leges constituens omni creaturæ: & locus ille altus & secretus, sed minimè quietus: nam etsi ipse, quantùm in se, suaviter omnia disponat, contemplantem tamen & amantem quiescere non permittit, sed mirabiliter, quamvis delectabiliter rimantem, & admirantem fatigat, reddit que inquietum? hinc sponsa Dormio per delectationem, & cor meum non vigilat per contemplationis inquietudinem: hinc Iob. 7. Si dormiero, dico quando resurgam? &c. D. Bernard. Serm. 23. in Cantica.

Rom. 8. Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: non in illà æternitate substantiæ gemit; sed in nobis gemit, quia gemere nos facit quandò peregrinamur à Domino: Discamus gemere ex amore, vt columba, in cujus specie Spiritus Sanctus apparuit super Christum baptisatum. Ex D. August. tract. 6. in Ioan. Vbi fusè disserit, ob id tantùm nos debere gemere, non ob pressuram temporalem.

Consolationis & lætitiæ testes sunt suspiria & lachrimæ: si ità est, nova est antiperistasis ista, & significatio invsitata, quæ enim conventio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lachrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lachrymæ, & non potiùs roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris absolutionis indicium exterioris hominis purgamentum, vt in puerorum baptismate. O fœlices lachrymæ per quas maculæ interiores purgantur; per quas peccatorum incendia extinguuntur, hæ lachry-

mæ ſint tibi panes die ac nocte, confirmantes cor tuum & dulciores mel ſuper & favum. O Domine Ieſu, ſi ita dulces ſunt hæ lachrymæ quæ ex deſiderio tuo excitantur, quàm dulce erit gaudium, quod ex manifeſtâ tuâ viſione capietur? Si adeò dulce eſt flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te: hæc neſciunt, niſi quos vnctio, & fœlix experentia docuit, D. Bernard. lib. de ſcalâ clauſtrali.

Quomodò ab occulis tuis abſterget lacrymas, ſi pro ejus amore non gemis & ploras: Credo quod parùm illum diligis, ſi pro ejus amore non ſuſpiras & plangis. Lachrimæ teſtes amoris ſunt. Idem Serm. 9. in Cœnâ Domini.

Amans ſponſa in Canticis dicitur columba, quæ amando gemit.

D. Auguſt. in Pſal. 57. Cui titulus eſt. In recordationem de Sabbatho: Rugiebam à gemitu cordis mei: Non eſt, inquit, gemitus carnis, qualis eſt gementium amiſſiones rerum temporalium; ſed gemitus cordis, qui à Deo percipitur; ideò addit. Antè te omne deſiderium meum: non antè homines qui cor videre non poſſunt, ſed antè Deum, qui reddet in abſcondito.

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum Pſal. 83. Iſte lachrimæ piè contribulatorum, muſtum ſunt amantium, ſub torculari expreſſum. D. Auguſt. in pſal. 83.

Surgite poſtquàm ſederitis, qui manducatis panem doloris: Chriſtum imitantes exaltamini in cœlum poſt humilitatem in terrâ. Non diceretur panis doloris niſi manducaretur, niſi haberet ſuavitatem. Dulciores ſunt lachrymæ orantium quàm gaudia theatrorum. Beatus es, & bene tibi erit, in præſenti, & in futuro. D. Auguſt. in Pſal. 118.

Suavis fructus de amaritudine vitæ capitur gemere, flere, conqueri: Et rectè iſtud in præcibus, quæ & deſiderium & ſpem habent ad Deum perveniendi. D. Auguſt. lib. 4. confeſſ. cap. 5.

Sacerdotes, qui antè tranſmigrationem ignem ſacrum in puteo abſconderant, reperiunt ignem in aquam craſſam mutatum, quæ poſteà ſoli expoſita concepit flammas. Circulus eſt amoris, ex amore lachrymæ, ex lachrymis renaſcitur amor.

Ignis vi eliciuntur atquæ ſtillaticiæ, odoriferæ, medicinabiles, incorruptibiles etiam in flammabiles, vt aqua vitæ: cùm tamen ignis proprium videatur exſiccare.

De zelo torquente ob aliorum peccata. *Vide Magnitudo Volum.*

ACCESSVS ET DISCESſus ſponſi.

ORa illud Pſal. 36. Ne declines in irâ à ſervo tuo: declinat enim interdùm ſinè irâ.

Ad veſperum demorabitur fletus, quandò nobis occidit, ſol juſtitiæ; & ad matutinum lætitia, cùm poſt deſiderij noctem oritur fidelibus lux, peccatoribus incognita. D. Aug. in Pſal. 29.

Omnia abundant in ſterili etiam regione, quàm Rex cum ſuo comitatu peragrat; illo autem ab abeunte remanet, vt priùs erat, ſterilis.

Die palmarum celebratur proceſſio, & auditur paſſio: ſic extrema gaudij luctus occupat: Fit veſpere & mane dies vnus: Viſitas illum diluculo, & ſubito probas illum: Iob. 7. Hoc quidem dum hoc præſens ſæculũ manet, nam poſt illud duo futura ſunt ſæcula valdè diviſa; in vno non niſi fletus; in altero non niſi lætitia & gratiarum actio, & vox laudis. Abſterget Deus: Vt amatoribus mundi, ſic ſervis Dei, non ſemper proſperè ſuccedunt omnia, vt proſperitas temporalis occidit ſtultum, ſic abundantia ſpiritualis in doctum ſpiritualem, atque ideò non ſpiritualem; ſpiritualis enim omnia dijudicat. D. Bernard.

Sunt quibus nondùm eſt paſſus Chriſtus, qui labores & mortem, per quam pervenit ad gloriam, fugiunt: Sunt quibus nondùm ſurrexit, qui in laborum afflictione & anxietate ſunt totâ die: Sunt quibus Chriſtus ſurrexit, ſed nondùm aſcendit, imò cum eis adhuc piâ dulcedine commoratur in terris; his ſcilicet, qui in devotione ſunt totâ die; flent in orationibus, &c. Omnia illis feſtiva ſunt & jucunda, ſed expedit illis vt Chriſtus vadat, & hæc temporalis devotio ſubtrahatur, in derelictione ſedent vt Apoſtoli, expectantes in civitate majora Spiritus S. Chariſmata; non jam ſolliciti quandò flerent, ſed quandò magnâ quadam victoriâ de communi adverſario triumpharent. Div. Bernardus Serm. 3. de Reſurrect. in fine.

Altiſſimum poſuiſti refugium tuum: Reſponderur quærenti animæ, cujus ſumma hæc eſt perfectio, non modò nihil ſperare niſi à Deo; ſed nihil ſperare niſi eum: neque enim ſic Deum ſitiens anima, aut cum petro ei in terreno monte facere tabernaculum, aut cum Mariâ eum deinceps tangere vult in terrâ, ſed planè clamat, fuge dilecte mi, ſuper montes Bethel, id eſt ſuper Angelos, & Archangelos. Idem Serm. 9. ſuper Pſal. Qui habitat. in fine.

Quandò veniat, vel quandò vadat ſpiritus periculoſiſſimè ignoratur, nempè qui idcircò recedit, vt avidiùs requiratur; quonam modo ſi ab eſſe neſcitur requiritur? & rursùm qui dignanter ad hoc redit vt conſoletur, qualiter dignè pro ſuâ Majeſtate ſuſcipitur ſi nec adeſſe ſentitur? mens ergo quæ ignora-abſeſſum patet ſeductioni, & quæ reditum non obſervat, erit ingrata viſitationi. Obtinuit tantùm Eliſæus à Magiſtro quod rogaverat, ſub eâ conditione ſi videret quandò tolleretur à ſe. 4. Reg. 2. Non inveniat nos imparatos, ſed ſemper vultus ſuſpenſos expanſoſque habentes ſinus ad largam Dei benedictionem, ſimiles expectantibus Dominum quandò revertatur à nuptiis à quibus ſupernæ menſæ delitus nunquàm vacuâ reverritur manu. Denique it & redit ſpiritus, & qui ſtat eo tenente, decedente cadat neceſſe eſt: ſed non collidirur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Septies in die cadit juſtus, & ſepties in die reſurgit, ſi tamen in die, vt ſe cadere videat. Viſitat ſpiritus diluculo, & ſubitò probat. Eſurientes repleviit bonis & divites dimiſit inanes. &c. D. Bernard. Serm. 17. ſuper Cant.

Trahe me poſt te, &c. frigore conſtrictâ nequit, niſi tracta ſequi: at cum ſol juſtitiæ iterùm incaluerit viam mandatorum dilatato corde decurret. Ibidem. Serm. 21. Ne exiſtimes donum Dei hæreditario jure poſſideri, vt à te nunquàm auferri poſſit; Revertere, ſimilis eſto capreæ, hinnuloque cervorum. Cant. 7. Senſu animæ, non verbi motu iſta fieri ſentimus. Ibidem.

Vult Chriſtus rogari à diſcipulis Emaüs. Luc. 14. Simulat velle præterire diſcipulos, ambulans ſuprà mare. Marc. 6. Præteriens teneri vult, abiens revocari: ire & redire plenum judicij, & pœnes ipſum ratio, Ibidem. Simoram fecerit expecta eum Habac. 2.

Conſtat in animâ fieri hujuſmodi viciſſitudines verbi, euntis & redeuntis. Sicut ait Ioan. 6. Vado & venio ad vos, & modicum non videbitis me, &c. Modicum & modicum. O modicum longum. Pie Domine.

modicum dicis, quod non videbimus &c: Salvum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valdè nimis; verum tamen vtrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis; sed anima intrepida & inverecunda revocat verbum, Revertere, &c. D. Bern. Serm. 74. super cantica.

Nescis vndè veniat aut quo vadat. Ioan. 3. Dictum est enim. Psal. 67. & vestigia tua non cognoscentur. Non per oculos intravit, quia non est coloratum, &c. Sic de cæteris sensibus; non de intrà me venit, quoniam bonum est, & scio quia non est in me bonum: quæris vndè adesse norim? vivum & efficax est, moxque vt intrùs venit expergefecit dormitantem animam; movit & mollivit lapideum cor meum; cœpit evellere, destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere prava in directa, & aspera in vias planas; tantùm ex motu cordis, ex fugâ vitiorum: verùm vt si ollæ subtraxeris ignem, sic frigescit cor, tabescit, & tristatur anima eo absente; & quoties elabitur, toties elabitur à me. Quid prodest scire quid te oporteat facere, si non detur & velle facere? quid si velis, & minimè possis? Idem Ibidem.

Qui abscondit lucem in manibus, & præcipit ei vt rursùm oriatur. Iob. 36. Electo enim aliquando lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus, patet & latet ad arbitrium tenentis, vt inardescat animus ad plenam possessionem luminis æterni: nonnunquàm eripit ipsum sibi pertransiens gratia, & rapax in diem à tumultu rerum, ad momentum, ostendens ei videndum sicuti est, vt cum didicerit quid interfit inter mundum & immundum, reddatur sibi & remittatur ad mundandum cor, vt sit purior, cum iterùm ad videndum assumetur. Nusquam enim se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei, in speculo divinæ visionis, vbi in die qui est, plùs & plùs videns quod sibi deest, conatur Deo conformari, conhumiliari, compauperari filio Dei, & sentire in seipso, quod & in Christo Iesu. Hinc emanat fluminis impetus lætificans, & spe tolerabile reddens quod supereſt vitæ hujus. Hæc perfectio est vera hominis sapientia, ex intellectu amoris formans sibi modum conversationis cælestis, & adhæsionis summo bono. D. Bernard. de vitâ solitariâ ad fratres de monte Dei.

Hæc vnitas hominis cum Deo eripit animum à terrenis: hæc est facies Domini, quam nemo potest videre, & vivere mundo.

O quàm jucundum, si non esset tàm modicum! Raptim rapitur, &c. Ibidem.

Recedit ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidiùs quæratur, diù quæsitus tandem gratiùs inveniatur: Præterea si nunquàm deesset hæc consolatio, putaremus nos hìc habere civitatem permanentem, & minùs inquireremus futuram; Ne ergo exilium reputemus pro patriâ, arrham pro prætij summa, venit sponsus & recedit vicissi. D. Bernard. de scalâ claustrali.

Tu dirupisti fontes & torrentes, tuus est dies & tua est nox. Psal. 73.

D. August. in Psal. 34. conc. 2. super illud: sicut proximum, & sicut fratrem nostrum sic complacebam: Cum, inquit, mens nostra gaudet in oratione; cum serenatur luce veritatis, & non est longè ab vno quoque nostrum, anima placet Deo, quasi fratri & propinquo: quod si videat se longè esse, faciat quod sequitur, tanquàm lugens & contristatus sic humiliabar; si propè es, gaude; si longè, gemitibus appropin-

A qua vt Petrus. Ego dixi in extasi meâ, projectus sum à facie oculorum tuorum. Psal. 30. In extasi non diceret, nisi propinquaret, extasis enim, mentis excessus est, Effudit super se animam suam, & Deo propinquavit, & per quamdam nubem, pondusque carnis rursùs in terram projectus, recolens vbi fuisset, & videns vbi esset, dixit. Projectus sum à facie oculorum tuorum. D. August. in Psal. 34.

Adhæsit pavimento anima mea, quia oblitus sum comedere panem meum.

Inediam ægrè ferunt impura corpora, quia vitiosus humor, aut in ventriculum irrumpit aut in propria sede ferociùs subsaltat, alimenti benignitate destitutus. Sic melancholicus humor, mœrorem, metum, B vigilias incutit, &c. Fernelius de morb. causis. lib. 1. c. 15. Ferociotes sunt passiones, cum illas diuina consolatio non mitigat.

Mens contemplatrix est quasi scala Iacob, per quàm Angeli ascendunt & descendunt: inæqualis enim res est meditatio, nunc proficiens in altitudinem, nunc deficiens in contrarium; tanquàm navis, nunc secundis, nunc adversis ventis navigans; modo enim vivens est, modo mortua, dormiens aut vigilans. Philo Iud. lib. de somnijs.

Tenebris existentibus super faciem Abyssi, dixit Deus; Fiat lux, & facta est lux: Antè faciem frigoris ejus quis sustinebit? Flabit spiritus ejus? & fluent aquæ, priùs gelu concretæ. Pulchra vt Luna, cujus C variæ sunt mutationes.

Ioannes Climacus gradu 5. de pœnitentiâ, notat ex Patrum antiquorum doctrinâ, eas derelictiones quæ Dei providentiâ nobis eveniunt, celeri conversione aboleri; illis enim ad tempus nos Deus detinet nostri profectus gratiâ; secùs de his quæ nostrâ negligentiâ, aut per omnimodam Dei aversionem nobis contingunt.

Sol cognovit occasum suum. Psal. 103. Sol suo accessu & recessu facit ver & hyemem.

Sic experitur nostrum sui desiderium, vt cùm ortâ tempestate apparet discipulis, & etiam peregrinis Emaüs fingit se velle vlteriùs ire: sic discedit à Matre quæ dolens eum quærit; sic quærit cum sponsa per D plateas. Clamet ad Deum anima, de necessitatibus meis erue me.

Pulcherima fit harmonia ex superiori & basso.

Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, quasi transeundo.

Ioan. 16. Dicit Christus Apostolis, si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; id est non potestis capere Spiritum, quandiù secundùm carnem vultis frui Christo; nisi tenera alimenta subtraxero, solidum cibum non esurietis. Divus Augustinus tractat. 94. in Ioannem.

Zona torrida est habitabilis, quia noctes sunt æquales diebus, earumque frigiditas temperat diurnum calorem: sic divinus ardor mortem corpori inferret, nisi permixtæ sterilitates illum temperarent.

E Lætum quidem est semper serenum cælum, sed sinè nubibus & pluviâ terra non germinaret.

Psal. 29. Domine in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.

Sic ostendisti mihi vndè peterem, cui retribuerem quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quem currerem sitiens, vndè implerer, & impletus, cui custodirem fortitudinem meam. Conturbatus, quia siccatus; siccatus, quia exaltatus; vt mons, in quo non perseverant aquæ, dic ergò siccùs & aridus, vt rursum implearis, Anima mea velut terra sinè aquâ tibi. Tu enim dixeras, non Dominus dixerat, Non move-

bor in æternum; Ergo ſervite Domino in timore. Pſal. 2. Et vt ait Apoſtol. Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Apprehendite diſciplinam nequando iraſcatur Dominus. Qui ſtat, videat ne cadat, &c. D. Auguſt. Serm. 2. de Verb. Apoſt.

Dum tranſit Chriſtus, clamat cæcus. Idem.

Ipſum Dominum poſt lavacrum ſtatim tentationes circumſteterunt quadraginta diebus jejunijs functum. Tertul. lib. de baptiſmo.

Iud. 6. Gedeon hoc accipit à Deo ſignum victoriæ, quod ſiccâ terrâ ros tantùm decideret in vellus; & rursùs ſicco vellere alterâ die ros ſuper terram flueret. De Iudæis, qui priùs rore cœli irrigati, poſteà ſicci remanſerunt, toto mundo illo rore perfuſo; interpretatur. Divus Auguſtinus Sermone 16. de tempore.

Sumus in terrâ, caput autem noſtrum eſt in cœlo, ideo pro parte conſolamur & affligimur. Idem ſerm. 109.

Cùm artifex tyronis manum dirigit, tunc meliùs operatur, expedit tamen vt illum ſibi aliquando relinquat.

Paterna indulgentia impertit parvulis quæ non vult remanere in grandiuſculis, dat nuces ludentibus pueris, quibus ſervat hæreditatem. D. Auguſt.

Dicit Dominus Iudæis, Quæretis me, & non invenietis, &c. Vix hæc concurrunt in vno, amare Deum, quærere, invenire, frui: Amare boni eſt & ſapientis; Quærere perſeverantis; Invenire fœlicis; Tenere denique, & eo frui, ad miraculum accedit: Anima quidem noſtra naturali inclinatione ſursùm tendit; ſed vt ignis ſursùm tendens obviæ cuilibet materiæ adhæret. In ipſis auri mineris, non vbique aurum, & vt parùm in venâ inveniatur, multùm terræ effoditur.

Math. 16. Petrus Chriſtum fatetur filium Dei vivi; tunc dicit ei Ieſus, Tu es Petrus, &c. Sed eo de paſſione proximâ loquente inquit, Abſit hoc à te Domine: dicit ei Ieſus; Abi poſt me Satana, &c. Ecce quomodo alternabat anima diſcipulorum, quaſi ex ortu & occaſu, modo ſtabat, modo jacebat, modo illuminabatur, modo tenebrabatur. D. Auguſt. Serm. 144. de temp.

Si tranſcendas mundum elementarem, ſeptem planetas, octavam ſphæram, ad Deum decimum pervenies, in quo ſiſtendum: Ideò olim decimæ offerebantur, & à decimo die Lunæ incipiebat Paſcha, & ſegregabatur agnus immolandus. Clem. Alexand. lib. 2. Stromat. c. 5. Hæc continua Dei poſſeſſio poteſt hîc deſiderari, non haberi.

Noli Domine à me abſcondere faciem tuam; moriar ne moriar, vt illam videam. Div. Auguſt. 1. Confeſſ. c. 5.

Paucorum eſt ad æterna mentis acie pervenire, & cum pervenitur, quantùm fieri poteſt, non in eis manet ipſe perventor, ſed veluti acie ipsâ reverberatâ repellitur, & fit rei non tranſitoriæ tranſitoria cogitatio; quæ tamen cogitatio tranſiens, per diſciplinas, quibus eruditur animus, memoriæ commendatur, vt ſit quò redire poſſit, quæ cogitur indè tranſire. Indè Reminiſcentiam credidit Plato. D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. cap. 14.

In Canticis ſponſa, licet dilectiſſima, vt omnium pulcherrima Sponſum vndique quærit per plateas, ideſt per orbem vniverſum; ſiſcitatur vbi ſit à filijs Ieruſalem, licet minùs perfectis, ideò ſe ſubtrahit, vt ſtudioſior illum quæreret. Sic Dominus in Evangelio, Modicum & non videbitis me: his alternantibus cantibus, & lugubribus & jucundis, hanc debemus exigere vitam; ſic Dominus miſcellaneam eſſe voluit propter Eccleſiæ profectus, deſcenſu enim & aſcenſu opus; aſcenſu, quo divinas recipiamus illuminationes; deſcenſu, vt minorum neceſſitatibus provideamus. Hoc denotabat ſcala Iacob, & Dominus, Niſi abiero, paràclitus non veniet: Plùs quandoque abſens majora ſpiritus munera confert, tunc plùs virium nobis datur, vt aliens vacemus negotijs ex charitate. Alanus Varenius.

Sol ex ſeipſo habet lumen, infundit ipſum momento in Mercurium, & alios Planetas, qui ſunt ſuprà Lunam; Mercurius quoque momento totum ſuum accipit lumen, manetque ſemper deindè pleniſſimus; Sol idem lumen momento infundit in Lunam; Luna non ſuſcipit ipſum momento, ſed tempore; nam provt alias aliter in ſolem vertitur, ità aliàs aliter accipit lumen, & per naturam ſuam viciſſitudine luminis variatur: Sol Deum, cæteri Planetæ Angelos, Luna ſignificat animam. Luna habet aliquid in ſe nitidum; habet fuſcum quod impedit ne tota refulgeat: ſic anima non ſemper æquè & tota divini ſolis radio fulget, præter divinam ejus, cæleſtem, rationalemque virtutem ſubeſt pars quædam animalis opaca, & vacua ratione, quæ tanquàm lunaris illa opacitas ad elementa, ſic ipſa ad materiam corpuſque declinans relinquitur luminis expers; mens enim noſtra eſt vluma mentium, ſicut luna eſt vluma ſtellarum. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 3. c. 1.

Apparet lapidem ex ſe non caleſcere, quia ſublato igne aut ſole frigeſcit. D. Aug.

Tunc cum abeſt conſolatio orationi & operibus charitatis inſtandum; attentiùs examinanda conſcientia, ne quid ſit quod ſponſo diſpliceat; ſic agnoſcimus noſtrum non eſſe quod delectabat. Vult Deus nos nutrire fortiori cibo; vt. 1. Corinth. 3. Pullos ſuos aves non alunt, cum poſſunt ſibi providere; Abraham ſplendidius convivium facit in filij ablactione quàm nativitate. Quem docebit Deus. Iſay. 28. Ablactatos, & avulſos ab vberibus? Neſcis anima quod tempus tibi magis expediat. Dic vt Chriſtus in horto, ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte, verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.

Quando anima luce Dei deſtituitur, exoritur ſecundarium & debilius lumen, verborum jam, non rerum; ſicut debilius lunæ lumen ſuccedit ſoli: Beati tamen habendi ſunt, qui poſſunt vti vicario illo lumine. Philo Iudæus lib. de ſomnijs. Si concha quæ vniones producit, rore deficiente proprio victitat humore.

Fulcite me floribus, quia amore langueo, ſtipate me malis. Cant. 2. Flores fidem, fructus deſignant actus charitatis, in quibus moram faciente ſponſo ſponſa requieſcit. D. Bernard. Serm. de perſecut. ſuſtinendâ.

Mariæ quærunt Chriſtum in cruce & in ſepulchro, quia Chriſtum non ejus dulcedinem quærebant.

Non ſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar ad te decore tuo; moxque diripebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc conſuetudo carnalis; ſed mecum erat memoria tui, neque vllomodò dubitabam eſſe cui cohærerem, ſed nondùm eſſe me, qui cohærerem; inviſibilia tua per ea quæ facta ſunt conſpexi, &c. D. Aug. lib. 7. conf. cap. 17.

Aliquando intromittis me in affectum multùm inuſitatum, introrsùs ad neſcio quàm dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me neſcio quid erit quod vita iſta non erit; ſed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, reſorbeor ſolitis, & teneor, & multùm teneor, tantùm conſuetudinis ſarcina degravat: hic eſſe valeo,

nec volo;illic volo, nec valeo; miſer vtrobique. Idem 10. confeſſ. c. 40.

Sterilitas conſolatione penſatur. *Vide Gloria Contrarietatis.*

Faciamus hic tria tabernacula, fidei vnum, ſpei vnum, charitati vnum; ſed numiquid neſcio quid dicam, cum dico bonum eſt nos hic eſſe? ſed repentè quaſi mortuus cado in terram, nihil amplius videns eorum quæ vidi. D. Bernard. lib. de amore Dei. *Vide Duratio Gloriæ Repugn.*

Vt grata eſt rei amatæ præſentia; ſic dura eſt abſentia. *Vide Gloria Concordantiæ.*

DIFFERENTIA VOLVNTATIS.

DIVERSVS AMOR, ET APPETITVS.

MISCELLANEA.

DIVERSVS in diverſis appetitus, procedit à diverſâ cognitione, & rerum apprehenſione. *Vide Differ. Cognit.*

Appetitus triplex, ſcilicet naturalis, ſenſitivus intellectivus. 1. q. 60. a. 1. D. Thom.

Motus appetitus duplex, ſcilicet appetitio & fuga. 2. 2. q. 141. a. 3.

Appetitus poteſt dici naturalis tripliciter, ſcilicet vel quia ineſt rei à naturâ, & ſic eſt in qualibet potentiâ animæ, & in voluntate, in omni parte, in membro corporis, & in omni re; vel quia conſequitur formam meræ naturalem, & ſimpliciter immerſam materiæ; vel quia ſequitur formam rationalem, quæ ineſt homini à naturâ, non tamen vt ſequens formam actu apprehenſam ab intellectu. 1. q. 76. a. 1.

Angelus & homo diligunt ſe dilectione naturali & electivâ. 1. q. 60. a. 1.

Amor duplex ſcilicet amicitiæ & concupiſcentiæ. 1. q. 60. a. 3.

De duplici venere, cœleſti & vulgari. *Vide ſuprà Veritas Volunt.*

Omne movens trahit ad ſe, vel pellit à ſe. 1. 2. q. 23. a. 4.

Aliquid fit voluntate dupliciter, vel concomitante, vel vt principio. 1. q. 41. a. 2.

Volumus aliquid tripliciter, ſcilicet appetitu naturali, ſicut omnes homines volunt eſſe & vivere: alio modo per electionem ex aliquâ præmeditatione: alio modo non per ſe, ſed in cauſa, vt cum quis vult ſanitatem, dando medicinam. 2. 2. q. 30. a. 1.

Tacti à tarentula phalangio Apuliæ, ſaltant quiſque ad ſaltum ſibi convenientem. Marſ. Ficin. lib. de vitâ cœlit. comp. cap. 25.

Quolibet corpus fertur in vnam partem, & hinc probatur non dari infinitum.

In medio mari inveniuntur fluentes in vnam partem aquæ, ad inſtar magnorum terrentium aut fluminum: habet etiam mare ſuos motus à ſeptentrione, vbi propter frigus abundant aquæ; ad meridiem, vbi à ſole conſumuntur; & ab oriente ad occidentem, quia ſequitur motum cœli.

Duo ſunt montes juxtà flumen Indum, alteri natura eſt vt ferrum omne teneat, alteri vt reſpuat. Plinius. lib. 2. c. 96.

Magnetis parte quæ vergit ad meridiem ferrum trahit acus, fugiet aliam partem ſeptentrionalem, aut acum eâ tactam, & viciſſim in contrarium.

Quod vnus reſpuit, alius appetit, & quod vni eſt nocivum, alteri eſt convenientis; ſic cyſtis felis trahit bilem, & ſplen melancholiam, quam expellit jecur, vt ad nutrimentum inutilem.

Ex diverſis potentijs diverſus naſcitur appetitus. *Vide Different. Poteſt. & Differentia Virtutis.*

Partium corporis quædam habent actiones proprias ad ſui conſervationem: aliæ communes, ad commune totius bonum. Vide Fernelium Phiſiologiæ lib. 5. c. 6. Sic aliqui vitam communem, alij privatam eligunt, vndè diverſi appetitus. *Vide Principia Differen.*

De diverſo gradu voluntatis, & quod diverſa diverſam merentur dilectionem. *Vide Majoritas Voluntatis.*

Quia in nobis duplex eſt potentia, Intellectualis & Animalis generativa, hinc vila pulchritudine duplici amore afficimur. Primò pulchritudinem, tanquàm divini decoris imaginem veneramur & diligimus. Secundò formam hinc ſimilem generare concupiſcimus: ibi contemplandæ, hic genetandæ pulchritudinis deſiderium: hic ſecundus amor peccat, ſi primum excedat. Marſ. Ficinus in convivium Platonis.

Plato in Timæo tot dicit eſſe animatum ordines, quot ſunt in cœlis ſtellæ, ad quas poſt hanc vitam remeant, ſi meretamur fœlicitatem: hinc diverſi amores.

Motus tres ſunt; ſecundùm locum, latio; ſecundùm quale, alteratio; ſecundùm quantùm, augmentum, & diminutio. Ariſt.

Quod libet movetur dupliciter, aut ſecundùm alterum, aut ſecundùm ſeipſum. Idem.

Tot ſunt motus, quot res quæ moventur.

Motus, aut liber à ratione, aut naturalis ex impetu, vt brutorum.

Diverſitas motuum eſt à diverſitate Principiorum. *Vide Principium Differentiæ.*

Naturæ motus à motibus animalium differunt, eo quod natura movet immediatè, & vnicum motum: ſed anima multos motus movet, & mediantibus corporis qualitatibus.

Duplex eſt actus appetendi, videlicet deſiderij &

complacentiæ, desiderium est absentis, complacentia adepti, in quo quiescit appetitus: Amor amicitiæ est quando aliquid appetitur non propter aliud, & amor concupiscentiæ contra. Primus circa finem, secundus circa media.

Triplex propensio in quolibet corpore, totalis, formalis, & materialis.

De divisione stipulationum, Inst. 3. tit. 9.

Assignatur differentiæ inter solemne & simplex votum. Dist. 27.

Triamin sepulchri inventione differentes sunt hominum voluntates: Vndè datur actio adversùs eum, qui prohibuit inferre in eum locum, quo ei jus inferendi erat. l. ossa. 8. ff. de Religios. & sum. pub. funer.

Christus secundùm voluntatem naturalem & sensualitatis aliud velle poterat quàm Deus, non autem secundùm voluntatem rationis. D. Thom. 3. q. 18. a. 5.

Diligitur Deus ab Angelis, ob judiciorum suorum summam æquitatem: ab Archangelis, ob consiliorum summam moderationem: a Virtutibus, ob benignissimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos trahit ad fidem: a Potestatibus, ob justissimæ potentiæ vim, quâ bonos à malis tuetur: à Principatibus, ob æternam & originalem virtutem, quâ dat esse & ei qui habet principium omni creaturæ: à Dominationibus, ob imperturbabilem tranquillitatem, quâ disponit omnia suaviter: à Thronis, ob beneplacentiam Magistræ sapientiæ sese, sinè invidia communicantis: a Cherubim, quia Deus scientiarum Dominus, provt convenit, omnibus dona sua dispersit à Seraphim, quia charitas est, & vult omnes salvos fieri: hi ergo omnes provt capiunt diligunt. D. Bern. Serm. 19. in Cant.

Quidam homines vivunt tantùm sensibus dediti vt animalia; quidam vitâ sensitivâ & rationali, in quibus prævalent sensus; illisque subservit ratio, alij vitâ rationali & sensitivâ, in quibus prevalet ratio, alij denique ratione tantùm vivunt, spretis sensibus.

De varijs moribus naturalibus, qui enumerantur. *Vide Differentia Virtutis.*

De bonâ naturali inclinatione *Vide Princip. Virtut.*

Quod libet corpus habet tantùm vnicum motum naturalem, quem vltrò sequitur; plures autem recipit violentos.

Varij sunt hominum effectus, secundùm ætates & fortunas. Ætates autem sunt juventus, & vigor, & senectus. Fortunas verò dico nobilitatem, divitias, potentiam, & his contraria, & omninò prosperam, adversamque fortunam. Aristot. 2. Rheto. 12.

Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò servantur. Vt Iovi Esculus, Appollini laurus, Minervæ Olea, Herculi Populus. Plin. lib. 12. cap. 1.

Vt diversus inest rebus appetitus, sic illis diversa conferantur dona. *Vide Differentia Bonitatis.*

VNDE DIVERSVS diversis rebus appetitus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vidit Deus vniversa quæ fecerat & erant valdè bona; scilicet respectivè his quibus sunt convenientia; & quibus ideò datus est rerum certarum appetitus.

MAGNITVDO. Hæc singularia bona, totâ aviditate à singulis expetita, nobis referunt infinitatem primi boni; sic enim probant illum esse infinitè amandum, in quo est omne appetibile, & infinita perfectio ob-niti amoris causa. Nulla est vniversi pars quæ non ametur, & quæ non referat lui Principij summè amabilis bonitatem: Qualis futurus est amor Dei, si in vnam animam conflarent omnia dilectionis monva:

DVRATIO. Ex variâ existentiæ duratione, varius nascitur appetitus; quæ enim celeriter intereunt, appetunt ea quæ possint celeriter & sinè morâ consequi: Arbores teniorib. substantiæ, quæ citò coalescunt, vt salices, sambucus, & cæteræ plantæ medullatæ, vescuntur humore aqueo, qui facilè transmutatur. Sepes non amant mutationem, cujus non possint videre fructum.

POTESTAS. Infitas potentias appetitus sequitur, & vt potentiæ nunquàm sunt æquales, sic nec æquales appetitus. *Vide Differ. Potest.* Interdùm intensior appetitus suppler defectum potentiæ, vt in matre, quæ summâ audaciâ pugnat pro suo fœtu.

COGNITIO. Varij animalium appetitus, varias nos artes docuerunt; Nàm provt diversus est appetitus variè se & mirabiliter explicat industria: Singulares scientiæ omnes singularia sibi proponunt objecta; ne vaga mens in veritatis inquisitione aberret, & ne nullum portum contequatur neciens quid petat.

VOLVNTAS. Summè amatur Deus a Hierarchiâ Seraphim: in quâ vt quilibet Angelus specie distinguitur, officiumque ab alio diversum habet, sic & amandi modum. His variè innumeris desiderijs abundè sufficit infinitè amabilis Dei bonitas, & pulchritudo.

VIRTVS. Vt scientiæ sic virtutes specificantur à singularibus suis objectis: Sic diversæ mentes varijs naturæ & gratiæ dotibus illustres, in aliquo semper excellunt, vndè cæteris humilitas & æmulatio, variæ tamen hæ virtutes radicantur in charitate.

VERITAS. Singularis cujusque existentia interna lex est appetitus, apparet semper in multis, etsi ob defectus materiæ deficiat in aliquo: nihil enim verè & absolutè amat vt amare debet, nisi Deus in quo infinitæ bonitati respondet infinitus amor.

GLORIA. Mirum est, quod vnumquodque in proprijs lætatur, & in suo quiescit centro, quod alteri violentum esset: Piscis petit aquas, in quibus mergimur, talpa terram quâ obruimur, avis liberum aërem, vndè præcipitio collideremur: vbique lætitia, quæ est externa solemnitas referens æternam beatitudinem: nam quælibet res amat & amatur, vt beatificetur & beatificet.

DIFFERENTIA. Tam varius est in singulis appetitus, vt sibi ipsi non constet, nam mutatur pro variâ causarum superiorum, temperamenti & cognitionis mutatione. Vide infrà hoc tit. Mutatio voluntaris.

CONCORDANTIA. Pax est vniversò, ex eo quod variæ res varia appetant: sic enim quælibet species conservatur, dùm in aliam non inardescit concupiscentiâ. Sic stat civilis societas, dùm singuli illud vitæ genus profitentur, ad quod vocantur à naturâ, & habent in istis tot quot oportet socios, ad auxilium non ad invidiam: Alta pax esset inter homines, ob hanc diversitatem affectuum, si opinio non omnes convocasset ad eadem bona; non enim concurrunt & aretant quæ in diversa feruntur. Non fit harmonia nisi ex diversis vocibus, nec politia nisi ex diversis officijs.

CONTRARIETAS. Si quæ sunt ejusdem speciei, & naturâ conciliante amica, pugnant tamen, cùm eorum concurrunt affectus pro cibo & venere, quale futurum esset bellum, inter jam antipathica, si non illis inessent diversi appetitus: Sic sapiens natura vires hostiles hac infringit diversione.

PRINCIPIVM. Diversos appetitus inferunt diversa

nativitatis principia ; vt diverſa cœli, loci, aëris aquarum, parentum conſtitutio. *Vide Princip. Differen.* Sibi ſymphathica, ſeappetunt, & ab eodem principio pendentia, vt ſic, quantùm fas eſt, fiant huic ſuo Principio ſimiliora.

Medivm. Diverſus appetitus diverſis vtitur medijs : Sic nihil eorum, quæ ſunt à primo actu remanentium, appetitur enim aut propter ſe, aut propter aliud ; aliaque rursùs appetit, accipit & effundit fideli commercio.

Finis. Vt architectonica ordinat varias artes in vnum finem, puta domus perfectam ſtructuram : Si divina ſapientia ex diverſis affectibus conſtituit bonum vniverſi : hinc mentem mundo præſidentem agnoſcimus, quæ ſingulas res ſingulis ſuis aſſignat officijs.

Maioritas. Affectus major eſt in quibuſdam quàm in alijs, vbique tamen limitatus & conveniens, ſinè exceſſu. Mens autem humana hæc omnia appetibilia cogitatione & votis ſupergreditur, infinitum ſitiens bonum.

Æqvalitas. Diverſa & inæqualia bona, æqualiter, quia totaliter, à diverſis quibus conveniunt, appetuntur, illaque æqualiter ſatiant ; Sic ſibi complacet terra in infimo mundi, ac ignis in ſublimi : Sic talpa in terræ meatibus, ac aquila in libero aëre. Paſtoribus interdùm in tabernâ major voluptas quàm Principi in aulâ ; Sic naturæ fortunæque inæqualitatem compenſat æqualis voluptas : hæc naturalis beatitudo eſt quædam vmbra æternæ fœlicitatis, in quâ quiſque ſuâ ſorte contentus eſt.

Minoritas. Cum æqualis ſit in minimis, vt in maximis delectatio, potior videtur eſſe quæ eſt in minoribus, quia & minoribus conſtat : minùs ab externis pendens, magis à ſeipsâ eſt ; ſic ſecurior magis accedere videtur ad divinitatem, in quâ vnitas & ſimplicitas cum infinitâ gloriâ coincidit. Nihil jacet, quia vnus ambit quod alius averſatur, ità defectus videtur non fuiſſe in objecto, ſed in affectu.

DIVERSA NATVRALIS inclinatio.

HYpocrates lib. de lege ; Requirit in medico naturam ad medicinæ ſtudia proclivem. Vt enim in cultu terræ ſic ingeniorum duo potiſſimum neceſſaria, ſcilicet natura & cultura ; non enim fit quod libet ex quolibet, nec ex omni ligno Mercurius.

Quod libet fertur ad ſibi ſimile & conveniens, in cujus conſecutione, non eſt labor, ſed quaſi in fruitione delectatio : hinc Plato in politicis jubet obſervari puerorum indolem, & ad arma, leges, ſcientias, artes inclinet, vt inclinationi conforme ſortiantur exercitium ; hoc religioſiſſimè fit apud Turcas. Phyſionomia, Aſtrologia, Medicina vtiliter laborant in inquirendâ cujuſque indole ; fœlix enim non continget vita, niſi ſit ad naturam. Politicis etiam neceſſarium & quaſi divinum munus eſt, noſſe vim ingeniorum ; Vt Medici eſt periti ſcire vires plantarum, & cæterarum rerum, ex quibus ſua conficit medicamenta.

Sic autem Aſtrologi ex Dominio cujuſque planetæ conjiciunt nati mores. Saturnus valdè frigefacit, quia à ſolis calore & radijs maximè diſtat, minoremque habet, quàm homini convenit, caliditatem : Colore plumbeus, nigro præſidens, frigidæ naturæ & ſiccæ, maſculinus, melancholicus, terreus, naturæ humanæ noxius, infortuna major, tardus & ponderoſus in effectibus, teterrimus per omnes ſuos aſpectus ; præeſt ſenibus, agricolis, mendicis, Hebræis, foſſoribus metallorum, coriarijs, figulis, habentibus profundas cogitationes ; altam facit memoriam, multarum rerum & maximè abditarum ſcientiam ; facit homines colore nigros, parvis oculis in terram defixis, raris barbis, pavidos, avaros, ſuperſtitioſos, doloſos, triſtes, laborioſos, pauperes, contemptos, invidos, pertinaces, ſolitarios : Tamen Marſil. Ficinus lib. de vitâ cœlitus comparandâ cap. 22. vendicat Saturni dignitatem ; dicitque eum, vt ſuperiorem, ſtellis fixis vicinum, eſſe potentiſſimum & optimum, ſed his tantùm, qui vulgares affectus, vitamque communem relinquunt, & ſe toti ad contemplationem convertunt : Vt autem ſol nocturnis animalibus luce & calore ſuo inimicus eſt, ſic Saturnus hominibus contemplativam vitam ſimulantibus, nec agentibus : Preſidet Climati primo.

Iupiter fulgentiſſimus calefacit mediocriter, quia medius eſt inter Saturnum & Martem, & ob convenientem diſpoſitionem mediocriter validos à ſole excipit radios ; ſecundò, humectat non nihil, quia cum plurimum luminis habeat, vapores attrahit, humectando, moderatè tamen, cum longius à terrâ abſit ; fœcundus verò creditur, quia in eo vis calefaciens ſuperat humectationem. Eſt ergò calidus humidus, ſanguineus aëreus, Maſculinus diurnus, humanæ vitæ amiciſſimus, fortuna major : præeſt colori cæluleo, flavo, purpureo ; facit albos, pulchros, boni animi, graves, prudentes, juſtos, liberales, divites, honoratos, fideles, fœlices, pios : Præſidet climati ſecundo.

Martis proprium eſt exſiccare & arefacere, & calefaciendo vrere ; Nam & ſole vicinior, & denſioris ſeù craſſioris ſubſtantiæ eſt, id quod rubedo innuit. Ardens & micans, præeſt colori rubro, flavo, igneo ; calidus ſiccus, intemperatè biliioſus, Maſculinus, nocturnus, infortuna minor, nocivus per conjunctionem quadratam & oppoſitionem ; facit furibundos, habentes rubeos capillos, colericos, audaces, temerarios, loquaces, prodigos, contumelioſos, ſeditioſos, crudeles, chirurgos, lictores, duces, capitaneos, opifices ferrarios, bombardarios, & omnia quæ fiunt per ignem ; habet Sauromatas, Longobardos : Climati tertio preſidet.

Solis natura eſt potenter calefacere non tàm ob magnitudinem quâ. 166. major eſt terra, quàm ob potentiam, ſeu robur ſyderis : eſt enim fons caloris & lucis : & ſecundò paululùm exſiccare, eſt enim vivificus ejus calor, & non vehementer ſiccus, quoniam humido jungitur : Aureus & radians ; oculus & anima mundi ; dominatur ſuper colorem aureum fulvum, purpureum ; temperatè calidus, ſiccus, maſculinus, diurnus ; bonus cum bonis & contrà, facit croceos, criſpos, calvos, pulchri coloris, fortes, ſecretos, probos, magnificos, magnanimos, cogitabundos, quietos ; tribuit ſanitatem mentis & corporis, regias dignitates, opes ; facit cupidos honorum, ambitioſos : Climati quarto præſidet.

Veneris eſt primò temperat calefacere ; & plùs quidem love, quoniam & Soli vicinior eſt, & copioſam lucem habet, vndè & vmbram gignit : ſecundò multum humectare, vicina enim terræ magnam humidarum exhalationum copiam trahit ; ſeù veſperi quandò Heſperus ; ſeù manè, quandò Lucifer dicitur. Splendida, candida, amans & fœcunda, dominatur ſuper viridem, aëreum ; fœminea, nocturna, fortuna minor, benefica per omnes ſuos aſpectus ; facit pulchros, & ferè tales quales Iupiter proclives tamen ad

voluptatem, Poëtas, pictores; dat amorem, misericordiam, affabilitatem, præest ornamentis & rebus prætiosis: Climati quinto preest.

Mercurij est indifferenter agere: Modò enim Solì vicinus exsiccat, modo Lunæ assistens humectat: per se tamen subitarum mutationum causa est; quandoquidem & situm & morum variè variat. Stella parva, sed lucida, semper soli vicina, habet colores cæsium mixtum, varium, hermaphroditus, omnisque naturæ, propriè tamen frigidus siccus; facit homines ancipitis naturæ, nova semper cogitantes, nunquàm quiescentes; astutos, secretos, Philosophos, Mathematicos, divinos, peregrinos; præsidet cerebro, spiritibus, memoriæ, imaginationi, linguæ, manibus, Climati sexto.

Lunæ natura est plurimùm humectare ob propinquitatem terræ, ex quâ humidas exhalationes sinè impedimento educit; & madefacit aërem; tantùm autem calefacit, quantùm accepit lucis à sole. Fœminina, nocturna, frigida, humida, facit inconstantes, laboriosos, nautas, insipidos, gaudentes itineratione, & vitæ varietate, pusillanimes: Clima septimum gubernat.

Hi planetæ vires suas variant, pro diversa quàm habent in signis Zodiaci, & ad invicem constitutione.

Inclinationem ad vitæ genus inferunt Astrologi ex signo quod est in primâ domo, maximè ex primo simul & tertio triplicitatis domino; tùm ex planetâ, qui hujus signi Dominus est; videndum in quâ sit domo, & quis planeta sit illius dispositor; Inferunt similiter ex decimâ artes, & vitæ genus nati.

Mercurius dominatur parti rationali, Luna verò animali; ex fortitudinis comparatione duorum istorum planetarum fit judicium quæ pars prævaleat; optimum est si se amico radio aspexerint.

Generaliter ijdem sunt morum significatores, qui & temperamenti.

Corpora cœlestia directè quidem non imprimunt in intellectum & voluntatem, sunt spirituales potentiæ, quæ influxui corporali non subjacent. Possunt tamen astra dispositivè inclinare, in quantùm imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. D. Tho. 2. 2. q. 95. a. 5.

Vt prosperè vivas, agasque, imprimis cognosce ingenium, sydus, genium tuum, & locum eisdem convenientem, hic habita, professionem sequere naturalem; cœlum enim suis favet incœptis.

Ad hoc verò ipsum præ cæteris es natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, aptas, somnias, imitaris, quod tentas frequentiùs, quod faciliùs peragis, quo summoperè proficis, quo præ cæteris delectaris, quod relinquis invitus. Hoc est ad quod te cœlum & rector cœli genuit. Ex Platone vnicuique nascenti Dæmon vitæ custos ipso suo sydere destinatus est: frustrà autem laborat hoc cœlesti destitutus patrono, &c. Vide Marsil. Ficin. lib. de vitâ cælitus comparandâ. c. 23.

Dominus autem genituræ habetur is Planeta qui est corpore in primâ domo cum amplioribus dignitatibus; aut qui est Dominus signi orientis, vt suprà. Vide Origan. Secundùm vero astrologiam naturalem de Indagine, est is Planeta, qui est Dominus signi, in quo est sol tempore nativitatis; habita etiam ratione domus & signi, in quo est talis Planeta, & alterius illius dispositoris.

Contrarij sunt effectus planetarum, secundùm quod sunt benè aut malè affecti. Vt enim Saturnus benè constitutus & fortis facit memores & patientes, graves cum quadam authoritate, boni consilij, & profundi intellectus, ima scientiarum rimantes, cupidos Dominij & pecuniæ, Zelotypos, in promissis non semper veraces, amantes agriculturæ, regibus & claris hominibus charos: sic debilis & infœliciter positus squalidos, humilia cogitantes, querulos, timidos solitarios, superstitiosos, metuentes insidias, odio bonos prosequentes.

Iupiter benè constitutus & fortis significat consilium, judicium, prudentiam, facitque honestos, celebres, justos, humanos, fideles, prudentes, morumque omnium æquabilem temperiem: Imbecillis verò & infœliciter positus mores ferè simules prioribus, facit, sed obscuriores, & magis dilutos, ad extrema propensos; Pro Religione superstitionem, pro Magnanimitate fastum animi, pro Liberalitate prodigalitatem, &c.

Mars benè affectus significat audaciam, acumen, promptitudinem, iram, militum gubernationi aptos, jactabundos, divitias parùm curantes, impatientes servitutis & injuriarum: Debilis verò & infortunatus crudeles, injustos, rixosos, tyrannicos, Deum spernentes, sumptuosos, ebriosos, feroces in lacessendo, sed deficientes vbi ad rem ventum est, prædones, seditiosos, &c.

Sol Dominus horoscopi facit claros fortes, justos, magnanimos, prudentes amicos, filios non amantes nec vxores, iram servantes, dignitatum appetentissimos, nitidos & mundos, gravitatemque addit cum splendore junctam.

Venus fortis & benè constituta facit blandos ad concilianda hominum studia, lætos, hilares, formosos, venustos in gestibus, voluptatis & deliciarum amantes, Dei cultores, sui amantes, iræ, rixæ, & infortunij impatientes, ex naturâ muliebri. Debilis verò, & infortunata, mulierosos, timidos, parùm famæ, zelo typos sordidos.

Mercurius fortis & benè dispositus facit ingenio excellentes, studiosos, solertes, cautos, ad disciplinas omnes aptos, picturam, mercaturam sponte amplectentes. Imbecillis verò instabiles, malevolos, perfidos, mendaces, præsertim cum est in caudâ draconis, aut afflictus ab infortunijs; simulatores cujusvis rei, insidiosos, oblivios, infames, stolidos, hallucinantes.

Luna si præsit moribus, vt si excedat Mercurium dignitate, facit contumaces vanos, obtusi ingenij, vagabundos, viles, timidos, inutiles, nullius servitij: Malè posita, etiam stultos facit: In nodis, spiritus subtiles, levium motuum, & boni intellectus in rebus: Lumine crescens auget celebritatem nati, magis facit sincerum in moribus, & sollicitum in negotijs suis: Decrescens natum vilem denotat, parvi nominis, piger. cum & tardum in rebus suis, &c. Vidé Origanum ex quo hæc postrema de Planetis deprompta sunt compendiosè.

Differentes inclinationes facit varia Planetarum & nunquàm eadem constitutio in signo, gradu, cœli domo, cum cæteris & stellis & fixis configuratio.

Iulianus Apostata pro defensione Idololatriæ dicit. Nostri opifex omnium quidem est communis parens & Rex: Cæteræ autem gentes ab ipso Dijs gentium principibus, & civitatum defensoribus distributæ sunt, vt suam quisque functionem fideliter curet: Vt enim in Patre omnia perfecta sunt, & vnum omnia; In particularibus alia alijs viget potentia: Mars procurat ea quæ ad bella gentium; Pallas eadem agit prudenter; Mercurius ea quæ majorem industriam quàm audaciam requirunt: Hinc gentes, quæ ab illis reguntur, similiter se gerunt: Indè Celtæ

&c

& Germani audaces ; Græci & Romani civiles & misericordes simul ac firmi & bellaces ; Ægyptij industrij & prudentes , quamvis imbelles ac molles, &c. Dicit etiam quod si ab vnico Deo gentes omnes regerentur , illas omninò fore inter se similes , in moribus, in legibus, &c. Hæc. D. Cyrillus. Alex. lib. 4. contrà Iulianum.

Mens Deus septem fabricauit gubernatores, id est 7. planetas , qui circulis mundum sensibilem compiectuntur , eorumque dispositio fatum vocatur. Trismegist in Pimandro. Initio. Hinc Idololatriæ defensio , quod creditur legitimum honorem deferri stellis genijs , & per quos Deus populos regebat. Vide Cyrill. Alexand. Dicto loco.

Sol dominatur capiti , propter calorem vivificum, & lumen quod illustrat spiritus in capite. Luna humida , quia vicina vaporibus terræ , dominatur gulæ, ventriculo , vtero , propter humiditatem harum partium , & quia humiditas juvat concepeum. Saturnus frigidus est propter contrariam rationem & dominatur vesicæ , spleni , ossibus , vbi est frigiditas & siccitas. Mars siccus & calidus renibus & membris , in quibus siccitas acuit calorem. Iupiter inter Saturnum & Martem medius , est temperatus in calore & humore , & dominatur pulmoni & toraci , in quo est calidum humidum. In Venere prædominatur humidum , præsidet hepathi & artubus , propter carnem puriorem , humidam , calidam. Mercurius ancipitis naturæ ,

Trigoni Ignej sunt Aries , Leo , Sagittarius : Terrei, Taurus, Virgo, Capricornus : Aërej, Gemini, Libra, Aquarius : Aquei, Cancer, Scorpius, Pisces. Aries dominatur capiti propter spiritus calidos , & quia frigus capiti inimicum. Taurus collo & cervici , quia hæ partes sunt siccæ , & suâ siccitate absumunt defluentes humiditates. Gemini brachijs , propter carnem puriorem & aëream. Cancer pectori & pulmoni, propter refrigerium , quia Leo ijsdem pulmonibus, cordi , hepati , stomacho dominatur , quibus immensum frigus est inimicum. Virgo lieni quod est receptaculum humoris melancholici. Libra renibus , vt humiditate aërea vias laxet. Scorpius pudendis, quia semen aquosum & ad refrenandam vim. Sagitarius coxis & femoribus , propter motum. Capricornus genibus , ad majus robur. Aquarius tibijs propter carnem musculosam. Pisces pedibus , vt ex motu calorem temperent. Sic Planetæ & signa partibus dominantur , aut ad conservationem consimilis qualitatis, vel ad arcendum aliquod malum imminens.

De triplici hominum differentiâ ex Valentiano. *Vide Veritas Virtutis.* Fides cum operibus.

Vt invenias genium tibi præsidentem , vidè quantùm in suo horoscopo Sol distet à Lunâ : accipe mediam partem , tùm numera eandem graduum quantitatem ab horoscopo , is Planeta erit genius tuus in cujus termino cadet numerus. Manil. Fin. lib. de vitâ cœl. comp. c. 23.

Varia naturalis inclinatio à patriâ , cœlo , &c. *Vide Princip. Virtutis.*

Tres vitæ & politiæ species. Vna ex ratione sub Saturno. Alia Irascibilis , ferrea, sub Marte, tota in bellis & gloriæ cupiditate. Tertia denique in otio & deliijs sub Venere. Photius byblior. cap. 232.

Menippus alis sibi aptatis in sublime elatus videt mortales varia pro genii sui varietate agentes , bellis, foro, ludis, negotiationi, voluptati, quieti, actioni dediros , pari tumultu , ac si plures choræ suo vnaquæque modo simul cantarent , & saltarent diversa. Lucian. dialogo Icaro Menippus.

Deus astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens. Plato in Timæo.

Platonici dicebant Dæmones alios esse aqueos, aëreos , & igne , diversis sic pro naturæ diversitate viventium speciebus præsidentes : Aquei enim vegetali & sensuali naturæ favent , hos ait Plato malorum plurimis voluptatem miscuisse: Aërei favent potentiæ rationali , eamque à sensuali , vegetalique naturâ quodammodò segregant : Ignei tandem discursum rationis ad sublimiora contemplanda convertunt. Marsilius ficinus in apologiam Socratis.

EX QVATVOR PRIMIS *qualitatibus*

EX variâ primarum qualitatum mixtione & dominatione pendent mixtorum omnium appetitus & actus : sunt autem quatuor illæ primæ qualitates, Calor, Frigus, Humiditas , Siccitas.

Caloris primarius affectus est calefactio , secundarius est segregatio hererogeneotum , congregatio homogeneorum , atractio è remoto , resolutio è proximo , attenuatio in partes minutiores , apertio viarum, rarefactio pororum, coctio humorum, liquatio, emollitio.

Frigoris primus effectus est refrigeratio , secundus repulsio , ingrassatio, occlusio, condensatio, coarctatio , cruditas , induratio.

Humoris primus effectus est humectatio , secundus est terminatio alieno termino , dissolutio , madefactio , lævigatio.

Siccitatis primus effectus est exsiccatio , secundus terminatio proprio termino , congregatio, detersio, exasperatio.

Primæ autem hæ qualitates habent hos actus per accidens. Calor refrigerat per accidens rarefaciendo, humectat liquando , ex siccat humorem attrahendo & absorbendo. Frigus per accidens calefacit meatus condensando, humectat comprimendo, ex siccat congelando : Humor refrigerat per accidens extinguendo , calefacit obstruendo , exsiccat per lævigationem humorem tollendo. Siccitas per accidens calefacit quia facilè recipit calorem , refrigerat & humectat, prout siccum corpus, cujusmodi est senum , non resistit proventui excrementorum.

Qualitates autem consequentes quæ pertinent ad sensus sunt hæ. In tactu levitas, raritas, in quibus frigus ; Mollities, tenuitas, viscositas, in quibus humor ; Durities , crassities , cruditas , in quibus siccitas. Ex Aristot. lib. 2. de ortu & inter. cap. 2.

In Sapore prædominatur humiditas si conferatur eum odore : Nam si distinguamus species saporis, Tres Calidi sunt : Acer in consistentiâ , seù materiâ tenui ; Salsus in mediocri , Amarus in crassâ. Tres Frigidi , Acidus in materiâ tenui , Austerus in mediocri , Acerbus in crassâ. In odore dominatur siccitas , & eadem sunt species odoris & saporis. Sonus videtur fieri à calore , quia motus est causa caloris , sed si sit gravis, calor excellet ; si acutus , frigus ; si raucus, humor ; si clangorosus , siccitas. In colore prædominatur frigus , vt oculo respondeat , niger est à calore , albus à frigore , color medius temperatus est viridis : Inter viridem & album , est color rufus & flavus, inter viridem & nigrum , ruber & cærulus : Colores etiam fiunt à lumine , à quo est albedo , vt à tenebris nigredo ; Item ex materiâ densâ, quæ efficit nigredinem ; rarâ , albedinem ; Colores in animalibus sunt similes humoribus , & humores producenti , vt

midos, implacabiles, &c. Vndè infert non omnibus eandem animæ naturam, sivè substantiam inesse, cum non easdem actiones agant. In vniversum tres dicit esse animæ species. Rationalis, quæ verum & honestum appetit. Irascibilis, quæ libertatis, victoriæ potentiæ, imperij, gloriæ honorisque flagrat libidine. Tertia, Appetitoria veneris, esculentorum, potus, voluptatis. Rationalis in cerebro, Appetitiva in jecore, Irascibilis in corde: hinc infert animam nihil aliud esse quàm corporis temperamentum, quia alterato temperamento ab ætate, escis, regione, veneno, alterantur animæ actiones, aut penitùs discedit anima à corpore; sic sapiunt, quibus sicca temperies; in furorem aguntur, quibus nimis calida, &c. Nec tantum bonum, sed necessarium dicit hæc sequi, vt cæteras in vniverso naturæ leges. Nec obstat, inquit, quod actionibus humanis præmia & pœnæ decernuntur, quia & Deum necessario bonum colimus, & viperam natura venenosam occidimus.

Diversi sunt motus propter diversam moti resistentiam.

Sanguinei sunt amativi, ideò jecur dicitur cogens amare, quia generat sanguinem. 12. q. 48. a. 2. ad 1.

Diversum temperamentum conjicitur ex diversâ physionomiâ. *Vide Cognitio Virtutis.*

BONA NATVRALIS inclinatio sequenda.

DE fœliciter natis. *Vide Bonitas, Magnitudo & Virtus Principij.* Initij.

Nullâ sapientiâ naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum & ingenitum est lenitur arte, non vincitur. Seneca. Epist. 11.

Quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cum multùm se diùque animus composuerit, hærebunt, nihil horum vitari potest, non magis quàm accersiri: non sunt affectus nostri in nostrâ potestate: quædam jura non scripta, sed scriptis omnibus certiora sunt. Idem l. 1. decl. 1.

Ignoscit pater filio navigationem recusanti, si non ferat mare; ignoscit non sequenti castra, si non potest, quamvis ipse Pater militaris sit: sui juris rerum natura est. Idem lib. 1. declam. 4. & lib. 2. decla. 5.

Validius est naturæ testimonium quàm doctrinæ argumentum: Melior veritatis magistra natura est. D. Ambros. exam. lib. 6. cap. 4.

Nesciat justus, nisi secundùm naturam vivere, in cujus instituto & ordine Dei lex est. Idem lib. 2. de Abraham. c. 11.

Non omnibus seminibus quælibet apta est terra; nec quælibet ingenia ad quaslibet capiendas disciplinas disposita. Vt corpora, sic ingenia quædam natura robustiora.

Filij parentibus dissimiles, filij heroum noxæ. *Vide Concordantia Principij. Rep.*

In naturâ non fit quod libet ex quolibet, sed ex conveniente dispositâ materiâ tentat Deum petitque miracula, qui infirmas mentes vellet fortiorum onera sustinere, frustrà tamen hæc inverso naturæ ordine tentaturus.

Arte inflexa arbor, quos de novo producit surculos in rectum protendit, pingitur inter emblemata; eum hoc schemate, vsque recurrit.

Si leonis securati ora cruor tinxerit; retrò redeunt animi: Avis captiva, licet hominibus familiaris, si gratas nemorum viderit vmbras, oblatas posthàc pedibus proterit escas, sylvasque tantùm mœsta requirit. Cadit hesperias Phœbus in vndas; sed secreto tramite rursùs currum solitos vertit ad ortus. Repetunt proprios quæque recursus; Redituque suo singula gaudent; nec manet vlli traditus ordo, nisi quod fini junxerit ortum, stabilemque sui fecerit orbem. Boëtius de consolatione Philosophiæ. lib. 3. metro. 2.

Fortis & vegetus ad digestionem stomachus, quælibet digerit, vt struthionis: At alijs convenientes sunt cibi; propriaque remedia.

Paulo pejor, sed suavior cibus ac potus, meliori quidem, at ingrato præferendus. Hipocrat. lib. 2. aph. 58. Nam vehementer appetita arctius complectitur stomachus, & sic vnito calore facilius digerit: Sic ambitiosi mediocriter ad dignitates idonei eas respuentibus sunt preferendi, promovente enim naturâ solent fieri excellentes.

Eo inclinandum, quo te vis ingenij defert. Isocrates Ephorum injectâ manu à foro subduxit, vtiliorem componendis Historiarum monumentis ratus; malè enim respondent coacta ingenia. Reluctante naturâ irritus labor est. Senec. de tranquillitat. vitæ cap. 6. vbi præcipit ad animi tranquillitatem necessarium esse observare, An animus agendis rebus, an otio & contemplationi aptior sit.

Saturnus illis tantum est infensus, qui ad solitudinem nati implicant se rebus agendis. Marsil. Ficin. de vitâ cœlitus comparandâ. cap. 22.

Quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ assentior: Ab illâ non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari sapientia est; Beata ergo vita quæ convèniens est naturæ. Senec. de vitâ beatâ. c. 3.

Peccatum nihil est aliud quàm deficere à bono, quod convenit alicui secundùm naturam. 1. 2. q. 109. a. 2. ad 2.

Naturâ viventia ad proprias actiones meliùs inquàm ad communes. Marsil. Ficin. Theol. Plat. lib. 11. c. 3.

BONA NATVRALIS inclinatio sequenda

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mundus homini in beneficium & fœdum à Deo datus est; eo autem vti debet eâ lege quâ datus est: lex hæc in nostrum cedit commodum vt scilicet conveniencia tantùm appetamus.

MAGNITVDO. Satis magna est roga, si sit corpori proportionata, aut major aut minor esset indecens: in qui appetit debet esse re appetitâ major, vt possit illam in se convertere; alioquin non juvabitur sed opprimetur: Concidunt sub negotiorum mole, qui opinionem, non naturam sequuntur. Natura est insuperabilis. *V. Dur. Volunt.*

DVRATIO. Vim sibi potest facere liber homo, vt contrà inclinationem feratur, sed violentum hoc non erit durabile, prævalet tandem natura, & se sibi vendicat, etiam intempestivè. Brevis est vita, & tàm breve tempus conceditur ad magnum æternitatis iter conficiendum, vt dementis sit vlrò aberrare & in supervacuis immorari.

POTESTAS. Appetitus naturæ non sunt frustrà; vnde confidit quilibet se posse quod naturaliter citrà opinionem appetit: falla autem est ex fortunæ commodis æstimata potentia, vt qui divitem omnem putaret ad regimen aptum, cùm sit fortè ad solitudi-

nem natus ſub Saturno; & tàm ineptus ad dominandum quàm pes ad videndum.

COGNITIO. Præcipua Philoſophiæ moralis pars eſt ſe noſſe, & vero tuo, non aliorum ſenſu ſibi vitæ genus eligere: Vt falſi ſumus aliorum æſtimatores; ſic alij noſtri; credamus internis conſcientiæ monitis, quæ nos ad debita vocant officia.

VOLVNTAS. Quod ſuadet natura, ſummè appetit; ſummus autem ille appetitus fallit laborem, ſupplet defectum potentiæ, artesque novas ſuppeditat: Amori omnia ſunt pervia. Cæterùm etſi quis ad plura habeat aptitudinem, tunc verè liber eſt, cum id ſequitur quod magis appetit, cum paret eidem ſibi & mundo præſidenti ſapientiæ.

VIRTVS. Virtus eſt ars vitæ, quæ vt cæteræ omnes ſupponit etiam quàm perficit naturàm; amittit enim quod ſciens & volens in alieno fundo inædificat. Virtus eſt circa, non contrà paſſiones; illas regit, non extinguit; muneris ſui eſt horum militum impetus coërcere, & etiam concitare, cum id occaſio poſtulaverit.

VERITAS. Nihil ſincerum in eo qui contrà genium ſuum agit: Mentita omnia, vultus, ſermones, geſtus fictitij, & ad ſpectaculum compoſiti, quomodo fidem alijs ſervabit, qui ſibi negat? Malæ fidei eſt, qui naturæ depoſitum inficiatur, & qui paret potiùs opinioni, quam ſcriptis in corde legibus. Vt enim cuique inſunt generales, ſic ſpeciales quædam agendorum rationes: Non enim vniverſalibus tantùm, ſed etiam ſingularibus divina providit ſapientia.

GLORIA. Actionibus ad quas fert naturâ ineſt delectatio, quæ fallit laborem, auget induſtriam, & ſic demulcet, vt ſibi ipſi præmium ſit: Sic canes venatici, etiam ſinè præda gaudent, certantque curſu, aves volatu, piſces vagâ, celerique natatione.

DIFFERENTIA. Sapiens divina providentia fruſtrà non dedit ſic differentes inclinationes: ſed ex his conſtituitur ordo mundi civilis, ſicut ex diverſis entium gradibus fit mundi naturalis harmonia: fruſtrà autem eſſent, ſi illas innoxiè & citrà culpam poſſemus non ſequi.

CONCORDANTIA. Concordes ſunt omnes potentiæ in his quæ fiunt naturæ ductu. Sic fœlicius omnia ſuccedunt: fœlicitèr autem, induſtriè, & ſinè labore omnia agenti, omnes conſentiunt, votiſque & officijs cum, vt cœlo ad talia dàtum, promovent. Non ſtaret civilis ſocietas, niſi ad varias artes, variaque miniſteria vatij virò deſcenderent quid enim ſi vellent omnes præſtantiora tantùm exqui? concidèrent maxima, ſublatis quibus innituntur minimis.

CONTRARIETAS. Niti aliquantulum poſſumus equis, remis & velis contrà fluminibus curſum, magno tamen labore paulùm proficitur: Sic contingit his qui averſo genio, vitæ genus profitentur; nam quas debent integras actioni vires, conſumunt in ſuperandâ inclinatione ad contrarium tendente, tandem jugum excutit natura, & ſe ſibi vendicat. Vtrò nos dedamus legitimæ potentiæ, quæ ſuperari non poteſt, cum & in ipſam rebelles ſibi ipſis pœna ſint.

PRINCIPIVM. Natura eſt principium motus & quietis: qui hanc ſequuntur, ſunt vt animalia ſinè labore, imo cum delectatione ſe moventia; qui autem præter illam agunt vt artificiata, quibus varijs & ſæpè deficientibus machinis conſtat motus.

MEDIVM. Defectus naturæ ſuppleri debent per organotum multitudinem; ſic actio magis pendens ab externis, erroti magis pervia eſt: Quantâ arte opus eſt ei, quem familia nobilis, non genius ad magna extulit? indigens aliorum operâ, ſervit, qui deberet imperare: inepto & ad alia parato inſtrumento, etiam periſſimus artifex malè operatur.

FINIS. Tendunt omnia ad centrum ſuum viâ breviori, ſcilicet viâ rectâ; talis eſt inditus nobis à naturâ motus, facilis, planus, rectus: qui aliundè quærit diverticula, vel nunquam, vel ſaltem tardè ad optatum finem pervenit. Cæterùm non eſt vera fœlicitas boni inconvenientis, quem natura non intendit, vt non eſt naviganti portus, in quem noluerat pervenire.

MAIORITAS. Artes & ſcientiæ omnes augmenta ſua debent his qui talibus vacant, duce genio: in his enim quaſi naturaliter edocti, & quaſi ſecretam habeant theoriam, quæ alij docent, facilè aſſequuntur, antiquos defectus emendant, & inventis multa adjiciunt: at qui averſâ operantur Minervâ, nunquam eminent, multùmque illis eſt inter pares non deici. Optimum eſt in agendis ſequi naturæ ſecretum impetum, tunc enim ſi obſerves, favent aſtra, vt præter ſpem, nova, tibique ipſi miranda conſequaris.

ÆQVALITAS. Placidis & æqualibus aquis decurrit fluvius, cum nullos invenit obices. Sic vera animi tranquillitas, quàm tot votis exoptat Philoſophia, non contingit, niſi his qui genium ſuum ſequuntur.

MINORITAS. Bonum eſt violis repere, & in vmbrâ delitescere, timent enim æſtum: ſic magnis fortunæ muneribus læta ſe ſubducit Philoſophi paupertas. Si benè æſtimes, etiam in infimis naturæ gradibus, nullus eſt defectus, quia par eſt optati fruitio, ſecuriorque eſt, quæ minoribus conſtat, fœlicitas.

A tutelâ eximitur, qui contumaciter adminiſtrationem recuſat. 3. Cod. de excuſation. tutor. Nihil enim invitâ Minervâ fauſtè peraget. *Vide Volunt. Poteſt. Regum.*

Quod arte & labore contrà naturam obtinetur imperfectum eſt. Sic naturâ ſteriles, ſi quandò medicinâ & curâ vicere, fœminam ferè gignunt. Plin. lib. 7. cap. 13.

Anima ad cognitionem apta verè plùs aſſequitur quàm qui ſupremum in modum ſe in ſcientiâ exercuit. Ptolomæus in centiloquio. n. 4.

MVTATIO VOLVNTATIS Bona.

Vide Differentia Cognitionis.

VOluntas noſtra creatis non ſatiata, vt libera eſt, ſic liberè ſe explicat. In vario boni apparentis deſiderio, etiam grata & experta relinquit vt tentet alia; Vult enim primi boni quaſi ſemina, quædam hinc indè diſperſa colligere, & omnibus ſaltem ſucceſſivè frui. Hoc eſt rationalis animæ privilegium, ad vnum non determinari. Varia & in dies proficiens cognitio varios producit appetitus. *Vide Differentia Cognit.* De opportunâ conſilij mutatione. Spes melioris boni & objecta quæ movent potentias, quæ concitant paſſiones, varios efficiunt appetitus, qui inardeſcunt ipsâ obtinendi difficultate; quod alienum eſt, excellentius putatur, & magis appetitur. Nobis inſita virtutum ſemina quærunt tempus opportunum, vt coalescant. Quia non reperimus verum & abſolutum bonum, quaſi ſemper pendens eſt voluntas, & cum nulli firmiter inhæret, melioris avida, ad alia facilè convertitur, eſt relatio inter res appetibiles, & appetitum noſtrum, vnde ſunt mutabiles, ſicut illa ſunt & mutabilis eſſe debet voluntas; ſicut navis inſtructa ſic mentes omnia ſunt convertibilia, in mari ſemper vario.

Poſſeſſio rei non abſolutè bonæ, facit, tædium, quod A mutatione levatur, ſecretique hujus doloris ceſſatio, & melioris conſequendi ſpes, perfundit animum voluntate. In nobis mutari poſſe facultas eſt, quæ ipſo ſui exercitio placet; nulli, etiam pretioſiſſimus carcer gratus eſt. Habemus cum omnibus convenientiam, vndè omnia volumus deguſtare; Habent etiam omnia aliquid nobis contrarij, quod ardens initio deſiderium non percipit, ſed quod tandem diutinâ læſione exulceratus animus avertatur. Vitæ genus, & ætas ipſa mutat affectus cum temperamento, ad id etiam multum valent aſtrorum nativitati præſidentium variæ configurationes: Variè operatur ars, vt ei varia contigerint inſtrumenta; etiam juvat varia experiri, eo fine, vt ſi fœliciter non ceſſerint, priùs relicta reſumamus. Nunquàm ad majora conſcenderet, niſi qui novi aliquid tentaverit. Lapideſcunt corda hos motus non ſentientia, & ab humano in gradu in infimum naturæ prolabuntur, Sic multa poſſunt educi ex Principijs. *Vide Differentia Cognitionis.*

Omnia debent eſſe eadem, quæ fuerunt cum promitterem, vt promittentis fidem teneam. Senec. de benef. lib. 4. c. 35. *Vide Duratio Voluntatis.*

Vultus, in quo deſtructa per ætatem pulchritudo eſt, cum ſimiliter non placeat & alliciat, docet natura ſimiliter non eſſe amandum.

Citiùs dulcibus quàm acribus ſatiamur, quia acria minùs habent alimenti. Ariſt. Problem. ſect. 22. quæſt. 3.

Qui in teſtamento primo dixit, codicillos futuros non valere niſi ſuâ manu ſint ſcripti, ſi poſteà codicillos faciat alienâ manu ſcriptos valebunt, quia nemo ſibi legem imponit, à quâ non liceat recedere, l. 6. ff. de jure. Codicill. C

Si quis eſt purè ſtipulatus illud aut illud, quod ipſe volet, licebit illi mutare voluntatem, quoties cumque volet. l. 138. ff. de verbor. obligati.

Reprobari poteſt medicus à Republicâ, quamvis ſemel probatus ſit. l. 11. §. 3. ff. de munib. & honoribus.

Quod ſemel ordo decrevit, poteſt reſcindi, ſi reciſio vergat ad vtilitatem publicam. l. 5. ff. de decret. ab ordi. facien.

Dilatio juramenti poteſt præſtari antequàm præſtetur. l. 11. ff. de teſt. cred. *Vide Duratio Cognitionis Mora.* D

Minor factus major, licet ratam habeat alienationem prædij, intrà dimidium juſti prætij venditi, poteſt tamen illud vendere, niſi ſibi juſtum prætium ſuppleatur. l. 1. Cod. ſi major factus alien. ratam habu.

Qui imperatorem ſcripſit hæredem poteſt eum revocare. l. 6. C. qui teſt. fac. poſſ.

Ejus bona, qui ſe imperatorem facturum hæredem jactaverat, à fiſco occupari non poſſunt. l. final. ff. qui teſta. fac. poſſ.

Ad hunc titulum revocari poſſunt omnes reſtitutiones in integrum de quibus. *Vide Finis Minoritatis.*

Quandò liceat ab emptione diſcedere. Cod. 4. tit. 41. E

Si adversùs venditionem reſtitutio poſtuletur. Cod. 2. tit. 28.

Ambulatoria eſt hominis voluntas vſque ad extremum vitæ ſpiritum: ſic in Donationibus inter virum & vxorem, mortis causâ, ſpectanda eſt ſuprema voluntas, quia poteſt eſſe pœnitentia. l. 32. §. pœnitentiam. ff. de donat. int. vir. & vxor.

Qui bonis cedit, ſi pœnitet antequàm bona vendantur, recipitur ad ſe defendendum. l. 5. ff. de ceſſione bonor.

Præſtatio vſurarum ſi facta ſit, indè non præſumitur earum promiſſio. l. 7. Cod. de vſur.

Incommutabilis Deus quandoque ſua mutat decreta. Concil. Tolet. 8. cap. 2.

Si promiſero aliquid, vt aliquid facias poſſum impunè cum voluero à tali conventione reſilire; quod ſi aliquid jam præſtiteris, & res non ſit integra, indemnitas tibi præſtanda eſt. l. 5. ff. de condic. cauſ. dat. cauſ. non ſeq.

Mulier accuſans aliquem de falſo, ſi deſtiterit, non incidit in pœnam Turpilliani. l. 1. ff. ad Turpillian.

Æſtimatio illius ſpei, quod quis poteſt alteri ſuccedere, non debet conſiderari. l. poſt emancipationem. §. fin. de libe. cau. B

Legis voluntas eſt ambulatoria, ſicut privati. l. 10. ff. de jure dot. Gloſſa.

Semel approbatum poteſt reprobari, ex cauſis poſteà emergentibus. l. 7. cum Gloſſâ. ff. de excuſat. tutor.

Arbiter non cogitur ſententiam dicere, ſi partes ierint ad alium arbitrum, & mox ad ſe redierint. l. 9. §. fin. cum duab. il. ſeq. ff. de recept. arbit.

Arrhas perdit emptor qui pœnitet. l. contract. ff. de fid. inſtrum.

Qui adoptavit, poteſt adoptatum alteri in adoptionem dare. Inſt. de adoptio. §. 8.

Fructarius non poteſt cœptum ædificium conſummare, etiamſi eo loco aliter vti non poſſit. l. 61. ff. de vſuf. quia Dominus cenſetur mutaſſe voluntatem ædificandi.

Qui pecuniam creditam acceptrus ſpopondit creditori futuro, poteſt non accipere, & ſic ei ſe non obligare. l. 30. ff. de reb. cred.

Quomodò quis poteſt à beneficio deſiſtere. *Vide Finis Bonitatis.*

In contractibus innominatis, puta, do vt facias, re integrâ poſſum pœnitere. l. 5. ff. de condict. cauſ. dat.

Poteſt quis depoſitum repetere antè tempus ſtatutum mutatâ voluntate. l. 1. §. 45. ff. depoſ. quia hic contractus ſit in ſolius deponentis commodum.

Poteſt emptio reſolvi, ſi facta ſit, ſub eâ conditione. vt res inempta ſit, ſi diſplicuerit. l. 3. ff. de contrah. empt.

Conditio, quæ initio contractus dicta eſt, poſtea aliâ pactione mutari poteſt, ſi nondùm impleta ſunt, quæ vtrinque præſtari debuerunt. l. 6. ff. de contrah. empt.

Ab emptione poteſt recedi nudo pacto, reintegrâ. l. 2. ff. de reſcind. vendit.

Aliquis vendidit donum, excepit habitationem, aut in ſingulos annos decem. Poteſt ſingulis annis variare, nunc illud, nunc aliud petere. l. 21. in f. ff. de action. empti. *Vide infrà Finis Voluntatis.*

Si priuſquàm adiretur alius Prætor, mutata voluntas fuerit, nemo compellitur ejuſmodi conventioni ſtare. l. 18. ff. de Iuriſd.

Minor reſtitutus vt adeat hæreditatem iterùm poteſt reſtitui, vt abſtineat. l. 7. §. reſtitutus. ff. determinat. 25. ann.

Compromiſſum non tranſit in hæredem, niſi ſic conventum ſit. l. 27. ff. de recept. arbit.

Non tenetur quis ſtare juriſdictioni, quem ignorans elegit. 15. ff. de juriſd. omn. judic. & nemo cogitur ſtare pacto de litigando coram judice non ſuo. l. 18. eodem.

Poteſt quis in eodem teſtamento alicui & legatum dare, & auferre. Inſt. de adempt. legator.

Membrum idem appetere & attrahere aliquid ſecundùm naturam, & illud ipſum rejicere penitùs vtilitate non eſt inconveniens. *Vide Differentia, & Finis Medij.*

Motus omnes ſub Lunâ principium & finem habent, imitanturque principij ſui varietatem. Æternum tantùm poteſt motu æterno moveri.

Si amantium vnus ſit ſanguineus, vnus cholericus, crebra illos turbabit iracundia propter bilis igneum humorem.

Non ſervans promiſſum propter ſuperveniens impedimentum, vel re mutatâ excuſatur à mendacio, vt S. Paulus. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.

Qui juravit ſe ſolvturum vſuras, tenetur ſolvere, ſed poterit repetere. cap. debitores de jurejurando.

Vota poſſunt eleemoſinis redimi, vel in meliùs commutari authoritate ſuperioris. cap. de peregrinationis, de voto & vot. redem.

Sponſalia de futuro non compellunt ad contrahendum matrimonium cum leproſo. cap. litteras de conjugio leproſor.

Poſteriora Concilia poſſunt aliter determinare quàm priora, in materiâ morum, non in materia fidei. Vide Coriolan. præl. 7. ad Concilia generalia.

Vita humana ex ſe eſt motus irregularis, illi obſequor ſecundùm naturam ſuam. Fœlix mutabilitas, quâ homini inter creaturas rationales ſoli licet poſt peccatum pœnitere. D. Th. 3. q. 86. a. 1.

Homo refert vniverſum, in quo varia ſunt rerum genera.

Mundana hæc pulchritudo, quia omnium extrema eſt, & omnia ſimul non poteſt complecti, habet illa ſucceſſivè. Ludus eſt, qui victis non placet, ideſt mundanis affectu rebus inhærentibus, ſed victricibus in cœlo & juſtis tantùm hic animis placet. D. Aug. l. de verâ Religione. cap. 22.

Quod omnia hic ſint mutabilia. *Vide Miſeriæ Veritatis, & Durationis.*

Corpus animatum & natura & contrà naturam movetur, ſcilicet motu proprio.

Cum omne corpus naturale inanimatum vnum ſolum locum habeat, plantæ & frutices ſimul in contrarias regiones nituntur, & cum augentur, & cum decreſcunt, ramis ſurſùm, radicibus deorsùm. Iam vegetabile accedit ad liberum animalis motum.

Motus aëris ſurſùm ſecundùm quid.

Non valet pactum, per quod Pater promittit in inſtrumento dotali ſe filiam inſtituturum in æquali portione cum filio, quia aufert liberam teſtandi facultatem. l. 15. Cod. de pact. & generaliter pacta quæ diſponunt de hæreditate viventis non valent. l. final. eod.

Codicilli, & mortis causâ donationes poſſunt fieri, etiam facto teſtamento, quaſi quædam ſupremæ voluntatis additiones. l. 24. ff. de mort. cauſ. donat.

Non licet de civitate ad villam transferre ædificiorum ornamenta. *V. Major. Volum.*

Inquiritur in Tutorem, etiam teſtamento Patris datum, ſi cauſa propter quam datus eſt mutata ſit. vt ſi ex amico factus ſit inimicus, ex divite pauper l. 4. ff. de teſtamen. tutel. *Vide Duratio Virtutis Repugn.*

Quidam Lacon vovit ſe è monte præcipitem daturum, conſcenſo monte, viſaque altitudine exhorruit, & retrocedens dixit, neſciebam ad hujus voti impletionem, majori quàm mihi ſit virtute, opus eſſe.

Ordo vniverſi exigit, vt ſint cauſæ quædam magis ſtabiles, quædam mobiles, quæ producant effectus vagos & contingentes, non ità tamen, vt perturbent ordinem vniverſi, imò vt alijs contingentibus inſerviant, & locum præparent ad recipiendum aliorum abundantiam & exceſſus. Marſil. Ficin. Theol. Plat. l. 2. c. 12.

Apparent in anima motionum corporalium exemplaria: Generationis, quandò divinis hæret: Corruptionis, quandò mortalibus: Augmenti, quandò diſcit: Decrementi, quandò oblivíſcitur: Alterationis, quandò variat vires affectionum: Condenſationis, quandò ſe colligit: Rarefactionis, provt diſcurrit, vel circà multa diſtrahitur: Progreſſionis in rectum, cùm attingit externa: Circuitus, cum effectus reſolvit in cauſam, & à cauſâ deducit effectus: Movetur in rectum, quandò ad corpus, ſenſumque declinat; in obliquum, quandò in ſe & in Angelum; in circulum, quandò in Deum reflectitur: ſurſum ad vniverſalia, deorsùm ad particularia; ad dextram & ſiniſtram, in oppoſitas generis differentias; antè & retrò, quandò ad cauſas naturales, effectuíve ſe vertit vt motionum fons habet motionum omnium exemplaria. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 6. cap. 11.

De legum mutatione. *Vide Differ. Veritatis.*

Eſt in aulis labor multa vtilitate ſpectabilis; verſatilem animum in diverſa componere, & motus affectuſque quicumque juvabunt, ſaltem in ſpeciem, induere poſſe, quod vix commodè vllus vnquàm perfecerit, abſque ſedulâ auſteraque diligentiâ, aut ſummo in ſuas cupiditates imperio. Barclai.

Plato dicit cœlorum motus aliquandò in contrarium ituros.

Etiam ſereno cœlo mare fluit & refluit, etiam proſperis rebus voluntas mutatur.

In medio mari videntur torrentes & currentiæ, interdùm etiam in contrarium fluentes.

Euripus Chalcidicus ſepties in die currit & recurrit, ejus rei cauſam cum Ariſtotes non potuiſſet invenire, ſe in eum præcipitem dedit.

Arteria duplici tunica conſtat, quarum altera obliquas habet fibras ad retinendum, altera rectas ad emittendum. Galenus lib. de partibus artis medicæ.

Manus conſtant diverſis oſſibus, juncturis, carne molli, vt omnem corporis figuram poſſint comprehendere: caro mollis interius cedit leviter occurſantibus & oſſium rectitudinem corrigit, quandò eſt aliquid circulo comprehendendum. Idem lib. 1. de vſu partium.

Saltatio multùm culta ab antiquis: docet cum decore motus corporis accommodare his quæ decantantur. Vide Athenæum. lib. 14. cap. 12. Imitatur motiones quæ fiunt in armis, eſtque certiſſimum argumentum diligentiæ, tùm animæ, tùm corporis. Ibidem.

Spirant à mari ad littora venti Tropæi, ſive verſarij, qui ſcilicet poſtquàm pauliſper progreſſi ſunt, ſubito vertuntur; eſt enim quædam refractio inter auras maris, & auras terræ. Vbi mare ſinuat, etiam ſunt Euripi ventorum.

Gyri fluminum ideò ſunt, ne citò exſiccentur, dum ventus robuſtus in conſecutionem fili aquæ, aquas recta propelleret in mare. Varij affectus obſtant ſibi invicem, ne vno aliquo nimio vires diſſipentur & hoſtibus pateant.

Multi piſces hyeme, verè, æſtate mutant colores qui ſunt indicium mutati temperamenti. Plin. lib. 9. cap. 26.

In homine vis ſanguinis ad minima momenta mutatur, ſcilicet ad ſingulos animi affectus, pudore, irâ, metu, &c. Idem lib. 11. cap. 38.

Cum diverſo ſolo varia conformiſque exhibeatur cultura, provt experientia docuerit; quid quod mutantur ſæpè judicata quoque, ac diù competta, mutatis per ætatem ſoli qualitatibus? Idem lib. 17. cap. 4.

Inter pares aquas melior judicatur, quæ calefit, refrigeraturque celeriùs. Idem lib. 31. cap. 3.

Sic fiunt motus oratoris momento mutabiles, & in humanis negotijs laudatur verſatile ingenium, animuſque multiformis.

Eclypſes quæ fiunt in ſignis gemellis: Gemini, Virgo, Sagittarius, Piſces, ſignificant hominibus & rebus. Ptolomæus. lib. 2. cap. 7.

Impar numerus, maſculus habetur & fœcundior pari; quia par pari junctus nunquàm imparem gignet, impar autem impari junctus multos pares generat, cum alter imbecillus, ſuam non poſſit mutare naturam.

Protheus in omnes formas mutabatur, fiebat aqua, mox ignis. Lucianus dialogo Menelai & Prothei. Sic Polypus aſſumens colorem rupium quibus adhæret, & vitat piſcatores, & piſces ipſe deluſos venatur.

Quidam excellens ſaltator plures ſeriatim perſonas repreſentabat, cui dictum eſt, fefelliſti nos ô optime, quod corpus vnum tibi ſit, animas autem plures habeas. Lucianus lib. de ſaltatione.

Qui juravit cum muliere contrahere, poteſt eam repellere propter ſupervenientem deformitatem, vt & propter fornicationem. cap. quemadmodùm de jurejurando.

D. Auguſt. in Pſal. 30. Conc. 3. dicit mutandos eſſe noſtros affectus pſallendo, provt mutantur Pſalmi. Si orat, inquit, Pſalmus, orate; ſi gemit, gemite; ſi ſperat, ſperate; ſi timet, timete. Sic in diverſis anni ſolemnitatibus Eccleſia luget, ſperat, lætatur.

ILLICITORVM PROmiſſio non eſt ſervanda.

PRomiſſum ex turpi causâ non poteſt peti. l. 1. Cod. de condict. ob turpem cauſ.

Illuſtres perſonæ, ſi juraverint ſe judicio ſiſti, poſſunt tamen ex aliquâ causâ deſerere promiſſionem. l. vlt. ff. qui ſatiſd. cogant.

Pater poteſt venire contrà factum ſuum inhoneſtum, ſcilicet quod filios ſuos ingenuos vendiderit. l. 1. Cod. de libe. cauſ.

Qui ignorans vendidit liberum, poteſt eum vendicare in libertatem, & licet teneatur de evictione, non repellitur exceptione. l. 24. Cod. de evictio.

Iuramentum illicitum non eſt ſervandum & tolerabiliùs eſt ſtultæ promiſſionis vota rejicere, quàm per inutilium promiſſorum cuſtodiam exhorrendam criminum implere menſuram, vt habetur in Concil. Tolet. 8. cap. 2.

Eſt contrà officium nonnunquàm ſolvere promiſſum, & ſacramentum cuſtodire; vt Herodes qui juravit, quoniam quidquid peritum eſſet daret filiæ Herodiadis, & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret. D. Ambroſ. de Offic. lib. 1. c. 50.

David juraverat ſe occiſurum Nabal, cùm tamen juſtus in temerariam jurationem incidiſſet, maluit non facere quod juraverat, quàm jurationem ſuam ſuſo hominis ſanguine implere. D. Auguſt. ſerm. de decollat. B. Ioan. Baptiſt. De duobus peccatis elegit minùs. Ibidem.

In malis promiſſis reſcinde fidem; inturpi voto muta decretum; quod incautè voviſti ne facias: Impia eſt enim promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. Iſidor. habetur. 22. q. q. can. in malis.

Deffinitio incauta laudabiliter ſolvenda eſt, nec eſt prævaricatio, ſed temeritatis emendatio. Concil. Eliberitin. ca. 1.

Herodes ſervavit juramentum & periit, Petrus verò negavit cum juramento, & converſus flevit, & ſalvatus eſt. Scriptum eſt. Zach. 8. Iuramentum mendax ne diligatis. d. c. 22. can. actione. Ibidem can. inter cætera. Hubaldus quidam ſolvitur à juramento, facto concubinæ, quod matrem & vxorem domo expelleret. Non eſt enim fides, quæ ad peccatum faciendum adhibetur; nec juramentum ideò inſtitutum vt eſſet vinculum iniquitatis. Ibidem.

Iuramentum ex D. Hieron. ſuper Ierem. debet habere tres comites, veritatem, judicium, & juſtitiam. Ibidem plura.

Pacta contrà bonos mores, contrà juris regulas, & vt dolus præſtetur, conventa nulla ſunt. l. 28. l. ſi vnus. 35. ff. de pact.

Non eſt ſtandum promiſſis, quandò nocent ei cui promiſimus; quandò nos divertunt ab officio, cui magis adſtricti ſumus jure naturæ, vt ſi quis alteri non ſe præſtet advocatum filio ægrotante; Denique ſi metu coactus, aut dolo deceptus: quæ quidem, pleraque jure Prætorio liberantur, non nulla legibus. Cic. 1. Officior.

Herodes peccavit ſervando juramentum puellæ ſaltanti. 2. 2. quæſt. 89. a. 7. ad 2. Et Iepthe vovendo & reddendo. q. 88. a. 2. Quia votum eſt de meliori bono.

Liberum arbitrium in damnatis eſt obſtinatum in malo, quod non poteſt eſſe in viâ perfectè. 2. 2. q. 14. a. 3. ad 3.

De pœnitentiâ & emendatione vitæ. *Vide Finis Minorit.*

Mutatio voluntatis in malis bona eſt, vt pertinacia eſt mala. *Vide Duratio Volunt. Mala.*

Sub voto non cadunt peccata. 2. 2. q. 88. 2.

Iuramentum de malo non eſt ſervandum Concil. Toletanum. 8. cap. 2.

O ineſtimabile facinus & prodigioſum; quid non auſæ ſunt improbæ mentes, armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen: authorem quodammodò ſui ſceleris Deum faciunt, & cum inter dictor & vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſe ſcelus quod agunt, agere pro Chriſto. Salvianus lib. 4. de gubern. Dei.

Non valet juramentum monachi clauſtrum abjurantis, cum eo juramento fidem profeſſionis ſuæ frangat. cap. ſicut ex litteris de jurejura. Et factum contrà Eccleſiæ vtiliratem non tenet, imò potiùs perjurium dicendum eſt. cap. ſicut noſtris. Eodem.

Qui jurat illicitum ſcienter, non indiget abſolutione, ſed debet illud non obſervare, cum juramentum non ſit inſtitutum vt eſſet vinculum iniquitatis, injunctam tamen exequetur pœnitentiam. cap. quantò perſona. Eodem.

Ait Prætor, pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversùs leges, plebiſcita, ſenatus-conſulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo. l. juriſgentium. §. aut Prætor. ff. de pact. Et generaliter quoties pactum à jure communi remotum eſt, ſervare hoc non oportet, nec jusjurandum de hoc ad actum, ne quis agat, ſervandum. §. & generaliter eodem l. non dubium. C. de legib.

Qui juravit cum muliere cõtraherè, ex ſuperveniente fornicatione vel deformitate ſufficienti juramentum implere non tenetur, ſed poteſt illam repellere cap. quemadmodùm de jurejurando. Principum olim erat gratiam facere jurisjurandi. vlt. in princ. ff. ad municipal. Hanc fecit Tiberius Equiti Romano, vt vxorem in ſtupro generi deprehenſam dimitteret, quam ſe nunquàm repudiaturam antè juraverat. Sueton. in Tiberio.

Non valet juramentum factum à Prælato, de non repetendis rebus Eccleſiæ. cap. pervenit, de jurejur. Et ſi is, cujus mandato ſtare juravi, præcipiat aliquid contrarium priori juramento. cap. quemadmodùm. Eodem.

Promiſſa non debent ſervari, ſi eſt illicitum quod promittitur; vel ſi ſint mutatæ conditiones rerum & perſonarum. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 5.

In favorem virtutis ſit, vt mandatum & promiſſum contrà honeſtatem factum nullum ſit. *Vide Bonitas Virtutis.*

Illicitum juramentum non eſt ſervandum, quia non eſt appellanda fides, quæ ad peccatum faciendum adhibetur. 22. q. 4. can. ſi ad peccatum & cap. quinto de jurejura.

Qui juravit parere mandato alicujus, non tenetur parere ſi præcipit illicita. cap. quinta vallis. 25. de jurejur.

IN ILLICITIS PROmiſſa fides non eſt ſervanda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Peccatum non eſt quid poſitivum, ſed eſt defectus, & deviatio à rationis rectitudine. Cum nihil ſit non poteſt parere actionum: ſterile eſſe debet, non fœcundum in majorem hominum perniciem.

MAGNITVDO. Intereſt Reipublicæ non fieri illicita; & cives ab illis abſtinere; hoc autem intereſſe publicum debet prævalere privatis commodis, quæ quis poteſt percipere ex injuſta ſtipulatione.

DVRATIO. Fœliciter non impletum eſt malum, ſi malè promiſſum eſt, vt inter moras attentâ ejus turpitudine reſipiſcat & pœniteat animus: Ad mala enim proclivis homo, hoc vnicum habet ſolatium, vt ſi ceciderit reſurgat, ſi promiſerit non impleat: abſit enim vt malum naturâ ſuâ deficiens imitetur veritatis æternæ conſtantiam. Si licet pœnitere de factis, quantò magis de promiſſis? favetur enim rei jam peractæ conſervationi. *Vide Bonitas Durationis.*

POTESTAS. Fidem ille priùs dederat Deo & patriæ, cui ſe totum debet, ſe leges ſervaturum, nullumque illi jus contrà illas relictum eſt, vndè ſi quid contrà promiſit, quaſi de re alienâ non Dominus inutiliter ſtipulatus eſt; nec potuit fidem, jam legibus oppignoratam, alteri obligare.

COGNITIO. Reſcinduntur quæ per errorem facta ſunt, vt in errore calculi, & ſolutione indebiti. Duplex autem eſt error in illiciti promiſſione & quod illud quaſi bonum voluerit, & quod promiſſum putaverit implendum.

VOLVNTAS. Non verè voluit, qui voluit vt licitum, quod erat illicitum; vt bonum, quod malum erat: vim & cæcitatem intulerunt paſſiones, & quaſi dolo id exegerunt. Votum autem illicitum non eſt implendum, quia ſic vovens voluit Deo placere, offerendo quod illi gratum ſperabat; vndè ſi contrà, nunc videt illum talibus non placari, ſed offendi, pœnitere debet, nec enim Deus contrariâ ſibi voluntate exigit vt promiſſum, quod prohibet, quod nunquàm acceptavit, & quod punit impletum.

VIRTVS. Injuſtum petis ſub ſpecie juſtitiæ, quaſi ideò debitum ſit, quia promiſſum; at id malè infertur, nam conſentiunt ſibi, & inter ſe invicem paſſiones, nec vnquàm juſtitia poteſt injuſtitiæ patrocinari. Si injuſtum fuit promitti, injuſtius erit impleri.

VERITAS. Vt in naturâ non ſit quodlibet ex quolibet, vtique materia certas debet habere diſpoſitiones ad recipiendum formam viventem: ſic ſponſio humana conſtare debet aliquibus lege præſcriptis, vt habeatur vera, & pariat actionem. Talis autem ſponſio ſupponitur eſſe rei illicitæ, vndè ex illâ non naſcitur obligatio. Nulli jus vllum quæritur, niſi vi legis, quæ publica ſponſio eſt: at lex non ſibi eſt contraria, vt velit exequi quod prohibuit promitti & fieri.

GLORIA. Is qui promiſit ſe. v. g. homicidium, adulterium facturum, conſcientiæ ſtimulis agitur, & ſic pœnitet: Naturæ lex eſt, vt dolore exſtimulata nociva excutiat, nec iterùm retentet; Tu tamen crudelis exactor ad idem malum, quod jam excruciat, provocas. Malè malum excepiſti promiſſum, tunc iteratâ in legem malitiâ peccas, ſi velis illud impleri, injuſtum eſt te ex tuo delicto proficere. Stulta & impia vanitas eſt in eo qui promiſit, ſi velit ipsâ in legem perfidiâ videri fidelis.

DIFFERENTIA. Cum juſta & injuſta promiſſa toto cœlo differant, debet eſſe aliqua in eorum præſtatione differentia, huic oppoſitioni reſpondens; vndè ſi juſtum promiſſum præſtandum eſt, injuſtum præſtari non debet.

CONCORDANTIA. Malè convenimus, tu in exigendo injuſtam promiſſionem, ego in promittendo. In legitimis quidem conventionibus diſſolvendis mutua debet voluntas concurrere, at in injuſtis ſufficit voluntas vnius, nam lex non firmavit talem ſtipulationem, vndè ipſo jure nulla eſt: ſtat lex pro meis partibus, mecumque petit rem illicitam non fieri; vndè & gemina & publica vis privatis tuis commodis debet præferri. Ambo cæci ruebamus in præcipitium, liceat mihi ab eo gradum revocare & luce reddità nolentem etiam ſocium ſalvare.

CONTRARIETAS. Injuſtum promiſſum ſi te peteſte impleam, duos vno enſe perfodio, nam ad ſummum adduco & perficio vtriuſque malitiam, authori ſuo ſemper gravem. Parenti hydropico aquam, etiam promiſſam, piè negabo; furenti ſua, vel promiſſa arma ſubtraham.

PRINCIPIVM. Ceſſante cœli motu, ceſſaret is qui eſt in inferioribus; abſente animâ à corpore ſubitò concidit omnis organorum vis: ſic nullum quæritur jus, nulla naſcitur obligatio & actio, cui lex non cogit; non autem cogit illicitæ & à ſe prohibitæ ſtipulationi. Quod ab initio non valet, ex poſt facto convaleſcere non poteſt.

MEDIVM. Non eſt alleganda lex implendi promiſſi, vt ſolvas ipſi legi debitam obedientiam, illicita & ab ipsâ prohibita non perpetrandi. Lex te reum conſtituit, quod injuſtam ſtipulationem exegeris, & hinc illi teneris, vndè non vales jus aliquod tibi vendicare, ex eo quo debitor & reus factus es, quem enim de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.

FINIS. Intendis particulare tuum commodum vitioſo medio, quod non licet, non ſunt enim facienda mala vt eveniant bona.

MAIORITAS. Vis nè me legem violare, Deo, Patriæ, Principi, legi, conſcientiæ perfidum eſſe, vt ſim tibi fidelis: quàm injuſta & verecunda petitio? nam majori poteſtati mihi contraria præcipienti magis parendum eſt. Plùs etiam tibi nocebit injuſtum conſequi, quàm promiſſis carere.

ÆQVALITAS. Cùm vtriuſque turpitudo verſetur; neutri actio competit, tùm quia nemo auditur allegans turpitudinem ſuam, tùm quia nemo ex ſuo delicto debet meliorem ſuam conditionem facere.

facere tit. ff. & Cod. de Condict. ob turp. cauſ.

Minoritas. Generaliter in juſtè quæ ritè non fiunt, pro nullis habentur. *Vide Minorit Veritat.* Incepta eſt malitia in promiſſione, abſit vt impleatur in executione. Delet pictor quæ ex artis ſuæ regulis non benè dilineavit; deſtruit Architectus quod ruinas minatur: Per pœnitentiam vulnus ad cicatricem venerat, quid iterùm retentas, & in pejus exulceras, dùm exigis de quo pœnitet?

INCONSTANTIA voluntatis.

QVidam ſe domi contrahunt, dilatant foris, & extendunt. Vitium eſt hæc diverſitas, & ſignum vacillantis animi, ac nondùm habentis tenorem ſuum: Nemo proponit ſibi quid velit, nec ſi propoſuerit, perſeverat in eo, ſed tranſilit, nec tantùm mutat, ſed reddit, & in ea quæ deſeruit ac damnavit revolvitur. Quæris quid ſit ſapientia? ſemper idem velle, atque idem nolle, licet non adjicias, vt rectum ſit quod velis; non enim poteſt cuiquam idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergò homines quid velint, niſi eo momento quo volunt. In totum nulli velle aut nolle decretum eſt. Variatur quotidie judicium, & in contrarium vertitur, ac pleriſque agitur vita per luſum. Preme ergò, vt cœpiſti, & forteſſe perduceris ad ſummum, &c. Seneca Epiſt. 20.

Empedocles dicebat mundum eſſe factum ex concordiâ & diſcordiâ, velle & nolle perpetuo fluxu & refluxu alternante hominis voluntatem. Mens eſt in continuâ conſultatione. *Vide Duratio Cogitationis.* ſit pendens eſt voluntas, vt à poſſeſſione mens non dejiciatur: artem hanc indifferentiæ invenit Philoſophia, nullis hærere.

Mutatur quiſque morum varietate, & fit alter, in quo non agnoſcitur quod erat, & incipit eſſe, quod non fuit, ſui degener. D. Ambroſ. in Exod. *Vide Duratio Virtutis Reptg.*

Viro bono, id eſt voluntati, optabile quod re verâ bonum eſt; vitioſo autem, quicquid ſors obtulerit. Vt & corporibus benè conſtitutis ſalubria ſunt ea, quæ re verâ talia ſunt; morboſis autem & ægris dulcia amara & inſuper alia. Nam vir bonus in ſingulis rebus verum perſpicit; malus autem opinione boni falitur. Ariſt. Moral. Nichomac. lib. 3. cap. 6.

Mobilis & inquieta mens homini data eſt, nunquàm ſe tenet, ſpargitur & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit; vaga & quietis impatiens, & novitate rerum lætiſſima: quòd non miraberis, ſi propriam ejus originem aſpexeris; non ex terreno & gravi concreta corpore, ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit; cœleſtium autem natura ſemper in motu eſt, fugit, & velociſſimo curſu agitur. Seneca in conſolatione ad Albin. cap. 6.

Monſtra fiunt in perfectioribus: amplior quàm cæteris homini datus animus, in magis varia, licet imperfecta, dividitur.

Hic quos optaverat faſces cupit ponere, & dicit; quandò hic annus præteribit? Præcipitat quiſque vitam ſuam, & futuri deſiderio laborat, præſentium tædio: at ille qui nullum non tempus in vſus ſuos confert, qui omnes dies tanquàm vitam ordinat, nec optat craſtinum, nec timet; fortuna vt volet ordinet; vita jam in tuto eſt. Seneca lib. de vitâ beatâ. capite 6.

Tentatio probat homines; quandò enim tentatio illis venerit, volant foras, quia grana non erant. D. Auguſt. Super illud Epiſt. Ioan. A nobis exierunt, quia ex nobis non erant.

Eſſe Dei eſt immutabiliſſimum, quia non eſt ab alio acceptum, & fugat toraliter non eſſe: at omne aliud eſt variabile, quia originem ducit à non eſſe & à privatione; quæ ſe interſerit omnibus ſuis actionibus G. Poſtellus in Theologiâ naturali.

Et mentita eſt iniquitas ſibi: quia decreta ſua non implet, fœlici errore, cum mala ſunt.

Fluxus & refluxus maris effectus ſunt Lunæ.

Olaus lib. 1. c. 6. refert in Tartaricâ regione Regni Mongal, diem partim algere frigore, partim calore ſervare.

Amphiſbena ſerpens duplex caput habet, vnum in loco ſolito, alterum in caudâ; itaque in vtramque partem graditur.

Et factum eſt veſpere & mane dies vnus. Gen. 1. Luci tenebræ ſuccedunt, & iterùm tenebris lux; quia & rationi poteſt error ſuccedere, & ſenſui quædam ſtoliditas. D. Auguſt. lib. imperfecto de Geneſi ad literam.

Temporalium rerum multiformitas ab vnitate Dei hominem lapſum per carnales ſenſus diverberavit, & mutabili varietate multiplicavit ejus affectum: ità facta eſt abundantia laborioſa, & ſi dici poteſt copioſa egeſtas, dum aliud, & aliud ſequitur, & nihil cum eo permanet; ſic à tempore frumenti, vini & olei multiplicatus eſt, vt non inveniat idipſum, ideſt naturam incommutabilem, quam ſequutus non erret, & aſſequutus non doleat: ſi deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. D. Auguſt. lib. de verâ Religion. cap. 22.

Inter cætera mala, hoc habet ſtultitia proprium, ſemper incipit vivere: quam fœda hominum levitas; quotidie nova vitæ fundamenta ponentium; novas ſpes, etiam in exitu inchoantium. Videre eſt ſenes, qui ſe ad ambitionem, ad peregrinationes parent, &c. Seneca Epiſt. 13.

Male vivunt, qui ſemper vivere incipiunt, quia ſemper illis imperfecta vita eſt: non poteſt ſtare paratus ad mortem, qui modo incipit vivere. Idem Epiſt. 23.

Breviorem inconſtantiâ facimus vitam, alind ſubindè ejus, & aliud facientes initium, deducimus illam in particulas & lancinamus. Idem Epiſt. 32.

Mutatio voluntatis indicat animum natare alicubi, atque alicubi apparere, pro vt tulit ventus: non vagatur quod eſt fixum & fundatum, iſtud ſapienti ſolo contingit. Idem.

Hoc habent inter cætera boni mores, placent ſibi, & permanent, levis autem eſt malitia, ſæpè mutatur, non in melius, ſed in aliud. Idem Epiſt. 47. in fine. Imbecilli fluidique per intervalla conſiſtimus. Idem.

Quidam prohibentur teſtimonium ferre propter lubricum conſilij ſui. l. 3. ff. de teſtib.

Inconſtantia eſt ſpeciale peccatum imprudentiæ, deficiens à propoſito. D. Th. 2. 2. q. 53. a. 2. In delectabilibus oritur ex luxuriâ. q. 13. a. 5. Oritur etiam ex invidiâ & irâ, quæ eſt principium contentionis. q. 53. a. 5. ad 2. *Vide Minoritas Durationis.*

Semel ſtella veneris mutavit colorem, magnitudinem, figuram, curſum; Sol ſtetit præcibus Ieſu nave, donec cœptum prælium victoria terminaret, & retrorsùm rediit ſub Ezechiâ. D. Auguſt. lib. 21. de civit. Dei cap. 8.

Multi habent affectionem non abſimilem conſtitutioni hyemis, inſtabilem & inconſiderabilem. Clemens Alexandr.

Variis & ſibi parum conſtantibus hominibus, tan-

Digitized by Google

ti erroris cauſa eſt quædam interna ſuavitas, cui ſe totos permittunt: in quamcumque rem illos agat, etiam curis aut labore plenuſſimam, eam primum blandiſſimâ ſpecie fictam animo offert, quem mox dulci amœnáque violentiâ victum rapit & omnia credere ſibi cogit: vbi autem hæc fugitiva dulcedo ſe in aliam partem vertit, hanc etiam iſti ſequuntur; ſunt enim non tantùm laboris impatientes, ſed & ipſius voluptatis. Eſt hæc læſi, nec ſe patientis judicij nota: Indoles non facta virtutibus, ſed tantùm ad virtutum initia; non ad fidem, non ad amicitiam fortis, ſui diſſimilitudine protsùs ingrata; nec ſibi impetare, nec negare quidquam poteſt. Triſtiſſimum autem fatum eſt, & populis grave, ſi quos natura in hanc in fœlicitatem ediderit; iidem extrà metus, & propemodùm verecundiæ leges, ad imperandi faſtidium producti ſunt. Barclai.

Theodoricus licet eſſet Arianus, temen non probabat eos, nec in ſuo miniſterio patiebatur, qui ex Catholicis tranſibant ad Arianos; ſic cuidam dixit, ſi Deo fidem ſinceram non ſervaſti, quomodò mihi, qui homo ſum, conſcientiam ſanam præſtabis? Baron. an. 493.

Lupus cervarius etiam in fame eſcam vorans, ſi aliundè reſpicit, ſubit oblivio cibi, & hinc digreſſus alia quærit. Plin. lib. 8. c. 22.

In Troglodytis lacus eſt, inſanus dictus, ter die fit amarus, ſaltuſque, ac deinde dulcis, totieſque etiam nocte; ſcatet albis ſerpentibus. Plin. lib. 31. c. 2.

De Apoſtatis & Relapſis. *Vide Durat. Virt. Repug.*

Mercurius eſt interdum ſiccus propter vicinitatem ſolis; interdum humidus propter vicinitatem Lunæ: ſubitas autem mutationes efficit in vtramque partem incitatus celeritate ſuâ, quâ vehitur circà ſolem. Ptolomæus prædict. Aſtrolog. lib. 1. c. 4. *Vide Differ. Cogn.*

Mercurius in ſignis bicorporeis ſignificat in conſtantes, leves, inſtabiles, duplices, verſipelles. Idem lib. 3. cap. 20.

Inclinamur ab alio in aliud, quia ſumus ex contrariis compoſiti, ſpirituali & materiali, oppoſitiſque elementorum qualitatibus, & medij inter beatos immotos in bono, & dæmones in malo. Photius in Bibliothecâ. cap. 232.

INCONSTANTIA IN AMORE

VOluntates Principum vt ſæpè ſunt violentæ, ità & inſtabiles: Ad obtinendum imperium multa promittuntur, quæ non præſtantur. *Vide Minoritas Verit.*

Colitur ſanctus inſtante periculo, qui tranſacto irridetur: ſic adverſis in rebus electo Duci omnes obediunt, quem pace redditâ contemnunt. De amicis fortunæ. *Vide ſuprà Veritas Volunt. Repug.*

Qui aliquem promovit, ſi ab eo non obtineat quod ſperaverat, conatur eum deſtruere, & vt probet quod creaverat, annihilare. *Vide Duratio Bonis. Rep. & Finis Bonitatis & Durat. Volunt. Repug.*

Principes ſunt in ſuo affectu inconſtantes propter copiam excellentium, in dies fulgentium, qui novitate placent, & antiquos affectus expugnunt: putant ſibi deberi quidquid defertur obſequij, vndè nullo aſtricti gratitudinis officio liberè diſcedunt; moventur etiam ad mutationem mutuis aulicorum calumniis.

Amor puer & alatus pingitur; vtrimque inconſtantia: volatiles ejus flammæ.

Mens eſt quaſi diverſorium, per quod tranſeunt peregrinæ affectiones. Eſt vt ſpeculum, quod præſentia tantùm refert objecta, nihil retinens ex præteritis.

Iuvenum amores imitantur ægrotantium affectus, qui cum morbo deſinunt. Aut ignes in ære fatuos, qui accenſi mox extinguntur: flores, dicti Ephemerides, vno tantùm die durant. *Vide Minoritas Durationis.*

Aufert primum, vt ſequens ſtatuat. Hebr. 10.

De conſtantiâ amoris. *Vide Durat. Volunt.*

Vinea, & volubilis ſpecies omnes, quod libet obvium amplectuntur; ſpecula, omnia objecta referunt ſinè electione; colores omnes Cameleon.

Extrema gaudij luctus occupat; ſæpè nuptiarum feſtivitates divortia, & adulteria ſequuntur. Materia prima nullam certam habet formam, ſed omnium ſucceſſivè eſt avida.

Mare vno fluctu abſorbet parva conchilia, quæ alio reſtituit.

Citò diſſolverentur matrimonia, ſi illa leges divinæ & humanæ ſuis vinculis non continerent.

Fœminæ ad rogare non poſſunt, niſi ex induſgentiâ Principis. Inſt. de adoption. §. vlt. fortè ob inconſtantiam.

Amianthus lapis, nullo facilis igne conſumi; focis impoſitus igneſcit; illicò ſublatus de flammâ, tanquam aquarum infuſione inundatus reſplendet. D. Ambroſ. de Eliâ & Ieiunio c. 8. in princ. Plin. nat. Hiſt. lib. 36. c. 19.

In hoc mundo rerum medio alternant, vt calor & frigus, ſic amor & odium. *Vide inf. Med. Volunt.*

Fortuna & tyranni quos implevere, vt ſpongias exprimunt.

Adoleſcentes ſunt in horas mutabiles, faſtidioſi in cupiditatibus; & valdè quidem concupiſcunt, celeriter verò ſedantur. Acutæ enim voluntates eis ſunt & non perdurantes, cujuſmodi ſunt ægrotantium fames & ſitis. Ariſtot. lib. 2. Rhetoric. cap. 12.

Nullum invenitur liquidum tangibile; quod ſit in naturâ ſuâ, & maneat conſtanter calidum, ſed ſuper inducitur ad tempus calor, vt natura aſcitia; vndè poteſtate calida ſunt ad tactum frigida, & ipſæ aquæ fontium ardentium, ſi ſeparentur a fonte, frigeſcunt, vt aliæ ſuppoſito igne calefactæ. Non eſt conſtans amor in his qui ad plura objecta diffunduntur.

Excuſſæ ex ſilice, chalibe, duriſque corporibus ſcintillæ, ex pondere corporis igniri magis vergunt deorsùm, quàm ſurſum, citò extinguntur & redeunt in fuliginem corpoream: Sic vi contra naturalem inclinationem extortus amor citò deficit.

Naturaliter motus caloris non eſt conſtans ſed titubans. *Vide ſuprà Duratio Volunt. Mora.*

In corde equorum & boum interdùm reperiuntur oſſa ad ſtabilimentum magnitudinis. Plin. lib. 11. cap. 37. alioquin vix ſibi conſtaret.

Veritas odium parit & amicitiâ. *Vide Volunt. Verit. Repugn.*

Venus interdiù dominatur trigono terreo, cujus Taurus propior eſt æſtivo circulo, Virgo æquinoctiali, Capricornus hyberno. Ptolomæ prædict. Aſtrologic. lib. 1. cap. 17. Sic amor initio ardet; deindè tepeſcit & friget.

Ibidem lib. 2. cap. 7. Inter gemella ſigna recenſet virginem, habet enim alas.

In conjugum genituris luminaria hoſtili radio ſe reſpicientia, maximè ſi accedant aſpectus malefici, dirimunt conjugium. Ptolomæ. lib. 4. cap. 5.

Mens noſtra comparatur Triangulo ſcaleno, tribus inæqualibus lienis conſtante. *Vide Differentia Magnit.* de Ternario.

Ignis igne extingui non ſoletin habitat oculis quidam ſtimulus; qui omnem formam ad ſe rapiens nullâ ſatietate expletur. Lucianus dialog. Amores.

INCONSTANTIÆ mala.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si amor transferat amantem in rem amatam, nusquàm est, quivbique est, quem obvia quæque trahunt, nec retinent; ejus natura, vt temporis, fluminum, & cæterorum quæ fluxu constant, definienda est: efficit individuum vagum reale, quod putabatur tantùm intellectuale: In hoc miser, quod avertit manus ne excipiat profusas divinæ bonitatis largitiones.

MAGNITVDO. Cujuslibet rei debita magnitudo completur, per accessionem vnius partis ad aliam, vt scilicet primis jam subsistentibus novæ superveniant. Vndè qui est inconstans, nunquàm, seù ingenij, seu fortunæ, aut fœlicitatis assequetur mensuram, cum perpetuo voluntatis motu ab antiquis ad nova rapiatur; & nullum omnia movendo sinat subsistere fundamentum, cui inædificet. Hians ab imò vas non potest impleri.

DVRATIO. Hæc est rerum humanarum natura vt sensim ad nos veniant, & non nisi diù expectatæ possideantur: inconstans autem antè movetur, quàm ad ipsum res faustè pervenerint; jam abest, cum sese offert occasio: intempestivè vellet statim ex semine fructus: sic moram non patiens, nunquàm videt lætas segetes.

POTESTAS. In perniciem nostram vedit hæc libertas vaga, cum cæteras potentias non sinat charissimis suis objectis inhærere; sed illas momento vertit, & ad alia transfert: itaque potens est ad destruendum, non ad ædificandum.

COGNITIO. In hoc citissimo appetitus transitu, nullius rei, nisi ipsiusmet mutationis, acquiritur habitus: ità perpetuum agit vitæ tyrocinium, cujus artem nunquam assequetur: semper novus in novis, nisi cum in eadem redierit: gravius hallucinatur, quia pàtùm experto multa occurrunt non prævisa.

VOLVNTAS. Animi statum non patientis irrequieto motu sufficit non ad meliora, sed ad alia transiisse: sic rapta mens, vt se præsentium tædio liberet, timidè, quia cæcè, ad alia transfertur, etsi ad eadem quæ priùs deseruit devolvatur, languidus & miser est rei deserendæ appetitus.

VIRTVS. Virtutum habitus acquiruntur improbo labore in eadem tendente; semel autem acquisiti, similiter operantur, vix in contrarium mobiles. Fortitudo immotam dicit, seù in prosperis, seù in adversis constantiam; sic aliæ omnes habent sua objecta, ad quæ æquali semper desiderio, rectoque tramite feruntur.

VERITAS. Inconstanti nulla vera & sincera volumtas, quia nascitur ad mox futurum interitum, & dùm oritur, permiscetur aliquibus præteriti & futuri desiderijs, quibus in varia distracta mens sibi non constat. Citissimus motus impedit visionem, itavt quæ discreta sunt videantur continua: sic ipsamet variatio, cum extrema est, amittit varietatis solatium, dicit enim continuum quid, licet in motu, vt oculus, semper intuens fluminis cursum tædio lassatur, quasi idem semper videat.

GLORIA. Inconstans non delectatur possessione, quæ nunquàm illi divina contingit; non spe; quia mutationibus delusa mens nihil sibi in posterum spondet vbi quiescat. Sic ingratus est labor, nulla voluptate delinitus, nullo præmio donatus, & tantùm in pœnam & privationem, continuus.

DIFFERENTIA. Vt vis est in vnione, sic hànc mentis dissolutionem maxima consequitur infirmitas; arenæ inter se non cohærentes exponuntur ventorum ludibrio, sic variæ illæ voluntates fortunæ tempestatibus; quod enim jam est in motu facilìùs movetur: funiculo facilè trahes suspensas, etiam gravissimas moles, vix mobiles, si solo suo hærerent. Nullus sperandus est in humanis actibus ordo, si jam irregulari fortunæ motui accedat adhuc magis incondita voluntatis agitatio.

CONCORDANTIA. Nulla cum inconstante amicitia, nulla societas, quis enim credat res suas hosti futuro? quis donis cumulet ad ingratitudinem, imò ad læsionem paratum? sic inconstans, à seipso, à rebus possessis, & ab humana societate volens exulat.

CONTRARIETAS. Vt timidus miles non init certamen cum adversis, sed sibi fugà putat esse consulendum; quia tamen fertur motu præcipiti in adversa, in insidias, in scopulos, Scyllam volens vitare in Charibdim nesciens impingit. Omnia hostilia sunt ei, qui fugit omnia & qui nullis, vt sibi charis, potest hærere.

PRINCIPIVM. Inconstans dilapidat infima rerum initia, quæ summâ curâ foveri debent, intendit enim non profectum, sed mutationem. Totum & votis suis respondens bonum vellet in præsenti, cui ipsemet non consentit, cum sit totus in futurum. Infamat quantùm potest primas rerum causas, dum earum effectus metitur ex initijs; nec nisi in herbâ messem æstimat.

MEDIVM. Cohærent sibi certo ordine, certaque lege, diversa ad vnum finem media, itavt vno subiato cæterorum harmonia turbetur, & nexus concidat. Maximè Regimini infensissimum vitium inconstantia, nam dùm abjicit quos priùs assumpserat ministros, tot sibi facit hostes, secreti sui conscios, qui res quas non licet ipsis promovere, conantur destruere invidiâ, & vt derepulsâ suâ quàm ægrè ferunt, etiam Princeps doleat.

FINIS. Inconstans multa tentat, nihil absolvit. Nullum, propriè initium, nullus profectus ei, cui nullus est propositus finis: nullus portùs, nescienti quid petat. Determinata sunt omnia à naturâ, & certis motibus feruntur in bonum suum. Planetæ suas habent periodos: aves, feræ, pisces, licet vagâ fruantur libertate agunt semper ex indito sibi instinctu, & sua repetunt nota cubilia: inconstans tantùm est, in homine appetitus.

MAIORITAS. Vult majora, nec vult prima sinè quibus non constant; vellet sinè fundamento, & sinè successivâ lapidum structæ ædificationem; sinè auroràmeridiem; sinè pueritiâ virilitatem. Non excrescit, cui plùs absumitur quàm accedat. Hîc actio sui dèstructiva peccat contrà naturæ leges.

ÆQVALITAS. Constans inæqualitas pessima est æqualitas, vt cùm turbatis humoribus non remittit morbi vis; cùm diù implacabilis sævit tempestas, & commotos fluctus implicat pari semper impetu.

MINORITAS. Inconstans non expectat adversæ fortunæ casus, sed in seipsum crudelior se concessis bonis spoliat; pauper in ipsamet abundantiâ, tanquàm in divite hospitio, vndè scit se mox migraturum. Apud ipsum bona malis æqualia sunt, cum in vtrisque æqualiter mutetur.

CONCORDANTIA VOLVNTATIS

CONCORDES VOLVNTATES.

MISCELLANEA.

PLATO 4. de legibus, dicit muneris esse divini, vt diversi civium animi in vnum conspirent, sicut equi sub vno jugo. Multiplicitas enim affectuum, non nisi ab vnitate potest conciliari. *Vide Principium Concord. & Veritas Concord.*

De conformitate cum Dei voluntate. *Vide Concord. Princip.*

De pactis. ff. 2. tit. 14. Cod. 2. tit. 3. decret. 1. titul. 35.

De pollicitationibus. ff. 50. tit. 12.

De prætorijs stipulationibus. ff. 46. 5.

Pactio est duorum, vel plurium, in idem placitum consensus. l. 1. ff. de pact. Conventionis nomen generale est, cum plures in vnam sententiam decurrunt. eodem.

Illud quod appetitur appetitu naturali potest etiam appeti appetitu animali, cum fuerit apprehensum. D. Thom. 1. 2. q. 30. a. 3. ad 1. Mutuò enim sibi consentiunt facultates superiores & inferiores, mutuique in illis generantur habitus.

Omnes conjuges sinè mutuò consensu non possunt vovere & servare continentiam. 25. q. 5. per totum.

Omnes arteriæ partes, simul eodem tempore, eodemque motu moventur. Galenus lib. an sanguis in arterijs contineatur.

De osculo. *Vide Medium Volunt.*

Concordes sunt voluntates bonorum. *Vide Concordantia Virtutis.*

D. Paulus enumerans virtutes Christianas Rom. 12. ait. Idipsum invicem sentientes, & cap. 15. Vt vnanimes, vno ore, honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

DE HIS QVÆ PVBLICIS fiunt suffragiis.

OLim rebus novis & magni momenti emergentibus celebrabantur publica comitia; licet enim populus jus suum in Principem, aut Magistratus, transtulerit, tunc tamen quasi restitutus judicat & eligit.

Dulcius est illi jugum, & onus quod sibi-met imposuit. *Vide Concord. Cognit.*

Ne quid autem temerè fiat, Princeps illa priùs in privato consilio decernit, quibus vult populum consentire.

Electiones Imperatorum factæ à militibus in tantùm erant validæ, in quantùm posteà erant confirmatæ à populo & Senatu.

In Syndici electione licet sufficiat vt major pars vniversitatis consentiat, tamen omnes vocandi sunt; nam quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. l. final. Cod. de autho. præstant.

In consecratione Presbyteri, cum Episcopo alij Presbyteri manum capiti ejus imponunt. can. Presbyter. dist. 23. Solus autem Episcopus imponit Diacono; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur can. diaconus. eodem.

Omnes qui reversi fuerant de captivitate, instant ædificationi Templi, quasi vir vnus. 1. Esdræ 3.

Plebis non est eligere Episcopum, sed electioni consentire. can. Cler. dist. 65.

QVARE QVÆDAM fiunt publicis suffragiis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Apparet bonum esse vniversale, ad quod omnes conveniunt, hac etiam persuasione ad illud majora conferunt, imitanturque naturam, quæ publica privatis anteponit.

MAGNITVDO. Quasi magno oneri omnes humeros supponunt, & socias admovent manus.

DVRATIO. Firmiora sunt publicis suffragijs stabilita, quia nemo contrà factum suum auditur, nec agit contrà ea, de quorum evictione teneretur; pudet etiam non benè sensisse, & priora quasi minùs prudenter volita destruere.

POTESTAS. Vt populus diluat inustam sibi inconstantiæ notam obstinatè decretis suis inhæret: Gratum est illi videre non penitùs extinctam esse sub Principibus libertatem suam.

COGNITIO. Gaudet se aliquid posse in rebus publicis, ad quas homo videtur naturaliter natus, quia de illis sinè Magistro & tyrocinio judicat.

VOLVNTAS. Amor, quem pro Patriâ habet populus, semper patitur, vndè gaudet interdùm aliquid agere, ire suâ sponte; non duci; continuum enim imperium videtur illi defectum amoris exprobrare.

VIRTVS. Vnusquisque liberè ad aras suas defert munera; sic illi liceat virtutem in alijs suffragio suo colere. Insunt omnibus virtutum etiam regiarum semina, quæ in his publicis comitijs coalescunt.

VERITAS. Verum habetur quod pluribus placet, quasi id docente sapientissimâ naturâ senserint. Vox multitudinis obscurat invidiæ mussitationes.

GLORIA. Plùs habent gloriæ & ſecuritatis, quæ publicam merentur vocem ; ſic olim victores gentium etiam abjectæ plebis applauſu gaudebant in triumphis. Communibus ſuffragijs electi fortiùs aguntur gloriæ ſtimulis, magiſque pudet ſi publicæ de ſe conceptæ opinioni non reſpondeant.

DIFFERENTIA. Sic aſſueſcunt cives publica vt ſua reputare ; ſicque amor proprius, Reipublicæ infenſiſſimus, quaſi fræno continetur.

CONCORDANTIA. Hoc concurſu intelligunt ſe ejuſdem corporis eſſe membra, & domeſticas ſocietates à publicâ pendere.

CONTRARIETAS. In his publicis comitijs initur quoddam rationis certamen, ad quod de ſuo omnes conferunt : ſicut cum inſtat hoſtis, omnes ad arma proſiliunt ; æmulatione etiam ad meliora accenduntur.

PRINCIPIVM. Sic revocatur antiqua regiminis forma, ſervaturque adhuc ſub regibus aliquod veſtigium libertatis nobis innatæ ; nam à jure naturali non poſſunt leges civiles penitùs diſcedere.

MEDIVM. Hic medius eſt ſtatus inter populos ſervos ſub Tyrannide, & liberos in Democratiâ ſic leniuntur concepta vt plurimùm in Regiminis miniſtros odia.

FINIS. Sic eadem majorum intentione contraria pro ratione temporum inſtituuntur : ſic rebus ſenescentibus & emorientibus, meliores ſubſtituuntur.

MAIORITAS. Vt quò profundiores ſunt aquæ, eò major ſit fluctuum commotio, ſic obſervatum eſt in magnâ populi frequentiâ majores concitari affectus, vt in theatris & templis : Et ſicut ad oſcitationes, ad lachrymas ; ſic ad cæteros affectus, ex imitatione & ſympathiâ quadam impellimur.

ÆQVALITAS. Fiebat olim ad dignitates promotio publicis ſuffragijs, quia cum nemo poſſit in alterius præjudicium mutare conditionem ſuam, videtur intereſſe civium, vt ſinè ſuo conſenſu nemo ex æquali fiat ſuperior ; hæc electio temperat communem in regentes invidiam, quaſi in naturalis libertatis hoſtes.

MINORITAS. Excuſat electos populus, & fovet quaſi fœtus ſuos, placetque illi quod produxit. In rebus publicè decretis, ſi quid deſit, ſupplet volens populus : artis eſt illum implicare naſcentibus negotijs, quæ zelo, affectu, etiam pudore & quadam officiorum conſuetudine faciliùs peragat.

VOTA PVBLICA.

REligioſi publicè emittunt vota ſua : quia non ſe ſoli, ſed cum ipſis Princeps & omnis populus ipſos immolant Deo. Princeps de ſuo milite facit militem Chriſti ; Parentes renuntiant juri familiæ ; Populus civili cum illo ſocietati ; omnes vno conſenſu liberum Deo manumittunt : vndè major publici quàm privati voti Religio, quia in publico omnium intereſt.

Tertulian. in Apologet. cap. 39. loquens de primis Chriſtianorum congregationibus. Coimus, inquit, in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi manufactâ præcationibus ambiamus orantes.

Cum vrbs Romana eſſet initio compoſita ex Romanis & Sabinis, ortas inter eos diſcordias compeſcuit Numa frequentibus publicis votis, etiam vnicuique ari ſpecialibus. Plutarch. in Numa.

In medio Eccleſiæ laudabo te. Pſalm. 21. Apud te laus mea in Eccleſiâ meâ. Ibid. Vota mea reddam in conſpectu omnis populi ejus, in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem. In Eccleſijs benedicite Deo. Pſal. 67. Exaltent eum in Eccleſiâ plebis, & in cathedrâ Seniorum laudent eum. Pſal. 106. Laus ejus in Eccleſiâ ſanctorum. Pſalm. 149.

Oportet Deo offerre non ſumptuoſa ſacrificia, ſed quæ ſunt pia & accepta, & ſuffitum illum in lege compoſitum ; qui conſtat ex multis linguis & vocibus in oratione ; vel potius qui ex diverſis gentibus & ſexibus per donum teſtamenti conſtituitur in vnitatem fidei, mente purâ & rectâ vitæ inſtitutione. Clemens Alexand. lib. 7. Stromat. cap. 3. Ideò Iudæi vnum tantùm habebant templum, ad quod conveniebant ex omnibus orbis partibus.

Iſraëlitæ poſt deletum Pharaonem in mari cantant Canticum Deo. Exod. 15. Populus à Deo datas leges acceptat, init cum Deo fœdus, oblatis ſacrificijs, fœderiſque victimarum ſanguine aſperſus. Exod. 24.

Fit conſecratio ſacerdotum & altaris coràm omni populo. Exod. 29. Congregato omni populo, lex illi datur de peragendis annuis publiciſque ſolemnitatibus, in memoriam acceptorum beneficiorum. Exod. 35. & Levit. 23. Offerunt omnes Tribus munera altari per Principes ſuos. Num. 7.

Magnâ ſolemnitate recipitur arca rediens à Philiſtinis. 1. Reg. c. 6. Diruta altaria reparantur à Machabæis. 2. Machab. c. 10.

Templi ſolemnis dedicatio. 3. Reg. 8. *Vide Concord. Virtutis.* De bonorum commune.

Mos fuit in primitivâ Eccleſiâ proceſſiones indicere, quæ & litaniæ dicebantur, quia fiebant expiationis causâ. Vide Baron. an. 58. num. 112.

Hinc controverſia à Brentio, Luthero & alijs excitata, Miſſas privatas non eſſe licitas, quaſi ſacrificium ratione ſui debeat eſſe publicum. Chriſtus, inquiunt, inſtituit cœnam ſuam, non vt eſſe privata actio ſacrificuli, ſed communio totius Eccleſiæ. Vide ſolutiones apud Bellarmin. de miſſâ. lib. 2. cap. 10. & vndè olim vna tantum dicebatur miſſa publica ſingulis diebus, ad quàm omnis populus conveniebat. In monaſterijs conventualis.

Neceſſitate annonæ, & morbo, cum in Phrygiâ laboraretur, oraculo juſſi ſunt Phryges Cybelem, ſeù magnam matrem, & Athim, formoſum juvenem quem adamaverat, venerari. Diod. ſicul. lib. 4. Bibli. hiſto.

Romæ ab vrbe condita anno circiter quadringenteſimo, ingraveſcente peſtilentiâ, conſultis libris Sybillinis, ludi ſcenici ſunt inſtituti. D. Auguſt. de Civit. Dei. l. 2. cap. 8.

Belli Punici tempore, vrgente peſtilentiâ, Æſculapius ex Epidauro eſt evocatus, ſub anguis aſſumptæ ſpecie eſt cultus illique inſulâ Tiberis, non longè ab vrbe, templum eſt extructum. Ibid. lib. 3. cap. 17. Sic eodem tempore belli Punici, inſtituti ſunt ludi ſeculares, quorum celebritas priùs fuerat inſtituta antè centum annos Appollini & Dianæ. Ibid. lib. 3. c. 18.

Ab vrbe conditâ 252. ex ſomnio Titi Ianiti, Senatus ludos inſtaurari juſſit. Ibid. lib. 4. cap. 26.

Quantum valeant orationes publicæ. *Vide Poteſtas Concordantiæ.* Ex Biblijs.

EXPEDIT FIERI VOTA publica.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Sunt quædam publica beneficia, quæ publicam merentur gratitudinem, vt erant olim

ſolemnitates omnes Iudæorum, quæ etiam ſpectant ad bonum publicum, non conveniente nisi votis publicis à cœlo poſtulantur.

Magnitvdo. Cum omnes vnum corpus efficiant, per modum vnius debent agere, vt actio agentis acceptis aut poſtulatis beneficijs reſpondeat: Plùs eſt publicis quàm privatis votis aliquid offerri, quia qui dicit publicum, nihil excepit, omniumque vota complectitur.

Dvratio. Magna rerum publicarum moles lentè nimis movetur, nisi admotis omnium ſimul votis & manibus. Fortis hæc gratiarum attractio, cœlo vim quandam infert; ne illas diutiùs ſuſpendat, ſed vt celeriùs effundat.

Potestas. Gaudet populus aliæ quàm terrenæ poteſtati ſupplicari: gaudet faſces, coronas, ſceptra antè aras deponi, Regeſque cum plebeis, eodem titulo, nec majori, nisi ex virtutibus, prærogativâ eſſe ſupplices.

Cognitio. Vnuſquiſque cæterorum exemplo, & quadam pietatis ſympathiâ movetur, *vt vide ſuprà de publicis ſuffragijs*: Præludium eſt vniverſalis judicij, in quo vellent omnes adſcribi inter electos: Qui fictam fortè geſſerant pietatis perſonam, veram induunt, tot ſacris cæremonijs commoti; flectunt humana corda iſtidem flebiles clamores, qui à Deo miſericordiam expoſcunt.

Volvntas. Exultat charitas, nec ſe continet, videns tanta ſibi parata ad Dei laudem auxilia; omnium meritis, votis, vocibus coagit, & ſuas reputat has omnes auxiliares copias.

Virtvs. Pietas dùl jacuit in humanis contempta, nunc licet illi quaſi victrici triumphum agere, & rebelles priùs populos Dei legibus ſubjicere: Emicat tandem pietas, aut priùs humilitate tecta, aut humanis obnubilata negotijs. Quis dinumeret ſacros motus pœnitentiæ, aut charitatis in ſingulorum cordibus?

Veritas. In hac juratâ contrà mundi tyrannidem conjuratione, & fœlici excitatâ ſeditione, omnes ſe magnis animis proferunt; quæ priùs latebat pietas, inter mundanos, quaſi inter ſui comptores, pudore ſuffuſa, nunc prodit exultans publico ſecurâ comitatu, & abjectis captivitatis ſuæ vinculis, ſaltem in pace palàm profitetur, quod vellet etiam in tormentis.

Gloria. Vacate & videte quoniam ego ſum Deus. Hoc fit in publicis ſolemnitatibus, abſtrahitur animus à terrenis fœlici cœleſtium ebrietate: mundanorum obliviſcitur populus, quaſi jam eſſet in cœleſtium ſortem conſcriptus; quot perſonæ conveniunt, tot ſunt fœlices captivi, tot ſpolia, & trophæa victoriarum Chriſti.

Differentia. Hæc humanis negotijs permixta Sabbatha, piè lævant laborem & tædium animi, hic eadem ſemper non patientis. Si liceret ſcrutari intima cordium; videres in communi causâ & ſolemnitate differentes omninò pietatis motus: ſicut omnes Angeli, licet ſinguli toto Deo fruantur, illum tamen colunt & laudant actibus longè diverſis, & ex D. Thoma, ſpecie diſtinctis.

Concordantia. Sociorum multitudo, non ſolùm addidit vires, ſed & animos, diſcedit metus, ſuccedit in bonum æmulatio; hæc autem ad æterna bona ſocietas conciliat animos, ſedatque quas temporalis cupiditas excitaverat diſcordias.

Contrarietas. Si cœlum à violentis rapitur, huic publicæ, potentique cedet irruptioni: hæ ſunt ſapientiæ victrices copiæ, hæc Eccleſiæ & charitatis acies ordinata; quot ad publica vota conveniunt, tot numera milites ad pugnam pro fide paratos; ſunt ve-

A liationes poteſtatis Eccleſiæ, in ſpectaculum Deo, Angelis & hominibus; Agnoſcat hinc ſuas vires pietas; & ſciat ſe, ſi voluerit, mundo eſſe ſuperiorem.

Principivm. Vt ex contrarijs mundi partibus aquæ confluunt in Oceanum principium ſuum, ſic hoſtilis naturæ & conditionis homines in vnum coëunt, poſitâ diſcordiâ, & quaſi concentrantur in cultu primi principij, in quo vnum fuerunt, & vnum futuri ſunt, ſi futuri ſunt beati; hæc ergò publica ſolemnitas præludit æternæ beatitudini.

Medivm. Hoc ſacrificium laudis publicæ magis placet Deo, quam antiqua victimarum holocauſta; Pia vox multitudinis validè ad poſcendam miſericordiam patrocinatur. Bonitati divinæ, quæ eſt infinita & vniverſalis, debetur hic communis & vniverſalis famulatus: quid ſi annumeres beatos Angelos noſtri, cuſtodes, & quaſi fidejuſſores, lætior, & ſanctior videbitur hic concurſus.

Finis. Auſpicamur cœli fœlicitatem, in quâ communis & æterna vox omnium erit ad Dei laudem: Sabbathum illic erit nunquàm intermiſſum, ſaltem hic agamus per intervalla, quod illic agemus ſinè fine: Eccleſia viatorum beatis confœderata, illis debet congaudere, quantùm fas eſt, his temporalibus feſtivitatibus. *De feſtis Sanctorum. Vide Gloria Virtutis.*

Maiorita s. Magno animo, qui divinis vacaverit, nihil magnum futurum eſt, cùm ad vitæ communis negotia deſcendet; habet ſanctorum ambitio, quo ad majora, quàm quæ oſtentat mundus, æſtuet. In hoc omnium concurſu pietatem, quæ ſui deeſt ob animi divagationem, alius ſupplet, & vt in perenni flumine ex aquis ſibi perpetuo ſuccedentibus ſit continuum, ignisque charitatis perpetuus lucet coràm altari. In tanti momenti vires omnes explicandæ ſunt, quidquid enim magni præſtiterint vota publica, longè erit infrà debiti obſequij præſtationem, & acceptorum beneficiorum gratitudinem.

Æqvalitas. Communi pietate colendus eſt communis & pius omnium Pater Deus: Tantò major ei defertur gloria, quò numeroſior ejus oſtenditur familia: ſtuper impietas, & pares ſuos non numerans, petit confuſa tenebras, victrici cedens devotioni.

Minoritas. Humilitas Chriſtiana efficit vt quiſque ſibi diffidens, & de proximis benè judicans, eorum præces in ſuum advocet auxilium: nec ſibi vnquàm ſufficit, cum ſciat infinitæ bonitati infinitas deberi gratiarum actiones.

MVTVVS IN NVPTIIS conſenſus.

Cvm ſpontanea copula animantia cuncta conſociet, dignumque vnicuique videatur eſſe quod placuit, durum eſt liberam voluntatem non habere, vndè liberi procreantur. Caſſiod. l. 7. variar. Epiſt. 41.

Vxor defuncto marito, cui vult nubat, tantùm in Domino. 1. Corinth. 7. Ideſt quem ſibi aptum putaverit, quia invitæ nuptiæ ſolent malos eventus habere. D. Ambroſ. ſuper dict. cap. 1. Corinth.

Per reſcriptum Principis mulier invita non contrahit nuptias, & impetrantis bona publicantur: ex tali etiam conjugio ſuſcepti filij non habentur legitimi. L. 1. Cap. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur.

Qui poſt ſponſalitia matrimonium inire recuſat, duplicatas reddit acceptas arrhas. l. fin. Cod. de ſponſal. Tamen Rector provinciæ perdit arrhas, quas pro matrimonio contrahendo dederat ſponſæ re-

menti, cui poterat esse terrori. l. vnic. Cod. si rector provinciæ sponsalitias dederit arrhas.

Nemo ad matrimonium contrahendum vel dissolvendum potest cogi. l. 21. & 28. ff. de ritu nuptiar. & hæc libera facultas non debet trahi ad necessitatem. l. 14. eod.

Cap. requisivit, de sponsalibus & matrimonijs. Quærens quâ censurâ mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglectâ nubere renuit. Respondet, quòd cùm libera debeant esse matrimonia, monenda potiùs quàm cogenda, cum coactiones soleant difficiles exitus habere.

Angelus petit consensum Virginis paturæ.

Apud Lacedemonios clandestina ferè omnia erant matrimonia, & nupta nisi ventre intumescente nesciebatur, plùs enim est ardoris in amore furtivo, ex majori ardore fœlicior proles.

De interdicto matrimonio, inter pupillam & tutorem, seù curatorem, filiosque eorum. Cod. 5. tit. 6. Tunc enim non censetur esse vetus consensus.

Raptoris virginis pœna. l. 35. ff. de rapt. virgin. & Cod. 9. tit. 13.

Speciale est in libertinâ, quæ cogitur ad nuptias patroni subeundas, si eâ conditione libertatem accepit. l. 29. ff. de ritu nupt. Non potest etiam eo nolente divortium facere. l. 4. & 51. eodem.

Matrimonia nobilium non fiunt sinè consensu principis. *Vide Principium Concordantia.* Deus.

MVTVVS IN NVPTIIS consensus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Nubentibus mutua bonorum donatio interdicitur, non cordium: hæc enim constant nuptiæ, quibus se in mutuam mittunt possessionem, quod sinè mutuo consensu fieri non potest.

MAGNITVDO. Conveniunt, vt vnitis viribus, faciliùs ferant onera matrimonij, at onus non ferunt sed faciunt inviti: nihil proficies, si vnus ex jugalibus recalcitret, & in contrarium feratur: consentiunt oportet corporis partes, vt ex illis vnum fiat.

DVRATIO. Humana mens, naturâ suâ mobilis, non ferret individuam vitæ societatem, nisi hanc mutuus amor gratam efficeret, & desiderijs quasi novam, etsi successu temporis repescat amor, illi substituitur nata ex consuetudine fides, pudorque luctare cum jugo liberè semel suscepto, pudet fallere perpetui fœderis datam fidem sub divini & humani juris sacramento: at si vel minima vis in contractu illata fuerit, onera fiunt insportabilia, & hinc sibi semper accrescentis odij perennes causæ.

POTESTAS. Res vestræ, multò minùs personæ nostræ, in alium sinè facto nostro transire non possunt. Cum deest conjugis amor, maritalis potestas tota sibi relicta, nec temperata, transit in tyrannidem, quæ seipsam primùm torquet, & quàm consultò infirmioris mens desperata exacerbat, perire volens dùm suis etiam manibus se dilaniat tot malorum author.

COGITATIO. Fluxæ amoris voluptates citò animum à præsentibus revocant ad præterita: juvat recensere antiquas amoris artes, quot proci spreti, quot delusi; his motibus exagitata fax conjugalis, ignes excitavit, dum quisque se fœlicem existimat, etiam ex anteacti amoris sensu, & in possessione rei tot laboribus quæsitæ: At si in tali contractu vim passus fuerit animus, luget oblatas olim amissasque fœlicioris conjugij spes, cujus comparatione se miserrimum judicans, assiduè se torquet ægris cogitationibus.

VOLVNTAS. Miserum est amoris officia citrà voluntatem & amorem fieri: nititur in vetitum libera mens, & quos indifferentes habebat, incipit odisse si cogatur amare. Interdùm sibi timens, ne legibus & blanditijs ad hunc amorem impellatur, jacit vndique implacabilis odij semina & infert injurias, sic graves, vt sint extrà reconciliationis spem. Si nuptias consensus, non concubitus facit, legitimus-nè potest dici concubitus, cui deest consensus?

VIRTVS. Vt se fœliciter habet moralis, cum sensus interni & externi rationi consentiunt, primis etiam humoribus & qualitatibus ad justitiam temperatis, sic fausta tantùm futura est œconomia, quàm viri & vxoris mutuus amor, liberéque mutuò data fides sancivit. Rata aliquin, quàm leges extorquere conantur, continentia, contrà quàm si appareat peccatum esse, nulla futura est veniæ spes; ob id enim permittit divortium etiam lex Evangelica, quæ inimicorum præcipit dilectionem: Vndè vis quæ infertur nubentium voluntati, est quædam anticipata legis divinæ prævaricatio, dùm infirmis concupiscentiæ flammis materiam subministrat.

VERITAS. Agit quisque in publico personam, quæ depositâ, vt non duraturâ violentiâ, gaudet domi familiariter agere, & sensus suos liberiùs in fidæ vxoris sinum effundere: hæc non licent, vbi mutuus non est amor, sed tunc domi plusquàm foris anxiâ opus est dissimulatione, quia vnumquemque magis torquent privata, vt magis propria, quàm publica. Cùm jam læsus conjugis animus crimen meditatur, vt securiùs lateat, majoribus vtitur blanditijs, sed hæc ipsa affectatio suspicionem facit, quis enim fallax tot vigilet Zelotypiæ oculos? Furit etiam aliquandò in dolis suis deprehensa, & desperata mens, odiumque quod occultè non potuit exequi, palam profitetur; hæc autem libera vox, cùm procedat ex intimo cordis, fidem facile facit jam suspicaci.

GLORIA. O nuptiarum pompa funebris, quâ tot vulneribus confossus effertur amor, nusquàm nisi posteà in supplicium suum redivivus: ornatur corpus, & cor dilaceratur; sic ducebantur ad aras victimæ floribus & auro insignes. Providentia conjugij societatem dedit in hujus ærumnosæ vitæ solatium, id autem non contingit, nisi libero animi motu consortibus; voluptas enim omnis fit ex complexu similium, vt dolor ex occursu contrariorum: Tantùm ergò peccat in naturam, qui non amantes jungit, ac qui odoratui non nisi olidas fœces, ori non nisi amarissima & lædentia ministraret.

DIFFERENTIA. Pudor virginis, cui amor crimen est, non distinguit amandum, & se totam committit parentum arbitrio. Periculosè, tamen nondùm nota indoles contrariæ & pugnanti fortè conseritur. Verè non consentit qui ignorat, nec eligit, qui non judicat.

CONCORDANTIA. Ex procerum concordiâ pendet Reipublicæ salus, & ex conjugum amore rei familiaris fœlicitas: nam si dissentiant ex scintillis fiunt incendia, conjurati pro vtraque parte servi, nullam diem relinquunt jurgijs vacuam, nullaque inter illos nisi ad concitandas seditiones concordia.

CONTRARIETAS. In hoc domestico tumultu imbecillior sexus ad nocendum prævalet, varijs artibus: quàm timendus est hic hostis domesticus, & quàm

infausta sub amoris titulo cælata odia? Hinc rei familiaris neglectus, dilapidatio, mille calamitates, quibus etiam desperatus animus gaudet ne hosti suo prosit, & vt hoc malis suis publicum exhibeat spectaculum, quàm sint infœlices nolentium nuptiæ.

PRINCIPIVM. Plùs conferunt ad natorum temperiem, bonamque indolem, parentum mores, quam astrorum influxus, causæ enim vniversales determinantur à singularibus; vndè cum parentum concors est voluntas generantur optimi temperamenti, in quibus pars sensibilis rationabili obtemperat. Ex infensis autem parentibus, vt ex oppositis speciebus monstra quædam, vultu, temperamento, ægritudine, moribus enascuntur. Pugnant enim in natis parentum se non patientes qualitates.

MEDIVM. Si convictus & ipsa conjugij jura amorem non conciliant, irrita sunt quæcumque alia adhibueris media. Desperata salus est, cum ægris in contrarium cedunt medicamenta.

FINIS. Diù deliberandum de societate, quàm sola mors dissolvit. Pugnat interdùm in conjugibus non culpa, sed natura, & qui sunt hostilis genij, licet nullum crimen audeant, se tamen non compatiuntur. Quàm crudele est, in hoc ad speciei propagationem instituto commercio, spes suas in alterius mortem diffundere?

MAIORITAS. In hoc contractu non expectatur, vt in cæteris, annorum majoritas, sed pubertas, tùm quia æstuans interdùm amor longiores moras non patitur, tùm quia naturæ sympathiâ certo ad conveniens judicio putantur ferri, nec falli: Et sanè de tot infaustis nuptijs non lugerent theatra, si vota parentum avara, & inimica naturali libertati, patrimonia potiùs sua quàm natos suos non conjungerent.

ÆQVALITAS. Amor amorem meretur, & illum sq. consequi confidit, qui autem non amat, certus se non amari, duplicat odia, vt vendicet & libertatem suam, & sui contemptum: vt inter amantes conjuges certatur officijs, sic inter aversos odijs; in vtrisque vinci, aut saltem non æquare, putatur indecorum.

MINORITAS. Minor sit duos, dum major sit geniorum concordantia: Ipsam etiam paupertatem lætam efficiet in cæteris beatus amor: cæterùm illi ad fortunæ conciliationem artes non deficient, maximè cum prolis corà pluribus dispertiendæ computaverit: Non licet parentibus filios in servitutem dare, nulla autem intolerabilior servitus, quàm odioso consociari; hoc enim imitatur Maxentij Tyranni crudelitatem, qui viva corpora mortuis alligabat.

PARENTVM CONSENsus in liberorum nuptijs.

DEus in primo illo Adæ & Evæ matrimonio, quasi creator & verus Pater adfuit. Isaac ex voluntate Abrahæ Patris vxorem accipit, non de terrâ Chananæorum, sed de terrâ suâ. Genes. 24. de quo. Vide D. Ambros. de Abraham lib. 1. cap. 9. Sic Iacob ex voluntate Patris sui accipit Rachel. Gen. 28. & 29. Sic Hem Dinam filiam Iacob, cum consensu Patris sui, Gen. 34. Iuda Er filio suo primogenito dedit Thamat in vxorem. Gen. 38. Saul Michol filiam suam Davidi dedit in vxorem. 1. Reg. 19. sic Div. Paulus loquitur de matrimonio, quasi dependeat ex voluntate Patris. 1. Corint. 7. Qui inquit, matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit.

Lege Moysis. Num. 30. Omnis mulier quæ est in A domo Patris, si quidquam voverit, & audito ejus ligamine Pater obstiterit, omnia ejus vincula irrita erunt habetur. 32. q. 2. cap. mulier.

Lex 12. Cod. de nup. ait, Sociare conjugio tuo quem volueris, non impediris, ita tamen vt contrahendis nuptijs Patris tui consensus accedat; nec enim in hoc impediri videtur libertas contrahendi. Vndè l. 12. ff. de ritu nuptiar. Celsus ait, Si Patre cogente duxit vxorem, quam non duxisset si sui arbitrij fuisset, contraxit tamen matrimonium quod inter invitos non contrahitur, maluisse hoc videtur.

Iustinianus. §. 1. Inst. de nuptijs ait filios familias posse quidem nuptias contrahere, dùm tamen consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt: B hoc inquit fieri, & naturalis, & civilis ratio suadet, in tantùm vt jussus Patris præcedere debeat. Id expresè habetur. l. 1. 7. 8. & passim. Cod. nupt. vbi Patris consensus dicitur esse necessarius, quod est intelligendum de tacito consensu, hoc est si nuptijs cognitis Pater non contradixit. l. 5. Cod. de nupt. l. 7. ff. de sponsalibus. Aliud si nuptias ignoraverit. l. 11. ff. de statur.

Auth. vt cum de appell. cognos. c. 3. §. 11. Permittit Patri filiæ exhæredationem, quæ minor 25. annis sinè ejus consensu nuptias contraxerit, quod si major 25. annis nuptias sic contraxerit, vel in suum corpus peccaverit, Patri non permittitur ex hæredatio, quia id non suâ, sed parentum culpâ commisisse videtur, qui distulerunt eam matrimonio copulare. Filio autem, C nisi emancipato, id non permittitur. l. 25. ff. de ritu nupt.

D. Ambros. de Abraham lib. 1. in f. loquens de Rebeccâ, quæ nuptijs Isaac, etiam incogniti, voluntate parentum acquievit. Consulitur inquit puella, non de sponsalibus, illa enim judicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum, &c. habetur. 32. q. 2. can. honorantur.

Concilium Toletanum 3. cap. 10. Statuit ne filij contrà voluntatem parentum vxorem accipiant. Celebratum fuit sub Pelagio secundo. habetur 32. q. 2. can. hoc sanctum.

Capit. 1. de desponsi. impub. dicit Patrem nondùm adultum filium, cui voluerit matrimonio collocare posse, dum postquàm ad perfectam pervenerit ætatem hoc comprobaverit: adultum verò sinè voluntate Patris contrahere non posse; ratio redditur in cap. seq. quia impuberis nullus est consus.

Nec in terris filij, sinè consensu parentum, ritè & jure nubent. Tertul. lib. 2. ad vxorem. cap. 9.

PARENTVM CONSENsus in suorum liberorum nuptijs.

DEMONSTRATIO.

E BONITAS. Filius est aliquid Patris, vndè omnem, & vitam tot beneficijs hàc vsque propagatam accepit: plùs ergò dimidiato sui esse fraudans agit, si contrà voluntatem Patris nubat.

MAGNITVDO. Dùm fiunt vinearum propagines ad ampliorem fœcunditatem, surculi, qui terræ committuntur, hærent semper radici suæ principali, donec novæ illique propriæ adnascantur. Nuptiæ sunt civiles propagines, quibus familiæ augentur, se mutuò complectuntur, & ad posteritatem transeunt: non fieret autem ex illis continuum, nisi novæ proli darentus operam id faceret parentis sui consensu.

DVRATIO. Putant parentes se victuros in natis, quos

quos ſuâ curâ in matrimonium collocarunt; hoc maximum illis ſenectutis ſolatium, ſuum enim reputant, quod ſuâ voluntate, ſuiſque beneficijs peragitur: hinc avi teneriſſimo affectu nepotes complectuntur; quia amor naturalis deſcendit potiùs quàm aſcendit, non eſt autem deſcenſus, ſi à parentum conſenſu non pendeant natorum nuptiæ, ſed tunc fit quædam continui ſolutio, & lethali vulnere parentum cor transverberatur; nam qui ſic nubit, quaſi abdicatis parentibus, incipit fieri familiæ ſuæ caput.

Potestas. Parentibus data eſt olim poteſtas vitæ & necis in filios, ſunt enim Magiſtratus, imò Principes domeſtici, ſinè quorum authoritate nihil in familiâ moveri debet. Dicitur, Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ; vndè patet quod illa in matrimonium collocatio, eſt quædam quaſi emancipatio, aut alienatio, quæ abſque parentis, cujus intereſt, conſenſu fieri non debet.

Cognitio. Parens nato oculus eſt, vt natus parenti debet eſſe baculus; nullum familiæ membrum ſinè capitis ſui influxu & directione poteſt convenienter moveri: parens, quos educavit liberos novit intùs & in cute, novit quid illis expediat, quid non, artifex eſt eorum quæ habent in moribus probatis & fortunâ; liceat ergò illi, vt artifici, opus ſuum proprijs manibus, ideſt libero ſuo conſenſu, Reipublicæ offerre.

Volvntas. Hoc parentum fræno continentur amoris laſcivientis impetus, qui alioquin in familiarum, imò & patriæ ruinam deſæviret naturalis enim hæc paſſio naturæ tantùm, non fortunæ dotes reſpicit; ſic illuſtres familiæ de generi connubio fierent ignobiles, debiles, ſicque quaſi ſucciſis nervis Reſpublica concideret: Iuvenum paſſio rationi quæ in parentibus viget debet ſubeſſe, vt ſibi legitimè imperanti in œconomico corpore, ſicut fit in mundano, & humano. Parentum amor infirmæ adhuc prolis affectus, vt olim greſſus, debet dirigere.

Virtvs. Nullius ſecura vel intacta pudicitia, nullius familiæ ſalvus honos, ſi primos amoris æſtus in liberis parentum prudentia non temperaret. Matrimonia ſunt Eccleſiæ & Reipublicæ ſeminaria, quæ debent ſummâ arte, & providentiâ excoli, nec committi intemperantiæ, ſed virtuti, cum indè virtutum expectetur proles: in hoc maximi momenti negotio, parentes ſunt quaſi liberorum fidejuſſores apud Eccleſiam, ne ſacramento ſuo intemperantes animi motus, quodque hinc infauſtum futurum eſt, ſanciat.

Veritas. Non eſt vera phrenetici nec amantis voluntas, vt non eſt naturalis oceani motus, quem tempeſtas concitavit: quiſque ſanæ mentis vult individuam hanc vitæ ſocietatem ſic intrii, vt fœlix ſit; talis autem non continget, ardore libidinis, non mutuo parentum judicio fiat: id teſtantur raptus & veſani illi amores, qui vt plurimum in perfidiam deſinunt, & ſcelere incœpti, ſceleribus complentur. In tàm periculosâ confœderatione expertis & amantiſſimis parentibus credendum eſt.

Gloria. Hæc eſt paternæ pietatis ſumma liberos educaſſe vſque ad matrimonium, ſed quod ſuo procedat arbitrio: hujus autem lætæ ſegetis ſpem omnem, & vnicum poſt tot labores ſolatium tollit, qui nubit invitis aut non conſultis parentibus. Sollicitus eſt pro liberis paternus amor, nec credit illis ſatis fœlicia, quibus ſe non immiſcuerit; hoc ſaltem debes amantibus obſequium, ne tuæ calamitatis metu torqueantur: infauſta turpiſque eſt nuptiarum ſolemnitas, quàm contempti parentis lachrymæ dehoneſtant.

Differentia. Generalis hæc eſt juris ſententia, neminem poſſe mutare conditionem ſuam in alterius cui obſtrictus eſt, præjudicium, nec ergò filius invito parente, cujus eſt, poteſt externæ familiæ adſcribi. Ne vagi ſint concubitus, illos inter ejuſdem ſpeciei conſortes, parens, ſapienſque natura limitavit; voluit etiam quæ civilia ſunt in hominum matrimonijs ex parentum arbitrio pendere, ne effræni concupiſcentiâ turbetur omnis ordo politicus: non ſit quodlibet ex quolibet, virgo & juvenis, materia & forma ſunt periti artificis manu componendæ.

Concordantia. Ex vnius conjugio ſtatim neceſſaria quædam relatio & parentela naſcitur, cum cæteris ejuſdem familiæ; vndè multum intereſt hæc arbitrio parentum fieri; ne illuſtris familia infamis fortè agnatione deturpetur: parentibus, vt amantiſſimis & fidiſſimis totius familiæ nomine hæc demandatur cura.

Contrarietas. Duriſſimum eſſet parenti bona ſua, liberos ſuos, imò & ſubſtantiam ſuam in liberis, hoſtibus ſuis cedere quaſi in prædam; non hos quæſitum in vſus patrimonium: Sub irato cœlo, & infeliciter poſitis luminaribus, nulla ſic natis vitæ ſpes.

Principivm. Sol emittit radios ſuos, qui in aëre propagantur, fons rivos, qui in planitiem diffunduntur, cor arterias, jecur venas, quæ ſe in ramos per totum corpus explicant, ſervato ſemper ſui principij motu: Pendent cellulis ſuis inſerta ſemina, donec matura apertis vterò clauſtris matrix planta emiſerit: ſic liberè geniti liberi, eadem quâ in lucem venerunt parentum libertate debent collocari in matrimonium quod eſt ſecunda quædam in mundum civilem nativitas; nullus effectus, niſi cauſæ ſuæ arbitrio in exiſtentiam prodit. Pater æternus mittit filium humanæ naturæ conſociandum: parens non tàm dotavit quàm depoſuit vitæ ſemina, arbitrio ſuo ſemper collocanda: Parens mundanum eſt numen, filijs ſemper colendum, ſemper conſulendum.

Medivm. Sub hac quaſi conditione filios educavit, illiſque bona acquiſivit, vndè exhæredari poſſunt citrà parentis voluntatem nubentes.

Finis. In avibus parentum amor deſinit cum pulli adoleverint; inter homines perpetuus eſt, quia eorum maximè vita in ratione, quæ perpetuo indiget parentum conſilio, vndè perpetuum illis in liberos jus, quale habent aves impulſos implumes. Favendum eſt parentum amori, qui hac in re non niſi commodum filiorum intendit; aperienda illi via, quò ſe per continuata beneficia diffundat: ſi licet illis eligere gratum ſepulchrum, in quo oſſa ſua piè recondantur; liceat & natis eligere familiam, in quâ bona ſua, ſpiritumque & acceptas cœlo benedictiones, in nepotes tranſituras, deponant.

Maiorita s. Non eſt integra conjugalis ſocietas, cui deeſt parentum conſenſus: non enim adſcribuntur in numerum liberorum, quos Pater ſuos non agnoſcit, nec eo invito debent illi naſci nepotes. Arctiori vinculo nectuntur, quibus vniendis vtriuſque familiæ parentes concurrunt; ſic enim vnitis rebus, ſi quæ inter conjuges orta ſint diſſidia conſopiuntur.

Æqvalitas. Parentes exigunt à filijs reverentiam, æqualem illi quàm ſuis parentibus præſtiterunt, eandem etiam fœlicitatem, quàm ſic in matrimonio ſuo conſequuti ſunt, filijs ſuis optant; hancque illis præcantur, cœlo pietatis officijs propitio.

Minoritas. Si parentum arbitrio celebratum matrimonium fœlix fuerit, multiplicatur lætitia ex parentum hinc exultantium gaudio, & opus ſuum ad perfectum adducere conantium: ſi infœlices fuerint nuptiæ, habent liberi parentes ſuos ſui caſus quaſi fidejuſſores, coràm Deo & hominibus; vndè & one-

ra inter ſe partita efficiunt, quantùm licet, leviora: quod ſi læſa fuerit paterna pietas in infœlicibus nuptijs, imputatur hæc adverſitas juſto Dei judicio, cui conjuges puniendi relinquuntur.

IN QVIBVS CONCORdes ſunt voluntates.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Beneficium indiget acceptatione, non ſic enim nolenti & invito. Sic divinæ gratiæ cooperari debet voluntas. *Vide ſuprà Poteſtas Volunt.* Sic materia per præcedentes diſpoſitiones cenſetur conſentire formæ ſupervenienti.

MAGNITVDO. Concordes debent eſſe voluntates & conatus plurium in movendâ magnâ mole; ideò publica communibus aguntur ſuffragijs, turpiſque habetur pars quæ ſuo vniverſo non congruit.

DVRATIO. Novitas non æquo affectu ab omnibus excipitur in rebus publicis, tempore tamen & vſu ipſo Magnates cæteros in ſuam trahunt ſententiam, donec conſuetudine fiat jus publicum, à quo pudor eſt deflectere.

POTESTAS. Sub potenti in mixto formâ, coagunt ad ejus commodum omnes etiam contrariæ qualitates: ſic potentis Principis Majeſtas conciliat omnium affectus, timent enim inter ſe ne videantur cum Principe diſſentire, cui vſque ad adulationis mendacia conſentiunt.

COGNITIO. Æqualis cognitio æquales efficit affectus; ſic animalia ejuſdem ſpeciei duce naturâ eadem apprehendunt & appetunt; ſic de ijſdem docentur qui ad idem debent conſpirare.

VOLVNTAS. Amicorum eſt idem velle, atque idem nolle, ſivè ſympathiam hanc voluntatum habeant ab ijſdem geneſi præſidentibus aſtris & temperamentis, ſivè à liberâ ſui in alium transfuſione. De primis Chriſtianis dicitur quod illis omnibus erat cor vnum & anima vna; vim hanc vnitivam accipit à primâ vnitate charitas.

VIRTVS. Concordant omnes in boni vniverſalis & virtutis amore, cum abſtractè conſiderantur; differentiam & contrarietatem facit varia circumſtantiarum à particularibus applicatio. Concordes ſunt boni, quia non ſe, ſed Deum vniverſale bonum quærunt.

VERITAS. Cum agitur de condendâ lege, maximè ſi reſpiciat futurum, in quo nullus ſe læſum putet, omnes æquitati ejus conſentiunt: vt lumen omnibus ſanis oculis ſic verum omnibus ſanis mentibus placet: duo teſtes, vt duæ in librâ æquo pondere libræ lances verum aſtruunt. Conſentiunt vetus & novum teſtamentum, leges omnes divinæ & humanæ, vt hominem efficiant perfectum, ſuæque ideæ conformem.

GLORIA. Lætitia rapit animum, & vt integrum ſuæ ſervet poſſeſſioni revocat à mœſtis, & ab omni contentione; ſic in publicis ſolemnitatibus ſilent lites, ſi non mortuæ, ſaltem conſopitæ.

DIFFERENTIA. E diverſis circumferentiæ terminis idem ad centrum motus: Conſentiunt omnes populi in generalibus quibuſdam notionibus & affectibus, illis à naturâ inditis: ordinis effectus eſt, vt diverſa ad vnum aliquid conſpirent.

CONCORDANTIA. Ejuſdem ſocietatis ſocij communibus votis & operibus commune bonum promovent: ſic continuæ quantitatis partes eodem motu rapiuntur.

CONTRARIETAS. Communis periculi metus diſſidentes conciliat; ſic rixantes duo canes in lupum converuntur. Omnibus militibus, ſub ijſdem ſignis, idem victoriæ votum: confœderati ijſdem ſe oſtendunt offendi, aut juvari; timent enim ne ſi ab invicem dividantur fiant debiliores.

PRINCIPIVM. Omnibus terræ partibus vnus eſt ad centrum ſuum motus; omnes fontium & fluminum aquæ in mare decurrunt. Mixtorum partes, dùm diſſolvuntur ad ſua redeunt principia. Amor patriæ indigenis omnibus communis eſt: Sic mutuus eſt filiorum & parentum amor, & dum conjugum affectus concurrunt in liberos, eo quaſi vinculo fortiùs colligantur.

MEDIVM. Conſpirant horologij, & aliarum machinarum partes in vnum opus: ſic collegæ debent eſſe vnanimes. *Vide Concordantia Poteſtatis.*

FINIS. Plura media in vnum communem finem diriguntur; vnitas motus pendet ab vnitate finis. Sic verſus eundem portum navigantibus, eadem ſunt vota.

MAIORITAS. Excellentia vni contingens ab omnibus appetitur; ſic Principis favorem, eximiæ pulchritudinis amores, victoriam in litterarum & morum certaminibus omnes ambiunt.

ÆQVALITAS. Æqualitas, cùm ſit vnitatis imago, parem ſibi producit effectum, ſcilicet concordes & vnitos affectus: ſic civilem ſocietatem communione bonorum firmari credidit Plato. Talis erat in primivâ Eccleſiâ; talis nunc eſt in Religioſorum familijs: Ejuſdem virtutis oculi lucem pari gradu appetunt, & ſuſtinent.

MINORITAS. Sicca terra hiat vndique ad pluviam; ſervi penè omnes optant libertatem, omnes ægri ſanitatem, omnes partes dolentes ſolatium, omnes in tempeſtate ſerenitatem, timent enim omnia ſui interitum: ſic miſeri homines licet in multis diſſentiant, conveniunt tamen in templis, miſericordiam à Deo communis votis & ſuffragijs peituri.

Digitized by Google

CONTRARIETAS VOLVNTATIS.

QVÆ VOLVNTATI ET LIBERTATI SINT CONTRARIA.

MISCELLANEA.

IN publicâ inopiâ poſſunt cogi poſſeſſores frumentorum, vt excepto eo quo ipſi egent reliquum omne vendant in publicum.

Parentes debent cogi, vt liberos in publicam educationem tradant. *Vide Virtus Concordantia.*

Nihil ad hoſtis arbitrium eſt faciendum, ideò non eſt pugnandum cum provocat.

Contrariorum contrariæ ſunt lationes, & quorum motus ſunt contrarij, contrariæ etiam ſunt naturæ.

Objecta contraria cauſant contrarias paſſiones in appetitivâ, non autem in cognoſcitivâ. D. Thom. 1. 2. q. 54. a. 2. ad 1.

Diſcordia important diſgreſſionem quandam voluntatum in diverſa. 2. 2. q. 37. a. 1. ad 3.

Dolor & triſtitia ſunt tantùm de contrariantibus voluntati. 1. q. 103. a. 7.

Poteſtas major non tollens inclinationem, ſed repugnans ei, cauſat dolorem in quantùm infert malum. 2. 2. q. 36. a. 3.

Concupiſcentia non cauſat involuntarium. 1. 2. q. 6. a. 7.

Violentia cauſat involuntarium in cognoſcentibus, in alijs autem cauſat innaturale; quia opponitur directè voluntatio & naturali. 1. 2. quæſtione 6. art. 6.

De ratione pœnæ eſt quod ſit contraria voluntati. 1. q. 8. a. 5.

Paſſio totaliter tollens vſum rationis, tollit peccatum. 1. 2. q. 24. a. 3. ad 3. & q. 47. a. 2.

CONTRARIETAS voluntatum bona.

BOnum eſt malorum affectibus reſiſtere, hoc enim proprium opus eſt legis, ſapiens autem viva lex. *Vide Contrar. Minorit.*

Paulus reſiſtit Petro in faciem, quia reprehenſibilis erat. Gal. 2. *Vide Contrar. Cognit. & Durat. Virt.*

Ioſeph reſiſtit dominæ ad malum ſolliciranti. Gen. 39. Sic, inquit Philo, in Regimine Magiſtratus qui eſt vice Principis, aut Reip. debet malis reſiſtere.

Gen. 49. Iacob moriens dicit de Sichimitis, vndè deſcenſuri erant Phariſæi Chriſti occiſores, In conſilium eorum non veniat anima mea. Non obtemperant obſtetrices Pharaoni jubenti, vt occiderent maſculos pueros Iudæorum. Exod. 1. *Vide Contrar. Poteſt. Bona.*

A Qui injuriam non infert honorandus, ſed qui nec alios inferre patitur, duplici honore dignus eſt. Plato. 5. de legib.

Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ vt à verò devies. Exod. 23.

Caleb opponit ſe alijs exploratoribus, & murmuranti populo, dicens terram poſſe obtineri. Num. 13.

Deut. 13. Præcipitur eum occidi, licet conſanguineum, qui ſuaſerit cultum alienorum Deorum.

1. Reg. 21. Servi Saul nolunt ei obedire præcipienti vt occiderent Sacerdotes.

Oportunè Chuſai deſtruit conſilium Achitophel. B 2. Reg. 17.

Natura ſemper ſingulis motu præditis muſculis opponit alios contrarij motus authores. Galen. lib. 12. de vſu partium.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

BONA.

VT ad remotas piſcatorias, etiam invitus ad ſocietatem adigatur. Leo. Nov. 102.

C Ad publica munera etiam inviti coguntur. l. 1. in prin. ff. de adminiſt. tit. vide tot. tit. de muneribus. & ſuprà. An quis cogendus ſit ad dignitates ſuſcipiendas. *Vide ſuprà Voluntas Poteſt. Repug.*

Cogitur quis ſemel acceptum arbitrium & mandatum procuratorium etiam invitus exequi. *Vide Durat. Bonit. & Durat. Volunt.*

Si in alieno fundo mortuus ſit illatus, non poteſt Dominus ejicere, ſed tantùm intereſſe petere; ſic invitus cogitur vendere favore Religionis. l. 7. ff. de Religion.

Libertina cogitur ad nuptias patroni ſubeundas, ſi eâ conditione libertatem accepit. l. 29. ff. de rit. nupt. D & non poteſt eò nolente divortium facere. l. 45. & 51. eodem.

Hæres ſcriptus cogitur adire hæreditatem, ſi fideicommiſſarius periculum omne in ſe recipiat. l. 4. ff. ad S. C. Trebellian.

Si non reperitur conductor vectigalium, qui priùs habuit, cogitur ad continuationem. l. 11. ff. de public. & vectigal.

An invitus cogatur benefacere. *Vide Principium Bonit.*

De cæteris quæ pro bono publico fiunt præter voluntatem particularium. *Vide Gloria Concordantia.* de Privilegijs boni publici.

Digitized by Google

Actiones omnes civiles vim inferunt nolentibus parere juſtitiæ. *Vide Bonitas Contrar.*

Qui ſemel pro parte eſt hæres, deficientium partes etiam invito accreſcunt. l. 53. ff. de acquir. vel omitt. hæred.

Hæres neceſſarius, vt eſt ſervus à Domino inſtitutus, non poteſt hæreditatem repudiare. l. 57. eodem.

Non poſſumus paciſci cum ritè impedimur à naturâ, ab homine, à lege, à naturâ quidem, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. l. ea quæ. ff. de Reg. jur.

Prohibitio alienandi ab homine, contractu vel teſtamento, ſi juſta ſit cauſa, vt ſi contrahentis interſit. l. penult. ff. de pact.

Poteſt invito Domino theſaurus in alienis ædibus conquiri & fodi. l. 3. & l. quoſdam. Cod. de metallis.

Dominus cogitur vendere ſervos, in quos nimiâ ſeveritate vtitur. Reipublicæ enim intereſt, ne quis re ſuâ malè vtatur. Inſt. de his qui ſui vel alien. jur.

Si vnus ex ſocijs ſervo communi pro parte ſuâ libertatem det, tenentur alij partis ſuæ prætium recipere. Inſt. de donationibus. *Vide Bonitas Contrarietatis.*

MALA.

DE dolo mali & metus exceptione. ff. 44. 4.

Quod metus cauſâ geſtum erit. ff. 4. tit. 2.

De his qui propter metum judicis non appellaverunt. Cod. 6. tit. 67.

De interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem, ſeù Curatorem, filioſque eorum. Cod. 5. t. 6.

Quod vi, aut clàm. ff. 43. 23.

Raptoris virginis pœna. l. 35. de rapt. virg. Cod. 9. tit. 13.

Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit. ff. 26. tit. 6. Cod. 6. tit. 34.

De his quæ vi metuſve cauſâ fiunt. Decret. lib. 1. tit. 41.

Reſtituitur qui metu majoris mali imminentis, & qui in conſtantem virum caderet, exercitus aliquid egit. l. 5. & paſſim. ff. quod met. cauſ.

Ab eo qui prohibet teſtamentum fieri vel mutari auferetur hæreditas, vt ab indigno. l. 1. ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit. ff. 29. tit. 6.

Non valent pacta quæ liberam auferunt teſtandi facultatem. *Vide Differentia Volunt.*

Prohibitio alienandi teſtamento facta ſinè cauſâ, non valet. l. 38. §. 4. & l. 93. eodem.

Quod vi metuſve cauſâ geſtum eſt, ratum non eſt: vis autem eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt. l. 2. ff. quod vi met. cauſ.

Libertas voluntatis quæ debet eſſe in contractibus impeditur, vi, coactione, imperio; vndè velle non creditur qui obſequitur imperio Patris vel Domini. *Vide Verit. Volunt.*

In infirmis ſuaſio & conſilium. l. vnic. Cod. de rapt. virg. dolo etiam circumventa voluntas. l. ſi poſtea. Cod. de pact. Libertatem etiam impedit legis prohibitio, pro infecto enim habetur, quod fit lege prohibente. l. ſi voluntate. Cod. de reſcind. vendit. Prohibitiones etiam alienandi, lege, vt bonorum decurionis, & Eccleſiæ, minorum, pacto, teſtamento. *Vide Veritas Contrarietatis.*

Juſtus metus efficit, vt qui non appellavit, habeatur tanquàm appellans. cap. ſi juſtus, de appellatio.

Qui coacti manibus vinctis idolis aliquid obtulerunt, ſemper proteſtantes ſe eſſe Chriſtianos, hinc quàm non idololatræ ad communionem & Eccleſiaſticas dignitates poſſunt recipi, qui verò luctuoſo habitu cœnis idolorum aſſiſtunt per triennium pœniteant. Concil. Ancyran. c. 4. anno. 314.

Qui mortis, exij, amiſſionis facultatum metu ſacrificaverunt, per tres annos à communione oblationis, & per ſex à communione Sacramenti abſtineant. Idem can. 5.

Nulla eſt neceſſitas delinquendi, quibus vna eſt neceſſitas non delinquendi. Tertulian. lib. de coron. mil. cap. 11.

Concilio Neocæſarienſi cap. 12. quod citatur diſt. 57. can. vnico. Statutum fuit, vt ſi quis in ægritudine conſtitutus, fuerit baptizatus, eum Preſbyterum ordinari non poſſe: non enim, inquit, fides ejus voluntaria eſt, ſed ex neceſſitate.

NECESSITAS.

LIcet apoplexia tollat omnem motum & ſenſum, tamen moventur muſculi thoracis, reſpirationis neceſſitate excitante nervorum vim ad functionem. Galen. Sic deſides ad officia cogit paupertas, & neceſſitas artium magiſtra. *Vide Principium Cognitionis.*

Neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in poteſtate, ſed etiam ſi nolumus efficit, quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis. D. Aug. lib. 5. de civit. cap. 10.

Corinthi in neceſſitatis & violentiæ ædes ingredi fas non erat. Pauſan. in Corinth. Græci vnicum templum & altare neceſſitati & induſtriæ conſtruxerunt.

Vrgente neceſſitate David manducat panes propoſitionis, quos licebat ſolis ſacerdotibus edere. 1. Reg. 21. Pugnant Machabæi ſabbatho. 1. Machab. 2. Vellunt Apoſtoli ſpicas. Math. 12. Vide can. quod non eſt licitum. can. ſi. null. 23. q.

Qui à turbine rapiuntur, aut à torrente, hærent quibus poſſunt.

Cum Athenas Piſiſtratus occupaſſet, videretque Solon conatum omnem ſruſtrà eſſe pro libertate, arma & ſcutum antè fores Curiæ ponens; ô Patria, inquit, tibi dictis & factis opitulatus ſum, atque ità domum abijt, in poſterùm quieturus; hoc facias, cede Deo, cede tempori; ſi bonus civis es, te melioribus fatis ſerva; quæ perijt libertas, poteſt reviviſcere. Lipſius lib. 1. de conſtantiâ. c. vlt.

Nec tupe puta quidquid miſeros fortuna jubet. Seneca tragicus.

Neceſſitas cogit quod non habeas aliundè ſumere: neceſſitas plùs poſſe quàm pietas ſolet; Neceſſitas eſt, quæ navigia jactu exonerat; neceſſitas, eſt quæ ruinis incendia opprimit; neceſſitas eſt lex temporis. Senec. controver. lib. 4. cont. 4.

Si figit adamantinos ſummis verticibus dira neceſſitas clavos, non animum metu, non mortis laqueis expedies caput. Horat. Quis quis peccat inops, minor eſt reus: ſi eſt criminoſum, neceſſitatis crimen eſt, non voluntatis.

Neceſſitas cogit ad vota publica. *Vide ſuprà Concordantia Voluntatis.* ad ineundas ſocietates. *Vide Principium Concordantiæ.*

Prohibitio alienationis teſtamento facta, ad alienationem neceſſariam ſe non extendit, ſed ad voluntariam. l. 38. ff. de legat. 3.

Proconſul licet in provinciam non venerit, mandare poteſt juriſdictionem, ſi neceſſariam moram in

itinere patiantur. l. 5. ff. de offic. proconſ. & generaliter neceſſitas non habet legem. l. 1. ff. de excuſat. tutor. l. 1. Cod. de operis libertor.

Magis ſuccurritur ei, qui neceſſitate facit aliquid, l. ſi fidejuſſor. §. ſi neceſſaria. ff. qui ſatiſd. l. quod ſi minor. §. reſtitution. ff. de min. l. ſi pignori. 30. verſ. ff. famil. Erciſcund.

Quod neceſſitate permittitur non valet in poſterùm, niſi eadem vrgeat neceſſitas. l. 28. §. ſed & ſi. ff. de judicijs. l. 123. de reg. jur.

Neceſſitatis tempore omnia ſunt communia. l. 2. §. cum eodem. ad l. Rhod. de lact.

Neceſſitas crimen excuſat. l. 2. §. item labeo. ff. ne quid in loco publico.

Vis populi hoſtium & latronum æquiparantur. l. 9. §. ſed licet. quod met. cauſ. *Vide totam combinationem Contrarietatis.*

Non eſt vera voluntas, quàm extorquet neceſſitas. *Vide Veritas Voluntat. Rep.*

De facto. *Vide Durat. Voluntatis.*

Vide Majoritas Contrarietatis. Vis Major.

Neceſſitas coactionis abſolutæ cauſat omninò involuntarium, & omninò excludit culpam: non autem neceſſitas conditionata, vel mixta, ideſt metus. l. 1. q. 6. 2. 4.

Neceſſitas facit ceſſare contractus particulares, & rem ad jus naturæ reducit.

Vèra eſt voluntas, etiam vrgente neceſſitate. *Vide Veritas Virtutis.*

Quoties penuria eſt eorum qui magiſtratum ſuſcipiant, immunitas infringitur. l. 11. §. 2. ff. de muner. & honorib.

Propter neceſſitatem illicitum fit licitum, vt licitè præter præceptum Machabæi ſabbatho pugnaverunt. cap. quod non eſt, de reg. jur.

Admittuntur ad clerum hi quos neceſſitas, non voluntas fecit Eunuchos. Concil. Nicæn. can. 1.

Etiam die Dominico licet laborare, ſi vrgeat meſſis neceſſitas. Concilium Narbonenſe. can. 4.

Vera virtus eſt etiam vrgente neceſſitate. *Vide Veritas Virtutis*, & ſerò penitentibus Deus parcit. *Vide Duratio Virtutis.*

De neceſſitate quæ dilationem non patitur. *Vide Minoritas Durationis.* Celeritas.

Vrgente maximâ neceſſitate, vt deficientibus omnibus ad vitam neceſſarijs, milites poſſunt vrbem hoſtibus tradere, quia aliter & ſe & civitatem amitterent.

Neceſſitas cogit minus malum eligere vt majus vitetur. *Vide Media Virtus.*

Vrgente neceſſitate licet agere præter legem. *Vide Differentia Veritatis.* & tunc fiunt miracula, & concedunrur privilegia. *Vide Majoritas Poteſtatis.*

Plinius nat. hiſt. lib. 8. cap. 16. Loquens de Leone, qui homini in deſerto blanditus eſt, vt os quo fauces præpediebantur avelleret; Vndè inquit medicas manus hominis ſcivit, niſi fortè vis malorum etiam feras omnia experiri cogit.

Neceſſarijs primò providetur.

Non ad libitum res appetuntur, provt gratæ ſunt, ſed provt magis neceſſariæ.

In corpore noſtro oſſa, nervi, articuli firmamenta totius, & vt alia minùs ſpecioſa, viſu, priùs ordinantur; deindè hæc ex quibus omnis in faciem aſpectumque decor eſt; poſt hæc omnia, qui maximè oculos rapit decor vltimus, perfecto jam corpore, effunditur. Senec. lib. 2. de Irâ.

Quomodò ſemen primò ſibi de alimento provideat. *Vide Medium Durationis.*

Neceſſitas efficit vt privata fiant communia. *Vide Princip. Poteſt.* Ex jure civili. Vt debilibus mediis vtantur. *Vide Minoritas Medij.* Debili medium.

QVÆ NECESSITATEM & vim libertati inferant.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Individua cuiuſque eſſentia ſuis ſtat certis legibus & terminis, a quibus non licet diſcedere. Dei eſſentialem bonitatem etiam ad extrà neceſſariam credidit Plato, ſed perperam; Inferioribus autem corporeis entibus optimè proviſum eſt, dùm ſuperioribus creatis indita eſt neceſſaria ſui communicatio; ſic ſol emittit radios, cœlum influxus, terra fructus, fontes aquas, turgentes mammæ lac; non ſuo enim ſed creatoris arbitrio, quaſi ſervi & diſpenſatores, hæc nobis largiuntur.

MAGNITVDO. Effundendi neceſſitatem faciunt largientium anguſtiæ, cum enim ſupervenientibus pateant exonerari coguntur his quæ non poſſunt continere: Magna corpora magno debent loco commentrari. Illis enim non in anguſto latere, ſic igne refactus aër vi maxima excutitur è bombardis, & è terræ viceribus; gigantem non operit puerilis toga: Quibuſdam ad magna natis ingenijs aperienda occatio, quâ ſe liberius explicent, ne obſtantia ſubvertant.

DVRATIO. Satis temporis periodis moventur cœli, veniunt anni tempeſtates, perficiuntur naturæ opera; nec tot deſiderijs ea invocantibus citiùs occurrunt. Licet ad regimen natis pueris, antè pilos præmatura non venit ſapientia. Concedendum negotijs tempus, quo adoleſcant; quis enim momentò populi mores in aliam transferat conſuetudinem?

POTESTAS. Regitur vniverſum immutabili fatorum lege, cui conſentit, fruſtrà in contrarium quidquam tentaturus, ſapiens: Ex quo populus ſibi Regem conſtituit, illi parere neceſſitas eſt: Principium enim poteſtas vi majori, qui reſiſti non poteſt, annumeratur. Tamen dui regit timet timentes, metus in authorem redit; vndè perſonam agit in publico, non ad arbitrium ſuum vivit, nubit, loquitur, Regimenque merito publica dicitur ſervitus. Vim infert potentia civilis, vt in vniverſo, infirma cedunt fortioribus, illiſque fiunt in prædam: Prævalet tamen Rectrix divina ſapientia, quæ argentium impetus moderatur, prout expedit vniverſo.

COGNITIO. Potentiæ naturales, convenientibus ſibi objectis admotæ, agunt neceſſariò: non poſſum non videre, quæ apertis exponuntur oculis, non audire quæ auribus inſonant, non ſentire quæ tactum titillant aut lædunt: Innatæ noxij & convenientis ſpecies concitant neceſſariò animalia; vt viſo lupo non ſuſtinet quin fugiat ovis; Sic in nobis etiam phantaſiæ motus non expectat rationis arbitrium Injuſſæ veniunt perceptæ olim voluptatis aut acceptæ injuriæ imagines, & nolentibus, licet innoxiè, ſeſe offerunt.

VOLVNTAS. Motus ad centrum, vt naturalis, ſic neceſſarius eſt ſublatis impedimentis: Amorem inter raptus ſpecies deſcribit Plato. Sic enim animal ſui oblitum, & voluptate delinitum publico ſpeciei propagandæ bono prudens immolat natura. In homine poteſt ratio aliquandiù ſuſtinere, ne conſentiat amori: ſed vbi ſemel conſenſit, vix in poſterum ſe poteſt vindicare. Contractus omnes initio ſunt volun-

tatis, ex poſt facto neceſſitatis ; Sic matrimonij voto-
rumque vincula nolentes etiam conſtringunt; ſic ſum-
mum libertatis jus eſt , vt poſſit ſeipsâ etiam ad li-
bitum vti ; nec indigna neceſſitas , quæ ex libertate
procedit.

VIRTVS. Primi motus non ſunt in noſtrâ poteſta-
te ; illos cum naturales ſunt temperat , non extinguit
Philoſophia : hoſtes hi ex improviſo nos aggredientes
monent , vt ſimus ſemper quaſi in procinctu ad pu-
gnam parati.

VERITAS. Lex omnis , ſeù divina , ſeù humana ob-
ſequium exigit , & ideò ſtabilita eſt , vt ea quæ decer-
nit ſubditorum non relinquantur arbitrio : ſic ſynde-
reſis, etiam nolentes monet , & aberrantes conſcien-
tiæ ſtimulis exagitat , præluditque vltrici divinæ
juſtitiæ.

GLORIA. Dolor apertâ vi, voluptas occultâ po-
tentiam exarmat : Nobiles animi aguntur in præceps
gloriæ ſtimulis , ſequuntur potiùs opinionem quàm
genium , & ne videantur nominatis impares fiunt
miſeri.

DIFFERENTIA. Ponderoſa in minimas partes com-
minuta aquis innatant , & vt arenæ à ventis circum-
feruntur, ſic ex diviſione naſcitur infirmitas, ex infir-
mitate motus naturalis fruſtratio : ſic in rivos diviſa
flumina , quò volueris præter naturalem curſum
avertes ſic accepto vulnere arma è fortiſſimi læsâ
manu cadunt ; ſic varia ſors mortalium ſpes deludit;
ſic immatura mors iuvenum parentum vota & affe-
ctus ad alienos convertit Torquetur amor neceſſa-
riâ objecti ſui abſentiâ.

CONCORDANTIA. Nullo tam forti vinculo tene-
mur , quàm eo quod proprijs manibus ſtrinximus;
Ipſa enim quæ ſe vindicare poſſet libertas , actionem
non habet , quia de evictione tenetur. Omnium ma-
xima conjugij ſervitus , quæ vim infert corpori &
animo , quæ geminat extinguendam libidinem , quæ
amorem omnium libertimum efficit neceſſarium,
ſub præcepti divini & humani , ipſiuſque publicæ
famæ duriſſimis legibus.

CONTRARIETAS. Ferè omnia voluntati vim infe-
runt , quia nihil ex quo votis reſpondet , maximè ta-
men quæ vocantur adverſa, vt ſunt morbi , bonorum
amiſſiones , hoſtium impetus , & cætera naturæ &
fortunæ mala : Ad pugnam adiguntur malites : natura
plus dolore quam voluptate afficitur , hinc Tyranni
potentiùs meliùſque exiſtimant vi , quàm ratione &
amore regere.

PRINCIPIVM. Patria poteſtas continet liberorum
primos impetus ; ſic quidam putant in mundanâ fa-
miliâ omnia certis Creatoris decretis regi.

MEDIVM. Pendet petitiſſimi etiam artificis opus ab
inſtrumentis , Rectoris prudentia à miniſtris , Patris
familias à ſervis , hæc inſtrumenta liberè ſe moventia
vim maiorem inferunt , quia non recipiunt. Sic con-
nexa ſunt omnia vt ab extremo in extremum non ſit
tranſitus : penè omnia , non propter ſe , ſed propter
aliud appetuntur : Rerum inopia cogit fortiſſimos vt
ſe dedant hoſtibus.

FINIS. Vt ſummè apetitur , ſic efficit multa præ-
ter naturalem inclinationem fieri ad illum conſe-
quendum : ita Chriſtiani pro obtinendâ gloria varias
patiuntur ſenſuum mortes ; ſed vim maximam infert,
aut inconſtantia , quæ res poſſeſſoribus ; aut mors
quæ poſſeſſores rebus ſubducit.

MAIORITAS. Vegetativæ facultates conſenſum
noſtrum non expectant , creſſimus etiam inviti : Non
licet magnati quod plebeio ; grave pondus illum
magna nobilitas premit. Alta tenenti multa , alioquin
ſuperflua , admovenda ſunt ne cadat.

ÆQVALITAS. Iugales equi ſic conjuges , in onere
trahendo mutuam ſibi inferunt neceſſitatem , ideò
conſultum eſt , eligere vxorem paris conditionis,
quia ditior volet in ſuis regnare divitiis, vndè liberta-
tis diſpendio paupertati ſuccurritur. In hortis ad via-
rum margines plantata cæduntur æqualiter : multa ex
affectu non fiunt à Rectoribus , ne lædant juſtitiam,
& provocent invidiam.

MINORITAS. Ad infima & duriſſima cogit paupe-
tas : Sic morbis per acerba quæque remedium adhi-
betur. Denique infinitum eſt recenſere quæ voluntа-
ti repugnent , cum nihil hic in totum à noſtro pen-
deat arbitrio : naſcentes venimus in mundum, lege-
bus jam inſtructum , quibus parere neceſſitas eſt.

AMORIS REMEDIA.

EST quidam lapis, quem Amianthum vocant, nul-
lo facilis igne conſumi , impoſitus focis igneſcit,
illicò ſublatus de flammâ tanquàm aquarum infuſio-
ne mundatus reſplendet. D. Ambroſ. de Elia & ieju-
nio. cap. 8. in Prin. Plin. nat. hiſt. lib. 36. c. 19.

Pulvis in quo ſe mula voluntaverit, mitigat amoris
ardores copori inſperſus. Plinius lib. 30. cap. 16.

Leucas , ſeu alba petra remedium amoris creditur
afferre his qui illi inſiderint.

Mullus piſcis libidinem extinguit , ſi quis eo
conſueto veſcatur. Albert. Magn. Selemnus adoleſ-
cens , Nymphæ flagrans & tabeſcens amore , in flu-
vium à Diis eſt mutatus , vt amoris obliviſceretur;
ideò qui aqua illa ablauntur dicuntur amorum
ſuorum obliviſci. Pauſanias in Achaicis.

Vide quæ ſcripſi de variis amoris remediis. Moral.
Chriſtian. tom. 4. parte. 2. cap. 13.

Sanatur amor contrariis rebus his à quibus pro-
ducitur. *Vide Principium Voluntatis.* Otia ſi tollas
periere cupidinis arcus , contemptæque jacent , &
linè luce faces. Sunt fora, ſunt leges, ſunt quos tuearis
amici. &c. Vide Ovidium de remedio amoris. *Vide
Finis. Volunt.*

Addunt aliqua Magi, quæ ſi vera ſunt, multò vti-
liores vitæ exiſtimentur ranæ quàm leges , namque
arundine transfixâ naturâ per os , ſi circulus in men-
ſtruis defigatur à marito , adulterorum tædium fieri
dicunt. Plin. nat. hiſt. lib. 29. in præmio.

Apud Romanos cum multæ mulieres in flagitium
libidinis ruerent, penè fruentes, ex libris Sybellinis ſi-
mulachrum Veneris Verticordiæ eſt dedicatum, quo
virginum mulierumque corda à libidine ad pudici-
tiam verterentur. Valer. Max. lib. 8. Ovid. 4. faſtor.

Inſtantis pugnæ periculum averit timidos ab amo-
re, omnia enim animantia , etiam ejuſdem ſpeciei,
pugnant pro venere. Vide apud Athenæ. lib. 13. cap. 4.

Vt Agilulphi Ducis fori Iulii relictarum filiarum
caſtitas tuta eſſet ab irruentibus hoſtibus , crudorum
pullorum carnes ſibi inter mamillas ſub faſciâ poſue-
runt , quibus ex calore putrefactis , ejuſmodi fœto-
rem hoſtes naturalem eſſe credentes , ab illis abſti-
nuerunt. Baron. an. 600.

Danis Ethnicis Scotiam invadentibus Ebba Col-
linghammenſis cœnobij Abbatiſſa , convocatis ſibi
Monaſterij ſanctimonialibus ſibi novaculâ præcidit
naſum & labrum ſuperius vſque ad dentes, perſuaſit-
quæ cæteris vt idem facerent ; fecerunt , ſic irruentes
hoſtes abſtinuerunt quidem à pollutione corporis,
ſed vivas cum Monaſterio incenderunt. Baron. 870.

Equarum libido extinguitur jubâ tonſâ. Plin. lib.
8. cap. 42.

Cytici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponunt. Plin. lib. 21. cap. 2.

Plumbi laminæ alligatæ lumborum & renum parti, frigidiore naturâ in habent impetus veneris; sic illos Calvus orator dicitur cohibuisse, viresque corporis studiorum labori custodisse. Idem. lib. 34. c. 18.

Theosebius vxori dedit annulum castitatis, quo accepto castè cum viro vixit. Photius biblioth. cap. 242.

ABSENTIA.

IGnis terrâ extinguitur, amor absentiâ.

Aquæ motæ minùs putrescunt; Eva exultat à paradiso, ne iterùm lignum prohibitum concupisceret. *Vide Banitas & Potest. Differ.*

Lege Moysis adulter & adultera lapidibus obruebantur, sed non eodem loco; ne in ipsâ criminis per supplicum expiatione iterùm oculis delinquerent.

Israel fugiendo superat Ægyptium.

Daphne amplexus Apollinis fugiens vertitur in Laurum.

Absente objecto vacua remanet potentia.

Magnes ex nimiâ distantiâ ferrum non trahit; vt cesset morbus, vel vacuanda, vel in alium locum transferenda materia.

Antigonus Tertius Ephesi decessit, ne caperetur amore Sacerdotis Dianæ pulcherrimæ illic habitantis. Plutarch. in dictis Imperat.

Ligabit quis ignem in sinu, & vestimenta non comburet? Proverb. 6.

Vide Differentia Minoritatis & Virt. Differ.

Moyses Æthiopum Regis filiam duxit in vxorem; cum autem redeuntem in Ægyptum ipsa nollet se qui, ille peritissimus astrorum duos cõfecit annulos, vnum quem illi tradidit, oblivionem inducentem; alium memoriam, quem sibi servavit. Tostat. in c. 2. Exod. citat. Ioseph. in antiquit.

Ioseph castitatem fugiendo servavit illibatam; relicto pallio suo quem tenebat Dominæ, à quâ pessime sollicitabatur, dicens dormi mecum & egressus est foras. Genes. 40.

Pueri à propria matre non educati, non habent amorem naturalem. *Vide Gloria Concordantia.* grata rei amatæ præsentia.

QVÆ SINT AMORIS Remedia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amor profundit bona, & vitam ipsam amantis non sinè dolore. *Vt suprà Gloria Volunt. Repug.* Huic malo essentiale remedium providit natura, scilicet amorem proprium, quo dum quisque sibi cõsulit, vitat & abdicat nocivos affectus, maximè cum vt pro futuros excepisset: hic amor proprius & essentialis prævalet accidentali, nec patitur diù sibi damnum inferri, vndè sperabat commodum.

MAGNITVDO. Amor animam, ad spectaculum pulchritudinis vniversi natam, cogit in angustias vnius creaturæ à quâ non recipitur, vndè maxima libertatis & bonorum omnium jactura. Vbi minùs est rationis, plus est amoris; hæc enim passio potentior est in juvenibus, mulieribus, animalibus & feris: qui autem non desideret à morbo ad sanitatem, à servitute in libertatem revocari?

DVRATIO. Ingemiscit animus pristinæ libertatis desiderio, & ex presentibus malis innumera sibi imminentia auguratur: Non sunt solvendi, sed fortiter præscindendi quibus illa queatur nodi; momento in contrarium verso affectu potest tot malis se eripere. Revocet in memoriam tot frustratas spes, quid iterùm expertis irretitur laqueis & toties nocivas non vitat esca? Cæterùm si corporeâ trahitur pulchritudine, flos est citò & ipsâ fruitione marcescens: tàm breve vultus mendacium non meretur duraturos labores. Quam numcamas, ætate aut morbo deturpatam es oturus. Sapiens prævenit consilio tempus hoc quo tandem insipientes sanantur.

POTESTAS. Sæviat licet amor vt tyrannus, super est tibi potestas te cum libuerit in libertatem vendicandi, aude, & mox id consequeris. Rei impossibilis non est appetitio; amens esset plebejus, qui regios ambiret amores: hac ratione excutiendus est amor, cujus semper immensis desiderijs impotens est quælibet fortuna. Amor morbus est desidiæ, quem sanat rebus privatis aut publicis intenta cura.

COGNITIO. Contemplatio, seù Philosophiæ, seù pictatis, abstrait animum à corporeis, totumque sibi vendicat vt nihil amori sensibili supersit: sic apud Lucianum solam Minervam suis sagittis non ferit Cupido. Qui pulchritudinis ideam contẽplatur, ejusque miratus est radios in spiritualibus, non eò se demittit, vt amet ejus vmbram in materiâ delineatam.

VOLVNTAS. Quidam amorem alijs opugnant passionibus, & maximè alio amore; semel enim mota mẽs facilius movetur, & dejicitur ab hoc circà vnum pertinaci affectu: Miserum tamen est sanitatem suam debere morbo, & novis plagis antiquarum sensum præripere; Vt faciliùs curant remedia, quæ aliqualem habent cum morbo convenientiam; sic amor sensibilis divino tantùm facilè superatur. *Vide Potest. Volunt. Quod amor divinus superet mundi amorem.* Mutato debili objecto in perfectiùs: iidem, qui priùs fuerant, animales motus consectantur, & cordiratis idolis fit templum Dei.

VIRTVS. Insitus est mentibus nostris virtutis amor, quo profligari debet hic amor sensibilis, vt honesti infensissimus hostis, qui belicæ fortitudini, qui justitiæ & prudentiæ civili incumbunt, antiquos amoris motus, vt puerilia quædam, & vacantis animi somnia derident.

VERITAS. Amantis oculos subcingit vitta, quam si tollas liberum efficies: Videat fucatam sæpiùs pulchritudinem, aliarum comparatione minorem; videat occultas labes, tùm personæ, tùm familiæ; videat aliorum exemplo ardentissimos amores in miseros casus, tandemque in acerbissima odia degenerasse.

GLORIA. Pudor potentissimum est amoris frænum timet enim quisque famæ suæ dispendio cupiditatibus indulgere; transit momentanea voluptas, & manet honori semel inusta labes. Naturaliter plùs nos afficit doloris quàm voluptatis sensus; vnde cùm plùs sit in amore doloris quàm voluptatis, in amanti rationibus & experimentis probandum est, vt resipiscat, & venenatas jam probatas escas non retentet.

DIFFERENTIA. Alicuibus multùm proficit ad amoris curam peregrinatio in longinqua; fit enim nova quædam vita sub novi quotidie cœli, terrarum, aëris, aquarum influxu; sic moventur spiritus, curaturque vni priùs objecto pertinaciter ad hærens phantasia; Nova, miraque quotidie oblata detinent animum gratissimo spectaculo, & dùm discit non cogitare de re amatâ, assuescit non amare: sanatur hic morbus si interniserit; extinguitur hic ignis, si materiam

illi ſubtrahas: Vitandæ ergò in primis occaſiones, vt enim objecti præſentiâ fovetur amor, ſic abſentiâ tepeſcit & extinguitur.

CONCORDANTIA. Societas bonorum multùm prodeſt, pudet enim inter illos ridiculam amantis perſonam gerere, & cum ipſis æquè fortia non ſectari: Quot ſocij, tot ſunt libertatis tuæ tutores & vindices.

CONTRARIETAS. Aſperitas vitæ pœnitentis dolore fugat amoris & voluptatis ſenſum; non inſoleſcit corpus confectum mediâ. Læſum oſtendas amorem, verbis, geſtu, factis ſuperinductis, etiam procis quibus data fides; Exponas quæ honori, quæ vitæ parantur inſidiæ, ad quæ te vocet certamina, vt gladiatorem, propulchritudinis ſuæ famâ pugnaturum, vtque coronatam vanitati ſuæ immolandam victimam: Sic zelo percitus amor furit, ſe vendicat, & irritos omnes in ſe efficit conatus, ſi fortiter indignationem & contemptum teſtatus fuerit; lædat ipſam tali contemptu, qui poſteà reconciliationẽ & pœnitentiam non admittat. B

PRINCIPIVM. Quæ debetur parentibus pietas compeſcit amoris æſtus in liberis: Infauſtos amores licebit conjicere ex hoſtili aſtrorum ſitu in vtriuſque geneſi. *Vide Principium Volumatis.* Fruſtrà conſociare putas quod natura diſſociavit; ſui juris eſt, citò ſe vendicabit, & vim ſibi illatam ex aſperatis odijs compenſabit.

MEDIVM. Tantùm poſſunt ad deſtruendum amorem, quantùm ad fovendum conducti prætio ſervi. A Irritabitur, & tandem concidet amor, ſi teſtes hi oculati quotidie referant nova odij & contemptus argumenta.

FINIS. Si non ſit legitimus amoris finis, oſtendatur quam infœlix ſit læſæ pudicitiæ, & famæ exitus. Quæ in naturâ plùs habent activitatis, minùs habent reſiſtentiæ; vtque ignis, ſic amor, facile extinguitur, ſi tibi non blandiaris nec parcas, aptis ad hoc medijs.

MAIORITAS. Amans ad majora, ſuo genio, ſuiſque meritis paria vocandus eſt. Erigendus illi eſt ad præclara animus etiam vanitate, ne patiatur ſe à paribus ſuperari, ne degeneri contubernio labem familiæ ſuæ inurat.

ÆQVALITAS. Etiam in fortunæ & conditionis paritate omnium maxima & invincibilis eſt geniorum diſparitas. B

MINORITAS. Proba non ex æquo amari cæteros, minoris meriti illi prælatos eſſe; Si abjectioris conditionis ſit quæ amatur, vide ne non te, ſed tua amet; ipſa humilitas fortunæ facit ſupicionem, quæ obſtat ſecuræ ſinceritati amoris. Plùs exiges abeâ, cui plùs videris contuliſſe, & ipſa quod optaverat indiſſolubile vinculum conſequuta, id ſuis artibus non amori tuo adſcribet, deluſum cõtemnet, & ſecretis torquebit injurijs. Nociva ſemper cum infirmo ſexu ſocietas; venis in partem miſeriarum, eò infœlicior, quod ſciens & volens ſic impingas.

PRINCIPIVM VOLVNTATIS.

CAVSÆ AMORIS.

MISCELLANEA.

AMANT ſe quidam mutuò ob vtilitatem, aut voluptatem, aut virtutem. Ariſt. 6. Ethic. A

Converſatio cauſat amorem. Vide infrà in philtris, de remotà. *Medium Voluntatis.*

Sol ab aliquibus dicitur origo ignis, Amor à cognitione. *Vide Poteſt. Cognit.*.

In orificio ventriculi eſt nervus exquiſitiſſimi ſenſus, in quo dicitur eſſe principium appetentiæ: tamen eſt ſinè motu, quia ibi non eſt muſculus.

Motus muſculorum eſt liber, non verò motus cordis, vndè caro ejus differt à carne muſculorum.

Senſus generat appetitum, & nihil eſt in appetitu, B quod priùs non fuerit in ſenſu.

In materijs cœlo ſimilibus, diaphanis & translucidis, calefactionem præcedit illuminatio: In opacis verò contrà; debent enim priùs igne purgari. Plotin.

Amantur à Principe hi, qui eadem ſubierunt pericula, ſibi enim favet, dùm quaſi fortiſſimos diligit.

A pulchritudinis contemplatione naſcitur amor. *Vide Poteſt. Cognit. in Miſcellaneis.*

A fibrarum cordis contractione & dilatatione pendet affectuum commotio.

⁂ Cauſa præcipua amoris eſt bonum, quia amor importat quandam connaturalitatem vel complacentiam amantis ad amatum; vnicuique autem bonum eſt ■, quod eſt ſibi connaturale & proportionatum: Secunda eſt, pulchritudo, quæ eſt gratia ſeu venuſtas quædam, quæ ſenſu aut ratione cognita vehementius ad amandum impellit. *De pulchritudinis naturâ & efficaciâ. Vide ſuprà Cognit. Bonit.* Tertia cauſa eſt ſimilitudo amantis & amati, cum ſcilicet amans vel actu vel poteſtate & quadam velut imitatione ſimilis eſt amato qui actu ſimilis eſt alteri, ſuam ipſius imaginem in altero intuens alterum tanquàm ſeipſum diligit; iſque eſt amor amicitiæ: qui verò nondùm actu, ſed poteſtate ſimilis eſt alteri, ipſum amat, illi que vniri optat, quo poſſit fieri particeps earum perfectionum, quæ in ipſo reperiuntur, iſque eſt amor concupiſcentiæ: huc ſpectat illa morum & animorum ſymphathia, quæ eſt occulta quædam naturæ conſenſio & ſimilitudo, quæ facit vt aliud mihi pulchrum, aliud tibi videatur; quia nempè in eo eſt aliquid latens mihi gratum, quod miro quodam modo ſeſe vultu, ac præſertim oculis exprimit, meque ad ipſius amorem pellicit. Quarta cauſa amoris eſt Amor; Amamus enim quia amamur, & rursùs quia amamus, eò vehementius amamus, quia eò ſemper

melius, ac proindè amabilius esse judicatur. Addi possunt causæ naturales, quæ ex cujusque temperamento sumi possunt; quibus enim tenuiores sunt humores, lucidi spiritus, cor calidius, vegetior & subtilior sanguis, item qui facili & miti naturâ ad amandum sunt procliviores.

Superioribus addi possunt hæ generales Amoris causæ, beneficentia, communicatio, probitas morum, integritas famæ, comitas, mansuetudo, vrbanitas, familiaritas, reverentia, fidelitas, veritas absque fictione fiducia in amatum, nollie ab eo timeri, labor impensus amicitiæ parandæ causâ, vndè parentes plùs liberos amant quàm vicissim, difficultas & rei raritas, quæ prætium auget; hæ omnes causæ referri possunt ad triplex bonum, vtile, honestum, jucundum.

Plato. 8. de legib. Geminam dicit esse benevolentiam: alteram morum similitudine, alteram verò ex quadam indigentiâ procreatam: De duplici venere cœlesti & communi. *Vide Differentia Voluntatis.*

Amor omnibus ad omnia est ingenitus, nam superiora, quasi causæ, amant inferiora vt opera sua: inferiora amant causas suas, vt sui conservatrices: æqualium autem maxima est inter se conciliatio. Itaque inferiora, & æqualia amor nectit. Marsil. Ficin.

Omnia animalia quæ habent imaginationem habent appetitum, quo ducuntur ad sui simile, vt indigentiam suam repleant.

Attractio tribus maximè juvatur, similitudine, vacuitate & calore.

Corporalis omnis motus, tùm ab igne, tùm à corpore cœlesti.

Electio est communis cogitationis & appetitus. Vbi est sensus & voluptas, ibi est desiderium & concupiscentia.

Actio omnis à summo agente; Appetitio omnis à summo fine ducit originem. Deus est maximum amoris vinculum inter bonos. *Vide Concordantia Virtutis.*

Epaminondas & Pelopidas Thebani firmissimam inierunt amicitiam, ortam ex eo quod in auxilium Lacedemonium missi, penè fracto exercitu, soli vnanimes fortiter restiterunt hostibus. Plutarch. in Pelopida.

Si æqualitate studiorum orta inter D. Basilium & D. chrisostomum amicitia, vt ipse testatur initio librorum de sacerd.

De diversis causis amoris à sympthiâ, cœlo, temperamentis, &c. *Vid. Differentia Voluntatis.*

Amor præcedit à memoriâ & ratione, & Spiritus S. à Patre & Filio. *Vide Æqualitas Voluntatis.* De gratitudine ergà Deum.

Deus est potentissima causa amoris, vndè vera tantùm est amicitia inter bonos. *Vide Concordantia Virtutis.*

Calor cœlestium augetur tribus modis, videlicet ex perpendiculo; ex propenquitate, sivè perigæo; & ex coniunctione, sivè consortio stellarum.

An Patris consensus sit necessarius in contrahendis filiorum nuptiis. *Vide Suprà Concordantia Voluntatis.*

Venus cum sola dominatur horoscopo, facit blandos, idoneos ad concilianda hominum studia, venustos, misericordes, facile reconciliabiles, denique voluptatibus venereis deditos. Ptolomæus lib. 3. prædict. astrologic. cap. 13.

De causis amoris & concordiæ. *Vide Principium & Medium Concordantia.*

AMOR SIMPATICVS.

CVjuslibet rei tàm materialis quàm immaterialis proprium est ad alium ordinem habere; indè est quod cuilibet rei competit habere appetitum, vel naturalem, vel animalem, vel rationalem, seù intellectualem: In diversis est diversimodè, quia res debet ordinari ad aliam, per id quod in se habet; vndè res materiales, habent tantum ordinationem consequentem ex necessitate naturalis dispositionis, ideò non à se, sed ab illo à quo accipiunt dispositionem ordinantur, est que tantùm in illis apetitus naturalis; in substantiis verò immaterialibus & cognoscibilibus est aliquid absolutè non concretum & obligatum materiæ & hoc secundum gradum suæ immaterialitatis, & ex hoc ordinantur ad res ordinatione liberâ, &c. Card. de. Cusa. pag. 237.

Corpora cœlestia cusant aliquam dispositionem in corpore humano, ex quâ inclinatur appetitus sensitivus, cujus motor est passio animæ.

Quod naturaliter alium convenit & immobiliter, est fundamentum & principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in vno quoque, & omnis motus procedit ab aliquo immobili. Id autem est de intentione naturæ, quod est semper & perpetuum. Appetitus elicitus fundatur in innato.

Cum locus Solis, Lunæ, horoscopus & pars fortunæ sunt in signis iisdem aut permutatis, seù omnes seù plurimi, & maximè cum ascendentes distant in gradibus, erunt naturarum societates firmæ, indissolubiles & in quibus nullæ accidunt injuriæ; secùs verò si in contrarium: Talium aspectus trigoni, aut hexagoni significant aliqualem benevolentiam, quadrato verò minora odia & simultates. Cum lumina congruunt, erit amicitia adjuncta consilio, optima & tutissima; cum autem non congruunt, erit amicitia pessima & infida: si pars fortunæ congruit, erit amicitia vtilitatis causâ; si ascendens, erit amicitia voluptatis causâ. Ptolomæus prædictionum lib. 4. cap. 7.

Si ijsdem sint planetæ in duorum horoscopo, erit magna morum concordia; si varij sint, videndum an sint amici vel inimici.

Amici Saturno, Iupiter, Sol, Luna. Iovi omnes excepto Marte. Marti Venus Sola. Soli, Iupiter, Venus. Veneri omnes Saturno excepto. Mercurio Saturnus, Iupiter, Venus. Lunæ Saturnus, Iupiter, Venus. Capiti Draconis, Iupiter, Venus. Caudæ Draconis Saturnus, Mars.

Inimici Saturno Mars, Venus: Iovi Mars, Marti omnes præter Venerem. Soli Mars Marcum, Lunæ. Veneri Saturnus, Lunæ Mars, Iupiter. Capiti Draconis Saturnus Mars. Caudæ Draconis Iupiter Sol, Venus, Luna.

Addunt astrologi amoris mutui esse causam, si in amborum genesi fiat commutatio luminum; verbi gratiâ si me nascente Sol sit in Ariete: Luna in Libra: te autem nascente Sol in Libra, Luna in Ariete, aut quibus idem signum, aut planeta similis sit in ascendente; aut Venus in eadem domo, & eodem gradu, aut in receptione. Addunt Platonici, quorum vitam idem Dæmon, aut certè similis ducit: Physici, complexionis, nutritionis, eruditionis, consuetudinis, consilij similitudinem amoris causam esse dicunt. Marsil. Ficinus.

Eadem sectabuntur studia, si Mercurius sit in dispositione ejusdem planetæ vt si venus habet illum in

Tauro, alius in Libra ſub dominio veneris. &c.

Genius genio jungitur inſcijs etiam his quibus præſunt. Alanus Varenius epiſt. ad Caſtellum.

Inter ſe habent ſapientes quandam privatam gratiam, & quandam linguam angelicam, linguam angelorum, quâ inter ſe loquuntur mutuis affectionibus; ſpirituali quadam gratiâ communicantur in hoc ipſis exterioribus aſpectibus. D. Bern. lib. de naturâ & dignitate amoris divini. c. penult.

Conſopito Adamo de coſtâ ejus ædificatur mulier, eo ignorante, & tamen viſâ eâ dixit, Nunc os de oſſibus meis. &c. Geneſ. 2.

Quædam arbor innominata, ex omnibus animantibus ſolos equos ad ſe trahit, etiam invitos, quod experimento contigiſſe Alexandro magno equo inſidenti tradit. Plin. lib. 12. c. 12. *Vide Principium Cõcordantia.*

Nati ſub eodem aſtro dominante, idem habent corpus ætereum, & ſimile haberent terrenum, ſimilemque complexionem, ſi defectus materiæ non fuiſſet impedimento; illo autem obvio, ſtatim illi ſuo interiori admovet, & ſi quid de eſt reformat; reformatum tanquàm opus proprium diligit: hinc ſæpè amantes decipiuntur, dùm amatum putant formoſiorem quàm ſit, reſpicientes eum non in merâ imagine per ſenſus acceptâ ſed in ſimulachro ad ideæ ſuæ ſimilitudinem reformato, quod ipſo corpore pulchrius eſt. Marſ. ficin in convivium Platon.

In admiratione fuit Xenophon præſtigiator, qui ignem ſponte ſuâ naſci faciebat. Athenæ. lib. 1. cap. 14.

De antipathia. *Vide Principium Contrarietatis.*

PVLCHRITVDO.

DE pulchritudine, & quomodò alliciat. *Vide ſup. Cognitio Bonitatis.*

Vt radius ſolaris refluxus calorem & igem excitat; ità pulchritudo quæ eſt radius divinus per ſui ſpeciem in phantaſiâ reflexam amorem excitat. Marſil. Ficin.

Sacrũ eſt ternarium apud Pythagoricos, quia Deus ternario numero res gubernat. Primò creat, Secundò rapit, Tertiò perficit: hinc ab Orpheo dicitur Principium, vt producit; medium vt producta trahit ad ſeipſum; finis, prout redeũtia perficit. Similiter poteſt dici. Bonum, Pulchrum, Iuſtum. Divinæ pulchritudinis ſpecies in omnibus parit amorem, hoc eſt ſui deſiderium: à Deo pulchritudo quæ allicit, vt in principium ſuum refundat, circulus eſt boni, à bono, per bonum, in bonum. Theologi veteres Bonitatem in centro poſuerunt, ſcilicet Deum, ab eo effuſam pulchritudinem, ad ipſum redire conantem in quatuor circulis, ſcilicet Mens, Anima, Natura, Materia. Mens ſtabilis circulus; Anima, per ſe mobilis; Natura mobilis in alio, non alio; Materia ab alio & in alio mobilis: Denique Bonum dicitur ſupereminens Dei exiſtentia.

Pulchritudo actus quidam, ſivè radius indè per omnia penetrans. Primo in Angelicam mẽtem; Secundo in animam totius & reliquos animos; Tertio in naturam; Quarto in materiam corporum: Mentem idearum ordine decorat; Animam rationum ſerie complet; Naturam fulcit ſeminibus; Materiam formis exornat: & vt Solis radius vnus, mentem, animam, naturam, materiamque illuminat, atque in æis quatuor elementis, quicumque lumen inſpicit, Solis ipſius aſpicit radium; perque ipſum ad ſupernam Solis lucem intuendam convertitur. Ità quiſquis decorem in quatuor iſtis, mente, animâ naturâ, materiâ contemplatur, amatque Dei fulgorem in his, perA que fulgorem hujuſmodi Deum ipſum intuetur & amat. Vndè corporis aſpectu non extinguitur amoris impetus; qnia ſuperni luminis ſplendorem per corpora refulgentem admiratur affectus & ſtupet: Hinc neſciunt quid optent amantes, odorem habent, cujus nondùm preceperunt ſaporem; hunc divinum fulgorem obtupeſcentes venerantur; omnia alia propter id ſpernunt, æquum eſt enim divina humanis præferri; volunt transferri in amatum, homo enim Deus fieri cupit. Mixtus eſt dolor gaudio, quia ſe perdunt, in melius tranſituri, &c. Vide Marſil. ficin. in convivium Platon. oratione. 2. cap. 3. & ſequentibus.

De ornatu. *Vide Cognitio Virtutis*; in Miſcellan. & ex jure. civili.

B Pulcher erat Stephanus corde & corpore, imitabatur dominum, de quo dicitur pſal. 44. Specioſus formâ præ filiis hominum; & ſpecie tuâ & pulchritudine. tuâ. &c. D. Auguſt.

Pulcher animus in pulchro corpore, fulgens gemma in pulchro annulo; Regina in curru triumphanti Salomonis; Moyſis facies ſplendens, dùm Deo erat plenus; Ignis in lampade aureâ.

Ecce tu pulchra es amica mea; Ecce tu pulchra es. Bis pulchra propter perfectionem corporis, & munditiam cogitationis. D. Bernard. de modo benè vivendi. c. 9.

Datur vna ſumma pulchritudo, C quæ non eſt corporalis, temporalis, corruptibilis. *Vide Principium Veritatis.* de Idæis.

Homines gaudent flores manibus præferre, propterea quod per horum deſiderium natura cupientes pulchritudinem ſignificat. Athenæ. lib. 12. cap. 31.

Apud Eleos fiebat certamen de formæ præſtantiâ, judiciumque magno cum ſtudio: is quis vincebat, arma referebat pro præmio: & hæc coronatus ab amicis, magnâ cum pompâ in ſacellum Palladis deponebat. Id eſt pulchritudo ad caſtam ſui conſervationem indiget multâ fortitudine, divinaque ſapientia. Athenæus. lib. 13. cap. 32.

Pulchritudo à Platone in Hippia majore ſeù dialogo de pulchro, definitur ſummi boni ſplendor, fulD gens in iis, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur, perque illa nos ad ipſum bonum convertunt: Eſt actus, vivacitas, & gratia quædam ideæ ſuæ influxu in ipſo refulgens.

Idem in convivio, Beatum dicit amorem, eo quod ad perfectionis omnimodæ cõplementum habet ſicut internem, ſic externam bonitatem: interna perfectio producit externam, ex dominio formæ ſuper materiam; ſic in gemmis apta quædam elementorum permixtio, nitorem parit exteriorem; herbas & arbores innata radicibus, medulliſque fœcunditas, florum & foliorum grariſſima veſtit varietate; In animalibus ſalubris humorum complexio, jucundam lineamentorum & colorum ſpeciem procreat; Virtus etiam animi decorem quemdam præ ſe ferre videtur, in verbis, geſtibus, operibus honeſtiſſimum; Cœlos quoque ſublimis eorum ſubſtantia clariſſimo lumine circum fundit, vndè pulchritudò poteſt dici bonitatis internæ flos, qui allicit ad ſe intuentes: Nam cum mentis noſtræ cognitio à ſenſibus ducat originem, bonitatem ipſum in rerum penetralibus inſitam, nec intelligeremus vnquàm, neque appeteremus, niſi gratâ illâ ſpecie externâ allecti. Marſil. Ficin.

Platonici omnia ad ſuum primum principium reducere ſatagentes, honorandum præcipiebant omne id quod ſenſibus gratum offerebatur: hiſque perceptis ſe ad mentem & rationem colligere, atque ibi omnium caput, & ſummam pulchritudinem obſervare, & ibi illum admirari, qui in vnitate omnium comple-

ctitur pulchritudinem: Ideo enim grata pulchritudo, quia diversa in vnum aptè contemperat.

In scripturis, per externam pulchritudinem ad Deum contemplandum allicimur : Ab origine mundi horti describuntur fructibus & floribus pulcherrimè consiti ; cæli fulgentes enarrant gloriam Dei ; Moysi in monte pulcherrimum ostenditur tabernaculum ; In canticis mira sponsi & sponsæ describitur pulchritudo; Etiã Barbari pulchritudine capiuntur: & creditum est primis hominibus imperium in alios, ob pulchritudinem delatum, nam illi liberè gaudentesque subjiciuntur: est etiam imago internæ sapientiæ, omnia in optimum ordinem redigere valentis.

Christus pulcher præ filijs hominum.

Dominus regnavit, decorem indutus est. Amictus lumine sicut vestimento. Specie tuâ & pulchritudine tuâ, intende prosperè, & regna. Sic apparet in transfiguratione, sic beati fulgentes apparent, tales erunt in gloriâ, vbi summa dilectio. Innumera alia dici possunt de pulchritudine, quæ oportunius in alios locos rejecimus.

Vide quæ scripsi de pulchritudine Theolog. natur. tom. 1. parte 1. cap. vlt. & qualiter eâ vtendum. Moral. Christian. tom. 4. parte 1. cap. 15.

Decorum idem quod bonum; quod autem indecorum hoc malum : Terra quæ bona est, fertilis atque fœcũda; quæ autem mala, ea jejuna atque sterilis; quæ vero fertilis, hæc & decora : quid enim pleno agro pulchrius cum seges fluctuat, cum poma rutilant. &c. Iacob decorus erat, & ideo odor agri pleni. &c. D. Ambros. lib. de Isaac. cap. 7.

Speciosas personas accipere debemus clarissimas vtriusque sexus. l. 100. ff. de verbor. signif.

Fortè huic corpori data pulchritudo, vt decorũmi deformitatem argueret animi, quid enim indecentius quàm recto, & cœlum respiciente corpore, curvum gerere animum : Erubesce anima, &c. D. Bern. Serm. 25. super Cantic.

Viæ ejus viæ pulchræ. *Vide Gloria Virtutis.*

Rex apum cæteris pulchrior. *Vide Cognitio Potestatis.* Videri potens.

De delectatione, quæ est boni esca. *Vide Bonitas & Potestas gloriæ.*

Alexander Seleucus sophista pulcherimus fuit, & suæ pulchritudinis escâ adolescentes ad Philosophiam trahebat Philostr. in vitis sophistarum.

Adrianus Sophista Athenis non declamabat nisi auro & gemmis splendidâ veste, sic concilians benevolentiam. Ibidem.

EX THEOLOGIA.

CHaritas est à Deo. *Vide Principium Virtutis &* vera amicitia. *Vide Concordantia Virtutis.*

Actio voluntaria fundatur super actione naturæ. 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1. D. Thom.

Amor naturalis non est passio, sed connaturalitas rei. 2. 2. q. 26. a. 2.

Aliquid est causa amoris dupliciter, scilicet vt ratio & vt via. 2. 2. q. 26. a. 1.

Bonum est causa amoris propria, vt proprium ejectum. 1. 2. q. 27. a. 1.

Sicut ex delectatione causatur amor, sic ex tristitiâ odium. 2. 2. q. 34.

Odium potest esse per accidens causa amoris, in quantùm aliqui conveniunt in odio alicujus. 1. 2. q. 31. a. 4. 3.

Apprehensio vnitatis est causa amoris, quia si aliquid apprehenditur vt pertinens ad benè esse amantis, causat amorem concupiscentiæ; si verò vt alterum se causat amorem amicitiæ. 1. 2. q. 28. a. 1.

Similitudo est per se causa amoris, sed per accidens, scilicet vt impedit proprium bonum, est causa odij. 1. 2. q. 27. a. 3.

Spes causat amorem, & auget, quia causat delectationem, & auget desiderium. 1. 2. q. 27. a. 4. ad 3.

Angelus potest immutare voluntatem hominum, persuadendo, vel concitando passiones. 1. q. 106. a. 2.

Angelus superior movet voluntatem Angeli inferioris aliqualiter vt objectum, persuadendo, non autem ex necessitate nec ex parte potentiæ. 1. q. 106. a. 2.

Appetitus naturalis est in qualibet potentiâ animæ, & in voluntate, in omni membro, & in qualibet re. 1. q. 78. 1. 3.

Appetitus quilibet sequitur cognitionem, naturalis naturalem, sensitivus apprehensionem sensus, intellectivus intellectum. 1. q. 78. a. 1. ad 3. 12. q. 40. a. 3.

Appetitus inferior naturaliter sequitur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet. 2. 2. q. 158. a. 8.

Secundùm gradus cognitionis sunt gradus appetitus. 1. q. 80. a. 1.

Deus mouet hominem ad agendum tripliciter scilicet proponendo apetibile, aut mutando órpus, aut movendo voluntatem. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. Solus Deus potest imprimere in voluntatem. 1. q. 4.

Passiones animæ tantò vehementius impelluntur, quantó magis sequuntur inclinationem naturalem. 2. 2. q. 155. 2.

Objecta passionum animæ se habent ad eam vt formæ à quibus specificantur, ideò quidquid est causa objectorum, est & causa passionum. 1. 2. q. 44. a. 1.

Regula voluntatis humanæ duplex, scilicet vna propinqua & homogenea, idest ipsa humana ratio : alia verò remota & hetegeronea, scilicet prima regula, lex æterna, quæ quasi ratio Dei. 1. 2. q. 2. 1. a. 1.

Voluntas causatur dupliciter vel ab exteriori, scilicet ab objecto, vel illud representante; aut ab intrinseco, scilicet à seipsâ. 1. q. 105. a. 4.

CHARITAS A DEO.

Vide Principium Virtutis.

A Sole omnium lucidissimo habent omnia lumen. A summo omnium amore habent omnia vt ament, quadruplici amore; seù superiora provocet vt inferioribus provideat, seù inferiora revocet ad superiorum virtutem, vel similitudinẽ comparandam; seù ea quæ sunt ejusdem generis & ordinis ad mutuam communionem & participationem conciliet; seù vnum quodque ergà seipsum ad se conservandum afficiat : Dei ergò omnium Creatoris & conservatoris vices agit amor, vimque ab eo quasi vicariam accipit, vt omnia vinculo connectat. Marsil. Ficin.

Si ex lyrâ, in liram similiter temperatam, motus, sonusque transit quid mirum est sonante divinâ mente, mentem hominis ad ejus similitudinem factam consonare. Sic in mille speculis ordine dispositis, mille fabri resultant imagines; ad motum viventis oculis imaginarij cuncti in speculis moventur; ad motum membrorũ viventium imaginaria membra, similiter Deus animas procreat, deindè his sese objicit tanquam speculis, & in singulis efficit sui imagines : Vultus in speculo, quandò videtur vultum aspicere vndè manat, re verâ potiùs aspicitur quàm aspiciat : Ideò Paulus ait. Cum Deum cognoveritis, imò cogniti sitis à Deo, &c. Vt omnia insito motu feruntur ad suum centrum,

sic anima ad creatorem ; vndè patet quòd creatæ fuerunt potiùs per amorem quam per intelligentiam, quia per amorem potiùs convertuntur & trahuntur : Amor ergò nihil est aliud quàm raptus, à primo eunctis illatus; non videmus trahentem, vt nec vim à magnete in ferrum emissam : Voluntas ergò est porta, per quàm mentes dum creantur egrediuntur, & dum recreantur regrediuntur. Sic David, attollite portas. Alanus Varenius. lib. de amore.

Amor animam à multitudine, tùm alienâ, tùm suâ, revocat ad vnitatem per quàm veræ vnitati, ipsiusque beneficio conjungitur, quis enim ad vnitatem seducat nisi vnitas? Deus se beatæ menti conjungit tanquàm forma quàm videat, & per quàm videat. Marsi. Ficin.

Lucernâ fulgoris est verus amor, ardens in mente per desiderium, & splendens in facie per exemplum: & hic amor jam nudus non est, & purè naturalis, sed indutus fontani amoris radio, jam infusus, jam purgatus, & elevatus suprà naturam, in quâ jacebat informis. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris; Amor infusus, fulgor oculi in lumine, vel veriùs lumen efficax in fulgore, &c. Idiota in contemplat.

Rapit Deus quos amat maximè, amat autẽ amantem, & hic amor nihil aliud est quàm velle amare & rapi; sed hoc nunquàm voluisses, nisi antè voluisset. Quemadmodùm luna non refulget in solem, nisi à sole priùs accensa; sic ipsum non amas amatorem, nisi amore ipso te amante, atque afficiente fueris inflammatus: Hunc igitur non invocas instar Echo, nisi priùs te vocantem; non apprehendis, sicuti neque locum, nisi comprehendentem: Finita potes capere, etiamsi non capiaris, infinitum operò capere, etiamsi non capiaris, infinitum verò capere, nihil aliud est quàm capi, vt imago in speculo, dùm respicit vultum, est à vultu aspiciendo formari. Rursùs quemadmodùm actio atque motus non metiuntur nobis tempus, nisi tempus re verâ hæc ipsa dimetiatur; sic anima neque respicit Deum, neque judicat, nisi dijudicantem. Anchora trahit se trahentem in mare. Marsilius Ficinus. *Vide Principium Potestatis.* Reges à Deo, & *Principium Cognitionis.*

Deus Vnus Trinus est principium & nexus charitatis. *Vide Differentia Magnitudinis.* de ternario numero.

Gedeon affert quidem sacrificium coràm Angelo, sed Angelus illud virgâ tangens incendit. Iudic. 6. Sic sæpiùs ignis descendit de cœlo & devoravit holocausta. Sic in libris Machabæorum lutum soli expositum inardescit. Misit ignem in ossibus meis & erudivit me. Thren. 1.

Deus est prima causa vnionis. *Vide Principium Concordantiæ. Vide Principium Finis.*

CAVSÆ AMORIS.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Nihil amatur nisi sub ratione boni, est autem bonum honestum, vtile, jucundum; & hinc sibi suadendi artem fecit Rhetorica: Amor naturalis, cum sit indigens, maximè movetur vtili, vndè affectum conantur omnes promereri muneribus; Principes initio imperij largitione, futuri conjuges arrhis sponsalitijs. Qui dat se miro quodammodo insinuat, & immiscet vitæ accipientium, qui non possunt se amare, quin simul ament talia sibi gratissima dantem. *Vide Voluntas, & Potest. Bonitatis.*

MAGNITVDO. Inest nobis idæa quædam infiniti, vndè exiguis non contenti amamus amplitudinem, in fundis, hortis, fluvijs, fontibus, gemmis, ædibus, feretris, & cæteris rebus omnibus. *Vide Voluntas Magnitudinis.*

DVRATIO. Sic æternitatis avidi negligimus fragilia, inconstantia, & delectamur his quæ diutiùs durant. Præferimus vniones roris splendentibus guttulis, sed mox dissolvendis, gemmas vitro, & momentaneis, ea quæ ad posteros transeunt. Mercibus, artium organis prætium est ex duratione. Amat populus consueta, nec hinc facilè dimovetur; vndè tutius & suavius est hæreditarium regimen. *Vide Voluntas Durationis.*

POTESTAS. Ambiunt omnes potentiam, illique supplicatur, quasi numini, à quo pendet voti omnis impletio. Defectus seù genij, seù corporis suppleat divitiæ. Infirma conantur adhærere potentioribus, à quibus sustententur. Divitum amicitiam & præsidium conantur pauperes officijs suis promereri. *Vide Voluntas Potestatis.*

COGNITIO. Ex cognitione amor. *Vide Potestas & Virtus Cognitionis.* Pulchritudo ex Platonicis est boni esca. *Vide Cognitio Bonit.* Mens rationalis intellectuali movetur pulchritudine, qualis est in mentibus, scientiâ, prudentiâ, industriâ præstantioribus: has animi dotes nobis optamus, in alijs miramur & diligimus.

VOLVNTAS. Amor amorem metetur. *Vide Æqual. Volunt.* In homine sufficiens est amoris causa, libera ipsa mentis in amorem inclinatio; libertatis enim jus est se vt placuerit determinare, & in se habere motionis suæ principium.

VIRTVS. In theatris applaudunt omnes præ cæteris forti & industrio: Virtutem omnes amant, & in hoste etiam venerantur; quisque virtute præstantem colit, vt hinc habeatur illi similis. *Vide Voluntas & Gloria Virtutis.* Hinc cæcus qui non videt corporeas dotes, potest tamen adoptare. l. 9. ff. de adoption.

VERITAS. Affectata, fucata omnia, quæ oculis & mentis imponunt, displicent; indignationem autem maximè commovent, si hoc mendacio amorem ad indigna deducant: Gratissima autem est, & ad amorem conciliandum mirè virtutis simplicitas, vt qui in virginibus fulget innocens pudor. *Vide Voluntas Veritatis.*

GLORIA. Voluptatem, vltimum finèm posuerunt Epicurei, quia vltimum est quod propter se, & non propter aliud in boni fruitione amatur: vix ipsa virtus suos haberet cultores, si non pro præmio secreta, sibique sufficiens tranquillitas animum deliniret: Beatitudinem etiam Christiani per mentis voluptates describunt. Sensus omnes, non tàm amant objecta sua, quàm ex illis nascentem voluptatem. Omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci. *Vide Volunt. Gloria.* De honoris stimulis. Ibid.

DIFFERENTIA. Torpescentes amoris flammæ interpositis absentijs restituuntur. Eadem semper non patitur mens humana, sed novitate tædium suum levat, & spes accendat. *Vide Volunt. Different.* Vt cum igne sic cum principe, non enim amant secreta sua curiosis rimantes, sed eos qui ex humili recessu expectant vocem ad officia vocantem: Perspectiva certam postulat objecti distantiam.

CONCORDANTIA. Cùm Similitudo sit secunda quædam identitas, quisque sibi similem quasi sui ipsius amat: ità luminum, aquarum, liquorum, metallorum fusorum, corporum in minutissimas partes contusorum, fit tàm perfecta mixtio, vt vnum quid videatur. *Vide Concord. Æqualis.*

CONTRARIETAS. Etiam contraria ſe mutuò in re- A medium quærunt: amant melancholici ſanguineos, ſenes pueros, ignorantes litteratos, à quibus infidens illis malum levari ſentiant. *V. Concord. Contrar.* Nitimur in vetitum, amoremque ſæpiùs irritavit ipſa amoris prohibitio: amatur qui adverſa fortiter perpeſſus eſt, quaſi ſit is ſub ſpeciali numinis protectione: amantur magno labore parta, qua ſint magis præclara, difficultatem enim conſequendi rerum meritis, non vitium noſtrarum defectui adſcribimus; ſic dupliciter nobis blandimur.

PRINCIPIVM. Quod principij loco eſt non amatur tantùm; ſed colitur, vt patria, familia, parentes; videtur enim illis ineſſe aliquid purioris, quæ in nos fluxit, exiſtentiæ. Amor effectus cauſis conjungens continuum efficit, à cujus ſolutione cavet natura. *Vide Voluntas & Gloria Principij.* B

MEDIVM. Ferè omnia amantur propter aliud, & ſibi mutuo famulantur, vt corporis organa; congerunt divitiæ, parantur amici; gaudet experimentis prudentia, officijs ambitio, vt his inſtructa potentia quod voluerit faciliùs exequatur. C

FINIS. Propter ſe amatur, & cætera propter ipſum: Mercenarius præſtolatur finem operis ſui; viator optat locum quietis jam inclinatâ die: ſubordinati fines, dum illos conſequimur levant animum, & æmulantur victimi finis fruitionem. *Vide Voluntas Finis.*

MAIORITAS. Cùm hic non habeatur perfecta & ideæ ſuæ reſpondens excellentia, commendantur res factâ cum alijs comparatione, vt illæ habeantur præſtantiores, & ſic plùs amentur quæ minores habent defectus, & plùs commodi. *Vide Majorit. Volunt.*

ÆQVALITAS. Amatur ordo, qui dicit æquabilem partium diſpoſitionem, itavt nihil tumeat aſpero cumulo, aut ſubſideat turpi hiatu: in organis ad idem diſpoſitis amatur æqualitas, vt in duobus oculis, in collegis, in jugalibus equis, in vnionibus & ornamentis, quæ ſibi ex adverſo reſpondent: jus naturæ eſt ſimiles & Conſanguineos diligere. *Vide Volunt. Æqualit. & Concordantia Æqualitatis.*

MINORITAS. Ipſa infirmitas dupliciter eſt cauſa amoris, ſeù quia movet ſuperiora vt auxilium præſtent laborantibus, ſeù quia excitat dejecta ad amorem ſuperiorum, vndè ſpes eſt auxilij. Plato in convivio varijs id explicat figuris, cum dicit amorem natum ex chaô; quia mens & quælibet eſſentia appetit bonum quo caret, & ad quod habet inclinationem, vt oculus lucem. Ibidem dicit amorem natum ex Poro Deo conſilij & Pœniâ, ideſt paupertate; vndè medius eſt inter mortales & immortales: ſtat totius naturæ ordo hoc concurſu, rerum perfectarum ſe benignè inferioribus communicantium, & inferiorum ad ſuperiora nitentium; Dicit etiam amorem cæteris Dijs eſſe antiquiorem & juniorem: Antè & poſt neceſſitatem regnare, quia Deus liberrimè, ſibi ſufficiens, omnia amore creavit; ſed creata dùm agnoſcunt ſe pendere à ſuo creatore, in illum neceſſitate convertuntur. Vide Marſilium Ficinum qui hæc fusè explicat, in convivium Platonis. cap. 3. & oratione. 5. c. 10. 11. &c.

MEDIVM VOLVNTATIS.

QVIBVS MEDIIS EXCITATVR VOLVNTAS ET AMOR.

De Admonitione, Eloquentiâ. *Vide Medium Cognitionis.*

MISCELLANEA.

HIc applicari poſſunt ea omnia quæ D proximè dicta ſunt de principijs voluntatis, ſunt enim cauſæ intermediæ, & quaſi inſtrumentales.

Certis quibuſdam diſpoſitionibus determinatur materia prima ad certas formas, cum per ſe ſit indifferens.

Princeps conciliat ſibi populi benevolentiam clementiâ, largitionibus, modeſtiâ, virtutibus Regijs, & ſi grata & benefica per ſe, dura per alios exequatur. E

Appetitionem cibi augent, & excitant, quæcumque ſanguinem contentum in ventriculi tunicis, in arctum cogunt, & aſtringunt, vt aquæ potio, vſus ciborum refrigerantium, aut aſtringentium, vigilia, & quidquid dat frigidiorem temperaturam ori ventriculi. Minuunt autem appetentiam, quæ ſanguinem fundunt, & calefaciunt. Galen.

Advocatus, procurator, interceſſor, proxeneta, arbiter legati, &c. *Vide Medium Bonitatis; Medium Gloriæ.*

Deferuntur fructus terræ promiſſæ ad populum, vt accendatur ad eam obtinendam. Num. 13.

Secretum naturæ eſt, hominum animos magis affectibus patere, cum cõgregantur, quàm cum ſoli ſunt.

Sapor eſt condimentum alimenti.

Objecta movent potentias, potentiæ paſſiones appetitum rationalem ſeù voluntatem. D. Thom. 2. 2. q. 152. a. 1.

Appetitus rationalis non fertur in particulare, niſi ſub ratione vniverſalis. 1. quæſt. 80. a. 2. ad 2.

Oculi ſunt in amore duces, & de amatoriâ per oculos faſcinatione. *Vide Poteſtas Cognitionis.*

Convivijs parantur amicitiæ, animis ſcilicet in eandem voluptatem concurrentibus & conſentientibus: vinum etiam videtur habere vim quæ ad amicitiam trahat, cum animum & accendat, & diffundat. Athenæus. lib. 5. cap. 1.

Arteriarum munus eſt cuſtodire naturalem caliditatem, & nutire animalem ſpiritum. Galenus. lib. 1. de vſu partium.

Iuramentum. *Vide Duratio Voluntat.*

In equorum & boûm corde interdùm inveniuntur oſſa ad ſtabilimentum magnitudinis. Plin. lib. 11. cap. 37.

Vnguentorum ſumma commendatio eſt, vt tranſeunte fœminâ odor invitet etiam aliud agentes. Id. lib. 13. cap. 3.

De contrahendâ & committendâ rerum emptione. Cod. 8. tit. 38.

De ſtipulationibus, litteratum, verborum obligationibus, & cæteris juris formalitatibus, vt de ſolemnijs teſtamentorum. De præſcriptis verbis & in factum actionibus. De contractis innominatis, &c. De fide inſtrumentorum, his omnibus determinatur, & determinata probatur voluntas. *Vide Cognitio & Veritas Voluntatis.*

BLANDITIÆ.

HÆres no incidit in crimen captatæ hæreditatis ſi blando ſermone meruit affectus teſtatoris. l. fin. ff. ſi quis aliquid teſtari prohibuerit. Sic judicium vxoris poſtremum in ſe provocate, non eſt criminoſum. l. 3. eod. Cod. Captatorias inſtitutiones, non eas ſenatus improbavit, quæ mutuis affectionibus judicia provocaverunt. leg. 70. ff. de hæredib. inſtituend.

Raptores putantur facinus virginibus inſpiraſſe. l. vnic. §. pœnas autem Cod. de raptu virgin.

Quantùm poſſit conſilium & ſuaſio. *Vide Poteſt. Cognitionis.*

Fera quædam ingenia nimis, & coactione exaſperantur, blanditijs tantùm miteſcunt. *Vide Minoritas Contrarietatis. Bona.*

Sic adulatione alliciuntur potentium animi. *Vide Verit. Volunt. Repugn.*

Antiqui Veneris & Mercurij ſtatuas jungebant; ſimul etiam erant imagines Suadæ matris eloquentiæ, quia blandis ſermonibus amor comparatur, & conſervatur. Plutarchus in præcept. matrimon.

De Adulatione. *Vide Concord. Poteſtatis.*

Perfricantur partes, vt in eas ſic rarefactas ab excitato calore naturali medicamentum altiùs penetret. Galenus.

Cajus officijs ſuis promeruit Tiberij affectum & imperium, de eo dicit Sueton. cap. 10. Nec ſervum meliorem vllum, nec deteriorem Dominum fuiſſe.

PHILTRVM AMATORIVM.

HEcatoncephalos herba, vtriuſque ſexus ſimilitudinem refert, rara inventu, ſed ſi viris contigerit, amabiles fiunt.

In Boëtiâ lacus Furialis eſt, cujus epotæ aquæ ad venerem ſtimulant. Iſidor. lib. 3. cap. 13.

In inſulâ Cyro mons eſt, non admodùm excelſus, Arcadius nomine, in eo ſlabia naſcitur herba, cui inditum à naturâ eſt, vt ſi excidatur emanet ab eâ liquor ſanguineus tepeſcens, quo dum tepor durat, ſi quis ab alio contingatur, occulta quadam ratione trahitur in amorem ejus qui tetigerit; at ſi is ſuccus refrixerit, eoque quiſquam contingatur, amoris refrigerationem benevolentiæque averſionem inducit. Mathiolus. colloquio. 20. de herbis.

Piſces venenatis quibuſdam compoſitionibus capiuntur certò, ſed periculosè illis vtimur: Circe nullam percipit voluptatem ex ſocijs Vlyſſis, poſtquàm eos in diverſas animalium ſpecies vertit: ſic gratus non eſt amor magicis artibus comparatus. Plutarch. in præceptis nuptiarum.

Eorum ſcientia ſeveriſſimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus pudicos animos ad libidinem deflexile detegentur. l. 4. Cod. de maleſ. & mathem.

D. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus cùm antequàm eſſet Chriſtianus, non potuiſſet luſtinam virginem magicis artibus ad amorem compellere, vt potè Chriſtianis Sacramentis munitam, ad fidem converſus eſt. Niceph. lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 27.

Refert D. Hieronymus in vitâ Hilarionis, ſuis precibus ſanatam puellam, quàm juvenis magicis artibus amore dementarat.

Pana piſcis eſt, in cujus capite invenitur lapis nomine Aſterites, qui ſolis radijs inflammatur, & ad philtra amatoria multùm facit. Tradit Plin. lib. 18. cap. 4. Sagittas corpore eductas, ſi terram non attigerint, ſubjectas cubantibus amatorium eſſe. Vide plura apud Petrum Gregor. Syntagma. jur. lib. 34. cap. 12.

Anacampiſeros herba dicitur à Magis vim habere revocandi amoris. Albert. Magn.

Caudæ lupi villus amatorius ineſt perexiguus, quem ſpontaneo damno abijcit, cum capi metuit, nec habet potentiam niſi viventi detrahatur. Solinus Poliſhoſt. cap. 8. Plin. lib. 8. cap. 22.

Amorem excitant animalia maximè amore flagrantia, vt columbæ, turtures, paſſeres, eorumque corda, dum hac tenentur paſſione, ſunt enim ſpiritibus referta, fœminarum viro, maſculorum mulieri præbenda. Res etiam omnes attractivæ valent ad amorem, vt magnes, cornu cervi trahens ſuccinum paleas.

Spongiæ, quarundam herbarum ſuccis imbutæ conferunt ad Venerem avium, impetu, & vſque ſeptuagies iterandam. Athenæ. l. 1. cap. 22.

Sincus naſcitur in Nilo, potentiſſimus ad inflammandam virorum Venerem. Plin. lib. 8. c. 25.

Equis amoris veneficium innaſcitur, hippomanes appellatum, in fronte, caricæ magnitudine, colore nigro; quod ſtatim edito partu devorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, ſi quis præreptum habeat. Plin. lib. 8. cap. 42.

Remora valet ad conſtantiam amoris. *Vide Duratio Voluntatis.*

Dextra pars proboſcidis Elephantis, cum lemniâ rubricâ alligata, impetus libidinum ſtimulat. Ibid. cap. 8.

Baſilius hæreticus ſanctimonialem magiâ in inſanum ſui amorem excitavit. Baron. an. 504.

OSCVLVM.

ESt oſculum corporale, quod impreſſione fit ſenſorum, quod non eſt oſtendendum niſi certis horis & perſonis, vt in ſignum reconciliationis, vt eum inimici fiunt amici pacis, ſicut communicati in Eccleſiâ interiorem pacem exteriori oſculo demonſtrant. Dilectionis, vt inter ſponſum & ſponſam, vel ſicut ab amicis poſt diuturnam abſentiam & peregrinitur & ſuſcipitur. Catholicæ vnitatis, ſicut fit cum hoſpes ſuſcipitur. Sed ſicut plerique aquâ, ferro, igne, aëre, cibo, quæ naturaliter bona ſunt, in ſuæ crudelitatis vel voluptatis ſatellitium abuuntur, ità per-

verſi & turpes & hoc bono ſua quodammodò flagitia condire nituntur, ipſum oſculum tantâ turpitudine fœdantes, vt ſic oſculari nihil ſit aliud quàm adulterari. Porrò oſculum ſpiritale propriè amicorum eſt, qui ſub vnâ amicitiæ lege tenentur: non enim fit oris attactu, ſed mentis affectu; non conjunctione labiorum, ſed commixtione ſpirituum, caſtificante omnia Dei ſpiritu, & ex ſui participatione cœleſtem immittendo ſaporem. D. Aug. Tom. 4. lib. de amic. incert. Auth. cap. 6.

Oſculatus eſt Iacob Rachel, &c. Conſuetudinis quidem fuit, maximè in ſimplicitate antiquorum, vt propinqui propinquas oſcularentur & hoc hodie fit in multis locis. D. Aug. lib. quæſt. ſup. Gen. q. 87.

Quid loquar de oſculo oris, quod pietatis & charitatis eſt pignus: oſculantur ſe & columbæ, ſed quid ad humani oſculi venuſtatem, quo amicitiæ inſigne humanitatiſque præfulget, in quo plenæ charitatis fides exprimitur, vndè impiiſſimus Iudas charitatis inſigne convertit in ſignum proditionis, & pacis pignore vſus eſt ad officium crudelitatis. D. Ambroſ. examer. lib. 6. cap. 9.

Oſculum eſt quo invicem amantes ſibi adhærent, & velut gratiæ interioris ſuavitate potiuntur. Idem lib. de Iſaac. cap. 3.

Sic miſcentur ſpiritus, & videtur fieri optata vtrinque animarum transfuſio.

Olim amici occurentes ſic ſe ſalutabant, quàm conſuetudinem vt faſtidioſam fruſtrà conatus eſt abrogare Tiberius. Sueton. in ejus vitâ. c. 34.

Fiebant & in Eccleſiis ſalutationes in oſculo ſancto, ſed ne gliſcente malo corrumperetur, & non eſſet ſanctum, pia quædam imago deoſculanda porrecta eſt. Vide Baron. an. 45. num. 23.

Accede ad me & da mihi oſculum fili mi, & accedens Iacob qui credebatur Ezau oſculatus eſt eum: & dixit Iſaac. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Gen. 27.

Currens itaque obviam fratri ſuo amplexatus eſt eum, ſtringenſque collum ejus & oſculans flevit. Gen. 33.

Oſculatuſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos. Gen. 45.

Egreſſus Moyſes in occurſum Iethro cognati ſui, adoravit & oſculatus eſt eum, ſalutaveruntque ſe mutuò verbis pacificis. Exod. 18.

Vocatuſque eſt Abſalon & intravit ad Regem, oſculatuſque Rex Abſalom. 2. Reg. 14.

Ait Elizeus ad Eliam, oſculer oro patrem meum & matrem meam, & ſic ſequar te. 3. Reg. 19.

Oſculatus eſt Raguel Tobiam dicens, Benedictio ſit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es. Tob. 7.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. 1.

Maria oſculabatur pedes Ieſu, qui vt eam multùm dilexiſſe probet, ait, non ceſſavit oſculari pedes meos. Luc. 7.

Cum adhuc longè eſſet vidit illum pater ipſius & miſericordiâ motus eſt, & occurrens cecidit ſuper collum ejus & oſculatus eſt eum. Luc. 15.

Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis. Prov. 27.

Iuda, oſculo filium hominis tradis. Luc. 21.

Salutate invicem in oſculo ſancto. Rom. 16. & ſæpiùs alibi.

MEDIA ET IMPERfecta voluntas.

MEdia voluntas eſt in conſultationibus. *Vide Duratio Cognitionis.* In arrharum datione, ſeù venditionis, ſeù ſponſalitijs, quarum factâ jacturâ licet pœnitere.

Cum omnia animalia in rectum procedant, caneri ſoli peculiari moventur modo, non in rectum, ſed in latus. Ariſtotel.

Animalium mares & fœminæ conſentiunt medio quodam amore, etiamſi non ſit tempus coitus.

Motus circularis componitur ex attractione & expulſione; hunc motum imitantur partes vitales corporis, maximè cor ſiſtole & diaſtole, maria fluxu & refluxu; cum non valeant circulum perficere.

Cœlum non eſt nec leve, nec grave. Aër movetur ſurſùm ſecundùm quid.

Corpora cœleſtia inclinant voluntates non neceſſitant. *Vide Principium Voluntatis.*

Non eſt neceſſe vt medium moveatur eo motu, quo res vltimo movetur. Averr.

Peripatetici colligunt cor eſſe principium motus, quia omnis motus animalium fit in procedendo & fugiendo, cor autem primum movetur ſecundùm ſiſtolem & diaſtolem.

Sapiens conſentit fati legibus, & vltrò offert quod neceſſario daturus eſt. Non eſt tamen vera voluntas, quia non eſt electio.

Plato 4. de legibus, Dicit homines propriè non condere leges, ſed ſe eventibus à Deo miſſis accommodare, vt facit gubernator in mari, & qui talis ludit.

Idem lib. 9. de legibus. Dicit actus vitiorum partim eſſe volentarios, quia conſentiente voluntate fiunt, partim involuntarios, quia ad detrimentum, deformitatem, morbum clàm deducunt, hæc autem vellet nemo, tùm quia tales actiones ex quadam finis ignoratione, eorumque quæ illis infœliciter ſequentur fiunt.

Voluntas pigri, qui vult & non vult; amantis, qui vellet vitare dolores, quos infert res amata, nec vult vitare conſpectum.

Senes, quia ſæpiùs erraverunt, & fuerunt decepti, ideò ſunt ſuſpicaces, ambigentes, increduli, nihil certò affirmantes, ſed addunt ſemper forſitan: Ex Biantis præcepto amant vt oſuri, & oderunt vt amaturi. Ariſt. Rhet. lib. 2. c. 13.

Neutralitas mala in bello civili. *V. Minor. Concord.*

Motus eſt aut naturalis, aut indifferens, qui ſcilicet non habet inclinationem ad id ad quod movetur, tamen non repugnat.

Septimo menſe ſi partus non accidat, movetur tamen fœtus, & fit conatus. *V. Medium Poteſt. Media.*

Motus elementorum in orbem dicitur medius, & mixtus, quia non eſt ſecundùm naturam propriam nec contrà eam, ſed ſecundùm naturam communem, & diviniorem & eminentiorem. Motus animalium eſt medius & mixtus: nam eſt ſecundùm animam, quæ eſt principium æternum, ſed eſt præter naturam corporis.

Aër habet calorem remiſſum, propter mediam ſuam conſtitutionem.

Permiſſio non eſt propriè actio legis, ſed actionis negatio.

Multi Imperatores & Reges juſtitiæ amore no-

luerunt decreta ſua rata habeti, niſi à Senatu eſſent comprobata.

Media eſt voluntas, cùm non habetur amor, ſed voluntas amoris. *Vide Virt. Volunt.* Velle amare eſt ipſum amare.

Media voluntas converti, vt expergiſci volentium. *Vide Durat. Virt. Rep.* de Relapſis.

Inviſibilia tua, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexi, ſed aciem figere non valui, & repercuſſa infirmitate redditus ſolitis, non mecum ferebam, niſi amantem memoriam, & quaſi olfacta deſiderantem, quæ comedere nondùm poſſem. D. Aug. lib. 7. confeſſ. c. 17.

Media quodammodò eſt voluntas à peccato illecta. *Vide Volunt. Virt. Rep.*

Caro ſenior dicebat eos eſſe ridiculos in rebus ſerijs, qui in ridiculis feriam operam ponerent.

In mundo intelligibili omnia ſunt in multâ perfectione, minimè mixta, vt in regione lucis omnia lucida, in ignis ignea; ità in tabernaculo amoris perlucido omnia in amore ſint neceſſe eſt, quia & in pulchritudine: at contrà in regione tenebrarum, omnia tenebricoſa, & odio digna; Mundus verò ſenſibilis vt calore & frigore, ita amore & odio alternatur, quia in medio omnia in medietate adveniunt, vtrimque extremis concinnè temperantis: ideò amor hic habet aliquid mœroris & odij: infrà ſtatum ſuum eſt, qui ſemper dolet & odit; ſuprà, qui ſemper amat lætatur. Ex Alano Varenio dialog. de amore.

Virilis ætas media inter juventutem & ſenectutem, media eſt etiam inter vtriuſque mores, exuberantiam & defectum, credulitatem & diffidentiam, amorem honeſti & vtilis; &c. Ibidem cap. 14.

Medici methodici omnes morborum cauſas ad duo referunt capita, ſcilicet ad nimiam aſtrictionem, aut laxationem, ſanitatem in medio. Galenus lib. de ſectis.

Baconius vocat in naturâ motum trepidationis; eorum corporum quæ locantur inter commoda & incommoda.

Venti ex metis motibus aëris, abſque immiſtione vaporum, lenes & molles ſunt, ſic naturales affectus ſinè paſſionibus.

Motus caloris fit tantùm per partes. *Vide Durat. Volunt. Mora.*

Mira efficit temperatus zelus. *Vide Magnit. Vol.* zelus bonus.

Stella Iovis temperatæ naturæ eſt cum media feratur inter Saturnum frigefacientem, & Martem vrentem, & quia calefaciendi vis antecellit, fœcundi ab eo venti excitantur. Ptolomæus. prædict. Aſtrologic. lib. 1. cap. 4.

Pythagoras dicebat, ea quæ ſunt infrà lunam, quatuor potiſſimùm cauſis regi Deo, fato, noſtrâ voluntate, & fortunâ. Photius Biblioth. c. 259.

Quemadmodum eadem cathena & cuſtodem & milicem copulet, ſic iſta quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt, ſpem metus ſequitur. Seneca.

Vide Medium Finis.

INDIFFERENTIA.

Vide ſuprà paſſim hoc titulo. Vide etiam quæ ſcripſi intractatu de indifferentiâ.

SAulus Chriſto ſibi apparenti dicit Domine quid me vis facere? *Vide infrà Æqualitas Voluntatis*, De affectu indifferenti, & ad plures æqualiter ſe habente.

Materia prima eſt indifferens ad omnes formas, quælibet cœli pars ad quemlibet ſitum, perfectus obediens ad quemlibet actum. *Vide Concord. Poteſt.* de obedientiâ.

Sapiens indifferens eſt in adverſis & fato. *Vide Durat. Virtutis.* Vir bonus non poteſt lædi. *& Poteſt. Virt.* Boni ſunt liberi.

Simplicitas eſt indifferens voluntas & formabilis, vt materia, ad arbitrium Dei. *Vide Virt. Volunt.* Velle amare eſt ipſum amare.

Adam nudus ingreditur paradiſum tereſtre, de ſimplicitate. *Vide Bonit. Verit.*

Ariſtipus aliquandò delectatus vnguento: malè, inquit, iſtis effœminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt. Seneca 7. de benefic. capite 25.

Multis paraſſe divitias, non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio: non hoc miror, non eſt enim in rebus vitium, ſed in ipſo animo. Illud quod paupertatem gravem fecerat, & divitas graves facit: Quemadmodum nihil differt vtrùm ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocumque illum eranſtuleris, morbum ſuum ſecùm transfert: Sic nihil refert vtrùm animus æger in divitijs, an in paupertate ponatur, malum ſuum illum ſequitur. Idem Epiſt. 17. in fine.

Cubiculum lucidum dicimus, hoc idem obſcuriſſimum eſt nocte; dies illi lucem infundit, nox eripit: ſic in iſtis, quæ à nobis media & indifferentia dicuntur, aut malitia aut virtus dat boni vel mali nomen. Maſſa per ſe nec calida nec frigida eſt, in fornacem conjecta concaluit, in aquam remiſſa refrixit. Mors honeſta eſt, per illud quod honeſtum eſt virtus, & omnis res, quod non habuit decus, virtute additâ ſumit. Seneca Epiſt. 82.

Fortuna materiam tantùm dat bonorum aut malorum: valentor omni fortunâ animus eſt; in vtramque partem ipſe res ſuas ducit, beatæ que ac miſeræ vitæ ſibi cauſa eſt: Malus omnia in malum, bonus omnia in bonum vertit. Idem Epiſt. 98.

Si dormiatis inter medios cleros, &c. Pſal. 67. Ideſt inter duo teſtamenta, quorum vetus temporalem fœlicitatem, novum æternam promittit; dormire inter medios cleros eſt, nec illam quærere ardenter, & adhuc iſtam expectare patienter. Div. Auguſt. in Pſal. 67.

Summa animæ libertas apparet, quandò eligit ſummam cujuſque deſiderij vacationem: potentia enim quæ actum omnem interimit, propriè nulli ſervit objecto; hinc probat animæ immortalitatem Marſil. Ficin. lib. 9. cap. 5. Theol. Plat.

Ideò videtur honeſtum pulchra in manibus habere, vt flores & gemmas quaſi paratus ſit homo illa, cum opus fuerit, deponere.

Cutis media eſt inter carnem calidam & ſanguine refertam; & nervum frigidum & exanguem. Vndè ſic temperata ex vtriuſque extremi participatione, eſt optimum organum ſenſus. Galenus. lib. 1. de Temperamentis.

Quantùm noceat nimius zelus. *Vide Majoritas Volunt. Mal.*

Dum in venis alimentum ab innato calore alteratur, ſanguis ex mediocri calore fit, reliqui verò ſucci ex eodem immodico. Galenus lib. 2. de naturalib. facultatibus.

Cancri in vtramque partem incedunt, quia pars quæ eſt loco capitis ſenſus & motus principium, eſt in medio corpore. Idem lib. 8. de vſu partium. Qui maximè ſui ſunt amantes, ad externa ſunt indifferentes. *Vide Media Concordantia.*

Plin. lib. 31. cap. 2. enumerat aliquos fontes, in quibus omnia fluitant, nihil mergitur; ſic negotia quævis,

quævis, etiam magni ponderis, non sunt in pectus admittenda.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Roman. 8.

Tempus breve est, reliquum est, vt & qui habent vxores tanquàm non habentes sint, & qui flent tanquàm non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquàm non possidentes, & qui vruntur hoc mundo, tanquàm non vrantur, præterit enim figura hujus mundi. 1. Corinth. 7.

Sol & Mercurius habent communem quandam naturam, nam se accommodant ad naturam aliarum stellarum, cum quibus sunt tanquàm medij. Ptolomæ. prædict. Astrol. lib. 1. 4.

Anaximander dixit terram quiescere, quia indifferenter se habet ad omnia quæ sunt circà ipsam. *Vide Æqualitas Volunt.* De æquali ergà plures affectu.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

DE conditionibus & modis, quæ in testamento scribuntur. ff. 28. 7. & 35. tit. 1. Cod. 6. tit. 46.

De donationibus, quæ sub modo vel conditione, vel ex certo tempore conficiuntur. Cod. 8. tit. 55.

De impuberum & alijs substitutionibus. Cod. 6. tit. 26.

De institutionibus, & substitutionibus, & restitutionibus sub conditione factis. Cod. 6. tit. 25.

Accusans testamentum de falso ex necessitate officij, non perdit legatum sibi relictum in eo. l. tutorem. ff. de his quæ vt indig.

Cancellatura sinè interlineatura in testamento vitiat tantùm testamentum pro illâ parte. l. 12. Cod. de testam.

Ex causâ potest pars vna contractus tolli, aliâ remanente. l. 56. ff. de pactis.

Actus vivorum sunt in pendente in obligatione conditionali. l. fin. ff. comm. prædior.

Actus verò defunctorum, antequàm dies legati cedat. l. ii tibi. ff. de pact.

Voluntas coacta, etiam voluntas est. l. 21. §. penul. ff. quod met. caus. *Vide Verit. Volunt.*

Cum fundus eâ lege venditur, vt sit inemptus, si intrà certum tempus quis meliorem conditionem attulerit. l. 1. ff. de in diem addiction.

Servus fugitivus ad amicum Domini qui pro eo deprecetur, non est fugitivus, etiam si fugiat eo animo vt non redeat, si non obtineat. l. 43. ff. de ædil. edic.

Substitutiones, seù vulgares, seù pupillares, seù exemplares, quibus aliqui instituuntur in defectum priorum hæredum. tot. tit. de vulgar. & pupill. subst.

Qui tacet non vtique fatetur, sed tamen verum est eum non negare. l. 184. 142. ff. de Reg. jur.

Res non habentur pro derelicto, & sic non fiunt occupantis, quæ in mare projiciuntur levandæ navis causâ Dominus enim eas eo animo non abjicit, quasi habere nolit, sed vt maris periculum vitet. §. vlt. Inst. de acquir. rer. dom.

Donatio mortis causâ est, cum magis se quis velit habere quàm eum cui dat. magisque eum quàm hæredem suum. Inst. de donat.

Donatio antè nuptias tacitam in se conditionem habet, vt tunc rata sit, cum matrimonium fuerit subsequutum. Eodem.

In veditionibus, quas in scriptis fieri placuit, pœnitentiæ locus est, donec instrumenta fuerint in mundum redacta. Inst. de empt. & vendit. *Vide Verit. Volunt. & Differ. Volunt.*

In infirmitate baptisatus, non est consecrandus Presbyter, non enim censetur vera ejus fides, licet valeat pro baptismo. *Vide Veritas Volunt. Repug.*

EX THEOLOGIA.

BOnum arduum ratione boni attrahit appetitum, causando spem; sed ratione difficultatis retrahit, causando desperationem. 2. 2. q. 161. a. 1.

Possibile convenit objecto appetitus, non omninò per accidens. 1. 2. q. 40. a. 1. ad 3.

Conversio potest esse sinè advertione, vt in peccato veniali. 2. 2. q. 72. a. 5.

Voluntas Dei non aufert contingentiam à rebus, sed eam quibusdam imponit, & quibusdam necessitatem. 1. q. 19. 8.

Voluntas Dei duplex, scilicet antecedens, id est respectu voliti absolutè; & consequens, idest respectu voliti, cum conditionibus ejus. 1. q. 19. a. 6. ad 1.

Mala culpæ fiunt Deo non volente, nec nolente, sed permittente. 1. q. 19. a. 2. ad 3.

Facta per metum sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid. 1. 2. q. 6. a. 6.

Iuramentum coactum obligat in conscientiâ, non autem in foro contentioso, tamen potest repetere & denuntiare superiori, etiam si contrarium jurasset. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. *Vide Contrar. Volunt.*

Cum quis jurat facere voluntatem alterius, vel promittit, intelligenda est debita conditio, si scilicet id quod ei mandatur licitum sit & honestum & portabile, juramentum enim illicitum non est servandum. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 3.

Non omnia contenta sub lege obligant ad mortale, quia non omnia traduntur per modum præcepti, sed aliqua per modum ordinationis & statuti, & obligant ad certam pœnam. 2. 2. q. 196. a. 19. ad 2.

Liberum arbitrium potest per gratiam confirmari in bono aliquomodò, non tamen simpliciter. 3. q. 72. a. 7. ad 3.

Homo liberum arbitrium amisit per peccatum, quo-ad libertatem à culpa & miseriâ, non autem quo-ad naturam. 1. q. 83. a. 2. ad 3.

Christus & mater ejus, & quilibet sanctus, volebat voluntate deliberatâ passionem Christi, licet voluntas naturalis dissentiret. 3. q. 156. a. 4.

Lex humana dicitur aliquid permittere, non quasi ea approbans, sed quasi ea dirigere non valens. 1. 2. q. 93. a. 3. ad 3.

Promissio nuda, idest non habens aliquid additum ad confirmationem, non habet vim plenam obligandi Deo nec homini. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.

Propassio est passio inchoata in appetitu sensitivo, non vltrà procedens, sicut in Christo fuit. 3. q. 15. a. 4. *Vide Veritas Volunt.*

Intentio virtualis ministri sufficit ad perfectionem Sacramentorum. 3. q. 60. a. 8.

Voluntas antecedens & secundum quid potiùs est velleitas quàm absoluta voluntas. 1. quæst. 19. artic. 6.

Necessitas coactionis absolutæ causat omninò involuntarium, & omninò excludit culpam, non autem necessitas conditionata, idest motus. 1. 2. quæst. 6. articul. 4.

Vult & non vult piger. Proverb. 13.

De strenuis militibus Iosue, qui bibebant non fle-

ctendo genu, ſed tantùm tranſeuntes.

Qui non eſt adversùm vos, pro vobis eſt. Luc. 9.
Vide Media Concord.

IN QVIBVS MEDIA eſt voluntas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Medij quodammodò ſumus inter eſſe & non eſſe, parúmque videmur habere exiſtentiæ inter tot privationes; Vndè ferè in omnibus media non integra eſt voluntas. In ipſis beneficijs ineſt ſpes aliqua vtilis aut jucundi; ideò quod videtur dari eſca eſt, vt plùs accipiatur, ſicque alijs conſulit vt ſibi magis. *Vide Verit. Bonit. Rep.*

MAGNITVDO. Magnâ ſuâ mole dejiciunt animum ſi ſimul fuerint apprehenſa; jam autem non ipſa vt ſunt volumus, ſi illa per partes appetamus.

DVRATIO. Hæret voluntas, penderque dùm eligit inter minora bona præſentia, & majora, ſed futura, longâ dilatione emenda, & fortè ſpes conceptas deluſura.

POTESTAS. Inopes nos copia facit, vt ciborum nimio apparatu repet, & obruitur appetitus: In tot aſſidentium turbâ, vix vlli ſincero affectu adhærent Principes; dùm enim cæteris longè impares nullo tenentur neceſſitudinis vinculo, ipsâ mutationis impunitate, ſæpiùſque ex politiæ legibus natâ neceſſitate, & vt oſtendant ſe poſſe creare & annihilare, amorem quaſi in bivio detinent; affectus non dant, ſed commodant, & præcario concedunt; nihil verè amant, ne cogantur amata deſtruere.

COGNITIO. Ignorantia futuri, & rerum nobis vtilium efficit vt pendeat affectus ſicut & cognitio. Committuntur multa caſui & ſortibus, ne pœniteat malò elegiſſe, vtque poſſimus adverſa fortunæ adſcribere. Pendente conſultatione & lite medius eſt in vtramque partem paratus affectus. *Vide Duratio Cognit.*

VOLVNTAS. Ratio diſſidet quotidie cum inferiori parte ſenſibili: ſuadet Syndereſis, ſed rapiunt in contrarium paſſiones; quæcumque autem pars prævaleat, nuſquàm eſt integra voluntas.

VIRTVS. Philoſophiæ moralis & Chriſtianæ ſummum eſt in externis ſe habere indifferenter. Sapiens nec odit nec amat divitias, cum æquè per paupertatem pateat ad virtutem via. Chriſtianus totum ſe numini regendum committit, & quod monſtrat ſequitur iter.

VERITAS. Dum mundani compoſito ad humanitatem vultu & ſermone, omnibus affectum pollicentur, aſſueſcunt fictitiæ illi & mobili amicitiæ ſemper erecti in illo amicorum accedentium & diſſidentium fluxu; parati cum opus fuerit in diverſa inclinari: imitantur eos, qui motui jactatæ navis aſſueſcunt.

GLORIA. Integra voluntas ſolùm continget in beatitudine, quæ eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus. Hic autem cùm bonis mala permixta ſint, res appetit provt ferit mixta hæc earum conditio, ſimul volumus & nolumus, eſt in illis quod placeat & diſpliceat, quod delectet & torqueat.

DIFFERENTIA. Non integros fuiſſe affectus probat frequens eorum mutatio: aſpera primus poſſeſſionis ardor, & integræ adhuc vires non ſentiunt, ſed cum vſu vileſcit quod poſſidetur, & cruciat dolor, contraria ſuccedit voluntas, vt cùm in onere ferendo pars integra laſſæ ſubſtituitur.

CONCORDANTIA. Si eâ lege diligendus eſt amicus, quaſi poſſit eſſe futurus hoſtis, integra non eſt in ſinum ejus mentis effuſio; nulla niſi diffidentiæ permixta fides: Qui ſocietatem ingreditur, partitur cum ſocijs voluntatem ſuam; nihil velle, nihil eligere licet, niſi mutuo conſenſu. *Vide Concordantia Voluntatis.*

CONTRARIETAS. Inter tot adverſa ſpem metus ſequitur, & cum nulla ſit ſecuritas inclinatur in vtramque partem affectus: ſic gladiator in arenâ capit conſilium, ad hoſtis motus omnes etiam mobilis.

PRINCIPIVM. Cauſæ vniverſales coagunt omnibus inferioribus, paratæ aliud & aliud efficere, provt varia tulerit diſpoſitio. In ipſis rerum initijs tentat, nondum eligit prudentia.

MEDIVM. Inſtrumenta omnia in tantùm chara ſunt, in quantùm vtilia, & ad intenti operis conſecutionem accommodata: Mutantur etiam ad libitum & ſolatium. *Vide Differ. Medij.* Hæc autem ad mutationem deſtinatio affectum parit, & quodammodò reprobat, etiam dùm eligit.

FINIS. Implicant ſe, quæ fiunt vota vt ad ſenectutem perveniamus, nam ſimul nolumus declivi ætati annexas infirmitates, & neceſſariò imminentem illi vitæ terminum: volumus progredi, & nolumus pervenire. In limitatis omnibus, vt in aquarum congregatarum fluxu, pecuniarum erogatione, convivij, ſpectaculi exhibitione, placet ipſe progreſſus, in eo quod nova & grata profert; ſed diſplicet in eo quod ad finem ſinè ſpe reſtitutionis properat: In his itaque pugnat appetitus augmenti cum appetitu conſervationis: & cum certo non ſciat voluntas cui magis ſit conſentiendum, partitam ſe vtrique tradit.

MAIORITAS. Cum ad alta magno labore conſcendatur, & hinc gravior immineat caſus, in varia ſæpè diſtrahitur ambitioſi mens; & ſæpiùs non tàm affectu quàm pudore cœptum ad hæc ardua iter proſequitur: fit miſer, ne videatur impotens, varijſque exagitatur internis motibus, modò ad quietem, modò ad famam inclinantibus.

ÆQVALITAS. Laudat vnuſquiſque ſuâ ſorte contentos, nec tamen inter mediocris fortunæ limites ſe valet continere. Iuſtitia æqualiter libratas lances manu præfert, vt hoc ſymbolo æqualem in omnes affectum profiteatur, parata ſemper refundere quod vi abſtulerit.

MINORITAS. Qui ſunt ſub alterius imperio mobiles, & ſemper pendentes habent affectus: docenturque nulli rei firmiter adhærere, vt ſinè læſione poſſint ad regentis arbitrium hinc dimoveri. Non verè & totaliter volumus malum minus, quo patimur vt majora vitemus.

Digitized by Google

FINIS VOLVNTATIS.

QVID INTENDAT VOLVNTAS ET AMOR.

MISCELLANEA.

Vide Finis Concordantiæ.

VOLVNTAS intendit bonitatem, magnitudinem, durationem, poteſtatem, &c. *Vide Volunt. Bonit. Magnit. Durat. &c.*

Triplex bonum appetitur, honeſtum, vtile, jucundum.

Duplex in nobis pars, vna intellectiva, altera ſenſibilis; ſic duplex amor, vnus intellectualis, qui paſcitur pulchritudinis contemplatione; alter ſenſibilis, qui quàm miratus eſt pulchritudinem conatur ſimilem in materiâ producere: & hinc propagationis deſiderium. *Vide Differentia Volunt.*

Omne agens agit ex aliquo amore, debet certus conſtitui finis, ne in vacuum diſpertiatur voluntas: Plùs fatigat mandere & verberare in vacuum.

Tres ſunt effectus prædeſtinationis, gratia excitans, ſeu vocatio; gratia habitualis, ſeu juſtificatio, & glorificatio: Quod Deus ſit bonum, pulchrum, juſtum. *Vide ſuprà Principium Volunt.* Pulchritudo.

De varijs amoris effectibus. *Vide Poteſtas Volunt.*

Finis amoris eſt voluptas, quàm amans ſperat ex rei amatæ poſſeſſione.

Finis amoris, ait Plato, eſt partus ad pulchrum: ſic Deus mundum quaſi pulcherrimum fœtum edidit.

In amando idem finis & actio: verus enim amor eſt propter ſeipſum. *Vide Verit. Volunt.*

Amor totus in extaſi inferiora erigit ad ſuperiora, & ſuperiora ad infima dimittit, non inhoneſtè dignitatem ſuam offendans, ſed benignè communicans & inclinando ſe inferiora ad ſublimia convertens, ſicque omnia ad primæ vnitatis ideam vniens & commiſcens. D. Dyoniſ. de divin. nomin.

Triplex eſt intentio Angelorum, dum nobis auxiliantur. *Vide Medium Gloriæ.* Angelorum auxilium.

FINITVS APPETITVS.

APetitio non datur in infinitum, neque ſurſùm, neque deorsùm. Ariſtot. reſolut. poſter. lib. 1. cap. 5.

Terminus ad quem motus tendit eſt immobilis, immutabis, nè in infinitum regrediamur.

Ariſt. 2. de animâ, probat accretionem non fieri per ignem in corpore animalis, quia accretio ignis in infinitum abit, quatenùs adeſt pabulum & combuſtibile: at natura conſiſtentium, vt plantarum & animalium, habet terminum & modum aliquem magnitudinis & accretionis. *Vide Finis Magnit.*

Actio naturæ terminatur ad vnum, non autem voluntatis. Div. Thom. 1. q. 41. a. 2. & 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1.

Ratio vniverſalis non movet, niſi mediante ratione particulari. 1. q. 20. a. 1. ad 1. Item q. 80. a. 2. ad 3.

Solus Deus implet voluntatem, quia ſolus movet eam ſufficienter vt objectum. 1. q. 105. a. 4.

Motus naturalis eſt tantùm ad vnam partem, & perficitur quiete naturali, & eſt corporis exiſtentis extrà vbi naturale; voluntarius autem eſt ad oppoſita. 1. q. 20. a. 1.

Propter incertum numerum naſcendorum ex ventre, poteſt peti incerta pars hæreditatis. l. 1. §. fin. ff. ſi pars hæred. per.

Admittitur incertæ partis vindicatio, ſi ex parte actoris eſt juſta cauſa ignorantiæ vt cum Falcidia petitur. l. 76. ff. de rei vind.

Concupiſcentia naturalis finita eſt, quæ autem rationem ſequitur infinita. D. Th. 2. 2. q. 30. a. 6.

Actiones in infinitum pergerent, ſi non eſſet aliquid vltrà quod agens nihil exigit.

Per amorem qui eſt inter convenientia fit vt vnus non appetat quæ ſunt alterius. *Vide Voluntas Æqualitatis. & Volunt. Concord.*

Iuſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſaturabilis. Prov. 13.

Dicit Ieſus Samaritanæ, omnis qui bibit ex hac aquâ ſitiet iterùm; qui autem biberit ex aquâ, quàm ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſurier, & qui credit in me non ſitiet vnquàm. Ioan. 6.

Beati qui nunc eſuritis quia ſaturabimini. Luc. 6.

Quandò perfectè ſatiatus ſit appetitus. *Vide Magnitudo, & Veritas Gloriæ.*

Heraclitus & Pythagoras cœlum igneæ naturæ eſſe dixerunt; huncque globum igneum, cùm celſiorem mundi partem occupaſſet, nec jam altiùs potuiſſet evehi, ſeſe in gyrum compoſuiſſe, ad eum modum, quo flamma, cum fornacis ſummitatem attigit, in convexam effigiem deflectitur. Dic quod nunquàm lucet vt cœlum, niſi qui terminum ambitioni ſuæ alta petenti poſuit, & in electo ſtatu perſevetat.

Nullus ſufficit humor ad ſatiandum eum, cujus deſiderium non ex inopiâ, ſed ex æſtu ardentium viſcerum oritur, non enim ſitis illa, ſed morbus eſt: eadem natura eſt in omni deſiderio, quod non ex inopiâ, ſed ex vitio naſcitur, quidquid illi congeſſeris, non finis erit cupiditatis, ſed gradus; neceſſarijs rebus & exilia ſufficiunt, ſupervacuis nec regna. Animus eſt qui divites facit. Seneca in conſolatione ad Helviam.

Digitized by Google

Nimiam sui præsumptionem, & crescentia in immensum desideria Deus opprimit. *Vide Cognitio Virtutis.* De nimiâ sui præsumptione.

Motus circularis, quia est indeterminatus, redit enim in id vndè discessit, nec fit quietis gratiâ: vndè non procedit ab illâ qualitate naturali quæ limitata est, & vnum aliquid agit, non contrarium. V. Marsil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 4.

LIMITATA SINT desideria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vnaquæque res cum habeat existentiam singularem, individuam, incommunicabilem, ferri etiam debet in singulare bonum conveniens, cujus possessione perficiatur. Legitima sunt desideria, quæ in illud feruntur, non citra, nec vltrà; hoc est, ex præcepto stoïcorum, ad naturam vivere, genio suo convenientia sectaria. *Vide Differen. Voluntatis.*

MAGNITVDO. Vagus ille, illimitatus, & quasi infinitum desideriorum processus, ad vacuum & inane accedit, & ad infinitam illam materiæ potentiam, nihilo proximam: Non numerabit profectus suos, nec ad perfectionem suam quantocumque labore vel minimùm accederis, cui nullus positus est fœlicitatis terminus. Quisque pars est vniversi, illique fœliciter cohæret, si quem natura dixit ordinem servaverit.

DVRATIO. Quantumcumque brevis fuerit vita, in lucrum semper cedit, totaque & integra contingit ei, qui suis desiderijs terminum posuit: at qui illa in immensum diffundit, nullâ temporis parte fruitur; Non præteritis, ex quibus nihil supereſt quod impleat non regulatam mensuram; Non præsentibus, à quibus majorum avida mens abstrahitur; Non futuris, incertis, nondùm existentibus, & quæ determinatâ voluntate non expetit.

POTESTAS. Quia non valemus tantùm posse quantùm velle, debemus velle quantùm licet posse: Æquari debet voluntas potentiæ, cum potentia non sequatur voluntatem; sic perfecta continget libertas. In angusta etiam fortuna dives est, cui quod habet sat est.

COGNITIO. Vt quod oculus sub rectâ lineâ perspicit, videtur tangere, sic quod intendit recta ratio, videtur assecuta. Is solus gaudet securâ sui possessione, qui se videt rectà ad id quod proposuit procedentem: hæc reflexa cognitio, rationalis creaturæ privilegium & fœlicitas est, quâ non fruuntur, nisi qui desiderijs suis legitimum finem præscripserunt.

VOLVNTAS. Cum in singularibus vitæ actionibus non sit appetitus, nisi rei certæ & determinatæ, sic vita generaliter instituenda est, vt sit illi certus positus terminus: In tantùm enim singularia bona benè ordinantur, in quantùm ad propositum finem conducunt, summa enim confusio est ferri in id omne, quod passionibus blanditur, hoc non est ire, sed trahi, sed agitari & concuti.

VIRTVS. Vnaquæque virtus suum habet objectum, vt his positis terminis simul omnes harmonicam vitæ rationem vniverso consanam instituant: omnes in mediocritate consistunt, sicque docent vitiosos excessus & defectus solâ appetitus limitatione vitandos.

VERITAS. Verum in determinatione conveniendi consistit; Vera ergò & ideæ suæ conformis est vita, quæ quod decet, non plùs amat, aut minùs appetit.

GLORIA. Motus voluntatis vt corporis sit intermixtâ quiete: hæc autem quies solum contingit his, qui terminum, quem suis desiderijs posuerunt, aut assecuti sunt, aut se in viâ ad assequendum vident, & notato profectu vltimi finis fruitioni præludunt. Sapiens quotidie vltimam manum vitæ suæ apponit.

DIFFERENTIA. Dum huic solidæ & imperturbatæ quieti provisum est, licet quibusdam accessorijs mentem novitatis avidam oblectare; licet semper inventos in rectum iter oculos, citrà errorem, in gratissima quædam circumstantia divertere. Agimur tot fortunæ casibus, quid si nulla sit quæ vitam dirigat institutio?

CONCORDANTIA. Natura & politia nos vocant in societatem partium longè dissimilium, animæ & corporis, rationis & passionum, vitæ privatæ & publicæ, rerum solito & extraordinario modo procedentium: vndè hæc naturaliter dissociata non convenirent, nisi desideria certis legibus & conditionibus essent limitata.

CONTRARIETAS. Sic subducimur adversis, & ortâ tempestate patet portus nostræ securitati. At vaga desideria patent vndique fortunæ ictibus, nihilque properum nescienti quid petat.

PRINCIPIVM. Sic potest quisque existere fœlicitatis suæ author, itavt non habeat vndè conqueratur de fato & fortunâ.

MEDIVM. Amens esset qui exiguâ pecuniæ summâ vellet amplissimas sibi possessiones compare, aut qui parvo censu vellet Regiam profiteri magnificentiam. Non fit quodlibet ex quolibet, sed pro convenienti materiæ dispositione.

FINIS. Limitata sunt omnia in essentiâ, potentijs organis, &c. Interitui autem est proximum quod à fine sibi naturaliter posito deviat.

MAIORITAS. Nihil vltrà sortem suam appetens felix est, si quid vltrà casus adjecerit, vretur, sed quasi precariò, vt nec indè sua pendeat tranquillitas.

ÆQVALITAS. Nulla nisi in limitatis desiderijs potest esse toties exoptata à Philosophis animi æquabilitas, labuntur anni, vt fluctus placidi amnis, nullo eos exacerbante scopulo; cum minimum fortunæ concedat, de futuris vt de præsentibus, sui arbiter, disponit.

MINORITAS. Dives est paupertas quæ sibi sufficit; cum dives & pauper ambo egeant, plùs eget dives, qui plùs cupit: compendiosa est ad divinas per paupertatem via. *Vide Minorit. Potestat.* De voluntaria paupertate. Non est parum & minimum quod non deficit votis.

TERMINATIONIS.

QVIBVS DESINAT voluntas & amor.

DEfinit cessantibus causis à quibus oritur, scilicet Bonitate, Magnitudine, Duratione, &c. *Vide Principium Voluntatis*, aut dùm oppugnatur à validissimis sibi contrarijs. *Vide Contrar. Volunt.*

Perimitur calor naturalis frigore, penuriâ materiæ, evaporatione, suffocatione, calore accidentali ex corruptione, vt febrili.

Est signum inappetentiæ, cum æger fastidit cibos,

quos priùs avidè appetebat: fit autem hæc inappetentia, cum os ventriculi vitioſo humore inficitur, & cum venæ mezeraicæ chilum non trahunt.

Amor naturalis ſuperatur ab amore divino. *Vide Poteſtas Voluntatis.*

Lapis Alectorius ex diſcerpti galli gallinacei ventre extractus, ſub linguâ poſitus ſitim ſedat. Albert. Magn.

In Hetruriâ eſt æriſodina, vndè poſtquàm erutum eſt omne æs, poſteà non niſi ferrum eruitur. Ariſt. lib. de mirabilib. æs eſt metallum Veneris, ferrum Martis. Sic ſæpè laſſus amor in indignationem vertitur. *Vide Finis Bonitatis & Different. Volunt.*

Plurimæ inter amicos oriuntur diſſenſiones, cum haud ità, vt exiſtimantur, ſunt amici, vt qui putet ſe propter mores diligi, cum propter vtilitatem aut voluptatem quæratur; culpa eſt in eo qui fefellit, major quàm ſi nummos adulterinos cudiſſet. Quod ſi qui erat bonus, fiat malus, illi in moribus laboranti auxilium potius ferendum eſt; quàm ſi in corpore, aut fortunâ quid pateretur; nec ab eo diſcendendum, niſi appareat eſſe inſanabilis, ne talis fiat, eóque commercio inficiatur: Etiam diſſolutâ amicitiâ aliquid plùs cæteris concedendum eſt, propter antiquam familiaritatem, &c. Ariſt. lib. 9. moral. cap. 3.

Si indicationes pugnent, vnam præferas, vel quæ à viribus ſumitur, vel quæ à febre, ac quæ cæteris ſit valentior, hanc magis ſequaris, nec tamen cæteras negligas. Galen. lib. 10. Methodi. cap. 1.

Affectus, vndè primum maximumque imminet homini periculum, hic primus curari debebit, ſic vigiliæ, dolor crucians, immodica omnis vacuatio, hemorragia, cum & vires debilitent & morbum augeant, ſæpè affectum deſerere cogunt, & medici ſollicitudinem in ſe convertunt. Ibid. lib. 3. c. 9.

Ignis conſumit aquam vitæ, intacto linteo illà madefacto, quia eligit ſibi oleoſum humorem, & ſeparat ab aqueo, quo linteum remanet madefactum.

Luna trahit Oceanum, non fontes, flumina, lacus; gaudet magno hoc corpore ſibi ſubdito: Sic Principes amant ſplendidiores & potentiores aulicos. *Vide Concordantia Majoritatis & Gloria Medy.* De fœlici vſu & electione illuſtris medij.

Affabilitas pro perſonarum, ad quas congreſſio eſt, conditione accommodanda. *Vide Duratio Voluntatis, Repugn.*

EX VTROQVE JVRE.

DE his quæ in teſtamento delentur. ff. 28. tit. 4. *Vide Finis Bonitat.*

Quibus modis teſtamenta infirmentur. Inſt. 2. t. 17.

Quibus modis tollitur obligatio. Inſtit. 3. 30.

De Reſtitutionibus in integrum.

De Reſcindendâ venditione. Cod. 4. t. 44. ff. 18. tit. 5. *Vide Differentia Cognitionis, & Differ. Volunt.* De mutatione Conſilij & Volunt.

Princeps poteſt renuntiare conventioni à ſe factæ, & promiſſæ etiam cum juramento, ſi res deſinat eſſe juſta, vt enim privatus, ſic Princeps in integrum reſtituendus eſt. Vide Bodinum. 1. Reipubl. c. 8.

Ejus eſt nolle, qui poteſt velle. l. 5. ff. de Reg. jur.

Nihil tàm naturale eſt, quàm vnumquodque eo genere diſſolvi, quo colligatum eſt; ideò verborum obligatio verbis tollitur; nudi conſenſus obligatio, contrario conſenſu diſſolvitur. l. 35. eodem.

Tolluntur pacta poſterioribus pactis. l. ſi vnus. ff. de pact. l. pacta noviſſima. Cod. eod. *Vide Durat. Voluntatis. Repugn.*

Mandatum poteſt ad libitum revocari, dummodò damno non afficiatur is, qui ſuſcepit mandatum. l. 15. ff. mand.

Si Dominus jubet ſervum inſtitutum ab alio adire hæreditatem, & ipſe furere incipiat, antequàm adeat ſervus, non poterit adire. l. 47. ff. de acq. vel om. hæredit.

EX THEOLOGIA.

PRæceptum dupliciter amittit obligationem, ſcilicet ratione impoſſibilis, vel ſi finis ejus ſinè eo haberi poteſt. D. Tho. 1. 2. q. 13. a. 3.

Præcepta cæremonialia legis fuerunt viva vſque ad paſſionem Chriſti, ſed mortua deinceps, mortifera verò poſt divulgationem Evangelij. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 4.

Præceptum legiſlatoris tunc ſolum non obligat, quando præcepti obſervatio intentionem ejus evacuat vel impedit. 1. 2. q. 69. a. 6.

Illicitum non eſt ſeruandum. *Vide Differ. Voluntas.*

Dirimuntur ſponſalia, & cum quis ad Religionem confugérit, & cum alter conjugum cum altero matrimonium contrahit per verba de præſenti: alter etiam dirimuntur varijs caſibus, ſecundùm judicium Eccleſiæ. ſuplem. q. 43. a. 3.

Obſervare votum eſt de lege naturali durante obligatione ejus, quæ ceſſat vel ex ſe, vel authoritate ſuperioris, in ijs quæ in dubium vertuntur diſpenſatis vel commutantis. 2. 2. q. 88. a. 10. ad 2.

In votis poteſt diſpenſari, in quantùm in aliquo caſu illud quod cadit ſub voto eſt ſimpliciter malum, vel inutile, vel impedimentum majoris boni: Non autem in quantùm illud eſt de jure naturali & divino. In diſpenſatione autem requiritur authoritas Eccleſiæ in perſonâ Dei. Solus Papa poteſt diſpenſare in votis perpetuis, Continentiæ, Religionis, & Crucis in ſubſidium terræ ſanctæ. 2. 2. quæſt. 88. a. 10. & ſeqq.

Poteſt quis dimittere captivam, quàm duxit in vxorem, ſi ei ampliùs non placet: ſed cum libertate. Deut. 21.

Gratia gratum faciens amittitur per quodlibet peccatum mortale. 1. 2. q. 113. a. 2.

VLTIMÆ DEFVNCTORUM voluntates.

NOn eſt in humanum quemadmodùm coenâ peractâ reliquiæ circumſtantibus dividuntur, ſic peractâ vitâ aliquid porrigi his, qui totius vitæ miniſtri fuiſſent. Seneca. Epiſt. 77.

Nihil eſt quod magis hominibus debeatur, quàm vt ſupremæ voluntatis, poſt quàm jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus; & licitum quod iterùm non redit arbitrium. l. 1. ff. de Sacros. Eccleſ.

Hinc tot ſolemnitates in teſtamentis, ne voluntati teſtatoris fraus fieret: hinc nulla ſunt pacta quæ tollant liberam teſtandi facultatem. l. 6. C. de Codic.

Hinc militare teſtamentum eximitur à ſolitis aliorum teſtamentorum ſolemnijs, nè inteſtati decedant. tot. tit. de militari teſtam.

In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur. l. 12. ff. de Reg. jur.

Digitized by Google

Servi cum libertate inſtituuntur hæredes neceſſarij, itaut non poſſint repudiare hæreditatem, etiam oneroſam, ne irritæ ſint & non impletæ defuncti ſupremæ voluntates. Inſt. de ſuis & legit. hæred.

Epiſcopus poteſt ſe intromittere ad executionem piarum voluntatum defuncti. l. 28. cum Auth. ſeq. Cod. de Epiſc. & Cleric.

Teſtamenti factio, non privati, ſed public. juris eſt, ideóque forma ejus privatorum pactis non læditur. l. 3. ff. qui teſtam. facere poſſ. Vt in naturâ ſpeciei propagatio, ſic in politiâ bonorum ſucceſſio eſt juris publici, bona enim ad vitam neceſſaria illi quodammodò æquantur, & ab aſtrologis ſecunda domus, quæ ſignificat bona, ſuccedit primæ, quæ eſt vitæ.

Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuper ordinat. Galat. 3.

SVPREMÆ DEFVNCTORUM voluntates ſummâ curâ ſunt implendæ.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amor proprius ſibi providens, ſibique timens, ne deficiant bona in adverſis, obſtat nè ex affectu homines multa largiantur; at morte imminente tantùm quiſque largitur, quantùm amavit & optavit.

MAGNITVDO. Vt autem aqua perennis, ſublatis quibus continebatur repagulis, largiùs effunditur, ſic ſublatis amoris proprij impedimentis liberiùs ſe explicat voluntas: non debent autem leges, aut hæredes, coërcere libertatem hanc, quàm natura concedit, hujus mortalis vitæ vinculis.

DVRATIO. Hoc maximum mortalitatis ſolatium eſt, quo quis videtur ſibi ipſi ſuperſtes; dùm voluntate & arbitrio ſuo de futuris diſponit, quaſi adhuc viveret. Multa voluerat exequi, quæ prudentia futuri neſcia credidit in aliud tempus oportunè differenda: at cum vrget vltima dies, merito hæc relinquit implenda hæredibus, in quorum favorem dilata fuerat executio, vt ſcilicet ditior illis contingeret hæreditas.

POTESTAS. Qui relinquit hæreditatem, poteſt illi, vtrei donatæ & venditæ, quam voluerit imponere ſervitutem. Si renitentes inſperatâ vi rapit nos fatum, ſolatium eſt aliquid ſuper eſſe libertatis in rerum noſtrarum adminiſtratione, etſi nollentes morimur, ſalem volentes & liberi quæ noſtra ſunt aliis relinquamus. Leviot eſt reorum pœna, dùm ab officio moti facultatem habẽt illud cui voluerint concedere, poſſident enim quodammodò in eo quem voluerint poſſidere.

COGNITIO. Vt magis viget ſenſus in extremis partibus, propter reflexionem ſpiritum: ſic in extremo vitæ purior eſt cognitio; ſeù mens inſtantis mortis metu tota in ſe collecta attentiùs res conſideret; ſeù corporeo, terroque carcere penè ſoluta, liberiùs intelligat, diviniſque illuſtretur ſplendoribus: morituri enim divinant. *Vide Major. Cognit.* Vndè vltimæ eorum voluntates, quaſi quædam cœlitùs emiſſa oracula, venerationem potiùs quàm quæſtiones merentur.

VOLVNTAS. Quod nunc teſtator vult impleri, diù ante volitum & deſignatum eſt, deſignatio autem mutat rerum naturam. *Vide Poteſtas Volunt.* Hæreditas ergò tranſit ad hæredem cum hoc ſibi impoſito onere, & cum hac quaſi naturali conditione, quæ variari non poteſt; bona enim non cenſetur niſi deducto ære alieno. Elegit te præ cæteris teſtator hæredem & executorem, reſponde conceptæ de tuâ fide opinioni, reſponde affectui.

VIRTVS. Mens quæ proximè coràm Deo judice ſiſtere debet, agit in extremis quod conſultius ſibi putat eſſe, ad rationes coràm tremendo hoc tribunali reddendas. Neſcit tunc ſibi & aliis blandiri, neſcit aliena contrà jus retinere, nec vult ex momentaneis hæredum commodis externa ſibi parare ſupplicia. Indulgendum ergò ex juſtitiæ, charitatis, pietatis & conſcientiæ ſtimulis agenti.

VERITAS. Teſtamenti ſolemnitates pendent à Principum legibus, ſed ideò inſtitutæ, ne ſit fallacia in impletione vltimæ voluntatis, quæ putatur facta ex Dei legibus; Teſtator enim proximè futurus civis cœleſtis patriæ, illius ſanctitati præludit, ſeque præparat hac juſtâ vltimâ voluntate. Quidquid actum eſt in precedenti vitâ, præmiſſæ erant, ex quibus hanc elicuit immutabilem concluſionem: ænigma erat, cujus hæc eſt aperta ſolutio. Etſi non intelligas motiva, imple tamen voluntatem, vt putandum eſt, à Deo immiſſam, & quam inficiari, ſacrilegium quoddam eſt.

GLORIA. Beati curam agunt noſtri, & rerum olim ad ſe pertinentium. *Vide Durat. Bonit. Durat. Volunt. & Durat. Princip.* Morituris ergò libera danda eſt facultas de rebus ſuis diſponendi, cum id ad integritatem gloriæ ſuæ pertineat; æquum eſt obſequi noſtri, noſtrarumque rerum, cum Deo & Angelis, tutelam adminiſtraturo.

DIFFERENTIA. Æternam hanc è mundo abſentiam meditanti, dulce eſt charis quædam voluntatis ſuæ veſtigia relinquere, quæ præſentiam mentiantur, quæ memoriam ſui foveant, alioquin citò oblivione delendam.

CONCORDANTIA. Continuum quoddam vnumque corpus civile fieri debet, ſicut vna ſpecies ex hominibus ſibi ſuccedentibus; hæc autem ſucceſſio, hocque cõtinuum non fiet, niſi extremis ſuperiorum poſteriora conſentiant, illis adhæreant, & conformentur. Hæc eſt catena aurea ſæculis ſæcula connectens, ſi inferior annulus ſuperioris extremo infertus ſit, ſi hæres ſupremam defuncti voluntatem impleat: hac enim ſerie ſemper aliquid prioris aurei ſæculi tranſit ad poſteros; tali fœdere ſancitur vivorum cum mortuis, viatorum cum beatis, communio.

CONTRARIETAS. Nec hoſtilis quidem feritas ſævit in mortuos, quibus permittit juſta decerni; durior hoſtibus eſt hæres qui vltimam teſtatoris voluntatem non implet, eamque vult tantùm in lucrum ſibi cedere. Publica deberet eſſe hæc actio, omnium enim intereſt ſupremas voluntates impleri, ne ſi impunè irrita fiant defunctorum vota, id in peſſimum tranſeat exemplum.

PRINCIPIVM. Vt in filiis in eſt aliquid patris ratione corporis, ſic in eſſe debet ratione voluntatis, liberè enim & amore ab ipſis vitam acceperunt: vixerunt vitâ matris in vtero, vitâ Patris per reliquum vitæ tempus, cui providit educatio; Quid æquius, quàm vitam & bonorum poſſeſſionem ſub iiſdem principiis produci, ſub quibus eam auſpicati ſunt, & tandiù ſequi parentum voluntates, quàmdiù voluerunt eas extendi?

MEDIVM. Non fit tranſitus ab extremo in aliud ſinè medio, medium autem connectens defunctos cum vivis eſt illa defunctorum ſuperſtes aliquandiù voluntas; ſic hemiſpherium fruitur aliquandiù ſo-

lis luce, poſtquàm illi occidit; ſic in cadavere remanent per aliquot horas cum calore ſpiritus; ſic quæ rem odoriferam contigerunt fragant aliquandiù ejus odore: vim ſibi faciunt inferiora, induuntque ſuperiorum qualitates, vt illis ſuccedant; ſic aër in ſuperiori ſuâ regione æſtuat ex vicinio ignis; ſic aquæ ſuperficies fit vapor, vt conſentiat aëri: habent planetæ certos gradus orbeſque ſuos, intrà quos retinent, nec niſi ſenſim amittunt vim elapſæ conjunctionis. A

Finis. Exiſtentia omnia luctantur, quantùm poſſunt, contrà privationem, & eâ imminente totas ſuas reſiduas vires exerunt vt ſe protegant: ſic olei defectu mox extinguenda lampas plùs ſolitò fulget ſic morte imminente, in proſtratis etiam viribus, violentiæ contingunt convulſiones, & ſic mox deſitura circa res temporales voluntas, ſe majori, ſed tolerando explicat conatu: Optat ſucceſſores, qui illam excipiant & propagent, ſic quaſi nunquam finiendam. B

Maioritas. Patimur faciliùs exceſſum, nunquàm redituram, & cujus nulla eſt conſequentia; ſic indulgendum ſupremæ voluntati, etiam ſi quid habeat adverſi: Hic qui hæredum avaritiæ videtur exceſſus, defectus eſt, ſi attendas defuncti ampliora volentis animum, dilata fortè juſtis laboribus præmia, & ipſa æternæ ſalutis curam, cui temporalia omnia debent cedere.

Æqvalitas. Hac conditione ſcriptus eſt hæres, vt ſupremas defuncti voluntates impleat, hac lege accipit vt his quæ præcipiuntur pareat. Exigit à te teſtator eandem quam ſuis majoribus ſervavit fidem; eâ lege bona quibus vis ſuccedere ad teſtatorem pervenerunt, vt implevit voluntatem parentum, ſic vult ſuam impleri: hæc fidelitas pium fovet cum ſanctis defunctis commercium; ſi quid oneroſum eſt, id debetur affectui defunctorum, idque facile ſuis præcibus apud Deum compenſabunt, nec patientur ſibi præſtitum officium piis hæredibus forè damnoſum. C

Minoritas. Sic defunctus quantùm poteſt ſe à morte vindicat, ſi ſit ſuperſtes voluntas, &c.

D

QVÆ FINEM IMPONANT amori.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Irritatur amor, ſi diù ſperata beneficia non acceperit; aut laſſatur, ſi continuis ſe viderit exauriri largitionibus: Nam vt plurimum vtile prævalet jucundo, vixque grata poteſt eſſe amicitia, ſi multùm fuerit oneri.

Magnitvdo. Solvitur & fuerit amor zelotypiâ, nolens plures admitti in chariſſimæ ſibi rei poſſeſſionem, quam integro ſuo affectu putat ſe præ cæteris totam promereri. Vera inter duos tantum eſt amicitia. *Vide Magnit. Voluntat.* Qui enim contractâ cum vno amicitiâ plures illi ſuper inducit, civili quodam adulterio inter illos partitur affectum, quem integrum vni promiſerat. E

Dvratio. Lædunt amorem cruciantque dilata beneficia, dia noluit, qui tardè dedit. *Vide Duratio Benignis.* Vis amoris ſi vera eſt, tota ſe momentò exerit, totiſque viribus fertur in objectum.

Potestas. Solent inſoleſcere, qui ad dignitates promoventur, ſique ſublatâ æqualitate, quâ conciliabantur animi, deſinet amicitia: Non benè conveniunt, nec in vnâ ſede morantur majeſtas & amor. Etiam ſi modeſtè ſe gerat qui ſic elatus eſt, putatur ſæpiùs ex imperio facere quod ex affectu. Sincerè amans non vult aſſidere cum fortunæ amicis, & eâ tantùm de causâ diſcendit ab amore, quod illum nova hæc potentia ſuſpectum efficeret. *Vide Concordantia Majoritatis. Mala.*

Cognitio. Curioſa nimis & ſuſpicax de rebus amici inquiſitio ipſum lædit, vult enim ſibi quiſque fidem haberi; Nam ſincerè non amavit, qui inter moras talis inquiſitionis probum, fidum amantem eſſe dubitavit. Non feram amicum qui continuò perſonam agat judicis, meque vt reum ante tribunal ſuum ſiſtere cogat: ante amorem judicandum, & deinceps credendum.

Voluntas. In hoc rerum meditullio nihil non mixtum, inter amoris cauſas exſurgunt quædam interjecta odij ſemina, inter amoris delitias ſæviunt interdùm paſſiones, vt verè terrâ floribus ornatâ tempeſtates: citò miteſcit iratum cœlum, & iterùm terris gratiori poſt minas luce blanditur; ac læſus amor odij cauſas amplificat, quod paſſione factum eſt conſilio adſcribit, revocat antiquos & latentes injuriæ ſenſus, vt ſic habeat vndè oneroſæ forſan & tædium afferentis amicitiæ jugum excutiat.

Virtvs. Probus amicitiam ſpondet tantùm vſque ad aras. *Vide Concord. Virt.* Non enim eſt amicitia, ſed impia coniuratio, quæ fit contrà Dei, patriæ, & honeſti leges: contagioſa eſt etiam malorum ſocietas, peritque qui illis coagit.

Veritas. Veritas odium parit. *Vide Volunt. Verit. Repug.* Cum quis ſe teſtatur videre, nec diſſimulat aut ſilet quæ amicus cupiebat eſſe ignota (celat enim defectus ſuos cum quibus non putat ſe poſſe amari) Si hæc ergò detegas, non amabit eum, à quo ſe non putat eſſe amatum.

Gloria. Amores voluptatis causâ initi deſinunt pereunte voluptate: ſic deletâ per morbum aut ætatem pulchritudine jacent contemptæ & exoſæ mulieres; ſic vtiles amicitiæ diſſolvuntur, cum nulla ſuper eſt commodi ſpes: fortior eſſe ſolet honoris, quàm amotis ſtimulus; provocatus enim nobilis, chariſſimæ ſibi perſonæ poſſeſſionem relinquiet, vt ad certamen deſcendat, ſic contrà Aſtrologorum axioma, Mars ligat Venerem, non Venus Martem.

Differentia. Longa & neceſſaria abſentia ſolvit amorem, vt cum è mundo in clauſtra tranſeundum eſt, cum Reipublicæ causâ ſuſcipienda eſt peregrinatio. *Vide ſuprà Contrar. Volunt.* De abſentiâ. Aſſuetus ſplẽdidiſſimo mundi theatro non mirabitur vnius pulchritudinem; eſſentialis cujuſque individualitas, facit diſſidia, dùm à compoſitione vult in vnitatem ſuam redire.

Concordantia. Amor, qui initio liber fuit, ſæpè deſinit cùm incipit fieri neceſſarius, ſublato enim vnionis medio compoſitum diſſolvitur. Suſpectum facit amorem affectata nimis complacentia. Interrixantes charos, qui conciliari non poſſunt, magis charorum partes ſequimur, aliiſque cogimur bellum indicere. *Vide Major. Volunt.*

Contrarietas. Compoſita omnia interno partium diſſidio laborant, & tandem diſſolvuntur. Ira in chariſſimos etiam ſævit, & interdùm, ne videatur judicio aberraſſe, odia in longum producit, nec ſemel leſæ fidit amicitiæ. In bello, cum jus publicum, privato prævalet; funditur proximorum, & amicorum ſanguis.

Principivm. Latet in quibuſdam ex contrariis principiis anthipathia, quæ tempore exereſcens vires

suas pessimè exerit, vimque sibi diù illatam magnis A compensat injurijs; prævalet enim semper quod naturale est. Principijs obsta, sero medicina paratur, cùm amor invaluerit.

Menivm. Servorum diffidia transeunt in dominos, sicque sæpiùs violata est antiqua familiarium amicitia. Deficiente pacis arbitro redeunt discordiæ, vt absente per hyemem sole exagitatve impestatibus natura, absente formâ partes mixti dissolvuntur, absente Principe fiunt seditiones.

Finis. Solvitur amicitia, si appareat inhonesto B fine contracta, vt sceleris & perfidiæ causâ. Tandem partes omnes compositi redeunt in sua principia. *Vide Finis Concord.*

Maioritas. Ambitio solvit etiam arctissima sanguinis & naturæ fœdera. Sternit quæ potest, vt sibi ad altiora gradum efficiat. Subtiliores terræ partes, originis suæ oblitæ, in vapores elevantur, vndè fiunt fulmina, quæ feriunt terram parentem. Periculosa fictilibus vasis cum ferreis societas, non ferunt enim necessariam in motu collisionem. *Vide Concord. Major. Mala.*

Æqvalitas. Aulici dejectas, sibique æquatas potentias contemnunt: amicitia etiam quæ erat in excellentiâ, vt Principis ad subditum, desinit sæpiùs in invidiam, cum priùs inferior ad æqualem potentiam conscenderit. Nihil tàm amicitiæ contrarium quàm obstinatus vnicuique rei firmiter adhærens sensus, nec alteri consentiens. Pereunt omnes amicitiæ, si quod justum est ex æquo non persolvatur, si amori amor, beneficia beneficijs, officia officijs non respondeant.

Minoritas. Paupertas, infirmitas omnis seù mentis, seù corporis, perimit amicitias, ob contrarias perfectiones priùs initas, amor enim est boni & existentiæ, vt odium mali & privationis. Quos coluimus amicos, timemus mortuos.

Cupiditas fit minor circà vnum, cum ad pluta diffunditur, quasi indè fluxus derivetur. Plato. 6. de Republ.

MAIORITAS VOLVNTATIS.

QVANDO ET CIRCA QVÆ DEBET ESSE MAIOR affectus. Electio.

MISCELLANEA.

MAIOR debet esse affectus, cum C majores sunt amoris causæ, *quas vide titulo Principium Voluntatis*, cum scilicet Major est Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, &c. Vide etiam singulares combinationes & demonstrationes horum principiorum. Scilicet *Voluntas Bonitatis, Voluntas Magnit. &c.* passim enim ibi reperies exempla eorum quæ ob tale principium magis diligenda sunt.

Cum justitia jus suum cuique tribuat, jusque singu- D larium singulare sit, & longè diversum; tota justitiæ privatæ & publicæ ratio consistit in rectâ affectuum circà hujusmodi administratione, vt plùs afficiamur circà id quod magis id meretur.

Beneficia potiùs ijs, à quibus acceperis sunt referenda, quàm sodalibus gratificandum, vt mutuum ei cui debetur reddendum est potiùs, quàm sodali donandum: vniversim quod debetur magis reddendum est; sed si donatio vel honesto, vel necessitate vincat, E ad hæc oportet esse propensiores; vt Iovi non omnia immolantur; sic diversis diversa exhibentur officia, patriæ, patri, matri. cognatis, qui ideò præ cæteris ad nuptias & funera vocantur, quasi sint aliquid nostri: omni ætati grandiori pro ætate honos tribuendus est. Conferenda sunt & perpendenda inter se, quæ cuique insunt ex necessitudine, virtute, vel vsu, &c. Vide Aristotel. lib. 9. Moral. cap. 2.

Si indicationes pugnent, vnam præferas, vel quæ à viribus sumitur, vel quæ à causâ, vel quæ à febre, ac quæ cæteris sit valentior, hanc magis sequaris, nec tamen cæteras negligas. Galen. lib. 10. meth. c. 1.

Affectus, vndè primum maximeque imminet homini periculum, hìc primus curari debebit; sic vigiliæ, dolor crucians, immodica omnis vacuatio, hemorragia, cum & vires debilitent, & morbum augeant, sæpè affectum deserere cogunt, & medici sollicitudinem ad se convertunt. Ibidem l. 3. c. 9.

Ignis consumit aquam vitæ illæso linteo illâ madefacto, quia eligit sibi oleosum humorem, & separat ab aqueo, quo linteum remanet madefactum.

Luna trahit oceanum, non fontes, lacus, flumina; gaudet vastum hoc corpus sibi subjici: sic Principes amant splendidiores & potentiores aulicos, & elati amant magis elatos. *Vide Concord. Major.*

Affibilitas pro personarum, ad quas congressio est, accommodanda est conditione.

Inclinamur & determinamur naturaliter ad vtendum dexterâ vel sinistrâ, quamvis solus animalium homo sit ambidexter.

Beneficia vnicuique pro suâ conditione conferenda. *Vide Differentia Bonit.*

Plus amat qui beneficium confert, quàm qui accipit. *Vide Duratio Bonitatis.*

Sunt quædam in quibus non similiter redamare contingit. *Vide Æqual. Volunt.*

Habent Principes diversos ac distinctos ordines consiliariorum, ex quibus alij sunt magis, alij minùs intimi.

In acie instruendâ exteri & mercenarij proximi discrimini ponendi sunt, vt domestico sanguini parcatur: affines magis diligendi. *Vide Concordantia Æqualitatis.*

Se quisque alteri præfert. *Vide Volunt. Bonit.* Amor sui.

fui. Tamen publica privatis ſunt præferenda. *Vide Gloria Concord.*

Prudens in officiis naturæ, vt in alimoniâ & vitæ ſubſidio, primo loco ponit cognatos, ſecundò amicos viros bonos, tertiò viros bonos ignotos; officia autem virtuti debita præſtat iis, quorum virtus major eſt, etiamſi naturâ & ſanguine nobis non ſint juncti, cognatos præfert reliquis, amicos alienis. Kekermannus in moralib.

Pater filio præferendus. *Vide Glor. Princ.*

Vir bonus malo præferendus. *Vide Gloria Virt.*

Res eſt magis ſua forma quàm ſua materia, vndè ratione formæ præferri debet.

Quò res eſt vicinior fini, eò eſt amabilior, ſed tamen non niſi ordine ſuo eligi debet.

Cibi qui avidiùs appetuntur faciliùs digeruntur.

Magis amamus artificioſa quàm naturalia, quia ſunt fœtus animi noſtri, & quia ſuâ novitate nos movent & afficiunt.

Motus Sympathicus eſt potentior communi, vt motus ferri ad magnetem ſperatâ gravitate.

Solet natura, id quod maximè elementoſum eſt, & optimum reſpectu corporis nutriendi, in partium nobilium formationem & nutritionem abſumere, ex reliquo cæteris providet; ſic in deformibus, ex defectu materiæ caput, cor, hepar, principales hæ partes optimè, vt fieri poteſt, conformantur.

Plantæ, medicamenta, & ipſi Planetæ per occultas vires habent convenientiam, cum certis rebus, humoribus, & membris corporis; vndè quædam dicuntur Cephalica. *Vide Differentia Volunt. & Virt.*

Expedit vt princeps habeat amicos ſpeciales; ſic enim oſtendit ſe eſſe creatorem fortunæ, & felicitatem ex arbitrio ſuo, non ex generis nobilitate pendere; ſic coërcetur Magnatum ambitio.

Magis appetimus quæ ſunt prohibita, nitimur in vetitum omnes, cupimuſque negata; ipſa rei conſequendæ difficultas certamen accendit.

Licet ignis in omnium compoſitionem veniat, tamen maximè dominatur animalibus, igneus eſt illis vigor.

In metallis abundat aqua frigore concreta: at in lapillis pretioſis terra, vndè non diſſolvuntur. Nota quod terra, prætioſiùs producit, quod ſibi magis eſt affine.

Vita mundi, omnibus ſuis partibus inſita, magis viget in perfectioribus; propagatur in herbis & arboribus, quaſi in pilis; in lapidibus & metallis, velut in oſſibus & dentibus; & in conchis, quæ non tàm propria quàm communi vitâ vivunt. Marſ. Ficin. de vitâ cœlit. compar. cap. 9. Vita hæc aërem ignemque magis quàm terram & aquam fovet, agitatque perpetuo motu; Cœleſtia autem corpora, quaſi mundi caput, vel cor, vel oculos maximè vegetat. Ibid.

Vena Azygos, ſeù ſinè pari, eſt tantùm in latere dextro, in quo natura illud prætulit ſiniſtro.

Anima licet indiviſibilis, & vbique tota, magis fulget in nobilioribus partibus, vt corde & cerebro.

Aër magis amat aquam quàm ignem, quia ab aquâ minùs patitur.

Nihil debet in commune imperari, ſed certæ perſonæ, quæ ob electionem alacriùs ſe accinget operi, nec poteſt etiam ſuam culpam in alium transferre.

Magis amantur qui ſympaticè conveniunt. *Vide Principium Volunt.* De ſympathiâ.

Amor naturalis deſcendit magis quàm aſcendit, pluſque ſuperiora diligunt inferiora quàm contrà. *Vide Volunt. Princip.*

Natura maximè adjumentum præſtat parti nobiliori, ſemper enim rei melioris author eſt, quo-ad fieri poteſt. Ariſt. lib. 2. de partib. anim. cap. 14. Interdum etiam rei infirmiòri magis opitulatur, vt pueris, ægris, ſenibus, mulieribus, & imbecillis magis compatimur, & quæ non poſſunt eſſe objectum iræ noſtræ, ſunt miſericordiæ. *Vide Gloria Minoris.* Fortior in iſtis eſt amor expurgatus ab invidiâ.

Magis amamus ea quæ labore parta ſunt, quia ſunt opus noſtrum, & pluris æſtimamus quaſi meruerint impenſum laborem, & vt prætioſa magis videatur, fructuo. *Vide Gloria Contrar.*

Calidum attrahit & ſtruit alimentum; leve quidem attrahit, amarum autem & ſalſum relinquit propter gravedinem.

Corpora cœleſtia quantò magis accedunt ad centrum, & recedunt à primo mobili, tantò velociùs moventur motu proprio.

Diſpoſitio fit per accidentia, inclinantia materiam magis ad vnum contrariorum quàm ad alterum.

Electio eſt duorum quæ propoſita fuerint hominis judicium, quo alterum alteri anteponit.

Elementorum formæ fiunt ab orbium cœleſtium viribus, itaut tantâ diſtantiâ faciat ignem, in tantâ aërem, &c. ſic de ſingulis. Alb. Mag.

Eligibilius primò eſt quod eſt diuturnus. Secundò quod magis eligunt periti. Tertiò quoſt ſecundũ meliorem diſciplinam aut propriam. Quartò quod eſt ipſum, quam quod eſt eo, vt juſtitia juſto. Quintò, quod propter ſe quàm quod propter aliud. Sextò, quod propter ſe quàm quod per accidens. Septimò, quod ſimpliciter bonum quam quod alicui, vt ſanum eſſe quàm incidi. Octavò, quod eſt natura, eo quod non eſt natura. Nonò, quod meliori ineſt, vt Deo, quàm homini. Decimò, quod eſt in melioribus, aut prioribus, vt ſanitas robore. Vndecimò, finis iis quæ ſunt ad finem. Duodecimò, quod propinquius eſt fini. Decimotertiò, poſſibile impoſſibili. Decimoquartò, quorum finis eſt melior. Decimoquintò, ea ex quibus majus bonum ſequitur. Decimoſextò, minùs malum. Decimoſeptimò, plura bona paucioribus. Decimooctavò, quæ cum voluptate, magis quàm ea quæ ſinè voluptate, aut ſaltem cum indolentiâ. Decimononò, in quo tempore magis valet. Vigeſimò, quod in omni tempore, aut in pluribus, vt juſtitia. Vigeſimoprimò, quod per ſe ſufficit. Vigeſimoſecundò, quorum corruptiones malæ. Vigeſimotertiò, quod bono eſt proximiùs & ſimiliùs. Vigeſimoquartò, quod maximè proprium. Vigeſimoquintò, quod non ab alio exquiritur. Vigeſimoſextò, à caſibus, vſibus, actionibus, operibus, circumſtantiis. Vigeſimoſeptimò, ſuperabundans. Vigeſimooctavò, ſi id appoſitum alteri totum eligibilius facit. Vigeſimononò, magis honorandum. Trigeſimò, quod magis impedit viria. Trigeſimoprimò, minùs contrariis permixtum: Denique tria ſunt eligibilia honeſtum, vtile, jucundum; & tria fugienda, turpe, inutile, inhoneſtum. 1. &c. Ariſtot. lib. 3. Topicor. c. 1. 2. &. 3.

Bonis fugientibus magis inſtamus, vt compenſemus proximam privationem, ſic ſenes plùs amant vitam, ſic in brevioribus hyemis diebus armenta avidiùs paſcuntur.

Matres plus amant. *Vide Voluntas Princip.*

Licet in vnâ minerâ metalla mixta reperiantur, tamen abundantior & vegetior apparet in productione vnius metalli quàm alterius.

Primò per ſe vnius cauſæ vna eſt actio, per accidens quam plurimæ.

Solis radij non vbique ſunt perpendiculares, quaſdam regiones relinquit ſub æterno hyeme aut ardore ſteriles.

Civitas vt ſit fœlix primo loco animæ bona ponere

debet, Secundò, corporis, Tertiò, divitiarum.

Quo communius est bonum quod appetitur, eo motus est fortior, vt motus nexus, qui respicit communionem vniversi, fortiòr est motu gravitatis, qui respicit communionem densorum. Baconius.

Seneca lib. 6. de benefic. cap. 16. dicit Magistris nihil deberi ampliùs præter salarium conventum, si tantùm discipulum in grege aliorum habuerunt, sinè curâ speciali: si tamen præter illa, quæ à præcipientibus in commune dicuntur, aliquid instillavit, bonam indolem erexit, &c. tunc qui non plùs solvit quàm pepigit ingratus est; prætium operæ solvitur, animi debetur. Viro bono potiùs auxiliandum. *Vide Gloria Virtutis.*

Nitimur in vetitum. *Vide Bonitas Potest.* libertatis.

De motu naturali quo res ab heterogeneis se recipit ad minùs inimica; vt spongia excipit aquam, vt pellat sibi minùs convenientem immixtum aërem. *Vide Differ. Virt.*

Eodem lumine sol syderibus lumen impertit, & plantis vt crescant, nec tamen quod astris non sine similes conqueruntur.

Ità beneficium largire, vt vnusquisque, etiamsi cum multis accipit, in populo se esse non putet; nemo non habeat familiarem notam, per quam speret se propiùs admissum: quemadmodùm meretrix ità inter multos se dividit, vt nemo non aliquod signum familiaris animi ferat; sic ità multi obligantur, vt singuli habeant aliquid, quo se cæteris præferunt sive quod citiùs, libentius, rogati, alis verbis acceperint, &c. Senec. 1. de benefic. c. 10.

Senes quare plùs cæteris vitam ament. *Vide Volunt. Durat.* in Miscell. in fine quare plùs amant divitias. *Vide Minorit. Bonit. Mala.*

Honoris est cupidior qui possidet ipsum, omnes enim cum aliquid adsit, id accumulare solliciti sunt: vndè nobiles plùs cæteris honoris cupidi, nam nobilitas est dignitas quædam majorum. Arist. lib. 2. Rhetoric. cap. 15.

Quandò major debet esse liberalitas. *Vide Majoritas Bonit. in fine.*

Quò magis partes sunt vacuæ, eò magis trahunt, vt ventriculus, jecur, &c. Galenus lib. 3. de naturalibus facultatibus.

Fons Siloë ad radices montis Sion precibus Isayæ Prophetæ primùm erupit, vt obsessis sub Ezechiâ Rege Iudæis succurreretur; & quotiescumque ijdem aquatum venissent, vndam præbebat, hostibus verò advenientibus latebat. Baron. an. Christi 33. num. 36. *Vide Differentia Concord.*

Vegetabilia assimilant alimenta sua simpliciter absque excretione: at animalium substantiâ magis sui similis est perceptiva, itaque cum fastidio conjuncta est, & inutilia rejicit, vtilia assimilat. *Vide Differ. Contrar.*

E duobus malis minus eligitur. *Vide Media Virtut.*

In fœtu canum is optimus, quem primum in cubile fert mater fœta. Plin. l. 8. cap. 40.

Aquila pullos suos probat ad solis radios, non sustinentes abjicit. Idem lib. 10. cap. 5.

Vultu tria parit ova, vno ex ijs reliquo nidumque lustrat, mox abjicit. Idem cap. 6.

Apes aliquandò & ipsæ contrahunt mortis sibi causas, cum sensere eximi mella, avidiùs vorantes. Idem l. 11. c. 19.

Quædam certis tantùm locis proveniunt nec patiuntur transferri. *Vide Minor. Differ.*

A solo potest impetrari vt alienas arbores alat, & advenas nutriat: at cœlum nullo modo flectitur. Plin. lib. 16. cap. 33.

In Cretâ, expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessarunt fontes, omnesque, qui in eo situ multi erant, tursùs condito post sex annos emerserunt. Idem lib. 31. capite 4. Nolnerunt fluere nisi suis.

Plato in Timæo dicit bruta & plantas à providentiâ tantùm regi quoad speciei conservationem: singularia autem à casu & fortunâ; at singulos homines, vt potè rationis capaces, nobiliores, animam habentes immortalem, virtutis & vitij, præmij & pœnarum capacem, à providentia regi. Photius Biblior. cap. 252.

De electione & prædestinatione divina. *Vide Durat. Princip.*

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant. Cod. 5. tit. 24. *Vide Major. Bonit. & Differentia Bonit.*

Adversùs testamentum militare, & quod sit de castrensi peculio, non datur querela inofficiosi testamenti. l. Cod. de inoffic. testam. Sic miles potest ad libitum vnum alteri præferre.

Pater potest dividere hæreditatem inter filios, itavt inæqualem faciat divisionem, & vnum ex hæredibus ære alieno gravet, sed itavt legitimam illibatam habeat. l. 39. ff. famil. Erciscc.

Pro conjunctis major præsumitur affectus. *Vide Concord. Æqualis.*

Quod vni ex cohæredibus status liber conditionis implendæ nomine dedit de peculio, alijs cohæredib. communicari non debet. l. 20. in fine. ff. famil. Erciscc.

Si Dominus jusserit servo fundum vendere certæ personæ, & alteri vendit, non valet venditio. l. 63. ff. de contrah. emption.

In generali obligatione pignoris non veniunt ea, quæ quis non esset in specie obligaturus, vt quæ ad ejus affectionem pertinent, vt concubinam, alumnos, filios naturales. l. 6. & 8. ff. de pignorib. & hypothec.

Pater plus diligere debet eos, quos habet in potestate, vndè præteritione filij vel nepotis emancipati non rumpitur testamentum, sicut si essent in potestate. l. 8. ff. de injust. rupt. fact.

Servus est sinè culpâ, qui cum plures sui Domini aggressuram paterentur, vni præ alijs auxilium dedit, cum non posset omnibus; item si potiùs Domino, quàm dominæ, aut contrà. l. 3. §. 4. ff. ad S. C. Sillan.

Si parti civitatis aliquid sit relictum, ad ejus compendium aut ornatum, valet legatum. l. 32. in fine ff. de leg. 1.

Dominus duarum domorum potest affixa vni in aliam transferre. l. 41. ff. eodem & l. 1. ff. de donat. caus. mortis.

In donationibus causâ mortis & legatis quisque se alijs præfert, sed cum cui dat aut legat cæteris, sic in ordine substitutionem.

Non est verisimile, quod testator plùs diligat substitutum, quàm primo loco positum. l. 36. ff. de condit. & demonst.

Patronus potest vni ex liberis suis assignare libertos, vt solus habeat jus ad eorum hæreditatem, & sit illis loco manumissoris. l. 1. ff. de assig. libert.

Possunt plures ex eodem fonte aquam ducere, inæquali mensurâ. l. 5. ff. de aquâ quotid.

Debitor plurium summarum, si solverit vnam par-

tem poteſt applicare ad liberationem cujus voluerit debiti. l. 1. ff. de ſolutionibus.

Si duos quis dederit fidejuſſores, poteſt ità ſolvere partem debiti, vt vnum potiùs quàm alium liberet. l. 5. ff. de ſolutionibus.

Cum ſolvitur pars plurium obligationum, cui cenſetur potiùs applicanda. *Vide Minor. Durat.*

Teſtator poteſt vni ex ſuis hæredibus permittere, vt in ſepulchro ſuo ſepeliatur. l. 3. §. 3. ff. de ſepul. violi

Non poteſt quis ità advocationis officio interdici, vt certis perſonis non adſit. l. 9. ff. de pœn.

Magis amatur quod carius conſtat.

Mulier nupta poſtliminio reverſa, etſi nondùm pretio à militibus redempta, cenſetur non cum Domino, ſed cum marito fuiſſe, & ideò parit ingenuum. l. 21. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.

Duobus in ſolidum conſtituentibus obligationem, creditor poteſt alterum in ſolidum convenire. l. 1. Cod. de duob. reis ſtipul.

Qui duobus collegijs adſcriptus eſt, debet eligere cui magis velis adſcribi, non enim poteſt eſſe duorum ſimul. l. 1. in f. ff. de colleg. & corporib.

Vnius inclusio eſt alterius excluſio: qui conficit codicillos poſteriores, videtur reprobare priores. l. 8. C. de jure Codicill. *Vide Magnitudo Volunt. Differ. Volunt.*

Speciale mandatum derogat generali. cap. ſicut. de reſcript.

Non licet de civitate ad villam transferre ædificiorum ornamenta, licet tamen de domo in domum vrbis, de villâ in villam. l. 6. cod. de ædific. privat.

EX THEOLOGIA.

DEus poteſt habere acceptionem perſonarum, quia nihil debet. 1. q. 23. 5. a. 3. q. 65. a. 2. ad 3. D. Thom.

In honore deferendo debet eſſe acceptio perſonarum. 2. 2. q. 63. a. 3. & in judicijs. a. 4.

Clerici, Sacerdotes, Monachi non poſſunt advocare in causâ ſæculari, niſi pro ſe in neceſſitate, vel ſibi conjunctis. 2. 2. q. 71. a. 2.

Quantò virtus agentis ad plura & remotiora extenditur, tantò eſt potior in ijs quæ propter ſe quæruntur, ſed in ijs quæ quæruntur propter aliud eſt è converſo. 2. 2. q. 174. a. ad 2.

Amicis peccantibus magis auxiliandum eſt ad recuperationem virtutis, quàm ad recupationem temporalium. 2. 2. q. 25. 2. 6.

Dilectio Dei duplex, ſcilicet communis, quâ diligit omnem creaturam; alia ſpecialis, quâ trahit creaturam rationalem ſuprà conditionem naturæ ad participationem ſui. 1. 2. q. 110. a. 1. *Vide Majoritas Concordantiæ.*

Deus plùs amat aliqua quàm alia, ex parte boni volici; ſed æqualiter ex parte actus. 1. q. 20. act. 3. 5.

Deus ſemper plùs amat meliora. 2. 4.

Plùs amat Chriſtum quàm cæteras creaturas. 1. q. 2. a. 4. ad 1.

Deus plùs amat Angelos quàm homines, quo ad eſſe naturæ, ſed quo ad eſſe gloriæ aliquos plùs, aliquos minùs, aliquos æqualiter. 1. q. 20. 2. 4. ad 3.

Deus plùs amat innocentem quàm pœnitentem, æqualis charitatis, quo ad præmium accidentale tantùm. Ibidem ad 4.

Deus eſt amandus ſuper omnia. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Proximus debet ex charitate diligi, magis quàm proprium corpus. 1. 2. q. 73. a. 5. Vt quod libet eus naturale magis diligit ſe quàm alterum: ſic bonum ſpeciei plùs diligit quàm proprium. 1. q. 60. a. 4. ad 2. & 5.

In patriâ nullus eſt ordo dilectionis, niſi ſecundùm propinquitatem ad Deum. 2. 2. q. 26. a. 13.

In naturalibus proximus eſt magis amandus quàm alius, ſecundùm majorem vnionem, & firmius & multiplicius, ſic plùs Pater quàm Mater, concivis & commilitiones quàm alij. 2. 2. q. 26. a. 7. & 8.

Filij fontis debent plùs diligi in ſpiritualibus quàm filij carnis: non autem in alijs. 2. 2. q. 26. a. 8. ad 2.

Objectum voluntatis eſt bonum, ideò bonum augmentatum auget amorem. 1. 2. q. 45. a. 4. ad 2.

Novitas & abſcentia amati interdum auget amorem. 1. 2. q. 29. a. 3.

Gratia & gloria data eſt Angelis ſecundùm quantitatem naturalium. 1. q. 62. a. 6. q. 108. a. 4.

Singulis hominibus aſſignantur angeli cuſtodes: aſtantum ſingulis ſpeciebus rerum corruptibilium. 1. q. 11. a. 13. q. 113. a. 2.

Oportet talem animam vniri tali corpori. 1. q. 76. a. 5.

Generatio hominis & multiplicatio, etiam quo ad individua, eſt de principali intentione naturæ, non autem aliorum animalium, niſi ſecundùm ſpeciem. 1. q. 50. a. 4. ad 4. q. 98. a. 1.

Non decuit vt natura humana in quolibet ſuo ſupoſito aſſumeretur. 3. q. 2. a. 5. ad. 2.

Magis conjunctis eſt magis benefaciendum cæteris paribus. 2. 2. q. 26. a. 6. *Vide Majorit. Bonit.*

Præceptum includit ordinem charitatis. 2. 2. q. 44. a. 8. hic hordo manebit in patriâ. q. 26. a. 13. ordo autem delectionis erit ſecundùm propinquitatem ad Deum. Ibidem.

Humanitas Chriſti influit principaliter in animas, ſecundariò in corpora, & ſic eſt caput hominum. 3. q. 8. a. 2.

Chriſtus eſt caput omnium hominum, ſèd Primò, beatorum. Secundò, habentium charitatem viæ. Tertiò, fidelium. Quartò, veniendorum. Quintò, vnibilium; ſed nullomodò damnatorum, quia penitùs deſinunt eſſe membra Chriſti. 3. q. 3.

Deus Pater Chriſtum plùs omnibus dilexit, quia ſemper plùs deligit meliora, & quia ei majus bonum voluit & fecit. Voluntas enim Dei eſt cauſa bonitatis in rebus. 1. q. 20. a. 1.

Electio addit ſuprà conſenſum relationem reſpectu ejus, quod minùs placet vel non placet, & tunc differunt tantùm ratione. 12. q. 15. a. 3. ad 3.

In iis quæ pertinent ad conſervationem naturæ, magis tenemur parentibus, à quibus naturam accepimus, quàm alijs, & conſequenter conſanguineis; ſed in alijs beneficiis poteſt eſſe è converſo. 2. 2. q. 31. a. 3.

Quibus diſpenſatio poſſit dari. *Vide Dur. Virt. Repug.*

Electio Dei præcedit prædeſtinationem, quia prædiſtinatio Dei eſt actus voluntatis abſolutæ, conſequens ordinem electionis. 1. q. 23. a. 4. ad 2.

Eleemoſina cæteris paribus debet dari magis indigentibus, melioribus, propinquioribus, benefactoribus, & dantibus Spiritualia. 2. 2. q. 32. a. 3. ad 1.

Gravitas per priùs inclinat deorſùm quàm retrahat de loco ſurſùm. 1. 2. q. 36. a. 1.

Ioannes Euangeliſta prædiligebatur à Chriſto, propter ſuam integritatem, & propter prærogativam Evangelicæ doctrinæ. 3. q. 45. a. 3. ad 4. Prædiligebatur propter quatuor, ſcilicet propter ſapientiam, puritatem, fervorem, & teneram ætatem 1. q. 20. a. 4. ad 3.

Iudæis non licebat accipere vſuras à fratribus, ſed

tantùm ab extaneis, quorum bona illis debebantur. 1. 2. q. 105. a. 3. ad 3.

Deus exalavit judeos tempore gratiæ multipliciter, scilicet per carnis assumptionem, per personalem prædicationem, per suam conversationem, per miraculorum operationem, & per discipulorum prædicationem. 2. 2. q. 10. a. 8.

Deus potest agere præter iustitiam, scilicet præmiando vltra meritum. 1. 2. q. 112. a. 3.

Non est inquirenda ratio, quarè Deus aliquos justificet & liberet à peccato, & alios relinquat in peccatis. 1. 2. p. 23. 7.

Deus specialiter dicitur Deus justorum tripliciter, scilicet ex speciali curâ, cultu, & præmio. 1. q. 13. a. 7.

Christus non est missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, quia Iudæis promissiones erant factæ & vt illis auferret calumniandi materiam. 3. q. 42. a. 1.

Bonum publicum præferendum privatio. *Vide Gloria Concordantiæ.*

Cum ex vnâ causâ procedunt multi motus, primus fertur in id quod est principalius intentum. 12. q. 36. a. 1. ad 3.

In subventione necessariorum plùs tenetur homo filio quàm parenti, sed in honore, reverentiâ, obedientiâ & voluntate est è converso; In extremâ autem necessitate magis licet deserere filios quàm parentes, quos nullo modo deserere licet, propter cepta ab eis beneficia 2. 2. q. 13. & 32. q. 3. ad 4.

Deus reservavit sibi institutionem Principis & Regis judæorum, quorum specialem curam gerebat. 1. 2. q. 105. a. 1. ad 1.

Rationalis creatura speciali modo sub est divinæ providentiæ. 1. q. 12. a. 2. ad 4.

Boni subsunt divinæ providentiæ propter se, mali autem propter alios tantùm, vt bruta. 1. q. 22. a. 2. ad 4.

Bonum gratiæ vnius est majus bono naturæ totius vniversi. 1. 2. q. 113. a. 9. ad 2.

Gratia gratum faciens ordinat hominem immediatè ad conjunctionem vltimi finis. 1. 2. q. 111. a. 5. & sicut gratia gratum faciens ordinat ad actus meritorios interiores, sic gratia gratis data ad exteriores. 1. q. 7. a. 7. ad 1.

Omne donum gratiæ elevat hominem suprà naturam. 2. 2. q. 171. a. 2. ad 2. & 1. 2. q. 110. a. 1.

Humanitas Christi influit primò inanimas, Secundò in corpora. 3. q. 8. a. 6.

Charitas, quæ tanquàm nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi infirmiores fortioribus anteponit, quos tales vult esse, quales jam illi sunt, quos non contemnendo, sed de his confidendo interim præterit. D. August. Ep. 158. in fin.

EX BIBLIIS.

ISaac plùs dilectus à Matre Gen. 25.

Iacob plùs amat pulchram Rachel quàm Liam. Gen. 29 Iacob plùs Ioseph, quem in senectute genuit. Gen. 37. Ioseph plùs Benjamin quàm alios fratres, eique duplicem portionem dat in mensâ. Gen. 42.

Deus dicit Moysi. Si custodieritis pactũ meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus. Exod. 19. & Deut. 7. dicitur populus sãctus, & pecularis Domino.

David dicit de Ionatha, amabilis super amorem mulierum; sicut Mater vnicum amat filium, sic ego te diligebam. 2 Reg.

Assuerus plùs diligit Esther quàm cæteras vxores. Esther. 2.

Isay. 17. dicit Deus, Benedictus populus meus, Ægypti, & opus manuum mearum Assyrius; hæreditas mea Israel.

Dixit Dominus, cujus caminus ejus est Sion, & caminus ejus in Ierusalem. Is. 31. Major charitas est in cœlo.

Dominus sicut pastor gregem suum pascet; & in brachio suo congregabit agnos & in sinu suo levabit, & fœtas ipse portabit. Isay. 4.

Ecce servus meus suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Isay. 40.

Nonne frater erat Esau Iacob, & dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui montes ejus in dracones deserti. Malachiæ. 1.

Desiderabilia super aurum & lapidem prætiosum multum. Ps. 18.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi. Psal. 32.

Homines & jumenta salvabis Domine, filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psal. 35.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, Psal. 67.

Ædificavit sicut vnicornis sanctificium suum in terrâ, quam fundavit in sæcula. ps. 77. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ. Psal. 88.

Qui annuntiat verbum suum Iacob, justitias, & judicia sua Israël: non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit ejs. Psal. 147.

Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, vna est perfecta mea. &c. Cant. 6.

Homo negotiator vendit vniversa quæ habet & emit agrum, in quo est thesaurus; & prætiosam margaritam. Math. 13.

Christus dicit Chananææ, non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël; non est bonum panem filiorum mittere canibus. Math. 15.

Venit filius hominis salvum facere quod perierat: Gaudium majus est super ove & drachmâ quæ perierat, & Pater reversum prodigum præfert primogeto. Math. 18.

Relinquet homo Patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. Math. 19.

Pater familias præfert eos qui vltimò venerant in vineam, æqualemque dat mercedem his qui tolerant pondus diej & æstus, & murmuranti dicit; An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? volo autem hunc novissimo dare sicut & tibi: sic multi vocati, pauci electi. Math. 20.

De die Iudicij ait; Duo erunt in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur &c. Math. 24.

Is ex debitoribus creditorem plùs diligit, cui plùs ab eo remissum est. Luc. 7.

Difficilia plùs amantur, sic Deus exprobrans ingratitudinem Iudeæ. Ezech. 16. Nec facta es quasi meretrix fastidio augens prætium quod accipit ab amatoribus, sed mercedes ipsa cunctis amatoribus donasti. &c. Ezech. 16.

Nolite timere, multis passeribus pluris estis vos, &c. Luc. 12. Deus magis providet hominibus quàm animantibus.

Ego pro eis rogo, non pro mundo Ioan. 17.

Dicitur de Ioanne, quod erat discipulus quem diligebat Iesus.

De primatu in Ecclesiâ dato Petro. *Vide Major. Pet.*

De bonorum præ cæteris gloria. *Vide Gloria Virtut.*

Abraham filiis legitimis dat magnorum bonorum

hæreditatem, filijs autem concubinarum dat munera; sic lex naturalis legibus cæremonialibus præferenda. Philo Iudæus. lib. de migrat. Abraham. *Vide infrà Cognitio Virtutis.* Cæremoniæ sacræ.

Non erubesco Evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti; Iudæo primùm & Græco. Rom.

Cum Isaac & Esaü nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est Iacob dilexi, Esaü autem odio habui, quid ergò dicemus, numquid iniquitas apud Deum? absit, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicet figmentum ei qui se finxit quid me fecisti sic, an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massâ facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Roman. 6.

Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancillâ, & alterum de liberâ, sed qui de ancillâ secundùm carnem natus est, qui autem de liberâ per repromissionem. Gal. 4. quid dicit scriptura, ejice ancillam, & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Ibidem.

Prædestinati secundùm propositum ejus qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Ephes. 1.

QVÆDAM PRÆ ALIIS eligenda & amanda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Duplex amor, seù complacentiæ, seù concupiscentiæ, diversos admittit gradus. Nam vt summa perfectio in Deo summè amatur, sic in creaturis amatur, in quantùm illam participant; vt etiam nos primum amamus, nobisque volumus bonum, sic ea magis amamus quæ ad nos magis accedunt sympathiâ, naturâ, cognatione, & tandem honesti, vtilis, & jucundi ratione.

MAGNITVDO. Insunt quidem omnibus hominibus rationes quædam vniversales communis dilectionis, vt quod sint Dei creaturæ, ad ejusdem prototypi similitudinem factæ; Ineſt naturalis cognatio, qualis est inter animalia ejusdem speciei, quæ se plùs cæteris amant: sed vt causa vniversalis determinatur à particulari; sic prævalet ratio singularis dilectionis, obscuratque hunc communem naturalis fœderis sensum; vigeret enim tantùm in eo, qui inter feras enutritus, visum de repentè hominem vt sibi similem amplecteretur; sic ejusdem patriæ cives sibi maximè adhærent, cum inter exteros degunt.

DVRATIO. Hæc tamen communis dilectionis ratio, cum sit juris naturalis, ab eâ penitus recedi non potest; estque quasi immobile, cui cæteri voluntatis motus innituntur. Variantur enim sæpè hi singulares affectus, variatis & deficientibus ejus accidentalibus causis; vndè fit, vt cum ad plures successivè perveniunt, sic circulo quasi redeant ad communem illam amoris naturalis diffusionem.

POTESTAS. In hoc maximè videtur humanæ mentis libertas, quod amorem nemo imperare, nemo vi extorquere valeat. Volunt amari Principes, nec possunt, nisi populi benevolentiam, clementiâ, liberalitate, cæterisque regijs virtutibus promeruerint; hoc populis servatum jus, cui nulla vis, nullum tempus præscribit: Tyrannos vltrix sequitur infamia; eosque numquàm populi affectus bonis Principibus adæquabit.

COGNITIO. Id præ cæteris eligitur, quod vt melius ratio, sensusque denuntiant: hinc res omnes volunt videri, externisque qualitatibus internas produnt, vt affectum alliciant. *Vide Cognitio Virtutis de Physiognomiâ.* Animalia habent rerum sibi convenientium innatas species, quas homo ratione, studio, experientiâ sibi comparat: ideò antè amorem judicandum. *Vide Cog. Concord.* non autem opus esset hac arctâ discussione, si vnus præ alijs non esset diligendus.

VOLVNTAS. Amoris, vt naturæ conatus totus est in assimilatione, fugit, separat, egerit dissimilia, & convenientibus, vt quæ facilè in vnionem veniunt, magis adhæret; sic amor superiorum quærit convenientes dispositiones ad formæ receptionem; sic amor inferiorum id magis appetit, quod magis indigentiæ suæ opitulatur.

VIRTVS. Vt vera Religio vnicum Deum adorat, excluso idolorum cultu; sic ordinata charitas virtute præstantiores, vt Deo similiores, cæteris præferat: alioquin mentes naturæ simul & pietatis quodam adulterio polluerentur, si æquè bonos & malos diligerent, prostituto, modumque nesciente affectu.

VERITAS. Ideò mentibus nostris insitæ sunt honesti, vtilis, jucundi ideæ, vt his quasi appositis regulis, rectum à curvo discernamus, & meliora cæteris præferamus. Deus amat se necessariò, creaturas autem liberè; hic essentialis amor infinitus circà infinitum est idæa & regula omnis amoris, qui debet ferri in objectum, pro ratione bonitatis in eo existentis.

GLORIA. Majori voluptate allicit natura ad ea quæ magis conveniunt, sentiunt se etiam insensibilia, quærunt se etiam immobilia, si sympatice conveniunt, vt patet in magnete & ferro; acus tacta magnetis parte Septentrionali, illam sequetur, & fugiet meridionalem. Frustra esset voluptatis & doloris sensus, si nulla facienda esset meliotis electio.

DIFFERENTIA. Vt nihil existit, nisi individuali & incommunicabili existentiâ; sic nullus nisi singularis & circà vnum præ cæteris amor: vnitatis vnitas est, & ad vnum motus; hinc amantes solitarij, quia abdicatis rebus cæteris soli pascuntur rei suæ præsentiâ aut imagine. *Vide Magnit. Volunt.*

CONCORDANTIA. Hinc amor non patitur consortem; hinc virtute præstantes indignantur, si immeriti illis pares sint in honore: hinc vix æstimantur beneficia quæ sunt communia, & pius quisque magis erga Deum afficitur, si attendat sibi specialiter collata dona, quàm mundo, aut Ecclesiæ.

CONTRARIETAS. Vt quædam nociva magis fugimus, quia magis nos lædunt, sic quædam magis nos juvant. Ideò rebus insitæ sunt pugnantes qualitates, vt sic fugatis longius magis contrarijs cæteræ provt conveniunt se quærant, vt in vnum consentiant.

PRINCIPIVM. Etiam causæ vniversales suos moderantur influxus, pro variâ rerum dispositione: non in omnibus regionibus autum Sol conficit, non omnibus temperato lucet radio, licet motu suo circulari climata successivè perlustret. In hac ipsâ æqualitate ineſt perpetua inæqualitas, cùm vni semper præ cæteris faveat.

MEDIVM. Amor nexus est vniversi, mediumque conjunctionis: At medium non attingit distitas omnes partes, sed vicinas convenientes compaginat. Sic stat ordo, cum conveniens convenienti jungitur,

cæteris provt diſconveniunt, & dedecet, ab actis, ex ſingularum enim partium ſic aptâ diſpoſitione, exurgit totius pulchritudo & harmonia: Quod ſi eſſet indifferens omnium ad omnia motus, & adhæſio, rediret orbis in antiquum chaos.

FINIS. Nullus motus eſt ſinè termino, alioquin fruſtrà & in vacuum jactaretur; ſic nullus, niſi certi & convenientis amor: vtque recta quæ in centrum tendit via cætera omnia adjacentia ſpatia reſpuit; ſic amor eligit præ cæteris vnum quid conveniens, in cujus poſſeſſione ſua ſit fœlicitas.

MAIORITAS. Verè bonum eſt, quod in ſeipſo & alijs comparatum habet magis rationem boni; minus enim bonum tunc habet rationem mali. Qui amat, amatum cæteris præfert, ità plùs ei tribuit perfectionis, quàm ſit in cæteris rebus, ipſo ſuo amore, etiam indigo, ſummè beneficus: cumque nihil ſit, quod non amet, & non ametur, nihil eſt etiam in infimo naturæ gradu, quod ſic non habeat aliquod eminentiæ veſtigium, nec in quo minimum cum maximo mirè non concinat.

ÆQVALITAS. Ideò amor amorem meretur, etiamſi ſit inter genio & fortunâ longè inæquales, quia hanc inæqualitatem compenſat amor, hoc eminenti judicio, quo amatum cæteris omnibus præfert; hæc vniverſalis juſtitiæ lex viget inter privatos; & vnicuique quod ſuum eſt tribuitur, cum convenienti amore, ſuiſque meritis pari, diligitur.

MINORITAS. Hæc quæ in vltimo meritorum gradu jacent expectant ſibi parium affectum; quod vnus negligit, alius colliget. Vidit Deus vniverſa quæ fecerat & erant valdè bona, ſcilicet in ſpecie ſuâ, & ea ſingulariter amantibus, quorum implent affectum, itaut in minimarum rerum fruitione non minor ſit fœlicitas. Neminem ſperno, ſed non conveniens mihi genium alteri amandum & colendum relinquo.

FAVOR PRINCIPVM.

NOn eſt majus meritum quàm gratiam inveniſſe regnantium. Caſſiod. Ep. 4. lib. 1. variar. Dignitas eſt ſubjecti affectus meruiſſe dominantis. Idem Ep. 4. lib. 7.

Per aulicos, veluti per oſtia fluminum ad ingens pelagus pertinentia, vota civivm, ſpeſque ad principem deferuntur. Barclaius.

Deus vtitur his intermedijs vt flectat cor Principum; ſic in Ægypto fecit Ioſephum charum Pharaoni; In Babyloniâ Danielem Nabuchodonozor; In Aſſiriâ Mardochæum Aſſuero; In Perſide Eſdram Artaxerci. Hi populis, ortâ tempeſtate, extremiſque in rebus fuerunt ſacræ anchoræ; ſunt vaſa electionis, ex quibus Principum clementia in populum effunditur.

Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt: Id enim eſt omnium corda poſſidere in eo, qui omnium Dominus eſt.

Quid majus quæritur, quàm hic inveniſſe laudum teſtimonia, vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta; Regnantis quippe ſententia judicium de ſolis actibus ſumit, nec blanditi dignatur animus dominij poteſtate munitus. Caſſiod. Epiſt. 3. lib. 1. variar.

Regnant in cordibus Principum amoris dulcedine, vt Principes in regno ſuo vi ſuæ authoritatis: habent amoris imperium, quod vix ſuis contingit Principibus.

Mulieres Romanorum dicebantur toti mundo imperare; quia amore imperabant maritis de toto orbe triumphantibus.

Aſtra quæ ſunt in Cazimir, ſeù corde Solis, vim illius vivificam & vniverſalem habent: temperant etiam Solem, cujus vis ſe habet indifferenter. Inter ſtellas fixas efficaciores ſunt, quæ ſunt Zodiaco propinquiores, vel ob fulgoris majeſtatem, vel auguſtum luminis ſplendorem, ideò regiæ dicuntur.

Quàm ſit magnum privilegium, favorem Principis aſſequi; & quod deceat Principes aliquem ex aulicis ſpeciali favore proſequi. Vide quæ ſcripſi lib. vlt. moral. Chriſtianæ. 1. parte. cap. 16. & 2. parte. cap. 14.

Cor palpitat motu ſibi proprio, & quaſi alterum moneturanimal. Plin. lib. 11. cap. 37. ſic & cerebrum. Princeps poteſt habere ſibi proprios & ſingulares affectus.

Apud Perſas magnum honoris præmium erat, acceſſus & accubitus juxtà Regem.

Inſignis hæc eſt in Reges injuria, velle eos arceri à ſuavitate amanti, & à fide quàm omnes in ijs expectamus qui per noſtra beneficia ereneruntt: licet omnibus habere, vt quid ſolis Regibus lex barbaræ inhumanitatis dicatur, ne quin eximium habeant, aut cujus familiaritate delectentur? quid cùm ſponsè amari ſe ſentiunt? cùm ingenij & affectuum paritate, imò cùm fide & beneficijs provocatur ad amandum, ne tum quidem audebunt illi impetui indulgere, quem natura dulciſſimum habet. Barcla. in argeni.

DECET PRINCIPES, aliquos ex aulicis ſpeciali favore proſequi.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Princeps duplicis debet eſſe ſpiritus, propter duplicem quàm gerit perſonam, ſcilicet privatam & publicam. Privata, publicæ fundamentum eſt, vt natura artis; vndè aliquid illi eſt indulgendum, ſcilicet vt cum omnibus Regali providentiâ ſubveniat, aliquos ſingulari proſequatur affectu. Sicut ergò ſunt actus Regiæ juſtitiæ, dùm jus dicit populis, dùm illos ab injurijs & hoſtibus protegit: ſic debent eſſe aliqui actus ſingularis bonitatis.

MAGNITVDO. Vt aliquos promovet generis nobilitas, genij præſtantia, bellica fortitudo; ſic debent eſſe quos Regia Majeſtas evehat, hoc ipſo Majeſtatis titulo, vt quod magnum eſt magnum quid efficiat; ſic cœlum elevat vapores in ſimilitudinem ſtellarum fulgentes.

DVRATIO. Sic elatæ, ſic ditatæ chariſſimorum aulicorum familiæ, ſunt Regiæ dilectionis & liberalitatis proles, quæ ad poſteros honorificè tranſit; plúſque Principis magnificentiam commendat, quàm extructa publica ædificia: cum enim quæretur origo talium illuſtrium familiarum, ſemper adſcribetur Regiæ magnificentiæ.

POTESTAS. Summa Regis poteſtas in hoc maximè effulget, quod poſſit ad imitationem divinæ omnipotentiæ, fortunas ex nihilo creare, & cum libuerit annihilare, quod momento conferat opes & dignitates, quas alij cumulatis proavorum virtutibus & laboribus non potuerunt aſſequi.

COGNITIO. Vni confertur beneficium, ſed ſpes ad omnes pervenit: Generoſi enim animi idem am-

biant, nec desperant se posse consequi quod vni ex suis contigit. Hæc eminens fortuna, publica proclamatio est regiæ benevolentiæ, & quantùm profit illius affectum promereri.

VOLVNTAS. Hoc quasi proposito præmio omnes ad affectum Principis provocantur. Brevis est, sed efficax, sensibilisque demonstratio, eam, quam omnes ambiunt, potentiam, non pendere tantùm à generis nobilitate, aut à rebus præclarè gestis sed à Principis affectu & arbitrio.

VSVS. Non subtrahuntur debita virtutibus præmia, sed quædam extrà ordinem decernuntur. Satis eminet, satisque probandus venit, qui cœlo sic disponente meretur affectum omnibus Dominantis: occulta quædam & divina vis est, quæ aulicum Principi à Deo dato consociavit, charumque effecit, eodem præsidente genio.

VERITAS. In publicis omnibus negotijs Princeps personam agit non suam, vim autem hanc continuam non ferret natura, si non esset aliqua intermissio, si non esset aliquis fidus, ex sympathiâ non ex politiæ rationibus electus, cum quo familiariter agat & à quo veritatem, quàm omnes celant, addiscat.

GLORIA. Vt palatij & famulorum ornatus, sic chari aulici splendor transit in gloriam Principis: delectatur ipse hoc magnificentiæ suæ spectaculo, oculo, & potentiæ suæ fulgorem, quem in seipso non satis benè perspicit, in alio liberiùs miratur. Hic gloriæ suæ reflexus radius fortior est, caloremque vivificum in cæterorum animis ingenerat.

DIFFERENTIA. Quos virtus charos efficit, necesse est implicari negotijs, & sæpiùs abesse Reipublicæ causâ: vndè Princeps non potest semper eorum frui colloquio, nec cum illis talem inire debet amicitiam, quæ ipsum aut absentiâ torqueat, aut convictu Rempublicam defraudet. Eligit ergo genio suadente tales, qui possint semper illi assidere & continuas regiminis curas gratissimo suo aspectu, fidoque, licet non eminente, consilio delinire.

CONCORDANTIA. Ex quo bonus Princeps se bono publico dicavit, nihil ferè gerit ex animi sui arbitrio; non est illi integra etiam in nuptijs contrahendis libertas: vim toties patiens amor quærit solatium in aliquo, quem cœlum & natura conciliarint; quis id jure poterit inficiari?

CONTRARIETAS. Rector, etiam in mediâ pace, continuum gerit cum populo suo bellum, idemque quod ratio contrà sensus & passiones: Etiam ipsi quibus vtitur ministri negotium illi faciunt fiuntque hostes domestici; maximè autem timenda est magnatum potentia, si plus quàm decet excreverit; vt noxius est corpori calor, cum in febrilem degenerat: Temperatur autem hæc potentia, cum ex æquo evehuntur aliqui, non illorum, sed Principis partibus adhærentes; sic debilitatur suspecta vis, nec tantùm valet ad seditiones conflandas, cum Populus Principem quasi omnipotentem fortunæ creatorem suspicit.

PRINCIPVM. Fidissimus sit Principi sic speciali suo favore elatus, dùm videt hinc fœlicitatem suam omnem pendere, & si in contrarium deflectat, momentò ad nihilum redigi; non enim magis potest consistere sinè Principis affectu, quàm radius sinè solis sui præsentiâ: hinc fit, vt semper illi adhæreat, licet in partes scissa sint cæterorum vota.

MEDIVM. His intermedijs datur ad Principem accessus, sicque conceptam de fœlicitate invidiam beneficia temperant: his quasi organis multa dicit, tentat, differt, negat, concedit Princeps, quæ seipso decenter non posset peragere: Hac vicariâ potestate Princeps se miscet cæteris ministris, sic temperato splendore, vt non tollat consilij libertatem, nec tamen patiatur perfidiam.

FINIS. Hi favores, vt plurimùm breves sunt, quia summi; verendum enim nè tales insolescant, & ex magnis quæ acceperint discant majora concupiscere; hæc versatilis rota cæteras familias ad similem splendorem admittit, pluresque non inutili spe delusit, & in officio continet.

MAIORITAS. Interim eminens, immotaque Regia potestas videt sub se aulicæ fortunæ fata: vt Deus ex æternitate suâ videt sæculorum, rerumque mortalium series; stabilitas sceptri magis apparet per oppositum aulicæ inconstantiæ: Vnius quidem periculo, sed omnium metu cadit iræ Regiæ fulmen; terretur enim etiam, quàm non exulat, altitudo.

ÆQVALITAS. Princeps communis est populi Pater in justitiæ administratione; cùm tamen supra legem sit & liberè agat, speciales quasdam gratias concedit, sed sic vt nullis præripiatur similis fortunæ spes.

MINORITAS. Sub hoc libero Principis judicio nemo est tàm elatus, qui non timeat; nemo tàm humilis, qui non speret. Divinum est de stercore elevare pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.

AMOR CRESCIT, semper & proficit.

AMor debet esse sinè modo, & termino. *Vide Magnitudo Voluntat.*

Non quæro parva, magna, an mediocris sit charitas, Verùm sit quæro; Si nata est, latendo crescit, crescendo perficitur, perfecta permanebit; non enim perfecta vergit in senium, & à senectute veniet ad mortem; ad hoc perficitur vt æterna permaneat. D. August. serm. 13. de verb. Apost. cap. 15.

Motus naturalis in sinè est violentior.

In viventibus natura est principium activum accretionis; fit enim hæc accretio, non per juxtà positionem novæ materiæ, vt fit in igne, sed per intus susceptionem alimenti, quod non nisi ab intrinseco vitæ principio fieri potest.

Omnium sæculorum antecessor & conditor, hanc diem sibi, in quâ nasceretur elegit, vt sicut proficiebat luce proficeret etiam dignitate. Euseb. Emissenus homil. 2. de nativitate.

Turba triduò sustinens Dominum, septem panibus reficitur. Prima dies est timoris gehennæ, quæ solet exercere primordia conversionis. Secunda pietatis, quâ respiramus in luce misericordiarum Dei. Tertia est rationis, in quâ veritas innotescit; vt tanquàm ex debito quodam naturæ, sinè aliquâ contradictione, creatori subjecta sit creatura, servus serviat redemptori. Hinc jubemur discumbere, tunc enim Dominus aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. Primus panis est verbum Dei. Luc. 4. Secundus obedientiæ: Meus cibus est, &c. Ioan. 4. Tertius, meditatio sancta. Quartus, orantium lachrymæ. Quintus, pœnitentiæ labor, Cibabis nos pane lachrymarum. Psal. 79. Sextus est jucunda vnanimitas socialis, ex diversis enim granis panis est confectus. Septimus est Eucharistia, &c. D. Bernard. Serm. de multiplicatione panum.

Triplex est amor, tria excludens, quæ non sunt à

Patre ; & propterea ter interrogatus Petrus , Amas me : & in lege præcipitur , Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo , ex totâ animâ tuâ , & ex totâ virtute tuâ. Id est diliges dulciter seù affectuosè , diliges prudenter , diliges fortiter. Ad affectuosum cordis amorem plurimùm valet incarnationis Christi meditatio , & hic amor militat contra carnis concupiscentiam. Amor prudens excludit curiositatem , dùm totus Deo hæret , nescitque falli ; vt Amor fortis ad omnia paratus nescit vinci. &c. D. Bernard. Sermone de diligendo Deo.

Voluntas hoc illuminato , sibique semper accrescente affectu , fit conformior objecti sui æternitati, & immensitati.

Quæ est ista quæ ascendit, sicut aurora consurgens, B posteà dicitur Electa vt sol. Cant. 6.

Accedet homo ad cor altum , & exaltabitur Deus, vt dùm non potest comprehendi per rationem , desideretur per affectionem & amorem : Ascensiones in corde suo, &c. Quatuor gradus ascensionis. Primus ad cor , secundus in corde , tertius de corde, quartus suprà cor : In primo timetur Dominus , in secundo auditur consiliarius , in tertio desiderantur sponsus, in quarto videtur Deus. D. Bernard. in parvis Serm. vltimo.

Vide virtutis profectus infrà. *Major. Virtus.* Sicut anima vegetabilis appetit esse , & sensibilis appetit benè esse ; sic rationabilis appetit optimè esse. Nec vnquàm quiescit , donec optimo conjugatur , quapropter vi amoris in Deum tanquàm in centrum pro- C prium movetur ; Nunquàm quieta donec pervenerit. Alanus.

Sic heri amabam , vt juratem me ampliùs amare non posse , sic hodie rursùs amo , vt jurem me heri satis non amasse , vtque simul affirmem non posse cras ardentiùs amare quàm hodie ; Cras istud me quotidie similiter deludit , semper adultus est meus amor , adolescat tamen vt placet , modo non senescat ; per jurus sit semper crescendo , non est hoc vitium in amore. Marsil. Ficin. in Epistol.

Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum , donec requiescat in te. D. August. 1. Confess. c. 1.

Per dilectionem crescit , & dilatatur anima vt fit D capax Dei. Sic dicit Apostolus. 2. Corinth. 6. Dilatamini in charitate : nam anima etsi minimè, cum sit spiritus , quantitatem corpoream recipit , tamen confert illi gratia quod negatum est à naturâ: crescit non in substantiâ , sed in virtute , crescit in templum sanctum in Domino ; crescit denique in virum perfectum , in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ergò quantitas cujusque animæ æstruetur de mensurâ charitatis quam habet. Si charitatem non habuero, nihil sum. 1. Cor. 13. D. Bernard. Serm. 27. super Cantica.

Ordinavit in me charitatem. Cant. 2. Habenti dabitur. Luc. 19. Quærite faciem ejus semper. Psal. 104. E Non extendit desiderium sanctum fœlix inventio, sed extendit ; etiam inventus quæritur : Numquid enim consummatio gaudij desiderij consumptio est ; oleum magis est illi , nam ipsum flamma ; adimplebitur lætitiâ, sed desiderij non erit finis, & ideò nec quærendi. Ibid. Serm. 84.

Cum amor fertur ad altiora , ignis est ; cum promovetur & lactatur à gratiâ , dilectio est ; cum apprehendit, cum tenet, cum fruitur , charitas est , vnitas Spiritus est, Deus est ; In his tamen cum consummaverit homo , tunc incipit , quia horum in hac vitâ nulla perfecta possessio est : Idem De vitâ solitariâ.

Semper quæritur , vt dulciùs inveniatur ; dulciùs A invenitur vt diligentiùs quæratur. Ibid.

Laudate nomen ejus , quoniam suavis est Dominus. Psalm. 99. Nolite putare quoniam deficietis in laudando ; laudatio vestra , quasi manducatio erit, quantùm laudatis , tantùm vires acquiritis , vt tantùm dulcescit quem laudatis. D. August. in Psalm. 99. in fine.

Accedite ad eum , & illuminamini , quærite Dominum , & confortamini. Psal. 104. Deus meus fortitudo mea.

Laudate pueri Dominum. Non senescit, non deficit amor, sed crescit.

Psalmus 117. Incipit & finit à laudè Dei. Confitemini Domino , &c. Circuitus amoris & laudis æternus. D. August.

Nunquam sitiens anima ad Deum fontem vivum sic satiatur , sic impletur , vt dicat sufficit ; Miror quicumque sit ille , vbicumque sit , si non deficit , si dicit sufficit , nusquàm enim perfectio. D. Bernard. in soliloquiis.

Ibidem objicit : si beati ampliùs & in immensum desiderantes amare , id non consequantur , beati esse non possunt , sed miseri , vt potè desiderio suo fraudati , & Respondet , Amor est qui amatur , qui voluptatis suæ torrente omnem ab amatore suo repellit, vel in satietate fastidij , vel in desiderio anxietudinis, vel in zelo invidiæ , miseriam. Illuminans eos vt dicit Apostolus , à claritate in claritatem , vt in lumine videant lumen, & in amore concupiscant amorem. Hic est fons vitæ , qui semper fluit , & numquàm perefluit. Hæc est gloria in domo beati amoris tui ; quia præstò est amanti & desideranti quod desiderat , & amat : Sic facis abundare ô Domine : vt nec anxietas desiderantem , nec fastidium affligat abundantem; sic semper ire , hoc est pervenire : Vndè dicitur Phil. 3. Quæ retrò sunt obliviscens , ad priora me extendens , ad destinatum persequor , &c. D. Bernard. Ibidem?

Motus circularis , qui potest esse infinitus , competit amori , recurrit enim in Deum , qui est principium suum , & ab eo vitam accipiens anima , rursùs in se rursusque Deum petit.

Sponsa postquàm osculata est pedes & manus Do- D mini , non quiescens adhuc flagitat, osculetur me osculo oris sui ; gratias ago, non sum, inquit, ingrata, sed amo ; accepi fateor meritis potiora , sed prorsùs inferiora votis , desiderio feror non ratione : Ne quæso causemini præsumptionem , vbi affectio viget : pudor certè reclamat , sed superat amor : Nec ignoro quod honor regis judicium diligit , sed præceps amor nec consilio temperatur , nec judicium præstolatur, nec pudore frænatur, &c. D. Bern. Serm. 9. in Cantico. Statim se excusat , Meliora sunt vbera tua vino, &c. Ac si dicat, si altum sapere videor, tu fecisti ô sponse, qui tantâ me dulcedine lactasti , vt omni pudore depulso audeam fortè plusquàm expediat.

Pro varijs animæ desideriis divinæ gustus præsentiæ variatur ; Nunc delectat ratione Sponsi Patris, Medici , Socij , &c. Ibid.

Magdalena ad pedes Domini , Thomas in latere, Ioannes in pectore , Petrus in sinu Patris , Paulus in tertio cælo secreti gratiam sunt assequuti ; prior mulier statuit sibi in sede humilitatis , posterior in solio spei. Thomas in solido fidei , Ioannes in loco charitatis , Paulus in intimo sapientiæ , Petrus in luce veritatis : Sic ergò apud sponsum mansiones multæ sunt, aliæ sponsæ , aliæ adolescentulæ , &c. D. Bernard. ser. 13. in Cantica. Hi sunt diversi gradus per quos licet ascendere.

Reverberasti, infirmitatẽ aspectus mei radians in me vehementer

vehementer, & contremui amore & horrore, & inveni longè me esse à tein regione dissimilitudinis, tanquàm audirem vocem tuam de excelso; Cibus sum grandium, cresce & manducabis me; Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. D. August. 7. Confess. c. 10.

Igne tuo accendimur, & ascendimus, ascensiones in corde, & cantamus canticum graduum, susùm euntes ad pacem Ierusalem. Ibid. lib. 13. cap. 9.

Rumpentes aggeres Nili, & aquam plùs solitò occupantes, concremantur. l. vnic. Cod. de Nili agger. non rump. Licèt nobis ampliores gratias occupare, nulli enim fit injuria.

Lætetur cor quærentium Dominum. Quomodò lætetur, si quod quærit invenire non possit; saltem ne se existimet nihil invenisse, incomprehensibile esse reperit, sed cur sic incomprehensibile quærit, nisi quia cessandum non est, quandiù in ipsâ rerum incomprehensibilium inquisitione proficitur, & melior, melioreque fit quærens: tam magnum bonum invenietidum quæritur, & quærendum invenitur; Nam & quæritur, vt inveniatur dulcius, & invenitur, vt quæratur avidius. D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 2.

Quærite faciem ejus semper. Psalm. 14. Sed si semper quæritur, quandò invenitur: In hac vitâ quidem jam illum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes; charitas autem & invenit eum per fidem, & eum quærit habere per speciem: sed adhuc cum facie ad faciem videbimus eum secuti est, adhuc perquirendus erit. Est sinè fine quærendus, quia est sinè fine amandus. Dicimus etiam præsenti alicui non te quæro, idest non te amo; Per hoc qui diligitur etiam præsens quæritur, dum charitate perpetuâ ne fiat absens optatur. Nec enim inquisitioni quâ significatur amor finem præstat inventio; sed amore crescente inquisitio crescit inventi. D. August. in Psal. 104.

Si poculum plenum teneas, & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando. Ibidem.

Legem pone mihi Domini viam mandatorum tuorum, & exquiram eam semper. Ps. 118. Hic exquiritur Dei lex, quandiù in eâ proficitur, & sciendo, & diligendo. In cœlo autem plenitudo ejus manet ad fruendum, non remanet ad quærendum; quæritur nunc vt teneatur tunc tenebitur nè deteliquatur. D. August. in d. Psalm. 118. concione 11.

Sicut amor immundus inflammat animam ad terrena sectanda & in profunda demergit; sic divinus æstuat & elevat ad cælestia: habet omnis amor vim suam, nec potest vacare in amantis animâ, necesse est ducat; si vis nosse qualis amor sit, vide quò ducat. Obligata anima amore terreno viscum habet in pennis, volare non potest: Mundata verò affectibus sæculi, liberis alis, id est præceptis amoris Dei & proximi, volat. Id. in Psal. 121.

Dies septima, in quâ requievit Deus ab operibus suis, habet quidem mane, sed non habet vesperam: perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conversionis ad quietem creatoris sui, sed illa quies non habet finem, quasi terminum perfectionis suæ, sicut ea quæ facta sunt. D. August. lib. 4. de Genesi ad litteram. cap. 18.

Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis temporalis; perfectio nulla cupiditas: Signum profectus ejus, imminutio timoris: Signum perfectionis ejus, nullus timor. Id. lib. 83. quæst. 36.

Quod charitas incipiat à timore. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Hoc amore me creasti, eodem amore suscipies: aqua genuit pisces, aqua capit; planta eodem adolescit, quo pullulavit humore: sic amor tuus, quod creavit opus amplectitur, amplectendo mirificè fovet, fovendo sibi ipsi regenerat, à quâ processit, pulchritudinem. Marsil. Ficin.

Amor divinus principio & fine caret. *Vide Voluntas Principij.* Amor Dei naturalis.

AMOR DIVINVS *semper crescit.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Novis quotidie provocatur beneficijs: Deum amans plus longè accipit ab eo quàm det; dat enim seipsum imperfectum, & recipit Deum inhabitantem in corde per charitatem; & cum Deò seipsum quasi Deificatum: Crescit autem corpus cùm plùs accipit, quàm absumat alimenti. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.

MAGNITVDO. Infinitum amans cum hic non possit perfectè assequi, semper in illum tendit ardentiùs, quo proximiùs accesserit: vt motus centro viciniot fit citissimus. Amat per species, & per actus tùm limitatos, tùm singulares, qui cum non æquent ideam quàm habet objecti infinitè amabilis, illas species vndique colligit, & actus multiplicat, vt quod non potest intensivè, saltem extensivè & numero conetur assequi.

DVRATIO. Hic incipit charitas quæ in æternitate durabit: Sunt enim illius aquæ salientes in vitam æternam. Cum autem sit perennis debet esse accrescens, quia qui non crescit in perfectione deficit. *Vide Majoritas Virtutis.* Tardè nimis sibi videtur cognovisse quod cognoscit, & amare quod amat; vndè vult moras celeritate compensare, hacque diligentiâ multùm proficit.

POTESTAS. Gratia ex se vis est indeficiens, quâ semper ad majora trahitur animus, dùm sensim terrenis exuitur, & liberius se divino tradit dominio.

COGNITIO. Fit circulus indeficiens amoris & cognitionis; quò plùs cognosco, plùs amo; & quò plùs amo, attentiùs divina contemplans, magis cognosco, hacque cognitione vicissim augetur amor, & amore cognitio, processu infinito circâ infinitum; *Vide Magnitudo & Duratio Voluntatis.* Vt si flamma augeret materiam quâ pascitur, & quâ abundantiore admota magis inardesceret.

VOLVNTAS. In hoc maximè sita est amoris nostri excellentiora, quod habeat idem objectum ac amor divinus, scilicet infinitam essentialem bonitatem; quàm Deus in se amat infinitè: ad dignitatem autem illius dignitatis & objecti pertinet, vt conemur assequi successivè, quod non possumus vnico & intensissimo actu; fateamurque hoc continuo processu & nostram infirmitatem, & infinitam Dei nunquàm satis amati perfectionem.

VIRTVS. Si virtus moralis vix attingit gradum heroïcum, vltrà quem progredi non liceat: quantò magis charitas ad novam quotidie æstuabit perfectionem, & quasi ignis extrà regionem suam positus ampliora quæret alimenta, vt sursùm magis evolet?

VERITAS. Semper aliquid addendum aut demendum in imagine numquàm satis suo prototypo simili: quantuscúmque sit amor nunquàm respondet ideæ, nunquàm desiderio; itant velle amare sit nostrum amare. *Vide Virtus Voluntatis.* Quid mi-

rum ſi toties multiplicatæ amoris voluntates turbà, vnitiſque viribus novos faciunt profectus; & ſi aquarum ſibi inſidentium major copia latiùs diffunditur?

GLORIA. Guſtate & videte, inquit Propheta; quoniam ſuavis eſt Dominus, quaſi ſufficiat voluntati guſtaſſe, vt hac cœleſti voluptate allecta numquàm deficiat. Amorem terrenum pudor & pœnitentia ſequitur, quia nunquàm votis reſpondet fruitio; at divinus amor ſpes fallet exceſſu delectationis, vndè novus in dies ardor.

DIFFERENTIA. Sancti & beati novum quotidie Canticum laudis dicunt æterno Deo, quia cum ſit infinitus ſemper & nunquàm æquanda aperit laudum ſpatia: Hæc autem infinita vnitas, omne bonum in ſe complectens, plùs poteſt ad mentis ardorem concitandum, quàm rerum finitarum ſibi ſuccedentium novitas, quæ innumeras privationes exiguæ miſcet fruitioni. Ne doleas de conditione viatoris, in quâ ſic licet progredi ad vlteriorem gradum charitatis, cui commenſuratur gradus gloriæ.

CONCORDANTIA. Habes ſanctos omnes beatos & ipſos Angelorum choros, amoris tui divini ſocios, qui ſinè fine ad vlteriora conantur: jam non amas, & ab hac fœlici ſocietate diſcedis, ſi gradum ſiſtas dùm accelerant.

CONTRARIETAS. Paupertatem paſſus, dum licet, avidus in futurum divitias congregat: Magna vitæ pars in vanis conſumpta eſt, ſeù naturæ, ſeù perverſæ conſuetudinis vitio; minantur etiam vndique ſalutis noſtræ hoſtes, vndè antequàm in nos irruant, forti quantùm poterimus amore ſumus præmuniendi. Iam juratum cum Deo omnipotente fœdus, vrgente periculo, iterum, atque iterum melioribuſque ſi fieri poſſit conditionibus faciendum eſt, vt ſtet pro nobis victoria.

PRINCIPIVM. Coagit nobiſcum ſuperabundans gratia, ex infinitis Chriſti meritis; vt quid divinæ potentiæ nos moventi, & ad ſublimiora ferenti, cor ſubtrahimus? vt quid pueri ſemper & tyrones volumus eſſe, & nunquàm ad plenitudinem ætatis Chriſti, & ad magiſterium amoris pervenire?

MEDIVM. Multùm creſcere debet charitas viæ, vt conſentiant, & aptè connectetur perfectiſſimæ charitati, quæ erit in patriâ. Omnia propter ſeipſum Deus operatus eſt: cum ergò nobis dat tantam gratiarum copiam, ſeſe vult amore noſtro amari emittitque radium vt in ſe reflectatur; Vt autem ſe amat actu infinito, quia eſt primus actus; In nobis, qui ſumus in potentiâ, ſaltem amor debet eſſe in voto infinitus, quia eſt ab infinito ad infinitum.

FINIS. Non poteſt infinita bonitas verè amari, ſi finitè ametur; dum enim terminos ponis amori, dedignaris amare quod excedit; & jam non amas Deum, cujus vna eſt infinita & impartita bonitas: Saltem huic infinitati reſpondeat amoris voluntas, ſi non poteſt ipſe amor, amoriſque effectus.

MAIORITAS. Non deſpondeas animo, ob infirmas jacenteſque naturæ vires; nam ipſo amore divino vltrà naturæ ſortem dilatatur animus, fitque in dies rerum divinarum capacior. Quis ergò debet eſſe finis amori, ſi creſcant ſemper deſideria, & ſe ſinè faſtidio ſatiandi facultas?

ÆQVALITAS. Quantumcumque creverit noſter amor, nunquàm æquabit amorem Dei ergà nos; quo nos à nihilo ad eſſe, à peccato ad gratiam, à morte ad immortalitatem, toties ſuperatâ infinitâ diſtantiâ evocavit.

MINORITAS. Si ſunt naturales & neceſſarij, nulli tamen ſint in amore voluntari defectus: Exultat quaſi ſecurus & inter infirmitates amor, quia pretium illi ex voluntate eſt; vndè quo plùs natura premit vt opprimat, liber vt flamma evolat, nititur in vetitum, defectum actionis compenſat votis: ſic in ſummâ rerum indigentiâ immenſo ſuo affectu ſit cœlo dives.

MAIORITAS VOLVNTATIS.

Mala.

ZELVS NIMIVS.

ZElus abſque ſcientiâ, quò vehementius ſtruit, eo gravius corruit, impingens nimirum atque reſiliens; vbi verò intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet ſecurè his duabus alis innixus, volet ſinè fine, quia volat in æternitatem.

Ezechiel 8. videt in atrio templi adorantes Idolum zeli.

Omnem extollentiam comprimat, & ad nihilum redigat, non accenſus furor, ſed infuſus amor. D. Bernardus.

Nunquàm committet virtus, vt vitia dùm compeſcit imitetur ipſa: gaudere lætarique proprium virtutis eſt: Iraſci non ex dignitate ejus, non magis quàm mœrere. Si ſapientis eſt peccatis iraſci magis iraſcetur majoribus, & ſæpè iraſcetur; atque ſic non tantùm iratus erit ſapiens, ſed iracundus: ſic nec magnam iram, nec frequentem in animo ſapientis locum habere credimus. Quid eſt quarè non ex toto hoc affectu illum liberemus: modus enim eſſe non poteſt, ſi vnicuique iraſcendum eſt; nam aut iniquus erit, ſi æqualiter iraſcetur inæqualibus delictis; aut iracundiſſimus, ſi toties excanduerit, quoties iram ſcelera meruerint: quid autem iniquius quàm ſapientis affectum ex alienâ pendere nequitia? Deſinet Socrates eundem vultum domum referre quem extulerat, & ſi turpiter factis iraſci debet ſapiens; nihil eſt ærumnoſius ſapiente: omnis illi per iracundiam mœroremque vita tranſibit, ſemper oculis mala patebunt, quàm turpes lites, &c. Cum videris forum & circum, ſcito tantùm eſſe vitiorum, quantùm hominum: ferarum iſte concurſus eſt, niſi quod illæ inter ſe placidæ ſunt, morſuque ſimilium abſtinent, hi mutuâ laceratione ſatiantur: Animalia manſueſcunt alentibus, hominum rabies ipſos à quibus eſt enutrita depaſcitur, certatur ingenti nequitiæ certamine, major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia. Si tantùm commoveri vis ſapientem, quantum ſcelerum indignitas exigit, non iraſcendum illi, ſed inſaniendum eſt. Quid ſi quis iraſcitur in tenebris parum firma veſtigia ponentibus? quid ſurdis imperata non exaudientibus? pueris ludos ſerijs præferentibus? Inter cætera mortalitatis incommoda, & hæc eſt caligo mentium; nec tantùm neceſſitas errandi, ſed errorum amor. Ne ſingulis iraſcaris; vniverſus eſt ignoſcendum, quid ni habeant excuſationem, cum publicâ viâ erraverunt. In ſingulos ſeveritas Imperatoris diſtringitur, at neceſſaria venia eſt, vbi totus deſævit exercitus. Heraclitus miti, ſed nimis imbecillo animo omnium miſerebatur, ſic & ipſe inter deplorandos erat. Sapiens conditionem humanæ vitæ notam habet: nemo autem ſanus naturæ iraſcitur, quid enim ſi miſeretur ſpineta non vili fruge compleri? nemo iraſcitur, vbi vitium natura defendit: placidus itaque ſapiens erit, & æquus erroribus,

Google

non hoſtis, ſed correptor peccantium. Omnia iſta tam proprius aſpiciet, quàm ægros ſuos medicus. Aquam per rimas tragenti navigio non iraſcitur nauclerus, ſed continuò ſubvenit, nec intermittit, quia quantùm exhauſtum eſt ſubnaſcitur, lento adjutorio opus eſt contrà mala continua & fœcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant. Seneca. lib. 2. de irâ. cap. 6. & ſeqq.

Publici morbi graviores & pertinaciores, iiſque plurimi noſtrum obnoxij; ſivè quia impetu & turbâ ingruunt, ac confertâ velut acie obruunt reſiſtentem, ſivè magis quod ambitione quadam blandiuntur, & ægritudinem ex iis innaſci animis non agnoſcimus ſæpè; non ſentimus: privato dolori quiſquis ſuccumbit fatetur ſuam imbecillitatem; at in publicis lapſus pro laude eſt, pietas & miſeratio dicitur: & quantulum abeſt vt inter virtutes & numina conſecretur publica hæc febris? & re verâ vitium eſt, intemperies eſt, & animi gradu dejectio & lapſus, &c. Lipſius lib. 1. de conſtantiâ cap. 7. & cap. 8. Oſtendit fictionem eſſe, quod Reipublicæ causâ doleamus, noſtra intereſt: ſic agricolæ qui vota ad avertendas tempeſtates faciunt, ſibi & agellis ſuis tantùm timent. Polus hiſtrio cùm Athenis fabulam actitaret, in quâ dolor repræſentandus, defuncti filij vrnam & oſſa clàm intulit, & theatrum totum vero geminu, luctuque complevit: ſic plerique ſub perſonâ patriæ privata damna veris & ſpirantibus lachrimis lugent: mundus vniverſus exercet hiſtorioniam, bellum non deflemus quod apud Indos geritur, cùm vniverſus orbis patria noſtra ſit.

Nihil prodeſt privatæ triſtitiæ cauſas abjeciſſe, ſi publicæ nos moveant: agitur animus in noctem, & velut everſis virtutibus, quas nec ſpectare licet, nec habere prodeſt, tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi ſumus, vt omnia vulgi vitia non inviſa nobis, ſed ridicula videantur, & Democritum potiùs imitemur, quam Heraclitum; huic omnia quæ agimus miſeriæ, illi ineptiæ videbantur, elevanda ergò omnia, & facili animo ferenda: humaniùs eſt deridere vitam quàm deplorare. Adjice quod de humano genere melius meretur qui ridet illud, quam qui luget; ille ſpei bonæ aliquid relinquit; hic autem ſtultè deflet quæ corrigi poſſe deſperat: ſatius tamen eſt publicos mores & humana vitia placidè accipere, nec in riſum, nec in lachrimas excidere: Nam alienis malis torqueri æterna miſeria eſt; alienis delectari malis voluntas inhumana. Senec. lib. de tranquill. vitæ. cap. 15.

Sacerdotes Iudæi, dùm ſinè conſilio & nimio zelo pugnant contrà hoſtes, delentur, non enim erant de genere eorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Macab. 5.

† Oza percutitur à Deo, quia vacillanti Arcæ manum admovit. 2. Reg. 6.

D. Auguſtinus arguit Moyſem nimij zeli in occiſione Ægyptij. Exod. 2.

Pſal. 30. Gratulatur bonus de ſuâ liberatione, ſed ſtatim exclamat, Miſerere mei quoniam tribulor, conturbatus eſt in irâ oculus meus, &c. Iraſcitur iſte alienis peccatis, quis enim non irraſcitur videns homines confitentes ore Deum, negantes moribus, &c. Sic dicitur Zelus domus tuæ comedit me: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam: metuendum tamen eſt nè ira tanta ſit, vt in odium vertatur. Iraſceris filio, & non odiſti filium, cui ideò iraſceris, ne pravis moribus perdat quàm ei ſervas hæreditatem: Ideò turbatus dicitur oculus, qui odio extinguitur, quaſi trabe. D. Auguſt. in Pſal. 30. Conc. 2.

A Oleum primò fervet, tandem igne ab humido aqueo purificatum ſilet & quieſcit, quò plùs intaleſcit: ſic de perfectâ charitate, quæ ſub Dei arbitrio exuit omne mundanum.

Athenis eſt Pytaneum, locus in quo Solonis leges perſcripturæ aſſervantur; ſigna verò Deorum ibi poſita ſunt Pacis & veſtæ. Pauſan. in atticis pax; cum zelo, qui ſignificatur per veſtam, ſeù ignem.

Zelus nimius in hæreticorum profligatione. *Vide Contrarietas Veritatis.* Quod ſunt alliciendi, non cogendi, & *Media Contrarietas.*

Tertulianus lib. adversùs Gnoſticos, ſeù in ſcorpiaco, loquens de hæreticis, comparat eos ſcorpionibus, qui vno modo armantur ſcilicet ardoris, cum ſcorpionum familiare periculi tempus ſit æſtus.

Iuvenes omnia nimis agunt, & amant & oderunt
B nimis. Ariſt. 2. Rhetor. 12.

Corpus de cujus temperamento judicandum eſt, mediocriter calens eſto; nam interdùm nimio calore liquatur, adeò vt humoris falſam imaginem præ ſe ferat. Galenus. lib. 1. de temperam. Sicut oſſi inſenſibili adnaſcitur maximè ſenſibilis tunica, ſic calidus ſanguis continetur tunicâ frigidâ, vult enim temperiem natura. Ibid. & *Vide Media Voluntas.*

Si calidum alimentum adhuc calido jungatur, ſtatim fit bilis, non ſanguis, vndè mel biliosis naturis non eſt in vſu. Galenus lib. 2. de natural. facul-
C tatibus.

Zelo nimio contraria eſt indifferentia. *Vide Media Voluntas.*

Venæ & arteriæ ſunt inſenſibiles, ſolum orificium ventriculi ſentit indigentiam: alioquin nimius eſſet in corpore dolor, ſi omnia organa ſentirent indigentiam. *Vide Minoritas Cognitionis. Bona.*

De nimio zelo Novati. *Vide infrà Veritas Virtutis. Repugn.*

De aparenti zelo, qui furor erat, Donatiſtarum, Circumcellionum *Vide Veritas Virtutis Repugn.* Falſa & inſidioſa hæreticorum virtus.

Audas Epiſcopus incendit Pyreum, in quo ignis Perſarum Deus colebatur, & maluit mori martyr
D quàm illud templum re ædificare; hinc grave bellum in Perſas. Baron. an. 420. Nimio zelo obſiſtendum, non indulgendum.

In magno amore ſolet eſſe Zelotypia ipſum amorem deſtruens. *Vide Magnitudo Voluntatis.*

Dum nives diſſolvuntur in montibus, fit magna copia evaporationis & novi aëris, qui cum non poſſit eo loco contineri, fit fluxus ex eâ parte vehemens, & in pluviam grandineſque, pro copiâ evaporationis; Sic in novitet converſis, dum incipit cor charitate liqueſcere, anguſtias ſuas non patiens, effunditur in alios cum impetu, turbatque, ſerenitatem.

E Eructationes & eruptiones flammarum inveniuntur non minùs in regionibus frigidis quàm calidis, vt in Iſlandiâ & Groelandiâ: quemadmodum & arbores per regiones frigidas magis ſunt quandoque inflammabiles, & magis piceæ ac reſinoſæ, quàm per regiones calidas, vt fit in abiete, pinu & reliquis. Sic nimius zelus invenitur in frigidis quo ad veram charitatem, tales enim affectant copiam pudore defectus, vt ſuprà hoc tit. de hæreticis.

Putrida calorem concipiunt, qui ſe prodidit per odores tetros & fortes.

Eſt etiam morbi genus, per ſapientiam mori: Obſervatum eſt à meridianis, ideſt calidoribus partibus ad occaſum ſolis peſtillëtiam ſemper ire, nec vnquàm ferè aliter. Plin. lib. 7. cap. 50.

Pennatum quadrupes, majoris muſcæ magnitudi-

ne, volat in Cypri æratijs fornacibus, ex medio igni, appellatur Pyrausta: quandiù est in igne vivit, cum evasit longiore paulo volatu, emoritur. Idem lib. 11. cap. 36. Infirma quædam ingenia non vivunt, nisi nimio zelo succensis turbatisque rebus.

Laurus manifesto abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione. Plin. lib. 15. cap. vlt. Virtus eminens est tranquilla.

Æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam, ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Rom. 10.

In stellâ Martis antecellit vis desiccandi, simul autem vrit, sicut congruit igneo ipsius calori, & Solis vicinitati, cum proximè ei Solis orbis subjectus sit. Ptolomæ. prædict. Astrolog. lib. 1. cap. 4. De nimio zelo confidentium in favore principum.

Saturnus & Mars, cum abundent in sicco & calido, dicuntur esse stellæ masculæ, licet infælices. Ibid. cap. 5.

Mars cum venere facit ardentiores in amore & zelotypos. Id. lib. 3. cap. 31.

Animus noster naturâ suâ fluidus est, vndè non debet nimio affectu premi, & in angustum contrahi, alioquin defluit. *Vide Bonitas Gloriæ. Quieris.*

Angeli & Beati non dolent de hominum peccatis, quia conformem habent voluntatem suam voluntati divinæ. D. Thom. 1. q. 113. a. 3.

Dùm celebrarentur Dyonisia Harmonides musicus tantâ contentione inflavit tibias, vt inspirando exhalarit animam. Lucianus in Harmonide.

Quis ambigat eum qui diverso vino vtitur, in repentinam ruere ebrietatem, nec dùm hoc potus copia postulante. Macrob. Saturnal. lib. 7. cap. 4.

Sic fervens novorum dogmatum sectatores, de quibus. *Vide Veritas Virtutis. Repugn.*

Ex ferventiori semine nascuntur insani, vndè generationi operam dantes non debent. vti nimio vino, vndè fit inflammatio spirituum. Philostr. in vitâ Apollonij. lib. 3. cap. 2.

In ardentibus montibus, si cavernosa terra esse contigerit, vt per ipsam spiritus aliquis ingrediatur, tunc majores fiunt conflagrationes, sursúmque flamma magis attollitur. Id. lib. 5. cap. 7. Vanitas & aliorum consilia zelum inflammant.

De superstitione. *Vide Veritas Contrarietatis. Repugn.*

ZELVS NIMIVS quàm sit nocivus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt optimi corruptio pessima; sic nulla pestis hominibus perniciosior, quàm quæ oritur ex pietatis, supremæ virtutum, corruptione: serpentes non nisi provocati & in sui defensionem fundunt sua venena; at nimio zelo præter charitatem agitati, hominum societati vltrò se immiscent, & specie beneficij omnia inficiunt, & vastant.

MAGNITVDO. Parvi animi hoc vitium est, vel levissimos defectus vt ingentes ruinas conclamare: sævi creditores plùs exigunt quàm patiatur sors humanæ conditionis; vtque quod intendunt perficiant in cæteris graviora inferunt damna, ædificia subvertunt, vt lapidem quam voluerint in fundamentis ponant; messem maturitati proximam delent intempestivè, melius vt putant semen mandaturi.

DVRATIO. Familiare est Æstro tali perciris moras non pati, venientem non expectare occasionem, sed præcipiti consilio, simulque pertinaci, quod visum fuerit tentare.

POTESTAS. Majora quàm ferant vires aggrediuntur, quia se putant cœlo suadente, ducente, & protegente moveri, sic quasi Deo, majorique potestati obsequentes, nihil non audent cõtrà civilem potentiam: Pernicioſum hoc malum regimini, sed maximè si regentium animos infestaverit; tunc enim à capite latiùs in populorum perniciem diffunditur, bellis regna concutit, armisque jus omne in divina & humana concedit, totum orbem ferro, flammis cædibus, flagitijs, sacrilegijs miserè torquet, vt sibi plaudat nihil omisisse ex his, quibus quod intendit posset assequi, licet suptà vires, & moraliter impossibile.

COGNITIO. Sic infatuata mens non audit consilium, sed animi sui visa quasi oracula veneratur; illi ratio, illi prudentia ipsa suspecta est, quasi humana tantùm sapiat divinis opposita: furor est hominum societati timendus, si non illum sapientes sub suâ tutelâ continuerint; hinc pro defensione opinionis circà Religionem tot conjurationes, tot bella, tot vrbium vastationes, Templorum sacrilegia, Patriæ & Principum parricidia.

VOLVNTAS. Zelus hic nimius passiones omnes accendit, justificat, deificat. In cæteris motus hi sensitivi habent intermissiones suas, aliquid interdùm rationi concedunt, illos pudor & pœnitentia sequitur: At cum illos zelus concitaverit, modum nesciunt, turbatâ scilicet, quæ regere debebat, ratione: sic periret mundus, si turbaretur cœlorum harmonia.

VIRTVS. Zelo displicet virtutum mediocritas, illi non videtur Religio, si non ordinem omnem politicum subvertat; non Iustitia, nisi omnes sibi non adhærentes anathemate damnaverit; non Prudentia, quæ aliquid personis, locis, temporibus indulget; non Fortitudo, si in pericula, & in ferrum ipsum ferox & præceps non incurrat.

VERITAS. Actum est de legibus divinis & humanis, certusque mundo imminet interitus, si mentis nimio zelo laborantis sensus pro divinis habeantur oraculis: Major sanè habenda est fides legibus scriptis, & non scriptis, scilicet sapientum responsis; suspectum est quidquid exorbitat, quidquid à communi prudentum judicio deflectit, quasi sic zelantes alium quàm Solem velint mundo illucescere.

GLORIA. Fovetur hoc malum adulatione quorundam, qui temeritatem fortitudinis, crudelitatem justitiæ, cæteraque vitia virtutum heroïcarum titulo decorant: sic leonum naturalis feritas magis exardescit, cum illam populi clamor, & plausus, additique stimuli concitaverint. Malum infensissimum quod vanitas auget, licet infamia non deterreat; his facies meretricis est, nesciunt erubescere, amisso pudore, perversus inest honoris sensus, cum gloriam ex ipsamet infamiâ aucupentur.

DIFFERENTIA. Non distinguit zelus loci, temporis, personarum aliarumque circumstantiarum differentias; omnes vult vnâ lege constringi, vno passu, vnâ viâ, nec à se diversâ ambulare; omnes populos, varioſque sub diverso cœlo genios suo conformari; apud ipsum malum est quidquid ab illo est dissitum.

CONCORDANTIA. Tàm versatile est hominis ingenium, vt nulla sit vel monstri instar opinio, quæ suos non habeat sequaces, hi conjurati, & quasi in medijs hostibus arctiùs vt fortiùs collecti, audent multa contrà leges divinas & humanas, pacem Ecclesiæ & Reipublicæ, juraque omnia charitatis, pietatis titulo violant.

Digitized by Google

CONTRARIETAS. Habet diabolus martyres ſuos; fruſtrà tentas pœnis zelum hunc malum coërcere. Nam vt ignis artificioſus aquis inardeſcit, putant hi glorioſum pro talibus pati, & adverſa omnia trahunt in argumentum probandæ virtutis.

PRINCIPIVM. Principijs itaque obſtandum, & diverſione potius quàm apertâ vi, diſſolvenda hæc pernicies. Illudendum illuſioni patentibus animis, vt iratis pueris porrigenda inſenſibilis materia, in quam ſæviant innoxie.

MEDIVM. Sapientis eſt hoc etiam veneno, arte ſuâ temperato, in medicinis politicis vti; hi enim ſunt aptiſſima inſtrumenta exercendæ neceſſariò ſeveritatis; aut ſi tranſitus ab extremo in aliud fieri debeat, pro muro ſunt contrà illicitas præces: terrorem incutiunt hoſtibus fide ſuâ invictâ, & laboribus crescente; ſic inter medicamenta recenſentur etiam ea quæ carnem exedunt.

FINIS. Sic illis vtendum, vt dùm ſe putant quod intendunt conſequi, in alium tamen finem à regente occulto conſilio dirigantur. Optima hæc, ſi vti ſcias, inſtrumenta, quæ viu non atteruntur: Zelantes, in omnibus fidiſſimi ſunt, ſi in aliquibus votis eorum indulgeas, hoc enim allecti præmio, diuturnum gratis exhibebunt famulatum.

MAIORITAS. Quidquid excedit, quidquid tumet, quidquid præter ſolitum effertur, arridet zelantibus; habere ſe putant vim divinam, quaſi in auxiliaribus copijs, ſemper ad miracula paratam, ſic excitantur magnis & difficilibus, quibus cæterorum animi terrentur aut dejiciuntur.

ÆQVALITAS. Ad conſonantiam venit, & eminentem muſicæ gratiam confert vox ſuperior, cæteras acumine ſuo volubili longè ſuperans. Ad triumphi aut ſpectaculi gloriam conferunt indomiti & qui vix contineri poſſunt equi. Zelantes opponuntur tardis & timidis ſenum conſilijs, & extremorum ad quæ feruntur conſideratio confert, vt probentur media, quæ ſapientes eligunt.

MINORITAS. Sic zelo in politicis, vt igne in artibus vtendum, dùm quantùm opus eſt materiæ adjiciatur. Eo affectæ mentes regi debent, non regere; Nam ſi ſibi relinquantur, dùm adverſos caſus graviores quàm ſint reputant, levi morbo graviſſimum, magiſque torquens remedium adhibent: quaſi ſemper in extremis extrema tentant, & quàm timent ſibi inferunt perniciem.

NON SIT NIMIVS
zelus pro rebus publicis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fallimur, dùm credimus nos Reipublicæ multùm beneficos & neceſſarios, ſtetit multis anteactis ſæculis, & ſtabit in futurum nobis non exiſtentibus; idem eſt ac ſi terræ gleba multum ſe conferre putaret ad totius ſoli fœcunditatem, imò & ad cœli lucem, motum & influxus: Pendent inferiora à ſuperiorum beneficijs, non contrà: Multùm debemus patriæ parùm nobit debet patria, cum enim ſit ens quoddam vniverſale, ab vniverſalibus pendet cauſis.

MAGNITVDO. Vt ſtant ſpecies perpetuâ individuorum ſucceſſione, ſic foventur Reſpublicæ civium collaborantium operibus, ſed magna hæc rerum publicarum moles non niſi plurium vnius viribus poteſt moveri. Inutiliter profundit vires ſuas, ſibi nocet, & patriæ non prodeſt, imò illi hdum civem eripit, qui ſolus cæteris non conſentientibus publica movere, aut nutantia ſuſtentare voluerit, movens enim debet eſſe potentior re mota.

DVRATIO. Suſtinendum ergo, & ad inſtar operariorum grave quid moventium, aut bajulantium, non ſunt vires explicandæ, niſi cum dato ſigno in vnum omnes conſpiraverint: ſufficit cæteris æqualem conatum conferre, nam ſi intempeſtivè violentiùs ſe effundat, cæteris non concurrentibus, concidit ſinè effectu, & ſic in vanum conſumptæ vires non ſufficiunt duraturo labori.

POTESTAS. Dum ventis & mari navis committitur, ejus eſt qui ſedet ad clavum illam facili motu quo voluerit inflectere, velorumque habenas moderari; nihil in contrarium poteſt conatus eorum qui tranſtris inſident, & etiamſi fortiùs ſolito remiges aquam verberent, eo tantùm devenient, quò voluerit gubernator. Perſonam agis privatam, legibus & regentium imperio ſubditam, moveri debes non movere, quod vlteriùs aggrederis fruſtrà fit, niſi quod ex præſumptione Rectoris iram & invidiam promeretur.

COGNITIO. Latent te Reginiinis myſteria, quid injuſſus ad conſilium advolas? quid rerum imperitus ſententiam profers? quid miles nondùm dato claſſico ſolus in hoſtem periturus te præcipitem agis? Non iraſcimur medico, dùm ſecat, vrit, ſanguinem fundit, dùm remedia differt, vt oportuniùs exhibeat: Crede Rectores artis ſuæ peritos eſſe, & etiam affiante numine edoceri. Diſces experimento hanc quàm habes, ex libris theoriam, aut ex zelo idæam, rebus vt ſunt praxique ſemper non conſentire.

VOLVNTAS. Alijs jura regiminis, tibi tantùm vota competunt, nec etiam penitùs ſecura, neſcis enim quid expediat; itaque generaliter pro rerum fœlicitate, vt numini viſum fuerit ſupplicandum eſt, parato ſemper ad obſequium officiumque animo, cum id publica neceſſitas poſtulaverit.

VIRTVS. Mediocritatem ſuadet virtus, vt nihil præter dictum tibi ordinem audeas; Alia eſt fortitudo ducis, alia militis; alia prudentia Regis, alia civis: Reddis patriæ quod debes, ſi conſtitutis ab eâ Rectoribus venerationem, obſequiumque præſtiteris; ſi privatam, quàm in te vult eſſe perſonam, rectè agas; ſi non præſumas fungi officio capitis, cum ſis pes; nihil vltrà poſitam tibi legem, nec opere, nec conſilio quidquam aggreſſurus. Etiam in privatâ fortunâ heroïcas exercebis virtutes, ſi ſcias inter publica mala fortitudinem, temperantiam, prudentiam ſervare, tibi primùm placidus & conciliatus, vt talis poſſis eſſe patriæ.

VERITAS. Forte hi, qui te commovent, rumores falſi ſunt, & hæc quæ palàm peraguntur, alio quàm putas fine fiunt: deluditur hoſtis, & in inſidiàs ſimulatâ infirmitate adducitur, perfidia diverſione, conſpiratio legatione, civile bellum externo diſſolvitur. Rerum ſtatus tales exigit miniſtros, non tàm virtutibus quàm mentis acumine & audaciâ præſtantes; quid te torques, quid ardes pro rebus quarum te latet veritas?

GLORIA. Quâ ratione pacem patriæ dabis, quàm tibi negas: etiam jactato quo veheris navigio potes quieſcere, ſic turbatâ Republicâ ſapiens ſeipſo tranquillè fruetur. Publica licet vt cœleſtia ſuprà nos ſint, illis dominatur ſapiens, ſi opportunè ſciat benignos influxus colligere, & malignos vitare. Si hæc fata invitos aliquandò concutiunt, ſi rapiunt; at ſaltem, quantùm licet, illi vi majori patientiâ, ſolida-

que animi tranquillitate nos ſubducamus ; debemuſque nobis pacem & libertatem, quàm patriæ non poſſumus dare.

DIFFERENTIA. Res publicæ, vt maris aquæ, pro ratione ſuæ altitudinis majores æſtus, fluxus & refluxus patiuntur ; horrent hic inde ſcopulis, contrijſque pulſantur ventis ; vndè flexu opus eſt, & ventis, qui non poſſunt ſuperari, obſequendum.

CONCORDANTIA. Vide ne dùm vis publicæ ſocietati prodeſſe, noceas ; ne ſolvas quàm debes connectere partium vnionem ; ne dum zelus tuus imperat rectoribus cæcitatem, negligentiam, imò & fidei publicæ defectum, cæteros ab obſequio divertat ; ſic fiant conventicula, conjurationes, ſeditiones, ſub quibus perit Reſpublica.

CONTRARIETAS Reipublicæ corpus, vt humanum patitur ſuos defectus, & morbos, ſeneſcit, tandem periturum. Agimur fatis, & has quas providentia dedit ortus & interitus leges, fruſtrà conatur quis invertere : quis tuentis Reipublicæ molem ſolus ſubſtentabis ? quis ſenio confectam juventuti reſtituet ?

PRINCIPIVM. Non per vnius ætatis humanæ tempus res publicæ ad perfectum poſſunt adduci, diuturnus morbus lento curandus eſt remedio. Age quod tuum eſt operâ & conſilio ſub regentium nutu, quæ à majoribus incœpta, & à te promota ſunt, perficient poſteriori, ſtatutis enim temporum legibus civilia vt naturalia decurrunt, nec præmaturè fructus antè flores ſunt expectandi. Sapienti totus mundus patria eſt, Chriſtiano cœlum, his ſedibus nihil deperit, habeſque etiam vnà veſtatà regione, quo te in proprijs tutò recipias.

MEDIVM. In hoc civili, vt in naturali mundo, ſunt partes quæ movent ; ſunt mixtæ, quæ movent & moventur ; eſt populus in infima regione motus & non movens. Zelus tuus ordini in quo poſitus es reſpondeat, nec tentes movere, ſi debeas tantùm moveri, quid ſi enim inſtrumenta non expectent, nec ſequantur motum artificis : In his quæ medium tenere debent, tàm peccatur exceſſu, quàm defectu, imò hic excedens zelus, cum ad plures contagione quadam perveniat, ſitque aptiſſimum ſeditionis concitandæ organum, pejor eſt akiſſima rerum publicarum oblivione, & negligentia.

FINIS. Non minùs rectas & ſublimes intentiones habent qui regunt, ſed id aſſequi vetat rerum, perſonarum, temporum iniquitas : agunt rectores, non quod volunt, ſed quod licet. Nullus ægris tuis cogitationibus erit finis, tàm te falſa quàm vera torquebunt, ſi ſic movearis ob res publicas, ex alieno latente judicio pendentes, & ſi de viâ quæſtionem moveas, cùm ignores equo ſit perveniendum.

MAJORITAS. Liceat idealem cùm Platone Rempublicam contemplari, liceat cum Propheta ad cœleſtis Ieruſalem delicias ſuſpirare, his paſcatur animus : ſed interim diſcat temporalibus compati, illis enim æternorum conditiones velle attexere vanùm eſt : hìc bonis mala permixta ſunt, nullaque lex quæ non habeat aliquid ex iniquo, quod publica hinc naſcens compenſat vtilitas.

ÆQVALITAS. Nunquàm pictura reſpondet exemplari, nec praxis theoriæ. Vices ſuas agunt omnia, quod nunc jacet mox eminebit, extrà mundum ſis oportet, ſi non volueris jactari.

MINORITAS. Quid curis familiaribus publicas ſuperinducis, ſolatium eſt cum vniverſo rapi ; quid tempeſtate horrido cœlo, quaſi ad feneſtram caput exponis ? quieſce, & humilis conditionis tuæ bonis, de tuis ſecurus, & de alienis minimè ſollicitus fruere.

NIMIVS AMOR.

DE nimio ſui amore. *Vide Voluntas Bonitatis.* Nimius ſui amor.

De nimiâ Parentum in liberos indulgentiâ, & de neceſſariâ ab illis correptione. *Vide Contrarietas Principij.*

Audax nimium Princeps, qui vt amet vnum, ſe ſe omnibus exoſum facit.

Nimius eſt amor, qui peccat contrà debitam omnibus æqualem dilectionem. *Vide infrà Æqualitas Voluntatis.*

Irridet Plutarchus Reges Perſarum, qui ſolam fluvij choaſpis aquam bibentes, etiam in peregrinatione, reliquum orbem quaſi aquæ expertem habent.

De nimio amore patriæ ſuperando per peregrinationes. *Vide Cognitio Differentia.*

Diſtillationibus ij magis expoſiti ſunt, quibus cum jecore calidiori, cerebrum nimis frigidum, humidum & imbecillium, appetentia eſt in jecore.

Febris fit quandò nativus calor in ignem vertitur.

Omnia quæ nimiùm exſiccant, vt ardentes febres, & calidorum ciborum, præſertim vini meracioris, vſus liberalior hidropem invehunt, ab his quippe exarefactum jecur, perindè atque terra ſiccitate dehiſcit, atque finditur.

Damna nimij ſenſibilis & inhoneſti amoris. *Vide paſſim. Poteſtas Voluntatis.*

Simiæ dum fœtus nimio amore arctiùs complectuntur, opprimunt & ſuffocant.

De amantium doloribus. *Vide Gloria Voluntatis. Repugn.*

Concupiſcentia non cauſat involuntarium, ſed magis voluntarium. D. Thom. 2. 2. q. 6. a. 7.

Amor eſt paſſio læſiva amantium. 1. 2. q. 28. a. 5.

Nimius perſonarum amor cauſa fuit Idololatriæ. q. 94. a. 4.

Sic Divus Cyrill. l. 3. contrà Iulianum. capite 3. Aſſerit Idololatriam ortam à Nino, qui ſubditos coegit defunctum Patrem Belun, ſeu Nembroth adorare.

Plato 2. de Republicâ, à recto amore excludit veneream cupiditatem, quæ ſemper vehemens & furioſa eſt. Quod ſit lapſus amoris. *Vide Veris. Volunt. Repugn.*

Amor nimius puer cæcus : Ideò matres quæ plùs amant liberos, eos non habent in poteſtate. Inſt. de patr. poteſt.

Amor prima & potiſſima paſſionum cæteras in ſuas trahit partes, vimque ab illis accipit, non temperamentum.

Plato in Philebo dicit Deos amantibus pejerantibus parcere, vt pueris, & furioſis.

Mulier non poteſt hæreditatem & libertatem relinquere ſervo, cum quo probatur commiſiſſe adulterium. Inſtit. de hæredib. inſtit.

Homo non poteſt tollere jus primogenituræ à filio odioſæ mulieris, vt det illud filio dilectæ. Deut. 21.

Amor venereus eſt exuperatio amicitiæ.

Amor immodicus eſt in his qui infirmam habent voluntatem contrà paſſiones.

Plùs amantur illicita, quia minùs communia, majori labore parta : aquæ furtivæ dulciores ; ſic in ſiniſtro cordis ſinu eſt major copia ſpirituum.

Cum æger Ageſilai amicus rogaret ipſum ne caſtra moveret, etiamſi tunc vrgeret neceſſitas ; quàm dif-

ficilis eſt, inquit, ſapere, & miſereri.

Famelici dicuntur qui tempora præſcripta in ſumendis cibis pervertunt, nec poſſunt expectare. De inſatiabili avaritiæ & ambitionis appetitu. *Vide Volunt. Majorit. Mala.*

Iuvenes ſunt nimij in omnibus.

Amantes fiunt melancholici, quia ob diſtractionem cibus in ſtomacho non benè coquitur, crudus à jecore attrahitur; vndè ex ſanguine crudo pallor, ex multâ contemplatione magna fit conſumptio ſpirituum, & purioris ſanguinis, cujus fex ad nutritionem ſubſidet.

Amor quò vehementior, eò eſt infirmior, patitur enim extaſim; cætera autem quò majora, eò potentiora.

Is cui cupiditas maxima eſt ad vnum, minor eſt ad cætera, quaſi indè fluxus derivetur. Plato. 6. de Republ.

Æſtimatio rerum non ſumitur ex affectione ſingulorum, ſed ſecundùm quod communiter venditur. l. 33. ff. ad l. aquil. & l. 114. de legat. 1. Ità in ſervo, voluptatis aut affectionis ratio non habetur, veluti ſi dilexerit eum Dominus, aut in delitijs habuerit. l. 6. ff. de operis libertor. *Vide Volunt. Gloria. Volupt. Mala.*

Minor pluris emens rem velut, propter intereſſe affectionis, vt quod parentum ejus fuerit, reſtituitur. l. 35. ff. de minorib. 25. ann.

Appetitus cibi duplex, ſcilicet naturalis, ideſt fames & ſitis; & animalis, in quo eſt vitium gulæ, non autem in primo. D. Th. 2. 2. q. 148. a. 1. ad 3.

Dans beneficium ſpeciale conſanguineo minùs digno, peccat per acceptionem perſonarum, non autem ſi ſit æquè dignus. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 1.

Quod magis appetimus ægroti, id magis horremus ſani.

Calor præter naturam eſt triplex; primus ex ſolitus caloris elementaris exuberantiâ: ſecundus ex putreſcente materia prognatus; Tertius ex peſtilenti venenataque materia, calori inſito inimiciſſima.

Vide infrà proximè Paſſionum damna.

Venus planeta domicilium ſuum habet in libra; ſi enim amor non ſit ad pondus, ſitque nimius, lædit, non juvat.

Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Cavete ergò ne vim vobis invicem inferatis; adulter eſt vxoris propriæ amator ardentior. D. Hieron. in Ezech. 18.

Athenæus lib. 13. cap. 28. Multa refert exempla eorum, qui dijs conſecrata donaria, altaribus erepta, amicis dederunt.

NIMIVS AMOR RERVM minimarum.

ROmanus quidam piſcem ſuum ærratus luxit, quaſi pueri rixantes circà puppas ſuas lenocinio novitatis capti, non æſtimant res prætijs ſuis: neſciunt herbas eſſe, flores, &c. brevia quædam & fugacia; ſepeliunt ſe & recondunt in hortorum vmbris, valentes in otio negotium repetire.

Ne inſitus nobis amor penitùs vacet, præludit circà aves, canes, ſimias & ſimilia. Plutarch. de inſt. liber.

Puſillanimi ſunt invidi, quia ipſis omnia videntur magna. Ariſt. 2. Rhetoric. cap. 10.

Inſanit, quiſquis rem præter modum appetit, vt quidam dicuntur inſanire circà aves, equos, canes, mulieres. Athæ. lib. 11. cap. 3.

Theophilus Patriarcha Conſtantinopolitanus tanto inſaniebat equorum amore, vt ad duo millia enutrierit pinis dactilis, vino prætioſo, odoramentis; monitus in Eccleſiâ de partu equæ, quàm diligebat inter aliàs, relicto officio diſceſſit ab Eccleſiâ vt videret pullum, &c. Baron. an. 956.

Venus planeta, licet ſit Soli vicinus, plùs tamen humectat quàm calefacit, quia ſicut Luna propter magnitudinem corporis ſui attrahit humidos vapores ex locis terræ vicinis. Prolomæus prædict. Aſtrologic. lib. 1. cap. 4. Amor magis diſſolvit, & corruptionem inducit, quàm contrà. Eſt infrà Solem.

Ex Venere ſunt tres fratres, Cupido, Hermaphroditus, & Priapus. Lucianus dialogo Appollinis & Bacchi. Primò, amor eſt pulchritudinis, quæ multùm habet de ſpiritualj. Secundò, mixtus eſt, incipiens labi in corporea, in quæ tandem deſinit. *Vide Voluntas Durat.* Propagationis deſiderium.

PASSIONVM DAMNA.

PAſſio eſt motus appetitus ſenſitivi ex apprehenſione boni vel mali, vnde etiam aliqua accidit corpori mutatio: Perturbationes vocantur, quia animam & corpus perturbant; appetitus autem rationis quieto corpore peraguntur.

Seneca lib. 1. de irâ, contrà eos qui exiſtimant bonum eſſe iram temperare, non penitùs tollere, vt ſinè quâ languet omnis actio, & vigor animi reſolvitur. Primùm, inquit, faciliùs eſt excludere pernitioſa quàm regere, & non admittere quàm admiſſa moderari; nam cum ſe in poſſeſſionem poſuerunt, potentiora rectore ſunt; nec reſcindi [illegible], minuive patiuntur. Deindè ratio ipſa, cui frænj traduntur, tandiù potens eſt, quandiù deducta eſt ab affectus; ſi miſcuit ſe illis & inquinavit, non poteſt continere quos ſummovere potuiſſet; commota enim ſemel & excuſſa mens ei ſervit quo impellitur: Quarundam rerum initia in noſtrâ poteſtate ſunt, vlteriora nos ſuâ vi rapiunt, nec regreſſum relinquunt; vt in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium eſt, nec reſiſtere morative projecta poſſunt; ſic nihil rationis eſt vbi ſemel affectus fuit inductus, juſque illi aliquod voluntate noſtra datum eſt: In finibus hoſtis arcendus eſt, nam cum intravit, modum à captivis non accipit: animus ab affectu oppreſſus, potentiori non reſiſtet. Quod ſi affectui potentiorem dicas eſſe rationem, non indigebit infirmioris auxilio; quandò autem affectus alterius repercuſſu aliquid imperavit, vt metu aut cupiditate, non rationis beneficio quievit, ſed affectuum infidâ & malâ pace: vt quæ tormentis exprimuntur tela, in poteſtate mittentis ſunt, in quantùm torquentur. Falſum eſt paſſione vtendum, non vt Duce, ſed vt milite, ſi enim rationem non exaudit, ſimilis eſt militi qui ſignum receptui negligit: abſit hoc à virtute malum vt vnquàm ratione ad vitia confugiat; non poteſt hic animus fidele ocium capere, quatiatur neceſſe eſt, qui malis ſuis tutus eſt, qui fortis eſſe non poteſt niſi iraſcatur, induſtrius niſi cupiat, quietus niſi timeat; in tyrannide illi vivendum eſt, & in alicujus affectus ſervitute: non pudet virtutes in clientelam vitiorum dimittere? Deinde deſiuit ratio quidquam poſſe, ſi nihil poteſt ſinè affectu, & incipit par illi, ſimiliſque eſſe: gladiatores ars tuetur, ira denudat; in temeritatem enim prona eſt, & pericula dùm inferre vult non ca-

ver. Illa certissima est virtus, quæ se diù multùmque circumspexit & rexit, & ex lento ac destinato provexit. Officia sua vir bonus exequitur inconfusus, intrepidus; sic viro bono digna faciet, vt nihil faciat viro indignum. Pro suis iram, non pietas, sed infirmitas facit, sicut pueri, qui tam parentibus atrissis flebunt, quàm nucibus. Ira ad vindicandum cupidior, sed inhabilis, præpida & amens; omnis fere cupiditas ipsa sibi in id, ad quod properat, opponitur: nec in bello, nec in pace vtilis, pacem enim similem bellis efficit, in armis vero obliviscitur mortem esse cõmunem, Venitque in alienam potestatem, dum in suâ non est. Deindè non ideò vitia in vsum recipienda sunt, quia aliquandò aliquid boni effecerunt, nam & febres genera quædam valetudinis levant, nec ideò non ex toto illis carendum melùs est: abominandum remedij genus est, sanitatem debere morbo; sæpè saluti fuere pestifera; non est bona phrenesis, aut ebrietas quod validiores reddat. Nemo irascendo fit fortior, nisi qui fortis sinè irâ non esset, ita in adjutorium virtutis non venit, sed in vicem. Senec. 1. de irâ.

Non sunt arma quæ ad libitum deponi non possunt: hæc arma quæ Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non expectant manum, habent & non habentur; nihil aliis instrumentis opus est, satis nos instruxit ratione natura: Etenim quid stultius quàm præsidium ab iracundo petere, rem stabilem ab incertâ, fidelem ab infidâ, sanam ab ægrâ; non aliter quam qui à terrâ venti surgunt, & fluminibus, paludibusque excepti sinè pertinaciâ vehementes sunt. Incipit ira magno impetu, deindè desinit antè tempus fatigata & quæ nihil nisi crudelitatem versaverat, cum animadvertendũ est, fracta deficit; affectus citò cadit, æqualis est ratio; primi ejus ictus acres sunt, sicut serpentium venena à cubili surgentium nocent, innoxij dentes sunt, cum illos frequens morsus exhausit. Ira tale telum est, vt vix retrahatur: Ea demum velocitas placet, quæ vbi jussa est, vestigium sistit, nec vltrà destinata currit; quæ flecti & à cursu ad gradum reduci possit: ægros scimus nervos esse, vbi in vitis nobis moventur; senex aut infirmi corporis est, qui cum ambulare vult currit. Idem lib. 2. de ira in fin.

Vide quale monstrum sit homo in hominem furens, quantoque impetu ruat non sinè pernice suâ pernicioſus. Idem lib. 3. de irâ c. 3. *Vide Volunt. Bonit. Rep.* sibi nocere.

Basilides animæ perturbationes ὀργὰς ἐπιμήνια. Id. est appendices vocabat, quasi in anima essent adulterinæ malorum spirituum, animantium, lapidum proprietates appensæ, ex quibus similia ederentur opera, vt iram leonum, duritiem adamantum, &c. Adversus hoc dogma se pugnaturum profitetur Clemens Alexandrinus; Dicit tamen hominem similem esse equo Trojano, cum in vno corpore tot habeat diversorum spirituum exercitum, cor habens vt diversorium, malorum spirituum accessu in dies magis infestum, motus enim sensitivi sunt vapores, animi lucem obscurantes. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 2. c. 9. Vide Baron. an. 120. Num. 14.

Inimicus homo supet, seminat zizania. Matth. 13.

Morbi periculosissimi omnium sunt, quorum cum non sit sensus, vix adhiberi potest remedium. Quælibet enim passio quæsitâ ratione justitiæ adumbratur.

Permittitur vt diù contrà te litiges, donec absorbebantur omnes malæ cupiditates, vt intelligas in te pœnam tuam; in te ex teipso est flagellum tuum, & rixa tua tecum: sic vindicatur in rebellem adversùs Deum vt ipse sit sibi bellum, qui pacem noluit habere cum Deo: apud te tamen, vt impetus, sic arma sunt, quibus illos reprimas, si Deo adhæres: ideò Apostolus non dixit, non sit, sed non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Roman. 6. Div. Augustinus in Psal. 75.

Corpus nostrum ornamentum nobis fuit, peccauimus, & compedes indè accepimus. Idem in Psal. 145. Dominus erigit compeditos.

Si fortior sit Mercurius insignis dominantibus, efficit fortiorem rationem. Si Luna Mercurio fortior fuerit, prevalebunt sensus suprà rationem.

Idem sunt significatores morum & temperamenti, valentque ad hoc generales temperamenti regulæ.

Incontinentia iræ est pejor, ratione mali accidentis, quàm incontinentia concupiscentiæ; sed ratione passionis est è converso, quatruplici ratione, scilicet, Primò, quia motus iræ participat aliquid de ratione, sed motus concupiscentiæ totaliter est secundùm sensum, & nullo modo secundùm rationem. Secundò, quia motus iræ magis consequitur corporis complexionem. Tertiò, quia ira quærit manifestè operari, sed concupiscentia quærit tenebras, & dolosè subintrat. Quartò, quia concupiscens delectabiliter operatur, sed iratus quasi quadam tristitiâ præcedente coactus. D. Thom. 2. 2. q. 156. a. 4.

Quod passiones sunt penitùs rescindendæ. *Vide Magnitudo Virtutis.*

Iuvenes omnia nimis agunt. *Vide suprà de zelo.*

Hyppocrates rectè dicit omnem morbum seu intemperiem esse vlcus; vlcus enim est vnitatis solutio, & hæc fit, cum immodicus calor segregat substantiæ continuitatem: summum etiam frigus stipando, exprimendo, & quassando vnitatem solvit. Galenus libro de inæquali intemperie, sic desiderij aut fugæ nimij affectus solvunt animi vnitatem. Hic applicari possunt ea quæ de ventorum origine diximus. *Vide Princip. Differ. & Princip. Contr.*

Chilon Lacedemonius sapiens, duo præcipiebat: nosse seipsum, & nihil nimis cupere. Plin. l. 7. c. 32.

Duplex passio sensuum. vna quæ lenis est, quæ palpat, ac mulcet, & ex eâ voluptas, cum & illi consentiat animus; alia passio asperiùs & duriùs agitat quàm & animus abhorret, & hinc dolor. Marsil. Ficin. lib. de voluptate.

Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in irâ suâ conturbabit eos, & devoravit eos ignis. Psal. 20.

Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Rom. 1.

Iuno citrà virilem congressum subventaneo conceptu gravida, puerum edidit Vulcanum, non fortunatum, sed fabrum ærarium, vt qui in igne & fumo versetur ac scintillis oppleatur, claudus, quia à Iove è cœlo præcipitatus. Anima sinè Deo ardentes sed infœlices patit passiones.

PRIMI MOTVS.

CÆci sunt primi motus, vt nascentes canum fœtus.

Etiam sapientis, in quem fortuna jus suum perdidit, ferietur animus, mutabitur color, quædam enim nulla virtus effugere potest: admonet illum natura mortalitatis suæ, itaque & vultum adducet ad tristitiam,

tiam, & inhorrescet ad subita: non est hic timor, sed naturalis affectio, inexpugnabilis rationi; sic fortes quidam, fundere suum sanguinem parati, videre alienum non possunt. Senec. Epist. 57. Vbi refert se ad ingressum speluncæ cavati montis, quæ Puteolis ducit Neapolim, inhorruisse & ad conspectum lucis subitam sensisse alacritatem.

Primum animi ictum effugere ratione non possumus; consuetudo tamen & continua observatio extenuat: at ille motus qui judicio nascitur, judicio tollitur. Senec. lib. 2. de irâ. cap. 4.

In moderatis & sapientibus interdùm sunt illi motus vehementiores, quia insoliti, præter opinionem, & propter oppositam illorum mansuetudinem: vt torrens fractis repagulis majori decurrit impetu vetité claustris, qua data porta ruunt, & terras turbine perflant; sic compressa diù ira moram violentiâ compensat: iracunda inclinatio, cum è virtutis tutelâ erumpit, magis insolescit; sic turpiores apparent vultus qui sæpiùs fucum patiuntur. Tales præsumptione laborant, & cum credant sibi nultùm deberi, facilè ob levem contemptum excandescunt: qui minùs injurijs pulsantur, minùs patienter eas ferunt, callum enim per adversa non contraxerunt.

Quod calore iracundiæ fit, vel dicitur, non priùs ratum est quàm ii perseverantia apparuerit; vndè brevi reversa vxor divertisse non videtur. l. 48. ff. de Reg. jur.

Malè hæretici putarunt primos motus innoxiè sequendos. *Vide Volunt. Virt. Rep. sub finem.*

Repentini flatus nunquàm cœlo sereno fiunt, sed semper nubilo, & cum imbre.

Tentatio vos non apprehendat nisi humana. 1. Corinth. 10. Excusat primos motus, qui tamen non debent foveri.

PASSIONES QVANTVM nocent.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Passiones sunt motus sensitivi, qui afficiunt corpus & animum; rapiunt enim non expectatâ rationis consultatione, nec voluntatis liberâ electione; peccant itaque in naturam humanam, quam sic è gradu suo dejiciunt in brutorum cæcam feramque conditionem.

MAGNITVDO. Magnitudinem passiones omnes præ se ferunt, seù illam menti, seù objectis adscribant; sed in vtriusque infirmitas, mentem sic à sede suâ moveri vt sibi non constet; sic deludi, vt æqua rebus; vel minor, vel major videatur, vt tumeat in vanum se jactans, aut deficiat falsis territa simulachris. Rem integram non attendit, nec perficit passio, sed hæret tantùm quibusdam circumstantijs, quæ illam magis afficiunt.

DVRATIO. Quarundam motus alijs sunt diuturniores; amor & odium vix remedium capiunt, ira furor brevis est, metus elapso periculo placatur, lætitiam & tristitiam tempus solvit: quæ sunt magis pertinaces intermittunt aliquando, & certis tantùm accessionibus efferantur, natura enim deficeret sub hoc violento motu, si foret continuus; momento tamen strages duraturas, & vix ad cicatricem venientia inferunt vulnera: Quàm ægrè læsa semel charitas officijs consolidatur? rapum hunc longa sequitur facti pœnitentia. Rebusitaque continuum affectum

A poscentibus malè ministrat passio, excedens semper aut deficiens.

POTESTAS. Pessimum malum, sub quo pereunt duæ in nobis præstantiores potentiæ, ratio scilicet in intellectu, & libertas in voluntate; turpior cæteris hæc servitus quæ volentem addicit. Tam invertsus est naturæ ordo cum sensibili potentiæ datur imperium in rationem, quàm si animalia hominem, elementa cœlos regerent.

COGNITIO. Definit esse homo, cui non constat mentis judicium; quasi à furore, aut a Dæmone possessus à se penitùs aliena dicit & facit: ô vanæ scientiarum & prudentiæ leges tot studijs & laboribus B quæsitæ, cum eas motus hic sensibilis momentò intervertat.

VOLVNTAS. Quæ jam sunt in motu faciliùs motum recipiunt, sic varijs passionum accessionibus concussæ, mentes vix habent quo quiescant: nec enim vt silent venti statim mare placatur. Implicat se voluntas, simul sibi videtur negare quod appetit, dùm magno fertur æstu ad ea de quibus mox pœnitet, dùm inædificat diruenda, dùm aberrat in contrarium reditura; sicque non tantùm irrito, sed & nocivo conatu suæ libertati vim facit: vt quid hæ deviationes brevissimo vitæ tempore longissimum æternitatis iter confecturis?

VIRTVS. Angeli movent cœlos, & virtutes, vt divinæ quædam potestates, continent motus sensitivos. C Grande malum quod tot adhibitis divinis remedijs vix potest sanari. Si summum hominis morale bonum in virtutum mediocritate consistit, summum ejus malum erit in defectu aut excessu, ex passionibus nascente.

VERITAS. Si mendaces, si turpiter blandientes, si falsarios non patimur, vt quid nos committimus passionibus rationi illudentibus, & nocivè magiè oculos, mentemque fascinantibus: suspectum esse debet quidquid proferunt, ideo ne fidem illis habeant sapientes, solent judicium suum differre in tempus, quo quiescant, alioquin contorquent, & in se convertunt rationem motùs sensitivi: sic vitiatâ regulâ, vitiatis D sanctuarij ponderibus, nulla potest actionibus inesse rectitudo, vel æquitas. Quid ni sufficiat ad actiones humanæ vitæ regendas, ratio, quæ est impressio ejusdem legis æternæ, quâ totius mundi intellectualis, cœlestis, elementaris politia regitur?

GLORIA. Turpissimum est impelli & rapi ad id, quo libero motu eundum esset; hæc turbant tranquillitatem animi, & portum hunc inter mundanos fluctus sapienti paratum, tempestate suâ concutiunt. Non est vera in passionibus voluptas, cùm in illis sibi mens non constet, cum morbus sit non fruitio, cum hunc dilaniantem prurirum dolor sequatur, sitque infida cum hostibus pax, & nequidem ad libertatem suspirans sub tyranno servitus.

DIFFERENTIA. Hoc vno differunt sapientes ab insipientibus, probi ab improbis, quod se non credunt E passionibus, & naturaliter insurgentes varijs artibus, fidisque consilijs reprimunt: mens à seipsâ peregrinatur, dùm illam passio abripit: Concutiat licet, & torpentem alioquin animum à situ vindicet, vitæque eodem semper tenore decurrentis tædium, vanitate levet; sed non rapiat, non dejiciat, nec dominantem rationem sensibus miserrimè subjiciat.

CONCORDANTIA. Vt hi, quos agunt passiones, secùm non consentiunt, sic nec cum alijs; solvunt naturalem, civilemque societatem ita, odium, metus, &c. Nec fidus est amor quem solus sensibilis affectus ob vtile aut jucundum conciliavit.

CONTRARIETAS. Lites, certamina, bella, fame

liarum, vrbium, regnorum vaſtationes ſunt effectus passionum: conſentit enim omnium penè ratio, eodem naturali lumine illuſtrata; at diſſentiunt motus ſenſitivi; & hæc potiſſima calamitatum cauſa, quod passionibus potius, quàm ratione regimur.

PRINCIPIVM. Paſſiones à corruptâ naturâ originem ducunt, & hoc ſuo ortu infœlici mala quæ inferunt ſatis prænuntiant; illi etiam corruptæ naturæ militant, dum ſenſibilia, mortalia, etiam nociva, prætermiſſis neglectiſque ſpiritualibus, ardentiſſimè proſequuntur.

MEDIVM. A virtutum eſſentiali mediocritate deficiunt paſſiones omnes in exceſſum aut defectum, ſic pugnant contrà naturam noſtram rationalem, quæ eſt omnium media, & quaſi horizon vniverſi, infima ſummis, ſpiritualia corporalibus connectens. Familiaris eſt paſſionibus periculoſiſſimus ille ab extremo in extremum ſine medio tranſitus.

FINIS. Cum vanitas, & turbatæ rationis phantaſmata paſſiones ſemel accenderint, illas poſtea admotis novis materijs diutiùs fovent: non deſinunt iraſci, ne videantur fruſtrà & ſinè ratione irati. Proximum, ſibi gratum, non vltimum finem attendit paſſio, vndè A in inſidias, in ſcopulos, in pericula furens cæcutiensque impingit, dùm ſpes eſt optatis fruendi.

MAIORITAS. Efferunt hominem, aut tàm altè, vt illic non conſiſtat; aut in tantùm demergunt, vt vix detur reditùs; ſic aliquid acidi condimentis infunditur, vt tamen non tollat omnem dulcedinem. Grata eſt eminens corporis ſtatura: ſed ad monſtrum accedit gigantæa moles.

ÆQVALITAS. Naturæ in quietem tendenti magis congruit placidus, æqualiſque ſibi ſemper vitæ decurſus, quàm hæc turbulenta paſſionum agitatio: B qui enim ſic transfertur, cum non ſit ſibi ipſi fidus, ſibique non conſtet, nulla illi ſeù ex ſpe, conſilijs, etiam poſſeſſione ſecura eſt voluptas: nihil poſſidet qui ſui Dominus non eſt, & quem inſpirati illi motus ſæpè rapiunt

MINORITAS. Nulla major ſervitus, quàm his impotentiſſimis Dominis ſubjici; nulla gravior quàm rationis & prudentiæ paupertas: ſumma hæc capitati diminutio, à ſeipſo exulare, non eſſe nec cogitatione quidem nec voluntate liberum. Omnium maximè lugenda mors, quæ animæ in ſuis ſupplicijs immortali, ſuiſque pœnis ſemper fœcundæ, inſidet.

ÆQVALITAS VOLVNTATIS.

DEVS VVLT OMNES SALVOS FIERI, ILLIQVE dat ad id gratias ſufficientes.

MISCELLANEA.

Vide Bonitas Poteſtatis, & Bonitas Principij. Duratio Principij.

DEVS omnibus providet. *Vide Duratio Principij, & Æqualitas Principij.* C

Deus eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioa. 1. ſic D. Auguſt. 1. de Geneſi. c. 1. Illud lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt, quod omnes poſſunt ſi velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Math. 11. Ecce ega ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuit, intrabo ad eum. Apocal. 3. Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci. Iſay. 5.

Ex eo quod non accepit, nullus eſt reus; ex eo verò quòd non facit quòd debet, juſtè reus eſt; debet autem, ſi accepit & voluntatem liberam, & ſufficientiſſimam facultatem. D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio. c. 16. hinc collige dari gratiam ſufficientem, quâ cum non vtitur peccator ſit reus.

Gratiæ opitulatio per innumeros modos, ſivè occultos, ſivè manifeſtos omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ; quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt divinæ, & voluntatis humanæ, &c. Proſper. lib. 2. de vocatione gentium. cap. 16.

Quòd gratia non tollat libertatem. *Vide Poteſtas Voluntatis.* Vndè patet quòd gratia illa quæ non conſequitur ſuum effectum, cum non ſit efficax, erit tantùm ſufficiens.

Deut. 30. dicitur. Mandatum hoc, quòd ego præcipio tibi hodie, non ſuprà te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos?

Sic D. Auguſt. lib. de nat. & gratiâ. cap. 43. Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet & facere quòd poſſis, & petere quòd non poſſis. D

Quæ verba vſurpavit. Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 11. Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce vti debet. Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quòd poſſis, & Petere quòd non poſſis, & can. 18. ſic ſtatuit, ſi quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratiâ conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.

Sic Concil. Araſic. 2. cap. 25. Hoc ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſ-

Digitized by Google

mum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, quæ ad ſalutem pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.

Homo quilibet poteſt reſiſtere tentationibus, non poteſt ſinè gratiâ, ergò datur gratia, ſic D. Auguſt. Quæcumque cauſa eſt pravæ voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſinè peccato ei cedítur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur: an fortè fallit incautum, ergò caveat ne fallatur, an tanta fallacia eſt, vt caveri omninò non poſſit, ſi ita eſt, nulla peccata ſunt, quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? peccatur autem, peccari ergò poteſt. D. Auguſt. lib. 3. de liber. arb. c. 15.

Facilè eſt vt infidelitatem accuſemus Iudæorum, de liberâ voluntate venientem, qui factis apud ſe tàm magnis virtutibus credere noluerunt, quod Dominus increpans dicit, væ tibi Coroſain, &c. D. Auguſt. lib. de dono perſeverant. cap. 9. & lib. 20. de civit. c. 5.

Explicans illud. Math. viri Ninivitæ ſurgent in judicio, &c. Ergò dantur quædam gratiæ, quæ reos homines conſtituunt, ex eo quòd nolint illis cooperari.

Poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris dare, ſeù negare conſenſum. In tuâ facultate eſt ſi volueris inimicum tuum facere ſervum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. D. Bernard. Serm. 5. in quadrageſ. Idem aſſerit. D. Chriſoſt. homil. 2. in Epiſt. 1. ad Corinthios.

Vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1. Timoth. 2.

Nolens aliquem perire ſed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. Petri. c. 3.

Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 1. Ioan. 2. & 2. Corinth. 5. Si vnus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. & 1. Timoth. 2. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.

Sicut per vnum hominem mors, ſic per vnum hominem vita, &c. In omnes autem ſe effundit Adæ peccatum. Ergò in omnes Chriſti gratia.

Vide locum luculentiſſimum apud D. Chriſt. in hom. 5. Epiſt. ad Rom.

Proſper. lib. 1. reſpons. pro D. Auguſt. Qui, inquit, dicit quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

D. Auguſt. lib. 6. contrà Iulian, c. 4. Probat omnes in Adam peccaviſſe, quia pro omnibus Chriſtus mortuus: tàm conſtans eſt vniverſalis Dei gratia vt hinc probet vniverſale peccatum.

Prolper lib. 2. de vocatione gentium. c. 16. Nulla inquit ratio dubitandi Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum pro impijs & peccatoribus mortuum. Eadem lib. 1. reſponſ. ad object. 9.

D. Thom. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. Dicendum, inquit, quod gratia novi teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ità confirmat in bono, vt homo peccare non poſſit, hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ; & ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi teſtamenti peccaverit, majori pœnâ eſt dignus, tanquàm majoribus beneficijs ingratus, & auxilio ſibi dato non vtens: nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur, quia quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.

Et lib. 3. contrà gentes. cap. 159. docet impurari homini ad culpam quod non recipiat gratiam Deus enim, inquit, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur ad Timoth. 1. c. 2. ſed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole mundum illuminante inculpam imputatur ei qui oculos claudit. Eadem diſt. 40. quæſt. 4. a. 2.

Vide quæ ſcripſi lib. de miſericordiâ Dei. parte. 1, cap. 11. & ſeqq.

Cauſæ omnes vniverſales communes habent influxus; cœlum omnia complectitur, vt nihil vacet à ſuo influxu: anima adeſt omnibus corporis partibus; jecur ſanguinem, cor ſpiritus vitales, cerebrum animales omnibus membris communicat; Princeps profitetur ſe jus omnibus redditurum; Medicus in juramento apud Hipocratem promittit ſe omnes, etiam hoſtes, arte ſuâ juvaturum, quia divina eſt: non minùs vniverſalis eſt Dei bonitas ergà homines.

Bonum per ſe, & eſſentiâ ſuâ, in ea quæ ſunt omnia, pro eorum captu totius bonitatis radios emittit. D. Dyoniſius de divin. nominib. cap. 4.

Quia hic pulſamur adverſis, nec fœlicitatem poſſumus in hac vitâ conſequi, ſaltem ad alterius vitæ beatitudinem gratiæ nos præparant, & ad hoc verbum incarnatum Chriſtus, cum omnibus converſabatur, omnes ſanabat, vt his externis miraculis oſtenderet quod omnium animas venerat ſanaturus.

Deus eſt cauſa omnium atque principium, eſſentiaque & vita; horum verò qui ab eo prolapſi ſunt revocatio atque reſurrectio. D. Dyoniſ. de divin. nomin.

Deus non deeſt in neceſſarijs. D. Thom. 1. 2. q. 98. a. 1. ad 4.

In Chriſto Deus erat mundum reconcilians ſibi. 2. Cor. 5.

Pendet Chriſti in cruce, quæ omnes mundi partes reſpicit; Intereſt cognoſcere cum Apoſtolo quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum ſupereminentis charitatis Chriſti.

Facit ſcriptura mentionem de libro vitæ, non de libro mortis. Apoc. 13. & in libro tuo omnes ſcribentur. Pſal. 138.

Dei perfecta ſunt opera. Deut. 11.

Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Philip. 1.

Ploremus ante Dominum qui fecit nos: non enim fecit, & deſerit; qui fecit antequàm rogaretur, non deficit cum rogatur. D. Aug. ſerm. 11. de verb. apoſt. cap. 2.

Dominus amittit dominium ſervi, quem ægrum abjecit. l. 8. ff. de alend. & agnoſ. lib. Pater jus patriæ poteſtatis in liberos quos expoſuit. l. 2. Cod. de infantib. expoſ. l. vnic. §. ſed ſcimus. Cod. de lat. lib. toll.

Necare videtur, non tantum is qui partum præfocat, ſed & is qui abjicit & qui alimonia denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſâ exponit, quàm ipſe non habet. l. 4. ff. de agnoſ. & alend. lib. *Vide Minor. Bonitas.*

Vt lumen ſolis non poteſt dividi, claudi alicubi, à fonte proprio ſeparari, aut miſceri aëri licet adſit, ità cujuſque Dei lumen, totum individuè, toti mundo penitus adeſt, licet parti cuidam præcipuæ ſibi accommodatæ vim ſuam maximè concedat. Iamblicus de myſter. cap. 7.

De vitâ mundi, quod omnibus adſit. *Vide Majoritas Voluntas.*

Deus omnibus offert miſericordiam, quàm contemptam ſequitur judicium. *Vide Duratio Virtutis.* de non differenda pœnitentia ex D. Berna.

Digitized by Google

In posthumo non cadit justa causa exhæredationis, cum non possit esse ingratus, nec alieno prægravari. l. 33. §. legis autem. Cod. de inoffic. testam. Sic Deus nullum nascituram prædestinat ad gratiæ gloriæque privationem. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Deus voluit summum sacerdotem mysticâ veste totum mundum præferre, quasi deberet pro omnibus orare, sicut mundus omnibus prodest. Vide Philo. Iud. lib. 2. de Monarchiâ, & *infrà Cognitio Virtutis.* de exteriori ornatu.

Minimis etiam stellis tantùm concedit temporis ad lucendum quantùm soli: omnia in suâ existentiâ beata se reputant, vndè patet æqualiter illis esse provisum.

Sancti ab omnibus coluntur, quia ab omnibus possunt imitari, Deo juvante. *Vide Gloria Virtutis.* Festa Sanctorum.

Misericordiam & veritatem diligit Deus gratiam & gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ, Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Psalm. 83.

De gratijs quas Deus omnibus largitur. *Vide Principium Cognitionis.* Scientia à Deo, & *Principium Virtutis*, Deus.

Qui mundum animam habere dixerunt, per omnia voluerunt esse diffusam, itavt nihil reperiatur tàm difforme, cui non adsit anima, cui non insit & animæ munus, siquidem escas ejusmodi sibimet congruas, quibus alliceretur, effecit, & semper, libenterque habitat in eisdem. Synesius magnas appellat illecebras, sic sui charecterem quo allicitur, Deus impressit animabus. Marsil. Ficin.

Vt cœli virtus ambit & penetrat facile terræ molem, quæ ad illam quasi punctum est, sic Deus mentes. Si adversarius noster tanquàm leo circuit quem devoret, sic etiam non dormitat, qui custodit Israël.

Clausum cor intùs habes, & clavem accusas. D. August. Quod oblatas gratias respuamus. *Vide Potestas Voluntatis.* Gratia non tollit libertatem.

Quanta temeritas Deo nobis loquenti & consulenti aurem non præbere, dicamus cum Samuele. 1. Reg. 3. Loquere Domine, quia audit servos tuus, quanta bonitas, vt avertentibus nobis obduratis clamitet? Convertimini ad me: revertere, revertere, &c. Ecce bonorum meorum non indiges, & tu dicis convertimin filij hominum. In odorem currimus vnguentorum tuorum: Odor seipsum offert odoratui, sic gratia mentibus.

Remedium semper est paratum contrà Dæmones ex passione Christi, etiam tempore Antichristi. D. Thom. 3. q. 49. a. 2. ad 2.

Eliphas Themanites dicit Iob. 5. Rogabo Dominum, qui facit magna & inscrutabilia, qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis, idest gratijs, vniversa.

Te, Deus meus, nemo amittit, nisi qui dimittit. D. August. lib. 4. confess. cap. 9.

Fugerunt vt non viderent te, videntem se, atque excæcati in te offenderunt, quia non deseris aliquid eorum quæ fecisti; solus es præsens etiam ijs qui longè sunt à te. Ibid. *Vide Duratio Principij.* Deus non tàm deserit, quàm deseretur. *Vide Minorit. Virtut.* Quòd peccatum sit aversio à Deo.

Christus pro omnibus mortuus est, etiam pro his qui suæ passionis abusi sunt gratiâ. Vide ex D. August. *Minorit. Virtut.* peccatorum turpitudo & increpatio.

De Ingratitudine ergà Deum. Vide infrà hoc tit. in fine: hæc autem supponit collatas gratias, quibus peccatores abusi sunt.

In Dei immensitate latitudo est ejus charitas, quâ omnes complectitur. *Vide Gloria Magnitudinis.*

De continuo Dei influxu in omnia. *Vide Duratio Principij.*

Cæli non moventur immediatè à Deo, quia prima causa, cum infinitè excedat omnia, atquè omnibus est communis & ab omnibus absoluta, si enim Deus esset proprius rei alicujus, rector non esset omnium: vndè cœli habent familiares & sibi accommodatos rectores. Marsil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 4.

Damnata fuit ab Ecclesiâ hæresis Prædestinatorum, qui dicebant bona opera nihil prodesse præscitis à Deo ad damnationem, nec mala obesse prædestinatis ad gloriam, quâ assertione boni à bonis avocabantur operibus, & mali stabiliebantur in malis, hique errores suos D. Augustini nomine & authoritate propugnare conabantur, ejus scriptis malè perceptis. Baron. an. 490. & 529. Spondanus autem an. 520.

Non erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti; Iudæo primùm & Græco. Rom. 1.

Non est acceptatio personarum apud Deum. Ib. cap. 2. An Iudæorum Deus tantùm, nonnè & gentium, imò & gentium, quoniam quidem vnus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom. 3.

Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, & sic per vnius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: vbi abundavit delictum superabundavit gratia, &c. Rom. 5.

Non est distincto Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum; omnis enim qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Rom. 10.

Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 1. Corinth. 15.

Pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui vivunt, jam non sibi vivant. 2. Corinth. 5.

Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. 2. Corint. 6. &c.

Omnes filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu: quicumque enim in Christo baptizari estis, Christum induistis: non est Iudæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque fœmina; omnes enim vos vnum estis in Christo. Galat. 3.

Veniens Christus evangelisavit pacem vobis qui longè fuistis, & pacem ijs qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem. Ephes. 2.

Rogo fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, &c. Hoc enim acceptum est coràm salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus, &c. 1. Timoth. 2.

Iobius Monachus, in libro quem scripsit de verbi Incarnatione, dicit Christum natum inter bovem & asinum, mundum & immundum animal, vt significaret se venisse ad salutem Iudæorum & gentilium, omniumn denique. Photius in Bibliothecâ. cap. 323.

Legati à Principibus missi dedignantur pauperes, & statim ad Principem ad quem missi sunt accedunt: at Christus à Patre ad homines missus legatus, statim cum meretrice, latrone, telonario loquutus est, ma-

gnâ benignitate, non enim ad vnum aut alterum venit, ſed ad communem naturam. ex D. Chriſoſt. refert Photius Biblioth. cap. 277.

Ars Dei, quâ vniverſa condidit, nec intenditur, nec remittitur, ſemper ſui ſimilis quo ad excellentiam, opifice res ſingulas abſolvente numeris omnibus, & nihil prætermittente quod meritò deſideres: ſic magni artifices effectant oſtentare artem, etiam in vilibus, Dei autem exiſtimatione materia nulla prætioſa eſt, ideò cunctis ex æquo artem adhibuit, vndè legitur, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona, laudantur quia præ ſe ferunt vnam eandemque opificis facultatem, æquabiliter eluceſcentem per omnia. Philo Iudæus. lib. quis ſit rerum divinarum hæres.

Fides etiam informis eſt donum Dei. D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 2. datur ergo gratia, licet inefficax.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; Creavit enim vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terrâ: juſtitia enim perpetua eſt & immortalis, impij autem manibus & verbis accerſierunt eam, &c. Sap. 1.

Lucianus dialogo de ſacrificijs irridet antiquos, qui Dijs ſuis certos aſſignabant lucos & montes, aves conſecrant & arbores, per regiones illos diſtribuunt, in civitates ſuas receptant, Appollinem Delphij, Delijque, Minervam Athenienſes, Argivi Iunonem, Mygdonij Rheam, Venerem, Paphij, &c. illis templa conſecrant, ne tectis & penatibus careant, quaſi divinitas certis locis, perſonis, temporibus ſit addicta.

Miſericordiâ Domini plena eſt terra. Pſal. 32. vt miſeriâ hominis plena eſt terra. D. Auguſt. in dict. Pſal.

Sapientes Indi exiſtimabant Deos tutelares certis populis datos, etiam ad alios tranſire auxilij præſtandi causâ, mundumque totum peragrare. Philoſtrat. in vitâ Appollonij. lib. 4. cap. 14.

Erunt in vobis magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, ſuper inducentes ſibi celeſtem perditionem 1. Pet. 2. Pſaudo Propheras propter veritatis blaſphemiam damnandos, dicit emptos eſſe ſanguine Chriſti.

Neque exiſtimes pro illâ tantummodo gente hanc hoſtiam offerri, propterea extrà civitatem & extrà muros, extrà portam paſſus eſt, vt intelligas quoniam communis eſt hoſtia pro humano genere oblata. D. Aug. Serm. 130. de diverſ.

Deus vellet mortem peccatoris, ſi nollet ei dare gratias ad vitandam mortem neceſſarias. *Vide Contrarietas Medij.*

DEVS VVLT OMNES ſalvos fieri.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Singularis bonitatis eſt, ſingulis prodeſſe, vniverſalis verò & infinitæ, omnibus: Divinam hanc bonitatem imitari voluerunt Principes, effuſis in populum largitionibus. *Vide Magnit. Bonit.* Delectum eſt, inquit Apoſtolus, chirographum, quod contrà nos erat, vndè ad omnes pervenit liberatio.

MAGNITVDO. Perfecta Dei ſunt opera, & omnibus his quibus dedit eſſe dedit & benè eſſe: vidit vniverſa quæ fecerat, & erant valdè bona, ſcilicet in genere ſuo: ſic omnes creaturæ neceſſarijs abundanter inſtructæ, & vſque ad delitias ornatæ, diem feſtum agunt in vniverſo; cum ergò dederit omnibus hominibus potentias ſuæ perfectionis, ſuæque gloriæ avidas, conveniens eſt vt det illis media, ſcilicet gratias ſufficientes, ad id aſſequendum. Prævidit Deus lapſum hominis, vtque illi ferret auxilium æterna, conſtanſque Bonitas, ægræ naturæ amplioribus adfuit gratijs miſericors Pater, & vt omnes in vno Adamo peccaverant, voluit omnes in vno Chriſto ſalvos fieri: vt bonum malo, gratia peccato prævaleat, latiuſque diffundatur. Toti humanæ naturæ auxiliatum eſt, remedium cauſæ & origini morbi adhibitum ſcilicet peccato adami, vt ſic ſanarentur cæteræ partes, ſymptomate & ſympathiâ laborantes. Cum crimen eſt publicum, vt in delicto civitatis aut exercitus, quæ conceditur gratia generalis eſt, ad omnes perveniens, niſi ad paucos magis reos delicti authores, qui noxæ deduntur. Nulli autem magis rei in peccato primi hominis, quia æqualiter omnes nondùm exiſtentes.

DVRATIO. Quod fit in tempore, ab æterno eſt decretum: quis autem putet Deum in gloriosâ ſuâ æternitate aliud voluiſſe hominibus ad imaginem ſuam creandis, quàm gloriæ, etiam ſuæ, participationem: ſi intervenit peccatum, intervenit & remedium, vtque peccato non imbecillius, ne æterna conſtanſque voluntas defraudetur.

POTESTAS. Hominem quem voluit ſanum, voluit & liberum, vtque conciliaret hanc voluntatem ſalutis cum decreto libertatis, offert gratias ad ſalutem neceſſarias, vt ſic divina bonitas, quantùm ad ſe, omnes largitione ſuâ ſalvos faciat, & libertas habeat vndè ex electione ſuâ meritum gloriamque quaſi præmium aſſequatur. Omnes ſalvos facit, cum omnibus ad ſalutem neceſſarias gratias offert; vt victor cenſetur captivis omnibus libertatem dediſſe, qui illam omnibus volentibus obtulit: Captivam duxit Chriſtus captivitatem; humana natura Dei dominium eſt, tam charum, vt illius nullam partem velit à ſe alienari: voluit integrum redimi & conſolidari: omnes homines ſalvos fieri; ab hoſtibus, quaſi poſt liminio reſtitui, cùm omnibus ſuam impreſſerit imaginem, dominij ſui indicem.

COGNITIO. Vndè D. Ioannes comparat Redemptorem ſoli, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Ita vt ait Pſalmiſta, nullus ſit, qui ſe abſcondat à calore ejus. Syndereſis æternæ veritatis leges inſculptas cordi præferens, aurora eſt, quàm Chriſti gratia debuit ad perfectum diem adducere, itavt lux offeratur omnibus eam recipere volentibus oculis.

VOLVNTAS. Deus nos prior dilexit, quod enim ſumus eſt effectus ſui amoris; Cum ergo omnes homines ſint opus amoris ſui, eademque ſit in omnibus nondùm natis miſericordiæ ratio, probabile non eſt quod aliquos voluerit reprobare, & perire eos, quos, id ſciens, condidit: vt quaſi contrariâ ſibi voluntate, & amet, dùm dat eſſe ad imaginem ſuam, & oderit, dùm ſine gratiâ exponit peccatis, indéque ſequentibus æternis ſupplicijs. Quamvis dicatur in hac reprobatione ſe negativè habere, hoc negativum reſolvitur in poſitivum: Nam ſi neges quod à te tantum poteſt procedere, cauſa es mali indè naſcentis, vt ſi dux exercitum, nauta navem, auriga equos non rexerit. Præteritio matris, pro exhæredatione eſt, quia cum naturaliter amet, cenſetur id conſulto fe-

Digitized by Google

ciſſe; qui exponit liberos, cenſetur necare. *Vide ſuprà in Miſcellaneis hoc tit.*

VIRTVS. Inſita ſunt omnium mentibus virtutum ſemina, quibus ſol juſtitiæ non deficit, vt exſurgant. Fruſtrà ineſſet omnibus ſenſus Religionis, niſi adeſſet gratia offerens & lucem fidei, & ardorem charitatis.

VERITAS. Fides publicè prædicatur, pauperes Evangelizantur, lex divina generalis eſt, omnes obligat: at Deus præciperet impoſſibilia, niſi offerret gratiam, ſinè quâ lex non poteſt ſervari. Ad quid enim præcepta, ſi nullum ſit libertati arbitrium, ſi gratia nos aut reprobos prætereat, aut electos rapiat? ad quid lex, ſi non ſit vis & libertas illam ſervandi? ad quid pœnarum comminationes, & gloriæ propoſita præmia, ſi talibus mens liberè non moveatur?

GLORIA. Pro præmio non debetur, ſi nullum ſit meritum; nullum autem eſt meritum, ſi nulla ſit libera electio & ſi nihil ad opus bonum voluntas conferat: Quis hoc conciliabit cum infinita Dei bonitate, vt creet animam humanam, eam exponat peccatis ſinè gratiæ auxilio, & cruciet in æternum, pro peccatis quæ non potuit vitare. Quàm crudelis & injuſta nutrix, quæ infirmum cadentem puerum, ſuóque madentem ſanguine, eo quod illum non ſuſtentaverit, iterùm flagris dilaniet, ſuæque negligentiæ iterùm illi pœnas imponat. Melius fuiſſet animas non creari, quàm certo hoc decreto, à ſciente & volente Deo creari ad peccatum & ad gehennam.

DIFFERENTIA. Vt ordo conſtituatur in animabus humanis, ſicut in Angelis, diverſi ſunt gradus gratiæ: ſed quemadmodùm in gloria omnes beati in diverſis ſuis manſionibus viſione beatificâ fruuntur; ſic in viâ omnes debent recipere auxilium gratis ſufficiens, quo ſubleventur. Sint aliquæ planiores, gratiores, magis compendioſæ viæ, omnes tamen debent ad deſtinatum tendere: ſic pater poteſt vni ex filijs ampliorem hæreditatis partem relinquere, dùm cæteris detur Falcidia, aut legitima, ſic enim non poſſunt movere quærelam inofficioſi teſtamenti, cùm neceſſitati proviſum eſt.

CONCORDANTIA. Omnes homines, vt in naturâ, ſic in Eccleſiâ vnum corpus efficiunt, ad cujus partes omnes, licet inæquales proportione, tamen ſufficiens influxus debet à Chriſto capite pervenire. In majorem enim vnitatem nos compaginare debet gratia quàm natura.

CONTRARIETAS. Dicunt hæretici Deum quaſdam animas à ſe creatas exponere peccatis ſinè vllo gratiæ auxilio; ſicut olim tyranni exponebant martyres mari & venis, navigio, velis, remis, funibus, omnique apparatu deſtituto, ad certum naufragium.

PRINCIPIVM. Cauſæ vniverſales vniverſalem emittunt influxum in inferiora omnia, illius capacia: ſic cœlum ambiens omnia, nihil extrà vim ſuam patitur eſſe; ſic ſol luce ſuâ omnia illuſtrat; ſic pluvia æquâ, publicaque largitione effunditur, etiam ſuper ſteriles rupes & arenas; quod ſuum eſt, in pertinacibus etiam materijs, tentatura: In talibus natura præfert imaginem divinæ bonitatis, nulli nocivæ, nulli non beneficæ in lapideis etiam cordibus effuſæ. Ejus eſt conſervare, qui produxit. *Vide Durat. Principij.* Hinc naſcitur omnium animantium etiam ferarum ingens circà fœtus ſuos amor; cum autem à Deo ſit omnis paternitas, etiam in eo erit eminens paternus amor pro animabus, ad imaginem ſuam creatis.

MEDIVM. Generaliter in naturâ & politiâ, cum aliquid fieri convenit, dantur media ad illius conſecutionem neceſſaria. *Vide Bonitas Medij.* Vndè ſequitur ad ſervanda Dei præcepta dari gratias ſufficientes.

FINIS. Omnia ſibi convenientem finem aſſequuntur, ne ſint & agant fruſtrà. Cum autem creatur anima rationalis, & homo incipit vivere, motus eſt qui non quieſcit, niſi per gratiam pervenerit ad gloriam: non permittit Deus fidelis & omnipotens hunc motum irrito conatu in medio ſui concidere; omnia propter ſe fecit, circulum itaque vult in ſe claudere; & quàm produxit creaturam ad ſe redire; aliter ſuæ ipſius gloriæ, ſuis æternis decretis, ſuoque æterno amori foret contrarius.

MAIORITAS. Non diceretur fœlix culpa quæ talem meruit habere redemptorem, ſi redemptio ad paucos prædeſtinatos perveniret, ſi morbus eſſet remedio potentior & vniverſalior, ſi Chriſtus non eſſet pro omnibus mortuus, ſi gratias ſuas non effunderet, ſed eas paucis electis arcta manu ad invidiam largiretur.

ÆQVALITAS. Homines, vt minores læſi, & in vno omnes à ſerpente decepti, Chriſto mediante: reſtituuntur in integrum: laceratum eſt Chirographum quod contrà nos erat, inquit Apoſtolus, vndè hæc reſtitutio, tàm communem debet conferre gratiam, quàm fuiſſet communis originalis juſtitia. Æqualis omnium naſcentium ſtatus æqualem poſtulat Dei bonitatem, vt non deficiat in neceſſarijs, nec excludat à gratia, quos vitam largiendo ſibi ipſi obtulit gratificandos.

MINORITAS. Non eſt probabile tàm nobilem eſſentialem creari ad omnium peſſimam privationem, ſcilicet ad peccatum; & exiſtentiam, quæ glorioſi Dei ſpeciem refert, eſſe materiam æterni ſupplicij. Qui negant dari gratias ſufficientes, in id tandem deveniunt, vt ſimul negent dari peccatum actuale, quia nulla ſupereſt libertas, nulla ad præceptorum Dei obſervationem poſſibilitas. Cum credant ſe inevitabili fato ad pœnam aut gloriam rapi; aut deſperatione, aut perfidâ ſecuritate decreti ineluctabilis ſuis indulgebunt cupiditatibus, peribitque omnis morum & Religionis cura ſub hoc impio dogmate: imputant peccatum Deo, qui ſciens volens creat animas ad certum reatum, certamque damnationem, cum neget illis neceſſaria gratiæ auxilia. Defectus enim auxilij in eo à quo tantùm poteſt procedere, habetur quaſi poſitiva cauſa perditionis. *Vide Minoritas Bonitatis.*

ÆQVALIS ERGA OMNES aut plures affectus.

MISCELLANEA.

DE publicis largitionibus. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Affectus quorum voces & litteræ ſunt ſigna, ſunt ijdem apud omnes gentes.

Non oſtendat Princeps, cui potiſſimùm ex conſiliarijs ſit addictus, aut quem præ alijs magnifaciat, ſed ità ſe gerat, ac ſi haberet omnes æquales, alioquin libera non erunt judicia, ſed omnes ibunt in ſententiam ejus cui favebit.

Solon cum novam vellet civitatem legibus conderet, tanto temperamento inter plebem & ſenatum egit, vt ab vtriſque parem gratiam traheret.

De communi affectu eorum qui regunt. *Vide Bonitas Poteſtatis. Voluntas Poteſt. Bonitas & Voluntas Principij.*

Anaximander dixit terram quieſcere, quia vniformiter ſe habet ad omnia circà ipſam; non eſt enim magis proclivis in vnam quàm in aliam partem.

Primùm mobile eſt concentricum mundo, cæteros cœlos æqualiter rapit ſol æqualiter vbique diffundit lucem.

Frigidum ex æquo congregat homogenea & heterogenea.

Eſt concoctio publica, quæ fit in ventriculo & hepate, hæc enim membra toti corpori alimentum præparant; & eſt privata, quæ fit in ſingulis partibus. Ad hoc referri poſſunt aliæ actiones, quæ ad totius corporis emolumentum inſtituuntur: qualis eſt ſpirituum vitalium generatio in corde, animalium in cerebro, ſic ventriculus duplicem habet cibi appetitum, animalem, quo incitatus alimentum toti corpori neceſſarium appetit; & naturalem, quo ſibi tantùm neceſſarium alimentum concupiſcit.

Quilibet punctus luminoſi, vel illuminati, objectum ſibi medium totum ſimul illuſtrat.

Totum luminoſum, vel illuminatum in quolibet puncto medij, pyramidem ſui luminis terminat.

Cerebrum nullius extertioris ſenſus organum proprium eſt, ſed commune, ſpiritum ſcilicet organis ſenſuum exteriorum ſuppeditans.

Naturale augmentum omnibus partibus ex æquo convenit, nec ſolùm caro, ſed & oſſa, & reliquæ partes ſpermaticæ augentur: in præternaturali verò augmento atque incremento ſaltem caro augetur.

Hedera, volubilis, & aliæ ſimiles plantæ, vicinis omnibus, prout ſeſe offerunt, adhærent; talis eſt civilis amicitia, non enim quærit perſonam ſed commodum.

In Hypocratis juramento, medicus jurat ſe artè ſuâ, quia divina eſt, vſurum in omnium commodum, etiam hoſtium.

Manna quod ſtillant arbores, quarundam tantùm ejus feracium foliis inhæret; at quod à cœlo cadit ſuper omnes arbores, plantas, lapides, & vbique diffunditur.

Themiſtius in oratione ad valentem facundè diſſerit, Reges, quales exigit ſapientiæ regula, non vnius tantùm ſibi creditæ gentis habere rationem, ſed totius humani generis, & eſſe non φιλομακεδόνας, nec φιλορωμάιους, ſed φιλανθρώπους. Nec Macedonum, nec Romanorum ſed hominum amator. D

Fons qui ad ſolem Orientem erumpit habet aquas, omni ætati æqualiter ſalubres. Galenus libro 1. de Sanitate tuendâ. Maximè initio regiminis æqualis appareat ergà omnes affectus.

Ex Galeno partes principales dicuntur illæ, quæ ſunt neceſſariæ reſpectu conſervationis totius individui, vt ſunt cor, cerebrum, hepar; cæteræ quidem neceſſariæ, ſed partibus principalibus. Cor eſt regio ſpirituum in medio corpore, vt indè poſſint æqualiter ad omnes alias partes diffundi.

Luna media quodammodò eſt inter cœleſtia & terrena, habetque convenientiam cum omnibus planetis, vtque fortunarum habeamus influxum, debet cum illis eſſe benè configurata. Marſil. Ficin. lib. de vitâ cœlitus compar. c. 11. E

Cor tàm parvis, quàm magnis arteriis dat æqualem motum. *Vide Magnit. Æqual.*

Cerebrum, cum ſit principium ſenſus communis, nihil ſentit particulare; omne enim organum debet eſſe ſinè qualitatibus, quas debet percipere, vt oculus ſinè colore, auris ſinè ſono, lingua ſinè ſapore.

Duo pondera inæqualia ab eodem loco, eodem tempore emiſſa, æqualiter eodem tempore ad terram deveniunt, centro æqualiter trahente.

Materia habet æqualem appetitum ſinè vllâ determinatione ad omnes formas, non habitâ ratione perfectioris aut imperfectioris. Ruvio. 1. Phyſic. quæſt. 7. A

Dicunt chimici, quod cœlum, ſeù eſſentia eſt in omnibus vna, quodque cœleſtis virtus eſt æqualis in omnibus, & libera ſuam ad vnitatem redit.

Magiſtratus qui inquirit in alios, eſtque illorum cenſor, debet ipſe abſtinere a rerum adminiſtratione, vt ſit judex magis indifferens. Ariſt. lib. 6. Politic. cap. 27.

Si duo exercitus ſint rebelles, vtrique æqualiter eodemque modo providendum, alioquin magis commouetur is qui eſſet contemptus.

Duæ aures datæ à naturâ, poſſet vt hæc læſis, illa pateretis.

Medium debet eſſe indifferens. *Vide Verit. Medij.* B

Febres benignè ex æquo totum corpus exurunt. Galen.

Plin. natur. hiſt. lib. 2. cap. 63. Excuſat terram, communem matrem, quod omnium, etiam venenatorum ſemina æqualiter excipiat, & foveat.

Calor circumfuſus tàm bonos quàm malos humores evacuat, occultà tranſpiratione.

Plato 5. de Republ. Statuit pueros in communi educandos, ita vt matres ſuum non agnoſcerent partum.

Deus tutelaris Romæ non nominabatur, ne alij Dij ſpernerentur. Plutarch. probl. Roman.

Tribunus plebis non poterat eligi is cujus Pater eſſet ſuperſtes, vt nullum haberet particularem, cui faveret, erat enim datus pro auxilio populi contrà potentes.

Omne quod vides vnum eſt: natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum & ſociabiles fecit. Societas noſtra lapidum fornaci ſimillima, caſura, niſi invicem obſtarent. Seneca Epiſtola 96.

Apud Ægyptios ſi quis iter faciens, aut hominem à latronibus cædi comperiret, aut quamlibet injuriam perpeti, neque ſubveniret auxilio ſi poſſet, mortis erat reus. Diodorus ſicul. rerum antiquarum libro. 2. cap. 3. Ab omnibus exigebant officium. Legibus Romanis tenentur ſervi pro tutelâ Dominorum ex S.C. Sillaniano. *Vide Gloria Poteſtatis.*

Apud Babilonios ſi quis ægrotabat efferebatur in forum, vt alij cives hortaretur eos ad ea quæ ipſi faciendo effugerant ſimilem morbum; nec fas eſt cuiquam languentes prætetire ſilentio. Herodot. lib. 1.

Hinc jus ſacrum hoſpitalitatis. *Vide Concordantia Differentiæ:* & Legatorum. *Vide Gloria Medij & Medium Concordantiæ.*

Apud Athenienſes lege Solonis licitum erat cuivis injuriæ alteri illatæ vindictam perſequi, vt cives mutuis auxilijs præſtandis aſſuefierent; ideò quæ nam vrbs melius regeretur quærenti, illa, inquit Solon, vbi cives alterius damnum ſuum repetant. Plutarch. in Solone.

Notat Joſephus, lib. 2. antiquit. Judaic. quod Joſephus in Ægypto præfectus annonæ, etiam exteris populis annonam largiebatur, memor quod inter omnes homines antiqua & arcta intercedit parentela.

Genus vnivocè de ſpeciebus prædicatur. *Vide Æqual. Concord.*

Materia de ſe non determinatur ad aliquam formam: ei ex diametro oppoſitum primum movens, movet ad omnem formam, vt movens propinquum ad formam particularem.

Pater non habet certam qualitatem, ideò ſerva-

ciſſe; qui exponit liberos, cenſetur necare. *Vide ſuprà in Miſcellaneis hoc tit.*

VIRTVS. Inſita ſunt omnium mentibus virtutum ſemina, quibus ſol juſtitiæ non deficit, vt exſurgant. Fruſtrà ineſſet omnibus ſenſus Religionis, niſi adeſſet gratia offerens & lucem fidei, & ardorem charitatis.

VERITAS. Fides publicè prædicatur, pauperes Evangelizantur, lex divina generalis eſt, omnes obligat: at Deus præciperet impoſſibilia, niſi offerret gratiam, ſinè quâ lex non poteſt ſervari. Ad quid enim præcepta, ſi nullum ſit libertati arbitrium, ſi gratia nos aut reprobos prætereat, aut electos rapiat? ad quid lex, ſi non ſit vis & libertas illam ſervandi? ad quid pœnarum comminationes, & gloriæ propoſita præmia, ſi talibus mens liberè non moveatur?

GLORIA. Pro præmio non debetur, ſi nullum ſit meritum; nullum autem eſt meritum, ſi nulla ſit libera electio & ſi nihil ad opus bonum voluntas conferat: Quis hoc conciliabit cum infinita Dei bonitate, vt creet animam humanam, eam exponat peccatis ſinè gratiæ auxilio, & cruciet in æternum, pro peccatis quæ non potuit vitare. Quàm crudelis & injuſta nutrix, quæ infirmum cadentem puerum, ſuóque madentem ſanguine, eo quod illum non ſuſtentaverit, iterùm flagris dilaniet, ſuæque negligentiæ iterùm illi pœnas imponat. Melùs fuiſſet animas non creari, quàm certo hoc decreto, à ſciente & volente Deo creari ad peccatum & ad gehennam.

DIFFERENTIA. Vt ordo conſtituatur in animabus humanis, ſicut in Angelis, diverſi ſunt gradus gratiæ: ſed quemadmodùm in gloria omnes beati in diverſis ſuis manſionibus viſione beatificâ fruuntur; ſic in viâ omnes debent recipere auxilium gratis ſufficiens, quo ſubleventur. Sint aliquæ planiores, gratiores, magis compendioſæ viæ, omnes tamen debent ad deſtinatum tendere: ſic patet poteſt vni ex filijs ampliorem hæreditatis partem relinquere, dùm cæteris detur Falcidia, aut legitima, ſic enim non poſſunt movere quærelam inofficioſi teſtamenti, cùm neceſſitati proviſum eſt.

CONCORDANTIA. Omnes homines, vt in naturâ, ſic in Eccleſiâ vnum corpus efficiunt, ad cujus partes omnes, licet inæquales proportione, tamen ſufficiens influxus debet à Chriſto capite pervenire. In majorem enim vnitatem nos compaginare debet gratia quàm natura.

CONTRARIETAS. Dicunt hæretici Deum quaſdam animas à ſe creatas exponere peccatis ſinè vllo gratiæ auxilio; ſicut olim tyranni exponebant martyres mari & ventis, navigio, velis, remis, funibus, omnique apparatu deſtituto, ad certum naufragium.

PRINCIPIVM. Cauſæ vniverſales vniverſalem emittunt influxum in inferiora omnia, illius capacia: ſic cœlum ambiens omnia, nihil extrà vim ſuam patitur eſſe; ſic ſol luce ſuâ omnia illuſtrat; ſic pluvia æquâ, publicaque largitione effunditur, etiam ſuper ſteriles rupes & arenas; quod ſuum eſt, in pertinacibus etiam materijs, tentatura: In talibus natura præfert imaginem divinæ bonitatis, nulli nocivæ, nulli non beneficæ in lapideis etiam cordibus effuſæ. Ejus eſt conſervare, qui produxit. *Vide Durat. Principij.* Hinc naſcitur omnium animantium etiam ferarum ingens circà fœtus ſuos amor; cum autem à Deo ſit omnis paternitas, etiam in eo erit eminens paternus amor pro animabus, ad imaginem ſuam creatis.

MEDIVM. Generaliter in naturâ & politiâ, cum aliquid fieri conveniſt, dantur media ad illius conſecutionem neceſſaria. *Vide Bonitas Medij.* Vndè ſequitur ad ſervanda Dei præcepta dari gratiæ ſufficientes.

FINIS. Omnia ſibi convenientem ſinem aſſequuntur, ne ſint & agant fruſtrà. Cum autem creatur anima rationalis, & homo incipit vivere, motus eſt qui non quieſcit, niſi per gratiam pervenerit ad gloriam: non permittit Deus fidelis & omnipotens hunc motum irrito conatu in medio ſui concidere, omnia propter ſe fecit, circulum itaque vult in ſe claudere; & quàm produxit creaturam ad ſe redire; aliter ſuæ ipſius gloriæ, ſuis æternis decretis, ſuoque æterno amori foret contrarius.

MAIORITAS. Non diceretur fœlix culpa quæ talem meruit habere redemptorem, ſi redemptio ad paucos prædeſtinatos perveniret, ſi morbus eſſet remedio potentior & vniverſalior, ſi Chriſtus non eſſet pro omnibus mortuus, ſi gratias ſuas non effunderet, ſed eas paucis electis arcta manu ad invidiam largiretur.

ÆQVALITAS. Homines, vt minores læſi, & in vno omnes à ſerpente decepti, Chriſto mediante: reſtituuntur in integrum: laceratum eſt Chirographum quod contrà nos erat, inquit Apoſtolus, vndè hæc reſtitutio, tàm communem debet conferre gratiam, quàm fuiſſet communis originalis juſtitia. Æqualis omnium naſcentium ſtatus æqualem poſtulat Dei bonitatem, vt non deficiat in neceſſarijs, nec excludat à gratia, quos vitam largiendo ſibi ipſi obtulit gratificandos.

MINORITAS. Non eſt probabile tàm nobilem eſſentialem creari ad omnium peſſimam privationem, ſcilicet ad peccatum; & exiſtentiam, quæ glorioſi Dei ſpeciem refert, eſſe materiam æterni ſupplicij. Qui negant dari gratias ſufficientes, in id tandem deveniunt, vt ſimul negent dari peccatum actuale, quia nulla ſupereſt libertas, nulla ad præceptorum Dei obſervationem poſſibilitas. Cum credant ſe inevitabili fato ad pœnam aut gloriam rapi; aut deſperatione, aut perfidâ ſecuritate decreti ineluctabilis ſuis indulgebunt cupiditatibus, peribitque omnis morum & Religionis cura ſub hoc impio dogmate: imputant peccatum Deo, qui ſciens volens creat animas ad certum reatum, certamque damnationem, cum neget illis neceſſaria gratiæ auxilia. Defectus enim auxilij in eo à quo tantùm poteſt procedere, habetur quaſi poſitiva cauſa perditionis. *Vide Minoritas Bonitatis.*

ÆQVALIS ERGA OMnes aut plures affectus.

MISCELLANEA.

DE publicis largitionibus. *Vide Magnitudo Bonitatis.*

Affectus quorum voces & litteræ ſunt ſigna, ſunt ijdem apud omnes gentes.

Non oſtendat Princeps, cui potiſſimùm ex conſilianjs ſit addictus, aut quem præ alijs magnifaciat, ſed ità ſe getat, ac ſi haberet omnes æquales, alioquin libera non erunt judicia, ſed omnes ibunt in ſententiam ejus cui favebit.

Solon cum novam vellet civitatem legibus condere, tanto temperamento inter plebem & ſenatum egit, vt ab vtriſque parem gratiam traheret.

De communi affectu eorum qui regunt. *Vide Bonitas Poteſtatis. Voluntas Poteſt. Bonitas & Voluntas Principij.*

Anaximander dixit terram quieſcere, quia vniformiter ſe habet ad omnia circà ipſam; non eſt enim magis proclivis in vnam quàm in aliam partem.

Primùm mobile eſt concentricum mundo, cæteros cœlos æqualiter tapit ſol æqualiter vbique diffundit lucem.

Frigidum ex æquo congregat homogenea & heterogenea.

Eſt concoctio publica, quæ fit in ventriculo & hepate, hæc enim membra toti corpori alimentum præparant; & eſt privata, quæ fit in ſingulis partibus. Ad hoc referri poſſunt aliæ actiones, quæ ad totius corporis emolumentum inſtituuntur: qualis eſt ſpirituum vitalium generatio in corde, animalium in cerebro, ſic ventriculus duplicem habet cibi appetitum, animalem, quo incitatus alimentum toti corpori neceſſarium appetit; & naturalem, quo ſibi tantùm neceſſarium alimentum concupiſcit.

Quilibet punctus luminoſi, vel illuminati, objectum ſibi medium totum ſimul illuſtrat.

Totum luminoſum, vel illuminatum in quolibet puncto medij, pyramidem ſui luminis terminat.

Cerebrum nullius extertioris ſenſus organum proprium eſt, ſed commune, ſpiritum ſcilicet organis ſenſuum exteriorum ſuppeditans.

Naturale augmentum omnibus partibus ex æquo convenit, nec ſolùm caro, ſed & oſſa, & reliquæ partes ſpermaticæ augentur: in præternaturali verò augmento atque incremento ſaltem caro augetur.

Hedera, volubilis, & aliæ ſimiles plantæ, vicinis omnibus, prout ſeſe offerunt, adhærent; talis eſt civilis amicitia, non enim quærit perſonam ſed commodum.

In Hypocratis juramento, medicus jurat ſe artè ſuâ, quia divina eſt, vſurum in omnium commodum, etiam hoſtium.

Manna quod ſtillant arbores, quarundam tantùm ejus feracium foliis inhæret; at quod è cœlo cadit ſuper omnes arbores, plantas, lapides, & vbique diffunditur.

Themiſtius in oratione ad valentem facundè diſſerit, Reges, quales exigit ſapientiæ regula, non vnius tantùm ſibi creditæ gentis habere rationem, ſed totius humani generis, & eſſe non φιλομακεδόνας, nec φιλορωμαίους, ſed φιλανθρώπους. Nec Macedonum, nec Romanorum ſed hominum amator.

Fons qui ad ſolem Orientem erumpit habet aquas, omni ætati æqualiter ſalubres. Galenus libro 1. de Sanitate tuendâ. Maximè initio regiminis æqualis appareat ergà omnes affectus.

Ex Galeno partes principales dicuntur illæ, quæ ſunt neceſſariæ reſpectu conſervationis totius individui, vt ſunt cor, cerebrum, hepar; cæteræ quidem neceſſariæ, ſed partibus principalibus. Cor eſt regio ſpirituum in medio corpore, vt indè poſſint æqualiter ad omnes alias partes diffundi.

Luna media quodammodò eſt inter cœleſtia & terrena, haberque convenientiam cum omnibus planetis, vtque fortunarum habeamus influxum, debet cum illis eſſe benè configurata. Marſil. Ficin. lib. de vitâ cœlitus compar. c. 11.

Cor tàm parvis, quàm magnis arteriis dat æqualem motum. *Vide Magnit. Æqual.*

Cerebrum, cum ſit principium ſenſus communis, nihil ſentit particulare; omne enim organum debet eſſe ſinè qualitatibus, quas debet percipere, vt oculus ſinè colore, auris ſinè ſono, lingua ſinè ſapore.

Duo pondera inæqualia ab eodem loco, eodem tempore emiſſa, æqualiter eodem tempore ad terram deveniunt, centro æqualiter trahente.

Materia habet æqualem appetitum ſinè vllâ determinatione ad omnes formas, non habitâ ratione perfectioris aut imperfectioris. Ruvio. 1. Phyſic. quæſt. 7.

Dicunt chimici, quod cœlum, ſeù eſſentia eſt in omnibus vna, quodque cœleſtis virtus eſt æqualis in omnibus, & libera ſuam ad vnitatem redit.

Magiſtratus qui inquirit in alios, eſtque illorum cenſor, debet ipſe abſtinere à rerum adminiſtratione, vt ſit judex magis indifferens. Ariſt. lib. 6. Politic. cap. 27.

Si duo exercitus ſint rebelles, vtrique æqualiter eodemque modo providendum, alioquin magis commouetur is qui eſſet contemptus.

Duæ aures datæ à naturâ, poſſet vt hæc læſis, illa pateretis.

Medium debet eſſe indifferens. *Vide Verit. Medij.*

Febres benignè ex æquo totum corpus exurunt. Galen.

Plin. natur. hiſt. lib. 2. cap. 63. Excuſat terram communem matrem, quod omnium, etiam venenatorum ſemina æqualiter excipiat, & foveat.

Calor circumfuſus tàm bonos quàm malos humores evacuat, occultâ tranſpiratione.

Plato 5. de Repubi. Statuit pueros in communi educandos, itavt matres ſuum non agnoſcerent partum.

Deus tutellaris Romæ non nominabatur, ne alij Dij ſpernerentur. Plutarch. probl. Roman.

Tribunus plebis non poterat eligi is cujus Pater eſſet ſuperſtes, vt nullum haberet particularem, cui faveret, erat enim datus pro auxilio populi contrà potentes.

Omne quod vides vnum eſt: natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum & ſociabiles fecit. Societas noſtra lapidum fornaci ſimillima, caſura, niſi invicem obſtarent. Seneca Epiſtola 96.

Apud Ægyptios ſi quis iret faciens, aut hominem à latronibus cædi comperiret, aut quamlibet injuriam perpeti, neque ſubveniret auxilio ſi poſſet, mortis erat reus. Diodorus ſicul. rerum antiquarum libro. 2. cap. 3. Ab omnibus exigebant officium. Legibus Romanis tenentur ſervi pro tutelâ Dominorum ex S.C. Sillaniano. *Vide Gloria Poteſtatis.*

Apud Babilonios ſi quis ægrotabat efferebatur in forum, vt alij cives hortaretur eos ad ea quæ ipſi faciendo effugerant ſimilem morbum; nec fas eſt cuiquam languentes præterire ſilentio. Herodot. lib. 1.

Hinc jus ſacrum hoſpitalitatis. *Vide Concordantia Differentiæ*: & Legatorum. *Vide Gloria Medij & Medium Concordantiæ.*

Apud Athenienſes lege Solonis licitum erat cuivis injuriæ alteri illatæ vindictam perſequi, vt cives mutuis auxiliis præſtandis aſſuefierent; ideò rogatus vrbs meliùs regeretur quærenti, illa, inquit Solon, vbi cives alterius damnum ſuum repetant. Plutarch. in Solone.

Notat Joſephus. lib. 2. antiquit. Iudaic. quod Joſephus in Ægypto præfectus annonæ, etiam exteris populis annonam largiebatur, memor quod inter omnes homines antiqua & arcta intercedit parentela.

Genus vnivocè de ſpeciebus prædicatur. *Vide Æqual. Concord.*

Materia de ſe non determinatur ad aliquam formam: et ex diametro oppoſitum primum movens, movet ad omnem formam, vt movens propinquum ad formam particularem.

Palea non habet certam qualitatem, ideò ſerva

& calida & frigida.

Terra ſphærica eſt, quia omnia gravia ad ſimiles angulos feruntur.

Anima adeſt omnibus corporis partibus.

Cœlum ab omni parte terræ æqualiter diſtat.

Craſſus ſingulos cives & milites, etiam infimi ordinis propriis nominibus reſalutabat.

Arteriæ cordi proximiores, non plùs habent de corde: & venæ hepati proximiores, non plùs habent de hepate. Galenus. lib. de fœtum formatione.

In ſuperiores & inferiores partes æquâ ferè diſtributione dividuntur vena cavæ & magna arteria, aorta dicta. Idem lib. 6. de vſu partium.

Cutis omnibus membris commune operimentum exiſtit. Idem. lib. 8.

Æqualis erga omnes affectus in publica largitione. *Vide Æquitatis Bonit.*

Siccitas vtrumque & calorem & frigus intendit.

Sanguis in venis animalium non minùs carnes ſub illis ſitas nutrit, quàm ſuper illas.

In Indiâ celebre eſt lignum Parabum oleæ magnitudine, ſed craſſiſſimis & cruris magnitudine radicibus. Hæ res omnes ad ſe trahunt aurum, argentum, æs, cætera metalla, lapides, animalia; vnde & his fœliciter vtuntur aucupes, ex Cteſia in Indicis, refert Photius Bybliothecæ. cap. 72.

Si hinnulus equi parentem amiſerit, reliquæ in græge fœtæ educant orbum. Plin. lib. 8. cap. 42.

Civica corona eadem, nec dignior dabatur ſervato Imperatore quàm cive, quoniam conditores in quocunque cive ſũmum eſſe voluere. Idem lib. 16. cap. 4.

Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexi. Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem; vetera tranſierunt, ecce nova facta ſunt omnia. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit ſibi per Chriſtum. 2. Cor 5.

Cor noſtrum dilatatum eſt dilatamini & vos. 2. Cor. 6.

Dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Galat. 6.

Photius Biblioth. cap. 244. refert ex Diodoro Siculo lib. 34. Iudæis bellum illatum ab Antiocho, quia ſoli eſſent, qui cum cæteris gentibus nihil haberent commune, ſed omnes in hoſtiũ numero ponerent, nolentes cum eis cõmedere, nubere, nec eis benefacere.

Illos vocamus fratres, qui eodem editi ſemine, & eodem vtero geniti: Qui verò eundem habemus creatorem, & eandem matrem terram, è quâ conditi ſumus; & eandem animæ dignitatem, vnum pietatis & vitæ vinculum, & eandem futuræ vitæ ſpem, quomodò invicem non magis diligimus quam fratres aut ſorores: videns hominem, teipſum in eo vides, vnde ejus dolores tanquam proprios debes reſpicere. Photius in Biblioth. cap. 271. ex Aſterij ſermone de Samaritano vulneratum curante vt proximum.

Phaëton quaſdam orbis partes excuſſit factus illis vicinior, alias ſteriles reliquit, nimium ab illis recedens. Lucian. dialog. jovis & ſolis. Media & æqualis via optima.

Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus poſt mortem maximè laudatus fuit, ob inſignem munificentiam, quam vivens in pauperes exercuit, nec hæreticos quidem ab acipiendo excludens, cum opus haberent naturæ neceſſariis. Baron. 425.

Chriſtiani eripiunt è naufragio multos Indeos, quos impoſtor quidam in mare præcipites egerat, promittens illos ſicco veſtigio tranſituros in terram promiſſionis. Baron. an. 432.

Eccleſia colit vt martyres pios Sacerdotes qui ſe A manciparunt ſervitio peſte laborantium, etiam paganorum, Antiochiæ Valeriano & Galieno Impp. Vide Martyrologium Romanum vltimo Februarij.

Ignis igne extingui non ſolet: inhabitat oculis quidam ſtimulus, qui omnem formam ad ſe rapiens, nullâ ſatietate expletur. Lucianus dialogo Amores.

Tranſpicuitas in lapidibus, vt in vitro, fit ex æquali attenuatione materiæ.

Summi Sacerdotis erat proprium orare pro omnibus hominibus & creaturis. *Vide Medium Gloriæ.* Sacerdos orat pro populo.

Deprehendimus ſolem terrâ multò eſſe majorem, quia arborum multis millibus inter ſe diſtantium vmbras faciat æquales, tanquàm toto ſpatio medius: & quia per æquinoctium omnibus in meridianâ plagâ habitantibus ſimul fiat à vertice. Magnis animis nihil B magnum eſt, quod ſpecialem mereatur affectum.

Voluit Deus vt locus nulli enti ſit contrarius, ſed omnibus per ſimilis: dextrum, ſiniſtrum, &c. ſunt voces à nobis adſcriptæ diverſitati locatorum corporum, non ipſius loci ignis enim ſurſùm fertur, non quia fugit inferum locum, ſed inimicam terram. Campanella.

Gaudemus theatris, quia materiam exhibent exercendæ miſericordiæ, etiam pro extris & incognitis.

Quid non commune eſt, quod natura optimum fecit; ſol omnibus lucet, luna innumerabilibus comitata ſyderibus, etiam feras ducit ad pabulum; quid C à quis dici formoſius poteſt, in publico tamen manant, ſolus ergo amor, furtum potiùs quàm præmium erit quaſi non ſit bonum, niſi cui populus invideat. Petroni Satyric.

Vt lumen ſolis non poteſt dividi, claudi alicubi, à fonte proprio ſeparari. ſic Amor. *Vide ſuprà de Dei gratiâ.*

Virum bonum non plùs amabis divitem quàm pauperem lacerum quàm ornatum; vbi par eſt in vtroque virtus, non apparet aliarum rerum inæqualitas: vt apto nihil aptius, plano nihil planius, ſic honeſto nihil honeſtius. Seneca Epiſt. 66.

Vir bonus ſecedit vt quaſi omnium Rex Pater & D Iudex, omnium curum agat. *Vide ex Seneca infrà Poteſt. Vir.* Vir bonus eſt liber.

In communis animi contemplationem erecti ſingulos contemnimus, licet familiares. Ariſt. de divinâ ſapient. ſecundùm Ægyptios.

S. Sacerdos veſte myſticâ totum mundum præferebat, quaſi pro omnibus oraturus. Vide ſuprà hoc titulo Deus vult omnes ſalvos fieri.

Piſces cartilaginoſi, nullo diſcreto adipe carni, ventrive adhærente, pingueſcunt. Ariſt. Hiſt. animal. lib. 3. c. 17.

Ego terras omnes tanquàm meas videbo, meas tanquàm omnium: ergò ſic vivam tanquàm ſciam aliis me natum, & naturæ rerum hoc nomine gratias E agam: quo enim genere melius negotium meum agere potui? vnum me donavit omnibus, vni mihi omnes. Semec. lib. de vitâ beatâ. c. 20.

Zeno Stoicus tunc fœlices forè homines dicebat, cum ſub vnius imperium redigerentur, & populi nullis diverſis vtentes legibus quaſi vnius civitatis cives conviverent, vt vnicus eſt mundus. Sic Alexander omnibus præcipiebat, vt totum mundum patriam ſuam exiſtimarent; & ſuum exercitum quaſi illius civitatis munitionem: bonos omnes invicem parentes, ſolos malo exteros, græcoſque à barbaris moribus non patriâ diſtingui.

Thebani vt incorruptam juſtitiam ſignificarent, nec variari gratiâ judicum imagines, ſinè manibus & oculis poſuere.

Roma

Roma olim communis patria omnibus. Quidam omnibus domum & menſam offerunt apertam.

De ſocietate cum multis. *Vide Magnitudo Concordantiæ.*

Sapiens pro communibus bonis, gratiam habet Deo & Principi. *Vide Duratio Principij.* Concurſus Dei generalis.

ÆQVALIS PARENTVM amor erga liberos.

INter duos liberos, pari deſperatione languentes, da bonum patrem, non præponderabit alterutrum, non eliget, ſed vt incertum orbitatis evadat, ipſe morietur. Quintilian. declamat. 8. loquens contrà Patrem qui vnum ex geminis laborantibus permiſit interfici, vt alterius nota eſſet morbi qualitas.

Sol & Luna in quacumque parte fuerint cœli, æquè illuminant omnia & ſpectantur à cunctis, vt ea tanquam ſuis tantum regionibus lucere ſingoli populi credant, cum ſimiliter luceant vniverſis. D. Ambroſ. examer. l. 4. c. 6.

Numquid natura diviſit merita filiorum? ex pari omnibus tribuit, quod ad naſcendi atque vivendi poſſint habere ſubſtantiam: ipſa vos doceat non diſcernere patrimonio, quos vnculo germanitatis æquaſtis. Ibidem lib. 5. c. 18.

Idem lib. 2. de Iacob c. 1. loquens de Iacob qui prælatus eſt Eſaü: Hinc inquit excitantur odia fraterna, & de vilis fœnere nimio pecuniæ facinus parricidale componitur, eâdem foveat prolem menſurâ pietas; etſi amplior circâ blandiorem aut ſimiliorem capiat affectus, par debet circà omnes eſſe forma juſtitiæ. Plùs confertur dilecto, cui fratrum amor quæritur: plùs adimitur ei, qui prælationis injuſtæ oneratur invidiâ.

Iungat liberos æqualis gratia, quos æqualis fecit natura: quamvis non poſſimus auferre libertatem parentibus ne eos plùs diligant, quos credunt plùs mereri; nec filijs reſecare debemus ſtudium plùs placendi. Idem lib. de Ioſeph cap. 2.

Quæ ſunt eodem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Euclydes in comm. notionibus.

Prima pars æquitatis eſt æqualitas. Senec. Epiſtol. 30.

Nemo filium ſuum magis diligit, quia ſanus & procerus. Fœtus ſuos non diſtinguunt feræ, & ſe in alimentum pariter omnium ſternunt: aves ex æquo partiuntur cibos. Senec. Epiſt. 66.

Hirundines ficut & aves cæteræ in fœtu alendo ſummâ æquitate alternant cibum. Plin. lib. 10. cap. 33.

Parentes plùs amant & dicant hæreditate liberos, quorum geneſis cum ſuâ & parte fortunæ congruit. Ptolomæ. Prædict. Aſtrolog. lib. 4. cap. 6.

Homo non poteſt tollere jus primogenituræ à filio odioſæ mulieris, vt det filio dilectæ. Deut. 21.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

QVi direxit ſeipſum ignotum eſſe Patri vel matri pupilli, non propterea excuſatur à tutelâ. l. 15. §. 14. ff. de excuſ.

De publicâ largitione. *Vide Magnitudo Benitatis.* Fit omnibus æqualiter.

Si infans liber in ſervitutem trahitur poteſt eum etiam extraneus in libertatem vindicare, deficientibus qui eum vindicent. l. 6. ff. de liber. cauſ.

Interdùm in incertam perſonam voluntas Domini transfert rei proprietatem, vt is qui miſſilia jactat in vulgus, vult enim occupantem quem neſcit fieri Dominum. l. 9. §. 7. ff. de adquir. rer. dom.

Hoſpitalitas debet exerceri communi affectu ergà omnes indifferenter. can. quieſcamus. diſt. 42.

Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. l. 10. ff. de juſt. & jure.

Aqua ex flumine publico ad irrigandos agros ſecundùm menſuram dividitur, niſi alicui aliter ſit conceſſum. l. 17. ff. de ſervit. ruſt. prædior.

Si quis filio tutorem dederit, & plures filios habeat, omnibus dediſſe videtur. l. 16. ff. de teſtamen. tut.

Filius vt Patri, ſic matri furenti datur curator: Pietas enim parentibus, etſi inæqualis ſit eorum poteſtas, æqualis tamen debetur. l. 4. ff. de curator. furioſi.

Si quis plures filios habeat, & in teſtamento ſcribat, filius meus exhæres eſto, nullus habetur exhæredatus. l. 2. ff. de liber. & poſthu. hæred. quia non eſt cur potiùs in vnum quàm in alium cadat exhæredatio.

Plures hæredes inſtituti, ſi dubitetur pro quâ parte, in dubio intelliguntur æqualiter inſtituti. l. 9. §. 12. ff. de hæredib. inſtit.

In legato pluribus relicto, ſi partes adjectæ non ſunt, æquæ ſervantur. l. 19. ff. de leg. 1.

Subſtantia legati, vel fidei commiſſi in alterius voluntatem non poteſt relinqui, ſed electio perſonæ hæredi poteſt committi. l. 8. §. 1. ff. de reb. dub.

Communis paries cenſetur idoneus, ſi valet ſuſtinere vtriuſque ædificij onera. l. 56. ff. de dam. infecto.

Poteſt aliquis duobus locis habere domicilium, ſi vtrobique ità ſe conſtruxerit, vt non ideò minùs apud alteros ſe collocaſſe videatur. l. 6. §. vitis. ff. ad municipal.

Damnati ad ſupplicium non ſunt vi eximendi, datur tamen cuilibet facultas pro eis appellandi, ſi oppreſſa pateatur eſſe juſtitia. l. 29. Cod. de appell.

Sic ad recuperandam poſſeſſionem abſentis quilibet admittitur, etiam carens mandato. l. 1. Cod. ſi per vim abſentis perturbata ſit poſſeſſio.

Rerum publicarum vſus eſt communis, proprietas verò nullius. l. 5. & 6. ff. de diviſ. rer.

Debitor non ſolvendo, cum per legem Eliam Sentiam poſſit vnum ex ſervis manumittere, qui ei ſit neceſſarius hæres: ſi duos manumiſ., quorum vterque vocabatur Appollonius, neuter erit liber. l. 42. & 43. ff. de hæred. inſt. quia non præſumitur major pro vno quàm pro alio affectus, ſic ſibi obſtant.

Sic ſi inſtrumentum duobus agris ſerviat, neutrius erit, ſi non conſtet de contraria teſtatoris voluntate. leg. 12. §. 14. ff. de inſtit. vel inſtrument. legat.

Si quis de pluribus ſervis vnum manumitti voluit, nec apparet quis ſit nullus manumittitur. l. 28. ff. de reb. dub. l. 31. ff. de manumiſſ. teſtam.

In Eccleſijs non debent inſtitui clerici certæ originis tantùm, ſed vndecumque ſint, dùm tamen ſint idonei. cap. ad decorem de inſtitut.

Ad Epiſcopum pertinet providere vt res earum non vendantur tranſeuntibus hoſpitibus quàm indigenis. cap. placuit. de empt. & vendit.

De reditibus Eccleſiæ quatuor debent fieri partes; vna Epiſcopo, altera clericis fabricæ, & pauperibus. Can. quarto & ſeqq. 12. q. 2. Sic piorum Eleemoſynæ ad omnes perveniunt.

Epiſcopus non debet in domo ſuâ alere canes, qui latratibus & morſibus arceant adeuntes, quia domus

eorum omnibus debet patere. Concil. Matiſconen. 2. Can. 13.

Servus non ſtatim ad ſupplicium ducitur, qui accuſatus à Domino non deffenditur, ſed quilibet poteſt eum deffendere, & judex debet de ejus innocentiâ inquirere. l. 19. ff. de Pœn.

Impp. Honorius & Theodoſius Sexcentos parabolanos ſeu medicos inſtituerunt, qui debilium ægra corpora curarent Alexandiæ, eorum curam habebat Epiſcopus, & deficientibus alios ſubſtituebat. l. Parabolani. Cod. De Epiſcop. & clericis.

Apud Ægyptios medici ex publico victum ſumebant, vt ſic gratis poſſent omnibus adeſſe. Diodor. Sicul. rer. antiq. lib. 2. c. 3.

Abſentes poſſunt à quolibet deffendi, etiam ſinè mandato, dummodò id faciant boni viri arbitratu, & ſatis dent. l. penult. ff. de Procurat. & deffenſorib.

EX THEOLOGIA.

ACceptio perſonarum eſt attendere ad conditionem perſonæ, nihil facientem ad illud negotium. D. Tho. 1. q. 23. a. 5. ad 3. Eſt peccatum oppoſitum juſtitiæ diſtributivæ. 2. 2. q. 63. a. 5. Eſt gravius peccatum in re ſpirituali quàm temporali. 2. 2. q. 36. a. 2.

Deo eſt æqualis cura de omnibus ex parte Dei, non autem ex parte effectus. 1. q. 10. a. 2. ad 1.

Voluntas Dei eſt vna tantùm numero, licet ſit multorum volitorum. q. 19. a. 4.

Totum vniverſale adeſt cuilibet parti ejus, & ſecundùm eſſe, & ſecundùm perfectionem, & propriè prædicatur de parte ſuâ; Non autem totum integrale, totum autem potentiale aliquo modo. 1. q. 77. a. 1. ad 1.

In Eccleſijs non debent inſtitui clerici certæ originis tantùm, ſupra ex Iure.

Diſpenſatio importat commenſuratam diſtributionem, vel applicationem alicujus communis ad ſingula. 1. 2. q. 97. a. 4.

Forma ſubſtantialis eſt perfectio totius, & cujuſlibet partis ejus, non autem quælibet forma accidentalis. 1. q. 76. a. 8.

Reddere vnicuique quod ſuum eſt, eſt proprius actus juſtitiæ. 1. q. 21. a. 1.

Criſtus inter duos latrones crucifixus, vt oſtenderet omnem humani generis diverſitatem vocari ad Sacramentum paſſionis ſuæ. 3. q. 46. a. 11.

Magiſter Sentent. diſt. 18. loquens de hominis formatione dicit. Ideò vnum hominem à Deo formatum, & ex homine mulierem, vt dùm cognoſcerent ſe ab vno eſſe omnes, ſe quaſi vnum amarent.

Angelus cum neceſſariò ſeipſum amet, amat etiam neceſſariò alium Angelum ſecùm convenientem in natura: electivè autem amat in quantùm ab eo ſpecie differt. 1. q. 60. a. 5.

Baptiſmus æqualem in omnibus habet effectum. 3. q. 69. a. 8. Omnibus æqualiter aufert omnem culpam, & omnem pœnam. 3. q. 67. a. 3. q. 68. a. 2. ad 2. q. 69. art. 8.

EX BIBLIIS.

EX nimio amore Iacob ergà Ioſeph naſcitur fratrum odium. Gen. 37.

Aaron fert nomina duodecim tribuum Iſraël inſculpta in 12. lapillis, Sex ex qualibet parte: in Rationali, quod erat quadrangulum æquilaterale. Exod. 28.

Terra promiſſionis æqualiter dividitur, pluribus major pars, paucioribus minor. Num. 26.

Singulæ tribus mittunt exploratores. Num. 13.

Conſtructo tabernaculo ſingulorum tribuum duces offerunt munera. Num. 7.

Præda de Madian æqualiter dividitur inter eos qui pugnaverant. Num. 31.

Confitemini Domino, &c. qui dat eſcam omni carni. Pſal. 135. Suavis Dominus vniverſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Pſal. 144.

Ieſus diſcipulis volentibus illum retinere dicit, quià & alijs civitatibus oportet me Evangeliſare, ad hoc enim miſſus ſum. Luc. 4. Mater & fratres non poſſunt ad eum accedere præ turbâ. c. 8. illis foris ſtantibus, dicit Ieſus, qui facit voluntatem Patris mei hic mater & frater eſt. Luc. 8.

Ieſus ſtat in medio diſcipulorum, & dixit eis pax vobis. Luc. 24.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1. Vide ſuprà de Dei gratiâ, hoc titulo.

Chriſtus ſe dicit eſſe in pauperibus, vt omnibus quaſi ipſi eleemoſynæ fiant. *Vide Virtus Bonitatis.*

Qui deſpicit pauperem, exprobrat factori ejus. Proverb. 17. Qui præfert illi divitem habitu inſignem peccat. Nolite in perſonarum acceptione fidem habere Domini noſtri, &c. Vide Epiſt. Catholicam Iacobi. c. 2.

Fons aſcendit de terrâ, irrigans vniverſam ſuperficiem terræ. Gen. 2.

Civitas ſancta habet duodecim portas apertas, ſecundùm duodecim tribus Iſraël. Apoc. 21. Ex qualibet tribu ſunt duodecim millia ſignati. Et turbâ innumerabilium electorum ex omnibus tribubus & linguis & nationibus. Apocal. 7.

Petrus poſt viſionem quà juſſus eſt manducare immunda, poſt baptiſatum Centurionem, dicit. In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt ei. Act. 10.

Vnuſquiſque quod fecerit bonum, hæc recipiet à Domino; ſivè ſervus, ſivè liber, perſonarum enim acceptio non eſt apud eum. Epheſ. 6.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Rom. 5. Dilatamini & vos.

In charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, & latitudo, & ſublimitas & profundum. Epheſ. 3.

Chriſtus converſatur cum omnibus, etiam peccatoribus. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifaciam. *Vide Concordant. Minorit.*

Commendatur à Chriſto charitas Samaritani habentis curam vulnerari à latronibus & conculdit hunc illi eſſe proximum, licet genere & Religione alienum.

In naſcente Eccleſiâ baptiſatorum erat ſignum recepti Spiritus ſancti, quod, vt Apoſtoli, loquerentur linguis.

Samaritanus proximus judicatur eſſe Iudæo ſemivivo à latronibus relicto, ergà quem exhibet miſericordiam.

Paulus. Rom. 1. Romanis indiſtinctè teſtatur deſiderium veniendi ad ipſos, vt aliquid impertiatur gratiæ, & addit, Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Roman. 5.

Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. Rom. 12.

Si fieri poteſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ibid.

Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Ieſu, amen. 1. Cor. vltimo.

EX PATRIBVS.

NVllum bonum ſub exceptione perſonarum adminiſtramus, quia nobis præſtamus, qui non ab homine aut laudis, aut præmij expẽſum captamus; ſed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Tertulian. in Apologet cap. 3.

Nec juravit in dolo proximo ſuo. Pſalm. 23. Omnes proximis jurati ſumus, cum quibus in Eccleſiæ venimus vnitatem: & hæc profeſſio fidei Chriſtianæ, vt qui vivit non ſibi vivat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt. Ne mihi dicas ei vivam, ſed non tibi, quandòquidem ille non ſolum pro omnibus vixit, ſed pro omnibus mortuus eſt. Quomodò ei vivit, qui ſic negligit ab eo dilectos, & qui legem ejus non implet? D. Bernard. Sermon. in Pſal. 23.

Idem in parvis Serm. 25. dicit Evangelij prætioſam margaritam eſſe vnitatem, quam quiſque conſequi debet. Volo, inquit, vt in eâ quiſque ſic maneat, non quaſi vnus ex omnibus, ſed quaſi cum omnibus vnus.

Prodigus petit portionem, & bonum incipit velle dividere, quod in commune dulcius poſſidetur, & habere ſolus quod participatione non minuitur, partitione amittitur; diſſipavit enim bona ſua, vt junior, & minùs prudens. ex exod.

Amor differt à charitate vt genus à ſpecie, eſt enim amor bonus vel malus; Ipſe bonus charitas eſt, quæ extrà ſinuum amoris nullum valet relinquere, omnia complectitur, & continet vniverſa, atque, ſe erogat cunctis communem. Charitas eſt affectio mentis, brachiis amoris Chriſtum adſtrigentes; Charitas amor immenſus, cœlum terramque complectens: Charitas indiſſolubile vinculum amoris & pacis; Charitas eſt contemptus mundi & amor Dei; Charitas regina virtutum, ad nullus vitij manet occurſum, dotata ſanguinis Chriſti cenſu, in fronte vexillum bajulans crucis, vbique manet ſecura, &c. D. Bernard. Serm. 5. in Cœna Domini.

Charitas, etiam carnis neceſſitate non conjunctos amplectitur: de his dicitur; Extendens cœlum ſicut pellem, extenſum à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum: habet enim Eccleſia, etiam dum peregrinatur, cœlos ſuos, homines ſpirituales, vitâ & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos charitate, contemplatione ſuſpenſos? hi pluentes pluviam Verbi ſalutarem, tonant increpationibus, corruſcant miraculis, & enarrant gloriam Dei D. Bernard. Serm. 27. ſuper Cant.

Convertimini ad me in toto corde veſtro, &c. Scindite corda veſtra; & non veſtimenta veſtra; Spiritus Dei multiplex. Sap. 7. Non potes ſequi multiplicem ſinè multiplici ſciſſione, vt non cicâ vnum aliquod obſtinatior voluntas reperiatur. Vndè de peccatoribus dicitur, coagulatum eſt cor eorum. D. Bernard. Serm. 5. de Ieiunio.

In vno corpore ſumus, vnum caput habemus in cœlo; oculi noſtri non ſe vident, quaſi non ſe norint in campagine corporali, ſed in conjunctione charitatis ſe norunt, ſimul rem vnam intuentur, ſic omnis qui tecùm diligit Deum vnam intentionem habet, noli attendere quia in loco à te ſperatus eſt, aciem cordis ſimul fixiſtis in lumine veritatis. D. Auguſt. Tract. 6. in Epiſt. 1. Ioan.

Latum mandatum tuum nimis, inquit Pſalmiſta. Extende charitatem per totum orbem, ſi vis Chriſtum amare, quia membra Chriſti per orbem jacent; ſi amas partem, diviſus es; ſi diviſus es, in corpore non es; ſi in corpore non es, ſub capite non es: Quid prodeſt quia credis & blaſphemas? adoras illum in capite, blaſphemas in corpore; amat ille corpus ſuum, &c. Quod calas per compagem vnitatis pervenit ad id quod honoras, & plùs dolet de eo quod calcas, quàm gaudet, de eo quod honoras, quia quod honoras dolet pro his quos calcas. Ibid.

Multiplicetur charitas, vt oleum viduæ 4. Reg. 4. Talis eſt natura charitatis & vis amoris, vt erogando creſcat, & quantùm in aliis plùs expenditur, tantùm in ſe abundantiùs cumuletur. D. Auguſt. Serm. 266. de Tempore.

Ama non ſolùm ob ſimilitudinem naturæ, ſed etiam ob ſpem hæreditatis: fortè enim quem negligis, te ſanctior & beatior futurus eſt. ex eodem.

Dum creaturæ omnibus hominibus æqualiter ſerviunt, probant eos omnes loco vnius eſſe, eandem enim omnes habent cum Deo, & cum illis cognationem. Sunt medium, quod vt centrum in vnitate conſiſtit. G. Poſtellus in Theol. natur.

Mali, pecora, & equi habent inter ſe amorem conſuetudinis; Illa ſuperior eſt amicitia, quâ diligimus hominem propter mutuam benevolentiam, eſt & aliquid ſuperius & divinum: Incipiat homo amare Deum, & non amabit in homine niſi Deum. D. Auguſt. Homil. 38.

Beatus Domine qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te, ſolus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari ſunt, qui non amittitur. D. Auguſt. 4. Confeſſ. c. 9.

Epictetus dicit Philoſophum non debere nubere, vt poſſit eſſe non vnius familiæ, ſed omnium civium Pater.

Nullo modo fit minor accedente ſeù permanente conſorte poſſeſſio bonitatis, imò poſſeſſionem bonitatis tantò latiùs, quantò concordiùs, individua ſociorum poſſidet charitas; Non habebit denique iſtam poſſeſſionem, qui cum voluerit habere communem & tantò rem reperiet ampliorem, quantò ampliùs ibi potuerit amare conſortem. D. Auguſt. lib. 15. De Civit. cap. 5.

CHRISTIANVS ÆQVALEM habet ergà omnes charitatem.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Chriſtianus ſibi ipſi & mundo mortuus eſt, vndè ceſſant in eo rationes omnes amoris proprij, quæ proximi dilectionem augent aut minuunt. Vivit vitâ Dei, ſic indigentiæ ſuæ naturalis immemor, & in Deo dives, amat omnes æqualiter, excluſis ſingularibus conſiderationibus convenientiæ, quaſi nihil ſit ab illis accepturus, ſed tantùm vt effuſâ largitione ſit illis beneficus.

MAGNITVDO. Amat Deum ex toto corde ſuo, nulla creaturis ſervatâ à portione, quæ ad illum relationem & reſpectum non habet, vndè amat cæteros homines quaſi ad Deum pertinentes, vt æterni ſui amoris objecta, vt perfectionis ſuæ imagines, vt gloriæ

ſuæ futuros in cælo collaudatores. Sic ex arcto cordis humani ergaſtulo diffunditur in omnes amor, ſub divinæ charitatis, quaſi ſub formæ cujuſdam vniverſalis, imperio.

DVRATIO. Ex Apoſtolo, hic incipit eadem charitas, quæ in beatitudine perſeverabit: Chriſtianus ergo, vt cæli civis, vivit jam legibus æternitatis; in quâ nihil diſſonat, ſed omnium affectus invicem ſe fœliciſſimè complectuntur, divinâ conciliante vnitate. Hic amor, bonitatis eſſentialis contemplatione nixus, fit quaſi eſſentialis & immobilis, nec ſubjacet alterationibus accidentalis illius amicitiæ, ex fortunæ arbitrio volubilis.

POTESTAS. Videt omnes vt Domini ſui Dei colonos, & negotiorum geſtores, plaudit illis ſi rectè officio ſuo fungantur; monet, excitat, juvat opere & conſilio ſi deficiant, eadem ſemper ſibique pari charitate in diverſis miniſtris: hoc vnum quærit vt adveniat regnum Dei in terrâ ſicut in cælo, vt illi dominanti pareant omnes creaturæ, vt homines ad hoc libertatis privilegio non abutantur, vt qui fidi ſunt confirmentur, qui rebelles in obſequium reducantur.

COGNITIO. Hunc amorem rectè pinges oculis vitrâ obductis, quia non videt oculis humanis ea quæ ſenſibilem amorem conciliare ſolent, non pulchritudinem, divitias, non cætera fortunæ bona, vndè fit perſonarum acceptio; ſed fidei oculis ſcrutantur intimas naturæ & gratiæ dotes, agnoſcit in creaturâ rationali Domini Dei ſui inſignia, inter fucatas omnes mundi induvias, cùm agnoſcat Dei eſſe, ſcit colendam, ſcit in mundo civili, quaſi in extrema aliqua patria magno affectu excipiendam. Numquid poteſt dici, quod ſicut intelligentiæ & ſublimes animæ intelligunt, ſic amant per ſpecies magis vniverſales?

VOLVNTAS. Sic amplificatæ, ſic dilatæ divinæ charitatis beneficio voluntates, ſunt quaſi patentia hoſpitia, omnibus parata, omnes excipientia æquali benignitate. Integra voluntas, Deo ſacra, omnes amplectitur, nè divinas aliquas dotes in aliquo latentes inofficiosè prætermittat, & nè non amet quod Deus, vel ipsâ continuatione exiſtentiæ, probat ſe amare. Si ad conferenda beneficia deficiant fortunæ facultates, fervet, ex hac reſiſtentiâ ſe magis erigens affectus, ſcitque potiſſimum votis charitatem conſtare, & à Deo interiora ſpectante comprobari.

VIRTVS. Sic oſtendit ſe de quolibet bonam concipere opinionem; habere ſe oculos, quibus videat non defectus, ſed virtutes; Etſi tandem cogatur videre quæ non probat, delinit excuſationibus, quantùm fas eſt, totâ in infirmitatem naturæ rejectâ calumnia. Tunc oppreſſa ſentibus virtutum ſemina diligentius colet, ægriſque mentibus ſano ſemper, magiſque parato adeſſe conatur officio.

VERITAS. Virtutem mentitur hypocriſis, ſicut hanc præfert vera humilitas, quidquid ſit charitas non fallitur, omnes complectens vniverſali benevolentia, ad imitationem Dei, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos; Non ſedet judex reos convincenda, & damnatura, ſed egentibus, poſcentibus, imò nolentibus opem latura.

GLORIA. Vir bonus eſt miſeris omnibus patens aſylum: Vt centrum æqualiter recipit omnes ſeù directo, ſeù tranſverſo motu ad eum tendentes: In hac altâ, quâ fruitur, conſcientiæ pace, in hac beatitudinis prævia feſtivitate, ceſſant ex temporalium conſideratione orta diſſidia, omneſque integro affectu, quaſi ſolemni convivio excipit.

DIFFERENTIA. Ordinata quidem eſt charitas, & arctiùs complectitur quos novit Deo proximiores; variæ tamen illius dilectionis eadem eſt ratio; vt idem radius quem diaphana recipiunt, aut obſcura repellunt; eadem flamma quæ pervadit combuſtibilem, aut inutiliter lambit non cedentem materiam. In parvo & magno circulo eadem forma, licet non eadem quantitas; ſic factæ illius eſſentialiſque dilectionis vnicum motivum, vnica forma Deus.

CONCORDANTIA. Extrà zelum, extrà invidiam poſita eſt hæc communis ad omnes charitas. Fovet ſocietates, quas vt plurimùm turbat ſpecialis aliquorum, in communis fœderis injuriam, conſpiratio: omnes ſuſpiciunt & amant omnium amatorem, nè ſeipſos oderint, ſi non ament ipſos amantem. Sic affectus omnibus prodeſt, nullis nocet; & quaſi radius, ſic adeſt, vt impuris non miſceatur: Hæc eſt amicitia vſque ad aras, quæ Deo conciliante inita nihil illi contrarium, prophanum quæ admittit.

CONTRARIETAS. Diſplicet quidem primis iræ motibus pro ſe non armata, & in hoſtis perniciem non ſæviens poteſtas; ſed brevi ſibi reſtituta ratio, huic communi charitati applaudit & ſupplicat; quaſi æquiſſimo controverſiarum omnium arbitro, quaſi ipſi Iuſtitiæ & Aſtreæ terris reſtitutæ, ad jus ſuum vnicuique redendum. Illi favent omnes, quiſque enim mavult injuriam non inferre, dùm non patiatur, quia minùs eſt voluptatis in inferendo, quàm doloris in patiendo, vt probat Plato 1. de Republ. initio.

PRINCIPIVM. Primis Eccleſiæ temporibus credentium erat cor vnum & anima vna; Nihil quiſque proprium, ne quidem affectum habebat. Chriſto, charitatis origini viciniores puriores, ampliores que ejus rivos diffundebant, ad imitationem ipſius Chriſti, qui gratias ſuas omnibus offert: Et ſicut Planetæ in corde Solis vniverſalem ejus induunt vim; Sic omnes agunt vicem cauſæ vniverſalis, parato ſemper influxu in quælibet inferiora.

MEDIVM. Quæ ſunt diſſita, ſi videantur ſub linea rectâ, & vno viſibili radio, apparent non modo conjuncta, ſed vnum quid. Chriſtus eſt via, veritas, & vita; via recta, veritas vna & indiviſa, vita ſub vno dominante charitatis Spiritu, quaſi ſub vna forma.

FINIS. Intendit charitas Deum colere & quia non datur nunc illo frui, ipſum in omnibus ſuis colit: quod deeſt intenſioni conatur ſupplere per extenſionem, hac intentione Deo magis placendi, ſecura quod illi magis placet: Nunquam vacat ſic effuſa charitas, ſemper enim ſeſe offerunt, quibus officioſa occurrat.

MAIORITAS. Plùs eſt omnes propter Deum quàm aliquos diligere; charitas autem quod melius eſt, & quod putat Deo acceptius ſectatur; Non retrocedit, non conſiſtit, ſed vlteriùs ſemper progreditur, nunquàm infinito ſuo objecto, immenſiſque ſuis deſideriis ſufficiens.

ÆQVALITAS. Cum Chriſtiano præcipitur amare proximum ſicut ſeipſum, quilibet homo ſub nomine proximi intelligitur, ſub vnius proximi nomine omnes deſignantur, ne quid diſtinguat, & ad exemplum charitatis, quàm exhibet ſibi ipſi, qui non eſt à ſe diviſus & diverſus, vnum ſumus omnes in Chriſto & hæc æqualitas eſt vnitatis imago. Liceat vſurpare illud Stoïcorum, vnus mihi pro populo, & populus pro vno.

MINORITAS. Anima ſanguinem & Spiritus, ſervata proportione, per omnes corporis partes diffundit, abundantiùs tamen in ægros & oppreſſas, illiſque erogat, quod nobilioribus detrahit; Sic charitas adeſt indigentibus, ipſis etiam quos præterit, affectu officioſa, quia talia præſtaret, ſi talibus indigerent.

Digitized by Google

AMOR MVTVVS, SEV Redamatio.

MISCELLANEA.

QVi alium amat, quia pro ipſo agit & cogitat, in ipſo eſt, & vivit: Eſſe enim & agere convertuntur. Si amatus in amore non reſpondet, pentitus amans mortuus eſt: Si reſpondet talrem in ipſo vivit, vteſſim enim amantes ſe communitant & ſeipſum vtroque vtrique tribuit, vt accipiat alterum, imò habet ipſum vterque & habet alterum, hic quidem ſe habet, ſed in illo; ille quoque ſe poſſidet ſed in hoc: Equidem dùm te amo me amantem, in te de me cogitante me reperio, & me a meipſo negligentia mea perditum in te conſervante recupero. Mirum & hoc, nam poſtquam meipſum amiſi, ſi per te me reduno, per te me habeo, & ſi per te habeo te prius ac magis habeo quàm meipſum; tibi propunquior quàm mihi ſum; quippè cum mihi non aliter quàm per te medium inhæream. Vna duntaxat in amore mutuo mors eſt, reviviſcentia duplex: Moritur enim qui amat ſemel, cum ſe negligit; reviviſcit in amato, ſtatim cùm amatus eum atdenti cogitatione complectitur; reviviſcit iterùm, cum in amato ſe denique recognoſcit, & amatum ſe eſſe non dubitat: & ſeclicem mortem, quàm duæ vitæ ſequuntur. Marſ. Ficin.

Ideò redamatio juſta eſt, quia amatus quaſi homicida abſtulit animum amati, & ideò juſtè hic illi, & ille huic reddit animam, quàm accepit: vterque amando amando ſuam tradit, & redamando, per ſuum reſtituit alienam, qui ergo non redamat fur eſt, homicida, ſacrilegus: furatus eſt animum à quo poſſidebatur corpus, quod poſſidebat divitias: Amorem procreat ſimilitudo, quæ eſt natura quædam in pluribus eadem, nam ſi ego tibi ſimilis ſum, tu quoque es mihi neceſſario ſimilis: Eadem ergo ſimilitudo, quæ me vt te amem compellit, te quoque amare me compellit: Pateres amator ſe ſibi auferi, deditque amato, hunc ergo amatus tanquàm rem ſuam curat, ehariſſima enim ſua cuique ſunt: Accedit quod amans amati figuram ſuo ſculpſit in animo: fit, itaque amantis animus ſpeculum, in quo amati relucet imago; Ideòco amatus cum in amante ſe recognoſcat, amare illum compellitur. Idem in Convivio, Ficin.

Materia formas appetit, forma ſubſtantiales materiam, eui ſe applicent, appetit etiam formas accidentales, à quibus perficiatur. In animantibus ejuſdem ſpeciei, & inter parentes & prolem eſt correlativus amor: ſic pila in projectentem à pariete reflectitur, ſpecies à ſpecie, à quo & radij emiſſi in ſolem, quia in principium à quo emanant: ſi vocantur: ſic inferiores intelligentiæ in ſuperiores miro ordine efferuntur, cumillæ prilà in infimas mirâ benevolentiâ condeſcenderint, ac ſi radius ille rutilantis charitatis, qui deſcenderat, iterùm deſcendere velit. Alanus.

Vt par perficeretur, homo debetur pro homine, voluntas pro voluntate: Similis in gemmis fidibus, aut duabus citharis temperatio efficit, vt quoties vna pulſatur, toties moveatur & altera. Quando conſenſi quodam affiance Spiritu meumbus noſtris amor accenditur, ſemper amante altero: alter redamat, ſæpè altero cogitante, alter idem ſimiliter cogitat: Nam & coelitus noſtor cum tanquàm communis

A cunctorum cauſa complectatur, vtrumque mutuum amantium creat affectum: ſimiliter ab vno ſuperiore tracta in vnitatem ex diverſitate coeunt, quàm mitrunt ſui imaginem reflexam recipiunt, ſit Echo. Marſ. Ficin.

Ignis ignem accendit, ſic facem, amor amorem: vtrumquodque enim ſibi ſimile generat.

Quidam populi in tanciendis feederibus mutuum ſanguinem dederunt, quaſi fieret mutua animarum transfuſio. *Vide ſupra Durat. Voluntas.* De feederibus, & fide ſervanda.

Quæritur quis dignior ſit amor paſſivus, an activus; an melius ſit amari quàm amare. Qui affirmant melius eſſe amari, dicunt amorem hunc eſſe in laudem & teſtimonium meritiamati; qui amatur ſit Dominus voluntatis & bonorum amati; qui illi vt ſervus ſubditur. At contra aſſeritur melius eſſe amare: B Nam amare eſt beneficere, at beneficere eſt propriæ bonitatis effectus, ergo & amare; qui amatur inhil agit, qui amat bene agit; qui amat dat, melius autem eſt dare quam accipere, & alteri devinctum eſſe: amare eſt cauſa, quæ nobiliot eſt ſuo effectu, ſcilicet amari: Amare tantum poſſunt ratione prædita, quia amor præſupponit cognitionem, electionem, bonitatem; at etiam inanima poſſunt amari: Proprium eſt ſuperiorum amare inferiores, vt Princeps populum, Pater filium, tutor pupillum; inferiores autem dicuntur honorare, venerari, timere, obedire, &c. Si amatus habet vitæ, amans habet honeſtum, quod præſtat vtili: Amari pendet ab alio, amare autem a nobis, & inde laus; quod eſt intelligendum non de amore indigo, qualis eſt amatiorum quærens in alio quod non habet inſe, & ſe pro re concepitâ communans, ſed de vero amore, qui tantùm intendit beneficere, qualis eſt amor Dei erga nos: ſed cum in nobis vterque amor ſit mutuus, quia bonitati permixta eſt indigentia, non inſtituat amari, nili & amemus.

Caudelus eſt amatus non amans, vt frigidus filex emittit ſcintillas, cum in ſe ignem non ſentiat; quaſi tupes immota ad quam alludunt naves; quaſi exactor operum in tiremia, qui levos pœnæ onerat cathenis, quarum ipſe non ſentit onus: vt quiſ tentesta li artificio componunt, vt alios aquâ conſpergant, cum ipſi remaneant in ſicco.

Qui redamat debet ſuo amore nutrire alterius amorem, ſui progenitorem, vt Cyconia parentem. Plato in Alcibiade.

Mythus Veneris dicata, quia eius folia bina & bina, ſibi invicem ſuccedenna, reciprocantem amorem ſignificant.

Alterationis motus in animâ eſt, quando affectum & vitiam, & formam & actionem vel ſuperiorum vel inferiorum habet, quaſi facta jam altera. Marſ. ficin.

Amatio etiam in res inanimes conſertur; Amicitia autem eſt inter eos qui poſſunt redamare, eſt que conſilio conjuncta, & ab habitu proficiſſitur: tota in æqualitate conſiſtit, par pari referens, ſive eandem præſtet, ſive commutet, vt pro vtilitate voluptatem Maximè autem eſt inter bonos, qui fibi par pari referunt voluntate & genere. &c. Vide Arift. moral. lib. 7. c. 7. Quilibet amicorum debet munus & ex æquo amare & connoſcere ſe amari: vt autem non eſt idem Principi & ſubdito juſtum. ſed (cundùm proportionem: ſic in amicorum communicationibus habenda eſt ratio. Idem Moral. Eudemior. lib. 7. c. 9.

Amare plus movet ad amorem quam beneficia: quia qui ſeipſum dat pergmorem, dat totum quod habet, ſibique illi ſupereſt dandum.

Monſtrabo tibi amatorium ſinè herbâ, ſinè illius veneficæ carmine; ſi vis amari ama. Senec. Epiſt. 9.

In aulicis ars maxima conciliandæ Principis benevolentiæ amoris ſimulatio, quadam venere inſinuante officioſam gratiam, & pares affectus repoſcente: Sic ſummum Principis favorem meruit, qui lapſo ex equo & febriculâ laboranti, totâ nocte perculſo ſimilis inſomnis aſtitit.

Nihil repèritur apud nos, ſivè tangibile, ſivè ſpirituale, quod admotum igni non excipiat calorem: quædam tamen citiùs, alia tardiùs.

De mutuo puerorum & Delphinorum amore. Vide Plinium. lib. 9. cap. 8. vbi refert plura exempla puerorum in Delphinis per maria equitantium, vnum ex his Alexander Magnus Neptuni Sacerdotio præfecit, amorem illum numinis propitij fuiſſe interpretatus. Ibidem.

Pulchræ, vix caſtæ, quia à pluribus amatæ, plures redamant, vndè velis obducuntur. *Vide Cognitio Virt. Repug.* velata pulchritudo.

Qui non redamatur, torquetur pœnâ Tantali, cujus ora & manus expetitæ aquæ fugiebant.

Iupiter jubet Cupidinem torqueri, eo quod eum in varias formas mutaſſet, & tamen non fuiſſet redamatus. Lucianus dialogo. 4. Timon.

Fœminæ ſunt puberes anno 12. & citiùs quàm mares, non tantùm, vt dicunt Iuriſconſulti, quia exilia poma citiùs matureſcunt, ſed maximè eo quod tunc florente pulchritudine amantur, & debent redamare.

Oenomarchus ſophiſta videns pulchram tabellam; ô animata, inquiebat, pulchritudo, in corpore exanimi & quia tacens & frigidè amori ſuo non reſpondebat, illi imprecabatur. Philoſtr. in vitis Sophiſtarum.

AMICORVM OMNIA communia.

PRoverbium circumfertur, Amicorum omnia communia, rectè admodùm, in ſocietate enim & communione poſita eſt amicitia, ſunt autem fratribus & ſodalibus omnia inter ipſos communia, reliquis autem certa quædam & diſtincta, aliiſque plura, alijs paucioratnam & amicitiæ aliæ magis, aliæ minùs ſunt amicitiæ; differunt autem & jura, &c. Ariſtot. Moral. lib. 18. cap. 12.

Qui ſe integrum amico dedit, bonis ſuis non parcit. *Vide Magnitudo Bonitatis.* & de gratitudine. *Vide Æqualitas Bonitatis.*

Tria ſunt amoris indicia, de ijſdem rebus lætari & triſtari, amicorum commoda & incommoda ſua exiſtimare, & eoſdem amicos & inimicos, habere, vt ferrum magnete tactum aliud trahit.

Audita eſt vox turturis in terrâ noſtrâ. Cant. 2. Communem dicit terram; amor enim neſcit diſtinctionem dominij. ex. D. Bern.

Chilon dicebat ſic amicum ama quaſi futurum inimicum, & ſic inimicum odi quaſi futurum amicum, quod verum eſt in communibus; non in veris amicitijs, in quibus omnia communia, imò vna: nam vt nemo ſibi debitor eſt, nec quiſquam ſeipſum beneficio afficere creditur; ſic cum amicus ſit alter ego, ipſo amicitiæ titulo jus habet in omnia mea, quæ ſua ſunt; vndè ceſſare debent dati & accepti rationes, gratiarum actiones, & ſimilia quæ decent extraneos.

Caſtor & Pollux duo fratres, quorum vnus immortalis, alter mortalis, alterna vitâ & morte ſibi ſuccedebant.

Tertul. in Apolog. dicit apud primos Chriſtianos omnia indiſcreta fuiſſe, præter vxores.

Illud in amicitiâ, præcipuâ religione cuſtodiendum eſt, vt quemcumque exitum habuerint amici negotia, eundem tuis eſſe ſtatuas, ne illi obſignata arca, ne clauſa mens, ne corpus ad laborem tardum elangueat, vt mutuo ſolatio, qui maximus eſt amicitiæ fructus, penitiores audas curas in fidos ſinus effundere Barclai.

Epiſtolas ad me perferendas tradidiſti, vt ſcribis amico tuo; deindè admones me, nè omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia nec ſoleas ipſe quidem hoc facere; Ità eandem epiſtolâ ipſum dixiſti amicum, & negaſti. &c. Tu omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs: poſt amicitiam credendum eſt, antè amicitiam iudicandum: cum placuerit in amicitiam admittendus, toto illum pectore admitte, tàm audacter cum illo loquere quàm tecum. Tu quidem ità vive, vt nihil commiſeras, niſi quod committere etiam inimica poſſis, cum amico omnes curas omnes cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaveris, facies; nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & alijs jus peccandi ſuſpicando fecerunt Seneca. Epiſt. 3.

MVTVVS AMOR coniugum.

PRimum leges ſint viro ad vxorem, & injuria ceſſet, ſic enim nec ipſe injuriam patietur; eſt autem vir injuria extraneorum mulierum coitus. Ariſt. œcono. lib. 1. c. 4.

Nihil magis ſuum eſt vxori, nec magis illi à viro præſtandum, quàm ſancta & intemerata ſocietas: qua propter non decet hominem ſanæ mentis, vbicumque contigerit ſemen exponere. Ib. lib. 1. c. 2.

Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. 1. Cor. 1. 7. Invicem ſibi debitores ſunt, ne peccandi detur occaſio, D. Ambr. ſuper dict. loc.

Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas; neque enim adultera vxor dimittenda, & vir mœchus retinendus; aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ leges Chriſti; aliud papinianus, aliud Paulus noſter præcipit; apud illos viris impudiciæ fræna laxantur; apud nos, quod non licet feminis, æquè non licet & viris, & eandem ſervitus pari conditione cenſetur. D. Hieronm. ad Oceran. Epiſt. 30.

Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum; omne ſtrupum adulterium eſt, nec viro licet quod mulieri non licet, eadem à viro quæ ab vxore debetur caſtimonia. D. Ambroſ. de Abraham. l. 1. c. 4. &. lib. 2. cap. 11.

Chriſtianus vxori ſuæ ſoli maſculus naſcitur. Tertul. in Apologet. c. 46.

Lex Decalogi expreſsè virum nominat, non concupiſces vxorem proximi tui. Cum honoratior exprimitur, multò magis fœmina id ſibi præceptum eſſe intelligere debet D. Auguſt. quæſt. 71. ſuper Exod.

Tota inæqualitatis ratio in hominum opinione aut tyrannyde poſita eſt, infideli non debetur fides; bibat prior partem calicis qui cogit ad bibendum. Eadem debet eſſe virtus viri & mulieris, ſi enim vtriuſque eſt vnus Deus, vtriuſque etiam vnus eſt pædagogus, vna Eccleſia; vna modeſtia & verecundia;

quorum est vita communis, communis gratia communis salus, eorum quoque communis est dilectio & educatio; Apud Deum non est discretio sexus & personarum; in cœlo non habetur ratio mariti & vxoris: Ecclesia cœlum præmium non masculo, aut fœminæ, sed homini proponitur: viris autem & mulieribus, hominis nomen commune est. Clemens Alexa. lib. 1. pædag. cap. 4.

Reddite quod exigitis, qui fortior est prior vincat, fœmina pugnat & vincit, tu qui fortior es hosti succumbis, stat corpus, & caput jacet. D. August. Serm. 46. de Verb. Dom.

Non multùm matrona abest à vilitate servarum, vbi pater familias ancillarum maritus est. Salvian. lib. 7. de guber. Dei.

Vltimum est nuptæ malum, palam mariti possidens pellex domum. Seneca tragic. in Agamemnone.

Lex tamen Iulia mulieres de matrimonio violato quæri non posse declarat. l. 1. Cod. ad l. Iul. de adult. Ratio disparitatis est, quia vxore delinquente partus illegitimus bona occupat, ideò de crimine adulterij transigere non licet. l. 18. C. de transact. qui non mariti tantùm, sed aliorum interest. Vide Aul. Gellium. lib. 10. c. 23.

Lacedemonij Venerem in vinculis colebant, quo innuerent firmam esse debere conjugum fidem. Pausanias in Laconicis.

De perpetuâ conjugum concordiâ. *Vide Duratio Concordantiæ.*

Si Polypi fœmina tridente feriatur, mares auxiliantur, hanc detrahentes; sin autem capiantur mares, fœminæ diffugiunt. Athenæ. lib. 7. cap. 36. Mares in illis plus amant. Plin. lib. 9. cap. 29.

Apud Persas Regina multarum pellicum copiam perpetitur, quia Rex velut Dominus imperat vxori. Idem lib. 13. c. 1.

D. August. lib. 2. de adulter. conjug. c. 8. laudat summoperè Antonini Pij Imperatoris legem æquissimam, quâ sanxit ne maritus posset accusare vxorem adulterij, si ipse impudicè vivere. Sic Vlpian. l. miles. §. judex. ff. ad l. Iul. de adulter.

Columbarum imperiosi mares, subindè etiam iniqui, quippè suspicio est adulterij quamvis natura non sit. Plin. lib. 10. cap. 34.

Vxores viris suis subditæ sunt, sicut Domino: viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ, vt illam sanctificaret, &c. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua: qui suam vxorem diligit, seipsum diligit; nemo enim carnem suam vnquam odio habuit, sed nutrit & fovet eam. Ephesi. 5.

MVTVVS DEI, & hominum amor.

QVem magis debes amare quàm eum, à quo habes vt ames? charitas enim est à Deo. *Vide suprà Principium Voluntatis.*

Amicitia ergà Deum in excellentiâ est posita, quia enim esset vitæ fructus sine illo, cujus præsentiâ omnes labores redduntur leviores. Est etiam in æqualitate posita, omnibus enim æqualis ille videtur, qui super omnia eminentissimus constitutus; omnibus similis, qui propriæ similitudinis specie, nemini consentus; sed communi; perinde atque vniversalis notio omnes complectitur particulares notiones: Per omnia ergo, & in suos diffusum vnum stringamus, est loco paren-

A tis, amici, sponsi vera & sincera virtus. Alanus Varenius. lib. de amicitiâ. Si animos conciliant beneficia, amemus summè beneficum.

Quid diligendum diligitur, si ipsa dilectio non diligitur? D. Aug. in Ps. 118.

Quomodò relinquemus eum à quo nunquàm nisi in causâ ipsi fuerimus, dimittimur? quomodò ingrati ergà ipsum, circà nos sic beneficum, ac si æterno fœdere nobis esset devinctus, obnoxiusque? Sicut Deus liberali exuberantique vtitur amore, ità nostra incendia sint fœcundissima oportet: licet par reddere non possimus, nos tamen totos exhibeamus, nihil in eum præstabilius conferre possumus, quàm vt nos in eum, vt ipse ergà nos contulisse videamus: erit quidem optima hæc nobis commutatio, vt finiti boni B loco infinitum immensumque recipiamus: ergò immenso, & immortali amore immensus & immortalis est amandus. Mutuo hoc contubernio, æternus æternos efficiet, vt potest suo amore quos vult reddere dignissimos; nihil ergò nobis verendum est, &c. Homines amicos quales inveniunt diligunt, bonos enim non efficiunt: at Deus bonorum omnium largitor amando, bonos efficit. Deus amore & honore dignus mavult tamen amari quàm honorari, quia honor est propter aliud, amor propter seipsum; & vt accipit quod illi magis placet, dat etiam quod nos magis perficit, &c. Alanus Varenius.

Æternè & fœliciter vives, æternum & beatum C amando. Idem. *Vide Gloria Voluntatis.*

Quomodò stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dùm saporem vini induit & colorem; quomodò ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, propriâ formâ exutum; & quomodò solis luce perfusus aër, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tàm illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: sic omnis affectio humana liquescit Deum diligentibus. *Vide Magnitudo Volunt.* Amor Dei integer. *Et Potestas Voluntatis.* de amoris transformatione.

Calix quem bibisti Domine, totum nostrum amorem facilè sibi vendicat: hoc est quod nostram devotionem, & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. D. Bern.

Martyres impendunt vitam pro Christo, qui pro ipsis mortuus est. *Vide Dignitio Virtutis.* de Martyrij excellentiâ.

Ecce nos reliquimus omnia, inquit Petrus; non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est omnia reliquisse, nam & simul cum eo donantur omnia, & vbi apprehenderis eum, erit vnus omnia in omnibus, his qui pro ipso omnia reliquerunt, &c. D. Bernard.

Cum bono bonus eris & Ps. 15. Dominus pars hæreditatis meæ. Magna res fratres, & hæreditas ipsius sumus, & hæreditas nostra est, quia & colimus eum, & colit nos: nulla est injuria illi qui colit nos, quia si nos colimus illum vt Deum nostrum, ille colit nos vt E agrum suum: dicit enim Ioan. 15. Ego sum vitis, vos palmites; pater meus agricola est, si fructum tulerimus, parat horreum, &c. D. August. sermo. 34. de verbis Domini.

Si quis diligit me sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 4.

Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo, cum non verbo solo vt fecit refecit, sed ob id dura & indigna pertulerit, quid ergò retribuam Domino? Datus ergò & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro se? nam etsi millies me rependere

poſſem ; quid ſum ego ad Deum ? D. Bernard. de dilig. Deo.

Ita dico , ſacer intrà nos ſpiritus ſedet , malorum bonorumque noſtrorum cuſtos : hic prout à nobis tractatus eſt , ità nos ipſe tractat. Bonus vir ſinè Deo nemo eſt. Senec. Epiſt. 41.

GRATIARVM ACTIO de acceptis à Deo beneficijs.

Vide Æqualitas Benitatis.

VBi fuerit ingratitudo , non invenit acceſſum gratia , cum jure perditum reputetur quod datur ingrato ; ſi aliud non potes , dic cum jubilo , illud pſal. 115. quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

Laus hîc Deo dicta iter eſt ad eternam laudem, ſinè fine manſuram ; ſimilitudinibus enim conſcenditur, non diſſimilitudinibus , & aſcenſiones noſtræ in candorem æternum ſunt per gradus eburneos ; deducit pari ratione in pulchritudinem pulchritudo , in probitatem quædam probitas ; & quis magis laude dignus , quam qui hæc noſtra laudatio, quæ non tàm laudatio eſt , quàm pro peccatis expiatio ? Ideò Propheta dicebat , Benedicam Dominum in omni tempore ; qui ſemper Dominum habebat preſentem, non poterat non laudare : intempeſtivè etiam id faciebat, Mediâ nocte ſurgebam : Exurge gloria mea , exurgo pſalterium & cythara , exurgam diliculò.

Egreſſo populo Iſrael de Ægypto , jubet Deus, cum feſtinatione immolare paſcha quod interpretatur tranſitus ; quandò in hæſitanter cum ſummâ alacritate mens ab affectibus continuato curſu tranſmigrat ad gratiarum actionem , pro ſalute acceptâ à Deo , qui nec opinantem vindicavit in libertatem, &c. Philo judæus lib. migra. Abrah.

Gen. 21. Sara parit Deo filium.

Egredienti Abrahamo de terrâ ſuâ apparuit ei Dominus in Sichem, & in convalle illuſtri , & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc ; ædificavit ibi altare Domino , qui apparuit ei , & invocavit ibi nomen ejus. Gen. 12.

Quid retribuam Domino ? ſemper laus ejus in ore meo. Pſal. 33.

Cum mens ex Deo appetit fœtum maſculum , divinam progeniem , ex viſione Dei vt opinatur conceptam Sara, pia anima , in ſenectute ſuâ, cum quidquid eſt ſenſibile & mortale marceſcit ; rèpubeſcunt autem intelligibilia & immortalia ; ſinè obſtetrice, ideſt ſinè humanâ induſtriâ & ſcientiâ. Hunc filium Abraham Deo offert in monte. Mens enim initiata pendit vectigal perfecto Deo , legis autem obſervatio eſt tributum Deo præſtandum. &c. Philo. lib. de migrat. Abrahami.

Exod. tot. cap. 12. Deus beneficiorum ſanctum gratitudinem commendat.

Nullius rei jucunda eſt poſſeſſio , niſi illius adſit cognitio , vndè non gaudet ſol , luna, roſa. &c. de ſuâ pulchritudine , ſoli homini , tàm ſui quàm cæterarum rerum cognino competit, ergò ſeipsâ & alijs rebus fruitur ! hoc ex alio accepit , ex dato autem & accepto oritur obligatio naturalis. Ergò & ipſe tàm pro ſe, quàm pro alijs creaturis , quæ ipſi famulantur, gratias debet Deo, cùm videat cæteras creaturas, non pro ipſi ſed pro ſe accepiſſe quod habent, & quod non norunt. Ideò omnis creatura tibi clamat , facta ſum propter te, vt ſervias illi qui fecit me; ſi pro alijs obligatur , multo magis pro ſeipſo , qui nobilius eſſe accepit. Guillem. Poſtellus Theolog. natural. tit. 96.

Clem. Alexand. lib. 6. ſtromat. c. 8. dicit ſub præcepto Decalogi contineri etiam eos fures , qui Deo debitum honorem negant , quique ſibi aliquid imputant.

Deus vocatur Elohim , à verbo Elim , quod eſt ligare ; quia per beneficia obligat hominem ad gratiarum actionem.

Nullum Deus confert beneficium niſi ſub lege gratitudinis. Paſcha inſtitutum in memoriam liberationis ex Ægypto. Manna, & Virga in arcâ ſervabantur: Sic inſtitutæ omnes Iudeorum antiquæ, & novæ legis ſolemnitates.

Patriarchæ imponebant filijs nomina in memoriam accepti beneficij. Sic Eva. Gen. 4. Liâ Geneſ. 30. Ioſeh. Gen. 41. Moyſes & alij.

Sis ſemper memor ejus qui tui nunquàm eſt immemor.

Magnas haberes gratias ei , qui tibi membrum, aliquod reſtituiſſet , Deus corpus & animam dedit; quanta contulit ad ſuſtentationem , eruditionem, delectationem : Mortua eſt affectio , quæ tot beneficijs non reſpondet , quæ ſe totam non effundit ingratiarum actionem. Fecit te Deus tuus, fecit tàm multa propter te , fecit & propter te ſemetipſum , verbum caro factum eſt , & habitavit in nobis , quid adhuc reſtat ? factus eſt ipſe tecum caro vna , te quoque ſecum fecit ſpiritum vnum ? his quaſi ſtimulis excita, quaſi facibus incende animam tuam. D. Bernard.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Pſal. 35. plures enim cumulos miſerationum ſuarum injecit tibi Deus , ob quos illi multipliciter devinctus es ; te creavit , poſtea redemit : quidquid ergo es , debes creanti , redimenti , vocanti. Idem.

Flumina ad mare vndè procedunt revertuntur , vt iterùm ad vſus noſtros infatigabili erumpant obſequio : ſic remittatur ad ſuum principium cœleſte proſluvium , quo vberiùs terræ refundatur ; qualiter inquis ? qualiter dicit Apoſtolus. 1. Tim. 5. In omnibus gratias agentes ; quidquid ſapientiæ, quidquid virtutis habere confidis , Dei ſapientiæ & Dei virtuti deputa Chriſto. D. Bernar. Serm. 13. in Cant.

Deus, dùm creato homini ſpiraculum vitæ infudit, ſtatim quaſi in ejus arce vim memorialem collocavit, vt creatoris ſemper bonitatē & potentiam memoraret; ſtatimque memoria de ſe genuit rationem, & memoria & ratio de ſe protulerūt voluntatem, ad exemplum ſpiritus ſancti , qui procedit à Patre & filio : Vt ergo Deo in hæreret creata in homine rationalis anima , memoriam ſibi vindicat Pater , rationem filius , voluntatem ab vtraque procedentem ab vtroque procedens Spiritus ſanctus: Ecce quibus orta natalibus voluntas , cujus nativitatis , cujus adoptionis, cujus dignitatis cujus nobilitatis. D. Bernard. lib. de natura amoris divini.

Tres præcipuæ in Deo notantur perfectiones, Bonitas , quâ nobis eſt Pater , & huic reſpondemus per amorem ; Potentia , quâ eſt noſter Dominus, & huic reſpondemus per timorem. Denique , Sapientia quâ regit vt doctor & magiſter ; quæ à nobis exigit honorem & obſequium.

Deus eſt quaſi Princeps , qui magno pretio à ſubditis emeret , quod jure ab ipſis poſſet exigere, Primo Iſraelitis dedit primogenitos , cum deterrentur in Ægypto, quam eos ſibi offerri præciperet.

Expectavi dominum & erudivit me , eduxit me de lacu miſeriæ (ſcilicet ingratitudinis) & immiſit in os meum canticum novum , carmen Deo noſtro. Pſal. 39. Magnum

39. Magnum Dei beneficium poſſe Deum laudare. A

Opus tuum ſit laus Dei: eructet cor tuum verbum bonum. D. Auguſt.

Quid retribuam Domino? Si de tuo retribuis, peccatum retribuis; omnia enim quæ habes, ab illo habes, ſolum peccatum tuum eſt; terra réddit agricolæ quod ſeminavit, ſi de ſuo, dat ſpinas, dat & tribulos. Idem in Pſal. 102.

Cantabo Domino in vitâ meâ, &c. pſallam Deo meo quandiù fuero: quid cantabit? totum quidquid eſt, cantabit; vita noſtra modo ſpes eſt, poſtea æternitas erit: pſallam Deo meo quandiù ſum, quoniam in illo ſine fine ſum. Idem in Pſal. 103.

Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me B juſtificationes tuas. Pſal. 118.

Gratias agamus de acceptis, & de his quæ nondùm accepimus; nam eo ipſo quod de acceptis ingrati non ſumus, nos accepturos eſſe fidamus. D. Auguſt. lib. de bono viduit. cap. 17.

Antiquiſſimus mos eſt, vt à naufragio, aut aliquo caſu liberati, in templis tabulas appendant caſum repræſentantes, ad perpetuam rei memoriam. Vide Baron. ann. 57. num. 176.

Cyrus adepto Babiloniæ imperio, in gratiarum actionem populum Iſraël in ſuâ libertate manumiſit, hæc dicens, omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalem. Quis eſt in vobis de vniverſo populo ejus, ſit Deus illius cum ipſo, aſcendat in Ieruſalem, & ædificet domum Domini Dei Iſraël. Eſdr. 1. C

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus. Pſal. 115.

Elcana offert Deo hoſtiam ſolemnem, poſtquàm Anna vxor ſua peperit. Samuelem. 1. Reg. 1. Anna eum offerens canit Canticum. Exultavit cor meum in Domino. 1. Reg. 2.

Vos eſtis lux mundi, &c. Facite bona opera veſtra coràm hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Math. 5.

Paſſim recenſentur ea quæ Deus fecit pro populo Iſraël. *Vide Gloria Principij.*

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi. Pſal. 12. D

Os meum annuntiabit juſtitiam tuam, totâ die ſalutare tuum. Pſal. 70.

Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt. Ibidem & Pſ. 88. Miſericordias Domini in æternum cantabo.

Chriſtus dicit viro, à quo multa Dæmonia ejecerat, Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Luc. 8.

Venite, audite, & narrate omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Pſal. 65.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam. Pſ. 70. E

Altare & Eccleſia conſecrantur multiplici ratione, maximè tamen ad repræſentandum ſatisfactionem, quàm Eccleſia conſequuta eſt per paſſionem Chriſti. D. Tho. 3. q. 83. a. 3.

Paſcha celebrabatur menſe primo, ad commemorandum beneficium liberationis ex Ægypto, & ſignificabat paſſionem, & reſurrectionem Chriſti. 1. 2. q. 115. a. 2.

INGRATITVDO ERGA Deum.

ISay. Cognovit bos præſepe Domini ſui, populus autem meus me non cognovit.

De novem leproſis, qui ſanati gloriam Deo non dederunt. Luc. 17.

Populus Iſraël idolum adorat, tunc cum Deus ſcribit illi legem. Exod. 32.

Eâ nocte quâ Chriſtus dat corpus ſuum in Euchariſtiâ Iudæ, ab eo traditur. Ideò Paulus. 1. Cor. 11. notat tempus. In quâ nocte tradebatur, &c.

In propria venit, & ſui eum non receperunt. Ioa. 1.

Templi Iani portæ Romæ belli tempore apertæ erant, tempore pacis clauſæ. Vitato periculo ſanctus contemnitur.

Vt malus debitor, quandò accipit gaudet, quandò reſtituendum eſt plorat, vt accipiat precatur, ne reddat calumniatur.

Flet Chriſtus ſuper Ieruſalem, quæ non cognovit tempus viſitationis ſuæ. Luc. 19.

Tradit ſapientes mundi in reprobum ſenſum, quia non benè vſi ſunt ſuâ cognitione. Rom. 5. Exprobrat Iſraëlitis ingratitudinem poſt multa miracula: ſtatim ſcandaliſantur, cum aliquid deeſt in deſerto. Deut. 5. Prodigus relicto Patre abit in regionem longinquam. Luc. 15.

Voluit opus ſuum creator reparare per paſſionem, & cum injuriâ ſui, ne peſſimum atque odioſiſſimum vitium ingratitudinis occaſionem vltrà reperiret in homine, quo multæ dilectionis eum debitorem retineret, & commoneret ad gratiarum actionem difficultas redemptionis. D. Bernard. Serm. 11. in Cant.

Colligenda fragmenta ne pereant, ideſt ne minima quidem beneficia obliviſci debere; perit enim quod datur ingrato. Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Idem ſerm. 51.

Eſt ſuperbia delictum maximum vti datis tanquàm innatis, & in acceptis beneficijs gloriam vſurpare beneficij. Idem de diligendo Deo.

Fœneratur peccator, & non ſolvet. Pſal. 36. Accipit & non reddit; accipit vt ſit homo mentis bonum, & non reddit ei à quo accepit; non agit gratias, imò verò rependit mala pro bonis, blaſphemias adversùs Deum, indignationem, &c. D. Auguſt. in Pſal. 59. conc. 2.

Plinius lib. 31. cap. 4. refert in Narnienſi agro, terras imbribus ficciores reddi, & ficcitate lutum, imbre pulverem fieri.

Olim malum erat omen, ſi dum victima ducebatur ad aras, in contrarium mugitu & recalcitratione niteretur. *Vide Æqualitas Bonitat. Repugn.*

De ingratitudine peccatoris. *Vide Minorit. Virtut.* peccati turpitudo.

Legatum aufertur ab eo, tanquàm ab indigno, qui teſtatori maledixit, & infauſtas voces adversùs eum jactavit, aut ſi ſtatus ejus controverſiam movit. l. 9. ff. de his quæ vt indig. aufer. *Vide Finis Bonitat.* Revocantur beneficia propter ingratitudinem.

Digitized by Google

REDAMATIO *iuſtiſſima.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Amoris motus impreſſus eſt à naturâ, vt bonum quæratur, quærendo poſſideatur, poſſeſſum indigentiæ ſubveniat, dumque ſic propagatur, diſſitæ vniverſi partes in vnitatem principio ſuo congruam coëant: Idem autem contigit, ſi is qui amat viciſſim ametur; alioquin contra intentionem naturæ, amor illi cedit in ſupplicium & mortem, ſi quam amando dat vitam reciproco amore non recipiat.

MAGNITVDO. Etſi amans integro affectu totum ſe effundat, ſpretis omnibus vtilis & jucundi motivis; intendit tamen amari, id ſperat, id ſe conſequi confidit: Crudelis eſt ergò amatus ſi ſe ſubtrahat, hac ſummâ fiduciâ, ſe ſuaque in ſinum ſuum effundenti.

DVRATIO. Agens omne repatitur, & omne paſſum reagit; tamnè tibi ſaxeum erit cor, vt alterius in ſe incumbentis affectu non afficiatur? periret naturæ propagatio, & civilis ſocietas, non fieret ex vniverſi partibus vnum continuum, niſi quæ amantur amantibus vltrò occurrerent, vel ſaltem moras dulciori poſſeſſione compenſarent. Si tibi non arridebat talis amor, debebas ab ipſis initiis repudium dare; at poſtquàm ejus officia excipiendo ratum habuiſti, poſtquam amans cæteros deſeruit, vt tibi vnico etiam cum invidiâ, adhæret, injuſtum eſt reſilire.

POTESTAS. Ex quo te amat, tua fit poſſeſſio, tibique cenſendus eſt inter ea quæ neſcientibus acquiruntur, & quæ favens fortuna retibus dormientium immittit, quis autem ſapiens ſua non curet & amet, etiam ſenſu carentia?

COGNITIO. Cum vnuſquiſque non ſit æquus ſui judex, gaudet alterius fido teſtimonio, qui ipſum commendet; hic autem te amans, merita tua non verbis tantùm, ſed operibus, & intimo ſuo affectu teſtatur, illum ergò complectere, & ama amantem, cujus tota vita commendationem ſe dicat.

VOLVNTAS. Te plus cæteris amas, & ille ſimiliter te cæteris omnibus, & ſibi ipſi præfert, ſic ſua voluntas cum tuâ concurrit, non ſimilis tantùm, ſed eadem eſt: niſi quod tua naturalis, & quodammodò neceſſaria eſt, ſua autem electiva, ſic affectu tuo meriti præmiique loco donanda: ſi vt decet te amas, non potes non amare te amantem, quâ enim ratione diſſentirent, quæ concordant voluntates, inidemque vnum coincidunt.

VIRTVS. Honeſta res eſt amicitia, & inter virtutes recenſita, quid juſtius quam par pari referre, amorem amori? cum non poſſit cor humanum eſſe ſinè amore, vt ſinè motu, prudentis eſt, illud amanti committere, amor enim vera eſt amoris regio; temperantis eſt, in ea quæ amor fecit ſua, non in aliena diffundi; fortis eſt, ab hoc juſtitiæ munere non averti quibuſſibet fortunæ minis aut blanditiis.

VERITAS. Cùm larvatæ vt plurimùm ſint civiles amicitiæ, diuturno opus eſt conſilio & experimento, vt verus inveniatur amicus; hic tibi talis contigit, non dubitas de affectu quem omnes quærunt, pauci conſequuntur, eum ergò, vt rem prætioſiſſimam complectere: inter cæteras virtutum tuarum dotes, credidit te amanti fore benevolum, noli defraudare conceptas ab eo ſpes; ne movearis vulgi opinione, A cui oblata vileſcunt, prætium que rebus, non ex merito, ſed ex conſequendi difficultate cedit. Adulterinus eſt amor, quem ars civilis, quem vtilis aut jucundi conſideratio magno labore conflavit; verus autem, honeſtus, ſincerus qui vltrò naturâ conciliante contrahitur.

GLORIA. Licet in te ſæviant adverſa, ecce qui tetàm beatum ſuſpiciat, vt tui amore ſe beatum reputet; ſi ames amantem, in te reflectetur hæc à te collata, & ab alio percepta, fœlicitas; quietum & fœlicem te ſenties, cum alium quietum, fœlicemque tuo affectu effeceris, hoc vnicum ſupereſt in humanis verum ſolatium. Recipiunt, nec a ſe venientes repellunt portus naufragos, aſtra miſeros, ſic amantes inquietos excipiat mutuus amor. B

DIFFERENTIA. Non eadem animi libertate ab amore diſceditur, quâ ventum eſt, fit amans de exploratore captivus, nec valet quod excitavit incendium reſtinguere: habes ineluctabili quodam fato tibi addictum, tibi etiam retinenti adhærentem: ſi bonus, ſi quietus es, ne permittas alium à te fieri inquietum & miſerum.

CONCORDANTIA. Vt plurimùm virgo non eligit ſponſum, ſed poſteà amantem amat, ſic ſolidantur matrimonia, ſic mutuis officiis ſtat œconomia, civiliſque ſocietas, ſic ſe benignè contingunt, excipiunt, penetrant elementa in vniverſo & in temperamentis: Nihil tam durum quod vicini humidus contactus non emolliat. C

CONTRARIETAS. Vulnus quod intuliſti à te ſanandum eſt: non fers alienâ ſævitiâ languentem quin auxilium porrigas, multò minùs pati debes tui cauſa miſerum, ſummumque malum pati, quia tibi omne vult bonum: abſit vt quæ eſt in te amata Dei imago miſerum efficiat.

PRINCIPIVM. Superiores cauſæ, quæ voluerunt hunc tui eſſe amatorem, voluerunt & à te amari, nihil enim in ſuum inclinant ſupplicium, ſufficit corporibus indidiſſe motum, vt perveniant ad centrum, à quo placidè excipiuntur: ſufficit & huic impreſſiſſe amorem, quo te quærit, vt hinc intelligas amorem, neceſſariâ quadam relatione, debere eſſe in te mutuum. Filij amant parentes, quia amantur, hoc enim ſolo amoris titulo norunt eſſe parentes.

MEDIVM. Vt vniantur diverſa & contraria, indigent medio connectente extremorum in ſe conditiones contemperante; at ſimilia & homogenea ſeipſis vniuntur, radij radiis, aquæ aquis ſtatim vt occurrunt ſe toris ſic amicè, vt indiviſibili etiam modo, commiſcent, at quid eſt ſimilius amori quàm amor, & quid illum poteſt magis promereri? D

FINIS. Iam habes id vnum, quod virtutis pulchritudo, divitiæ, poteſtas omnis naturæ & gratiæ intendit, ſcilicet amari. Si hic animus ſponte ſuâ tantæ benevolentiæ ferax eſt; quid ſi ipſum officiis, tuoque mutuo amore colas? Quæ arte moventur, niſi ſummâ curâ provideas & pondere ſuo jacentia reſtituas, citò deficiunt: at naturalis motus, cùm in ſeipſo habeat ſui principium, eſt diuturnior, jucundior, ſuique ipſius reſtitutor; ſic ſpes eſt magis fœlicem & conſtantem futurum amorem naturâ conciliante contracti.

MAIORITAS. Etſi te in eminentiori gradu natura & fortuna conſtituerit, ne dedigneris amare amantem te, vt ſol illuſtrat & calefacit vel minima in ſe converſa, vt cœlum fortiùs agit in partes ſibi ex perpendiculari objectas: etiam Principes gaudent ab aliquibus amari, cùm ab omnibus timeantur: Deus ipſemet ſe nobis amoris noſtri prætio quaſi venalem exhibuit.

ÆQVALITAS. Cum exilis tibi videtur amantis te

conditio, æqualem non mereatur amorem, adverte, quod te præfert cæteris omnibus, etiam te præstantioribus, quibus noluit affectu adhærere: Voluntatem suam integram immensæ cujusdam capacitatis tibi addicit, vndè videtur dare ipsum vniversum vt te promereatur, vide, an amor tuus talis prætio, rerumque omnium commutationi præponderet.

MINORITAS. Quantuscumque sit tuus affectus, minor erit illo ejus, qui te priùs amavit qui tuo, licet ingrato & parricidæ, loco parentis est. Ne patiaris hunc blandissimum naturæ conatum illi in supplicium verti, & ad nihilum redigi; si par est qui amat, paritatem amoris à te exigit ratio, & suadet natura. *Vide Concord. Æqual.* Si superior, duplex est beneficium, quòd te amet, & te amando sic se demittat, si inferior paternæ bonitatis, Regiæ virtutis, imo divinæ bonitatis est, inferioris amorem ampliori vt potentiori, benevolentiâ compensare.

ERGA DEVM AMANTEM & beneficium amor & gratitudo.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus seipso in æternitate beatus nostris non indiget, prior dilexit nos, & amore suo è rebus possibilibus in existentiam eduxit; vndè cùm mutuum à nobis amorem exposcit, vult nos antiqua sua bonitas ad nova recipienda beneficia disponi: quemadmodùm si sol petat ab oculis conspici, vt illustretur; à floribus, vt appetiantur; à terrâ, vt fœcundetur; nostri ergò non sumus verè amantes, nisi ergà ipsum fuerimus grati.

MAGNITVDO. Immensus hic amor omnia voluit existere in nostri vtilitatem, instructionem, delitias aut remedium: quidquid est, Dei ergà nos beneficium est, & quæcumque placent menti aut oculis nos suaviter ad gratiarum actionem provocant: vt totius naturæ, omnium sæculorum sub diversis legibus, decursus, beneficium Dei est, sic tota mentis nostræ vis debet esse in gratitudine. *Vide Magnit. Volunt.* Nihil demendum, quia & si totum conferas, non eris solvendo, cùm & ipse noster amor, nostraque gratitudo, sit effectus divinæ gratiæ, novaque accessio debiti.

DVRATIO. Pendemus à continuo divinæ bonitatis influxu, & minùs extrà ipsum quàm extrà cœli ambitum possumus existere: Nunquàm vacat ergà nos divina bonitas, nunquàm vacet ergà ipsam noster amor: Cùm brevissimum sit vitæ nostræ tempus, in compensandis talibus beneficiis saltem continua sit, si non æqua gratitudo.

POTESTAS. Sat confert, qui totum quod potest dat, continuò solvamus homagium cum continuo vitæ & gratiæ investituram capiamus ab hoc benignissimo Domino. Quanta mortalium cæcitas! ambiunt Principium favorem, quamvis desinat in durissimam sub aureis catenis servitutem, & tot donis, tot monitis, tot exemplis provocati negligunt amorem Dei cui servire regnare est.

COGNITIO. Vir bonus Deo gratus, gaudet vniversi, sæculorumque spectaculo, vbique agnoscens pulchritudinis, bonitatis, sapientiæ, quàm colit, vestigia, tunc intelligit indignum esse, clausis oculis, aversisque cogitationibus, huic tàm celebri interesse spectaculo, in sui favorem exhibitio, vocem non miscere faustis omnium creaturarum acclamationibus, in laudem Dei sui, de nihilo, de impotentiâ, de turpitudine, de innumeris materiæ defectibus in ipsis triumphanti.

VOLVNTAS. Votis peragitur, quod non licet effectu, & si non amo quantùm decet; & quantùm velim, in vicem amplioris amoris substituitur illius amoris amor & desiderium. *Vide Virt. Volunt.* Ama quantùm potes, & desidera amare quantùm debes, ideò enim hæc immensa vis voluntati tuæ data est, vt hâc ipsâ colat immensam bonitatem. Deo gratus, illius voluntati in omnibus conformis est; laudat ipsum de præteritis, etiam si lateant rationes sub mysterio; lætatur præsentibus: effuso, paratoque ad omnia affectu futura prævenit.

VIRTVS. Charitas grata, & quærens quæ Dei sunt, meritò dicitur virtutum caput, anima, entelechia, & actus primus, illas omnes eminenter continet, & fœliciſſimè promovet; Hæc prima justitiæ pars totos nos reddere Deo, cujus sumus toti, omnesque Religionis actus in his collaborant: Abstinet & sustinet Fortitudo ne divinis humana præferat, & tàm benigno decoquat creditori; tandem Prudentia huic prætiosæ margaritæ omnia postponit; gaudetque hoc inæquali commercio, in divinorum bonorum communionem admitti.

VERITAS. Tàm fœdum, tàm impium est Deum amantem non amare, vt omnes velint videri ejus officiosissimi cultores magno religionis apparatu; fallunt hominum, non Dei interiora scrutantis oculos; si vera non est pietas, simul Deo, quæ sua sunt non reddit, & quæ sua sunt vsurpat, vt infidus debitor, qui malam suam fidem furto cumulat.

GLORIA. Conscientia justa Deo non exsolvens gemit interno suo reatu cruciata, sic languenti, sic ægræ, & intormentis positæ, frustrà rerum externarum copia blanditur: At gratus, & præsentium bonis & futurorum spe erectus, præludit æternæ fœlicitati.

DIFFERENTIA. Apparent in brutis splendidæ quædam rationis & voluntatis scintillæ; vnicâ hac notâ homo potissimum ab illis distingitur, quòd Deum bonorum omnium largitorem agnoscat & colat; quid refugis amantem, & id ipsum quod quæris, scilicet omne bonum offerentem? quid te subtrahere conaris ab influxu omnia implentis Dei? si declinas à bonitate, incidis in justitiam, semperque gloriæ suæ ministras.

CONCORDANTIA. Quidquid amicitiæ ex sympathiâ initæ habent suavitatis, vestigium aliquod præferunt ejus, quæ ex perfectâ ad Deum charitate percipitur; omnis enim similitudo & vnio, pendet ab vnitate, vnde mens nostra majorem habet cum Deo quàm cum quolibet simili convenientiam: Æquissimum vnusquisque reputat initæ societatis leges servare; at sub hac conditione, in vitam, in cœli, elementorum, civium, Ecclesiæ denique societatem admissus es, vt Deo omnium largitori debitum laudis sacrificium offerres, tuo, & omnium ratione carentium, tibi ob id servientium, nomine.

CONTRARIETAS. Non est quod te omnipotentis timor ab ejus amore deterreat: Deus enim mortem non fecit, sed impij manibus suis accersierunt eam; fuge ergò impietatem & ingratitudinem, suppliciorum artificem: sic sibi facit tenebras, qui in radiis solis claudit oculos. Ama Deum & securus es de consequendis ejus bonis, & vitandis suæ justitiæ flagellis; Mirum si non sis gratus, cùm ad id te alliciat summum bonum, & à contrario deterreant æterna supplicia.

PRINCIPIVM. Omnes execrantur ergà patriam &

parentes ingratum, ſed longè gravior ergà Deum omnium parentem impietas: hunc agnoſcit primus naturæ rationis impetus, ad hunc per cauſarum ſeriem ducit philoſophia, illum invocat malis oppreſſa natura, illique ſublatis in cœlum manibus ſupplicat; Agnoſce ſolem ex luce potiùs quàm ex Eclypſi, & Deum, non malis territus, ſed beneficijs provocatus.

MEDIVM. Sequere moventis & dirigentis manum, vt quod ex te intendit opus perficiat: Age non vt ſervus metu, ſed vt fidus negotiorum geſtor, amore: Ità eſt, ſub imperante creatis omnibus Deo fungeris officio procuratoris ejus & legati; ſummi hujus Principis majeſtatem non benè referet, reſque, non rectè adminiſtrabit, niſi amor.

FINIS. Habenti dabitur, quantò plùs amabis, tantò pluta recipies, ſic rectiſſimè amori tuo, infiniti avido, infinitum colenti, ad æternam infiniti poſſeſſionem tendenti, nullus poſitus eſt terminus: Continuus debet eſſe, donec in viâ es, proſectus, quouſque in æternitatis Sabbatho amor indefeſſus perfectiùs agendo conquieſcat. Fecit Deus omnia propter ſe; Ergò collata in te bona debent in ipſum redire per gratiarum actionem, vt circulus boni in ſuo principio fœliciter claudatur.

MAIORITAS. Efferat mundus & fortuna quos voluerit, tibi aliquid imperijs ſublimius eſt, omnium creatori mutuo affectu allidere, ſecretum cum illo miſcere amoris colloquium; ſic ſuprà naturam, ſuprà teipſum evehi, mirando tamen caſu, ſi amori non reſpondeas, ſi ad exemplum ſummæ illius bonitatis, in te ſe benigniſſimè inclinantis, charitas ad proximi laborantis officia non deſcendat, & vt radius principio ſuo hærens terram puriſſimè contingat.

ÆQVALITAS. Amat te Deus & beneficijs cumulat, cumque ſit in ſummâ excellentiâ, minùs tamen exigit quam præſtet; petit enim tantùm vt ames, & vt hujus amoris fructus in te refundat, accipiaſque cum ingenti profectu id ipſum, quod contuleris.

MINORITAS. Quid varia conquiris humana infirmitatis remedia? amor vnicum & ſacrum eſt elixir, quo non tantùm ſanus, ſed beatus & immortalis futurus es. Non eſt lugenda vitæ conditio, vbi te in beatorum ſortem poteſt charitas tranſcribere: Nulla hîc exilis gratia, quæ poteſt eſſe aliarum & gloriæ ſemen.

REPVGNAT.

NON REDAMARE.

SOl, cùm ipſe non caleat, totum calefacit mundum; Non revocat lumen ſuum, licèt ſub illo flores marceſcant; non extinguitur candela, in quam muſcæ arſuræ involant.

Ridiculi ſunt amantes, qui licet ſint indigni, volunt tamen amari vt amant. Plato in convivio.

Nero nulli vnquàm reſalutationem impertivit: Idem faciebant Reges Numidarum pro majeſtate tuendâ.

Sunt quædam in quibus æqualiter redamati non contingit: Ridiculum enim foret, ſi quis Deo exprobret, quòd non ſicut ab hominibus amatur, viciſſim ipſe diligat: aut Principi, quod non æqualem amorem ſubditis præſtet: Imperanti enim, vt ametur, non vt amet, aut certè alio pacto convenit. Ariſtot. Moral. ad Eudemium. lib. 7.

Tangatur acus magnete, ad illam partem ferrum, ſi non nimiæ ſit quantitatis, convolat, hæc autem fugit, cum in æquilibrio eſt ſuſpenſa, ſi illi ferrum objiciatur: eâ autem parte, quæ non eſt magnete tacta ferrum ſequetur: vndè patet hoc experimento, quòd pars magnete tacta, quaſi nobilior effecta, fugit ignobilioris commercium.

Quæ amantur amore concupiſcentiæ, vt plurimùm non redamant, appetuntur enim vt alterentur, & in aliud convertantur, ſic præda fugit venatorem, populus tyrannum, virgo amaſium.

Mira eſt cognatio inter nativum humidum & calorem, vt mutuas ſemper operas conferant: Poteſt tamen calor extingui remanente humido, vt in intenſiſſimo frigore; at humidum non poteſt evaneſcere & diſſolvi ſuperſtite cale.

Qui ad amorem inclinantur ab oppoſitione Veneris per directionem aut profectionem occurrente, ipſi quidem amant, ſed non redamantur, & experiuntur ſibi oppoſitos affectus.

Apud Perſas Regina multarum pellicum copiam perpetitur, quia Rex velut Dominus imperat vxori. Athenæus. lib. 13. cap. 1.

Cæteri planetæ ſubeunt vires eorum, ad quos accedunt: at Saturnus nulli videtur accedere, tùm quia motu tardior, eorum reſpectu quaſi fixus eſt; tùm quia nobilior, vt ſuperior ſtellis, primoque mobili proximior, omnes ergò illi accedunt planetæ, & illi conjuncti naturâ illius agunt, non ille viciſſim eorum. Marſil. Ficinus. de vitâ cœlitus comparandâ. c. 22.

Stryaglius quidam Medus pugnantem contrà ſe in bello mulierem dejecit, videns pulchram, ſervavit ab interitu, adamavit, ſed fruſtra; cumque non poſſet ab ipſâ amari, perijt, relictâ ſcripturâ, quæ ſic exprobrabat. Ego te ſervavi, at ego per te perij. Photius in Bibliothecâ. cap. 72.

Narciſſus pulcherrimus, amoris, amatorumque extitit contemptor, ſed propriæ formæ cupidine captas interijt. Ibidem. cap. 186.

Non eſt ſemper æqualis conjugum amor. Vide ſuprà hoc tit. æqualis conjugum amor.

Amata fuit & Praxitelis marmorea Venus. Plin. l. 36. & cap. 5. Hæc autem non redamabat.

Iupiter vult Cupidinem flagellis cædi, eo quod ipſum in varias formas tranſmutarit, nec tamen fecerit amari: at Cupido ſe excuſat, monetque vt relinquat ſua fulmina, tunc fore amabilem. Lucian. dialogo. 5.

QVANDO NON LICEAT redamare.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si quis non me, ſed mea quærat, non eſt æquum vt me illi per amorem tradam tanquàm me amanti, imò & jure poſſim quæ vult conſequi negare; vt enim tunc ſeipſum mihi præfert, volens illa ſe non me habere, poſſum & mihi ſimiliter conſulens illa retinere. Latens eſt hoſtis fucato amicitiæ vultu & habitu, à quo cavendum ne prædam auferat; ſic à venatoribus & etiam Aucupis, voces fingentibus, ſe feræ fugâ & aſtu vendicant; ſic gutta aquæ in orbem contracta volvitur, vt fugiat imminentem ſibi terræ ſiccitatem, ſui avidam.

MAGNITVDO. Stant omnia rectò ordine, itaut quæ in ſummo ſunt non debeant inferioribus commiſceri,

ac ſimul & è gradu ſuo cadant & indignâ mixtione polluantur. Cum omnium oculis placeat pulchritudo, nulla eſſet niſi proſtituta, ſi tantùm illi amandum eſſet, quantùm amatur. Cum virtus omnium animis grata ſit, illâ prædicus, omnes habens amicos, nullum haberet, cui ſe totum poſſet fidere, inopemque copia efficeret: Vnum quærens, vitabo ejus affectum, qui me turbæ ſibi adhærentium implicaret, quaſi me & vnum de turbâ ſuâ habiturus.

DVRATIO. Inconſtantes, fœdifragos non admittam, nec credam me amori, verò quidem nunc & æſtuanti, ſed mox defecturo: ſic dedignantur adoleſcentulæ ſenum nuptias, Saturnuſque Veneri eſt inimicus, tùm ob diſparis ætatis contrarias pati. nes, tùm quia citò ſibi & proli mors illum eſt ſublaturа; ſic ſolem orientem ſequuntur aulici, nec libenter adhærent in occaſum properantibus. Amor quàm profitetur conſtantiam exigit, nec admittit amicum, ſeù animi ſui, ſeù naturæ, ſeù fortunæ vitio brevi tollendum: diſcedit à ruiturâ domo, non ædificat citò diruenda, non enim tantùm præſentibus, ſed etiam futuris intendit prudens.

POTESTAS. Philoſophis ſuſpecta eſt potentium amicitia, ne quod vitare volunt, rerum publicarum onus, in ipſos per amicum recumbat, alieniſque exagitentur curis, qui noluerunt proprijs. *Vide Concord. Majoritatis Mala.* Vix vlla potentium amicitiæ fides; quærunt enim apta ſuis conſilijs inſtrumenta, quæ ad libitum moveant & mutent, & in quæ putant ſibi eſſe omne jus.

COGNITIO. Si antè amorem eſt judicandum, licet amantem non amare, dum inquiro in ejus mores & fortunam; nec ſtatim hæc amoris eſcâ capi debet animus.

VOLVNTAS. Nulla eſt in amore libertas, & jam non à ſuo, ſed ab alieno pendebit arbitrio, ſi ſtatim amanti debeatur: Miſces oppoſita, & quod alienum eſt, vis mihi effici proprium; etiam ſi amor videatur æquiſſimum amoris prætium, quis coget hoc me prætio liberum vendi, & à meipſo in alterius poſſeſſionem venire? Vt poſſim cæteras amantis dotes, pulchritudinem, ſcientiam, virtutem, ſic & amorem communi quadam benevolentiâ proſequi; non tamen ob id illi intimo affectu colligari.

VIRTVS. Qui ſe totos Philoſophiæ & pietati dicant, vt factæ res in humanum non veniunt commercium, ſeque omnium votis negant: ſic contracta cenſetur amicitia vſque ad aras. *Vide Concordantia Virtutis.*

VERITAS. Vt amem allegas alterius amorem, de quo mihi non conſtat; quis enim, niſi Deus, ſcrutatur corda? Multos blandi ſermones, officia, dona deceperunt; ſic pro reincertâ vis me certo addici: Verus ſit licet ejus amor, ſed præceps, qui non ſatis notum & in repulsâ liberum ſic amavit, vis me alienæ culpæ pœnas luere, lævitati & temeritati me in præmium cedere; vis quaſi ſervum, ſi volueris me ſic amantem amare; litas virtutes paſſionibus, ſi huic amori, impetu motus ſenſibilis ruenti, meum ex ratione procedentem addicas.

GLORIA. Omnis amor ſit voluptatis illicijs, ideò à tali amore exemptus videor à naturâ, quæ ſic me non allicit: ſic famoſæ quædam pulchritudines & fortunæ, quæ magna amicorum caterva triumphum agunt, huic non ſervio vanitati.

A DIFFERENTIA. Situs ineſt cuique ſenſus, te amo me amantem, in hoc quod coincidit tuus amor cum meo: ſed non ſic amabo, vt in tuos tranſeam affectus; jam enim ceſſaret ratio, quæ amorem conciliavit, imò in oppoſitum tranſit, ſi velis me à meipſo deficere vt tuus fiam.

CONCORDANTIA. Iàm alteri jurata fides obſtat ne vel amanti conſentiam; ſic conjugalis pudicitia non patitur alienos amores ſuperinduci, vterque enim conjugum in alterius eſt poteſtate: & ſtellionatu gravius crimen eſt, imò propè ſacrilegium, ſi quam, Eccleſiâ pro ipſo ſtipulante, promiſit fidem, alteri voluerit oppignorare.

B CONTRARIETAS. Eadem ratio quæ illius amorem ſtimulat, meum avertit; vult enim à me perfici, ſed fugiam, ſi periculum ſit ne ejus inficiat contubernio, & ne me in pericula, hoc amoris ſui ſtipendio quaſi pro ſe militantem, adducat; nè hoc novo fœdere convertam in me multorum odia: Si licet contractas jam amicitias divortio ſolvere, licet & à contrahendis abſtinere.

PRINCIPIVM. A cœlo & ſympathiâ hunc amorem non pendere conſtat, ex eo quòd mutuus non eſt, nec in me ſentio quod in te probas; itaque hunc amorem vt adulterinum, à paſſione, aut abà ignobili cauſâ oriundum, licet abdicare, & affectus mei exhæredem ſcribere.

C MEDIVM. In ſupplicium ſuum laborat amans amantem, quo non licet frui. Interjacet Oceanus, tot vigiles oculi, tot dracones Heſperidum hortos cuſtodiunt, vt cum nulla ſit fruitionis ſpes, nulla debeat eſſe cupiditas. Conſiſtat oportet amor & judicet antequàm alterius amori ſe committat, ſemel enim emiſſus, vt projecta & in præceps ruentia, vix poteſt revocari.

FINIS. Vitæ noſtræ debet præſcribi finis aliquis vltimatus, ad quem omnes actiones dirigantur, ſi illi colentis me amicitia non congruat, illam non admittam, ne me non promoveat, ſed in contrarium avertat: ſic ſtudioſus non adhærebit militari, philoſophus & pius politico.

D MAIORITAS. Lambit flamma materias omnes, ſed illam omnes non recipiunt: lutum fictile emollitum configuratur & adhærere conatur omnibus quæ contingit, ſed illud ferrum non patitur ſibi miſceri, aut diù cohærere; ſic quidam præſtantiores non admittunt interiorum amicitias, vt rector popularium, minùs enim conveniunt publicæ ſuæ perſonæ.

ÆQVALITAS. Etiam donationes indigent acceptatione, non teneor adire oblatam hæreditatem; ſic nihil debeo amori tuo, quem vt gratum non provocavi, non ſtipulatus ſum, nec vnquàm meum effeci: Oblatus eſt à te, ſed non à me acceptatus; vt tuo indulges genio, dum me tibi gratum amas, liceat mihi & meo indulgere, dùm te mihi non placentem averſor, æquale enim debet eſſe jus, vt in petitione, ſic in repulsâ.

E MINORITAS. Si te natura aut fortuna multùm dejecit, non movebor amore tuo indigo, & ad auxilium ſupplici vt te amem, nec quaſi debitor amore tuo prævertus, ſed quaſi benignus creditor, liberâ ſolutâ, ordinatâ charitate adero; non vt amanti, amans id ex æquo præſtabo, ſed vt bonus miſero ſuccurram.

MINORITAS VOLVNTATIS.

DEFECTVS AMORIS ET VOLVNTATIS.

MISCELLANEA.

A

DEFECTVS AMORIS Bonus.



VANUM deficit, & non eſt vera voluntas, quia ſcilicet à contrarijs oppugnatur, ſuiſque principijs & eſſentialibus conditionibus deſtituitur. *Vide Contrarietas Voluntatis, & Veritas Voluntatis Repugnat.*

Sunt ſinè voluntate & affectu indifferentes. *Vide Medium Voluntat.* & qui alterius ſubſunt imperio. *Vide Concord. Poteſtatis, & Concordantiæ Principij.* B

Deformes ſe ex æquo vindicant de naturâ, quæ non amabiles reddidit, ſi ex concupiſcentiâ non ament.

Quidam inventi ſunt hirſuto corde, & hi omnium fortiſſimi, talis fuit Ariſtomenes Meſſenius. Plin. lib. 11. cap. 3.

Cryſtallum ſit magno & continuo gelu concretum in ſummis montium jugis, vbi nix eſt perpetua. Idem lib. vlt. cap. 2.

Altæ mentes neſciunt amorem humanum.

De his quæ ignibus reſiſtunt. *Vide Duratio Virtut.*

C

DEFECTVS AMORIS Malus.

Vide Minoritas Bonitatis.

CORpus mortuum primò frigeſcit, induratur, & putrefit: ſic anima ſinè charitate.

Ex omnibus cauſis, quæ mortem repentinam efficere ſolent, proxima cauſa eſt diſſipatio & extinctio ſubita caloris in parte ſolidâ cordis inſiti & implantati, qui calor eſt ipſa vitalis eſſentia: ex Galeno.

Spiritus frigidus ex naribus & ore prodiens in morbis acutis exitialis eſt, quia caloris nativi extinctionem D ſignificat. Hypoc. 1. prognoſt.

In morbo diuturno & acuto cibi faſtidium & inappetentia: Non ſitire in calidis & ardentibus morbis, in quibus lingua eſt arida & nigra perpetuo malum, delyrium enim ſignificat, & exolùtionem facultatis appetentis: meliùs eſt maximè ſitire in morbis acutis, quàm non ſitire. Id.

In appetentia procedit ex malis humoribus ſtomachum inficientibus.

Ratio materialis peccati mortalis eſt in converſione, formalis verò in averſione. D. Thom. 1. 2. q. 10. a. 3.

Socrates clarus ſapientiâ, eodem ſemper viſus eſt vultu, nec aut hilaris magis aut turbatus: exit hic animi tenor aliquandò in rigorem quendam, torvitatemque naturæ duram, & inflexibilem, affectuſque humanos adimit, quales apathes Græci vocant; vt Timon in totius humani generis odium evectus. Plin. lib. 7. cap. 19.

Eo die quo Cæſar fuit Dictator, bis repertæ ſunt hoſtiæ, ſinè corde; vndè quæſtio magna de divinatione argumentantibus, potuerit ne ſinè vllo viſcere hoſtia vivere, an ad tempus amiſerit. Idem lib. 11. cap. 37.

D. Paulus. Rom. 1. loquens de Gentilibus, quos tradidit Deus in reprobum ſenſum, ait: ſinè affectione, abſque fœdere, ſinè miſericordiâ.

Quiſquis genituræ ſuæ dominatores, aut aſcendens in ſignis humanis non habet, ab humanitate alienus, etiam ſibi ipſi eſt. Ptolomæus in centiloquio, num. 45.

MISERVM EST ESSE ſinè amore.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Loquimur hic de legitimo amore, qui deferendus eſt Deo, virtuti, patriæ, parentibus, ſanguine aut fœdere cognatis, beneficis, Principibus, Magiſtris, &c. Qui tali caret amore, miſer habendus eſt, vt cui nulla ſit in rebus omnibus pulchritudo, nullum bonum, nulla virtus. Non amans præcludit viam & ſuæ in alios, & aliorum in ſe largitioni, ſic tenebras ſibi facit in media luce, egeſtatem in abundantiâ, mortem in vitâ: in mundo mundi exultetro ſuo ſepultus ſtupore.

MAGNITVDO. Deſinit eſſe pars vniverſi, qui cæteris mutuo non cohæret influxu, cumque ſimul ſe alijs, & alios ſibi negat, multò magis ſibi quàm alijs nocet: ſingularis enim parùm multis poteſt conferre, at à multis poteſt multùm accipere. Vt corpus, ſic animus ſtatim à nativitate non procedit integris viribus, ſed diuturnâ acceſſione perfici debet: creſcit corpus acceptis alimentis; animus verò documentis, exemplis, quæ non contingent niſi virtutem in alijs quærenti & amanti. Iacet jam in arcto poſita natura ſingularis, quid ſi illi infirmæ & lugenti ſuperandas hanc boni ſibi convenientis inappetentiam?

DVRATIO. Iacebit mens hæc ſinè affectu, vt corpus ſinè nativo calore; ſi quæ illi ſupereſſe poteſt actio, erit tarda, languida, vixque motui ſufficiens, qualis eſt in inſectis frigore ſtupefactis. Sed non licet illi in eodem ſtatu conſiſtere, cùm enim nihil ſibi boni proponat conſequendum, cùm nihil excelſi ambiat, nec æſtuet ad præclara, cùm non progreditur,

proprio pondere in ima decidit ſicut gravia, dùm ſubtrahitur vis, quæ in altum erigebat.

POTESTAS. Inſitus eſt illi boni appetitus, hanc naturalem facultatem, voluntatemque ad omnia mobilem in vinculis ſæviſſimè detinet. Si amor cenſetur ſervitus, quia voluntatem ad omnes natam vni perſonæ addicit, durior erit illi captivitas, ne in vnum quidem affectum illam abire ſinens: peſſima libertas, in hoc tantùm impenſa, vt nulla ſuperſit libertas. Si nullus deberet eſſe amor, quia aliquandò fit perverſus, privanda eſſet natura omnibus ſuis potentijs, quibus licet abuti: oculis, auribus, tactu, ſermone, ratione, & ipſamet cogitatione ſpoliandus eſſet homo cùm ſæpè talibus malè vtatur; ſolè cœlo tollendus eſſet, quia ſuo calore fovet venenata, ſuâ luce dirigit homicidæ manus.

COGNITIO. Si amor mentem acuit, vt calor ſuſcitat latentes naturæ vires, ſtupeſcit animus nihil amantis; nihil deſiderans nihil inquirit, etiam oblata dedignatur, ſibi primùm, deindè Deo, naturæ, proximis injurioſus, qui huic tam celebri mundano ſpectaculo adeſſe vult clauſis oculis, & in tam oppipato convivio gaudet affectatâ in appetentiâ.

VOLVNTAS. Quidquid agat, viget in eo naturalis appetitus ſenſibilium, quæ ſunt ad individui conſervationem; fames cibum, ſitis potum appetit, chilum trahit hepar, ſanguinem exſugunt venæ, &c. Similis, imò potentior eſſet amor rationalis, ſi non illum peſſima libertas opprimeret: quòd ſi ex appetitu cenſetur vniuſcujuſque vita, hic non vivit ex homo, ſed vt planta & brutum, in quo extincto rationali appetitu ſupereſt tantùm naturalis & animalis.

VIRTVS. Virtutes omnes generat, & ad Heroïcum gradum promovet, ardens objecti in quod tendunt amor: Qui vult eſſe ſinè amore, vult tolli duo præcepta charitatis ergà Deum & proximum, ſicque bonas omnes leges in illis compendiosè contentas. Si enim non vult amare, vt vitet amoris ſollicitudines, abſtinebit ab amore divino, Religioſæ auſteritatis tam ſevero exactore, & qui ſuos tot ſupplicijs objicit.

VERITAS. Vt ignis, ſic voluntas alicui ſemper adhæret materiæ, vtque nulla materia ſinè formâ, ſic nulla voluntas ſinè objecto, apertus oculus non poteſt ceſſare à viſione, nec libera voluntas ab amore: ſi bona non amet, indigna ſectatur, & tota in ſenſuum poteſtatem cedit.

GLORIA. Nihil amare, non eſt quies, ſed torpor, ſed extinctio mortifera ſenſus & motus, eò gravior quò minùs ægroranti ſenſibilis eſt: Mendax eſt Stoïcorum fœlicitas in apathiâ; vt enim corpus, ſic animus vacuo non paſcitur: non ſufficit abſtinere à nocivis, ſi non optima in alimentum cedant, aliud eſt non dolere, aliud poſitivâ delectatione frui; vtrumque conſequeris ſi tuus amor turpia caduca averſatus, ad honeſta & æterna convertatur.

DIFFERENTIA. Cùm ſis viator, ſi nolis moveri, non vis pervenire: ſi nihil amas, ſi nihil intendis, nullus vitæ tuæ conſtabit ordo, nullum determinatum ſequeris iter; ſic te vagum, incertum, ad omnia pinA narum more verſatilem, vitæ fortunæque tempeſtates in diverſa jactabunt, & in tormentis veram hanc à te vocem elicient, aliquid eſſe amandum, quia & aliquid fugiendum.

CONCORDANTIA. Prohibentur inter proximos nuptiæ, vt propagetur, quantùm fieri poteſt, inter exteros amicitia quâ ſolâ ſtat civilis ſocietas; vndè illi opponitur ex diametro, qui nullum vult in amicitiam recipi, qui hunc ignem à majoribus acceptum, & poſteris per manus tradendum, extinguit quantùm poteſt: in Deum, in patriam, in virtutem impius, in concives infidelis, qui præſtantiores, veneratione dignos, deſpicit.

CONTRARIETAS. Vbi tandem effulſerit multoB rum oculis obſervata hæc amoris carentia, publico excipitur odio, omnes oderunt omnium oſorem: ità qui meliùs vult gaudere amicitiâ, dolebit de omnium in ſe concitata invidia: Non ferent vt ſit ſecurus ſpectator pereuntis patriæ, oppreſſæ veritatis & virtutis, vt nullos amans, nullis compatiatur & auxilium ferat.

PRINCIPIVM. Homo proles eſt amoris divini & humani, ſic fœlix eſſe non poteſt, ſi non affectu ſuo reſpondeat principio; ſi parem non referat, ſi non amet, cum ideò ſit & ſubſiſtat, quia matur.

MEDIVM. Mediata non poteſt eſſe charitas, ſed cum totum cor Deo tradiderit non poteſt negari virtutibus, quæ aliquid Dei ſunt: ex præcepto non amas C proximum vt teipſum, ſi penitùs non amas, & ſi vt te totum tibi ſerves, non vis in alterius ſinum diffundi: falsò tibi blandiris, quaſi ſis tibi ſufficiens: plùs poſſunt amici quàm opes, quæ ſinè amicis provocant avidas hoſtium manus; evaneſces in proſperis, deficies in adverſis, nec ſibi conſtabit animus, ſi non nitatur fidiſſimi alicujus amici conſilijs & officijs.

FINIS. Si nihil amas, ſi nihil intendis, nihil conſequeris, & ecce dùm rebus & perſonis tuum negas amorem, eo ipſo tibi offers rerum omnium ad fœlicitatem conducentium fruitionem. In tantùm enim vna quæque res grata eſt, in quantùm conceptis de eâ votis & deſiderijs reſpondet.

MAIORITAS. Longè eſt ab excellentiæ conſequutione, qui nec ipſam amat excellentiam; jacebit itaque D inglorius, vanâ ſui exiſtimatione deceptus, invidiâ laborans, quaſi vellet excelſa omnia ſolo ſibique æquari.

ÆQVALITAS. Etiam inſenſibilia ſentiunt, amantque ſibi ſimilia, ſe penetrant vbi ſe contingunt aquæ & radij, ſe quærunt, conventus agunt, invicemque conſentiunt ejuſdem ſpeciei animantia, & homo hominem, ſub eodem genio natum, ejuſdem Principis & Patris commenſalem, &c. non amabit?

MINORITAS. Multæ ſunt amoris dotes, eſt enim intelligentia, animum quaſi cœlum movens, largitur illi amplitudinem, vim invictam, lumen, virtutem, delitias, &c. *Vide Bonit. Magnit. Durat. &c. Voluntat.* Ideò non amare eſt his omnibus privari; & hæc mors E moralis omnium bonorum moralium videtur inducere privationem.

Digitized by Google

BONITAS VIRTVTIS

VIRTVS HOMINI BONA.

MISCELLANEA.

IN Republicâ debet præferri inſtitutio morum inſtitutioni virtutum intellectualium, quia plùs nocent Reipublicæ male morati quàm indocti.

Virtus eſt vera hominis ſcientia. *Vide ſuprà Majorit. Cognit. Mala.*

Tanta eſt juſtitiæ neceſſitas, vt nè illi quidem, qui ſcelere & flagitio paſcuntur, poſſint ſinè juſtitiâ vivere, quia illâ ſublatâ nullus eſt ordo. Vndè, vt ait Plato, ſi ſceleratorum fieret civitas, vt ſtaret, cogerentur virtuti ſtudere.

Omnia incerta ſunt, ſimul ac à jure receſſum eſt: fœlix Reſpublica quæ non haſtam & gladium, quod volebant Spartani, ſed quæ juſtitiam habet pro finibus: præferenda enim eſt juſtitia militari fortitudini, quia ipſam debet regere.

Clara Principum ingenia fiunt cæteris pejora, niſi bonâ educatione ſint diligenter culta.

Homo non denominatur bonus abſolutè, niſi ob virtutem; dicitur enim bonus pictor, ſculptor, &c.

Non deſiſtat Princeps à recta actione peragendâ, ex eo quod dicatur imitari hoſtes; nam præſtat eſſe boni imitatorem, quàm invidum; deinde non imitatur, ſed ſequitur communem duobus rationem.

De excellentiâ virtutis, in quantùm frænat ſenſuum voluptates. *Vide Minor. Gloriæ. Voluptatis. Bon.*

Plato. 1. de Republicâ. Introducit ità Traſimachum his rationibus pugnantem pro injuſtitiæ defenſione: Quod injuſti res & privatæ & publicæ meliùs cedant, non premitur tributis, dignitates obtinet, ſibi ſubitos habet amicos ob laxiorem diſciplinam: ſi poſt rapinas cives in ſervitutem redigat, beatus ab omnibus vocatur; vndè aliqui vituperant injuſtitiam, non quod eam facere, ſed quod perpeti metuant; eſt ergò aliquid robuſtius & regalius quàm juſtitia. At contrà Socrates probat iuſtitiam præſtantiorem. Primò, quia iniuſtus ſit tandem ſibi & aliis inimicus, quia nociuus; eſt enim iniuſtitia proprius animi morbus. Secundò, Dei ſunt iuſti, ergò iuſtus eſt Deorum animicus, non verò iniuſtus. Tertiò, iniuſti in commune nihil poſſent efficere, ſeipſos enim deſtruerent, &c.

Idem 3. de legib. dicit & ciuitati & ciuibus à Deo petendum, non vt omnia ſecundùm voluntatem cedant, ſed vt ipſa voluntas ſe rationi ſubiiciat, alioquin præſtat fruſtrari votis.

Idem 4. de legib. dicit nihil in ciuitate vel circà eam relinqui debere, vndè mores eius corrumpi poſſint, etiamſi indè victrix ſit euaſura.

Idem in principio Epiſtolarum non præcatur benè valere, ſed benè agere.

Lacon quidam dicebat, ideo Ephoros ſuos ius dicere, vt etiam apud hoſtes fidem mererentur.

Neceſſariam eſſe virtutem conſtat ex eo quod illi laborant leges, Principes, Magiſtratus, & qui non habent illam fingunt, voluntque videri illam habere.

De Philoſophiæ laudibus. *Vide Bonitas Cognitionis.*

D. Bernard. Serm. 2. in feſto Petri & Pauli, Paulus inquit vas dignum & cœleſtibus ferculis repletum, de quo & ſanus eſcam, & infirmus accipiat medicinam: docuerunt me vivere, putas parva res eſt, ſcire vivere, magnum aliquid, imò maximum eſt; non vivit, qui ſuperbiâ inflatur, quia non eſt hoc vivere, ſed ordinem vitamque confundere; vivit qui ordinabiliter vivit in conſpectu Dei & proximi, & ſociabiliter portando infirmitates.

Virtus eſt vita hominis, vt peccatum eſt mors animæ. *Vide Minoris. Virt.*

Cuſtodi innocentiam Pſal. 36. Vt theſaurum à fure diabolo: ſit illa certum patrimonium tuum; quid enim tibi prodeſt lucrum auri, & damnum innocentiæ? D. Auguſt. in Pſal.

Marſil. Ficin. Theolog. Plato. lib. 14. cap. 7. probat animæ immortalitatem ex eo quod per virtutes Dei dotes imitetur, æternam ſapientiam per prudentiam, præterita, præſentia, futura contemplantẽ; juſtitiam, iuſtitiâ diſtributivâ; ſtabilitatem, fortidine. &c.

Virtus eſt bona ſeipsâ, non autem per aliam bonitatem. D. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4. 1.

Bonum quod ponitur in definitione virtutis, non eſt bonum tranſcendens, ſed bonum rationis. 1. 2. q. 54. a. 3. ad 2.

Peccata dicuntur falſitates vel mendacia; & opera virtuoſa dicuntur veritas vitæ. 1. q. 17. a. 1.

Dextra pars mundi eſt auſtralis, ſiniſtra vero aquilonaris: dextra pars ſignificat bona ſpiritualia, & ſiniſtra bona temporalia. 1. 2. q. 103. a. 4. ad. 6.

EX JVRE CIVILI, & Canonico.

METus ſtupri eſt juſtus, vndè reſtitutio competit. l. 8. ff. quod met cauſ.

Pacta

Pacta omnia contrà bonos mores ipso jure irrita sunt, vndè si adolescens luxuriosus mandet tibi vt pro meretrice fidejubeas, idque mandatum sciens susceperis, non habebis mandati actionem, quia simile est quasi perdituro sciens pecuniam credideris; similiter etsi mandavit vt meretrici pecuniam credas, si ædem sacram spoliandam, hominem vulnerandum, occidendum, mandatum suscepisti, nihil mandati judicio consequi potes, propter turpitudinem mandati. lib. 6. & 22. ff. Mand.

Illicitorum promissio nulla est. *Vide suprà Differ. Volunt.*

Si maleficij societas inita est nulla est, delictorum enim turpis & fœda communio est. l. 53. & 57. ff. pro socio.

Venditor est patronus, qui ancillam eà lege vendidit, vt si prostitueretur esset libera. l. 10. §. 1. ff. de in jus vocando.

Non valet in deposito hæc conventio, ne dolus præstetur, quia est contrà bonos mores. l. 1. §. illud non ff. depo.

Si negotium committitur in procuratoris liberam voluntatem, secundùm materiam contractus, hoc agi intelligitur, vt dolus malus absit. l. 60. §. lucius. ff. mand.

Si tutoribus à Patre relinquatur liberatio à reddendis rationibus, nihilominùs de dolo tenentur, qui non potest remitti. l. §. Iulianus. ff. de admi. & peric. tutor.

Vbi controversia est de his apud quos debet educari pupillus, vitandi sunt, qui illius pudicitiæ possunt insidiari. l. 5. ff. vbi pupil. educ. vel mor. deb.

Conditio turpis legato apposita, nulla est. l. 20. ff. de conditio & demonstr.

Operæ patronis præstantur, quæ sinè turpitudine & periculo vitæ præstari possunt; vt liberta non tenetur ex meretricio quæstu, nec is qui cum bestijs pugnat. l. 38. ff. de bon. libertor.

Turpes stipulationes nullius sunt momenti. l. 26. ff. de verb. obligat. & l. 123. Eod.

Servus non tenetur obedire Domino in rebus illicitis. l. 17. §. 7. ff. de injur.

Qui stuprum sibi vel suis per vim inferentem occidit, dimittendus est. leg. 1. §. 4. ff. ad l. Cornel. defica.

In conventionibus, non solùm quod licet considerandum est, sed & quod honestum sit. l. 157. ff. de reg. jur.

Non omne quod licet honestum est. l. 186. eod.

Pater potest filios inhonestè viventes exhæredare. l. 11. & 19. Cod. de inofficio. testam.

Promissum ex turpi causâ non potest peti. l. 1. Cod. de cond. ob turp. caus.

Hæredes possunt legatum servis sinè libertate relictum negare, sed non decet. l. 5. §. illo videlicet Cod. de necess. servis hæredib. instit.

Pactum de turpi causâ, & impossibili non valet. tap. factiones. de pactis.

VIRTVS EST HOMINI conveniens & necessaria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Virtus est habitus, ratione eligenda definiens; vndè essentialiter convenit homini creaturæ rationali, illique est necessaria, seù vt externis bonis convenienter vtatur, seù vt propria legitimè dispenset.

MAGNITVDO. Ætas corpori dat convenientem habitum, virtus animo, hac enim præstantes dicuntur magni viri. Eminent enim, & sibi sufficientes nihil amplius aut timent, aut expectant à fortunâ.

DVRATIO. Auspicamur vitam & primos ejus annos trahimus bestiarum more ex sensibus; vndè nascitur pessima consuetudo, quæ in legem, imò & naturam transiret, nisi virtute contrarij inducerentur habitus, quibus jam homo, non impetu, sed ratione procedat, sciatque vbi gressus debet aut sistere, aut accelerare.

POTESTAS. Non staret hominum societas sinè regimine, nec regimen sinè virtute; hac enim sublata imperium in tyrannidem degeneret, fitque ipsis publicis ex confusione malis remedium pejus. *Vide Virtus Potest.* In vita privata virtus agit publici regiminis tyrocinium; priùs, vt ait Plato constituit in mente, quàm in Republica, bonis legibus ornatam, & munitam civitatem. Tradit imperium rationi vt parti potentiori, nobiliori, cognatæ scilicet primi illius intellectus, mundani opificij creatoris & Rectoris.

COGNITIO. Virtus est ars vitæ, quâ sublatâ, casui, fortunæ, passionum tumultuarijs motibus res hominum exponuntur. In propriam mutuamque perniciem, ratione, artibus, scientijs vtentur homines, nimiâ luce conflagrabunt, fient Dæmones scientifici, sed pessimi, instructa dolis malitia fiet invincibilis, nisi noxias illas vires justitia temperaverit, & prudentia bonos paribus armis consilijque præmunierit.

VOLVNTAS. In hominem vt rerum medium confluent cæterarum creaturarum omnia bona & mala mixtim; quæ in diversis animalibus vigent passiones simul omnes mentem humanam exagitant, vndè periculosa excitatur tempestas, in quâ pereundum est, nisi virtus clavum rexerit: hæc in homine vices agit instinctus, qui bruta avertit à nocivis, convertit ad vtilia; præstantior est, quia liberè procedit, ratione non impetu, non practicè tantùm, sed theoricè certoque consilio; est vniversalior & nobiliori modo nobilissimum agens dirigit in nobilissimum finem, scilicet in Dei optimi maximi similitudinem.

VIRTVS. Innumeri sunt casus, quibus hominis vita tentatur, his tamen omnibus virtute provisum est: Invigilat omnibus oculata Prudentia, Iani instar bifrons, præterita & futura prospicit; immotam sibi sedem eligit Fortitudo, vndè nec illam prospera, nec adversa dejiciant; sufficientis arbitra Temperantia modum dicit sensui blandientibus objectis; omnia etiam subtilissima, vt ignem & aërem, ponderibus suis librat Iustitia, omnibus rebus prætium dicit, omnibus jus suum reddit.

VERITAS. Virtus id primùm exequitur, vt hominem naturæ suæ restituat, & ad ideam sui archetypi conformet: non est homo, sed leo, si sævit ira; porcus sigulâ, &c. Qualis civitas, tyrannidi, seditionibus, rapinis, cedibus laborans, & vbi scelera impunè omnia depopulantur, sinè legè, sinè principe, sinè Magistratu; sic mens miserè à passionibus dilaniata sinè virtute.

GLORIA. Merito honores publicis suffragijs virtuti decreti sunt, cum hinc pendeat humanæ vitæ fœlicitas: fit enim pax publica, cum vis justitiæ famulatur, & nihil in leges audet potentia.

DIFFERENTIA. Cum mens humana jàm naturaliter mobilis, offendat in irregulares rerum mundanarum motus; ex hoc multiplici inconstantiæ con-

curſu fieret mira confuſio, niſi virtus menti firmitatem, rebus ordinem, obſcuris lucem, rapidis modum, hoſtilibus conciliationem largiretur.

CONCORDANTIA. Quod ſtet humana ſocietas, quod familiarum, quod civitatum, quod populorum fœdera ſint illibata, id efficit virtus, quæ bonam fidem ſervat in commercijs, quæ potentiores inferioribus amicè conciliat, & vim, aliter in prædas ſævientem, in mutuum trahit auxilium.

CONTRARIETAS. Homo mixtum eſt ex duabus contrarijs conſtans partibus, quarum bella, & converſas in ſe mutuò vires ſola virtus imponit; omnium arbitra legem dicit, quâ ſic animus vtitur corpore, vt illud non opprimat; ſic corpus ſubeſt animo, vt ſuæ dignitati non officiat: paratis rebus domeſticis potentior ſit animus, vt militet contrà mundi vanitates, & fortunæ perfidos caſus.

PRINCIPIVM. Si animus in homine cœlum eſt, virtus eſt illi motrix intelligentia; ſi mundus, eſt quaſi forma vniverſalis, ſi Regnum, princeps eſt, boni principis idæa: Ad hominis dignitatem pertinet, quod vt libet populus rectorem ſibi conſtituit, fœlix, quod ſibi conſtituere poſſit habitum, vndè ſua pendet fœlicitas; indè nobilior quod ab externis non pendeat, quod illius ſit artifex & reſtitutor.

MEDIVM. Innumeris titulis poteſt deſcribi virtus, & tot nominibus, quot ſint ejus in hominum vtilitatem effectus: Inter cætera poteſt dici illam eſſe nexum, quo corporea ſpiritualibus, privata publicis, humana divinis fœliciſſimè connectuntur: Aliqua poteſt efficere vis, aut aſtutia, omnia virtus.

FINIS. Hæc vitæ legitimum finem proponit media ad illum conquirit, agendis ordinem dicit, vim inviſtam vt contrarijs reſiſtatur miniſtrat, ſuis ſecura fœlixque conſilijs, licet effectum invida fortuna præverterit.

MAIORITAS. Si excellentiam ambit animus, nihil ſublimius, potentius, fœlicius virtute, quæ fortuita deſpicit, mortalia ſupergreditur, & divina contingit: Quæ ex genere, opibus, & fortuitis habetur excellentia, finita eſt, tumor eſt, morbi potiùs quàm ſanitatis index; vera hominis nobilitas, ex eà parte cenſenda, quâ homo eſt, ſcilicet ex mente, cum ſanctior & divinior fuerit effecta per virtutes.

ÆQVALITAS. Sedet virtus omnium judex, vt omnibus quod ſuum eſt reddat, Deo per Religionem, Patriæ & parentibus per pietatem, civibus per variæ charitatis & juſtitiæ officia. Prætium rebus dat, non ex opinione, ſed ex legum & veritatis ſenſu; hinc generale illius decretum ſpiritualia ſpiritualibus, aut divinis perfici, nihilque caduca conferre ad immortalis animi fœlicitatem.

MINORITAS. Virtus divinum eſt elixir contrà mala omnia, quibus vita hominis tentatur; Non ſolùm inter hoſtes ſuos manet illæſa, ſed illos etiam in ſuas trahit partes, itaut ex malis bonum eliciat: ſic non minùs ad fœcilitatem promovetur paupertate quàm divitijs, ſolitudine quàm aulæ frequentiâ, exilio quàm dignitatibus; hæc externa ſuo ſenſu ſic exigua ſunt, vt in illis nihil ſe aut acquirere aut amittere reputet.

VIRTVS MORALIS etiam in infideli bona eſt, nec eſt peccatum.

D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 4. Quærit an omnis actio infidelis ſit peccatum, & concludit quod peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ; vndè infideles cum ſint in peccato, poſſunt aliquid boni operari, quanquàm id non ſit meritorium vitæ æternæ: ſicut enim habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem; ità infidelis poteſt aliquem actum bonum facere, in eo quod non refert ad finem infidelitatis. Objicit ſibi illud. Rom. 4. Omne quod eſt ex fide peccatum eſt, & reſpondet quod dicit ibi Apoſtolus ea quæ fiunt contra dictamen conſcientiæ eſſe peccata; vndè legitimè infertur id quod fit ex dictamine rationis non eſſe peccatum. Item. Act. 10. de Cornelio Centurione adhuc infideli dicitur, quod acceptę erant eleemoſinæ ejus Deo: De eo etiam poteſt dici quod habebat fidem implicitam, nondùm manifeſtatâ Evangelij veritate. Solvit cæteras difficultates hac ſolutione. Infidelitas eſt vitioſum principium, itaut mala ſint quæ pendent ab ipſo: at cum homo ſervat legem naturæ, non agit vt infidelis, ſed vt æternæ veritatis particeps.

Quid eſt aliud natura quàm Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? Senec. de benef. l. 4. c. 4.

Hanc divinam legem promulgant cæli, elementa, creata omnia linguâ ab omnibus intellectâ, vt notat D. Chryſoſtomus homil. 9. ad popul. Antiochænum. Eſt etiam hæc lex æterna, & naturalis ſcripta in cordibus noſtris ſecundùm illud. Rom. 1. Inviſibilia ejus, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, itaut ſint inexcuſabiles, &c. & Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Vndè patet quod ſervare legem naturæ eſt ſervare legem Dei ergò non eſt peccatum.

Bonum naturæ quod eſt naturalis inclinatio ad virtutem homini conveniens, ab eo per peccatum in totum non auferetur. D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3.

Secundùm hanc legem vixerunt Patriarchæ grati Deo, itaut leges omnes poſtea factæ fuerint, tantùm expoſitiones & commentaria vitæ ipſorum, vt ait Philo. lib. de Abraham.

A lege naturali omnes leges; ſic D. Thom. Omnes actus virtutum ſecundùm generalem rationem, quâ virtuoſi ſunt, ad naturæ legem pertinent. 1. 2. q. 14. a. 3.

Legem ratio commendat, porrò ſi lex ratione conſtet, lex erit omne quod ratione conſtiterit. Tertul. de cor. milit. c. 2.

Iuſtitiam, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, non opinio genuit, ſed innata diuinitus vis. D. Aug. lib. 83. quæſt. 31. & de libero arbitrio. c. 5. & 6. Lactant. lib. 6. c. 8. *Vide infrà Princip. Verit.*

Arbor mala non poteſt fructus bonos facere, ideſt non tàm bonos quàm inſita, bonos tamen vt convenientes naturæ ſuæ ſylveſtri: ſic infidelis faciet actus bonos in ordine naturæ, licet non meritorios gloriæ, vt cum adeſt pauperi, &c.

Peccatum eſt dictum, factum vel concupitum contrà legem æternam. D. Auguſt. lib. 22. contrà Fauſtum. cap. 27. Si eſt peccatum aliquid committere contrà hanc legem, ergò illam ſervare non eſt peccatum.

Sic Cardinalis de Cuſa excitation. lib. 5. cap. 31. Iuſtum non poteſt eſſe malum, aut Deo averſum à quo eſt; ſed abuſus eſt malus: Iuſtitia eſt ipſa natura, operatio ſecundùm naturam eſt juſta operatio, peccare autem eſt venire contrà rationem. Triplex eſt ordo in homine; ad ſe, ad Deum, ad proximum;

quo ad ſe, omnes menſurare debet regula rationis; quo ad Deum, regula legis divinæ; quo ad civilitatem cum aliis, regula legis humanæ.

Denique deciſa eſt hæc controverſia à Concilio Trident. Seſſ. 6. can. 7. Si quis dixerit opera omnia, quæ antè juſtificationem fiunt, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, anathema ſit.

Vide Suarez de gratiâ. l. 1. c. 6. & ſeqq. vbi Refert ex D. Auguſt. Romanos mundi imperium accepiſſe à Deo in remunerationem virtutum ſuarùm moralium. Obſtetrices ſimiliter dona à Deo accepiſſe, eo quod non occidiſſent primogenitos. Hebreorum, & alia refert exempla.

Vide quæ ſcripſi de hac quæſtione lib. 2. Moral. Chriſtia. cap. 9. Et lib. de miſericordiâ Dei parte. 2. cap. 8. & 9.

Bona quæ damnati fecerunt hîc, proſunt eis in inferno ad mitigationem pœnæ. D. Thom. 3. q. 89. a. 6. ad 3. ſi eſſent peccata, non mererentur mitigationem, ſed augmentum pœnarum.

Bona facta ſinè gratiâ remunerantur in præſenti. 2. 2. q. 83. a. 6.

Opera mortua ſunt meritoria, non quidem propriè, id eſt ex condigno, ſed quaſi ſimilitudinariè; ideſt ex congruo; & hoc reſpectu triplicis boni ſcilicet conſecutionis bonorum temporalium, diſpoſitionis ad gratiam, & aſſuetudinis bonorum operum. 3. q. 89. a. 5.

Dæmones & peccatores quo ad naturam ſunt amandi. *Vide Media Concordantia.* Ex Theologia.

VIRTVS ETIAM IN infideli bona eſt, nec eſt peccatum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Virtus eſt habitus ex ratione, Ratio autem eſt lex Dei ſcripta in cordibus noſtris; ſummum Dei beneficium, quo fit vt homo præſtet & imperet cæteris inferioribus creaturis, creatoriſque ſui præferat imaginem. Vndè patet quòd actus virtutis eſſentia ſua boni ſunt & Deo accepti; etiam in eo cui non contulit majus beneficium gratiæ juſtificantis. Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valdè bona: bonæ illi viſæ ſunt virtutes rerum corporalium in genere ſuo, licet multum diſtarent ab excellentiâ ſpiritualium; ſic actus virtutum boni ſunt in ordine naturæ, licet non attingant ordinem gratiæ.

MAGNITVDO. Docet quidem fides peccato primi hominis omnes ſucceſſores naſci reos, ſed hîc reatus tollit quidem gratiam juſtificantem, non tamen deſtruit naturam, quæ ſupereſt in hominibus, vt in Dæmonibus poſt peccatum; ſic ab ægris poſſunt fieri aliquæ actiones ſanæ, vt eſtamate laborãs rectè videt; ob crimen nobilitate privatus poteſt ritè cætera vitæ civilis & popularis munia obire, aves, quibus præciſæ ſunt alæ ambulant, ſi non volent, nec ideò cæteri omni motu, quia ſublimis ille, primò illis conceſſus, tunc negatur; cæpe, aut alio medicamine illitus infectuſque magnes, licet non recipiat influxum poli, vt in illum convertatur, retinet tamen cæteras naturæ ſuæ qualitates, & eſſentialem reſpectum ad polum, vt iterùm ab illo trahatur & perficiatur; cum illum officioſa manus his impedimentis liberaverit: Sic peccato ſubalta eſt gratia, non natura, cujus actus boni ſunt, licet in inferiori gradu.

DVRATIO. Infideles ad quos nondùm pervenit prædicatio Evangelij, & qui illius habent invincibilem ignorantiam, remanent in ordine legis naturalis; vndè in eâ idem poſſunt ac Patriarchæ, quorum vita tota non fuit peccatum, ſed Deo placita, licet non fuiſſent mundati à peccato originali, cùm ad id nulla tunc fuiſſent inſtituta ſacramenta; & ſi quæ fuiſſent, non contuliſſent gratiam. Et ſanè ſi quidquid ſit ab originali peccato infectis eſſet peccatum non fuiſſet conveniens divinæ bonitati, tandiù differre Verbi incarnationem.

POTESTAS. Ab aulâ ejectus ob crimen, in exilio ſuo poteſt aliqua facere, quæ non moveant iram, ſed provocent miſericordiam ſui Principis; vt ſi irruentibus hoſtibus obſtiterit, ſi motus civiles compeſcuerit ſi conjurationes aperuerit. &c. Sic privatus gratiâ juſtificante in omnibus non peccabit. Potentiæ naturales intellectus & voluntas ex ſe bonæ ſunt, quid ni ex illis boni actus procedent in ordine ſuo, ſcilicet naturali? ad quid libertas, ad quid conſultatio, electio, ad quid ſynderesis, & lex æterna ſcripta in cordibus, ſi quidquid agat homo peccet?

COGNITIO. Mens ſe & ſua intelligit per reflexionem, habetque impreſſam ſibi à naturâ ideam honeſti, ad quam quaſi ad normam ſua & aliena metitur, infideles autem, quales erant Philoſophi, probant actus virtutum moralium, de illis gaudent, in illis quieſcunt, intelligunt enim ſe talibus Deo eſſe ſimiliores, & ſic magis acceptos; de contrariis autem peccatorum actibus pœnitent., & acerbiſſimis torquentur conſcientiæ ſtimulis: non fallitur hic naturalis, communiſque omnibus rationis & conſcientiæ ſenſus; quod ſi omnes actus indifferenter eſſent peccata, de omnibus dolerent & pœniterent.

VOLVNTAS. Homo in puris naturalibus, ideſt ſinè gratiâ, poteſt amare Deum ſuper omnia; In naturâ, quidem lapſâ indiget auxilio gratiæ, vt aſſerit D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 3. Deus autem non deeſt in neceſſarijs: Vndè potuerunt eſſe infideles, qui vt Deum cognoverunt eſſe ſummum bonum, ſic cum auxilijs, gratiæ ordini naturæ convenientibus, illum ſummè amaverunt; quis autem dicet, Dei contemplationem & amorem eſſe peccatum? Deum ſe contemplantem & amantem odiſſe & punire? Deus amat omnia quæ fecit. vt ait. D. Thom. 1. q. 20. a. 2. fecit autem intellectum & voluntatem ad ſui ſimilitudinem, tales etiam actus cognitionis & amoris ſui gratiæ ſuæ auxilio promovit; non ergò poteſt illos vt peccata cenſere, & odiſſe.

VIRTVS. Si malum eſt pauperem ſpoliare, adulteria, homicidia & cætera crimina perpetrare, bonum erit miſeris opem ferre, jus ſuum cuique reddere, & cætera ex lege naturæ bona opera exercere: nam plùs ab eſt à ſenſu cõmuni, qui dicit hos virtutis actus eſſe peccata, nec Deo acceptos, cum ſint ejus ſimilitudines, quàm qui diceret lucem eſſe tenebras & Soli lucidiſſimo contrariam.

VERITAS. Ratio, quæ tales actus dirigit, eſt lex Dei ſcripta in cordibus noſtris, *vt vide ſuprà in Miſcellaneis.* Cum ergò hæc lex ſervatur, fit voluntas Dei, non igitur fit peccatum; impium enim eſt dicere, Deum idem velle & nolle; velle, cum id interius præcipit infideli; nolle, cum id peccatis adſcribit, & punit.

GLORIA. In controverſijs id magis aſſerendum, quod magis vergit ad Dei gloriam; At major eſt Dei gloria, ſi minus offendatur ab infidelibus, ſi etiam in hoc ſtatu in aliquibus illi ſerviant obediendo rationi

quæ eſt ejus lex, ſi peccatum in homine non penitùs deleverit divinam ſimilitudinem? Paſſim in ſcripturis apparet Deum remunerasſe actus virtutis moralis, etiam in infidelibus. *Vide Gloria Virtutis.* Si remunerat actus, approbat, & acceptabiles habet, ergò non reprobat, non damnat, non punit illos vt peccata; licet enim non mereantur gloriam, tamen in ordine naturali, cum boni ſint, præmium ejuſdem ordinis merentur. Sic D. Thom. 3. q. 89. a. 6. ad 3. refert ex D. Gregorio, malo divitem Lazarum dixiſſe; recepiſti bona in vita tua, ſcilicet remunerationem boni moralis, quod fecerat; & hæc bona moralia aſſerit prodeſſe, ſi non ad gloriam, ſaltem ad mitigationem pœnarum, quas quis meretur ob ſua peccata: Ipſæ ergò infidelium virtutes *non* ſunt peccata, quæ peccatorum pœnas mitigant.

Differentia. In tenebris omnes colores ſunt nigri; non eſt tanta caligo in infidelium mentibus, vt omnes eorum actus ſine diſtinctione ſint mali: Deus enim lux eſt, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, hac rationis luce Philoſophi bona à malis, virtutes à vitijs, juſtum ab injuſto diſcreverunt, Deum etiam omnium authorem agnoverunt, & reos illos dicit Apoſtolus, & inexcuſabiles, quod Deum ſicut poterant non glorificaverunt; Ergò poterant glorificare, & ſic non peccare.

Concordantia. Ignis & terra contrarijs feruntur motibus, oppoſitaque habent contra, ignis altum tenet, terra mundi infimum: tamen vnâ qualitate ſcilicet ſiccitate conveniunt: lutum cum auro poteſt eandem habere rectitudinem, eandem quadrangularem, circularem, aut aliam figuram, licet vtrique non ſit idem prætium, & vnum è duobus vas ſit in honorem, aliud in contumeliam: non tamen reprobatur luteum ob figuram, quam habet probatam, & cum aureo communem: ſic poteſt rectitudo moralis inveniri in fidelibus & infidelibus. Accenſus aër, etſi dum extinguitur, deſinat ſurſùm ad regionem ignis ferri, remanet tamen in ſuâ regione mundi mediâ; ſublatâ gratia remanet ordo naturæ, à Deo conſtitutus, ſic bonus: eſt ſphæra intelligibilis, quæ licet ſit inferior, tamen concinit ad Dei laudem; eſt luminare minus majoris vicarium, vt præſit nocti: Sol lucet mundo in lunâ, quæ quaſi ſpeculum ſuos excipit radios; ſic Deus mentes illuſtrat, non ſolùm per fidem & gratiam, ſed etiam per lucem rationis. Hi duo radij, licet diſparis ſplendoris, idem habent principium, ſimulque concordant, vt probat. D. Thom. initio contrà gentiles: vndè fides, & rationis & moralis diſcurſus ſibi aſſumit & perficit; & Theologi myſtici, cum Dei voluntatem non habent per ſcripturas leges expreſſam, illam quærunt in eo quod rationi conſentaneum eſt.

Contrarietas. Etiam in hoſtibus laudatur virtus. *Vide Gloria Virtutis.* Quid ni Deus in infidelibus, nondùm fide imbutis, probet quod ſuum eſt, ſcilicet rationem & virtutem? Odia ſunt reſtringenda, & ampliandæ gratiæ, tamen quidam hæretici, hominum oſores, volunt Dei juſtitiam, etiam in ea quæ bona ſunt, deſævire; cum fingunt tam inanem, vt offendatur his quibus debet placari; tam ſibi contrarium, vt averſetur & puniat quod ſuaſit & juſſit per internam naturæ legem.

Principium. Non attendunt hi Deum vt patrem miſericordiarum, ſed vt furentem in homines hoſtem, ſinè diſcretione bonis & malis iratum. Impietas ex errore duxit originem, & vt pagani Deum alter quàm ſit confingentes, tandem in id lapſi ſunt, vt nullum eſſe Deum aſſererent, ſic tandem negabitur divina Juſtitia, ſi proponatur irata etiam bonis actibus moralibus, & fictitia habebuntur quæ fides aſſerit de peccato originali, ſi nos in tales contrarietates deducant.

Medium. Aſſerunt communiter Theologi, quod ſi infidelis exactè, quantùm in ſe eſt, ſervaret legem naturæ, Deus illi fidem revelarat, ergò aliquid per hanc legis obſervationem meretur, ſi meretur non peccat, peccatum enim non præmio, ſed pœnis donandum.

Finis. Ex finè probitas actionis æſtimanda eſt; infidelis autem Philoſophi, benè moraliter viventis, hæc erat intentio, vt patet vbique ex Seneca, ad naturam vivere, ſcilicet rationem, & quàm dicit eſſe Dei legem. Plato vult Philoſophum ſemper ideam boni contemplari, illique conformari, quis dicat his hominem peccare & Deum offendi?

Maioritas. Habitus virtutum qui ſunt in infideli poſt ſuſceptum baptiſmum remanent idem, & à gratiâ elevantur; ſi eſſent mali, non elevarentur, nec gratiæ jungerentur, ſed penitùs eſſent deſtruendi.

Æqualitas. Virtutes morales ſunt in Deo, & in Angelis exemplariter. D. Thom. 1. 2. q. 57. a. 1. Non peccat homo cum ſanctitatem beatorum & ipſiuſmet Dei conatur imitari.

Minoritas. Deus non facit ex bono malum, qui ex malis ſolet bonum elicere. *Vide Minoritas Medij.* Vndè actum virtutis moralis ex ſe bonum non habet vt peccatum, licet exors ſit à gratiâ & gloriâ, qui illud committit: quis judex carcerato, ob adulterium aut homicidium, continua imputet adulteria aut homicidia, etiam dum ab illis abſtinet?

Digitized by Google

MAGNITVTO VIRTVTIS.

MAGNA ET PERFECTA VIRTVS.

MISCELLANEA.

VIRTVS quæ eſt in animàbus noſtris A qualitas; in Deo eſt eſſentia, exemplar, atque principium: Nam vt per gradus accidentium mutabilium deveniturad ſubjectum, in quo ſunt perfectè & permanenter, vt lumen & calor in cœlo, ſic & ad perfectam idæam virtutum eſt deveniendum. Plotin. lib. de Virtute. cap. 1.

Qui regunt debent habere virtutem in excellenti gradu. *Vide Virtus Poteſtat.*

Iupiter planeta complectitur omnia, quia eſt medius inter ſolem & venerem, & inter ſolem & lunam, qualitate & effectu. Marſ. Ficinus.

Approbans perſonam ſervi in vno actu, approbat in cæteris. l. 17. Cod. de Teſtib. B

Divina & intellectualia nihil potentiæ habent, quia eorum ſubſtantia eſt actio. Simplicius.

Obſerva numquid veſtis tua, domuſque diſſentiant, numquid in te liberalis ſis, in alios ſordidus; numquid cenes frugaliter, ædifices luxuriosè: quidam ſe domi contrahunt, dilatant foris, & extendunt: Vitium eſt hæc diverſitas, ſignum vacillantis animi, nondùm habentis tenorem ſuum, &c. Senec. Epiſt. 20.

Bonum ex integrâ cauſâ, qui peccat in vno factus eſt omnium reus.

Quod charitas, quæ complectitur virtutes omnes, debeat eſſe integra, & non pro parte. *Vide Magnitudo Voluntatis, & Veritas Virtutis.*

Virtutis majoris eſt facere vnum perfectum, quàm multa imperfecta, quia nullum eorum comprehendit quod pertinet ad ſuam ſpeciem in totum.

Aloe habet multiplicem virtutem, ſcilicet vim purgandi ventriculi, roborandi, cruenta vulnera agglutinandi, palpebras humidas reſiccandi. Galen. *Vide Magnit. Bonit. Et Magnit. Poteſt.*

Græci non niſi mares victimas offerebant vt potiores. Sic à Iudæis offerebatur agnus maſculus, anniculus.

Homo in ſtatu innocentiæ non potuiſſet peccare venialiter, quia in omnibus habuiſſet perfectum imperium rationi. D. Tho. 1. 2. q. 89. a. 2.

Legis veteris præcepta moralia ſunt de omnibus actibus virtutum. 1. 2. q. 100. a. 2.

In Chriſto non fuit fomes peccati. 3. quæſt. 15. a. 2.

Abraham fuit perfectus. 2. 2. q. 186. a. 4.

Adam habuit omnes virtutes. 1. q. 95. a. 3.

Beatitudines ſunt operationes virtutum perfectarum per dona. 1. 2. q. 69. a. 1.

Charitas poteſt dici virtus generalis, in quantùm ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum. 2. 2. q. 58. a. 6. Eſt radix, mater & forma omnium virtutum. 1. 2. q. 62. a. 4.

Magnitudo Dei eſt perfectio naturæ ejus. 2. q. 42. a. 4.

Magnificentia eſt rerum magnarum & excelſarum, cum animi quadam amplâ & ſplendidâ proportione, cogitatio, & adminiſtratio. 2. 2. q. 128.

Status Religionis poteſt conſiderari trìpliciter, ſcilicet vt exercitium tendendi ad perfectionem charitatis, vt quies, & vt holocauſtum. 2. 2. q. 186. a. 7.

Per tria Vota tolluntur ea, quæ impedium ne homo totaliter feratur in Dei ſervitium. Ibid. a. 4.

Per ingreſſum Religionis homo ſe totaliter mancipat Dei obſequijs. q. 189. a. 3.

Virtutes perficientes intellectum excludunt totaliter falſum, non autem virtutes perficientes appetitum. 2. 2. q. 1. a. 3.

Virtus naturalis eſt determinata ad vnum: Virtus autem rationalis ſe habet ad multa. 1. 2. q. 49. a. 4. ad 2.

Dominus quo ſanavit, penitùs liberavit: mutum & ſordum à ſeptem dæmonijs, & à legione vexatum, oſtendit in pœnitentiâ nullum remanere debere peccatum. Can. Sunt plures, de Pœnit. diſt. 3.

Falſa eſt pœnitentia quæ non eſt de omnibus peccatis. diſt. 5. Can. Fratres.

Ardea præſentiens tempeſtates volat ſuprà nubes. C Nubes excedit Olympus.

Vide 2. Reg. 23. quæ dicuntur de magnis viris, qui erant in comitatu David, quorum vnus Leonem interfecerat, alter 300. viros, alter fugiente Iſraële ſolus reſtitit hoſtibus.

De vnione & choro virtutum, vt charitum. *Vide Concord. Virtut.*

De his quæ fieri debent integrè & perfectè. *Vide Bonitas Magnitudinis, Magnitudo Æqualitas, & Veritas Æqualitatis.*

Dicunt peripatetici ſapientem non vinci mœrore, cæteriſque paſſionibus, ſed tangi. Non hi tollunt affectus, ſed temperant. Quantulum autem ſapienti damus, ſi imbecillimis fortior eſt, & mœſtiſſimis lætior, D & effrænatiſſimis moderatior, & humillimis major, quid ſi ſanum voces leviter febricitatem? non eſt bona valetudo mediocritas morbi; Non diminutionem malorum in bono viro intelligo, ſed vacationem; nulla debent eſſe, non parva, nam ſi vlla ſint ereſcent, & interim impedient: quomodo oculos major & perfecta ſuffuſio excæcat, ſic modica turbat. Si das aliquos affectus ſapienti, impar illis erit ratio, & velut torrente quodam auferetur, præſertim cum vniverſum affectuum cœtum relinquis cum quo colluctetur: Melius cum illo ageretur, qui vnum vitium integrum haberet, quàm cum eo, qui leviora quidem, ſed omnia. Vt animal, ſic affectus conſilium non audit: Leonum cum minime expectaveris ex-

peratur torvitas mitigra ; Nunquàm bonâ fide vitia manuescunt, si in vitâ ratione cœperint, in vitâ perseverabunt, faciliùs enim est fuitia illorum prohibere, quàm impetum regere. Falsa est ista mediocritas & inutilis, eodemque loco habenda, quo si quis diceret modicè insaniendum, modicè ægrotandum. Cum affectus ab externis pendeant, cum causis suis crescent, tantique erunt, quanti fient: pernicioſa non servant modum, quamvis levia initia morborum, serpunt. Beata vita in summo bono est, summum autem adjectionem non recipit ; si enim sit vnus altero beatior, minùs beatus beatoris vitam concupisset, & jam non erit beatus : Beata vitâ vna est, in optimo illam statu ponit qualitas sua, non magnitudo, itaque in æquo est longa & brevis, diffusa & angustior : ille plus edit ; ille minùs, quid refert, vtrique satis est, &c. Senec. Epist. 85.

Quod passiones sint penitùs rescindendæ. *Vide Majoritas Voluntatis. Mala, & Repugnantiam.* Ex quod media tantùm sit Virtus. *Vide Media Virtus.*

De Samsonis fortitudine, qui leonem interfecit, & multos hostes cum maxillâ asini. Iudic. 15.

David de seipso refert coram Saule, quod leonem & vrsum solus interfecit.

Altitudo cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus. Amos 2.

De Iuda Machabæo maximo bellatore dicitur. 1. Machab. 3. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens, in venatione.

Verum bonum, nec remitti, nec intendi potest: Non magis quàm regula, quæ rectum probare solet, quàm si flectes, quidquid ex illa mutaveris, injusta est recti. Idem de virtute dicemus, & hæc recta est, flexuram non recipit ; rigida est, ampliùs intendi non potest ; hæc de omnibus rebus iudicat, de hac nullæ, &c. Seneca Epist. 71.

Idem lib. de Constantiâ sapientis, probat in sapientẽ non cadere iniuriam, quia nihil perdere potest, omnia bona in se reposuit, nihil fortunæ credit. Quod summum est, nec augeri, nec minui potest.

Dicit Elias ad populum, vt quid claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus sequimini illum, si autem Baal sequimini illum. 3. Reg. 18.

Deus vult in lege, non tantùm primitias frugum, & pecorum, sed etiam masculorum hominum sibi offerri. Vndè Abraham Melchisedech S. Sacerdoti, offert omnium decimas ; de sensibus, benè sentire ; de verbis, benè dicere ; de mente, bene cogitare. Philo. lib. de congressu quærendæ eruditionis causâ.

Stipendium a stipe appellatum est, quod per stipem, id est medico ære colligatur. l. 27. ager. ff. de verb. signif. Stipendium peccati mors, inquit D. Paulus, quia venitur a minimis ad maiora, quæ mortem inferunt.

Pura debet esse mens in oratione, procul ab alienis cogitationibus. *Vide Veritas Virtutis*, puritas in oratione,

Virtus facientis, non solùm consideratur ex substantiâ, facti, sed etiam ex modo faciendi.

Censetur paganus ficte ad fidem conversus, si reliquam suam familiam in errore relinquit. l. Final. C. de Pagan.

Anathemate feriuntur, qui in Ecclesiâ Eucharistiam sumunt & non consumunt. Concil. Cæsarauguſt. Cant. 3. an. 381.

Vt pulchritudo emicat ex omnium partium recto ordine, sic decorum ex rectâ morum conformatione, vndè sumus amabiles.

Tu es veritas super omnia præsidens, at ego per avaritiam meam non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium : sicut nemo vult ità falsum dicere, vt nesciat ipse quod verum sit, ita que amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri. D. Augusſt. lib. 10. Confess. 41.

Qui animi magnitudinem inter certos fines tenet, male agit : Vincit nos fortuna, nisi tota vincatur. Seneca. lib. de Constantiâ sapientis.

Quidquid est tale pro parte, non est tale, per naturam tuam, sed est tale per illud, quod est tale secundùm totum & per naturam suam, vt lignum calidum est tale per ignem, qui est calidus ex toto. Nam totum non comprehenditur, nisi à naturâ propriâ: Marsil. Ficin. Theol. Platonic. lib. 1. cap. 5.

Damnati Carpocratis discipuli qui simul colebant imagines Christi, Pytagoræ, Platonis, Aristotelis. Baron. an. 120. n. 35.

Non est Deo grata oblatio, quæ non est cum integritate vitæ. *Vide Potestas Virtutis*, Vis pietatis apud Deum, *Et Veritas Virtutis.*

Eutropius Eunuchus ab arcadio Consul electus, minimè dignus habitus est qui Latinis Consulatibus Fastis adscriberetur, & nulla ejus fit mentio in omnibus inscriptionibus marmori insculptis, ità probrosa hæc electio est habita. Vide Baron. an. 399.

Theodosius dat rescriptum de sacris festis diebus religiosè sanctéque, absque spectaculorum hilaritate, servandis, l. 5. Cod. Theodos. de Spectacul.

Charitas non agit perperam. 1. Cor. 13.

Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei 2. Chor. 7.

Ab omni specie malâ abstinete vos Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer Spiritus vester & anima & corpus sinè quærelâ sint in adventu Domini nostri 1. Thessal. 5.

Candor vestis in Baptizandis significat puritatem mentis, sinè mixtione materiæ & passionum. Photius. Bibliot. c. 232.

Romæ initio belli Marsici, & non multò post Athenis Androgini inventi exusti sunt vivi : quasi hæc mixta vis esset mali omnis ; imperfectam virtutem significans, Ibid. cap. 244.

Novenarius ad denarij non accedens perfectionẽ, sed vnitate minor, infœlix est. *Vide Differentia Magnit.* De novenario. *Vid. Magnit. Potest. & Magn. Gloria.*

Ad pulchritudinem quæ alba esse convenit, exactè & perfectè debent esse alba, similiter perfectè nigra sint, quæcumque nigra Lucianus dialogo Imagines. Ideò militans Deo non implicet se negotiis sæcularibus. *Vide Gloria Virtutis.*

Nisa mons, & Timolus in Lydiâ sunt arboribus consiti à radicibus ad summum vsque verticem Philostratus in vitâ Apollonij. lib. 2. cap. 4.

QVI PECCAT IN VNO, fit omnium reus.

Nihil proficit militi, si ex vnâ parte inermis ictus pateat. Si vel minimùm resiliat circinus ; non fit circulus, perfecta sit virtus, quâ ad Deum quasi circulo redimus. Achilles à matre stygi immersus, & invulnerabilis effectus excepto quo tenebatur calcaneo, hac parte à Paride vulneratus interiit.

Effluunt omnes aquæ factâ vel minimâ vel in repagulis fissurâ : Vastatur in cæteris munitissima civitas, si vel vnâ muri parte diruta pateat hostibus.

Vnius rotæ, & vocis defectus turbat totum horo-

logij & Muſicæ harmoniam.

Convertimini ad me,& ſcindite corda veſtra, &c. Non eſt converti niſi ſciſſo corde : donec enim vnam accipias, in Ieruſalem multa tibi præcipiuntur, & ſi in vno offenderis factus es omnium reus : Spiritus Dei multiplex. Sapient. 7. Nec potes ſequi multiplicem ſinè multiplici ſciſſione, vt non circà vnum aliquod obſtinatior voluntas reperiatur, vndè dicitur de peccatoribus , Coagulatum eſt cor eorum. D. Bern. Serm. 3. de jejunio.

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. Cor. 5.

Fides debet eſſe integra. *Vide Magnitudo Veritatis.*

Pulchritudo vnius partis defectu læditur. Phidias in Palladis ſuæ ſcuto imaginem ſuam tali arte effinxerat , vt ſi tolleretur , tota ſtatuæ machina corrueret: vnicum peccatum tollit in nobis Dei imaginem.

Parva affectio in præcordijs animantis magnam in reliquis membris alterationem facit ; latentes & occultæ impetigines ſæpè in lepram totius corporis ſerpunt ; Sic veneno infecta pars, cæteras inficit, cohærent vitia vt virtutes. *Vide Concord. Virtutis. M. & Concord. Minor.*

Tunc non confundar , cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Pſal. 118.

Nihil prodeſt Chriſtum credere , ſi offendis Eccleſiam. *Vide Concordantia Virtutis.* Vnitas Eccleſiæ, ſub finem.

De inſidioſâ virtute morali hæreticorum. *Vide Veritas Virtutis Repugn.*

Qui non eſt mecum contrà me eſt,& qui non congregat mecum, diſpergit. Luc.

Vtinam aut calidus , aut frigidus eſſes, ſed quoniam tepidus es incipiam te evomere. Apocal. 3.

Stoici exiſtimabant eum qui verè vnam virtutem haberet, habere omnes ; nec eſſe à vitijs abſolutum, niſi ab omnibus , vt non eſt liberatus à gurgite , niſi qui in aërem liberum emergit. Contrà aſſerit. D. Auguſt. Epiſt. 29. Mulierem marito fidelem, verè habere pudicitiam, etiamſi in alijs peccet ; vt oriente ſole verè eſt aliquid luminis & tenebrarum. Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens , & tamen juſtus ex fide vivit. Induti ſunt juſti juſtitiâ , alius plùs, alius minùs. Nemo ſinè peccato, ſic igitur interpretatur illud. Iacob. 2. Qui peccat in vno , factus eſt omnium reus , de charitate quæ finis eſt legis : qui enim Deum non diligit, nec ſe nec proximum diligit , Reus itaque ſit omnium faciendo contrà eam, in quâ pendent omnia, reus quidem omnium, ſed variè in diverſis. *Vide Magnitudo Veritatis.*

Hæreticus habetur qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detectus fuerit deviare. l. 2. Cod. de Hæret. & Manich.

Novatus aſſeruit lapſos Dei judicio relinquendos, nec vllum eorum habendum eſſe diſcrimen , criminumque disjunctionem. Baron. an. 254.

Vide Poteſtas Minoritatis. Vnum multis æquivalens.

POENITENTIA DEBET esse omnium peccatorum.

DOminus quos ſanavit penitùs liberavit : multum & ſurdum à ſeptem demonijs ; & à legione vexatum ; oſtendit in pœnitentiâ nullum remanere debere peccatum. Can. Sunt plures. de Pœnit. diſt. 3.

Falſa pœnitentia eſt, quæ non eſt de omnibus peccatis. Can. Fratres de Pœnit. diſt. 5. & Concil. Lateran. cap. 22.

Æger oculus non ſolum luce circumfuſus eâ privatur , ſed etiam lux illi ſupplicio eſt : ſic Adam cum puram habebat conſcientiam gaudebat ad conſpectum Domini ; poſtquàm autem peccato oculus ſauciatus eſt, cœpit lucem formidare divinam,& abſcondit ſe. D. Auguſt. Serm. 18. de Verb. Dom. Dictum in eos qui celant peccata in confeſſione.

In Arabiâ fons eſt, qui tantâ vi exilit, vt omnia onera impacta reſpuat. Plin. nat. hiſt. lib. 31. c. 1. id efficit Spiritus terræ viſceribus incluſus : & ardens in corde charitas, omnia evomit peccata.

Numquàm cum theſauro latro tenetur incluſus ; nec in vnâ casâ agnus cum lupo tutus eſt : ipſe vult ſuperari , qui hoſti vel minimùm in ſua mœnia præbet aditum. Noli locum dare diabolo , inquit , Apoſtolus, &c. D. Cyprian.

Mentis emotiones taciturnæ perniciosæ ſunt, & inſaniam definunt. Hipoc. Coac. præn. Quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea. Pſa. 31.

In ſacrificijs pacificorum pectus dabatur Aaroni cum dextro humero , vt diſcat peccator omnes animi ſui ſinus aperire ſacerdoti. Iſichius in 7. Levit. aliter facienti evenit quod dicitur de filijs Ephraim. Oſee 13. Colligata eſt iniquitas Ephraim , abſconditum eſt peccatum ejus , dolores parturientis venient ei.

Si celamus peccatum ſacerdoti , permittit Deus omnibus cum ignominiâ notum fieri , vt Reg. 12. & Nah. 3.

Cætera elementa invicem commixtionem patiuntur, ſolus ignis miſceri neſcit.

Non debet Eccleſia ædificari & miſſa celebrari in loco vbi paganus ſepultus eſt , ſed debet foras mitti, & locus diligenter emundari. Can. Eccleſiam. de conſecrat. diſt. 1.

Quærelinquuntur in morbis recidivas facere ſolent. Hipocr.

Introibo domum tuam in holocauſtis. Pſalm. 65. Nihil remaneat , ſed gratum ſacrificium omnia conſumat. D. Auguſt.

Ex reſiduâ ſcintillâ fit incendium, ex parte corruptâ innovata corruptio , ex vermium reſiduo ſemine iterùm vermes.

De mentis ſecreto in totum Sacerdoti aperiendo. *Vide Cognitio Minoritatis.*

Recidivæ in peccatis fiunt ex imperfectâ pœnitentiâ. *Vide infrà Duratio Virtutis Repug. de Relapſis.*

Quid eſt ad pacem Dei accedere ſine pace , ad remiſſionem debitorum cum retentione ? quomodò placabit Patrem , iratus in fratrem ; Neque agnoſci poteſt à Spiritu S. Spiritus inquinatus , aut triſtis à læto , aut impeditus à libero : Nemo adverſarium recipit , nemo niſi comparem ſuum admittit. Tertul. lib. de Oratione.

Scolopendræ marinæ terreſtribus ſimiles , quas centipedas vocant , hamo devorato omnia interna evomunt , donec hamum egerant , deindè reſorbent. Plinius. lib. 9. cap. 43. Exponenda totaliter conſcientia, vt quod vitioſum eſt appareat.

Erubeſce peccare, non erubeſce pœnitere ; ſed Satanas ordinem immutat , datque ijs qui illi obediunt in peccato licentiam, in pœnitentia pudorem: Tu verò ne credas illi ſed vtrique actioni ſuum tribuere ſtude. ex D. Chryſoſt. Photius, Bibli. c. 177.

Tota familia Abrahæ circumciditur , etiam ſervi. Gen. 17.

Moyſes petit à Pharaone, vt egrediatur cum vxo-

ribus, filiis, & omni ſupellectili. Exod. 10. Omnis alienigena incircumciſus prohibetur edere de agno Paſchali. Exod. 10.

Non in ſacrificiis arguam te; holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non animalium, ſed affectionum, & membrorum corporis, quæ debent omnia igne charitatis ardere, vt nihil ſit reſidui, quod fiebat in holocauſtis. D. Auguſt. in Pſal. 49.

In tribunal mentis tuæ aſcende contrà te & rerum te conſtitue antè te, noli te ponere poſt te, ne Deus te ponat antè te. Aug. de vtil. Agend. Pœnit.

Iuſtitiâ de cœlo proſpexit tanquàm Dei dicentis: parcamus huic homini, ipſe ſibi non pepercit, agnoſcamus quia ipſe agnoſcit, converſus eſt ad puniendum peccatum ſuum convertàr & ego ad liberandum eum. D. Aug. in Pſal. 84.

Peccavit David quòd ſolent reges, ſed pœnitentiam geſſit quod non ſolent Reges, confeſſus eſt culpam, & obſecravit indulgentiam D. Ambr. l. 1. de David.

Neceſſaria eſt pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat. D. Hieron. in Epiſt. ad.

Quot habuit in ſe oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta, convertit ad numerum virtutum numerum criminum, vt totum ſerviret Deo in pœnitentiâ quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpâ. D. Greg. in hom. 33. ſuper Evang.

Qui mala quæ perpetravit inſinuat, ſed flere quæ inſinuarat recuſat, quaſi ſubjectâ veſte vulnus detegit, ſed torpente mente medicamentum vulneri non apponit. Idem in Moral. Vnuſquiſque conſcientia convenitur, vt tantò majora bonorum lucra quærat per pœnitentiam, quantò gratiora intulit damna per culpam. Idem in Matthæum. 3.

Quem verè pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret, ſed quidquid ſibi pro culpâ quàm odit injungitur, tacitâ conſcientiâ amplectitur. Id. in Ho.

Qui perfectè ſenſerit onus peccati & animi læſionem, aut parùm ſentit, aut ex toto non ſentit corporis pœnam, nec reputabit quò peccata noverit, delere præterita & cavere futura. Idem in ſerm.

Numquàm ſpernit Deus pœnitentiam, ſi ei ſincerè & ſimpliciter offeratur: & ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & indè tamen velit reverti ad virtutis, viam ſuſcipit libenter & amplectitur, non enim temporis longitudine, ſed affectus ſinceritate pœnitudo penſatur. Chriſoſt. lib. de Repar. lapſ.

Latro ille qui pandebat in cruce non eguit prolixitate temporis, vt ingreſſum paradiſi mereretur: ſed tantùm ei ſpatij ſatis fuit, quantùm expedire potuit, donec vnum poſſet proferre ſermonem, ità vt infrà vnum momentum temporis totius vitæ ſceleribus abſolutus præcedere ad paradiſum etiam Apoſtolos mereretur. Ibid.

Oportet vnumquemque ſuper ſeipſum quaſi ſuper mortuum plangere, & magnos ſuper extinctam animam dare ploratus; & quomodò ſolet mater ſuper vnicum filium lamentari, ſic oportet ſuper animam vnicam, criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi, ſi fortè poſſit lacrymarum fomentis calore fidei ſuſcitari. Aug. in Comm. Serm. 24.

Totum hominem ſanavit Chriſtus in Sabbato, quia & ejus corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit: Indicans pœnitentem oportere ſimul dolere de omni crimine orto in animâ & corpore; ſcio enim Dominum inimicum omni criminoſo. Quomodò enim qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequeretur indulgentiam, ſinè quo nemo vnquàm inveniet gratiam. Aug. T. 4. in cert. Auth. l. de verâ & falſâ Pœnit. Cap. 9.

Iuſtum invocas odit peccata, ſi juſtus eſt, vindicat in peccata, vtique non poteris auferre à Domino juſtitiam ejus: Implora miſericordiam, ſed attende juſtitiam; miſericordia eſt vt ignoſcat peccanti juſtitia eſt vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris miſericordiam, peccatum impunitum remanebit? reſpondeat David, reſpondeant lapſi; reſpondeant cum David, vt miſericordiam mereantur ſicut David & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum, novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam, non impunitum; ſed ideò nolo vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio, ideò, peto vt ignoſcas quia ego agnoſco. Auguſt. in Pſalm. 50.

Agere debet pœnitentiam ex toto corde, vbi Deus videt, qui vidit cor David, quandò increpatus eſt à Prophetâ, poſt comminationes terribiles Dei, exclamavit dicens, Peccavi, & mox audivit, Dominus abſtulit peccatum tuum, tantùm valent tres ſyllabæ, ſed in tribus ſyllabis flamma ſacrificij cordis aſcendit in cœlum. Aug. lib. 5. hom. 41.

CAVENDVM A MINIMIS etiam peccatis.

MISCELLANEA.

CRimen dùm leve eſſe putatur non timetur, contemnitur, non facilè vitatur & fit cæca & occulta pernicies Porrò Dominus nos cautâ ſollicitudine vigilare præcipit, ne adverſarius vigilans ſemper & ſemper inſidians, vbi in pectus obrepteria, de ſcintillis conflet incendia, de parvis maxima exageret, & dum remiſſis & incautis flatu molliore blanditur, procellis excitaris, ſalutis naufragia moliatur; explorat debiliorem mentis & ſenſuum ſtationem, vt indè nos aggrediatur. D. Cypria. lib. de Zelo & livore.

Tentatio ſæva, implacabilis, & malæ fidei eſt; ſi parcis illi, tibi non parcet. *Vide Magnitudo Contrarietatis.*

Nihil debet audire, qui nihil debet concedere: Magno duci omnes hoſtium motus ſuſpecti ſunt. Incluſæ aves evolàr datà vel minimâ viâ: ſic effluunt ex canali aquæ. Magnæ catenæ tractus vno deficiente annulo ſiſtitur.

Non refert ex quàm magnâ causâ naſcatur perverſitas, ſed in qualem perveniat animum; ſic ignis non refert quàm magnus, ſed quò incidat, nam etiam maximum ſolida non receperunt, rurſùs arida & corrumpi facilia, ſcintillam quoque fovent vſque in incendium. Senec. Epiſt. 18.

Magis ſibi timet à latronibus, qui majores fert divitias. De indifferentiâ ſui. *Vide Cognitio Virtutis. Repug.*

Apud Iudæos mos non erat adipes comedendi, vt ſubtraheretur occaſio comedendi adipes oblatorum. Toſtat.

Serpentes parvulæ fallunt, nec eas publicè conſequimur, ſed vbi aliqua ſolitam menſuram tranſiit & in monſtrum excrevit, fontes & omnia infecit, baliſtis petitur. Vnus æger nec domum quidem perturbat, at vbi crebis mortibus peſtilentiam eſſe apparuit, conclamatio civitatis ac fuga eſt. Vnius domus incendium à vicinis aquâ reſtinguitur, ſed multas domos jam depaſtum, parte vrbis obruitur. Senec.

Senec. 1. de clem. cap. 25.

Nemihi dicas, magnam partem jam expedivi, ſed niſi totum emendaſti, nondùm te quidquam feciſſe puta, hoc enim exiguum neglectum, & omne reliquum deſtruit: ſæpè vnius tegulæ defectu ruit tota domus; levis in veſte ſciſſura facilè dilatatur; torrentes, ſi vel minimum cœperint ingreſſum, totum introducunt fluentem. D. Chriſoſt. homil. 19. ad popul. Antiochen.

Gen. 3. dicitur præcepit Dominus nè comederemus de ligno vitæ, & nè tangeremus illud.

Quod ſi hoc leve putas, qui in minimis legem contempſerit, quomodò in magnis tenebit? D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. c. 10.

In aulâ maximè neceſſaria eſt vigil quædam, nihilque omittens ſedulitas, nam illic ad fœlicitatis incrementum parva ſufficiunt initia, quæ oculos facilè lateant, ludo aut ocio intentos. Barclai.

Etſi parva, tamen quia crebra, collecta in nos fuerint, nos gravabunt & oppriment, ſicut vnum aliquod grande peccatum: quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua navem ſubmergit? D. Auguſt. Epiſt. 108. ad Seleucianum.

Non à leonibus tantum, ſed & à minutiſſimis beſtijs homo interimi poteſt, vt à muſcis & pulicibus; licet ſint minutiſſima grana arenæ, ſi tamen ampliùs in navem mittantur, implent illam, & mergunt; Minutæ guttæ pluviæ exundare faciunt flumina & domos dejiciunt. Idem de decem. Chordis. cap. 9.

Quòd paſſiones ſint penitùs reſcindendæ. *Vide Suprà hoc tit. & Majoris. Volunt. Mala.* Paſſionum damna.

Vulnera etiam in locis vilibus ſunt moleſta.

Qui divites ſe fore deſperant, parva lucra negligunt, quia nihil magni futurum putant, ſi parvum parvo adjiciatur; parciores ſunt etiam rerum minimarum, qui magnam auri copiam ſunt congeſturi; Attentius regulam opponunt, qui regale aggrediuntur palatium ædificandum, &c. Plutarch. in Moral.

In candidâ veſte vel minima labes magis apparet & diſplicet.

Pharaonis plagæ à minimis animantibus.

Non eſca, ſed inobedientia primo homini noxia fuit, & tantò majori injuſtitiâ Dei præceptum violatum fuit, quantò faciliori poterat obſervantiâ cuſtodiri. D. Auguſt. lib. 14. de civit. c. 12. & lib. 29. cap. probat Deum non minùs mirabilem in parvis quàm in magnis, vt in ape quàm in tauro. & lib. 22. cap. 24. ſupercilium licet minimæ corporis pars: ſi deſit aut excreverit, deformis vultus apparet.

Quamvis quotidiani defectus ſinguli non lethali vulnere ferire ſentiatur, tamen omnes ſimul congregati, velut ſcabies, quo plures ſunt noſtrum decus ità exterminant, vt ab amplexibus ſpecioſiſſimi ſponſi nos ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ reſecentur. D. Auguſt. homil. 50. de quotidianis illis peccatis intelligi debet, quod dicitur, Dimitte nobis debita noſtra. Ibidem.

Criniculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Numquid grave damnum eſt, etiamſi non pereas, vacuâ nave ad portum venire? Ibidem.

Ezech. 5. jubetur capillos radere, & comburere; id-eſt minimos defectus igne amoris Dei abſumere.

Tu ne leve dixeris, in quo offenditur Chriſtus: vnde ad Dei judicium pertrahi habes; cum horrendum ſit incidere in manus Dei viventis. D. Bernard. Serm. 29. ſuper cantica.

Nullum mandatum videbitur leve, ejus cogitemus autorem.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum derelinquit me? quid mirum ſi cor tuum deſertum eſt à Deo tuo, quando ſeipſum deſeruit. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis: ſi poſſumus & nolumus ſervare ingrati ſumus. Quædam incautis minuta ſubrepunt, quæ ſi adversùs nos colligantur, etſi non ſingula ſuis moribus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt; ideò juſti dicunt. Dimitte nobis peccata noſtra. D. Auguſt. in illud Pſal. 118. Non enim qui operantur iniquitatem in vijs ejus ambulaverunt.

Minuta & acuta magis pungunt, altius intima pervadunt, multiplicatis aculeis vndique vexant; ſtillicidia lapides cavant: non eſt leve damnum, quod frequens eſt. *Vide Poteſtas Durat.* Quantùm poſſit continuatio.

In corpore humano ſingulis diebus aggregatur aliquid quod evacuatione indiget, & niſi tollatur tandem morbos lethales parit. Sanitatis ſuæ ſtudioſi abſtinent ab his omnibus, à quibus poſſet alterari.

Nunc in me cadent folia, poſt cadent arbores. Plaut.

Qui ſæpè & vehementer ſinè causâ manifeſtâ animo linquuntur, ij de repentè moriuntur. Hipoc. lib. 2. Aph. 41.

CAVENDA MINIMA peccata.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Bonum ex integrâ causâ: non verè ergò bonus, nec virtutem animi bonum habere dicendus eſt, qui in minimis deficit.

Magnitvdo. Quomodò dabit magna petenti Deo, qui parva & minimi laboris opera negat: cæterùm non ſunt habenda vt parva, quæ neglecta magna evadunt & quaſi hoſtes ſingulatim inducti nos tandem turbâ ſuâ opprimunt.

Dvratio. Leves enim illæ culpæ ſenſim tranſeunt in habitus virtuti contrarios: Diurni fiunt morbi, non niſi diuturnis remedijs ſuperabiles.

Potestas. Virtus rationi tradit imperium, imperans autem vel levi injuriâ plurimùm offenditur à plebejo: Dux non ferret in minimis reluctantem militem, at magna pericula timentem exhortatione, exemplo ſuo, propoſitis præmijs, laude, vatijſque artibus excitat.

Cognitio. Vt in Mathematicis, ſic in moralibus ratio abſtrahit à materiâ, vtque Mathematicus tàm perfectam vult eſſe figuram circularem, quadrangularem, &c. in parvâ aut ignobili, quàm in magnâ aut prætioſâ materiâ; ſic Philoſophia, ſic pietas exactam in omnibus exigit vitæ regulam: imò ſicut radius, non valens vt optat in amplum diffundi, reflexus magis fulget & incaleſcit; ſic virtus rerum magnarum avida, in parvis quod deeſt amplitudini ſupplere conatur actionis intenſione.

Volvntas. Amor non eſt pro parte. *Vide Magn. Volunt.* Hinc læditur, non graviſſimâ tantum injuriâ, ſed verbo, vel aſpectu minùs officioſo.

Virtvs. Virtus dicit habitum, vnâ ſemper viâ gradientem. *Vide Durat. Virt.* Prudentis eſt obſervare etiam minutiſſima, quorum defectu magna concidunt. Fortitudo quæ quaſi rupes ſtat immota in tempeſtate, non corruet levi auræ & vndarum appulſu. Æqua & ex ſanctuario non erit Iuſtitia, niſi vel minima diſcernat.

VERITAS. Virtus vna eſt, quia eſt habitus ex ratione & lege æternâ, quæ veritas cum vnitate convertitur. Fictam potentiam, fucatumque ornatum deprehendimus, ſi in cæteris affectatus in aliquo deficiat, vt vel in ipſis calceorum ligulis. Maledictus dicitur qui aliquid in lege divinâ aut auget, aut minuit. Ratio eſt lex divina.

GLORIA. Mediocria, ideſt in aliquibus deficientia, communia ſunt, & omnibus ferè pervia, hæc nemo ſuſpicit, nemo miratur, & præmio digna reputat. Victores ſunt non qui circà ſcopum, ſed qui in illum ſagittam dirigunt. Turpiter vicit, cui poteſt aliquid imprudentiæ, negligentiæ, aut timiditatis objici.

DIFFERENTIA. Flexu quidem opus eſt in vario rerum humanarum ſtatu: ſed quod neceſſitas exigit non patrocinatur inconſtantiæ & negligentiæ.

CONCORDANTIA. Non ſe compatiuntur virtus & vitium: infida ſocietas eſt cum minimis etiam defectibus: Reus Majeſtatis eſt qui etiam cum vno ex hoſtibus conſpiravit. Cum Deo, cum Eccleſiâ contractus ſimul bonæ fidei & ſtricti juris initus eſt, à quo non licet vel minimùm recedere.

CONTRARIETAS. Ità vitijs bellum debet indici, vt quidquid illorum eſt in anathema Deo conſecretur. Radicitus extirpanda eſt maligna hæc ſeges, vel in immenſum repullulabit, malum enim naturâ ſuâ fœcundum eſt.

PRINCIPIVM. Magis pudet doctorem aut artificem in ſcientiæ aut artis ſuæ elementis peccare: hæc minuta virtutis tyrocinium ſunt, in quo qui deficit temerè ad majora properat; error in principijs eſt indefinitus.

MEDIVM. Sicut quodlibet extremorum in indiviſibili conſiſtit. Suſpecta eſt miniſtrorum fides in magnis, ſi in parvis deficiat.

FINIS. Longum æternitatis iter, tàm brevi vitæ ſpatio emetiendum, non patitur vt vel minimum à viâ abertemus: virtus ſemper intenta eſt in vltimum finem, hæc autem intentio recta eſt, omnes excludens ſinus; ſic motus naturalis in centrum, ſic radius viſualis in objectum fertur lineâ rectâ.

MAIORITAS. Gradus ſuperior & eminens longè eſt ab inferioribus.

ÆQVALITAS. Virtus æternitatis eſt prætium, in quo nulla læſio toleratur, conformari debet ideæ quæ caret omni defectu.

MINORITAS. E morbo nuper convaleſcentes vitant & noxia & ſuſpecta, ne recidivam patiantur; etiamſi ſic ſibi caveat voluntas, ſemper aliquid excidit naturæ vitio.

BONORVM VIRTVTE præſtantium multitudo.

Vide ſuprà Majoritas Bonitatis. Plùs boni quàm mali. *& Bonitas Magnit. & Major. Magnit.*

BAptizandis non eſt numerus imponendus. 10. q. 3. can. nec numerus.

Sphæræ nobilium elementorum ſunt ſuperiores & ampliores.

Ioannes videt turbam magnam, quàm dinumerare nemo poterat. Apoc. 7.

Millia millium, & decies centena millia miniſtrabant ei. Dan. 7.

Numerus Angelorum excedit omnem numerum corporalium. D. Th. 1. q. 50. a. 3. Hoc eſt quod dicit A D. Dyoniſ. cap. 14. cœl. Hierarc. Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem: quia cum Deus intendat perfectionem vniverſi, quæ magis ſunt perfecta, in majori numero ſunt ab eo creata: in incorporeis autẽ numerus eſt loco magnitudinis in corporalibus; at corpora cœleſtia incorruptibilia & præſtantiora longè excedunt ſphæras activorum & paſſivorũ. Ibidem.

Plures Angeli permanſerunt in gratiâ quàm peccaverunt, quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem: ea verò quæ contrà naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt, natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper vel vt in pluribus. 1. q. 63. a. 9.

B Querenti Eliæ, prophetas tuos occiderunt & ego relictus ſum ſolus, Reſpondit Dominus, Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curvaverunt genu antè Baal. 3. Reg. 10. Roman. 11.

Pauci in exercitu ſunt fugitivi & militiæ deſertores: Cum Iudas Machabæus proclamaſſet vt ab exercitu recederent timidi, non fit mentio quod aliqui receſſerint. Plures Religioſi quàm Apoſtatæ. Plures in vrbibus boni quàm rei carcerati, ad quorum ſupplicium vt ad aliquid novum, & extraordinarium, vtque ad Eclypſim videndam, concurrunt omnes.

Quilibet præſumitur bonus, niſi contrarium probetur. *Vide Cognitio Virtutis.* præſumptio & infrà hoc tit.

C Ezech. 37. Videt Eccleſiam ſub campi figurâ plenam oſſibus mortuorum, quæ omnia afflante ſpiritu vivificantur.

Zonæ temperatæ major eſt latitudo, quàm cæterarum.

Eclypſes non ſunt vniverſales.

Abrahæ fideli dictum eſt, erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, & ſicut arena maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. Gen. 15.

Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac in regno Dei. Math. 8.

In ſacrificio altaris plùs de vino quàm de aquâ ponendum eſt. cap. pernicioſus de celebrat. miſſar.

D Littora piſcibus abundant ob pabulum, gurgites ob ſecuritatem: multi mundani propter delitias, multi Religioſi propter quietem.

Reminiſcentur & convertentur ad Dominum vniverſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus vniverſæ familiæ gentium. Pſal. 21.

Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, &c. 1. Corinth. 1. Miratur magnum numerum vocatorum: cum in mundo perfecta ſint rata.

Ex ſeptenis mundis animalibus, in Arcâ Noë aſſervatis, duo tantùm relinquuntur ad propagationem, E cætera ad ſacrificium deſtinantur.

Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum, & replebitur Majeſtate ejus omnis terra. Pſal. 71.

QVILIBET PRÆSVMItur bonus.

MISCELLANEA.

FIdelem amicum ſi putaveris facies, nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & alijs jus

peccandi ſuſpicando fecerunt: fides habita ipſam fidem plerumque obligat. Senec. Epiſt. 3.

Dion vir magni animi, qui Syracuſas à tyrannide liberaverat; invitatus ab amico ad convivium, in quo ſciebat vitæ ſuæ inſidias parari, non abſtinuit tamen, maluitque vitam amittere, quàm de amico diffidere. Sic Iulius Cæſar ſæpè monitus de conjuratione contrà ſe initâ, nunquàm tamen diffidit.

Reus ſententijs paribus abſolvitur, & ſemper, quidquid dubium eſt, humanitas inclinat in melius. Senec. Epiſt. 82.

Malevolæ animæ, quaſi dulciter ſapit quod peſſimæ ſuſpicatur, cum tamen præcipiat Apoſtolus Phil. 2. alter alterum exiſtimantes ſuperiorem, & honore mutuo prævenientes, &c. D. Auguſt. Serm. 53. de verb. Domin.

Etiam in paleis dicitur triticum quod non apparet. 3. Reg. 19. Elias dicit Relictus ſum ſolus: cui Dominus, Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genu antè Baal. Noli ergò te putare ſolum juſtum. Idem in Pſal. 25.

Boni, errores proximi excuſant. Gen. 25. Ioſeph dicit ſe venditum à fratribus, Deo id permittente ad majus bonum. Ioſue 7. non ſuſpicatur dolum in Gabaonitis. Innocentes Adami oculi, non vident in nuditate turpitudinem. Calor naturalis, ſi fortis ſit, omnia vertit in bonum ſanguinem. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Qui habens trabem in oculo, videt feſtucam in oculo fratris, hunc vt hypocritam arguit Chriſtus. Luc. 6. Levit. 13. Non permittitur Sacerdoti quemquam quaſi leproſum damnare niſi poſt ſeptem dies, etiamſi lepra appareat; quid tu de occultis judicas?

Charitas non cogitat malum. 1. Cor. 13.

Inhumane eorum redarguis opera, quorum onera refugis: temerariè objurgat virum de prælio revertentem mulierens in domo, &c. *Vide Media Virtut.*

Sæpe amamus quem non putamus, quia ille quem credimus malum bonus eſt, bonos autem amamus: ideò de nullo malè judicemus, ne de amico maledicamus, & nos ipſos in ipſo offendamus. D. Auguſt. in Ioan.

Medicus plerumque in deſperatione convertitur ad eos qui circumſtant lachrimantes in domo, qui pendent ex ore ejus, audituri ſententiam de ægroto. Stat anceps medicus, non videt bonum quod promittat, timet tamen malum pronuntiare quod terreat: Modeſtam concipit ſententiam, bonus Deus omnia poteſt, orate pro illo. Idem in Pſal. 39. Sic etiam in expreſſis ſuſpendatur judicium.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum. Pſal. 118. Hoc opprobrium petit auferri quod in ſe ſenſerat, & in alijs fuerat ſuſpicatus, vt non eſſet diabolo ſimilis, qui de occultis Iob judicabat ſcilicet quod non gratis Deum coleret, quem popoſcit tentandum, vt crimen quod objecerat inveniret. Sivè dic quod opprobrium alienum ſuſpicando ſit ſuum, non enim ſuum ſuſpicatur, quod non ignorat. D. Auguſt. in Pſal. 118. conc. 12.

In morbis acutis non omnino certæ ſunt mortis aut ſalutis prædictiones. Hipoc. lib. 2. Aphor. 19. quia tunc peccans humor facilè mutat ſedem, ſubitaque poteſt fieri mutatio.

Væ qui ſpernis, nonnè & ipſe ſperneris: cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris. Iſay. 33. Eadem quippe menſurâ quâ menſi fueritis, remetietur vobis. Luc. 6.

Malus omnes malos, bonus bonos ſibique ſimiles judicat. Sic radius ſolis medij vitri colorem aſſumit; recta virga in aquis curva apparet, propter vmbræ reflexionem; ſic dulcia ægro videntur amara.

Amnon malè judicat Davidis legatos, qui miſſi erant ad conſolationem, miſſos eſſe ad inſidias. 2. Reg. 10.

Hodie fortaſſis tua cauſa antè Dei tribunal judicanda eſt, & de alienis es ſollicitus.

Bethſamithæ graviter à Deo puniuntur, qui nimis curiosè interiora arcæ ſcrutari voluerant. 1. Reg. 6. Cor proximi eſt arca Dei.

Tu quis es, qui judicas alienum ſervum, Domino ſuo ſtat aut cadit; ſtabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Roman. 14. compatiendum infirmis. *Vide Concordantia Minoritatis.*

Alexander cum legiſſet Epiſtolam matris, quâ admonebatur vt à veneno Philippi Medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit; plùs ſibi de amico ſuo credidit, dignus fuit qui innocentem haberet, dignus qui faceret. Fecit hoc Cæſar, cum ſcrinia deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum, combuſſit, ne videret nomina ſibi adverſantium; quamvis moderate ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe, gratiſſimum putavit genus veniæ, nelcire quid quiſque peccaſſet. Plurimum mali credulitas facit, ſæpè ne audiendum quidem eſt, quoniam in quibuſdam rebus ſatiùs eſt decipi quàm diffidere. Seneca lib. 2. de irâ. cap. 23.

Si non obſtiteris; non deerit ſuſpicioni argumentatio; ſimplicitate opus eſt, & benigna rerum æſtimatione; nihil niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus, & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, objurgemus credulitatem, hæc caſtigatio conſuetudinem efficiet non facilè credendi. Ibidem cap. 24.

EX VTROQVE JVRE.

PRæſes Provinciæ poteſt irrequiſito Epiſcopo Clericum abſolvere, non condemnare, ſi de crimine ſæculari fuerit coràm ſe accuſatus. §. penult. in auth. vt clerici apud proprios Epiſcopos.

Ad abſolvendum promptiores eſſe debemus quàm ad condemnandum. l. 46. ff. de obligat. & actio. & cap. 1. de contentione inter Dominum & fidelem in vſib. Feud. *Vide Minorit. Contrar.*

Accuſatus ſi pendente accuſatione deceſſit, ſi ſibi mortem non conſcivit, vel crimen læſæ majeſtatis non commiſit, bona ejus ad ſucceſſores pertinent. l. fin. ff. de his qui ſibi mort. Si ſe occiderit credens ſe deliquiſſe, & hæredes probent innocentiam habebunt bona. l. fin. ff. de bonis eorum. & l. 45. ff. de jure fiſci.

Adminiſtrator factus dives tempore adminiſtrationis, non cenſetur factus ex ejus bonis, ſed ſuâ induſtriâ. l. 10. Cod. arbitr. tutel.

Qui ædificat in ſuo, præſumitur id non facere animo nocendi vicino. l. 24. §. quanquàm. ff. de dam. infect.

Agens contrà Eccleſiaſticos primâ fronte cenſetur agere per calumniam. l. 31. Cod. de Epiſc. & Cleric.

Quilibet cenſetur approbatus, eo ipſo quo non reprobatur. l. ſi arbitrio. ff. qui ſatiſd. cog.

Præſcribentis bona fides probatur, eo ipſo quo non probatur contrarium. l. penult. C. de præſcript. long. temp. l. penult. Cod. de evict.

Cautio & ſatiſdatio legati, vel fideicommiſſi, quocumque judicio voluntatis teſtatoris remitti poteſt. l. 2. Cod. vt in poſſe legat.

Simpliciter obligatus ad promittendum, non tenet;

tur ad ſatiſdandum. l. 59. ff. de evictionib.

In quintur in tutorem teſtamento matris datum, non in eum qui à Patre eſt datus, niſi cauſa propter quam eſt datus, fuerit mutata, vt ſi ex amico factus eſt inimicus, ex divite pauper. leg. 4. ff. de teſtam. tutor.

Præſumitur virtus in dignioribus. *Vide Virtus Poteſtaris.*

Si tutor à tutelâ ſit remotus & in ſcententiâ cauſa non exprimatur, non cenſetur ex causâ famosâ damnatus. l. 4. ff. de ſuſpect tutoribus.

Si damnatus intra tempus appellationis decedat, valet ejus teſtamentum. l. 5. §. hi autem 8. ff. de injuſt. rup. fact. teſtam.

Miniſter electus, ad ſatiſdandum non tenetur, pro diſtributione ad quam electus eſt, niſi pauper fiat, teſtatore ignorante. l. 21. §. 4. ff. de annuis. legationibus.

Fiſcus habetur ſemper dives, & nunquàm ſatiſdat. l. 1. ff. §. 18. ff. vt legat. nom. caveat.

Servi, ſi ſint legati ſub hac conditione, rogo, ſi promeruerint, dignos eos libertate exiſtimes, liberi fient, ſi nihil commiſerint quod indignos illos reddat. l. 20. ff. de manu teſt. & l. 51. eodem.

Hoſpitalarij, tanquàm Patres pauperum non tenentur illis rationem adminiſtrationis ſuæ reddere. l. 31. Cod. de Epiſc. & Cleri.

Inſtar ſacrilegij eſt, reputare aliquem indignum, quem Imperator approbavit. l. 5. Cod. de diverſ. reſcript.

Ex ſolâ dignitate non præſumitur metus vel dolus inferti. l. 6. ff. de his quæ vimet cauſ.

Liberi exhæredati præſumuntur ingrati, niſi probent ſe gratos: ad parentes exhæredati præſumuntur grati, niſi probentur ingrati l. 28. Cod. de inoffic. teſtam.

Quilibet præſumitur eſſe ſanæ mentis, niſi contrà probetur. l. 5. Cod. de Codici.

Pendente lite de ſtatu, ſervus habetur pro libero. l. 4. C. de liber. cauſ.

Qui oſtendit ſe tribus proximis annis ſolviſſe, retrò ſolviſſe præſumitur, niſi contrarium probetur. l. 3. Cod. de apochis publicis.

Semper in obſcuris quod minimum eſt ſequimur. l. ſemper ff. de Reg. jur. *Vide Duratio Bonitatis.* continuatio.

MALEDICIS NON FACILE credendum.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. qui non fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit adverſus proximos ſuos. Pſal. 14.

Opinioni non facilè credendum eſt, nec apertis quidem, manifeſtiſque ſtatim accedendum: quædam enim falſa veri ſpeciem ferunt: dandum ſemper eſt tempus, veritatem dies apperit: ne ſint aures criminantibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum, notumque nobis ſit, quod qui inviti audimus, libenter credimus, & antequàm judicemus iraſcimur. Senec. lib. 2. de irâ. cap. 22.

Nemo invito auditore libenter refert: ſagitta in lapidem nunquàm figitur, interdùm reſiliens percutit dirigentem; diſcat detractor, dùm te videt non libenter audire, non facilè detrahere. D. Hieronim. Epiſt. ad Nepotianum.

Audiſti ſermonem adverſus proximum tuum, commotiatur in te, confidens quoniam non te diſrumpet. Eccleſ. 29.

Interdùm Zelotypiâ ducti malè dicunt de re quàm amant ne ab alijs appetatur; eſcis quas volunt ſoli habere aliquid inſpergunt quod alijs diſpliceat, turbant aquam, ne ex eâ ſitim expleant.

His quæ narrata ſunt non debemus citò credere, multi ementiuntur vt decipiant, multi quia decepti ſunt; alius criminatione gratiam captat, & fingit injuriam vt videatur doluiſſe factam; eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes deducere velit; eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoque ſpeculatur quos collidit: De parvulâ ſummâ judicaturo tibi res ſinè teſte non probaretur, teſtes ſinè jurejurando non valerent, vtrique parti dares actionem, dares tempus, nec ſemel audires, magis enim veritas elucet, quo ſæpiùs ad manum venerit; amicum condemnas de præſentibus, antequàm audias, antequàm interroges, illi antequàm aut accuſatorem ſuum noſſe liceat, aut crimen, iraſceris: hic ipſe qui ad te detulit dicere, ſi probare debuerit, non eſt inquit quod me pertrahas, productus negabo; eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit; quid eſt iniquius quàm ſecretò credere, palàm iraſci? Senec. lib. 2. de irâ. c. 29.

Sepi aures tuas ſpinis, noli audire linguam nequam Eccleſ. 28. Nam non ſolum reus eſt qui falſum dicit, ſed qui conſentiens audit. Can. non ſolum. 11. q. 3.

Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Iob. 26.

Qui famoſum libellum invenit, reus eſt, ſi non ſtatim comburat. l. vnicâ. Cod. de famoſis libellis.

BONVS CÆTEROS iudicat bonos.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Naturâ ſuâ fœcunda eſt, vndè ſi vir bonus non poteſt alios bonos efficere, regimine, conſilio, cæteriſque auxiliandi modis, ſaltem bonos efficit in ſeipſo, bonam de illis concipiendo opinionem.

MAGNITVDO. Quod eſt ſecundum naturam excedit numero illud, quod eſt contrà: Rarò contingunt monſtra, Eclypſes, plures ſunt ſani quàm ægri: ſic plures ex ratione agentes quàm contrà. Imperfectum & mancum reddit corpus Eccleſiæ, qui tot membra ſana, fortè tamen vt corrupta ſiniſtra opinione reſecat; ſic ſibi ipſi nocet.

DVRATIO. Sanum judicamus eum, qui tranquillè vitâ fruitur: ſic conſtat inter homines abundare virtutem, ex eo quod ſtet humana ſocietas; quæ, ſi numero vitia excederent, illis obruta periret. Non eſt exigenda meſſis à ſemine mox terræ mandato, nec exacta virtus ab adoleſcentibus; vt autem frumento terram gravidam dicis eſſe campum frumenti; vt naſcentem puerum dicis eſſe creaturam rationalem; ſic in virtute proficientem habe vt perfectum. Peccavit, ſed fortè pœnitet, & jam Deo acceptum ipſe reprobas. Ipſa quàm incuſas inconſtantia monet te, nè quaſi conſtantis malitiæ reum, ne viatorem, quaſi damnatum in malo confirmatum reputes: Nolite, inquit Chriſtus, antè tempus judicare.

POTESTAS. Cùm ſimus ſub Dei regimine ſapientiſſimo ſimul & potentiſſimo, convenientius eſt credere plures illi eſſe obedientes, quàm rebelles: Vnus ho-

Digitized by Google

mo, cæteris etiam impar virtute, non posset tot populis dominari, nisi pietate, justitia, clementia, cæterisque virtutibus, quasi omnibus amicis, omnium sibi conciliaret animos.

Cognitio. Bonus de homine sui ipsius experimento judicat, & cum se sentit affectu à vitijs & mala fide alienum, cæteros sibi similes judicat. Humilitas Christiana virtus est, quæ cæteris virtutibus, sibique ipsi velum obducit: semper creditur sol lucidissimus, etiam dum nobis occidit, aut nube tegitur.

Voluntas. Omnes amant virtutem, illam sibi adscribunt, & etiam in hostibus suspiciunt. Probabilius autem est illos assequi quod optant, dum suo id relictum est arbitrio, semper enim adest auxilium gratiæ sufficientis, cùm Deus velit omnes salvos fieri. *Vide Æqual. Voluntat.* Virtus pendet ab intentione, quam cùm non agnoscas, non debes inauditum vt reum damnare.

Virtvs. Magnus ille populorum concursus ad Religionis officia, & ad sacras justitiæ ædes, publicum est testimonium communis probitatis, cui fidem negare injustum & temerarium est. Omnes in rebus domesticis exercent eandem, quæ viget in politicis, prudentiam: milites omnes agunt fortiter, paucos videas militiæ desertores, paucos cibo potuque distentos.

Veritas. Omnes probos existimo, ex eo quod omnes favent legibus, illis decernunt imperium, suamque dicant libertatem, & si quid contrà subrepat, celant illud quasi non sint homines, suæ ipsius conscientiæ testimonio si non sint probi: vt sumpta medicamenta nihil operantur, nisi vi innati caloris, sic leges quæ generaliter decernunt, nihil possent sinè communi & naturali innata virtutis lege scripta in cordibus.

Gloria. Taliter cum proximis vivendum, vt nihil adversetur tot votis exoptatæ quieti: huic autèm tranquillitati repugnat, inter homines, quasi inter hostes, vivere sollicitum, timidum, iratum, plùs falsis quàm veris rerum imaginibus; nulla suspicaci sperenda tranquillitas.

Differentia. Fugiat oportet omnium consortium, sitque exul in sua patria, qui omnes reputat malos. Vt gloria, sic gratia & virtus diversos admittit gradus, nec malum reputes eum, qui in inferioti splendoris gradu fideliter divinæ ministrat providentiæ, cui omnia quæ fecit, valdè bona sunt.

Concordantia. Favendum bonæ de omnibus opinioni, quæ vnit & fovet naturalem, civilem, Religiosamque hominum societatem: Nihil æquè lædit amicitiam, quàm suspicio; nemo enim, nisi improbus, improbi vult habere consuetudinem, cùm præcipiat Apostolus, tales post vnam aut alteram conversationem vitari. Qui scit se ab imbrobum haberi, duplici afficitur injuria, & quod habeatur talis, qualis non est, aut saltem non vult videri; & quod vt sic non ametur: accedit & simulatæ toties amicitiæ indignatio.

Contrarietas. Optimè rebus suis providet prudentia, ne in aliquo deficiat, non metu, sed ipsius virtutis rectè omnia disponentis amore; sic innocentia tuta est inter hostes, nullumque nè opinione quidem lædens, à nullis læditur: at omnes oderunt omnium osorem, & dum sibi cavet ab omnibus, præmium est, industrium industriâ, callidum calliditate superare fugientem, lætitantem, dolosum vt feram configere: Sibi plusquàm alijs melancholici negotium faciunt; hoc diffidentiæ venenum, etiam Christiana inficit fœdera.

Principivm. Major videtur gloria Deo reddi si omnes æstimentur boni, vt magis laudatur artifex ex egregijs suis quàm imperfectis operibus, spectat ad Medici honorem, si pauci sub ejus regimine sani ægrotent, & ægri morientur. Si prosapiæ nobilitas virtutis argumentum est, communis optimi parentis omnes boni censendi sunt filij.

Medivm. Quanta exultatio boni viri qui videt omnes quasi collegas, confœderatos, auxiliares copias ad vitium subigendum, vt parata ad Dei gloriam exequendam instrumenta, hic fortè quem despicis, minoribus à Deo acceptis gratiæ auxilijs majori fortitudine multa operatur Deo acceptissima, etiamsi hominum oculis parùm splendentia; hinc fortior & laudabilior quòd debilibus armis cum potentissimo hoste congreditur & vincit.

Finis. Qui recta visuali linea locum aliquem eminentem respicit, non advertit interjacentes valles, sed videt collium capita, quasi sibi invicem juncta; si mens in Deum elata non advertit in hominibus defectus, sed virtutes, vndè sit illi major occasio laudandi Deum. Nulla nisi vi à centro suo divertunt: vis autem non est vt in pluribus.

Maioritas. Eodem momento non videt oculus sursùm & deorsùm, cœlum & terram, sic mens spiritualibus divinusque intenta, spiritualia tantùm & divina, non humana deficientia in hominibus attèdit.

Æqvalitas. Vt in rebus dubijs in favorem libertatis, sic virtutis respondendum, favente in vtraque & patrocinante naturâ: Bonum te judicat, qui te tractatur, par referenda est gratia.

Minoritas. Diffidentia generale & capitale malum est, congerit enim omnia crimina in vnum caput, quia deficiens in vno paratus creditur ad cæteros ex occasione defectus.

REPVGNAT.

MALORVM MVLTITVDO.

IAcob & Esaü simul in vtero Rebeccæ, & dicitur major serviet minori, quia major est malorum multitudo. Gen. 25.

Ioan. 21. Apostoli retijs 150. pisces comprehendunt, certus est numerus, sed quanti non capti. D. August. Serm. 148, de tempore.

Annuntiavi & loquutus sum? Retia misi, & quid? multiplicati sunt super numerum; numerus ad sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo; super numerum dicitur de his qui in Ecclesiam intrant, non in regnum cœlorum. Idem serm. 4. de divers. Qui attendunt aream, difficilè nisi paleam vident. Idem.

Levitica tribus alijs numero minor.

Omne animi bonum, aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur; sed vt mala magis vincunt, bona jam nec nasci licet, ità corrupta sunt semina; nec erudiri, ità deserta sunt studia; nec cogi, ità exarmata sunt jura, vt nunc moderatio libidinum pro virtute habeatur, malo nullum bonum quàm vanum, quid prodest esse, quod esse non prodest? &c. Tertulian. lib. de pudicit.

Numeri crescunt, quò magis ab vnitate recedunt, sunt magis mobilia quæ plus distant à centro immobili, sæcula in pejus ruunt.

Justitia tua sicut montes Dei: Iudicia tua abyssus multa. Psal. 35. Pauciores sunt boni, quia montes pauci sunt; abyssus verò lata est, idest multi in Ecclesiâ malè viventes. D. August. in Psal. 35.

Inter turbas Christum comprimentes vnica mulier dicitur Christum tetigisse.

Plura ſunt vitia quàm virtutes, quæ libet enim virtus duo habet oppoſita vitia, vnum in exceſſu, alterum in defectu.

Arteriæ pauciores ſunt quàm venæ, cùm ſint ſpiritus vitalis canales, quia ſanguis, qui in eis eſt purior, facilè omnia pervadit, ſinè tantâ canalium multiplicatione, quæ ad portandum vbique venarum craſſiorem ſanguinem neceſſaria eſt. Fernel.

Quæ ſunt pulchra ſunt rara & difficilia.

Levium metallorum fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſiduè plenius reſponſura fodienti. Senec. Epiſt. 23.

Vir bonus fortaſsè tanquàm Phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur, nec eſt mirum & intervallo magna generari, mediocra & in turbam naſcentia ſæpe fortuna producit, eximia verò ipsâ raritate commendat. Idem. Ep. 42.

Perfecti oratoris, poëtæ, principis, &c. fœlicis Reipublicæ homines habuerunt idæam, non experimentum.

Vnus ſol in cœlo, licet infinitæ ſtellæ, vbique communes lapides, non pretioſi inveniuntur; non vbique aurum, carbunculi margaritæ; olim tantùm in Sabæâ hus, in Iudæa balſamum, ambra in Orcadibus inſulis: Omnibus ſermonem natura dedit, paucis eloquentiam.

Gen. 5. dicitur, quod Enoch placuit Deo & non eſt inventus, quoniam tranſtulit eum Deus, quia virtus rara eſt & vix paucis contingit, &c. Philo Iud. lib. de Abraham.

Sic dicitur Aſtrea terras reliquiſſe, & cœlum conſcendiſſe.

Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum. Pſal. 16.

Inimicus homo ſuperſeminavit zizania. Luc. 18. Putas filius hominis veniens inveniet fidem in terrâ: hoc eſt intelligendum de legis prævaricatoribus, ſequuntur enim eum, cui dictum eſt, terra es, & in terram ibis. D. Auguſt. ſerm. 18. de verb. Dom. cap. 19.

Gen. 6. de tempore diluvij dicitur, quod omnis caro coruperat viam ſuam.

Domine à paucis de terrâ divide eos Pſal. 16. id eſt à juſtis: Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei: tàm pauci ſunt, vt facilè numero comprehendi poſſint.

Probrum eſſe difficile eſt; medium enim in vnaquaque re apertè difficile eſt. Ariſt.

Tactus abjectiſſimus ſenſuum eſt in omnibus animantibus perfectis & imperfectis, non autem viſus.

Cum omnes terræ partes habeant commune centrum, pauciſſimæ illud attingunt. Terræ pars habitabilis eſt tantùm quaſi ejus ſeptima pars.

Pythagoræ erat præceptum, populares vias declinato: In anguſto redactum eſt quod bonum eſt.

In peregrinationibus comprehenſus aliquis limes, & interrogati accolæ non patiuntur errare: At in moribus tritiſſima quæque via, & celeberrima maximè decipit; nihil ergò magis præſtandum eſt, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed qua itur. Non ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivitur, hinc tanta coacervatio aliorum ſuprà alios ruentium: vt in ſtrage hominum, cum populus ſe primit, primi exitio ſequentibus ſunt: nemo ità cadit, vt non alium in ſe attrahat. Si cum de beatâ vitâ agitur, dicas, hæc pars major eſt, ideò inquam pejor eſt: non tàm benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant, argumentum peſſimi turba eſt, &c. Seneca de vitâ beatâ. cap. 1. & 2.

Cœlum multis fulget ſtellis: ſed plures ejus partes ſtellis vacuæ ſunt.

Ex omnibus qui egreſſi ſunt de Ægypto duo tantùm non peccaverunt, & ingrediuntur terram promiſſionis. Deut. 1.

Gedeon ex tringinta millibus militum trecentos tantùm eligit. Iud. 7.

Arbores ſylveſtres ſunt magis frugiferæ, herbæ inutiles facilius creſcunt. Effectus quo communior, eò eſt vilior.

Vendens ſervum, cavet per ædilitium edictum de morbis corporis non animi, quia rara eſt in illa parte ſanitas. l. 1. §. 9. ff. de ædil. ed. quod etiam eſt intelligendum de his qui ſunt præter modum timidi, melancolici, iracundi, &c. tamen ex empto agi poteſt, quanti minoris res eſt.

Electiones ſacerdotum non debent fieri à turbâ populi. Concil. Laodicenſe. can. 13. anno 321. habetur diſt. 63. can. non eſt permittendum.

Major eſt difficultas in virtute quàm in vitio, ideò plures vitium ſequuntur; ideò rara virtus. *Vide Contr. Virt.*

Si homo tetigerit quid ſanctum non ſanctificabitur, & ſi tetigerit quid immundum contaminabitur. Agg. 11.

Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumque, Iſay. 28.

Raræ gemmæ, rarum aurum, in iiſdem fodinis plurima & efficaciſſima venena. Equæ vnum pariunt, leones plures; ovis vnum, lupus ſenos & plures.

Semen in exiguo conſiſtit reliquum eſt putredo, quæ ingreditur in generationem, ſperma vix vnius ipſi magnitudine eſt, reliquum humor ſuperfluus ſpumoſus, à quo non nunquàm tartarus, id eſt calculus hæreditarius. Paracelſus.

In die illâ prætioſior erit vir auro ob riſo. Iſay. 13.

Convertemini ad Dominum, & aſſumam vnum de civitate, & duos de cognatione, & introducam in Sion. Ierem. 3.

Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil; & cœlos, & non erat lux in eis: vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati ſunt: intuitus ſum & non erat homo, & omne volatile cœli receſſit. Ierem. 4. & cap. 5. Circuit vicos, & neminem invenit qui faciat judicium.

A minore vſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, & à Propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Ierem. 6.

Quaſi vvas in deſerto inveni Iſraël, quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi partes eorum. Oſeæ. 9.

Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit in Autumno racemum vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum: periit ſanctus de terrâ, & ſanctus in hominibus non eſt, &c. Mich. 7.

Erunt in omni terrâ partes duæ in eâ, diſpergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in eâ, & ducam tertiam partem per, ignem & vram eos, ſicut vritur argentum, & probabo eos, ſicut probatur aurum. Zach. 13. Erunt mihi in die quâ faciam, in peculium.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Pſal. 11.

Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Pſal. 115.

pro vno grano quod cadit in terram bonam multa alia pereunt, à ſpinis ſuffocata, comeſta ab avibus. &c. Math. 13. Multi vocati, pauci electi. cap. 20.

Contendite intrare per anguſtam portam. Luc. 13.

Ex decem leproſis ſanatis vnus tantùm dat gloriam

Deo. Luc. 17. Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terrâ? Luc. 18.

Vndè viri boni mira fortitudo, qui probitatem profitetur inter plures malos. *Vide Durat. Virtus.* Inter malos bonus.

Meliùs omnia quantùm fieri poteſt determinari lege, quàm relinqui arbitrio judicum, quia faciliùs eſt invenire paucos ſapientes, qui ſufficient ad leges condendas, quàm multos ad judicia ſingularia. D. Thom. 1. 2. q. 95. a. 1. ad. 2. Vide alias rationes. *Principium Veritatis.* & Ariſtor. 1. Rhetoricor. cap. 1.

Plus eſt aquæ ſalſæ quàm dulcis, non datur purum elementum, plùs eſt ferri quàm auri, plùs graminis quàm roſarum, &c.

Himerius ſophiſta optimè diſſeruit pulchra omnia etiam eſſe rara. Photius Biblioth. cap. 16.

Triumphantes coronabantur lauro ſterili, id eſt quæ baccas non fert. Plinius lib. 15. cap. vlt. Virtus triumpho digna rara eſt, nec ſe facilè multiplicat.

Metallorum omnium vena ferri longiſſima eſt: in Cantabriæ parte, quam oceanus alluit, mons eſt præruptus, totus ex eâ materiâ. Plin. lib. 34. cap. 14.

Etſi fuerit numerus filiorum Iſrael tanquàm arena maris, reliquiæ, id eſt pauci, ſalvæ fient, quia verbum Domini breviatum faciet ſuper terram, vt ait Iſayas. Roman. 9.

I. Corinth. 10. Loquens de Iſraëlitis in deſerto, ait, ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo.

Si quis es bonus non de tuo bono, quia fuiſti malus, ſed illius es qui nunquàm poteſt eſſe malus, & exercere te vult in mediis malis. Nec dicam, ſaltem ſi neceſſe eſt propter exercitationem noſtram vt ſint mali, pauci eſſent, & boni multi eſſent multis non nocerent. Conſidera vir prudens, quod pauci mali multis bonis nocere non audent, & ſi non audent non exercent, nunc verò laboratur à paucis bonis inter multos malos, & cum laboratur ſudatur, & cum ſudatur, aurum purgatur. Aug. in Pſal. 54.

REPVGNAT.

DIFFIDENTIA QVA non omnes præſumuntur boni.

Vide Cognitio Contrarietatis, Minoritatis. De accuſatione. *Vide Cognitio Poteſtatis.* De exploratoribus.

PRæſumitur quis abuti nimiâ poteſtate. *Vide Virtus Poteſt. Rep. & Major. Poteſt. Mala.*

De fidejuſſoribus. ff. 46. 1. Cod. 8. tit. 41.

De pignoribus & Hypothec. 20. t. 1. C. 8. t. 14.

De ſuſpectis tutoribus. ff. 26. t. 10. C. 5. 43.

De in litem jurando, de juramento calumniæ, &c. de inſtrumentis publicis quibus malæ fidei obviam itur.

Plus cautionis eſt in re quàm in perſonâ. l. 25. ff. de reg. Iur.

Vſufructuarius cavet ſe vſurum boni viri arbitratu & reſtituturum quod indè extabit. tot. tit. ff. vſufr. quem. cav.

Cautionem exigere cum quis poſſit, ſi non exigit eſt in dolo. l. 18. ff. de rei vind.

Tutor incertus dari non poteſt. l. 10. ff. de teſtâ. tut.

Si legatum ſit ſub conditione aliquid non faciendi, debet dari cautio Muciana. l. 18. ff. de condict. & demonſt.

A Clerici peregrini non habentur pro Clericis, niſi habeant litteras teſtimoniales ſuorum Epiſcoporum. l. 22. C. de Epiſc. & Cler.

Minor præſumitur in mutuo læſus, niſi probetur in rem ſuam vertum. l. 1. C. ſi adverſ. credit.

Eorum qui ad ordinandum veniunt, fides & vita diligenter diſcutiatur, & peregrini non ordinentur ſine commendatitiis litteris ſui Epiſcopi aut Abbatis. Capitul. Carol. Mag. lib. 1. cap. 2. & 3.

Iuvenes ſunt creduli, quia nondùm in multis decepti ſunt; ſenes autem quia in pluris fuerunt decepti; & plures ſunt res pravæ, omnia in pejus interpretantur; ſuſpicioſi, increduli, quia periti. Ariſt. 2. Rhetor. 12. & 13.

B De Mentitâ & inſidioſâ virtute. *Vide Veritas Virtutis Repug.*

Formatæ, ſeù commendatitiæ litteræ olim dabantur noviter inſtituto Epiſcopo ad Collegas, & etiam ab Epiſcopo peregrinis. Baron. an. 142. num. 6. Mos erat in Eccleſiâ, vt peregrinis ſe Chriſtianos profitentibus, in iis quæ ſunt naturæ & hoſpitalitatis exhiberetur humanitas, iidemque ad communes duntaxat Eccleſiæ præces admitterentur, nequaquàm verò ad ſacramentorum participationem, niſi formatis dictis litteris ſe Catholicos aſſererent, Baron. an. 400.

Paulus. 1. Timoth. 5. monet Timotheum nemini
C citò manu impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.

Diaconi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. 1. Timoth. 3.

Qui dubitat peccatum ſuum eſſe mortale, tenetur illud confiteri. D. Thom. 3. q. 87. a. 1. ad. 1. ſic Eccleſiæ vel altaria dubia de conſecratione debent conſecrari. 3. q. 83. a. 3. ad 3. preſumuntur non ſacra.

Iphicrates Dux Athenienſis, cum exercitu etiam apud amicos commorans caſtra ſemper multis munitionibus firmabat. Nihil enim inquiebat ineptius in duce, ſi dicat hæc non putabam. Plutarch. in dictis Imperator.

D Quidam exiſtimant eâ cautione cum amicis vivendum, tanquàm cum futuris inimicis.

Qui citò credit levis eſt corde Eccl. 19.

Minùs credendum eſt iis qui nimiùm credunt: quemadmodum ociùs cadit, qui movetur ociùs, ſic facilè fallitur qui credit facilè. Quo magis vacua eſt anima, eo faciliùs perſuaſionis ponderibus inclinatur: Pueris & mulieribus facilè credulis facilè imponitur.

Legiſlator ſemper ſupponat cives in malum proclives, nec niſi coactos benè agere: ſic medicus omnia etiam ſecura cavet, æger calumniatur, hinc regula dicta. *Vide Cognitio Contrariet. & Minoritatis.*
E

Diffidentia neceſſaria, quia ſæpè fucata eſt virtus. *Vide Veritas Virtut. Repugn.*

Diffidentia Principi neceſſaria, quia vt in cæteris rebus, maximè tamen in fide & aſcenſu tardus eſſe debet, vt ſemper intentus, & ſuſpenſus ambulans; nihil niſi manifeſtum, & quod in oculos incurrit credat. Princeps pro omnibus excubat, turpe igitur & omnibus noxium illum labi, errare, decipi, ſic enim opportuni fiunt injuriæ, & apud eos minore metu & majore præmio peccatur: Aditum nocendi perfido, prætitat fides, noli credere; quaſi velis quibuſdam obtenditur vniuſcujuſque natura, fons, oculi, vultus ſæpè mentiuntur, maximè in aulâ nomen amicitiæ inane remanet. In tot populis vix vna fides, cavendum autem ne diffidere videatur, multi enim

Digitized by Google

fallere docuerunt, dùm timent falli, &c. Lipſius in Politicis.

Tyranni fidem non habent, nec læſis ſemper in vltionem pronis, nec etiam amicis, quod ad notitiam conſiliorum admoti, ſciunt quoque à quo latere ſua tyrannis peti poſſit & lædi, & fidem in nemine expectant, quàm ipſi violarint. Barclai.

Maximè cavendum ne adverſariorum dolo atque perjurijs decipiatur Provincialium incauta ſimplicitas, frequentius enim conventionum, paciſque ſimulatio crudelis, quàm arma nocuerunt. Vegetius de re militari. lib. 3. cap. 3. *Vide Mimicas Veritatis.*

DVRATIO VIRTVTIS.

MORA ET EXERCITATIO IN ACQVIRENDA VIRTVTE.

MISCELLANEA.

Vide Poteſtas Durationis, vis Conſuetudinis, & Duratio Cognitionis, de experientiâ neceſſariâ in bonis habitibus acquirendis, & Duratio gloriæ, Mora in acquirendâ Gloriâ.

EPiscopvs non debet eſſe Neophytus, id eſt ſtatim è gentili fieri Epiſcopus. Vide diſt. 48. De laicis & prophanis aſſumptus, vt qui heri erat in theatro, hodie ſedeat in Eccleſiâ, qui nuper erat fautor histrionum, nunc fiat fautor virginum. Momentaneus enim Sacerdos neſcit habere humilitatem, habere modos perſonarum & ſe contemnere, non flevit, non jejunavit.

Ideò removendus ex Apoſtolo, ne incidat in ſuperbiam & in laqueum diaboli, quaſi Religio Chriſtiana plurimùm eo egeret. Ideò, ex Concilio Nicæno. c. 2. tempore opus eſt, vt ſit Cathecumenus, & poſt baptiſmum longâ probatione indiget.

Si officia ſecularia principem locum non niſi per ſingulos gradus probationis deferunt, quis ille tam arrogans, tàm impudens invenietur, vt in cœleſti militiâ, quæ propentiùs ponderanda eſt, & ſicut aurum repetitis ignibus exploranda, ſtatim dux eſſe deſideret, cum tyro antè non fuerit, & priùs velit docere quàm diſcere? Aſſueſcat in Domini caſtris, in lectorum primitus gradu, divini rudimenta ſervitij, & meritum probitatis ſtipendia anteacta teſtentur. Zozimus Papa. Epiſt. 1 ad Iſichium. Habetur. diſt. 56. Can. Si officia. De Tyronibus. Cod. 12. tit. 44.

Vt decennis puer in Monachorum numerum aſſumatur. Leon. Nov. 6.

Clerici ſunt per gradus ordinandi, & de interſtitijs temporum. Vide diſt. 77. & 78.

Iuſtinian. Novella. 5. de Monachis. cap. 2. Vult vitæ Monaſticæ probationem fieri per triennium: Non enim, inquit, facilis eſt vitæ mutatio, ſed cum animæ fit labore.

Si Cathecumenus per longum tempus Eccleſiam non frequentaverit, & poſtea Baptiſmum peti erit, concedetur ei, quia in vetere homine deliquiſſe videtur. Concil. Elibert. Can. 45. anno 303.

Si fideles impetu fiant Præſides & Magiſtratus, debent commendari Epiſcopis, vt illis invigilent, ne quid contrà diſciplinam publicè agant. Concil. Arelat. 1. Can. 7. anno 316.

Preſbyter non antè 30. annos debet ordinari. Concil. Neocæſar. Can. 11. Habetur. d. 78. Can. Preſbyt.

Non oportet ad clerum ſtatim poſt Baptiſmum promoveri. Concil. Nicæn. Can. 2. & Laodicenſe. Can. 3. an. 320.

Epiſcopus non debet ſtatim eligi ex laicis, ſed per gradus ordinum tranſire, vt fides & mores ejus manifeſti fiant. Concil. Sardi. Can. 13. anno 347. Arelatenſe. Can. 1.

Non ſunt velandæ virgines, quæ ſe Deo voverint, niſi quadraginta annorum probatâ ætate. Concil. Cæſarauguſt. Can. 8.

Negligentiores pœnitentes tardiùs reconcilientur. Concil. Carthag. 4. Can. 75.

Pœnitentes non ſunt temere juvenibus committendi. Can. Aurel. 3. Can. 12.

Vt per ordinem ad Eccleſiaſticos ordines aſcendatur. Conc. Later. 1. Can. 2. anno 112.

Neceſſarium eſt tibi quod magni viri fecerunt, aliquos dies interponere, quibus nos imaginariâ paupertate exerceamur ad veram. Excitandus è ſomno & vellicandus eſt animus, &c. Senec. Epiſt. 20.

Philo. Iud. lib. de profugis, & quis ſit rerum divinarum hæres; dicit temerarium eſſe velle aſcendere ad virtutes divinas, niſi per morales, tanquàm per gradus: priùs quiſque immolet columbam domeſticam, ideſt vitam ratione naturali regulatam, quàm turturem feram, ideſt ſublimem contemplationem, à communi hominum conſortio alienam.

Moralis virtus à more & conſuetudine, vndè & nomen traxit; Cum autem nihil præter naturam aliter aſſuefacere poſſit, conſtat neque naturâ: neque præter naturam, nobis ingenitas eſſe virtutes, ſed ad illas ſuſcipiendas apti ſumus naturâ, vt perficiamur & perpoliamur more & conſuetudine: Naturalium etiam priùs habemus facultates, deindè functiones? ſic priùs habemus facultatem viſivam quàm videamus,

Digitized by Google

videamus, nec ideò vidimus, quia sepè vidimus: ac ædificando fiunt artifices, cantando musici, justis actionibus justi, temperatis temperati: vndè danda opera, vt actiones nostras certo quodam modo conformemus, illisque assescamus à puero, vt fiant boni habitus. Arist. Moral. Nich. l. 2. c. 1.

Aër externus impurus, non erat aptum spiritibus instrumentum statim in corde receptum, ideò debuit in pulmone præparari, ibi enim accipit qualitatem spiritui interiori familiarem. *Vide Duratio Bonitatis* Mora.

Metalla sunt aptiora quàm lignum ad conficiendas imagines cælestes, quia maximo & diutino cæli conatu in terræ visceribus effecta, vim impressam diutius retinent. Marsi. Ficin. lib. de vitâ cœlit. comparandâ. c. 9.

Expertus diversos fortunæ casus non cedit animò in adversis: sic veterani non terrentur vt tyrones.

Magnum quid est dicere, sed discere periculo caret: cur teipsum facis pastorem, cum sis ovis? cur caput esse contendis, cum sis pes? cur exercitum ducere quæris, cum inter milites censeris? Si parvulus es lacte tibi opus est, non solidiore cibo, quem membra præ imbecillitate non concoquent. D. Gregori. Nazianz. de modest. in disputat.

Pulli avium antè pubertatem non volant, vel decidunt.

Canales vt accipiunt aquàm, effundunt: concha verò sibi reservat: canales multos habemus, loqui, docere, & regere quàm instrui paratiores, &c. D. Bern. Serm. 18.

Vanum est vobis antè lucem surgere. Psalm. 126. Antequàm Lucifer oriatur in cordibus vestris, 2. Petr. 1. Surgite postquam sederitis, vt Apostoli, quoadvsque induamini virtute ex alto. Luc. 24.

Præcipit Apostolus, Ecclesiæ eum præfici qui sciat domum suam benè regere. 1. Tim. 2.

Ioseph domui Domini sui perficitur, antequàm toti Ægypto. Genes. 39. Oeconomia est tyrocinium politiæ. Iustus quasi arbor secùs decursus aquarum, dat fructum suum in tempore suo. Psal. 1.

In frontispicio templi Delphici duæ erant inscriptæ sententiæ. Nosce teipsum, & Ne quid nimis; vna aliam videtur declarare.

Non confertur dignitas Doctoratus his qui possunt in litteris proficere, sed qui jam profecerunt.

Contra legis decretum arare voluerin primogenito bovis, & ovis primogenita tondere festinant, qui initio volunt aliis præcelle: Vitâ, quam aliis dant, se fraudant, concham te exibe non canalem, ptius implearis, quàm effundas. Stultus, Proverb. 29. profert totum suum spiritùm simul. Sapiens reservat in posterum. Si parùm olei habeo, non dabo, ne non sufficiat nobis & vobis. Charitas vult abundare sibi, vt possit & omnibus. Non manat fons in rivum, donec suis satietur aquis, &c. D. Bernard. Serm. 18. super Cantica.

Si quis ordinem militiæ atque stipendia prævertat, etiamsi Principis per obreptionem detulerit indultum, in locum ex quo indecenter emerserat revertatur, vt is gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. l. 2. Cod. de Officio Magistri Officiorum.

Lapis durus est ad opus, sed factum ex eo opus non deficit. D. Chrisost.

De laicis litteratis non subitò ordinandis. dist. 59. Laici non sunt eligendi in Episcopos, sed postulandi. dist. 61. Neophyti non ordinandi. dist. 48.

Assuescendo formidanda contemnere, & sustinere fortes efficitur: effecti verò maximi sustinere ac pati terribilia possumus. Arist. Moral. Nicomach. l. 2. cap. 2.

Est aliquid quò sapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est, &c. Senec. Epist. 53.

Virtutis Archetypum in animâ idæa est, nondùm tamen ad opus perfectum que ocassione adducta: vt in altissimo Oceani gurgite enatum lignum, diceremus posse quidem vri, nondùm tamen igni obnoxium, quippè marino humore madidum. Philo. lib. de Temulentiâ.

Languent per inertiam saginata, nec labore tantùm, sed mole & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa fœlicitas: à vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit nulli malo cedit, sed etiam si ceciderit de genu pugnat. Seneca. lib. de Providentiâ.

Sara parit in senectute. Gen. 21.

Pro tyronibus accipiendi, qui longo tempore pugnare desierunt. Vegetius lib. 3. c. 9.

Apparet industria ingeniosorum, dum optimè muniunt castella quæ sunt in plano, & quæ nullam habent à naturali situ vim.

Cyrillus Alexandr. lib. 4. contrà Iulian. dicit Iudæis à Deo sacrificia dispensative fuisse data, vt sensim ab idololastriâ revocarentur? ostendit enim Deus sibi sacrificia non placere. Hierem. 6. Isay. 1. Psal. 50.

Neque cum mare rubrum transiero, statim ero in terrâ promissionis; per longa deserta ductus est populus, Deo semper viam dirigente. Non statim à mundi egressu liber est ad contemplationem aditus. D. August.

Si quis constringat vlcera nondùm matura, corpus ægrotum nutrit, quod vlcus habuerit. Hipocr. dè locis in homine.

Qui purpuram tingunt, levioribus coloribus illi lanam præparant. D. Chrisost.

Multùm & repentè vacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut alio quocumque modo multùm movere, periculosum; quod verò paulatim fit, tuum est, cum ex altero ad alterum fit transitus. Hipoc. Sect. 2. Aphor. 51. Alimenta alternis sumimus vicibus.

Vsufructuarius in locum demortuarum arborum debet alias substituere, & sic colere, vt bonus pater familias. §. Sed si gregis. Inst. de Acquir. rer. Domini.

Levit. 9. Iubetur recens plantatas arbores fovere, alere, quarto tamen anno fructus Domino consecrandi: Sic paulatim propagines vitiorum resecandæ donec fiat fructus Deo acceptus. Clem. Alexand. lib. 2. Stromat. c. 8.

Gen. 22. Abraham ivit viam trium dierum, postèà vidit locum. Primo videntur creaturæ. Secundò desideratur creator. Tertiò illo fruimur. Ibid. lib. 5. cap. 5.

De progressu amoris divini. *Vide Major Volunt.* De progressu virtutis. *Vide Maior Virtut.*

Acquiruntur virtutes, vt ea quæ per alluvionem flumen prædio nostro adjicit, per latens incrementum. Sic sinè sensu moventur astra, crescit corpus, &c.

Quidam, quasi fortes equi, non priùs reguntur, quam explicatis & fatigatis suis viribus.

Pictores priùs tabellam delineant, & obscurioribus adumbrant coloribus: Fabri ærarij statuam soliduturi, obscuram eius in cerâ effingunt imaginem: Medici præveniunt magnos morbos levioribus medicamentis.

Oſcitavit ſepties puer ſuſcitatus ab Eliſæo. 4. Reg. 4.

Propter nomen tuum educes me, & enutries me. Pſalm. 30. Dux mihi eris, & paulatim populis imbiebis corpus meum, donec ad perfectam ſtaturam perveniam. Sic Eccleſia loquitur Chriſto. D. Auguſt. ſuper. Pſal. 30.

Quidam morbi acceleratis remediis exaſperantur, ſuis ſtatutis acceſſionibus & naturæ relinquendi ſunt, quæ tamen opportunè poteſt juvari.

D. Auguſt. lib. 1. Soliloq. c. 13. dicit quoſdam eſſe oculos ità ſanos, vt ſtatim ſinè hæſitatione in lucem ferantur; alios verò quibuſdam gradibus, certoque ordine ad eam deducendos. Primo vident colorata, quæ per lucem videntur. &c. *Vide Duratio Cognit.* B

Medicus non ſtatim cauſæ morbi medicamenta adhibet, ſed nocivo ſymptomati; ſic ſeditio compeſcitur: Maximè ſpectari debent ægri vires, quid ferant.

Cruda licet ſint evacuanda, non tamen in principijs morborum, niſi turgeant, ſed in ejus declinatione. Hypoc. Aph. 22.

Sicut non videtur vt ægrotus poſſit ſtatim ad ſanitatem reſtitui; ſic juris præſumptio eſt, vt non videatur quis in incontinenti ſe corrigere. l. nam ad ea. in pr. ff. de Condit. & demonſt.

Quæ vacuantur, multitudine metienda non ſunt, ſed ſi quæ oportet vacuentur, & facilè ferant. Hipoc. Aph. 23.

Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim referre oportet? quæ verò brevi, repentè. Idem. lib. 2. Aph. 7.

Longâ infirmitate luminibus obſcuratis, niſi ſenſim refuſa fuerit amica lux, fit inimica, ſic præbendum fidei lumen obcæcatis mentibus.

Quæcumque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ſunt incurabilia. Hippocr. lib. 7. Aph. 77.

Medicus in quatuor morbi temporibus diversâ vti debet methodo, ſcilicet initio, augmento, ſtatu, declinatione. D

Iſta renovatio non momento vno fit ipſius converſionis, ſicut in baptiſmo datur remiſſio: ſed vt aliud eſt carere febribus, aliud ob ipsâ infirmitate convaleſcere; aliud telum corpore trahere, aliud vulnus eo factum ſanare, &c. D. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 17.

Per peccatum primi hominis cecidimus ſuper acervum lapidum & in luto. Vndè diuturnâ opus eſt curâ: *Vide Vol. Virt. Rep.*

De vitando nimio & intempeſtivo profectu. *Vide Bonitas Durationis.*

Mortuo Commodo Imp. Ælius Pertinax eligitur, qui cum perditiſſimum Reipublicæ ſtatum quamprimùm feſtinaret in priſtinum reſtituere, poſt tres menſes à militibus occiditur, Bernard. ann. 195. E

Claudio Imp. mortuo, à militibus proclamatus eſt Quintillus, qui quod ſe gravem & ſeverum oſtenderet, ab iſdem decimâ ſeptimâ poſt die occiſus eſt. Idem. an. 271.

Nefas erat Dijs libare vina ſimputatæ vitis. Plin. l. 13. cap. 19.

Reliquæ arbores vt primùm cœpere continant germinationem: Robur, & Abies, & Larix intermittunt tripartito, ac terna germina edunt: ideò & inter ſquamas corticem ſpargunt; quoniam omnium arborũ rægnantium rumpitur cortex. l. Idem l. 116. cap. 25. Prima germinatio eſt incipiente vere; Secunda ſole in geminis; Tertia in Solſtitio. Ibidem.

Quædam ſtatim in germinatione florent properantque in eo, ſed matureſcunt tardè, vt vites. Ibidem. *Vide Minoritas Principij. Initij.*

Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus, & curatoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à Patre: Ità & nos cum eſſemus parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes; at vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum. &c. Galat. 4.

Licet tantùm pecuniâ ludere in certamine haſtæ, currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis cauſa fit; & in his licet ſponſionem facere. l. 2. & 1. ff. de Aleatorib.

Auferetur benedictio ab Eſau primogenito, & datur Iacob, nemo enim fit ſpiritualis, niſi ex carnali; prius enim eſt quod carnale eſt. D. Auguſt. Serm. 44. de diverſ. cap. 12.

Initio mundi dies cœperunt à luce, quia nondùm præceſſerat nox; ſed poſtquàm creatus homo à luce juſtitiæ ad peccati tenebras declinavit factum eſt vt nunc dies à noctibus computemus, quia non à luce ad tenebras, ſed à tenebris ad lucem venire conamur, dicit Apoſtolus. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. D. Auguſt. Serm. 79. de Diverſis.

Dominus multitudinem populi, quæ ſuper fœnum diſcubuerat, paſcit duobus piſcibus, & quinque panibus hordeaceis, humanam ſignificans eruditionem, quæ præcedere debet divinum frumentum nutrimenti, quod per legem colitur: eſt enim hordeum frumento citiùs in tempore æſtatis. Clemans Alexand. lib. 6. Stromat. cap. 5. C

Seneca Epiſt. 90. dicit homines aurei ſæculi, licet malitiæ ignaros, non tamen bonos fuiſſe, non enim dat natura virtutem; ars eſt bonum fieri: ſimilia tantùm virtutibus habeat rudis vita, ipſa autem virtus non contingit animo, niſi edacto. In optimis quoque antequàm erudias virtutis materia, non virtus eſt.

Lacedemones ità paleſtræ dediti erant, vt non fortes milites, ſed exercitati paleſtritæ gauderent dici. Sic de Theologiâ Scholaſticâ. D

Pulli in nido Eccleſiæ ruti plumeſcunt, & alas charitatis alimento ſanæ fidei nutriant. D. Auguſt. Ne priùs per abortum labamur ex vtero matris Eccleſiæ, quàm per ſtabilem conceptum formati, perfectique naſcamur. Idem. lib. 12. contrà Fauſtum in fine.

Virtutes infuſæ non auferunt contrarias diſpoſitiones, ideo patiuntur difficultatem in operando, non autem virtutes acquiſitæ. 11. q. 65. a. 3. ad. 2. D. Thom.

Olim templa Chriſtianorum, ad imitationem templi Hieroſolimitani, conſtabant diverſis manſionibus, in porticu erant pœnitentes, in atrio populus, in ſancta ſacerdotes, denique Sancta ſanctorum, in quo offerebatur incruentum ſacrificium. Baron. an. 57. num. 103. E

Ideò clerici & Epiſcopi, ex Monachis aſſumpti. *Vide Virtus Poteſtatis.* Integritas Sacerdotum.

In 8. Synodo Oecumenicâ. Conſtant. Actione 10. ſtatutum, ne laici niſi priùs per decem annos in aliis Eccleſiaſticis ordinibus permanſiſſent, proveherentur ad Epiſcopatum. Baron. anno. 869.

Nimia germinatio elangueſcit. *Vide Cognitio Virt.* Laus ſui licita. *Vide Duratio Gloriæ.* Mora. *Et Duratio Majoritatis.*

CONSTANS admonitio.

CVm virtus ſenſim debeat acquiri, & ignotâ nobis occaſione ſemper illi invigilandum eſt, nec deſiſtendum à curâ morbi, qui primâ fronte appareat incurabilis. *Vide Duratio Bonitatis:* Multa præter ſpem molitur natura; ſi feras auxilium. Sapientia clamitat in plateis, ne deſit cuiquam, tunc cum illam appetit.

Fluunt fontes & amnes, etiamſi nullus hauriat; quod hodie peccator ſpernit, cras fortè recipiet: Piſcator qui per totam diem vacuum traxit rete, ſub noctem jam abire parans multos interdùm piſcatur; Non deſinit colonus ab agriculturâ ob vnius anni ſterilitatem; Non terret mercatorem vnicũ naufragium, nec militem vnica clades, &c. D. Chryſoſt. Moribundo filio parentes miniſtrant quidquid poſſunt. Æger diverſis eget, continuiſque auxilijs, varijs pro diverſo tempore.

Multa corpora virtualem calorem continent, qui motu excitatus prodit, vt in ſilice.

Vrſa fœtus ſuos informes editos linguâ format.

Filius pius vellicat & pungit lethargum Patrem ſenem, & mori volentem, eſtque ei importunus, quia pius, dicente medico quod morietur ſi dormierit. Sic moleſtus ero fratri vt vigilet, & carens ſomno vetuſtiſſimi erroris, mecum in hæreditate gaudeat vnitatis; prorsùs faciam, ſi vigilo; ſi non facio, & ego dormio. D. Auguſt. Tract. 10. de Diverſ. cap. 10.

Nolite fieri ſicut equus & mulus, qui calce fetiunt eos à quibus curantur. Non parcis non parco, adverſatis adverſor, reſiſtis reſiſto, lucta nos comparat, ſed cauſa ſeponit; tu inimicus es medico, ego morbo; tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. Retribuebant mihi mala pro bonis, ego autem orabam. D. Auguſt. Hom. 24.

Habet ſuam hilaritatem ipſa cantatio, etiam ſi ad illam alius membra non moveat: ſic charitas, cui alius non reſpondet. Idem. Epiſt. 59. Licentio.

Sæpiùs repetita remedia proſunt, ipsâ juvantis pertinaciâ.

Remedia antè vultis quàm vitia definere. Ego verò & magis dicam, & quia recuſatis perſeverabo, tunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expreſſit, dicam etiam invitis profutura, & quia verum ſinguli audire non vultis, publicè audite. Senec. Epiſt. 89. *Vide Duratio Bonitatis.* continuatio.

Vt lana quoſdam colores ſimul ducit, quoſdam niſi ſæpiùs macerata & recocta non perbibit; ſic aliquas diſciplinas ingenia ſubitò præſtant, aliàs non niſi altè deſcendant, inficiunt non colorant. Idem. Epiſt. 71.

Meritò commercium Epiſtolarum quæris, Plurimum proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo: diſputationes properatæ & effuſæ, audiente populo plùs habent ſtrepitus, minùs familiaritatis: Philoſophia, bonum conſilium eſt, conſilium nemo clamore dat: verba, vt ſemina ſpargenda ſunt, vires ſuas explicabunt, cum idoneum locum occupaverint. Senec. Epiſt. 38.

Duæ purgationes eodem die ſunt periculoſæ. Non deſiſtit quotidie nobis loqui Deus, etiamſi non audiamus. Ideò congregamur in Eccleſijs & vrbibus, vt ſemper poſſimus moneri. D. Chryſ. Hom. 16. ad Popu. Antioch. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. Iſ. 58. Prædica verbum, inſta, opportunè importunè; in omni patientiâ & doctrinâ. 2. Tim. 4.

Si aliter non proficis, nec cures etiamſi importunus videaris; Multi enim poſteà cogitantes quæ audierint, & quàm juſtè audierint, ipſi ſe graviùs & ſeveriùs arguerunt, & quamvis perturbatores à medico videantur abſcedere, paulatim verbi vigore ſi medullas penetrante ſanati ſunt, quod non fieret ſi ſemper expectaremus volentem vri aut ſecari, putreſcentibus membris; D. Auguſt. in Epiſt. ad Galatas.

Ioſue 6. Muri Iericho, id eſt munitiones mortales ſæculi, ſepties circumactâ teſtamenti arcâ cadunt: Sicut nunc per tempora, quæ ſeptem dierum viciſſitudine dilabuntur, teſtamentum Dei circumit toto orbe terrarum, vt in fine temporum mors noviſſima inimica deſtruatur, & ex impiorum perditione, vnica fiat Eccleſiæ domus, &c. D. Auguſt. lib. 12. contrà Fauſt. Manich. cap. 31.

Pueri prohibentur ſui juris eſſe, tantiſper dùm in ipſis, quemadmodùm in civitate Rempublicam conſtituamus, optimam ipſorum partem colentes, ipſi imperium decernamus. Plato. lib. 9. de Republicâ.

Apud Romanos cum decem eſſent cohortes in qualibet legione, ità ſtatutum erat, vt à decimâ ad primam deveniretur, creſcentibus ſemper ſtipendijs: In turmis equitum eadem ſervabatur diſciplina. Vegetius de re militari. lib. 2. cap. 21.

Apud eoſdem in Republicâ non ſtatim obtinebatur Conſulatus; ſed priùs Ædilitas, Tribunatus, & Pontificatus erant quaſi gradus illius dignitatis, idque fiebat, ne inexperti regerent, noſtriſque docerentur, periculis. Natura, vt ſapienter ſic lentè in ſuis procedit operibus, primò è ſemine germen educit, è germinetur ſurculum, è ſurculo arborem, ex arbore florem, à flore fructum. Aurifabri priùs artis ſuæ periculum faciunt in ſtanno & plumbo quàm in argento, aut auro. *Vide Duratio Gloriæ, & Differ. Gloriæ.*

Natura primum à terræ vapore conficit argentum vivum, tùm argumentum, poſtremò aurum.

Punitur vt ſacrilegijs, qui indebitum ſibi locum vſurpat. l. vnic. Cod. vt dignitatum ordo ſervetur.

Is cujus navigium laxatis vndique compagibus aquam ducit, continuo labore reſiſtit, nec ideò intermittit, quia quantùm exhauſtum eſt ſubnaſcitur: lento adjutorio opus eſt contrà mala continua & fœcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant. Seneca. lib. 2. de irâ. cap. 10.

Nihil eſt tàm difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio: nullique ſunt tàm feri & ſui juris affectus, vt non diſciplinâ perdomentur: quodcumque ſibi imperavit animus, obtinuit, quidam ne vnquam riderent conſecuti ſunt; vino quidam, alij veneri, quidam omni humore interdixere corporibus, alius contentus brevi ſomno vigiliam indefatigabilem extendit, didicerunt alij in immenſam altitudinem mergi, & ſinè vlla reſpicandi vice perpeti maria, &c. ibidem. cap. 12.

Melius eſt nihil inexpertum relinquere, quàm morientem nullis curare: maximè quia neſcio an in extremis aliquid tentare medicina ſit, certè nihil tentare perditio. Salvian. lib. 1. ad Eccleſ. Cathol.

Excuſatur medicus qui ſuſcipit curam deſperatam, non ſic de advocato. Vide Boerium. Deciſ. 323.

VIRTVS INDIGET *longa exercitatione.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Forma ſubſtantialis momentò quidem introducitur, ſed diuturnæ præcedunt diſpoſitiones. Virtus, nova vita eſt, hominem è gradu ſenſuali in rationalem, imò divinum transferens; Id autem fit per certos ætatis ſpiritualis gradus. *Vide Majoritas Virtutis. Progreſſus*, ſenſim enim divina in animam ſtillat gratia. *Vide Durat. Bonit. Mora.*

MAGNITVDO. Natura pondere ſuo labitur in malum; ſed ad bonum, vt ad quid excelſum, non niſi magnis continuiſque laboribus aſcendit: nemo repentè fit ſummus. Interdùm magna præſtabit ardens boni cupiditas, ſed citò exſolutis viribus jacebit, niſi frequenti talium actionum vſu contractus ſit habitus.

DVRATIO. Peccatum diuturnus, chronicus, vt pote hæreditarius morbus eſt, vndè diuturno ſanari debet remedio. Prius eſt quod eſt carnale; duplex itaque labor, vt dediſcamus conſueta, & addiſcamus perfectiora.

POTESTAS. Qui ad novum aſſumitur imperium facit omnia nova, eligitque ſibi in poſterum addictos beneficio ſuo ſtantes miniſtros: At homini ad meliorem frugem converſo, ijſdem faculatibus vtendum eſt, quibus vſus fuerat peccator; eodem intellectu, toties à paſſionibus excæcato; eadem voluntate, nuper ſenſibus addicta, vndè longo opus eſt tempore, vt eas potentias ſibi conciliet, & ſenſim à prævaricatione revocet in debitum virtutibus obſequium. Temerarium eſt eos qui nunquàm fuerint diſcipuli, fieri Magiſtros; imperare qui nunquàm didicerunt obedire, & finè militari tyrocinio fieri imperatores. Quàm periculosè navis committitur nauclero, qui nunquàm aſcendit mare, & ſanitas medico, qui morbos non niſi ex libris dignoſcit; tam malè ſalus animarum committitur Neophytis, quos ideò Apoſtolus ab Epiſcopatu removet.

COGNITIO. Ad ſcientias & artes diſcendas diuturno opus eſt exercitio, ſtatim enim à tenebris prodeuntes oculi lucem non ſuſtinent: at longè difficilius eſt facere quàm diſcere: Multis rei præclaræ cognitio continget, paucis actio: Parùm eſt ex alieno ſapere; capiendum eſt virtutis experimentum, noſtriſque non alienis credendum oculis.

VOLVNTAS. Primi amores hærent cordi, nec facilè deponuntur: quis ſtatim commotas paſſiones ſedabit? quis ferarum omnium collectas in homine cupiditates ſtatim ſicurabit? quis jugum, catenas hilariter ferre, & ad rationis arbitrium moveri ſtatim docebit?

VIRTVS. Prudentia cæteris virtutibus facem præferens, cum verſetur circà ſingularia, longo illorum vſu perficitur; nemo ſibi de fortitudine blandiatur, niſi qui vtriuſque fortunæ caſus illibatâ mente tulerit; ſenſim temperantiæ corpus debet aſſuefieri alioquin deficiet, & conſuetam mollitiem trahet in argumentum neceſſitatis.

VERITAS. Facilè quilibet ſublimes rerum agendarum ideas concipit, difficilius exequitur: praxis non reſpondet theoriæ; multa præter opinionem incidunt, quæ inexpertos conturbant, non enim, niſi veteranis, idem animus in palæſtra & in aciè; aliud eſt facto, aliud verò enſe dimicare; aliud ad conſcientiæ & Dei legem vivere.

GLORIA. Virtus dùm primò mores componit, vim infert naturæ, hinc dolor, qui non levatur, donec diuturno in contrarium vſu habitus contractus ſit, quo & facile & etiam cum delectatione fit operatio.

DIFFERENTIA. Varios rerum caſus cum ſuis circumſtantijs, quarum novitate terretur animus ſcientia non exprimit, ſed ſola docet experientia; ad injuriæ patientiam ſpeculativè præparatum commovet inſperata lædentis procacitas.

CONCORDANTIA. Etſi mundana fugiamus affectu, retinemus corpore: Ipſe malorum convictus, ſolitæque priùs voluptatis occaſio nos ſollicitat; nuper extincta fax citò reaccenditur: quàtò opus eſt labore, vt inter eadem alios vivas, vt ſemper tecum & cum ſocijs aliam à te & à ſocijs viram inſtituas. Varia multitudine innumera nullus ſubitò in ordinem digeſſit: Expertis licet citharœdis conceduntur intervalla, quibus componant fides, ipſius etiam conſonantiæ vſu tandem diſſonas.

CONTRARIETAS. Auſtera facies eſt Chriſtianæ virtutis, quæ chariſſima quæque pignora diſſociat, & auferre profitetur quidquid ſenſibus gratum benefica natura contulit; huic fævitiæ non ſtatim aſſuefcit animus; exulceratur niſi callum experimento duxerit: Putas mortuam paſſionem, quæ torpeſcit vt aſpis hyeme, donec excitata magis fæviat; fugam ſæpè fingunt vitia, vt incautos, & nimiùm ſecuros in inſidias deducant.

PRINCIPIVM. Cum artificiata non habeant in ſe principium motus, ſicut viventia, id multis ordinatis machinis conantur imitari, ſed vi ſenſim fatiſcente & aberrante, niſi eadem quæ compoſuit frequenter ſubveniat induſtria. Sic cum non habeamus in nobis principium virtutis, quod deeſt naturæ, longo continuoquè exercitio ſupplendum eſt.

MEDIVM. Non fit tranſitus ab extremo in aliud ſinè medio; prius eſt vt quiſque in virtute adoleſcat quàm perficiatur; præcoces fructus vt plurimùm malè ſapi: homo quidem ſe ad bonum promovet, ſed quaſi aggeneratione, quæ fit paulatim, & quæ ex temporis legibus procedit.

FINIS. Sincera eſt ſibique ipſi primùm fidiſſima virtus, vndè quàm ſemel probavit & intendit perfectionem, totis viribus conatur aſſequi; cumque videat ſe exercitio proficere, illud nunquàm intermittit: nunquàm ſic vltimam manum vitæ apponit, vt credat abſolutam; ſed illi ſemper tanquàm operi ſuo intenta eſt, ſeù vt qui occurrunt lapſus reſtituat, ſeù vt in id quod præclarum apparet avidiùs aſſurgat.

MAIORITAS. Sibi proponens ideam infiniti boni quotidie detegit aliquid ſolito excelſius, ad quod nititur, ſic quaſi ſemper incipiens, novum Deo canticum dicit: nunquàm vacat, ſed ad novum gratiſſimumque opus ingenti ſanctoque fertur ambitu.

ÆQVALITAS. Novi illi pallio tenùs Philoſophi, pudore defectus, diù probatæ virtutis affectant copiam externæ probitatis habitu, vultu, ſermone; ſed theatricam hanc perſonam diù non ferunt, emicant ſæpius latentis & nondùm extinctæ cupiditatis ſcintillæ, quas fovent, cùm teſtes & oculos hominum effugerint. Si deſit acquiſitus longâ exercitatione virtutis habitus, vno tenore ſibi ſemper ſimilis vita non procedet.

MINORITAS. Se neſcit, & periculoſiſſimò quas patitur ægritudines non ſentit, qui ſe putat aſſiduo virtutis exercitio non indigere: ad altiora non nititur.

quí ſe credit jam ſummum tenere. Novi quotidie occurrunt defectus præclaris actionibus reparandi, vt in locum emortuarum arborum & ovium, novæ ſunt ſubſtituendæ; & in veteri ædificio majori curâ quàm in alijs ſartatecta ſunt præſtanda. Si Heſiodo credimus valdè procul ſita eſt virtus. & ad eam pertingendam via eſt & longa & aſpera, longo labore ſuperanda. Lucianus dialogo de ſectis.

CITO ET SINE MORA virtuti incumbendum.

MISCELLANEA.

CErvi fœminæ à partu duas edunt herbas, quæ caros & ſeſelis appellantur, paſtæ redeunt ad fœtum: illis imbui lactis primos volunt ſuccos, quacumque de causâ: editos partus exercent curſu & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, ſaltumque demonſtrant. Plin. lib. 8. cap. 32.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper ipſos volitans. Deut. 32.

Dixerunt antiqui malum Patrem familias quiſquis interdiù faceret, quod nocte poſſet, niſi in tẽpeſtate cœli: pejorem qui profeſtis diebus ageret, quod feriatis deberet; peſſimum qui ſereno die ſub tecto potiùs operaretur, quàm in agro. Plin. lib. 18. cap. 6. *Vide Minor. Durat. More.* De captanda occaſione.

Hordeum ex omni frumento minimè calamitoſum, quia tollitur, antequam triticum occupet rubigo. Ibidem cap. 7.

Hoc ſcientes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere; nunc enim propior eſt noſtra ſalus quam cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Roman. 13.

Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim, tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. 2. Corint. 6.

Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet: cum enim dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugiunt. 1. Theſſal. 5.

Spiritum nolite extingere. Ibidem.

Mobile tempus eſt, & mobili materiæ conjunctum fluit ſemper & quaſi corruptionis & generationis vas nihil retinet, vndè priùs ac poſteriùs, & fuit & erit, nihil omninò ſunt. Euſeb. de præpar. Evangelicâ. lib. 11. cap. 7.

Æternitatis & vitæ immobilis præſentiarium ſtatum; infinitus ille temporalium rerum motus imitatur, cumque eum effingere atque æquare non poſſit, ex ſimplicitate præſemiæ decreſcit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem, & cum totam pariter vitæ ſuæ plenitudinem non poſſit poſſidere, hoc ipſo quod nunquàm eſſe definit, illud quod implere atque exprimere non poteſt, aliquatenùs videtur æmulari, allegans ſe ad qualemcumque præſentiam hujus exigui volucriſque momenti; perpetuo curſu imitatur perpetuam immotamque ſubſtantiam. Boetius de conſolat. Philoſ. prosâ vltim.

Quid cunctaris, quid ceſſas, niſi occupas fugit: cùm occupaveris tamen fugiet, itaque cum celeritate temporis vtendi velocitate certandum eſt; velut ex torrente rapido nec ſemper caſuro, citò hauriendum eſt: ſermo & cogitatio iter facientes decipit, vt tunc pervenerint, cum ſe non advertũt appropinquaſſe. Idem.

Neſcio quomodò cum ſuperflua & terrena diliguntur, arctiùs adepta quàm concupita conſtringunt, vndè adoleſcens multa poſſidens, triſtis receſſit à Chriſto denuntiante hæc eſſe relinquenda: aliud enim eſt nolle incorporare quæ deſunt, aliud jam incorporata divellere: illa velut cibi repudiantur, hæc velut membra præciduntur. D. Auguſt. Epiſt. 4. Paulino.

Ingenia naturâ fortia, ignea & fervida nihil tenue & exile rapiunt; ſed imperfectus illis vigor eſt, vt omnibus quæ ſinè arte ipſius tantùm naturæ bono exſurgunt, & niſi citò domita ſint fortitudini apta erant, audaciæ, temeritarique conſueſcunt. Itaque tibi ſæpè bonam indolem, in malis quoque oſtendam. Seneca. lib. 2. de irâ. c. 15.

Vide initia à magnis. *Bonitas & Magnitudo, & Virtus Principij. Imit.*

Perſevera vt cœpiſti, & quantum potes propera, quò diutiùs frui emendato animo & compoſito poſſis; frueris etiam dùm emendas. dum componis: alla tamen eſt voluptas, quæ percipitur ex contemplatione mentis, ab omni labe puræ & ſplendidæ. Senec. Epiſt. 4.

Fugiendum & properandum, antequàm aliqua vis major interveniat, quæ auferat libertatem recedendi; dormitare de fugâ cogitantem non decet. Idem. Epiſt. 22.

Inſtat hoſtis à tergo; premeris, accelera & evade, & conſideta quàm pulchrá res ſit conſummare vitam ante mortem. Idem. Epiſt. 32.

Nemo difficulter ad naturam reducitur, niſi qui ab illâ defecit, priùs enim animum formare incipiamus, & recorrigere, quàm indureſcat pravitas ejus. Idem Epiſt. 50.

Facile tenera conciliantur ingenia ad honeſti amorem, adhuc docilibus, leviterque corruptis, injicit manum veritas, ſi advocatum idoneum nacta eſt. Idem. Epiſt. 108.

Hercules puer angues ſuffocat, in cunis jam jove dignus erat.

Sic Plato. 3. de Republicâ, dicit eos qui futuri ſunt populi Rectores diligenter ab adoleſcentiâ in id, reliquis omnibus alijs, educandos, vt fiant libertatis artifices, heroumque præmatura imitatio illis tranſeat in naturam. Et lib. 2. dicit Teneram ætatem facile virtutis impreſſiones recipere. Et lib. 4. dicit Hoc vnum ſufficere ad Reipublicæ fœlicitatem, ſi bona ſit educatio hinc enim bona ingenia evadunt, quæ in meliùs ſemper proficiunt. Id. aſſerit lib. 6. Fruſtra leges, quæ fiunt circà particularia, niſi malorum origo optimâ educatione puerorum tollatur. Parentes natura docet liberos benè educare, cui officio ſi deficiant, hoſtes ſunt. Philo. lib. de temul.

Serò pœnitent cum liberorum ſcelera illis opprobrio ſunt; quid juvat filios habere ſi æternis nutriuntur ignibus? D. Aug.

Plato 6. de Rep. præcipit matres filios educare, ne malæ nutricis inficiantur educatione, illis non fabulas, ſed heroica narrare.

Crates ab excelſo vrbis loco civibus ſe velle proclamare dicebat; quid, ô Patres, res familiares curatis, & eos ad quos pervenire debent negligitis? quaſi ſi quis calceum potius quàm pedem curet. *Vide Princip. Virt.*

In arboribus rami naſcentes obſequuntur agricolæ, cujus ductu vel in altum emittuntur, vel ad terram proni deflectunt. Ità puerorum animi, parentum velut obſtetri cum manibus fingi poſſunt certà & in futuram ætatem manſura imagine; ſemina & velut fundamenta virtutum his antiquo præaltoque affectu inſinuanda ſunt, vt deindè ignorent naturâ an præceptù

acceperint, parentibus obnoxio ingenio esse, facilique præcipientibus. Virtia cum supercilio & verecundiâ apud illos nominanda, quæ nesciant publicè regnare.

Achilles dicitur fuisse generosissimus, quia nutritus medullâ leonis. Natura quasi aqua fluit ad eam partem, quâ educatio parat viam, apparet ab initio benè cultas esse arbores, quæ sunt frugi ferax.

Fructus non invenitur in arbore, in quâ flos primùm non apparuerit, sic non est honor in senectute, nisi fuerit disciplina in juventute. D. Cyprian.

Herculi sacra faciebant juvenes, qui ex ephœbis excesserant, & inter viros censeri incipiebant apud Lacedemonios. Idem in loco Ephœbeo dicto, Marti sacrificabant catulos canum, quia hoc animal ex mansuetis præstat fortitudine, ibidem, pugnis certabant & morsibus, itaut sibi oculos eruerent. Pausan. in Laconicis, seù lib. 3.

Ibidem refert antè Deæ Orthiæ signum juvenes virgis Plecti, palmâ confesâ ei qui dolorem majori ferret patientiâ.

Elei Olimpiade. 37. pueris de cursu & luctâ præmia proposuerunt. Idem in Eliacis.

De procrastinatione conversi, vt expergisci, volentium. Vide infrà hoc tit. in Repugn. de Relapsis.

Christus voluit corpus suum vivum vngi vt doceret viventes vivum corpus, idest Ecclesiam elemosinis juvare, non expectatis post mortem legatis. D. Bern. Serm. 12. suprà cantica.

Videmus alios aliter rebus demonstratis, vel significatis ad credendum moveri, sicut, exempli gratiâ, Simeon in Christum ad huc infantem credidit, spiritu ei revelante cognoscens. Nathanael ad vnam sententiam quam ab illo audivit, cum esses sub arbore fici vidi te, Respondet Rabbi tu es filius Dei. Math. 16. Primo miraculo conversionis aquæ in vinum crediderunt in Christum discipuli. Latro in eum credit, quem videt non præstatem operibus, sed suplicio æqualem. D. August. lib. quæstion. ad simplician. quæst. 2.

Alioquin fit pessima consuetudo peccati quæ, ligat voluntatem. *Vide Durat. Volunt. mala. obstinatio* & inducit servitutem. *Vide Potest. Virtut. Rep.* Servitus peccati.

Mycerinus quidam Ægyptius audiens se brevi moriturum noctu lucernas accendebat, bibebat, edebat, & in omnem voluptatis occasionem se per diem effundebat, ne quid vitæ suæ tàm brevis voluptati deesset. Athenæus. lib. 10. cap. 12. nos id in bonum faciamus.

Iuliatus apostata statuerat nullum militem fieri posse monachum, nisi expleto militiæ tempore. Hanc legem renovavit Mauritius Imperator, sed contrà insurrexit & obtinuit S. Gregorius Papa. Vide Baron. an. 592.

Aniola consularis in rogo revixit & quoniam subveniri non poterat, prævalente flammâ vivus crematus est. Plin. lib. 7. cap. 52. Sic qui in extremo vitæ volentes converti non possunt, prævalente morbo & pessimis ante acte vitæ habitibus.

IVVENIS RELIGIOSVS.

NOn sumus Domini diffiniti vitæ nostræ temporis. Vnde dicit Paul. 1. Thess. 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ità veniet: neque rursùs in eadem semper alacritate propositi, ideò admonet sapiens. Eccles. 5. Ne moreris converti ad Dominum, neque differas de die in diem; ne dum moram trahis, incidias in diem judicij, & in die vltionis pereas; melùs est non vulnerari quàm vulnerarum sanari. D. Chrisost. lib. 3. advers. vitup. vit. mon.

Beatus vir, cum portaverit jugum ab adolescentiâ, sedebit solitarius & tacebit, quoniam levavit se suprà se. Ierem. 7.

Concil. Trident. sess. 25. c. 15. permittit vota Religiosa emitti anno ætatis decimosexto expleto. Et sic fit in omnibus ordinibus Religiosis, hac enim ætate adolescentes, cum sint capaces peccati, possunt esse meriti. Pubertas æstimatur jure civili anno decimo quartò, & hinc possunt contrahere nuptias, individuamque societatem, vnde pendet totius vitæ fœlicitas aut miseria: his quidem minorum nuptiis intervenit consilium parentum, sed infaustum sæpè, cum bona potiùs quàm personas conjungant, & perperam de alieno judicent affectu, vim non patiente: At juvenes vitam monasticam profecti feruntur interno à Deo accepto motu, consiliisque niruntur Evangelicis; vt furiosi testamentum confirmatum fuit, quo filium gæredem nominabat, quia etiam à sapientissimo nihil poterat justiùs decerni; sic juvenes prudentissimè eligunt vitam puriſſimam & innocentem, ad quam post longos mundanos labores & errores suspirant senes si sint pij; citò & gratis fruuntur pace, quam alij diuturnis bellis, incertisque sibi putant emendam, vt Philippus Rex Macedo.

Vita Religiosa & solutio obsequij Deo debiti, quæ fieri potest à minoribus: vt à Samuele, ab innocentibus, à Ioanne Baptista & alijs. Debita publica, propter periculum moræ, possunt à Principe exigi antè tempus *Vide Minoritas Durat.* Celeritas bona; sic Deus potest exigere puetitiam nostram, vt olim primitias spicarum, nondum ad perfectam maturitatem; maledicit ficulneæ fructuum non habenti, etiam antè tempus; declarat tamen & indulget per Ecclesiam, ne nos suo voveamus servitio, nisi in ætate, in quâ mens talis obsequij justitiam affectumque conceperit. Satim vt homo sit rationis capax per ætatem, Deus sacrum lumen motumque dat, quo ipsum ad se trahit. Bonum est antè malum, verum antè falsum, naturale antè violentum, libertas antè servitutem; omnium optimum est adolescentiæ temperamentum: sic puriſſimi sunt primi illi motus à Deo immediate immisci, vt primi solis radij, sub quibus formantur vniones.

Plato dicit juvenes & senes maximè affici pietate; juvenes libero mentis motu in idæam viri boni tendentes; senes autem tædio anteactæ vitæ, & metu futuræ. Iuvenes vestri visiones videbunt, & senes somnia somniabunt. Ioël. 2. Sapientia senum est quasi somnium, si comparetur juvenum illustrationibus: Bona divina seipsis desiderabilia sunt, nec indigent rerum mundanarum periculoso in contrarium experimento, quod supponit dubium cor, primis gratiæ donis abutens, nec nisi vi & coactione quadam obsequens: Semper in honestum est fuisse apud hostes desertorem, turpe acceptarum plagarum ferre cicatrices & trophæa præferre victoris hostis, post diutinas vastationes & depopulationes.

Quæ dementia ægrotare vt meliùs habeas, luto oculos & cineribus obscurare, vt melius videas. Calor naturalis nunquàm restituitur æque vegetus, post gravem morbum: Non sunt admittendi hostes, qui facilè non possunt excludi, cum sibi jus possessione fecerint: Facilior innocentia in his qui vitiis non fuerunt infecti, alij autem bonum finè maximo certamine non operantur, & hic labor

cujus ſibi imprudentes cauſa ſunt, non cedit illis in præmium. Prudentis eſt in incerto mortis & judicij, ad æternitatem gloriæ aut damnationis ſecuriùs iter eligere. Probantur juvenes novitij multis rigoribus, vt igne, quem non fert levis, aut adulterina devotio.

Vide quæ ſcripſi lib. de vitâ Religiosâ parte. 2. c. 4. hic etiam applicari poſſunt ea omnia quæ dicuntur de matura ad Deum converſione.

Ab eo tempore in prælio ſtare debemus, quo ab hoſtibus in prælio maximè vrgemur, in adoleſcentiâ enim vigent paſſiones, tardè converſis vix ſupereſt tempus ad pœnitentiam & ad vulnerum ſanitatem, nunquàm ſani, vix convaleſcentes, &c. ex D. Chriſoſt. lib. 3. adversùs vituperatores vitæ Monaſticæ.

Hercules monſtra ſuperavit priùs quàm noſſe poſſet. Chriſtus puer paupertatis & hyemis injurias tolerat.

Samuel Deo oblatus dum adhuc in matris eſſet vtero. Virgo Maria à pueritiâ in templo Deo oblata.

Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequàm tenebreſcat ſol, antequàm conteratur hidria ſuper fontem, & revertatur pulvis in terram, vndè erat, & ſpiritus redeat in Deum qui dedit illum, &c. Eccleſiaſtes. 12.

Moyſes adhuc puer coronam à Pharaone capiti impoſitam abjicit. Ioſep. l. 2. c. 9.

Quod anima ſit ſtatim intelligens. Vide ex Tertulliano pulcherrima. *Magnitudo Principij initij.*

Pulli aquilarum ſolem reſpiciunt.

Ad ſuſcipiendos dolores, vide quantùm Chriſtus feſtinaverit, dùm octavo die circumciditur. D. Bernard. de paſſione. c. 2.

Mane aſtabo tibi & videbo. Pſ. 4. Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos, deſt innocentiam primæ ætatis & libera colla à jugo mundi. D. Auguſt. in Pſal. 50.

NON EST DIFFERENTIA pœnitentia & ad Deum converſio.

DE his quæ debent fieri citò, & ſinè mora. *Vide Minoritas Durationis.*

Deut. 20. Iubetur populus Iſraël, vrbes omnes obſeſſas vaſtare, ſi oblatas pacis conditiones non receperint. Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſal. 54. Sic ex momento pendet æternitas. Ideò ſæpè à Chriſto monetur vigilare, quia citò pertranſit vita noſtra, ſicut cum à texente tela ſucciditur, vt ventus, vt nubes, quæ diſſolvitur. Iob. 7.

Populus propter duritiam ſuam punitus à Deo, vide Ierem. 18. *Et Dur. Volunt. Mala.*

Calidis vulneribus, ſolent medicamenta celeriùs ſubvenire, &c. D. Auguſt. Serm. 102. de tempore.

Longè quidem eſt dies judicij, ſed vniuſcujuſque hominis dies vltimus longè eſſe non poteſt, quia brevis eſt vita, & quia neſcis quandò ſit vltimus tuus dies, corrigè te hodie, propter cras: quid differs in craſtinum; vita inquis longa erit, ipſa longa bona ſit, vtique ſi longa ſit, meliùs bona erit; ſi brevis erit, benè factum eſt, vt bona produceretur. Omnia ſtatim vis bona, villam, vxorem, domum vis bonam, vitam ſolam, vis diù malam quid te offendit vita tua quàm ſolam vis malam, vt inter omnia bona tua tu ſolus ſis malus? D. Auguſt. Serm. 17. verb. Dom. c. 11.

Viatores declinante die, & procul adhuc hoſpitio, celeritate compenſant reſiduæ lucis brevitatem: ſic immortalitatem effrænis animus attingere contendit.

David commiſſo adulterio & homicidio non differt pœnitentiam in extremam ſenectam, ſed ſtatim rigat lectum ſuum lachrymis ſuis. Pſal. 6. 2. Reg. 12. Achab monitus ab Elia ſtatim cilicio induitur. 3. Reg. 21. Magdalena vocata ſtatim pedibus Chriſti obvolvitur. Vt hodie potes mutare indecentem veſtem, ſic vitam. Potes dicere, non poſſum jejunare, ſed numquid potes dicere non poſſum amare.

Dicitur. Iſay. 46. Redite prævaricatores ad cor. Non ſunt maria transfretanda, & longinquæ peregrinationes ſupiſcendæ, Dominus nos intùs ad cor noſtrum mittit, &c. D. Auguſt. Serm. 59. de tempore.

Num. 6. pulcherrimè dicit Moyſes, Qui in eo fuerit repentè mortuus, ſtatim polluetur caput voti ejus, & radetur. Peccatum in voluntarium mortem repentinam appellavit: Ideò conſulit, vt ſtatim caput radat, ideſt ignorantiæ comas, quæ vmbras rationi offundunt, vt à denſâ vitij materiâ nuda relicta ratio ociſſimè redeat ad pœnitentiam. Clem. Alexan. 1. Pædag. cap. 1.

Præveniendus eſt dies, qui prævenire conſuevit: Stultiſſimum eſt vt cauſa, in quâ de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile eſt apud Deum quando homo ſub fiduciâ pœnitentiæ in ſenectutem reſervatæ liberiùs peccat. Difficilè eſt vt callida ſimulatio facultatem obtineat, apud illum cordis interpretem ars non admittitur ad ſalutem. Bonus latro, non ſalutis tempora ſciens, diſtulit, nec enim antè Religionem aut Chriſtum ſcivit, qui ſi ſciſſet, fortè inter Apoſtolos non poſtremus fuiſſet numero, qui prior factus eſt in regno: Ergo ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad conſequendam fidem non fuit extrema hora illa, ſed prima. Euſeb. Emiſſen. Homilia de B. latrone.

Quandiù in hoc corpuſculo ſumus, conceditur nobis ſciſſa redintegrare, maculata diluere, vulnerata ſanare: quidquid autem hic non redemerimus, integrum portabimus coràm tremendi judicis & ſanctorum præſentiam; diceturque non habenti veſtem nuptialem, ejicite eum in tenebras exteriores. Curramus dùm lucem habemus, ne nos tenebræ comprehendant, quia non eſt in morte, qui memor ſit tui: Numquid ibi poteris paſcere eſurientem, cum ipſe dives pro ſe aquæ guttam non habeat: Id. homil. 1. de Aſcenſ.

Si quis à malis ſuis fractâ ætate, vel imminente morte deſtiterit, oblectamenta delicti perdidit, non reliquit: neque ille voluptatem deſeruit, ſed illum voluptas, quæ neceſſitate non virtute fugata deſtituit, ac per hoc impoſſibilate excluſus à vitijs; & tunc puto peccat, quando peccare ceſſaverit, quia quantùm ad animum necdum deſijt, qui adhuc peccaret ſi poſſet. Idem. Non eſt vera pœnitentia, quæ fit morte aut neceſſitate vrgente. *Vide Veris. Vol. Repug. & Contrar. Volunt.*

Vnicum hac in vitâ bonum, quod in eâ mali boni, & boni meliores effici poſſunt. Incerta mors eſt, tu es inter fortuita, vt agnus inter lupos, multa te poſſunt à propoſito pœnitentiæ avertere. Veniet nox in quâ nemo poterit operari. Ioan. 16. Quærite Dominum dum inveniri poteſt. Iſay. 55. Eſtote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet.

Digitized by Google

Math. 25. Non producitur vita ejus, qui opes conjecerat. Luc. 12.

Sal adhibent jam carni putridæ. Nemo colligit, de ſpinis ficus. Math. 7. de inveterato peccatore quid boni ſperes. Ecce nunc tempus acceptabile, &c. 2. Cor. 6.

Vade ad Deum eum ſanus es, nam vt dicitur. Pſal. 31. In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Exaudivi te in tempore opportuno. Iſay. 4. Quomodò inter morbi aut ſenectutis anguſtias dabitur pœnitere, cum non detur vivere, te tunc obruêt tentationes, quibus ſi non reſtitiſti ſanus, quomodò reſiſtes infirmus: aperis medico vulnera, cum ejus conſilium non potes ſequi.

Apparet talium pœnitentiam eſſe falſam quia ſi convaleſcunt in eadem relabuntur.

Qui differt pœnitentiam, differt in diem mortis, qui fortè erit craſtinus.

A peccato vt ab igne ſtatim manum abſtrahe. Vitgulta facilè poteſt avelli, ſi fiat robur vix ſecuribus ſuccumbit.

Si minimum pondus non potes levare, quomodò majus levabis; ſi paucis hoſtibus cedis, quid ſi numero & feritate creverint. Eum quem Dæmones à juventute poſſederant Apoſtoli non poſſunt liberare. Luc. 9.

Vis pervenire, incipe tranſilire, alioquin proripieris miſer in deſiderio terrenorum.

In circuitu, vt impij, ambulans, terga vertis Deo, ideò clamat convertimini filij hominum: ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam, & retardabor; abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto jam latere, jam nudatis viſceribus, diù mihi deliberandum eſt, an excutiam, an abijciam illum: magnum id quod offertur obvijs arripiendum manibus, cum fervore & hilaritate. D. Bernard. in declamatione, ecce nos reliquimus omnia.

Nihil pretioſus tempore, ſed heù nihil hodie vilius æſtimatur: tranſeunt dies ſalutis & nemo recogitat, nemo ſibi non reditura momenta periiſſe caulatur. Sic abbreviata eſt manus Domini, vt centum annorum non poſſit remunerare laborem? Ibid.

Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt: turpiſſima jactura eſt, quæ per negligentiam venit; & ſi volueris attendere magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod prætium tempori ponat, qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori. In hoc enim fallimur quod mortem proſpicimus, magna pars ejus jam præterijt, quidquid ætatis retrò eſt mors tenet: Ergo omnes horas complectere, ſic fiet vt minùs ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris: dum differtur, vita tranſcurrit, omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt; In hujus rei vnius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, ex quâ nos expellit quicumque vult. Et infrà Sera in fundo parſimonia eſt: non enim tantùm minimum in imo, ſed peſſimum remanet. Senec. Ep. 1.

Ingratus eſt Coriolanus, ſerò, & poſt ſceleris pœnitentiam pius: poſuit arma, ſed in medio parricidio poſuit. Senec. lib. 5. de benef. cap. 16.

Dura & intractabilis ætas vix poteſt reformari, tenera finguntur, expecto cum magno fœnore vitia teditura, quæ nunc ſcio ceſſare, non deeſſe. Id. Ep. 25.

Multi tranſierunt vitam, dum vitæ inſtrumenta conquirunt; nullius non vita ſpectat in craſtinum: quid in hoc ſit mali quæris, infinitum? non enim vivunt, ſed victuri ſunt, omnia differunt: Etiam ſi attenderemus, tamen nos vita præcurreret; nunc verò A cunctantes, quaſi aliena tranſcurrit, & vltimo die finitur, omni perit. Id. Epiſt. 45.

Tempore minùs ſolvitur, diù noluit qui tardè dedit. *Vide Duratio Bonit. Rep.*

In cras delatum, licet videatur in diem, nunquàm tamen continget, quia dies ſe vt amnis aquæ perennes fluunt ſemper, vt rotæ currus, ſibi vicinæ, ſe tamen nunquàm contingentes.

Impendio vitæ vitam inſtruunt, cogitationes ſuas in longum ordinant. Maxima potrò vitæ jactura dilatio eſt, quæ eripit præſentia, dùm vlteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum eſt, expectatio, quæ pendet ex craſtino: perdis hodiernum, quod in manu fortunæ poſitum eſt diſponis, quod in tuâ dimittis. Clamat vates, optima quæque dies miſeris mortalibus ævi, prima fugit. Niſi occupas fugit, cum B occupaveris tamen fugiet; itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum eſt: velut ex torrente rapido, nec ſemper caſuro, ſemper hauriendum eſt: quid ſecurus, & in tantâ temporum fugâ lentus? nihil proviſum eſt, & ſubito in ſenectam incidunt imparati, inermeſque ſimiles ijs quos aut ſermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, perveniſſe ſe antè ſciunt quàm appropinquaſſe. Senec. lib. de brevit. vitæ. cap. 9.

Curramus non paſſibus corporis, ſed affectibus, ſed deſiderijs, ſed ſuſpitijs, quoniam non ſolùm Angeli, ſed & Angelorum creator nos expectat. Expectat nos Deus Pater, tanquàm filios & hæredes, vt conſtituat nos ſuper omnia bona ſua. Expectat nos C Dei filius, tanquàm fratres & cohæredes, vt fructum ſuæ nativitatis & prætium ſui ſanguinis Deo Patri offerat. Expectat nos Spiritus S. ipſe ſiquidem eſt charitas & benignitas, in quâ ab æterno prædeſtinati ſumus, nec dubium quin prædeſtinationem ſuam adimplere velit. Ergo quia tota cœleſtis curia nos expectat, ad ipſam properemus, &c. D. Bernard. Meditat. cap. 6.

Diligit miſericordiam & judicium, miſericordiæ tempus modò eſt, judicij tempus poſt erit: vocat modò averſos, donat peccata converſis, præterita obliviſcitur futura promittit, hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adjuvat dimicantes, neminem deſerit exclamantem ad ſe, donat vndè ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit vndè placetur. Verumtamen D tempore judicij erit pœnitentia infructuoſa; dicent, quid nobis profuit ſuperbia, &c. Sap. 5. Omnipotens eſt Deus, nec in miſericordiâ amittit judicium, nec in judicio miſericordiam; accipite ergo miſericordiam, & timete judicium: nunc clamat Dominus accipite miſericordiam, vt ſi tempore famis clamaret accipite frumentum, quantus fieret concurſus, &c. Nunc profunditur vndique Evangelium, &c. Ità accipe, vt benè de accepto valeas rationem reddere. D. Auguſt. in Pſal. 32. Concione 1. in fine. & 2.

Pœnitebit in die judicij. ſed fruſtrà pœnitebit: pœniteat nunc cum fructus eſt pœnitendi; modò adhibeatur ad radices arboris cophinus ſtercoris, ideſt E cordis luctus & lachrymarum, ne veniat ventus, & eradicet. Id. in Pſalm. 49.

Verum dicis, quia Deus converſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. D. Auguſt. in Pſal. 143.

Serò te amavi pulchritudo tàm antiqua, & tàm nova, ſerò te amavi, & ecce intùs eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta fortuita quæ feciſti, deformis jacebam. Mecum eras, & tecum non eram, ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent: vocaſti & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam; corruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam;

fragraſti,

fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi; gustavi, & esurio & sitio: tetigisti me, & exarsi in pacem tuam. D. August. 10. Confess. c. 27.

Hypocrates Aph. 1. conqueritur quòd vita sit brevis, ars longa: conqueramur quod brevis sit ad pœnitentiam. Longa tibi restat via, & brevè tempus, vt consequaris æternitatem: tibi vt servo multa tibi Dominus facienda injunxit, & diem terris in vanis, vndè illius in te concitabis indignationem.

Ad solutionem dilationem petentem, acquievisse sententiæ manifestè probatur. l. 5. Cod. de re judic.

Tardè conversi tunc incipiunt vivere cùm desinendum est. Similes Cain qui vt Deo pejores vitæ annos sacrificant. Malach. 1. & 2. Deus conqueritur, quod populus illi offerret imperfectas victimas, cæcas, claudas, &c.

Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccles. 5. Ninivitæ pœnitentiam non differunt. Vide Isay. 55. Eccles. 13. 17. & 29.

Similes sunt navigantibus, qui tantùm de necessariis ad navigationem cogitant, cum sunt in medio mari. Virgines fatuæ vacuis lampadibus sunt, cum occurrendum & sponso: hi sinè bonis operibus, cum sint Deo rationem reddituri. Damnatorum ad supplicium sera confessio criminis, nihil prodest ab absolutionem, sed ad damnationem.

Cœpit Antiochus, ex gravi superbiâ deductus ad agnitionem sui venire divinâ admonitus plagâ, & cum nec fœtorem suum ferre posset, orabat sceleatus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 2. Mach. 9. quia non ex corde sed ex necessitate & nimis tardè.

Serò sapiunt Phryges admisso in mœnia equo militibus pleno. Ad quid conversio dilata in tempus, quo vires ad pœnitentiæ executionem deficient? ad quid viæ dux, cum præ imbecillitate viam non possum carpere?

Non pudet te reliquias vitæ tibi reservare & id solùm tempus bonæ menti dicare, quod in nullam rem confetri possit? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est! quàm stulta mortalitatis oblivio in sexagesimum annum differre sana consilia, & indè velle vitam inchoare, quo pauci produxerunt! Senec. de brevit. vitæ. cap. 5.

Date Domino vestro gloriam, antequàm tenebrescat, & antequàm offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabilis lucem, & ponet eam in vmbram mortis & in caliginem. Ierem. 13.

Iesus increpat eos, qui cum singulatim dixissent ei, sequar te domine & dixisset vtrique, sequere, me vnus dicit, permitte mihi priùs sepelire Patrem meum, & alius permitte mihi priùs renuntiare his qui domi sunt. Luc. 9.

Contrà de serò pœnitentibus, quibus Deus parcit. *Vide hoc tit. in fine combinationis.*

Matheus statim vt vocatur à Christo ipsum sequitur non levitate animi, sed prodigiorum quæ viderat testimoniis instructus: deindè latentis divinitatis majestas ad se trahere poterat primo aspectu; si enim magnes ferrum, succinum paleas statim sibi copulant, quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos vocabat. D. Hieron. in Math. cap 5.

Marsil. Ficin. lib. 13. Theol. Plato. cap. 2. probat maximum esse animæ in corpus imperium, ex eo quod qui adolescentiam in flagitiis egerint, subitò probiefficiuntur, cùm soleat natura longo tempore abolere quod longo adolevit.

Dicit Christus Iudæis, quæritis me & non invenietis & in peccato vestro moriemini. Ioan. 8.

Nolo tecum computare præterita, ab hodierno te muta, cras te alterum inveniat: nos autem perversitate nostrâ si volumus Deum misericordem, vt non sit justus; vtrumque se exibet Deus, vtrumque præstat, nec misericordia ejus præscribit justitiæ, nec justitia auffert misericordiam: quomodò pertinaci non parcit, sic mutato parcit. &c. D. Aug. Serm. de temp.

Anceps animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmitatis & audaciam præsumptionis, plerumquæ hinc atque indè contunditur, & ità impellitur, vt ei in vtramque partem cadere præcipitium sit, sic enim labitur in peccatorum impunitatem, per nimiam de Dei misericordiâ fiduciam, vel si nimium sibi confidat, sperans se omnia posse implere suis viribus: at breviter dico ne declines in dextram, neque in sinistram, ne presumas ad regnum de justitiâ tuâ, ne prætumas ad peccandum de misericordiâ Dei, &c. D. August. in Psal. 31.

Quia Diabolus nunc nihil proficit sæviendo & vituperando Christum, laudando Christum conatur decipere: Magna, inquit, lex Christiana, potens lux illa ineffabilis, sed quis illam implet? impletur in nomine salvatoris nostri. Id. in Psalm. 40.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniàm benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurisas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij Dei, &c. Rom. 2.

CITO VIRTVTIBVS incumbendum & gratiæ vocanti consentiendum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus vocat ea quæ non sunt tanquàm ea quæ sunt, quia ex nihilo ad existentiam & à privatione ad habitum vltrò sequentia educit, nec in contrarium nitentia. Homo boni magis capax peccat contrà naturæ suæ rationalis legem, si gaudeat nihilo peccati, & vocanti le gratiæ non consentiat.

MAGNITVDO. Totam vitam tuam effice, illam vindica à passionibus & sensibus, vt totam Deo offeras in holocaustum. Cùm sis rationalis, totam vitam debes rationi, cùm sis Christianus totam Deo: furtum & prævaricatio est, primos florentes annos sinceroſque vitiis dicare, vt Deo tibique fœcem serves: Deus vnus & infinitus non vult partiri vitæ tuæ dominum, & qui totum dedit, minimum pessimumque in extremo possidere.

DVRATIO. Non est cunctandum in vanis, cum magnum hoc ad æternitatem iter brevi vitæ spatio sit emetiendum, debes præsens hoc virtutibus, nec sunt remittendæ in futurum, in quo nullum tibi est jus; falso alienum in hypotecam tradis, si tàm negligens es administrator præsentis, quid sperandum de futuro; assignas certa vinis, incerta virtutibus: fortè tunc non erit vita, cum destinatur in melius, seù morte sublatâ, seù vitiis sic immersa, vt vix possit emergere.

POTESTAS. Potentia naturalis statim vt licet in actū prodit, nec vnquàm vacat cum potest, deberque operari; nam & immaturis adhuc viribus officio suo præludit: implumes adhuc philomelæ futuram suam

melodiam medicantur ; Tauri vituli cervicem licet cornibus vacuam jactant, quasi jam præliaturi : Miramur rationis quædam rudimenta in pueris, quid ni maturâ jam ætate tota se explicet ? & totius vitæ ad virtutem conformatæ potius quam externorum bonorum possessionem tradat. Verè tunc est emancipatus, verâque fruitur libertate, si statim vt licet rationalis creaturæ officijs fungatur.

COGNITIO. Diligens artifex operi suo incumbit ab aurora : Veniet nox in quâ non poteris operari ; non semper eadem menti tuæ lux effulgebit, seù Deus illam justè subtrahat seù mens passionibus obcæcata illam non capiat. Ætas te profert in spectaculum, Deo, angelis & hominibus ; Vocat, movet, trahit te Deus & renuis ; Excitant te suis inspirationibus Angeli, & socium ad Dei celebrandam gloriam advocant, tamen mavis fieri vile vitiorum mancipium ; omnium in te directis oculis exhibes, non probitatis, sed dissolutæ vitæ exemplum ; sic tuæ & alienæ conscientiæ noces, sic tuæ famæ notam inuris, vix eluendam.

VOLVNTAS. Humanæ menti insitus est naturalis Dei & virtutis amor, qui moras non patitur, si suo relinquatur arbitrio. Quod si lævientibus in adolescentia passionibus indulgeas, in turpissimam te trahent servitutem, cum jus sibi possessione fecerint. *Vide Magnit. Volunt. Mal.*

VIRTVS. Si virtus longa indiget exercitatione, *vt suprà probatum est hoc tit.* quantò citiùs illi incumbendum est, & hoc primum virtutis circa seipsam officium, vt Prudentia citò caveat à lapsu, vndè vix datur reditus, vt se ad vitæ certamina præmuniat Fortitudo, vt facilem gratumque virtutis viam sibi longa exercitatione efficiat Temperantia, vt Iustitia debitam rationi ætatem restituat.

VERITAS. Fraudem facit legibus, qui quasi major suique in posterum optimus custos à tutela eximitur, cum tamen puerilibus adhuc, imò ferinis, laboret vitijs : A primis adolescentiæ annis, teos monet, vrget, cruciat synderesis, donec tandem hæc lex divina in contemptum transeat, sublata sic omni vitæ melioris spe. Dicitur illud peccatum contrà spiritum sanctum non remitti, quia vix illud sequitur pœnitentia ; sublatâ enim morum regula, quæ potest esse morum rectitudo ?

GLORIA. Naturalia omnia fœlicia sunt in possessione boni sibi convenientis, quia statim, vt possunt, suis funguntur muneribus, nec sinunt innatam vim situ fœdari, & torpore extingui. Homini sua fœlicitas similiter contingeret, si statim vt viget ratio, ad illius rectitudinem mores componerentur ; hinc enim secuta, festiva, supremæ beatitudinis prævia tranquillitas animi : at prava vitiorum consuetudo, ipsas sensuum voluptates in conscientiæ supplicium trahit ; cumque longa impœnitentia fecerit acervum peccatorum, succedit damnatorum æqua ferè salutis desperatio.

DIFFERENTIA. Ordine vt in omnibus sic in vitæ nostræ instituto natura procedit, præcessit rationis aurora : at dum hic sol plenam suam lucem est adeptus, quis sub illius radijs patietur esse tenebras confusasque rerum species. Celerrimus ille temporis motus celerrimâ diligentiâ præveniendus est : viximus ex sensibus, nunc, cum id ferat ætas matura, vivendum ex ratione ; aves cum adoleverint non redeunt in ea vndè processerunt ova ; plantæ in suum semen ; pueri in vterum matris ; sic mens non redeat in affectus sensibiles, quos matura jam ætas excessit.

CONCORDANTIA. Rapit affectus nostros eminens in adolescentiâ virtus ; præstemus nobis quod in alio miramur, & quasi sympaticè diligimus. Abominandum erat Lydiorum filias omnes meretricari priusquàm nubere ; castas & immaculatas animas quærit sponsus immaculatus.

CONTRARIETAS. Quis vnquàm ex proposito injurijs lacessivit eum à quo sperat beneficium ? quis gemmas arborum rumpet, indè fructum collecturus ? quis contumelijs ad gloriam, fraudibus ad probitatis opinionem, aberrando ad scopum se putet pervenire ? sero sapit & vitia detestatur reus jam morti addictus : speras misericordiam in tempore iræ, & judicij Dei.

PRINCIPIVM. Non tàm frugum quàm innocentis vitæ primitias exigit Deus : auguramur fœlicia omnia ex fœlici horoscopo. *Vide Bonit. & Potest. Princ.* Multùm potest, & in naturam transit, à primis annis insita virtus.

MEDIVM. Virtus, vt regina, hoc amplissimo virium in florente ætate apparatu excipienda est, non ruinis & consumpto præ senectute corporis ædificio.

FINIS. Nunc finem rebus præscripsit Deus, dùm mundùm conderet, vt corporalia servirent spiritualibus, & sic boni circulo spiritualibus in ipsum tendentibus, opera sua in ipsum rediret : Quotidie morimur, quotidie pars aliqua vitæ deperit, totumque præteritum mors occupat ; absit vt his vitæ partibus Deo vitæ principio & fini non vixerim in peccato mortuus.

MAIORITAS. Vt in montium ascensione, sic in virtutum, quò plus progrederis, altiora apparent cacumina : ideò quotidie boni ad perfectiora æstuant ; citò aggrediuntur summum hoc, cui tota vita etiam diligentissimè impensa impar futura est.

ÆQVALITAS. Si viribus integris, mente nondùm saucià, nondùm mundana contagione infectâ formidas virtutis laborem, quid præstabis cum senectute postratæ vires, & peccatorum compedibus oppressa libertas, impotentiam, sed volitam & destinatam allegabunt ? non vult solvere qui solutionem in id tempus quo non potest fieri remittit. Philosophia & pietas æqualem profitentur vitæ tenorem, ad exemplum cœlestium, quibus regularis est motus, & beatorum qui semper vnum agunt in primæ vnitatis indefesso cultu : hanc autem vitæ æqualitatem non assequuntur, nisi qui citò virtutibus assuescunt : Nam semel contracti vitiorum habitus, vt hostes vagi & sedibus suis pulsi, mentes olim suas inquietant.

MINORITAS. Senibus veneratio exhibetur, quia priores in existentiam prodierunt. Sic maturè conversis honos debetur, sacrilega est impietas in eo, qui spe divinæ misericordiæ malus est, divinam enim bonitatem, quasi cæcam, quasi stupidam, in ipsammet convertit, illamque malus trahit in argumentum & patrocinium ipsiusmet perversitatis, quâ in ipsam peccatur.

PERSEVERANTIA in virtute.

MISCELLANEA.

Vide Duratio Voluntatis.

FAcilitas tolerandi multam sanguinis missionem significat multam plenitudinem : patientia in adversis multam gratiam.

Iuventus plurimùm pollet ad morbum strenuè propugnandum, quia calido innato abundat, quod

morbificos humores coquere, & excernere poteſt, contrà de ſenibus, quorum morbi ſunt diuturniores.

Balſamum habet folium rutæ proximum, ſed candidius, ſemper virens: ſic de alijs arboribus ſemper virentibus, vt lauro, philireâ, myrtho, &c.

Carbo juniperi accenſus, & ſuo cinere obrutus, ignem integro anno fovet. Mathiol.

Teſtudinum ova, quanquàm diutiùs elixentur, nunquàm tamen eorum album concreſcit, quamvis luteum admodum dureſcat. *Vide Durat. Æqual.*

Ignis non putret, quia quod putret debet fieri frigidius, poſteà calidius, ignis autem ſemper calidus eſt, nec poteſt frigeſcere. Ariſt. Problem. ſect. 23.

Cœlum cum ſyderibus ſemper eſt in actu citrà fatigationem.

Sunt quidam ſenes vegeti, qui vltrà ſexageſimum annum legibus præſcriptum poſſunt negotijs vacare: ſic Themiſtius cum moreretur anno 107. dolere ſe dixit, quod tunc egrederetur è vitâ, cum primum vivere cœpiſſet. De ſenum quiete. *Vide Gloria Durationis.*

Bonus conſiliarius non debet abeſſe à conſilio, etſi ſciat in eo tractanda negotia, quibus non poteſt conſentire, debet enim illis reſiſtere, nec ſibi timere, cùm agitur de bono communi.

Dux in prælio appareat vultu confidentiâ pleno, ſibique ſemper conſtanti, cladem fortiter ferat, nec diſſimulet apud ſuos, ſed apud hoſtes.

Formalia ſemel acceptam figuram ſervant, vt cera, fuſa metalla, ligna ſculpta, &c.

Conjicimus calorem nativum præſtantioris eſſe qualitatis, quàm elementarem, quia remanet in corpore, in quo frigus reſidet, remanet incolumis in plantis tempore hyberno.

Corpus temperatum meliùs externis injurijs reſiſtit, quia ab omnibus exceſſibus æqualiter diſtat. *Vide Virtus Medij.*

In ſingulis foliis floris nomine corona imperialis, ſunt guttæ pendentes, quaſi liquidi vniones, ſed nunquàm cadentes, ſignificant fortem, generoſamque humilitatem.

Carbunculus gemma non poteſt reduci in cineres.

Vinum raro congelatur, acetum nunquàm.

Criſtallus ità induruit, vt videatur planè terreſtris, humidique nihil retinere, vndè non ſolvitur igni, non innatat aquis: ſi comburatur, tantùm dicitur habere cineris, quantùm criſtalli appenſum erat.

Natura in rebus vniverſalibus eſt ſemper voti compos, ſic ſemper impedit vacuum.

Gravitas non fatigatur, ſed impetus gravium motu excitatur, & augetur.

Quod vni eſt ſubſtantia, nulli eſt accidens.

Anima ſemper eadem, & invariata manet, eodemque modo operaretur, ſi eadem haberet inſtrumenta; ſenex videret vt juvenis, ſi haberet oculum juvenis.

Bonum in ægro judicium, facile morbum ferre.

Ventriculus robuſtus facile omnia concoquit, nec à cibis durioribus offenditur.

Medicamenta etiam mortua occultas ſuas vires retinent, vt reubarbarum, & radix evulſa peoniæ quæ ſanat morbum epilecticum, qui eorum finis non eſt vita vegetans, aut ſentiens, ſed vt homini ſint vtilia, quia etiam hæ qualitates ſunt quaſi fructus formæ abſentis, qui remanent etiam in contuſis partibus.

Aquæ oceani in orbem formatæ non decidunt, quoniam in interiora, ſcilicet in centrum nituntur. Plin. lib. 2. c. 65.

Locris & Crotone peſtilentiam nunquàm fuiſſe, nec vllo terræ motu laboratum annotatum eſt. Ibid. cap. 96.

Animantur milites, ſi videant ducem intrepido vultu poſt acceptam cladem, & ſi referantur præclarè ab ipſis geſta, quaſi in argumentum futuræ fortitudinis.

Ariſtoteles vocat virum bonum tetragonum, quia quadratum ex omni parte æquale vndique quieſcit.

Humor nativus non eſt aqueus nec fluidus, ſed oleo ſeù balſamo ſimilis, cum quadam conſiſtentiâ.

Aqua, quantumvis calida ſit, vim tamen intimam refrigerandi continet, & quâ ſe reſtituit.

Quod naturale eſt perſeverat. *Vide Differentia Virtut.* Virtus autem eſt homini naturalis illamque naturaliter amat. *Vide Volunt. Virtut.*

Qui abſtruſa ſectantur ſapientiæ ſecreta, non debent offendi ſuperſtitioſis, vt nec medici venenis quæ tractant, & alchimiæ dediti nocivis metallis, nec vno aut altero caſu deterrentur ab opere ſibi propoſito.

In vrbium obſidionibus patientia maximè neceſſaria, nec deſiſtendum donec expugnatæ ſint omnes arces nulla reſidua.

De votis quæ hominem Deo in perpetuum conſecrant & de conſtantia in bono. *Vide Duratio Volunt.*

Humidum radicale durat vſque ad mortem, eſtque inſito calore & ſpiritu vndique perfuſum. Fernelius.

Calor naturalis nunquàm otiatur.

Cordis & arteriarum motus, nec eſt in noſtra poteſtate, nec interrumpi poteſt.

Mundus ſole in principio arietis exiſtente creatus, quotannis tunc renovatur, vt patet ex figuris revolutionis, durante ſcilicet adhuc mandati Dei virtute.

Plato 8. de Legib. præcipit, vt quotidie ab aliquo Magiſtratu ſacrificium offeratur, ſicque ſacrificia æquent dies anni.

Motus primi mobilis eſt regulatiſſimus & vniformis, ideò eſt regula cæterorum. Solus motus circularis poteſt eſſe æternus, quia eſt maximè vnus, non enim fit inter terminos oppoſitos, ſit enim ab eodem in idem punctum; ſic non indiget quietis interpoſitione, in alijs motibus neceſſaria.

Veritas in numeris eſt immutabilis; ſic punctum in lineis & in centro eſt immobile, quia indiviſibile. *Vide infrà ex Theologiâ*, de Dei immutabilitate.

Non agit corpus, niſi moveatur, anima verò immobilis manens agit ad imaginem Dei, qui immotus dat cuncta moveri.

Aduſta ſemel omnia aliquid ſervant caloris, vt calx, cinis, ſedimenta animalium, fel, &c. Ariſt. 2. de partib. anim. c. 2.

Activa potentia ſemper ſibi ſimilis eſt, quia eſt actus, ſemperque eſt parata ad agendum, ſi dentur organa apta & materia.

Non continent diù calorem, niſi loca ſolida.

Columbæ non reſupinant caput, niſi cum ſatis biberint.

Aqua ſimplex & puræ egrediens de loco ſuo non congelatur, ſed commixta.

Piſcis ſalmonis cor extractum diù palpitat. In cæteris animantibus cor eſt primum vivens, & vltimum moriens.

Corpus in quo vincit pars ignis, aut aëris, natat ſuper aquam.

Quæ ſecundùm ſuam naturam operantur minùs indigent requie.

Ignis ſemper actu eſt calidus.

Agis dux Lacon irridebat certantes in Olympicis, quod intrà quinquennium vnâ tantùm die ſe fortes præſtarent.

Iudices apud Ægyptios jurabant se justè judicaturos, etiamsi contrà Rex præciperet; non enim est obsequendum in malis. *Vide Contrarietas Potestatis Bona.*

Natura non cessat movere rem, donec perveniat ad suam vltimam perfectionem.

Quæ minùs agunt, plùs durant. Sic planta terræ alligata somno non indiget.

Sensus omnes & motus sopiuntur somno, excepto pulsu & respiratione, sinè quibus animal non vivit.

Non sic homo obliviscitur virtutis, sicut scientiæ & disciplinæ.

Mira diligentia apum, formicarum, & aranearum in suis operibus.

Viscosa non arescunt vt oleum.

Exhalatio cum igne conveniens, sæpè superiorem aëris regionem petit, habet enim à terrâ soliditatem, quæ difficiliùs dissolvitur: at vapor, quia est aqueus, citò in aërem vertitur, priusquàm altum petierit.

Non lassatur intelligentia motrix cœlorum, tùm quia est spiritualis & non habet contrarium, tùm quia est proportio inter ipsam & cœlum, itavt seipsà sinè instrumento moveat.

Massinissa Rex Africanorum tanti vigoris fuit, vt stans in vestigijs totâ die maneret immotus, & sedens non surgebat vsque ad noctem, totâ die labores meditans, & in equo totâ die & nocte sedens. Photius Biblioth. cap. 244.

In dubio conflictu Romulus Iovem oravit, vt fœdam suorum fugam sisteret, hinc templum & stator Iupiter. Florus lib. 1.

Palemon Sophista cùm in morbum incidisset in quo vacandum erat à solito studiorum & declamandi exercitio; voluit non expectata naturali morte se vivum sepeliri. Inducite, inducite, inquiebat, in monumentum, ne me sol videat tacentem. Philostrat. in vitis Sophistarum.

Indorum sapientum nuntij, pro caducæo ferebant auream anchoram, quia firmitas est vera sapientiæ tessera. Philostratus in vitâ Appollonij lib. 3. cap. 3.

Milo Athleta, talis dicitur fuisse robotis vt in loco vbi semel constitisset, firmus immobilisque ità permaneret, vt indè nulla posset vi dimoveri. Ibidem lib. 4. cap. 9.

Appollonius dicebat se non timere Neronem, quia inquiebat, Deus qui dedit illi esse terribilem, mihi quoque interritum esse præbuit. Ibidem cap. 15.

Laudat vulgus solitudinem etiam eorum, qui non sibi, sed ventri, libidini, & infœlici cupiditati vivunt: adeò magna res est constantia, vt habeat authoritatem inertia si sit pertinax. Seneca Epist. 55.

Toto contrà adversa pugnet animo, vincetur si cesserit, vincet si se contrà dolorem suum intenderit. Nunc hoc plerique faciunt, attrahunt in se ruinam, cui obstandum est: Istud quod premit, quod impendet, quod vrget, si subducere te cœperis, sequetur, & graviùs incumbet, si contrà steteris & obniti volueris, repelletur. Seneca Epist. 78.

Æquanimitas est probitatis fundamentum.

Ferrum calefactum posteà fit frigidum, quia nulla materia ità magnam habet proportionem cum forma artificiali, sicut cum naturali.

Apud Calabras & Apuleios, ex omnibus arboribus sola fraxinus mannam cœlo labentem in se contrahit, retinet, densat & cohibet, ex alijs arboribus statim defluit in terram.

Athenis in academiâ Promethæi est ara, à quâ homines in vrbem currunt accensis lampadibus. *Vide infrà Inter malos bonus.*

Mellis optimus succus in fundo est.

Angelicæ radix æqualem folijs virtutem habet: Si data fides mulieri servanda est, quantò magis Deo; Pulchræ sunt omnes virtutes, sed solâ perseverantia coronatur, qui perseveraverit vsque in finem hic salvus erit.

Lac & nix, cum ex spumosis vacuisque constent partibus, non referunt vt aqua rerum species. Inconstantia sanctos non decet, Dei imitationem sectantes. *Vide Virtus Durationis.*

Vis solis & syderum non remissa ab origine mundi.

Visum est sinè vllâ futurâ caput viri. Arist. lib. 1. hist. animal. c. 7. Leonis cervix osse vno rigida constat, nec vertebris jungitur. Idem lib. 2. c. 1.

Ex omnibus animantibus solus equus habet os in corde, ad sustentandam ejus magnitudinem, vt in cætero corpore. Idem lib. 3. de partib. animal. c. 4.

In aceto sunt reliquiæ cujusdam ignis, qui evolavit, sicut in cinere, ideò in actione acutum est, licet sit hebes ob suam frigiditatem. Albertus.

Actio semper eadem erit, si maneat idem actionis principium.

Aër calidus est, & incongelabilis.

Castæ nymphæ dùm fugiunt impuros, miseratione Deorum convertuntur in arbores, quæ sinè permixtione sexus generant; quasi per vnum actum intensum productus sit habitus.

Terra dicitur rotunda, licet aliqua sit illi asperitas à jugis montium.

Eo majori animo ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel traditi boni perpetua possessio est; non dediscitur virtus: fideliter sedent quæ in locum suum veniunt. Virtus secundum naturam est, vitia inimica & infesta sunt. Senec. Epist. 50.

Vir bonus ne sui quidem causâ vellet aliquid injusti peragere; sic nec alterius.

Vndè habetur constantia in virtute. *Vide Princip. Durat.*

In putrescentibus supereft aliquid calidi, vndè nascuntur vermes, & in cadaveribus pili & vngues.

Egregijs militibus dantur armillæ, & catbenæ aureæ pro præmio, sic alligantur virtuti.

Ferunt eum nullo labore lassari, qui nervos habeat ex alis & cruribus gruum. Plin. lib. 30. in fine.

FORTITVDO IN adversis.

NVma sanxit apud Romanos adorantem sese debere in orbem circumagere, significans nihil esse in humanis stabile, nosque debere boni consulere, quocumque vitam nostram torqueat Deus. Plutarch. in numa.

Quid tantùm miseri feros tyrannos mirantur sinè viribus furentes? nec speres aliquid, nec extimescas, exarmaveris impotentis iram. Boëtius 1. de consolat. metro.

Vrinatores instrumento vtuntur, quo quandiù in profundo manent, aërem extrinsecùs trahunt: talem natura elephanti dedit natem prælongam. Arist. 2. de partib. animal. cap. 16. In aquis tribulationis reficitur animus consolatione divinâ. de quâ Psal. 118. Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua adesiderabam. Psal. 118.

Alcyon nidum suum conficit ex spinis piscium ità

contextis, vt reſiſtat tempeſtati.

Alnus in aquâ poſitus non putreſcit.

Balſami proprium eſt, vt cum ſtillatur per pannum nullatenùs illi inhæreat, cum infunditur in aquam, non diſſolvatur, nec cum eâ miſceatur.

Corpora ſana permultos ferunt errores, valetudinaria autem facilè ſuccumbunt. Sic de Republicâ & mente jam ægra.

Fortis eſt qui circà maxima pericula manet intrepidus.

Oleum lini & ſeſami non congelaſcit propter molitiem, atque inſitam caliditatem.

Amicis Diogenis ſatagentibus, vt ipſum redimerent, uequaquam inquit, an neſcitis leones non ijs ſervire à quibus aluntur, ſed contrà, nam leo vbique eſt leo.

Cæſar à pyratis comprehenſus, imperabat illis vt ſilerent, nec ſibi dormienti, obſtreperent; Barbaros vocabat, eo quod non intelligerent acumen verſus à ſe compoſiti.

Smaragdus in ore retentus, caliditati naturæ reſiſtens propriam naturalem frigiditatem conſervat vt & ſuam viriditatem ſoli expoſitus, quod non contingit in alijs gemmis.

Arbor apud nos dicta *liege* excorticata vivit: ſic ſapiens externis ſpoliatus.

Bitumen accenſum, ardet in aquis.

Hannibali multùm conſilij erat inter pſa pericula.

Sub aquis, ſunt aquæ quæ in medio mari ſcaturiunt dulces; ab intimo cordis conſolatio in medio tribulationum.

Cùm lignum aduritur Mercurius evolat, ſal remanet, ſulphur inflammatur. Paracelſ.

Elixir auri faciendum eſt cum corroſivo, quod corroſivum in auro non debet appellari corroſivum, quia vis arcani, ideſt ſubſtantiæ, ſuperat omne venenum. Idem.

Animalium corda nunquàm conſopiuntur, quia nunquàm poteſt abeſſe vitalis facultas à ſuo fonte. Sol in ſe nunquàm patitur defectum luminis.

Omnia naturalia, præter ignem, poſſunt putreſcere. Charitas ex Apoſtolo nunquàm excidit, ſive Prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. 1. Cor. 13.

Plin. nat. hiſt. lib. 2. c. 107. miratur terram non conſumi ab igne, cùm ſit fœcundiſſimus, vt ſeipſum pariat, & minimis creſcat ſcintillis; addantur ſydera innumera, ingenſque Sol; addantur humani ignes, & lapidum quoque inſiti naturæ, attrita ex ſe ſigna, & ex nubibus fulmina, &c.

Obſidionem diù ſuſtinent civitates, quæ ſperant auxilium.

Conſtantia à Deo. *Vide Princip. Durat.*

Ne perdas in malis extremum decus, fortiter vinci. Senec. trag.

Fortitudo eſt mediocritas, quæ circà fiducias, timoreſque verſatur. Ariſt. Mor. Nicomach. lib. 3. c. 6. maximè verò fortis, qui non timet paratam mortem, quæ omnium rerum eſt horribilis.

Vt in orbe & pilâ nihil imum, nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur mox præcedunt, quæ occidebant oriuntur, omnia quocumque modo ierint in idem reverruntur. Ità homo cum in multa eum mutaveris, vnus eſt: ſic idem eſt ſol nunc ſub terrâ, nunc ſuper terram decurrens, diei, noctis, & anni tempeſtatum arbiter. Philo.

Cyndiadis Dianæ ſimulachrum ſub Deo nunquàm aut nive aut imbre tangebatur. Pauſan. in Boëticis.

Ibidem refert de Gallis, quod cum Brenno Duce Græcos invaſiſſent, ità animoſi in prælio ſe exhibebant, vt nunquàm etiam telo transfixis deficeret animus, ſed ſæpiùs telum è vulnere extractum in hoſtes vibrarent.

Fluctus rumpuntur ad immotam in medio mari rupem; grando frangitur ſuper tecta.

Naturarum aliæ quidem ad æſtatem, aliæ ad hyemem benè aut malè habent, fortes in vtriſque. Hipocrat. ſect. 3. Aphor. 1.

Stantem eum invenit omnis caſus; vt enim corpus, ſic animus ad ſuſtinenda onera firmatur; quidam nauta in tempeſtate dicebat, ô Neptune potes, ſi volueris, me hinc eripere, ſed quidquid ſit clavum non deſeram. In adverſis non tàm cogitandum quomódò illa vitabis, quàm parùm intereſſe illa vitari: ſi non potes eventus regere, ſaltem rege teipſum.

Fraxinus reperitur ad aquas ſcantias quæ perpetuò viret, cum tamen ibi fons ignitus ſit, quique ſemper ignem emittit. Plin. lib. 2. cap. 107.

Vt extrinſeca facies reſiſtit frigori, ſic intrinſeca adverſis.

Vt grando incùſſa tectis ſinè vllo habitatoris incommodo crepitat ac ſolvitur, ſic adverſa ſapientem non tangunt. Senec. Epiſt. 45.

Eſt aliquid quo ſapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non ſuo ſapiens eſt. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis, ſecuritatem Dei. Incredibilis vis Philoſophiæ eſt, ad omnem fortuitam vim retundendam: nullum telum in corpore ejus ſedet, munita eſt ſolidaque; quædam defatigat & velut levia tela laxo ſinu eludit; quædam diſcutit, & in eum vſque qui miſerat reſpuit. Idem Epiſt. 53. in fine.

Nihil intereſt inter Præturam Catonis & repulſam: nihil intereſt vtrum pharſalica acie Cato vincatur, an vincat; hoc ejus bonum, quod victis partibus non poteſt vinci: quo die repulſus eſt luſit; quâ nocte periturus fuit, legit, eodem loco habuit præturâ & vitâ excedere; omnia quæ acciderent ferenda eſſe perſuaſerat ſibi. Idem Epiſt. 71.

Idem Epiſt. 85. Probat tempeſtatem opus gubernatoris non impedire, tunc enim maximè ejus ars apparet. At in tranquillo quilibet gubernator eſt; non promiſit portum, ſed artis ſuæ peritiam, ſic adverſa virum bonum non impediunt: tu illum premi putas malis, vtitur. Non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulachra, faciebat ex ære, aut viliori materiâ. Sic ſapiens, ſi licebit, virtutem explicabit in divitijs, ſin minùs in paupertate; quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile efficiet.

Sola ratio ſtat contrà fortunam: in quolibet rerum habitu ſervata ſervat. Idem Epiſt. 92.

Generoſus miles enumerat cicatrices ſuas, & telo confoſſus amat Imperatorem, pro quo moritur. Id. de vitâ beatâ.

Tyrrhæus lapis, etiam grandis, aquis innatat, quod & de quibuſdam inſulis quas appellat ſuperfluitantes. Plin. lib. 2. c. 95. Qui fundavit terram ſuper ſtabilitatém ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Pſ. 103.

Qui firmavit terram ſuper aquas. Pſal. 135.

Neminem ad excitandas domos ruina deterruit; vrbes hauſtas ſæpiùs eodem ſolo condimus; adeò ad bonas ſpes pertinax eſt animus. Seneca de benefic.

Fortitudinem veteres ſolam putabant virtutem.

De Reſidentiâ. *Vide Cognitio Poteſt.* in eo quod ad vigilantiam eſt neceſſaria.

Sola virtus quæ conſtans eſt, ſolidam ſinceramque percipit voluptatem. *Vide Gloria Virtutis.* Voluptas Virtutis.

Ecclesia militans & non deficiens. *Vide Contrariet. Virtutis.* Ecclesia militans.

Datur summa pulchritudo, non corporea, temporalis, corruptibilis. *Vide Princip. Verit. & Concord. Differem.* de rerum harmoniâ.

Probatur animæ humanæ immortalitas, quia non mutatur corpore mutato, ergò non perit eo percunte: intentione habet propositum totius operis immobile; memoriâ & intentione, ea quæ amplius non sunt, & ea quæ nondùm sunt connectit in vnum; circà temporalia est suprà tempus, circà mobilia est immobilis: cur ergò substantia ejus circà mortalia non sit immortalis; Marsil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 5.

Lysippus sexcentas decem statuas fecit, tantæ artis, vt claritatem possent dare vel singulæ. Plin. lib. 34. cap. 7.

Generalis est consideratio ex inconstantiâ fortunæ. *Vide Durat. Gloria. Repug.*

Sequenda Dei voluntas, quæ nos etiam invitos traheret. *Vide Concordantia Principij.* Conformari divinæ voluntati.

VIR BONVS NON potest lædi.

FLamma non potest opprimi, nam circà id diffugit, quo vrgetur, sic lumen & actus.

Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minimorum canum obandit. Senec. Epist. 58. & lib. 2. de irâ.

Adamas non potest cædi, sed incurrentia retundit. Scopuli tot verberati procellis nulla ostendunt sævitiæ vulnera.

Sæpe nobiscùm conversemur, quasi essemus rebus omnibus spoliati, vt dicamus sine illis gaudere. Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quo boni sunt fieri beatos constat, imò Deos, quorum beatitudinem nulla dies, nulla improbitas deterat. Boëtius de consolat. Philos. lib. 4. prosâ. 3.

Seneca lib. de constantiâ sapientis; probat in sapientem non cadere injuriam his rationibus. Nihil. inquit, in rerum naturâ tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat, sed non ideò divina minùs in sublimi sunt, si existunt qui magnitudinem multùm vltrà se positam non icturi petunt. Invlnerabile est, non quod non feritur, sed quod non lædituɾ: certius robur est quod non vincitur, quàm quod non lacessitur, cùm dubiæ sint vires inxpertæ; fortem dico, non in pingui otio desidem, sed quem admota vis hostilis non exterret. Non refert quàm multa in alium conjiciantur tela, cum sit nullis penetrabilis: Sic quædam ferro, quædam ignibus resistunt. Sapiens majore intervalio à contactu inferiorum abductus est, quàm vt ad illum vlla vis noxia vires suas proferat: Tàm citrà sapientem, omnes etiam potentiũ impetus deficient, quàm quæ nervo tormentisque exprimuntur in altum; cum extrà visum exilierint, citrà cœlum tamen flectuntur. Quid putas cum stolidus ille Rex Xerxes multitudine telorum diem obscurasset, vllam sagittam in Solem incidisse, aut demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi; sic cœlestia humanas manus effugiunt. &c. Satius esset injuriam non fieri; sed rem difficilem optas humano generi, innocentiam: at non fieri eorum maximè interest, qui facturi sunt, non eorum qui nihil indè passuri. Injuria propositum hoc habet, malo aliquem afficere, malo autem sapientia non reliquit locum, vnum enim illimalum est turpitudo, quæ introire eo vbi jam virtus honestumque est non potest. Omnis injuria diminutio est ejus, in quem incurrit: sapiens nihil potest perdere, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona sua in solido habet, contentus virtute; Quod suum est, nec augeri, nec minui potest; nihil eripit fortuna, nisi quod dedit; virtutem autem non dat, quæ contrà casus indurata, nec inclinati, nec dùm vinci potest. Cæteris rebus præcariò vtitur, quis autem jacturâ movetur alieni. Sic captâ Megarâ Demetrius, raptis bonis omnibus, liberis & vxore, dicit se nihil amisisse vrbe captâ; victoriam victori excussit, & non invictum tantùm se, sed & indemnem testatus est; habebat enim secùm vera bona, idquæ non est manus injectio: inter sanguinem & stragem impulsæ civitatis vni homini pax fuit. &c. Attollit se homo supra humana, & vnus idemque inter prospera & adversa, nihil suum, nisi se putat esse, eâ quoque parte qua melior est: vicit, inquit victori, fortuna tua fortunam meam, sed mea non eripuit. &c. Validius debet esse quod lædit eo quod læditur, non est autem fortior nequitia virtute: nihil injustum justitia pati potest, quia non coeunt contraria, injuria autem non potest fieri non injustè, ergò sapienti injuria non potest fieri. Nihil ei deest, sic à nullo potest invadi aut lædi sapiens rationis inmxus. per humanos casus divino incedit animo, transcurrit omnia, tanquam vanas somniorum species, visusque nocturnos, nihil habentes solidi neque veri. Delectamur infantium aut servorum probris joco in nos effusis; pueri os parentum fuerint: Quem animum adversùs pueros habemus hunc, sapiens adversùs omnes. &c.

Cum non lædatur, non est vlciscenda injuria. *Vide Minoritas Contrar.*

Quare multa bonis viris adversa evenium? Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria: quemadmodùm tot amnes, tantùm supernè dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ità adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum: manet in statu, & quidquid evenit in suum colorem trahit; est enim omnibus externis potentior, quietus, placidusque contrà incurrentia attollitur, omnia adversa exercitationes putat. &c. Seneca lib. de providentiâ. cap. 2.

Epictetus in Enchiridio hanc affert suæ Philosophiæ summam. Attendere rebus quæ sunt in nostrâ potestate, illas amare & colere, scilicet actus intellectus & voluntatis, vt recte cognoscam & amem; hæc libera sunt nec possunt ab vllo impediri: nostri autem arbitrij non sunt corpus, pecunia, gloria &c. Si ea quæ naturâ serviunt libera putaveris, & aliena pro tuis habueris, fore vt impediaris, lugeas, perturberis, Deos hominesque accuses: Cum ergo res se offert, hanc appone regulam, vt dignoscas an in tuâ sit potestate.

In intuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se suâ vendicat, infrà illum omne telum cadit. Senec. Epist. 81.

Nimbi circà te cadant, & fulmina & tempestates, clamabis verè mediis tranquillus in vndis.

Animus ab omnibus externis in se revocandus est, sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat: Recedat quantùm potest ab alienis, & se sibi applicet, damna non sentiat, etiam adversa benignè interpretetur. Zeno cum audiret omnia suâ naufragio periisse. Iubet me, inquit, fortuna expeditius Philosophari. Seneca lib. de tranquil. vitæ. cap. 14.

Tene hoc mordicus adverſis non ſuccumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tanquàm quid quid poteſt facere factura ſit: quidquid expectatum eſt diù, leviùs accidit. Senec. Epiſt. 78.

Nihil cogor, nihil patior invitus, nec ſervio Deo, ſed aſcentio: eo quidem magis quod ſcio omnia certâ, & in æternum dictâ lege decurrere: fata nos ducunt, & quantùm cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit, cauſa pendet ex cauſâ; privata ac publica longus ordo rerum trahit; ideò fortiter omne ferendum eſt, quia non vt putamus incidunt cuncta, ſed veniunt: olim conſtitutum eſt, quid doleas, quid fleas, accepimus peritura perituri, quid indignamur? Vtatur vt vult ſuis natura corporibus, lati & fores cogitemus nihil perire de noſtro: Boni viri eſt ſe fato præbere; grande ſolatium eſt cum vniverſo rapi. &c. Seneca de providentiâ. cap. 5.

Sic puta Deum alloqui ſapientem. Vobis dedi bona certa manſura, permiſi vobis metuenda contemnere, cupienda faſtidire, non fulgetis extrinſecus bona veſtra introrsùs obverſa ſunt; ſic mundus exteriora contempſit ſpectaculo ſui lætus: Intus omne poſui bonum; non egere fœlicitate, fœlicitas veſtra eſt: At multa incidunt triſtia, horrenda, dura tollerata, quia non poteram vos iſtis ſubducere, animos veſtros adverſùs omnia armavi; ferte fortiter, hoc eſt, quo Deum antecedatis, ille extrà patientiam malorum eſt, vos ſuprà patientiam. &c. Ibid. cap. 6. in fine.

Aurum ſolum non fit minus, nec minoris ponderis cum exuritur, quia eſt ex ſicco & humido ſubtiliſſimis, & non habentibus aliquid impurum admixtum. *Vide infrà Poteſtas Virt.* Quod vir bonus verè ſit liber, & ſibi ſufficiat.

Nihil invitus facit ſapiens, neceſſitatem effugit, quia vult quod ipſa coactura eſt. Senec. Epiſt. 54.

Tribus Deabus magnificis, furiis ſcilicet, Alecto, Megara, Theſiphone, liberi tantum homines, ſacra faciunt Athenis, nobiliſſimique juvenes placenta illâ die, quaſi piſtores, componunt. Philo Iudæus lib. virum bonum liberum eſſe.

De immunitate Religionis. *Vide Poteſtas Virtutis. & Gloria Virtutis.* Ex Iure Civili.

Nunquàm credideris fœlicem quenquam, ex fœlicitate ſuſpenſum; fragilibus innititur, qui adventitio lætus eſt, exibit gaudium quod intravit: poſſunt externa vſui eſſe & voluptati, ſed ità, ſi illa, ex nobis pendent, non ex illis nos; fortuita omnia ità fructifera & jucunda ſunt, ſi quis habens illa ſe quoque habet, nec in rerum ſuarum poteſtate eſt. Nihil fortuna tribuit nobis boni aut mali, ſed materiam dat bonorum ac malorum, & initia rerum apud nos in bonum malumve exiturarum: Valentior enim omni fortuna animus eſt, in vtramque partem ipſe res ſuas ducit, beatæque hac miſeriæ vitæ ſibi cauſa eſt; malus omnia in malum vertit, etiam quæ ſpecie optimi venerant; rectus atque integer corrigit prava fortunæ, & dura atque aſpera ferendi ſcientiâ mollit: licet exacto faciat cuncta judicio, non continget illi bonum integrum, extrà minas fortunæ poſitum, niſi certus adverſùs incerta eſt, niſi inter ſingula damna dixerit, Diis aliter, imò meliùs viſum eſt. &c. Seneca. Epiſt. 98.

Non reputat adverſa, ſed illa in bonum vertit. *Vide Media Voluntas.* indifferentia.

Marſil. Ficin. Theolog. Plat. l. 9. c. 5. Probat immortalitatem animæ ex eo quod homo adverſa prævideat ſcientiâ, vitet prudentiâ aut magnanimitate, quaſi non pertineant ad hominem, qui eſt ipſe animus, ſed ad animi carcerem; imò ipsâ infœlicitate vtitur ad bonum.

Pueri qui inter parentum minas & verberata fletus ſimulant, ſiccis tamen oculis, feri ſunt; ſi adoleverint, in opacis pectoribus, nec teneros affectus, nec juſtos etiam timores admiſſuri Barclai. Pulchro rerum humanarum contemptu, nequaquam eam ſortem indignari, in quam à fatis collocantur, & magna regere idonei, & in parvis non dejecti. Idem.

Cum ab aliquâ cauſâ externâ pulſamur minimè lædi poſſumus, niſi alia inteſtina cauſa in corpore delitescens impetum externæ illius excipiat. Galenus, de optimâ ſectâ.

Si vnus exiſtat homo neutiquàm dolebit, qui in alterum nequit mutari, ſi vnum eſt, cum nihil præterea relinquatur in quod mutetur: quod ſi eſt mutationis, erit quoque & alterationis expers, atque impatibilè, ac proindè nulli dolori obnoxium. Si itaque elementum carnis eſſet ſpecie vnum, nunquàm illa doleret, dolet autem, igitur elementum carnis non eſt ſeipſe vnum. Hippocrat. Refert Galen. lib. de conſtitutione artis medicæ.

Axoneus, qui putabat omnes naves in Pyreum Athenarum accedentes ſuas eſſe, de iis quæ periiſſent minimè erat ſollicitus: at ſervatis & gaudebat, & multa cum voluptate viram degebat. Athenæus. lib. 12. in fine.

Sani & boni habitus propria eſt in obeundis functionibus ſternuitas, atque conſtantia, & non facilè morbis ſuccumbere. Galenus lib. de optimâ corporis conſtitutione. Nam corpora quæ malis humoribus abundant, vt morborum cauſis proxima, facilè ab illis tentatur.

Liquidatio, ſeù differenatio cœli nubili, incipiens in contrariam venti qui flat, à parte ſcilicet patiente, ſerenitatem ſignificat, à parte autem venti nihil indicat, ſed incerta res eſt. Bacon. in hiſtoriâ ventorum.

Hercules à Lidio quodam cœnam petiit; negavit ille, Hercules mactat ejus bovem, epulatur, & cum ab illo convitijs impeteretur, dixit ſe nunquàm gratiores ſumpſiſſe epulas, quàm his imprecationibus condiras. Photius in biblioth. cap. 185.

Leonis adipe cum roſaceo, cutis in facilè cuſtoditur à vitijs, candoremque ſervat. Plinius libro. 28. cap. 8.

Aurum cæteris metallis præfertur, maximè quia rerum vni nihil igne deperit; tuto etiam in incendiis rogiſque durante materiâ, quæ vt ſæpiùs arſit, proficit ad bonitatem. Idem. lib. 33. cap. 3.

Protogenes in ſuburbano ſecure pinxit, dùm Demetrius Rhodum vrbem ſuam obſideret: interrogatus ab eo quâ fiduciâ extrà muros ageret, reſpondit ſcire ſe illi cum Rhodiis bellum eſſe, non cum artibus. Plin. lib. 35. c. 10. Virtus abſtrahit ab humanis, vndè inter omnes tumultus eſt ſecura.

Dum grando tollit ſegetem, terra ſemper ſervat fœcunditatem ſuam, quæ ſic contracta poſtmodùm in ampliores pro ventus ſe diffundit; Remanet in ſapiente afflicto eſſentialis probitas; quæ pereunte vnâ fœlicitatis occaſione cæteris abundantiùs ſuffectura eſt.

In inſuperabili loco ſtat animus qui externa deſervit, & arce ſuâ ſe vindicat, infrà illum omne telum cadit. &c. Seneca epiſt. 82.

Animus ob omnibus externis in ſe revocandus eſt, ſibi confidat, ſe gaudeat, ſua ſuſpiciat; recedat quantùm poteſt ab alienis, & ſe ſibi applicet, damna non ſentiat, etiam adverſa benignè interpretetur. Idem. lib. de tranq. vitæ. c. 14.

Proprium eſt magnitudinis veræ non ſe ſentire

percuſſum, ſic immanis fera ad lauratum canum lenta reſpexit, ſic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat. Qui non iraſcitur inconcuſſus injuriâ, perſiſtit; qui iraſcitur, motus eſt. Sen. lib. 3. de irâ. cap. 5.

DE HIS QVÆ IGNIBVS reſiſtunt.

HAud procul vrbe Româ in Faliſcorum agro, familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soraſtem Appollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambolantes non eduruntur, ob id perpetuo tenatuſconſulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habent. Et Pirrhi regis pollex in dextro pede, cujus tactu lienoſis medebatur, cremari cum reliquo corpore non potuit. Plin. lib. 7. cap. 2.

In Sycilià collis Vulcanius in quo ligna vitea ſuper aram poſita etiam viridia ſponte flammas concipiunt. Ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit non adurit; hinc probant ritè perfectum votum. Solinus Polis hiſtoriæ. c. 11.

Creta Cariſtias aves habet, quæ flammas impunè involant: Carbaſa etiam quæ inter ignes valent. Idem c. 17.

Cum mons Æthna majore vi peragitatus in magnam, inſulæ partem effudiſſet incendium; vexerunt juvenes parentes ſuos, cedentibus flammis pietati, magna tutò audenti. Seneca. lib. 3. de benef. c. 37. Sic Æneas Patrem Anchiſem illætum eripuit è Trojæ incendio. Ibidem.

Incensâ aliquando Româ, inter ruinas & cineres, repertus eſt baculus auguralis Lituus dictus, quo regiones cœli notabant, illæſus à flammis: pingitur cum hoc ſchemate. Tutus ab igne facet. Galatias lapis ſuum frigus in igne ſervat. Plini. lib. 7. c. 11.

Luſitanium littus pollet gemmâ Ceraunià; qualitas igne probatur, quem ſi ſinè detrimento perferat, creditur contrà vim fulgurum opitulari. Solinus. c. 26.

Ab Atla monte in Lybiâ decurrit amnis inter aduſtas ignitaſque ſolitudines, aquâ perenni. Id. c. 27.

In Caſtabali, vt refert Strabo, templum fuit Dianæ Perſicæ, cui dicatæ virgines ſuper prunis ardentibus illæſæ ambulabant. Quod & virgines Deæ Feroniæ dicatæ, in templo ad radices montis Soractis, carbones impunè calcant.

Athenis in Minervæ templo, lucerna eſt ex auro, quàm Deæ Callimachus fecit, in quàm oleum infuſum non conſumitur, niſi exacto demùm anno, cum tamen lucerna dies noctesque ardeat; Id adeò evenit, quod lucernæ ineſt è lino carpaſco funiculus; quod linum vnum ex omnibus igni non conſumitur. Pauſanias in Atticis.

In Cypri æratijs fornacibus, ex medio igne volat muſcarum magnitudine animal, quandiù eſt in igne vivit, extrà langueſcens moritur. Pyrigoni vocantur, quaſi ex igne geniti.

Ægyptij Deum adorabant Conopum. *Gallicè vn panier.* ſeù ſportam. Chaldei autem ignem colebant: Ortâ contenſione de taltum Deorum primatu, decretum eſt, vt is Deus major haberetur qui alium ſuperaret. Ægyptij ſuam ſportam cerâ obductam aquâ impleverunt, quæ impoſita igni ceraque liquefacta aquam effudit, & ignem extinxit.

Gemmæ reſiſtunt ignibus: Aurum nihil in igne deperdit, niſi quod ſuum non erat.

Scevola manum combuſſit, invictâ patientiâ, quod Porſennam non occidiſſet, ſic quidam Alexandri famulus nobilis, excuſſo in mancam facis carbone maluit patienter comburi, quam ſacrificiorum ſolemnia turbare.

Rubus Moyſis incombuſtus. Tres pueri in fornace illæſi. Sic de multis martyribus, illæſa ſemper aut carne aut patientiâ.

Lignum in profundo oceani enatum ſervat vim combuſtivam, cum humor exſiccatus fuerit. Sic anima Idæam virtutis ad opus exercitio formabilem. Philo judæus. lib. de temulentiâ.

Suprà hoc tit. ex Plinio, de terrâ quæ inter tot ignes cœleſtes ſibi intimos, & ante accenſos, non conſumitur.

Indici & Garamantici veri carbunculi igne non afficiuntur: At Thracius, quaſi illegitimus, in ignem jactatus, velut inter mortuus extinguitur, aquâ tamen perfuſus exardeſcit. Plin. lib. 37. c. 7.

Cœleſtis materia cum ſit igni proxima, imò ſecundùm aliquos ipſamet ignea, non conſumitur.

Germanicus Pater Caligulæ ità frigido peremptus eſt veneno, vt cor ejus in buſto flammis abſumi non potuerit. Plin. Mortua per mortificationes concupiſcentia non reviviſcens.

Cinis ab igne non conſumitur, quia nihil habet humidi quod in ignis paſtum cedat.

Ignis naturaliter aget antè judicium in bonos & in malos, eos in cinerem convertendo, ſed mali illius ignis actione cruciabuntur, boni verò omnis doloris erunt expertes. D. Thom. ſuplem. q. 74. a. 8.

Ineſt Adamanti duritia inenarrabilis, ſimulque ignium victrix natura, & nunquam incaleſcens. Plin. lib. 37. & vlt. cap. 4. *Vide Minoris. Voluntatis.* Eſſe ſinè amore.

Ligna alumine, illita non intenduntur. Sic Mithridates deffendit turrim ligneam à ſylla obſeſſam. A. Gellius. lib. 15. cap. 1.

INTER MALOS bonus.

LVmen luto non inficitur, nulla materia ignem polluit: diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Chriſtus & Apoſtoli converſantur cum Publicanis & peccatoribus. S. ſcriptura probat ſanctitatem Iob, dum dicit, quod natus erat in terrâ Hus, gentili.

In medio nationis pravæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Phili. 11.

Scio vbi habitas vbi ſedes eſt Sathanæ, tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Apoc. 11. Eccleſia voce Sponſi laudatur. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Adæ.

Vento levior ignis extinguitur, magnus accenditur. Marini piſces in falſo dulces ſunt.

Perit Pharao in mari, quo ſalvatur Iſraël. Ex. c. 14.

Noë natus inter gigantes, quia contraria elucent inter contraria; generoſa vnius indoles cæteros pravos arguit, vt vnum arte factum multa inertia. Philo Iudæ. lib. de gigantibus.

Noë accepit duo ſumma à Deo munera vt non interiret diluvio cum cæteris; eſſetque quaſi reſtitutor generis humani, illiuſque finis & principium. Idem libro de Abraham.

Vos eſtis lux mundi, inquit Chriſtus Apoſtolis: lux

inter

inter immunda ſe diſpertit, nec inquinatur. Contende intrare per anguſtam portam, nec quid multi agant attende, ſed quid agendum ipſa naturæ lex, ſeù ratio oſtendat: neque enim aut minor tua erit gloria ſi fœlix eris cum paucis; aut levior pœna ſi miſer eris cum multis. Picus Mirandal.

Vt planetæ contrariam mundo viam tenent, ſic ſapientes. Vnus mihi pro populo, & populus pro vno. Ex Seneca.

Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum. Id eſt lapſus ſeù peccata populorum. D. Auguſt.

Nilus creſcit & inundat maximo æſtu, cum cæteri fluvij exſiccantur. Roſæ ſunt odoratiores circà alia, naturalis omnis virtutis creſcit per antiperiſtaſim.

In aquis creſcunt plantæ calidiſſimæ, vt verus calamnus: in locis frigidis & ſeptentrionalibus arbores calidæ vt Pinus, Abies, Cedrus, Iuniperus. &c.

Iupiter planeta, fortuna major, ſitus eſt inter Saturnum & Martem infœlices, vtrumque temperat.

Aliquandò increſcens ſarmentum implicat ſe in ſepem, & pendet vnà inter denſa ſpinarum, ſed non ſurgit de radice ſpinarũ: Lege vuam, & ſpinas ignibus relinque. D. Auguſt. in cap. 34. Ezech. cap. 10.

Homo inter mortuos liber. Pſal. 87.

Atheneis in Academiâ Promethei eſt ara, à quâ homines in vrbem accenſas lampades præferentes decurrunt, in eo enim certamen eſt vt accenſæ conſerventur; cujus enim lucerna extinguitur, is victoriam ſucceſſori cedit. Pauſanias in Atticis. Magna virtus civium commercio non polluitur nec extinguitur.

Mos vulgi, & perſecutio non excuſant ab idololatriâ. 2. 2. q. 94. a. 2. de publicâ fidei confeſſione. *Vide Cognitio Virtutis.*

Cum Vrbem Athenienſium tringinta Tyranni divellerent, Socrates tamen in medio erat, & lugentes partes conſolabatur. & deſperantes de Republicâ exhortabatur, & divitibus opes ſuas metuentibus exprobrabat ſeram periculoſæ auaritiæ pœnitentiam, & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum intertriginta dominos liber incederet, vt ſcias & inafflictâ Republica eſſe occaſionem ſapienti viro ad proferendum. Seneca. lib. de tranquillitate animi. cap. 3.

Tobias in captivitate poſitus viam veritatis non deſeruit; nunquàm contaminatus eſt in eſcis gentilium; concaptivis fratribus monita ſalutis dabat. &c. Tobiæ. 1.

D. Aug. in Pſ. 98. loquens de feſtis & bacchanalibus paganorum: periſtos, inquit, dies jejunamus, vt quandò ipſi lætantur, nos pro illis gemamus, lætitia enim ſuâ admonent dolorem noſtrum, & faciunt nos recordari quanta miſeria ſit in iſtis verſari. *Vide Media Gloria.* Vita mixta.

Palpabiles in Ægypto tenebræ, & tamen in illis populus Iſrael luce fruebatur. Exod. c. 10. Aquæ, aliis ſanguinolentæ, illis dulces erant. Exod. cap. 7.

Rachel dicit Patri ne moleſtè feras, quia ſecundùm conſuetudinem mulierum non poſſum tibi aſſurgere. Ita mulierum eſt ſequi vulgares conſuetudines, virilis autem & robuſtæ rationis ducem naturam ſequi. Philo Iudæ lib. de temulentiâ.

Si invenias aurum jacens, ſtatim colligis, nec dicis quarè ille aut ille non rapuit. Laudatur in ſcripturâ is qui curam habuit vulnerati, quem alij per tranſierant. D. Chriſoſt. Orat. 5. adverſ. Iudæos.

Dicit Dominus, Loquere filijs, Iſrael & dices ad eos. Ego Dominus Deus veſter juxtà conſuetudinem Ægypti, in quâ habitatis, non facietis. Exod. 23.

Vive vt pauci, vt cum paucis inveniti mereatis in regno Dei: pauci enim electi.

Turbà vult impedire cæcos ne clament ad Chriſtum, & ipſi multò magis clamant. Math. 20. Inſultabunt alij, vituperabunt, revocabunt, tu clama quouſque pervenias ad aures Ieſu, ſi plùs amas lucem quàm Chriſtus eſt redditurus, quàm timeas ſtrepitum prohibentium, ſtabit Ieſus & ſanabit te. D. Auguſt. Serm. 18. de verb. Dom. cap. 14.

Vt Sydera contrarium mundo iter intendunt, ſic ſapiens adversùs opinionem omnium vadit: Illum in aliis mundi finibus ſua virtus collocavit, nihil cum aliis commune habens; ideò non obruitur cœtu, & qualis ſingulis, talis vniverſis obſiſtit: Qui animi magnitudinem intrà certos: fines tenet, malè agit, vincit nos fortuna, niſi tota vincatur. Seneca. lib. de conſtantiâ ſapientis.

Mira virtus vt vnus ſtet contrà plures malos. *Vide Magnitudo Virtutis. Regn.*

Matathias proteſtatur. Etſi omnes obediant Antiocho, ego, filij mei & fratres mei obediemus legi Patrũ noſtrorum. 1. Machab. cap. 2. *Vide infrà ex Bibliis.*

Ratio debet prævalere conſuetudini. *Vide Poteſtas Veritatis.*

Anima ſimul hærere poteſt divinis, dùm regit humana. *Vide Media Virtut.*

Lumen dùm effunditur, & fonte proprio non dimittitur; non tàm ineſt diaphano quàm adeſt, naturam illius, nec ſuam mutans.

Medicamenta ſunt, quæ nullâ ſubſtantiæ tuæ mutatâ parte, ſed totâ ſervatâ integrâ, corpus ipſum afficiunt. Galenus. lib. 3. de temperamentis. Sic boni ſunt medicamentum corporis Reipublicæ. *Vide Duratio Differentiæ.*

Numerus impar & divinus, pari permixtus, vim ſuam ſervat perpetuò. *Vide Differentia Magnitud.* De numero impari.

Non decet Philoſophum voluptates pertranſire ab inſtar Vlyſſis ligatis manibus, & auribus cerâ obductis; ſed audientem, videntem, in omnibus liberum quippè animum ſuprà hæc elatum habentem. Lucianus. Dialogo. 3. de morib. Philoſophor.

Alphæus fluvius in mare delapſus integras ſervat vndas, & hinc emergit, vt in delectum fontem Aretuſam influat, illique commiſceatur. Idem Dialogo Alphæi, & Neptuni.

FORTITVDO ET PERSEverentia Chriſtiana.

QVi perſeveraverit vſque in finem hic ſalvus erit Math. 10. & iuxtà illud proverb. Sapientia in exitu canit. Vide Salvian. lib. 4. ad Eccleſ. Catholic.

In caſſum bonum agitur, ſi antè terminum vitæ deſeratur: quia & fruſtrà velociter currit, qui priuſquàm ad metas pervenerit, deficit; vndè dicitur Eccleſ. 11. væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam: hinc electis ſuis veritas dicit. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus. Luc. 22.

Ioſeph juſtus inter fratres perſeverans ſolus meruit habere tunicam talarem, quæ ſignificat actionem conſummatam. Hinc per Moyſem. Exod. 19. Caudam hoſtiæ in altari offerre præcipimur. Benè igitur cœpta cunctis diebus agenda ſunt, vt cum malum pugnando repellitur, ipſa bona conſtantiæ manu teneantur. D. Gregorg. lib. 1. mor. c. 1.

Vide Duratio Bonitatis. Conſtans beneficentia, Et

Duratio Voluntatis. Conſtans charitas; appliçari poſſunt durationes omnium principiorum. *Vt Duratio Magnitudinis*, non cadere à ſummo quod attigit, nec minui. *Duratio Poteſtatis*; ſervare imperium rationi & pietati, &c.

Apud Ezechielem ſuper caput animalium ſimilitudo firmamenti, fortaſſe immobilis, & in quâdam incidentia, ſed ſinè inconſtantia immobiliter mobilis; id quod ad divina etiam reverenter transferri poteſt Alanus Varenius.

Curſum aggredi vel ignaviſſimi eſt, pervenire paucorum: non qui ſerit, ſed qui metit, fœlix eſt agricola: Animalia Ezechielis ibant & non revertebantur. Arator retrò reſpiciens indignus habendus eſt. Vxor Loth in ſtatuam ſalis converſa, quia retrò reſpexit. Domus Dei fundata eſt ſuprà firmam petram. Chriſtus increpat Diſcipulos, non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum. Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

In ſacrificiorum ordinatione præcipitur vt offeratur præ cæteris victimæ partibus, adeps, renes, fibræ jecoris, nuſquàm cerebrum, nuſquàm cor, quia principalis illa vis, ſingulis temporis momentis vel ad melius vel ad deterius mutabilis non manet eodem loco, ideò impura, prophana, & à ſacrificijs arcenda. Philo. lib. de ſacrificio Abel & Cain. in f.

Eccleſia non deficit, etiamſi oppugnetur. *Vide Contrar. Virtutis*. Eccleſia militans. *Et Duratio Virtutis*. Eccleſia infallibilis. *Et Contrarietas Veritatis*. Oportet hæreſes eſſe.

Omne quod radicatum eſt nutritur, calore ſolis non areſcit. D. Auguſt. Tract. 3. in Epiſt. Ioan.

Conſtantius Imp. domeſticos omnes ſuos convocat, proponit eligant aut ſuis muneribus ſpoliari, aut fidem Chriſtianam deſerere: At inſperato conſilio firmos in propoſito retinuit, cæteros abdicavit, vt infidos homini, qui tales eſſent ſuæ Religioni. Baron. an. 304.

De Cruce ligneâ Chriſti imputribili, & indeficiente. *Vide Durat. Magn.*

Quadratus lapis ſex æqualia habet latera: ſic procedendum eſt viro juſto, vt maneat in ſuo propoſito. Hujus autem latera ſex hæc ſunt, Proſperitas, Adverſitas, ſive libertas, ſubjectio, in ſecreto eſſe, in publico, in quibus ſingulis ſi à Diabolo impellatur ſtet, nec à propoſito moveatur. Anſel. in ſimil. cap. 137.

FORTITVDO CHRISTIAna in adverſis.

Pia mens in adverſis ſeceſſum ſpei dominicæ appetit, & intrà conſcientiæ portum fugit. D. Greg. 2. moral. c. 26.

His ſe conſolatur Iob. Nudus egreſſus ſum de vtero; reputat tempus in quo talia non habuerit, ideò ſibi non propria: Dominus dedit, miſericorditer; Dominus abſtulit, liberè & juſtè; quid autem de juſto murmuremus? Idem lib. 2. c. 32.

Non tàm dolendum nobis eſt de tumultibus, quibus referta eſt vita, quàm lætandum quod illos poſſumus ſuperare; non pendet à divitijs, ſanitate, & cæteris externis fœliciter ſuccedentibus tranquillitas, cum in iſtis multi ſint miſeri, & in Deum largitorem blaſphemi; benè temperatum corpus non lædituer externis aëris injurijs: ſic fortis animus lætus eſt inter adverſa; ſi deficit, incuſet non fati ſævitiam, ſed ſuam infirmitatem. &c. ex D. Chriſoſtom.

Hilio tropium vertitur ad ſolem, etiam nubilo cœlo, & Iuſti animus ad Deum etiam in adverſis. *Vide Bonitas & Virtus Contrarietatis.*

Fidelis quaſi alatus, pennas columbæ aſſumit, volat in montem ſanctum & quieſcit, ſuprà petram fundatus, non timet ventorum & aquarum vim: plùs curæ eſt Deo, quàm nobis ne concidamus. Splendet aurum in aquam miſſum, lutum autem diſſolvitur, palea marceſcit; In igne aurum rutilat, palea comburitur, lutum duratur; ſic adverſis Iuſti probantur, mali concidunt. Ne ergò turberis præſentibus malis, ſi enim peccata habeas deſtruuntur, ſi virtutes elucidantur. Non tentationum natura ſed tentationum ſegnities, ruinas efficere ſolet; arbores eo altiores agunt radices, quò plus à ventis exagitantur. &c. D. Chriſoſt. homil. 4. ad popul. Antioch.

Quare viris bonis adverſa eveniant. *Vide Bonit. & Virtus Contrarietatis.*

In virtute viventem nihil lædere poteſt, auferat pecunias, ſed habet in cœlo divitias; patria ejiciet, ſed in cœleſtem patriam mittet, vincula injiciet, ſed habet conſcientiam ſolutam, ſi exteriorem non ſentit catenam; interficiet corpus ſed iterùm reſurget: quid prodeſt dolor, quo accepta injuria non levatur, ſed augetur? Ibidem Homil. 5.

Manus eadem eſt cum extenditur, aut in pugnum contrahitur. Idem ſol hyeme & æſtate, nebuloſo aut ſereno cœlo, fulgens liberè, aut Eclypſim patiens.

Pulchra corpora etiam in morbo gratas pulchritudinis reliquas ſervant.

Non eſt delicata res vivere, longam viam es ingreſſus, in quâ adverſa variaque te excipit aëris tempeſtas; relinqueris à comitatu. &c.

Innocens inter ipſa tormenta fruitur conſcientiâ bonâ, & inter malignantes cum de pœnâ meruit, de innocentiâ gloriatur. D. Amb. ad Demet.

Infirmæ naturæ noſtræ indicium eſt, quod mediocria tantùm agamus, levia contemnimus, altiora formidamus. Sapiens naturalis ſui ſoli fines animo egreditur, contemplatur in vniverſo orbe generalem & conſtantem rerum omnium varietatem, ingeniorum morum, legum; tot victorias, pompas, divitias altâ oblivione cum ſuis ſepultas: Diſcet in hac magnâ naturæ Academia ſui notitiam, nihil mirari, nulla novitate tangi, in omnibus firmum ſe & conſtantem præſtare.

Hoc potentiſſimum in adverſitate præſidium eſt, vt ſis bonus: plùs enim malus etiam in proſperitate affligitur, quàm bonus in adverſitate, vt febre laborantibus major eſt caloris & frigoris ſenſus.

Morbi bonorum, famæ, amicorum jacturæ, & cætera ad quæ geminus, quæ expaveſcimus, tributa naturæ ſunt vltrò ſolvenda cum exiguntur, hac publicâ lege mundum incolimus; In noſtrâ autem eſt poteſtate, vt de his non doleamus, minor noſtri pars affligitur, animus intactus permaneat: bona amittimus, virtutes conſervemus.

Fortitudo in animâ divinæ domus incola eſt, ejus ſigna in ſenſuum viſuntur organis, velut in bonis magiſtratibus bonus cognoſcitur Princeps. Charitas omnia ſuſtinet, patiens eſt, benigna eſt. Inconcuſſa mens eſt, ſuper ſolidam Chriſti petram fundata. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an fames, an nuditas, &c. occaſionem captemus tanquam Angelum & nuncium à providentiſſimo parente miſſum: vir bonus fulgentibus ſpei & fidei armis tectus, quotidie numerabit triumphos. Hæc ad immortalitatem via: quandiù enim hic agimus,

in certamine posita est fœlicitas, & cum divina probitas in clarâ æternâque æqualitate consistat, opus est vt quibus sancta ejus similitudo inhæserit, simili proprietate donentur. In hoc vniversi medio fugare non potes mala, sed fugere, fugies autem si te ad mentem revocaveris, & Deo proximum effeceris. Alanus varenius.

Duo hemisphæria quæ sol lustrat, designabantur per duo Cherubim antè arcam: significant hæc duo tempora adversitatis & prosperitatis in quibus laudes Deo sunt dicendæ. Philo Iud.

Civitates Levitarum erant immunes; sic anima justi libera debet esse à malis motibus. Idem lib. de sacrificio Abel & Cain.

Arca Noë factà erat ex lignis quadratis, quadrum quocumque vertas semper idem est; ex D. August. super. Psal. 86.

Stellas in cœlo nox non extinguit, sic mentes fidelium, quæ in Ecclesiæ cœlo fulgent non obscurat adversitas. Idem in Psal. 93.

Arca Noë quò altiores erant aquæ diluvij, eò altiùs ferebatur.

Deus firmavit orbem terræ, qui non comovebitur. Psal. 91. de fortitudine sanctorum. Aug. Explicat.

Gaude de innocentia & exulta, gaude, iniquam, quia vbique læta est, vbique secura: si tentaris proficis, si humiliaris erigeris si pugnas vincis si occideris coronaris; tu in securitate libera es, in periculo tua in custodiâ læta. D. Chrisost. in Homil.

Beatus vir. &c. In lege Domini meditatur die ac nocte. Psal. 1. Die, in lætitiâ, nocte in tribulationibus. D. Aug.

Columba ad arcam rediens, ramum olivæ affert cum fructu: oleum autem nullo humore præmitur; sed diruptis cornibus exilit, & supereminet; sic charitas non potest premi in ima, necesse est vt ad superna emineat. Ideò Apostolus. 1. Cor. 12. ait, huc supereminentiorem viam vobis demonstro. D. August. tract. 6. in Ioan.

Ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem. Idem tract. 12. in fine.

Via nostra Christus est, Christum attende, pati venit, sed & glorificari; contemni, sed etiam exaltari; mori sed etiam resurgere: opus te terret, mercedem vide. D. August. Sermon. 6. de verbis Dom. cap. 11.

Sunt boni Christiani, quasi pisces inter fluctus, nec franguntur, fœlix sit mundus, pereat, mundus, benedicam Dominum qui fecit mundum. Idem.

Idem serm. 224. de tempore, loquens de beato Iob, per diabolum afflicto, ait; fortiter colluctatus est diabolus, sed athletam Dei superare non potuit; immanes suscitavit fluctus, & firmissimam petram commovere non valuit, machinationes suas adhibuit, & turrim validissimam non prostravit; arborem concussit, & decutere poma non valuit; ramos quidem confregit, sed radici non nocuit; parietem perforavit, sed thesaurum non eripuit. &c.

Quidquid est quod sævit pro nomine Christi, si potest vinci, tolerabile est si non potest vinci, migrare hinc facit; non extinguit, sed accelerat ipsum præmium, ipsam dulcedinem quæ cum venerit sinè fine erit: opus cum fine, merces sinè fine. Idem Serm. 35. c. 4.

Faculam ardentem, etiam si quà parte ardet deprimas, semper flamma tendit sursùm, & majus fit incendium: sic ardor charitatis sursum elevat licet cor humiliatum deorsùm premat inimicus. Ibidem. Serm. 87.

Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo; dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Psal. 26. Sæviant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale: erit in me aliquid, quo persecutor pervenire non possit, vbi habitat Deus meus manducent carnes meas, finitis carnibus spiritus ero & spiritualis. D. August. in Psal. 26.

Homò hirsuto est corpore in fortitudinis indicium. Deut. 22. Prohibet Deus cum veste muliebri indui. vult enim in ferendis laboribus fortem. Clem. Alexand. lib. 3. pædag. c. 3.

Circumdate Sion, narrate in turribus ejus, &c. Significat eos qui verbum altè susceperunt, futuros altos firmosque in fide, vt turres. Idem 7. Stromat. cap. 8.

Ordinario Dei cætera animantia ad periculum propulsandum armis sufficienter instruxit; hominem interiorem magis contrà hostem intùs armavit, intelligentiæ scilicet vigore, consilio sapientiæ, virtute justitiæ, vt prætiosior nostri portio, velut de excelsâ turre tutiùs repugnaret. Eusebius Emissen. Homil. 4. de Epiph.

Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt, &c. Isay. 40.

Math. 8. Christus cum discipulis navigat vento contrario.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus, inter vbera mea commorabitur. Duo sponsalco vbera, compassio & congratulatio: Medium hujusmodi vberum suorum vult habere dilectum, vt nec læta extollant, nec tristia dejiciant. D. Bernard. Serm. 43. super. Cant.

Antæus Gigas terræ filius pugnans cum Hercule, cum in terram matrem prosternebatur fortior exurgebat, sic dabat infirmitas palmam, ruina victoriam: Christianus in adversis humilem suam conditionem sentiens à Deo vires petit, & accipit valentiores. Cum ceciderit non collidetur. Psal. 36.

Qui Deum timent humilitati in hac vitâ non ceciderunt, quia Deum de corde non excluserunt; altitudo ipsorum Deus est: sic ait Iob. Dominus dedit, Dominus abstulit. Videte foris pauperem, intùs divitem: istæ gemmæ laudis Dei non exirent de ejus ore, nisi thesaurum haberet in corde. Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam retribuet, &c. viriliter agite omnes qui speratis in Domino. D. August. Psal 30. in fine.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; non solùm illa quæ appetuntur, vt suavia, verum etiam quæ vt molesta vitantur, quomodò alia sumimus ne capiamur, alia sic ferimus ne frangamur. D. August. Epist. 156.

Exultate justi in Domino; rectos decet collaudatio. Psal. 32. Rectos, id est conformes in omnibus Dei voluntati; hortatur vt pugnes, adjuvat vt vincas: Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Patientia quæ est in fide sunt ossa interiora, & firmamentum fidelium, ipsa frangi non possunt: sic Christi ossa carnalia non fuerunt fracta, & promisit cæteris Christianis sua spiritualia non frangi; non enim de carnalibus loquitur, cum beati latronis fuerint fracta. Ex D. August. in Psal. 33. concion. 2.

Non vidi justum derelictum, nec semen eius quærens panem. Psal. 36. Non est derelictus quandiù adimplet voluntatem Dei, quæ cibus animæ est: cibus mens est vt faciam voluntatem Patris mei. Non in solo pane vivit homo. &c. Math. 4. D. August. in Psal. 36. conc. 3.

In flumine pertransibunt pede. Psalm. 65.

Iob perdiderat omnia illa quæ dederat Deus;

ſed habebat ipſum, qui omnia dederat, Deum. Dominus, inquit, dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. O virum putrem & integrum; ô fœdum & pulchrum, vulneratum & ſanum, ô in ſtercore ſedentem, & in cœlo regnantem. D. Auguſt. Serm. 150. de Tempore.

Suſtine Dominum, viriliter age. Pſ. 26. Suſtinendo Dominum habebis eum: habebis quem ſuſtinebis: aliud deſidera majus, ſi melius, ſi ſuavius inveneris. D. Auguſt. in d. Pſal. Quoniam tu es Domine ſpes mea, quid enim mihi eſt in cœlo, aut à te quid volui ſuper terram. Deus cordis mei, &c.

Præcipit Apoſtolus flere cum flentibus, non amiſſiones bonorum, jacturam honoris, &c. Abſit, plorandi enim ſunt qui taliter plorant: Religioſa enim triſtitia, aut alienum luget peccatum, aut ſuum. D. Bernard. Serm. de B. Magdalenâ.

Suſtinendum, donec accipiamus à Deo bona, quæ occultis de cauſis differt dare. *Vide Duratio Bonitatis.* Mora.

Non reputat adverſa vt puer, ſed in Domino ſemper lætatur. *Vide Gloria Virtutis*, Leve Chriſti jugum.

Philiſtæi ob arcam Dei ab ipſis captam vexati à muribus & morbis in ano, ad expiationem delicti remiſerunt arcam cum muribus & anis aureis. 1. Reg. 6. Aurea charitas dum mala offert Deo, ab ipſis liberatur.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos: Certus ſum enim quia neque vita, neque angeli, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Rom. 8.

In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur, ſed non perimus; ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes. 2. Corinth. 4.

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in caſtitate, per gloriam, & ignobilitatem, quaſi morientes, & ecce vivimus, &c. 2. Corinth. 6.

Major animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis poteſt ferre quàm fugere; & judicium humanum maximè vulgare, quod plerumque caligine erroris involuitur, præ conſcientiæ luce ac puritate, contemnere. D. Aug. l. 1. de Civit. cap. 22.

Sicut patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, ità flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; itemque miſericordia Dei fovendos amplectitur bonos, ſicut ſeveritas puniendos corripit malos; ità vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, & eliquat; malos vaſtat, damnat, exterminat: vndè in eadem afflictione mali Deum deteſtantur atque blaſphemant, boni autem precantur & laudant: tantùm intereſt, non qualia, ſed qualiter quiſque patiatur. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 8.

Miſimus Timotheum ad exhortandum vos vt nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus. 1. Theſſalon. 2.

Vir bonus non ſolum in adverſis conſtans eſt, ſed & lætus. *Vide Gloria Virtutis & Voluntas & Gloria Contrarietatis.*

Tertulianus, Auguſtinus & alij aſſerunt paradiſum terreſtrem fuiſſe à diluvio ſalvum, quia erat locus innocentiæ.

Quidquid temporalis afflictionis nobis propinat advertitas faciliter toleramus, ſi inſpicimus, quod pro nobis vivit ad patibulum qui nos invitat ad præmium. Aug. in comm. Serm. 3.

Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me non eſt me dignus. Matth. 10.

Manete in dilectione meâ. Ioan. 15. Id eſt fortes in tribulationibus, ait enim Aug. in Pſal. 101. Tantùm affligitur bonus, quantùm amat: citatur. Decr. 9. quæſt. 2.

Hæc locutus ſum vobis vt in me pacem habeatis, in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Ioan. 16.

Illi quidem ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, omni autem die non ceſſabant in templo & circà domos docentes & Evangeliſantes Chriſtum Ieſum. Act. 5.

In multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit. 2. Cor. 8.

Rememoramini priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti; in altero autem ſocij taliter converſantur effecti. Hebr. 10.

Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Iac. 1.

Beatus vir qui ſuffert tentationem quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ. Ibid.

Patientes igitur eſtote fratres vſque ad adventum Domini; Ecce agricola exſpectat prætioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Iacob. 5.

Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudere, vt revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes; nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat, quoniam tempus eſt vt incipiat judicium à domo Dei. 1. Petr. 4.

Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur. Rom. 1.

In tribulatione patientes. Rom. 12.

Non ſolum autem ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Rom. 5.

FORTITVDO IN MORBIS,

Hic conjeci quæ ſpectant ad remedia fortuitorum exemplo Senecæ, & Petrarchæ. Hæc etiam proſequutus ſum. lib. 4. Moralis Chriſtianæ. parte 2.

Plato in Phædone ait duces & Rectores populi ſæpiùs corpore eſſe infirmos, ne mens corporis mole opprimeretur; Ne viribus valentiores nimium cupiditatibus indulgerent; ne actionibus impliciti; minùs ſederent ad conſilium, nec ſe neceſſariæ reſidentiæ manciparent, ſic natura œconomiæ dicatas mulieres fecit ad alia infirmas. In rerum medio nihil abſolutè perfectum eſt, aliquid detrahitur corpori, vt adjiciatur animo; Continua etiam mentis actio abſu-

mit ſpiritus puriores, alendo corpori neceſſarios. Hoc ægro præſtat natura, quod Religioſis mortificatio. Ex corpore quaſi ex vnâ lance libræ aliquid tollitur, vt alia ſubleveur. Cum talis ſit humana ſors, vt duo hæc ſimul perfectè non poſſideam vires animi, vt potiores mihi optandæ ſunt. Si non te regimini, ſaltem contemplationi morbus ſeponit, parùm tibi eſt cum corpore nihil ſit in beatis.

Tria in omni morbo gravia ſunt, metus mortis, dolor corporis, intermiſſio voluptatis. De metu mortis coërcendo. Vide infrà hoc tit.

Mors non morbi, ſed naturæ mutus eſt, multorum mortem diſtulit morbus, & ſaluti illis fuit videri perire: Morieris non quia ægrotas, ſed quia vivis. Morborum cruciatus tolerabiles faciunt intervalla: ſic diſpoſuit amantiſſima noſtra natura vt dolorem, aut tolerabilem, aut brevem efficeret. Imperitos maximè vexat morbus, quia non aſſueverunt animo eſſe contenti; prima quidem voluptatis abſtinentia gravis eſt, deindè cupiditas re langueſcit, ipſis per quæ cupimus fatigatis, ac deficientibus, deſideria ipſa moriuntur, non eſt autem acerbum carere eo, quod cupere deſieris. Tolerabilis eſt morbi patientia, ſi contempſeris id quod extremum minatur; levis dolor eſt, ſi nihil ei opinio adjecerit. Quid juvat præteritos dolores retractare, & miſerum eſſe, quia fueris; Gravis tibi futurus eſt dolor, ſi muliebriter tuleris: quemadmodùm pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat cedenti & averſo.

Prodeſt ad aliàs cogitationes avertere animum, & à dolore diſcedere; memoriam in ea quæ maximè in te, aut in alijs miratus es, ſparge: Occurat tibi quiſque fortiſſimus, vt is qui dùm varices exſecandas præberet, legere librum perſeveravit; Ille qui non deſijt redire, cum ob idipſum tortores magis torquerent. Corpus tuum valetudo tenet, non animum, docebis, ſuadebis, audies, diſces, recordaberis, habes quod fortiter agas, ſi patiens æger ſis, benè lucteris cum morbo; eſt etiam virtuti in lectulo locus: O quàm magna eſſet gloriæ materia ſi ſpectaremur ægri: ipſe te ſpecta, ipſe te lauda. Cæterum morbus, non eſt expers omnis voluptatis, etiam ſenſibilis, quia gratior eſt ſitienti potus, eſurienti maximè cum ad menſuram datur, nec copia luxuſque parit faſtidium: animi autem voluptates, quæ longè majores ſunt, nemo medicus ægro negat, &c. Senec. Epiſt. 78.

Vitâ fruendum eſt, ea fati lege quâ conceſſa eſt. Is tunc cœli ſtatus qui fluxiones parit, qui bilem, vel alios humeros exaſperat, conveniens erat vniverſi bono, cui ſingularia & ex occaſione naſcentia cedere debent. Meliori tui parte ſanus es, mente ſcilicet, quâ multi laborant. Hæc præmatura ſenectus, canos ſenſus expetit, iſtiùs mortalis vitæ tædium dat & alterius melioris ſpem: vitâ ſic ad occaſum properante, non ſunt bona opera diutiùs differenda. Iam corpore, vt hoſte ſuo, debilitato potentior debet eſſe animus: Experimentum tui tibi & alijs præbe; diſces eoſdem affectus, à quibus abſtines ſanitates causâ, poſſe ſuperari virtutis & pietatis occaſione. Liberum te probas in iſtis, vt in poſterùm vim tibi non dicas eſſe illatam. Religioſum munus eſt carere delitijs, Dei & pietatis causâ; efficiat reſignatio voluntarium, quod caſus efficit neceſſarium. O te fœlicem, ſi huic divinæ regulæ ſias conformis: Inter tot aſſidentes non tibi blanditur morbus, & te vt cæteros de plebe mortalem admonet quot ſunt morbi acceſſiones, tot ſunt pietatis conſilia, quæ te evocant à falſis ex opinione bonis; quæ avaritiæ, ambitioni, luxuriæ larvam detrahunt; & ad æternorum meditationem revocant. Minus tibi quietis concederet officium, quàm morbus, nam humana negotia corpus tantùm, ſed multo magis animum exagitant; quas tibi non conceſſiſti laboris inducias, morbus decernit, nolentemque feriare præcipit; Lectus ſit tibi pro cellâ Religioſâ, in quâ procul à turbâ negotiorum tibi & Deo vaces: Silentibus fugatiſque prioris vitæ ſocijs, fruere piorum virorum conſortio, qui te tibi, deoque concilient novis Sacramentorum fœderibus. Vtiliter ſævit morbus, ſi in ſalutem; fœlix bellum, tali ineudæ paci neceſſarium. Ne tot morbi cauſas calumnieris, puta tibi hunc à Deo benigniſſimo parente immiſſum, ſeù in pœnam peccati, ſeù in exercitium virtutis. Optimè novit tempus quo cuique debet ſuccurrere; ab eo vim accipiunt medicamenta & ſinè medicamentis, cum oportet, reſtituit; ó humilitatis argumentum ſub potenti manu Dei! Ecce ſervorum & pauperum, lætâ ſanitate fruentium, potior eſt conditio quàm Regum, divitum & dominorum: Iam tibi quodammodo ſuperſtes, probas quid ſinè te fiet in mundo, ſtetit, & ſtabit ſinè te; nec pluris in eo es habendus quàm folium in ſylvâ: Nihil ex anteactis voluptatibus ſupereſt niſi dolor à perituris ſic malè habitus ſectare meliorâ; ſi non ſuppetunt vires corporis, ſupereſt voluntas, quæ externos defectus interno poteſt ardore compenſare. Quid divitias, potentiam, amicos factas, has pueriles fictaſque dignitates videt numen ex alto, & quemque, vt ſua ſors tulerit, & morbis & morti addicet, Imperatorem æqualiter vt bubulcum; atteruntur omnes ipſâ naturæ lege, deficit interdùm corpus, tandem perituram, vacillat tandem caſurum. Cum in iſtis æqua ſit omnium ſors, hinc tamen boni pietatis & meritorum theſauros ſibi congregant, &c. Hæc carpim ex Principijs compendioſâ demonſtratione.

Quid ni ſenectuti gratias agam, quæ in lectulo affixit; quidquid debebam nolle non poſſum. Seneca. Epiſt. 67.

Morbi ex peccatis. *Vide Minoritas Virtutis.*

Falſa eſt Cornelij Celſi ſententia, exiſtimantis ſummum malum in corporis ægritudine conſiſtere, eſt enim privatio ſummi boni quod in corpore non conſiſtit. Vide D. Auguſt. 1. Soliloq. in cap. 12.

Hanc habes morbo gratiam, quod incautum & inconſultum mors non agredietur. Cæterùm & labor & quies & morbus & ſanitas æquè ſunt gradus, ad mortem, ſanitati reſtitutus morti proximior es quàm fueras. &c. Petrarcha 1. de Remed. fort. c. 4.

Periculoſiſſimè in corpore ſano æger animus habitat: vt quarumdam herbarum venena aliarum mixtione purgantur & corriguntur: ſic ſanitatis peſſimus vſus interjecto morborum exercitio. Ex eodem.

Solis morbus eſt occidere, Eclypſim pati, nimbis obſcurari, in ſigna aſpectuſque naturæ ſuæ contrarios devenire, ſic alij planetæ cenſentur ægri in retrogradatione, caſu, exilio, in fortunarum aſpectu, combuſtione, &c. in ſe tamen incorruptibiles, poſteà integras ſuas vires explicant.

Bonum hîc omne tempus partitur cum malo: tenebræ cum luce. *Vide Media Bonis*, & tamen ſtat mundus.

Dolor imminet, ſi exiguus eſt, feramus, levis eſt patientia; ſi gravis eſt feramus, non levis eſt gloria. Dura res eſt dolor. Imò tu mollis, pauci dolorem ferre potuerunt, ſimus ex paucis: naturam infamare nolite, illa nos fortes genuit quid fugis dolorem qui ſequitur fugientes? Senec. l. de Remedijs fortuitorum.

Qui dolorem capitis non patimur benigne, quo-

modo pro Chriſto abſciſſionem pateremur? qui flagellum timent, quomodo tormenta ſuſtinerent? D. Aug. lib. 1. de Clauſt. Anim.

Virtus in infirmitate perficitur, libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. 2. Cor. 12.

Oculos perdidi; habet & nox voluptates ſuas, quâ multis rebus carebis, quas ne videres vel eruendi erant, non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem, huic oculi adulterium monſtrant, huic incæſtum, huic domum quàm concupiſcat, certè oculi incitamenta ſunt vitiorum ducéſque ſceletum. Sen. de Remed. fortuitorum. Sapiens ſemper beatus eſt, etiamſi ſenſibus careat oculorum ſive aurium; nam & iſta ipſa contemnit. Cic. lib. 5. Tuſc. de cæcitatis conſolatione. *Vide Minor. Cogn.* Ex Franciſ. Petrarch. De cæcitat. Dial. 96.

IN CORPORIS deformitate.

INiquè ſe natura geſſit, & talem animum malè collocavit: aut ſanè voluit hoc ipſum nobis oſtendere, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere. Errat qui dixit, gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus; Nullo enim honeſtamento eget ipſa, & magnum ſui decus eſt & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex casâ vir magnus exire, poteſt & ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus: quoſdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco naſci. Si poſſet per ſe nudos ederet animos, nunc quod amplius eſt facit, quoſdam enim edit corporibus impeditos, ſed nihilominùs perrumpentes obſtantia, nec deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur. Senec. Epiſt. 66.

Virtus non magis laudabilis in integro, quàm in mutilato corpore; virum bonum non magis amares divitem quàm pauperem, lacerum quàm ornatum: vbi par eſt in vtroque virtus, non apparet aliarum rerum inæqualitas. Nemo filium ſuum magis diligit, quia ſanus aut procerus; fœtus ſuos non diſtinguunt feræ, & ſe in alimentum pariter omnium ſternunt; aves ex æquo partiuntur cibos: vt apto nihil aptius, plano nihil planiùs, ſic honeſto nihil honeſtius. Ibid. *Vide Cognitio Virtutis Repugn.*

Non fulget corpus, quia non vitâ corporeâ, ſed rationali es victurus. Sic ad humanitatem natos nos natura non armavit vt feras. Iacet ignobilior tui pars ad obſequium nata, ideò dejecta, ne quid inſolenter audeat. In defectu materiæ, natura quod optimum erat præſtitit, rectè conformatis rationis organis. Aliquæ arbores fructus ſinè flore producunt, vt ficulnea; cæteræ non habent fructus niſi expoliatis floribus. Maturum te citò vult eſſe natura; ne doleas non habere, quod ſe amiſiſſe gloriatur virilis ætàs: Sufficiat tibi habere facultates integras, quibus rectè fungaris hominis officio, pulchritudinem relinque floribus, avibus, inſectis, vires animalibus. Hæc externa deformitas vale dicet à longè ſenſibilia ſectantibus: animo tuo pretioſo & ſancto extrà commercium ponendo, velum hoc obduxit natura, vt olim pietas templi tabernaculo. Non inardeſcet ad tui conſpectum concupiſcentia, nec amaberis his quibus nolueris oculis. Quotidie te monet ſpeculum, quod formæ deeſt virtutibus ſupplendum; ſic innocens proborum amor conciliatur. Latent prætioſa quæque, vniones in aſperis conchiliis; gemmæ, chriſtallum in rupibus, aurum ſub terrâ ſterili; mentis pulchritudo ſub corporis deformitate. Non te conveniet, non te premet eorum qui ſenſibus credunt turba, ſed ſic tibi ſecurior erit quies; ſeponit enim te hæc oculis patùm grata conſtitutio; & dùm recedit à multorum concurſu, non exulem, ſed mundani certaminis judicem conſtituit. In vitium & infamiam non cedit quod naturale eſt: Nullus talis eſt corporis defectus, qui parem non inveniat ſimul & conſolationem in viris egregiis. Sphinx, Chiron, Æſopus & alij monſtruoſo corpore divino fuere ingenio. Milites gloriantur iiſdem, quibus deformantur cicatricibus, ſic natura detraxit corpori, vt indulgentior eſſet animo. Vndè turpitudo, potiùs quâ pulchritudo debet dici imperium formæ ſuper materiam. Non ſumus pulchri, ſed boni ad libitum, pendetque ex noſtro arbitrio probitas, non pulchritudo: Boni conſule, quia id quod optimum eſt tuæ relinquitur poteſtati. Media quædam hæc eſt à corpore ſolutio, quæ integra optanda eſſet; ad quid ornatus oneroſi nobis & probroſi organi? Hæc deformitas ſignum eſt anticipatæ ſenecturis, qui debetur veneratio. Minima contemnit qui majora ſectatur, corporalia qui ſpiritualia; præponderat animus & prævalet, ſi ſic dejicitur corpus. Militibus ſæpè ex deſperatione creſcit animus. Conclamatum eſt, nunquàm te corporis dotes commendabunt, animi bona ſecteris oportet: Amittis, quod alicuibus eſt oneri & impedimento; aliquæ virgines faciem vulneribus deturparunt, vt illæſa foret caſtitas: habes hoc à naturâ præſidium, quod ille à ſuâ fortitudine, &c. Hæc ex principiis. Vide quæ dixi Moral. Chriſt. lib. 4. part. 2. cap. 9. *Vide Cognitio Virtutis Repugn.* Et maximè vbi de velatâ pulchritudine.

Si gloriandum eſt, in ſpiritu non in carnis bono placere velle debemus, quia ſpiritualium ſectatores ſumus: In quibus operamur, in illis & gaudeamus; de his gloriam capiamus, de quibus ſalutē ſperamus. Planè gloriabitur Chriſtianus in carne, ſed cum propter Chriſtum lacerata duraverit, vt & ſpiritus in eâ coronetur, non vt oculos & ſuſpiria adoleſcentiū poſt ſe trahat: Vndè quod ex omni parte in vobis vacat merito, & non habentes faſtidiatis, & habentes negligatis. Tertulian. lib. de cultu Fœmin.

Ecquid tantoperè expetendum habet in hominis ſuperficie fulgens decor, non modò brevi tempore, ſed levi caſu mutabilis? habes velum oculis, laqueum pedibus aliis viſcum, haud facilè ſeù vera diſcernere, ſeù virtutem ſequi poteris, ſeù in altum evolare animo, multos enim ad honeſta pergentes forma detinuit, detorſitque contrariam in patem: habes hoſtem tuum domi, & quid pejus eſt, delectabilem, ac blandum; habes raptorem quietis, & temporis; habes materiam laboris; diſcriminum cauſas, tormenta libidinum, nec minorem quærendi odij quàm amoris cauſam: formâ corporeâ conjugalis zelus accenditur. &c. Petrarch. lib. 1. de Remed. Fortuitor. c. 21.

Cur me deformem genuit natura? vt ipſe te ornares, ac formoſum faceres, eâ formâ quæ tecum eſſet in ſenio, in gratabulo, in pheretro, in ſepulchro, eſſet que tua non naturæ laus aut parentum.

Pulchrius eſt pulchrum fieri quàm naſci, illud enim caſus, hoc ſtudij eſt, tu crede dicenti, dicentis non de fœditate corporis fœdari animum, ſed pulchritudine animi corpus ornari, non te hoc igitur inhoneſtate aut premit, ſed honeſtandi materiam aſſurgendique adium per virtutes aperit; dedit amare atque optare meliora. Vide plura apud Petrarc. Dial. 1. de Deform. Corp.

Digitized

IN CARCERE ET CAPTIVITATE.

CArcer viventis est sepulchrum. Facilis descensus averni, sed revocare gradum, superasque evadere ad oras, hoc opus, hic labor est. Est quasi exilium, vndè tempus quo quis est in carcere, computatur in tempore quo quis debet esse in exilio. l. 23. Cod. de Pœn. Hic tamen virtus stat immota.

Socrates carcerem intrando purgavit, omnique honestiorem curiâ reddidit. Senec. de vitâ beata. cap. 27.

Hoc præstat carcer Christiano quod eremus prophetis: auferamus nomen carceris, secessum vocemus; etsi corpus includitur, etsi caro detinetur omnia spiritui patent, vagare spiritu, spatiare Spiritu: quoties spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris: quid manus patiuntur in nervo, quid pedes in compede, cum animus in cœlo est? Carcer domus quidem diaboli est, in quâ familiam suam continet, sed vos ideo in carcerem perveniſtis, vt illum etiam in domo suâ conculcetis, habet carcer tenebras, sed lumen estis ipsi; habet vincula, sed vos soluti Deo estis; triste illic expirat, sed vos estis odor suavitatis; Iudex expectatur de judicibus; sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi: contristetur illic qui fructum sæculi suspirat. Christianus etiam extrà carcerem sæculo renuntiavit; In carcere autem, etiam carceri. Nihil interest vbi sitis in sæculo, qui extrà sæculum estis: etsi aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, vt majora lucremini. Carceris beneficio multi multa mala vitarunt, vt hostium insidias; Multi ibi se contemplationi dederunt, pluſque in carcere spiritus acquirit, quàm caro amittit: vacas à scandalis, persecutionibus, tentationibus, &c. Si recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse nos è carcere quàm in carcerem introisse intelligemus: Majores mundus habet tenebras, quæ hominum mentes excæcant, graviores catenas, quæ ipsas animas constringunt; pejores immunditias expirat, libidines hominum; plures deindè reos continet, vniversum genus humanum; Iudicia postremò non Proconsulis, sed Dei sustinet, &c. Durus deberet videri carcer Christiano, si eo duceretur, vbi Deum suum invenire non posset. Daniel & alij sancti fuerunt in carcere, quos non deseruit Deus, vt nec Ionam in ventre cæti, &c. Tertulianus. lib. ad Martyres.

Horreat vitam, qui horret carcerem, in quâ concepti, & educati vitam auspicamur, vt merito in naturam transiri possit, sicut pueritiæ vincula, adolescentiæ servitus, quidquid limitatum est, ipsemet mundus totus, laxo licet ambitu, carcer est amplissimus animo divina & infinita cupienti. Sic peregrinationes nihil aliud sunt, quàm vt alligatæ feræ intrà catenæ suæ longitudinem agitationes, vndè lassatur, non liberatur: Eodem semper teneris terræ elemento, alijs tibi licet vti, frui, sic compendiosè toto mundo. Arctior hæc custodia ad quietem & æternorum contemplationem te sevocat; agit in te providentia idem quod in mundo, dùm mortalium labores, etiam nolentium, levat interpositis hyemis & noctis inducijs. Accrescit animo, quæ detrahitur corpori libertas. Hoc otium si resignatio fecerit voluntarium, lætus securusque carcere, tanquàm portu incluſus, tibi plaudes extrà tempestatem esse, quàm alij patiuntur. Hîc miraberis mundi fallacias, & tot in perniciem suam validos, qui magnis emunt laboribus, quod patiantur. Etiam sancta capsulis, & Religiosi clauſtris includuntur; si te reum aut miserum reputat mundus, potes te sanctum & fœlicem tibi, Deo & angelis exhibere: Nunquàm eris solus in hoc piæ mentis, & beatorum consortium.

Regium est sub custodia vivere, nec hostium injurijs exponi. In hoc licet fœdo carcere; vult te Deus ad integritatem, novamque vitam concipi, inter has tenebras ad lucem formari. Hic dùm desunt multa, disces teipso contentus nullis in posterùm indigere. Nihil te detinet, nihil moratur, cum hinc celerius possis ad beatitudinis quietas sedes properare. Multa vana & superflua rescindentur, vt melioribus & necessarijs totus incumbas; carcer mortificationis & patientiæ, sic sanctitatis, est elementum. Habes quos imiteris sanctos, in hoc secessu Deo maximè plenos. Tibi auferetur mundanorum conversatio integritati noxia, quàm Religiosi volentes abjiciunt; perieras fortè, nisi perijsses, & te carcer vt Ionam cetè hausit, vt servet & à fluctibus incolumen restituat, &c. ex principijs.

Corpus carcer est animæ, illam passionibus quasi vinculis sæpè oneravit, & quasi eculeo torsit: Nunc æquum est vt pœnâ talionis corpus afficiatur, & ob privatum prohibitum carcerem, publicum patiatur.

Quod sapiens in servitute sit liber. *Vide suprà sapiens non potest ladi. Hoc tit.*

Carcere claudor indigno: Melior est indignus carcer quàm indigna libertas; multoque satiùs immeritum pro justitia mala pati, quàm per scelus bonis affluere. Quis non carcere clauditur, aut quis indè egreditur, nisi dùm moritur: Si carceris corporei horrorem cogites, hujus angustias non horrebis, sicut nec supplicia, nec mortem: Multis lumen carcerit pro clypeo fuit. Quidam in carcere libros texuerunt, tu querelas texis invtiles; quidam litteras didicere, tu patientiam dediscis. Plerique cavernis ac speluncis, alij se murorum angustijs incluſere, carcerem spontaneum, vel Dei amore, vel mundi odio, vulgique fastidio eligentes. Quosdam carcer ad insignem gloriam, ad eximiam fortunam, ad regnum alios, multos ad cœlum misit, ad sepulchrum omnes nullum cœpit quem non redderet. Vide plura apud Petrarch. Dial. 79. De carcere.

Putiphar nimium credulus verbis conjugis iratus est valdè, traditque Ioseph in carcerem, & erat ibi clauſus; fuit autem Dominus cum Ioseph, misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. qui tradidit in manu illius vniverſos vinctos: Quidquid fiebat sub ipso erat, Dominus enim erat cum illo & omnia opera ejus dirigebat, ipse autem ministrabat, præcabatur, patienter sustinens & Dominus per ipsum somnia revelabat, itavt vsque ad solium Regni evectus fuerit.

Tobias in captivitate viam veritatis non deseruit, itavt omnia quæ habere poterat quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret. Tobiæ. 1.

Igitur cum per captivitatem deveniſſet cum vxore suâ & filio in civitatem Ninivem, cum omni tribu suâ; cum omnes ederent ex cibis gentilium, iste custovit animam suam & nunquàm contaminatus est in escis eorum. Ibid.

Accepta potestate à Rege Salmanazar eundi & faciendi quæ vellet, dedit enim illi Deus gratiam in conspectu illius, pergebat ad omnes qui erant in

captivitate, & monita ſalutis dabat eis. Ibidem.

Ego autem in terrâ captivitatis meæ confitebor illi, quoniam oſtendit miſericordiam ſuam in gentem peccatricem. Tob. 13.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati: converte Domine captivitatem noſtram ſicut torrens in auſtro, qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent. Pſal. 121. Seminandum in captivitate, vt virtutum meſſis abundans ſit in die liberationis.

Viri ſublimes poſt te tranſibunt & tuberunt, poſt te ambulabunt vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur; tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus; verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator. Iſay. 45.

Hæc dicit Dominus Equidem captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto, ſalvabitur; eos verò qui judicaverunt ego judicabo, & filios tuos ego ſalvabo. Iſay. 49.

Tu ergò ne timeas ſervus meus Iacob, neque paveas Iſrael, quia ecce ſalvabo te de terrâ longinquâ, & ſemen tuum de terrâ captivitatis eorum, & revertetur Iacob & quieſcet. Ierem. 30.

Dabo eis cor & intelligent aures & audient, & laudabunt me in terrâ captivitatis ſuæ, & memores erunt nominis mei, & revocabo illos, &c. Baruch. 2.

Venit Hanameel ad Ieremiam & loquens ad eum ſecundùm verbum Domini ad veſtibulum carceris in quo clauſus erat; dixit, poſſide agrum meum. Et intellexit Ieremias, dixitque adhuc poſſidebuntur & domus & agri & vineæ in terra iſta. Ierem. 32.

Ieremiæ fortitudo animi in carcere vt etiam negotia tractet, Propheret & deprecetur ſperans in Domino, vt habetur in ſeq. cap. 37. 38.

SS. Ioannis, Petri, Pauli virtutes in carcere.

Gloriabatur Paulus ex vinculis ſuis, ego Paulus vinctus Chriſti. Epheſ. 3. & 4. Ego vinctus in Domino.

Orationi inſtate vt Deus aperiat nobis oſtium ad loquendum myſterium Chriſti, propter quod ego vinctus ſum. Coloſſ. 4.

Paulus vinctus Chriſti Ieſu, vt Paulus ſenex nunc autem vinctus Chriſti Ieſu, obſecro te pro meo filio quem genui in vinculis. ad Philem.

Sapientia venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum, deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum regni. Sap. 10.

Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur in carcere, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, non ſtadia opaca aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam quæ ad Deum ducit; quotiens eam deambulaveris, totiens in carcere non eris. Nihil crus ſentit in nervo, quàm animus in cœlo eſt. Totum hominem animus circumfert, & quo velit transfert. Vbi autem erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus: ibi ergò ſit cor noſtrum, vbi volumus habere theſaurum. Tertul. 1. ad mart.

Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis & baſes virtutis, decor enim vitæ eſt in illâ & vincula illius alligatura ſalutis. Eccl. 6.

IN EXILIO.

EXilium medium quodammodò eſt inter vitam & mortem, ſic ſuorum præſentiæ exul moritur, vt tamen illorum deſiderio teneatur, & torqueatur: Inſignis materia in quâ ſe ſapientis fortitudo explicet.

Exilium nihil aliud eſt quàm loci commutatio; at catere patriâ, quam non ſit intolerabile docet maxima populi pars, quæ in Vrbem ex toto orbe terrarum confluxit; alios adducit ambitio; alios neceſſitas officij publici, alios luxuria, ſtudia, ſpectacula: Nullum non hominum genus, concurrit in vrbem, & virtutibus & vitijs magna prætia ponentem. Nunc tranſi ad deſerta loca, & aſperrimas inſulas, nullum invenies exilium, in quo non aliquis animi causâ moretur. Ineſt animis naturalis quædam irritatio commutandi ſedes; mobilis enim & inquieta mens humini data eſt; nunquàm ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit vaga & quieris impatiens, & novitate rerum lætiſſima: non enim eſt ex terreno, & gravi concreta corpore, ſed ex illo cœleſti ſpiritu deſcendit; cœleſtium autem natura ſemper in motu eſt, fugit, & velociſſimo curſu agitur. Omnia volvuntur & aliundè aliò devolvuntur; omnia in tranſitu ſunt, & cum orbes ſuos explituerint, iterùm ibunt per quæ venerant. Quanti populi proprias ſedes mutant, inopiâ, ambitione, nimiâ exundante multitudine; hæ populorum tranſportationes, quid aliud quàm publica exilia ſunt? Vix invenies vllam terram, quàm indigenæ colant, permixta omnia, & inſiticia ſunt. Cæterùm quocumque venimus, eadem rerum natura vtendum eſt, illic ſecùm ferre virtutes ſuas. Quidquid optimum homini eſt, id extrà humanam potentiam jacet, nec dari, nec eripi poteſt: animus contemplator admiratorque vniverſi, pars ejus magnificentiſſima, propria nobis & perpetua, tandiù nobiſcum manſura, quandiù ipſi manebimus. Alacres ergo & erecti, quocumque res tulerit, intrepido gradu properemus, nullum inventuri ſolum intrà mundum, quod alienum homini ſit; vndecumque ex æquo ad cœlum erigitur acies; paribus intervallis divina ab humanis diſtant: quandiù licebit cœlum ſuſpicere & mirari, quantùm refert mea, quid calcem? ſterile ſolum, ſed anguſtus eſt animus, quem terrena delectant, quæ & veris bonis obſtare poſſunt: quo altiùs magnarum vrbium aſſurgunt ædificia, hoc plùs eſt, quod illis cœlum abſcondit; hoc humile tugurium olim virtutes excepit: nullus anguſtus eſt locus, qui virtutum turbam capit; nullum exilium grave eſt, in quo licet cum hoc tre comitatu. Marcellus tàm fœliciter vixit in exilio, vt ab eo diſcedens Brutus putaret ſe in exilium ire. Omnis locus ſapienti viro patria eſt; Imperatorem per omnes terras agit victoria ſua. Neceſſarijs etiam exilia ſufficiunt, ſupervacuis nec regna, &c. de paupertate. Vide infrà. Seneca in conſolatione ad Helvian.

Omnes exules etſi corporibus ablegantur, animis non eliminantur: etſi carne captivi ſunt, cordibus tamen ſi volunt liberi perſeverant. Salvian. lib. 2. de gub. Dei.

Pœnam putabam, munus vt video eſt fuga. Seneca tragic. in Medeâ act. 3.

P. Cornel. Scipio Africanus, Victor Hannibalis, domitorque Carthaginis, inimicorum accuſationibus exul poſt inſignem triumphum vitam fœliciter egit in oppido Linternenſi, nullo vrbis deſiderio captus, in quâ & vetuit funus ſuum fieri. D. Aug. lib. 3. de civit. cap. 21.

Non ſum vni angulo natus, hæreditas mea mundus eſt, & nemo volens exulat; ſemper enim Chriſtianus mente patriam ſuam incolit, hinc nulla illum fortuna, nulla tyrannis excludet.

Si Chriſtianus es, civitatem non habes ſuper terram; civitatis noſtræ opifex & Architectus eſt Deus: licet

licet omnem capiamus orbem, hoſpites & peregrini totius ſumus; in cœlum adſcripti ſumus, illic converſamur. Non more puerorum parvorum pueros magnos ſuſpicientium parva admiremur. D. Chriſoſt. Homil. 17. ad populum Antiochenum.

Quid putas patria tua excludere hominem Dei; in Chriſto nuſquam exulem, in carne vbique peregrinum? D. Auguſt. Serm. de S. Cypriano.

Totus mundus ſapienti patria eſt, vt totus aër avibus elementum, & tota aqua piſcibus: Exul fiam? ibi me natum putabo, quo mittar. Seneca.

Hic ipſe locus, quem tu exilium putas, incolentibus patria eſt: adeò nihil eſt miſerum, niſi cum putes, contràque beata ſors æquanimitate tolerantis. Boëtius de conſolat. Philoſophiæ.

Perirent arbores & plantæ turbâ conſeminatæ, niſi lilæ in aliud largius ſolum transferrentur. *Vide Bonitas Differentia.*

Exulabis; non patriâ mihi interdicitur, ſed locus; in quamcumque terram venio, in meam venio. Patria eſt vbicumque benè eſt, illud autem per quod benè eſt, in homine, non in loco eſt: ſi ſapiens eſt, peregrinatur, ſi ſtultus exulat. Exulabis, hoc eſt alterius loci civitate donaberis. Senec. l. de remedijs fortuitorum.

Exilio pellor injuſto, quid tu igitur juſto pelli males exilio nempè quodad injuriæ cumulum ais, in diverſum trahitur, habes injuſti exilij ſolatium comitem juſtitiam, quæ injuſtos cives deſtituens, te ſecuta, tecum exulat. In exilium cogor, cupiendo quod cogeris efficies ne cogaris, tu fac volens quod vel nolens facetes, facilætus omnia, ne quid mœſtus pariaris; ità omnem vim neceſſitatis, omnes clavos, omnium tædium moleſtiamque diſcuſſeris, ſed vos impoſſibilia cupitis, neceſſaria negligitis: tutis & honeſtis latebris nihil eſt dulcius: pelli potes, capi, cædi, perimi; vinci autem, niſi manum extuleris non potes. I. ſecurus neſcis quàm longa ſint brachia tui regis, nihil illi longè eſt; vbique te proteget qui protexit in patriâ. Vide plura apud Petrarc. dialog. 67. de exilio.

Exilium ibi eſt, vbi virtuti non eſt locus. Cic. pro Milone.

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis hujus eſſe decet, cujus quoque membra ſumus.

Egredere de terra tua & de cognatione tua, &c. cumque veniſſet vſque ad convallem illuſtrem, ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat, & inde tranſgrediens vſque ad Bethel contrà orientem, ædificavit quoque ibi altare, & vltrà progrediens ad meridiem deſcendit in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi prævaluerat enim fames in terrâ, ibique factus eſt dives valdè in poſſeſſione auri & argenti, deindè regreditur in Bethel. Gen. 12. Iuſtus exilio proficit & in virtute & in virtute & in fortunâ nonnunquàm.

Davidis exulis à facie Abſolom virtutes varias & eximias. Vide 2. Reg. cap. 15.

Excitaverunt Iudæi perſecutionem in Saulum & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus ſuis; at illi excuſſo pulvere pedum venerunt Iconium, fiducialiter agentes in Domino, teſtimonium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna & prodigia fieri per manus eorum. Diſcipuli quoque replebantur gaudio & Spiritu ſancto. Act. 13.

Fide demoratus eſt Abraham in terrâ promiſſionis, tanquàm in alienâ, in caſulis inhabitando, cum Iſaac & Iacob cohæredibus repromiſſionis ejuſdem, expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus: juxta fidem defuncti ſunt omnes patres non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & confitentes quia peregrini ſunt, & hoſpites ſuper terram; qui enim hæc dicunt ſignificant ſe patriam inquirere. Heb. 11.

IN CALVMNIA, & rumore.

MAlè de te loquuntur homines, ſed malè; moveret ſi de me M. Cato, ſi Lælius, ſi duo Scipiones iſta loquerentur: non poteſt vllam authoritatem habere ſermo, vbi qui damnandus eſt damnat. Malè de te loquuntur, moverer, ſi id judicio facerent, nunc morbo faciunt, non de me loquuntur, ſed de ſe. Malè de te loquuntur, benè neſciunt loqui, faciunt non quod mereor, ſed quod ſolent: quibuſdam canibus, ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent. Senec. lib. de remedijs fortuitorum.

Vt læſa corporis pars, ſic læſa conſcientia ſe multum deffendit, dùm ſibi multùm timet.

An tanti te facis, vt velis eos, qui Deo non parcunt, homini parcere; pulcherrimis operibus divinis quotidie detrahitur, ſufficiat tibi teſtimonium bonæ conſcientiæ: indicium boni alimenti eſt, malo guſtui diſplicere. Si in conſilio ſecutus es rationem, non te moveat nec rumor, nec eventus contrarius: quomodò mundus non poſſet malè loqui, qui ſemper malè operatur.

Egregij, gregi non congruunt; à contraris contraria non amantur. Livor venerationis occupat locum, magnam lucem, quàm non ferunt, conantur extinguere: non capiunt grandia, qui parvis implentur.

Chriſtus ipſemet poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur: noli eſſe mons, ſi nolueris tangi fulmine; ſunt aliquæ regiones ſinè feris, ſinè venenatis, ſed nullæ Reſpublicæ ſinè maledicis. Primæ irarum tela maledicta ſunt, & quidquid non poſſumus imbecilles, fingimus & optamus irati.

Nemo eſt diabolo æſtutior ad configendũ & cum ſciat ſuas criminationes non valere apud Deum, illas apud homines ſpargit. D. Aug. Serm. 234. de temp.

Hoc permittit Deus vt vinum laudis calumniæ aquâ dilutum infirmo non noceat capiti.

Vir probus vult talis eſſe, non videri, Satis ſibi ipſi ampliſſimum eſt theatrum; vtque audit, videt, tangit, ſic ſapit ſuo non alieno arbitrio; lætâ fruetur ſanitate, etiamſi ægrum alij putaverint. ſic ſapientiâ & integritate, licet vt malum malorum turba diffamaverit: ſydera eadem lucenitentia, incorrupta, ſibi invicem mirè conſona remanſerunt, licet falſis illa criminibus, bellis, ſtupris infamarint poëtæ. Regium eſt benè agere, & malè audiſſe: vtriſque libertas; Malis vt fæviant famoſis ſermonibus; Bonis, vt talibus non offendantur; ſibi ipſi lucidus eſt ſol, licet illius lucem terra emiſſis vaporibus, aut ſuâ denſitate ſibi negaverit: Sapiens omnia dijudicat, Rei vſurpant ridiculè officium ſui judicis, ſi virum bonum ſententiâ ſuâ damnent: miſeremur etiam minitanti, & injurijs nos laceſcenti phrenetico. Hæc vitiorum ſuorum pars eſt, quòd cæcutiant; virtutiſque ſenſum & guſtum amiſerint; fortis eſt, talibus non moveri, prudentis hæc diſſimulare, & maledicos obſtinatâ in contrarium virtute convincere. Tacitè virtutem ipſim venerantur, dùm lædunt; pudet enim ipſos hanc non ſequi; improbantque bonorum vitam quaſi regulam, quâ appoſita, torvitas actionum ſuarum appareret. Cæterùm ipſa veritas nubem hanc citò diſcutiet, &

victrix tandem effulgebit: in oculis Dei militans non quærit mundanos applausus. Non conveniunt maledici vt falsi testes, & sibi mutuò fidem detrahunt: Cœlestis hic vivendi modus in mũdo peregrinus est; vndè multorum contumelijs excipitur. Irrident te, vt illos rides, dùm mente intet concives tuos Sanctos & Angelos conversaris. Cave à mundo, tanquam ab hoste, nihil autem ad hostis arbitrium faciendum est; hocque maximè proba, quod magis illi displicet. Quid mirum si pugnent morũm Magistri, contrarijs penitùs nixi principijs, oppositæ sunt leges Christi & mundi. Fortè sic diffamatum Principes nolent habere ministrum, sed gaude hoc fœlici secessu, quem tot votis exquirit sapientia, honorem conantur auferre, & dant libertatem, integritatem, securitatem, in magnatorum ministerio rarissimam. Non est mors fœlicior in purpura; horâ mortis semper imminente plùs timeo Deum, quàm mundum judicem. Hæc est nova meritorum in virtute accessio, quo divulgi clamoribus fremituque calumniantium explosa nunquàm à recto aberraverit; ità conferunt dum detrahunt, elevant dum deprimere conantur. Attende sæpiùs quod quæ fiunt, & dicuntur in virtutis tuæ contumeliam, extrà te fiunt; nec te nisi volueris, nisi in sinum propriâ manu miseris, contingent: æquè bonus es, æquè Deo plenus, fœlixque, dùm te malum mali proclamaverint. Imponunt hominum oculis & auribus, non suæ ipsorum conscientiæ: te interius, vt sibi dissimilem suspiciunt; ad te quasi ad sacrum asylum confugient, dum voluerint ad Deum converti: somnolenti aversantur lucem, quàm experrecti, ne aberrent, lætis & gratulabundis excipient oculis, &c. hæc ex principijs.

Hæc Socrates ex carcere proclamat. Quis iste furor: quæ ista inimica Dijs hominibusque natura est, infamare virtutes, & malignis sermonibus sancta violare. Cum in cœlum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Tota Comicorum poëtarum manus in me venenatos suos sales effudit: Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quæ petebatur; produci enim illi & tentari expedit: nec vlli magis intelliguntur quanta sit, quàm qui vires ejus lacessendo senserunt. Duritia silicis, nulli magis quàm ferienti nota est; sic rupem loco suo fluctus non movent. Assilite, facite impetum, ferendo vos vincam: in ea quæ firma & insuperabilia sunt quicquid incurrit, malo suo vim suam exercet; nævos aliorum decident hi quos fœda scabies depastitur. Nihil magis persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vitæ meæ flecterem. Soluta conferte vndique verba, non conviciari vos putabo, sed vagire, velut infantes miserrimos. Existimatio me vestra, non meo nomine, sed vestro movet: odisse & lacessere virtutem bonæ spei ejuratiõ est: nullam mihi injuriam facitis, sicut nec Dijs hi, qui aras evertũt. Sed malum propositum est etiam ad nocendum inefficax. Sic vestras hallucinationes fero, vt Iupiter ineptias Poëtarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, &c. quanquàm hæc me non lædant suspicite virtutem, vestrâ vos moneo causâ, &c. Seneca de vitâ beatâ. cap. 26. & 27.

Humilitas Christiana virtutibus velum obducit, calumnia etiam larvam, sub quâ non dolet melius latere. Confide in bono conscientiæ testimonio. *Vide Glor. Vir.*

Hæc est voluntas Dei vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. 1. Petr. 2. Fac vt ad te, quod de te detractum sit, non referatur: sepi aures tuas spinis. Eccl. 28. Vt agricolæ agros contrà ferarum incursus. Cum Apostoli dicerent Christo, Pharisæos in sermone illius scandalisatos, sinite, inquit illos, cæci sunt & duces cæcorum. Math. 15. Et 1. Corinth. 4. dicit Paulus; Mihi autem pro minimo est, vt à vobis judicet, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. De Christo multùm maledixerunt Iudæi; vndè dicit Math. 10. Non est discipulus suprà Magistrum; si patrem familias Beelzebuth vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? & Ioan. 15. Non est servus major Domino suo, si me persequuti sunt & vos persequentur.

Christus increpantibus Iudæis non descendit de cruce. Detractores sunt canes, allatrare, sed mordere non valentes; ne puerorum more pertimescamus, dum implentur jussa Regis non timetur vilis servi judium: amicitia mundi inimica est Deo. Iacob. 4. Beati estis cum maledixerunt vobis homines. Math. 5.

Si malum quod de te dicitur in te est, corrige; si non est, age gratias Deo, qui te ab eo immunem reddidit. Non multùm nocet aggrestis pedanei judicis sententia, cum statim licet ad superiorem appellare.

Liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero; lapides mittuntur in sepem, vt sic exterritæ aves incidant in paratum laqueum; sic infirmos maledictis conturbat diabolus, &c. D. August. in Psal. 90. in expositione 1. partis.

Sicut novacula acuta fecisti dolum. Psal. 51. Ecce quid faciunt sanctis mali, capillos radunt, ideſt superflua terrena, sinè sensu & dolore auferunt. D. Aug. in Psal. 51. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, infirmæ scilicet ad nocendum.

De superiori loco munitus est, & tutus, cui factus est Dominus refugium: cui est ipse Deus in locum munitum. Psal. 35. Ideò dicitur turris fortitudinis à facie inimici. Non movebor ampliùs, quia ipse Deus salutaris meus. Psal. 61.

Malefici lunam se deponere & obscurare dicunt, cum certis temporibus defectum suum habet, secundùm Dei dispositionem: non curat tamen ista verba hominum illa quæ in cœlo est. D. Aug. in Psal. 93.

Tota die conculcavit me homo. Psal. 55. planè conculcavit, sed quid mihi faciet; juva etam, vinum ero. Idem in Psal. 55. *Vide Bonitas Virtus, & Gloria Contrariæ.*

Pictor, aut quilibet artifex, non desistit ab opere, quod vulgus ignorans contemnit. Bestiam hanc captu difficilem, indomitam & truculentam, auram dico popularem Christianus miles conculcet, alioquin turbatio illi futura est perpetua, seù dum adulantes complectetur, aut à maledicis è sede deturbabitur, &c. Div. Chrisostom. libro 5. & 6. de sacerdotio.

Nihil vulgo insipientius, nisi qui pro sapiente habet. Vrsus favum mellis auferens non curat de puncturis apum, rumores vt levissima quæque contemnit ingens virtutis amor.

Fabius Maximus, dùm cuctando restituit rem, & suorum & hostium probra contempsit.

Virtus tota est in conflictu, sed præcipuè opinionis vagæ, & ex improviso illam vndique aggredientis: quidquid agat calumniæ locus est, nec agendo, nec nihil agendo illam vitabit; contemptu itaque, & quasi non esset, confligenda. Turpissimum est si fides quæ inter persecutionum tempestates stetit invicta, levi rumoris vento in portu naufragium patiatur. An desistendum putas à victoria, eo quod id hostis non approbet. Vt quidquid dicant homines, semper es rationalis, sic semper sis pius & devotus, nec minùs inter hæc gratiæ, quàm naturæ bona conserves.

Iudæi Christum contemptu, vt primâ plagâ percussserunt; non tamen desistit ab Evangelij prædicatione, eò quòd dicatur fabri filius: non descendit de cruce,

ad id populi clamoribus provocatus, ſed perficit opus redemptionis noſtræ. Apoſtoli exiſtunt Evangeli prædicatores, licet dicantur malefici, infanticidæ & malorum omnium publicorum autores. Deſerenda eſt virtus omnis, ſi ad mundi opinionem vivendum eſt, & ſi mores immutandi ſunt hac vaga incertaque conſultatione, fiet monſtrum, vt ex picturâ, cui pictor voluit addere aut demere ex omnium inſpicientium ſenſu. Semel apud te cum libris, prædicatoribus, directoribus deliberaſti de meliori vitæ genere; in eo confirmatus divinis illuſtrationibus & conſolationibus, quid tibi, Eccleſiæ, Deo fidem negas, vt mundo, quem ſui etiam infidelem clamitant, te credas? Injuriam infers Chriſto, cujus verbis minùs aſſentiris, quàm vulgi opinionibus: Eccleſiæ, & tibi ipſi, cum te fraudas coronis perſeverantiæ debitis. Hinc multi credent pietatis aditum, non continuationem eſſe poſſibilem, erit deſertio tua alijs contagioſa, & multi malo tuo exemplo venient in pietatis deſperationem. De publicâ fidei confeſſione ſinè erubeſcentiâ. *Vide Cognit. Verit.* Deſertores incidunt in infamiam, quàm voluut vitare; habentur enim vt imprudentes, vt leves, qui cum cœperint ædificare non potuerunt conſummare. Conſtans autem virtus, quos primò habuit hoſtes, efficit ſui cultores, & in fortitudinis ſuæ rapit admirationem. Cæterùm & ſi quid patiendum ſit, in media Eccleſiæ pace, tyrocinium eſt Martyrij.

Anima cum verbo ſacra inivit ſponſalia, quæ ſinè ſacrilegio non poſſunt violari; ex quo in pœnitentiæ ſacramento fidem dedimus contractus eſt, qui ex poſt facto debet eſſe neceſſitatis. Vndè ſi activorum vis creſcit per antiperiſtaſim, ſi virtus tota eſſe debet in vitiorum conflictu, falſo rumori non debet cedere vera pietas: ſed eo magis debet creſcere quo minùs ſe videt approbari. Hæc & alia ſcripſi lib. 1. moralis Chriſtian. parte 2. cap. 29. *Vide Volunt. Gloria. Repugn.*

Ignominiâ putas quemquam ſapientem moveri poſſe, qui omnia in ſe repoſuit, qui ab opinionibus vulgi ſeceſſit? Pluſquàm ignominia eſt mors ignominioſa, quàm Socrates fortiter tulit. Nemo ab alio contemnitur; niſi à ſe antè contemptus eſt: humilis & projectus animus ſit iſti contumeliæ opportunus; qui verò adverſus ſæviſſimos caſus ſe extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, evertit, ipſas miſerias inſularum loco habet. Nihil apud nos æquè magnam admirationem occupat, quàm homo fortiter miſer. &c. Seneca in conſolatione ad Helviam.

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas orpilabit os ſuum. Pſal. 106.

Maledicent illi & tu benedices: qui inſurgunt in me confundantur; ſervus autem tuus lætabitur. Pſal. 108.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à linguâ doloſâ. Pſal. 119. Habetur enim à Deo hæc conſtantia.

Tandem prævalet veritas. *Vide Poteſtas & Gloria Veritatis.*

In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione malâ non timebit. Pſal. 111.

Magna virtus non timet calumniam, ſed ſemper integro fulget lumine. *Vide Gloria Virtutis.* Virtus etiam ab hoſtibus honorata.

Infirmus eſt, qui à tuis actionibus offenditur, igitur dignus eſt cui parcatur, non vt lædatur, jam enim habet vulnera; ne igitur arteramus, ſed curemus; ſuſpicatur malè & imprudenter, igitur auferamus ſuſpicionem, non inferamus læſionem, &c. D. Chriſoſth. de ſuſpecto contubernio virginum.

Sicut Ioſeph dimiſit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio caſtitatis, ità & tu projice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliori velamento juſtitiæ, ne fortè dùm vis vindicare veſtem corporis, prætioſiſſimum animæ veſtimentum perdas. Chriſ. in cap. 1. Matth. Hom. 1.

Calumniator non aliter ſe ipſum priùs interficit, quàm qui accendit ignem priùs concaleſcit, vt qui duros ſilices manu cædit, ipſe, non lapides vapulat; qui ad ſtimulos calcitrat ſeipſum ferit: Contrà verò qui magno animo injuriam perfert, ceù ſilex, ignis & ſtimulus adverſarium vlciſcitur, præſertim cum nullas vires injuriantes habeant, ſed ceù lutum facilè diſſolvantur. Non ergo injuriam pati, ſed injuriam facere, & neſcire pati, malum eſt. Idem Homil. 54. in Matth.

Vt ſcopulus aſſilientes vndas ſinè motu vllo ſuo frangit, ſic nos conviciatores ſinè acerbitate vllâ aut irâ. ex lib. de vnâ Relig.

Vt tela quædam in cœlum emiſſa ire eò videntur, non eunt, ſic malitioſorum calumniæ bonos non tangunt. Ibidem.

Vt ignis paleam exurit, aurum verò nitidius reddit, ſic calumniæ vanum aut vacuum abſumunt, verâ virtute gravem illuſtrant.

Vt bonus & animoſus miles levia & circà galeas crepitantia contemnit, ſic vir robuſtus & ſapiens dicteria.

Æquo animo audienda ſunt imperitorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus.

Qui juſtus eſt & injuſtè maledicitur, præmium illi creditur.

Glorioſius eſt injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare; etſi ſervus convitium dicat juſtus taceat; ſi infirmus injuriam faciat, juſtus ſufferat: ſi pauper crimineturjuſtus non reſpondeat. D. Greg. in mor.

Quidquid à quolibet hominum paſſi fuerimus injuſtè, aut remiſſionem accipiemus omnium peccatorum, aut ſi tantò in nobis delicta non faciat, clarioribus honorabimur coronis. Div. Chriſoſt. ſup. Matth.

Injuria ad ſapientem non pervenit, nam ſi injuria alicujus mali patientia eſt, ſapiens nullius mali non eſt patiens, nulla ad ſapientem injuria pertinet. Sapiens nihil poteſt perdere, omnia in ſe repoſuit, nihil fortunæ credit, bona ſua in ſolido habet; ideoque nec augeri nec minui poteſt, nam in ſummum producta incrementi non habent locum. Non eſt fortior nequitia virtute, non poteſt ergò lædi ſapiens, nam injuria in bonos non tentatur niſi à malis. Senec. lib. de Conſt. Sap. cap. 5. & 7. vide ſuprà vir bonus non poteſt lædi.

IN IACTVRA BONORVM & paupertate.

PAupertatis Philoſophicæ &. Chriſtianæ conſolationes. *Vide Minoritas Poteſtat.*

Quæ ſpectant ad jacturam bonorum. *Vide ſuprà hoc tit.* in generali tractatu de fortitudine in adverſis, & de fortitudine Chriſtianâ.

Pecuniam perdidi, forraſſe te illa perdidiſſet; pecuniam perdidi, ſed habuiſti. habebis indè periculi minùs? pecuniam perdidi, ô te fœlicem, ſi cum illa

victrix tandem effulgebit: in oculis Dei militans non quærit mundanos applausus. Non conveniunt maledici vt falsi testes, & sibi mutuò fidem detrahunt: Cœlestis hic vivendi modus in mũdo peregrinus est; vndè multorum contumelijs excipitur. Irrident te, vt illos rides, dùm mente intet concives tuos Sanctos & Angelos conversaris. Cave à mundo, tanquam ab hoste, nihil autem ad hostis arbitrium faciendum est; hocque maximè proba, quod magis illi displicet. Quid mirum si pugnent morũm Magistri, contrarijs penitùs nixi principijs, oppositæ sunt leges Christi & mundi. Fortè sic diffamatum Principes nolent habere ministrum, sed gaude hoc fœlici secessu, quem tot votis exquirit sapientia, honorem conantur auferre, & dant libertatem, integritatem, securitatem, in magnatorum ministerio rarissimam. Non est mors fœlicior in purpura; horâ mortis semper imminente plùs timeo Deum, quàm mundum judicem. Hæc est nova meritorum in virtute accessio, quo divulgi clamoribus fremituque calumniantium explosa nunquàm à recto aberraverit; ità conferunt dum detrahunt, elevant dum deprimere conantur. Attende sæpiùs quod quæ fiunt, & dicuntur in virtutis tuæ contumeliam, extrà te fiunt; nec te nisi volueris, nisi in sinum propriâ manu miseris, contingent: æquè bonus es, æquè Deo plenus, fœlixque, dùm te malum mali proclamaverint. Imponunt hominum oculis & auribus, non suæ ipsorum conscientiæ: te interius, vt sibi dissimilem suspiciunt; ad te quasi ad sacrum asylum confugient, dum voluerint ad Deum converti: somnolenti aversantur lucem, quàm experrecti, ne abertent, lætis & gratulabundis excipient oculis, &c. hæc ex principijs.

Hæc Socrates ex carcere proclamat. Quis iste furor: quæ ista inimica Dijs hominibusque natura est, infamare virtutes, & malignis sermonibus sancta violare. Cum in cœlum insanitis, non dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Tota Comicorum poëtarum manus in me venenatos suos sales effudit: Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quæ petebatur; produci enim illi & tentari expedit: nec vlli magis intelligunt quanta sit, quàm qui vires ejus lacessendo senserunt. Duritia silicis, nulli magis quàm ferienti nota est; sic rupem loco suo fluctus non movent. Assilite, facite impetum, ferendo vos vincam: in ea quæ firma & insuperabilia sunt quicquid incurrit, malo suo vim suam exercet; nævos aliorum decident his quos fœda scabies depastitur. Nihil magis persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vitæ meæ flecteres. Soluta conferte vndique verba, non conviciari vos putabo, sed vagire, velut infantes miserrimos. Existimatio me vestra, non meo nomine, sed vestro movet: odisse & lacessere virtutem bonæ spei ejuratiò est: nullam mihi injuriam facitis, sicut nec Dijs hi, qui aras evertũt. Sed malum propositum est etiam ad nocendum inefficax. Sic vestras hallucinationes fero, vt Iupiter ineptias Poëtarum, quorum alius illi alas imposuit, alius cornua, &c. quanquàm hæc me non lædant suspicite virtutem, vestrâ vos moneo causâ, &c. Seneca de vitâ beatâ. cap. 26. & 27.

Humilitas Christiana virtutibus velum obducit, calumnia etiam larvam, sub quâ non dolet melius latere. Confide in bono conscientiæ testimonio. *Vide Glor. Vir.*

Hæc est voluntas Dei vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. 1. Petr. 2. Fac vt ad te, quod de te detractum sit, non referatur: sepi aures tuas spinis. Eccl. 28. Vt agricolæ agros contrà ferarum incursus. Cum Apostoli dicerent Christo, Pharisæos in sermone illius scandalisatos, finite, inquit illos, cæci sunt & duces cæcorum. Math. 15. Et 1. Corinth. 4. dicit Paulus; Mihi autem pro minimo est, vt à vobis judicet, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. De Christo multùm maledixerunt Iudæi; vndè dicit Math. 10. Non est discipulus suprà Magistrum; si patrem familias Beelzebuth vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? & Ioan. 15. Non est servus major Domino suo, si me persequuti sunt & vos persequentur.

Christus increpantibus Iudæis non descendit de cruce. Detractores sunt canes, allatrare, sed mordere non valentes; ne puerorum more pertimescamus, dum implentur jussa Regis non timetur vilis servi judium: amicitia mundi inimica est Deo. Iacob. 4. Beati estis cum maledixerunt vobis homines. Math. 5.

Si malum quod de te dicitur in te est, corrige; si non est, age gratias Deo, qui te ab eo immunem reddidit. Non multùm nocet aggrestis pedanei judicis sententia, cum statim licet ad superiorem appellare.

Liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero; lapides mittuntur in sepem, vt sic exterritæ aves incidant in pararum laqueum; sic infirmos maledictis conturbat diabolus, &c. D. August. in Psal. 90. in expositione 1. partis.

Sicut novacula acuta fecisti dolum. Psal. 51. Ecce quid faciunt sanctis mali, capillos radunt, id est superflua terrena, sinè sensu & dolore auferunt. D. Aug. in Psal. 51. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, infirmæ scilicet ad nocendum.

De superiori loco munitus est, & tutus, cui factus est Dominus refugium: cui est ipse Deus in locum munitum. Psal. 35. Ideò dicitur turris fortitudinis à facie inimici. Non movebor ampliùs, quia ipse Deus salutaris meus. Psal. 61.

Malefici lunam se deponere & obscurare dicunt, cum certis temporibus defectum suum habet, secundùm Dei dispositionem: non curat tamen ista verba hominum illa quæ in cœlo est. D. Aug. in Psal. 93.

Tota die conculcavit me homo. Psal. 55. planè conculcavit, sed quid mihi faciet; juva eram, vinum ero. Idem in Psal. 55. *Vide Bonitas Virtus, & Gloria Contraria.*

Pictor, aut quilibet artifex, non desistit ab opere, quod vulgus ignorans contemnit. Bestiam hanc captu difficilem, indomitam & truculentam, auram dico popularem Christianus miles conculcet, alioquin turbatio illi futura est perpetua, seù dum adulantes complectetur, aut à maledicis è sedo deturbabitur, &c. Div. Chrisostom. libro 5. & 6. de sacerdotio.

Nihil vulgo insipientius, nisi qui pro sapiente habet. Vrsus favum mellis auferens non curat de punctoris apum, rumores vt levissima quæque contemnit ingens virtutis amor.

Fabius Maximus, dùm cuctando restituit rem, & suorum & hostium probra contempsit.

Virtus tota est in conflictu, sed præcipuè opinionis vagæ, & ex improviso illam vndique aggredientis: quidquid agat calumniæ locus est, nec agendo, nec nihil agendo illam vitabit: contemptu itaque, & quasi non esset, confligenda. Turpissimum est si fides quæ inter persecutionum tempestates stetit invicta, levi rumoris vento in portu naufragium patiatur. An desistendum putas à victoria, eo quod id hostis non approbet. Vt quidquid dicant homines, semper es rationalis, sic semper sis pius & devotus, nec minùs inter hæc gratiæ, quàm naturæ bona conserves.

Iudæi Christum contemptu, vt primâ plagâ percusserunt; non tamen desistit ab Evangelij prædicatione, eò quòd dicatur fabri filius: non descendit de cruce,

ad id populi clamoribus provocatus, ſed perficit opus redemptionis noſtræ. Apoſtoli exiſtunt Evangeli prædicatores, licet dicantur malefici, infanticidæ & malorum omnium publicorum autores. Deſerenda eſt virtus omnis, ſi ad mundi opinionem vivendum eſt, & ſi mores immutandi ſunt hac vaga incertaque conſultatione, fiet monſtrum, vt ex picturâ, cui pictor voluit addere aut demere ex omnium inſpicientium ſenſu. Semel apud te cum libris, prædicatoribus, directoribus deliberaſti de meliori vitæ genere; in eo confirmatus divinis illuſtrationibus & conſolationibus, quid tibi, Eccleſiæ, Deo fidem negas, vt mundo, quem ſui etiam infidelem clamitant, te credas? Injuriam infers Chriſto, cujus verbis minùs aſſentiris, quàm vulgi opinionibus: Eccleſiæ, & tibi ipſi, cum te fraudas coronis perſeverantiæ debitis. Hinc multi credent pietatis aditum, non continuationem eſſe poſſibilem, erit deſertio tua alijs contagioſa, & multi malo tuo exemplo venient in pietatis deſperationem. De publicâ fidei confeſſione ſinè erubeſcentiâ. *Vide Cognit. Veri.* Deſertores incidunt in infamiam, quam voluut vitare; habentur enim vt imprudentes, vt leves, qui cum cœperint ædificare non potuerunt conſummare. Conſtans autem virtus, quos primò habuit hoſtes, efficit ſui cultores, & in fortitudinis ſuæ rapit admirationem. Cæterùm & ſi quid patiendum ſit, in media Eccleſiæ pace, tyrocinium eſt Martyrij.

Anima cum verbo ſacra inivit ſponſalia, quæ ſinè ſacrilegio non poſſunt violari; ex quo in pœnitentiæ ſacramento fidem dedimus contractus eſt, qui ex poſt facto debet eſſe neceſſitatis. Vndè ſi activorum vis creſcit per antiperiſtaſim, ſi virtus tota eſſe debet in vitiorum conflictu, falſo rumori non debet cedere vera pietas: ſed eo magis debet creſcere quo minùs ſe videt approbari. Hæc & alia ſcripſi lib. 1. moralis Chriſtian. parte 2. cap. 29. *Vide Volunt. Gloria. Repugn.*

Ignominiâ putas quemquam ſapientem moveri poſſe, qui omnia in ſe repoſuit, qui ab opinionibus vulgi ſeceſſit? Pluſquàm ignominia eſt mors ignominioſa, quàm Socrates fortiter tulit. Nemo ab alio contemnitur; niſi à ſe antè contemptus eſt: humilis & projectus animus ſit iſti contumeliæ opportunus; qui verò adverſus ſæviſſimos caſus ſe extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, evertit, ipſas miſerias inſularum loco habet. Nihil apud nos æquè magnam admirationem occupat, quàm homo fortiter miſer. &c. Seneca in conſolatione ad Helviam.

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas orpilabit os ſuum. Pſal. 106.

Maledicent illi & tu benedices: qui inſurgunt in me confundantur; ſervus autem tuus lætabitur. Pſal. 108.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à linguâ doloſâ. Pſal. 119. Habetur enim à Deo hæc conſtantia.

Tandem prævalet veritas. *Vide Poteſtas & Gloria Veritatis.*

In memoriâ æternâ erit juſtus, ab auditione malâ non timebit. Pſal. 111.

Magna virtus non timet calumniam, ſed ſemper integro fulget lumine. *Vide Gloria Virtutis.* Virtus etiam ab hoſtibus honorata.

Infirmus eſt, qui à tuis actionibus offenditur, igitur dignus eſt cui parcatur, non vt lædatur, jam enim habet vulnera; ne igitur atteramus, ſed curemus; ſuſpicatur malè & imprudenter, igitur auferamus ſuſpicionem, non inferamus læſionem, &c. D. Chriſoſtli. de ſuſpecto contubernio virginum.

Sicut Ioſeph dimiſit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio caſtitatis, ità & tu projice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliori velamento juſtitiæ, ne fortè dùm vis vindicare veſtem corporis, prætioſiſſimum animæ veſtimentum perdas. Chriſ. in cap. 1. Matth. Hom. 1.

Calumniator non aliter ſe ipſum priùs interficit, quàm qui accendit ignem priùs concaleſcit, vt qui duros ſilices manu cædit, ipſe, non lapides vapulat; qui ad ſtimulos calcitrat ſeipſum ferit: Contra verò qui magno animo injuriam perfert, ceù ſilex, ignis & ſtimulus adverſarium vlciſcitur, præſertim cum nullas vires injuriantes habeant, ſed ceù lutum facilè diſſolvantur. Non ergo injuriam pati, ſed injuriam facere, & neſcire pati, malum eſt. Idem Homil. 54. in Matth.

Vt ſcopulus aſſilientes vndas ſinè motu vllo ſuo frangit, ſic nos conviciatores ſinè acerbitate vllâ aut ità. ex lib. de vnâ Relig.

Vt tela quædam in cœlum emiſſa ire eò videntur, non eunt, ſic malitioſorum calumniæ bonos non tangunt. Ibidem.

Vt ignis paleam exurit, aurum verò nitidius reddit, ſic calumniæ vanum aut vacuum abſumunt, verâ virtute gravem illuſtrant.

Vt bonus & animoſus miles levia & circà galeas crepitantia contemnit, ſic vir robuſtus & ſapiens dicteria.

Æquo animo audienda ſunt imperitorum convitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus.

Qui juſtus eſt & injuſtè maledicitur, præmium illi creditur.

Glorioſius eſt injuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare; etſi ſervus convitium dicat juſtus taceat; ſi infirmus injuriam faciat, juſtus ſufferat: ſi pauper crimineturjuſtus non reſpondeat. D. Greg. in mor.

Quidquid à quolibet hominum paſſi fuerimus injuſtè, aut remiſſionem accipiemus omnium peccatorum, aut ſi tantò in nobis delicta non faciat, clarioribus honorabimur coronis. Div. Chriſoſt. ſup. Matth.

Injuria ad ſapientem non pervenit, nam ſi injuria alicujus mali patientia eſt, ſapiens nullius mali non eſt patiens, nulla ad ſapientem injuria pertinet. Sapiens nihil poteſt perdere, omnia in ſe repoſuit, nihil fortunæ credit, bona ſua in ſolido habet; ideoque nec augeri nec minui poteſt, nam in ſummum producta incrementi non habent locum. Non eſt fortior nequitia virtute, non poteſt ergò lædi ſapiens, nam injuria in bonos non tentatur niſi à malis. Senec. lib. de Conſt. Sap. cap. 5. & 7. vide ſuprà vir bonus non poteſt lædi.

IN IACTVRA BONORVM & paupertate.

PAupertatis Philoſophicæ &. Chriſtianæ conſolationes. *Vide Minoritas Poteſtas.*

Quæ ſpectant ad jacturam bonorum. *Vide ſuprà hoc tit.* in generali tractatu de fortitudine in adverſis, & de fortitudine Chriſtianâ.

Pecuniam perdidi, forraſſe te illa perdidiſſet; pecuniam perdidi, ſed habuiſti. habebis indè periculi minùs? pecuniam perdidi, ô te fœlicem, ſi cum illa

concupiſcentiam illius perdidiſti, ſed ſi manet illa apud te, es tamen vt cumque fœlicior, quod tanto malo materia ſubtracta eſt; perdidiſti pecuniam, & illa quidem quàm multos. Eris nunc in viâ expeditior, domi tutior, non habebis, ſed non timebis hæredem. Exoneravit te fortuna ſi intelligis, & tutiore loco poſuit, damnum putas, remedium eſt. Deſles, gemis, miſerum te clamitas quod opibus excuſſus es; tuo vitio iſta tibi jactura tam triſtis eſt; non tam moleſtè ferres, ſi tanquam perdituram habuiſſes. Perdidi pecuniam, nempe quam vt haberes alius antè perdiderat.

Naufragium feci, cogita non quid perdideris, ſed quid evaſeris, cum perire potuiſſes. In latrones incidi, ſed alius in accuſatores, alius in fures, alius in fraudatores. Plena eſt inſidijs via, noli conqueri quod incideris, ſed gaude quod evaſeris, &c. Seneca de remedijs fortuitorum.

Cum natura eodem ferè gradu à perfectione diſcegæo, daſ, quo ad illam progreſſa eſt, vt ſic non detur vacuum, & nova entia diſcedentibus poſſint opportunè ſubſtitui. Cum planetæ eodem paſſu recedant ab Apogæo, quo ad illum acceſſerant, ea ratio non ſervatur in bonis fortunæ, nam diuturno labore ſibi ſuccedentium hæredum quæruntur, & quaſi per alluvionem vix ſenſibili incremento augentur; ſic diſponente providentiâ, vt major eſſet delectatio in his quæ magis placent ſperata quàm poſſeſſa, & quæ ipſa ſui difficultate in prætium ſunt: Vtque natura ducit alimentum per longos inteſtinorum flexus, ne continuo ventris ſervitio manciparemur; ſic lentè miniſtratur materia cupiditati, cui ſemper inexpletæ totus non ſufficeret orbis: ſed hæc bona lentè quæſita, momentò deperduntur, & inſperatâ vi majore aſcenduntur homines in hanc accidentalem altitudinem potentiæ & divitiarum lentè, quia violenter, & contrà naturam, quæ nos pares genuit & pares vellet vivere, at proprio pondere præcipites aguntur in centrum paupertatis, nihilo ſui originis congruæ. Hinc diſcit mundus homini nullum eſſe jus in externis bonis, vt nec terræ ad lucem, quæ momentò accedit & recedit, Dei beneficium eſt præcario conceſſum, quod licet occultis, juſtis tamen de cauſis ſubitò revocatur, maximè dùm poſſeſſores illo abuuntur in ſuam perniciem, Melior eſt Chirurgiæ operatio, quæ citius ſagittam è vulnere aut aliud quodvis extraneum corpus extrahit, ſic enim non ſentiuntur omnes dolores partes. Qui docet Geometriam momentò delet figuram, cui diſcipuli ſub falſis principijs incumbebant: Falſa ſunt principia mundanorum ſummum bonum in externis conſtituentia.

Cum Mars eſt anni Dominus, lunâ cæteriſque planetis exiſtentibus in ſignis igneis fiunt aëris conflagrationes, montium incenſorum, vt Ætnæ, Veſuvij ſulphureæ exundationes. Hoc etiam conferre ad incendia, quæ fiunt in vrbibus, dicunt Aſtrologi. Si domum tuam conſumit incendium, pateris à cauſâ publicâ, quæ non parcit Regum Palatijs, neé Dei ipſius Templis: Eſt hoc tyrocinium incendij, quo quondam conſumendus eſt totus orbis: Dominans hoc cæteris elementum indignatur, & ſe aliquando vindicat, quod illum vt ſervum in omnibus ferè artibus habeamus: Naturæ ſuæ jus eſt, vt tantùm agat, quantùm datur materiæ, hinc quotidiana percipis commodà, aliquod tandem hinc patere damnum: ſecreta providentiæ ratione tibi præ cæteris accidit, nulli autem contingit niſi invito, nec vnquàm vilas ædas depaſceretur, ſi id fieri deberet priùs dato dominorum conſenſu. Vtinam ſicut ædificium, ſic concupiſcentiam conſumat; vide in hac flammarum malignâ luce vanitatem mundi, hominis impotentiam naturalem, ſuper ea ipſa elementa, quæ in ſuo famulatu ſola Dei omnipotentis manus continet, hac monitus imagine time flammas æternas, &c.

Conquæreris de naufragio, & miror quod illo frequentiori natura non vindicet dolum ſibi factum, dum concavo ligno præter ſuum ordinem ponderoſa liquidis ſuperponuntur. Aquarum fit quod illis imponitur, vt ſolo cedit, quod illi inædificatur: Cum debeant naturali ſitu totam terræ ſuperficiem occupare, multam relinquunt noſtræ habitationi, hanc tamen quaſi gratuitam poſſeſſionem, ne in jus præſcriptione tranſeat, interrumpunt certis diluvijs, quibus abſorbent aliquas terræ partes, inſulas, & etiam naves, jure quodam repreſaliorum: Patere vim, quæ nec parcit Regibus, nec Sanctis, & ſoli divinæ voci obſequentem.

Furtum tibi bona abſtulit, Revoca in mentem naturaliter bona eſſe communia, lege autem civili eſſe diviſa, ſed ſummâ cum inæqualitate, ita vt immeriti abundent, cum generoſi egeant: Extrema autem neceſſitas non habet legem, nec lex civilis tunc poteſt in totum à naturali diſcedere. Extremam in eo crede neceſſitatem, qui levi hac allectus prædâ, exponit ſe publicæ infamiæ, mortiſque periculo.

Hæc & alia ſcripſi. Moral. Chriſt. lib. 4. parte. 2. cap. 24.

De amicorum inconſtantiâ. *Vide Minoritas Durationis, & Finis Concordantiæ, & Duratio Voluntati Repugnat.*

Quidquid eſt, cui Dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum non eſt, nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum & invictum eſt, hoc ipſum, ſi intelligimus, ſolatium eſt, æquo animo perdere, quod periturum eſt: interim ne permittas perceptos fructus perire, habere eripitur, habuiſſe nunquàm: peringratus eſt, qui cum amiſerit, pro acepto nihil debet, &c. Seneca Epiſt. 98.

Iob omnibus amiſſis dicit, Dominus dedit Dominus abſtulit, tanquàm diceret, Auferat omnia, nudum dimittat me, & ſervet mihi ſe, quid enim mihi deerit, ſi Deum habuero; ſic eſt dicendum, non autem feram mala, & reddet mihi Dominus dupla vt Iob; vt jam non ſit patientia ſed avaritia. D. Auguſt. lib. 1. de Symbol. ad Catachum. cap. 3.

Vtinam, vt ex lapſu oblivio prætoritorum contingeret. *Vide Finis Cognitionis.*

Adeps, cunctis animantibus ſinè ſenſu, qui nec arterias habet, nec venas. Plin. lib. 11. cap. 37. Sic L. Apronij Conſularis viri filio, ferunt detractos adipes, levatumque corpus immobili onere. Ibid.

Et quorum admiratio eſt vulgò, in diem bona ſunt: quid ergò, non vſui & voluptati eſſe poſſunt? quis negat? ſed ità, ſi illa ex nobis pendent; non ex illis nos: omnia quæ fortuna intuetur ità fructifera ac iucunda fient, ſi quis habens illa ſe quoque habet, nec in rerum ſuarum poteſtate eſt, &c. Senec. Epiſt. 99.

De inconſtantiâ fortunæ. *V. Durat. Gloriæ Repugn.*

Sapiens recedat quantùm poteſt ab alienis & ſe ſibi applicet, adverſa benignè interpretetur. Zeno cum audiret omnia ſua naufragio perijſſe: jubet me, inquit, fortuna liberius Philoſophari. Seneca de tranquillitate vitæ. cap. 14.

Notam vobis facimus fratres gratiam Dei quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. 2. Cor. 8.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manen-

tem ſubſtantiam. Hebr. 10.

Pauperes Dei verè dicuntur, qui non niſi in illo ſpem habent, in quo ſolo ſpes non fallitur, cui nunquàm ſuccenditur, quia ipſe non poteſt mori, nec ipſe falli aut fallere poteſt. D. Auguſt. in Pſal. 93.

Adversùs Deum nolite murmurare: Audite me, ô pauperes, quid non habetis, ſi Deum habetis? Audite me divites, quid habetis, ſi Deum non habetis? D. Auguſt. ſerm. de S. Cypr.

Tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. 2. Corint. 6.

Quid ergò hac paupertate ditius? Magnæ fœlicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt, poſſidere quod cum labore acquiritur paucorum eſt, contemnere quod cum fructu contemnas, omnium eſt: Felicitas ergò magna Chriſtianorum, quibus datum eſt vt per paupertatem faciant prætium regni Cœlorum: non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil eâ ditius poteſt inveniri; vis noſſe quàm locuples ſit? Cœlum emit. D. Auguſt. Serm 26. de verbis Apoſt.

IN ECVLEO.

NE veritas judices lateat, nè impunita ſint crimina, ſicque magis læviant in publicam perniciem, Rei ſemi-probatione gravibuſque præſumptionibus convicti eculeo ſubjiciuntur. Sic lex omnis, etiam æquiſſima, habet aliquid ex iniquo, quod publicâ vtilitate compenſatur. Hinc eliceres commodum ſi actor eſſes, hac lege tertii prædones, falſi teſtes, nihil in te tentarunt, patere nunc damnum vndè diù elicuiſti commodum, & mala tua ſorte reus effectus, patere virtutem tuam ſibi ipſi committi probandam. Poteſt judex torquere, ſed potes quod libuerit reſpondere, in corpus, non in voluntarem ſæviunt tormenta; Debilis, infirmi, & cæcutientis eſt animi, vt eximatur à præſenti, minimo & jam pro maximâ parte elapſo dolore, ſe majori & extremo ſupplicio addicere. Quod non eſt dicendum conſtitue inter impoſſibilia, & quaſi pro eo non torquereris. Per te veritas triumphum agat; lenti ſunt, temperati, per intervalla ingruentes cæteri humanæ vitæ labores, hîc vnius ſuis omnibus viribus in te ſævit adverſitas, vno ſimul & ſemel prælio à te conficienda: criſis eſt vitæ & innocentiæ tuæ, duplex militet fortitudo, ſcilicet ne prodat & naturæ & veritatis bonum; Si enim nunquàm tormentis poſſes adigi, vt contrà proximum falſum teſtimonium diceres, ſic nec contrà te. Fluit tempus citato ſuo, vt ſolet, curſu; vnius horæ ſapientia te vitæ, famæ, familiæ tuæ & amicis integrum reſtituet, & de hoſtibus victorem ſpes futuri proxima fortem efficiat. Tolerantur & æquè magni dolores podagræ, calculi, & ſub clementer immiti chirurgo ſanguinis effuſiones, membrorum præciſiones, vnæ ſolius prætio: hic inſuper agitur de veritatis, de famæ, de totius tuæ familiæ, pluriumque, ſi licet dicere, vitarum protectione. Gravis te exagitat tempeſtas, ſed ecce tibi proximè paret portus; vrget dolor, ſed proximam ſpondet ceſſationem, & ità terret vt ſoletur. Vindica quod tuum eſt, veritatem, & innocentiam, non eſt res ſinè exemplo. Hæc ex Principijs.

Zeno Philoſophus Pythagoræ diſcipulus cum contrà Phalaridem tyrannum conſpiraſſet, accuſatus, tortus, tyranni amicos dixit eſſe ſuos conſcios, his ſublatis, viribus deſtitutus tyrannus, facilè oppreſſus eſt. Idem eadem conſtantia geſſit Theodorus contrà Hieronimum Hieronis filium.

Læna mulier Athenienſis eculeo diù torta noluit indicare Harmodium & Ariſtogitonem tyrannicidas: ob id Athenienſes illi erexerunt lænæ animalis ſimulachrum lingua carens. Plin. lib. 7. cap. 23.

Caligula mulieri libertinæ octingenta donavit, quod excruciata graviſſimis tormentis, de ſcelere patroni reticuiſſet.

Eadem fuit conſtantia mulieriſque torta vt indicaret ſocios conſpirationis in Neronem, nunquàm ſe conſciam confeſſa eſt, ſed fortiter negando primâ die in tormentis perſtitit, ſecundâ deceſſit.

Dum Zeno Eleates & Anaxarchus à ſæviſſimo tyranno inauditis ſupplicijs torquerentur, Zeno abſciſſam morſu linguam in tortoris faciem expuit, ne vi tormentorum diceret quæ nollet. Anaxarchus verò dicebat, ſcinde, vre, percute Anaxarchi ſaccum, Anaxarchum lædere non potes. Philo Iud. lib. virum bonum liberum eſſe, & Plin. lib. 7. c. 23.

Innumera ſunt exempla martyrum, qui non modò fortes extitere fidei aſſertores, ſed etiam læti & exultabundi in tormentis.

Hyperides orator captus ab hoſtibus, & tortus, vt arcana civitatis proferret, linguam dentibus abſciſſam expuit, ne quid invito ſibi excideret. Photius Biblioth. cap. 166.

Regulus captus à Carthaginenſibus, & ab ipſis Romam miſſus, diverſa quàm hoſtes mandaverant cenſuit, ne pax fieret, ne commutatione captivorum reciperetur, his peractis, ad hoſtes rediens, tortus graviter, non pœnituit, ſed fortiter moriens victores vicit, & quia Carthago non ceſſerat, de fortunâ triumphavit. Florus lib. 2. cap. 2.

IN SVORVM FVNERIBVS.

MAgis flemus illos, quos bella rapuerunt, hauſit incendium, naufragia merſerunt, fortius ferat inter aſſidentium manus, inter ſuorum officia labentes, cum ſe invicem oſcula, cum ſe ſatiavere ſermones; cum data ſuprema mandata ſunt, & ſe ſcit pietas omnia feciſſe pro vitâ. Igitur illos mori credimus, hos perire. Quintilian. declam. 8.

Hunc modum ſervemus quinec impietatem imitetur, nec inſaniam fluant lachrymæ, ſed eædem deſinât; trahantur ex imo pectore gemitus, ſed ijdem & finiantur, &c. Senec. in conſolat. ad Polybium. in fine.

Thraces hominem vitâ functum, per luſum atque lætitiam terræ demandabant, referentes quot malis liberatus in omni ſit fœlicitate. Herodot. lib. 5.

Lydiorum legiſlator leg[illegible] cavit, vt qui funus ducerent, & luctum agerent, veſte muliebri induerentur: ſignificans luctum hominem non decere. Plutarch. in conſolatione ad Appollonium.

Cum cogitaveris multa eſſe quæ perdidit, cogita plura eſſe quæ non timet: Non ira eum torquebit, non morbus affliget, non ſuſpicio laceſſet, non edax & inimica ſemper alienis proceſſibus invidiâ conſectabitur, ſi benè computes plùs illi remiſſum, quàm ereptum eſt: non reliquit inopem, ſed ſecuriorem fortitus eſt; quid fata deflemus non reliquit nos, ſed anteceſſit? &c. Seneca in conſolat. ad Polybium cap. 28.

Nihil perpetuum, pauca diuturna ſunt, aliud alio modo fragile eſt, rerum exitus variantur, cæterum quidquid cœpit & deſinit. Quis tàm ſuperbæ impotentiſque arrogantiæ eſt, vt in hac naturæ neceſſitate

te, omnia ad eundem finem revocantis : se vnum ac suos sponi velit, ruinæ quæ ipsi mundo imminenti aliquam domum subtrahat; Maximum ergò solatium cogitare, id sibi accidisse, quod antè se passi sunt omnes, omnesque passuri. Et ideò mihi videtur rerum natura quod gravissimum fecit commune fecisse, vt crudelitatem fati consolaretur æqualitas. Illud etiam te juvabit si cogitaveris nihil profuturum dolorem tuum nec illi quem desideras, nec tibi: Nolles enim longum esse quod irritum est. Ibid. cap. 21.

Nulli minus gratus est dolor tuus, quam ei cui præstari videtur. Torqueris, ille aut non vult, aut non intelligit si nihil sentit super vacuum; si sentit ingratũ. Non ergo doleas ejus nomine, non etiam tuo, desinit enim esse onestus dolor si ad vtilitatem respiciat, nihilque minus bono viro convenit quàm in amici fato calculos ponere. Cæterùm si sors immota manet nec revocatur quod abstulit, desinat dolor qui perit: quæ amentia pœnas à se exigere, & mala sua augere: Non est quod cogites, quãto diutiùs habere potueris, sed quandiù habueris : Rerum natura illum tibi non mancipio dedit, sed commodavit, cum visum est deindè repetit, nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem : Injustus est qui conqueritur dum credita gratuito vsu pecunia repetitur. Cogita jucundissimum esse, quod habuisti, humanum quod perdidisti. Idem ad polibium. cap. 29.

A ratione medelam quære, non expectes à tempore? tempus enim noxius medicus est, quotidie futuri expectatione fallit ægrotum, & priusquam dolores expellas veteres, advocat novos? sic fallaci vitæ spe semper morientes ducit ad mortem. Vivendum est hodie, qui enim cras vivit, nusquàm vivit, Præponderare debet consideratio æternæ vitæ temporali, divina voluntas tuæ.

Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus, vt non constritemini sicut & cæteri qui spem non habent, &c. 1. Thessalon. 4.

Cur durum est quod quandoque patiendum est? & cur dolemus quemquam mortuum? ad hoc enim nati nõh sumus vt maneamus æterni : Abraham, Moyses, Isayas, Petrus, Iacobus, Ioannes, & super omnia Filius Dei moritur, & nos indignamur aliquem exire de corpore, qui ad hoc fortasse raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus devorat? nos quibus obviam Christus cum Angelis occurrit, gravemur potiùs, si diutiùs in hoc mortali harbitaculo habitemus, quandiù hic moramur, peregrinamur : Suos meritò lugebant Patriarchæ, quia nondùm januæ cœli apertæ erant, &c. D. Hieronim. Paulam de obitu blesillæ filiæ.

Animæ insectorum imperfectæ diu hærent in abcisſa parte, perfectorum autem animalium deserunt abcisſam partem, & se contrahunt, vt reliquis adsint partibus. Christianus defunctos Deo deserit sinè luctu, vt integram suam charitatem exhibeat viventibus.

Summus Sacerdos Iudæorum prohibebatur flere in morte propinquorum, propter reverentiam sacerdotij. Philo. 1. Levit. 21. sic & Nazareus. Num. 6.

Quid lugeam, quasi non sit prætiosa in conspectu Dominus mors sanctorum ejus? Amicus noster dormit, & ego lugeam; luctus iste vsu se non ratione tuetur : si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talem somnum in quo hæreditas Domini, quid horum videtur fletum inducere? Ergò ne fleam illum, qui fletum evasit, cupido hæc mihi, non illi ivideo; jubemur gaudere cum gaudentibus, exultant autem justi in conspectu Dei. D. Bernard. Serm. de S. Malachia.

A Ibidem loquens de eo moribundo : Vides hominem securum in morte, nec dùm mortuum, jam certum de vitâ; nec mirum, videns adesse noctem quàm expectaverat & in ipsâ diescere sibi. Congratulandum est animæ sanctæ, ne nos arguat de inopiâ charitatis, dicens & ipse quod Dominus, ad Apostolos ait, si diligeritis me gauderetis vtique quia vado ad Patrem : & pium est Malachiam flere defunctum, & pium magis Malachiæ congaudere viventi, &c.

Beatus Domine qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te : solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. D. August. 4. Confess. cap. 9.

Qui benè proximum diligit, non affligitur morte
B cujusdam, quoniam qui toto animo Deum dilexit, novit nec sibi perire, quod Deo non perit, Deus autem Dominus est, vivorum & mortuorum. Idem lib. de vera Religion. c. 43.

Vt ad animæ solatium ratio non expectat tempus; sic amor Dei non expectat rationem, sed illam prævenit.

D. Cyprian. lib. de mortalitate, prohibet Christianos assumere atras vestes, & lugere defunctos, ne gentiles arguant fidem nostram quasi fictam & fucatam, quâ credimus ipsos apud Deum vivere.

Viri non coguntur sub pœnâ infamiæ vxores lugere. l. 9. ff. de his qui notant. infamia.

C Miseriores efficiuntur mortuis *; qui se ob eorum desiderium nimio dolore discruciant. Lucian. Dial. de luctu.

Præcipitur Ezechieli cap. 25. ne fleat mortem vxoris suæ, & vt populo significet ex parte Dei nè lacrymas fundant super funeribus suorum.

De luctu licito in funeribus. *Vide Gloria Concordantiæ Repug.* qui tamen diu est in luctu videtur exprobrare Deo crudelitatem. *Vide Cognitio Contrariet.* signa injuriæ acceptæ.

IN MORTE MAGNI viri.

D

CHarissima fuit vita ejus, à quo communis pendebat salus : diù speratus, brevi possessus, diù videtur lugendus, & vt Cymerij luctu prosequuntur occidentem solem. &c. Antè mundi conflagrationem in extremo judicio stellæ cadent de cœlo; nescimus, & timemus, quid protendat hujus astri casus. Repetantur fusi exercitus, vix autem magni viri ad regime nati vita, pluribus antè sæculis patriæ suæ promissa. Attendat tamen Christianus Rempublicam potissimum à Deo Regi. Ipse est qui illustrat & movet ministros ad bonum commune; Qui
E illud occultis modis promovet, mala avertit. Idem semper super est Rector Deus, qui alios discedentibus substituit ministros, præter fidem fœlices, & prioribus meliores : officiis rectè functus ad præmium vocandus fuit : necessaria Reiminis mutatio, alium poscebat. Diuturna Reipublicæ opera vnica manus non absolvit : charitatis tyrocinium hic perfecit, magisterio inter beatos donandus est : pro Deo apud nos legatione functus, victor, expleris militiæ stipendiis, ad Principem suum redit illic : etiam, vbi perfecta est charitas, curam aget suorum, & ex ideâ boni, quàm clarè videt, optima successoribus inspirabit consilia. Gaudeat Patria civem suum habere Dei commensalem. Ad avertenda infausta paratissimum &c. Ex principiis breviter.

Vt arbor naturis defluentibus fructibus alios substituit, sic natura decedentibus viris heroicis. Philo Iudæus lib. de sacrificio Abel & Cain, sub finem,

Quia vir per omnia consummatus jam in hac vltrà quo ascenderet non habebat, per mortem, quæ inter hanc & illam vitam media erat, ad summum cœli culmen evasit. Humanis genetis hostis videns eum esse lumen populorum, per compendia persecutionis in vno vniversos petit, &c. Euseb. Emissenus.

De beatissimo Enoch dicit scriptura, quod non inventus sit, transtulerat enim eum Dominus, quia proprium ejus est omne, quod excellens, admirabile, virtutumque splendoribus glorioſum. D. Cirill. Alexand. lib. 4. contrà Iulian.

In Canticis inducitur sponsus lilia colligens, hoc est electos suos ab hac vitâ succidens, & ad gaudia æterna transferens. D. Bernard. de modo benè vivendi. cap. 69.

Ioan. 20. Angeli stant super Christi monumento in vestibus albis, licet lætitiæ, & prohibent lachrymas, quid quæris viventem cum mortuis?

Mortuo Persarum Rege luctus per quinque dies indicebatur, jura omnia & leges silebant, sacerquæ ille & æternus ignis, quemquisque domi pro lare familiari colebat, extinguebatur.

De luctu publico. *Vide Concord. Minoritat.*

IN MORTE AMICORVM.

QVidam dicebat, si amicorum defunctorum memoria jucunda est, quomodò poma quædam sunt suaviter aspera, quomodò in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat. Mihi autem, inquit, Seneca, amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est, habui enim illos tanquàm amissurus; amisi tanquàm habeam: desine beneficium fortunæ malè interpretari, abstulit, sed dedit: cogitemus eorum peregrinationes, quàm sæpè eodem loco morantes non viderimus, intelligemus plùs nos temporis perdidisse in vivis; quis autem ferat illos, qui non negligentissimè amicos habeant, miserrimè lugent? nec amant quem quam, nisi cum perdiderint, ideoque tunc effusiùs mœrent, quia verentur ne dubium sit an amauerint; sera indicia affectus sui quærunt. Si alios habemus amicos, malè de his & metemur & existimamus, quia parùm valent in vnius elati solatium: si non habemus, majorem ipsi nobis injuriam fecimus, quàm a fortunâ accepimus; illa vnum abstulit, nos quemquam non fecimus: quem amabas extulisti, quære quem ames. Seneca. Ep. 63.

Erubesce si vnicum habes? quid tu in tantâ tempestate ad vnam anchoram stabas? Idem de remed. fortuit.

Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant: Quæris vndè sint lamentationes, vndè immodici fletus, per lachrymas argumenta desiderij quærimus, & dolorem non sequimur, sed ostendimus. Nemo tristis sibi est: ô infœlicem stultitiam, est aliqua & doloris ambitio. Quid ergò, inquis, obliviscar amici? brevem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est; Iam istam fontem ad risum quælibet fortuita res transferet, nunc custodis dolorem tuum, sed custodienti quoque elabitur, eoque citius, quò est acrior, desinet. Id agamus, vt jucunda fiat nobis amissorum recordatio: Nemo libenter ad id redit, quod non finè tormento cogitaturus est. Annum fœminis ad lugendum constituere majores, non vt tam diù lugerent, sed ne diutiùs; Viris nullum legitimum tempus est quia nullum honestum. Recens dolor, consolatorem invenit, inveteratus irridetur, aut enim simulatus, aut stultus. Itaque assiduè cogitemus tam de nostrâ quam de omnium quos diligimus mortalitate: Qui ad rem pertinet, post mè mori debet, sed antè me potest; nunc cogito omnia esse mortalia & incertâ lege mortalia: hodie fieri potest quidquid vnquam potest; cogitemus citò nos perventuros, quod illum perveniſſe mœremur, quem putamus periisse præmissus est. Seneca. Epist. 63.

Sicut sumus, quod maximum in nobis est, mortuus non est dicendus, qui animâ, vt præcipuâ sui parte vivit, licet corpore mortuus; secede in animum tuum, ibi speciosissimum animum possidebis: imò ex animo tuo in Deum te recipe, quantò formosius ille in opificis formâ est, quàm in seipsâ, tantò illam beatius amplecteris. Marsil. Ficin.

Etiam si amici perierint, est quod illorum expleat locum, quod illos bonos fecerat virtus, hæc nihil vacare patitur loci, totum animum tenet, desiderium omnium tollit, sola satis est omnium enim bonorum vis & origo in ipsâ est; quid refert si aqua rivuli defluat, si fons salvus est. Seneca. Epist. 75.

De luctu in funebris amicorum. *Vide Finis Concordantiæ mal.*

Consolationes in morte parentis senis. *Vide Majoritas Durationis. Mala:* In morte conjugis. *Vide Majoritas Concord.* de secundis nuptiis.

Nolumus ignorare vos de dormientibus, sicut & cæteri qui spem non habent, si enim credimus quod mortuus est & resurrexit Iesus, ità & Deus eos qui dormierunt adducet cum eo, &c. 1. Thess. 4.

Fili hominis ecce ego à te tollo desiderabile oculorum tuorum in plagâ, & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ: ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies &c. Ezech. 25.

IN MORTE LIBERORVM.

AMisi liberos, stultus es, qui desleas mortem mortalium; quid istud aut novum, aut mirum? quàm rarè est sinè isto casu domus? quid si infœlicem voces arborem, quod stante ipsâ cadunt poma, & hic tuus fructus est? Nemo extrà ictum vulneris positus; ducuntur ex plebeiâ domo immatura funera, ducuntur & ex Regiâ: Non est id [illegible] fati, qui & ætatis. Perierunt liberi mei, habuerunt illi cujus essent, magis quàm tui: apud te precariò morabantur, educandos tibi fortuna mandaverat, recepit illos, non abstulit, Seneca. de remediis fortuitorum.

Gaudemus ex propositi nostri fœlici successu, proposueras tibi non hominem mortalem habere, sed probrum filium, quod tibi contingit.

Leges permittunt adoptionem in solatium legitimæ prolis sublatæ: hoc in casu Christianus pauperes habet vt liberos.

Cum turbo radicitùs arborem evulsit, sobolem ex illâ residuam fovet agricola, sic avus superstites ex filio nepotes.

Quidam filios habent tortores: Rectè Euripedes ait carentem liberis infortuito esse fœlicem. Boëtius.

Parentes amissis liberis hoc cummemorent, quod maxima eorum quæ exoptare solent exaudientes Dij jam tribuerint, neque enim sibi immortales filios dari, sed bonos & illustres optabant, cujus voti

compotes effecti ſunt. Si ſortem forti animo tolerabunt, videbuntur re verâ fortium liberorum parentes: at ſi dolori ſuccumbant, in contrarium erit ſuſpicio, &c. Plato in Menexeno, ſeù Epitaphio.

Non eſt quod eos ſuſpiciamus, tanquàm inter noſtra poſiti, mutuò accepimus, vſus fructus noſter eſt, cujus tempora ille arbiter muneris temperat: Nos oportet ip promptu habere quæ in certum diem data ſunt, & appellatos ſinè quærelâ reddere; peſſimi eſt dubitoris creditori facere convitium. Cum dati ſunt liberi, nihil de diuturnitate promiſſum eſt: rapite ex liberis voluptates, fruendos vos invicem liberis date, & ſinè dilatione omne gaudium hàurite. Rapina rerum omnium eſt, miſeri neſcitis & fugâ vivere; ſi mortuum filium doles, ejus temporis quo natus eſt crimen eſt: Mars enim illi naſcenti determinata; & in hanc legem datur, hoc fatum ſtatum ab vtero proſequebatur, &c. Seneca in Conſol. ad Marciam. c. 10.

Animalia, concitata habent pro fœtibus ſuis deſidetia, & tamen quàm brevis vaccarum vno vel altero die mugitus auditur; nec diutiùs equarum vagus ille amanſque diſcurſus eſt: Feræ cum veſtigia catulorum conſectatæ ſunt, cum ſæpè ad cubilia expilata redierint, rabiem intrà exiguum tempus extingunt; aves cum ſtridore magno inanes nidos circum fremunt, intrà momentum tamen quietæ volatus ſuos repetunt; nec vlli animali longum fœtus ſui deſiderium eſt, niſi homini, qui adeſt dolori ſuo, nec tantùm quantùm ſentit, ſed quantùm conſtituit afficitur. Idem. In conſolat. ad Marciam. cap. 7.

Pulvillus Pontifex inter ſacrificandum, Anaxagoras inter Philoſophandum, Pericles in publicis negotijs, nuntiatâ filiorum morte, tanquàm quid ad eos non pertineret, ab officio non deſtiterunt. Plura ejus rei exempla. Vide apud Senecam. Ibidem à cap. 13. ad 17. & apud Plutarch. in conſolatione ad Apollonium.

Homerus jus flendi dedit in vnum tantùm diem, cùm dixerit Nioben amiſſis filijs de cibo & ſomno cogitaſſe.

Et hæc fuit vna ex plagis Iob, quàm patienter tulit: oppreſſi enim ſunt omnes liberi ſui ruinâ Domus: ſenſit & hoc damnum primus hominum Adam, mortuo juniore & optimo ſuo filio Abel, à fratre, quod acerbiſſimum erat, occiſo.

Tuæ fuit fœcunditatis hunc tibi familiæ tuæ ſubſtituere, & patriæ civem dare; ſed ille fato ſuo, in quod nulli mortalium jus eſt, natus fuit. Non ſufficeret terra plantis & animalibus, multo minùs hominibus, omni tempore ad generationem paratis, omnium ſemina, omniumque fœtus fœliciter adoleſcerent, & antiquorum parentum ætatem æquarent. Hic vitæ terminus ſua ſenectus fuit, illi optima, quem fortè gravioribus malis eripuit: melius eſt te innocentem in cælum præmittere, quàm ingratum, noxium, degenerem, famæ, & opibus tuis gravem experiri: melius eſt aut nullum aut externum, quàm ſuum famoſum habere hæredem, & nomen familiæ deſinere, quàm infici. Inter plures liberos partitæ facultates fiunt minimæ, & ſi plures neceſſario indigos, niſi ſuâ ſe promoveant induſtriâ, habiturus es. Non poſſes ad ſtudia liberalia, ad officia familiæ dignitati congrua promovere. Pugnant itaque vota tua, dum vis omnes habere ſuperſtites ſimul & potentes; hanc familiæ temperaturam, quàm pietas non poterat optare, providentia conceſſit; libertati, dignitati, quieti tuæ conſultum eſt. Patereris etiam vnicum filium Principi charum fieri, & ab eo in longinqua abduci, eum Deus acceptum habuit, & maturè tulit è mundo, ne malitia mutaret intellectum ejus: quid doles, ſi abſque longo virtutum tyrocinio, virtutis præmium ſcilicet beatitudinem conſecutus eſt? Si diù non aberrans citò veritatis luci redditus eſt? Gaude quod jam hanc tui partim, quaſi artham beatitudini dederis: hic qui fortè futurus erat oneri, nunc accelerato fruens præmio immortalis ſupereſt tuæ conſolationi. Varia homini data mens, à diligentiſſima educatione in vitia prorumpit majori impetu, adepta per ætatem libertate, moramque paſſionum liberiori exundatione compenſat. Non eſt amplius à mortuis timenda patrimonij dilapidatio, familiæ labes, &c. amoris inſania, præter voluntatem parentum connubia ineuntis, & ſanguinem ſuum indigne permiſcentis. His malis laborant illuſtres etiam familiæ, & proſtratis externis hoſtibus, hoc interno defectu graviſſimè concutiuntur. Nihil in naturâ magis conſuetum, quàm cauſas ſuis pereuntibus effectibus ſupereſſe, cælos & elementa mixtis; arbores folijs & fructibus; bulbæ floribus in ſolatium amiſſi fœtus cedit continuata fœcunditas. Meliùs eſt artificem eſſe ſinè inſtrumentis, quàm inſtrumenta ſinè artifice: ſi deſunt naturales liberi, potes meliores tibi eligere adoptivos, quos probis tuis informes moribus, & quæſites dites opibus. Verus Pater eſt Deus, qui & hoc nomine quotidie à nobis colitur, ſuos à te repetiit, vt tu natos, cum libuerit, ex præceptoris manu; probat in hoc diligentiam tuam, quod tam citò cælo dignos effeceris. Poterant ad altiora niti, ſed poterant & deprimi, nec familiæ, votiſque tuis reſpondere. In dubio fœlix eſt mors, quæ te proborum filiorum magnoque promittentium ſuperſtitem parentem relinquit: Sublata eſt anxiæ ſemper ſollicitudini materia; habes conjugis, parentiſque ſolatium, & cœlibatus quietem, &c. Hæc ex principijs.

De immatura juvenum morte. *Vide Medium Durationis.* Media. De his quæ ſolitum naturæ terminum non attigerunt.

Primus parens orbatus innocente & dilectiſſimo filio Abel, indignâ morte & fraternâ manu ſublato. Optimi Iob tentata eſt patientia, omnium liberorum repentina morte, & violenta.

IN MALIS PVBLICIS.

PVblica quæ vocamus, non natura, ſed opinione talia ſunt. Reſpublicas, Imperia, congregationes, ſocietates condidit humana ratio neceſſitati ſuæ providens, & vt homini melius eſſet; vnde cum naturalia ſemper eadem ſint, hæc tamen civilia inſtituta pro vario rerum ſtatu mutantur. Talem ergò te patriæ exhibe, vt cum illi prodeſſe non potes, tibi non noceas; vt ſi totam ſalvare non potes, ſaltem partem ejus intactam ſerves, te ſcilicet ſintactum à ruinâ, quàm prohibere non potes. Corporea ſunt hæc omnia, pro corporeis & fortunæ bonis vt plurimùm inſtituta, quæ ſapientis mens contemplatione & affectu ſupergreditur, veris & æternis bonis adhærens; ſcit rerum omnium ſublunarium hanc eſſe fluxam conditionem, ad tempus naſci, proficere, occidere. *Vide Minoritas Durationis, de Rerum publicarum ætate, ſenectute, morbis & interitu.* Quidquid cœpit & deſinet, ipſa mundi machina aliquandò diſſolvetur. Hæc immota ſapientis mens contemplatur; nec moleſtè fert ex æternæ ſapientiæ decreto mutabilia mutari, corruptibilia corrumpi, toties inclinata tandem

tandem cadere, fluere temporalia, in quibus vt in aquis decurrentibus ſedet ferè ſemper ſibi par æternitatis vmbra. Impavidum ergò vt orbis, ſic patriæ ferient ruinæ ; libertatem, quàm Reipublicæ non poteſt dare, ſibi concedet ; & Machabeorum exemplo, ex Chriſti etiam præcepto, in publicâ deſolatione fugiet ad montes, ad eminentem ſcilicet vitæ rationem, vndè conſilio & operâ, quantùm licebit ex ordinatæ charitatis lege, ſuis opitulabitur. Imperturbato debet eſſe animo dux fuſo exercitu ; nauta in tempeſtate, rector in ſeditione, medicus in morbis popularibus, ſapiens in clade publicâ. Hic tantùm votis eſt locus ; cumque conſtet apud ipſum, talia ſinè certo providentiæ ordine non fieri, cedit amor patriæ amori Dei, & humana ſapientia divinæ : Fortitudinem Prudentia comitatur, & vt exponit periculis profuturum, revocat, ſeponit, melioribus ſervat inter publicas ſtrages ſacrum ſecurumque ſapientem. Si deletis paſtoribus Iob, ſuperfuit qui cladem nuntiaret ; ſic rerum hic tranquillus ſpectator, poſteritatem monebit de rebus præteritis & agendis. Dum ſol lucet ſereno cælo, tunc elevantur vapores ex quibus fiunt fulmina, nimiâ quiete, & deſidiâ producuntur noxij humores, quibus poſteà tentatur ſanitas ; ſic inter altæ pacis delicias & luxus congregatur bellorum materia : In tempeſtate concha rupi adhærens, externis aquis occluſa ; propijs quas ſibi ſervat contenta, ſymbolum eſt ſapientis in publicâ commotione quieti ; ſibique ſufficientis : Æger ſumpto medicamento langueſcit ad ſanitatem, difficilis eſt dies qui criſim præcedit, & in ipſâ criſi multùm laborat natura, morbum mox ſuperatura ; convellitur fortè rerum ſtatus, vt melius cedat, nec ſinè illatâ plagâ vlcus putridum, & ſenſu carens poteſt curari. Terrent quidem mala publica, quia magno omnium ejulatu aures animumque feriunt, nullumque vt in terræ motu videtur eſſe confugium ; imò magnum eſt ſolatium cum vniverſo rapi : & tolerabilior eſt calamitas, cujus onus plures partiuntur, tùm etiam quia vnicuique ob ſingularem culpam non videtur contingere : Nullos relinquit, quibus invideas, & qui in meliori ſtatu tibi inſultent. Omnes quibus vel minimus ineſt Religionis ſenſus, fatentur divinam providentiam publica curare, Regnorumque fata decernere. *Vide Finis Poteſtatis.* Quàm injuſtum eſt velle Rempublicam ſeneſcere, & ætatis damna non ſentire ? Nunc fortè tot cladibus percuſſa deſinit, vt ex cineribus ſuis melior reſurgat. Vt Oceani quàm fluminis fluctus graviores exurgunt, ſic rerum publicarum motus majores ſunt quàm privatarum : fruſtrà in contrarium nititur civis, vt Cato contrà ruentem Reipublicæ Romanæ libertatem : vt diutiùs durant, ſic graviùs laborant publica civilia corpora, quàm privatà & naturalia ; opprimitur qui huic cadenti moli ſe ſubmittit. Æquo animo ferenda quæ non poteſt vitari calamitas, & vt in ſubſidente navigio, in domus incendio, aut ruinâ, quiſque ſuæ ſecuritati quâ poteſt arte conſulit. Senſibilis hæc eſt, majoribuſque caracteribus exarata mundanæ vanitatis demonſtratio : quiſque ex pereunte patriâ ſe periturum intelligit, &c. hæc ex Principijs.

Vide quæ ſcripſi, Moral. Chriſt. lib. 4. cap. 16. part. 6.

Si ageres perſonam Rectoris & Miniſtri publici, curare deberes publica : at cum ſis privatus, nimio & in pœnam tantùm tuam concitato zelo non debes ferri. Vel tàm ſcrupuloſa & ridicula eſſet ſuperſtitio, quàm eorum qui luctum in defectu Lunæ, Solis, & Autumni faciebant. Hæc ab vniverſalibus pendentia cauſis ſuprà nos ſunt ; vndè ad bonum noſtrum inſtituta civilis ſocietas, ſi nobis non prodeſt, ſaltem non noceat, illique ruenti nos ſubtrahamus.

De nimio zelo in malis publicis, & de eorum conſolatione. *Vide Majoritas Voluntatis.* Nimius zelus.

IN MARTYRIO.

De mortis contemptu. *Vide Voluntas Durationis Repugn.*

An mors ſibi conſciſcenda. *Vide Voluntas Finis.*

An adverſa ſint optanda. *Vide Voluntas Contrarietatis.*

Tertulian. l. adversùs Gnoſticos, ſeù Scorpiacos de bono Martyrij : Primò reſpondet dicentibus Martyres perire ſinè causâ, quia ſimplicitas, vanitas, imò dementia videtur pro Deo mori ; ſi enim is qui me ſalvum fecit occidat, quis me ſalvum faciet ? ſemel pro nobis Chriſtus obijt ; ſemel occiſus eſt, ne occideremur ; ſi vicem repetit, num & ille ſalutem de meâ nece expectat ? An Deus hominum ſanguinem flagitat, maximè ſi taurorum & hircorum recuſat ? Certè pœnitentiam peccatoris mavult quàm mortem, &c. cap. 4. His rationibus Martyrium deffendit. Qui, inquit, imponit præceptum cavendi ab idololatriâ, ſimul exigit ea ſinè quibus non conſtabit obſequium ; tunc Deus bonus non potuit niſi velle bonum. Etſi martyria deſæviunt, ſed in ſalutem, licebit & Deo in vitam æternam per ignes & gladios, & acerba quæque curare ; ſic medicus pares ferè adhibet qualitates medelarum adversùs qualitates quærelarum. Nam & calores caloribus amplùs onerando compeſcit, & ardores ſiti potiùs macerando reſtinguit, & fellis exceſſus amaris quibuſdam potionibus corrigit, & ſanguinis fluxus defusâ inſuper venula revocat : Deum verò, & quidem zelotem, culpandum exiſtimabis, ſi voluit certaſſe cum causâ, & injuriæ æmulando prodeſſe, mortem morte diſſolvere, occaſionem occaſione diſpargere, tormentis tormenta diſcutere, ſupplicia ſupplicijs evaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo ſervare ; perverſitas, quàm putas, ratio eſt ; quod ſævitiam exiſtimas ? gratia eſt : Ità Deo de momentaneis æterna meditante. Magnifica bono tuo Deum tuum ; incidiſti in manus ejus, ſed fœliciter incidiſti, incidit ille & in ægritudines tuas : homo ſemper medico prior negotium facit ; denique ſibimetipſi prævaricando, & prohibitum cibum attingendo mortis periculum attraxit, nunc cum mori præcipit medicus, ille veternum mortis excludit ; quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt gravatus, tunc pati ex vitio ? diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicet occidi in perditionem ; nauſeabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum. Sed & certaminis nomine Deus nobis martyria proponit, per quæ cum adverſario experiremur, vt à quo libenter homo eliſus eſt, eum jam conſtanter elidat. Evulſum hominem de diaboli gulâ per fidem, jam & inculcatorem ejus voluit eſſe per virtutem, ne ſolummodò evaſiſſe, ſed & deviciſſe inimicum ; amavit quæ vocaverat in ſalutem invitare ad gloriam, vt qui gaudea-

mus liberati, exultemus etiam coronati. Nemo agonis præſulem, ſugillaverit, quod homines violentiæ objectet; Injuriarum actiones extrà ſtadium ſunt, per cruores enim & vibices, coronas, gloriam, privilegia publica, imagines negotiantur. Pyctes ipſe non queritur, dolere ſe non vult, coronâ premit vulnera, palmâ ſanguinem obſcurat, plùs victoriarum eſt, quam injuriarum? Deum dedecebit artes & diſciplinas ſuas educere in medium, in hoc ſæculi ſpatium, in ſpectaculum hominibus, & angelis, & univerſis poteſtatibus. Oportebat & fidem habere aliquem ſpei cumulum, cui ſtudium ſuum cogeret, votumque ſuſpenderet, quo enitererur aſcendere, cum terrena quoque officia in gradu æſtuent, aut quomodò multæ manſiones apud Patrem ſi non pro varietate meritorum; quomodò ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum? Rectò ſi fidei congruebat aliqua prælatio, tale quid eſſe oportuerat, quod magno conſtaret labore, cruciatu, tormento, morte. Sed reſpice compenſationem, cùm caro & anima dependitur, quibus in homine nihil charius eſt, alterum manus Dei, alterum afflatus, ipſa dependi ad ſui profectum, ipſa erogari quæ lucriſiant, eadem prætia quæ & merces; qui enim perdiderit animam ſuam, inveniet eam. Per ſanguinis lavacrum delerur, quidquid poſt primum contractum fuerat. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Dilectio operit multitudinem peccatorum. Proverb. 9. Sapientia immolavit victimas ſuas, vel filios ſuos, ſapienter, inquit, jugulavit, dùm in vitam, & rationaliter, dùm in gloriam. O particidij ingenium, ô ſceleris artificium, ô argumentum crudelitatis, quæ idcircò occidit, ne moriatur quod occiderit. Probavit Deus electos ſuos, vt aurum in igne. Zach. 5. & Paulus, ſi Deus proprio filio ſuo non pepercit, &c. Chriſtus eſt qui ſe tradidit pro delictis noſtris. Iam & ſemetipſam ſophia trucidavit; verba non auribus ſed mentibus audienda: crudelem Deum, qui non intelligit, credit. Martyrium ſuadet Paul. 2. Corinth. 11. 1. Petri 2. & 4. 1. Ioan. 3. 2. Theſſalonic. 1. Rom. 5. Math. 10. Apocalyp. 2. 3. 6. 7. 17. 21. Gaudent patientes Apoſtoli, quia fidentes paſſiones ad voluntatem Dei pertinere. Tranſlati Enoch & Elias morituri reſervantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant. Ex Tertuliano, ibidem.

Hæc quæ ſunt de excellentiâ & præmio martyrij pertinent propriè ad combinationes. *Virtus Contrarietatis, & Gloria Contrariet.* Hæc tamen hic conjeci, vt ſimul haberentur ea quæ pertinent ad martyrium.

Si pro Deo occumbas, tota paradiſi clavis ſanguis tuus eſt, Tertulian. libro de anima capite 55.

Vbi Chriſti nomen inimicus convertit in crimen, ibi ſupplicium Chriſtus convertit in laudem. Deus dæmoniorum ſuperbas fallacias reſurgentium militum ſuorum ſplendore damnabit, qui eorum fumantes aras morientium ſanguine extinxit. D. Aug. Serm. 16. de Diverſ. cap. 5.

Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace, &c. Sap. Qui Romæ tres liberos ſuperſtites habebat, in Italiam quatuor in provincijs quinque, à tutelâ & curâ exulabatur: ſed habebantur quaſi ſuperſtites, qui in bello occubuerant; hi enim qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. lib. vltim. C. de Vacat. munet. Inſtit. de Excuſ. Tutor.

Conſummationem vocamus martyrium, non quod vitæ finem homo acceperit, vt reliqui, ſed quod perfectum opus offenderit charitatis. Laudant Græci eum, qui pro patriâ in bello mortuus fuerit, quaſi pura anima amputata ſit à corpore, & egreſſa nullis infecta cupiditatis maculis, quales ſunt eorum animæ, qui morbo intereunt effœminati, & adhuc cupientes vivere. Martyria ſunt exemplaria converſionis glorioſè ſanctificata. Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. c. 2.

Xamolxis Geta ſervivit Pythagoræ, is in Ægyptum profectus regi fuit à Conſilijs, & poſt mortem à populo in numerum Deorum relatus: Ad hunc Græciæ Philoſophi, quot annis mittunt legatum, ex omnibus probatiſſimum, qui coram illo Heroë mactatur, ijs qui ſunt Philoſophati, ſed non electi mœrentibus, vt qui ſunt repulſi à beato Miniſterio. Idem libro 4. capite 4.

Prophanus hoſtis nequaquàm tantùm prodeſſe potuiſſet, obſequio, quantùm profuit gladio, &c. Dicatur vrbs in quâ quis martyr obijt, fœlicior Bethleem: Tu ô Bethleem fortè numero præcedis, ego merito, in tuis interfectio fuit, confeſſio non fuit, in meis colluctatio paſſionis, in tuis ſola ſit opportunitas & occaſio fœlicitatis: te exitus ditavit benedictione, me virtus: tu in ſanguine parvulorum potuiſti videre pereuntes, non potuiſti expectare certantes; te coronavit innocentia morientium, me gloria triumphantium; tui in præmium regni ſinè conſcientia pervenere Martyrij: mei autem ſævis cruciatibus afflicti, quantas in corpore ſuſceperunt pœnas? tantas in animo percepere coronas? ac ſic per torquentium moras priùs conſecrati ſunt quàm perempti; obtuliſti annis parvulos, ego etiam meritis conſummatos; tui periculum negandi non poterant facere; triumphum tuum ſexus vnûs, meus vterque meruit. Euſeb. Emiſſem. homiliâ de S. Blandina.

Armantur filiorum animi dum Patrum recenſentur triumphi; clamat vtique Chriſtianorum cordibus ſanguis piorum, ſanguis ſpiritualium bellatorum, quantùm amari debeat Deus; Clamat, anchorani ſpei & religionis, quàm nos conſervavimus in fluctibus, ne amittatis in portu. Cavete ne afflictam vitam malam puteris, parati; hic beatitudo poteſt, acquiri non poteſt: Si mundus pacem haberet gloriam, martyres non haberent; qui reſpicis labores, reſpice remunerationes. Idem, Homliâ de S. Petro & Paulo.

Paſſiones martyrum natales vocamus dies, quando eos martyrij vita & gloriæ fides dum ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi dolore parturijt, vitæ perennis initium de mortis fine ſumentes. Idem. Hom. de S. Geneſio.

Incidit diabolus in foveam, quàm paraverat, invidiâ ejus mors intravit in orbem; ſed ecce prætioſa facta eſt mors ſanctorum pœnam peccati, in meritum gloriæ commutarunt martyres; ſic omnia bonis cooperantur in bonum, tormenta fabricaverunt coronas; vt vitæ ornamenta, ſic ipſam vitam ſpreverunt; gloria tamen eorum noſtra confuſio eſt; fuerunt enim homines, & biberunt calicem Domini; probemus nos in minimis: quomodo non exultabimus in memoriâ triumphi ejus, qui in præſentia ſui ſupplicij ita exultavit. Ex D. Bern. Serm. de S. Clement.

Martyres plùs faciunt quàm Seraphim, pluſque poteſt in illis charitas, quæ illos Deo immolat; quod non poſſunt præſtare immortales Spiritus.

Sederunt Principes, & adverſùm me loquebantur, &c. Conſilium autem meum juſtificationes tuæ. Pſal. 118. Conſilium contrà conſilium; conſilium ſedentium principum fuit inventos martyres perdere; conſilium patientium martyrum, fuit inimicos perditos invenire; reddebant illi mala pro bonis, iſti

bona pro malis; quid ergò mirum si illi occidendo defecerunt, isti moriendo vicerunt? quid inquàm mirum si martyres sævientibus gentibus temporalem mortem patientissimi pertulerunt, & gentes martyribus orantibus ad æternam, vitam pervenire potuerunt, dum corpus Christi sic exercetur, vt & martyria meditaretur & malis martyrum persecutoribus bona præcaretur. D. Augustin Psal. 118. Concion. 9. in fin.

Sivè vivimus, sivè morimur Domini sumus, Domino morimur? Rom. 14. & vndè factum est, vt ejus sis & mortuus, quia pretio sui sanguinis te redemit & mortuus? quomodò perdis servum mortuum, cujus mors est prætium tuum? Ideò addit Apostolus, ad hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, vt & vivorum & mortuorum dominetur. Idem, in Psalm. 43.

Magnum sibi commodum parvo prætio comparavit, victus moriendo in tempore vicit tempus in æternitate; Semper etiam victurus in hominum memoria; vt in victoria Gedeonis, Indic. 3. & sic vt passione martyrij, tanquàm vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit; impios Evangelicæ prædicationis inimicos inopinata Christi claritate superavit: habemus enim thesaurum in vasis fictilibus. 2. Cor. 4. D. Augustin. quæst. 48. super Iudic.

Excellentissima sapientia Dei, à fine superiore, quod est initium spiritalis creaturæ, vsque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter, & disponens omnia suaviter. D. Augustin. lib. 4. de Trinit. cap. 13.

Quasi quodam nectare ebrij cuncta contemnunt, & dum mori post mortem timent, interim mori non timent, Lipsius.

Solvendo nemo esse intelligitur, nisi qui solidum potest solvere. l. 114. ff. de Verbo. signif. Sancti per cæteras virtutis actiones videntur interesse & vsuras debiti solvere; Martyrio autem censentur integrum debitum solvere. Majorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis. Ioan. 15.

Seneca lib. de tranq. vitæ, cap. 15. Loquens de magnis viris; Socrate, Rutilio, Pompeio, Cicerone, & alijs qui à malis oppressi fuere. Vide, inquit, quomodò quisque illorum tulerit, & si fortes fuerunt, eorum animos desidera; quid enim est turpius, quàm si maximi viri timidos fortiter moriendo faciant?

Sicut crassitudo teriæ erupta est super terram. Psalm. 140. Morticinijs enim Martyrum quasi fimo fœcundata est Ecclesia, vt indè feraciùs pullularet. D. Aug. Ibidem.

Sic vinea abcissis pampinis fit vberior; sic Phœnix è suis nascitur cineribus, Ægyptus fœcundatur nili exundatione, Ecclesia martyrum effuso sanguine. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, vt militi vulneribus confosso è prælio redeunti, cives congratulantur, sic martyribus Angeli, inquit. D. Chrisost. Persecutio fuit Ecclesiæ autumnus, in quo vina sub torculari fluxerunt in sequentium sæculorum bonum,

Prætiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; quid pretiosius? delicta remittuntur, merita cumulatiùs augentur, bonorum charitas accenditur, mali ad fidem convertuntur. Pullulant gentes; nascitur de sanguine martyrum sponsa Domino purpurata. Ioannes Baptista dixit se vocem esse; vox autem deficit, dum conceptum exprimit. Sparsum est semen sanguinis, surrexit seges Ecclesiæ: crediderunt, & qui persequebantur, &c. ex D. Augustin.

In Christi agone manifesta est pœna, occulta victoria; foris despecti, intùs dilecti. Idem de Sanctis. Ex illâ carne, tanquàm ex terra sanguine suo irrigata, palma crescebat. Item.

Eccles. 31. dicitur, si sedere cœperis ad cœnam, intellige similia te præparare oportere, quæ tibi apponuntur. Hujus cœnæ mysterium B. Ioannes exposuit. 1. Ioa. 1. Dicens: Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus, & multò magis pro Christo ponere; qui serviebat altari, pro altari moritur de S. Laurentio. D. Augustin. Serm. 37. de Diversis.

Qui moriuntur pro auro, honoribus, &c. amittunt seipsos, aurum & honores; qui verò pro Christo, se & Christum lucrantur: Erunt mihi plebs, & ero illorum Deus. Levit. 26. Ibid.

Dies obitus martyrum pro natali celebratur, quia eo die non originale contraxit, sed omne vicit peccatum; & ad lucem, non quæ oculos illecebrat, sed quæ visum mentis beatè & fœliciter illustrat, processit, &c. D. Augustin. Serm. in diverf. Nemo dicat fratres, quod temporibus nostris martyrum certamina non sunt; nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, cupiditatem contemnere, superbiam humiliare, magna pars est martyrij. D. Augustin. Serm. 250. de temp.

Non martyrium sola sanguinis effusio consummat, nec sola dat palmam exustio illâ flammarum, perveniunt non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam, absque injuria sanctorum defunctorum in persecutionibus dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, magna pars martyrij est. Idem. Serm. 46. de Sanct.

Nemo dicat non possum martyr esse, quia modò non est persecutio; non enim cessant tentationes, pugna & corona parata est: tentatur anima Christianâ & propitio Deo vincit, & facit magnam victoriam, nemine videnteinin corpore inclusa pugnat corde, & coronatur in corpore ab illo qui videt in corde. Idem Serm. 6. de Martyr.

Omnes Christiani patiuntur: Etsi non sæviunt homines sævit Diabolus; Etsi Christiani facti sunt imperatores, nunquid Diabolus factus est Christianus? Id. Dem. in Psal. 63.

Non deest persecutio Diaboli, persecutor adest, nunquàm deficit occasio coronæ, tantùm miles Christi intelligat pugnâ, & hostem non negligat: numquid quia non te vrget hostis manifestus corporis, non te vrget persecutor occultus illecebris carnis? quanta suggerit mala? quanta per cupiditatem? quanta per timorem? Idem Serm. 44. de diverf. cap. 33.

Vbi est occulta pugna, ibi est occulta victoria, si semper coronaris & martyr hîc eris, si omnes diaboli tentationes superaveris. Ibidem cap. 34.

MARTYRVM Constantia.

PVtares alium loquentem, alium patientem, &c. blanditur tyrannus vt decipiat; terret vt frangat, non nos teneat voluptas propria, non terreat crudelitas aliena: & verò martyr non loquebatur, dicit enim Christus. Mat. 10. Non estis vos qui loquimini, &c. Caro ergò patiebatur, & loquebatur infirmitatem confortans, & impietatem convincens spiritus. pugnam non deserebat; sed iterabat ex vulnerum multitudine: putares quod illum duraret flamma, non adureret, & tanquàm figuli fornax lutum mol-

le ſuſcipiens duram redderet teſtam : plùs in eo vulneris quàm corporis, &c. D. Auguſt. Sermone de S. Vincentio.

Exaruit tanquàm teſta virtus mea. Non inquit, velut fœnum, ſed velut teſta, quæ fit igne firmior. Idem in Pſal. 21.

Vnica omnium vox erat, ſi Deus pro nobis quis contrà nos? confidentiam dabat Chriſtus, qui dixit, capillus de capite veſtro non peribit, &c. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, &c. Roman. 8. Propter te mortificamur tota die, &c. Dicunt Deo, diſcerne cauſam meam à gente non ſancta, &c. patiuntur enim avari famem, anguſtias, mortem denique propter divitias, ſed martyres propter Deum ; ſimiles pœnæ, ſed diſcreta cauſa, ideo certa eſt victoria. Multi pejora patiuntur in cauſis malis, ibi erat Chriſtus, vbi & latrones, vnus latro credidit, alter blaſphemavit, Dominus tanquàm de tribunali inter ambos judicavit, vnum in tartarum, alium in paradiſum mittit, quia etſi æqualis pœna, ſed impar erat cauſa. Idem. Serm. 49. de ſanctis.

Quæ gaudia erunt in virtute regnantium, quando tanta ſunt pro veritate morientium? quid erit cum corporis incorruptione fons vitæ, quando ros ejus inter tormenta tàm dulcis eſt? Martyres plùs Chriſtum aſſeruerunt mortui quàm vivi: hodie prædicant, tacet lingua, ſonant facta. Idem.

Timor Dei liberat ab humano timore: Nolite timere eos qui occidunt corpus. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

Exultans dicit Paulus, jam immolor & tempus reſolutionis meæ inſtat. Immolor, ideſt ſacrificium Dei ero ; prætioſa in conſpectu Domini, &c. Securus ſum, habeo ſurſùm ſacerdotem, qui me offerat Deo, qui me prior victima fuit. D. Aug.

Idem de S. Petro. Aſpera via mortis ſpinis plena, quàm omnia creata refugiunt, ſed iſtæ ſpinæ Petro, & petra tranſeunti, petreis pedibus tritæ ſunt. Idem.

O beati martyres, ſcio vobis corda humana, vndè vobis iſta divina? & ego dico à Deo. In Domino laudabitur anima mea. Pſal. 33. Sinè me nihil poteſtis facere. Ioan. 15. Paſſi eſtis pro Chriſto, ſed vobis profuit, non Chriſto. Auguſtinus in appendice.

Abciſſo capite æterno capiti jungitur, defectâ linguâ inviolabilem fidem melius loquetur, & Chriſtum Dominum in ſilentio oris, clamore vulneris confitetur, & plenum Deo perhibet teſtimonium vox ipſa pœnarum. Idem.

De pluribus martyribus ſimul patientibus ; Propria, inquit, ſunt dolore communia. Ac ſic ille qui poſterior vicit, cum omnibus triumphavit ; ſollicitior de perimendis, ſecurior de peremptis ; quot funera tot trophæa, & aliorum merita exultando ſua faciens, tot martyria vnius pectoris virtute conſummat.

Intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt, & ſentiendo obtinent, vt ſentire non poſſint ; ſanctificant flammæ, dùm paſcere neſciunt, honorant beſtiæ, dùm ſervire non norunt : & ſic ſupplicij miniſterium, miro modo meritorum efficitur teſtimonium, & pietati reverentiam præſtans, taciteam profert de impietate ſententiam. Inſepulta projiciuntur corpora, ſed quàm confuſa dementia, quibus cœlum acquirebant, his terram negabant? &c. Euſebius Emiſſen. homiliâ de S. blandinâ.

Rapitur fœlix reus ad beatam damnationem, ferens ſecùm prætium, ferens in ore judicium mortis ; ſed incorde prætium immortalitatis corpus pro anima expoſiturus ; vnus atque idem, & pœnæ ſecum cauſam portat & gloriæ ; indè tormenta ſuperat, quia licet quod torquetur foris expoſitum ſit, tamen quod perſequitur, ſcilicet fides, intùs incluſum eſt, vitæ theſaurus in interioti latet, quem perſecutor non attingit. Idem.

Latens in ſilicibus ignis apparet facta colliſione, & charitas in perſecutione.

Quodlibet membrum ſuum habuit martyrium, vnicum enim egregio militi non ſufficiebat.

Tertulian. lib. de patientiâ, loquens de Iob qui omnem patientiæ ſpeciem adversùs omnem diaboli vim expunxit, ait, quale in illo viro ferectrum Deus diabolo extruxit, quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, cum ad acervum nuntiorum, nihil vix ille promeret niſi Deo gratias, &c.

Idem lib. ad Martyres. Eos exhortatur ad conſtantiam exemplo militum & eorum, qui ſibi etiam violentas manus attulerunt : Item eorum qui ad certamina ex affectatione deſcendunt, & ſibi pulchriores ex cicatricibus videntur ; mortem fur, aut aliquis caſus inferre poteſt.

Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c. Quaſi cœli amiſſos vapores in pluviam fructiferam verbi Dei convertebant ; fulgura in pluviam fecit. Implevit locum ovibus vna ovis à lupis occiſa : Cum omnis reus tandiù torquetur quandiù neget, Chriſtianorum confeſſio torquebatur, negatio dimittebatur. D. Auguſt. in Pſal. 90.

M. Sergius vigintitribus acceptis vulneribus, neutro pede, neutrâ manu ſatis vtilis, ſiniſtrâ manu ſolâ quater pugnavit, duobus equis eo inſidente ſuffoſſis, dexteram poſteà ſibi ferream fecit, eâque religatâ præliatus ; atqui vt cæteri victores hominum victores ſunt, Sergius vicit etiam ipſam fortunam. Plin. lib. 7. c. 28.

Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum : quis non vbi requiſivit accedit, vbi acceſſit pati exoptat, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat : omnia enim delicta huic operi donantur. Tertulian. in Apolog. in fine.

Eccleſiam ſicut columnæ ſuſtinent, ſicut turres, muniunt, vt immoti ſcopuli vndarum inſultus ſuſtinent. Milites obtinent quod petunt à Principibus, oſtendentes quæ pro illo ſuſtinuerunt vulnera. Sic martyres à Deo.

Chriſtus ex omnibus corporis partibus ſanguinem emiſit, ſeù acceptis vulneribus, ſeù in ſudore.

Objicitur vrbes integras non debuiſſe ſe martyrio objicere, quia vt arbores ſervantur opacæ ſuccedentibus ſibi foliis, ſic humana ſocietas hominibus morte ſenſim ſublatis, noviſque ſubſtitutis, non verò ſimul omnibus communi clade ſublatis ; ſed reſponder. D. Auguſtinus. lib. 22. de civitate cap. 6. Quia ſalus civitatis Dei talis eſt, vt cum fide & per fidem teneri, vel potiùs acquiri poſſit, fide autem perdita deperiret ; Ideo mors non hominum ſingulorum, ſed univerſæ pœna fuiſſet civitatis, quæ à pœna ſingulos vindicaſſet. Ibidem agit de Saguntinis Hiſpaniæ populis, qui maluerunt ſe, ſuaque omnia conſumere, quàm amicitiam Romanorum deſerere, fidemque datam frangere, aut vivi in Hannibalis poteſtatem venire. Vide Livium. lib. 35.

Si ſalutem eligerent, fides deſiderabatur, ſi fides tenenda, amittenda ſalus. Non omnes ſed aliqui ex ramis abeiſſi ſunt vt inſerarur oleaſter, &c. D. Aug. tract. 93. in Ioan.

Non timebo millia populi, &c. Pſal. 3. ſed quomodo timerentur, cum tanquàm oleo ſanguine mar-

tyrum in Christo ardor charitatis inflammaretur. D. August. in Psal. 3.

Filij Israël eo plùs crescebant, quò plùs opprimebantur à Pharaone. Exod. 1. dicitur enim prov. 21. non est sapientia, non est scientia, non est consilium contrà Deum : vinea proficit amputatione.

In odorem vnguentorum tuorum currimus, ait sponsa ; & Paulus 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus. Quomodò ampullæ vnguentorum sancti Martyres, quantò magis frangebantur, tantò ampliùs odor effundebatur D. Aug. Sermone. 110. de divers.

Dominum Christum tanquàm principem martyrum quasi famulorum præcedit & subsequitur multitudo : antecesserunt Machabæi, secuti sunt Apostoli, Christiani enim fuerunt Machabæi, sed nomen Christianorum posteà divulgatum est. Christum sub velamine confessi sunt, vt apertè, postquàm velum templi scissum est. D. Aug. Serm. 109. cap. 2.

Qui occumbit pro veritate, Deo omnium largitari, amplissimo quo potest fieri modo, gratus est, vicemque rependit Christo pro se mortuo. Totum dat, & ampliùs daret si plura posset, qui dat vitam, Majorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis. Antiqua sacrificia hujus veri holocausti erant tantùm figuræ : hoc proportiatus est Deus, dum Ecclesiam fecit crescere inter persecutiones, quibus naturaliter debebat opprimi. Vita jam lege naturæ morti addicta est ; omnique horâ potest exigi, quod sinè certo appositotermino debetur: non ergò verè datur vita, non ejus continuatio, in quam homo jus non habet : prævenit fatum suum martyr, & vtiliter Deo offert, quod brevi forsitan miserè erat amissurus ; eripit ipsum tempestatibus variis opportuna tempestas, & celerrimè inoptatum beatitudinis portum deducit. Hîc apparet summum humanæ libertatis jus, cui vim inferre non possunt tyranni : Possunt in externa fortunæ bona ; possunt auferre divitias, corpus vinculis coercere, tormentis dilaniare, sed non possunt auffertre fidem. Ità quidquid vis aufert, cedit in magis amplissimum fidei testimonium : Quod martyr docente Ecclesiâ, Deo que revelante certò credit, interpidè loquitur : meritò Ecclesia cœlum dicitur, fulgens his non deficientibus, sæculisque omnibus profuturis Syderibus. Amans omnis pro personâ amatâ vitam paratus est profundere, quid verebitur id exequi sumus ergà summum Deum amor, maximè Christi exemplo provocatus ? hæc sors fuit dilectissimorum Apostolorum. Tantum debet posse fortitudo Christiana, quantùm passiones quæ mortem contemnunt. Religio quod mortale est, voluptates sensus, falsas mentis opiniones, affectus illegitimos, postremò mortalem vitam absumit æternum in lucrum restitutura. Indigneris, sævias licet, lex naturæ semper eadem agit, lex divina semper idem præcipit : fidelis Christianus lex est animata, flecti nescius ad arbitrium mortalium. Non est desertor militiæ qui virtutis gloriâ, & propositis præmiis movetur, momentaneis pœnis æterna beatitudo comparatur. Mortalia statum nesciunt, & diù stabilita fides tandem ab humanis mentibus, semper variis, in dubium adducitur. Oportet, vt ait Apostolus, hæreses esse, cum ergò, te providentia existere voluerit his gravissimis temporibus, voluit & fortem esse, vt quasi igne probata fides fiat illustrior. Tortus, spoliatus, moriens videris victus, & tamen es victor, quia consequeris quod volebas, veritatem semper in persecutione profiteri; & victum se fatetur tyrannus, qui tot tormentis non potuit vocem Christianæ fidei contrariam extorquere. In se

A converti sunt totius Ecclesiæ oculi, singulare hoc tuum certamen bellum inter fideles & infideles dirimit : totius victrix fides contumeliam à se non patiatur. Publicum est quod agis, in spectaculum Deo, Angelis & hominibus. Eadem tibi infunditur charitas similes concedunturque gratiæ, id est iisdem pugnas armis, jam victricibus, quibus vsi sunt sancti, quid desperas de victoriâ ? Melius est fortum vsu splendidò quàm turpi rubiginè confici, & vitam gloriosâ morte quàm morbis & senectute sibiri : compendiosa hæc est via ad beatitudinem, quàm longo virtutum moralium circuitu difficile est assequi. Cæterum hoc jus commune est, vt minora cedant potioribus, vegeattiva sensitivis, sensitiva ratione prædictis, humana privata publicis. Sic mortalis hæc tua vita jure pro Deo, pro Christianæ veritatis assertione, pro bonorum omnium consolatione, & impiorum confusione immolanda est : vna vita mortalis amittitur, & pluribus vita spiritualis, ipsique morienti æterna comparatur. Parvum quid datur, immensa tàm exiguo prætio acquiruntur; habes quos sequaris Christum & Apostolos, imò & Virgines : pudeat in fortiori sexu, paribusque gratiæ auxiliis, parem virtutem non exhibere, nihil potes ex te, sed vales omnia in eo qui te confortat : Gloriare cum Apostolo in infirmitatibus tuis, vt in habitet in te virtus Christi. &c. hæc carptim ex Principiis.

C Martyrium est actus virtutis quadruplicis, scilicet fortitudinis, vt elicientis principalis ; patientiæ verò, vt elicientis consequenter; sed charitatis, vt imperantis ; & fidei, vt finis. 2. 2. q. 124. a. 1. ad. 2.

Romanorum, qui in bello contrà Pyrrhum ab elephantis oppressi sunt, omnium vulnera in pectore; quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus enses, & relictæ & in vultibus minæ, & in ipsâ morte ira vivebat, Florus. lib. 1. cap. 18.

Occisi sunt Martyres, ad multiplicandam Ecclesiam : valuit sanctus sanguis effusus seminationi ; accessit mors Martyrum & multiplicati sunt magis magisque Christiani, prætiosa est enim in conspectu Domini mors sanctorum ejus. D. Augustinus in D Psal. 14.

Quid factum est de tot mortibus martyrum ; nisi vt verba dei prævalerent & tanquàm irrigata terra sanguine testium Christi pullularet; vbique seges Ecclesiæ, audient, inquit verba mea quoniam prævaluerunt : vnde prævaluerunt ? jam diximus, cum prædicantur non timentibus, quid non timentibus, nec exilia, nec damna, nec mortem, nec crucem. Quod ergò mortes illæ tot martyrum ? audi, sicut crassitudo terræ erupta est super terram, quomodò enim accipit terra quandam crassitudinem ex rebus contemptilibus, sic ex eo quod contempsit, hic mundus, accipiet crassitudinem terra. Ecclesiæ, vt indè seges illius feraciùs pullularet. D. August. in E Psal. 140.

Si Deus pro nobis quis contrà nos ? vox est Martyrum ; fremebat mundus adversus eos, populi meditabantur inania, ptincipes conveniebant in vnum, excogitabantur novi cruciatus, pœnas incredibiles inveniebat ingeniosa crudelitas. Sed quid faciebant, sævire possunt, maledicere, calumniari corpus occidere, sed & dilaniare, & quid faciunt, Ecce enim Deus adjuvat me & Dominus susceptor est animæ meæ. Quid si Mundus interfector est corporis mei, quandò Dominus est susceptor animæ meæ, qui & erit restitutor corporis mei ? quid mihi de erit, si membra mea laceret inimicus, quandò capillos meos dinumerat. Deus. D. Aug. Serm. 48. de sanctis.

Orans cùm fudore sanguineo Dominus Iesus Christus, significabat de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas martyrum passiones. D. Aug. lib. de verâ innoc. cap. 68.

AN FVGIENDVM IN persecutione.

TErtullianus libro de fugâ in persecutione asserit non fugiendum, quia persecutio à Deo est, nec quidquàm in Dei electos potest diabolus, nisi Deo permittente, ad probationem, pœnam, aut humilitatem; Ergò, inquit, Si bonum est persecutio, vitari non debet, quam delictum est quod bonum est vitare, eò amplius quod Deo sic visum est. Iàm verò nec potest vitari, quia à Deo evenit, cujus voluntas non potest evadi igitur qui putant fugiendum, aut malum Deo exprobrant, aut se illo fortiores esse existimant: illius enim est, si voluerit, etiam fugientem reducere in medium. Aut certus es te negaturum si fugeris, aut incertus; si certus jam negasti, qui præsumendo te negaturum, id despondisti de quo præsumisti, & vanè jam fugis, ne neges, qui si negaturus es jam negasti: si verò incertus es, cur non ex æqualitate incerti metus, inter vtriusque evendum, etiam te confiteri posse præsumis, & salvum magis fieri, quò minùs fugias: Aut in nobis est vtrumque, aut totum in Deo; si in nobis, cur non præsumimus id quod est melius; si in Deo, cur non totum ejus arbitrio relinquimus, quem alioquin fugiens in honoras, desperans potentiam protectionis ab illo. Dic potius, quod meum est facio, non discedo; Deus si voluerit me proteget; hoc potiùs nostrum est stare sub Dei arbitrio, quàm fugere sub nostro.

Idem dicit consilium illud Domini; Fugite de civitate in civitatem in personâ propriè Apostolorum, & in tempora & in causas eorum pertinere; vt dictum est. In viam nationum non ieritis, cum nobis jam viâ nationum pateat: fugere autem illis ad tempus jubebatur, quia priùs prædicare debebant ovibus, quæ perierant domus Israel, quàm panẽ filiorum dare canibus, ne statim oppressis seminatio Evangelij perimeretur. Paulus qui priùs per sportam ausugit, posteà mori pro Christo exoptat, vt Dei voluntas impleatur: temporale ergò fuit fugæ præceptum. Si enim à Deo persecutio est, quale est vt idem fugiendam eam mandet, qui & infert? quam si evadi vellet, melius non immitteret, ne voluntatem suam aliâ voluntate prævaricari videtur. Aut pati nos voluit persecutionem, aut fugere; si fugere quomodò pati? si pati quomodò fugere? Qui me confessus fuerit coràm hominibus. &c. quomodò confitebitur fugiens, quomodò fugiet, confitens? fœlices qui persecutionem passi sunt pro nomine meo; infœlices ergò qui fugiendo ex præcepto non erunt passi: qui sustinebit in finem, iste salvabitur: quomodò jubet fugere, quem vsque in finem vult sustinere; tanta diversitas sentiarum ostendit temporaneum fuisse de fugâ præceptum. Sinè fugâ enim tàm turpi, indigno, & servili præsidio, idoneus erat salvos facere in persecutione, quos sciret infirmos. Fugit ipse Christus, sed donec implesset doctrinam suam; postea enim nec auxilio vsus est Angelorum: Postulavit à Patre vt si fieri posset transiret ab eo calix passionis, postula & tu, sed stans vt ille, non fugiens, sic enim tibi ipse calicis translationem præstares, non à Patre expectares. Si absolutè datum fuisset de fugâ præceptum, illud illud iteràsset Apostolus, vt cætera, Ipse autem infirmos sustinere jubet; non abscondi vt filios tenebrarum. An in occursum Evangelij arma quoque demonstrat, quæ fugituris non essent necessaria, inter quæ & clypeum, quo possitis resistentes omnem diaboli vim sustinere. Denique timor non est in dilectione. 1. Ioan. 4. Quis ergò fugiet nisi qui timebit; quis timebit, nisi qui non amabit? vsque ne adeò mori miserum est, moriatur quoquo modo, aut victus; aut victor; nam etsi negando cecideris cum tormentis, tamen præliatus; malo miserandum quàm erubescendum; pulchrior est in pugnâ miles amisso præmio, quàm in fugâ salvus. Times hominem? Christiane, quem timeri oportet ab Angelis & dæmoniis; in quos habes potestatem: Christum indutus es, qui fugis diabolum deprætiasti Christum, qui in te est. Malus pastor, inquit Dominus, viso lupo fugit.

Ibidem asserit persecutionem non esse redimendam: Fuga, inquit, redemptio gratuita est; Redemptio nummaria fuga est; quod times redimis, ergò fugis; pedibus stemili, corrupti numnis: Tu pacisceris cum delatore, aut furunculo aliquo judice, sub sinu, quod aiunt, furtivo; quem coràm toto mundo Christus emit, imò & manumisit: Ipsa salus indicabit hominem excidisse, dum evadit; negatio est etiam martyrij recusatio. Christianus qui nummos habet ne patiatur, advertus Deum erit dives: at verò Christus sanguine suo fuit dives pro illo; fœlices ergò pauperes, quia illorum est regnum cœlorum, qui animam solam in confiscatio habent: quis magis serviet mammonæ, quàm quem mammona redemit; Nunquàm se Apostoli pecuniâ redemerunt, licet eis non defuisset ex prætio prædiorum, ad pedes eorum depositio. Oportet quomodò Christus animam suam posuit pro nobis, ità fieri pro eo & nobis: sanguine empti sanguine numerati, nullum nummum pro capite debemus, quia caput nostrum Christus est: Non decet Christum pecuniâ constare, quomodò & martyria fieri possent in laudem Domini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? itàque qui eam prætio pascitur, dispositioni divinæ adversatur: Debeo non Cæsari, sed Deo, imaginem ipsius, monetam ipsius, hominem Christianum Deo: debeo sanguinem, quem pro me filius fudit ipsius; cum quod Deo debeo expostuler, vtique fraudem Deo facio, id agens ne quod Deo debeo solvam: huic inimico quantò magis carbones asservabo super caput, si me non redemero: Qui tibi tunicam sustulerit, etiam pallium concede, ad eum partinet, qui rem, non qui finem excipere conatur. Dominica solemnia vt Apostoli celebrato fide, non pecuniâ tuti: esto sapientiâ non præmio cautus: serva Christo Virginem sponsam, nemo quæstum de eâ faciat, non potest qui pati timet ejus esse, qui passus est. &c. Tertul. de loco.

D. Augustin. Epist. 108. dicit Ecclesiæ ministris non esse fugiendum in persecutione, itaut deseratur ministerium Christi: sinè quo non possunt homines, vel fieri, vel vivere Christiani, & deserantur greges, quos Christus sanguine suo comparavit. Nondùm Ecclesias congregaverat, cum fugit in Ægyptum. Fugit Paulus per sportam, ne deserta esset Ecclesia necessario ministerio, id enim volentibus fratribus Paulus fecit, vt se servaret Ecclesiæ: ipsum enim propriè persecutor ille quærebat. Fugiant ergò servi Christi, quandò quispiam eorum specialitèr à persecutoribus quæritur, itaut ab aliis, qui non ità quæruntur non deseratur Ecclesia: fugiant etiam si ex-

teri fugerint, nec sint quibus oporteat ministrare; Fuit Athanasius, dum specialiter quæritur: Et infrà. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spiritali victu necentur quàm ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur; non quia ista non sint vitanda cum possunt, sed quia potiùs ferenda sunt, quandò vitari sinè impietate non possunt: si non adsint qui baptismum, consolationem, pœnitentiam conferant, quantus omnium gemitus, & de absentiâ ministrorum blasphemia? sic temporalium malorum timor, æternorum malorum parit acquisitionem. Non quærit charitas quæ sua sunt: non quæro quod mihi vtile, sed quod multis vt salvi fiant. Clerici tamen moneant populum sed tantùm sui causâ remanere, & si quisque discedat discessuros.

Apostoli cum ex vno loco fugarentur, quasi ligna accensa & ardentia igne divino totam sylvam mundi accensam fervore spiritus, & lumine veritatis impleverunt. D. August. in Psal. 30. conc. 3.

Singulariter ium ego donec transeam. Psal. 140. Antè passionem Christi Petrus ipsa Ecclesiæ columna deficit; sed post resurectionem dicit Christus, ego confirmavi columnas eius. Donec ego transeam, singularis sum, inquit Christus, cum transiero multiplicabor; multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo, post pascha non ero singularis. &c. D. August. in dict. Psal.

Non est fuga, sed consilium desperatis in rebus sicavere, & se ruinæ subtrahere: leo æquali fortitudine se interdùm subducit à venatoribus, vt deprehensus in eos insulat: Fortitudo suos habet limites, punitur militiæ legibus, qui contrà omnem salutis spem init certamen.

Ex illo pari Consultum apud Cannas fortiorem civem Varronem habeo qui fugit, quàm Paulum qui occubuit; nec aliter Senatus Populusque Romanus judicavit, qui publicè gratias ei egerunt, quod de republicâ non desperasset. Lipsius. lib. 1. de constantiâ. cap. vlt.

Iudas Machabæus mortem turpi fugâ potiorem putat. 1. Machab. 6.

Non potest civitas abscondi suprà montem posita. Mathæ. 5. Pastor non debet se abscondere in persecutione. D. Gregor.

Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Math. 10. Qui perseveraverit vsque in finem hic salus erit, Nolite timere eos qui occidunt corpus. &c.

Fuit error Montani dicentis fugam in persecutione non esse licitam; & hoc Dæmonis astutiâ factum est, qui cum per Gnosticos non potuisset dissuadere martyrum, omnes postea conatus est in mortem præcipites agere. Vide Baron. an. 173.

Æquale fuit miraculum in aquis, & eas dividi ad salutem & transitum populi Israel & firmas stetisse sub pedibus Christi & Petri.

Nemo, cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis & spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes episcopos audiat: simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est: vbicùque sit in illis diebus vnusquisque fratrum, à grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non movantur ad fugæ illius errorem, nec recedens & latens deserti loci solitudine terreatur: solus non est, cui Christus in fuga comes est. D. Cyprian. Epist. 56. ad Thibaritanos.

Qui exit de Babylone & cedit, particeps delicti non fit, plagis vero & ipse pestringitur qui socius criminis invenitur: Ideò Dominus in persecutione secedere & fugere mandavit, atque, vt id fieret & docuit & fecit; nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interea cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat; qui autem cum non secederet cecidit, negaturus remansit. Idem de serm. dè lapsis.

De licita fuga nocius. *Vide Differentia Contrarietatis & Differentia Minoritatis.*

MORS SIBI NON INFERENDA metu doloris.

MISCELLANEA.

DE his qui sibi mortem conscivervnt doloris impatientiâ, aut nè in hostium manus devenirent aut ob castitatis custodiam, aliasque ob causas. *Vide Voluntas Finis.*

Multos spectavi abrumpentes vitam, sed plùs momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt sinè odio vitæ, & admittunt illam non attrahunt, &c. Seneca Epist. 30.

Mori, vt vel paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus fortis viri minimè est, sed potius timidi, nam laboriosa fugere mollioris est. Arist. moral. Nicomach. l. 3. cap. 7.

Objurgat Epicurus, non minùs eos qui mortem concupiscunt, quàm eos qui timent, & ait, Ridiculum est currere ad mortem tædio vitæ, cùm genere vitæ vt currendum esset ad mortem effeceris: Vir fortis ac sapiens, non fugere debet è vitâ, sed exire, & antè omnia ille quoque vitetur affectus qui multos occupavit, libido scilicet moriendi: est enim vt ad alia, sic ad moriendum inconsulta, animi inclinatio, quæ sæpè generosos corripit, sæpè ignavos: jacentesque; illi contemnunt vitam, hi gravantur, &c. Senec. Epist. 23.

His rationibus deffendit Socrates apud Platonem in Phedro mortem sibi non esse inferendam. Primò, instatione, velut militari, procinctuque esse homines, vndè non est abeundum, nisi eadem potestas quæ statum jussit revocaverit. Secundò, nostri curam habere Deum nosque esse vnam ex possessionibus Dei, nihil autem invito Domino rebus suis movendum est, qui sic moritur servus fugitivus est: Non caret crimine qui alieno mancipio vitam aufert. Tertiò, oportet animam passionibus vacuam coràm Deo sistere qui autem sibi violentas inferunt manus id efficiunt metu, tædio, impatientiâ, odio, Amore, &c. Sola ergò mors naturalis est, vbi corpus animam, non anima corpus relinquit. Easdem rationes prosequitur Cicero in somno Scipionis: & Macrobius. Ibid. lib. 3. cap. 13.

Miserum vt nocentem necas, sicut in hanc vitam non venimus sic ab eâ recedere nos possumus nostrâ sponte: Si ergò ingruant adversa æquo animo feredа sunt, innocens enim anima extincta inulta non remanebit, &c. Lactantius divin. instiut. l. 3. cap. 18.

Major animus meritò dicendus est, qui vitam ærumnosam magis potest ferre, quàm fugere: Dominus Iesus-Christus dixit Apostolis, vt fugerent de civitate in civitatem, non autem sibi manus inferrent. In Catone & aliis, qui mortem sibi conscivervnt non fuit honestas turpia præcavens, sed infirmitas ad-

by Google

versa non sustinens : Vndè Regulus Pœnos quos vicerat, victores maluit ferre serviendo, quàm eis se auferre moriendo. &c. D. August. lib. 1. de civit. c. 22. & seqq.

Si privatâ potestate nulli licet hominem occidere profecto etiam qui seipsum occidit homicida est, & tantò sit nocentior cùm se occiderit, quantò innocentior in eâ causa fuit, quâ se occidendum putavit. Iudas cùm se occidit, sceleratum hominem occidit, & tamen non solùm Christi, sed etiam suæ mortis reus fuit : quia licet propter suum scelus, alio tamen scelere occisus est. Cur autem innocens se interficiet, ne alium patiatur nocentem, atque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum: si nec facinorosos indemnatos impunè licet occidere, imò qui id fecisset graviter plecteretur. Quid de Lucretiâ, quæ innocentem, castam, vim perpessam Lucretiam in super interemit : Cur interfectricem innocentis & castæ tantâ prædicatione laudatis ? si adultera, cur laudata ? si pudica cur occisa ? Quod seipsam occidit, non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas : puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etiam si non secùm ; & laudis avida, vertit est nè quod violenter est passa dùm viveret, libenter videretur passa si viveret. Laudat ibidem Christianas, quæ dum vrbs à Gothis caperetur, vim passæ seipsas non occiderunt, nec in se vltæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua: habent quippè intùs gloriam castitatis, testimonium conscientiæ, habent autem coràm oculis Dei sui, nec volunt deviare ab authoritate legis divinæ, cum malè divitant offensionem suspicionis humanæ. Si enim alios, multo minùs nos ipsos non licet occidere, quia regulam diligendi proximum à seipso dilector accipit. Nec Samsom aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, nisi quia spiritus latenter id jusserat, qui per eum mirabilia faciebat, &c. D. August. lib. 1. de civitate Dei. cap. 17. & seqq.

Id. Epist. 61. loquens de Donatistis qui seipsos interficiebant, vt Martyres haberentur: Cum, inquit, suis cædibus nos vastare non possunt, suo nos exitio terrere se credunt, aut lætitiam suam quærentes de mortibus nostris, aut tristitiam nostram de mortibus suis.

Animi est ista mollities adversa paulisper ferre non posse: qui se morti vltrò offerant facilius reperiuntur, quàm qui dolorem patienter ferant. Cæsar de bello Gallico. cap. 7.

Rebus in adversis, facile est contemnere vitam:
Fortius ille facit qui miser esse potest.
Nolo virum, facilè redimit qui sanguine vitam:
Hunc volo laudari qui sinè morte potest.

Cleomenes acceptâ gravissimâ clade ab Antigono, rebus desperatis, cum admoneretur vt se interimeret: generosum, inquit, non est sibi vitam adimere, quo vno nihil facilius & promptius.

Ionas dicit, mittite me in mare : non est enim nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter excipere : Vndè in persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere, &c. Hieronim. in Ionæ. cap. 8.

Ajax sibi violentas attulit manus, eo quod non obtinuisset victoriam contrà Vlissem, vnde Calcantis Sacerdotis sententiâ fuit humatus, non combustus, quia impium credebatur igni, càm nobili elemento, & datâ materiâ non deficienti, commirti eum, qui sibi mortem dolore conciviisset. Philostratus in Heroicis.

A Aristoteles quid esset fortitudo scisscitatus, est, inquit, virtus animosi, per quam non facilè mortis metus ingruit.

MORS SIBI NON INFERENDA metu doloris.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vita maximum est Dei beneficium, quo vtendum eâ quâ conceditur lege, contumacis autem est & insolentis datum indebitum projicere, quia non est, vt optatur, numeris omnibus absolutum.

MAGNITVDO. Aliqua vis major aufert, & totum tibi negas, dùm vitam abjicis, in teipsum sævior quàm adversitas.

DVRATIO. Non est credendum sensibus, quibus præsens dolor videtur gravissimus, quantuscumque sit tempore sanabitur : Quot vides desolatæ familiæ, amissæ famæ, eculeis torquentibus super stites ; defecisset genus humanum, si ad primos doloris ictus, qui tunc apparent intolerabiles, quisque sibi vitam eripuisset.

C POTESTAS. Libertate donatus es, non vt eâ abutereris certamen fugiendo, sed vt omnes potentias ac vires à supremo fortunæ tuæ arbitro tibi datas, adversùs hostium insultus, vitæ scilicet ærumnas & mala, exerceres.

COGNITIO. Sub Dei providentiâ, vt minor sub tutelâ, rerum tuarum ignarus degis : ignoras quibus te præparet, quibus servet vigilantis patris cura.

VOLVNTAS. Non fugit, sed appetit difficilia verus amor sui probationem daturus : generosi est non fugere, non arma projicere, sed iis etiam spoliatus in præripientem insurgere, & de genu pugnare. Quis nos separabit à charitate Christi ? tribulatio an angustia. &c. in his omnibus superamus, propter eum qui D dilexit nos.

VIRTVS. Vt qui ergò desertor militiæ, timidè, imprudenter, intemperanter, injustissimè in teipsum armaris, dolor quem metuis, & sub quo deficis animum addet, si cogitaveris quem in tot justis ac verè generosis Athletis finem habuerit ; virtus in infirmate perficitur nec abbreviata est manus Domini; non deficit gratia, non deficiat tua cooperatio.

VERITAS. Malis omnibus multùm adjicit opinio, sic pro falsâ & imaginariâ iacturâ, non licet verum & naturale bonum, vitam scilicet, projicere: Cum scelus hoc prohibeant leges divinæ & humanæ, graviores illarum pœnas incurris moriendo quàm vites.

GLORIA. Hostibus fis ludibrio, qui te à malâ fortunâ victum fateris ; memoriam tui summa sequetur infamia, & qui temporales dolores æquare possunt æternos, quos sub Deo judice passurus es ? Expecta paulisper volubilem rerum humanarum sortem nocti succedit dies, hiemi ver, tempestatibus serenitas, doloribus lætitia, quid juvat tot insultus sustinuisse, & in ipso qui victoriam offert, coronæ ex justitiâ perseverantibus repositæ turpiter cedere?

DIFFERENTIA. Plura præstabunt alij agendo, tu patiendo, diversis diversa assignata sunt in hac militiâ mundi & Christi munia. Ita in tuo gradu nec immutare præsumas à supremo duce positum ordinem quod refugis, quod horres, non integram ab hominibus per mortem sollicitat separationem, sed se cessum ; pellit te mundus, fuge in montem, hic

Spiritus

Spiritus Dei te expectat, vt jam delicijs sæculi ablactatus experiaris alias esse voluptates.

Concordantia. Regionem incolimus extremorum finium suorum participem, lumen tenebræ, gaudium mœrores, possessio timor privationis, voluptas & dolor alternant vices, imò sese confundunt, itavt fæx inferæ Babylonis non subsidat, sed simul cum vino, quo supernæ Ierusalem cives deliciantur, hujus mediæ regionis incolis propinetur. Calicem, quem dedit tibi natura, quem Deus propinat, quem vt à se ad te transiret Christus Patrem exoravit, ebibe, & sic age in durioribus malis, vt non tua, sed Dei fiat voluntas.

Contrarietas. Sibi contrarij sunt stoici, dùm negant in sapientem cadere injuriam, & tamen laudant Catonem sibi violentas manus inferentem, amissâ libertate reipublicæ; quasi tunc libertate suâ non potuisset frui. Verè tunc inimici hominis domestici ejus, si rationem, si doloris sensum, si voluntate malum aversante in sui perniciem vtatur, & vt minus malum, dolorem scilicet, fugiat, mortem vltimum malorum sibi consciscat.

Principium. Si voluerit Deus te vitam totam in ærumnis degere, illud tempus breve est æternitati ad quàm te præparat comparatum. Ipsius est qui te inconsulto in numerum viventium ascripsit, ab illo te revocare; non licet privato cuiquam hominem occidere, quare ergò innocentem persequeris: sævit fortuna, aut sustine aut in illam te vindica fortiter patiendo, non in teipsum infontem, cum non plùs mortis tuæ arbiter sis, quàm vitæ tuæ causa fuisti.

Medium. Nulli concessum est vitam immaturo patriam, tempus, parentes se ligere, eadem exituris posita lex est. Ad imperium nascitur homo, sed suprà cætera sibi subjecta non suprà se, dominatur alijs sed ipse sub potestate est constitutus, cui contraire nefas; non sui juris est, sed ejus qui emit illum prætio magno, vt glorificet & portet illum in corpore suo per mortificationem, vt vita illius manifestetur in eo, & per patientiam currat ad propositum certamen.

Finis. Si credis immortalem animam, dùm temporale malum putas vitare, æternum incurris, sic mortuo nulla supereſt spes: quod si fortitur cum adsitate congrediaris, meliora fortè succedent, & saltem non deerit & temporale & æternum perseverantiæ præmium.

Maioritas. Non permittit te Deus tentari suprà vires, si modò non occludis mentem irradianti lumini, & congratijs infundi paratis: Mollioris est animi laboriosa fugere, & generosiùs resistitur dolori, acriores illius impetus ferendo, quàm ceditur moriendo.

Æqvalitas. Vetant leges supplicio eripere damnatum, nec illi, nec alteri privato in reliquias miserandæ ipsius vitæ jus est, sic nec homini ad laborem per peccatum damnato, licet sæviant in ipsum fortuna, cruciatus, infirmitates omnes tùm corporis, tùm animæ, hoc genus supplicij sui aut minuere, aut mutare licitum est: Si ergò ingruant adversa æquo animo ferenda sunt, nec jus dandum fortunæ in vitam propriam, in ipsas etiam virtutes, quæ sinè vita exerceri non possunt; innocens enim anima extincta inulta non remaneret.

Minoritas. Non differt hæres à servo quantò tempore parvulus est, sub tutore illi vivendum; etiamsi dura & indigna patitur, vsque ad præfinitum tempus à patre. Mortem exoptas, morere passionibus quæ graviorem efficiunt calamitatem, & quæ interiora in sinumque quod externum & alienum erat deferunt; morere; sed falsæ opinioni, quæ fortunæ bona vt propria, & ad fœlicitatem pertinentia complectebatur; morere tibi ipsi, & sic ingocenter malum quod metuis non senties. Hæc ingens privatio dispositio est ad nobiliorem formam.

EX VTROQVE JVRE.

De ingenuis manumissis. Cod. 7. 17.

Ne clericus denuò prophanus fiat. Leo. Novella. 7.

De privilegijs veteranorum. ff. 49. tit. 18.

De veteranis. Cod. 12. t. 47. ff. 38. tit. 13.

Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Instit. de justitiâ & jure initio.

Iejunia quatuor anni temporibus præscripta, quia virtus omni tempore debet exerceri. dist. 76.

Ad proconsulis officium pertinet ædas sacras, & ædificia publica curare, vt reficiantur. l. 7. §. 1. ff. de off. proconſ.

Res sacræ nullius sunt, inalienabiles, & extrà commercium. *Vide Durat. Poteſt.*

Constat apud Hierapolitanos in Asiâ, agrum aquâ calidâ rigari. l. 1. §. 13. ff. de aquâ quotid. & æstivâ. Inest enim aquæ, etiam excalefactæ, essentiale frigus, sic ardores interni hepatis, pulmonis, &c. curantur aquis medicatorum fontium calidis.

Sylva cædua est, quæ succisa ex radicibus renascitur. l. 30. ff. de verb. signif.

Prohibetur ne res Ecclesiasticæ, & monasteriorum redeant in pristinum statum sæcularem. l. 13. in auth. Cod. de sacros. Eccleſ.

Qui in monasterijs degunt, potestatem non habent indè exeundi. l. 29. Cod. de Episc. & Cler. de votis. *Vide Duratio Volunt.*

Murilegulis, & fabricensibus, non licet à suâ professione discedere. *Vide Durat. Cognit. & Durat. Medij.*

Ius definitur ars æqui & boni. l. 1. ff. de just. & jure. Ars autem certis constat præceptis.

Speciale signum quo dignoscitur filius Dei est, quod super eum descenderit, & manserit Spiritus Sanctus, in sanctis autem recedit ad tempus. can. quærendum. de pœnit. dist. 2.

Pennata animalia Ezechielis eunt quo est impetus spiritus, & cum incedunt non revertuntur. Ezech. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò est aptus regno Dei. Luc. 9. Charitas nunquàm excidit, & Paulus quæ retrò sunt oblitus ad anteriora se extendit. Phil. 3. Iustorum semita, quasi lux crescit vsque ad perfectam diem: Charitas est radix, nunquàm ex siccata, dùm in profunda enutritur humilitate: aqua est, de quâ qui bibit non sitiet in æternum. Ioan. 4. &c. Eadem dist. 2. de pœnitentiâ.

Chrismate non vngantur altaria nisi fuerint lapidea. de consecr. dist. 1. can. altaria.

Communione privantur, qui vsque ad finem missarum solemnia non audierint, & qui ex sacro auditorio exierit, dum prædicatur verbum divinum. can. omnes eod.

Non præsumitur incontinens in senectute, qui in juventute continuit. cap. cum in juventute, de præsumption.

Qui pœnitentiam ægri poscunt, si postea obmutescant datur eis absolutio & communio. Concil. Carthag. 4. can. 76. & Concil. Arausican. can. 11.

Qui semel clero aut monasterio deputati sunt, anathemathe feriantur, si ad sæcularem militiam redeant. Concil. Chalcedonense. can. 7.

Quæ ſemel dicata ſunt monaſteria, non debent ad ſæculatem vſum redire. Ib. cap. 23.

Nullus Preſbyter audeat cœptum miſſæ ſacrificium relinquere. Concilium Narbonenſe. can. 12.

Iuſti non debent ſibi nimium fidere, ſed vacare bonis operibus. 1. Cor. 9. & 2. Petri 3. Satagite vt per bona veſtra opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 11.

Et nemo ſibi confidat de prædeſtinationis neceſſitate, vt ideò ceſſet à bonis operis. Deus eſt qui dat velle & perficere, & cum ſolus ſtet, dat vt perſeveranter ſtemus. Ibid. can. 12.

Curiales non debent ad clerum promoveri, quia poſſunt ab Imperatore ad ſuum officium revocari. can. præterea diſt. 51. *Vide Durationis Poteſtatis.*

Coërcentur clerici qui ſe ſubtrahunt ab officijs divinis. can. Eleutherius diſt. 91.

Excommunicantur viduæ & virgines, quæ poſt ſuſceptum ſacrum velamen nubunt, & in monaſterijs includuntur, donec diem vltimum agant. can. omneſ. 27. q. 1. ex Concilio Toletano.

Preſbyteri ſeniores dicuntur non tàm ætate quàm ſapientiâ. can. porro diſt. 84.

Epiſcopus non debet Eccleſiam ſuam deſerere propter perſecutionem. 7. q. 1. can. ſuggeſtum & ſeq. vt in otio & monaſterio vitam degat, dicente Domino. Math. 10. Beatus qui perſeveraverit vſque in finem.

Attendite quanta ipſe pro nobis paſſus fuerit, ne ergo vt vos tantùm ſalvemini filios orphanos relinquatis: ſi Rector non debet navim in tranquillitate deſerere, multò minùs in tempeſtate. Ibid.

Quæ ſemel ſunt dicatata monaſteria, ſemper monaſteria perſeverent. 19 q. 3. can. quæ ſemel.

Si aliquid ex areâ aut torculari te inſcio aſſumatur vt immoletur idolis, reliquum remanet purum. 26. q. 2. can. ſi de areâ. Sic de ordine Religioſo vndè egrediuntur Apoſtatæ.

Ligna & ornamenta vetuſta Eccleſiæ, ſemel dicata, ad prophanos vſus non poſſunt converti. can. ligna de conſecrat. diſt. 1. §. ſacræ ſunt. Inſt. de rer. diviſ.

Honeſta miſſio eſt, quæ tempore militiæ expleto datur. l. 13. de re milit.

Servi cum licentiâ dominorum poſſunt fieri monachi. *Vide infrà Repugnantias*, ſed monaſticam vitam deſerentes redeunt in priſtinam ſervitutem. l. 36. cum auth. ſeq. ff. de Epiſc. & Cler.

EX THEOLOGIA.

ACcidentia ſacramenti altaris poſſunt frangi, nec tamen Chriſtus frangitur. D. Tho. 3. q. 77. a. 7.

Habitus poteſt acquiri per vnum actum intenſum, non autem poteſt corrumpi per vnum actum ſolum, niſi removendo cauſam habitus. 1. 2. q. 71. a. 4.

Agnus jugiter offerebatur mane & veſpere in antiqua lege. 3. q. 22. a. 3.

Altare debet eſſe lapideum. 3. q. 83. a. 3.

Deus plùs amat innocentem quàm pœnitentem æqualis charitatis, quo ad præmium accidentale tantùm. 1. q. 20. a. 4. ad 4.

Angeli ſemper loquuntur Deo laudando eum, non autem ſemper conſulendo eum de agendis. 1. q. 107. a. 3. ad 2.

Beati, vt & Angeli non poſſunt peccare. 1. q. 62. a. 8.

Martyrum aureola eſt ſimpliciter potior cæteris, virginum diuturnior, confeſſorum verò periculoſior. 2. 2. q. 152. a. 5.

Aqua, quantumcumque mixta vel alterata per naturam vel artem, poteſt eſſe materia baptiſmi, niſi ſolvatur ſpecies. 3. q. 66. a. 4.

Quarta beatitudo, ſcilicet juſtitiæ reſpondet donò fortitudinis. 1. 2. q. 69. a. 3. ad 3. ſicut & patientia & longanimitas. 2. 2. q. 139. a. 2. ad 3.

Charitas non amittitur per peccatum veniale, ſed tantùm fervor ejus minuitur. 1. 2. q. 71. a. 4.

Charitas viæ poteſt amitti, non verò patriæ. 2. 2. q. 24. a. 11.

Charitas ex ſe, & ex virtute Spiritus ſancti præſervat à peccato, ſed habens eam peccat ex mutabilitate liberi arbitrij. 2. 2. q. 24. a. 11.

Requievit ſuper Chriſtum ſpiritus Domini, quidem in homine dicitur eſſe per gratiam habitualem. 3. q. 7. a. 1.

Chriſtus conceptus eſt miraculosè ex perpetuâ virginæ. 3. q. 28.

Confiteri fidem in periculo mortis non eſt tantùm fidei, ſed indiget auxilio virtutis fortitudinis, & gratia ſacramentali confirmationis. 2. 2. q. 3. a. 1. ad 2.

Confirmatio datur tantùm in fonte ad liberam confeſſionem nominis Chriſti, & ad fortiter defendendum dignitatem acceptam. 3. q. 72. a. 1. ad 4.

Euchariſtia roborat hominem in ſe, quo ad charitatem: confirmatio verò contrà alios in pugnâ, quo ad fidem. 3. q. 72. a. 9. ad 2.

Beata virgo per ſecundam ſanctificationem & gratiam habitualem ſic fuit confirmata in bono, vt non poſſet flecti in contrarium. 3. q. 27. a. 5. ad 2.

Conſecratio Eccleſiæ non debet reiterari, & conſecrata, ſemper remanet conſecrata niſi exuſta ſit, vel polluta ſanguine aut ſemine. 3. q. 83. a. 3. ad 3.

Quælibet conſecratio eſt indelebilis manente ſubjecto. 2. 2. q. 39. a. 3.

Conſtantia convenit cum magnificentia & perſeverantiâ, quia ſunt circa difficilia. 2. 2. q. 137. a. 3. ad 2.

Ex Prælatis Eccleſiaſticis ſoli Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis, quia non poſſunt deſerere curam animarum. 2. 2. q. 184. a. 6.

Qui ſemel orat devotè, remonet devotior per plures dies. 2. 2. q. 83. a. 14. ad 4.

Dolor Chriſti fuit maximus, & tamen non impediebat delectationem fruitionis ejus, nec è converſo. 3. q. 15. a. 5. ad 5.

Feſta temporalia veteris teſtamenti erant octo, ſcilicet Sabbathum, Neomenia, Paſcha, Pentecoſtes, tubarum, expiationis, tabernaculorum & cœtus, & vnum erat continuum ſcilicet juge ſacrificium. 1. 2. q. 102. a. 4. ad 10.

Fortitudo eſt virtus ſpecialis, ſecundùm quod eſt circà pericula, ſed eſt conditio omnis virtutis, ſecundùm quod dicit firmitatem animi abſolutè. 1. 2. q. 61. a. 3. ad 4. Fortitudo ſuſtinet pericula mortis, ſed patientia ſuſtinet quæcumque mala. 2. 2. q. 128. a. 2. 4. Fortitudo firmat contrà mala, ſed magnanimitas in perſecutione bonorum. 2. 2. q. 129. a. 5. ad 1.

Partes potentiales Fortitudinis ſunt ſex ſcilicet Magnanimitas, Fiducia, Securitas, Magnificentia, Conſtantia, Tolerantia. 2. 2. q. 128. a. 1.

Fortitudo martyrum præcipuè commendatur, quia ſuſtinent propter Deum impugnationes perſonales, & mortem in bello particulari. 2. 2. q. 123. a. 5. ad 1.

Principalis actus fortitudinis eſt ſuſtinere, ſecundarius aggredi. Ib. a. 3.

Fugere poteſt juſtus propter tria, ſcilicet vt perſecutor quieſcat, vt præceptum à Domino opus perficiat, & vt glorioſiorem coronam acquirat. 2. 2. q. 64. a. 4.

Fides eſt fundamentum aliarum virtutum, quia eſt prior eis, & ſuſtentat eas; Fortitudo autem firmat

contrà adverſa; Humilitas contrà proſpera; Timor A
contrà culpam futuram; Pœnitentia contrà præteritam. 1. 2. q. 161. a. 5. ad 2.

Habitus eſt qualitas de difficili mobilis, quâ homo poteſt vti cum voluerit, reddens operationem delectabilem. 1. 2. q. 49. a. 2. ad 3.

Ignis non lædit bonos. *Vide ſuprà.*

Non poteſt fieri à Deo aliqua creatura impeccabilis per naturam, ſed tantùm per gratiam. 1. q. 63. a. 2.

Longanimitas eſt virtus, quâ habetur animus tendendi in aliquid diſtans in longinquum, ſinè triſtitiâ, quàm cauſare poteſt labor præſens, & dilatio boni ſperati; convenit cum patientia, ſed magis cum magnanimitate. 1. 2. q. 70. a. 3.

Stella magos duxit ad Chriſtum, ſed non reduxit in regionem ſuam. 3. q. 36. a. 8. ad 3.

Oratio debet continuari, quandiù devotio poteſt B
conſervari: & oratio debet ſemper durare ſecundùm virtutem, non autem ſecundùm eſſentiam. 2. 2. q. 83. art. 14.

Patientia eſt virtus conſervans bonum rationis contrà triſtitiam. 1. 2. q. 66. a. 4. ad 2.

Habens veram pœnitentiam poteſt eam deſerere, tamen pœnitentia requirit propoſitum perſeverandi. 3. q. 84. a. 10.

Pœnitentia interior debet durare vſque ad extremum vitæ, non autem exterior. 3. q. 84. a. 8.

Perſiſtere in bono vſque in finem ex propriâ intentione finis eſt proprium perſeverantiæ, ſed convenit cuilibet virtuti in quantùm eſt habitus. 2. 2. q. C
137. a. 1. ad 3.

Perſeverantia eſt pars potentialis annexa fortitudini, & non eſt in appetitu ſenſitivo ſed in ratione. 1. 2. q. 58. a. 3. ad 2.

Sal offerebatur in ſacrificijs, quia impedit corruptionem putredinis. 1. 2. q. 102. a. 3.

Hieremias & Ioannes Baptiſta ſanctificati in vtero creduntur poſteà non peccaſſe mortaliter. 3. q. 27. a. 6. ad 1.

Objectum ſpei habet quatuor conditiones, ſcilicet bonum, arduum, futurum, & poſſibile. 1. 2. q. 40. a. 1.

Solus Deus non poteſt errare, quia ſolus eſt ſui actus regula. 1. q. 63. a. 1. D

Andax eſt promptior, in periculis initio quàm in fine, contrà de forti. 2. 2. q. 45. a. 4.

Remanebunt dona Spiritus S. in patriâ quantùm ad eſſentiam donorum. 2. 2. q. 68. a. 6.

Corpus Chriſti in ſepulchro incorruptum. 2. 2. q. 51. a. 3.

Imago Dei naturalis remanſit in homine poſt peccatum, vt quod habeat tres animæ potentias, quod ſit finis & Dominus creaturarum, &c.

Deus ſolus propriè eſt immutabilis, quia primum ens debet eſſe purus actus ſinè potentiâ, eo quod potentia ſimpliciter eſt poſterior actu. Secundò, quod movetur, quantùm ad aliquid manet, & quantùm E
ad aliquid tranſit, vndè eſt aliqua compoſitio, quæ non poteſt eſſe in Deo, qui eſt ſimpliciſſimus. Tertiò, quod movetur aliquid acquirit, infinitus autem Deus in perfectione nihil poteſt acquirere de novo, &c. 1. q. 9.

Fermentum non offerebatur in ſacrificijs, quia eſt aliquid corruptum. 1. 2. q. 102. a. 3.

Honor, divitiæ, nobilitas, dantur in remunerationem virtuti, quia ipſam adjuvant in ſuis operationibus. 2. 2. q. 145. a. 2.

EX BIBLIIS.

NOë cum familia & omni ſpecie animantium ſervatur à diluvio, Pueri in fornace illæſi, Daniel in lacu leonum.

Ioſeph innocens inter fratres. Gen. 37. Sollicitatus à Domina, caſtus manet. 39. Non monet Patrem de ſua ſervitute, ne durius haberet fratres.

Quandiù Moyſes levat manus vincitur Amalech. Exod. 17.

Arca fit de ligno Sethim, omnium duriſſimo & imputribili. Exod. 25.

Menſa propoſitionis circundata erat limbo aureo, coronis intexto. Exod. 25.

Tabernaculum, erat templum portatile, vt vbique Iſraëlitæ poſſent Deum adorare in deſerto: ſic nos in cordibus noſtris in vtraque fortuna.

Ioſuè non recedit de tabernaculo. Exod. 33.

Omnis victima ſale ſaletur. Levit. 2. Sal ſervat à corruptione.

Holocauſtum debet cremari in altari totâ nocte, invigilabitque Sacerdos. Levit. 9. charitas duret totâ nocte hujus ſæculi.

Ignis cœlo miſſus alitur ſemper appoſitis lignis à Sacerdotibus. Levit. 9.

Non fiunt aquæ immundæ, in quas immundum ceciderit. Levit. 11.

Virga Aaron remanet ſemper florida. Num. 17. Virga vigilans. Ierem. 1.

Veſtimenta filiorum Iſraël in deſerto non fuerunt vetuſtate confecta. Deut. 8.

Moyſes moritur anno. 120. Non caligavit oculus ejus, nec dentes moti ſunt. Deut. vlt.

Caleb dicit ad Ioſue, octoginta quinque annorum ſum, ſic valens viribus vt valebam eo tempore quo ad explorandum miſſus ſum. Ioſue 14.

Samſom eſt Nazaræus ab vtero matris vſque ad obitum. Iudic. 13.

Saul videns hoſtes ſuos territos, & victoriæ opportunum tempus dicit, maledictus qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis. 1. Reg. 14.

Tobias in captivitate viam veritatis non deſeruit; nec amicorum monitis, aut Regis metu deterreturr à ſepeliendis mortuis. Tob. 1.

Iudith increpat Oziam Sacerdotem, qui ſtatuerat tradere civitatem Holopherni, niſi intrà quinque dies veniret auxilium. Poſuiſtis, inquit, vos tempus miſerationis Dei, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Iudith. 8.

Iudith dicit, cuſtodivit me Angelus Domini, & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè revertentem vt non polluerer, cum penetravi caſtra Holophernis. Iudith. 13.

Iob, vir Sanctus in terrâ Hus gentilium, nuntiatis adverſis ſurrexit; ſtans omnibus amiſſis dicit, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Eliphas Themanites ei prædicit, quod in ſex tribulationibus probabitur, & in ſeptimâ liberabitur. Cum lapidibus firmis, inquit, erit pactum tuum & beſtiæ terræ, (ideſt paſſiones) pacificæ erunt tibi. Iob. 5. & c. 13. Etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo.

Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ; current & non laborabunt; ambulabunt & non deficient. Iſai. 40.

Secundùm dies ligni, vitæ ſcilicet, erunt dies populi mei, & opera manuum inveterabunt electi mei. Iſai. 65.

Ne formides à facie eorum; ego enim dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum ſuper omnem terram, Regibus & Sacerdotibus, & omni populo terræ; bellabunt adversùm te, & non prævalebunt quia ego tecum ſum vt liberem te. Ierem. 1.

Si ſeparaveris prætioſum à vili, quaſi os meum eris: converteris ad eos, & dabo te populo huic in murum æreum fortem, & bellabunt adversùm te, & non prævalebunt. Ierem. 15.

Idem 35. vinum proponit Recabitis vt biberent, qui noluerunt, ne violarent prohibitionem, quam fecerat Ionadab Pater eorum: hinc Deus increpat Iſraelitas qui ſibi non obediunt, vt Recabitæ Patri ſuo:

Convertere Iacob ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Baruch. 4. Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam. Apocal. 3.

Ezech. 1. Animalia non revertebantur cum incederent, ſed vnum quodque antè faciem ſuam gradiebatur.

Filij tantùm Sadoch admittuntur ad Sacerdotium, qui obſervaverunt cæremonias Sanctuarij, cum errarent filij Iſrael à Deo. Ezech. 44.

Aquæ de Sanctuario egrediuntur, & irrigant arbores, quarum folia & fructus non deficiunt. Ezech. 47.

Daniel non contaminatur in eſcis de mensâ Regis Babilonis. Daniel. 1. Cum ſocijs in fornace illæſus laudat Deum. cap. 13. Suſanna non conſentit duobus ſenibus illam tentatibus.

Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Habac. 3.

Matathias dicit, etſi omnes obediant Regi Antiochò, relinquentes legem Dei, ego & filij mei non obediemus. 1. Machab. 2.

Ioſephus & Azarias pugnantes contrà gentes fugantur, ipſi enim non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Ibid. cap. 5.

Ignis ſacer de altari conſervatur in luto putei, quo aſperſum poſteà ſacrificium ſole lucente inflammatum eſt. 2. Machab. 1.

In Domino confido, quomodò dicitis animæ meæ tranſmigra in montem ſicut paſſer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Pſal. 10.

Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum; &c. ſed in lege Domini voluntas ejus. Pſal. 1.

Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero, ego autem in miſericordiâ tuâ ſperavi. Pſal. 13.

Probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas, vt non loquatur os meum opera hominum. Pſal. 16.

Ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Pſal. 19.

Laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in ſæculum ſæculi. Et anima mea illi vivet, & ſemen meum ſerviet ipſi. Pſal. 21.

Si ambulavero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Pſal. 22.

Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Pſal. 26.

Ego dixi in abundantiâ meâ non movebor in æternum. Pſal. 29.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Pſal. 33.

Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus: cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Pſal. 33.

Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes qui ſperant in eo. Ibid.

Confitebor tibi in Eccleſiâ magnâ, in populo gravi laudabo te. Pſal. 34.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me: ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerunt ſtare. Pſal. 35.

Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec oblivi ſumus & iniquè non egimus in teſtamento tuo, & non receſſit retro cor noſtrum. Pſal. 43. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum; nonnè Deus requiret iſta.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus: Deus in medio ejus non commovebitur. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, Deus virtutum nobiſcum. Pſal. 45.

Ego autem ſicut oliva fructifera (quæ ſemper vitet) in domo Dei, ſperavi in miſericordiâ Dei in æternum. Pſal. 51. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es. Pſal. 57.

Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Pſal. 80.

Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. &c. Scuto circundabit te veritas ejus. &c. cadent à latere tuo mille, &c. Quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum: non accedet ad te malum, &c. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Pſal. 90.

Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper. Pſal. 104.

Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore. Pſal. 105.

In memoriâ æterna erit juſtus, ab auditione mala non timebit; paratum cor ejus ſperare in Domino; confirmatum eſt cor ejus, non commovebitur donec deſpiciat inimicos ſuos. Pſal. 111.

Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. Etenim ſederunt principes, & adverſum me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur in Iuſtificationibus tuis. Superbi agebant vſque quaque, à lege autem tuâ non declinavi. Memor fui nocte, id eſt in adverſitate, nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam. Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam, non ſum oblitus.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum; ego autem in toto corde meo, ſcrutabor mandata tua. Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis vt non confundar. Paulo minùs conſummaverunt me in terrâ, ego autem non dereliqui mandata tua. Me expectaverunt peccatores vt perderent me teſtimonia tua intellexi: omnis conſumationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Iuravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Anima mea in manibus meis ſemper, (vt militis periclitantis) & legem tuam non ſum oblitus.

Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi. Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt. Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt. Multi qui perſequuntur me & tribulant me, à teſtimoniis tuis non declinavi. Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum. Pſal. 118.

Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Ieruſalem: montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Pſal. 124.

In noctibus, ideſt in adverſitatibus, extollite manus

veſtras in ſancta, & benedicite Dominum. Pſal. 133.

Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cipreſſina, ideſt incorruptibilia. Cant. 1.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Cant. 8.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Math. 16.

Omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Math. 25.

Petrus dicit Ieſu, etſi omnes ſcandaliſati fuerint in te, ego nunquàm ſcandaliſabor. Matth. 26.

Improperantibus Iudæis, non vult Chriſtus de cruce deſcendere. Matth. 27.

Nazareni volunt præcipitare Ieſum, ipſe verò tranſiens per medium illorum ibat. Luc. 4.

Illiſum eſt flumen domui, & non potuit illam movere, fundata enim erat ſupra firmam petram. Luc. 6.

Ieſus dicit de Ioanne Iudæis; an exiſtis in deſertum videre arundinem vento agitam? Luc. 7.

Ieſus dormit in navi, quæ periclitatur orta tempeſtate. Luc. 8.

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. Luc. 9. Neminem in viâ ſalutaveritis. Luc. 10. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus; timete autem eum, qui poteſt mittere in gehennam. Luc. 12.

Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus. Pſal. 36.

Pluribus diſcipulis relinquentibus Ieſum dicit ipſe ad duodecim, numquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Ioan. 6.

Dicit Ieſus, me oportet operari opera ejus qui miſit me donec dies eſt; venit nox quando nemo poterit operari. Luc. 9.

In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Ioan. 16.

Corona dignitatis ſenectus, quæ in vijs juſtitiæ reperietur. Proverb. 16.

Deus fecit firmamentum in medio aquarum. Gen. 1.

Charitas nunquàm excidit, ſivè Prophetiæ evacuabunt, ſivè linguæ ceſſabunt, ſivè ſcientia deſtruetur. 1. Cor. 13.

Si quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. Rom. 8.

Si Deus pro nobis, qui contrà nos. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti; tribulatio, anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum; an perſecutio. In his omnibus ſuperamus, propter eum qui dilexit nos: certus ſum enim quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Rom. 8.

Chriſtus reſurgens jam non moritur. Rom. 4. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſursùm ſunt ſapite. Coloſſ. 5.

Chriſtus prætiosâ vobis donavit, vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ, fugientes, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem: ſatagite, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando. 2. Petr. 1.

Omnis qui in Deo manet non peccat: omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. 1. Ioan. 3.

Etiam cum movebantur caſtra, panes propoſitionis debebant eſſe ſuper mensâ. Num. 14.

De Nazaræis dicitur Thren. 4. Candidiores nive, rubicundiores ebore antiquo, propter perſeverantiam.

Qui ambulat in juſtitijs, qui claudit oculos ſuos ne videat malum, &c. Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus. Iſay. 33.

Hoc ſcientes quia vetus homo noſter cum Chriſto, crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltrà non ſerviamus peccato: ſi mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto; ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur, quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem vivit, vivit Deo; ità & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, &c. Rom. 6.

In te bonitas Dei, ſi permanſeris in bonitate alioquin & tu excideris. Rom. 11.

Super Chriſti fundamentum vnuſquiſque ſuperædificat, aurum, argentum lapides prætiosos, ligna, fœnnum, ſtipulam; vniuſcujuſque opus dies Domini declarabit; ſi cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet; ſi cujus opus arſerit, detrimentum accipiet. 1. Cor. 3.

Puto quod Deus nos Apoſtolos oſtendit, tanquàm morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus, Deo, Angelis & hominibus: vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, &c. 1. Cor. 4.

Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles; abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. 1. Corinth. 15.

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite & confortamini. Ibidem cap. 16.

State & nolite iterùm jugo ſervitutis contineri. Galat. 5.

Conſtans virtus eſt à Deo. *Vide Principium Durationis.*

Beatus vir qui confidit in Domino, erit tanquam lignum quod tranſplantatum eſt juxtà aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus, & erit folium ejus viride, nec aliquando deſinet facere fructum. Ierem. 17. *Vide Durat. Gloria.* Quietis.

De cætero fratres confortamini in Domino & in potentiâ virtutis ejus. Epheſ. 6.

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, confortamini, omnia veſtra in charitate fiant. 1. Cor. 16.

Nondùm vſque ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes, & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquàm filijs loquitur. Heb. 12.

Fugit impius nemine perſequente; juſtus autem quaſi leo confiſtens abſque terrore erit. Prov. 28.

Scio humiliari, ſcio & abundare, vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me confortat. Philip. 4.

Noli timere quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaveris in igne non combureris & flamma non ardebit in te, quia ego ſum Dominus Deus tuus, Sanctus Iſraël Salvator tuus. Iſay. 43.

Domus juſti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Proverb. 15. Conforta lumbos, rebora fortitudinem valdè. Nahum. 2.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Luc. 11.

In omnibus tribulationem patimur ſed non angu- A
ſtiamur, aporiamur ſed ne deſtituimur, perſecutio-
nem patimur, ſed non derelinquimur. 2. Cor. 4.

VERA VIRTVS EST conſtans.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vera virtus eſt donum Dei : nam ho-
mo ſuprà ſeipſum, ſuprà mundùm, cujus eſt pars, B
non poſſet elevari, niſi divino munere : Dei autem
dona, quantùm in ſe, perpetua ſunt ; vndè gratiâ ſe
habet per modum habitus.

MAGNITVDO. Iuſti virtus, vt ſolis lux, creſcit vſ-
que in perfectum diem ; ad id autem neceſſaria eſt
continuatio : vt perſeverant primæ qualitatis partes,
quæ aliis accedentibus creſcunt : ſolida debent eſſe
fundamenta, quibus in ædificatur : nuſquàm fiet the-
ſaurus, ſi tantùm exhauriatur quantùm infertur : per-
forata dolia vt Danaidum non poſſunt impleri : ſic
fruſtrà tendit ad perfectionem virtus, quæ non eſt
conſtans: aſcenſus enim difficilis, lapſus facilis, & brevi
deperditur quod diuturno labore quæſitum eſt.

DVRATIO. Virtus corruptibilia tranſcendit æter- C
nis inhians : hinc conſtantiam æternitatis æmulam
contrahit : vt converſus ad ſolem lucidum illuſtratur.
Genericè definitur habitus, qui eſt difficilè mobilis.
Meliùs conſervantur, quæ magno parta ſunt labore:
virtus autem, cum corrupta ſit natura, etiam in
fœliciter natis exactæ diligentiæ eſt opus.

POTESTAS. Virtus tradit imperium rationi, quod
debet eſſe perpetuum. *Vide Durat. Poteſt.* Nulla enim
eſſet majeſtas, & authoritas imperantis, mox in ſer-
vilem conditionem tranſituri ? ordo partium mundi
nunquàm turbatur, cœlum nunquàm ſub aëre, ſub
aquis, & terra demittitur ; ſic nunquàm intellectua-
lis, divinaque in homine facultas, debet ſenſibili
ſubjici. Quælibet imperia vſu ipſo fiunt ſolidiora. D

COGNITIO. Divina ſapientia nos ſuæ lucis efficit
participes, vt per nos ſicut ſeipsâ in mundi regimine
imperet ſenſibilibus : negotium hoc divinum nobis
mandatum infideliter deſerendum non eſt, nec pa-
tiendum rationem, verbi divini in mundo vicariam,
parti ſenſibili loco cedere. Virtutum dux eſt Prudentia, cui longâ opus eſt exercitatione. *Vide Durat. Cognit. & Durat. Virt. ſuprà.*

VOLVNTAS. Inſitus eſt nobis naturalis amor vir-
tutis. *Vide Volunt. Virt.* amor autem naturalis & ſym-
pathicus perpetuus eſt. *Vide Duratio Voluntatis & Duratio Concordantiæ.* Vnuſquiſque vult ſemper ſibi
bonũ, vult ergò ſemper ſibi virtutem, quæ eſt verum
animi bonum ; hac enim ſublatâ, mens in omnium E
miſerrimam cadit ſervitutem; totque patitur tirannos
& tortores, quot ſunt paſſionum motus.

VIRTVS. perficiens immortalem & incorruptibi-
lem animum, debet, id convenienter præſtare, im-
mortali, quantùm fieri poteſt, & incorruptibili ha-
bitu. Virtutes omnes ſingulatim hac immotâ vi deſ-
cribuntur ; Fortitudo ſtat fixo gradu & vultu, in proſ-
peris & adverſis : Prudentia præteritis, præſentibus,
& futuris ſemper invigilans, nunquàm à deſtinato
aberrat inter vim & dolos, quibus aliena vſurpantur,
Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum
cuique tribuendi.

VERITAS. Deſinit eſſe regula vitæ, ſi amittat con-
ſtantem rectitudinem ſuam. Sic cæli condiri ſunt in-
corruptibiles, vt jure præſideant corruptibilibus. Ipſa
virtus oritur ex lege naturali, hominum cordibus,
omnibuſque mundi partibus indelebili caractere in-
ſculptâ; inſtruitur etiam à legibus divinis & humanis,
quæ perpetuitatem profitentur.

GLORIA. Qui in virtutis actione modò erigitur;
modò deficit, infirmo & convulſivo motu, non na-
turali, procedit, hæcque jactatio ægrum probat ani-
mum : Diuturno exercitio comparandus eſt habitus,
quo virtutis imperium altiſſimâ pace ſolidetur, vt
ſecura animo contingat tranquillitas, delectatio, jug
giſque feſtivitas, beatitudinis prævia. *Vide Gloria Virt.*
Gratia eſt beatitudo inchoata; beati autem nunquàm
deficiunt à ſuâ beatitudine.

DIFFERENTIA. Licet homines ſint longe diverſo
ter ſe genio, nullus tamen eſt qui non aliquas virtu-
tis actiones interdùm eliciat, & qui cum illam ſem-
per fingat aliquandò non ſectetur ; ne videantur ab
eâ pentius extorres, illi incumbunt, quandiù non
abſtrahit vehement cupiditas : ſic animo ſemper
adultero, & ad proſtitutionem, cum validè tentatur,
parato. Ab his differunt boni quod agant certo &
ſibi ſemper pari habitu: ſic planetæ regulari ſuo motu
diſtinguuntur à vagis & errantibus in aëre ignibus: ſic
ignis aurum ſincerum ab adulterino diſcernit.

CONCORDANTIA. In ſortem bonorum, imò &
beatorum te virtus conſcripſit, pudeat hinc ob vile
contubernium diſcedere, datamque verbo divino fi-
dem, quaſi ſponſalitiam, hoc adulterio polluere. Ne-
ceſſe eſt vt conſtans ſit ſeipsâ virtus, quæ amicitiis
& fœderibus dat conſtantiam. *Vide Concord. Virt. & Durat. Concord.*

CONTRARIETAS. Penitùs defenda ſunt vitia, &
quaſi anathemate damanda. *Vide Magnit. Contrar. bona.* Infida pax eſt cum hoſtibus, quibus ſuper ſunt
vires, vt iterùm graſſentur, & priùs poſſeſſa occu-
pent : quid prodeſt diù excubias ſervaſſe, ſi vel vnâ
conductâ horâ inermis aditum in tua præbes : ſemper
ſit in procinctu animus, inter res & paſſiones, ſemper
ad nocendum paratas.

PRINCIPIVM. Anima divinas illuſtrationes, divi-
namque ſimilitudinem, vt ſpeculum ipſis expoſitum
ſemper excipiat: nunquàm vacet à virtute, nunquàm
à ſuo influxu deficiente Deo, virtutum principio.

MEDIVM. Infidelis eſt, qui cum Chriſti hoſtibus
aliquandò paciſcitur : ſi non proficis in virtute defi-
cis vt qui contrà fluminis curſum nituntur, ſi non
progrediuntur retrocedunt. Læditur amicitia, ſi ami-
cus vel vni deficiat occaſioni, quia perpetuitatem
pollicitus erat. In talibus non datur medium.

FINIS. Vt acus quem magnes afficuerit, non
quieta, niſi ad polum ſuum directa : ſic mens, niſi
in ſummum bonum certo, fixoque virtutis exercitio.
Sapiens in tàm celeri temporis lapſu, in tàm an-
guſto vitæ ſpatio, ſcit ſibi nunquàm eſſe vacandum.
Quis vellet continuam vitam alternâ morte com-
mutari ?

MAIORITAS. Quorumdam audacium ardentiores
ſunt initio ad virtutem impetus, ſed citò turpiter
concidunt. Fortis autem licet lento, firmo tamen,
nec vnquàm revocabili gradu progreditur ; ſic mi-
rum eſt quantùm proficiat temperatâ ad continua-
tionem virum diſpenſatione. Non decet virtutem
quæ ad majora ſemper æſtuat, aliquandò retroce-
dere ; cumultum meritorum efficit aſſidua licet à par-
vis initiis exercitatio. *Vide Poteſt Durat.*

ÆQVALITAS. Virtutis effigiem locant in cubo, ſi-
bi vndequaque æquali. Animus qui vult fieri ſimilis
divinæ ſanctitati, nullos patitur nævos, dùmque
ſtudet majori pulchritudini, vltrò non advocat defe-

ctus ; saltem præstat votis, quod non potest actione, hæcque melioris semper avida voluntas, quasi prætium & redemptio est mali, se bonis actionibus semper interserentis.

Minoritas. Inter humana fluxa & caduca vnicum homini superest solatium, quod possit à talibus virtute eximi. Nemo nisi suâ culpâ miser est ; potest enim in adversis Deo hærere, & sic beatitudinem prælibare. &c.

CHRISTIANVS NON *turbetur aduersis.*

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Summum Christiani votum est viuere vitâ Dei, hoc autem bonum non tollit imò promouet adversitas, quæ sublatis mundanæ cupiditatis impedimentis liberiorem, deæcatumque magis animum Deo tradit.

Magnitvdo. Qui cum Christo consurrexit, quasi jam cœli civis, ex alto despicit minima hæc, quæ oculis hominum magna videntur ; quid sunt mundana menti cœlestibus, æterniscque spectaculis assuetæ ; non potest multùm dolore in jacturâ rerum quas parvi faciebat : Si negantur externa fortunæ bona, revocat in se priùs dispersos affectus, & in suam se colligens vnitatem divinam faciliùs contingit.

Dvratio. Hæc quæ auferuntur impedimentum potiùs erant quàm auxilium ad æterna tendenti : scit accidentibus non in esse substantiæ soliditatem. Cæterùm si quis sit sensibus dolor, non potest esse diuturnus in breviſſimâ vitâ : momentum est æternitati, cui præparatur, comparatum.

Potestas. Miserùm me ne reputas ejectum à sæviſſimis Dominis, quorum ira manumiſſio est : non ampliùs erunt mihi diuitiæ, honores, amici, vires corporis, à quibus forte possidebar ; ita quod dicitur amiſſio, Christianæ libertatis restitutio est. Totus nunc addicat Deo, cui servire regnare est. Si non datur magna aggredi, babitur magna sustinere, & hoc præcipuum fortitudinis munus, datâ per adversitates materia, fœliciter exequi.

Cognitio. In talibus experimentum sui & mundi facit Christianus ; videt aliquandò se infirmum in his, in quibus se putabat fortiorem ; videt inter theoriam & praxim multum interesse : probat in seipso, fluxis & caducis non innitendum. Expositum se videt in spectaculum Deo, Angelis & hominibus : vnè diligenter advertit, ne injuncto sibi desit officio : Cum voluit providentia egit personam divitis, sani, &c. agat nunc pauperis plebeij, &c. Etiam in angusta materia ars se majori explicat miraculo.

Volvntas. Ab ipsismet fidei initijs protestatus est se externa non amaturum ; non ergò doleat si auferuntur, quæ amor sua nunquàm effecit. Multis passionibus subducta est materia : vnitatem, & solitudinem optat amor, vt plenius securiusque suo fruatur objecto : Charitas res est spiritualis, & divina, sic ab externis intacta ; Præstet ergò in adversis Christianus voluntatis conformitate, quod Religiosi suis votis.

Virtvs. Tandem intelliget, solutis mundi vinculis se liberiorem virtutibus relictum, ad illasque in posterùm sibi viam faciliorem esse paratam : non minùs in sustinendo quàm in agendo vir fortis apparet. Fides, spes, charitas, tres illæ ad Deum virtutes illi etiam in adversâ fortunâ integræ superstant, quid conquæratur cum ad Deum summum suum bonum, liber illi pateat aditus ?

Veritas. Veigne autem, sic adversis electi probantur. Conformem te Christo fecit adversitas ; abstulit à te, vt sculptor è materiâ, vndè expressam illius effingeret imaginem. Hinc saltem intellige te ejusdem esse conditionis cum cæteris, qui diù adversis exagitati, tandem morte concidunt. Liceat hic experto exclamare, ô fallax mundus, qui divitibus quasi fœlicibus blanditur, qui pictas dapes famelicis apponit. Amittens externa, hoc prætio consecutus es veritatem, ita ut deinceps te mundus non decipiat.

Gloria. Vita hæc ærumnosa reficì debet aliquâ voluptate ; si sublata est sensibilis, remaneat intellectualis ; quæ etiam intellectuali creaturæ magis est connaturalis, potior, & quæ te beatis similem efficiet, nullus enim bonorum fortunæ, & sensibilium vsus apud illos. Summa quæ in virtutis exercitio est voluptas obscurat adversitatis sensum ; spes etiam præmij cœlestis lætos efficit martyres inter tormenta.

Differentia. Peregrinum a cœlo favens fortuna effecerat : nunc adversa peregrinum à mundo efficiat : Exulas ab exilio, & dum videris deportari, propriis post liminio restitueris, cum te contẽplationi, virtuti, pietati reddidit calamitas ; fœlici tempestate in portum deductus es. Externa hæc ex se indifferentia, & ex opinione tantùm bona, quasi quædam rationis excrementa sinè dolore abscinduntur.

Concordantia. Compone animi tui potentias, vnus sis tecum & cum Deo ; non intrabit aqua in animam tuam, vt nec in ritè compactam navim. Multò plures videbis sanctos in mundanâ adversitate quàm prosperitate : huic turbæ Christi Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, adscribi glorioſum est.

Contrarietas. Incidisti in sortem sanctorum, quibus familiaris semper fuit austeritas, seù à Deo immissa, seù ex consilijs Evangelicis electa. Moras fortè trahebat languens & timida virtus, vt se à mundanis expediret nodos non solvit sed abscindit adversitas, & momentò liberum effecit. *Vide Bonitas Contrarietatis.*

Principivm. Fiunt omnia à Deo, occultis, justis tamen de causis : tuum est placidè sequi motus regẽtis & imperantis Dei : vt enim nullus hominum suæ existentiæ, sic suæ sortis debet esse solus arbiter : pij filij à piiſſimi patris cœlestis pendeant voluntate : Cæterùm ablata sunt bona, sed tibi superest Deus bonus, infinitus, sapiens : interceptis turbatisque rivulis tibi superest bonorum omnium fons, vtere, fruere lætus eo, quo beati potiuntur gaudio.

Medivm. Christianus Deo & seipso contentus, nihil ab externis sperat, nihil ab ipsis dùm absunt, offenditur : deficiunt opes, amici & cætera, quæ ve valida potentiæ instrumenta suspicit populus, sed non deficiunt gratiæ, quibus fortiter agas coràm Deo & Angelicis, citrà fastum & vanitatem. Fortiorem te cæteris voluit esse providentia, quæ externâ inermem potentiâ cum tot hostibus voluit congredi : Etiam pueri & fœminæ securè latent in munitiſſimâ arce, longumque iter facili vehiculo conficiunt.

Finis. Externa hæc fortunæ bona diverticula sunt, sinè quibus rectâ magis, & compendiosâ vitâ Christianus ad veræ fœlicitatis terminum pervenit. Non parcit viribus suis viator, destinato quietique proximus ; en ipstat, quæ omni momento potest contingere vltima dies, nos cœlo restituturа ; si mors gravis est homini in bonis suis pacem habenti, dulcis est adversa hîc experto, & ad æterna suspiranti.

Maioritas. Indefessa semperque ad vlteriora

nitens charitas, quidquid patitur, minùs est quàm quod optat, & quod potest in eo à quo confortatur. Quæ eminentior fuit, & omnibus perfectionis idæa, vita Christi & Apostolorum tota fuit in persecutione; ad hoc æstuat generosa mens; & si aliquandò sibi timet, dùm eligit, confidit dùm talia offeruntur à Deo, qui nos non tentat suprà id quod possumus, ideò ex magnitudine adversitatis colligit amplitudinem gratiarum.

ÆQVALITAS. Æquabilitatem status quærit in anima, non in externis, quæ vt mare vertuntur; æqualis est è pauperis tugurio, vt à Regum palatijs ad cœlum via. Hoc prætio comparatur æternitas: minorem in externis delectationem compensat major inspiritualibus voluptas.

MINORITAS. Ex quo adversa passus es, ingens circà te amicorum solitudo, sed grata animo seductionem à turbâ diù optanti, fictoque tales vultus graviter ferenti. Iacentem non prosternet adversitas, præteribit invidia; hæc vtilis est mortis meditatio. Christianus humilis est, vndè non conqueritur se dejici, cum nihil putet sibi deberi; sed Deùm mitius quàm par sit ergà ipsum se habere.

REPVGNAT.

Inconstantia in Virtute.

V*Ide suprà Gloria Voluntatis. Repug.* De accessu & discessu sponsi.

Nero initio imperij clementissimus, & posteà fera bestia. Tiberius initio sic modestus, vt videretur civis non Imperator, inquit Suetonius, posteà crudelissimus tyrannus. Herodes sex primis annis justè imperavit & 31. tyrannicè, vt refert Iosephus. *Vide Minoritas Finis*, de his quæ à fœlici initio malè desinunt.

De his qui sunt degeneres. *Vide Concordantia Principij Repugn.*

Difficiliùs toleratur infortunium post magnam fœlicitatem; vt autumnus morbidus est, quia traditum ab æstate corpus languidum, & jam effœtum excipit, suo frigore penetrat apertos, potos & debilem suffocat calorem nativum. Ex Hipoc.

Myrthi Veneri dicati montes non amant, sed mœnos & irriguos hortos; delicati non sustinent adversa.

Hemorragia, seù sanguinis fluxus, procedit, vel quia nimiâ repletione rumpuntur venæ, vel quia sanguis ità tenuis est, vt rarefactis vasorum tunicis sudoris instar transmittatur, vel quia mordax & vitiosus corrodit vasa, vel denique ictu & contusione.

Effluit virtus, vel ob nimiam rerum abundantiam: vel ob subtilitatem ingenij legum scepta non ferentis: vel ob læsam asperitate injuriæ patientiam, &c.

Audaces antè pericula præcipites, in ipsis tergiversantur.

Terror panicus, & sinè causâ, sæpè fudit exercitus, alioquin potentissimos.

Stellæ cadentes fiunt, quia aër aliquantulum frigidus est, vndè insitus exhalationis calor minuitur, sic facta gravior decidit.

Aqua quæ incaluit celerius congelatur, duabus ad infrigidationem causis concurrentibus, internâ scilicet vi formæ, & externâ.

Terræ motus fit interdùm propter siccitatem; quia terra exsiccata rumpitur, & vetustate quasi exæsa decidit in cavernas.

In tanto rerum contrariarum conflictu natura non semper assequitur finem suum, sed aliquandò erat insolenter, & in hoc posita est ratio monstri.

Automata seù artificialia seipsa moventia vsu atteruntur, nec sponte reparantur vt animalis instrumenta.

Partis in corpore constitutio duplex, essentialis & accidentalis: essentialis intendi & remitti non potest: accidentalis verò varias mutationes subit ratione ætatis, victus, aëris ambientis & aliarum circumstantiarum. In hac tamen accidentali constitutione, sanitas consistit.

Morbus est recessus à naturali constitutione.

Refert Fernelius cuidam militi crura evasisse instar cereæ flexibilis.

Ab eadem parte educuntur actiones depravatæ, à quâ integræ, & morbus non alterius partis affectio est, quàm ejus quæ tempore sanitatis integram actionem edit; vitiantur tamen ab aliquâ causâ interna vel externa.

Tremor est depravatio motus; tunc partes trementes duobus contrarijs motibus agitantur; vno voluntario, quo membrum attollitur, vt sit in conveniens situ; altero voluntario, quo pondere suo deprimitur, modò vincente, modò victâ facultate motrice à pondere membri, vndè est quasi continua pugna.

Cum vinum plùs calefaciat quàm cibus, etiam calorem magis auget, sed quia celeriùs calefacit, citiùs etiam recedit.

Halitus cum reperit resistentiam sursùm ascendendo, & corpus frigidius, sensim in guttas colligitur, & cadit, vt in nubibus.

Distillatio quæ fit per abstractionem radiorum solis est optima, sed continuari non potest, quia noctu intermittit, & non potest regi ad arbitrium artificis.

Quorundam gladiorũ acies initiò optima sed facilè retunditur; sic quorundam ingenia ætate hebetantur.

Arteriæ ligata sistere faciunt pulsum, sicut nervi abscissi habent motum.

Motus phrenetici sunt vehementes, sed non durabiles, quia procedunt ab inflammato & exiccato cerebro.

Etiam Tyranni initio apparẽt benevoli & liberales.

Exercitus compositus ex militibus diversæ nationis stat rebus prosperis, dissolvitur adversis.

Tyrones milites, quia inexperti, ardentiùs optant pugnam, sed minùs resistunt quàm vererani.

Excretiones quæ vbi cœperunt intercipiuntur, deteriora sunt signa ijs, quæ nullo pacto apparuerunt. Galen.

Infantes, aut non ambulant, aut imbecilliter, quod crura nequeant in eis firmiter ob melitiem stabiliri.

Lingua tremula arguit imbecillitatem facultatis animalis, estque signum non constantis animi.

De inconstantia. *Vide Minoritas Duration.*

Motus violentus & animalis in fine est tardior, deficiente scilicet virtute.

Anima cum moveat corpus, alio motu quàm proprio, impossibile est quod fit sinè fatigatione & labore.

Quidam præferunt Aristocratiam Monarchiæ, quia Principis mores facilè corrumpuntur, cum accedit nimia potestas; & si bonus permaneat, vix habet successores, sibi similes: At lex quæ est loco Principis in Republicâ semper durat æqualis.

Ferrum citò rubiginem contrahit, propter impuritatem & admixtionem sulphuris.

Ligna supernatant, quia multùm habent aëris intercluſi; vndè ebenus & buxus, quia densi sunt, mergunter.

Lusitania

Luſitania fluminia æſtu maris ea ingrediente retrocedunt; Atlantica minimè. Tamiſis in Britanniâ regreditur ad fontes quinquaginta milliaria: totidem ferè Bætis in Hiſpaniâ.

Labor excellens exſiccat, & ſenium eſt ſiccum, & ideò ſenium eſt effectus laboris.

Motus tantò eſt laborioſor, quantò natura rei eſt propinquior ad non moveri. Ideò animalibus magis laborioſum, minúſque tolerabile moveri ſurſùm. D. Thom.

Luligo eſt piſcis marinus habẽs alas, ſed patũ volat.

Macedones victores trophæa non erigebant, quia cum Caramis dux illorum trophæum poſuiſſet, noctu veniens leo illud evertit. vndè habitum eſt apud illos ominoſum erigere. Ceſſit animus & ipſa gloriæ cupido ſuperſtitioni.

Humidum radicale tandem conſumitur, nec reparari poteſt æquale per alimenta.

Aqua tenuis facilius alteratur & congelatur quàm craſſa. Monſtra fiunt in perfectioribus, ad quorum complerionem plura requiruntur.

Plutarchus dicit antri Delphici vaporum initio validum inſpiraſſe Sybillis oracula verſibus; deindè cum remitteretur, ſoluta oratione; tandem ſiluerunt oracula deficiente penitùs vapore.

Epicurus dicebat ſingulis diebus mane ſolem ex vaporibus fieri; veſpere verò in Oceano extingui.

Fons eſt in Dodone, qui meridie ſemper deficit, vt putei qui mari creſcente deficiunt, quia non niſi per magnos anfractus, & longo tempore cum illo habent communicationem.

In Cantabriâ tres ſunt fontes, qui ſingulis diebus ſiccantur duodecies.

Meteora facile fiunt, & diſſipantur, vndè dicuntur mixta imperfecta.

In ignitis, quæ ſunt ità poroſa, vt detur ſpatium ad exercendum motum ignis, ſi cohibeatur iſte motus per compreſſionem fortem, ſtatim extinguitur ignis, vt in linteo vſto, filo ardente, carbone aut pruna.

Ignis qui in inter elementa habet plùs activitatis, habet minùs reſiſtentiæ.

Muſcæ non ſuſtinent frigus, ſic hyeme multæ arbores foliis ſpoliantur; multæ plantæ penitùs intereunt, æſtate multi fontes ſiccantur. *Vide Finis Poteſt.*

Nulla animalia terreſtria ſtatu immutabili vivunt, ſed tantùm aquatilia, licet degant in aquis mutabilibus, vt ſunt concharum multa genera ſaxis affixa Ariſt. Magis ſolitarij reperiuntur in Religionibus ſolitudinem non profeſſis.

Plin. lib. 2. cap. 2. Refert faſces quaſdam igneas oriri in cœlo, quæ non apparent, niſi cum cadunt. Ibidem dicit in cœlo ſæpè notatas eſſe novas ſtellas orientes & occidentes, vt ab Hiparco Philoſopho.

In Cariâ amnis qui anteà fuerat dulcis mutatus eſt in ſaltem & amaritudinem. Plin. lib. 31. cap. 5.

Anima rationalis eſt eſſentiâ immutabilis, operatione mutabilis; partim immutabilis, ſcilicet virtute propria; partim mutabilis ſcilicet virtute acquiſita. *Vide Media Duratio.*

Nihil tàm ſanctum eſt, quod non corrumpat diuturnitas temporis; multaque probè à majoribus inſtituta, vno ſenectutis vitio tranſierunt in turpiſſimos ritus Barclai. *Vide Minoris. Durat. & Durat. Glor. Rep.*

Alcibiades cum eſſet in Ionia magis delicatus erat jonibus. In Theſſaliâ equorum ſtudioſos omnes antecelluit. In Spartâ, cum temperantiam, diligentiamque aliorum imitaretur. Lacones ipſos ſuperavit, & Traces merum bibendo vicit. Athæneus. l. 12. c. 16.

Tiberius initio mitiſſimus Imperator, poſtea cru-

A delis tyrannus. Vide Suetonium.

Solebant olim miſſæ omnes cantari & eſſe longiores, ſed cum multi ob gulam aut avaritiam recederẽt, antequam abſolverentur, introductus eſt mos, vt ſubmiſſæ miſæ & breviores dicerentur. Baron. an. 418.

Contemplari debet natura. Primò, libera, vt eſt in cœlis, plantis, animalibus, &c. Secundò, vt vexata & impedita, cum ab officio ſuo deficit, ſeù ob materiæ contumaciam & impedimentum, ſeù ab arte & opera humana conſtringitur, fingitur, & tanquam novatur. Baconius.

Naturales abetrationes, ſunt aut fœtus certarum regionum & locorũ ſingulares; ſivè temporum eventus inſoliti; ſivè caſuum ingenia; ſivè proprietatum abditarum effectus; ſivè monodica natura in ſuâ ſpecie.

B Nullum invenitur liquidum tangibile, quod ſic in natura ſua, & maneat conſtanter calidum. *Vide Differentia Volunt.*

Plin. lib. 7. cap. 47. miratur Deos voluiſſe Euthymo, licet ſemper in Olympicis victori, vivo divinos honores deferri & ſacrificari, quia ſcilicet vivens mutari poterat.

Margaritas vſu atteri non eſt dubium, coloremque indiligentia mutare. Idem lib. 9. cap. 35.

Fructum facilè perdunt antè maturitatem, palma, ficus, amygdala, malus, pyrus, etiam punica, quæ roribus nimijs & pruinis florem amittit; ſic Homerus ſalicem vocat frugiperdam, nam facilè amittit ſemen,

C quod & mulieri ſterilitatis medicamentum eſt. Idem lib. 16. cap. 26.

Grave oſtentum & prodigium eſt, cum poma ex dulcibus fiunt acerba, & cæteræ arbores in deteriora mutantur, vt olea in oleaſtrum, vua candida in nigram. Idem lib. 17. cap. 25.

De his quæ poſt ſeptem dies, aut annos alterantur. *Vide Differ. Magnitudinis.* De numero ſeptenario.

Alpina corpora, humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile cum nivibus ſuis, quæ mox vt caluere pugnà, ſtatim in ſudorem eunt, & levi motu, quaſi ſole laxantur. Florus lib. 2. cap. 4.

Annibal intrà quintum diem epulari poterat in Capitolio, ſi quemadmodùm vincere, ſic vti victoriâ ſciviſſet; ſed ipſum ſeù fatum vrbis impetaturæ, aut ipſius mens mala, & averſi à Carthagine Dij, in diverſum abſtulerunt, & Campaniæ delicijs fregerunt, relicta Roma. Idem c. 6.

Maſſaliani habiti ſunt hæretici, eo quod inter alia dicerent hominem poſſe ad talem perfectionem, etiam proprijs viribus, aſcendere, vt indè non poſſet labi, nec peccare. Baron. an. 361.

Reproborum fortitudo eſt tranſitoria. D. Greg. in Moral.

Sunt quidam qui corpore fortes ſunt, debiles autem animo; parcunt ſibi ſeipſos amantes, ſequuntur otium, vacant fabulis: Tales accuſantur de furto, rapinâ & mendacio; ſunt enim fures qui communi neceſſitati ſubtrahunt quod commune fecerunt, cum renuntiarent mundo, ſeipſos abnegantes; ſunt raptores coràm Deo, quia eo videnti, qui novit occulta cordium, communi vitæ quod ſciunt, aut quod poſſunt violenter auferunt; ſunt mendaces coràm Deo & hominibus, qui quod voluerint reddere poſſunt, ſed nolunt: ſic igitur coram fratribus ſuis ſunt fures, coràm Deo raptores, coram Deo & hominibus mendaces ſunt. Hug. de Clauſt. anim. lib. 1.

Inconſtantia eſt ſpeciale peccatum imprudentiæ deficiens à perficiendo bonum propoſitum, cujus principium eſt in appetitu, finis autem in intellectu. 2. 2. q. 55. a. 2.

Maximum indicium malæ mentis eſt fluctuatio,

& inter ſimulationem virtutum & vitiorum aſſidua jactatio. Sen.

EX VTROQVE JVRE.

DE Apoſtatis. Cod. 1. tit. 7.

De deſertoribus, & occultatoribus eorum. Cod. 12. tit. 46.

De eo qui vitam Monaſticam deſerit. Leo Novella. 8.

De ijs, qui Monaſterium imperfectum relinquunt. Leo Novel. 14.

De ijs qui ad hoſtes tranſeunt, & ſuâ ſponte revertuntur. Leo. Nov. 67.

De milite vaſſallo qui arma bellica depoſuit. Feud. lib. 2. tit. 21.

De vaſſallo, qui beneficium alienavit. Feud. lib. 16. 2. tit. 38.

Qui rejicere venerandum vitæ Monaſticæ habitum in animum induxerit. Leo. Nov. 8.

De ſervis fugitivis. Cod. 6. tit. 1.

De apoſtatis & reiterantibus baptiſma. Decret. lib. 2. tit. 9.

Apoſtatæ ſunt infames, non poſſunt facere, nec ſuſcipere teſtamentum: apoſtaſia eſt crimen publicum, ad cujus acculationem omnes admittuntur, etiam poſt mortem per quinquennium. l. 4. Cod. de apoſtatis.

Infamiâ notatur miles, abexerciru ignominiæ cauſâ miſſus. l. 1. & 2. ff. de his qui nota. infam.

Actioni redhibitoriæ non eſt locus, ſi mancipium bonis conditionibus emptum fugerit, quod antè non fugerat. l. 54. ff. de ædil. ed. hominis enim virtus eſt naturaliter inconſtant.

Non ſtatur judicio teſtatoris, ſi tutor quem nominavit, priùs bonæ vitæ cœperit malè converſari. l. 3. ff. de admin. & peric. tutor.

Reus Majeſtatis eſt, qui in bello ceſſit, arcem aut caſtra hoſti conceſſit. l. 3. ff. ad l. Iul. majeſt.

Transfugas licet, vbicumque inventi fugerint, quaſi hoſtes interficere. l. 3. in f. ff. ad l. Iul. de ſicear.

Poſtliminio carent, qui armis victi hoſtibus ſe dederunt. l. 17. ff. de capti. & poſtlim. reverſ.

Miles emanſor eſt, qui diù vagatus, ad caſtra regreditur: deſertor, qui per prolixum tempus vagatus reducitur; Amilitiæ gradu dejicitur, qui ſtationis munus relinquit: deſertor habetur qui ab excubatione deſiſtit. l. 3. ff. de re milit.

Miles qui in bello arma amiſit, vel alienavit capite punitur, aut humanius militiam mutat. l. 3. §. 13. Eod. & l. 14. Eod.

Qui ſinè ignominiæ mentione miſſus eſt, ignominia tamen miſſus intelligitur. l. 13. §. 3. Eod.

Clerici qui neglexerint ſuum ordinem, & in armatam militam tranſierint, dimittuntur à militiâ, & traduntur civitatum curijs, miniſtraturi in poſterùm publico. l. 52. Cod. de Epiſc. & cler.

Ex Manichæo factus orthodoxus, ſi intentus ſit eâ quæ ſunt priſtini erroris facere, aut cum Manichæis converſari, capite puniatur. l. 16. Cod. de hæret. & manich.

Monachus deſerens Monaſterium redigitur in miniſterium judicis Provinciæ. Novella 5. de Monachis. cap. 6.

Si Angelus cecidit, & ſi in cœlo ruina, quantò magis in terrâ? Quidam eadunt, quia coràm Deo non verè ſteterant, ficta erat eorum virtus, &c. de pœnit. diſt. 2. can. citiùs, & can. principium. Conſideret ergò homo quid elatus in terrâ mereatur, ſi & prælatus Angelis, Angelus in cœlo, de cœlo in terram proſternitur. Ibidem ex D. Gregorio.

Milites transferentes ſe ad hoſtes poſſunt à quolibet impunè capi, & reſiſtentes occidi: cuñctis enim adversùs eos, pro quiete communi, jus exercendæ publicæ vltionis indultum eſt. l. vlt. Cod. quandò liceat vnicuique ſinè judice ſe vindicare.

Deſertor indulgentia Principis reſtitutus non habetur pro tempore quo deſeruit, perindè ac ſi militaſſet in caſtris, ideò pro illo tempore ſtipendia non petit. l. 5. Cod. de re milit.

Qui contrà tranſactionem juratam per Deum, vel Principem venit, infamis eſt, & pœnam ſolvit. l. 41. quod de tranſactio.

Deſertor militiæ habetur quiſquis belli tempore abierit à ſignis. l. 1. c. de deſert.

EX THEOLOGIA.

IN ſtatu innocentiæ nati non fuiſſent in juſtitia confirmati. D. Thom. 1. q. 100. a. 2. & ſi Adam fuiſſet in gratiâ confirmatus, non tamen ejus nati, ſed potuiſſent peccare. Ibidem.

Apoſtaſia, ideſt receſſus à Deo eſt triplex; ſcilicet a Religione vel ordine; à bonâ vitâ, & a fide. 2. 2. q. 12. a. 1.

Formæ artificialium ſunt accidentia. 3. q. 66. a. 4.

Audaces ſunt promptiores initio, quàm in ipſis periculis, ſed fortes è converſo. 1. 2. q. 45. a. 4.

Euchariſtia quæ dat robur animæ, tamen non imprimit characterem. 3. q. 63. a. 6.

Deus aufert gratiam ab eo, qui per negligentiam non vtitur gratiâ ei datâ. 2. 2. q. 61. a. 4. *Vide Finis Bonitat.*

Gratia non immobilitat in bono, ne quis poſſit peccare, niſi ſit perfecta, ſcilicet conjungens fini. 1. q. 62. a. 3. non enim tollit libertatem arbitrij. *Vide Poteſt. Volunt.*

Incontinens vincitur à paſſionibus, non quidem cogentibus, ſed vehementer impellentibus, & propter negligentiam. 1. 2. q. 77. a. 2.

Incontinens poſt conſilium eſt propter mollitiem complexionis, vt in phlegmaticis. 2. 2. q. 156. a. 1. ad 2.

Mulier non dicitur continens, nec incontinens, quia ratò habet firmum judicium rationis, propter debilitatem complexionis. 2. 2. q. 156. a. 1. ad 2.

Homo poteſt quandoque eſſe ſinè peccato veniali in hac vita, ſed non diù. 3. q. 79. a. 4. ad 2.

Piſces non offerebantur in templo, quia citò moriuntur cum ſunt extrà ſuum elementum. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 3.

Virtutes infuſæ auferuntur per quodlibet vnum peccatum mortale, non autem virtutes acquiſitæ. 1. 2. q. 63. a. 2. ad 2.

Virtutes morales acquiſitæ non manent poſt hanc vitam, nec virtutes infuſæ, quo ad actus circà propriam materiam, ſed tantùm quo ad actus circà finem. 2. 2. q. 181. a. 4. ad 1.

Vide ſuprà Durat. Virt. in Theol.

Chriſtus voluit tentari poſt jejunium, quod eſt arx & armatura contrà diabolum, vt oſtenderet infirmitatem humanam. 3. q. 41. a. 3.

Theodorus Antiochenus ſcripſit contrà aſſerentes peccare hominem naturâ, non voluntate, & contrà quoſdam aſſerentes per Chriſti reſurrectionem, non ſolùm peccatorum reſurrectionem, ſed etiam impeccantiam datam eſſe. Photius Bibli. c. 177.

Iovinianus fuit damnatus, eo quod inter cætera

assereret, renatos plenâ fide in baptismo à diabolo non posse subverti. Vide Baron. an. 382.

EX BIBLIIS.

TAbulæ legis confractæ, licet lapideæ. Exod. 34.

Quot annis erat festum expiationis mense septimo, in quo tabernaculum mundabatur. Lev. 16.

Nazarei quidam erant ad tempus. Vide Act. 21.

Mortuo Iosue & senioribus Israël surgunt alij, qui non noverunt Dominum, & signa quæ fecerat in Ægypto, ideò fornicantur cum Diis alienis. Iud. 2.

Omnes munitiones tuæ, sicut ficus cum grossis suis si concussæ fuerint cadent in os comedentis. Nahum. 3.

Manasses Rex Israël restituit Idola, quæ destruxerat pater ejus. 4. Reg. 21.

Intermittitur ædificatio templi propter accusationem populi terræ. 1. Esdræ. 4.

Non mutavit gens Deos suos; populus autem meus mutavit gloriam suam in idolum. Obstupescite cœli super hoc, duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere aquas non valent. Ierem. 2.

Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Osee. 6.

In circuitu impij ambulant. Psal. 11.

Filij alieni, scilicet diaboli, mentiti sunt mihi, filij alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis. Psal. 17.

Non sic impij non sic, sed tanquàm pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Psal. 1.

Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum defecerunt in die belli: non custodierunt testamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare, & obliti sunt beneficiorum ejus. Psal. 77.

Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fenum, dies ejus tanquàm flos agri sic efflorebit: quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum. Psal. 102.

De semine aliud cecidit juxtà viam, & aves cœli comederunt illud; aliud in petrosa, quod non habens humorem exaruit, aliud inter spinas, quod suffocatum est. Math. 14.

De fine mundi dicit Christus, Quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Math. 24. & infrà; In die judicij sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum; stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur.

Iesus prædicit Petro, quod contigit, antequàm gallus cantet, ter me negabis. Math. 26. Capto Iesu omnes discipuli ejus relicto eo fugerunt. Ibidem.

Illisus est fluvius domui sine fundamento, & continuo concidit, & facta est ruina illius magna. Luc. 6.

Quomodò cecidisti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris? qui dicebas in corde tuo, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. Isay. 14. *Vide Finis Potestat.*

Deficient flumina, calamus, & juncus marcescet, &c. Isay. 19.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. Corint. 10.

Apocal. 6. Stellæ cæci cediderunt, & 8. cecidit de cœlo stella magna; & 18. cecidit Babilon magna.

Iudæ prævaricatio, qui fuit ex Apostolo Christi traditor. Populus Israël pluries ob idololatriam à Deo servitute castigatus, & in gratiam restitutus, iterùm atque iterùm peccat.

Angeli qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei, Deus vinculis æternis sub caligine reservavit; & infrà de malis. Hi sunt nubes sinè aquâ, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ; bis mortuæ, (scilicet mundo, deindè pietati) eradicatæ. Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Epist. B. Iudæ.

Moyses non potest semper extentas manus tenere, dùm remittit prævalet Amalech. Exod. 17.

Ezech. 16. Dominus exprobrat sic ingratitudinem meretricis. Quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, fiduciam habens in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, &c.

O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini: tanta passi estis sinè causâ. Galat. 5.

Nunc cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo, quomodò convertimini iterùm ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis? Galat. 4.

Currebatis benè, quis vos impedivit veritati non obedire, persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos. Galat. 5.

Adolescentiores viduas devita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt. 1. Timoth. 5.

Petrus ambulans super mare videns ventum validum timuit & cœpit mergi. Math. 14.

Levantes filij Israël oculos viderunt Ægyptios post se & timuerunt valde. Forsitan non erant sepulchra in Ægypto & tulisti nos vt moreremur in solitudine, &c. Gal. 14.

Modò sequuntur Moysen & credunt Deo, modò murmurant & diffidunt.

APOSTASIA.

Vide suprà passim hoc titulo, & Voluntas Contrariet. Repug.

APostasia Græcum vocabulum, defectio & rebellio est; & est temerarius à statu fidei; obedientiæ Ecclesiasticæ, vel Religionis recessus. Alex. Tract. de Apost. D. Thom. 22. q. 12. a. 6.

Apostasia à fide non est species infidelitatis, sed est circumstantia ejus, aggravans eam. D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 1. 3.

Apostata est qui deficit à religione vt transfuga ab imperio, vndè Iulianus Imperator hoc cognomentum accepit seductus ambitione, vt Iudas Christi discipulus avaritia. De illo sedulius, Tunc vir Apostolicus, nunc vilis apostata factus.

Si alienatio rerum, multò magis personarum Ecclesiasticarum est prohibita.

Apostata est Religionis benè valentis excrementum, reique inutilis ejectio, sarmentum à vineâ abscissum, ad nihil vtile: sal infatuatum, quod nec in sterquilinium valet, membrum abscissum nullâ vivens vitâ; corvus ex arcâ Noë emissus, cadaveribus inhærens: Apostatis dicit Diabolus, quod Deus Abrahamo, exi de terrâ tuâ, faciam te ingentem magnam.

Illis dicitur Hierem. 31. Revertere ad civitates tuas, vsquequò delicijs dissolveris filia vaga?

His qui graviùs deliquerunt, pro acerbiori pœnâ à corpore Ecclesiæ separantur; & nonnè amentiæ genus est, vt hoc quisque pro remedio expetat, quod etiam à præposito, non nisi pro summo crimine possit in-

feri: hæ ergò contradictiones inimico operante proveniunt. Euseb. Emis. Homil. 3. ad Monachos.

Quasi Metempsicosi Pythagoricà in corpora pristina volunt reverti.

De his qui à suo ordine in alium transeunt. Sic D. Bern. Epist. 1. Fit professio super professionem: votetur, quod non solvetur: proponitur, quod non tenebitur, & cum primum pactum irritum factùm sit, in secundo geminatur prævaricatio, & fit suprà modum peccans peccatum.

D. Aug. Epist. 76. dicit Monachos qui suâ sponte de Monasteriis recesserunt, non esse recipiendos in numerum clericorum, non enim hæc danda est via servis Dei, vt se faciliùs putent elegi ad aliquid meliùs, si facti fuerint deteriores, cum & hoc in clericorum verteretur contumeliam. Habetur. 16. q. 1. C. leg. Ep.

Legimus Ioan. 6. Septuaginta discipulos à Christo recessisse; & reliquis duodecim Christum dixisse: Num quid & vos vultis abire? sed hoc factum, cum adhuc Ecclesia novo germine pullularet. D. August. Epist. 204.

Servus non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum. Math. 10. & 14. Qui facit peccatum servus est peccati. Corvus ex arcâ emissus non rediit, aut aquis submersus, aut aliquo illectus cadavere. D. August.

Præ multitudine piscium rete rumpitur. Luc. 5. Apostatantes à fide perdunt omnia, etiam à jure communi Christianis concessa, nec admittitur pœnitentia. l. 3. Cod. de Apostatis. Contrà vide infrà. Hoc tit. quod etiam relapsis Deus parcit.

Apud Romanos & Græcos, hi qui mortui habiti sunt, & quorum funera sunt peracta, redeuntes præter omnium expectationem, nullum cum cæteris habebant commercium. Plutarch. in Problem. Rom.

Dimisit Deus Adam de paradiso, benè dicitur dimisit, non exclusit; quia peccatorum suorum pondere, quasi in locum sibi convenientem urgebatur. Sic boni à sua societate malos converti volentes, non excludunt reluctantes, sed dimittunt cupientes. D. Aug. lib. 2. de Genes. contrà Manich. c. 13.

APOSTATÆ OMNIVM pessimi.

VIrga Moysis projecta in terram fit serpens, sic Monachus ad sæcularia rediens. Sic Moysis manus in sinu fit sana, extrà producta fit leprosa.

Fateor coràm Domino, ex quo Deo servire cœpi, quomodò difficile sum expertus meliores quàm qui in monasterijs profecerunt. Ità non sum expertus pejores, quàm qui in monasterijs ceciderunt. D. August. Ep. 137. in fine.

Ezech. 15. & etiam à Christo Boni, vitis comparantur palmitibus, qui abscissi possunt tantùm inservire ad comburendum: at ligna salvatica, vt sunt sæcularres, ad alios vsus possunt destinari. De his. 2. Petr. 1. Facta sunt illis posteriora pejora prioribus. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, &c. Psal. 30.

Pejus, inquit, vivunt mali in Sacramentis meis, quàm qui ad illa nunquàm accesserint, &c. D. Aug. in Psal. 50.

Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam; rursùm crucifigentes sibimetipsis filium Dei, &c. Hebræor. 6.

D. August. in Psal. 40. Loquens de Iuda ait. Ille qui ingressus fuerat vt videret, postea egrediebatur foras & loquebatur: vtinam intùs esset & vera loqueretur, non exiret foras, vbi falsa loquitur. Si ad membra Christi pertines, veni introeas ad caput; tolera Zizania si triticum es; tolera paleam si frumentum es; tolera pisces malos intra retia, si piscis bonus es? Quare antè tempus ventilationis avolasti? Quare antè tempus messis etiam frumenta eradicasti tecum? Quare antequàm ad littus pervenires retia dirupisti? D. August. d. loc.

Erraverunt ab vtero, scilicet à quo aut noluerunt concipi, aut formari, sed antè tempus excussi sunt; Ideò locuti sunt falsa. D. August. in Psal. 57.

Monstra fiunt in perfectioribus. Corruptio optimi pessima. Bella potissimum significantur ab Eclypsibus in signis igneis. Filij matris meæ pugnaverunt contrà me.

Ignita omnia cum refrigerantur frigidiora solito fiunt. Subtilis aër infectus pestilentia, optima complexio, si ægrotat, graviter ægrotat. Corallum in aquis molle extrà lapidescit.

Diogenes vnicum suum servum fugitivum reducere non curavit. Turpe est, inquit, Manem sinè Diogene posse vivere, Diogenem sinè Mane non posse. Senec. lib. de tranquillitate vitæ. cap. 8.

In phreneticis initio mansuetudo, & infrà, Extremitates, si in vtramque partem citò transmutentur, malum est. Ex moderato ferox responsio, malum. Hipocr. lib. 1. Prædict.

Fel nulla ex re magis fit, quàm ex melle, quantò dulciora sunt alimenta, tanto bilem creant amariorem. Marsil. Ficin.

De cælo cecidit Angelus, de schola Salvatoris Iudas. Pessimus omnium, qui omnes naturæ & gratiæ dignitate præcessit.

Aqua sole calefacta parùm est salubris, quia rigorem advehit vbi refrigerata est. Arist. Problem. sect. 25. quæst. 15.

De his qui magna professi in deteriora prolabuntur scriptura dicere videtur; Ascendunt vsque ad cælos & descendunt vsque ad abyssos, homo in pelago constitutus, quacumque, se verterit: nihil circà se, nisi aut cælum conspicit, aut profundum. Euseb. Emiss. in hom.

Si dolendi sunt qui collecti non sunt, quantò ampliùs qui collecti divisi sunt. D. August. Super illud Iubilate Deo omnis terra. Psal. 65.

Inter Turcas hi sæviissimi, fœdiusque in Christianorum odium intenti; qui à nobis defecerunt per Apostasiam.

Sub Domitiano Euphrates quidam ex Philosopho factus est assentator & delator. Baron. an. 85.

Macrob. 3. Saturn. 5. refert, Malum omnem habitum, si tauri aris destinati ruptis vinculis aufugerent, & ægrè reducerentur. Sic enim de Galba Sueton. de Vitellio Tacitus, de Alexandro Lampridius affirmant, antè eorum interitum tauros fractis vinculis ab aris secessisse. Idem accidit Iuliano Apostatæ, paulò antè obitum suum in bello Persico. Vide Baron. an. 363.

Adelphonsus Rex Legionensis sponte se abdicat, & fit monachus: sed cum posteà daret operam vt in relictum regnum restitueretur, à Ramiro successore capitur, & oculis orbatur. Baron. an. 917.

Apostatæ sunt vt hi qui à rogo revixerunt. *Vide Gloria Virtutis.* Deo militans, non implicet se negotijs sæcularibus. Multi tædio vitæ epoto veneno, posteà omni ope adhibita vivere conati sunt. Plin. l. 7. c. 53.

Sicut avis demigrans de loco suo, sic vir qui relin-

quit locum ſuum. Proverb. 2. Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris. Eccleſ. 10.

Reverſi ſunt vt eſſent abſque jugo, quaſi arcus doloſus facti ſunt. Oseæ 7.

Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei. Luc. 9.

Qui ex balneo calent vehementiùs frigeſcunt, & aqua frigidior eſſe ſolet, quæ priùs caluit: Ità vehementiùs ſeſe oderunt, qui priùs fuerunt amici, & ſceleratiores ſunt, qui piâ vitâ ad impiam ſe transtulerunt Eraſm.

Ammonius Alexandrinus præceptor Origenis à puero fuit Chriſtianus; poſt verò ad Philoſophiam ſe convertit deſerta fide orthodoxâ.

Ecebolius Conſtantinopolitanus ſophiſta, cum Imperatorum genijs ſe accommodaret vehementer Chriſtianum eſſe ſe ſimulaverat; ſub Iuliano verò Apoſtatatâ truculentus gentilis apparuit; ac rursùs poſt Iulianum Chriſtianus eſſe voluit: Et enim antè portam oratorij ſeipſum pronum projiciens clamavit, calcate me, ſaltem inſipidum; ad hunc modum levis & mobilis Ecebolius antè ac poſt Julianum fuit. Socr. l. 3. Hiſt. Eccleſ.

Apud Orientales Anglos Redualdus Rex, favens Religioni Chriſtianæ, Cantij eſt Baptiſatus, domum rediens, à conjuge & quibuſdam ſeductoribus perſuaſus, eam abjecit, & idololatricos cultus recepit, nec multò poſt obijt. Beda. lib. 2. cap. 15.

Nimia intentione fractum animi robur, vbi odiſſe incipit hanc ipſam, cui inconſultè incubuit, pietatem, non per gradus & reciprocantis æſtus vices, ſed in contrarium acto torrente repetit quem omiſerat luxum. Tunc tàm immodicè in voluptates ſolvuntur, quàm eas ineptè refugerant. &c. Barclai.

Ex linea recta & circulari fit angulus omnium minimus, linea enim incidens tangit circulum in puncto; figura autem circularis eſt omnium capaciſſima: Sic vitium incidens in perfectionem profeſſos, fit extremus defectus.

Ex cancri exanimati corpore in ſicco fiunt Scorpiones, dum Sol eſt in Cancro. Plin. lib. 9. cap. 31. Tunc cum Deus magis favet Religioni, Apoſtatæ illi mortui, fiunt peſſimi. *Vide Duratio Gloriæ Repug.* Inconſtantia fortunæ.

De terræ motu, quo mundi partes ſolidiſſimæ labant. *Vide Majoritas Contrarietatis.* Magnæ clades.

RELAPSI.

Vide Differentia Voluntatis.

NOvum monſtri genus eſt, eadem penè omnes jugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Salvian. lib. 3. de Guber. Dei.

Piget prioris, & novum crimẽ ſtruis. Seneca. tragic.

Quod metuit auget, & ſcelus ſcelere obruit. Senec. tragic.

Nec in eos liberalitatis anguſtæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admiſſi non emendationi potiùs, quàm conſuetudini deputaverint. l. 3. Cod. de Epiſc. audien.

Vt ferrum igne emolitum, poſteà ſibi relictum cito induratur, ſic quidam ab emendatione in ſolitos pravos mores relabuntur. Plutarc. in Alcibiade.

Iteratum vulnus tardiùs ſanatur; iterato fractum membrum difficiliùs coaleſcit. Non eſt pœnitens ſed irriſor, qui malum agis, vndè jam pœnitentiam accepit. Iſidor.

A Qui plangit peccatum, & iterùm admittit, quaſi ſi quis lavet laterem crudum, quem quanto magis diluerit, tanto ampliùs lutum facit. Beda.

Qui exolvuntur ſæpè & fortiter abſque manifeſtâ causâ de repentè moriuntur. Hypocr. Sect. 2. Aphoriſ. 41.

In temporibus, cum eadem die modo calor, modo frigus ſit, autumnales morbos expectare oportet. Idem. Sect. 3. Apho. 4.

Vbi in toto corpore mutationes; etſi corpus perfrigeretur, aut rursùs calefiat; aut color alius ex alio fiat, longitudinem morbi ſignificat. Idem. Sect. 4. Aphoriſ. 40.

Vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid prodeſt
B illis niſi labor? qui baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, quid proficit lavatio illius? ſic homo qui jejunat in peccatis ſuis, & iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando ſe, orationem illius quis exaudiet? Eccleſ. 34. in fin.

Eſt meditatio peccatorum ſæpè pœnitere, & ad facilem mutationem aptitudo ex defectu excitationis: apparet ergo, ſed non eſt pœnitentia ſæpè petere veniam de ijs quæ ſæpè peccamus: Iuſtitia autem munit vias à reprehenſione alienas. Clem. Alexand. 2. Strom. 6.

Graviter in Dominum peccat, qui cum diabolum Domino pœnitentia ſubjeciſſet, rursùs eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, vt
C dennò malus recuperatâ prædâ ſuâ adversùs Dominum gaudeat: diabolum Domino præponit, comparationem enim videtur egiſſe, qui vtrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rursùs eſſe maluerit. Ità qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciat, eritque tanto magis perosus Deo, quantò æmulo ejus acceptus. Tertullianus. lib. de Pœnit.

Iſta ingenia de ſeminè hypocritarum pullulare conſueverunt, quorum individua cum diabolo amicitia eſt, quorum pœnitentia nunquàm fidelis: quaſi caruli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant, novitioli, & dicunt quidem priſtinis renuntiare, & pœnitentiam aſſumunt, ſed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad deſiderandum aliquid ex priſtinis ipſe finis deſiderandi, velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem ſeneſcere incipiunt, ex parte aliquâ tamen adhuc ipſi gratiæ ſuæ adulantur. Pœnitentiam non adimplere & veniam delictorum petere, hoc eſt prætium non exhibere, & ad mercem manum emittere: hoc enim prætio veniam Dominus addicere inſtituit. Redundantia clementiæ cæleſtis libidinem non faciat humanæ temeritatis: Nemo ideò deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur; plerique naufragio liberati exindè repudium & mari & navi dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam, noluit iterùm divinæ miſericordiæ oneri eſſe.

Si tibi indulgentia Domini accommodat; vndè reſtituas quod amiſeras, itetato beneficio gratus eſto, nedùm ampliato. Majus enim eſt reſtituere quàm dare; quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quàm omnino non accepiſſe. Facilius per pœnitentiam delinquunt, quàm per eandem rectè faciunt, dùm pœnitet fidei, amoris ſimplicitatis, meminiſſe curantes, ne quid benè rurſus præſtent. Idem. in principio. lib. de Pœnit.

Væ tibi qui deſideras redire ad vomitum, putas nè placatos eos habebis in judicio, quos tantò &

tàm ſperato privare vis gaudio: exultaverunt in conversione, quid cum ce reverti videbunt? D. Bernard. cap. 6. Meditation.

Dicat pœnitens quod eſt in Canticis, Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

Qui liti motæ renuntiavit cauſam finitam inſtaurare nulla ratione permittitur. l. 4. Cod. de Pact.

Secundùm parabolam, Math. 12. Spiritus immundus aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & fiunt poſteriora hominis pejora prioribus: quia cùm qui ceciderit de juſtitia, etiam ſimulationem habebit, ſeptem vitijs reſpondentem, & per hypocriſim ſeptenaria ſimulatione virtutum fiunt noviſſima ejus deteriora prioribus. D. Aug. lib. 1. quæſt. Evang. c. 8.

Cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant, conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudini remerguntur, & torpor carpit libentiùs cùm ſurgendi tempus advenerit, differque homo ſomnium excutere, licet ſemper dormire nolit, & vigilare meliùs eſſe ſciat. Ità certum habebam eſſe meliùs tuæ charitati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere, ſed illud placebat & vincebat; non enim erat quod reſponderem dicenti, Surge qui dormis, niſi verba lenta & ſomnolenta, modò, ecce modò, ſinè paululùm, ſed modo & modo non habebant modum, & ſinè paululùm in longum ibat, detinente me lege peccati, quæ eſt violentia conſuetudinis. D. Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 5.

Mulieri pro alio intervenienti ſuccurritur per Senat. C. Velleianum; ſed ſi poſt biennium in eâ cauſâ in quâ interceſſit, iterùm cautionem conſcripſerit, vel pignus aut interceſſionem dederit, non reſtituetur, ſibi enim imputet, ſi quod ſæpiùs cogitare potetat & evitare, non fecit, ſed ultro firmavit. Nov. 14. §. Si qui igitur. Habetur. l. 21. Cod. ad S. C. Velleian. *Vide Duratio Minoritatis.*

Quæ relinquntur in morbis poſt indicationem, recidivas facere conſueverunt. Hipocr. Aphoriſ. lib. 2. 12. Sic ignis ex ſcintilla, bella & lites ex indeciſa clauſula; iteratio peccati, ex reſiduo pravo affectu, de quo vera non fuit pœnitentia.

Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur. Id eſt ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt, ità peccatum ſic moriatur in vobis, ut non opporteat iterari; alioquin Chriſtum interùm crucifigunt in ſemetipſis ut dicitur. Hebr. 6.

Quàm vilis facta es, iterans vias tuas. Hier. 2.

Ioſue 6. Maledictus qui reædificat Iericho.

Dicit Chriſtus paralitico, ecce ſanus factus es, jam noli ampliùs peccare. Converſi Ninivitæ ad vitia ſua non ſunt relapſi.

Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre ægrotum non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & plùs ineſſe humiditatis ſignificat. Hipoc. lib. 4. Aphor. 56.

Poſt deportationem à Principe reſtitutus, remanet adhuic ſuis creditoribus obnoxius. l. 12. Cod. de Sentent. paſſis & reſtitutis. Poſt pœnitentiam remanemus adhuc obnoxij naturalibus defectibus.

Magi per aliam viam reverſuntur in regionem ſuam, ſic nos non quâ venimus redeamus, nec prioris noſtræ converſationis veſtigia repetamus. D. Auguſt. Serm. 34. de Tempor.

Aqua in vinum converſa iterùm ad naturam ſuam non rediit.

Si paralyſis ex debili apoplexia fiat, periculum eſt ne in hanc recurrat.

Vlcera pulmonis quamvis curaveris, propter calloſas tamen & fiſtuloſas reliquias facilè denuo exoriuntur. Galen. 5. Methodi.

Ereſypilas eſt inflammatio valdè ardens, à bilioſo ferviduque ſanguine in vniverſas corporis partes diſcurrens: color ineſt ex rubro flaveſcens, qui preſſu ſubterfugit, moxque redit.

Vlcus malignum & ſanatu difficile oras habet calloſas, cicatrice interdùm obducitur, ſed quæ mox dirrupta vlcus renovat.

Periculoſior eſt quæ ab interiori cauſâ contingit luxatio, quàm quæ ab exteriori, quod articulus, ſemel prolapſus ob ligamenta excrementitio humore relaxata, poſtquàm repoſitus eſt, facilè rurſùm excidere poſſit, cum enim aliam ſibi paravit ſedem oſſis caput, vix poteſt in nativo loco reſtitui, & perſiſtere.

In Cypro vrbe ſunt ſerpentes aſpidis vim habentes, ſed hyeme morſus earum ſunt inefficaces. Ariſt. lib. de Mirabilibus.

Ægyptus olim tota à Nilo & paludibus inundata, nunc quotidie ſiccior redditur, poſtea elapſis ſæculis, iterùm aquis implenda: ſic nunc multa loca quæ habitata fuere mare occupat, & multa in continentem patent, quæ mare occupavit. Ariſtot. lib. 1. Meteor. cap. 14.

Methrodorus Chius dixit ſolem Orientem renaſci, iterùmque extingui dùm occidit, naſcens iterùm, ut iterùm extingatur. Euſebius de Præpar. Evang. l. 1. c. 5.

Mundus non eſt melior, imo deterior factus ex quo ab eo defeciſti: Quare non credis tibi illum experto? ſi jàm intolerabilis eſt ſuis ſequacibus, qui de eo conqueruntur; qualis erit tibi, qui ab eo, & Deo defeciſti, vtrique infidus: quare vt fugitivum ne mundus flagellabit, & Deus vt perfidum te non proteget?

Lethargi excitati mox in ſomnum relabuntur.

Frigidi & craſſi humores, cum non facilè excernantur in criſi, vel alio transferantur, ſed plerumque aliquid de iis relinquatur, inconſtantiam & recidivam præſagiunt.

Morbi chronici & circuitus febriles, qui ſunt ad ſimiles acceſſiones reditus.

Membrum luxatum rupto vinculo, ſi reſtituatur citò decidit.

Maligais morbis accidit, vt in decretoriis diebus aliquantulùm remittantur, moxque ex remiſſione, iterùm gravius inſurgant.

Vertigo quâ omnia circumagi videntur, à calido vapore per arterias in cerebri ventriculos irrepens, in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans, & variè impellens, turbulentos ſenſus, moruſque efficit. Non continenter & aſſiduè, ſed per circuitus, & quoties evidentium cauſarum vi cietur, efflari conſuevit. Fernelius.

Convulſionis cauſa eſt vel vapor, vel humor tenuis ac ſeroſus, malignus & pravus, qui facilè hinc indè movetur, & nunc hujus, nunc illius nervi principia vellicat, nec in vno loco fixus hæret; cum tamen planè diſcuti non poſſit, eadem loca per intervalla repetit, & infeſtat. Idem.

Sunt quidam pulſus inæquales reciproci, qui per vices ad parvitatem deveniunt, alij intermittentes, cum arteria inter duas pulſationes quieſcere videtur.

Morboſus ſervus venditus redhibetur per ædilitium edictum, quod pertinet non tamùm ad continuos, ſed etiam ad temporaneos morbos. l. 6. ff. de Ædil. ed.

Diebus Paſchalibus carcerati liberantur, niſi peccare ſint aſſueti. l. 3. C. de Epiſc. aud.

Qui in abjuratam hæreſim relapſi ſunt ſæculari judicio ſinè vlla penitùs audientia relinquantur cap. ad Abolendam. de Hæret. citatur à D. Thom. 22. q. 12. a. 1.

Lazarus reſuſcitatus iterùm mortuus eſt. 3. q. 53. a. 3. ad 1.

Qui iteratò in peccatum carnis lapſi ſunt ab officio & à communione removentur. Cain. Hi qui altario. diſt. 50.

Irriſor eſt non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; canis reverſus ad vomitum. Iſaias dicit, Lavamini mundi eſtote; lavatur & non eſt mundus, qui plangit quod geſſit, nec tamen deſerit. de pœnit. diſt. 1. Can. Irriſor. & ſeqq.

Vxoratus ſæpè mœcatus in mortis periculo non privatur communione, quod ſi convaluerit, & iterùm mœchatus ſit, ea privabitur. Conc. Elebertin. Can. 4. an. 305.

Piſces ortâ tempeſtate receſſus profundos, quaſi ſylvas vel florulenta loca ingreſſi commoditati ſuæ conſulunt: verum vbi radiorum ſolis ſplendor aquis redditus fuerit, & totum mare arridet, in ſummis ludunt fluctibus. Cyrill. Alexand. Sic qui adverſis pulſanti ad virtutem ſe recipiunt, ab eâ recedunt redditâ tranquillitate.

Quæ naturâ ſuâ frigida ſunt, vt papaver, etiamſi calida dederis, citò corpus refrigerant, nam acquiſititius calor citò perit, naturalis frigiditas manet. Galenus. l. 3. de Temperamentis. Sic aqua calida igni injacta ipſum extinguit. & Meconium etiam calidum ſumptum ſuffocat naturalem calorem. Ibid.

Perfectiora ſi corrumpantur difficiliùs reparantur. *Vide Duratio Minoritatis.*

Ferunt Hermotimi Clazomenij animam relicto corpore errare ſolitam, vagamque è longinquo multa annuntiare, quæ niſi à præſenti noſci non poſſent. Plin. lib. 7. cap. 52.

In Cantabriâ vaſtus eſt amnis, in quem coëunt tres fontes, qui ſingulis diebus duodecies ſiccantur, citrà ſuſpicionem vllam aquæ, cum ſit vicinus illis fons ſinè intermiſſione largus. Dirum eſt non profluere, eos aſpicere volentibus. Idem. lib. 31. cap. 2.

De inconſtantiâ. *Vide Differentia Voluntatis.*

Epigenes, aquam quæ ſepties putrefacta purgata ſit perhibet ampliùs non putreſcere. Plin. lib. 31. cap. 2.

Vt noctes diebus, ſic fœminina & debilia ſigna maſculis ordine continuo ſuccedunt. Ptolom. præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 11.

Alienæ vitæ ſuperbi cenſores exterorum probitatem ex ſuâ extemporaneâ ſeveritate metuuntur: tunc priorum amicitiarum delicias ſolent abjicere, etiamque innocentem jucunditatem non ferunt, quæ in ſapientium vitâ, ad oblivionem vel patientiam laborum ſolet interſeri: mox nimiâ intentione factum animi robur, vbi odiſſe incipit hanc ipſam, cui inconſultè incubuit, pietatem, non per gradus, & reciprocantis æſtus vices, ſed in contrarium acto torrente, repetit, quem omiſerat luxum; tunc verò tàm immodicè in voluptates ſolvi, quàm eas ineptè refugerant; tunc etiam ipſum nomen ſeveritatis odiſſe, jociſque & omni libertate cultoribus ſubhorridæ illius pietatis, quam modò reliquerunt, illudere: Dum hæc agunt, ecce tibi revocata pietas adeſt, triſtique pœnitentiâ laſciviam rurſùs expellit, donec etiam illius pœnitentiæ cœperit pœnitere. Barclai. in icone animor.

Ex peccatis dimiſſis relinquitur deformitas quædam ingratitudinis in peccatis ſequentibus: vndè hæc peccata remiſſa redeunt quodammodò quo ad effectum, non quo ad reatum. D. Th. 3. q. 88. a. 1.

In Cartaginenſium ditione in monte Gomo juxtà fontem naſcitur petra, magnitudine non exiguâ, quæ æſtate flammam igneam emittit, per reliqua anni tempora aquæ erumpunt, fit ergò de igne aqua, & de aquâ ignis, perpetuâ hac durante viciſſitudine. Ariſt. de admirandis. c. 109.

Nemo ante obitum laudandus. *Vide Gloria Finis*, oratio funebris. *Vide Minoritas Finis.* Rectorum depravatio.

VNDE FIT VT HOMINES non perſeverent in virtute.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Non poſſunt diù agere vt intellectuales qui ſimul ſunt & ſenſibiles: pars enim hæc ſenſibilis, cui ab initiis vitæ aſſuevimus, & quæ quaſi in integram naturam tranſiit, vindicat quod ſuum & quod alienum eſt: vti vult externis, quaſi bonis à Deo datis, quæ videntur contemni non poſſe ſinè largitoris invidiâ.

MAGNITVDO. Gratum quidem eſt ambitioſæ menti præaltum virtutis apicem conſcendere cæteriſque in hoc heminere, ſed ad tempus, exercitij ſcilicet, & vires tentandi causâ, non vt hic ſedem figat, vbi ingens ſolitudo: Revocat ipſum ad inferiora & ſenſibilia populorum concurſus: vitiaque, eo quod communia ſint, & omnibus ferè accepta, putantur eſſe naturalia.

DVRATIO. Eadem quæ ſuſtulit, per vices deprimit inconſtantis animi viciſſitudo, & quaſi volubilis rota, itaut ſtatum non pariantur nec in bono, nec in malo: ab vno in aliud aſſiduè tranſeunt perenni fluxu, cui ſi nova ſpatia deficiunt, in eadem ſucceſſiuè relabuntur. Multi feruntur in virtutem, non ratione, non arte, ſed impetu, volunt que ſtatim fieri ſublimes, nullis præeuntibus vitæ purgativæ exercitiis: vndè citò ruit, quod ſinè fundamentis fuerat ædificatum.

POTESTAS. Fictitia & imaginaria videtur libertas, quam virtus promittit; Vera autem quæ eſt in ampliſſimo rerum ſenſibilium vſu. Imperant in populis hæreditariæ, aut artibus quæſitæ amicitiæ, cum interim virtus clauſtris coërcita in obſcuro jaceat, vndè animus ſervitutis impatiens, imperiique avidus, jugum videtur excutere, cum ad ſenſibilia, & ipſa regentium ornamenta convertitur.

COGNITIO. Antiqua quidem Philoſophorum & Sanctorum monumenta commendant virtutem, ſed contrà pugnant apud omnes populos receptæ opiniones, & tandem prævalent, dùm hoc ſplendido mundi ſpectaculo ſenſus animumque fortiter afficiunt. Amant omnia lucem; ſic è tenebris, quas ſibi elegerat humilitas Chriſtiana, multi ſe quaſi è carcere eripiunt, vt ſe in medium proferant, vt videant & videantur.

VOLVNTAS. Quieſcunt, ſed non penitùs abſcinduntur paſſiones, etiam diuturno virtutis exercitio effunduntur itaque ſuſcitatæ ab objectis ſuis, & qui diù naturali inclinationi reſtituit, illam tandem ſequitur, impetu moras compenſante: ſævit in vindictam bilioſus, in libidinem venereus. &c.

VIRTVS. omnis, corruptæ naturæ vim infert jure ipſo non durabilem: non omne tempus virtuti, vt nec Religioni videtur aſſignandum: à feriatis diebus ad civilia, ab intellectualibus ad ſenſibilia evocamur; fallit in cautos, & è ſtatu dejicit ipſa virtutis larva, videtur enim Fortitudo, Temperantia, Iuſtitia, Prudentia, Fides, Spes, Charitas, tàm libenè

imò magnificentiùs in publico, quàm in ſeceſſu exerceri. Interim animus implicatur negotiis, in quibus mala videntur neceſſaria, ob ſui, bonique publici tutelam vtque vis vi repellatur. Hic pro virtute eſt minoris mali electio, & infrà id quod valet ſæviens poteſtas.

VERITAS. Sæpiùs hominum oculis expoſita virtus vera non eſt: fingit liberalitatem avarus, devotionem impius, dignitatis contemptum ambitioſus: vt facilè illi credatur quod optat: dùm ergò ſpes fallit perfido aliquo actu, non cadit à virtute quàm nunquàm habuit; ſed profert quod latebat vitium, talemque, qualis vere eſt, ſe exhibet.

GLORIA. Fortiter allicit quæ ſenſibilibus ineſt voluptas: hanc enim in ærumnoſæ vitæ ſolatium avidiſſimè quærit natura; & quam ſemel pro remedio deguſtavit, transferre conatur ad vſus continuos.

DIFFERENTIA. Quidam volunt omnia probare, virtutes vt vitia: ad illas tranſeunt, non vt transfugæ, ſed vt exploratores; vbique peregrinantur nullibi ſedem poſituri; hujus mortalis vitæ tædium hac levant varietate, nunquam enim penitùs iidem in eadem recidunt: Vt enim cœli, ſic animi rerumque mundanarum nunquàm bis eadem redit facies.

CONCORDANTIA. Excellens quid videtur à vulgo diſcedere, poſteà ſtultum & temerarium apparet à communi hominum conſortio volentem exulare. Trahunt fortiter ſuorum exempla: multos effecit Religioſæ militiæ deſertores, ſodalium, coætaneorum, parentelæ, alteriuſque ſexus deſiderium.

CONTRARIETAS. Virtus ſemper eſt in procinctu, quotidie cum hoſtibus magno ſuo periculo congreditur; & miraris ſi hinc aliqui timidi ſe ſubducant: ſi altam, licet in fidam, cum ſenſibus pacem huic bello præferant, malintque tranquillam & minùs innocentem vitam degere.

PRINCIPIVM. Aliquos dejecit prædeſtinationis decretique ineluctabilis opinio; aliquos fati credulitas, quaſi vitari non poſſit quod ab aſtris pendet: vtque meliores vitæ annos credunt ſe habere à dominantibus per directionem & profectionem fortunis; ſic calamitate vitiiſque miſeros ab infortunis, ordine ſuo venientibus, ſic nullam putant in talibus ſibi ſupereſſe libertatem; ſed à cauſis ſuperioribus cum vniverſo rapi.

MEDIVM. Qui virtutem non propter ſe, ſed propter aliud amant, habentque vt fortunæ organum, illam deſerunt rebus mutatis, pravoſque mores ſequuntur ejus à quo ſperant promoveri. Sic multos à virtute degeneres effecit adulatio, ſpes metuſq; magnatorum quibus aſſident, illorum enim votis, licet iniquiſſimis, ſe vt obſequentiſſima dicant inſtrumẽta.

FINIS. Timetur tàm vitæ civilis quàm naturalis, mors, & qui paſſi ſunt volunt ab illâ reſurgere: poſt ſeceſſum à turbâ quærunt iterùm videri: volunt aliquid agere, ne ſibi aliiſque videantur penitùs ex hominum numero ſublati.

MAIORITAS. Quidam putant probitatem in magnis rebus politicis peragendis maximum eſſe impedimentum; nam ab alienis abſtinet, & propria vbi juſtum eſt, contemnit: ſic evolat non reditura majoris profectus occaſio; ſi harentem, æmuli facilè præcedunt: ideò rara in Regimine probitas. *Vide Virtus Poteſt. Repugn.*

ÆQVALITAS. Virtutis potiſſimum præmium poſitum eſt in conſcientiâ; improbitatis autem in fortunæ ſplendore, populorum applauſu, magnatorum amicitia: multi minùs ſibi quàm his publicis vocibus fidem habent, maluntque dici quàm eſſe fœlices; putant enim ſe tales eſſe, dùm dicuntur.

MINORITAS. Virtus vt plurimùm incidit in paupertatem, cæteroſque adverſæ fortunæ caſus, qui vitijs in pœnam irrogantur: vt autem nemo vult videri malus, ſic timet malorum ſortem. Multi ſermone, pauci affectu probant Philoſophiam, quàm Plato dicit eſſe mortis meditationem; illi ad tempus incumbunt, & vt Poeta deſcribit animas à corpore ſeparatas, iterùm incipiunt in corpora velle reverti.

GRAVIOR EST AB EMInentiori gratiâ & virtute lapſus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Gratiæ, & quæ illas conſequuntur virtutes Dei dona ſunt, quæ infirmæ ex ſe naturæ vires & ornamentum præbent: vndè, qui à tam fœlici ſtatu cadit dupliciter peccat, & in Deum Dominum à quo deficit: & in Deum benefactorem, cujus munera ſic peſſimè dilapidat.

MAGNITVDO. Ex altis præcipitium eſt: cui plùs datur, plùs ab eo exigitur. Conceſſa gratia parvum erat ſemen, quod exurgere debebat in magnam altitudinem? hac enim legitimè vtens poterat alias & alias ſucceſſivè innumeras promereri: vndè vix æſtimari poteſt damnum ex gratiæ, maximè amphoris, profuſione conſequens.

DVRATIO. Facilis deſcenſus averni, ſed revocare gradum, hoc opus, nic labor eſt. Poteſt quis pondere ſuo labi in peccatum, ſed ex hac abyſſo proprijs viribus non valet emergere: ideò quantùm in ſe eſt dùm volens cadit à gratia, in perpetuum ſe peccato, illudque conſequenti damnationi mancipat. Momento amittitur, quod diuturnis lachrymis, precibus, operibus pietas pro præmio conſecuta fuerat. Motus naturalis in centrum continuus eſt, talis deberet eſſe cordis in Deum: atquæ ſpes poteſt eſſe conſequendi, ſi ſic promota mens turpiter retrocedit. Planetæ ſtatas habent ſuas retrogradationes, vndè certo, & brevi reſtituuntur, non ſic facilis eſt in eminentem amiſſam gratiam reditus. Putas Deum talenta ſua perfidis manibus iterato commiſſurum: Itaque reſpuere videtur etiam futura Dei dona, qui præſentia ſic miſerè profundit.

POTESTAS. Agit totis ſuis viribus natura, nec illas otioſas eſſe patitur, cum licet explicare: jacet tamen animus imbellis, etiam potenti gratiâ præmunitus: Armatus miles non confligit, ſed turpiter ſe dat hoſtibus: Gratiæ charactere inſignitus regnabat in Dei miniſterio, & pro Chriſto legatione fungebatur: quanta afficit Principem ſuum injuria, ſi à Majeſtate & dignitate ſua decidens, ſervilem induat perſonam. Quod dignitas augeat peccatũ. *Vide Virt. Poteſt. Rep.*

COGNITIO. Guſtate, inquit Propheta, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Non experti pietatem, illam tamen ſuſpiciunt & ex longinquo venerantur; putant enim aliquid ineſſe ſummi boni, cujus opinione ad illam ſemper affectu, & ſæpiùs actu convertuntur: at qui ſemel ſuavitatem divinam deguſtati, illius tædio affecti ſunt, jacent in malis ſuis deſperati; dum torquentur vitiorum conſcientia, nec in pietate aliquid eſſe credunt, quo poſſint fieri fœliciores; vix enim vt bonum retentant, quod ſemel averſati ſunt.

VOLVNTAS. Quæ diù in vinculis fuerunt paſſiones ſolutæ ferocius effunduntur, ſuoque impetu facilè rapiunt jam infirmam, turbatamque tali ex alto

impetu

impetu animam. Amanti & præ cæteris beneficio Deo, injuriam inferre, amorem odio, gratias contemptu pensare, sacrilega omniumque gravissima est ingratitudo.

VIRTVS. Turpiùs ejicitur quam non admittitur hospes; sic in contumeliam cedit virtutis, si cum eâ diù conversatus divortium faciat, probat enim suo exemplo illi non in esse quam populus credit, fœlicitatem. Vt constantia convenit genericè omnibus virtutibus, quæ definiuntur habitus, sic inconstantia peccat in omnes, maximè si contingat in Religione & Charitate, quæ est virtutum Entelechia.

VERITAS. Gratiæ eminentes cæteris proponuntur in exemplum: Si corrumpantur exemplaria, quæ potest esse missi perversa imitatio? Si fons inficiatur, quales erunt rivuli; Quis æstimet hinc nascens scandalum; putabit populus fictitiam tantùm esse pietatem, semel deprehensos in malo semper anteà latuisse: hinc simile sibi putat esse jus in peccatis. Oportet quidem esse scandala, sed væ illi per quem scandalum venit: in illum enim refluit quidquid mali tali occasione perpetratur.

GLORIA. Hic gravis casus à gratiâ injuriam facit Christo, qui sic vicit mundi Principem, vt deinceps voluerit eum ab vsurpatis exulare; sic vicit mortem vt vltrà non contingeret membris suis; voluit nos cum illo incorruptibiles resurgere; ab inferno eruti in illud iterùm non descenderunt.

DIFFERENTIA. Cum ex eminenti gratiarum statu animus in peccatum labitur, æquè turbatur ordo à divinâ providentiâ positus, ac si cœli elementis, sentibilia vegetativis, vegetativa elementativis, homines denique & Angeli brutis substernerentur.

CONCORDANTIA. Anima quæ est in gratiâ, verbi divini sponsa est: quam horrendum fidem tantæ majestati datam adulterio polluere.

CONTRARIETAS. Reus majestatis est, qui arcem hostibus tradit; sed eo est nocentior, quo majoribus pollebat viribus, vt hostem repelleret: tot gratias in te congesserat Christus, vt per te mundi & tenebrarum potestates amplius deleret: at votis suis contrariâ sorte militiæ suæ desertor ad hostes transfugis.

PRINCIPIVM. Tot gratiis ornatam animam Christus inhabitabat: vndè vt Regium palarium, vt ipsi sacrum Tẽplum fidelioribus excubis debebat custodiri ad hostium in cursu. In talibus negligens, Christum, quantùm in se est, tradit vt Iudas, non quidem eodem exitu, sed sibi tantùm nociuo, quia immortalem.

MEDIVM. Sic lapsus arguit divinam providentiam, quasi non sufficientia media dederit ad salutem hominum; si sic præmuniti deficiunt, quid sperandum est firmioribus? Ab extremo in aliud transitus, eò est pejor, quò plùs extrema inter se distant. Major autem gratia plùs distat à peccato.

FINIS. Non agnoscit Deum vt summum bonum, & vltimum finem, qui jam filii victimus in contrarium retrocedit.

MAIORITAS. In apostatis hoc gravissimum est, quod crimine crimen tegunt; quod hæresim, tandemque impietatem advocant in suæ defectionis patrocinium. Hæ mentes communibus non contentæ ambiunt perversam excellentiam, fiuntque eminentes in vitiis, vt fuerunt in gratiâ.

ÆQVALITAS. Deum expertæ, dubitari non potest, quin contrà charitatis præceptum illi appretiativè mundum præferant.

MINORITAS. Optimi corruptio pessima: quò magis ex alto decidit moles, magis etiam terræ infigitur. Hinc ex sublimi Angelo prævaricatore factus est omnium pessimus Dæmon; ex Monachis Apostatæ sceleratissimi.

SERO POENITENTES
vel Relapsi misericordiam consecuti.

MISCELLANEA.

IVvenes & senes laudent nomen Domini. Psal. 148.

Adamas vix frangitur, sed cum frangitur in infinita dissipatur frustra. Summa esse solet serò pœnitentium contritio: vespertinus viator gressus accelerat.

Serò te amavi pulchritudo tàm antiqua & tàm nova, serò te amavi: Corruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam; fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi, gustavi & esurio & sitio, tetigisti me & exarsi in pacem tuam. D. August. 10. conf. 27.

Interdùm serò pœnitent, quia serò datur gratia. *Vide Durat. Bonit. mora.*

Vsucapio nullo tempore procedit, si quis liberum hominem, rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat: furtivæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, etiam si bonâ fide & longo tempore possessæ sint, vsucapi non possunt. §. sed aliquandò. Inst. de vsucap. His omnibus titulis potest Deus animam in peccato inveteratam vindicare.

Devoratum Ionam cete cogitur evomere. In Christi Resurrectione, tartarus quos habuit emisit ad superos. Latro vltimus pœnitendo primus cœlum ingreditur. Et erunt novissimi primi.

Contingit aliquandò causam fortiùs agere in materiam remotam, sic solis radij valentiores in terrâ, quàm in supremo aëre. Vbi superabundavit peccatum superabundavit & gratia: aliqui vt equi indomiti non benè reguntur, quàm benè fuerint fatigati. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Psal. 15. Infirmitatem posuit pro peccatis, sicut ad Romanos. 5. Apostolus ait. Si cum adhuc infirmi essemus, Christus pro impiis mortuus est.

Multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham; filij autem regni ejicientur in tenebras. Rom. 10. Math. 8.

Senex Simeon accepit Iesum in manibus, servatus vsque ad infantiam Iesu, idest ad inchoationem novæ vitæ.

Servi fugitivi Domino restituti conantur, perfidiam majori diligentiâ compensare.

Plinius lib. 7. capite 2. Refert Pandoras Indorum gentes in juventute canos, in senectute nigrescere.

Piscis Astrix in mari degens, cum senuerit mutatâ forma, sumptâ terrestri, migrat in perpetuum à mari, terramque terrestre animal incolit, & mutato nomine dicitur Abides. Albertus Magnus. Sic multa insecta senescentia fiunt volucres, quod & formicis contingit.

Incendia quæ frigidis regionibus accidunt esse vehementiora & frequentiora scribit Bodin. Reipubl. lib. 5. c. 1. Vndè in Valachiâ septentrionali. anno Domini 1540. Nainum oppidum solis ardore consumptum. Simile contigit in Angliâ an. 1556. Sic in Moscovia sylvæ consumptæ. ann. 1526. Id. fit per antiperistasim. Sic ardentior charitas vbi superabundavit peccatum.

D. August. lib. de vtilitate credendi ad Honoratum cap. 1. Loquens de conversione suâ post novem an-

nos in Manichæorum hæreſi elapſos. Nunc inquit A vbera Eccleſiæ poſt longiſſimam ſitim penè exhauſtus totâ aviditate repetivi, eaque altiùs flens & gemens concuſſi & expreſſi, vt id manaret quod mihi ſic affecto ad recreationem ſatis eſſe poſſet, & ad ſpem reducendam vitæ & ſalutis.

Columba rediens cum ramo olivæ in arcam, ad veſperam. Gen. 8.

Adverſo ſydere ſolviſti funem: quod ſi in tempeſtate dies acta eſt, cura vt nox te inveniat in portu. Petrarcha ex illo Senecæ. In freto viximus, moriamur in portu.

Sanato vulnere, vbi callum obduxit, cicatrix ipsâ cute durior eſt; fortiores poſt lapſum.

Qui diutiùs fuit apud hoſtes, majori gaudio à ſuis excipitur, & poſtliminio reſtituitur. Gaudium erit ſuper vno peccatore. Prodigus conſumptis omnibus B à patre miſericorditer excipitur.

Prius quod carnale, deinde quod ſpirituale.

Non eſt quod ideò minùs ſperes, quia malitia jam nos tenet, quod diù in poſſeſſione noſtri eſt: ad neminem antè bona mens venit quàm mala: omnes præoccupati ſumus, virtutes diſcere, vitia dediſcere, ſed eo majore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quod ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. Seneca Epiſt. 50.

Quod facere ſolent, qui ſeriùs exeunt, & volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus: hæc ætas optimè facit ad hæc ſtudia, jam deſpumavit, jam vitia primo fervore adoleſcentiæ indomita laſſavit, non C multùm ſupereſt vt extinguat; mihi proderit in exitu diſcere, vt exeam melior: non eſt quod exiſtimes vllam ætatem aptiorem eſſe ad bonam mentem, quàm quæ ſe multis experimentis longâ ac frequenti rerum patientiâ domuit; quæ ad ſalutaria mitigatis affectibus venit: hoc eſt hujus boni tempus: quiſquis ſenex ad ſapientiam pervenit, annis pervenit, illiſque hoc debet. Seneca. Epiſt. 68.

Congregans ſicut in vtre aquas maris. Pſal. 32. congregans populos in confeſſione mortificati peccati, ne per ſuperbiam liberè diffluant. D. Aug. in d. Pſal. vel in exiguo tempore concludens vaſtas turbataſque cupiditates.

Poteſtates terrenæ contrà Chriſtũ ſteterunt; Quare fremuerunt gentes, &c. Sed poſtquàm ſcriptum D eſt, Et adorabunt eum omnes Reges terræ: tunc altitudines montium ipſe conſpicit. Idem in Pſal. 94.

Confringet Dominus cedros libani. Pſal. 28.

Quod multis ſunt noti, multis ſunt authoritati ad ſalutem, & multis præeunt ſecuturis, ideoque multùm de illis, & qui eos præceſſerunt lætantur, quia non de ſolis lætantur. D. Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 4.

Tantò magis exultare oportebat, quia Rex noſter alligavit fortem, & vaſa ejus erepta mandavit in honorem. Hoc exoptat magnis votis Auguſtinus initio libri contrà academicos, vt virtus poſſit aliquandò hominem ſibi aptum fortunæ repugnanti auferre, & E ſui juris eſſe proclamans, & in certiſſimorum bonorum poſſeſſionem traducens, vt ne proſperis quidem caſibus ſerviat.

Joſue 16. Favus eductus ex ore leonis, à Samſone occiſi, ſignificat leges ipſas regni terreni, quæ adversùs Chriſtum antè fremuerant, nunc jam peremptæ feritate dulcedini Evangelicæ prædicandæ munimenta præbere. D. Auguſt. lib. 11. contrà fauſtum. c. 32.

Duplex Deus homini contulit beneficium ſingulare, primum ratione corporis, vt quantocumque tempore mortuum, corruptum, & in elementa reſolutum poſſit reſurgere; alterum ratione animæ, vt poſt inveteratum etiam peccatum, poſſit in gratiam reſtitui, quod non eſt conceſſum Angelis.

In arcâ Noë animalia vt leones ſolitam & naturalem ſuam feritatem amittebant: magis poteſt Eccleſia lupos in agnos convertere. Vide D. Chriſoſt. homilia 3. de pœnitentiâ.

Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus: tanquàm diluculum paratum inveniemus eum. Oſee. 6. Quoniam vt eum amitteremus, non ejus abſentia, qui vbique adeſt, ſed noſtra fecit averſio. In mundo erat, & mundus eum non cognovit. D. Auguſt. in Pſal. 6.

Sicut nulli juſtorum ſufficit juſtitia ſua, ſi non perſeveravit uſque in finem; ità nulli peccatorum nocere poterit iniquitas ſua, ſi antequàm de corpore diſcedat pœniteat. Ille qui nos malos tolerat, non dubium eſt quin converſis clementer ignoſcat. Iſidor.

Tardius ei videtur eſſe peccatori veniam dare, quàm ipſi peccatori veniam accipere: ſic enim feſtinat Deus abſolvere tormenta compaſſionis ſuæ, quaſi plùs cruciet eum compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui. D. Bonavent. c. 1. pharetræ.

Si Deus non exiſtenti dedit eſſe; ſi in Adam reo dedit baptiſmi gratiam: quomodò pœnitenti, invocanti, amanti non parcet; vt in ipſo habeat effectum incarnationis verbi: non ampliùs oppugnatur vrbs, quæ in oppugnantis poteſtatem ſe dat.

Princeps indulgentiam & reſtitutionem concedit ſcenicis mulieribus pœnitentibus, & ad meliorem frugem redeuntibus, itavt poſſint ritè matrimonium contrahere. Juſtinianus Imp. dicit ſe in hoc imitari Deum in remiſſione peccatorum. l. 23. C. de nuptijs.

Peccata numero & magnitudine definiri poſſunt, miſericordia Dei non poteſt. Nolo dicas blaſphemus ſum, &c. Millies peccaſti. Quare moriemini domus Iſraël, quia nolo mortem peccatoris dicit Dominus Deus. Vide infrà.

Nolo dicas blaſphemus ſum, &c. Millies peccaſti, millies pœnitere, etiam in extremo vitæ animam efflans non impeditur temporum anguſtijs miſericordia Dei. D. Chriſoſt. homil. de pœnit.

Nunquàm ſera nimis eſt converſio; latro de cruce tranſijt ad paradiſum, Nabucodonoſor Rex Babylonis, poſt efferationem corporis & cordis mentem recepit humanam. D. Hieron. Epiſt. 7. 25. 48.

Cum Deus velit miſereri quia bonus; cum poſſit, quia omnipotens, quis diffidat? Dixit Chriſtus, non veni vocare juſtos, ſed peccatores; ægri enim plus habent opus medico. Quid tam ad mortem, quod Chriſti morte non ſalvetur, &c. D. Bernard.

De latrone dicit D. Cyprian. latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam mutavit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum; quis diſperet vltrà pro magnitudine criminis aſſurgere? cum audiat ſpirantem minarum Paulum ſubitò factum vas electionis: ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, &c. O inæſtimabilis divinæ dignatio pietatis illuſtrat cœleſti fulgore, vel à foris, intus adhuc luminis incapacem, &c. D. Bern. Serm. in converſ. D. Pauli.

Ecce nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. Qui ritè pœnitentiam agit, nullum tempus perdit; non præteritum, quod reſtaurat recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ; præſens tenet per exercitium operis; futurum per conſtantiam boni propoſiti. D. Bernard. in Sentent.

Oleum effuſum nomen tuum: Currite gentes ad manum eſt ſalus, effuſum eſt nomen, quod quicumque invocaverit ſalvus erit. D. Bernard.

Impium te quæſivit vt redimeret, redemptum quomodo deſeret vt perdat. D. Auguſt. in Pſal. 66.

Eccleſia Catholica omnium ſanctorum mater, toto orbe diffuſa, cui vnquàm hæretico aut ſchiſmatico ſpem liberationis, ſi ſe corrigat, amputavit? cui placandi Dei aditum clauſit: nonne omnes ad vbera ſua, qui eam ſuperbo faſtidio reliquerunt, cum lachrimis revocat. Idem lib. imperfecto in Epiſt. ad Romanos.

Pauſan. in atticis refert apud Athenienſes miſericordiæ imaginem in medio foro poſitam, quaſi cor vndè Reſpublica vitam ſumeret. Hinc Principes & Magiſtratus dicuntur leges animatæ, vt ſcriptæ legis auſteritatem inflexam ex æquitate moderentur; dum privilegia concedunt, hæc tamen ſunt limitata. Non gaudebat poſt liminio, qui vltrò ſe dederat hoſtibus l. 4. & 17. ff. de capt. In libertatem non reſtituebantur, qui ſe in ſervitutem tradiderant. l. 9. ff. de manu. Miſſus cum ignominia in perpetuum militia privabatur. l. 4. ff. de re milit. Senatu ob delictum motus priſtinæ dignitati non reſtituebatur. l. 2. ff. de ſenato, &c. *Vide Finis Bonit.* Sic in certis caſibus reis nulla ſupererat ſpes miſericordiæ. At Dei miſericordia eſt infinita, nulloſque cujuſvis peccati reos excludit. Miſerationes ejus ſuper omnia ejus. Pſal. 143. Super quo ſic D. Aug. Severitas ejus, non eſt in opera ſua, ſed in opera tua; vt ſævit medicus, non in perſonam, ſed in morbum. Deus mortem non fecit; impij autem manibus & verbis accerſierunt illam. Sap. 1. Vide D. Auguſt. in Pſal. 102. Et ſi hominum peccata materiam divinæ juſtitiæ ſubminiſtrent, Fulgura in pluviam fecit. Pſal. 134. Ideò punit vt purget, fœcundat dùm terret; cadunt enim hæc paucorum periculo, omnium metu.

Dicitur pater miſericordiarum, non pater judiciorum, non ſolum quia pater videtur potiùs miſereri, quàm indignari; ſed eo magis, quia miſerandi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi & vlciſcendi magis ex noſtro. D. Bern. ſerm. in natali Dom.

Peccatum in Spiritum ſanctum, quod non remittitur, eſt cor impœnitens, contradicit enim Spiritui S. incitanti, & volenti vnire corpori Eccleſiæ. D. Aug. de verbis Domini. Serm. 11. Vide D. Thom. 3. quæſt. 41. art. 5.

Ploremus coràm Domino qui fecit nos. Non enim fecit & deſerit; qui fecit antequàm rogaretur, non deſerit cum rogatur. Clamemus cum Propheta, miſerere mei Deus miſerere mei? quare, quia in te confidit anima mea. Magna ſcientia iſta confidentia. D. Aug. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli. cap. 1. & ſerm. 1. Ibid.

Quædam meliora fiunt reſtinctis & poſteà ſuſcitatis ignibus. *Vide Duratio Volunt.* Mora in amore.

Eſt apud Æſopum quod homini in littore maris anxio, quia omnes fluctus numerare non poſſet, callida vulpes hoc conſilium dedit, quid cruciaris propter vndas quæ prætergreſſæ ſunt, hic numerare incipias oportet, illas miſſas facito. Lucianus dial. de ſectis. Dixi nunc cœpi. Pſal. 76.

D. Auguſt. Epiſt. 50. ad Bonifacium aſſerit lapſos non ſimpliciter, ſed etiam cum priſtinis honoribus in Eccleſiam recipiendos: conſtitutum ne taliter reciperentur, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ, cui poteſt derogari in bonum: vt cortici fit plaga ad rami melioris inſertionem. Sic David poſt pœnitentiam in honore permanſit; Petrus in Apoſtolatu; ſic alliciuntur pœnitentes. Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.

Omne peccatum in hac vitâ per veram pœnitentiam deleri poteſt, alioquin vinceretur quodammodò Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus non vellet. Secundò, derogaretur virtuti paſſionis Chriſti, qui eſt propitiatio infinita pro peccatis noſtris. D. Thom. 3. q. 86. a. 1.

Peccat in Dominum volens excludere eum quem recipit: Chriſtum triſtitia afficit, qui dicit: gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Hoc eſt diſputare contrà traditas Eccleſiæ claves: quodcumque ſolveris, &c. Vide de Pœnit. diſt. 3. can. 32.

Si quis dixerit eum qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, & per ſacramentum pœnitentiæ, anathema ſit. Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 29.

D. Bernard. Epiſt. 23. ad Atconem Epiſcopum Trecenſem, ei congratulatur, quod gravi morbo oppreſſus, dum ſe moriturum putat omnia pauperibus erogavit. *Vide Veritas Virtutis.* De neceſſitate cum quâ poteſt eſſe vera virtus.

In Dei immenſitate longitudo, eſt ejus longanimitas, quâ expectat peccatores ad pœnitentiam. *Vide Gloria Magnitudinis*, de Dei immenſitate.

Lapſi qualiter recipiendi. *Vide Duratio Bonitatis. Mora.* ex jure Canonico.

Geneſius mimus, cum in theatro, Imperatore ſpectante, myſterijs Chriſtianorum illuderet, repentè Dei virtute mutatus ſeriò agere cœpit Chriſtianum, & martyrio coronatus eſt. Baron. an. 303.

Mos erat in primitivâ Eccleſiâ dirutis idolorum aris, ſignis, & templis, ſtatim ibidem inſtituere ſanctos monachos. Idem an. 389.

D. Chriſoſtomo malè objiciebatur, quod in templo dicere ſolebat: ſi iterùm peccaſti, pœniteat iterùm, & quoties peccaveris veni ad me, ego te ſanabo. Photius in Bibliotheca. cap. 59.

Serotino quædam germinatu florent, maturantque celeriter, ſicut Morus, quæ noviſſima vrbanorum germinat, ſed cum cœpit, in tantùm vniverſa germinatio erumpit, vt vnâ nocte peragat, etiam cum ſtrepitu. Plin. lib. 16. cap. 25.

Quare moriemini domus Iſraël, quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, Revertimini & vivite. Ezech. 18. & rursùs impietas impij non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.

Tu fornicata es cum amatoribus multis, verumtamen revertere ad me dicit Dominus. Iſai. 1. & 16.

Lavamini, mundi eſtote & auferte malum cogitationum veſtrarum, ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Vide Ierem. 3. 13.

Ioan. 1. Chriſtus propitiatio eſt pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi.

Vide cum fœlici effectu pœnitentias. 4. Reg. 11. Ezec. 18. Iob. 22. Oſee 12.

Convertimini ad me, & convertar ad vos dicit Dominus, tanquàm diluculum paratum invenimus eum. Oſee 6.

Convertimini ad me in toto corde veſtro. Ioël. 2.

Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Hebr. 4.

Chriſtus ideò converſabatur cum publicanis & peccatoribus: non enim inquit veni vocare juſtos ſed peccatores: quia qui ſani ſunt, non opus habent medico. Inveteratos in morbis ſanat, cœcum ab vtero matris, paralyticum, mulierem ſanguiniſluam, quæ fruſtrà omnem ſuam ſubſtantiam erogoverat in medicos: Parcit Zaccheo, Magdalenæ, latroni, ſuſcitat quatriduanum fœtentem Lazarum.

Primus implet, quàm dicit legem. Math. 18. Vt ſi frater in nos ſeptuaginta ſepties, ideſt innumerè, peccaverit, & pœnituerit, ei remittatur.

Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate inſerentur; potens eſt enim Deus iterùm inſerere illos. Rom. 11.

Veniens pacem evangelizavit vobis qui longè fuistis, & pacem ijs qui propè. Epheſ. 2. A

Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum qui delebo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Iſai. 43. *Vide Virtus Finis.*

ETIAM SERO POENITENTIBUS & relapſis Deus parcit.

DEMONSTRATIO.

B

Bonitas. Humanum eſt peccare, & in peccatis indurari, pravâ ſcilicet conſuetudine, quaſi in naturam tranſeunte: Hoc duplex malum non relinquit ſinè remedio divina bonitas, quæ ſinè ſubſidiis nullas patitur eſſe mentis aut corporis ægritudines; nullumque ſinè antidoto venenum.

Magnitvdo. Magnum quidem peccatorum pondus, ſub quo jacent oppreſſæ vires humanæ: ſed nihil eſt impoſſibile apud Deum; nam peccata qualiacumque ſint, limitata ſunt; divina autem miſericordia eſt infinita, vndè illis ſuperior & potentior: licet pravi habitus mores obtineant, licet cæcitas mentem occupet, licet inordinati affectus miſera virtute voluntatem premant, agantque, totum non inficitur, C totum non poſſidetur, ſupereſt enim in mentis arcano libera ſyndereſis, ſancta & intacta divini vultus ſpecies, ſacra ad Deum habitudo, cujus vi mens ad ipſum de profundis clamat, & multitudinem peccatorum vt ampliſſimam materiam exhibet exercendæ divinæ miſericordiæ.

Dvratio. Si ab æternitate jacentem in nihilo eduxit ad exiſtentiam, potuit & per aliquot annos mortuam in peccato animam ad vitam gratiæ ſuſcitare. Habent vt corporum, ſic animarum morbi ſuas periodos, ſemper quidem Deus obtulit gratias, ſed priùs non potuerunt excipi ab hoc homine, ob ſingulares quaſdam indiſpoſitiones: has referunt Aſtrologi in Iovem vltimis vitæ annis dominantem: at fruſtrà Religionis ſenſum aſtris imputant. D

Potestas. Regium eſt deploratis in rebus adeſſe, reis jam ſupplicio addictis gratiam reſtiturionis offerre, ſervos pœnarum in libertatem vindicare: Divinæ poteſtatis eſt ſuprà ſpes, vireſque humanas miſeris auxiliari: Toto hujus vitæ tempore homo liber & viator eſt, ne ergo fruſtrà ſic hæc potentia, poteſt in meliùs mutari, ſi viator eſt poteſt vlteriùs progredi, illuceſcente, movente, ducente divinâ gratiâ.

Cognitio. Sunt tarda quædam ingenia ad virtutes vt ad ſcientias, dulcius putant omne quod neſciunt, nec mundanas vanitates averſantur niſi experti: ſic facit Zodiaci obliquitas, vt ſint ſigna quædam longæ aſcenſionis, in quibus Sol lentè ſuper horiſontem elevatur: Longè diſtant cogitationes noſtræ à cogitationibus Dei, vt ait Propheta, cujuſlibet hominis converſio magnum eſt myſterium. Et ſi poſt tot ſæcula vitijs omnibus infecta verbum humanatum illuxit mundo, ne mireris idem poſt plures annos quibuſdam mentibus oriri: & vt mundo ſemper infideli dedit ſucceſſivè plures leges: ſic Relapſæ menti plures gratias, novaque laboranti ſubſidia.

Volvntas. Hæc ſera & poſt plures lapſus ſibi tandem conſtans converſio, publica eſt demonſtratio nihil Deo eſſe impoſſibile: licet tot pravis affectibus illigatam, liberam tamen eſſe voluntatem; tot nodos ſimul vi gratiæ abſciſſi poſſe.

Virtvs. Hic quem vitijs penitùs mancipatum credebas, plures in occulto exercebat virtutes morales, dabat eleemoſinam pauperi, conſilium erranti, ſubſidium afflicto, pio licet adhuc titubanti affectu Dei miſericordiam de profundis poſcebat: vt ergò diù igne ſerpente præparatum eſt, quod momento fulſit incendium: vt quod mortuum & ſepultum videbatur ſemen ſub terra germen perfectionemque meditabatur; ſic hæc latentia virtutum exercitia animum gratiæ præparabant.

Veritas. Si citrà meritum datur gratia, hæc vera & præcipua eſt, quæ ſerò pœnitentibus, relapſis, penitùs immeritis conceditur: Hæc divinæ miſericordiæ ſumma eſt. O fallax hominum judicium, qui reprobus putabatur momento fit ſanctus, de telonio fit tranſitus ad Apoſtolatum, &c.

Gloria. Deo dicatus dies Sabbathi requieſque in calcem hebdomadæ expletis operibus remittitur: hunc opportuit laſſari mundanis actibus priuſquàm vocanti gratiæ conſentiret, concuti bellis antequàm divina pace ſrueretur, de hoſte jam plura occupante ampliorem triumphum aget charitas.

Differentia. Præſens hujus vitæ tempus opponitur futuro: vtque qui ex hac vitâ diſcedunt, in eodem ſemper manent ſtatu beatitudinis aut damnationis, ſic quandiù hæc durat vita poteſt in meliùs, aut in pejus mutari. Quæ ad certum diem facienda eſt ſolutio, etiam vltimo condicti temporis momento poteſt fieri & in illud ſæpiùs differtur. Securior quibuſdam videtur hæc converſio, cui ad mutationem vix vita ſufficit: finitur enim antequàm divina adhuc ſitiens, mundumque ex integro experta faſtidiat.

Concordantia. Firmior ſperatur amicitia quàm longum præceſſit judicium: etiam diuturno tempore diſſitæ in vnionem facilè redeunt, ſi naturalis inſit fæderis cauſa, tunc enim dilatio non extinguit, ſed accendit fruitionis deſiderium, avidiorque poſt cibi convenientis carentiam fames: ſic à longâ peregrinatione reducem filium prodigum Pater excipit cum omni lætitiæ apparatu; naturalis autem eſt mentis humanæ ad Deum reſpectus, vt ad ſummum bonum, à quo ſolo poteſt perfici: Non minùs ſol illuſtrat ſpeculum quod diù in tenebris latuit: Centrum ſemper paratum eſt quietem præſtare corpori in ſe tendenti, non habitâ ratione motuum extravagantium, quibus antèà concuſſum fuerat.

Contrarietas. Infirmior apparet hoſtis, à quo diù poſſeſſa ſic eripiuntur, Hæc eſt victoria quæ vincit mundum. Poterat gratia hunc vt Saulum ſubito ſternere, ſed varius eſt illi aggreſſionis modus; quoſdam impetu, quoſdam lenta obſidione, fame, ſiti, adverſis ſibi ſubjicit; voluit itaque hunc injurias, doloſque omnes mundi experiri, vt deinceps illi fidem non haberet, nec emeret tanti pœnitere.

Principivm. Quorundam vita in primis annis, vt terra initio munda, eſt tenebris obſita, inanis & vacua: vt verni, ſic autumnales ſunt quidam flores; non eadem temporis lege Sol oritur varijs mundi climatibus & Deus humanis cordibus. Hominem ad imaginem ſuam creatum voluit eſſe vltimum ſuum opus. E

Medivm. Vita hæc media eſt inter privationem & æternitatem: habet autem hæc medietas pro latitudine totum vitæ ſpatium, ex quo omni æqualis nobis patet ad beatitudinem aditus; vt ex qualibet terræ parte æqualis ad cœlum diſtantia.

Finis. Vita deſinit in virtutem, vt & virtus deſinat in gloriam; diù dilata, ſed nunquàm deſitura tandem incœpit charitas. Mirum quòd hic homo per devia terminum attigerit, errando pervenerit, & ſinè virtutum diuturnis exercitijs finem ſuum ſit con-

ſecutus; meritò tamen, nam gratia eſt raptus ab extremo in extremum, cum ſit ordinis ſupernaturalis, eſtque reſurrectio à privatione ad omnium præſtantiſſimum habitum.

MAIORITAS. Dilata virtus compenſabit intenſione quod ſibi deeſt extenſione. Apud Deum agimus æquiſſimum judicem, qui merita non actionum cumulo, ſed charitatis prætio æſtimat. Miracula fiunt etiam in modo operandi: hominem mundanis immerſum ſubito ad virtutem emergere prodigium eſt, ad quod oculos convertunt ſpe erecti omnes mundani.

ÆQVALITAS. Vt vides aliquos ex eminenti gratiæ ſtatu cadere, ſic alios ex abyſſis peccatorum emergere: iſtorum caſum compenſat aliorum ſalus: hinc A diſcimus vitam hanc ex ſe mutabilem, noſque cum ſpe & metu noſtram ſalutem debere operari.

MINORITAS. Etſi minùs ſit ſerò quàm maturè Deo ſervire, converſo tamen humili magnum videtur ſic è mortis faucibus infirma licet valetudine eripi, magnum videtur etiam in vltimo loco, menſæ Domini aſſidere, & ad inſtar beatorum non invidet, ſed congaudet aliorum eminentiori manſioni.

Vide quæ ſcripſi. lib. de miſer. Dei. parte 2. capite 10.

Hæc de miſericordia Dei propriè pertinent ad combinationes. *Durat. Bonit. & Bonit. Princip. Durat. Princip.* hic tamen appoſui, vt cum actum ſit de apoſtatis & relapſis, malo proximum eſſet remedium.

POTESTAS VIRTVTIS

QVÆ SIT VIS VIRTVTIS.

MISCELLANEA.

VIRTVS vis animæ eſt quæ corpus B moderatur, quæ affectus excipit cognoſcitque, & quo juſſerit recta ratio producit ac dirigit, in eoque perſeverans, habitum animæ comparat optimum quidē, poſtmodum Deo fruitur.

Dominatur virtus dùm virtute præſtantioribus dominium defertur. *Vide Virtus Poteſtatis.* Hinc applaudunt omnes cum dignitates dignis deferuntur, id enim æquiſſimum judicant virtuti parere.

Vires civitatis non conſiſtunt in munitis arcibus, ſed in recta hominum inſtitutione.

Princeps virtute præditus plùs habet authoritatis in ſanciendis legibus. *Vide Virtus Poteſtatis.*

Tyrannus virtute præditum timet vt potentiſſimum hoſtem, vnde conatur eum aut delere, aut beneficijs ſibi conciliare: quod ſi ipſemet poſt vſurpationem virtute emineat, & juſtè regat, amatur à populo, & tandem legitimatur.

Privatus habens virtutes regias rex eſt dicendus. Plato lib. de Regno.

Quod ſeditiones ſedentur ad præſentiam viri virtute præſtantis. Vide Bodin. lib. 4. Reipubl. cap. 7.

Virtutis ſummum jus eſt, quod illi quiſque debet potiùs parere quàm dominis, aut Regibus. *Vide Contrarietas Poteſtatis.* Quando Rectoribus licet contradicere.

Virtuti debentur diviriæ, vt enim ſanctitate, ſic potentiâ debet ad Deum accedere. *Vide Magnitudo Poteſtatis*; & infrà hoc tit. de Imperio Religionis.

Infamis hæres inſtitutus à fratribus præteritis, per querelam inofficioſi, poteſt repelli quaſi turpis perſona. l. 27. Cod. de inoffic. teſtam. Sic liberi ingrati exhæredantur.

Virtus ipſa eſt pro divitijs, vndè cum in arrogationibus arrogantis facultates attendantur, vt appareat an pupillo expediat arrogari, permittitur interdùm pauperi ditiorem ſe adoptare, ſi vitæ ejus ſobrietas clara ſit. l. 17. ff. de adoptionib. Et pauper, ſi bonis ſit moribus, non cenſetur vilis perſona. l. 7. Cod. de incæſt. & inutil. nupt.

Nobiles, licet numero pauciores, imperant in populo. *Vide Gloria Virtutis.*

Primus Ancus Martius Romæ Fortunam virili cognomento dedicavit: Servius Tullius fortis Fortunæ, primigeniæ, maſculæ, virilis templa erexit.

Themiſtocles ex procis filiæ virum probum divitî prætulit, dicens malle virum abſque pecunia, quàm pecuniam ſine viro.

Pacta nulla ſunt, quæ legibus adverſantur. l. 6. Cod. de legib. ſimiliter de reb. turpibus & inhoneſtatis. l. 27. & 28. ff. de pactis. *Vide Differentia Voluntatis.*

Sic imperat virtus, vt jus ſuum lædi à ſubditis non poſſit.

Nulla poſſeſſio, nulla vis auri & argenti pluris æſtimanda eſt quàm virtus. Senec. in Epiſt.

Qui ſe volet eſſe potentem animos domet ille feroces, nec victa libidine colla fœdis ſubmittat habenis, non poſſe potentia non eſt. Boëtius. 3. 5.

BONI SOLI VERE ſunt liberi.

EXpectat nos, ſi ex populari aliquando fæce evadimus in illud ſublime & excelſum, tranquillitas animi, & expulſis erroribus abſoluta libertas; Quæris quæ ſit iſta, non homines timere, non Deos, nec nutpia velle, nec nimia, in ſeipſum habere maximam poteſtatem: Inæſtimabile bonum eſt ſuum fieri. Seneca. Epiſt. 75. in fine.

Tantùm inter ſtoïcos & cæteros ſapientiam profeſſos intereſt, quantùm inter fœminas & mares, vtraque turba ad vitæ ſocietatem confert, ſed altera pars ad obſequendum, altera imperio nata eſt. Id. lib. de conſtantiâ ſapientis.

Digitized by Google

Nihil invitus facit ſapiens, neceſſitatem effugit, quia vult quod ipſa coactura eſt. Id. Epiſt. 54.

Nemo miſer putetur, qui in fide vel animi virtute non læditur: è contrario verò qui in ſecuritate vitijs deditus eſt, in libertate captivus eſt. Euſebius Emiſſen. Homiliâ in litanijs.

Quæ ſit vera libertas. *Vide Veritas Poteſt.*

Philo Iudæus lib. virum bonum liberum eſſe. Duplex, inquit, ſervitus mentis & corporis; corpori dominantur homines, menti vitia: Duplex è contrario libertas; qualis autem ſit libertas mentis à paucis intelligitur. Verè liberi erimus ſi teneamus illud Sophoclis, Deus mihi Princeps eſt, nec vllum dominum temporalem habeo; ſi etiam amorem, dolorem, invidiam, & cæteras paſſiones reprimamus, mortem non timeamus, nec ad vulgi opinionem componamur ictus fortunæ patienter feramus, ſcientes quod ſicut divina eodem ſemper curſu procedunt, ità humana variatur. Bonus ſic liber eſt, vt nulli contrà verum bonumque nitenti cedat: vndè Antiſthenes dicebat hominem virtute præditum magnum eſſe onus; quod difficilè bajulatur; & Moyſes dicit ſapientis manus eſſe ponderoſas, quia procedunt à firmo animo propoſito. *Vide Dignitio Voluntatis.*

Etſi premant ipſum adverſa, non auferunt libertatem; ſi ad victum habendum operetur manibus, & generoſi milites duceſque id agunt in bello; ſi captivus fiat corpore, animo liber eſt; ſic leo, licet emptus, numquàm deponit ſuam feritatem, timeturque ab eo qui videtur ipſum poſſidere. Bonus Dei amicus eſt, num ergò liber? libera cenſetur civitas, quæ ſuis non tyrannicè poſitis legibus vivit; ſapiens autem vivit propriâ lege rationis, non ab opinione, ſed ab immortali naturâ, immortali animo inditâ. Sapiens omnia dijudicat, etiam publica & politica, de illis diſſerit; dominantibus laudem aut contumeliam decernit in hoc verè liber. Vult tantùm ea quæ in animo conſiſtunt, & quæ ab ipſo pendent, in quibus non poteſt impediri: ſi externa aggrediatur, ea tàm, prudenter gerit, vt nihil experiatur contrarium. Libertatem ſuam vindicat dùm ſe à contagioſa vitijs plebe ſeducit: ſic Eſſæi in Paleſtina procul ab vrbibus cælibem, piam, Deo ſacram, ſecram, liberrimamque vitam degebant. Denique ſapiens liber eſt, quia non poteſt cogi ad id quod non vult. Sic Calanus noluit ſequi Alexandrum in Græciam ex Indiâ, minitanti, dixit, quid mirabitur in me Græcia, ſi cogor agere quæ nolo. Refert exempla eorum qui conſtantes fuere in eculeo; & qui ne in hoſtium venirent poteſtatem fortiter occubuerunt; de Diogene qui captus & venditus, domino quærenti quid ſciret; ſcio, inquit, hominibus imperare, &c. ex Philone.

Libertas ſapientis, in eo quod adverſa & fatalia ipſum non lædant. *Vide ſuprà Durutio Virtutis.* Vir bonus non poteſt lædi.

Prima libertas naturæ Secunda gratiæ, Tertia gloriæ. Per primam homo dominatur creaturis; per ſecundam vitijs; vbi enim ſpiritus domini ibi libertas; per tertiam morti & corruptioni. Prima habet multum honoris, ſecunda plurimùm etiam virtutis, noviſſima cumulum jucunditatis. D. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio.

Habebunt beati triplicis libertatis fœlicem experientiam, quæ ſit bona voluntas Dei, ac beneplacens & perfecta: hoc rogamus quotidie adveniat regnum tuum; Creati quodammodò noſtri ſumus in liberam voluntatem; quaſi Dei efficimur per bonam voluntatem. D. Bernard. lib. de gratiâ & libero arbitrio.

Legi æternæ ſubjectus, per bonam & liberam voluntatem, eximitur ab imperio legis humanæ, quæ circà paſſionem temporalium verſatur: non ergò facit illa ſicut membra, quæ ſinè dolore reſecari non poſſunt: illis totus ſuperfertur, Spiritus domini ferebatur ſuper aquas; illa habere & regere, cum opus eſt, paratus, amittere ac non habere paratior. D. Auguſt. lib. 1. de libero arbitrio. cap. 15.

Dicit Chriſtus. Ioan. 8. ſi manſeritis in verbo meo, cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Spiritalis homo omnia judicat, ipſe verò à nemine judicatur. 1. Corinth. 5. omnia judicat; quia ſuper omnia eſt, quandò cum Deo eſt: cum illo autem eſt, quandò puriſſimè intelligit, & totâ charitate quod intelligit diligit: ità etiam quantùm poteſt lex ipſa etiam ipſe fit, ſecundùm quam judicat omnia, & de quâ judicare nullus poteſt, vt de ſemel conſtitutâ lege ampliùs non judicatur, ſed ſecundùm ipſam, ſi tamen legem æternam conſuluerit, de quâ nemo judicat: æternam enim legem fas eſt mundis animis cognoſcere, judicare fas non eſt. D. Aug. l. de verâ Religione. c. 31. Iuſto lex non eſt poſita, vndè ſumma libertas. Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber eſſe appetat, & quem regnare delectat, vni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat. plùs eum diligendo quàm ſeipſum: & hæc eſt perfecta juſtitia, quâ potiùs potiora, & minùs minora diligimus. Ibidem cap. 48.

Accipiens mutuum in ſervitute, non tenetur liber factus. l. 2. Cod. an ſervus pro ſuo facto poſt manum, teneatur; ſic Deo ſerviens liberatur ab humanis obligationibus; vt opinionis, morum, &c.

Servus hæres inſtitutus tacitè libertate donatus intelligitur. l. 5. Cod. de neceſſ. ſervis hæredib. Iam non dicam vos ſervos, vos autem dixi amicos. Ioan. 15. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Rom. 8.

Olim ſervi manumiſſi diverſimodè libertatem accipiebant: aliqui enim erant dediticij, qui toto vitæ tempore operas præſtare cogebantur: alij latinam habebant libertatem, qui quandiù vivebant erant liberi, in morte tamen rapiebantur in ſervitutem: alij, poſt manumiſſionem penitùs erant liberi: tot tit. Cod. de dedit. & lati. liber. toll. Vera hæc vltima libertas ſolis Deo ſervientibus competit.

Olim ſolemne erat libertatem in Eccleſijs dare præſente populo, & Chriſtianis Antiſtitibus. Sub eâ ſolemnitate Conſtant. Imperator permiſit minoribus 25. ann. manumittere. l. 1. Cod. de his qui in Eccleſ. manumitt.

Sapientis vt Regis omnia ſunt, poteſt tamen vt Rex; ad quem omnium poteſtas pertinet, à ſingulis rerum proprietarijs munera accipere. Senec. 7. de benef. c. 4.

Cum ſapienti Rempublicam ipſo dignam dedimus, ideſt mundum, non eſt extrà Rempublicam, etiamſi receſſerit, imò fortaſsè relicto vno angulo, in majora atque ampliora tranſit, & cœlo impoſitus intelligit, cum tribunal aſcenderat quàm humili loco ſederit; nunquàm plùs agit ſapiens quàm cum in conſpectu ejus divina atque humana venerunt. Seneca. Epiſt. 68. Plùs regnare mihi videtur, cui licet cenſuram agere regnantium. Idem Epiſt. 108.

Boni Angeli inferiores ſecundùm naturam habent prælationem ſuper Angelos malos ſuperiores ſecundùm naturam. D. Thom. 1. quæſt. 109. art. 4. ad 3.

Angeli præſidentiam habent ſuper iſta inferiora immediatam. 1. q. 110. a. 1. ad 2.

Ad bonum operandum requiritur virtus moralis inclinans, & prudentia dirigens. 1. 2. quæſt. 113. art. 1. ad 2.

Iuſtus dicitur Deum poſſidere, Dei quidem dono,

ſed quo poteſt vti vt vult. 1. q. 58. 1.

Iuſtus duplicitet non eſt ſub lege, ſcilicet coactivè, & quantùm ad opera Spiritus Sancti. 1. 2. q. 93. a. 6. ad 1.

Bonus Laïcus dicitur Sacerdos ſpiritualiter, non autem quo ad ordinem. 3. q. 82. a. 1.

Primus homo habuit imperium creaturarum quandiù fuit innocens.

Servus Iudæus, ſi fiat Chriſtianus, fit liber, ſinè prætio dato. 2. 2. q. 10.

Chriſtianus factus ſervus Iudæi, debet ſtatim redimi. Vide infra. hoc titu. Immunitas Religionis.

Qui Spiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege. *Vide Majorit. Virtutis.* Profectus, in fine.

Iuſto non eſt lex poſita, ac per hoc juſtus eſſe incipe, & eris liber à lege, quia non poteſt lex venire contrà mores, quæ jam habetur in moribus. Salvianus. lib. 5. de Gubern. Dei.

Libertas eſt amplecti bonum, verum & ſibi conveniens: Deus autem infinitè bonus, infinitè intelligens ſe & amans, infinitè ſeipſo fruitur, vndè libertimus eſt; cumque ſua cognitio, ſuus amor ſit ſua eſſentia, quæ à nullo poteſt deſtrui, ſequitur quod ſit maximè neceſſaria, & ſumma neceſſitas, cui nulla externa neceſſitas dominatur, cùm à primâ illâ eſſentiâ neceſſariâ legem acceperit, quod cæteris ſit neceſſitas: Eſt ergò ſimul ſumma libertas, & ſumma neceſſitas. ex Marſ. Ficino. Theolog. Plato. lib. 2. cap. 11. & 12. Sic vir bonus, fruens virtute quam maximè optat, & quæ illum maximè decet, verè liber eſt.

Olim tàm virgo quàm vidua, quæ ſe Deo voviſſent, crinem monaſteriorum manibus offerebant deſecandum, iis de cauſis, quas D. Hieronim. recitat. Epiſt. 8. 12. 23. Sed maximè quia cum in ſignum ſubjectionis dati ſint illis capilli, Chriſto jam deſponſatæ in libertatem vindicantur, nec aliquid amplùs viris debent. Vide Baronium. an. 57. Nu. 88.

Conſtantinus prohibuit notas ſervitutis inſcribi vultui. l. 2. Cod. Theod. de pœn. Vultus enim eſt ſedes ſapientiæ, & rationis, quæ in ſervitute libera eſt.

Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. &c. Roman. 8. Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem glotiæ filiorum Dei. Ibid.

Fratres non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit. Galat. 4. & cap. 5. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.

Iuſtus videtur ſedere in throno Dei. *Vide Gloria Virtutis.* Suave Chriſti jugum.

Liberum non facit fortuna, ſed virtus, liber ſum, planè, ſi prudens es, ſi fortis, ſi modeſtus, ſi innocens, ſi pius; horum ſi quid abfuerit, pro eâ te parte ſervum ſcito. Petrarc. Dial. 24. de Libert. Liber eſt, is exiſtimandus qui nulli libidini ſervit. Cic. 4. ad Here.

Ille in quavis conditione ſervitij liber eſt, qui amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non obligatur, qui ſecurus expectat præſentia, quem non terrent futura. D. Ambr. de Ioſeph.

Gaude de innocentiâ & exulta, gaude, inquam, quia vbique læta eſt, vbique ſecura. Si tentaris proficis, ſi humiliaris erigeris, ſi pugnas vivis, ſi occideris coronaris. Tu in ſervitute libera es, in cuſtodiâ læta, tibi omnis reatus abjicitur, tibi vniverſa militia ſubjugatur: te potentes honorant, ſuſpiciunt principes, magnates exquirunt, & illi nonnumquàm deſiderant qui te impugnant, tibi boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici ſuccumbunt, nec vnquàm putaris victrix non eſſe, etiamſi inter homines juſtus defueris. D. Chryſoſt. in Hom.

SAPIENS SEIPSO Contentus.

Liberum eſt, inquit Ariſtoteles, quod eſt ſui non alterius cauſâ, ſic enim ingenui ſibi acquirunt, ſervi autem Dominis.

Sic Statilius nolens fieri ſocius conjurationis contrâ Cæſarem: Sapiens, inquit, ſui tantum cauſâ agit, nec debet pro ſtultis, vt mancipia pro Dominis periclitari.

Non eſt quod vnquàm fortunæ armis putes eſſe tutum; tuis pugna contra ipſam, fortuita non armant. Senec. Epiſt. 113.

Ille beatus, quem nulla res minorem facit, tenet ſumma, & ne vlli quidem niſi ſibi ipſi innixus: Nam qui aliquo auxilio ſoſtinetur, poteſt cadere. Si aliter eſt, incipient in nobis multùm valere non noſtra. Senec. Epiſt. 92.

Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt; Sapiens ſeipſo contentus eſt, ſed tamen & amicum habere vult & vicinum, quamvis ſibi ipſi ſufficiat, non vt velis eſſe ſinè amico, ſed vt poſſis. Idem. Epiſt. 9.

Amicum habere vult, ſaltem ob id vt exerceat amicitiam, ne tàm magna virtus jaceat, vt habeat cui benefaciat. Se contentus eſt ſapiens, ad benè vivendum, non ad vivendum, ad hoc enim multis illi rebus opus eſt, ad illud tantùm animo ſano & erecto & deſpiciente fortunam. Summum bonum extrinſecùs inſtrumenta non quærit, domi colitur, ex ſe totum eſt, incipit fortunæ eſſe ſubjectum, ſi quam partem ſui foris quærit: ſic Stilpo Philoſophus captâ vrbe diſcedens, omnia, inquit, mea mecum ſunt, virtus, continentia. &c. Niſi ſapienti ſua non placent; omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui. Ibidem. Epiſt. 9.

Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta; omnia alia vota Deo remiſſurus, vt contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis; quæ poteſt eſſe fœlicitas Deo propior? Redige te ad parva, ex quibus cadere non poſſis. Id. Ep. 20.

O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, quo tranquillus, placiduſque eris, & craſtini negligens, & in ſummâ tui ſatietate: Vis ſcire quid faciat homines avidos futuri, nemo ſibi contigit; Vota parentum tuorum multos compilarunt, vt te locupletent: opto tibi tui facultatem, vt vagis cogitationibus agitata mens tandem reſiſtat, & certa ſit; vt placeat ſibi, & intellectis veris bonis, quæ ſimul ac intellecta ſunt poſſidentur, à totis abjectione non egeat. Ille demum neceſſitates ſupergreſſus eſt, & exauthoratus liber, qui vivit vitâ peractâ. Idem. Ep. 33.

Vir bonus, quaſi rebus omnibus ſpoliatus, diſcat ſecum converſari, ſe contentum eſſe, in ſinu gaudere: ſibi fortuna & imperium ſit, vix patiens alienam ergà ſe liberalitatem, quæ ipſum arguit indigentiæ. Domus vnicuique eſt aſylum. *Vide Medium Gloriæ.*

Contrà ſentit D. Auguſt. Hominem non à ſe, ſed à Deo eſſe fœlicem. *Vide Principium Gloriæ.*

Hinc ſeductio à turbâ, & de contemplationi tantùm deditis. *Vide Gloria Virtutis.* Quies. Sic ſapientis Principum vitat amicitiam & favores. *Vide ibidem.*

Virtus vera eſt, etiamſi non operetur. *Vide Veritas Virtutis. infine.*

Leges ſemper pœnas, raro præmia decernunt,

quia virtus ſibi ſufficit. *Vide Gloria Virtutis.*

Vir in quo eſt animæ pulchritudo ſolus ſibi abundat, quia ipſe ſibi eſt ſatis: nec ſolus aliquando eſt cui præſul Dominus adeſt. D. Ambroſ. de Iſaac & animâ. c. 3. in fine. loquens de Iſaac qui ſolus deambulabat in agro.

Benedixit Deus diei ſeptimo, in quo requievit ab operibus ſuis; Nimirùm quia vitium eſt, & infirmitas animæ ità ſuis operibus delectari, vt potius in ipſis quàm in ſe requieſcat ab eis: cum procul dubio meliùs alioquin in illa ſit, quo ea facta ſunt, quàm ipſa quæ facta ſunt. &c. D. Auguſt. lib. 4. de Geneſi. ad Litteram. cap. 15. Requievit ab operibus ſuis, quia nullis bonis, nullis operibus indiget, ſed in ſe requieſcit, quia ipſe ſibi bonum eſt, & non beatus niſi in ſeipſo, homo autem non in ſe, ſed in incommutabili bono requieſcere debet. Ibidem.

Sapiens eſt indifferens circà externa, & mala in bonum vertit. *Vide Media Voluntas.* Indifferentia.

De Reflexione, quâ ſe cognoſcit, amat, fruitur. *Vide Cognitio Virtutis.* Cognitio virtutis propriæ.

Cato in ponendâ villâ hunc modum dicit eſſe ſervandam, vt neque fundus villam quærat, nec villa fundum. Plin. lib. 18. cap. 6. Nequam eſt agricola quiſquis emit, quod præſtare ei fundus poteſt. Ibidem. *Vide Minoritas Medij.*

Quia primùm ſeipſo fruitur. *Vide Voluntas Bonitatis.* Bonus ſui amor. *& Gloria Virtus.* Bonæ conſcientiæ pax.

Nullum majus, nullum melius negotium in tribulatione, quam recedere ab eo ſtrepitu qui foris eſt, & ire in interiora mentis ſecreta; Ibi Deum invocare, vbi nemo videt gementem, & ſubvenientem illius cubiculi aduersùs omnem moleſtiam oſtium claudere, humiliare ſeipſum in confeſſione peccati, magnificare & laudare Deum, & cortipientem & conſulentem. D. Auguſtin. in Pſalm. 34. Concion. 2.

Deus eſt ſua beatitudo, & eſt perfectè beatus. D. Th. 1. q. 26. a. 8.

Sufficiens per ſe duplex, ſcilicet non recipiens additionem boni, vt Deus; & continens omnia neceſſaria, vt beatitudo. q. 16. a. 1.

Iarchas Princeps Brachmanorum ſapientum Indiæ dicit Appollonio mundum eſſe animal, maſculæ & fœmininæ naturæ particeps, quia in ſe & exſe parit, patris matriſque vicem agens in rerum generationibus, amorem enim ſui ipſius continet majorem, quàm vllus habeat ad alium. Philoſtrat. in vitâ Appolonij. lib. 3. cap. 11.

Quidò mortales extrà petitis intrà vos poſitam fœlicitatem, error vos inſcitiaque confundit; oſtendam breviter tibi ſummæ cardinem felicitatis: Eſt ne aliquid tibi reipſo prætioſiùs? nihil inquies; Igitur ſi tui compos fueris, poſſidebis quod nec tu vnquàm amittere velis, nec fortuna poſſit auferre; Beatitudo enim eſt ſummum bonum naturæ ratione degentis. &c. Boëtius de conſolat. Philoſoph. lib. 2. Proſâ 4.

Vide Poteſtas Minoritatis. Vnum multis æquinalens.

SERVITVS PECCATI.

DIcit Chriſtus Ioan. 8. Qui facit peccatum ſervus eſt peccati, & vtique facilius ſervitur homini quàm libidini, cum ſæviſſimo dominatu vaſtet corda mortalium, vt alias obmittam, libido ipſa dominandi: vndè multi juſti Dominis non liberis ſerviunt. D. Auguſt. lib. 19. de Civit. cap. 15.

Geneſ. Dicitur de homine, Dominetur omnibus animantibus, non homini: ſervitutis enim vocabulum primo à Noë juſto vſurpatum, cum peccatum filij vindicaret; Nomen itaque iſtud culpa meruit, non natura. Hinc Daniel. 9. cap. Confiteatur peccatum ſuum cauſam eſſe ſeruitutis. Idem Ibidem. Si ex peccato ſervitus, multò magis illud ſervitus eſt.

Et in lege Domini voluntas ejus. Pſal. 1. Aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege; qui eſt in lege ſecundùm legem agit; qui eſt ſub lege, ſecundùm legem agitur: ille ergò, liber eſt, iſte ſervus Vnde. 1. Timoth. 1. Iuſto lex non eſt poſita. D. Auguſt. in Pſal. 1.

Lazarus ſub lapide, reus ſub lege. Ibid.

Servi malè habiti à Dominis aut aliis vendi ſe petunt, aut fugâ liberantur. Servus peccati, quo fugiat non habet, ſecum ſe trahit quocumque fugerit. Non fugit ſeipſam mala conſcientia, intus eſt enim quod fecit, voluptas tranſit, peccatum manet: præteriit quod delectabat, remanſit quod pungat; Venales nos petamus, vt Chriſti ſanguine redimamur: dicit enim Dominus. Iſay. 52. Gratis venundati eſtis, & ſinè argento redimemini: ſinè prætio, ſed veſtro, quia meo, ſanguine enim ſuo nos redemit. D. Auguſt. Tract. 51. in Ioan.

Miſer eſt ſtatus Reipublicæ, quæ non poteſt, nec pati pacem, ſuis non contenta; nec bellum, hoſtibus infirmior. Sic miſerum eſt in peccato vivere, durum illud ſuperare. Senſibus obſequi eſt quinque tyrannis ſubeſſe. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Thren. 3.

Clama, Infœlix homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Erue de neceſſitatibus animam meam. Pſal. 30.

Sicut qui ſe occidit, vtique vivendo ſe occidit, ſed occiſus non vivit, nec ſe poteſt reſuſcitare cum occiderit; Ità cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium, à quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt, vt dicitur. 2. Petr. 2. D. Auguſt. in Enchyridio ad Laurent. cap. 30.

Graviſſima ſervitus ſub ſuperbiâ malorum Angelorum, Dei dominatum vſurpantium; nec enim vt humanæ ſervitutes morte finitur; nec etiam in eâ liberæ manent cogitationes, turbatur enim mentis oculus ne veritatem percipiat. D. Auguſt. de Verâ Religione. cap. vlt.

Vidimus ſtultos & riſimus, quos cuſtos alligabat ſtraminis, vel exigui fili nodo, atque illi ſtabant quaſi ferro aut verâ compede vincti; ſimilis peccantium amicitia, poſſunt enim ſe libero voluntatis actu liberare.

Vera eſt illa Platonis ſententia, ſolos quos deſiderant facere poſſe ſapientes; Improbos verò exercere quidem quod libeat, quod verò deſiderent explere non poſſe; faciunt enim quælibet, dùm per ea quibus delectantur ſe adepturos putant, ſed minimè adipiſcuntur, quoniam ad beatitudinem probro non veniunt, nec pervenire poſſunt ad id, ad quod eos naturalis ducit, ac penè compellit intentio: & quæ inopia, non circà ludicra & levia, ſed circà ipſam rerum ſummam, verticemque deficere! Nec tantùm potentes, ſed omninò eſſe deſinunt; nam qui communem omnium quæ ſunt finem relinquunt, pariter quoque eſſe deſiſtunt, & à naturâ ſua deficiunt vt cadaver à naturâ ſui corporis: Eorum potentia non à potentiâ, ſed ab imbecillitate deſcendit; poſſunt enim mala, quæ minimè valerent, ſi in bonorum efficientiâ manere potuiſſent. quæ poſſibilitas nihil eos poſſe demonſtrat. Boëtius de Conſol. Philoſophiæ. lib. 4. Proſa. 2.

Vt

Vt ſervus ſibi non acquirit, ſic peccator. *Vide Miſeritas Virtutis.* Actiones in peccato mortuæ.

Non eſt liber, qui, vt ait Apoſtolus, captivatur à lege peccati, amat enim naturaliter virtutem, fœlicitatem, Deum ipſum ſummum bonum, finemque vltimum, vndè avocant ipſum cupiditates, quaſi venti contrarij à portu.

Libertas eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere licet, niſi quod vi aut jure prohibetur. §. 1. Inſt. de jure perſon. Quæ enim prohibentur fieri à legibus, non cenſentur eſſe in noſtrâ poteſtate. l. Filius. ff. de Condirio. Inſtitut.

Quia libertas nulla niſi in infinitâ amplitudine, quæ nobis ineſt, aut inhæſione perfectâ, aut tendentiâ ad Deum, qui præter leges & ordinem agit, non eſt in agendo liber, ſed ſervus, obnoxius creaturis, cùm ex parte principij, quia non quà Dei capax eſt operatur, ſed quà ad inferiorem gradum declinans, propriâ defectibilitate & nihilo, vndè nondùm omnino emerſit; & ex parte finis, quia non Deum quærit, ſed ſeipſum, cui tanquàm fini & Deo ſuo injuſtiſſimè inhæret: non dominatur creaturis, non ſibi, non gaudet indifferentiâ ab inferioribus, ſed ſponte ſe ſervum conſtituit; nec poſtea poteſt vinculum ſolvere, quia à quo quis devictus eſt, huic & ſervus eſt, & non poteſt ſervus contrà Dominum prævalere, niſi à potentiore adjutus; Nullus autem potens niſi in vno, à quo ſi deceſſeris, nihil tibi præter imbecillitatem ſupereſt. Servitus peccati eſt vera ſervitus, quia per illam homo impeditur ab eo quod eſt proprium ſibi. D. Tho. 22. q. 183. art. 4.

Anima peccando ſibi facit voluntariam neceſſitatem peccandi. *Vide Volunt. Virtut. Repugn.*

Voluptuoſis quæ erant ſupervacua fiunt neceſſaria, ſerviunt itaque voluptatibus, non fruuntur. Seneca. Epiſt. 39.

Quamodò conſuetudo peccati contringat voluntatem. *Vide Duratio Volunt. mala.* obſtinatio.

Aliud eſt peccatum, aliud eſt pœna peccati, aliud vtrumque; Peccatum eſt illud Adæ: Pœna peccati, cum quis pro ſuo ſcelere quo Peccavit punitur, ſive in corpore, ſive in animâ; Peccatum verò & pœna peccat, cum dicit Apoſtolus, non quod volo hoc ago. D. Auguſt. lib. Diſp. cum Iulian. Diſp. 48.

Vnuſquiſque peccando animam ſuam Diabolo vendit, acceptâ, tanquàm prætio dulcedine temporalis voluptatis. D. Aug. lib. Prop. ſup. Epiſt. ad Rom. Prop. 42.

Qui facit peccatum ſervus eſt peccati, ô miſerabilis ſervitus; Plerumque homines cum Dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, non quærentes Dominum non habere, ſed ſaltem mutare: ſervus peccati quid faciet? quem interpellet? apud quem venalem ſe petet? deindè ſervus hominis, aliquandò ſui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requieſcit, ſervus peccati quo fugit? Secum ſe trahit quocumque fugerit: non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quo eat, ſequitur enim ſe, imò non recedit à ſe, peccatum enim quod fecit intùs eſt: fecit peccatum vt aliquam corporalem caperet voluptatem? voluptas tranſiit, peccatum manet; præteriit quod delectabat, remanſit quod pungat. Mala ſervitus. D. Aug. Tract. 41. in Ioan.

Homo liber & dominus conſtitutus. Nomen quippè ſervitutis culpa meruit, non natura: teſtis eſt homo Daniel cum in captivitate poſitus peccata ſua & peccata populi ſui confitetur Deo, & hanc cauſam illius eſſe captivitatis pio dolore teſtatur, prima ergò ſervitutis cauſa peccatum eſt. D. Auguſt. lib. 9. de Servit. cap. 2.

A Crebreſcentibus peccatis, indè vſque ab initio crevit ſervitus, & imperiorum aſperitas.

Eo quiſque miſerior ſervus eſt, quo fœlicior liber fuit, noli igitur libertate tumeſcere, quoniam non ex liberis modo, ſed ex regibus tàm ſubitò ſervi fiunt, neque verò hinc liberum te dixeris, quod eſſe tibi Dominum non vides, quod parentibus natus ingenuis, nec in acie captus, nec venundatus ſis, ſunt nobis inviſibiles animarum Domini, & in ipsâ hominum origine latens peſtis eſt; naſcendi genus obnoxium peccato, quâ nulla gravior ſervitus fingi poteſt, &c. profecto autem liberum non facit fortuna ſed virtus. Vide Petrarch. Dial. 14. de Libertate hæc citat ex Senecâ.

B

QVÆ SIT POTESTAS, Virtutis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Virtus eſt habitus ſecundùm rationem, qui malam indolem corrigit, bonam perficit. Nullum homini majus beneficium, ſinè quo nobiles illæ intellectuales potentiæ ſibi aliis quæ graves ſunt.

MAGNITVDO. Singularis exiſtentiæ, amotiſque proprij terminos tranſcendit virtus, dùm hominem, C ſpretâ ſenſibili parte, totum addicit ſpiritualibus; ſic elato animo nihil ex fortuitis magnum eſt, vniverſalium divinorumque ſpectatori quæ dicuntur publica ſingularia & minima videntur.

DVRATIO. Naturæ motus ſenſibiles variantur, in obvia quæque cæco impetu arietant, non ſervant modum, non patiuntur moras, non expectant venientem tempore ſuo occaſionem, non ſuſtinent labores, denique non præſtant quidquid neceſſarium eſt ad jacenda rei in poſteros tranſituræ fundamenta. Sola virtus, æternitatis idæam contemplata, ſibi conſtans eſt, æternitati laborat, conſiliis, rebus, animis, famæ immortalitatem largitur. Quod rei natura efferatæ vi D negat, ſenſim obtinet patiens fortitudo.

POTESTAS. Multum poteſt virtus, quæ eo adegit homines libertatis ſuæ naturaliter amantiſſimos, vt chariſſimam hanc libertatem illi litaret, dùm virtute præſtantiores ſibi in Dominos elegerunt, dùm ſe Magiſtris, principibus, legibus, ad illam conſequendam ſubjiciunt, & merito, nam vera libertas contingit tantùm virtuti, quæ hominem à multorum motuum ſenſibilium tyrannide liberat.

COGNITIO. Caſtas Muſas deſcribunt Poëtæ, virtus enim ſola, mentem abſtractam à ſenſibilibus aptam efficit contemplationi. In malevolam animam non intrat ſapientia; Ars eſt vitæ, quæ tantùm poteſt in E moribus, quantùm artes omnes ſimul poſſunt in naturâ.

VOLVNTAS. Soli virtuti contingit idem ſæpè velle. *Vide Durat. Volunt.* Sola eſt quæ veras ſolidaſque nectit amicitias, ſola regit paſſiones dominantibus dominantes, ſola verè efficit liberum, cui dat ex conſilio non impetu in deſtinatum ferri.

VIRTVS. Virtus moralis præludit Religioni, Religio Beatitudini, in quâ ſumma libertas, ſummumque in Dei poſſeſſione imperium. Apud pleraſque gentes ſummũ jus Religioni datum eſt; & nunc ſplendor Eccleſiæ externum publicumque eſt indicium imperij, quo fruitur anima Deo per virtutes ſacra.

VERITAS. Tantùm poteſt virtus, vt ſinè illâ ni-

hil ſe poſſe credant imperantes, & quillam non habent, fingant tamen, & hoc vel ſola ſimulatione à cæteris obſequium obtineant.

GLORIA. Sceptris meis, virtuti vitrò venerationem exhibent homines, dùm inviſibili eminentioribus præmia, nomen in immortalitatem vindicantia, decernunt. Cedit tunc invidia virtuti; timet etiam quiſquis ne videatur ab ipsâ alienus, ſi ipſam in alio non colat, quali aliquid ſui, parteraque gloriæ reputet gloriam juſtè pro meritis deferre. Sub pietate contingit orbis Monarchia, dùm habet Principes omnes ſibi ſupplices.

DIFFERENTIA. Pietas ingeſt eſt, quem Chriſtus, vera Promethæus, è cœlo detulit in terram, maximè curans vt accendatur; his ignis ſeparat purum ab impuro, filiam à matre. &c. Quanta vis, Religionis, quæ natura, ſanguine, paſſione conjunctiſſimos difficiliùs, facut & longè difficiliùs in viriatem adducit.

CONCORDANTIA. Virtus, quæ primæ adhærent vitali, ſola poteſt diverſa, imò & pugnantia inter ſe homininm ingenia conciliare, ſola feruduit immortale fancire. *Vide Concord. Virtut.*

CONTRARIETAS. Magnæ debent eſſe vires virtuti, quia externa interamque ſimul bellum aggreditur, ſemper in procinctu, armis animoque ilitex conflicta crescentibus.

PRINCIPIVM. Mitum non eſt tantùm poſſe pietatem, cum non ſolis, ſed Dei ipſius omnipotentiæ ſuis viribus, feliciet cum auxiliis: Omnia poſſum, inquit Apoſtolus, in eo qui me confortat; Hinc mira conſtantia in tyrannos vitæ. Religiotæ, & in delictatis etiam puellulis martyrthus.

MEDIVM. Multùm debet poſſe ſapiens ſeipſo contentus; ſibi ipſi amplißimum eſt theatrum. *Vide Sapiente. & Minor. Med.* Vitius probi hominis præſentia, licet inermis, plus poteſt ad compeſcendas feditiones, quam exercitus.

FINIS. Summa vis in virtute, quæ nunquam à propoſito ſibi fine deflectit, quæ vno tempore imperat, licet tor hoftium inſidiis infeſta, impertertita, fecura, læta, tota enim ſpiritualis, nihil ab externis corporeis patitur.

MAGNITAS. Hoc verè bonum querit humana mentis ambitio, vule enim quiſque dignitatibus præeminere, non ipſarum dignitarum amore, quæ ſunt oneri & ſuſtidio, ſed vt videatur virtute excellens, ea eo quòd ad talia ſit aſſumptus.

ÆQUALITAS. Tantùm poteſt juſtitia, vt is quem afficit, ſibi ſuiſque neget, quod alteri eſt debitum. Idem efficit in mundo cœli juſtitia, quod in naturali divina providentia, vt contrarias & in ſe armatas partes in concordiam educat.

MINORITAS. Si quando virtus jacent fortunæ bonis ſpoliata, ſeu id fortuitò, ſeu liberè contingat, ſemper tamen eſt quieta, ſemper læta, ſic probans ſe ab illis non pendere. *Vide Durata V irtutis.*

VIS ET IMPERIVM Religionis.

MISCELLANEA.

DE Eccleſiæ diviriis. *Vide Magnitudo poteſtatis.*

Religio eſt virtus, per quam homines Deo debitam reverentiam exhibent; eſt virtus non Theologica, ſed moralis, quia Deum reſpicit potiùs vt finem, quàm vt objectum, vel materiam; Eſt autem A excellentiſſima inter virtutes morales, quia proximè ad Deum accedit; quæ enim ſunt ad finem, fortiuntur honitatem ex ordine ad eum, & quanto ſunt fini propinquiora, tanto ſunt meliora. D. Thom. 2. 2. q. 81. 6.

Cùm ſit præcipua virtutum moralium meritò plùs poteſt, illique deferendum eſt imperium.

Imperat Religio in Regibus quos efficit feliciter imperare. *Vide Poteſtas Virtutis.* De Regum pietate, & Rex Sacerdos ibidem. Imperat etiam in magna Eccleſiæ diviriis. *Vide Magnitudo Poteſtatis.* De licitis Eccleſiæ diviriis, & ineo quodjuvant feliciter poſſitam in regimine. *Vide Concordantia Poteſtatis.* Religionis & Politiæ conſenſus.

Quæritur primùm Regnum Deo, & omnia adjicientur vobis: Matth. 6.

Plato in Republicæ inſtitutione primo loco ponit Religionem, deinde Magiſtratus, artes, arma, &c. Cum enim juſtitia poſita ſit in dando & accipiendo, præſpicuum debitum eſt, Deo quod publicè debitum eſt, vt honorem publicorum Auctori, exhibeatur. Numa in Religionis inſtitutione Romulo belliatori præferendus, quia quid operoſiùs egit, vbi enim Religio, ibi & arma introduci poſſunt, vix Religio vbi vigent arma.

Multùm apud Romanos poterat Religio, qui conſultus libris Sybillinis, oraculis, auſpiciibus, oſtentis, obſtitique ſacrificiis publica omnia, etiam privata quædam aggrediebantur. His autem vt plurimùm confectis favebant Principes, manuſque admovebant, vt inſtrumento ad populi movendos animos apriſſimo. David à Deo electus auſpicatus eſt regnum ſuũ à reſtitutione cultus Dei. Non debet enim quiquam imperare qui ignorare à quo regitur. Sic fecit Britannos, de quo Vide Baron. an. 527.

Non contentur & cultodiut optima ſtatuta niſi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ cum bonum communæ diligitur, quod ſummum & veriſſimum Deus eſt, atque in eo invicem ſyncerißimè ſe diligunt homines, cum propterillum, ſe diligant, cui quo animo diligunt occultare non poſſunt. D. Aug. B Epiſt. 7. Voluntano. Forte obeſſe poterat Resp. antiquorum Religio, quæ diſcordes inter ſe Deos colabat, quorum etiam exemplo per bella civilia concordiæ vinculum rumpebant. Ibidem.

Deus offendit in oppreſſionibus impetio Romanorum quantum valerent civiles, etiam ſinè Religione, virtutes, vt intelligeretur hæc addita fieri homines cives alteritus civitatis, quas Res veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. Idem. Epiſt. 5. Marcell.

Syneſius de regno ait. Pietas primum ſubſtentior, fulcrum & crepido, cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc regni; mitè, fractaque cervice humanum jugum ferunt, qui ſenel illud diviuum; Pietas & Dei metus coërcito eſt & frenum ab omni rebellione. C Hinc Triſmegiſt. Vna cultodia Pietas: Pium enim virtus, non malus genius, non fatum ipſum divinicit. Deus enim eripit eum ab omni malo.

Regna etiam ſuſtinet vana Religio, nullaque Republica ſine ſpecie aliquâ Religionis: quanta igitur vera virtus, cujus vmbra ſuſtinet hanc molem? Plutarchus. Religionem vocat virtutum omnis ſocietatis & juſtitiæ firmamentum. Exod. 7. dicitur, quod Aaron erat os moyſi, quia conſentiente corde loquitur.

Exactis Regibus, & ſcriptis legibus in 12. tabulis, à Decemviris introductâ ſunt leges ſolemnes, & certæ actiones, quæ erant penes collegium Pontificum. l. 2. §. 6. ff. de orig. jur.

Judicaria poteſtatis centrum Chriſto propter divi-

Digitized by Google

nam perſonam, dignitatem capitis, gratiæ habitualis plenitudinem, & propter meritum eius. D. Thom. 3. q. 59. a. 3.

Imperatores debent Pontificibus ſubeſſe, non præeſſe. Can. ſi imperator & ſeqq. diſt. 96.

Ideo Conſtantius Imperator, ſedem imperij tranſtulit Conſtantinopolim, quoniam Imperator terrenus poteſtatem habere non debebat Romæ, vbi principatus Sacerdotum & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cœleſti eſt conſtitutum. Can. Conſtantinus diſt. 96.

Epiſcopus debet Principibus temporalibus non ſubeſſe, ſed præeſſe; Eccleſiaſtica & Sæcularis poteſtas ſunt duo luminaria, ſed poſior eſt, quæ præeſt diei, &c. multo. cap. ſollicitæ. Dei majo. & obed.

Spiritualis poteſtas, quia ex Deo, eſt ſinè acceptione perſonarum, ideò in Reges etiam eſt exercenda, &c. cap. novit. de judiciis.

Judæus non poteſt habere ſervum Chriſtianum. cap. multorum de Judæis.

Liberantur ab omni obligatione, obſequio, fidelitate, qui hæreticis erant adſtricti. cap. abſolutos, de hæreticis.

Liberti quorum Patroni ſunt in ſæculo, non debent ad clerum promoveri. Concil. Elibertin. can. 80. anno. 305.

Servus antè acceptatem ingenuitatem non promoveatur ad ordines. Concilium Aurelianem. can. 20.

Corripitur per Concilium Prouinciale, qui publicis officiis præpoſuerit Judæum, vel paganum. cap. cum ſit 16. de Judæis.

Excommunicatur qui de cauſâ ſuâ provocat ad judicem alterius fidei. Concil. Carthaginenſ. can. 87.

De immunitate Eccleſiaſticâ. *Vide infrà Gloria Virtutis.* Et hoc tit. proximè.

Ex reſiduâ aquâ Neemias aſperſit majores lapides, & ex eis flamma accenſa eſt, ſed ex lumine quod refulſit ex altari conſumpta eſt. 2. Machab. 1. prævalet Religio.

De Iudiciariâ Eccleſiæ poteſtate, quæ manavit à Chriſto, qui fuit ſimul ſummus Rex & Sacerdos, quique conſtituit in Eccleſiâ Regale Sacerdotium. Vide Baron. an. 57. num. 27.

Apud Hebræos, penes Sacerdotes ſumma fuit rerum, quorum Princeps ſummus Pontifex ſuo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium Sanhedrim. 72. Seniorum. Apud Gentiles, communi ac naturali cenſu cuncta Sacerdotum arbitrio regebantur; vt de Æthiopibus Strabo. lib. 17. De Ægyptiis, Ælianus lib. 14. c. 34. De Perſis eorumque Magis, Euſebius in chronic. De Athenienſibus & Areopagitis Joſeph. lib. 14. De Gallis & Druidis Cæſar. lib. de Bello Gallico. De Romanis & eorum Auguribus Cicero lib. de legibus.

Templa ad quæ conveniebant Chriſtiani dicebantur Baſilicæ, quaſi domus Regiæ & in quibus etiam colebatur Rex Regum. Vide Baron. an. 57. num. 127.

Concilio Arelatenſi primò ſub Conſtantino ſtatutum vt Præſides Provinciarum, aliique Reipublicæ magiſtratus Chriſtianilitteras acciperent Eccleſiaſticas communicatorias, vt vbicumque agerent, locorum Epiſcopi curam de illis agerent vt cum inciperent contra diſciplinam publicam agere, tunc demùm à communione excluderentur. Baron. an. 314.

Manumiſſiones fiebant in Eccleſiis coram Epiſcopis, & manumiſſi fiebant cives Romani. l. 1. & 2. Cod. de his qui in Eccleſiis manumit.

Conſtantinus dedit poteſtatem omnibus qui in judicium vocarentur, rejectis civilibus magiſtratibus, ad Epiſcoporum judicium provocandi, & eorum ſententiam ſic ratam eſſe, ac ſi ab ipſo Imperatore lata eſſet: denique juſſit vt Magiſtratus Epiſcoporum judicia exequerentur, & milites eorundem voluntati inſerirent. l. 1. Cod. Theod. de Epiſc. judic. Vide Sozomen. lib. 1. cap. 9.

Prætextu Iuris, quod ſibi vindicat pietas, Donatiſtæ habebant ſuos in Africâ circumcelliones, qui circumeuntes domos ſe dicebant publicæ Iuſtitiæ vindices, ſervos libertate donabant, debitores oppreſſos liberabant, &c. Baron. an. 321.

De Regiis Eccleſiæ Romanæ Iuribus à Chriſto-Conſtantino, aliiſque Imperatoribus acceptis. Vide Baron. an. 324.

Hormiſda creato Romæ in S. Pontificem Clodovæus Rex Chriſtianiſſimus coronam auream cum gemmis. B. Petro miſit; eoque munere viſus eſt oppignoraſſe regnum ſuum in Eccleſiæ Romanæ præſidium, Deoque dicare. Baron. in Epiſt. dedicatoriâ tom. 6. an. 514. Et vide plura in Epitome Spondani. hoc anno.

Iuſtinianus Imp. Novella. 86. jubet Epiſcopos Præfectis Provinciarum judicibus præpoſitos eſſe, ne quid ab illis contrà juſtitiæ ordinem admitteretur. Idem jubetur Concilio Arelatenſi cap. 7.

Et Novella. 8. Præfecti jurant inter manus Epiſcoporum ſe juſtè officio ſuo functuros.

S. Pontifex in pœnam Regii delicti efficit terram ab eius ditione immunem. *Vide Finis Poteſtatis.*

S. Gregorius conceſſit Mediolanenſibus vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius civitatis Antiſtes, quiſquis pro tempore eſſet, coacto Concilio Epiſcoporum ſibi ſubditorum, eligeret Regem quem velle. Baron. an. 600.

Filij Conſtantini Pogon. Imp. mittunt ad Benedictum. PP. de capillis ſuis, ſic ſignificantes ſe illi dedere in adoptionem. Baron. an. 684.

Ina rex Angliæ, Regni ſui domos ſingulas ſingulos denarios argenteos annuatim S. Petro pendere ſtatuit, vt ſic populus S. Petrum hoc tributo Dominum ſuum agnoſcens, fidem illibatam ſervaret Baron. an. 704. Hæc penſitatio vocabatur denarius S. Petri; hunc que Pontificius quæſtor colligebat.

Idem denarius in Galliis perſolutus eſt, finito bello Saxonico, liberè tamen ab omnibus pendebatur. Baron. an. 782. & à Rege Poloniæ. Vide an. 1015. ſit ſedis Apoſtolicæ feudataria & tributaria. Id. an. 1045.

Quod electores Imperij jus ſuum acceperint à ſummo Pontifice. Vide multa apud Baronium. an. 996. & 1013.

D. Paulus. 1. Corinth. 6. Increpat Corinthios Chriſtianos quod ſubjiciant ſe gentilium judiciis. An neſcitis; inquit, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus; quantò magis ſæcularia?

Deindè finis, cum tradiderit Chriſtus regnum Deo & Patri; cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem & virtutem: oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius: cum autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. 1. Corinth. 15.

Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. 2. Corinth. 10.

Constituit Deus Christum ad dexteram suam in A cœlestibus, suprà omnem Principatum & Potestatem & Virtutem & Dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro; & omnia subjecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Ephes. 1.

Cum venditor & emptor agri litigarent cujus esset thesaurus in empto agro ab emptore inventus. Appollo respondit ejus esse duorum, qui virtute inventus esset præstantior. Philostratus in vitâ Appollo lib. 2. cap. 15.

Amatori sapientiæ optat Isaac, Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ; ad Esau autem dicitur in pinguedine terræ & in rore cœli de super erit benedictio tua Gen. 27. Præfertur terra cœlo in Esau, & ex hoc ordine spiritualis, aut carnalis quisque judicatur. D. Bernard. in parvis. Serm. 33. B

RELIGIO EST FVNDAmentum, & nexus Regiminis.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Vt plures efficiant vnum corpus, misceri debent, & vniri sub vnâ forma dominante, vnamque omnibus vitam influente: vt autem spiritus hic intùs alat, totamque infusa per artus mens agitet molem, & toto se corpore misceat; debet esse vniendis partibus præstantior; debet esse aliquid excelsius, spirituale, immortale, impassibile, talis est Religio inter res civiles. C

Magnitvdo. Vt formæ à Philosophis, calidum & humidum primigenium à medicis, dicuntur esse cœlestis cujusdam naturæ; sic Religio, vt quid magnitudine virtutis præstantius, assumitur in Politiâ dum vnitas efficit mentes in cultu Numinis, vt circà quid præcipuum, in cæteris quasi minimis habet concordes, saltem multò minùs adversas.

Dvratio. Dandum est aliquod immobile, cui commercij civilis, ipsarumque legum tempore mutabilium motus omnes innitantur: hoc autem præstat æterni numinis cultus, ipsâ antiquitate, & fide fix à venerandus. Hic perpetuus Numinis metus necessarius est ad continendos semper in officio populorum animos, qui in mutatione principum metu soluti pernitiosa aggrederentur. D

Potestas. Sic in divinis humiles, subditæ, credulæ, subjectæque mentes præparantur obsequiis Politiæ, quæ similia quædam expetit, nec consequi posset, jugumque illud non valeret imponere, nisi animis jam illud à Religione passis, domitisque. Sic sapientissimi Principes potentissimam effecere Religionem, vt quò fideliùs homagia Deo omnium Domino præstarent, etiam Ius Dominij ab ipso acceptum vicariâ Majestate in populis haberent illibatum. E

Cognitio. Dùm Religio implet mentes rerum divinarum contemplatione, illas pascit, perfecta agendorum idæa dirigit, & opportunè à politicis, curiosè nimis inquirendis, avocat: sic dùm mentes detinentur pulcherrimo rerum æternarum spectaculo, dùm laborant in conciliandis mysteriis, dum nituntur vltimum veritatis terminum acie ad hoc parùm firmâ attingere, aliusque se videre putat, quod cæteris nondùm contingit innoxiè, & longè politicis posito æmulationis periculo decertatur.

Voluntas. Summus ergà Deum amor summè conciliat homines; vt Regis authoritas potenter dissidentium jurgia componit. Pio principi mutuis pietatis vt charitatis officiis complacere studebit subditi: Curet ergò imprimis Politia pro se habere Religionem, quam contrà se habere timendum est.

Virtvs. Non staret Respublica, hominumque commercium sinè virtutibus, quarum caput est Religio.

Veritas. Quidquid spe, metuque exigunt leges, externum est sæpè, fucatum; fraus enim facilè fieri potest vigilum Magistratuum oculis. Sola Religio jus æquumque, sola bonam fidem in imo præcordia demittit, sola æternæ veritatis leges cordibus vicariâ Dei manu inscribit.

Gloria. Quies septimæ Diei, etiam corporibus debita, cedit in lucrum animarum, piis Ecclesiæ festivitatibus; ne dum corpus cessat à labore, dissolvatur voluptatibus, hincque majorem patiatur vitiorum jacturam. Sic per intervalla oculi in divinam idæam sunt conjiciendi, vt hinc humani actus rectius formentur.

Differentia. Vt populos vna concillat Religio, sic quod in eâ diversum est maximè dissociat. Olim hostes pagani varia coluerunt numina; nunc bello inter se certantes Christiani diversos invocant sanctos, sibi vt putant præ cæteris propitios: concives etiam ex diversitate Patronorum parochiis præsidentium in se sæviunt, Religione quidem, cœloque innocente, sed natura hinc sibi ad iras potentissimam occasionem quærente.

Concordantia. Hinc congregationes sunt prohibitæ, nisi speciali privilegio concedantur. Sunt enim interdùm seditionis & conspirationis præludia, quodcumque addunt singularium quorundam vnioni detrahunt vniversali inter omnes concordiæ.

Contrarietas. Nulla sæviora, quàm quæ pro Religione suscipiuntur bella, tunc enim homicidia, parricidia, sacrilegia putantur esse sacrificia: hinc ex contrario patet quantùm valeat ad pacem conciliandem omnium in vnâ Religione consensus. Vt effiænis equi magni impetus ostendunt magnas vires, si benè domitæ sint, perutiles.

Principivm. Suprema velorum pars ventos magis excipit, naveſque potentiùs vrget, & hic eminens ergà primum principium cultus cæteris imperat. Ab iisdem omnia conservantur, quibus producta sunt, vt ergò primas hominum congregationes fecit, sic fovet Religio: Sic Moyses Populum à servitute vindicavit, & in fœlicissimi soli possessionem misit.

Medivm. Consentire debet Religio & Politia, sed indignum est Religionem, divinam, nostrique meliorem partem formantem, Politiæ vt instrumentum ministrare. Ignobilius principali servire debet vt regula, aut aliud organum artifici.

Finis. Religio respicit vltimum finem, vndè cætera, quæ fines subordinatos consequuntur jure sibi subjicit, trahitque ad suas partes.

Maiorita s. Vt vnus, cæteris etiam singularibus mentis impar, omnes regat, pietate confœderatus esse debet primæ, omnibusque dominanti vnitati. Quis non vereatur, ametque Principem, dùm putat à Deo omnium Domino & Patre datum ipsi charum vices eius in terris agentem; itaut in illo injurias vltor, beneficia remunerator accipiat.

Æqvalitas. Quod aliqui cæteris militari præstant fortitudine, id accipiunt à præstantior in illis Religionis sensu, quid enim non potest is, qui sibi Deum putat esse propitium; terrena omnia contem-

nit, nec timet mortem, quàm scit expeditam immediatamque esse ad cœlum viam.

Minoritas. Pauperes in Republica plures multò sunt quàm divites, vndè numero suo confisi insolescerent, si exasperatam necessitate, & invidiâ paupertatem Religio non mitigaret; dùm ad similia abjectos è plebe cum principibus admittit, & inæqualitatem fortunæ hæc rei principalis æqualitate compensaret.

IMMVNITAS
Religionis.

MISCELLANEA.

APud Romanos, Sacerdotes, omnesque sacris deditæ personæ à bellis erant immunes, nisi bellum à Gallis moveretur, quos ferocissimos existimabant hostes. Plutarch. in Marcello.

Apud Ægyptios, Sacerdotes non modò immunes erant à tributis, sed & ipsi tertiam partem vectigalium percipiebant. Diodor. Sicul. rer. antiq. lib. 2. cap. 3.

Druidæ in Galliâ militiæ vacationem & omnium publicorum onerum habebant immunitatem. Iul. Cæs. lib. 6. de bello Gallico.

Terra sacerdoralis in Ægypto immunis fuit tributo, impositò terris ob penuriam venditis, quod erat quintæ partis frugum. Genes. 47.

Esdræ. 1. cap. 7. Artaxerxes edixit in hunc modum. Vobis notum facimus de vniversis Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus & Ianitoribus & Ministris domus Dei hujus, vt vectigal, tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.

Levitæ non pendunt capitationem pro vsu tabernaculum. Exod. 30.

Dyonisium Syracusorum Tyrannum impietatis arguunt historiæ, quod Æsculapio Deo suo auream barbam abstulit, eo prætextu quod Dij erant munifici, bonaque omnia aperta manu mortalibus porrigerent.

Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Isay. 49.

Heliodorus punitur qui deposita in templo rapuit. 2. Machab. 3.

Clericis immunitas confirmatur ab Imp. Valentiano, pœnaque publicationis bonorum decernitur in istius constitutionis contemptores. l. privilegia. Cod. de sacr. Eccles.

Sacerdotes Provinciarum ab oneribus & muneribus publicis excusationem habuerunt. l. 13. ff. de excusat. & vacat. mun.

Nescit Ecclesia publicas leges, suas novit. D. Ambros. lib. de fuga sæculi. cap. 2.

Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, noli te gravare Imperator, vt putes in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus habere; noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus; scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, &c. D. Hieronimus ad Marcellinam: citatur 23. q. 8. can. convenior. Vide totam hanc causam & totum tit. de immunitate Ecclesiarum & etiam in sexto. Vide Baron. an. 387.

Fiscus bonorum Principum non sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeri debet. Symmach. lib. 10. Epist. 54.

Honorandæ sunt non gravandæ personæ Ecclesiasticæ, & in eas nullus habet potestatem. can. Ecclesias. 23. q. 8.

A Vt Laici sunt immunes ab oneribus Ecclesiasticis, & tamen participes sunt cultus divini: sic æquâ compensatione Ecclesiastici debent esse immunes ab oneribus boni communis, scilicet pacis, licet illius sint participes.

Quod semel Deo dicatum est; ad vsus humanos non est transferendum. l. in tantùm. §. sacræ. de rer. divis. Vide Levit. 27.

Dùm tributum petitur à Petro, hoc argumento probat Christus se non debere: Reges, inquit, tributum petunt, non à filijs, sed ab alienis. Math. 17. solvit tamen, ne scandalizaret alios. Vide can. jam nunc. 28. q. 1.

Eximuntur monasteria, ne oppressa deserantur. B l. 33. de Episc. & cler.

Ecclesiæ jam satis sunt oneratæ ob subsidia auxiliaria, quæ præstant suis prælatis & summo Pontifici. cap. conquerente de offic. ordina. ca. cum Apostolis. 6. §. prohibemus de censibus.

Tertulian. in Apolog. cap. 13. arguit, & irridet Ethnicos, quòd res apud eos sacras in privatos vsus converterent. Domesticos, inquit, Deos, quos Lares dicitis, domesticâ potestate tractatis, pignerando, ventitando, demutando; Publicos æquè publico jure fœdatis, & sub eadem hastâ, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur. Ibidem. *Vide Gloria Virtutis.* ex jure civili.

Principes non debent disponere de rebus Ecclesiæ, C quæ sunt vota fidelium, prætia peccatorum & patrimonia pauperum. 16. q. 1. c. quia justa, & q. 7. can. laicis.

Vt Reges tributum à filijs non exigunt, sic nec à sacris hominibus. Vide Baron. an. 33. nu. 30. & anno. 57. num. 82. & seqq.

In templo Dianæ Ephesiorum non solùm Ephesiorum, sed & hospitum, populorum, Regum, securitatis gratiâ pecuniæ deponi solebant. Dion. Chrisost. orat. 31.

De munere deffensoris Ecclesiæ. *Vide Virtus Potest.* Pietas Regentium & Rex Sacerdos.

Indictâ expeditione in terram sanctam, vt nihil irè volentibus objiceretur impedimenti, placuit decreto synodali statuere, vt cuncta bona eorum, qui militarent interim essent libera, nec possent vllâ datâ occasione inquietari. Baron. an. 1095. Ecclesiastici quotidie militant pro Ecclesiâ, vndè eorum bona sui debent immunitate.

In natali Apis bovis sacri, quotannis erat apud Ægyptios solemnitas, in quâ se in Nilum homines immittebant, tunc Crocodilis innoxijs. Plin. lib. 8. cap. 47.

Tempore belli contrà Pyrrhum, cum Romana civitas gravi pestilentiâ, fame & hyeme pressa fuisset; consulris libris Sybillinis responsum est ab aruspicibus, quod plurimas ædes sacras multi occupatas privatim tenerent. D. August. de civitate Dei. lib. 3. cap. 17.

Res sacræ à belli sævitia immunes. *Vide Media Contrarietas.*

IN NECESSITATIBVS
tamen publicis Ecclesia de suo confert.

PEricles togam ex auro puro Palladi dedit prætio quadraginta talentorum, quæ quidem toga ad libitum poterat auferri in maximis necessitati-

bus, vt aliam poſſeā non minoris pretij reſtituo. A
rei. Plutarch. in Pericle, & tractatu de virtutis principio.

Paralipo. lib. 2. c. 32. Cum rex Aſſyriorum Sennacherib copiſſet vrbes Iudæ munitas ad eum Ezechias Rex Iudæ in Lachis, dicens; percavi, Recede à me, quodcumque iuſſeris dabo; impoſuitque Rex Aſſyriorum Ezechiæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri: & dedit Ezechias omnem pecuniam quæ inuenta eſt in domo Domini, & in theſauris domus Regis, in tempore illo concidit valvas templi, & cypreos quos deauraverat, & omnia dedit Rex Aſſyriorum. Vide D. Hieronym. lib. 2. aduer. ſuos Pelagianos.

Tota Rex Iſraël neceſſitate cogente tulit omne auarum & ærorum & vaſa, quæ inuenta ſunt in domo Domini. 3. Reg.

Sacra vaſa pro redemptione captiuorum vendi poſſunt. l. 21. Cod. de Sacros. Eccleſ. Et ſi Eccleſia debuiſſe, Nov. 120. c. 10.

Solvimus quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo; tributum Cæſaris eſt, non negatur: Eccleſia Dei eſt, Cæſari vtique non debet addici, quia jus Cæſaris eſſe non poteſt Dei templum. Imperator enim bonus intrà Eccleſiam, non ſuprà Eccleſiam eſt. D. Ambroſ. in concione de non tradendis Baſilicis hæreticis. can. quæ inter. diſt. 18. & cap. 1. de cenſib.

Tributum in ore piſcis inventum eſt piſcante Petro, quia de exterioribus fuis, quæ palam apparent, Eccleſia tributum reddit; non autem totum piſcem B iuſſus eſt dare, quia non Eccleſia dari Imperatori, non Pontificali apex ſubjici poteſt Regibus, ſed quia de exterioribus Eccleſiæ quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete, quā non turbet & defenſare debent, Imperatoribus prælvendunt eſt. 23. q. 8. 18. cap. tributum & ſeqq.

In neceſſitatibus publicis debent clerici de ſuo iuſtendere, ad celebrandas communes neceſſitates, vbi facilè non ſupperunt facultates. cap. non minùs, de immunitate Eccleſiæ & Concil. Lateranenſe, can. 46. additque propter quotundam Imprudentiam, in talibus caſibus eſſe Romanum Pontificem.

De ſpeciali jure Regis Francix. Vide Guillel. Benedict. & Carol. de Graſſalio in tractatu Regalium. lib. 2. privilegio. 4. *Vide Modum Donationi.*

Vide Baronium. an. 57. nu. 81. & ſeqq.

Athenienſes à Peloponenſibus bello vexati ſpem omnem ponebant in theſtamentis, ſignis aureis Deorum, cæterique ornamentis, quibus tunc vti licebat. Thucid. lib. 2. cap. 4.

RELIGIONI DEBITA immunitas ab oneribus publicis.

DEMONSTRATIO.

BONITAS Eccleſiarum perſonas & bona publicum rerum Deo ſacravit. *Vide Durat. Volum.* de vitis: ſacrilegium autem eſt ſemel Deo dicata ad profanos vſus trahere: quid enim ſi ab his qui in Dei ſpeciale Dominium tranſierunt, ſiſcus tanquàm ex ſuis emolumenta percipiat, ſiccque quod ſemel obtulit, ſibi adhuc ad fructus collegendos ſervet.

MAGNITVDO. Hic ordo ſtabilitus eſt in naturâ vt Infima ſuperioribus ſerviant, non contrà; elementativa vegetativis, vegetativa ſenſitivis ſenſitiva rationæ præditis; non ergo ſpiritualia & divina debent humanis & civilibus in commodum ſeddere.

DIVRATIO. Res Eccleſiæ, vt miſeris hominum ſunt, ſed pertinere conſtituit ad Deum immortalem, etiam ipſæ ſint inalienabiles: Non ergo tuiti debent ad onera publica ſuſtinenda; cum etiam non ſint hæreditariæ, minùs à ſuis poſſeſſoribus, alienis commodi ſpe alienabiles, protegentur, ſacilique in præſidium ſtico colentes; perſonæ etiam Deo ſacræ, (ſi publicæ munia ſubire cogerentur) à virtute humana compenſatio facilè deficerent. Religioſa omnia eā mente Deo dicata ſunt, vt in poſterum ad prophanos vſus non trahrentur; impiũmque ergo quod Deo quaſi ſipultante promiſſum eſt.

POTESTAS. Reges volunt donatos ſuæ miniſtros, & domania ſua onerum publicorum immunitate frui; idem concedante munificia & poſſeſſionatus Dei. Reges Regum; cum ſint ab ipſo. *Vide Princip. Panſ.* illi hoc debent præſtare homagium, quo ſibi jam conceſſi imperij continuationem obtinentat; ſibi autem nocens, ſi hucuſque pietatis officio.

COGNITIO. Natura ſic caput colligavit corpori, vt eminentes, vt pedum manuumque opera non ſaltineat, licet tantùm abſimat alimenti, quantum cæteræ corporis partes: Ejus autem eſt diligere, vtinque ſcetam, vnde pendent motus omnes, influere, ſic ſe habere debet Religio in corpore civili.

VOLVNTAS. Vt quiſque teneatur ſibi amare Deum quàm ſe, ſic Deo ſus ſunt ſuis rebus privatis præferre, nec pati priorem oblationes, pro animarum ſuarum Gloire divinis officiis dicatas, in vſus, imò & tenues civiles impendi, & ad tuendas inevitabiles ingres, Dei legibus contrarias.

VIRTVS. Eccleſiaſtici alio ſcilicet miſericordiæ & charitatis titulo opem præbuisse afflictis, & quatenparti, quām canones affignant pauperum vſibus, ſuam ſyngeat neceſſitas adjungens; Relinquatur liber huc charitati locus, nec hoc præſtatis officium extorquatur ab his, qui illud ex verbo, ſic exemplo populos debent docere Eccleſiaſtica poſſeſſio publicum eſt miſericordiæ aſylum, quod ſalvum, ſecurum intadumque ſervari omnium intereſſit: Reſtituit enim in plebis habitudinem ſenſum, quod ſubrahere videbatur immunitas: theſaurus eſt, extremis laborantis patriæ neceſſitatibus ſervatus.

VTILITAS. Hæc ſtatuta habemus quaſi inter res civiles non exiſtentia, vnde dicuntur eſſe in manu mortuâ, & Levitæ non fuerunt annumerati cum cætero populo, Nullus ergò cenſus exigendus ab rebus Eccleſiaſticis, ea non exiſtendibus vt vtiles, inquis publica neceſſitas, ſed nulla neceſſitas excuſatur, quæ poterit non eſſe neceſſitas, vt inquit Text. l. de exhortat. caſtitatis. cap. 7.

GLORIA. Mortis omnis ſit ſuper immobili: ſic natura vires omnes ſuas ſimul non profundit, ſibi caver, ſibi in ſorum providet, & diu agit, jam præſabit in parte quietem, quæ eſt animis ſuis: ſit ſemmotus ſtatus Eccleſiaſticus, vt habeat ad quem confugiat commota plebs, Hoc pacis exemplar, æterne etiam tranquillitatis imago, in his qui exercitant laborant, populum efficies pacis amantiſſimum, mortiſque pellis & neceſſitate efferatos mitigabit.

DIFFERENTIA. Nulla major videtur in Republicâ conſuſio, quam ſi ſacra à prophanis non diſcernantur. Id per ſanimo maledicto præviſum eſt à Prophetâ, tunc cum vt populus, ſic erit ſacerdos; nihil durius ab hoſtibus Religionis timendum.

CONCORDANTIA. Timidum, minuſque corpori officioſum non habetur caput, cum illud brachia, cæterique partes conantur illi ſuum ſervare, eo enim ſalvo vires omnibus ſupperunt, vt lædo illabuntur.

sic immunis sit Religio, quæ omnibus præstantioti ratione providet, largitur enim militibus animos, afflictis consolationem, spiritualia, quæ spectant ad consecutionem æternitatis, dum fortulta denegantur.

CONTRARIETAS. Sæpè Religio damnavit legibus suis, voce scriptis, exemplis, passiones humanas, vndè oriuntur mala oneraque publica: cum itaque jam in illam peccatum sit contemptis suis præceptis, injustissimum est eam quasi consciam correamque convenire, ad reparationem ejus mali quod prohibuit, & sensit; ipsique imponere pœnam, quàm læsa sua Majestas nomine divino à pœnitentibus exigere deberet.

PRINCIPIVM. Sacerdotes templa sunt Spiritus sancti, quæ non debent prophanis vsibus, nec effuso bellorum sanguine pollui: absit vt qui divinam inter homines referunt paternam misericordiam, vt communes Christianorum parentes, de suo conferant ad filiorum suorum dissidia, strages, & necem; si non valent res turbatas componere, saltem liceat oculos manusque à tàm horrendo sibi spectaculo removere, ne aliquibus in aliorum perniciem officioso adsint parricidio.

MEDIVM. Si in corpore humano nulla pars in alterius cedit alimentum, nec etiam nobilior alterius debet esse organum, vt Religio Politiæ. Sacerdotium medium est conjungens homines Deo: at vincula in corpore sunt in sensibilia, ne nimiùm in continuo suo opere paterentur. *Vide Gloria Medij.*

FINIS. Mortuis sæculo hæc debetur quies. *Vide Gloria Virtutis.* Quò res est centro primior, eò minùs est mobilis: optimum est populo sinceram hanc sui partem divinis adhærere, dum alij temporalibus laborant.

MAIORITAS. Dum Religio transferre conatur homines ad divina, contrariò conatu demitti non debet ad humana; excelsior sit oportet, & extrà cæterorum sortem, quæ sublevat. Si timetur ne otio sacris dediti langueant, nimiaque rerum abundantiâ turgeant, potest quod superfluit charitatis officijs à convenienti potestate deputari, illæsâ Religionis Majestate, salvisque suis privilegijs.

ÆQVALITAS. Hæc immunitas juge sacrificium est, & continua populi oblatio; quæ divinam promeretur misericordiam: fœlicitatis publicæ prætium est; accipiunt humana, dant spiritualia. Sacerdotes victimæ sunt, Deo pro communi salute populorum sacræ.

MINORITAS. Minùs est quod indulget Princeps sacerdotibus, quàm quod ab illis accipit: Non minora forent tributa, etiam si à Religione exigerentur, quia pro modo facultatum imponuntur populis, non tantùm vrgente necessitate, sed etiam suadente ratione, ne insolescant.

VIS ET POTESTAS *pietatis apud Deum.*

NVllam habet vim oratio, si non adsit conscientiæ integritas. *Vide Veritas Virtutis*, De puritate orationis.

Ab vnitate divinâ omnia prodeunt, & tursùs revocantur in illam, & revocata perficiuntur; hæc ipsa animas rapit ad vota, quibus vnio nobis cum Deo penitùs implorarur: Nec enim frustrà nos movet, si enim morum integritate, quantùm licet, similes illi fuerimus, tanquàm amicis nihil negat. ex Iamblico.

Oportet nos votis ad ipsam bonorum originem provehi, atque ità ad illam propiùs accedentes, in hoc ipso gradu optima quæque dona penes ipsam sita perdiscere: Illa enim omnibus adest, non tamen omnia illi adsunt: quandò verò illam castissimis præcibus, & intellectu tranquillo, affectuque ad divinam vnionem apto præcamur, tunc nos illi adsumus; Non trahimus illam ad nos, sed nos ad ipsam, vt qui ex navi petræ alligata dum funem trahunt, ad ipsam trahuntur. S. Dion. de divin. nom.

Qui est in solis radijs fugit tenebras, qui in Regis amicitia habet divitias & honores, qui in vitæ integritate Deum precibus promeretur, & cum ipso omne bonum. ex D. Chrys. de credendo Deum.

Refert Philostratus in vitâ Apollonij, sapientes, sanctosque viros apud Indos, qui appellantur Ozidraci, suas vrbes ab hostibus non manibus sed oratione deffendere. Deumque ab ipsis suppliciter obsecratum hostes tonitruis, fulminibusque fugare.

Dicit Augustinus, Aquam quâ fuit baptizatus lachrymis matris suæ quasi è fonte manasse.

Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, sed ideò erectus est Paulus, quia in terrâ inclinatus est Stephanus. D. Augustin. serm. 2. de Sanctis.

Vis Deos propitiare, bonus esto, satis illos coluit, quisquis imitatus est. Sen. Ep. 94.

Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coràm ipso facimus. Ioa. 1. c. 3.

Plato de legibus, dicit eos, qui cum multa rapuerint Deos muneribus placare confidunt perindè errare, ac qui dilaniantes oves putent se membris quibusdam pastori redditis, pastorem sibi conciliare Levantes puras manus, sinè ità & disceptatione. 1. Tim. 2.

Non licet Missas celebrare, nec sacrificia super altare Deo offerre, in alijs quàm in Domino consecratis locis, can. sicut de consec. dist. 3. Cor pius sit integritate vitæ sacrum.

Moysi dicit Deus. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Exod. 23.

Oratio de conscientiâ procedit, si conscientia erubescit, erubescat oratio. Tertullian. lib. de exhort. castitat.

Non sufficit pulchros esse flores, nisi etiam puræ sint illos tractantium manus: sic devotas orationes cor impollutum fundat. D. Chrys. hom. 4.

Si iniquitatem quæ est in corde tuo abstuleris à te, tunc levare poteris faciem tuam absque maculâ. Iob. 11.

Si Sacerdotes impuri habebantur, cum inanima corpora suo corpore, quod suapte naturâ inanime est, tetigissent; quomodò ad Deum purissimum accedet quis imputam habens mentem? Philo Iud. lib. Quod Deus sit immutabilis.

Idem lib. de non recipiendâ in templo mercede adulteræ. Si, inquit, oblatio adulteræ, quæ corpore peccavit, rejcitur, quantò magis animæ vitijs deditæ oratio & petitio non recipietur? senectus vitæ meretriciæ finem adfert, sed non memri malæ.

Non facilè audimus infames, & nos à Deo exaudiri speramus, qui improbè vivimus. Heù dementes, Deum non mores mutare conamur! Lege Moysis statutum vt si quis tentasset hominem occidere, & posteà ad aram confugisset, ab eâ ad pœnam duceretur, quia etiam Deum fecit fautorem ausus impij. Nam refugium id significat. Idem lib. de confusione linguar. Sic de impio, qui orat & offert.

Priùs ferrum è vulnere trahendum, quàm applica-

tur medicamentum. Si offers munus tuum ad altare, A vade priùs reconciliari fratri tuo. Gratiam non habet liberalitas si injuria perseveret; quia non spolia, sed dona quæruntur. D. Ambros. Vt ũ nequàm fur justitiam in suum auxilium advocet.

Si offers munus tuum ad altare, &c. Matth. 5. Qui dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, priùs eas facere incipiat à seipso; indignum enim est, vt pro se non faciat, quod facit in proximum, cum dicat Dominus. Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum, & Eccles. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & Eccles. 14. Qui sibi malignus est, cui bonus erit? sic valent eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata: tantò enim magis quisque deserit Christum, quantò magis B diligit quod improbat Christus. D. August. lib. 21. de civit. Dei. cap. vlt. *Vide Verit. Virt. Rep.*

Ad exhibendam misericordiam duo necessaria sunt; is qui dat, & res quæ datur, qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit & se peccato; hoc quod minus est obtulit authori, & quod majus est, servavit iniquitati. Si distribuero omnem substantiam meam, charitatem autem non habeam nihil sum. 1. Cor. 13. D. Gregor. moral. l. 19. cap. 2.

Dealbant quæ foris sunt, intùs autem plena sunt rapina.

Ioan. 6. dicitur; Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: vtique in nomine salvatoris, malis enim est damnator. D. August. tract. 73. in Ioan.

Operari sequitur esse, quomodò benè operabitur & orabit qui malus est.

Relinque munus tuum antè altare, & vade reconciliari fratri tuo. Mat. 5. Te quærit Deus magis quàm munus tuum; sic enim offerenti respondebit tibi, tu peristi, mihi quid attulisti? offers munus tuum, & tu non es munus Dei: plùs quærit Christus, quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inveniſti in horreo tuo: si das vt liceat tibi impunè peccare, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. D. Aug. serm. 16. de Verb. Domini. & hom. 13.

Quid est ad pacem Dei accedere sinè pace? *Vide Magnitudo Virtutis.* Pœnitentia debet esse omnium D peccatorum.

Dicitur in Genesi, quod Deus respexit ad Abel & munera ejus; Nota quod priùs respexit ad Abel quàm ad ejus munera.

Auxiliatur Deus in bello pijs provocatus precibus: *Vide Principium Gloriæ*, victoria à Deo.

Vir bonus agit cum Deo tanquàm amicus. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Mutuus Dei & hominis amor.

De puritate orationis. *Vide Veritas Virtutis.* Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Ps. 65. Psallam & intelligam in viâ immaculatâ quandò venies ad me. Psal. 100.

Deo nostro sit jucunda laudatio. Ps. 146. *Vide Veritas Virtutis ex Bibliis.* Quod Deus orationes & sacrificia impiorum rejicit, *& Vol. Bon. Rep.*

Perseus Rex Macedonium fugiens ex conflictu sacra Herculi fecit, qui tamen ignava sacrificia ab ignavis non recipit. Plut. in Paulo Æmilio.

Iraelitas natos in deserto non circumciderunt, ideò eos circumcidit Iosue oppugnaturus Iericho. Ios. c. 5.

In Ecclesijs Christianorum vbicumque erat sepulchrum martyris, ibi erat altare. Vide Bar. an. 57. num. 103. quasi hinc auxilium petituri.

Vt in fontibus templi Hierosolymitani erat labrum æneum ad emundationem Sacerdotum. Exod. 30. Sic ad fores Ecclesiarum Christianorum solebant esse fontes aquæ dulcis, ad purificationem eorum omnium, qui templum ingrederentur, vt hinc intelligeret populus, Deum puris manibus orandum, vt præcipit Apostolus. 1. Tim. 2. Posteà ex constitutione Alexandri Papæ successit aqua precibus sacerdotis benedicta. Id. Ibidem num. 106.

M. Aurelius Imp. in Germania ab hostibus conclusus, & aquæ penuria laborante exercitu, cum frustrà Deos suos precatus esset: Christiani qui erant in exercitu auxilium à Deo obtinuerunt, fusis hostibus grandine, fulgure, tempestate. Vide Bar. an. 176. Hinc legio hæc Christianorum dicta Fulminatrix. Ibidem.

Dum Constantij Imp. filij Gallus & Iulianus ædificandam suscepissent Ecclesiam Mamæ martyri: pars Galli fœliciter absoluta; pars autem Iuliani sæpiùs corruit, etiam à fundamentis, nec potuit ab eo perfici. Bar. an. 337.

S. Monica dixit Augustino filio, adhuc in hæresi Manichæorum pertinaci. Vade, inquit, à me, fieri enim non potest vt filius istarum lachrymarum pereat. Id. an. 377.

Senatores Romani vrgent Valentinianum juniorem de restituendo Deorum cultu, contrà occurrit suis literis D. Amb. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti: ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulachris fecisti. Bar. an. 384.

Theodosius multis jejunijs, orationibus, vigilijs, cilicijs, peregrinationibus, & processionibus ad loca C sancta se præparat ad bellum. Idem an. 393.

SANCTIS CREATVRÆ obediunt.

DE miraculis, & quomodò anima Deo vnita non tantùm parvo mundo, id est corpori suo, sed etiam magno mundo, elementorumque corporibus imperet. *Vide Majoritas Potestatis.* Miracula.

Adam in suâ creatione tres habuit facies, vnam mortui, formavit Deus hominem ex limo terræ. Alteram viventis, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Tertiam triumphantis, dominamini piscibus maris: Qui moritur sensibilibus, & vitâ Dei vivit, vivo ego jam non ego, &c. Hic creaturis imperat. Idem potest significari per quatuor facies animalium Ezechielis.

Omnis anima partim privati cujusdam juris sui potestatem gerit; partim vniversitatis legibus, sicut publicis coercetur & regitur; & vicuique Angelica potestas præposita. Aliter quasi privato jure agit, aliter tanquàm publicè agere cogitur; potentior est enim pars vniversitas, quoniam illud quod privatum agit, tantùm agere sinitur, quantùm lex vniversitatis sinit: Sed vnaquæque anima tantò est virtute purgatior, E quantò privato suo minùs delectata, legem vniversitatis intuetur, eique devotè ac libenter obtemperat. Est enim lex vniversitatis divina Sapientia, ideoque fit vt sancti Dei servi quandò hoc donum eos habere vtile est secundùm publicam, & quodammodò imperialem legem, hoc est summi Dei potestatem, imperent infimis, potestatibus, ad quædam visibilia miracula facienda: in illis enim Deus ipse imperat, cujus templum sunt; & quem contemptâ suâ privatâ potestate ardentissimè diligunt. D. August. lib. 83. quæstio. quæst. 79.

Aliter Magi faciunt miracula; aliter boni Christiani; aliter mali Christiani. Magi per privatos contractus.

Boni

Boni Christiani per publicam justitiam. Mali Christiani per signa publicæ Iustitiæ; etsi nomen non dederint publicæ Iustitiæ, tamen propter nomen excelsissimi Imperatoris Valentini: Sic non sequens Christum in ejus nomine facit miracula. Luc. 9. D. Aug. Ibidem.

Paulin. Epist. 42. Refert cum in eadem navi essent Catholici & Novatiani, nave aquis subitò absorptâ cum Novatianis solis, salvis omnibus Catholicis.

Brachmanæ Indi Philosophi credebantur precibus fulgura, pestem, famem aliaque mala avertere. Photius biblioth. cap. 242. *Vide Duratio Gloriæ.* Vis & splendor post mortem. Vbi de miraculosis reliquijs sanctorum.

Vis orationis in bello. *Vide Principium Gloriæ.* Victoria à Deo.

Armantur omnes creaturæ ad nutum Moysis; aquę in sanguinem mutantur. Exod. 7. Fluvij, paludes & lacus, omnesque rivi Ægypti ranas ebulliunt quæ domos & secretiora Palatij penetrant. Ibid. 8. Pulvis terræ vertitur in sciniphes. Venit musca gravissima in domos Pharaonis & servorum ejus, corruptaque est terra ab hujusmodi muscis. Et cap. 9. Pestis, vlcera vesicæ turgentes affligunt Ægyptios Moyse plenas manus cineris de camino effundente super terram illorum: Iremque grando, tonitrua, pluvia magna nimis. Post hæc locustæ devoraverunt residuum grandinis, & adhuc indurato Pharaone cum hæc omnia prodigia & facta fuissent, & ad nutum Moysis cessassent, demùm factæ sunt tenebræ super totam terram Ægypti, tàm densæ vt palpari possent. Exod. 10. Denique toto hoc libro mirabilia operatur Moyses in virgâ suâ & potestate sibi datâ in cunctas creaturas, vniversalis fit primogenitorum Ægypti clades, mare rubrum dividitur, aquæ dulcescunt, pluunt coturnices, aqua è petrâ manat, &c.

Iosuë etiam cuncta obediunt, Iordanis refluit, muri Iericho cadunt in ruinam, lapides plouut, sol non festinavit occumbere spatio vnius diei. Non fuit, anteà, nec posteà tam longa dies, obediente Deo voci hominis & pugnante Deo pro Israël. Iosue 3. 6. 10. Quid ni creaturæ obediant sanctis, si Deus ipse?

Hoc erit signum quod locutus est Dominus; Altare scinderur, & effundetur cinis quod in eo est, cumque audisset Rex sermonem hominis Dei contrà altare, extendit manum suam dicens, apprehendite eum, & exaruit manus ejus, altare quoque scissum est: oravitque vir Dei faciem Domini & restituta est manus Regis. 3. Reg. 13. Elias à corvis pascitur & à muliere viduâ cujus multiplicatur farina & oleum. 3. Reg. 17. ab Angelo. Ibid. 19.

Tulitque Elias pallium suum & percussit aquas, quæ divisæ sunt in vtramque partem & transierunt ambo per siccum. 4. Reg. 2. Elizeus pallio Eliæ dividit aquas. Ibid. Aquas exercitui Israël impetrat. Cap. 3. oleum viduæ multiplicat. Purgat Naaman syrum à Leprâ, ad nutum ejus ferrum natavit super aquas. Impetrat hospiti sterili filium, eundem mortuum resuscitat. Pulmentum amarum farinâ aspersum dulce reddit. Panes multiplicat. cap. 4.

Invocavit Isayas Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achas, retrorsùm decem gradibus, & hoc signum dedit Isayas, impetratæ ipsi vitæ ad quindecim annos suis orationibus. 4. Reg. 20.

Sidrach, Misach, & Abdenago in medio ignis servantur illæsi, & vidit Rex quatuor in medio ignis solutos & ambulantes, tres scilicet illos & quartum similem Filio Dei. Dan. 3.

Cæcus illuminatus infert ex tali miraculo Christum esse à Deo, dicens Iudæis, in hoc mirabile est quia vos nescitis vndè sit & aperuit oculos meos, scimus autem quia peccatores Deus non audit, nisi esset hic à Deo non posset facere quicquam. Ioan. 9.

P. Scipionem quotidie diluculo capitolium intrantem canes custodes non allatrabant. A Gellius lib. 7. cap. 1.

DEVS MALIS PARCIT propter bonos.

PRofugi non voluntarij homicidæ ad civitates Levitarum confugiebant: Prophani omnium existimatione cum sanctis viris, quia bonus vir mali est redemptor. Phil. Iud. lib. de sacrif. Abel & Cain.

Deus dicit Iacob, Benedicentur in te omnes tribus terræ. Gen. 19. Salvatur Segor ab incendio Sodomorum, propter Loth ibi refugientem. Genes. 18. Dicit Deus se Sodomam non eversurum, si in eâ decem justi inventi fuissent.

Si genium ornamentum & munimen est aliquod; cives Carthaginis benè vivant, & ipsi erunt genium Carthaginis. D. August. serm. 6. de verbis Domini. c. 6. Genijs, idest Angelis existimabant etiam pagani commissas esse civitates, hoc præstant viri boni.

Noë ingresso in arcam, mundus perit diluvio. Propter Moysem Deus parcit populo Idololatræ. *Vide Med. Gloriæ*, de Intercessione Sanctorum.

Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, Sic in Moyse, Samuele, Iosue, Phinees Dei amicis. Magnus patriæ murus vir justus, inquit D. Amb.

Satiùs est prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos. Ità cum Dij anni tempestates dant vniversis, non excipiunt singulos: frumentũ publicum tàm fur, quàm perjurus & adulter accipiunt, & sinè delectu morum quisquis civis est; nec fieri potest, vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis; nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in improborum agros defluerent; tàm malis quàm bonis conduntur vrbes; monumenta ingeniorum & ad indignos perventura publicavit editio; medicina & sceleratis opem ministrat: In his exige censuram, & personarum æstimationem, quæ seperatim tanquàm digno dantur, non in his quæ promiscuè turbam admittunt: Multùm enim refert, vtrum aliquem non excludas, an eligas. Ius fori omnibus dicitur, pace etiam homicidæ fruuntur, sua reperunt etiam qui aliena rapuerunt, quædam denique non poterant certis contingere, nisi vniversis darentur. Ideò sacra est bonorum memoria, quorum occasione cæteris bona contingunt, &c. Seneca lib. 4. de Benef. cap. 28.

Cresias in historiâ Indiæ refert de Pantarba sigillari gemmâ quæ 77. aliàs prætiosas gemmas, in flumen jactas, ad se traxit, & eduxit. Photius in Biblioth. c. 71.

Dicit Deus se salvaturum Ierusalem, propter me, inquit, & propter David servum meum. 4. Reg. 19.

Honor & commodum ex societate. *Vide Gloriæ Concordantia.*

Vide Potestas Minoritatis. Vnum multis equivaleus & prævaleus.

COGNITIO VIRTVTIS.

COGNITIO VIRTVTIS PROPRIÆ & confidentia ſui.

MISCELLANEA.

ANIMA dum videt ſenſus externos ad corpora inclinantes, agentes per corpus, à corporibus patientes, putat ſe corpoream; ſenſum etiam internum, ſeù phantaſiam corporum figuris repletam, humorum labe, corporis pinguedine oppreſſam videns ſe anima corporali veſte involutam, appetitum proclivem ad corpora putat ſe corpoream; non aliter ac ſi puer, ſtatim natus luto oblitus ità fuiſſet per totam pueritiam corpus ſuum luteum putaret, Ablue puer corpus, dimittite ſenſus: ô miſeri: Maghum quiddam es ô anima, ſi te parva non implent, optimum ſi diſplicent tibi mala, pulcherrimum ſi horres turpia, ſempiternum ſi temporalia parvipendis, &c. Marſil. Ficin. Theol. Platon. lib 5.

Actio corporis finitur in corpore, & in externam tranſit materiam: Mentis autem operatio in ſeipsâ deſinit, ſui gratiâ operatur, & reflectit vitalem eſſentiæ motum in ſeipsâ, & poteſt hæc reflectio eſſe infinita, vndè anima eſt immortalis, quæ ſe ſic intelligendo & amando format quotidie, nunquàm abſens à ſuo ſervatore, ſcilicet à ſeipſo. Ibid. lib. 8.

Hinc fit vt ſapiens ſeipſo ſit contentus. *Vide Poteſtas Virtutis.*

Omnia animalia id quo potiſſimùm valent, arcano impetu ſentiunt, & eo vti amant: ſic qui valent eloquentiâ vix in dicendo modum tenent, omneſque loquendo fatigant. Barclai.

Ampla ingenia ab opacis mentibus velut hac notâ natura diſtinxit, quod hæc dignitatem ſuam agnoſcant, peragantque omnia liberalius, verecundis quidem, ſed erectis ſpiritibus, ſemperque diffuſum aliquid, & vividæ majeſtatis contemplantibus. Retuſæ verò mentes in anguſtas cogitationes atque conſilia ipſæ ſe damnent, nunquàm auſæ à timida humilitate diſcedere. In parvis interim, & menſuram ſui animi non ſuperantibus, ad vltimam diligentiam exactæ ſunt. cum ſcilicet æſtus quidam illis ingenijs accommodatus ſit, non altus ille aut nobilis, ſed vt in exiguis & in validis animantibus, per diffidentiam ſuis rebus ſemper intentus. Idem.

Impavidæ ad pericula mentes, ſuique ſecuræ, ità in hominum ſocietate eminent, vt in campis coroniſve tori ac tumuli cæteris partibus per intervalla ſuperſtantes: hi ſemper inſignes ſunt ſivè ad virtutes, ſivè ad flagitia divertant. Idem.

Omnium votis ad placendum, laudandumque coëuntibus, facilè expugnatur in principibus verecundia de ſe magna credendi. Idem.

Socrates dicebat difficile non eſſe. Athenienſes apud Athenienſes laudare. Ariſtot. Rhetoric. lib. 1. cap. 9.

Honor & gloria eſt inter jucundiſſima, oritur enim phantaſia cuique ſe talem eſſe & probum. Ibid. c. 11.

Humilitas triplex, ſcilicet pœnoſa ab extrinſeco, ſtulta ex ignorantiâ propriæ dignitatis, & virtuoſa ex cognitione ſui. 2. 2. q. 161. a. 1. ad 1. D. Thom.

Verè humilis reputat ſe deteriorem alijs, non quidem quo ad actum exteriorem, ſed timens ne per ſuperbiam gravius peccet in his quæ benè agere videtur. 2. 2. q. 161. a. 6.

Chriſto & Apoſtolis facta eſt miſſio viſibilis, vt fortius agerent. 1. q. 43. a. 7.

Signa petebant Patres promiſſorum à Deo, ſic Moyſes iturus ad Pharaonem vidit manum ſuam de leproſâ fieri ſanam.

Iſayas accipit ſignum futuræ liberationis Ieruſalem ab aſſyrijs. 4. Reg. 19. Vmbra retrocedit in horologio Ezechiæ in ſignum futuræ ſanitatis. 4. Reg. 20. Iſay. 7. dicit ad Achas: pete tibi ſignum à Domino.

Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me. Pſal. 85.

Poſt amplam capturam piſcium, Ieſus dicit Petro: Noli timere ex hoc eris homines capiens. Luc. 5.

Dura quidem in vitâ occurrunt, ſed homini data eſt magnitudo animi, quâ poſſit illa ſuperare & contemnere: confidendum ſibi, dicendumque ô Iupiter, ſi lubet adverſis me exagita, arma enim ſubminiſtraſti mihi, quibus omnia ſuperem; ſi enim puſillanimis Deum ores, ne tibi mala eveniant, ſi veniant in impietatem dilaberis, &c. Epictetus. cap. 6.

Nemo ab alio contemnitur, niſi à ſe antè contemptus eſt: humilis & projectus animus ſit iſti contumeliæ opportunus. Seneca in conſolat. ad Helviam. cap. 13.

Princeps non inferat bellum ſubditis, niſi certus de victoriâ, hinc enim major eorum contumacia, ſi non vincat.

Agit hoc in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinæ, vt eos nec humilitas puſillanimes efficiat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperantur ſibi vt ex magnanimitate reddantur magis timorati, & largitori munerum non ingrati, &c. D. Bernard. Serm. de Beatâ Mariâ.

Malus vix de ſe præſumit, quia conſcientiâ ſui criminis torquetur. *Vide Gloria Virt.* conſcientiæ ſtimuli ex Boëtio.

Cur prætioſus authori meo, apud me vilis ſum.

Beatitudo Dei in hoc conſiſtit, quod ſit perfectiſſimus, & ſe ſuamque ſufficientiam perfectè intelligens. D. Th. 1. q. 26. a. 2.

Deus intelligendo & amando ſeipſum ſcit & effi- A
cit omnia; & omnis vita priùs prolem ſuam intrà ſe, quàm extrà producit. *Vide Principium Verit.* de ideis divinis.

Dùm anima in ſe reflectitur, habet motum perfectiſſimum, ſcilicet circularem, qui poteſt eſſe æternus, nam incipit vbi videtur finiri; ſic anima, ſui causâ omnem edit motum. Marſil. Ficin. Theolog. Platon. lib. 3. in fin.

Exiſtimare ſe dignum magnis magnanimitas eſt; hanc habent juvenes nondum à vitâ depreſſi, & rerum neceſſitatem experti; vivunt vt plurimùm ſpe, nam ſpes futuri eſt, memoria autem præteriti, juvenes autem futuri multùm habent præteriti verò pa- B
rùm. Ariſt. 2. Rhetor. 12.

Adoleſcens ſe contempletur in ſpeculo ſi ſit facie pulchrâ, ſtudeat vt ſit etiam talis animo; ſi infœlici corpore, tantò magis illi curandum eſt, vt elegantem efficiat animum. Galen. in exhortatione ad artes diſcendas.

Taurus parvulus nondùm habens cornua fronte impetit; parvus equus nondùm ſolidis vngulis calcitrat: vndè patet animam vtentem particulis, noſſe earum vtilitatem, vt quas ipſa conſtruxerit. Idem lib. de fœtuum formatione.

Cum Hadrianus Imp. de ſuâ ſanitate recuperandâ deſperaret, quidam fingentes ægritudinem, & in ſomnijs admonitos vt ad eum accederent, ſimulabant C
ſeab eo ſanitatem accipere; ſic concepta de ſe meliori opinione vitam per aliquod tempus protraxit. Baron. an. 139.

D. Ambroſius morituru videns lugentes de ſuâ morte, & rogantes vt peteret prorogationem vitæ à Deo: non ità, inquit, inter vos vixi vt pudeat me vivere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus. Baron. an. 397. *Vide Gloria Finis.* Piorum mors fœlix. *& Gloria Virt.* Bonæ conſcientiæ ſecuritas.

Epiſcopi cognoſcant dignitatem ſuam, nec aliquid agant quod illius debitæ veneration ſit contrarium. *Vide ſuprà Glor. Poteſt.* Bona fama regentium.

Parùm in experimentis proficient artes, niſi ſe cre- D
dant poſſe naturam non ſolum emendare, impeditam liberare, ſed etiam penitùs vertere, tranſmutare, & in imis concutere. Baconius de augment. ſcientiar.

Perſeus Meduſam oppugnaturus, non in eam reſpexit, ejus enim aſpectu homines in lapides vertebantur, ſed accepit à Pallade ſpeculum, in quo ſeipſum reſpiceret, ſic monſtrum obtruncavit. Terret nos hoſtis, ſaxeos & immotos efficit, niſi propriam contemplemur virtutem.

Multùm nocet morbos quoſdam exiſtimare incurabiles, & medicos, ægris quaſi deſperatis non aſſidere.

Cervi depoſitis quotannis cornibus latent; renaſ- E
centes ſolis ardore durant, ad arbores experiuntur, vbi placuit robur in aperta prodeunt. Plinius lib. 8. cap. 32.

Novit torpedo vim ſuam, ipſa non torpens, merſaque in limo ſe occultat, piſces qui ſupernatantes obſtupuerint corripiens. Idem lib. 9. cap. 42.

Galli in quacumque domo ſunt regnum ambiunt aſſiduâ dimicatione, velut ideò tela agnata ſuis cruribus intelligentes. Idem lib. 10. cap. 21.

Anno renaſcente ſentiunt arbores fœcunditatem ſuam. *Vide Cognit. Bonit.*

Beneficium palàm conferre.

Magni viri ſic cognoſcunt dotes ſuas, vt hinc nimiam ſibi vſurpent gloriam. Vide hoc tit. infrà Nimia virtutis propriæ jactantia.

Si virgilio credimus, eſculus, ſeu robur tantùm radice deſcendit, quantùm corpore eminet. Plin. lib. 16. cap. 31. In tantùm eminet virtus, in quantùm eſt ejus ſenſus internus.

Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, ſi autem filij & hæredes. Roman. 8.

Certus ſum quia neque mors neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. Ibidem. Loquitur cum magnâ fiduciâ.

Tu fidem habes penes temetipſum, habe coram Deo: Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. Ibidem cap. 14.

Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. 1. Corinth. 2.

Ibidem cap. 3. Objurgat Corinthios, neſcitis, inquit, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem templum Dei violaverit diſperdet illum Deus; templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Rogo vos imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 1. Cor. 4.

Vos metipſos tentare ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis vos metipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis. 2. Corinth. 13.

Quoniam eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater: itaque jam non eſt ſervus, ſed filius; quod ſi filius & hæres per Deum. Galat. 4.

Opus ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero. Galat. 6.

Non ceſſo memoriam veſtri facere in orationibus meis; vt Deus Domini noſtri pater gloriæ det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos. Epheſ. 1.

Iam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, &c. Epheſ. 2.

Plato lib. 1. de legib. dicit licitam aliquandò viris ebrietatem, tùm vt laxentur ſapientum animi, tùm vt aſſuefcant ſibi confidere, eſſe majori & meliori ſpe, fortiuſque de ſe ſentire; quod vino captis familiare eſt.

Angelus finit ſe in luctâ vinci à Iacob, vt ſpem illi daret de victoriâ hominum. Gen. 32.

Servius Tullius omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas retulit, ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentiâ contineretur. Florus lib. 1. cap. 6.

Dullius Conſul Romanus victor navali prælio de Carthaginenſibus, non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœnâ rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet. Florus lib. 2. cap. 2.

Poſt victorias hoſtium ſpolia in vrbem afferebantur, vt hoc ſpectaculo virtutis ſuæ ſenſum haberet populus: Devicto autem Pyrro, nihil libentiùs populus Romanus aſpexit quàm illas quas timerat, cum curribus ſuis belluas, quæ non ſinè ſenſu captiviratis ſummiſſis cervi cibus victores equos ſequebantur. Florus lib. 1. cap. 18.

Illis ipſis diebus, quibus Roma obſidebatur, eger quem Annibal caſtris inſederat venalis Romæ fuit, haſtæque ſubjectus invenit emptorē. Idem l. 2. cap. 6.

Digitized by Google

Devicta Macedonia se rursùs erexit; fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat. Idem c. 12.

Magnanimus excipit honores quasi merito suo longè inferiores. *Vide Voluntas Gloriæ, in fine Miscellaneorum.*

Animus ab omnibus externis in se revocandus est, sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat: Recedat quantùm potest ab alienis, & se sibi applicet, tunc damna non sentiet. Seneca de tranquill. vitæ. capite 14.

Ad perfectam animi tranquillitatem opus est, non illis durioribus, vt alicubi obstes tibi, alicubi irascaris, alicubi instes gravius, sed illud quod vltimum venit, vt fidem tibi habeas, & rectâ ire viâ te credas, nihil advocatus transversis multorum vestigijs, passim discurrentium & quorundam circà ipsam errantium viam: hoc summum & magnum est, Deoque vicinum, non concuti. Idem de tranquillitate animi. cap. 2.

Vincere delectat, quia ostendit propriam excellentiam; ideò omnes ludi & pugnæ delectant, propter spem victoriæ. Redarguere etiam & punire delectat, quia ostendit excellentiam, sicut & dare alijs. D. Th. 1. 2. q. 32. a. 3.

Confidentia sui confert ad profectus virtutum. *Vide passim. Maioritas Virtutis.*

Iarchas Princeps Indorum Sapientum Brachmanorum dicit Appollonio suæ sapientiæ principium esse, se nosse: Interrogatus autem, quales se putarent esse Dij, inquit, quia viri boni sumus. Philostrat. in vitâ Appollonij. lib. 3. cap. 6.

Deos omnes placatos habet & faventes quisquis se sibi propitiavit; sivè Dijs tutoribus assignati sumus; sivè neglecti, & fortunæ traditi, nulli potest quicquàm imprecari gravius, quàm vt se sibi habeat iratum. Seneca Epist. 110.

Ego Paulus vinctus Christi Iesu pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei quæ data est mihi pro vobis, sicut suprà scripsi, provt potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, in quo habemus fiduciam & accessum in confidentiâ per fidem ejus. Ephes. 3.

Generosos cursus nisi confidentia magna non appetit, dùm generosi est animi optare quod summum est. Ardentes facit homines fiducia sui, quia se non patitur occultare, quem præcipit natura prodire. Cassiod. Epist. 2. lib. 2. variat.

Nisi te Deo æquaveris, Deum nunquàm intelliges: nam simile semper à simili suo cognoscitur: extende teipsum in magnitudine sinè termino; emerge ex corpore, totum supergredere tempus, æternitas esto, sic Deum denique noveris; impossibile nihil in te supponens, teipsum immortalẽ puta, comprehendere cuncta potentem, scientiam omnem, atque omnem pariter artem; omni sublimitate sublimior esto, omni fundo profundior sensusque factorum tuorum cunctos in te colligito, adesto simul terræ partibus, terræ, mari, &c. Contrà si animum tuum in corpus demerseris; hisque verbis cœnum prbstraveris; nec scio quidquam, nec scire etiam valeo: in cœlum volare nequeo, &c. Quid tibi cum Deo? nec enim cum sis fœtidi corporis servus, ipsum pulchrum, bonumque prospicere vales; extrema verò pravitas non cognoscere Deum: At verò confidere ac sperare se bonum aliquandò reperire posse, via quædam divina est, ad bonum rectò tramite ducens, facilisque & pervia: Passim procedenti tibi semper occurret, ambulanti, naviganti, die noctequeloquenti, pariter atque tacenti; nihil enim est in rerum naturâ quod non aliquam præferat divinitatis imaginem, &c. Mercurius Trismegistus.

Cavendum ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquandò producas. Vegetius lib. 3. de re militari. c. 9. & cap. 13. dicit. Ipsâ die quâ certaturi sunt milites, quid sentiant, diligenter convenit explorare, & noveris Ducem prælium debere differre, si exercitati bellatores metuunt dimicare; exercitatione tamen Ducis animus accrescit.

Iacob obtinet à fratre primatum, vndè patet intemperantes proprio sibi viles esse judicio. D. Ambros. lib. 1. de Iacob & vitâ beatâ. c. 2.

Qui nihil omninò præstitit, torpescet, & facilè recedet: sibi verò conscius, quod vel vnum explevit mandatum, ex hoc benè sperat, itaque vrgendum vt res capiat initium. D. Chrisost. Homil. 5. ad populum Antiochen. in fin. & Homil. 15. Vt oleum lucernam accendit, sic bona opera confidentiam & spem.

De exemplis venit ista fiducia, magna sumendo majora præsumimus. Symmachus libro 10. Epistolâ 22.

Nemo aliorum sensu miser est, sed suo. Salvian. Sic Sol non est beatus luce suâ, quàm non sentit.

Qui gloriatur, in Domino glorietur, idest in veritate, veritas quippe Dominus est: vtrumque autem scias necesse est, & quid sis, & quod à teipso non sis, ne aut omninò non glorieris, aut inaniter glorioris; denique si non cognoveris teipsum, egredere post greges. Cant. 2. Cavenda ergò hæc ignorantia, quâ de nobis minùs sentimus; sed plùs illa, quâ plus nobis tribuimus; per hanc dæmonibus, per aliam pecoribus sociamur. D. Bern. lib. de diligendo Deo.

Nemo beatissimus metuit, & nemo beatissimus invitio est; sed cum commune sit non metuere beatissimo, & audaci, & cadaveri, & beatissimus id habeat per tranquillitatem animi, audax per temeritatem, cadaver quia sensu caret: non est simpliciter amandum non metuere, nisi & ames integritatem vndè illud procedit. D. August. lib. 83. quæst. quæst. 34.

Qui de suis diffidit viribus ingratus est erga naturam, quàm sibi non putat esse beneficam.

Maximus vitij effectus displicere sibi, hoc oritur ex intemperie animi, & cupiditatibus timidis; aut parùm prosperis, vbi aut non audent quantùm concupiscunt, aut non consequuntur, & in spem toti prominent, semper instabiles, mobilesque, quod necesse est accidere pendentibus. Seneca lib. de tranquil. animi. cap. 2.

De legitimo sui amore. *Vide Volunt. Bonit.*

Si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris: noveris licet mysteria omnia, alta cœli & profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sinè fundamento, ruinam, non structuram faciens: quidquid extruxeris extrà te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxij; non ergò sapiens, qui sibi non est: Sapiens de fonte putei sui bibet primus; à te ergo incipiat tua consideratio, sed & in te finiat; quocumque evagetur, ad te revoca illam cum salutis fructu; tu primus tibi, tu vltimus, summe exemplum de summo omnium Patre, Verbũ suum & emittente, & retinente. D. Bernard. lib. 2. de consider. ad Eugenium cap. 3.

Eunt homines admirati alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos, nec mirantur. D. August. lib. 10. Confess. cap. 8.

Tertul. lib. de carne Christi probat animam quæ dat sensibus vt sentiant seipsam sentire: quippè ad Dei imaginem facta.

Deus & Angeli nunquàm vacant à beatitudinis suæ contemplatione: mundus lumina sua habet in se conversa; plùs ex nostri quàm aliorum experimento discimus.

Omnia possum, inquit Apostolus, in eo qui me confortat. Philip. 4.

Potest aliquis scire se habere gratiam, per revelationem, & hoc aliquandò Deus revelat aliquibus ex speciali privilegio, vt securitatis gaudium etiam in hac vitâ in eis incipiat, & confidentiùs & fortiùs magnifica opera consequantur, & mala præsentis vitæ sustineant. D. Thom. 1. 2. q. 112. a. 5. ad 4. Sic revelatum fuit Paulo, non tamen omnibus, nè non prædestinati desperent & nè securitas in prædestinatis negligentiam pariat. 1. q. 23. a. 1. ad 4.

In juvenibus est multùm spei, quia parùm habent de præterito & memoriâ, & multùm de futuro; & multos spiritus, ideò sunt animosi. 1. 2. q. 40. a. 6.

Habens spem sperat Deum consequi, & per ipsum omnia necessaria, quantumcumque difficilia obtinere, & omnia nociva repellere. 3. q. 26.

Moysi & aliis Prophetis data sunt signa vt spe pleni quod à Deo jussum erat animosiùs aggrederentur.

De cognitione defectus sui. *Vide Cognit. Minorit.*

David coràm Saule confidit se fœliciter contrà Goliath pugnaturum, ex eo quod occiderit leonem & vrsum.

De confidentiâ in auxilio Dei. *Vide Princip. Virt.*

Hac confidentiâ multi magna aggrediuntur, non diffidentes de bonâ suâ fortunâ sæpiùs expertâ; sic ortâ tempestate timenti nauclero dixit Cæsar. Cæsarem fers, & bonam suam fortunam.

Spes est appetitio boni ardui, quod obtineri posse creditur; hanc fovent ea omnia, quibus desiderium potest impleri: favens semper fortuna. *Vide Durat. Bonit.* amici, pecuniæ, socij, confœderati, præsagia, sacrificia, preces, simile quid ab aliis minoris virtutis obtentum: enumerat contraria & illis respondet, vim parat & dolos.

Dux & vultu & oratione confidentiam præferat, inspiretque militibus; maximè etiam laboret in dissolvendo metu, quem concipiunt milites ex adversis, vt ex fulmine, defectu Lunæ & Solis, naturales istorum causas enumerans. Vide Lipsium in politicis de stratagematibus.

Solet fortuna confidentiam ei dare, cui favet.

Fidentes sunt, quibus sunt multa subsidia; si injuriam neque acceperint, neque intulerint; si nullos, aut infirmos habeant competitores; si plures sint, aut præstantiores, quibus ea res conducat: si benè rem sæpè gesserint, è simili calamitate evaserint, si res divinæ ipsis benè habent, vt oracula Aristot. in Rhetoricis.

Vide infrà hoc tit. Laus sui ipsius licita.

Achas non petens signum à Domino peccavit, & non peccasset si petisset. D. Th. 2. 2. q. 97. a. 2. ad 3.

Ad humilitatem pertinet considerare proprios defectus nè se extollat, non autem eo vsque vt contemnat dona Dei; esset enim ingratitudo, & hinc oriretur accidia. 2. 2. q. 35. a. 1. ad 3.

Milites ornantur, vt vilis suæ originis obliti sensum nobilitatis concipiant, & sic fortiora audeant vide infrà hoc tit. de externo ornatu licito.

Homines mentis suæ nobilitatem non satis agnoscentes laborant in vanis, non pro veritatis summâ, dùm dicunt, quæ suprà nos nihil ad nos: sic scientiis fatales quasdam columnas, vltrà quas progredi non putant sibi licitum; sic semper ignari non adipiscuntur scientiam vniversalem. *de quâ Magnit. Cognit.*

Indigenæ plus æstimantur & amantur quàm exteri. Nèmo habetur superbus, quod patriam suam magni fecerit.

Ex gravi valetudine expliciti motionculis levibusque interdùm offensis perstringuntur, & cum reliquias effugerint, suspicionibus tamen inquietantur, medicisque jam sani manum porrigunt, & omnem calorem corporis sui calumniantur. Forum non parùm sanum est corpus, sed sanitati parùm assuevit, sicut est quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempestate requievit. Opus est non illis gravioribus remediis, quibus tibi obstes, sed quod vltimum venit, vt fidem tibi habeas, & rectà te ire credas, non avocatus transversis multorum vestigiis passim circà viam errantium; hoc summum est, Deoque vicinum non concuti. Seneca. lib. de tranquil. vitæ. c. 2.

Non licet Athenienſibus trophas Perſeca tollere. *Vide Voluntas Minoritatis. Mala.*

NOSSE VIRTVTES ET perfectiones suas optimum.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Vita magnum beneficium, sed illud augent corporis, & maximè animæ dotes, in ordine naturæ & gratiæ, quibus homo præditus videtur eminentioris cujusdam esse speciei; hoc quisque nosse debet, vt erga Deum gratus sit, pro ratione accepti.

Magnitvdo. Cum ab eo plùs exigatur, cui plùs committum est, sciri debet datum, vt sciatur quid sit præstandum: qui quinque talenta acceperat, scivit se illa accepisse, vt illa postmodùm repetenti Domino cum vsuris restitueret. Majori cautelâ incedendum est in præaltis & asperis, quàm in planis, vndè nullus præcipitij metus.

Dvratio. Non insolescit sapiens, etiam virtutis suæ spectator, scit enim se thesaurum portare in vase fictili; & diuturni laboris præmium hoc momento, nisi provideat, dilabi posse.

Potestas. Mente capti divites miseri sunt, dùm se divites ignorant, animo enim jus habetur & possidetur; sic lugent quasi spoliati, qui ignorant collata sibi Dei dona; activæ eorum vires jacent consopitæ, & contrà providentiæ ordinem miserè serviunt ad imperium nati.

Cognitio. Navigantes curiosissimè ex cœli aeusque magnetici observationibus notant quo pervenerint, vt illic caveant ab his quæ vitanda sunt, vt sibi ad residuum vires, alimenta, cæteraque necessaria seavent. Quilibet virtutis gradus suis laborat incommodis, illum infestant latentes scopuli, & hostium latrunculorum insidiæ; quilibet ergò nosse debet quid habeat virtutis, non tàm ad consolationem, quàm ad cautelam.

Voluntas. Vir bonus, sic se videns à Deo dilectum & donis cumulatum, se amat, se veneratur vt aliquid Dei, seipso fruitur in sinu gaudens, contemptis fortuitis, à quibus se totum vindicat, vt se totum purioremque Deo licet. Rei impossibilis non est appetitus, vndè magna ad quæ tendere debet aversabitur, qui ad illud consequendum non putat sibi vires competere; si sub specie humilitatis petit amplioris perfectionis amor.

Virtvs. Religio tota est in recensendis acceptis à Deo donis; vt quantùm potest piis suis officiis gratiam referat. Quàm absurdum esset in extera omnia invigilantem directricem Prudentiam in propriis exercere, videre turpia, non honesta, quæ divinam pulchritudinem debet contemplari? non staret Fortitudo si vires suas cœlo acceptas nesciret; non viret

ex Temperantiæ legibus, ſed ad delicata & medicata confugiet, qui ægrum ſe putat; reddit ſibi, vt alijs quod ſuum eſt juſtitia: nec divitem animum turpiter habebit indigentis loco, & innocentem vt reum.

VERITAS. Antiquum illud præceptum noſſe teipſum, non minorem exigit notitiam perfectionis quàm defectus: talem te agnoſce qualis es, ſi bonus, bonum, ne alijs impenſa charitas & veritas erga teipſum deficiat, dùm te calumnia falſoque judicio conteris.

GLORIA. Vt naturæ corporalis, ſic ſpiritualibus in actionibus labor voluptate aliquâ deliniendus eſt: ſciat animus ſe in vanum non cucurriſſe, videat, colligat, poſſideat aliquos laborum ſuorum fructus: etiam tacentibus turbis, ſibi plaudat bona conſcientia, audiatque internam conſolatoris ſpiritus vocem, pium animum in filium Dei adoptantem: Bonis ſuis conſilijs præmium decernit: Etiamſi adverſa fuerit fortuna, ſatis ſibi ipſi ampliſſimum eſt theatrum.

DIFFERENTIA. Vir bonus habet, vt ait Plato, optimam in animo ſuo Rempublicam quæ conſtat juſtâ partium ordinatione; igitur noſſe oportet, quo meriti loco ſedere debeat, quæ ſua ſint, quæ in hominum ſocietatem confert, ne fugiat quæ debet ſectari, & ordine confuſo ſubſternatur his quibus debet præeſſe.

CONCORDANTIA. Similium aut præſtantiorum amicitiam non conciliabit, qui dotes ſuas ignorat: ſed indigno jacentium commercio præſtantem alioquin indolem commaculabit, & ignis in ſe divini ſcintillas ineptâ appoſitâ materiâ extinguet.

CONTRARIETAS. In bello oportet noſſe hoſtium vires, ſed maximè proprias, hac enim factâ comparatione ſcitur quid fugiendum, quid tentandum, quid adjiciendum, quid ſperandum. Infœliciter decertat parùm de ſuis viribus confidens miles, & de ſuâ causâ patronus: tantùm ſæpiùs apud nos valet opinio, quàm veritas: talem ſe quiſque exhibet, qualem ſe putat eſſe, fortem aut infirmum. Omnia in naturâ ſuas vires norunt, quas explicant datâ occaſione, & augent ad præſentiam hoſtis: ſic taurus ſe exponit, ſibi fidens, pro grege; ſic cætera animalia certamen ineunt cum non longè diſparibus.

PRINCIPIVM. Quidquid in nobis eſt virtutis, Dei Patris & Principis noſtri munus eſt. *Vide Principium Virtut.* Vt majeſtatis ſuæ miniſtri, his induti ſumus ſplendentibus coloribus in gloriam ſuam: videamus primi quæ nobis dedit, vt & ab alijs videantur, quò glorificent benignum largitorem.

MEDIVM. Vt homo per ſuperbiam poteſt nimis elevari, ſic per ignaviam nimis dejici. Habet Religio, vt cæteræ virtutes mediocritatem ſuam: colit veritatem, quæ tàm detractione quàm adjectione lædicur: tàm falſum eſt virum mediocris virtutis eſſe damnatum Dæmonem, quàm ſanctum Angelum.

FINIS. Hîc hominum virtus eſt imperfecta. *Vide Med. Virt.* Motus eſt qui ad vltimum terminum non pervenit, ſed tamen à termino à quo aliquantulum receſſit: ſciri autem debet quantus ſit profectus, quia finis viſus ex proximo, magis accendit, motuſque efficit vegetiores ſpe proximæ quietis.

MAIORITAS. Plura ſe conſequi confidit, qui ſe videt multa jam conſecutum: arma hæc ſplendentia arrident fortitudini, ipſam concitant & vocant ad certamen; victoria ſperatur à Deo, qui dixit plura habenti ſe majora daturum.

ÆQVALITAS. Plures ſunt gratiæ, vt gloriæ manſiones; vndè ſicut beati qui ſunt in ſuperiori gradu non deſcendunt in inferiorem: Sic Chriſtianus ſtet in ordine ſibi à Dei providentiâ dicto; ſi in corpore Eccleſiæ poſitus eſt, vt caput, aut oculus, non fiat pes, aut manus; agat perſonam ſuam, ſi juſſum ſit à Deo, etiam ſplendidam: dùm ſe videt pluribus donis illuſtrari, etiam intelligit fideliora Deo patrono ſuo præſtanda eſſe obſequia.

MINORITAS. Quo plùs quiſque profecit in virtute, plùs ſe videt ab Ideâ boni diſtare; tàm longam ſibi videt ſupereſſe ad perfectionis apicem viam, vt magnus ſemper ſit humilitati locus: ſunt tamen aliqui gradus ætatis ſpiritualis. *Vide Major. Virtut.* & qui adoleſcentiam attigit, vt ſciat ſe attigiſſe, ne vt parvulus lac petat, ne expectet ſuſtentantis ſe manum, ne falsâ humilitate ſibi detrahat quod divina conceſſit pietas.

NIMIA VIRIVM SVARVM præſumptio, & ſuperbia.

MISCELLANEA.

NIhil eſt hominum ineptâ perſuaſione falſius, nec fictâ ſeveritate ineptius. Petronius arbiter.

Qui præſumit, minùs veretur, minùs præcavet plùs periclitatur: timor fundamentum ſalutis eſt, præſumptio impedimentum timoris. Tertul. lib. de cultu fœminar. cap. 2.

Ideò Iuvenes, quia incaleſcentibus venis nimiùm ſibi confidunt, minuſque quàm decet timent, & præcavent, non ſunt ad conſilia idonei: contrà de multa experti, & ob frigidius temperamentum multa timentibus ſenibus. *Vide Duratio Cognitionis.*

Hoc ad crimina noſtra addimus, vt cum in omnibus rei ſimus, etiam bonos nos eſſe & ſanctos credimus; ac ſic in nobis cumulentur iniquitatis offenſæ, etiam præſumptione juſtitiæ, &c. Salvian. de Gubern. Dei. lib. 3. & lib. 4. ait. Qui, inquit Apoſtolus. Gal. 6. ſe exiſtimat, aliquid eſſe cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit, opus autem ſuum probet homo. Operi ergò noſtro debemus credere non opinioni, veritati non voluntati.

Hinc nullus in ſuâ causâ æquus judex eſt. *Vide Volunt. Bonit.* De inordinato ſui amore.

Præſumptæ ſpes ſarcinæ ſunt reatus, vſurpata abſolutio damnationem parit, & quicumque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo. Salvian. lib. 4. ad Eccleſ. Catholic.

Cavenda ſuperbia quæ etiam in proſperis ſupplantat. D. Ambroſ. in Pſal. 35.

Verebar omnia opera mea. Iob. 9.

Petrus qui ſibi confidebat poſſe pro Chriſto mori, Chriſtum interrogante ancillâ negat. Ecce Medici completa eſt prædictio, ægroti convicta præſumptio. D. Auguſtin. Tractam. 113. in Ioan.

Centurio, qui Math. 8. dixit Chriſto, Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum; dicendo ſe indignum præſtitit dignum, non in cujus parietes, ſed in cujus cor Chriſtus intraret, & in corde ejus caput reclinaret. Sic ſuperbo cuidam ſibi dicenti. Math. 8. Domine ſequar te quocumque ieris; & Dominus in corde ejus inviſibilia videns. Vulpes, inquit, foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet ſcilicet in doloſis & ſuperbis. D. Auguſt. Serm. 6. de Verbis Domini.

Roman. 11. Refert Paulus, quod dicebat Elias, Domine Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus ſum ſolus: Reſpondit Dominus. Reliqui mihi ſeptem

millia virorum, qui non curvaverunt genu antè Baal; quasi diceret, Ne putes te esse solum jastum, cum & sinè gratiâ meâ ante Baal genu flecteres. D. August. Serm. 7. de Verb. Domini. cap. 2.

Math. 14. Christo ambulanti super aquas Petrus dixit, Domine jube me ad te venire: Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino. Fuistis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. Eph. 5. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret: hi sunt firmi Ecclesiæ; multos autem impedit à firmitate præsumptio firmitatis, nemo enim erit à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. Ps. 67. Voluntariam dicit, non meritorum nostrorum, etenim infirmata est, tu verò perfecisti eam. Hæreditas agnovit se infirmam in se, vt firmaretur in te: non firmaretur, si non infirmaretur, & obste in te perficeretur.

Paulus 1. Corinth. 15. dicit; Non sum dignus vocari Apostolus. Psal. 93. Si dicebam motus est pes meus: ideò motus, quia meus; Misericordia tua Domine adjuvabat me: Misericordia tua, non virtus mea; Non enim Dominus deserit titubantem, quem audit invocantem. Dic Domino vt Petrus Pereo; & vt discipuli ortâ tempestate, Perimus, ne pereas. D. August. Serm. 13. de Verbis Domini.

De publicano, qui Deo dicebat, Gratias tibi ago, quod non sum sicut cæteri hominum; ergò non est tentatio vita hominum? ergò qui impiè oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbè agit gratias. D. August. Serm. 36. de Verbis Domini.

Homo est qui à latronibus semivivus relictus à Samaritano levatur, & in diversorio, idest in Ecclesiâ sanandus relinquitur: Quid extollitur? adhuc curatur. Verum est deleta sunt peccata in Baptismo, & hoc est infusum vinum & oleum in viâ, sed numquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Dic ergò animæ tuæ, quandiù es invià, & fragilem carnem portas. &c. Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Dic, enumera, gratias age, vt propitius sit omnibus iniquitatibus tuis. Idem. Serm. 2. de Verbis Apostoli. cap. 7. *Vide Duratio Minorit.*

De ingenuâ peccatorum suorum confessione. *Vide Cognitio Minoritatis.*

Venite ad me omnes qui laboratis. &c. Adhuc in viâ sumus, venimus, non pervenimus. Ideo servite Domino in timore, & hoc tibi à Deo. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. &c. Ibid. Serm. 12. in fine. *Vide Media Virtus.*

Fulgebat facies Moysis ex consortio Dei, id tamen ipse ignorabat.

O si scires quàm parùm est quod habes, & hoc ipsum quam citò, perdes si non servaveris ille qui dedit. D. Bern. de inconstantiâ hominis. *Vide Durat. Virtus. Regno.*

Conturbatæ sunt gentes per pœnitentiam, & inclinata sunt regna per humilitatem, arcum conteret. &c. & scuta comburet igni, scilicet igne illo, de quo dicit. Ignem veni mittere in terram. Vanam de nobis confidentiam aut in aggrediendo, aut in nos protegendo viribus nostris, combussit: Infirmum te fecit Deus in te, vt fortem te faceret de se, quia infirmabaris de te. Videte quoniam ego sum Deus, non vos; ego creavi, ego recreo; formavi, reformo. D. August. in Psal. 45.

Nox est, nondùm vidimus quid tenemus, non quiescant manùs in bonis operibus: Deum exquisivi manibus meis nocte contrà eum, & non sum deceptus. Psal. 76. Aparebit labor noster, & labor mane, sic falsi dij Iuppiter, Mercurius adscripserunt sibi nomina astrorum, quæ longè fuerunt antè eos. D. August. in Psalm. 48.

Homini cum bonâ sui æstimatione cum aliis conversante necessarius est Dei timor, ne illud quod videtur habere, auferatur ab eo, & ligatis manibus ejiciatur in tenebras exteriores: qua propter Dei timor non solùm inchoat, sed etiam perficit sapientem. D. Aug. lib. 83. quæst. q. 36.

Maledictus qui spem suam ponit in homine. Hier. 27. Et quis est iste nisi ipse homo: non potest ergò veracitet dicere, non se spem ponere in homine, qui eam ponit in se. Idem lib. de continentiâ. cap. 4.

Credit tibi omnia cedere, si elatum contigerit in abominabili certamine superare. Cassiod. lib. 3. variar. Epist. 3.

Tantoque victrix facta successu ferox. Sen. Trag.

Fastus & otium fortunæ grandioris vitia sunt. Symmach. l. 4. ep. 56.

Non mihi veniat pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Psal. 35.

Cavenda superbia, quæ etiam in prosperis supplantat, nescit enim stare, & si ceciderit nescit resurgere. D. Ambros. in dict. Psal.

Superbia sedem habet in supercilijs, etsi concipiatur in corde. Plin.

Superbia commune nobilitatis malum. Salust. in Iugurt. *Vide Majoritas Potestatis Mala.*

Fortitudo, mediocritas est in metu & confidentia occupata; qui fidendo modum superat, audax appellatur. Arist. Moral. nicomach. lib. 2. c. 7.

Quod necessarius sit metus. *Vide Cognitio Contrarietatis.*

In frontispicio templi Delphici duæ erant inscriptiones. Nosce teipsum, & ne quid nimis; vna aliam exponit.

Cato, de eo qui temerè vitam periculis exponebat in bello, dixit, aliud esse virtutem magni facere, & aliud vitam. Plutar. in Pelopida; Non est audacia, sed temeritas morti sese vltrò offerre, ideò Homerus heroas, virosque præ cæteris magnanimos, validioribus armis sentisque tectos describit, & Græci morte mulctabant clypei desertores, non ensis. Ibidem.

Callicrates Lacedemoniorum dux aruspici, qui mortem illi vicinam prænuntiabat, respondit, Reipublicæ salutem non ex vno homine pendere. Ibid.

Securitas fugienda, nemo celeriùs opprimitur quàm qui nihil timet; nihil enim tutò in hoste despicitur, quem spreveris valentiorem negligentiâ facies, vt nihil timendum nihil contennendum; inquirendum in omnia sic tuum, & hostium exercitum, locorum situm, naturam regionis nosse. Pulchrum in Annibale elogium, omnia ei hostium non secùs ac sua nota erant. Lipsius in politic. Displicet illud Spartanorum qui interrogare soliti, non quot essent hostes, sed vbi essent. &c. Id.

Circumcisio significabat excisionem impiæ opinionis, quæ menti persuadet quod possit ex seipsâ gignere. Philo. Iud. lib. de migrat. Abrahami.

Expedit aliquandò præsentiam Dei in nobis per gratiam' ignorare propter tria, scilicet vt timor divini judicij nos humiliet; ne præsumpta securitas nos præcipitet; & vt vigilanter & desideranter gratiam Dei expetamus. 1. 2. q. 112. a. 3.

Nobiles habitus effectivi infusi possunt latere suos possessores, non autem cognoscitivi. 1. 2. q. 112. a. 5. ad 2.

Hostis successu aliquo fœlici insolentior factus facilè patet insidiis.

Nullùs poteſt certò cognoſcere ſe habere charitatem vel gratiam, niſi ſibi divinitus reveletur. 1. 2. q. 112. a. 5.

Socrates apud Platonem dicit Alcibiadi poſſe illum veritatem invenire ſi quærat, quæret autem, ſi ſibi perſuaſerit ſe illam nondùm noſſe: ſic prudentes virgines noctu lucernas ſuas accendunt, ideſt cum ſciunt ſe eſſe in inſcitiâ, & expectant adventum præceptoris. Clem. Alexand. lib. 5. Stromat. c. 2.

Socrates ab Appolline omnium ſapientior dictus, quod ſentiret hoc vnum ſe ſcire quod nihil ſciret.

Non ſolet virtus eſſe jactatrix aut miratrix ſui, ſed imitatrix alieni, itaque ſemper anhelans, ſemperque altiùs aſpirans, dùm ſe comparat parvipendit: ſit hoc tempus eſſe militiæ, non triumphi, nunquàm quod optat attigiſſe exiſtimans; nemo enim ſtudet agere, quod peregiſſe ſe putat: Penſa quantùm vacui in animâ ſit, & non plenam deprehendes eſſe virtutem. In rebus altiſſimis mediocritas non gaudij materia, ſed laboris ac ſtudij eſt. Philoſophia Chriſtiana non fruendum virtutibus, ſed vtendum docet. Petrarcha. 2. de remediis fortuitorum. c. 10.

Diogenes cuidam interroganti cum irriſione cur Philoſophi divites ſectarenter, non divites Philoſophos, quia inquit Philophi, quibus rebus indigeant intelligunt divites vero, non.

Cum Sol in nos perpendiculariter emittit radios, nullæ ſunt corporum vmbræ, nulla vanitas in animâ à Deo illuſtratâ.

Moyſes ſingulari favore à Deo donatus, dicit ſe loqui neſcire. Exod. 3. Ieremias vocat ſe puerum. Ier. 1. Ioannes Baptiſta vocem. Math. 3.

Nos ſpiritum hujus mundi non accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt. 1. Cor. 2. Spiritus mundi facit ſuperbos.

Quantò plùs proficimus, tanto plùs humiliemur, quia quantò plùs humiliari fuerimus, tantò plùs proficiemus. Humilitas atque obedientia in junioribus adhuc neceſſitas, in ſenioribus verò dignitas: Ille benè proficit, ille conſummat, qui quotidie, ſic agit quaſi incipiat: Sanctus adhuc ſanctificetur. Euſeb. Emiſſen. homil. 3. ad Monachos. *Vide Major. Virtu.*

Aër egreditur è vaſe qui liquore impletur, vanitas ex animâ quæ ſapientiam ſuſcipit.

Plato in Ægyptum & Italiam, Appollonius in Indiam profectus eſt, vt à ſapientibus diſceret, qui ſapientes habebantur.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Cant. 1. Pulchram bis dicit ex ſanctitate ſcilicet & humilitate D. Bernard. in Cant.

Rectores decet modeſtia. Ideſt non exultans de ſe ſuiſque ſenſus. *Vide Media Poteſtas ſub finem Miſcellancorum.*

Seditiones fiunt ex eo quod populus conſtat ex iis, qui cum ſint ſecundùm quid pares, putant ſe ſimpliciter pares: Paucorum vero potentia ex iis qui cum ſuperent putant ſe in omnibus ſuperare. Ariſtot. lib. 5. politicor. cap. 1.

Quemadmodùm poteſt aliquis quantùm ſatis ſit adversùs vitia diſcere, qui quantùm à vitiis vacat diſcit. Nemo noſtrum in altum deſcendit, ſemina tantùm decerpſimus. Illud præcipuè impedit quod citò nobis placemus, ſi inveniamus qui nos bonos viros dicant, ideò mutari nolumus, quia nos optimos eſſe credimus. Seneca. Epiſt. 56. De obſtinatione. *Vide Duratio Volunt. Mala.*

Non nobis confidendum, quia ſumus in peccatum proni. *Vide Volunt. Virtutis. Rep.*

In paradiſo erat Adam, & quia ſegnis fuit ſupplantatus eſt: In ſimo Iob, & quia vigilavit, ſuperavit: In fornace tres pueri, & Deo canentes laudem ſalvi effecti; ne ergò licet in paradiſo ſis confidas. D. Chriſoſt. hom. 4. ad popu. Antioch.

Plùs novit artifex quid eſt in opere ſuo, quàm ipſum opus quod eſt in ſemetipſo, ſic confidenti Petro & dicenti, tecum ero vſque ad mortem, prædicit Chriſtus quod evenit, antequàm gallus cantet, ter me negabis D. Auguſt. tract. 11. in Ioan.

Meritò timet qui nocte iter agit per invia: virtutes longi temporis præſcriptione non acquiruntur vt non poſſint amitti, quandiù carnem circumfers tuam trabis vincula; nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit: cervicibus tuis imminet hoſtis, incerto marte pugnaturus, tàm dolis quàm vi, & inter hæc tibi non caves. Vrbs Lais facilè capitur, non ſibi caventibus incolis. Iudic. 18. ſic tempore diluvij bibebant. &c. ſibi confidentes. Flet Dominus ſuper Ieruſalem imminentia ſibi adverſa non prævidentem. Luc. 19. Scipio præcipiebat milites ſic in caſtris ſe munire ac ſi hoſtis eſſet à tergo.

Si habere non vis timorem, priùs vide ſi perfectam habeas charitatem, quæ foras mittit timorem: nam ſicut in bonâ valetudine fames non faſtidio, ſed ſcibo pellitur; ità in bonâ mente timor, non vanitate, ſed charitate pellendus eſt. Major timor debet eſſe peregrinantium; minor propinquantium, nullus pervenientium. D. Auguſt. Serm. 213. de tempore.

Nunquàm pervicaciſſimus hoſtis malitiæ ſuæ otium facit, tunc maximè ſævit cum hominem ſentit liberatum; tunc plurimum accenditur, cum extingui videtur. Tertulian. lib. de pœnit.

Vitia in homine antè converſionem habent pacem, quandò autem expelluntur, gravius contrà hominem inſurgunt. D. Bernard. lib. de modo benè vivendi. c. 6.

Antè terræmotum ſemper aëris tranquillitas & quies eſt: quia vis ſpiritus, quæ concitare ventos ſolet, in infernâ ſede detinetur. Sen. natur. q. l. 2. c. 12.

Etiam à minimis peccatis cavendum. *Vide Magnitudo, Virtutis:* quia hinc gravis imminet ruina.

Conſilia ſilentio continenda, quia poſſunt fruſtrari. *Vide Cogn. Volunt. Rep.* Ideò etiam tegenda virtus. *Vide Cogn. Virtu. Rep.*

Quædam vitia apparent detecta, & in aperto poſita quæ manu prehendimus; quædam obſcura & in receſſu; quædam non continua & ex intervallis redeuntia, quæ vel moleſtiſſima dixerim, vt hoſtes vagos, & ex occaſionibus aſſilientes, per quos neutrum licet, nec tanquàm in bello patatum eſſe, nec tanquàm in pace ſecurum. Hic ſtatus maxime querulus, nec enim ægrotamus, nec valemus. Verendum ne hoc animi vitium, inter vtrumque dubij, nec ad recta fortiter, nec ad prava vergentis, conſuetudo, quæ rebus adfert conſtantiam, in nobis altiùs figat. Vereor ne diſcedat hæc bonæ mentis infirmitas; torquet etiam ſemper caſuro ſimilem pendere. Non tempeſtate vexor, ſed nauſeâ, ſuccurre in conſpectu terrarum laboranti. Seneca. lib. de tranquil. vitæ c. 1.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In exultatione vt gratias agamus, in tremore nè cadamus. D. Aug. in Pſal. 50.

Frequenter hoſtes ſimulant deſperationem, & obſidionem vrbis relinquere. vt tunc ſecuros & ſinè cuſtodiâ de nocte aggrediantur; Ideò major eſt adhibenda cuſtodia cùm hoſtes diſcedunt. Vegetius. lib. 4. de re militari. cap. 26.

Vide Duratio Virtutis. Rep. nemo ſibi confidat, qui non eſt conſtans in virtute.

Sicut

Sicne illum inter Spinas. Can. 1. Si percutiunt a Spinis A per foratur Corvetius sum in arcumna meâ dum con figitur Spina. Bene pungit si compungendo. Ceu dentes, tenent & delicate hos vide quomodo carte ambules inter Spinas. D. Bernard. Sermon. 48. supra Cantic.

In vertigo comperi nihil esse æque efficax ad gradiens promerendum, retinendum, recuperandum quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non alium faciem, sed timore. Implentur hidrie aqua, idest tumore; nisi nihil aliud capiant, & convertentur in vinum, perfecta enim charitas foras mittit timorem. Ibidem. Serm. 54.

Quamvis omnia feceris, noli tamen esse fecurus nisita habeamus prorsus in ipsa quâ incedis etenim: ibi certissimum fore serpentes, qui interimunt murmuratores: ibi lepra quæ deturpat fultorantes; ibi fe vus aladitis, qui devorat idoli cultores, &c. Idem.

Qui sibi nocere promittit, fecurus invaditur. D. August. in Pfal. 30.

Custodi innocentiam. Pf. 36. vt thesaurum & facedum a fure diabolo eli, enim illa certum patrimonium tuum, &c. Idem.

Nihil tam validum tam imbecillum fervantibus, nihil tam certa & affidua cura circumeat animum labantem. Seneca. lib. de tranquill. animi in fine.

Auferes fpiritum eorum & deficient & in pulverem tuum revertentur. Pf. 103.

Spiritum fuperbiæ, qui fecipis glorificant, iniuet humiliemur penitentes: emittes fpiritum tuum & creabuntur, ideft renovabuntur. Sit gloria Domini in æternum, non tua: & rejicitur & de facta ut tremeat: melior eft tremor humiliatis quam confidentia fuperbiæ. Tangit montes, ideft fuperbos & fumigant, præces Deo offerunt, tanquam facrificium cordis. D. Aug. in Pf. 103.

Non in fe fed in Deo fperandum. *Vide Principium Virtutis.*

Multum nocet nimia fui confidentiam, perdit enim continuo virtutis profectus. *Vide Materiam Virtut.*

Magis Braffide dicet Lacedemonij laudandus fi ftum mortuum in bello & dicentibus non eſſe parem apud Lacedemonios: Ignorats, inquit, hofpites quales fint Lacedemonij, multi enim funt ibi defunctо & pares & fuperiores.

Effugia animum damna interiora non fentit, quæ nec intus eft, fed fui ipfius oblitus in longinquam profectus eft regionem. Vbi eft thefaurus tuus, ibi eft cor tuum. D. Bernard. Serm. de perfecutione fuftinenda, cap. 4.

Deiectis eos dum allevaretur. Pfal. 72. Eo ipſo quo extollimur, fic enim fibi nocent, & in nihilum fumm deciduit a Deo, à quo fummè funt feparati. *Vide Minor. Virt.* Precatum feparat à Deo.

A ipſis perditus Miſeris pifcius eſt omnia aurea, fimilius Apollo refpondet eam fapienti dandam, cum fingulatim fapientes fibi eam detuliſſent, perveniat ad Solonem, qui eam obtulit Apollini, quafi ſolo vere fapienti.

Diſciplina victoriam præſtat, victoria nonnunquam negligentiam & cuſtiatem: nam multi victoria etiam multa perpetram agant. Plato, 1. de legib.

Nemo ſecuritatem aſſiſet, quam qui per errores ſuos doctus antè quod caveret, quam quod faceret, vidit. Barclai.

Servata atque artes foi ſuſtuet, bonos, omnes, oſtentat corrumpit, fatiſtidio vehit nunc cunctas defpicientes, nec placere, aut nihil ſalem effugere fatis certatus per infanos impetus præceps, donec indulgentiam formine, & tenuitatis fuſtiſtatem conſumpſerit. Barclai.

Tom. I.

Superbia peſtilens ingenij fomes ſunt ſtiſt ac multi- B ciloſus vitij in diverſa prorumpit, diſip. ambitioſæ, & ſuper omnia invidiæ ſuppliciis obnoxia. Necaliij magis amiji, aut perpetui motus ſunt, quam hominum non tam querentium laudem, quam hanc ſibi deberi credentium: Et contemni ſe facile ſuſpicantes, & hanc alienum vt putant contumaciam, in ſe acerbiſſimus curus cindicant, ſua vitia nefciunt, & aliorum virtutes. Idem.

Exceſſimus procedere interdum ab infirmitate. *Vide de Princip. Magnitudin. inf.*

Recte monet Seneca de provid. cap. 3. Nihil eſſe infelicius felicitate peccantium. Sic enim Conſtantius, jam Arianis adhærens obtentâ victoria contra Maxentium Tyrannum infoleſcit dicens divino cultu prohiberi eſſe ſuam fidem: orbis ſe Dominum facit appellari & æternum. Baronius. 315.

Iulianus Apoſtata, à Maximo Philoſopho magos de- D mentatus putabat ex Pythagorica metempſicoſi animam Alexandri Magni in ſe tranſmigraſſe, vnde in Perſas expeditionem parans victoriam ſibi ſpondebat. Idem an. 363.

Cauſa & cadit ferè omnium malorum in ſcientiis ea vna eſt, quod dum mentis humanæ vires falso mirantur & extollimus, vera eius auxilia non quæramus. Baconius in novo organo.

Confundituir hominis ſuperbia ex debili & podendula originе *Vide Materiam Principii.* Initij.

Dum lærat columbæ plaudunt alis in aëre, & ſic vo- E latum aliquoin celerem moratus: ſpeculator occultus frunde latro, & gaudentes in ipsâ gloriâ rapit. Plin. lib. 10. cap. 36.

Apibus nocent & ſua mella, nam illitæ ab adverſâ parte mortiuntur. Id. lib. 11. cap. 19.

Superbia hominis maximè indicatur faſtum: Superbia alicubi conceptaculum, fed hic ſedem habet: In corde naſcitur, hoc ſubit, hic pendet, nihil abſis ſimul abruptiſque tuventis in corpore vbi ſuperbia eſſet. Iſidor. cap. 37. vanitas maximè ex ſcientiâ.

Fraſſi ſunt rami & infertus eſt, bene propter incre- F dulitatem fracti ſunt rami: tu autem fola fides, non arrogare, ſed time. Roman. 11. & cap. 12. Enumerans virtutes Chriſtianas ait. Nolite eſſe prudentes apud vos metipſos, non alta ſapientes.

Mihi pro meritis non eſt vt à vobis judicer, aut ab humano Deo, ſed neque metipſum judico; nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me Dominus eſt, 1. Corinth. 4. Quid habes quod non accipiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? Ibidem.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat 1. Corinth. 10.

Charitas non inflatur. 1. Cor. 13.

Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit; opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſe- F ſe. &c. Galat. 6.

Familiaritas Iovis cum Mercurio in locis non probatis & convenis facit invidos, arrogantes ſibi ſapientiam, judabundos. Prolom. præfidi. Aſtrologi. lib. 1. c. 19.

Alexander annis invictus, in vite conſuetudine fuit inſtuntior, laudatione enim captus eſt, appellatuſque lupater, non de ſubſimari. fed honorati exiſtimabat experiis ius que ſi ei nequiverant, natura fui oblitus. Phorius. Biblioth. cap. 250.

Hiſtris contrà Romanos pugnantibus initia pugnæ proſpera fuerunt, eademque eiuſi cauſa: nam cum Cnei Manlij caſtra expulſent, optimaque præde incubarent, epulantes, ac indibendos plerique

ac vbi essent præ poculis nescientes Appius Pulcher invasit, sic cum sanguine & spiritu malè partam evomuere victoriam. Florus. lib. 2. cap. 10.

M. Antonius aggressus est Creticam insulam, cum ingenti victoriæ spe, atque fiduciâ, adeò vt plures catenas in navibus quàm arma portaret; dedit autem pœnas vecordiæ, nam plerasque naves intercepere hostes, & captiva corpora religata velis pependerunt. Id. lib. 3. c. 7.

Imperitia audaces, res autem cogitata atque considerata timidos efficit. Lucian. dial. 3. de moribus Philosophor.

Sapiens non patitur adulatores, & sibi nimium blandientes. *Vide Concordantia Potestatis. Mala & Veritas Virtutis Repug.* Affectatio nimia.

Alexander Hephestionem amicum mortuum inter Deos retulit; hinc sibi blandiens quod non solum Deo genitus, & ipsemet Deus esset, sed & Deos facere posset; dùm enim adulatores affirmant Hephestionis Dei apparitionem, tandem sibi persuasit Alexander se verum Deum esse. Lucian. dial. Calumnia non facilè, credendum.

Non sentimus somnum, nec sanas internas partes vitales; sentitur solutio continui, sed non sentitur vnio, seù vnitas ipsa, quia est habitus perpetuus, & est similitudo in omnibus partibus semper existens.

Populo meus qui te beatum dicunt, ipsi te seducunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Isay. 3.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iacob. 4.

Coluber cervum fugit, Leonem interficit. Vide. D. Ambros. lib. 3. exam. c. 9.

Obruet Dominus confidentiam tuam & nihil habebis prosperum. Hier. 2. vide Salvian. lib. 7. de guber. Dei.

Ideo Dominus immittit adversa, nè homines insolescant. *Vide Bonit. Contrar.*

Et ideò à spiritualibus animis interdùm discedit sponsus, nè sibi nimium confidant. *Vide Gloria Cogn. Repug.*

Punitur Moyses, quia vt viribus suis confidens numerat populum.

Niobe nimiùm filiis suis gloriata ipsos perdit, & in lapidem convertitur. Ovid. Metamorph. l. 6. fab. 3.

Quod humilientur superbi, sibi fidentes, patet exemplis Icari, Promethei, Gigantum, turris Babel, Angeli nolentis pendere à Deo, Adæ, Mariæ, quæ in Moysem fratrem elata leprâ pecutitur. Num. 12. Core, Dathan & Abiron. Num. 16. *Vide Finis Potest.* quod nimis sibi confidentia regna à Deo destruantur vt Romanorum, quia cornu illud loquebatur grandia. D. Hieron. in Daniel. 7.

Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram. Psal. 146. Mansuetudo ad cœlum vocat, superbia in terram detrahit. Vox Domini confringentis cedros. Psal. 28. Cedri dicuntur omnes superbi: confringet illos aut per pœnitentiam, aut per vindictam. D. Hieron. in dict. Psal.

Et tu Capharnaum vsque ad cœlum exaltata, vsque ad infernum detraheris. Luc. 10.

Transiliens colles, idest superbos, tanquàm infœlices montes Gelboë. D. Bern.

Incurvati sunt colles mundi abitineribus æternitatis ejus. Habac. 3. Idest superbi maligni Demones, principes hujus mundi.

Deo terribili, qui aufert spiritum Principum, idest spiritum superbiæ, qui communis est Principibus. D. August. in Ps. 75.

Primi parentes plùs volentes habere quàm acceperant, & quod acceperant amiserunt, cujus veritatis vestigium in forensibus legibus deprehensum est, quibus institutum, vt plùs petendo causâ cadat, idest vt qui plùs petierit quàm ei debebatur, & quod ei debebatur amittat. D. August. in psal. 118. conc. 11.

Minor qui dolosè majorem, dixerit non restituitur l. 3. God. si min. se maior. dixer.

Vltrà sortem nostram crescentibus cupiditatibus, Deus illis proportionata auxilia non confert. Sic licet prædia quibus debetur servitus aquæ fuerint aucta, non tamen augetur modus aquæ ducendæ, à principio limitatus: dicit enim lex 12. Cod. de Servit. & aq. Non modus prædiorum, sed servitus aquæ ducendæ terminum facit. *Vide Finis Voluntat.*

Agar ejicitur quæ nimis de se & Domini amore præsumit. *Vide Finis Bonit. & Voluntas Maioritatis mala.*

Terra depressius elementum, cæterorum dotes omnes, imo & cæli vires excipit, & imitatur fœcundissimis suis productionibus metullorum, gemmarum, fructuum, medicamentorum denique bonitatem, & pulchritudinem.

Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Psalm. 18. Ad hoc nos vocat Deus, nè simus homines; sed tunc in meliùs non erimus homines, si priùs nos homines esse agnoscamus; idest vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus, nè cum putamus nos aliquid esse, nos ipsos seducamus, & non solum accipiamus quod non sumus, sed amittamus quod sumus. D. August. Tract. 1. in Ioan.

Ioannes Baptista dicit de Christo, illum oportet crescere me autem minui. Antequam veniret Dominus Iesus homines gloriabantur de se, venit ille homo, vt minueretur hominis gloria, & augeretur gloria Dei, venit vt confitentibus misereatur: Miseratio altitudo Dei, confessio humilitas hominis: ipse in se minuatur, vt in Deo augeatur. &c. Idem. tractatu. 14. in Ioan.

Lignum ficus Ægyptiæ aquis injectum, primò mergitur, deindè supernatat, quandò madefactum debuit humoris pondere prægravari. Idem. lib. 21. de Civit. cap. 5.

Ex profundiori fundamento altior tollitur ædificiorum moles; accessit vinum, nisi subsidat fex; non staret Respublica sinè humili hominum multitudine ad obsequium nata; Non consistat eminens virtus sinè humili sui sensu.

Humilia Deus respicit, & alta à longè cognoscit. Psal. 137. Superbos à longe videt, quia minùs illis propinquat.

Primum præceptum doctrinæ Christianæ est, qui vult venire post me, abneget semetipsum. Math. 16.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est, & cum creverit fit majus omnibus oleribus. Math. 13.

Benedicite sancti & humiles corde Domino. Daniel. 3.

Laudatur ab humilibus Deus, vt Princeps ab humiliato coràm se vasallo, cui ob id dat investituram. D. August. Tract. 63. in Ioan. Miretur altissimum hoc divinitatis mysterium: quod Ioan. 13. dicitur, Cum exisset Iudas, vt traderet Iesum: dixit Iesus, nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo: quandò tamen miracula faciebat, ait de illo Ioannes. cap. 7. Spiritus non erat datus, quia Iesus non erat glorificatus: nunc ergò nondùm erat glorificatus, cum mortuos suscitaret, & nunc est glorificatus cum mortuis propinquaret: nondùm erat glorificatus faciens divina, & glorificatus est

passurus humana : glorificatus est, quia propè est vt A
humilietur amplùs, aut cui impendet vt alligetur, vt
judicetur, condemnetur, crucifigatur. &c.

Arbor petit ima priùs, vt sursùm excrescat, figit radicem in humili, vt verticem tendat ad cœlum : si sinè radice auras petis, ruina est ista non incrementum : hoc ideò primum præceptum dat Christus discipulis, discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, alioquin exsiccatur arbor non habens radicem. D. August. Serm. 38. de Verb. Domi.

Deus non elegit Senatores, oratores in Apostolos, non Principes, ne ob sua merita viderentur electi, sed idiotas & infirma mundi elegit Deus. 1. Cor. 2. Tam large fonti vas inane admovendum erat. D. August. Serm. 59. de Verb. Dom. cap. 11. B

Deus exaltat humiles, illa autem exaltatio, non fit in oculis hominum per sublimitates corporales, sed ascensiones disponit in valle lachrimarum. Psal. 83. Assensus exaltationem, vallis humilitatem, lachrimæ pœnitentiam significant. Idem. Hom. 50.

O quam excelsus es Domine, sed humiles corde sunt domus tuæ: tu enim erigis elisos, & non cadunt, quorum celsitudo tu es. Ibid.

Videte magnum miraculum, altus est Dominus erigis te, & fugit & te, humilias te, & descendit ad te, quia excelsus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit: humilia de proximo respicit, vt attollat, alta, C
id est, superba, de longè cognoscit, vt deprimat. Id. Serm. 174. de Tempore.

Moyses qui noluit pro filio Pharaonis educari fit Deus Pharaonis. Exod. 2. Hebr. 11.

In cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus. &c. Christus fons est, qui ascensum nescit, sed rivos sectatur convallium. Qui emitis fontes in convallibus. Psal. 105. D. Bernard. Serm. 4. in Vigil. Nativ. Dom.

Invenerunt pastores Mariam & Ioseph, & Infantem positum in præsepio, humilitatem significat, quæ sola non potuit inveniri; hinc enim semper datur gratia & comites habet Mariæ castitatem, Iosephi justitiam. Idem. Serm. 4. in natali Domini.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus : D
humiliare & apprehendisti.

Homines & jumenta salvabis Domine. &c. filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: non dicit homines, parvulis enim major gratia conferetur. D. August. Epist. 120. Honorato. cap. 8.

Ad Deum humiles, excelsiores fiunt injustis : contrà verò Deum excelsi, humiliores fiunt justis, eâ scilicet dispensatione præmiorum atque pœnarum, quia illi Deum amaverunt suprà se, illi pro Deo amaverunt se; sic deficiunt, omnis autem defectus ab eo quod est, tendit vt non sit sicut omnis profectus, ab eo quod minus est tendit vt magis sit. Idem contrà Secundinum Manichæum. c. 7.

Servi coloni Principis, si ab ejus possessione recesserint, & ad aliquam dignitatem militarem, aut aliam irrepserint, ad statum pristinum debent retrahi, omni præscriptione semotâ. l. 1. Cod. nè res Dominicæ, vendicatis præscriptione tollatur. E

Magnus est Dominus, fortibus, id est superbis, qui habent præsumptionem virium suarum, gravis est; infirmis autem, id est humilibus lenis, & auxiliabilis est, vt ab ipsis portetur : sic Apostolus, cum infirmor, tunc fortior : super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem? D. August. in Psal. 92. *Vide Gloria Minoritatis. Vide Finis Gloriæ.* Vbi multa ad hanc rem ex Bibliis.

NIMIA DE SVIS VIRIbus præsumptio quantùm noceat.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Qui seipsum qualis est, non agnoscit, sibi non vivit, sed enti cuidam rationis & imaginario, cui dùm plaudit, sibi deest: Non petit à cœlo beneficia, nec illa bonis operibus conatur promereri, qui nescit indigentiam suam; quæ autem acceperat, facilè profundit, qui se putat thesauris incubare: Vndè fit vt emptis careat & accipiendis, nisi veritatis sensum extrema restituerit necessitas.

Magnitvdo. Qui se magnos existimant aversantur sibi verè commensurata, & ambiunt majora, quæ non valent contingere; deficientibus enim viribus concidunt nimio rerum pondere pressi, itaut nec ferant quod possibile erat, dùm importabilia humeris suis imponunt; quò plùs dilatantur falsâ sui opinione, dispersæ vires, nec collectæ, minores sunt.

Dvratio. Tanta consiliorum varietas, non tàm inconstantiæ quàm præsumptioni mentis adscribenda est : quæ dùm temerè magna suprà vires suas aggreditur, necessarios defectus liberæ mutationis titulo excusat. Pascit illos, quod in magnis voluisse sat est : sic vita non fluit, sed conteritur inter errores, donec fato desinat, quæ nondùm partes suas cœpit agere. Moras non patitur præsumptio, non expectat maturos rerum ventus, sed dùm putat omnia voris suis deberi, tàm infœliciter, quàm intempestivè omnia tentat, ab omnibus explodenda.

Potestas. Hoc mentis tumore laborant, qui bellum cœlo inferunt, qui potentium iras exasperant; nec nisi contriti vim sibi fieri posse credunt, qui etiam potentioribus, quasi paribus suis confœderati, & ab his tandem ludibrio habiti, amentiæ suæ ridiculum spectaculum mundo exhibent. Nam qui præest, vult in suâ regnare dignitate, & quos non reperit, efficit servos, potentiam suam, si non valent officiis, saltem injuriis probaturi. Cum omnia sint subordinata, & quælibet conditio, alteri superiori profert obsequium, huic maximè homini dura videtur servitus, qui se cæteris metito superiorem existimat.

Cognitio. Qui præsumit facilè, putat res sic fœliciter futuras vt optat: Non advertit defectus, qui ruinam minantur, non paratas in se hostium vires, non insidias, non tot malæ fidei dolos: debiles illi sunt oculi, qui sic ob rei vel minimæ splendorem in cæteris omnibus cæcutiunt,

Volvntas. Passiones omnes exasperat hic tumor, amantes altiùs quàm ferat sors sua Endimiones efficit ridiculos, tandem aelo furentes, & repulsam extremâ aut injuriâ, aut desperatione in se, vel in aliis vindicantes. Iras efficit ad commorionem faciles sed in implacabile odium desinentes : spe elati, dùm futuris inhiant, præsentibus non fruuntur. &c.

Virtvs. Peccat in virtutes omnes, easque lædit in origine, qui in intimo sui sensu à mediocritate discedit. Luxata membra dolent, quæcumque pars, seù suprà, seù infrà sirum suum naturalem amiserit. Cum hic virtus omnis sit in profectu, scire debet, quò pervenerit qui vult vlterius progredi.

Veritas. Omnium qui prævaricatores sunt veritatis, pessimus, quia latens, hostis est adulator; & omnium adulatorum pessimus est hic altior quàm decet de virtutibus suis sensus, vt qui semper assidet

Digitized by Google

extrà falsi suspicionem omnem positus. Idem actor, A testis,& judex nihil discutiendum relinquit rationi.

Gloria. Nulla quies magna ambientibus quibus nunquàm datur pervenire, nunquàm autem perveniunt, qui ad impossibilia nituntur: cedunt illis omnia in contrarium, minùs enim lætantur de exhibito honore, quasi sibi amplioribus etiam titulis debito, & graviter offenduntur de negato. Gloriæ avidissimi multis fiunt infensi, & tandem ridiculi; frustratis semper votis, spe tamen absque vllo fundamento, pertinaci.

Differentia. Ordo divinæ providentiæ læditur, si inferiora superiorum loco sedeant; tunc enim & ipsa & alia superiorum influxu fraudantur. In humanis rebus, ex temporum, locorum, personarum nunquàm sibi simili varietate artificiolo opus est flexu, B quem nescit, & cui se non submittit nimiùm de se confidens; Frigidus enim præsumpti sui juris vindex, falsis malis vera adhibet medicamenta, lædítque quos lenire debuerat.

Concordantia. Vt in temperamento, sic in hominum societate partes omnes aliquid de suo remittunt, vt aliorum collatis qualitatibus consentiant: Hoc non patitur qui nimiùm de se præsumit, nunquàm enim se alijs, sed omnia sibi vult conformari; Non patitur similium, quasi inæqualium amicitiam, & ambit illam inire cum potentioribus, quorum allisione, vt olla terrea ferreæ juncta, conteritur. Ideò, vt notat Aristoteles, dissolvuntur vt plurimùm amicitiæ, quia putat quilibet de se præsumens nimiùm à C se exigi, sibique non satis officiorum deferri.

Contrarietas. Qui nimiâ sui opinione laborant, vivunt vt plurimum inquieti, quasi illis insidias vndique struxerit invidia, cum tamen illos vt abjectos, sequè indignos prætereat: Sic insanientes, risum simul & misericordiam movent.

Principivm. Suis viribus confisi, quod habent naturæ suæ, non Dei beneficijs imputant, sic ingrati, sic impij meritò spoliantur acceptis. *Vide Finis Bonit.* Qui sic agunt, falsis suis suppositis meritis, inædificant sinè fundamento, vndè certa ruina: Nullius rei absolutam peritiam assequuntur, qui nullum volunt subire tyrocinium.

Medivm. Dùm putant seipsis agere sinè solitis advocatis auxilijs, & adhibitis organis, tot in se concitant hostes, quot spernunt, ministros: sic frustrà laborant, dùm rei jam sinè machinis non mobili accedit tot illi insidentium pondus, & in contrarium conjurata vis. Sibi nimiùm confidens, similis est navi sinè anchoris, armamentis, victu, cæterisque ad casus adversos ferendos necessarijs. Discit quotidiano experimento se solum non posse subsistere; at quomodò fidens ambulabit, cum rerum & personarum mentita sit facies, & ad decipiendum composita?

Finis. Videat se in omnibus pendere ab externis: vtque esse accepit à principio, sic fœlicitatem expectare à fine, & quidem non suis, sed mendicatis auxiliarijs viribus. Sibi fidens, quasi de fine securus evulgat consilia sua, hinequè dùm gloriolam aucupatur, hostibus viam præbet, quâ possint incautum à fine detorquere.

Maioritas. Majora quàm par sit ambientes, solent in minimis turpiter, & in principijs vix reparabili defectu peccare; dùm insolita ad vanitatis spectaculum sectantur, evanescunt in cogitationibus suis, vt flamma dùm altum petens à materiâ suâ discedit. Luctuosum, & publicâ strage luendum in rectoribus malum; Nam præteriti contemptores, dùm omnia volunt innovare, omnia subvertunt: etiamsi optima forent consilia, angustissimo vitæ spatio in destructionem, non in ædificationem cessura sunt.

Æqvalitas. Vt nunquàm æqua facies torrentis super asperа decurrentis; sic animi impetus inter adversarum rerum casus ruentis, vitæ inæqualitatem efficit inæqualitas virium cum rebus agendis.

Minoritas. In dubio melius est diffidentiâ cessare ab actione, quàm nimiâ confidentiâ turpiter in adversis deficere: Nihil detrahit gloriæ, si victoria amplissimis, & auxiliarijs viribus quæsita sit; hoc enim est summæ prudentiæ argumentum, quæ nullum jus fortunæ reliquit, contingens effecit sibi quasi necessarium, vt ne quidem hostibus spes vlla superesset.

VIRTVS QVÆ SE PROfert ad extrà, vultque videri.

MISCELLANEA.

Vide Cognitio Potestatis, & Cognitio Gloria.

IRim, velut & aliam quamque medicinam odorationem eligito; Nam vnum quodque optimum est, quod proprium sui generis odorem habet vehementissimum, similiter & de gustu dicendum. Mathiol.

Piper indicum, cum sit ità calidum, vt ejus semen ori impositum linguam exurat & exulceret, cominetur etiam corniculis ignei coloris & splendentibus. Idem.

Calamus odoratus in Arabiâ nascens præstantior odore, statim è longinquo invitat. Dioscorides.

Cervi latebras quærunt, cum æstate sunt pingues, fatentes pondus incommodum.

Augustam Principis personam Augustum decet corpus, vt omni genere virtutum tàm animi quàm corporis eos superet, quos imperio superat. Vndè ait Curtius apud pleraſque gentes imperia non concedi, nisi his quos specie eximia natura donavit: statura pulchra est trophæum quod victrix statuit anima, quandò divina natura vincit materiam & suo lumine D corporis discutit tenebras, at contrà deformitas corporis virtutis gloriam minuit, hominem reddit obnoxium detractoribus: Vndè Archidamus apud Lacedemonios pecuniariam mulctam subijt, quod duxisset vxorem infimæ staturæ, quia sic non Reges, sed Regulos populo erat daturus.

Sic Samuël laudat Saulem Regem à Deo datum, quod ab humero cæteris esset excelsior.

Sponsus in Canticis ait de sponsâ, Statura tua assimilata est palmæ.

Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Marius voluit milites suos proceres esse, sexque pedum altitudine. Veget. lib. 1. cap. 5.

Hercules fuit septem pedum: Hanc altitudinem vix vlli excedunt. Solin. Poliohist. c. 5. E

Oreſtis ossa Olympiade 58. Tegræ inventa à Spartanis oraculo monitis impleverunt longitudinem cubitorum septem.

Bello Cretico post discessum inundantium fluminum cadaver repertum fuit cubitorum triginta trium ad quod videndum miraculum L. Flaccus & Metellus legati missi sunt. Solinus Polishost. cap. 5.

De Ajacis magnitudine hæc conjecturare licet, quod genuum vertebræ, quas molas medici appellant disci instar essent.

Apud Magnesios Græciæ populos in Lade Insulâ. Anectis sepulchrum, terræ vt dictus filij, ejus cadaver

decem cubitorum longitudine repertum fuit: In ſuperiore Lydiâ alluvione deſtructo ſepulchro inventa ſunt oſſa, quæ Gerionis eſſe credebantur, tantæ magnitudinis, vt niſi humanorum ſpeciem habuiſſent, hominis eſſe credere fas non fuiſſet. Pauſanias in Atticis.

Poëtæ Heroas ſuos proceræ deſcribunt eſſe ſtaturæ: Sic Virgilius, Ingentem Æneam; gemit ſub pondere cymba.

Sub Auguſto, Puſio & Secundilla decem pedes ampliùs habuerunt proceritatis, poſtmodùm ſub Claudio Principe, quidam nomine Gabaras, ex Arabiâ advectus, novem pedum fuit. Solinus cap. 5. Hæc magnum fœlixque regnum portendebant.

Tales decet eſſe aulicos viros, in quibus natura bona judicio frontis appareat, & poſſit agnoſci de moribus cum videtur, tacens enim plerumque deſpicabilis eſt, ſi eum tantùm lingua commendet. Caſſiod. lib. 1. Variar. Epiſt. 43.

Vegetius de re milit. c. 6. Vult milites ex vultus eligi; vt Virgilius apes ex aſpectu: nam duo ſunt genera. Hic melior inſignis & ore; & rutilis clarus ſquammis; Ille horridus, alter deſidia latumque trahens ingloriusalvum: ſic eligantur tyrones vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, longioribus brachijs, &c.

Proditur animi natura per vultum, ſuperbus varicatis greſſibus patet; iracundus luminum fervore declaratur; ſubdolus terrenum ſemper amat aſpectum; leves inconſtantia prodit oculorum. Caſſiodor. lib. 6. Variar. Ep. 3. & 9.

Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana. D. Hieron. Epiſt. ad Furiam.

Aliquid vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet. Senec. Epiſtol. 22.

Frons ſignis forenſibus internam exprimis voluntatem: Imago quædam animi loquitur in vultu, &c. D. Ambroſ. Exam. lib. 6. c. 9. & de Elia & Ieiunio, cap. 10.

Vultus eſt inſigne animi nobilitatem oſtendens; compendium eſt totius individui: ideò pictores arte ſuâ naturam imitantur, dùm præſtantium virorum vultus tantùm effingunt: ſic index horologij internos motus oſtendit. Vera eſt relatio vultus cum animo, niſi externa aliqua cauſa vi præpediatur.

Stellæ fixæ licet minorem planetis vim habeant, quia ſunt à terra remotiores, ſimilem tamen habent his, quos luce & colore referunt. Rubeæ Martis; plumbeæ Saturni; candidæ & ſplendidæ Iovis, candidiſſimæ & ſplendidiſſimæ Veneris; candidæ pallentes Lunæ; nebuloſæ ac maculoſæ Martis & Lunæ, imbres ciunt. Tenebroſæ obſcuritatem mentis; ſcintillantes, vt canicula, magnas conturbationes efficiunt, maria agitant, mentes hominum inquietant. Origan.

Pulchros efficiunt ſigna humana aſcendentia, Gemini, Virgo, prima pars Sagittarij, vt deformes deformia. Idem.

Aſtrologi antiqui vires aſtrorum expreſſerunt per externas quas illis affingunt imagines; ſic Leo eſt ardentiſſimum Sydus, Aries bellicoſum, &c.

Pulchritudo eſt flos bonitatis, qui allicit. *Vide Cognitio Bonitatis, & Princip. Volunt.*

Qui dicunt Deum eſſe animam mundi, ex mundo, tanquàm ex corpore, conjiciunt infinitas ejus perfectiones. *Vide Cognitio Principij.* De Dei cognitione per creaturas, & infrà hoc tit.

Auguſtus Cæſar, Titus, Veſpaſianus, Alcibiades Athenienſis, Iſmaël Sophi Rex Perſarum, Philippus Pulcher Rex Galliæ, Eduardus IV. Rex Angliæ, excelluerunt pulchritudine corporis, quæ erat indicium pulchritudinis animi.

Ex loco, tempore, ſitu cæteriſque circumſtantijs conjicitur veritas. *Vide Concord. Veritatis.*

Datur vna ſumma pulchritudo, quæ non eſt corporalis, temporalis, corruptibilis. *Vide Principium Veritatis.*

In ipsâ etiam incuriâ eorum, qui omninò à labore ac officio recedunt, plerumque illa vis emicat ad ſe vocantis induſtriæ: veluti herbarum ſemina per Saxorum latera, quæ naſcentibus obſtant, exili cacumine eniuntur, vt ſaltem ſe oſtendant enecari; adeò non poteſt in totum interire fatorum ſtimulus, in certa munera vnumquemque pulſantium. Barclai.

Amor eſt irrequieta cupiditas placendi, his quos amamus. *Vide Poteſt. Volunt.* in fine.

Genitales maſculi partes à fœminis in hoc maximè differunt, quod extrà prodeant. Vide Galenum. lib. 2. de Semine.

Mulier eſt inſtar puerorum facie depili & pulchrâ; Nam cum mores non habeat æquè venerandos vt maſculus, nec formâ quidem venerandâ opus erat. Idem lib. 11. de Vſu partium.

Thraces fronti & vultui inſcribebant nobilitatis ſuæ ſigna. Dion. hiſt. l. 67.

Gregorius Nazianſ. cum eſſet Athenis conſiderans ibi Iulianum, ex ejus vultu & geſtibus, corporiſque habitu, prædixit futuram impietatem, quale, inquit, malum terra Romanorum nutrit. Baron. an. 354. Tale fecit judicium ex illo Proverb. 6. Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo; annuit oculis, terit pede, digito loquitur, omni tempore jurgia ſeminat, &c.

D. Ambroſius quendam à multis commendatum in clerum recipere noluit, quod geſtis ejus plurimum dedecoris eſſet; vt teſtatur. 1. de Officijs. 18.

Lingua aures ferit, geſtus verò oculos alloquitur.

Leonum animi index cauda, ſicut & equorum aures. Plin. lib. 8. c. 16.

Animalia vnipara ſunt, quæ ſolipeda; paucipara, quæ biſulca; multipara, quæ multifida. Ariſt. Hiſt. anim. l. 4. c. 4.

Gratus ſapor & odor ſunt indices bonæ latentis qualitatis.

Qui ad rem quampiam aptus eſt, habebit profectò & hujuſmodi ſignificationis ſtellam admodùm potentem in ſuâ genitura. Ptolom. in centiloquio. num. 3.

PHYSIONOMIA.

REſumenda ſunt quæ diximus de diverſitate naturalis inclinationis ex primis qualitatibus. *Vide Differ. Voluntat.*

Nullum temperamentum abſolutè vnum, & alteri impermixtum, bonum ingenium inducit: eſt autem temperamentum qualitas reſultans ex mutuâ actione & paſſione primarum qualitatum elementarium. Vniforme ſeù ad pondus dicitur, in quo quatuor qualitates æquâ graduum proportione coëunt. Difforme ſeù ad juſtitiam, in quo qualitates ſunt in diverſâ exuperantiâ: Eſtque aut ſimplex, cum in eo vna tantum qualitas dominatur; aut compoſitum cum duæ qualitates reliquas duas excedunt; tale eſt quadruplex, pro quadruplici elementorum combinatione.

Primum eſt Bilioſum, calidum & ſiccum cui reſpondet ignis & æſtas, quia ignis acuitur in eo ſiccitate, nec obtunditur humore; tale habentes ſunt inge-

Digitized by Google

nioſi & acres. Secundum eſt ſanguineum, calidum humidum, cui reſpondet ver, aër, ſanguis; dat vitam longævam propter robur calidi innati, & humidi radicalis, & adjuvat etiam actiones intelligendi. Tertium Phlegmaticum, in quo præeminet frigiditas & humiditas, cui reſpondent aqua, autumnus: pituita generat morbos frigidos, & humidos, Lachexiam, Hydropem, Scabiem, Apoplexiam, Epilepſiam, Paraliſim; obtuſum, ſomnolentum, orioſum facit ingenium, quia defectu caloris caput excrementis frigidis ſcatet, & obnubilatur; tactus eorum habet mollitiem aqueam, non aëream, quæ inducit bonum ingenium, quia diſpergit & ſolvit inutilia excrementa, quibus pulſis ſpiritus puriores ad potentiarum obſequium advolant: Adde hæc indicia; color vividus, ſubtilitas pilorum, vnguium tenuitas. Quartum denique eſt melancholicum, in quo excellit frigus cùm ſiccitate, cui reſpondent terra, hyems, bilis atra: Tales ſunt ſcientijs & regimini apti, vndè ſenes valent judicio: Cùm autem ad ingenij bonitatem duo requirantur, ſcilicet idearum ex objectis prompta conceptione; ſecundò, earum diuturna retentione; nullum temperamentum abſolutè vnum inducit bonum ingenium; Non ſanguineum, quia abundantia ſuffocat, immergit voluptatibus ſenſibilibus, & venereis, facitque inconſtantes; Cholericum igneum cerebrum propè liquefacit, ità nec in rebus immorari permittit, nec ad eas diù contendere; Phlegmaticum torpere facit ſpiritus, & res conceptas ſinit effluere; ſola Melancholia retinet quidem, ſed difficilè concipit propter frigiditatem: Bonitas autem ingenij in permixtione melancholiæ & choleræ conſiſtit, quia cholera dat activitatem & facultatem concipiendi, melancholia retentionem.

Cholericum temperamentum efficit hominem facie, oculis, capillis, toto corpore rufum, flavum, gracilem, habitu ſicco; venas diſtentas, amplas, pulſum vehementum, velocem, frequentem, durum; vrinam, flavam flammeam, acrem, parvi ſedimenti; capillos criſpos, retortos, duros, rubros ſi cum ſanguine; Nigri ſi cum melancholiâ combinetur. Oculos facit profundos, naſum acutum, faciem citrinam, ad icterum inclinans; Illis eloquium velox & facilè, hæſitans tamen in jrâ; pectus amplum, hirſutum, egeſtiones aduſtæ, greſſus celer, proclivitas ad ebrietatem propter ſtomachum & cerebrum calidiorem; os amarum, lingua aſpera, torſiones in ſtomacho, ſitis incendioſa, inſomnia belli, furoris, iracundiæ, ſplendoris luminis plena, garritus nocturnus: Tales ſunt ad iracundiam & vindictam proni, audaces; dociles tamen, ingenioſi, fidi, liberales, juſtitiæ amantes, ſinceri, zelotypi quiâ ſpiritus calore repurgati difficilia quæque penetrant.

Sanguineum facit faciem rubicundam ex albo rubroque mixtam; habitum carnoſum, firmum, ſinè multo adipe, mitem, blandum; pulſum fortem, magnum, plenum; vrinam copioſam in ſubſtantiâ, colore & contentis mediocrem; mores animi tranquillos, hilares; quia ſanguis puritate ſubſtantiæ æqualiter per corpus fuſus, æqualiter ſecundùm naturam illud afficit in debitâ ſymetriâ, vndè ex ſuavi ſenſoriorum diſpoſitione objecta ſuaviter percipiuntur: ſic non ſunt proni ad iram aut jurgia, niſi mixta cholerâ: provocantur tamen ad juſtam iram, ſed facilè reconciliantur, ſomnus eis placidus, rerum lætarum, cum floribus, luce, harmoniâ, picturis, choreis, venereis: venus autem eis non obeſt, quia corpus habent optimo humore ſaginatum.

Phlegmaticum, vitam facit ſedentariam, otioſam, ſæpè infirmam, propter cruditates, brevem ſtaturam, corpus craſſum, breve, æſopicum, album, pallidum, plumbeam aut lividam faciem; carnis molem amplam, mollem, obeſam, contactu frigidam; pectus glabrum, & depilum; venas ſtrictas & minùs apparentes; arteriarum pulſum rarum, mollem, parvum, tardùm: vrinam, albam, pallidam, tenuem, turbidam, ſomnum profundum, & multum, propter excrementa capitis, frigiditate coacervata. In ſomnijs pluvias, aquas, ſubmerſiones, pilcationes; graves patiuntur incubos; non ad venerem proclives, niſi vino calefacti: his prodeſt venus, propter ſpermatis calefacti faciliorem excretionem, & facilem conceptionem; femellas generant, niſi ſe vini vſu corrigant, aut vxori cholericæ aſſocientur.

Melancholicum, quod procedit ex eo quod ſex ſanguinis ſplenem offundat, vt ex libero riſus, ſic ex nimium occupato triſtitia; tales ſunt timidi, formidoloſi, inanium rerum commentatores, ſolitudinarij: vt enim calor velox eloquium, ità frigus ſilentium cauſat, & converſationis odium: Hinc melancholici hypocondriaci mortem ſibi conciſcunt, phantaſia enim offuſis ſpiritibus terretur; vultus colore fuſco qui ad viridem inclinat; corporis habitus ſiccus & macilentus; aſpectus torvus, inconſtans, inhumanus; pulſus parvus, durus, ratus, tardus; vigiliæ multæ; ſpeculationum occaſiones fœliciſſimæ: caput eorum facilè defectu caloris, à frigidiori cœlo læditur, plùs ſapiunt in juventute, in ſenectute oblivioſi, citò ſeneſcunt, & canitiem induunt; rarò iraſcuntur, ſed irati vix ſinè vindictâ reconciliantur: lenti ad venerem propter temperamenti frigiditatem: oſſa illis dura, cutis aſpera; in devotione lachrimantur; ſomnus rarus, tumultuoſus, horridus, ſomniant enim ſepulchra, loca ſolitaria, ſpectra, cadavera, diabolos, neque etiam vigilantes ſunt à curis immunes; illud enim temperamentum eſt mortis præludium.

Degenerant omnia temperamenta in pejus ſub infortunis habita, aut defectu exercitationis & educationis bonæ, vt cholericus ſit rapax, latro, facinoroſus; ſanguineus ſit ſcortator, adulter, perjurus, arthride, lue venereâ correptus, mendax, aſſentator.

Phlegmatici in hydropem, paralyſim, lippitudinem, gravedines, diſtillationes, catharros. Melancholicis vita eſt ſupplicium, quàm ſæpè finiunt maniâ, delirio, inſaniâ.

Generaliter in corpore conſiderari poſſunt. Primò, mollities & durities. Secundò, celeritas & tarditas: Tertiò, magnitudo & parvitas. Quartò, color. Mollities aërea, vt dictum eſt, ſignum eſt boni ingenij; aquea autem tardi: per mollitiem enim aëream faciliùs imagines objectorum tranſiciuntur; ſubjacent tamen inconſtantiæ, quia humidum non ſuo, ſed alieno termino continetur; erit tamen conſtantia, ſi homo talis ſit etiam muſculoſus, cujus ſignum erit, ſi ſit robuſtus, & magnanimus. Siccitas in primo gradu melancholiæ dat bonitatem ingenij & conſtantiam. Magnitudo cum optimâ conformatione, hominem judicio præſtantem ſignificat. Parvi cum bonâ conformatione valent ingenio, quia calor magis vnitur: facilior eſt etiam operatio ſpirituum, quia via brevis eſt; ſunt tamen temerarij & præcipites, propter majorem caloris intenſionem, propter quàm citò apprehendunt, ſed non judicant.

Color multiplex, ſed ruber deſignat hominem amantem, vel ebrium, propter diffuſionem ſanguinis arterioſi, vel augmentum venoſi. Niger ſignificat invidum & triſtem, eſt enim effectus melancholiæ. Flavus eſt magnanimus & ambitioſus incitante humore bilioſo. Celeritas in motu arguit ingenij acumen, tarditas contrà.

DE CAPITE.

CAput debet esse rotundum vt faciliùs moveatur vt minùs pateat injurijs, vt plùs contineat cerebri: debet paulò eminere propter sensus in parte anteriori, & in posteriori propter memoriam. Magnitudo ejus debet esse proportionata partibus corporis: parva magnitudo cum siccitate, est maxima temeritas; quia siccitas contracta est à calore adurente; sed si sit humiditas, erunt ingenioſi sinè temeritate, quia humidum retundit calorem. Contrarium est B in magnis, in quibus bonus est calor cum siccitate, ne dispergantur spiritus; magnitudo autem sinè conformatione est potiùs vbertas materiæ excrementitiæ, quàm caloris & spirituum.

Caput parvum cum longo collo, malum signum, quia dispergunter spiritus; quoad figuram, si nulla sit protuberantia signum est hebetudinis ingenij, vndè non laudatur caput omninò rotundum. Caput angulosum, hebetem notat, anguli enim præstant impedimentum in motu spirituum. Similiter fastigiatum, quia comprimuntur ventriculi, & notat etiam inconstantiam, quia acuitur ab humore bilioso prædominante. Oblongum notat arrogantiam, & ambitionem. Planum, obtusum ingenium, propter compressionem ventriculorum. Duplex vertex, longæuam ætatem, quia natura excrementa excernit. Caput mobile signum inconstantiæ propter humiditatem, & temeritatis propter calorem. Caput rectum, signum caloris, ambitionis, prodigalitatis, &c. depressum verò, frigoris, avaritiæ, pusillanimitatis.

DE CAPILLIS.

CApilli sunt suligines, & excrementa vltimæ concoctionis à moderato calore, nam nimius suliginem dissipat, & discutit per cutis poros. Fiunt in cute modicè siccâ & rarâ, maximè in capite, mento, & pudendis, quia ibi abundat calor, & est dispositа materia. In illis considerare debemus quantitatem, figuram, calorem. Quartò, qualitates tactiles, scilicet mollitiem & duritiem. Quintò calvitium. Copia pilorum & magnitudo, signum caloris virtutum aut vitiorum in excessu. Recti, signum sunt frigoris poros coarctantis, timiditatis, avaritiæ, &c. Ad frontem demissi, signum caloris innati, liberalitatis, quia ab humore Crispi in extremitate tantùm, signum caloris & magnanimitatis, quia calor siccando pilos flectit. A radice autem crispi signum sunt frigoris & timiditatis sunt enim tales à materiâ terrenâ.

Color niger bonum signum, quia suligo nigra est materia proxima: si adsit color faciei niger, signum melancholiæ; alij colores denotant humorem prædominantem. Respiciendum etiam ad morbos & ætates, nam secundùm earum temperiem mutatur: in primâ aureus, deindè rufus, flavus, niger & albus: vt enim nigredo à calore, sic albedo à frigore. Duri & hirsuti, signum caloris, maximè si sint in magnâ copiâ in angulis temporum, quia hæc pars est magis frigida. Mollities humiditatem & luxuriam, non tamen ad satietatem, propter caloris defectum. Aridi & sicci, signum morbi imminentis, & futuræ calvitiei. Canities in syncipite, signum siccitatis: in ossibus temporum propter musculum temporalem, signum humiditatis: quibus canties in juventute aut A virili ætate oritur, nisi habeat causas altiores, hi sunt instabiles, impudici, incontinentes, maximè si ad ebrietatem deveniant.

DE SVPERCILIORVM naturâ.

HOmines plùs diligunt visum, quia plures rerum differentias eis ostendit. In eo considerare debemus quantitatem, figuram, qualitatem tactilem, colorem, motum, situm: & primò de supercilijs, quæ B inserviunt oculo.

Supercilia longa, pilosa, hirsuta, densa cum multitudine pilorum, signum caloris extendentis fuliginem, vndè tales sunt valdè ambitioſi, fortes, iracundi; si accedat color niger propter immensum calorem adurentem, tales sunt melancholici, invidi, rapaces propter calorem, tenaces propter siccitatem, aliena profundent bona, propria retinebunt. Si sint in contrarium brevia, &c. contrarium effectum significant. Mediocritas signum caloris nativi boni, ingenij subtilis: eorum calvities, immoderatum vsum Veneris, in quo calor cum humido ab omnibus partibus ad testes decernitur; vndè ampliùs non suppetit humidum C ad fomentum radicis pilorum. Supercilia debent esse curva propter orbitatem oculorum: si autem sint recta, signum mulierculoſi, nam quandò id quod debet esse curvum fit rectum, signum humiditatis, secundùm rectam lineam levigantis. Si id quod debet esse rectum, fiat curvum, signum caloris debilis, non benè efformantis. Conjunctio, signum animi melancholici & tristis, propter abundantiam pilorum, copiam caloris vrentis, & fuliginis nigræ. Disjunctio talis, vt sit extensio ad tempora, signum fatuitatis, quoniam pili sunt in loco molli & pituitoso, vndè pituita obtundit ingenium, & ad sues referuntur. Si antè non sit extensio ad tempora, signum boni ingenij. Duities à siccitate, signum invidiæ. Mollities ab humiditate, D signum adulationis. Item si frons sit laxa, cum multa carne, quæ inutilis est ad sensum, licet vtilis ad motum, qui opponitur sensui, nam sensus est in patiendo, motus in agendo. Color refert humorem prædominantem. Mobilia & titillantia, signum caloris & humoris, seù audaciæ & libidinis. Quo adsimum, Elevatio; signum caloris & ambitionis: depressio siccitatis & invidiæ: inflexio ad tempora signum risus; ad nares iracundiæ, quoniam in his passionibus sic afficimur. Palpebræ tumentes, signum ebrietatis & somnolentiæ, vndè copia humorum: superior somnolentiæ, inferior ebrietatis.

DE OCVLIS.

OCuli parvitas signum pusillanimitatis, & astutiæ propter siccitatem cerebri, & quia parvus calor ad interiora fugit, frigus autem quoddam requiritur ad prudentiam & astutiam. Magnitudo immensa significat abundantem humorem & stultitiam, nam humiditas aquea obruit calorem nativum: tales sunt imbecilli, quia humiditas laxat, siccitas autem dat robur, dùm astringit; in subjecto enim plùs magnò quàm par sit diffunditur calor & hebetatur, in parvo paucus est, in mediocri vnitur: nam requiritur, debita magnitudo vt forma informat & operetur, vndè requiritur corporis mediocritas: Itaque magni in

procerè staturâ generositatem; in parvâ autem staturâ & corpore gracili, si vitellorum instar extrà alveolos promineant, hominem insigniter hebetem, luxuriosum, pigrum, mendacem, importunum: Contrà nimis parvi, profundi, angusti, & conniventes, invidum, malitiosum, insidiatorem, iracundum, suspicacem, infidelem. Color refertur ad humores & spiritus; qui tenues, puri, splendidi, copiosi efficiunt albedinem; contrarij nigredinem; citrini, hominem apprimè malum & impudentem: albi tendentes ad rufum, vt in Leonibus, audaciam; vinosi, stoliditatem, ignei, impudentiam; Splendidi propter calorem luxuriam: cærulei, inconstantem, amabilem, & redamantem; nigri, in amore constantem, salacem, & ad venerem turgentem: tunica uvea sola est variè colorata ad recreationem oculi. Mobiles instabilem, impudicum, arrogantem, mendacem, rapacem; tales enim habent accipitres, quia imaginantur vndique prædam, sic volvuntur. Si in albo oculi sit color fuscus, cum mobilitate oculorum, signum boni ingenij, quia melancholia conjungitur cum bile.

Lippientes oculi, perpetuaque rubedine & alluvione scaturientes, cerebri humiditatem. Discolorati referuntur ad animi pathemata, & sunt timidi. Opaci, & non splendentes, venereum, prodigum, quia absumptis spiritibus visorijs oculi caligare incipiunt. Vehementer palpebrizantes sunt timidi, quibus ab oculis quasi vesicæ dependent, amatores vini & somni sunt, imitantur enim passiones, nam à somno turgentibus dependent graviter oculi. Conjici possunt passiones ex motu musculorũ. Optimus ergò oculus erit apertus, vigilans, perlucidus, splendidus, mediocriter rotundus, æqualiter mobilis, colore cæruleo, supercilijs nigricantibus; motus etiam qui colligitur ex musculis superbo, humili, derisorio, amatorio, potest comparari primis qualitatibus adjuvantibus: calor enim juvat ád elevationem, frigus ad depressionem; humor adducit versùs tempora, siccitas versùs nares.

DE AVRIBVS.

AVres patulæ, oblongæ, asininæ & midæ significant ignavum & socordem; quia humor, melancholicus dominatur cum pituitoso. Curtæ autem succinctæ, minores, & simiarum instar compressæ, instabilem, fallacem, & mille-artificem designant; sunt enim solum ab humore melancholico: Requiritur ergò mediocritas, propter temperamentum sanguineum & biliosum.

Si sint oblongæ propter bilem significant iracundum. Angulosæ & parùm cavæ, malæ sunt conformationis, significant ineptos ad disciplinam, sensus enim auscultationis est debilitatus. Mollities pigrum, propter pituitam. Durities, astutum, propter melancholiam. Subtilitas, bonum ingenium, quia bilis est conjuncta cum melancholiâ. Rubor pudorem, quia in pudore calor ab oculis qui respicere non possunt, ad aures quæ calidissimæ sunt, & temporibus appositæ refluit. Si sint mobiles, id fit à calore cum aliquâ humiditate; significant lætitiam, & diligentiam. Elevatio est à calore, depressio à pituita.

DE NASO.

NAsus interior constat osse hetmoidè cribroso ad præparationem aëris, & processibus mamillaribus, similibus pupillis mamillarum, in quibus consistit vis odoratus. Exterior diversam habet conformationem: Rectitudo nasi bona est nam bonum est vt attractio & ejectio aëris fiat per lineam rectam: ejus etiam longitudo melior est parvitate. Curvitas statim à fronte, vt in corvis propter humorem biliosum & melancholicum, imprudenter rapacem, contumeliosum, & propter copiam spirituum conjunctam superbiam, & ambitionem; si à fronte aliquantulùm distet, vt aquilina, magnanimitatem, magnificentiam, & virtutem regiam, quia humor melancholicus, diluitur sanguineo subtili, & excitatur humore biliolo, non ità fervente ac in primâ aduncitate. Simitas cum brevitate & latitudine, impium, lascivum, prodigum, simplicem, ingenio tardum, & minùs prudentem, colligitur enim quod calor, & spiritus cerebri influentes segniores sint. Nasus longus, qui supernè habet præeminentiam quandam, absque insigni gibbo, liberalem, eloquentem, superbum, magnificum. Nasus longus, sed itavt apex illius acumine quodam sit fastigiatus, iracundum, severum tergiversatorem. Nasus longus, cum laterum crassitie, & præeminentiâ synceritatem animi, sed incontinentiam. Nasus longus & propter densitatem ferè rotundus, ad omnia proclivem mala. Acutus & longus signum iracundiæ. Color refert humorem dominantem; rubor caliditatem hepatis, sæpè ab ebrietate, propter humores calidos in partem ex carnem incurrentes.

Si sæpiùs nares moveatur signum immensi caloris, cui non sufficit vehementia, magnitudo & velocitas, sed etiam frequentia. Nares patulæ signum iracundiæ, quia tales cor exposcit, propter refrigerationem.

DE GENIS ET LABIIS.

GEnatur color acris à ventriculo signum ebrietatis, si blandus à corde, amoris: os enim cibum recipit pro ventriculo, & aërem pro corde, & pulmonibus, quibus inflammatis genæ rubescunt: si pars superior sit crassior inferiori, mala est conformatio, & signum hebetudinis propter copiam humoris excrementitij in parte magis exterui. Labiorum magnitudo, crassities, durities, præeminentiâ, à pituitâ & melancholiâ signum stupiditatis; si sit contrarium à bile & sanguine, signum iracundiæ, loquacitatis, eloquentiæ. Color ostendit humorem dominantem: rubor optimus, qui à sanguine. Si in conjunctione labium superius cadit suprà inferius signum magnanimitatis, sic enim habent leones, & optimi canes; tenuitas à calore biliosо; laxitas ab humore sanguineo. Tenuia, dura, & circà caninos dentes rumentia à pituitâ & melancholiâ, signum stupiditatis, ignobilis, & res abjectas appetentis animi. Inferius labium prominens, stoliditatem, sic enim habent asini, quia abundat humiditas. Si superius labium & gingivæ promineant, contumeliosi ad canes referuntur: os enim mandibulæ prominet propter calorem. Fissura labiorum & narium signum impudicitiæ, quia hæ partes propter venerem exsiccantur, & in locum humidi primigenij succedit humor acris & mordax.

DE ORE.

ORis partes sunt dentes, gingivæ, palatum, fauces lingua. Os magnum, latum, patens, amplum significat

significat audacem, obstreperum, impudicum, mendacem, est enim a calore: contra autem, modestum, timiditatem, liberalitatem: laudatur rotunditas in aperturis, & reclauso cum claustitur, quia ſi circulus perdat capacitatem ſuam, debet evalere in lineam recta, quæ nihil continet. Fetor ſignum pravorum humorum & morum: præcedit à diverſis cauſis ſcilicet a putredine gingivarum, dentium putrefactione, intemperie cum circa os, alterantis humiditatem oris humore puris in ventriculo contento, ab vlcere pulmonis, narium, oriophagi, ab inteſtinis & vtero.

DE DENTIBVS. B

SAnè eſt dentes eſſe multos, firmos denſos, quàm paucos, inſtabiles & rares, propter illorum vtium, & vbertatem materiæ vtilis & caloris naturi economiæ ſignum eſt ſilentij & prudentiæ: diſſocratio autem loquacitatis & imprudentiæ, quia aër ex fiſſuris non retinetur; ſi fit acumen in omnibus dentibus ſignum bilis & loquacitatis. Dentes marcidi, vacillantes, mobiles, rancidi, brevitatem vitæ, abundantiam, cacochymiæ, & cholericam notant. Rari dentes, temperamentum imbecillitas, longuidum, ſanitatem minùs proſperam. Diſſocatio dentium, quâ vnus vel plures extrà ordinem prominent, & extrà ſeriem conſiſtunt, ſtoſtubilem, propoſitum, inſolentem arguunt. Den. C ter. vno eſſe centenio, aut plures dentium edentes. Ego rus vno eſſe centenio, aut plures dentium edentes. Ego rus vno eſſe centenio, aut plures dentium edentes. Ego rus

luxuriam; acetoſæ vel frigidæ, caſtitatem; nigræ & feculentæ, atram bilem, mœrorem, & Somnia dira, albæ acutæque, lætitiam; albæ corpulentæque, phlegma & pigritiam; ſucci plenæ rubræque, ſanguinem, vt cerata & uva, & proindè hilaritatem. Partibus etiam conveniunt, pupoſæ carnibus, vt pyrus, frumentum, pepo: nervoſæ, nervis, vt caſtaneæ, glandes, cardui: ſiccæ oſſibus, vt myrthus. Res omnes attractivæ valent ad amorem, vt magnes, cornu cervi, ſuccinum trahens paleas: Ità prodeſt aquilæ oculus viſui.

IVDICIVM EX ASTRIS.

POteſt etiam, vt in Agriculturâ ex plantarum & animalium, ſic in Aſtrologiâ ex Aſtrorum Phiſionomia fieri aliquod judicium. Eclipſes luminarium magnos defectus in rebus humanis ſignificant ſicut Cometæ, & alia Meteora portendum mala ſecundum figuram ſuam, & colorem ſuum, qui Planetam dominantem oſtendit; fuſcus Saturnum igneus Martem. Syderum etiam qualitates, & in nobis impreſſiones, colligimus ex colore; luminaria; vitæ ſplendorem; nebuloſæ ſtellæ, oculorum orbitates & defectum cauſant: Sol omnium lucidiſſimus acuit oculorum aciem; Infortunæ, in altis cœli culminibus, alta pericula denuntiant, vt præcipitationes: Luna in flexionibus circulorum, vt in tropicis, flexuoſos reddit, & gibbos; in nodis verò, vt in æquinoxialibus, claudos & podagricos; in extremis partibus ſignorum, minatur periculum pedibus & manibus. Vitæ ortus ab oriente; mors ab occidente. Sydera in altioribus cœli ſedibus creant proceros homines; in infimis oppoſitis breves & puſillos. Lunâ ad decimam ab horoſcopo, aut à ſeptimâ ad quartam aſcendente, & ſic mari ſuper terras effluente ſignificatur profectus ejus rei quam ſignificat domus in quâ eſt luna; contrarium autem lunâ recedente à decimâ & quartâ, & mari etiam in ſe redeunte. Sydera multæ latitudinis faciunt latos & pingues; ſinè latitudine macilentos. Saturnus tardi motus, facit pigros, & pertinaces in opinionibus. Luna velox, mobiles & leves mente. Nati in momento terræ motus ſemper pavent, in tonitru ſemper languidi, ardente comentâ ex ardenti complexione amentes, interlunij tempore debiles, aut ſecundùm Ariſtotelem atrâ bile laborantes.

Somniorum etiam interpretationes, ex ſimilitudine ſumantur; anima enim è corporis functionibus ſoluta per ſomnum, & ſibi reſtituta, quaſi in receſſu quodam tota ſibi ſua eſt: in ſeipsâ reflexa per divinitatis ſuæ principia, cœleſtemque cognitionem, quæ ventura ſunt videt, & corporis ſui domicilij ſtatum quibuſdam ſimilitudinibus explicat, & per viſiones repræſentat, vt ſibi caveat, non tamen ſemper, ſed ſuperum permiſſu. Sic Ioſeph interpretatus eſt ſomnia Pharaonis. &c.

VESTIS EST INDEX dignitatis.

ARs politica naturam imitatur, dùm vires & dignitates ſuas veſtibus præfert vt habentibus majeſtas concilietur, videantque cæteri quid indè ſibi ſperandum.

Cecina Severus olim graviter dixit, marrona ſinè ſtolâ in publico, & ei quæ ſe exantoraſſet, pro ſtupro erat pœna, quoniam indices cuſtodeſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta, &c. Tertulian. lib. de pallio. cap. 4.

Etſi eloquium quieſcat, nam & elingui Philoſophiâ vita contenta eſt, ipſe habitus ſonat: ſic denique auditur Philoſophus cum videtur; de occurſu meo vitia ſuffundo, grande palij beneficium eſt, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcant. Ibid. cap. 5. & vlt.

Philopœmen dux Athenienſis, humili veſte indutus, exceptus eſt ab hoſpite eum non agnoſcente, quaſi ſervus, juſſuſque ligna findere: cui poſtea veniam petenti dixit ſe meritò humilis ſuæ veſtis pœnam luiſſe. Plutarch. in Philopœmen.

Auguſtus videns juvenes ſinè togâ in porticu deambulantes, indignans exclamavit: en Romanos rerum dominos, gentemque togatam: hinc Ædilibus mandatum, ne quis ſinè togâ eſſet in publico. Sueton. in Auguſto.

Theodoricus Rex purpuram regale opus dicit eſſe; quia color inquit nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea regnantem diſcernit, dùm conſpicuum facit, & præſtat humano generi, nè de aſpectu Principis poſſit errari. Caſſiodor. lib. 1. variar. Epiſt. 2.

Nullus privatus poteſt tingere, vendere aut emere purpuras, quibus Princeps vtitur, cum ſedet in majeſtate, ſub pœnâ capitis, & publicationis bonorum. lib. 1. Cod. quæ res vendi non poſſunt.

Auratas veſtes, aut murice tinctas nulli licet ferre, & gravi adimadverſione plectitur, quiſquis vetito ſe & indebito non abdicaverit indumento. l. 2. Cod. de veſtib. holoberis.

Alexander mittit Ionathæ fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regis. 1. Machab. 10.

Conſtituerat Alexander Severus omnibus officiis genus veſtium proprium dare. Symmach. l. 2. Epiſt. 49.

Placuit Romanis veſtitu dignitates ſecernere; ideoque & prætextas veſtes habuerunt quintuplicis differentiæ Regales, Augurales, Conſulares, Senatorias, Equeſtres. Vide Ammian Marcell. lib. 26. & Petr. Gregor. ſyntag. Iur. lib. 9. cap. 19.

Senatoribus prohibetur habitus militaris & togati conventus jubentur adire. l. 2. de habitu quo vti oporteat intrà vrbem Cod. Theod. lib. 4. tit. 10.

Habitus primogenitorum fuerunt meliores. Gen. 27. Fuerunt & viduitatis. Gen. 38.

Iſidis Sacerdotes capillos radebant, & veſtem laneam aut ſericam non ferebant, ſed tantùm lineam, quia puritatem profeſſi, eam præferebant veſte ex excrementis animalium non confectâ. Plutarch. l. de Iſide & Oſiride.

Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attendebant capita ſua. Ezech. 46. Super quo ſic. D. Hier. Peſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, atque; Sera pidis nos eſſe debere; nec nimiùm comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt barbarorumque & militantium, ſed vt honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur.

Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema ſit. cap. ſi quis de vitâ & honeſt. cleric. Si barbam aut comam nutrierint, inviti à ſuis Archidiaconis tondeantur. cap. clericis. eodem.

De veſtitu autem lineo ſic Ezechiel 46. Cum ingredientur portas atrij interioris, veſtibus lineis induentur, nec aſcendet ſuper eos quidquam laneum.

Iove, bonum, erit que miles magnanimus: si appareant cruces & stellæ, itavt medium sit in lineâ, signum hominis crudelis & atrocissimi, nam augetur influxus.

Linea Veneris pura & simplex, est signum vrbanitatis, mansuetudinis, affabilitatis, fœlicis conjugij: Circuli, cruces, stellæ, maximè in muliere ab intensiori veneris influxu significant impudicitiam; in homine bonum est vt intersecetur à Solari, propter scientiam; in mulieribus à Lunari, propter humiditatem contemperantem.

Linea solis longa, integra, recta & non flexuosa, continua & non intersecta, maximos propter scientiam promittit honores, sed sæpè sinè vtilitate: hanc autem vtilitatem promittit, si sit moderata curvitas; & contrarium est index contrarij: si sint maculæ, est signum hominis fallacis, & erronei ab humore biliosso & melancholico; si insuper oculi sint vibrantes & magni, signum caloris & humoris, & sic luxuriæ, parvi à frigore, astutiæ.

Linea Lunæ distincta, clara, integra, optimum signum & facilis partus in mulieribus, propter optimum influxum Lunæ: si multos habeat ramos, peregrinationis ab humore, & inconstantia; itavt homo non sit contentus in vno loco manere, sed amat navigationes.

Duæ aut tres lineæ in loco Mercurij, rectæ simplices à præclaro ejus influxu, sapientiam, prudentiam, eloquentiam: quod si sint plures non rectæ, se tangentes, signum mendacij, astutiæ garrulitatis.

Hic locus esset chiromantiæ, sed quia vanis scaret observationibus hanc consultò omittimus.

Potentissimæ conjecturæ de temperamento & moribus, illud consequentibus, desumuntur ex judicio astronomico, de quo vide quæ diximus suprà tit. *Majoris. Cognit.* Hic totam artem attexere longum esset, maximè cum præcipua ejus indicia ad particulares combinationes, secundum cujusque formalitatem, reducta sint.

IVDICIVM DE PLANTIS & metallis ex primâ extimæ faciei inspectione.

VT in hominis physionomiâ apparet maximam esse sympathiam inter corpus & animam, ità etiam in plantis internis viribus exterior forma respondet. Hipocrates, Galenus & alij plantarum vires cognoverunt per sapores; sed fallax est hoc judicium, nam multa sunt amara, quæ non calida; attribuunt etiam certis plantis certum gradum qualitatis, cum tamen illas mutent pro soli, & climatis temperie, & secundùm culturam quàm habuerunt.

Duplices sunt virtutes plantarum, aliquæ manifestæ, vt sunt primæ qualitates, & hæ ex alimento cognosci debent: Nam vt pueri cum lacte accipiunt à nutricibus spiritus, ideò etiam complexionem, vitia & virtutes: Vt habeamus generosos catulos, non patimur alienis vberibus ali; celeriores fiunt cum cervarum, aut dorcarum lacte nutriuntur: Troglodítæ populi feri sunt, quod non à parentibus, sed ab animalibus alantur: Surculi qui inseruntur, ex subjecto stipite cum alimento trunci, qualitates suscipiunt. Ità plantæ qualitates habent secundum loci naturam, in quo aluntur: V[illegible] hominum, sic plantarum corpora sequuntur temperamentum sui clymatis; quæ fervidorum locorum sunt indigenæ, retortido & macilento sunt habitu, foliis crispis, fructu odorato, calidâ qualitate. Situs etiam gerit ætheris vices; ità quæ in altis montibus nascuntur, brevi sunt corporis formâ, folio parvo, dissecto, sapido fructu, vi præstantiore; Quæ verò in vallibus vmbrosis tumidâ, & altâ sunt formâ, foliis & fructibus amplis, sed insipidis, inolidis, frigidæ qualitatis, ideò paucarum virium.

Occultæ etiam qualitates ex aspectu conijciuntur vt hominum mores ex vultu: Nam si plantæ voluissent internas suas vires omnibus aperire, non potuissent sermonibus, aut characteribus, qui diversi sunt apud diversas nationes, ideò similitudine, quæ est pictura loquens, vtitur natura, vt omnibus satisfaciat. Ità nutu gestu, animalia motu corporis suos indicant affectus. Ità Ægyptij sapientes hieroglyphicis scripserunt. Sic gentibus procul à medicis degentibus, plantarum similitudinibus loquitur natura, vt suis morbis medeantur. Hac etiam similitudine vtimur in Astrologiâ, somniorum interpretationibus, agriculturâ & cæteris scientijs.

Vnaquæque planta, suâ forma, similitudine & vivendi modo idoneum cultum & tempus demonstrat simplici suâ inspectione. In plantis sylvestribus, quæ sponte naturæ nascuntur, radix vnica simplici stylo prorepens profundum solum deposcit, vt cupressus, pinus, pirus, & esculus; nam quantùm corpore eminent, tantùm radice descendunt: Quæ verò brevi, contortâ, & per summa cespitum vagâ, pauco contenta est, vt olea, prunus, punica malus: Quæ gracilioribus fibrellis innititur, vt in villos, stamina, vel tenuissima filamenta abeat, solutam & tenuissimam terram deposcit, quo facilius eam subeat, vt atriplex, blitum; at dura & solida duram, solidamque: Quæ à caudice latâ immucronem se diffundit, vt cuspidatus cuneus videri possit; macerias & diruta ædificia quærit, vt saxifraga, morus, ficus, vlmus. Arbores ad germinationem properantes vt amygdala, persicus, primis æstivis imbribus plantantur: Quæ serò, vt morus, seriùs seruntur, oportet enim sub terrâ aliquantulùm iateant, vt solo vniantur & concipiant: Quæ intermedio tempore germinant, poterunt intermedio autumni & veris plantari. Caduci palmites, qui vbi terram attigerunt radicantur, iterumque nascuntur, vt vites, ostendunt se velle propagari: Inseri autem flagitant quæ degeneres fructus ostendunt. In incisione ità coalescunt, quibus eadem corticis natura, & quæ pariter florent: quibus detruncata brachia non renascuntur, denegata est insitio; ità nunquàm alienos partus aluere cupressus, picea, & pinus. Potationem quærunt arbores quæ nimiâ fœcunditate exhauriuntur, vt vitis: quæ aquosos & magnos brevi tempore producunt fructus, paludosis, & aquosis gaudent, vt pepo, cucumeris, cucurbita: quæ parvos, vt cornus, palma, montes & sterilia loca.

Occultæ etiam plantarum proprietates similitudine demonstrantur, primò animantium, mox inanimatorum. Referuntur autem ad hominem, non tantùm per similitudinem partium corporis, verùm etiam actionibus & moribus. Plantarum humores in alimentum assumpti, eosdem humores augent, vt pituitosi pituitam, biliosi bilem, & in medicamenta recepti delegatam vim habent, eosdem trahendi. Atriplex, cuminum liquore flavo livescunt, continuò esu & vsu bilem augent, ità etiam bilem excernunt, & icterum curant. Idem efficiunt in atrâ bile plantæ atri coloris, brassica, thymnus, papaver, hyosciamus. Albam pituitam inducunt, eliciuntque albifloræ plantæ, ocymum, elleborus albus, sambucus, daphnoides. Quæ sanguineo succo madent, sanguinem purgant, vt rosa, centaureum, abarbarum. Menses supprimunt & vulnerariæ sunt, morus, punica, cystus, poligonon. Sic mixti

Non licet negotiandi causâ ædificia demoliri, marmora tollere, itavt publicus deformetur aſpectus. l. 2. C. de Ædific. privat.

Ornamenta ædificiorum non licet de civitate ad villam transferre, licet tamen de domo in domum, de villâ in villam. l. 6. eod. Plùs enim videntur & ſplendent in civitate quàm in villâ.

Deſtruenda ſunt omnia quæ contrà ornatum & decoram faciem civitatis extructa noſcuntur, etiam cum præſcriptione & Principis reſcripto. l. 5. C. de Operib. publ.

Remouens ſepulchri ornamenta punitur vt ſacrilegus. l. 5. C. de Sepul. viol.

Nemo debet in fronte ſignari, ne facies ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis figurata maculetur. l. 17. Cod. de Pœnis.

EXTERIOR ORNATVS licitus.

ORnatus eſt veſtitus cultuſque corporis, qualis nos pro ratione perſonæ decet moderatior, ne quid ſordidum vel laſcivum, vel affectatum in eo inſit, vel appareat.

Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſinè verbo ſalviſiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram, quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus; qui eſt in Deo locuples, ſic enim aliquandò & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe ſubjectæ viris ſuis. 1. Pet. 3.

Ornatus virorum & mulierum menſurandus eſt ad modum & menſuram perſonæ & ad intentionem: Si enim mulieres portent ornamenta decentia, ſecundùm ſtatum & dignitatem ſuam & moderatè ſe habeant in factis ſuis, ſecundùm conſuetudinem patriæ, erit actus virtutis modeſtiæ, quæ ponit modum in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus moribus exteriotibus, & poterit eſſe meritorius ſi fit cum gratiâ, ſimiliter ſi fit vt placeat viro ſuo, vel aliis mulieribus. D. Thom. ſuprà. Iſai. Cap. 3. in fine.

Amictus corporis, riſus dentium & inceſſus hominis enuntiant de homine. Eccleſ. 19.

Nolo, vt de ornamentis auri vel veſtis præpropèram habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eis, qui neque conjugati ſunt, neque conjugari cupientes, cogitare debent quomodò placeant Deo. D. Auguſt. Poſſid. Neglecta decoris cura plùs placet, & hoc ipſum quod non ornamus ornatus eſt. D. Amb. lib. 1. de Virgin.

In cultu obſervandum eſt, quod à formâ removeatur omnis vero non dignus ornatus. Cicero.

Crates dicebat ornamentum eſſe id quod ornat; ornat autem quod honeſtiorem mulierem facit: talem verò præſtat non aurum, non ſmaragdus, non coccus, ſed quæcumque gravitatis moderationis & pudoris ſpecimen adhibent. Stob. Serm. 32.

Ornatus neceſſarij ſunt tripliciter, ſcilicet propter infirmitatem, conſuetudinem, aut dignitatem. D. Thom. in 4. Sent. diſt. 15. q. 2. a. 3.

Corporis hujus id eſt exteriora hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò ſunt interioris majora detrimenta, quantò autem minùs optantur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. D. Aug. Serm. 18. de verb. Apoſt.

Natura Mares vt præſtantiores inſigni aliquo diſtinguit à fœminis, leones jubâ, aves magis vividis coloribus, gallos chriſtâ: ſic politia voluit præſtantiores ampliori veſtium ornatu fulgere. *Vide ſuprà hoc titulo de purpura.*

Mundæ veſtis electio appetenda eſt homini: Naturâ enim homo mundum & elegans eſt animal: ſic pulchrum corpus animæ circundatum eſt. Seneca. Epiſt. 92.

De pulchritudine. *Vide Cognitio Bonitatis & Principium Voluntatis.*

Parùm fulget in abjectâ veſte pulchritudo, vt ſol in nube, & gemma auro non celata.

Nullis vnquàm tineis Leo feodatur, hanc etiam munditiam defuncti corium ſervat, involutas veſtes à tineis ſervet. Albert. Magn. Sic in ſacris mundities & ornatus ſervabatur, vt patet in deſcriptione Tabernaculi & Templi Salomonis. *Vide Gloria Ad edij.* De illuſtri medio, ſeù inſtrumento; Sic ſervorum ornatus cedit in gloriam Domini.

Duo templa Deus habet, vnum verum, ſcilicet mundum, habens pro ſactiſtia cœlum, pro ornamentis ſtellas, pro miniſtris ſpirituales intelligentias. Aliud templum Hieroſolimis ædificatum, vtrique magnus ornatus; Summus autem Pontifex veſte myſtica totius mundi ornatum, ſuique miniſterij dignitatem præferebat. Humerale auro intextum cœlum repreſentabat; ſubtùs veſtis hyacinthini coloris vſque ad talos demiſſa, ſignificans aereum è cœlo ad terram pertingentem; in humeris duo ſmaragdi, duo hemiſpheria, duoſque mundi polos; hinc pendebat rationale duodecim lapillorum, duodecim Zodiaci ſigna deſignantium: ſic in cæteris totius naturæ ſpeciem & ornatum præferens, oſtendebat ſe in totum naturæ, primæque rationi iſtam regendi conſentire; ſe pro omnibus præces fundere, aſcito ſibi mundo, vt propitio apud Deum Dei filio. &c. Vide Philon. Iud. lib. 1. de Monarchiâ.

In transfiguratione Chriſti, veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. Math. 17. Apoc. 1. Filius hominis apparet auro ſplendens ſicut ſol: Indutus lumine ſicut veſtimento, & vbique dùm apparent Angeli, ſemper videntur auro & luce ſplendentes.

Religio ſe probat miraculis. *Vide Maioritas Poteſtatis.*

De templorum ornatu. *Vide Gloria Medij* illuſtre medium. Et de licitis Eccleſiæ divitiis. *Vide Magnitudo. Poteſtatis, Bona.*

Homo naturaliter habet idæam pulchritudinis, quam amat vbi repererit, & imprimit objectis quæ illam non habent, ſic probat amorem ſuum non eſſe in omnibus indignum, & ad Dei imitationem poſſe conferre quam amat pulchritudinem; Illam ſibi imprimis confert per ornatum corporis; quod à naturâ nundum edividetur, vt eſſet hujus largitionis recipiendæ ampliſſima materia: vt anima eſt tabula raſa, ad ſcientiarum & virtutum habitus excipiendos, ſic corpus adhornatus quibus fulgeat: vt mundi Princeps debet cæteris ſibi ſubditis creaturis magnifico apparatu præferri, & nobiliori formæ præclarius parare domicilium, corpuſque vt Dei templum ornare: Patet hanc inclinationem eſſe naturalem, ex eo quod barbari Septentrionales & Meridionales eâ ducuntur, dùm ſe animalium pellibus, piſcium oſſibus, lapillis, avium pennis, etiam cute coloribus infecta ornant. Sed hæc paſſio crevit opinione apud populos, qui præclaras veſtes, vt dignitatis & ſic meriti indicia ſuſpiciunt & venerantur: Vndè vt mos

et efficiare eopiam pudore defectus, fit vt qui mihi habene meriti plus velint fulgere veſtibus. Sic mulieres ornantur, ad infirmitatis ſuæ patrocinium; floreat vt arborea, vt ſpem dent de ſuo fructu, Pulchrendo eſt imperium formæ ſuper materiam ex ſe conſuſam, ſic ergo probant ſe à viris amari nec pro derelictis haberi.

Sertorius, Philoſophemem, Brutus, Cæſar & alij permittebant militibus magni pretij arma ferre: habebantur habere ſplendida & poterant habere pretioſa. Permittitur militibus auro & arte præciolis chalmydibus, frænis & ſellis equeſtribus vti, dummodo margaritas & pretioſos lapillos non intexant. l. vnic. Cod. Nulli licere in frænis vti margaritis. Offendunt enim militem non eſſe de plebe; hinc concipit aliquem nobilitatis ſenſum, cui pudor eſt ferriere non reſpondere, & talem ſe præſtare qualem ſe eſſe credit vult & profiteetur. Actius etiam putantur pugnare pro ſe ſcius bonis. *Vide tractatu de Perspic. huius mali.* Oratores veſtis preludium eſt triumphi, & ſic Æthiopes candido amictu præluabantur, & interdum corpus minio, & Gypſo illi niebant: Samnites veſte diſcolori. Meretrices dicunt hæc publica veſtium alacritas. Sic galli gallinacei & pavones pugnaturi ornant ſe explicatis pennis; maximè pavones ſumus ſuæ ornatus & polituræ ſtudioſi, ve notat Ariſtot. 3. Animal. 1.

Patri ſuus Priami Pavoni comparabatur, quia etiam in bello ornatus procedebat. Philoſtratus in Heroicis.

Non eſt iners aut otioſa natura, ſed multa magnanime molitur, neque effingit, exornatque non ſolum terræ ſuperficiem floribus, ſylvis, pictis animantibus, ſed occultos etiam ſinus metallis & lapillis. De ornatu. *Vide infra ex Iure Civili.*

Malè poniter Adamas in plumbo aut ferro, ſymphatiam habet cum auro, pendetque vterque à Sole ſplendidiſſimo planetâ.

De voluptate, quæ eſt boni effca. *Vide Bonitas, & Pauſſus Gloria.*

Laudatur Tarquinius Priſcus, quod triumphales autratos currus, togas pictas, tunicas palmatas omnia denique decora & inſignia, quibus imperij dignitas eminet, inſtituit. Florus. lib. 3. c. 5.

Vxor Tarquinij liberaliter educavit Servium Tullium, licet matre ſerva genitum, clarum fore conjiciens, vtà circa caput flammok. Ibid. cap. 6.

TEMPLORVM ornatus.

REligio eminentiam ſuam publicè & continuè teſtatur eminentioribus templorum ædificijs, turrium altitudine, privata publicaque omnia ædificia deficiente, ympanorum ſonitu clangore ſo, cereris ſtipendium indicente; feriarum indictione, vt probet ſuum eſſe actiones regere & moderari.

Domus quàm ædificare volo magna eſt, inquiebat Salomon, magnus enim Deus noſter. Paralyp. 2. c. 2.

Chriſtianorum templa in formam navis ædificantur inter mundanos fluctus innoxiæ: acuitur pars verſus Orientem, vt prora; ſtatæ tympanorum turres, ſunt quaſi arbores navis; Sacramenta ſunt alimenta, non deeſt ordo miniſtrorum, &c.

Exod. 31. Beſeleel impletur Spiritu Dei, ſapientia & intelligentia ad ornandum tabernaculum.

D. Hieron. ad Heliodorum de morte Nepotiani, laudat Nepotiani ſollicitudinem, ſi interet altare, ſi pavimenta tecta, &c.

A Hic Eccleſiarum decor ſignificat debitum animis, Deum colentibus munditiem, Imitari conantes illam civitatem Ieruſalem, quàm. D. Ioan. in Apocal. deſcribit lapidibus pretioſis ædificatam: Mundus refert Dei pulchritudinem; templum Salomonis referebat mundum, ve & veſtis Sacerdotalis. Vide ſuprà de exteriori ornatu, & infrà, quod Deus velit videri per creaturas.

Tabernaculum intùs & foris deauratum. Exod. 25.

De ſacrâ eloquentiâ. *Vide Gloria & ericacis.*

Apud Lucianum in Philop. deſcribitur domus auratо faſtigio, & auteis liminibus inſignis, in qua conventus Chriſtianorum agerentur.

Durante tandem perſecutione Chriſtiani ſacra ſecerunt in cryptis, & domibus privatis. Vide Baron. an. Chriſti 17. num. 106.

B De pijs imaginibus. *Vide Medium Cognit.* Chriſtiani licet multis perſecutionibus vexati, pretioſam habeant in templis ſuppellectilem, ve lucernas argenteas, vaſa aurea & argentea. Vide Baron. Ibidem: num. 122.

Ornamenta templorum conſentantur à populis. *Vide Concord. Romanis.*

Veſtes & habitationes pulchritores moneat homines ad exhibendam reverentiam Principibus: Ideò etiam in antiquâ lege fuerunt multæ externæ cæremoniæ in templorum ornatu & miniſterio, vt homines ad majorem Dei reverentiam addocerentur. D. Thom. 1. 2. q. 101. 2. 4.

C Quis puterit prævalere vt ædificet ei dignam domum, ſi cœlum & cœli cœlorum capere eum nequeunt; quantus ego ſum vt poſſim ei ædificare domum? ſed ad hoc tantùm vt adoleatur incenſum coram illo. 2. Paral. 2.

Domum antè oraculum aperuit aureo pariſtilio, & aſſuit laminas clavis aureis, texit quoque Cherubim auro, fed & pavimentum domus texit auro interiùs ecus & exteriùs ec, ceteraque vique ad fores & falcinulas, & mortaiola de auro puriſſimo fieri fecit. Vide 3. Reg. 3.

Vide Gloria Principis. Templorum ædificatio.

D

CÆREMONIÆ SACRÆ & Publica.

LEt divina homines ad invicem ordinavit, ſecundùm quod conveniebat ordini, qui eſt in Deum: ordinatur autem homo in Deum, non ſolum per interiores actus mentis, qui ſunt credere, ſperare, & amare; ſed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo divinam ſervitutem profitetur, & hi ecultus cæremonia vocatur, quaſi munia, ideſt dona Cereris, quæ dicebatur Dea frugum, eo quod primò ex frugibus oblationes Deo offerebantur. D. Thom. 1. 2. q. 99. a. 1.

E Sic optimæ ſunt cæremoniæ, quibus dùm interna fides, ſpes, charitas extrà prodit, homines ritè ad Deum & ad invicem ordinantur.

Sunt quidam qui dùm putant ſcriptas leges eſſe figuras intelligibilium, his diligenter dant operam, illas facile negligunt, quorum non mihi placet facilitas, debuerant enim verâſque curare, & obſcura accuratè quærere, & manifeſta ſervare diligenter: quamvis enim ſeptima dies, ingenii in quiete poterimus, & creaturarum in illo otium ſignificet, tunc tamen ab omnibus lege præſcripta actionibus eſt abſtinendum: Nec ideo quia feſtum hilaritatem animæ, & ſergà

F Deum

Deum gratitudinem ſignificat, ideò reſiciendæ ſunt ſolemnes celebritates : Nec quia circumciſio docet voluptatum, affectuumque exciſionem ; & inſuper opinionum impiarum, quæ menti perſuadent, quod ſeipsâ poſſit gignere, ideò debet antiquari lex lata de circonciſione ; alioquin & ſacræ cæremoniæ, & lia multa negligenda ſunt, ſi excluſis figuris ſola harum ſignificata reciperentur : præſtat hæc tanquàm animam, illa tanquàm corpus cenſeri ; itaque ſicut corpus curamus tanquàm animæ domicilium, ſic ſcriptæ leges curandæ ſunt, nam his ſervatis apertiùs noſcentur eorum ſignificata, & eadem operâ licebit multorum incuſationes & reprehenſiones effugere : Abraham legitimis filijs dat magnorum bonorum hæreditatem : parva autem munera natis ex concubinâ ; Illa nobis leges naturales, hæc civiles referunt. Philo. Iud. lib. de migratione Abraham.

Nihil vilius in te capillis tuis & tamen iraſceris tonſori, ſi inæqualiter tondeat : & indignum Deum putas, cui ab omnibus, qui eum colunt, in vnitate ſerviatur, &c. D. Auguſt. Tract. 10. de Diverſ. c. 7.

Homo duabus conſtat partibus, vtrique & rationi & ſenſibus indulgendum ; cæremonijs populorum corda vniuntur ; ſic calorem habent corpora, non tantùm ab interno alimento, ſed ab externo veſtitu ; ſic plùs ponderis habent verba in veſte Nobili.

D. Ioannes in Apocalypſi deſcribit Sanctos cum incenſis, proſtrationibus, Pſalmis & cæteris cæremonijs laudantes Deum.

S. Pontifex in thiarâ geſtabat laminam auream, in quâ ſcriptum erat ſanctitas Domino. Exod. 18.

Rubor verecundiæ eſt color virtutis, teſtatur ardentem voluntatem impediri.

Vt in privatis domibus ſacra miniſteria non fiant, Nov. 58. & 131.

Concil. Gangrenſe. Can. vlt. laudat conventus qui fiunt in Eccleſijs ; nec probat eos qui pietatem in privatis domibus concludunt. Can. Parſimoniam. diſt. 41.

Anathema eſt deſpiciens eos, qui publicè Agapas & convivia exhibent pauperibus. Can. ſi quis diſt. 42.

Quibus præſentibus debent Epiſcopi conſecrari. diſt. 64.

Res ſacræ ſunt quæ publicè conſecratæ ſunt. l. 9. ff. de Diviſ. rer. de votis publicis. *Vide ſup. Duratio Voluntatis.*

Abluto manuum in Miſsâ fit vt ſignificet emundationem à minimis peccatis. D. Thom. 3. q. 83. a. 5. ad 1.

Adoratio Dei duplex, ſcilicet interior devotio mentis, & exterior humiliatio corporis. 2. 2. q. 84. a. 2. & 3.

Baptizandorum nares liniuntur ad odorem bonæ famæ. 3. q. 71. a. 2.

Cantus Eccleſiaſticus, inſtitutus Mediolani ab Ambroſio, prodeſt ad devotionem excitandam. 2. 2. q. 91. Cantus & laus vocalis erit in beatis poſt Reſurrectionem. q. 13. a. 4.

Character habet rationem ſigni ratione ſacramenti ſenſibilis, & ratione configurationis. 3. q. 63. a. 1. ad 2.

Omnes ceremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei. 1. 2. q. 103. a. 4.

Quamvis inviſibilis intentio cordis noſtri Deo nota ſit, externis tamen indicijs, vt manuum extenſione, genuum poſitione, &c. indigent orantes vt ad ferventiùs orandum ſeipſos excitent, quia & cordis affectus, vt fierent iſta præceſſit, quia facta ſunt creſcit. D. Auguſt. lib. de curâ pro mortuis. c. 5.

Orantes ad Orientem convertimur, quare. *Vide Veritas Virtutis.* Puritas in oratione.

Externus decor Eccleſiæ qualiter ab interiori pendeat. *Vide Veritas Virtutis.* in Theologiâ.

Fit motus cœlorum circularis, quia ſicut anima aſſiduè circà Deum circumvoluitur, quaſi circà centrum, ſic corpus ſphæræ circà animam, à quâ trahitur. Marſi. Ficin. Theol. Plat. lib. 4.

In perſecutione Chriſtiani ſecretò vocabantur ad Synaxim ; nunc autem pace reddita Eccleſiæ tympanorum ſonitu, dicuntur ; campanæ à Provincia, in quâ majores eſſe cœperunt. Baron. an. 58.

Crux vbique in trophæum & titulum erecta ; omnibus vitæ actionibus ejus ſignum præmiſſum. Baron. an. 60. Num. 6.

DEVS MANIFESTAT ſuas perfectiones per creaturas.

EXuperantiſſimus cum ſit Deus, mundum ad ſui finxit imaginem, vnum cum ipſe ſit vnus ; incorruptibilem cum ſit æternus ; rotundum cum ſit infinitus ; & omnium maximum, vitalibus ſeminibus exornatum, & ex ſeſe cuncta gignentem, cum ipſe ſit ſumma vita ; ex nihilo & in inſtanti, cum ſit omnipotens. Homo pulcher eſt in cacumine montis ſplendidi ; primò imaginem ſuam in monte imprimit, deinde infrà, mittit in profluentem : puella gregem paſcens videt hanc formam in flumine, vndè conjectat de ſuperni hominis pulchritudine, accenditur ejus amore, relinquit gregem ; id eſt mens ſenſibilia, & montem aſcendit fulgidum, ideſt mundum Angelicum, in quo æternæ quidem ſunt rerum ideæ, ſed dependentes : Vnde conatus aſcendere ad ipſum prototypum, ſe componem vt ejus mereatur amplexum.

Primum principium non potuit quidquam efficere, quod ſui eſſet aut ſimile penitùs, aut diſſimile. Non ſimile quia quod fit paritur, quod patitur à potiore, non à ſimili patitur : diſſimile non potuit, quia actio & agens in ipſo non differunt : quambrem cum Deus ſit vnus, mundus fuit vnus & non vnus ; cum ſit omnia, mundus fuit omnia, & non omnia ; cum ſit æternus ; mundus fuit æternus, & non æternus, quia verè non vnus, & quia componitur ex partibus mutua corruptione grallantibus : ejus vnitas in ſucceſſione, vnitas in continuatione.

Vnitatem exprimit ipſa mundanarum partium vnio ; ità tamen vt omnia ſint in omnibus proportione quadam : In omnibus compoſitis eſt vna forma dominans, vna ſingularis & individualis eſſentia, anima rationalis divinæ vnitatis vt ſpiritualis magis particeps, omnia reducere conatur ad vnitatem per ſapientiam, *de quâ Vide Magnitudo Cognit.* per politiam, per cæteras artes, diverſa in vnum componentes ; & ipſa tunc fœlix eſt, cum ſe ad vnitatem ſuam colligit, procul à paſſionum ſuarum, & rerum mundanarum tumultu. *de Vnitate. Vide Integrit. Magnitudinis.*

Infinitatem Dei referunt ſuperiora, quæ eminenter continent inferiorum perfectiones ; eorum vis indeficiens, ad lucem & influxus ; Materiæ ad recipiendum ; numerorum vlteriùs ſemper progredi valens multiplicatio ; Mentis noſtræ vis indefeſſa in cognitione & appetitu, infinita enim ſibi fingit & appetit : debet autem dari bonum infinitum actu, ſi datur in nobis illius idea, quia non eſſet imago, niſi eſſet prototypum. Sic Multi Philoſophi infinitum poſuerunt pro primo rerum principio, & Romani Deum terminum, ſinè tecto, liberoque fruentem

aëre posuerunt ; Innumera enim multiplicitas resolvitur in vnitatem, vt plures figuræ Mathematicæ Anguli in simplicem lineam circularem, quò plus illos multiplicaveris : Inexpletus mentis nostræ amor, infiniti hujus boni fruitionem ambit.

• Immensitatis imago est in Angelis, qui quò sunt perfectiores amplidrem habent Sphæram activitatis : In Sphæris cœlorum & elementorum, quæ vt sunt superiores & perfectiores, etiam sunt magis extensæ itavt cæteras contineant ; visus & auditus, perferiores sensuum & pulchritudinis capaces latiùs diffunduntur : sic lux corporearum qualitatum nobilissima ; sol in fluxu suo toti mundo adest : Mens nostra quia spiritualis omnibus potest adesse mundi partibus. *Vide de Cognitione Vniversali Magn. Cognit. & de confidentiâ sui hoc tit. initio.* Princeps vellet ipsoto toti suo regno immediatè adesse, sinè ministrorum operâ, hinc fortiora & generosiora volunt vlteriùs semper progredi, nec limites patiuntur. *Vide Volunt. Maioris.*

Æternitatem æmulantur cœli incorruptibiles, & ea omnia quæ vt sunt perfecta, sic existentiam suam servant ; non enim dissolvuntur, nisi alterationè è gradu suo sint dejecta ; sic corpora quæ centrum suum assequuntur, in eo manent immobilia ; quies enim est in possessione boni, ad quod motus tendebat. Denique bonitatem Dei referunt causarum superiorum influxus, *de quibus Vide Magnitudo Bonitatis.*

Prævalet bonitas contrarietati, in eo quod ignis qui plùs habet activitatis, minùs habet resistentiæ, itaut omnia non absumat : quamvis in mare Septentrionali sint monstra rapacia, hinc tamen quotannis effluit ad nos immensa piscium multitudo : etiam si sæviant lupi, sylvæ abundant venatione ; Multæ superstant aves ab accipitrum rapinâ. &c.

Sapientiam divinam præfert partium mundi mirabilis concentus plantarum, animantium instinctus, mentis humanæ scientiæ & artes. Amorem denique divinum referunt rerum sympathiæ & fœcundus, beatusque rerum ad invicem natarum, amor *de quo vide totam combinationem voluntatis.* De cæteris etiam Dei attributis in mundo Angelico, rationali, cœlesti, elementari, artificioso fulgentibus. Vide quæ scripsi Theologiæ naturalis. to. 3. Hæc etiam colligere licet ex singulis combinationibus, Bonitatis, Magnitudinis & aliorum principiorum absolutorum, quæ vt diximus significant Dei perfectiones in creaturis existentes pro modo materiæ recipientis.

Sponsa dicit, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo ; solatia quærit odoramentorum & vt in omnibus cernens sponsi vestigia, & impressas similitudines, ex omnibus in ipsum consurgat, quandiù revelatâ facie frui non licet, quiescere nescit impatiens amor, vulneribus suis vndique remedia conquirens. Alanus Varenius.

Vt oculus debilis non valens solem fixè contemplari, eum videt in lumine debili, scilicet in aqua aut per vitrum, sic mens quibusdam quasi gradibus ab Deum accedit, per quos & olim delapsa fuerat ; per mundi dispositionnem invitatur vt dimisso corporis cultu in suam redeat rationem ; per Angelorum indagationem sive inspirationem admonetur, vt dimisso consueto rationis discursu, ad lumen sibi quondàm divinitùs infusum sese recipiat, quo non amplius corporum colores, sed ipsum suspiciat solem. Marsil. ficin. Theolog. Plato. lib. 10. c. 8.

Anima rationalis est conjuncta corpori, vt radium divinum, qui in creaturis est multiplex, excipiat, ad vnitatem quantùm fas est reducat, & in suum principium reflectat. Sic anima labefactum restituit mundum, eius enim munere, vt olim erat efficitur spiritualis. Ibidem.

Non possumus præire vmbram nostram, lumen non videmus sinè aëre, sic spiritualia sinè corporeis. Dei tantum posteriora videmus, vt dictum est Moysi. Gregor. Nazian.

Iacob post visionem scalæ ait, Verè hic est domus Dei, & porta cœli quia per mundum hunc tanquàm per portam in cœlestem civitatem ingredimur ; Mundum enim intelligibilem illum qui Dei decreto constat ex ideis, non licet nobis aliter percipere quàm ex collatione ad hunc nostrum visibilem & sensibilem, quia nec vllam aliam rem incorpoream cogitare possumus, nisi occasione sumptâ à coporibus ; qui escentium enim locus intelligitur, tempus verò mobilium : lineæ & superficies sunt amictus extimi. Philo lib. de somniis.

• Vnguentum effusum nomen tuum ; Deus odorem sui per omnes creaturas diffundit se amans, volensque se amari, speciem suæ pulchritudinis omnibus impressitit vt se in omnibus videret, & ab omnibus mentibus videretur. Radium sequendo pervenimus ad solem.

Non debes vti oculis, vt pecus, tantum vt videas quæ addas ventri, non menti, vtere vt homo, intende cœlum. &c. intende facta & quærere factorem ; aspice quæ vides, & quare quem non vides ; crede in eum quem non vides, propter ista quæ vides. Nolite fieri sicut equus & mulus. &c. D. August. Homiliâ. 32.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis. Psalm. 26. Circuivi à cœlo vsque ad terram omnem creaturam, quæ clamat Deus me fecit, ideò hostiam jubilationis ei obtuli. Si enim in creaturis laborat humanus sermo, in creatore quid agit, nisi sola restet sermone deficiente jubilatio ? D. Aug. in d. Psal. 26.

Quoniam non intellexerunt opera Domini & in opera manum ejus, destrues illos, & non ædificabis eos. Psal. 27.

Terram cole si es agricola, sed cognosce Deum terram colens ; naviga qui teneris amore navigationis, sed cœlestem assumens navigatorem ; Te militantem deprehendit cognitio, audi Imperatorem qui justa tibi significat. &c. Clemens Alexand. in exhortatione ad Gentes.

Abraham ivit viam trium dierum, postea vidit locum. Gen. 22. Primò videtur creaturarum pulchritudo. Secundò, desideratur creator. Tertiò, illo fruimur. Idem lib. 5. Stromat. c. 5.

Spiritus intùs alit, totamque infusa per artus mens agitat molem, & toto se corpore miscet. Sic mundus est quædam Dei physionomia ; sicut corporis Physionomia est latentis & dominantis formæ imago, se aliâ vnitate & similitudine, si non identitate explicantis, & simul opus suum in se revocantis, motu quasi circulari, à termino suo non recedente.

Quæ in antiquo Moysis erant tabernaculo mundi referebant figuram : in medio operimenti & veli, quo licitum erat ingredi sacerdotibus, erat situm thuribulum, symbolum terræ, quæ est sita in hoc mundi medio, ex quâ oriuntur exhalationes : sancta sanctorum, quod solus S. Pontifex ingrediebatur, est symbolum mundi, qui intelligentiâ percipitur. Candelabrum, quod erat situm in australibus partibus thuribuli, declarabat motus septem luminarium, qui australes faciunt conversiones. In medio candelabri vna eminebat lucerna, solem indicans, qui in medio errantium collocatus ipsis lumen impertit divinâ quadam musicâ : Duo Cherubim duodecim alas habentes

ſignificant duo hemiſpheria; duodecim alæ, duodecim ſigna Zodiaci: Alæ ſunt miniſteria & operationes ſublimes Poteſtatum.

Pontificis autem veſtis talaris erat ſignum mundi ſenſibilis. 366. tintinabula quæ pendent ex veſte talari, eſt tempus annuum: Duodecim gemmæ rationalis, ſunt duodecim ſigna Zodiaci: Duæ gemmæ illud ex humeris ſuſtinent, Solem & Lunam adjutores naturæ, &c. Clemens Alexandrin. lib. 5. ſtroma. cap. 3. Voluit Deus coli per expreſſionem mundi, quaſi in imagine perfectiones ſuas referente.

Vtimur creaturis, quaſi diametro, quo à circumferentiâ ad centrum veniamus.

Contemplamur quod Deus eſt mundi rector & B gubernator; hominum liberator & adjutor: Angelorum ſapor & decor, in ſeipſo principium & finis. Reproborum terror & horror; in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis deſiderabilis in ſeipſo incomprehenſibilis. D. Bernard. in parvis ſermon. ſer. 4.

Dies diei eructat verbum; Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ; & nox nocti indicat ſcientiam, creatura irrationalis animæ rationali nondùm per fidem illuminatæ: vndè Apoſtolus, Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Rom. 1. vndè nos dicimus verbum indicatum verbum inſpiratum, verbum eructuatum: primum fecit cognitionem, ſecundum converſionem, tertium vi- C vificationem. Ibidem Sermon. 5.

Plato dicebat duos præcipuè eſſe effectus Philoſophiæ. Primus, inordinatos animi motus componere. Secundus, à ſenſibilibus formis ad intellectuales, ipſamque boni idæam aſcendere.

Planè ſuperiorum injuria eſt inferiorum operâ indigere; ſed quia ſumus hic in vaſte lachrymarum, in quâ ſenſualitas regnat, & conſideratio exulat, vbi ſe liberè exerit ſenſus corporeus, ſed intricatus caligat oculus ſpiritualis, quid igitur mirum ſi ope indigenæ advena indiget? & fœlix ſecundùm tempus viator, qui civium beneficium, ſinè quo tranſire non poteſt, in obſequium convertere potuit, vtens non fruens, D vrgens non petens, exactor non ſupplex. D. Bern. lib. 3. de conſider. ad Eugenium. cap. 1.

Dùm dicitur mihi, vbi eſt Deus tuus, effudi in me animam meam; Ideſt meditatus ſum inquiſitionem Dei, per ea quæ facta ſunt. &c. Aug. in Pſ. 41.

Scis alium vivere, cum animum non videas, quia loquitur, ambulat, operatur; ſtultè ex operibus corporis agnoſcis viventem, ex operibus creaturæ non potes agnoſcere creatorem. Idem in Pſal. 73.

Galenus lib. 3. de vſu partium, dicit commentarios ſuos de medicinâ eſſe hymnos qui conditoris ſapientiam & potentiam manifeſtent: Nulli bona invidiſſe, ſummæ eſt bonitatis; inveniſſe quomodò omnia adornaret, ſummæ ſapientiæ; ea effeciſſe omnia E quæ voluit; virtutis eſt invictæ.

Vide Concordantia Principij. Similitudo Dei in rebus creatis.

VIRTVS SE PROFERAT.

AD BONVM EXEMPLVM.

MISCELLANEA.

IDeo viri boni optant adverſa. *Vide Voluntas Contrarietatis, & Virtus Contrarietatis. Virtus in ad-* *verſis vt probetur.*

Si cum hac exceptione detur ſapientiæ, vt illam incluſam teneam, nec enuntiem, rejiciam: Nullius boni ſinè ſocio jucunda poſſeſſio eſt. Senec. Epiſt. 6.

Quod optima ſit perfectionis ſuæ communicatio. *Vide Virtus Bonitatis.*

Lux lucebit ex tenebris, inquit veritas, luceat ergò lux in occulto hominis, nempè in corde, & exoriantur radij cognitionis, eum qui occultus eſt intùs hominem manifeſtantes, & illuſtrantes diſcipulum lucis, qui eſt Chriſti familiaris & cohæres. Clem. Alexan. in exhort. ad gentes.

Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum B qui eſt in cœlis. Vos eſtis lux mundi, non poteſt civitas abſcondi ſuprà montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Math. 5.

Sapiens permanet vt ſol, ſtultus autem vt luna mutatur. Eccl. 24. Solis ſplendor igneus eſt, & cum fervet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur: ſic ſapientis ardor internus foris lucet: væ tamen nobis ſi lux tantùm erimus: Ignem venimittere in terram, luceat lux veſtra, &c. Sic Ioannes erat lucerna ardens & lucens, qui ex fervore ſplendor, non ex ſplendore fervor prodire debet. Tripliciter ardens erat Ioan- C nes in ſeipſo vehementi auſteritate converſionis; ergà Chriſtum intimo & pleno fervore devotionis, ergà peccantes proximos conſtantia liberæ increpationis. Luxit autem exemplo, digito, verbo, & ſeipſum oſtendit ad imitationem & luminare majus quod valebat ad peccatorum remiſſionem, & ipſas quoque tenebras noſtras illuminavit; quoniam tu illuminas, &c. D. Bernard. Serm. in natali B. Ioan. Baptiſtæ.

Præſtat interdùm ardere, quàm lucere, Dicit enim Chriſtus, Ignem veni mittere in terram: nondùm autem illud tempus advenit, in quo fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum: ſi tamen ſplendorem deſideras, quære priùs fervorem, & ſplendor D adjiciatur; ſimulata lux eſt, quæ non ab igne procedit: Luna ſplendet ſinè fervore, quia non perpetuo lumine, ideò & mutatur. Idem Serm. 3. ſuper illud Iſai. Vidi Dominum.

Maximè qui regit debet virtutes ſuas proferre ad aliorum commodum, eas enim ſubditi imitantur. *Vide Concordantia Poteſtat.* & famæ ſuæ curam habere. *Vide Glor. Poteſt.*

Plùs movent exempla quàm verba. *Vide Veritas Virtutis.* dicta concordent operibus.

Seneca Epiſt. 6. Invitat Lucilium vt ſe adeat: plùs, inquit, tibi & viva vox & convictus proderit, quàm oratio. In tem præſentem venias oportet: primum E quia homines ampliùs oculis quàm auribus credunt; deindè quia longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla: Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet, vitæ ejus interfuit, &c. Plato plùs ex moribus quàm ex verbis Socratis traxit.

Ariſt. 10. Ethic. c. 10. rationem reddit, quia quiſque proclivior eſt ad eligendum bonum in particulari, quàm in vniverſali, quod autem opere & exemplo oſtenditur, videtur ab operante electum: quia etiam ſermo eſt imago operis, meliùs autem eſt ſeipſo agere quàm per vicarium. *Vide Medium Poteſtat, Vicar. Repug.* Seipſo agere.

Verbum homo factum eſt vt viſibili exemplo nos ad veritatem alliceret; vt eſſet tabula, & archetypum antè oculos noſtros: Quàm multi ſanctorum exemplo

ad meliorem frugem conversi sunt ? ideo instituta Martyrologij lectio.

Viso serpente æneo Israëlitæ sanabantur. De efficaciâ visus. *Vide Potest. Cognitionis.*

Nõ licebat Romæ in vrbe sepelire nisi eos qui triumphum egissent. Plutarch. in problem. Rom. probl. 79. & ideò publica virtutis præmia. *Vide Glor. Virt.*

Simile producit sibi simile, opera opera; cœpit Iesus facere & docere. Act. 1. quia S. Ioannis Baptistæ vita, habitus, &c. pœnitentiam prædicabant, dicitur vox.

Deus ostendit Moysi tabernaculum dupliciter, scilicet in verbo, cuncta ei dicendo; & postea omnia illa figurata, & quasi depicta oculo cernenda demonstravit. Tostat. in cap. 5. Exod. quæst. 10.

Trahe me post te, curremus; dicat sanctus quod Salvator; si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. Habet sponsa imitatores sui, sicut ipsa est Christi. D. Bernar. Serm. 21. super Cantica.

Idem Serm. 23. dicit quod sponsa introducitur in hortum, id est in Ecclesiam consitam exemplis bonorum, qui arboribus comparantur. Psal. 1. 51. & 91. Hiere. 17.

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Psal. 119. Sagittæ sunt cùm verbis adversùs malos agimus: carbones desolatorij sunt exempla; qui se convertunt ad Dominum de mortuis revivíscunt; carbones autem quando accenduntur, antequàm accenderentur mortui erant, ardentes autem vivi appellantur: Exempla ergò multorum iniquorum qui conversi sunt ad Dominum carbones dicti sunt. D. August. in Psal. 119.

Mittit christallum suam sicut buccellas Christallus est nix per multos annos indurata; Deus induratos diuturno frigore peccati solvit & proponit quasi frusta panis alijs in escam, vt eorum proficiant exemplo. Idem in Psal. 147.

Nunquàm semen ex semine, nisi interveniat arbor, at arbor potest esse ex arbore, vt per surculum sinè semine: Semen est verbum Dei, proficiunt exempla sinè verbo; terra primo protulit arbores sinè semine.

Ignis lucem suam in distantia diffundit, calorem autem tantùm in proxima: accede vt moneas exemplo, & caligantes ad veritatis lumen mentes authoritate quasi humanitatis velo afficias, &c. ex D. August. lib. de morib. Eccles. cath. c. 2. Refugere in tenebrosa cupientibus, per dispensationem ineffabilis sapientiæ nobis illa opacitas authoritatis occurrit, & veluti signis temperatioribus veritatis blanditur. Ibidem. Sic Deus viam veræ Religionis Patriarcharum præsagio, suscepti hominis sacramento, Apostolorum testimonio, Martyrum sanguine munivit. Ibidem.

Descendat ignis de cœlo, & devoret holocausta, Verbum incarnetur, latens & sublimis virtus ad exempla descendat.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Rom. 14. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. 2. Cor. 6. Væ mundo à scandalis; væ homini per quam scandalum venit. Math. 18. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Rom. 15. Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salvi fiunt. 2. Cor. 2.

Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in bonis operibus vos considerantes glorificent Deum. 1. Petri. 2. Christus lavatis pedibus Discipulorum dicit, Exemplum dedi vobis. Ioan. 13.

Ioan. 12. Maria effudit vnguentum super pedes Domini, & replera est domus ex odore vnguenti, id est mundus repletus est bona famâ, vt per bonos nomen Dei laudetur, sicut per malos blasphematur. Vnguentum effusum nomen tuum. Cant. 1. Si tenetur qui ovem non reduxit errantem. Ezech. 34. quomodò tenebitur qui fecit errare D. Aug. in d. cap. Ezech. D. August. Serm. de ovibus, conciliat hos scripturæ locos. Facite opera vestra bona coram hominibus: & nolite facere justitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis: dicens de his intelligi qui finem bonorum operum suorum in laude hominum ponunt, hi receperunt mercedem suam; qui autem alijs malo exemplo sunt, conculcant herbas, & turbant aquas gregis Dominici.

Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 1. Cor. 8.

Perdis enim quos Christus redemit, lapides estis in viâ, qui venire volentes offenditis & avertitis. Dicunt enim Pagani quare nos relinquimus Deos, quos Christiani saltem moribus nobiscum colunt ? D. August. Serm. 6. de verbis Domini c. 6.

Ea in medio positi agere studeamus, ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debiliter, ne aliorum sanitatem infirmitas nostra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet; ne aliorum ardentes extinguamus lampades, si nostras non illuminemus; non minuit solis lucem considerantium multitudo. Benedicta illa Deo anima, cujus humilitas alterius confundit superbiam, &c. non verò inclinatum parietem adjuvat ad ruinam, &c. Eusseb. Emissen. homiliâ. 7. ad Monachos.

Sedet in cathedrâ pestilentiæ. Psal. 1. qui malo suo exemplo facit alios peccare. D. Bern.

Dupliciter peccat qui in publico peccat, quia & peccat, & alijs peccare demonstrat. D. Bern. de modo benè vivendi. c. 26.

Ideò magis punitur delictum commissum in civitate, quàm in agro. l. 3. in fin. Cod. de incæstis & inutil. nupt.

Dùm confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei. Ps. 41. Idest dùm fortes corporis Ecclesiæ deficiunt, cæteris magna tentatio est. D. August.

Quid est aliud quàm irritare cupiditates hominum per se incitatas? quid sibi vult ista pecuniæ pompa, ad discendâ avaritiam convenimus ? Senec. Epist. 110.

Idem lib. de brevit. vitæ, dicit Scriptis nocitura non debere mandari, vt quod Pompejus primus homines in spectaculum elephantis objecerit, quasi memorabile sit novo more perdere homines, satius erat ista in oblivionem ire, ne quis posteà potens disceret, invideretque rei minimè humanæ.

Sic Plato prohibet pueros discere fabulas, adulteria, & bella Deorum; sic magnorum criminum deletur memoria: sic à contrario evulgandi sunt bonorum mores, vt alijs periclitantibus sint quasi pharus. *Vide Gloria Virtutis.* Vbi de præmijs ævo duraturis, virtuti decretis. *Et vide Voluntas Durationis.* Famæ Cura post mortem. Romani duces & Imperatores ex vrbibus locisque virtute bellica subactis nomen sumpserunt. sic Iustinianus, in principio institutionum suarum vocatur Germanicus, Gothicus, &c. Scipio dictus Africanus, &c.

Cum in cæteris sacrificijs Romæ sacrificantes essent operto capite, erant tamen aperto & invelato in magnâ arâ Herculis.

Templa partim distribuenda sunt Dijs, partim heroibus ad imitationem. Aristot. 7. politic. c. 12.

Objectum, nisi sit illuminatum, non emittit sui speciem, & non videtur.

Porus indorum Rex Herculis simulachrum pro

militari ſigno habuit, ad imitationem.

Policletus ſtatuam fecit, quàm artifices canonem appellabant, ad quàm tanquàm normam dirigerent ſua opera.

Oves non oſtendunt paſtori quantùm profecerint in cibo, ipſum evomendo; ſed proficiendo in lacte & vellere: Sic hoſtes veritatis ſunt convincendi, non verbis, ſed bonis operibus. Epictetus.

Deus ad illuminandam noctem hujus vitæ, aſtra corruſcare facit in Eccleſiæ cœlo, quouſque in finem noctis Redemptor humani generis, quaſi verus Lucifer ſurgat: Sic ad oſtendendam vitæ innocentiam venit; Abel, ad docendam actionis munditiam venit Enoch; ad inſinuandam longanimitatem ſpei & operis, venit Noë; ad manifeſtandam obedientiam, venit Abraham; ad demonſtrandam conjugalis vitæ caſtimoniam, venit Iſaac; ad inſinuandam laboris tolerantiam; venit Iacob; ad retribuendam pro malo bonæ retributionis gratiam; venit Ioſeph ad oſtendendam manſuetudinem; venit Moyſes; ad informandam contrà adverſa fiduciam venit Ioſue, ad oſtendendam inter flagella patientiam, venit Iob, &c. D. Gregorius in præfatione Moralium.

Poſt Lolis occaſum lucent ſtellæ ipſius Solis luce, ſic ſancti luce à Chriſto accepta poſt reſurrectionem & ſuum è terris diſceſſum.

Celebrantur feſta ſanctorum. Primò, in virtutis præmium. *Vide Gloria Virtutis*, & poſtea ad aliorum exemplum. Tertiò, propter interceſſionem. *Vide Medium Gloriæ.*

Hujus tàm præclari viri, & diſcipulos nos eſſe meminerimus & filios; rapiat vnuſquiſque quod poſſit de bonis inteſtati parentis, hic de hæreditate ejus aſſumat holoſericam, geſtorum veritate prætioſiſſimam, &c. hic margaritam compunctionis, theſaurum caſtitatis invadat, licet enim locupletiſſimus ille Dei amicus, quidquid habuit integrum ſecùm tulerit, & nobis tamen ſi volumus totum reliquit: ità ergò agamus, bona illius confectantes, vt qui in æternam gloriam ſuſcitandus eſt ſub fine ſæculorum, redditus Eccleſiæ ſuæ per rediviva in filios merita jam ſurrexerit. Euſeb. Emiſſen, homilia de S. Maximo.

In ſolemnitatibus ſanctorum, & gaudere & confundi debemus: gaudere quia patronos præmiſimus, confundi, quia illos vix audemus reſpicere & imitari. Viri iſti nec ſibi vixere, nec ſibi mortui ſunt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt; magis autem nobis omnibus propter illum. quantùm enim nobis proderit eorum Iuſtitia, cum & profuerunt peccata? D. Bern. ſermon. in natali B. Petri & Pauli.

Studeamus moribus conformari, cui in mirabilibus ſimilari non valemus: non extendam manum meam ad gloriam miraculorum, non lavo oculos ad miranda ſecreta, ne opprimar à gloria omnibus omnia apponuntur, ſed vt tollat quiſque quod ſibi expedit, tollo ſecurus panem doloris & vinum compunctionis de mensâ divitis, cum ſim pauper & inops, erunt mihi lachrymæ meæ, &c. poculum meum cum fletu miſcebo, ſed & ſumo exempla temperantiæ, fortitudinis, &c. Non ergò quidquid in mensâ apponitur tibi apponitur; quod ſi in poculo aureo fuerit propinatum, non poculum tibi, ſed potus apponitur, ſume potum, & pone aurum. D. Bernard. ſermone de S. Victore.

De imitatione bonorum. *Vide Conc. Virtutis.*

Abraham eſt primum exemplum fidei tripliciter, quia primò receſſit ab infidelibus; Primò, credidit aliquid ſuprà naturam, & Primò accepit circumciſionem. D. Tho. 1. q. 1. a. 2. ad 2.

Quando Dei dona ſint occultanda per humilitatem, & quando proferenda per charitatem. *Vide Medium Virtutis.* Admonitio.

Senex Machabæus mortem potiùs optat, quàm ſimulare ſe prohibitas carnes edere. 2. Machab. 6. ne cæteri propter ſuam ſimulationem deciperentur.

Ægeus Pater Theſei Athenis ſe in mare præcipitem dedit, quod Theſeus victo Minotauro, & raptâ Ariadne, nigra, non alba vela inconſulto pandiſſet. Pauſanias in Atticis. Debet proferri virtus ad conſolationem bonorum, ne diſſimulata pariat deſperationem.

Ideò virtutibus laudes dictæ, & ſanctis cultus exhibitus. *Vide Gloria Virtutis.*

Vir bonus eſt regula agendorũ, & prototypũ quod debet videri; lex quæ debet ſciri. *Vide Princip. Verit.*

Clemens S. Pontifex novem notarios in vrbe inſtituit, qui geſta Martyrum colligerent. Vide Baron. an. 98. *Vide Voluntas Gloriæ.* Honoris.

Tot millia in cœlo ſydera non otioſè lucent, nec enim lucerẽt niſi motu, & influxu in inferiora agerẽt.

Perſæ eum Regem eligebant, qui nullâ eſſet corporis deformitate depravatus: Idem de Indis, Æthiopibus, & Scythis Strabo.

Reges Perſarum in ſuâ inauguratione nomen mutabant, ne quid majeſtati Regiæ deeſſet, quaſi nihil de prioris vitæ humilitate & defectu retinerent, inquit Iuſtinus. Aliquid terebinthi odoratiſſimi deguſtabant, quaſi famam factis deberent extendere.

Curet Princeps, vt filij procerum, qui externas adeunt provincias, exculti ſint moribus, & cultu decoro, vt ex illis fiat bonum judicium de patriâ.

Animalia omnia teſta incluſa, hyeme latent, ſuntque timida.

In familia vigere debet vſus ejuſdem nominis gentilitij; nec ferat magiſtratus vt cognomina temerè mutentur.

Iudicia publicè haberi oportet, ſic enim meliùs decernunt judices, qui volunt videri juſti.

Aquæ medicinales ſunt inſignes calore, colore, guſtu, &c.

Proprietas quantitatis eſt habere partes extenſas in ordine ad locum.

Qualis eſt humor, talis in cute color effloreſcit. Vide ſuprà in phyſionomiâ.

Per ſomnum calor intrò revocatur, & continetur, per vigiliam verò movetur foras.

Odor eſt vapor benè digeſtus à nativo calore, noſtro ſpiritui ſimilis: Arbores plùs emittunt florum benè olentium, quàm fructuum; plùs famæ quàm dignitatis.

Omne oleum rectificatum ſupernatat, & ſuperfertur alijs liquoribus: oleum enim, ſeù ſulphur eſt inflammabile, & vt ignis ſurſùm fertur.

Fallitur vulgus in judicando, putans formas, cum producuntur, deliteſcentes detegi, vt cum efficitur ſtatua mormorea.

Maturi fructus ſe produnt colore.

Falſa eſt opinio Alberti dicentis, eſſentias æternas eſſe, & latere in materia, quovſque à generante educantur, nam nulla eſſentia ſinè exiſtentia.

Exhalatio calida rumpit nubem frigidam, in quâ continebatur, & exilit cum ſonitu & corruſcatione: ſic aër terræ viſceribus incluſus vi erumpit: ſic ignea quædam ingenia è clauſtris Religioſis evolant, & è cinere ſuo exſurgunt, vt iterùm fulgeant.

Magnus pulſus eſt à virtute forti, quæ poſſit dilatare arteriam, ab vſu ſeù neceſſitate, caloreque aucto, qui naturam ad magnam dilatationem cogat, & aptitudine arteriæ, quæ ob mollitiem virtuti dilatanti facilè cedat: Pulſus autem parvus, fit contrarijs de cauſis.

Omnis de morbi eventu prædicendi ratio pendet

ex collatione vitium cum morbo.

Criſes perfectæ meliùs omnium præcogniſcuntur: imperfectarum autem habentur tantùm artificioſa quædam ſigna.

Paucæ ſunt aves nocturnæ, cæteræ omnes lucem amant, & interdiù volant.

Plura ſunt animalia quæ per ſumma telluris degunt, quàm in ejus cavernis, vt Talpæ, Lutræ, & hæc animalia ſunt imperfecta.

Olim Romæ candidati, honores ambiendo, præclara ſua, majorumque facta coram ſenatu per oratores exponebant; & in campo Martis exutâ tunicâ vulnera quæ pro patriâ acceperant oſtendebant.

Lapides albi ac perſpicui fiunt ex liquoribus benè exuperatis à liquefaciente calore, ex materia æqualis temperiei, habent enim albedinem ex caloris victoria, & ex attenuatione æquali tranſpicuitatem: lapides autem albi & craſſi, à diuturno calore & blando geniti fuerunt, qui nimirùm intùs remanens albam reddit materiam; at cum nequeat attenuare, dimittit opacam; ſuperveniente autem calore aut frigore, aut ambobus externis induratur: ſic dentes animalium, cortices ovorum, marmor, alabaſtrum non ex materia æqualis temperaturæ; nec à calore vniformi ſunt genita. Virtus imperfecta latet, nec fulget in publico.

Aſtrologi ptiſci conſtellationibus figuras dederunt, ad ſignificandas earum virtutes, ſic navis ſuper tes marinas: thuribulum ſuper ſacra; ſerpens ſuper nocivas beſtias; Saturnus influxu Soli contrarius, habet etiam domos ſuas Capricornum & Aquarum, oppoſitas Cancro & Leoni, domibus luminarium.

Cometæ qui plùs ſplendent plùs habent virtutis.

Servio Tullio dormienti in puericia flãma ex capite emicuit. L. Martium in hiſpaniâ interremptis Scipionibus concionantẽ, & milites ad vltionem exhortantem, arſiſſe ſimilimodo referunt. Plin. l. 2. c. 107.

Metalla ſe faciunt agnoſci internuntijs aquis per illa tranſeuntibus, & qualitates ſecum deferentibus.

Fons latens tenuiſſimum vaporem emittit, antè ſolis ortum in columnæ ſpeciem; tàm profundæ ſunt aquæ, quantùm altè nubecula attollitur. Ineſt fons terræ, quæ eſt humida tempore quo cæteri circùm loci areſcunt.

Qui numen ſuſcipit, antè ſuſceptionem aſpicit, quandam ignis ſpeciem. Iamblicus de myſterijs cap. 25. Sic in die Pentecoſtes deſcendit ſpiritus ſanctus ſuper Apoſtolos.

Religio conſtans myſterijs & actibus internis inviſibilibus, circà res divinas inviſibiles, affectat tamen videri per externas cæremonias, & maximè per accenſos cæreos, & lampades. *Vide ſup. hoc tit.* cæremoniæ.

Appollonius Tianæus invenit apud Indos lapidem ſolarem, qui cæteros ad ſe trahit, ſicut magnes ferrum, vocatur Panthaura, micat vt ignis, ſub terrâ quatuor paſſus naſcitur, illique tantùm ineſt ſpiritus, vt terra tumeat, & plerumque ſcindatur vbi lapis ille naſcitur. Marſil. Ficin. lib. de vitâ cœlitus comparanda. cap. 15.

Mare oſtendit in ſuperficie colorem eorum quæ habet in fundo, plùs viride, cum ſunt herbæ virentes; rubrum, ſi ſit arena rubra.

Terra quieſcens ſub occaſum Solis, in quo loco arcus cœleſtis dejecerit capita ſua, & cum à ſiccitate continua immaduit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum divinum ex Sole conceptum, & intimæ ſuæ qualitatis indicem. Plin. lib. 17. cap. 5.

In Dalmatiâ Principatu Neronis, in ſummâ tellure aurum inventum eſt, ratâ fœlicitate. Idem l. 33. c. 4.

A Virtus Solis caleſaciendi & moderatè deſiccandi facilè percipitur, propter ejus magnitudinem, & evidentes mutationes in anni vicibus. Ptolomæ. præd. Aſtrol. lib. 1. cap. 4.

Maximè attendi debet egreſſus ex vtero, nam videtur quædam generatio hominis, multa enim tunc fœtus adipiſcitur, quæ antea in alvo nondùm ei aderant, ac propria quidem humanæ naturæ, vt ſenſuum actiones, & corporis motus. Idem lib. 3. cap. 1.

Demoſthenes primò, ſecundò, & tertiò interrogatus, quid potiſſimum eſſet in oratore, dixit eſſe actionem, quâ ſe profert dicentis mens.

Quo magis ſol eſt exaltatus versùs meridiem, minores facit vmbras. Sed per omnia vult lucem ſuam ſplendeſcere.

Duilius Conſul Romadus, adeptâ ſuper Carthaginenſes navali victoriâ, non contentus vnius diei
B triumpho, per vitam omnem, vbi è cenâ rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet. Florus lib. 2. cap. 2.

Lucian. Dialog. 5. Refert Prometheum ſe excuſantem, quod furtivo igne cœleſti homini dato, ſic ipſum fecerit intelligentem, vt ſcilicet eſſet ſpectator operum Dei, quæ alioquin futura erant ſinè teſte & laudatore.

Saltatio convenit cum Rhetoricâ, quatenùs affectus demonſtrat; cum plaſticâ & picturâ, quia exprimit membrorum concinnitatem, vndè bonus ſaltator dicitur Chiriſophos, ideſt manu ſapiens. Lucianus de Saltatione.

C Oreſtem ac Piládem maximè colunt Scythæ, eo quod fideliſſimi fuerint amici proſperæ & adverſæ inter ſe cõmunia habentes: Eorum Geſta in columnâ deſcripta omnibus exponuntur & à pueris diſcuntur, vt hæc fida ſocietas, quaſi ſumma lex vitæ, commendetur. Idem. dialogo. Toxaris.

Meliora ſunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Cant. 1. Ideſt non modò internæ dulcedinis lacte præſentes alis, ſed bonæ quoque opinionis grato odore reſpergis abſentes, bonum habens teſtimonium; lacintùs, & foris vnguenta, quoniam non eſſent quos lacte reficeres, ſi non priùs odore attraheres: ſic dicitur in odorem vnguentorum tuorum, &c.
D Ð. Bernard. Serm. 9. in cant.

Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus.

Odor bonus bona fama eſt, quàm dùm quiſque bonæ vitæ operibus ſibi comparavit & veſtigia Chriſti ſequitur, quaſi pedes ejus prætioſiſſimo odore perfundit. D. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſti. cap. 12.

Ille medicus plures ſanat, de quo plures confidunt: ſic Magiſtratus.

Polemon Sophiſta dives, debitoribus ſuis in vſuram quaſi ſolutam imputabat, quod cum audiviſſent. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum.

Chriſtus dicit de Ioanne erat lucerna ardens & lucens: lux ex ardore procedit, vt in ſole, non autem vt
E in lunâ, quæ ſplendet non ardet, fulget nimirùm mutato lumine, ideò dicitur, ſtultus vt luna mutatur; Sic qui conſcientiam ſuam in adulatoribus labijs poſuerunt, vt luna mutantur: Apoſtolis autem & Apoſtolicis viris dicitur, luceat lux veſtra coràm hominibus, nimirũ tanquàm vehementer accenſis, qui ventos non pertimeſcunt. Dicit ardens & lucens, quia ex fervore ſplẽdor, non fervor debet procedere ex ſplendore; ſunt enim qui ideò fervent vt luceant, & hoc ſpiritu vanitatis non charitatis. Triplicet ardens erat; in ſeipſo, vehementi auſteritate; ergà Chriſtum, intimo quodam & pleno fervore devotionis; ergà peccantes proximos, conſtantiâ liberæ increpationis: ardebat ſibi, nobis lucebat. D. Bern. Serm. de nativ. Ioan. Bapt.

Subditi proferre debent suas dotes, vt illis Princeps A possit vti datâ occasione.

Flores ad Solis radios se explicant.

Æs & argentum sunt sonora, quia multùm in se habent aëris.

Fructus quidam corticem foris habent, carnem intùs, vt poma, pira; alij carnem foris, intùs os, cœrasa; fructum alia habent cum tegumento, alia non.

Animalia quæ habent humores subtiles subtilem habent pellem, & porosa corpora.

Agesilaus judicabat de militum suorum fortitudine, prout incedebant alacriter ad tibiarum militarium sonitum.

Apud Carthaginenses, milites tot accipiebant annulos, quot interfuerant expeditionibus, eosque annulos ferebant. B

Phidias Minervæ statuam eo artificio fecit, vt suam imaginem in ejus clypeo posuerit, quæ auferri non poterat, nisi dissolveretur statua. Arist.

Excelsa loca sunt magis salubria profundis, quos circumstant montes, tardiùs ibi sol aspirat; quia etiam non movetur, sed velut stagnat aër.

In corpore nulla superficies sinè colore.

Harpocrates, filius Isidis & Osiridis, præmaturo partu clinguis natus, effingebatur digito signans labia, hic Pisone, & Gabino Coss. è capitolio ejectus fuit Româ.

Abacus in quo exponuntur prætiosa; thesauri apertio.

Sol foras evocat humorem, ignis verò intùs repellit, propter ejus contrarietatem, vndè ad solem nigrescunt homines, non ad ignem. C

Noster ignis, & die & nocte videtur, die quia est coloratus, noctè verò propter lumen.

Architectus prætiosam materiam exponit in frontispicio ædificij.

Cura honoris in Regente. *Vide Gloria Potestas.*

Canellæ cortex magis est odoratus, quia magis à Sole coquitur.

Omnia aromata sunt calida, pleraque tamen frigida benè olent, vt rosa, viola, sandala, camphorá, hoc fit à parvo, quem habent calore, qui ad odorem sufficit, non ad calefactionem. Sic exiguæ quædam virtutes ad famam aucupandam sunt compositæ. D

Colorum mutationes fiunt, corde venas astringente aut laxante: laxante quidem rubicundi colores fiunt benè colorati & pellucidi; cõstringente verò, virides, pallidi, lividi. Hippoc. l. de ossium naturâ in fin.

De historiâ quæ virtutes posteris imitandos proponit. *Vide Duratio Cognitionis.*

Ex luce, & tenebris omnes constituuntur colores: fit obscurior, quando lux magis superatur à materiâ; & contrà splendidior, cum lux materiam superat.

Dormientis est interiùs calere, exteriùs frigescere. Vita hæc non in somno, sed in actione consistit.

In vterum protinùs reversus infans Sagunti, eo anno quo ab Annibale deleta est. Plinius nat. hist. lib. 7. c. 3. E

Latens virtus mali prænuntia est: qui vident abominationem desolationis fugiunt ad montes.

Materia cum sit iners est invisibilis, non enim agere potest in visum, ideò nigra est, & tenebricosa.

Xerxes deprehensos Græcorum exploratores lustrare fecit exercitum, & illæsos dimisit.

Vt oleum supernatat omnibus liquoribus, sic charitas non potest in ima premi, sed ad superna eminet. D. Aug. tract. 6. in Ioan. *V. Verit. Vir.* Fides cũ operibus.

Et viris propter fœminas, & fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita est placendi voluntas. Tertul. de cultu vir. c. 8.

Pisces ortâ tempestate secessus profundos, quasi sylvas florulenta loca ingressi, commoditati suæ consulunt: verùm vbi radiorum solis splendor aquis redditus fuerit, & totum mare arridet, in summis ludunt fluctibus. Cyrill. Alexand.

Bonum duntaxat verum & plenum, non amat tenebras, sed gaudet videri, & ipsa demonstratione sui exultat. Tertulian. lib. de cultu fœmin. cap. 13.

Humanitati Christi respondeat externa, divinitati interna devotio. D. Aug. in Psal. 117.

Quid prodest recondere se, & oculos hominum, auteique vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia & sollicita est: si honesta sunt quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire cum tu scias, &c. Senec. Epist. 41. De stimulis conscientiæ. *Vide Gloria Virtutis.*

Cœlum est affectum colore, vnde ab eo cæruleus dicitur, & planetæ proprios sibi habent colores, est enim Saturno color fuscus, Iovi clarus, Marti rubeus, Soli cum oritur ardẽs, postea radiãs, Veneri crocæus, Mercurio nunc viridis, nunc fuscus, Lunæ blandus.

Apud Iudæos Hemero baptistæ, integritatem suam ostensuri, sæpiùs in die lavabantur & baptisabantur, de quibus. Marc. 7. Vide Baron. an. Christi. 33.

Simeon Stylites in excelsâ columnâ pœnitentiam agens. Idem an. 378. & ipsa columna rectitudinem & firmitatem propositi sui præferens.

Pavo gemmantes laudatus expandit colores, adverso maximè sole, quia sic fulgentiùs radiant. Pudibundus quærit latebras, cauda cum solijs arborum cadente. Plin. lib. 10. cap. 20.

Profertur pulchritudo sicut absconduntur defectus. *Vide Cogn. Minorit. Repugn.*

Cum Rex apum extrà alvearia procedit, totum simul procedit examen. Vnaquæque proxima cupit esse, & in officio conspici gaudet. Plin. l. 11. cap. 17.

Canities homini a priori capitis parte. Ibidem cap. 37. vt scilicet videatur expertus.

In vnguentis magni emitur voluptas aliena; & enim odorem qui gerit, ipse non sentit. Id. l. 13. c. 3.

Agaricus fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis ilicibus nascens, nocte relucet: signum hoc ejus quo in tenebris decerpitur. Idem lib. 16. cap.

Vlmus in perflatu firma; quercus aquis obruta. Ibidem cap. 40.

DE NOMINIBVS preclaris.

SOcrates apud Platonem, dicit paternæ sollicitudinis esse, vt filijs pulchra imponantur nomina, quibus ad virtutem accendantur, sint cæteris venerabiles, & dùm placent, non facilè excidant è memoriâ Principis, cujus favorem ambiunt.

Cum Prætectus vigilum tenebricoso vocabulo vocari cœpisset νυκτι φυλαξ, ideoque contemptui esset Iustinianus constituit, vt Prætor plebis appellaretur. Novell. 13.

A dignitate nunc desumuntur denominationes.

In divinis masculina nomina significant actum efficientem, fœminina potentiam capientem. Plato in Cratilo.

Ibidem differit determinatas esse rerum essentias, essentiarum dari idæas mentibus impressas, idearum autem imagines esse nomina, vndè concludit singulis rebus inesse rectam nominis rationem, populis omni-

bus innatam, vnde nomina de bent imponi à sapientibus, quibus patrier rerum ides.

Nomina rebus imponuntur ab aliquibus earum proprietatibus, & deliuntur à rei complemento. D. Tho. 3. q. 37. a. 2. & q. 60. a. 2. Impositum alicui nomen diuinum significat aliquod donum gratuitum ei collatum. Ibid.

Adam rerum omnium scientiã donatus à Deo, rebus cunctis posuit proprijs nomina. Genes. 2.

Cymon Athenienses tres habuit filios, vni nomen Thesalius, alteri Lacedemon, alteri Elius, effi origine esset Athenienses; quia tamen exterorum nomina præferebant, eos vt hodie & exteros infestas esse Pericles. Plutarchus in Peri. l.

Ejecto Rege Tarquinio electũ ... de Consules Marcus Brutus & Tarquinius Collatinus, matrimus Lucretiæ quas inuita ejecerat Rege, nomen præferebat, coactus est Consulatu ante tempus cedere. Id. in Publicola.

Ad recognoscendos singulos nomina sunt inuenta publico consensu. l. 10. C. de ingen. manum. Deben esse conuenientia rebus. 5. 3. inſtit. de donation.

Canadiani, vt ſuffragijs dignores habeantur consonentes leges inſtituantur familiarum ſibi aſſimilabant, quod illis licebat.

Dies hebdomadæ dicuntur ſetæ, quia Chriſtiani horreret eos nominare à dijs gentilium. Baron. an. 38. num. 87.

Iulianus Apoſtata invidens Chriſtianis ſui nominis gloriam, eos vocabat gallileos. Baron. an. 362.

De præclaris nominibus falſo aſſumptis ad legendã vitã. *Vide infrà Veritas Virtutis. Reprop.*

Publicis luſtris, etiam nomina victimas ducentium proſpera ligimus, lib. 28. cap. 2.

Hæreis non tenetur ſerre nomen infamis teſtatoris, etiam ſi ſit fub hac conditione inſtitutus, ſed temittitur conditio. l. 5. §. idem aut. ff. de inſtit. actio.

Alexander cum eſſet in India, maximum omnium Elephantem, Aſperem vocatum, magnum magno nomine exornans. Pliuſtor. in vita Appolloniꝰ. lib. 2. cap. 7.

Ex pulchro nomine, fœlix augurium. *Vide Puerſitia Principij.* initij.

LAVS SVI IPSIVS quando licita.

Vmen ſe & alia demonſtrat.

Oculus carnis alia videt, ſe non poteſt; intellectus ea intelligit & ſeipſum: quemodo intellectus videt ſe, ſic & Chriſtus prædicat ſe, per ſe intrat ad te. & ad Patrem, ipſe eſt oſtium, quia non eſt quo veniat ad Patrem, niſi per ipſum.

De ſeipſo teſtimonium perhibere. *Vide Patientas Bonitatis.* Vide ſibi quilque poteſt exhibere charitatem, & veram commendationem, vt proximus: quare tacent de eo quod ceteris melius nouit: incertus eſt de rebus alienis, cernũs de propriis judicium, ſecuta veritas eſt, nec timet ſuſpicionem philautiæ; ſi licet facilis, quare non & dictis interanm ſuam virtutem explicare ad aliorum commodum. Cæſar, Xenophon, Cato, Sylla, Brutus geſta propria ſcripſis mandarunt.

Rectus animos veruque tenax propriis vt alienis virtutes exemplis, teſtatur quod eſt ſuperbus, nec virtutis veritatiſque eſt prævaricator, eo quod ſibi conſentit. Licet maximè ſeipſum laudare calumniæ aut accuſationis pellendæ gratiã, vt fecit Pericles, teſte Plutarcho. Inſtat ſemper calumniæ periculum, cum quam laus vera & moderata minimum eſt: ſubſtantia reddit vniquique quod iuum eſt, etiam ſibi magnanimus libere quod ſentit palam profert, non enim timet inuidos: nonnumquam ſui in bono propoſito defectum, ſic magis ad virtutem ſub ſui teſtimonio accenditur, iuxque commendationis cautione, pudor enim eſt alium de duabꝰ quam ſis, de a virtute ſimul & veritate aberrare: Si licet artificium opera ſua in publico proferre, cur non licet viris bonis virtutes tuas ſic explicare, vt illarum habeant laudatores & emptores, ſic gubernator falutes ſuas navigationes, medicus curationes, vt illi in poſterum ſibi habeantur.

Bene viveſe ars meas eſt, abſurdum eſt in eã me alicere ignorantem, & ſecũ ſe rapulere, quo pacto ſem laude mẽ invitatos conſtiti, autſilique ſuaſi licet pictoribus vultus ſuos depingere, ſi nulli ſint qui id meliùs prælient.

Cuſtodi animum meum quoniam ſanctus ſum. Pſalm. 85. Vox eſt Chriſti, qua poteſt eſſe fidelium per ipſum enim ſanctificati ſumus. 1. Cor. 6. dicat ergo vniuſquiſque fidelium ſanctus ſum, non eſt ita ſuperbia elata, ſed confeſſio non ingrata, ſi enim alteris ſe ſanctum eſſe ex ſe ſuperbus es. Rurſus fidelis in Chriſto & membrum Chriſti ſi non ſe dixeris eſſe ſanctum ingratus eſt: imo habere te agnoſce & esse nihil habere, vt nec ſuperbus ſis, nec ingratus: Die Deo tuo, ſanctus ſum, quia ſanctificaſti me, quia dediſti, non quia meriti, aliquon ingratus, quotquot in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis D. Auguſt. in Pſal. 85.

Quilque debet noſſe perfectiones ſuas, vide boc tit. initio.

Palam quiſque præclara ſua profert, accendit emulatio aliorum ſtique major, in virtute profectus.

Tempeſtas invidiæ, ſi is qui ſe laudat Deo omnia tribuat, aliquid fortunæ, aliquamque conſilijs Deus tulit, leves etiam permixtos defectus notando; ſic nimue laus velum obducimus, neminmos lædat occaſio. Sic Apoſtolus. 2. Corinth. 12. Enumerare relationes tuas, vt videatur & exaltatur tanquam Apoſtolus: ſatis ſum inquit inſipiens, vos me coegiſtis, debueram à vobis commendari: ſed ne magiſtudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c.

Clerici peregrinantes deferens ſecũm literas teſtimoniales, & ſimilia. *Vide Magnitudo Veritæ. Reprope.*

Proconſul antequam prouinciam adeat debet mittere edictum, aliquam ſui commendationem continens. l. 4. §. 1. ff. de offic. proconſul.

Neque ſol & luna interpoſita ſeiungent, habent interpretem fulgorem ſuſuminis, quo totus replet orbis eſt: iſis illuminatio eſt fides ſine judice, quæ dum ve ita dicam mentiuta teſtatur, quæ alienus non indiget teſtimonio, vt omnium oculis ſe offundat. D. Ambroſ. de Abel. & Cain. l. 1. c. 6.

Sembus ingens, & plerumque indefeſſa longendi cupiditas, quali ſitus à natura ſingulis ac illudpene gravaretur, qui omnium optime poſſent. Barclai.

Perſeus obtinentum à se moſſe caput ſcelus, quod acceperat à Pallade infixit, quod oſtendens hoſtibus, eos in lapides convertebat. Iuſiqua aliquos facinoris mentionã hoſtium motus obrigeſcere facit. *Vide Cognitio Poteſtat.* videri potens.

Gallo cretanis, ſi palma conſingat ſtatim in vidoriam canit, ſeque ipſum Principem teſtatur: ſuperbe gradietur, colum aſpicit crebo, candam falcatam erigit, itaque terroꝰ eſt etiam leoni ferarum generoſiſſimo.

fissimo. Plin. lib. 10. cap. 21.

Is qui Phatos rurum extruit architectus, nomen suum inscripsit, fed defuper levi calce illitâ nomen Principis qui tunc regnabat, quo brevi tempore deleto, apparuit nomen artificis inscriptum : Sic Soltratus dijs servatoribus profulate navigantium. Lucianus de Historiâ scribendâ.

Totis noctibus galli canendo Boetijs nobilem illam adversus Lacedemonios præsagivere victoriam, ita conjectâ interpretatione quoniam victa ales illa non caneret. Idem.

Quibusdam plantis geminatur germinatio nimiâ fœ vberrare, & invitantis cæli voluptate, quod magis in herbis fœcundum evenit, in arboribus tamen minis geminatio elanguescit. Plinius. l. 16. cap. 25.

Gorgias Leontius Delphis in templo fibi pulcit auream statuam. *Vide Glor. Cognit.*

In fanctibus ferebantur omnium illuftrium majorum imagines, adoptabant interdùm etiam alienas illuftres. Tunc etiam mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutum amor. Plin. l. 35. c. 2.

Non ambulantes in adulterâ, neque adulteranres verbum Dei, fed in manifeftatione veritatis, commendantes noſmetipſos, ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. 2. Corinth. 4.

Sive mente excedimus Deo, five fobrij ſumus vobis, charitas Chriſti urget nos. 2. Cor. 5.

Non in immenſum gloriamur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, quâ menſus eſt nobis Deus. 2. Corinth. 10.

Ego Paulus vinctus Chriſti ſeia pro vobis gentibus, ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi pro vobis licèt ſupra ſcripſi, prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, in quo habemus fiduciam & accellum in confidentiâ perfidem ejus. Coloſ. 3.

Exiſtimo menſui fecifle minùs à magnis Apoſtolis, &c. In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego : Hebræi ſunt, & ego : Iſraëlitæ ſunt, & ego : ſemen Abrahæ ſunt, & ego : miniſtri Chriſti ſunt, ut minùs ſapiens dico, plùs ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, & exterris horum ego enumerat. 2. Cor. 11.

In omnibus tribulationem patimur ſed non angſtiamur, ſemper enim nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jeſum, ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. 2. Cor. 4.

Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti. 1. Cor. 11.

A Qui ductæ rivum apertum non poteſt eum operirum & terrenum ducere. l. 1. ff. de rivis.

Alia ex jure vide paſſim ſparſa hoc tit.

Non licet ædificiorum ornamenti de civitate transferre in villam. l. 6. Cod. de ædificijs, priv. Nam in villâ eſt folitudo, & minores ſunt ſpectatores.

EX THEOLOGIA.

Vide paſſim ſuprà diſperſa ſub hujus titulî diverſiformibus.

FOrma non dicitur principium actionis vt eſt in agente, ſed vt reſpicit affectum. D. Thom. 1. q. 14. art. 8.

B Actus & motus exteriores ſunt ſigna diſpoſitionis interioris. 2. 2. q. 168. a. 2. ad 2.

Angeli non cognoſcunt motus phantaſiæ hominis, vt moventur a voluntate & ratione, niſi procedantin actum exteriorem. 1. q. 57. a. 4.

Nomen cujuſlibet ordinis Angelorum ſignificat participationem alicujus perfectionis quæ eſt in Deo, ſicut omnem virtutis ſignificat participationem divinæ virtutis. 1. q. 108. a. 5. 2.

Proprietates & officia in ordinibus Angelorum & Eccleſiæ accipiuntur ex nominibus eorum. 3. quæſt. 67. art. 1.

C Chriſtus apparuit in ſplendenti effigie propter gloriam ſuam, & ad confirmationem vdentium. 3. q. 54. a. 1. ad 3.

Omnes ceremoniæ ſunt quædam proteſtationes fidei & opera externa ad cultum Dei pertinentia. 1. 2. q. 99. a. 3.

Confeſſio fidei eſt neceſſitate ſalutis tunc ſolùm quando percitatur bonor Dei, vel vilitas proximi 2. 2. q. 3. a. 2.

Confirmatio datur tantùm in fronte ad libertam confeſſionem nominis Chriſti, & ad fortiter defendendum dignitatem acceptam. 3. q. 72. a. 2. ad 4.

Altare & Eccleſia conſecratur ad repreſentandum ſanctificationem, quàm Eccleſia conſecuta eſt per paſſionem Chriſti. 3. q. 83. art. 3.

D Corpora gloriofa, erit ſubtilia, erunt tamen palpabilia, ſicut & corpus Chriſti poſt reſurrectionem fuam. 3. q. 54. a. 2. ad 2. Erunt colorata colore debito ſecundùm naturam ſuorum partium. ad 1.

Tunc res dicuntur fieri quando innotefcunt. 3. q. 13. a. 2. ad 1.

In productione cujuſlibet creaturæ, etiam minimæ, manifeſtatur infinita patientia Dei, ſapientia & bonitas. 1. q. 32. a. 1. ad 2.

Chriſtus in excelſo ligno paſſus. 3. q. 46. a. 4.

Creatio mundi, & paſſio Chriſti ſicſe ſortiti æquinoctio : fed judicium generale fiet in æſtate, nunc enim ſol maximè exaltatur, quia erit maxima Chriſti & beatorum exaltatio in ſecundo adventu. 3. q. 46. a. 9.

Qui accipit gratiam, per quandam experientiam dulcedinis novit id illum habere. 1. 2. q. 112. a. 5.

Facies Chriſti emittebat radios. 3. q. 44. 3.

Ad veram eam fidei perſonem credulitas credit, & exterior fidei proteſtatio, per verba vel facta, quia omnia opera virtutum vt relata in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei. 2. 2. q. 114. a. 1.

Materia later, & cognoſcitur tamen duplicitèr per analogiam, ad formam, & vt perfecta eſt per eam : forma autem ſtatim ſe prodit per operationem. 1. q. 15. a. 2. ad 5.

Forma intendit experimere ſimilitudinem ſui habitus in actum, & proximum finem. 2. 2. quæſt. 135. art. 7.

EX VTROQVE IVRE.

DE militari veſte. Cod. 12. 40. &c.

E Vt in privatis domibus ſacra miniſteria non fiant. Nov. 58. & 131.

Vt nullus fabricet oratorij domos præter voluntatem Epiſcopi. Novel. 67. Religioſa enim debent in publico fieri.

De corpore virtutis non ordinandis. dift. 55. & decret. 1. 1. cap. tit. 20.

Si cifta ſignata depoſita fit, etiam ſpecies, reſque comprehendendæ ſunt, & oſtendendæ. l. 1. §. ſi cifta ſignata. ff. depoſiti.

Arbor licet alatur ex radicibus quæ ſunt in fundo vicini, tamen arbor ejus eſt, in cujus fundo origo ejus fuerit. l. ſi plures. ff. arbor. furt. cæſar. Tunc cenſetur virtus cum apparet.

Statuæ & imagines vſufructus poteſt relinqui, quia habent villitatem ſi opportuno loco ponantur. l. 41. ff. de vſufructu.

Gratiæ gratis datæ ordinantur ad manifestationem fidei, & doctrinæ spiritualis. 3. q. 7. a. 7. Et sicut gratiâ gratum faciens, ordinatur ad actus meritorios interiores, sic gratia gratis data ad exteriores. 3. q. 7. a. 7. ad 1.

Habitus infundantur à Deo, vel ad finem supernaturalem, vel ad ostendendum virtutem, vt sanitas & scientia miraculosa. 1. 2. q. 51. 4.

Oratio, prostratio, sacrificia, sunt propriè actus latriæ, licet imperentur à fide & charitate. 2.2. q.81. a. 5. ad 1.

Legislator magis considerat actus exteriores, quàm interiores. 1. 2. q. 100. a. 9.

Luna minor Planetarum dicitur major propter apparentiam, & propinquitatem ad nos. 1. q. 68. a. 1.

Miracula Christi fidem probantia fuerunt manifesta. 3. q. 29. a. 1. ad 2. Sic probavit gratiam vnionis, & doctrinæ suæ veritatem. 3. q. 43. a. 1.

Missio visibilis primo facta est Christo, deindè Apostolis, quia per eos gratia debebat in alios diffundi. 1. q. 43. a. 7.

Christi nativitas debuit aliquibus manifestari. 3. q. 36. a. 1.

Nullum sensibile nutrit, præter tangibile, sed sapor est signum alimenti convenientis & delectamentum ejus. 2. 2. q. 141. a. 5.

Ex quolibet vno particulari opere proprio probatur tota virtus agentis. 3. q. 45. a. 4. 3.

Omnibus Ecclesiæ ministris, ad divina exequenda officia, variæ ac multiplices aptatæ sunt vestes, provnicuique convenire judicavit Ecclesia, à Spiritu Sancto edocta. Suplem. q. 40. a. 7.

In lege divinâ datur præceptum de confessione fidei, & de doctrinâ ejus. 2. 2. q. 16. a. 1. ad 4.

Religiosis licet vti vestibus ad contemptum sæculi, ad pœnitentiam & humilitatem. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 2.

Sacramenta sunt protestationes fidei, sunt enim signa rei sacræ sanctificantis homines. 1. 2. q. 101. a. 4. continent gratiam quàm significant. Concil. Trident. sess. 7. c. 6.

Sacrificium nihil aliud est nisi protestatio interioris devotionis & fidei. 2. 2. q. 85. a. 2.

Stella quæ duxit magos ad Christum, non solùm apparebat nocte, sed etiam die. 3. q. 36. a. 7.

Thus offerebatur in sacrificijs, ad significandam devotionem offerentium, & bonam famam. 1. 2. q. 101. a. 3.

Aër densatus potest figurari & colorari. 1. q. 51. a. 2. ad 3.

In statu gloriæ nihil erit figurale, ad cultum Dei pertinens, sed solùm gratiarum actio & vox laudis. 1. 2. q. 101. a. 1. ad 2.

Honor est testimonium excellentiæ, secundùm virtutem maximè, quæ est in homine, estque potissimum virtutis præmium. 1. 2. q. 2. a. 2. Quasi habeat sic virtus quod maximè optabat, scilicet videri & esse in prætio.

Verecundia est principium emendationis, quia in principio erubescimus oculos hominum, in finè verò oculos rationis & Dei. 2. 2. q. 144. a. 4. ad 4.

EX BIBLIIS.

VOs estis lux mundi, non potest civitas abscondi suprà montem posita, neque ascendunt lucernam & ponunt eam sub medio, sed super candelabrum, &c. Sic luceat lux vestra coràm hominibus, vt videant opera vestra bona, &c. Math. 5.

Baptizatus Iesus ascendit confestim de aquâ, descenditque Spiritus Sanctus sicut columba in ipsum, & vox Patris intonuit. Matth. 3.

Abraham jubetur immolare filium in terrâ visionis, & in vno montium. Gen. 12.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus. Psal. 115.

Vos estis lux mundi, &c. facite bona vestra operà coràm hominibus, &c. Math. 5.

Perficisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Psal. 30.

Cantate ei canticum novum, benè psallite ei in vociferatione. Psal. 32.

Confitebor tibi in Ecclesiâ magnâ, in populo gravi laudabo te. Psal. 34.

Educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquàm meridiem. Psal. 36.

Videbunt me & timebunt, & sperabunt in Domino. Psal. 39.

Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Psal. 39.

Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo. Psal. 39.

Venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Psal. 46.

Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Psal. 46.

Circumdate Sion & complectimini eam, narrate in turribus ejus: ponite corda vestra vt enarretis in progenie alterâ. Psal. 47. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Psal. 48.

Qui timent te videbunt me & lætabuntur quia in verba tua superesperavi. Ps. 118.

Iesus sanat cæcum & mutum, itavt videret & loqueretur. Math. 12.

In omnibus te præbe, exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in veritate. ad tit. 2.

Indignantibus quibusdam, quod Iesu in ingressu Ierusalem acclamatum fuisset, Benedictus qui venit nomine Domini dicit Iesus, dico vobis, & si tacuerint hi, lapides clamabunt. Luc. 19.

Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Psal. 13.

Meliora sunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Cant. Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Ibidem. Odor vestimentorum tuorum, soror mea sicut odor thuris. Cant. 4.

Qui facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. Ioannis. 3.

Gen. 2. Deus inspirat spiraculum vitæ in hominis faciem, in eâ scilicet corporis parte, quæ semper patet, & videtur.

In consummatione sæculi fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Matth. 13.

Spectaculum facti sumus, Deo Angelis & hominibus. 1. Cor. 4.

Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro mortali circumferentes. 2. Corinth. 4.

Lumbare Ieremiæ infossum putrescit, itavt nullî ampliùs sit vsui. Ierem. 13.

Bonus homo de bono thesauro cordis profert bonum. Luc. 6.

Pisces non squammati, vt qui semper in profundo luti degunt: immundi erant lege Moysis. Levit. 11.

Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera ejus, qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt. Ioan. 3.

Iosias cum omni populo solemniter vovet se obser-

vaturum legem Dei. 4. Reg. 23. de votis publicis. *Vide Durat. Volunt.* & hoc tit. Cæremoniæ.

Mulier oret velato capite: vir autem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt. 1. Corinth. 11.

Qui in lege gloriaris per prævaricationem legis Deum in honoras: nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes: ſicut ſcriptum eſt. Iſay. 52. Rom. 2.

Providentes bona, non ſolùm coràm Deo, ſed etiam coràm hominibus. Roman. 12.

Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Rom. 13.

Si propter cibum frater tuus contriſtatur, &c. *Vide Concord. Minor.* compati.

Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Roman. 15. & cap. 16. Excitat Romanos ad bonum, ſcribens eis. Veſtra obedientia in omnem locum divulgata eſt.

Empti eſtis prætio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Corinth. 6. Vt ſervi ferunt colores & inſignia Dominorum ſuorum.

Ideò debemus infirmioribus conformari ad ædificationem. *Vide Concord. Minoris.*

Nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Gal. 6.

Prædeſtinavit nos ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ ejus. Epheſ. 1.

Chriſtus inſpecto numiſmate in quo inſculpta erat imago Cæſaris. Reddite, inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Matth. 22.

Producat terra herbam virentem & facientem ſemen juxtà genus ſuum, lignumque faciens fructum. Gen. 1.

Senſit Iſaac veſtimentorum filij ſui fragrantiam, & ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedicit Dominus. Gen. 27.

Erit autem vobis ſanguis in ædibus vbicumque eritis, & videns ſanguinem tranſibo vos, nec erit vobis plaga diſperdens, quandò percuſſero ægyptum. Exod. 2. Exterior mortificatio.

Præcipe filijs Iſraël vt afferant tibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, vt ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij. Exod. 27.

Lucernas etiam ardentes ex eodem oleo jubet poni in conſpectu Domini à veſpere vſque mane ſuper candelabrum munditſimum. Levit. 24. Iuſti fulgeant inter malos qui per tenebras ſignificantur.

Vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Matth. 1.

VIRTVS DEBET EXTRA proferri & ſplendere ad aliorum commodum.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Virtus eſt habitus ſecundùm rationem, vndè eſt bonum ſpeciei, cujus externa debent eſſe indicia, vt ab his omnibus qui ſunt ejuſdem ſpeciei percipiatur. Anima dat tantùm vitam ſuo corpori: at virtus, cum ſit vitâ quodammodò animæ, & quid divinum, vnius individui limitibus beneficam ſuam naturam non debet coërcere, ſed in amplum diffundi, ſibique primùm, tùm alijs vt Sol lucere.

Magnitvdo. Hominem virtus elevat ſuper humana: quæ autem ſunt in excelſis non latent. Non poteſt civitas abſcondi ſuprà montem poſita. Charitas omnes homines ſimul connectit in vnum corpus, omnes complectitur, omnibus ergò vult providere: agit partes cauſæ cujuſdam vniverſalis, affectu explicato, quodammodò immenſo, & oppoſito anguſtis, timidis, invidiſque profectibus amoris proprij, qui vni tantùm laborans, cæteris omnibus ſe negat.

Dvratio. Chriſtus hunc ignem è cœlo detulit, & quid vult niſi vt accendatur, vt ex ſcintillâ fiat incendium: emicat igitur è ſuis cineribus, & ſi poteſt flammas concipere ſplendet, & vndanti fluxu quærit materiam, quâ in perpetuum alatur. Æterni Dei munus eſt, immortalibus animis datum, ad immortalis beatitudinis conſecutionem: vndè non ſufficit illi vni vitæ mortali proficere, niſi & ad plures perveniat, quibus indeficienti & ad poſteros tranſeunte influxu conatur prodeſſe.

Potestas. Deus priùs à nobis concipitur bonus & ſanctus in ſe, quàm Creator & Rector vniverſi; vndè patet ſanctitatem eſſe quodammodò principium regiminis. *Vide Virt. Poteſt. & Poteſtas Virtut.* Etiam in vitâ particulari ſervire Deo regnare eſt: quis autem regentium non præfert regiminis ſui titulos & inſignia, quaſi omnibus profuturus. Non vtetur Princeps ſubditis vt decet, ſi abſcondant dotes ſuas: vndè hæc eſt anticipata deſertio, negant enim ſe Reipublicæ, vt hi qui ſe debilitatos ſimulant.

Cognitio. Charitas ſi non poteſt officijs, ſaltem conſilijs omnes juvat; ſanctitatis autem exemplum optimum conſilium eſt, nam plùs factis quàm dictis fidem habent homines: extrà falſi ſuſpicionem eſt, quòd ſibi quiſque eligit. Experti fœlicem virtutis viam, omnibus indicant, optimas merces omnibus proferunt; exemplo ſuo hæc omnibus prædicantis O mortales, quid in hæretis vanis, &c.

Voluntas. Spiritus ſanctus cum ingenti ſonitu & in linguis igneis deſcendit ſuper diſcipulos, vt doceret dona ſua non eſſe ſilentio reticenda, ad ſplendorem, & commune bonum conceſſa. Amant omnes naturaliter virtutem. *Vide Volunt. Virtutis.* Cur autem avidis piè amantium oculis rei chariſſimæ negas imaginem.

Virtvs. Virtutis quodammodò prævaricator eſt, qui hanc veretur coràm hominibus profiteri: ſi Chriſtianæ militiæ nomen dediſti, quid times teſſeram proferre, & palam parere Principi, cui militas? hæc diſſimulatio perfidiæ genus eſt: putant enim cæteri te de ſuis eſſe & hinc creſcit ad peccandum audacia, quæ contrario virtutis exemplo debuerat confundi.

Veritas. Ineſt omnibus innata virtutis, vt boni ſibi convenientis, & ad bonum ducentis, cupido: aberrantes, inquietâ vitæ ratione, illam ab obvijs quibuſque petunt, ignorantes ſolliciros doce, converſis in te omnium oculis, quaſi interrogantibus, viam monſtra, non modò voce & indice, ſed ipſo facto te ducem præſta: palàm hac viâ regiâ procedendum, vt alij ſequantur. Non erubeſcit virtus qualis eſt in conſcientiâ, talem ſe operibus exhibet, ſinè fuco, vt ſinè affectatione, id enim exigit veritas, quæ vna & ſimplex eſt: abſit vt virtutis ſplendorem decutpet, ne placeat: abſit vt imponat oculis in divinæ veritatis & pulchritudinis contumeliam.

Gloria. Si quid laudis accedat vito bono propter virtutem, id totum reſundit in Deum, vt in primum omnis boni principium. Infirmi eſt animi pati non poſſe laudes humanas; quis niſi atrâ bile ſuprà modum laborans deſtruet meſſem, eo quod flores illi innaſcantur? vt me non movet, ſic nec deterret hominum exiſtimatio, mihi quidem indifferens, ſed profutura his, qui fortè virtutem eo avidiùs ſect-

tur, quò magis videbunt me ob illam commendari.

Differentia. Proferunt ſe cum magno apparatu vitia; appareat & virtus cum nativo ſuo colore, vt hinc vitia confundantur, ſi virtutis larvam præferant. Sic collatis veris nummis & lapillis veros facilè deprehendes. Qualis futura eſt hominum ſocietas, ſi ab illâ communi bonorum & malorum conſenſu, licet diverſo fine, exulet innocentia? ſi habeat malos vt hoſtes, bonos vt deſertores.

Concordantia. Quandiù ſolitaria ſibi videtur probitas, latet timida; a multis fœlicitèr agendis abſtinet, multique milites ad arma non convolant, niſi ducem ſe videant habere: ergò opus eſt viro forti qui publicè probitatem profiteatur, qui ad partes ſuas bonos omnes advocet, vt Matathias laborante ſub Antiocho Religione. Multi ad virtutis ſigna ſe recipient, ſi ſint qui illa præferant, ſanctoque ſancito fœdere multa in vitiorum perniciem aggredientur.

Contrarietas. Bellum vitijs publicè indicit Religio, in illa collatis quotidie ſignis decertatur per ſacrorum officiorum exercitia, per prædicatores, quos armis ſpiritualibus inſtructos deſcribit Apoſtolus: dum ad conflictum vocant ſigna, perfidus ſimul & deſertor eſt qui latet.

Principium. Genere nobiles, aut adoptione volunt ab omnibus tales haberi. Virtus ſeù gratia te in divinam adoptionem tranſcripſit, pudeat hanc nobilitatem publicè non profiteri, & quaſi diffideres de cœleſtis tui parentis viribus, ad prioris fordidæ vitæ tuæ conſuetudinem adhuc vivere.

Medium. Ne putes tibi tui tantùm gratiâ tot collatas eſſe divinas dotes; organum te voluit eſſe Deus, vſu ipſo ſplendidum; voluit eſſe vas electionis, in quod infunderetur in alios effundendum: ne deprimaris dùm te divina manus ſublevat, vt alios ſurſùm trahas: facem præfers, non tuâ, ſed divinâ luce accenſam, ſic arbitrio tuo non abſcondendam. Miniſterium eſt, cujus fidelitati non debet obeſſe prætenſa humilitas.

Finis. Eâ intentione bona tua opera prodeunt, vt in Dei gloriam & proximi commodum cedant. Etſi hinc tibi accedat ſplendor, reflectendus eſt in ſuam originem; nec ſibi vindicabit vanitas, quod prima puraque intentio divini juris effecit.

Maioritas. Latens virtus, meliùs quidem ſervatur; ſed minùs proficit; privatum eſt, quod tibi ſervas, publicum, quod erogatur; publica autem privatis ſunt præferenda. Vtendum ſplendidâ hac veſte, in Chriſti dominantis miniſterio: in ejus & Eccleſiæ ſuæ triumpho, licet vſu naturaliter atteratur, quamvis poſſit integra ſervari, vt filijs Iſraël in deſerto: Cæterùm quod detrahit vſus, compenſat quæſitis de novo meritis charitas, nec enim theſaurum infodit vt ſerveturſed dat ad vſuram vt augeatur, etſi tale commercium periculo non vacet.

Æqualitas. A mundano affectu ſegregatos Apoſtolos, voluit tamen non in ſolitudine latere, ſed inter populos converſari. *Vide Media Gloriæ. De vitæ Mixtâ.* Omne donum optimum deſcendens à Patre luminum: non timet diffundi in multa ſpatia lux ab infinito pendens principio; refundet ſuprema bonitas quod pro illâ es erogaturus; vndè dicit meliùs eſſe dare quàm accipere, quia dando plùs accipitur.

Minoritas. Poſitus es in ſpectaculum Deo, Angelis & hominibus, vt etiam cum victoriæ periculo te proferas, & tot in te converſis divinis humaniſque oculis facias ſatis; Fidelis eſt miniſtri Principis ſui potentiam extollere, vt ſic ſubditis affectum, hoſtibus terrorem incutiat. Nihil igitur in te humiliſenſus detrahat de his, quæ gratia vult in te operari: omnipotens eſt, vt ex parvo & nihilo, quodlibet efficiat.

FIDEI PVBLICA confeſsio.

MISCELLANEA.

QVi confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo. Matth. 10.

Multi non audebant Chriſtum confiteri, vt non ejicerentur è Synagogâ. Ioan. 11.

Timiditatis eſt, cum te alius per Deos ſuos obligat juratione, vel aliquâ teſtificatione, & tu nè intelligatis quieſcis: nam æquè quieſcendo confirmas majeſtatem eorum, cujus causâ videberis obligatus. Quid refert Deos nationum dicendo Deos, an audiendo confirmes? jures per idola, an ab alio adjuratus acquieſcas? per aures infert tunc ſatanas idololatriam, aliorum ore, cum non poſſit noſtro. *Si* inimica hæc congreſſio eſt, ad pugnam vocaris; & tibi dimicandum eſt: ſi amica, quantò ſecuriùs in Dominum transferes reſponſionem tuam, &c. Omnis patientia hujuſmodi idololatria eſt; negat quicumque diſſimulat in quacumque causâ pro ethnico habitus. Tertulian. lib. de idololatriâ. cap. 21.

Idem lib. adversùs Gnoſticos cap. 10. agit contrà hæreticos aſſerentes ſufficere Chriſtum confiteri in cœlo: Quomodò in cœleſtibus ſtarem, qui in terrenis ſtare non potui? ſuſtinebo majores poteſtates, qui minoribus ceſſi? merebor denique admitti jam excluſus? ſi in cœlis confitendum eſt, æmulam quoque confeſſionem ibi agitari neceſſe eſt, quæ confeſſionis, negationiſque materia eſt. Erunt fortaſſe in cœlo vincula ex Zonis, eculeus ex Axe; Orionis armati manus operabitur; vrſas ſeptentrio, tauros & leones Zodiacus emittet: At vbi corpus, quod ſolum habet ab hominibus occidi, ſi in cœlo prima confeſſio & paſſio. Dominus dicit Math. 7. ſe in terras gladium veniſſe mittere. Auſi homines idola adorare, debent Deo per aliquam fidei impudentiam ſatisfacere, vt deinceps coràm hominibus non confundantur. Ibidem.

Vide ſuprà Durario Virtutis. De martyrio & non eſſe fugiendum in perſecutione.

Perfeciſti ſperantibus in te, in conſpectu filiorum hominum. Pſal. 30. Si vis ambulare viam Domini, noli erubeſcere de ſpe tua coràm hominibus: quomodò vivit in corde tuo, ſic habitet in ore tuo, quia non ſinè causâ ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquàm in ſede pudoris, nè Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat; ſic ſpera tibi perfici dulcedinem Dei. Div. Auguſtinus in Pſal. 30. concione. 3.

Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti. Pſal. 39. Si in labijs negas Chriſtum, quem corde confiteris, contrà cor tuum teſtimonium dicunt labia tua. Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi; hoc eſt Chriſtum dixi. Ego ſum veritas inquit Chriſtus. Ioan. 14. Et ſalutare: vnde Simeon geſtans infantem Chriſtum in manibus, viderunt oculi mei ſalutare tuum. D. Aug. in dict. Pſal.

Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltavi ſub linguâ meâ. Pſal. 65. Ipſum publicè prædicavi, ipſum in ſecreto confeſſus ſum. D. Auguſt. in dict. Pſal.

Iudæi nova luna tuba canebant. Buccinate in Neomenia tuba. Pſal. 80. Nova luna, nova vita. Si qua

ipsitur in Christo nova creatura, quasi tuba exalter vocem suam. Isay. 58. Iubeti novam viam eum tota fiducia praedicet, non tantum ſtrepitum ptioris vitæ. Ioſeph poſt tribulationes exaltatus, & Chriſtus poſt paſſiones. D. Auguſt. in Pſal. 80.

Elevaverunt flumina vocem ſuam. Flumina ſunt Apoſtoli, ex quibus alia flumina impleta ſunt. Ioan. enim 7. dicit Chriſtus. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent. Loquens de ſpiritu quem acceperant erant. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Elevaverunt ergo flumina vocem ſuam, cum præcipientibus Iudæis ve tacerent, non poſſumus, inquiunt, quæ vidimus, & audivimus non loqui. A.O. 4. D. Aug. in Pſal. 92.

Credui propter quod locutus ſum, id eſt perfectè credidi: non enim perfectè credunt, qui quod credunt ſoqui nolunt. Fidelis ille ſervus dicitur, non tantùm quia accepit, ſed quia impendit, atque lucratus eſt. Ego autem humilitatis ſum mimus, multa lucratus ſum propter veritatem quam locutus ſum. D. Auguſt. in Pſal. 115.

Vnde Apoſtolus 2. Corinth. 1. cum de cæteris ſuis loqueretur, Sed ſermo Dei inquit non eſt alligatus.

In corde meo abſcondi eloquia tua ut non peccem tibi. Dendè additur. In labijs meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Pſal. 118. Ore enim fit confeſſio ad ſalutem.

Quis credat Petrum habuiſſe in corde quod in ore, quando Chriſtum negavit: nempe in illa negatione juris tenebat veritatem, & ſonis mendacium profitebatur. Tam amato autem Deo, quivivit mendacium, quod ore depromſit, quia magnam videt eſſe pertinitiem, quod corde quidem credidit ad juſtitiam, ſed ore non eſt confeſſus ad ſalutem: Dicitur quidem beatus qui habuit veritatem in corde ſuo, ſed additur qui non egit dolum in lingua ſua. D. Auguſt. lib. contra mendacium ad Conſentium. c. 6.

Quod dico in tenebris dicite in lumine & quod in aure, idefi in ſecreto, auditis prædicate ſuper tecta, idefi calcatis carnis domicilio. D. Auguſt.

Idem de verâ Religione cap. 1. dicit Religionem non eſſe perendam à Platonicis, quia eadem ſacra ſuſcipiebant cum populis, & de Deorum ſuorum naturâ & ſummo bono diverſas contrariaſque ſententias in ſcholiis ſuis eadem teſte mulitudine perſonabant.

Eſtiam hæreticiſidem in profeſſione ſiccabant negandam & in corde ſervandam. D. Auguſt. Epiſt. ad quod vult Deum de hæreſi. 10.

Vide ſuprà in Theologia, Biblioteſ. paſſim.

De dolo malo. *Vide Minor. Verit.* de de officioſo mendacio prohibito.

Quoniam ſcripturæ eſt juſtus ex fide vivit, eaque fides à nobis exigit officium & cordis & linguæ, aic enim Apoſtolus Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Oportet nos eſſe juſtitiæ memores & ſalutis, quam quidem in ſempiterna juſtitiâ regnaturi, à præſenti ſeculo malignos ſalvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum intentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus. D. Auguſtin. lib. 1. de fide & ſymbol. cap. 1.

Fidem in cordibus noſtris agnoſcit qui probat cordis ardenes, ſed propter conſervandam Eccleſiæ unitatem diſpenſatione hujus temporis cum fide cordis neceſſaria eſt oris confeſſio, quæ corde creditur ad juſtitiam, &c. non tantùm prædicatorum, ſed etiam eruditorum; non aliter frater de fratre ſentire, nec pax Eccleſiæ ſervaretur, nec alium docere, nec ab alio diſcere ſalutì neceſſaria poſſet, niſi quod in corde habet ſigni vocum, tanquàm ſuis veniculis, ad corda

A aliorum tranſmittere tuti ergò fides & corde ſervanda & ore promenda. Idem ſerm. 181. de temp.

Paſtor ſub arbore ſiſtulâ ludit, dum ſecurum eſt ovile, quod ſi irruat lupus ſtatim curritad arma: ſic ludetur in prato ſcripturarum, donec veritas ea ait bonos mores hoſtis invadat; tunc verbo Dei contrà procedant armati, &c. ex D. Chriſoſt. orat. 1. adverſùs Iudæos.

Phœnix in Biblioth. cap. 171. Refert ex Chryſippo Hieroſolymorum Epiſcopo, Nicodemum Chriſti noctiurnum quondam amicum, diuturnùm fuiſſe reddi-

B tum, & tandem martyrio coronatum. De martyrio. *Vide Durar. Virtutis.*

Luna dùm later in conjunctione Solis frigeſcatis dùm autem eſt lucè plenâ calefacit. Ptolomæ. præd. Aſtrolog. lib. 1. cap. 7.

Deliberâ veritatis prædicatione. *Vide Cupriens Veritatis, & Pontſac Veritatis*, & libera veritas liberè dicenda.

Fides ſe profert cum ſimplicitate ve columba. *Vide Banie. Verit.*

C Confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis, tunc fidem quando perſicitur honor Dei, vel vellitas proximi. D. Th. 2. 2. q. 3. a. 2.

Fuit mos antiquus Eccleſiæ, Euchariſtiam occulè ſecretiſque verbis conſecrare, tibi conſecratam populo offendere. Vide Baron an. 57. num. 150.

Elixa ſi pendoporeta afferebat, non eſſe peccatum in perfecutione fidem abjurare, dummodò corde retineretur. Idem an. 105.

Præcipua dignitas Dei Chriſtianæ Religionis populari Romam mittebantur, ſic in hoc totius orbis theatro dabant teſtimonium Chriſtianæ veritati. Id. anno. 109.

Martyres olim etiam dicti confeſſores. Vide Baron. an. 194.

Monachi ſanctiſſimi deſerta ſua relinquunt, ut fidem Chriſtianam publicè in urbibus profiteantur. *Vide Virtus Bonis.* De charitate à foliatijs exhibitâ.

De his qui paravertunt licitum eſſe fidem ore negare. *Vide Minoritas Cogni.* Secreta Religionis Myſteria.

D Primùm gratias ago Deo meo, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo. Rom. 1. Non erubeſco. Evangelium : virtus enim Dei eſt omni credenti. Ibidem 16. Revelatur ira Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Ibidem.

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem : dicit enim ſcriptura, omnis qui credit in illum, non confundetur. Rom. 10.

Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ve non intenderent filij iſraël in faciem ejus, quæ evacuatur. Dominus ſpiritus eſt, ubi autem ſpiritus Domini, ibi libertas, non verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem, tanquàm à Domini ſpiritum. 2. Cor. 3.

Quandò & quomodò liceat fidem diſſimulare. *Vide Minor. Verit. Bona.*

Quod non liceat ve vocabulis hæreticos deprehendas. *Vide Minor. Verit. Mala.*

De his qui Chriſtum credentes verebantur fateri dicitur. Ioan. 5. Dilexerunt gloriam hominum, magis quàm Dei.

FIDEI PVBLICA CONfeſsio maximè dum vrget neceſsitas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fides dat homini novum, eſſe novamque ex Chriſti ſpiritu vitam, quæ prodire debet in externos convenientes actus; nuſquàm enim vita ſinè propriâ ſuâ actione. Creaturæ dicuntur laudare Deum, quia accepta ab eo dona præferunt, & dùm divinæ artis ſibi impreſſa miracula exponunt commendant artificem. Ne reticeas acceptum à Chriſto donum; ne ſanguinis ſui prætio libertate donatus viliſſimam ſervi perſonam agas; Quicumque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis, inquit Apoſtolus, vt quod in nobis eſt Chriſti ſic appareat, vt veſtis.

MAGNITVDO. Totum conſtat ex ſuis partibus, quæ ſi deficiant, & ipſum totum diſſolvetur. Si liceat vni & alteri fidem reticere, ſimiliter & cæteris licebit; ſic deficiet Eccleſia viſibilis, nec fides ſalva poterit eſſe in corpore, dùm ſic peribit in membris. Numeranatur, non ponderantur judicia, & id optimum putant homines, quod à pluribus probatur: Accede igitur ad veritatis aſſertores, auge tuâ acceſſione bonorum numerum; ſic illis animos addes, hoſtibus metum, Chriſtianis omnibus ſpem Catholica dogmata fore victricia, quæ ſic Angelica voce, ſcilicet voce multitudinis, probabuntur.

DVRATIO. Inſta, inquit Apoſtolus, prædica verbum, opportunè, importunè: vndè patet fidem omni tempore mentibus inſinuandam, ſed tunc maximè cum vrget contrariæ opinionis periculum: tunc enim quaſi dato ſigno veritas cum hæreſi ad conflictum vocatur; tunc qui latet cenſetur transfuga, quia putatur pro alijs ſtare; aut ſaltem deſertor eſt, majori dignus pœnâ, quàm hi qui in acie arma clypeumque projiciunt. Impetum, turbinemque hunc erroris fortè putas citò deſiturum; ſed ideò citiùs velis remiſque manum admove; ne ſinè operâ tuâ deſinat periculum: nec te ociante effluat hæc gloriæ & ſalutis occaſio. Cæterùm ignaviæ tuæ blandiris, dùm putas falſas opiniones citò deſituras, ſerpunt enim dùm placent novitate, deffenduntur vanitate, ab his qui turpe putant à propoſitis ſemel gradum revocare; ſic ſerò poſtmodùm Medicina paratur, cùm mala per longas convaluere moras.

POTESTAS. Hereſiarchæ omnes id tentant, Reipublicæ caput inficere, vt hinc in omnes partes virus effluat; Principem enim populus imitatur, ſed maximè in malis quæ ſenſus afficiunt. *Vide Concord. Poteſt.* Huic publico malo obviam maturè eundum eſt: Age partes tuas, ne ſis veritatis Chriſtianæ prævaricator; ſi Poteſtates alliciuntur ad errorem ſpe temporalis commodi, videant te monitore, oriundas ex hæreſi publicas clades, ſacrilegia, morum depravationes, legum contemptus, & primò in Eccleſiam matrem, tùm in Principes ſævientem impietatem.

COGNITIO. In hac publicâ differendi libertate, populis ad ſpectaculum attentis, & avidè ſiſcitantibus, debes cum ſumma libertate aperire ſenſus tuos, nec captivam in injuſtitia detinere veritatem: Eccleſia mater erroris, doli, malæque fidei arguitur, & cum poſſis verbo aut ſcripto innocentem vindicare, taces tamen, & contumelijs expoſitam abditas. Mota hæc publicè quæſtio, omnes qui valent doctrina in judicium citat vt teſtes. Non licet tibi latere, in medium te protulit dignitatis & eruditionis tuæ fama; hîc tacere, quæ vtiliter potes pro diſſenſione veritatis Catholicæ proferre, nunquid prævaricatio eſt?

VOLVNTAS. Crœſi filius natura elinguis, affectu factus eſt vocalis, dùm videret ſicarium in Patrem irruentem. Exclama tu videns Matrem Eccleſiam tot falſis dogmatibus miſerè dilaniatam: Spiritus ſanctus, qui charitas eſt linguam tibi vt Apoſtolis dabit igneam. *Vide Cognit. Voluntat.* Fortis & magnanimus eſt amor, ſe profert, quod in ſe eſt alacriter exequitur, cætera providentiæ commiſſurus; nec enim hæret varijs timidiſque rationis humanæ conſilijs, agit ſacro impetu, nec minima materiæ indiſpoſitio ſiſtere poteſt divinum hoc incendium.

VIRTVS. Poteſt quidem humilitas cæteras virtutes morales velo tegere, ſed non Religionem; quia non tàm privatum, quàm publicum eſt bonum: eſt enim obſequij ergà Deum præſtatio, quæ palàm vt exigitur, fieri debet; ſervus enim non haberetur humilis ſed contumax, qui impoſitas ſibi operas à Domino publicè inficiaretur, & poſtulatum negaret obſequium.

VERITAS. Veritates Chriſtianas martyres fortiter in tormentis aſſeruerunt, & illas tu in media Eccleſiæ pace times profiteri; illos non conterruit ſæva perſecutionis tempeſtas, te leviſſima commodi temporalis aura dejicit: Infœlix deſertor, arma quæ negas veritati in te convertis, nam illi ipſimet qui te à libera veritatis prædicatione nunc averrunt, deſpicient in poſterùm te quaſi levem, deſertorem, transfugam, fidei parùm firmæ, vt in Deum, ſic in homines venalis & variæ.

GLORIA. Si gloriolam aucupari conantur novatores in ſuarum opinionum ventilatione, ſectare tu veram gloriam in veritatis acerrimâ propugnatione. In hoc ampliſſimum honoris theatrum te profert Eccleſia, vbi tot ſancti Doctores præmia meruerunt, quibus nunc in cœlo, & in hominum memoria fruuntur.

DIFFERENTIA. Multis ad novitates fugientibus, tibi dicit Chriſtus, quod olim Apoſtolis, Numquid & vos vultis abire? ſtet fides tua, & reſponde, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: Reſponde verbis, ſcriptis, factis, nec patiaris æternæ veritatis leges Eccleſiæ datas his novitatibus concuti. Viatorem exponis erroribus inofficioſo ſilentio, ſi viam interroganti non monſtres: Oportet hæreſes eſſe, vt ait Apoſtolus, ſed & oportet eſſe, qui ſic probati fiant; quia hujus probationis causâ Deus permittit hæreſes eſſe.

CONCORDANTIA. Mirus eſt ſeditioſorum, conſpirantium, conjuratorum, & hæreticorum conſenſus; quod enim deeſt viribus in minori numero, vnione compenſant, & ſingularia diſſidia componit communis periculi metus. Sic ſuis etiam periculis & hoſtium exemplo docentur boni cœtus inire, ſacrumque fœdus pro deffenſione Catholicæ veritatis. Vnio veritati & charitati propria eſt, illam vſurpatam à mendacio vendicent boni. Non erit formidanda, quia nec ordinata acies Eccleſiæ, ſi ſingulis liceat gradum removere: ſic enim turbabitur ordo, & via hoſtium irruptionibus aperietur; ſic præteritis ſæculis invaluerunt hæreſes, illarum ſectatoribus pertinaciter ſibi adhærentibus, & Catholicis doctoribus, falſo pacis titulo turpiter cedentibus.

CONTRARIETAS. Apoſtolus deſcribit doctorem galeâ ſalutis, clypeo fidei, gladio verbi Dei armatum, non vt lateat, ſed vt fortiter decertet. Tot ſanctorum

Patrum ſcripta, doctorum Conciliorum decreta munimenta ſunt, quibus nos divina inſtruxit providentia, vt ſecurius & fœlicius pro veritate decertemus: Rea magis eſt ignavia, graviuſque peccat in Dei, & præteritorum ſæculorum beneficium, quæ talibus auxilijs præmunita hoſtibus cedit.

PRINCIPIVM. Dei quidem negotium eſt, ſed ab eo doctoribus, vt actoribus, & procuratoribus demandatum. Magnum illis privilegium eſt, quod verbi prædicatione poſſint Deo animas parere, ſed horrendum incurrunt judicium, ſi partus ſuos ſpiritales crudeli ſilentio erroribus exponunt, ſi vt mercenarij veniente lupo fugiunt, ſi ad clavum navis ſedentes, ortâ tempeſtate quod expedit non exclamant.

MEDIVM. Subordinatæ ſunt mentes hominum vt Angelorum, & ſuperior influere debet in inferiorem. Doctores ſunt vaſa electionis, quæ acceptas veritates debent in alios effundere; quod ſi id quod excipiunt non effundant, efficiunt vacuum in Eccleſiâ, & quid pejus quàm mundo contingeret, ſi ſublato aut indurato aere via non pateret cœlorum luci & influentijs.

FINIS. Prævalebit, inquit, tandem veritas ſed vt quid tandiù vis illam in periculum vocari, vt quid tandiù jactari permittis. Inter moras his erroribus laborantes homines moriuntur, & pereunt in æternum immutabili judicio.

MAIORITAS. Si tantùm poteſt naſcens error, quò progredietur, quas ſtrages non edet, cùm tempore ſibi vires comparaverit, & eo etiam titulo Majeſtatem, quod contrà tot ſæculis receptas opiniones fortiter ſteterit. Etiam tempore minùs ſolvitur vt ait lex. *Vide Minor. Diurn. Celeritas.* Integram itaque fidem, quam debes veritati Catholicæ non præſtas hac in morâ, & dùm intereſſe tuum præponis intereſſe Dei; Meliuſque tibi videtur expedire, ſi ſenſus tuos hac in causâ taceas, quàm proferas.

ÆQVALITAS. Pertinax ſervus non auditur contrà Dominum, ſed ſtatim impoſita ſilentia ejus audacia retunditur: Sic ex æquo certare non debent novitates cùm antiquâ receptâque omnibus ſæculis Eccleſiæ veritate: quod judicatum eſt, pro verò habendum, alioquin nullus futurus eſt litium finis. Si vni licet inventa ſua in medium proferre, & alijs licebit, multis ſemper novitati applaudentibus, quia ſic in innumeras differentias diſperitæ ſunt hominum mentes, vt nihil ſit tàm deforme, aut tàm abſurdum, quod alicui non placeat.

MINORITAS. Quandiù te ſubtrahis ſilentio, minorem & infirmiorem quàm ſit vis videri Eccleſiam; infirmiorem fateris, cujus vereris partes ſequi. Interim ex vnius veritatis defectu cæteræ in ſuſpicionem vocabuntur, & in vno decepti, in cæteris ſe deceptos putabunt homines; Nihil ergò, ne minimum quid hæreſi indulgendum, pareant ad primæ veritatis obſequium natæ mentes, non det legem ſed accipiat fallax ratio humana, nec in divinis audiatur ea, cui etiam in humanis certò fides non eſt habenda. Hanc exceptionem judicati, hanc falſi teſtis reprobationem, tuum eſt maturè & rebus integris proponere.

NIMIA VIRTVTIS propria Iactantia.

MISCELLANEA.

Vide Volumen Gloria Mala.

NEmo ad ſuum dedecus mentitur, quia potiùs ad honorem, magis fides prona eſt in adversùs ſemetipſos confitentes, quàm pro ſemetipſis negantes, &c. Tertull. in Apol. c. 23.

Etiam ipſum bonum ſuum erubeſcendum eſt: virginem magis laudando quàm vituperando confundas. Id. de virg. velandâ. c. 2.

Omnis oſtentatio non caret ſuſpicione mendacij, quia quidquid aſſumitur proprium non putatur; dehinc jactantia avara laudis multùm decoquit de pudore. Symmachus. Ep. 1. l. 1.

Si alienæ quoque laudes parum æquis auribus accipi ſolent, quàm difficilè eſt obtinere nè moleſta videatur oratio, de ſe aut de ſuis differentis. Plinius ſecundus. l. 1. Ep. 8.

Poſtquàm deſijmus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Idem. Ep. 21. & vlt.

Impudens eſt qui ſeipſum laudat, quia & ipſum pudor decebat cum ab alijs laudaretur, ſic conchæ rore deficiente, proprio aliquandiù victitant humore. Plut. in Moralib.

Lætitia loquax res eſt, atque oſtentatrix ſui; adeò magnæ parti hominum nulla ab hoc morbo cautio eſt. Symmachus. l. 1. Ep. 31. Auſonio.

Iudæi dicebant Chriſto, tu de te teſtimonium, dicis, teſtimonium tuum non eſt verum. Ioan. 8.

Diſperdat Dominus vniverſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Pſal. 11.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, nec eſt in ore ejus dolus. Pſalm. 32. id eſt qui non habet in ore ſuo oſtenſionem juſtitiæ, cum conſcientia ejus peccatis plena ſit. D. Auguſtin. in dict. Pſalm. Sic maledixit Chriſtus ficulneæ, folia non fructus habenti; talis Phariſæus ille, dicens non ſum ſicut cæteri hominum.

Vt homo ſe laudet arrogantia eſt, vt Deus ſe laudet miſericordia eſt. Prodeſt amare quem laudamus, bonum amando nos meliores efficimur; itaque quoniam novit nobis prodeſſe, vt amemus cum laudando ſe amabilem facit ſicque nobis conſulit, dùm exhortatur cor in laudem ſuam. D. Auguſt. in Pſal. 144.

Cave nè extollaris de meritis tuis nulla enim fuerunt cum ad te erigendum Dominus venit: nudum invenit non veſtitum, plagatum invenit non ſanum, jacentem invenit non ſtantem, errantem reperit non revertentem.

Cave jactantiam, quia qui te minimam à terrâ ſuſtulit, humilem portat, præcipitat extollentem. D. Aug. in comm. ſerm. 42.

Quanta de ſe fingunt & mentiuntur homines propter hominum laudes: Quid iſtâ cæcitate tenebroſius? ad obtinendam inaniſſimam gloriam errorem hominis aucupari, & Deum teſtem in corde contemnere; quaſi verò vllo modò comparandus ſit error illius, qui te bonum putat, errori tuo, qui homini de falſo bono placere ſtudes; de verò malo diſplices Deo. D. Aug. in Epiſt. ad Gal.

Credere ſe ſapientem primus ad ſtultitiam gradus

est proximus profiteri. Petrarcha.

De nimio vestium ornatu. *Vide infrà hoc tit. in Repug.* Vestis humilitas.

Plena minùs resonant.

Elephantus maximus & fortissimus omnium animantium, ità parvam habet linguam, vt vix videri possit. Arist. hist. anim. lib. 2. c. 6.

Princeps sit modestus, vt in cæteris, sic in sermone, qui non sit audax & multus: altissima quæque flumina minimo sono labuntur, vt moneta optima plurimùm habet prætij in parvâ male. Lipsius in politicis.

Illud te admoneo, nè eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo aut genere vitæ, notabiliora sint, asperum, inculcum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quidquid aliud perversâ viâ ambitum sequitur de vita, &c. Seneca ep. 5.

Magnorum montium proceritas, nonnisi è proximo apparet, & quàm in arduo summa sint: Talis est verus & rebus non verbis Philosophus, in edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis veræ, non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio staturam adjuvant contentus est magnitudine suâ: quid ni contentus sit eo vsque crevisse, quo manum fortuna non porrigit; ergo & suprà humana est, par sibi in omni statu rerum. Id. epist. 111. de hypocrisi. *Vide Verit. Virt. Rep.*

Ideò affectatio omnis est odiosa. *Vide eod. tit. Affectatio nimia.*

Quidam Rusticus Aristidi sibi incognito suadere conabatur vt suffragio suo Aristidem Ostracismo ejiciendum diceret; interrogatus quid illi ignotus Aristides mali intulisset; displicet, inquit, quod sibi justi nomen assumpserit Plutarchus in Aristide.

Flatulentus spiritus est ab infirmo calore, non satis concoctionem perficiente. Sic jactantia ab infirmâ virtute. *Vide Media Virtus.*

Idem potest dici de jactabundis, quod de tibicinibus refert Athenæus. lib. 8. c. 5. Non tibi cinibus tribuerunt numina mentem. Cùm flatu quorum mens quoque pulsa fugit.

Paulus Samosatenus Antioch. Episc. in locum Psalmorum & cantuum Ecclesiasticorum in mediâ Ecclesiâ, solemni Paschatis die, inanes cantilenas in laudem suam paratas à mulierculis cantari jussit. Baron. an. 272. *Vide Voluntas Gloriæ Mala.*

Glorioso fortitudinem suam sitam habent in spectantium oculis.

L. Actius Poëta in Camœnarum æde, maximâ formâ sibi staruam posuit, cùm brevis admodum esset. Plin. lib. 34. c. 5.

Idem lib. 35. c. 10. Recenset multa Zeuxis opera egregia, tùm addit, fœcundus artifex, sed quo nemo insolentius sit vsus gloriâ artis; nam & cognomina assumpsit, quibus ejus artis princeps dicebatur.

Inter Aquilas quæ dicitur Valeria, minima magnitudine, viribus præstantior, colore nigricans, sola sinè clangore conversatur in montibus. Plinius. l. 10. c. 3. Alia major dicta Apollinis filia, muta est, caretque linguâ. Ibid.

Psytaci in subsidium infirmitatis pedum, ore, rostroque se excipiunt. Ibid. cap. 42. Loquacitas, & jactantia loco virium; estque certum infirmitatis argumentum.

Muscæ quædam & Scarabæi volant cum magno murmure & mugitu. Plin. lib. 11. cap. 29.

Idem lib. 17. c. 25. Refert inter vitia & prodigia arborum, quasdam fructus tulisse sine foliis tegentibus.

A D. Paulus. 2. Cor. 12. post necessariam sui commendationem dicit, Factus sum insipiens, vos me coegistis, ego enim à vobis debui commendari.

Homines vani sunt sapientibus ludibrio, stultis admirationi; egentibus thesauri, & proprietorum defectuum servi.

Animalia quæ nocte lucent, se non alia manifestant.

De nimio cultu vestium, quo se profert pulchritudo. *Vide Major. Gloria.* De nimiâ affectatione. *Vide Veritas Virt. Rep.* Dicit Christus de semetipso vt privato homine. Si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Ioan. 4.

B

INDECORA ET NOCIVA

Virtutis propriæ jactantia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Supponitur vnusquisque nimio ergà se amore affectus, vndè in proprijs testis non auditur. *Vide Vol. Bonit.* de nimio sui amore: Impudens est ergò qui sciens se tali suspicione laborare, & exceptione repelli, sua tamen jactitat. Huic jactabundo C vix conferuntur beneficia, creditur enim ad ingratitudinem paratus, vt qui accepta suis meritis, non conferentis liberalitati adscribit: at proceres sua volunt agnosci, coli, & celebrari beneficia.

MAGNITVDO. Magno animo nihil magnum est, maximè in proprijs; tum quia in his quæ alij laudant plures internos notat defectus; tùm quia contingit illi quòd familiare est egregijs artificibus, qui sibi nunquàm sufficiunt, manu idæam non æquante. Hinc abjecti sensus habendus est is, qui sua vt magna celebrat.

DVRATIO. Intempestivè vt plurimùm, & alia quærentibus se protrudit propria laus, vndè duplici titulo displicet, & quia rei alterius avidæ mentis spes deludit, negarque quòd appetitur, & profert quòd lædit, id scilicet, quòd invidiæ morsus exasperat. D

POTESTAS. Impotentis senectutis proprium est solari præsentes defectus rerum olim benè gestarum memoriâ? ad quid verba? factis opus est, quibus licet vnicuique virtutem suam fortiter testari.

COGNITIO. Qui se jactat arguit adstantes stupiditatis, quasi non advertant quòd in se laude dignum est, itavt opus sit id illis indicare: hac opinione læsi judicium in insolentem asperiùs retorquent, & videant laudanda, curiosi censores observant contumelioſa.

VOLVNTAS. Oculatissimus amor indignatur sibi exprobrari cæcitatem, liberrimus, & pertinaciter hærens primò suo judicio, non patitur objecti à se contempti laudes, & tantò magis aversatur, quò plùs hæc insolens commendatio vim videtur facere. E

VIRTVS. Timidi canes plùs cæteris latrant, sic quidam in laudes suas sunt effusi, vt sui merum incutiant, & hâc suâ lauda avertant paratas in caput suum injurias, sed hoc apud sapientes certum est infirmitatis indicium: tunc maximè salit cervus ad occursum hominis, cùm illi vires deficiunt sub canum insequentium turbâ; abundantiam simulat fame pressa civitas, vt obsidentis hostis deterreatur patientia.

VERITAS. Tales dolos sapiens aut expertus facilè deprehendit, & deprehensis illudit; falsi suspicionem facit sollicita nimis, multaque in sui patrocinium quærens assertio, fœtorem nimij odores, turpitudinem

dinem pigmenta ſolent arguere; læſa manus eſt quàm faſcia licet aurata ſuſtinet, & quàm alia ſtudiosè nimis protegit.

GLORIA. Honor ex alieno pendet judicio, hunc tamen jactabundus vult à proprio ſibi accidere. Vſurpantur bona, cùm quæ aliena ſunt habentur vt propria: at à contrario vſurpatur laus, cùm quæ propriâ eſt, tanquàm aliena ventilatur; quæcumque tandem indè contingere poteſt gloria, laborat eſſentiali defectu, vt quæ initiatur falſo principio, ſcilicet ſui ipſius commendatione.

DIFFERENTIA. Quocumque ſe vertat, & exagitet corpus, non accelerabit ortum ſolis, ſuo regulari motu orbem luſtrantis: honor ſplendor eſt Majeſtatis divinæ, qui ab illa non à noſtro pendet arbitrio: Vis ab alijs diſtingui magnâ virtutis opinione, & diſtinctus eris inſania: te etenim vanitate, ſimilique morbo laborantem, vt hi qui ſe Reges putant, turba indigitabit, & ad riſum tacitè compoſita excipiet: conſulto ſermone in ea te deducent, in quibus prævisam effluties paſſim tui iactantiam, tædium iteratæ ſæpiùs laudis ſperatâ & aliquid ſemper novi proferente inſaniâ levaturi.

CONCORDANTIA. Vix ſtare poteſt amicitia cùm iactabundo, putat enim in excellentia poſitam, quæ eſt in æqualitate: ſibi abſcribit quod communi ſociorum labore partum eſt, neſcit in ſinu gaudere, & dùm præmaturâ gloriæ cupiditate ſecreta ſua profert, hoſtibus quâ conſilijs obſtent viam aperit: Vndè ſapientes talium amicitiam, vt inuſtam, contumelioſam, nocivam averſantur.

CONTRARIETAS. Plùs interdùm aulici ſibi invicem nocent nimiâ alterius laude, quæ invidiam Principis concitat, quàm contumelia, quæ famam lædat: ſic latens quiſque ſibi eſt hoſtis, qui ſuprà modum ſermone ſuo ſe extollit: eo enim ipſo provocat æmulorum, invidorum, hoſtium iras, doloſque quibus dejiciatur: vt enim naturale eſt miſeris iacentibus auxilium ferre, ſic de ſe præſumentes, aut ſuis periculis relinquere, aut novis ſuſcitatis implicare. Sæpè in minas prorumpit iactantia, ſicque pro falſis injurijs veras patitur, ab his qui conſultiùs ſibi putant hoſtis impetum prævenire, & feram ſtatim vt è ſuo cubili prodit confodere.

PRINCIPIVM. Qui ſe iactitant, excellentiam & independentiam affectant, videntur humanæ ſocietatis auxilijs renuntiare, & in ſe aliorum conatus, quaſi irritos provocare: hinc læſæ auditorum mentes hac vanitate inquirunt, & palàm proferunt alioquin tacendas natalium, familiæ vitæque prioris ſordes, &c. Fortunæ, aliàs ex ſe labantis, ſubſidia, &c. Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris? Agit nos, reſque noſtras occulta providentia; vt quid inſoleſcimus rerum ignari, in conſilijs cæci, ad actionem infirmi, & egentiſſimam vitam vndique mendicato trahentes auxilio.

MEDIVM. Iactabundi volunt videri cauſæ rerum, quarum fuerunt tantùm inſtrumenta, hinc acerbiſſimum incurrunt magnatorum odium: & ſi res ab ipſis initium ſumpſerit, quia tamen laudem miniſtris de profectu debitam negant, ab ipſis iratis deſeruntur & pereunt. Inter præcipitia, non audaci, ſed ſuſpenſo veſtigio incedendum eſt: Vix aliquid tuum dicas ex præteritis, præſentibus & futuris, quæ à tot mediorum pendent concurſu incerto, & vt ſors tulerit vario. O Inſana vanitas, quæ ſibi fidit, ſuumque reputat quod alienum eſt!

FINIS. Ideò ſapere dicuntur ſenes, quia timidi, vt multa experti, incertos rerum eventus cómputant: nunquàm ſecuri, ſibique fidentes, ne in ipſâ quidem

A fœlicitate, quàm ſciunt non à ſuo, ſed à cauſarum ſuperiorum pendere arbitrio: fœlix vides initium, ſed ignoras quali ſit fine concludendum; ſapientis & vtramque fortunam experti ſententia eſt, antè obitum nè laudaveris quemquam.

MAIORITAS. Altum tenes, ſed hic time vndè gravior imminet caſus. Hæc eminentia temperamento indiget, non irritamento invidiæ. Nam excellentiæ avidiſſimi homines, cùm vix ferant ſuprà ſe elatum, jus ſibi putant eſſe dejiciendi inſoleſcentem.

ÆQVALITAS. Solvit æqualitatem, ſicut pacem, concordiamque iactantia, vt alteratur temperamentum, vnius ex quatuor humoribus nimio exceſſu: Non patiuntur ſocij ſibi æqualem, aut fieri, aut dici ſuperiorem.

B MINORITAS. Cùm quiſque ſit conſcius propriæ ſuæ infirmitatis, humilis illum decet de ſe ſenſus & ſermo: famæ in futurum providet modeſtia, ſi res malè cedant: at tunc iactantia riſum potiùs contumeliamque quàm miſericordiam meretur.

REPVGNAT.

LATENS VIRTVS.

MISCELLANEA.

C FRuſtrà quæruntur externa virtutis teſtimonia, cùm vnuſquiſque bonus præſumatur. *Vide Magnitudo Virtutis.*

Virtus abſcondenda nè invidiam concitet. *Vide Bonitas Poteſtatis.* Nititur in vetitum. *Et Contrar. Gloriæ.*

Pulcher animus in deformi corpore. *Vide ſuprà. Durat. Virtut.* in conſolatione deformis corporis.

Si temperamentum in caliditate multùm excedat, color niger adeſt, igni lucenti contrarius.

Sol quò altior, eò minor apparet.

Manus clypeo tecta, quæ ictus repellit.

D Calamus odoratus qui juxtà lacus propè Libanum montem naſcitur, viridis nequaquàm eſſe videtur, ſed ſiccus, odore tamen percipitur. Dioſc.

Manna eſt ros in gummi modum coaleſcens, & arborum foliis è cœlo lapſum adhærens; ſolem non fert, ſed ſtatim diſſolvitur, niſi antè ſolis ortum colligatur. Idem.

Cedrus quæ eſt fructifera non floret; alia floret. Idem.

Tubera, *truffles*, ſunt rotundi bulbi, ſinè caule, ſinè foliis & radice vel capillamentis.

Qui ſani ſunt ſinè murmure reſpirant, ſecùs in apoplecticis, aut alio morbo laborantibus.

E Agnus caſtus mali odoris confert ad caſtitatem, vndè bonus famæ odor.

Plures herbæ præferunt figuram mali, quod ſanant, itavt hinc putari poſſent nocivæ. *Vide ſuprà hoc tit. in phyſionomia plantarum.*

Tuſſilago verè florem fert, ſed qui ſtatim decidit, nec poteſt videri, niſi ab his quos fortuna tulerit obviam. Mathiol.

Non perit ſol cùm occidit, nec virtus latens.

Arborum plurimarum fructus ſunt ſub aſpero, duro, amaro, vel inſipido tegumento.

Arteria quæ defert ſpiritus vitales, & dat motum, latet ſub venâ.

Apud Ægyptios in Heliopoli. Soli bovem maximum & nigerrimum conſecrant; nam & ſolis ardor

nigriora corpora reddit: Ille bos pilis erat in contrariam alijs partem verſis, quia ſol contrà totius orbis motum, movetur. Euſeb. præp. Evangelicæ. lib. 3. c. 3. Sancti non affectant proprias laudes vt alij.

Symphitum herba radices habet foris nigras, intùs candidas.

Deus cur celavit veritatem ſub perſona ſtultitiæ. Vide Lact. div. inſt. l. 5. c. 19.

Eſſentia quantitatis eſt in eo, quòd habeat partes extrà partes, in ordine ad ſe, non in ordine ad locum.

Piſces tantùm ſani poſſunt in fundo aquæ manere, infirmi, aut mortui ſupernatant.

Corallium in fundo maris naſcitur. Sic virtus in humilitate.

Albertus dixit formas latere in materia & à generante non produci ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm exiſtentiam.

Mella conficiunt apes ſub deformi tecto latentes.

Stellæ interdùm propter ſuppoſitam materiam exhalationis crinitæ apparent, vt cometæ.

Quidam ignes ſubterranei perpetuò terris operiuntur, vt ſunt illi vndè thermæ.

Fons Solis in Lydiâ interdiù frigidus, noctu calidus, qualis étiam in Garamantas.

In Dodone fons, qui meridie deficit.

Spiritualia omnia, Deus, Angelus, Anima non cadunt ſub oculos: Nobiliora non videntur vt cœlum empyreum, primùm mobile, partes vitales corporis, Religionis ſecreta myſteria. *Vide Minorit. Cognit.*

Omnia ligna innatant aquis, præterebenum & buxum, quia ſolidioris ſunt ſubſtantiæ, parùmque habent admixti aëris.

Luna in ſolis conjunctione habet plurimùm virtutis, & parùm luminis, vndè tunc maria intumeſcunt, ſicut in plenilunio.

Exploſa fuit Pythagoræ opinio aſſerentis cœlos motu, quo nobis proficiunt, etiam harmonicum ſonum edere, à paucis tamen perceptum.

Sanitas non eſt ipſa actio, ſed potentia; ſic dormiens ſanus eſt, licet non agat. De quiete ſapientis. *Vide Gloria Virtutis.* Latet virtus in ſemine plantæ.

Multa ſunt quæ poſita in tenebris videntur; luci verò expoſita diſparent, vel minùs lucent, vt ſquammæ piſcium & ignis mediocris, quia fortis impreſſio excludit debiliorem. Sic exiguæ virtuti non opus eſt magnâ luce.

Res exiſtens in centro ſpeculi concavi non videtur reflexione, quoniam radij ab ipsâ emiſſi in ipſam rédeunt perpendiculariter, & ità ad nullum punctum declinant extrà centrum: Cùm igitur oculus ſit extrà centrum non videbit id quòd eſt in centro.

Corallum lapideſcit cùm aëri exponitur.

In corpore gracili vix tactus percipitur, quia abdita eſt, & profundiùs recondita arteria.

Medicamenta ſæpè habent contrariam qualitatem illi, quæ primò ſenſibus apparet, ſic vinum frigidum ad tactum habet vim calefaciendi: Mel atque olea videntur eſſe humida, tamen vim habent ſiccandi. Sic Scaliger dicit, quòd ſumma dementia eſt, omnia ad primas qualitates reducere manifeſtas. Ex coloribus etiam nihil certi de medicamentorum temperie judicare licet: in quolibet enim colorum genere inveniuntur calida, frigida, humida.

Sæpè felicitas contingit, non à cæcâ vt dicitur fortuna, ſed ab occulta animi virtute, quæ ſe ad magna præter aliorum ſpem promovet.

Philippus Macedo ſomniavit ſe vtero matris ſuæ ſigillum apponere; cùm pro ſterilitatis ſigno hoc acciperet, Ariſtander fœcunditatem promiſit, quia non ſignantur res vacuæ.

A Plantæ quædam tantùm in fundo maris naſcuntur.

Sunt quædam Septentrionalia ſydera quæ nobis nunquàm occidunt; alia Auſtralia, quæ nobis nunquàm oriuntur, nec influunt niſi per reflexionem & aſpectus.

Conchæ aſpero in rupis modum tecto, interiora habent ex vnionis materia fulgentia. Quædam aves nocturnæ, & quidam nocturni papilliones multùm habent pulchritudinis.

Achatæ, *Gallice Agathes*, ſoli expoſitæ ſplendorem & pulchritudinem ſuam amittunt.

Cœleſtia quædam, etiam ſub terra generantur, ſpiritu ab anima mundi efflato, & omnia pervadente.

Quia in omnibus animantibus ſemen ad generationem multò indiget calore, matrix illud recipiens B eſt interna, lateque; ſic etiam meliùs extrà periculum poſita. Vt digeſtio cibi fit in fundo ventriculi, ſic conceptio in fundo matricis. Latet virtus ſub tyrannis, ne opprimatur.

In rubro mari oleæ & virentes frutices enaſcuntur. Plin. lib. 2. c. 103.

Flamma eſt fumo circumdata, quia in eâ eſt de igne & de terrâ: quòd eſt de ſiccitate terræ, ſcilicet nigrum, apparet exteriùs, vt in carbone, pipere, &c. Lullius.

Metalla, in quibus eſt præcipua vis naturæ, latent, & vis eorum eſt in centro.

C Montes Alpium & Apennini oſtendunt aſperam incultam, ſcopuliſque horrendam faciem, intùs autem ſunt valles amœniſſimæ, & fœcundiſſimæ.

In bello dux non ſit notus hoſtibus, nè in eum facto impetu irruant: Non ſunt in bello proferendæ omnes vires, vt hoſtis minùs paratus & debilior congrediatur.

Ficus producit folia quæ obumbrant totum fructum: Non floret, non emittit odorem, quia humidum prævalet ſicco, cortex amariſſimus, fructus dulciſſimus.

Authorum nomina ſupprimebantur apud Ægyptios. Galenus contrà Iulian.

Auſtro ſpirante mare cæruleum fit; Aquilone verò D obſcurius ac atrius, quia Aquilo minùs mare turbat; omne autem quòd tranquillius eſt, atrum eſſe videtur. Ariſt. in Problemat.

Calor in humido licet amittat acumen, non amittit tamen qualitatem.

Calor qui fit à corporibus cœleſtibus eſt quaſi inſenſibilis ad rationem caloris, qui fit à ſole.

In carbonibus terra extinctis clauſis ignis conſumit totum humidum, ideò ſunt ardentiores extinctis aquâ.

Coëunt celeriùs quæ teſtes intrà habent, quæ enim extrà habent, non priùs ſemen emittunt quàm retrahant teſtes. Ariſt.

Saturnus altiſſimus Planetarum apparet omnium E minor.

Ignis ſervari poteſt ſub cineribus, ex quibus detur aliqua tranſpiratio, non penitùs terrâ oppreſſus.

Ignis in ſphærâ, vbi habet maximam ſuam perfectionem, non lucet.

Ficus ſi in vmbrâ plantatur citiùs exurgit, neque vermibus infeſtatur, omnes denique plantæ, quæ in vmbrâ plantantur, citiùs creſcunt, meliùs pullulant. Athenæ. lib. 3. cap. 3.

Conchæ, quæ in profundo verſantur, puriores, ſplendidiſſimas & majores producunt Margaritas, at quæ delectantur ſuperficie, & ſurſum feruntur, minores & obſcuriores habent, lædunturque enim à radijs ſolaribus. Ibidem cap. 8.

Medicamenta etiam calidiſſima non apparent talia

tangenti. Galen. 16. l. 3. de temp. vndè dicuntur poteſtate calida. Statuaria foris quidem materiam adornat, intùs autem illaboratam atque neglectam relinquit: & natura interiora maximè perficit. Idem lib. 2. de naturalib. facultatib.

Natura ſemper quod eſt præcipium in profundo conſtituit; quod non eſt præcipuum in ſuperficie, Idem lib. 1. de vſu partium.

Boni latentes, & ſub oculis hominum non degentes, ſimiles ſunt imaginibus Caſſij & Bruti, de quibus in elatione Iuniæ non geſtatis, cum aliæ plurimæ ducerentur, dicit Tacitus, Eo ipſo præfulgebant, quod non viſebantur.

Plato dicebat vitam & ſermones præceptoris ſui Socratis, ſimiles eſſe pixidibus pharmacopolarum; quæ exterius Satyri, ſimiæ aut rei ridiculæ figuram præferunt, intùs autem continent nobilia medicamenta: ſic refert olim ſtatuas Deorum includi ſolere ſub figuris Satyrorum.

Appollonius dicebat, vt refert Philoſtratus in ejus vitâ, Sapiens debet omnes fallere, & latere in vitâ; id ſi nequeat ſaltem latens moriatur. Photius in Bibliotheca. c. 44.

Regnum Dei non venit cum obſervatione. Opera divinæ providentiæ, ſinè ſtrepitu & ſonitu placidè labuntur, reſque agitur priuſquàm illam homines agi putent & advertant. Bacon.

Margaritacum ſani partus multiplici gaudent cute, quæ nõ impropriè callum corporis exiſtimari poteſt, itaquè & purgantur à peritis. Sole rubeſcunt, candoremque amittunt, vti corpus humanum. Plin. lib. 9. cap. 35. præcipuæ cuſtodiuntur altiori pelago, quàm vt penetrent ſolis radij. Ibidem.

In apum alveario primæ partes ceræ, ejuſque cellulæ vacuæ ſunt, ne promptum ſit quod invitet furantem: noviſſimæ implentur melle. 2. Plin. l. 11. c. 10.

Ova parientium lumbis intùs adherent teſtes, qualia ocyſſima in venere. Ibidem cap. 49.

Produnt Alpibus coërcitas, & tàm inexuperabili munimento Gallias, hanc primùm habuiſſe cauſam, ſuperfundandi ſe Italiæ, quod quidam Elico artifex Romæ commoratus, ficum ſiccam, & vuam: oleique ac vini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet. Idem lib. 12. cap. 1.

Cedrus quæ floret fructum non fert, frugifera non floret. Idem lib. 13. c. 5.

Minùs durant, quæ nimis ſe proferunt. *Vide Minoritas Duratienis.*

Nucibus & caſtaneis, proxima corpori membrana ſaporem ni detrahatur infeſtat. Plin. lib. 15. cap. 23.

Mirum tria naturæ præcipua elementa ſinè ſapore eſſe, ſinè odore, ſinè ſucco: aqua, aër, ignis. Ibid. cap. 27.

Ilex, picea, larix, pinus, ficus, juniperus, nullo flore exhilarantur: nec natales pomorum verſicolori nuntio promittunt; Sic & hominum multis fortuna ſinè flore eſt. Idem l. 16. c. 25.

Ligna Ebeni & Buxi ſunt denſiſſima & graviſſima, ideò non fluitant in aquis. Ibidem cap. 40.

Pinus, piceæ, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur: obrutæ terrâ pluribus durant annis: eadem ſi non irrigantur citò ſeneſcunt. Ibidem cap. 42. Sic qui latentes in ſolitudine, exiſtunt tamen doctrinæ & gratiæ canales.

Homerus loquens de optimâ terrâ ad culturam, miratur quod nigreſcat, licet in auro & auri ferax. Idem lib. 17. cap. 5.

Plin. lib. 31. cap. Refert quoſdam eſſe fontes, in quibus omnia merguntur, alios in quibus omnia fluitant.

A Imus in terræ viſcera, & in ſede Manium quæſimus opes, tanquàm parùm benignâ, fertilique quàquà calcatur. Id. l. 32. in Proœmio.

Diſcipuli Epicuri natalem ejus qualibet vigeſimâ Lunâ ſacrificio celebrabant, feriaſque agebant, qui nè viventes quidem noſci vellent. Id. lib. 35. c. 2. Tunc Luna deſcreſcens parùm habet luminis.

Iupiter Planeta eſt Dominus trigoni ignei, de nocte, ſignificat ardorem pium & Religioſum, ſed latentem.

Photius Biblioth. c. 244. refert ex Diodoro Siculo duas hiſtorias mulierum, quibus poſt nuptias viriles partes exteverint; priùs erant viri, ſed latenter, id in fraudem & ſtuporem naturâ diſſimulante.

B Conchylia multa ſunt diverſæ ſpeciei, exteriùs aſpera, obſcura, deformia; intùs ad vnionum candorem, & ſplendorem gemmarum nitentia.

Iò à zelotypâ Iunone in vaccam eſt converſa, ſic tranſijt mare, tunc ſecurior priſtinam pulchritudinis formam reaſſumit. Luc. Dialogo Noti & Zephy. Abſcondendæ ſunt animi & corporis dotes, vt vitetur potentium invidia.

Sapiens non patitur ſibi nimiùm blandientes. *Vide Concordantia Poteſtatis Mala.* Adulatio. *& Verit. Virt. Rep.* Affectatio nimia.

Iudæis in feſto Paſchatis prohibitus panis fermentatus, quia fermentum panem inflat. Philo Iudæ.

C Sanctitas ſit ſinè tumore, ſed in ſe collecta.

Se vanitatis, alios invidiæ exponit periculo, qui humanas non fugit laudes. *Vide Voluntas Gloria Repug.* Gloriæ Contemptus.

Laus vt vmbra fugientem ſequitur. Chriſtus nocte naſcitur, ſilet, & enuntiant eum Stella, Magi, Angeli, Paſtores.

Primus Adam honorem inſequendo amiſit, ſecundus fugiendo conſecutus eſt, ſic Moyſes, dùm ſpernit haberi filius Pharaonis, conſtituitur à Deo Deus Pharaonis.

Ferrum metalla, lapides, vitrum, ligna, oleum, fenum, ab igne vel flammam vibrant, vel ſaltem rubeſcunt: At aqua, aër, acerrimo & tanquàm furenti calore ferveſacta, nihil tamen lucis adipiſcuntur. Vide Baconium de augmentis ſcientiarum. lib. 4. in fine.

D Indorum domus, ſi quis extrinſecùs aſpiciat, vno tantùm tabulato habitari cenſebit, intrantibus autem diverſa ſub terram habitacula, varijs profunditatis gradibus diſtincta ſeſe offerunt. Philoſt. in vitâ Apoll. l. 2. c. 11.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Mat. 10. Serpens in periculis caput abſcondit.

Si non vultis falli, & vultis amare fratres, ſcitote omnem profeſſionem in Eccleſiâ habere fictos: Non dixi omnem hominem eſſe fictum; ſunt enim Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni. Quaſi plures malos vides quia palea ſunt, & te ad grana pervenire non permittunt: ſunt & ibi grana, accede, tenta; excute, adhibe oris judicium. D. Aug. in Pſal. 99.

E Palladium Romæ inter alia illi penitùs ſimilia ſcuta poſitum, itavt non poſſet diſcerni; ſicque ſecuriùs aſſervaretur.

Semina flammæ abſtruſa in venis ſilicis: Rerum Ideæ membris impreſſæ quæ exſuſcitantur in maniacis ignotâ linguâ loquentibus.

Principium motus animalis eſt in poſteriori parte capitis, hinc enim nervi.

Pueri abundant calore humido, blando, halituoſo, minùs apparenti; viri autem ſicco, acri, & contactu ipſo mordaci.

Spongiæ, quibus dicitur ineſſe tactus, in aquis turbidis meliùs vivunt.

Subſtantia ſub nullum ſenſum cadit, ſed cognoſcitur ex ijs quæ illi accidunt.

Terrenum omne cum vritur fit nigrum & obſcurum.

Bonum ipſum non indiget pulchro, ſed pulchrum indiget bono. Plotin.

Cœleſtes orbes ſinè ſtrepitu volvuntur.

Complexio non à cutis colore judicanda, nam quandoque humor externa petit, quãdoque ſubſidet.

Capite operto & velato ſacra facere & numina adire mos erat.

Non nominabatur Deus tutelaris vrbis Romæ, nè poſſet ab hoſtibus evocari.

Mare eſt magis ſalſum in ſuperficie, propter ardorem Solis; lapides prætioſi naſcuntur in alijs non fulgentibus; Vniones in conchis aſperis, ſub ſordido pallio latet ſapientia.

Ignis diutiùs in vmbrâ quàm ad ſolem conſervatur. Stellæ perpetuæ ſunt & tamen interdiù latent.

Partes corporis in quibus reſident ſpiritus activi videntur cavæ & vacuæ, vt nervi.

Candidum diſgregat viſum: nimia oſtenſio parit contemptum.

Nobis quæ intùs agimus, juxtà diebus noctibuſque tacitus labitur mundus. Plin.

In metallis & lapidibus interior pars eſt perfectior, quia externam accipiunt per juxtà poſitionem, quàm nondum in ſe benè digeſſerunt: Magnes, qui laſſa virtute ferrum non trahit, ſi frangatur, trahet eà parte quâ fractus eſt.

Tota Æthyopia, quæ Nilum inter & rubrum mare jacet, nemoroſiſſima eſt, etſi nulli ſint fluvij, ſed ſolum ſubeſt vliginoſum, materiam maximis ſuppeditans caloribus.

Metalla prætioſa ſunt in interiori naturæ officinâ, procul ab elementorum commercio; apparent autem lapides, qui ſunt vilis materiæ concreta.

Sunt herbæ quæ in humidis cavernoſis creſcunt, vt ſpecies omnes capilli Veneris, Scolopandra, &c.

Plantæ quædam vtiles admodùm in Medicinâ offendunt & guſtum & odoratum, vt Gentiana, Ariſtolochia, Aloës; at contrà Boletum, quod eſt venenum, optimè olet.

Littora piſcibus abundant ab pabulum, gurgites ob ſecuritatem.

Magna quæque placidè labuntur ſinè ſtrepitu, priuſque fiunt quàm homines illa fieri arbitrentur. Regnum Dei non venit cum obſervatione. Motus cœli, quieti ſimilis.

Lunæ, Stellarum, Cometarum radij non inveniuntur calidi ad tactum, quin etiam obſervari ſolent acerrima frigora in plenilunijs. Ignitum ſinè flammâ calidum eſt, quæ poteſtate & operatione ſunt maximè calida, vt ſpiritus vini, olea chymica aromarum, vitrioli, ſulphuris & ſimilia, quæ paulò poſt adurunt, ad primùm tactum ſunt frigida.

Omnis fimus habet calorem potentialem, ſed non reducitur in actum, niſi fuerit concluſus & ſepultus.

Calor Planetarum augetur, cùm ſunt ad ſuum Zenith, & cum ſunt in ſignis igneis, tamen non ſentitur.

Aqua fervens calida abſque lumine.

Fons nullus ibi fit, vndè erumpit: ignis rarefactus neque lucet, neque vrit.

Plùs eſt virtutis in ijs quæ natura & terra occultat, quàm in his quæ manifeſtat, ità plùs eſt virtutis in ſulphure quàm in alijs reſinis. Paracelſ.

Ars humana eſt natura quædam materiam tractans extrinſecùs materiam temperans, ac ſi faber lignarius eſſet in ligno.

Animalcula quædam alas ſuas abſcondunt, vt cati, leones, pantheræ vngues ſuos.

Plato dicit optimas eſſe mulieres, quarum nulla nec in bonum, nec in malum eſt fama.

Naturalis calor eo minor evadit, quo plùs ad externa diffunditur. Stirpes quamvis calore vivant, ad tactum tamen frigidæ apparent.

Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat ſed gloriæ: Non vis eſſe juſtus ſinè gloriâ; at mehercule ſæpè juſtus eſſe debebis cum ignominiâ, & tunc ſi ſapis mala opinio benè parta delectat. Seneca. ep. 113.

Latet radix, ex quâ toti arbori virtus; folia ideò ſunt, vt contegant fructus; ſemen non germinat, niſi terrâ operiatur.

Mulieri partum gerenti ſic lac è mammis copioſè fluat, fœtum imbecillum ſignificat; ſi verò firmæ ſolidæque mammæ fuerint, valentiorem conceptum indicant. Hipoc. l. 3. Aph. 52.

Pompa Matrimonij non facit ad eſſe Matrimonij. l. 22. C. de nuptijs.

Mortui in torneamentis & certaminibus condictis ad oſtenſionem virtutis ſuæ privantur Eccleſiaſtica ſepultura, & talia torneamenta prohibentur. Conc. Lateran. cap. fœlicis & ſeq. de torneamentis.

Infamis eſt, nec poſtulare poteſt, qui in arenam deſcendit: vt cùm beſtijs pugnaret, aut mercede, aut virtutis causâ. l. 1. ff. de poſtul.

Oceanus fluit & refluit, Lunâ non apparente. Acus magnete illitus, vel in densâ caligine trahitur à polo Septentrionali, nihilque apparet acceptæ ſic virtutis. Heliotropium Solem etiam nebulâ tectum ſequitur. Denique vltra lumen & motum latentes & potentiores ſunt ſyderum influxus.

Plato in Phædone, & Senec. natur. q. l. 3. c. 8. 19. & l. 4. cap. 30. aſſerunt ſub terrâ longè majora his quæ videntur eſſe flumina, quæ nunquam deficiunt, neque enim illis evaporatio accidit, cùm humor longè ſit à calore, & augeatur ob aquarum illuc confluentium copiam: flumina autem in ſuperficie terræ fluentia & calore cœli & ſiccitate terræ minuuntur.

Miles Lacon, cum à quibuſdam irrideretur, quod clypeo ſuo pro inſigni muſcam naturalis magnitudinis appoſuiſſet, quaſi ſic vellet non videri, & latere: Imò, inquit, ſufficit hoc parvum inſigne hoſtem proximè aggreſſuris. Plutarch.

Sub puſillâ corporis ſtaturâ ingentes latent animi, parùm habentes materiæ, ſic proximiores intelligentijs, qui nullatenùs illi permiſcentur. *Vide Minor. Magn.*

Miles ornatus duplici terretur periculo, vitæ & bonorum; accendit hoſtium animos ſpe prædæ; debet eſſe vt leo, pulcher ex horrido.

Sydera tacito ſupernè labentia cœlo, velocitatem ſuam ſub ſpecie ſtantis atque immotis operis abſcondunt; quanta rerum turba ſub hoc ſilentio evolvitur? quantam fatorum ſeriem certus limes adducit? Illa quæ tu non aliter quàm in decorem ſparſa conſideras, ſingula in opere ſunt: obſcuro tamen gradu pergunt, & per occultum aguntur. Senec. 4. de ben. c. 23.

Aulici quiete agant, & actu ſint otioſis ſimillimi, vt invidiam vitent. Inter luxum ſervent vigorem animi, qui eò ſit acriòr, quò inertiam oſtentent. Lipſius in politicis.

Etiam in otio vitæ contemplativæ deliteſcentes, agunt in causâ Dei & charitatis. *Vide Virtus Bonitatis.*

Virtus vera eſt, etiam dùm latet, nec operatur. *Vide Poteſtas. Virt. & Veritas Virtutis.*

D. Bernard. Serm. in natali Ioan. Bapt. in fine. Illum inquiebat oportet creſcere, me autem minui: ſplendore vtique, non fervore; Retraxit radios; re-

collegit ſe, vt fieret ſicut is qui totum profert ſpiritum ſuum : quia danda magis opera, vt ardere ſemper valeam, quàm lucere; præceſſi Solem tanquàm ſydus matutinum, abſcondi neceſſe eſt orto jam ſole; non eſt mihi niſi modicum olei quo vngar, volo illud in vaſe totiùs quàm in lampade poſſidere.

Sunt quidam piſces, qui in imò tantum mari degunt, nec vnquam apparent. *Vide Gloria Virtutis*, quieta & ſolitaria virtus.

Calor qui fit à corporibus cœleſtibus eſt quaſi inſenſibilis, ad rationem caloris qui fit à ſole. Aulici benè geſtorum ſuorum gloriam abſcondunt, & ſuis deferunt principibus.

Mons Athlas, ſilet per diem vniverſus, nec ſinè horrore ſecretus eſt, licet nocturnis ignibus choris ægipanum vndique perſonatur. Solinus, cap. 27.

Naturalia internam virtutem præferunt externis ſignis, vt cognoſcantur ab homine propter quem ſunt: at cum homo ſit, & agere debeat propter Deum, qui ſcrutatur interiora, ideò non debet virtus ſua externis indicijs ſe manifeſtare.

Vide Cognitio Majoritatis. Repugn.

DEI DONA NON vulganda.

Vide infrà ex Bibliis.

Piſces non ſquammati immundi erant lege Moyſis. Intelligendum de his qui omnia nudè agunt & ſinè veſtitu. Cyrill. lib. 9. contrà Iulianum.

Væ nobis qui pleni rimarum effluimus vndique. Anima ſit inviſibilis in operari ſicut in ſuo eſſe.

Sancti amoris gratiam & Epithalamium carmen exprimens, dicitur Cantica Canticorum, quia cæterorum omnium eſt fructus. Illud ſola vnctio docet, ſola addiſcit experientia, non eſt enim ſtrepitus oris, ſed jubilus cordis; non ſonus labiorum, ſed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum conſonantia: non auditur foris, nec enim in publico perſonat; ſola quæ cantat, audit, & cui cantatur, ideſt ſponſus & ſponſa quæ ad annos nubiles meritorum pervenit. D. Bern. ſerm. 1. ſuper Cantica. Fons ſignatus, cui non communicat alienus. Ibidem.

Chriſtus tres ſecum intimos adduxerat cum properaret ad montem; ſed & ab ipſis avulſus eſt orare volens. Ibidem.

Conſcientia bona liber ſignatus & clauſis, in die judicij aperiendus. Idem. lib. de interiori domo. cap. 21.

Peccatum manifeſtando decreſcit, tacendo creſcit; at virtutes in occulto creſcunt, in publico decreſcunt: manifeſtando annihilantur; occultando multiplicantur. Idem lib. de modo benè vivendi. cap. 38.

Ad barbaricum ſolum nulli datur facultas transferendi vini, olei, aut alterius liquoris etiam deguſtandi causâ. l. 1. Cod. quæ res exportari non poſſunt. Sic nec arma & cætera, vndè hoſtes fiant fortiores.

Angeli ſe viſibiles non exhibent, niſi gravi aliquâ de causâ.

Acceſſit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: Scilicet cor ſecretum, cor abditum. Ac Chriſtus divinitatem ſuam abſcondit; occiditur homo, & exaltatur Deus. D. Auguſt. in Pſal. 63.

Deum exquiſivi manibus meis nocte contrà eum. Pſal. 66. nocte, ideſt in occulto. D. Aug. Religionis ſecreta myſteria. *Vide Min. Cogn.*

Pennæ columbæ deargentatæ. Quod apparet ſimplex & candidum: Sed poſteriora in pallore auri; ſcilicet pretioſius quod latet.

Omnis gloriâ filiæ Regis; ab intùs. Pſal. 44.

D. Auguſt. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli dicit de Mariâ, quod illi vita erat de verbo ſinè verbo; ipſum enim verbum divinum vita erat: conſervabat omnia verba, conferens in corde ſuo.

Nondùm ſumus in domo, in quâ ſinè timore ventorum accenſum lumen deportatur, ſed quiſque meminerit ſe eſſe ſub dio, & vtraque manu ſtudeat operire quod portat, nec redat aëri, etiam ſi videat eſſe tranquillum; momentò enim, ſi vel manus remiſerit, lumen extinguitur, inſufflant in nos deſideria mala diaboli: Ita vtrâque manu cordis & corporis lumen tegendum. Anima mea in manibus meis ſemper, Eligamus potius vri quàm cedere, &c. D. Bernard. ſerm. 3. in vigiliâ nativitatis.

Verbum caro factum eſt, vt habitaret in nobis; latens Majeſtas, apparens infirmitas, vt moriatur infirmitas, & teneatur Majeſtas; venit in ſimilitudinem carnis peccati, vera caro, ſed non peccati caro. Idem ſerm. 10. de verbis Apoſtoli.

Non lucidum corpus aſſumpſit, numquid enim lux iſta peccaverat, vt materiam lucis expiaturus indueret: in hac materiâ nec mori potuiſſet, nec reſurgere: nihil mihi contrà hoſtem meum fiduciæ contuliſſet ſi non in meo corpore triumphaſſet; lucidum corpus non erat conveniens homini ægro & reo, cujus partes agebat, &c. ex Euſebio Emiſſeno Homil. 11. & vlt. de Paſcha.

In divinis Pythagoricum obſervandum ſilentium: in ſilentio excipienda divina locutio, quæ ſilentium eſt. Tibi ſilentium Deus in Sion, vbi legimus Hymnus: ſit vt Iacob in ſilentio divina prædicemus myſteria: nam ſilentium, vt ajunt, divina loquitur; voces verò tacent. Alanus Varenius lib. de rerum Trinitate.

Dominus paſcit turbas matis paſcibus. Tacet Zacharias generaturus vocem. D. Aug. Homil. 44.

Valentinianus multa de rerum naturâ fabuloſa confinxit, triginta æonas, id eſt ſæcula, aſſerens extitiſſe, quorum principium eſſe profundum & ſilentium, quod profundum etiam Patrem appellat, ex quibus duobus velut è conjugio proceſſiſſe perhibet intellectum & veritatem. Div. Aug. Epiſt. ad quod vult Deum de hæreſib. hæreſi. 11.

Vide Cogn. Princip. Rep. Deus eſt ineffabilis.

EX THEOLOGIÂ.

Deus inſtituit quod accidentia panis & vini ſint in Sacramento altaris, & ibi remaneant ſinè ſubjecto, quadruplici ratione ſcilicet quantùm ad vſum; quantùm ad manducationem ſpiritualem, quæ eſt per fidem: quantùm ad vitationem horroris & irriſionis; & quantùm ad ſpiritualia quæ per corporalia conſueverunt oſtendi. 3. q. 75. a. 2. ad 3.

Omnis actus moralis eſt immanens, & in voluntate ſubjectivè & effectivè. 1. 2. q. 74. a. 1.

In poteſtate beatorum erit oſtendere & occultare ſe, & claritatem ſui corporis. 3. q. 54. a. 1. ad 2.

Tota quantitas Chriſti eſt indifferenter ſub parvâ & magnâ quantitate ſpecierum. 3. q. 76. a. 1. ad 3.

Corpus Chriſti in Euchariſtiâ non poteſt videri oculo corporeo. 3. q. 76. a. 7.

Figurâ nullius actionis, vel paſſionis eſt principium. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

Ignis non lucet in propria materia, id eſt in ſuâ Sphærâ, nec in materia opaca terreſtri, nec in ſulphure, nec in fumo ſpiſſo, nec in inferno. 1. q. 66. a. 1. ad 3.

Aliorum defectibus condescendere. *Vide Concord. Minorit.* A

Christus habuit donum linguarum, sed eo non est vsus; prædicavit enim tantùm in vna gente. 2. 2. q. 176. a. 1. ad 5.

Magnanimus vtitur ironiâ, non quæ opponitur veritati, sed quæ non omnibus animi magnitudinem ostendit. 2. 2. q. 47. 9.

Missio invisibilis facta est ad Patres veteris testamenti, & fit ad omnes existentes in gratiâ. 1. q. 43. a. 6.

B. Nicolaus aurum furtim in domum pauperis projiciens, vitare voluit humanum favorem, & verecundiam illius qui accepit, sic factum est majus beneficium. 2. 2. q. 107. a. 3. ad 4.

De latente beneficio. *Vide Cognit. Bonit. Rep.* B

Omne palpabile est corruptibile per naturam, licet sit incorruptibile per gloriam. 3. q. 54. a. 2. ad 2.

Pythagoras & Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil scripserunt. 3. q. 42.

S. Sebastianus vtiliter latitabat sub veste militari in domo Diocletiani, vt deficientes in tormentis confortaret. 2. 2. q. 110. a. 10. ad 2.

In statu gloriæ nihil erit figurale ad cultum Dei pertinens, sed solum gratiarum actio, & vox laudis, 1. 2. q. 101. a. 1. ad 2.

Verus Ecclesiæ decor est in interiori. *Vide Veritas Virtutis.* in Theologia.

Christus in sua infantia & pueritia in nullo differebat ab alijs pueris, quoad exteriorem conversationem. 3. q. 29. a. 1. ad 3. C

Noli in eo contemnere nubem carnis: nube sol hic tegitur, non vt obscuretur, sed vt temperetur. D. August. Serm. 34. in Ioan. Qui sequitur me non ambulat in tenebris.

EX IVRE CANONICO, & Civili.

NVptiæ dicuntur ab obnubendo, quia sponsæ se obnubunt, in humilitatis, continentiæ, verecundiæ signum. 20. q. 5. can. fœminæ. D

Episcopus potest celebrare sinè pallio, quod indicat plenitudinem pastoralis potestatis. cap. quia nos de authorit. & vsu pallij.

Valet professio facta sinè susceptione habitus Religionis. cap. porrectum. de regularibus & transeunt. ad Religionem.

Tempore Interdicti, tàm Monachi quàm clerici possunt divina celebrare januis clausis, & non pulsata campana, exclusis excommunicatis. Concil. Lateran. 1. can. 58.

Vidua non servans habitum luctus non fit infamis, sed quæ antè annum nubit. l. 15. C. ex quibus caus. infamia irrogetur. E

Reliquiæ sanctorum non debent passim ostendi, nè circà illas populus decipi possit. cap. cum eo & seqq. de reliquijs & ven. sanct.

Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus; episcopatu autem dignus sit, fiat: non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio, in canonib. Apost. c. 77.

Concilio Elibertino. can. 36. statutum ne quod colitur in parietibus Ecclesiarum depingeretur; sic enim poterat esse ludibrio infidelibus Iconoclastis: at poterant imagines istæ depingi in tabulis, quas fideles secùm asportabant. Vide Baron. an. 57. num. 119. & 120.

De fugâ in persecutione. *Vide Duratio Virtutis, & Differentia Contrarietatis.*

VELATA PVLCHRITVDO.

LIcet Paulus. 1. Cor. 11. statuerit vt mulieres in Ecclesia velato sint capite; ejus rei non fuit author, cum id observatum sit à fœminis, etiam antè Christum, vt velato incederent capite. De Iudæis fidem facit Tertulian. De Coronâ mil. c. 4. De Gentilibus Trojanis ex Homero, Clemens Alexandr. pedag. lib. 3. de Romanis Valerius. lib. 6. c. 3. Tacitus lib. 14. de Poppæâ. Plutarch. qq. Roman. 14. De Græcis Apulejus de asin. lib. 11. De Arabibus Tertulian. de veland. virg. cap. 17. De Lacænis Plutarch. in apoph. Lacon. Vide Baron. an. 57. num. 84.

Erat & aliud sacrum velamen, quo Deo dicatæ virgines vti solebant, quippè quod densiori tela contextum, nulla erat ex parte perspicuum, & à sacerdote solemnibus verbis ac ritibus, nec nisi certis diebus benedici consueverat, quippè ad instar fœcularum nuptiarum magna erat sacræ hujusmodi velationis celebritas. Baron. Ibidem.

Omnis mulier orans aut Prophetans non velatâ capite, deturpat caput suum; vnum enim est, ac si decalvetur: nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 1. Corinth. 11.

Ipsa natura docet vos quod vir si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Ibidem.

Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem quem naturaliter inviatorem libidinis scimus. Tertul. *Vide Maioritas Gloriæ.* de nimio cultu in vestibus.

Rebecca videns Isaac deambulantem, & cum interrogasset quis esset, cognito quod ipse esset, cui duceretur vxor, descendit, & caput obnubere suum cœpit, docens verecundiam in nuptijs præire debere; Indè enim & nuptæ dictæ, quod pudoris gratia se puellæ obnuberent. D. Ambros. lib. de virginibus. habetur 30. q. 5. can. nec illud.

Domus illis provelo est, vndè vix debent egredi. Ideò apud Ægyptios mulieres erant sinè calceis, vt assuescerent foras non prodire. Plutarch. in præceptis connubialibus.

Phidias Veneris imaginem expressit pede calcantem testudinem, quæ nunquàm testam egreditur, & lingua caret. Idem Ibidem; de quâ effigie sic Alciat. emb. 195.

Quod manere domi, & tacitas decet esse puellas.

Inter maximos reos habetur, & capite plectitur, qui matrem familias è domo, ideſt in publicum traxerit. l. 1. Cod. de offic. divers. judic. *Vide Minoritas Differentia.*

Etsi accusandus decor non est, vt fœlicitas corporis, vt divinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana; timendum tamen est, vel propter injuriam & violentiam spectatorum, quæ etiam. Pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit. Timenda ergo dignitas formæ, vt possidentibus exitiosa, conjunctis periculosa, exposita tentationibus, circumdata scandalis: sufficit quod Angelis Dei non est necessaria; nam vbi pudicitia, ibi vana pulchritudo, quia propriè vsus & fructus pulchritudinis corporis luxuria. Cum igitur & nostra & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris; non jam tantum confictæ & elaboratæ libidinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis oblite-

Digitized by Google

randum diſſimulatione & incuria, vt proindè oculo- A rum incurſibus moleſtum, &c. Tertulian. lib. de cultu fœmin.

Deligenda conſuetudo, quæ virgines includit ſoli Deo notas, quibus præterea a Deo non ab hominibus captanda gloria eſt. Etiam ipſum ſuum bonum erubeſcendum eſt, virginem magis laudando quàm vituperando confundas; virginem dùm oſtendis negas, & tales oculi volent virginem viſam, quales habet virgo quæ videri volet: invicem ſe ejuſdem oculorum genera deſiderant; ejuſdem libidinis eſt videre & videri: tàm ſancti viri eſt ſuffundi ſi virginem viderit, quàm ſanctæ virginis ſi à viro viſa ſit. Ambiunt virgines hominum velatæ adversùs virgines Dei, &c. B Sublato velamine didicit amittere quod tuebatur: denudaſti virginem à capite, jam tota virgo ſibi non eſt, alia eſt facta. Tertul. lib. de virginib. veland.

Adumbrari debet facies tàm periculoſa, quæ vſque ad cœlum ſcandala jaculata eſt, & cum Deo aſſiſtens cui rea eſt Angelorum exterminatorum, cæteris quoque Angelis erubeſcat, & malam capitis libertatem nè hominibus quidem oſtendat. Ibidem.

Capilli, quos mulieri radere ex Apoſtolo ignominia eſt, naturale velamen ſunt. Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica; patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi, vtique & viris; neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dùm digitis demonſtrantium titillatur, &c. C

Induc armaturam pudoris; circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos nec admittat alienos; velamen jugum illarum eſt. Iudicabunt nos arabicæ mulieres Ethnicæ, quæ ità totam faciem tegunt, vt vno oculo liberato dimidiata tantùm luce fruantur. Ibidem.

D. Bernard. tract. de paſſione Domini. c. 29. virginitatem lilio comparat, quia in radice & foliis eſt candidum, maximè autem, quia caput in terram reclinat. De contemptu pulchritudinis. *Vide Durat. Virtut.*

Secundum generis humani malum à ſexu fœmineo cauſam rursùs invenit, cum fœminæ civitatis terre- D næ fuerunt amatæ à filijs Dei: pulchritudo Dei quidem donum eſt; ſed malis etiam conceſſum, ne videatur magnum bonum, &c. D. Auguſt. lib. 15. de civitate. c. 22. Velentur etiam virgines veſtis humilitate, ne ſimiles ſint animalibus, quæ capite abſconſo putant ſe ſatis abſcondi. Tertul. de loco.

EX BIBLIIS.

EZechias theſauros amiſit, quos Regi Babiloniæ legatis oſtendit. Iſay. 9.

Secretum meum mihi. Iſay. 24.

Math. 17. Chriſtus vetat diſcipulos palàm propere transfigurationis ſuæ conſolationes antè reſurre- E ctionem, cum paucis aſcendit.

Parvulus Moyſes abſconditur, nè cum cæteris juſſu Pharaonis necetur. Exod. 2.

Iacob habet viſionem ſcalæ cœlos pertingentis juxtà puteum juramenti; quia profunda & abſcondita debet eſſe revelatio. Philo judæ. lib. de ſomnijs.

Abraham filium immolaturus ſolus cum filio aſcendit montem relictis ſervis & aſino.

Deriventur fontes tui foras, & in plateis tuis aquas divide. Habeto eas ſolus nec ſint alieni participes tui. Proverb. 5.

Satis emicat virtus per exemplum, etiam ſi illam ſilentio modeſtè, veloque contineas.

Maria ſuſpicanti de ſe Ioſepho non aperit myſterium. Math. 1.

Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum. De his qui tubâ canunt cum dant eleemoſynam, dicit Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam; te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Math. 6.

Chriſtus mundato leproſo dicit, Vide nemini dixeris. Math. 8. Ejicitur turba cum ſuſcitaturus eſt filiam Archiſynagogi. Duobus cæcis à ſe illuminatis comminatus eſt, videte ne quis ſciat. Matth. 9.

Quis mihi tribuat, vt ſim juxtà menſes priſtinos; quàdo ſecreto Deus erat in tabernaculo meo. Iob. 29.

Ezech. 1. Animalia duabus alis volant, duabus tegunt corpora ſua.

Ignis ſacer de altari conſervatur in lutoſà aquâ putei profundi. 2. Macab. 1.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Pſ. 103.

Sapientes abſcondunt ſcientiam, os autem juſti, confuſioni proximum eſt. Prover. 10. Homo verſutus cœlat ſcientiam, & cor inſipientium provocat ſtultitiam. Proverb. 12.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas vbi cubes in meridie. Cant. 1. Cum major eſt lux & ardor, tunc latet in vmbra. Veni amica mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Cant. 2.

De ſolitudine. *Vide Minoris. Concordant.*

Semen habens altitudinem terræ, facit fructum centuplum: fermentum abſconſum in farinæ ſatis tribus fermentat totum. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, &c. Math. 13.

Hortus concluſus, fons ſignatus. Cant. 4.

Ieſus præcipit diſcipulis, vt nemini dicerent quia ipſe eſſet Chriſtus. Math. 16.

Elizabeth gravida abſcondit ſe menſibus quinque, dicens quia ſic fecit mihi Dominus, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Luc. 1.

Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Luc. 2.

Coràm Rege noli videri ſapiens. Eccleſ. 7. hinc enim concitatur invidia.

Enoch ambulavit cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Dominus. Gen. 5.

Vide Repugnantias Cognitionis in primâ mentis operatione & quare in Concordantijs bibliorum velum tabernaculi, nubes, &c.

Sana eſt manus Moyſis, quandiù eam continet in ſinu; leproſa, cum extrà producitur. Exod 4.

Clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi, &c. Cum jejunas vnge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, &c. Math. 6.

Clauſo oſtio multiplicatur oleum viduę. 4. Reg. 4.

Eſau foras vagatur, Iacob juſtus domi reſidet. Gen. 25.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi. Cant.

Fumus nunquàm habet ſplendorem, licet habere poſſit odorem. D. Bernard.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Pſal. 30.

Montes excelſi cervis, petra refugium herinaceis. Pſal. 103. Vtrique & ſublimes & humiles extrà commercium.

Si quis inter vos videtur eſſe ſapiens in hoc ſæculo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. 1. Corinth. 3. 18.

Superbiam nunquàm in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsâ enim initium ſumpſit omnis perditio. Tobiæ. 4.

Angelus dicit Iacob, Dimitte me, aurora eſt.

Gen.7.dicitur de Noë,quod erat juſtus antè Deum, & Luc 1. de patre & matre Ioannis Baptiſtæ, quod ambo erat juſti antè Deum. Non vt Phariſei. Math. 27. qui volunt videri ab hominibus.

Damnati dicent de juſtis. Hi ſunt quos aliquandò habuimus in deriſum. Sap. 5.

Nos ſtulti propter Chriſtum, &c. 1. Cor. 4.

Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Pſal. 26. non hominum oculos.

Non qui in manifeſto Iudæus eſt, nequæ quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt: Circumciſio cordis in ſpiritu, non litterâ, laus non ex hominibus, ſed ex Deo cujus eſt. Rom. 2.

Quaſi morientes, & ecce vivimus, vt caſtigati, & non mortificati, quaſi triſtes ſemper autem gaudentes, ſicut egentes multos autem locupletantes, tanquàm nihil habentes, & omnia poſſidentes. 2. Corinth. 6.

Chriſtus in propria venit, & ſui eum non cognoverunt. Ioan.1.ſic S. Alexius qui diù in paterna domo latuit incognitus.

Moyſes ex quo vidit Deum factus eſt impedítioris linguæ. Exod. 4.

INTERIOR VIRTVS qualiter abſcondenda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quædam cœli beneficia in vſus tantùm, alia in multorum commodum collata ſunt: dati conditiones obſervabit ſapiens, & vt quæ communia debent eſſe ſibi ſoli non vindicabit; ſic ſibi ſingularia ventilatione externaque demonſtratione juris non efficiet publici.

MAGNITVDO. Cave nè ſub ſpecie gratitudinis ergà Deum ſibi ſuperbe blandiatur animus, & intumeſcat hoc publico virtutis ſuæ applauſu. Mox delineatum, & imperfectum ſuum opus in ſpectaculum non profert artifex, ſed cum illi vltimam manum appoſuerit. At ſapiens imperfectam ſcit eſſe ſuam virtutem. *Vide Media Virtus*, vndè pudet illam profere, parùm adhuc ideæ ſuæ conformem. Ex alto gravior turpiorque imminet caſus: vndè timet videri elatus qui timet dejici; ſic per præcipitia incedentes avertunt ab illis oculos, mentem, & ſermonem, nè caput vertigine tententur.

DVRATIO. Mira mentis humanæ inconſtantia, maximè circà virtutes, ex quibus tanquàm ex vinculis, & dura ſervitute ſæpiùs erumpit: hinc pudor eſt profiteri, quod ſervare incertum & laboriofum eſt. In occulto natura meditatur opus ſuum, donec ſenſim perfectum in lucem educat: In hujus vitæ tempore concipitur, & laborat gratia, vt formemur ad diem æternitatis; ſed id agit in ſilentio & tenebris, vt ſecuriùs & procul à contrarijs tota operi ſuo intenta ſit.

POTESTAS. Infirmi mulierculorum, puerorum, popularium animi, quas habent dotes, vt rimis vndique hiantia vaſa, ſtatim effundunt: at ſapiens ſibi ſuæque conſcientiæ teſtimonio fidens, alienum non quærit ſuffragium, continet ſe, ad inſtar Dei habet in manibus lucem, cujus arbitrio ſuo ſiſtit, aut moderatur fulgores: tunc verè virtutis ſuæ Dominus, cum illâ ſic ad libitum vti frui licebit. Quamvis acceptæ à Deo A gratiæ ſit diſpenſator, illam non projiciet temerariâ effuſione, ſed conſultò largietur.

COGNITIO. Cœlo docente eruditus, dùm quæ ſentis & agis in publicum profers, exponis te varijs hominum opinionibus, quibus ſi non dejicitur, ſaltem tentatur mens: Ad Solem tantùm ſe flores explicant; cæteris velata eſt pudica mulier, quæ ſoli marito ſuo placere ſtudet: ſic fugit hominum oculos mens totaliter Deo addicta.

VOLVNTAS. Amor totus in ſecretis eſt, & ſi non habeat, fingit: ſic anima verbi ſponſa vocatur in ſolitudinem, & in cavernam macetiæ, procul ab humanis conſpectibus; timet in publicum efferre, quod ſponſus voluit eſſe ſecretum; Timet dici præ cæteris B electa, ne ſibi nimiùm blandiatur; nè aliorum ignorans dotes illis ſe temerè præferat; nè convertat in ſe humanos ſibi timendos & futuros oneri affectus; nè infirmis, qui minora è cœlo acceperint, dolorem, imò & invidiam pariat; & dùm vult videri grata multos efficiat ergà Deum ingratos, interdùm & impios.

VIRTVS. Latet in artefactis, vt horologijs, quo moventur ſecretum: latet in mixtis quâ continentur, & aguntur, forma, virtus eſt anima & ars vitæ, paſſim oculis non exponenda; nec ab animi centro, vbi propriam ſedem habet, ad ſuperficiem ordine perverſo evocanda.

VERITAS. Aget vir bonus quod ſuum eſt officio ſuo nunquam deerit, tantùm vt Deo placeat; C quòd ſi dùm virtus ſe prodit in actum, hinc fulgor aliquis hominum oculos perſtringat, id fit præter ſuam intentionem, non agit tunc, ſed patitur; timet enim nè non ſatis ſincera ſit virtus, cui accedit, & ſenſim permiſcetur humana commendatio.

GLORIA. Si imperfecta eſt virtus, lateat, vt ſecuriùs formetur; ſi perfecta, quieſcat in divinitatis centro, & extrà motus humanos repoſita ſervetur æternitati. Sacra velis obducta hominum manus, oculoſque non patiuntur; Imperantis Majeſtas ſedet quieta procul à populorum tumultu: Abſit vt Deo plena mens ad humana divertat, & licet invita laudes excipiat, quæ vanitati cedunt in præmium; latet ergo nè laudetur, & nè turpiter cum vitijs in mercede concurrat. Si D coſurreximus cum Chriſto, vt præcipit Apoſtolus, extrà humanos aſpectus tranſlati ſumus, in naturam ſpiritualem & inviſibilem tranſcripti.

DIFFERENTIA. Ad hoc mundanorum omnium deſudant cupiditates, vt videant, & videantur: vera autem virtus à fucata & vana hoc potiſſimum titulo diſtinguitur, quod ſoli Deo velit placere, quod quaſi exul à mundo ſufficiat illi ſi cœleſtibus ſit in ſpectaculum; hac ab humanis fugâ teſtatur præcipuas Religionis veritates, eſtque vox prædicans in deſerto vt Ioannes. Sic enim aſſerit Deum eſſe actuum noſtrorum judicem, juſtum & ampliſſimum remuneratorem, veri boni Idæam, à quâ non eſt recedendum, vt E ad veſtigia tranſeatur, illudque Apoſtolorum, Chriſto dicentium, ad quem à te ibimus, verba vitæ æternæ habes.

CONCORDANTIA. Pietas eſt quædam ſocietas cum divinis: ſocietatis autem ſecreta revelare prohibitum eſt: Eſt ſacrum cum Verbo divino connubium, cui ſe totam ſervat, alijſque negat pudica mens; velo humilitatis tegitur, vt purior minúſque diſtracta cœleſtibus intendat.

CONTRARIETAS. Si nobis quotidianum cum hoſte vafro & inviſibili bellum, vt quid paribus armis doliſque non certamus? ſecreta debent eſſe conſilia, ex inſidijs, per cuniculos, mentito vultu & habitu, ſimulata fuga, cæteriſque ſtratagematibus eſt conficiendus.

PRINCIPIVM.

PRINCIPIVM. Latens in intimo mentis gratia, parit ad ſui ſimilitudinem latentes virtutes; ſed quantumcumque illas lingua reticeat, & humilitas populorum oculis neget, effulgebunt tandem operibus, gratioti, vt non affectatâ pulchritudine. Dei opus eſt, in tenebris creatum & quietum, donec illi dicat, vt mundo, fiat lux. Sic ſanctos in deſertis, aut in abjectiſſima fortuna latitantes miraculis illuſtres effecit.

MEDIVM. Deo ſibique ſufficiens virtus, aliena non quærit ſubſidia; non tàm ſe negat mundo quàm mundum ſibi. Medius hic inter viatores & comprehenſores ſtatus, quò ſublimior, eò plùs mortalium fugit oculos, vt ſuprema ætheris regio: lata via eſt, quæ ducit ad perditionem; anguſta, paucis nota ſemita quæ ducit ad vitam.

FINIS. Vnica, ſimplex, pura intentio Deo placendi vitat hominum aſpectus, vndè multiplex ſibi timet impedimentum, ſive ab his, qui importunis conſilijs & auxilijs officiosè nocent; ſeù ab his, qui cognita quâ virtus procedit viâ, facilius illi poſſunt inſidias ſtruere.

A MAIORITAS. Vlteriùs non progreditur vt magnanimus, ſed retrò reſpicit, gradumque revocat, qui ſe ſpectandum præbet his quos longo jam intervallo præterijt. Non ſufficit mens æternis ſpectaculis, ideò non vult humanis intereſſe, quæ attentionem ſuam partiantur & diſtrahant: ſpectat enim ſpectantes ſe, & multa imponit ſibi videnda, dùm vult videri.

ÆQVALITAS. Virtus non projicit margaritas antè porcos, cauſam divinam non aget coràm mundano
B & incompetenti judice; declinat hoc injuſtum tribunal, mavultque non audita damnari; ſic enim hæc ſaltem ſupereſt præſumptio, non ex æquitate illam eſſe damnatam.

MINORITAS. Humilis non vult plùs æquo æſtimari, vndè putat æquiſſimum ſuas virtutes, ſicut & multos ſuos defectus, non apparere. In vitâ hac vitijs & virtutibus intermixtâ magis ſe reputat reum quàm laude dignum; Vndè indulgentior erga ſe ſibi videtur, ſi abſcondat virtutes, quæ & poſſunt præſumi.

VOLVNTAS VIRTVTIS.

AMOR VIRTVTIS.

MISCELLANEA.

MAGORVM vanitas perunctis leonis adipe faciliorem gratiam apud Reges populoſve promittit. Plin. l. 28. cap. 8. *Vide Gloria Virtutis.*

Ineſt aliquis virtutum amor in his qui illam jactitant, aut mentiuntur. *Vide Cognitio Virtutis.* Laus ſui ipſius licita.

Vt ſtatutum eſt apud nos nunquàm venenum deguſtare: Ità ſit de vitio. D. Chriſoſtom.

Marſ. Ficin. Theolog. Plato. lib. 9. cap. 4. probat nobis ineſſe naturalem virtutis amorem, vt animæ corpore ſuperioris, & hinc perfectionem ſuam, corpore etiam ſubacto, optantis; appetit enim verum in practicis & moralibus, ſicut in ſpeculativis, etiam ſi corpori talia non proſint, ſed noceant. Proprium enim animæ eſt ſic dominari.

*Quis eſt qui non inter ſcelera, & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipſis quæ impotentiſ-
D [illegible]fecit ſpeciem aliquam inducat recti? quod non faceret, niſi illos honeſti, & per ſe expetendi amor cogeret moribus ſuis opinionem contrariam quærere, & nequitiam abdere, cujus fructus concupiſcitur, ipſa verò odio pudorique eſt: nec quiſquam ità tantùm à naturali lege deſcivit, & hominem exuit, vt animi cauſâ malus ſit: Nemo eſt, qui non nequitiæ primijs ſinè nequitiâ frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum quod virtus in omnium animos lumen ſuum præmittit, etiam qui non ſequuntur illam vident. Seneca lib. 4. de Beneficijs. cap. 18.

Vt corporum noſtrorum habitus erigitur & ſpectat in cœlum, ità animus, cui in quantùm vult licet pórrigi; nam ſi alienâ vi in ſumma niteretur, ma-
C gnus erat laborire in cælum, redit, & cum hoc itet nactus eſt vadit audacter. &c. Idem. Epiſt. 92. ſub finem.

Erras ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci; ſupervenerunt, ingeſta ſunt; nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros ac liberos genuit; nihil quidem quod vaſtiam noſtram irritaret poſuit in aperto, pedibus aurum, argentum ſubjecit, vultus erexit in cœlum, & quidquid magnificum, mirumque fecerat videri à ſuſpicientibus voluit. Idem. Epiſt. 92.

Non eſt quod dicas vitium excidi non poſſe, ſanabilibus ægrotamus malis, ipſaque nos in rectum genitos natura, ſi mendare velimus, juvat; nec vt quibuſdam viſum eſt arduum ni virtutes, & aſperum iter eſt, plano adeuntur; quid enim quiete ocioſius animi? quid ità laborioſius? quid clementiâ remiſſius? vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt; omnium denique virtutum tutela facilior eſt, vitia magno coluntur. Seneca. lib. 2. de Irâ. cap. 13

Bonus citharædus non alias tangit chordas quàm ignorans; ſic eaſdem movet potentias naturales virtus moralis, arte & exercitatione opus eſt, vt à naturâ ſubminiſtratis benè vtamur.

Hinc conſcientiæ ſtimuli. *Vide Gloria Virtutis Repug.* Virtutes tamen non eſſe à naturâ. *Vide infrà Princip. Virtut.*

De naturali Dei cognitione & amore. *Vide Cognitio. & Voluntas Principij.*

Congregantur homines, non ſolùm quia ſunt naturaliter ſocietatis amantes, & ob commoditates vitæ, ſed etiam ob talem vitam, quæ honeſta eſt, Ariſt. 3. Politic. 4.

Pacta quæ fiunt contrà jus naturæ, & leges civiles sunt irrita. l. 28. ff. de pact. Non enim censetur libera voluntas, quæ est contrà virtutem.

Rejicitur à militiâ qui illam suscipit metu pœnæ criminis, de quo erat accusatus. l. fin. ff. de re milit.

Non est ignoscendum mulieri, quæ intuitu paupertatis turpem vitam agit. l. 43. ff. de ritu nuptiar.

In pactis dotalibus, non valet illud nè de moribus agatur, nè publica coërcitio privata pactione tollatur; & nè ob res amoras ageretur, quia sic ad furandum mulieris animus invitaretur. l. 5. ff. de Pact. dotalib.

Prohibitæ sunt donationes inter virum & vxorem, nè se invicem spolient. l. 1. ff. de Donat. inter vir. & vxor. Non verò inter concubinas. l. 58. eodem. quia vitium concubinæ temperat amorem.

In malis non est obediendum, quia non censetur voluntas & præceptum Domini contrà virtutem. *Vide Contrar. Potest.* & l. 20. ff. de obligat. & action.

Testamento appositа conditio, quæ est contrà bonos mores, nulla est, quasi id esset impossibile, quod lædit pietatem, existimationem verecundiam, nostram. l. 15. ff. de Cond. Instit.

De illicito juramento non servando. *Vide Differentia Volunt.* Mutatio voluntatis.

EX THEOLOGIA.

VEra amicitia suprà virtutem fundatur & quidquid in amico est virtuosum est provocativum amicitiæ. D. Thom. 2. 2. q. 106. 1.

Licet non omnes homines habeant aliquas virtutes secundùm habitum completum, habent tamen eas secundùm quædam seminalia rationis, secundùm quæ, qui non habet virtutem, *diligit* virtuosum, tanquàm suæ naturali rationi conformem. 1. 2. q. 27. a. 3. ad 4.

Bonum cujuslibet virtutis est conveniens homini secundùm rationem, ideò convenit naturaliter. 1. 2. q. 54. a. 3.

Contritio est actus virtutis Pœnitentiæ, cujus est detestari præterita delicta. Supl. q. 1. a. 2.

Honestum appetitur propter se appetitu rationali, delectabile autem appetitu sensitivo. 1. 2. quæst. 145. art. 5.

Magnanimus habet quædam infructuosa, quia magis honesta quærit, quàm utilia. 2. 2. qu. 47. art. 9. ad 3.

Pœnitentia secundùm quid est virtus, importat detestationem peccati, cum proposito abolendi illud, secundùm conditionem status peccantis. 3. q. 85. a. 2. ad 1.

Quilibet tenetur tendere ad perfectionem ex præcepto, non autem tenetur esse perfectus. 2. 2. q. 186. a. 2. ad 2.

Omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturæ, sed diversimodè. 1. 2. q. 49. a. 3. ad 2.

Synderesis est habitus naturalis primorum principiorum moralium, cujus effectus est removere à malo, & inclinare ad bonum. 1. q. 79. a. 1.

EX BIBLIIS.

VTinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore: Adhæsi testimonijs tuis Domine noli me confundere. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me. Portio mea Domine dixi custodire legē tuam. Deprecatus faciē tuam in toto cordo meo, Miserere mei secundùm eloquium tuum. Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua. Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua vivifica me. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Fiat manus tua vt salvet me, quoniam mandata tua elegi. Concupivi salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. Psal. 118.

Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino. Psalm. 131.

Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui verò secundùm Spiritum sunt, quæ sunt Spiritus sentiunt, nam prudentia carnis, mors est, prudentia autem spiritus, vita & pax. Rom. 8.

QVARE AMATVR virtus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Virtus est habitus secundùm rationem, perficit enim potentiam rationalem illamque in actum sibi convenientem educit; vndè apperit illam homo vt proprium suum bonum, vt vitam quandam spiritualem, naturali meliorem, vt Elixir & antidotum, quo se immunem præstat ab innumeris malis, quibus hic tentatur.

MAGNITVDO. Virtus bonum est vniversale simul & singulare, animam ad omnia paratam efficit, omnibus æquam & superiorem; vndè integro & præmaturo quærenda est affectu. Vt semen à germine primum agit radices, & providit futuræ suæ nutritioni priusquàm emineat; vt priùs jaciuntur fundamenta quàm tollatur moles ædificij: sic ad virtutem formatur adolescentia, in magnos profectus turrectura.

DVRATIO. Si non insitus esset mentibus amor virtutis, non possent tolerari tot in eâ quærenda necessarij labores: humana omnia mutationi subjacent, solus hic virtutis amor, vt naturalis, communis est omnibus gentibus, & perpetuus, illi cætera superveniunt, vt accidentia substantiæ ejusque colorem induunt, aut mentiuntur. Æqualiter aguntur virtutis amore, & qui antiquis pertinaciter inhærent, & qui nova vt meliora proferunt.

POTESTAS. Innato virtutis amore factum est, vt homines naturaliter liberi se vltro Magistris, Principibus, legibus submiserint, quasi nulla sit servitus, sed amplior libertas, quæ virtutis desiderium, etiam extremæ servitutis prætio, implere potest: sic salvâ mentis libertate vota emittuntur, hominem Deo in perpetuum consecrantia.

COGNITIO. Philosophorum sapientissimus Socrates scientias omnes speculatrices reduxit ad moralia, quibus homo potest fieri melior, vt ex luce cœlesti natura sit fœcundior: Sic veritatem voluit virtutibus famulari. *Vide Virtut. Cognit.* Vndè patet majorem esse virtutis quàm veritatis amorem.

VOLVNTAS. Volunt omnes ab omnibus amari, & ideò volunt dici & apparere virtute præditi, quasi virtus omnibus chara sit potentissimum, & quodammodò necessarium & naturale amoris illicium: hoc vnico nexu stabiles possunt esse amicitiæ; hoc communi voluntatum concursu in idem bonum naturale sanciuntur privata publicaque fœdera.

Digitized by Google

Serm. 7. in Pſal. 90. Qui habitat.

Neſcio quo pravo & miro modo, ipſa ſibi voluntas peccato in deterius mutata neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cum ſit illecta, poſſit excludere neceſſitatem: eſt enim neceſſitas hæc quodammodò voluntaria; eſt fauorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens; vndè rea voluntas vbi ſemel peccato conſenſeri, nec excutere jam per ſe, nec excuſare de ratione valeat: vndè quærula illa vox, Domine vim patior, reſponde pro me, &c. O cuſtos hominum quare poſuiſti me contrarium tibi? &c. Peccatum lex eſt in membris. Idem. Serm. 81. ſuper Cantica.

Aperiamus nobis ſinum animæ noſtræ, inquiebat Democritus, & ibi videbimus vitiorum omnium ſcaturiginem.

Infantes feriendo nocere nituntur, quia non obeditur imperijs: ità imbecillitas membrorum infantilium innocens eſt, non animus infantium. Vidi ego, & expertus ſum zelantem parvulum, nondùm loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum, in vno alimento conſortem non patiens. D. Aug. 1. Confeſſ. 7.

Idem lib. de duabus animabus contrà Manichæos, qui duas animas in quolibet homine aſſerebãt, vnam à Deo, à quâ virtutes; alteram à mali principe, à quâ vitia. Origo, inquit, & caput mali eſt peccatum, ſicut Apoſtolus dixit. 1. Timoth. 6. Radix omnium malorum eſt cupiditas, &c. Radicem radicis quærere non poſſum; at ſi eſt aliud malum, cujus radix non eſt cupiditas, non erit omnium malorum radix cupiditas. Peccavit anima, & ideò miſera eſt: liberum arbitrium accepit, vſa eſt libero arbitrio quemadmodùm voluit, lapſa eſt, ejecta de beatitudine, implicata miſerijs.

Radix omnium malorum eſt cupiditas, quàm quidam appetentes à fide aberraverunt; Ideò dicit, quàm quidam appetentes, quia cupiditas in vno quoque homine non naturalis, ſed voluntaria eſt. D. Auguſt. de Fide contrà Manichæos.

Peccata erunt donec homines, vt morbi quandiù corpora.

Nos multa alligant, multa debilitant, diù in iſtis vitijs jacuimus, elui difficilè eſt, non enim inquinati ſumus, ſed infecti: Ideò autem nos ſtultitia pertinaciter tenet, primò, quia non fortiter illam repellimus, nec toto ad illam impetu ruimur, deindè, quia illa quæ à ſapientibus viris reperta ſunt non ſatis credimus, nec apertis pectoribus hauſimus, leviterque tàm magnæ rei inſiſtimus, &c. Senec. Epiſt. 59. de Obſtinatione. *Vide Dur. Volunt. Mala.*

Ideò non nobis confidendum. *Vide Cognitio Virtutis Mal.*

Erat qui vitia temporibus objicit: hominum ſunt iſta, non temporum: Numquàm apertius quàm coràm Catone peccatum eſt. Senec. Epiſt. 97.

Apud Aſtrologos ijdem ſunt morum ſignificatores, qui & temperamenti. *Vide Different. Volunt.*

Medici cauſas peſtis aſſignant aëris corruptioni; Aſtrologi Saturno inſignis igneis; ſed conſtat experientiâ nonnullis in locis ſtata eſſe tempora quibus peſtis graſſatur; ſic febres, & alij morbi chronici, habent acceſſiones ſuas, inſitâ corporibus & inſidente earum cauſâ, etiam dùm videntur ſana.

Vt ferro conſumens quædam rubigo per naturam agnata eſt, ligno exedens caries aut teredo, ſic animalibus, oppidis, regnis internæ ſunt cauſæ pereundi. Lipſius. *Vide Finis Poteſtatis.*

A Morbus eſt temporalis corporis infirmitas, vitium verò perpetuum corporis impedimentum, ſic luſcus vitioſus eſt. l. 101. §. verum. ff. de verb. ſignif.

Duplex vnicuique rei finis; particularis, quo ſe tuetur; & vniverſalis, quo ſuperioribus pro bono vniverſi ſubordinatur: cum autem ſibi vnumquodque magis affectu hæreat quàm vniverſo in bonum vniverſi non fertur, cum nocet particulari bono, niſi cogatur; ſic equus fræno ad hominis ſervitium eſt adigendus.

Fomes peccati eſt inordinata & habitualis concupiſcentia appetitus ſenſitivi; poteſt dici lex ex Apoſtolo: ſentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ. D. Thom. 1. 2. q. 82. a. 3. Hic fomes B ſemper aliquid depaſcitur, vt ignis in ligno, calor in corpore.

Vtrumque ſimul currit iſto quaſi fluvio & torrente generis humani, malum quod à parente trahitur, & bonum quod à creante tribuitur. In originali malo duo ſunt, peccatum atque ſupplicium. In originali bono alia duo, propagatio & conformatio. D. Aug. lib. vlt. de civit. cap. 24.

Poſt peccatum terra ſpinas & tribulos generat; Anima peccata.

In caſu primi hominis cecidimus omnes; cecidimus autem ſuper acervum lapidum & in luto: vndè non ſolum inquinati, ſed etiam graviter quaſſati ſumus; lavari quidem citò poſſumus in baptiſmo, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa, in quâ etiam pruritum vlceris ſemper præſentimus. D. Bern. ſerm. in Cœnâ Domini. Ideò longa opus eſt virtutis exercitatione. *Vide Duratio Virt.* Naſcimur, morimur, quia priùs morimur naſcituri.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & infrà. Libera me de ſanguinibus, &c. In multis ſanguinibus, tanquàm in origine carnis peccati, multa peccata intelligi voluit. D. Auguſt. in Pſal. 50.

Hinc multitudo peccantium. *Vide Magnitudo Virt. Repug.*

D. Auguſt. in Enchiridio ad Laurent. c. 45. loquitur de peccato primi hominis, vt de cauſâ omnis deordinationis. *Vide Minoritas Virtutis.*

D Seneca Epiſt. 90. dicit homines aurei ſæculi, licet malitiæ ignaros, non tamen bonos fuiſſe: non enim dat natura virtutem, ars eſt bonum fieri. Similia tantùm virturibus habebat rudis vita, ipſa autem virtus non contingit niſi animo edocto: in optimis quoque antequàm erudias virtutis materia, non virtus eſt.

Qui mortui naſcuntur, neque nati, neque procreati videntur, quia nunquàm liberi appellari potuerunt. l. 129. ff. de verb. ſignif.

Baſilides hæreticus dicebat nobis adnaſci ſpiritus varios, à quibus oriuntur paſſiones, contrà quas vt contrà naturam non eſſet pugnandum. Baron. anno. 120. num. 14. Idem ferè aſſerunt Carpocrates qui dicebat, Omne delictum non ſolùm non eſſe vetitum, E ſed & imperatum; & perpetuâ animarum tranſmigratione fore plectendos, qui ſuæ adverſarentur cupiditati, falsò ad hoc adducentes ſcripturæ præceptum. Eſto conſentiens adverſario tuo citò cum es in viâ cum eo. Matth. 5. verſ. 25. Baron. Ibid. num. 20. *Vide Contrar. Virt.* & de paſſionibus. *Vide Majorit. Volunt.* Paſſionum damna.

Plinius libro 7. cap. 7. dicit infauſtum eſſe omen, ſi homo naſcatur pedibus prioribus: at nobis magis infauſtum videtur naſcens capite in terram verſo, dejectâ rationis ſede ſub corpore, quaſi ſit cœlo & virtuti renuntiaturus, vt mundo ſit fœlix.

by Google

VERITAS VIRTVTIS.

QVÆ SIT VERA VIRTVS.

MISCELLANEA.

AETITES non habet vim medicam ad partum, niſi is qui in nido aquilæ inventus eſt. Plin. lib. 10. cap. 3. Id eſt ab aquila inſtinctu non fallibili probatus.

Vera virtus effulget poſt depoſitas dignitates. *Vide Gloria Virt.* Quies poſt labores.

Tria ſunt neceſſaria puritati, integritas actionis, ſimplicitas intentionis, & tranquillitas devotionis. D. Bernard. in ſententi.

De integritate actionis. *Vide Virt. Magnit. & Magnit. Virt.* De ſimplicitate intentionis. *Vide Finis Virtutis. Virtus Volunt. & Virt. Finis.* De tranquillitate devotionis. *Vide Glor. Virt.*

Vera virtus eſt libera. *Vide Durat. Virt.* Inter malos bonus. In fine.

Vt venuſtas corporis veſtibus, ſic venuſtas animi corporeæ pulchritudini præferenda eſt. Lucianus dialogo. amores.

Qui vera virtute fortis eſt, nec temerè audet nec inconſultè timet. D. Aug. Epiſt. ad Hieron.

Vera virtus eſt ſibi, alijſque benefica. *Vide Virtus Bonit.* Eſt completa, bonum enim ex integra cauſa. *Vide Magnit. Virt.* Eſt conſtans. *Vide Durat. Virt.* Ad impetum propriæ & alienæ paſſionis nata. *Vide Poteſt. Virt.* Eſt prudens. *Vide Virt. Cognit.* & cæteras virtutis combinationes cum alijs principijs, quæ inſervient hic loco demonſtrationis.

Vinum aceto mulſo ſuavius eſt, quoniam quæ natura permiſcet longè ampliùs temperantur, quàm quæ à nobis temperantur. Ariſt. problem. ſect. 20. q. 44. Perfectior videtur virtus, quæ à fœlici genio, quàm quæ à diuturnâ exercitatione. *Vide Magnit. & Virt. Princip.*

Apes non hauriunt aquam niſi ſinceram, quàm clariſſimi fontes ſcaturiunt. Ariſt. hiſt. animal. lib. 8. cap. 11.

Ens de ſuâ ratione ſignificat omnimodam perfectionem, quia omnis defectus pertinet ad non ens.

Manibus opus eſt in bello, non nominibus multis aut ſplendido apparatu.

Gladius bonus eſt, non cui deauratus eſt baltheus; nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Seneca Epiſt. 77.

Timotheus dux Athenienſis moleſtiſſimè tulit, quod poſt præclara facinora ſua prudentia geſta, Athenienſes eum depinxiſſent dormientem, & fortunam in retia ſua vrbes mittentem.

Fœlicitas civilis, non in habitu tantùm, ſed in operatione conſiſtit, alioquin dormiens eſſet fœlix: nam & habitus tendit ad operationem: & vt ait Ariſtoteles in olympicis coronabantur, non qui eſſent corpore pulchro & robuſto, ſed qui fortiter pugnando vincebant.

Sanitas non in actione, ſed in potentia conſiſtit; ſic dormiens & quieſcens ſanus eſt, licet non agat.

Partium corporis ſanitas conſiſtit in proportione & temperamento vnicuique convenienti; vt calidius ſit cordis quàm hepatis, hepatis quàm cerebri; ſiccius oſſium & membranarum quàm carnis.

Vera virtus eſt in mediocritate. *Vide Virtus Medij.*

Imaginariæ Reſpublicæ ſunt ad veras comparatæ, vt homo pictus ad naturalem.

Generis natura optimè cognoſcitur in ſpecie perfecta, vt animalis proprietates in homine.

Sicut in mundo Archetypo omnia ſunt in omnibus, ità in alijs mundis, ſed pro modo ſuſcipientium; nam in inferioribus elementa ſunt craſſæ quædam formæ: in cœlis ſunt per eorum naturas & vires modo cœleſti; nam cœleſtis terræ ſoliditas illic eſt abſque craſſitudine; aquæ & aëris agilitas procul ab effluxu; ignis calor ibi non vrens, ſed lucens, omnia ſuo calore vivificans. Sunt elementa in Archetypo ideæ producendorum: in intelligentijs diſtributæ poteſtates, in cœlis virtutes, in inferioribus craſſiores formæ.

Puritas non eſt propriè virtus, niſi quatenùs refertur ad Deum & imitandum & pro viribus conſequendum, quia in ipſo eſt exemplar virtutis. Nam purgatus animus non eſt ſibi ipſi finis, cum ab alio ſit, nec eum obtinet in externis inferioribus, ſed in Deo. Plotinus lib. de virtutib. in fine.

Vera virtus eſt in eo qui poteſt tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, vt in Principe, qui habet etiam ſuorum criminum laudatores. *Vide Virt. Poteſt.*

Inſignior Gallorum bellica virtus, qui non vt ſeptentrionales populi, cœli ſui aſperitate pulſi, ſed relicto fœcundiſſimo ſolo, ſola gloriæ cupiditate, Romam & exteras gentes bello ſuperarunt.

Elementa in ſuo centro ſunt pura, ſic ſunt metalla denudata; heterogenijs enim qualitatibus ſublatis remanet purum ſemen, & velut anima.

Milites in pace exerceantur armis, quæ non ſint penitùs ſinè periculo, vt fortes poſſint diſcerni ab ignavis. Plato. 8. de legib.

Non longitudo tantùm & latitudo, ſed etiam profundum facit completam magnitudinem quantitatis: non ſit virtus, tantùm in ſuperficie actionis, ſed etiam in intimo corde.

Non pœna, ſed cauſa martyrem facit. *Vide Durat. Virt.* de martyrio.

Illæ operationes hominum ſunt ignobiliſſimæ, in quibus minimùm requiritur virtutis; illæ ſerviliſſimæ, in quibus corporis eſt vſus plurimùm; artificio-

Digitized by Google

fiſſimæ, in quibus eſt minimùm fortunæ. Ariſtot. 1. politic. 7.

Quæ ſecundùm virtutes fiunt, non continuo juſtè & temperanter aguntur, ſed ſi quis agat primò quidem ſciens, deinde eligens, & quidem propter ipſa. Tertiò, ſi ſtabili atque immutabili affectu præditus agat. Ariſt. moral. Nicomach. lib. 2. c. 4.

Virtus eſt habitus electivus in mediocritate quantùm ad nos conſiſtens; quæ quidem mediocritas præfinita eſſe debet, vt prudens præfiniret. Ibidem cap. 6. Sic in corporibus benè affectis, ſalubria ea ſunt quæ re verâ ſunt ejuſmodi morbo correptis diverſa; pleriſque è vulgò hominibus voluptas pro bono eſt, &c. Idem l. 3. c. 4.

Quæ ſit vera virtus, quàm delectatio conſequitur. *Vide Gloria Virt.* voluptas virtutis.

In omnibus oportet diſcernere, quæ per ſe ſunt, ab his quæ ſunt per accidens. Nam quædam cum ſic eam habeant ſubſtantiam, vbi largo calore liquata fuerint, humiditatis ſpeciem exhibent, vt æs & ferrum: quædam per ſe humida ex ſyncero frigore apparent ſicca, vt glacies. Galenus lib. 3. de temperamentis.

Non omnes qui in perſecutione patiebantur colebantur vt martyres, ſed ab Epiſcopo loci fiebat relatio actorum, ab omnibus Epiſcopis coràm Primate examinanda. Baron. an. 302.

Multum refert in quæ cujuſque virtus tempora inciderit. Plin. lib. 7. c. 28.

AN SIT VERA VIRTVS *dùm vrget neceſsitas.*

MISCELLANEA.

D. Bernard. Epiſt. 23. ad Attonem Epiſcopum Trecenſem, ei congratulatur, quod gravi morbo oppreſſus, dùm ſe proximè moriturum crederet, omnia ſua pauperibus erogavit, vndè poſteà ſupervixit pauper.

Ego occidã, inquit Dominus, & ego vivere faciam, percutiam & ego ſanabo. Percuſſit carnem, vt anima ſalvaretur: occidit avaritiam, vt juſtitiæ viveretur.

In talibus ſupereſt meritum, quia non penitùs tollitur voluntarium. *Vide Verit. Volunt. & Media Voluntas.*

Sæpè qui Regi ob itineris anguſtias fit obvius, inter ejus domeſticos & convivas annumeratur: ſæpè ſemen in terram agricolæ manu neligenter lapſum plurimum fructum attulit: ſæpè qui caſu in medicum incidit, ab eo ſanatus eſt. Ioan. Climac. grad. 2. de fugâ inanis vitæ.

Columba non inveniens vbi ſiſteret per ejus, redijt in arcam, & excepta eſt, prodigus extrema rerum inopiâ preſſus rediens ad Patrem recipitur.

Themiſtocles ab ingrato populo Athenienſi vrbe pulſus, ad Regem Perſarum, cujus anteà fuerat hoſtis confugit, à quo benigniſſimè exceptus, magniſque donatus muneribus ſocijs dixit, Perieramus niſi periiſſemus.

Solon exteros exules in ſua Athenienſi Republica recipiebat. Sic Romulus Romanum fundavit imperium exules & profugos ad Patricias etiam dignitates evehendo.

Mulier Samaritana veniens ad puteum reperit fontem quem non putabat, ſic impletur illud Propheticum. Iſai. 65. Palàm apparui non quærentibus me: inventus ſum ab his qui non interrogaverunt nomen meum; Bonus Dominus vltrà ſe offert quærenti, petit bibere daturus. D. Aug. Serm. 92. de temp.

David ſuſcepit ſervum Ægyptium, qui à nutritio fuerat ejectus. 2. Reg. 30.

Paternum jus lædit, qui officioſum parentem extraneo ſubſtituit; habet tamen aliquam gratiam; quod non ſit omninò prætermiſſus.

Laudo factam de neceſſitate virtutem, ſed plùs illam quàm eligit libertas, non inducit neceſſitas. D. Bern.

Virga tua & baculus tuus, &c. Poſt virgam quâ parvulus ad gregem ductus ſum. Paraſti in conſpectu meo menſam, &c. Lætificaſti lætitiâ ſpirituali mentem meam, & calix tuus inebrians, &c. Oblivionem præſtans priorum delectationum. D. Auguſt. in Pſal. 22.

Valet tranſactio, etiam ſi quis tranſigat, quia ob ægritudinem ſuis non poteſt intereſſe negotijs. l. 27. C. de tranſact.

Spontanea ſolutio metum in promittendo adhibitum purgat, & ſic actionem quod metus cauſâ tollit. l. 2. C. de his quæ vi metuſve cauſa. Quæ vrgente neceſſitate non eſt ſatis ſyncera converſio, poſtmodùm perficitur.

Qui temporalis commodi gratiâ vult fieri Chriſtianus, non fieri vult potiùs, quàm fingere; fides enim non eſt res ſalvandi corporis, ſed credentis animi; ſæpè tamen cathechizantis ſermone commotus fieri vult quod decreverat fingere. D. Auguſt. lib. de cathechizandis rudibus, c. 5. Vbi dicit cathechizantem ſic cum eo debere agere vt ſi mentiatur, alterens ſe bono propoſito veniret non refellatur ejus mendacium, ſed tale propoſitum approbantes & laudantes, faciamus eum delectari eſſe talem, qualem videri cupit. Ibidem. Sæpe initia à parvis. *Vide Minor. Princip.* initij.

Pecoribus quoque fatigatis velocior domum eſt regreſſus. Senec.

Quidam, non aliter quàm quibus difficilis eſt ſomnus, verſant ſe, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem laſſitudine inveniant; ſtatum vitæ ſuæ formando ſubindè, in eo noviſſimè manent, in quo illos non mutandi odium, ſed ſenectus, ad novandum pigra, deprehendit. Senec. lib. de tranquil. vitæ. cap. 2. *Vide infrà Bonit. & Virtus Contrarietatis.*

De ſerâ pœnitentiâ validâ, quæ vt plurimùm fit adverſo aliquo emergente caſu. *Vide Durat. Virt. ſub finem combinationis.*

Non ego negaverim aliquandò cedendum, ſed ſenſim relato gradu, ſalvis ſignis, ſalvâ militari dignitate; ſanctiores, tutioreſque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt: ſi prævalebit fortuna, non ſtatim averſus inermiſque fugiat, latebras quærens, ſed parciùs ſe inferat officijs; officia ſi civis amiſerit, hominis exerceat.

Samuel vovetur Deo à matre ſterili.

Vide infrà hoc tit. Vera virtus licet infœlix.

Deus poteſt mutare neceſſarium, in voluntarium; vt mutavit fictum in verum in mimo, qui è theatro factus eſt martyr. *Vide Durat. Virtutis ſub finem combinationis.* Vbi de miſericordiâ induratis peccatoribus citò exhibitâ.

Cyrus Panoplita à Theodoſio Imp. præfecturâ ſpoliatus & bonis, eo prætextu quod Ethnicus eſſet, ipſe ad Eccleſiam confugiens, Preſbyterio initiatus eſt, ac Smyrnæ creatus Epiſcopus, in quo munere, doctrinâ, pietate etiam miraculis excelluit. Baron. an. 441.

Iudæus igni damnatus invocat S. Serguiũ, liberatur miraculo, & baptiſatur. Idem an. 471.

De ægris ad mortem monaſticum habitum ſuſcipientibus, & poſteà ſemper ſervantibus. *Vide Durat. Volum.* de Votis ſub finem.

Anno Chriſti 1094. graſſante mortalitate in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ, multi ſchiſmatici, & hæretici metu mortis ad Eccleſiam redierunt. Baron. an. 1094.

Præcipuus vororum locus eſt, cum ſpei nullus eſt. Plin. lib. 8. cap. 16.

Eſt virtus imperfecta quàm exigit neceſſitas & extorquet; ſic pallent margaritæ, ſordeſcunt aut abortiunt, quæ concipiuntur cœlo fulgurante. Plin. lib. 9. cap. 35.

VERA VIRTVS ESSE poteſt, etiam vrgente neceſſitate.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quærit homo verum bonum, Primo in ſenſibilibus, quibus magis aſſuevit; cum hæc vana expertus eſt, quid ni liceat gradum revocare, & ad virtutum ſigna ſe recipere? Majus eſt beneficium quod egenti, & aliundè auxilium non habenti confertur.

MAGNITVDO. Religio, infinitæ Dei bonitatis æmula, ampliſſimo ſuo ſinu recipit, & fovet quoſcumque; portum non negat etiam naufragis, aſylum miſeris, alio quò fugiant non habentibus: Cauſæ univerſalis proprium eſt omnibus adeſſe; Sol illuſtrat, terra paſcit, natura neceſſarijs inſtruit, non ſolum perfecta animantia, ſed etiam ex corruptione nata: Sic virtus recipit ex imperfecto motivo converſos.

DVRATIO. Non minùs placet ſtatua, quàm ſculptor diuturno labore, varijſque percuſſionibus formavit: gratiſſimi colliguntur fructus ex terrâ vi lingonis ſubactâ: ſic pertinax inſito mali principio animus longâ maceratione diſponendus fuit. Durioribus inſculpta materiis diutiùs hærent.

POTESTAS. Ideò qui regunt prævalent potentiâ, vt vi metuve ſubditos ad bonum cogant, nec tamen ſub tot regentium oculis & minis virtus caret præmio; quælibet enim externa vis non tranſit in animum, ſed ſatis relinquit libertatis & viæ, vt alio quam in virtutem deflectat.

COGNITIO. Non alienis, ſed proprijs hic inſtrui debuit experimentis; hoc debet adverſæ ſuæ fortunæ, quod illi in poſterum vt perfidæ fidem non eſt habiturus. Vt vera elicitur cognitio, ſic verus virtutis affectus, ex contrariorum comparata oppoſitione.

VOLVNTAS. Voluit providentia te ad meliora natum, in vitijs, quaſi in non convenienti elemento, multa pati: ſic natura nos à nocivis dolore revocat, & ad profutura blandiente voluptate allicit.

VIRTVS. Fœliciter in pietatem, ſeù caſu, ſeù adverſa fortuna incidiſti: ſenſim manſuefcent ſub illa feri appetitus, fientque habitus conſtantes in ea, maximè eo quod nullum extrà mundus offerat effugium.

VERITAS. Laborant initia omnia multiplici defectu, qui ſenſim eliminatur, & in meliores tranſit habitus. Impurum eſt aurum mox è terrâ erutum, ſed igne purgabitur. *Vide Minor. Princip.* initij.

GLORIA. Victores agnoſcunt & honorificè nominant populos vt ſuos, quos ſibi bellica virtute ſubjecerunt, malè habitos & fugitivos ab hoſtibus benignè princeps excipit, ſibique beneficijs conciliat ad multa opportunè diſcenda & agenda. Ejus converſio, quem adverſitas preſſit, triumphus eſt virtutis, cujus gloria non eſt minor, ex eo quod aliquid caſus contuliſſe videatur.

DIFFERENTIA. Sic ſe habet rerum mundanarum viciſſitudo, locus ſuperior excipit, quod ab inferiori emittitur: concidentibus terræ cavernis fœliciter hinc preſſus aër erumpit in regionem ſuam.

CONCORDANTIA. Sic diſſoluto interna aut externa vi mixto, liberæ elementorum partes ad ſuâ redeunt principia. Innata, diuturnaque hominis cum rebus ſenſibilibus ſocietas vix; niſi adverſo aliquo caſu, ſolvi poteſt.

CONTRARIETAS. Regnum cœlorum vim patitur; deficiente interna mortificatione, externam providentia ſubſtituit. *Vide Bon. & Virt. Contr.* Fœlix tempeſtas, quæ te ab hoſtium paratis inſidijs eripit. Quibuſdam illato hoſtili manu vulnere inciſum eſt internum apoſtema & reddita ſanitas. *Vide Minor. Med.* ex malis bona.

PRINCIPIVM. Externa fortunæ bona, ſicut & interna animæ, idem moderatur rector vniverſi Deus: idem qui infundit allicientes gratias immittit adverſos caſus; eundum quo vocat aut impellit, pro vario, juſtiſſimo tamen providentiæ ſuæ arbitrio. Quid calumniaris vim, vndè fit in bonum conveniens motus?

MEDIVM. Non fit tranſitus ab extremo in aliud ſinè medio vtriuſque participe; ſic hæc converſio habet adhuc aliquid vitæ prioris. Ars omnis vim in materiam profitetur vt illam perficiat: Quod cæca mens humana tribuit caſui, divinæ artis nobis providentis eſt effectus; non vno eodemque ſemper artifices vtuntur inſtrumento; tàm adverſitate, quàm proſperitate ad bonum formamur.

FINIS. Aſpera via eſt quæ ducit ad vitam, ſufficit ad perveniat: adverſitas hæc, quæ te mundo expellit, præludium eſt mortis; tibi moritur mundus, & tu illi morere, liceat infidum & deſertorem deſerere, & in illum non rediturò ſpiritu ſpiritualia ſectari.

MAIORITAS. Furit læſus amor, deluſa, ſpoliata cupiditas ſæviat in præterita ſua irritamenta: & virtus prioris vitæ moras celeritate ſuâ compenſet.

ÆQVALITAS. Fortior debet eſſe gratia, quæ animam è profundiori ſitu ad æqualem cum alijs virtutis altitudinem eruit, & ab impuro converſionis initio in æqualem cum perfectioribus virtutis ſortem tranſcribit. Gloriandum in infirmitate, quæ totum converſionis opus Deo tribuit.

MINORITAS. Dejiciat ſe coràm Deo creatura, vt inveniat gratiam: omnipotentis opus eſt in creatione & recreatione, à nihilo animum eduxiſſe. Magno impetu ſolventur elementa in novum, purioremque mundum tranſitura. Nulla virtus hominibus contingeret, ſi illi præjudicium faterent neceſſitates quibus vndique cinguntur; humana eſt non Angelica virtus, gradu & puritate inferior, ſed virtus tamen.

DICTA CONCORDENT operibus.

BOnus vir id agere debet, vt omnia dicta factaque ſua inter ſe congruant & reſpondeant. Non eſt hujus animus in recto, cujus dictis acta diſcordant. Senec. Epiſt. 34.

Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ & indicium, vt verbis opera concordent, vt ipſe vbique par ſibi, idemque ſit. Idem Epiſt. 20.

Magnificentior mihi crede ſermo in grabato videbitur

bitur & in panno ; non enim dicuntur tantum ,illa A
ſed probantur ; tunc non tantùm præceptor veri ſed teſtis eſt. Idem Epiſt. 30.

Non poteſt vllam authoritatem habere ſermo, vbi qui damnandus eſt damnat. Idem lib. de remed. fortuitor.

Ideò neceſſaria eſt rectoribus virtus, & Princeps legibus non eſt ſolutus. *Vide Virt. Poteſt.*

Vixit hic tantâ continentiâ, vt æquitatem & inſtrueret monitis, & doceret exemplis : facilis enim recti perſuaſor eſt innocens judex, ſub cujus prædicabili converſatione pudet mores probabiles non habere : incaſſum perſonam fictæ ſeveritatis inducit, cum avarus pœcuniæ ambitum diſſuadet, cum legibus parendum cenſet injuſtus ; non habet diſtributionis gremium, qui authoritatem libertà conſcientiâ non miniſtrat, quoniam exceſſus tunc ſunt in formidine, cum creduntur judicibus diſplicere. Caſſiodorus lib. 1. variar. Epiſt. 4. B

Providendum eſt nè quæ dicuntur ab eo qui dicit diſſentiant. Quintil. Inſtit. oratoriar. lib. 6. c. 2. Nec incendit niſi ignis, nec mademus niſi humore ; nec res vlla dat alteri colorem, quàm ipſa non habeat ; primum eſt igitur vt apud nos valeant, quæ valere apud alios volumus. Idem lib. 6, cap. 2.

Accuſator meus intrà ſe contrarios habet affectus, cupit reum dãnari, crimen abſolvi. Seneca. l. 2. decl. 6.

In alijs horrent, quod in ſe ſemper admittunt, mirum in modum & accuſatores eorundem criminum C
& excuſatores ; execrantur publicè quod occultè agunt, &c. Salvianus lib. 3. de guber. Dei.

Qui prædicas non furandum, furaris, &c. Roman. 2.

Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejunijs diſputat : accuſare avaritiam & latro poteſt : Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent. D. Hieron. ad Nepotian.

Chriſtus cœpit facere & docere. Si mihi inquit non vultis credere, operibus credite. Ioan. 10.

Oportet demonſtrationem & commendationem alicujus rei adortos ; ipſos priùs in adminiſtratione ejus rei deprehendi, & cõſtantiam commonendi propriæ converſationis authoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcãt. Tertul. l. de patientia init. D

Non mihi magis proderit talis præceptor quàm gubernator in tempeſtate attonitus & vomitans : non loquendum ſed gubernandum in vitâ procellis agitata : dixit illa Plato, &c. monſtrabunt eſſe ſua, ſi faciant quæ dixerint. Senec. Epiſt. 108.

Lyſander Græco Magarenſi cuidam alto ſermone de Græcorum libertate diſſerenti, dixit, verba hæc potenti indigerent civitate, ſic admoneant bonis & altis moribus.

An non confuſio & ignominia eſt Ieſum crucifixum pauperem & eſurientem factis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre, ſi in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum eorũ ſermonem imitemur, ſed etiam converſationem & abſtinentiam. D. Hieron. habetur can. Eccleſiæ diſt. 35. vnde deponuntur clerici ebrietate dedici. Ibidem. 65. Iſaiæ os igne purgatur. Iſ. 6. E

Cum facta dictis non concordant, idem evenit, vt ſi quis enſem gereret, capulum quidem argenteum habentem, ferrum verò quolibet plumbo imbecillius. D. Chriſoſt. homil. 19. ad popul. Antioch.

In ore bonum geſtamus, in pectore malum. De virtute loquentes, liræ inſtar proprium ſonum non audimus ; malos medicos imitamur, qui ſanitatem, quàm alijs pollicentur ſibi non præſtant. Marſ. Ficin. in Epiſt.

Nulla vel diſſonantia magis offendit, vel conſonantia magis delectat, quàm cordis & linguæ, maximè movet alios, qui prior maximè movetur ; offendit aures qui aliter ore, aliter lyrâ cantat. Divina muſica eſt, rectus cogitationum, verborum, actionum que concentus. Quàm abſurdus eſt ſutor veſte vndique lacerâ, ſibiquiſque primùm conſulat. *Vide Voluntas Bonitatis.* Bonus ſui amor.

Gallus, antequàm lucem nuntiet, & cantet, priùs alas excutit, & ſeipſum feriens vigilantiorem reddit : ſic ſe prædicator ad virtutem excitet, lucem cæteris nuntiaturus. D. Gregor. lib. 30. moral. c. 5.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater vt filijs Dei nominemur & ſimus. Ioan. Epiſt. 1. Hipocrita eijce primùm trabem de oculo tuo Math. 7. Quomodò emendas lumen, qui perdidiſti lumen. D. Aug.

Cant. 1. dicit ſponſa. Annuntia mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie : meridies magnum fervorem, magnumque ſplendorem ſignificat : ergò notum fac mihi qui ſunt ſapientes tui, ſpiritu ferventes, & doctrinâ fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditas corde in ſapientiâ ipſis in hæream in corpore tuo, ipſis ſocier, cum ipſis te fruar. D. Auguſt. ſerm. 50. de verb. dom.

Priùs Chriſtus jejunavit quadraginta diebus quàm pœnitentiam prædicaret. Debent ex corde verba procedere : Cor cordi loquens intelligitur.

Pater qui deſcendit in arenam non poteſt ob id filium exhæredare. l. 21. Cod. de inoff. teſtam. Sic maritus reus adulterij vxorem non poteſt accuſare.

Templum Solomonis ex quadratis lapidibus conſtructum : juſtitia quadrata eſt omni ex parte æquata, in cogitatione, in dictis, in factis. Clem. Alexand. 6. ſtrom. cap. 5.

Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, ſiquidem apud Deum, nec verbum diſſidet ab intentione, quia veritas eſt ; nec factum à verbo, quia virtus eſt, nec modus à facto, quia ſapientia eſt. D. Bernard. homil. 4. ſuper Evang. miſſus eſt.

Qui ædificabant Ieruſalem, alterâ manu pugnabant. Nu. 4. ſemem verbi divini manu, ideſt opere, ſpargendum.

Priùs ardet mons Sinaï, vndè lex, deindè vox auditur. Exod. 19. Priùs in nutricis ſubſtantiam tranſit alimentum, quàm fieri poſſit lac pueris exhibendum, ignis quod ſibi proximum eſt incendit.

Virga Moyſis è manu projecta fit ſerpens, nociva eſt potentia ſinè virtutis operibus.

Quales ſumus verbo abſentes per epiſtolas, tales & in facto. 1. Corinth. 10.

Omnes malè viventes, etſi linguâ taceant, vitâ Domino maledicunt : quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua, ſacrilegium exhalat vita tua : Malè vivendo multas linguas miſiſti in blaſphemiam ; lingua tua vacat hymno, & cæterę te intuentium vacant blaſphemijs, dicere & non facere in arenâ eſt ædificare. D. Auguſt. in Pſal. 102. in fine. *Vide Virtus Cognitionis* ex Theologiâ.

De ratione virtutis humanæ eſt habitus operativus & bonus. 1. 2. q. 55. a. 2. ad 3.

Timeat prædicator vocem illam. Quarè tu enarras juſtitias meas, tu verò odiſti diſciplinam. Pſal. 49. ſivè illam. Amice, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem. Math. 22.

Dentes tui ſicut grex tonſarum. Cant. 4. dentes per quos loquitur Eccleſia ; quaſi grex tonſarum, quia ſarcinas ſæculi depoſuerunt, aſcendentium de lavacro. de mundatione. D. Aug. in Pſal. 94.

Benedixímus vobis de domo Domini. Pſal. 117. Iſta vox magnorum eſt ad puſillos, eorum ſcilicet qui

verbum Deum apud Deum, ſicut in hac vitâ poſſunt, mente contingunt, & tamen ſermonem ſuum propter paruulos temperant, ſivè mente exceſſimus Deo &c. Benedicimus ergo parvulos de interiori domo Domini, vbi laus illa in ſæcula ſæculorum non deficit. D. Auguſt. in Pſal. 117.

In corde meo abſcondi eloquia tua vt non peccem tibi, deindè additur. In labijs meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. Pſal. 118.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, antequàm Chriſtus lucifer oriatur in cordibus veſtris, tales erant filijs Zebedæi, qui antequàm humiliarentur ſecundùm paſſionem Domini, jam ſibi loca eligebant vbi ſederent, revocat illos Dominus ad humilitatem. Surgite poſtquam ſederitis, poſtquam humiliati fueritis, Dominus humiliatus antequàm exaltatus. Id. in Pſal. 126.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris, ſomus ſignificat ceſſationem paſſionum & mori ſenſibilibus.

Apud Ezechielem ſcientibus Cherubim prius mittit manum ad ignem quàm agat, nutrix priùs ſe nutrit quàm puerum.

Arietes cujus coloris ſub linguâ habuere venas, ejus & lanicium eſt in fœtu. Plin. lib. 8. cap. 47.

De his in quibus facta dictis non concordant. V. *Virtus Poteſt. Repugn.* & de his qui multa ſcientes & docentes peccant tamen. *Virtus Cognitionis. Repug.*

Veniam ad vos citò, & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem: non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 1. Corinth. 4.

Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, nè fortè cum alijs prædicaverim ipſe reprobus efficiar. 1. Corint. 9.

Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſus, neque circumciſio aliquid aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura. Gal. 6.

Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multâ. 1. Theſſaloni. 1.

Aliud eſt in mari medio de re nauticâ differere, ſuamque oſtendere fortitudinem, aliud extrà tempeſtatem.

Sex dies ſunt in quibus oportet operari. Sextâ ætate Chriſtus venit in mundùm vt doceret operationem, hoc numero, qui eſt operatorius. *Vide Differentia Magnit.* de Senario.

Sabbatho medicinæ dominicæ opera cœperunt, vt indè nova creatura incipiat, vbi vetus creatura antecâ deſiit, Sabbatho ſanando oſtendit ſe eſſe creatorem qui opera operibus intexuit & opus quod cœperat proſequitur, indè incipiens vbi deſiderat. D. Ambr. lib. 4. in Lucam. cap. 4.

Eſt vera tunc pſalmodia. *Vide Gloria Veritatis.* de pſalmodiâ.

Qui actu eſt in officio, præfertur ei qui antea geſſit. licet pluries geſſerit. l. 1. Cod. de Conſul lib. l. 2. Cod. de Præf. Prætor.

FIDES CVM OPERIBVS.

MISCELLANEA.

Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſâ. Tu credis quoniam vnus eſt Deus, benè facis: & Dæmones credunt & contremiſcunt. Vis autem ſcire ô homo inanis quoniam fides ſinè operibus mortua eſt: Abraham nonnè ex operibus juſtificatus eſt, &c. Sicut corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt ità & fides ſinè operibus mortua eſt Iacobi. Epiſt. cap. 2.

Non tantùm voce clamandum, ſed manu, ideſt opere pulſandum, vt aperiatur. D. Chriſoſt. Hom. l. 18. Lucerna oleo non accenditur: ſed nutritur, ſic fides non ex operibus naſcitur, ſed per opera conſervatur. Id.

Sterilis arbo juſſu Domini in ignem mittitur.

Corporis vitam ex motu cognoſcimus, fidem ex operibus. D. Bernard. ſerm. 2. de reſurrectione Domini. Quid prodeſt peregrino ſcire viam, ſi non illam ſequatur, Fides ſinè operibus eſt vt Dagon præciſis pedibus & manibus.

Eſſentiæ præſtantia, neque mole corporeâ neque externà pulchritudine metienda eſt, ſed operendi facultate, nam vnum quodque eſt gratiâ ſuæ operationis, quæ illi in dignitate debet reſpondere.

D. Thom. 1. q. 66. a. 3. efferit cœlum empyreum, licet ſit ſedes beatorum, tamen in hæc inferiora influere; eſt enim pars vniverſi, in quo non debet eſſe otium.

Quæruntur opera à ſervo, qui infodit pecuniam Domini ſui; à Virginibus, quæ oleum in lampadibus non habebant.

Quid proſunt multæ contemplationes, niſi ſingulæ convenientes incrementum accipiant, vt nec probaretur ager in quo plantæ nunquam ad fructum pervenirent. Philo. Iudæ. lib. de migrat. Abraham.

Sara vocatur à Moyſe ſterilis & fœconda. Virtus, quantùm ad res malas attinet, ſterilis eſt; bonarum vero tàm fœcunda, vt ne obſtreticum quidem opem requirat, partu præveniens eorum operam. Sunt quædam artes quæ in exercitatione tantùm conſiſtunt, vt quid prodeſt curſori ſi podagrâ laboret. Philo. lib. de congreſſu quærendæ eruditionis causâ.

Ecce ignis, ecce ligna, ſed vbi victima? Ecce intellectus calidus, candenſque ſpiritus; ecce intelligibilia tanquàm materia; ſed vbi tertium illud, ſcilicet operari. Id. lib. de profugis.

Columba ad arcam Noë rediens attulit ramum olivæ fructum habentem. Non ſint in te ſola verba, non ſint ſola falia, ſint fructus: Oleum omnibus liquoribus ſupernatat, ſic charitas non poteſt premi in ima, neceſſe eſt vt ad ſuperna emineat, &c. D. Auguſt. tractatu. 6. in Ioan.

Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Ioan. 17. Qui habet in memoriâ & ſervat in vitâ. qui habet in ſermone & ſervat in moribus; opere enim eſt demonſtranda dilectio, nè ſit infirma nominis appellatio. Idem tractatu. 75. in Ioan.

Dum dormit Ieſus in navi fit procella, & Apoſtoli periclitantur; quid eſt quod inducitur dormire Ieſus, niſi quia fides tua, quæ eſt de Ieſu, ſopita eſt in corde tuo? vt libereris excita Ieſum, & dic illi Magiſter perimus. &c. D. Auguſt. ſerm. 221. de tempore.

Pſallite domino in citharâ & voce pſalmi. Pſal. 17. Et voce & manibus, ideſt operibus cantandum; extende manus, & da pauperibus, &c. Idem. ſerm. 222.

De Ioanne Baptiſta dicit Chriſtus, Erat lucerna ardens & lucens: Eſt enim tantùm lucere per propria aut adulatoria dicta vanum; tantùm ardere, parùm; ardere & lucere perfectum. D. Bern. in natali Io. Baptiſtæ ſerm. 1.

Verbum, quemadmodùm in Olympiâ præconium, vocat quidem eum qui vult, ſed coronat eum qui poteſt eſſe invictus; quoniam re verâ verbum non vult eſſe otioſum eum qui credidit. Clem. Alexan. lib. 1. ſtromat.

Fiebat die Sabbatum præcedente neceſſariorum proviſio pro Sabbato, in quo non licebat operari: Sic in hac vitâ operandum vt æternâ cœli requie fruamur. Idem lib. 6. ſtromat. cap. 8.

Munda tantùm erant animalia, quæ ruminabant, & quæ findebant vngulam eos ſignificant qui dictis & operibus, fide & opere Dei legem implent. Idem lib. 7. cap. 10.

Vt corporis, ſic charitatis vires exercitatione augentur.

Sicut corporis hujus vitâ ex motu ſuo dignoſcimus ità & fidei vitam ex operibus bonis: vita corporis eſt anima; fidei autem charitas eſt, que per dilectionem operatur. D. Bern. Serm. 2. de Reſur. Domini.

Rebus creatis vidit Deus quod eſſent bonæ: at id non vidit creato homine, quia bonus aut malus eſt tantùm ex ſuis operibus. D. Ambroſ. lib. 3. de inſtitutione Virginis cap. 3.

Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. 1. Ioan. 5. hæc eſt enim vivida & victorioſa fides, per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris: Chriſtus enim & virtus eſt, & vita noſtra. 1. Col. 3. In gloriâ cum ipſo apparebimus, quia & in ipſo ſuperamus. Idem. Serm. 1. in Paſchat.

Tres panes animæ in ſe reducti apponendi mutuò à Chriſto accipendi, vt intelligat, vt amet, vt operetur. Idem. Ser. in Rogationibus.

Congruum eſt, vt quibus à conſtitutione mundi paratum eſt regnum, ipſi etiam parare ſe regno non negligant, nè parato regno inveniantur regnaturi imparati, vt cœnâ paratâ indigni qui vocati fuerant, Domine quis habitabit &c. qui ingreditur ſinè macula; conformia debent eſſe membra capiti.

Oleum effuſum nomen tuum. Quid facit oleum in vaſis, ſi non ſentias & in membris: quid tibi prodeſt pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem moribus; oleum eſt, effunde, & ſenties triplicem ejus virtutem, vt non ſis ampliùs domus exaſperans. D. Bern. Ser. 14. in Cantica.

Philocletus Dux Athenienſis captis bello Lacedemonijs abſcidi fecit dextræ manus pollicem, vt ſic deinceps non poſſent armis vti, ſed tantùm remis, vt captivi. Sic Dæmon conatur homines efficere inutiles ad bona opera.

Inviſibilis animi ſtatum nuntiet fides & actio; quid dividis actum à fide? iniquè dividis fidem perimens tuam; fides enim ſinè operibus mortua eſt. Munus mortuum offers Deo, ſi enim quædam anima fidei ipſa devotio eſt, quid fides quæ non operatur, niſi cadaver exanimè? benè honoras Deum, munere fœtitudo? benè placas, tuæ fidei interfector? quomodo hoſtia pacifica, vbi tam ſæva diſcordia eſt? non mirum ſi Cain inſurrexit in fratrem, qui ſuam prius occiderat fidem: quid miraris ô Cain, ſi ad tua non reſpicit munera, qui te deſpicit? nec mirum ſi non reſpicit ad te, quia diviſus es in te; non concilias Deum tibi, diſcors tecum; non placas, ſed peccas; etſi nondùm fratricida, jam tamen fideicida teneris: mors fidei eſt ſeparatio charitatis. Credis in Chriſtum, fac Chriſti operâ vt vivat fides tua. Confiteris te noſſe Deum; factis autem negas; non rectè, ſed impiè linguam Chriſto, animam dediſti diabolo: nec ergò fides ſine operibus, nec opera ſinè fide ſufficiunt ad animi rectitudinem, de quâ Cant. 1. Recti diligunt te. D. Bernard. ſer. 24. ſuper cantica.

Multi amant veritatem lucentem, ſed non amant redarguentem: juſtitiamque multi colunt affectu, à quâ procul ſunt effectu, approbantes eam in ſeipsâ, non autem exercentes in ſeipſis: ſed convincuntur juſtitiam non amaſſe, qui non amaverunt te, à quo A fons & origo, & in quem finis & recurſus omnis juſtitiæ. Ioan. 15. dicitur ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione meâ. Idem lib. de amore Dei.

Dicitur Gal. 3. Ex fide juſtificatus eſt Abraham, cum filium obtulit, magnum opus, ſed ex fide: laudo ſuperæ dificationem operis, ſed video fundamentum fidei; laudo boni operis fructum, ſed in fide cognoſco radicem, ſic inutilis eſt radix ſinè fructu; ergò fidem Abrahæ, ſi non præceſſerunt opera, ſecuta ſunt: Numquid enim fides tua ſterilis erit? fides per dilectionem operatur, vt dicitur Roman. 13. & Gal. 5.

Plenitudo legis charitas. Ipſa dilectio vacare non B poteſt, charitas dicitur præcepti finis; non conſumens, ſed perficiens. D. Aug. in Pſal. 31.

Nihil prodeſt nomen Chriſtianum, ſi opera Chriſtiana non fecerimus: ait enim Chriſtus. Quid prodeſt, quod dicitis mihi Domine, Domine, & non facitis quæ dico; quid prodeſt ſi crucis ſigno frontem ſignes, & Chriſti miles dicaris, nec dimices? quid prodeſt ſi de annulo aureo ſigillum facias, & putridas paleas intùs recondas? D. Auguſt. ſerm. 215. de tempore.

Omnes gentes plaudite manibus, ideſt gaudete bonis operibus: Iubilate Deo in voce exultationis: ſi tantùm voce, non benè, quia pigræ ſunt manus: ſi tantùm manibus, non bene, quia pigra eſt lingua: concordent manus & lingua, illa confiteatur, illæ C operentur. D. Auguſt. in Pſal. 46. Dicitur Ioan. c. 8. Si filij Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite.

Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. Pſal. 91. Canta ore, pſalle operibus. D. Auguſt. pſallunt qui cum hilaritate operantur, cum cantico in verbo, cum cythara in opere.

In corde meo abſcondi eloquia tua, & in labijs meis pronuntiavi omnia judicia tua: tamen addit, Doce me juſtificationes tuas: Quomodò poteſt diſcere, qui ſe prædicare profitetur: Iuſtificationes ad opera pertinent, quærit ergò vt poſſit facere quæ memoria tenet. D. Auguſt. in Pſal. 118.

Dicitur 1. Petri 4. Chriſto paſſo in carne, vos eadem cogitatione armamini. Oſtendens enim pertiD nere ad Chriſtum crucifixum, hoc eſt per carnem paſſum, qui in ejus corpore crucifixis carnalibus deſiderijs benè vivit per Evangelium. D. Auguſt. lib. de fide & petib. c. 10.

Cum dicit Apoſtolus. Rom. 5. arbitrari ſe juſtificari hominem per fidem, ſinè operibus legis, non hoc agit, vt perceptâ ac profeſsâ fide opera juſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint, ſequuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum. Ibid. c. 14.

Iacobus ità infenſus eſt his, qui ſapiunt fidem ſinè operibus valere ad ſalutem, vt illos etiam dæmonibus comparet, dicens; Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, benè facis, & dæmones credunt & contremiſcet. E Quid verius, brevius, vehementius dici potuit? Ibid.

Luc 6. Poſtquam Chriſtus manum aridam ſana vit, proponit Iudæis, ſi licet ſabbathis animam hominis ſalvam facere, ſivè quia miracula faciebat propter fidem, in quâ eſt ſalus animæ; vel quod ipſa ſanatio manus dexteræ ſalutem animæ ſignificabat, quæ à bonis operibus ceſſans, aridam quodammodò dexteram habere videbatur. D. Auguſt. lib. 2. quæſtion. Evangelic. quæſt. 7.

Servi libertate donati tenebantur præſtare patronis certas quaſdam operas conventas. tot. tit. Cod. de operis libertorum.

Morbus eſt apud medicos id quod primo actionem lædit.

Valentinianus tripler hominis genus conſtituebat, Choicum, ſaluti degeneratum, id eſt malas animas, nunquàm capientes ſalutaria, illas ad Cain reducentes. Animale genus, mediæ ſpei deliberatum ad Abel. Spiritale denique, certæ ſaluti præjudicatum in Seth recondunt; Ex ijs in Reges & Sacerdotes & Prophetas ad legi dicentes; hos certam, imò debitam dicunt obtinere ſalutem, ideóque nec operationes ſibi neceſſarias exiſtimant, nec vllâ diſciplinæ munia obſervant: hanc enim regulam animali ſemini præſtitutam dicunt, vt ſalutem, quàm non de privilegio ſtatus poſſident, de ſuffragio actus elaborent. Tertulianus lib. adverſus Valentinian. cap. 31.

Operatio qualiter ad profectum virtutis ſit neceſſaria. *Vide Duratio Virtutis.* de morâ in acquirenda virtute, & *Majoritas Virtutis.* de profectu virtutis.

Aiunt quidam ſatis Deum habere, ſi corde & animo ſuſcipiatur, licet actu minùs fiat; itaque ſe ſalvo metu & fide peccare, hoc eſt ſalvâ charitate matrimonia violare, ſalvâ pietate parenti venenum temperare: ſic ergò & ipſi ſalvâ veniâ in gehennam detrudentur, dùm ſalvo metu peccant. Tertul. l. de pœnit.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. In corde ſunt cogitationes, & in brachijs operationes, quia quantùm Deus ab anima ſancta diligatur, voluntate & actione deſignatur, quia amor Dei nunquam eſt otioſus; ſi verò eſt amor magna operatur, ſi autem non operatur, non eſt amor. D. Bernard. l. de modo benè vivendi. cap. 51.

Arteriæ ſunt à corde ad brachia.

Non eſt verus ſacerdos, qui nomen defert, ſed qui opera non exequitur. can. multi. diſt. 40.

Primus eſt Deorum cultus; Deos credere, deindè reddere illis majeſtatem ſuam; reddere bonitatem, ſinè quâ nulla majeſtas eſt; ſcire illos eſſe qui humani generis tutelam gerunt: Vis Deos propitiare, bonus eſto, ſatis illos coluit quiſquis imitatus eſt, &c. Seneca Epiſt. 95.

In capite ſummi ſacerdotis erat lamina ex auro puro, & in hac expreſſum ſanctum nomen Domini; ad pedes autem in fimbriâ tintinnabula & floſculi: ſed ille typus laminæ idea eſt idearum, juxtà quàm Deus mundum expreſſit, ipſa intelligibilis & incorporea: floſculi verò, & tintinnabula ſigna ſunt qualitatum ſenſibilium, quas viſus & auditus judicant: valdè autem accuratè ſubdit, quod audietur ſonus ejus intrantis in ſancta, vt quomodò ad intelligibiles divinas, ſanctaſque res intrat anima, ſenſus quoque à virtute adjuti conſonent, & fiat optima vtriuſque conſonantia, &c. Philo Iud. lib. de migrat. Abraham.

Tamen rectè divina præſtant alijs mali miniſtri. *Vide Minoritas Medy.* debile medium.

Homo creatur maſculus & fœmina. Id eſt intellectus cum operatione, vt ſpiritualis fœtus terram impleat. *Vide Major. Virtut.* Progreſſus ſub finem.

Pulchra veſtis, ſed pulchrior decenter corpori aptata. Pulchri de fide ſermones, ſed pulchriores, ſi operibus impleantur. Ex D. Chriſoſt. Homil. 5. ad populum Antiochænum.

Quid refert credere verum, ſi ſumus nos falſi, ſalutaris veritas eſt bona actio, & verbum verum factum verbi: verbum Dei caro factum eſt, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta eſt.

Plato lib. 6. de Republ. dicit veritatem non eſſe ipſum bonum, ſed lumen quoddam intellectuale, quo illud diſcernimus, vt per ſolem res mundanas: ſed vt Sol non dat tantùm lumen ad viſum, ſed etiam generationem, augmentum; ità & veritas conferre debet ad ſummum bonum.

Valentinus tria conſtituit genera hominum, carnale, animale, ſpirituale: carnalibus inutilia dicebat bona opera, cum non poſſent ſalvari; animalibus vtilia, vt poſſent fieri ſpirituales; ſpiritualibus ſuperflua, vt qui jam eſſent perfecti. Baron. ann. 145.

Maſſaliani hæretici damnati, quod dicerent, quaſi ex Domini præcepto ſemper vacandum orationi, & ſic bona opera charitatis prætermittebant. Baron. an. 361.

Prædicator ſibi primùm debet prodeſſe, quia charitas à ſeipſo incipit. *Vide Voluntas Bonitatis.*

Da Domine ſinè aliquo errore immaculatam tibi ſervare fidem, & juxta fidem digna eſſe opera mea, vt fidem rectam ore pravo non polluam, & te quem benè credendo confiteor, malè vivendo denegem; & te quem ſtrenuâ fide ſequor, actu & negligentiæ operibus non offendam. ex D. Auguſt. lib. de ſalut. docum. inc. aut.

Non ſunt bona opera quæ per fidem & dilectionem non fiunt, quia alterum ſinè altero nullius virtutis fructum parit. D. Aug. l. de verâ innoc. c. 224.

Fidei vigor cordium peccata comburit, delictorum diaboli cum frigus expellit, fluenta libidinum conſumit. Idem ſerm. 31. de ſanct.

Inſeparabilis quippe eſt à bona vita fides, quæ per dilectionem operatur; Imò verò ipſa eſt bona vita. Idem lib. de fide & operib. cap. 23.

Vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, quia juſtus ex fide vit. Idem lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. cap. 9.

Vbi fides ficta eſt, & qui eâ ſimulatè vtitur fallit, & qui eam veram exiſtimat fallitur, nec ex eâ poteſt exiſtere vita bona, quia ex amore ſuo quiſque vivit vel benè vel malè. Idem lib. 5. cont. Fauſt. cap. 11.

Nolite eſſe tanquàm de fide ſecuti, adjungite fidei rectæ vitam rectam, vt Chriſtum confiteamini in carne veniſſe, & verbis vera dicendo, & factis benè vivendo. Idem ſerm. 31. de Verb. Apoſt.

Anima benè erudita gradatim ſe ad mores vitamque optimam, non ſolâ fide, ſed certa ratione producit. Idem lib. de ord. cap. 19.

Alios novi, quos ita inſipientiæ & imprudentiæ tenebroſa ignorantia fallit, vt fidem quàm habere ſe ſimulant ſinè juſtitiæ operibus apud Deum ſibi cenſeant profuturam, & hoc erroris genere decepti ſinè metu crimina nefanda committunt, dùm credunt Deum non criminum ſed perfidiæ tantùm vltorem. Nam ſi nullum crimen, ſed ſola perfidia condemnatur, ergò ſecuri peccavimus & liberi, & ſinè cauſa Deus dedit mandata juſtitiæ, ſi ſola ſinè juſtitiæ operibus fides prodeſt. Si vis vitam habere ſerva mandata, non dixit ſerva tantùm fidem, nam ſi ſola fides quæritur ſuperfluè jubentur mandata ſervari. Non omnes qui dicunt Domine Domine intrabunt in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei. Diſcedite maledicti, eſurivi enim, &c. non dixit vtique quia non credidiſtis mihi, vndè intelligi datur eos non incredulitatis cauſâ ſed propter bonorum operum ſterilitatem eſſe damnandos. Nemo ergo alterum decipiat, nemo ſeducat, niſi quis juſtus fuerit vitam non habet, nec quiſquam Chriſtianum ſe judicet niſi qui Chriſti doctrinam ſequitur & imitatur exemplum. ex D. Aug. lib. de vitâ Chriſt. incert. aut. cap. 13. & 14.

FIDES CVM OPERIBVS.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deus non solùm habuit nos ab æterno in suis ideis, sed indè ad existentiam nos eduxit: hocque beneficium alijs innumeris cumulavit; vt tot donis amoris divini, nostri causâ extrà prodeuntis, gratitudo nostra quantùm fas est respondeat, quæ interna fide concepimus, operibus debemus implere.

MAGNITVDO. Vt homo est opus & imago totius Trinitatis, memoria, intellectu, voluntate; sic integris hisce potentijs debet Deum colere: bonum enim ex integra causâ, nec otiari debet in nobis amor sub amore divino, sic in nostri commodum per omnes mundi partes effuso. Charitas ignis est, opprimi se non patitur, vult diffundi, novamque inquietis suis exagitationibus quærit materiam, cui superveniens angeatur.

DVRATIO. Citò elicitus internus actus fidei non sufficit charitati, æternum amorem æmulanti, & nova in dies molienti; ideò transire debet ad externa opera, ex diversarum causarum concursu semper varia, sic amori, immensa ambienti, sibique nunquàm sufficienti, blandiencia.

POTESTAS. Ad quid potentia, si non reducatur ad actum? qualis fides, quæ operibus non comprobatur? Non sufficit vassallo Dominum feudi verbis agnoscere, nisi conventa præstentur homagia, obsequia, opera, debitique exalvantur canones: Non jacent sepultæ vires rerum naturalium, sed totis viribus in actum prodeunt, imò & fœcunditate suâ se exhauriunt, vt nos juvent; & doceant, eâ lege sic in vsum nobis esse concessas, vt in gratiarum actionem, quod in nobis est bonorum operum fructu explicemus.

COGNITIO. Major fidei lux excludit omnem cum ignorantiâ excusationem: Reus enim magis est, qui sciens voluntatem Domini illam negligit implere. *Vide Virtus Cognitionis.*

VOLVNTAS. Voluntas subordinata est intellectui, vt quantùm in eo est luminis, tantùm sit in ea dilectionis & operis: Intellectus illustrat, Voluntas præcipit, & potentias ad opera promovet. Amor si verus est, magna operatur. *Vide Potestas Voluntatis. Vis amoris divini.* Vult autem & non vult piger, qui rei difficultate territus complicatis manibus miratur quod non audet consequi; hoc autem est non sibi sed alijs velle.

VIRTVS. Ex Platone & Aristotele virtus dicitur moralis, quia ideis boni non contenta mores illis conformat, servato recti ordine, & expugnatis quæ in contrarium insurgunt adversis: prudentiæ enim & justitiæ partes sequitur fortitudo; seque virtutes omnes mutuis promovent auxilijs, conjunctisque viribus de falso simul & malo triumphum agunt.

VERITAS. Nemo alium, nemo seipsum probum ab improbo discernit, nisi operibus comprobatum: Non mihi credo, nescio me veram fidem habere, nisi cum illius causâ & pro mandatorum Dei impletione mihi ipsi, sensibilibus, mundanisque omnibus renuntiavero. Vt quid Deus præcepta dedisset, si non essent servanda? vt quid Verbum incarnatum Christus vitam asperam ad exemplum duxisset inter homines, si fides sufficiens esset sine operibus.

GLORIA. Passim in scripturis sanctis æterna beatitudo promittitur, vt præmium bonis operibus, vt merces operarijs, vt corona certantibus; vt crucis

A Christi, non idealis, sed realis imitatoribus quidam resurrectionis triumphus: Non superavit mundum Christianus, si externis suis operibus legem non dixerit, si vivat adhuc ad arbitrium Principis tenebrarum & mundi; Sic enim patitur Christi in se imperium, imò destruit, dùm imaginariam illi fidem assignat, & realia opera diabolo ejus hosti.

DIFFERENTIA. Peregrinamur hîc à Domino, via autem non cogitatione tantùm, sed affectu laboribus sufficienti est conficienda. Terminus à quo istius motus est; quidquid sensibus, quidquid mundanis cupiditatibus, & inordinato sui amori blanditur; hæc non fide tantùm, sed realiter sunt deserenda; his verè motiendum, vt in novum transformemur hominem, creatum in justitiâ & veritate.

B CONCORDANTIA. Quid inutiliter tentas pugnantia conectere, fidem scilicet quæ Christum confitetur, cum operibus, quæ illum blasphemant. Plùs est cautionis in re quàm in persona; plùs factis creditur quàm dictis; ex regula juris, plùs valet quod agitur quàm quod simulatè concipitur. O citò dissolvenda Ecclesia, si staret tantùm fide invisibili, neglectis externis bonis operibus: Quomodò consistere posset sancta congregatio, beatorum æmula, sinè bonis operibus? sinè quibus non subsisteret civilis hominum, imò & prædonum societas.

CONTRARIETAS. Christianæ militiæ nomen dedimus, non vt simus spectatores, sed certantes, positi in spectaculum Deo, Angelis & hominibus. Instruit nos
C Apostolus armis, vtique non necessarijs, si fide tantùm non operibus pugnandum esset; perfidè consentimus cum hostibus Christi, si vanis adhuc scelerisque detinemur.

PRINCIPIVM. Fides janua est Christianæ virtutis, non est autem in limine consistendum; præit lumen fidei, sed illustratum ab eo sequendum est iter: Infantilem totam vis esse viram Christiani; totam in aurorâ, quæ ad plenitudinem ætatis Christi, perfectamque diem debet crescere.

MEDIVM. Clauditur circulus eodem quo cœperat puncto; amore effectivo à principio nostro originem duximus, & in illud restituimur: ars hæc divina non mentem tantùm, sed & manum desiderat. Movet
D nos & trahit gratia, sed sequendum & in divinitatis odorem currendum.

FINIS. Fides ordinatur ad spem & charitatem: non est ergo in fide solâ consistendum, sed ad charitatem, quæ tota in actu est, tendendum.

MAIORITAS. Plùs est credere simul & operari, at divina sapientia verbo & exemplis docuit sinè dubio quod perfectius erat. Aliquid suprà fidem ambiebat Apostolus, cum dicit se præteritorum oblitum, in anteriora ferri: castigo corpus meum, &c.

ÆQVALITAS. Si Christianus fidem suam bonis operibus non comprobet, similis erat mundanis, paganis, idololatris; sic non erit Christi bonus odor; per
E ipsum blasphemabitur Christus, putabitur, enim fidem Christianam id præcipere, quod ipse facit.

MINORITAS. Ecclesia dicitur passim regnum cœlorum, vndè defectus omnis exulat: vt quid divina in nobis forma, si non moveat? Non est mortuus in nobis vetus homo, si superstint ejus opera.

VERA PIETAS, PVRITAS & attentio in oratione.

ORatio, est oris ratio, per quàm nostri cordis intima manifestamus Deo. D. Thom. 2.2.q.84.a.4.

Vide Poteſtas Virtutis. Quod impiorum orationes Deus rejicit.

Pythagoras impari numero Dijs ſuperis dicebat ſacrificandum : ideſt maſculo, & indiviſibili. *Vide Magnitudo Virtutis.*

De rerum omnium abdicatione, de paupertate voluntaria & Evangelica. *Vide Minoritas Poteſtatis, & Minoritas Medij.*

Accedentes ad orationem dicere debemus illud Prophęticum. Pſal. 41. Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. Cogitemus nos cœleſtem curiam intrare, in quâ Rex Regum ſtallato ſedet ſolio, cui millium miniſtrant : quanta ergò reverentia aſſiſtere debemus tantæ majeſtati, in conſilio juſtorum & congregatione? ex D. Bernardo ſermone 4. de Modis orandi.

Cyprian. de oratione dominica. Quæ ſegnities, inquit, alienari, & capi malis prophaniſque cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quòd cùm Deo loquaris ; quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſum non audias? vis Deum eſſe memorem tui, cum rogas, cum tu ipſe memor tui non ſis? hoc eſt ab hoſte in totum non cavere ; hoc eſt, quandò oras Dominum, majeſtatem ejus negligentiâ orationis offendere : hoc eſt vigilare oculis & corde dormire, cum debeat Chriſtianus & cum dormit oculis corde vigilare ; vt dicitur in Canticis, Ego dormio, & cor meum vigilat.

Cuſtodiamus cor ab immundis cogitationibus ; vt Abraham ſacrificium ſuum ab avibus, ne illud raperent. D. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 20.

Qui animo ab oratione alienus eſt, non hominem, ſed ſtatuam ſiſtit Deo.

Videat quiſque quid levet, & quò levet, quale cor levet, videat ; quia ad Deum levat, ne ſarcina voluptatis carnalis prægravatus, antè cadat quàm fuerit ſublevatum. D. Auguſt. Tract. 1. in Ioan.

Quidam Rex Thraciæ in templi frontiſpicio inſculpi fecit aquam & gladium, ſignificans eum mereri pœnam gladij, qui aquâ, ideſt purgatione, non eſſet vſus.

Qui habet aures audiendi audiat, Lavabo inter innocentes manus meas, vt audiam vocem laudis. Pſalm. 25.

Vbi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ero in medio eorum. Id eſt mente & corpore in templo debet eſſe, & ideò quando quiſque noſtrum antè judicem ſuam æternam cauſam commendaturus aſſiſtit, non aliud intùs appareat, & aliud foris erret : nihil ab homine de parte hominis abſentet ; nam quomodò probabitur congregatus, ſi à ſemetipſo cogitationum vagatione diſperſus eſt? aut quomodò erit Deus in medio tui, ſi tecum ipſe non fueris ; ſi deeſt ille qui poſcit, quomodò aderit ille qui poſcitur ; quomodò ſuſcitabitur judex, ſi dormitaverit advocatus? Revoca intrò ſollicitam mentem, de templo De abſentare non decet ſacerdotem. Euſebius Emiſen. Hom. ſuper illud, Vbi fuerint, duo aut tres congregati.

Clauſo oſtio ora Patrem tuum. Math. 6.

Chriſtus oraturus, avulſus eſt à diſcipulis : ſola autem tibi indicitur mentis & ſpiritus ſolitudo : Solus es ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, &c. D. Bernard. Serm. 40. ſuper Cantica.

Fieri non poteſt, vt aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur : intende ergo illi, qui intendit tibi, audi illum loquentem tibi, vt ipſe exaudiat loquentem ſibi. D. Bernard. Meditatione. 6. Væ mihi quia ibi pecco, vbi pecca emendare debeo. Ibidem.

Cantate Canticum novum, benè Cantate ei, &c. Cantate, ſed non malè : Deus non vult offendi aures ſuas, ſi timemus cantare coràm experto muſico, quoniam reprehendit artifex, quod imperitus non agnoſcit, quantò magis, &c.

Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltavi ſub linguâ meâ. Pſalm. 65. Non tantum linguâ, ſed & ſub linguâ ; vt quod certus loqueris, hoc tacitus cogites. D. Auguſt. in Pſal. 65.

David inveniſſe ſe dicit cor ſuum vt oraret, quaſi ſoleret ab eo fugere. 2. Prov. 7. Quoniam cor meum dereliquit me. Pſalm. 39.

Quoniam tu ſuavis & mitis. Pſalm. 85. Dicitur mitis, quia patitur iſta noſtra, nec meminit tantas quas incondità fundimus preces, & accipit vnam, quam vix invenimus : quis enim Iudex patiatur reum coràm ſe cum alio confabulantem, & tolerat Deus corda precantium, & diverſas res cogitantium. D. Auguſt. in Pſal. 85.

Sicut aures corporales ad os hominis, ſic cor hominis ad aures Dei : Multi clauſo ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur : affectibus orare debemus. Idem in Pſalm. 119.

Auribus percipe Domine vocem orationis meæ. 139. Non dicit deprecationem meam, ſed vt evidentius exprimeret affectum animi ſui, ait vocem deprecationis meæ, vitam deprecationis meæ, animam deprecationis meæ. Non quod ſonat in verbis meis, ſed vndè vivunt verba mea ; cæteri enim ſtrepitus ſinè anima, ſoni dici poſſunt, voces non poſſunt ; vox propriè intelligentium eſt. D. Auguſt. in Pſalm. 139.

Lauda anima mea Dominum. Pſalm. 145. Magnum eſt quod laudamus, ſed quo laudamus adhuc infirmum eſt : Laudabo Dominum in vita mea, non in morte : Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem ſenſum, & laudabo Deum, vt poſſim à multis in vnum confluere ; vndè mors tua eſt, non cantes ; vndè vivis, canta. Pſallam Deo meo quandiù ſum es autem illi adhærendo, non ad alia vagando. Idem.

Orantes ad Orientem convertimur, vndè cœlum ſurgit, non tanquàm ibi ſit Deus, & quaſi cæteras mundi partes deſeruerit, qui vbique præſens eſt, non locorum ſpatijs, ſed majeſtate potentiæ ; ſed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, ideſt ad Dominum, cum ipſum corpus ejus, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, ſcilicet cœleſte convertitur : & tolerabilius eſt, ſi hi qui adhuc aliquid incorporeum non valent cogitare, Deum potius in cœlo credant eſſe, quàm in terrâ. At cum aliquando cognoverint dignitatem animę cœleſte etiam corpus excedere, magis Deum quærant in anima quàm in corpore cœleſti. D. Auguſt. lib. 2. de ſermone Domini in monte. cap. 5.

Domine non confundar, quoniam invocavi te. Pſ. 30. Quomodo tantam mercedem petit, quia Deum invocaverit, cum & impij eum invocent vt fraudem compleant? Invocant quidem illi, ſed non invocant Deum : Invocas Deum, quandò in te vocas Deum ; hoc eſt enim illum invocare, illum in te vocare, in benè præparatum cordis tui habitaculum. Si enim tibi dicat Deus ; Ecce invocaſti me, venio ad te, ſed quo intrabo, tantas ſordes conſcientiæ tuæ ſuſtinebo? Invocas me in cor tuum & plenum eſt rapinis, &c. D. Auguſt. in Pſalm. 30. conc. 3.

Idem ſic interpretatur illud. Pſalm. 33. Exquiſivi Dominum & exaudivit me, non aliam rem quæſivi.

Pſal. 39. Prius dicitur. Eduxit me de lacu miſeriæ ; deindè additur, Et immiſit in os meum canticum, novum, carmen Deo noſtro. Magnus Dominus & lau-

dabilis nimis, ſed additur, in civitate Dei noſtri, in A monte ſancto ejus: ideſt in ſancta Eccleſia, & in mundo corde. D. Aug.

Deo noſtro ſit jucunda laudatio. Pſalm. 146.

Benè conſonans vita cum oratione; plùs enim attendit quod vivas, quàm quod ſones: quomodò cum illo quem laudas quæris pacem, quandò à teipſo diſſonas, cum aliud ſonat lingua, aliud indicat vita? Dei aures, non ad os, ſed ad cor; non ad linguam, ſed ad vitam laudatoris patent. D. Auguſt. in Pſal. 146.

In loco in quo Principis imagines conſecrantur, & ponuntur, vt in publicis parietibus non debent fieri ſpectacula, nec hiſtriones, vel viles picturæ produci. Theodoſ. & Arcad. l. 4. C. de Spectacul. *Vide Gloria Poteſtatis.* B

Talis eſt Deus ergà nos, quales ſumus ergà ipſum. *Vide Æqualitas Voluntatis.* Mutuus Dei & hominum amor.

Apud Romanos, antè ſacrificia Præco clamabat: Hoc age; ideſt prætermiſſis rebus humanis, purâ mente intende diuinis. Plutarch. in Numa. Hic Numa juſſit Romanos in templis ſedere, quaſi non perfunctorie & tranſeuntes ſacra peragerent: quieſcentibus etiam major attentio. Idem Numa non deſtitit ab incœpto ſacrificio cum nuntiaretur hoſtes inſtare. Ibid.

Pythagoricum erat præceptum, Adoraturi & ſacrificaturi ſedeant. Apud Romanos erant capite velato, quaſi à rebus cæteris averſi.

O fili mi Tati, nè ſinè propoſito laudes cantato di- C vinas. Mercur. Triſmig.

Antè orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Eccleſ. 18.

Fruſtrà Deum quærit, qui non adhibet ſe ſolum ſoli, immobilemque ſtabili, ſimplicem ſimpliciſſimo: quemadmodùm enim non poſſumus enti per non ens conjungi, ſic neque vnitati per multitudinem, & ſtabilitati per motum, & ſimplicitati per mixtionem, ſed relabimur protinùs in oppoſitum. Iamblicus.

Dicit Iſai. c. 6. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Seraphim juxtâ illud, &c. Magna reverentia in orantibus qui ſic Deum contemplantur.

Effundite coram illo corda veſtra. Pſalm. 61. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine deprecatus D ſum faciem tuam in toto corde meo. Pſal. 118. Orabo ſpiritu, orabo & mente. 1. Cor. 14. Deus increpat populum. Iſay. 29. Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longe eſt à me. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ierem. 48. Orationi inſtate vigilantes in eâ, cum gratiarum actione. Coloſſ. 4.

Ideò dicitur ſurſum corda; clauditur contrà adverſarium pectus, vt ſoli Deo pateat. D. Cyprian. de Orat. Domini.

Magis corde quàm vocibus cantandum. diſt. 92.

Apud Græcos, & Perſas in publicis neceſſitatibus amicæ dijs ſupplicabant, ardentiùs enim ſupplicant. Athen. l. 13. cap. 11.

Herodes Sophiſta Athenienſis eos qui reconditis pecunijs eſſe ſacrificandum cenſebant Aloadas co- E gnominabat, qui poſtquàm Martem in vincula conjeciſſent ei ſacrificaverunt. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum.

Æſculapij Sacerdotes Dei monitu reſpuerunt munera cujuſdam divitis, qui petebat ſibi reſtitui oculum effoſum ab vxore à quâ fuerat deprehenſus in adulterio, tales enim non ſacrificant vt Deum honorent, ſed vt vitent debitas ſceleribus ſuis pœnas. Philoſtrat. in vitâ Appollonij. lib. 1. capite 7. & 8.

Orationis puræ magna eſt virtus, & velut fidelis nuntius, mandatum peragit & penetrat, quo caro non pervenit. D. Aug. in Pſal. 65.

Nec lapides, nec vectes, nec pugni, nec calces ſunt quibus pulſamus ad Dominum, vita pulſat, vitæ aperitur; corde petitur, corde quæritur, corde pulſatur, cordi aperitur. Idem. Serm. 234. de Temp.

Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt, nec admonendus clamoribus qui cogitationes videt. Orantes non infructuoſis, non nudis precibus ad Dominum veniant: inefficax petitio eſt cum precatur Dominum ſterilis oratio, citò orationes ad Dominum aſcendunt, quas ad Dominum merita noſtris operibus imponunt. Idem. Serm. de orat.

Ad divos adeundo caſtè, pietatem tenento, opes amovento, ſi quis ſecus faxit, Deus ipſe vindex eſto. Cic. lib. 1. de Leg.

Ipſius eſt oratio perfecta, cujus & cauſa clamat, & lingua, & actus, & ſermo, & vita, & cogitatio. Caſſ. Sup. Pſal. 16.

Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor eſt mutum, ſicut enim vox ſinè modulatione eſt quaſi vox porcorum, ſic oratio ſinè devotione eſt quaſi mugitus boum Iſid. de Sum. bono. lib. 3.

Oratio cordis eſt, non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus exaudit, ſed orantis cor aſpicit; meliùs eſt cum ſilentio orare corde ſinè ſono vocis, quàm ſolis verbis ſinè intuitu mentis. Ibid.

Quid prodeſt ſtrepitus oris muto corde? D. Aug. Tract. 9. in Ioan.

Vide Gloria Principij. Reverentia in templis.

SACRIFICIVM orationis.

SAcrificamus pro ſalute Imperatoris ſed Deo noſtro, & ipſius, ſed quomodo præcipit Deus, pura prece. Tertulian. ad Scapulam.

Apud Delos altare erat, apud quod nullum animal offerebatur vel ſacrificabatur, quod ideò piorum vocatum eſt: & aſſerit multis in locis Porphyrius, externa ſacrificia dijs grata non eſſe. Vndè Deus qui vbique vult adorari, ſacrificia tamen noluit offerri niſi in Ieruſalem, vt illa difficultate, & rarò & pauci ſacrificantes ſenſim ad meliora diſcerent contendere. Cyrill. Alexandr. lib. 9. contrà Iulian.

Chriſtus perfectos dicit Patrem adoraturos in ſpiritu & veritate. Ioan. 4.

Offerimus in odorem ſuavitatis Deo virtutes omnigenas, fidem, ſpem, charitatem, &c. Perpetuas laudes. &c. Miſericordiam, inquit, volo, non ſacrificium. Oſee 6. & 1. Reg. 15. Sacrificabo hoſtiam laudis: Circuivi & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam laudis, & Roman. 12. Exhibete corpora veſtra, hoſtiam viventem, &c. Apud me oratio Deo vitæ meæ. Pſ. 41. Non navigabo, vt de longinquo afferam thura & ſacrificia, intùs habeo victimam quàm immolem, intùs habeo thus quod imponam, intùs habeo ſacrificium quo flectam Deum meum: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, & hoc eſt ſacrificium, dicam Deo ſuſceptor meus es. D. Auguſt. in dict. Pſalm.

Immola Deo ſacrificium laudis. Pſal. 49. O ſacrificium gratuitum gratia datum; non hoc emi quod offerrem, ſed tu donaſti, nam alioquin non haberem. Imperator noſter quod à nobis exigit vectigal priùs tribuit, & hoc ſacrificium laudis eſt ei gratias agere de omnibus quæ habes. Invoca me, & honorificabis me. D. Auguſt. in d. Pſal. 49.

In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi? Pſal. 55. O divitiæ interiores, quas fur &

Dæmon non potuerunt tollere à corde Iob. Ipſe dederat Deus, vndè accipiebat, ipſe ditaverat, vndè illi offerebat quod amabat: volens habere aurum ſæpè perdit: fidem nemo amittit, niſi qui ſpernit. D. Auguſt. in Pſal. 55.

Appollonius Pythagoræ diſciplinam ſecutus abſtinebat à ſacrificijs animalium, & tantùm Deo orationes cum thure offerebat. Id etiam faciebant Brachmanæ ſapientes Indi, quos adivit. Philoſtrat. in vitâ Appollonij. De incruento ſacrificio. *Vide Minoritas Contrarietatis.* Sacerdotum clementia.

Et in nomine tuo levabo manus meas. Leva ergò manus in oratione: levavit, pro nobis Dominus Deus noſter manus ſuas in cruce, & extenſæ ſunt manus ejus pro nobis: Ideò extenſæ ſunt manus ejus in cruce, vt manus noſtræ extendantur in bono opera, quia crux ipſius nobis miſericordiam præbuit; Ecce levavit ille manus, & obtulit ſacrificium Deo ſeipſum, & per illud ſacrificium deleta ſunt peccata noſtra; levemus & nos manus noſtras ad Deum in prece & non confundantur manus noſtræ levatæ ad Deum, ſi exerceantur in bonis operibus. D. Aug. in Pſalm. 62.

EX VTROQVE IVRE.

QVomodò oporteat Monachos vivere. Novella. 133.

Iuris præcepta ſunt, honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere. l. 10. §. 1. ff. de juſt. & jure.

Virtus hominis non in corpore, ſed in mente, vndè cæcus poteſt adoptare. l. 9. ff. de Adoptionib.

Miles cenſetur abeſſe Reipublicæ causâ, cum licentia domum proficiſcitur, aut cum redit, ſed non cum domi remanet. l. Miles. 34. ff. Ex quibus cauſis majores. Fruitur tantùm ſuis privilegijs cum eſt in expeditione. l. penult. Cod. de teſtam. milit. Et ſola militia non præbet beneficium reſtitutionis, ſed tantùm occupatio circà res militares. l. Final. Cod. de Reſtitut. milit. Sic præſcriptiones currunt contrà eos qui domi aut alibi extrà expeditionem delitiarum causâ morantur. l. fin. Cod. quibus non objicit præſcriptio.

Virtus eſt in opere; ſic adminiſtrationem habentes præferuntur vacantibus, ideſt habentibus dignitatem ſinè adminiſtratione; & vacantes præferuntur honorarijs in ſimili dignitate conſtitutis, non in pari. l. final. Cod. vt dignitat. ordo ſervetur.

In illâ ſtipulatione, per te non fieri, non hoc ſignificatur nihil te facturum quominùs facere poſſis, ſed curaturum vt facere poſſis. l. 50. ff. de Verbor. obligatio.

Vidua non ſervans habitum luctus non fit infamis, ſed quæ antè annum nubit. l. 15. Cod. de quib. cauſ. infam. irroget.

Iuſtitia conſiſtit in æquanimitate, non in vſu aut abſtinentia cibi. Can. Quod dicit diſt. 41.

Sacrilegij inſtar eſt, dubitare an is dignus ſit quem elegerit Imperator. l. 2. C. de crimine ſacrilegij.

Integritas mentis jejunio eſt præferenda. Can. non mediocriter. de conſecrat. diſt. 1

Non poteſt quis admitti ad Monaſterium, niſi volens. cap. Nullatenus. de Regularib.

Sine Papæ licentiâ non licet quemquam venerari pro ſancto. cap. Cum eo & ſeqq. de Reliquijs & venerat. Sanctorum.

Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat, non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio. In Canonib. Apoſt. c. 77.

Sacramenta continent gratiam, quàm ſignificant Concil. Trident. Seſſ. 7. c. 6.

EX THEOLOGIA.

VEra virtus pendet à voluntate, & intentione. *Vide Virtus Voluntatis.*

Actio humana eſt bona vel mala quadrupliciter, ſcilicet ex genere, ex objecto, fine, circonſtantijs & hujuſmodi. 1. 2. q. 18. & q. 20. a. 1.

Prima bonitas vel malitia actus moralis, eſt ex objecto convenienti, ſicut in naturalibus ex forma: & dicitur bonum vel malum ex genere, id eſt ſecundùm ſpeciem.

Vnus numero actus in genere naturæ poteſt eſſe bonus & malus moraliter, non autem vnus numero in genere moris. 2. 2. q. 20. a. 6.

Actus exteriores ſunt ad finem interiorem, qui ſe habent vt finis, ſcilicet credere, diligere & ſperare. 3. q. 84. 8.

Actus exteriores ad illam virtutem referuntur, ad quàm pertinet illud quod eſt motivum ad agendum. 2. 2. q. 32. a. 1.

Dilectio Dei eſt finis omnis actionis hominis. 2. 2. q. 27. a. 6. ad 3.

Omnia analogata neceſſariò dicuntur per reſpectum ad vnum primum. 1. q. 13. a. 6.

Virtutes morales ſunt in Deo & Angelis exemplariter tantùm. 1. 2. q. 57. a. 1. ad 1.

Omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis. 1. 2. q. 110. a. 4.

In brutis eſt ſimilitudo boni moralis, ſcilicet virtutum, ſecundùm paſſiones tantùm. 1. 2. q. 24. a. 4.

Animal ſacrificandum debebat habere quatuor, ſcilicet integritatem, ſanitatem, ſuavitatem & ſal. 1. 2. q. 102. a. 2. ad 2.

Boni mores dicuntur, qui rationi congruunt; mali verò, qui à ratione diſcordant. 1. 2. q. 190. a. 1.

Actus charitatis non poteſt eſſe informis. 2. 2. q. 24. a. 12. ad 4.

Chriſtus habuit plenitudinem omnis gratiæ dupliciter, ſcilicet in ſummo, & quoad omnes effectus gratiæ. 3. q. 7. a. 7. ad 1.

Omnes gratiæ gratis datæ fuerunt in Chriſto excellentiſſimè. 3. q. 7. a. 7.

Ratio virtutis magis conſiſtit in bono quàm in difficili; ideò magnitudo ejus magis menſuranda eſt ſecundùm rationem boni, quàm ſecundùm rationem difficilis. 2. 2. q. 12. a. 3.

Decor Eccleſiæ principaliter conſiſtit in interioribus, ad quem etiam actus exteriores pertinent, in quantùm ab interiori decore progrediuntur, vel ipſum conſervant. 1. 2. q. 101. a. 2. ad 7.

Fermentum non offerebatur in ſacrificijs; quia eſt quid corruptum, & quia offerebatur idolis. 1. 2. q. 110. a. 3.

Fomes peccati non fuit in Chriſto. 3. q. 15. 2.

Sacramenta novæ legis conferunt gratiam, non autem Sacramentalia, ſed removent contrarias diſpoſitiones, & impedimenta, ideò ſecundum illa multiplicantur. 3. q. 71. 3. 2.

Poſſimum ſacrificium eſt quo Chriſtus ſe obtulit Deo, ideò omnia ſacrificia erant ad figurandum hoc vt perfectum per imperfecta, quorum rationes ſumi debent ex eo. 1. 2. q. 102. 3. c.

Sacrificium Chriſti fuit efficaciſſimum ad delendum peccata ration Deitatis. 3. 9. 22. 3. 2.

Sanctitas importat duo neceſſaria ad applicationem

nem mentis ad Deum, ſcilicet munditiam & firmitatem 2. 2. q. 81. 8. 0.

Chriſtus quemcumque curavit, totum ſanavit, ſcilicet mente & corpore. 3. 9. 44. 3. 3. 9. 86. 5. 1.

Ex propoſito ſatisfaciendi gratia confertur, licet ſatisfactio actualis gratiam præſupponat 3. q. 90. 3. 2.

Satisfactio in propoſito cauſat gratiam, ſed in executione auget, ſicut & Baptiſmus. 3. q. 9022.

Chriſtus per mortem ſuam ſufficienter ſatisfecit pro peccatis humani generis, etiamſi eſſent plura 39. 46. 13.

Satisfactio dicitur eſſe actus virtutis, non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter. Suppl. quæ. 12. 1. 5.

Lex eſt regula actuum agendorum, vel omittendorum. 1. 2. q. 90. a. 1.

Munditia cordis duplex, ſcilicet ab affectionibus inordinatis, per virtutes & dona appetitus; & à phantaſmatibus & erroribus, per donum intellectus: & hæc eſt completiva viſionis Dei; prima autem diſponit ad eam. 2. 2. q. 8. a. 7.

Nitor animæ duplex, ſcilicet ex refulgentiâ luminis naturalis rationis, & refulgentiâ Dei. Iterùm duplex; ſcilicet habitualis & actualis; ſicut duplex nitor corporis, ſcilicet intrinſecus, & extrinſecus. 1. 2. q. 86. a. 1. & 89. a. 1.

Perfectio hominis eſt, vt contemptis temporalibus ſpiritualibus inhæreat. 1. 2. q. 99. 2. 6.

Regnum Dei principaliter eſt in interioribus: conſequenter in iis, ſinè quibus illa non poſſunt eſſe. 1. 2. q. 108. a. 1. ad 1.

Perfectio Religionis integratur ex tribus votis, paupertatis, continentiæ & obedientiæ. 1. 2. q. 186. a. 7.

Virtus aliquandò ſumitur pro omni eo quod poteſt eſſe principium operationis, vel motus. 1. 2. q. 26. a. 2. ad 1.

Virtus importat directè diſpoſitionem habentis ſe convenienter, ſecundùm modum ſuæ naturæ: ſed conſequenter importat bonitatem. 1. 2. q. 71. a. 1.

Virtus eſt perfecti diſpoſitio ad optimum, in quantùm dicit operationem, per quam res finem ſuum conſequitur. 1. 2. q. 110. a. 3.

De ratione virtutis humanæ eſt habitus operativus & bonus. 1. 2. q. 55. a. 2. ad 3.

Virtus dicitur vltimum potentiæ, quia ad illud potentia ordinatur, ſcilicet ad objectum, quia ibi virtus ſumitur pro objecto. Ibidem.

Virtutes circa actiones & virtutes in voluntate, vel virtutes in intellectu practico vel ſpeculativo ſinè imperfectione ſunt proprie in Deo; non autem virtutes circa paſſiones in bonum ſpirituale, niſi metaphoricè; ſed virtutes circa paſſiones in bonum corporale nullo modo. 1. q. 41. a. 1. ad 1.

De ratione actus virtuoſi ſunt quatuor; ſcilicet quod operans ſciat, quod eligat, propter bonum, & immobiliter. 1. 2. q. 110. 9.

Virtutes Theologicæ habent duplicem regulam ſeù menſuram; ſcilicet Deum, & capacitatem noſtram. 1. 2. q. 64. a. 4.

Bonitas aut malitia actus voluntatis dependet ex objecto, ex ratione & ex lege æternâ 1. 2. q. 19.

Virtus facientis integra. *Vide Mag. Virt.*

Virtus moralis nihil eſt aliud quàm habitualis quædam conformitas virium inferiorum ad rectam rationem.

Virtus eſt quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. 2. 2. q. 47. a. 6.

Diſcalceatis pedibus vt Moyſes, ideſt abjectis terrenis, ad divinam ſimplicitatem ferrimens enim purgata illuſtratur à Deo, vt purgatus oculus a ſole. *Vide Differentia Minoris.*

Artificiales formæ ſunt accidentia, ars enim agit extrà, natura verò intrà.

Quidam actus per tota participantia penetrant, vt albedo per totam ſubſtantiam lactis; quidam ſunt tantùm in ſuperficie.

Effectus gratiæ quintuplex, ſcilicet ſuavitas animæ, velle bonum, efficaciter operari, perſeverantia in bono, & perventio ad gloriam. 1. 2. q. 111. a. 3.

EX BIBLIIS.

EZechias contrivit ſtatuas, diſſipavit excelſa, ſuccendit lucos, incendit ſerpentem æneum quem fecerat Moyſes, quod non fecerant priores Reges. 4. Reg. 18.

Quid mihi multitudinem victarum veſtrarum? dicit Dominus: quis hæc quæſivit de manibus veſtris; nè offeratis vltrà ſacrificia veſtra, incenſum abominatio eſt mihi, &c. Cum multiplicaveritis orationem non exaudiam, manus enim veſtræ plenæ ſanguine ſunt: Lavamini, mundi eſtote, quieſcite agere perversè; diſcite benè facere, ſubvenite oppreſſo, &c. Iſai. 1.

Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum. Iſai. 26.

Qui ambulant in juſtitijs, & loquitur veritatem, qui obturat aures ſuas nè audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos nè videat malum: iſte in excelſis habitabit; munimenta ſaxorum ſublimitas ejus, panis ei datus eſt, &c. Iſai. 33.

Hoc eſt jejunium quod elegi, diſſolve colligationes impietatis; ſolve faſciculos deprimentes; frange eſurienti panem tuum, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris; tunc erumpet quaſi manè lumen tuum; invocabis & Dominus exaudiet. Iſai. 18. Vera virtus eſt cum charitate ergà proximum. *Vide Virtus Bonitatis.*

Populo peccatori dicit Deus Ierem. 6. Vt qui mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuavè olentem de terrâ longinquâ: holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi. Ie. 6. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Ierem. 48. & maledictus qui prohibet manus ſuas à ſanguine. Ibidem.

Miſericordiam volo & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquàm holocauſta. Oſee. 6.

Odi & projeci feſtivitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum: munera veſtra non ſuſcipiam. Amos. 5.

Numquid placari poteſt Deus in millibus arietum? &c. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere judicium, & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Mich. 6.

Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile Domino. Malach. 1.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino. Pſal. 4.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. Pſ. 18.

Apud me oratio Deo vitæ meæ; dicam Deo ſuſceptor meus es. Pſ. 41.

Omnis gloria ejus, filiæ regis ab intùs. Pſ. 44. In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Pſ. 55.

Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltavi ſub linguâ meâ. Pſ. 65.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intrà

me ſunt nomini ſancto ejus. Pſal. 102. Confitebor tibi in toto corde meo. Pſ. 110.

Laudate pueri Dominum. Pſ. 112. id eſt Innocentes.

Falsò Phariſæi accuſant diſcipulos Chriſti quod non lavent manus, cum manducant panem, quod inquit Ieſus, intrat in os, non coinquinat hominem. Math. 15.

Ieſus ejicit ementes & vendentes de templo. Domus, inquit, mea, domus orationis vocabitur. Mat. 21.

Martha turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium. Luc. 10.

Ieſus dicit de Nathanael: Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Ioa. 1.

Ieſus dicit Samaritanæ, Venit hora & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Ioan. 4.

Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. Roma. 1.

Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves, ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt; ſi igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonnè illis in circumciſionem reputabitur, &c. Rom. 2. Non qui in manifeſto Judæus eſt, neque quæ in manifeſto eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, circumciſio cordis in ſpiritu, non litterâ; cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Ib.

Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu; ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Rom. 8. quicumque ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei. Ibidem.

Vera virtus eſt in mortificatione. *Vide Minoritas Gloria.* Voluptatis.

Omnes nos oportet manifeſtari antè tribunal Chriſti, &c. 2. Corinth. 5.

Deprecantes vos vt dignè ambuletis Deo, qui vocavit nos in ſuum regnum & gloriam. 1. Theſſalon. 2.

Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati & incredibiles & ad omne opus bonum reprobi. ad Titum. 1.

Auribus percipe orationem meam, non in labijs doloſis. Pſal. 16.

Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo. Pſal. 118.

Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Pſal. 104.

Propè eſt Dominus omnibus invocantibus eum, in veritate. Pſal. 144.

Antè orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Eccleſ. 18.

Cum oratis non eritis ſicut hypocritæ qui amant in Synagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus, Amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam. Math. 16.

Oramus nolite multùm loqui, ſicut Ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur, nolite ergò aſſimilari eis, ſic ergò vos orabitis, Pater noſter, &c. Ibidem.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc longius accipietis judicium. Math. 23. & Luc. 20.

Orabo ſpiritu, orabo & mente. 1. Cor. 14.

Videte, vigilate & orate neſcitis enim quandò tempus ſit. Marc. 13.

Volò ergò viros orare in omni loco levantes puras manus ſinè irâ & diſceptatione. 1. Tim. 2.

Cùm oraveris intra in cubiculum tuum & clauſo oſtio ora Patrem tuum; & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi. Matth. 6.

Eritque antequàm clament ego exaudiam, adhuc illis loquentibus ego audiam. Iſay. 65.

Clamabunt & non exaudiet, propter superbiam malorum. Iob. 35.

Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus. Pſal. 65.

Invocabunt me & ego non exaudiam, eo quod exoſam habuerunt diſciplinam. Prov. 1.

Longè eſt Dominus ab impijs, orationes autem juſtorum exaudiet. Prov. 16.

Qui obturat autem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit & non exaudietur. Prov. 21.

Qui declinat aures ſuas ne audiat legem oratio ejus erit execrabilis. Prov. 28.

Converteré ad Dominum, & relinque peccata tua; precare antè faciem Domini & minue offendicula. Eccle. 17.

Scimus autem quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Ioan. 9.

Veritatem facientes, in charitate creſcamus in illo per omnia. Epheſ. 2.

Fructus lucis eſt in omni bonitate, juſtitiâ, & veritate. 1. Epheſ. 5.

Veritatem requiret Dominus. Pſal. 3.

Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. 1. Cor. 4.

Charitas non gaudet ſuper iniquitate congaudet autem veritati. 1. Cor. 13.

Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum mala opera, omnis autem qui malè agit odit lucem, vt non arguantur opera ejus, qui autem facit veritatem venit ad lucem vt manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta. Ioan. 3.

Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus: ſi autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem. 1. Ioan. 1.

Nunc ergò timete Dominum & ſervite ei corde perfecto atque veriſſimo. Ioſ. 24.

Iuvenilia autem deſideria fuge, ſectare autem juſtitiam, fidem, charitatem & pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro. 2. Timot. 1.

VIRTVS VERA LICET infœlix.

ARtifex eſt etiam cui ad exercendam artem inſtrumenta non ſuppetunt; nec minùs canendi peritus, cujus vocem exaudiri fremitus obſtrepentium non ſinit; hic ſi in officio eſt quidquid deficit fortuna peccat: quomodò eſt diſertus etiam qui tacet, fortis etiam qui alligatis manibus; quomodò gubernator etiam qui in ſicco eſt, quia conſummatæ ſcientiæ nihil deeſt, etiamſi quid obſtat quominùs ſe vratur. Seneca. lib. 4. de Benefic. cap. 21.

Sapiens ſibi ſoli ſufficit. *Vide Poteſt. Virt.*

Definitur orator qui dicit apta ad perſuadendum, non qui actu perſuadet, hoc enim non pendet ab arte, ſed à diſpoſitione auditorum.

Conſilia non ex ſucceſſu metienda: Carthaginenſes ſæpè mulctarunt mala ducum ſuorum conſilia, licet ex votis fœliciter omnia ſucceſſiſſent. Romani

triumphum aliquandò negarunt, non conſilio & fortitudine, ſed fortunâ victoribus: hæc enim virtutis æmula peſſimis meliora decernit.

Advocato vel oratori bono ſufficit nil omittere de his, quæ ad cauſam pertinent, etſi non vincat. l. 4. C. mand. *Vide Virtus & Gloria Voluntaris.*

Quæret aliquis ſi portentoſum vel monſtruoſum mulier ediderit, an quia enixa eſt prodeſſe ei debeat; & magis eſt vt hæc quoque parentibus proſint: nec enim eſt quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt; ſtatutis obtemperaverunt neque id quod fataliter acceſſit matri damnum injungere debet Vlpian. in l. 135. ff. de verbor. ſignificat.

Nihil intereſt inter præturam Catonis & repulſam: nihil intereſt, vtrum Pharſalicâ acie Cato vincatur, an vincat; hoc ejus bonum, quod victis partibus non poteſt vinci. Seneca Epiſt. 71. *Vide ſuprà de fortitudine. Duratio Virtutis.*

Idem Epiſt. 85. probat tempeſtatem opus gubernatoris non impedire, tunc enim maximè ejus ars apparet; non promiſit portum, ſed artis ſuæ peritiam: Sic adverſa virum bonum non impedient; malis quibus putas premi, vritur.

Vix vera eſt virtus eorum, quos adverſitas in extremam projecit ſolitudinem. *Vide Majoritas Gloria.* Quietis.

REPVGNAT.

NON VERA VIRTVS.

FALSVM VIRTVTIS nomen.

De fraudulenta nominis mutatione. *Vide Cognitio Contrarietatis. Repugn.*

HÆreticus eſt qui pro alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratiâ falſas ac novas opiniones gignit vel ſequitur. D. Aug. de definit.

Hominum virtus non eſt vera, quia eſt variis defectibus permixta. *Vide Media Bonitat. Media Virtus.*

Refert Valerius Maximus Scipionem quendam Romanum nobilem, in annulo Scipionis egregij Ducis, vt nomen ipſe ità figuram inſculptam tuliſſe, quia tamen famoſus & vitijs deditus, ne nomen tanti Ducis infamare videretur, nomen & inſigna juſſus eſt deponere.

Romæ duo prædones erant, vni nomen Pater noſter, alteri Ave Maria. hu. u6. homines interemerant. Vide Baron. an. de nominibus. *Vide Cognitio Virtutis.*

Nicolaitæ ſpurciſſimi hæretici dicti Gnoſtæ, quaſi præ cæteris ſapientes. Baron. an. 68. an. 12. Apud Eucraticas hæreticos, hi erant ſpurciſſimi qui dicebantur continentes. Idem an. 174.

Marcus impoſtor & Hæreſiarcha ſuos diſcipulos vocabat perfectos, qui tamen vt à lege ſoluti ſuis omnibus indulgebant cupiditatibus. Idem an. 175.

Chriſtiani Apoſtatæ, ad Iudaiſmum tranſeuntes dicti Cœlicolæ. Idem anno. 408.

Rufinus Pelagianus vertit in latinum, & profert librum Xiſti Pythagorici, ſub nomine Xiſti martyris Eccleſiæ Romanæ Pontificis; vt ſic nullus ei auderet reluctari. Baron. an. 410.

Ioannes XII. primus fecit Pontificum qui ſibi mutavit nomen: priùs enim vocabatur Octavianus, mutavit autem vt poſſet audire ab adulatoribus: Fuit homo miſus a Deo cui nomen erat Ioan. Baron. an. 955.

Anno 1148. Hæretici quidam ſpurciſſimis moribus qui multa ex Manichæis deſumpſerant, & ſoli ſe dicebant habere poteſtatem corpus & ſanguinem Chriſti in mensâ ſuâ conſecrandi, ſe faciebant vocari Apoſtolicos. Baron. eod. an. 1148.

Alius qui dicebatur Eon ſe dixit eſſe eum qui in ſcripturis dicitur judicaturus vivos & mortuos; diſcipulis ſuis egregia dedit nomina, alium vocans ſapientiam, alium juſtitiam, &c. Baron. an. 1148.

Hæretici Albienſes, qui multa habebant à Manichæis vocabantur Boni homines. Baron. an. 1176.

Apud Athenienſes Tibicina & Lena quædam vocata fuit Nemeades, quod erat celeberrimæ congregationis nomen mirum quomodo id permiſſum ſit illi, quia & meretricibus & ſervis talia nomina aſſumere vetitum erat. Athenæus. lib. 13. cap. 19.

Vni ex Neronis exaletis, erat Pythagoræ nomen. Tacit. 15. Annal.

Aries marinus bellua eſt homini infenſiſſima, natantes mergens. Plin. lib. 9. c. 44.

Lepus marinus terreno ſimilis, tactu peſtilens eſt. cap. 48.

Dyoniſius Syracuſorum tyrannus turpiſſimus, quatuor ex ſe filiabus quatuor virtutum nomina indidit.

FALSA VIRTVS.

ADulteratur Amomum herbâ ſimili quæ Amomis vocatur, ſed ſinè fructu; ſic herbæ penè omnes adulterantur. Dioſcorid.

Opocalpaſum eſt gutta Calpaſi, lethalis & venenoſa, myrrhæ ſimilis; vndè multi pro myrrhâ aſſumentes myrrhæque miſcentes mortui ſunt. Mathiol. *Vide Bonitas Veritas Rep.* de his quæ lædunt ſub ſpecie auxilij.

Salamandra deforme animal & nauleam movens, tamen à pictoribus pingitur aureâ coronata, & pro inſigni domibus appenditur.

Oculi interdùm ſunt cataracta, aut ſuffuſione penitùs obſcurati, cum tamen ſplendidi appareant.

Hydropici plenitudo eſt morbus.

In febribus eſt pulſus celer & vehemens tamen partium omnium languor & imbecillitas, quia cordi laboranti compatiuntur.

Aes apud Indos vix colore & ſplendore poteſt ab auro diſcerni. Ariſt.

Aqua ſalſa ſupernatat, quamquàm plurimùm habeat terrei; ſic in mixtis & in animantibus quod magis terrenum eſt eminet in corticibus, pilis, cute.

Pulci ſapientes folia omnia fructus eſſe aſſeverabant. Ariſt. de plantis. lib. 2.

Barbatæ mulieres in Caria. Ibidem.

Boves caſtrati majora gerunt cornua. Idem Timidi canes magis latrant; & homines excordes ſe magis jactant. *Vide Cognitio Virt. Mala.* vacua & concava plùs ſonant.

Bullæ cum æqualiter de centro in aëra circùm-vndique admittantur, exurgunt in modum hemiſpherij, infirmæ, mox diſſolvendæ imitantur incorruptibilis cœli orbicularem perpetuamque figuram.

Athlas fingitur à Poëtis cœlum ferre, quaſi ſinè ipſo caderet.

Contrà miſires armis & veſtibus nimiùm ſplendentes dicitur: horridum militem eſſe debere, non exlatum auro argentoque, ſed ferro & armis frenum, nam præda ſunt potiùs quàm arma, nitentia antè rem, deformia inter, ſanguinem & pulverem: Vanus auri argentique fulgor, nec tegit, nec vulnerat.

Politici disputant de perfecto Reipublicæ statu. Rectores de perfecto oratore: Alij de perfecto aulico: Medici de temperamento ad justitiam, cum hæc in suâ perfectione non reperiantur, sed res habetur perfecta, quæ minùs est imperfecta.

In Bohemiâ est fons vinosi saporis, vt olim in Andro, Naxo, sapor hic à mediocri sulphure oriri dicitur.

Multa speciem ignis noctu præ se ferunt vt carbunculus, squammæ, ligna curiosa & corrupta, furfures, qui ex equis maximè nigris strigilis operâ excutiuntur, plerique oculi animalium, &c.

Bacchus dictus est lenæus, non quia generositatem leonis haberet, sed quia, Λαὸς Græcis, Latinis torcuar dicitur.

In erysipilate pars roseo colore rubet, ob sanguinem tenuem & biliosum affluentem.

Audacia est delyrij indicium. Galen.

Cometæ vix recedunt à Zodiaco, qui est locus solis, planetarum & insignium stellarum fixarum.

Fulsit aliquando Planeta non minor Sole secundùm apparentiam. Senec. quæst. natur. lib. 7. cap. 15.

Auri colorem imitatur auripigmentum gemmæ, monetæ adulterinæ vetas referunt. *Vide Minoritas Veritatis. Mala.*

Pythagorici tribuebant omnia numeris, qui ex se nihil operantur, sed tantùm causæ naturales, certò tempore & ordine occurrentes & agentes.

Optici arte suâ efficiunt planum apparere solidum.

Candidati vt suffragis digniores haberentur nomina illustrium familiarum sibi assumebant, quod illis licebat.

De his qui potentiorum nomina & insignia sibi, adscribunt. *Vide Major. Potest. Mal.*

Stupa in ceram liquidam immersa cereum assumis vestem.

Interdùm accidit in sepulchris mortuorum videri lampades accensas nocte.

Iris licet habeat pulchros colores, est tamen lux Solis per pulchritudinem vaporum paululùm disgregatum fœdata.

Qui vult imperium armis ampliare, debet primò sibi nomen clementis acquirere, vt vrbem captam non diripiendo, hostibus vitam bonaque largiendo, &c. Sic hypocritæ sunt optima instrumenta tyrannidis gradis enim cibis & potibus miscetur venenum.

Cometæ mali ominis sæpiùs in lacteo circulo apparent. Plin. lib. 2. c. 25.

In Æthiopiâ juxtà Hesperium montem, campi stellarum modo noctu nitent, flammis è terrâ prodeuntibus. Ibidem cap. 106.

Piso apud Tacitum ann. lib. 11. negat Athenienses sui temporis veros esse Athenienses, quippè tot cladibus extinctos, sed illuviem nationum, verumtamen est quod idem manebat populus, licet illâ accessionem & mixtione multum de suâ dignitate amiserit. Caligula statuis Deorum suum faciebat inseri caput, sic faciunt qui aliorũ opera suo nomine in publicum edunt. Sic vos non vobis mellificatis apes, &c. Simulachra nervis tracta moventur, sic vt videantur viva.

Prope Culmam aqua est, insana vocata, quæ cum fervere videatur, est tamen frigidissima. Cardanus lib. 2. de subtilitate.

Aquæ sæpè apparentem habent calorem à speciebus eorum, quæ sunt in ripis fluminum, vel in fundo, vt mare rubrum ex arenis.

Plures fontes injecta in lapides convertunt, servata priori figura.

Quædam fossilia metallorum imitantur colorem Auri, Auripigmentum, Argenti, Aspilates altera; Æris, Chalcitis; Plumbi nigri, Lapis plumbarius: Ferri, Idæi dactili & Basaltes. Auro æs, argento plumbum & stannum sæpè adnascuntur.

Varij, sed mendaces apparent colores & figuræ, in nubibus, in igne, in fusis metallis, maximè cum Mercurio, vndè Alchimistæ deludentur.

Nullis Saturnus est infensior quàm hominibus, contemplativam vitam simulantibus quidem, nec agentibus: nec enim ipse, nec Iupiter agnoscunt vt suos. Marsil. Ficin. l. de vitâ cœlit. compar. c. 22.

Venter mulierum magis tumet ex mola, quàm ex verò conceptu.

Cantharides & muscæ, vndè nascuntur vermes, sunt auratæ.

Quidquid agunt principes, agunt virtutis specie, etsi sæpiùs ex passione.

Natura spinis protegit carduos, rubos, & viles quasdam plantas; sic viles quasdam animas sub silentio & solitudine.

Aqua refert speciem solis & ignis sibi oppositi. Mare inconstans refert speciem cœli, in motu regulatissimi.

Forma artificialis est tantùm in superficie materiæ; naturalis autem in intimâ.

Politici assignant Principibus virtutes vicinis nocivas, vt bellicam fortitudinem, summam gloriæ & fines vlteriùs semper proferendi cupiditatem, ambitionem, &c. Nulla autem Principum tàm injusta vsurpatio, quæ speciem aliquam non habeat justitiæ. Adulatio facit de vitijs virtutes.

De nimiâ complacentiâ, quæ Principibus vitia pro virtutibus commendat. *Vide Concord. Potest. Mala.*

Non est vera virtus, quæ sui experimentum non habuit in adversis: rebus prosperis dux timidus videtur generosius. *Vide Durat. Virtut.* de exercitatione necessaria, & *Bonitas Contrarietatis Virtus Contrarietatis.*

Desertores militiæ laudant hostium fortitudinem, vt excusent suam fugam.

Febrientes licet ardeant, habent tamen minùs innati calidi, quàm antè.

Pausanias dux Athenienſis, demirantibus suis milibus prætiosa spolia hostium: præstiterat, inquit, ipsos esse multi prætij, quàm possidere prætiosa.

Lacon videns tabellam in quâ depicti erant Athenienses trucidantes Lacedemonios, Fortes inquit Athenienses in tabella.

Temperamentum ad pondus non plùs durat vno momento ponitur à medicis, non quod sit, sed vt facilùs intelligatur optimum in genere temperamentorum, quod sit cæterorum velut exemplar.

Affectus adulterini quatuor, imitantur quatuor furores. Poëticum, musica vulgaris, quæ auribus tantùm blanditur; Mysteriale, vana multorum hominum superstitio; Vaticinium, fallax peritiæ humanæ conjectatio; Amatorium, libidinis impetus. Marsil. Ficinus in convivio.

Erant olim in Ecclesiâ plures, qui pietatem quæstum efficerent, de quibus Apostolus. 1. Timoth. 6. Hinc conquæritur S. August. lib. de opere monach. In Africâ quosdam pseudomonachos impostores circuisse, distrahentes lucri causâ reliquias, quas dicerent esse ossa martyrum. Sic anno Christi 1027. quidam impostor circumferens falsas reliquias judicio Episcoporum condemnatus fuit. Vide Baron. Eodem anno.

Scylla os & pectus virginis formosæ præ se ferebat, infrà verò, vt ajunt, monstra latrantia.

Non omne quod splendet est calidum, vt ligna putrida, squammæ piscium, vermes noctu lucentes, sed aliquid habet caloris.

Omnis putrefactio rudimenta quædam habet

coloris, vndè generantur vermes, de falso zelo. *Vide Majoris. Volunt. Mal.*

Fiunt quædam perspicilia, quibus rerum minutissimæ partes, aliàs invisibiles, apparent: his calamo ductæ rectæ lineæ tortuosæ cernuntur; quia nec motus manus, licet per regulam adjutæ, nec impressio atramenti, æqualiter omninò dirigitur. Sic oculis Dei, Angelorum, & perfectorum deprehenditur defectus in actionibus, quæ populo videntur laude dignæ.

Est virtus imperfecta, quam necessitas extorquet. *Vide sup. hoc tit.* An vera sit virtus necessitate cogente.

Ornantur nobilium capita, pulcherrimis pennis struthionum, quæ non volant. Plin. lib. 10. cap. 1.

Sunt in Italiâ palmæ, sed steriles. Idem lib. 13. c. 4.

Non est vera virtus se nimis jactitantium. *Vide Cognitio Virtutis Mal.* Nimia virtutis propriæ jactantia.

Familiaritas Saturni cum Marte in locis minùs vituperandis, facit audaciam præ se ferentes, & temen timidos, asperos, insidiatores, &c. Ptolomæus. Prædict. Astrologic. lib. 3. cap. 23.

Vt Iupiter in locis laudabilibus, cum est solus Dominus, dat virtutes omnes sinceras, & perfectas: sic in locis distortis ac sordidioribus habet tantùm virtutum speciem, vt pro magnitudine animi fastum, pro Religione superstitionem, pro verecundiâ timiditatem, pro gravitate timorem, &c. Ibidem. cap. 26.

Cum fucata vt plurimum sit hominum virtus, optima est vnicuique ad sui tutelam diffidentia. *Vide Magnit. Virtut. Repug.* Diffidentia, quâ non omnes habentur boni.

Menippus exuvio leonis induitur, clavamque gestat quasi Hercules, vt apud inferos benè acceptus sit. Vide Lucianum Dialog. Menippi & Philomedij.

Gregor. 7. Epist. 10. Iubet celebrari Concilium in minori Britanniâ, eâ potissimum occasione, vt falsas pœnitentias proscriberet, quibus hactenùs populus seducebatur, dùm absque aliquâ peccatorum emendatione, peccantes in ijsdem peccatis perseverantes absolvebantur, quod & anno superiori in Romano Concilio fuerat Canone sancito correctum & anno sequenti fuit pariter in aliâ Romanâ Synodo confirmatum. Baron. an. 1079.

Post Concilium Nicænum Theognis, & Eusebius Nicomediensis Ariani, ne suis Episcopatibus privarentur, Christianam simulantes Religionem, concilio subscripserunt; sed posteà Cristianos gravissimè vexaverunt; sic Iulianus Apostata; sic Athanasius Eutychianâ hæresi infectus, Catholicum se simulans, Orientis imperium obtinuit, posteà Catholicis plurimùm infensus.

Pulchri libri purpureâ & auratâ pelle, cæterum intùs est Thiestes liberos in convivio comedens; aut Oedipus matris maritus; aut Tereus, cum duabus pariter sororibus rem habens.

Ridiculus esset, qui pusillâ staturâ existens, indutis cothurnis vellet æquari ei, qui toto cubito illum excederet, Lucian. Idem. dial. contra indoctum, invehitur in eum qui magnam sibi librorum copiam comparaverat in suæ insciticæ tutelam: simia semper est simia, etiamsi aureum cultum gestet; Non est doctior Bibliopola cum magnâ suâ librorum suppellectile; bonum non facit cytharædum pulchra cythara; quidam abscissas habens priores pedum partes, ligneas substituit sed pretioso calceo tectas, cum quo tamen difficillimè ambulabat.

De falsâ humilitate quæ gloriam aversâ viâ sequitur. *Vide Voluntas Gloriæ. Honoris.*

Hic non est vera quies, quia non est vera virtus. *Vide Veritas Gloriæ Repug.*

Iarchas princes sapientum Brachmanorum Indiæ probat non esse veram virtutem à vitijs abstinere; Magistratus cum dicuntur boni, quia non sunt injusti, laudantur vt servi, qui existimantur boni, cum non sunt fures & fugitivi. Philostr. in vitâ Appollonij. lib. 3. c. 6.

Non putetis fratres, quia patuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas: non fecerunt hæreses nisi magni homines, sed quantùm magni, tantùm mali montes; ad tales montes cave ne fugias. D. Aug. Psal. 122.

Fuerunt quidam montes & magni apparuerunt inter homines, & fecerunt hæreses & schismata & diviserunt ecclesiam Dei. Item tract. 1. Ioan.

Habent virtutem diaboli hæretici & sicut quondàm pagani, ità nunc illi vastant Ecclesiam Dei. Ex D. Aug. Hom. ij in Apoc. incert. aut.

Non est alius impius superbiæ tumor apud omnes, qui se à Christi vnitate discindunt, quàm se solos Christianos esse jactare, & damnare cæteros, non solùm quibus eorum lis nata est, verum etiam quibus nec nomen auditum est. D. Aug. l. 4. cont. Cresc. c. 59.

Nam ejusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi: & non mirum; ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum locis; non ergo magnum, si ministri ejus transfigurantur velut ministri justitiæ, quarum finis erit secundum opera ipsorum. 2. Chor. 11.

Superbiâ enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desiderijs carnis luxuriæ eos qui paululùm effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promitentes, cum ipsi servi sint corruptionis. 2. Petr. 2.

Ingredere vxor Ieroboam, quarè te aliam esse simulas 3. Reg. 14.

De nimio zelo. *Vide Major. Voluntas.*

Simiæ Pisces, humana facies Satyri.

Arbores tunc putrescere incipiunt, cum ornant ramos suos viridi musco, aut visco.

Non est vera eleemosina quæ sit sinè mentis integritate. *Vide Potestas Virtutis.*

Qui cupiditatibus suis obsequuntur, non habent magnitudinem, cujus firmamentum roburque bonitas est: videtur avaritia magni animi, nullis contenta divitijs: videatur libido magni animi, &c. Omnia ista non refert in quantùm procedant, extendantque se, angusta sunt, misera, depressa: sola sublimis & excelsa virtus est, nec quidquam magnum est, nisi quid simul & placidum. &c. Non est magnitudo, tumor est: corporibus copia vitiosi humoris intensis, morbi incrementum est, fluctus sunt sinè altitudine tumentes. &c. Cæterum nihil solidi subest, sed in ruinam prona sunt, quæ sinè fundamentis crevere. Seneca lib. 1. de irâ in fine. *Vide Verit. Magnit. Repugn.*

Impotentes sunt qui suis obsequuntur cupiditatibus. *Vide Verit. Potest. Repugn.*

Sunt aliqui qui se fortes faciunt divitijs, de quibus Psal. 51. Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed prævaluit in vanitate suâ. Alij forte sibi videntur præsumentes de suâ justitiâ: fortitudo ista non est sanitatis, sed insaniæ. De istis Christus. Irruerunt in me fortes, gloriantes de rebus corporeis. &c. D. Aug. in Psal. 58.

In primo bello Punico Romanorum contrà Hannibalem, terror invasit decem millia pedium, qui vt fugæ suæ consulerent per castra Carthaginensium cum multâ hostium cæde irruerunt, turpem fugam eodem prætio ementes, quo habuissent insignem victoriam.

Esau non verè pœnituit, quia non doluit de peccato, sed de damno. D. Thomas. 3. q. 86. a. 1. ad 1.

Dyonisius ille matricida, cum tres filias haberet, A virtutum eis nomen indidit; vnam justitiam, aliam temperantiam, fortitudinem aliam nominavit.

Lapis spatium sibi conveniens occupat, non quia pretiosius, sed quia magnus: sic nobilium magna supellex, magnusque mitarus, non arguit magnam virtutem.

Non habens fortitudinem operatur fortia quintupliciter, scilicet, propter ignorantiam, artem, experientiam, passionem, & lucrum. 2.2.q.123.a.1.ad2.

Quædam arbores habent tantùm flores sinè fructu, vt jasminum, & quædam species Persicæ.

Multi externo tantùm habitu, non intimo cordis affectu Religionem æstimant, hac fronte ad aram interdùm confugit templi violator, nec offenso Numini horret vota nuncupare. Sic impius Core à tabernaculo Dei corpore non recedebat; qui animo sejunctissimus erat; sic Magi Sacrorum ritus, & sancta nomina solent prætexere. Ità fimum nives induunt nec ipsis anguibus pulchrum veneni tegmen, versicolore tergo, & squammis fulgentibus, deest. Barclai.

Rara sunt & valdè incerta vestigia, quæ durant ad venerabiles antiquitatis stirpes: plerosque intrusit vel in familias casus, vel error in cognomina, & si benè rationem ponis, virtutis jam opus agunt nummi. Id.

Non est vera virtus in his qui non suo sed alieno periculo auden. *Vide media Potestas. Rep. Vicaria.* in fin. Miscellaneorum.

Vitijs sæpissimè favemus, & in virtutum nomen, quæ proximæ illis sunt, adoptamus: Ità temeritas C pro fortitudine colitur. &c. Barclaius.

Tyranni palàm, & ex composito, subornatâ benevolentiæ materiâ integritatis famam, amorisque in Rempublicam ambiunt; vltores vitiorum, quorum ipsi exemplum fecerunt. Idem

In vasis ad bibendum, quibus antiqui ebrietate dissolvebantur, efficta erant certamina leonum, & ferarum cæterarum pelles. Athen. lib. 11. c. 6.

Nestoris vas cœlestes constellationes referebat. Ibid. cap. 1.

Sanitatis quædam latitudo est, vndè intrà ipsam potest esse intemperies, quæ manifestè non lædat naturales facultates. Galenus l. 2. de temperamentis. D

Fit sæpè vt præsens nota prioris temperamenti sit, non ejus qui nunc habetur, veluti si quis sexaginta annos natus, deposo pilo sit, non quod calidus & siccus nunc sic, sed quod talis anteà fuerit. Ibidem. Sic cadaveribus, quibus ex residuo spirituum & humorum, olim animatorum crescunt pili & vngues.

Quidam ex Paro insulâ simulat se Christianum, baptizatur, instruitur, vt ceteros doceat, ob id carceri mancipatur; sic ex eleemosinis Christianorum colligit magnam pecuniarum summam, quam in patriam suam asportat; vndè Menzurius Carthaginensis Episcopus prudenter noluit recipere quosdam facinorosos & fisco debitores, qui occasione persecutionis E sub Diocles. Martyres se & Confessores mentiebantur, vt in custodiâ detenti pecunijs ditarentur, & delicijs fruerentur de obsequio Christianorum. Baron. an. 75. num. 10. & 13. De prudenti diffidentiâ *Vide Mag. Virtut. Reg.*

Commodus Imp. dissolutis cum esset moribus, processit tamen ad spectaculum pelle leonis & clavâ insignis: nam Hercules videri voluit & coli: Solis etiam colosso caput suum inseri fecit. Vide Baron. anno. 192.

Circulatores qui philosophiam honestius, negligerent, quàm venderent. Seneca. Epist. 29.

Vide Veritas Majoritatis. Repug.

FALSI MARTYRES HEreticorum.

MVltùm potest Dæmon, non solùm in corpore, sed etiam in corda hominum, quæ semel possederit, & si quosdam induxit vt sibi violentas manus inferrent, multò magis effecit, vt id ab alijs paterentur: contemptum mortis in martyribus pietas, in istis cordis duritiam operatur &c. loquens de hæreticis sui temporis, qui irrogatam mortem læti recipiebant. D. Bernard. serm. 66. super Cant.

Valdè distat persecutio David à Saul. & Agar à Sarâ. Ipse Dominus cum latronibus crucifixus est, sed quos passio jungebat, causa separabat: vnde vox illa verorum martyrum volentium discerni à falsis Martyribus; Psalm. 42. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit pœnam sed causam, quia potest esse similis pœna, sed dissimilis martyrum causa. D. August. Ep. 50. Ibid. refert miram mortis obeundæ cupiditatem in Donatistis, qui segregatim idolorum cultoribus, viatoribus, judicibus occidendos objiciebant, minitantes se percussuros, nisi percuterentur: aliquandò se dabant præcipites ex alto, aut in aquam, possessi ab illo qui suasit Christo, vt se è pinnâ templi præcipitaret. Sic gregem pecorum de monte in mare, turba dæmonum dejecit. Sic Matth. 17. à dæmone possessus, modò in ignem, modò in aquam cadere solebat.

Donatistæ circumcelliones suos clericos, & alios qui se morti objiciebant vocabant Agonisticos, quasi in agone & certamine semper versantes, secundùm illud. 4. Tim. 6. Bonum certamen certavi. Horum autem Deo laudes plùs timentur, quam rugitus leonum. D. August. in Psal. 132.

Sceleratus potest habere Martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam; causâ autem non pœna Martyrem facit. Tres erant in cruce, vnus Salvator, alter salvandus, alter damnandus; omnium par pœna, sed impar causa. Id. in Psal. 34. com. 2.

Si pœna Martyres faceret non causa, omnia metalla Martyribus plena essent, omnes catenæ Martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Persecutionem patiuntur ægroti à medicis vt sanentur, Lethargici vt exerentur, filius à Patre vt erudiatur, &c. Id. in Psal. 34. con. 4.

Persecutio Martyres facit; hæresis apostatas tantum. Tert. lib. de præscr.

Quæcumque ità sint, audent sacrilega schismata, vel hæreses impiæ, si quando in flagello, vt se corrigant admonentur, pœnas furoris sui inter Martyria deputare. D. Aug. contrà Parmen. cap. 6.

Apud hæreticos qui propter iniquitates & errores aliquid molestiarum passi fuerint, nomine martyrij se jactant, vt hoc pallio dealbati, faciliùs furentur, quia lupi sunt. Idem. serm. 5. de verbis Domini.

Quæ est ista dementia, vt cum malè vivitis, latronum facta faciatis, & cum jure puniminì gloriam Martyrum requiratis. Id. Epist. 166. cont. Donatistas. Et cum vivatis vt latrones, mori vos jactatis vt Martyres. Id. cont. Petil. l. 2.

Non suspicimus quid passi sunt martyres, sed propter quem passi sunt admiramur, igitur non pœna in laude, sed fides est in honore; magnificamus ergò Martyres, non quia gravibus subjacuere supplicijs, sed quia justitiæ causâ toleravere supplicia: namque

plurimos ſceleratorum pejores pœnas vidimus eſſe perpeſſos, ſed nihil eis proſunt, quia Martyres cauſa juſtificat, ſceleratos ſcientia ſua damnat. Id. ſerm. 11. de ſanct.

Martyres veros non facit pœnâ ſed cauſa. Idem. Epiſt. 167. ad Fauſtum.

Nemo ſe extollat & glorietur de paſſione: Nam ſi attendamus ſolas paſſiones, coronantur & latrones: ſi de paſſione gloriandum eſt; poteſt & ipſe diabolus gloriari; ejus vbique templa evertuntur, idola franguntur, ſacerdotes ejus arrepti cæduntur; nunquid poteſt dicere & ego Martyr ſum quia tanta patior? ergò homo Dei priùs eligat cauſam, & ſecurus accedat ad pœnam, poſt pœnam accipiet victoriam. Idem. ſerm. 117. de diverſ.

FALSA ET INSIDIOSA Hæreticorum Virtus Moralis.

MISCELLANEA.

CAtilina inſignis parricida, inediæ, frigoris, algoris, vigiliæ, ſuprà quam credi poteſt patieniſſimus. Miranda in talibus duritia, ſed nulla patientia, vt in latronibus & reis eculeorum tormenta ſuperantibus; imò tantò rectius majore ſupplicio dignum judicaveris animum, quantò magis vitijs ſubdit inſtrumenta virtutum. Patientia omnes eſt ſapientiæ, non famula concupiſcentiæ: Patientia amica eſt bonæ conſcientiæ, non inimica innocentiæ: ſi tanta ſuffert anima vt poſſideat vndè pereat, quanta debet ſufferre ne pereat? D. Auguſt. lib. de patientiâ. c. 5.

Æger ſanas aliquas edit actiones: ſic hæretici in fide peccantes affectant bonitatem moralem.

D. Aug. l. 4. contra Fauſtum in fine. In vobis inquit, & qui Manichæi ficti ſunt mali ſunt, & qui ficti non ſunt, vani ſunt; vbi enim fides, ipſa ficta eſt, & qui eâ ſimulosè vtitur, fallit; & qui eam vanam exiſtimat fallitur nec ex eâ poteſt exiſtere bona vita, quia examore ſuo quiſque vivit vel benè vel malè.

Vulpes demoliuntur vineam. Cant. 2.

Pantheræ grato ſuo odore alliciunt animalia quæ devorent.

In Thraciâ fons eſt pellucidis aquis, quæ tamen eporæ necem afferunt. Plin. lib. 31. c. 2.

D. Aug. l. 3. Confeſſ. c. 8. de Manichæis loquens ait, Incidi in homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces; In quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui Domine, & Domini noſtri Ieſus Chriſti, & Paracleti conſolatoris noſtri Spiritus ſancti: hoc de ore eorum non recedebat, cum cor inane verè eſſet: dicebant veritas, veritas, & falſa loquebantur; itaque illis, vt ſomniantium cibis non paſcebar; In viâ latrocinantur, qui cœleſtem illam militiam deſerunt.

Vigent ſcorpij cum æſtuat ſol: & hæretici, cum fides æſtuat: vno modo armantur ſcilicet atdotis, ex Tertulliano initio libri adverſùs Gnoſticos.

Ex fabulâ Gallus repetit vnionem etiam in ſtercore; Machabei ignem in luto.

Omnia litiora naturaliter aquæ dulcis venas continere teſtis eſt idoneus Cæſar Comm. l. 4. de bello Alex.

D. Aug. in Enchiridio ad Laurentium. c. 13. & ſeqq. probat nullum eſſe malum cui non aliquid inſit boni: quia eo ipſo quo natura eſt, cui malum accidit, bonum eſt. Ideò fallit dialecticorum regula dicentium, A contraria non poſſe eſſe ſimul. Bonum quidem poteſt eſſe ſinè malo, vt in Angelis; ſed malum non poteſt eſſe ſinè bono: ex bono corrupto malum, ex bonâ terrâ & vites & ſpinæ naſcuntur: etiam nocti aliquis eſt dies ex lunâ & ſtellis.

Quod in malo aliquid ſemper inſit boni. *Vide Media. Bonitas; & Media. Minoritas.*

Tertullian. lib. de baptiſ. dicit immundos Spiritus in ſuis ſacrificijs luſtrationes inſtituiſſe & Dei æmulos aquis incubare, affectantes illam in primordio divini Spiritus geſtationem: quaſi vero immundus emundet, perditor liberet, damnatus abſolvat, diluens delicta quæ inſpirat.

D. Aug. in Pſal. 21. Donatiſtas nomen Epiſcopi, & altarum dignitatum Eccleſiaſticarum vſurpantes, ſimiles eſſe dicit ijs qui ad deffenſionem poſſeſſionum ſuarum titulos potentum inſcribunt, ne ab alijs invadantur: ipſe vult eſſe poſſeſſor & frontem domus ſuæ de titulo alieno mentiri: quid inquid, ad deffenſionem poſſeſſionis tuæ titulos Chriſti poſuiſti? operti ſunt iniquitate ſuâ vndique miſeri, nec vident, ne videantur, vt nec à ſe, nec ab alijs auxilium habeant.

De electis apud Manichæos, qui abſtinebant à carnibus, mulieribus. externis omnibus operibus, vt ſoli Deo viderentur vacare. *Vide Gloria Virtutis.* Quieta & ſolitaria virtus.

Vt primi parentes poſt peccatum tegunt nuditatem ſuam foliis, ſic terrena ſectantes contegunt morum turpitudinem foliis verborum, & cæremoniarum, ſed ſinè fructu: ex D. Aug. lib. 11. de Trinit. c. 7.

Si ad hæreticos divertis, quid tibi prodeſt, non offenſus Pater, qui offenſâ vindicat matrem: libertus enim, etiam in cæteris obſequens, domûi Patroni non ingreditur, qui vxorem offendiſſet. D. Aug. in Pſ. 88. in fin.

Lædere ſub ſpecie auxilij. *Vide Veritas Bonitas. Rep.*

Conculcabis leonem & draconem. Sicut Patribus noſtris adverſùs leonem, id eſt extremam perſecutionem opus erat patientia; Sic nobis adverſùs draconis aſtutiam vigilantia: perſecutio tamen ſivè à leone ſivè à dracone nunquam ceſſat in Eccleſiâ, & magis metuendus eſt cum fallit, quàm tum ſævit; tunc cogebat Chriſtianos negare Chriſtum, nunc docet; ingerebat violentias, nunc inſidias; videbatur tunc fremens, lubricus nunc & oberrans. Eſto Chriſtianus, inquit hæreticus, ad hoc dicitur eſto, vt dicat non ſum. &c. D. Auguſt. in Pſal. 39.

Maximè Deus orandus eſt, vt nos liberet à dæmonio meridiano, id eſt, à tentatione, quæ nobis offert malum ſub ſpecie boni.

D. Auguſt. in Pſalm. 132. de Donatiſtis loquens qui in ſalutando dicebant, Deo laudes. Illud inquit Deo laudes plùs timent boni quàm rugitus leonis; Deo laudes veſtrum plorant homines.

D. Paulus 1. Timoth. 4. monet Timotheum de hæreticis, qui prohiberent nubere, & abſtinere à cibis; hi fuerunt, Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, & temporibus Apoſtolorum Saturninus; & cum tali temperantiâ perverſas de Deo & Chriſto opiniones ſectabantur. Vide Baron. an. 57. num. 188.

Sectatores Harmonij filij Bardiſanis Syri, Pauli Samoſetani, Hieracis, Arianorum, Meletianorum, Donatiſtarum, Appollinaris, & aliorum ejuſmodi hæreticorum, novos hymnos componebant & novo gratoque muſico concentu canebant; ſic aureo calice perverſæ ſuæ doctrinæ venenum populis offerebant. Id. an. 60. num. 34.

Refert Irenæus complures Saturnini hæretici ſectatores, ſic abſtinentiam coluiſſe, vt ab animatis abſtinerent, quo iſta virtutis ſpecie plures ſeducerent. Idem an. 120. num. 18.

Digitized by Google

Montanus tres in anno ſervabat quadrageſimas, quæ ab Eccleſiâ non fuerunt approbatæ, quia ejus non eſſet eas indicere, ſed Epiſcoporum. Baron. an. 173. num. 28.

Eucratitæ ſic erant abſtemij, vt ad oſtentationem aquâ tantùm in myſterio vterentur. Idem ann. 174.

Marcus impoſtor & Hæreſiarca, faciebat ſuis præſtigijs vinum in calice, quaſi eſſet ſanguis è cœlo ſtillatus, ſuos diſcipulos vocabat perfectos, cum quaſi ab omni lege ſoluti, ſuis indulgerent omnibus cupiditatibus. Id. an. 175.

Montanus in cujus errores lapſus eſt Tertullianus; caſtitatem, continentiam, crebra jejunia, vigilias, preces multiplices ſuadebat, ad martyrium provocabat. Catholicos ſua dogmata non ſectantes vocat Phyſicos, quaſi naturam ſequentes, & quaſi non eſſent æquè ac ſui ſpirituales. Bar. an. 201.

Novatus hæreticus & ſchiſmaticus, lapſos negabat recipiendos, cùm illis nolebat converſari; vndè ſuos vocabat mundos; damnabat ſecundas nuptias; iterabat baptiſma, &c. Id. an. 254.

Manichæorum Electi paupertatem profitebantur, ſed in ſuis auditoribus divites erant. Idem an. 277.

Hieracitæ hæretici damnant nuptias, cœlibes tantùm & ſolarios in commercium admittunt; abſtinentiam carnium & maximè vini auſterè præſcribunt, vndè dicti Abſtinentes. Id. an. 289.

Donatiſtæ ſuos habebant circumcelliones, ſic dicti, quia domos circuibant & oppida, juſtitiam vnicuique, vt dicebant, reddituri; ſervos & debitores oppreſſos liberabant; controverſias omnes dirimebant Chriſtianis aut necem inferebant, aut ab ipſis volebant pati, vt à ſuis quaſi martyres colerentur. Baron. an. 321. & 324. n. 55. & ſeq.

Maſſaliani vt ſemper ex Domini præcepto oratio fieret prædicabant, hinc dicebant inutilia jejunia orationem tantùm prodeſſe: cætera charitatis officia omittebant. Id. an. 361.

Julianus Apoſtata impietatis ſuæ odium munificentiâ publicâ, multiſque præclarè geſtis temperavit. Ibidem. Poſtremò omnem diſciplinam Eccleſiaſticam conatur ad Ethnicos transferre in ſedium varia poſitione & ordinatione in templis, in hymnorum cantu, in pœnis pro ratione delicti imponendis, in myſteriorum doctrinâ, &c. Id. an. 362.

Suis Pontificibus mandat, ſancte vivere, benignitatem in pauperes & peregrinos exhibere; curam de ſepeliendis mortuis habere, &c. Ibidem.

D. Auguſt. diù ſe continuit à ſcribendo contrà Pelagium, vt ipſe teſtatur. 2. retract. c. 33.

Dioſcorus atque Neſtorius ſuper inductâ admirandæ ſanctitatis larvâ adeptus eſt Eccleſiæ Alexandrinæ ſedem, cùm ſpeciem præferens humilitatis ac modeſtiæ, immenſam tamen intùs ſuperbiam occultaret; fuit enim Arianus, homicida, incendiarius, vitæ turpiſſimæ, vt libelli adverſùs eum Synodo Chalcedonenſi oblati declararunt. Bar. an. 444.

Putredo ſerpens magis contagioſa eſt, quàm matura. Sic latens vitium.

Hæretici omnes inſignes ſunt magno ſed falſo zelo. *Vide Major. Vol. Mala.* Nimius zelus.

Lunam beneficum terris Planetam, crudeles Pantheræ falsò imitantur: habent enim in armo ſimilem Lunæ maculam, creſcentem in orbes, & cavantem pari modo cornua. Plinius. lib. octavo capite 17.

Arellius celebris Romæ pictor, niſi flagitio inſigni corrupiſſet artem, ſemper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, ſed dilectarum imagine: itaque in picturâ ejus ſcorta numerabantur. Id. l. 35. c. 10.

Rogo vos fratres, vt obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quàm vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Rom. 16.

Ejuſmodi Apoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti; & non mirum, ipſe enim Sathanas, transfigurat ſe in Angelum lucis, Non ergò magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ. 1. Cor. 11.

Idem. 2. Theſſ. 2. Loquens de Antichriſto, ait; Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus.

In noviſſimis temporibus, diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentes conſcientiam, prohibentes nubere & abſtinere à cibis, &c. 1. Tim. 4.

In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, ſuperbi, voluptatum amatores magis quàm Dei; habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; ex his ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs. 2. Timot. 3.

Eunnus ſervus ſiculus conſervos ad defectionem concitavit, & ipſe regnum obtinuit ſuis præſtigijs; fundebat enim ignem ex ore, quem nuce inclusum & aptâ materiâ innoxiaque, vt aquâ vitæ, nutritum, ſic emittebat; inſuper dicebat ſe frui conſortio cujuſdam Deæ. Photius Biblioth. cap. 244.

Lucianus dialogo de ſacrificijs, irridet vanitatem antiquorum; apud quos in frontiſpicio Templorum poſita ſcriptura denunciabat, ne quis impurus aſſiſteret: atqui ſacrificans ipſe ſanguine fœdatus, pecudes incendebat, cruorem aræ circumfundebat, &c. ſic reformationem profitentium hæreticorum miniſtri multi apoſtatæ, & ſi interiora ſcruteris, templi, Idolis vitiorum & paſſionum ſervientes.

Lucianus deſcribit vitam Alexandri Abronotochitæ præſtigiatoris, hunc que refert fuiſſe eleganti admodùm vultu & corporis forma, oculis divinum quiddam relucentibus: Nemo cum illo congreſſus fuit, qui non cum hac opinione diſceſſerit, eum mortalium omnium optimum eſſe, & minimè fallacem Lucianus in Pſeudomante.

Mentis turpitudo in pulchro corpore ſimilis eſt Dijs Ægyptijs, ſimijs, ciconijs, hirco, feli & ſimilibus exiſtentibus in templis, ex præcioſis lapidibus, & magnâ arte. Idem dialogo imagines.

Idem dialogo Lucios, ſeù aſinus, refert Lucium curioſum juvenem arte magica in aſinum converſum, venditum tandem fuiſſe Deæ Syriæ ſacerdotibus, quorum vidit ſacrilegia ſecreta, ſed nefanda crimina ſub ſpecie pietatis. *Vide Cognitio Contrarietatis & Minuit. Rep.*

Iudæi quo vocatu aliquo, vel debitis fatigati ſimulant ſe Chriſtianæ legi velle conjungi, vt ad Eccleſias confugientes evitare poſſint crimina vel pondera debitorum, arceantur, nec antè ſuſcipiantur quàm debita vniverſa reddiderint, vel fuerint innocentiâ demonſtratâ purgati. Impp. Arc. & Hon. l. 1. Cod. de his qui ac Eccl. conf.

De malis moribus latentibus ſub præcioſâ veſte. *Vide Majorina Gloria Mala.* Nimius veſtium ornatus.

Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Matth. 7.

Sicut avendi ſunt qui habent ſpeciem bonæ vitæ propter

propter dogma nequitiæ, ſic & hi qui integræ fidei & doctrinæ ſunt, & turpiter vivunt. D. Chryſoſtom. ſup. Matth.

NON CREDENDVM affectatis, & in ſpeciem bonis hæreticorum moribus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Malum omne ſeipſo non ſtat, ſed alicui bono debet inhærere: hinc hæretici omnes probitatem affectant in patrocinium falſæ ſuæ doctrinæ, gratam omnibus virtutem proferunt quaſi latentis erroris probatam cautionem; eodem dolo quo ſub placitis cibis venena dantur.

MAGNITVDO. Sciunt ſapientes verùm bonum ex integrâ causâ coaleſcere; vndè ſuſpectos habent mores, licet in ſpecie probos, ſi fides ab Eccleſia diſſentiat: vtrumque enim divina lex exigit, & primò fidem, quâ Deo mancipatur intellectus; deindè mores, quibus illi voluntas addicitur. Recti mores ex ſe arma ſunt optima, ſed in hoſtili manu multùm nociva, his enim ſe protegit impietas; quis enim audeat à ſanis moribus ſimul & à ſanâ doctrinâ diſſentire?

DVRATIO. Hi nullâ prævià virtutum exercitatione ſubitò transferuntur in novos homines, quaſi ſedatis momentò paſſionibus: hinc ſuſpecta eſt & ad recidivam parata ſanitas, gravi morbo, ſinè criſi & ratione ſuccedens. Non eſt hic verus virtutis vultus, ſed larva, mox ad omnem occaſionem deponenda.

POTESTAS. Singulæ naturales potentiæ diſtinctas habent ſuas vires, & vnius partis recta confirmatio cæteris licet ſibi ſympathicis & ſubordinatis non dat ſanitatem: ſano corde & hepate laborat pulmo; ſana manus, ad omnem motum liberè ſe contrahens, ſed nec ideò ſanus à quo dirigi debet oculus: Recta morum diſciplina, ſed nec ideò recta fides.

COGNITIO. Eorum qui hæreſes conflant, igneæ vt plurimùm mentes, non laborant populari cupiditatum malo, & quaſi à corporeis abſtracti, non amant quæ ſenſus afficiunt, ſed quæ vanitati, ſuperbiæ, ambitioni, & ſpiritualibus ſuis paſſionibus blandiuntur: Ità facilè & ſtudiosè etiam in ſpectaculum abſtinent à corporeis voluptatibus, genio totaliter in novandis opinionibus intento; ſic ſortem humanam tranſgrediuntur, vt in prævaricantis Angeli ſuperbiæ reatum incidant.

VOLVNTAS. Si accedas morum curioſus ſpectator, videbis ſub hac perſona ad modeſtiam quantùm licet, fronte, verbis, veſte, motu compoſita, latere miros amoris proprij fumores; Iræ, invidiæ, odij, in non ſibi adhærentium cœtus, exacerbatam rabiem, modum à nullo capientem; Sic laſas extinctaſque obſervabis virtutes, omnes in vnâ charitate, à quâ ſe penitùs fatentur alienos.

VIRTVS. Quàm indigne ab iſtis haberet virtus, dùm volunt illam primæ veritatis, à quâ fides, eſſe proditricem. Cæterùm virtus moralis poteſt eſſe cum hæreſi in novatoribus, vt fuit olim cum Idololatria in antiquis Philoſophis.

VERITAS. Si benè attendas, illorum virtus tota eſt vt quædam non faciant mala, & vt abſtineant à ſolitis popularium cupiditatibus; longè tamen abſunt à puriſſimis & auſteris tot Deo ſacratarum perſonarum inſtitutis, Evangelicæ perfectioni totaliter incumbentibus. Hic Sol, minutiſſima obſcurat aſtra: hic quæro probos mores vbi vera fides; æterna enim veritas eſt vtriuſque regula, & eos qui ab illa deflectunt in rebus fidei, tandem futuros timeo deſertores in moribus.

GLORIA. Quid tot ſcriptis, & conductis per domos præconibus ventilatur probitas, niſi vt fucum faciat errori? ſed ex affectatâ nimis laude reatum arguunt ſapientes, & apud ipſos vanitas hæc argumentum eſt falſæ inſinuantis ſe doctrinæ. Triumphum agit Eccleſia veritatis ſimul & virtutis in ſolemnitatibus ſanctorum, & quoties hi coluntur qui antiquam Eccleſiæ fidem verbo, exemplis, ſcriptis ſecuti ſunt, totes publico populorum concurſu damnatos in illis video novatores.

DIFFERENTIA. Mirùm tamen quomodò ſibi non conſentiat mobilis populus, vt ſimul colat antiquam fidei doctrinam in ſanctis, & prurientibus auribus excipiat exotica novatorum dogmata: Sic quæ mediocria ſunt in moribus pluris æſtimat, quia gratæ patrocinantur novitati. Purum ab impuro diſcernit fidelis, probat ſpiritus ſi ex Deo ſint: Non eſſe autem à Deo hanc potiſſimum judicat, quod ſolvit vinculum charitatis & vnitatem Eccleſiæ.

CONCORDANTIA. Fides & opera conſentire debent, ſed prior debet eſſe fides, vndè convenit opera procedere. Vnumquodque eo ordine quo præceptum eſt quæro; primùm fidem vniverſali Eccleſiæ congruam; ſi quis in illam peccaverit, hoc ſolo erroris titulo alienus eſt à me, nec cum eo, vt cum Principis mei Chriſti hoſte, fœdus ratione morum inibo.

CONTRARIETAS. Plùs inſidijs, quàm aperta vi certatur: ſigna noſtra, auxiliumque mentiuntur hoſtes ad prædam armati; loquantur, reſpõdeant ad conflictum in acie noſtrâ verbum; ſi non aſſerunt idem quod Eccleſiâ Romana, hoſtes ſunt, eò fortiùs repellendi, quò plùs latent ſub amico virtutis apparatu.

PRINCIPIVM. Non rectè ex bonis moribus infertur recta fides, vt ex effectibus causâ: Nam virtus moralis eſt habitus qui poteſt à ſolâ ratione proficiſci ſinè fide, qualis fuit in antiquis Philoſophis. Sic ex eo quod vides in civitate regnantem legem, non ſtatim inferre debes eſſe Monarcham, poteſt enim lex à ſenatu & populo decerni, vt in Republicâ; ex eo quod exſiccatum eſt vas fictile, non ſtatim arguit lucentem cum calore Solem, potuit enim ab igne, imò & à frigore exſiccari.

MEDIVM. Probi in ſpecie mores varias, imò & contrarias, habere poſſunt cauſas; ſicut ad contrarios effectus, vt inſtrumenta, adhiberi. Aliquis affectare poteſt videri probus, vt hinc gloriam aucupetur; vt cæteris probitatis palmam eripiat; vt quæſitâ famâ populari quod intendit faciliùs exequatur, vt ſuſpectæ alioquin ſuæ doctrinæ auctoritatem conciliet; & quâ ratione veræ fidei argumentum erunt probi mores, qui ideò tales ſunt, vt à veritate avertant?

FINIS. Hinc patet rectos mores eſſe à rectâ fide, ſi in illam, vt in principium ſuum refluant, ideſt ſi antiquam, veramque fidem Romanam aſtruant: quod ſi diſſentiant, & aliquid ab eâ alienum profiteantur, aliundè quàm à fide proceſſerunt; Non in bonum publicum Eccleſiæ, ſed in privatum commodum, non in Deum, ſed in quid aliud refunduntur.

MAIORITAS. Fidem probant miracula, quæ non niſi à divinâ virtute procedunt, non verò probi mores, quibus ſufficit humana ratio. Familiare eſt in naturâ abundantiam affectare pudore defectus; balbutientes multùm loqui; deformes vultu pigmenta,

veſtiumque ornatus ſibi adciſcere: ſic erroris ſui conſcios hæreticos exactam morum probitatem, vt ſecutiùs lateant & ſerpant, affectare.

Æqvalitas. Perfectam rerum mundanarum abdicationem, orationis aſſiduitatem, caſtitatem, paupertatem, obedientiam, conſiliorum Evangelicorum obſervantiam, cæteras denique Chriſtianas virtutes, longè præſtantiores in his qui antiquam Eccleſiæ fidem profitentur: vt quid infirmior hæc novatorum virtus plùs apud te habet ponderis, ad erroris patrocinium, quàm excelſior ad veræ doctrinæ commendationem? maximè cum in pari causâ melior ſit conditio poſſidentis; faciliuſque retentio, quam actio concedatur. *Vide bon. Dur.*

Minoritas. Charitas non æmulatur, non cogitat malum; Vndè indignum ſe putat in aliorum vitam cenſuram exercere: Si tamen id præſtet zelans quorundam curioſitas, videbit novatorum intima famæ non reſpondere, & lata vulnera aureo baltheo tegi, &c.

HYPOCRISIS.

MISCELLANEA.

Hvpocriſis eſt ſimulatio ideò ſemper eſt peccatum, & eſt vitium ſubſtantiæ. D. Thom. 1. 2. q. 3. a. 1.

De nimiâ virtutis propriæ jactantiâ. *Vide Cogn. Virtutis Mala.*

Pelliculam veterem retine, & fronte politus, æſtutam rapido ſervas ſub pectore vulpem. Perſius de ſervo qui ſtatim vt libertate donatus eſt, probum civem ſimulat.

O vita fallax abditos geris ſenſus, animiſque pulchram turbidis faciem induis; Pudor impudentem celat, audacem quies, Pietas nefandum, vera fallaces probant, ſimulantque molles dura. Seneca in Hyppolito.

Non amat falſum author veritatis; adulterium eſt apud illum omne quod fingitur: proindè vocem, ſexus, ætates mentientem; amores, iras, lachrymas, gemitus aſſeverantem non probat, qui omnem hypocriſim damnat. Tert. lib. de ſpect. 2. c. 23.

Dicitur Eccleſ. 11. Væ peccatori terram ingredienti duabus vijs Duabus quippè vijs peccator terram ingreditur, quia & Dei eſt quod exhibetur, & mundi quod per cogitationem quærit. D. Greg. 1. Mor. 2. n. 37.

In vitâ civili formantur homines ad hypocriſim, quid enim ſunt aliud verba communiter amicitiam & famulatum proteſtantia, quam officioſa mendacia? Mentitur blando ſermone promittens, & tu mentiris fidem verbis adhibere ſimulans; gratias agens de mendacio, quod alius inverecundâ facie profert.

Vita hominum imitatur mare veſanum, quotidiè naufragia patiens, latentibus vndique ſcopulis refertum: multa ovium vellera, innumeri vbique lupi ſub his latentes; larvæ vndique, ſimulatæque facies. D. Chryſoſt. Hom. 6.

Subpiâ veſte, quaſi ſub hortorum vmbrâ gratiſſimâ ſecurè voluptatibus fruuntur.

Per panis tinctionem, quem Chriſtus Iudæ porrexit, illius ſignificavit fictionem. Non enim omnia quæ tinguntur abluuntur, ſed vt inficiantur nonnulla tinguntur, &c. D. Aug. tract. 62. in Ioan.

Nulla res ſic exterminat bonum, ſicut ſimulatum bonum; Nam manifeſtum malum fugitur, occultum ſub ſpecie boni, dùm non cognoſcitur, non cavetur, vndè ſervi Diaboli tunc maximè Chriſtianitatem corrumpunt, cùm ſe Chriſtianos ſimulant, de quibus Chriſtus. Math. 7. Attendite à falſis Prophetis, qui venium ad vos ſub veſtimentis ovium, intùs autem ſunt lupi rapaces: Firma tutela ſalutis eſt ſcire quem fugias. D. Chryſoſtom. 19. in Matthæum.

De occultis hoſtibus. *Vide Cogn. Cont. Rep.*

Simulata innocentia non eſt innocentia, ſimulata æquitas, non eſt æquitas: ſed duplex iniquitas; quia & iniquitas eſt, & ſimulatio. D. Aug. in Pſal. 63.

Oves ſunt habitu, aſtu vulpes; actu & crudelitate lupi; hiſtrioniam exercent, vt meretrices, nativam deperditam pulchritudinem pigmentis ſimulantes putrida ligna, ſub ſanâ aut etiam auratâ ſuperficie.

De his dicit Apoſtolus. 1. Tim. 2. Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

Poteſt enim etiam eſſe viſibilis forma palmitis præter vitem; ſed inviſibilis vita radicis haberi non poteſt, niſi in vite, id eſt in Chriſto, vt ſenſus non ſequitur membrum abſciſſum à corpore. D. Aug. ſerm. 11. de verbis Domini. c. 19.

Quidam putei, vt vnus Hiſpali, ſalſedinem maris habent, & eo intumeſcente intumeſcunt, motumque ejus imitantur, ad omnia tamen inutiles, piſces non habent, &c. De adulatione. *Vide Cont. Poteſt. Mala.*

Picti Angeli cum alis, thuribulo, zonâ aureâ, & cætero apparatu quem non habent veri: Nummi adulterini in theſauris non reponuntur.

Natura primùm effingit cor, pictura vero tantùm externa.

In Troglodytis, lacus Aſcanius in ſuperficie potabilis, inferiùs autem habens aquam amaram. Plin. *Vide Cogn. Cont. & Cogn. Min. Rep.*

Vidiſti vini acidi tabernam picturis aut floribus vernis inſignem, vbi ſitiens viator falli poſſit, ſed numquid & caupo ſuis fallitur artibus? Petrarcha.

Torquentur vitiorũ ſuorum conſcientiâ hypocritæ.

Struthio camelus alas habet, nec his vtitur ad volandum: ſolet Emblematicè depingi cum hoc ſchemate. Nil pennâ ſed vſus.

Sub Religionis titulo à Religione diſſentiunt, & habitu magis reliquere ſæculum quàm ſenſu. Salv. l. 4. ad Eccleſiam Catholicam.

Indixiſtis pecuniæ odium, hoc profeſſi eſtis, hanc perſonam induiſtis, agenda eſt; iniquiſſimum eſt vos pecuniam ſub gloriâ egeſtatis acquirere. Seneca. l. 2. de benefic. c. 17.

Non probant quod fatentur, & impugnant profeſſionem ſuam moribus ſuis: Magis damnabilis eſt malitia, quàm titulus bonitatis accuſat, & reatus impij eſt pium nomen. Salvian. lib. 4. de gubern. Dei.

Egentium famem ſuas fecerunt eſſe divitias; plenis ſacculis moriuntur divites; qui quaſi pauperes vixerunt. D. Hier. Epiſt. ad Ruſticum.

Religioſi, imò ſub ſpecie Religionis vitijs ſæcularibus mancipati, qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probra & crimina titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, non converſatione alij, ſed profeſſione, nomen tantùm demutavere, non vitam Salvian. l. 5. de gubern. Dei.

Qui putantur crucem portare, ſic portant, vt plùs habeant in crucis nomine dignitatis, quàm paſſione ſupplicij. Id. l. 3. de gubernat.

De malis ſacerdotibus. *Vide Virtus Poteſt.* Integritas ſacerdotum, ſub finem.

Baptiſmata Phariſæorum erant vana, ad mundiciam tantùm carnis ordinata. D. Thom. 1. quæſt. 38. a. 1. ad 3.

Cignus pennis albis & carne nigricante eſt avis immunda, & ſignificat hypocritas. Idem 1. 2. q. 102. art. 6. ad 1.

Dæmon facit apparere ſuſcitationes mortuorum & ſimilia per præſtigium. 1. q. 91. a. 2.

Fictio conſequitur ſuperbiam, quia appetens excellentiam, fingit ſe fortem & hujuſmodi. 2. 2. q. 161. a. 6. ad 3.

Illis ſolemne eſt, ad parandam reverentiam, nomine Cœlitum uti, ſpecieque ſacrorum ſubducere ambitum oculis vulgi. Numini ſuas cupiditates imputant, & veluti pro illo depugnantes, ſolertiſſimè ſibi vincunt. Sic in hoſtibus ſuis inveniunt publici odij cauſam, vt ſemper in bellis credi velint divinæ iracundiæ miniſtrare. Barclai.

Ingens modeſtiæ imago eſt, parce nec aliter quàm ex præſcripto verecundiæ loqui, ad omne vitij nomen ſupercilium ducere, nemini, ſaltem palam & profeſſio odio contumeliam aut facere aut referre; quid denique propius ad ampli ingenij ſpecimen, quàm videri recondito, nec ceſſante commercio cum ſapientia loqui: Sed hæc lenta graviſque tranquillitas ingentes latebras habet, quibus etiam vitia excipiat, quorum ne nomina quidem ipſi publicè audiant, abſque pudoris, horroriſque indicio, (teneras enim frontes, & ſuis animis diſſimiles habent.) At cum omnium hominum impetus à labore in jucunditatem voluptatis declinet: maximè illorum animi, molliores & muliebres, omnium voluptatum & vitiorum imaginibus paſcuntur, ſecurè, quia ſibi tantùm conſcijs. Idem.

Quæ perſpicatu carent, celeriùs putreſcunt, præſertim ſi calida ſint & humida. Galenus lib. de inæquali temperie. Sic latens vitium pejùs evadit.

Damnati fuere ab Eccleſiâ Simon magus, Cerinthus, & alij hæretici, aſſerentes Chriſtum verè crucifixum non eſſe, ſed ejus apparentem imaginem, ipſum verò ſe ſubtraxiſſe. Bar. an. 60. n. 4. Idem docebat Baſilides. an. 120.

Maxentius ſimulat ſe eſſe Chriſtianum, Chriſtianis favet, vt illos in ſuas partes trahat, & divertat à Conſtantino. Bar. an. 306.

Iulianus metu Conſtantij Chriſtianum ſe ſimulat, licet occultè Numina coleret. Id. an. 361.

Extrema injuſtitia eſt, eum videri juſtum qui non ſit. Plat. 2. de Rep.

Magi & præſtigiatores vtuntur nomine Dei, & pijs orationibus.

Figuli foris liniunt minio ac ceruleo vaſa ſua, quæ intùs ſunt lutea & fragilia. Lucian.

Hipocritæ volunt eſſe humiles ſinè deſpectu, benè veſtiri ſinè ſollicitudine, delicatæ pacis poſſeſſores ſinè labore, alijs detrahentes, mordaces vt canes, doloſi vt vulpes, ſuperbi vt leones, intrinſecùs autem lupi rapaces, mellis dulcedinem, id eſt inanis g'oriæ & latentis laſciviæ, vt vrſi quærentes; volunt eſſe ſinè authoritate judices, ſinè viſu teſtes, poſtremò falſi accuſatores, & omni veritate carentes. Bern.

Herodes devotionem promittit, ſed gladium acuit, & malitiam cordis depingit colore humilitatis: Hujus perſonam repræſentant hypocritæ, qui dùm fictè Deum quærunt, illum nunquam merentur invenire. D. Chryſ. ſup. Matth.

Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt ſimulatio. D. Aug. in Pſ. 23.

Quiſquis appetit videri quod non eſt, hypocrita eſt ſimulat enim ſe juſtum, nec exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit. D. Auguſt. de ſerm. Dom. in monte.

Quàm multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit callidiſſimus hoſtis, circumeuntes provincias omnes ab omnibus exigunt aut ſumptum lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ prætium ſanctitatis. D. Aug. de opere Monach.

Cùm cœperint aliquibus tentationibus ea ipſa vel ſubtrahi vel negari, quæ iſto velamine conſecuti ſunt, vel conſequi cupierunt; tunc neceſſe vt appareat vtrum lupus ſit in pelle ovinâ, an ovis in ſuâ. Ibid.

Latet plerumque ſub triſti amictu laſcivia, & deformis horror vili veſte obtegitur, vt ſecreta petulantium tegantur animorum. D. Amb. in ſerm.

Si caſtum me ſimulo, & aliud eſt in conſcientiâ, habeo gloriam meroenariam, ſed ſupplicia peccatoris, & in eâ comparatione duorum malorum levius eſt in alium apertè peccare, quàm ſimulare & fingere ſanctitatem. D. Hier. ſup. Iſa. l. 6.

Intùs Nero, foris Cato, totus ambiguus, monſtrum eſt velut quædam beſtia compacta, ſecundùm illud Poëticum. Leo pars prima, Draco media, poſtrema chimera. Idem in Epiſt.

Quid eſt vita hypocritæ niſi quædam viſio phantaſmatis, quæ hic oſtendit in imagine quod non habet in veritate? D. Greg. lib. 8. Moral.

Hypocriſis eſt virtutum ſimulatione clauſum vitium abſcondere & arte palliare. Ibid.

Omnis hypocrita corpus per abſtinentiam afficit, ſed tamen amore gloriæ mundo vivit. Idem l. 7.

Si non vultis falli, & vultis amare fratres, ſcitote omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos; non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſunt enim Chriſtiani mali, ſed ſunt & boni. D. Aug. in Pſal. 29.

Hypocrita verba ſanctorum habet, vitam non habet, & quos per ſermonem doctrinæ genuerit, non fovet exemplis, ſed deſerit, quia quos verbo ædificat, vitâ & moribus deſtruit.

Hipocritæ ſimulatores dicuntur, quia juſti non eſſe quærunt, ſed tantùm videri cupiunt: mala agunt, & bona profitentur. D. Auguſt. lib. de cong. vit. & virtut.

Manifeſtũ eſt hypocritas non quod oculis prætendunt hominum id corde præſtare, agunt perſonam Theatralem ſimulat, enim hypocrita juſtum & non exhibet; ſed tales ab inſpectore cordis Deo non recipiunt niſi fallaciæ ſupplicium, ab hominibus autem percipiunt mercedem ſuam, rectiſſimeque eis dicetur, Recedite à me operarij doloſi, nomen enim meum habuiſtis, ſed opera mea non feciſtis. D. Auguſt. lib. de ſerm. Dom. in mont. c. 3.

Vltrà Sauromatas fugere hinc libet & glacialem oceanum, quoties aliquid de moribus audent, qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt. Iuven. Sat. 2.

Pelliculam veterem retines; & fronte politus aſtutam & rabido geſtas ſub pectore vulpem. Perſ. Sat. 5.

Odi virum duplicem natum, bonum ſermonibus, inimicum moribus. ex. 1. Epig.

Sicut ſepulchrum quandiù clauſum eſt, pulchrum videtur foris; ſi autem apertum fuerit, horribile eſt: Sic ſunt ſimulatores bonorum, quandiù non cognoſcuntur laudabiles ſunt, cum autem cogniti fuerint abominabiles. D. Chr. Hom. 46. in Matth.

Quid prodeſt meretrici, ſi nomen habeat caſtum? ſic nihil prodeſt peccatori, ſi ſervus Dei dicatur. Idem Hom. 45.

Theatrum exercentij ſuis moribus, qui alia corde gerentes, alia extrinſecùs hominibus præ ſe ferunt. Idem ſerm. de jejun.

Struthio volandi ſpeciem habet, ſed vſum volandi non habet: ità hypocriſis cunctis intuentibus ima-

ginem dere ſanctitatis inſinuat, ſed tenere viam ſanctitatis ignorat. D. Greg. l. 7. c. 1.

Scirpus & carectum ſpeciem viriditatis habent, ſed ad humanos vſus fructum vtilitatis non habent. Id. in Iob. l. 8. c. 27.

Vt Symon Cyreneus crucẽ Chriſti tulit angariatus, non valens; ità hypocritæ alienum opus pro Chriſto nolentes portant, opere exequentes foris quod intùs non amant. D. Bernard. in ſerm. de bened.

Carbunculi, ignis & nomen & ſpeciem habent, cum ignem non ſentiant, vndè & apyruſtæ: ità quidam pietatis opinionem & imaginem obtinent, cum à re ſint alieniſſimi. Plin. lib. 36. c. 5.

Opalum gemmam indiſcretâ ſimilitudine adulterant Indi, experimentum in Sole tantùm: ità virtutes quædam vitia ſic imitantur, vt difficillimum ſit cognoſcere, niſi ad ſummam lucem proferantur. Pl. lib. 37. c. 6.

Hipocrita peſſimus eſt hiſtrionum hiſtrio, quoniam probi viri perſonam oſtentat; ſemper duplex facie, frequenter corde duplici. Triſtitiam & gravitatem ſimulat dùm intùs nugatur, ſibique plaudit, quod aſtantibus fecerit impoſturam; in demiſſo vultu legunтur religionis caracteres, quibus longum vale dicit, quandò magis pietati videri conatur addictus. Facies eſt nitida, fœda mens, ovillus habitus, lupinus animus, veſtis ſimplex & ſtricta; dupla laraque conſcientia: ore cor, factis os ejus arguitur. Manè domo egreſſus ſummum templum adit, columnâque genuflexo ſalutatâ, ibi Deum, quem paulò antè domi contemſerat, adorare putatur, intentis in vitream feneſtram, vel in peregrinum tranſeuntem oculis, quandoquidem corde neſcit, quo oculi vagentur; In pedes erectus, paſſim oculos per cuncta ferens conqueritur quod charitas præſens frigeſcat & priſcam extollit: Sedem quærit in locis ſanctis, quæ æſtantibus præbeat ſpectandum; in mediâ concione pugillaria depromit: ac ſi quid egregiè dictum annotare cuperet ſacrum codicem evolvit, non ſinè foliorum ſtrepitu, nomen concionatoris ſublatâ voce petit, coràm multis ſalutat, laudat, invitat, non illaudata ſanè verba effundit, ſi modò mala mens & malus animus adeſſet. De adoleſcentiâ ſuâ agens in lachrymas converſus apparet, non ex reſipiſcentiâ ſed ex imbecillitate ad peccandum, in præſentiâ ſibi facit delicias, ſed vociferans ô tempora, ô mores; in alijs vitia deteſtatur quæ in ſinu ſuo fovet. Quidquid probatur ſibi adaptat, & quoſcumque caſus ad laudem proprtiam retorquet. Orat & largitur, ſed non ſinè teſtibus, nè forrè Deus abneget: de fœnoribus ſuperfluis ædificat Xenodochium; ex magnâ turbâ quos rapina ſua ſecretò ſpoliavit, aliquos nutrit & veſtit, ſed in publico. Flet quos deteſtatur, ridet eos quibus gratulatur, vultu denique compoſito de virtute & moribus diſſerit, ſed ſemper ſui ſimilis; & cum ſit ſuorum calamitas, ſummâ apud exteros vivit æſtimatione, probitatis pernicies, nocturnus ſcipio putridus, papaver ſylveſtris in agro frumenti, fax cujus lychnum extinctum ingrato odore cerebrum offendit, Angelus, in ſpeciem, domi Cacodæmon, eò magis timendus, quò pietatem accuratiùs ſimulat.

Vide concordantia differentia mala.

PIGMENTA-VVLTVS.

FVcatio eſt ſpecies fictionis ad mentiendam pulchritudinem, eſt ſemper peccatum, ſed non mortale niſi ob laſciviam & ob contemptum Dei. D. Thom. 22. quæſt. 199. a. 2.

Putas infactam medicamine faciem diutiùs durare? Color arte compoſitus inquinat corpus non mutat. Petronius.

Deles picturam à Deo datam mulier, ſi vultum tuum materiali candore oblinas; ſi acquiſititio rubore perfundas: Illa pictura vitij non decoris eſt; fraudis, non ſimplicitatis; fallit & decipit, vt neque illi placeas, cui placere deſideras, qui intelligit non tuum, ſed alienum eſſe quod placeas, & tuo diſpliceas authori, qui videt opus ſuum eſſe deletum, &c. D. Ambroſ. Exam. l. 6. & vlt. c. 8.

Ieſabel introitu Iehu audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum. 2. Reg. 9. Nihil ſimile de Eſther & Iudith, ornabant ſe & Dominus conferebat ſplendorem, ſed non ſe pingebant.

Vaſtata quid facies? cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtrà componêtis. Ierem. 4.

Te lavaſti & circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. Ezech. 23.

Permittis mulierem Ieſabel, quæ ſe dicit propheten, docere & ſeducere ſervos meos, & manducare de Idolothytis. Apoc. 2.

Angeli deſortores propriè & quaſi peculiariter fœminis inſtrumentum iſtud gloriæ contulerunt. Lumina lapillorum quibus monilia variantur, & circulos ex auro quibus brachia ornantur, & medicamenta ex fuco quibus colorantur, & illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Tertullianus lib. de hab. mul. capite 2.

Expingamus nos vt alteri pereant, vbi eſt ergò diliges proximum ſicut teipſum. Idem. l. 2. de cult. fœm.

In Deum delinquunt quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Diſplicet illis nimirùm plaſtica Dei; in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium; reprehendunt enim cum emendant eum adjiciunt, vtique ab adverſario ſumentes addimenta iſta, id eſt diabolo: nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & ſpiritum hominis malitiâ transfiguravit, illo indubitatè ejuſmodi ingenia concinnavit, vt in nobis quodammodò Deo manus inferret. Ibidem. c. 5.

Quod naſcitur opus Dei eſt, ergò quod fingitur diaboli negotium eſt. Divino operi Satanæ ingenia ſuperducere, quàm ſceleſtum eſt. Servi noſtri ab inimicis nihil mutuantur; milites ab hoſte Imperatoris ſui nihil concupiſcunt, de adverſario enim ejus in cujus manu ſit aliquid vſu poſtulare tranſgreſſio eſt. Chriſtianus à malo illo adjuvabitur, neſcio an hoc nomen ei perſeveret, erit enim ejus, de cujus doctrinis inſtrui concupiſcit. Ibid.

Quantum autem à noſtris diſciplinis aliena ſunt, quam indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur, effigie mentiri, quibus linguâ non licet; appetere quod datum non ſit, quibus alienum abſtinendum; ſpeciem exercere, quibus ſtudium pudicitiæ eſt? Auditæ benedictæ mulieres Chriſtianæ, quomodò præcepta Dei cuſtodiatis, lineamenta non cuſtodientes. Ibid. Hodie vos Deus tales videat, quales in judicio, videte an cum ceruſsâ purpuriſſo & croco expictas Angeli obviam Chriſto vos deferent. Ibid. cap. 7.

Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, ſed videri; tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, vt remeet ab animo in habitum, & eructet à conſcientiâ in ſuperficiem, vt & fortis inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam, & conveniat fidei commendæ in perpetuum. Ib. c. 13.

Apoſtatæ Angeli, oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio roboris inficere, & mutare

adulterinis coloribus crinem, expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptelæ ſuæ imprægnatione docuerunt. D. Cypr. D. diſc. & hab. virg.

Non virgines tantùm aut viduas, ſed & nuptas puto, & omnes omninò fœminas admonendas, quod opus Dei & factura ejus & plaſtica adulterari nullomodò debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique linimento nativa corrumpente medicamina. Idem. ibid.

Illæ oculos Chriſtianos ſcandaliſant, quæ purpuriſſo & quibuſdam fucis ora oculoſque depingunt quarum facies Ægiptiacè nimio candore deformes idola mentiuntur, quas nec numerum poteſt dicere quod vetulę ſint, quę capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Erubeſcat mulier Chriſtiana ſi naturam cogit in decorem, & carnis curam facit in concupiſcentiis. D. Hier. in Epiſt. 8.

Quid eſt ſpecioſa mulier? ſepulchrum dealbatum, niſi fuerit caſta & pudica; pulchritudo autem ſinè his virtutibus eſt præcipitium patens, venenum inſpicientibus compoſitum, quid ſi fucata & picta? D. Chriſoſt. ſup. Pſal. 50.

Si quis pingendi artifex vultum alicujus & ſpeciem & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſſet, & à ſignato jam conſummatoque ſimulachro alius manus inferret, vt jàm formata, jam picta quaſi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria & juſta indignatio videretur. Tu nè exiſtimes impunem tàm improbæ temeritatis audaciam in Dei artificis offensâ? quamvis enim impudica circà homines & inceſta fucis lenocinantibus non ſis, corruptis violatiſque quæ Dei ſunt pejor adultera detineris; quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio eſt iſta divini operis, prævaricatio eſt veritatis; neque enim ſyncerita & veritas perſeverat, quandò quæ ſyncera ſunt polluuntur, & colorem adulterinis medicaminum fucis in mendacium vera mutentur. Dominus Deus tuus dicit. Non potes facere vnum capillum album aut nigrum, & tu ad vincendam Dei vocem vis te eſſe potiorem audaci conatu, & ſacrilego contemptu; crines tuos inficis malo præſagio futurorum, capillos jàm tibi flammeos auſpicaris. D. Aug. l. 4. de doct. Chriſt. cap. 21. ex D. Cypriano.

Eodem cap. infrà citat illud D. Ambr. lib. 1. de Virg. Hinc illa naſcuntur incentiva vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dùm viris diſplicere formidant, & de adulterio vultus meditantur adulterium caſtitatis: Quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ, picturam quærere? & dùm verentur maritale judicium, perdidere ſuum; prior enim de ſe pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata eſt; ità dùm alij ſtudet placere, priùs ipſa ſibi diſplicet. Quem judicem mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipſam, quæ videri times: Si pulchra es, cur abſconderis? ſi deformis, cur te formoſam eſſe mentiris, nec tuæ conſcientiæ, nec alicui gratiam erroris habitura? ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere, & iraſceris ſi amet aliam, qui adulterare in te docetur: Mala magiſtra es injuriæ tuæ, lenocinari enim refugit, etiam quæ eſt paſſa lenonem; at licet vilis mulier non alteri tamen, ſed ſibi peccat. Tolerabilia prope-modùm in adulterio crimida ſunt, ibi enim puducitia, hîc natura adulteratur. Satis vt exiſtimo apparet fœminas nè ſuam fucis adulterent formam, & ad pudorem & ad timorem hac facundiâ vehementer impelli.

Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi, non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus qui hæc fecit, bona quidem valdè, ſed ipſe eſt bonum meum, non hæc. D. Auguſt. lib. 10. Conf. cap. 34.

Pulchra, trajecta per animas in manus artificioſas, ab illâ pulchritudine venunt, quæ ſuper animas eſt, cui ſuſpirat anima mea die ac nocte, ſed pulchritudinum exteriorum operatores & ſectatores trahunt, indè opprobrandi modum, non autem indè trahunt vtendi modum. Ibid. inf.

Archidamus Rex Lacedæmoniorum Chium ſenem quemdam legatum miſſum qui tinctură canos tingere conabatur, expulit, dicens, quid hic ſanum diceret, cujus non ſolùm animus, ſed etiam caput fucis contaminatum eſt. Ælian. lib. 8. variar. Hiſtor.

Philippus Macedo quemdam ex Antipatri amicis à ſe judicem nominatum depoſuit, quod barbam & capillum tingeret, dicens. Qui in capillis fidus non eſt, eum muneribus gerendis non videri dignum cui fideretur: ludit Homonimiâ vocis, fuco vtebatur in tingendis capillis, vbi non multùm erat lucri; multò magis vſurus erat fuco in publicis negotiis, vbi dolus interdùm ingens affert emolumentum. Plut. in Apopht.

Non albis tunicis tegebantur mollia membra,
Splendoremve oculo pabula picta dabat,
Cuncta aberant, quâ fœmineo molitur in ore
Artificum ingenium pharmaca adulterij.
D. Greg. Nazianz. de Animæ ſuæ facult.

Nè intendas fallaciæ mulieris, favus enim diſtillans labia meretricis, & niditius oleo guttur ejus, noviſſima autem illius amara vt abſynthium, & lingua ejus acuta quaſi gladius biceps. Proverb. 5.

Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, mulier timens Deum ipſa laudabitur. Proverb. 31.

AFFECTATIO NIMIA.

DE nimia virtutis propriæ jactantia. *Vide cognitio Virtutis.*

Pauperes volunt ſemper videri divites, & dum intempeſtivè ornamenta quærunt, paupertatem ſuam produnt, ſic qui majorem ſtaturam calceamentorum artificio mentiuntur, pulchritudinem pigmentis, fortitudinem audaciâ, liberalitatem citò deficiente profuſione. Quorumdam ſcripta fœtent oleum, nimius enim ad ornatum labor illis aliquid aſperi imprimit: ſponſas imitantur ruſticorum, quæ ſe vilibus onerant ornamentis; nunquàm turpiores, quàm cum ornatiores.

Ioſephus lib. 1. dicit ſacrificium Abelis Deo gratius, quia ex fœtibus ovium ſinè arte & induſtriâ.

Plùs placet quidquid occurrerit quàm quod affectatum putatur afferri. D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob. cap. 2.

Manna recens collectum gratius non aſſervatum; hinc oratores volunt videri ex tempore dicere: ſic in veſte compoſitione crinium, inceſſu affectatur negligentia quædam.

Affectatio copiam dicendi impedit, nunquàm eloquentius Caſſius eloqui viſus eſt quàm cum impetratus, & examini ſui impetu.

Sua ſinè dubio ſunt, quæ ſic proferuntur, aliena autem poſſunt eſſe quæ quis diù præparata educit; diù aberravit, diù vilia produxit, cui opus fuit longo tempore, vt ornatè diceret. Motu placido naturali ſic gratiſſimo movebatur animus Socratis, dum è rebus etiam vſu tritis eliciebat mira ſapientiæ documenta.

Vana eſt affectatio, quia citò deprehenditur.

Vide Poeſtas Veritatis. De laude ſimplicitatis. *Vide Benitas Veritatis.*

Aperta ingenia, etſi rei cui incubuerint exactam manum, ſummèque felicem non attulerint, ſaltem ex ſuo genio neſcio quid quod placeat transfundunt, maximè qui quod agunt non anxio labore perficitur ſed ipsâ fœlicitatis gratiâ eminet, velut ſpontaneo naturæ ingenio in ſuum decorem productum: ſi quid in litteris tentaverint nimij ſudoris opinione legentes, non offendunt, qui in laboris partem penè videntur cum illis authoribus venire, quos conſtat non ſinè vnguium vulnere, & privilegij malo invitas ſententias aut verba coëgiſſe. Barclaj.

Artis eſt abſcondere artem; ſeù ſermo dilatetur aut contrahatur occultè id faciendum eſt, & non videri dicere fictè, hoc enim valebit ad perſuadendum; alioquin cavebit auditor ab affectato ſermone, vt ab inſidiatore & vinis permiſtis. Ariſt. 3. Rhetor. cap. 2

Poëticè dicentes, cum indecoro ridiculum efficiunt in oratione, & obſcurum propter loquacitatem, quandò enim cognoſcenti inculcas, id diſſoluis perſpicuum offuſione obſcuritatis. Id. Ibid. cap. 3.

Ficus quæ per hyemem matureſcunt pejores ſunt alijs, quæ per vim fiunt maturæ; quæ autem in ipsâ temporis opportunitate, maturante ſcilicet natura, ſunt meliores. Atheneus lib. 3. cap. 3.

Quædam mulieres partus non perferunt, quales, ſi quandò medicina & cura vicere, fœminam ferè gignunt. Plin. lib. 7. c. 13.

Lyſippus fecit ſumma arte Alexandri Magni ſtatuam, quam inaurari juſſit Nero Princeps, delectatus admodum illa, dein cum præno perijſſet gratia artis, detractum eſt aurum, prætioſiorque talis exiſtimatur, etiam cicatricibus operis, atque conſciſſuris, in quibus aurum hæſerat, remanentibus. Idem lib. 34. cap. 8.

Multi genampas ſignis violari nefas ducunt. Idem lib. vlt. in præmio.

Quis ferat Athletam meretricijs veſtibus & ornamentis indutum, ſic hiſtoriam Poëticis figmentis refertam? Lucianus, de hiſtoria ſcribenda.

In hiſtoria laudes nimiæ concitant invidiam lectorum, & ſcribentem probant adulatorem: vndè Alexander non ſuſtinuit eum qui Athos montem in imaginem ſuam ſpondebat formaturum, nec illo poſteà artifice vſus eſt in cæteris. Ità ſapientibus non placent nimiæ laudes; non enim ſunt vt mulieres, quæ volunt à pictoribus depingi pulchriores quàm ſint: hyperbole in vno ſuſpectam facit in cæteris narrationem. Ibidem.

Idem dialogo Lexiphanes, irridet Lexiphanem, qui affectatis verbis antiquis, quaſi antè mille annos converſabatur, diſtorquens linguam, externa componens, quaſi magnum ſit ſi peregrinis verbis vtatur, & conſuetam atque receptam ſermonis monetam adulteret.

De nimiâ affectatione ſermonis. *Vide Majoritas Cognition. Mal.* Nimia prædicatorum curioſitas.

Proteſilai herois vmbra docet agricolam flores aquâ non eſſe diluendos; vnguentum enim ad fragrantiam aquâ non indiget. Philoſtratus in heroicis. *Vide Majoritas Gloriæ.* Nimius veſtium ornatus.

Vt eruaris à muliere alienâ & ab extraneâ, quæ mollit ſermones ſuos & relinquit ducem pubertatis ſuæ, omnes qui ingredientur ad eam non revertentur nec apprehendent ſemitas ejus: inclinata eſt enim ad mortem domus ejus & ad inferos ſemitæ ipſius. Proverb. 2.

Alicui adoleſcenti voces obſoletas & veteres affectanti dicitur, ſi intelligi non vis quæ dicis, hoc abundè conſequeris tacens. Eraſm. lib. 6. Apoph.

Vt Philoſophum veſtis negligentior, ſic oratio decet inaffectata. Idem lib. 8.

EX VTROQVE IVRE.

VT apertè contrà legem facit, qui id facit quod lex prohibet, ità fraudem legi facit, qui ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit. l. 29. ff. de legib.

Actio de dolo famoſa datur contrà venditorem, qui decipiendi emptoris causâ rem venditam commendavit. l. 37. ff. de dolo malo. Item ſi eum cui mutuavi pecuniam laudavit, cum non eſſet ſolvendo. l. 7. eod.

Ædiles jubent redhiberi jumenta ornata vendendi causâ, & quorum vitia non ſunt palàm à venditore dicta. l. 38. ff. de Ædil. ed. initio. & §. vendendi 11.

Incidit in pœnam falſi, qui ſe pro milite geſſit, vel illicitis inſignibus vſus eſt, vel falſo diplomate vias commeavit. l. 27. in f. ff. de l. Cornel. de falſ.

Qui ſtatus controverſiam patiuntur, licet re verâ liberi ſint, non debent per id tempus nomen militiæ dare. l. 8. ff. de re militari.

Servi ab omni militiâ prohibentur; alioquin capite puniuntur. l. 11. eod.

Qui clerici munus non implet, non debet ejus privilegijs frui. l. 9. C. de Sacro. Eccl. *Vide infrà hoc tit.*

Dicta concordent operibus.

Iudæi confugientes ad Eccleſias debitis aut criminibus obnoxij, non ſunt recipiendi, niſi debitis ſolutis, & innocentiâ demonſtratâ. l. 1. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug.

Sæpè ſe vitia eſſe virtutes mentiuntur, vt tenacitas parcimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus juſtitiæ vult videri. can. ſæpè diſt. 41.

Curiales prohibentur recipi in clerum, quia ſepè ad Eccleſiam ſe transferunt, vt officiorum ſuorum ratiocinia fugiant. can. legem. diſt. 55. & in monaſterijs non ſunt recipiendi niſi redditis rationibus. Ib.

Nemo in Eccleſia nocet ampliùs, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. can. nemo. diſt. 83.

Chriſtum violat, qui non ſanctum pro ſancto habuerit, ſic enim ei falſum membrum affingunt, væ qui dicitis dulce amarum. 11. q. 3. can. ſi quis.

Qui cogente patre monaſticam vitam eſt ingreſſus, non cogitur in eâ permanere. 20. q. 3. can. præſens, quia voluntariè Deo ſacrificandum.

Pro aliquo facinore ab hæreticis excommunicatus, à Catholicis non eſt recipiendus. 24. q. 1. can. quiſquis.

Phantaſtica ſunt, non vera, quæ fiunt à magis. 26. q. 5. can. nec mirum.

Clericus degradatur, & Laïcus excommunicatur qui fingit conſecrationem vbi non eſt. can. nullus. de conſecrat. diſtin. 1.

Adulterina fallàcia eſt, faciem pigmentis ornare vt pulchrior appareat. can. fucare. de conſecrat. diſt. 3.

Clericus ſæcularis, vtens nomine & habitu monachi, cogitur deſiſtere aut fieri monachus, ex Concil. Toletano. cap. vt clerici, de regularib. & tranſeuntibus ad Religion.

Gravius peccat qui Euchariſtiam ſimulat conferre, & non conficit, quàm ille qui conficit in mortali. cap. de homine de celebrat. Miſſar.

Si quis falsò inſcriptos impiorum libros, tanquàm ſanctos in Eccleſiâ publicat, ad populi & cleri perniciem, deponatur, in canonib. Apoſtol. can. 6.

Concilio Elibertino. can. 55. an. 305. ſtatutum nè

fœminæ in cimeterio pervigilent, eo quod sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committant.

Primum generale Concilium Nicænum fuit celebratum in Nicæa Bithiniæ. Ariani autem conciliabulum congregaverunt in Nicæa Thraciæ, quod & Concilium Nicænum vocaverunt, vt sic dubia fieres fides legitimæ Synodi nominis æquivoco.

Iudæorum conversio sæpè est fallax, vt Christum subsannent, vndè non sinè longâ probatione ad fidem sunt recipiendi. Septima Synodus. can. 8.

Constantinus Imp. l. 6. Cod. Theod. de Episc. & Cler. prohibet in clerum recipi nobiles, qui in illum volebant adscribi, vt fruerentur immunitate munerum, & privilegijs Ecclesiæ concessis. *Vide Veritas Bonit. Magnit. Potest. Cognit. Repug. &c.*

EX BIBLIIS.

EZechiel. 8. Videt abominationes quæ fiunt clauso ostij templo, seniorum adolentium imagines, adorantium Solem, & mulierum plangentium Adonidem, & dicentium, non videt Dominus nos.

Act. 5. Ananias & Saphira puniuntur, quia mentiũtur volentes videri omnia dereliquisse pro Christo.

Populus iste labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Isai. 29.

Inimici vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. Thren. 2.

Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, tu verò odisti disciplinam, &c. Psal. 49.

Dilexerunt Deum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eò, &c. Psalm. 77.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, oratione longâ orantes: omnia faciunt vt videantur ab hominibus: decimatis mentham & anetum, & relinquitis quæ graviora sunt legis, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Similes sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intùs autem plena sunt ossibus mortuorum, omnique spurcitiâ, sic & vos foris quidem apparetis justi, intùs autem pleni estis fictione & iniquitate. Matth. 23.

Iesus dixit Pharisæis: Vos estis qui justificatis vos coràm hominibus: Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Luc. 16.

Abominatio desolationis stans in loco sancto. Math. 24.

Si quis supèr Christi fundamentum superædificat aurum, argentum, lapides prætiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscujusque opus in die Domini manifestum erit. 1. Corinth. 3.

Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Gal. 5.

Daniel deprehendit sacerdotes clàm noctu edentes escas, quæ Idolo apponebantur. Dan. 14.

Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Matth. 23.

Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; & non mirùm, ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergò magnum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ, quorum finis erit secundùm opera ipsorum. 2. Cor. 12.

Congregatio hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum. Iob. 15.

Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum, sed & hoc vanitas est. Eccles. 8.

Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas vt appareant hominibus jejunantes. Matth. 7.

Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ibid.

Discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentes conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, &c. 1. Timoth. 4.

HYPOCRISIS QVANTVM nociva & odio digna.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mendacium omne displicet humanæ menti veritatis avidæ, sed illud præ cæteris detestandum, quod peccat in rei substantiâ, dùm vitium pro virtute, mortem pro vitâ fraudulenter substituit: si enim vitia mentito virtutis habitu hominum se commercijs inserunt, grassantur, malumque populare fit, contagione vix sanabili.

MAGNITVDO. Non est quod huic malo limitem ponas, vt enim omnia virtuti pervia sunt, sic palliata vitia, alta quæque, vt ipsum locum sanctum pervadunt; latentes sunt scopuli, naufragijs nunquàm satiati, nunquàm aliorum periculis satis noti: Vnus enim oppressus si conquæratur, non auditur contrà publicam probitatis famam, vndè cogitur tacere, nè simul cum bonorum dispendio incurrat calumniæ notam, odiumque tot pro simulatæ pietatis partibus stantiũ.

DVRATIO. Sed violentum hoc diù non durat, læsis enim numero crescit audacia, & privati doloris timida priùs suspiria in vocem publicam erumpunt: omnes concitato clamore sæviunt irati in deprehensum perfidum, vt in feram è latebris suis odora canum vi ejectam, compressique diù doloris moras compensant effuso maledicto.

POTESTAS. Suum putant esse rectores populum fallere, non ab eo falli: vndè plùs indignantur in probitatis, quàm in pecuniæ, publicorumque instrumentorum fallatios, & merito; nam si eligantur ad dignitates, dum latent populis magnas clades inferunt, ipsaque regiminis fundamenta clàm subvertunt, deprehensi autem aliquam infamiæ notam inurunt, principibus, aut vt criminum consciis, aut non satis ad ea deregenda oculatis.

COGNITIO. Qui virtutem simulat, novit ipsam esse colendam, ità fit nocentior qui sciens in ipsam peccat, & qui peccans, vt benè ad illã meritus vult agnosci. Vnusquisque indignatur decipi, sed maxime in virtutis judicio; tùm quia hinc damna procedunt innumera, tùm eo quod ipse peritus virtutis artifex non habetur, qui adulterinam non deprehendit: turpe est, vt vi, sic dolis nobiscum certantem hostem, in intima nostra admisisse consilia, obtinuit enim, & licet infectis rebus, quædam victoriæ species est sibi cavent ibus illusisse.

VOLVNTAS. Amor vt non vim, sic multò minùs dolos parit: transit negligens deformia, fucata verò ictatus insectatur, & proterit: sed quantumcumque indignentur probi, afficit illos vix delebilis nota, in amicitiam aliquandò cum improbis, licet fucatis,

veniſſe: Etſi plura occurrant in quibus hypocrita non nocеat, tamen cenſetur in omnibus nocere, qui ad omnia probitatis titulo ſe profert admittendum: Illum igitur omnis perfidiæ reum conſtituit hæc voluntas.

VIRTVS. Vnius hypocriſis cæterorum virtute præſtantium famam in ſuſpicionem vocat: Expertus enim in vno dolus, in omnibus timetur: ſic infamata pietas tranſit in contemptum & odium; nec ad illam confugiunt miſeri, dum pro aſylo timent inſidias: Interim ex fucatâ virtute in impietatem hypocritæ dilabuntur; vivunt enim quaſi nullus eſſet cordis inſpector & judex Deus: ſibi plaudunt, quaſi nulla ſit niſi ficta Religio, Athei, in multis hypocriſim experti, ſeque dicunt à pietatem profeſſis in hoc tantum diſſentire, quòd ſincera & generoſa indole id quòd ſentiunt ſinè metu palam proferant.

VERITAS. Ipſæ divinæ, humanæque leges putantur eſſe, non rationis & juſtitiæ decreta, ſed populis, vt ſerviant impoſita fræna: Docent hypocritę ſuo exemplo illud Machiavelli, Legibus deberi non animum, ſed externum aliquem cultum; probitatem oneri eſſe, ſi verè habeatur non fictè, & ſi datâ occaſione non ſit paratus animus ſecurè ab illâ in contrarium ferri.

GLORIA. Dum hypocriſis debitos virtutibus honores falſo titulo ſibi vindicat, oriuntur innumera mala publica ex duplici capite: ſivè quia digni à regimine excluduntur, ſepultis eorum conſilijs & virtutibus, alioquin patriæ multùm profuturis; ſeù quia indigni ad res gerendas admiſſi perniciem illis vix poſteà ſanabilem inferunt.

DIFFERENTIA. Rebus omnibus ſigna quædam intimæ virtutis indidit natura, vt ab invicem poſſent diſtingui, & pro meritis ad vſus humanos aſſumi. Vt brevi vita miſere deficeret, ſi venena meſſibus, fructibus vndique permixta, alimentorum figuras, odores, colores, cæteraſque externas qualitates mentirentur: ſic perit ordo civilis, ſimulque Reſpublica, ſi mali bonorum ſpeciem præferant, & officia ſibi vindicent.

CONCORDANTIA. Experta plurimùm hypocriſis, efficit, vt nulla ſit niſi dubia fides, ſic nulli erunt veri amici, nulla ſinè furente zelo conjugia: non coagent, qui non ſibi mutuo credent collegæ; ſic ſuſpicione, quaſi veneno ſpes omnes inficiente, pe- A ribit humana ſocietas.

CONTRARIETAS. Hic, qui ſub ſpecie boni præſumitur malus, non poteſt niſi malè rem ſeù privatam ſeù publicam gerere: hinc infenſior hoſtis, quia lateus, non expellitur, ſed in intima nociturus admittitur. *Vide Cognitio Contrar. Rep.*

PRINCIPIVM. Morbus cujus non cognoſcitur cauſa, & non poteſt curari, & ipſis non aptè exhibitis remedijs exacerbatur. Illi qui videtur probus nemo conſilium dat, tanquàm erranti, nemo in malum ruenti obicem ponit: Illi quaſi firmo fundamento mox ruitura inædificant, denique infinitus ſit error, cum in principijs peccatur, & putatur eſſe bon⁹ qui malus eſt.

MEDIVM. Si ſpecie tantùm probus talis ſit potentiæ, vt alios in miniſterium aſſumat, virturem virio mancipabit & proborum optima conſilia officiaque in malum detorquebit: quod ſi ab alio in miniſterium ipſe aſſumatur, quid boni operis ſperandũ eſt à vitioſo inſtrumento, & in oppoſitum virtutis ſe moventę?

FINIS. Quid intendit malus, dum vult videri bonus, niſi ea omnia ſibi committi, quæ bonis committuntur: hoc eſt velle ſincera omnia in corrumptum vas infuſa corrumpi: ſaltem dùm ſe rebus immiſcet, inficit earum initia, vndè pendet exitus: Ruunt autem magnæ molis publica negotia, nec ſemel manumiſſa facilè revocantur.

MAIORITAS. Hypocriſi familiaris eſt impietas, quæ ad ſui commendationem miracula confingit, & videns credi à ſe conficta, de cæteris ad Religionem pertinentibus idem putat faciendum eſſe judicium. Intoleranda ſuperbia, quæ omnium mentibus quaſi ſub ſe longè poſitis, & ad ludibrium natis, illudit.

ÆQVALITAS. Summa hæc injuſtitia ſibi vindicare quod alienum eſt, æquari aut præferri his quibus deber ſubſterni: & addictâ dæmonibus mente, externa tantùm Deo in tot acceptorum beneficiorum gratitudinem deferre.

MINORITAS. Denique vt humilitas ſincera defectus ſui confeſſione gratiam apud Deum & homines meretur; ſic ſuperbia, mentito virtutis titulo gloriam aucupans, iras in ſe Dei & hominum concitat. Iacentibus officiosè ſuccurrit miſericordia: elatos nimiùm fulmine dejicit juſtitia.

GLORIA VIRTVTIS.

VIRTVTIS REMVNERATIO VTILIS VEL HONESTA.

MISCELLANEA.

Vide Poteſtas, & Voluntas Gloriæ. Honoris.

PRÆMIVM eſt quod redditur alicui A in bonum ejus. D. Th. 3. ſent. diſt. 29. quæſt. 4.

Hippodamus Meleſſiorum legiſlator lege ſtatuit, vt qui vtile quidpiam civitati reperiſſent, honoribus afficerentur. Ariſt. Politic. lib. 2. c. 6.

Heroicis temporibus regnum deferebatur, ijs & eorum ſucceſſoribus, qui inſigne aliquod beneficium in populum contuliſſent, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum: & hoc de populorum voluntate. Idem 3. Polit. cap. 10. *Vide Virtus Poteſt.* Quod regimen virtute præſtantioribus ſit delatum.

Regia

Heroicis temporibus regnum deferebatur, iis & eorum ſucceſſoribus qui inſigne aliquod beneficium in populum contuliſſent, vel per artes, vel per bellum, vel per congregationem in vnum: & hoc de populorum voluntate. Idem 5. Polit. cap. 10. *Vide Virtus Poteſt.* Quod regimen virtute præſtantioribus ſit delatum.

Regia poteſtas pro tutelâ præſtantium virorum contra populum reperta eſt, & ſit Rex ex præſtantibus per excellentiam virtutis. Tyrannis verò originem habet à populo, vt ſe tueatur contrà nobilitatem. Idem lib. 5. cap. 10.

Carthaginenſes numerum & ornatum annulorum accipiebant pro numero expeditionum, in quibus militaverant: Fuit etiam quandoque in Macedoniâ lex: eum qui multum hoſtem interfeciſſet capiſtro cingi: Apud ſcithas non licebat pateram in ſolemnibus epulis circumlatam accipere ei qui nullum hoſtem occidiſſet: Apud Iberos quoque pugnacem gentem, tot obeliſcos erigere circâ ſepulchrum mos eſt, quot homines ex numero hoſtium necaverit. Idem lib. 7. c. 2.

De funebris virtute præſtantium ſolemnitate. *Vide Gloria Finis.*

Attendat diligenter Princeps quænam naturæ ſint heroicæ & excellentes, eaſque ſibi modis omnibus addictas reddat, contrarium faciunt tyranni; & in Democratiâ in quâ populus affectat æqualitatem, vix excellentes viri tolerantur; vndè apud Athenienſes per decennium jubebantur exulare: quia vt ait Ariſtoteles, cum vir excellens ſit inſtar Dei, aliorum imperio ſubeſſe non poteſt, nec debet, oportet ergò eum regere; at vnum regere non eſt Democraticum, ſed monarchicum: tamen poteſt tolerari & in conſiliis adhiberi, vt facies eximia non nocet pedi. Kekermannus in politicis.

Ariſtocraticus ſtatus eſt propriè is, in quo præſtantiores virtute regunt.

Benè meriti de Republicâ apud Græcos, Cretenſes, Corinthios, Rodios, & omnes penè nationes publicas remunerationes acceperunt, in pecuniis, agris, ſtipendis, ſed maximè in honoribus, coronis, ſtatuis, nobilitatis inſignibus, &c.

Lege Solonis mutilatis in bello, aut qui oculos amiſerant publicè alimonia dabatur.

Athenis Ducibus re bene geſtâ & in patriam redeuntibus, tota ferè civitas obviam ibat, gratulando de fœlici adventu.

Cum reverentiæ cultum alicui exhibemus, caput aperimus, vt teſtemur parte noſtrâ cœleſti, ſcilicet animâ, quæ cognitionis functiones in capite exercet, nos honorare virtutem.

Si duo periclitentur, vnus vir bonus alter vir malus, viro bono potiùs ſuccurrendum eſt, quia dilectio ex quâ auxiliandi ſtudium oritur, non niſi bonum reſpicit; malum autem, quâ malum eſt odimus: ſecundò, vir bonus eſt bonum publicum. Kekermannus.

Vir bonus amicus præferendus eſt benefactori malo, quia licet illi debeas, tamen non ita obligaris ei dare, quia datum impendet in malum finem.

Plures leges minantur pœnam quam expreſſe promittant præmia, quia virtus ſui ipſius eſt præmium ſufficiens; & non niſi ſecundario ejus ſtudioſus attendit bona fortunæ; cum autem natura feratur in illicitum aſperitate ſupplicij fuit coërcenda.

Ægyptij Oſiridem & Iſidem adorantes, ideſt Solem & Lunam, eis offerebant aromata: honor eſt vera virtutis remuneratio.

Antiqui præſtantes viros inſigni aliquâ animi aut corporis virtute in Deorum numerum referebant, & ſepulchra eorum pro templis habebant. Euſebius præparationis Evangelicæ. lib. 2. c. 7.

Porphirius in lib. de non edendâ carne ait, Antiquitus animalia pro Diis adotata, quia in illis colebatur virtutis quædam particula, à Dijs inſita.

De privilegijs virtuti conceſſis. *Vide Majoritas Poteſtatis.*

De immunitate Sacerdotum. *Vide ſuprà Poteſtas Virtutis.*

Tyranni præmiando excellentes viros gratiam populi ſibi conciliant, odiumque temperant.

Militibus gallis qui præclarè ſe geſſerant ſolebat Rex occurrere, amplexu gratioſo, vnde catenæ aureæ Equitum.

Xenia quæ primâ die Ianvarij dantur, forſan Gallicè dicuntur *les eſtrennes*, quia ſtrenuis viris quaſi in homagium offeruntur.

Pietas Principi pro muro eſt. *Vide Virt. Poteſt.*

Ob virtutes morales Romani acceperunt à Deo Imperium. D. Auguſt. de civit. Dei & D. Th. de regimine. lib. 6. cap. 5. *Vide Bonit. Virt. ſuprà.*

Nemo deficiat à virtute propter odium quod ideò incurrit: odium enim hoc citò diſſolvitur, virtutis autem gloria permanet.

In Arcâ cum Legibus erat Manna: legis obſervationem comitetur retributio.

Lacedemonij nullum aliud dicendi genus habebant præter demonſtrativum, ad laudandum eos, qui ſe fortiter in bello geſſiſſent.

Laudem conſequeris, ſi talem te præſtiteris qualem vis prædicari; ſi tua te ſilet ætas, poſteritas loquetur.

Armillæ in circuli modum donabantur militibus, qui ſe benè geſſiſſent, eaſque ferebant in ſiniſtro brachio. Interdùm ex tempore coronabantur coronâ gramineâ licet confectâ ex herbâ quæ primum occurrebat. De Remuneratione non differendâ. *Vide Durat. Bonit. Repug.*

Qui in bello civem ab hoſte liberaverat donabatur coronâ ex Quercu, quaſi vitam dediſſet, ex glande enim primi homines vivebant. Plutarch. in Problem. Roman. problem. 92. Triumphantibus corona ex Lauro, fulminibus intactâ, ſemperque virente, excellentem ſignant immortalemque fortitudinem: Qui hoſtium muros primus invaſerat, Murali donabatur, quæ murorum & turrium præferebat figuram; Sic qui caſtra, Caſtrenſem, ex palis quaſi confectam: Qui naves Navalem, navium proras & vela referentem accipiebant.

Lyſimachus, natione Macedo Alexandri ſatelles, Regis iratı juſſu in foveam cum Leone miſſus eſt; ab eo occiſa eſt beſtia, quod cum Alexander intelleziſſet, viri perpetuâ admiratione virtutem proſecutus, eundem illum, quo optimum quemque è Macedonibus loco eſſe voluit; mortuo Alexandro parti Thraciæ, quæ Macedoniæ finitima eſt, imperavit. Pauſanias in Atticis.

Honoraria vt plurimùm debet eſſe remuneratio, nam tot ſumptibus exhauſti Reges; coguntur præterire non vulgaria ingenia; nam nec vtile eſſet Reipublicæ ſi omnes egregij viri cæteris oneri eſſent, & ſi naturæ dotes omnes auro publico deberent ſignari.

Qui in bello optimè ſe gerens excelluerit, primò ab iis qui vnà militant adoleſcentibus ſagittis coronabitur, dexteras illi jungent, & oſcula dabunt: nuptias etiam quaſcumque optaverit habebit, vt & hoc præmio ardentiùs ad pericula feratur, & generoſiſſima proles habeatur; hymnis, canticis, ſedibus, pleniſque pateris tales viros honorabimus. Plato. 5. de Repu.

Lachryma veri & odoratiſſimi balſami lacteo eſt colore. Dioſcor. Vera fama ex virtute.

Fundamentum ſpei eſt bona conſcientia, ideò dicit Pſal. 36. Spera in Deo, & fac bonitatem ſpes ; malorum peribit. Proverb. 16.

Lacedemonij priuſquàm irent in prælium Muſis ſacrificabant, non quia habeant aliquid commune cum Marte, ſed vt rebus fortiter geſtis contingeret honeſta commemoratio.

Nunquam quamvis obſcura virtus latet, ſed mittit ſui ſigna, quiſquis dignus fuerit veſtigiis illam colliget. Seneca. lib. de tranquill. animi.

Ferunt olim nobilitatem à plebe, non aliter quàm virtutis notâ diſcriminatam ; hinc magnates conſtituti, hinc honores & cultus in ipſos delati, ab iis qui ad tàm ſanctum ſplendorem obſtupeſcebant: Hoc priſcis temporibus vnicum remedium erat emergendi è latebris vulgi, cum omnes initio pares eſſe natura juſſiſſet ; illum diſciplina militaris, illum machinatum peritia, virtus omnes provehebat. &c. Barcl.

Si qui bonus eſt, ſibi rem convenientem non conſequatur, is habet vim movendæ ſtomachationis. Arist. 2. Rhetor. cap. 9.

Æſchylus dicebat ſe tragœdias ſuas tempori deponere: quippè intelligebat ſe meritam laudem aliquandò conſecuturum. Athenæ. lib. 8. cap. 6.

Ochus cum per multum tempus regnaſſet, interrogatus quomodò id eſſet aſſecutus, luſta, inquit, ergà Deos hominesque faciens. Athenæus lib. 12. cap. 28.

De præmiatâ virtute poſt mortem. *Vide Gloria Fin.*

Quod ſilentibus canibus anſeres vigiles irruentes noctu hoſtes in Capitolium clangore prodiderint, cibaria publica à Cenſoribus accipiebant. Plin. lib. 10. cap. 22.

Leonis adipe cum roſaceo cutis in facie cuſtoditus à vitiis, candoremque ſervat. Idem lib. 28. cap. 8. Virtuti ſalva eſt gloria. Sic ſanantur aduſta nivibus, & articulorum tumores. Ibidem.

Annulus eſt corona manus fœliciter operatæ. Idem lib. 33. cap. 1.

Quæ putamus membra ignobiliora eſſe corporis, his honorem abundantiorem, circumdamus. &c. 1. Corinth. 12.

Laudatur Tarquinius Priſcus, quod triumphales auratos currus, togas pictas, tunicas palmatas, omnia denique decora & inſignia, quibus imperij dignitas eminet, inſtituit. Florus lib. 1. cap. 5.

Ariſtomenem Meſſenium fuſis Spartanis Andamiam reverſum exceperunt matronæ gratulabundæ, flores in eum quacũque incederet ſpargentes, & carmen in ejus honorem decãtantes. Pauſ. in Meſſenicis.

Sic excipitur David rediens à cæde Philiſtinorum. 1. Reg. cap. 18.

Cum diſtributiva juſtitia in conferendis honoribus non benè adminiſtratur, tunc fiunt ſeditiones in civitate, ab optimis debito honore privatis: Sic cum ſuperiora elementa ſurſùm tendentia inferiùs concluduntur, magnas agunt ſtrages, fiuntque terræ motus. *Vide Volunt. Gloria.*

Chriſtus laudatur in viro bono. *Vide Volunt. Glor. Rep.* In Deo ſolo gloriandum.

Soli virtuti debetur honor. *Vide Verit. Glor.*

Advertat Princeps ne merito imparibus æqualia largiatur præmia; ſic enim boni animo concident, & immeriti inſoleſcent. *Vide Differ. Gloria.*

Majeſtas Principis oritur vel ex occultâ causâ, ſcilicet à Deo ; qui reddit eum venerabilem, etiam audentioribus ; vel ex apertâ causâ ſcilicet ex virtutibus, & formâ regiminis prudente; temperata, & ex A fœlici rerum ſucceſſu. De bonâ fortunâ. *Vide Princip. Gloria.*

Socrates interrogatus quænam civitas ità gubernari poſſet ? reſpondit, cum boni invitantur præmijs injuſti dant pœnas. Plutarch.

Levanda eſt paupertas eorum hominum, qui diù Reipublicæ viventes pauperes ſunt & nullorum magis, vt ſic fidelitas vnius præmiata multorum æmulationem excitet.

Inter quos maxima præmia virtutis proponuntur, apud illos etiam optimi viri Rempublicam gubernant; quæ enim vberrima virtutis propoſita ſunt præmia, ad ea optimus quiſque in Rempublicam animo contendit. Cic. Tuſcul. lib. 2.

Omne opus leve fieri ſolet, cùm ejus præmium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium ſit laboris. D. Hieron.

Remuneratio meritorum juſtum dominantis prodit imperium, apud quem perite neſcit, quod quemquam laboraſſe contigerit, nam ſi inopinata tribuimus, quemadmodùm negare poſſumus quod debemus? &c. Caſſiod. lib. 1. variar. Epiſt. 42.

Nutriunt præmiorum exempla virtutes, nec quiſquam eſt, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quandò irremuneratum non relinquitur, quod conſcientiâ teſte probatur. Idem lib. 2. Epiſt. 16.

Tribuenda eſt juſtis laboribus compenſatio: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata tranſitur. Ibidem Epiſt. 27.

Indiſcreti hominum mores confuſique vagarentur, ſi aut culpa formidinem, aut virtus præmia non haberet. Idem lib. 9. Epiſt. 22.

Omnia bona ſuis ſunt conjuncta cum fructibus, nec credi poteſt virtus, quæ ſequeſtratur à præmio. Idem lib. 1. Epiſt. 3.

Nimis impium eſt pleniſſimis cellis vacuos exire cultores. Idem lib. 10. Epiſt. 27.

Appius Claudius ait apud Livium. lib. 5. Nuſquàm operam eſſe ſinè emolumento, nec emolumentum ſinè immensâ operâ.

Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris, agrum peritiâ omni ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte, ſed nullam meſſem metes, vindemiam nullam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. Div. Cyprian. lib. 4. Epiſt. 2.

M. Cato Patrem laudabat quod amiſſis quinque equis in conflictu, prætium à Republica acceperit. Plutarch. in Catone.

Quicumque terrena ſpiritualibus præfert, ſic fit vt ab illis & ab iſtis decidat ; qui autem cœleſtium deſiderio tenetur, terrenis etiam omninò potiatur : nec mea eſt iſta ratio, ſed ejus qui cuncta eſt præbiturus Domini : Quærite, inquit, regnum cœlorum, & omnia adjicientur vobis. Pater eſt Deus qui totius familiæ ſuæ curam ſuſcipere volt ; Salomoni ſapientiam tantùm petenti, dantur & Regales divitiæ ; Apoſtolis, qui omnia reliquerant, dicitur, Numquid aliquid vobis defuit ? &c. D. Chriſoſt. lib. 3. advertus vituperatores vitæ monaſticæ. in fine.

Mali nolendo ſervire Deo nil aliud agunt quàm vt bono Domino non ſerviant, non vt omninò non ſerviant, quia qui noluerint ſervire charitati, neceſſe eſt vt ſerviat iniquitati. D. Auguſt. in Pſal. 18.

Democratia non eſt optimum regimen, quia virtus non habet honorem in populo, in quo abundant mali ; & vndè virtute præſtantiores coguntur exulare.

Superſtes ex Horatijs partam contrà Curiatios victoriam parricidio fœdavit occisâ ſorore, eo quod fleret videns ex marito ſuo ſpolia reportantem; citavere

leges nefas, ſed abſolvit virtus parricidium, & facinus infrà gloriam fuit. Florus libr. 4. cap. 3.

Auguſtus Muſæ liberti ope in optimam reſtitutus ſanitatem, illi jus aureorum annulorum dedit, ſtatuamque ære collatitio juxtà ſignum Æſculapij poſuit, & vniverſo Medicorum ordini immunitatem munerum dedit. Dion. cap. 53.

Medici cum vxoribus & filiis ab omnibus officiis ſunt immunes, tàm civilibus quàm publicis. l. 6. Cod. de profeſſ. & med. Hoc etiam ſub Veſpaſiano, Adriano, & Antonino conceſſum. l. vlt. ff. de muner. & ſub Conſtantino. Cod. Theod. de medic. & profeſſ. Vide Caſſiodor in formâ comitis archiatro. lib. 6. var. c. 19.

Iudex medico mercedem adjudicare debet, vt profeſſoribus juſtiori de causâ, cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant, & de his extrà ordinem jus dici debet. l. 1. ff. de variis & extraord. cognit.

Crinas Maſſilienſis Medicus & Aſtrologus tantas opes acquiſivit, vt ſuis impenſis vrbem ſuam mœniis cinxerit Neronis tempore. Genebr. 3. Chronic.

Quæ dicta ſunt de Salario medicorum, poſſunt applicari; ſi loquendum ſit de remuneratione virorum bonorum, maximè in regimine poſitorum, ſunt enim veri medici morborum popularium.

Spiritus militum animique ardores Dux ipſe excitat atque alit, quandò honores & dona largiens oſtendit, ſe non ſui luxus aut voluptatis gratiâ divitias parare, nec illas opes ſuas eſſe, ſed communia virtutis præmia apud ſe recondi, & in hoc tantùm ipſum eſſe divitem, vt militibus pro meritis præmia dare ſoleat. Plut. in Cæſare.

Glorioſum eſt honores paſſim impendere, ſed laudabilibus benè meritis digna præſtare: quidquid enim talibus tribuitur, pro generali potiùs vtilitate largitur. Caſſiod. in Epiſt.

Præmiis magnorum etiam virorum animi excitantur. Am. Feron. lib. 1.

Strenuis Ducibus item & militibus per quos vel victoria parta eſt vel ſervatus exercitus, præmia danda ad cæteros excitandos. ex Liv. lib. 7.

Vt agriculturæ finis eſt frugum perceptio, ædificationis ædium eſt habitatio, navigationis divitiæ, certaminis corona: ſic virtuoſæ vitæ finis eſt vt ſervus Dei & ſis, & vocitetis. D. Greg. Nazianz. in myſt. Moyſis vitâ. Omnis præ ipſis mandatis terrena vilis merces eſt, nec vllâ ex parte comparantur alia quæcunque hominis bona, iis bonis quibus ipſe homo ſit bonus. D. Aug. in Pſal. 118.

Apud Lacedæmonios, qui ſtrenuam in bello operam navaſſent, ac pro patriâ fortiter occubuiſſent, olivâ & aliis ramis redimiti laudibus vehebantur: ac demùm amicti purpurâ prætioſiſſimâ, glorioſè ac honorificè ſepulchris mandabantur. Ælian. lib. 6. de var. hiſt.

ETIAM AB HOSTIBVS honorata virtus.

VIrtus cum ſit bonum ſpeciei, & ſic publicum, præfertur privatis odij cauſis, ſic colitur etiam in hoſte.

Cæſar flevit auditâ morte Pompeij.

David flevit Saülem perſecutorem ſuum vlsus eſt ſuam mortem in eo qui eum occiderat & nuntiabat, ob eamque maledixit montibus Gelboë. Herodes timebat Ioannem, quia ſciebat eum eſſe juſtum, & libenter eum audiebat. Marc. 6.

Apud Lacedemonios Artemiſiæ Halicarnaſſi Reginæ ſtatua erat poſita, quæ Xerxi contrà ipſos Græcos auxilium ferens ad Salamina optimè ſe geſſit. Pauſanias in Laconicis.

Ducis hoſtium interfecti corpus ſi non reſtituatur, debet honeſtâ ſepulturâ donari, ſic Annibal fecit ergà occiſum Marcellum Livius Dec. 3. lib. 7.

Victor non debet deſtruere imagines hoſtis ſui, ſi fuerit vir illuſtris. In gloriam victoris cedit virtute præſtantem ſuperaſſe.

Saül dicit ad David, qui eum cum potuiſſet non occiderat: verè juſtiores quàm ego. 1. Reg. 24.

Romæ tribus in locis viſebantur ſtatuæ Annibalis. Plin. lib. 34. cap. 6.

Certum eſt ad profligandam Africæ provinciam maximè profeciſſe ſingularem ducis ſanctitatem, quippè qui captivos pueros, puellaſque præcipuæ pulchritudinis barbaris reſtituerit, ne in conſpectum quidem ſuum paſſus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibaſſe ſaltem oculis videretur. Florus lib. 2. cap. 6.

Oreſti & Pyladæ Scythis alienigenis & hoſtibus Græci templa & ſacrificia dicavere. Lucianus dialogo Toxaris.

Porus Indorum Rex cum fortiter Alexandro reſtitiſſet, humaniſſimè eſt habitus, vnoque die omnia amiſit, & recepit. Philoſt. in vitâ Appollon. 2. c. 10.

Accuſatorem perfecta virtus exterret, mediocris irritat. Petrarcha.

Sol mututinus nebulas congregat, meridianus diſgregat: ignis dum accenditur obunbilatur fumo, quem poſtea conſumit: vbi conſummata, & publicâ famâ donata virtus, qui vident illam cum invidiâ, coguntur tamen de eâ loqui cum admiratione.

Depingitur Emblematicè ſpeculum, & illi fruſtrà volentes adhærere muſcæ, cum hac inſcriptione: Labuntur nitidis, ſcabriſque tenacius hærent.

Beatus eſt qui tam ſanctè, tamque graviter diſpoſuit vitam ſuam, vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dùm adversùs obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quiſpiam auſus eſt, quod à nullo putat eſſe credendum. D. Hieron. Epiſt. ad Celantiam.

Vir prudens etiam hoſtis virtutem reveretur, vt & Demoſthenem acerrimum hoſtem Philippus beatum judicabat, cum diceret; Si quis Athenienſis, Athenis degens, ſe patriæ me præferre dicit, eum ego argento emerim, amicitiâ verò meâ non dignabor; ſi quis verò propter patriam me odit, eum ego quidem vt arcem & murum & navale & vallum oppugno, ſed tamen virtutem ejus admiror, & vrbem propter eam poſſeſſionem fortunatam judico, Niceph. Greg. hiſt. lib. 9.

FESTA SANCTORVM.

SAncti laudes ſunt Dei; à Deo enim eorum converſio: Deus converte nos. Pſal. 79. Doctrinâ, Doce me juſtificationes tuas. Pſal. 118. Quod fuerint boni paſtores, Dabo vobis paſtorem ſecundùm cor meum. Ierem. 3. Perſecutionem perpeſſit, Patientia Iſraël Domine. Ierem. 61. Quoniam ab ipſo patientia mea. Victor in omnibus: In omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Ioan. 8. Non ergò recedimus à laudibus Dei, quandò laudamus opera Dei, & præmia Dei in milite Dei. D. Auguſt. Serm. 114. de diverſis.

Colamus in ſanctis timorem & amorem Dei, non A divinitatem Dei: colamus merita, non quæ de proprio habent, ſed quæ accipere pro devotione meruerunt: Dignè itaque venerandi ſunt dùm Dei nobis cultum & futuræ vitæ deſiderium contemptu mortis inſinuant. Euſebius Emiſſen. homil. 2. de Symbolo.

D. Auguſt. lib. 20. contrà Fauſtum Manich. c. 21. deffendit Sanctorum cultum. Non, inquit, martyribus Petro & Paulo, &c. ſacrificamus, ſed Deo; apud memorias tamen Martyrum quos coronavit, vt ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus: Colimus ergò Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vitâ coluntur ſancti homines Dei, ſed tantò devotius, quantò ſecurius poſt certamina ſuperata: quantò etiam fidentiori laude prædicamus, cum jam in vitâ feliciori victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes. At verò illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, cum ſit quædam divinitati propriè debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus niſi vnum Deum, &c. D. Auguſt. Ibidem.

De anniverſaria magnorum virorum commemoratione. *Vide Duratio Voluntatis.* Commemoratio mortuorum.

Etſi Sancti humanis non indigeant laudibus, tamen hominum ſtudijs celebrantur, vt dùm in exemplum proponuntur, etiam gloriæ eorum currat augmentum; deindè vt antiquus ille Religionis inimicus, etiam antè judicium ſentiat pœnam malitiæ ſuæ, C per quam ſe ſanctorum gloriæ intelligit militaſſe: vt cum totus celebret mundus interempti coronam, neceſſe habeat interemptor propriam lugere victoriam. Euſeb. Emiſſen. Homil. 1. de S. Stephano.

Gloria Libani ad te veniet, ad ornandum locum ſanctificationis meæ: & locum pedum meorum glorificabo. Iſai. 60.

In primitivâ Eccleſia dies obitus Martyrum, & aliorum ſanctorum magnâ feſtivitate celebrabatur; Conciones habebantur ad populum, fiebant ſacræ ſynaxes, & ab his feſtivitatibus non poterat eos deterrere perſecutio. Baron. an. 58. num. 93. D

Manichæi execrabantur eos qui colebant reliquias Martyrum, quia corporea omnia dicebant eſſe à malo principio; vndè merito ab Eccleſia damnati. Idem an. 277.

Apud Arcades à tenera ætate pueri juxtà leges, & hymnos & pæana canere aſſueſcunt, quibus ex inſtituto patrio ſinguli Deos Heroaſque indigenas decantare conſueverunt. Athenæ. lib. 14. c. 21.

Feſtis diebus & ſacrificijs honorantur viri boni poſtquàm defuncti ſunt, tùm vt concilietur illorum affectus, tùm vt viventes ſimiles illis evadant. Lucianus dialogo Toxaris, ſeù de amicitiâ.

Celebrantur feſta Sanctorum ad imitationem virtutis. *Vide Concordantia Virtutis.* Imitatio bonorum. Et quod ſancti ſint interceſſores. *Vide Medium Gloriæ.* E

Quæ eſt illa juſtitia ſanctos colere, & ſanctitatem contemnere, primus gradus pietatis eſt ſanctitatem diligere. D. Chryſoſt. ſup. Matth.

Laudate Dominum in ſanctis ejus. Pſal 80.

Cum ſanctorum glorias colimus, non eis aliquid beneficij præſtamus, ſed nobis maximum lucrum conquirimus. D. Aug. ſerm. de Nativit. S. Ioan.

REMVNERATIO VIRtutum in cœlo.

Vide Gloria Contrarietatis. Laborum rèmuneratio in cœlo.

VT arbores quæ hyeme videntur mortuæ, florent ad Solis acceſſum; ſic humiliata in terris virtus ſplendebit in cœlo. Ex D. Aug. in Pſal. 86.

De æterna requie & gloriâ. *Vide Duratio Gloriæ, & Veritas Gloriæ*, quod in eâ ſit omnium deſiderium ſatietas. *Vide Mag. Glor.*

Gloria hæc venàlis eſt, eme ſi vis, nec multum B exæſtues de re magnâ propter prætij magnitudinem, tantùm valet quantùm habes, cum in cæteris rebus prætium æquari debeat; imò noli quærere quod habes, ſed qualis ſis; res iſta te valet; tantùm valet quantùm es, tu te da, & habebis illam; ſi malus es, dando te illi bonus eris. D. Aug. Serm. vult. de verbis Dom.

Bonus es Domine quærenti te, ſi quærenti quid invenienti? Non dicit ſimpliciter latroni, Eris in cœlo, ſed mecum eris, vt qui conſors fuit paſſionis, ſit & gloriæ.

Mortuo ſupererit aliquid poſt hanc vitam: hoc eſt illud ſemen quod in benedictione erit. Et videas C filios filiorum tuorum. Fructus tuorum operum. D. Aug. in Pſal. 10.

In flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo. Pſal. 65. Ideſt facile tranſibunt flumen mortalitatis, vt æterno Deo fruantur: & videas filios filiorum tuorum, ideſt fructus operum tuorum. Ibidem.

De Remuneratione eleemoſinæ. *Vide Gloria Bonitatis.* ex Bibliis.

In conſummatione ſæculi fulgebunt juſti ſicut ſol in regno Patris eorum. Math. 13. Cum venerit filius hominis in majeſtate ſuâ, ſtatuet oves à dextris ſuis. Ibidem.

De Reſurrectione. *Vide Finis Minorit.*

Gratiam & gloriam dabit Dominus. Pſal. 83. Supereſt mihi corona Iuſtitiæ. 2. Timoth. 4. Debitorem Dominus ſe fecit, non accipiendo ſed promittendo: Securus dicet; feci quod juſſiſti, redde quod promiſiſti. Miſericordiam mihi erogavit. 1. Tim. 1. Ille qui prærogavit miſericordiam, negare poterit debitum, qui peccatori donavit mortem filij ſui, quid ſervat ſalvato per mortem filij ſui? ſecurus ergo eſto, tene debitorem, quia in promiſſorem credidiſti. Domine non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. D. Auguſt. in Pſal. 83. in f. Arrhas dedit ſponſæ ſanguinem ſuum & ſpiritum ſuum, quantas in poſterum ſervat divitias. Ibidem.

Mors peccatorum peſſima. Pſal. 33. Mala in amiſſione mundi, Peior in diſſolutione carnis; peſſima in tormentis inferni. At contrà bonorum mors optima, quia fit ibi quies à labore, jucunditas de novitate, ſecuritas de æternitate. D. Bernard. in parvis mon. 14.

De Remuneratione charitatis. *Vide Gloria Bonitat.*

Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Roman. 6.

Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Roman. 6.

Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur nobis. c. 8.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor

hominis aſcendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum. 1. Corinth. 2.

Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. 2. Cor. 4.

Omnes nos oportet manifeſtari antè tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, provt geſſit, ſivè bonum, ſivè malum. 2. Cor. 5.

Mors efficitur diſſolutione corporis labore defeſſi, & numeri completi, quo corporis membra in vnam machinam ad vſus vitales aptantur: hujus mortis ſollicitudo ſupervacanea eſt; ſed & alia neceſſaria quàm aut ignorantia, aut incredulitas condemnat humana: cum enim fuerit animæ à corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium examenque meriti ejus tranſibit in ſummi Demonis poteſtatem, iſque eam, cum piam juſtamque prævideric in ſuis competentibus locis manere permittet, &c. Mercur. Triſmeg. Pymand. cap. 14.

De voluntate & ſpe beatitudinis. *Vide Volunt. Glor.*

In illa civitate erimus vbi bonum noſtrum Deus eſt, lumen Deus eſt, panis Deus eſt, vita Deus eſt, quidquid eſt bonum noſtrum à quo peregrinantes laboramus, in illo inveniamus: in illo erit requies, quàm modò recordantes neceſſe eſt vt doleamus. D. Aug. Pſal. 37.

Deum gratis ama, quaſi propoſita acceptatione mercedis, quia ipſa merces tua ſumma Deus ipſe erit, quem gratis diligere & ſic amare debes, vt ipſum pro mercede deſiderare non finas, qui ſolus te beatum faciet. Idem in Pſal. 8.

EX IVRE CIVILI, & Canonico.

CElebribus in Eccleſia viris feſti dies conſtituuntur. Leo. Nov. 88.

Eccleſiam fidelitatem non facere. Feudor. l. 4. c. 104.

De Eccleſiaſticis titulis & privilegijs. Novella. 131.

De immunitate Eccleſiaſtica. *Vide Poteſt. Virtutis.*

De his qui ad Eccleſias confugiunt, nè extrahantur. Cod. 1. tit. 12.

De his qui in Eccleſijs manumittuntur. Cod. 1. tit. 13.

De muneribus & honoribus. ff. 54. tit. 4.

Ne Chriſtianum mancipium hæreticus, vel paganus habeat aut poſſideat. C. 1. tit. 10.

Ne monaſteriorum prædia deſcribantur. Conſt. 1. Alexij Commeni.

Ne morientum Epiſcoporum bona diripiantur ab exactoribus.

De ſtatutis contrà Eccleſiæ libertatem editis tollendis. Cod. 6. t. 2.

De peculio ejus qui libertatem meruit. Cod. 7. tit. 23.

De privilegijs veteranorum. ff. 49. tit. 18.

Quibus ex cauſis ſervi pro præmio libertatem accipiant. ff. 40. tit. 13. C. 7. t. 13.

Quibus muneribus excuſantur hi, qui poſt impletam militiam vel advocationem, per provincias ſuis commodis vacantes commorantur. Cod. 10. tit. 55.

De reſtitutione militum, & eorum qui Reipublicæ causâ abſunt. Cod. 2. tit. 51.

De ſacroſanctis Eccleſijs & de rebus, & privilegijs eorum. Cod. 1. tit. 3.

De ſervis Reip. manumittendis. Cod. 7. l. 9.

De ſtatuis & imaginibus. Cod. 1. tit. 27.

De tutoribus illuſtriſſimarum perſonarum. Cod. 5. tit. 33.

Vt Eccleſiæ & monaſteria ſint intacta à manu fiſci. Conſt. 9. Man. Comnen.

De reliquijs & veneratione ſanctorum. Decret. 3. tit. 45.

Summa ratio eſt, quæ pro religione facit. l. 43. ff. de religio. & ſumpt. fu.

Quilibet bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos non reſtituit.

In adminiſtratione publicorum officiorum, qui benè geſſerunt, debent clamoribus populi commendari vt vivat, vivat talis. l. 5. Cod. de quæſtor.

Adoptare poteſt pauper ditiorem, ſi vitæ ejus ſobrietas clara ſit, vel affectio honeſta, nec incognita. l. Nec ei. §. fin. ff. de adoptione.

Athleta qui in certaminibus tres coronas obtinuit quarum vna fuit Romæ, excuſatur à muneribus civilibus perſonalibus, non tamen patrimonialibus. l. 1. Cod. de athlet & l. 6. ff. de excuſatio.

Ejus eſt beneficium, qui gerit officium. cap. 1. de vaſſallo milite in vſib. feudor.

In belli acie mortui videntur per gloriam vivere. l. 18. ff. de excuſat. tutor.

Boni debet extolli memoria, mali verò debet aboleri. l. 23. C. de Epiſc. & clerici

Sanctæ res dicuntur, quæ ab hominum injuriâ deffenſæ ſunt, vt muri & portæ civitatis. l. 8. ff. de diviſ. rer. Intacta debet eſſe virtus. *Vide Contrarietas Virtutis Mala.*

Licet tantùm pecunia ludere in certamine haſtæ currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causâ fit, & in his licet ſponſionem facere. l. 2. & 3. ff. de aleatoribus.

Religionis intereſt ſepulchra extrui & exornari. l. 2. ff. de mortuo inferendo.

Auguſtus decreverat, vt nemo militans poſſet exhæredari, ſed ſublatum eſt hoc decretum. l. 26. ff. de liber. & poſth. hæred. inſtituend.

Milites non debent exercere officia vilia & mechanica, quibus poſſint à militia deterreri & diſtrahi. l. 12. ff. de re milit.

Honeſta miſſio eſt, quæ tempore militiæ expleto datur. l. 13. Eodem.

Bona fides tantùm poſſidenti præſtat quantùm veritas. l. 178. ff. de Reg. jur. Bonæ fidei poſſeſſor tantùm lucratur, quantùm verus Dominus.

Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui contrà Eutychem diſputavit, & obtinuit, memoria jubetur reddi celebris à Valente & Marciano Imppe. l. 23. Cod. de Epiſcop. & Cleric.

Judæis, Paganis & hæreticis non licet ſervos Chriſtianos habere, quin imò ſtatim liberi efficiuntur, & ſervus ad Catholicam fidem converſus ſtatim liber efficitur. l. 55. §. 3. C. Eodem.

Diebus Paſchalibus captivi debent extrà carceres poni, niſi detineantur pro crimine enormi. l. 3. C. de Epiſcop. aud.

Mimæ & meretrices non debent induere habitum virginum Deo dicatarum. l. 5. Cod. Eodem.

Domini ſolebant in Eccleſia coràm Antiſtite ſervis ſuis libertatem dare. l. 1. Cod. de his qui in Eccleſ. manum.

Datum militibus ab eorum Duce non indiget inſinuatione. l. fin. C. de donat.

Clericatu feudum amitti. feud. 4. t. 109.

Non licet parentibus exhæredare filios tanquàm ingratos, qui ingrediuntur monaſteria. Novell. 123. cap. 41.

Chriſtianus factus ſervus Judæi debet ſtatim reduci,

ne Christiana Religio Iudæis subdita polluatur. can. mancipia. dist. 54.

Virtute non favore aut prætio sunt homines ad dignitates Ecclesiasticas promovendi. 1. q. 1. can. quibusdam & seqq.

Secularis potestas debet auxilium Ecclesiæ. *Vide Virtus Potestatis.* Pietas Regentis.

Extranei emeritis in suis Ecclesijs non præferantur. can. nec emeritis & seqq. dist. 61.

Vt non nisi qui in eadem Ecclesiâ militaverunt ad majores gradus promoveantur, & non aliunde petiti. Concil. Constantinop. IV. can. 13.

Decimas neque Episcopi neque Principes occupent, sed proprijs Ecclesijs restituantur. Concil. Lateran. 2. can. 10. anno. 1139.

Si quis à canonicis voluntariè fuerit receptus vltrà statutum numerum debet illi provideri de superexcrescentibus fructibus. cap. cum Ferarien sis. 9. de constitutionibus.

Homines justificati merentur per sua bona opera apud Deum, qui justus est. Conc. Trid. sess. 6. c. 16.

Semper virtus emicat, ideò motus, quod me infamabis, non est justus, nec solvit contractum. l. 7. ff. quod met. caus.

Boni fiunt non solum metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione. l. 1. ff. de Iust. & jure.

Anno Christi 502. cœperunt constitui beneficia Ecclesiastica: Nam cum solerent clerici ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victus causâ meritam stipem accipere, postea factum est vt ejus rei causâ possessiones Ecclesiasticæ eis concederentur. Baron. an. 502.

Qui ex quæsturæ honore, aut officiali magisterio, aut comitivâ vtriusque ærarij nostri, attonito splendore viguerunt, acclamatione excipiantur solita, nè prætereantur vt incogniti. l. vnic. Cod. de quæstiorib.

Honor ex dignitate deposita. *Vide Duratio Gloriæ.*

EX THEOLOGIA.

ACtus humanus, in quantùm est bonus aut malus, habet rationem laudabilis vel vituperabilis. D. Thom. 1. 1. q. 21. a. 2.

Viri sancti debent adorari Dulià. 2. 2. q. 84. a. 1. ad 1.

Advocato licet accipere præmium moderatum secundùm laborem, personas, negotia & consuetudines. 2. 2. q. 71. a. 4.

Angeli meruerunt suam Beatitudinem. 1. q. 63. a. 4.

Continentiæ major debetur fructus, quàm alteri, virtuti, quia maximè hominem liberat à subjectione carnis. Supl. q. 96. a. 3.

Beatitudo habet rationem præmij. 1. q. 16. a. 1. ad 2.

Beneficia Ecclesiastica magis debent dari plùs idoneis ad regimen Ecclesiæ, quàm magis consanguineis. 2. 2. q. 63. a. 1.

Bonaquæ damnati fecerunt hîc, prosunt eis in inferno ad mitigationem pœnæ. 3. q. 89. a. 6. ad 3.

Debitum non minuit meritum, nisi minuat voluntarium. 2. q. 21. a. 1. ad 3.

Qui impurus est, non potest intrare in templum Dei, quantò magis nec Deum videre. 1. 2. q. 109. a. 1.

Convenienter tres assignantur beatæ animæ dotes, scilicet visio, quæ fidei; comprehensio quæ spei; fruitio, quæ charitati respondet. Suplem. q. 95. a. 5.

Dulia est reverentia exhibita homini, ratione cujuslibet excellentiæ. 1. 2. q. 103. a. 3.

Honor est cujuslibet virtutis præmium. 2. 2. q. 192. a. 4. & testimonium excellentiæ, quæ est in homine. 1. 2. q. 2. a. 2.

Non est sufficiens præmium virtutis, sed vt possibile homini. Ibidem.

Honores, divitiæ, nobilitas, &c. dantur in remunerationem virtutis, quia ipsam adjuvant in suis operationibus. 2. 2. q. 145. a. 1. ad 2.

Major honor debetur justitiæ & fortitudini, propter excellentiam majoris boni, temperantiæ autem propter cohibitionem turpium. 1. 2. q. 145. a. 4. ad 3.

Communis status Iudæorum semper erat in prosperitate, quandiù servabant legem, & cum peccabant, erant in tribulationis. 1. q. 99. a. 6. ad 3. *Vide Potestas Virtutis.*

Viri perfecti judicabunt cum Christo. Suplement. q. 89. a. 1.

Iustitia Dei duplex, scilicet condecentia bonitatis ejus. & retributio pro meritis. 1. q. 21. 1. 3.

Iusti sunt nobilissimæ partes vniversi; vndè omnia debent illis prodesse. 1. q. 23. a. 7.

Deus dicitur specialiter Deus justorum, tripliciter, scilicet ex speciali cura, cultu & præmio. 1. q. 23. a. 7.

Mali semper hîc puniuntur spiritualiter, boni autem præmiantur, licet non corporaliter. 2. 2. q. 66. a. 2.

Merces est id quod recompensatur pro retributione operis: Ideò reddere mercedem est actus justitiæ, sicut reddere prætium rei emptæ. 1. 2. q. 114. a. 1.

Observantia directè respicit personam excellentem, ideò secundùm diversas rationes excellentiæ, diversas species habet. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4.

Bona facta sinè gratia remunerantur in præsenti. 2. 2. q. 83. a. 6.

Verecundia non est de operibus virtutum nisi per accidens, ratione falsæ opinionis, vel propter notam præsumptionis, vel simulationis. 2. 2. q. 144. a. 2. ad 3.

EX BIBLIIS.

COmmendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum. Rom. 5.

Numquid non habemus potestatem edendi & bibendi, sicut alij Apostoli? quis militat suis stipendijs vnquàm? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat; scriptum est, non alligabis os bovi trituranti; Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant; ità & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, &c. 1. Corinth. 9.

Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Ergò non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Gal. 6.

Rogamus vos fratres, vt noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum. 1. [illegible] Gal. 5.

Vide magnas benedictiones, quas Moyses promittit populo si legem fideliter servet, & maledictiones, si non observet. Deut. 28.

Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fuget à te. Prov. 6.

Qualiter charitas proximis impensa remuneretur à Deo. *Vide Glor. Beatitatis.*

Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus,

dicentes, vanus eſt qui ſervit Deo, & quod emolumentũ, quia cuſtodivimus præcepta ejus. Malach. 3.

Egrediemini & ſalietis ſicut vitulus de armento, & calcabitis impios, cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum. Ibidem 4.

Apprehẽdite diſciplinam ne quandò iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ. Cum exarſerit in brevi ira ejus: beati omnes qui confidunt in eo. Pſal. 2.

Scitote quoniam Dominus ſanctum ſuum mirificavit. 4.

Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde. Pſal. 7.

Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Pſal. 23. In cuſtodiendis illis retributio multa. 118.

Mons coagulatus, mons pinguis: Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Pſal. 67.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei, &c. quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te. Pſ. 83.

Veruntamen propè timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terrâ noſtrâ: Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit. Pſal. 84.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. Pſal. 88.

Juſtus vt palma florebit ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Pſal. 91.

Beatus vir qui timet Dominum, &c. Gloria & divitiæ in domo ejus. Pſal. 111.

Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Pſal. 118.

Egeſtas à Domino in domo impij; habitacula autem juſtorum benedicentur. Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exultatio ignominia. Proverb. 3.

Glorificaberis à ſapientia, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta protegert te. Proverb. 4.

Nihil proderunt theſauri impietatis: juſtitia verò liberabit à morte. Proverb. 10.

Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis. Proverb. 14. Juſtitiâ elevat gentem, miſeros facit populos peccatum. *Vide Poteſt. Virtut. & Virt. Poteſt.*

Lætitia ſpiritualis eſt loco remunerationis. *Vide infrà hoc tit.*

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Ioan. 1.

Ego ſum oſtiũ, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua in veniet. Io. 10.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ioan. 4. de mutuo Dei & hominum amore. *Vide Æqual. Volunt.*

Sanctificat Deus diem ſeptimum, in quo ceſſat ab omni opere ſuo. Gen. 1. Sanctificat, quia benè operatus erat.

Laudantur & remunerantur ſervi, qui fideliter rem Domini geſſerunt, & de talentis ſibi commiſſis alia lucrati ſunt. Matth. 25.

Irridentur, contumelijſque afficiuntur boni, ſi virtutis ſuæ præmia, etiam temporalia, non reportent. Sic Tobiæ exprobrant cognati. Vbi eſt ſpes tua pro quâ eleemoſynas & ſepulturas faciebas? Tob. 2. Sic Iob. 2. dicit vxor: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ, benedic Deum & morere.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, &c. Pſal. 68.

Dùm dicunt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus, hæc meditatus ſum, & effudi in me animam meam. Pſal. 41.

Vide imprecationes in prævaricatores legis, & benedictiones in obſervatores. Deut. 27. & 28.

Caleb promittit filiam ſuam daturum ei nuptum qui cœpiſſet vrbem Cariatſepher. Et Honiel eam capit & obtinet. Ioſue 15. Sic David obtinet Micholfiliam Saulis, prætio centum præputijs Philiſtinorum.

Deus promittit magnam rerum abundantiam obſervantibus legem ſuam. Deut. 28.

Mardochæus juſtus triumphum agit de Aman, & Mardochæus remunerationem accipit fidelitatis ſuæ ob detectam conjurationem. Iudic. 6.

Juſtitiâ indutus ſum, & veſtivit me ſicut veſtimento, & diademate judicio meo. Iob. 29.

Dicite juſto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet: væ impio in malum, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. Iſai. 3.

Ambulans in juſtitis in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus: Regem in decore ſuo videbit, & oculi ejus cernant terram de longè. Iſai. 33.

Ego Dominus, non dixi ſemini Iacob fruſtrà, Quærite me. Iſay. 35.

Parietes, portæ, & feneſtræ templi quod vide. Ezech. cap. 41. ſunt cælatis vndique plenæ palmis.

Vide infrà de lætitiâ ſpirituali. *Hoc tit. ex Bibliis.*

Quæ eſt ſpes hypocritæ; quomodo poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore? Iob. 27.

Ità Dominus ordinavit ijs qui Evangelium annuntiaverent, vt de Evangelio viverent. Cor. 7. Dignus eſt operarius mercede ſuâ. Hinc decimæ oblatæ. *Vide Gloria Principij, & Gloria Medij.*

VIRTVTI DEBITA
præmia.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quidquid eſt in publico exiſtentiæ, vtium, ſplendoris, procedit à virtute, quæ ſe habet in corpore mortali per modum formæ, ſeù Entelechiæ, vndè vita, & omne bonum illam conſequens. Vt autem in corpore noſtro animæ præcipua ſedes eſt in capite, vndè ſenſus externos parat & continet in officio, vigileſque quaſi in excubijs ad ſui protectionem: Sic eminere debet virtus inter cæteras Reip. partes, quibus tot modis eſt benefica.

MAGNITVDO. Cum totum virtuti debeatur, pars tantùm ei defertur in præmijs: Vt Dei vniverſale Dominium proteſtamur per decimas & ſacrificia: ſic enim majori parte donorum ſuorum vſibus noſtris ſervata ſimul teſtamur abſolutam ejus potentiam, & effuſam in nos bonitatem. Eminet virtus in humanis, vt quid divinum, vndè præmijs vt quibuſdam oblationibus eſt colenda.

DVRATIO. Accedit Reipublicæ, quod virtuti tribuitur in præmium; ſic enim excultæ mentes, fœcunda fortitudine cum vſuris accepta reſtituunt: Vni collatum munus non vni tantùm prodeſt ævo, ſed etiam poſteris, qui ſpe eadem obtinendi eadem edunt præclara facinora.

POTESTAS. Virtuti debetur regimen. *Vt vide Poteſtas Virtutis & Virtus Poteſtatis.* Cum autem tot

by Google

virtute præſtantibus non ſufficiant indiviſæ dignitates, illarum loco ſubſtituuntur præmia, quæ ideo ſunt notæ quædam illuſtres futuræ, ſaltem debitæ, poteſtatis.

Cognitio. Si ſcientijs & artibus conſtituuntur præmia. *Vt vide Gloria Cognitionis.* maxima debentur virtuti, quæ eſt ars divina, hominem ſuprà naturæ conditiones perficiens. Hic eſt optatiſſimus omnium intellectualium notionum fructus, ad quem vberiùs colligendum præmijs coluntur animi.

Volvntas. Hæc publica gratitudo imperij temperamentum eſt, dùm rectores in ſumma potentia profitentur juſtitiam & amorem, ſic continentur Reſpublicæ, eodem benefico concurſu, quo natura per cauſarum ſuperiorum ad inferiora deſſenſum, & inferiorum ad ſuperiora conatum. Compendioſa ad paſſionum victoriam via eſt, ducem illarum, ſcilicet amorem, beneficijs ſibi conciliare, & tot hydras quaſi eſca medicata conſopire.

Virtvs. Huic gratitudini conſentiunt virtutes omnes; ſic Prudentia parvo prætio multa lucratur; Temperantia negat ſenſuum affectibus, quod ſervat virtutum meritis, Fortitudo inter tot invidentium obſtantes turmas hæc decernit imperterrita, comitem auxiliaremque ſe præſtat Iuſtitiæ, quo virtuti debita reddantur.

Veritas. Fruſtrà leges ſpe præmiorum cives ad præclara concitarent, ſi tandem pro meritis data occaſione non decernerentur: lex fidelitatem quàm exigit præſtare debet. Tunc vera laus eſt, cum verbis commendatitijs accedit præmij collatio: hoc enim eſt ſenſibile virtutis argumentum, ſub quo confuſa jacet invidia.

Gloria. Plures otium & voluptates labori præferrent, ſi non animum incenderet ad majora gloriæ cupido: Præmij verum prætium conſiſtit, non in vtili, ſed in honeſto, & in eo quod vnus obtineat, quod cæteri, non tàm forti, fœlicique conatu ambierunt.

Differentia. Varia tamen pro ratione perſonarum debent eſſe præmia: quibuſdam vtilia donanda ſunt, ne langueat vitæ neceſſitatibus turpiter oppreſſa virtus: his, quibus res familiaris non eſt anguſta, honorifica tribuenda ſunt, ne potiùs avaritiæ quàm virtuti ſtudeatur, ipſaque virtus habeat pro ſinè cupiditatem.

Concordantia. Fortiter magis ſe hominum commercijs inſerunt, & ſplendidæ ſerviturí: ſe addicunt præmijs inſigniti fulgent enim, vt ait Philo, in hominum ſocietate, vt in veſtibus auro & ſerico intextæ faſciæ. Tunc fideliter exhibetur obſequium, cum rectoribus illud gratum eſſe præmia teſtantur.

Contrarietas. Vitæ labores & tædium natura compenſat voluptate, politia præmijs; quis enim tot adverſa ſinè temperamento toleraret? non tàm vallo, muriſque ſunt cingendæ arces, quàm præmijs muniendæ mentes, vt de hoſte triumphum agas: accenduntur militum animi donativis, quæ ſunt ſpoliorum & futuri proximi triumphi arræ.

Principivm. Liber animus indignatur ſervili ſemper ergà patriam obſequio, quaſi nihil niſi quod debet poſſit præſtare: tunc autem intelligit ſe beneficium contuliſſe cum ab illâ gratiam accipit. Sibi tunc blanditur officioſa pietas, hocque publico teſtimonio ſecura, quod in communem vtilitatem aliquid contulerit. Fit hic motus quidam circularis & perpetuus beneficiorum, nam quod virtus accipit præmij à Republicâ, in illam refundit, vt non tàm alteri, quàm ſibi benefica videatur, dùm recipit cum ingenti fœnore quod largita eſt.

Medivm. His præmijs ali & refici debet virtus: vt enim motus medius eſt inter duos terminos, habetque aliquid de perfectione vltimi: ſic particeps eſſe debet amplioris illic conſtituti præmij.

Finis. Non agit virtus eâ intentione, vt præmium conſequatur, indignum enim eſſet generoſam & liberrimam mercede conduci: Agit rectum ipſius rectitudinis & primi boni exemplaris ſui amore; gaudet tamen præmijs, vt publicis vocibus, quibus ſecurior ſit de profectu ſuo in finem, nec ſe ab illius viâ aberrare.

Maioritas. Hoc eſt excellere, præ cæteris præmiari: Eò autem excellentior videtur Reſpublica, quò excellentiores habet cives in ſuis officijs: ſic præmijs allecta virtus, fortiter ad altiora nititur: pudet enim gradum revocare, & conceptæ ſpei non reſpondere.

Æqvalitas. Res omnes indigæ commercium agunt in vniverſo, damtque eâ lege vt accipiant. Proprijs ſe negat familiæ commodis virtus publicis rebus intenta, vndè tantùm reſarciri debet ex publicis, etiam ampliori munificentia, communem juſtitiæ legem excedente.

Minoritas. Minùs ſemper eſt quod gratitudo reſtituit, quàm quod neceſſitas accepit. Turpe autem eſt Rempublicam vinci munificentiâ à ſuis civibus, & virtuti, cui multùm debet, non plùs largiri; maximè cum non ſit exhauriendi ſe metus, quia vir bonus, quod accepit, in illam cum ampliſſimo fœnore refundit.

SANCTI VT VIRTVTE præſtantiores ſunt colendi.

DEMONSTRATIO altera.

Bonitas. Virtus eſt proprium hominis bonum, vndè illam ſuſpicimus in Sanctis, quaſi aliquid noſtri; dúmque recenſemus cœleſte donum illis collatum, idem etiam nobis oblatum tacito mentis ſenſu deprehendimus, & ad ſimiles vſus in poſterum accendimur.

Magnitvdo. Deſpecta inferiori noſtri parte intelligimus quantùm eminere poſſit altera ſpiritualis, in divinitatis conſortium, ſi voluerimus, admittenda: Nulla excuſatio ſupereſt, ex infirmitate & indigentiâ naturali, cui tot ampliſſimis ſuprà ſortem noſtram donis gratia ſuccurrit? vt victores in Olympicis dicebantur patrias ſuas, ſic Sancti naturam noſtram coronare; Quis non congaudeat quod pars Eccleſiæ, cui adhæremus, fruatur gloria?

Dvratio. Ad breve tempus fuit certamen, hinc æterna ſupereſt illis fœlicitas. Abſorpta eſt, vt ait Apoſtolus, mors à vitâ. Hi fidem, virtuteſque Chriſtianas poſteris verbo & exemplo tradiderunt, vndè cum futuris vixerint ſæculis, ab illis ſunt colendi.

Potestas. Si quando terrena poteſtas votis gloriæque Sanctorum obſtiterit, pœnitet ipſam, & vt crimen latisfactione diluat, hæc ad Sanctorum memorias reddit homagia, hæc offert donaria. O quàm gratum virtute præditis ſpectaculum, videre divites, Magiſtratus, Principes ipſos, quibus omnes ſupplicant, Sanctis ſupplicare, & fidelitatem inſtar vaſallorum jurare. Sic regnat pietas, licet paupertatem profeſſa, & contuplum in hoc, vt in alio ſæculo, promiſſum accipit.

Cognitio.

COGNITIO. Clauſo oſtio humilitas Deo ſerviens hominum oculis ſe ſpectandam negaverat, nunc ſub modio poſita lux educitur, ignis è cinere ſuo, lumen è tenebris emicat; ſignatus virtutum liber omnibus legendus aperitur, Agno, vt habetur in Apocalipſi, ſic concedente, ſic volente. Fidem opera, operum ſanctitatem miracula comprobaverunt, quid vlteriùs anxia de futuro torquetur humana curioſitas? ſic vive, & ſic à Deo & hominibus gloriam conſequeris.

VOLVNTAS. Amori noſtro hîc Deus ſe negat viſibilem; liceat in ſolatium, ejus veſtigia, & quidquid illius eſt, vndique ſectari, virtutem, vt expreſſam ſuo beneficio, ſuâ manu delineatam imaginem in Sancti colore, & ſic doceri non eſſe inutilia in ſummum bonum humana deſideria, quæ ad fruitionem pervenerunt.

VIRTVS. Vt ametus virtus in procinctu, videatur in triumpho; tàm juſtum eſt, illum ſibi decerni, vt recipiat ab invicto etiam ſibi mundo gloriam, nec hunc infeſtum timeat judicem: & benè ſic proviſum eſt à divitiâ ſapientiâ; nam cum charitatem comitarentur virtutes omnes in Sancto, defuit tantùm illa juſtitiæ pars, quæ ſibi debitum honorem, nec voluit, nec potuit deferre. Ardentior erit virtutum cultus, noſtro etiam arbitrio delatus.

VERITAS. Etſi corrupta ſit natura, regnat adhuc in humanis mentibus lex æternæ veritatis, quâ bonum à malo, verum à falſo diſcernimus, & in alio comprobamus. Emicat lumen hoc, licet invidia, licet in ſui patrocinium argumentatrix concupiſcentia, cæteræque paſſiones velum obducant. Eadem quæ proprios defectus arguit, alienas virtutes approbat Syndereſis: præludium hic eſt vltimi judicij, in qua virtus antè creaturarum omnium oculos, divinis inſignem dotibus triumphum aget.

GLORIA. Sancti non quærunt humanas laudes divinis totaliter intenti, & fœliciter immerſi, ſi tamen videant in verbo, quæ ad ipſos pertinentia in terris fiant, & intelligant ſui occaſione homines ad virtutem, ad fidem, ad Dei cultum & honorem accendi: quis dubitet aliquid accidentalis gloriæ hinc illis accedere? Perfecta in cœlo charitas, haud dubiè gratulatur, & officiosè ſuis patrocinijs adeſt ſibi congratulantibus, & Dei gloriam quam vnicè ambit promoventibus.

DIFFERENTIA. Hîc vide quantùm diſtet virtutum & vitiorum exitus: publicis votis feſtivoque populorum concurſu celebratur pauperis alicujus pietas, cum publicis odijs & contumelijs proferatur fama Principum, qui olim ſe vitijs manciparunt: ſic cum vides reos in Triremis pœnæ ſervos & virtute præſtantes in dignitatibus, intelligis homines nulla tàm inſigni notâ quàm virtute aut vitijs ab invicem diſtingui.

CONCORDANTIA. Quis non congratuletur vni ex ſuâ familiâ ad Principum favorem, ſummaſque dignitates elato: Ioſephum priùs inviſi, poſteà indigi & dignitatis ſplendore confuſi fratres colunt. Meritò fiunt publici conventus in venerationem ſanctitatis, quæ etiam in privatâ publicum eſt beneficium; hac enim popitiatis Deus, populis fœlicitatem largitur. *Vide Poteſtas Virtutis.*

CONTRARIETAS. A tot internis externiſque hoſtibus laceſſiti, ſpiritualem militiam diſcamus ab his, qui talium victores extiterunt: ſequamur partes ſanctorum, ſuæ tàm fœlici militiæ nomen demus, qui æternam gloriam conſecuti ſunt, non vnicum: ſed perpetuò anniverſarium triumphum merentur; quoties eorum celebratur memoria, toties vitia ſuffunduntur, hoſtes terrentur, & bonis ad ampliora creſcit animus.

PRINCIPIVM. Parentum nobis loco ſunt, qui nos virtuti, fidei, pietâti, Chriſto denique genuerunt: & quia perfecta in beatis charitas, nobis ſemper eſt benefica, cultum noſtrum ſemper provocat. Fauſtum vitæ ſpiritualis eſt initium, ſanctitatem ſuſpicere, venerari, amare; hanc enim in alijs mirantes, nobis concupiſcimus, & aſſequi conamur.

MEDIVM. Hic cultus ſanctis exhibitus refundatur in Deum, omnis boni quod poſſident, & quod nobis ſuâ interceſſione promerentur, primum authorem. Sic Principem colimus in miniſtro, & Dominum in ſervo. Fit publica lætitia, eo quod ſub fidelibus actoribus regnum Dei advenit, fitque ejus voluntas in terrâ, ſicut in cælo.

FINIS. Lauda, inquit, Sapiens, poſt conſummationem, tunc ſancti ſuperatis vitæ hujus procellis portum tenent, in quo nullus ſupereſt naufragij, aut tempeſtatis alio rapientis metus. Vt æternitatem ſtabilem tempus æmulatur perpetuâ ſucceſſione; ſic nos immortalem gloriam annuâ celebritate: Continuus autem debet eſſe in animo ſanctorum cultus, temporales enim illæ feſtivitates ideò ſunt inſtitutæ, vt torpentem diſtractumque hunc venerationis ſenſum exſuſcitent.

MAIORITAS. Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylva ſurrexit: excellentia tantùm ſuſpicimus, quilibet autem ſanctus in aliquo excelluit, vndè de quolibet dicitur, non eſt inventus ſimilis illi: omnes humanæ actiones habent in aliquo idæam, quam imitentur.

ÆQVALITAS. Conſentire debet Eccleſia militans cum triumphante, quæ ſemper Deum laudat in his, qui fœliciter viâ hac functi ſunt. Ad id etiam nos provocat natura, in ſanctitatis teſtimonium ſæpè à ſolitis ſuis actionibus feriata.

MINORITAS. Si vitæ tædium mitigari debet aliquâ lætitia, ſit lætitia ſpiritualis, vt id quo vtimur ad naturæ ſolatium cedat in animæ profectum; attendat vnuſquiſque ſanctorum exempla, & intelliget quantùm ab illorum diſtet perfectione, ſic potentiſſimum habebit argumentum, & præſidium humilitatis.

QVIES VIRTVTIS POST labores.

MISCELLANEA.

HIs qui pro tempore laboraverunt, & defeſſi ſunt, cura ſacrarum in quiete eſt demandanda. Ariſt. 7. Politic. cap. 9.

Senectus poſt labores, quieti ſe reddat. *Vide Gloria Durationis cum Demonſtratione.*

Laurus ſemper virens, & Appollinis arbor fulgure non percutitur.

Athleta qui in certaminibus tres coronas obtinuit, quarum vna fuit Romæ, excuſatur à muneribus civilibus perſonalibus, non tamen patrimonialibus. l. 1. C. de Athletis.

Philo Iudæus, lib. de Profugis, dicit in activâ vitâ, ſcilicet œconomicâ & politicâ, periculum facere debere eum qui ad contemplativam vult ſe recipere, ſic enim otij pigritiæque crimen effugiet. Sic Levitis præcipitur, vt fungantur miniſterio vſque ad annum. 50. deindè jam immunes contemplentur ſin-

gula, quis enim credet se assecuturum majora, qui spe minorum frustratus est? contemplatio humanarum virtutum præmium est, &c. *Vide Duratio Virtutis.* exercitatio.

Fecit Deus cœlum, terram animalia, hominem, & non sanctificavit, fecit diem septimum in quo requievit ab operibus suis; & sanctificavit eum. D. Aug. de Diverſ. Serm. 4.

Anima primum virtutis præmium reportat in sui quietâ possessione. *Vide Principium Virtutis.* Victoria passionum à Deo.

Duæ res beatum faciunt hominem, benè velle, & posse quòd velis; Optandum ergò est vt victoria nunc detur, sed contrà vitia, propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines; & quid hoc, nisi vt verè victi falsò victores dicantur.

Milites post viginti quatuor stipendia honestam missionem accipere solebant. l. 4. Cod. Theodor. de Veteran.

Romæ in ædem Herculis in foro Boario, nec muscæ, nec canes intrant. Plin. lib. 10. cap. 29.

Idem. lib. 11. cap. 12. dicit Mel esse sudorem cœli: post labores meminisse dulce est.

Aquilæ ac signa puluerulenta illa & custodijs horrida inunguntur festis diebus prætiosis vnguentis. Plin. l. 13. cap. 3.

Ager optimus ad radices montium planitie in Meridiem excurrente. Idem. lib. 17. cap. 5. Fœlicitas à deposita dignitate.

Terra quiescens sub occasum solis, in quo loco arcus cœlestis dejecerit capita sua, & cum à siccitate immaduit imbre, tunc emittit halitum diuinum è sole conceptum, & intimæ suæ qualitatis indicem. Ibid. à depositâ dignitate vera apparet virtus. Quod fit etiam in Novalibus cæsa vetere Sylva. Ibid.

Per reliquos planetas, & eorum virtutes, ascenditur ad Saturnum qui quietem significat. Exod. 40. Septem gradibus ascenditur ad portam Aquiloniam templi, Id est per cæremonias ad superiora: terra post septem annos quiescit à culturâ: populus post 70. annos captivitatis fit liber. Levit. 25. &c. *Vide Differentia Magnit.* de Septenario.

Quia per requiem ad primam vitam reditur, vndè anima lapsa est in peccatum, propterea Sabbatho requies significatur. D. Augustſ. Epist. 119

In Iudæâ rivus dictus Sabbathius, sex diebus fluit, septimo siccatur. Plin. lib. 31. cap. 2. & Ioseph de bello Iudaico lib. 7. cap. 24.

Post longa virtutis exercitia habetur quies. *Vide Duratio Virtutis.*

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: hæc est annona præliantium, de horreis inventa Dominicis, vndè pascuntur Angeli, quia panem Angelorum manducavit homo: post prælia autem quid præstat victori, nisi quod dicitur in alio Psalmo. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. D. Augustſ. in Psalm. 143.

Sanctificatur dies quietis. Gen. 1. sed quem præcesserant bona opera. D. Augustſ.

Ambulamus ergò in re laboris, sed in spe quietis; in carne vetustatis, sed in fide novitatis. D. Augustſ. Epist. 119. ad Ioan.

QVIETA ET SOLITARIA virtus.

MISCELLANEA.

Vide Virtus Differentia. Sacer à turba Secessus. *& Minoritas Concordantiæ.*

QVid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris, turbam, nondùm illi te tuto commiseris: confiteor imbecillitatem meam, nunquàm mores quos extuli refero, aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugavi redit; quod ægris evenit, quos longa imbecillitas eò vsque affecit, vt nunquàm sine offensâ proferantur, hoc accidit nobis quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est multorum conversatio; nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit; quo major populus est, cui commiscemur, hoc periculi plùs est: subducendus est populo tenet animus, & parùm tenax recti, facilè transitur ad plures: quis enim ferat impetum vitiorum, tàm magno comitatu venientium? vtrumque devitandum est, nè vel similis malis fias, quia multi sunt, nevè inimicus multis, quia multi sunt. Recede in teipsum quantùm potes. Benè Democritus, vnus nihil pro populo, & populus pro vno, &c. Senec. Epist. 7.

Quod malorum conversatio bonos inficiat. *Vide Potestas Concordantiæ.* Ideò ab illis est secedendum. *Vide Differentia Minoritatis.* Separari à defectu. De vitâ solitariâ. *Vide Minoritas Concordantiæ.*

De contemptu dignitatum. *Vide Voluntas Potestatis Repugn.*

Stet quicumque volet potens, Aulæ culmine lubrico, Me dulcis saturet quies. Obscuro positus loco, dulci perfruar otio, Nullis nota Quiritibus ætas per tacitum fluat. Sic cum transierint mei nullo cum strepitu dies plebeius moriar senex. Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi. Seneca Tragic.

Si nimis arva nostra torrente exundante divinæ beneficentiæ perfundantur, stagna & paludes erunt pro campis frugiferis. Philo Iudæ. lib. Quis sit rer. Divin. hæres.

Aves & cicadæ alis nimio rore madefactis non possunt volare. Moyses à quo tempore Deum vidit, loqui non poterat. Ideò sapiens est solitarius, quia sibi sufficit. *Vide Potestas Virtutis.*

Ne movearis vt Deum tangas, quia stabilitas ipsa est; ne distraharis, vt per varia apprehendas, quia vnitas ipsa est: siste motum, collige multitudinem, Deum protinùs assequeris, jamdiù te penitùs assecutum. Marcil. Ficin.

Rachel pulchrior, & non lippis vt soror, sed claris oculis: sic mens Deum contemplans sterilis vacans ab omni negotio. D. Aug. lib. 22. contrà Faust. cap. 53.

Gen. 31. Iacob jussu Dei discedit à servitute Laban, vt redeat in patriam suam. Et ero, inquit Deus tecum. Mens contemplantium dimittitur à suis operationibus, & quasi vltrò manumittitur, propter copiam ingentem, more imbris continuè depluentem. Philo Iudæ. lib. de migrat. Abrah. *Vide Cognitio Virtutis Repug.* Latens virtus.

Nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, secessi

de populo, imò vnicum negotium mihi est, nihil aliud nunc vnquàm, ne curem: vitâ meliore magis fruare in secessu, quàm in promptu: plus togæ læsere Rempublicum, quàm loricæ Tertulian. lib. de pallio.

Iob. 5. Comparat bonos abortivo fœtui, qui statim vt in lucem venit absconditur. Natura in occulto opera sua meditatur & perficit. Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Psal. 54. Sufficit esse solam cum dilecto amantissimo & zelote, qui dicit in Cant. Ducam eam in solitudinem & loquar ad cor ejus, & adjurat socias, ne dormientem suscitent. Cant. 2.

Pythagoras dicebat vitam hanc similem esse Olympicis spectaculis, ad quæ alij mercationis, alij vanæ gloriæ & ambitionis causâ, alij denique tantùm spectaturi, & ex præclaris actionibus exemplum petituri, accedebant.

Aliter efficitur mens fructificans verbo, aliter fruens verbo; illic sollicitat necessitas proximi, hîc invitat suavitas verbi, & quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsi lætior: chara pignora filiorum, sed oscula plùs delectant. D. Bernard. serm. vlt. super Cantic.

Pater solus legitur non descendisse in terras, cum filius, & Spiritus S. descenderint: Pater denotat summos contemplantes. Idem. lib. de Gradib. humilit.

Petrus in monte optimum sibi judicavit vitam in contubernio Dei, & cælestium civium ducere. Bonum est, inquit, nos hic esse. Hanc vitam probaverunt Paulus, Macarius, Antonius. Per contemplationem, qui hactenùs fuit solitarius, vel solus, efficitur vnus, & solitudo ei corporis vertitur in vnitatem mentis. D. Bernard. de Vitâ solitariâ sub finem.

Factum est silentium in cælo, ait Ioan. in Apoc. Cum quies vitæ contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo, id est in animâ, quia strepitus terrenarum operationum cessat in cogitatione. Activa vita in hoc sæculo habet finem: contemplativa verò non, quia semper perseverat, in hoc sæculo incipit, & in cælo perficitur. Idem. lib. de modo benè vivendi. cap. 53.

Pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis, Vbi pax, ibi requies; vbi requies, ibi finis appetendi, & nulla causa laborandi: sed hæc voluntas vt plena sit, oportet vt sana sit; erit autem sana, si medicum non refugiat. D. Augustin. Epist. 45.

Apud Manichæos erant qui vocabantur Auditores; alij Electi; Audiores carnibus vescebantur, agros colebant, & vxores habere poterant; quorum nihil faciebant, qui vocabantur Electi, & qui Auditoribus coràm se flexis genibus supplicibus manus imponebant. S. Augustin. Epist. 74.

Ideò & diem Deo, sacrum omnium operum vacatione celebramus, quovsque ad diem septimum perveniamus, cujus in Genesi non dicitur esse vespera, æternus enim est. Idem.

Beati qui habitant in domo tuâ Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ps. 83. Erit hoc otiosum negotium, hoc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura servorum. D. Augustin. in Psalm. 110.

Iacob in inferiori dormiens mundo; in superiori vigilans.

Agri pars frugifera plurium vestigiis non debet calcari.

Domine antè te omne desiderium meum. Non antè homines, qui cor videre non possunt, sed antè Deum, qui redder in abscondito. D. Augu. in Ps. 37. Manemus in vmbrâ arborum, sub quibus se abscondit Adam postquàm peccavit? Ibidem.

A Benedixit Deus diei septimo in quo requievit ab operibus suis; quia infirmitas est potiùs in operibus suis, quàm in se, à quo sunt opera, quiescere: Deus in se quiescit, homo autem non nisi in incommutabili bono. Post bona opera nostra, quæ potiùs sua sunt, requiescit Deus in nobis, vel in se nobis requiem præstat: magnum enim est nobis ab illo extitisse, sed majus erit in illo requievisse; sicut & ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit, sed quia etiam factis non egens, in se potiùs quàm in ipsis requievit: Vndè non operis, sed quietis diem sanctificavit, quia non hæc faciendo, sed eis quæ fecit non egendo, se beatum intimavit. D. Augustin. lib. 4. de Genes. ad litter. cap. 15.

B Non est quod præcariò Philosopheris, si æger essses curam inter mitisses rei familiaris, & forensia negotia tibi excidissent, nec quemquam tanti putares, cui advocatus in causam descenderes, toto animo id ageres vt quamprimùm morbo liberareris: quid ergò non & nunc idem faciès? omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti: Nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet Philosophia regnum suum, dat tempus, non accipit. Non est res successiva, ordinaria est, adest, & jubet. Seneca. Epist. 53.

In totum debemus virtuti vacare, non pro parte. *Vide Virtus Magnitudinis.* Integritatis. *Magnitudo Voluntaris.* Amor.

C Non est pro parte. *Magnitudo Virtus.* Vnicum officium à singulis est exercendum. *Vide Differ. Potestat.*

Tibi dicitur vt observes spiritualiter Sabbathum, in spem futuræ quietis, quam tibi promittit Dominus: quisquis propter illam quietem futuram agit quidquid potest, quamvis laboriosum videatur quod agit, tamen si ad fidem promissæ quietis id agit, nondùm Sabbathum habet in re, sed habet in spe: tu autem ad hoc vis requiescere vt labores, cum ad hoc debeas laborare vt requiescas. D. Aug. lib. de Decem cordis.

Quia per requiem ad primam vitam reditur, vndè anima lapsa est in peccatum, propterea Sabbatho requies significatur. D. Augustin. Epist. 119.

D Indignum est Religiosos ità se sæcularibus implicare negotiis, ac si tota esset eorum portio: attentiùs sanè agricola pauperem excolit fundum, sed cui fortè nulla amplior sit possessio: buccellam panis in sinu suo mendicus abscondit, cum hoc tantùm illi superest: tu quid ità extremæ huic paupertati, & quidem proprij malè prodigus laboris incumbis? est alia tibi possessio, & si fortè remota: quod si tam prudenter servas paleas tuas, etiam horreum tuum servare memento; serva thesaurum, qui sic incubas sterquilinio. Christus non nisi mortuus in dextro latere vulneratus est, quod spiritualia significat, vt quandiù vivis in hujus lateris discas vigilare custodiâ, &c. D. Bernard. Serm. 7. super. Psal. 90. Qui habitat. Vel die

E infirmandam esse partem hanc ad actionem paratam, vt sit quies.

Septimo die populus abstinebat à consuetis operibus; Septenarius enim numerus quietem significat, quia quinque sensus & sermo perturbationes omnes producunt, septima autem mens quieta illa regens. Philo. Iud. lib. de Abrahamo.

Ozidracæ Indiæ populi sacræ Philosophiæ dediti, hostes aut exteros commercij causâ accedantes propulsant, non armis, sed missis ab Iove fulminibus. Philostratus in vitâ Apollonij. l. 2. c. 14.

Si quis in Ecclesiâ conclamationibus vtatur, moveat tumultum, aut impetum committat, vltimo supplicio subjaceat. l. 5. Cod. de his qui ad Eccl. confuger. Templum Domini estis vos. 1. Corinth. 3.

Vide Medium Gloriæ. Asylum Ecclesiæ.

Difficile est in turba videre Christum, solitudo quædam necessaria est menti nostræ, quadam solitudine intentionis videtur Deus; turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. D. Aug. 17. in Ioan.

Minus voluptatibus stimulatur, qui non est vbi frequentia voluptatum, & minùs avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt. D. August. lib. de sing. Cleric.

Quandiù quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse Sanctus. Orig. Hom. 8. sup. Levit.

Solitariam vitam nunquid reprehendimus? minimè, quippè quàm sæpè laudavimus, sed de Monasterijs his nolumus egredi. Militer quoque Eremi dura rudimenta non terreant, qui speciem conversationis multo tempore dederant, qui omnium fuerunt minimi vt omnium primi fierent; quos nec esuries, nec satietas aliquandò superavit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, sermo, incessus, vultus doctrina virtutum est. D. Hier. Epist. ad Rust.

Ioannes est princeps Monachorum, ipse Monachus statim vt natus est, in eremum ivit, in eremo nutritus, Christum expectat in solitudine. D. Chrisost. sup. Ioan.

Sicut difficile arborem est juxtà viam positam fructus vsque ad maturitatem servare: sic difficile est virum juxtà hunc mundum viventem, id est in actibus mundi, justitiam immaculatam vsque ad finem vitæ tenere. Recede ergò de viâ, & planta te in loco secreto, vt nec mundus habeat tecum aliquid commune, nec tu cum mundo. Idem. sup. Matth.

Nihil tam damnosum bonis moribus quàm in spectaculo considere, tunc enim per voluptatem vitia subrepunt. Senec. Epist. 7.

Amplectendum est otium, quod inter Deos agitur, quod Deos facit: sed fortè conqueretis virtutem abscondi? nulla virtus latet, & latuisse non ipsius damnum est. Idem. Epist. 74.

Solitudinem quærit qui vult cum innocentibus vivere. Optimus animus & pulcherrimus Dei cultor est. Idem. lib. de Mor.

Vita procul dubio singularis, ac solitaria non modò tranquillior, sed altior est, atque securior. Petr. de Vitâ solit. lib. 1. cap. 4.

Quibusdam competit contemplativa, alijs activa vita. *Vide Differ. Virt.*

Maria sedet ad pedes Domini, dùm Martha satagit circà frequens ministerium. Luc. 10.

Maritus agit pro vxore, etiam sinè mandato, nè fœminæ persequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, conventibus virorum, vel judiciis interesse cogantur. l. maritus. 21. Cod. de procur. Deus etiam non rogatus agit negotia sæcularia, quibus non vult sponsam sibi animam immisceri.

Proficit corpus motu; quod per motum natum est; at mens neque per motum accipit formas, neque accipiendo movetur; sed quantò magis vacat ab omni perturbatione & negotiorum motu, tantò magis proficit speculando: Hinc probatur ejus immortalitas, quia quod stando proficit, ex statu dependet, ideò stabilem habet substantiam, atque perpetuam. Marsil. Fic. l. 7. Theol. Plat. c. 11.

Vt Deus in naturâ primum in omnia agit, ità materia vltimum ab omnibus patitur; vt virtus agendi in vnitate infinitâ; ità in multitudine infinitâ est infinitâ patiendi materia. Ib. l. 1. c. 2.

Actio propriè pertinet ad qualitatem in exiguum A sinè extensione redactam, quia sic magis accedit ad naturam spiritualem. Ibid. *& Vide Minoritas Magn.*

Quòd movetur est imperfectum. *Vide Virtus Dur.*

Vita activa contraria est contemplativæ & illam interimit. *Vide Contr. Cogn.* in Miscellaneis sub finem.

Sic Virgilius ad alvearia constituenda. Principio sedes apibus statioque petenda. Quò neque sit ventis aditus, &c.

Oraculo, Aglavus quidam fœliciſſimus iudicatus est, qui in Arcadiæ angulo parvum, sed annuis victibus sufficiens prædium colebat, nunquàm ex eo egressus, atque minimâ cupidine minimùm in vitâ mali expertus. Plin. nat. hist. l. 7. c. 46.

Palmæ mas est sinè fructu. Id. l. 13. c. 4. Similiter & Terebinthi. Id. c. 6.

B Quercus latifolia sæpiùs tangitur fulmine; ideò ligno ejus nec ad sacrificia vti fas habetur. Idem. l. 16. cap. 6. Sic Deo sacri procul esse debent à terrenis, in quibus frequent est adversitas: Pietas debet esse extrà tela fortunæ.

Magnorum virorum etiam prætiosum est ocium, tunc enim liberior & solutus animus, altis seriisque cogitationibus impletur, velut pinguium camporum fœlicitas dùm ceſſat à cultu venustos edit flores.

Cœlum empyreum influit in inferiora, etsi non moveatur: Sic cœli cæteri influerent, etiamsi cessarent à motu; accipiunt enim ab intelligentiâ motum, non virtutem.

Dicit scriptura quod Noë erat Deo charus. Noë autem latinè quietem significat, vndâ septimò dei C populus abstinebat à consuetis operibus, septenarius enim numerus quietem significat, quia quinque sensus & sermo perturbationes omnes producunt: septima est mens illa regens. Philo. lib. de Abraham.

Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. 1. Tim. 2.

Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant. Decret. l. 3. c. 50.

Qui ex publicis thesauris aurum fiscale mutuò dederit & qui sumpserit, aut deportatione aut capitali pœnâ plectitur. l. fin. Cod. de his qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt. Debent enim semper esse parati ad rationem fisco reddendam: Sic votis publicis Deo facti, *de quibus Vide* D *Dur. Vol.* Non debent impendi rebus sæcularibus, cum se totos debeant divinis.

Miles nec agrorum curam, nec mercimoniam, nec civilem curam debet assumere. l. 15. & 16. Cod. de re milit. *Vide Diff. Potest.* De distincto vnicuique officio.

D. August. l. 1. de Trin. c. 7. Mysticè interpretatur illud 1. Cor. 11. Velata debet esse mulier, non autem vir, quia est imago Dei: Vir, inquit, repræsentat superiorem animæ portionem, quæ libera apertaque debet relinqui ad Dei fruitionem; Inferior autem velo, quasi fræno est cohibenda, nè periculosè inferiorum commercio se polluat.

E Regi sacrorum non licebat apud Romanos publicis se immiscere negotiis, nec coràm populo dicere, quia divinum ministerium integrum hominem requirit. Plut. in Problem. Rom. Problem. 63.

Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas adsumat, sin aliter deiiciatur, in canonibus Apost. can. 7. Idem statutum pluribus Conciliis quorum seriem. Vide Ib. in annotat. Coriolani.

Can. 1. ne cleric. vel monachi sæcularibus negot. se immisc. Hæc enumerantur sæcularia negotia; quæstum, mercimoniam exercere; rixas, aleas, gulam, ebrietates amare; canes & aves sequi; procurationes exercere, iudicio sanguinis interesse, &c.

Abſurdum eſt clericis, imò opprobrioſum, ſi ſe petitos velint oſtendere diſputationum eſſe forenſium. l. 41. C. de Epiſc. & cleric.

Chæremon Stoicus vir eloquentiſſimus narrat de vitâ antiquorum Ægypti ſacerdotum, quod omnibus mundi negotijs, curiſque poſtpoſitis, ſemper in templo fuerint, & rerum naturas, cauſaſque ac rationes ſyderum contemplati ſint; nunquàm ſe mulieribus miſcuerint, nunquàm cognatos & propinquos, nè liberos quidem viderint. D. Hier. de regulâ Monach. c. de abſtinentiâ.

Negotiatorem clericum, ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi peſtem quandam fuge. D. Hier. Epiſt. ad Nepotianum.

Reliquiæ martyrum non debent vendi. l. 3. C. de ſacros. Eccleſ. & in loca publica populi commercijs & voluptatibus deſtinata aſportari, ſed in Eccleſijs reponi. l. 16. C. de Epiſc. & cleric.

Immunitates curiæ & tutelæ ideò dantur clericis, vt alijs omnibus derelictis Dei omnipotentis miniſterijs inhæreant, vndè vagantes & non reſidentes indigni ſunt tali privilegio. l. 51. Cod. de Epiſc. & clericis. De reſidentiâ. *Vide Cogn. Poteſt.*

In die Sabbati, & alijs feſtivitatibus Iudæorum ipſi non poſſunt conveniri, nec alios convenire. l. 13. Cod. de Iudæis & cælicol.

Bonitas morum quoad refrænationem paſſionum & remotionem occupationum exteriorum requiritur ad prophetiam. 2. 2. q. 172. a. 4. D. Thom.

Sic Plato dicit Philoſophiam eſſe meditationem mortis, id eſt exercitium præveniens externarum rerum privationem, quæ eſt in morte.

Conceduntur feriæ à litibus, quandò vota publica ſolvuntur, vt purior ſit mens. l. 23. ff. de feriis.

Die dominico à voluptatibus & ſpectaculis abſtinendum. l. vlt. Cod. eod.

Epiſcopus die feſto non poteſt judicare, nec alia placita ſæcularia agere. 15. q. 4. c. 1. &c.

Res ſacræ, religioſæ, ſanctæ, divini juris ſunt, in nullius verò hominis bonis. l. 1. ff. de rer. diviſ.

Licet monachis perfectioribus extrà cæterorum cœtum degere, vt aptiùs contemplationi vacent. Novell. 5. de monach. c. 3.

Hinc clauſtra Canonicos & Regulares à cæterorum habitatione ſeparantia.

Inter ædes ſacras vel publicas, & ædificium privatum debet eſſe ſpatium quindecim pedum, propter periculum ignis. l. 9. C. ædific. publ. *Vide Bon. & Gloria Diff.*

In Syriâ fluvius eſt Sabbathius, qui Sabbathis omnibus ſiccatur. Ioſeph. de Bello. Iud. l. 7. cap. 24. & Plin. l. 31. c. 2.

Sacrilegus eſt & Iudæ ſimilis, qui ornamenta Eccleſiæ rapit, aut eius poſſeſſiones invadit. 17. q. 3. can. attendendum & ſeqq.

Si quis Clericus vel Laïcus à ſanctâ Eccleſiâ cereum vel oleum auferat ſegregetur. in Canonibus Apoſt. can. 72.

Mulctetur qui vaſa ſacra in vſus prophanos convertit. Ibid. can. 73.

Concilium Africanum I. anno 257. excommunicavit jam defunctum quendam Geminium, eò quod Preſbyterum ſuis filijs tutorem nominaſſet, ſicque à cultu Dei ad ſæcularia evocaſſet, ideoque ſacrificium pro defuncto offerri interdixit. Vide Baron. an. 257. & D. Cypr. Ep. 66.

Ideò Eccleſiaſtici ſunt cœlibes, quia qui nubit ex Apoſtolo, cogitat quæ ſunt mundi, quomodò placeat vxori, & diviſus eſt. *Vide Virtus Poteſtatis.* Integritas ſacerdotum. *Vide Majoritas Virtutis.* de Con-

ſilijs Evangelicis, quæ hominem penitùs à mundanis abſtrahunt, De cælibatu Sacerdotum. *Vide Minoritas Gloria.*

Hinc omnes dies hebdomadæ feriæ nomine nuncupantur, quia vt ait Hier. Epiſt. 151. q. 10. Nobis qui in Chriſtum reſurgentem credimus, iugis & æterna feſtivitas eſt. Baron. an. 58. n. 87.

Ideò fortè in Eccleſiâ olim ſiniſtra pars honoratior fuit, quàm dexterâ ad operandum deſtinata. *Vide Cognitio Gloria.*

Marcianus Imper. petijt à Synodo Oecumenicâ Chalcedonenſi, nè deinceps Monachi ſe immiſcerent negotijs Eccleſiaſticis vel Reipublicæ, ſed intrà Monaſteria vacarent jejunijs & orationibus. Baron. an. 451. Hoc fuit decretum occaſione Eutychianorum hæreticorum Monachorum, & huic decreto ſancti Anachoretæ libenter ſubſcripſerunt. Ibidem.

Monachi olim vt mundo mortui atrâ veſte induebantur. Bar. an. 57. n. 97. Vndè ab hæreticis vocabantur in deriſionem tenebricoſi. Idem. an. 754.

D. Bern. Ep. 42. vſque ad 52. oſtendit ſe multùm laboraſſe vt revocaret Epiſcopos à curiâ & militiâ terrenâ, cui ſolebant Regibus aſſiſtere. Vide Bar. a. 11. 7. Plinius l. 7. c. 652. Loquens de his qui à rogo, & poſt ſepulturam revixerunt. Hæc eſt, inquit, conditio mortalium; ad has & ejuſmodi occaſiones fortunæ gignimur, vti de homine, nè morti quidem debeat credi. Applica ad eos qui votis mortui ſæculo, ad illud revertuntur. *V. Dur. Virt. Rep.* de Apoſtatis.

Idem l. 1. c. 37. Morientibus, inquit, oculos operite, rurſuſque in rogum patefacere. Quiritum magno ritu ſacrum eſt, ità more condito, vt neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi nefas.

Sæcularia judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſiâ illos conſtituite adjudicandũ. 1. Cor. 6.

Prætio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum. Ib. c. 7.

Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Gal. 6.

Ocium non eſt vacare Deo, imò negotium negotiorum omnium hoc eſt; ocium enim eſt, quod nullam habet vtilitatis intentionem. D. Bern. de vitâ ſolitariâ ad fratres de monte Dei.

Habitabit in ſolitudine judicium, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ. Iſa. 32.

Vide Differ. Poteſt. Diverſa diverſis officia. Et quod quies Deo ſervientium debeat eſſe perpetua. *Vide Dur. Glor.*

Luc. 14. excuſat ſe à convivio qui emit juga boum, qui duxit vxorem, &c. Sic ſe excuſat à mundanis, qui pietati nomen dedit. *Vide Magn. Virtut.*

Romæ templum Æſculapij erat extra vrbem: haberi ſanitas mentis extrà commercium: Sic olim luci ſolitarij Dijs ſacri.

Valens Imp. Arianus hanc adversùs Monachos conflavit perſecutionem, vt eos à Monaſterijs abſtraheret, & ad militiam cogeret. Bar. an. 373.

DEO SACER ANIMVS
procul ſit ab humano tumultu.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Inter Deum & hominem intercedit intima quædam ſocietas, quæ tota eſt in dando &

Digitized by Google

accipiendo, ſeù ſe anima in principium ſuum refundat, ſeù immenſas ſuas largitiones excipiat, his ſe totam debet; vndè timet diſtrahi ab humanis negotijs. Duplex ille motus attractionis & emiſſionis in animâ, vt in corde, alios non patitur niſi violentos & convulſivos.

MAGNITVDO. Ambit animus infinitum, cui imparem ſe ſentiens, ſaltem illi ſe totum dicat, vt quid enim infirmas jam ad objecti ſui conſecutionem potentias partiretur, & negotiorum in diverſa trahentium divulſione infirmiores efficeret? Mundana omnia cœleſtibus comparata ſunt inſtar puncti, & eàm exigua, vt non affectum, ſed contemptum mereantur: Hæc ergò negotia, ſeù magnâ ex opinione appareant, timentur, ſeù parvâ ex veritate, contemnuntur.

DVRATIO. Sacer animus hic jam præludit æternitati, in quâ nihil ſupererit ex rerum humanarum ſcenâ; brevis eſt, & breviorem adhuc optat ait efficit vera pietas: Projicit à ſe ſuperflua, quæ celeritatem ſuam morantur. Mundani intermittunt minima negotia, vt gravioribus incumbant: Spirituales humana omnia, nè vel minimùm à divinis vacent; illis tota vita rerum terrenarum intermiſſio & feriatio eſt.

POTESTAS. Servire Deo regnare eſt, Reges autem non gaudent exigui alicujus fundi aut officij titulis: Libero ſolutoque ſinu ad ſimpliciſſimam perfectiſſimamque eſſentiam veniendum. Dæmon dicitur Princeps hujus mundi; ideò ſi bonus es, debes ab ejus ditione fugere, ſuis non vivere legibus, non mancipari negotijs, illi vt ſervus non laborare, non acquirere, cum Chriſti Principis tui hoſte fœdus turpiſſimum inire, illique militare.

COGNITIO. Altum animæ ſilentium quærit collocutio divina, & amantis dilecti ſuſurrus. Petunt montes deſertos virgines Muſæ vt ſuo concinant Apollini: quærit ſolitudines pietas, vt ſoli Deo perfectiùs ſit intima. Omnes ſuis aut alienis periculis edocti deprehendunt rerum humanarum vanitatem, nec tamen ab illis abſtinent: Tu cæteris ſapientior eſcas reſpue, quas ſcis veneno infectas, vita notas tibi inſidias. Fruſtrà enim, vt ait ſapiens, jacitur rete antè oculos pennatorum.

VOLVNTAS. Colunt cæteri terrena, quæ amant, at guſtato ſpiritu deſipit omnis caro; liceat abdicare quod diſplicet, projcere hoc rerum inutile pondus, vndè multùm oneris & laboris, nihil auxilij. Purus amor nec admittit quidem ea, quibus poteſt aut inſici, aut diſtrahi: prudens anticipato divortio, libertati & integritati ſuæ conſulit.

VIRTVS. Excellens in Deum charitas continet virtutes omnes, & hæc eſt juſtitiæ ſumma, quæ reddit Deo quod ſuum eſt; in illam enim reſolvuntur cæteræ juſtitiæ diſtributivæ & commutativæ partes.

VERITAS. Qui poteſt idæam boni contemplati dedignatur tot imperfectas & confuſas ejus in mundo imagines. Sufficit viro bono teſtimonium conſcientiæ ſuæ; Non quærit experimentum ſui in negotijs, quæ nũquàm æquant affectum, quæ multùm habent vani & vacui, & in quibus ad mutuum ſpectaculum veritatem ſectanti diſplicet larvata rerum & perſonatum mundanarum facies.

GLORIA. Quieſcunt res in centro, & procul ſunt à contrariis, quibus tentantur extrema: Deus autem, cui bona mens adhæret eſt omnis boni centrum: allicit mundus ad actiones externas voluptatis, vanæ gloriæ, ambitionis, & cæterarum paſſionum lenocinio; ſed his non tangitur mens, quam fluminis divinarum conſolationum impetus lætificat, & quæ in Dei conſortium quadam reſurrectione recepta eſt.

DIFFERENTIA. Mundana omnia cum ſint in perpetuo motu, fluxu & viciſſitudine, rapiunt ſecùm ſibi adhærentes, nec ſinunt conſiſtere: hos irregulares & convulſivos motus, has fortuitas graveſque iactationes vitat, qui primæ veritati quâ poteſt ſimilitudine vult vniri; Non deſperat de ſalute eorum qui rebus publicis incumbunt, ſed cum ad idem ſe non ſentiat trahi à gratiâ; id etiam optimum ſibi non iudicat. Varios ad varia inclinat vnus atque idem ſpiritus; ſunt Angeli ſphærarum motores, rerumque inferiorum rectores, ſunt & alij Deo tantùm aſſiſtentes.

CONCORDANTIA. Probanda quidem eſt vita mixta, conſtans actione & contemplatione, *de quâ Vide Media gloria.* Sed partes omnes, maximè perfectiores, quæ veniunt in compoſitionem, etiam ſeparatim exiſtunt, nè penitùs ſpeciem ſuam mixtione & alteratione amittant: Sic elementa ſingula in mixtis contemperata proprias ſuas habent regiones; ſic primæ qualitates in aliquo excellunt, ſummumque gradum obtinent, vbi ſe ab aliorum commercio vindicant; vt ergò datur contemplatio cum actione, debet dari & ſinè actione; ſic datur ignis in ſphærâ ſuâ purus, ſubtilis, & ſinè materiâ quam conſumat.

CONTRARIETAS. Chriſto naſcente extrà vrbem, & in noctis ſilentio, pax nuntiata eſt hominibus bonæ voluntatis. Quot humana negotia, tot hoſtes, qui pacem hanc continuis prælijs laceſſunt. Scio infirmitatem meam, & hoſtium implacabilem ſævitiam; conſultiùs ergò mihi eſt non confligere, & ſic intactam ſervare innocentiam, cum hic idem ſit finis virtutis heroïcæ. Amplior videtur de hoſte victoria, cui per me non licuit, nè arma quidem movere, & mecum, vt optabat, confligere.

PRINCIPIVM. Deus ità rebus omnibus præſens eſt, vt ſit per eſſentiæ ſublimitatem ab omnibus abſtractus: Cùm non poſſimus aſſequi infinitatem, imitemur quod magis poſſibile nobis eſt, ſcilicet abſtractionem, quæ plùs congruit ſingulari & individuali naturæ. Hæc in vnitatem propriam recollectio, diſpoſitio eſt ad divinam vnionem; Punctum puncto, vnitas vnitati, intercedente ſimilitudine connectitur.

MEDIVM. Elementorum corpora ſic inter ſe ſunt temperata, vt modeſtè inferiori, generosè ſuperiori conſentiant, vndè proprias ſuas qualitates tantum retinent in ſpheræ ſuæ centro. Sint ſublimes genij ad imperium nati, ſint humiles ad artes & obſequia parati: Media hæc hominique propria videtur eſſe conditio, ſibi Deoque vacare, nec longè ſuprà ſorte in ſuam extolli, nec infrà ad miniſterium deprimi. Negotium autem omne publicum, publica eſt ſervitus eò major quò ſplendidior.

FINIS. Is fœlicior habendus eſt ſtatus, qui magis ad beatorum ſortem accedit; beati autem miſerentur hominum puerilem animum, etiam in rebus, quas publicas vocamus, quaſi ſeriò agentem. Motus omnis tendit ad quietem, optima autem ad illum via, ſecurior, compendioſior, dulcior, ſeceſſus.

MAIORITAS. Ad majora videtur æſtuare virtus, publicis rebus intenta; ſed quid Deo ſublimius? quid ejus vnione, quæ ſolitarijs contingit, fœlicius? Timet humilis adventitia hæc bona, quæ ſenſuum lenocinio, populorum applauſu ſollicitant animum ad ſuperbiam: Meliùs lacet ab invidiæ & philautiæ malis.

ÆQVALITAS. Eadem ſemper eſt actio ſphærarum cœleſtium, Beatorum, ipſiuſmet Dei. Hanc æquabi-

litatem vitæ nemo inter mundanarum rerum fluctus sibi spondeat; contingit autem, quantùm hîc fieri potest, homini extrà fortunæ aleam ipso sui contemptu, posito.

MINORITAS. Iacet, sed eò fœlicior, quod dejici non possit: Iacet fortuna, erigitur animus, quid enim excelsius quàm ea contemnere, & alijs possidenda relinquere, quæ mirantur populi. & Reges ambiunt? Relictum solùm falsò reputas eum, qui reliquit omnia, qui vt res sacræ extrà commercium positus Dei ministerijs servatur. Etsi suam dignitatem non agnoscens terrenis se vellet immiscere, non debet tolerari perite volens. Personæ enim maximè debent frui immunitate, quæ ipsarum consideratione bonis conceditur. *Vide Poteſt. Virtutis.* Dei immunitate Religionis.

SAPIENS AVLAM fugiat.

SApiens videt mundanum splendorem, quasi scenam, in qua vt nollet regiam personam agere, multo minùs servilem; hanc autem exigunt Principes ab his qui ipsis assident: & quia propriam potentiam mirantur, facilè sibi persuadent omnes spe allectos in ministerium & amicitiam suam concurrere. Cadit sapiens è gradu suo, si se fortunæ submittat: quæ vt magna suspicit populus, vt exilia & vana despicit sapiens, æternis mundi cælique spectaculis assuetus: qui se totum dedit Deo, non patitur alterius in se dominium. Vitæ suæ stabilem dixit ordinem, quem inverteret lubrica regentis mens, si suo relinqueretur arbitrio, movet enim etiam benè posita, vt saltem id videatur posse. Etiamsi putes aulicum multa posse in ejus amicitiâ, qui omnia potest, summa tamen impotentia ex alterius nutu pendere, nullaque dignitas æquare potest hanc præriosæ suæ libertatis jacturam: Servire Deo regnare est, Rex autem sapientiæ titulo non debet ministrare Regi, quem sola fortuna subvexit. Multi probitate insignes se rebus publicis immiscent, vt Principes suis juvent consilijs, sed id periculosè tentant & vix vnquàm consequuntur: Vera enim politica ex justitiæ & sapientum legibus quasi antiquata, remittitur ad scholas, nova dolis, fraudibus, vi constans illi substituitur, vt etiam inter conscios pudeat eloqui quod non pudet fieri. Absit à sapiente vt his se misceat improbis consilijs: Si consentit, reus est apud Deum; si dissentit, apud Principem: & ipsa secreti, ab alio fortè evulgandi, cognitio illi secura non est: Absit mentem æternæ veritati natam his incertis, vanis, sæpè criminosis implere cogitationibus. Quidquid fingant Principes, verè non amant quos putant longè infrà se positos, ad ministerium vt animalia natos, & à quibus se non putant, sed sua amari. *Vide Verit. Volunt. Rep.*

Ex rebus publicis, vt ex altiori oceano, majores exurgunt fluctus, quibus non decet sapientem exagitari; quid enim juvat si proprijs passionibus legem silentiumque indixerit, cùm alienis majoribusque moveatur. Aulæ cœlestis & mundanæ mores contrarij sunt: humilitas, simplicitas, fides, veritas, charitas, aliæque virtutes sanctis familiares, contumelioſæ videntur his qui Principibus assident. Nescit vir bonus adulari, aliorum favorem maledictis in odium, aut nimiâ laude in invidiam vocare; scit se advocari, non vt fiant, sed vt fieri videantur quæ consulit: O perfida virtuti Deoque mens, quæ sic se larvatam exhibet ad decipiendos populi animos, & quæ quasi avis mansuefacta sibi similes in aucupis laqueos evocat, quæ sapientiam efficit malæ dominationis quodammodò conſciam. Aulæ tumultus, fortunæ viciſſitudines, externa hîc & domestica bella longè sunt à quiete sapientis: festum agit, æternique Sabbathi præludium, quod non debet hoc rerum mundanarum oppositò commercio turbari. Si aligatus es rotæ versatili, etiam te circumferri necesse est: stellæ fixæ cum suis circulis circumaguntur, sic tu cum Principe cui adhæres: Etiam ipso stante vel vmbratilis injuriæ species te à gratiâ excutiet, tunc turpiter ejectus dolebis quietem tuam injuriæ debere, quam vltrò virtuti tuæ præstare meliùs fuerat. Si inter similes intercedit societas, non convenit sapientia, temporalia despiciens, cum sceptro temporalia tantùm ambienti. Quòd si nunquam censentiunt hostiles illi affectus vt quid semper videre, audire, pati, quod displicet? Advocabit te interdùm Princeps vt de sapientiâ differat minùs seriò tempore: Sed ô turpiter & ludibrio habita sapientia, si instar mimorum adhibeatur ad recreationem mentis, rebus humanis satiatæ, & interdùm vt vividior redeat ad perpetranda scelera. Putant Principes impunè se peccare posse in sapientiam, vt in ejus præconem, & ex contemptu Philosophi, ipsam subsannant justitiam frustrà vir bonus laborat in istis sibi noxijs Reipublicæ non vtilibus, & tandem instituto suo contumelioſis: quantumcumque probata sit virtus, timendum nè mundi contagione inficiatur, & vt pestilentia in subtili aëre, sic perversitas in acri geniò magis sæviat. Hæc ex Principijs.

Philosophi debent aversari aulas Regum quia ibi nec veritas, nec tranquillitas, sed simulatio. Procul ab illis vixere Democritus, Heraclitus, Socrates, Antisthenes, Diogenes, Crates, Xenocrates, Apollonius Tyanæus, Plotinus, qui ditissimam paupertatem regum opibus prætulerunt. Si quid liberè dicant Philosophi, malè habentur à Principibus; sic Senecam occidit Nero; Alexander Calisthenem leonibus objecit. Qui induit Principem, exuit Philosophum, & cum omnia doceat Philosophia, in aulis Principum vivere ignorat. Marsilius Ficinus.

Philosophus gaudet ignorantiâ rerum facti, in quibus tota est aulæ scientia. *Vide Minoritas Cognit. Bona.*

Sapiens se ipso contentus. *Vide Poteſt. Virt.*

Theodosius Imper. pugnaturus contrà Maximum Tyrannum consulit omnes viros sanctos, ad se vocat Senuphium magni nominis Anachoretam Ægyptium, qui summâ humilitate se excusat, venire mittit ad ipsum supethumerale & baculum, quæ ferens Imperator in conflictu victor extitit. Baron. an. 388.

Planetæ vim masculam accipiunt, cum sunt Orientales, id est ortu præcedunt Solem, non sequuntur. Ptolom. Prædict. Astrolog. l. 1. capite primo. Masculæ virtus libera est, nec sequitur favorem Principum.

Per magna pericula pervenitur ad grandius periculum, scilicet amicitiam Principis: Non amant Reges, nisi eos, qui se suæ libidinis servos faciunt, si ergo charus es Principibus, vilis es tibi; vilis tibi est anima, virtus, fama, quies, ocium, securitas. Regibus, inquit Salustius, boni quàm mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidoloſa est: Meliùs esses incognitus, meliùs forsam odioſus; fugeres enim quod nunc sequeris discrimen. Pejor est avibus invitantis aucupis blanda modulatio, quam villici sonitus deterrentis. Sunt quorum, dubites periculoſior nè sit charitas, an odium, pejores serpentibus, quibus in sunt venenis mixta remedia; his nihil nisi pestilens ac

nocivum ineſt, ſeù oderint, ſeù diligant, propè par malum, niſi quod odium fugat, amor detinet. Regum amicitijs præter ipſa regna nihil inquietius, nil periculoſius; periculum tamen multis emptum periculis, magnis malis majùs malum quæritur; heù quantò tutius Regis omnium amicitiam meremur. Petrarcha de rem. Fort. l. 1. c. 49.

Conſolationes excluſi aulici Vide in his quæ ſcripſi Moral. Chriſtianæ. Tomo 4. Parte ſecundâ. cap. 14.

Lucianus Dialogo de mercede conductis invehitur in eos, qui mercede conducti in aulis & in potentiorum famulatu degunt: Non rectè ſe excuſant ex eo quod ſint pauperes; non enim hic poſſunt cumulare divitias, ſed quod accipiunt impendunt, ſplendidæ aliorum ambitioni ſervientes: Non alliciuntur vt neceſſitati ſerviãt, ſed vt ſectentur voluptates, & rerum non neceſſariarum vſum: Cæterùm ſolam habent voluptatis ſpem, propter quam multa patiuntur incommoda, torquentur æmulatione eorum qui ipſis præferuntur, nam aulicus vt calceus novus in prætio eſt, qui vſu ipſo in contemptum venit. Initio tibi omnia promittuntur cum Domino communia, ſed ingentes illæ ſpes in leviſſimum reducuntur ſtipendium, ob quod ſervus futurus es, & non tantùm Domino, ſed familiæ, amicis, dilectis famulis, imò & canibus blandiendum: hæc ad tempus. cum enim ſenueris, quæſitâ occaſione è domo ejicieris, cum podagrâ, cum morbis, & delitiarum malis conſuetudinibus ex rerum abundantiâ ortis: Nemo te excipiet, quippè inutilem, eriſque vt ſenio affecti equi, ad mortem deſtinati, & quibus tantùm ex pelle prætium eſt.

Apollonius ſæpè rogatus noluit in palatio Regis Babyloniæ habitare, ſed in domo privari; quia inquiebat minùs tolerabilis eſt ſapienti exceſſus, quam Regi & diviti defectus. Philoſtratus in vitâ Apoll. l. 1. cap. 21.

Brachmanis Sapientibus Indis lex erat, vt apud eos Rex quilibet non moraretur niſi per diem vnum. Id. l. 3. c. 10. Deo ludus eſt mundus, ſapienti autem aula; Caveat tamen nè vt Vlyſſes deſiderio videndi Cyclopem, ſe & ſuos in periculum adducat. Id. l. 4. c. 12.

In principum curijs per pericula ad grandius periculum pervenitur. D. Aug. l. 8. Conf.

PAX ET VOLVPTAS virtutis.

MISCELLANEA.

Vide Gloria Cognition. & Virtus Gloria.

Voluptas Contemplationis.

BEata eſt vita conveniens naturæ ſuæ quæ non aliter contingere poteſt, quàm ſi primùm ſana mens eſt, & in perpetuâ poſſeſſione ſanitatis ſuæ, deinde ſi fortis ac vehemens; tùm pulcherrima & patiens, apta temporibus, corporis ſui, pertinentiumque ad id curioſa, non anxiè tamen; rerum quæ vitam inſtruunt diligens, ſinè admiratione cujuſquam; vſura fortunæ muneribus, non ſervitura. Intelligis, etiam ſi non adijciam, ſequi perpetuam tranquillitatem, libertatem, depulſis his quæ aut irritant nos, aut territant. Non pro voluptatibus, & pro illis quæ parva ac fragilia ſunt, ingens gaudium ſubit, inconcuſſum & æquabile, tùm pax & concordia animi, & magnitudo cum manſuetudine: omnis enim ex infirmitate feritas eſt. A Seneca lib. de vitâ beatâ. cap. 1. vbi agit de virtute ſub hoc titulo de vitâ beatâ; & infrà cap. 4.

Quid prohibet nos beatam vitam dicere liberum animum, & erectum, & interritum ac ſtabilem, extra metum, & cupiditatem poſitum; cui vnum bonum honeſtas, vnum malum turpitudo: cætera vilis turba rerum, nec detrahens quidquam beatæ vitæ, nec adjiciens, ſinè auctu & detrimento ſummi boni veniens ac recedens. Hunc ità fundatum neceſſe eſt, velit, nolit, ſequatur hilaritas continua & lætitia alta, atque ex alto veniens, vt quæ ſuis gaudeat, nec majora domeſticis cupiat. Seneca Ibidem.

B Ariſt. 7. Polit. cap. 1. probat vitam beatam in virtute eſſe poſitam, non in bonis externis, quia homines acquirunt & conſervant, non virtutes externis bonis, ſed externa virtutibus: magis etiam ſunt beati qui excellunt in bonis ſpiritualibus & moralibus. Fœlix quiſque eſt à ſeipſo, non ab externis, quæ pendent à caſu & fortunâ.

Malum animæ eſt alienis, id eſt cadúcis hærere: bonum verò divinis, quia indè nata, hinc illi ſolidum & plenum gaudium: cumque purgatione in naturam ſuam reſtitutus animus ſubitò convertatur ad ipſum bonum, & ſolâ converſione ſubitò potiatur, conſtat naturam ejus eſſe divinam. Plotin. lib. de virtutib. cap. 5.

C Majus eſt gaudium viventibus cum magnâ virtute, & mediocribus bonis externis, quàm cum magnis bonis externis, & mediocri virtute.

De extaſi contemplationis & amoris divini. *Vide Gloria Cognitionis, & Gloria Voluntatis.*

De ſuavitate quâ Deus incipientes allicit. *Vide Gloria Principij.* initij.

Bonæ mentis fundamentum, imò culmen eſt, vt non gaudeas vanis: ad ſumma pervenit, qui ſcit quo gaudeat, qui fœlicitatem ſuam in alienâ poteſtate non poſuit: Antè omnia diſce gaudere; non aufero lætitiam, quam in fortuitis ponendam nego, imò volo nunquàm tibi deceſſe; volo illam tibi domi naſci; naſcetur, ſi modò intrà teipſum ſit: cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leves D ſunt. Animus debet eſſe alacer, fidens, & ſuper omnia erectus mihi crede res ſevera eſt verum gaudium; nunquàm deficiet, cum ſemel vndè petatu inveneris: Levium metallorum fructus in ſummo eſt, illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſiduè plenius reſponſura fodienti: Perfuſoria eſt mundi voluptas, invectitium gaudium, fundamento carens; illud ſolidum eſt, & quod plus patet introrsùs, tale gaudium procedit ex bonâ conſcientiâ, ex honeſtis conſilijs, &c. Senec. Epiſt. 23.

Voluptuoſi gaudium inter ſollicitudines quærunt: iſta quæ ſic petunt, tanquàm datura lætitiam ac voluptatem, cauſa dolorum ſunt. Omnes tendunt ad E gaudium, ſed vndè ſtabile, magnumque conſequantur, ignorant; illi ex convivijs, &c. omnes fallacia & brevia oblectamenta decipiunt, ſicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat: hic autem eſt ſapientiæ effectus gaudij æqualitas. Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam, ſemper illic ſerenum eſt: numquàm ergo ſinè gaudio eſt, quod naſcitur ex virtutum conſcientiâ: Non poteſt gaudere niſi fortis, niſi juſtus: mali autem ſic gaudent, vt prædam nacti, leones iterum ad famem redituri; illud autem gaudium quod Deorum æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit; deſineret, ſi ſumptum eſſet aliundè; quod non dedit fortuna, non eripit. Seneca Epiſt. 59.

Delphis in templo Appollinis hæc erat inſcriptio

χαιρειν. id eſt gaudere, quaſi hæc eſſet Dei ſalutatio.

Ex temperato animo ſedatis paſſionibus, ſit optimum corporis temperamentum: vndè Orpheus, Pythagoras, Socrates, animos rectis ſermonibus & muſicâ priùs curabant, quàm corpora.

Temperans eſt, qui lætatur cum àbſtinet à voluptatibus.

Deus tu converſus vivificabis me, & plebs tua lætabitur in te. Pſal. 84. Malo ſuo lætabitur in ſe, bono ſuo lætabitur in te: quandò enim voluit habere gaudia de ſe, invenit planctum in ſe: Nunc verò quia totum gaudium noſtrum Deus eſt, qui vult ſecurè gaudere, in illo gaudeat qui nõ poteſt perire: Quid enim gaudere vultis in argento? aut argentum perit, aut tu, quid priùs incertum eſt; gaude ergò in illâ luce, quæ non habet occaſum, gaude in illâ luce, quàm non præcedit heſternus dies, nec ſequetur craſtinus. Poteſt latro tollere pecunias, gaudium autem ſpiritus nemo tollet à vobis. D. Aug. in Pſ. 84.

Philo Iudæus lib. de Sacrif. Abel & Cain, loquens de diebus feſtis Iudæorum. Feſtum animæ, inquit, eſt perfectè lætari virtutibus, eſt autem perfecta lætitia expers morborum humano generi accidentium: tali feſto ſolus ſapiens fruitur, præterea nemo; duplex illi templum, in quo feſtum celebrat, ſcilicet mundus & mens ſua.

D. Auguſt. ſuper Pſal. 32. Exultate juſti in Domino. Obſerva, inquit, diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaïcis delitijs, qui otio abutuntur ad nequitiam; meliùs enim vtique totâ die ſederent, quàm totâ die ſaltarent: Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipſam requiem omnia faciens, abſtine ab opere ſervili; omnis enim qui facit peccatum ſervus eſt peccati: hæc tria pertinent ad dilectionem Dei, cujus cogita vnitatem, veritatem, & voluntatem: eſt enim quædam voluntas in Domino, vbi verum Sabbatum, vita, requies.

Conſtituit diem ſolemnem in condenſis, Non tepidè, ſed cum magna frequentia; Vſque ad cornu altaris; id eſt vſque ad interiorem domum Domini, de quâ vobis benediximus, vbi ſunt altaria excelſa.

Exaltatis à Domino mentibus noſtris, pervenimus vſque ad ejus divinitatem interiorem, qui nobis exteriorem humanitatem lacte nutriendis præbere dignatus eſt, & quid aliud ibi dicimus, niſi Deus meus es tu. D. Aug. in Pſal. 117.

Duo genera armorum contrà nos diabolus inſtruit, voluptatem & timorem; alios voluptas capit, alios timor frangit: confirmetur & noſtra acies contrà timorem diaboli, adſit timor Domini caſtus permanens in ſæculum ſæculi: contrà voluptatem turpiſſimæ delectationis non deſit fides orationis; quid metuit Chriſtianus, quando admonetur ſic orare, ſic præſumere? Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Id. l. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 1.

Matthæus converſus ad Chriſtum, ipſis convivium exhibet in domo ſuâ, qui enim domicilio Chriſtum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum. D. Ambroſ. lib. 5. comm. in Lucam.

Appetitus boni, & fœlicitatis decipitur in rebus externis, & tantùm impletur in virtute. *Vide Voluntas Bonitatis.* ex Patribus.

Apum hilaritate & nitore ſanitas æſtimatur. Plin. lib. 11. cap. 18.

Plutarchus lib. de tranquillitate animi recenſet media, quibus hæc tranquillitas poſſit haberi: Bona, inquit, quæ habemus ſæpè commemoranda ſunt, etiam communia, vt quod vivimus, valemus, ſolem

A videmus, pace fruimur, &c. Referamus etiam ea quibus caremus, mala: Non eſt cum præſtantioribus & fœlicioribus facienda comparatio, vis non eſt inferenda naturæ, ſed quiſque ſe noſcens genium ſuum ſequatur, meditetur hanc eſſe vniverſi legem, vt mala quædam bonis permiſceantur; habeat filios, ſed vt mortales; amicum, ſed vt hominem; bona, vt caſibus expoſita; vxorem, vt mulierem infirmam; talia prævideantur, quia inexpectata magis afficiunt: denique fœlicitatem ſuam homo non conſtituat in his quæ non ſunt in ſuâ poteſtate.

Seneca l. de tranquillitate animi hæc tradit præcepta, vt hanc tranquillitatem aſſequamur. Primò fugienda inconſtantia, aut nimia pertinacia in conſilijs mutandis; de quâ *Vide Different. Cognitionis.* Opportuna conſilij mutatio. Secundò fugienda deſidia, quæ pellitur occupatione, vel publica, vel privata, vtcumque natura feret. Tertiò, cum negotia amplectimur, ea cum omnibus ſuis circumſtantijs viribus noſtris ſunt metienda; Illis non debemus nos implicare, vndè non patet exitus. Si agendum, agendum eſt pro hominibus labore noſtro dignis, non vanis, non ambitioſis. Amicos eligamus fideles, tranquillos, qui non ſint ingenio triſti, omnia accuſantes. Mediocre patrimonium tranquillitati aptum eſt, luxus vitandus eſt in rebus ad vitam neceſſarijs, vt in libris. Vitæ moleſtias lenit, & conſuetudo, & alienæ vitæ proſpectus. Cupiditates non longè mittendæ, ſed ad propinqua. Præviſio irrita facit fortunæ tela. Non eſt in ſupervacuis laborandum; & quantùm fieri poteſt non in alienis, nec privatis, nec publicis: omnia hilati oculo aſpicienda & potius ridenda quàm flenda: fugienda ſimulatio, & anxia ſui compoſitio. Colatur ſimplicites, & interdum hilaritas, ludus, convivia, aut liberalior potus: hæc mergunt curas, & animum liberant, atque attollunt. Ad hæc etiam pertinet liber de vitâ beata, quem Seneca ſcripſit, in quo contrà Epicurum probat, ſummum bonum non in voluptate ſed in virtute conſiſtere.

Humilitas alta pace fruitur. *Vide Gloria Minoritatis.*

Pax eſt quærenda cum Deo, cum ſeipſo, cum proximo. D. Bernard.

Exod. 10. vbi habitabant filij Iſraël, erat claritas, cum Ægyptus obtenebraretur; erat tranquillitas, cum turbinibus premeretur; erat ſanitas, cum primogeniti Ægypti necarentur: Idem inter beatos & damnatos diſcrimen; de quo Lazarus dicit diviti, Magnum chaos inter vos & nos firmatum eſt. Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Iob. 20.

Dominationes intuentes Dominum Sabaoth tantâ cum tranquillitate omnia judicantem, intenſiſſimæ ſuaviſſimæque contemplationis ſtupore nimio, ſed ſenſato rapti in illud divinæ claritatis tàm ingens pelagus, recipiunt ſeſe in ſecretiori quodam miræ tranquillitatis receſſu, vbi tantâ pace ac ſecuritate fruuntur, vt quieſcentibus ipſis, pro reverentiâ prærogativæ, tanquàm verè Dominationibus miniſtrare & militare videatur cætera multitudo. Idem ſerm. 19. ſuper Cantica.

Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Pſalm. 84. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te: quid enim magnum eſt deſiderare pacem? quivis malus deſiderat pacem, bona enim res eſt pax: ſed fac juſtitiam, quia juſtitia & pax ſe oſculantur; non litigant, tu quare litigas cum juſtitiâ? Ecce dicit tibi, ne furaris, &c. Inimicus ex amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? &c. D. Auguſt. in Pſalm. 84.

Deus nobis Sabbatum indicit in corde; multi enim vacant membris, & tumultuantur conſcientia; cui

autem bona eſt conſcientia, tranquillus eſt, & ipſa tranquillitas Sabbatum eſt cordis. Idem in Pſal. 91. Spe gaudentes. Rom. 12. Ipſum autem gaudium in tranquillitate ſpei noſtræ Sabbatum noſtrum eſt. Ibid.

Pax poſſeſſio piorum eſt, pax poſſeſſio filiorum, hæredum. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Idem in Pſalm. 124.

Pax ſuper Iſraël; Iſraël, id eſt videns Deum.

Ex prætio ſanguinis Chriſti emptus eſt ager in ſepulturam peregrinorum. Qui ſunt peregrini in hoc mundo, Chriſti ſanguinem habent pro ſepultura & requie. D. Auguſt.

Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, &c. Galat. 5.

Pacem annuntiaverunt Angeli in nativitate Chriſti; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Apoſtoli pacem per vniverſum mundum nuntiabant. Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona: Marc. 16. Pacem teſtamento reliquit Dominus Ieſus Chriſtus; Pacem meam relinquo vobis; pacem meam do vobis. Ioan. 14. Poſt reſurrectionem apparens diſcipulis ſtetit in medio eorum, & dixit eis, pax vobis. Ideò venit in mundum, paſſus eſt, & reſurrexit, vt pacem omnibus daret; pacem his qui longè, pacem his qui propè. Ephes. 2. Illo pacis nomine gloriatur. Rex pacificus magnificatus eſt ſuper omnes reges terræ. Pacifici filij Dei. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Cœleſtis patria vocatur Ieruſalem, id eſt viſio pacis, quia ad eam ſinè pacis ſtudio non pervenitur. Qui poſuit fines ſuos pacem. Pſal. 47. *Vide ex Bibliis.*

Signum habitum eſt, vel voluptas, vel ægritudo quæ facta ſubſequitur; nam qui à corporis voluptatibus abſtinet, ſi eò ipſo gaudet, temperans; ſi dolet, intemperans eſt exiſtimandus: Moralis enim virtus circà dolores voluptateſque verſatur; quapropter, vt Plato inquit, ab adoleſcentiâ ità inſtitutos eſſe oportet homines, vt ijs gaudeant & doleant, quibus gaudere, & dolere debent, hæc enim recta eruditio eſt; omnes enim actiones, quas virtus regit, dolor aut voluptas conſequitur. Ariſt. libro 2. Moralium ad Nicomachum. cap. 3.

Plato. 7. de legib. improbat Athenienſium morem, qui publicè Magiſtratu ſacrificante populum lugubriſſimis harmonijs ad lachrymas concitabant.

Pax bonorum eſt perpetua. *Vide Durario Gloriæ.*

Dicit Dominus Hierem. 31. Inebriavi omnem animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturavi. Notandum quod ebrietas, hoc in loco, in bonam partem ſumitur, de quâ in Cantico dicitur; Comedite amici, bibite & inebriamini chariſſimi: quâ ebrietate & Ioſeph inebriatus eſt in meridie. D. Hieron. in dict. locum.

Si conſiſtant adversùm me caſtra non timebit cor meum. Pſalm. 22. & 67. Vide Levit. 26. vbi Iſraëlitis promittitur quòd ſi legem obſervaverint, vnus fugabit mille hoſtes. Angelus dicit Mariæ, ne timeas Maria, quoniam inveniſti gratiam apud Dominum. Iuſti in diebus famis ſaturabuntur. Pſalm. 36. Dies famis, dies vitæ.

Affirmat Hermes eos qui cognoverunt Deum, non tantùm ab incurſibus dæmonum tutos eſſe, verum etiam ne fato quidem teneri; Vna, inquit, cuſtodia pietas. Lactant. 2. inſtitution.

Vera pax à Deo; Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, vt natura, operatur ad intrà: At pax mundana, eſt vt ars, quæ ad extrà tantùm operatur.

Cui omnia vnum ſunt, & omnia ad vnum trahit, & omnia in vno videt, poteſt ſtabilis corde eſſe, & in Deo pacificus permanere. O veritas Deus, fac me vnum tecum in charitate perpetuâ, à Kempis de imitatione Chriſti.

Si non obtines quod paſſio deſiderat, inquietaris; ſi obtines, conſcientia: remordet, vndè pax vera cordis reperitur in virtute. Idem.

Sex creationis dies, ſex mutabiles res oſtendunt, quatuor ſcilicet elementa, cum vegetativo, & ſenſitivo; at ſeptimus Deo ſacer ſignificat ſubſtantias ab omni viciſſitudine alienas. De numero ſeptenario. *Vide Differentia Magnitudinis.*

Plato lib. 9. de Republicâ, probat Philoſophi voluptatem ſolam veram eſſe, cæteris ſolidiorem & ſinceriorem, quæ eſt de re magis convenienti, minùs doloribus permixtâ, & quæ ex recto regioque rationis regimine procedit, non tyrannico cupiditatum.

Idem lib. 8. de legibus, dicit Solius eſſe Dei ea quæ ab ordine naturæ collapſa ſunt, in ordinem reſtituere, præſertim cum anima non tàm ſenſibus quàm Dæmonibus inſtigantibus corruat.

Idem in Philæbo dicit, Verum gaudium à ſummo bono profluere, vt lumen à ſole. *Vide Princip. Gloriæ.*

Chriſto frui, non vt homine, ſed vt Deo. *Vide Majoritas Virtutis.* Profectus virtutis in fine. Ipſe ſimul eſt lux & fons. *Vide Principium Gloriæ.* Chriſtus Salvator.

Animus redit ad Deum per cognitionem veritatis, & amorem boni: ſic pervenitur ad Solem per Mercurium & Venerem. Marſ. Ficinus.

Sapientes Indi Epiſtolis ſuis ſuperſcribebant. Gaudere. Philoſtratus in vitâ Appollonij. lib. 2. cap. 15.

Anxij multùm vivunt qui corporeis ſerviunt voluptatibus, ſed multo anxiores qui mediam & imperfectam habent virtutem. *Vide Media Virtus.*

Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris. Iſai. 48.

D LEVE ET SVAVE *Chriſti iugum.*

IVgum meum ſuave eſt, & onus meum leve. *Vide infrà ex Bibliis.*

Amanti levia ſunt ex ſe dura. *Vide Gloria Voluntatis.*

Non ſufficeret mundus obtemperando, niſi Dominus dediſſet ſuavitatem.

Cum inhæſero tibi ex omni me, nuſquàm erit mihi dolor & labor, & vena erit vita mea tota plena te; nunc autem quem tu imples ſublevas eum; quoniam tui plenus non ſum, oneri mihi ſum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætendis mœroribus, & ex quâ parte ſtet victoria neſcio: hei mihi Domine, &c. D. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 18.

Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Pſ. 118. Viator addit labori itineris laborem cantandi, ſed hic ſecundus primum levat, & ſolatur. Sic laborem præcepti ipſa illi à Deo ſuperinfuſa ſuavitas. In arcâ cum tabulis legis erat ſimul manna.

Inſtitutus in diverſis partibus, non poteſt vnam partem amplecti & aliam repudiare. l. 20. Cod. de Iure deliber. Vt paſſionum, ſic conſolationis ſumus conſortes, inquit Apoſtolus: cujus eſt onus, ejus eſt commodum. *Vide Media Bonit.*

Sublata ſuavitate impoſſibilis eſſet divinæ legis

obſervatio, vt & legis naturalis, ſinè voluptate quâ perfunditur, nemo autem obligetur ad impoſſibile; vndè convenientia debent dari media. *Vide Concord. Medy, & Bonitas Medy.*

Filius in poteſtate non poteſt hæres inſtitui à Patre ſub conditione, quæ in ejus poteſtate non ſit; teſtamentum ſit nullum, & adit hæreditatem ab inteſtato. l. 4. C. de inſtitut. ſub cond. factis.

In Decachordo pſalterio pſallam tibi, Pſal. 14. D. Aug. librum compoſuit de decem chordis, in cujus c. 9. interpretatur de decem Decalogi præceptis. In ſpectaculis, inquit, alij erant cythariſtæ, alij pugnantes; vtrumque hic agis, ſimules & cythareda & venator, & victor; tangis primam chordam quâ colitur Deus, cecidit beſtia ſuperſtitionis, &c. Multa etiam capita ſunt ſub iſtis capitibus: in ſingulis chordis, non ſingulas beſtias, ſed greges interficis beſtiarum, victoria tam ſuavi, vt muſicæ comparetur.

Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Matth. 11. Quare non potiùs dicit: Venite qui vacatis vt laboretis; nam & Dominus vacantes invenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æſtum diei. Matth. 20. & Apoſtolus. 2. Cor. 6. Commendemus nos metipſos in multa patientia, & 2. Cor. 11. Ter virgis cæſus ſum, &c. Aderat ei Spiritus ſanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & guſtatâ requie ſpirituali in affluentiâ delitiarum Dei, in ſpe beatitudinis futuræ omnia præſentia deliniret aſpera, & omnia graviora relevaret; intuens etiam prætio temporalium emendam futuram vitam, quàm facilè toleratur adverſitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur: cum ingenti lætitiâ exclamat. Roman. 8. Non ſunt condignæ paſſiones, &c. Æger ſecari ſe permittit, vt ſanetur; milites & mercatores, pro honore & lucro periculis ſe vltrò objiciunt; quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis mitеſcunt amantibus: ideò Pſ. 15. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Quidquid etiam moleſtiarum antiquæ legis obſervatio exteriori homini attuliſſet facilitate ſimplicis fidei, & bonæ ſpei, & ſanctæ charitatis interiori gaudio leve fit. Nihil enim tàm facilè bonæ voluntati, quàm ipſa ſibi, & hæc ſufficit Domino: quantumlibet ergò ſæviat ille mundus, veriſſimè Angelinato Domino clamaverunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non permittit enim nos tentari ſuprà id quod poſſumus ferre. 1. Cor. 10. D. Aug. ſerm. 9. de verb. Domini.

Et onus meum leve. Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi: habent enim aves pennarum ſuarum ſarcinam, portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo; ſi detrahas onus hoc, in terra remanebunt: cui ſubvenire voluiſti, porta pennas pacis, porta pennas charitatis, ſic adimplebitur lex Chriſti. Id. ſerm. 22. de verb. Apoſt. cap. 5.

Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Pſalm. 33. Promiſſa eſt terra lac & mel fluens; dulcis eſt, & nutritoria. Ibid.

Grave non eſt quod ille imperat, qui adjuvat, vt fiat quod imperat: vndè in Pſal. 16. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Vt ſit leve charitas facit, nihil enim amanti durum. D. Aug. de diverſ. *Vide Voluntas & Gloria Contrarietatis, & Poteſtas Voluntatis.* De vi amoris.

Spiritus ſanctus, qui eſt amor, dicitur vnctio.

Qualem animum habuerimus, tale ſuper nos jugum Domini ſentiemus; qui duri & aſperi eſt animi, ipſe ſibi facit durum atque aſperum jugum Chriſti & verè gravi premitur ſarcina mens ſubjugata peccato: onus verò Domini ſcit relevare, neſcit opprimere.

A Euſeb. Emiſſen. Homil. 1. de Epiphan.

In eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur. D. Aug. de bono viduit. cap. vlt.

Dulcis Chriſtus, dulcia omnia reddit, habes ſocium Chriſtum & jugalem. Cum ipſo ſum in tribulatione.

Sic onerat me miſerationibus ſuis Deus, ſic concludit, ſic obruit beneficijs ſuis, vt onus aliud ſentire non poſſim. Quid retribuam Domino, &c. D. Bern.

Durus eſt, inquiunt mundani, hic ſermo, ſcilicet habitare Chriſtum patientem in temporibus noſtris, ſed duror erit, Ite maledicti, &c. Ponderoſior peccatorum ſarcina, ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Pſal. 37. Dulce autem onus Chriſti, quia onus beneficiorum, ſi tamen non advertas, grave & periculoſum. Onerat nos cum exonerat Deus, onerat beneficio cum exonerat peccato: beneficia hæc ſunt oneri, niſi inter illa pavidus & humilis permaneas. D. Bernard. ſerm. 15. ſuper Pſal. 90. Qui habitat. Cum videmur portare pondus diei: æternum gloriæ pondus cogitemus.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus; dicit faſciculum non faſcem, quia leve pro amore eſt, quidquid laboris pro eo tolerandum. Id. ſerm. 43. ſuper Cant.

Tollite jugum meum ſuper vos, inquit Chriſtus. Id eſt non impone invitis, quod alioquin grave foret, ſed vos tollite ſi vultis, vt leve fiat quod erit voluntarium; ex eod. Epiſt. 11.

Poſuiſti in loco ſpacioſo pedes meos. Pſalm. 30.

Certè anguſta via eſt, laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt; eadem quæ anguſta eſt, lata fit, dum efficis vt pedes mei incurrendo in ſe non dejiciant me: feciſti mihi facilem juſtitiam, quæ mihi aliquandò erat difficilis. D. Aug. in Pſal. 30. Conc. 1.

Dominus dabit ſuaviratem, & terra noſtra dabit fructum ſuum, vt per charitatem impleatur, quòd per timorem implere difficile erat. Id. in Pſ. 32. Conc. 1.

Dividam Sichimam, &c. Pſalm. 59. Sichima humeri interpretatur; dividam ergò humeros; dividuntur humeri, vt alios gravent peccata ſua; alij ſarcinam Chriſti levem portent; quæ non pondus, ſed pennas habet, rapiens in cœlum, & à terra etipens. D. Aug. in Pſal. 59.

In templi conſecratione ſunt cruces & vnctiones; quia ſinè cruce ſequi Chriſtum, & ſinè vnctione crucis aſperitatem ferre quis poſſit? hinc eſt quòd multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, ſed non etiam vnctionem. D. Bern. ſerm. 1. dedicat. Eccleſiæ.

Bonus es Domine quærenti te, ſi quærenti, quid invenienti? Idem.

Pronam in malum naturam duo maximè continent. Primùm, quod virtutes ſint connexæ, poſſintque omnes ſimul eſſe, non vitia. Secundùm quod primi in virtute labores mirâ ſuavitate & æterni prænuij ſpe compenſantur, &c. Philo lib. de temulentiâ.

De delectatione propria varijs gradibus ætatis ſpiritualis. *Vide Major. Virtut.*

Gravia videntur membra intereunte ſuſtentatrice & motrice corporum facultate: & contrà.

Primus homo quandò in paradiſo erat ludebat ſolutus, quoniam erat Dei puer: hoc amiſit cum per cupiditatem factus eſt homo. Ad hanc primam fœlicem ætatem, cui lætitia familiaris, innuens Moyſes juſſit offerri Deo pullos turturum & columbarum. Clem. Alexand. in exhortatione ad gentes. Hoc ver vitæ noſtræ debet in nobis eſſe perpetuum, & expers ſenij; quæ in nobis eſt veritas, & ſapientia ſemper germinet, quæ ſemper eodem modò ſe habet, & nunquàm mutatur.

Sapiens etiamſi res præclaras gerat, & multa gra-

via patiatur, eâ jàm fortiter fert vt pro ludo habere videatur, & nihilo ſeriùs dies feſtos cum Deo celebret, & hoc eſt quod dicit Paulus, ſemper in Domino gaudendum. Puer datus eſt nobis. Iſ. 9. vocatur Agnus Dei: Cõfiteor tibi Pater quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti parvulis. Id. 1. Pædag. c. 5.

De ſolemnitatibus & convivijs apud primos Chriſtianos in Dedicationibus Eccleſiarum. Vide Baron. an. 57. num. 137.

Olim Monachi vocabantur, ad Sacram Synaxim, non tympanorum ſonitu, ſed voce alleluia altius decantata; quæ eſt vox lætitiæ & exultationis. Id. an. 38. ex D. Hier. Epiſt. 27. de Monaſterio S. Paulæ.

Redite prævaricatores ad cor, & inhærete ei qui fecit vos, ſtate cum illo & ſtabitis, requieſcite in eo, & quieti eritis. D. Aug. lib. 4. confeſſ. cap. 12.

Dicitur Beatus qui non abijt in concilio impiorum. Beatus quem tu erudieris Domine. Beati immaculati in viâ. Beati qui confidunt in eo. Beatus cujus Dominus Deus ejus. Beati qui lugent. Beati humiles. Beati mites, &c. Vide quomodo nullos divitiæ, multos beatificant divinæ leges. Anima terrena ſpernens exultat in Deo ſalutari ſuo: hoc gaudium certum & plenum eſt, & tantò certius, quantò vicinius circà identitatem. D. Bern. de S. Maria Magdal.

Ioannes vidit thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum; Magnum dicit, & ad omnes ſuſcipiendos capacem. Si in Deo ſumus, vivimus, & movemur, quid verat in illius etiam ſede eſſe? ſed quænam alia Domini ſedes quàm illa tanta & infinita entelechia. Alanus Varenius. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, &c. conſedere nos fecit in cœleſtibus.

Moyſes ſæpè in ſuis legibus dicit Sabbata Dei eſſe, ſolus enim verè feſtum agit, ſolus gaudet & lætatur ab omni bello ſemotiſſimus; nihil enim præter Deum in rebus quieſcit: Quies eſt, non ocium; etenim ſuopte ingenio activa illa cauſa omnium nunquàm deſinit à faciendis rebus pulcherrimis, ſed ſinè fatigatione & labore; falſa autem ſunt feſta mortalium in voluptatibus ſenſuum viventium, &c. Philo. lib. de Cherubim.

Abraham filium Iſaac Deo immolat, Iſaac, id eſt riſus, quia mentis benè affectæ gaudium Deo proprium eſt. Idem l. de Abraham.

Terrifica tuba ſuos milites ad pugnam congregant Imperatores; Chriſtus Evangelij tubâ milites ſuos tantùm pacificos pacificè congregat & pacificè armat, induentes loricam juſtitiæ, galeam ſalutis. Epheſ. 6. Perfecta eſt pacificatio quæ in quocumque caſu pacificum ſervat immobilem; ex adverſis & contrarijs videt conſurgentem harmoniam, ad quàm reducit per ignorantiam & peccatum alienos. Clem. Alexand. in exhort. ad gentes. & lib. 4. Stromat. cap. 3.

EX THEOLOGIA.

GAudium ſpirituale convenit omni virtuti, ſed ſpecialiter charitati. 2. 2. q. 35. a. 2. Nulla enim virtus habet tantam inclinationem ad ſuum actum, necità delectabiliter operatur, ſicut charitas. q. 23. a. 2.

Aureola eſt gaudium de his operibus quorum gratia eâ debetur: propriè in mente eſt, quamvis etiam aliquis decor ex gaudio aureolæ in corpore reſulter. Suplem. q. 99. a. 10.

Beatitudines dicuntur operationes virtutum perfectarum per dona, & etiam donorum. 1. 2. q. 69. a. 1.

Gratia quæ eſt quaſi principium virtutis, nihil eſt aliud quàm quædam inchoatio gloriæ. 2. 2. q. 24. a. 3. ad 2.

Pax vera eſt tantùm in bonis, & bonorum; apparens autem eſt in malis. 2. 2. q. 29. a. 2.

Gaudium de Deo in ſe eſt effectus charitatis. 2. 2. q. 28. à. 1. ad 3.

Gaudium cauſarum ex charitate non competitur ſecum triſtitiam, ſicut quod cauſatur ex ſpe. 2. 2. q. 28. a. 2.

In damnatis mala voluntas non eſt demeritum, ſed pœna. Suplem. q. 98. a. 6.

Fortis delectatur de ſuo actu & fine, ſed non percipit, niſi ex ſuperabundanti gratia Dei, propter dolorem corporis & animæ, pro amiſſione vitæ. 2. 2. q. 123. 8.

Fructus ſpiritualis dicitur dupliciter, ſcilicet, quod principaliter expectatur, ſcilicet Deus, & ſecundariò ſcilicet delectatio. 1. 2. q. 11. a. 1. ad 3.

Fructus Spiritus ſancti ſecundùm D. Paulum ſunt duodecim, ſcilicet charitas, gaudium, patientia, bonitas, longanimitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. 1. 2. q. 70. a. 1. ad 3.

Virtutes dicuntur fructus, ratione delectationis, non ratione habitus. 1. 2. quæſt. 70. a. 1. ad 3.

Operatio ſecundùm facultatem rationis dicitur fructus rationis; ſed vt movetur à Deo, dicitur fructus Spiritus ſancti. 1. 2. q. 70. a. 1.

Opera noſtra vt ſunt à Spiritu ſancto dicuntur fructus; reſpectu verò beatitudinis dicuntur flores. 1. 2. q. 78. a. 1. ad 1.

Omne honeſtum eſt vtile & delectabile, non è converſo; & omne vtile eſt delectabile, non è converſo. 2. 2. q. 146. a. 3.

Securitas ſecundùm participationem eſt conditio alicujus virtutis. 2. 2. q. 129. a. 7. ad 3.

Omnis virtus moralis eſt circà delectationes & triſtitias, conſecutivè, non autem objectivè. 1. 2. q. 59. a. 4. ad 1.

Operari ſinè triſtitia & delectabiliter, ratione finis, cadit ſub præcepto legis Dei non autem ex habitu. 1. 2. q. 100. a. 9. ad 3.

Tympanis & muſicis inſtrumentis vſa eſt Maria ad Dei laudem in cantico. Exod. 15. Hanc ſuavem pietatem vſurpamus in Eccleſiâ, etiamſi fuerit ex cæremonialibus præceptis. *Vide Gloria Veritatis.* de Pſalmodia.

EX BIBLIIS.

Vide ſuprà hoc titulo. De remuneratione in genere.

CAnticum erit vobis, ſicut vox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis, ſicut qui pergit cum tibiâ vt intret in montem Domini ad fortem Iſraël. Iſai. 30.

Lætetur anima veſtra in miſericordia ejus, & non confundemini in laude ipſius: Operatmini opus veſtrum antè tempus, & dabit vocis mercedem veſtram in tempore ſuo. Eccleſ. 51.

Fundus maris rubri tranſeuntibus Iſraëlitis apparuit floridus. Vide Sapient. 19.

Lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices juſto. Pſal. 5.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua vſque in finem. Pſal. 15.

Digitized by Google

Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, etenim ſervus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa. Pſal. 18.

Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur: Hi in curribus, &c. Pſal. 19.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, animus ſcilicet rector paſſionum. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite ejus coronam de lapide prætioſo, &c. Pſal. 20.

Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit. Lætamini in Domino & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde. Pſal. 31.

Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio, &c. Confitemini Domino in cytharâ. Pſal. 32.

Manſueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Pſal. 36.

Fundatur exultatione vniverſæ terræ mons Sion. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter judicia tua Domine. Pſal. 47.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me, docebo iniquos vias tuas, &c. Pſal. 50.

Cum converterit Dominus captivitatem plebis Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo: qui ingreditur ſinè macula, & operatur juſtitiam, &c. Pſal. 14.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus; innocens manibus & mundo corde. Pſal. 23.

Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Ibidem.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te, perfeciſti eis, &c. Pſal. 30.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Pſal. 31.

Spera in Domino & fac bonitatem, & in habita terram, & paſceris in divitijs ejus: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Pſal. 36. & Pſal. 39. Eduxit me de lacu miſeriæ; & immiſit in os meum canticum novum carmen, Deo noſtro.

Confitebor tibi in cytharâ Deus Deus meus. Pſ. 42.

Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Pſal. 44. Myrrha & gutta, &c. ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Ibid.

Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis. Pſal. 44.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus. Pſal. 45.

Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Pſal. 46.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te: ſic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima, & labijs exultationis laudabit os meum. Pſal. 62.

Lætabitur juſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Pſal. 63.

Te decet hymnus Deus in Sion; & tibi reddetur votum in Ieruſalem. Pſal. 64.

Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Pſal. 64.

Exitus matutini & veſpere delectabis. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam: flumen Dei repletum eſt aquis, &c. Pſal. 64.

Sicut fluit cera à facie agnis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia: cantate Deo, &c. Pſal. 67.

Deus cum egredereris in conſpectu populi tui: cum pertranſires in deſerto: terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt à facie Dei Sinaï, à facie Dei Iſraël. Pluviam voluntariam ſegregabis Dei hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam. Ibidem.

Mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Ibid.

Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi, & anima mea, quàm redemiſti. Pſal. 70.

Quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. Pſal. 72.

Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Pſal. 76.

Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Iacob: ſumite pſalmum, & date tympanum, pſalterium jucundum cum cytharâ. Pſal. 80.

Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Pſal. 83.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, &c. quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus, non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te. Pſal. 83.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor. Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terra noſtra, &c. Pſal. 84.

Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi: quoniam tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te. Pſal. 85.

Iubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitiâ. Introite in conſpectu ejus in exultatione. Pſal. 99. Laudate nomen ejus, quoniam ſuavis eſt Dominus. Ibidem.

Pſallam & intelligam in viâ immaculata, quandò venies ad me; perambulabam in innocentiâ cordis mei; in medio domus meæ. Ibid.

Laudamini in nomine ſancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum. Pſal. 104.

Beatus vir qui timet Dominum, &c. gloria in divitiæ in domo ejus. Pſal. 111.

Laudate pueri Dominum. Pſal. 112.

Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Pſal. 114.

Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum. 117.

In viâ teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus divitijs. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi. Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Bonitatem feciſti cum ſervo tuo, ſecundùm verbum tuum. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Pſal. 118.

Benefac Domine bonis & rectis corde: declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſraël. Pſ. 124.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati; tunc repletum, eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione: magnificavit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Pſ. 125.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus. Pſ. 127.

Hymnus omnibus ſanctis ejus, filijs Iſraël appropinquanti ſibi. Pſal. 148.

Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exaltationes Dei in gutture eorum. Pſ. 149.

Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato, inquit Sapientia. Proverb. 1.

Time Deum, & recede à malo, ſanitas quippè erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. Prov. 3.

Egeſtas à Domino in domo impij: habitacula autem juſtorum benedicentur: gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exultatio ignominia. Prov. 3. in fin.

Glorificaberis à ſapientiâ, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & coronâ inclytâ proteget te. Prov. 4.

Nihil proderunt theſauri impietatis; juſtitia autem liberabit à morte. Proverb. 10.

Lectulus noſter floridus. Cant. 1.

Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruinâ mortis. Proverb. 14.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Ioan. 1.

Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Ioan. 10.

Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ioan. 14.

Secura mens, quaſi juge convivium. Prov. 15.

Quomodò ſi cui mater blandiatur, ſic ego conſolabor vos, videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. Iſai. 66.

Quod ſancti gaudeant in adverſis. *Vide Volunt. & Gloria Contrar.*

Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in Saphiris, & ponam Iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles. Iſai. 54.

Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea, quia induit me veſtimentis ſalutis, qua ſponſum decoratum coronâ, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis, vt terra proferens germen ſuum. Iſai. 61.

Benedicat tibi Dominus, pulchritudo juſtitiæ, mons ſanctus. Ierem. 31.

Lauda & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui dicit Dominus. Zachar. 2.

Coloſſences monentur docere ſeipſos in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus ſuis Deo. Coloſſ. 3.

Ioannes Chriſtum præſentiens exultat in vtero matris.

Viæ ejus, viæ pulchræ, &c. quære in Concordantijs pulchritudo, & applica.

Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Roman. 2. & cap. 5. Iuſtificati ergò ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in quâ ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

Prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita & pax. Rom. 8.

Deus ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Rom. 8.

Benedictus Deus Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſurâ ſunt, per exhortationem, quâ & exhortamur & ipſi à Deo, &c. 2. Corinth. 1.

Semper gaudete, ſinè intermiſſione orate, ſpiritum nolite extinguere. Theſſ. 5.

Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. 1. Corinth. 6.

Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico gaudete. Philip. 4.

Iterùm videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Ioan. 16. *Vide Gloria Contrar.*

Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace. Luc. 2. Fruitur pace, cum Chriſtum geſtat in vlnis; nos autem cum in corde.

BONÆ CONSCIENTIÆ pax & ſecuritas.

Vide ſuprà Duratio Virtut. Vir bonus non poteſt lædi.

CONſcientia munda eſt, quæ nec de præterito injuſtè accuſatur, nec de præſenti injuſtè delectatur. Iſidor. lib. 2. Solil.

Conſcientia impiorum magna pœna eſt, piorum verò gaudium magnum. D. Anſelm.

Fortitudo tua, fiducia fidelis conſcientiæ, decor tuus, ſplendor bonæ opinionis. D. Bern. l. 3. de conſid.

Bona conſolatio quàm & blaſphemamur à malis benefacientes, ſi recti diligant nos; omninò ſufficit adversùm nos loquentium iniqua opinio bonorum, cum teſtimonio bonæ conſcientiæ. Idem ſup. Cant.

Vt Nepenthes herba, ab Homero prædicata, addita poculis omnem convivij triſtitiam diſcutit, ità bona mens inſita nobis omnem vitæ ſollicitudinem abolet. Plut. in Moral.

Bona conſcientia facit opus bonum amare, & quid dulcius bona conſcientia: quæ ſi non eſt, & mala eſt, pungit, & amara ſunt omnia. D. Auguſt. tract. ſup. Prov.

Nulla melior eſt voluptas quàm emendatæ gratiæ conſcientia. Hinc Epicuri traxerunt ſummum bonum voluptatem eſſe. D. Ambroſ. de Abraham. l. 2. c. 11.

Ecce in cœlo teſtis meus, & conſcius meus in excelſis. Iob. 16.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 2. Corinth. 1. & Rom. 6.

Nunc liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

Nihil eſt jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conſcientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit ſecura. Bona conſcientia ſecura erit cum corpus morietur; ſecura, cum anima coràm Deo præſentabitur: ſecura, cum vtrùmque antè tribunal terrificum ſtatuetur: non eſt futuræ beatitudinis, certius teſtimonium bona conſcientia. D. Bernard. de interiori domo. c. 22.

Conſcientia ſpeculum eſt in quo ſponſa faciei ſuæ pulchritudinem componit, vt placeat ſponſo. Ibidem.

Securius conſcientiæ teſtimonium, quàm populi, apud quem, quæ fuerunt vitia mores ſunt: abſit à me, tam perverſo judicio bonum eſſe.

Beatus vir qui timet Dominum, &c. Gloria & divitiæ in domo ejus. Pſal. 117. Dominus ejus cor ejus eſt, vbi Deo habitante opulentius habitat, cum ſpe vitæ æternæ quàm hominibus habitantibus in marmoratis tectis, cum timore mortis æternæ. D. Auguſt. in Pſal. 111.

Bona voluntas prodeſt & in eculeo, prodeſt & in igne: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. Eſt magna in ipſo bono opere merces tei, & ad alliciendas mentes hominum ingens honeſti potentia, cujus pulchritudo animos circumfundit, & delinitos

admiratione luminis ac fulgoris ſui rapit: tutior eſt vita meliotibus, ætaſque ſecurior quam innocentia proſequitur. Fuiſſet enim iniquiſſima rerum natura, ſi hoc tantùm bonum miſerum, & anceps, & ſterile feciſſet. Seneca de beneficijs. cap. 22.

Bona conſcientia etiam obruta delectat, concioni ac famæ reclamat, & in ſe omnia reponit; & cum ingentem ex alterâ parte turbam contrà ſententiam aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed vna ſententia vincit, ſi verò bonam fidem perfidia ſupplicijs affici videt, non deſcendit è faſtigio, ſed ſuper pœnam ſuam conſiſtit. Ibidem.

Quid aliud ſaperet vir quilibet injuriâ damnatus, præter injuriæ ſolamen. Tertul. lib. de anima. cap. 1.

Hic murus Athenæus eſto.

Nil conſcire ſibi, nullâ pallescere culpâ.

Fœlix paupertas voluntaria, omnia relinquentium & ſequentium te Domine Ieſu, quia tàm ſecuros, imò glorioſos faciet in illo fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum; in illo tanto diſcrimine judiciorum. D. Bernard. Serm. 8. in fine in Pſal. 90. Qui habitat.

Quando Deus Iudex erit, alius teſtis quàm conſcientia tua non erit: inter judicem juſtum & conſcientiam tuam noli timere niſi cauſam tuam: affer conſcientiam bonam, vt poſſis dicere. In te Domine ſperavi. D. Auguſt. in Pſal. 37.

Ignis antè ipſum præcedet. Pſal. 49. Timeamus, mutemur, & non timebimus: Ignem palea timet, auro quid faciet. Idem lucebit juſtis, ardebit impijs.

Oras quotidie adveniat regnum tuum, optas vt veniat, quem times ne veniat, corrige te, vt non ores contrà te. D. Auguſt. in Pſal. 97. in fine.

Timor ne accuſeris non eſt juſtus, nec inducit rationem quod metus cauſâ, vt reſcindatur quod ſic factum eſt. l. 10. C. de his quæ vi met. cauſ.

D. Bernard. ad milites templi. cap. 1. dicit impavidum eum eſſe militem, qui vt corpus ferro, ſic animam fide armavit. O vita, inquit, ſecura, vbi pura conſcientiâ; ô inquam, vita ſecura, vbi abſque formidine mors expectatur; imò exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione ô verè tuta militia à duplici periculo libera.

Conſtantius Imp. contrà Maxentium tyrannum pugnaturus, voluit omnes ſuos milites initiari ſacro Baptiſmate; ex pietate ſibi victoriam ſpondens. Baron. an. 353.

Piorum mors felix. *Vide Gloria Finis.*

Paulus 1. Roman. Sic eos ſalutat. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei converſati ſumus. 2. Corinth. 1.

Sic ſapiens ſeipſo contentus eſt. *Vide Poteſtas Virtutis.*

Loquetur pacem in plebem ſuam, non tantùm loquitur verba pacis, ſed ipſam pacem; non loquitur verbis, ſed effectibus. Pax dulcis cælicolarum alimonia. Ficin.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Ioan. 14.

Faciam cum eis pactum pacis, & ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra, & qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus, &c. Ezech. 34. Super quo D. Auguſt. dicit deſertum eſſe, conſcientiam, hominum aſpectibus non perviam; ibi abundant rivi conſolationum, &c.

Ex eo quod homo eſt ad imaginem Dei præeſt piſcibus maris, & beſtijs terræ, ideſt paſſionibus; ea autem deleta, illis obtemperat. Picus Mirand. in hepta.

Menſa panum propoſitionis limbum habebat intextum coronis. Exod. 25. de conſolatione in Euchariſtiæ ſumptione.

Quàm ſpecioſus eſt animæ nitor, quàm fœlix conſcientia operibus plena, ſi beatum ſe credit qui hæc poſſidet, quæ dimiſſurus eſt poſt mortem, quàm ſecurus eſt qui illud præmiũ ſperat, quod nunquàm amiſſurus eſt per ætatem. D. Auguſt. in Serm. de tempore.

REPVGNAT.

CONSCIENTIÆ ſtimuli.

CVjus ignis ardentior flamma, quàm impietatis eſt; quænam fera mordax ità corpus lacerat, vt impietas laniat animam: vociferatur, vror, abſumor: anima quidem poſtquàm humanam exuta figuram, non degenerat in brutorum corpora, ſed affectus. Mens dæmon efficitur, & animam flagellis verberat peccatorum. Mercurius Triſm. in pymand. c. 10.

Et deſcendant in infernum viventes. Pſal. 54. dicendum de hominibus malæ conſcientiæ. D. Bern.

Iuſſiſti Domine & ſic eſt, vt omnis inordinatus animus ſibi ipſi pœna ſit. D. Aug. 1. confeſſ. c. 12.

Quidquid vis potes fugere, homo, prætet conſcientiam tuam, intrà in domum tuam, requieſce in lecto tuo, intra in interiora, interius nihil potes habere quo fugias à conſcientiâ tuâ, ſi rodunt te peccata tua. D. Auguſt. in Pſal. 30.

Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt major tribulatio quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanumque ſit intus hominis, quod conſcientia vocatur, vbicumque alibi paſſus fuerit tribulationes illuc confugiet, & ibi inveniet Deum: ſi autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo? Quo confugiet cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & ſequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat non habet, niſi interius ad cubile ſuum. Porrò ſi ibi tumultus, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris non illuc poteſt confugere; pellitur enim indè, & cum indè pellitur, à ſeipſo pellitur: & ecce hoſtem ſuum invenit, quo conferat ſeipſum, quo fugiturus eſt? Quocumque fugerit ſe talem trahit poſt ſe, & quocumque talem traxerit ſe, cruciat ſe; ſed à ſeipſo ſunt tribulationes quæ inveniunt hominem nimis, acerbiores enim non ſunt; tantò ſunt acerbiores, quantò ſunt interiores. D. Aug. in Pſal. 45.

Domus noſtra interior cor noſtrum eſt, hanc domum quiſquis habet malam pellitur ab illâ foris, quiſquis enim in corde premitur mala conſcientia, quomodò quiſquis à ſtillicidio aut à fumo non ibi ſe patitur habitare: ſic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt. Tales foras exeunt & circà corpus delectantur, quietem in rugis, in ſpectaculis, in luxurijs, in omnibus malis quærunt: quare foris voluerunt ſibi benè eſſe, quia non eſt illis intùs benè, vndè gaudeant in conſcientia ſua. Idem in Pſal. 100.

Vexant peccata conſcientiam ipſique animo nocent, cum luce juſtitiæ peccato privatur, etiamſi non conſequantur dolores, qui vel corrigendis ingerantur, vel non correctis vltimi reſervantur. D. Auguſt. lib. 16. cont. Fauſtu.

Thomas Cooper, Esq., Chairman of the Committee of Directors of the Great Western Railway Company, to Mr. Thomas Gill, Secretary to the Company, dated 1st March, 1844, and the Report of the Committee of Directors of the Great Western Railway

Peccata mea celare non poſſum, quia quocumque vado, conſcientia mea mecum eſt ſecum portans. quod in eâ poſui, ſiuè bonum, ſiuè malum, & mihi gloria eſt, aut confuſio inſeparabilis; ſervat vivo, reſtituet defuncto depoſitum, quod ſervandum accepit: ſic in domo propriâ & à propriâ familiâ habeo accuſatores teſtes; judices & terrores; accuſat me conſcientia teſtis eſt memoria, ratio judex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum; nam indè panimur, vndè delectamur. D. Bernard. Meditat. cap. 13.

Mali non ſe poſſunt videre in ſpeculo ſuæ conſcientiæ, vt nec rabidi in aquis. Qui meretur pœnam, illam timet, qui timet jam patitur: Peccatum internum eſt vlcus ſeipſum exulcerans; febrilis ardor & algor magis torquet, quàm externus.

Ibi debet reddi ratio publicæ adminiſtrationis, vbi adminiſtratio geſta eſt, quia verior ibi poteſt fieri inſtructio, vnde non audiatur volens vti fori præſcriptione. l. 2. C. vbi de ratiociniis tàm publicis quàm privatis agi oporteat. Iudicatur crimen in conſcientiâ, vbi commiſſum eſt.

Parietes circumdamus nobis, non vt tutiùs vivamus, ſed vt peccemus occultiùs. Rem dictam ex quâ mores æſtimes noſtros, vix quemquam invenies, qui poſſit aperto oſtio vivere: Ianitores conſcientia noſtra, non ſuperbia oppoſuit; ſic vivimus, vt deprehendi ſit ſubitò aſpici. Quid autem prodeſt recondere ſe ſe, & oculos hominum, aureſque vitare: Bona conſcientia turbem advocat; mala etiam in ſolitudine anxia & ſollicita eſt. Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant; ſi turpia, quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias; ô te miſerum ſi contemnis hunc teſtem! Senec. Epiſt. 43.

Epicurus dicebat crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſſit, proprium enim eſt nocentium trepidare. Malè dè nobis actum erat, quod multa ſceleta legem & judicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & gravia de præſentibus ſolverent, & in locum patientiæ timor caderet. Senec. Epiſt. 97. in fine.

Ipſa anima, quanquàm labe corporis & contagione ſenſuum gravior corrupta & infecta ſit, tamen veſtigia quædam ortus ſui altè retinet, & clarè in eâ ſcintillantes reliquiæ primi illius, puriſque ignis: Hinc in malis etiam projectiſque hominibus conſcientiæ ſtimuli, hinc flagella interna & morſus; hinc approbatio melioris vitæ extorta impiis: Premi ſcilicet ſanctior illa pars animi poteſt, non poteſt opprimi, & tegi, vrens illa flamma, non extingui; Emicant enim ſemper ſubſiliuntque illi igniculi, qui in his tenebris illuſtrant, in his ſordibus depurgant, in his ambagibus dirigunt, vt flores quidem ingenio ſuo ſemper ad ſolem, ſic mentes ad Deum convertuntur Lipſius de conſtantiâ l. 2. c. 5.

Vt cruciati Romano ritu, crucem ſuam ferebant, ipſi ab eâ mox ferendi: ſic impiis omnibus conſcientiæ hanc crucem Deus impoſuit, in quâ pœnas luant, priuſquam luant.

Gravior eſt latens dolor: ſic impij lento paſſu ducuntur ad æternam ſuam mortem. Quod Caligula dicere per ſævitiam ſolebat, Ità feriatur, vt ſentiat ſe mori. Hoc illis evenit vt carcerati rei teſſeris ludentes, fallere ſe conantur, nec fallunt, manet enim impreſſus imminentis ſupplicij terror, nec tollit ſe ab oculis luridæ mortis imago, ità non vero gaudio gaudent impij. Id. lib. 2. cap. 16.

Cain inſurgit contrà Abël: Eſaù contrà Iacob: Pharao contra Iſrael, ſic Amalech & Philiſthiim.

Habitatores terræ adverſantur Iſraëli volenti ædificare templum. Eſdræ. 1. cap. 2. & cap. 4. accuſant Iudæos ſeditionis & obtinent ab Artaxerce, vt impediant ædificationem. Iudei vnâ manu ſuâ faciunt opus, & alterâ pugnant. 2. Eſdræ. 4.

C Tradent enim vos in conſiliis & in Synagogis ſuis flagellabunt vos, &c. Matth. 10.

Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum eſt erumpet in regulum. Iſai. 59.

Quoniam eſſe peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetrâ, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Pſal. 10.

Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Pſal. 36.

Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, vt dejiciant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. Ibid.

D Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum. Pſal. 36.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem. Pſal. 37.

Propter te morificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Pſal. 43.

Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Pſal. 56.

Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto ? & gloriati ſunt qui oderunt te, in medio ſolemnitatis tuæ. Pſal. 73.

Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terrâ, polluerunt tabernaculum nominis tui, dixerunt in corde ſuo, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terrâ. Pſal. 73.

E Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam : polluerunt templum ſanctum tuum. Pſal. 78.

Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus, ſcilicet circà viam : ſed de ſemine quod cecidit in petroſa & in ſpinas. Matth. 13.

Zizania ſeminata in medio tritici. Matth. 14.

Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto. Matth. 24.

Grandines fiunt vere & autumno, & maturationis fructuũ tempore, maximè in locis temperatis: ſit cum ſtatim è nube exit omnis calor; cum autem paulatim,

nix. Grando non fit in valdè altis, ſic invidia exulat à divinis.

Alba digregant viſum.

Affectuum amator odit rationem rectam gubernare ſolitam, vt pueri oderunt pædagogum. Philo. Iud.

Araneoli venenati tranſcurſu aliquandò ſpeculum crepuit.

Sacrilegus eſt, & Iudæ ſimilis, qui ornamenta Eccleſiæ rapit, aut ejus poſſeſſionem invadit. 17. q. 3. can. attendendum cum ſeqq.

Apes multa animalia inſectantur, veſpæ, crabones, hirundines, dum aquas petunt inſidiantur ranæ, vix ab ovium lanis ſe explicant, cancrum odore, ſi quis juxtà coquat, exanimantur. Plin. lib. 11. cap. 18.

Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. 2. Tim. 3.

Ægyptij occidebant maſculos Hebræorum.

Amazones maſculos omnes ex ſe natos debilitatos amandabant in vicinas terras virorum, cum quibus certo anni tempore congrediebantur. Philoſt. in Heroïcis.

Dùm electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris excitantur, & bona naſcentia quæ nolunt imitari perſequuntur. D. Greg. in Mor.

INVIDIÆ MALA.

MAlos non ſolum ignis per vindictam poſteà cruciat, ſed nunc etiam per livorem cremat, quia qui poſt puniendi ſunt retributionis ſupplicio, nunc ſemetipſos afficiunt invidiæ tormento. D. Greg. 2. Moral. 58.

Dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio ſuo neſcius ipſe perimitur. Diabolus initio mundi, invidens hominem ad Dei ſimilitudinem creatum, antè dejicitur quàm dejiciat, captivus antequàm capiens, perditus antequàm perdens; & dùm homini gratiam eripit, ipit, ipſe quod fuerat amittit. Indè zeli origo, quale malum, quo Angelus cecidit? Indè fratricidium Abelà Cain. Tantùm valuit æmulationis furor; vt nec charitas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœnâ delicti cogitaretur: zelus fuit, quod Eſaü fratri ſuo Iacob inimicus extitit. Gen. 27. quod Ioſeph venditus à fratribus. Gen. 37. quod Saül perſequitur David de Goliath victorem. 1. Reg. 18. &c. D. Cyprian. lib. de zelo & livore.

Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernities, Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum: ambitionem zelus inflammat, avaritiam excitat: hinc inflat ſuperbia, exacerbat lævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferveſcit: hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur, ad hæreſes & ſchiſmata proſilitur, obtrectatur Sacerdotibus, Epiſcopis invidetur. Ibid.

Qualis eſt animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, odiſſe in altero, vel merita propria, vel beneficia divina? in malum proprium aliena bona convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam, volut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus ſuis adhibere tortores? Talibus non cibus lætus, &c. ſuſpiratur, ſemper ingemiſcitur, doletur. Malum inſanabile, quia non expoſitum. Mala cætera habent terminum, creſcit alienis bonis ſuiſque malis invidia. Ibid.

Invidus cæco dolore corroſus, nullius magis, quàm ſuæ ſalutis eſt inimicus, quiſquis eſt, quem zelo tuo perſequeris fugere te poteſt, tu te non potes fugere; adverſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, te ineluctabili catenà conſtringens.

Dominus omnem zeli amputavit occaſionem, dùm dicit diſcipulis, qui eſt minimus inter vos, hic major erit. Luc 9. Ioan. Epiſt. 1. c. 3. Qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Chriſtus diſcipulos ſuos vocat oves, gregatim pacificè viventes. Vult eos ſe invicem diligere, ſicut & dilexit eos. Ioan. 13. Charitas non æmulatur. 1. Cor. 13. Ibid.

Venena fellis evome, diſcordiarum virus exclude, purgetur mens, quàm ſerpentinus livor infecerat, &c. Habes multa quæ cogites Paradiſum cogita: quò Cain non redit, qui zelo fratrem perimit: cogita cœleſte regnum, ad quod non niſi concordes atque vnanimes Dominus admittit: cogita quod filij Dei ſunt pacifici: cogita te ſub oculis Dei cogitare & agere, &c. Ibid.

Invidia alienos profectus impedit. *Vide Contrarietas Bonitatis, Contrarietas Magnitudinis, & Contrarietas Majoritatis. Mala.*

Invidia malum veruſtum, prima labes, antiquum virus, ſæculorum venenum, cauſa funeris; hæc in principio ipſum Angelum ejecit, & dejecit in cœlo; hæc Abrahæ progeniem in mortem ſui ſalvatoris armavit. Invidia inteſtinus hoſtis, non carnis quatit muros, non elidit ſcepta membrorum, ſed in ipſam cordis arietat arcem, & antequàm viſcera ſentiant, ipſam dominam corporis animam prædo capit. D. Chriſologus ſerm. 4.

Quis tam propinquus corde quàm ſanguine, cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? quis non bonum alterius malum ſuum credit? cui ità ſufficit fœlicitas ſua, vt etiam alium velit eſſe fœlicem? Novum & ineſtimabile nunc inter plurimos malum eſt, parùm alicui eſt ſi ipſe ſit fœlix, niſi alter fuerint infœlix, &c. Salvianus. lib. 5. de gubernatione Dei.

O invidia primum mordax ſui. D. Hieronymus aſellæ.

Invidet figulus figulo, & invidia vt plurimùm eſt inter pares. *Vide Contrarietas Æqualitatis*: quia vnuſquiſque ambit excellentiã. *Vide Volunt. Majoritatis.*

Tyranni oderunt bonos, quaſi minuant præexcellentiam ſuam, & ſint everſores ſuæ poteſtatis. Ariſt. 5. Politic. cap. 11.

Scorpiones maximè ſæviunt, dùm Sol magis habet ſplendoris & ardoris. Vide Tertullianum initio Scorpiaci. Maximè nocent virginibus. Plinius.

Tyrannis fortes timent, ne ipſos occidant amore libertatis; ſapientes, ne quid in ipſos machinentur; virtute præditos, quia faciunt ſuos defectus magis apparere, & ad imperium aut miniſterium à populo poſtulantur.

Invidia vult deſtruere virtutem, quàm non poteſt æquare, invidus enim putat ſe dejici, cum alij evehuntur. Timenda invidia, quàm vt vites, cœlo, fortunæ, aliorum auxilijs adſcribe fœlices tuos caſus; vt vites Principium invidiam, illis adſcribe quæ fœliciter geſſiſti. *Vide Gloria Poteſtatis.*

Ducem generoſum, egregiam famam ſibi comparantem, oderunt aulici otioſi.

Invidia maximè regnat in aulis Principum: fraudibus enim, detractione, falſis laudibus, concitatis odijs & quærelis conantur evectum deturbare.

In Epiro locus eſt vndè peſtifera avibus exhalatio. Plin. lib. 4. cap. 1.

Regia poteſtas inventa eſt pro deffenſione excellentium contrà multitudinem. Ariſt. 5. polit. cap. 59.

Conjuratio non eſt indicium mali regiminis, quia poteſt procedere à malignitate ſubditorum contrà

Digitized by Google

virtutes regnantis. *Vide Contrarietas Poteſtatis.*

Certet vnuſquiſque de virtute abſque invidiâ : invidus enim vituperatur, dum concertatores tardiores ad virtutem ſuâ vituperatione efficit, rectâ enim non tendit ad virtutem. Plato lib. 5. de legib.

Poteſt quis ſinè ſuâ culpâ ab alio capitali inimitiâ vexari, & tunc, ſi non ſit in culpâ, ob talem inimicitiam ſupervenientem legato non privatur. l. 16. ff. de his quæ vt indign. auferunt.

Invidia eſt dolor de alieno bono, quo quis nos æquat aut ſuperat. Proni ſunt ad invidiam, qui magnas res geſſerunt proſpera fortuna; honorati propter ſapientiam & proſperitatem; honoris cupidi; puſilli animi, qui aliena omnia bona ſibi magna fingunt. Invidemus propter omne bonum corporis, animi & fortunæ; his qui ſunt propinqui tempore, loco, ætate, æmulis; his qui celeriter aliquid conſecuti ſunt, quibus nos digniores exiſtimabamus; ſi facilè & ſinè ſumptu acquiſierint, quod alij ægrè, maximè paribus elatis invidemus cum nos derelictos ſentimus, maximè ſi ſe jactent. Concitatur invidia ſi dicamus talia bona non eſſe virtute parta, ſed vitijs & peccatis, & ſi ſint aliqua hominis merita, non tamen eſſe tanta, quantus eſt hominis faſtus; augendum bonum quod poſſidet, cum comparatione imparium meritorum, dicendo illum occupaſſe alterius fortunam & honorem : Impotenter vti illis bonis, & propterea alios contemnere. Is qui invidet eſt jactabundus, & ſæpè ei cui invidet ſe comparat, illum contemnit, dicens, immeritò talia ei contigiſſe, dolet quod nocere non poſſit. Sedatur autem ſi dicamus magno labore bona eſſe parta, magnis periculis, nec ad ſuum commodum, ſed ad alienum eſſe collata : his bonis gloriáque non delectari; oſtendatur fortuna ejus permixta miſerijs & laboribus, &c. hæc ex Rhetoricis.

Vix vllus eſt, quem viria temporum non trahant, vt Epheſi natos diceres, vbi oportuit neminem excellere. Barclai.

Vir optimus judicatus eſt Scipio Naſica à jurato Senatu, tamen bis in togâ candidâ repulsâ notatus à populo, in ſummâ ei in patriâ mori non licuit, non magis quàm Socrati extrà vincula. Plin. lib. 7. c. 34.

Charitas non æmulatur, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. 1. Cor. 13.

Quomodò is qui ſecundùm carnem natus fuerat perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritũ ? Galat. 4.

Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis : Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum; ſpiritus autem adversùs carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis. Galat. 5.

Ama Deum gratis, nulli invideas Deum, rape tecum quotquot potes : quotquot poſſeſſuri eſtis, non fit anguſtus, nullos in illo limites facietis; totum ſinguli poſſidebitis, & totum omne habebitis. D. Aug. Pſalm. 73.

Si amat vnitatem, etiam ſibi habet quiſquis in eâ habet aliquid : tolle invidiam & tuum eſt quod habet; tolle invidiam & meum eſt quod habes, livor ſeparat, ſanitas jungit. Idem tract. 33. in Ioan.

Qui invidet ſic eſt quomodò tabes, quomodò vulnus, quomodò apoſtema, non vis congaudere glorificato ? videt in te invidiæ morbum cœleſtis medicus, & præcidet te de ſuo corpore; noli ergò invidere de dono Dei, de virtutibus quas non habes, ne præcidaris à corpore : congaude illi cui Deus aliquam gratiam donavit, habet fortè ille virginitatem, ama illam & tua eſt : iterùm tu habes fortè majorẽ patientiam, diligat te & ſua eſt, &c. Cognoſcant invidi omnes, qui de aliorum, etiamſi inimici eorum ſint, tribulationibus gaudent, quia ſunt membra putrefacta, abſciſſa & mortua, ideò non habent ſenſum. Idem lib. 50. hom. 15. in fine.

Quid eſt invidere ? horrendum malum : ipſo malo diabolus dejectus eſt, ipſo dejecto dejecit multos, quia multùm maligna peſtis eſt. Idem tract. 5. in Ioan.

Invide quid ſuſpiras ? propriumnè malum, an alienum bonum. B. Baſil.

Invidiæ radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum, &c. Mala cætera habent terminum; invidia autem eſt malum jugiter permanens, & ſinè fine peccatum : quantoque ille cui invidetur ſucceſſu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium livoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in oculis tremor, ſtridor in dentibus, verba rapida, effrenata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamſi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. D. Cyprian. in ſerm. de Livore.

Oró te quid invido delectationis præſtat invidia ? quem ſecretis quibuſdam conſcientiæ vngulis livor ipſe diſcerpit, & alienam fœlicitatem tormentum facit. D. Hier. in Epiſt. ad Demet.

Invidus nihil lætum de proprijs libat, quia tabeſcentem mentem ſuâ pœnâ lauciat, quàm fœlicitas torquet aliena : & quantùm operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis livore profundiùs ſuffoditur, vt quo alij ad meliora properant, eo ipſo deteriùs ruant. D. Greg. in Moral.

O invidia, quæ ſibi ſemper eſt inimica; nam qui invidet, ſibi quidem ignominiam facit, illi autem cui invidet gloriam parit. D. Chriſoſt. ſup. Matth.

Invidia juſtius nihil eſt, quæ protinùs ipſum autorem perimit, excruciatque ſuum. Ibid.

Invidis aliena proſperitas adverſa, aliena adverſitas proſpera judicatur : hi in aliena gratulatione triſtantur, in aliena triſtitiâ gratulantur; iſti ſuas in alienâ paupertate divitias, ſuam paupertatem in alienis divitijs metiuntur : iſti alienæ famæ ſerenitatem detractionis nubilo nubilare conantur, aut ejuſdem gloriam ſola taciturnitate furari : iſti puram alienæ probitati ſynceritatem fermentant, aut veris falſitatis fermenta maritant : ſapientiæ gloriam degloriat livor inglorius. Alan. de Planct. Nat.

Quidam quidem & propter invidiam, quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Philip. I. ſuper quo exclamat ſic. D. Chriſoſt. O crudelitatem ô diabolicam energiam, victum videbant, & tamen adhuc invidebant, auctas volebant ejus calamitates, majorique iræ Regis obnoxium facere : ſic poſſet dicere D. Paulus quod Socrates, Non Nero, non Romani, ſed ſola, quæ tot viros, præſtantiſſimos, me quoque occidit invidia.

Invidia peſtiferum malum hominem in Diaboli conditionem atque in dæmonem immaniſſimum converit : Invidiâ primi hominis cædes apparuit; invidiâ fraterna charitas contempta, invidiâ ſanguine hominis terra primò maculata, invidiâ denique factum eſt vt hiatu ſuo terra Dathan, Core, & Abiron, vniverſumque illorum populum vivos abſorpſerit. D. Chriſ. hom. 41. in Matth.

Locupletatus eſt Iſaac in Geraris & ibat proficiens atque ſuccreſcens donec magnus vehementer effectus eſt, ob hoc invidentes ei Paleſtini omnes puteos quos foderunt ſervi patris illius Abraham, obſtruxerunt. Gen. 26.

Invidebant Ioſeph fratres ſui, oderantque eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui, eo quod à patre

plùs cæteris amaretur, & propter omnia futuræ poteſtatis ſuæ. Gen. 37.

Filius accreſcens Joſeph, ſed exaſperaverunt eum, objurgati ſunt, inviderunt que illi habentes jacula. Gen. 43.

Vir qui feſtinat ditari & invidet, ignorat quod egeſtas ſuperveniet ei. Prov. 28.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Gal. 5.

Vita carnium ſanitas cordis, putredo oſſium invidia. Prov. 14.

Contemplatus ſum omnes labores hominum & induſtrias animadverti patere invidiæ proximi. Eccl. 4.

Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius. Sap. 2.

Sciebat Pilatus quod Judæi per invidiam tradiderant Jeſum. Math. 27.

INVIDIÆ MALA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vitia hominem, divinis publiciſque natum, propriis addicunt cupiditatibus, ſed multò magis extioſa ſunt, cum inalienas etiam meſſes falcem incendiumque immittit invidia, & ſperatos virtutis fructus ſæviſſimè decoquit. In bonum publicum laborant alienæ virtutes, itaque ſibi nocet, qui tentat illis vim & lucem auferre.

MAGNITVDO. Infiniti mali genus eſt, infinitæ bonitatis imaginem, quantùm licet, deſtruere; fontem in immenſa commoda perennem veneno inficere; vt omnes naturæ fœtus vno necaret impetu, qui Solis lucem & influxus terris negaret.

DVRATIO. Non enim ſæculo, ſed diù ſecuturis prodeſt eminens virtus, tùm præciſo in immenſuram corruptionem proclivi malo, tùm bonis à ſe conſtitutis legibus, tùm datis quæ poſteri imitentur exemplis: His bonis omnibus obſtat invidia, in poſterùm miſerè fœcundâ & duraturâ pernicie; ſenſim irrepit in animos, & ex æmulatione in ſæviſſimam hanc inardeſcit cupiditatem, non boni alicujus poſſidendi, ſed mali inferendi, profectuſque impediendi, avidam.

POTESTAS. Deſperata hæc nequitia conatur dejicere quidquid non poteſt aſſequi, ſic peccat contra naturæ legem, quâ infirma non ſtruunt inſidias potentioribus, ſed illis humiliter ſupplicant & adhærent, hinc auxilium ſubſidiumque acceptura.

COGNITIO. Profert ſe pro liberalitate prodigalitas, pro juſtitiâ crudelitas, & cætera vitia, vt virtutis larvam præferunt, ſic laudes aucupantur; invidiæ ſoli tanta deformitas eſt, vt nullus poſſit ei inſcribi virtutis titulus, ideò latet in ſuam priùs quàm in aliorum pœnam: hic enim in corde incluſus & reflexus ignis æſtuat ardentius, & vires omnes animæ reſolvit; hinc macies, pallor & cætera mortis ſymptomata, quam cum invidus in ferre non poſſit, patitur.

VOLVNTAS. Invidi alienis virtutibus infenſi cæteros conantur in ſuos affectus trahere, ſed occultâ calumniâ, cum id non audeant apertâ vi. Vellent, & tentant impoſſibilia, Solem eſſe ſinè luce, pulchritudinem ſinè amore, virtutem ſinè ſplendore & applauſu publico; hic autem irritus conatus authori ſuo ſupplicium eſt.

VIRTVS. Eſt vnicum veræ amicitiæ vinculum, ſi deficiat, & non amorem, ſed odium conciliet, diſſolvetur humana ſocietas; Malorum enim in virtutem ſævientium conjuratio faciliùs turbâ opprimet virum bonum, quem ſingulariter aggredi, turpe & impoſſibile erat.

VERITAS. Pudor cogit invidum ſæpiùs in virtutis laudes excurrere, ſic vt famæ ſuæ parcat, hoc mentito affectu infert ſibi grave ſupplicium, extollendo quod valet dejeciiſſe. Dolos, calumnias tot malæ fidei artes prima texuit invidia.

GLORIA. Pugnat contrà publicæ juſtitiæ, conſcientiæ, æternæque veritatis leges, dùm virtuti gloriam præripit, dùm infamat celebrandam, dùm odio proſequitur amore digniſſimam. Virtus Dei æmula, ſicut ſibi adhærentes efficit beatos, ſic hoſtes ſuos interno ſibi torquendos relinquit ſupplicio; quis enim explicet irrequietos, anxioſque in videntis animæ motus, ægras jactationes & nunquam ſibi conſtantem, niſi continuo in pejus progreſſu, perverſitatem.

DIFFERENTIA. Periret ordo mundi Angelici; cœleſtis, elementaris, ſi inferiora aliquid tentarent & poſſent in ſuperiora. Non homini tantum, ſed divinæ providentiæ injurius eſt, qui virtutem è gradu ſuo conatur deturbare.

CONCORDANTIA. Invidi fugiunt ſocietatem, & quaſi aves nocturnæ ſectantur tenebras, vt parcant infirmis ſui occulis, lucem non referentibus, & ne videant virtutis ſplendorem, quo læderentur: Hîc pugnantes concurrunt affectus, nam curioſitas ruit in humanæ vitæ ſpectaculum, illic plures defectus in ſolatium ſuum noratura, ſed inter hæc ab occurrente ex inſpirato virtute ſplendoribus, quos fugiebar, circumfunditur.

CONTRARIETAS. Extremæ hoſtilitatis eſt ruinis & incendio vaſtare, quæ non poſſunt aufferri, ne in alienum cedant commodum. Jam virtutem circumſtant magnæ difficultates, ex infirmitate naturæ, dæmonum tentationibus, popularibus malis; quid ſi jam debilitatis viribus accedant invidiæ labores? timendum nè virtus vt impoſſibilis deſeratur, & nè homines deſperati, initio cum malis fœdere, quieti ſuæ conſultant.

PRINCIPIVM. Qui futurus eſt virtutis profectus, ſi ſtatim vt effulſerit extinguatur, & in ſuo elidatur ſemine? Vt honor alit artes, ſic alias enecat invidia: oculos & affectus in ſe non convertet virtus, ſi impunè ſe non audeat proferre, & ſi hanc vt feram è latebris prodeundem ſtatim ſagittis ſuis conficiat invidia. Non erunt qui præſtantiorem virtutem imitentur, ſi non ſint qui hanc ad exemplum audeant exponere.

MEDIVM. Si res humanæ invicem connexæ ſunt, vt maxima etiam à minimis pendeant, & ex rerum ad bonum concurrentium turâ aliquæ poſſint ab invidis impediri, diſſolvetur tota conſiliorum compago, ſic omnium intereſt dæmonem hunc humanæ ſocietati nocentiſſimum ejurare. Tandiù vitia tolerabilia ſunt, quandiù ſupereſt in aliquibus laudata virtus, tollitur hoc temperamentum ab invidiâ.

FINIS. Sævit non in perſonam, ſed in virtutem, in quacumque ſit perſonâ quilibet ergò vir bonus, invidum vt hoſtem ſuum agnoſcat, & omnes in vno injuriis affecto ſe læſos ſentiant.

MAIORITAS. Ex infirmitate naſcens paſſio timida ſimul & crudelis eſt, poſt ruinas & vitrà naufragium furens: Creſſit ſuis malis, & quem virtutis titulo oderat, iterum vt intimi doloris ſui cauſam acriùs inſectatur.

ÆQVALITAS. Nullum vitium plùs peccat contrà juſtitiam, ſua cuique tribuentem. Non eadem in tempeſtatibus maris facies, nec eadem invidia ſe contorquentis animi: nunc jacet putillanimis, nunc audaciùs inſurgit, mox deficiente fortitudine ruiturus.

MINORITAS. Dùm virtutis famam & ſplendorem

conatur obſcurare, ſubtrahit auxilium miſeris, ad virtum bonum, vt ad aſylum, confugere ſolitis; negat viam aberrantibus, portum naufragis, ægris remedia, ſtipem famelicis: Sic tot congeſtis naturæ malis, hoc vltimum & graviſſimum videtur accedere.

SENSVS ET PASSIONES rebelles.

Hippocrates lib. de naturâ hominis probat hominem non ex vno aliquo elementorum conſtare, nec eſſe vnum quiddam, vt ſanguinem, bilem, pituitam, ſed eſſe vnum ex his omnibus conſtans: Si eſſet vnum, non doleret; aut ſi doleret, vno ſimplici remedio ſanaretur. Conſtamus duplici parte, rationali, & irrationali.

Anima infuſa corpori à voluptate & dolore continuo depravatur: Ex corporis enim commixtione voluptas & dolor ſeù rivuli quidam ſcaturiunt, in quos madens anima ſuffocatur. Vt Deum cognoſcas imprimis oportet veſtem quàm circumfers exuere, indumentum inſcitiæ, pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, ſenſitivum cadaver, ſepulchrum circumvertile, domeſticum denique furem, qui dùm blanditur odit, dùm odit invidet, abominabili faſtidioſaque ebriat voluptate; ne audias vnquàm, neve perſpicias, &c. Mercurius Triſmegiſtus in Pymandro capite 7.

Quilibet noſtrum duos conſiliarios habet contrarios atque amentes, voluptatem & dolorem: hi affectus in nobis quaſi funes aut nervi ingeniti trahunt nos invicem, retrahuntque ad contrarias actiones. Rationis autem productio & tractio aurea eſt, mollis & vniformis, cæteræ duræ, ferreæ, & multiformes: hæc autem contraria paſſionum tractio ſeriò an jocò ſit à Dijs conſtituta ignoramus. Plato. lib. 1. de legibus.

De voluptatis mortificatione, quæ eſt quaſi proſtituta. *Vide Minoritas Gloria.* Voluptatis.

De paſſionum damnis, primiſque motibus. *Vide Majoritas Volunt. & Princip. Virt.* De bonâ naturali inclinatione.

Ideò dicitur homo factus, non ſimpliciter è terra, ſed de limo terræ, terrenis enim vt glutinoſis adhæret anima.

Agar ancilla Abrahami, ideſt ſenſus, vult rationem dominam præcedere. Philo.

Eva ſeducit Adamum, & efficit vt comedat de fructu vetito, ideſt caro corrumpit animam, dùm ad voluptates allicit.

In proclive currenti non vbi viſum eſt gradus ſiſtitur. Senec.

Quinque juga boum exercens à dominico convivio excluditur, ideſt addictus quinque ſenſibus. D. Auguſt.

Vt ſunt elementa in mundo, humores in corpore, ſic paſſiones in anima: vnius exceſſus turbat harmoniam, quæ ex omnium aptâ proportione conſtat: perit mundus diluvio, corpus fluxione, animus dolore; ira conflagratio eſt, &c.

Quandiù es in hoc corpore, non eſt in te vt caro non concupiſcat adverſùs ſpiritum: ſi nihil in te alteri reſiſtit, vide totum vbi ſit: ſi ſpiritus tuus à carne contrà concupiſcente non diſſentit, vide nè forte carni mens tota conſentiat; vide nè forte ideò non ſit bellum, quia pax pernicioſa eſt; fortè in totum carni conſentis, & nulla rixa eſt: Quàm ſpem habes quod poſſis aliquandò vincere, qui nondùm cœpiſti pugnare. Si autem condelectaris legi Dei, ſecundùm interiorem hominem, vides aliam legem, &c. Liber es in mente, ſervus in carne; ideò agis, quod non vis, quia velles totaliter eſſe ſanus. D. Auguſt. Serm. 12. de verbis Apoſtoli. cap. 3. Vndè Roman. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ad obediendum deſiderijs ejus. Non dixit, noli habere deſideria mala; quod in noſtrâ non eſt poteſtate. Ibidem.

Caro tyrannus eſt, ſi vis te tyranni eſſe victorem, Chriſtum invoca Imperatorem, ſic cantabis: Greſſus meos dirige ſecundùm eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis injuſtitia. Ibidem.

Non quod volo facio bonum, &c. Rom. 7. D. Aug. Serm. 44. de tempore dicit ſibi non eſſe blandiendum ex illo Pauli dicto; Vox enim hæc eſt certaminis, vox autem triumphi erit, cum mortale hoc induerit incorruptionem. Concupiſcentias carnis ne perfeceritis. Rom. 7. Concupiſcentia carnis, cum quâ nati ſumus, nunquàm penitùs ſanatur, quandiù hic vivimus; cum aliquibus nati ſumus, aliquas conſuetudine fecimus: Rebellant rebella, pugnant pugna; cavendum ergò nè lectio iſta tuba ſit hoſtis non noſtra, vndè ille inciterur, non vndè vincatur. Ibidem.

Laqueum & proprium inimicum ſemper circumferimus, ideſt corpus, vndè mille nocendi artes Dæmon accipit: hic manus noſtras proprio cingulo alligat, & vt dicitur baculo noſtro nos cedit, vt caro, quæ data eſt in adjutorium, in ruinam nobis & in laqueum fiat. Quod eſt miſerabilius, hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare, perimere eum non licet: habeo & hoſtem qui me obſedit vndique, præſens ſæculum nequam. D. Bern. Serm. 5. de jejunio.

O cuſtos hominum quare poſuiſti me contrarium tibi, &c. Iob. 7. Convertimini ad me in toto corde veſtro. Ioël. 2. Liquet quod ſumus averſi. Idem.

Calor præter naturam eſt triplex, primus ex ſolius caloris elementalis exuperantiâ. Secundus ex putreſcente materiâ prognatus. Tertius ex peſtilenti venenaràque materiâ calori inſito inimiciſſimus.

Gratia divina non tollit motus concupiſcentiæ indeliberatos; gratia habitualis non ſanat omnem naturæ repugnantiam, nec eximit ſanctos à peccato veniali. Becan. de neceſſitate gratiæ.

Serpens gradiens ſuper pectus ſuum. Adhæſit pavimento anima mea. Pſal. 113. Mulier in dolore pariens.

Si vnuſquiſque noſtrum ſubdere ſibi ſtudeat vitia & paſſiones ſuas, ac ſuper eas ſtare conſueſcat, ex ipſis ſibi gradum conſtituit, quoad ſuperiora conſcendere poſſit; elevabunt nos ſi fuerint infrà nos, de vitijs noſtris ſcalam nobis facimus, ſi vitia ipſa calcamus. D. Aug. Serm. 176. de temp.

Trahe te ad illum qui te ſurſùm tollit: pondere quodam vetuſtatis gravaris, clama & dic, infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? ab eo à quo gravor, corpus enim quod corrumpitur aggravat animam. Quare autem permittitur vt diù contrà te litiges, donec abſorbeantur omnes cupiditates malæ, niſi vt intelligas in te pœnam tuam. In te ex teipſo eſt flagellum tuum, ſit rixa tua tecum. Vide plura in Pſal. 75. Et erit in pace locus ejus.

Pauper ego & dolens qui adhuc terrenæ imaginis ſqualore contritus ſum, & plùs de primò quàm de ſecundò Adam & carnis ſenſibus & terrenis affectibus refero: vtrinque me concludit pudor; erubeſco pingere quod ſum; non audeo pingere quod non ſum; odi quod ſum, & non ſum quod amo: ſed quid mihi miſero proderit odiſſe iniquitatem & amare virtutem, cum id potiùs agam quod odi, nec laborem piger id potiùs agere quod amo, ipſe diſcors & inteſtino bello diſtrahor, dùm ſpiritus adverſùs carnem

Raptores Sacratum virginum, & eorum miniſtri A capite puniuntur. l. 53. Cod. de Epiſcop. & cler. Novell. 123. in fin.

Patet qui filium ſubtrahit militiæ punitur. *Vide infrà Contrar. Principij.*

Virtutis jura infringuntur ſpe commodi alicujus temporalis. *Vide Voluntar. Bonitatis.*

Cauſæ timoris ſunt malum futurum, augetur ſi repentinum, quia rationi conſilium præripit; ſi ignotum, quia majus exiſtimatur; ſi vicinum, quia minatur atrocius. Timemus ſigna quædam, vt cometas, potentium iram, hoſtem improbum & impium, audacem, honoris cupidum, ſi offendimus; timemus timentes nos, nè vltionem noſtram ſuâ præveniant, æmulos, deſperatos, jam ab alijs expertas clades, quarum facienda eſt exageratio per circunſtantias, loci, temporis, perſonarum: metus autem dicitur contrarius virtuti, in eo quod cauſat conſternationem, latebras, fugam, & cætera prudentiæ & fortitudini contraria.

Exanguia ſunt timida.

Monſtruoſitas naturæ, quia ſæpè continet vitium organorum cauſat monſtruoſitatem morum. Albert.

De patriâ. *Vide Princip. Virt.*

Vrbes multùm patiuntur cum fiunt Eclypſes in ſignis illis dominantibus.

EX THEOLOGIA.

BLaſphemia, vt eſt peccatum ex malitiâ contemnens impedientia peccatum, habet ſex ſpecies, ſcilicet deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ. D. Th. 2. 2. q. 14. a. 2.

Contrà quamlibet virtutem pugnant duo vitia, vnum in exceſſu, aliud in defectu.

Bonum difficiliùs conſtituitur quàm malum. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

Cultus Dei interior impeditur per peccata, exterior verò per immunditias corporales. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

Deriſio juſtorum eſt graviſſimum peccatum, quia D avertit à virtute. 2. 2. q. 75. a. 2.

Opus virtutis habet duplicem difficultatem, ſcilicet ex ſpecie actus, vt in fortitudine & temperantiâ: & ex diuturnitate, vt in perſeverantiâ. 2. 2. quæſt. 137. art. 1.

Difficultas in actibus virtutum duplex, ſcilicet in inveniendo medium rationis, & in refrænando paſſiones; prima eſt in virtutibus intellectualibus, & in juſtitiâ: ſecunda verò in alijs. 1. 2. q. 129. a. 2.

Difficultas vitandi peccatum duplex, ſcilicet propter vehementiam paſſionis vt in irâ, vel propter latentiam, vt in ſuperbiâ. 2. 2. q. 162. a. 6. ad 1.

Gula aufert omnes virtutes, non ratione ſui, ſed ratione vitiorum quæ oriuntur ex eâ. 2. 2. q. 148. a. 2. ad 4.

Ex hoc eſt aliquid peccatum, quia repugnat virtu- E ti. 2. 2. q. 107. a. 1.

Quælibet virtus informata charitate expellitur per quodliber mortale, non autem in quantùm eſt habitus. 1. 2. q. 63. 2. 2.

Per quodliber mortale deperit quidquid virtuti debebatur, & omeriamenta mortificantur. 1. 2. q. 132. 3. 1.

Quicunque peccato mortali homo vult adhærere ſumens Baptiſmum dicitur fictus, fictione includente omne peccatum. 3. q. 69. 9. 3. Sic que impeditur effectus Baptiſmi, dicitur enim. Sap. 1. Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum. Sublatâ autem tali fictione per pœnitentiam Baptiſmus tunc ſortitur ſuum effectum.

Peccatum veniale comparatur ægritudini, mortale verò morti. 1. 2. q. 72. 5.

Licet virtus non corrumpatur ſecundùm habitum niſi per peccatum mortale, tamen actus ejus corrumpitur & impeditur etiam per veniale. 1. 2. qu. 133. 1. 2.

Per quodlibet peccatum mortale vel veniale deordinatur voluntas hominis per immoderatam converſionem ad bonum creatum. Per peccatum mortale omninò mens avertitur à Deo, per veniale retardatur nè promptè feratur in Deum. 3. q. 62. 1. 2.

Omnis pœna eſt corruptio agentis, & omnis culpa eſt corruptio actionis. 1. 2. q. 48. 5. 6.

Effectus fomitis duplex, ſcilicet inclinatio ad ma- B lum, & difficultas ad bonum. 3. q. 27. 3.

Introductio vnius formæ eſt expulſio alterius & è converſo. 1. q. 44. 4. 2.

QVÆSINT CONTRARIA virtuti.

DEMONSTRATIO.

C BONITAS. Vita, cujus naturalis & ingens appetitus eſt, foveur ſenſibilibus, & ad ea ipſa inclinat, quæ virtus averſatur à Venere benefico planetâ fiunt homines proclives in libidinem; ſic timendæ & naturæ & fortunæ dotes, quibus modeſtè vti rarum eſt. Multi plus æquo liberales reparare coguntur rapinis quæ vana exhauſit profuſio. *Vide Majorit. Bonit. Rep.*

MAGNITVDO. Infinitatis divinæ imago, mentibus noſtris impreſſa, transferre nos debet à mundanis ad cœleſtia, à temporalibus ad æterna ad theſauros omnes veritatis perquirendos, & vt in dies nitamur ad virtutis apicem: ſed hanc fœcundæ & inexhauſtæ mentis vim pravitas in avaritiam, ambitionem, cæteraſque inexpletas cupiditates detorquet. Languet mens diſſipatis ſpiritibus in ingenti corporis mole. De abundantiâ noxiâ. *Vide Majoritas Magnitudinis.*

DVRATIO. Solet amor peccare contra leges prudentiæ, quia moras non patitur ſed fertur æſtu præcipiti in ea quæ concupiſcit. *Vide Minoritas Durat. Mal.* Prævalet ſæpiùs conſuetudo rationi, vt populorum in vetita ruentium turba rapit etiam innocentem; ſic temporum decurſus præſcriptione quadam ſibi de injuſto jus facit, & deſinit vt vetitum id haberi, in quod publica ſternitur via.

POTESTAS. Magna poteſtas bonam idolem ſæpè corrupit, vix enim ſe temperatis, cui impunè omnia licent, & cui glorioſum videtur quod libuerit ſuprà leges poſſe. *Vide Virt. Poteſt. Repug. Difficilij in regimine probitas.* Sub tyranno tuta probitas, illam enim inſectatur: & quia populi fiunt conformes moribus imperantium. *Vide Concord. Poteſt.*

COGNITIO. Nimia oculorum & mentis curioſitas integritati contraria eſt; nam tentatur & ſaltem diſtrahitur, etſi non poluatur animus multarum rerum conſpectu. *Vide Major. Cognit. Mal.* Vt peccatur in iſtis exceſſu, ſic defectu, cum quis ſibi neceſſaria ignorat; qualiter enim officio ſuo fungetur, neſciens quæ ad illud ſpectant. *Vide Minor. Cognit. Mala.*

VOLVNTAS. Paſſiones omnes rapiunt animum & in ſortem demittunt animalem. His non ſolum turbatur ratio, ſed ſervilem in modum habita laborat & militat hoſti ſuo. Hoc peſſimum, quod paſſioni-

PRINCIPIVM VIRTVTIS

CVPIDI PATRIAE QVI CONSVLVIT AC VIRTVTIBVS

IN ITALIAE ET EXTERAE

Vide Paralipomenon Lib. 2. Cap. 19.

accipiantur per menſem, perfecta ſequetur cordis exhilario.

Natura eſt fortior, cum fruitur acceſſu ſolis.

Corpora ex ſe exhorrent motum localem, & niſi excitentur, remanent ſtatu ſuo contenta, nec in meliùs ſe expediunt: Diſcutitur hic corpor tripliçi auxilio, aut per calorem, aut per virtutem alicujus cognati corporis eminentem, vt ferrum tactum magnete, aut per motum vividum & potentem, vt ſagittæ ligneæ profundius penetrant in lignum, quàm ferreæ propter ſympathiam.

Vapor ſolis præſentiâ incaleſcit & attollitur, abſentiâ verò refrigeratur, denſatur, decidit; ideò plùs imbrium hyeme quàm æſtate, noctu quàm interdiu.

Luna in novilunio eſt valida propter vicinitatem ſolis: in plenilunio propter abundantiam luminis: vndè vtroque tempore cauſat majorem maris æſtum.

Vis inſtrumenti eſt à principali agente movente. *Vide Poteſt. Medij.*

Venæ accipiunt vim ſanguinem perficiendi à lecore, vt vaſa ſpermatica ſemen faciendi à teſtibus.

Marſ. Ficin. Theol. Plat. l. 4. probat mundo vitam eſſe infuſam, mentemque illi adeſſe noſtrâ præſtantiorem, ex eo quod naturalia quædam conferant ad virtutem animi: vt Achates præſtat vires atque facundiam; Corallos inſanos timores amovet, &c.

Multùm confert educatio. *Vide Duratio Virtutis. Rep.* Citò virtuti incumbendum. Tranſit conſuetudo in naturam. *Vide Poteſtas Durationis.*

Paſſiones ſequuntur temperamentum: vide Senecam. lib. 2. de ira cap. 18. & ſeqq. vbi etiam agit de conſuetudine & educatione.

BONA NATVRALIS *inclinatio.*

NAturæ induſtria nunquàm in nobis dormitet, grande profecto in nobis donum natura ſua eſt. D. Bern. in cant. Serm. 85.

Ariſtoteles Moral. Nicomach. lib. 2. cap. 1. Probat virtutem nobis non eſſe penitùs naturalem ſed more & conſuetudine acquiri. *Vide Durat. Virtut.*

Virtutes morales ſunt in nobis à naturâ, ſecundùm aptitudinem & inchoationem, quaſi in ſemine, non autem ſecundùm perfectionem; virtutes autem Theologicæ ſunt in nobis ab extrinſeco. D. Thom. 1. 2. q. 51. a. 1.

Ideò naturalis inclinatio, cum bona eſt, eſt ſequenda. *Vide Differentia Volunt.*

Supereſt in impiorum mentibus imago Dei, vndè bonum opus efficitur, quia per peccatum anima non fuit orbata donis naturalibus. *Vide Bonitas Virtutis.*

Quod actiones morales paganorum non ſint peccata. Vide etiam Beccanum initio de gratiâ.

Sileni effigiem in marmore extitiſſe Plinius autor eſt Pirrhi Epirotarum Regis Achates, muſas omnes ornatas, nec non Appollinem fidibus laudentem, referebat. In aliis ſalamandræ, galli, & aliæ rerum ſpecies. Solin. cap. 11.

Humidùm radicale non tàm citò abſumitur à calore nativo, ac alimentum; ſic naturalis inclinatio non facilè læditur à formite peccati.

Quædam etiam in tenebris fulgent & cernuntur, vt ſquammæ piſcium, ligna carioſa, quidam vermiculi, oculi quorundam animalium, vt felium, luporum, lapilli prætioſi, &c. propter congenitum lumen, ſic bona indoles etiam inter publicas morum tenebras fulget. *Vide Minoritas Principij.* De his quæ ſunt à ſeipſis, independenter à cauſis externis.

In Lydiâ mel ex laboribus colligunt paſtores, ſic & in Cappodaciâ abſque favis ſtillat ex arboribus. Ariſtot. de admirab. cap. 16. Ælian. lib. 5. cap. 24.

Moyſes præparat tabulas lapideas in quibus Deus ſcribit legem. Exod. 34.

Pyrrhus dicebat ei qui milites eligebat; tu grandes elige, ego fortes reddam.

De ſponſo dicitur in Canticis. Ego flos campi. Qui ſinè labore provenit. D. Bernard. Serm. 47. ſuper Cantica.

Poteſt creari intellectus à Deo ità perfectus, vt ei connaturale ſit lumen gloriæ. Deus enim poteſt dare ſubſtantiæ quod dat per accidens. Becanus. part. 1. de viſione Dei. *Vide Majoritas Principij.*

Primi motus in quibus apparet quantùm poſſis naturalis inclinatio. *Vide Major. Volunt.*

Sunt quidam in ſerendo cæteris fœliciores, occulta ratione, quod ſors genialis, atque fœcunda eſt. Plin. lib. 18. cap. 24.

Quædam familiæ naturaliter terrori ſunt & exitio ſerpentibus. vt Marci, Pſylli, & qui vocantur Ophiogenes in Inſulâ Cypro: In Inſulâ Nili ſimilites terrori ſunt Crocodilis Tentyri. Idem lib. 28. cap. 3.

In Arabiâ apud Alilæos & Caſſandrinos magnam inveniunt copiam auri ſuâ ſponte nati, quod Apyron vocant, ideſt ignis neſcium, non enim arte ex ramentis colliqueſcit, ſed officuli olivæ magnitudinem æquat. Phori. Bibli. c. 250.

Vide Virtus Principij. Initij.

PATRIA.

BOni quidam habentur, quia ſunt nationis non infamatæ. l. 31. §. qui mancipia. ff. de ædil. ed. Si ſervus fuerit nationis infamatæ, & venditor tacuerit, emptori redhibitio competit. Eodem.

In regionibus, in quibus eſt magna cœli temperies, ritus molles, ſenſus liquidos, ingenia fœcunda, totiuſque naturæ capacia reperiri ait Plinius natur. hiſt. lib. 2. cap. 78.

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, teſtimonium hoc verum eſt. Ad Titum. 1.

Cum alijs locis Merula fulva ſit, circà Cyllenem in Arcadiâ candidiſſima eſt. Solinus polishoſt. cap. 13.

Apud Athenienſes, cives indigenæ majori honore habebantur, & nati ex patre vel matre alienigenâ, adoleſcentes procul ab indigenis exercebantur. Plutarch. in Themiſtocle: ſic Lacedemonij prohibebant peregrinationem in alienas provincias, ne cives exteris imbuerentur moribus. Idem in Lycurgo. De matrimonio cum exteris prohibito. *Vide Concord. Æqualitas.* Iſaac præcipit filio ne vxorem accipiat de terra Canaan. Gen. 28. A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Ioan. 1.

Galen. lib. quod animi mores corporis temperiem ſequantur. Miratur in Scythiâ vnum natum eſſe Philoſophum, cum Athenis omnes naſcantur, Philoſophi. Is fuit Anaxarxis, cui cum patria exprobraretur, increpanti dixit, Patria mihi dedecori eſt, tu verò Patriæ.

Piſa quædam pro ratione ſoli ſunt incoctilia: Alimenta qualitates ſuas mutuantur ab aëre locis & aquis; corpus autem temperiem ſuam accipit ab alimentis; mores autem, vt plurimùm, temperiem corporis ſequuntur.

Cicero pro l. Agrariâ dicit, Ingenerari hominibus

mores, non tam à ſtirpe generis & ſeminis, quàm ex his rebus quæ à naturâ loci procedunt Ligures montani duri ob ſoli duritiem. Campani ſuperbi, ob ſoli fœcunditatem. Carthaginenſes perfidi & mendaces, ob portus ſuos, & frequens fallendi ſtudium. Galli leves, inconſtantes, audaces, impatientes, vt refert Cæſar de bello Gallico; cujus rei nulla alia cauſa, quàm cœli inconſtantia & intemperantia.

Perſæ pro montana ſua & in hoſpitâ regione planam & fertilem occupare cupiebant, vetuit Cyrus, quod ſciret vt plantis ſemina, ſic hominum vitas regionibus ſimiles fieri.

Vegetius lib. 1. de re mil. c. 2. vult in electione tyronum delectum haberi patriæ. Conſtat quidem, inquit, in omnibus locis & ignavos & ſtrenuos naſci, ſed tamen & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur non tantùm corporum, ſed etiam animorum plurimùm valet. Omnes notiones, quæ vicinæ ſunt Soli, nimio calore ſiccatas ampliùs quidem ſapere, ſed minùs habere ſanguinis dicunt; ac propterea conſtantiam ac fiduciam cominùs non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, quia ſexiguum ſanguinem habere noverunt. Contrà Septentrionales populi, remoti à Solis ardoribus, inconſultiores quidem, ſed tamen largo ſanguine redundantes, ſunt ad bella promptiſſimi; ideò hinc ſunt eligendi tyrones.

Plato in Phædone, dicit, quod ſi Deus ſibi ſimillimum productus eſſet hominem, illi conveniente locum in terrâ ſub fœlici cœlorum influxu provideret.

Morum diverſitatem quidam tribuunt diverſis genijs & Angelis, diverſis terris & populis præſidẽtibus. *Vide Differentia Voluntatis.* De varia inclinatione.

Spiritus qui ſingulis regionibus eſt proprius naſcentibus hominibus patriæ habitum, & cupiditates ſtatim ingenerat, impetu rapit animos, & certis addicit affectibus. Nam vt ijdem cibi pro condientium arte ſaporem quidem mutant, cæterum interna vis alendi, aut nocendi, nullis blandimentis in totum corrumpitur: ſtà in omni genere per æſtus ſuccedentium ſæculorum, mores animoſque mutantium, hæret quędam vis inconcuſſa, quàm hominibus, pro conditione terrarum, in quibus naſci contigerit, ſua fata diviſerunt. Hinc illa ab antiquo vitia, & patriâ ſorte durantia, quæ totas in hiſtorijs gentes, aut commendant, aut notant, vt iſtic naturalis levitas populos agat, turbidiſque incerta conſilijs; illic pingues, graveſque animi, triſti ſuperbiâ, tanquàm ſpecie arcanæ ſapientiæ, ferociant: Illi ſitim non tolerent; alij in mutationem, nec proviſa conſilia temporarijs ingenijs incumbant; apud cæteros placari non poſſit vltionis ingenium: Rurſùm virtutum æternitas, velut hæreditatis jure ſancita; inquibuſdam ſimplex fides; in alijs acumen animarum; in pluribus fortitudo, &c. Barclaius in Icone animorum. cap. 2.

Nullis mortalibus indoles ad ſpeciem virilis elegantiæ magis facta, oris intrepidi habitus motuſque atque geſtus, qui totum corpus decent, &c. Vicinæ autem gentes, ridiculo errore deceptæ, ad illorum quoque mores per eoſdem veſtes putant accedere, ignaræ genium & naturam ad hæc illis propitia non eſſe. Id. cap. 3. loquitur de Galliæ populis.

Moribus & affectibus efferis ſunt, qui in nimio vel æſtu vel frigore habitant, quia omnis exceſſus corporis & animi temperamentum permutat.

Indi Elephantes Africis ſunt præſtantiores & corporis proceritate & viribus. Plin. lib. 8. cap. 9. Leones Europei ſunt Africanis generoſiores. cap. 16. ſic de equis & cæteris animalibus, quæ dotes ſuas habent à patriâ.

A Quibuſdam in locis omnia fuſca naſcuntur, etiam fruges. Idem l. 31. cap. 2.

Pythagoras dicebat, ſuperaſſe ſemper barbaros moribus, ob temperiem aëris quo vivunt; Scythas verò & Æthiopes, continuo frigore & æſtu vexatos, mediocritatem in quâ conſiſtit virtus non capere. Videre eſt Athenis ſcientias omnes florentes, quaſi à natura inſitas, ſub puriſſimo aëre. Photius. in Bibliot. cap. 249.

In frigora ſeptentrionemque vergentibus immenſueta ingenia ſunt, ſuoque, vt ait, Pœta, ſimillima cœlo. Seneca. 2. de Ira. c. 16.

COELVM.

B

PTolomæus prædictionum Aſtrologicarum. lib. 2. dividit prædictiones, in vniverſales, quæ reſpiciũt gentes, & regiones & particulares, quæ ſunt de ſingulis hominibus. Generaliter qui magis accedunt ad ſolem ſunt magis aridi & feri; ſimiliter qui à ſole multum recedunt ſub polis, ſunt etiam feris moribus, propter aſſidua frigora; qui autem tenent loca interjecta ſunt placidis moribus. Qui propinquiores ſunt Auſtro, in genere ingenioſiores, & callidiores, & rerum divinarum peritiores ſunt, quia verticale punctum eorum propius eſt zodiaco & planetis: qui magis ad orientem, ſunt magis perſpicaces, & minùs occultatores: contrà de his qui ad occidentem vergunt.

C

Dividit etiam totum orbem habitarum in quatuor partes, ſingulas tribuit quatuor trigonis ſignorum zodiaci: igneis, terreis, aëreis, aqueis, & ex planeta, Domino talis ſignis conjicit mores populorum. Trigonus Igneus Aries, Leo Sagitarius eſt venti Cauri. Secundus terreus: Taurus, Virgo, Capricornus, eſt Vulturni. Tertius aëreus Domini, Libra, Aquarius eſt Aquilonis. Quartus terreus, Cancer, Scorpius, Piſces, eſt Lybici. Recenſet ſingulas nationes, earumque mores, dominantibus Planetis conformes.

Vt etiam ſingulis diebus, & dierum horis dominantur ſinguli planetæ, ſic ſingulis magnis annis, qui ſunt 360. annorum communium, vt anni communes ſunt 360. dierum; Primùm annum magnum incepiſſe ab Ariete cum Sole. Secundùm à Tauro cum Venere. Tertium à Geminis cum Mercurio. Quartùm à Lunâ cum Cancro, & hîc nimiâ humiditate factum eſſe diluvium. Hinc pro qualitate ſignorum, & ſimul dominantium planetarum, dicunt ſe habere hominum mores & ingenia, ſub Ariete ignita, ſub Cancro torpentia. Accedunt etiam magnæ conjunctiones ſuperiorum Planetarum; aut trium ſimul, quæ maxima eſt conjunctio; aut duorum tantùm, ſcilicet Saturni & Jovis: hinc fiunt morum, Imperiorum, Religionum mutationes in melius, aut in pejus, pro qualite ſignorum. Vt ſcribit Origanus, quem conſule. Vide quæ ſcripſi Theologiæ natural. lib. 1. cap. 10.

D

Quæ ſpectant ad judicium particulare. *Vide ſuprà. Differentia Voluntatis.*

Plato in Charmenide, dicit virtutem, quæ eſt temperata quædam partium animi harmonia, cæleſti ſimilis, à cœlo haberi.

Quorum horoſcopus eſt vicinior zodiaco, & ſic planetis; hi magis probatis ſunt moribus. *Vide Princip. Cognit.*

Familiaritas Jovis cum Venere in probatis locis facit in moribus probatos, & laudatos. Ptolom. lib. 3. præd. c. 28.

DEVS.

Dicit Cicero neminem vnquàm magnum fuiſſe ſinè peculiari afflatu divino.

Platonici dicunt formam eſſe habitum qui ab idæâ divinâ procedens perficit materiam: ſic virtus mores perficiens eſt à Deo.

Chymicus tantùm diſponit materiam, tota actio eſt à naturâ.

Socrates in Phædone, exiſtimat nihil nos ampliùs conferre ad virtutem quàm purificationem, puris enim cenſet radium & calorem divinum ſupervenire.

Romæ erat in foro Boario Herculis ſtatua, quæ die triumphi cornabatur. De gratiarum actione Deo reddità. *Vide Æquitas Voluntatis.*

Plato in Axiocho, Probat humanam naturam non tantùm valere, vt poſſit rerum omnium cauſas ſcrutari, & caſus contemnere, niſi divino ſpiritu mentes agerentur.

Scipio Africanus, qui & Annibalem & Carthaginem ſuperavit, ab inenute ætate Deo vitam ſacravit, & in templis dicitur educatus. D. Aug. de Civit. lib. 3. cap. 21. Nullum inquit Livius negotium ſeù privatum ſeù publicum aggrediebatur, quin capitolium conſcenderet, à Deo conſilium vimque acceptarus.

Dei proprium eſt facere, creaturæ autem pati, quæ ideo nihil debet ſibi adſcribere. Sic Ioſeph irridet Laban, quod diceret filias eſſe ſuas, ideſt artes & virtutes; pecora eſſe ſua, ideſt ſenſus externos. Philo Iud. lib. de Cherubim.

Moyſes dicit populo Iſraël; State & videte ſalutem à Domino, quàm faciet vobis, docens quod Deo authore ſalutem conſequimur; ſumus enim ſicut inſtrumenta quæ Deus movet, intendit, & remittit, prout illi placet. Ibidem in fine.

Dominus regit me, & nihil deerit, Idem qui regit ſtellarum motus, &c. vitæ meæ rector eſt, quid non ſperandum: Impius cum non credas Deum eſſe primariam rerum omnium cauſam ei primitias non offert, vt Cain. Idem.

Sumus quaſi ſtagnantes aquæ, quæ ſpiritu Dei moveantur nè putreſcant, & cœleſti imbre recreantur nè areſcant. Idem.

Pendemus à continuo Dei influxu, vt radius à Sole, vt imago noſtri in ſpeculo, vt ſenſus & motus corporis ab animâ, vt aquæ fervor ab igne aut ſole. Accedite ad illum & illuminamini. Meritò in ſacris eloquijs primitiæ dedicantur Deo rerum Principi, prima enim ſtirpium, animantium, ſcientiarum, virtutum ſemina ſunt quædam inviſibilis naturæ opera. Vt rerum initia, ſic fines ad Deum pertinent; atteſtantur mundanæ res, quomodò ſtirpis principium ſemen eſt, finis verò fructus, vtrumque opus naturæ, non agriculturæ. Rurſus ſcientiæ principium natura eſt, finis verò non contingit hominibus, nemo enim abſolutus eſt in vlla ſcientia, ſed revera perfectiones & faſtigia vnius ſolius ſunt: Itaque nos verſamur in ſpatio medio, finem inter & principium, diſcendo, docendo, quaſi agamus aliquid, vt & generatio aliquid videtur agere. Dicitur etiam in mundi creatione. In principio fecit Deus, & rurſùm perfecit Deus cœlum & terram. Philo Iud. lib. Quis ſit rerum divinarum hæres. Ab vnitate incipiunt numeri, per eam multiplicantur, nec tamen ſunt vnitas. Ibidem.

Manna. nec plùs colligenti ſuperfuit, nec minùs colligenti defuit; cœleſte donum metitur qui dat, non qui non accipit.

Pincerna Pharaonis è carcere liberatus obliviſcitur Ioſeph, qui ſomnium ejus interpretatus fuerat, quia Deo viſum eſt juvenem, non humana, ſed divina ope ad fœlicitatem provehi. Philo. lib. de Ioſeph.

Vndè fit homo vivus, vita eſt perpetua; vndè fit homo ſapiens, ſapientia eſt perfecta; vndè fit homo illuminatus, lumen eſt ſempiternum. D. Aug.

In oratione Dominica quotidie dicitur Panem noſtrum da nobis: Dicis noſtrum & da nobis; illo dante fit noſter: ſi illo dante fit noſter, nobis ſuperbientibus fit alienus: confitere te accipere vt libenter digneatur dare. Idem homil. 14.

Quodlibet ad id quod ſupremum eſt in illo genere reducendum eſt: omnis motus à primo mobili, omne bonum à ſummo bonitate. Non valemus aliquid boni cogitare à nobis, quaſi ex nobis. 2. Corinth. 3.

Mna tua decem Mnas acquiſivit. Luc. 18. totum Deo tribuit.

Sinè Deo nihil eſt, tàm nihil eſſe ſinè ipſo, quàm nec ipſe ſinè ſe poteſt. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodò ſolus eſt ipſe, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe. D. Bernard. lib. 5. de conſider. cap. 6.

Citrinus color medius eſt inter rubrum & candidum, auri eſt proprius.

Indulgendam eſt juvenis Principis inclinationibus non malis, ne in perverſas tædio dilabatur.

Tolerandi ſunt aliqui defectus miniſtrorum, alioquin vtilium.

Vix reperitur Prudentia cum generoſitate, ſunt enim in diverſis temperamentis. *Vide Differen. Volunt.*

Contractio poteſt fieri in vnâ parte, cæteris morbo crudo laborantibus.

Febrium malignarum ſymptomata ſunt perpetuus ſudor, non ex toto corpore manans, & perfrigeratio extremorum.

Flatulentus ſpiritus fit ex humidâ ſubſtantiâ à mediocri calore non valente efficere perfectam concoctionem, vndè flatulenta omnia habent aliquid caloris, ſic de lactantiâ. *Vide Cognitio Virtutis Mala.*

Non eſt perfecta, ſed quaſi mediata in nobis virtus quia in malum ſumus proni. *Vide Volunt. Virt. Repug.* & hæc inclinatio vix in totum poteſt ſuperari. *Vide Differ. Voluntat.*

Actio contemplationi mixta in non ſatis puris animabus. *Vide Differ. Virtut. & Media Gloria.*

Adoleſcents Lacedemonij æſtus, flagella vulnera, etiam nudis corporibus patienter tolerabãt, ſed voluptatibus vincebantur: clauda hæc erat fortitudo.

Nullus poteſt inveniri omnibus vitiis maculatus, vt nec corpus cunctis morbis afflictum, & cum extrema longo intervallo inter ſe diſtent, danda eſt vita quædam media inter virtutem & vitium, nec enim ſtatim & ſinè medio ad virtutem pervenitur. Alcinous. De doctrinâ Platonis, cap. de virtutibus & vitiis.

Aqua movetur circulo imperfecto ſecundùm fluxũ & refluxum, motu ſuprà naturam, qui tamen longè diſtat à cœli motu.

Fructus ſit amarus, dùm calor & humor non ſunt in coctione completi.

Incontinens eſt ſimilis civitati, quæ habet bonas leges, ſed his non vtitur. *Vide Duratio Virtutis Repugn.*

Calor qui ſupereſt in cadaveribus perfectorum animalium, nè otietur, imperfecta producit animalia.

Anguli obtuſi, licet non ſint rectanguli, ſunt tamen rectis lineis conſtantes.

Etiam inter cœleſtes conſtellationes recenſentur Hydra, Serpens, Leo; & ſigniferum ferè totum conſtat animalibus, licet cœlum dicatur nobiliori animâ informatum.

Iuvenes in dignitatibus non ſunt avari, ſed ſunt minùs intelligentes: populus bellicoſus eſt fortior contrà hoſtes, ſed ſeditioſus contrà ſuos.

Maculæ in Lunâ, verrucæ in pulchro vultu, numquàm cœlum ità eſt ſerenum, vt non appareat aliqua nubecula.

Nihil niſi mixtum habemus in hoc mundo; mixta ſunt elementa, alteratur aurum aliquâ mixtione, vt in vſus noſtros convertatur; extrema voluptas habet aliquid doloris ſicut & immoderatus riſus; Ipſa fœlicitas ſe, niſi temperat, punit. Omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod contrà ſingulos vtilitate publicâ rependitur. Leges habent aliquid injuſti, dùm permittunt ſcorta nè graviora mala contingant, in contractibus læſiones vſque ad dimidium juſti prætij.

In tot rerum, temporum, perſonarum varietate, varia debet eſſe virtus; vt in magno populi tumultu non rectà itur, ſed flexu opus eſt; vt in maligais itineribus à recto deflectitur, vt ſecurius minuſque laborioſum habeantur: Non intenditur primariò virtus ſed aliquid per eam, vndè intenditur, remittitur, aut penitùs deſeritur à mortalibus, prout ſeſe offert occaſio.

Ex gravi valetudine explicki, motiunculis, leviſque interdùm offenſis perſtringuntur, & cum reliquias effugerint ſuſpicionibus tamen inquietantur, mediciſque jam ſani manum porrigunt, & omnem calorem corporis ſui calumniantur: horum non parum ſanum eſt corpus, ſed parùm ſanitati aſſuevit; ſicut eſt quidam tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, cum ex tempeſtate requievit. Seneca de tranquillit. Vitæ. cap. 2. Bion dixit omnia hominum negotia ſimilia initiis eſſe, nec vitam illorum magis ſanctam aut ſeveram eſſe, quàm conceptus inchoatos. Ibidem. cap. 15.

Magnes non ex omni parte trahit ferrum, & polum reſpicit. Nemo ex omni parte beatus.

Homo creatur maſculus & fœmina. Gen. 1.

Chriſtus dicit Iudæ, Me non ſemper habebitis. Dùm eſſet in vivis fuit cum opprobrio viſibilis; In die judicij erit cum gloriâ; nunc medium quoddam tene tex. D. Auguſt. tract. 50. in Ioan. in fin.

Omne agens repatitur, ideò media eſt virtus, ob plures ſuas contrarietates. *Vide Contrarietas Virtutis*, Malorũ multitudo, *Vide Magnitudo Virtutis Repugn.*

Oportet hæreſes eſſe in Eccleſiâ, vt in Muſica interpoſitiones ſilentiorum. *Vide Contrar. Verit.* Oportet hæreſes eſſe; vbi refertur, quid boni Deus eliciat de malis.

Qui vel minimis iraſcitur peccatis, toti mortalitati hominum convitium facit: eſt certè natura humana in offenſi tenoris neſcia, nec vlli tàm artifices

adhibuit manus, quem labes aliqua ex istâ fatali sorte derivata non intinxerit, aut infuscaverit; sunt in Sole ipso maculæ & Adamantum capillamenta, Carbunculos incurſantes venulæ, per lucidas Christallos intermixtæ nubeculæ, Porphyritem centra, ipsam denique pulcherrimam faciem nævi quidam dehonestant.

Ingentium malorum remedia numquàm suis periculis carent; orbem qui suo malo obdormiverat, ipsâ Medicinâ penè obruit, dùm scientias imperiti, & cæci tractant Magistri.

Vera amicitio rarissima, quia magnas mentes occupant plarumque vitia, quibus nullum est cum hac Divâ commercium. *Vide Concordantia Virtutis.*

Tanta debet esse inter amicos communio vt possis jocari, etiam irasci, & exerentes sese impetus non celare, quoniam neminem suis vitiis carere natura voluit. Barclai.

Vrbs celebris, illic virtutum, illic vitiorum collegia, & ne parùm dixerim, cœlum cum tartaro mixtum. Idem.

Non datur purum elementum.

Terra & aqua vnum efficiunt globum, sed non exactâ Geometriæ figurâ, quia innumeris tumet montibus, & deprimitur vallibus.

Vide Concordantia Differentia. quæ sit mala rerum diuersarum vnio. *& Media Contrarietas.*

EX VTROQVE JVRE.

Miles non censetur & non gaudet militaribus privilegiis, nisi cum est in matriculâ militum inscriptus, anteà, licet electus, est tantùm tyro. l. 42. ff. de Milit. testam.

Terra novalis dicitur, quæ nuper est aratro proscissa, & à sentibus repurgata. cap. Quid per novale. ex de verbo. signif. Media & imperfecta est virtus in initiis. *Vide Minoritas Principij.*

Licet contrahentibus se invicem decipere, modò læsio non excedat dimidium justi prætij. l. 17. de Mino. Si excedat est nimia inæqualitas. l. 2. C. de Rescind. vendit.

Si quis vendat servum tanquàm temperantẽ, constantem industrium; non ex, acta constantia ab eo, tanquàm à Philosopho desideratur, sed sufficit si hæc ex bono & æquo modicè adsint. l. 18. ff. de Ædil. Ed.

Si equus legatus sit, nec optimus, nec pessimus intelligitur, sed mediæ cujusdam bonitatis. l. 37. ff. de Legat.

Conditio legato appositæ, pro eâ tantùm parte removetur, pro quâ est impossibilis; pro aliâ verò firma remanet. l. 6. ff. de Conditio. & demonstrat.

Leges & constitutiones futuris dant formam negotiis, non ad facta præterita revocantur. l. 7. C. de legib. & constit. princip.

In Arcâ Noë, inter octo homines vnus reprobus; In domo Abraham, ancilla ejicienda, in domo Isaac, Esaü cum Iacob: Vt nulli meliores, quàm qui in Monasterijs profecerunt; nulli pejores, quàm qui in illis ceciderunt. Can. Quantumlibet dist. 47.

Iuramentum non est appetendum tanquàm bonum, nec vitandum tanquàm malum. 22. q. 1. Can. ità ergò.

Obstetrices Ægyptiæ de pietate remunerantur, de mendacio autem sunt punitæ. 22. q. 2. Can. Si quælibet.

In hac vita boni à malis non possunt penitùs separari, zizania est cum frumento Abel, cum Cain: hîc est media quædam conditio, inter cælum & infernum. 23. q. 4. Can. Quantus.

Pluit Dominus super vnam civitatem, & nonpluit super aliam, & eandem ex parte aridam reliquit. Amos 4. de Semi pœnitentiâ. ex D. Greg. de Pœnit. dist. 3. Can. Pluit.

Sicut in veteri testamento quidam spirituales; ità in novo quidam carnales inveniuntur. de Consecr. dist. 4. Can. Sicut.

Constiturio respicit futura non præterita. cap. Canonum. de Constitut. & cap. Quoniam eod.

Iusti possunt cadere in venialia peccata, vndè dicunt, dimitte nobis, &c. Conc. Trident. Sess. 6. c. 11.

Vide Media Cognitio, & Medium Benit. Magnitudinis & aliorum Principiorum. expressius multa habentur. *Media Majoritas.*

EX THEOLOGIA.

Virtutes infusæ non auferunt contrarias dispositiones, sicut virtutes acquisitæ, ideò pariuntur difficultatem in operando, non autem virtutes acquisitæ. 1. 2. q. 63. a. 3. ad 2.

Mathematica abstrahunt à materiâ sensibili, non autem à materiâ intelligibili, sed per eam demonstrant. 1. q. 81. a. 1. ad 2.

Aliqui actus sunt indifferentes secundùm speciem, non autem omnes. 1. 2. q. 18. a. 8.

Materia corporalis reducitur ad actũ imperfectum, solâ virtute agentis vniversalis, non autem ad perfectum, nisi mediante agente particulari. 1. q. 79. a. 4.

Angelus est simpliciter nobilior homine, sed secundùm quid est è converso. 1. q. 95. a. 3. Habet intellectum medium inter Deum & hominem. *Vide Medium Cognitionis.*

Aqua benedicta non est Sacramentum, sed est quid Sacramentale. 3. q. 65. a. 1.

Non ordinatur directè ad remedium præstandum, sed contrà Dæmones, & contra omne impedimentum Sacramentorum, delet peccata venialia. 3. q. 65. a. 1. ad 6.

Corpora cœlestia non sunt animata, eo modo quo plantæ & animalia, sed æqui vocè, animâ scilicet dante motum, non esse. 1. q. 70. a. 3.

Cupiditas duplex, scilicet, mortalis & venialis; Prima ponit finem in creaturâ, non autem secunda, sed est cum charitate. 2. 2. q. 24. a. 10. ad 3.

Sancti Patres, dum adhuc hîc viverent, liberati sunt per fidem Christi ab omni peccato, & à reatu pœne actualium, non autem à reatu peccati originalis. 3. q. 5. a. 1.

Opera nostra vt sunt à Spiritu sancto dicuntur fructus, respectu verò beatitudinis dicuntur flores. 1. 2. q. 78. a. 1. ad 1.

Homo existens in gratiâ potest vitare singula peccata mortalia & venialia, non autem omnia. 1. 2. qu. 74. a. 3. ad 2.

Totus cultus Iudæorum erat Propheticus & figurativus. 1. 2. q. 00. a. 12.

Iudæis permissum erat accipere vsuras ab extraneis, propter avaritiam, nè acciperent à fratribus. 1. 2. qu. 105. a. 3. ad 3.

Lex humana præcipit aliquos actus cujuscumque virtutis, vt ordinabiles ad bonum commune, non autem omnes actus cujusque vitij prohibet. 1. 2. q. 93. a. 3. ad 3.

Opera mortificata dicuntur, quæ facta sunt cum charitate, & non sunt cum eâ propter sequens peccatum mortale. 3. qu. 87. a. 4. De Actibus moralibus mortuis. *Vide Bonitas Virtutis.*

Præceptum de dilectione Dei perfectè tantùm impletur in patria, non in viâ. 2. 2. q. 44. a. 6. A

Singuli motus ſenſualitatis ſunt in poteſtate noſtrâ, non autem omnes ſimul. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 2.

Virtutes perficientes intellectum excludunt totaliter falſum, non autem virtutes perficientes appetitum. 2. 2. q. 1. a. 3.

EX BIBLIIS.

IN principio Deus creavit cælum & terram, maſculum & fœminam; diem ex luce & tenebris. Gen. 1.

De mediâ virtute non bonâ. *Vide Magnitudo Virtutis.*

Iehu deſtruit omnem cultum Baal & tamen non recedit à vitulis aureis. Ieroboam. 4. Reg. 10. B

Numquid homo Dei comparatione juſtificabitur? Ecce qui ſerviunt illi non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem. Iob. 4. Quantò magis hi qui habitant domos luteas? Et cap. 3. Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea.

Deſolabuntur civitates, & multiplicabuntur deſerta, & adhuc in eâ decimatio. Iſai. 6.

Erubeſcet Luna, & confunderur Sol, cum regnaverit Dominus, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Idem 24.

Ecce dies veniunt, & ſeminabo domum Iſraël ſemine hominum & ſemine jumentorum. Ierem. 31. C

Ezech. 1. in viſione apparet ſimilitudo animalis & hominis, licet omnia fulgeant.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum. Pſal. 34. Beati quorum tecta ſunt peccata. Pſal. 31.

Inimicus homo ſuper ſeminavit zizania in medio tritici. Math. 13. Fermentum in farinâ. Omnis generis piſces, mali & boni, in ſagenâ miſsâ in mare. Ibidem, Omnis generis animalium in arcâ Noë.

Servi regis congregant omnes quoſcumque inveniunt bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Math. 22.

Ieſus increpat Phariſæos, decimantes mentham & anetum, & relinquentes quæ graviora ſunt legis. Matth. 25. *Vide Veritas Virtutis. Repugn.* D

Quinque prudentes virgines, & quinque fatuæ, quæ vigilant quidem, ſed non habent oleum in lampadibus. Math. 25.

Dicit Ieſus dormitantibus diſcipulis, Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Math. 26. & Ibidem.

Petrus captum Ieſum ſequitur à longè. Math. 26.

Ex duobus cum Chriſto crucifixis unus ſalvatur. Luc. 22.

In omnibus ferè ſacrificiis Iudæorum hœdus pro peccato offerebatur.

Vinum tuum mixtum eſt aquâ. Iſai. 1. E

Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Ioan. 13.

Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Rom. 7.

Ex duobus paſſeribus quos offert leproſus pro mundatione, unus immolatur, alter liber emittitur. Levit. 14. Ex duobus hircis oblatis pro peccato, unus immolatur, alter, poſtquàm ei imprecatum eſt, emittitur in ſolitudinem, undè emiſſarius dictus. c. 16. Duo molentes, unus aſſumetur, alter relinquetur. Matth. 24.

Vide Media Gloria. Media fœlicitas.

EX PATRIBVS.

POteſt per totam vitam in nobis homo terrenus & vetus ſinè cœleſti agere; Novus autem & cœleſtis, non niſi cum vetere: nam & ab ipſo incipiat neceſſe eſt, & uſque ad viſibilem mortem cum illo, quamvis eo deficiente, ſe proficiente perdurat. D. Auguſt. lib. de verâ. Relig. c. 17.

Virtutes omnes habent appellationes fœminas, vires autem & actiones virorum perfectorum; quoniam quidquid poſt Deum eſt, quantumvis antiquum ſit, cum ſecundo loco cenſeatur, collatum ad omnipotentem illum, non tàm maſculinum videtur, quam fœmineum, ut cæteris creaturis ſimile. Philo Iudæ. lib. de Profug.

Anima hominis in hoc mundo, quaſi in ſolo peregrino, aut nullos aut immaturos fert fructus.

Nigra ſum, ſed formoſa, inquit ſponſa Eccleſia, quæ in loco ſuæ peregrinationis, cum compoſitionis pulchritudine non caret mævo nigredinis, donec ſinè macula ſe ſponſo exhibebat in patriâ. D. Bernard. Serm. 25. ſuper Cantic. Nigra de humanâ converſatione, formoſa de cæleſti ſimilitudine. Ibidem.

Lectulus noſter floridus, inquit ſponſa. Cant. 1. Iacent ſparſi flores in loco, citoque marceſcunt, itaut novi veteribus ſuccedere debeant, ut ſemper ſit floridus, tales ſunt hominum virtutes. At de ſponſo dicit, Ego flos campi, qui ſinè labore provenit. Ibidem. Serm. 47. C

Faciamus hic tria tabernacula, fidei unum, ſpei, unum, unum charitati; ſed num quid neſcio quid dicam, cum dico, bonum eſt nos hic eſſe: ſed repentè quaſi mortuus cado in terram, nihil ampliùs videns eorum quæ vidi. Idem. lib. de Amore Dei.

Manichæi credebant hominum & pecorum animas, ex Dei ſubſtantiâ eſſe, & omninò partes Dei eſſe: Deum autem cum tenebrarum gente pugnaſſe, & partem ſuam tenebrarum Principibus mixtam permanſiſſe, quæ in hoc mundo purgatur à ſole, & quod pugari non poteſt, æterno igni colligari. D. Aug. Epiſt. 74.

Dicitur de Chriſto, Erat lux vera. &c. De Ioanne autem dicitur, quod erat lucerna ardens & lucens. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, &c. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. D

Iſtæ ſimilitudines datæ ſunt ut intelligamus animam rationalem non eſſe naturam Dei incommutabilem, tamen poſſe participando illuminari; Lucernæ quippè accendi indigent, & extingui poſſunt. Idem. Epiſt. 120. cap. 3.

Cum numerantur dies, comprehenduntur & noctes, unde dicitur in Geneſi, & factum eſt veſperè & manè dies unus.

Calix in manu, id eſt in poteſtate Domini, vini meri plenus mixto, fex ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Pſal. 74. E

Humilia Deus reſpicit in cœlo, & in terrâ. Etiam in perfectis arguit defectus.

Quia lex à quovis proficiente, non ex omni parte complectetur, propitiatorium legis tabulas continens eſt ſuprà arcam, ad hoc enim neceſſe eſt, ut propitius ſit Deus & ideò deſuper ponitur, quia ſuper exaltat miſericordia judicium. D. Auguſt. quæſt. 105. ſuper Exod.

Sordes ejus in pedibus ejus: Thren. 1. In infimâ animæ parte ſemper ſupereſt aliquid mortificandum.

Ioan. 13. dicit Chriſtus Petro, Qui lotus eſt, non opus habet, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. D.

Mary Ann Lowe, Cottage-place, Brompton
Mary Ann Lowe, Cottage-place, Brompton
Mary Ann Lowe, Cottage-place, Brompton

neritas Medij & Virtus Medij Repug. Quando licet vti malo medio. Sic eculeo torquentur innocentes, & non convicti, vt rei appareant; etsi rei possent falsò negare & innocentes confiteri quod quæritur: sic olim duellorum vsus ad veritatis probationem.

Exod. 22. Mater Moysis non valens amplius filium celare ipsum aquis committit, nè simul cum filio periret.

Fluvio aliquis rapiendus irruit bestiam latronemve fugiendo. Iactant in mare tempestate sæviente aliquandò & alimenta, & vt vivant projiciunt vndè vivant, ne citò finiatur, quod vel in labore vivitur. Quantis laboribus agitur, vt longiore tempore laboretur, & mors cum impendere cœperit, ideò cavetur, vt diutiùs timeatur; fugitur vna mors, cum tot in vitâ mortes timeantur, & cum eligant sub medico dolere ne finiant, accedit eis vt doleant, & finiant. D. August. Epist. 45. *Vide Contrarietas Voluntatis* necessitas.

Viro bono gratum est virtutem per ardua & magni laboris prætio sectari, sed durissimum est sic inter duo vitia coarctari, vt vnum illi necessario eligendum sit.

Pompeius dùm extraordinaria concupiscit imperia, dùm provincias vt eligat distribuit; dùm ità Triumviris Rempublicam dividit, vt tamen in suâ domo duæ partes essent, eò redegit populum Romanum vt salvus esse non possit, nisi beneficio servitutis. Seneca. lib. 5. de Benef. cap. 16.

Remisse sunt pœnæ à Iustiniano decretæ contrà secundò nubentes infra tempus luctus. l. 2. C. de Secund. nupt. Ne sit occasio intemperantiæ, Melius est enim nubere quàm vti, & prolem confundi quam Deum offendi.

Loth offerebat filiarum pudorem, quia minùs erat secundùm naturam quàm adversùs naturam delinquere. D. Ambros. lib. 1. de Abrah. c. 6.

Perdix se capiendam præbet canibus & hominibus, vt vitet accipitrem sibi magis notum infestum hostem.

Cum non possimus hìc immortalem vitam consequi, conamur vitæ mortalis prætio immortalem gloriam nobis comparare. *Vide Voluntas Gloriæ.*

Cervi vrgente vi canum vltrò confugiunt ad hominem: & in pariendo semitas minùs cavent humanis vestigijs tritas, quàm secreta ac feris opportuna. Plin. lib. 8. c. 32.

Sic permittitur Monomachia, vt sedentur bella. *Vide Medium Veritatis.* de Medijs miraculosis.

Vide Virtus Medij. Repugn. quando licet vti malo medio.

FINIS VIRTVTIS.

QVÆDAM VIRTVTES NON SEMPER PERSEVERANT.

MISCELLANEA.

VNgues interire dicuntur, cum ex naturali formâ decidunt solidâ, & dissolvuntur. l. 6. ff. de auro & argento legato.

Charitas semel habita potest hic amitti, non in patriâ. De pœnit. dist. 2.

Charitas quolibet peccato mortali amittitur. D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 3.

Ecclesia debet iterùm consecrari, si sit polluta sanguine aut semine. Idem 3. q. 83. a. 3. ad 3.

Homo peccando cecidit ab ordine rationis, ideò perdit dignitatem humanam & incidit in servitutem bestiarum. 2. 2. q. 64. a. 2. ad 3. *Vide Minorit. Virt.*

Dignitas amissa per peccatum est triplex, scilicet filiatio Dei per gratiam, innocentia, & dignitas Ecclesiastica. 3. q. 89. a. 3.

Virtus figurarum Talismanicarum durat ad certum tempus, virtus enim cœlestis periodum habet. Sic quibusdam familijs innata virtus, senescit certa sæculorum ætate, quâ etiam antiqui crediderunt Dæmones interire, & ob id cessasse oracula. Vide Plutarch.

Contabescit membrum, in quod cor non influit, & anima, in quàm Deus. Tandiù durat imago in speculo, quandiù præsens est objectum, & quorundam virtus tandiù stat, quandiù ad magistri præsentiam formatur.

Somnus in animali gignitur, ex concrescente in cerebro nubeculâ, quæ vim facultatemque sensitivam à corde ad sensuum organa progredientem in cordis thalamum repercutit.

Incipiente ferreo sæculo, Astrea seù Iustitia terram reliquit, & ad cœlites evolavit.

Omnes musculi habent cavum ventriculum, quod quidem dùm sanum est, corpus impletur flatu, dùm ægrotat, sanie. Hipocr. de arte.

Multæ herbæ degenerant defectu culturæ, aut diverso cœli influxu: sic triticum transit in lolium: tymum in serpilum, syncibrium in mentham odore, figurâ verò in calamentum.

Circe suis poculis homines in bruta commutabat, sic voluptas.

Quando desinat virtus. *Vide Duratio Virtutis. Repugnat.*

EX BIBLIIS.

SPiritus Domini recedit à Saul, & spiritus nequam eum apprehendit. 1. Reg. 16.

Samson rasus excæcatur, & fit hostibus ludibrio. Iudic. 16.

Quomodò facta est meretrix civitas fidelis plena judicij? Iustitia habitavit in eâ, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum

Digitized by Google

Anna Veronese, Countess of Wynyard, Lady Lennox and Aubigny, Baroness Darnley, Lady Lennox and Aubigny in her own right, Lady of the Honour of Richmond, Lady of the Manor of Cobham, Surrey, Lady of the Manor of Hackney, Middlesex, Lady of the Manor of Temple Newsam, Yorkshire, Lady of the Manor of Settrington, Yorkshire, Lady of the Manor of Pickering, Yorkshire, Lady of the Manor of Sheriff Hutton, Yorkshire, Lady of the Manor of Middleham, Yorkshire, Lady of the Manor of Penrith, Cumberland, Lady of the Manor of Cockermouth, Cumberland, Lady of the Manor of Egremont, Cumberland, Lady of the Manor of Workington, Cumberland, Lady of the Manor of Whitehaven, Cumberland, Lady of the Manor of Harrington, Cumberland, Lady of the Manor of Kendal, Westmorland, Lady of the Manor of Appleby, Westmorland, Lady of the Manor of Brough, Westmorland, Lady of the Manor of Brougham, Westmorland, Lady of the Manor of Penrith, Westmorland, Lady of the Manor of Barnard Castle, Durham, Lady of the Manor of Gainford, Durham, Lady of the Manor of Staindrop, Durham, Lady of the Manor of Raby, Durham, Lady of the Manor of Darlington, Durham, Lady of the Manor of Sedgefield, Durham, Lady of the Manor of Stockton, Durham, Lady of the Manor of Hartlepool, Durham, Lady of the Manor of Sunderland, Durham, Lady of the Manor of Gateshead, Durham, Lady of the Manor of Newcastle-upon-Tyne, Northumberland, Lady of the Manor of Tynemouth, Northumberland, Lady of the Manor of Morpeth, Northumberland, Lady of the Manor of Alnwick, Northumberland, Lady of the Manor of Warkworth, Northumberland, Lady of the Manor of Bamborough, Northumberland, Lady of the Manor of Berwick-upon-Tweed, Northumberland, Lady of the Manor of Norham, Northumberland, Lady of the Manor of Wooler, Northumberland, Lady of the Manor of Ford, Northumberland, Lady of the Manor of Chillingham, Northumberland, Lady of the Manor of Prudhoe, Northumberland, Lady of the Manor of Hexham, Northumberland, Lady of the Manor of Corbridge, Northumberland, Lady of the Manor of Bywell, Northumberland, Lady of the Manor of Ryton, Durham, Lady of the Manor of Lamesley, Durham, Lady of the Manor of Chester-le-Street, Durham, Lady of the Manor of Houghton-le-Spring, Durham, Lady of the Manor of Bishop Wearmouth, Durham, Lady of the Manor of Monkwearmouth, Durham, Lady of the Manor of Jarrow, Durham, Lady of the Manor of Hebburn, Durham, Lady of the Manor of Whickham, Durham, Lady of the Manor of Tanfield, Durham, Lady of the Manor of Lanchester, Durham, Lady of the Manor of Auckland, Durham, Lady of the Manor of Bishop Auckland, Durham, Lady of the Manor of Wolsingham, Durham, Lady of the Manor of Stanhope, Durham, Lady of the Manor of Weardale, Durham, Lady of the Manor of Middleton-in-Teesdale, Durham, Lady of the Manor of Egglestone, Durham, Lady of the Manor of Romaldkirk, Yorkshire, Lady of the Manor of Richmond, Yorkshire, Lady of the Manor of Catterick, Yorkshire, Lady of the Manor of Scorton, Yorkshire, Lady of the Manor of Bolton-upon-Swale, Yorkshire, Lady of the Manor of Gilling, Yorkshire, Lady of the Manor of Hipswell, Yorkshire, Lady of the Manor of Kirkby Ravensworth, Yorkshire, Lady of the Manor of Sedbergh, Yorkshire, Lady of the Manor of Hornby, Yorkshire, Lady of the Manor of Bowes, Yorkshire, Lady of the Manor of Barningham, Yorkshire, Lady of the Manor of Greta Bridge, Yorkshire, Lady of the Manor of Rokeby, Yorkshire, Lady of the Manor of Egton, Yorkshire, Lady of the Manor of Whitby, Yorkshire, Lady of the Manor of Scarborough, Yorkshire, Lady of the Manor of Hackness, Yorkshire, Lady of the Manor of Ayton, Yorkshire, Lady of the Manor of Pickering, Yorkshire, Lady of the Manor of Thirsk, Yorkshire, Lady of the Manor of Sowerby, Yorkshire, Lady of the Manor of Topcliffe, Yorkshire, Lady of the Manor of Sutton, Yorkshire, Lady of the Manor of Dalton, Yorkshire, Lady of the Manor of Thornton-le-Street, Yorkshire, Lady of the Manor of Newton-upon-Ouse, Yorkshire, Lady of the Manor of Easingwold, Yorkshire, Lady of the Manor of Alne, Yorkshire, Lady of the Manor of Tollerton, Yorkshire, Lady of the Manor of Shipton, Yorkshire, Lady of the Manor of Skelton, Yorkshire, Lady of the Manor of Overton, Yorkshire, Lady of the Manor of Poppleton, Yorkshire, Lady of the Manor of Knaresborough, Yorkshire, Lady of the Manor of Ripley, Yorkshire, Lady of the Manor of Burton Leonard, Yorkshire, Lady of the Manor of Bishop Monkton, Yorkshire, Lady of the Manor of Ripon, Yorkshire, Lady of the Manor of Sharow, Yorkshire, Lady of the Manor of Hutton Conyers, Yorkshire, Lady of the Manor of Kirkby Malzeard, Yorkshire, Lady of the Manor of Dallamires, Yorkshire, Lady of the Manor of Markenfield, Yorkshire, Lady of the Manor of Wath, Yorkshire, Lady of the Manor of Nunwick, Yorkshire, Lady of the Manor of Hutton Bonville, Yorkshire, Lady of the Manor of Sharrow, Yorkshire, Lady of the Manor of Bishop Thornton, Yorkshire, Lady of the Manor of Burton Constable, Yorkshire, Lady of the Manor of Skirlaugh, Yorkshire, Lady of the Manor of Hedon, Yorkshire, Lady of the Manor of Preston, Yorkshire, Lady of the Manor of Ottringham, Yorkshire, Lady of the Manor of Owthorne, Yorkshire, Lady of the Manor of Withernsea, Yorkshire, Lady of the Manor of Hornsea, Yorkshire, Lady of the Manor of Burton Agnes, Yorkshire, Lady of the Manor of Bridlington, Yorkshire, Lady of the Manor of Flamborough, Yorkshire, Lady of the Manor of Speeton, Yorkshire, Lady of the Manor of Filey, Yorkshire, Lady of the Manor of Scarborough, Yorkshire, Lady of the Manor of Seamer

fortitudo, nihil ars, nihil natura, aptis ſuis organis deſtituta; nihil politia ſinè miniſtris; parùm virtus ſinè externis, à quibus ſic pendet. *Vide Minor. Medij.*

FINIS. Vt Angeli, ſic mentes hominum habent ſphæram ſuæ activitatis, vltrà quàm abſurdum, & vanum eſt aliquid tentare: quælibet virtus in proprium tendit objectum. Explicant autem vires ſeù mentis ſeù corporis, provt in nobiliorem finem diriguntur: Finis eſt, qui dat & motum, & limites actionibus.

MAIORITAS. Obſcuratur minus lumen ad majoris occurſum; ſic quorundam virtus latet confuſa, & concidit deſperata, cum effulget illuſtrioris exemplum. Temeritas caſtigata degenerat in metum; nec etiam poſſibilia tentant, qui majora ſuprà vires infœlicitèr ſunt aggreſſi.

ÆQVALITAS. Vnius aut alterius in acie deſertio cæteris aufert animos, ad exemplum vivitur: & vt in turbâ, cum populus premit, nemò ità cadit, vt non alium in ſe attrahat; primi ſequentibus exitio ſunt. Præſumitur impoſſibile, quod ab æqualibus perperam tentatum eſt; facilè declinantem habebis lancem ſi quid vel minimum præter æqualitatem ſuperinjeceris.

MINORITAS. Minor quàm parſit de ſe ſenſus obeſt virtuti, talem enim ſe quiſque exhibet, qualem ſe putat. *Vide Cognitio Virtutis.*

FINIS INTENTIONIS.

VIrtus cujuſlibet rei determinatur ad vltimum, in quod res poteſt.

Virtus quælibet conjungit Deo per modum meriti, & diſpoſitionis: ſed ſola charitas per modum perfectæ vnionis, fides enim & ſpes ſunt præambulæ ad charitatem.

Finis vniuſcujuſque virtutis moralis eſt attingere medium in propriâ materiâ: & ea eſt excellentior, quæ ad altius bonum ordinatur.

Finis cujuſlibet virtutis moralis eſt conformari rationi. 1. 2. q. 66. a. 3. ad 3. Intendit veram virtutem, Deique imaginem in animo efformare. *Vide Veritas Virtutis.*

QVID INTENDIT virtus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Hominem in novam vitam transferre meliuſque eſſe largiri, quàm acceperit à natura.

MAGNITVDO. In anguſto ſunt cupiditates omnes vt potè amori proprio ſervientes, ſic animum tetrò quodam concludunt ergaſtulo: virtutis munus eſt homines in libertatem vindicare. Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris, inquit Apoſtolus, amplitudine divinæ infinitatis æmula.

DVRATIO. Virtus omnis conſtantiam profitetur, & iteratis actibus habitum contrahit, quo jus ſibi præſcriptione quadam faciat contrà vitia. Virtus prævenit canos, quiſque perfectam integramque obtinuit ætatem, qui rationi conformem.

POTESTAS. Virtus intendit rationem ſenſivum dominam efficere, & in ipſomet homine primo legem cõdere quàm ſi faveret fortuna populis eſſet daturus.

COGNITIO. Virtute præditi, ſatis cœlo, ſibique ipſis ampliſſimum exhibent ſpectaculum, nec quærunt hominum oculos, niſi mentes ſperent in ſui amorem & imitationem conciliare. *Vide Cognit. Virtutis.*

VOLVNTAS. Vt amori militant paſſiones omnes, ſic charitati virtutes. hoc vnum intendunt charitatem ad perfectum adducere.

VIRTVS. Sibi ipſi finis eſt, quia & ſibi præmium, honeſtum autem propter ſe appetitur, & cætera propter illud.

VERITAS. Vir bonus contemplatur vt ad illam mores ſuos, quaſi ad regulam dirigit. Ità virtus nihil aliud eſt quam morum quædam conformatio ad legem æternam mentibus noſtris inſculptam; publicis naturæ motibus, quaſi præcombus promulgatam; divini humaniſque inſtitutis elucidatam.

GLORIA. Summum bonum in virtute conſtituit Epicurus; quia in illam virtus videtur vltimatè reſolvi: ſumma enim ex virtute voluptas. Stoici contrà dicunt, voluptatem virtuti ſupervenire, vt meſſibus flores internaſcentes. *Vide Volunt. Gloria & Glor. Virt.*

DIFFERENTIA. Virtus hominem efficit in vtrumque paratum; vndè ſoli viri ſunt ambidextri. Sic prudentia facem præfert virtutibus, vt pro variâ ratione circumſtantiarum modum teneant.

CONCORDANTIA. Intendit virtus pacem & vnionem conciliare inter diverſa: in vita monaſticâ inter animæ potentias: in œconomiâ inter partes familiæ: in politiâ inter rectores & cives; ſic ex diverſis, imò & pugnantibus, ordinem, harmoniam, pulchritudinem efficit.

CONTRARIETAS. Virtus bellum intentat, & ſemper eſt in procinctu; vt internos hoſtes coërcendo, externos arcendo, bonis proprijs tranquilliùs fruatur.

PRINCIPIVM. Bonus vult omnes ſibi ſimiles efficere, & divinæ fœcunditatis æmulus fœlicem hanc prolem cœleſti mundo parere; ideò parentis nomen à populis accipit. Si rerum exitus ſibi fortuna vindicet, aut immatura mors præripiat, in magnis voluiſſe ſat erit; præmium conſequetur rectæ ſuæ intentionis; Cæterum jecit humanæ fœlicitatis ſemina, ſià poſteris rectè colantur, in magnos profectus ſurrectura.

MEDIVM. Virtus omnis mediocritatem profitetur, ſic vt ad extrema non deflectat, vt æquali lance res omnes penſitans, cuique quod ſuum eſt decernat; naturam turpiter ad ima labentem erigit, & ad altiora quàm par eſt nitentem continet. Interim dùm ad ſuperiora quotidie contendit, videt experimento ſibi mediam tantùm ſortem contingere.

FINIS. Solatium infirmitatis noſtræ magnum eſt, actiones à fine meritum ſortiri, etſi ſæviat fortũna, & meditatos fines caſus invertat.

MAIORITAS. Virtus ad meliora & perfectiora ſemper nititur. Sic tamen nunquàm tranſit in exceſſum, quia conatur imitari infinitæ perfectionis exemplar, quod nunquàm eſt aſſecutura. *Vide Major. Virt.*

ÆQVALITAS. Æqualitatem profitetur inter inæquales mundi, fortunæ, opinionis motus. Hæret vni, vero & incommutabili bono; tàm levia ſunt illi mundana omnia, vt eorum vel acceſſione, vel amiſſione, nihil de æqualitate ſuâ amittat animus, & indè nullatenus aut dejiciatur, aut extollatur.

MINORITAS. Philoſophia dicitur à Platone meditatio mortis, quia voluntariâ rerum ſpoliatione prævenit neceſſarias mortis privationes, illiſque præludit: ſic mortui adverſa non ſentiunt, nihil amittunt, nihil poſſidentes. Extrà fortunæ caſus & fulgura, quibus poſſint dejici, imum jam affectu tenentes.

MAIORITAS VIRTVTIS

IN QVIBVS EST MAIOR ET EXCELLENS VIRTVS.

MISCELLANEA.

MONTANA & aſpera loca, fortiora animalia edunt quàm plana. Ariſt.

Aquatilia quædam ſpirant, vt balæna, Delphinus, atque Cete omnia, maximè ea quæ ſunt anticipitis naturæ. Ariſtot. lib. 3. de partib. animal. cap. 6.

Quidam ſunt ſublimis ingenij, quaſi in ſortem Angelorum aſſumpti: id ſivè ſit à temperamento, cœlo educatione, & gratiâ. *Vide Princip. Virtutis.*

Fluvij & maria ſuos habent vortices & gurgites, puta Charibdim; ſuntque partes aliæ alijs profundiores.

Platonici dicunt, quod ſicut datur forma quædam materialis; ſic datur materia quædam formalis, vt cœlorum, quæ ab aliquibus dicitur non eſſe ejuſdem ſpeciei cum noſtra.

In vno quoque genere excellit aliquid; inter humores ſanguis, cæteri ſunt quaſi ejus excrementa.

Res eſt magis ſua forma quàm ſua materia; homo magis animus quàm corpus, vndè forma eſt potiùs individuationis principium quàm materia.

Species conſtitutæ ſub eodem genere ſolent eſſe inæqualis dignitatis & perfectionis: hoc enim mundi pulchritudo & harmonia poſtulat, ex diverſis conflata. *Vide Differentia Virtutis, & Concord. Differentiæ.*

Calor nativus eſt quid ſuprà elementare, ex Ariſtotele, nec ab igne ducit originem.

Ariſtomenes Meſſenius, qui 300. Lacedemonios interfecerat, captus tandem ab hoſtibus, cum ei cor avulſum eſſet, repertum eſt hirſutum. Plin. lib. 11. c. 37.

Non eſt omnium arteriarum par ratio, ſed quæ cordi ſunt propinquiores, ſanguinem & ſpiritum fervidiorem habent, quàm quæ in remotioribus partibus. Sic fervidiores primi Chriſtiani; puriores fonti proximiores rivuli; ſtellæ fixæ Ecclypticæ viæ ſolis propinquiores ſunt majoris virtutis.

Nunquàm aqua eam acuitatem ignitionis ſuſcipit quàm cineres: neque cineres eam caliditatem ſubmiſtrare poſſunt quàm arena, & limatura ferri.

Phœnix avis, aquilæ magnitudine, pennis aureo & cæruleo colore diſtinctis Romam eſt allata, anno 37. Chriſti; & populo publicè oſtenſa.

Quamvis omnes lapides ſint terrei, quia ponderoſi, & quia tali ſiccitate concreti, vt diſſolvi nequeant, tamen ſunt aliqui ignei, ex quibus ignis elicitur, vt ſilex; vel ex ipſo geniti, vt lapis fulminis Pyrites, Aſbeſtus: alij ſunt aërei, qui aquis ſupernatant, vt pumex: alij aquei ex aquâ concreti. vt criſtallus, beryllus, margaritæ. Sic licet metalla ſint aquea, tamen ex illis ſunt aërea cuprum & ſtannum: ignea, aurum, & ferrum. In plantis terram imitantur radices, propter denſitatem: folia aquam, propter ſuccum: flores aërem, propter ſubtilitatem: ſemina ignem, propter ſpiritum genitivum. In animalibus ſimiliter quædam ſunt ignea, aërea, aquea, terrea. Sic de partibus corporis, de quibus conſule medicinam. Ex Auguſtino intellectus refert ignem, ratio aërem, imaginatio aquam, ſenſus verò terram.

Miramur calentes aquas, quia ratiores ſunt, & præditæ qualitatibus ſupra naturam ſuam.

Spiritus mundi, qui medius eſt inter intellectum & corpus continet elementares qualitates, ſed eminenter in nobilioribus; & magis habet de his in ſe, ſicut ſunt ampliores in mundo; minimum terrei, plùs aquei, plùs aërei, & plurimùm ignei, ſtellariſque. Marſ. Ficin. lib. de vitâ coël. compar. cap. 3.

In Sole omnium cœleſtium vires continentur, maximè cum eſt in Leone, Luna ibidem conſtituta, vel eum aſpiciente, tunc in Ægypto ceſſant epidimiæ.

Maſculi in vtero geruntur à dextris, eſt enim ibi plùs caloris.

Magnificentia & magnanimitas ſunt virtutes Regiæ, quæ hominem perficiunt in eminenti gradu; Juſtitia etiam & Clementia.

Ignis & aër moventur in gyrum, non motu naturali, nec contrà naturam, ſed ſuprà naturam.

Virtutes maximæ ſunt, quæ ſunt vtiliſſimæ alijs, vt Juſtitia.

Ignis aſcendens in pyramidis figuram cacuminatur, quia tenuiores partes celeriùs aſcendunt; minùs tenues ab imo fuſæ reſiſtunt.

Virtus ſuo centro propinquior eſt major.

Adulantes Athenienſibus, dicebant illis omnia cætera Græcis communia eſſe, ſolos autem Athenienſes viam inveniſſe quæ ad cœlum duceret. Athenæus. lib. 6. cap. 6.

Pindarus laudans Hieronem, ait eum decerpere ſummitates ex omnibus virtutibus.

Præſtantioribus columnæ dicebantutur, earum ratio erat, attolli ſuprà cæteros mortales, quod & arcus ſignificant novitio invento. Id. lib. 34. cap. 6.

EX UTROQVE JVRE.

DE Monachis. Novell. 5.

De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem. Decr. lib. 3. tit. 31.

De ſtatu monachorum. Decr. 3. 35.

Epiſcopus debet permittere clericos tranſire ad monaſterium. 19. q. 1. & eo etiam invito poſſunt tranſire. q. 2.

Caſtitas major requiritur in fœminâ, quàm in maſculis. §. noſtra autem. Inſt. quib. mod. tutel. finit.

Dividitur jus in publicum & privatum, publicum eſt in ſacris ſacerdotibus & Magiſtratibus. l. 1. ff. de juſt,

justi & jure: sic virtus regentium debet esse major. *Vide Virtus Potestatis.*

Diebus Dominicis à spectaculis & voluptatibus abstinendum. l. vlt. C. de feriis. Sic ratione tempotis vt etiam quadragesimæ major exigitur virtus.

Non est exigenda à servo constantia Philosophi. l. 18. ff. de ædil. edict.

Si de tabulis testamenti deponendis agatur, & dubitetur cui eas deponi oporteat, semper seniorem junioi, & amplioris honori inferioti, & marem fœminę & ingenuum libertino præferemus. l. fin. ff. de fide instrum.

Præsumitur major fides in homine majoris dignitatis vt castitas in illustri muliere. l. 3. ff. de testib. Vndè qui indignus est inferiori, ordine, indignus est superiori. l. 4. ff. de Senat. & l. 4. ff. de rer. divis. *Vide Virtus Potestatis & Majoritas Principij.*

Sacramenta non sunt ità inter se paria, vt non sit vnum altero dignius. Concil. Trident. Sess. 7. c. 3.

EX THEOLOGIA.

ABrenuntiatio divitiarum comparatur eleemosinis sicut vniversale particulari & holocaustum sacrificio. 1. 2. q. 102. a. 3.

De paupertate voluntariâ. *Vide Minor. Potest.*

Adam efficaciùs meruisset quàm nos 1. q. 95. a. 4. D. Thom.

Analogum est tantùm in vno analogato, secundùm propriam rationem: vnivocum autem est in quolibet. 1. q. 16. a. 6.

Minimus ordo Angelorum est superior supremo ordine nostræ Hierarchiæ. 1. q. 108. a. 2. ad 3.

Omnes perfectiones sunt communes omnibus Angelis, sed perfectiùs & abundantiùs sunt in superioribus quàm in inferioribus. 1. q. 106. a. 4.

Habentes se benè ad divina, & passi injusta, habentes cor parvum, experti, habentes sanguineum pulmonem, & amatores vni' sunt aliis audaciores, propter caliditatem ampliantem, & extendentem cor. 1. 2. q. 45. a. 3. *Vide Princip. Virt.*

Scientia augetur secundum intentionem actus dupliciter, scilicet ex parte subjecti & secundùm numerum objectorum, sed virtus tantùm primo modo. 1. 2. q. 52. a. 1.

Aureola martyrum est simpliciter potior cæteris, virginum diuturnior, confessorum vero periculosior. 2. 2. q. 152. a. 1.

Charitas viæ non potest æquari charitati patriæ. 1. q. 117. a. 2. Quia propinquius se habet ad objectum suum, scilicet Deum, quàm fides & spes, ideò nobilior est eis. 1. 2. q. 66. a. 6. Imperat omni virtuti. 1. 2. q. 11. a. 4.

Charitas augetur essentialiter non per additionem, secundùm accensum ad terminum. 1. 2. q. 52. a. 2.

Charitas potest augeri in infinitum. 2. 2. q. 24. a. 7.

Gratia cujuscumque hominis quantumque crescat, non potest adæquari gratiæ Christi, quia comparatur ei sicut vniversale ad particulare, ideò non sunt ejusdem rationis. 3. q. 6. a. 11.

Debilitas concupiscentiæ ex charitate, vel temperantiâ auget meritum; sed ex pronitate, vel commoditate diminuit. 2. 2. q. 155. a. 4. ad 2.

De quolibet confessore dicitur, Non est inventus similis illi. 1. 2. q. 66. a. 2. ad 2.

Corpus vivum est perfectius corpore non vivo. 1. q. 5. a. 1.

Ex prælatis Ecclesiasticis soli Episcopi sunt in statu perfectionis, quia non possunt deserere curam animarum. 2. 2. q. 108. a. 6.

Christus operabatur divinitùs ea quæ sunt hominis, vt nasci de virgine, ambulare fixo gradu semper instabiles aquas. 3. q. 28. a. 2. ad 3.

Omnia septem dona spiritus S. sunt priora virtutibus intellectualibus, & moralibus ordine perfectionis & dignitatis, sed è converso ordine generationis & dispositionis. 1. 2. q. 68. a. 8. ad 2. Excelluntur autem à virtutibus Theologicis. Ibidem.

Per baptismum datur primus actus vitæ spiritualis, sed per Eucharistiam datur complementum ejus. 3. q. 79. a. 1.

Sumens Eucharistiam sacramentaliter consequitur majorem gratiam, quàm priùs sumendo spiritualiter tantùm. q. 80. a. 1.

Eucharistia gratiam causat, auget, & excitat eam, & & virtutes in actum. 3. q. 79. a. 1.

Quod in melioribus excedit, est simpliciter meliùs. 2. 2. q. 188. a. 7.

Plenitudo quiâ gratiæ, major non potest haberi, fuit in Christo. De plenitudine ejus omnes accepimus. 3. q. 7. a. 1.

Ampliot gratia collata fuisset antè peccatum quàm post. 1. q. 95. a. 4.

Gratia est major in vno, quàm in alio, ex parte subjecti, non autem exparte subjecti & finis. 1. 2. q. 66. a. 1. ad 1.

Gratiæ gratis datæ, non sunt communes omnibus, nec sunt omnes æquales in eodem. 2. 2.

Heroicum non differt à virtute communi, nisi secundùm modum perfectiorem. 3. q. 7. a. 2. ad 2.

Virtutes heroicæ sunt dona spiritus. 1. 2. q. 68. a. 1. ad 1.

Obligatio voti causatur ex fidelitate ad Deum, ideò est majot quàm obligatio iuramenti, quæ est ex reverentiâ Dei. 2. 2. q. 89. a. 8.

Iustitia post prudentiam est nobilior omni aliâ virtute morali, deindè fortitudo, & post has temperantia. Iustitia & fortitudo sunt simpliciter digniores temperantia quia, de meliori bono sunt, scilicet, communiori, sed est è converso secundùm quid; quia Temperantia est circà difficilius & frequentius. 2. 2. q. 141. a. 8.

Lex humana proponit præcepta tantùm de actibus justitiæ vel aliarum virtutum sub ratione justitiæ: divina verò de actibus omnium virtutum, vel obligando vel consulendo. 1. 2. q. 100. a. 2.

Lex divina se extendit ad actus exteriores; & interiores; sed lex humana tantùm ad exteriores: prohibet omnia peccata, non autem lex humana. 1. 2. q. 91. ad 4.

Lex vetus cohibebat tantùm manum, id est actus exteriores per pœnas; nova autem etiam mentem, & actus interiores. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. Promittit; & ordinat spiritualia, quod non facit vetus. Addit consilia super præcepta & nullus status potest esse perfectior statu novæ legis, quia immediatè introducit ad vltimam finem. 1. 2. q. 106. a. 4.

Perfectiora sunt quæ fiunt ex voto. *Vide Duratio Voluntatis.* de voto.

Magnanimitas est generalis virtus, in quantùm operatur magna in qualibet virtute, ornans eam, & faciens majorem. 2. 2. q. 129. a. 4.

Major sanctificatio fuit in Mariâ quàm in Ioanne Baptista & in eo major, quàm in, Ieremia, quia fuit proximior Christo. 3. q. 27. a. 6. ad 1.

De perfectioribus Angelis. *Vide Differ. Potest.*

Religiosi specialiter dicuntur, qui totam vitam suam mancipant cultui divino. 2. 2. q. 81. a. 1. ad 3.

Religiosi tenentur ad perfectionem plusquàm sa-

culares, in ijs tantùm quæ ad eorum vota pertinent. 2. 2. q. 119. a. 4.

Religio principaliter eſt melior, cujus finis eſt potior; id eſt ad majus, vel ad plura, ſecundario autem, quæ melius proportionatur fini. 2. 2. q. 188. a. 6.

Religioſi dicuntur crucifixi cum Chriſto, quia quælibet arctioris diſciplinæ inſtituta ſubeunt. 3. q. 46. a. 11.

Status mundi poteſt variari dupliciter: ſcilicet ſecundùm diverſitatem legis, & ſecundùm diverſos gradus perfectionis ſub eadem lege. 1. 2. q. 106. a. 4.

Virtutes non ſunt æquales, ſed vna virtus eſt major alia, & in diverſis ſpeciebus virtutum, & in eadem ſpecie, non quidem ſecundùm ſe, ſed ex parte ejuſdem hominis in diverſo tempore, vel ex parte diverſorum hominum, propter majorem aſſuefactionem, vel meliorem diſpoſitionem naturæ, vel rationis, vel propter majus donum gratiæ Dei. 1. 2. q. 66. a. 1.

Virtutes quæ ſimpliciter ordinant nos in bonum, ſunt ſimpliciter digniores virtutibus retrahentibus nos à malo. 2. 2. q. 157. a. 4.

Quælibet virtus tantò eſt excellentior, quantò ad altius bonum ordinatur. 1. 2. q. 111. a. 5.

Virtutes Theologicæ ſunt cæteris nobiliores, quia habent vltimum finem pro objecto; aliæ autem ſunt circà ea quæ ſunt ad finem. 2. 2. q. 4. a. 7.

Virtutes intellectuales ſunt ſimpliciter nobiliores virtutibus moralibus, propter nobilius objectum; ſed eſt è converſo, ſecundùm quid, ſcilicet vt virtutes, & reſpectu actuum. 1. 2. q. 61. a. 1. ad 3.

Virtutes intellectuales & morales perficiunt intellectum & appetitum, in ordine ad regulam & menſuram creatam, virtutes verò Theologicæ ad regulam & menſuram increatam. 1. 2. q. 62. a. 2. ad 1.

Votum Religionis includit omnia alia vota, & ſolvit eâ ſinè diſpenſatione, eſt enim potius voti amplificatio, quàm commutatio. 2. 2. q. 88. a. 11. ad 1.

Beati ſunt in ſtatu impetrandi, non autem merendi. 1. q. 62. a. 9.

EX BIBLIIS.

NIſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Math. 5.

Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta. Luc. 7.

Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros ſuccciderunt, ſed cedros immutabimus. Iſai. 9.

Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Iſai. 60.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic anima mea inter filias Adæ; ſicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios. Cant. 1. Inter malos bonus. *Vide Duratio Virtutis.*

Petrus dicit Ieſu, Etſi omnes ſcandaliſati fuerint in te, ego nunquàm ſcandaliſabor. Math. 26.

Ioannes dicit de Chriſto; Venit fortior poſt me, cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere. Marc. 1.

Ieſus dicit Centurioni, Amen dico vobis nec in Iſraël tantam fidem inveni. Luc. 7.

Non ad menſuram dat Deus ſpiritum. Ioan. 1.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me, ideſt conſilia Evangelica. Pſal. 24.

Creavit Deus cete grandia; luminare majus, quod præeſſet diei, & luminare minùs quod præeſſet nocti. A Ex aquâ eadem prodeunt aves & piſces. Gen. 1.

Inter animalia ſunt quædam quæ prævalent fortitudine, vt leones, aſtu vt vulpes; celeritate, vt cervi, lepores, &c.

Apocal. 14. Soli cantant canticum novum ante thronum agni, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, &c.

Finis, id eſt, conſummatio legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti. Rom. 1.

Sunt corpora cœleſtia, & corpora terreſtria, ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium. 1. Corinth. 15. *Vide Differentia Virtutis, & Differ. Cog. Major. Cognit.*

B Elegit nos Deus in Chriſto antè mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Epheſior. 1. & cap. 2. Iam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei.

IN QVIBVS EST MAIOR virtus.

DEMONSTRATIO.

C BONITAS. Major virtus eſt in eo qui illam ſequitur, invito licet genio, & adverſa natura.

MAGNITVDO. Excellentior habetur virtus quæ ad plura ſe diffundit; vt eſt civilis, ſic præſtantiores habentur vires, quæ graviori oneri ſuſtinendo pares ſunt, & melior fons cujus aquæ in plures rivos largo perennique fluxu derivantur.

DVRATIO. Meteora quædam micantia naſcendo diſſolvuntur; ignes noſtri defectu materiæ ſuis ſe cineribus ſepeliunt; at ſydera nihil ab externo mutuantia eſſentiali perpetuoque ſplendore donata ſunt: ſic præſtantiorem puta virtutem, quæ nec in proſperis, nec in adverſis deficit.

POTESTAS. Sapiens pluris æſtimat eum qui potuit
D tranſgredi & non eſt tranſgreſſus; & cui eminens integritas cum eminenti fortuna.

COGNITIO. Vera virtus quæ ex deſtinato procedit, quæ nihil caſui, fortunæ, externiſque motibus debet. Præſtantior fides in doctis, qui magis inſtructam potentioremque rationem divinæ mancipant revelationi.

VOLVNTAS. Charitas cæterarum virtutum anima eſt: quo liberior voluntas, eo præſtantior virtutis actus, quippè homini magis proprius.

VIRTVS. Religio prima eſt inter virtutes morales, quia verſatur circà nobilius objectum, ſcilicet Deum & hominem rerum medium ſuperioribus conſociat: Virtus eſt habitus ſecundùm rationem, vndè præſtan-
E tior eſt, quæ propiùs accedit ad primam rationem rationis humanæ regulam.

VERITAS. Vera virtus, non pictâ aut ornatâ facie, ſed ſimplex & recta eſt, quæ quærit Dei, non hominum oculos, quæ idæam boni contemplata, ipſi ſe conformem quantùm poteſt exhibet, cætera hic mediata & imperfecta non ſequens exemplaria.

GLORIA. Major in virtutis actibus delectatio indicium eſt perfectioris habitus. Ex præmij etiam ſeù vilis, ſeù honorifici magnitudine, conjicitur virtutis ſic dotatæ præſtantia.

DIFFERENTIA. Virtus vnita fortior eſt, vndè pietas ſecurior, fœcundiorque fit in ſolitudine, procul ab hominum & negotiorum tumultu: Cum mens humana ſe ſibique Deo vindicat, triumphum agit de hoſti-

bus, & hac fugâ in libertatem filiorum Dei ſe aſſerit.

CONCORDANTIA. Plùs proficit & emicat ſingulorum virtus in bonorum ſocietate, mutuis enim fovenſur omnes auxiliis, & in ſe reflexis ſplendent radiis. *Vide Concord. Virtut.*

CONTRARIETAS. Solidior virtus, quæ ſui experimentum fecit in adverſis; ſic ſub malleis incude ferrum induratur.

PRINCIPIVM. Purior ex fonte fluit vnda quàm quæ diù per rivos & canales ducta eſt. Præſtantior vis in cauſa, quàm in effectu. *Vide Major. Princip.* Hæc eſt imago eminentis perfectionis primi Principij Dei. Etiam eâ ratione quorundam initia ſunt magis fervida. *Vide Virtus Principij.* Initij.

MEDIVM. Sic plus eſt virtutis in manu momente, quam inſtrumento ab eâ moto, licet plùs exagitato: Virtus omnis naturalis viget circà medium, nam ſub initiis languet nondùm perfecta, ſub finem deficit effœta. *Vide Minorit. Princip.* Initij *& Minor. Fin.*

FINIS. Virtutes elementares & cœleſtes confluunt in mundi centrum & eâ vnione terra concipit ſpiritum, quo fœcundatur in productione metallorum, foſſilium, plantarum, &c. Sic natura artibus noſtris variè præparata, & laceſſita vires ſuas tandem explicat. *Vide Bonitas Magnitudo Virtus & Gloria Finis.* Terminationis.

MAIORITAS. Potiſſima miracula fiunt in mundo ſpirituali vi gratiæ, hominem ſuprà ſortem humanam efferentis. Ex alto lucidum magis effulget, & ex eminenti dignitate virtus.

GLORIA. Teſtimonium bonæ conſcientiæ triumphus eſt, quem decernit veritas & quem nulla tyrannis vetare poteſt; indè bonorum animus quò plura patitur, eò magis accenditur & lætatur, præmium enim ipſa eſt ſibi, & quamvis illud aliis aut invidiâ injuſtitiâ neget, vel detractet, apud ſe tamen etiam invita tribuit.

DIFFERENTIA. Diverſa diverſis munia, ſed vna veritas ſingula dirigens: alia claritas ſolis alia lunæ alia ſtellarum, ſed vna lux, quæ in lignis patridis, inſectis, gemmis, igne, oculis, luminaribus cœli fulget. Sic alij ſcientias profitentur, artes alij, ſinguli non ſolum diverſas ſed & variè, ejuſdem tamen luminis ductu, ſcilicet veritatis, ad quam tendunt & à quâ diriguntur.

CONCORDANTIA. Cœtus, vrbes, Reipublicæ ſub

ijſdem legibus viventes quis congregavit niſi veritas? A quâ cunctî bonum cognatum ſibi conveniens quærunt: inferiora, ſuperioribus non cederent nec tot differentes genij in vnum coagerent, niſi ordine poſito à veritate magiſtra.

CONTRARIETAS. Perpetua foret inter diverſas & oppoſitæ virtutis partes mundi diſſidia, ſi non ea componeret inditus quibuſque ad centrum commune motus, tàm certus & regulatus, vt ex eo animatum dixerint Platonici. Qualis quæſo inter homines contrarij genij, hoſtilis temperamenti, concordia abſque veritatis & juſtitiæ ſenſu. Quiſquis veritati militat, hunc nulla vis terrere, nulla ſupplicia dejicere poſſunt, teſtantur martyres qui teſtimonium perhibuere primæ veritati: ſtat immota veritas in mente, nec effluit corpore latere.

PRINCIPIVM. Fruſtrà leges omnes ſi non eſſet opus legis ſcriptum in cordibus noſtris, quod fons eſt, & origo omnis juris.

MEDIVM. Agens per intellectum ordinare debet media in finem, quæ conquiri, nec eligi, nec convenienter dirigi poſſunt ſinè veritatis lumine.

FINIS. Intendit finem homo, ſed finem, & mediorum ſuæ rationali convenienti modo, veritas autem hujus finis eſt & naturalis & ſupernaturalis, ad quem veritate dirigitur; via eſt, ſed & vita quæ humanum intellectum hîc illuminat vt perficiat in gloriâ.

MAIORITAS. Nullum eſt ſeculum, nulla ætas, quæ præſtantiores in quavis arte aut ſcientiâ non ſuſpiciat nullis libentiùs aut majori ſuffragio prælationis jura decernuntur, quàm ijs qui prudentia, ſincera virtute ac doctrinâ ſuprà cæteros eminent, & hoc ex veritatis in nos imperio.

ÆQVALITAS. Quod in commercio ac venalibus eſt pondus, numerus, mentura, hoc ipſum in vniverſo eſt veritas, illa prætium cuique rei tribuit, hæc omnibus æquâ lance jus patitur, etſi corruptio prævaleat foris, intùs ſemper conſcientia, ideſt æqui ac veriſimilioris ſenſus, reclamat.

MINORITAS. Quidquid corruptionis intulerit peccatum, viget adhuc in humanis mentibus lex æternæ veritatis, quæ nuditatem arguit, pudorem imprimit, latebras quærit, vt in Adamo. Timui eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.

DVRATIO VERITATIS.

CONTINVATIO EIVSDEM LEGIS ET VERITATIS.

MISCELLANEA.

Vide Duratio Cognitionis.

MELIVS eſt lege quàm plurima decerni quàm relinqui arbitrio judicum. Vndè Ariſt. 2. Polit. 8. Reprehendit Lacedemoniorum Rempublicam; quæ ſummam jus dicendi concedebat facultatem: tùm quia facilè judices poſſunt corrumpi; tùm quia vt hominis ſic civitatis eſt ſenectus, vndè deteriores promovebuntur ad Magiſtratum, & ab his fiet legum mutatio in pejus. C

Reges jurant ſe leges ſervaturos. *Vide Virtus Poteſtatis.* An Rex teneatur legibus. Fidem ſervent etiam hoſtibus. *Vide Veritas Poteſtatis.* Princeps ſit verax; & *Duratio Voluntatis.* Fides hominibus ſervanda.

Leges fundamentales regni ſunt immutabiles, illæ ſcilicet quæ ſunt quaſi pacta conventa de modo, deque cæteris ad ſucceſſionem, aut electionem pertinentibus. D

Idæa divina eſt æternum & incorruptibile exemplar. *Vide Principium Verit.*

Leges & ſententiæ debent inter ſe eſſe conformes, vt ſint immutabilia Principis decreta. *Vide Concord. Verit.*

Nefas eſt juvenes diſputare de æquitate legum, ſed illas debent venerari, & ſenes nunquàm agant de correctione legum, coràm juvenibus aut plebe. Plato. 4. de legib.

Leges à majoribus introductæ, non ſunt niſi magnâ vrgente neceſſitate mutandæ, nec temerè externi mores in civitatem ſunt admittendi; cùm extranei ad regimen non admittantur. Valent maximè leges propter authoritatem, quàm ſibi diuturnitate conciliaverunt: vndè lex optima ſit pernitioſa, ſi ſuâ novitate cæterarum legum afferat contemptum. Lex vetus ità chara eſt, vt ſe ſinè magiſtratu, pœnis, & præmijs tueri poſſit; non verò lex nova, licèt apparentis vtilitatis: ſi illi non conſentiat populus, relinquendæ potius eſt cicatrix, quàm infligendum lethale vulnus: meliuſque eſt ægrotum languere quàm mori: quod ſi vrgeat neceſſitas ad mutationem, ſic fiat vt habeatur ratio antiquarum legum. Kekerman. in polit.

Omnia ſecundùm rationem facienti, ſi non ſecundùm rationem ſunt, non oportet tranſire ad aliud, manente eo quod viſum eſt ab initio. Hypocrat. Aphor. 51. ſect. 1.

Vir bonus firmiter adhæret legi æternæ, illamque fideliter ſervat etiam inter malos. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus.

De vi conſuetudinis legalis. *Vide paſſim Poteſt. Duration.*

Conſiliarij non debent eſſe exteri, quia Reſpublicam ad quàm accedunt volent ad patriæ ſuæ mores inflectere: non debent etiam eſſe nimis acuto ingenio, novandis rebus apto. Lipſius in Politicis. *Vide Major. Cognit.*

Omnium beneficiorum, quæ tribuit potior fortuna ſubjectis, certa ſunt tempora; ſolæ leges, quæ in bonum commune procedunt, nunquàm patiuntur

Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. Οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ. Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ· οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν. Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγεν, λέγων· Οὗτος ἦν ὃν εἶπον· Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν· ὅτι πρῶτός μου ἦν. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· μονογενὴς θεὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. Οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ. Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ· οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν. Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγεν, λέγων· Οὗτος ἦν ὃν εἶπον· Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν· ὅτι πρῶτός μου ἦν. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· μονογενὴς θεὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

Fidelis Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non fuit, eſt & non, ſed eſt in illo fuit. 2. Cor. 1.

Miror quod tàm citò transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti. Galat. 1.

Noli contendere verbis; ad nihil enim vtile eſt; niſi ad ſubverſiones audientium. 2. Tim. 2.

Non eſt probatus liber Stephani Gobari Tritheitæ, multa ad fidem pertinentia problematicè proponentis & probantis. Photius Biblioth. c. 231.

Scientia eſt habitus eorum, quæ ſemper & ſimiliter eadem fuerunt.

Cœlum & terra, & quidquid omninò carnis oculus attingere poteſt, antè tranſibit & peribit, quàm jota vnum ex his omnibus, quæ locutus eſt Deus, &c. D. Bern. ſerm. 28. ſuper Cantica.

Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequij, non variare judicium, &c. Tertull. lib. de ſpectat.

Simplex perpetuò non facit ea quæ nunquàm ſimplicia ſunt. Plat. de Regn.

Quòd ſemper ſic ſe habere videtur, verum videtur. Ariſt. l. 2. Rhet. c. 9.

Communis lex nunquàm immutatur, cum ſecundùm naturam ſit, jus verò ſcriptum ſæpiùs. Ariſt. l. 1. Rhet. c. 15.

Si leges abrogentur, & cui vis licentia faciendi quid quid voluerit data ſit, non ſolùm Reſpublica peſſum ibid, ſed nihil intererit inter noſtram & ferarum vitam. Demoſt. Ex orat. 2. cont. Ariſtog.

Decet vos qui judicijs ferendis ſemper præfecti eſtis leges conſervare, & eas validas & fortes reddere harum enim beneficio probi improbis meliores evadunt. Id. ex. orat. 1.

Sunt leges quandò feruntur conſiderandæ, quænam & cujuſmodi ſunt; cum verò receptæ fuerint cuſtodiendæ. Id adverſ. Midiam.

Inter præcepta vitæ Politicæ, quæ vetuſtas gravi authoritate tradidit, hoc quoque ſæpè repetitum eſt, non temerè mutandas eſſe veteres leges; jubentque aliqua parva incommoda condonari multitudini, nè motâ Reipublicâ vt ægro corpore majora mala accidant, & cum Platone vt deliri Patris, ſic deſipientis Patriæ mores tolerandos eſſe docent.

Vt in morbis non ſunt tentanda nova remedia ſi veteribus ſuccurri malo poſſit: Sic non ſunt condendæ novæ leges, ſi veteres miniſtrent aliquid; quò malis Reipublicæ medearis. D. Aug. in Epiſt.

Leges & optimæ conſuetudines in Republicâ non ſunt momentò mutandæ: Sed ſi pro communi vtilitate quicquam mutandum eſt, ſenſim mutandum eſt. Patric. lib. 6.

Leocenſes ſic putant veteribus vti legibus, & inſtituta mores quæ patriæ tueri, nec ad cujuſque voluntatem & injuriarum impunitatem leges ferendas eſſe: vt ſi quis velit legem ferre, in laqueum collum inſerens legem ferat: etſi honeſta videatur eſſe lex & vtilis, vivit qui tulit eam & abit; ſin minùs, conſtricto laqueo perit. Demoſt. cont. Tim.

Cœleſtinus Papa Ep. 1. Scribit ad Epiſcopos, & reprehendit, quod in veſtitu Clericorum novum vſum inducerent, movetque vt quem à majoribus acceperint retineant. Baron. an. 428.

RELIGIONIS ANTIQVITAS.

ANtiqui Ethnici hoc maximè Chriſtianis improperabant, quod avitam Religionem multorum ſæculorum temerè abjeciſſent.

Primò Macab. 2. Proteſtatur Matathias, etſi omnes obediant Antiocho, ego & filij mei & fratres mei, obediemus legi Patrum noſtrorum.

Paulus Æmilius augur factus, noluit vllas antiquas Religionis cæremonias immutare, hinc enim via aperiretur majora & præcipua immutandi, nec enim à gravioribus incipitur. Plut. in Paulo Æmilio.

Refert Athæneus. lib. 12. c. 7. cum Lapitarum duces Deos domeſticos è templis ſuſtuliſſent, dicterio addicto, potentioribus loco cedendum, ignem cœlitùs dilapſum ità eos perterruiſſe, vt non modò ſigna ablata repoſuerint, ſed etiam majore quàm anteà honore venerati.

Meſſenij habebant operta quædam & antiqua ſacra: è quorum obſervatione totius vrbis exiſtimabant pendere ſalutem. Paul. in Meſſenicis.

Paulus monet Timotheum, vt vitet verborum pugnas, & cum novitates. Tim. 6.

Vide Min. Cognit. de Religione non diſputandum Chriſtus canticum novum Deo cecinit per legem novam: Sed nè inquit meum ſalutare canticum ità exiſtimes eſſe novum, vt vas vel domum; erat enim antè luciferum, & in principio erat verbum; etſi vetus error appareat & nova veritas; debent autem eſſe antiquior veritas, à quâ error declinat. Clemens Alex. in exhort. ad gent.

Deſtruitur altare quod ſinè reliquis Sanctorum fuerit extructum can. altaria. de conſec. diſt. 1. Eſt in eo aliquid primitivæ Eccleſiæ.

D. Aug. l. cont. Ep. Manich. cap. 4. Tenet me inquit, in Catholicæ Eccleſiæ gremio conſenſio populorum, atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata tenet ab ipſâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſinè causâ inter multas hæreſes Sola Eccleſia obtinuit.

Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis. Pſ. 44. Quia verbum divinum quod dicitur, non tranſit, ſed manet. Ideò maluit comparare ſcriptis quæ manent, quàm ſonis. D. Aug.

Super montes volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Pſ. 103. Aves, id eſt ſpirituales: Nè à ventis tollantur, in montibus requieſcunt id eſt in Apoſtolis, Prophetis; in talibus montibus petras inveniunt, id eſt firmamenta quædam præceptorum; ſicut enim illa Petra Chriſtus verbum Dei, ſic verba Dei multæ petræ & iſtæ petræ in montibus: Vide aves ibi inhabitantes; ſed noli putare quod iſta volatilia cœli authoritatem ſuam ſequantur, de medio petrarum dabunt vocem ſuam. Nihil ſuaviùs tali voce alitum, illæ ſonant & petræ reſonant, reſpondens ſcripturæ, teſtimonium dant Iſaias, Petrus Paulus, petra autem erat Chriſtus. Tu particeps verbi & hodie ſpiritalis, heri carnalis, ad carnales dedignaris deſcendere, cum ipſum verbum factum ſit vt habitaret in nobis. D. Aug. in Pſ. 103. Non ſumus Pauli, nec Cephæ, ſed Chriſti.

Sacrificaſſe Deo illos antiquiſſimos homines ſacra hiſtoria non tacet, quod in duobus primis fratribus claruit, & Noë poſt diluvium cum de arcâ fuiſſet egreſſus hoſtias Deo legitur immolaſſe. l. 15. de civ. cap. 4.

Ea quæ circà Catholicam fidem vel ordinavit antiquitas, vel parentum noſtrorum authoritas religioſa conſtituit, novellâ ſuperſtitione remotâ, integra & inviolata cuſtodiri præcipimus. l. 2. Cod. Theodoſ.

Ego

Ego meum Evangelium dico verum ; ego Marcionis adulterinum affirmo : Marcion meum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem quod antiquiùs reperietur, & ei præjudicans vitiationem quod posteriùs revincetur. Tertul. l. 4. cont. Marcion.

State super vias & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in eâ. Ecce ego adducam mala super populum istum, quia legem meam non custodierunt, vt quid mihi thus de Saba offertis, &c. Ier. c. 6.

Ite ad locum meum in Silo vbi habitavit nomen meum à principio. cap. 7.

Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ & prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, viderunt eam hostes & deriserunt Sabbata ejus : vidit gentes ingressas sanctuarium suum. Thr. 1.

In die illa suscitabo tabernaculum David. quod cecidit & reædificabo aperturas mutorum ejus, & eâ quæ corruerunt instaurabo, & reædificabo illud sicut in diebus antiquis. Amos. 9.

Audistis quia dictum est antiquis ; ego autem dico vobis. Matth. 5.

Transite ad insulas Cethim, & videte si mutavit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt Dij. Populus verò meus, mutavit gloriam suam in Idolum. Ierem. 2.

Ipsa res, quæ nunc Religio Christiana nuncupatur, erat, & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse veniret in carnem, vndè vera Religio, quæ jam erat, cœpit appellari Christiana : Cùm enim eum post resurrectionem, ascensionemque ejus in cœlum cœpissent Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt Discipuli Christiani. Nostris ergo temporibus hæc est Christiana Religio, non quia priotibus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit, quàm cognoscere & assequi suavissima & certissima est salus. D. Aug. lib. 1. Retract. c. 13.

Omnes Religione moventur, & Deos Patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur. Cic. 6. Act. in Verr.

FALSITATIS ET HÆRESIS inconstantia.

Vide suprà Potest. Veris. Quòd tandem prævalet, & illucescit veritas.

Doctrina inconstans, non habent vnum colorem, mentis lepram significat. D. Aug. serm. 10. de verbis Apostoli. c. 6.

Viri sanguinum & dolosi : Fundentes spiritualem sanguinem ; non dimidiabunt dies suos, id est brevi finientur. D. Aug. ser. in Ps. 54.

Ad nihilum devenient tanquàm aqua decurrens. Ps. 57. Torrentes hyemalibus aquis implentur, post paululùm decurrit aqua, ad tempus perstrepunt, mox cessabunt, diù stare non possunt : multæ hæreses jam mortuæ sunt, cucurrerunt in rivis suis quantùm potuerunt, nunc siccati sunt rivi. D. Augustin. in Psal. 57.

Deus meus pone illos vt rotam. Ps. 82. Vt non sint in eò quòd cogitant stabiles. Rota ex his quæ retrò sunt extollitur ex his quæ antè sunt dejicitur ; sic fiunt omnes inimici populi Dei, & sicut stipulam antè faciem venti. D. Aug. in Psal. 82. Sicut flammâ comburens montes, &c. Flammâ ex montis visceribus nascens montem consumit. Ib.

Luc. 8. Porci à dæmonibus in mare præcipitati hæreticos significant, qui Ecclesiæ credere nolentes, aufugientibus Pastoribus, cæcâ & profundâ curiositate submersi sunt. D. August. lib. 2. quæst. Evangel. cap. 13.

Talia monstra diù non vivunt, quod peccant in naturam, causa est illis non diù dilati interitus. *Vide Min. Dur.*

B. Iudas. in Ep. Cathol. Illos vocat nubes sinè aqua, quæ facilè à ventis circumferuntur, arbores eradicatæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, despumantes suas cupiditates.

Manna contrà legem collectum citò corrumpebatur, nec poterat diù asservari.

Non durant hæreses, quia inter se contrariæ sunt ; pugnantque in invicem, vt venena. Non est inter illos consonantia harmonica, sed confusio Babylonica. *Vide infrà Conc. Verit.*

Veritatis vna vis, vna facies est ; at nunquàm in falsis constantia, variantur & dissident. Senec. Ep. 102.

Sic convincuntur falsi testes.

Act. 5. Gamaliel in Concilio Pharisæorum refert multos pseudoprophetas, qui à seipsis dissoluti sunt, ideò suadet Apostolos liberos esse relinquendos, quia si Concilium non sit à Deo citò dissolvetur.

EX VTROQVE JVRE.

DE exceptione rei judicatæ. ff. 44. t. 2. Sententiam rescindi non posse. C. 7. t. 50.

Vt post litis contestationem, vel sententiam definitivam non liceat Imperatori supplicare. Cod. 1. 14.

Quia jus naturale semper bonum est, ideò à plerisque populis semper custoditur. l. omnes. l. penult. ff. de just. & jure. §. penult. Inst. de jur. nat. Dicitur quod jus naturale est immutabile : est enim divinæ & immutabilis justitiæ simulachrum.

Ex his quæ fortè vno vel altero casu eveniunt jura non constituuntur. l. 5. ff. de legib.

Minimè sunt mutanda quæ interpretationem certam semper habuerunt. l. 23. ff. de legib.

Alimentorum causâ veritati non facit præjudicium. l. penult. ff. de his qui sui vel alien. jur.

Ius publicum privatorum pactis mutari non potest. l. 38. ff. de pact.

Durat semper veritas, & prævalet his quæ sunt in contrarium. *Vide Potest. Ver.*

Acceptilatio non tollit obligationes juris gentium. §. item per acceptilationem inst. quib. mod. toll. obligat.

Acta publica faciunt perpetuam fidem, etiam mortuo, vel remoto judice lib. fin. Cod. de re. judic.

Adjudicationem suam debet judex tueri. l. 44. ff. famil. Erciſc.

Æquum quod quisque putavit in se, debet similiter putare æquum contrà se. l. 1. ff. quod quis jur.

Arbiter non cogitur sententiam dicere, nisi intervenerit compromissum, id est pœna hinc indè promissa standi ejus judicio. l. litigatores. ff. de recept. arbit.

Causâ jurejurando decisa non retractatur prætexta perjurij, nisi in casibus à lege expressis. l. 1. Cod. de reb. cred.

Caveri potest etiam furi & prædoni. l. 13. & gloss. ff. de injurijs.

Advertisements.

Mr. Hall, Surgeon Dentist, 32, Bedford-street, Covent-garden, begs to inform the Nobility and Gentry, that he has invented a method of fixing Artificial Teeth, which will not only restore the appearance of the mouth, but will also enable the patient to masticate his food with the greatest ease and comfort. Mr. Hall's method is entirely free from springs, wires, or ligatures, and is applicable to every case of loss of teeth, however extensive. Mr. Hall's Artificial Teeth are unrivalled for their beauty and durability, and are fixed on the most moderate terms.

Mr. Hall, Surgeon Dentist, 32, Bedford-street, Covent-garden, begs to inform the Nobility and Gentry, that he has invented a method of fixing Artificial Teeth, which will not only restore the appearance of the mouth, but will also enable the patient to masticate his food with the greatest ease and comfort. Mr. Hall's method is entirely free from springs, wires, or ligatures, and is applicable to every case of loss of teeth, however extensive. Mr. Hall's Artificial Teeth are unrivalled for their beauty and durability, and are fixed on the most moderate terms.

AN EPITOME OF THE NEWS.

FOREIGN.

FRANCE.

The Paris papers of Wednesday contain the following telegraphic despatch:—

"Paris, Tuesday, 4 o'clock.

"The Emperor has received the following despatch from Prince Napoleon:—

"Camp before Sebastopol, Sept. 8, 1 o'clock.

"The Russians have evacuated the south side of Sebastopol. They have blown up the docks, the arsenal, the barracks, and the fortifications. They have burnt the vessels which they could not take away. The French and English armies have taken possession of the south side of Sebastopol."

The Moniteur of Wednesday contains the following despatch:—

"Camp before Sebastopol, Sept. 8, 1 o'clock.

"The Russians have evacuated the south side of Sebastopol. They have blown up the docks, the arsenal, the barracks, and the fortifications. They have burnt the vessels which they could not take away. The French and English armies have taken possession of the south side of Sebastopol."

RUSSIA.

The Russian official account of the evacuation of Sebastopol is as follows:—

"Sept. 8.

"The enemy, after a bombardment of unprecedented violence, directed against the bastions and the Malakoff Tower, made an assault on the 5th inst. with 60,000 men. The attack was repulsed with great loss to the enemy. Our loss was also very great. Gen. Osten-Sacken, Gen. Khrouleff, and Gen. Semiakine were wounded. Gen. Khrouleff has since died of his wounds. Gen. Todleben was slightly wounded

Donec occurramus omnes in virum perfectum, in vnitatem fidei, vt jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in malitia hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris. Eph. 4.

Ecclesia Dei vivi est columna & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3.

Timotheæ depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quàm quidam promittentes circà fidem, exciderunt. 1. Tim. 6.

Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. Deut. 4.

Quòd præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam nec minuas. Deut. 12.

Et ligabis verba mea quasi signum in manu tuâ; scribesque ea in limine & vestibulo domus tuæ. Deut. 6.

Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Ps. 1.

Veritas Domini manet in æternum. Ps. 116.

Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum & exquiram eam semper. Psalm. 118.

Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum. Ioan. 12. Ipse est veritas.

Legem ergò destruimus per fidem, absit, sed legem statuimus. Rom. 3.

LEGES QVANTVM fieri potest sint perpetuæ.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt corpus Reipublicæ dicitur esse immortale, sic immortalis etiam debet esse lex, quæ est ejus anima, quippè spiritualis, intellectualis, originis divinæ, & cujus Principes sunt tantùm organa lex comparari potest humido radicali, cujus beneficio vita incipit, & propagatur vsque ad vltimùm sibi dictum terminum.

MAGNITVDO. Cùm hic nulla sit absoluta bonitas. *Vide Med. Bonit.* Ideò lex non debet revocari, quia omnibus perfectè non providet. Agit negotium publicum, cujus utilitas satis putatur ad omnes pervenire, quia privata omnia stant Reipublicæ beneficio. Cæterùm cum lex sit communis sponsio, omnes obligat. *Vide Magn. Var.* Vndè agit contrà factum suum, & pars vult fieri major suo toto, cum cives aliqui audent in legem inquirere.

DVRATIO. Leges nihil possunt in præteritum, ità latè conantur in futurum extendi; æmulantur, quantùm licet, perpetuitatem legis æternæ à quâ fluunt: Et sanè si amplioris sunt ævi, vixque senium sentiunt fœtus, quos diuturni temporis meditatione edidit natura, vt aurum, gemmæ, &c. Perpetuæ debent esse leges, quas longa sapientum, imò & sæculorum bono publico consulentium experientia parturijt.

POTESTAS. Legis proprium est imperare: vtque semel electas potestates, sic constitutas leges pati convenit. Nõ tantum populos, sed & rectores, quasi fræno continent; quod autem continet minùs debet esse mobile, quàm quod continetur. Si Principibus summum ad leges novandas jus concesseris, nihil non movebit effrænis ambitio, seù vanitatis, seù cæterarum passionum impetu: Faustum non erit regimen, nisi ratio superior sit illi pro temperamento.

COGNITIO. Mens humana ex citatis, & inconstantiæ suæ conscia, gaudet vt Mercurius solida reperire quibus hæreat. Sic omnes artes & scientiæ sibi principia constituerunt, de quibus dubitare nefas est. Ità placent, & efficaciùs movent exempla, quæ salvo inquisitionis labore controversiam omnem facto dirimunt. Vagam illam mentis, plùs in nociva quàm in profutura, excursionem continet in Religione fides, in politicis lex. Novitate placent, primi mentis nostræ partus, qui postmodùm apparent rationis & justitiæ peccata. Temerarium est fidem antiquis non habere; novos & inexpertos plurium sæculorum rectè consulta, vt libuerit, abrogare.

VOLVNTAS. Veritas est pulchritudo divina nunquàm marcescens, cui sic populi suum & nepotum perpetuum amorem vovent, & nunquàm interituram venerationem. *Vide Durat. Vol.* Tolerandum est aliquid à lege vt ab amicis, fremant licet passiones his onerata catenis, sciantque nullam sibi in posterum superesse libertatis spem à rationis & legum imperio.

VIRTVS. Singulæ virtutes morales certis suis constant legibus; quæ multò minùs debent esse mobiles in politiâ quàm in vitâ privatâ. Nam magna moles difficiliùs movetur; Amplior aquarum congregatio diutiùs à corruptione servatur immunis. *Vide Dur. Magn.* Temperantis est novitatis titillatione nova non sectari, in contemptum probatæ antiquitatis. Fortis non citò deficit nec gradum revocat, seù pulsetur adversis, seù alliciatur prosperis. Prudens vitat levitatem, nec se facilè committit inexpertis. Iustus, denique legem quæ publici juris effecta est, quæ jus sibi præscriptione quadam quæsivit, præfert novis & suspectis particularium inventis.

VERITAS. Fidem habemus mechanicæ organis regulis, circinis, & similibus, quid ni in politiâ legibus? Nulla constabit veritas, si diù probata, & fœliciter experta in dubium revocentur. Meliot putatur novâ lex, esca est, quæ à melioribus in pejora divertit. Turpissimum est, fateri Rempublicam diù verum ignorasse, diù fuisse deceptam; si quod de novo proponitur fœliciter succedat, hinc pronæ fient mentes ad omnem mutationem; si infœliciter, quis furor incerta certis præferre, corpore relicto vmbram sectari, & se proprijs discerpere manibus?

GLORIA. Nihil tàm publicæ quieti contrarium quàm legum mutatio; vix enim populi venerantur, sed præmaturo contemptu lædunt, quas citò reputât desituras. Itaque non tantùm novitas, verum ipsa novitatis opinio publicæ paci semper insidiatur; nullaque sic superetit Rectoribus & populis securitas.

DIFFERENTIA. Cùm omnia legibus non sint determinata, amplissimam habet prudentia latitudinem, in quâ se fœliciter explicet, & flectat pro rerum, temporum & personarum varietate. Super immotâ legè essentiali, fieri possunt innumeri temporariarum legum motus; sic mentibus simul & constantiæ & novitatis avidis, pertinacibus & inquietis, medio quodam ex vtrisque temperato remedio consulitur.

CONCORDANTIA. Mutatio paucis blandiens multos lædit, nam ægrè relinquitur id, cui diù assuevimus. Monet sapiens veterem amicum cum novo facilè non commutandum. Lex de quâ fit quæstio, fortassis abstractè considerata habet aliquid iniqui, sed quod in tali Republicâ cedit in majoris mali remedium. *Vide Media Virtus*; è duobus malis minùs eligitur. Sic ex prodigi & avaræ connubio fit fœlix œconomiæ temperamentum.

CONTRARIETAS. Quid non in se invicem audebûnt privati, si aliquid impunè possint in ipsamet leges. Hoc vnum Principis misericordiam cum justitiâ con-

ciliat : habet quò ſe illæſa clementiæ ſuæ fama tueatur, contrà gratiarum importunos poſtulatores, dùm à reis exigit pœnam leges imperio, cui parendum eſt, præſcriptas. Odium coërcitionis fœliciter rejicitur in legem, ſpiritualem, divinam, extrà paſſionis humanæ feros motus poſitam & cui omnes benedicunt, paucis in quos vindicatur blaſphemantibus.

PRINCIPIVM. Lex ex communi naturâ principiorum debet eſte immutabilis, vt Deus, cæli. &c. *Vide Durat. Pot.* Hinc enim maximè venerationem meretur, quod conſolitæ inferioribus alterationi non ſubjaceat. Leges à Deo ſunt. *Vide Princ. Ver.* Vndè nihil in illas poſſe debent Principes.

MEDIVM. Perpetuitas hæc ideæ & legis agendorũ, habet aliquid æternitatis ad quàm tendimus, vt ſemper ijdem ſimus conſilio, affectu, votis, ſi non opere. B

FINIS. Vnicus eſt motus naturalis, quoad centrum pervenitur; nam ab vnitate centri pendet vnitas motus: Sic eadem ſit lex, quâ ad ſtabilem tendimus beatitudinem, ſeù civilem, ſeù ſupernaturalem. Cùm laborat Reſpublica debet ad primùm ſuum ſtatum, quantùm fieri poteſt, revocari: & indè patet fœlicitatem ſuam ab antiquâ conſtitutione pendere.

MAIORITAS. Nulla legibus major poteſt conciliari authoritas quam ex antiquitate, quæ plurium ſæculorum experimentis & conſilio confirmat verum de quo quæritur. Si quid tempore proficiens prudentia adjicit antiquis ſtatutis ornat illa, non immutat.

ÆQVALITAS. Nulla niſi ſanis diù ſibi par poteſt eſſe conſtitutio: Qui de mutatione legum conſulit, ægram fatetur Rempublic. ſic bonis merum, diffidentiam, deſperationem, hoſtibus audaciam inſpirat: Quis enim ægrum ſe ſentiens magna velit aggredi, & quis morbo jacentem timeat impetere.

MINORITAS. Ergò qui notantur in lege defectus tolerentur potiùs quam deveniatur ad novitates, forte magis nocivas, & vltrà ſeptem metumve nocituras: Levius fit malum ipsà conſuetudine; ægra quædam corpora putri ſanguinæ, vt alia puro, nutriuntur; vitam tollis, ſi exactam remedia velint inducere purgationem.

FIDEI DIVINÆ CERTItudo & Eccleſia infallibilis.

SCintillant ſtellæ, & tremulum eſt illis lumen, quia illud, vt potè debile, aëris motus quatiunt, atque diſpergunt, id quod etiam in ventillationibus manifeſtè conſpicitur: ſic lapides in imò fontis, ob aquæ motum tremere videntur: Sol autem & Luna ideò ſcintillas non emittunt, quia robuſtioribus viribus radios ejaculantur, quàm vt aëris motu diſtrahi poſſint. Ratio humana vacillat, Fides divina certa & invariabilis eſt.

Ideò cum ſit certa fides, nihil de illâ humanæ rationis diſcurſu curiosè eſt inquirendum. *Vide Media Cognitio & Minoris. Cognition.*

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Pſ. 75. Id eſt per ſublimes doctores, qui æterna nos docentes, & ad illa nos deducentes, neſciunt mutari. D. Auguſt. in Pſam. 75.

In cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Tranſeunt nubes, cœlum autem manet; tranſeunt prædicatores verbi tui ex hac vitâ in aliã vitam, ſcriptura verò tua vſque in finem ſæculi ſuper populos extenditur, ſed cœlum & terra, non verba tranſibunt. Id. lib. 13. confeſſ. cap. 15.

A Deus poſuit firmamentum dividens aquas, quæ ſuper cœlos ſunt, ab aquis: firmamentum illud eſt Eccleſia, quæ fideles efficit, firmâ fide, non incertâ ratione credentes. *Vide Media Cognit.*

Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & porte inferi non prævalebunt adversùs eam. Vt verbo Domini cæli firmati ſunt. & cum dixit fiant luminaria, facta ſunt; germinet terra ſtatim omnia hortus & pratum; ſic cum dixit ædificabo Eccleſiam meam facta eſt potens etiam contrà Tyrannos. Sermo Dei velut ignis validus adveniens ſpinas conſumpſit, agnos tepugarvit, ſeminavit verbum prædicationis in duraturam meſſem ſurrecturum. De templo Salomonis dictum eſt, Non manebit lapis ſuper lapidem. De hoc autem dixit veritas. Et portè inferi non prevalebunt, &c. D. Chriſoſt. Hom. Quod Chriſtus ſit Deus.

Eccleſia etiam dum militat triumphat, fidei ſuæ certitudini.

Quod Eccleſia non deficiat, & ſi opugnetur. *Vide Contrarietas Virtutis.* Eccleſia militans.

Eccleſia pugnare poteſt expugnari non poteſt; hæreſes omnes de illa exierunt tamquàm ſarmenta inutilia de vitæ præciſa ipſa autem manet in radice ſuâ, in vite ſuâ in charitate ſuâ. D. Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Cathecum. cap. 6.

Mulierem fortem quis inveniet, &c. Difficile eſt, C non impoſſibile Eccleſia enim eſt illa mulier fortis, & quis illam inveniet niſi Chriſtus, quomodò enim non eſt fortis, quæ tantis tribulationibus ab initio mundi non ſuccubuit non autem eam fortem Chriſtus invenit ſed inveniendo fortem effecit, cum relictis quinquaginta novem illam humeris proprijs aſportavit. Idem ſerm. 217. de tempore.

Super maria fundavit eam; Id eſt ſuper fluctus ſæculi hujus, & ſuper flumina præparavit illam, Id eſt firmavit illam ſuper cupidos homines, qui vt flumina labuntur in mare ſæculi hujus. D. Aug. in Pſ. 23.

Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Pſal. 30. Tabernaculum eſt habitaculum militum. Id eſt Eccleſiam militantem deffendens ab D hæreſibus. D. Aug. in Pſ. 30. conc. 3.

Quod capiti, hoc & corpori, ſicut enim Domino in cruce, ſic corpori ipſius, in omni illâ quæ jam facta eſt perſecutione, quidquid voluerit faciant, jam Chriſtus in cœlo eſt, honoravit pœnam ſuam, crucem ſuam in omnium frontibus fixit. Idem in Pſal. 34. Conc. 2.

De ſummo Pontifice, cui infallibilitas à Chriſto data eſt. *Vide Majoritas Poteſtatis.*

Propter Eccleſia Romanæ primatum memini licet de ejus judicio judicare. Can. nemini 17. q. 4.

Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. Timot. 3.

Rhodi egregia Zeuxidis tabella, quæ tres egregios E Heroas pictos referebat, Melagrum, Perſeum, Herculem: hîcibi ter fulmine ambuſta, neque obliterata, hoc ipſo miraculum auget. Plin. lib. 35. c. 10.

Eccleſia Trinitatem profeſſa, victrix, licet tot hæreſibus impetita.

NOVITAS IN RELIONE potiſsimum fugienda.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vera Religio colit eſſentialem Dei perfectionem, vt ſummâ quâ poteſt adoratione, ſic

etiam perpetuâ quodammodò eſſentiali, & non accidentium more fluxâ, ad exemplum naturæ, ſibi ſemel dictas leges fideliter ſervat; ſic indeficientem in ſe, & in creaturas bonitatem, indeficienti ſibique ſemper ſimili obſequio teſtatur.

MAGNITVDO. Infinitam divinæ vnitatis perfectionem æmulatur quantùm poteſt Religio, cui vt completæ nihil ſuperaditur, nihil detrahitur. Sciant populi perfectum eſſe quod agunt, & quæ in talibus minima videntur, maxima ſub myſterio complecti: vni inſtituto firmiter adhærentes exactam ejus aſſequuntur obſervantiam hoc maximè blanditur votis circà divina maximum quid ambientibus.

DVRATIO. Æternis & immutabilibus perpetuus ſibique ſemper ſimilis debetur cultus: Optimum, divinumque putatur, quod per tot ſæcula, inter rerum & opinionum varietates, manſit illæſum. Ex præteritis futurum conjiciens populus, vota donaria ſua largiùs profundit, pietatis ſuæ apud poſteros monumenta; ſic cavet familiæ ſuæ, famamque conciliat naſcituris nepotibus, ſpe certò fundatâ ſuper duraturâ ſemper Religione.

POTESTAS. Incorruptibiles facti ſunt cæli, inferiorum viciſſitudines recturi: Sic cum Religio debeat imperare. *V. Pot. Virt.* extrà rerum & opinionum humanarum varietates conſtitui debet: Non alterantur cœleſtia à terreſtribus, nec divina ab humanis. Hoc maximum veræ, divinæque Religionis argumentum, quod regnantium animos, omnia ad potentiæ ſuæ ſpectaculum ambitioſè voventes, continet, nè quid in illam poſſint: Si enim mutabilis eſſet Religio ad nutum regentium, ſic tandem immutaretur, vt non eſſet oppreſſis populis aſylum, ſed ſævum politiæ organum, novique catenarum tractus, quibus interior quæ miſeris ſuper eſt libertas integra tolleretur.

COGNITIO. Si quantumcumque ſe torqueat humana ratio, divina non poſſit aſſequi, ſaltem conſiſtat in aliquo; tum vt vanæ inquiſitionis, totque errorum labores non ſuſtineat; tùm vt eam quæ veritati contingit quietem æmulentur. Primæ veritatis decreta humanæ rationis obſequium, non judicium expectant. *Vide Med. Cogn.* Religionis myſteria curiosè non inveſtiganda.

VOLVNTAS. Præcipuum Religionis munus poſitum eſt in charitate, & in intimo illo circà divinam bonitatem affectu: hîc ſe diffundat quantùm libuerit charitati nullus poſitus eſt terminus, modus amandi Deum eſt amare ſinè modo. *Vide Magn. Vol.* Sic indulgetur animo infinita pro infinito Deo tentanti, intactis interim fidei & externi cultus decretis.

VIRTVS. Religio, quæ prima eſt inter virtutes morales, debet vt cæteræ ſuis limitibus circumſcribi: huic ſuæ firmitati, & vere fortitudini patrocinantur virtutes omnes: Prudentia non judicat de occultis, non aggreditur ſuprà ſe poſita, tradit fideliter poſteris quod ab antiquis accepit, non movet publicæ quietis fundaméta, nec incertas melioris inſtituti ſpes certò tamque metuendo antiqui ritus excidio putat eſſe promovendas. Habet animus ſuas Temperantiæ leges, vt ab illicitis, licet blandientibus, abſtineat: Iuſtitia, ſervato judiciorum ordine, Divina non cenſet in ius vocanda coràm humano judicio, in talibus, vt ſuprà ſe poſitis, & in causâ ſuâ incompetenti.

VERITAS. Hæc Religioni conciliandæ eſt veracitatis fama, quod nunquàm aberraverit; ſi enim erroris arguatur, ſi quæ diù pro veris & ſanctis habita ſunt, vt falſa & inepta rejiciantur, in vno falſitatis rea, talis habebitur in cæteris, nihilque tam anguſtum aut ſanctum, in quod non aliquis aut ſuſpicetur, aut audeat mentis humanæ temeritas.

GLORIA. Hoc vnicum datur inter homines immorum, ſuper quo cæterarum rerum viciſſitudines revolvantur. Inter tot caſus, quæ futura eſt hominibus quies, ſi quæ Religio proponit de rebus æternis in dubium revocentur? Nullum datur effugiũ, cum terra, cui inſiſtimus, concutitur & in hiatus deſcit: Nulla humanis animis tranquillitas, ſi convellantur quibus inſidet, Religionis fundamenta.

DIFFERENTIA. Cum penitùs coërceri non poſſint humanæ rationis motus. *Vide Med. Contr.* In rebus divinis aliquid illi indulgetur per quæſtiones & opiniones, citrà fidem vnicuique libertas. Sic intrà vinculorum ſuorum ſatis laxos tractus ludat licet captiva ratio, non in ipſis ferox, in perniciem ſuam exagitetur, aut quaſi ruptis catenis liberiùs circà divina laſciviat.

CONCORDANTIA. Leges & conſuetudines civiles pro variâ rerum temporalium conditione variantur. *Vide Diff. Cogn. & Diff. Ver.* Poſteriùs ſæculum ſibi multùm arrogans priora calumniatur. Vnica ſupereſt Religio, quæ immota permanet ſacro & potenti rerum divinarum nexu.

CONTRARIETAS. Agitantur, convelluntur, quæ ſunt interitui proxima. Illæ de Religione controverſiæ ſunt mortiferæ convulſiones, quæ proximum ejus prænuntiant interitum: Satis eſt erroneam probaſſe, vt hinc inferas non eſſe Divinam, ſic nullam, vt potè fallaci hominum arte & judicio ſtabilitam: Fingis profectum & intentas interitum.

PRINCIPIVM. Hæc igitur apparens reformatio quæ in publicam fieri videtur vtilitatem, controverſia eſt de ſtatu Eccleſiæ, an Divina ſit, an à Spiritu ſancto afflata, an infallibilis, denique an parens legitima, cui fideles debeãt venerationem, cæcamque obedientiam. Minima videtur immutatio, quæ tamen, integra ſubvertit fidei fundamenta, falſi arguens divinæ revelationis præconem. Hæc eſt petitio prejudicialis, quæ Religionem priùs vt Divinam habitam humano ſubjicit judicio.

MEDIVM. Variis medijs ad eundem finem pervenitur. Pia prudentia artem docebit, quia intactis his quæ ad Religionis eſſentiam pertinent, illique debita ſervatâ veneratione, temporibus, & animarum ſaluti ſerviatur.

FINIS. Pius novatorum videtur eſſe finis ſed malo medio, ſi recepti vſus mutatione quæritur. Morbo pejus eſt remedium, ſi vt fiat morum & cæremoniarum reformatio, Eccleſia deſinat haberi immutabilis. Æternum illi & in ſecula duraturum titulum tollis, vt illi mox forte deſituras, jamque diù reprobatas ingeras lege, ſi ſeneſcentem vocas Eccleſiam, & morituram prænuntias non Divino & immortali ſpiritu afflatam.

MAIORITAS. Si pro ſæculorum varietate mutanda fuit Religio vt id nuntiantibus & ad hoc miſſis, fides haberetur, Deus plura conceſſit miracula, vt priùs lex naturæ quàm Religionis mutaretur, in vtramque Divinâ dominante potentiâ. Quid nova profers, in ſpeciem perfectiora, vt contumeliam facias antiquis vſibus? Religio licet ſi originis divinæ, ſe tamen temperat, & ad infirmitatis humanæ captum ſe dimittit, imis ſuprema conſocians? vt quid diſſolvis rei Divinæ cum humanis ſuave temperamentum, ſacromque fœdus. Tranſcendit Religio captũ noſtrum, non ſolùm rerum ſublimitate, ſed & humilitate: plùs miſterijs & caligine, quàm fulgoribus continet populorum animos.

ÆQVALITAS. Antiquitati exhibita veneratio compenſat defectus: Relinquatur providentiæ cui ſub eſt, emendanda; ejus, vt naturæ, profectus ſi æqua-

les ſunt vt vix percipiantur.

MINORITAS. Pudeat Religionem, ægram languidam, ſeneſcentem, ad interitum properantem profiteri: laborantes oculi quos patiuntur defectus objectis ſuis imputant: Non indiget Religio reformatione, ſed qui illam profitetur zelo; hæc quæ proponit, quæ habet in vſu, benè ſervantibus ſufficiunt: non A peccat hæc ars divina, quod mali operarij illâ negligentiùs vtantur; infirmæ jam mentes non ſunt multitudine præceptorum onerandæ, aut detractione ſubſidij debiliores efficiendæ.

Templa ideo ſunt ædificata vt homines conveniant in Religione. *Vide Gloria Principij*, de templorum ædificatione ad Dei laudem.

POTESTAS VERITATIS.

VERITAS PRÆVALET.

MISCELLANEA.

VERITATI nemo præſcribere poteſt, B non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum. Tertul. lib. de veland. virginib. cap. 1.

Prævalet veritas, quia ſemper durat, etſi varijs impetatur adverſis. *Vide Durat. Veritatis, & Gloria Veritatis.*

Prævalet etiam veritas, legis & conſuetudinis mutatione in meliùs. *Vide Differentia Veritatis.*

Pilatus Chriſtum condemnat, & tamen inſcribit cruci; Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, vt impleret illud, Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Pſal. 2. Balaam volens maledicere benedicit.

Caiphas dicit, Oportet vnum hominem mori pro populo: magna vis eſt veritatis: oderunt veritatem homines, & veritatem prophetant neſcientes, non agunt, ſed agitur de illis, &c. D. Auguſt. ſerm. 93. de diverſ. cap. 1. C

Sol poteſt à nubibus obſcurari, non extingui, tandẽ effulget, tandem eruitur veritas è puteo Democriti.

Nihil ſimulatio profuit, paucis imponit leviter extrinſecùs inducta facies; veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt; quæ decipiunt nihil habent ſolidi, tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris. Senec. Epiſt. 79. in fine.

Nemo poteſt perſonam diù ferre, ficta citò in naturam ſuam redeunt, quibus veritas ſubeſt, quæque vt ità dicam ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in majus meliuſque procedunt. Seneca. 1. de Clemen. D

Nihil occultum quod non reveletur: latentes fodinæ, & ſcaturigines, ſicut & occultæ naturæ proprietates, licet velo quodam obductæ, certis tamen ſe produnt indicijs. *Vide Cognitio Virtutis.*

Veritas eſt temporis filia, poteſt aliquandiù occultari, non ſemper opprimi: Aurum adulterinum igne probatur: ſimulatum, quia violentum, diuturnum non eſt; picti vultus citò decidunt.

Radius rectus reflexus in ſe redit, & fit potentior; obliquus ſolidi reflectione à ſe diſcedit; ſic recta columna fert magnum onus, non recta frangitur.

Rectum eſt regula ſui & alterius. Ariſt. Impetus rectus lateralem inanem facit, vel ſaltem minuit.

Animus diſcuſſis errorum nebulis ſtatim fertur in bonum, vt corpus ſolutis vinculis & impedimentis in ſuum centrum.

Olim fiebant purgationes per ferrum ignitum quod Concil. Lateranenſe ſub S. Ludovico celebratum prohibuit. Can. 18. Sic potentem etiam ad miracula putabant veritatem.

Ideò vana & fugienda affectatio, quia citò deprehenditur. *Vide Verit. Virtut. Repugn.*

Romæ ſacrificabatur Saturno capite aperto: cæteris autem Dijs operto, quia tempus omnia aperit. Plutarch. *Vide Gloria Veritatis.*

Contempta veritas ſe contemnentes tandem prodit. *Vide Vol. Veritatis Repugn.*

Veritas ſola liberat, ſola lavat. D. Bern. in ſerm.

Tantam ſemper potentiam veritas habuit, vt nullis machinis, aut cujuſquam hominis ingenio, aut arte ſubverti potuerit; & licet in cauſis nullum patronum aut defenſorem obtineat, tamen per leges defenditur. ex orat. in Vatin. Cicer.

O magna vis veritatis, quæ contrà hominum ingenia calliditatem ſolertiam ceteraſque fictas inſidias facile ſe per ſeipſam defendat. Cic. pro M. Cœl. idem habet Sen. in Epiſt.

Quod inſtituit incredulitas abſtulit fides: quod inſtituit à cultu divinæ Religionis averſio, abſtulit ad vnum Deum verum ſanctumque converſio. D. Aug. lib. de civit. cap. 14.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno. Pſalm. 90.

Non licet jurare, neque per cœlum, neque per terram, &c. ſit ſermo veſter eſt, eſt, non non. Matth. 5. Quaſi ſatis potens ſit veritas. Veritas liberabit vos. Ioan. 8.

VERITAS PRÆVALET conſuetudini.

IDeò vir bonus non corrumpitur aliorum commercio, & pravâ conſuetudine. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus.

Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum; ex ijs enim conſuetudo initium ab aliquâ ignorantiâ vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionẽ corroboratur, & ità adversùs veritatem

Digitized by Google

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1619. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1625. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1632. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1636. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1638. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1639. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1640. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1641. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1642. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1644. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1645. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1646. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1647. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1648. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1649. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1650. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1651. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1652. Cum Privilegio. 8vo.

Ecclesiæ Anglicanæ, Liturgia, cum Precationibus aliis ac Formulis Ordinandi Episcopos, Presbyteros & Diaconos. Londini, Excudebat Robertus Barker, Typographus Regius, Anno Dom. 1653. Cum Privilegio. 8vo.

Cùm omnia sint à Deo non à casu facta, necessarium est in ejus mente omnium idæas præexistere objectivè, ad quarum similitudinem omnia condita sunt; quæ cum sint plura etiam necesse est plures esse idæas, quæ sint propriæ rerum rationes: Non sunt autem contrà simplicitatem divini intellectus, quia non per plures species intelligit, sed per vnam multa, sunt enim in ejus mente idææ, non vt quo intelligitur, sed vt quod D. Th. 1. q. 15. a. 1. & 2.

Idæa creaturarum in Deo nihil est aliud quàm essentia divina, quatenùs est cognitio creaturarum, seù quatenùs repræsentat creaturas per modum actualis cognitionis illarum, seù speciei expressæ, estque exemplar rei faciendæ, seù factibilis; Ideò pertinet ad scientiam Dei naturalem quæ est practica, scilicet accedente decreto. Idæa præcedit decretum, scientia libera subsequitur. Becan. de scientiâ Dei.

Propitiatorium vndè oraculum & veritas, erat suprà tabernaculum, id est in idæis suprà externa omnia.

Omnes res sunt veræ vnâ veritate, scilicet Dei, sicut principio effectivo, & exemplari, sed multis formaliter. 1. q. 16. a. 6.

DE SPECIEBVS INNATIS.

ID quod mensurat est præstantiùs eo quod mensuratur, vndè mens humana quæ per relationem ad idæas res omnes metitur est excellentior illis; & idæis proximior; est enim media inter fontem & rivulos indè manantes: Confert autem simul in idæis divinis, per aliquas formulas ipsi proprias, quas non accipit à simulachris, cum ipsa mensurent & sint priores.

Veras habemus in animo figurarum rationes, quæ non inveniuntur in corporibus, ergò illas ab ipsis non accipimus: Non possunt etiam esse figmenta animi, quæ sunt certæ regulæ veritatis: Figmentum est deteriùs animo ipso idææ autem Angelo ipso videntur præstantiores, quæ Angelum mensurant; non tamen metiuntur Deum, quia sicut sapientia non fit sapiens, & motus non movetur, ità prima mensura non mensuratur. Hoc sigillo animus omnia sua in-

venta discernit, & mobiles operationes per signa hæc immobilia, immobiliter animo hærentia, quasi principium differendi in diversis occurrentibus actionibus.

Status antecedit motum, quod verò in natura priùs est, est à posteriori solutum. Itaque quacumque gradiamur, ad immobiles rationes nobis innatas perveniemus. Si signum hoc esset mobile, non rectè per illud motiones judicaremus; motio namque tunc judicatur rectè, quandò refertur ad terminos, & spatia quæ pertransierunt; nam ijs non manentibus, neque fit motus, neque motus progressio cernitur: Ipsum quoque tempus quod est, quod est proprietas quædam & perduratio motionis, non aliter mensuratur, quàm si per stabilem servetur memoriam, & stabili æternitatis momento circumscribatur.

Signa quòd habeamus has menti insitas ideas sunt quod etiam rustici subitò, & sinè consultatione ad eas recurrunt, sivè res in se judicando, sivè invicem comparando. Cùm rei alicujus essentiam & definitionem quærimus, conamur separari à sensibus, & in mentis arcanum introire, in quo latet scientia.

Sunt quædam quæ diversimodè approbantur ab hominibus pro complexionum qualitate, vt sanguineus commendat dulcia; acuta, acriave Cholericus, acida Melancholicus; mollia Phlegmaticus & insipida, vna tamen inest omnibus ratio judicandi de rebus incorporalibus. Vt vide de lege naturali.

Omnis ars, quia certa ratione ad certum finem ordinat opus, rationalis facultas est, si est naturæ irrationali ingenita, multò magis rationali. Ità elementa rectâ lineâ geometricè repetunt suum centrum; aër sagacissimè naturæ succurrit, nè detur vacuum: Hic innumera possunt referri de industrijs animalium; in illis artes omnes sunt diversæ, secundùm habitum & actum, & vnica species vnica vtitur arte. In homine sunt omnes secundùm habitum non tamen secundùm actum, quia non omnes omnia meditantur, & simul.

In Angelo vniuntur cunctæ industriæ habitu atque actu, dividuntur tamen executione, qui alij aliter mundum gubernant. Cunctæ in Deo modis omnibus vniuntur, quia habet, videt, exequitur vniversa, operans omnia in omnibus. Multa discuntur sinè Magistro, & quæ à Magistro accipimus, ea recolimus, & examinamus ad interiorem regulam veritatis: Discipulus antequàm audiat, sæpè præsagit audienda, & audita reddit meliora & veriora; sæpè etsi non audiat, ex se parit, vndè qui docet est potiùs ministet quàm magistet, vt qui colit agrum naturâ suâ fecundum, & qui curat corpus, indita vi se in sanitatem restituens; oculis non præstat visum Medicus, sed superinfusas caligines discutit. Nemo canibus præstat sagacitatem venatoriam, equis currendi velocitatem, sed latentem virtutem vsu expergefacit: ità docens non præstat, sed excitat intelligentiam à Deo menti infusam. Illæ species è mentibus disputatione eliciuntur, vt scintillæ silicis percussione.

Est mundus intelligibilis in anima, quamquàm non in ea parte quæ sensus est, quæ extrà se respicit, & cum passione quadam sentire compellitur, nugis deluditur sensibilium: Sensus enim non percipit adæquationem rerum cum ideis, non comprehendit intimam, & meram rei substantiam, quò ordine in rerum natura sit, quod totum ad rei ipsius pertinet veritatem. Est autem veritas in ratione, quia sensibilia & sensus redarguit falsi, quod facere non posset nisi ad normam insitæ sibi veritatis. Ipsam veritatem definit, quod sit, quod sit naturæ cujusque pars integrima; insunt ergò menti species veritatis æternæ quarum ope consulcamus, discurrimus, & ipsi etiam insani vnum ex alio inferunt, &c. Hæc ex Marsi. Fic. Theol. Plat. l. 11.

Hinc in Comitijs Reipublicæ omnes audiuntur, licet nunquàm in regimen assumpti: Numerantur non ponderantur judicia, quasi quisque sit satis à natura edoctus; Vndè Epictetus arguit Philosophum conquerentem de imperitia rustici ipsius sermones non capientis; hunc imperitum dicit esse Philosophum, qui aptis verbis mentem suam non aperiret homini ad veritatem capiendam optimè à natura instructo.

Plato in Menone, seù de virtute, Dicit quod cum animus immortalis sit, & sæpiùs in vitam hanc redeundo omnia didicerit, mirum non est, si omnium quæ ad virtutem, & alia pertinent reminisci possit, cum illa olim cognoverit & hæc omnia recuperabit, si ità constans fuerit, vt quærendo minimè fatigetur, sic enim sciscitando cogitationes expergo factæ scientiæ fiunt.

Idem 6. de Republ. Dicit Philosophi, mentem in ipsâ veritatis indagatione sejungi à corpore, conjungi divinæ menti, ac per insitas ab initio formulas idearum, ideas ipsas attingere ab eisque ipso contactu lumen excutere, quo mox facta fœcundior veritatem parit, id est per suos conceptus ideis congruit.

Anima non judicat de omnibus rebus secundùm quamcumque veritatem, sed secundùm primam veritatem, in quantùm relucat in anima, sicut in speculo, secundùm prima intelligibilia. D. Thom. 1. q. a. 11. ad 1.

Plures species à sensibus acceptæ efficerent cumulum specierum, non speciem vnam vniversalem, si ab esset naturaliter animæ insita: Divina mens idearum omnium plena per essentiam suam, animam etiam idearum plenissimam à se facit effluere; facit enim perfectiùs cum id convenit: at convenientiùs est si ab eo plena procedat, quàm vacua; est enim notionum capax ab initio, ex ea parte quâ Angelos respicit; sicut ex parte temporali habet vt continuè quærendo discurrat. In materia formarum omnium suscipiendarum latent inchoationes, in natura quoque, per quàm ad formas movetur materia, formarum semina delitescunt: ità in ea parte animæ, quæ vtitur natura, sicut instrumento, ad formandam materiam, insunt formarum omnium rationes; si enim inferior pars educit è materia rationem capitis, quod fit in materia per generationem, multò magis superior fœcunda erit, & continebit rationes ad species producendas. Non est deterior corporibus, quæ, antè adventitias qualitates possident suas naturales, multò magis animus formulas habet in mente proprias, antequàm peregrinas excipiat. Mens non debet esse sterilior quàm natura, quæ ex seminibus finitis suos fœtus educit. Ratiocinatio est mobilis, dum ab alio descendit in aliud. Motus verò omnis à quiete, sivè stabili aliquo exoritur, ac tendit ad stabile. Mens definiens essentias rerum debet habere essentiales rationes, sicut sensus per accidentales species judicant de accidentibus; & quia mens judicat de fallacia sensuum & phantasiæ, debet inniti essentialibus rationibus, nè ipsa quoque fallatur, & indigeat judicio virtutis alicujus superioris. Cognitio intellectualis est media inter divinam & sensitivam, ergò medias habet conditiones; Deus cognoscit per essentiam suam immobilem; sensus per mobiles qualitates, id est species peregrinas: ergò mens cognoscit per qualitates immobiles, quæ vocantur species innatæ. Puræ mentes in se respiciunt; sensus in alia solùm: Sic ordo vniversi exigit vt anima, mih-

Digitized by

tis ſenſuſque particeps, non modò extrà ſe formas, ſed in ſe quoque reſpiciat, &c. Marſil. Ficin. Theol. Plat. l. 11. c. 3.

Harum ſpecierum ope judicamus de pulchritudine, concentu, juſtitia, &c. etiam ſinè experimento.

De anima ſtatim intelligere. *Vide Magnitudo Principij.*

LEX NATVRÆ.

CVm gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes. ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente ipſis conſcientia ipſorum. Rom. 2.

Lex naturæ poteſt dici habitus, in quantùm continet aliqua præcepta, quæ habitu in ipſa ratione ſunt; Ea omnia præcepta poſſunt reduci ad illud quod bonum ſit proſequendum, & malum fugiendum; cumque omnes virtutis actus, ſint actus rationis, poſſunt communi ratione ad legem naturæ reduci: Hæc lex eſt communis apud omnes, & eſt immutabilis quantùm ad prima quædam principia; licet non ſit quo ad quædam ex communibus deducta, nam ſecundùm ea non eſt vniverſalis, & eſt mutabilis. D. Th. 1. 2. q. 94. a. 1. 2. & 3.

Et quid tandem eſt lex naturalis: conſcientiam nobis Deus expreſſit, & per ſe diſcibilem conſtituit, bonorum & contrariorum ſcientiam; non enim opus habemus diſcere, quod malum eſt fornicatio; vndè cum Dominus talia prohibet, dicit ſimpliciter non occides, non mœchaberis, non addita cauſa quaſi ſcientibus loquitur: cum autem de alijs nobis lumine naturali non notis legem fert, cauſam addit, vt de Sabbathi obſervatione. Septima die non facies opus, quia die ſeptima requievit Deus ab omnibus operibus ſuis. Adam etiam commiſſo peccato ſtatim ſe occultavit, licet nulla eſſet lex ſcripta, ſe excuſavit, & mulier crimen in ſerpentem rejecit. Abel à conſcientia edoctus, primitias Deo obtulit. Sic Cain interrogatur à Deo, vbi eſt frater tuus. Major eſt, inquit, iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Si legum omnium poſitarum originem indagemus, videbimus legiſlatores eas à conſcientiâ traxiſſe. Vndè Paulus ait qui ſinè lege peccaverunt ſinè lege peribunt: non lege ſcripta accuſante ſed conſcientiâ. D. Chryſ. hom. 2. ad pop. Ant. Additque Deum legem ſcriptam dediſſe vt pœnas peccatorum exigat & rectè agentes coronet.

Qui ſecundùm hanc legem divinam & immutabilem, cordique impreſſam agit, eſſentialiter bonus eſt, vbique ſibi par; regitur enim ab ideâ recti, cui leges omnes ſcriptæ debent conformari; Nullæ in hac lege conciliandæ contrarietates, vndè ſapiens habet pro ſummo & vnico præcepto ad naturam vivere, vtique noſtram, ſcilicet rationalem. Natura docta & ſuavis magiſtra, ſufficit ſi illi benè attendamus, nec clauſis feneſtris meridianam lucem aſpernemur; vt debili mutuato lumine candelæ fruamur.

Obſervaverunt antiqui Patriarchæ, quod poſteà legibus ſancitum fuit; ideo poteſt dici. Primò, quod illi fuerunt animatæ leges. Secundò, quod leges divinæ à natura non diſcrepent. Tertiò, quod ſine magna difficultate poſſunt obſervari. Denique leges ſcriptas nihil aliud eſſe conſtat quàm veterum Patrum commentaria, in quibus eorum dicta factaque narrantur. Philo. Iudæ. lib. de Abrahamo.

Omne quod contrà naturam eſt, monſtri meretur nomen penes omnes, penes nos verò etiam elogium

A ſacrilegij in Deum naturæ Dominum & authorem; Quæres igitur Dei legem habens communẽ iſtam & publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet provocare. Tertul. lib. de coronâ militis.

Quantò teſtimonia naturalia, tantò divina, magiſtra natura, anima diſcipula, quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidiſcit à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ; nec mirum, ſi à Deo data eadem canit, quæ Deus ſuis dedit noſſe: Meritò igitur omnis anima & rea & teſtis eſt; in tantùm & rea erroris, in quantùm teſtis veritatis: & ſtabit antè oculos Dei in die judicij, nihil habens dicere: Deum prædicabas & non requirebas, &c. Magis ſinè dubio animæ aliqua dictanti quàm litteris credendum eſt, quia prior anima quàm littera. Idem lib. de teſtimonio animæ. in fine.

Lex eſt divinarum & humanarum rerum regina; illi enim imperare convenit, tùm ob multa, tùm quia Dei munus eſt & inventum. Cùm autem dicitur legem Principibus imperare debere, non eſt intelligendum de lege in tabulis ſcripta, ſed de animatâ intùs in ipſa ratione, quæ ſemper cum ipſo converſans, non ſinit ſinè tutela ſui vivere. Plutarchus lib. de regno. Quòd Princeps teneatur lege naturali, *Vide Virtus Poteſt.* An Princeps ſit legibus ſolutus.

Eſt omnium Magiſter & Imperator Deus hujus legis inventor, cui qui non parebit ipſe ſe fugiet, & naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiam ſi cætera ſupplicia, quæ putantur effugerit. Lactantius. l. 6. c. 8. de ſtimulis conſcientiæ. *Vide Glor. Virt. Rep.*

De his legibus dicebat Apollonius Domitiano, ſi has leges tibi imperare non putaveris, ipſe non imperabis.

Qui legem naturalem violat, feritur quaſi plaga Ægyptiorum, quorum primogenita occiſa ſunt. D. Aug. in Pſ. 77.

Iuſtitia eſt habitus animi communi vtilitate conſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem; ejus initium eſt à natura profectum, deindè quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, poſteà res & à natura profectas, & conſuetudine probatas, legum metus & Religio ſanxerunt. Natura jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem. D. Aug. l. 83. quæſt. q. 31.

Multa legem non habent, nec actionem, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ, lege omni valentior, dat aditum; Nulla lex jubet amicorum ſecreta non eloqui, nulla lex fidem etiam inimico præſtare, &c. Seneca. l. 5. de benef. c. 21.

Antè legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus cuſtodiebatur.

Lex naturæ eſt ſcripta in cordibus, vt inquit Apoſtolus, promulgata, & quaſi in albo publicè expoſita in omnibus mundi partibus. *Vide Cognit. Vin.* Dei cognitio per creaturas.

Dicit Plato, Quòd licet ſint multæ leges in civitate, vna tamen dici poteſt publica lex, ſcilicet naturalis rectè vivendi regula, quæ omnibus & ſingulis impreſſa eſt à Deo.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo, ſponte ſuâ, ſinè lege fidem, rectumque colebat. Ovid. 1. Metam.

Conſcientia dicitur ſpiritus corrector & Pædagogus animæ, id eſt dictamen rationis. D. Th. 1. q. 79. a. 13. ad 1.

Ius divinum eſt quod divinitùs promulgatur, & eſt duplex, ſcilicet naturale & poſitivum. Ius natu-

Ego vero, quamvis ipse nihil ejusmodi unquam observaverim, nec ullum mihi notum sit, qui quidquam tale observaverit, non tamen ausim negare, quin aliquando contingere possit, ut ejusmodi quid observetur. Quod si contingat, non video, quomodo id explicari possit, nisi ponendo, quod Cometa, qui ante Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis opacus, lucidus factus sit, & quod Cometa, qui post Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis lucidus, opacus factus sit. Quod si ita sit, non video, quomodo Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possint, nisi per motum. Quod si Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguantur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum.

Ego vero, quamvis ipse nihil ejusmodi unquam observaverim, nec ullum mihi notum sit, qui quidquam tale observaverit, non tamen ausim negare, quin aliquando contingere possit, ut ejusmodi quid observetur. Quod si contingat, non video, quomodo id explicari possit, nisi ponendo, quod Cometa, qui ante Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis opacus, lucidus factus sit, & quod Cometa, qui post Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis lucidus, opacus factus sit. Quod si ita sit, non video, quomodo Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possint, nisi per motum. Quod si Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguantur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum.

DISSERTATIO EPISTOLICA

Ego vero, quamvis ipse nihil ejusmodi unquam observaverim, nec ullum mihi notum sit, qui quidquam tale observaverit, non tamen ausim negare, quin aliquando contingere possit, ut ejusmodi quid observetur. Quod si contingat, non video, quomodo id explicari possit, nisi ponendo, quod Cometa, qui ante Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis opacus, lucidus factus sit, & quod Cometa, qui post Solem transiit, ejus lucem ita absorbuerit, ut ipse, quamvis lucidus, opacus factus sit. Quod si ita sit, non video, quomodo Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possint, nisi per motum. Quod si Cometæ, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguantur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum. Quod si motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, per motum distinguatur, non video, quomodo motus Cometarum, qui ante Solem transeunt, ab iis, qui post Solem transeunt, distingui possit, nisi per motum.

corpore ſuſcepto malorum omnium quæ ſunt in generatione fuiſſe participes, humani generis curam gerentes, quæ & leges tulerunt,& Philoſophiam prædicarunt, quo majus bonum ad homines nunquam venit, ideo legiſlatores ſuos in numerum Deorum referebant. Clem. Alex. Strom. 1. c. 6.

Indi antequàm haberent judicia, ſacra Dijs faciebant, ſicut antè itinerum principia & exercitus eductionem. Philoſt. in vitâ Apollonij. l. 2. c. 15.

RELIGIO VERA A DEO.

SI Deus dat leges civiles, multo magis Religioſas, quæ & ad ſuum cultum & hominis fœlicitatem, tùm temporalem, tùm æternam pertinent. Eſt enim Religio politiæ & ſocietatis humanæ vinculum. *Vide Concordantia Poteſtat.* De conſenſu Politiæ & Religionis. *& Poteſtas Virtutis & Virtus Poteſtatis.* Rex Sacerdos. Omnia enim reguntur à ſuperiori ſibi natura elementa à cœlo, bruta ab homine, homines à Deo; Vndè ſapientiores populi fuerunt magis Religioſi, vt Perſarum magi, Ægypti ſacerdotes, Indorum Brachmare, Gallorum Druidæ. Non eſt vera Religio à ſyderibus, quæ tantùm corporeis dominantur. Religio etiam fatum damnat, ergò non habet à fato quod fato repugnat, &c. Maſil. Ficinus Theologiæ. Plat. lib. 14. c. 10.

Non eſt etiam à Principibus, qui ſi poſſent non paterentur emulam, & ſibi ſuperiorem potentiam, cujus protectione fidentes populi multa in ipſos audent; vndè fruſtrà aliqui Principes Divinitatis titulum ambierunt. Vide quæ ſcripſi. Theol. Natur. lib. 1. c. 4. & 5.

Sicut Sol ſinè Sole non cernitur, & ſicut aër ſinè aëre non auditur, ac plenus lumine oculus videt lumen, plena aëre auris audit aërem reſonantem; ità Deus ſinè Deo non cognoſcitur: ſi ſingularibus & minimis etiam providet, quantò magis in his quæ pertinent ad Religionem, toti humano generi neceſſariam; Dei ſenſus eſt communis omnibus populis, ergò eſt illis impreſſus à naturæ authore. Propter ſe Deus omnia creavit, vt ſcilicet in ipſum redeant ſerviendo homini, qui in Deum redit per cultum Religioſum; Vndè patet quod Religio eſt quaſi finis reſpectu creaturarum omnium, & vltima diſpoſitio ad vltimum finem Deum: Sua ergò divina providentia, quæ non deeſt in neceſſarijs, non defuit Religioni; ſuperiora non habentur ſinè ſuperiorum influxu, cœleſtes vires ſinè cœlo, Principis acceſſus, ſinè Principe; ſic Dei ſenſus & cultus ſinè Deo.

Chriſtiana Religio quanto eſt veracior atque ſanctior, tantò vehementiùs atque liberiùs cuncta fallacia figmenta ſubvertit, vt gratia veriſſimi ſalvatoris liberet hominem ab his Dijs, quas fecit homo. D. Aug. l. 8. de civ. c. 20.

Propiciatorium, vndè veritas & oraculum, erat ſuprà tabernaculũ, id eſt in idæis ſuprà externa omnia.

Plato 4. de Repub. dicit pro legibus ſacrorum, non hominem, ſed Deum Patrium conſulendum.

Quòd vera Religio ſit à Deo; vide quæ ſcripſi Theol. natur. tom. 4. p. 1. cap. pen. & 11. p. c. 4.

Objectum formale fidei eſt prima veritas revelans, cujus ratione his quæ fidei ſunt aſſentimus. D. Th. 2. 2. q. 1. a. 1.

Cùm ea quæ fidei ſunt ſuprà hominis naturam ſint, & illis aſſentiendo ſuprà ſuam elevetur naturam, fidei aſſenſum neceſſe eſt eſſe à Deo, interiùs movente per gratiam, & non ex nobis. Ib. q. 6. a. 1.

Articuli fidei ſunt ſicut principia in doctrina ſacra. 1. q. 1. a. 6. ad 3.

Dicent populi venite aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas & ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Iſay. 2.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me: dirige me in veritate tuâ, & doce me, quia tu es Deus ſalvator meus. Pſalm. 24. Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via; diriget manſuetos in judicio. Ib.

Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia juſtitiæ tuæ. Pſ. 118.

Math. 23. Nè vocetis vobis magiſtrum ſuper terram vnus enim eſt magiſter veſter qui eſt in cælo.

Luc. 17. Apoſtoli dicunt. Adauge nobis fidem, & Math. 6. Centurio, Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Pſ. 75. *Vide Princ. Cognit.* ſcientia à Deo. *& Prin. Virt. Glor.* Virtus à Deo.

In primo Concilio Hieroſolymitano pronunciant Apoſtoli. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Act. 15. Iam enim dictum erat. Ioan. 14. Paraclitus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine, meo ille vos docebit omnia.

Paulus Apoſtolus, non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem. Gal. 1.

Chriſtus dicit Ioan. 14. Ego ſum via, veritas & vita. Si veritatem quæris viam tene, nam ipſa eſt via quæ eſt veritas; Ipſa eſt quâ is, ipſa eſt quo is, per Chriſtum ad Chriſtum venis, &c. *Vide Principium Virtutis.*

Et in lumine tuo videbimus lumen, Deum de Deo, lumen de lumine; Per hoc lumen factum eſt Solis lumen, Sol te deſerit curſus ſui neceſſitate: At Sol juſtitiæ ſi volueris attendere, nunquàm tibi occidit; &c. ex D. Aug. tract. 34. in Ioan.

Significatur per lumen quod eminebat in candelabro. Ex. 15. Quòd verbum humanis ingenijs, vt Sol aſtris lumen infundebat, ſyderum enim licet limpidæ flammæ non ſatis illuminant noctem ſæculi, &c. ex Clemente Alex. l. 3. Strom. c. 3.

Viſæ ſunt ſuper Apoſtolos linguæ tanquàm ignis; tunc facta ſunt luminaria in firmamẽto cœli verbum vitæ habentia: Vbique diſcurrite ignes ſancti, ignes decori, vos enim eſtis lumen mundi. D. Auguſt. l. 13. confeſſ. c. 19.

Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, ij ſcilicet quibus dedit poteſtatem filios Dei fieri. Ioan. 1.

DEBET DARI IDÆA lex & certa regula agendorum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Benefica vocamus ea, quæ licet vires ad actionem non conferant, dirigunt tamen eas aliquin in oppoſitum ituras; Sic multùm nos fatemur debere Solis luci, pharo errantibus inter tenebras portum inconſtanti, prudentum conſilijs. ſed maximè legi, quæ dum rationem in moralibus, & ſpiritualibus dirigit, totiùs boni nobis convenientis eſt causâ.

MAGNITVDO. Rerum magnitudine mens non terretur, nec multitudine confunditur, vires ejus non ja-

Nachdruck verboten.

Bekanntmachung

betreffend

Ausführungsbestimmungen zu § 3 des Gesetzes über die Besteuerung des Verbrauchs von Zucker vom 27. Mai 1896.

Vom 31. Juli 1896.

Auf Grund des § 3 des Gesetzes über die Besteuerung des Verbrauchs von Zucker vom 27. Mai 1896 (Reichs-Gesetzbl. S. 175) wird Folgendes bestimmt:

§ 1.

Die Steuer wird nach dem Gewichte des Zuckers berechnet, welches sich bei der Abfertigung zum Verbrauche ergiebt.

§ 2.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 3.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 4.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 5.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 6.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 7.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 8.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 9.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

§ 10.

Zucker, welcher in Gefäßen oder Umhüllungen versteuert wird, ist mit diesen Gefäßen oder Umhüllungen zu wiegen.

Das Gewicht der Gefäße oder Umhüllungen ist nach Maßgabe der Anlage A zu diesen Bestimmungen in Abzug zu bringen.

MEDIVM VERITATIS.

VARIA COGNOSCENDÆ VERITATIS MEDIA.

MISCELLANEA.

RHETORICA, in re propoſita intuetur quod appoſitum eſt ad faciendam fidem. Ariſtot. l. 1. Rhet. cap. 2.

Probationes artificiales ſunt loci à ſimili, contrario, &c. Inartificiales ſunt quinque, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, juſiurandum. Ariſt. l. 1. Rhet. c. 15. *Vide Med. Cogn.*

De juramento ſervando. *Vide Dur. Vol.*

Vt Princeps ſciat veritatem, nulli conſiliario debet libertatem dicendi adimere, quin potiùs toleret & amet apertas naturas: debet etiam admittere ad ſe multos, vt ſic ab adulatoribus non decipiatur: Nulli tamen conſiliario poſt conſilij ſui fœlicem ſucceſſum remunerationem ſtatuat, nè ſpe præmij obruatur multorum conſilijs: Non etiam puniat infœlicia conſilia, quibus non defuit ratio, ſed fortuna.

De vitanda adulatione. *Vide Conc. Poteſt. Mala.*

De exploratoribus. *Vide Cognit. Poteſt.* de vigilantiâ Rectorum.

De conſiliorum neceſſitate ad diſcuſſionem veritatis. *Vide Conc. Cogn.*

A conſilijs debet abeſſe is, cujus particulariter intereſt. De nimio ſui amore judicijs contrario. *Vide Vol. Bon. Mal.*

Conſiliarij Principum debent eſſe magni, impertersiti, & regij animi, vt vocem æquæ liberam ac mentem habeant: Omnia poſſidentibus vnum deeſt, ſcilicet qui verum dicat; Miſer eſt Princeps, qui curiam pro veritate elinguem habet, in qua dicere quod velles periculoſum, quod nolles miſerrimum; perit æger ſi Medicus non ſalutaria ſed grata dederit. Vt autem Princeps diſponat conſiliarios ad veritatem dicendam, non debet oſtendere quid ſentiat de his quæ proponuntur, nè non audeant contrà ejus voluntatem ire; ſuccenſeat ei quem viderit apertè veritatem non dicere, oſtendat ſe nunquàm ex veritate offendi: Artificioſo tamen flexu opus eſt, vt veritas dicatur, ſicut & quandò oportet captatâ occaſione, & præparato ad illam recipiendam animo, alioquin ſapiens fruſtrà dicet, & cum vitæ periculo. Kekerman. in politicis.

Libri ſunt muti & mortui, generoſi tamen, fidi, obſtinati veritatis monitores.

Conſultatio, veritatis radios & ſemina colligens ex plurium mentibus, eſt res quædam divina, vndè ad eam ſoluto & ſinè paſſionibus ſinu veniendum.

Inſtrumenta veritatis ſunt; Regula quæ dirigit operationes mentis in alijs ſcientijs; Prudentia dirigens actiones morales, ſecundùm diverſas circumſtantias loci, temporis, perſonarum. *Vide Cognit. Bon. Magnit. Durat. &c.*

Rectum eſt judex ſui & obliqui: ſic Medicus ſciat primò quid ſit ſecundùm naturam, deindè quid præter ipſam.

Experientia veras probat ſpeculationes, vt ignis aurum. *Vide Durat. Cogn.*

In Medicinæ exercitio plùs valet vnum ſignum forte, quàm multa debilia. Iudicia ſunt ponderanda, non numeranda.

Veritas cognoſcitur per ſalutares admonitiones. *Vide Med. Virt.* & per liberas. *Vide Poteſt. Verit.*

De Prophetia, Aſtrologia. Divinatione per ſomnia, ſortes, & alijs modis. *Vide Major. Cognit.*

Conſtantini Imperatoris in Concilijs Eccleſiaſticis aſſidentis partes erant, vt refert Euſebius, attentè audire, ſtudere paci, favere veritati, fovere concordiam, tumultus comprimere, diſcrepantes à veritate ad rectæ fidei ſemitam revocare, non autem ferre ſuffragium, vel cauſam ſententiâ definire. Baron. an. 325.

Ad veritatis cognitionem neceſſaria eſt judicij dilatio. *Vide Dur. Cogn.*

Inferiora numina divinæ mentis ſunt interpretes. *Vide Med. Gloria.*

Viſu & auditu ex ſolis ſenſibus percipitur pulchritudo, quia conferunt ad veritatis indagationem. Marſil. Ficin.

Inductio eſt certiſſima demonſtrandi methodus, vt ex naturali lege orta: erit certa, ſi ſenſus de experimento, experimentum de re judicet. Bacon. *Vide Magnit. Cognit.* De ſcientia vniverſali.

Somnia matutina ſunt veriora, quia procul ſunt à ciborum ſumptione, vndè mens turbatur. Philoſtr. in vitâ Apoll. l. 2. c. 14.

VINVM.

QVemadmodùm muſto dolia ipsâ rumpuntur, &c. omne quod in imo jacet in ſummam partem vis caloris ejectat; ſic vino æſtuante, quidquid in imo jacet abditum effertur, & prodit in medium: onerati mero quemadmodùm non continent cibum, ità nec ſecretum, quod ſuum, alienumque eſt pariter effundunt. Seneca. Ep. 83.

Omne vitium ebrietas & intendit & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam removet: Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat emergit. Id. Ep. 83.

Noe per ebrietatem nudatus eſt. Gen. 9.

Plerique vino vtuntur vt eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo; virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autem potus excludit. D. Ambr. lib. de Elia & jejunio. c. 17.

Tunc animi ſecreta proferuntur, alij teſtamenta

ſua nuncupant, alij mortifera loquuntur, radiuraſque per jugulum vi[illegible]es non continent, vndè vulgò veritas vino eſt attributa. Plin. l. 14. c. 22.

Bacchus vini inventor, dictus Lyæus, quod linguæ vincula diſſolvat ; dicitur ex Iove & Semele natus : Semele quaſi σῶμα λύον, id eſt corpus ſolutum.

Apud Megarenſes Liberi eſt templum cum ſimulachro, quod totum præter os occultatur, id enim vnum eſt in conſpectu. Pauſanias in Atticis.

In Dionyſij templo, ſignum ejus in tripode poſitum, vera enim ex tripode dicuntur proficiſci. Athenæus. l. 2. c. 1.

Ideò fiunt convivia, vt mentis humanæ ſinus apèriantur, & ſic cognoſcatur intimè qui in amicitiam eſt recipiendus.

Plutarch. in præfat. lib. 3. ſympoſij. Arguit antiquos Philoſophos, qui in hominis compoſitione optabant feneſtram eſſe, per quam cordis abdita paterent, id enim abundè fit vini vſu liberiore.

Epulas loquacitas ſequitur, vndè dives qui in quotidianis epulis, maximè linguâ peccaverat, linguæ apud inferos ardore & ſiti punitus eſt. D. Greg. Mor. l. 2. c. 25.

ECVLEVS.

NOn eſt mirum, ſi maximus hujus rei timor eſt, cujus & varietas magna & apparatus terribilis eſt plùs agit tortor, quo plura tormenta doloris exponit, ſpecie vincuntur qui patientia reſtitiſſent. Senec. Ep. 14.

Mentietur qui tormenta ferre poteſt, mentietur etiam qui non poteſt, quia in alijs patientia facile mendacium facit, alijs infirmitas neceſſarium. Quint. inſtitut. orator. l. 5. c. 4.

Cùm quæritur verùm ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur ; ac per hoc ignorantia judicis plerumque eſt calamitas innocentis ; & quod eſt intolerabilius, magiſque plangendum, cum propterea judex torqueat accuſatum, nè occidat neſciens innocentem, ſit per ignorantiæ miſeriam, vt & tortum & innocentem occidat, quem nè innocentem occideret torſerat : Nè ſinè causâ occidatis, morte duriorem pœnam infligitis, &c. D. Aug. l. 19. de Civit. Dei c. 6.

Vt vis morborum ægrum delirare facit, ſit eculeus tortum.

De conſtantiâ in eculeo. *Vide Durat. Virtutis.*

Magis afficit præſentium tormentorum quàm dilatæ mortis metus. Vide Salvian. lib. 4. de gubernat Dei. *Vide Different. Contrar. & Minoris.* Fuga mali.

Si ea rei conditio eſt, vt ad teſtimonium cogamur admittere arenarium, aut aliam ſimilem perſonam, ſinè tormentis teſtimonio ejus credendum non eſt. l. 21. eodem.

MEDIA AD COGNOSCENDAM VERITATEM MIRACULOSA.

IN Arabiâ fons ſtygius, ex quo ſi quis pejerans biberit intrà annum corpore hydrope moritur. Photius Biblioth. c. 242.

Sacerdos dat mulieri accuſatæ de adulterio aquam amaram, in quâ ſcripta maledicta deleta ſunt ; ſi ſit rea, intumeſcit venter & putreſcit ; ſi innocens, remanet innoxia. Num. 5.

Aquæ fontis Dianæ in Siciliâ, ſi non ſint hauſtæ à pudicâ in vnum non coëunt, nec miſcentur cum vino. Solin. Poliſhoſt. c. 11.

Pſylli in Africâ fuerunt naturaliter virus infirmum ſerpentibus : Illis natos objiciunt, vt probent vxorum pudicitiam, & qui ipſos non fugarint habentur adulterini. Plin. l. 7. c. 2.

In Achajâ Telluris ſacerdotium mulieri decernitur, quo ſtatim ſuſcepto virum agit cælibem ; etſi oportuerit eam ſemel nupſiſſe, probatur earum integritas Taurini ſanguinis hauſtu ; ſi legi fraudem fecerit, ſtatim interit. Pauſan. in Achaicis.

Amnis Olachas in Bythiniâ Briaxum alluit ; hoc & templo, & Deo nomen ; cujus gurgite perjuri notantur pati velut flammam vrentem. Plinius. l. 31. c. 2.

Sergius Papa divinitùs liberatur à calumniâ incæſtus, cum illum innocentem proclamaſſet puer, novem tantùm dies natus. Baron. an. 699. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.

Frequens olim erat purgatio per ferrum cadens, & aquam ferventem, vt videre eſt ex legibus Vvſigotorum lib. 6. tit. 1. cap. 3. Frigionum tit. 3. cap. 4. 5. & 6. & tit. 14. cap. 3. Longobardorum lib. 1. tit. 9. cap. 29. 35. 39. Francorum lib. 4. c. 13. Illæ probationes recipiebantur, tanquàm judicia Dei. Vide in fine capitularium Caroli Magni de exorciſmis ignis & aquæ, & de Miſſis & communionibus ad judicium Dei demonſtrandum.

Contrà tales probationes multi ſcripſerunt, vt Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis. Ivo Carnotenſis Epiſt. 74. 205. 251. 280. Alexandri II. decreto quod refertur can. ſuper. q. 4. & innocentij 3. cap. ex litteris de exceſſib. prælat. & Honorij 3. cap. dilecti. de purgatione vulgari. Leo 6. Epiſt. ad Heribertum Archiepiſcopum Moguntinum. habetur can. conſuluſti. 2. q. 4. Vide Baron. an. 890.

Concilio Cæſar Auguſtano II. ſtatutum vt Sacro ſanctæ Reliquiæ, quæ inventæ eſſent in Eccleſijs Arianorum, ab Epiſcopis igne probarentur, vt tunc legitimæ cenſerẽtur, ſi ab igne eſſent illæſæ. Bar. an. 592.

Ottonis Imperatoris vxor falsò accuſat Comitem de pertentatâ pudicitiâ, morte mulctatur ab Ottone ; Comitis vidua coràm ipſo Ottone petit purgationem per ignem, innoxiè tangit, vndè mortuus Comes innocentes declaratur, & vxor Ottonis quæ falsò accuſaverat flammis addicitur. Vide Bar. an. 998.

Monachi Ieroſolymis venientes deferunt partem lintei quo Dominus pedes diſcipulorum extreſerat ; cũ fides nõ ei haberetur, igne probatus eſt, à quo illæſus, magna poſteà veneratione eſt habitus. Id. an. 1014.

MONOMACHIA.

IDem an. 659. Refert quod Rodoaldi Regis Longobardorũ vxor adulterij fuit accuſata ; quidam ejus ſervus Carellus nomine à Rege expetivit, vt cum eo, qui Reginæ crimen injecerat pro ejus caſtitate ſingulari certamine dimicare liceret, certavit, vicit, & abſoluta ſic Regina : Hinc conſuetudo dereſtanda, vt Monomachiâ jurgia terminentur, quaſi Deo armis præſidente.

Poſt multos conflictus inter Romã & Albam, cum vtraque & afflicta eſſet, & afflixiſſet, tunc eventum belli de Tergeminis hinc indè fratribus placuit experiri ; à Romanis tres Horatij, ab Albanis tres Cura-

lij proceſſerunt; à Curatijs tribus duo Horatij, ab vno autem Horatio tres Curatij ſuperati ſunt. Ità Roma extitit victrix. D. Aug. l. 3. de civ. c. 14.

Dum Etoli & Elienſes decertarent, Regum conſilio factum eſt, vt ex vtraque parte quidam electi inter ſe dimicarent, ex quorum privato certamine publica cauſa dirimeretur. Pauſanias in Eliacis. Sic David decertat contrà Goliath.

De purgatione per duellum ſolita. V. l. feud. tit. 17. *Vide Æqualitas Contrarietatis.* Duellum.

AD VERITATIS PROBATIONEM Deus non eſt tentandus expectato miraculo, aut inito certamine.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Res de quibus inter homines controverſia eſt, externæ ſunt, ſcilicet non natura, ſed opinione bonæ, & quibus ſapiens indifferenter vti debet; indignum ergò eſt ab illis ſic affici, vt earum gratia exponat bonum naturale, ſanitatem ſcilicet ignis probationi, aut vitam certamini: In quorundam favorem facta ſunt miracula, ſed non debent in conſequentiam trahi, vt omnes idem ſperent, quod vni ex privilegio conceſſum eſt.

MAGNITVDO. Lex naturæ eſt vt ignis adurat, vt fortior in certamine prævaleat: Perverſum & temerarium eſt velle communem hunc ordinem inverti ad libitum, pro ſingulari cujuſque intereſſe, & ſic vniverſalia ſingularibus ſubſterni: Non fit miraculũ, nè pro veritate ſingulari tuenda naturalis & vniverſalis veritas lædatur, læſio hæc famæ aus fortunæ illata, quàm paſſio magnam reputat, ſapienti Chriſtiano parva, imò & nulla eſt.

DVRATIO. In Medicina, in foro, in conſilijs judicia certo ordine procedunt. *Vide Durat. Cogn.* Mora. Sol ipſe lucis ſenſibilis fons certis horis ab occidente pergit in orientem; quid autem ſtultius, quàm illi tenebras imputare, cum motus ſui legibus alterum perluſtrat hemiſpherium: Emicat tandem veritas, ſed dictis à divina providentia temporibus: quid provocas ad eandem æternam providentiam ante præſtitutum ab eâ diem? ſuſtine & fiet. *Vide Durat. Bonit.* Mora.

POTESTAS. Infirmitas affectat omnipotentiam, & vellet Deum quaſi pretio conductũ mancipium, ſibi vt libuerit patrare miracula, igni, aquis ferro vim naturaliter inſitam adimere: Non eſſet Deus rector vniverſi, ſi ſic ad libitum creaturæ leges, juraque ſua immutaret; non eſſet illi liberum vniverſi regimen, ſi ſinè bonitatis, juſtitiæ, veritatis præjudicio non poſſet deeſſe votis, falsò multa æſtimantis creaturæ. De miraculis frequenter non faciendis. *Vide Major. Poteſt.*

COGNITIO. Si quæris argumentum præſidentis mundo providentiæ, quare non in facto proprio in quo cæcutis, ſed ex cœlorũ, elementorum, totiuſque vniverſi ordinatiſſima conſtitutione. Tàm divinæ ſapientiæ opus eſt, te adverſis exagitari, quàm liberari: Nè accuſes divinũ judicium ſtatim vt tibi non videtur favere, & cum tuo cæco & infirmo non conſentit.

VOLVNTAS. Potes omnia velle, & Deus poteſt quod ipſi placuerit exequi: Non eſt æquum vt leges naturæ poſitas ad arbitrium tuum inflectat, quod verum & æquum putas, fortè fallum & injuſtum eſt, cæcitatem oculis induxit paſſio.

VIRTVS. Nulla foret heroïca virtus, ſi ad innocentiæ tutelam ſtatim militarent elementa; ſoluto ad nutum conflictu, tolleretur occaſio præmij & triumphi. Si Deus ſuſtinuit in propria ſua cauſa, ſcilicet Religionis, ſi permiſit ſanctos domeſticos ſuos igne, gladio, cæteriſque ſupplicijs more nocentium puniri, donec matura veritas mundo illuceſceret, quid vis ipſum ſtatim in tua cauſa miracula patrare?

VERITAS. Fruſtrà eſſet ratio, fruſtrà Dei ſpiritus datus judicibus, fruſtrà lex divina & humana, ſi ſpecialis quælibet controverſia miraculo eſſet dirimenda. Sic etiam Magiæ ſuperſtitionibus ac præſtigijs lata via aperiretur.

GLORIA. Veritas præmium referet, ſed poſt labores; triumphum aget, ſed poteſt certamina æternâ tandem fruetur pace, ſed interdùm dilata eſt in poſteros, cum quibus vnum corpus efficimus. Itaque cum non ſimus vni ſæculo nati, non æſtimemus opprimi veritatem, quæ nobis non illuceſcit, ſed in majus miraculum alteri ſervatur ſæculo aperienda; Sic Martyres nunc diuturnum agunt triumphum inter homines & inter Angelos pro momentanea paſſione.

DIFFERENTIA. Ignoras quo te modo providentia rectura ſit; alium ad virtutem proſperis, alium adverſis promovet; dùm miraculum petis, vt tutus ſias ab illata injuria, virtuti renuntias, fugam petis Chriſtianæ militiæ deſertor; pudeat te in turpitudinis tuæ patrocinium divinam advocare potentiam?

CONCORDANTIA. Exigit à te Deus humilitatem, patientiam; & niſi te à talibus miraculo eximat, Dominum recuſas. Non conſentiunt vota hominum, dùm quiſque juſtum putat eſſe quod optat: Ita ſi ex hominum arbitrio Divinitas penſetur, tandem nulla habebitur, ſeù votis annuat, aut non; ab eo enim cui miraculum non favebit iniqua reputabitur.

CONTRARIETAS. Hæc illata calumnia virtutis exercitatio; eſt habes præmunientem te gratiam, habes auxilium de cœlo, vndè ſperes victoriam; turpe eſt initio certaminis velle receptui cani, remque non fortitudine, ſed miraculo dirimi.

PRINCIPIVM. Potuerunt hæc ſigna naſcenti fidei, & debilioribus adhuc animis ſtabiliendis aliquando concedi: Nunc autem fides adultis viribus; non miraculis, ſed invicta patientia debet enitere; jàm in fructu non debet cedere procellis, quæ flores non potuerunt excutere.

MEDIVM. Dei intereſt, innocentiam prolem ſuam ſalvam in mundo efficere; at quomodò id præſtet, quo tempore, quâ rerum ſerie, non capit humana mens, quæ futuri ignara neſcit quid præſenti conveniat. Ad harmoniæ concentum conferunt tàm ſilentia, quàm voces; ad virtutis meritum tàm oppugnari quàm vincere; Id enim exigit hic mundi in rerum medio conſtituti ſtatus.

FINIS. Puſillanimis eſt, qui quaſi deſperatis rebus conclamat, & extraordinaria petit auxilia, dùm ſufficiunt ordinaria. Terræ infoditur ſurrecturum ſemen; præſcinditur arbor melioribus inſerenda ſurculis. Si Deus tibi finis eſt, gaude gloriam ejus promoveri, etiam fortunæ, famæ, & vitæ tuæ periculis.

MAIORITAS. Miraculum eſt exceſſus, omnibus perſonis, rebus, & temporibus non conveniens: Hæc non eſt præbenda occaſio humanæ vanitati, jam nimis ex ſe tumenti, nè inſoleſcat, quaſi cœlo ſibi ſemper propitio, & nè humanis actibus, aliquo ſemper defectu permixtis, pura patrocinetur cœleſtis potẽtia.

ÆQVALITAS. Sufficit innocentiæ conſcientia ſua, licet cæteris miraculo non comprobetur: Si enim id ordinariè fieret ceſſarent miracula, & ipsâ ſua aſſiduitate vileſcerent, aut in dubium revocarentur quandò deficerent, maximè contumelioſum eſſet;

ſicque plùs pateretur veritas ſignis aliquando tantùm probata, quàm ſibi ſemper decelicta. Provocat ad certamen pronus ad vindictam animus, injuriam injuriâ volens vlciſci, & fortè inconſulto prolatum ſermonem meditatâ hominis nece: Deus tamen præcipit ſibi relinqui vindictam, & inimicum diligi; ac contrà tu vis ipſum iræ & odio tuo immolari. Quâ ratione ſic reus in naturam, & in Deum animus, Deum ipſum advocat vt certaminis comitem, vultque vt conceſſa victoria miraculo comprobet vindictam, quàm lege prohibuit.

MINORITAS. Cogita quod nihil ſis coràm Deo, niſi cinis & vermis, ſic non præſumes tui causà naturæ legibus debere derogari. Non perit ſpecies individuis morientibus; nõ deeſt Soli lux, etiam dùm eâ media mundi pars orbatur: Ità veritas non eſt æſtimanda ſplendore ſuo ſpoliata, cum alicui deeſt actioni, nec omnium oculis illuceſcit; habet interim Angelorum, conſcientiæ, & Dei ipſius ſpectaculum, cui ſufficit placere.

ECCLESIA CREDENDA proponit.

NOn decet à capite membra diſcedere & ſicut Dei filius venit facere voluntatem Patris ſui, ſic & vos implete voluntatem matris veſtræ; indè normam quiſque aſſumat, vndè ſumpſit exordium, nè caput inſtitutionis videatur omitti. can. non decet, diſt. 12.

Quidquid per Prophetas, divinam & naturalem legem continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem omnem exivit; In omnem terram exivit ſonus eorum; dixit etiam Dominus Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; hoc fundamento æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ conſiſtit. can. ità Domin. d. 21.

Non læſo Patre, non læſâ matre datur vnicuique hæreditas, quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam, primi nos genuerunt ad mortem, quia mortales; alij ad vitam æternam, quia ipſi æterni ſunt. D. Aug. ſerm. 110. de tempore.

Tert. lib. de oratione. In oratione, inquit, dominica cùm dicimus Pater noſter, nec mater Eccleſia prætercitur, ſi quidem in Filio & Patre Mater recognoſcitur, de qua conſtat Patris & Filij nomen. *Vide Gloria Princip.* De honore parentum.

Chriſtus vult vt ſpiritualem loquelam diſcamus ab Eccleſia matre; Si errare poſſet Eccleſia, error redundaret in Chriſtum, qui illam nobis præfecit; In ejus ſponſam, aliquid poſſet Diabolus per mendacium, cum tamen dicatur. Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; ſi non eſſet infallibilis, id eſſet, aut quia Deus nollet, aut quia non poſſet talem efficere, neutrum. Lauda Ieruſalem Dominum, &c. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, &c. Ponam in Ieruſalem lapidem, &c. Docebit vos omnem veritatem.

Fecit Deus duo luminaria. Gen. 1. Sol Chriſtus eſt, Luna Eccleſia, in orbe completa, Solis claritate quotidie illuſtrata; Stellæ lucentes ſunt Sanctorum millia. D. Aug. ſer. 134. de tempore.

Quomodò Eccleſia eſt templum, domus, civitas Dei & corpus: Ità Chriſtus caput corporis eſt habitator domus, ſanctificator templi, & Rex civitatis; nihil ergò gratiùs ei dicere poſſumus quàm poſſideamus. D. Aug. in Pſal. 131.

A Ejus eſt legem interpretari, cujus eſt condere; quis enim legum ænigmata ſolvere, & omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is cui ſoli legiſlatorem eſſe conceſſum eſt. l. 11. Cod. de legib. & conſtit. princ.

Sic Tertullian. lib. de præſcript. adversùs hæreticos ſuper illud, quærite & invenietis. Nobis, inquit, & quærendum eſt adhuc, & ſemper: vbi tamen quæri oportet, apud hæreticos, vbi omnia extranea, & adverſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere? Quis ſervus cibaria ab extraneo, nè dicam ab inimico Domini ſui ſperat? quis miles ab infœderatis, nè dicam ab hoſtibus Regibus donativum & ſtipendium captat, niſi planè delertor & transfuga? etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat; pullator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa non inimicum, licet durum judicem interpellabat: Nemo indè ſtrui poteſt vndè deſtruitur, nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur: Quæramus ergò in noſtro, & à noſtris & de noſtro, in quo Regula fidei poteſt invenari. Tert. ib.

Ad ſummum Pontificem, qui caput eſt Eccleſiæ à Chriſto inſtitutus, ſpectat ſymbolum fidei, & credenda proponere. D. Th. 2. 2. q. 1. a. 10.

Vide infrà ex Bibliis. & *Med. Coqu.*

Ad Eccleſiam Romanam, quaſi ad matrem, appellatur ab omnibus. can. ad Romanam. 2. q. 6.

NECESSE EST ECCLESIAM credenda proponere.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fide vivimus, & vt vitam dat anima medio corde, quo vitales effunduntur ſpiritus; ſic Deus largitur fidem corporis ſui myſtici membris per Eccleſiam, quæ fidelibus credenda proponit: Geminatur fidei beneficium, ex eò quod certo illo, & non fallibili medio conferatur.

D MAGNITVDO. Vniverſalia ſunt quæ credi oportet, Deum eſſe providentem & remuneratorem, Chriſtum redemptorem, &c. Cùm hæc in omnium hominum cedant vtilitatem, ab omnibus æquâ fide, ſimilique judicio excipienda ſunt & colenda, vndè ſunt proponenda à cauſa quadam vniverſali, cui cum ſinguli conſentiunt, etiam inter ſe concordare neceſſe eſt. Non conſiſtit multitudo, niſi in ordinem ſit digeſta: at non conſtat ordo niſi deveniatur ad ſupremum, vndè cæteræ ſibi ſuccedentes partes pendeant.

DVRATIO. Fides dubias & fluxas mentis humanæ cogitationes ſiſtit in vno; Id autem præſtari non poteſt, niſi ab vnitate quadam immutabili; Talis autem eſt Eccleſia ad finem vſque ſæculorũ duratura, & contrà quàm portæ inferi non prævalebunt. Tot tamen hæreſum fluctus ad hanc immotam rupem alliſi, in ſpumas, & tandem in placidum æquor defecerunt. Habent cauſas ſuas, ætates, morbos, quibus immutentur ſæcula, vna tamen ab Apoſtolis ad nos vſque pervenit fides, vnâ illi immotâ præſidente Eccleſia.

POTESTAS. Eadem fuit fides in vinculis & libertate, in divitijs & paupertate, in conflictu & in triumpho: Non enim ſtat viribus humanis, ſed divinis, cum regitur, ab æterna ſapientiâ: Quid non tentarent terreni Principes in injuriam fidei, quæ non politiæ ſuæ vtilia, licet veritati contraria, dogmata diſſeminarent ſi credendis non præeſſet Eccleſia, præſtantiori, & à Deo in ſpiritualibus ſumma accepta poteſtate.

COGNITIO. Hepar conficit ſanguinem, commune

membris omnibus alimentum, quod ſingulæ partes poſſunt ſibi aſſimilare; Sic Eccleſia eadem credenda proponit omnibus fidelibus, licet quiſque eorum variè à ſingulis myſterijs afficiatur. Singulæ ſcientiæ habent ſuos Antiſtites, ſuaque axiomata; ſingulæ artes ſuas regulas, & idæam aliquam, in cujus aſſimilationem nituntur: Sic humana ratio, infirmitatis ſuæ conſcia, quærit vnitatem cui inhæreat, & à qua limitetur: hoc potiſſimùm neceſſarium eſt in divinis, quæ captum noſtrum excedunt, & quæ mutationem non patiuntur.

VOLVNTAS. Matribus liberorum infirmæ ætatis educatio & tutela conceditur, eò quod amor oculatiſſimus eorum commodis ſemper invigilet: Edocta eſt Eccleſia à Spiritu ſancto, ſic pia mater, ſummâ pro filijs fervens charitate, vera & vtilia ad ſalutem proponit; etiam rebus ſacris immiſcent ſe paſſiones amoris, odij, metus, ſpei & cæteræ, quæ verſarent mentes hominum, ni contineret & ad verum reduceret mater Eccleſia.

VIRTVS. Eccleſia columna eſt virtutis, cui inniti ſecurum eſt; optimum etiam toties victricis partes ſequi, antiquis, fœlicibus, nunquàm aberrantibus conſilijs fidem dare, & hoc pondere ſanctuarij humanæ mentis judicia examinare.

VERITAS. Verum cum vno convertitur, ideò ab vnitate procedat neceſſe eſt. Non ſufficeret lex ſcripta, niſi eſſet etiam animata, ſcilicet Princeps, qui multis lege non expreſſis caſibus provideat, dubijs lucem afferat, exceſſibus aut defectibus modum dicat, ex veri & æqui certa apud ſe regula; Sic neceſſarium eſt ſummum in dirimendis controverſijs Eccleſiæ judicium.

GLORIA. Hinc ſumma quies mentibus, dùm vltrà progredi nefas eſt, & in ſubortis circà fidem dubijs non turpe ſit, ſed glorioſum Eccleſiæ ſubjici: Nam codit ſic victoria victo, nullius decertantium obtinet, nullus in alium inſoleſcit, nullus nec vincit, nec vincitur, cum ſub hac lege certatum eſt, vt decerneret Eccleſia; ab hoc centro immobili accipiunt motus omnes vim, firmitatem & regularitatem.

DIFFERENTIA. Hoc ſummum jus in Eccleſia proponendi res fidei conciliat ipſi authoritatem, quâ moderatur mentes humanas, & pro temporum rerumque occaſione laxat, aut inflectit: leges rituſque immutat, nè variis morbis vno medeatur collyrio, nè orta tempeſtate vni ſemper vento det vela. *Vide Diſſer. Verit.* De legum mutatione.

CONCORDANTIA. Omnium fidelium congregatio vnum efficit corpus, cui vnum debet eſſe caput; vndè ſenſus & motus. *Vide Major. Poteſt.* Eccleſia ſponſa Chriſti, vt fortis mulier, familiæ ſuæ diſpenſat, quæ ſponſus labore ſuo & merito acquiſivit.

CONTRARIETAS. Nullus futurus eſſet controverſiarum finis, ſi non præeſſet Eccleſia, quæ vera à falſis diſcerneret, & credenda proponeret.

PRINCIPIVM. Eccleſia mater nos adhuc in vtero, ſuo portat, vndè ejus ſpiritu vivimus, reſpiramus, alimento, ſuo calore digeſto, nutrimur. Deus eſt quidem primum veritatis principium, poteſt ſingulis quædam revelare, quæ ad ſingulorum pertinent commodum: ſed veritates ad omnium inſtruendam fidem pertinentes revelat Eccleſiæ, vt cauſæ quidam vniverſali ad hoc inſtitutæ; nihil enim in rebus fidei periculoſius eſt particulari judicio, dùm quod quiſque melius putat, quaſi à Deo acceptum colit, & pertinaciter defendit, zelo modum neſciente: hinc ortum duxerunt hæreſes omnes.

MEDIVM. Si vnus eſt Deus, & vna fides, vt ait Apoſtolus: ad vnitatem illam fidei ſtabiliendam A Deus providere debuit conveniens medium: nullum autem aliud quàm ſi omnes Eccleſiam audiant præcipientem. Deus omnia creavit immediatè, omnia autem conſervat mediis quibuſdam poteſtatibus: ſic radius Divinus à ſuperioribus Angelis tranſit in inferiores.

FINIS. Eo fine Eccleſia credenda proponit, nè humana ratio de rebus divinis timerè decernat, nè in varias ſectas & ſchiſmata dividantur fideles, & nihil videatur credendum in æquali ſententiarum contrarietate: Maximum his malis antidotum Eccleſia præſidens, non eſt enim certamen, ſed exercitatio, dùm certo Eccleſiæ judicio finiri debet.

MAIORITAS. Ampliſſimum habet meritum integra B fides, intellectu ſcilicet ad omne obſequium parato; Sic conveniens ponitur fundamentum charitati, in altum illimitato profectu ſurrecturæ.

ÆQVALITAS. Æquat omnes finis & fides, ſic enim villicus æquatur Principi, idiota ſapientiſſimo, tantùm enim quiſque poteſt per fidem apud Deum promereri, tantùm cœlitus illuſtrari: Neceſſe autem eſt vt libram hanc Eccleſia moderetur; Non enim caſui, aut ſingulorum judicijs & affectibus varijs, & in contrarietatem pronis, fuit committenda.

MINORITAS. Quiſque in ſe deſcendat, & experimento ſuo probabit rationis humanæ vim non pertingere ad veram rerum naturalium, quantò minùs ad rerum divinarum cognitionem; Vide quàm multi per tot ſæcula decepti fuerint in ſectarum ſcripturarum expoſitione, & hinc intelliges neceſſariò conſulenda eſſe in talibus Eccleſiæ, vt divinitùs afflatæ, oracula.

DOCTORIBVS ASSENTIENDVM.

DOctores ſunt corporis myſtici quaſi ſenſus, qui circà proprium objectum non fallunturi. Angeli ſuperiores inferioribus lumina ſupramundana diſpertiunt, hoc enim ordine conſtat cœleſtis Hierarchia: Cujuſlibet artis tyrones Magiſtris ſuis præcipienebus credunt; argentario credimus de numni pretio; nutricibus datur medicina, quæ parvulis proſit, alimenta fortiora in lac convertunt, vndè Paulus ait lac potum dedi vobis, non cibum. Sponſa ſponſum quærit à cuſtodibus civitatis: In Luna videmus Solis lumen, quod in ipſo videre non poſſumus.

Nihil intereſt vtrùm ipſe Dominus tradat alicui rem ſuam, an voluntate ſuâ alius, cui ejus rei poſſeſſio permiſſa ſit. §. nihil autem. Inſt. de acquir. rer. dom.

Fœlix cui veritas atteſtatur dicens. In auditu auris obedivit mihi. Pſ. 17.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Pſal. 50.

Docebit mites vias ſuas. Pſal. 24. Non eos qui præcurrere volunt, quaſi ſeipſos melius regere poſſint. D. Aug.

Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam. Id eſt majores animæ ab ipſâ ſapientiâ illuſtrentur. Et colles, id eſt minores animæ fidem ſuſcipiant; Ipſis enim montibus Eccleſiæ dictum eſt, Pax vobiſcum; ipſi nunquàm diviſerunt ſe ab eo, à quo pacem acceperunt. Non ſunt montes naufragoſi, ad quos alliduntur naves vt Hereſiarchæ, &c. D. Auguſtin. tractat. 1. in Ioan. Sic & dicitur. Levavi oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi; Statim addit; Auxilium meum à Domino, Non enim ipſi montes ſunt, in quibus ſpes noſtra ponenda eſt, ſed in eo à

quo accipiunt monte vt nobis miniſtrent; non de ſe lucent, ſed ipſe eſt verum lumen, quod illuminat omnem hominem. Ib.

Erat lux vera, &c. Ioan. 1. Oculi noſtri ſunt lumina, ſed ſinè Sole aut lucerna non lucent, lippientes oculi poſſunt videre illuſtratum à Sole parietem, non ipſum Solem; Sic Ioannes præceſſit Chriſtum: Habet Deus teſtem hominem, ſed propter hominem, tàm infirmi ſumus, per lucernam quærimus diem, ipſe enim erat lucerna ardens & lucens. Ioan. 5.

Samaritani credunt mulieri de Chriſto annuntianti, deindè miraculis, &c. Id. trac. 2.

Licet Magis Chriſtus tàm clarum ſignum in cœlo dederat, & eorum cordibus ſe natum eſſe revelaverat; Prophetis tamen ſuis de ſe credere voluit. Idem ſer. 34. de tempore:

Geneſ. 24. Rebecca nec in aures habere potuit, nec armillas in manibus, niſi Iſaac per ſervum ſuum tranſmitteret: Sic Eccleſia, nec verba divina in auribus, nec opera ſancta habere potuiſſet in manibus; niſi hæc illi Chriſtus per ſuam gratiam, & per ſuos Apoſtolos contuliſſet. Id. 75. de tempore.

Iacob dormiens ſuper petra, id eſt ſummo Pontifice, videt Deum ſcalæ innixum; vel Doctores ſunt ſcalæ, cœlum contemplatione, terram prædicatione attingentes: ad hujus ſcalæ pedem humiliter dormiendum, ſecurè confidendum: Scalam etiam referunt, in eò quòd ſublimioribus ſublimia, parvis humilia prædicant. D. Aug. ſer. 78. de tempore.

Audi filia & vide: priùs Spiritus ſanctus, animæ ſpiritualis format auditum quàm lætificet viſum: potes auditu, ſed non aſpectu, ſicut audivimus, ſic vidimus. Clamantem denique Deum Adam vbi es, non videbam jam peccator, audiebam tamen, ſed auditus aſpectum reſtituet, ſi pius, ſi vigil, ſi fidelis præceſſerit: fallitur tactus Iſaac Patriarchæ, non fallitur auris, vox, inquit, Iacob; adeò auris percipit veritatem. Meritò carnem redivivam verbi tangere prohibetur mulier carnaliter ſapiens, plùs quippè tribuens oculo quàm oraculo, ideſt carnis ſenſui, quàm verbo Dei: Noli me tangere, hoc eſt diſſueſce huic ſeductibili ſenſui, innitere verbo: fides neſcia falli, fides inviſibilia comprehendens, ſenſus penuriam non ſentit: tangitur qui aſcendit, ſed affectu non manu, voto non oculo, fide non ſenſibus. D. Bern. ſerm. 18. ſuper cantica.

Abyſſus abyſſum invocat; Prædicator alta Dei myſteria perſcrutatus, de quibus dicitur, judicia tua abyſſus multa, abyſſum alium hominem in profundo peccati hærentem, vel cujus eſt inſecutabile cor, invocat, ad ſe trahit, hunc lucratur, non in voce ſua, ſed in voce cataractarum tuarum. D. Auguſt. in Pſ. 41.

Tu es ipſe Rex meus, qui mandas ſalutes Iacob. Pſ. 43. Per aliam creaturam mandat. Id.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam. Pſal. 50. Gaudebo audiendo te, non loquendo contrà te: feliciores ſunt qui audiunt, quàm qui loquuntur; qui enim diſcit humilis eſt; qui autem docet laborat vt non ſit ſuperbus, nè Deo diſplicet qui vult placere hominibus: & poſteà oſtendit quid faciat iſta auditio, Et exultabunt oſſa humiliata. Stat & gaudet amicus ſponſi propter vocem ſponſi. Ioan. 3. Stantem ſe fecit & audientem, non cadentem & loquentem. D. Aug. in Pſ. 50.

Vos eſtis lux mundi: Huic benè facimus intendentes, ſicut lucernæ lucenti in obſcuro loco, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris. 2. Pet. 3.

Cœlum cœli Domino. Dat Deus cœlo providet terræ: ideò eſt cœlum cœli. Qui fecit cœlos in intellectu. Pſal. 135. Spirituales ſanctos ſuos, quibus non tantùm credere, verum etiam intelligere divina donavit; hoc qui nondùm poſſunt terræ nomine figurantur. D. Aug. in Pſal. 153.

In Saltu Hircaniæ aves gignuntur, quarum pennæ per obſcurum emicant; incolæ ad dirigendum iter, his quaſi lucernis vtuntur. Solin. cap. 21. Tales ſunt Doctores, poſtquàm contemplatione Divina attigerint.

D. Auguſt. lib. 1. de doctr. Chriſtiana loquens de Paulo ad Ananiam miſſo. Poterant, inquit, omnia per Angelum fieri, ſed abjecta eſſet humana conditio ſi per homines hominibus verbum ſuum Deus miniſtrare nolle videretur; quomodò enim verum eſſet, quod dictum, Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos, ſi Deus de humano templo reſponſa non redderet, ſed totum de cœlo per Angelos perſonaret: deinde ipſa charitas, quæ homines ſibi invicem nodo vnitatis aſtringit, non haberet aditum refundendorum, & quaſi miſcendorum ſibimet animorum. Eunucho, non Angelus, ſed Apoſtolus Iſaiam interpretatur. Act. 8. Moyſes cum Deo loquebatur, & tamen conſilium regendi atque adminiſtrandi à ſocero ſuo, licet homine alienigena, providus & minimè ſuperbus accepit; noverat enim ex quacumque anima verum conſilium proceſſiſſet, non ei, ſed illi, qui eſt veritas, immutabili Deo tribuendum eſſe. D. Auguſt. in proœmio lib. 1. de doctr. Chriſt.

De conſilio petendo. *Vide Concord. Cognit.*

Cum tres Angeli ad Abraham venerint dicit tamen, Domine ſi inveni gratiam. Gen. 18. Cum tres eſſent ſingulariter Dominum appellavit, in Angelis Dominum ſentiens, & Domino potiùs quàm Angelo loqui eligens. D. Aug. lib. 3. qq. ſup. gen. q. 33.

Exod. 25. Dominus promittit ſe locuturum de medio Cherubim, deſuper alis velantium propitiatorium, in quo lex. Cherubim Sacerdotes ſcientiâ ſuâ ſecreta fidei myſteria velantes ſignificant. Idem q. 105. ſuper Exod.

Vt nimiùm eſſe credulum, ſic nimiùm ſuſpicacem, omnibus fidem negando vitio deputatur; ſervis diſpenſatoribus ſine culpa credunt Domini, ſic & amicis, in his quæ certâ ratione demonſtrari non poſſunt; In Religione verò, quid iniquius fieri poteſt, quàm vt Dei Antiſtites nobis non fictum animum pollicentes credant, non eis præcipientibus nolimus credere: Quæ poteſt eſſe via ſalubrior quàm idoneam primò fieri percipiendæ veritatis, adhibendo ijs fidem, quæ ad præcolendum & curandum animum ſunt divinitus conſtituta: aut ſi jam protsùs idoneus ſit circumire potiùs aliquantulum quà tutiſſimum eſt ingredi, quàm & tibi eſſe authorem periculi, & cæteris temeritatis exemplum. D. Aug. l. de vtilit. cred. cap. 110.

Illis obtemperando, dominationem ſtultitiæ vitamus: meliùs ſtulti omnes viverent, ſi ſervi poſſent eſſe ſapientum, ſi enim in rebus humanis, vt nuptijs, mercatura, credimus, quantò magis in Religione. Ibidem.

Si quis teſtibus vſus fuerit; ijdemque teſtes adversùs eum in alia lite producantur, non licebit ei perſonas eorum excipere, niſi oſtenderit poſteà inimicitias inter illos & ſe emerſiſſe. l. 13. Cod. de teſtib. Credatur Doctoribus, quos ſæpè in doctrinæ ſuæ patrocinium trahere conantur hæretici.

Apud Ezechielem vnus Cherubim ſcientificus mittit manum ad ignem, & dat alteri: Doctor alium inſtruit & inflammat.

Demonſtratur membris per caput: aperi oculos, videt manus quo eat, demonſtrante capite membrum ſecutum eſt, &c. gradus pietatis eſt fides, fidei fructus

intellectus. D. Auguſt. tract. 22. in Ioan.

Qui ex Ægypto egreſſi ſunt, Moyſem; Qui ex Sodomis fugerunt, Angelum Dei habuerunt ducem; Raphaël ducit filium Tobiæ, ſtella Magos.

In nulla re natura eſt principium activum ſuæ generationis; nihil enim ſeipſum producit. Cœli motores ſuos habent Angelos. Sicut nemo à ſeipſo eſt, ità nemo à ſeipſo ſapiens eſt, inquit Seneca.

Quis medullas ſcripturarum magis noſſet, quàm ipſa Chriſti ſchola, quàm hi quos ſibi diſcipulos adoptavit, omnia vtique docendos: cui potiùs figuram vocis ſuæ declaraſſet, quàm cui effigiem gloriæ ſuæ revelavit; Petro', Iacobo, Ioanni, & poſteà Paulo, quem paradiſi quoque compotem fecit ante martyrium. Tertulian. in Scorpiaco. c. 12.

Verbo Domini cœli firmati ſunt, vt ſcilicet complerent Dei miſericordiam per vniverſam terram. Miſericordia Domini plena eſt terra: Ideò omnibus linguis vno in loco locuti. D. Aug. in Pſal. 32. conc. 2.

Fundamenta ejus in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion. Apoſtoli & Prophetæ ſunt fundamenta, quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtram: ſunt portæ, quia per eos intramus ad regnum Dei; pulſate affectu has portas. Aperite mihi portas juſtitiæ, &c. D. Auguſt. in Pſal. 86.

Dicit Chriſtus de Paulo, vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meum coràm gentibus. Act. 9.

Superior ædificij pars cedit inferiori, vt ipſum ædificium ſolo. l. 2. Cod. de rei vindic. Cum Apoſtoli ſint fundamenta Eccleſiæ, habentur etiam vt principia ſalutis omnium.

Super montes volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Pſal. 103. Aves, ideſt ſpirituales, ne à ventis tollantur in montibus requieſcunt, ideſt in Apoſtolis, Prophetis; in talibus montibus petras inveniunt, ideſt firmamenta quædam præceptorum: ſicut vna petra Chriſtum, verbum Dei, ſic multa verba Dei multæ petræ: illa volatilia cœli authoritatem ſuam non ſequuntur, ſed Patrum. De medio petrarum dabunt voces. Si quis vobis Evangeliſaverit, præter quàm quod accepiſtis, anathema ſit. Gal. 1. Rigat Dominus montes de ſuperioribus ſuis. D. Aug. in Pſal. 103.

Multiplicatos panes Chriſtus turbæ vult diſtribui per Apoſtolorum manus. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit & dabat diſcipulis vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Marc. 8.

PRÆDICATOR.

Vide ſuprà de doctoribus: liberè veritatem prædicent. *Vide Poteſtas Veritatis.* & ſinè fuco nimiæ eloquentiæ. *Vide Major. Cognit. Mal.*

D. Auguſt. lib. 18. de civit. Dei. c. 50. De Apoſtolis prædicantibus loquens ait, fuiſſe ſicut luminaria, quæ Chriſtus apta verat verbo, & accenderat Spiritu ſancto.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Pſal. 2. De vi eloquentiæ. *Vide Poteſt. Cognit.* De vi ſacræ eloquentiæ. *Vide Glor. Verit.*

Prædicator vt Iacob mactat hædos: Hædi peccatores ſignificat, qui in die judicij dicuntur eſſe à ſiniſtris. Math. 25. Illi autem hœdi occiduntur, manducatur, & trajiciuntur in corpus vnum, cum occiduntur peccata in peccatoribus, & tranſeunt interfecti in corpus Eccleſiæ, cujus Eccleſiæ figuram gerebat Petrus, quandò ei dictum eſt. Act. 10. Macta & manduca. D. Aug. A Serm. 44. de diverſ. cap. 18. Prædicator eſt in Eccleſiâ, ſicut Adam in paradiſo, vt operetur & cuſtodiat.

Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes: nubes ſunt prædicatores, de quibus Iſay. 5. De vinea ſterili, dicit Dominus, mandabo nubibus cœli nè pluant ſuper eam. Per has nubes tonat, minatur Deus, corruſcat, quandò miracula facit, & irrigat per verbi pluviam. D. Aug. ſup. Pſal. 35.

Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, ideſt prædicatores, qui ſinè Dei gratiâ mortuos non poſſunt ſuſcitare. Septuaginta interpretes loco medici vertunt gigantes: Id enim nomen apud hebræos ſignificat medicum & gigantem, vtrumque ad laudem prædicatorum, qui ſunt potentes B viribus. in Pſal. 87. Tanquàm Provinciales annonam ſpiritualem Chriſti militibus præbent. in Pſal. 90. c. 2.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ità filij excuſſorum. Prædicatores tanquàm ſagittæ à Deo mittuntur in hominum corda: ſunt filij excuſſorum, ideſt Apoſtolorum, qui ſimiliter à Deo excuſſi ſunt forti brachio. Idem. Pro Chriſto legatione fungimur, &c. 2. Cor. 5.

Miniſtri ſunt gratiæ intùs operantis, vt medici naturæ. ex D. Auguſt.

Tam Reipublicæ profuit M. Catonem naſci quàm Scipionem, alter enim cum hoſtibus bellum, alter cum moribus geſſit. Senec. Epiſt. 87.

Prædica verbum, inſta opportune & importune: C Quibus opportune? volentibus; quibus importune? nolentibus prorsùs importunus ſum. Audeo dicere, tu vis errare, tu vis perire; ego nolo: non vult poſtremo ille qui me terret; ſi voluero, vide quid increpet, quod erraverat non revocaſtis & quod perierat non inquiſiſtis: te magis timebo quàm ipſum? oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti. D. Aug. l. de paſt. c. 7. Voluiſti Domine apud eos me prædicare veritatem, qui amant vanitatem, & non poſſum niſi irrideri ab eis, quia ſpeculum facti ſumus huic mundo, Angelis & hominibus; Angelis laudantibus, hominibus opprobrantibus, imò & Angelis laudantibus & vituperantibus: A dextris & à ſiniſtris habemus arma in quibus militamus, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores ſed veraces. D. Aug. in Pſal. 38. D

Argue, obſecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ. 2. Timoth. 4.

Aperi os tuum, ſed priùs vt aperiatur implora. vita enim verbum erigit & acquirit, ſermo enim ſinè vita non eſt Dei ſermo. D. Ambroſ. in Luc.

Iuſtificata in ſapientia à filijs ſuis. Math. 11. *Vide Conc. Verit.*

Ananias mittitur ad Paulum, vt eum doceret. Philippus ad Eunuchum.

Seraphim purgat os Iſayæ calculo ignito, quem tulerat ex altari; deindè Deo quærente quem mittam, dicit, ecce ego, mitte me. Iſay. 6.

Ecce ſervus meus, electus meus, complacuit ſibi E in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet. Iſay. 42.

Quomodò autem audient ſinè prædicante; ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Rom. 10. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Cor. 4.

Qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & conſolationem. 1. Cor. 14.

Solus Moyſes aſcendit in montem, legem à Deo accepturus. Exod. 19.

Deus loquitur populo, de medio duorum Cherubim. Exod. 25. Ideſt per duplicem poteſtatem Eccleſiaſticam & ſæcularem; hinc enim manant leges.

EX VTROQVE JVRE.

De fide inſtrumentorum. ff. 22. t. 4. De jurejurando, ſivè voluntario, ſivè neceſſario, ſivè judiciali. ff. 22. tit. 2. De rebus creditis & jurejurando. C. 4. De jurejurando. Decr. lib. 2. t. 24.

Iuramentum eſt præſtandum causâ neceſſitatis. 22. q. 1. Plùs valere quod agitur, quam quod ſimulare cõcipitur. Cod. 4. tit. 22. De ponderationibus. Cod. 10. tit. 71. De primicerio & notariis. Cod. 12. t. 7. De probatione inveſtituræ. Feud. 4. 88. De probationibus. ff. 22. 3. C. 4. 19. De teſtibus. ff. 22. 5. Cod. 4. 20. Nov. 90.

Si de interpretatione legis quæritur, primò inſpiciendum quo jure civitas retrò in ejuſmodi caſibus vſa fuiſſet; optima enim eſt legum interpres conſuetudo. l. 37. ff. de legit. Iudex poteſt interrogare vbicumque æquitas monet. l. 21. ff. de interrogat in jure faciendâ. Qui autem interrogatus reſpondit, ſic tenetur, quaſi ex contractu obligatus. l. 11. eodem.

Æſtimatori, aut ponderatori, aut menſuratori communi ſtatur. l. fin. C. de ponderat.

Maximum remedium expediendarum litium in vſum venit, jurisjurandi Religio, quâ vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex authoritate judicis deciduntur controverſiæ. Speciem tranſactionis continet, majoremque authoritatem habet quàm res judicata. l. 1. & 2. ff. de jure. & l. 3. Cod. de reb. cred.

De comparatione litterarum. Nov. 73 c. 7. Regula dicta eſt, quod in rectum regat. can. regula. diſt. 3. Authoritate ſcripturarum, traditione generali, aut ſpeciali inſtitutione tota Eccleſia regitur. can. Catholica. diſt. 11. Super violenta, præſumptione fertur definitiva, vt in judicio Salomonis de duabus mulieribus. cap. afferte de præſumpt.

Iuramentum litis deciſorium à judice delatum, ſinè juſta cauſa recuſari non poteſt; ſed à parte delatum poteſt, niſi in cauſa famoſa. c. juramentum de jurejur.

QVIBVS MEDIIS HABETVR veritas.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Contrariorum effectus ſæpè ſimiles ſunt. Siccitas oritur ex calore & frigore intenſo. *Vide Concor. Com.* Sic veritatem elicimus ſpe & metu, tormentis & beneficio ità conductis prætio exploratoribus diſcuntur hoſtium ſecretiora conſilia.

Magnitvdo. Non ſe profetunt naturæ dotes, niſi dùm corpus ætate maturâ debitam adeptum: quis ilicis robur æſtimet, dùm adhuc eſt in glande, aut in herbâ. Conſultatio veritatem quaſi ſparſam colligit ex multis mentibus, numerantur que non ponderantur judicia, quaſi naturale lumen ſit, quod in pluribus invenitur. *Vide Concord. Cognition.* Minima vt ſunt atomi fugiunt oculos, majora autem meliùs videntur qualia ſint: vndè cæca mens eſt, quæ naturæ leges non videt exaratos in mundano libro, tàm amplis & ſplendidis caracteribus.

Dvratio. Oportet hominem coëxiſtere pluribus ſæculis, vt rectè poſſet rerum ordinem obſervare: ad hoc non ſufficiunt hiſtoriarum monumenta de præterito, Prudentiæ & Aſtrologiæ auguria de futuro, nimiùm enim præſentibus afficimur: itaque veritas æternis eſt ſervata ſpectaculis; huic proximior eſt diuturna peritorum & ſenum experientia, qui & inſtar oraculi conſuluntur. *Vide Durat. Cognitionis.* Vide ibidem quod optima ſit judicij dilatio. quia tempus ex alto veritatem eruit; pigmenta quibus tegebatur abſtergit, fucum tollit, & ſequentium teſtimonijs præterita convincit.

Potestas. Magnates neſciunt blandiri, & vt ſunt ſinè metu, ſic ſinè fuco, latebris & mendacio. Nihil Principes lateret, ſi tàm eſſent avidi veritatis quàm laudis, & ſi eadem adulatoribus ac falſarijs imponeretur pœna. Hoc titulo optandæ ſunt divitiæ vt ſufficiant ſalario Magiſtrorum, à quibus diſcantur veritates naturæ, morum, & Religionis.

Cognitio. Ad veritatis indagationem collaborant ſenſuum experimenta, artium & ſcientiarum ſe mutuo juvantium labores, qui naturam explorant, ſeù liberam, ſeù vexatam.

Volvntas. Quod vnius induſtriâ quæſitum eſt, in alios amor beneficè tranſfundit: amicus vt cætera omnia, ſic maximè ſecreta habet cum amico communia; vnica enim in duobus mens, nihil ſeipſam poteſt celare. *Vide Veritas Volunt.* in amore veritas.

Virtvs. Virtutes omnes videntur veritati deſervire. Prudentia dùm vera media ad finem eligit, dùm laqueos, & ſtructas inſidias vitat. Temperantia integrum ſervat mentis judicium. Iuſtitia æquâ lance diſceptantium jus examinat. Fortitudo ſibi ſemper par & immota, dùm non transfertur, nec proſperis, nec adverſis, rerum infrà ſe volutantium caſus ſecurè ſpectat: ſic Martyres veritatem Chriſtianam inter tormenta fortiter vitæ ſuæ pretio teſtati ſunt.

Veritas. Fœcunda eſt veritas ſibique parem generat veritatem, humana fides exhibita fides efficit. Divina fideles: At contra fraudulentiam paribus armis certatur, dolis ſcilicet & fraudibus. *Vide Magnit. Virt. Repugn.* De Differentia. *Vide Bonitas & Virtus Verit.* De Simplicitate.

Gloria. Delectatio in operatione eſt indicium veri habitus: lætos animi ſenſus riſus prodit. Convenientis objecti præſentia mirâ nos rapit voluptate, & hæc ſuavitas eſt certum indicium latentis convenientiæ. Homines ambiunt præmia honorifica, quia ſupponunt quam coronant virtutem.

Differentia. Qualis quiſque ſit, non niſi in privato lare deprehendes, nam in publico quiſque perſonam gerit ad ſpectaculum, ad aliorum quibus adhæret mores & opiniones efficiam. Ignis diſgregans heterogenea quale ſit vnumquodque probat. Sic Chymia ſeparat purum ab impuro, & vnumquodque naturæ ſuæ reſtituit.

Concordantia. Mali habitus latent in ſolitudine, vt ſerpentum venena hyeme: exerit illos hominum ſocietas, ſeù ſuſcitentur ſimilium amore, aut contrariorum odio; ſic dignitas non mutat mores, vt eſt in proverbio, ſed priùs metu aut impotentiâ latentes prodit.

Contrarietas. Sæpiùs non niſi vexata natura vires ſuas prodit, vt patet in artibus, ſic virtus hominum, & fides animorum probantur adverſis: Contraria invicem oppoſita magis eluceſcunt. Ita Rhetores potiſſimum ad fidem faciendam argumentum ducunt à contrarijs.

Principivm. Omne agens agit ſibi ſimile quantùm poteſt, vndè duplex eſt demonſtratio; quæ rei eſſentiam explicat, ſeù per cauſas, quibus debet eſſe ſimilis, ſeù per effectus, quos edit ſibi ſimiles.

Medivm. Nihil fruſtrà dedit natura, ſed propter operationem, ideo Phyſionomia ex organis conjicit facultates. *Vide Cognitio Virtutis*, vbi de Phyſionomiâ. Sic agnoſcimus militem ex armis, Senatorem ex togâ,

togâ, Regem ex sceptro & coronâ. Cum res media sit vtriusque extremi particeps, hinc facilè est conjicere qualitates superioris & inferioris gradus. Mathematici regulis, circinis, triangulis, quadratis cæterisque aptis instrumentis veras rerum quantitates & figuras deprehendunt.

Finis. Rectitudo lineæ pendet à puncto, in quem tendit: vt bonitas moralis pendet à fine quem sibi proposuit. Vita civilis peragitur flexibus, qui fallunt insidiantium oculos, itavt quod intenditur vix agnoscas, nisi cum perventum est: Nemo ante obitum fœlix.

Maioritas. Quid ferant vires poteris nosse si semper adjicias quousque deficiant, hic erit gradus vltimus potentiæ: sic adjectis paulatim crescentibus ponderibus corporis gravitatem libra perpendit.

Æqvalitas. Cum omnes species æquè naturam. genericam, omnia individua naturam specificam participent, ex aliquibus omnium qualitates intelliguntur. In æquinoctio tempus diei cognoscitur per tempus noctis. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanebunt erunt æqualia.

Minoritas. Humilis latentes suos defectus prodit, ne indebitam laudem melioribus debitam vsurpet: Veritas facilius elicitur ab infirmioribus, vt à mulieribus, pueris, minùs prudentibus, qui nesciunt aptè fingere, & ab interrogantium dolis cavere. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, &c.

MEDIA VERITAS.

Vide Media Cognitio. Vide etiam Media Bonitas, Magnitudo, Duratio, Potestas, & alia Principia Media, quæ cum integra appareant, Mediam tantùm habent existentiam.

VT se habet bonum, ità & verum in rebus: vt enim nihil est sinè bonitate aliquâ, ità nullum mendacium sinè aliquâ veritate: sic Dæmones mendacium suum tarâ veritate commendant. D. Thom. 2. 2. q. 172. a. 6.

Media est veritas, quæ habetur ex vino turbata mente, & ex eculeo. Vide suprà hoc tit.

Specula referunt objecta, sed rectum faciunt sinistrum: sic inversæ sunt species in carta receptæ, per foramen luce immissa.

Carneades Academicus profitebatur se non minùs pro falso, quàm pro vero eloquenter dicturum.

Nulla est secta Philosophorum quæ non habeat aliquid veri & falsi, vndè nulla est penitùs abjicienda.

Fama veri est semper mixta falsis, talia erant antiqua oracula, obscura veris involventia.

Non debet rationem reddere suæ legis legislator, & suæ sententiæ judex; cum enim non possit afferri ratio penitùs convincens, alia in contrarium ratione impugnaretur.

Si quis delatum juramentum præstitit & velit adversùs alium prærogativa jurisjurandi vti, nihil proderit, quia non debet alij nocere, quod inter alios actum est. l. 9. §. fin. ff. de jurejur.

Non est irrita venditio, si non in totum erretur in materia rei quæ venit. v. g. Si æs mixtum auro pro auro vendatur, l. 14. ff. de contrah. empt. secùs si in tota materia erretur.

Res judicata, licet injustè, pro veritate est. *Vide Gloria Potest.*

Stipulatio de futuro, suspendit obligationem, & sub condicione facta sit, conditio autem de præsenti, vel præterito, non suspendit. l. 36. & 37. ff. de reb. cred.

Venditor non tenetur præstare quæ dicit ad laudam commendationem servi venditi, sed sufficit vt sit aliquid eorum quæ dixit illi inesse. l. 19. ff. de ædil. ed.

Servi testimonio tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendam veritatem non est. l. 7. ff. de testib.

Verba enuntiativa non inducunt dispositionem. l. 34. ff. de legat. 2.

Quæ in testamento scripta sunt, nec intelligitur quid significent, ea perindè sunt ac si scripta non essent; reliqua autem per seipsa valent. l. 2. ff. de his quæ pro non scriptis habentur.

Iudex appellationis potest pro parte sententiam confirmare, pro parte nullam pronunciare. l. 24. ff. de jure patronat.

Ad testimonium judiciale contrà Christianos non admittitur hæreticus, sed tantùm in contractibus & vltimis voluntatibus. l. penul. Cod. de hæret. & manich.

Super violenta præsumptione fertur definitiva, vt in judicio Salomonis de duabus mulieribus. cap. afferte de præsumption. Sic per cohabitationem diuturnam, & famam de matrimonio, probatur matrimonium. cap. illud eodem.

De Academicis qui omnia dicebant esse problematica. *Vide Cognit. Veritatis.*

Ezechiel. 1. Videt similitudines quatuor animalium. *Vide Repugnantias in tract. Verit. Bonit. Magnitud. Durat. & aliorum Principiorum.*

Fama falsis vera permiscet, estque nomen incerti. *Vide Minor. Verit. in fine.*

Digitized by Google

FINIS VERITATIS.

FINIS INTENTIONIS.

QVID INTENTIONIS LEX.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Intendit lex vnumquemque naturæ ſuæ reſtituere: ſic hominibus maximum omnium bonorum confert, ſcilicet rationis.

MAGNITVDO. Quod ſapientibus erat ſingulare, lex efficit omnibus commune, agit enim partes cauſæ cuiuſdam communis, quæ providet omnibus, nec deeſt aut præaltis, aut infimis, ſed omnes æqualiter conſtringit.

DVRATIO. Lex prævenit moras etiam bonæ cõſuetudinis, ſtatim enim inducit quod hæc non niſi longo tempore emendat præterita, dirigit præſentia, futuris providet, & ſecuturis ſæculis fœlicitatem importat.

POTESTAS. Mitigat naturalem in regentes invidiam, dùm non videntur ipſi decernere, ſed imperantis legis juſſa exequi. Lex ſervat, dùm conſtringit & à noxijs revocat libertatem, ſine hac tutela vitijs & omnium jura occupanti tyrannidi mancipandam.

COGNITIO. Lex eſt oculus, mens, genius corporis Reipublicæ, eſt Verbum Divinum, humanis rebus benigniſſimè permixtum: hinc procul à ſuperſtitione certa petuntur de agendis oracula, melius quàm olim ex libris ſybillinis.

VOLVNTAS. Conſtringit æquitati contrarias judicum paſſiones; ipſa enim ſolo boni publici intuitu de agendis decernit, vndè & juſta videtur his omnibus, qui in contrarium aliqua paſſione non aguntur.

VIRTVS. Virtutem naturæ noſtræ conſentaneam lex conatur omnium mentibus inducere, fortiter contra depravatos mores decertat, opinioni in contrarium ſe proferenti vocem eripit, æquitati tamen locum relinquit, nè quis ſuprà vires oneretur.

VERITAS. Quod eſt regula opificibus, libra mercatoribus, hoc eſt lex Rectoribus: hæc publicè proponitur agendorum idæa, hæc recta in bonum via docetur, vt in poſterùm nullus niſi ſciens & volens aberret: Conſentit cum ſyndereſi, vt ſimul vnitis viribus & radijs mentes fortiùs afficiant & illuſtrent.

GLORIA. Lex proponit præmia & pœnas vt ipſamet paſſiones inimicas conciliet & in ſuas partes trahat: omnes ſuſpiciunt, nullus audet invidere legibus decretum præmium: ita ſecurius à Rectoribus datur, & à promeritis poſſidetur.

DIFFERENTIA. Lex efficit quod Verbum Divinum initio mundi, confuſa in ordinem digerit, ſeparat aquas ſuperiores ab inferioribus, ideſt bonos à malorum conſortio, nè contagione polluantur.

CONCORDANTIA. Lex nexus eſt ſocietatis humanæ, vix enim variæ hominum mentes ſtarent contractibus, fœderibus, matrimonijs, ſi non in fœdifragos lex aſperiùs deſæviret: non ſe juvarent homines mutuis artibus & auxilijs, omnes ſtuderent non publicis, ſed privatis commodis, niſi lex, quæ eſt ſponſio publica, vnumquemque ad officium ſuum provocaret.

CONTRARIETAS. Licet nihil tàm juri contrarium ſit quàm vis, tamen ipſis bellis jura dicuntur, quibus hoſtilis furor & victoris intolentia mitigatur.

PRINCIPIVM. Lex à Deo. *Vide Principium Verit.* vndè conatur homines in Deum reſtituere & primorum parentum innocentiam revocare, Verbum quod proceſſit ex ore meo non redibit ad me vacuum, inquit Deus per Prophetam.

MEDIVM. Cum humana cupiditas medijs bonis & malis indifferenter vti velit, & dùm mala facit vt eveniat bona, in ipſum bonum certò peccet pro incerto eventu, legis eſt media juſta præſcribere in optimum finem.

FINIS. Legis Chriſtus, & Chriſti finis lex, vt ſcilicet pædagogium exerceret inter homines, de quo Clem. Alexandr. Aberrant, inquit ſeneca, homines in eo quod ſingulis ſuis actibus, non toti vitæ finem præſcribant; hoc præſtat lex, & vt cauſa vniverſalis vniverſali providet bono.

MAIORITAS. Lex eſt ratio ſoluta corpore & paſſione, ſic hominem vult ſibi ſimilem efficere, vt is qui cum Chriſto reſurrexit non ampliùs moriatur. Poterat lex perfectiora præcipere, ſed voluit humanæ fragilitati contemperari.

ÆQVALITAS. Intendit æqualitatem reſtituere quàm fortuna, quàm vis & injuſtitia violat; Non acceptat perſonam, ſed ex æquo virtutem omnibus præcipit, ampliorem tamen ampliori dignitate præditis.

MINORITAS. Infirmioribus ſe præbet aſylum vt pupillis, viduis, pauperibus, præſens adverſæ fortunæ remedium.

FINIS TERMINATIONIS.

QVANDO DESINAT veritas.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Deſinit metu privationis boni, aut ſpe magni commodi hinc conſequendi: Ità corruptis præmio juſtitiæ miniſtris fraus ſolet fieri legibus, & conſilijs. *Vide Poteſt. Bonit.*

MAGNITVDO. Perit rerum veritas in nimiâ diffuſione, vt fluvij, qui extra canalem ſuum expatiatus non ferat naves; ignis, qui in rariſſima materia non

adurit; mentis humanæ, quæ in negotiorum turba perdit acumen ſuum. *Vide Major. Magnit.*

Dvratio. Diuturna conſuetudo legi ſcriptæ, imò & naturali prævalet. *Vide Poteſt. Durat.* Vix ſentitur, nec poteſt præcaveri quod ſenſim irrepit. *Vide Bonit. Dur. Mora.* Quod exiſtit per ſucceſſiva temporis momenta, vix dicendum eſt exiſtere. *Vide Minor. Durat.* Pereunt veræ & naturales rerum qualitates, ſitu, rubigine, ſenio, &c.

Potestas. Leges diſrumpunt magnates, vt aranearum telas majores muſcæ. An Princeps legibus teneatur. *Vide Virtus Poteſt.* Regiminis ſumma eſt, diſſimulatio, ſed & rectoribus pœna talionis infertur, dùm illis abſconditur veritas miniſtrorum ſeù adulatione, ſeù perfidiâ.

Cognitio. Nimia lux oculos, nimia ſpeculatio mentem obcæcat. *Vide Major. Cognit.* Ità fit vt lumen naturæ, ſuperaddita nimia luce artificiali, vt vano diſputationum acumine, confundatur.

Volvntas. Paſſiones rectè dicuntur perturbationes, quia his mentes agitatæ veritatem non percipiunt, vt aqua commota faciem cœli non reddit. Mores illi augent aut minuunt objecta, nec vnquàm qualia verè ſunt referunt.

Virtvs. Religiones antiquæ multa contra veritatem ſuperſtitioſa quaſi myſteria coluerunt. Religio rationi humanæ ponit terminos, & quaſi columnas, vltrà quas progredi nefas eſt. Nullibi plures & celebriores quàm circà virtutem & Religionem præſtigiatores. *Vide Verit. Virt. Rep.*

Veritas. Lex legem abrogat. *Vide Different., Verit.* Ratione facta ſuperveniens ratio emendat, ſeù rerum ſtatu mutato, ſeù intellectu magis illuſtrato. *V. Dur. Cognit.* Tamen vt tempus ſucceſſione ſuâ æternitatem refert, ſic illæ ſibi ſuccedentes leges æternam legem.

Gloria. Voluptas eſt communis eſca, quâ deluduntur res omnes & corporeæ, & ſpirituales; ſic enim ſe profundunt in bonum vniverſi. *Vide Poteſtas & Volunt. Glor.* Nec damna hinc ſua advertût. Quis gratiſſimis dapibus permixtum venenum deprehendet? ſic propoſitis honorificis titulis, præmijs, triumphis non vident homines furorem bellicum, quo vitæ, ipſiſque ſperatis præmijs ſubtrahuntur. Torpor naturæ A vires diſſoluit, quis enim ſortem ex ſomno æſtimet?

Differentia. Apud Philoſophos diſtinctio excipit ab vniverſali veritate, derogatur legi per perſonale privilegium, in partes diviſa amittunt integritatem, ſic veritatem ſuam; Exilio & deportatione deſinit eſſe civis, & quod natura conceſſit fictione juris tollitur.

Concordantia. Mixtione fit alteratio, ſic pereunt naturales & veræ qualitates, ſub externarum inundantium impetu, ſic prævalet popularis opinio contrà rationem, ſic conjurata graſſatur iniquitas. *Vide Poteſt. Concord.*

Contrarietas. Perit veritas ſub ſuis contrarijs. *Vide Contrar. Verit.* Ità Religio ſub acerbâ hinc indè B diſputatione.

Principivm. Sic infirma ſunt rerum omnium initia, vt in illis ſpecifica naturæ veritas non appareat, nec exiſtat quidem. Cauſæ vniverſales agunt vniverſalia in præjudicium juris privati. *Vide Media Virtut & Gloria Concordantia.* Quod publica ſint privatis præferenda.

Medivm. Organorum defectus impedit ne ſe prodant facultates internæ: Principis clementiam ſæpiùs in contraria detorquet miniſtrorum iniquitas. *Vide Poteſt. Med.*

Finis. Actionis bonitatem depravat perverſus finis intentus: Infœlix exitus præcedentis gloriæ ſplendorem obſcurat.

Maioritas. Cùm natura certis conſtet limitibus, C lex ejus non minùs exceſſu, quàm defectu violatur: Privilegio, aut miraculo ſuprà ſortem communem elata, non ampliùs ſapiunt naturam ſuam.

Æqvalitas. Æqualitas opus eſt juſtitiæ, ſed proportionis, ſed Geometrica non numerica; quid enim æquale præmium inæquali merito tribuatur? ſic Tyrannis excellentem quàm vereretur virtutem deprimit, illam minoribus æquando. Quia par in parem non habet imperium, poſteriores conſtitutiones prioribus derogant. l. 4. ff. de conſtit. princip.

Minoritas. Vt ambitio & vanitas præferunt quas non habent dotes, ſic humilitas quas poſſidet abſcondit; vtraquè ſpectatorem deludit, vtraque ſucum facit, vel vt nimium, vel vt minùs quàm par eſt ſplendeat.

MAIORITAS VERITATIS.

IN QVIBVS EST MAIOR VERITAS, ET QVIBVS major eſt fides adhibenda.

MISCELLANEA.

Vide Maioritas Cognitionis. Maioritas Poteſt. Maioritas Virtutis, &c.

Figura circularis eſt capacior cæteris, quia ſimplicior, vndè figura quæ eſt obtuſis angulis, ad eam magis accedens eſt etiam capacior, quia etiam magis ad infinitum accedit, infinitum enim eſt extrà figuram.

Leges conditæ debent omnia quæcumque poſſunt

D definire, & relinquere quàm pauciſſima ijs qui judicant, tùm quia non facilè eſt multos invenire qui benè ſentiant, tùm quia longâ prævisione animi leges fiunt, judicia de repente, quia lex non ſubjacet paſſionibus, vt judex qui judicat de præſentibus, cum amore aut odio. Ariſt. 1. Rhetoric.

Major fides habenda expertis. *Vide Diuratio Cognit.*

vbi de experientia, & multorum conſilijs. *Vide Concord. Cognition.*

Plùs cautionis eſt in re quam in perſona. l. 25. ff. de Reg. jur.

Tutor teſtamento datus non tenetur ſatiſdare, ſufficit enim paternum teſtimonium. inſt. de teſtam. tut.

In toto jure civili generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur quod ad ſpeciem directum eſt. l. 88. ff. de reg. jur.

Litteris omnium Epiſcoporum ſacra præponitur. ſcriptura. can. quis neſciat, & ſeqq. diſt. 9.

Revelationi potiùs quam rationi humanæ credendum. *Vide Media Cognitio.* vbi de fide, vera enim cognitio eſt à Deo. *Vide Princ. Cognit. & Vide Veritas Cognition.*

Major eſt veritas in ratione quàm in ſenſu, in Angelo quàm in mente humana, in Deo quàm in Angelo; eſt enim Deus fons lucis. *Vide Principium Veritatis.* Leges à Deo.

Viſus ſimpliciter eſt certior auditu, licet quandoque ſit è converſo. D. Thom. 2. 2. q. 48. a. 1.

Virtus & natura ſunt certiores arte, quia regulis infallibilibus operantur. 2. 2. q. 18. a. 5.

Fides eſt certior omni virtute intellectuali ex parte rei & cauſæ, ſed eſt è converſo ex parte ſubjecti & evidentiæ. 1. q. 15. ad 1.

Leges humanæ non poſſunt habere illam infallibilitatem, quam habent concluſiones demonſtrativæ ſcientiarum. 2. q. 91. a. 3. ad 3.

Major eſt certitudo in Eccleſia quàm in ſcientiis. *Vide Medium Veritatis.* Eccleſia credenda proponit.

In affirmatione ſemper ſequitur negatio oppoſiti, vt ſi eſt album non eſt nigrum: hoc autem non eſt in negatione, quia negatio ad plura ſe extendit quàm affirmatio, ſi non eſt album, non ſequitur quod ſit nigrum.

Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm dives in pravis itineribus. Prov. 28.

QVIBVS MAIOR FIDES adhibenda ſit.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fœlix naturæ indoles, in cujus vultu emicant ſinceritatis ac veritatis ſcintillæ, quaſi quidam bonitatis divinæ radius, fidem ſui faciens, omnium ſibi demeretur fidem; quam poſtmodùm ex juſtitia exigit ſi bonis officiis firmetur.

MAGNITVDO. Fortunæ bona ſuſpicionum omnium materia ſunt, quæ quia magnanimis viluerunt, iis libentiſſimè ſe ſuaque credunt, qui tales norunt. Multitudini etiam major fides quam privatis, quod enim communibus votis ſancitum eſt firmius manet, nec tam facilè diſſolvitur, quam quod ex vnius voluntatis deambulatoriæ pendet arbitrio.

DVRATIO. Experto credendum eſſe adagium proloquitur; experientia in rebus practicis ſumma eſt & vnica ratio, nec vlli ità firmiter adhæretur quàm huic ſcientiarum parenti: Iis etiam aſſentimur libentiùs qui tardè & dato tempore de rebus judicant.

POTESTAS. Apoſtolus confidit de repoſita ſibi corona juſtitiæ, eò maximè quia potens eſt juſtus judex depoſitum ſuum ſervare, juſtitia enim præmia virtutibus decernit, ſed hæc largiri non poteſt niſi conjuncta ſit poteſtati: hinc eſt quod vitam etiam profundant homines in obſequium magnatorum & Regum, quia in iis voluntas præmiandi, præſumitur æqualis ſummæ eorum potentiæ ac facultatibus.

COGNITIO. præſtantiorum in ſcientiis & artibus dicta & facta, oracula ſunt, iis quaſi primis principiis aſſentiuntur omnes. Veritatem inquirit hominis intellectus, & quocumque hujus radius aliquis affulſerit, illò ſe dirigit, hunc ſequitur; hinc major fides doctoribus, ſenibus, prudentioribus habetur.

VOLVNTAS. Amor omnia ſibi devincit maximè fidem noſtram, & ſicut diffidentia odij proles eſt, ſic amoris fiducia: hinc Paulus, in fide vivo filij Dei qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me; cui enim nos noſtraque tutiùs committere poſſumus quàm amori, qui ſe ſuaque nobis largitur.

VIRTVS. Fiduciam Theologi dicunt eſſe bonorum, ſolus enim virtutis eſt fidem omnium ſibi demereri; quis enim prudens prudenti, juſtus juſto, temperans temperanti, fortis forti negaret eſſe fidendum.

VERITAS. Quamvis fides ſit omnium corona virtutum, veritati ſpecifice competit, cui enim ſi non veridico credas.

GLORIA. Sibi ſufficientes & jam ſtatus patriæ, qui omnium bonorum aggregatione perfectus eſt, plenitudinem imitati, nihil habentes & omnia poſſidentes, fidem publicam promerentur, & quæ tantò creſcit, quantò eorum vniverſalior eſt abdicatio.

DIFFERENTIA. Solitarijs, extraneis, à mundi commercio ſemotis major fides, ſeù quia minùs cogniti, magis probi cenſentur, ſeù quia nihil eorum intereſſe præſumitur.

CONCORDANTIA. Simpathiæ mirabilis effectus eſt, vt ſicut ex duobus incognitis magis inclinamur vni quàm alteri, ex ſimili fortè aſtrorum poſitione & influxu: Sic vni fides vltrò datur, alteri autem cœcè & pertinaciter denegatur.

CONTRARIETAS. Majora poſt lites fœdera jungunt, & illud reconciliato hoſti non eſſe fidendum in praxi non eſt, imò nullis ità firmiter adhæretur quàm ijs qui poſt ſedata jurgia fidem juraruntſeù quia aperto marte pugnantes ſuſpicioni locum non relinquũt, ſeù quod cum naturale ſit homini alteri homini inclinari, & ex violentia ſibi facta quaſi per antiperiſtaſim acrior reſurgat hic motus: aqua naturaliter frigida, ſi calefacta ferveat, citiùs frigeſcit & congelatur.

PRINCIPIVM. Magiſtris, Principibus, Parentibus eo major fides præſtatur, quo verius primi principij erga nos naturam referunt: huic tota fides noſtra quacumque ſignificatione ſumatur obſtricta eſt, ſuus enim eſt & origo omnis veritatis, in ipſo vivimus, movemur & ſumus.

MEDIVM. Inſtrumenta publica, Legati, Prædicatores, Patroni, rerum publicarum miniſtri fidem, quàm omnibus ex officij & conditionis ſuæ natura pollicentur fidem ab omnibus exigunt.

FINIS. Teſtamentorum & codicillorum fides ſancta eſt omnibus gentibus, præſumitur enim ex veritatis conſcientia loqui & agere quiſquis ſanæ mentis moritur: hinc verba morituri quaſi oracula excipiuntur.

MAIORITAS. Fides majoribus, ætate, vt priotis ævi celebrioriſque nominis hominibus, & ſenibus; dignitate, vt prælatis, eo major adhibetur, quo majoris veritatis & innocentiæ bonum nomen eis ſuffragatur.

ÆQVALITAS. Tanta fides eſt legibus quanta earum probata æquitas. Pondera, menſuræ, lances, cæteraque ejuſmodi publicæ fidei ſunt; hinc magiſtratibus, judicibus probationis æquitatis major fides.

MINORITAS. Humilitati ſicut & primæ ætati fides non negatur; Pueris quidem quia eorum ſinceritas nondùm violata eſt; Humilibus verò quia qui ſibi ipſi veritatem non negant, quamvis ingratam, ſed quales ſunt ſe cognoſcunt & profitentur; Sic nec alteri fucum facient.

ÆQVALITAS VERITATIS.

QVÆ SVNT ÆQVALITER VERA.

MISCELLANEA.

ARTICVLI fidei cum sint ab eadem primâ veritate revelante, sunt ejusdem certitudinis, vndè qui peccat in vno fit omnium reus. *Vide Magnit. Virt.*

Ratio veri est eadem in omnibus mortalibus, non autem ratio boni. D. Thom. 1. 2. q. 60. a. 1. a. 1. De lege naturali quæ est eadem in omnibus, & de speciebus innatis. *Vide Princip. Verit.*

Et quod veritas sit vniversalis. *Vide Magnit. Verit.*

Rescriptum interpretationem recipit à jure communi. cap. causam de rescript.

Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. 1. Cor. 1.

De vnitate Ecclesiæ, & bonorum congregatione qui eandem profitentur veritatem. *Vide Concordantia Virtutis. Concordantia & Æqualitas Cognitionis.*

Non potuerunt de omnibus leges constitui, sed prudentia judicantium ad similes casus extenduntur. l. 13. ff. de legib.

D. Paul. Roman. 1. dicit de Romana Ecclesia, ejus fidem annuntiari in vniverso mundo, quod vt notat. D. Chrisostomus de nulla alia Ecclesia dicit, vndè Catholici dicti sunt Romani. V. Baron. an. 58. num. 46.

Vna tantum est vera Religio, vt vnus Sol in mundo, vna forma incorpore, &c. Vide de rerum vnitate. *Minorit. Magnitud.* Legitima vxor non paritus pellices. *Vide Conc. Virtut.* de vnitate Ecclesiæ.

Vt autem vna est fides, sic ejus sacra mysteria vnâ linguâ Latinâ peraguntur, nè idiomatum diversitas pariat diversitatem in sensu.

Vera Religio vnica tantùm est: vide quæ scripsi Theol. natur. Tom. 4. part. 1. cap. vlt.

VNA SIT RELIGIO.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Religio est corporis politici anima, quæ vna debet esse. *Vide Potest. Virt.* Alioquin corpus hoc idem patereturquod energumeni sub diversis malignis spiritibus ipsos possidentibus. Religio non erit benefica, si sit multiplex, nam vna tollet quod alia præstabit.

MAGNITVDO. Omnis multitudo constat partibus naturâ suâ & individuatione singulari ab invicem distinctis, vndè indiget forma veniente: at si plura & distincta sint venientia, non fiet vnum ex omnibus, sient multæ conjurationes in se mutuò consurgentes alternoque impetu se dissipantes, vndè melius esset partes penitùs divisas esse, essent enim tunc infirmæ ad sibi nocendum. Si duas aut tres in statu Religiones admittas, etiam innumeris alijs hinc nascentibus aperietur via.

DVRATIO. Omne Regnum in se divisum desolabitur, inquit Christus, nulla autem major divisio, quàm quæ existit in ipso vnionis principio. Cor & cerebrum plagas non patiuntur nisi mortales. Menti humanæ semper variæ frænum debet imponere Religio: at si plures sint, fiet transitus ab vna in alteram, si non publica saltem secreta professione, nec certò constabit fides, dùm sic in diversa trahetur.

POTESTAS. Si Rex publicè receptam non sequatur Religionem, minùs majestatis & venerationis habebit apud populum, nec enim colet vt fidum Dei ministrum, quem credit à vero Dei sensu & cultu alienum; Princeps tandem destruet sectam quàm non profitetur, vt subditorum animos avertentem: Quod si Rex publicam Religionem profiteatur, impotentiæ maximum argumentum est, si non deleat contrariam sectam, vt potè tranquillitati publicæ noxiam, seditionis seminarium, perfidiæ receptaculum, latum & mortiferum Reipublicæ vulnus, citò sanandum. Princeps parùm videtur gratus Deo, à quo sceptrum accepit, si hostibus legitimi sui cultus indulgeat. *Vide Contrariet. Veritat.*

COGNITIO. Effrænis libertas mentis humanæ, à contemptu legis Divinæ exundabit in leges humanas, & omnes in controversiam adducet, & tandem ex tot contrarijs opinionibus se mutuò jugulantibus, nascitur circà regimen improbitas, quasi commentitium sit quidquid præcipit ratio; sic prudentiores habebuntur, qui liberiùs suis indulgebunt cupiditatibus.

De ferijs & dilationibus. ff. 2. 32. Cod. 3, tit. 12.

Vt Dominicis diebus omnes ab operibus vacent. l. No. 54.

Etiam diebus solemnioribus possunt fieri quæstiones latronum. l. 9. Cod. de Ferijs. Propter quietem publicam.

Si in tuo fundo habeo pascui servitutem, licet in eo tugurium construere, vt si hyems ingruerit, habeam quò me recipiam. l. 6. ff. de serv. rust. præd.

Terra novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit. l. 30. ff. de Verb. signif.

Cessatio & quies Superiorum cœlorum vicem purgationis eorum geret. D. Thom. Supl. q. 74. a. 4.

Labor manualis, sivè corporalis, vel mechanicus prohibetur ad litteram tertio præcepto Decalogi, vt præcepto speciali: sed mysticè significat cessationem a peccatis, vt præcepto generali. Idem 2. 2. q. 12. a. 4. ad 1.

Motus semper ab immobili procedit & ad aliquid quietum terminatur. 1. q. 79. a. 8.

Omne movens dat modo tria, scilicet inclinationem, motum & quietem. 1. 2. q. 24. a. 4.

In canonibus Apostolor, can. 66. Prohibetur clericis die Sabbathi jejunare, quia illa die lætandum est, in quâ Dominus requievit ab operibus suis.

Gen. 1. Benedicit Deus diei septimo, in quo requievit ab operibus suis. De requie post labores. *Vide Gloria Virtutis.*

Gen. 8. Deus apparet Iacob dormienti & dicit ei, Terram hanc in quâ dormis tibi dabo.

Iacob benedicit Isachar, & prædicit fore colonum, Vide, inquit, requiem, quod esset bona. Gen. 49.

Israëlitæ jubentur, requiescere die septimo & anno septimo requiem dare terræ, & servis libertatem. Exod. 23. Samuël dormit in templo vbi erat arca Dei. 1. Reg. 3. In silentio, & spe, erit fortitudo vestra. Isai. 30. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ. Luc. 10.

Ex lege Moysis oportet pullum asini ove permutare, hoc est laborem nimium in quietem: Non enim propter exercitium, sed propter scopum ad quem referuntur exercentur talia. Phil. Iud. lib. de Sacrif. Abel. & Cain.

Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est; pietas autem ad omnia vtilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 1. Timoth. 4.

Tempus inter fluida & liquida annumerandum; liquidorum autem hæc est conditio, vt si cohibeas in angustum, subitò perdas, diffluent enim coacta, celeriterque diffugient: aquam spongiæ imbibitam compresseris, exprimes eam, statimque disperges; si latiùs hanc tenueris, retinebis, multo magis aërem ignemque: Latè accipienda sunt latissima & liquentia: Tunc certè graviter nos premit angustia, quandò animum ipsum, morumque ejus naturaliter amplum redigimus in angustum: vt qui minima quæque pensitant ad amussim, & in illis hærent, vitam suam miserè conterunt, vndè Pythagoræ præceptum. Cave nè quid in angustum fortè cohibeas: Nihil cœlo amplius, nihil vtilius; lætitia cœlum nos creavit suâ, quam suo quodam risu, ideſt dilatatione, motu, splendore declarat, quasi gestiens; lætitiâ cœlum nos servabit nostra; sollicitudo præsentium præripit futurorum, futuri curiositas tollit præsens; Ipsa diligentia negligenda est, & iterùm hic neglectus negligendus. Marsil. Ficin. in Apolog. de securâ vitâ.

Miserum te & servum efficit nimius labor, onus oneri superpositum aggravat, & opprimit; cibus sinè intermissione sumptus non digeritur.

Dandum est aliquod intervallum animo, ità tamen vt non resolvatur, sed vt remittatur. Senec. Epist. 16.

Post multa virtus opera laxati soler. Senec. Trag. *Vide Gloria Virtutis.* Quod caret alternâ requie durabile non est.

Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Iugis labor avertit affectum. D. Ambr. Exam. lib. 5. cap. 15.

Quæ nimium excedunt modum exercitationes, & quæ item deficiunt, vires corrumpunt. Arist. Moral. Nicomach. lib. 2. cap. 2.

Somnus, vigilia, vtraque modum excedentia, malum. Hipoc. sect. vlc. Aph. 71.

Otium, quod industriæ & studio maximè contrarium videtur, præcipuè subnecti debet, non quo evanescit virtus, sed quo recreatur. Cass. in Epist.

Quies non tibi desidia sit, vt cum alijs luditur, tu sancti aliquid honestique tractabis. Senec. in pro.

Omnis laborans indiget requie. Aristot. lib. 8. Polit.

Absconde te in otio sed & ipsum otium absconde: gloriari otio iners ambitio; otium tibi commendò in quo majora agas & pulchriora quàm quæ reliquisti. Sen. ep. 68.

In motu progressivo animalium semper quod movetur aliquo quiescenti nititur, aut saltem aliquo, quod tardius moveatur: ideò animalibus sunt junctoræ, vt vna pars quiescat, cum altera movetur: sic cubito quiescente, brachium: sic in reptilibus quæ attractu partium incedunt, quies laboris est fundamentum: non semper altum tenent aves; lassatur oculus semper cœlum intuens, in pratorum varietatem est remittendus; Princeps à ferijs deflectit in jocosa, majestate suâ depositâ.

Animalia quæ non habent palpebras, sicut pisces,

obſcuriùs vident. Ignis plùs ardet per antiperiſtaſim, ſi levi aquâ aſpergatur.

Cælator oculos diù intentos, ac fatigatos remittit atque revocat. & vt dici ſolet, paſcit, non eſt in eadem intentione æqualiter retinenda mens, ſed interdùm ad jocos revocanda; cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat; & Cato vino levabat animum curis publicis fatigatum; & Scipio triumphale & militare corpus movit ad numeros, non molliter ſe inflingens, ſed vt illi antiqui viri ſolebant inter luſum ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi dedecori tum, etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur. Danda eſt remiſſio animis, meliores actioreſque requieri ſurgent: Vt fertilibus agris non eſt imperandum, citò enim exhauriet illos nunquàm intermiſſa fœcunditas: Ità animorum impetus aſſiduus labor frangit, vires recipient paululùm reſoluti ac remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio quædam & langor, indè ad luſum & jocum naturalis hominis inclinatio, quorum tamen frequens vſus omne animi pondus omnemque vim eripiet: Nam & ſomnus refectioni neceſſarius eſt, hunc tamen ſi per diem noctemque continues, mors erit: multùm intereſt remittas aliquid, an ſolvas; legum conditores feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquàm neceſſarium laboribus interponentes temperamentum; quidam diem interocium & curam dividebant. Aſinius Pollio orator magnus, totius diei laſſitudinem duabus horis ponebat. Libera & liberalis potatio ſervitio curarum animum liberabit, & vegetiorem ac liberaliorem in omnes conatus faciet, ſæpè tamen faciendum non eſt, nè mala conſuetudo ducatur. Sen. de tranq. c. 15.

Duplex eſt voluptas, vna in motu, altera in quiete, & hæc major eſt. *Vide Bonit. Glor.* Delectationis.

Tireſias, qui fuit mulier, deinde vir, dicebat in multis potiorem eſſe conditionem mulieris, quia ſe belli, fori, alijſque negotijs publicis non immiſcet. Luc. dial. Menippi & Chironis.

Ex ſomno fit judicium de ægri ſalute.

Signum eſt eſſentiale phrenetidis perpetua ferè vigilia, aut ſomnus admodùm turbulentus, ex quo conſurgunt ægri, exiliunt, vociferantur.

Vlcera pulmonis vix curantur, quia propter reſpirationem ſunt in perpetuo motu, Remedia autem vt operentur, indigent quiete. Vulnus etiam diaphragmati inflictum nunquàm poteſt conſolidari, & mortem affert, quia eſt exanguis, & in perpetuo motu; Idem dicendum de œſophago, ventriculo, & tenuibus inteſtinis, quod cibi & potus per eas tranſitus agglutinationem prohibeat.

Vigiliæ nimiæ diſſolvunt ſpiritus, corporis vires labefactant, coctionem impediunt, cruditates pariunt, vniverſum corpus, atque imprimis cerebrum exſiccant, bilem accendunt & acuunt; quia natura circa ſenſus & exteriora occupata, illic ſpiritus & calorem diſtribuit, quibus dùm interiora privantur, refrigerantur & exſiccantur.

Abceſſus circà articulos fiunt ijs qui antè illos fatigaverunt. Galen. in aphor. 94. lib. 4.

Deſipientiam præcedit vigilia.

De his quis alienis ſe immiſcent negotijs. *Vide Majorit. Cognit. Mal.*

Hoſtes ſunt nocte laceſſendi, & manè inſomnes, ſicque debiles aggrediendi.

Erat Pythagoræ ſymbolum ad ignem ſedẽs, ideſt vivens, non in vanũ cor minuat. Vanum eſt enim rerum mundanarũ curis vanis corda dilanianda committere, vt Promethei cor ab aquilâ corrodi fertur, & Ixionis inſtar, rotâ continuè ſurſùm deorſùmque verſari.

A Nullum diem legitur ſanctificaſſe Deus, niſi ſeptimum in quo quievit, tanquàm & apud ipſum qui nihil in opere ſuo laborat plùs quies quam operatio valeat; hoc quidem in hominibus nobis intimat, vbi Salvator noſter meliorem partem dicit Mariæ, quod ſedens ad pedes ejus requieſcebat in verbo ejus, quàm Marthæ, quamvis per obſequium, quo ei miniſtrabat, circà multa occupatæ, & licet bonum opus operantis. D. Aug. de Gen. ad litt. c. 14.

Quieſcat in te Deus meus cor meum, tu qui imperaſti ventis & mari, veni & ingredere ſuper fluctus cordis mei, vt tranquilla & ſerena fiant omnia mea quatenùs te vnicum bonum meum amplectar ſinè tumultuantium cogitationum cæcâ caligine. In pace B in idipſum dormiam & requieſcam. Dormiat obſecro Deus meus memoria mea ab omnibus malis, iniquitatem odiat, juſtitiam diligat; Quid pulchrius, quid dulcius, quàm inter tenebras hujus vitæ multaſque amaritudines, Divinæ dulcedini inhiare, æternæ beatitudini ſuſpirare, illicque teneri mentem, vbi vera haberi gaudia certiſſimum eſt. Ex D. Aug. lib. medit. cap. 37.

Quod quietum eſt non eſt nihil, imò etiam magis eſt quàm id quod inquietum eſt; inquietudo enim variat affectiones, vt in altera alteram perimat; Quies autem habet conſtantiam, in quâ maximè intelligitur quod dicitur E S T. D. Auguſt. de lib. arb. cap. 8.

C Dion dicere ſolebat quod remiſſio & ab eranthalatis laboribus quies ad novos labores homines præparat; & ſicut arcus & lyra, ità homines quiete vigent.

ALTERNA QVIES rebus mortalibus.

DEMONSTRATIO.

D BONITAS. Rerum mortalium, vt partium vniverſi exiſtentia pendet à mutuo quodam commercio in dando & accipiendo, vndè illis alterna quies neceſſaria eſt; ſi dent, vt exhauſtæ largitionibus facultates reparentur; ſi accipiant, vt externa ſibi accedentia digeſtione in propriam tranſmutentur ſubſtantiam. *Vide Bonit. & Poteſt. Durat. More.*

MAGNITVDO. His rebus perfecta non eſt, vt exiſtentia, ſic nec operatio; nam ſe interſerit actui potentia, pleno vacuum, maximo minimum. *Vide Media Bonit.* Igitur eâ lege temperanda eſt actio, vt in dies deficienti eſſentiæ commenſuretur: Hi partiti ſpontanei defectus, totalem, qui alioquin imminet, præveniunt.

DVRATIO. Æternis tantùm & corruptioni non obnoxijs perpetua conceditur actio. Ipſimet Planetæ ſuas habent ſtationes, imò & retrogradationes. Vires citò profundit nimia & intempeſtiva celeritas: viatori etiam impigro vtilis mora, vndè vires reparentur: Lentè feſtinandum.

E POTESTAS. Quid indignamur annexam naturæ impotentiam futuri; feuda certis legibus conceduntur, res donatæ aut emptæ tranſeunt cum ſuis oneribus, quies vitæ & actionis ſervitus eſt, ſic nati ſumus: Mundi dominium, ſed mixtum, & ſic temperatum, nè vis indefeſſa & irrequieta vim nimiam inferret naturæ. Quæ ad vitæ ſuſtentationem ſunt optima, etiam neceſſaria ſunt, nec libertati noſtræ relicta, vt cordis motus, reſpiratio, alimenti digeſtio, & cæteræ vitalium

partium facultates ; inter iſta quies cenſenda eſt : Optima natura , nè beneficium ſuum reſpuamus , altero beneficio nobis ad hoc libertatem ademit.

Cognitio. Ipſi oculi momentò ſenſationem ſuam perficiunt , quaſi temporis legibus ſoluti ; momentaneâ tamen, vt celeri, ſic frequenti palpebrarum nictatione conſumptos ſpiritus reparant , humoremque ſalvum protegunt à lucis calore , qui non eſſet innoxius , ſi foret continuus. Iuvat interdùm mentem à gratis etiam objectis revocare , vt ad eadem poſtmodùm reſumptis viribus vegetior redeat , moraſque compenſet novis , nedùm ſperatis illuſtrationum acceſſionibus : ſequamur ſapientiſſimam naturam , quæ totum tẽpus in dies & noctes,in æſtatem & hyemem partita eſt , æquè benefica , dùm non minus quieti quàm actioni conſulit.

Volvntas. Rei amatæ pretium imminuit nunquàm interrupta fruitio : Concedendæ ſunt animo quædam induciæ;quibusin ſe refluat vt iterùm effundatur ; ſibi toties vita reſtituta , iterùm atque iterùm habeat quo ſibi moriatur , & rei amatæ vivat , alternâ ſic vitæ & mortis permutatione , amori qui ex Platonicis eſt ſemideus , gratiſſimâ , ſic litantes. Hinc favet dùm putatur ſævire fortuna, cum ferias amoris inducit per adverſos caſus,abſentias,peregrinationes, quæ ſi ſeriò deſint harum privationem æmulatur amor ipſemet affectatis velis,latebris, quærelis, vndè torpentes alioquin flammæ ſuſcitentur.

Virtvs. Ità virtutes omnes ſub prudentiæ & diſcretionis tutelâ poſitæ ſunt , ne quid nimis , & ne ipſamet mediocritatis rigidior regula tranſeat in exceſſum.

Veritas. Fatetur Religio Deo æterno,ſemperque beneficio,ſemper eſſe,ſupplicandum & litandum,advertens tamen ſe non eſſe in æternitate, ſed in tempore , id præſtat per temporis intervalla : & vt ſolemnitates negotiorum , ſic negotia ſolemnitatum cenſendæ ſunt optimæ feriationes.

Gloria. In Deo & beatis æterna quies coincidit cum actu æterno : At in hoc rerum medio ſitu , quies & actio ſucceſſivè ſe habent : Interim glorioſa hæc noſtra eſt infirmitas , quæ ſpeciem præfert beatitudinis , & cui pro remedio eſt quies , perfectis exiſtens pro præmio.

Differentia. Ipſa ſtatus varietas , frequenſque tranſitus à quiete in laborem , à labore in quietem, vitæ tædium levat , & diſſipatas actionum vires reſtituit : vt enim motus omnis fertur ſuper immobili ; ſic labor alternâ quiete reficitur. Animo dandum eſt aliquod intervallum , vt ſedato negotiorum tumultu, pleniùs afficiatur à Divinis;ità ſolis radijfortiùs agunt in immotum : excipit quieta mens à cœlo , quod in actum effundat : vagatur flamma vndante fluxu , ſed ſemper in materiam ſuam redeunte.

Concordantia. Sumus compoſiti ex actu & potentia & materia ; ex gravi corpore , ignea ſemperque mobili animâ ; vnde his noſtri partibus ſeriatim conſentimus , dùm aliquid concedimus labori , aliquid quieti : ſic qualitates Planetarum per vices ſucceſſivè obtinent regimen mundi, tempuſque æquâ Lance partiuntur. Silet orbis ſub aquæ imperio , tepeſcit ſub terreo , agitatur ſub aëreo , fervet tandem ſub igneo ; hinc iterùm fit reditus in quietam terræ ſoliditatem.

Contrarietas. Etiam infenſiſſimos hoſtes conciliat vtrinque neceſſitas exhauſtæ facultatis,& ad pacem aut treugas vel renitentes adducit. Contrariis conſtamus:&agimur;quid ſi interno huic aſſiduo bello accedat continuum etiam extremum? Non tàm hoſti quàm ſibimet cenſetur indulgere , qui poſt certamen receptui canit, & labore functos milites ad quietem revocat.

Principivm. Vt à puncto linea , ab vnitate numeri,ſic motus à quiete, quæ ideò ſic debet actibus permiſceri, vt vnitas numeris,punctum lineis. Quieſcens præteritorum oblitus,ad cætera novis accingitur viribus. Ecce nunc cœpi,inquit Propheta. V. *Durat. Virt.*

Medivm. Ità quies, Principij, medij , & finis loco eſt ; nam vires integras ducit in opus, conſumptas reparat , benè meritas coronat. Ad extrema quævis ſumus invalidi , & mediocrium tantùm capaces , vndè non patimur nec longos labores,nec diuturnam quietem , ſed hæc invicem debent contemperari.

Finis. Tot per intervalla interjectæ quietes ſunt tot imagines vltimi ſperati finis. Oculus qui non valet ferri in longinqua , gaudet in proximo habere quod placeat. Toties proximum , quem ſibi conſtituerat terminum , conſequitur, de futuris ſpes maximas concipit,præteriti fide juſſione ; toties fœlix, vltimam ſibi , quam ambit , ſpondet fœlicitatem.

Maioritas. Nullus magnum iter vno curſu ; vnoque ſpiritu peragit;variis hoſpitiis excipiendus,& recreandus eſt labor. Vis infirma rerentatis vicibus, abſolvit, quod amplior vno aſſequitur conatu. *Vide Poteſt. Magnit.* Non ſunt ad extremum vſque vires explicandæ : Privationi vicinus eſt & caſui , qui ad vltimum potentiæ pervenit : Hæc quæ non profunditur vis , ſemen eſt , quod dùm per quietem coaluerit , in ampliſſimos ſurget profectus.

Æqvalitas. Idæam non æquat opus : momentò concipit mens quod diuturni plurium annorum labores vix ad perfectum adducent. Noſtri primum ſimus æqui judices , dum opera viribus , & laboribus juſta quietis præmia commenſurantur. Vt ſinguli dies , menſium, annorum ,imò & ſæculorum compendioſam quandam præferunt imaginem ; ſic & deſinentis in vltima quiete laboris quotidie vltimam manum vitæ admoveas , vt dicere poſſis , VIXI.

Minoritas. Hoc eſt infirmitatis humanæ maximum argumentum , quod ſimul & ſemel magna non valeat ; vt anguſtum vas multùm non capit , niſi ſucceſſivè ejus quod ingeſtum fuerit effuſione; ægris per minutas partes cibi miniſtrantur. Quod actum eſt, & ſuccedente quiete interruptum , parùm eſt votis, parùm animo maximum quid ambienti; ſed multùm eſt , ſi ad reliqua vires integræ ferventur : Si ſingulis horæ minutis calor cordis reſpiratione,oculorum humor nictatione levatur ; mirum videri non debet, quod alternis horis aut diebus labor interpoſitâ quiete ſit mitigandus.

BONVM PACIS.

Melius eſt Principem ſecurè ſuis in pace frui; quam aliena maximis bellorum periculis ambire. In pace mala curantur , & bona augentur, vndè bellum quantùm fieri poteſt , à terris noſtris in exteras eſt amandandum.

Alexander in Indiam profectus , multis partis victoriis coactus eſt reverti , turbatis & in ſeditionem verſis militibus , eo quod non viderent finem belli & expeditionis. Ex Ariano. Phot. Bibl. cap. 91.

Minerva, Dea belli & pacis, habet tamen pro inſigni oleam ; pax enim bello præferenda.

Numa Pompilius Ianuarium menſem antè Martium conſtituit , quaſi dicatum Iano pacis conſervatori,quia pax bello præferenda. Plut. in Numâ.

Fœlix Romana Reſpublica tempore Numæ ; tunc

enim per quadraginta tres annos altâ pace vſa eſt, clauſis Iani templi portis.

Epidauri cum ſterilem terram diù eſſent experti, de remedio oraculum conſuluerunt, Reſponſum eſt à Pythiâ, Dijs ſimulachra non ex ære aut lapide, ſed ex ligno oleagino erigenda. Herodot. lib. 5. Ideſt pace Deus colitur, & omnia ſunt proſpera.

Hinc apparet pacis dignitas, quod propter ipſam omnia fiant; ideò bellum inſtauratur, vt rebus vi bellicâ partis pacificè poſſimus vti.

Oportet nos pacem quærere, qui cauſas iracundiæ noſcimur non habere; omni quippè regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas, in quâ & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur: hæc eſt enim bonarum artium decora mater; hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicat, facultates protendit, mores extollit, &c. Caſſiod. Ep. 3. lib. 1. var.

Regnantis eſt gloria ſubjectorum otioſa tranquillitas. Id. lib. 2. epiſt. 19.

Decet Regalis apicis curam generalitatis cuſtodire concordiam, quoniam ad laudem Regnantis tranſitur, ſi ab omnibus pax ametur, quid enim Regem meliùs prædicet, quàm quietus Populus, concors Senatus, toraque Reſpublicâ morum ſuorum honeſtate veſtita? Id. lib. ep. 23.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Pacem reduci velle, victori expedit, victo neceſſe eſt. Senec. Trag.

Sapienti pacis eſt ſtudium, inſipienti amica jurgia. D. Amb. de Abrah. l. 2. c. 6.

Divina providentia omnia conciliat, & ſacro hymeneo conjungit, fortunam cum fato, præſcientiam cum contingentiâ, libertatem cum decretorum immutabilitate: Expandit æternitatem per tempus, vnitatem per numeros, legem vnam per infinitos actus: Quis eſt iſte, quia venti & mare obediunt ei? Anima mundi conciliat contrarias cœlorum & elementorum qualitates; ſic anima in corpore noſtro, ſic boni Principis virtus incutit terrorem hoſtibus, ſuorum amorem conciliat, & cum omnibus pacem habet: vis enim bellica, non eſt hominis, ſed ferarum propria, non regit ratione rationem, ſed quaſi torrente & fulmine abripit, diù lugendis incommodis, &c. ex Marſ. Ficin.

Pax corporis eſt ordinata temperatura partium, Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum; Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actioniſque conſenſio; Pax corporis & animæ, ordinata vita, & ſalus animantis; Pax domus & civitatis ordinata imperandi atque obediendi concordia; Pax cœleſtis civitatis, ordinatiſſima & concordiſſima ſocietas fruendi Deo; Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis: Ordo eſt partium diſpartiumque rerum, cuique loca tribuens, diſpoſitio, &c. D. Auguſt. lib. 19. de civit. Dei cap. 13.

Taliter regat Princeps, vt ei non opus ſit belli munijs. *Vide Minor. Contrar.*

Fredericus ſolium Imperij adeptus, hoc potiſſimùm ſe curare profitetur, vt pacem diù deſideratam, & anteà toti terræ neceſſariam, per vniverſas regni partes inducat. lib. 2. Feudor. tit. 17. & tit. 53. Omnes vult emiſſo juramento aſtringi ad pacem conſervandam; quod juramentum in fine cujuſque quinquennij eſt iterandum. *Vide Bonitas Virtus. Gloria, &c. Concordantia, & Minor. Contrar.*

Multa de bono pacis, quæ ſpiritualiter intellecta poſſunt & paci politicæ applicari. *Vide Glor. Virt.*

David cogitat de ædificando templo poſtquàm Deus dedit ei requiem ab vniverſis inimicis ſuis. 2. Reg. 7.

De his quæ malæ quieti & paci advertantur. *Vide Contr. Gloria.*

Tale bonum eſt bonum pacis, vt in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil vtilius poſſideri: ſpiritus enim humanus nunquàm vivificat membra niſi fuerint vnita, ſic Spiritus ſanctus nunquàm vivificat Eccleſiæ membra niſi fuerint in pace vnita. D. Aug. de civ. Dei. l. 19. c. 11. *Vide Bonit. Conc.*

Concordia malorum contraria eſt bonorum, & ſicut optandum eſt vt boni pacem habeant ad invicem ità optandum eſt vt mali ſint diſcordes: impeditur enim iter bonorum ſi vnitas non dividatur malorum. Idem l. 3. de ſum. bono.

Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos. Vox ergò Chriſti, vox ergò Dei pax eſt, ad pacem vocat: Eia, dicit, quicumque nondùm eſtis in pace, amate pacem; quid enim de me melius invenire poteſtis quàm pacem? Pax quid eſt? vbi nullum bellum eſt: Quid eſt vbi nullum bellum eſt? vbi nulla contradictio, vbi nihil reſiſtit, nihil adverſum eſt. D. Aug. in Pſal. 84.

De Pace dicturi priùs quæ pacis ſunt commoda videamus. Eſt pax ſerenitas mentis tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, amoris vinculum, conſortium charitatis. Hæc eſt quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, cunctis eſt placita, cunctis benigna; non quærit alienum, nihil deputat ſuum; docet amare quæ odiſſe non novit, neſcit extolli, neſcit inflari: hanc ergò qui accipit teneat, qui perdidit repetat, qui amiſit exquirat; quoniam qui in eadem non invenitur, abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, & à Spiritu ſancto alienus efficitur; deſpicit enim munus oblatum, qui datæ legis contempſerit bonum; nec poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui teſtamentum noluerit obſervare. Non poteſt concordiam habere cum Chriſto qui diſcors eſt cum Chriſtiano, &c. Vide ſerm. 67. de verb. Dom. & 167. de temp. *Bon. Conc.* Pax eſt quæ expoliat hominem ſervitute, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione perſonam, ex famulo liberum, filium ex ſervo, Deum patrem vocat & commutat ſervum in filium, amicum facit ex Deo patrem reddit ex Domino. Pax ergò dilectionis mater eſt concordiæ vinculum ac puræ mentis indicium manifeſtum, quia ſibi exigit; de Deo quid velit quicquid voluerit petat, & quidquid voluerit ſumat. Serm. 169. de temp.

Sapiens plus cæteris æſtimat pacis beneficium. *Vide Virtus Differentia.* Virtus in ſeceſſu.

BONVM PACIS.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Exiſtunt omnia per harmonicam partium ſuarum compoſitionem, quæ tunc cenſetur optima, ſi ſibi invicem beneficæ ſint, mutuo virium & qualitatum commercio; vnde pax eſt ipſa rei eſſentiâ, quæ cum vno, vero & bono ſic cõvertitur. Vita enim eſt partium concordia, vt mors eſt illarum propter diſcordiam diſſolutio; Cœli quidem non deficiunt fœlices influxus; terra ſemper eſt fœcunda mater, quod tamen fructus ſuos culta producat, hoc debet paci, ſic bonorũ omnium naturæ & artis optimæ parenti.

MAGNITVDO. Dum alta floret pax, civeſque invicem & cum republicâ benè conveniunt, quiſque ſe non proprijs tantùm, ſed alienis etiam æſtimat commodis: nam tunc in magnâ rerum abundantia, divi-

tum largitiones, potentiorum auxilia præstò sunt miseris; & cum omnes se habeant vt vnius corporis membra, sibi quisque putat conferre quod alijs largitur. Consentientes illæ singulorum vires servantur innoxiæ, quia sibi mutuum exhibent præsidium, & ex illis in vnum concurrentibus conflatur bonũ vniversale, cæteris discretè consideratis longè præstantius.

Dvratio. Quod stent, & floreant Regna pacis est beneficium, quæ collectos legitimis laboribus fructus & acceptas à majoribus dotes summo colit affectu, summâque promovet diligentiâ: Minùs quidem celeres sunt pacis quàm belli proventus, sed certiores, constantiores, & velut naturali ordine statis temporibus vix spem fallentes: At vi partâ, vi vt plurimum dilabuntur. Bellum nihil permittit senescere, non vitam hominum, domos, civitates, Regna, artis & naturæ opera omnium fata præcipitat parcarum immitior.

Potestas. Nulla nisi in pace vera libertas, dùm sinè metu licet vnicuique iter aggredi, domi quiescere, quæsitis frui bonis, genio provt libuerit indulgere, secretum sub legibus gerere Magistratum, seù publicum, seù domesticum, prudentiæ quodam compendio: At bella naturalem libertatem primùm læserunt, non solùm in his quos servos effecerunt sed etiam in Dominis, quos sub metu læsorum hostium continent, & à proprijs rationalis creaturæ officijs ad ferina traducunt.

Cognitio. Artes & scientiæ, proprium mentis humanæ alimentum & decus, florent tantùm pacis tempore, vt sibi convenientissimo; sic placidis tantùm & nitidis aquis excipitur pulchra cœli facies: Igitur scientiæ pacem agnoscunt, & colunt vt parentem; nam maximum civilis prudentiæ munus est, pacem inter homines conciliare, ad imitationem Divinæ sapientiæ, quæ à fine ad finem pertingens, omnia fortiter suaviterque disponit.

Volvntas. Pacem naturale esse populorum bonum patet ex eo quod illam omnes exoptant, ambiunt, & votis publicis à cœlo petunt, vt summum fœlicitatis suæ culmen: Pax & causa & effectus est amoris, quo nihil in vitâ dulcius.

Virtvs. Omnis nihil est aliud quàm pax quædam interna potentiarum animæ, quæ sic cum Deo, secum & cum proximo benè convenit. Plato dicit ipsam esse in animo benè constitutam civitatem, quæ est idæa, & præludium quoddam fœlicis in populo regiminis constituendi, cui similiter pro fine pax est. Non viget nisi pacis tempore Iustitia, at turbatis rebus bello civili, aut externo silent leges, jusque totum est in armis. *Vide Contrar. Concord.*

Veritas. Cultus omnis Religiosus alitur pace; tunc enim, vt olim à Salomone templa constructuntur, ornantur, ditantur & cæremonijs institutis Religioni majestas conciliantur; tunc vacua & secura mens liberiùs fertur in rerum divinarum contemplationem; tunc excepto cœlitùs tadio, licet fucatam hæresis pravitatem structasque mentibus insidias aperire, verum à falso discernere, credenda futuris sæculis scribere, legesque dicere, quibus se regant in adversis. Polum non notat nisi relictus sibi, immotusque lapis Herculeus, verum non agnoscit nisi pace internâ, externaque fruens animus.

Gloria. Alta pax potissimum decet Christianos, vt resurrectionis filios, cives sanctorum, domesticos Dei, à rerum terrenarum affectibus alienos; extrà fortunæ tela positos, sic imparatos ad vindictam injuriæ, quâ non fuerunt læsi. Veteranis rectè officio suo functis secura quies decernitur pro præmio. O fœlix sæculum, cui contigit anteactis bellis devastata restituere, & posteros contrà futura mala præmunire.

Differentia. Sedatis rebus pacis beneficio licet justitiæ distributivæ munera liberiùs exequi, vnicuique jus suum reddere, bonos à malis secernere, in rebus privatis & publicis ordinem statuere, quo nihil melius: At turbatis rebus bellorum sævitiâ, ima summis permiscentur, &c.

Concordantia. Naturalem inter omnes homines societatem sola pax fovet; populos omnes vt vnius divinæ familiæ commensales conciliat. Nihil humano generi timendum; nulla vel dissitos populos vexabit egestas, nulla deviabit ignorantia, si pax instituto commercio, communia inter omnes effecerit, naturæ, fortunæ, gratiæ dona.

Contrarietas. Nulla est Respublica tàm potens, quæ simul ferre possit civilis & externi belli dispendia: Continuum nobis bellum est contrà naturæ, fortunæ, corporis, animi, apertos, occultosque insultus: vt quid mutuis inter nos dissidijs infirmiores efficimur? Contrà naturam est, ejusdem speciei individua citrà cibum & venerem in se armari: Valent quidem bellorum exercitia, vt otio nimio torpentes populi excitentur, sed sic exasperati fiunt, vt in hostem fortiores, sic in Principem in legem, in Deum ipsum magis contumaces; populus enim, vt fera, si solutis vinculis libertati suæ restituatur, vix posteà mansuescit.

Principivm. Omnes effusis votis exoptant soli vbertatem, Patriæ, familiæ, summum splendorem, in rebus peragendis libertatem & securitatem; Mirum tamen quod satis non colant pacem, quæ est horum omnium bonorum civilium fœcunda parens.

Medivm. Corporalia in hoc mundi meditullio sita, ex contrarijs conflata, mixtam habent ex bello & pace conditionem; surgit suprà hæc, rationalis animus & naturæ suæ & gratiæ ad divina erigentis privilegio. Homo est ex spirituali & corporeâ naturâ compositus, vt Divinis inhærens corporea regat, non vt ab illis afficiatur; si est nexus mundi, pacem artibus suis inter contraria conciliaturus, maximè debet cum specie sibi conjunctis consentire, illibatam pacem servare, ad exemplum perpetui illius naturalis fœderis.

Finis. Omnes populi communibus votis beatitudinem exoptant, sed sæpiùs falsam in divitijs, potentiâ, ambitione; hanc etiã malis medijs, vt bello, vi, rapinis consequi niruntur. Sola pax est, quæ hominẽ legitimis medijs ad verum finem suum perducit, omnibus quod suum est reddit, malos à recto tramite devios revocat ab interitu, obstatq; ne libero præcipitio collidantur.

Maiorita s. Regna quædam bellis crevere, sed vix constanti fortunâ sub incerto marte. spoliatis populis semper in vindictam pronis, vicinisque in surgentem nimiùm potestatem collatis viribus armatis. Si quibusdam minùs versatilis contigit ex bello fœlicitas, valida est fato, vt dicunt, stabilita sanitas, etiam à suis contrarijs intacta. Majores securiores, vt justiores solent esse profectus ex pacificis commercijs. Illic quæsitæ sub legibus divitiæ, cum sint virtutis aut propriæ, aut majorum insignia, miscent honestum vtili, splendidoque hoc præmio torpentes animos ad majora concitant.

Æqvalitas. Tantùm distat pacifica Respublica ab eâ quæ bellis tentatur, quantùm placidum æquor ab eo quod pugnantes in se contrarij venti convolvunt. Nè timeatur in pace malatia, satis enim concitantur animi, spe, metu, æmulatione, cæterisque passionibus ad majora semper æstuantibus: Altæ quidem pacis, immotique status beneficio saginantur quædam familiæ nimijs divitijs, vndè videtur solvi civilis æqualitas; sed vt in naturali, sic in civili corpore minùs vetenda est repletio quàm inanitio, faciliusque est demere quàm adjicere, legibus ad hoc

ſemper providis & invigilantibus.

MINORITAS. Cæterùm hæc quæ in fæce populi reperitur facultatum inopia, in pace viliſſima eſt, vt vrgente neceſſitate homines naturaliter liberi, ſe demittant ad vilia artium miniſteria. *Vide Minor. Poteſt. Bona.* Inermes nos edidit natura, vt ex ipſo corporis aſpectu intelligeremus nos ad pacem, non ad bella natos.

DELECTATIO ET VOLVptas rebus mortalibus optima.

MISCELLANEA.

VOluptas eſt quædam animi commotio ſubita, eum vehementi & manifeſta propenſione, inclinationeve accipiendi perveniendique in ſuam cuique naturam. Ariſt. l. 1. Rhet. c. 11.

Voluptas eſt naturâ Divinum quiddam inſitum mortalibus. Id. lib. 7. Ethic. cap. 13. Voluptas expetenda eſt, dolor fugiendus. lib. 1. Ethic. cap. 12.

Ariſtippus & Eudoxus dixerunt voluptatem eſſe ſummum bonum & finem, quia hanc nobis natura conciliavit à pueris, cum nondùm animus conſuetudine aut opinione informatus eſt; cum eâ fruimur, nihil præter eam inquirimus, nihil æquè ac dolorem fugimus, ergò & naturaliter voluptatem appetimus, quod magis appetitur, magis bonum eſt; voluptatem omnes appetunt, homines, ſenes, infantes, licet variam: at alia bona, non ab omnibus appetuntur. Voluptas maximè naturæ congruit, quod hac gignantur animantes; voluptate ab ipſo nutricis lacte enutrimur, hac quaſi eſcâ omnia vitæ officia perficiuntur. Quo bonum eſt latius, eo divinius eſt, at voluptas omnibus animantibus competit, cunctis bonis immixta eſt etiam virtutibus, vndè nulla boni ſinè voluptate poſſeſſio. Cætera omnia propter aliud appetuntur: at voluptas propter ſe appetitur, & omnia propter ipſam; nam omnia appetuntur propter fruitionem: voluptas autem eſt ſuaviſſima quædam acquiſiti boni fruitio, & quia eſt vltima, in quâ appetitus conquieſcit, rectè omnium vltimus finis dicitur vndè & præſtantiores ſunt animi quàm corporis voluptates. Epicurus poſuit vnam voluptatem in motu, alteram in quiete, & in hac vltimâ, quæ eſt ſedatio omnium perturbationum animi, ſimul cum corporis indolentiâ, poſuit ſummum hominis bonum, quia homo conſtat corpore & animâ: ad hanc tranquillitatem omnia negotia, & virtutes omnes ordinantur. Summum debet dici cui nihil addi poteſt; at tranquillitati quid adjicies? Id perfectum & extremum bonum ad quod naturæ omnis appetitio refertum.

Summum bonum debet eſſe vnum, & id quod ex aliorum bonorum accumulatione profectum eſt, id verò præter tranquilitatem nihil eſſe poteſt; Eſt enim bonorum natura duplex, nam & liberant animum ab omni moleſtiâ, & ipſum explent, quod facit tranquillitas; vltima eſt poſt conſecutionem omnium bonorum, ergò eſt eorum finis, cum ſit vnum propter quod cætera omnia quæſita videantur. Conſtituitur ergò ſummum bonum, non in eâ voluptate quæ eſt in motu, & eſt tantùm præſentium, ſed in illa animi tranquilitate & voluptate animi, quæ percipitur ex rerum præteritarum, præſentium & futurarum cognitione, &c. ex Marſilio. Ficino. lib. de voluptate.

Voluptas corporis propter tria maximè appetitur primò propter mentem, cui vt nobiliori famulatur. Secundò propter explendam indigentiam, quâ expletâ ceſſat voluptas & incipit ſatietas. Tertiò doloris occulti leniendi causâ: nam in concoctione alimenti, productione ſpirituum, & emiſſione humorum, & in tàm varijs & perpetuis motibus natura defatigatur, atque occulto quodam dolore afficitur, quem tamen non percipimus, quia hunc à primo ortu, vſque ad extremum diem perpetimur; diuturna conſuetudo eum quodammodò ſenſibus familiarem effecit, ac mentis intentionem diſſolvit; & nè animal ſic depereat, cæco quoque inſtinctu ab artifice & magiſtrâ naturâ ad voluptatem corporis percipiendam pellicitur, quaſi ad medicinam huic intimo dolori oppoſitam: Vndè verum eſt illud Platonis, voluptatem ab egeſtatis expletione proficiſci. Nam ſi aperta, at nunquàm occulta deeſt egeſtas. Iuvenes ſunt ad voluptatem proclives, eſt enim illis neceſſaria, quia ob augendi, perficiendique corporis neceſſitatem plurimis, vehementioribuſque motibus concutiuntur, vndè majori indigent medicinâ. Melancholici etiam maximè voluptatibus obſequuntur, quia atrabilis dominans corpus conſumit, & humoris ſiccitate arrodit. Cur autem plures hominum ad voluptatem corporis ſint proclives, hæc ab Ariſtotele affertur ratio, quod ſenſuum illa ſuavitas, ejus quos mens alitur gaudij vmbra quædam & imago ſit, vndè & eam à primis annis, cum nondùm adeſt rationis vſus, ſequimur & avidè complectimur; quæ conſuetudo, ità altè interdùm & profundè radices agit, vt ad extremum vſque vitæ perſeveret, nec aſſuetis motibus reſiſtatur. Ergò duplex eſt ratio cur homines ſequantur corporeas voluptates, ignorantia imaginem pro veritate colens, & prava conſuetudo, &c. Ibid.

Quod voluptas animi ſit major voluptate corporis. *Vide Glor. Cognit. & Glor. Volunt.*

Plato in Philebo, Dicit omnium optimam vitam eſſe, voluptatibus ſapientiam miſcere in neutro ſolo, ſummi boni conditiones reperiuntur, quæ ſunt, vt ſit ſummoperè perfectum, ſufficiens, & expetendum.

Rex Aſſyriorum olim pretium præmiumque propoſuit his qui novum aliquod voluptatis genus invenitſent. Plut. in ſymp. q. 4. c. vlt.

Qui omni voluptate fruitur, à nullaque abſtinet, intemperans; qui omnes fugit quemadmodùm agreſtes, ſtupidus quidem eſt; nam & temperantia & fortitudo ab exceſſu & defectu corrumpi, à mediocritate autem conſervari conſuevit. Ariſtot. Moral. Nicomachiæ. lib. 2. cap. 2.

Virtus circà voluptatem & dolorem verſatur, ab ijſdemque à quibus fit & augetur & corrumpitur. Ibidem cap. 3. vndè Plato ait: Ab adoleſcentiâ ità inſtitutos oportet eſſe homines, vt ijs gaudeant, & doleant quibus dolere & gaudere debent, hæc enim recta inſtitutio eſt, nam actiones omnes comitantur dolor aut voluptas. Id. Ibid.

Plato 2. de legibus. Quia, inquit, ad voluptates proclivis eſt adoleſcentia, tales illis aſſignare oportet, quibus valeant etiam viri delectati, vt muſica, gymnaſtica, &c.

Optimè homo ingenium ſortitus eſt aptum ludis, & deditum ad laborioſæ vitæ ſolamen, & ad diſciplinam paulatim per ludos congruos diſcendam. Idem lib. 7. de legib.

De voluptate contemplationis. *Vide Glor. Cognit.* Delectatio ex Virtute. *Vide Glor. Virt.*

Antiqui muſicam inter diſciplinas poſuere, non tanquàm ex ſe vtilem, ſed quia delectationem cum afferat & relaxationẽ, ardentiores facit ad actionem, & eſt occupatio in otio, ad quem tendit labor; diſcitur non vt neceſſaria, ſed vt liberalis, & honeſta; ſimiliter ſunt inſtituendi pueri in figurandi peritiâ, quæ

docet contemplari pulchritudinem corpoream. Ariſtot. lib 8. Politicor. cap. 5. de Muſicâ & harmoniâ. *Vide Conc. Differ.*

Titus convivia inſtituit jucunda magis quàm profuſa. Sueton. in Tito. cap. 7. de convivijs. *Vide Glor. Conc.*

Superſtitiosè ab omnibus voluptatibus abſtinentes à virtute excidunt. *Vide Dur. Virt. Rep.* De Relapſis in fine.

Benè & ad decorem ædificata villa invitat præſentiam Domini, quæ prodeſt ad reditus ampliores colligendos. *Vide Media Poteſt. Rep.* ſeipſo agere.

Poſſeſſiones non frugiferæ ſunt honeſtiores, quia liberaliores. Arist. 1. Rhetor. 9.

Paradiſus in Edem, ideſt in loco voluptatis, ibique erant arbores non tantùm frugiferæ, ſed & pulchræ viſu. Gen. 1.

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci.

Qui ſibi voluptates negat, eſt quaſi mortuum corpus, ſenſuum facultates mentiendo, ſi ſit dives pauper eſt, & ſibi ipſi tyrannus. Athen. lib. 12. cap. 25.

In templis fiebant convivia. & in illis poſt invocationem credebantur Dei adeſſe, vt coràm ipſis temperata eſſet voluptas, quâ penitùs homo carere non poteſt. Id. lib. 8. c. 13.

Philo lib. de plantatione, in fine, idem aſſerit: Fieri in templis convivia, in quibus honeſtâ voluptate ſapientum animi vini potu recreabantur, ad honeſtos jocos excitati.

In convivio nobis invicem propinamus, pſallendo, noſtram incantantes cupiditatem, & Deum glorificantes propter copioſam donationem eorum, quibus vtuntur & fruuntur homines. & quod perpetuo ſuppeditata fuerint nutrimenta ad corporis & animæ augmentum. Clem. Alex. l. 6. ſtrom. c. 5.

Lætaberis & refices coram Domino Deo tuo, in cunctis ad quæ extenderis manum tuam. Deut. 12.

Plato lib. 1. de legib. in fine, & lib. 2. probat in viris ab anno 40. interdùm ebrietatem, vt laxentur ſapientum animi. Hinc confidentia, vt liberè omnia fiant & dicantur: diſcunt etiam temperantiam, qui ſe non vſque ad ebrietatem vino immergunt.

Apud Athenæum. lib. 12. cap. 23. Pollarchus vir voluptatum curioſus, illas dicit eſſe virtutum omnium apparatum, & naturali voce commendari: argumentum eſt, quod omnes homines, vbi ſatis idoneam licentiæ occaſionem aſſecuti ſunt, ad corporis voluptates protinùs feruntur: hoc ſummum licentiæ bonum exiſtimantes. Eo titulo Magnates, Reges, etiam Sapientes à plebeis diſtinguntur, vt majores ſint illis deliciæ in convivijs, venereis, habitatione & cæteris. Ideò novarum voluptatum inventoribus, olim propoſita præmia, ne voluptas vitæ neceſſaria aſſuetudine periret, & vt haberent potentes quo præ cæteris eminerent.

Apud Arcades Muſica legibus introducta, itavt turpiſſimum ſit apud illos, ſi quis canere recuſaverit: his rebus eos aſſueſcere antiqui voluerunt, non deliciarum gratiâ aut opulentiæ, ſed vt temperarent auſteritatem morum, quæ illis erat innata, ob aëris frigus & ſpiſſitatem Athen. lib. 14. cap. 11. Idem fecerunt Lacedemonij; Ex vitæ temperantiâ ac aſperitate ſe ad muſicam, quæ jucunditatem præbet, convertebant. Id. c. 13.

Idem lib. 15. cap. 14. Refert Palladem vnguentis delibutam, quia ſenſus noſtri, qui ſunt in cerebro noſtro excitantur, ſuavibus odoribus, atque puriores, ſanioreſque efficiuntur.

Mel ætate florentibus, notiſſimùm ſi natura calidiore ſint, ac vitam laborioſam tranſigant, totum vertitur in bilem, ſenibus verò admodùm eſt accommodum, vt potè quibus non in bilem, ſed in ſanguinem convertatur. Galen. lib. 3. de natural. facult. Sic voluptas maximè decet ſenes.

Senſu & motu, qui ab interno & proprio impetu fit, animalia ipſis plantis præſtant. Eſt enim ſtirpibus ea tantùm cognitio tradita, quæ ex voluptate quadam vel triſtitiâ, aut aliâ quapiam illis ſimili affectione naſcitur, cum nulla aliâ cauſa eſſe poſſit, cur ea quæ ſibi competunt & attrahant & conficiant, præter voluptatem & fruitionem, quæ ab illis gignitur. Galen. l. de natural. facultatum ſubſtantia.

Omnium exercitationum illæ ſunt vtiliſſimæ, quæ non corpus ſolùm exercere, verùm etiam animum oblectare poſſunt, vt venationes; parvæ ſphæræ exercitium; gloriæ enim in talibus cupiditas lenit laborem. Id. de exercitatione parvæ ſpheræ. Sapientes mortem ſibi inſulerunt, cum vita morbis tentata ſinè voluptate erat tranſigenda. *Vide Vol. Dur. Rep. & Vol. Fin.*

De pulchritudine & grato ornatu. *Vide Cognit. Benit. & Cognit. Virt.*

Vt corpora ſunt vmbræ divinorum, ſic ſenſus oblectamenta ſunt divini gaudij vmbræ. Marſ. Ficin.

Cum delectatio cauſetur ex hoc quod appetitus requieſcit in bono adepto, ipſa ad beatitudinẽ ſicut aliquid concomitans eſt neceſſaria. D. Th. 1. 2. q. 3. a. 8.

Athenis in foro Ara erat Alacritati Deæ ædificata. Pauſan. in Atticis.

Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores; quæ verò cum ſollicitudine, periculoſiores. Hypocr. 6. apho. 33. Sic magis probandus eſt Democritus deflẽs.

Pauci homines ſunt, qui aut non rideant, aut ſuaviſſimum hoc naturæ donum, lætitiæque ſymbolum averſentur; hac ſe teſſerâ quiſque prodit, & veram ingenij indolem explicat mundo velut aſſignatam. In melioti vultu niſi riſus eſt, venuſtas velut nube obſidetur: cum ſuaviſſima eſt ætas, ridet; cum pulcherrimus annus, ridet, vbique hunc humanum affectum vſurpat natura vt decorem augeat; aut certè facit homo, quod natura, tanquàm redeat, cum ſerenus eſt, & à curis rerum, atque tempeſtatibus animum ſeparavit. Gratiæ Muſis jugendæ ſunt, quæ & ridere, ludere amant. Gaudium nemo ſapienti eripit, at gaudij fructus riſus eſt, alioquin frigore riget vultus, vt terra ſinè amœnitate.

Bacchus haſtis vrendo hederaceis, ſaliens & inter voluptates, Indos ſubjugavit. Lucianus dialogo Junonis & Iovis. Sic elegans ornatus militibus conceſſus. *Vide Cognit. Virt.* Ornatus.

Eo tempore quo ſævâ peſtilentiâ populus Athenienſis infeſtabatur, Architelis viri Areopagitæ vxor viſa eſt in ſomnijs ſibi Scytham aſtitiſſe & dixiſſe Athenienſes à peſte liberandos, ſi Angiportus vinò conſpergeretur, quod fœliciter factum eſt. Lucianus in dialogo Scytha, ſeù hoſpes.

Quid eſt quod juſtus Noë primum vineam plantat, & non aut triticum aut hordeum? quia neceſſaria alimenta vivendi Deo detulit, ſuperfluum autem vinum hominibus, & non neceſſarium, ſed ad honeſtam voluptatem commodum, ipſe coluit. D. Ambroſ. lib. de Noë & arcâ. cap. 19.

Lucius curioſus quidam juvenis in aſinum arte magicâ converſus, poſt multos caſus adverſos, in priſtinam humanam formam reſtituitur comeſtis roſis. Lucianus dial. Lucius. Id ſignificat ſtudioſos exſuſcitari & erigi moderata voluptatis perceptione. *Vide Volunt. Glor.*

Iracundo prodeſt ludus, modica enim voluptas laxat animos, & temperat. Seneca. lib. 2. de Irâ. cap. 20. Venus ligat Martem vt inquiunt.

Digitized by Google

Vt Muſicæ tantum deditus ſit imbellis: ſic in gymnaſticâ tantùm exercitatus, ſine vllâ voluptate, ſit nimis ferus. *Vide Minor. Glor.* De Mortificatione auditus.

Mos olim erat in funeribus fieri convivia, quæ dicebantur ſilicernia, quod in illis lucernæ non adhiberentur. Vide Cujac. obſerv. l. 11. c. 21. De his conviviis dicit Domini os Ierem. Non plangentur, & non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo, & non dabunt eis potum calicis, ad conſolandũ ſuper patre ſuo, & matre ſua: ſuper quo ſic D. Hieron. Moris eſt lugentibus ferre cibos, & præparare convivium, quæ vocantur parentalia, eo quod parentibus juſta celebrentur. Dicit & alibi ſcriptura divina, Date vinum & his qui in luctu ſunt, vt ſcilicet obliviſcantur doloris. Prov. 3.

In funeribus etiam mos erat vtendi muſicâ ad ſolatium. *Vide Glor. Concordantia & Virt. Glor. & ſup. paſſim. hoc tit.* De otio.

EX VTROQVE JVRE.

DE expenſis ludorum publicorum. Cod. 11. tit. 14. De ſcenicis. Nov. 51.

Vſus fructuarius cum non debeat cauſam proprietis deteriorem facere, non debet ex voluptuario prædio viridaria, de ambulationes arboribus infructuoſis opacas atque amœnas dejicere, vt fortè hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum ſpectet. l. 13. ff. de vſufr.

Prohibentur, & demoliri jubentur ædificia, quæ ſunt contrà decorem civitatis. l. 5. Cod. de operib. publ.

Argento & auro legato, continentur etiam gemmæ incluſæ argento vel auro, ornatus gratiâ. l. 1. 19. ff. de auro & argent legato.

Balneum extruere licitum eſt vnicuique dummodò vſitatum modum non excedat. l. 1. Cod. de ædific. privat.

Ad Præfectum vrbis pertinet diſciplina ſpectaculorum. 1. §. 12. ff. de officio præf. vrb.

Temporibus Valentiniani Prætoribus erat jus edendi ſpectacula. l. 2. C. de off. præt.

Vſus fructuarius poteſt ædibus & prædijs ornamenta addere. l. 13. §. 6. ff. de vſufr.

Ea quæ ſunt juncta domibus ad earum ornatum non poſſunt legari, quia ſenatus prohibet avelli, vt ſunt columnæ, marmora, & non debetur etiam eorum æſtimatio. l. 41. ff. de legat. Etiam non debent tolli ob debitum publicum. Eodem.

In honorem civitatis relinqui cenſetur, quod ad venationem, ludos ſcenicos, Circenſes, ad ornatum, forum, &c. relictum eſt. l. 121. Eod.

Prohibitis ſub capitali pœnâ ſacrificijs paganorum, feſtos tamen convenus civium, qui ad communem populi lætitiæ ſpectant, non prohibent. Impp. l. 4. Cod. de pagan. & ſacrific. eodem.

Arcadius & Honorius permittunt ad populi lætitiam fieri Majumam, id eſt feſtum à Maio mente, ſic dictum, tunc cum redeunte ad nos Sole, omnia virent. l. vnic. Cod. de Majuma.

Non licet ità ædificare vt vicinis tollatur gratiſſimus maris proſpectus. Nov. 63.

Eccleſiaſticus non ſumens cœnam, & vinum in diebus feſtis deponatur. in can. Apoſt. can. 53.

EX THEOLOGIA.

AVſteritas, vt virtus, non excludit omnes delectationes, ſed tantùm ſuperfluas & inordinatas. D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 4.

Delectatio proprié dicta eſt in Deo. 1. 2. q. 31. a. 4. ad 2.

Delectatio eſt proprium accidens beatitudinis, vel partis ejus. 1. 2. q. 2. a. 6.

In ſtatu innocentiæ continentia & pœnitentia non fuiſſent, ſaltem ſecundùm actus quos nunc habent. 1. q. 95. a. 3.

Hiſtrionatus eſt licitus; ſi ſit cum honeſtis verbis & tempore, ideò juſtè datur eis merces. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 5.

Ludus eſt in remedium contrà fatigationem animalem, dans animæ quietem, ideſt delectationem. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 2.

Defectus ludi eſt peccatum, ſed minùs quàm exceſſus ejus, qui pertinet ad ineptam lætitiam filiam gulæ. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3.

Nulla triſtitia ſecundùm Stoïcos eſt vtilis ad aliquid ideò eſt vitanda. 3. q. 46. a. 6. ad 2. inter omnes paſſiones maximè corpori nocet. 1. 2. q. 27. a. 4.

Vinum calefacit & lætificat. 2. 2. q. 147. a. 8. ad 1. Ideò vſus illius eſt tantùm illicitus per accidens, ſcilicet vel propter conditionem ejus qui facilè lædituꝛ ex eo, vel propter exceſſum, vel ſcandalum. q. 149. a. 3.

Delectationes omnes conformes rectæ rationi ſunt bonæ, vt enim in rebus naturalibus, ſic in appetitu aſſignanda eſt quies. 2. 2. q. 34. a. 1.

Optimum hominis poteſt eſſe in delectatione, quia & delectatio conſequitur fruitionem ſummi boni. Ibidem a. 3.

Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Proverb. 17.

Omnis triſtitia per ſe eſt mala, licet per accidens poſſit eſſe bona. 3. q. 15. a. 6. ad 1.

Agreſtes & duri dicutur qui moderatos aliorum ludos non tolerant, ideo vitioſi ſunt. 2. 2. q. 168. a. 4.

Delectatio ſenſibilis fuiſſet major, & purior antè peccatum quàm poſt, ſicut delectatio temperati eſt verior quàm intemperati. 1. q. 98. a. 2. ad 3.

MAGNITVDO

Digitized by Google

MAGNITVDO GLORIÆ

MAGNA, INTEGRA ET PERFECTA GLORIA.

MISCELLANEA.

QUOD I. 2. ait Christus, quo vult modo ille gaudium completum habebunt, & hoc ipsum, quod ait, ut gaudium eorum sit completum, videbimus diligentius, quod sit completum. Si enim vita beatorum, omnium & vilissima figura, quæ proponi

Magnitudo.

Digitis vulgaris est figura, habentur corporalem, plurimum in ea quæ est Dei, differens. Ita Ambrosius *Lib. de Bono mortis cap. 10.* Et Augustinus *Serm. 61. ad fratres. Psal. 30. Enar. Serm. 2. Ambrosius. Psal. 118. August. Hom.*

Inter eos, Vbi Deus est omnia in omnibus, Ecclesiastes, Nemo, inquit, scit, quid sit homo, nisi qui habet hic spiritum illius. *Vide Hieron. Epist.*

Hinc S. Secundus Tauli, Dic ubi Deus sit omnia, &c. & propositum sensu. Significant Salvianus *Lib. 3. de Gubernat. Dei.*

Vt omnibus una lux gignit, & fovet omnium diversitatem, sic unum Deum, diversum tamen unumquemque, & omnium unum Deum, & unumquemque diversum, & omnium unum Deum, & unumquemque proprium videmus. Quod bona eorum fides est, quod unitas spiritus, quod vinculum charitatis.

Multitudo promissa nunc in unum redacta, ne quis in unum promissionis eorum fructibus careret. Ita Augustinus *Epist. 59. ad Paulinum. Tom. 2.*

Vt duo homines gaudent, alterius, inquit, in proximo. Ita omnia adhibet homini superiori. Arch. Ecclesiast.

Quidquid vidit, vidit totum. Galen. cap. 10. de usu partium. Et Chrysostomus ad Rom. omnem homo-

Etiam omnes superiores & nos, & nostros in se homines videbimus. *Psal. 134.*

Antiqui fœliciora credebant eſſe loca, in quibus poſitæ eſſent ſtatuæ Apollinis & Dianæ. Ferebantur etiam imagines & Geneſis magnorum virorum.

Oſſium leonis inter ſe conflictu, velut è ſilice ignis elicitur. Ariſt. 3. de nat. anim. c. 7.

Amphiſbenæ ſerpentis duplicis capitis pellis, bacillo circumjecta, omnes ſerpentes pellit, & omnia animalia, quæ vivus ſolo tactu, nè dicam morſu interficit. Phocæ ſeù vituli marini pellis, etiam detracta corpori, ſenſum maris retinet, ſemperque æſtu maris recedente inhorreſcit. Plin. l. 9. c. 13.

Eo ipſo die quo Sol capricornum ingreditur, pulegium etiã ſiccũ lacunari appenſum floret. Pl. l. 2. c. 41.

Panthera ſæva eſt, ſed Hienam non ſuſtinet, hujus corium protegit ab ejus incurſibus, & ſi vtriuſque belluæ ſuſpendas pelles invicem ex adverſo, panthericæ pili defluent. Fernel. de abd. rer. cauſ.

Herod. l. 1. refert Lacedemonios dolo à Tegeatibus Oreſtis corpus eripuiſſe, & ejus ſecreta vi, poſteà in bello Victores extitiſſe, cũ anteà ſæpiùs victi fuiſſent.

Edoardi I. Regis Angliæ oſſa cum exercitu delata Victoriam dabant ejus filio. Item de Ioannis Corio Ziſcæ Vvicleſi diſcip. Item ex Indiæ ducum.

Altercatur Angelus Perſarũ cum Angelo Hebræorum, pro Moyſi corpore, quaſi exiſtimaret illud poſſe populo ſibi commiſſo benedictionẽ aliquam impertiri. D. Chryſ. l. ad Gent. Dicit Deum corpora Sanctorum non tranſtuliſſe, vt Enoch & Eliæ, ſed inter nos reliquiſſe, vt eorum aſpectu non ad lachrymas, vt in cæteris mortuis, ſed ad pietatem provocemur: dicitque ad monumentum Babylæ martyris, quaſi in conſpectu Pædagogi, mitas fieri morum mutationes.

O quanta Sanctorum virtus, non ſola ipſorum verba & corpora, ſed & ipſa indumenta creaturæ omni vndique ſunt venerabilia. Melotes Eliſæi Iordanem diviſit, calceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt, Eliſæi lignum aquas mutavit, & vt ferrum in ſuperficie portarent effecit; Moyſis virga mare rubrum diviſit, petram ſcidit; Pauli veſtimenta langores expulerunt; vmbra Petri mortem fugavit, Sanctorum martyrum favilla malignos expellit dæmones, &c. Id. hom. 8. ad pop. Ant.

Aiacis ſepulchrum calumniabatur quaſi omnis mali cauſa. Phil. in Heroïc.

Iuxtà Lyrniſſum Æolicam civitatem, vbi delata fuit Orphei lyra, circà mare lapides concentu reſonant.

Reges dum vivunt oſtendunt potentiam ſuam, exercitus congregant, &c. At Chriſtus poſt mortem, licet ignominioſam, maximè ſplenduit, vt diſcas eſſe Deum, &c. D. Chryſ. Hom. contra gentiles. Quòd Chriſtus ſit Deus. *Vide Gloria Finis.*

Pennæ Aquilæ alias quibus miſcentur conſumunt.

Iſidæ avis pellis cum palmis detracta & parieti affixa, plumæ commutantur ac ſi viveret.

REPVGNAT. *INCONSTANS fælicitas.*

MIra res quomodò ſe habeat voluptas ad dolorem, qui ejus contrarius eſſe videtur, quaſi ex eodem vertice ſunt ambo connexa. Arbitror equidem Æſopum, ſi hæc animadvertiſſet fabulam fuiſſe facturum, videlicet Deum ipſum, cum ipſa inter ſe pugnantia vellet conciliare, neque id facere poſſet, in vnum ſaltem eorum apices conjunxiſſe, propterea quicumque adeſt vnum, eidem mox alterum quoque adeſſe. Plato in Phædone.

Signis maſculinis & diurnis ſuccedunt fœminina & nocturna; domibus cardinalibus cadentes, Soli Mars infortuna, Iovi Saturnus, Directioni Retrogradatio, quæ tunc incidit cum ad apicem pervènerunt. A ſextili & trino aſpectu, qui ſalutares eſſe creduntur, in quadratum & oppoſitum citò prolabuntur. Inconſtantiæ rerum quatuor à Platonicis afferuntur rationes, Divina, cœleſtis, naturalis, humana. Primò quidem velox eſt proſperitas, nè tenere nos procul à divina beatitudine poſſet, cum nè momentum quidem à nobis ipſa teneri poſſit, vt etiam in morbis frequentibus cœleſtis medici recordaremur, tùm vt ſciamus nos in exilio eſſe. Secundò, fatalis lex ſyderum ſic à divina providentia temperatur, vt in perpetuo cœleſtium curſu, quietis omnis experte, à fortunatis Planetis, eorumque bonis aſpectibus, ad infortunatorum corpora & aſpectus per directiones & profectiones ſeriati n deveniatur. Tertiò, ſiccitas, humiditas, &c. ad gradum naturæ ſuæ proprium intenduntur, tunc neque permittit progredi vlteriùs finita natura, neque manere vel patumper ſinit ibidem perpetuæ conditio motionis, vndè tunc qualitates remittuntur, cum maximè videntur intendi; hinc apud Hipocratem ſumma corporis valetudo falſiſſima judicatur, apud naturam aſcenſum ipſum deſcenſus fermè continuò ſequitur, & quæ velociter floruerunt velociter areſcunt: Sic Philippus Rex Macedonum, cum vno die Victoriam in Olympicis & in caſtris accepiſſet, natuſque ei fuiſſet primogenitus Alexander. O dæmon, ait, tantùm bonum quàm minimo malo repende, & paulò poſt ſagittâ altero oculo eſt orbatus: hæc hominibus contingunt, nè nimiâ proſperitate inſoleſcant. Marſil. Ficin.

Fœlices Planetæ & aſpectus in vnum conglobati,

cum per directionem occurrunt magnam & ad miraculum faciunt proſperitatem, ſed non durabilem, quia reliqua vitæ ſpatia tota poſſidentur ab infortunatis, illo adhibito temperamento.

Etiam in contemplantibus per vices ſuccedit conſolatio & ſterilitas. *Vide Gloria Vul. Rep.* Acceſſus & diceſſus ſponſi.

Dionyſ. Iunior regno pulſus, dicebat Patrem ſuum ipſi reliquiſſe Regnum Siciliæ, non fortunam ſuam.

Pytagorici dixerunt eſſe quaſdam ſtellas, quæ non ſemper lucerent, ſed ſtatis tantùm temporibus.

Poteſt dari pyramis, quæ non jaciat vmbram, quoties Solis radius lateralē non ſuperaverit lineam; Hoc poteſt fieri, ſed non ſemper, propter ortum & occaſum Solis, & per acceſſum & receſſum in ſignifero.

Nihil mortalibus æternum eſt, volvunt mortalia vices crebræ, & omnium rerum fuga ſit. Symm. Ep. 7. lib. 8.

Ante terræ motum ſit magna tranquillitas, ſpiritu in terræ viſceribus contracto, ità factum eſt in terræ motu, qui Neronis tempore in Campaniâ accidit Seneca. l. 5. natur. q. c. 12. Loca montana propter ſubterraneas concavitates magis ſunt obnoxia terræ motibus.

Stellæ cadentes, ſcintillæ citò extinctæ redeunt in quandam fuliginem corpoream. *V. Dur. Virt. Repug.*

Tuſſilago ſeù farfara vere primo producit florem, ſed qui ſtatim decidit, nec poteſt conſpici niſi ab his, qui fortè fortuna tunc præſentes fuerint. Mathiol.

Irridenda eſt eorum Principum ſocordia, qui præſenti potentiâ credunt extingui poſſe etiam præſentis ævi memoriam. Tac. l. 4. Annal.

Equeſtrium virium proprium eſt citò parare, citò cedere victoriam. Inconſtans eſt corporis valetudo, vndè vt ei ſuccuratur inventa medicina.

Contineat ſe Princeps, nec ob multos fœlices ſucceſſus, fidem habebat inconſtanti fortunæ. Nemo antè obitum fœlix, dicebat Crœſus captivus, & in rogo proximus morti, memor dicti Solonis.

Pompejus fuit occiſus in Ægypto, eodem die in quo priùs vicerat Mitridatem, & piratas. Dion. hiſt. l. 42. n. 9.

Is cui ſemel temerarium conſilium benè ceſſit, non debet iterùm tentare fortunam.

In bello diuturno, modò in vnam, mox in aliam parrem inclinat fortuna.

Pacis aut induciarum conditiones, non ſponraneæ, ſed vt vrgenti neceſſitati pareretur initiæ, non durant.

Noli ad crudelem ſpei perplexæ auram antenas ſolvere. Cùm Stratonico dixerim, ex omnibus navigijs tutiſſima eſſe, quæ in terram nauta ſubduxit. Barcl. in Euphorm.

Sub Tyberio Sejanus Conſul toto orbe celeberrimus, & tanquam Imperator agens, cum ei hoc anno delatus eſſet Conſulatus, cum prorogatione quinquennij, inſuper & in litteris publicis à Senatu, ſicut & Tyberij, ità & Sejani nomen inſcriberetur, & ſicut Imperator aureo curru intheatrum, adveheretur, jurarentque omnes per fortunam ejùs. Hic tantus Sejanus convocato Senatu, vt recitarentur litteræ Imperatoris, quibus collata ei ſumma poteſtas Tribunitia credebatur; ijſdem ipſis litteris plecti juſſus, ſtatim in vincula conjectus & capite mulctatus per triennium à populo ludibrio habitus, in Tiberim miſſus tandem eſt, liberis ex S. C. necatis. Vide Bar. ann. 17. n. 46.

Cor ſi pauci ſpiritus, ſubtilis, clari & humidi eſt, facilè gaudebit ex qualibet occaſione, ſed citò deficit, quia ſpiritus ex paucitate exſiccatur, vt eſt puerorum ſpiritus Alb. Magn.

Fortunæ variantis innumera ſunt exempla, etenim quæ fecit magna gaudia, niſi ex in ſignibus malis; aut quæ mala immenſa, niſi ex ingentibus gaudijs. Plin. 7. c. 42. Bos apis ſemper eodem die & invenitur & extinguitur. Id. l. 8. c. 46. Idem l. 13, c. 3. Loquens de luxu vnguentorum ait, Margaritæ, gemmæque ad hæredem tranſeunt; veſtes prorogant tempus; at vnguenta illicò expirant, ac ſuis motiuntur horis. Nulli arbitror plures ſtatuas dicatas quàm Phalero Demetrio Athenis, ſi quidem 360. ſtatuere, quas mox laceraverunt nondùm anno hunc numerum dierum excedente. Id. l. 34. c. 6.

Convivantes coronabant capita, quæ mox ebrietas erat turbatura. Athen. l. 15. c. 5.

Polycrates Samicorum Rex, cum ab Amaſi Ægyptiorum Rege monitus eſſet vt adverſam aliquam fortunam experiretur, annulum ſibi charum in mare projecit, quem piſcator in ventum in ventre piſcis Regi detulit; quod cum audijſſet Amaſis dixit; Fortuna majora tibi damna reſervat paulò poſt à Dario victus & cruci affixus. Quæ à fortuna pendent, incerta ſunt, vndè illis ſapiens non debet adhærere affectu. *Vide Dur. Virt.*

Quid iſta ſtupes quid miraris, pompa eſt; oſtendantur iſtæ res, non poſſidentur, & dùm placent tranſeunt. Sen. Ep. 110. Imprudentium iſta fiducia eſt, fortunam ſibi ſpondere, ſapiens, vtramque ejus partem cogitat; Scit quantùm liceat errori, quam multa conſilijs obſtent, ancipitem rerum ac lubricam ſortem ſuſpenſus ſequitur, conſilijs certis incertos eventus. l. 4. de ben.

Fortuna cum blanditur captarum venit; fortuna vitrea eſt, cum ſplendet frangitur. Si fortuna volet fies de Rhetore conſul. Si volet hæc eadem fies de conſule Rhetor. Iuvenalis.

Nulla ſors longa eſt, dolor ac voluptas Invicem cedunt; Nemo confidat State fortunam, rotat omne fatum Sen. Trag.

Omnis inſtabilis & incerta fœlicitas eſt, quid non timendum fœlicibus putas; quid deſperandum infœlicibus. Senec. l. 1. declam. 1.

Quem ſæpè tranſit caſus aliquandò invenit.

Arbores quæ longo tempore excrevere vnâ horâ extirpátur; Leo ſit minutorum animalium pabulum, & ferrum rubigo conſumit, nihil tàm firmum, cui non ſit periculum ab invalido.

Voluntur in altum, vt lapſu graviore ruant. *Vide Fin. Mag. & Finis Pot.*

Verbum divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat, & cum perpetuò feratur per civitates, gentes, regioneſque, res aliorum omnium alijs tribuit, ſubindè variantibus apud ſingulos temporibus, vt totus terrarum orbis tanquàm vna civitas, optimo Reipublicæ genere adminiſtretur, vbi ſcilicet poteſtas cedit per vices: Nihil eſt ergò in humanis, præter qua vmbra leviſſima; & tanquàm maris æſtus, cum mago impetu accedens, recedenſque, ita vt nè gutta quidem ſuperſit totius inundationis.

Philo Iud. lib. Quod Deus ſit immutabilis.

Quò plùs luna habet luminis, eo vicinior eſt Eclypſi. Ex nimiâ tranquillitate nautæ prævident tempeſtates. Iris picta in pluvias reſolvitur, ſic apparens lætitia in lachrymas.

Epaminondas poſtridiè triumphi, atram & lugubrem veſtem induit, proximum ſibi prævidens infortunium, mors Patris & Matris ſubſecuta eſt. Xenophonti pro obtentâ victoriâ ſacrificanti, mors dilectiſſimi filij nuntiata eſt. De ſubitâ ruinâ. *Vide Dur. Com. Rep.*

ed by Google

De Pompeij capite pupillus & ſpado tulere ſententiam. De Craſſo crudelis & inſolens Parthus : Neminem eo fortuna provexit, vt non tantùm illi minaretur quantùm permiſerat. Noli huic tranquillitati confidere ; momento mare vertitur ; eodem die vbi luſerunt navigia, ſorbentur, &c. Seneca. Ep. 4.

In clepſydrâ reciproco motu pars vacua repletur, & plena vacuatur.

Cœlum & terra tranſibunt. 1. Ioan. 4.

Tranſit mundus & concupiſcentia ejus. 1. Ioh. 3. Si mutatur mundus, & mutant ejus columnæ, quomodò tu qui in eo es, non moveberis : Mundi imperium primò ab Aſſirijs ad Perſas, à Perſis ad Lacedemonios, ab his ad Romanos, denique ad Alemannos tranſijt.

Orientem cum ſplendore Solem ſæpè nubes involvit, & tempeſtas ſequitur : eadem die, quâ Chriſtum cum palmis excipiunt Iudæi, in vitam ejus conſpirant. Deus commovet terram de loco ſuo, & columnæ ejus concutiuntur. Iob. 9. Id eſt fortunam ſubvertit, quæ vt terra conſtans & immobilis apparebat.

D. Aug. l. 1. quæſt. ſuper Gen. q. 10. Dicit altiſſimos montes, vt Olympus, ad quorum cacumen meteora non perveniunt, diluvio tamen eſſe opertos ; Sic magna quædam & generalia integruunt adverſa, quibus opprimitur fortuna, à levioribus immunis.

Quid quæris fortunam ergà te eſſe mutatam, hi ſemper ejus mores ſunt, hæc natura eſt, ſervavit circà te propriam potiùs in ipsâ ſui mutabilitate conſtantiam, talis erat cum blandiebatur : Deprehendiſti cæci numinis ambiguos vultus, quæ ſi adhuc velat alijs, tota tibi prorsùs innotuit ; ſi probas, vtere moribus ; ſi perfidiam perhorreſcis, ſperne, atque abjice pernicioſè alludentem ; Nam quæ nunc mœroris tibi cauſa tanti eſt, hæc eadem tranquillitatis eſſe debuiſſet ; Reliquit enim te, quam niſi prior reliqueris, non potes eſſe ſecurus. Si manendi abeundique ſcribere legem velis ei, quam tu dominam ſponte elegiſti, nonnè injurius fueris, & impatientiâ tuâ ſortem exacerbabis : Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, ſed quo flatus impelleret, promoveres ; ſi arvis ſemina crederes, feraces inter ſe annos ſterileſque penſares : Fortunæ te regendum dediſti, obtemperes oportet ; tu verò volventis rotæ impetũ retinere conaris : at omnium mortalium ſtolidiſſime, ſi manere incipit, ſors eſſe deſinit. Boëtius de conſolat. philoſ. l. 2. prosâ 1. in fine.

Nihil tuum abripit fortuna, nudum enim produxit, & ſuis aluit beneficijs ; ſi retrahit manum, habe gratiam velut vſus alienis ; ſi tua forent, quæ gemis nullomodo perdidiſſes : licet fortunæ lucidos cœlo, & nubiloſos proferre dies ; licet anno terræ vultum mutare ; aſcende ſi placet rotam, ſed eâ lege, nè cum deſcenderis, ſuoque jure vetitur, injuriam putes. Cræſi & aliorum jacturam tragœdiæ te quotidie docent ; quid inurâ commune regnum propitio jure vivere deſideras ? plùs prodeſt adverſa fortuna quàm proſpera, adverſa enim verum ſinè fuco, ſinè mendacio vultum oſtendit ; fœlix, à vero bono devios blanditijs trahit ; adverſa plerumque ad vera bona reducens, vnco tetrahit, amicorum etiam tibi fidelium mentes hæc aſpera detegit, diſcedens ſuos abſtulit, tuos reliquit, quanti hoc etiam fortunatus emiſſes ? deſine nunc emiſſas opes quærere, quod pretioſiſſimum genus divitiarum eſt, amicos inveniſti. Ibidem.

Gaudet fortuna diù ſtabilita vltimo momento ſubvertere, vt Priami fortunam in ſenectute : Itavt exclamare ſæpè liceat cum Laberio, nimirùm hac die vnâ plùs vixi mihi quam videndum fuit.

De ſuperioribus ad inferiora decurſus eſt.

In triumphantium curru retrò comes adhærebat, per ſingulas acclamationes civium, dicens, hominem te eſſe memento. D. Hieron. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ.

Fortunæ, quaſi ſinguli rota, ſemper volvendo vaſa, modò in honorem, modò incontumeliam, conficit.

Ædium non ſunt ſtatuæ affixæ baſibus. l. pen. ff. de verbor. ſignif. Solidior eſt publica quam privata fortuna.

Poteſt quis cadere ab imperfectâ gloriâ, quæ habetur in hoc mundo, non a perfectâ.

Aula Regia theatrum eſt, in quo plura exibentur inconſtantis fortunæ exempla. Aulici ſplendent aut mentitis, aut ex alieno mendicatis radijs citò deficientibus. Inundantur altiſſimo æſtu, ſed in ſuum Oceanum ſtatâ mutatione redituro. Amor hic niſi tempeſtativâ celeritate carpitur, vt vipa ætatem non ferentia inutili veterno, conſeneſcit. Barclai. Vide quæ ſcripſi de inconſtantiâ aulicorum. Mor. Chriſt. tom. 4. patte 2. Fugax pulchritudo.

Fulgor teneris qui nitet genis momentò rapitur, nullaque non dies formoſi ſpolium corporis abſtulit ; Res eſt forma fugax. quis ſapiens bono confidat fragili, &c. Senec. Tragic.

Non ſemper idem floribus eſt honos vernis, neque vno Luna rubens nitet vultu. Horat. l. 2. od. 11.

Florem decoris ſinguli carpunt dies. Seneca.

Procurrentis Imperij Romani curſus Gallorum Senonum incurſione ſupprimitur. Florus l. 1. c. 13.

Fortuna hic comediam exhibet, ſed variam, nec ſinit aliquem diù eandem perſonam agere, nunc Regis, mox ſervi, & contrà.

Mercurius oſtendit Charonti mortales levi vt aranearum filo ſuſpenſos, quod facilè rumpitur ? quidam parùm è terrâ ſublati cadunt, ſed minori cum periculo & rumore ; gravior autem caſus & ſtrepitus proximorum, in his qui ex altiori cadunt. Lucianus Dialogo Charon, ſeù contemplantes.

Tirefias divinandi gratiâ multùm celebris, quia diceret ſtellarum erraticarum alias eſſe fœminas, alias mares, quæ fatum vitæ noſtræ alternarent : dictus eſt fuiſſe aliquandò mas, aliquandò fœmina. Id. lib. de Aſtrologiâ.

Quoties poſt multas coronas Athleta vincitur in alio certamine : quoties qui ſæpè vicerat, interdùm fluctuat, & in incerto hæret, & ſæpè fit, vt fortibus fortis congrediatur, majoraque oriantur certamina, vbi majora viria documenta. D. Amb. lib. de fugâ ſæculi c. 5.

Qui hominibus placent, confuſi ſunt ; quoniam Deus ſprevit eos. Pſ. 52.

Providerat Deus in omnibus domibus Ægyptiorum eſſe primogenitos, vt eorum morte omnes plecterentur. D. Aug. q. 44. ſuper Geneſim.

Molendinum puto dictum mundum iſtum, quia rota quadam temporum volvitur, & amatores ſuos conterit. D. Auguſt. in Pſ. 35. conc. 1. explicans illud, vnus aſſumetur, alter relinquetur. Hoc mare magnum, illic reptilia quorum non eſt numerus. Pſalm. 102. Mundus mare eſt monſtrorum ferax. D. Aug. ib. Flent ſuper flumina Babylonis qui rebus fluentibus ſæculi inhærent. Ib. *Vide Ver. Glor. Repugn.* Vanitas delitiarum mundi.

Solet Deus intercipere peccatores in ipſiſmet ſuis delitijs : ſic diluvium fit menſe majo, dùm non multi imbres : de eo dicitur. Luc. 17. Edebant tunc & bibebant ; Ibidem de eo qui ſubitò moritur, cum horrea ſua impleviſſet. Sic contingit Nabucodonoſor Regi. Aman, Herodi. Dicit Chriſtus, Qua horâ non putatis filius hominis veniet ; & Paulus, Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuper-

veniet interitus : ſic de filijs Iob oppreſſis ruinâ in convivio : de Baltazar, &c.

Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat ; turbati ſunt, & moti ſunt, ſicut ebrius. Pſ. 106.

Priùs decidunt folia in locis ſiccis, mactiſque, & veruſtæ priùs arbori, multis etiam antequàm matureſcat fructus. Plin. l. 16. c. 22.

Exceptiones in judicijs, quæ agentibus obſtant, ſunt aut perpetuæ, aut temporales, aut dilatoriæ.

Autumni tempore maris & aëris infida eſt tranquillitas.

Vide Minoritas Finis. Auluorum & regum miſer exitus.

EX BIBLIIS.

IN Ægypto ſeptem annos vbertatis ſequuntur ſeptem anni ſterilitatis. Gen. 41.

Occiſo Ægyptio Moyſes cogitur fugere ex aulâ Pharaonis. Exod. 2.

Mortuo Vria in vrbis obſidione, Ioab confortat milites, dicens incertum eſſe eventum belli. 2. Reg. 11.

Variantis fortunæ celebre exemplum in Aman. Eſth. 7. In Holopherne qui à Iudith occiditur. Iud. 13.

Dùm David dividit ſpolia, lætus & exultans de obtenta victoria, nuntiatur ei mors Ionathæ. 2. Reg. 1.

Adhuc eſcæ erant in ore populi qui murmura verat, & ira Dei venit ſuper eum. Num. 11.

Corruunt muri Iericho coràm Ioſue, & paulò poſt à paucis habitatoribus Hai fugatur. Ioſ. 7.

Vide in libris Iudicum quomodò Iſraël peccans fit ſervus hoſtium, & iterùm clamans ad Deum liberatur. Sic eos Othoniel liberat à ſervitute Regis Meſopotamiæ, quieſcunt quadraginta annis ; peccantes fiunt ſervi Regis Moab ; liberat eos Aod, quieſcunt octoginta annis, peccantes fiunt ſervi Iabin Regis Chanaan, qui fugatus à Deborâ, occiditur à Iahel.

Saul non perſequitur jam penè deletos Philiſtinos, non reſpondente Domino, quia peccaſſet populus manducans ſanguinem. 1. Reg. 14.

Poſtquàm Ieſus fuit baptizatus, & vidit cœlos apertos, tentatur à diabolo in deſerto. Math. 4.

Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri ; exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, Verbum autem Domini ſtabit in æternum. Iſai. 40.

Non ſic impij, non ſic ; ſed tanquàm pulvis quem projicit ventus à facie terræ. Pſ. 1.

Perijt memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet. Pſ. 9.

Inclinavit cœlos & deſcendit, & aſcendit ſuper Cherubim & volavit. Pſ. 17.

Sepulchra eorum, domus eorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie. Pſal. 48.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis : ab increpatione tuâ Deus Iacob, dormitaverunt qui aſcenderunt equos. Pſ. 75.

Chriſtus dicit de diſcipulis ſuis, venient dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt. Luc. 5.

Gaudentibus diſcipulis quod dæmonia ejicerent dicit Chriſtus, videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Luc. 10. *Vide Cognit. Virt. Mala.* Deus ſuperbos humiliat.

Diſcipulis Emaüs aperiuntur oculi, cognoſcunt Ieſum, & ipſe evanuit ex oculis eorum. Luc. 14.

Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed neſcis vndè veniat, aut quo vadat. Ioan. 3.

Quæretis me, & non invenietis. Ioan. 7. Servus non manet in domo in æternum. c. 8.

Adhuc modicum & mundus jam me non videt. Ioan. 14.

Memoria juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Prover. 10. Lux juſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguitur. c. 3. *Vide Fin. Glor.*

MORA IN OBTINENDA gloriâ.

B HOmo vitam incipit à lachrymis, riſus illi non niſi poſt quadrageſimum diem. Plin. lib. 7. in Proœmio.

Credebant antiqui animas immatura morte præventas, eo vſque vagari donec reliquum ætatis tranſijſſent, quò perveniſſent niſi intempeſtivè obijſſent. Tert. lib. de anima. c. 56.

Præda non eſt concedenda milibus, niſi penitùs devictis, occiſis, aut fugatis hoſtibus.

In ſubitâ & magnâ lætitiâ cor tantùm effundit ſpirituum copiam, vt deſtitutum ſic moriatur.

Nulli ferè & magna bona & diuturna contingunt. Non durat, nec ad vltimùm exit, niſi lenta fœlicitas : Seneca in conſolatione ad Martiam. c. 11. *Vide Bon. Dur.* moræ.

C Xenophon Athenienſis & Calliſtonicus Thebanus, fortunæ ſimulachrum finxerunt, Plutum infantem gremio geſtantis. Pauſanias in Boëticis, quaſi divitiarum fœlicitas debeat paulatim creſcere, vt puer.

Optimum eſt vt in Republicâ per gradus, & per minimas dignitates perveniatur ad majores ; Sic enim fideliter funguntur minoribus officijs, ſpe majora obtinendi ; & hoc experimento fiunt rerum agendarum magis periti. *Vide Dur. Cogn.* Mora, & Experientia.

Semel tantùm in anno S. Pontifex ingrediebatur in ſancta Sanctorum. Lev. 16.

Sancti beatiores erunt poſt judicium quàm antè. D. Th. ſuplem. q. 93. a. 1.

D Effectus Euchariſtiæ eſt adeptio gloriæ, non quidem ſtatim, ſed in quantùm dat virtutem perveniendi ad gloriam. 3. q. 79. a. 3.

Homo non habet vltimùm ſuum finem in hac vitâ, ſicut alia animalia, quia finis eſt ſuprà naturam ejus. 1. 2. q. 5. a. 5.

Vltimùm ſimpliciter & delectans eſt propriè fructus, & ejus proprium eſt frui. 1. 2. q. 11. a. 3.

In limbo Patrum erat dolor de dilatione gloriæ, non autem pœna ſenſibilis de peccato : Chriſtus ſolvit vtrumque, ſcilicet præſervando à ſecundo, & dando gloriam. 3. q. 52. a. 2. ad 2.

Homo quolibet actu meritorio meretur augmentum gratiæ, ſed non ſtatim augetur. 1. 2. q. 114. a. 8.

E Chriſtus convenienter reſurrexit tertiâ die, & non ſtatim, nec in fine mundi, ad confirmationem fidei de humanitate & deitate. 3. q. 51. a. 4.

Cum tota materia humanorũ corporum ſubijciatur motui cœleſtium corporum, convenienter humanorum corporum reſurrectio vſque in finem mundi differtur, in quo motus cæli quieſcet. Suplem. q. 77. a. 1.

Homini datur longior via quàm Angelo quia magis diſtat à Deo per cognitionem. 1. q. 52. a. 3. ad 1.

Exod. 23. Dicit Deus Moyſi, non ejiciam habitatores terræ à facie tuâ anno vno, nè terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contrà te beſtiæ, paulatim expellam eos donec augearis.

Filij Iſraël per tres dies remanent coram Iordane antequàm ipſum miraculoſe tranſeant. Ioſ. 3. & c. 6.

Circuit muros Iericho, antequàm concidant. *Vide Dur. Virt.* Mora in acquirenda virtute.

Deus permittit Samſonem ligari & in conſpectum hoſtium adduci, ſtatimque ruptis vinculis mille viros ſolus occidit. Iudic. 15.

Filij Iſraël procedentes contrà Benjamin pro vltione adulterij & cædis, bis deſentur; oraculo tamen monentur vt pugnarent, tandem tertiò vincunt. Iudicum 20.

Ter Deus vocat Samuelem antequàm ei loquatur. 1. Reg. 3.

Quotidiè domus David creſcit, & domus Saul decreſcit. 2. Reg. 3.

Deus præcipit David vt non ſtatim aggrediatur Philiſtæos, ſed giret per circuitum, donec Deus det ſignum prælij & victoriæ. 2. Reg. 5. *Vide Dur. Contr.*

Terra promiſſionis non datur Iſraëlitis, qui ex Ægypto egreſſi ſunt, ſed eorum poſteritati.

Romanum Imperium in infantia fuit ſub Regibus: in adoleſcentia per annos 200. ſub Conſulibus: ad Cæſarem Auguſtum 250. annis totum orbem peragravit; fuit hæc ſua virilis ætas, hinc ſenectus. Vide Florum. l. 1.

Servius Tullius mortuo Tarquinio, in locum Regis mortui ſubſtitutus, quaſi ad tempus, regnum obtinuit, & ſic egit induſtriè, vt jurè adeptus videretur: Ibid. c. 6.

Artes mechanicæ ſubitam & diurnam habent mercedem, non ſic liberales, quæ magnis domeſticis impenſis diſcuntur, priuſquàm ex illis commodum percipias, majus quidem dùm contingit. Luc. Dial. 1.

Plutus claudus eſt, & lentè procedens cum à Iove mittitur; at eſt alatus cum diſcedit, citoque avolat. Fœlicitas diuturno labore patta, à manibus elabitur vt anguilla: at paupertas eſt viſcoſa, toto corpore mille vncos gerit hamos, vt qui tetigerit illicò hæreat. Id. Dial. 4. Timon.

Fructus balſami eſt magis odoratus quàm ejus lachryma, quæ eſt ex inciſione. Dioſcorid.

Primo Mach. 4. Iudas Machabæus monet ſuos nè poſt Victoriam ſumant ſpolia, niſi hoſte penitùs deleto.

Moyſes dicit populo, Deus conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim, atque per partes; non poteris eas delere pariter. Deut. 7. *Vide Durat. Bon. Mora. Dur. Virt.* Mora in acquirenda virtute.

De dilatione remunerationis cœleſtis. *Vide Gloria Contrarietatis.*

REPVGNAT MORÆ.

CELERITAS IN COLLATIONE gloriæ.

RAræ ſunt hac ætate primæ illius & ſyncerè nobilitatis reliquiæ: Dominorum ac bellorum vices, & adeò ipſa ſors, quæ familias extulerat, eas plerumque aut depreſſit, aut extinxit. Naſcuntur in dies cognomina, & ſtatim primò ætatis die tranſcribuntur in ſenium; qualeſque premunt tunc ſydera ſylvæ, à primâ venere die, &c. Barclai. in Satyrico.

In Samariâ ſtatim poſt famem magna vbertas. 4. Reg. 6.

Iulius Cæſar cum Pharaonem primo congreſſu viciſſet, ſcripſit amicis, veni, vidi, vici.

Delectatio nihil dicit ſucceſſivum, imperfectum, & in motu, & ideò per ſe non eſt in tempore, ſed tantùm

A ratione rerum mutabilium. D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 2.

Angeli boni ſtatim poſt primum actum meritorium fuerunt beati. 1. q. 52. a. 5.

Animæ Sanctorum poſt reſurrectionem & antè aſcenſionem Chriſti, etiam in limbo, viderunt Deum per eſſentiam. 3. q. 52. a. 4. ad 3.

Gloria Sanctorum eſt ſinè ſucceſſione. 1. 2. q. 67. a. 4. ad 2.

Bona facta ſinè gratiâ remunerantur in præſenti. 2. 2. q. 83. a. 6.

Abbreviati trés dies mortis Chriſti ad vnum diem vſualem, & duas noctes ſcilicet, ad 36. horas. 3. quæſt. 1. a. 4.

B In damnatis eſt pœnarum ſucceſſio, ſed gloria Sanctorum eſt ſinè ſucceſſione. 1. 2. q. 67. a. 4. ad 2.

Non morabitur opus Mercenarij tui apud te vſque manè. Lev. 19. Minùs enim ſolvit, qui tardè ſolvit: *Vide Magn. & Major. Dur. Mora Mala.*

Ruth. 1. Noëmi dicit ad nurus ſuas. Revertimini; quia etſi eſſem paritura filios, antè eſſetis vetulæ, quàm ipſi puberes.

Dicet Chriſtus Iudæis, potens eſt Deus ſuſcitare de lapidibus iſtis filios Abrahæ. Math. 3.

Vide Dur. Bon. Repugn. Celeritas in dando.

De juvenum promotione ad honores. *Vide Dur. Cogn. & Virt. Rep.*

C Populus Romanus à Romulo ad Auguſtum per ſeptingentos annos tantùm operum pace belloque geſſit, vt ſi quis magnitudinem imperij cum annis conferat, ætatem vltra putat. Florus. l. 1.

Lucius Quintius dictator ab aratro evocatus bellum Latinum cœpit & perfecit intrà quindecim dies, prorſus, vt feſtinaſſe dictator ad relictum opus videretur. Ibid. c. 11.

Appius Claudius Conſul Hieronem Syracuſanum Regem tanta celeritate vicit, vt ille ipſe ſe priùs victum, quàm hoſtem videret, fateretur. Id. l. 2. c. 2.

Idem intrà Sexageſimum diem, quàm cæſa ſylva fuerat, centum ſexaginta navium claſſis ſtetit in anchoris, vt non arte factæ, ſed munere deorum datæ viderentur, & arbores in naves converſæ. Florus

D l. 2. c. 2.

In bello Illyrico deleſſe ſufficit, ſtatim ſecuta dediti eſt; denique hoc bellum antè finitum eſt, quàm geri Romæ nuntiaretur. Ib. c. 13.

Bellum contrà pyratas quadrageſimo die peractum eſt, tàm fœliciter, vt nè vna quidem navis amiſſa ſit, & tàm fortiter vt ampliùs pyratæ non fuerint. Idem l. 3. c. 6.

Deus eſt omnipotens, illique facilia ſunt, quæ nobis videntur impoſſibilia, vt quod à tempeſtate educat ſubitam ſerenitatem, ex infirma pueritia robuſtam juventutem, &c. Vide Lucian. Dial. 3. Alcyon.

E Hoſtes antè victi fuere quàm ad certamen parati: alij duces terrenorum animantium more, cum mora vincunt; hic Aquilæ modò, celeritet, adeſt dùm longinquus putatur, elabitur vt nubes. Cæſarem ob celeres Victorias Romani fulguri comparabant.

Riſiſſe eodem die quo genitus eſſet vnum hominem accepimus Zoroaſtem. Plin. l. 7. c. 16.

Qui actu eſt in officio, præfertur ei qui anteà geſſit, licet ſæpiùs geſſerit: Repetitæ enim faſces virtutes ſæpè meriti comprobant, non augent, quia nihil eſt altiùs dignitate. l. 1. Cod. de conſul. & l. 2. C. de præfect. Prætor ſupponitur nihil exercitio ſibi comparaſſe amplioris meriti.

Concilium Florentinum damnavit errorem Armenorum, qui dicebant juſtorum animas detineri in paradiſo terreſtri vſque ad diem judicij.

Digitized by Google

POTESTAS GLORIÆ QVIETIS.

MISCELLANEA.

VBI somnus delirationem sedat, bonum. Somnus, in quo corporis & sensuum quies maxima est, calorque & spiritus ad interiora feruntur, coctionem promovet.

Si purgatio sit nimia, somnus, quiesque imperanda.

Succus lapidescens, dùm quiescit, omnia vertit in lapidem. *Vide Bon. Differ.* Nihil in transitu prodest, immotus Solis radius est potentior. *Vide Potest. Dur.*

Est actio in quiere contemplantium. *Vide Glor. Virt.* Quies contemplantium.

Cenletur musculus moveri motu tonico cum extensus remanet; Sic cum aves stare videntur in aëre immobiles.

Triremes non veniunt in certamen, nec pugnant nisi tranquillo mari.

Non sunt milites ad pugnam ducendi nisi quiete vires acquisierint; fatigatis enim res malè cedit.

Belli inducias seù Treugas concedimus, vt vires colligamus; vt interim hostium ministros corrumpamus; & vt hostis arma moveat in eum, à quo pollemus opprimi.

Dormientibus calor & spiritus ad intrà se recipiunt vndè tunc frigent extrema.

Sitim restinguit quies & somnus, quia tunc quæ sitim causant concoquuntur.

Cadara appellatur rubri maris peninsula, circà quàm sinus duodecim dierum & noctium remigio enavigandus, quandò nullius auræ recipit afflatum; hujus loci quiete præcipuâ ad immobilem magnitudinem bestiæ adolescunt. Plin. l. 9. c. 3.

In motu, id à quo est motus, & in quod tendit, est quietum.

Quies est operatio, nam quiescendo vivimus, & vita operatio est. Natura est principium motus & quietis; non enim minùs conservatur quiete quàm motu. *Vide Bon. Glor.* Quietis.

VOLVPTATIS.

DElectatio spiritualis proficit ad mundi contemptum. *Vide Glor. Virt. & Glor. Cogn.*

Plato 1. de legib. Dicit homines à primis annis, ludendo & cum voluptate debere assuescere arti, quàm per totam vitam debent profiteri.

Hesiodus & alij antiqui Theologi, dicunt ea omnia esse mortalia, quæ non gustaverunt Nectar, & Ambrosiam cœlestem. Aristotel. 2. Metaphys. 4.

Deus animæ voluptatem inseruit, fibulæ instar, cujus beneficio diuturnam in corpore mansionem sustinet. Synesius.

Adolescentes Lacedemonij mirâ constantiâ æstus & flagella nudis corporibus patiebantur, sed superabantur à voluptate. Plato l. 1. de legib.

De sacrâ eloquentiâ, quæ voluptate devincit animos. *Vide Glor. Verit.*

Proprium delectationis est dilatare animum. D. Th. 2. 2. q. 33. a. 1.

Delectatio perficit operationem, tùm per modum supervenientis finis; tùm per modum agentis causæ indirectè, est enim superveniens bonum, quo excitamur ad operationem. Ib. a. 4.

Magis appetimus delectationem quàm fugimus tristitiam, quia delectatio ex bono est proprium objectum voluntatis, & quia potest esse perfecta. D. Th. 2. 2. q. 35. a. 6.

Cantus melodiâ excitatur in Ecclesia populi affectus. 2. 2. q. 91. a. 2.

Bonum honestum, si sit triste, non potest aliquis continuè sustinere.

Animalia voluptate allecta substantiam suam profundunt in coïtu, vndè procedit speciei conservatio.

Stomachus faciliùs concoquit copiam cibi palato grati, quàm alteriùs sanitati, vt medicis videtur, convenientioris.

Ægris assideant hi, quorum consuetudine delectantur.

Anima indulget corpori, voluptates sectanti, vt mater filio aliquid impensiùs & inquiete desideranti, quid non possunt filij dilecti gemitus apud matrem, &c. Marsf. Fic. Th. Plat. l. [illegible]. c. 4.

Sensus gustus & tactus excellentiores sunt in hominibus quàm in brutis, vndè ardentiores sunt in voluptatem, eaque maximè afficiuntur. Idem.

Aristoteles in moralibus scribit difficiliùs esse dolores perpeti, quàm à voluptatibus abstinere; quod fortè ratione videtur probabile, quia dolor in destruenda natura potentior est, quàm voluptas in conservanda vel recuperanda: Tamen plerique perversiùs prosperis quàm adversis vtuntur; Achiles, Annibal, M. Antonius Boreâ quidem furente constiterunt, blandiente tamen aurâ conciderunt; Muscæ acido vino nunquàm, dulci verò sæpè suffocantur; Salomon omnium sapientissimus, Hercules fortissimus voluptati succubuere.

Ratio autem cur res prosperæ magis frangant animos quàm adversæ, est quia prosperitas vberiore afflatu animos inflat, rerum copia immoderatos facit & negligentes, licentiâ reddit deteriores, ideſt ad scelera procliviores: Bonum naturaliter appetimus, malum vitamus; voluptas autem boni, dolor contrà mali imaginem præ se ferre videtur: igitur non repugnamus voluptati, sed obsequimur, & quasi amicam sequimur, & hamo capimur ab hoste latente: at in dolorem, quasi apertum hostem, tota naturæ vis insurgit.

Digitized by Google

& facilius ſuperat ; voluptas eſt in inſidijs, incautum A hoſpitem eneſcat. Marſ. Fic.

Deus bonitatem voluptate perfudit, quaſi eſcâ, vt occulta cujuſque veritas per imaginem veriſimilem indagaretur, ac demum per omnium veritatem Dei veritas: Rursùs vt per voluptuariam eſcam ſingula ad bonum per ſe latens allicerentur, perque bona omnia ad Dei bonum : Dæmon autem Dei æmulus falſo & malo vmbratilem adhibuit voluptatem, quo fit vt per illam mentes ad falſum, & affectus trahat ad malum, ac demique ad ſeipſum ; ipſe enim à Deo alieniſſimus falſitas eſt, atque malitia.

Deus ſtatuit hanc vehiculorum voluptatem, vt peregrini in hoc mundo citiùs & lætiùs ad patriam B noſtram properemus, non tamen vehiculorum delitijs ità eſt immorandum, vt retardet nos quod accelerare debet, quaſi quoddam deliciarum patriæ præludium. D. Aug.

Paulò deterior & potus, & cibus, verùm jucundior, melioribus quidem, verùm jucundioribus eſt præferendus. Hip. ſect. 2. aph. 38.

De pulchritudine quæ eſt boni flos & effa. *Vide Cogn. Bon. & Princ. Vtl.* Et de externo, ornatu. *Vide Cogn. Virt.*

Spes quia delectat juvat, operationem. D. Th. 2. 2. q. 40. a. 8.

De vi eloquentiæ & pſalmodiæ. *V. Glor. Virt.*

C De varijs effectibus delectationis. *Vide Princip. Gloria.* Delectationis.

Delectatio magis afficit quàm triſtitia, ſed minùs percipitur. 1. 2. q. 35. a. 4.

In coitu abſorbetur vſus rationis, propter vehementiam delectationis. 1. 2. q. 3. a. 4. ad 1.

Quælibet delectatio mitigat quamlibet triſtitiam. 1. 2. q. 35. a. 4. ad 2.

Delectatio contemplationis adjuvat vſum rationis: corporales autem impediunt tripliciter, ſcilicet per diſtractionem, contrarietatem, & ligationem. 1. 2. q. 4. a. 3.

Maximè venerea corrumpunt æſtimationem pru- D dentiæ, quia totam animam abſorbent. 2. 2. q. 15. a. 6.

Delectationes corporales ſunt medicinales contrà faſtidium. 1. 2. q. 31. a. 5.

Libido voluntatis gravat peccatum, ſenſibilis autem leviat. 1. 2. q. 154. a. 3. ad 1.

Immoderatus vſus mulierum Salomonem traxit ad Idololatriam.

Tyranni, Chriſtianos, quos tormentis non poterant ſuperare, blandis nexibus alligatos meretricibus exponebant ; quidam libidinis ſenſum dolore ſuperarunt, præciſam morſu linguam in vultum blandientis expuentes. Vide Baron. an. 253.

Midas vinum infudit in fontem, vt ſilenum caperet. Pauſ. in Atticis.

Dorenses Liberum Philanium, id eſt pennigerum colebant, ab eo enim celerias. Idem in Laconicis.

HONORIS.

SI equorum curſus hominum clamoribus incitatur, & ſonantium manibus agitur, vt à mutis animalibus velocitas appetatur, quantum homines ſtimulari poſſe credimus, quos ad laudis aviditatem natos ſingulariter reperimus. Caſſiod. l. 1. var. Ep. 12.

Vetus ſententia eſt, artes honore nutriri, nemo enim bellis notus, aut domi clarus exſortem præmij ſenſit induſtriam ; ità cùm dignus fructus tribuitur, eandem viam capeſcentibus ſpes paratur. Symmach. l. 1. Ep. 37.

Fructus laboris eſt placere melioribus & pro induſtria, atque animi integritate, palmam judicij promereri. Id. l. 9. Ep. 39.

Apud ignavos nulla ſunt inſignia virtutis ; apud ſapientes prima habentur. D. Amb. de Abel & Cain. l. 1. cap. 4.

Sola gloriæ aviditate Romani ſuæ Reip. libertatem dederunt, Reges expellendo, Conſules creando ; finitimos populos ſuperando, &c. Vide D. Auguſt. l. de civ. c. 12.

Sinè aëris reciprocatione nativus calor opprimitur, nullus vitatur morbus, nulla conſtat ſanitas, nec ipſe ignis ſinè aëris afflatu durat ; Ità vix ſibi conſtat virtus ſinè honore, qui eſt ſplendor ab interiori in homines expanſus, & ab hominibus in ipſam virtutem reflexus, eſt ergò quaſi reflexa ſpecies virtutis noſtræ, ſummâ nos delectatione afficiens. Majoris ſunt honoris, quæ minùs habent vtilitatis, vt ſunt inſignia nobilitatis, equeſtris ordinis : quorum ſinè ærarij diſpendio poteſt eſſe liberalis Reipublica. Sic olim coronæ quercinæ.

Euphene, id eſt gloria, Muſarum dicitur eſſe nutrix. C Pauſ. in Boëticis.

Romani laudum & honoris aviditſimi vt refert. D. Aug. de civit. l. 1. c. 19. de quibus illud dicitur, Vincet amor patriæ, laudumque immenſa cupido. Ipſaque Lucretia, non amore pudicitiæ ſed pudoris metu ſe interemit ; de quâ Ovidius in faſtis ; Succubuit famæ victa puella metu.

Saturnus & Mars mali Planetæ in ſuis dignitatibus conſtituti minùs nocent : Sic malorum nociva indoles laudibus eſt delinienda. Quandò id poſſit fieri illæſâ veritate. *Vide Min. Vir. Bona.*

Brutus gloriæ ſpiritu ductus, vt in poſterum juſtus, patriæque amator diceretur, proprios filios interimi juſſit ; hoc egit & Torquatus, qui proprium filium, etiam Victorem ſpoliaque reportantem necavit, quod non dato claſſico pugnaviſſet. D. Halicarn. l. 5.

Moſcus, qui eſt odoratiſſimus, cor frigidum & tremulum roborat, & omnibus ejus affectibus opem præſtat, potus atque illitus. Mathiol. Sic gloria timidis eſt remedium.

Oleum laurinum laſſitudines diſcutit, omnibus nervorum vitijs, algoribus, aurium doloribus medetur ; attamen potum nauſeam parit. Dioſc. Sic honor levat laborem.

Princeps adeſſe debet ſecretioribus conſilijs, quia boni tunc conantur oſtendere fidei & ſapientiæ ſuæ argumentum, & mali metu infamiæ nihil audent. E

Gloria eſt actionibus, quod vernix picturæ, facit ſplendere & durare.

Si adipe aut oleo vngatur pars aliqua corporis, in eam medicamenta vlcerantia vim non habent, vt ſunt calx, cantarides.

Laudandus eſt novus Princeps, etiam de minimis, vt excitetur ad majora : Sic laudibus miniſtri ad bonum alliciuntur ; Sic animantur milites dùm Dux oſtendit magnam de ipſis concepiſſe opinionem, dùm recenſet Victorias : Nobiles gloriæ magis avidi hac vanitate faciliùs moventur.

Fama Ducis ſupplet defectum pecuniarum, nam milites libenter ſequuntur gloriâ inſignem, licet pauperem Ducem.

Adoleſcentes ſunt in publico inſtituendi, quia ſa

præmijs, honoribus, laudibus, æmulatione honesta magis ad virtutem accenduntur.

Tertullianus malè scripsit pro milite, qui cum cæteris Victoribus renuit lauream accipere, hæc enim tantùm erat insigne Victoriæ, & sic à Christianis militantibus sub Imperatoribus ferebatur, non quia Apollini erat dicata; Sic enim non liceret vti quatuor elementis, falsis numinibus sacris. Vide Baron. an. 201.

Boni fiunt, non solùm metu pœnarum verùm etiam præmiorum exhortatione. l. 1. ff. de just. & jur.

Quæstoris dignitas, qui curam habebat ærarij publici, erat primus dignitatis gradus, per quem ad ædilitatem, Prætoram, Consulatum ascendebatur. l. vnic. ff. de off. quæst. Spes amplioris honoris obtinendi fideles efficiebat in pecuniarum dispensatione.

De nomine inscripto operibus publicis. *Vide Dur. Gloria.*

Iustissimos & vigilantissimos Iudices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus facultatem, vt honoris eis auctiores proferamus processus. l. 3. Cod. de off. rect. Provinc. & l. vnic. Cod. de quæst.

Iudices debent assessores, quorum consilio indigent, præmijs & honoribus promereri. l. 1. Cod. de assessorib.

Servi communes multi fiebant liberi, quia æmulatione tangebantur Domini, eò quod qui priùs voluisset manumittere fiebat patronus, & cæteros cogebat ad manumittendum. l. vn. Cod. de communi servo manumit.

Spes præmij futuræ Victoriæ non potest specialiter obligari, & non continetur in generali bonorum obligatione. l. 5. Cod. quæ res pign. olig. poss. Vt nec res Religiosæ. l. 3. eod.

Spes Victoriæ extenuat omnia quæ solent à bellis deterrere. Ex loco obscuro videmus lumen, vt ex fundo putei stellas, sic gloriæ splendor afficit etiam in humili fortuna jacentes.

In Aristocratijs aut Democratijs multò plures fuere viri eminentes quàm in Monarchijs, quia hîc sunt vt plurimùm remunerationes viles, & Rex sibi soli magnos honores vindicat; at in Republica ovationes, triumphi & cætera id genus deferebantur fortibus.

Laus est pretiosus cibus nobilium animarum, quia vt Ambrosia dicebatur corpora Deorum conservare æterna, sic laus immortale largitur nomen: hoc cœleste alimentum datum bonis, eos maximè juvat, & absterget lassitudines; at malis ministratum per adulationem, multùm nocet, & de hominibus facit monstra, vt poculum Circe.

Cleobulus in convivio septem sapientum, dùm quæritur quænam civitas esset melioris regiminis, eam esse dixit, in quâ honori & famæ plùs deferretur quàm legibus.

Laudare hominem ad consolationem, vel ad profectum ejus, cum cæteris circumstantijs debitis, est actus virtutis amicitiæ, aliter autem est peccatum adulationis. D. Thom. 2. 2. q. 115. a. 1. ad 1. *Vide Virtus. Gloria.* in demonst. Quis sit rectus honoris vsus.

Assurgit spiritus si laudatur, & in spem sui bonam adducitur, sed eadem ista insolentiam & iracundiam generant: Sic itaque inter vtrumque regendus est vt modò frænis vtamur, modò stimulis; nihil humile, nihil servile patiatur.

Familiaris sit adolescens his cum quibus contendere solet, assuescat in certamine non nocere velle, sed vincere, quoties superaverit, attolli, non gestire patiamur. Seneca. lib. 2. de irâ. c. 21. Longè ab assentatione pueritia removenda est, audiat verum & timeat; nihil per iracundiam exaret; quod flenti negatum fuerat quieto offeratur, exprobrentur illi peperam facta. Ibid.

Quid ista stupes, quid miraris, pompa est: ostenduntur istæ res non possidentur, & dùm placent transeunt. Senec. Epist. 110. *Vide Glor. Vir.* De Præmio virtutis vili aut honorifico. *& infr. Volunt. Glor.*

QVANTVM POSSIT gloriæ cupido.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vt pulchritudo ex corporeis qualitatibus emanans, dicitur esse quid incorporeum. *Vide Principium Voluntatis, Pulchritudo*; Sic gloria est quid suprà virtutis naturam, vndè oritur & potens quædam Entelechia. Vndè quod præstat calor cœlestis in corpore, visque syderium, occultis qualitatibus proprias longè excedens, id efficit honoris sensus in homine. Profundit in aliorum commodum, quod sibi laborans, timidus, indigusque amor proprius servabat; his acti stimulis avari, in convivia, in splendidos apparatus, & quævis alia magnifica priùs congestas egerunt divitias. Sic in Evangelij parabola, qui faciunt elemosynam tubâ canunt antè se; Sic alij, alia pietatis officia præstant, vt videantur ab hominibus, satis in hoc splendore existimantes esse præmij.

MAGNITVDO. Hoc gloriæ sensu erecti suprà sortem suam, fortunæ bona quasi minima & multùm infrà se posita despiciunt, vt hoc divino splendeant radio. Largiuntur bonum aliquod temporale, finitum angustum, inferioris partis dicatum ministerio; fortuita omnia despiciunt, vt hoc pretio consequi possint honorem, qui est excellentiæ, eminentisque suprà cæteros virtutis publica quædam acclamatio, totum videtur consecutus, qui honorem eminentissimi cujuslibet boni finem adipiscitur.

DVRATIO. Honor immortale bonum est, fluxis naturæ commodis, ipsi etiam vitæ superstes, vndè pro illo vita, vt quid minùs dignum, quia minùs durabile profunditur: præstantius enim putatur vivere in immortalibus animis quàm in corruptibilibus elementis. Brevi tempore, vt vno heroïco aliquo actu quæritur honor, in posterùm duraturus, & cæteris vitæ actionibus, ex se licet obscuris, splendorem, parumque fœlicibus excusationem conciliaturus.

POTESTAS. In maximâ rerum copiâ nihil se putat habere Princeps, si desit honos, vndè propria Regentium merces est: Hic sensus dominatur dominantibus, regit, flectitque ad arbitrium suum eos, quibus cæteri parent. Infamiæ metus præsens est tyrannidis remedium, & frænum quo sævitura alioquin in subditos potestas continetur.

COGNITIO. Honoris cupido perspicaces efficit in negotijs, solertes, industrios, menteſque priùs illustrat eo splendore, quem externis conciliare conatur operibus. Reflectitur in virtutem, quæ ab eâ proficiscitur lux: Nam vt semel concepta de alterius virtutibus opinio, mentes honorantium afficit, sic & propriam honorati, itavt se talem apud se reputans, qualis ab omnibus æstimatur, maximè cavet

nè quid ad hac aliorum & ſuâ opinione diſſonum committat.

VOLVNTAS. Honor amori volucri pennas amputat, cæcutienti vitam ab oculis removet, ſævienti faſces & ſagittas eripit, ſibique ſubijcit cæteris dominantem paſſionem: Pudor ſolus eſt qui laſcivientes impetus continet, pulchritudini raptus ſuos negat, nectit firmatque conjugia, etiam inter pugnantes animos, nè qua labes ſecuturæ prolis famam inficiat.

VIRTVS. Tepeſcit virtus, nec fertur ad heroïca, ſi non illam accendat gloriæ cupiditas: Vix ſe proferret invicta vis animorum, nec contrà fortunam & adverſos vitæ caſus fortitudo componeretur; ſi non eſſent qui ſpectarent, & probarent & celebrarent B populi; Si non eſſent ora & ſcripta, quæ pro aris & focis cadentium, & magna rectè gerentium famam ad poſteros immortalem tranſmitterent. Ipſa pietas, licet Deo penitùs addicta, gaudet ſpectantium turbis, & ſplendido cæremoniarum apparatu. In talibus dùm effuſa charitas aliorum ſaluti conſulit, ſimul & naturæ famam avidè petenti, tacitò licet votis ſæpiùs abdicato conſenſu blanditur. *Vide Cognit. Virt.*

VERITAS. Divitias mentiuntur pauperes, pulchritudinem deformes vultus, fortitudinem ignavi, omnes celant defectus ſuos, & mendicatis tegunt coloribus, nè notentur infamiâ. *Vide Cognit. Minor. Repugn.* Plùs juvat ficta quia honeſta boni poſſeſſio; C quàm egeſtas aperta, quæ miſericordiam auxiliumque provocaret. Vix vocem criminum famam lædentium eliciunt tormenta, & vix vocem virtutis continet humilitas; ſed ſæpiùs gloriam aversâ viâ ſectatur, dùm ſe affectatis & quæ patent latebris occultat.

GLORIA. Præmium eſt virtutis, videturque quaſi vltimatus illius terminus. Publicum hoc teſtimonium ſolatur irrequietos motus animi, ſibi nunquàm ſufficientis, interni ſui defectus conſcij, & actus ſuos impreſſæ ſibi boni idææ nunquàm æquantis. Sed interdùm malo pejus eſt remedium; nam quæ ſperanda quies ex alieno, incerto, ad invidiæ, cæteraeumque paſſionum arbitrium mutabili pendens judicio. D

DIFFERENTIA. Gloriæ cupidi verſatiles ſunt, ſequuntur enim vulgi mores, opiniones in ſermone, veſte, cæteriſque nè videantur fidem non habere judicio arbitri ſui, nec improbare judicium, cujus ambiunt laudis ſuffragia.

CONCORDANTIA. Principibus & magnatibus aſſidet magna blandientium turba; Non tàm ſpe commodi quàm gloriæ, volunt enim videri heroïcæ Regentium virtutis participes, & in partem honoris aſſumpti, dùm ſympathiam, ſecretumque ſocietate mentiuntur. Multorum ſtant fœderà, potiſſimùm quia pudor eſt rupiſſe, & malè de his, quibus ſe commiſerunt, judicaſſe; Ità gloriæ cupido dici poteſt nexus civilis ſocietatis. A

CONTRARIETAS. Sed hæc vana gloriæ cupiditas ſæpiùs in contrarium flectitur, dùm fœdera diſſociat, quæ naturæ, ſanguinis, Religionis jura ſanxerant. Ad ſingulare certamen, ad bella, ad patriæ & ſuorum excidium agit miſeros quos poſſidet. Tantùm etiam iuris publico omnium applauſu ſibi vindicat vt quidquid ambit, legitimum videatur; nec turpe putent tot populorum cædem, vrbium, templorum vaſtationes, & mala innumera bellum conſequentia, vnius Herois gloriæ litari. Ira maximè ſævit ob contemptum, nullaque minùs toleratur injuria quàm quæ honorem lædit.

PRINCIPIVM. Non eſt incuſanda providentia, ſi quem dedit ad magna & honeſta ſtimulum vitiatus animus ad flagitia publica detorqueat; optimi peſſima eſt corruptio: Etiam in phrenetico contrà ſeipſum ſævienti, apparent vires corporis quantæ ſint, dùm ratione reguntur: Fontium turbidi rivuli non faciunt originis contumeliam: optima, potentiſſima eſt innata gloriæ cupiditas, & in magnis animi primũ virtutis mobile, licet leviſſimas mentes nimis exagitet, & citrà mediocritatem omnem rapiat.

MEDIVM. Splendido ad Solem ducimur radio, ad virtutem divinæ ſortis æmulam, illuſtri gloriæ cupidine; quod in nobis præclarum eſt, opus Dei eſt, recto omnium judicio, divinâ ſcilicet in ſingulis regnante veritate comprobandum. Quid ni multùm poſſit gloria, quæ motus omnes naturales, virtutes acquiſitas & infuſas habet in miniſterio, illique ad finis ſibi propoſiti conſecutionem vtitur?

FINIS. Motus gloriæ ideò potens eſt, quia quaſi fortibus impreſſus lacertis nunquàm ſiſtitur, ſed ad vlteriora ſemper procedit; ſpem rebus alit proſpectis, experimentum ſui fortitet præſtandum putat in adverſis? Qui totum orbem armis ſuis ſubegerat, novos optavit mundos, ſuis proferendis Victorijs paratos; Non ſufficit natura huic cupidini, fortè quia vltimi noſtri finis & beatitudinis ambit ſortem, vbi bonum quod poſſidetur accreſcit aliorum mutuâ reflexâque congratulatione.

MAIORITAS. Ideò ſenſus hic nobilium & præſtantium mentes incendit; Nam ipſa nobilitas cum ſit avitæ gloriæ quidam proceſſus, non ſe continet quin fulgeat, & ſe dignas, cæteriſque præſtantiores edat operas.

ÆQVALITAS. Etiam equos, canes, leones concitat applauſus; Non ſe metitur ſuis viribus is, quem gloria ſuſtollit; ſibi facilè tunc perſuadet vocem populi eſſe vocem Dei; & putat fortiter ſe bonæ ſuæ fortunæ, & genio ſibi præſidenti committendum.

MINORITAS. In paupertate minùs timetur incommodum quàm infamia, nè ſcilicet videatur defectus virtutis & numinis. Soli rectè ferunt egeſtatem, qui ex eà gloriam reportant.

Digitized by Google

COGNITIO GLORIÆ.

GLORIA, LÆTITIA, FOELICITAS, QVÆ SE PROFERT, vt videatur.

MISCELLANEA.

LÆTITIA & fœlicitas loquax res est, pauci sunt qui sciant in sinu gaudere: hinc jactantia virtutis propriæ. *Vide Cogn. Virt. & Cognit. Potest.*

Platonici dicunt lumen esse risum cœli, à beatis intelligentijs in astra immissum; quemadmodùm lætante animâ fit risus in ore, & oculi emicant. *Vide Gloria Cognit.*

Angeli semper apparuerunt cum splendore, fœlicitatem suam testante; Sic mundani externam fortunæ suæ beatitudinem ab omnibus volunt videri magnifico vestium, domorum, servorum apparatu. *Vide Cognit. Virt.* De virtute quæ se profert ad extrà, & de externo ornatu.

De festis Sanctorum. *Vide Glor. Virt.*

Eodem die quo victus fuit Perses in Macedoniâ, Romæ cognitum est, nuntiatum vt credebatur à Castore & Polluce qui certamini adfuerant. Florus l. 2. c. 12.

Fama celeri volatu præclara hominum facinora vbique denuntiat. Præco Victores in publicis certaminibus proclamabat, & impositis coronis designabat. Imperatores partis Victorijs solebant statim earum nuntios ad Senatum mittere, vt fieret lætitia publica. Nunc solemniter Deo persolvuntur gratiarum actiones, publicè decantato cantico Te Deum; & succensis nocte ignibus lætitiæ. Consules Romani obtenta insigni Victoria, litteras laureatas ad Senatum mittebant, antè eos lictores fasces laureatas præferebant. Græci accepto fœlici nuntio coronati incedebant, & cives omnes similiter. Milites partâ Victoriâ coronati solitos patet ex libro Tertulliani. De corona militis. De diversis coronis. *Vide Glor. Virt.* Præmium.

De transfiguratione Christi.

Gallus cantat post Victoriam.

Caput occisi hostium ducis nostris ostendendum est, vt indè resumant animos: Sic palàm ostendenda sunt signa hostibus erepta: nuntium etiam Victoriæ confœderatis subito dandum, vt sint promptiores ad præstandum auxilium.

Florentes capiti corollas imponere, pacis ac lætitiæ signum. Rodigin. l. 21. c. 6.

Ædificiorum marmora & columnas non licet de civitate transferre in villam. Si quis transferat amittit villam. l. 6. Cod. de ædific. priv. In villâ enim minùs videntur.

PRÆSAGIA VICTORIÆ, fœlicitas, beatitudinis.

FLores, vbertatis securitatisque sunt indices. Astrologia ex cœli positione in nativitate judicat de totius vitæ statu. *Vide Major. Cognit. & Potest. Princip.* initij.

Trallibus in templo Victoriæ, vbi Cæsar statuam consecrarat, inter coagmenta lapidum nata palma, magnitudinis Cæsarum præsaga fuit. Strocius Lycognamagiæ omnifariæ. l. 2. c. 4.

Cùm Remus & Romulus fratres dubij essent quis eorum regeret, adhibuere auguria. Remus sex primus vidit vultures, sed Romulus duodecim, vndè Victor extitit augurio, plenus spei bellatorem fore, ità illi assuetæ sanguini & prædæ aves pollicebantur. Flor. l. 1. c. 1.

De ramo lauri ab Aquilâ in sinum Liviæ Drusillæ immisso. *Vide Dur. Glor.*

E profundo maris & putei potest videri lumen quod suprà est; non autem è superficie videtur profundum. Naturaliter magis auguramur futura bona quàm mala, sumusque procliviores in spem quàm in metum. Homo habet cilium in vtraque palpebrâ, quia sursùm aspicit, cætera autem quadrupedia tantùm in inferiori, quia deorsùm aspicere nata sunt.

Si dùm cremabatur victima cauda ejus elevabatur, signum erat Victoriæ.

Obsessis datur signum auxilij, igne, fumo, aut aliter, nè despondeant animo.

Gemini dentes canini in dextrâ parte fortunæ blandimenta pollicentur, contrà in lævâ. Plin. l. 7. c. 16.

Bello siculo, ambulante in littore Augusto, pisces è mari ad pedes ejus exilijt, hinc dixerunt augures sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. Id. l. 9. c. 16.

Certissima est securitas vidisse in aliquâ maris plaga planos pisces, quia nunquàm sunt vbi maleficæ bestiæ, quâ causâ vrinantes sacros eos appellant. Id. c. 47.

Galli, totis noctibus canendo, Bœotijs nobilem illam adversùs Lacedemonios præsagivere Victoriam, ità conjectâ interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret. Id. l. 10. c. 21.

Apes sederunt in ore infantis Platonis portendentes prædulcis eloquij suavitatem. Idem l. 11. c. 17.

In bello Macedonico nata in Prætoriâ puppe laurus manifestam Victoriam significavit. Flor. l. 2. c. 7.

Sylla cum Tarentum venisset, ibique sacrificasset, vidit in capitule vituli jecoris similitudinem coronæ

Digitized by Google

aureæ, tunc Posthumius Aruſpex illi reſpõdit, præclaram ei victoriam ſignificari, juſſitque vt ex extis illis ſolus veſceretur. D. Aug. lib. 2. de civit. Dei. c. 24.

Rubor in ſerò ſignificat ſerenitatem, quia eſt ſignũ quod Sol trahit ſecùm vaporem ad inferius hemiſpherium, & liberat ſuperius ab illo.

Qui phenomena deſcribunt, hæc obſervant ſigna ſerenitatis. Sol oriens, purus, vnicolor, & vbique ſimplex, purum etiam habens veſpertinum cœlum, in occaſu rubicundum; Aurora perſpicua tenuique albedine illuſtris; aut ſi magnus orbis circa orientem Solem dilatetur & repentè decreſcat, & nubes tunc à ſolaribus radijs diſſipentur. Iris ad occidentem; ſi flatus vũdè venit, aut vbi eſt Sol exurgat. Luna tertia vel quarta tenui puraque luce & ſubtili niteſcens, Luna recens, pura, ſurſùm cornua emittens, aut ſerena in plenilunio, benè acuminata & argentea, vbi non plena. Circuli candidi circà Planetas. Stellæ blando fulgore cintillantes. Lacteus circulus nitidus & perſpicuus. Corruſcationes ſub veſpertinum crepuſculum, abſque tonitru & nubibus, Nubes lanarum flocculis ſimiles, ceruleo colore intertexto. Si nubeculæ hinc indè per horigontem emergentes ſtatim vaneſcant. Ab ortu occaſum versùs nubium matutina aut veſpertina propulſatio, agente vento. In pulvioſo cœli ſtatu nubes ratę, & de ſuperficie tantùm lucidæ. Pruina parva verè & autumno, cum aurorâ frigidulâ, exurgente Sole peſſum abiens. Circà aquas, paludes, aut prata maturinus fumus apparens. Nebulæ montium ima potiùs quàm juga obſidentes; vel in medijs campis humiles proſtratę. Ros manè & veſperè plurimus. Per pluvium cæli ſtatum ſplendor ad boream elucens. Boreas validè ſpirans, licet cœlum ſit nubilium. Littora abſque arenoſis ſulcis plana. Nebula circà mare, flumina, prata. Quieta lucernæ flammula. Noctua poſt Solis occaſum frequens viſa, veſpertiliones numeroſiores, grues tacitum ſecurumque volatum gregatim aggreſſæ, nec illicò pedem referentes; parvulæ muſcæ ſub Solis occaſum pyramidis, aut globuli in modum, ſurſùm paſſim coactæ. Caligo poſt pluvias vel vdum cęlum per aërem ſparſa. Reliqua ſigna collige ex contrarietate eorum quibus pluvia & tempeſtates ſignificantur. De *quibus Vide Cogn. Cont.*

Dextra pars in omnibus fœlix habita & hinc ſumptum fuit fœlicitatis augurium. Romæ dùm Deorum imagines per vrbem circumferũtur, vno equo currus viribus deficiente, auriga lævam manum ad habenas mittit: hinc polluta exiſtimata ſunt ſacra, & in ſequentem diem dilata. Plutarch. in Coriolano. Quibus gemini prodeunt à dextrâ parte, fortunæ blandimenta pomittunt, non ſi à lævâ. Solinus Poliſhoſt. cap. 4. Tinni dextris oculis meliùs cernunt quam ſiniſtris. Id. c. 18. Dextrum cornu cervorum efficacius eſt ad medelam. Id. c. 22. Fauſta auſpicia ab avibus in dextrum volantibus. Apis bos ſacer Ægyptijs Lunæ notam in dextrâ partè gerebat. D. Aug. 18. de civ. Mares dextrâ vteri partè, fœminæ ſiniſtrâ. Hipoc. aph. lib. 5. apho. 48. Vndè ſi mulieri geminos ferenti dextera mamma extenuata eſt, marem; ſi ſiniſtra, fœminam abortione excludit. Id. aph. 38.

Dextra pars activa habetur, in cujus ſubſidium mancipata eſt ſiniſtra. Cabaliſtæ dextrum & ſiniſtrum inter principia numerant, dextrum attribuentes archetypo, ſiniſtrum operi ipſum repræſentanti. cui tanquàm ceræ impreſſa eſt imago. Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram. Beati in judicio, ſunt in dextris, maledicti in ſiniſtris.

Deus ab auſtro veniet, auſter dextram ſignificat, eſt enim nobis à dextris dùm reſpicimus orientem Solem. Vias quę à dextris ſunt novit Dominus. Prov. 4. Ipſe rectos faciet, curſus tuos itinera autem tua in pace ptoducet. Ibid.

EX BIBLIIS, & Theologia.

COlumba attulit ramum olivæ in arcam in teſtimonium tranſacti diluvij. Spiritus ſanctus dat pacem animæ, redditque teſtimonium quod ſumus filij Dei. *Vide Glor. Virt.*

Iacob ſeptem concipit de Victoriâ inimicorum ex luctâ cum Angelo. Gen. 32.

Ioſephus habuit præſagium futuræ ſuæ gloriæ ex ſomnijs, in quibus vidit manipulos fratrum adorare manipulum ſuum; Solem Lunam & Stellas adorare ſe. Gen. 37. Quandò ipſum Pharao præfecit Ægypto, dat pro inſigni gloriæ annulum & torquem aureum, facitque regium currum conſcendere. Gen. 41.

Cornuta Moyſis facies ex conſortio Dei. Exod. 34.

Angelus nuntiat Ioſue futuram de Iericho Victoriam. Ioſue 5.

Debora dicit ad Barac ducem Iſraël, ſurge, hæc eſt dies in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas. Iud. 4.

Gedeon quærit ſignum ab Angelo, vndè ſciat ſe liberaturum Iſraël de Madian. Iud. 6. Sic Moyſes in monte, antequàm adeat Pharaonem. Idem Gedeon bis tentat Deum in vellere roſcido aut ſicco. Ex ſomnio hoſtium diſcit futuram ſuam Victoriam. Iud. 7.

Saul proclamare facit buccinâ in omni terrâ Iſraël quod ſuperaſſet Philiſtijm. 1. Reg. 13.

Philiſtijm occiſo Saul in bello, arma ſua ponunt in templo Dei ſui, caput abſciſſum circumducunt per omnes civitates ſuas, & cadaver ſuſpendunt in muro civitatis. Reg. 21.

Saul nunquam pugnat, quin applicato Ephod conſulat Dominum. Sic fecit David.

Deus dat ſignum David quomodò debeat inſilire in hoſtes vt vincat. 3. Reg. 6.

Elizæus prænuntiat Samariæ proximam vbertatem. 4. Reg. 6.

Deus prædicit per Iſaiam Aſſyrios non oppugnaturos Ieruſalem. 4. Reg. 19.

Antè fores civitatis, quam metitur Angelus, eſt pictura palmarum celata. Ezech. 40.

De ſummo Iudæ antè prælium, ſimul & de Angelis viſis, qui protegebant Iſraël. *Vide Med. Gloriæ.* auxilium.

Superato Nicanore caput & dextram abſciſſam mittunt Ieruſalem, & contra templum ſuſpenduntur. 2. Mach. 15. & vlt. in fine.

Cœli enarrant gloriam Dei. Pſ. 18.

Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei. Pſ. 36.

Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate. Cant. 3.

Inventio theſauri in agro, & pretioſæ margaritæ. Math. 13.

Ioannes ex matris vtero præſentit Chriſtum ſalvatorẽ. Luc. 1. & 2. Simon lætatur geſtans eum in vlnis.

Mulieribus, nuntiat Angelus reſurrectionem Chriſti. Luc. 24.

Duorum pretioſorum lapillorum, qui in humeris ſummi ſacerdotis erant, dexter magno & inſolito fulgore radiabat, ſi populus Iſraël erat fideliter Victor futurus.

Propter fœlicitatem Abrahæ, & quia Deus erat cum eo. Abimelech init. fœdus. cum eo. Gen. 21.

Virga aurea quam Assuerus porrigit. Esther in signum benevolentiæ. Esther. 3.

In singulis beatitudinibus ponitur aliquid pertinens ad statum viæ, & aliquid ad statum patriæ. 1. 2. q. 62. 2.

Aliquis dicitur beatus in spe. 1. 2. q. 69. a. 1. & q. 5. a. 3. ad 1.

Quilibet beatus est certus de perpetuitate suæ beatitudinis. 2. 2. q. 18. a. 3.

Liber vitæ est notitia Dei de vitâ beatâ cujuslibet in particulari. 1. q. 24.

Prædestinatio est quædam præordinatio Dei ab æterno de his, quæ per gratiam Dei fient in tempore; & est ratio transmissionis creaturę rationalis ad vitam æternam in mente Dei. 3. q. 24. a. 1.

Conveniens est Deo homines prædestinari. 1. q. 23. a. 3.

Revelat aliquandò Deus prædestinationem aliquibus ex speciali privilegio, vt securitatis gaudium etiam in hac vitâ in eis incipiat, & confidentiùs & fortiùs magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vitæ sustineant. 1. 2. q. 117. a. 5.

Tempora feriandi sunt fidelibus nuntianda. de consec. dist. 3. c. pronuntiandum.

REPVGNAT.

Somnus non sentitur.

De casu & fortuna, quâ insperata contigit fœlicitas. *V. Mag. Cog.* Bona. De his quæ casu benè cesserũt.

De arcanis mysterijs Religionis. *Vide Med. Cogn.*

Beatitudo ascendit in cor hominis secundùm rationem communem, non autem quæ & qualis est in speciali. D. Th. 1. 2. q. 5. a. 8.

Delectatio magis afficit quàm tristitia, sed minùs percipitur. 1. 2. q. 35. a. 6.

Paradisus terrestris non potest adiri propter impedimenta montium, vel marium, vel æstuantis regionis, ideò non potest à nobis cognosci, nisi per revelationem scripturæ. 1. q. 122. a. 1. ad 2.

Licet aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatio reveletur, non tamen convenit vt reveletur omnibus, quia sic illi qui non sunt prædestinati desperarent, & securitas in prædestinatis negligentiam pareret. 1. q. 23. a. 1. ad 4.

Tempus futuræ resurrectionis, nec ratione naturali, nec revelatione Divinâ numerari potest. suppl. q. 77. a. 2. Discipuli videntes Christum ambulantem suprà mare putant esse phantasma. Matth. 14.

VOLVNTAS GLORIÆ.

APPETITVS QVIETIS ET PACIS.

MISCELLANEA.

FINIS principalis politiæ, est pax & tranquillitas animi, quia est finis particularis boni viri: At in aggregatis per accidens idem est finis partis, & totius; sic miles æquè ac exercitus intendit Victoriam.

Sapientes pacis causâ bellum gerunt, & laborem spe otij tolerant; potest dici de pace & quiete, quod dicit Aristoteles de bono, id scilicet esse quod omnia appetunt; bonum enim ipsum ideò appetitur vt in eo adepto quiescamus.

Natura definitur principium motus & quietis; motus ad boni prosecutionẽ; quietis ad ejus fruitionem.

Sapiens qui magnam famam in bellis & rebus arduis adeptus est, non se exponit adversis, ne citò perdat quietem fructum laborum suorum.

Parcitur legatis hostium, etiam dura nuntiantibus, quia possunt de suo conferre ad pacem ineundam.

Motus naturæ tendit ad quietem, bellum ad pacem. Hanc diutorno bello fatigati Principes exoptant; induciasque hostibus concedunt, vt pravas belli dispositiones. Corpora omnia feruntur ad sua centra vbi quiescunt.

Regimen populare maximè omnium optat pacem, in quâ sola potest stare, non in bello.

Infantes sunt natura somnolenti, quia sunt humidi temperamenti.

Æstate fervente fit aura lenis in vmbrâ, nam illic se recipit aër nolens nimiùm dilatari à calore. Vide Baronium in historiâ ventorum.

Oleæ honorem Romana Majestas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iulijs ex eâ coronando; Item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque Victores oleâ coronant. Græci verò oleastro Olympiæ. Plin. l. 15. c. 4. Olea Minervæ dicata pacem significat, & Victoribus datur, quasi pax sit finis certaminis.

Megaris diù stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat; fuitque arbor illa fatalis excidio vrbis, præmonitæ oraculo, cum arbor arma peperisset. Plin. l. 16. c. 39.

Adamas dissidet cum magnete lapide in tantùm vt juxtà positus ferrum non patiuntur abstrahi. Id. l. 37. c. 4.

Pauci piscium fluvialium mare ingrediuntur, at marini omnes fluvijs gaudent. Galenus. lib. 3. de alimentis.

Romulus initio vrbis conditæ lucum asylum fecit, sic ad ipsum ex omnibus partibus magna hominum multitudo confluxit, sic quasi ex varijs elementis corpus vnum conflatum est. Florus lib. 1. cap. 1.

Omnia pacem appetunt, id est remotionem impedimentorum in possessione finis. D. Th. 2. 2. q. 29. a. 2.

Homini à natura inest appetitus societatis & communicatis, non qualiscumque sed tranquillæ, & pro sui intellectus modò ordinatæ, cum his qui sunt sui generis.

Timor litis motæ, aut movendæ est sufficiens causa propter quàm possit fieri transactio valida. l. 2. C. de transact. *Vide Ben. Glor. & Vol. Cont. Rep.*

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam. Ps. 54.

Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem; fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Ps. 121.

In transfiguratione Christi, dicit Petrus. Domine bonum est nos hîc esse, faciamus tria tabernacula, &c. Matth. 17.

Cineas, vt Pyrrhum à belli studio revocaret, petijt ab eo quid devictis hostibus speraret, ocium inquit; At ille, nunc ergò illo fruere linè effusione sanguinis.

Adam in paradiso terrestri dormivisset si in eo diù mansisset. Tostat.

APPETITVS DELECTAtionis.

SEnes & severi non sunt ad amicitiam apti, similiter & taciturni, quia exiguâ afficiunt voluptate. Arist. Ethic. l. 8. c. 5.

Musica cum concitet affectus potest animi morem aliquem facere; & ideò in eâ pueri sunt instituendi, qui propter ætatem nihil ferunt sponte, quod non habeat in se jucunditatem. Id. Polit. l. 8. c. 5.

Appetitus jucundorum naturalis est. Aristippus voluptatem bonorum omnium finem constituit, scientiamque hanc vnicam probavit, vt sciatur quid sit vtile & jucundum.

In Siciliâ fons est, qui ad tibiæ sonos exurgit, quasi lætabundus.

Animalia quæ ex quinque sensibus habent tantùm tactum, percipiunt dolorem & voluptatem.

Viperæ capiuntur dispositis poculis vino plenis, in quibus inebriantur. Mathiol. in præf. l. 6. Dioscor.

Rex rosam colligit, rusticus verò frumentum: præclariùs videtur indulgere voluptatibus, quasi rebus necessarijs jam provisum sit; Vndè adulatores suadent principibus grata, etsi nociva.

Populi deliciis assueti amant vitam hanc voluptuosam, eamque amittere plùs timent quàm alij, ideò nolunt ad bellum procedere, suntque in regione fertili imbelles.

Persarum Reges præmium dabant novarum voluptatum inventoribus. Athen. l. 4. c. 6.

Galenus lib Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur; Tres in vniversum dicit esse animæ species; Rationalis, quæ scientias, disciplinas & honestum omne sectatur; Irascilis, imperij, bellorum, victoriæ, honorisque cupida, Tertia denique quæ Appetitoria à Platone vocatur, Veneris, deliciarum, esculentorum avida, hæc honestum non sectatur.

Voluptas in omnibus nobis inolevit, vt difficile sit affectum ejusmodi vitæ nostræ penè incorporatum atque imbibitum extergere: Ideò voluptati repugnare difficiliùs est quàm iræ, inquit Heraclitus; at circà quod difficiliùs est, semper & ars & virtus versatur, quare propter hoc etiam circà voluptates & dolores totum negotium & moralis & civilis versabitur. Arist. mor. nicomach. l. 2. c. 3.

Galli Celtici, vini Italici dulcedine allecti, statuunt terram illius feracem incolere, sic Italiam ingrediuntur, Romanos superant, vrbem obsident, capiunt, diruunt. Plut. in furio Camillo.

Marsilius Ficinus lib. 4. Theol. Plat. cap. 7. Probat immortalitatem animæ ex eò quòd velit imitari dotes divinas, vt æternitatem omnipotentiam, immensitatem, &c. Sic opulentissimam & jucundissimam Dei vitam, est enim ipse fons omnium bonorum, nullius egenus, vndè id appetentes homines Dij volunt fieri: Boni in honestis animi bonis ponunt voluptatem; Mali in bonis corporis; hinc insatiabilis voluptas, qualis fuit in Sardanapalo & Xerxe, qui proponebant præmia inventoribus novarum voluptatum; Nam quia in verò subjecto non quærunt voluptatem, nunquàm quiescunt; somnus vt esurientes, qui somniant se esse in epulis, quia etiam voluptas mixta est dolori, appetitio enim indiga dolor quidam est. De voluptate honesti. *Vide Glor. Virtut. & Cogn.*

Philo Iudæus lib. de creatione mundi. Hominem à muliere deceptum allegoricè interpretatur de homine decepto à concupiscentiâ: decepta est autem mulier à serpente, scilicet à voluptate, quæ vt serpens repit & serpit, nec se valet assurgere, sed terrenis vescitur, spretis cœlestibus, venenum habet in dentibus, quis deliciosas escas consumit in perniciem animæ: Serpens vocem humanam finxit, quia propria homini voluptas; cætera animalia illam tantùm percipiunt in escis & venere, homo autem mille modis.

Idem lib. de non recipienda in templo mercede adulteræ & meretricis, dicit. Nos duas habere vxores, Voluptatem, quàm adulteræ comparat, inducitque eam moribus ornatam, comptam, lascivam, astutiam, injustitiam, & intemperantiam pedissequas habentem, hortantem animum vt se sequatur, proposita rerum omnium abundantia: Deinde inducit virtutem modesto cultu & habitu dissuadentem voluptates, & fictas earum pulchritudines.

Natura appetit jucundum, fugit molestum; ejus ductu operatio delectabilior expellit minùs delectabilem: Planta simpliciter nutrimentum appetunt, & genituram; animalia voluptatem.

Paris apud Homerum à prælio profugus, cum Helena voluptuosè vivit; Sic plerique relictis seriis voluptuosa sectantur.

Sic naturalis mobis est delectatio, vt citò fatigemur dolore & lachrymis. *Vide Finis Contr.*

Amor causatur ex jucundo & pulchro. *Vide Princip. Volunt.*

Qui juravit cum nolere contrahere potest eam repellere propter supervenientem deformitatem, vt & propter fornicationem. cap. quemadmodùm de jurejur.

A quibusdam amœna vtilibus præferuntur, sic citò invidiam movent, & prædonum in se alliciunt natus: Sic Loth, cum elegisset pulcherrimam habitationem in Sodomis, invadunt ipsum, & captivum ducunt Reges contrà terram hanc confœderati. Gen. 3. D. Amb. l. 1. de Abrah. c. 3.

Athenis sexaginta numero viri colligebantur, qui ridicula confingebant; his Philippus Macedo talentum misit, vt ridicula scribentes, ad illum mitterent. Sic Lysimachi aula dicebatur nihil differre à Scenâ Comicâ. Athen. l. 14. c. 3.

Pantheræ amant suaves odores, vndè ex diversis partibus conveniunt in Caucasum montem aromatum feracem. Philostratus in vitâ Apollonij. lib. 2. c. 1.

Concupiscentia est appetitus delectationis sensitivæ. D. Th. 1. 2. q. 30. a. 1. Est duplex, Naturalis, de bono

convenienti, ſecundùm naturam animalis; & non naturalis, ideſt ſecundùm apprehenſionem, prima convenit omni animali, ſecunda tantùm homini. 1. 2. q. 30. a. 3.

Delectatio eſt in appetitu ſenſitivo, & in appetitu intellectivo 1. 2. q. 30. a. 1.

Qui delectatur conſtringit rem delectantem, dùm ei fortiter inhæret, ſed cor ſuum ampliat vt perfectè fruatur. 1. 2. q. 33. a. 1. ad 3.

Omnes fugiunt quamlibet triſtitiam, non autem omnes appetunt quamlibet delectationem. 1. 2. q. 39. a. 1. ad 2.

Appetitus delectationis eſt major quàm fuga triſtitiæ ſecundùm ſe, ſed per accidens eſt è contrario, quia triſtitia magis ſentitur. 1. 2. q. 35. a. 6.

Omne animal appetit delectationes naturaliter, vt medicinas contrà labores ſenſuum & motuum. 1. 2. q. 32. a. 7. ad 2.

Sic juvenes & melancholici vehementer appetunt delectationes ſenſuum, propter laborem ſuæ naturæ. Ibidem.

Delectatio corporalis plùs appetitur quàm ſpiritualis per accidens, quia quidam abundant ſenſu & deficiunt intellectu, & quia plumbus eſt nota quam ſpiritualis. 1. 2. q. 2. a. 6.

Nullus diù poteſt eſſe cum delectationibus, ideò carens voluptatibus ſpiritualibus tranſit ad carnales. 2. 2. q. 35. a. 4. ad 2.

Dolor magis fugitur, quàm amatur voluptas, quia minor eſt amor voluptatis quàm conſervationis ſui, correſpondet doloris fuga. 1. 2. q. 23. a. 3. ad 1.

Omne animal naturaliter fugit triſtitiam. 2. 2. q. 34. a. 6.

Vita vniuſcujuſque hominis eſt id in quo maximè delectatur & cui maximè intendit 1. q. 18. a. 2.

Animalia bruta non delectantur viſibilibus, odoribus & ſonis, niſi in ordine ad ſuſtentationem naturæ. 1. q. 91. a. 3. ad 3. & 1. 2. q. 31 a. 6.

Operatio non eſt propter delectationem, ſed è converſo. 1. 2. q. 4. a. 2.

APPETITVS HONORIS & laudis.

MISCELLANEA.

VBI eſſis ac ſpectatoraceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari a: conſpici fructus eſt: quis eam cum nulli oſtenderet induit purpuram? quis luxuriæ ſuæ pompam, ſubruſticæ arboris vmbrà explicuit? Nemo oculis ſuis natus eſt, aut familiarium, ſed aparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit, itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admiator & conſcius: nè concupiſcamus efficies, ſi nè oſtendamus effeceris; ambitio & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderant, ſanabis iſta, ſi abſconderis. Seneca Epiſt. 94. in fine.

Themiſtocles interrogatus quem in muſicâ amaret ſonum, eum, inquit, qui ſuas laudes decantaret. Plut. in ejus vitâ.

Milites miri faciunt coràm ſuo duce aut Principe; fulgenti ſunt ornata, vt magis videantur, & dùm magis videntur magis pudet laude dignâ non agere.

In jactationem proclivis, nec placere aut odia ſaltem effugere ſatis curans, per inſanos impetus præceps, donec indulgentiam fortunæ, & temeritatis fœlicitatem conſumpſerit: cum verò tenere modum poteſt, tunc in virtutem clariſſimam evadit, & magnitudinem animi, in hoc tantùm attollit, vt ſalutis vitæque diſcrimina leviora exiſtimet quam deſerti officij infamiam, vel proditæ per ignaviam pietatis. Barcl. in icone anim.

Certamina non fiunt præmiorum causâ, ſed honoris cujus ſunt indicia, quæ dantur in præmium; Iuvenes majorum rectè facta docentur, vt ipſi gloriæ cupidine ad imitationem accendantur. Lucian. dial. de gymnaſijs.

Magna eſt verecundiæ fiducia, & quælibet imbecilla frons, magnâ conſcientiâ ſuſtinetur. Quint. inſt. lib. 12. cap. 5.

Ideò manifeſtatio culpæ infamans pœnalis eſt. *Vide Cognit. Mim.*

Nihil eſt verecundia, niſi quidam diſciplicendi metus. D. Aug. Epiſt. 52.

Etiam qui ſcribunt libros contrà vanam gloriam, inſcribunt illis ſua nomina.

Clearchus Lacon, dicebat militi magis eſſe metuendum Imperatorem quam hoſtem.

Mutorum fortitudo ſita eſt in ſpectantium oculis.

Niger color eſt vltimus gradus lucis qui in lumine videtur.

Qui nimiâ ducitur cupiditate gloriæ is ambitioſus, qui non ſatis vacuus ab honoris cupiditate appellatur, at qui modum tenet vacat nomine. Ariſt. l. 2. Ethic. c. 7. Et ambitioſum vituperamus, & eum qui nullâ gloriâ ducitur; illum, quia nimio honoris ſtudio trahitur, & ijs in rebus gloriam conſectatur quibus quærenda non eſt, hunc, quoniam nè ex rectè quidem factis gloriam inſtituit quærere. Ibid. l. 4. c. 4.

Cum inopum multitudo in civitate à dignitatibus excluſa ſit, propter inclinationem quàm homines habent ad honores, civitas eſſet plena hoſtibus, niſi hæc multitudo ad conſultandum & decernendum reciperetur, vndè Solon tales admiſit ad ſuffragia & electiones Magiſtratuum, permixti enim melioribus faciunt bonum Reipublicæ, quemadmodùm non purum alimentum vna cum puro totum facit vtilius, quàm paucum. Ariſt. 3. polit. 7.

Magiſtratus debent ſinè lucro, vt eos populus pauper. & in proprijs operâ ſuâ indigens non ambiat; ſtatuendi autem ſunt per legem honores ijs qui benè ſe geſſerunt: Cum etiam nimis divites ſunt ſuis divitijs ſpoliandi, hoc non debet fieri apertè & evidenter, ſed vt munerâ ſubeant, in quibus ſunt magni ſumptus, vt choros, ludos exhibere. Id. l. 5. c. 8.

Aliqui contrà Reges & tyrannos inſurgunt, non ſpe obtinendi regimen, ſed vt ex refortiter geſtâ, ſibi famam immortalem quærant; pauci tamen id aggrediuntur, quia conſtituendum eſt ſibi vivendum non eſſe, niſi rem confecerint. Idem cap. 10.

Ira maximè exacerbatur ob læſum honorem, vndè populus minùs tolerat tyrannum adulterum, quàm crudelem: quia ſtupratis conjugijs honor lædimur. Vide Bodin. 4. Reip. 1.

Si ſuppreſſio nimiorum officiorum facienda ſit, expectanda eſt mors officiariorum, quia nimiùm indignarentur ſuo ſpoliari honore.

Dignitates non debent eſſe perpetuæ, vt ad benè meritos perveniant, qui alioquin poſſent eſſe iracti & nocivi, ſi diù debito privarentur honore.

Prohibet Galenus nè medicus aggrediatur curam ejus ægri, cujus deſperata eſt ſalus, nè videatur occidiſſe, quem ſors ipſa peremit, & nè caſus tranſeat in injuriam tùm artis, tùm medici. Sic inſignem honorem adepti temerè non ſe debent periculis objicere, ne caſu perdant, quod longo labore partum eſt.

Æquè ambitio non patitur quemquam in eâ men-

ſurà beatorum conquieſcere, quia quoddam ejus fuit impudens votum: nemo agit de Tribunatu gratias, ſed conqueritur quod non eſt ad Præturam vſque perductus: ſi deſit conſulatus, nec hoc quidem ſufficit, ſi vnus eſt vltrà. cupiditas enim non vndè venerit reſpicit, ſed quò tendit. Sen. de Ben.

Æmulatione boni tanguntur, dùm ſe præparant ad aſſequendum honorem, mali verò torquentur invidiâ, bonoſque impediunt, dolentes quod ipſi habeant, non quod ſe. Ariſt. 2. Rhet. c. 11.

Honor eſt bonorum omnium externorum maximum, quod Dijs ipſi tribuimus, & quod maximè homines qui ſunt in dignitate affectant, quodque dari præmium ob res pulcherrimas ſolet. Idem Ethic. lib. 4. c. 30.

Etſi plebeĭ ad magnos honores non promoveantur, tamen plebeiorum tota vniverſitas ſuis eminentijs & honoribus decoranda eſt.

Principes maximam habent famæ ſuæ curam. *Vide Glor. Poteſt.* Ideò proſpera ſibi adſcribunt, adverſa verò miniſtrorum conſilijs & malè geſtis.

Romani non puniebant eos, quorum malum conſilium bonâ fide datum malum Reipublicæ peperiſſet, illis enim pudor pro pœnâ erat.

Senſus honoris in regente eſt vt cor primum vivens & vltimum moriens; ſpiritalis eſt, elabitur è præmentium manibus. Sic Perſes everſo regno, cum ſupplex ad victorem Conſulem Romanum ſcriberet, Regis nomen ſibi adſcripſit, eoque titulo Epiſtolæ ſuæ ſubſcripſit. Annibal victus ad Cannas, inſolentior, nulli civium niſi per interpretem loquebatur.

In comitijs publicis cogimur numerare non ponderare judicia, quia quiſque honoris appetens nollet alijs palmam judicij deferre.

Caveat Princeps ne quemquam miniſtrorum lædat in honore: hinc enim illi maximum imminet damnum.

Magnates non patiuntur conſortes gloriæ ſuæ: ità dux dùm abeſt ab exercitu, non mandet illius curam omnem æmulo ſuo, temerè enim certabit ad acquirendam gloriam. Ignis æquè calidus ac lucens communicat aquæ calorem, non lucem. Gloriam meam alteri non dabo. Iſay. 42.

Senſum honoris videntur habere elephantes, victi vocem victoris non ſuſtinent, & inedià mortem ignominiæ præferunt. Plin. lib. 8. c. 5.

Apis bos ſacer apud Ægyptios, procedens cum magno lictorum & puerorum comitatu, carmen honori ejus canentium intelligere videtur, & adorari velle. Idem lib. 8. c. 46.

Antè omnes aut auſum aliquid aut inventum, veluti primitiæ quædam gloriæ animos efferunt, nihil præter laudem eximium in vitâ ducentes. Barclai. Satyr.

Non priùs laudes contempſimus, quàm laudanda facere deſivimus. Baconius.

Laus propria defunctorum poſſeſſio. *Vide Volunt. Durat.* Famæ cura poſt mortem.

Civilis vitæ honor ferè finis eſt, dixi ferè, quia honor per ſe appetitur, ſed non propter ſe. Albertus Magnus.

Omnia vitia ſuperata marceſcunt, & devicta per ſingulos dies infirmiora redduntur: honoris autem appetitus ſemel dejectus acriùs convaleſcit: non eliditur per bona opera, quia ex illis ipſis procedit, & qui vanam gloriam videntur averſari, illam aversâ viâ ſectantur, vt navigantes tendunt in portum averſo ab illo vultu: faciliùs divitias quàm honorem alteri cedes.

Quidam turpia de ſe detegunt, non quia humiles ſunt, ſed vt humiles putentur; appetere autem de humilitate laudem, humilitatis eſt non virtus, ſed ſubverſio: verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus quod laudes contemnit: quid perverſius quidve indignius, quàm vt humilitatis cuſtos confeſſio ſuperbiæ militet? & indè velis videri melior, vndè videris deterior: Mirabile jactantiæ genus, vt non poſſis putari ſanctus niſi appareas ſceleratus. D. Bern. Serm. 16. ſuper Cant.

Diogenes majori faſtu faſtum Platonis calcabat; pretioſos lectos tordidis pedibus commulans. Laert. lib. 6.

Sæpè homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque non jam de ipſo vanæ gloriæ contemptu gloriatur; non enim eam contemnit, cum gloriatur intùs. Div. Auguſt. lib. 10. confeſſ. cap. 38.

Honor ſtatuendus eſt à Principe loco remunerationis; nè Reſpubli vexetur ſtipendijs officiariorum.

Viri magni honore ſe dignos exiſtimant, ſed pro eo ac merentur. At qui demiſſo & humili eſt animo is modum deſerit. Ariſt. 1. Moral. Nichom. cap. 7. *Vide Cogn. Virt.* De Cognit. Virt. propriæ.

Magnanimus magnis honoribus, & ijs qui à viris bonis deferentur, modicè delectabitur, tanquàm ſuos ſibique accommodatos, aut etiam ſuâ virtute minores & inferiores, conſecutus: virtuti enim ſuis omnibus numeris perfectæ, non facilè par vllus honos reperiri poteſt, veruntamen eos æquo animo accipiet, vel ob hanc cauſam, quod illi non poſſint ei tribuere majora. Idem l. 4. c. 7.

Vt fiunt terræmotus magnæque conturbationes, cum ſuperiùs tendentia elementa viſceribus terræ concluduntur: ſic cum magnanimi debito ſibi honore privantur. Perverſus & moleſtus eſt corporis ſtatus, cum caput deorsùm pendet.

Tyrannis plùs ſunt pecuniæ, Regibus autem honores. Ariſt. 5. Polit. 10.

Si gloriari cupis gloriam deſpice, & omnibus eris glorioſior. D. Chryſ. hom. 4.

Qui benè didicit vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel ſolum, vel maximè cavendum eſſe perfectis; quo primo enim vitio victa eſt anima, hoc vltimum vincit. D. Aug. Pſal. 7.

Gloria inanis eſt inordinatus animi motus, quo aliquis propriam deſiderat excellentiam, vt alios honore præcellat. D. Hier. in Epiſt. *Vide Volunt. Poteſt.* de Ambitione. *Volunt. Major.*

Ne nimis religioſus velis videri, nè plùs humilis quàm neceſſe eſt, gloriam fugiendo non quæras. D. Hier. Nepot.

Sub hoſte quem proſternit moritur qui de culpâ quàm ſuperat elevatur. D. Greg. l. 20. Moral.

Qui antè oculos hominum gloriam ſequendo eam apprehendere non poſſunt, ſtudent plerumque gloriam tenere fugiendo. Ibidem.

Nec recti ſanè ſed perverſi animi eſt quærere gloriam & non exercere virtutem, & velle coronari qui legitime non certavit. D. Bern. in Serm.

Si benè fecerimus cum pauperibus, quis nos videt? Etſi viderint, non multi vident, pro tempore vident, tranſit tempus, & cum tempore beneficij memoriâ: meliùs eſt ergò ædificia facere quæ aſpiciant homines, non in hoc tempore ſolùm, ſed etiam in poſterùm. O inſipiens quid tibi prodeſt iſta memoria, ſi vbi es torqueris & vbi non eſt laudaris. D. Chryſ. ſup. Matth.

Google

EX IVRE CIVILI.

DE neceſſarijs ſervis hæredibus inſtituendis. Cod. 6. Cogebantur adire etiam oneroſam hæreditatem, vt ſalva foret defuncti fama.

Metus interverſionis ſtatus eſt juſtus, vndè reſtitutio competit. l. 8. ff. quod met. cauſ.

Prætor non facilè concedit actionem de dolo malo, quia famoſa eſt, ſed tantùm cum alia actio non ſuppetit, vt poſſit qui ſinè famæ alterius læſione experiri, vndè non datur liberis adversùs parentes, aut humili adversùs eum qui dignitate excellit; aut luxurioſo ac prodigo, & alias vili adversùs hominem vitæ emendationis, ſed datur actio in factum. l. 11. ff. de dolo malo. l. 10. §. penul. ff. de in jus vocan.

Arbiter non cogitur ſententiam dicere niſi partes compromittant, ne ſe exponat ſententiam dicere, quæ remaneat inefficax. l. litigatores. ff. de recept. arbit.

Viles habebantur veſpillones, qui ſcilicet, mortuum è lecto ferebant in ſepulturam; vndè hæres teſtamento inſtitutus, vt veſpillonis teſtatoris nomen ferret, conditio remittitur, ſi perſona hæredis ſit alicujus dignitatis, & id honori ſuo officiat. l. 5. §. idem ait. ff. de inſtit. action.

Proconſul ingrediens provinciam pati debet commendari ſibi civitatem, & laudes ſuas audire. l. 5. ff. de offic. proconſ.

Arbiter non poteſt irrogare infamiam, quia famæ cauſa capitali æquiparatur. l. juſta. ff. de manu. De vitâ autem & capite privatim ſtatui nequit. l. 13. ff. ad l. aquil. Ità nec compromiſſo infamia poteſt irrogari. l. 37. §. Iulian. ff. de recep. arbit.

Cauſa exiſtimationis qualibet causâ pecuniariâ gravior eſt. l. 104. de Reg. Iur. l. 26. ff. ſi quis omiſſa cauſ. teſt. l. 8. Cod. de decurion. Vbi gravior habetur famæ quàm oculi amiſſio.

Non tenetur l. Aquiliâ, qui in certamine publico alium occidit, quia gloriæ causâ & virtutis, non injuriæ gratiâ videtur damnum datum; hoc autem in ſervo non procedit, quoniam ingenui ſolent certare. l. 7. §. 4. ff. ad l. Aquil.

Si duo cohæredes damnati ſunt ſtatuam ponere, & altero ceſſante, alter eam fecerit, partem impendiorum petet ab alio boni viri arbitratu. l. 44. in fine. ff. famil. erciſc.

Tutor, debet expendere citrà perſonam pupilli, quod moribus, honeſtati, & conditioni ejus congruit, vt ſolemnia munera parentibus cognatiſque mittere. l. 12. ff. de admin. & peric. tutor.

Iuſta cauſa manumiſſionis eſt, ſi ſervus Dominum infamiæ periculo liberaverit. l. 9. ff. de manum. vind.

Advocati officium debet exerceri, non ad turpe compendium, ſtipemque deformem, ſed ad laudis augmentum; nam ſi lucro pecuniaque capiantur, veluti abjecti atque degeneres inter viliſſimos numerabuntur. l. 6. Cod. de poſtul.

Non auditur allegans turpitudinem ſuam. l. 4. Cod. de revoc. donat. Vt nec perire volens.

Qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere creditur, non cum hærede. l. 1. ff. de relig. & ſumpt. fun.

Donationes inter virum & vxorem honoris causâ ſunt licitæ. l. 40. & ſeqq. ff. de donat. inter vir. & vxor.

Valet legatum quotannis Reipublicæ relictum ad memoriam defuncti certis ludis celebrandam. l. 16. ff. de vſu & vſuf. legato.

Donatio facta Reipublicæ ad obtinendum honorem valet, non verò ſinè causâ. l. 19. ff. de donat. l. 1. & 6. ff. de pollicit.

Libertus poteſt agere contrà patronum pro petitione pecuniæ, aut aliam exercere diſceptationem, famoſam tamen actionem inſtituere non poteſt. l. 11 Cod. de obſequijs patrono præſtandis.

Sumptus honeſtè ad honores per gradus pertinentes facti pro alio, actione negotiorum geſtorum repetuntur. l. 4. ff. de negot. geſt.

Quod athleta geſſit vi retentus & prohibitus à certaminibus, irritum eſt. l. 23. §. ſi fœnerator. ff. quod metus causâ.

Qui ſtatus quæſtionem paſſus eſt à patre pupilli, excuſatur à tutelâ. Inſt. de excuſat. tutor. Quaſi injuria honori illata nunquàm remittatur. Ità vehemens eſt honoris appetitus.

Lex magis reſiſtit his, ad quæ major eſt inclinatio. *Vide Major. Contr.* vt pupillis mutuò accipientibus, S. C. Macedoniano; mulieribus ſe pro alio obligantibus. S. C. Velleiano; ſic prohibitæ ſunt donationes inter virum & vxorem, nè mutuò ſe ſpoliarent. tot. tit. Cod. de donat. inter. vir. & vxor. Licet tamen marito dare vxori, etiam conſtante matrimonio, ſervum, vt eum manumittat, ſitque ejus patrona. l. 22. Cod. de donat. inter vir. & vxor. Quia vir hoc honorarium jus alteri cedit; ſed cum impenſius amatur, non eſt timendum ne illo ſe ſpolient conjuges.

Tranſactio in causâ famosâ irrogat infamiam, in furto, injuriâ, rapinâ, dolo malo. l. 18. Cod. ex quib. cauſ. infamia irroget. Vndè colligitur quod quiſque debet læſam famam ſuam vindicare.

Qui falſum inſtrumentum immunitatis conſcripſit igne eſt comburendus. l. 1. Cod. de Imm. nem. concedend.

Si quis indebitum ſibi locum obſervaverit, nullâ ſe ignorantiâ defendat, ſitque planè ſacrilegij reus, qui divina præcepta neglexerit. l. vnic. Cod. vt dign. ord. ſervet.

Nemini licet in viâ publicâ monumentum extruere. l. 2. ff. de loc. & itin. pub.

Majeſtatem principis lædit, qui nomen ſuum in opere publico inſcribi facit. l. 9. C. de oper. pub. Nec cuipiam licet in domo regis aut in Eccleſiâ imaginem ſuam pingere. l. 20. eodem.

EX THEOLOGIA.

CAutela, quæ vetat impedimenta bonæ opinionis, eſt pars integralis prudentiæ. 2. 2. q. 48.

Fama bona eſt nobis neceſſaria propter nos, quia eſt præcipuum bonum inter exteriora bona; & quia facit idoneum ad officia humana, & præſervat à peccatis, & propter alios nè ſcandalizentur, & malum exemplum ſumant ad peccandum. 2. 2. q. 73. a. 2.

Honor eſt maximum bonum inter bona externa. 1. 2. q. 2. a. 2. ad 1.

Honor reſpicit proprium bonum honorati. 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2.

Perfecti debent reſiſtere detractoribus ſuis. 22. q. 72. a. 3.

Animalia bruta appetunt excellentiam & iraſcuntur contrà derogantia eis, non autem honorem. 1. 2. q. 47. a. 2. ad 2.

Finis debitus appetendi gloriam, vel manifeſtandi aliquod bonum in hac vitâ eſt tantùm triplex, ſcilicet gloria Dei, vtilitas proximi, & vtilitas propria. 1. 2. q. 132. a. 1. ad 3.

Honor laudabiliter contemnitur, nihil malè agendo propter

propter ipſum; benè appetitur, nihil malè agendo contrà ipſum. 2. 2. q. 119. a. 1. ad 3.

Parvipentia cauſat iram. 1. 2. q. 46. a. 1.

Tacens provocat ad iram contumeliantem, quia videtur eum parvipendere. q. 47. a. 1.

Magnanimitas eſt virtus quâ quis tendit ad magna, maximè autem ad gloriam & honorem, ſicut ad materiam, & ad opus magnum, ſicut ad finem. Magnanimus benè vtitur parvis & magnis honoribus, quia non extollitur, nec frangitur oppoſitis. 2. 2. q. 129. a. 2. ad 3. & 2. ad 3.

Verecundia eſt timor turpitudinis exprobrabilis, & principaliter reſpicit vituperium. 2. 2. q. 116. a. 2. ad 3.

Infamatus de Apoſtaſiâ compellitur ſe purgare. cap. tuæ fraternitati. de Apoſtat.

Epiſcopus parœcianum ſuum infamatum compellit ad ſe purgandum. cap. nos inter. de purgat. can.

In omnibus excellentiam noſtram quærimus, & omnes cauſæ iræ ad parvipenſionem reducuntur, in quantùm excellentiæ derogant, itaque ſemper augetur ex contemptu. 2. 2. q. 47. a. 2.

Quotidiana fornax noſtra eſt humana lingua: abjicimus divitias, vt vitemus avaritiam, & alijs vitijs, ſic deſerendo reſiſtimus; bona autem vita non eſt deſerenda, vt laus vitetur: ideò & laude afficimur, quia à nobis non diſſentit laudator noſter, & eadem bona quæ nobis placent, jucundiora nobis ſunt, cum & alijs placent. D. Aug. l. 10. confeſſ. cap. 36.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Prov. 5. Iob maximè dolet ſe ſubſannari ab hominibus nihili, quos anteà deſpexerat. Iob. 30.

Magnanimus non quærit honorem tanquàm finem, quia hoc reputat parvum, ſed quærit fieri dignus honore. D. Thom. 2. 2. q. 129. a. 1. ad 3.

Ambitio eſt peccatum oppoſitum magnanimitati ſecundùm exceſſum, quia eſt inordinatus appetitus honoris. 2. 2. q. 131. a. 2. *Vide Volunt. Poteſt. Mal.* De Ambitione, *& Volunt. Major. Mal.*

Appetitus dignitatum inordinatus ratione honoris pertinet ab ambitionem; ſed in eo quod excedit facultatem appetentis, pertinet ad præſumptionem. 2. 2. q. 131. a. 2. ad 2.

Dæmones maximè anhelant ad hoc vt eis exhibeatur cultus divinus. 2. 2. q. 85. a. 2. ad 3.

Opus virtuoſum factum propter inanem gloriam venialem, amittit vim merendi vitam æternam, quia nullus peccando meretur. 2. 2. q. 132. a. 3. ad 1.

Inanis gloria eſt periculoſa, non propter gravitatem ſui, ſed diſponendo ad gravia, faciendo præſumptuoſum, & nimis de ſe confidentem, & diſponendo paulatim ad privationem internorum bonorum. 2. 2. q. 134. a. 3. ad 3. De nimiâ ſui præſumptione. *Vide Cognit. Virt. Mal.*

Ira non cauſat diſcordiam & contentionem, niſi mediante vanâ gloriâ. Ibid. a. 5.

Vana gloria directè contrariatur magnanimitati ſecundùm rei veritatem, vt deficiens; ſed ſecundùm opinionem, vt excedens. 2. 2. q. 30. & q. 132. a. 2.

Hæreſis reducitur ad ſuperbiam; in eâ enim ſunt duo, ſcilicet electio privatæ diſciplinæ, & pertinacia. q. 11. a. 2. ad 3.

Appetere honorem eſt peccatum tripliciter, ſcilicet ſi ſit ſuprà ſuam proportionem, vel ſi non referatur ad Deum, vel ſi non ad vtilitatem, ſed propter ſe. 2. 2. q. 131. a. 4.

Iactantia per quam quis ſe extollit ſuprà id quod in ſe eſt, & quod de eo alij opinantur, quo ad actum exteriorem eſt ſpecies mendacij, quo ad arrogantiam interiorem eſt ſpecies ſuperbiæ: ideò eſt peccatum mortale tripliciter, ſcilicet quandò eſt contrà gloriam Dei, vel contrà honorem proximi, vel ex inani gloriâ, vel ſuperbiâ, vel cupiditate mortali. 2. 2. q. 112. a. 2.

Superbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ, cui debetur honor & reverentia, & maximè quandò quis ſe extollit ſuprà id quod eſt ſibi præfixum, ſecundùm divinam regulam, vel menſuram. 1. 2. q. 84. a. 2.

Gloria tripliciter eſt peccatum. Primò quandò eſt de non ente, vel de tranſitorijs, vel de peccato; Secundò, quandò quæritur ab hominibus; Tertio quandò non ordinatur ad debitum finem. 2. 2. q. 132. a. 1.

Gigantes ædificant turrim Babèl ad celebrandum nomen ſuum. Gen. 11.

Ioab occidit Amaſam, qui volebat dignitatem ejus militarem occupare. 2. Reg. 20. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes. Gal. 5.

Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Ioan. 12.

HONOR ET FAMA quare appetitur.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Honor & fama eſt bonum homini, vt rationali creaturæ proprium, oritur enim ex virtute, quæ eſt habitus ſecundùm rationem; deferrur ab his qui ratione ſciunt illam à vitio diſcernere; & gaudent illâ mentes heroicæ, ideſt virtute præſtantiores: nam cum ſe ſentiant ad commune bonum natas, placet tales haberi, quales ſunt, vt ſic pronis, diſpoſitiſque populis ad recipiendum liberiùs ſint beneficæ.

MAGNITVDO. Homo mundi civis, non vni loco debet alligari, aut patriæ tantùm vndè oriundus eſt, oculis placere; placet itaque fama, quæ totum pervadit orbem, dumque inſignem celebrat, omnes exemplo ad ſimilia provocat, & gloriæ ſtimulis agit. Ità gratiſſimum eſt omnibus prodeſſe, & citrà diſpendium virtutis ſplendorem per omnia diffundi.

DVRATIO. Honor itaque eſt bonum vniverſale; tùm ratione populorum; quibus ſic adeſt vnius viri boni virtus, præſentiâ & indiſtantiâ quadam divinâ; tum ratione honorati, nam qui ſemel publico judicio habetur bonus, ſemper putatur talis, & ex ſingularibus limitatis actionibus præſumitur in eo perpetuus illimitatuſque ad ſimilia habitus. Fama æternitatis æmula eſt quædam omnis temporis complexio, ſupponit enim in præterito & futuro quod fulget in præſenti, ſic præoccupat, impletque omnes affectus omnis boni, omniſque durationis particeps bonum.

POTESTAS. Humanus animus regiæ, divinæque ſuæ originis conſcius ambit potentiam, & ſic bonam famam, quâ ad dominationem conſcenditur; hoc enim ſplendore fœlix, liberum, ſecuramque contingit rectoribus in ſubditos imperium. *Vide Gloria Poteſt.* dùm omnes rectutus ab omnibus probatur.

COGNITIO. Gratiſſimum eſt bonum judicium, quod quiſque de ſeipſo fert, publico teſtimonio confirmari, ſic enim non timet ne philautia decipiat, aut ne nimia de ſuis viribus diffidentia à rebus præſtantioribus avocet: Vox populi, vox Dei; Bona fama optima eſt conſulatio, & quædam proſperæ fortunæ arra, publicaque fidejuſſio.

VOLVNTAS. Rectè amatur celebrè nomen quo proborum omnium conciliatur amor, vt enim pulchritudo eſt flos boni, ſic fama virtutis, cujus ſplen-

dore ad illius ſpectaculum & fruitionem allicimur. Fama celebris priùs amatur quàm videatur, hic amor potentior eſt quàm ſympathia, cum abſentes multumque diſſitos, citra omnem naturæ repugnantiam conſociet: quod ſi famæ reſpondeat fœlix perſonæ occurſus, dilatis diù deſideriis ſuperveniens miros excitabit amores.

VIRTVS. Virtutum ſplendorem obſcurare conatur invidia, vndè potens eminenſque ea putatur virtus, cui ſalva ſupereſt fama, vt potens eſt Sol conjuratas in ſe nubes diſſipans. Ergò boni famam ambiunt, vt virtutis ſuæ fidam cuſtodiam, teſtem, minutiſſimam arcem, vt opus juſtitiæ ſibi primum jus dicentis, & debitum honoris præmium decernentis, aut ſaltem ab aliis exibitum percipientis: cum virtute ſimul amatur ſplendor, qui videtur ipſius amoris cauſa.

VERITAS. Non licet ambigere de virtute, quam fama publica celebrem fecit. Hic votorum concurſus prævenit omnes calumniæ clàm ſævientis dolos: pudet non celebrare, non amare, quod omnes celebrant & amant: pudet perverſo judicio à bonorum & peritorum mente diſſentire: Igitur meritò bona fama quæritur, quæ hoſtes virtutis in ermes efficit, imò in ſuas tahit partes, ſibi habet militantes, & tandem gloriæ ſuæ dedititios præcones.

GLORIA. Vt internam ex virtute naſcentem voluptatem, ſic externam licet amare; quis tam ſibi iratus, vt plaudenti ſibi populo non conſentiat? Certantibus honeſtum eſt propoſita præmia, triumphos, tranſitura in poſteros inſignia nominiſque per hiſtorias celebritatem ambire. Præſtantior ſemper habita eſt remuneratio, quæ citrà vtile commodum gloriam puram & defæcatam decernit; Tunc alta, ſecuraque Reipublicæ pax, cum potentiæ ſuæ famâ amicos ſpe officijſque, hoſtes metu continet.

DIFFERENTIA. Varijs varia naturaliter in eſt cupiditas. *Vide Different. Vol.* at omnes afficit gloriæ cupido, vt mentibus noſtris naturaliter inſita: quippè remedium videtur eſſe fluxæ & in diverſa mutabilis naturæ noſtræ, nam famâ celebris habetur quaſi præſens notuſque his à quibus abeſt, etſi variis agatur internis affectibus, tamen ſemper putatur bonus, & eidem virtuti additus.

CONCORDANTIA. Ex quo quis celebratur ob egregia quædam facta, ſtatim exurgit relatio, ſacrumque ſancitur fœdus, cum his omnibus, qui ejuſdem boni ſunt participes. Vir bonus famâ illuſtris amicis ſuis decus eſt, cum enim ſimilia ſe quærant, mutuoque complectantur, ex amici celebris moribus fit ſimile de ſibi devinctis judicium.

CONTRARIETAS. Viri boni fama amicis pro ipſo pugnantibus firmiſſimum eſt præſidium, populique vota, vt auxiliares copiæ, dubium Martem dirimentes accedunt; tantorum enim idem ſentientium vnitæ vires fiunt invictæ: contrà virtutis meritum motæ lites hoc publico ſuffragio terminantur. Nullius rei mortalis tàm grave prætium, famam enim emunt Heroës aſſiduis laboribus, populorum cædibus, regionum vaſtatione, patriæ excidio, tot militum, tot nobilium præmaturâ, nec vitabili in continuit bellis morte, & tandem propria; male ſano, vt videtur, judicio: ſic enim naturale bonum poſtponitur ei quod tantùm eſt ex opinione, acceſſorium præfertur principali, vt enim ſplendidior ſit vita, deſinit eſſe vita, quæſito ſibi deficiens bono.

PRINCIPIVM. Deus qui noſtris non indiget, poſtulat tamen ſibi offerri ſacrificium laudis: quid ni ametur à nobis, quod amat ipſa ſumma perfectio, & quod in dobis ſimul eſt perfectionis argumentum, & alimentum; Nam excaleſcit ſuo in ſereſlexa radio virtus heroica, ſicque adipiſcitur perpetuitatem gloriæ, cujus ſibi ipſi eſt causâ: vt animus dicitur immortalis, quia ex Platonicis eſt numerus, id eſt res ſpiritualis, ſe movens, ſic oceanus indeficiens eſt, quia quas emiſit aquas iterùm ſinu ſuo excipit.

MEDIVM. Vt anima movet corpus mediis ſpiritibus ad naturam ſuam incorpoream accedentibus, ſic virtus à corporeis abſtracta gaudet honoris, vt naturam ſuam ſapientis, miniſterio.

FINIS. Gloria videtur vltimatus finis mundanorum, nam ideò ſapientia, potentia & cætera appetuntur, vt hinc contingat honos, honos in illum enim omnis ferè humana cupiditas reſolvitur.

MAIORITAS. Qui ſemel hominem probum laudavit, & laudantibus conſentit, ſemper laudat, ne videatur perperam, & perverſo judicio laudaſſe; ità ſibi ſemper accreſcit fama, nullis deficientibus, & multis quotidie eidem opinioni accedentibus.

ÆQVALITAS. Alienæ virtutis æquus judex, ſuæ non debet eſſe infenſus ſed æquali juſtitiâ oblatum honoris præmium excipere, cum ſemel bonus ſemper habeatur bonus: Optimum eſt, vt talis videaris, quia dùm pudet publicæ opinioni non reſpondere, faciliùs ex defectu in integrum te ſecreta pœnitentia reſtituet & excellentiæ avidus ad majora contendes.

MINORITAS. Nulla gravior, quàm quæ famam lædit injuria, hincque ira ſæviùs excandeſcit; nam vivus moritur, qui famæ ſuæ patitur detrimentum; contrà, lucrum putatur, ſi paupertatis, laborum, ſervitutis, etiam mortis pretio bona fama comparetur: eſt enim immortalis quædam vita in hominum memoriâ, vt in intellectuali mundo, ſemper vivere.

REPVGNAT.

GLORIÆ CONTEMPTVS.

SEnex ad vtile magis vivit quàm ad honeſtum, quia ſui ipſius amantiſſimus eſt. Ariſt. Rh. l. 2. 13.

Demonax Philoſophus Elæis volentibus illi ſtatuam tuam auream ponere, nequaquam id faciatis, inquit, viri Elæi, ſi videamini majores noſtros probo afficere, cum neque Socrati, neque Diogeni ſtatuam poni curaverint Lucian. dialogo Demonax.

Diogenes eum diceebat gloriam mereri qui contemneret, fugientem vt vmbra ſequitur. Idem dial. Imagines. *Vide Cognit. Virtut. Repugn.* Latens virtus *in fine Miſcellan.*

Vir bonus magis eſt de tribuendo quàm de recipiendo honore ſollicitus: nam ſi ab alijs non honoretur, ſupereſt illi teſtimonium conſcientiæ, ſi verò dignum non honoret, reddit ſeipſum vt minùs iuſtum, ità minùs dignum non honore.

In locis ad lienam æquinoctialem accedentibus meridiè nulla eſt vmba: nullus eſt humanæ gloriæ ſenſus, vbi ex perpendiculo fulget Iuſtitiæ Sol Deus.

Honor in exordiis lætus eſt, deinc animos æſtus laborum integritur. Symmachus. lib. 4. Epiſt. 34.

Sapiens non movetur ob famæ jacturam, ſed illam contemnit. *Vide Dur. Viri*, In jacturâ famæ.

Magnanimus magnos honores à viris bonis delatos vt ſe dignos excipiet; eum autem honorem, qui à quibuſlibet, & ob res parvas tribuentur, prorſus negliget, atque aſpernabimur, hos enim non meretur; itemque ignominiam atque infamiam contemnet, quia in eum jure cadere non potuerunt. Ariſt. 4. moral. Nicom. cap. 7.

Pictor egregius artis ſuæ conſcius non projicit tabellam, quàm vulgus non probat. Bona conſcientia abundans eſt laborum ſolatium; auta popularis truculenta eſt beſtia, quas niſi Chriſtianus vicerit, multiplex illi bellium, tumultus perpetuus, & continua deſperatio, honores quia à mulieribus deferuntur enervant temperantiam; qui à vitis, inducunt adulatione ſervitutem & amentiam, &c. D. Chriſ. lib. 5. & 6. de ſacerd.

Nihil vulgò inſipientius, niſi is qui ipſum ſapientem exiſtimat. Vrſus favum melis auferens non curat de puncturis apum.

Virgo Maria cum diceretur maledicta in Iſraël quæ non paris, maluit tamen maledictum incurrere, & caſtam permanere, eligit in Iſraël eſſe contemptibilis vt illi placeat, qui illam probavit; optat maledictum incurrere ſterilitatis & ecce maledictio benedictione commutatur; ſterilitas fœcanditate compenſantur. D. Bernard. homil. 3. ſuper miſſus eſt. Tandem prævalet veritas. *Vide Poteſtas Veritatis.*

Sufficit ſi notus ſis Deo vt Exod. 33. Dicit Deus ſe noſſe Moyſem proprio nomine & Luc. 10. Chriſtus dicit diſcipulis, gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ. Malè virtus propter honorem deſideratur, ſic enim nullus ſinè teſte benè ageret, non oſtentationi, ſed conſcientiæ noſtræ ſatisfaciendum; ſequamur virtutis viâ, ſi ſors tulerit, ſequetur honor cæterùm quanta vanitas, vt ex tot millibus in bello pro honore certantibus, vix vnius aut alterius nomen celebretur?

Quam pudendum eſt eis placere velle, quos nolles imitari: aut boni non ſunt, & nihil magnum eſt à malis laudari; aut boni ſunt, & eos oportet imitari: ſed qui boni ſunt, virtute boni ſunt, virtus autem non appetit quod in aliorum hominum poteſtate eſt; qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem; qui malos, non dignus eſt laude. D. Aug. l. 83. q. 36.

Ignorantibus credere nihil eſt aliud quam volentem falli; alter alterum decipit: omnes de te benè loquentes, aut muneribus deliniti. aut aliquid ſperandes, aut amici; conſcientiam tuam interroga, illi crede: pronior ad præcipitium vita eſt per vulgi veſtigia, quidquid pœnè vulgus laudat, vituperio dignum eſt; placentes hominibus Deo diſplicent: laudes tuæ in populo, arbores ſunt caducæ in arido ſolo; quidquid vulgus loquitur vanum, quidquid approbat malum, &c. Petrarcha. lib. de remedijs fortuitorum. cap. 11.

Sapiens ſeipſo contentus. *Vide Poteſt. Vir.* Bonæ conſcientiæ Pax & ſecuritas. *Vide Glor. Vir.*

Ventus vanæ gloriæ evacuat bona noſtra, quæ cum multo labore collegimus, bonorumque operum meſſem ſternit. D. Chriſ. l. 1. de Provid. Dei.

Honor levis eſt vapor, nullius ponderis. Chriſtus ſemper dutius reſpondet Phæciſæis, tunc cum ipſum laudarent, quàm cum ipſi maledicerent, vt Math. 22. Magiſter ſcimus quia viam Dei in veritate doces, &c. Reſpondit, quid me tentatis hypocritæ, & cum miraculorum patratorem eum agnoſcerent, ſignum que ab eo peterent; generatio inquit, mala & perverſa ſignum quærit, &c. Mat. 12. At Ioan. 8. objicientibus, ſamaritanus es, & dæmonum habes, reſpondit manſuetè dæmonium non habeo ſed honorifico Patrem meum. De non admittendâ adulatione. *Vide Conc. Pot. Mal.*

Non glorietur ſapiens in ſapientiâ ſuâ. Ierem. 9. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Gal. 5. Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Luc. 17. Quid habes quod non accepiſti; ſi autem accepiſti, quid gloriaris. 1. Corinth. 4.

A Diſcipulis ſibi plaudentibus, quod dæmonia ejicerent dicit Chriſtus, vidi ſatanam tanquàm fulgur de cœlo cadentem, &c. Luc 10. De his qui ſectantur vanam gloriam; dicit Chriſtus, Amen dico vobis, receperunt mercedem. ſuam. Math. 6.

Fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum ſpoliatricẽ blandiſſimam bonorum noſtrorum depręda trice m; jucundum animarum noſtrarum hoſtem, dulce venenum, &c. quid proderit laudari vbi non es, & cruciari vbi es. D. Baſ. conſt. Mon. cap. 11.

Apoſtoli recuſant honores qui ipſis deferuntur, ob patrata in Chriſti nomine miracula. Act. 3. & 14.

Mihi pro minimo eſt vt à vobis judicer, aut ab humano die 1. Cor. 4.

Vana gloria vmbra eſt larva, comœdia. Gloriæ cupidus ſervus eſt omnium, multa indecorè facit & loquitur, Ridemus pueros, qui aptatis galero pennis ſuperbiunt, &c.

Contemplare Deum tibi præſentem, & non attendes hominum judicijs; ſic qui coràm Rege aliquid agit, illi magis ſtudet placere quàm multitudini.

Boni laudes moleſtè ferunt, contumelias hilariter, quia pudore interni ſui defectus juſtius putant eſſe vituperati quam laudari.

Abraham arcet aves & muſcas à ſacrificio. Geneſ. 15.

De viro bono dicitur, non reſpexit in vanitates & inſanias falſas: Pſal. 36. At contra malus, cum vincit, quaſi divinus vult haberi: affectat divinitatem affectando fontem divinitatis. D. Aug. dict. Pſalm. 39.

Vanum eſt vobis antè lucem ſurgere. Pſalm. 126. Surgis antè lucem, qui vis præponi Chriſto, illo miliato ſuperbire. Idem.

Tanta eſt vitæ miſeria, vt ſi inter quos vivis te rectè viventem non laudaverint, illi in errore ſint; ſi autem laudaverint tu in periculo: Non ergò habet ſimplex & mundum cor, niſi qui tranſcendit humanas laudes, & ei ſoli placere nititur, qui conſcientiæ inſpector eſt. D. Aug. l. 2. de Serm. D. in monte. cap. 1.

Cato quærentibus, Cur inter multos nobiles ſtatuam non haberet; malo, inquit, ambigere bonos quam ob rem id non habuerim, quàm muſſitare cur impetraverim. Ammian. Marcell. lib. 14.

Halo circulus, ſeu corona vaporum, fit circà Lunam & ſtellas, ſed rarò circà Solem, quia diſſipat nubes.

Locupletior non eſt effectus qui libertum acquiſivit. l. 126. ff. de Reg. jur. à liberto autem ſolùm ſperare poteſt honorem.

Qui rem alienam deffendit nunquàm locuples habetur. l. 166. eod. Honor autem eſt res aliena, cum ex alienis pendeat, & honor ſit non in honorato, ſed in honorante.

Inſolens nimiùm eſt ambitio, quæ de ſolitudine gloriam vult aucupari: imitanda ſunt animalia, quæ in foveas ſuas ſe recipiendo veſtigia ſua delent; non curandum ampliùs quomodò de te mundus loquatur, ſed quomodò tu tibi loquaris.

Petrus in piſce quem cœpit invenit didragma quod daret publicanis, & Deo redderet quæ Dei ſunt. Clem. Alexandr. lib. 2. pædag. cap. 1.

Melius eſt volentes his renuntiare cum merito, quàm in morte coacti.

Olim Romæ nobiliores figuratas lunas habebant in calceis, quod exiſtimarent poſt mortem animas ſuas lunam ſub pedibus habituras. Plut. in probl. Rom. probl. 76. Nunc verè mundũ habeamus ſub pedibus.

Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra, quoniàm Domino Deo noſtro peccavimus. Ierem. 3.

SOLI DEO DEBETVR gloria.

HOnor & vtilitas ſunt duo motiva propter quæ omnia fiunt, honor defertur Deo, vt ſummè perfecto, vtilitas autem creaturæ vt indigenti, ideò Deus omnia propter ſuum honorem & creaturæ vtilitatem fecit cum ſit ſummè bonus operatur propter aliquam vtilitatem, non ſuam, ergò creaturæ: vndè conſtat quod creatura ſit facta ad honorem Dei, debet illum in omnibus intendere; potiſſimum qui vtilitas creaturæ eſt inſeparabilis ab honore creatoris. Creatura debet vtilitatem ſuam quærere, quia eſt indiga, ſed per honorem Dei, ad quem eſt ordinata; vanitas eſt, ſi ex ſe indiga quærat honorem, vndè non impletur: Deo autem debetur honor vt primo principio, & dùm hunc honorem illi defert creatura proficit in intellectu & voluntate, honoratque omnes creaturas in ipſarum primo principio: qui autem ſibi vindicat hunc honorem eſt inimicus Dei, impius, dùm vult pro Deo haberi, & cæteras creaturas relicto Dei nomine circa ſuum occupari. Quid iniquius quàm ſi velit honorari ipſummet opus, quod factum eſt ad honorandum? peccat contrà legem communem naturæ: remanet vacuus, quærens exteriora non interiora, ſibi nocet, nec ſuam quærit vtilitatem, à Dei gloriâ inſeparabilem.

Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ via in verâ Religione ſit conſtituta, in quâ vnus Deus colitur & purgatiſſimâ pietate cognoſcitur: Principium naturarum omnium, à quo vniverſitas & inchoatur & perficitur & continetur; hinc evidentiùs deprehenditur erroreorum populorum, qui multos Deos colere, quàm vnum verum Deum & Dominum maluerunt. D. Aug. l. de ver. Relig. c. 1.

Vera Religio eſt, quâ ſe vni Deo anima, vndè ſe peccato velut abruperat, reconciliatione religat. lib. de quant. anim. cap. 36.

Templum, ſacerdos & ſacrificium, & omnia quæcumque ad hæc pertinentia non niſi vni vero Deo debent exhiberi. Epiſt. 43. q. 3..

Ego Dominus hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Iſai. 42.

Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere omnia nomine D. noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & patri per ipſum. Coloſſ. 3.

Nos vnum Deum colimus, quem omnes naturaliter noſtri, ad cujus fulgura & tonitrua contremiſcitis, ad cujus beneficia gaudetis. Ter. ad ſcap. 82.

Laudemus Deum Patrem & Filium vna cum Spiritu ſancto, qui vnus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui eſt vndequaque bonus, vndequaque pulcher, vndequaque ſapiens, vndequaque juſtus, cui gloria eſt in ſecula. Clem. Alex. l. 3. Pedag.

Honor debetur alicui ratione excellentiæ. D. Th. 2. 2. q. 81. a. 4. Secundùm veritatem ſolus bonus eſt honorandus 1. 2. q. 145. a. 1. ad 2. Nemo bonus niſi Solus Deus: Soli etiam ratione excellentiæ primariæ gloria debetur. Parentibus, autem Regibus, Prælatis, Magiſtratibus, quia illam referunt.

Sacrificium propriè dicitur aliquid factum ad honorem debitum ſoli Deo, ad eum placandum. 2. 2. q. 81. a. 4. ad 1.

Afferte Domino gloriam & honorem, & date gloriam laudi ejus. Pſal. 7. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113. Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Tim. 17.

Qui timetis Deum, Laudate eum. Pſal. 21. Dei non veſtram gloriam querite. D. Auguſt.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum Pſal. 5. Adeſt enim illis fruitio ejus quem diligunt: & benè in te, tanquàm poſſidentes hæreditatem. Et habitabis in eis, fiunt enim templum Dei. D. Auguſt. in d. Pſal.

Dicitur Eccleſ. 31. Ne laudaveris hominem in vitâ ſuâ: at Paulus dicit vivo ego, jam non ego; cum ergo laudatur homo in quo jam vivit, non ipſe, ſed Chriſtus, non in ſuâ laudatur, ſed in Chriſti vitâ, ac per hoc non laudatur. D. Bernard. Epiſt. 23. ad Atton. Epiſ. Trecenſ. *Vide Glor. Prine.*

HONORIS CONTEMPTVS.

DEMONSTRATIO.

BOnitas. Hoc primum virtuti propoſitum eſt, vt ſibi ſufficiens propriis ſtet bonis, non extrà quæſitis, à fortunâ & opinione mandicatis: Imitari nititur Deum, etiam ſinè laudante creaturâ ſummè fœlicem, & Solem ſinè mirantibus ipſum oculis ſplendentem.

Magnitvdo. Sapienti populus pro vno eſt, ponderanda ſibi videntur, non numeranda judicia: plùs apud ipſum eſt viro bono, & ipſi propriæ conſcientiæ quàm numeroſæ plebi placere. Virtutibus carenti magnum videtur, ſi hoc externum bonũ in ſubſidium veri contingat. At qui virtute prædirus eſt, exiguum quid reputat, dici quod talis ſit, cum hinc nihil illi accedat, ſed aliis.

Dvratio. Fama falsò dicitur immortale bonum, cum nihil ſit illâ mobilius: fugit enim iiſdem quibus ſe ad præconium inſtruxerat alijs, momentoque in contraria vertitur. Etiam præclarè geſtis multi ſe interſerunt defectus, quos tot vigiles invidentium oculi facilè deprehendunt & maledicum ora divulgant in quæſitæ prius opinionis necem; ſic diuturna fama vel vno cadit ictu, turpiuſque videtur præteritis rectè factis & cõceptæ huic opinioni non reſpondere. Quis ergò inniti velit bono tàm fragili, & ad graviores caſus hominem ſublevanti.

Potestas. Dignitates & Principum auleas averſatur ſapiens. *Vide Vol. Poteſt. Rep. & Glor. Virt. Quieta & ſolitaria virtus:* Vndè famam his parandam miniſteriis ſibi non putat eſſe convenientem vt libertati ſuæ inſidianteni, & quem vult latere theſaurum prodentem. Regnum illi ſecurum eſt in paſſiones, tunc cum nulli nec domeſtici, nec exteri ſunt hoſtes qui inſurgant.

Cognitio. Sapiens Chriſtianus accedit ad humanum theatrum ſpectator, non actor, ſedet opinionum judex, videt non ambit fallaces mundi ſenſus: Peritus artifex, non ſuſtinet plebem de operis ſui prætio temerè pronuntiantem, non credit cæce de coloribus judicanti; quanta judiciorum perverſitas, ſi populus falſi reus partes agat judicis, hancque judicij iniquitatem omnes vt oracula ſuſpirant & venerentur.

Volvntas. Si fama tot efficit amicos, quot habet præcones, illam veretur ſapiens, eo quod invitum in multorum traducit amicitiam, libertati, otio integritati, ſegregatæ à vulgi moribus vitæ plurimũ noxiam? quid enim prodeſt ſuis paſſionibus legem dixiſſe, ſi in alienas amicitiæ titulo incurris, ſicque aut ex fœdere noxam, aut ex repulsâ iras pati neceſſe ſit.

VIRTVS. Cum minor ſit bonorum numerus, contumelioſum ſapienti videtur, ab illaudatis laudari, & populo placere, cui vera non placent. Fugit pietas humanos oculos, Divinis contenta. *Vide Cognit. Virt. Rep. Latens Virtus.* Infirma ſanè hæc eſt virtus, quæ aliquid in humanis extrà ſe quærit, quæ ſubſiſtentiam à re tàm volubili mutuatur. Nulla eſt Fortitudo, proprijs non pugnans viribus, nec niſi turbæ permixta. Nulla Prudentia, vanum & fucatum pro ſolido & vero eligens. Nulla juſtitia citrà legem æternam hominibus volens placere. Nulla Temperantia ſuis ſe non continens finibus, ſed in exteros exceſſus proclivis.

VERITAS. Cœli civis alijs vivit legibus, & indignum putat laudari ab his, quorum mores non ſequitur. Multi virtutem præconijs celebrant, vt videantur illâ præditi, boniſque affectant conſentire, vt hac induti larvâ occultiùs, tutiuſque graſſentur: Alienum eſt à virtute talibus dolis præbere materiam, ſtructiſque in ſeipſam inſidijs favere.

GLORIA. Soli Deo debetur honor & gloria, falsò autem decernuntur & excipitur ab hominibus, vt qui non habent ſinceræ virtutis in occulto reſidentis, nec notitiam, nec meritum: non quietos, ſed magis ſollicitos efficit honoris cupido; nam cum tale bonum pendeat ab hominum volubili opinione, ſemper inquietos, timidoſque habet ſui poſſeſſores. Sufficit viro bono teſtimonium conſcientiæ, & vox interna Dei in filium adoptantis. *Vide Glor. Virt.*

DIFFERENTIA. Per hominum ora volitare, hoc eſt diſpergi, ſi ſequaris affectu: integras autem animi ſui vires ſibi ſervat ſapiens, & ab externis ſe colligit in vnitatem propriam, vt contingat divinam. Non eſt fuga ſæculi, hominibus adhuc velle placere, eorumque vota promereri.

CONCORDANTIA. Suſpecta imò famoſa eſt laus improborum: verendum enim eſt nè ſua in nobis laudent, aut eſcâ gloriæ nos in ſimilitudinem ſuam allitiant. Inita cum cœlicolis ſocietas, ſancitumque fœdus, mundanos contrarijs viventes legibus in amicitiam non recipit, etiam palpentes & laudantes.

CONTRARIETAS. Etſi virtus cum multis congrediatur hoſtibus, dedignatur tamen externum humanæ laudis auxilium, nec vult ſalutem ſuam vanitati debere. Cæterùm hæc laudis publicæ vox, hoſtes non tàm terret quàm allicit, invidiam cæteraſque nocivas paſſiones, vt frementes belluas, hoc applauſu in bonorum perniciem concitat. Ipſum laudare, eſt denuntiare quem impetant, ſic iterùm Ieſus à ſuis oſculo verbiſque officioſis traditur.

PRINCIPIVM. Bonus parùm curat de laude, ſed multum de virtute, quæ eſt veræ laudis origo; relictis rivulis honeſti quærit fontem, ipſomet ſole vult frui, ſecurus hinc ſibi non defuturùm ſplendorem. Agit coràm Deo, ac ſi nulli mortalium intenderent oculi, nullaque ad celebrandum parerent ora: Revocat primæ ætatis fœlicem ſtatum, in quo ſolus homo, tunc innocens, ſoli Deo ſpectanti & juvanti colludebat.

MEDIVM. Inter vltimam virtutis aut privationem, aut habitudinem, medium quoddam eſt velle vidéri & dici bonus, conſcientia & pudor revocant ab extremâ malitiâ; infirmitas dejicit à ſupremâ virtute, vndè vt plurimùm medius hic ſtatus hominibus contingit, qui tantùm in virtutis ſpeciem laborant, putantque ſibi ſufficere ſi dicantur, etſi non ſint boni: hinc gloriam ipſam in gloriam efficit vſus, eo quod illam plerique in vitiorum excuſationem advocent; vndè renuit virtus tali pallio, licet ſplendido, ſed malorum perversâ conſuetudine infamato, reg.

FINIS. Intentus vltimo ſuo fini animus non advertit circà ſe populorum, ſeù plaudentium, ſeù frementium rumores; his nec movetur nec ſiſtitur, imò ex ſeneſcente intrà breve tempus Heroum fama, ex deletis monumentis quæſitæ tot laboribus gloriæ, diſcit humanæ laudis vanitatem, illamque aut vt ſuperfluam negligit, aut vt nocivam, & à propoſito mentes blandè avocantem, vitat.

MAIORITAS. Qui famam ſectatur innumeris ſervit Dominis, & hoc ipſo titulo quo videtur eminere deprimitur: Quid juvat elevari ad præcipitium, & ſic celebrari, & vertente fortuna noti nominis infamia ſit turpior? Sola virtus homini etiam extrà plebis ſpectaculum poſito veram præſtat excellentiam, cuno enim ſuprà ſenſus & mortalia ſublevatur.

ÆQVALITAS. Sapientibus vt Beatis familiaris, exulat ab eo, cui gravis incumbit partæ gloriæ tutela, cum enim externum hoc bonum pendeat ab incerta & mobili hominum opinione, varias formas induat neceſſe eſt, verſatili ſit inter homines ingenio, & vitæ inſtituto, qui cupit illud conſequi; Hoc ergò paci, quieti, æqualitati bonum infenſum averſatur, aut ſaltem contemnit ſapiens.

MINORITAS. Minor in hominum opinione liberior & ſecurior latens intereſt humanis ſpectaculis: ſpreto honore faciliùs cætera externa bona contemnuntur, vt quid jam egenti naturæ falſa adſcribimus bona? quorum rara, incerta paucis inter multos contingens poſſeſſio, cæteris illa privatis, ipſis etiam ruinæ ſemper proximis poſſeſſoribus cedit in ſupplicium.

VOLVNTAS ET SPES *Beatitudinis.*

APud Lucianum dialogo Iupiter Tragœdus. In concilio Deorum Iupiter decernit exterminandos Philoſophos, qui negant Deos habere curam rerum mortalium, & animam poſt hanc vitam puniendam aut præmiandam, quia ſi ceſſent homines ſperare, ceſſabit omnis Divinitatis cultus.

Via noſtra Chriſtus eſt: Chriſtum attende, pati venit, ſed & glorificari: contemni, ſed etiam exaltari; Mori, ſed etiam reſurgere; opus te terret, mercedem vide. D. Auguſt. ſerm. 6. de Verbis Domini. cap. 11. *Vide Glor. Virtutis.* De remuneratione virtutis, & Remuneratione cœleſti.

Quicquid eſt quod ſævit pro nomine Chriſti, ſi poteſt vinci, tolerabile eſt; ſi non poteſt vinci, migrare hinc facit; non extinguit. ſed accelerat ipſum præmium, ipſam dulcedinem, quæ cum venerit, ſinè fine erit: opus cum fine, merces ſinè fine. D. Auguſt. de diverſ. ſerm. 35. cap. 4.

Omnes appetunt id in quo conſiſtit communis ratio Beatitudinis. D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 8.

Hinc timor Dei, qui eſt aut filialis, ſervilis, aut initialis. q. 19. art. 2.

Moyſes dicit Deo, Oſtende mihi faciem tuam. Exod. 33.

Voluntas neceſſariò appetit Beatitudinẽ. 1. q. 19. a. 1.

Omnes homines naturaliter appetunt Beatitudinem, non ſolùm perfectam, ſed etiam qualemcumque ſimilitudinem & participationem ejus. 1. q. 2. a. 1. 12. q. 3. a. 6. ad 2.

Charitas eſt amor Dei, non qualiſcumque, ſed quo diligitur Deus vt beatitudinis objectum. 1. 2. q. 65. a. 5. ad 1.

Motus mentis humanæ in Dei fruitionem, in quâ consistit vita æterna, est actus charitatis. 1. 2. q. 114. a. 4.

Charitas pro objecto habet vltimum finem, scilicet beatitudinem æternam. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 3.

Vltimus effectus positivus gratiæ, est pervenire ad gloriam. 3. q. 62. a. 6.

Nihil petere debemus in oratione, nisi in ordine ad beatitudinem 2. 2. q. 17. a. 2. ad 2.

Omnes fines scientiarum practicarum ordinantur ad beatitudinem æternam, sicut ad vltimum finem. 1. q. 1. a. 5.

Objectum principale spei est gloria animæ: objectum ejus habet quatuor conditiones, scilicet bonum, arduum, futurum & possibile. 1. 2. q. 40. a. 1.

Spes est de beatitudine, vt de vltimo fine, sed est de gratiâ, vt de ducente ad finem. 1. 2. q. 69. a. 2. ad 1.

Finis virtutis acquisitæ est bonum civile ad quod dirigit, finis verò virtutis infusæ est beatitudo cœlestis. 1. 2. q. 63. 4.

Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere anathema sit. Conc. Trid. de justif. sess. 6. can. 8.

De metu. *Vide Differ. Contr.* Fuga contrarij.

Fratres mei dilecti stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes quod labor vester non est inanis in Domino. 1. Cor. 15. in f.

Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, &c. 2. Cor. 5.

Momentum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. sic. se consolatur.

Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba Pater; si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Rom. 8.

Bonum certamen certavi, cursum consumavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddit mihi Dominus in illâ die justus judex. 2. Timot. 4.

D. Christo dicit Hebræhor. 12. Propositio sibi gaudio sustinuit crucem.

In lege Naturali, Scriptâ, & Evangelicâ Deus voluit à nobis cognosci & coli vir bonus: Regnum cœlorum, inquit, vim patitur. Math. 11. Comparat thesauro abscondito. Math. 13. Consolatur afflictos spe præmi cœlestis. Math. 15. Discipulos excitat ad abdicationem rerum omnium, spe futuræ in cœlo remunerationis. Et quod illic judicabunt duodecim tribus Israël. Math. 6. In his & similibus Christus magister perfectionis non dedisset motiva spei, si forent gloriæ speratæ & propositæ ab eo impedimenta.

Fecisti nos Domine ad te, inquit. D. August. 1. Confess. 1. Ergò qui vult ad ipsum pervenire, implet æternæ providentiæ ordinem. Mercenarius est qui quærit virtutem propter aliquid ipsâ inferius: at quærere ipsam propter Deum fruendum, est sibi proponere finem omnium excellentissimum. Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Psal. 118. Non est amor proprius, qui fertur in summum bonum, naturæ, & omnis rectæ voluntatis centrum. In quem desiderant Angeli prospicere. 1. Petr. 2.

Luc. 23. Latronis pietas in hoc tantùm apparet, quod dicit Christo, momento mei dùm veneris in Regnum tuum. Martyrologium Roman. 9. Martij, inter Martyres censet carceris custodem, qui visis coronis triginta novem Martyrum, quadragesimo deficienti se substituit. Hæc & alia scripsi. lib. de misericordiâ Dei. part. 1. cap. 23.

Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus, sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quandò veniam & apparebo antè faciem Dei. Psalm. 41.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam. Psalm. 54.

Deus Deus meus ad te de luce vigilio, sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Psal. 62.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Dominis: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Psal. 83.

Propter nimium beatitudinis desiderium sancti contemnunt vitam hanc. *V. Vol. Dur. Rep. & Vol. Fin.* Ideò gaudent adversis. *V. Vol. Cont.* Hinc Martyrum constantia. *Vide Dur. Verit.* de Martyrio.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo, inquit Paulus. Heu mihi quia incolatus meus prolõgatus est. Ps. 119.

Vicerunt sancti, quia vt dicitur Sap. 10. Ostendit illis regnum Dei: Mulier cum parit tristitiam habet. Ioan. 16. Hic Ecclesia, parturit gemendo, in cœlis paritura lætandò; Nunc parturit desiderando, tunc paritura cernendo; Nunc parturit orando, tunc paritura laudando, &c. Deum. Aug. tract. 10. in Ioan.

Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Quid est aliud hæc consolatio? quàm procedens de spe veniæ gratiâ devotionis, & suavissima delectatio boni, & gustus sapientiæ, licet exiguus, quibus interim benignus Dominus refrigerat animam afflictam: sed gustus ille nihil est aliud quàm irritamentum desiderij, & incentivum amoris, sicut scriptum est, Qui edunt me adhuc esurient. D. Bern. ser. in festo omnium Sanctorum, & quod festis Sanctorum accenditur in nobis beatitudinis desiderium. *Vide Gloria Virtutis.*

Ducitur populus per desertum, sic baptizati omnes nondùm perfruentes promissâ patriâ; sed quod non vident sperando, & per patientiam expectando, tanquam in deserto sunt; illic laboriosæ tentationes, Christus tamen non deserit, quia columna non recedit. D. Aug. l. 12. cont. faust. c. 30.

In manibus portabunt te, &c. Duæ manus duæ sunt demonstrationes, videlicet tribularionis brevitas, & æternitas retributionis, Pingitur ab Angelis, & imprimitur cordi vt intimo affectu sentiat, Quàm momentaneum hoc & leve tribulationis, &c. D. Ber. serm. 11. in Psal. 90. Qui habitat.

A memoriâ Regni cœlestis Christus conciones suas inchoavit. Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum; de illo ferè omnes parabolas composuit. Simile, inquiebat factum est Regnum cœlorum, &c. In quadraginta diebus inter resurrectionem, & ascensionem apparens discipulis, loquebatur de Regno Dei Act. 1. Itaque initium, & progressio & consummatio sermonum Christi Regnum cœlorum fuit. Hinc terrenorum contemptus; Primum quærite regnum Dei, &c. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; Qui anxiè & avide quærunt arborem ad sanitatem gentium in paradiso positam. Apoc. 22. Habemus ejus folia per septem & desideriſi, cœlicolæ fructus per possessionẽ. Bellar. l. de æter fœl.

Primus apud Græcos Pheredices Assyrius, cum de animæ immortalitate disputasset, Pythagoram Samium disputationis novitate permotum, ex Athletâ in Philosophum verit. D. Aug. Ep. 3. Volus.

Deus sanctificavit diem septimum in quo requievit, non vt in istâ vitâ non quiescere existimemus, sed vt omnia quæ benè operamur non habeant intentionẽ, nisi in futuram requiem sempiternam. Id. Ep. 119.

Spe gaudentes Rom. 12. Vt cogitantes requiem futuram; neque enim in tempore vtiliter vivitur, nisi

ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. Vnam petij à Domino hanc requiram, &c. vt quid ergò in multa dispergimur, vt quæramus quid oremus, cum id tantùm orandum sit? Idem Epist. 121.

Pro bonis operibus speraſti terrenam fœlicitatem, impius es, non est ista merces fidei, cara res est fides, vili illam addixisti, impius ergo es, & nulla sunt ista opera tua, moveas licet in bonis operibus lacertos, & vt videaris navem optimè gubernare, in saxa festinas. Id. in Psalm. 31.

Notum fac mihi numerum dierum meorum, quis est, vt sciam quid desit mihi. Psalm. 38. Isti dies non sunt, antè abeunt penè quàm veniant, & cum venerint stare non possunt, jungunt se, sequuntur se, & se non tenent, nihil de præterito revocatur, quod futurum est, transiturum expectatur; nondùm habetur dùm non venit, non tenetur dùm non venerit, & quod me difficilius perturbat, & est, & non est; nec esse possumus dicere quod non stat, nec non esse quod venit & transit. Est illud simplex quæro, Est verum, Est germanum, Est quod est in illâ cœlesti Ierusalem non transiens, sed manens? ostende ergò numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi? hoc enim mihi deest hîc laboranti, & quandiù mihi deest non me dico perfectũ; vt sciam quid desit mihi, quia nondùm ibi sum, & in comparatione illius quod est attendens ista, quæ non ita sunt, & plus videns mihi deesse quàm adesse ero humilior. Id. in Psal. 38.

Te decet hymnus Deus in Sion. Psal. 64. Non in Babilonià & confusione mundi, tunc hymnum Deo dicimus, cum cœlos mente inhabitamus; Conversatio nostra in cœlis est. Philip. 3. In carne enim ambulantes, non secundùm carnem ambulamus, quasi anchoram in illam terram præmisimus, nè turbati in isto mari naufragemus; navis autem quæ in anchoris fluctuat, in terrà in quâ hærent anchoræ esse dicitur; anchora contrà tempestates, spes contrà tentationes. Canto vbi sum corde non ore, carnem sonantem audiunt & cives Babyloniæ; cordis sonitum audit Conditor Ierusalem, sic exhortatur Paulus. Ephes. 5. Cantantes in cordibus vestris Deo. Id. in Psal. 64.

In habitabit in atrijs tuis: replebimur in bonis domus tuæ. Psal. 64.

Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & scopebam spiritum meum. Psal. 76. Hic est effectus spei.

Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dùm recordaremur tui Sion. Videns fluenta mundi non illis rapitur, sed desiderio fertur in Sion: O sancta Sion, vbi totum stat, & nihil fluit; O pax illa quam videbimus apud Deum: O illa sancta æqualitas Angelorum, O illa visio, & spectaculum pulchrum; pulchra quidem sunt in Babyloniâ, sed nos non decipiant; aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. In salicibus infructuosis mundi arboribus suspendimus organa nostra; non enim possumus delectari in mundanis. Si non meminero tui adhæreat lingua faucibus meis. Canticum delectationis sæculi lingua est aliena, lingua barbara, quàm in captivitate didicimus; parùm est meminerunt hostes, vt evertant; at ego amore, vt consequar. Si non proposuero, Id. in Psal. 136.

Cantate Domino canticum novum. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna, ipsa dilectio nova est, & æterna; ideò semper nova, quia nunquam veteraſcit; antiqua autem, quia Christus vita æterna in principio erat verbum; Canticum novum, canticum charitatis. Idem in Psalm. 149.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Ps. 41. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in adventu, sed quandò veniam; quod citius est Deo, longum est desiderio: ex illo desiderio procedit vox. Vnam petij à Domino, &c. Psal. 26.

Miror cœli & terræ pulchritudinem, Solem Lunam, sed nondùm ibi stat sitis mea, hæc laudo, sed eum qui hæc fecit sitio. Idem in Psalm. 41.

Per has mortalis ævi moras, meliori vitæ, longiorique proluditur: Quemadmodùm novem mensibus nos tenet maternus vterus, & præparat non sibi, sed illo loco in quem videmur emitti, jam idonei spiritum trahere, & in aperto durare: sic per hoc spatium quod ab infantiâ patet in senectutem, in alium naturæ sumimur partum, alia origo nos expectat, alius rerum status; nondùm cœlum nisi ex intervallo pati possumus, dies iste, quem tanquàm extremum formidas, æterni natalis est; hæres & reluctaris, tùm quoque magno nisu matris expulsus es: gemis, ploras, & hoc ipsum flere nascentis est; quid contristaris corpus dissolvi? pereunt semper velamenta nascentium, istis non tuis opertus es, veniet qui te revelet dies, & ex contubernio fœdi & olidi ventris educat; hinc altius, sublimiusque meditare, aliquandò tibi naturæ arcana detegentur, nulla serenum vmbra turbabit, dies & nox aëris infimi vices sunt, &c. Sen. Ep. 102.

BONÆ ET MERITORIÆ sunt actiones factæ ad consequendam Beatitudinem.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Duplex in nos Dei beneficium, quod nos fecerit capaces suæ beatitudinis, & quod hanc capacitatem aliquandò velit implere; medium autem quod interjacet tempus, spes occupat, nè detur vacuum; Optimumque nobis est saltem desiderijs præoccupare fœlicitatem, quàm divina bonitas nobis est aliquandò largitura; aliquin sperni videretur donum, simul donator, si ad excipiendas divinas largitiones sinum non haberemus semper paratum. Vitæ proprium est non cessare ab actione, quâ sibi meliora potest consequi; hîc ergo licet spei præoccupare futuram beatam vitam.

Magnitvdo. Hæc intenta & sperata Beatitudo argumentum est animi tantæ capacitatis, vt terrenis impleri non possit, sed tantùm Divinis. Inge sacrificium laudis offertur Deo, quem agnoscimus solum infinitæ bonitatis, & extrà quem nulla fœlicitas. Toties mens terrena abdicat, quoties illis spretis in Deum fruendum fertur: quis dicat hunc ingentem divinitatis sensum sinè merito nostris actionibus inspergi?

Dvratio. Prudentiæ vigiles oculi maximè in futurum intenti sunt: finis, licet diù dilati, intentio legem dicit secuturis actionibus, longamque earum seriem dirigit: cur non liceat & vltimum finem, scilicet beatitudinem, intendere? æternum Dei erga seipsum amorem; quantùm hic licet, æmulari? Et vt homo, temporis legibus solutus, potest Deo antè tempus omne in seipso summè beato congratulari, sic & anticipatâ quadam fruitione potest per spem illi adhærere.

Potestas. Non est in nobis frustrà hæc potentia, quæ futurum præoccupat; Et si honesta, si vtilis est in moralibus, erit in Divinis, & ratione vltimi nostri finis consequendi meritoria, nam & ratione illius spei concipiendæ nobis concessa est: vt malus non sinè culpâ liberè desiderijs in mortalia & caduca diffluit,

ſic bonus non finè merito ad æterna ſuſpirat. Rectiùs non poſſum vti libertate mea, quàm ſi totam illam addicam Deo, cujus totus ſum, illum jam videre & poſſidere eſt, dùm cupio ab illo poſſideri. *Vide Virt. Vol.* Velle amare, eſt ipſum amare. *Vide Æqual. Volunt.* Mutuus Dei & hominum amor. Dum cupio fieri beatus, opto regnum Dei in perpetuum, & hæc ſumma pietes non eſt ſinè merito.

COGNITIO. Beatitudinis ſeù innata ſeù acquiſita, ſeù infuſa cognitio, amorem deſideriumque illius, neceſſario quodam potentiarum conſenſu, conciliat, hæc ſumma pulchritudo toties per ſcripturas, inſpirationes, Eccleſiæ miniſtros menti non proponitur, niſi vt ametur. Et ſi peſſimus eſſet torpor illâ non affici, vt ſumma eſſet impietas illam contemnere; ſic meritorium eſt illam appetere & ſperare. Suadetur à patribus beatitudinis meditatio, ad quid niſi vt illius in nobis accendatur deſiderium.

VOLVNTAS. Corpora fiunt viciniora ſuis centris, eo motu quo in illa feruntur, ſic accedit ad beatitudinem Chriſtianus, & ipſo ſpei motu quæſitiſque ab eo meritis, quo ipſam appetit. Amor moras non patitur, properat ad fruitionem; ſic eſt ordinata charitas vt ad vltimum finem omnia revocet, ad quem debent omnia referri: hic autem lege divina ordinatus motus non eſt ſuſtraneus, & ſinè merito. Centra non repellunt in ſe motu naturali tendentia, & quomodò Deus repellet ad ipſum tendentem animam, motu quem ipſemet gratiâ ſuâ impreſſit, bonitatis ſuæ radijs, pulchritudinis ſuæ ſplendore promovit. Dùm mihi volo Deum fruendum, non meipſum amo, ſed Deum, cujus ſic impleo voluntatem, quæ me ad ſe creavit; me priùs amanti, vocanti, trahenti volo me totum tradere, cupio ſtatum in quo perfectiùs illi poſſim adhærere: Et hæc ſaltem in votis adhæſio non eſt ſinè fructu.

VIRTVS. Religio quæ hominem ad perfectionem promovet congeſtis meritorum theſauris, tota eſt in Beatitudinis vehementi deſiderio, & abſentiæ ſolatium æmulatur Beatorum Hierarchicas actiones, vndè Eccleſia cœlum dicitur. Qui ad divina ſuſpirat non corrumpitur hujus mundi proſperis, non dejicitur adverſis, facilè ſe temperat ab earum rerum exceſſu, quarum vix neceſſarios vius admittit; hæc ſummi boni futuri cupiditas attentos habet omnes Prudentiæ oculos, ne quid ipſam moretur, aut impediat; Æquâ juſtitiæ lance probat cœleſtia terreſtribus præponderare, humanis divina, temporalibus æterna: Quis autem dicat ſinè merito virtutes omnes ſic ſpei collaborare.

VERITAS. Chriſtus primus & peritiſſimus perfectionis magiſter, nos ad mundi, noſtrique abdicationem, ad charitatis & pietatis officia provocat, propoſitis ſemper æternæ Beatitudinis præmijs. Certè non propoſuiſſet, non ſuaſiſſet hanc gloriæ intentionem, ſi foret ſinè merito, & ſi bonis ex ſe actionibus meritum præriperet, illaſque aliquâ amoris proprij notâ inficeret. Non eſſet Chriſtus via, ſi nobis ad Beatitudinem ipſummet per quem nos vocat aditum præcluderet; non eſſet veritas, legi ſuæ impoſſibilia & contradictoria permiſcens; non eſſet vita mortem inferens, venumque peccati permiſſens operibus, quibus cœlumque debemus promereri.

GLORIA. Motus innititur quieti, & hic humanæ vitæ circuitus regularitatem accipit à propoſito ſibi beatitudinis centro: hujus ſummi & æterni boni dulcedine delinita mens externis omnibus fortior eſt: ſpe triumphi, momentaneum putat eſſe quod ſuſtinet, quoniam & quod tolerat gloriæ pars eſt. Quis forti viro calumniam inferat, eo quod velit adipiſci præmia, triumphos & coronas? Non eſt hoc meriti præjudicium, ſed incentivum & argumentum.

DIFFERENTIA. Varij varijs ducuntur affectibus, ſed affectus Beatitudinis omnibus communis eſt, vnde patet quod eſt naturalis, à Deo inſitus & bonus: Si oblivio, ſi fuga, ſi contemptus beatitudinis malum eſt: ſequitur quod ejus memoria & cupido eſt bona. Qui deſiderio & ſpe ſuperiora contingit, abeſt ab inferioribus, & quodam poſtliminio patriæ ſuæ cœleſti reſtituitur fœlix; qui ſic à terrenis fœlicitatis contemplatione abſtrahitur, nam mirâ ſuavitate conſequi poteſt idipſum, quod aſpera mortificationis exercitia ſibi proponunt, non inæquali merito, cum par in vtriſque poſſit eſſe charitas: imò dignius videtur ſpei infuſæ quàm vltrò ſibi impoſitæ pœnitentiæ principium.

CONCORDANTIA. Vna eſt adhuc militantium & jam Beatorum Eccleſia, vnum corpus, vo plenum & motum ſpiritu: inter has ſuperiores & inferiores partes arcta eſt connexio charitatis. Vt igitur ad nos deſcendit Beatorum influxus, poſſunt merito ad ipſos aſcendere noſtra deſideria, poſſumuſque ſpes noſtras illuc præmittere, quaſi in nobis propria, affectus vnione, & nobis præparata divinæ prædeſtinationis decreto, Chriſtique capitis noſtri meritis.

CONTRARIETAS. Si licet mala prævidere, vt minùs noceant, liceat bona præguſtare vt plùs delectent, ne minùs obtineat apud nos mali quàm boni conditio. Pluſquàm tyrannicum eſſet in miſeros imperium, ſi crimini imputaretur, quod cæci lucem, ægri ſanitatem, ſervi libertatem, exules ad ſuos reditum, torti doloris ceſſationem, tempeſtate vexati portum optarent, & ſi hæc vota, calamitatis naturalia ſubſidia, afflictorum obſtarent liberationi.

PRINCIPIVM. Redeunt omnia in principium ſuum, vndè duxerunt originem. vndique patet oceanus fluvijs vaſto gurgite in ipſum refluentibus: expectat terra immobilis ruentes in ſe corporeas moles, & licet præcipiti in ipſam motu colliſa, redeuntibus tamen altam concedit quietem. Se quodammodò quærit, fovet, promovet principium, dùm à ſe revulſas partes iterùm in ſe redeuntes excipiendo ſibi conſolidat; vndè naturalia impreſſo à principijs ſuis motu in centra ſua feruntur; Pater familias reverſum ad ſe filium, licet prodigum lætus excepit: nec tàm miſero, quàm orbæ ſuæ familiæ, & ei qui intùs rogat affectui videtur auxilium præſtare. Verum eſt quod noſtris non eget Deus; nobis tamen in ipſum votis ſpe & effectu tendentibus impletur æternum ſuum decretum quo voluit omnes ſalvos ſibique conformes fieri. Quis autem ſic divinæ voluntati cooperans non mereatur?

MEDIVM. Hìc in rerum meditullio medij inter miſeriam & beatitudinem, vt miſeriam verò ſenſu contingimus, ſic ſaltem liceat ſpe, votiſque beatitudini cohærere. Si autem meremur mala patienter tolerando, multò magis poſſumus mereri bonis æternis effuſo noſtro affectu cohærendo. Nam ſuperioris noſtræ partis cum beatitudine cognatio dabet prævalere, & meritum magis conſentit cum ſpe gloriæ, quàm cum adverſi tolerantiâ, ſpes enim eſt motus in ipſam gloriam.

FINIS. Beatitudo eſt finis vltimatus naturæ noſtræ; centrum quo regulari debent vagi & interminati motus noſtræ mentis, & in quo tandem debent quieſcere; eſt idæa & ſcopus agendorum, eſt plenitudo perfectionis, cui præludit omnis hîc imperfecta noſtra virtus: Quis igitur prohibebit affectus noſtros recto & citiſſimo motu in illam ferri: ſi enim illius conſecutio, etiâ appetitio bona erit, nam motus denominatur à termino ad quem, & in moralibus appetitus à fine.

MAIORITAS.

MAIORITAS. Major quidem eſt perfectio Deum propter ſe, quàm vt fruendum diligere. *Vide Verit. Vol. & Mag. Vol.* ſed vt in cœlo, ſic in Eccleſiâ infimæ manſiones bonæ ſunt, licet cæteris ſuperioribus impares, licet charitas non ſit in omnibus eadem menſurâ, eſt tamen in omnibus meritoria.

ÆQVALITAS. Licet hîc ex mûdo conſcendere etiam inæqualibus gradibus ad inæqualem ſuamâ beatitudinem. Illic omnibus indeficiens quies, ſed ad illam non æquâ omnes perveniunt viâ. Toleranda hîc minor charitas, quæ tandem adoleſcet in perfectam ætatem, & quæ in abſolutam Beatorû charitatem reſolvetur.

MINORITAS. Etiam minima diligenti curâ ſervanda ſunt, ſi magnis rebus parandis ſint vtilia: ſpes minor eſt charitate, ſed tamen colenda eſt, cum per ipſam accreſcat charitas; vndè & à Theologis in numerum virtutum Theologicarum reducitur, & ſecundum ſcripturam, fides, ſpes, charitas, tria hæc, ſimul quaſi germana enumerantur, quamvis major horum, ſcilicet fide & ſpe ſit charitas.

VIRTVS GLORIÆ.

HÆC COMBINATIO TOTA PENDET EX ſuperioribus, vt ex Bonitate, Magnitudine & cæteris combinationibus Gloriæ, quas conſule.

VIRTVS PACIS ET QVIETIS.

MISCELLANEA.

PACIFICI abſtrahunt ſe à tumultu negotiorum humanorum. *Vide Volunt. Poteſt. Rep. & Glor. Poteſt.* de alterna requie regentium; *& Gloria Virtutis.* Quieta & ſolitaria virtus.

Omnes muſculi dùm quieſcunt, ſunt recti, dùm verò agunt per contractionem, quæ dilatat mediam eorum partem, Sic rara virtus in actione publicâ. *Vide Virtus Poteſtat. Repugn.* difficilis in regimine probitas.

Rerum inſenſibilium, & ferarum proprium eſt vi ſibi ſubjicere inferiora, & militantibus potentioribus qualitatibus imperium ſibi in infirmiora vindicare: Actatione, conſilio, virtute ſuperare intelligentis naturæ, ad divina accedentis, munus eſt, hinc odioſa Tyrannis, quia vt plurimûm inſoleſcens nimia poteſtas. *Vide Major. Poteſt. Mala. & Poteſt. Cognit.*

In obſervantiâ Sabbathi ſanctificatio eſt finis, præceptumque eſt ceſſare ab opere mechanico. D. Tho. 2. 2. q. 122. a. 4.

Die Dominico operari non permittitur. Concil. Aurelian. can. 21. Et tamen eâ die ſtantes jubemur orare, quia eſt operativa hæc quies, ſcilicet in ſpiritualibus. De diei Dominicæ cultu religioſo vide multa in Concil. Matiſc. 2. can. 1. De eodem. *Vide ſuprà Gloria Virtutis.*

Virtutes intellectuales ſpeculativæ præferuntur virtutibus intellectualibus activis. D. Thom. 1. 2. q. 68. a. 7.

Acquieſce ergò ei & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Iob. 22.

Ex pax Dei quæ experat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra in Chriſto Jeſu. Philip. 4.

Diſciplinam in pace conſervate fi'ij. Eccleſ. 41.

Pacem habete & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. 2. Cor. 13.

Cuſtodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Pſalm. 37.

Beati Pacifici quoniâ filij Dei vocabuntur. Matth. 5.

DELECTATIONIS.

DElicia quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, non officiunt. can. deliciæ. diſt. 41.

Delectatio ſe habet in fœlicitate contemplativâ, vt genus, & operatio quæ fœlicitas eſt, ſicut differentia ſpecifica. Albert. Magn. *Vide Glor. Cognit. & Glor. Virt. Glor. Voluntatis.*

Delectatio ſecundùm voluntatem eſt menſura & regula omnis actus moralis, non autem delectatio ſecundùm ſenſum. D. Thom. 1. 2. q. 34. a. 4.

Delectari propter ſe formaliter licitum eſt in omni delectabili, ſecundùm ſuam formam, non autem formaliter. 1. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Delectatio non eſt finis charitatis, ſed magis viſio, cui conſequitur. 1. 2. q. 4. a. 2. ad 3.

Dolor & triſtitia nullomodò ſunt in Deo. 1. q. 20. a. 1. ad 2.

Mater Chriſti peperit ſinè dolore, & cum maxima jucunditate. 2. 2. q. 164. a. 2. ad 3.

Beati non dolent de malis quæ fecerunt. 1. 2. q. 59. a. 3. ad 1.

Gaudium non eſt virtus, ſed eſt actus charitatis, poſterior dilectione. 2. 2. q. 28. a. 4.

De ſacra pſalmodia. *Vide Gloria Veritatis.* Ibidem. De ſacra eloquentia.

Delectatio eſt quid concomitans ad Beatitudinem, proveniens ex eo quod appetitus quieſcit in bono adepto. 2. 2. q. 4. a. 1.

Delectatio eſt menſura bonitatis actionis, quia illius finis eſt, in quo conquieſcit; bonitas autem ex fine. 2. 2. q. 34. a. 4.

Digitized by Google

Plato in Philebo, Dicit omnium optimam vitam esse, voluptatibus sapientiam miscere; in neutro solo summi boni conditiones non reperiuntur, quæ sunt vt sit summoperè perfectum, sufficiens, & expetendum.

Actus virtutum vt perficiunt dicuntur Beatitudines, sed vt delectant dicuntur Fructus. 2. 2. q. 11. a. 1. ad 3.

Homo in statu innocentiæ ponitur in paradiso terrestri, loco voluptatis, & omni arborum genere consito; ibi omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.

Convivia in templis. *Vide Concord. Glor.* vbi de conviviis.

De innocenti contemplantium solatio in agricultura. *Vide infrà Med. Glor.* Vita mixta sub finem.

QVIS SIT RECTVS HONORIS & bonæ famæ vsus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Fama celebris scit se à Deo habere quod si fulgeat, nec sui tantùm sed & aliorum gratiâ collatum hunc esse splendorem: fundat ergò vt sol beneficos suos radios, & influxus, tantò abundantiùs, quò facilitùs & sinè dispendio. id potest præstare: nam vel ipso protectionis suæ titulo miseris auxiliatur; & cum in ipsum concurrant omnium vota, publico judicio videtur absolvi quem tutatur.

MAGNITVDO. Vires sæpè parturit, infirmioresque efficit ad optati finis consecutionem exiguus de semetipso sensus; metusque infamiæ generosas etiam mentes exagitat & continet. A talibus liber est is, cui quæsita est virtutis opinio, totum se dat rebus agendis, magna securus aggreditur, ruentem in deteriora turbam, officij sui delertricem, solus valet continere, vox enim illius quasi vox multitudinis, alias singulares rapit quo fertur.

DVRATIO. Talis potest, vt Fabius Maximus, cunctando rem restituere, dùm venientem occasionem observat, inter publicos rumores securâ fortitudinis suæ famâ. Potest vt moras trahere, sic interdùm tempestate prævisâ immaturos carpere fructus, ne nullos habeat: illi solùm licet antiquos mores immutare, probitatis & prudentiæ suæ famâ fidejussore apud populum, antiquitatis vindicem, & nova semper formidantem.

POTESTAS. Cæteri omnes ambiunt Principum affectus, at ipsi Principes sollicitè quærunt hominis famâ celebris amicitiam, in suæ potentiæ & nominis patrocinium. *Vide Vir. Pot. & Potest. Vir.* Sic fortuna concedit virtuti. Hic ergò vir bonus, famę suæ titulo in aulęâ evocatus, multùm valet, vt quæ celat, quæ mentitur adulatio libentiùs aperiat Principi, cui adest vt Angelus custos, vt patriæ genius, vt lex animata, spei metusque fræno liberiorem Dominantium potentiam coërcens, nam in vnius viri boni judicio, totus aut lædituf, aut conciliatur populus.

COGNITIO. Diù per humilitatem latitans virtus, vbi semel effulsit, omnium in se trahit oculos: optimo licet præter votum suum, fato; sic enim attentos, benevolos, dociles habet auditores, vt illos ad vitæ suæ regulam rectitudini debitæ restituat.

VOLVNTAS. Excellentiæ fama potentissimum est amoris illicitum; vndè qui sic celebris est, populos regere valet amoris imperio suavi, libero, omnium tamen fortissimo cum ei addicta sit, quæ posset obstare voluntas: habet quem omnes optant, & pauci consequuntur thesaurum, sed sedatis passionibus summâ animi moderatione servandum.

VIRTVS. Vt pudet non amare virtutem si non consentire homini, quem fama publica prædicat diligentissimum virtutis cultorem. Sicut Religio cæremoniarum magnificentiâ, & valido prædicatorum eloquio; sic virtus honoris & famæ splendoribus commendatur.

VERITAS. Ex quo te celebrem fama fecerit, scias te tui juris non esse, sed publici: te omnes sulpiciunt, vt regulam & mensuram Sanctuarij, quam violare nefas est, natam te agendorum posuit Deus, spiritualem, impassibilem à contrariis, & nullo vitio temerandam. Itaque vt populo, sic tibi metipsi bona fama lex est, vt illi tota vita tua respondeat. Dùm tamen veri conscius, advertis te in aliquibus ab errare, humilia te coràm Deo, & vnius virtutis defectum aliorum ampliss profectibus rependere. Dices proprio tuo experimento multa videri bona, quæ non sunt, oculis semper non esse credendum; cum plurima in speciem tantùm, & ad spectaculum adornentur.

GLORIA. Eximiæ mentes vt sunt honoris avidæ, sic eo summâ cum delectatione fruuntur: Consecutæ tamen quod erat in votis tandem quiescunt à mundano ambientium tumultu: hoc in se reflexo lumine ad perfectiora, & ad cœlestia inardescunt. Hic præcipuus est, qui post multa certamina à mundo sperati potest triumphus, qui si animum non implet, si laudis sensus ipsâ consuetudine habescit, hæc tandem spernens, discę cœlestia, & beatorum sortem ambire.

DIFFERENTIA. Extrà turbam te fama eduxit, vtinam & extrà vulgi sensus & mores. Iam liberius & in secessu licèt vacare bonæ menti, nam & te fugientem hæc vmbra sequetur: Virtus, vt ignis, magis fulget ex tenebris, & si non aperto soli exponatur. Vindica te tibi, populis etiam dùm lates lucem daturus. Nam & desiderium tui irritabit, commendabitque sæpiùs feriata præsentia.

CONCORDANTIA. Cœlestia terrestribus, Divina humanis mixta, virtutem suam communem efficiunt: sic summa videtur benignitas, si famâ celebres cæteris se amicitiâ, fœdere, societatę commisceant. Bona fama titulus est quo quis in bonorum societatem facile admittitur; hæc publica vox certa fidejussio est meritorum, prævenitque examen, quo in amicitiam recipiendi discutiuntur: igitur opinionis bonæ privilegio infer te bonorum turbis; etiam Christi exemplo nè fugias malorum consortium. Ægris enim vt medicus debes adesse, errantibus viæ ducem, timidis ante signanum, cæcutientibus luciferum te debes præstare.

CONTRARIETAS. Fama viro bono bonos omnes, ipsumque populũ, sancito quasi fœdere conlocians, terret hostes, arcet à longè invidentium irritos conatus, ipsum etiam celebrem continet à bellis movendis, ne incerto marti fortunęque quęsitam famam temerè exponat. Sic ira mitescit, pax conciliatur, sedatis transactione litibus; à famâ celebri vt à re sacrâ abstinent multorum etiam sceleratorum manus.

PRINCIPIVM. Suprà communem hominum sortem præconio laudis evectus agit partes causæ cujusdam vniversalis, ità potest omnibus in opere laborantibus auxiliari, singulares defectus nè progrediantur sistere, malè posita, nullis nisi frustrà in contrarium nitentibus, movere; publicis enim evectus suffragiis, publicum agit minùs, bonumque commune suum reputat. Bonus est cæterorum redemptio, inquit Philo Iudæus. *Vide Potestas Virtutis.* Etsi taceat, etsi se negotiis non immisceat, ipso tamen famæ suæ splendore omnium in se convertens oculos, solo vir-

tutis ſuæ exemplo legem dicit populis, & immotus dat cuncta moveri.

Medium. Si quandò legibus quies ſit indicenda ex æquo & bono, ſi vrgente neceſſitate, ſi majoris periculi metu, aliquid contrà receptum jus movendum eſt, nullus id impunè tentabit, nullus fœliciter exequetur, ni ſi fama celebris: nam ſemel publicè concepta probitatis opinio elicit omnem injuſtitiæ præſumptionem, omneſque ſic devincit, vt quæ non capiunt, quaſi myſteria venerentur.

Finis. Tantis famæ profectibus, præſcribendus eſt legitimus finis, ſcilicet bonum publicum, & proximi tutela ad Dei gloriam, nè hinc vanitas inſoleſcat, & vitium indutâ virtutis larvâ ſecuriùs graſſetur.

Maioritas. Bona fama lapis eſt Philoſophicus, quo de minimis maxima potes efficere, vilia in pretioſum commutare, bonum illimitato quodam profectu promovere: habes aptum rerum maximarum organum, hic eſt excellentiæ toe votis exoptatæ fomes gratiſſimus, & quaſi perpetuus; nam te etiam quieſcente, ſeù in contrarium agente, inveniet fama quo te celebret, ne priùs videatur perpetàm celebraſſe.

Æqualitas. Interim nè in exceſſum tranſeat laudis conſuetudo, dùm fallitur populus, ſis tamen æquiſſimus tui judex; Redde Deo & veritati quod debes, ſaltem in conſcientiæ tuæ oculis, argue ſæpiùs latens vitium, & quantùm rumor falſi adjicit, tantùm detrahat humilitas.

Minoritas. Etiam ſtans in ordine ſuo mediocris virtus, & ſe altiora reſpuens, proficit tamen famæ privilegio, vt impotentia putetur humilitas, & ſic non advocato amoris propriį auxilio nec acceptis ab eo velis innati lateant defectus, &c. Vide quæ ſcripſi de legitimo vſu bonæ famæ. Mor. Chriſt. lib. 4. part. 1. cap. 28.

VERITAS GLORIÆ.

QVÆ SIT VERA PAX QVIES ET DELECTATIO.

MISCELLANEA.

VERA erit in cœlo, quia completa. *Vide Magnit. Glor.* Illi vicinior eſt quæ habetur ex virtute. *Vide Gloria Virtut.*

Eſt ſomnus naturalis, qui fit ex ſuavi exhalatione, & per quem coacto intùs calore reparantur ſpiritus, & eſt ſomnus morboſus, qualis lethargici: hic ſomnus morboſus cauſatur aut à copiâ humorum, aut à vi quadam narcotica, quæ calidis etiam medicamentis ineſt, vt aceto, & in frigidis, opio, mandragorâ.

Decubitus ægri tunc bonus eſt habendus cum eſt conformis ei quem ſanus ſervare erat ſolitus. Hipocr.

Vera quies in amore Dei. *Vide Gloria Volunt. & Vol. Princip.* Amor Dei.

De ratione quietis eſt, quod mobile ſimiliter ſe habeat nunc & priùs. D. Th. 1. q. 53. a. 2. ad 3.

Iudæi meliùs facerent laborare Sabbatho quàm ludis & ocio vacare: ideò magis contrà hoc præceptum agit, qui peccat in die feſto, quàm qui aliud corporale opus licitum facit. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.

Cui motus ineſt, hujus vacuitas à motu quies eſt. Ariſt.

Verum gaudium in ſtatu ſuprà motum conſiſtit. *Vide Finis Differ.*

Stant immobilia, quieſcũt ea quæ moveri poſſunt.

Vera quies & voluptas in ſui poſſeſſione. *Vide Poteſt. Virt.* Sapiens eſt ſeipſo contentus.

Plato lib. 9. de Republicâ, probat quod doloris ceſſatio pura voluptas non eſt, vt in ægritudine liberato; neque verus dolor eſt voluptatis abſentia, vt in eo qui definit lætari: Quæ futura ab expectatione naſcuntur præguſtationes quædam ſunt doloris & voluptatis; in his falluntur homines, vt qui fuſcum putant clariſſimum, nigro comparatum, quia non norunt album; ſic hi veram voluptatem ignorant.

Verior eſt voluptas in paupertate quàm in divitijs. *Vide Minor. Poteſt.*

Voluptas conſiſtit in convenientium mutuo complexu. *Vide ſuprà Bonit. Glor. & Glor. Concord.*

Delectatio propriè convenit animalibus brutis, non verò gaudium. D. Th. 3. 2. q. 31. a. 3.

Delectatio eſt motus in appetitu animali, conſequens apprehenſionem boni naturalis præſentis per ſenſum: eſt quietatio cognitâ in re convenienti, & eſt ſicut quies naturalis. 2. 2. q. 31. a. 1. ad 3.

VERA BEATITVDO.

BEatitudo eſt bonum perfectum naturæ intellectualis apprehenſum per intellectum. D. Th. 1. q. 26. a. 1. Eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. *Vide ſuprà Magnit. Gloria.*

De ratione Beatitudinis ſunt tria, ſcilicet bonum perfectum, per ſe ſufficientia, & delectatio. 2. 2. q. 118. a. 7.

Beatitudo conſiſtit in duobus, ſcilicet in actu intellectus, quo habetur viſio Dei, & in ejus dilectione, quæ eſt in voluntate. 2. 2. q. 167. a. 1. ad 1.

Beatitudo vitæ præſentis ſecundum Ariſtotelem conſiſtit in operatione perfectiſſima, ratione potentiæ, habitus, & objecti. 1. 2. q. 62. a. 1.

Ad beatitudinem requiruntur aliqua tripliciter, ſcilicet antecedenter, & concomitanter, vt rectitudo voluntatis: & eſſentialiter vt perfectio charitatis, Viſio Dei; Delectatio verò conſequitur. 1. 2. q. 3. a. 4.

Dotes animæ ſunt tres, ſcilicet viſio, fruitio, & comprehenſio; & dotes corporis ſunt qua tuor, ſcili-

Digitized by Google

cet ſubtilitas, agilitas, claritas, & impaſſibilitas. 1. q. 127. a. 1.

Fœlicitas terrena conſiſtit in quinque, ſcilicet voluptate, divitijs, poteſtate, dignitate, & famâ. 1. q. 29. a. 4.

Carentia cognitione nullomodò fruuntur, bruta impropriè, peccator non verè, juſti imperfectè, Beati perfectè, Deus autem perfectiſſimè. 1. 2. q. 11. a. 2. ad 4.

Finis vltimus rationalis creaturæ eſt viſio divinæ eſſentiæ. 1. 2. q. 3. a. 4.

Gloria eſt clara notitia cum laude, vt dicit Ambroſius. 1. 2. q. 2. a. 3.

Sufficiens per ſe duplex, ſcilicet non recipiens additionem boni, vt Deus; & continens omnia neceſſaria, vt Beatitudo. 1. q. 26. a. 1.

Qui requirantur ad beatitudinem, conjice infrà ex his quæ habentur in Repugnantiâ hoc tit.

Ipſum rerum omnium principium, ſummum bonum abſolutè dicendum eſt: ab abſoluto autem alia manant, vt radij à Sole: vndè Plato in Phedone & Theæteto dicit ſummum animæ bonum eſſe Dei ſimilitudinem, & integram divini luminis conſecutionem. Id lumen in mentem primò, in voluntatem deindè deſcendit; in mente veritas, in voluntate gaudium; in mente ambroſia, in voluntate nectar: Itaque ſummum hominis bonum in ſapientiæ, voluptatiſque mixtione poſitum eſt; & in neutro triplex ſummi boni conditio non reperitur, vt ſit ſummoperè perfectum, ſufficiens, & expetendum. Marſil. Ficin. in Platonis Philœbum.

Quod ſit in contemplatione. *Vide Gloria Bonit.* in virtute. *Vide Glor. Virt.*

Non eſt vera beatitudo in divitijs. *Vide Minor. Poteſt.* de voluntariâ paupertate, non in dignitatibus. *Vide Volunt. Poteſt. Rep.* non in famâ. *Vide Durat. Virt. & Volunt. Gloria. Rep.* de fortitudine in calumniâ.

QVÆ SIT VERA PAX & quies.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vera quies debet eſſe, conformis naturæ, quæ eſt principium motus & quietis: in his ergò quæ ſtant mutuo actionis & paſſionis commercio, & quæ abundantiæ ſuæ dando, indigentiæ recipiendo auxilientur, non eſſet vera quies quæ vtriuſque viam præpediret, ſed torpor, & quaſi paraliſis ad mortem.

MAGNITVDO. Oportet cujuſque noſſe genium, vt ei propria vitæ inſtitutio commenſuretur. *Vide Differ. Vol.* Nam æqua foret turbatio, ſi altiora quàm par eſt conſcenderet, aut ad nimis humilia dejiceretur; ſic enim extrà medium ſuum ſitum poſitus aër, ſeù ex terræ cavernis erumpens, ſeù ex ſublimi æthere nimis rarefactus exundans furit in tempeſtates; ſic Plato civitati pacem conciliat, dùm ejus amplitudini certum civium numerum, civium numero commercium præcipit adæquandum. Pax bonum eſt ex integra cauſa, debent itaque partes omnes conſentire, nam ſeditio eſt ſi quædam diſſentiant, vt turbetur harmonia vel vnius vocis ineptæ ſono.

DVRATIO. Non eſt vera pax in hoſtium inducijs, quibus fractas vires reficiunt, vt fortiùs ad certamen deſcendant; aut dùm incerto marti nox ſuperveniens pugnam in craſtinum diem diſtulit; non eſt vera ſanitas in morbi interſtitio, cum æger ex præcedenti acceſſione jacet debilis. & ad mox ſecuturam crebris defectibus præparatur; non eſt fidendum paci injuſtis, violentis, & ſic non perpetuis conditionibus ſanctæ: nulla eſt ergo vera quies, niſi ſit de futuro ſecuritas.

POTESTAS. Non eſt etiam vera quies, quæ ex alieno mobili pendet arbitrio, vt ſervorum & equorum à quiete cum Domino libuerit ad laborem evocandorum. Sed vera eſt, ſi tua ſit, ideſt ſi à tua pendeat poteſtate, itavt nullus illi vim inferre valeat: hinc etiam pacificus Salomon validos habebat exercitus ſemper paratos, vt firma altæ ſuæ pacis munimenta, vndè terror eſſet hoſtibus. *Vide Magn. Pot.* Sic Principes devictos à ſe populos volunt eſſe inermes. *Vide Miner. Poteſt. Bona.* & aliqui non probant niſi extremam injuriarum vindictam. *Vide Magnit. Contrar.* Itavt nulla ſuperſit ſpes arma retentandi: quaſi non ſit ſecura pax, niſi pendeat à ſummâ poteſtate.

COGNITIO. Artis eſt, vt plura in vnum aptè componere, ſic inter varias mentes pacem conciliare; nam ſi caſu contigerit, caſu facilè diſſolvetur: vera igitur pax eſt, quam prudentia obſervatis omnibus circumſtantijs ſancivit, cujus ſcit leges & modos, vt ſi quid defecerit, eadem quâ conſtitutum fuerit arte in ordinem reſtituatur: non eſt vera quies in lapidibus & cæteris motu carentibus; non in pueris in vtero materno torpentibus; in avaris, ambitioſis, melancholicis, mente captis, ſua vt verè ſunt non reputantibus: rei veritati accedat oportet & mentis judicium, vt ſic ſecura mens, ſuiſque intenta bonis, fœliciter perfruatur.

VOLVNTAS. Rerum quiero ſtatui conſentire debet internus animi ſenſus, nam compoſitis licet Reipublicæ rebus, & armis vndique ſilentibus; in ipſâ mediâ pace animus irâ odio, cæteriſque paſſionibus, belli mala omnia experietur.

VIRTVS. Vera itaque tranquillitas ſoli contingit virtuti, cum internos, externoſque hoſtes ſibi ſubjicit, cum legem dicit paſſionibus. *V. Glor. Virt.* Quies cum externis omnibus eſt potentior. *Vide Durat. Virt.* Quomodò non eſſet in rebus quietis pacifica, cum in turbatis & adverſis ſit lætabunda? *Vide ibidem & Volunt. Contrar.*

VERITAS. Non ex quolibet fit quodlibet, certis ſtant & agunt omnia legibus, vt ergò vnitis certis caracteribus ſcribitur; vt certis vocibus ex inſtituto ſignificantibus mentis conceptus aperiuntur, vt certa medij cum extremis convenientiâ fit demonſtratio; ſic vera pax certis quibuſdam conſtat conditionibus, nec cuilibet provt opinatur ſe illam habere contingit. Non eſt pax impijs dicit Dominus. *Vide Gloria Virtut. Repugn.* Dixerunt pax, pax, & non eſt pax, qualis enim poteſt eſſe vnio, vbi eſt cum ſummâ vnitate diſſenſio? Interdùm mali non ſentiunt adversùs ſe Dæmonum inſultus, quia ſe totos illis mancipârunt; cum autem nihil eſt quod reſiſtat, nihil eſt quod impugnetur.

GLORIA. Veram pacem ſemper quidem comitatur delectatio, ſed delectatio non eſt tamen ſemper veræ pacis argumentum; imò malis permiſcetur, à natura quidem, vt temperamentum laboris; ſed ab hoſtibus, vt fallax eſca, cui eſca, cui ſubeſt venenum. Voluptatis ambiguum & meretricium nomen eſt, contrarijs enim vitijs & virtutibus conſentit. Nulli minùs contingit vera pax, quàm ei cui blanditur, fortuna, & quem aura populi ſubvexit, nam inter ſpem & metum fluctuans nunquàm ſibi conſtat.

DIFFERENTIA. Rapimur quandiù volubili rerum humanarum rotæ alligamur affectibus; ſolve vincula; eripe te ex hac hominum in prava ruentium turbâ; cum ſis cœli civis fuge affectu, moribus, converſatio-

ne à mundo, ſis in portu, vt ſit tibi tranquillitas, & longiùs ab hoc mari, ſe fluctuum ſe collidentium mugitus non vis auribus tuis perſtrepere. *Vide Gloria Virt. & Differ. Contrar.*

CONCORDANTIA. In ſolatium indigentis naturæ noſtræ data eſt ſocietas, quæ ni benè prouideatur tranſit in pœnam; quot enim videas rebus proprijs fœlices amicorum infortunio laborare! potiſſimùm eo quod miſeri ſibi conſulentes, hæc amicorum anxia & turbata officia ſummis laudibus extollunt. Perfecta ſanitas ab externis minùs afficitur, ſic ſolida virtus minùs patitur, vt in proprijs, ſic in amicorum adverſis. *Vide Duratio Virtutis.* Inter malos bonus. Vt lux adeſt non miſcetur, nec alteratur corporibus inferiobus. *Vide Media Concord.*

CONTRARIETAS. Ex bello pax. *Vide Bonitas & Finis Contrarietatis.* Certamen præcedere debet victoriam, triumphum & pacem: hoſtes in te provocas, ſi te inermem, imbellemque profiteris. Armata eſt paci & ſtudijs præſidens Minerva; armata juſtitia, pacem populorum pro vltimo ſibi fine conſtituens; vt pace fruaris oportet hoſtem aut penitùs delere, aut metu potentiæ tuæ continere.

PRINCIPIVM. Blanda quidem, ſed nondùm perfecta quies eſt, quæ percipitur à virtutis tyronibus, ejuſque viam ingredientibus: hæc innocens voluptas potiùs naſcitur ex ceſſatione mali, conſcientiam anteà torquentis, quàm ex abſoluta veri boni poſſeſſione: aurora eſt oculis ex obſcuro carcere prodeuntibus gratiſſima. *Vide Glor. Princip. Imit.* Mixta omnia volunt in ſua principia reſolvi, vt in illis quieſcant; ſic mens humana, tùm naturali, tùm infuſo gratiæ motu in Deum fertur; tunc beatior, quò perfectius ei adhæſerit, extincto omni rerum humanarum ſenſu & affectu.

MEDIVM. Contra quieſcunt in medio partium mobilium, & ad mutua ſe proferentium commercia: Virtus pacem conciliat ipsâ ſuâ mediocritate; non multùm elatis aut dejectis, ſed medijs fortunis, ea quæ in mundo haberi poteſt contingit fœlicitas; Medio tutiſſimus ibis. *Vide Gloria Medij.* Age quantùm potes proprijs non mendicatis viribus, vt ſolida tibi contingat pax. *Vide Media Poteſt. Repug. ſuipſo agere.* Nam miniſteria omnia varia, dubia ſunt, eth æqualem ferè ei quàm præſtare exigant ſervitutem.

FINIS. Nulla quies niſi deſiderijs ponatur terminus. *Vide Finis Volunt.* Imò multi fines, particulares ſunt conſtituendi, quibus adeptis ſucceſſivâ dulcedine delinitus animus æmulatur finis vltimi conſecutionem, & quaſi diſtinctis hoſpitijs refectis viribus alacriùs ad vlteriora properat.

MAIORITAS. Licet in dies divina magis ambire. *Vide Majoritas Virtutis*, & tamen pace frui, quia pari ſemper & integro affectu ſe totum Deo dicat animus, totum ſe immenſis ſplendoribus recipiendis explicat: paratus tamen elevari aut dejici, illuſtrari aut obſcurari, provt divinæ providentiæ viſum fuerit: ſic conditionata voluntas humana, ſic primæ veritati & bonitati ſubordinata imitatur ejus motum, qui mirabiliter cum quiete conſentit.

ÆQVALITAS. Æquis ponderibus libratæ lances quietæ manent, & in neutram partem inclinatæ. Servatur publica pax cum rectores æqualem habent erga ſubditos omnes affectum. *Vide Æqual. Volunt.* vt ſis quietus, ſis oportet inter humana indifferens, ſuſpenſo ſemper conſilio & affectu. *Vide Media Voluntas.*

MINORITAS. Extrema in multis conveniunt: immobilitatem habent terra & cœlum empyreum; altiſſimi montes & ſpecus ventorum turbinem non ſentiunt: ſic in mundo excelſæ quædam conditiones & multùm humiles minùs agitantur adverſis; cum autem vix contingat hæc intacta eminentia, facilior, ſecurior, & ad manum eſt ex humilitate tranquillitas.

VERVS HONOR.

MISCELLANEA.

FRuctus balſami eſt magis odoratus quàm ejus lachryma, quæ eſt ex inciſione. Dioſc. Verus honor eſt, qui à liberis & volentibus certo animi conſilio exhibetur.

Tyrannis plus ſunt pecuniæ, Regibus autem honores. Ariſt. 5. Polit. 10.

Vera eſt gloria quæ ſinè adulatione defertur, & ſinè arte acquiritur, vt optimi ſunt lapides pretioſi, qui ſeipſis fulgent, abſque his qui ſubſterni ſolent coloribus.

Veram Princeps adeptus eſt gloriam, cum ipſum non in publico, ſed in privato lare, laudant ſubditi: deſtructis à fortuna æneis, marmoreiſque imaginibus, virtus præſtatiores erigit in ſubditorũ mentibus.

Non fit collatio ad erigendas Principi ſtatuas, nè quid in eis ſuum collator agnoſcat. l. 3. Cod. de ſtat. & imaginib.

Generaliter ſtatua erigi debet ejus impenſis, ad cujus honorẽ ponitur. l. fin. eodem. Vera eſt glorie, quæ non eſt mendicata, ſed proprijs comparata virtutibus.

Lucrum in ſocietate non intelligitur niſi omni damno deducto. l. 30. ff. pro ſocio. Vt bona non cenſentur niſi deducto ære alieno. Sic ex præclara quadam actione æſtimandus eſt honor vt vnicuique ſociorum contingat pro meritis, deducto etiam, quod non tàm fœliciter peractum eſt. *Vide Med. Glor.*

Honor eſt in omni ſigno exterioti, & eſt reſpectu finis; ſed laus eſt tantùm in verbis, & eſt reſpectu eorum quæ ſunt ad finem. D. Tho. 2. 2. q. 103. a. 1. ad 3. *Vide Verit. Virt.*

Virtus vera eſt nobilitas. *Vide Gloria Principij:*

Verus eſt honor qui à veris & juſtis agitur cauſis. *Vide Princ. Gloria.*

Divitiæ ſi diliguntur ibi ſervantur, vbi perire non poſſunt; honor ſi diligitur, illic habeatur, vbi nemo indignus honoratur; ſalus ſi diligitur ibi adipiſcenda deſideretur, vbi adeptæ nihil timetur, &c. D. Bernard. in declamatione ſuper Ecce nos reliquimus omnia.

QVIS SIT VERVS HONOR.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Vera eſt gloria, quæ licet vt accidens ſupperveniat homini, ſapit tamen naturam eſſentiæ rationalis, & ex illius propriâ operatione naſcitur: eſt munus Dei cui primario debetur honor & gloria, ſic ortum ducens ab inexhauſta bonitate non timet defectum, vndè nec patitur invidiæ nocturnos timores, ſed liberius, vt ſolis ſplendor, in alterius potiùs quàm in proprium commodum ſe diffundit.

MAGNITVDO. Vt bonum, ſic verus honor eſt ex integrâ cauſâ, nam in cæteris ſplendenti virtuti, vt pretioſis veſtibus, injecta labes magis lædit oculos. Hac arte maledici primò laudant in multis, quem poſtmodum graviori volunt injuriâ laceſſere; extollunt vt gravius dejiciant, ſicque miſeras dilapidatæ

virtutis reliquias contumelioſus oſtentant.

Dvratio. Citò deficit bracteata hæc fama, corruptis quorundam votis & ſuffragijs ventilata; Nam poſt deprehenſas fraudes defectus riſum movet & indignationem, vt turpitudo larvâ ſublatâ deterſisque pigmentis, quibus amorem ſibi voluerat conciliare. Ea demùm vera eſt gloria, quæ per gradus meritorum ſe profert, vt Sol ab aurorâ in meridiem, continuis radiorum incrementis effulgens; Quot officia tot ſunt integerrimæ vitæ fidejuſſores, qui ex preteritis depræſenti, & futuro caveant. Hæc inter vivos intacta, immortalis, victrix que temporum tranſit ad poſteros.

Potestas. Magnates neſciunt blandiri, vndè vera cenſetur laus ex eorum ore profecta, & in hanc æſtimationem inardeſcit ambitio. Dignitas civilis eſt publica ſervitus, ideò propter ſe non videtur appeti, ſed propter famam virtutis, cujus certum putatur argumentum; vera enim cenſetur virtus, quæ inter tot dignitatem ambientes illam vt palmam præ cæteris adipiſcitur.

Cognitio. Vera laus debetur non caſui, ſed induſtriæ, vndè Dux Athenienſis contumelioſam ſibi putabat tabellam, quâ depingebatur fortuna ipſo dormiente vrbes & provincias in retia ſua mittens. Æternitas famæ, vt fortitudine militari, ſic ſcientiarum ſtudio comparatur.

Volvntas. Ab omnibus amari pulchrum eſt, ſic enim probatur eminens, & quaſi in idæâ ſuâ virtus, quæ omnium placet oculis, omnium in ſe rapit admirationem diſcuſsâ quæ obnubilare nitebatur invidiâ: Honeſtum in libero poſitum eſt quis enim pœnæ ſervos in victrice triremi coronet?

Virtvs. Major oritur gloria ex virtute minùs inter mortales communi, vt ex ſapientiâ, & ex fortitudine bellicâ, cum ſcilicet homo ſpretis propriis commodis, interitus in ipsâ omnium terribilium terribiliori morte, ſeipſum pro communi patriæ bono devovet. Eâ ratione venerationem meretur Religio, quæ ſenſus ſubjicit rationi, rationem omneſque intellectuales potentias primæ veritati: ſic propria eſt gloria virtutibus, vt qui illas non habent, ſingant, quaſi hoc ſolo titulo putent ſe poſſe hominum opinionem promereri: etiam hi qui criminibus præmia poſuere, priùs hæc virtutum nominibus & inſignibus decorarunt; Ità tunc in illis virtus læſa, & ex inſidijs obtruncata, coronabatur.

Veritas. Verus eſt honor, ſi virtus vndè naſcitur vera ſit, non fucata, non ad ſpectaculum ficto ſplendore compoſita. Pro varietate fortiter decertantes Martyres veram, vt virtuti ſuæ connaturalem, gloriam ſunt conſecuti; quia veritas eſt bonum commune, ideæque agendorum, cui vt rei divinæ ſibi præſidenti litant homines honorem, ampliſſimum quod hic contingere poteſt præmium.

Gloria. Verus honor hinc dignoſcitur ex verâ virtute procedere, quod mirâ ſuavitate perfundat intima cordium; falſus autem, dùm aures, oculoſque demulcet, patitur conſcientiæ in contrarium arguentis ſæviſſimas correptiones virtutum præſtigiatoris; inquietus ſemper eſt animus, dùm timet, qualis eſt deprehendi, & ex gloriæ faſtigio in longè turpiorem infamiam præcipitari. Ità non eſt verus honor, niſi combrobante conſcientiâ.

Differentia. Nova placent animo ad mutationes proclivi; vndè ſuſpectus debet haberi hic aplauſus donec res maturo perpendatur judicio! Etiam adulteratæ gemmæ pictique deformes vultus rapiunt oculos illo primo inſperatæ pulchritudinis ſplendore. Licet aliquibus quædam placeant ob ſingularem ſympathiam, omnes tamen habent innatam recti A honeſtique regulam, quâ virtuti applaudunt; videtur ergò verus honor habendus, qui omnium ſuffragijs defertur vt potè ſic actionum rectitudinem inſitâ naturali regulâ teſtante.

Concordantia. Cum ſimilia ſe quærant, honor alicui delatus tranſit in amicum, vt pari præſtantiâ licet nondùm exteriùs effulgente præditum: Sicſocietas poteſt eſſe gloriæ occaſio, & ſæpiùs etiam impedimentum; nam pluribus in hoc bonum conſpirantibus, ſingulis partita gloria minor eſt. Hinc ſapienti ab humanis alieno, non niſi ſolida, & integra contingit gloria & quies.

Contrarietas. Aurum probatur igne, virtus adverſis, honor invidiâ, hæc gloria radicibus ſuis firmiter hærens, vix ſævâ licet tempeſtate proſternitur; ſic famam diu laceſſitam hoſtium oblatrationibus, victricem tamen & ſuperſtitem, veram exiſtima. B

Principivm. Eximia ſtatim ab ipſis ſuis initiis commendantur, fulgore ſecuturi ſplendoris amplioris prænuntio. *Vide Magnit. Princip.* Verus eſt omnium ſuffragiis excipiendus honor, quem Deus miraculis comprobat. *Vide Major. Poteſt. De miraculis & Poteſt. Virtutis. Sanctis creatura obediunt.*

Medivm. Verus honor quem quis ſeipſo ſinè intermedijs comparavit, vndè à quibuſdam plùs æſtimata eſt victoria arte quàm aperto marte parta. Nam tunc illius tota gloria Duci debetur. *Vide Min. Medij.* ſeipſo agere C

Finis. Nemo antè obitum verè fœlix & laudandus; applaudunt tamen homines in ipſo curſu ei, qui celeritate cæteros præcellit, licet in proceſſu deficiat, priuſquam ſtadij limitem attigerit. Æſtimatur actionis honeſtas & gloria à fine qui intentus eſt ſicut rectè an perperam contorta ſit ſagitta intelligitur, ratione ſcopi in quem tendebat.

Maioritas. Non eſt admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota ſylva ſurrexit: nec virtus meretur honorem, niſi excellat. Hoc efficit humanæ mentis imbecillitas, quæ non niſi ab inuſitatis afficitur; nec intelligit magna, niſi comparatione minorum.

Æqvalitas. Verus eſt honor qui ab æqualibus defertur, ſedavit enim invidiam inter æquales familiarẽ. Poteſt tamen ſubeſſe fraus, dum quiſque æqualem laudans, ſe in illo laudare intelligitur. D

Minoritas. Veneranda Chriſtiana humilitas & paupertas, quæ hominem omni externo fortunæ ſplendore ſpoliatũ ſoli virtuti tradit comendandum. De ſuperbis dicitur, Dejeciſti eos dum alevarentur, ſic à contrario dicatur de humilibus, Elevaſti dum dejicerentur. *Vide Cognit. Virtut. De nimiâ ſui confidentia*, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

E

REPVGNANTIA.

NON VERA PAX, QVIES, aut Latitia.

HOſtis interdùm concedit inducias vt vires colligat; officiarios noſtros corrumpat, ad ſe populos & milites alliciat. Sic ſub ſpecie pacis ſæpè mittuntur legati, vt explorent conſilia hoſtium, & ſibi devinciant miniſtros, noſque efficiant ſegniores.

Qui nocte magnam civitatem occupat, cum parvâ militum manu, debet proponere cõditiones pacis habitatoribus, vt inter moras veniant copiæ in auxilium

Non eſt ſecura militum fuga ad loca illis incognita.

Miteſcere ſolet morbus poſt exitioſa ſymptomata, cum natura emoritur, & extinguitur nativus calor. Galen.

Color faciei bonus cum magnâ mœſtitia coïens malum ſignum. Idem.

Evaneſcentia omnia citrà rationem malum portendunt. Idem.

Febrium ab inflammatione, aut malignâ putredine ortarum acceſſio nunquàm deſinit integrè. *Vide Media Gloriæ.*

Sopiuntur ægri & multitudine & frigiditate ſuccorum crudorum.

Syrenum cantus ad naufragium allicientes. *Vide Verit. Bonit. Rep. & Minorit. Verit.*

Victimæ coronatæ ad occiſionem; gladiatores coronati ad ſpectaculum vitæ ſuæ pretio exhibendum.

In corporibus hîc apud nos nulla vera eſt quies, nec in integris, nec in partibus ſed tantùm ſecundùm apparentiam, quæ cauſatur per æquilibrium, & per prædominantiam alicujus virtutis, vt quando detinetur aqua in hydrijs perforatis metu vacui.

Quidam quieſcunt, non rationis beneficio, ſed affectuum infida & mala pace. Seneca lib. 1. de irâ. cap. 8. *Vide Differ. Verit. Mal.* Inconſtantia.

Aqua fluens ſub glacie; ſic quidam ſunt inconſtantes ſub ſpecie immotæ rigiditatis.

Hyppocrates. 7. Epidem. Scribit Pſychonem pectore vulneratum riſiſſe, fit enim riſus à dilatatione diaphragmatis.

In prælijs, gladiatorumque ſpectaculis mortem cum riſu trajecta præcordia attulerunt. Plin. lib. 11. cap. 37.

Pueri combuſti in amplexibus Idoli Moloch cum muſica. Levit. 18.

Riſus Dæmonis in eo quem poſſidet.

Riſus phrenetici, amentis, pueri, mulieris, quæ defectu fluxus menſtrui ridet, ſitque garruloſa.

Nunc equidem pax eſt, ſed non fiducia pacis.

Quanquàm antè mortem ſymptomata interdùm ſint remiſſiora, & morbus declinare videatur, tamen vera declinatio non eſt, ſed viribus reſolutis, natura jam ſuccumbens, cauſis morbificis ſeſe ampliùs opponere non poteſt, vndè quædam in corpore videtur tranquillitas, quæ tamen ad mortem tendit.

Chamelæa herba, oleam & mirthum baccis & foliis refert, tamen ita eſt violenta vtentibus, vt eos conficiat abtaſis viſceribus, apertiſque valorum oſculis, vndè terræ Leo, & planta vivifica nominatur. Machiol.

Nunquàm intremiſcunt terræ, niſi ſopito mari, cœloque adeò tranquillo, vt volatus avium non pendeant, ſubſtracto omni ſpiritu, & occulto in venis terræ. Plin. l. 2. c. 79.

Dixerunt pax pax, & non erat pax. Ierem. 6.

Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, &c. Iſay. 28.

Veniam non meretur hoſtis, qui tempore inducias fecit irruptionem.

Aëre ſudo, apertoque, frigus eſt acrius quàm nubilo.

Pax noſtra propria, & hic eſt cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per ſpeciem: ſed hîc talis eſt pax, vt ſolatium miſeriæ ſit potiùs quàm beatitudinis gaudium. Ipſa quoque noſtra Iuſtitia, quamvis vera, ſit, propter veri boni finem ad quem refertur, tamen talis eſt in hac vita, vt potiùs peccatorum remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum; teſtatur Eccleſiæ oratio, quotidie dicentis, Dimitte nobis peccata noſtra. Quamdiù vitijs imperatur plena pax non eſt, quia & illa quæ reſiſtunt, periculoſo debellantur prælio; & illa quæ victa ſunt, nondùm ſecuro triumphant otio, ſed adhuc ſollicito premuntur impetio, ſemperque aliquid ſubripit vitij, ſi non opere ſaltem in verbo, aut ſubili cognitione. D. Aug. lib. 19. de civ. Dei cap. 17. *Vide Verit. Virt. Rep.*

Facti ſumus ſicut conſolati. Pſal. 125. Sicut ad ſimilitudinem ponitur, vera enim conſolatio in fruitione. D. Auguſt. in d. Pſal.

Non eſt vera quies, ſi ſit nimia. *Vide Major. Glor. Quietis.*

Quorundam ocium occupatum eſt in villâ, aut in lecto ſuo, aut in mediâ ſolitudine; quamvis ab omnibus receſſerunt, ſibi ipſis moleſti ſunt: quorundam non otioſa vita eſt dicenda, ſed deſidioſa occupatio; hos tu ocioſos vocas inter ſpeculum & pectinem occupatos, de muſicâ, convivio, &c. ſimilibus ſolliciti; nec bibunt, nec edunt ſinè ambitione. Sen. l. de brev. vit. c. 4.

NON VERVS HONOR.

Vide ſuprà paſſim hoc titulo, *& Veritas Majoritatis Repug.*

Coronæ circa lunam & ſtellas, quæ ſignificant tempeſtates.

Vermes, ligna putrida, ſquammæ piſcium & alia quædam vilia, lucentia tamen.

Non eſt verus honor ex adulatione. *Vide Concord. Poteſt. Mala.*

Qui putant empta dignitate ſibi honorem comparare, falluntur, vt is qui apud Eutipidem putabat ſe poſſe volare alis aureis, plùs ipſum gravantibus; nam indigno dignitas eſt dedecori.

Gloria & fama humana eſt quaſi fluvius in quo levia ſupernatant, gravia & ponderoſa merguntur; nam laus vt plurimùm cedit immeritis.

Familiaris eſt in aulis nimia laudatio, vt concitetur invidia.

Princeps, à ſe ejicit ſuſpectos ſpecie honoris, vt legationis cauſa.

Hoſtis dùm putat ſuam eſſe victoriam & dolo fugientes pertinaciter inſequitur, in paratas incurrit inſidias. Cornua exercitus ſint fortiſſima, frons verò debilis, vt in illam prorumpens hoſtis, ſibique fidens quaſi victor, incidat in cornua à quibus conteratur.

Sæpè militibus falſa annuntiatur victoria, vt reſumant animos.

Principem, quem volunt facere captivum, primùm quaſi primo honoris titulo multi comitantur milites.

Erat antiquitùs ignorantiæ argumentum à vulgo probari: quare cum tibicini cuidam applauſum fuiſſet; quid hoc, inquit, manifeſtum eſt ingens aliquod malum accidiſſe. Athenæ. lib. 14. cap. 13.

In fine conviviorum Pæana canebantur, cum devictus eſſet non hoſtis, ſed ratio. Ibidem lib. 15. cap. 21. fortè in memoriam Bacchi, cujus victoriæ à vino imaginariæ.

In Africâ ſunt familiæ effaſcinantium, quarum laudatione intereunt probata, areſcunt arbores, emoriuntur infantes. Plin. l. 7. cap. 2. *Vide Verit. Poteſt. Rep.*

Non eſt vera gloria quæ non eſt perpetua. *Vide Durat. Glor. Rep.*

Victoribus in Olympicis non licebat erigere ſtatuas corpore majores, ſed præfecti erant, qui ob-

Digitized by Google

ſervarent, vt ad corporis quantitatem expenderentur. Lucian. Dialogo. Imagines. Non eſt verus honor, ſi excedat meritum. Sic Alexander Athos montem ſuam imaginem formari, & tam magnum montem ad tàm parvi corpuſculi ſimilitudinem imminui noluit.

Antiqui mortuos in cœlum levare videbantur, imponentes nomina eorum ſyderibus, quæ Deus inſtituerat & ordinaverat. D. Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 21.

Caligula Deorum ſtatuis amputato capite ſuum imponi juſſit, ridicula impietate. Ariſtotelici dicunt venas corde naſci, quia in dextrum cordis ventriculum vena cava ſe recipit, & penitùs deliteſcit: ſic de his qui ambiunt dici authores alieni inventi, vndè multùm profecerunt. Sic vos non vobis mellificatis apes: Sic vos non vobis fertis aratra boves, &c.

Hi volunt non animarum, ſed honoris Pythagoricam tranſmigrationem comprobare: aut magicam illam ſpiritum ex alieno juvenili ſanoque corpore attractionem.

Ædificans in ſuo de aliena materiâ, tenetur Domino materiæ in duplum, actione de tigno injuncto. §. cum in ſuo. Inſtit. de rerum d viſ.

Qui falſum inſtrumentum immunitatis conſcripſerit, igne eſt comburendus. l. 1. Cod. de immunitate nemini concedenda. *Vide Veritas Poteſtatis Rep.*

Scripturæ quæ fiunt in lapide monumenti non faciunt fidem. l. 6. Cod. de religioſ. & ſumpt. funer.

Vide ſuprà Velum. Glor. Mala.

Cuidam ob veſtem inſoleſcenti dictum eſt; Heus tu hoc antè ovis ferre ſolebat, & ovis erat. Lucian. dialogo Demonax.

Perſpicuitas in gemmis & lapidibus potiùs pendet ab arte, quæ expolit, quàm à natura; ſic honor ab opinione, & adulatione.

Culpatur Homerus, quod Deos in poëmate hominibus miſcuerit, de hominibus ingentia, de Dijs verò exilia ac vilia dixerit. Philoſt. in Heroicis.

Docetur ars laudandi etiam naturæ mala, vt cæcitatem, deformitatem, morbum, &c.

L. Actius Poëta in Camœnarum æde maxima forma ſibi ſtatuam poſuit, cum brevis admodum fuiſſet. Plin. lib. 34. cap. 5.

FOELICITATIS HVMANÆ vanitas.

CVm proſperitatem alius alio modo terminet, ſi verum facere judicium volumus, nemo mortalium eſt fœlix: abundè igitur atque indulgenter fortuna ſe habet cum eo, qui jure dici non infœlix poteſt, quid quod nemò mortalium omnibus horis ſapit? Vana mortalitas, & ad circumſcribendum ſeipſam ingenioſa, computat more Thraciæ gentis, quæ ex calculis colore diſtinctis in vrnam miſſis judicium fert de ſequentium dierum numero, parium fœlicitate: Quam multos accepta afflixere imperia: quàm multos bona perdidere, & vltimis merſere ſupplicijs, &c. Plin. lib. 7. cap. 40.

Et mundus eum non cognovit. Ioan. 1. Hi non cognoverunt, qui amando mundum dicti ſunt mundus: amando enim habitamus corde. D. Auguſt. tract. 2. in Ioan.

Filij hominum vſquequo gravi corde. Pſ. 4. De primuntur & obruuntur corda rebus mundanis, dùm putantur diteſcere. Fœlicitatem, bonam rem quæris, ſed terra non eſt regio ejus rei quàm quæris. D. Auguſt. ſerm. 151. de tempore.

Non quærunt mortales cervos in Oceano, nec piſces in montibus, ſciunt etiam Oceani feraces gemmarum oras; falluntur tamen quod verum bonum in mundanis & caducis rebus quærant: quid dignum ſtolidis mentibus imprecer; opes, honores ambiant, & cum falſa gravi mole paraverint, tùm vera cognoſcant bona. Boëtius lib. 3. de conſol. Philoſ. metr. 8.

Vſque adeò chàrus eſt hic mundus hominibus, vt ſibi voluerint. D. Auguſt. epiſt. 162.

Majorum nugæ negotia vocantur, puerorum autem talia cum ſint puniuntur à majoribus, & nemo miſeratur pueros, vel illos, vel vtrosque. Id. 1. conf. c. 9.

Amantes beatam vitam, timent illam in ſede ſuâ, & ab eâ fugientes quærunt eam. Idem.

An adhuc mundus amandus eſt tanta labe contritus, vt etiam ſpeciem ſeductionis amiſerit. Id. ep. 45.

Mundum diligentes increpat Apoſtolus Roman. 1. Coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Non te prohibet Deus amare iſta, ſed diligere ad beatitudinem, ſed ad hoc probare & laudare, vt ames creatorem, quemadmodùm ſi ſponſa plus annulum diligeret quàm ſponſum, quem ampliùs videre nollet contenta annullo; quis non talem animum adulterinum conjiceret? amas aurum pro viro, annulum pro ſponſâ, hanc tibi arrham dedit vt oppignorares, non vt averteret, & vt in ipsâ amaretur. D. Aug. tr. 2. in ep. 1. Ioan.

Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiaſti. Si Deus eligitur, ſerviatur illi ſecundùm ejus voluntatem? ſi mundus eligitur, vt quid fictum cor quaſi Deo accommodatur? Quiſquis contempto Deo ſequeris mundum, & ipſe te deſerit mundus; non vis bonus implere voluntatem Dei, & de te malo impletur voluntas Dei: ſequere adhuc quantùm potes fugitivum, & ſi potes apprehende eum, tene eum: ſed video non potes, fallis te; Ille enim torrentis inſtar percurrens, dùm te videt inhærentem ſibi & tenentem ſe, ad hoc te rapit, non vt ſalvet, ſed vt perdat? Quid tibi cum pompis diaboli amator Chriſti? Noli te fallere, odit enim tales Deus, nec inter ſuos deputat profeſſores, quos cernit viæ ſuæ deſertores. Ecce ruinoſus eſt mundus, &c. & ſic amatur, quid faceremus ſi dulcis eſſet? O munde immunde teneri vis periens, quid faceres ſi maneres? quem non deciperes dulcis, ſi amarus alimenta mentiris? Vultis dilectiſſimi non inhærere mundo; eligite amare Creatorem mundi, & renuntiare pompis mundanis, quibus princeps eſt diabolus cum Angelis ſuis. D. Auguſt, l. 4. de Symb. ad c. 1.

Quod nunc putatur dulce, amarum erit in æternitate pœnarum, perpetuâ pœnâ punienda erit brevitas delectationis, delectatio occidit & præterit; vulneravit & tranſivit, miſerum fecit & abijt, infœlicem reddidit & reliquit: quàm ſpecioſus eſt animæ nitor, &c. Idem ſerm. de Temp.

Iam mortuus eſt peccator, & tumulari proximus, audiat vocem Domini dicentis. Adoleſcens tibi dico ſurge: Deliriæ mundanæ ſunt exequiarum apparatus.

Fœlicem non dices latronum principem, qui in ſpeluncâ latitans voluptatibus indulget; poteſt hic vitare manus judicis, ſed peccator non vitabit judicium Dei. ex D. Chryſoſt. Quis ægro invideat quod veſcatur pretioſis cibis, ſunt enim ægritudinis ſuæ argumenta. Idem.

Puſilla res eſt hominis anima, ſed ingens res eſt contemptus animæ, hanc qui contempſerit ſecurè videbit

videbit maria perturbari, etiam si illa omnes excitaverint venti, etiamsi æstus aliquâ perturbatione mundi totum in terras verterit oceanum, securus aspiciet ruptis compagibus dehiscens solum, &c. Quid ad me, quàm sint magna quibus pereo, ipsum perire non est magnum; Proindè si volumus esse fœlices, si nec hominum nec rerum timore vexari, si despicere fortunam super vacua promittentem, &c. anima in expedito habenda est. Senec nat. quæst. lib. 4. c. 32.

Oportet interna sit ex virtute fœlicitas quam foveant externa; vt vestes non dant sed conservant calorem nativum.

Nec pulcher calceus liberat à podagrâ, nec corona à dolore capitis: brachium fractum vt vulneratum non sanat aurea gemmis intexta vndè pendet fascia.

Psalm. 143. Describitur humana fœlicitas, Quorum Filij sicut novellæ plantationes, &c. Tum subjungit, Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

Scienti lætari in Domino, & intelligenti in novissima, fœlicitas mundi non est honor, sed onus, fœlix homo secundùm sæculum periclitatur, nè in animâ infœlix fiat. D. August.

Dum terrena possidentur, amatur, amata in se animam transformant, & sic à sorte suâ spirituali & divinâ dejiciunt.

Vbi multæ opes multi etiam qui comedunt eas, & vsus quidem divitiarum apud alios: divitibus solùm nomen credit & sollicitudo. D. Bern. serm. 1. de pers. sustin. c. 12.

Fieri non potest vt res deterior te faciat meliorem: homo es, deterius te est quidquid cupis, aurum, &c. Fit corpus tuum melius per animum, per cujus illuminationem meretur incorruptionem; quid autem est melius animo tuo, nisi Deus tuus? aurum si volueris fortè non habebit, Deum cum volueris, habebis, quia antequàm velis veniet ad te, & cum aversâ voluntate esses, vocavit te Avare, quid in hias cœlo & terræ? melior est qui finxit cælum & terram, ipsum visurus, ipsum habiturus es, Beata ergò gens cujus est Dominus, non quæ possidet, &c. D. Aug. in Psal. 32. conc. 2.

Fallax equus ad salutem: ideſt quælibet dignitas ex quâ sæpius corruis. Ibidem.

Divites eguerunt & esurierunt. Quidni egeant, cum non habeant panem cœlestem de quo Ioan. 6. & Math. 5.

Cum colligas colligaris, & cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris: minores pisces à majoribus comeduntur.

Non faciunt meliorem equum aurei fræni; aliter leo auratâ jubâ demittitur, dùm contractatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus; aliter incultus, integri spiritus: hic scilicet impetu acer, qualem illum esse natura volvit, speciosus ex horrido, cujus hic decor est, non sine timore aspici, præfertur illi languido & bracteato. Nemo gloriari nisi suo debet: vitem laudamus si fructu palmites onerat, non si aurea appendamus poma: Sic in homine id laudandùm est, quod ipsius est. Senec. Epist. 41.

Dedit tibi natura, quæ si non deserueris pro Deo surgens: pacẽ enim Deo pecunia non faciet. Deus nihil habet; prætexta non faciet, Deus nudus est; fama non faciet, ostentatio tui, & in populos nominis dimissa notitia. Nemo novit Deum, multi de illo malè existimant, & impunè. Non ergò hæc, sed animus rectus, bonus magnus: quid aliud voces hunc, quàm Deum in humano corpore hospitantem: Hic animus

A tàm in equitem Romanum, quàm in libertinum, quàm in servum potest cadere? quid est Eques Romanus, aut servus, nomina ex ambitione, aut ex injuriâ natâ; subsilire in cœlum ex angulo licet: exsurge modò & te quoque dignum finge Deo, &c. Seneca. Epist. 31.

Illi quibus sceptrum & chlamidem in scenâ fabulæ assignant, circò spoliantur & ad personam suam redeunt: non est magnus pumilio, licet in monte constiterit: colussus magnitudinem suam servabit etiam si steterit in puteo: sic nemo istorum quos divitiæ honoresque in alto fastigio ponunt, magnus est: quarè ergò magnus videtur, cum basi illum suâ metiris, neminem æstimamus ex eo quod est, sed adjicimus ei & ea quibus adornatus est. Senec. Epist. 76.
B *Vide Veritas Potestat. Repugnat.*

De hominis miseriâ vide Senec. in cons. ad Marc. cap. 11.

Nihil refert vtrum ægrotum in ligneo lecto, aut in aureo colloces, quocunque transtuleris, morbum suum secum fert; sic nihil refert vtrum animus ægersit in divitijs, aut in paupertate, malum suum illum sequitur. Senec. Epist. 17.

Navis bona dicitur non quæ pretiosis coloribus picta est, &c. sed stabilis & firma: gladium bonum dices non cui deauratus est balteus, sed cui ad secundum subtilis acies; regula, non quàm formosa sed quàm recta quæritur: eo quodque laudatur cui comC paratur quod illi proprium est, ergò in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis saluretur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, sed quàm bonus sit, bonus autem est, si ratio explicita & recta est & ad voluntatem accommodata; nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio beatum facit, hoc autem vnum hominis bonum est, quo vno beatus efficitur. Senec. Epist. 76.

Arist. 1. moral. nicomach. cap. 3. probat humanam fœlicitatem non esse positam in divitijs, quia viles sunt, & propter aliud quæruntur, vndè non possunt habere tationem finis; non in voluptatibus, quæ afficiunt infirmiorem animæ partem & quæ pecudiD bus non homini ratione prædito sunt propriæ; non in honore, qui pendet ab eo qui ipsum defert: summum autem bonum proprium quiddam & tale, vt eripi non possit.

Beatitudo non consistit in divitijs, quia sunt artificiales, & referuntur ad naturam hominis sustentandam; non in honore, qui est tantùm excellentiæ signum; non in famâ, quæ ab aliis pendet & sæpè fallax est, non in potestate, quæ indefferens est ad bonum & malum, & multi illâ abuntur; non in corporeis bonis, quia ad aliud omnia ordinantur & sic non possunt habere rationem vltimi finis; non in voluptate, quæ sensus afficit, est que singulare bonum, non vniversale, quala mens hominis potest capere, cumE que non respondeat potentijs animæ, nec ipsas impleat, non est ejus bonum, &c. Vide apud. D. Thom. 1.2.q.2.a.1. & seqq.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Non prohibuicor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram, & cum mẽ ad hæc converterem, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus, &c. Eccles. 1. & 2.

Non est vera pax impijs. *Vide Glor. Vin. Rep.* Conscientiæ stimuli: Si quæ habetur non est durabilis. *Vide Durat. Glor. Rep.*

Populo meus qui te beatum dicunt, ipsi te seducunt. & viam gressuum tuorum dissipant. Isai. 3. *Vide Fin. Glor.* Vbi multa ad hunc titulum ex Biblijs.

Homines bona fortunæ à Deo petunt, non modum benè vtendi, alijs amici, sibi inimici & hostes; ædificia ad amussim componunt, lyram temperant, at non animi motus; lapides viventibus reddunt similes, viventes verò lapidibus; sapientes contemnunt, dùm sapientum statuas venerantur; aliena profitentur se scire, propria nesciunt; ambitionis gratiâ decertant maleficijs, cum potiùs beneficijs concertare deberent; cum semper loquantur malè, benè sperant se audituros; & cum mala agant, accepturos se opinantur bona; In præsenti malè vivunt, bonum semper in futurum differtur; Bonorum se dicunt authores, malorum Deum; culpas suas in astra rejiciunt; pecuniarum avidi, temporis prodigi: Proh dolor, maxima quærimus in minimis, excelsa in infimis, in malis bona, in rebus volantibus quietem, in dissentientibus pacem, copiam in penuriâ, in morte denique vitam. Quæramus hæc eadem quæ quærimus, sed vlteriùs scilicet in Deo quæramus; insanus enim & miser est, qui se confidit contrarium in contrario repertum. Marsf. Fic. in Epist.

Homines se rationales gloriantur, cum tamen casu vivant: appetunt & timent quæ nesciunt, an sint appetenda & timenda; bestijs & vitijs parent, cum sapienti obedire nolint; sibi non possunt dominari, & alijs volunt; studio dominandi in seruitutem incidunt, bonorum obliviscuntur, malorum nunquàm; virtutem in alio admirantur, vitium damnant, cum nec virtutem assequi, nec vitium fugere nitantur; mortem vnam timent, quæ finis est moriendi, quotidianas verò nequaquàm; denique miser homo, nisi suprà humana se erexerit in Deum. Ibid.

De his quæ impediunt veram hominis fœlicitatem. *Vide Contrar. Gloria.*

Tragœdiæ miseram mortalium sortem verissimè deflent; sors quoque mortalium tragœdiam verissimam peragit: Tragœdia est imaginaria quædam hominum vita; vita hominum tragœdia videtur esse verissima. Tria vitæ genera apud Philosophos numerantur, prima contemplationi, secunda actioni, tertia voluptati tribuitur: Et quicumque in qualibet videntur summi, ij sunt miserrimi. Primò, Contemplantes, qui dum curiosiùs volunt omnia perscrutari, meritò de omnibus dubitant, & cum cæteris superiores se esse existiment, non habent quem consulant, & cui credant: hanc sapientiam Salomon dicit afferre laborem & dolorem; eam Paulus existimat insipientiam. Secundò, Qui in possessione primum obtinere gradum putantur, verè primum tenent in passione & cum maximè dominari dicuntur, tunc maximè serviunt. Postremo voluptatibus dediti sæpè incidunt in dolores, &c. Idem.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Eph. 5. Dies malos duæ res faciunt miseria hominum miseria communis est ab Adam, malitia non debet esse communis. Nascitur puer & statim plorat, nondùm loquitur, & jam prophetat, se in labore vel timore futurum, nam etsi benè vixerit, in medijs tentationibus semper timebit. D. August. Serm. 24. de verb. Apost.

In imagine pertransit homo, sed & frustrà conturbatur; in imagine Dei ambulat, sed detrivit eam transgressione peccati, In imagine ambulat veritatis, sed conturbatur consilio vanitatis. Idem. Serm. 69. de tempore.

Vide Veritas Finis.

FOELICITAS HVMANA falsa, vana, insidiosa.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Si consideres hominem animâ rationali spirituali præditum, & in Dei filiationem adoptatum, miraberis quod fœlicitatem suam constituat in rebus externis, longe infra naturam suam positis; quasi accepti à Deo beneficij, non tantùm immemor; sed censor sacrilegus, exprobat creatori, quod sic ipsum ad sublimia constituerit; vndè in illius contumeliam se terrenis immergit spiritualis animus, mortalibus immortalis, &c. Sed insident semper immota naturæ jura, vndè dùm indulget sensibus, animus proprijs carens bonis ingemiscit, cæcoque semper carpitur dolore.

Magnitvdo. Mens rationalis infiniti progenies, infiniti avida, dùm se per peccatum à Deo vere infinito subtrahit habet infinitatis idolum vulgi opinione sacrum. Eminere volunt mortales divitijs, potentiâ, voluptatibus, & tunc ad verum & vniversale nata mens contrahitur ad falsum, singulare, amoris proprij concutientis bonum: Ambit multa, quorum nè minutissimas quidem, & fractas per temporis intervalla particulas obtinet; vndè crescit dolor & metus privationis, ad cupiditatum mensuram. Quid animæ jam multùm sub corporis sarcina laboranti superinjicis hanc rerum corporearum molem, quasi sub fœlicitatis titulo certamen sit magis tardari & opprimi.

Dvratio. Constantem optant omnes fœlicitatem, & ecce mundus continuum exhibet perfidiæ suæ spectaculum; ipsa se suis rebus implicans malitia, eadem ambientium insidiosa cupiditas, casus potentium sævitia, aut alia quælibet vis major, multorum consilia subvertit, omnium mors. Exigis soliditatem à torrente, fidelitatem ab oceano, dùm expectas à mundo constantiam, cum ejus substantia tota fit in fluxu? sic inquietas agitat mentes incompleta præsentis fruitio, & imminentis semper calamitatis metus. Amatæ voluptas, quæ dùm placet, dùm blanditur, transit in necessitatem. Illa quæ demulcebat delectatio, perit ipso vsu, & si desinit vsus, fit supplicium.

Potestas. Possidet te hæc externa fœlicitas, non illam possides, non enim es Dominus rei, quæ finè facto tuo ad alium transit. sed illa tibi dominatur, cui servis; quæ provt se habuerit, te nolentem exagitat, ægrisque torquet cogitationibus. Quò fis potentior, eò plura debes, hominum oculis, splendidum apparatum & cætera ad quæ facultates licet magnæ exiguæ sunt, & te in sublimi fortuna servum pauperemque efficient. Libertatem omnem eripit vulgi multi exigentis opinio, officiumque dignitati, collegis, amicis, ampliori quàm deceat familiæ exhibendum. Tot habes dominos, quot occurrunt homines quibus velles placere. O fallax potentia, & theatricâ deterior, quæ ficta quidem est, sed innoxia.

Cognitio. Sæpiùs in libertatem se vindicare tentavit ratio, sed mundus contrà inclamat, serviendum opinioni: fœlicior sanè bestiarum status, quæ cum sint ad servitutem natæ, servitutis tamen suæ sensum non habent. Ad quid insita naturaliter menti lux? ad quid Philosophia, justum & rectum docens? nisi vt augeatur in mundanis reatus & dolor, dùm scientes peccant, & ad prævisos sibique notos se allidunt scopulos. Cadunt ab humanæ naturæ eminenti statu, qui

non ratione, ſed opinione ducuntur, quod ſi nulla niſi ex reflexâ cognitione fœlicitas, nulla futura eſt in his mundanis commercijs, quibus ratio non adſtipulatur.

VOLVNTAS. Opinioni furenti duci militant pari furore percitæ paſſiones, vagæ, ſedirioſæ, in ſeipſas mutuò armatę, legem & modum à nullo capientes, in ipſa quæ vitare volunt pericula temerè ruentes, deſideria deſiderijs, cupiditates novis cupiditatibus obruentes; falcem immaturæ meſſi, provt ſors tulerit immittentes: hic nulla fœlicitas, vbi nulla ratio, nullus ordo, nulla fides, nulla certa quæ poſſit impleri voluntas, ſed omnia cæco impetu pertentata, relicta, confuſa.

VIRTVS. Si ſinè virtute nulla fœlicitas. *Vt Vide Glor. Virtus.* exulat à mundo fœlicitas cum virtute, tot injurijs laceſſita & tandem proſcripta; vt vmbratilis & ſcenica hîc eſt virtus, ſic fœlicitas. Hi larvati ſapientiæ ſtudioſi, domeſtici ſunt & latentes hoſtes, qui datâ occaſione damnum inferunt; qualis autem poteſt eſſe fœlicitas, cum his, quibus nec vnquàm habenda fides, & vndè ſemper timenda læſio? ſævit ſub religionis titulo diù meditata impietas, &c. *Vide Verit. Virt. Repuę.*

VERITAS. Prohiberur in verbis mendacium, quod tamen privatis publiciſque actionibus adeſt, vt forma quædam vniverſalis; Ficta omnia, & nulla certior veritas, quàm quod nulla ſit apud homines: nulla ergò fœlicitas, cum nulla ſit certa materia cui adhæreat. Non credo oculis meis, nec auribus; ſi liceret intima cordis ſcrutari, hunc fœlicitatem ſuam magnifico jactitantem apparatu miſerum videres, & eò infœliciorem, quò non licet dolorem ſuum voce aut lachrymis levare; hæc ſub mundi tyrannide adimitur extrema libertas, etiam pœnæ ſervis conceſſa.

GLORIA. Vanæ ſunt mundanæ voluptates, quia vſu ipſo fiunt faſtidioſæ; Non ſunt liberæ, ſed à communi imperante opinione impoſitæ, multùm ſunt oneroſæ tot curis tot laboribus, etiam ſceleribus vix vnquàm expiandis quæſitæ: Volunt homines ſuo ſenſu eſſe miſeri, vt alieno ſint fœlices.

DIFFERENTIA. In hac communi rerum jactatione, nulla eſt voluptas, niſi ex ſpe liberationis, & aliqua dolorum intermiſſione: talis eſt naufragis lætitia affulgente aliquo tranquillitatis indicio; talis à gravi morbo ſurgentibus grata, licet infirma, ſanitas: An in mundo ſpem leviſſimam, multiplex metus ſequitur; vndè hæc ipſa quæ habetur poſſeſſio ſic oppugnata, ſic in dubium ambiguâ ſorte vocata tranſit in ſupplicium.

CONCORDANTIA. Non licet tibi ſolitarium agere, nè ſolus ſis debilior contrà tot hoſtes, & naturæ fortunæque incidentes caſus: ſi autem te adjungas mundanorum in prava ruenti turbæ, te rapiet, & hinc vix licebit emergere, cum communis boni, & juratæ ſemel amicitiæ vinculis fueris irretitus: In langueſcentis pereuntiſque ſic vitæ ſolatium mortuos prædicant eſſe beatos, & vt heroas venerantur.

CONTRARIETAS. Si quis ſit miſericordiæ ſenſus, ipſa ſe implicat humana fœlicitas, quæ ſinè alteriùs, imò & multorum læſione non obtinetur; anguſta enim hæc temporalia bona omnes excludunt, vt vnum in poſſeſſionem ſuam admittant; ex multorum popularium ſpolijs fit vnus dives; vt autem diteſcens multis patet inſidias, ſic diteſcentem multi inſectantur; hic hominum opinione fœlix quot habet facultatum ſuarum admiratores, tot habet hoſtes, vi aut aſtu propellentes in hoc in ruinam, vndè proficiant, quis ſapiens in hoc dubio conflictu triumphum agat quis inter tot hoſtes caſui proximus fœlicem ſe reputet?

PRINCIPIVM. Corporibus violenta, nec durabilis quies eſt extra centrum ſuum, & animabus extrà Deum. Ne credas fœlicibus rerum mundanarum initijs; beneficium putas, eſca eſt: allicit & blanditur fortuna vt dejiciat incautum, qualis futura eſt in adverſis conſtantia, cui pro tyrocinio fuit præcox ſinè labore fœlicitas?

MEDIVM. Aſſerunt Stoïci corpus, & ea quæ ipſi ſubſerviunt, divitias, honores, amicos, & cætera quæ vocantur fortunæ bona, noſtra non eſſe, nec in noſtrâ poteſtate ſita, vndè ex illis noſtram non pendere fœlicitatem; quis enim fœlix eſſe poteſt ex alieno, vago, incerto pendens arbitrio? multis inniti debet hæc labilis, caſuique ſemper proxima fœlicitas. Multa ad fœlicitatem quærunt mortales, ſanitatem, divitias, famam, amicos, vt neceſſe ſit in tali vita genere, tot medijs inſtruendo, monſtra fieri, nec conſtantem eſſe beatitudinem, à tot externis caſui expoſitis, & ex ſe fluxis bonis pendentem.

FINIS. Erratur in principio, dùm fortunæ bona pro vltimo fine conſtituuntur; ſic enim quæruntur media ad illius conſecutionem aptiora; dant homines operam, non innocentiæ, quæ vt plurimùm jacet afflicta, ſed dolis, malæ fidei artibus, tyrannidi, quæ jus ponit in armis; Impietati, quæ ex aris, vt leo ex inſidijs, prodit humani ſanguinis avida: Ipſemet mundus hanc ſuam fœlicitatem arguit falſi, dùm momentaneam oſtendit, parumque temporis eſſe inter ejus ortum & interitum.

MAIORITAS. Tolluntur in altum, vt lapſu graviore ruant; teſte Sejano & cæteris è Principum gratiâ lapſis in carcerem & tortori addictis. Suſpectam facit hanc fœlicitatem, quod contrà leges naturæ communis parentis, & benigniſſimè omnibus affectu pari providentis, hæc beatitudo egeat tàm multis rebus, raro & paucis contingentibus.

ÆQVALITAS. Vno ſemper modo procedens natura, & neceſſitatibus noſtris facili modo providens, non videtur inſtituiſſe hanc fœlicitatem tàm variam; nec ex æquo omnibus poſſibilem, vitijs ſibi contrarijs potiùs quàm ſibi amicis virtutibus comparandam. Cum fœlicitas hominis rationalis poſita ſit in operatione rationi propriâ, non erit in eo quod rationi inimicum eſt.

MINORITAS. Ipſimet Philoſophi fœlicitatem poſuerunt in vitæ inſtituto, votis humanis mundanæque opinioni contrario, ſcilicet in voluntariâ paupertate. *Vide Minor. Poteſt. Bonis.* In dignitatum abdicatione. *Vide Volunt. Poteſt. Rep.* In ſe ceſſu. *Vide Glor. Vir.* His ſi adjicias Chriſtianæ Religionis præcepta & exempla, hominem rebus omnibus mundanis moti ſuadentia, habes oraculum, quo multis cœlo probatis teſtibus hæc externa fœlicitas, vt vana, falſa, infidioſa convincitur. *Vide infrà Minor. Glor.* Dij, inquit Philoſophus habent bona per eſſentiam, mala autem per intelligentiam, contrarium eſt in homine; qui habet mala per eſſentiam, & bona tantùm per intelligentiam.

DIFFERENTIA GLORIÆ.

DIVERSA DIVERSIS PRÆMIA.

MISCELLANEA.

ADVERTAT Princeps ne pluribus A merito imparibus æqualia largiatur præmia, sic enim peccat cõtrà legem justitiæ distributivæ, sic bonis deficit animus, malis crescit audàcia: Hinc in civitate debent esse diversi nobilitatis gradus, quibus diversæ notæ virtus possit præmiari. *Vide Differ. Potest.* Varia varijs officia, *& Differ. Virt.*

Distributio munerum & præmiorum sit pro cujusque merito congruentiâ, & dignitate. l. vlt. Cod. de stat. & imag.

Non licet ornamenta ædificiorum publicorum transferre inconsulto Principe. l. 12. Cod. de operib. publ. Sic personis in dignitate constitutis major debetur reverentia. *Vide Glor. Potest.* B

Qui post quinquennium militiâ solutus est, habet vnius anni immunitatem; qui autem post octo, biennij; qui post tredecim, triennij, qui post sexdecim, quadriennij; qui post viginti, continuo absolvetur. l. 8. ff. de excus.

Ordo elementorum apparet in Iride; nam inferior pars apparet cærulea, quia multùm habet terræ. Secunda viridis, quia multùm aquæ. Tertia, & suprema fulgida, quia multùm habet aëris.

Catena aurea Homeri, vel quàm Plato in Republicâ varijs luminibus contextam dicit, quâ Iupiter è cœlo omnia ad se ex inferioribus trahit, significat varios rerum ordines, quibus ad primum ens perveni- C tur. *Vide Differ. Virt.*

Successivè pro meritis quilibet est evehendus ad dignitates. *Vide Dur. Virt.* Mora in acquirenda virtute. *& Dur. Glor.*

Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. D. Aug. lib. 19. de civ. cap. 13.

Diversus est amor pro diversitate meritorum, majorque ergà plùs meritos. *Vide Major. Volum.*

Charitas quæ tanquàm nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi. Vide Ibid.

Hinc inordinatus gloriæ appetitus malus est. *Vide Vol. Glor. Mal.*

Animæ tres facultates locis diffident; omne corpus vivens est organicum, certâ & convenienti par- D tium dispositione. In abysso erant elementa secundùm perfectionem essentialem, non secundùm accidentalem, scilicet ordinem. Tostat.

Olim spolia deferabantur ad Ducem, qui ea distribuebat militibus pro meritis. can. dicat aliquis. 23. q. 5. Vide 1. Reg. 30. & Deuter. 20.

Gradus scalæ Iacob. In domo Dei multæ sunt mansiones Ioan. 14.

Asserit D. Aug. lib. 2. retract. cap. 19. Manna justis tanquàm exhibuisse quem voluissent gustum.

Delectabilia diversa sunt diversis, pro diversitate complexionum. *Vide Differ. Vol.*

Beatitudo triplex secundùm Philosophos scilicet voluptuosa, activa, & contemplativa. D. Thom. 12. q. 3. a. 2. ad 1.

Iovinianus damnatus fuit, eo quod inter alia asseret virgines, viduas & maritates ejusdem esse meriti. Omnium qui baptisma servaverint esse vnam in regno cœlorum remunerationem. Vide Baron. an. 8.

Varia fuit vestis honorifica, & index dignitatis. *Vide Cognit. Virt.* Vestis index dignitatis.

Militibus pro ratione meriti datæ coronæ; Civica iligna ob civem servatum, Muralis ob muros defensos, Vallaris rostrata, ex certamine navali; denique Aurea. Plin. l. 16. c. 4.

De varijs insignibus nobilitatis indicijs. *Vide Cognitio. Potest.* Videri potens.

Probi & improbi æqualibus non debent affici honoribus; inæqualibus enim si des æqualia inæqualia fiunt, nisi pro mensura accipiant. Propter hoc Respublicæ replentur seditionibus: vetus antè est sermo æqualitatem amicitiam procreare, non quidem hæc quæ pondere numero & mensurâ est æqualis; sed quæ majori plura, minori pauca tribuit, &c. Plat. 6. de leg.

Marmora & columnas de vnâ civitate aut provinciâ in aliam trãsferre non licet. l. nemini. Cod. de ædific. priv. Vni quæsita gloria non debet alteri tribui.

Appollonius colendos dicebat Deos vt dominos, Heroas vt parentes: Interrogatus autem, quomodo colendi essent homines, dixit laconicam non esse huic quæstioni responsionem, nam varia cuique competit laus pro varietate meritorum. Phil. in vitâ Appol. l. 4. c. 10.

Spiritus sanctus dicitur digitus Dei propter partitionem donorum, quæ in eo dantur vnicuique propria, sivè hominum, sivè Angelorum; in nullis enim membris nostris magis apparet partitio quàm in digitis. D. Aug. lib. 2. q. Evang. quæst. 12.

Angeli qui habuerunt meliora naturalia, habuerũt etiam plùs de gratiâ & gloriâ. D. Thom. 1. 2. q. 62. a. 6.

Gratia habitualis est major in vno quàm in alio, secundùm diversam dispositionem. 1. 2. q. 112. a. 4.

Christus justos tantùm, non damnatos ab inferis liberat, quia in illis nulla formata charitatis. 3. q. 3. a. 5.

Differentia immortalitatis & impassibilitatis Adæ & resurgentium. 1. q. 97. a. 11.

Dignitas beatorum in anima & corpore erit secundùm gradus meritorum, non autem secundùm diversitatem sexus, sicut nunc, & in statu innocentiæ. 3. q. 65. a. 1. ad 3.

Erunt in beatis gradus beatitudinis, qui mansiones appellantur. supl. q. 93. a. 2.

Beatitudo datur secundùm diversos gradus charitatis. 1. q. 12. a. 6.

Claritas nõ erit æqualiter in omni corpore glorioso, nec in omni parte ejusdem corporis. 3. q. 45. a. 2. ad 3.

Delectatio diversimodè est in Deo, Angelis, hominibus, & brutis. 1.2.q. 31. a. 4. ad.2.

Differētiæ inter delectationē, gaudium, exultationem, lætitiam, hilaritatem, & jucūditatem. 1. 2.q. 313.

Quidam clariùs alijs videbunt essentiam Dei. 1. q. 12. a.6.

Honor respicit proprium bonum honorati, ideò diversificatur specie secundùm diversa bona singulorum; Non autem amor, quia respicit bonum in communi. 2. 2, q.1.a.6.

Honor debetur alicui ratione excellentiæ, & honor diversus secundùm diversitatem excellentiæ. 2. 2.q .81. a. 4.

Aliqui honorantur quadrupliciter, scilicet vel propter virtutem propriam, vt virtuosi; vel propter virtutem alterius, scilicet Dei, seù communitatis, vt superiores, vel propter signum virtutis, vt senes; vel propter participationem divinæ bonitatis, vt Domini & parentes. 2. 2.q. 63.a.3.

Meritum est æquale præmio vitæ æternæ æqualitate quantitatis. 1.2.q. 114.a.3.

Vide Differ. Bonit. Diversis diversa dona: *& Æqual. Bon. & Volunt.*

Quantitas meriti potest attendi ex duobus, scilicet ex difficultate & bonitate operis, & voluntate & charitate operantis. 1.q.95.a.4.

In retributione præmiorum, inæqualia debentur inæqualibus meritis, non autem in constitutione rerum. 1. q.47 .a.2. ad 3.

Sabbathum præcipiebatur Iudæis, ad significandā triplicem quietem, scilicet Christi in sepulchro; mentis à peccatis, & Beatorum in patriâ. 1.2.q.110.a.5.ad 2.

Meritum duplex, scilicet congrui, & condigni. 1. q. 95. a. 4.

Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. Ps. 17.

Vide differentes sortes, quas moriens Iacob prædicit filijs suis. Gen. 49. Singulis singulares dans benedictiones.

Quelibet tribus Israël graditur secundùm signa suà & ordinem. Num. 2. quilibet secundùm vocationem suam. Orig.

Alia quidem cœlestium gloria, alia terrestrium, Alia claritas Solis, aliá claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stellâ differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum, &c. 1. Corinth. 15.

Vt olim in templo Ierosolimitano, sic in Christianorum Ecclesiis observatum est vt loco distincti essent sacerdotes à populo, veri à mulieribus. Vide Baron. an. 57. num. 123.

VARIA PRO VARIETATE meritorum præmia decernenda.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Falsum est sydera beneficis terræ vaporibus nutriri, sed verum est virtutes acceptis à populo præmijs ali; licet enim sint cœlestis & divinæ originis, sapiunt tamen humanam, mortalemque cui adveniunt naturam, & ex ejus communi lege incrementa sua debent nutritioni; nam naturæ profondit in hoc difficili opere suas vires, sic juvandas, sic reparandas. Non est hæc pura, soluta & suo relicta arbitrio liberalitas, sed ex Iusticiæ distributivæ legibus tantùm debet præstare, quantùm is cui confertur A meritus est. *Vide Æqual. Bonit.*

Magnitvdo. Hic merito excellens crevit virtute, vndè viro jam perfecto ampliora debentur, quàm quæ puero exiberi solebant, alimenta; Majora debentur giganti quàm pumilioni. Si virtuti debetur præmium, eminentiori suprà cæterorum sortem amplius præmium decernendum; nam augetur ratio conferendi, majorque virtus minori cōparata se habet vt virtus ei cōparata, qui non est eâ præditus. Virtute præstantior magis accedit ad Deum, infinitè perfectu, cui summus honor, summusque cultus ideò nefertur.

Dvratio. Virtutes promoventur per certos gradus. *Vide Durat. Virt. Mora in acquirendâ Virtute.* Hic autem motus non debet esse frustrà, sed debet B sibi comparare aliquid sui vltimi termini, illiusque perfectam fruitionem preguſtare. Præmia sic per vices, & quasi concessis inducijs crescenti virtuti decreta, minùs gravant præstantem, & sic stillata plùs delectant accipientem. *Vide Durat. Bonit. Mora.*

Potestas. Si deficiat hæc pro meritis præmiorum præstatio, argumentum est in præstante, aut inscientiæ, quæ meritum non agnoscat; aut impotentiæ quæ non valeat præmiare; vtrumque indecorum; aut est defectus justitiæ, quod est vitiosum. Qui præest huic distributioni præsumitur ad dignitatem merito suo evectus; igitur mensuret alios, eadem quâ mensus est mensurâ, paremque ei quàm accepit rependat reverentiam. Nullum Rectoribus præstantius est officiū, quàm virtuti jus dicere, certanti coronas appēdere, victrici decernere, lætam, splendentemque suo munere videre: Excelsior enim sēpet habet C turis qui præstat, beatiusque est dare quàm accipere.

Cognitio. Datur remuneratio, quasi quædam tessera, quâ possit homo dignosci, quo ordine, & quo gradu virtuti militet: Igitur lædis ipsum gravi in famam suam injuriâ, si præmium minus quàm debeatur largiaris; at si amplius quàm par sit concedas, lædis alios, quibus ipsum immeritò æquas, aut præfers.

Volvntas. Hoc communibus votis videtur à Republicâ promissum, & sibi servientibus speratum: Implenda est hæc publica stipulatio, vndè videtur pendere in cęteris fides; Ingemiscit enim & languet D debitis suis præmijs frustata virtus; Ingnatur autem & sævit ambitio, interdumque sceleribus conatur assequi quod fortitudini negatum est.

Virtvs. Iustitiæ, sic pro meritis præmia distribuenti, assident cœteræ virtutes; Temperantia frænans affectus, nè in excessum aut defectum transeant; Prudentia, præteriti, futurique conscia, videt hac æquissima largitione provocata fuissa praclara majorum facinora, & his gloriæ stimulis, animos ad majora concitari; sed præcipuas hic partes agit Fortitudo, nihil remittens de hac æquissimâ retributione, licet in contrarium surgat majorum ambitio, quæ non nisi invitâ patitur alios in eadem, aut majora his quæ obtinet, E assurgere; licet etiam allatret æqualium relictorum, aut aliorum infrà jacentium invidia.

Veritas. Eluceſcet tandem ad tempus, obnubilata veritas. *Vide Potest. Verit.* Emicat virtus ex tenebris & sibi negatum injuriâ præmium, postea splendidius obtinet in contumeliam judicis, qui negaverat: detrahitur vitijs larva, & eorum putantur tutores, qui ipsa non pœnis, sed præmijs affecerunt.

Gloria. Beati eandem vident essentiam divinam, eadem videndo perfectissimè perfruūtur, & tamen in hac summâ æqualitate contingit gloriæ, vt fuit præcedentium meritorum, inæqualitas: sic in vnitate quę-dam reperitur multiplicitas, in summo diversitas; videntur coincidere pugnantia, vt servetur hæc ęterna lex de meritis pro ratione gradus sui præmiandis: hæc

divina juſtitia noſtræ debet eſſe idæa & regula.

DIFFERENTIA. Quo magis corpus accedit ad luminoſum magis illuminatur, ad ignitũ magis incaleſcit: quo magis virtus proficit ad divinam beatitudinẽ, magis illam beati oportet, & fœliciorem effici, vt à Deo ſic ab hominibus: qualiter enim conſtabit humana juſtitia, ſi à Divinâ diſſentiat? Stant omnia divinâ, cœleſtia, ſublunaria ordine, qui diſtincta vario debitoque ſitu exciens vnionem efficit, vnitatis imaginem.

CONCORDANTIA. Vt bonum, ſic præmium in convenienti: Auro gemiſque licet ornata veſtis indecens eſt, ſi corpori non ſit commenſurata, ſi decurtata denudet, aut laxior obruat corpus, quod debet veſtire, & ornare. Nulla ſtaret ſocietas ſi non officia pro meritis eſſent diſtributa; quid enim ſi pes, aſſurgere vellet in capitis officium? &c.

CONTRARIETAS. Vt pœnæ delictis, præmia virtutibus commenſurantur: Prævaricator eſt, non Iudicis ſed hoſtis perſonam agens, qui benè meritum debito ſibi fraudat præmio.

PRINCIPIVM. Ex æquitate præmia decernens agit partes cauſæ cujuſdam vniverſalis, cujus influxus pro variâ rerum ſibi ſubjectarum diſpoſitione recipitur, & agit: Poterat plùs dare, ſi hæc plura valuiſſent capere. Solis lux omnibus benefica, omnium inferiorum corporum actuat, provt ſunt colores, oſtendit figuras, tardos, aut veloces notat motus, ſic vt ſibi non loci imputent corporea, quod præſtantioribus non ſint inſignita qualitatibus.

MEDIVM. Hæc æquiſſima diſtributio animos continet in medio quodam ſtatu, virtutibus familiari: vt nec inſoleſcat videns ampliora, quæ nondùm eſt conſecutus; nec torpeat aut jaceat ſibimet vilis dùm ſe conſpicit multis infrà jacentibus, nullumque præmium conſecutis, præferri.

FINIS. Non ſuperbit, qui ſe videt nondùm perveniſſe; nec deſpondet animo, qui tritum à multis, apertumque videt iter, quo perveniat: ſic reficiuntur laſſæ vires, & ad initij fervorem inſtaurantur cum accepta præmia gradus ſint accipiendorum: vt certis corporibus centra; ſic certis meritis præfinita ſunt præmia, in quibus quieſcunt, aut ſaltem ad vltimi finis fruitionem magis accedunt.

MAIORITAS. Sic innato excellentiæ appetitui blandiendum eſt, & quem cupiditas in pejora diverteret, virtuti conciliandus eſt. Prius eſt ampliora velle quàm conſequi, hæc præcipua præſtantioribus decreta præmia, ſunt quaſi in publico appenſa, vt cæterorum in ſe provocent affectus.

ÆQVALITAS. Sic librati mortalium affectus inter ambitum & torporem medij, virtutum, juſtitiæque legibus optimè præparantur. Cum hîc amor noſter ſit indigus, mutuas exigit vices, rerum prætia, laborum mercedes, virtutum præmia: Politici non probant in Republica bonorum communionem, nè inæqualiter laborantibus, & inæqualiter meritis, æqualis contingeret fruitio. *Vide Differ. Poteſt.* De diſtinctione dominij.

MINORITAS. Quale debeat eſſe præmium docet ipſa bene meriti vrgentior neceſſitas, ne nimijs fortunæ injurijs oppreſſa virtus veniat in contemptum; varijs morbis varia parantur ſubſidia: Igitur egenu nobilati facultates ſunt ampliandæ; ditioribus popularibus, honores accreſcendi, &c.

CONCORDANTIA GLORIÆ.

SIMVL FRVI, GAVDERE, HONORARI.

MISCELLANEA.

PRINCIPES inter quos bellum non eſt mittunt ad ſe invicẽ legatos gratulationis causâ, in fœlici aliquo eventu.

De lætitiâ quæritur ex conſortio. *Vide Gloria Concordantia.*

Plato lib. 12. de legibus graviter puniri jubet eos, qui publicis non interſunt feſtivitatibus. *De quibus vide Glor. Virt.*

Spoliorum inter milites partitio: Triumphus in quo coronati omnes milites.

In ſacris certaminibus coronæ non dantur victori ſed patriam ab eo coronari pronũtiatur. Plin. l. 16. c. 4.

Quod vnus ex filijs impendit in publico munere, ad quod per Patrẽ erat evectus, id repetit à cohæredibus judicio familiæ erciſcundæ. l. 20. §. 7. ff. famil. erciſ. quaſi gloria talis muneris ſit communis toti familiæ.

Victoria ejus qui putabatur eſſe hæres in ſolidum, prodeſt ei ad quem apparet hæreditatem pro parte, aut in totum pertinere. l. 7. ff. fam. erciſc.

Quandò in officio, cui vnus conſueverat præeſſe, plures eliguntur, quilibet eorũ illis privilegijs vtitur, quibus ille ſolus vtebatur. l. 10. C. de adv. diverſ. judi.

Abolitio, hoc eſt jus deſiſtendi ab accuſationibus, conceditur ob diem inſignem, ob publicam gratulationem, vel ob obtentam ab hoſtibus victoriam. l. 8. & ſeqq. ff. ad S. C. Turpil. Non tamen pertinet ad ſervos in vinculis exiſtentes. l. 16. Eodem.

Tota Trinitas eſt adoranda vnâ tantùm latriâ. 2. 2. q. 81. ad 3. ad 1.

Deitas & humanitas Chriſti ſunt adorandæ vnâ adoratione latriæ. 3. q. 25. a. 1.

Quandiù anima fruitur Deo ſinè corpore, appetitus ejus ſic quieſcit in eo, quod tamẽ adhuc vellet corpus ſuum beatitudinis ſuæ particeps eſſe. 1. 2. q. 4. a. 3. ad 4.

Attributa convenienter attribuuntur & appropriantur Divinis Perſonis. 1. q. 39. a. 7.

In eodem inſtanti caro & anima Chriſti fuerunt aſſumptæ & vnitæ. 3. q. 6. a. 1.

Quilibet beatus gaudet de benefactis à ſe, vel ab alijs. 3. q. 23. a. 6. ad 3.

Multiplicatis bonis noſtris gaudium beatorum augetur materialiter, non autem formaliter, quia Deus eſt eis ratio gaudendi de quibuſcumque gaudetur. 1. q. 62. a. 9. ad 3.

Deitas in quantùm vna in pluribus perſonis convenit cum formâ nominis collectivi. 1. q. 5. a. 6.

Neceſſe eſt, ſicut vnum, ità & omnes reſurgere. Supl. q. 75. a. 2.

De votis publicis. *Vide Concord. Volunt.*

Inter amicos omnia communia, vt adverſa ſic læta, vndè de ijſdem triſtantur & gaudent. *Vide Æqual. Volunt.* Amicorum omnia communia.

De publicis largitionibus. *Vide Magnit. Bonitatis. & Æqualit. Volunt.* Æqualis ergà omnes dilectio; vndè & æqualis largitionum fruitio.

Vide in concord. Bibliorum collætari, congaudere congregnare, conſedere. *Vide Æqual. Glor.*

Ieruſalem, quæ ædificatur vt civitas, cujus participatio ejus in idipſum, ideſt communis. Pſal. 121.

Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis, &c. Pſal. 46.

Concilio Arelatenſi. I. can. 1. ſtatutum eſt, quatenùs vno die & tempore per vniverſum orbem Paſcha celebraretur. Vide Baron. an. 314. Sic apud omnes gentes & Religiones ſunt quidam feſti dies, in quibus indicitur publica laborum vacatio & lætitia.

CONVIVIA.

MElius eſt vocari ad olera cum gaudio quàm ad vitulum ſaginatum cum odio. Prov. 10.

Convivium honeſtate honoretur, lætitia menſæ pertingat ad pauperes Chriſti, familia innocentiæ tripudiet diſciplina: Abſit ebrietas, luxus abſiſtat, fugetur effuſio ſaltatricum peſtis; lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodianis abſcindantur, vt præſens gaudium veſtrum perveniat ad lætitiam ſempiternam. D. Chryſ. hom. 16. in dec. S. Ioan. Epulæ legionibus victricibus antè foris exhiberi ſolebant Alex. ab Alex. l. 6. c. 6.

Lycurgus apud Lacedemonios publica inſtituit convivia, à quibus nè Rex quidem poterat abeſſe; dulce enim eſt hominibus convivere; Plut. in Lycurgo. Fiebant autem, vt hac communi voluptate conciliarentur civium animi, vt etiam innoteſcerent mores, vbi liberiùs & ſinè fuco agitur.

Sinè amico viſceratio leonis ac lupi vita eſt. Senec.

Dulcius eſt frui amicis quàm eſcis, & hoc mutuò reflexa amicorum lætantium gratulatio miram & velut indeficientem parit ſuavitatem.

Romæ Idibus Aprilis in honorem Cybeles celebrabantur ſolemnia convivia. D. Aug. l. 2. de civit. c. 4.

Aſſuerus Rex Aſſyriorum, vt oſtenderet potentiam regni ſui, fecit convivium omni populo per 80. dies. Eſther. c. 1.

Antiqui in templis ſolebant ſolemnia quædam convivia celebrare, quibus putabant honorem deferre Deo, qui nos vſque in delitias amavit. Phil. lib. de plant. in fin.

D. Hier. ſup. Ezech. Loquitur de vnâ ſpecie decimarum, quas vnuſquiſque de populo Iſrael ſeparabat vt comederet eas, cum iret in templum in Ieruſalem, & in veſtibulo templi Sacerdotes & Levitas invitaret. c. 1. de decim. can. Eccleſias 9. item cum decimæ. 13. q. 1.

Sic apud Chriſtianos in memorijs martyrum exhibebantur convivia, quæ dicebantur Agapæ, in quibus ſumebatur etiam ſacra Euchariſtia, vt charitatis communio ſic haberetur, & externa etiam communi lætitiâ ſignificaretur. Baron. an. 57.

Philo loco citato dicit juſtis de cauſis licere convivari, imo & potatione certare, nimirùm in lætitiâ publicâ, pro ſalute patriæ, pro honore parentum, pro ſecuritate liberorum.

Obſervatum eſt homines congregatos magis afflici, tunc enim proprijs & alienis paſſionibus concurrentibus fortiùs exagitantur. Vndè ſpectacula, choreas, muſicas, & cætera id genus in publico ſolent exhibere, vt hac ex communione avita lætitiâ demulceant populum, gravi ſubſidiorum onere gravatum; hæc quia ſenſibus nimium blandiuntur non decent Chriſtianum. Vndè de his. *Vitior. Glor.* Vbi de mortificatione generali, & ſingulorum ſenſuum.

De luxu nimio in convivijs. *Vide Major. Glor.*

Convivium laudatur, dummodò detractionibus & fabulis, & plauſibus turpibus non miſceatur. 44. diſt. quandò autem.

Convivium quod ab oratione ceptum in precationem definit nunquàm deficiet, ſed quovis fonte vberiùs omnia bona affert. D. Chryſ. hom. de fide Annæ.

Rogandi ſunt parentes & vicini, ſed rariùs rogandi ſunt, & non nimis ſumptuoſa & delitioſa, ſed tam parca & ſobria vel honeſta debent illis convivia præparari, vt remaneat vndè pauperes poſſint reſici. D. Aug. Serm. 2. de temp.

De convivio nuptiali. *Vide Gloriâ Concordantia.*

CONTRARIETAS GLORIÆ.

CONTRARIA QVIETI.

MISCELLANEA.

BIliosis ſomnus eſt paucus, levis, & magnâ corporis jactatione inquietus: immodicæ vigiliæ, quæ fiunt ex calidâ cerebri intemperie: inſomnia belli, furoris, ignis plena: pulſus vehemens, velox, frequens, oris amarior inappetentia. Galen.

Pycnocomum herba ſemen fert, quod gravia ſomnia & tumultuoſa facit, dragmæ inſtar potum. Idem ſemine Similaris trito & poto. Dioſc.

Vigiliæ nimiæ ortum habent à nimiâ ſpirituum animalium ad organa ſenſuum effuſione, ob defectum vinculi ſenſus primi, & irritationem nimiam ſenſus communis: deficiunt etiam ſuaves exhalatio-

nes, quæ ſomnum conciliant; quia vel in corpore non generantur, quod fit in nimiâ inediâ; aut ob eſcum ciborum, qui tales halitus non ſuppeditant; vel quia penitus abſumuntur, diſſipantur, & à cerebro avocantur: abſumit autem has exalationes calida intemperies, ſeù cerebri tantùm, ſeù totius corporis; hinc in ardentibus febribus vigiliæ, & ab humoribus bilioſis & melancholicis.

Valens Imperator Arianus, hanc adverſùs Monachos perſecutionem conflavit, vt eos à Monaſteriis abſtrahi, & ad malitiam cogi, nolentes fuſtibus interfici juſſerit. Baron. an. 305. Negotia ſæcularia ſunt contraria quieti Religioſæ. *Vide Gloria Virtutis*: militans Deo non ſe implicet negotiis ſecularibus.

Quæ ſunt contraria quieti ſapientis enumerata, vide eodem. tit. Pax & quies virtutis.

Tyranni bella & contentiones inter cives concitant, & operibus occupatos detinent, ne poſſint contrà ipſos inire conſilia. Exẽplum hujus ſævitæ ſunt pyramides Ægypti, & Policratis opera circà Samium, hæc enim omnia fuerunt inſtituta ad otium populorũ tollendum. Ariſtot. 5. polic. cap. 11. Sic Dæmon occupatos detinet mundanos, ne meliora ineant conſilia.

Dolorem efficientes cauſæ ſunt tenſio corporum, & intemperies. Galen.

Quieti naturali contrariatur & quies violenta ejuſdem, & quies naturalis alterius corporis.

Aſtra moventur per circulos quibus ſunt infixa: Rapiuntur cœli inferiores à primo mobili. *Vide Princip. Differentiæ.*

In mœſtitiâ aufertur ſomnus propter imaginativæ agitationem: concactio depravatur, quia ſpiritus aliò intenduntur, ad vtrumque verò commodum fiunt inepti; craſſeſcunt enim atque obſcurantur quapropter non penetrant, ſed torpent circà ſpeciem quæ mœroris cauſa eſt ſomnum impediunt, quia conſumunt humidum contentione motu animi. *Vide fin. Glor.*

Prohibetur ſub gravi pœnâ, ſeditiones, tumultus, conventicula facere in Eccleſiis in quibus cum pace & quiete vota competit celebrari. l. 5. ff. de his q. ad Eccleſ. confuger. De conventiculis. *Major. Concord. mal.* Ideò prohibitæ publicæ diſputationes de Religione. *V. Contrar. Cognit. & Durat. Veris.*

Adminiſtrator Provinciæ, non debet occaſione Religionis, aut hæreſum, Provinciam commovere. §. Neque occaſione, in autent. de mandat princip.

Quietes contrariæ ſunt, quæ ſunt in terminis contrariis. D. Thom 1. 2. q. 31. a. 8.

Converti ad beatitudinem eſt homini difficile, dupliciter, ſcilicet quia eſt ſupra naturam ejus, & propter impedimentum corporis & peccati; ſed Angelo tantùm primo modo. 1. q. 62. a. 2. ad 2.

Clauſio paradiſi duplex ſcilicet quo ad totam naturam per peccatum originale, & quod ad perſonam per peccatum actuale. 3. q. 49. a. 5.

Vide Minor. Durat. De hominis & rerum omnium incõſtantiâ ſpecialiter autem de homine. *Vide Differ. Cognit. Differ. Volunt. Differ. Veris, &c.*

Adulterium familiæ pacem turbat. *Vide Minor. Glor.* De vitando adulterio *Vide Contrar. Concord.*

CONTRARIA DELEctationi.

DOlor oritur ex ſubitâ & vehementi alteratione quæ cauſat ſolutionem continui. *Vide Princip. Contr.*

Melancholia oritur ex nativâ temperie frigidâ & ſiccâ, cum lienis imbecillitate, vel calida quidem à principio, ſed per tranſmutationem frigida: Ætas inclinans ſcilicet ab anno. 35. ad 49. Tempus autumnale; alimentorum; vitæ conditio triſtis, multis curis, negotiis, contemplationibus, litteris addicta, conſueta melancholiæ vacuatio ſuppreſſa.

Religio contrariatur voluptati ſenſuum. *Vide Minor. Glor. Bon.*

Fons eſt in Armeniâ qui ingerit tædium vini.

Mullus in vino necatus, vel piſcis rubellio, vel anguillæ duæ; item vna marina in vino putrefacta, iis qui inde biberint tædium vini affert. Plin. lib. 32. c. 10.

Spiritus ſpiſſitudo & attenuatio in corde cauſat anguſtiam & triſtitiam.

Peccatum cauſat triſtitiam. *Vide Gloria Virt. Rep.* Conſcientiæ ſtimuli. *Vide Finis Gloria.*

Sicut quieti naturali contrariatur & quies violenta ejuſdem corporis, & quies naturalis alterius corporis, ità in affectibus animæ delectationi opponitur & delectatio & triſtitia. D. T. 1. 2. q. 31. a. 8. ad 2.

Ad dolorem requiruntur duo, ſcilicet conjunctio moli, & perceptio. ejus. 1. 2. q. 35. a. 1. Malum conjunctum eſt magis cauſa doloris, quam bonum amiſſum. 1. 2. q. 36. a. 1.

Gladius flammeus eſt impedimentum acceſſus paradiſi terreſtris, & ſignificat impedimentum Regni cœleſtis. 1. 2. q. 164. 2.

Triſtitia eſt de malo apparenti, eſtque in appetitu ſenſitivo interiori, ideò eſt paſſio animalis: ſpecies ejus ſecundùm applicationem ad extraneum ſunt quatuor, ſcilicet miſericordia, invidia, anxietas vel anguſtia, & accidia. 1. 2. q. 35. a. 8. *V. Magnit. Volunt.* De zelo torquente ob aliorum peccata, & de nimio zelo. *Vide Major. Volunt. & Princip. Gloriæ. Delectationis*, & ex ejus cauſis conjice per oppoſitionem quæ ſint cauæ triſtitiæ.

Triſtitia eſt paſſio deteſtans malum præſens, cum perturbatione. Cauſæ ſunt bonum amiſſum, aut fruſtrà deſideratum, malum inſperatò adveniens: aliquid repugnans noſtris cupiditatibus, quod evinci non poſſit; iracundia ſi vindicta ſumi non poſſit; deſperatio, cum omnis ſpes adimitur; dilatio boni deſiderati & expectati: mali commiſſi memoria, malum hoc augetur per comparationem aliorum & præteriti.

Effectus triſtitiæ ſunt ſanitatis derimentum, ſqualloris otium, ſomnus, niſi ſit vehementior, taciturnitas, oculi demiſſi, vultus lividus, languor, capitis dolor, cibi abſtinentia, faſtidium, flentes oculi, fruſtrà adhibita ſolatia, vota, preces, cogitatio præteritæ fœlicitatis, incuſatio cœli, fortunæ, aſtrorum, hominum, cum ingratitudinis exprobratione; Memoria actionum quibus talis effectus non debebatur; conqueſtio & condolentia ſibi quod talia non profuerint meditatio mediorum vindictæ, ſed defectus animi ex conſideratione fruſtrationis; mox in ſe reddit animus, media recenſens quibus vſus eſt, ſeipſum incuſat & arguit inſcitiæ, dicit ſe futurum fœlicem ſi talia & talia egiſſet: excuſatio Dei, cœli, fati, aliorum omnium, & omnia ſibi imputat; dolet quod rei ſe immiſcuerit, quod deſideraverit, vel habuerit cogitans fœlicitatem aliundè; ſed vbi videt præreptum omne remedium ſe maximè contorquet: Cogitatio continua & exageratio doloris, infamiæ, amiſſionis, quæ ex tali malo procedunt: Mortis votum, crudeles vocat leges, qui prohibent necem ſibi inferre; fœlicitatem ſibi majorem fingit in mortuis, monachis, etiam in animalibus; Memoria peccatorum, quæ talem pœnam meruerunt; converſio ad Deum, quærela quod tàm

graviter

graviter afflixerit, huic tamen ſe ſubmittit; Hebetudo mentis, ſtupor, laſſitudo, deſperatio propoſitum ingrediendi pericula in quibus moriatur; Nullis quibus anteà delectatur, optat omnia verti in lachrymas, ſpes ſuas fallaces accuſat, dicens ſe omnibus ſemel excidiſſe; Quæritur de præteritâ fœlicitate, quaſi meliùs fuiſſet non habuiſſe, quàm ſic citò perdidiſſe; profitetur ſe caſum hunc prævidiſſe; recenſet auguria prodigia, leviora mala gravioris futuri præſaga; interdùm fortunam & ſuperos provocat, quaſi nihil poſſint gravius infligere: gaudet etiam ſuâ triſtitia frui in ſolitudine, pellens procul à ſe læta omnia.

Homo patitur eadem adverſa, quæ cæteris contingunt animalibus, ſed hanc naturalem infirmitatem multùm adauget congeſtis ex opinone malis, metu ſcilicet, aut dolore amiſſionis divitiarum, honoris, liberorum zelotypiâ, &c. Omnes corporis partes ſenſum habent doloris, paucæ voluptatis, & hæc voluptas vna aut altero modo illis contingit, dolor modis innumeris; brevis eſt voluptas & citò evaneſcit; dolor durat: ideò dolor ſenſus in nobis potentior; vltro ſe dolor offert, voluptas etiam labore comparatur; Minor eſt in nobis voluptatis quàm doloris ſenſus, non enim ità nos afficit perfecta ſanitas quàm vel minima infirmitas: Etiam præcipuæ noſtræ facultates in pœnam noſtram agunt: Intellectus torquetur ſciendi deſiderio, & difficultate, ambiguitate: Voluntatem agunt & verſant ſub ſpecie boni paſſiones; Memoria mala præterita revocat, providentia futura prævenit; quæ habetur major prudentia, propriis non contenta miſeriis, alienis ſe implicat. Malum ſeù animi, ſeù corporis, non niſi alio naturæ malo curatur; cupiditates auſteritate, morbi aſperis remediis: Malũ facilè ab vno in alium contagione tranſit, non ſic de bono; optamus quietem & vrgens vitæ indigentia cogit nos vt mercenarios ad laborem: Si ſenſibus obſequimur ingemiſcit oppreſſa ratio, & propriis fruſtrata bonis; ſi rationem ſequimur; laborioſam ducimus vitam, &c. *Vide Veri. Glor. Rep.* Fœlicitatis humanæ vanitas.

Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ, virum vniverſę terrę. Ierem. 15. Quaſi ſit microcoſmus & compendium malorum mundi.

Militia eſt vita hominis ſuper terram. Iob 7. Foris pugnæ, intùs timores. 2. Corinth. 7.

Vndè ſuperbit homo, cujus conceptio culpa, naſci pœna, labor vita, neceſſe mori. D. Bern. mediat. c. 4.

Pirtho. Eleates, Xenophanes negabant vllam dari hominis fœlicitatem vndè irridebant cæteros Philoſophos diſputantes de ſummo bono.

QVÆ SINT QVIETI ET paci contraria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Anima credita eſt ignea, ætherea & ex ſubſtantiâ cœlorum, qui perpetuo motu circumaguntur: accedit corpori compoſitio ex quatuor elementis, quorum tria ignis aër, aqua fluxa ſunt, & ſeipſis ad motum prona, ſic ea ipſa principia quibus conſtamus, quieti noſtræ contraria ſunt. Ipſa etiam indiga natura ſocialis, ſi ab alio accipit, ab illo pendet, vndè nec ſtatum habere poteſt; ſi largitur, notâ celebrique beneficentia, opprimit dandum turba petentium, vt neceſſe ſit ve profuſis bonis exhauriri vel à repulſam paſſis indignantibus, & invidentibus non mediocriter concuti. *Vide Major. Bon. Mal.*

MAGNITVDO. Diffundi volunt affectus in immenſum, dumque ſic varia præluſtrant, magis patent ictibus inſidiantis, & vndique populantis fortunæ: contractis tantùm in ſe & ad vnitatem ſuam contingit ſecuritas. *V. Glor. Minor. & Major. Magnit. Mal.* Sic dùm Reſpublica fines ſuos, vltrà quam pat eſt, proferre vult, nunquàm ſibi ſatis prælens ſeditionibus concutitur, & dùm externum advocat auxilium ſæpiùs admittit hoſtem, à quo ſpoliatur: Fallimur etiam cum nos tantùm æſtimamus, vt partes coporis cujuſdam, ſeù naturalis, ſeù civilis, vt hinc opinemur juſtum & pium eſſe cum hoc vniverſo commoveri: Non hic ſumus æqui noſtri judices, nam vnumquemque natura ſingulari donavit exiſtentiâ proprio doloris, voluptatis, beatitudinis ſenſu; mundumque conſtituit, parvum quidem, tamen completum ſuis conſtantem principiis & legibus.

DVRATIO. Mirum non eſt ſi fluenti ſemper tempori, quaſi torrenti, inſidentes rapiamur; Prætentibus tantùm non agimur fluctibus, præteritos memoriâ revocamus, futuros ſpe metuque prævenimus; ita fit inordinata, quaſi coactarum & redeuntium in ſe: aquarum, commotio. Ipſa mortis neceſſitas morborum non tàm eſt effectus quam cauſa; caſui enim deſtinata, diù anteà nutant; ideò jactamur, quia cadere & interire quæ nata ſunt oportet.

POTESTAS. Laſſatur qui alios in ſe incumbes ſuſtinet: hinc in dignitatibus publicis perit vera libertas, & quieta ſui fruitio, ſub ambitu amplioris libertatis & potentiæ; vndè ſapiens vt ſe ſibi vindicet, hæc averſatur officia. *V. Volunt. Poteſt. Repugn.* Magnæ divitiæ, cum ſint multis expoſitæ caſibus; vigiles ſemper & inquietos detinent in ſui cuſtodiam animos. *Vide Major. Poteſt. Mala. Nimia divitia.* Quieti contrarium eſt, quidquid ſervitutem exigit; Nam ei qui ab alieno pendet arbitrio nulla contingit ſecura par, turbatur enim vel actu ipſo vim inferente, vel imminentis ſemper ſævitiæ metu; non quieſcit qui pendet, imò meliùs videtur ſemel cadere quàm ſemper pendere; Nam in ipſâ violentâ libratione multi videntur impliciti, & quaſi congeſti caſus.

COGNITIO. Intellectus inter omnes noſtras potentias citiſſimus, etiam quieti multum adverſatur: Ignita quædam ingenia Rempublicam cõmovent à fundamentis vaſto populorum excidio, vt vanitati ſuæ novitatis laudumque avidæ liberius indulgeant. Religionem in dubium vocavit curioſa nimis myſteriorum inquiſitio: avarus exacta ſumptuum ratione; Zelotypi, invidi, melancholici, ſupertitio ſi in ſupplicium ſuum invigilant; & dum ſuſpicionis ſuæ quærunt argumenta, jam ægræ ſuæ rationi venena quibus magis inficiatur & interea ſubminiſtrant. Si in propriis nimia nos exagitat conſideratio, quid ſi in alienas intentiones & actiones divertat; in talibus enim nihil datur certi, in quo mens poſſit quieſcere, ſed quaſi Ixionis rota miſere circà infinitum, vagumque poſſibile convolvitur. *Vide Major. Cognit. Mal.* Alienis non ſe immiſcere negotiis.

VOLVNTAS. Vt maria ventis contrariis, ſic mentes ruentibus in ſe paſſionibus turbantur. *Vide Magnit. Volunt. Magnit.* Vndè antiqua philoſophia ſummum hominis bonum in tranquillâ ſui poſſeſſione conſtituens, tota erat in paſſionibus ſedandis, imò & penitùs extinguentis. Sic in ſuis viſceribus fert terra vndè concutiatur. Amor cum videatur blandiſſima paſſio, cæteris ſæviorem exercet tyrannidem; quis enim explicet miſerias amantis jactationes, pluresque & in momentanea iteratas vnius nunquàm ſibi conſtantis vitæ mortes? *Vide Gloria Vol. Rep.* Amoris dolores.

VIRTVS. Vitam ſub naturæ gravibus tributis jam multùm laborantem opprimit indiſcreta virtutis & Religionis opinio; Superſtitioſi miſeros reputant, ſi non effecerint, certâ ſemper in ſui perniciem manu. Pertinax & infœlix malum contagione ſuâ à ſe remedium ſubmovens, cum videatur peccare qui vult auxiliari.

VERITAS. Miſeros puta & inquietos, qui ſub prætextu quærendæ veritatis, poſita diuturno ſæculorum labore ſcientiarum & Religionis fundamenta inficiantur; toti ſunt in negationibus, dùm nullam habent cui certo inhæreant veritatem; miſerè pendentes hinc indè jactantur, ne calamitati quidem ſuæ hoc contingat ſolatium, vt ſciant vbi ſint caſuri; niſi quod in errores omnes, & in omnem impietatem, animo ad illas præparato, jam arietant. *Vide Bonit. Verit.* Quod datur certa veritatis cognitio, contrà Pyrronios.

GLORIA. Nimia libertatis cupido ſingulos cives efficit ſervos in Republicâ: cujuſlibet voluptatis conſuetudo tranſit in legem & neceſſitatem, cui ſummâ cum anxietate obſequendum eſt: ſi ſuccedant ex votis deliciæ, rea torquetur conſcientia; ſi abſint tabeſcens corpus in doloris ſocietatem trahit animum; famæ etiam multùm anxia cuſtodia eſt, qualis enim futura eſt menti quies ejus qui vult reſcire ea omnia, quæ ab infinitâ multitudine de ipſo creduntur & dicuntur, qui etiam non contentus externo preconio intimos hominum ſenſus vult perſcrutari averſa judicia ſibi conciliare, naſcentibus hinc indè calumniantium rumoribus lucem afferre. &c. Sibi itaque & Deo vacet, qui pacem amat, &c. *Vide Vanum. Glori. Repug.* Gloriæ contemptus.

DIFFERENTIA. Confuſa ſitum caſu occupant, vt indecentem & violentum, ſic non durabilem; moventur itaque vt debito ſibi ordini & ſtatui reſtituantur. Generale eſt, ex contrarijs cauſis ſæpè naſci pares effectus; ſic & nimia in conſilijs pertinacia, & volubilis ad novitatem animus tranquillitati adverſatur. Sapiens ſervit tempori & occaſioni, & quo trahunt fata non invitus ſequitur; ſic prudenti conſiliorum & affectuum flexu illudit fortunæ, vimque illius, alioquin non ſuperabilem, frangit, non reſiſtendo.

CONCORDANTIA. Nihil tàm paci contrarium quàm amicorum turba, his enim etiam citrà mentis tuæ ſenſum congratulandum, condolendum, & compoſitis proprijs paſſionibus alienis laborandum eſt. *Vide Majorit. Concord. Mal.* Qui nubie diviſus eſt, inquit Apoſtolus, alteratur infirmioris ſexus mixtione; accreſcenti, in dies familiæ premitur oneribus, &c. Vnde ſacris ſapientibus placuit cœlibatus. *Vide Minor. Concord.* Quanta humanæ naturæ infirmitas, lacet moeſta ſinè commercio, & ipſo quod ambierat commercio rapta, polluta, contrita graviùs ingemiſcit.

CONTRARIETAS. Contraria quæ omnem ſublunarium ingrediuntur compoſitionem, dùm languidas alioquin vires ſuſcitant ad actionem, etiam optatam quietem perturbant: hoſtiles illæ qualitates vix continentur in officio, quin exundent, quin ſæviant, in ſtragem ejus cui inſident, materiæ: Cur ergò non habetur hîc ſecura quies, quia nihil eſt ſinè hoſte interno, vel externo. Ipſæmet actiones, quibus ſibi conſulit natura bellum ſunt, nec ſinè certamine ſibi ſervat quæſita aut repellit adverſa.

PRINCIPIVM. Ergò naſcuntur homines inſitis vitæ ſuæ inquietudinis ſeminibus; laborant hæreditario morbo, nec ſecum, aut cum alijs, rebuſque ad vſum ſuum paritis benè conſentiunt, cum à primò rerum principio diſſiverint: Ambiunt fieri rerum authores, & quæ maximo labore produxerunt, majori & de omni fortunæ caſu ſollicità diligentiâ, volùt in meliùs promovere. Propagatio raptus eſt, qui ſub voluptatis eſcâ vim infert naturæ, ſic ſubſtantiam ſuam profundentis, vndè talis tranſverſos & præcipites agit ſinè lege, ſinè modo. *Vide Poteſt. Volunt. & Volunt. Dur.* Propogationis deſiderium.

MEDIVM. Æſtuant cupiditates, tot artium machinæ hominum vitam laboribus exercent, tumultu inquietant, vt alijs quàm quæ natura voluit medijs res habeantur; Lanas alienis infectas coloribus, carnes ſaporibus. &c. Sæpè concidunt optima Reipublicæ conſilia, & ſperata diù tranquillitas turbatur vitio miniſtrorum. Sunt enim inſtrumenta libera, quæ motum à ſe habent, nec ſemper expectant à regente. Magnatibus oneroſus eſt ſplendidus famulitij apparatus, tùm quia inſtaurandus eſt magnis ſumptibus, magnâ curâ quærendis; tùm quia in tot ſervis Domini poſſunt injuriam pati, vndè inter ſervos Abraham & Loth ortæ ſunt rixè. Securior frugalitas, imo & paupertas. *Vide Minor. Poteſt.*

FINIS. Ideò movemur, impellimur, agimur, quia nondùm ad finem pervenimus: finis enim vt poſſeſſus dat quietem, ſic intentus inſpirat motum. Vellet homo diù vivere; nunquam ſeneſcere; hæc legi naturæ oppoſita deſideria, cum non poſſint impleri, torquent habentem, & vt flammæ, quibus negatur diffuſio, in ſe reflexæ læviùs aduruntur.

MAIORITAS. Tota ferè mortalium inquietudo hinc naſcitur, quod ſupra ſortem & vires ſuas poſita ſolcant ambire: In ſupervacuis ludatur: Plures ex repletione morbi. *Vide Major. Bonit.* Ebrio omnia videntur circumagi.

ÆQVALITAS. Turbatur Reipublicæ pax, ſi æqualia inæqualibus tribuantur. *Vide Differ. Glor.* Invidet ſingulus ſingulo & æquales in ſuos æquales inardeſcunt, ſi velint ſurpra communem ſortem elevari. *Vide Contra. Æqua.*

MINORITAS. Fit terræmotus, ſi aër qui tertio vult eminere, ejus viſceribus concludatur; Ità fit ſeditio, ſi poſtponantur nobiles plebis: Inferior animæ pars negotium facit ſuperiori; terra victima elementorum mittit vapores, vndè fiunt grandines, fulmina, & alia ſæva meteora; ſæpiùs Plebeij nobiles, ſervi in dominos rebellarunt vt æquam à Naturâ datam libertatem vindicarent.

CONTRARIA HONORI.

MISCELLANEA.

SVnt quædam fulmina humida, quæ non adurunt, ſed infuſcant. Plin. lib. 2. cap. 51. Sic interdùm punitur crimen, non pœnâ capitis, ſed infamiâ, quæ & ſi publica non ſic, privatim tamen ſinè judice qui decernat adhæret vitio, vt honor virtuti.

Tyranni non patiuntur honorum laudes, ſed eos arcent à dignitatibus, negant omnes ab eis petitas gratias, ſeverique habent eos, quorum ſuſcipiunt defenſionem. Eodem animo multi Duces ſunt à ſuis Pincipibus accuſati affectatæ dominationis.

Terrentur milites ſignis & oſtentis cæleſtibus, quaſi cœlum habeant ſibi iratum.

Mors Ducis generalis exercitus interrumpit curſum victoriæ.

Obſcurant victoriam damna ab hoſtibus illata poſt ipſam.

Vt minuantur vires hoſtis lædatur fama.

Multis ſolemne eſt, aliorum exiſtimationem lace-

rare, nè ſoli non habeant integram.

Ambitio pares non patitur, ſed vult eminere. *Vide Volunt. Poteſt. Mal. & Volunt. Major. Mal.* Victores in ludis Iſtmicis coronabantur Apio, quod comeſtum ſterilitatem inducit, ſic ſignificantes ſe virtutis ſuæ non habituros ſucceſſores: Ità duo duces exercitus paris dignitatis ſibi mutuò invident gloriam, nec ſibi mutuò dant auxilium, ſic favent hoſti, nè ſibi proſint.

Conſtantinopoli a populo Catholico excitata eſt ſeditio, eo quod Anaſtaſius Imperator in palatio ſuo quædam monſtra, & ab imaginibus Eccleſiaſticis aliena, pingenda curaſſet. Baron. an. 505. Sic obſcuratur fama perversà relatione.

Timæus Mathematicus dicit folia arboribus decidere, Sole ſcorpionem tranſeunte, ſideris vi, quodam veneno aëris: Magna in hoc vis ſoli: priùs decidunt in ſiccis, mattiſque & veruſtæ priùs arboris; Multis etiam, antequàm matureſcat fructus. Plin. lib. 16. cap. 22.

Ferunt Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile eſſet, & totam officinam artificis ejus abolitam, nè æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Plin. lib. 36. Sic illuſtrior quorundam fama coerceetur, nè aliorum obſcuret mediocrem, vtilem tamen ſplendorem.

De Invidià aliorum ex virtutibus famam infectante. *Vide Contrar. Virtut.*

Homines debitæ virtutibus gloriæ contrariantur; aut propter ignorantiam, aut malam fidem, aut propter ſtudia & factiones & propter ingenia vituperantium.

Reges trans jordanem congregantur adversùs Ioſue, auditis ejus victorijs. Ioſue. 9. Quare fremuerunt gentes, &c. Pſal. 2.

Sæpè poſt triumphum, aut fœlicem aliquem ſucceſſum homines ægrotant, quo diffuſi ex lætitiâ eorum ſpiritus facilè offenduntur à malignis ſpiritibus emiſſis ab invidis.

Licet vicini luminibus officere, ſi ei ſervitutem non debemus. l. cum eo. 9. ff. de ſervit. vrb. præd.

Infamia irrogatur, edicto, lege, aut ſententiâ judicis. l. 1. & 2. ff. de his qui notan. infa.

Omnia judicia publica infamãt. l. 7. ff. de publ. judic.

Propter debitum licet jure pignoris capere, quod athleta in certamine meruit præmium. l. 40. ff. de re judic.

Non valet hæredis inſtitutio, ſi deſignetur per nomen contumelioſum, vt eum qui occidit Titium, &c. l. 9. §. 8. de hæredib. inſtit. Sic turpia legata quæ ſcripta ſunt, vt notent legatarium odio ſcribentis, pro non ſcriptis habentur. l. 54. ff. de leg. *Vide Verit. Bonit. Rep.* Non eſſe verum beneficium, quod eſt contumelioſum.

Servi, etiam benè merentes, libertatem non accipiunt propter æs alienum domini l. 23. ff. qui & à quib. manu.

Sepulchrum violat, ſi aliquid in illud projicit, aut immittit ſtillicidium, etiam ſi monumentum non tangat, quia ſepulchri eſt, non ſolùm is locus qui recipit humationem, ſed omne etiam ſuprà id cœlum. l. fin. §. 4. ff. quod vi aut. clam.

Si ſtatuam Patris mei in monumento poſitam lapidibus cædas, agam contrà te injuriarum. l. 27. ff. de injuris.

Statua in monumento poſita cenſetur pars monumenti, & qui eam tollit tenetur de ſepulchro violato l. 2. ff. de ſepulchr. viol.

Tranſactio in causâ famosâ irrogat infamiam, in furto, injuriâ, rapina, dolo malo. l. 18. Cod. ex quib. cauſ. infamia irroget.

A In Nisâ monte lapis eſt, dictus arvernus, in cujus cacumine & ſciſſura, quæ ſupervolantes aves ad ſe trahit. Philoſt. in vitâ appoll. l. 2. c. 5.

CALVMNIA MALEDICENTIA.

PVrpuræ linguâ armatæ ſunt, habent enim illam digitali longitudine, qua paſcuntur perforando reliqua conchilia, tanta duritia aculeo eſt. Mathiol.

De calumniatoribus. ff. 3 6. Cod. 9. 46.

De famoſis libellis. Cod. 9. tit. 36.

De Injuriis & famoſis libellis. ff. 47. 10. Cod. 9. 35.

Leo. nou. 4. *V. Contrar. Ver.*

De calumniatoribus. Decret. lib. 25. tit. 2.

De maledicis lib. 5. 26.

B Anathemate eſt feriendus qui famoſum libellum ſcribit, niſi ſcripturam probaverit. 5. q. 1.

Injuriarum tenetur, qui alterius famam quocumque modo læſerit, vt ſi carnem conſcribat aut condet, aut ſi ad alterius invidiam veſte lugubri vtatur, aut ſqualidâ. l. 15. §. 27. ff. de injur.

Clericus maledictus cogatur ad poſtulandũ veniam, ſi noluerit degradetur, nec vnquàm ad officium abſque ſatisfactione revocetur. can. Clericus. diſt. 146.

Legatum auferetur ab eo, tanquam ab indigno, qui teſtatori maledixit, & infauſtas voces adversùs eum jactavit. l. 9. ff. de his quæ vt indign. auffer.

Qui famoſum libellum invenerit, in alterius infamiam compoſitum, chartas aut ſtatim corrumpat, aut C igne conſumat, alioquin ſi vim earum manifeſtaverit, ſciat ſe quaſi authorem hujuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum, niſi docuerit vera eſſe quæ pandit l. vnic. Cod. de famoſ. libell.

Circumlatrant quem mordere non poſſunt.

Prima ſemper irarum tela maledicta ſunt, & quid quid non poſſumus imbecilli, optamus irati, ac ſic in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis vtuntur. Salvian. l. 3. de gub. Dei.

Hoc puerilis eſt jactantiæ accuſando illuſtres viros ſuo nomini famam quærere. D. Hieron. Auguſtino. Epiſt. 18.

Fieri non poteſt vt abſque morſu hominum vitæ D hujus curricula quis pertranſeat, malorum enim ſolatium eſt bonos carpere, dùm peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Idem ad Furiam de viduitate ſervanda.

Valeria cum dentibus nata, ex reſponſo aruſpicum exitium vrbi portendit. Plin. Maledicentia Reipublicæ exitioſa.

Loquacitatem facundiam exiſtimat, impudentiam conſtantiam deputat, & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ judicat. Tertul. adv. hær.

Non infixiſti dentes carni, ſed plurium animis, tuæ ſcilicet, calumniati, & auditoris, hic enim pejor fit; nam ſi malus eſt, confirmatur in malo, ſocium nactus, ſi bonus, inflatur ex alterius peccato quo ſe putat carere; Eccleſiam lædis, quæ hinc ab hæreticis vituperatur; & Dei nomen per te blaſphematur, Lingua ergò ferociſſima Vipera, quæ tres vno flatu interimit. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes. Linguæ eorum gladius acutus, ſed triceps, &c. D. Chryſ.

Sermo leviter volat, ſed graviter vulnerat; levitèr tranſit, ſed graviter vrit, &c. D. Bern.

Alij detrahunt ex faſtu, alij ex vanitate & levitate, vt aliis placeant; alij ab invidiâ; alij ob averſionem ſemel in animum admiſſam.

Quibus circà dentes in febribus viſcola adhæret, his fortiores febres fiunt. Hipocr. Sect. 4. Aphor. 53.

Digitized by Google

Non eſt audienda in proximum calumnia, ſed ejus fama, vt prudenter fieri poteſt, vẽdicanda. *V. Med. Gl.*

Zelotypi interdùm quod ſummè amant obſcurant. *Vide Cognit. Volunt. Rep.* Latens amor.

Nemo peritorum aut prudentiũ putet, quod minùs ſit periculum in verbis linguâ mentiendo, quàm manibus ſanguinem fundendo. ex D. Auguſt. habetur. 11. q. 3. can nemo.

Is qui detrahit charitatem non habet, & auferre vult ab ijs apud quos detrahit, in quibus conatur odium concitare adverſùs eum de quo detrahit, &c. ex D. Bern.

Anathematizentur qui famoſos libellos in Eccleſiâ ponunt. 5. q. 1. can. ſi quis. Ex Concil. Elibertino can. 52. habito. Anno Chriſt. 305.

Contumelia eſt contrà honorem & palam; ſed detractio contrà famam & occultè; ſuſurratio verò contrà amicitiam: deriſio autem erubeſcere facit. D. Thom. 2. 2. quæſt. 75. a. 1. Si fiat cum intentione dehonorandi eſt peccatum mortale, non autem ſi fiat debito modo ad correptionem. 2. 2. q. 72. a. 2.

Contumelia principaliter oritur ex irâ, ſecundò, ex ſtultitia; ex ſuperbia autem non directè, ſed diſpoſitivè. 2. 2. q. 72. a. 4.

Detractio, quæ eſt occulta maledictio ad denigrationem famæ per impoſitionem falſi, per adauctionem mali, per revelationem mali occulti, & per depravationem intentionis, de ſe eſt peccatum mortale; ex levitate autem eſt veniale, niſi ſit de gravi, ſed propter bonum ex debitis circunſtantijs nullum eſt peccatum. 2. 2. q. 73. a. 1.

Fama lædituꝛ indirectè dupliciter, ſcilicet negando bona alterius, vel malitioſè reticendo. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3.

Invididia eſt triſtitia de bono alterius, in quantùm æſtimatur diminuere gloriam propriam. 2. 2. q. 36. a. 1.

Invidia eſt vitium capitale, cujus ſunt quatuor Filiæ, ſcilicet odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi & afflictio in proſperis. 2. 2. q. 34. a. 6.

Senes invident junioribus; & qui multa expendunt ad conſequendum aliquid, ijs qui parùm expendunt. 2. 2. q. 36. a. 2.

Epiſcopi ab Epiſcopis omnibus, aut ſaltem tribus ejuſdem Provinciæ ordinantur. can. Archi. diſt. 66. Fortè ad impediendam invidiam, quæ in noviter promotos poſſet conciuari, & vt conſecrantes operi ſuo faveant.

Licet triſtari de gloria & proſperitate inimici, in quantùm eſt nociva. 2. 2. q. 36. a. 2.

Qui ſibi invicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habeantur, ſed & graviter puniantur, hinc enim graviſſima naſcuntur odia. Plato. lib. 11. de legibus.

Charondas Sybarienſium legiſlator ſtatuit calumniatores & maledicos publicè per vrbem circumferri & omnibus oſtendi. Diodor. Sicul. Bib. Hiſt. l. 12.

In cœleſtibus reperitur contrarietas gloriæ, dùm Planetæ patiuntur ſuos defectus, ſeù eſſentiales, ſeù accidentales: Sol & Luna ſuas Ecclypſes. Ipſi & alij in exilio, in caſu, peregrini, combuſti, in domibus duodecimâ, ſextâ, octavâ, in malis aſpectibus infortunarum & cæteris, quæ ſpecialiùs petenda ſunt ex aſtrologiâ. Aëris ſplendens ſerenitas turbatur à meteoris ignitis, aëreis, aqueis, fulgure, grandine pluviâ & cæteris. Venti conturbant maris æquam ſuperficiem cœli æmulam.

Terræ flores & fructus ſternunt cœli non fœlices influxus, aëreis parum proſpera conſtitutio, nimis aut humida, aut ſicca; vermium etiam multigenium infœlix fœcunditas. Marceſſit flos omnis ſtatoſuo tempore, ſic pulchritudo certis ætatum gradibus. *V. Durat. Glor. Rep. & Finis Durat. V. Princip. Contrar. & Minor.* Hæc enim properantem fortunam ſiſtunt; alta tenentem in ima rotæ inſtar adigunt, &c. *V. Finis Poteſt. Bonit. Virt Glor.*, &c. Deſinunt enim per ſibi contraria.

Maledici quaſi muſcæ vniverſas Ægyptiorum domes repleverunt. Gen. 8.

Abominatio hominum detractor. Eccl. 22.

Cum detractoribus nè commiſceaꝛis, quoniam repentè conſurget perditio eorum. Prov. 24. Suſurro & bilinguis maledictus; multos enim turbabit pacem habentes.

Detractores Deo odibiles. Rom. 1. Si invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini. Galat. 5. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum detrahit legi, & judicat legem. Iacob. 4. Ideſt contemnit legem.

Fornicarij, adulteri, fures, maledici Regnum Dei non poſſidebunt. 1. Cor. 6.

Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Pſal. 56. *Vide Minor. Veritat.*

Ecce quantus ignis, quàm magnam ſylvam incendit, & lingua ignis eſt, vniverſitas iniquitatis, &c. Iacob. 3. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Pſal. 110.

Iob maximè dolet ſe ſubſannari ab hominibus nihili, quos anteà ſpreverat. Iob. 30.

Maledicis non facilè credendum, quia quilibet præſumitur bonus. *Vide Magn. Virtut.*

EXECRANDA QVÆ virtutibus labem infert calumnia.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Honor maximùm in homine bonum eſt, quia illi proprium, rationalem animæ partem afficiens, ſpirituale & quodammodò divinum: nam honor publicè teſtatur hominem ad Deum accedere per virtutem, & hinc cultum vt divini ſimulachrum & vicarium promereri, hæc ſubtrahere nititur calumnia furto, imò ſacrilegio tantò graviore, quantò nobilius eſt bonum quod aufert.

Magnitvdo. Venena ſunt, quæ tota ſubſtantia pugnant contrà naturam, non admittunt remedium morbi, qui vitalium partium ſubſtantiam inficiunt, & depaſcuntur; ſic calumnia vniverſale malum infert, dùm enim negat in homine virtutem, vt reum denuntiat ab omnibus vitæ civilis officijs longè pellendum, & fortuna, ſi quæ tunc ſit ſua, indignum.

Dvratio. Honor diuturnis quæritur laboribus, & vel minimo perit defectu, lugenda fœlicitas humana, pendens à re tàm fragili: huic autem momentaneo ſplendori non tàm tenebras offundit fortunæ & inconſtantiæ, quàm humanæ linguæ perverſitas, paucis ſermonibus infligitur vix poſt multos cruciatus vulnus ſanabile; ſemel inſita turpitudinis nota difficillimè eluitur, ſemel malus ſemper præſumitur maſus, proclivi in invidiam & in ſuſpicionem animos homines enim facilè credunt quam amant ſuper alialios probitatis excellentiam, & quam timent in ipſis improbitatem.

Potestas. Hominem inermem non fecit natura, quæ dedit illi hoc linguæ flagellum, hoc vel abjectiſſimi de plebe aliquid poſſunt in Potentiores, for-

ed by Google

tè, vt eſſet aliquod inſoleſcentis fortunæ frænum: Optima ſanè hæc eſſet incruenta vindicta ſi tantùm ſæviret in pravos, ſed quod lugendum eſt virtute præſtantioribus inſidiatur, ex imo naſcens ferit ſumma, nec quiescit donec deprimat meritò ſublimiores: Ità viros bonos ad imperia natos excludit, malis aditum præſtat, infinitâ calamitatum ferie, cum ad regimen non admittuntur boni ſed peſſimi, fœlici malitiæ tuæ ſucceſſu inſolentiores: Quid, quod hæc iniquitas templis inferat, vt olim Ægyptiacis, monſtra, & ſacris conculcatis locat abominationem deſolationis in loco ſancto.

COGNITIO. Gravius malum, ex eo quod occultè graſſatur, ſapientibus illudat, non niſi conſommatâ malitiâ ſe prodat, & vt ignis in cuniculis arte ſuccenſus non fulgeat, niſi ſua ipſa ſtrage, non amplius vitabili. Cum ſimus avidi pulchritudinis, dolis indulgemus, qui turpitudinem abſcondant & gratiam mentiantur: ſed quot titulis abominanda calumnia, quæ vitij turpitudinem pro virtutis pulchritudine profert, quæ velat grata, aperit, imò ſupponit odioſa, imponit hominum oculis, auribus, mentibus, celebri impoſtura, falſitate, prevaricatione omnium pernioſiſſima: ſi enim lumen ponatur ſub modio cæteris non lucebit; ſic virtus ſit incognita non coletur, ſi vitiorum illi rituli inſcribantur, contemnetur, perſecutionem patietur, &c.

VOLVNTAS. Cum maledicus deficiat charitate, etiam in alijs ignem hunc cœleſtem extinguere conatur, cum debuiſſet ex Domini præcepto accendi: Infamatum enim qui ſic noverint, habebunt vt reum, ipſum boni in ſuam non admittent amicitiam, ſuſpectum habebunt qui jam admiſerint, ſic naturæ, civilis ſocietatis, Charitatis denique Chriſtianæ ſacra vincula peſſimè diſrumpit maledicus, ſublataque charitate mundum Civilem & Eccleſiaſticum quantùm in ſe eſt diſſolvit, & in vltimam adducit confuſionem.

VIRTVS. Inter tot hoſtes nulla virtus, vt nec ipſâ Religio manet intacta: oportet venire ſcandalum, ſed væ ei per quem venit; Væ his qui dicunt bonum malum. Indignandum eſt quod maledici virtutis vtuntur titulo, vt virtuti contumeliam inferant; volunt enim videri boni, dùm bonos quaſi malos infectantur; ſic invidia ſibimet ipſi ſua ſævitia patrocinium eſt, crimenque crimine tegitur; Infirmis, timidis, vt mulieribus commune vitium, cum enim præſentem hoſtem non ſuſtineant, quaſi magicis quibuſdam ſuſurris & præſtijs corrumpunt judicia, vt ipſum alienâ conficiant manu.

VERITAS. Minimum eſt in calumnia, quod veritatem diù meditato & compoſito mendacio violet; hoc enim vtitur inſtrumento, vt proximi famam, licet Reipublicæ profuturam, obſcuret; vt contrà charitatem & juſtitiam innocenti latum vulnus ex inſidijs infligat; vt ſternat eminentem, & in vno lædat omnes quibus prodeſſe poterat illuſtrior probitas: ſic peccat contrà leges divinas & humanas, quibus præcipitur dilectio proximi, innocentiæ tutela, præmium virtutibus, pœnas vitijs decernere.

GLORIA. Maximum hoc eſt humanæ gloriæ temperamentum, vanitatiſque ſuæ argumentum, quod nulla poſſit eſſe tranquillitas, quæ tali calumniantium turbine non quatiatur; nulla pax, quæ hac occulta machinatione non poſſit turbari; nullus ſplendor, qui non poſſit obſcurari. Hoc tranſit in virtutis contumeliam, quod ſit imbecillis, nec ſatis habeat virium, vt delata ſibi honoris præmia ſuis ſervet intacta: hinc multi deſpondent animo, fiuntque deſertores pietatis, quia ſic oppreſſæ, ſic, vt videtur, parùm cœlo acceptæ, ſic

A in pluribus fucatæ, & ad decipiendum compoſitæ, fidem non habent.

DIFFERENTIA. Quomodò te fugâ ab hoc hoſte eripies, cum gravius feriat ex longinquo, & in abſentes vt plurimùm læviat: Ità maledicis timida fiducia eſt, vt his qui vallo tecti jaculantur; dùm ſic in abſentem agit tacentem, & quaſi reum confitentem, attentos habet auditores, quippè novitatis hujus avidos, & ex alieno damno commodum aliquod percepturos.

CONCORDANTIA. Complexis inter homines morbis laboras, ſi venis in ſocietatem malorum, quorum major eſt numerus, fædaris ipſo, quaſi tibi ſimilium conſortio; ſi ab hac te ſeducas turba, pates calumnijs talium in te ſævientium, vt in diſſimilem, & vitæ tuæ
B contrario inſtituto ipſis publicè incuſantem. Omnium injuſtiſſima eſt calumnia, quæ in ſocietatem invehitur, & pluribus probis inſignibus, Deo & hominibus charis attexit vnius ſingulares aliquos defectus, vultque totum corpus eſſe languidum, quia digitus levi aliqua punctione laborat.

CONTRARIETAS. Cum virtus illuſtri ſuo exemplo vitijs inferat contumeliam; mirum non eſt ſi ex adverſo vitia hunc ſibi nocivum ſplendorem, turpitudines ſuas revelantem, conantur obſcurare: hac mutuâ contrariorum pugnâ exercetur mundus civilis, vt naturalis: oppoſita tamen intentione ab vtriſque pugnatur;
C Virtus, vt medicus, ſævit in ſalutem, ſplendet connaturali ſibi luce, & ex occaſione tantùm priùs latitantia in ſæculi nocte, vitia detegit. At maledici certo animi judicio virum probum impetunt, vt perdant: quaſi ſi noctuæ, vt infirmis ſuis indulgerent oculis, è cœlo vellent tollere Solem, totius naturæ parentem, & cujus etiam ſtant beneficio: Ita etiam improbi mutuis ſe conficerent injurijs, ſi non adeſſent boni qui ſedarent commotos, & ſuccenſos ignes æquitate ſuâ reſtinguerent, Deo fœliciter ſupplicarent, ſeque in populi liberationem quaſi obſides dederent. Igitur quàm ingrata calumniantium ſævitia, quàm cæca & in propriam perniciem furens, dùm virum bonum Republicæ liberatorem perſequitur.

PRINCIPIVM. Arborum fructus in flore grando
D diſcutit, & primos naſcentis virtutis ortus calumnijs ſuis impetere ſolet invidia. Infirmitas, quæ tunc naturaliter miſericordiam advocat in auxilium, illis occaſio eſt crudeliùs quia ſecuriùs ſæviendi, tunc eum nondùm ſtabilitâ famâ non habet quo ſe vindicet: quis æſtimet quanta in Reipublicæ damnum ſic præſtantium actionum jacturâ, cum boni ipſa initiorũ difficultate à propoſito deterrentur, & ab ingreſſu virtutum arcentur, his monſtris limina ſervantibus.

MEDIVM. Malum pejori medio conſequi tentat vanitas aut invidia, dùm vt injuſtis privati cujuſdam commodis conſulat, virum bonum, bono publico cœlitus datum, conficere nititur: ſi pejus eſt hominem
E veneno quàm gladio, etiam pejus eſt calumniâ quàm veneno percutere; nam calumniæ latens virus minùs poteſt præcaveri: Quod eſt indigniſſimum virtutem in propriam armat perniciem, juſtum enim his falſis ſuſurris deceptum, zelantem & indignabundum, commovet contrà virum bonum, vt contrà reum convictum.

FINIS. Malum infinitum, vix ſanabile, nam fama mobilitate viget, vireſque acquirit eundo; dùm infinita referentium multiplicatione, & continuata, vt novitati & admirationi ſerviatur, exagerationè minimi defectus creſcunt in horrenda ſcelera. Æterno ſupplicio puniuntur peccatores, quia ſe æternæ videntur dedere malitiæ, cum ſe illi immergunt, vndè ſe nunquâ poſſunt eripere ſuis viribus; Sic maledici ſemel emiſſum verbum eſt irrevocabile, & tunc rumor in dies

accreſcens, tranſit in jus publicum, cui reſiſtere nefas eſt. Scintillam in pulveres pyrricos injiciens, reus eſt totius indè naſcentis conflagrationis & vaſtationis.

MAIORITAS. Qualis agendi modus, vt emineas cæteros omnes dejicere, nec niſi ex aliorum caſu exaltationem tuam metiri; Non eſt hic perfectus, ſed ingens ruina: Quis ferat ruſticum Palatia, Templa, turres & quidquid in vrbibus eminet ſolo volentē æquare, nè humili caſæ ſuæ contumeliam faciant? aſcenſum quærit virtus, non dejectionem, multò meliùs eſt te aliorum præſtantium comparatione humiliari, quàm tot præſtantes, à Deo in exemplum quaſi in monte poſitos, falſis rumoribus dejici: quid enim injuſtius quàm virtutem pati damnum ratione majoris ſui meriti, vndè debet conſequi majus præmium honoris, & eâ de causâ deprimi, vndè debet eminere?

ÆQVALITAS. In natura tùm minoribus adjiciendo, tùm à majoribus detrahendo fit æqualitas. Nam cum quantitates debeant eſſe certæ & limitatæ, non poſſunt accreſcendo tantum in ſibi convenientem ordinem reſtitui: at inter homines non eſt timendus exA ceſſus virtutis, quæ nunquam ideæ ſuæ divinæ, & moventibus gratiæ auxilijs reſpondet; Vndè non eſt Oſtraciſmo vtendum, nec virtute præſtantiores dejiciendi, vt cæteris æquentur. Nam nulla major inæqualitas, & quæ magis peccet contrà juſtitiæ leges, quàm ſi benè meritæ virtuti debitum bonoris præmium auferatur, & ab eminenti, quàm ſuis laboribus conſecuta eſt, ſede dejiciatur, vt veniat in humilem æquamque ſortem cum vitio, turpiter jacente.

MINORITAS. Si ex præcepto eadem tibi eſſet charitas ergà proximum, ac ergà teipſum, vera licet ejus B delicta, famæ ſuæ, aliorum etiam conſcientiæ nociva tegeres. Parùm eſſet defectus non abſcondere, ſi etiam honeſtis turpitudinis notam non inureres; juſtum injuſtitiæ accuſas; fortem militem, corona dandum, habes vt deſertorem; invides humanæ noſtræ naturæ excellentiam, virtuti præmium, Reipublicæ decus, Eccleſiæ integritatem, Chriſto fidelem commilitonem, Deo regnum & gloriam. Sic prævalet iniquitas; ſic deterrentur boni, inſoleſcunt peſſimi, &c. Quanta in vno maledici ſermone ſcelera?

PRINCIPIVM GLORIÆ.

PRINCIPIVM SEV CAVSA HONORIS.

MISCELLANEA.

HABETVR honor ex bonitate, & largitione. *Vide Glor. Bonit.* ex majori quantitate rei bonæ. *V. Glor. Mag.* Ex ſtatu conſtantiori, & ex diuturnitate. *V. Gloria Durat. Sic de Gloria Poteſtat. Cogn. Vol. & aliorum Princ.* Maximè autem habetur à virtute. *Vide Glor. Virt.*

Nobilitas æſtimatur illuſtrior. Primò, quod familia aliqua non ſit ex colluvie, & confuſione alterius gentis, ſed pura & impermixta. Secundò, quod habeat ſuos agros, prædia, & bona certa. Tertiò, ex eò quod ſit antiqua. Denique quod ſit multis præclaris viris & de Republicâ benè meritis inſignis.

Foſſilia multa plùs habēt nitoris ab arte, quàm à natura; Sic ars polit marmora, gemmas, metalla; terræ quoque glutinoſæ attritu vnguium fiunt nitidæ: Sic D ad honorem plùs interdùm valet opinio quàm ratio.

Leonis figura in annulo exaltat in honoribus. Albert. magn.

Dignitas à luminum poſitu ſumenda eſt, & à ſtellis circumdantibus, ſi congruant eum eorum qualitate: Nam cum ambo lumina ſunt in ſignis maſculis & in cardinibus, aut cum ambo, ſeù alterum præcipuę qualitatis eſt in cardine, & quinque Planetas ſtipatores habet orientales ad Solem, ad Lunam verò veſpertinos, naſcentur Reges; multùm honoris conſequentur qui Planetas habebunt fauſto aſpectu, intuentes culmen cœli, &c. Qualitas dignitatis ſumitur à proprietate ſtipandium Planetarum; Saturnus propter hæreditates & pecuniam; Iupiter & Venus, cum favore, donis; Mars, ex militari dignitate; Mercurius, ex ſcientijs. Ptolomæus. præd. Aſtrol. l. 4. c. 3.

Idem ſignificant ſtellæ fixæ regales primæ magniC tudinis in decimâ; Stella cujuſque verticalis ſimiliter in decimâ; Ibidem fortunæ Iupiter & Venus; Ibidem etiam Dominus primæ: Omnes Planetæ ſuper horizontem, niſi ſint penitùs infortunati efficiunt omnibus notum, &c. Vide apud Cardan.

Laus fugientem ſequitur. *Vide Glor. Minorit. & Cognit. Virt.* Deus humiles.

Magnæ in genituris fœlicitates conferuntur, tùm à ſtellis fixis, tùm ab interluniorum cardinibus, tùm à locis partis fortunæ, regni, cum horoſcopus in eis repertus fuerit. Ptol. in cent. n. 46.

Reges ſunt præcipui honoris diſpenſatores, hæc præmia, vt plurimùm, proprijs manibus non per alios largiuntur, vndè olim pro Dijs culti, quia hujus ſummi immortales boni videbantur creatores. Hoc honoris ſtipendio, Reipublicæ ærarijs non gravi, civilibus belliciſque officijs addicunt; & in hoc præmium, quaſi in ſummum æſtuat aulicorum ambitio: Apud bonum principem accepta eſt virtus, & ad honores aditum præſtat; apud omnes genij ſympathia, periculorum voluptatum fida ſocietas, &c. *Vide Concord. Poteſt. & Princ. Volunt.* de ſympathiâ. Qui autem honoratur à Principe, honoratur à populo, quia populus Principem imitatur. *Vide Conc. Poteſt.*

In vnâ Provinciâ poſſunt eſſe duæ matrices civitates, vna Majorum beneficio, alia Imperiali. l. vnic. Cod. de Metropoli beryto. Sic ſunt nobiles, vel genere, vel à principe.

Probris affectus poteſt per Principē priſtinæ exiſtimationi reſtitui. l. 10. Cod. de ſent. paſſis & reſtitutis.

Principes imitantur Deum à quo eſt Victoria. *Vide inf. hoc tit.*

Solº Imperator poteſt ferias facere. l. 4. cod. de ferijs.

BONA FORTVNA.

HOmo eſt ordinatus ſecundùm corpus ſub corporibus cæleſtibus, ſecundùm intellectum ſub Angelis, ſecundùm voluntatem ſub Deo; Ex his cauſis, hominem inclinantibus in bonum citrà electionem ſuam, aliquis dicitur benè fortunatus. D. Th. l. 3. cont. gent.

Demoſthenes pugnans in clypeo inſcriptum habebat Bona Fortuna. Phot. bibl. c. 265.

Antonius cum Cęſare adhuc puero, & ęqualis ætatis, ludens & certãs ſemper exiſtebat inferior, vndè viſum B eſt vt ab illo diſcederet, genius, dicebant, tuus ſuum veretur, fortunaque tua ſuæ blanditur. Quomodò id procedat ab aſtris. *V. Princ. Pat.*

Iacob fœlicior Laban. Gen. 3.

In principe non minùs fortuna, quam virtus requiritur: Sunt enim quibus fœlici aſtro res omnes proſperè cedunt; dormientibus ipſis Dij omnia conficiunt, & vt Timotheo Duci Athenienſi, vrbes in retia immittunt, in ſinumque eorum de cęlo Victoria devolat. Lipſius in polit.

Ad conſtituendum Romanum Imperium contẽdiſſe virtus & fortuna videtur. Florus. c. 1.

Camillus ſolâ oblatâ ſpecie erat terribilis hoſtibus, C & quocumque ſe intuliſſet Victoriam ſecum haud dubio trahebat. Livius. de alijs ſimilibus benè fortunatis. *V. Dur. Glor.* & ibidem vbi de ſplendore & vi poſt mortem.

Hinc videtur ſummi præcipua nobilitatis commendatio, quod vt regna, ſic quædam familiæ à potentioribus genijs regantur. Sic 1. Machab. 3. Cæduntur ab hoſtibus Sacerdotes, dùm putant ſe fortiter facturos, non enim erant de ſemine virorum illorum per quos ſalvus facta eſt in Iſrael.

Atticus Herodis Sophiſtæ Athenienſis filius domi theſaurum invenit & ſcripſit ad Imperatorem. Theſaurum Imperator domi meæ inveni, quid de eo faciendum eſſe jubes; Reſcripſit Nerva Imp. qui eo tem- D pore regnabat; vtere ijs quæ inveniſti, & cum iterùm Atticus ſcripſiſſet, ſe theſauri magnitudine ſuperari. Reſcripſit Imp. abutere in vento lucro, quod tuum eſt. Philoſt. in vit. Soph.

Qui theſaurum invenit in ſuo loco, vel in ſacro, vel Religioſo totum ſuum efficit ſi in alieno mediam ejus partem conſequitur, altera cedit Domino. §. theſauros. 39. Inſt. de rer. div.

Vide Virtus & gloria Principij Initij.

GLORIA ET VICTORIA à Deo.

ROmani laurum in Iovis gremio reponebant, quoties lætitiam Victoria nova attulerat. Plin. l. 15. c. 30. Dicebant etiam miſſam à Iove laurum, quâ Victores Imperatores coronabantur. Refert Mathiol. cap. de lauro. *V. ſup. Dur. Glor.*

Romæ etiam in foro Boario erat Herculis ſtatua, quæ die triumphi coronabatur.

Magis animantur milites fœlicibus quibuſdam auſpicijs, quam ratione & Ducum oratione, quaſi Victoria pendeat à Deo; hinc ante prælia Religioſiſſimè augures conſulti, bella per Sacerdotes denuntiata; & poſt Victoria decinarum & ſacrificiorum ſolemnis A oblatio. *V. Æqual. Bon.* Gratiarum actio de acceptis à Deo Beneficijs.

Dubio Romanorum cum ſabinis conflictu, Romulus Iovem oravit vt fœdam ſuorum fugam ſiſteret, hinc templum & ſtator Iupiter. Flor. c. 1.

In bello Latino Romanorum contrà Tarquinios, interfuiſſe prælio credebant Deos in candidis equis, Caſtorem & Polucem: Itaque & Imperator veneratus eſt, Pactuſque Victoriam templa promiſit, & reddit planè quaſi commilitonibus Dijs ſtipendium. Idem. c. 11.

Solondicus Dux Celtiberorum haſtam argenteam quatiens, vult cælo miſſam, vaticinanti ſimilis, omnium in ſe mentes converterat. Id. c. 17.

Antiquitùs corona nulla niſi Deo dabatur; ob id Homerus cœlo tantum eas & prælio vniverſo tribuit, viritim verò nè in certamine quidem vlli. Plin. lib. 16. cap. 4.

Victoriam Dæam quidem Romani crediderunt, ſed ità vt a Iove quo libuerit mittatur, & ad quos juſſerit veniat, & in eorum parte conſiderat. D. Aug. l. 4. de civ. Dei. c. 17.

Tempora bellorum in Dei arbitrio ſunt & in ejus judicio & miſericordiâ eſt vel atterere genus humanum, vel contolari, vt alia citiùs, alia tardiùs finiantur, &c. Id. l. 5. c. 22.

Athenienſes adeptâ Victoriâ contrà Darium Perſarum Regem in campis Marathonijs, relatum eſt viſum aliquem formâ hominis, qui ara tro plurimos è barborum exercitu occideret; Rogatus quis eſſet Echelei genitum ſe eſſe dixit, ſtatim que diſparuit atq; indè Athenienſes, Diuinos ei honores detulerunt. Similiter Pana coluerunt eò quòd Philipidæ legato in Parthenâ ſylvâ dixerit ſe res Athenienſium adjuturum in eâ pugnâ. Partâ Victoriâ in eodem agro Nemeſi Deæ templum ædificarunt, quæ ſcelera vindicare creditur. Pauſ. in Atticis.

Celtæ, dùm Delphos vrbem & templum in vãdunt, repelluntur crebris è cælo fulminibus; viſi etiam tres terribili ſpecie, & ſuprà humanam, qui in hoſtes pugnabant; his Delphi annuâ parentatione gratiam retulerunt. Idem. Ibidem.

Salamine erectum Cythreo templum, commiſſo enim cum Perſis prælio navali draconem inter naves viſum memorant, de quo ſiſcitantibus, Cythreum fuiſſe Heroa Apollo reſpondit. Ibid.

Dùm Perſæ Megaricum ſolùm invaderent, repente Diana tenebras immiſit, itaut errantes in mõtana, ſcopulos putantes eſſe hoſtes, in eos omnes ſagittas ſuas emiſerunt, ſic intermes facilè fudit Megarenſium exercitus. Ideò ibi Dianæ ſoſpitæ ſimulachrum dicatum. Id.

Lacedemonij invadentes Elæos, juxtà Olympiam & Alphæum terremotu territi receſſerũt. Idem in Laconicis.

Dùm Ariſtomenes Sparſam obſidere pararet, ob jecta per viſum Helenæ & gemellorum ſpecie deterreturin Meſſenicis.

De portentis quibus ab infauſtâ expeditione multi detertiti ſunt. *V. Cog. Cont.*

Conſtantinus poſt miraculoſam crucis in cælo apparitionem vincit Maxentium Tyrannium. Vide Baron. an. 312.

Legio fulminatrix Chriſtianorum, cujus præcibus Marcus Imperator inſignem conſecutus eſt de Marcomannis Victoriam. Vide eundem an. 176.

Otho Imperator in proſperis ſolebat occinere Davidicum illud: Non nobis Domine non nobis, ſed nomine tuo da gloriam. Id. an. 973.

Eò quòd Ioanna virgo Aurelianenſis ejectis è Gal-

Digitized by Google

liâ Anglis, asserebat se esse sub protectione Michaëlis Archangeli, Rex Ludovicus XI. instituit ordinem Equitum S. Michaëlis.

Apud Græcos in Peplo depingebantur simul cum Victoribus, Deorum imagines, sic apud Athenienses Antigoni & Demetrij imagines cum Iove & Pallade effinxerunt in Peplo; illud autem Peplum seù velum ad immortalem Victoriam exponebatur in Deorum templis. Alex.

Hinc ferè plura templa apud Paganos & Christianos ædificata in gratiarum actionem acceptæ à Deo Victoriæ. *Vide Æqual. Volunt.* Gratiarum actio Deo pro acceptis beneficijs.

Principis est honores conferre. *Vide suprà hoc tit.* Deus autem est Rex Regum. Potest vas aliud in contumeliam, aliud in honorem facere. Rom. 9.

Si mergeris, die, Domine salva nos, perimus; Non sinit perire, qui jussit ambulare. D. Aug. in Psal. 39. *Vide hoc tit.* Pax à Deo.

Ideo victores reddunt vota suo Deo. *Vide Gloria Contrarietat.*

EX BIBLIIS.

GEdeon Victoriæ signa accepit à Deo. Iud. c. 2. 4. & 6. Corruunt muri Iericho, c. 11.

Vano metu fugantur castra Regis Syriæ. 4. Reg. 7. Deus dicit Moysi è rubo, descendi vt liberem populum meum. Exod. 3.

Populo pavido antè transitum maris dicit Moyses, nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis. Exod. 14.

Amalech superatur Moyse manus in cœlum levante; Ideò Moyses ædificat altare Domino, quod vocat, Dominus exaltatio mea. Exod. 17. Iudith Deo, vt Victoriæ authori, consecrat conopæum Holophernis. Iud. 16.

Magnas benedictiones & Victorias Moyses ex parte Dei promittit populo, si legem servet. Deut. 28.

Capta vrbe Hai Iosue legem prælegit populo, quasi hinc pendeat Victoria. Iosue. 8. Pluit Deus lapides super hostes, Sol & Luna stant, donec completa sit Victoria. c. 10. Morti proximus promittit à Deo Victorias, si populus legem servarent. c. 25.

Israëlitæ afferunt arcam Dei in castra, vt Victoriam obtineant de Philisthiim. 1. Reg. 4.

David dicit ad Goliath, tu venis ad me cum gladio & hasta, ego autem in nomine Domini. 1. Reg. 17.

Hinc magna militibus ex bonâ conscientiâ fortitudo. *Vide Glor. Virt.*

Colitur Deus exercituum in Silo.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & fortitudo revertentibus de bello ad portam. Isai. 28.

Deus vltionùm Dominus. Ps. 93.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis & ab ijs qui oderunt me. Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea; & præcinxisti me virtute ad bellum; & inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me dispersidisti, &c. Ps. 17. *V. Princ. Virt.* In Deo tantùm sperandum.

Vide Canticum Moysis deleto Pharaone. Exod. 15.

Apprehende dexteram ejus, vt subjiciam antè eum gentes & dorsa Regnum vertam, & aperiam antè eum januas & portæ non claudentur: ego antè ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Isai. 44.

Exod. 25. Deus dicit Moysi, terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, &c. Exeuntes in bellum clangetis tubis, erit recordatio vestri coràm Domino. Rom. 10.

Ego ero Iesusalem murus ignis in circuitu, & in glorià ero & in medio ejus. Zach. 2. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Ibid.

Et factus est Dominus refugium pauperi adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Ps. 9. Oculi ejus in pauperem respiciunt. Ps. 10. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Psal. 11. In convertendo inimicum meum retrorsùm, infirmabuntur & peribunt à facie tuâ. Ps. 9. Sub vmbrâ alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt; à resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi. Ps. 16.

Diligam te Domine fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus; Protector meus & cornu salutis meæ & susceptor meus. Ps. 17.

Misit de summo & accepit me, & assumpsit me de aquis multis: eripuit me de inimicis meis fortissimis. Psalm. 17.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c. Ps. 19. Erue à framea Deus animam meam. Psal. 21.

Parasti in conspectu meo mensam, adversùs eos qui tribulant me. Ps. 22.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. Ps. 30.

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi: effunde framean. & conclude adversùs eos qui persequuntur me: dic animæ meæ salus tua ego sum. Ps. 34.

Salus justorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis, & adjuvabit eos, & liberavit eos. Psal. 36.

Deus contrit hostes populi sui. *Vide Fin. Potest. & Finis Gloriæ.* Id autem exequitur maximâ & celebri vastatione. *Vide Magn. Contr.*

Quinque viri apparent pugnantes pro Machabæis, & fulmina in hostes jacientes; horum duo protegunt ducem Machabæum. 2. Machab. 10.

Ieremias dat Iudæ Machabæo gladium aureum, dicens, accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios Dei. cap. 15.

PRÆLIATVRI ORATURI & SACRIFICABANT.

MAchabæi pugnaturi contrà Antiochum conveniunt in Maspha, vbi erat locus orationis, vt orarent & peterent misericordias: Iejunaverunt induti cilicijs, attulerunt ornamenta Sacerdotalia, & primitias & decimas, & clamaverunt in cœlum voce magna. 1. Mach. 3.

Spartani contrà Thebanos bello congressuri, greges oviam ducebant, vt illis sacrificandi daretur copia. Paus. in Boëticis.

Saul præliaturus contrà hostes, videns quod delaberetur populus, necessitate compulsus obtulit holocaustum, non expectato Samuële, nè pugnare cogeretur, non placato Domino. 1. Reg. 13.

Antiquitus Deus dux erat bellorum, & sinè ipsius sententiâ bellum non attingebant, & bellum ipsis pietatis materia fiebat; Nec enim à corporis infirmitate, sed à peccato vincebantur, si quandò victi essent: hoc scientes Madiantæ, populum quem armis superare non poterant libidine & peccato vincere nituntur.

by Google

nientur. D. Chryſoſt. hom. 14. ad pop. Ant.

Scriptum eſt quia ſicut vitulus ablingit in campis herbam viridem; ità populus Iſraël ablinget populum Amalech ſuper terram. Quòd ſignificat populum Dei, non tàm armis & manu, quàm voce & linguâ, id eſt oratione ad Deum pugnaturum. D. Aug. ſer. 93. de tempore.

Sic conſilio Eliachim Sacerdotis Iſraëlitæ ſe muniunt contrà Holophernem jejunio & orationibus. Iudith 4. Achior prædicit Holophernì vrbem Bethuliæ eſſe in protectione Dei cœli. c. 5. & c. 9. Vide quomodo oret Iudith, recenſens mirabilia quæ Deus olim fecit in Ægypto, vt liberaret populum ſuum.

De vi orationis. *Vide Poteſt. Virt.*

CAVSÆ QVIETIS *pacis.*

MISCELLANEA.

NOcte mediâ & meridie maximè cœlum tranquillum ſit; quia venti tranquillitas aëris ſtatio, & requies eſt, quæ tunc ſit cum aut vincit aut vincitur; etenim quandiù pugnat movetur, atque inquietatur; vincit autem mediâ nocte Sole remotiſſimo, & vincitur eo proximo meridie Ariſt. problem. ſect. 26. q. 4. Sic bonis ex conſcientiæ puritate contingit pax. *Vide Glor. Virt.* & malis ex obſtinatione. *Vide Dur. Volunt. Mal.* Sic pares effectus oriuntur ex contrarijs cauſis. *Vide Contr. Contr.* Non eſt tamen vera pax impiorum. *Vide Verit. Glor. Rep.*

Princeps profert toti ſuo regno, & omnibus ſuis incolis publicam ſecuritatem, contrà vitæ humanæ hoſtes, exploratores, proditores, ſicarios, prædones, latrones. *Vide Contrar. Minorit.* Malorum profligatio.

Habetur pax ex indifferentiâ. *Vide Media Voluntas.* Et ex æquali ergà omnes affectu. *Vide Æqual. Volunt.*

Doloris expers eſt, quod eſt ſecundùm naturam.

Gravia elementa ad partium generationem, earumque quietem, levia ad ſpirituum generationem, & motum magis conferunt. *Vide Princip. Durat.*

Subſtantiæ nihil eſt contrarium, ideò motus illi non competit; hinc Ariſtoteles probat qualitates elementorum non eſſe eorum formas ſubſtantiales.

Natura eſt principium motus & quietis. Grave, cum fuerit extrà medium, eſt cauſa motus ad medium; cum fuerit in medio eſt cauſa quietis in medio.

Quieſcens quieſcit propter ſimilitudinem continentis, & movetur propter privationem ſimilitudinis inter ipſum & continens: hanc etiam appetit, cum movetur in continente.

Actiones inire quæ bellum finiant eorum eſt, quorum eſt bellum; rei enim ſuæ quiſque moderator, vndè ſequitur vt in bello vtrinque publico, hoc eorum ſit qui ſummi imperij exercendi jus habent: Regis igitur hoc erit, in ſtatu verè regio; modò is Rex etiam jus habeat non impeditum. Vt minoritate, captivitate, exilio & ſimilibus. Groſſius de jure belli. l. 3. c. 20. *Vide Fin. Contr.*

QVIETIS ET PACIS *cauſa.*

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Habetur quies à bonitate, quam alij in nos exercent, quia finem imponit regenti priùs neceſſitati; præſentem dolorem lenit beneficij honeſtate & vtilitate, & futurum ſpe comparatæ amicitiæ præſidijs: Habetur etiam à largitate quàm in alios exercemus, quia comparata ſic benevolentia inexhauſtus eſt theſaurus, in quem fortuna minimùm habet juris.

MAGNITVDO. Magna difficiliùs moventur, & alterantur à contrarijs: hinc genera ſpecies, & cætera vniverſalia, fluentibus individuis remanent immota & æterna. *Vide Glor. Magn.*

DVRATIO. Initia multis laborant difficultatibus, donec conſuetudo tranſierit in naturam, tranquillamque ſibi jus vſu fecerit; oleum igne ſuppoſito primum fervet, deindè omni conſumpto humido quieſcit. *Vide Contr. Princ.* initij, *& Glor. Dur.*

POTESTAS. Ambiunt homines poteſtatem, indè quietem ſperantes, ab externis hoſtibus, quos metus fortioris reſiſtentiæ in officio continet. Sic ſedantur mobiles populorum animi, dùm irritos vident in magnam potentiam conatus.

COGNITIO. Sapienti, qui cogitatione tempus omne demetitur, nihil novi accedit vnè poſſit alta ſua quies perturbari. Ratio veritatis æternæ conſcia, conſilij firmamentum eſt, vt ob tranſverſas opiniones à rectè concepto propoſito non deficiat.

VOLVNTAS. Charitas patiens eſt, benignè eſt, non irritatur, non cogitat malum; ſed fidens, quieta, entitati adhærens immobili, ab humanis non concutitur; & licet profectus ſuos invideat fortuna, gaudet conſcientiæ ſuæ teſtimonio.

VIRTVS. Sola virtus dat veram & ſolidam pacem, ſedato paſſionum tumultu. *Vide. Glor. Virt.* Non eſt inquieta quia confidit ſibi. *Vide Cognit. confidentia ſui.* Conſtans eſt. *Vide Dur. Cogn. Vol. Virt. Verit.*

VERITAS. Pax ſeù privata, ſeù publica fructus eſt legis imperantis: Sic inquieta mens humana vagatur per diverſas opiniones, & in eadem miſerè circumvolvitur, ſi ſe divinæ fidei non ſubjecerit.

GLORIA. Excellens famæ ſplendor diſſipat invidiæ & calumniæ nebulas, ita vt tunc virtus ab hoſtibus honoretur. *Vide Glor. Virtut.* Vndè fama, non vt finis, ſed vt medium tranquillioris vitæ quæritur à ſapientibus; Auferà me opprobrium & contemptum, vt diſcam mandata tua, inquit David.

DIFFERENTIA. Habetur quies fugâ contrarij. *Vide Differ. Contrar. & Minor.* Sic ſeipſis, mundo & Deo placidè fruuntur ſolitarij. *V. Glor. Virt.* Quieta virtus.

CONCORDANTIA. Luxata membra quietem non habent niſi ſedi ſuæ reſtituantur; languent & torquentur res ſympathicæ, donec in mutuum veniant complexum, tunc enim quieſcunt. *Vide Glor. Concord.*

CONTRARIETAS. Ex bello pax, ex aſperâ chirurgi operatione ſanitas, &c. *Vide Bon. Virt. & Glor. Com.*

PRINCIPIVM. A Deo ſolo vera pax. *Vt vide infr. proximè:* Habetur etiam à rebus naturalibus, cum in ſua principia reſolvuntur.

MEDIVM. Media plùs diſtant ab obſidentibus contrarijs, vndè ſunt quietiora; accedunt ad naturam centri immobilis. *Vide Gloria Med.* Qui ab alio dirigitur,

movetur actione, quiescit mente de fœlicitate obedientis. *Vide Cont. Por.* De obedientiâ.

Finis. Finem appetunt omnia, vt in eo quiescant, est enim terminus desiderij & motus. *Vide Vol. & Glor. Finis.*

Maioritas. Prælati montes ad quorum cacumen non perveniunt meteora, nec vllæ aëris turbationes. *Vide Glor. Magnit. & Major.* Ità quidquid eminet videtur quiescere, quasi huc non perveniant contrariorum ictus.

Æqvalitas. Æquâ lance librata non moventur, nec in vllam inclinant partem: Sic geometrica & proportionata æqualitas justitiæ servat pacem populorum.

Minoritas. Rara ex magnitudine, frequens ex minoritate quies: quod jacet non potest dejici. *Vide Glor. Min. Por.* De Paupertate.

PAX A DEO.

PAssionum Victoria à Deo. *Vide Princ. Virt. & Princip. Cognit.*

Plato 8. de legibus, Dicit solius esse Dei, ea quæ ab ordine naturæ collapsa sunt, in ordinem restituere, præsertim cum anima non tàm sensibus, quàm dæmonibus instigantibus corruat.

Idem in Philæbo dicit, Verum gaudium à summo bono profluere, vt lumen à Sole. Idem in Charmenide dicit temperantiam partium animi, cælesti persimilem, à cælo esse. *Vide Glor. Virt.* Tranquillitas & voluptas ex virtute. & Ibid. *Bona conscientia securitas.*

Vndè calor, indè serenitas; vndè calor indè lumen, lumen autem non ab vmbrâ materiæ, sed à mentis luce procedit. Marsf. Fic. Pax dulcis cælicolarum alimonia. Id.

Converte anima mea in requiem tuam. Ps. 114.

Reditæ prævaricatores ad cor, & inhærere illi qui fecit vos, stare cum illo, & stabitis; requiescite in eo, & quieti eritis. D. Aug. l. 4 conf. c. 12.

In pace in idipsum dormiam & requiescam. Ps. 4.

Vera tranquillitas non concuti. Et vidi, inquit Ioannes thronum magnum candidum, & sedentem super eum. Magnum dicit, & in omnes suspiciendos capacem; si in Deo sumus, vivimus & movemur, quid vetat ex illius etiam sede esse, sed quænam alia Domini sedes, quàm illa tanta & infinita Endelechia. Alan. var.

Parvulus natus est nobis, &c. vocatur Deus fortis Princeps pacis; multiplicabitur ejus imperium, & pacis; non erit finis, &c. Isai. 9.

Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace. Ps 28. Qui posuit fines tuos pacem, &c. Quære in concordantijs Pax.

Immortalitas & impassibilitas Adæ, non erat ex principijs naturæ, sed ex beneficio Dei. D. Th. 1. q. 76. a. 5. ad 1.

Qui habitare facit vnius moris in domo; qui fecit vtraque vnum, *Vide Princ. Conc.*

Deus nobis hæc otia fecit. Virg. *Vide Glor. Virt.* Quies post labores.

Ozidracæ Indiæ populi, sacræ Philosophiæ dediti, hostes commercij causâ accedentes propulsant, non armis, sed missis a Iove fulminibus. Philost. in vit. Apoll. l. 2. c. 14.

Epopeus extructo superbissimo Minervæ templo Corinthi, signum petijt à Dijs, quo certior redderetur acceptum hoc ab eis fuisse munus; statim oleum è cælo antè templi fores fluxit. Paus. in Corinth.

Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram; auferens bella vsque ad finem, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Ps. 45. Ipse est omnipotens artifex, creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem, juvans operationem, agens omnia fortiter & disponens suaviter: Ipse vivificat spiritum hominis, & continet in vnum, sicut & ille vivificat, & in vnum continet corpus suum; homines doceant Deum quærere, Angeli adorare; Solus ipse est, qui docet invenire, habere & frui; ipse enim est, & sollicitudo benè quærentis, & pietas in spiritu & varietate adorantis, & sapientia invenientis, & amor habentis, & gaudium fruentis. D. Ber. de vit. sol.

SANITAS A DEO.

IN Epidauro Esculapij sacellum cui incubantes, ægritudinum remedia capescunt de montis somniorum. Solin. Polish. c. 13.

Asa Rex moritur., quod spem omnem in medicis posuerit. 2. Par. c. 16.

Adipsum prius est confugiendum, qui nostræ curare possit animæ passiones, ne videamur de humanis artibus, hoc est medenti peritiâ, herbarumque succis sperasse magis remedium, quâ de Deo subsidium proposuisse. D. Amb. l. 1. de Abel & Cain. c. vlt.

Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, prohibentur medico medicinam ægro administrare, nisi prius animæ medicum advocaverit. cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.

Asque Dei misericordiâ nihil medendi ars valet, sed quomodo? Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eâ: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam: Sic nisi Dominus langorem curaverit, in vanum laborant medici qui cupiunt sanare languentes, semperque dicendũ est, non solùm in corporis, sed etiam in animæ salute; Benedic anima mea Domino, qui sanat omnes langores tuos. Ps. 111. D. Hier. in Isai. c. 26. Non hæc humanis opibus, non ope magistrâ proveniunt, neque te, Ænea, mea dextera servat, major agit Deus, Vt ait Iapis apud Virgil. Æneid.

Fato vivimus, languemus, convalescimus, morimur; Medicina quid præstas, nisi vt juxtà te nemo desperet Quint. declam. 8.

Medicina Dijs primùm inventores suos assignavit, & cælo dicavit. Plin. l. 29. in Prœmio.

Honora medicum propter necessitatem, Dominus enim ejus author est, nam omnis medicina manat ab altissimo; altissimus de terrâ procreavit medicamenta, nec ab horrebit illa vir sapiens. Eccl. 81.

Scribit Appollodorus, quod Æsculapius idem sit cum Appolline, & divinationibus, & augurijs præsit, nec mirum, cum medicinę & divinationis consociatæ sint disciplinæ. Macrob. 1. Saturn. c. 20.

Appollinem, Æsculapium & cæteros hujus artis professores divinis honoribus prosecuti sunt antiqui: Medicina enim est Dei munus, hinc Magi sacris rationibus, orationibusque purgandum esse ægrotantis animum priusquam corpus existimabant, quia ejusmodi ars divinitùs exercetur: Vt animus ex Deo, corpus pendet ex anima; nonne Raphaelem Archangelum Hebræi volunt hujus artis opus exercuisse; Christus ægros sanabat, & hanc potestatem dedit discipulis; hanc etiam exercuere Reges, qui sunt à Deo, quales fuerunt Sabor & Ginges Reges Medorum, Sabid Rex

Arabum, Mytridates Perſarum, Hermes Ægyptionum; dicunt Avicennam fuiſſe Cordubæ Principem. Marſ. Ficin. in Epiſt. Hinc qui ſe excuſat à regimine, dicit non ſum medicus. Iſai. 3.

CAVSÆ DELECTATIONIS.

DElectationes quædam dicuntur naturales, quæ ſunt in appetitu ſenſitivo; aliæ rationales, & intellectuales. Corporæ majores ſunt quæ ad nos, quia ſenſibilia ſunt nobis magis nota; quò magis autem bonum præſens percipitur, eo majorem parit delectationem, quia corporæ delectationes fiunt cum aliquâ immutatione, non autem ſpirituales, licet aliquandò id contingat: inter corporales autem majores ſunt, quæ fiunt per tactum, quia ejus objecta ſunt magis ſenſibilia. Pura voluptas dicitur illa quæ rectè conſtitutis animis & corporibus competit; non pura ſeù ægritudinalis, quæ cõtingit tantùm ratione mali. Prima delectationis cauſa eſt bonum præſens cognitum, totumque ſimul apprehenſum. Secunda eſt operatio per quam bonum conſequimur, aut ipſam boni conſecutionem percipimus: Tria varietas, quia conſueta faſtidium generant, natura enim ipſa multiformis varietate tanquam ſibi ſimili delectatur. Quarta præteriti doloris recordatio per accidens delectationem parit eò majorem, quò major fuerit anxietas. Quinta memoria & ſpes; nam memoriâ præterita bona poſſidentur, ſpe futura, & vtraque præſentiam mentitur, major tamen delectatio ex ſpe, quia futura verè eſſe poſſunt, non autem præterita. Denique delectamur rebus ad vitam neceſſarijs vt cibo; rebus quibus aſſueti ſumus, ex eo enim quod ſæpè fiunt magnam habent convenientiam cum naturalibus, quæ ſemper fiunt. Delectant etiam ea, in quibus nullus eſt labor, & nulla violentia naturæ; delectant lachrymæ, in abſentiâ rei amatæ, quia tunc perfectam ejus habemus idæam; omnis Victoria delectant, maximè ſi à pluribus deferantur, quia tales nos credimus eſſe quales nos exiſtimant. Delectat amare, quia eſt boni poſſeſſio, & amari, quia ſupponit nos eſſe amore dignos; delectant quæ admirationem pariunt, quia per admirationem inflammatur animus ad inquirendam rei quam miramur cauſam, hæc autem cognitio cum ſummâ voluptate percipitur, quæ naturam noſtram ad ſupremum ſuum gradum elevat. Delectamur beneficium recipiendo, quia ſic obtinemus quod homines deſiderant, & amari & ditari: etiam conferendo, quia ſic apparet nos habere quod aliis deficit, & in eo nos illis eſſe ſuperiores. Res novæ delectationem pariunt, quia in illas toto niſu fertur animus quaſi in bonum, vbi remittit cognitionis intentionem ceſſat & voluptas. Delectat extremitas fruitionis, cam jam abeſſe incipit, tunc enim reflexione duplicatur attentio & fruitio; ſic augetur gaudium comparatione fœlicitatis noſtræ cum alienâ miſeriâ.

Excitatur gaudium exponendo ſupradictas cauſas, proponendo res admirabiles, Admirationem autem pariunt res ſublimes, ſplendidæ, novæ, acutæ, facetæ: expectationem faciunt, diviſiones, narrationes, quæ maximè interpolitos habent motus animorum, colloquia perſonarum; exitus inopinati, ſimilitudines, metaphoræ, allegoriæ emblemata, varietates incredibile, paradoxum. A metu & dolore paulatim procedendum erit, vt fiat major voluptas.

Effectus delectationis eſt viſcerum & cordis dilatatio, ex quâ ſequitus ſanguinis ad externas partes diffuſio, ſicque ſpiritus fiunt puriores, vndè ſanitas. Riſus ex delectatione rationali provenit, & mediante appetitu ſenſitivo redundat in corpus; Solet autem riſus diſſipatis ſpiritibus vitalibus exercitari, tuncque; exiſtit motus ille oris & pectoris ortus à diaphragmate, per muſculos ad buccã vſque perveniens. Effectus etiam delectationis eſt operis perfectio, hanc enim eò faciliùs cõſequimur, quò magis delectamur in opere. Gaudens gratulatur ſibi de rectâ mediorum inventione, electione, perſecutione, audaciâ, induſtriâ, dolis, &c. cum eorum recollectione; conſiderat contrarios eventus, quàm fuiſſent nocivi, hinc votum Deo, ſanctis, gratiarum actio & proteſtatio gratitudinis ergà homines quorum operes obtenta eſt; quies in re poſſeſsâ, cum enumeratione perfectionum; deſpectus aliarum, cum enumeratione defectuum; exultatio, vos liberior, deſpectus amiſſionis aliarum rerum dùm hæc ſuperſit, deſpectus fortunæ, jactantia, fruitio ſæpiùs interpoſitâ morâ retentata, aut abſentiâ brevi, vt vitetur faſtidium, & fiat reditus ad eam cum majori exultatione: vultus lætus, loquacitas, corporis geſticulatio, magna ſpes cætera obtinendi, præſumptio, aliorum deſpectus, quibus ſibi videtur ſuperior; magna rerum agendarum ſpes; comparat præſentem fœlicitatem cum præteritis laboribus, quorũ dulce eſt meminiſſe; alius ſibi mundus videtur, omnia placent, facilè indulget, gratus omnibus, vrbanus; convivijs, hortis, muſicis delectatur: Miſcetur tamen huic gaudio metus dere amittendâ ob inconſtantiam fortunæ, qualitatem rei, potentiam inimicorum, invidorum, &c. votum Deo de rebus omnibus pro illâ dandis; Arguit ſe quod non benè ſperet, quod certam fœlicitam incertò metu turbet; cogitat varios modos conſervationis, &c.

Plato voluptatem in ſenſibus ponit, gaudium verò in mente, quale eſt id quod procedi ex contemplatione. *De quo V. Glor. Cog.* & cum ait voluptatem eſſe repletionem indigentiæ, id eſt appetitus, nam egeſtas & appetitus ſunt ſemper ſimul. Voluptas autem fit in quinque ſenſibus & occurſu & poſſeſſione objecti convenientis: vt quia oculi loco & ordine ſuperiores, ignis luciſque naturæ cognati ſunt, ideò illis ea ſunt gratiſſima, quæ ſunt ſimillimâ, luce temperata, & quæ ex colorum, qui omnes à luce profiſcuntur, pulcherrimâ temperie reſultant. Aures puro aëri cognatæ, ſonis etiam ex puro aëre confectis delectantur, & quia ex eadem quâ & ipſæ harmoniâ conſiſtunt; Vndè ſecundùm naturæ diverſitatem quidam vehementioribus, alij remiſſioribus, gravioribus, aut liquidioribus concentibus delectantur. Nares craſſiori quadã naturâ concretæ medium tenent inter aërem & aquã vndè ſimilibus delectantur, ſcilicet odoribus, qui inter aëris & aquæ naturam commiſti ſunt. Guſtandi organum aquæ ſimillimum, liquidioribus etiam corporibus delectatur, quæ humoris decocti maturique naturam habent. Tractus ad craſſitiem terræ magis accedit; vndè ſi ſolida ei & craſſiora corpora admoventur, eadem prædita humoris caloriſque naturâ, quâ ipſe quoque ſenſus affectus eſt ſuavitate perfunditur. Vna eſt voluptas quæ eſt in ipsa deguſtatione objecti delectabilis, & hac eſt cum cupiditate & ſollicitudine, alia eſt imperfectâ poſſeſſione, quæ eſt terminus & quies; alia habetur cum animus ſe reflectit ſuprà perceptam voluptatem. Duplex paſſio ſenſuum, vna quæ levis eſt, quæ palpat, ac mulcet, & ex eâ voluptas, cum & illi conſentiat animus; alia paſſio aſperiùs ac duriùs agitat, quàm & animus abhorret, & hinc dolor. Eſt voluptas in eſſe, cum

habentur convenientia naturæ : Est in agere, & perfici. Maxima in animo voluptas, & inter sensus, major est oculorum & aurium, quia objecta horum sensuum, magis accedunt ad naturam spiritualem : Ih sonis etiam & figuris est maxima partium conjunctio, ordo & proportio, ordo autem rationi est proprius ; hinc harmonia & pulchritudo, quæ est quoddam rationis vestigium, quod non solum sensus, sed etiam mentem ipsam, cui ratio propria est, afficiunt voluptate, & ex duabus voluptatibus duæ furoris divini species, Amor & Poësis : At odores sapores, calidum & frigus, sensus tantùm afficiunt, quia nullum habent vestigium rationis ; Vndè nec vllum menti pabulum afferunt inferiorum sensuum voluptates tactus & gustus, omnibus competunt animalibus, & sunt communissimæ, & vilissimæ ; vndè sunt ferinæ, absurdæ, serviles, incontinentissimæ, &c. furiosæ, & qui in hisce duabus excedunt vocantur incontinentes. Marsi. Fic. l. de volupt.

Nulla delectatio est in carentibus omni cognitione. 1. 2. q. 11. a. 2. D. Th.

Omnis operatio procedens ex habitu perficiente naturam causat delectationem. 1. 2. q. 100. a. 9.

Operatio vnius potest esse causa delectationis alteriùs tripliciter; scilicet benefaciendo, faciendo æstimationem boni ejus, & propter amorem vel odium. 2. 2. q. 32. a. 5.

Motus est causa delectationis, tripliciter. Primò, quia mutamur. Secundò, quia objectum gratum magis accedit, magisque percipitur. Tertiò, ratione cognitionis. 1. 2. q. 22. a. 2.

Consueta delectant, quia fiunt connaturalia. 1. 2. q. 32. a. 2. ad 3.

Raro contingentia delectant, ratione admirationis & desiderij. a. 8. ad 3.

Benefacere alijs est causa delectationis tripliciter; scilicet propter spem, vel amorem, ratione excellentiæ, & ratione libertatis. 1. 2. q. 32. a. 6.

Vincere delectat, quia ostendit propriam excellentiæ, & ratione libertatis. 1. 2. q. 32. a. 6.

Vincere delectat, quia ostendit propriam excellentiam ; ideò omnes ludi & pugnæ delectant propter spem Victoriæ : Sic ocium, ludus & omnia quæ ad requiem pertinent delectant, in quantùm auferunt tristitiam quæ est ex labore ; Sic omne simile ratione vnitatis : Redarguere etiam & punire quia ostendit excellentiam, sicut & dare alijs : Tristitia est etiam causa per accidens delectationis, quia repræsentat in memoriâ rem dilectam, & facit ardentiùs eam appeti. 1. 2. q. 32. a. 3. & seqq.

Delectationes corporales ratione habiti excedentis causant fastidium, sed ratione non habiti causant desiderium. 1. 2. q. 33. a. 2.

Delectatio est prior amore, & ille desiderio secundùm rationem finis, sed ordine generationis est è converso. 1. 2. q. 25. a. 2. ad 3.

Habitus est qualitas difficilè mobilis reddens operationem delectabilem. 1. 2. q. 49. a. 2. ad 3.

Exultatio Ioannis Baptistæ in vtero matris, non fuit in eo per ejus liberum arbitrium, sed fuit à Deo, ideò fuit miraculosa. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 1. *Vide Glor. Princip.* initij.

Si quis maximas voluptates videre velit, non ad sanitatem, sed ad morbum respiciendum, majori enim voluptate afficiuntur ægroti, vt febre laborantes, qui vehementer algent, vt enim magis indigent, ità indigentiam replentes vehementiùs delectantur. Similiter in animo major est voluptas, vbi major est cupiditas. Plat. in Philebo.

CAVSÆ SALVTIS.

DE gratiâ. *Vide Princip. & Med. Virt.* & de cooperante libero arbitrio. *Vide Potest. Volunt.* Gratia non tollit libertatem.

Deus vult omnium salutem. *V. Æqual. Vol.* Vide etiam quæ scripsi lib. de miser. Dei. p. 1. c. 11. & seqq.

Illius est absolvere, qui potest condemnare. l. 38. ff. de reg. jur.

Excommunicatus à proprio Episcopo non potest ab alio communioni restitui. c. Caroli Mag. l. 1. c. 1.

Principis est dare gratias & restitutiones in integrum. *Vide Bonit. Potest. & Finis Minoritatis.*

Quandò Imperator inter pupillos & viduas, vel miserabiles personas cognoscat, & nè exhibeantur. Cod. 3. tit. 14.

Calor naturalis necessarius est ad coctionem & excretionem humorum.

CHRISTVS SALVATOR.

De fructu Passionis Christi. *Vide Gloria Contrarietatis.*

AD invocationem nominis Christi dabatur remissio peccatorum in primitivâ Ecclesiâ, & non alteriùs hominis. 3. q. 64. a. 3. D. Th.

A damnatione propter peccatum Adæ, nullus potest liberari nisi per Christum, qui solus fuit ab eâ, immunis, à quâ liberatur aliquis tripliciter, scilicet per baptismum, martyrium, fidem, & dilectionem. 3. q. 17. a. 1.

Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. Act. 3.

Deus est principalis causa justificationis. Passio Christi est causa meritoria, sacramenta Ecclesiæ sunt causa instrumentalis, fides verò est conjungens instrumentum causæ principali. 3. q. 64. a. 3.

Christus est caput Angelorum & hominum, in quos fluit. *Vide Princip. Virt.*

Prædestinatio Christi est causa efficiens, formalis, exemplaris & finalis prædestinationis nostræ, ratione effectus, non autem ratione operationis Dei. 3. q. 24. a. 3.

Non est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, vt & nos loqueremur verbis ipsius: hæc enim divina perfecta sunt commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cælesti; venit accipere contumelias, dare honores ; venit haurire dolorem, dare salutem, venit subire mortem, dare vitam. D. Aug. in Ps. 30. conc. 1.

Deum incarnari fuit necessarium ad reparandum genus humanum, sicut ad benè esse, non autem simpliciter : fuit autem incarnatio principaliter propter liberationem hominis ; ad tollendum quidem omne peccatum, sed principaliùs peccatum originale. 3. q. 1. a. 1. & seqq. D. Th.

Parvulus natus est nobis. &c. Natus est nobis, qui sibi erat, datus est ergò ex Divinitate, natus ex Virgine : Natus nobis non sibi, qui vtique antè tempora multò nobiliùs natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre, &c.

Deus homo Christus totius humani generis salvator in Nativitate, quâ se cæteris hominibus parem effecit. *Vide Concord. Minor.* In vitâ & morte asperâ.

Digitized by

Vide Virt. & Glor. Contrar. In reſurrectione. *Gloria Contr.* Hæc conſultò ad eas combinationes remittimus, vt ſimul habeantur congeſtæ, quæ ad vnumquodque myſterium pertinent.

Chriſtus dicit. Ioan. 14. Ego ſum via veritas & vita: Si veritatem quæris viam tene; nam ipſa eſt via, quæ eſt veritas; ipſa eſt qua is. & ipſa eſt quo is, per Chriſtum ad Chriſtum venis; per Chriſtum hominem ad Chriſtum Deum; Lux eſt, quoniam apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Pſal. 35. In terra aliud eſt fons, aliud lumen; ſitiens quæris fontem, & vt pervenias ad fontem quæris lucem: Chriſtus ſitientibus fons eſt, cæcutientibus lux, aperiantur oculi vt videant lucem, aperiantur fauces vt bibant fontem, totum tibi ſit Deus. D. Aug.

Chriſtus à chriſmate dictus eſt, id eſt ab vnctione: Reges autem vngebantur & Sacerdotes: Ille verò vnctus eſt & Rex, & Sacerdos: Rex pugnabit pro nobis, quaſi victus in cruce, diabolum vicit, & indè Rex noſter, obtulit ſeipſum mundus Sacerdos, quia nihil mundum à populo immundo poterat accipere offerendum; mundam carnem pro immundis obtulit, &c. D. Aug. in Pſ. 149.

Quòd Deus ſit omnium Salvator: *V. Æqual. Vol.* Deus vult omnes ſalvos fieri. Venit filius hominis quærere & ſalvare quod perierat. Luc. 19.

Chriſtus dicitur Salvator, ſeù quia ſupplicat pro nobis. Vt Roman. 8. Dicitur interpellare pro nobis & Heb. 9. & 12. Mediator novi teſtamenti: & 1. Ioan. 2. dicitur Salvator, quia ſolvit & ſatisfecit pro nobis. Sic 1. Tim. 2. Poſtquàm Apoſtolus dixerat, vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus; mox addit cauſam dicens, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro multis.

Lex vetus ad Chriſtum adducebat, Chriſtus ad Deum. D. Th. 1. 2. q. 98. a. 2. Chriſto Dei & hominum mediatori convenebat eſſe Sacerdotem. 3. q. 22.

Nullum majus donum Deus præſtare poſſet hominibus, quàm vt verbum ſuum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret; vt eſſet filius Dei & filius hominis, & vnus Deus cum Patre, vnus homo cum hominibus, vt & quandò loquimur ad Deum deprecantes, non indè filium ſeparemus, & quandò precatur corpus filij, non à ſe ſeparet caput ſuum; ſitque vnus ipſe ſalvator corporis ſui Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, qui & oret pro nobis; & oret in nobis; & oretur à nobis: orat pro nobis vt Sacerdos noſter; orat in nobis vt caput noſtrum; oratur à nobis vt Deus noſter: agnoſcamus ergò & in illo voces noſtras, & voces ejus in nobis. D. Aug. in Pſ. 85. in fin.

Quemadmodum inferiorum omnium abſoluta conſummatio eſt homo; ità omnium hominum abſoluta conſummatio eſt Chriſtus: quod ſi, vt dicunt Philoſophi ab vno, quod in vnoquoque genere eſt perfectiſſimum, ad cæteros ejuſdem ordinis, quaſi à fonte, omnis perfectio derivatur dubium nemini eſt, à Chriſto homine in omnes homines totius bonitatis perfectionem derivari; illi ſcilicet vni datur ſpiritus non ad menſuram, vt de plenitudine ejus omnes acceperimus: hæc prærogativa haud dubiè debetur vt Deo, quæ etiam quâ homo eſt, peculiari ei & legitimo privilegio convenit, &c. Picus Mirand. in ſ. 1. exp. heptapli.

Vide Concordantia Differentia. Harmonia. de rerum vnitate.

MEDIVM GLORIÆ.

MEDIA SALVTIS.

MISCELLANEA.

EIECTA Pharaonis ſuſcipiens Moyſem de aquis & adoptans. Exod. 2. Deus mittit Moyſem ad Pharaonem vt liberet populum. Exod. 3. Poſtes Hebræorum liniti ſanguine agni. Signum Tau in frontibus electorum. Ezech. 9. Aquæ Mara fiunt dulces miſſo in eas ligno. Exod. 15.

Erigitur ſerpens æneus, vt quicumque eum aſpexerint ſanentur à morſibus ſerpentum. Num. 21.

Arbor vitæ in medio Paradiſi: Arca Noë ſalva à diluvio. Crux Chriſti.

Rahab meretrix ſe & Patris familiam ſalvat ab vrbis excidio, ſignum ſalutis erat vitta coccinea appenſa. Ioſue 2.

David citharam pulſans liberat Saul à malo ſpiritu. 1. Reg. 16.

Ionathas monet David de inſidijs, quas illi ſtruebat. Saul. 1. Reg. 19.

Per Iacob Laban fit dives. Gen. 30.

Tobias benè habitus à Rege Salmanazar conca-

ptivis fratribus dat monita ſalutis. Tob. 1.

Angelus Raphaël comitatur Tobiam, eumque liberat à piſce & dæmone. Tob. 5.

Pecuniæ & largitiones ſunt cauſæ ſalutis. *Vide Poteſt. Benit.*

Quilibet debet vindicare læſam famam proximi ſui: quia quilibet præſumendus eſt bonus. *Vide Magnit. Virtutis.*

MEDIA QVIBVS HABETur pax & quies.

REgna firmant, pacemque conciliant vis & virtus, tùm Principis, tùm miniſtrorum. Vide Lipſium in politicis, *& ſuprà Medium Durationis & Durat. Poteſt.* De virtute Regentis. *Vide Virt. Poteſt.*

In infantibus quos comitialis morbus corripit, nutrici inprimis proſpiciendum.

Princeps eſt conciliator pacis inter divites nobiles, & plebem, nè ſibi noceant.

Vbi Martem times oppone Venerem, vbi Saturnum adhibe Iovem. Marſ. Fic.

Olympiodorus refert in Siciliâ inauguratam fuiſſe ſtatuam, tùm vt ætnæ montis ignes averteret, tùm vt à maris tranſitu barbaros prohiberet: hac deſtructa, ab vtriſque Sicilia eſt damnum paſſa. Photius Bibl. c. 80.

In Thraciâ ſub Conſtantio Imperatore inventæ ſunt tres argenteæ ſtatuæ ſub terra, inauguratæ, ad arcendos barbaros, anſatis brachijs, vultu verſo in Septentrionem, vndè barbari; his juſſu Imperatoris ablatis, provincia hæc à barbaris fuit devaſtata. Idem ibidem.

Conficiuntur imagines ad malum aliquod avertendum die & horâ, fœlicique tunc conſtitutione & aſpectu ejus Planetæ qui malo adverſatur; ſeù inſculpatur conveniens figura in proprio metallo, aut lapide; ſeù per fuſionem miſceantur omnia ei ſympathica, vt cum metallo lapides, herbæ, arborum & animalium partes. De his vt plurimùm ſuperſtitioſis. V. Marſ. Fic. lib. de vit. cœl. comp.

Vt ſtet aqua aut fluat loci poſitio efficit; in devexo fluit, in plano continetur.

Quibus medijs habetur tranquillitas animi. *Vide Glor. Virt.* Quies & voluptas virtutis.

Angeli nuntiant pacem mundo. Sic Apoſtoli, de quibus dicitur, Quàm pulchri ſunt pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. Rom. 10.

Legati ad ineundam pacem miſſi, qui quantò nobiliores, eò fœliciùs procedit negotium. *Vide Glor. Medij.* De arbitris lites componentibus. *Vide Med. Conc. & Fin. Cont.*

Athenis erant cuſtodes inſtituti, qui impediebant nè nocte excitaretur aliqua petulantia, quæ civium quietem turbaret. Sic Romæ erat præfectus vigilum, nam ſalutem Reip. tueri nulli magis convenit quàm Cæſari: Itaque ſeptem cohortes opportunis locis per vrbem conſtituit, præpoſitis tribunis & ſuper omnes præfectum vigilum, qui tota nocte debet armatus oberrare. l. 3. ff. de officio præfecti vigilum. Hic lutetiæ dicitur, *le Chevalier du guet.*

Quòd Princeps invigilet pro ſolute omnium. *Vide Cognit. Poteſt.* vigilantia Rectoris.

Plurimæ & differentes cauſæ ſunt quæ ſomnum conciliant, nimirum longæ vigiliæ, labor, defatigatio, curæ, nimius æſtus, balnea, nimia evacuatio, levis frictio, motus arborum, ſuavis cantus, murmur & ſtrepitus aquarum, tenebræ, ſilentium, cogitationum ſuſpenſio, lectio non attenta, ſolitudo, potus, & cibus, & vtilis concoctio.

Belli induciæ ſunt diſpoſitiones ad pacem, quia hoſtes ſimul amicè convenantur & deponunt odia.

Figura & conſtitutio idonea læſi membri dolorem lenit, hæc autem eſt, dùm vnaquæque pars convenientem ſibi ſitum tuetur.

Is debet proponere conditiones pacis, à quo pax petitur.

De aquâ pluviæ arcenda. ff. 39. tit. 3. De littorum & itinerum cuſtodia. C. 12. 45.

Sanctæ res ſunt, quæ ab injuriâ hominum defenſæ & munitæ ſunt; ſanctum autem dictum à ſanguinibus, ſunt autem Sanguina herbæ, quas legati Populi Romani ferre ſolebant, nè quis eos violaret; ſicut legati Græcorum ἀσυλίαν l. ſanctum. 8. ff. de rer. diviſ.

Ramus aureus quo tutus Æneas tartarum penetravit, Laurus protegens à fulmine.

In Indiâ fons eſt, cujus ſuperficies aurum liquidum, in fundo verò eſt ferrum, ex quo conficiuntur gladij, qui in terram defixi grandines, turbineſque avertunt. Phot. Bibl. c. 72.

Quia ciconiæ ſerpentes interficiunt in Theſſaliâ, tantus illis honos vt capitale ſit occidiſſe. Plin. lib. 10. cap. 23.

Caſi montis incolæ precibus obtinere ſe putabant à Iove Seleucidas aves, quæ conficiebant locuſtas, terram eorum vaſtantes: Invocant & Ægyptij Ibes, contrà ſerpentium adventum. Ibidem cap. 27. & 28.

Exceptiones in judicijs, quæ agentibus obſtant, ſuntque aut perpetuæ, aut temporales, aut dilatoriæ.

Area Noë. Eccleſia extrà quàm non eſt ſalus. *Vide Conc. Virt.* Eccleſiæ vnitas.

Quò tempore arx Trojæ ædificabatur, fertur ceciſſe de cœlo Palladis ſimulachrum, quod Palladium dictum eſt, & reſponſum ab Apolline, tandiù vrbem incolumem, quandiù ſimulachrum illud intrà mœnia ſervaretur; vndè poſt longam obſidionem, non priùs capta fuit, quàm fuerit illud furto ſublatum ad Vliſſe & Diomed. Virg. 2. Æneid.

MEDICINA.

Medicina contrà dolores pro noſtra infirmitate confligit, & ibi nos nititur ſublevare vbi nullæ divitiæ, nulla poteſt dignitas juvare. Ars eſt quæ in homine plùs invenit, quam in ſeipſo cognoſcit. Caſſ. l. 6. var. in form. archiat.

Omnes artes quæ ad benè vivendum conferunt ſinè medicinâ ſunt inutiles, non enim benè vivemus niſi vivamus, nec multùm apud Deum hominesque proficimus, niſi ſalubriter diù vivamus. Dei & naturæ medicus miniſter eſt, dùm ad ſanitatem efficiendam materiam præparat & impedimenta removet. Quid naturæ magis conſentaneum, quàm quod ipſa genuit conſervare? Humana proſperitas non in poſſeſſione, ſed in jucundo vſu conſiſtit: at ſinè ſanitate nulla eſt jucunditas, vndè qui hanc reſtituit, omnia ſimul bona videtur reddere; Imperium habet in omnes qui ſuæ ſe curæ committunt, &c. Marſ. Fic. in Ep.

Idem verbum apud Hebræos ſignificat gigantem & medicum, quaſi medicus ſit potentiſſimus. D. Auguſt. in Pſ. 87.

Vita ærumnoſa eſt, & averſanda, ſinè ſanitate quàm tuetur medicina. Cæteræ ſcientiæ ad paucos pertinent, medicinâ opus eſt omnibus; aliæ ſcientiæ verſantur circà ea quæ ſunt extrà hominem; at medicina ipſum hominem microcoſmum contemplatur, vt ſanandum. Gratia ſanitatum inter dona Spiritus ſancti refertur ab Apoſtolo. Eph. 4. Plùs eſt hominem vitæ reſtituere, quàm ei quodlibet aliud officium præſtare: abſolvit quodammodò peccatorum pœnam, dùm curat morbos ſæpè ex peccato naſcentes. Cæteræ ſcientiæ exiguis limitibus continentur; omnes illæ, & quidquid eſt in mundo medicinæ materia eſt. Medicina de excellentiâ cum naturâ conteſtatur: Natura producit quidem hominem, & ei vitam largitur; ſed medicina illam ſervat, & eripit à morte. Deus curam commiſit hujus mundi intelligentijs, Microcoſmi autem medicis, qui ideò habendi ſunt, vt Angelorum collegæ. Hinc Deus medicinæ autor. *Vide Princip. Glor.*

Laudem medicinæ & comparationem cum advocationis officio. V. apud Caſſ. l. 6. var. Epiſt. 19. Notat tamen Boërius deciſ. 323. Quòd Medicus excuſatur qui aſſumit curam deſperatam non ſic in Advocato.

De ſalario Medicorum. *Vide Glor. Virtus.*

INTERCESSORES & deffensores.

DE procuratoribus & deffensoribus. ff. 3. tit. 3. De deffensoribus civitatum. Cod. 1. tit. 56. Novella. 15.

De tutelis. Inst. 1. tit. 23. ff. 26. tit. 1. De tutoribus illustrissimarum, & clarissimarum personarum. Cod. 5. tit. 33.

De curatore bonis dando. ff. 41. tit. 8. Furiosi & prodigi. Cod. 5. tit. 70.

De curatoribus. Inst. 1. tit. 23. Furioso vel alijs personis extrà minores dandis. ff. 27. tit. 10. De fidejussoribus. ff. 48. tit. 1.

De liberis & servis, & de his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt. Cod. 8. tit. 58.

Quòd non liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare. *Vide Major. Potest. Mal.*

De omni agro deserto, & quod steriles fertilibus, imponuntur. Cod. 11. tit. 58.

Vbi pupillus educari debeat, & de alimento & præstandis. ff. 27. tit. 2. Cod. 5. tit. 49.

De ventre inspiciendo, custodiendoque partu. ff. 25. t. 3. In possessionem mittendo. ff. 37. t. 8.

Vt Eunuchi adoptari possint. l. n. 26.

Adoptari possunt cæci, fœminæ, infantes. l. 9. 20. 42. ff. de adopt. Verum hinc est beneficium infirmitati collatum. *Vide Verit. Bonit.*

De his qui petunt tutores vel Curatores. ff. 26. t. 5. Cod. 5. tit. 31.

Commodati vel contrà. ff. 13. tit. 6. Cod. 4. tit. 33. de commodato. dec. 3. tit. 15. *Vide Virt. Bonit.* Vbi de diversis operibus misericordiæ proximo præstandis. De admonitione. *Vide Med. Virt.*

Prælatus debet esse vigilans circà deffensionem pauperum, relevationem oppressorum, & curationem monasteriorum. Dist. 84.

Postquàm jure gentium servitus invasit, secutum & introductum est beneficium manumissionis. l. 4. ff. de just. & jure.

Auxilium contrà sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam, non est denegandum his qui justè deprecantur. l. 2. ff. De his qui sunt sui vel alieni juris.

Absentes possunt à quolibet deffendi, etiam sinè mandato, dummodò id faciant boni viri arbitratu & satisdent. l. pen. ff. de procur. & deffens.

Cætera. Videtis. Virt. Bon. & Fin. Min. Fin. Cent.

Basilius Imperator à septem annis Leonem filium carcere detinebat: convocavit ad convivium Principes Senatus in conclavi vbi erat psittacus, qui humanam fingens vocem dicebat, heù, heù, Domine Leo; hac voce permoti Senatores abstinebant à cibis; causam quærenti Imperatori respondernnt, hæc avis suum Dominum requirit, & nos Dominum qui nihil peccavit obliviscemur genio indulgentes; Sic placatus Imp. eum liberavit, & Imperij nominavit successorem. Baron. an. 886.

Religiosi debent habere Syndicum, qui causas Monasterij agat & deffendat. c. Sicut de Syndic. de deffensoribus Ecclesiæ. *Vide Virt. Potest.* Pietas Regentium.

Rex Babyloniæ decem dona eligenda obtulit Apollonio; Spretis omnibus hoc vnum petijt, vt Eritræis priùs à se victis parceret, nec sineret terras ab ipsis cultas vastari: Hoc ei concessit Rex, & placatus Eritræos in posterum habuit amicos. Philostr. in vit. Apol. l. 1. c. 22.

Ioseph petit à pincernâ Pharaonis, vt intercedat pro se. Gen. 40.

Ionathas intercedit pro David apùd Saùl Patrem. 1. Reg. 19. Abigai placat Davidem, & avertit à cæde Nadab. 1. Reg. 25.

Ioab vtitur opera mulieris Thecuitis, quæ sub parabolâ obtinet à David reditum Absalonis. 2. Reg. 14.

Espras obtinet ab Artaxerxe, vt reædificentur muri Ierusalem. 2. Esdræ. 1.

Esther obtinet liberationem populi sui. Esth. 3. Illi dicit Mardochæus, quis novit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore patareris?

Rogate Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Luc. 10.

Daniel postulat à Rege, vt socij sui eleventur ad dignitates regni. Dan. 2.

Iesu non respondente Chananææ, accedunt discipuli & rogant eum, dicentes, dimitte eam, quia clamat post nos. Math. 15.

Seniores Iudæorum rogant Iesum, vt sanaret puerum Centurionis. Luc. 7

Maria Virgo dicit Iesu in nuptijs, vinum non habent. Ioan. 2.

Gentiles quidam rogant Philippum & Andræam, Domine volumus Iesum videre. Ioan. 12.

ADVOCATVS.

QVid ornatius advocationis officio, quod peregrinum negotium ad suas molestias trahit, vt laboribus subveniat alienis. Cass. l. 1. var. Ep. 12.

Advocati qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque deffensionis viribus, in rebus sæpè privatis ac publicis, lapsa erigunt, fatigata reparant, non minùs provident humano generi, quàm si prælijs atque vulneribus patriam, parentesque salvarent. l. adv. 14. Cod. de adv. div. jud.

Quidam dicebat oratores Romæ in perpetuo esse magistratu, perpetuaque dictaturâ, Vndè mos erat vt genere illustriores causas agerent: Sic sibi ad ampliores dignitates, & Consulatum viam parabant vt Cicero. Apud Athenienses Pericles, & Demosthenes.

Vtile officium & necessarium, vt consilium præberent legitimum clientibus, & innocentiam deffenderent, causas discuterent coràm judice; se vel potentiæ, vel malitiæ, vel iniquitati adversariorum prudenter objicerent. l. laudabile 4. de off. div. jud. De advocatorum scientiâ, probitate, in agendo sinceritate. Vide Syntagma juris. l. 49. c. 6.

Athenis erat Mercurij forensis statua. Paus. in Atticis.

Primi Athenienses mutilos Mercurios coluerunt. Ib. Advocatus non tàm eloquentiæ quàm veritati studeat. De eloquentiæ vi & contemptu. *Vide Major. Cognit. & Glor. Verit.*

Archytas dixit idem esse arbitrum & eram, ad vtrumque enim, quod injuriam accepit, confugit. Arist. 3. Rhet. c. 11.

De eorum salario. *Vide Gloria Medij.* Remuneratio ministri.

ORANDVM PRO INVICEM.

ORate pro invicem vt salvemini. Iacob vnicuique enim proximi curam demandat charitas. *Vide Med. Virt.* Admonitio. Vt autem proximi salus

promoveatur, agendum eſt precibus apud Deum communem parentem, & cui placet hic mutuus filiorum ſuorum affectus, multumque poſſunt apud eum preces juſti. *Vide Poteſt. Virt.* Deus malis parcit propter bonos.

Vnius corporis membra ſibi invicem compatiuntur; in quantitate continuâ motus vnius partis cæteras trahit; in dolijs efflorescit vinum, florente vineâ. Sic viri boni oratio movet & juvat cæteros.

Orandum pro Regibus. *Vide Glor. Poteſt.* Sacrificemus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, & quomodò præcipit Deus, purâ prece. Tertull. ad ſcapul.

Iuſtus miseretur & commodat. Pſal. 36. Charitas; ſi poteſt dat quod de foris eſt; Si non poteſt, ſaltem dat conſilium, orat pro contribulato; ſi conſilio juvare non poteſt, habet ſemper vndè det, cui plenum pectus eſt charitatis. D. Aug. in Pſ. 36. conc. 2.

Quòd juſtus apud ſeipſum non invenit, à Deo ſolo ditiſſimo poſtulat, at ille aperto cœli promptuario nivis imbriſque in morem bona depluit affatim, vrindè omnes terrenæ lacunæ reſtagnent; hæc autem ſupplicatoribus ſui verbi permotus largiri ſolet; dicitur enim alicubi Moyſi ſupplicante, propitius eis ſum juxta preces tuas; vt dicitur Abrahamo, benedicentur in te omnes tribus terræ. Deus per juſtum vnicum, quaſi ex ſcintillâ, magnum per omnes charitatis diffundit incendium; quaſi ex reſiduo ſurculo plantam pullulare facit; juſtum quaſi medicinam porrigit ſupplicibus cultoribus ſuis: Oremus igitur vt ſicut columna in domo, mens in anima, in humano verò genere homo juſtus permaneat ad calamitatum remedium, nam hoc incolumi de publica ſalute deſperandum non eſt; Sic Noë ex diluvio emergens triplicem Iſraëliticum fructum produxit, menſuras ævi Abraham, Iſaac & Iacob. Phil. Iud. l. de migr. Abrah.

Abraham intercedit apud Deum pro Loth fratre ſuo, nè pereat cum impijs in ſubverſione Sodomæ. Gen. 18.

Non fruſtrà Eccleſia oravit pro inimicis, crediderunt enim & qui priùs eam perſequebantur. D. Auguſt.

Idem Ep. 122. Refert Siricenſis ſanctimonialis virginis à barbaris captæ precibus, ipſos ſuos dominos graviter laborantes ſanitati reſtitutos, & vt fuerat illi promiſſum, eam intactam cum honore parentibus ſuis reſtitutam fuiſſe.

Exod. 33. Moyſes ſtetit in contractione & avertit Dei flagellum à populo. Vbi demonſtratum eſt, interceſſio Sanctorum quantùm pro alijs valeat apud Deum. D. Aug. in Pſ. 105.

David pſallendo pellit malum Saülis dæmonem; Eccleſia orando. ex D. Greg. habetur cap. voluiſſent de pœn. diſt.

Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt. 1. Cor. 15. Tradit Epiphanius hær. 28. Solitum apud Corinthianos fuiſſe, vt cum aliqui eorum abſque baptiſmo decederent, alij pro ipſis in nomen ipſorum baptizarentur, nè in reſurrectione pœnas darent; hoc & Marcionitæ & Cataphryges fecerunt. V. Tert. 5. cont. Marcionem, & Baron. an. 57. n. 164. Precibus Loth ſalvatur Segor ab incendio. Gen. 19.

Iſraëlitis in captivitate Babylonicâ conſtitutis prædicit Deus per Ieremiam. c. 19. Quærite pacem civitatis, ad quàm tranſmigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominum, quia in pace illius erit pax veſtra. *Vide Glor. Poteſt.* Orandum pro Principibus etiam diſcolis.

SACERDOS ORAT PRO populo.

SAcerdos Palladis apud Athenienſes nolvit Alcibiadi, licet ſacrilegij & dirutarum imaginum reo, maledicere, quia ſuum eſſe dixit pro populo vota non maledicta fundere, non nocere ſed prodeſſe. Plutarc. in Alcib.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Heb. 5.

Talis eſſe debet Domini Sacerdos, vt quod populus pro ſe apud Dominum non valuerit, ipſe pro populo mereatur quod popoſcerit impetrare, ſcriptum eſt enim. 1. Reg. 2. Si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos, ſi autem Sacerdos peccaverit quis orabit pro eo. D. Aug. in Pſ. 36. conc. 2.

Sacerdos ob id potiſſimùm ordinatur, vt ſuis precibus benignitatem humaniſſimis Dei rebus acquirat communibus. l. 42. Cod. de Epiſc. & Cler.

Cum Deus vult delere populum murmurantem & ſeditioſum, occurrit Aaron igni, ſtetit, & ſe murum oppoſuit pro ſalute populi. Num. 16.

Increpat malos Prophetas Dominus Iſ. 13. Non aſcendiſtis ex adverſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Sic murus hoſti opponitur, & adverſario occurri ſolet ex adverſo contraque venienti; irâ Dei ſententia Sanctorum precibus frangitur, vndè & Moyſi dicitur. Exod. 32. Dimitte me, & delebo populum iſtum, cui enim dicitur dimitte me, oſtenditur quod tenendi habebat facultatem. D. Hier. in Ezech. 13.

Moyſes dicit Aaroni, offer holocauſtum, & deprecare pro te & pro populo: V. Lev. 9. 10. 11. 12.

Ideò debent eſſe caſti, quia ſemper debent orare. *Vide Minor. Glor.* Vbi de cælibatu Sacerdotum.

In lege Moſaicâ Sacerdos totum mundum veſte myſticâ præferebat, & in rationali duodecim gemmas, ſignificantes duodecim tribus Iſraël, quia ſi alij Sacerdotes orant pro amicis & parentibus, hic debet orare pro omnibus hominibus, & pro omnibus etiam creaturis, vt illis Deus ſuâ benignitate ſubveniat. Philud. l. 2. de Monarch. Eſt ſuprà cæteros homines, mediuſque inter Deum & illos. Ib.

Deut. 5. dicit Moyſes, Ego medius & ſequeſter fui inter Deum & vos in illo tempore.

Ægypti Monachi ægros orationibus & vnctionibus juvabant. V. Bar. an. 63. n. 14.

Aqua benedicta ſolita adhiberi contrà dæmones & multa naturæ humanæ mala. Vide eundem anno 132. n. 4.

Dejectis Antiochiæ Theodoſij Imperatoris imaginibus Flavianus ejus vrbis Epiſcopus longâ & diû meditatâ oratione Imperatorem placavit, celeriterque rediit Antiochiam populo remiſſionem culpæ nuntiaturus antè feſtum Paſchæ, quod cum omni gaudio celebrari debebat. Bar. an. 388.

Iethro ſuadet Moyſi vt ejectis judicibus, qui lites dirimant, ipſe ſit pro populo ad Deum. Exod. 18.

Plato 4. de legibus, admittit ad Divinum miniſterium tantùm eos, qui cæteros antecellunt in legum obſervatione.

Pœnitens recurrit ad Deum, ſicut filius, ſervus & vxor, ad dominum, patrem & virum; ad Sacerdotem autem, ſicut ad vicarium Dei. D. Th. 3. q. 85. a. 3. *Vide Med. Poteſt.* Vicaria.

Orante

Orante Onia S. Sacerdote, Heliodorus, qui percuſſus fuerat ab Angelo ſanatur. 2. Mach. 3. De eodem Onia, qui apparet orans in ſomnis Mardochæo, & de gladio à Deo dato. *Vide hoc tit.* interceſſio Sanctorum.

Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus Pſ. 105.

Chriſtus dicit Petro, Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ligaveris, &c. *Vide Major. Poteſt.* Primatus Petri.

Samaritani tandiù à leonibus læſi ſunt, quandiù Sacerdotibus caruerunt. 4. Reg. 17.

SANCTORVM INTERceſſio.

DE Angelorum auxilijs. *Vide Med. Vit.*

Tria in feſtivitate Sanctorum conſiderare debemus, exemplum Sancti, auxilium ejus, confuſionem noſtram: Auxilium, quia qui potens in terrâ, potentior eſt in cælis antè faciem Dei ſui; Beata enim illa patria charitatem auxit, non immutavit, nec quia impaſſibilis, ideò incompaſſibilis factus eſt, ſed nunc potiùs induit viſcera miſericordiæ, cum ante fontem miſericordiæ exiſtit: Eſt & alia cauſa quæ magis vrget Sanctos, vt ſolliciti ſint de nobis, quia juxta vocem Apoſtoli, Deus provident pro nobis, nè ſinè nobis conſummentur, ſicut ait Sanctus, me expectant juſti, &c. Pſ. 141. Sic ergò in ſolemnitatibus Sanctorum gaudere, & confundi debemus; gaudere, quia patronos præmiſimus; confundi quia eos imitari non poſſumus: ita hîc ſemper gaudium noſtrum pane lachrymarum condidebet, &c. D. Ber. ſer. in nat. Pet. & Paul. Viri iſti, nec ſibi vixere, nec ſibi mortui ſunt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, magis autem nobis omnibus propter illum; quantum enim nobis proderit eorum juſtitia, cum & profuerint peccata. Ibid.

In terris viſus eſt, vt eſſet exemplo, in cælum levatus eſt, vt ſit patrocinio, hic informat ad vitam; illic invitat ad gloriam; factus eſt mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus: bonus mediator qui nullius egens, totum in eos transferre deſiderat ſupplicationis fructum. O verè beata anima, bonum certamen certaſti, &c. Id. ſer. de S. Vict.

Quot ſancti tot interceſſores; vt parvuli fratrum natu majorum auxilium poſtulamus, experti noſtras miſerias facilè opitulantur.

Vt è terrâ ſurgeremus illam ſuo ſanguine rigaverunt, fructus laboris ipſorum etiam nos ſumus: miramur eos, miſerantur nos; gratulamur eis, precantur pro nobis; vnum corpus ſumus, vndè gloriæ participes nos efficere conantur. D. Aug.

In Symbolo habetur, Credo Sanctorum communionem, Sic Deus chirographum innumerabilium debitorum nobis non ſentientibus delet; ſed opus eſt, vt quod tribuit gratia, cuſtodiat diligentia, & quod ſinè labore acquiritur, ſinè labore ſervetur. Euſ. emiſſ. hom. 2. de Symb.

Non eſt terra oblivionis, quàm ſanctus inhabitat; non terra laboris, vt occupetur in eâ; latitudo cæli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, ſed extendit: Superni ſpiritus non quia incolunt cælos, terras deſpiciunt. Omnes ſunt ad miniſtratorij ſpiritus: Sancti qui venerunt ex magnâ tribulatione, recognoſcunt jam vbi fuerunt: adjuva ô victrix anima, inter laqueos, quos vt paſſer evolans ad cælum evaſiſti; purgantes adjuva fortis Athleta, dulcis patrone, advocate fidelis. D. Ber. ſer. 2. de S. Vict.

Sancti ſunt Dei imagines ad quas confugimus. Vide infrà hoc tit. aſylum.

Non valet hic prohibitio. l. 1. & 2. Cod. ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare? Nam vis non poteſt fieri, niſi placita, omnipotentis Dei juſtitiæ; & cum inſurgant in nos dæmones, poſtulat æquitas, vt nobis etiam liceat beatos ſpiritus in auxilium noſtrum advocare. Plures adhærent Principium amicis quàm ipſiſmet Principibus, quorum verentur majeſtatem, & à quorum potentiâ ſemper pendent, intermedijs amicis.

D. Aug. lib. De curâ pro mortuis gerendâ, cap. 16. Dicit ſe definire non poſſe quomodò ſancti adſint poſtulantibus & periclitantibus; aſſerit tamen id per Divinam potentiam fieri, quoniam per naturam propriam vivorum rebus adeſſe non poſſunt; precibus autem eorum, inquit, Deus qui vbique præſens eſt, per Angelica miniſteria præbet hominibus talia ſolatia, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti pro cujus confeſſione illi ſunt paſſi. Ibidem refert Nolâ oppugnatâ à barbaris, Felicem confeſſorem civibus piè à ſe dilectis, non Solis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipſis hominum aſpectibus apparuiſſe.

Generaliter omnes Planetæ juxtâ Excentrici & Epycicli Apogeum, putiores meliores & fœliciores exiſtunt, quia à terrâ remotiores, & ſtellis fixis viciniores, quanquàm tunc minorem efficaciam habeant, minuſve aerem moveant, vt potè à terrâ remotiores. Contrarium tamen eſt in Lunâ. nam propter magnam quam habet cum terrâ affinitatem, illi vicinior, etiam melior eſt cum velociores edit curſus: In auge autem Epycicli vbi tardior curſu, & à terrâ remotior, tunc & debiliores & turbatiores edit effectus. Poteſt fieri comparatio Sanctorum cum Planetis, & Lunæ cum B. Virgine Mariâ, quæ terris vicinior plus profecit; dum Chriſtum Deum hominem protulit.

De ſalvatori ſigno crucis. *Vide Gloria Contrarietatis.* Crucis Chriſti gloria.

Stellæ fixæ minorem Planetis vim habent quia à terrâ remotiores; Sancti interdùm plùs proſunt quàm Angeli.

Arcæ vndecim vela cilicina, debebant regi pellibus arietnis rubricatis. Exod. 26. Aries rubricatus ſignificat Chriſtum paſſione cruentatum. & Martyres Sanctos quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. D. Aug. q. 108. ſuper Exod.

Per optimates, veluti per oſtia fluminum ad ingens Pelagus pertinentia, vota civium, ſpeſque feruntur ad Principem. Barcl. in Icone anim.

Maxima fortunam ſibi conciliandi ars eſt, multo cultu demereri aliquem ex ijs quos Princeps ad gratiam primæ familiaritatis admoverit: Nam & illa ſuccreſcendi ratio appertiori invidiæ eſt ſubducta, & ſæpiſſimè Regni opes minùs Regis quam ſuorum amicorum beneficium fiunt. Ibid.

In primâ Eccleſiâ lapſi & cæteri delinquentes adibant detentos in carcere Martyres & Confeſſores, vt acceptis ab ipſis commendatitijs litteris communioni reſtituerentur, ſic enim ipſis indulgebant Laici, Clerici Epiſcopi. Bar. an. 25.

Machabæus antè conflictum cum hoſtibus videt in ſomnis orantem Oniam pro Iudæis cum Ieremiâ, qui & gladium aureum dedit Iudæ dicens: Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios Dei. 2. Mach. 15.

Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis

deprecabitur. Pſ. 134. Benedictione juſtorum exaltabitur civitas, & ore impiorum ſubvertetur. Prov. 11.

SANCTORVM INTERCESSIO.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Sancti divinæ bonitatis gratiâ ſic ſunt effecti boni & fœlices, vt ad imitationem exemplaris ſui, non ſibi tantùm tales ſint ſolitariâ bonitate, ſed quantùm licet effusâ, alios velint in bonum & fœlicitatem promovere: Sic ſuperiores Angeli acceptum Divinitatis radium in inferiores emittunt, Sic à Sole mutuatis radijs Luna mundo illuceſcit.

MAGNITVDO. Beati ſunt corporis Eccleſiæ membra, quæ dotes ſuas non in proprium tantùm, ſed in aliorum etiam commodum poſſident, vt integra ſit fœlicitas, dùm ad omnes quibus conjuncti ſunt perveniat. Regnum cælorum vim patitur, inquit Chriſtus, in illius igitur, vt in vrbis obſidione, qui primi murum conſcenderint, cæteris porrigunt auxiliarem manum. Æquam rependunt gratiam, à præcedentibus adjuti ſequentes juvant, dùm illi multis, & iterùm hi pluribus auxiliantur, ex Domini præcepto, cælo allatus ignis accenditur & multiplicatur, ſic aurea catena, & boni circulus, ad infinitam Dei bonitatem magis accedens.

DVRATIO. Hæc potiſſima in piorum morte conſolatio, quod nobis non moriuntur, ſed in meliorem ſortem tranſcripti, Deique familiares & commenſales effecti ſunt, vt hinc nobis mittant auxilium de ſancto. Non ſtaret mundus in tantâ peccantium multitudine, ſi non placaretur ita Dei tot Sanctorum patrocinijs. Extrà fortunæ caſus poſiti, amici ſunt fideles & licet non reſpondeant omnium mortalium pro rebus mortalibus votis, ſemper tamen, licet occultè, in his quæ pertinent ad æternitatem auxiliantur.

POTESTAS. Beati dicuntur intrare in potentias Domini, certè non varias, nec ſinè beneficio in inferiores influxu, dùm Divina providentia adeſt mundo, Imperijs, ſingulorum etiam temporalibus & æternis commodis, Beati æmulâ principij ſui charitate miſeris opem præſtant; & ſic in nos impensâ miſericordiâ regnant cum agno, & agnus cum illis. Non enim ex proprijs, ſed ex Dei theſauris effundunt, ſimul grati & Deo dona ſua largire cupienti, & nobis ad accipiendum, abſque hoc patrocinio parùm diſpoſitis.

COGNITIO. Non eſt vana omnibus populis, ab omni ſæculo quaſi naturaliter impreſſa notitia, magnos viros defunctos ſuorum in cælo curam agere. *Vide Dur. Princ.* Vt novimus propitios, norunt & ipſi ſupplicantes, quid ni ex alto liberiùs proſpiciant inferiora; quid temerè modos inquiris; & impiè quod non capis inficiatis? in Angelorum ſortem aſſumpti, vident & audiunt vt Angeli, quid enim illos latere poteſt in clarâ divini verbi viſione, & in hac æternâ rerum omnium, non ſolùm exiſtentium, ſed etiam poſſibilium idæâ.

VOLVNTAS. Amamus, veneramur viros bonos defunctos, & ipſi in beatitudine, cui nihil boni deeſt, etiam habent quo vicem amori rependant. Olim in proximi commodum intenta charitas, nunc perfectior perfectiùs debet auxiliari, nec ſurda, frigida, aut averſa debet eſſe in immenſis Divinæ bonitatis theſauris.

VIRTVS. Deſinet in cælo fides, ſpes, ſola manet charitas, aliorum ſucceſſione, & quaſi accreſcentibus partibus cumulatior. Quidquid eminet influit, elementa, cæli, Angeli, quid ni Beati ſortem noſtram experti, & hinc ampliùs miſerati. Sic accendimur ad eorum ſectandas virtutes, vt poſcimus promereri patrocinium, hoc enim ſolo titulo ſanctis Dei gloriam ſuper omnia cupientibus, poſſumus eſſe grati & accepti.

VERITAS. Vir bonus rectè dicitur lex animata, qui non ſolum virtutis ſuæ exemplo agenda præſcribit, ſed affectu, officioque agentibus opem præſtat. Beati autem verbo conjunctiſſimi verbum imitantur, quod ſe non tantùm præbuit idæam, ſed etiam factorem pulchritudinis vniverſi, per ipſum enim omnia facta ſunt.

GLORIA. Beatorum conſumata fœlicitas cum infinitam Divinam beatitudinem nunquàm poſſit æquare, in illam continuo niſu perficitur, & etiam accidentaliter accreſcit tot patrocinio ſuo reſtitutorum ſplendore igitur hæretici qui negant Sanctorum interceſſiones, invident nobis auxilium, in tot irruentium malorum agmine ſpem, ipſis ſanctis, & Deo ipſimet gloriam, cum in Divinæ ſuæ Majeſtatis honorem refundatur accepta per Sanctos hominum ſalus.

DIFFERENTIA. Si angelis, cur non & ſanctis diverſa in juvandis hominibus aſſignata ſunt munia. Ex portu præferunt facem & quantùm licet auxilium ſub miniſtrant naufragantibus: Vt in hominum ruentium turbâ, primi qui cadunt exitio ſequentibus ſunt, ſic ad ſalutem qui præcedunt beatitudine cæteris vt emergant auxilio ſunt.

CONCORDANTIA. Emiſit illos ſocietas humana & excepit Divina bonitas, tanquàm rerum humanarum in cæleſtibus actores, procuratores, oratores, legatos, communi naturæ noſtræ bono invigilaturos: optant ſedes Angelorum caſu vacuas impleri; optant extremum judicium, vt ſuis corporibus reſtituantur; optant ſibi ad infinitæ bonitatis gloriam ampliùs celebrandam ſocios homines, certe non vacuo non irrito, & ſinè effectu deſiderio in completâ beatitudine.

CONTRARIETAS. Iuvant Angeli, nocent dæmones vt autem bonum malo prævaleat, etiam militantium numero, optimum eſt Angelis auxiliares Sanctorum copias accedere. Alienis vt plurimùm perimus exemplis, vndè nè ſibi humana natura plùs noceat quàm proſit, Beatorum debet interceſſione ſubleuari.

PRINCIPIVM. Chriſtus vnicus primarius mediator Dei & hominum ſed & hoc ad gloriam ſuam accedit, quod gratiâ ſuâ ad beatitudinem promoti cæteris poſſint eſſe benefici. Hepar ſanguinem ſolus conficit, ſed quot venis per ſingulas corporis partes aut quaſi fontium rivos effundit aut guttatim inſtillat Terreni Principes nolunt beneficia ſua per alienas manus largiri timent enim gloriæ & potentiæ ſuæ æmulos; æternum eſt, ideò ſecuriùs & magnificentius imperium Chriſti, qui ſervis ſuis majora, quàm quæ fecit, conceſſit Non fit injuria Soli, quod lucis ſuæ beneficio fulgeant ſtellæ, gemmæ & mixta omnia ſuis diſtincta ſunt coloribus. Quidam olim accepti principibus, vt Ioſeph Pharaoni Mardochæus Antiocho, ſuorum Principium ſic jubentium benevolentiâ publicæ inceſſerunt ornatu regio.

MEDIVM. Sancti adhærent hominibus naturali cognatione, Deo perfectâ charitate vtriſque ſic conjuncti aptiores videntur quàm Angeli, & vtroſque concilient & preces hominum Deo offerant, & Dei in homines beneficia procurent. Sic præcipit politia populum ad ſeditiones proclivem regendum committere fideli ex illius ſinu electo miniſtro, cui vt

vni ex ſuis ſidem majorem habeat.

Finis. Quidquid ſperatur & fit à ſanctis in Dei gloriam retunditur; & vt olim ex naturæ, ſic nunc ex Sanctorum operibus laudatur. *Vera* ſunt, & quæ nemo ſani judicij inficiari poteſt, Sanctorum miracula, cum igitur his bonitatis ſuæ diſpenſatoribus Deus viſus ſit, voluit vt tales à nobis agnoſci, coli, & invocari, manuſque etiam per quas nobis bona ſua largitur deoſculari, ſalvo ſemper principalis datoris honore. *Vide Glor. Med.*

Maioritas. Sic ex abyſſo humilitatis ſuſpiciunt homines Dei majeſtatem, ad quam per illi acceptos habent acceſſum, magiſque, humilientur ſub potenti manu Dei, dùm ſe vident etiam in purpurâ, Sanctorum olim pauperum patrociniis indigere: Sic quaſi propoſito præmio omnium excitantur animi, dùm ſanctis Deus aliquid indulget; Sic duplicatur ſpes, & auxilij, & virtutis ſanctæ atque naturæ noſtræ non impoſſibilis.

Æqualitas. Expreſſior eſt Dei imago in Sanctis, quam in pictis aut ſculptis figuris: cur ergò non licebat veriorem in illis vim Divinam, & venerari, & venerando nobis conciliare. Jàm diù inter homines laceſſitæ contemptæ, afflitæ virtuti Deus honorem defert. *Vide Glor. Vir.* Sanctorum cultus.

Minoritas. Sumus in hoc ſeculo minores, cum nondùm ad plenitudinem ætatis Chriſti perveneri-mus, vndè optimum eſt nobis tales provideri tutores agnatos, probatos, & quorum interſit res noſtras ſalvas eſſe.

B. VIRGINIS MARIÆ auxilium.

HAc vnâ Duce hoſtem vicimus & vincemus; nobis eſt cynoſura cujus lumine portum in hoc æſtuanti mari attigimus; Portâ Ieruſalem & cæli, ſed quæ multiplex in virtute, etiam multiplicis portæ nomine cenſetur; eſt enim porta per quam & Dominus ingreſſus eſt, & nos cœlum ingredimur; tabernaculum eſt Domini, imò plura nobis tabernacula. Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum, &c. Alan. var.

De ipsâ, & de Chriſto dicitur, aſcendens in altum dedit dona hominibus: Vt quæ & potuit & voluit, cum in affectum charitatis tranſierint Mariæ viſcera, in quibus ipſa quæ ex Deo eſt charitas novem menſibus requievit. D. Ber. ſer. de aſſumpt.

Coriolanus à Romanæ vrbis excidio revocatus fuit matris precibus. *Vide Vol. & Ben. Princ.* Vbi de matrum & filiorum affectu mutuo.

Pulchra vt Luna, quæ terris vicinior & celerior cæteris Planetis eorum influxus colligit & temperat, ſoli conjuncta vim tollit venenis: Sic Maria Chriſto vnita eximit nos à peccato, & peccati pœnâ.

Opus eſt mediatore ad mediatorem ipſum, qui cum miſericordiâ habet juſtitiam; in Mariâ autem omnis dulcedo, nihil auſterum. ex D. Bern.

Studeamus ad Chriſtum per Virginem virgam Ieſſe aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit, per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit; Per te ô Mater ſalutis, genitrix gratiæ non ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis; excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtram, humilitas ſuperbiam, charitas tua cooperiat multitudinem, peccatorum: Commenda nos mater filio, advocata judici. D. Ber. ſer. 2. de adv. in fin.

Eſt verè ſtella maris, nè avertas tu oculos à fulgore hujus ſyderis, ſi novis obrui procellis; Si jactaris tuperbiæ vndis, &c. In periculis, in Anguſtijs cogita Mariam, Mariam invoca; ipſam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas ipſam cogitans non erras; ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris. Omnibus omnia facta eſt: Provolvamur pedibus ejus, amplectamur, nec dimittamus donec benedixerit nobis, poterit enim. Mulier amicta Sole, &c. Mulier inter Solem & Lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta, vellus medium inter rorem & aream; non potuit in nuptijs vini diſſimulare defectum. Id.

Sponſa plenitudinem luminis quærebat nimium audax, Vbi cubas in meridie, ſed reprimitur, & poſtea dicit ſub vmbra ejus quem deſideravit anima mea ſedi; Vmbra hæc eſt virgo, quam obumbravit Spiritus S. & fructus ejus dulcis gutturi meo. Id. ſer. de nativ. Virginis.

Deſcendit per aquæ ductum vena illa cœleſtis, & ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundit, vt accipiant cæteri de plenitudine, non pulchritudinem ipſam. Supremum attigit fontem, quod quærebat invenit; plena tamen, adhuc gratiâ quærit, adeptis non contenta bonis Qui bibit me adhuc ſitiet. Petit ſuper effluentiam, ad ſalutem vniverſitatis. Id. ib.

Poteſt nè non exaudiri Mater à Filio, & Filius à Patre: quærant alij alia, nos ſolâ gratiâ indigemus, quæ per Virginem obtinetur: ex ficcantur fœmina niſi ſuæ hæreant origini.

Quidquid eſt quod offerre poras, Mariæ commendare momento, vt eodem alveo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit, poterat enim Deus ſinè hoc aquæ ductu gratiam infundere ſi vellet, ſed tibi vehiculum voluit providere; ſortæ enim manus tuæ ſanguinæ plenæ ſunt, ideo per puriſſimas Mariæ manus offerre cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. D. Ber. ſer. de nat. Virg.

Qui pomum in manu ſuâ tenuerit mediâ die, reliquâ diei parte pomi ſervabit odorem, quantùm ipſum viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem menſibus requievit; Nam & antè mentem replevit quam ventrem, & cum proceſſit ab vtero, ab animo non receſſit. Id. ſer. in dom. 1. poſt Epiph.

Gaudium annuntiavit vniverſo mundo Archetypo, Angelico, inferiori: Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit, vt de plenitudine ejus accipiant vniverſi; captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcondat à calore ejus. Id. ſerm. de Aſſump. Virg.

Chriſtus primùm fecit miraculum Matre intercedente, & dicente in nuptijs, vinum non habent. Io. 2.

Plenitudinem gratiæ Maria accepit à Chriſto Filio, ideò eſt poſt ipſum Mediatrix. *Vide Gloriæ Princip. Vide Minoritas Medij.* fœmine auxilij.

B. MARIÆ AVXILIVM. DEMONSTRATIO.

Bonitas. Pater æternus elegit B. M. Virginem, vt per eam daret mundo Chriſtum, qui eſt maximum omnium donorum, vndè licet dicere cum Apoſtolo, Quomodò cum ipſo, & per ipſam, non etiam

omnia nobis donavit; nam Dei perfecta ſunt opera, & prima beneficia ſequentium arrhæ ſunt.

MAGNITVDO. Si pro ratione acceptæ à Deo gratiæ ſe diffundit charitas, erit quodammodò immenſa in B.V. quæ fuit gratia plena, ex Domino ſecum exiſtente, & inhabitante, & ideò à ſanctis Patribus comparatur monti, vndè fluunt rivi gratiarum, qui noſtræ ſubveniunt ariditati.

DVRATIO. Solet Deus ijſdem ſemper medijs ab æterno electis dona ſua largiri: Eadem terra fructus profert, idem Sol lucem effundit, ijdem cœleſtibus & terrenis rebus præſunt Beati adminiſtratorij ſpiritus: Sic eadem Virgo, quæ in mundi ſalutem Chriſtum peperit, videtur etiam electa, vt per eam continua fiat gratiarum Chriſti effuſio. *Vide Durat. Med.* B

POTESTAS. Legibus humanis dignitas filij tranſit in matrem. *Vide Glor. Princip.* Vndè B. Virgo Mater cenſetur cooperari Chriſto filio ad ſalutem humani generis, vt olim votis, ſic nunc interceſſione: Sua intereſt Filij ſui regnum ad omnes extendi, potentem ab omnibus agnoſci, bonorum ſeù externorum, ſeù internorum diſpenſatione, vt tot beneficijs devincti fiant in Filij obſequium propenſiores.

COGNITIO. Statim vt fides prædicat verbum incarnatum, intelligo matrem Virginem illum mundo parturientem; ſimul video Solem orientem, & ſuis radijs ſplendidiorem cæteris cœli partem, vndè oritur, ſimul intelligo Filij & Matris erga nos benignitatem, C & ad vtriuſque cultum provocat ipſa nominum affinitas, neceſſariaque relatio. Fundamenta ejus in montibus Sanctis, vt dùm ſic eminet, ad illam, quaſi ad vrbem refugij fiat publicus miſerorum concurſus.

VOLVNTAS. Chriſtus conceptus de Spiritu ſancto, opus ſalutis noſtræ æternâ charitate aggreditur, ſic & perficere voluit amantiſſimæ matris, concurrentibus affectibus. Probabile eſt inter omnes fideles hanc Virginem ardentiùs, puriuſque optaſſe reparationem generis humani, quæ meruit ad hoc opus præ cæteris eligi. Idem amor, qui promeruit, edere mundo Filium redemptorem, Editum, factumque miſeris efficit interventione ſuâ propitium: quid non ſperandum, D cum pro nobis patrocinatur dilecta Mater, antè dilectum amantemque Filium, & vtriuſque mutua charitas in noſtram conſpirat ſalutem.

VIRTVS. Virtutes ſunt Chriſti expreſſiores quàm è quavis ſenſibili materiâ imagines, quas pia mater optat in omnium mentibus effingi: Illum priùs imitata, cæteris vt id præſtent auxilio eſt: Aſſidet ægris mortalibus optima parens, & etiam temporalia enixè poſtulantibus indulget, vt ſic ſibi conciliati, ad meliora convertantur.

VERITAS. Talis auxilij hominibus ſæpè præſtiti fidem faciunt tot litterarum monumentis congnatæ hiſtoriæ; tot ſacris altaribus appenſa vota; tot è morbis, naufragijs, varijſque periculis erepta populorum E millia, in laudes divinæ ſuæ patronæ effuſa.

GLORIA. Sic agendo rum Idæa Chriſtus, præcepta ſua operibus comprobans, oſtendit quantùm honoranda mater. Hic autem honor matri ſit gratiſſimus, quia in gloriam filij omnis boni largitoris refunditur. Dùm vtriuſque implentur vota, certantque mutuis affectibus pia mater & dilectus filius, vtrique ſacris hujus certaminis præmium honorificum cedit, & nobis vtile; Sic enim humanis miſerijs proviſum eſt.

DIFFERENTIA. Vt Angelis, ſic Sanctis videtur certorum regnorum & locorum tutela commiſſa; Beatæ autem Virgini omnium, eſt enim mater ejus, qui pro omnium ſalute datus vixit, & mortuus eſt. Habes in vnâ, quidquid ſperes ab omnibus; vndè dicitur Regina Angelorum Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum & Sanctorum omnium. A

CONCORDANTIA. Verbum ſe ſolo noluit operari ſalutem humanam, ſed aſſumpſit humanitatem; & adhuc homo Deus voluit quàm ſuis quæſivit infinitis meritis gratiam, Virginis interventione diſpenſari, vt eſſet in Eccleſia, quaſi in domo ſuâ illud perfectæ familiæ ſymbolum: Vt fieret novus mundus ex novo viro novaque muliere, & ſicut primi parentes in noſtram perniciem, ſic ſecundi in noſtram ſalutem conſentirent.

CONTRARIETAS. Æternum hoc piæ matri ſolatium, vt ſi peperit filium in cruce moriturum, etiam pepererit in cœlo, in Eccleſiâ, in piorum animis, impenſiſque ſemper auxilijs regnaturum; & quemadmodùm complacet & congratulatur beatis ipſum in cœlo laudantibus; ſic intercedit pro miſeris, bonitatem & potentiam filij dùm invocant teſtantibus.

PRINCIPIVM. Chriſtus noluiſſet fieri temporalis filius, & vt talis agnoſci, niſi & voluiſſet Virginem Mariam ſimul prædicari, coli, invocari vt matrem: Sicut Patris & filij apud Iuriſconſultos, ſic matris & filij eadem perſona cenſetur, vndè Chriſtus cenſetur vnicus mediator etiam cum per matris ſuffragia petentibus præbet auxilium. Amat nos Chriſtianos Beata Maria, ipſo titulo, vt partus filij ſui, etiam ad ipſam pertinentes; ſicque nos complectitur affectu aviæ familiari, qui tenerior eſt, & ſemper deſcendit.

MEDIVM. Chriſtus contulit matri dilectiſſimæ dotes ſuis conformes, vt ſcilicet ſit reſpectu Chriſtianorum Principium, Medium, Finis, ſicut ipſe: Principium, ſalvatoris partu; Medium, valida apud ipſum interceſſione: Finis, vt ejus exemplo completa ſit in Chriſtum charitas.

MAIORITAS. Optat impleri benedictionem filiò ſuo Abrahæ ſub figurâ promiſſam, vt multiplicetur ſemen ejus, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris: optat tot eſſe fœlices, quot Eva fecit miſeros: optat natis ſuis ex filio cœli & terræ benedictionem.

ÆQVALITAS. Vult, vt filius, omnes ſalvos fieri, vndè pro omnibus, maximè pro ſibi devinctis intercedit, æquo ex juſtitiæ diſtributivæ legibus affectu.

MINORITAS. Dulce nobis parvulis eſt inclamare matris nomen, & fidentes no. projicere in ſinum, cui tota ſolus humani generis incubuit; Putat aliquid detrahi gloriæ filij, qui peccata mundi ſuſtulit, dùm adhuc homines peccatorum, aut reatum, aut pœnas incurrunt. Si enim per peccata iterùm cenſetur crucifici filius, quid ni doloris gladio iterùm transfixa mater ſupplicet per miſerorum reſtitutione.

ASTLVM DOMVS.

DE ædificijs privatis. Cod. 8. tit. 100.

Vulpes habent foveas, & volucres cœli nidos, &c. Luc. 9.

Domus cuique tutiſſimum refugium, atque receptaculum eſt; & nemo de domo ſuâ debet extrahi. l. 18. & 21. ff. de in jus vocand. & l. 103. ff. de reg. jur.

Hinc in domibus erant occultæ viæ, domeſticis tantùm notæ ad tutelâ. *V. Cog. Vel. Repug.* Secretum.

Nullo domus tuta eſſe poteſt, niſi periculo capitis ſui cuſtodiam dominis tàm à domeſticis, quàm ab extraneis præſtare ſervi cogantur. l. 1. ff. de S. C. Silleniano. Hinc occiſo Domino torquentur ſervi. Cod.

Gravius peccat Vaſallus, & feudo privandus eſt, qui aut caſtrum Domini violat, aut domum in quâ ſcit eum eſſe. §. ſimiliter. quib. mod. feud. amitt. feud. 1. tit. 5.

Nautæ, caupones, ſtabularij, tenentur de invectis, ſi culpâ aut negligentiâ perierint, non tamen ſi vi majore. l. 1. & 3. ff. nauth. caupon. ſtabul.

Gravius crimen eorum qui Iſboſeth filium Saul, domi ſuæ requieſcentem interfecerunt. 2. Reg. 4.

Domus vnicuique portus eſt, contrà civiles motus, ibique ſumma debet eſſe libertas.

Inter res ſanctas cenſentur portæ & muri civitatis. §. ſanctæ. 10. Inſt. de rer. diviſ. Nam his à ferarum & hoſtium impetu protegimur. l. Civitas magna & communis domus eſt.

Inter maximos reos habetur, & capite plectitur, qui matrem familias è domo in publicum, id eſt in judicium traxerit. l. 1. Cod. de off. div. jud.

ASYLVM TEMPLI.

AD ædem ſacram, vel ſtatuam Principis confugiens, ſecurus eſt. §. fin. Inſt. de jur. perſon.

De his qui ad Eccleſiam confugiunt, vel ibi exclamant, & nè quis ab Eccleſiâ extrabatur. Cod. 1. t. 12. Vbi Imp. Honor. & Theod. reos eſſe Majeſtatis declarant, qui confugientes ad Eccleſias vi tentant eripere; volunt enim templum aram eſſe ſalutis. l. 3. eod.

Erant ſeptem vrbes Levitarum ad quas confugiebant, qui caſu hominem interfeciſſent; nec ad propria revertebantur, niſi mortuo S. Pontifice. n. 35.

Romulus & Remus aſylum conſtituiſſe perhibentur, quo quiſque confugeret ab omni noxâ liber eſſet, augere quærentes creandæ multitudinem civitatis. D. Aug. l. 1. de civ. c. 34.

Apud Phliaſios juxta Corinthum in Hebæ templum, qui ſupplex confugerit, cujuſvis criminis impunitatem conſequitur: Nullum ibi Deæ ſignum, nec in aperto nec in occulto, ſed qui vincti anteà fuerant, adeptâ libertate, compedes ſuas in arboribus ſuſpendunt. Pauſ. in Corinth.

Vrbs Athenarum à Sylla Romano Duce graviter obſeſſa & oppreſſa, eò quòd Athenienſes Ariſtonem, qui in Minervæ templum confugerat, vi extractum interfici juſſiſſet. Id. in Atticis.

Sibaritæ occiſo ad Iunonis aram cytharœdo, qui eo confugerat, rivulus ſanguinis è templo fluxit; conſultus Apollo multa minatus eſt, nec vanè. nam poſteà Sybaritæ à Crotoniatibus deleti ſunt. Ibidem.

Perſas quos in Græciam Xerxes adduxerat, cum ad Minervæ aram, quæ antè Apollinis Delphici erat ædem, propiùs acceſſiſſent, fulmine percuſſos, & duorum jugerum è parnaſſo abruptorum ruina oppreſſos teſtatur. Herod. l. 8.

Si quis in Eccleſiâ conclamationibus vtatur, moveat tumultum, aut impetum committat, vltimo ſupplicio ſubjaceat. Imp. Martianus l. 5. Cod. de his qui ad Eccl. confug.

In templis quaſi in aſylis deponebantur theſauri. *Vide Poteſt. Virt.* Immunitas Religionis.

Drunvallo Molmitius Brenni Pater in Angliâ templorum aſyla conſtituit. Polid. Virg. hiſt. Ang. l. 1.

D. Auguſt. l. 1. de civit. c. 1. Exprobrat paganis infidelem ingratitudinem, quod in direptione vrbis Romæ à Gothis facta, ad templa Chriſtianorum confugientes, mortem vitarint; huc vſque, inquit, cruentus ſæviebat hoſtis; ibi tota feriendi refrænabatur immanitas & captivandi cupidita frangebatur.

In Syllæ contrà Marium Victoriâ, graviſſimum viſum eſt, quod Mutius Scævola Pontifex in templo, Veſtæ occiſus fuit; ſacrumque ignem ſuo ſanguine penè extinxit. l. 3. c. 28. Sic in bello Trojano Priamus ad aras confugiens occiditur; tuncque violatum eſt Junonis aſylum, ex quo non licebat olim captivos educere. Ibidem. l. 1. c. 4.

Seleucus captâ Babylone Beli templum non evertit, ſed permiſit Chaldæis ſecurè circà illud habitare. Pauſ. in Atticis.

MEDIA QVIES.

Vide Media Differentiæ.

ANimalia tot pedibus quieſcunt, quot moventur: bipedes alterno pede ſtant, alterno moventur: quadrupedes duobus moventur, duobus innituntur. Ar.

Elephanti toti ad ſomnum non procumbunt, propter ſurgendi difficultatem, ſed arboribus innituntur. Pho. Bib. c. 250. Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. Talis debet eſſe quies regentium. *Vide Cognit. Poteſt.* Vigilantia Rectoris, *& Gloria Poteſtatis.* Quies Regentium.

Vide Med. Bonit. In omni re aliquis ineſt defectus, vnè fit paſſio.

Craſſiores corporis conſtitutione magis internis patent injurijs, quia anguſtas habent venas & arterias, in quibus parùm eſt ſanguinis & ſpiritus; graciliores verò externis magis patent injurijs, quia adipe ſunt deſtituti, non internis, quia ampliores habent meatus. Galen. Sic media eſt, ſeù in divitijs, ſeù in paupertate quies, divites internis, pauperes externis magis patent injurijs.

Phœnices Saturnum depingebant cum alis quatuor in humeris; duas habens pertenſas quaſi volaret, duas remiſſas quaſi ſtaret: quatuor etiam habens oculos; duos antè, duos retrò: ſignificabatur ipſum dormientem videre, & videntem dormire, quia in oculi viciſſim contracti quieſcebant.

In omni edulci per chimicam operationem invenitur acidum & amarum.

Iris, quà Deus voluit ſignificari pacem, nunquàm eſt major ſemicirculo.

Muſculi ſunt immediatum motus organum; quandò illorum villi tenſi manent, quies quædam videtur, tamen re verâ in quiete illâ muſculi agunt, dùm membrum in eo ſitu, ad quem motu id perduxerunt conſervant.

Neutrum convaleſcentiæ eſt quod à morbo ſe iterùm colligit.

Homerus fingit preces eſſe claudas quia fiunt cum ſpe mixtâ timori: Æger ſanandus dicebat Chriſto, credo Domine adjuva incredulitatem meam. *Vide Media Virt.* Vbi ex imperfecta paſſionum Victoriâ media tantùm contingit quies.

In inſtanti neque eſt motus, neque quies.

Interdùm in bello conceduntur induciæ, eâ conditione vt permiſſæ ſint velitationes certo militum numero, non autem vrbium expugnationes: Pax etiam poteſt iniri, ſic vt liceat confœderatis bellum inferre.

Inveni quædam eſſe vitia in aperto poſita, quæ manu prehenderem; quædam obſcuriora & in receſſu; quædam non continua, ſed ex intervallis redeuntia, quæ vel moleſtiſſima dixerim, vt hoſtes vagos, & ex occaſionibus aſſilientes, per quos neutrum licet, nec tanquàm in bello paratum eſſe, nec tanquàm in pace ſecurum; In ſtatu vt non peſſimo, ità maximè quærulo & moroſo poſitus ſum; nec ægroto, nec valeo, &c. Senec. de tranquillit. cap. 1. *Vide Media Vitus.*

O rerum mortalium mixturam, & corpora quidem

noſtra contrarijs elementorum viribus aſtricta ; animas autem mœroris & gaudij diſcordiâ gubernatas. In ſummis ſæpè auguſtijs inſperata fœlicitas, quaſi penitentia Numinum obijcitur. Barcl. in Euph.

Quis eſt tàm compoſitæ fœlicitatis, vt non aliquâ ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur : Anxia enim res eſt humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquàm tota proveniat, vel nunquàm perpetuò ſubſiſtat ; huic cenſus exuberat, ſed eſt pudori degener ſanguis ; hunc nobilitas notum facit, ſed auguſtiâ rei familiaris incluſus eſſe mallet ignotus, &c. Idcircò nemo facilè cum fortunæ ſuæ conditione concordat, ineſt enim ſingulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat ; Adde quod fœliciſſimi cujuſque delicatiſſimus ſenſus eſt, & niſi ad nutum cuncta ſuppetant, minimis quibuſque proſternitur, &c. Boët. de conſ. phil. l. 2. proſ. 44.

Caſtor & Pollux ex Deo & mortali fœminâ nati gemini, per vices credebantur mori & vivere : Vbi ſimul apparebant navigantibus, ſignum erat tranquillitatis, mixtæ tamen & incertæ. Lucianus ex Dialogo Iovis & Solis.

Nunquàm intumeſcunt terræ, niſi ſopito mari, cœloque adeò tranquillo, vt volatus avium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit, & occultato in venis terræ. Plin. nat. hiſt. l. 2. c. 79.

Apud Romanos interciſi erant dies faſti hi, in quibus oblatis à Sacrificulo hoſtijs poſteà libertas dabatur reliquo die judiciorum & commerciorum ; vndè cavidius qui jam faſtus erat manè, ne faſtus erit.

Plat. 2. de Republ. Dicit animos eorum nimis emolliri, qui aſſiduè nutriuntur in muſicis : qui autem in bellis ſemper verſantur nimis efferari ; temperans eſt animus, in quo hæc duo ritè mixta conſonant.

Idem lib. 1. de legib. Dicit hominem inter animalia miraculum eſſe divinum, quia divinus cum ſit patitur à mortalibus, & cum ſit mortalis afficitur ad divina ; Vndè non audet aſſerere an ludo, an ſtudio à Deo ſit factus. Ibidem dicit duplex eſſe bonum civitatis ; vnum divinum & conſtans ſcilicet prudentia, temperantia, juſtitia, fortitudo : aliud humanum & mutabile, ſanitas, forma, vires, divitiæ. Idem 10. de leg. Miratur in eadem ſphæra cæleſti, alios eſſe motus tardiores, alios veloces.

Plato in Timæo, mundum eſſe ab alio probat, eò quòd licet pro naturâ corporeâ ſit perfectus, tamen pro abſolutâ naturâ eſt imperfectus, cum propter materiam patiatur in formis vel deformis, propter dimenſionem ſubeat virtutis defectum, & diviſionem expectet ; propter compoſitionem diſſolutioni ſit obnoxius, ob partium repugnantiam machinetur malum, ob motum indigentiam præ ſe ferat, & privationem patiatur admixtam, denique ob congreſſum ex diverſis, vno ſuperiore indigeat connectente.

Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, vt vtrumque tempus & belli & pacis rectè gubernetur. Inſtitut. initio.

Ex duabus palpebris, ſuperior tantùm mobilis eſt ; ex eâ ſcilicet parte, vndè venit lux.

Quis cernens ſtatos ſyderum labores non ſuæ neceſſitati mortalis genitus ignoſcat.

Locus gaudet ſubſtare entibus, vndè vacuum fugit, trahit tamen primò ad ſe corpora minùs renitentia, veluti rara & ſibi ſimiliora, ne vacuus ipſe remaneat.

Alterna quies mortalibus optima. *Vide Bonitas Glor.* Quietis.

Si prævalebit fortuna, & præcidet agendi facultatem, non ſtatim averſus, inermiſque fugiat ſapiens ; aliquando cedendum, ſed ſenſim relato gradu, & ſalvâ militari dignitate ; Sanctiores, tutioreſque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt ; parciùs ergò ſe inferat officijs, & cum delectu inveniat aliquid in quo vtilis civitati ſit ; ſilentium indictum eſt, tacita advocatione cives juvet, &c. Præciſis quoque manibus ille in prælio invenit, quod partibus ſuis conferat, qui ſtat tantùm & clamore juvat, Nunquàm inutilis eſt opera civis boni, auditu enim, viſu, vultu, nutu, obſtinatione tacita, inceſſuque ipſo prodeſt. Sen. de tranq. c. 5.

Erat vnum ex Symbolis Pythagoræ, onus ſimul tollito, non ſimul deponito refertur Syntagm. jur. lib. 39. c. 2.

VITA MIXTA EX CONtemplatione & actione.

MISCELLANEA.

HOminem voluntas Dei conformavit ex animâ & corpore, id eſt ex æternâ & mortali naturâ, vt animal ità conformatum, vtrique origini ſuæ ſatisfacere poſſet & mirari & orare cæleſtia ; & incolere, atque gubernare terrena. Non eſt ex eò minùs quod ex parte mortalis ſit, ſed ex eo fortè aptius, efficaciuſque compoſitus, quoniam vtrumque ſine vtraque naturâ ſuſtinere non poſſet : ex vtraque formatus eſt, vt & terrenum & divinum poſſet habere delectum. Trifm. in Pymand.

Animum excellentem, & quidquid timemus opera muſque tidentem cæleſtis potentia agitat ; non poteſt res tanta ſinè adminiculo Numinis ſtare eaque majore ſui parte illic eſt, vndè deſcendit ; quemadmodùm radij Solis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vndè mittuntur ; Sic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, vt propiùs Divina noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret originis ſuæ, illuc pendet, illuc ſpectat ac nititur, noſtris tanquàm melior intereſt. Senec. Ep. 41. *Vide Durat. Virt.* Inter malos bonus.

Mentiuntur qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt, ſimulant occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant : Vaco, vbicunque ſum, meus ſum ; rebus enim non me trado, ſed commodo ; vbicunque conſtiti cogitationes meas tracto, cum me amicis dedi non tamen mihi abduco, &c. Id. Ep. 61.

Vtroſque reprehendas licet, & eos qui ſemper inquieti ſunt, & eos qui ſemper quieſcunt. Nam illa tumultu gaudens non eſt induſtria, ſed exagitatæ mentis concurſatio, & hæc non eſt quies, quæ motum omnem moleſtiam judicat, ſed diſſolutio & languor. Quidam ità in latebras refugerunt, vt putent in turbido eſſe, quidquid in luce eſt inter ſe iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum eſt ; Cùm rerum natura deliberet, illa dicet tibi ſe & diem feciſſe & noctem. Id. Ep. 9.

Non eſt infirmior manus, quod in plures diſſecta ſit digitos, vt nec infirmior Reſpublica plures habens magiſtratus.

Homo debet harmonicè convenire cum mundo Archetypo, Angelico, cæleſti. Deus operatur ad extrà ; Angeli ſuperiores alios illuſtrant, purgant, perficiunt : Non ſunt tantùm contemplantes Cherubim. ſed & miniſtrantes Angeli. Omnes ſunt adminiſtra-

torij ſpiritus. In cælo non tantùm eſt Saturnus, vndè creditur procedere vis contemplationis, ſed eſt etiam Iupiter dans rectitudinem actionis; Mars fortitudinem aggreſſionis; Sol ſplendorem; Venus affectuum ardorem; Mercurius induſtriam; Luna conuenientem ab vno in aliud tranſitum.

Somnus aut vigilia, ſi alterum modùm exceſſerit, malum. Hipp. aph. l. 2. 3.

Cor mouetur ſecundùm diaſtolem, & ſiſtolem, id eſt ſecundùm dilatationem & conſtrictionem; Sic mouetur cerebrum ex ſe & ſuâ ſponte, nunc ſe in amplum diffundens, nunc in anguſtum reducens, dum autem ſe contrahit, & compreſſis lateribus interiores ſinus coarctat, ſpiritus è prioribus ventriculis, tùm in poſteriores, tùm in ſenſuum inſtrumenta profundit; dùm autem ſe latiùs explicat & aperit, ex contextum arterijs vitalem ſpiritum, ex natibus aërem allitit, & attrahit. Fern.

Prior cerebri pars mollis eſt & tenera, poſterior tantum dura, quantùm progreditur; ità ſentientes omnes nervi procedunt ex priore illâ parte, moventes autem, vt potè duriores, & ad motionum impetus ſuſtinendos, roboris plurimùm nactos, à poſteriore. Idem.

Nihil ex ſimplici elemento naſci, & nutriri poteſt; Vita noſtra conſiſtit in temperie quatuor elementorum, prædominante tamen calido, ad cujus prædominium vis actionis, quæ vita eſt, conſequitur, vndè beneficus eſſe dicitur Iupiter inter frigus Saturni, & Martis calorem medius, magis tamen caloris quam frigoris particeps. Sic videtur quod plùs debeat eſſe actionis, quàm contemplationis.

Plato ſuos cives volebat eſſe amb idextros.

Si quandò vſus exegerit, vt reparationis ædium cauſa, poteſt inconſulto Principe eius imago è porticu v. g. deponi, cum reuerentiâ ſui, & iterùm poſt refecta ædificia loco proprio reſtitui. l. 15. Si quando Cod. de operib. public. Sic à contemplatione ad negotia diverti poteſt mens, Divinitatis imagini inſignita.

Homo maſculus & fœmina creatur à Deo, quia ſimul vacare poteſt actioni, & contemplationi. Picus Mirandulanus in heptaplo: Vide fabulam Androgini apud Platonem in conuivio: Mixtum hoc genus, ex maſculâ & muliebri naturâ ſignificat vim ad contemplationem, & actionem inſitam vt ait ib. Marſil. Fic. Plato ibidem agit de cæleſti & communi Venere, quarum vna è cœlo nata; alia è Iove, & Dione.

Claudus Vulcanus è cælo & Deorum conſortio deturbatur: Miphiboſeth pariter claudus hæreditario regno ſpoliatur. 2. Reg. 4. Claudus eſt qui neſcit ſimul diuina & humana tractare.

Ioſephus contemplator totam Ægyptum gubernavit. *V. Virt. Bon.* De his qui poſt mundi abdicationem vacant charitatis officijs.

Summus Sacerdos lege Moyſis prohibebatur veſtem ſcindere, quia debet eſſe vinculum rerum omnium divinarum & humanarum, itaut vnitæ inter ſe maneant indiſſolubiles. Phil. Iud. l. de profugis. *Vide Poteſt. Virtutis.* De Religionis, & Eccleſiæ poteſtate.

Dominus jubet ſibi ſimul offerri columbam & turturem, divinam & humanam ſapientiam, ambas quidem volucres & in altum tolli exercitatas, differentes tamen inter ſe, quatenùs differt exemplar ab imagine; Divina enim ſapientia, vt turtur amat ſolitudinem propter ſolùm Deum, cujus eſt poſſeſſio; alia verò manſueta, gregatim volitans, civitates hominum libenter incolit. Idem lib. Quis ſit rer. div. hæres.

In inſtrumentis muſicis ſoni & ſinguli per ſe apti ſunt, & ad alium concentum maximè accommodi: Et ſicut in Grammaticâ ex elementis ea quæ dicuntur vocalia, quæ tùm per ſe ſonant, tùm alijs conjuncta integram vocem efficiunt: Sic & natura ſenſitivas & intellectivas facultates, & alias potentias edidit, quæ ſingulæ habent aliquod particulare opus, omnes tamen coaptavit concinnitate quâ reſpondent inter ſe invicem. Idem l. de ſacrific. Abel.

Arca intùs & foris laminis aureis induta, juſſu faddici Moyſis: Non temerè etiam ſummo Sacerdoti duas ſtolas attribuit; & duas aras ponit, exteriorem ad victimas, ad ſuffitus interiorem; debet enim vir ſapiens, & intùs in animâ inviſibili, & exteriùs in actionibus ornatus eſſe prudentia. Idem lib. de temulentiâ. *Vide Cognitio Virtutis.* Virtus quæ ſe profert.

Videntur Sol, Luna, Stellæ, cælique ſtare, cum motu velociſſimo ferantur; & in hoc potiſſimùm noſtri falluntur oculi. Idem. l. de confuſione linguarum.

Rota licet in terrâ volvatur, minimâ tamen parte terram tangit; Aquila licet aperto inter cæteras aves gaudeat cælo; tamen indigentiâ naturali ſubacta ima petit.

Animal quod volucre tantùm ſit, vt piſcis natatile ſolummodò eſt, nullum invenimus; Nam & Veſpertilioni ſunt pedes, & apodes parvos habent. Ariſt. hiſt. anim. l. 1. c. 1.

Activa ac contemplativa vita ſimul in Decalogi mandatis conjuncta eſt; quia præcipitur Amor Dei & proximi; Amor Dei pertinet ad contemplativam vitam, Amor proximi ad activam. D. Gre. ſup. Ezech. hom. 18.

Duæ illæ vitæ ſunt duæ alæ, quibus anima in cælum elevatur; vndè dicit Propheta, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ. Sunt etiam ſicut ſcutum & enſis, in conflictu contrà hoſtes noſtros viſibiles & inviſibiles. Ioan. Clim. grad. 4. de obed.

Non ſic quiſque debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non quærat proximi; nec ſic actuoſus vt contemplationem non requirat Dei: Nec enim omnimoda veritatis contemplatio deſerenda eſt, nè ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat illa neceſſitas. D. Aug. l. 12. de civ. c. 19.

Ioannis 10. dicit Chriſtus, Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & paſcua invenit: Ingredimur quandò aliquid cogitamus, egredimur autem quandò aliquid operamur, vtrumque autem fit per Chriſtum. Id. Ibid.

Cant. 5. dicitur Lavi pedes meos, quomodò inquinabo illos? Dicitur hoc cum cogitur ad Chriſtum venire, & terram calcare cum venit; ſed ſurſùm eſt Chriſtus, aſcendit in cælum, & ſedet ad dexteram Patris, & Apoſtolùs clamat. Coloſſ. 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, &c. Quomodò ergò vt ad Chriſtum eamus terram calcare compellimur; timet juſtus miniſterium ſuſcipere, in quo poteſt peccare per inanem gloriam. D. Aug. tr. 57. in Ioan. *V. Vel Poteſt. Repugn.*

Ioann. 17. Chriſtus dicit Apoſtolis, Non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt; & infrà dicit, nunc autem ad te veno, & hæc loquor in mundo, &c. Dicit ſe eſſe in mundo, qui jam dixerat in eo ſe non eſſe; Ergò & quia nondùm abierat, hîc adhuc erat, & quia mox fuerat abiturus, hîc quodammodò jam non erat. Id. tract. 107. in Ioan. in fine. Sic non cenſentur eſſe in mundo, qui ſtatim ab actione tranſeunt ad contemplationem.

Idem in Pſ. 44. loquens de Angelis per ſcalam Iacob aſcendentibus & deſcendentibus. Hoc fit, inquit, in Eccleſiâ, aſcenditur ad caput quod eſt ſuprà, ſcili-

cet Christum, & descenditur ad membra ; Christus ibi, Christus hîc, vndè dicitur, Saule quid me persequeris.

Idem in Psa. 92. Requievit Deus ab operibus suis. Deus, inquit, cum quiete operatus est, & semper operatur, & semper quietus est.

Exaltabit cornu populi sui. Cornu & carni hæret, & carnem excedit, & quanquàm de carne oriatur, superat carnem. Sic spiritualis adhuc carne calcat terram, & spiritu erumpit in cœlum. Idem in Psal. 97.

Dicitur factum est vesperè & manè dies primus. Nox ad diem pertinet, non dies ad noctem. Cùm sublimes & sancti Angeli, quod vident in creaturâ referunt ad honorem & amorem Creatoris, in quo æternas rationes quibus creata est contemplantur, eaque concordissimâ contemplatione sunt vnus dies, quem fecit Dominus. Idem lib. 4. de Genesi ad litteram, c. 25.

Idem lib. 2. quæst. Evangel. cap. 20. Dicit Martham, significare Ecclesiæ sollicitudinem, recipientis Christum in domum suam, id est in cor suum: Mariam verò significare contemplatricem eandem Ecclesiam, sed in futuro sæculo, vbi cessans ab opere, ministerioque indigentiæ solâ sapientiâ perfruetur.

Iacob duæ erant vxôres, pulchram vnam amat, alteram deformiorem tolerat, sed quæ toleratur ipsa priùs & vberiùs fœcundatur, vt si non propter seipsam, certè propter filios diligatur : Labor enim justorum, maximum fructum habet in eis quos regno Dei generant. Ideò eos Paulus 2. Corin. 7. Gaudium & coronam suam vocat. Idem lib. 22. contrà Faust. cap. 53.

Ego dormio & cor meum vigilat. Cant. 5. Id est dùm rebus humanis intersum, quæ vmbræ somni comparantur, mens interim ad Deum elevatur. Idem.

Iob 7. dicitur, Si dormiero dico quandò surgam, & rursùm expectabo vesperam, quiescens quippè in vesperâ contemplationis, manè desiderabat, quo surgeret ad actionem, rursusque negotijs fatigatus expectabat vesperam ; libenter repetens otia contemplationis. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum, &c. D. Bernardus in div. serm. de Cantico Ezech.

Sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu, Sic, imò & multò meliùs laborante corpore mens quoque ipsa suo potest esse intenta operi, vt non vacet. Id. ser. de duab. mensis.

Duæ alæ quibus volant Seraphim. Isai. 53. Contemplatio & actio : quia volantis est aliquandò ima petere, aliquandò summa. Idem.

Perfectus omnis reputabitur in cujus animâ tria hæc congruenter, atque opportunè congruere videbuntur gemere pro se, vt Lazarus sub lapide ; exultare in Domino, vt Maria Magdalenæ; & necessitatibus proximorum subvenire, vt Martha; placens Deo, cautus sibi, vtilis suis ex eodem. Serm. 57. super cant.

Sponsus qui accuratè prohibuerat vigilari sponsam postquàm aliquandiù eam in sinu fovit, ait illi, surge amica mea. Cant. 2. Sic Christus Math. 26. fatigatos discipulos jubet requiescere, paulò post illis dicit, surgite eamus, &c. Post hyemem pœnitentiæ, & imbres lachrimarum, dùm apparent flores, tempus, inquit, putationis advenit, scilicet vt vitia ab animabus proximorum amputet : hyems erat, cum Christus in occulto ambulabat. Luc. 12. Cum Petrus ad prunas, timens, & tremens erat. Ioan. 18. Ibid. Serm. 58.

Verbum divinum miram rerum spiritualium & corporalium fecit harmoniam cum naturam humanam assumpsit.

Totius mundi harmonia constat ex superiorum ad inferiora descensu. *Vide Concord. Minor. & Major. Cognit.* Prædicator non sit curiosus. Et inferiorum ad superiora ascensus. *Vide Volunt. Major. & Concord. Major.*

Duo Cherubim antè propitiatorum, duo luminaria in cœlo, quorum vnum majus, alterum minus; duo hemisphæria, quæ statis temporibus sol lustrat : sic sunt duæ illæ vitæ.

Christus etiam Sabbatho curat, in lege enim legislatoris voluntas pensanda, ideò cum dicit memento vt diem Sabbathi sanctifices, non excludit actiones quæ Deum respiciunt, ipsa enim sanctificatio est actio; & licet contemplantes perpetuum diem festum agant & Sabbathum, tamen proximis propter Deum adesse non prohibenter. *Vide Virt. Bonit.*

Munda tantùm sunt animalia quæ findunt vngulam. Bonus sibi & proximis prodest. Cyrill. l. 9. cont. Iulian.

Ioan. 21. Petri rete non frangitur, etsi sit plenum magnis piscibus, cum Domini jussu in dexteram navigij missum sit ; non nocent contemplanti externa bonâ intentione suscepta.

Zona torrida est habitabilis, quia noctes semper diebus æquales, quæ sicut & maris vicinitas solis calorem temperant, sic dicendum de actione contemplatione.

Isaac benedicens filio suo Iacob ait, det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ. Genes. 27.

Anima habet tres potentias, irascibilem, concupiscibilem & rationalem, cum sit multiplex in operatione, est simplex in essentiâ. *Vide Differentia Potestatis. Rep.* Diversa exequi.

Cum simus vnius corporis partes, alijs etiam laborandum est, sed nobis maximè, itavt servato nobis essentiali cæteris externa & accidentalia concedamus : Cavendum enim ne supertimpositum onus, mens opinione, & majori quàm deceat affectu gravius efficiat, vestemque habeat, quasi carnem, sensibilem.

De contemplatione Rectoribus necessaria. *Vide Cognit. Glor. Potest.*

Objicitur quod contemplatio est tantùm speculativâ, practicus enim intellectus, est circà operabilia quæ sunt contingentia, sed sapientia est circa divina, quæ sunt æterna & necessaria : adde quod in contemplatione jugis est lætitia, in operatione autem sub gravi necessitate laboratur. Dicendum tamen secundùm D. Thom. 2. 2. q. 45. a. 3. Sapientiam practicam esse, secundùm quod dicitur. Coloss. 4. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, & secundùm. Aug. 2. de Trinit. superior pars rationis sapientiæ deputatur, inferior autem scientiæ ; superior intendit rationibus divinis conspiciendis & consulendis, vt per diuina judicet de humanis actionibus. Virtus quo est altior ad plura se extendit, ideò sapientia per spiritus vnionem proximè Deum attingens, habet indè vt dirigat non solùm in contemplatione, sed etiam in actione ; & licet divina sint æterna & necessaria, sunt tamen regulæ contingentium, quæ humanis actibus subsunt. Amaritudo operationis per sapientium in dulcedinem vertitur. Opinio igitur existimantium, sibi tantùm vacandum esse, repugnat charitati, quæ non quærit quæ sua sunt ; Rectæ etiam rationi, quæ judicat quod bonum commune præfertur privato, & homo dicitur bonus & prudens, habitâ ratione ad totum cujus est pars: Virtutes morales connexæ sunt affectibus, actionem in quâ se explicent desiderant : vt vnum & perfectum

factum esset Dei opus, anima media interjecta est, quę spiritualia corporalibus vniret, talis enim existit vt superiora tenens inferiora non deserat, cum his mobilis, cum istis immobilis, cum vtrisque conveniens, appetit vtraque si alterutrum deserat, & ad extremum transeat non est copula mundi; sic solis lumen à sole solem non deserens descendit in aërem, quo infecto non inficitur: sic oportet essentiam tertiam & divinis simul hærere, & implere mortalia: est ergò divinorum speculum, vita mortalium, vtrorumque connexio, centrum naturæ, mundi series, vultus omnium; vt corporalibus se integram inserit non discerptam, ità & integram retrahit, non dispersam: & quia dùm corpora regit, hæret quoque divinis corporum domia est, non comes, &c. Marsilius ficinus.

Ignis extinguitur nisi suppetat aër, purgans ejus fuliginem; sic tædium solitudinis sanat actio.

Hinc antiqui monachi extrà civile commercium longius abstracti, negotium sibi fingebant impositis manum operibus.

Idem planeta Saturnus inclinat ad contemplationem & agriculturam.

Gnosij Minervam Deam civem suam numerant, primumque apud se sasas ab ipsa fruges affirmant, audacter cum Atticis contendentes. Solin. Polishost. cap. 17.

Protesilai Trojanis Herois vmbra apparet, exercens agriculturam, docetque arbores meliùs humi victuras, si majore parte starent, parva verò agitarentur. Philost. in heroic.

Antè peccatum Adam, quandò multâ fruebatur libertate agriculturam quandam obire jussus est, non laboriosam & ærumnosam, sed multam sibi præbentem Philosophiam: hinc multi virtute præstantes ab aratro bovis, ad sacrum abscendebant tribunal, auditorum animas armantes, non enim erubescunt culturam sed segnitiem, vndè omnis à principio malitiâ. D. Chrys. hom. 19. ad pop. Ant.

Posuit Deus hominem in paradiso, vt operaretur & custodiret illum. Gen. 2. Super quo sic D. August. lib. 8. de genesi ad litteram: dùm nihil inquit accidebat adversi, vel terrâ vel cœlo; agriculturâ non erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum eâ quæ Deus creaverat humani operis adjutorio lætiùs fœciusque provenirent, vndè Creator ipse vberiùs laudaretur: quod enim majus, mirabiliusque spectaculum, aut vbi magis eum rerum natura humana ratio quodammodò loqui potest, quam cum positis seminibus plantaris surculis, tanquàm interrogatur quid possit, quidve non possit, inque ipsâ consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quid hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magnâ consideratione prudentibus;

De labore manuum & qualiter deceat Religiosos. Vide quæ scripsi lib. 1. de vitâ Relig. part. 1. cap. 20. & seqq.

Vnà cum orbe nato nati horti, quos Deus ipse primo homini domicilium attribuit, & velut sedem beatæ vitæ. Ecce Adonidis & Alcinoi & Tantali, & Hesperidum hortos fabulæ loquuntur: Et in veris certisque historis reperies Cyri Regis manu plantaria instituta, & Semiramidis aërios pensilesque hortos, & Massanissæ novum & celebrem cultum Africâ mirante. Video Catonem Censorium in re hortensi deditum, & de eâ seriò scribentem; Lucullum post Asiaticas victorias in iisdem ovantem; Syllam abjectâ Dictaturâ suaviter hic senescentem: & Diocletianum Principem olera & loctucas sceptris omnibus præferentem. Est arcana quædam & congenita nobis vis, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit, etiam serios & severos: atque vt cœlum & æthereos illos ignes nemini aspicere fas sinè occulto horrore quodam & religione; non item terræ sacras opes & hunc inferioris mundi mundum, sinè tacitâ quadam gaudij titillatione & sensu. Quæ tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat se molli aliquâ cogitatione & liquescat? Exhalans florum odor est pars quædam auræ ætheræ infusa ab alto; nec in vanum Poëtæ flores pleroſque naros finxerunt è succo & sanguine immortalium Deorum: Scit animus in illo otio negotium reperire; viridi illi lycæo tot dissertationes de naturâ debemus; ex hortorum spatiis diffusi in nos sapientiæ rivuli. Erigit se magis ad alta mens, cum soluta videt suum cœlum, quàm cum ædium & vrbium carceribus tenetur. Lypsius de constantiâ. l. 2. c. 2.

Vir bonus interiùs cum Deo optimo maximo excubat, agitque continuas tùm collocutiones, tùm illuminationes, sed & ad externas transit actiones, quoniam & internè agere per verbum æternum summus parens voluit, & se iterùm in verbo incarnato manifestare, tanquàm per externæ productionis signum. Alan. Varen. l. de superbiâ.

ACTIO CONTEMPLATIONI mixta homini est conveniens.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Mixtæ hominis naturæ commensuratur vita mixta, nam parti spirituali contemplatio, sensibili actio respõdet, & vtriusque alterna vis extremorum in microcosmo pulchram efficit consonantiam. Vt in corde, sic in animo duplex est motus contractionis & dilatationis, quo emittit seù exundantia, seù nociva, & recipit profutura.

MAGNITVDO. Non dejicitur ad sublimia nata mens cum humanis vacat officiis, sed à Deo procedenti charitati divinam permittit amplitudinem, quâ simul cœlestia terrenaque contingit, immensitate quadam donatà. Fruitur divinis dum infima moderatur, vna simul & multiplex. Angustias aut tenebras non patitur ignis ille cœlestis, in obvias quascunque se diffundit materias, rebelles præparat, præparatas occupat: vt ex abundantiâ cordis os loquitur, sic manus operatur.

DVRATIO. Anima quidem à se in Deum, & à Deo in se perpetuo quodam motu reflectitur, sed hic motus fit perfectior & circularis, dùm ad ea omnia quæ Dei sunt, id est ad proximum porrigitur. Etsi alternante tempore divisa videantur contemplationis & charitatis officia, vnita tamen efficit indivisa charitas, vt tunc dici possit Deo adhærere, cum ejus impresso motu fertur in proximorum auxilium, & tunc proximis adesse, cum sua contemplatio hausit à summo bonitatis fonte quod in alios effundat; vt cor tunc vitales spiritus emittit, cum contrahitur: motus est circularis, perpetuus, quia non fertur in terminos contrarios, & accedit dum videtur recedere.

POTESTAS. Quas habemus ad contemplationem & actionem potentias debemus in actum educere: Qui regunt etiam si vori videantur rebus publicis addicti, interpositâ tamen quiete & contemplatione labores suos solantur, nè vires & consilia deficiant. *Vide Gloria Potest.* de Recollectione Regentium.

COGNITIO. In parvo, vt in majori mundo, ex ves-

perè & manè fiet dives vnus, totumque vitæ noſtræ tempus quaſi ex æquo partiuntur lux & tenebræ. *Vide Gloria Volunt. Rep. Acceſſus & diceſſus ſponſi.* Hac potiſſimum à beatis notâ diſtinguimur, vt divino quidem ſed non perpetuo, ſibique ſemper pari gaudeamus radio: interdùm talis eſt cœli facies, vt ſe tantùm non inferiora conſpici ſinat; interdùm ſol libero fulgens radio ſe non patitur contueri, ſed oculos rerum humanarum ſpectaculis, manuſque operibus detinet: ſic potentior ſæpiùs eſt ſplendor Divinus, qui evocat ad externa charitatis officia. Theoriæ jungenda eſt praxis, quæ multa ex occaſione deprehendit, vndè multum accedit menti, vt ſurgat ad ſublimiora.

VOLVNTAS. Amor fortis & liberalis neſcit torpeſcere in dilectæ rei languidâ poſſeſſione; diſcit non minùs bene agere quàm pati: audet magna, vt ſe ad expreſſiorem boni, quod miratur imitationem promoveat. Non ſe patitur largitionibus ſuperari, tantùm conatur conferre, quantùm accipit charitas: hic etiam æmulatur Divinum Amorem, qui ſuâ fœcunditate profertus, non eſt paſſus ſinè germine eſſe; verbo deſponſata mens, verbo gravida, cœtetis ſalutem parit, ipsâ ſpirituali prole lætior, quia Deo gratior.

VIRTVS. Charitas convocat virtutes omnes, quibus præſidet; multæ autem virtutes lucem quærunt, externaque opera, in quibus ſeſe explicent. Vbi Fortitudo, Iuſtitia, Prudentia, niſi in hoc humano agone ipſæ Theologicæ virtutes, Fides, Spes, Charitas clariùs emicant, cum inter mundi proſpera & adverſa, nec blanditijs, nec nimis à recto quem ſibi propoſuerunt tramite detorquentur.

VERITAS. Facilius eſt honeſta proponere, quàm propoſita cuſtodire fœcunda virtutum ſolitudo, quærit tandem externas occaſiones, in quibus ſui capiat & det experimentum. Æterna veritas adfuit hominibus, non verbo tantùm in ſinu patris exiſtente, non prophetarum oraculis deſcripto, ſed humanato, & in exemplum ſenſibile omnibus expoſito; heu quantùm diſtat opus ab idæâ! Ergò nè ſibi nimium blandiatur humana mens? fides operibus eſt implenda. *Vide Veritas Virtutis.* Igne difficultatum probanda; multùm infrà conceptus ſui celſitudinem dejecta ſpes tranſit in humilem de ſe ſenſum, Dei bonitati & potentiæ magis ſubſtratum.

GLORIA. Nemo triumphum egit ob voluntatem hoſtes ſibi ſubjiciendi, coronantur opera non deſideria, quæ etiam ignavis competunt. Quietis & actionis naturaliter avidi agendo quieſcimus, quia quod intendimus conſequimur; & quieſcendo agimus, quia ſic ad actionem inſtauramur, & poſtmodùm fortiores ſurgimus. Cum quies & actio ordinatè ſibi ſuccedunt, quies colligit vires ad actionem, & actio experimenta, novaſque notiones ad contemplationem.

DIFFERENTIA. Diù eadem non fert humana mens; tàm quies, quàm actio, ſi ſit diuturna, fit naturæ gravis, tædium varietate pellendum eſt. Immota fax torpeſcit ac ignes exagitata reſtituit. Dùm ſi viciſſim tranſeundo à contemplatione ad actionem indulgemus naturæ, diverſitatis avidæ; dùm ratio theoricis praxim adjeit, dùm agenda meditatur, & agendo quæ ſunt meditanda deprehendit, facultates vices ſuas ſic obeuntes integris viribus redeunt ad opus, cujus jam experta novitas, habet quo delectet, non quo terreat. Inter moras operis expedita ratio liberiùs acutiúſque contemplatur, donec agendorum occaſiones tempore matureſcant.

CONCORDANTIA. In mundo civili quidam præſident conſiliis, dùm alij rebus agendis implicantur: at in minori & ſingulari mundo, vtrumque præſtat in ſeipſo vir bonus; ſicut in parvis civitatibus idem artifex plures edit operas, & ſanè convenientiùs videtur, vt ejuſdem ſit actio & ſenſus, nec enim rectè mea manus ab alieno dirigeretur oculo. Si ſint aliqui in totum contemplationi dediti, ab illis motum & directionem non accipient qui negotiis implicantur, ſeù vitæ in contrarium tendenti invidiâ ſeù præſumptâ rerum agendarum ignorantiâ, igitur miſcenda eſt actio contemplationi, & vtraque ab eodem per vices eſt implenda. Deus prima rerum cauſa & idæâ, cum agentibus inferioribus concurrit immeditatione ſuppoſiti, ita rebus præſens, vt per infinitatem ſuam infinitè ab illis ſit diſcretus.

CONTRARIETAS. Habes in vitâ mixtâ quo hoſtem ſalutis tuæ fatiges, ſeù occultis conſilijs ſeù apertâ vi. Cum fœlix rerum agendarum aura ſucceſſerit ſolves fortis & prudens ex contemplationis portu, qui te iterùm ortâ tempeſtate lætum, ſecutumque excipiet, hoc eſt in hoſtem ambabus pugnare manibus, aut vnâ quod intendis ædificare, alterâ eos qui obſtant confodere.

PRINCIPIVM. Auſpicamur vitam ab actione quæ in cognitionem procedès, debet in perfectam actionem tranſire, vt finis principio reſpondeat. *Vide Concord. Finis.* Non eſt quærenda vitæ Chriſtianæ perfectio extrà ipſam perfectionis idæam Chriſtum, in cujus vitâ plùs fuit receſſus quàm actionis.

MEDIVM. Actio & contemplatio duæ ſunt alæ, duæ manus duo pedes ad conſecutionem perfectionis ſibi mutuò ſubſervientes: contemplatio dirigit, actio conſequitur, vniuſque defectum alterius acceſſio compenſat. mixti mixtam vitam degimus.

FINIS. Hîc, vt aſſerit Philoſophus, noſtra beatitudo in actione conſiſtit, nondùm enim in termino conſtitutis viatoribus diligentiâ opus eſt, non quiete, niſi quæ fractas vires reſtituat. Tendit contemplatio in actionem, actio rerum experimentis dives redit in contemplationem, infinito quodam circulari motu in ſeipſum redeunte.

MAIORITAS. Non eſt quod de vtriuſque præcellentiâ quæſtionem moveas, cum vtraque ſibi mutuo parens ſit, vtraque ſociam mutuis juvet officiis, ambæ charitati ſubſervientes, & in ejus miniſterium collegæ. Animus ignis ſacer eſt, qui ſurſùm quidem vndante flammâ diffunditur, ſed ità tamen, vt materiæ ſuæ ſemper hæreat, & in illam ex alto refundatur.

ÆQVALITAS. Si vitæ neceſſitas exigit actionem, & mentis ſublimitas contemplationem, multùm eſt inter vtramque ex æquo tempus partiri, cum non ſit par vtrique jus, nam multò plura & ſine exceptione ad actionem vocant, ad illam inclinat etiam ipſemet intellectus, externæ prolis fœcunditate lætior.

MINORITAS. Omnium quidem, etiam inferioris notæ hominum, propria eſt actio, ſed non ſic contemplationis auxilio temperata, non ſic directa, non eo nectare, diviniſque epulis ſaginata. Non eſt culpandum otium, quo vires ad majora preparantur: non eſt vilis actio, quàm mens cœleſti fœta ſemine parit in commune ſubſidium & quam officijs ſuis optimè functam divinæ ſuæ reſtituit origini.

MEDIA DELECTATIO.

MISCELLANEA.

CVm delectatio procedat ex rectâ actione, & perfectâ operati boni fruitione, media tantùm eſſe

poteſt quia noſtra virtus eſt imperfecta. *Vide Media Virtus.* & bonum quodlibet aliquem patitur defectum. *Vide Media Bonitas.*

In totâ naturâ eſt dilatatio, quæ eſt gaudij; & contractio, quæ eſt ex dolore & indigentiâ.

Olim in conviviis exhibebantur certamina interdùm falſa, interdùm vera. Athen. lib. 1. cap. 8. & l. 4. cap. 17.

Flaminius Prætor inter cœnam à meretrice rogatus, quæ ajebat ſe nunquam decollari hominem vidiſſe, vnum ex damnatis occidit. Ideò accuſatur majeſtatis. Seneca lib. 4. controverſ. 25. vbi multa eleganter dicta quæ applicari poſſunt Herodi, caput Ioannis Baptiſtæ in convivium afferre jubenti. *Vide Cognit. Contrariet.* ſpectaculum cruoris.

Rebus vino incaleſcentibus ſæpiùs in conviviis ſanguis vino miſcetur ab ebriis. *Vide Contr. Cognition.* Ebrietas.

Plato 2. de Republ. dicit gymnaſticam muſicæ miſcendam, nè nimis molles fiant animi.

Multi non probant quod dicunt SS. Auguſtinus & Baſilius initio terram roſas ſinè ſpinis produxiſſe.

Plato in convivio dicit Amorem eſſe medium inter pulchritudinem & turpitudinem, Dæmonem appellat, quaſi ſit inter Deum & hominem, inter perfectionem & informitatem medius: nam pulchritudo eſt in amato, vndè tranſit in amantis animam, pulchritudinis indigam & avidam, ità fit Amore qui vt cæteri motus habet aliquid termini ad quem. Ibidem dicit amore natum ex concubitu Pori cum penià, ideſt abundantię cum indigentià, vndè fit partim dives, partim egenus; quia amori nunquàm contingit perfecta fruitio cum ſit aut mediata, aut ſaltem ſucceſſiva: vndè deſcribit illum lacerâ veſte, nudis pedibus, ſinè domicilio: quia inconſideratè ambulans, ſemper extrà ſe fertur amantis animus: Ex parte patris eſt audax, fortis ingenioſus, magnus & partim mortalis, partim immortalis. *Vide Gloria Volunt. Rep.*

Idem in Philebo dicit voluptates fieri maximâ indigentiâ & cõcupiſcentiâ, qualis eſt in ægris, & pravâ ſcabie laborantibus, itavt dolori & morbo mixta ſit voluptas: tales ſunt titillationes quæ voluptatis fervore diſſolutos homines ad furorem vſque occupantes immoderatis clamoribus exultare compellunt: In animâ etiam voluptatibus dolor miſcetur & contrà, vt aliquandò iræ dulcedo accedit, & voluptas in lamentationibus: qui tragœdiis adſtant, delectantur ſæpè lugendo: vt invidus lætatur adverſis proximorum, & triſtatur proſperis: Concludit & animam abſquecorpore, & corpus abſque animâ & mutuum etiam vtrorumque congreſſum, in omnibus perturbationibus habere voluptatis & doloris occurſum, quia dùm anima repleta eſt gaudet, ſed timet ex hauſtionem; cum autem eſt ex hauſta, dolet; ſed repletionem cupit, & ſperans gaudet: vniverſa voluptas parva potiùs eſt quàm magna, pauca quàm multa. Eſtque à ſapientibus dictum voluptatis generationem eſſentiam verò nunquàm exiſtere.

Corporis tabernaculum non ſinè malo nobis circumdedit natura, cujus læta quidem abſtruſa ſunt & volucria, pluribuſque doloribus admixta; triſtia verò improviſa, diuturna, & ſæpè gaudiorum vacua. Læta eſt adoleſcentia, ſed in addiſcendis artibus & ſcientiis duro premitur magiſtrorum imperio. Etiam fœlix ſenectus in cupitorum adeptione amittit ſenſuum functiones, quas exigit natura, quaſi vſuras longioris vitæ, ingemiſcunt & præſenti dolore, & inſtantis mortis metu.

Artifices in quantis ſunt laboribus, vt habeant vitæ neceſſaria. Nauta tot ſe objiciens periculis, & totus in arbitrium fortunæ, neque inter vivos, neque inter mortuos cenſendus eſt. Agricultura vicus eſt ſemper paratam habens doloris cauſam, nunc ſiccitatem, nunc pluvias, nunc vredinem, &c. Qui Reipublicæ vacat, inſtar furunculi nulla habet gaudia, niſi trepida ſemper, atque ſtimulis repleta, repulſas morte acerbiores; quis autem beatus eſſe poteſt vulgi inconſtantiâ vivens arbitrio? &c. Plato in axiocho. Autumnus vt frugifer, ità & morboſus.

Amantes viciſſim ſuſpirant & gaudent; ſuſpirant, quod ſeipſos amittunt; gaudent, quia in melius quiddam ſe transferunt.

Iecori, in quo dicitur eſſe vis concupiſcibilis, additum eſt fel amarum.

In Sardiniâ mel eſt amarum, quia colligunt illud apes ex abſinthio.

In fodinis auri & argenti plurima & efficaciſſima venena hauriuntur.

Animus ſi ſemper haberet proſpera inflaretur, ſi ſemper adverſa frangeretur.

Motus animalis eſt in proſequendo & fugiendo.

Gaudio miſcetur metus de re amittendâ ob inconſtantiam fortunæ, qualitatem rei, potentiam inimicorum, invidorum, &c.

Nemo eſt fœlix ſinè externis bonis; quorum fortuna eſt domina.

Philippus Rex Macedo, cum ſtatuiſſet caſtra ponere in loco pulchro & forti, monitus illic non eſſe pabula pro jumentis, qualis eſt, inquit, noſtra vita, ſi etiam ad aſinorum commoditatem vivere cogimur.

Abraham filium Iſaac Deo immolat, Iſaac autem Chaldaicè, Latinè riſus dicitur, qui non accipitur pro petulanti vultus habitu, ſed pro mentis benè affectæ gaudio, hanc lætitiam vir ſapiens meritò ſacrificare Deo dicitur, per iſtam figuram docens, quod gaudium ſoli Deo ſit proprium, mœrori enim & timori obnoxium eſt humanum genus propter mala præſentia aut futura: vt lux pura eſt in cœlo, in ſublunari autem aëre caligine miſcetur, ſic gaudia triſtitiæ: vndè Sara cum riſiſſet, roganti riſus cauſam ſe riſiſſe negavit, verita nè gaudium quod ſoli Deo convenit vsurpaſſet. Philo lib. de Abraham.

Pax noſtra propria, & hîc eſt cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per ſpeciem, ſed hîc talis eſt pax, vt ſolatium miſeriæ ſit potiùs quàm beatitudinis gaudium: Ipſa quoque noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, vt potiùs peccatorum remiſſione conſtet quàm perfectione virtutum, teſtatur Eccleſiæ oratio quotidiè dicentis, dimitte nobis debita noſtra. Quandiù vitiis imperatur plena pax non eſt, quia & illa quæ reſiſtunt periculoſo debellantur prælio, & alia quæ victa ſunt nondùm ſecuro triumphantur otio, ſed adhuc ſollicito premuntur imperio, ſemperque aliquid ſubrepit vitij, ſi non opere ſaltem in verbo, aut labili cogitatione. D. Aug. l. 19. de civ. c. 27.

Sicut eſt quædam vita ſinè dolore, dolor autem ſinè aliquâ vitâ eſſe non poteſt; ſic eſt pax quædam ſinè vllo bello, bellum autem ſinè aliquâ pace eſſe non poteſt. Ibid. cap. 13.

Facti ſumus ſicut conſolati. Pſal. 125. ſicut ad ſimilitudinem ponitur, nam vera conſolatio in alterius vitæ fruitione. D. Aug. in d. Pſalm.

Voluptas hîc mixta eſt dolori, quia appetitio indiga dolor quidam eſt: vt autem habitus qui eſt ex parte acquiſitus impleatur quandoque, & qui diutiſſimè, crevit permaneat diutiſſimè, neceſſe eſt animam corpori ſupereſſe. Marſil. Ficin. Theol. Plat. l. 14. cap. 7.

Gaudium charitatis de bono divino, quatenùs participatur à nobis, admixtum est semper aliqua tristitia. D. Thom. 22. q. 18. a. 2.

Lætitia quæ ex devotione oritur mixta est tristitiæ propter nostram infirmitatem. 2. 2. q. 82. a. 4.

Fortis delectationem percipit internam ex suo mixtam externæ difficultati. q. 123. a. 8.

Christus passus est in inferiori parte animæ & in omnibus ejus passionibus, non verò in ratione in quâ fuit gaudium. 3. q. 46. a. 7. Passus est in naturâ humana, non divinâ. a. 12.

Delectari de Deo in viâ plenè non possumus, sicut nec Deum agnoscere. 2. 2. q. 44. a. 6.

Spes ratione præsentis æstimationis delectat, sed ratione absentiæ affligit. 1. 2. q. 72. a. 3.

Dare alijs delectat, in quantùm indicat proprium bonum, sed contristat in quantùm evacuat illud. 1. 2. q. 32. a. 6. ad 1.

Omne simile ratione vnitatis delectat, sed contristat per excessum corrumpendo, vel vt impedit proprium bonum. 1. 2. q. 32. a. 7.

Operatio secundùm se delectabilis, sed per accidens est pœnosa, & contristans ratione motus fatigantis. Ibid. a. 1. ad 3.

Devotio primò & per se causat delectationem, secundariò autem & per accidens tristitiam. 2. 2. q. 82. a. 4. ad 1.

Passio Christi ratione defectus humani causat in nobis dolorem & tristitiam, sed ratione benignitatis Dei causat lætitiam. 2. 2. q. 81. a. 4. ad 1.

Dolor Christi in passione fuit maximus, & tamen non impediebat delectationem fruitionis ejus, nec è converso. 3. q. 15. a. 5. ad 3.

Bruta fruuntur imperfectè, ratione prædita perfectiùs. 1. 2. q. 11. a. 2.

Lacrymæ causantur ex tristitiâ, & aliquandò ex affectus teneritudine, præcipuè cum consideratur delectabile cum tristabili, vt ex devotione. 2. 2. q. 82. 4.

Ex amore procedunt gaudium & tristitia contrario modo. 2. 2. q. 28. a. 1.

Christus fuit viator & comprehensor. 3. q. 17. a. 8.

Vide Durat. Glor. Rep. Quod si dolor non miscetur voluptati, illam tamen immediatè sequitur.

Agnus paschalis comedebatur cum pane azymo insipido, & lactucis aggrestibus. Exod. 12.

In sacrificijs non offerebatur nec fermentum, nec mel. Levit. 2.

Spina sepit gratiam rosæ, tanquàm humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis curarum stimulis sæpè compungat; vallata est enim elegantia vitæ nostræ, & quibusdam sollicitudinibus obsepta, vt tristitia adjuncta sit gratiæ. D. Ambros. examer. lib. 3. cap. 11.

MEDIA FOELICITAS.

METellus orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio cum Palladium raperet ex æde Vestæ, memorabili casu, sed evenit misero; quo fit vt infœlix quidem dici non debeat, fœlix tamen non possit: Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquàm vlli alij ab condito ævo, vt quoties in Senatum iret, curru veheretur ad Curiam; magnum & sublime, sed pro oculis datum. Plin. lib. 7. cap. 43.

Platonici existimant Animas puerorum, quæ in corpore nec bonos, nec malos habitus contraxerunt, in ordine tamen esse, sic vt mediâ quadam beatitudine fruantur: Sicut enim in homine inter crassum corpus & animam spiritus est; vt in affectibus, inter dolorem & voluptatem est indolentia: In ratione inter scientiam & ignorantiam est opinio recta; in vniverso, inter lucidum & opacum est perspicuum: sic inter beatos spiritus Deo fruentes, & miseros eo privatos, medij sunt, quibus etsi non lux ipsa propriè, tamen lumen aspiret, idest Creatorem non in seipso, sed per commune lumen diffusum agnoscunt. Hac luce tandem putant sic formari, vt in veram transeant beatitudinem, nè frustrà ad illam videantur creatæ, & appetitum & facultates accepisse. Hæc fusiùs pro sequitur. Marsil. Ficin. Theol. Plat. cap. vltimo. Hæc Plato. lib. 10. de Republ.

Limbus dicitur sinus Abrahæ, quia in eo erat requies ab immunitate pœnæ, sed dicitur infernus, quia sanctis deerat requies desiderij. Supiem. q. 69. a. 4.

Elias non est raptus in cœlum Empyreum, sed aëreum, & vivit cum Enoch in Paradiso terrestri vsque ad Antichristum. 1. p. 102. a. 2. ad 3. Translati sunt extra vitæ miserias, non tamen in gloriâ; vnde eos æternitatis candidatos vocat Tertul. lib. de resur. carn. cap. 58.

Iacob ait, Hæc est domus Dei & porta cœli. Gen. 28. Est domus & est porta, quia hic nostra fœlicitas præludium est futuræ.

Gen. 15. Prædicitur Abrahæ proles, sed per divisiones animalium in sacrificio afflictiones populi significantur. Rachel pulchra, sed sterilis. Gen. 29.

Iacob non potest superari ab Angelo, sit tamen claudus. Gen. 32. Septem annos vbertatis in Ægypto sequuntur septem anni steriles. Gen. 41.

Iacob accipit frumentum in Ægypto, sed dilectus Benjamin remanet obses. Gen. 41.

Dum Israël opprimitur ab Ægyptijs fiunt pro ejus liberatione prodigia; post transitum maris rubri laborat aquæ penuriâ; fluit aqua de petrâ, & Amalech ipsum invadit.

Cœpit servitus inter hebræos ex quo possederunt terram promissionis. Levit. 25.

Iudas obtinet montana chananæorum, habitatores vallium non potest delere. Iudic. 1.

Anna Mater Samuëlis dilecta à viro, sed sterilis. 1. Reg. 1. David revocat Absalom, sed non vult vt videat faciem suam. 2. Reg. 14.

Minores non ità restituuntur in integrum, vt ex alienis incommodis sua faciant commoda. l. 40. ff. de minoribus 25. an.

Societas initur, vt tàm lucri quàm damni communio sit. l. 67. ff. pro socio.

Absolutus per sententiam remanet obligatus naturaliter, vndè si solverit non repetit, cum debitum solvat. Gloss. 1. in §. item si incendio. ff. de exceptionibus.

Servus reversus ab hostibus restituitur Domino. l. 10. Cod. de postlim. revers.

MEDIVS SPLENDOR & honor.

TRanspicuitas in lapidibus & vitro fit ex æquali attenuatione materiæ. *Vide Princip. Æqual.* At sal & alumen tantam non habent transpicuitatem, quia duplici ex liquore fiunt, altero ex condensatis vaporibus constituto, altero ex liquefacta terra: Lapides transpicui sunt initio albi, sed alios colores accipiunt à superveniente illis materiâ. Visus est Pyropus ex parte rubeus, & ex parte simul albus, eo quod can-

didus fluor non fuerat totus à rubro perfusus.

In convivijs Partharum amicus Regis non assidebat mensæ, vt cæteri, sed antè pedes Regis jacebat vt canis, projectas escas excipiens. Athenæus. lib. 4. cap. 14.

Minuunt obtentæ victoriæ gloriam cædes magnæ civium, præstantium virorum, aut etiam Ducis Generalis exercitus, aut insigne aliquod aliud damnum acceptum, aut timendum.

Quædam res fossiles totæ non nitent, sed sparsis hinc indè æris, argenti, auri ramentis.

In Chersoneso collis est, in quo sunt vlmi, quorum qui ad Ilium vrgunt rami, antè cæteros patiuntur foliorum profluvium, & antè tempus pereunt, altera parte vivit & viget arbor, Philost. in Heroicis.

In Indiâ ingentes sunt serpentes, qui nexibus illigatos serpentes sternunt, sed cadentium pondere eliduntur, & casus victi mors victoris est. Plin. lib. 7. cap. 11.

Lucent ignium modo noctu Lampyrides, nunc prennarum hiatu refulgentes, nunc verò compressu obumbratæ. Idem lib. 11. cap. 28.

Luna falcata, semiplena; Sol in equinoctijs, aut mediâ, alia qui sui parte patiens Ecclypsim.

Cleomene spartarum Rege de expeditione contra argivos Iunonem in sacrificio consulente, ex pectore hostiæ flamma emicuit; sic interpretari sunt aruspices illum vrbem non arcem capturum.

Sæpè ex certantibus quilibet se dicit obtinuisse victoriam, quia in aliquo vincit, in aliquo deficit.

Luna per diem videtur potiùs colorata quàm lucida.

Lucidiores cœli partes, scilicet stellæ, sunt opacæ, non perviæ lumini, sed ex aliâ parte obscuræ. Sol in defectu apparet croceus, quia parùm luminis subest.

Non potest dari corpus, quod totum illustretur, nisi in pyramide inversâ, quæ mucrone contingat superficiem terræ.

Fides certa est, sed obscura. *Vide Media Cognit.* Ex Patribus.

Fœminæ ità à viris dignitatem accipiunt, vt illorum ferant titulum. Consulares consularium fœminæ dicantur; tamen Consularis fœmina viro Præfectorio non præfertur, quia major est dignitas in sexu virili. l. 1. ff. de Senat.

De mediâ libertate. *Vide Media Potest.*

Accusati non possunt Magistratus Populi Romani, tenentur tamen satisdare, de judicio sisti post honorem depositum. l. hos recusare. ff. de accusation.

Accusatus lite pendente non est infamis, quia de delicto adhuc non constat. l. ff. de his qui notant. infam.

Actiones mandati, pro socio, tutelæ, depositi, quod metus causâ, rerum amotarum, condictione furtivâ, & similes non infamant, quamvis in his tacitè & dissimulanter de dolo quæratur. l. 1. Glosl. ff. Eod.

Relegatus, statuis & imaginibus honorari non prohibetur. l. 18. ff. de interd. & relegat.

Indulgentia vos liberat notæ, nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit. l. 3. Cod. de gener. abolit.

Quod Christus omnes humanos sentit affectus, hominem persuadet hominibus, quem non contempsit; si enim corpus non in vtero formatum repentinum inferret aspectibus, hominem verum susceptisse non crederetur, & dùm omnia mirabiliter faceret, auferret quod misericorditer faceret: Nunc verò ità inter Deum & hominem mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. D. Aug. ep. 3. volus.

Similitudo carnis peccati erat in Domino, quia mors non est nisi de peccato, & vtique corpus illud mortale erat, vt resurgendo vitæ æternæ nobis exemplum demonstraret. Cum mihi molesti essent, induebam me cilicio; ideò sæviebant, & ego latebam, nisi enim latuissem, mori non potuissem. Idem in Psal. 34. con. 2.

Homo natus sub lege, sed Deus, vt eam consummeti homo vt serviat, Deus vt liberet; homo vt patiatur, Deus vt vincat: homo vt moriatur, Deus vt triumphum agat de morte: ideò & infirmitas semper apparuit potentiæ juncta; Nascitur, sed de virgine; puer est, sed à stellis & Angelis, annuntiatus, & à Magis adoratus; infirmus in terrâ sed diversas sanat infirmitates; solvit tributum, sed miraculo capitur vndè solvat; capitur à Iudæis, sed solâ voce eos posternit; patitur in cruce, sed luget tenebris obsitum cœlum, moritur in terrâ, sed illam moriendo concutit; agit patiendo, æternos facit moriendo. Hos affectus divinâ quadam, & occulta potentia ex sibi contrarijs eliciens, potentiam suam stabilit per impotentiam, ignorantiâ superat scientiam stultitiâ sapientiam, ignominiâ sibi parat triumphos, parvâ Apostolorum manu totum mundum sibi subjicit.

IN QVIBVS EST MEDIA Gloria.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Qui confert beneficium delectatur ipsa honesti actione eminentiæ & abundantiæ suprà cæteros sensu; subit tamen animum occultus dolor ex boni alienatione, metusque nè similibus exhauriatur, turpi semper aut largitionis, aut facultatum defectu. Qui accipit gaudet ex accessione boni, quo suæ succurritur ingentiæ; dolet tamen ex eo quod se videt alterius debitorem, cum jacturâ quadam suæ libertatis & æstimationis.

Magnitvdo. Amplitudo quælibet blanditur naturæ ad majora semper tendenti; anxia tamen est, vt fortunæ magis ex posita virium dispersitione debilior: Placet ex alto prospectus, sed timetur præcipitium: In turba securitas, sed inquieta, sed in gloria.

Dvratio. Consuetudo transit in naturam, cui levis blandusque fluxus; sed quia passio non fit ab assuetis, tàm voluptatis quàm doloris sensus extinguitur: Diù sensibus concessa transeunt in servitutem, & licet sinè delectatione fit possessio, non est sinè dolore carentia; hæret assuetis timida natura, & tamen ejusdem rei fastidium novitate tentat pellere, imperfecto motu, vt flammæ circà materiam suam evolando & redeundo fluctuantis.

Potestas. Publica aureaque Dominantium servitus plùs habet anxietatis quàm gaudij: Rector timet timentes, metus in authorem redit. *Vide Volum. Potest. Rep.* Non illi, sed dignitati defertur honor, vix respondebit conceptæ de se spei, vix implebit ex legum præscriptis officium suum; sic inter quærula populorum & invidorum vota, cum externo fascibus exhibito cultu incurrit veram & personalem infamiam.

Cognitio. Contemplationis spirituales delitias temperant hinc nascentia corporis & fortunæ incommoda, Naturæ ingrata solitudo, morbi, paupertas,

peſſimorum injuriæ, quibus retorquendis impar eſt inermis Philoſophia. Si quis eſt ex ſcientijs ſplendor, anguſtam habet mundi litterarij ſphæram; Cæterorum in vaſto hoc orbe civili viuentium non præſtingit oculos, cum & opinio Philoſophiam ſtuporis & ſtoliditatis ream habeat.

VOLVNTAS. Amantium mentes ſpes metuſque exagitant, vndè Amorem dulce amarum vocat Plato. *Vide Gloria Volunt. Rep.* Cæteri omnes motus ſenſitivi dicuntur paſſiones, quia ſub illis animus, corpuſque multùm patiuntur & tanquàm ventorum in ſe ruentium turbine quatiuntur. Voluntas inconſtantiâ ſuâ ſibi ſupplicium eſt, agitur contrarijs affectibus, qui torquent non ſatiant, ſunt enim motus violenti, & præter rationis ordinem.

VIRTVS. Virtus tendit in aſpera, tota eſt in conflictu, incerto marte, nec ſinè vulneribus inter tot hoſtes; dùm cadit & reſurgit, dùm vincit & vincitur, mixtam habet delectationi mœſtitiam.

VERITAS. Diù quæſita, tandem eluceſcens veritas, grata quidem eſt, ſed defectum arguit mentis, quam diù latuit, & in poſterùm latere poteſt. Vacillat fides religioſa, itavt vnuſquiſque meritò dicere poſſit. Credo Domine adjuva incredulitatem meam humana ratio jugum hoc ſæpiùs conatur excutere, malo per intervalla ſæviente, & in ſingulorum animis, & in ſæculorum diuturnis ſed ſævioribus periodis.

GLORIA. Ipſa quies ſi non actione temperetur tranſit in ſupplicium, ſic ſemper decreto aut libertatis, aut neceſſitatis media. Nulla niſi ex bello pax, nulla niſi ex præcedenti ſeruitute libertas: diuturnis obſequijs emitur & ſervatur dignitatum ſplendor, vt patet in aulicis, *de quibus Vide Poteſt. Virtut. ſapiens aulam fugiat.*

DIFFERENTIA. Motus omnis initiatur mobili, habet etiam aliquid termini ad quem, & ſic delectationis illic ſperatæ, ſed multò plùs eſt laboris, vt torpentem jacentemque naturam excitet, vt obvia & contraria ſuperet, ſeque ſic ad vlteriora promoveat.

CONCORDANTIA. Humana natura gaudet ſimilium converſatione, & hinc infirmitati ſuæ remedia conquirit: Sed vt ex mixtione fit alteratio, ſic ex hominum ſocietate multiplex doloris cauſa; nam oportet multa ab inferioribus, æqualibus, & potentioribus pati, vndè ſapientes extrà civile commercium quærunt quietem, ſed iterùm naturæ tenebras feramque vitam averſanti laborioſam.

CONTRARIETAS. Omnia conſtant ex contrarijs, vndè mixtam habent ex ſubſtantiæ identitate & alteritate naturam, alternis ſuarum partium pulſatam injurijs: Nam vnaquæque pars vult alias, quas experitur contrarias, aut à finibus ſuis arcere, aut actu potentiori in ſe convertere; ſed hinc ſequeretur totius compoſiti, diſſolutio, vndè fieret ſingulorum partium ruina, & cum ſint contemperatæ vires, nec obtinent nec deficiunt, mixtâ ſemper laboribus quiete, & excidijs victoriâ.

PRINCIPIVM. In rerum exordijs exultat, dùm ſibi de futuro fœliciter anguratur humana ſpes, ſed terretur etiam præſumptis nondùm tentatæ viæ periculis: lætos orientis virtutis auſus excipit interdùm fortunæ malignitas, & in illam decertans improbus labor gravis naturæ, nondùm talibus aſſuetæ. *Vide Contrar. Princ. Initia difficilia.* Viro forti nulla eſt in adeptis quies, dicit: Ecce nunc cœpi, & ſemper fertur in vlteriora. *Vide Majorit. Virtut.*

MEDIVM. Medij inter beatorum & damnatorum, ſpiritualium & corporalium naturam, lumen & tenebras, mediâ tantùm quiete fruimur: argumentum quidem eſt potentiæ expedita ad vſum habere inſtrumenta, ſed & impotentiæ ab alieno pendere: ſic nunquàm in regimine certa fides, miniſtris, inſtrumentis, liberis, varijs, ex ſe mobilibus innixa.

FINIS. Fines omnes ſunt mediati, & vltimi finis quodammodò vicarij, ſic mediatam tantùm ſibi proportione reſpondentem largiuntur quietem.

MAIORITAS. Quælibet fortunæ eminentia vnbeatilis eſt, & vt denominatio extrinſeca, quæ nihil reale ponit in objecto, vndè exterior quidem & vana eſt lætitia, ſed verus dolor.

ÆQVALITAS. Ambitioſæ, & magna ſpiranti naturæ multis æquari, non minus aſperum quàm gratum eſt, nam ſi delectat inferioribus anteponi, diſplicet multos habere pares & ſuperiores, non enim attendit ambitio vndè venit, ſed quo tendit.

MINORITAS. Ambigua multùm eſt ex infirmitate tutela, *de quâ Vide Glor. Min.* Nam vt in infirmiores corporis partes decumbit morbidus humor, ſic in eos quos dejecit fortuna liberiùs, quia impunè, ſævit improbitas: ſi jacentes præterit invidia, eos tamen opprimit, miſerorum gaudens ſpectaculis, timida crudelitas; & ſi pauper externis careat hoſtibus, ſecuritatem hanc ſatis compenſat multiplex in anguſtâ ſorte doloris occaſio.

FINIS GLORIÆ.

QVÆ FINEM IMPONVNT GLORIÆ.

MISCELLANEA.

DESINIT aliquis coli & honorari, cum deſinit benefacere. *Vide Glor. Bonit.* nam multi ſunt amici dignitatis & fortunæ. *Vide Verit. Vol. Repugn.* vel cum quis non ampliùs accipit influxum cauſæ ſuperioris, tunc enim conſtringitur vt flos abſente ſole, obſcuratur vt ſpeculum carens lumine, jacet vt cadaver inanime, &c. *Vide Finis Bonit.* Sic gloria quæ habetur ex magnitudine, duratione, poteſtate, cognitione & cæteris principijs, ceſſat, cum perit Magnitudo, Duratio, Poteſtas, Cognitio, Voluntas, &c. *Vide Gloria Magn. Durationis, Poteſtatis, &c. & Finis Magnit. Durationis, Poteſtatis, &c.* deſinunt autem in aliquo

hæ perfectiones, cum illas non accipiunt à ſuis cauſis. *de quibus. Vide Princ. Magnit. Durat. &c.* & hæc ſint hîc loco demonſtrationis.

Vivente tyranno multi metu & ſpe blandiuntur, eo autem mortuo, & ſcriptis & verbis ejus fama liberiùs carpitur.

Deſinit gloria cum à ſuis contrarijs potentioribus opprimitur. *Vide ſuprà Contrarietas Gloriæ.*

Apud Ægyptios mortuo Rege aſtabant ſacerdotes mortui rectè facta laudantes, populus qui exequias circumſtabat applaudebat veris laudibus, in reliquis magno reclamabat tumultu, quo accidit vt plures reges repugnante multitudine ſolito caruerint ſepulchri honore; is timor coegit Ægypti Reges juſtè vivere, veritos poſt mortem futuram plebis iram, atque odium ſempiternum. Diodor. ſicul. rer. antiquar. l. 1. cap. 1.

In Galliâ Septentrionali murænis omnibus dextra in maxillâ ſeptenæ maculæ, ad formam Septentrionis, aureo colore fulgent duntaxat viventibus, pariterque cum anima extinguntur. Plin. lib. 9. cap. 23. Mortuis omnia conſtringuntur, etiam multi qui vivis patent meatus.

Lucianus dialogo Charontis & Mercurij refert mortuos in ſcapham Charontis non admitti, niſi nudos & ſpolitos his omnibus, quæ habebant in mundo, divitijs, amicis, gloriâ, ſuperbiâ, ambitione.

Mors finem imponit mundano ſplendori, & æquat omnes cinis. *Vide Finis Durat. & Æqual. Minor. Vide Dur. Glor. Rep.*

Læſa ſemel fama vix reſtituitur, quia ſemel malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali. *Vide Dur. Minor.* vndè ſumma debet haberi cura famæ. *Vide Volunt. Glor.* & maximè in his qui regunt. *Vide Glor. Poteſt.*

Cæraſum gariophilo pulchertimum, ſed cum ſit humidius facilè corrumpitur.

De pulchritudine, quæ citò vt flos marceſſit. *Vide Dur. Glor. Rep.*

Ægypti miſerationem, lachrymas atque fletum germinibus terræ defloreſcentibus offerebant. Euſeb. præp. Evang. lib. 1. cap. 6. *Vide Durat. Virtut.* De conſtantia in luctu publico magni viri.

Lætiores reliquit fortuna, quos nunquàm reſpexit, quàm quos defecuit, eſtque in omni adverſitate fortunæ infœliciſſimũ genus infortunij, fuiſſe fœlicẽ. Senec. de tranquil. Nam cõtraria ſibi oppoſita magis apparent, eſtque duriſſimum carere conſuetis delitijs.

Defectu caloris in cadavere humidum deſinit in corruptionem & fœtorem.

Eluitur gaudij cauſa propoſitis his quæ triſtitiam excitant, vt inconſtantiâ fortunæ, enumeratis rebus adverſis; quæ vel imminent, vel ſua magnitudine ſtringere animum poſſunt: dicendum delectationes humanas omnes eſſe turbidas, & dolori permixtas, illas vſu ipſo faſtidium generare, quia infinitus noſter appetitus, non ſatiatur finitis; fugit delectatio, & fruitionis brevitatem ſequitur longa triſtitia. *De his. Verit. Glor. Rep.*

Expleto induciarum belli termino ſtatim hoſtis eſt aggrediendus.

Vnicuique præſtituta videtur meritorum menſura, quia expleta ſatis concedendum eſt. *Vide Minor. Dur.* Mors juvenis.

Cum Angeli moveantur à Deo in beatitudinem, vltrà præfinitam ſibi non valent vlteriùs progredi. D. Th. 1. q. 92. a. 9. *Vide Finis Magnit.*

Aſſerunt plurimi locum paradiſi ſuper eſſe ſinè ſuâ amœnitate, quæ diluvio periit.

Referunt fabulæ, Vulcanum claudumè cœlo præcipitatum; Icarum alis cereis liquefactis in mare præcipitem datum; gigantes, montibus montes imponentes, vt cœlum conſcenderent, fulmine in tartara dejectos. Videntur hæc ſignificare caſum Angelorum è cœlo & primi hominis è ſtatu gratiæ.

Adam convenienter ejectus fuit de paradiſo propter peccatum. 2. 2. q. 164. a. 2.

Quies & honor procedens ex virtute perit per Apoſtaſiam. *Vide Durat. Virt. Rep. Vide Verit. Glor. Rep.* Fœlicitatis humanæ vanitatis.

EX VTROQVE JVRE.

Dignitatem mariti perdunt mulieres ſi minoris dignitatis viro nubant, niſi à Principe impetrent, vt in eadem dignitate maneant, quod rarò fit. l. fin. ff. de Senat.

Adoptatus à clariſſimo, eſt clariſſimus, quandiù manet in ejus poteſtate, at emancipatus Patris amittit poteſtatem. l. 5. ff. de Senat.

Finita adoptione finiuntur jura ex eâ provenientia, vt Senatoria dignitas, quia Pater adoptans erat Senator. l. 2. ff. de adopt.

Cum imperatur vt reliquiæ ſanctorũ transferantur deſinit locꝰ eſſe religioſus l. 44. ff. de relig. & sũpt. fun.

Senatoris filia, quæ corporis quæſtum, vel artem ludicram fecerit, aut judicio publico damnata fuerit, impunè liberto nubit, nec enim honos ei ſervatur, quæ in tantùm dedecus lapſa eſt. l. 47. ff. de rit. nupt.

Vitijs & rebus mala fide geſtis honor amittitur. Vide toto tit. ff. de his qui not. infam. Qui pro ſuo delicto amittit honorem, amittit etiam privilegia honoris. l. final. ff. de pœn.

Perdenti jus patronatus propter ſuum delictum nullus honor debetur. l. 3. Cod. de bon. liber. Dominus remittens liberto jus patronatus non poteſt amplius eum in ſervitutem redigere. eod.

Cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt eſſe ſacra. l. cum loca. ff. de relig.

Ceſſant privilegia vrgente neceſſitate, vndè ſi Eccleſia patitur defectum miniſtrorum, cogendi ſunt privilegiati redire, per ſubſtractionem proventuum. cap. cum ad hoc. de Cleric. non reſid. *Vide Contr. Glor.*

EX BIBLIIS.

Adam ob peccatũ cadit à fœlici ſuo ſtatu, ejicitur è Paradiſo, terra ei ſpinas generat, &c. Geneſ. 3.

Dùm homines vacant delitijs, delentur diluvio. Gen. 6.

Agar inſoleſcens ejicitur è domo Abrahæ. Gen. 16.

Sodoma igne cœlitùs miſſo conflagravit. Gen. 19.

Boves craſſæ devorantur à macilentis. Gen. 41.

Sepulchra concupiſcentiæ populi, qui concupierat carnes. Num. 11.

Quotidie domus Saul decreſcit, accreſcente domo David. 2. Reg. 3.

Filia Sacerdotis, quæ nupſit viro de plebe, non poteſt amplius ſanctificata comedere. Levit. 22.

Lævitæ ceſſant miniſtrare tabernaculo à Quinquageſimo anno num. 8. *V. Glor. Durat.* Quies ſenectutis.

Aaron exuitur veſte Sacerdotali in monte, eaque induitur filius Eleazarus pro eo, & moritur. Num. 20.

Moyſes prædicit deletionẽ gentis ſuæ, ſi legem non obſervent; ſicut, inquit, antè lætatus eſt Deus vobis benefaciens, ſic lætabitur diſperdens vos. Deut. 28.

Deficit manna, cum Iſraël incipit comedere de frugibus terræ in campeſtribus Iericho. Joſue. 5.

Vxor Phinees, audiens captam eſſe arcam Dei à

Philiſthiim; tranſlata eſt, inquit, gloria de Iſraël. 1. A Reg. 4.

Ex quo Samuël vnxit David in Regem, Spiritus Domini receſſit à Saul, & eum exagitavit Spiritus nequam. 1. Reg. 16.

Arca Dei tollitur de domo Obededon, & cum eâ prior fœlicitas. 2. Reg. 6.

Iob ſpoliatur omnibus bonis, dicit ei Eliphas Temanites: Ego vidi ſtultum firmâ radice, & maledixi pulchritudini ejus, ſtatim longè ſient filij ejus à ſalute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat, Meſſem ejus famelicus comedet, & bibent ſitientes divitias ejus. Iob. 5.

Quis reſtitit Deo, & pacem habuit: qui commovet terram de loco ſuo, & columnæ ejus concutiuntur: qui præcipit ſoli & non oritur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Id. cap. 9. B

Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti, ſi caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: velut ſomnium avolans non invenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna, panis ejus in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus, divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, &c. c. 20.

Elevati ſunt ad modicũ & non ſubſiſtent, auferentur, & ſicut ſummitates ſpicarũ conterentur. Iob. 2.

Dives cum dormierit nihil ſecùm auferet; aperiet oculos ſuos & nihil inveniet, nocte opprimet eum tempeſtas, tollet eum ventus vrens, & velut turbo rapiet eum de loco ſuo. Iob. 27.

Dicit Deo, elevaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me. Idem cap. 30. Elevans alliſiſti me. Pſal. 101. C

Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium. Iob. 30.

Ieſabel ornata præcipitatur. 4. Reg. 9. & cap. 10. Deſtruitur templum Baal, & in ejus loco fiunt latrinæ.

Deus prædicit per Prophetas Manaſſæ Regi Idololatræ, delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ, & delens vertam, & ducam crebrius ſtylum ſupra faciem ejus. 4. Reg. 21.

Dicitur de Ieruſalem. Thr. 1. Omnes qui glorificabant eam ſpreverunt eam, quia viderunt ignominiam ejus.

Baltazar inter epulas videt manum ſcribentem decretum ſuæ mortis. Daniel. 5. D

Orta tempeſtate Ionas dormiens excitatur & in mare dejicitur. Ion. 1.

Avertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus. Pſal. 29. Vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Pſal. 33. Noli æmulari in malignantibus, &c. quoniam tanquàm fœnum velociter areſcent, & tanquàm olera herbarum citò decident. Pſal. 36.

Inimici Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodùm fumus deficient. Ibid.

Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniàm cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Pſal. 49. E

Venite & videte opera Domini, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, qui convertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede. Pſal. 65.

Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, dejeciſti eos dum allevarentur. Velut ſomnium ſurgentium Domine, imaginẽ eorum ad nihilum rediges. Pſ. 72.

Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini & ſicut vnus de principibus caderis. Pſ. 81.

Confundentur ab Idolis quibus ſacrificaverunt, & erubeſcetis ſuper hortis quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus abſque aquâ, & erit fortitudo veſtra vt favilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla, & ſuccendentur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat. Iſai. 1.

Ibidem cap. 14. dicitur de Regi Aſſur, Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſub te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes: Quomodò cecidiſti de cœlo lucifer qui manè oriebaris, corruiſti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo, &c.

Luxit vindemia, infirmata eſt vitis; ingemuerũt omnes qui lætabantur corde, ceſſavit gaudium tympanorum, quievit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo cytharæ, cum gaudio non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illum. Tranſlatum eſt gaudium terræ; Relicta eſt in vrbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas. Iſai. 24.

Ecce validus & fortis Dominus ſicut impetus grandinis, turbo confringens, ſicut impetus aquarum multarum inundantium & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam: Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ, & erit flos decidens gloria exultationis ejus, quaſi temporaneum antè maturitatem autumni, quod cum aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit devorabit illud. Iſai. 28.

Domine omnes qui te derelinquunt confundentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Ierem. 17.

Confunderis & erubeſces, ab omni malitia tua, qui ſedes in Libano, & nidificas in cedris. Ierem. 11.

Quaſi ſi fuerit annulus in manu dextera mea, indè evellam eum, & dabo in manum quærentium animam ejus: vas fictile, contritum, & abſque omni voluptate. Ibidem.

Quomodò confracta es virga fortis, baculus glorioſus, deſcende de gloriâ, & ſede in ſiti. Ierem. 41.

Diſſipavit quaſi hortum tentorium Ieruſalem Dominus; demolitus eſt tabernaculum ſuum. Ierem. Thren. 2. Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. cap. 4.

Si iuſtus averterit ſe à juſtitiâ, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur. Ezech. 18.

Nunc contrita es à mari, & in profundis aquarum opes tuæ, quæ in exitu negotiationum tuarum impleſti populos multos. Ezech. 27.

Subverſa ſtatua Nabuchodonoſor, cujus caput aureum redigitur in favillam, quæ vento rapitur. Daniel. 2.

Arbor alta contingens cœlum, de cujus fructu veſcebatur omnis caro, præciditur. Daniel. 4.

Nabuchodonoſor ejicitur ab hominibus, cum feris converſatur, fœnum vt bos comedit. Ibidem. *Vide Cognit. Virt. Mala.* Deus ſuperbos humiliat.

Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut vmbra prætereunt. Pſal. 143. Verumtamen vniverſa vanitas, omnis homo vivens. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos. Pſalm. 38. Dies mei velociùs tranſierunt, quàm à texente tela ſuccidatur. Iob. 7. Tranſivi, & ecce non erat, & non eſt inventus locus ejus. Pſal. 36. De manè vſque ad veſperam finies me. Defecerunt ſicut fumus dies mei. Pſalm. 110.

Quæ eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicũ apparens. Iacobi. 4. Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea. Iob. 7. Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum. Pſal. 108. Verumtamen in imagine pertranſit homo. Pſal. 38. Præterit figura hujus mundi. 1. Cor. 7.

Vbi ſunt Principes gentium? exterminati ſunt, & alij loco illorum ſurrexerunt. Baruch. 3.

MAIORITAS.

by Google

MAIORITAS GLORIÆ.

NIMIA QVIES.

MISCELLANEA.

ACTIO miſcenda eſt quieti, nè ſim & torpore deficiant facultates. *Vide Media Gloriæ.*

Hyems generat exceſſum pituitæ, tùm propter copiam pluviarum, tùm ob noctium longitudinem: generat etiam ipſam vita ſedentaria, otium, ſomnus longus, præſertim à cibo.

In phreneride non eſt ſæpè vtendum ſomniferis, nam eorum ſolito vſu languidus calor extinguitur.

Lethargus eſt ſoporoſus præter naturam affectus, cum febre lentâ, oblivione, atque marcore, à frigida & humida cerebri intemperie, cum materia pituitoſa in cerebro putreſcente, ortus. Galen.

Ariſt. Ethic. l. 10. cap. 7. Probat homitis fœlicitatem non conſiſtere in otio, bellum quidem eſſe propter pacem, in quâ civilis vita liberius ſuis vacat officijs, actionique contemplationem miſcet.

Otium & quies corpus replet nimijs excrementis, quæ non diſcuriuntur, pituitam auget, calorem nativum obtundit, ciborum coctionem, & diſtributionem infœliciorem efficit, corpus ſegne atque invalidum reddit.

Somnus profundus cum expergiſcendi difficultate, ſi in principio morbi fiat, morbum periculoſum ſignificat, arguit enim tantam humorum copiam vt ab illis cerebrum occupetur. Senertus.

Torpor qui eſt parva quædam paralyſis, & ſenſus ac motus difficultas, malum eſt in ægro ſignum, quia ſignificat caloris nativi extinctionem.

Omnes hydropici febricitant & ſitiunt, quia humor circà viſcera deſes, nec perflatus, putredinem & ſalſedinem colligit.

Apud Athenienſes ſævera fiebat inquiſitio in otioſos, vt in vitium omne proclives, ex inertiâ enim egeſtas, ex egeſtate maleficia oriuntur; ideò explorabat magiſtratus quâ quiſque arte viveret, graui pœnâ otioſis impoſita. Plutarch. in Solone. Idem fiebat apud Ægyptios. Diodor. rer. antiq. l. 1. c. 3.

Antiquiſſimis temporibus Deorum ſimulachra fiebant tantùm ex ligno, quia habuit vitam, non ex mortuis & ſemper jacentibus lapidibus; nec etiam ex auro & argento, cæteriſque metallis, quæ ſunt terræ ſterilis excrementa. Plut.

Natura producit omnia propter actionem, vndè formæ materiales non ſeparantur à materiâ, nè ſint ſinè actione.

In capitis doloribus non eſt totum refrigerare nè fiat torpor ſenſuum.

Caro piſcium, qui in aquis limoſis, ſordidis & ſtagnantibus degunt, excrementitia admodùm atque mucoſa exiſtit; optima autem eorum eſt, qui in puro mari riuunt, præcipuè cum ventorum procellis ipſum mare agitatur: nam in quieto, nulliſque agitato fluctibus, tantò piſcium caro deterior fit, quantò minùs excitantur; ſic meliores ſunt, qui in rapidis fluctibus. Gal. l. 3. de alim.

Animalia omnia in montibus nata multò ijs quæ in locis oriuntur planis ſunt præſtantiora, columbæ turricoiæ domeſticis ſunt meliores, ſic apri ſuibus domeſticis, omnia denique quæ exercentur ijs quæ ſunt otioſa; & quæ cibis ficcioribus ijs quæ humidioribus vtuntur, &c. Idem lib. de attenuante victus ratione.

Sedendo adorare extrà diſciplinam eſſe dicit Tert. l. de orat. Vide Baron. an. 58. num. 11.

Somno concoquere, corpulentiæ, quàm firmitati vtilius: ideò athletas malunt cibos ambulatione perficere: pervigilio quidem præcipuè vincuntur cibi. Plin. l. 11. c. 53.

Primi Sybaritæ artes quæ ſtrepitum facerent extrà civitatem ejecerunt, veluti fabrorum æratiorum, & lignariorum, horumque ſimilium, itavt vndique imperturbati ſomni efficerentur, neque gallum in civitate nutrire licebat: vnius diei iter per triduum perficiunt, cum rus adeunt, licet vehiculis vehantur, &c. de otio & delitijs eorum. V. Athen. l. 12. c. 6.

Otium vitæ contumelioſum eſt, nocti & morti proprium.

Romani quadraginta trium annorum pace vſi ſunt tempore Numæ, dæmonum aſtutiâ, vt quantò minùs eum occupatum invenirent, tantò magis ipſi occuparent illum in confingendâ falſorum Deorum multitudine. D. Auguſt. l. de civit. cap. 9.

Dæmon tollit arantes boves Iob, ideſt piorum labores, vt corrumpat eos deſidiâ. D. Gregor. moral. l. 2. cap. 81.

Nullus fructus otij eſt, imò magis diſpendium: otioſus Eſau amiſit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere quàm quærere. D. Aug. in Ep. adver.

Terræ moles, quæ inter elementa deterioris eſt notæ, perpetuò quieſcit; cœlum autem, quod eſt nobilius, perpetuò circumvolvitur; licet enim generaliter quies & ſtatus motu locali ſit præſtantior, tamen datur aliquis motus quiete melior, vt is qui confert ad dierum & noctium diſtinctionem, anni varietatem, & mundi conſervationem. *Vide Bonitas, Virtus, Poteſtas. Gloria Differentia & Minor. Differ. Mal.*

Iacob poſt viſionem erigit lapidem, ideſt columnam, & fundit oleum deſuper. Sic ſtat Deus in animâ, eam vngit, confirmatque, addendo ei robur inſuperabile, eſt enim certaminum, exercitiorumque cupidus, quiſquis ſe bonis ſtudijs dedidit. Philo. l. de ſomn. in fin.

Homo ſextâ die creatus, quia vt dicitur. Iob. 5. Naſcitur ad laborem. Sanctificatur quidem dies quietis, ſed quem præceſſerunt bona opera; dicitur enim, vidit quæ fecerat & erant valdè bona. Geneſ. 2.

Non eſt quod exiſtimes placidum animam, cum

Digitized by Google

jacet corpus ; interdùm quies inquieta eſt , & ideò ad A rerum actus ſumus excitandi. quoties nos malè habet inertia ſui impatiens. Magni Imperatores cum malè parere milites vident , aliquo labore conpeſcunt , & expeditionibus detinent , nunquàm vacat laſcivire diſtrictis , nihilque tam certum eſt quàm otij vitia negotio diſcuti. Sæpiùs enim non excita , ſed fatigata, aut abjecta cupiditas , rebus parùm ſibi ſuccedentibus frugalitatem profeſſos ſollicitat , & voluptates non damnatas , ſed relictas petit , & quidem eò vehementius , quò occultius , omnia enim vitia in aperto leviora ſunt , morbi tunc quoque ad ſanitatem inclinant , cum ex abditio erumpunt , ac vim ſuam proferunt. Senec. Epiſt. 56.

Quidam ventri obedientes , animalium loco numerandi, non hominum : quidam verò ne animalium quidem , ſed mortuorum : vivit is , qui ſe vtitur , qui verò latitant & torpent , ſic in domo ſunt , tanquàm in condititio , horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuã anteceſſerunt. Id. Ep. 60.

Idem Ep. 55. loquens de quodam Vatia divite, qui ocio tantum deditus, dùm audiebat aulicorum vt Sejani adverſa,exclamabat, ó Vatia ſolus ſcis vivere:ille, inquit Seneca , latere ſciebat , non vivere ; multum autem intereſt,vtrùm vita tua,otioſa ſit,an ignava;& nunquàm hanc villam Vatia vivo præteribam , quin dicerem. VATIA HIC SITVS EST.

Sed adeò Philoſophia ſacrum quid eſt , & venerabile , vt etiam ſi quid illi ſimile eſt , mendacio placeat. Otioſum enim hominem , ſecurum , ſe contentum,ſibique viventem putat vulgus,quod contingere ſapienti tantùm poteſt. At qui res & homines fugit, C quem cupiditatum ſuarum infœlicitas relegavit , qui alios fœliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal metu oblituit , ille ſibi non vivit, ſed quod eſt turpiſſimum , ventri , ſomno , libidini: non continuò ſibi vivit , qui nemini : adeò tamen magna res eſt conſtantia , vt habeat authoritatem inertia etiam pertinax.

Quidam eo nimio animi languore ſolvuntur,vt per ſe ſcire non poſſint an eſuriat , niſi moniti : hunc tu ignorantem an ſedeat , putas ſcire an vivat , videat an otioſus ſit ; non facilè dixerim vtrùm magis miſerear ſi hoc ignorant , an ſi hoc ignorare fingant : multarum rerum ignorantiam ſentiunt , ſed multarum D imitantur : qui eo vſque delitiis interiit, æger eſt, imò mortuus ; ille otioſus eſt, cui ſui otij ſenſus eſt, hic verò ſemivivus. Seneca de brevitate vitæ. c. 14.

Cœlum Empyreum,licet immotum,influit in inferiora,quia non cõvenit eſſe in vniverſo aliquam creaturam otioſam. D. Th. 1. q. 66. a. 3. *Vide Ver. Virt.*

Dicta debent concordare operibus.

Inter vos dormiunt multi. 1. Cor. 11. Iſboſeth & Holophernes dormientes necantur. 2. Reg. 4. & Iudith. 13. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt. Pſ. 113.

Si quis vel parùm ſumpſerit de ſtecore Dicæron, Indicæ aviculæ , moritur in veſperam, morſque ſimilis eſt ſomno ſuaviſſimo , moleſtiâ vacuo. Ælian. lib. 4. c. 40.

Verum eſt illud Marci Caronis oraculum , homines nihil agendo malè agere diſcunt , vndè occupatio recenſetur inter remedia amoris impuri. *Vide Cont. Vol.*

Vita humana veluti ferrum eſt,quod ſi exerceas vſu conteritur,& cum ſplendore quidem, ſin minùs exerceas rubigine exeditur:ſic homines ſi exerceantur honeſtè, conteruntur, ſin minùs inertia & torpedo plùs illis detrimenti affert.

Otioſi inutilia ſunt terræ pondera : deſidia vivi hominis ſepultura eſt.

Cum legamus Adam initio in paradiſo voluptatis poſitum vt operaretur, quis ſapiens filios ejus in loco afflictionis poſitos ad feriandum arbitretur? D. Bern. in diverſ.

Operemur cibum qui non perit , operemur in ſapientiâ quæ dicit ; Qui operantur in me non peccabunt : ager enim eſt mundus , ait veritas , fodiamus in eo : theſaurus abſconditus latet , effodiamus eum. Ipſa enim eſt ſapientia quæ trahitur de occultis , fruſtrà quærit , qui in lectulo ſuo quærit. Idem Ibidem, *Vide Dur. Virtus.* Mora & exercitatio in acquirendâ virtute.

Quis ferre poteſt in homine egeſtuoſo laſciviam? criminoſior quippè eſt luxurioſa paupertas , & majoris invidiæ miſer nugax. Salv. l. 7. de gub. Dei.

Antè focum ſi frigus erat , ſi meſſis in vmbrâ. Virgil. Elog. 5.

Situ & corpore aër & aqua corrumpuntur , metalla rubiginem contrahunt ; in aquis ſtagnantibus B ſunt tantùm bufones , ſerpentes , & venenata animalia. Vitiorum ferax eſt otium : ſic peccat David. 2. Reg. 11. Sic Salomon. Vrbs Zachis à tribu Dan. vaſtata, quia otio & delitiis dedita.3.Reg. 28.V.Prov. 3. Sap. 10.

Scipio naſica ſuadenti Catoni, & decernenti Senatui , vt æmula Imperij Romani Carthago diueretur, contradicebat , timens infirmis animis hoſtem ſecuritatem , & tanquàm pupillis civibus idoneum tutorem futurum timorem exiſtimans , nec enim ſua feſellit ſententia , nam deletâ Carthagine , tunc luxus, & immoderata dominanti libido. D. Auguſt. l. 1. de civit.c.30. *Vide Bon. Virt. & Glor. Contrar.* C

Omnia congratulantur in actione ſua opifici, ſolus piger de divinæ liberalitatis beneficentiâ non ſibi exiſtimat eſſe lætandum;cum ſit homo divinitatis imago multùm deficit à prototypo , qui ſummus eſt actus. Summa actio ſuperioribus convenit;ſic homini mundi principi. Marſil.Ficin.

Convertere anima mea in requiem tuam.&c. quia eripuit animam meam de morte. Pſ. 114. Numquid in morte eſt requies , mitis atque humilis debet eſſe actio , tendens ad requiem , non tamen pigra & deſidioſa , vt curſum conſumet ; neque enim ſicut in iſtâ vitâ ſomni requies nos reparat ad actionem, ſed actio bona perducit ad ſemper vigilantem quietem. D. Aug. in d. Pſal. D

Bonum nobis eſt non langueſcere, ſed adverſis exagitari. *Vide Bonitas. Virt. & Glor. Contr. & Contr. Virt.* Oportet hæreſes eſſe.

Exercitus in otio diſſolvetur,aut voluptate, aut ſeditione.

Anauros eſt fluvius Theſſaliæ , qui nec humentes nebulas , nec rore madentem aërem , nec tenues ventos aſpirat.

Appollonius ad Tharſenſes , circà fluvium vrbem ipſorum præter fluentem otiantes,dixit,Deſinite aquâ temulenti fieri. Plin. in vitâ Appol. l. 1. c. 5. E

Inter populares gubernationes optima eſt illa quæ conſtat ex agricolis, quia cum ſit negotioſa hæc multitudo, tarò concionem agit;operi ſuo intenta , aliena non curat,nec appetit Magiſtratus,niſi adſit magnum lucrum : laboribus etiam exercitati ad bella ſunt aptiores. Ariſt. l. 6. Polit. c. 4.

Qui venena hauſerunt ſomno ſunt privandi , quia ſomnus retinet venenum in partibus interioribus , at vigilia evocat ad externas partes. Galen. l. 1. de antidotis.

Nulli otioſi ſunt tolerandi,arteſque omnes in prætio ſunt ponendæ in locis naturâ ſuâ indigis , & ſterilitate laborantibus.

DESIDIÆ MALA.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Avarus ſibi, prodigus alijs laborat: ad teſes nulli, ne quidem ſibi bonus eſt; ſed acceptæ naturæ & gratiæ dona ingratiſſimè videtur inficiari, quaſi non acceperiſſet; publico damnandus judicio, niſi à ſeipſo pœnas exigeret. vitam enim pro morte commutat, quia non vivit qui non agit, & nullis congentibus adverſis, ſed in ipsâ facultatum prodire volentium copiâ cenſetur ſibi violentas afferre manos: infauſtum tamen humano generi monſtrum longiùs eſt deportandum.

MAGNITVDO. Ineſt rebus omnibus inſita vis quædam, quâ ſe vindicant ab ortus ſui defectibus, & ad ſpeciei ſuæ debitam amplitudinem Promovent: hunc naturæ ſenſum etiam inſenſibilibus communem extinguit in ſe deſes, & cum averſetur omnem actionem jaceret adhuc in infantiæ pannis; imò cordi motum, hepati ſanguinificationem, cæteriſque partibus opus ſuum non conceſſiſſet, ſi vegetans facultas à ſuo penderet arbitrio: ſed nùm melius eſſet mortuam hanc partem, cæteris exitialem è vivente humanæ ſocietatis corpore penitùs tolli;

DVRATIO. Ardentibus deſiderio animis piger videtur annus; ſed deſidi nimium celer, dùm indefeſſâ revolutione redeunt laboris occaſiones, à quibus, vt à cæterorum in opere fervent ium exemplo ægrè ſuſtinet ſe ſolliciari. Dùm dilator iners legitimis temporibus ceſſat ab actione, ſpoliatur jure ſuo, perpetuâque exceptione, & præſcriptione ſummovetur: fruſtrà quis meſſem in hybernum, agriculturam in æſtivum tempus diſtulerit: &c. Sera ſempertalibus eſt pœnitentia.

POTESTAS. Deſidia omnium duriſſima ſervitus, vt quæ naturales potentias, quaſi catenis oneratas, obſcuro claudit carcere: comparanda paralyſi, quæ ſenſum & motum extinguit; hinc gravior ægritudo, vbi cum ſanitate etiam ſanitatis morbique ſenſus adimitur. Non dicam liberum & ad agendum potentem eum, qui ſe non valet erigere, facultatum natura conceſſerat, ſed torpor oppreſſit. Si laboribus Dij omnia vendunt, exulat ab hoc cœleſti commercio, & rerum omnium penuriâ meritò laborat, qui parcit labori.

COGNITIO. Diffundit ſol lucem, ſed apertis excipienda eſt oculis; oſtendit inter, ſed carpendum eſt: diuturnis ſæculorum experimentis quæſitæ ſunt ſcientiæ, non tamen ſinè laboribus. & imprimuntur menti, & tranſeunt in opus. Deſidiæ convenit quod dicit Propheta, Noluit intelligere vt benè ageret. Quam gravis morbus cui cæcitas, naturæ rationali eſſentialiter inimica, ſolatium eſt? Etiam pœne ſervis grata eſt amiſſæ libertatis recordatio.

VOLVNTAS. Sed quidquid agat deſes excitat ipſum ſyndereſis, monet publica naturæ vox, & ipſe populorum omnium in officia ruentium concurſus: igitur deſes novit agenda, ſed illa vult & non vult, afficit ipſum vtilis & honeſti grata naturaliter ſpecies, ſed neceſſariò ad conſecutionem labore deterritus, ſe continet: ſic purgantibus in ſe affectibus miſerè dilaniatus, cum & operis laborem præſentiat timidis ſuis cogitationibus, & tamen fructum amittat ſuis & aliorum oculis ignominiosâ delertione.

VIRTVS. Virtuti proprium eſt, affectus, aut penitùs extinguere aut ſic moderari aut nihil retrahant de ſe-

A licitate, ſed illi militent. Paſſiones omnes admittit deſidia, vt quiete quaſi ſummo ſuo bono fruatur, ſed ab illis, quaſi ab hoſtibus in mœnia receptis, crudeliſſimè habetur. Ex amore, deſiderio, ſpe nihil ſentit, niſi quod eſt arduum: cum interim tot quieti ſuæ adverſantium, inſidiantium, odio, metu, deſperatione torqueatur. Peccat in omnes virtutes, in Prudentiam cum non prævideat, & tot miſerorum exemplis doceatur neceſſariam ex torpore turpem paupertatem; in Temperantiam, ſic tranſiens in defectum actionis, & exceſſum mortiferæ quietis: in Iuſtitiam cum vt ſomno indulgeat, Deo, ſibi, & proximis debita non perſolvat officia; in Fortitudinem, qua neſcit nec ſuſtinere, nec aggredi, &c.

B VERITAS. Deſidis non eſt vera quies ſed apparens, vt ægri, etiam in ambitioſè ſtracto lecto decumbentis: Dùm vult ſibi lex eſſe à nullo pendens, ſibique tantùm bonus, incidit in legum pœnas, ſcilicet in bonorum jacturam, in infamiam, in privationem civilium munerum, fitque in propriâ ſuâ patriâ deportatus exul, non corpore ſed officio. Non eſt vera, neque libera, vndè nec penitùs grata quies, ad quam fortunæ malignitas, conſcius ſuæ turpitudinis animus, vitiumque impotenti amiſerum damnavit.

GLORIA. Inferioribus quies procedit à domino terræ, abjectiſſimi inter cætera ei menti: vt periculoſiores ſunt morbi, ſic mores ad defectum potiùs, quàm ad exceſſum declinantes; deterior eſt avaritia C quàm prodigalitas, & deſidiola quies quàm ſe rerum tumultibus implicans ambitio. Nemini decreti ſunt triumphi, ex eo quod latuerit: ſi contrariorum eadem eſt ſcientia, vt honeſtæ ex fortiti actione, turpitudo naſci debet ex illo impotenti receſſu. Quietat quidem virtus, ſed poſt labores, ac timidis, ignavis, deſertoribus, eandem ex torpeſcente ac ex emerità quiete gloriam ſibi vindicare, ſumma injuſtitia eſt, & ſpecies quædam idololatriæ vitio divinos honores detrernere: Quis audeat æquare ferram empyreo, ex eo quod ſimiliter quieſcat;

DIFFERENTIA. Anceps humana natura gaudet varietate vt ſibi ſympaticâ, nec ad diuerſa natum animum vni rei ſinè ſupplicio alligaveris: ità deſes, vt extrà naturalem ſuum locum poſitus, diuturnam D non patitur quietem: abſtinebit quidem ab honeſtâ actione, ſed ſe non temperabit, quin vt fera intrà caveæ & catenæ ſuæ anguſtos limites, vt ignis e ſubano reflexus, ſic ipſe inter privatos parietes ægris paſſionibus exagitetur.

CONCORDANTIA. Diſſolveretur mundi & humanæ ſocietatis harmonia, ſi quælibet pars, communitati cui nata eſt ſe ſubducens, ſibi tantùm vacare vellet. Iniquum eſſet, ſi in ſocietate conſtitutus, commoda non damna vellet partiri, & ſocios habere vt ſeruos ſibi laborentes. Amor ad officia promptus. *Vide Bonitas & Poteſt. Volunt.* vndè licet conjicere deſidem nullos amare, quippè nullis laborat; cum autem civilis amicitia vt plurimùm vtilitatis titulo contrahatur, deſes nullis vtilis, a nullis amabitur, eodem vitio exul à negotiis, & à ſimilium affectu.

CONTRARIETAS. Vis quælibet naturaliter exaſperatur; ſibique accreſcit quaſi pugnatura ad occurſum contrarij: at quis torpor humanum inſedit animum, vt inter hoſtes ſibi fidens indulgeat otio, & diſtendatur deliriis hoc eſt ſcutum & enſem antè conflictum turpiter abjicere, hoc eſt Deo & naturæ contumeliam facere, quaſi non æquis viribus nos ad certamen inſtruxiſſent; hoc eſt ipſis hoſtibus tam facili deditione gloriam illuſtris certaminis invidere.

PRINCIPIVM. Non erat opus nos educi ex vtero materno, ſi nos idem torpor hic deberet tenere: no-

vt in naſcendo, & per ætatem conditiones, ſub cœlis, elementis, & tot cauſis ſemper variis nos a torpeſcente in eodem quiete ad varias actiones vocant: Vt prima cauſa, primuſque actus laudatur rectâ creaturarum ab ipſo pendente actione; Sic quodammodò læditur, neglectis, obſcuratis, otio marceſcentibus, & quaſi extinctis potentiis, ab eo acceptis.

MEDIVM. Cum homo ſit medius rerum, eo vacante & otiante interrupta manet ſuperiorum cum inferioribus ſocietas ſitque vacuum in naturâ, eo deterius, quod in elementis mundus ſtupendâ commotione averſatur. Non eſt quod ad actionem te invalidum eſſe dicas, nam tene ſecundas, medias, aut etiam vltimas partes, ſi non potes primas: Potes aliis ſapientioribus, & validioribus agentibus eſſe loco inſtrumenti, & quem à te non habes motum ab aliis accipere.

FINIS. Cum ad beatitudinem longa tibi ſuperſit via, quomodò in ipſo jam egreſſu tibi putas eſſe quieſcendum. Tolerabilius mortem quàm otium optares, nam in morte nulli futurus eſſes gravis, nulli peſſimo deſidiæ exemplo nocius; otium etiam, vt mors, innumeras dicit privationes, ſed liberas, Deo, naturæ, humano generi contumelioſas, & civili ſocietati perniciosas: Quanta prævaricatio vt ignaviæ torpor, vt fœdâ rubigine ſegnities vſurpet titulum quietis, heroicis actionibus aſſignandæ pro præmio?

MAIORITAS. Innatus nobis excellentiæ appetitus extinctus eſt in eo, qui nullâ æqualium ſe ad altiora promoventium æmulatione ſtimulatus, otio ſibi putat eſſe indulgendum: longius à propoſito termino rapietur, qui immotum ſe tortenti committit. Quantumcumque te otij tenat cupido, fluctuas, ipsâ temporis & fortunæ neceſſariâ & inconſtantiâ, cui te naſcendi conditio expoſuit, his in fluctibus, non moveri, hoc eſt mergi; non pugnare, hoc eſt tot hoſtibus, fœlicitati noſtræ inſidiantibus, in prædam dari.

ÆQVALITAS. Vitam hanc, quâ frueris, debes majorum providentiæ, parentum pietati, patriæ legibus & auxilijs; paria his quæ ab anteceſſoribus accepiſti debes in poſteros effundere, quod ſi ab hoc opere ceſſas, injuriam infers ſæculis omnibus, & anteactis ingratum, præſentibus & futuris infidum depoſitarium te præſtas, quaſi tui tantùm individui conſervandi causâ laboratum ſit.

MINORITAS. Otium vt mors complectitur privationes omnes, ceſſat enim ab omni honeſtâ & vtili actione. Quis igitur æſtimet damna ejus mali, cujus pernicies videtur infinita? Vt rectum opus oportunè factum ſemen eſt, vndè maxima poteſt exurgere bonorum meſſis; ſic qui illud ſuffocat, inæſtimabilis illati damnati reus eſt.

NIMIA DELECTATIO & voluptas, nimius luxus.

DE mortificatione, quæ nimias ſenſuum delectationes coërcet. *Vide Minor. Glor.*

Regna nimio luxu periere. *Vide Finis Poteſt.*

Comœdi Tragœdi non tolerabantur in Civitate Spartanâ, nec Poëtæ, qui amatoria componerent.

Sabæi populi ex odore & fragrantiâ fructuum & florum apud eos naſcentium patiuntur ſpeciem lethargiæ, quæ vocatur Carus, cerebri ſpiritibus nimio odore infectis.

Flores naſcentes in meſſibus grati ſunt viatoribus ſed ſi abundent nocent agricolis.

Nocet famæ Principis voluptates ſectatiùs ſit magnificus, vt tamen appareat laborum patiens, alioquin amittet authoritatem inter ſubditos, & ipſum faciliùs hoſtes aggredientur.

Creſippus juvenis, ſic deditus erat voluptatibus vt ornamenta ſepulchri paterni, in quæ populus Athenienſis mille drachmas impenderat, ob voluptatem vendiderit. De multis aliis intemperantibus. Vidé Athen. lib. 4. c. 20.

Maximâ cum ambitione contendebant Nicocles & Straton, ac ſtudebat vterque vt ſuaviorem pigtioremque vitam ageret, domus ac ſacrificiorum magnificentiâ ſuperaret, dabant operam vt fœlices, beatique eſſe viderentur, tamen violentiâ morte interfecti ſunt. Idem l. 12. c. 14.

Sybaritæ ſic vt ſuprà dictum eſt otio indulgebant & quieti, vt nullam artem mechanicam quæ murmur ederet, in civitate paterentur: videbatur illis maximum fœlicitatis argumentum, quod cum regio portu careret, incolæ omnes ibi neſcentes fructus abſumerent. In tantùm delitiarum ſtudium deveneranr, vt equos etiam ad tibiam in ſimpoſiis tripudiare aſſuefecerint; quod cum hoſtes cognoviſſent in die conflictus, tibiarum ſonitu ſaltantes effecerunt, non pugnantes. Idem cap. 6.

Duplex eſt paſſio ſenſuum, vna quæ levis eſt, quæ palpat ac mulcet, & ex eâ naſcitur voluptas, cum illi conſentiat animus; alia paſſio aſperiùs & duriùs agitat, quàm & animus abhorret, & hinc dolor. In ſonis & figuris, cum inſit compoſitionis ordo, harmonia & pulchritudo eſt quoddam veſtium rationis, quod non ſolùm ſenſus, ſed etiam mentem ipſam afficit voluptate; & ex duabus hiſce voluptatibus, duæ futuroris divini ſpecies Amor & Poëſis: cæteræ ſenſuum voluptates omnibus competunt animantibus, cum in illis multum ſit veſtigium rationis, vndè ſunt ferinæ, abſurdæ, ſerviles incontinentiſſimæ & furioſæ, maximè quæ circa guſtum & tactum, vndè qui in illis excedunt dicuntur incontinentes. Marſil. Ficin. lib de volup.

Vehemens delectatio corporalis impedit vſum rationis, tùm ratione contrarietatis, tùm quia attrahit ad ſe attentionem. D. Th. 2. 2. q. 34. a. 3.

Iuvenibus dabimus aliquod laxamentum, in deſidiam verò ociumque non reſolvemus & procul à contactu deliciarum retinebimus, nihil enim magis facit iracundos quam educatio mollis & blanda: ideò pupillis quò plus indulgetur & licet corruptior ſit animus; non reſiſtet offenſis, cui nihil vnquàm negatum eſt, cui lachrimas ſollicita mater ſemper abſterſit cui de pedagogo ſatisfactum eſt: non vides vt majorem quàmque fortunam major ira comitetur. Senec. l. 2. de irâ. c. 21.

Mindyridem aiunt fuiſſe ex Sybaritarum civitate, qui cum vidiſſet fodientem, & altius raſtrum allevantem, laſſum ſe fieri queſtus, vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. Idem ſæpiùs quæſtus eſt, quod foliis roſæ duplicatis incubuiſſet. Vbi animum ſimul & corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur, non quia dura, ſed quia molles patimur. Ibidem. c. 25.

Anthiochus Rex Aſiæ, bello contrà Romanos moto, poſitis aureis ſericiſque tentoriis, cum ſub Euripi murmure, tibiis fidibuſque concineret, collatis vndique, quamvis per hyemem roſis, nè in aliquo genere Ducem agere videretur, virginum, puerorumque delectus habebat: talem Regem, jam ſuâ luxuriâ debellatum, Populus Romanus facilè fugavit, ità vt nihil in Anthiocho fuerit ſpecioſus, quàm quod à Romanis victus eſt. Flor. l. 2. c. 8.

Lucianus dialogo Charontis & Mercurij introducit Mercurium exigentem debitum à Charonte, nec recipit excusationem quod Charon parùm lucretur cessante bello, quia plures homines moriuntur delicijs corrupti, quam hostili manu confossi.

Comedent & non saturabuntur, fornicati sunt, & non cessaverunt, quoniàm Dominum dereliquerunt in non custodiendo: fornicatio, & ebrietas auferet cor. Osee. 4.

Balneum extruere licitum est vnicuique, dummodò visitatum modum non excedat. l. 1. Cod. de ædific. privat.

Frigus intensius est sudo & aperto cœlo quàm nubilo. Arist.

Censetur servum corrumpere, qui suadet consilio, vel laudatione vt sit amator, in spectaculis nimius, luxuriosus, &c. l. 1. & 2. ff. de servo corrupto.

Hostium dolus est eos voluptatibus corrumpere, quos non possunt aperta vi superare. *Vide Potest. & Volunt. Gloriæ.*

Delectationes dupliciter sunt innaturales, scilicet quæ sunt contrà rationem, & quæ sunt contrà naturam communem. D. Th. 1. 2. q. 31. a. 3.

Fallitur Loth eligens tertam Sodomorum amœnissim. Gen. 13.

Plato lib. 3. de legib. Infœlicem dicit eum cui secundùm cupiditates omnia prosperè succedunt; orandum dicit, vt non eventus sequantur cupiditates, sed cupiditates rationem.

Christus permittit, vt Dæmones intrent in porcos ideſt voluptatibus deditos homines, & grex totus præcipitetur in mare. Math. 8.

Adam cecidit in paradiso voluptatis.

Antiqui Galli legibus prohibebant ad se deferri extraneas merces, quæ sunt tantùm ad voluptatem, contenti vitæ necessarijs in suo solo nascentibus.

Nè tei militaris Comitibus vel Tribunis lavacra præstentur. Cod. 8. t. 48.

Nimius musicæ vsus enervat animum. *Vide Min. Glor.* De mortificat. auditus.

LVXVS IN CONVIVIIS.

DE ebrietate, quæ mentem excæcat. *V. Contr. Cog.* Vndique convehunt omnia nota fastidienti gulæ: quod dissolutus delicijs stomachus vix admittat, ab vltimo portatur oceano: vomunt vt edant, edunt vt vomant, & epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Cajus Cæsar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio cœnavit vno die: & in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit quomodò provinciarum tributum vna cœna fieret. O miserabiles quorum palatum nili ad pretiosos cibos non excitatur; pretiosos autem, non eximius sapor, sed raritas & difficultas parandi facit; alimenta, quæ rerum natura omnibus locis disposuit, quasi cæci pertranseunt, & cum famem exiguo possint sedare magno irritant. Apicius postquàm ingens Capitolij vectigal singulis commessationibus exsorpsisset, ære alieno oppressus, cum inspectis rationibus vidisset sibi supereſſe sestertium centies, velut in vltimâ fame victurus veneno vitam finivit, &c. Senec. in cons. ad Helv. c. 9. & 10.

Parunius Syriæ Præfectus cum se quotidie epulis quasi funereis sepelisset, & quasi sibi parentaret, ab exoletis in cubiculum efferebatur. Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi. Idem.

Philoxenus optabat collum gruis, vt diutiùs ciborum quos sorbebat voluptate frueretur. Apicius à Campaniâ in Lybiam navigavit, vt squillas majores quam quæ essent in suo mari ederet, &c. de alijs gulæ deditis. Athen. l. 1. c. 3.

Asellus marinus cor in ventre habet. Idem lib. 7. cap. 31. tales sunt ventri dediti, vt ait Clem. Alexand. lib. 1. pædag. cap. 1. & lib. 2. cap. 2. in f. Eosdem comparat tauro signo cœlesti, qui depingitur inflexo in ventrem capite, & quasi caput in ventre habeat, dicitur ἀχίρωλος.

Cantibaridi Persæ, cum essent mandendo defatigatæ maxillæ, in hiantis os domestici cibos tanquàm in vas inanime projiciebant.

Cajus Caligula pretiosas margaritas aceto liquefactas sorbuit in convivijs. Patina Vitellij ducentis sestertijs, hoc est quinque millibus aureorum constitit in quâ scarorum jecinora; phœnicopterorum avicularum linguæ & murænarum lactes commiscebantur. Lucullus qui primus luxum Romam invexit, intentes opes, quas devictis duobus potentissimis regibus Trigane & Mythridate sibi comparaverat, in convivijs consumpsit: Marcus Antonius in convivijs similiter exhausit ducenta millia talentorum, hoc est centies & vicies millies mille aureorum. Cleopatra Ægypti Regina gloriabatur se centies sestertium vnâ cœnâ absumpturam. Itaque parata Antonio exquisitissimis cibis referta cœna, tandem detractum auribus vnionem, pretio ducentorum & quinquaginta millium aureorum aceto mersit & liquefactum absorpsit.

In convivijs; euripidum fluxus latentibus aquarum fistulis exprimebant, implendo aut siccando; versatilia cœnationum laquearia ità coagmentabant, vt subindè alia facies, atque alia succederet, & toties tecta quoties fercula mutarentur. Seneca. Epist. 90. vbi plura de sumptu conviviorum. Exhibebantur etiam certamina gladiatorum, interdùm vera, interdùm falsa. Athen. l. 1. c. 8. & l. 4. 17.

Asinius Celer Consul Caio Principi garum piscem obtulit, quem mercatus erat octo millibus nummorum: Nunc coqui triumphorum pretijs parantur, & coquorum pisces, nullusque propejam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè sensum domini mergit. Plinius lib. 9. cap. 17. Hinc coquorum solita arrogantia. Vide Athenæum lib. 7. cap. 14. & quia peritè carnes scindebant sacrificijs præerant & nuptijs. Ars etiam cibos scindendi inter cæteras habita est præstantissima, vt quæ violentæ & necessariæ cupiditati indulgeret. Id. l. 14. c. 31.

Magnificus apparatus conviviorum & sumptuosa largitio, ab opulentiâ mox peperit egestatem. Florus lib. 3. cap. 12. loquens de interitu Reipublicæ Romanæ, cum populus à tribunis agros & cibaria flagitaret, per famem, quàm luxus fecerat.

Rosis, alijsque floribus coronabantur, vnguentis capite delibuto. Vide Athenæum. lib. 13. cap. 5. hos irridet Lucianus dialogo de moribus philosophorum: Sollecymum vocat voluptatum in his qui vnguenta bibunt, qui amant intempestiva vt hyeme rosas: fines enim voluptatum confundunt, nec sciunt illis vti: flores sub adoratu erant constituendi, vt hinc major esset voluptas: irridendi sunt, qui vt brevi voluptate fruantur nulla negotia sustinent.

Heù prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretia rerum; accessit ars picturæ, & aurum argentumque celando cariùs fecimus. Didicit homo naturam provocare; auxere & artem vitiorum irritamenta; In poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere; abjecta deindè sunt hæc, & sordere coe-

pere, & auri argentique nimiùm fuit : Murrhina & A
chriſtallina ex eadẽ terrâ effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas ; hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod ſtatim poſſit petere. Plin. l. 31. in proem.

Clem. Alex. pedag. l. 2. c. 3. Invehitur in talem pretioſum vaſorum exceſſum, quaſi in convivijs, vt in agricultură non poſſemus neceſſarijs non ſumptuoſis inſtrumentis vti ; Chriſtus manu aquam hauſit ; ſuper fœnum voluit convivantes diſcumbere.

Tubis & cymbalis omnia concrepant, vt appareat pompæ omnia tribui, Chariati nihil : Finge poſtridie vnum aliquem convivarum tantulo egere, quanti ſua conſtitit parepſis, nunquam id à convivij domino impetrabit, nempè non id illi præſtitum ſed ſibi ; vndè B
ad convivia faſtidioſi divites coguntur, famelici pauperes excluduntur, glorioſum putantes claris hoſpitibus abundare, caducum malis artibus partum nomen & quæ gloria dicitur, apud doctos infamia eſt. Petrar. l. 1. de Rem. fort. dial. 19.

Rem fœdam pulchro zelo contegunt, dùm commeſſationes convivia vocant, dulce enim eſt amicis convivere, ſed quaſi non poſſit aliter cum amicis vivi quàm comedendo & bibendo. Idem.

Dicit ſcriptura de filiis Iob, quod ſe pervices convivio exciperent. Iob autem pro ſingulis holocauſta offerebat ; Noverat enim purgatione ſacrificiorum diluendas eſſe epulas conviviorum ; in epulis cor ad inane gaudium relaxatur. Vndè Exod. 32. ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere ; epulas loquacitas ſequitur. Filij Iob in convivio ruinâ domus opprimuntur, quia prænuntia eſt tribulationis lætitia ſatietatis. D. Greg. mor. 2. c. 25. C

Sic Baltazar in convivio videt manum ſcribentem decretum ſui interitus. Dan. 5. Sicut in die ambulemus, non in commeſſationibus. Rom. 13. Primum fuit Adæ peccatum, propter quod Æve dictum eſt multiplicabo ærumnas tuas. Gen. 3.

In diebus Noë quando venit diluvium, edebant & bibebant. Luc. 17. Filij Iſraël faſtidientes manna, cum eſcæ, quas concupierant, adhuc eſſent in ore ipſorum, ira Dei aſcendit ſuper eos. Num. 11. Filius veſter il commeſſationibus vacat, luxuriæ & con- D
vivijs, lapidibus obruet eum populus. Deut. 21. V. Iſai. 22.

Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Luc. 6. Dives qui quotidie epulabatur ſplendidè ſepultus eſt in inferno. Luc. 36. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt. Philip. 3. Eſau dat primogenita pro edulio lenticulæ. Gen. 25. Qui diligit epulas in egeſtate erit. Proverb. 21. Ionathas fit reus mortis, quia non abſtinet ex voto facto. 1. Reg 14. Filij Heli carnes nimias à ſacrificantibus exigentes. 1. Reg. 2. Hæc fuit iniquitas ſodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas & abundantia. Ezech. 16.

Chriſtiani non debent balare in nuptiis ſed modeſtè E
prandere. Concil. Ladodicen. can. 53. Clerici non debet inter epulas cantare, alioquin excommunicantur, Conc. Carthag. 4v. can. 62. Saltationes & feſtivitates in natalitijs martyrum prohibentur. Concil. Tolet. 111. can. 22.

Serpentes habent bifidam linguam, quaſi ad majorem guſtus voluptatem, quàm duplicem habent. Ariſt. ſub ejus Animalis ſpecie Demon tentavit primos parentes.

Iudæi vtabantur edere porcinas carnes, maximè quia hoc animal nunquam cœlum reſpiciens, ventri plùs cæteris iddulget, & pinguescit. Lactant. l. 4. de ver. ſap. c. 17.

NIMIVS VESTITVM ornatus.

Licitus quidem & neceſſarius eſt veſtium ornatus ad diſtinctionem dignitatis. *Vide Cognit. Virt.* veſtis diſtinguit dignitates. Tamen hîc poteſt eſſe exceſſus, quem coërceat humilitas veſtium. *Minor. Glor.*

Quæ pura ſunt nuda videri amant, mos eſt fœda coloribus abdere : inſana eſt ambitio fimum tegere purpurâ ; operoſior ornatus formoſis formæ gratiam imminuit, & fulgore ſuo deformium mendacium prodit oculoſque prætereuntium ad ſpectam dùm excitat ; itaque pejus ſibi conſulit deformis, dùm formoſus vult videri : Natura rerum humanâ arte non vincitur, ſæpè etiam quaſi indignans ſe tentari, eo magis attollitur innatam fœditatem oſtendens, quo magis tegitur ; ſic odoribus & coloribus, & conſpecta & ſuſpecta ſit deformitas : pone in feretro aureo palhidum cadaver, gemmis illud, auroque circumda ; quo plùs ornatus, plùs erit horroris. Petrar. l. 1. de rem. fort. dial. 20. *Vide Verit. Virt. Rep.* de nimiâ affectatione.

Tertul l. de hab. mul. Dicit fœminas ſuam ignorare conditionem, dùm ſuperbis veſtibus vtuntur ; in ſordibus potius & ſqualloreagere deberent, Evam lugentem & pœnitentem circumferre, quo plenius id quod de Evâ traxerunt ignominiam ſcilicet primi delicti & invidiam perditionis humanæ, omni ſatisfactionis habitu expiarent : dolor partus te Evam dicit ; vivit etiam in hoc ſæculo ſuper hunc ſexum ſententia Dei, vivat & reatus neceſſe eſt : non hæc Eva expulſa expetiiſſet, veſtibus pelliceis contenta ; vndè omnia iſta ornamenta damnatæ & mortuæ mulieris ſunt quaſi in pompem funeris conſtituta. Angeli in connubium mulierum allecti hanc illas docuerunt in cultu ſuperbiam, per quam & ipſi de cœlo ejecti ſunt Imperfecta fuit gentilium pudicitia, quæ licet animo aliquatenùs tenax ſui agat, in habitus tamen licentiâ ſe diſſolvat, ſolatium appetendo, cujus rei devitat affectum, & ſi ideo ſe velit expingere, vt neget appetitum. Chriſtiana autem pudicitia talis eſſe debet, vt etiam veſte cognoſcatur. Non de integrâ conſcientiâ venit ſtudium placẽdi per decorem, quem naturaliter inviatorem libidinis ſcimus. Quid igitur excitas in te malum iſtud ? quid invitas cujus te profiteris extraneam ? quid alteri periculo ſumus ? quid alteri concupiſcentiam importamus ? quàm ſi dominus ampliando legem à facto ſtrupi non diſcernit in pœnâ neſcio an impunè habeat qui alicui fuerit cauſa perditionis : perit enim ille in tuâ formâ il concupierit, & facta es tu gladius illi, &c. Vos ſolis maritis placere debetis, in tantùm autem placebitis eis, in quantùm alteris placere non curaveritis. Securæ eſtote benedictæ ; vxor nulla deformis eſt marito ſuo, ſatis placuit cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu formâ commendata, &c. Tertullian. Ibidem.

Si egreſſus ignis alterios meſſem conſumpſerit, edder damnum qui ignem ſuccenderit. Exod. 22.

Breviſſimis loculis patrimonium grande profertur ; ſaltus & inſulas tenera cervix fert ; graciles aurium cutes calendarium expendunt, & in ſiniſtrâ per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit hæ ſunt vires ambitionis, tentarum vſurarum ſubſtantiam, vno & muliebri corpuſculo bajulare. Tertul. l. de hab. mul. in fin.

Duc benè inſtitutam non maternis coinquinatam vitijs, non cujus auriculis bina vtrimque patrimonia dependent; non quàm Margaritæ ſuffocent, cui minùs ſit in dote quàm in veſte. Senec. l. de rem. fort.

Quæ vobis eſt cauſa inſtructiùs prodeundi, cum remotæ ſitis ab his ad quæ aliæ indigent; propter ipſum enim conventus, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut vt gloria inſoleſcat. Si neceſſitas amicitiarum vos vocat, cur non veſtris armis indutæ proceditis, quaſi ad extraneas fidei, vt ſit inter ſervas Dei & mundi diſcrimen, & vt ipſæ ædificentur in vobis. Sinè purpurâ, & auro & lapide pretioſo maledicta & proſtituta non poteſt deſcribi in Apocalipſi. 18. Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri. Tertul. l. de cult. fœmin.

Morbido animo corpus ornamus, vulneribus pretioſas faſcias non medicamenta adhibemus, cum veſtiendi neceſſitas procedat ex peccato, qui hinc inſoleſcit, ex compedibus ſuis, ex pœnâ ſibi inflicta reus gloriatur.

Lacedemonij ſolis meretricibus permittebant floridas veſtes & aureum mundum geſtare, vt ab iſtis abſtinerent honeſtæ mulieres.

Pia & Religioſa mullier citrà vllam fictionem incedit, quæ autem immoderati ornatus ſtudio tenetur, & à Deo, & à publico conjugio excidit. vt quæ maritum ornamento permutat. Clem. Alex. l. 2. prædag. c. 10.

Cæus ſophiſta veritatem candidâ tantùm veſte indutam & verecundiâ ornatam ſimpliciter ſtantem deſcribit; at improbitatem ad luxuriam compoſito geſtu, variegatâ veſte, & alieno colore exultantem: veritati ſimilis ſit pudica mulier. Appelles pictor cum vidiſſet quemdam ex ſuis diſcipulis pinxiſſe Helenam multo auro ornatam: ô adoleſcens inquit, cum non poſſes pinguere pulchram pinxiſti divitem. Ex auro muliebri fit aureus vitulus, quem populus adorat. Exod. 32. Caro ancilla eſt. Philip. 2. quid igitur inſtar leonis eam exornas. Vt apud Ægyptios videre erat ſuperba templa, columnis, pretioſiſque lapillis vndique fulgentia, ſacerdotem quoque gravi & venerando vultu, ſed ſi intùs detracto velo inſpexeris irridendum Numen vidiſſes, Felem, Crocodilum, beſtiamque antro, non templo dignam; ſic ſub pretioſis illis velaminibus, non veram reperies pulchritudinem, nec Dei imaginem intùs in habitantem, ſed beſtialem & ſerpentinam animam, ſub ſplendidâ veſte, vt ſerpens ſub ſquammâ verſi colori. Deformem ſe fateturque hæc empatiâ indiget pulchritudine; quæ aurum geſtant, mihi videntur timere ne ſi quis aurum ab eis abſtulerit exiſtimentur ancillæ. Ibidem. lib. 3. cap. 1.

Poſthumia veſtalis Romæ inceſtus accuſata, ob ſuſpicionem amœnioris cultus. Liv. dec. 4.

Mollia veſtimenta animi mollitiem indicant: non tantò curaretur corporis cultus, niſi priùs neglecta fuiſſet mens incluta virtutibus. D. Bern. in Apol. ad Guill. Abbat.

Quomodò exhauriunt arcas, vt veſtes niteant: ſic exinaniunt ipſam conſcientiam, vt nihil habeant ibi pretioſum. D. Aug. in Pſal 149.

Quæ amentia hoſtem & carcerem ſuum ſic ornare?

Clerici non debent fulgidis vti veſtibus. 21. q. 4.

Ex auro & gemmis nulli licet aliquid facere, quod ad cultum & ornamentum imperatorium pertineat, & contrà faciens illorum amiſſione punitur. l. 1. Cod. Nulli licere in frenis equeſtribus, & haltheis ſmaragdos & hyacinthos aptare. Sic altioris dignitatis veſtes nulli licet vſurpare. *Vide Cognit. Virtut.* Veſtis Index dignitatis.

Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt. l. 14. §. 3. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. *Vide Gloria Finis.*

Gedeon ex in auribus aureis, ex ſpoliis hoſtium facit Ephod, poſt quod fornicatur Iſrael. Iudic. 8. adoratur vitulus aureus.

Ex S. C. Maced. non obligantur filiæ ex mutuo quod impenderint, vt ornamenta compararent. l. 9. ff. de S. C. Maced.

Apud Syracuſios lege cautum erat, nè mulieres auro ornarentur, neque floridas veſtes geſtarent, niſi ſi qua ſe publicam amicam eſſe fateretur. Athenæus. lib. 12. cap. 6. Alia etiam fuit lex nè quis vir ſe auro ornaret, ſupervacaneiſque veſtibus vteretur differentibus, niſi ſe mœchum eſſe fateretur, aut cinœdum. Ibid.

NIMIVS ÆDIFICIORVM ornatus.

FVlget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget; ſuos lapides induit auro, & ſuos filios deſerit. D. Bern. in prol. ad Guill. Abb.

Arbores olim fuere Numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant, vndè Iovi Eſculus, Appollini Laurus, Mineruæ olea Veneri mirtus, Herculi Populus, &c. Plin. lib. 12. cap. 1.

Altare ex impolitis lapidibus. Exod. 20.

Lieurgus apud Lacædemonios ſtatuit domorum lacunaria ſecuri tantùm conficenda; vndè cum eorum Rex Leonticidas Corinthi cænaret, videretque auro fulgentia lacunaria, quæſivit an in hac regione arbores ſic terra proferret. Plut. in Licurgo.

Non habemus hic civitatem permanentem: Patriarchæ pro longæva vitâ habuerunt tantùm cellas & tentoria; quid nos pro tam brevi palatia conſtruimus? Curam age, vt potiùs ornetur interior quàm exterior domus; humile tugurium. quia virtutibus proprium, eminet ſuprà fortunam, & ex illo brevior in cœlum via, plùs miror Diogenem in dolio, quàm Alexandrum in palatio.

Qui primus terrenam civitatem ædificavit cæleſtem amiſit, ſcilicet Cain. Gen. 4. Iure arguitur Petrus, qui cum in hoc mundo peregrinus eſſet, volebat domum in monte Thabor ædificare; Militia eſt vita hominis, tentoria non domos poſtulat D. Bernard.

Balneum vnicuique licet ædificare, dummodò vſitatum modum non excedat. l. 1. Cod. de ædif. priv.

Iuvat animum inter ſydera ipſa vagantem divitum pavimenta ridere, & totam cum auro ſuo terram. Non poteſt antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & conſilies ſylvas, & dirivata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem ſupernè deſpiciens, hoc eſt, inquit, illud punctum, quod inter tot gentes, ferro & igni dividitur: ô quam ridiculi ſunt mortalium termini, &c. Seneca in præfatione natural queſtion.

Licet monumentum ornare, itaut fiat ad ſpeciem modicam. l. 2. ff. ad. l Falcid.

Quod voluptatis causâ fit ſinè mandato à ſervo, in rem domini verſum non videtur, quia nec procurator hoc imputat. l. 3. §. ſed ſi mutua. ff. de in rem verſo.

Digitized by Google

Negotiorum geſtor impenſas voluptuarias non repetit. l. 27. ff. de negot. geſt.

Si quid procurator citrà mandatum in voluptatem fecit, permittendum ei auferre, quod ſinè damno domini fiat, niſi dominus offerat tantùm quantùm habere poſſit ex abraſis. l. 10. §. idem ait. ff. mandati.

Maritus non repetit impenſas voluptuarias in re dotali factas, etiam conſentiente vxore, ſed licitum eſt ei tollere, ſi commodè poſſunt, & ei ſublata proficiant. l. 9. ff. de impens. in res dotal. factis.

Si minor reſtituatur ob agrum à tutore venditum non reſtituit impenſas voluptuarias, ſed auferri poſſunt, itavt facies priſtina ædificij remaneat. l. 32. §. interpoſito. ff. de adminiſt. & peric. tutor. Servitutes conſtitui debent vtilitatis causâ, cum rejiciantur ob voluptatem ſolam conſtitutæ. l. ff. de ſervit. *Vide Minor. Gloriæ.* Viſus mortificatio.

Tantum indulgeas corpori, quantùm bonæ valetudini ſat eſt; cibus famem ſedet, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſùs infeſta corpori, hanc vtrùm ceſpes texerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt; ſcito hominem tam benè culmo quàm auro tegi. Contemne omnia, quæ ſupervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt. Sen. Ep. 8.

NIMIVS HONOR, & ſplendor.

CVm Democrata conſtet civium æqualitate, ſuſpectus apud ipſam eſt nimius divitiarum & virtutum ſplendor; vndè ex Periandri conſilio, tales quaſi eminentes in meſſe ſpicas oportet demetere, ſeù gladio, ſeù exilio & oſtraciſmo. *Vide Major. Poteſt. Mal.*

Stellis nimius eſt ſolis ſplendor, à quo obſcuratur.

Non tantùm quia defecerunt Patriciorum familiæ, oriundæ ex centum conſiliarijs à Romulo electis, ſed etiam quia invidiam hæc ſumma nobilitas concitabat, omnes Senatores vno nomine Patres Conſcripti vocati ſunt. Feneſtella.

Proconſul in Provinciam præmittere debet edictum, ſuam continens commendationem, tamen prohibens Provinciales ei publicè, privatimque occurrere. l. 4. §. 3. ff. de offic. proconſ. & legat.

Officiarius tentans adulandi causâ erigere ſtatuas, ſinè Principis voluntate, non eſt immunis à pœnâ. l. 1. Cod. de ſtatuis. De adulatione quæ nimias defert laudes. *Vide Concord. Poteſt.*

Licet privato in publico opus facere, niſi ſit ad æmulationem alterius civitatis, vel materiam ſeditionis præbeat. l. 3. ff. de operib. publ. De jactantiâ quæ dotes proprias nimis profert & extollit. *Vide Cognit. Virtut. Mal.*

Periculoſum eſt Principum favore magnam & ſubitam gloriam adipiſci, quia invident omnes eam & de ruina gaudebunt nullo eam vindicante, cum ab omnibus qualiſcumque ſit exiſtimetur injuſta.

In conflictu periculoſus eſt ſplendidior cæteris ornatus, quia in talem hoſtes ictus ſuos dirigunt; Eos etiam in civitate, vt cæteris ditiores, majoribus onerant tributis.

Regibus Ægypti non licebat figuram ſui vultus nummis aureis inſculpere, quia erat metallum Solis, quem pro Deo adorabant.

Archontes, qui poſt Reges Athenienſis Reipublicæ, regimen acceperunt, ad hanc dignitatem accedentes, publicè jurabant ſe auream ſtatuam nunquam pro quocumque Reipublicæ præſtito beneficio poſtulaturos.

Olim ſimulachra Deorum non fiebant ex auro, quia eſt invidioſa poſſeſſio. Plutarch.

Obtenta victoria ſolent milites inſoleſcere, quaſi ſint illis omnia licita.

Creatura non poteſt adorari latria ſinè peccato. 22. q. 84. a. 1. ad 1.

Quo tempore Carolus Rex invaſit Italiam, viſus fuit Cometes in occaſu ſolis, qui paucis poſt diebus antegreſſus eſt. Solem.

Saul iraſcitur quod mulieres cantent, Saul occidit mille, & David decem millia. 1. Reg. 18. vt vitetur gravis ſemper regnantium invidia, honores præcipui ſunt illis deferendi. *Vide Gloria Poteſt.*

Epaminondas poſtridiè quo fœliciter in Leuctris pugnavit, proceſſit in publicum ſqualido habitu, quærentibus rationem dixit; Heri mihi plùs æquo placui, ejus honoris intemperantiam & gaudij hodiè caſtigo.

Aër deſcenderet ſi in ſublimi ignis regione poneretur, hîc enim conſumeretur. *Vide Volunt. Minoris & Media Gloria.*

Acceptatio perſonarum in Iuſtitiâ diſtributiva eſt peccatum. 2. 2. q. 63. a. 1.

Honoris intemperantiâ laborant magni animi: Vt cor tentatur calidis & ſiccis affectibus propter innatum ſibi calorem. De ambitione. *Vide Volunt. Poteſt. & Volunt. Gloria. Mal.*

De nimiâ fœlicitate. *Major. Bonit.* Abundantia noxia. *& Major. Poteſt. Mal.*

L. Actius Poëta in Camœnarum æde, maxima forma ſtatuam ſibi poſuit, cum brevis admodùm fuiſſet. Plin. lib. 34. cap. 5. De nimio & fictitio ſplendore. *Vide Verit. Gloria. Rep.*

Honores pares debent eſſe ingenijs. *Vide Differ. Poteſt.* Nam levia ingenia nimio ſplendore, vt flores nimio ſolis ardore, marceſcunt.

Populus non ſuſtinet Deum ſibi loquentem, ſed petit vt Moyſes ei loquatur. Deut. 5. *Vide Media Poteſt. Vicaria.*

Exclamanti Gedeoni, quod vidiſſet Angelum, dicit ei Deus, Pax tecum, ne timeas, non morieris. Iudic. 6. Dicit Deus Moyſi, Non videbit me homo & vivet. Exod. 33. Petrus dicit Chriſto miraculum in capturâ piſcium. Recede à me Domine, quia peccator ſum, ſtupor enim circumdederat eum. Luc. 3. Ex nimio ſplendore fit extaſis. *Vide Glor. Cognit.*

Moyſes velat faciem ſuam nimis fulgentem, cum loquitur populo. Ipſemet non poteſt ingredi in tabernaculum, quia Majeſtas Domini eum repleverat. Gen. 40. Sic de ſacerd. 2. Paral. 7.

NIMIA LÆTITIA.

GAudium ſi ſit nimium, ſpiritus poſſunt adeò diſſipari, & cor deſerere, vt obſervatum ſit quoſdam ex profuſo gaudio repentina morte extinctos fuiſſe. Ità Plin. l. 7. c. 32. Refert Chilonem ſapientem obijſſe nimio gaudio, cum accepiſſet filium in olympicis eſſe victorem. Vndè cum ad ſanitatem conſervandam vitandæ ſint paſſiones, inter illas numeretur effuſum gaudium.

Mulier in occurſu filij ex longâ peregrinatione redeuntis ſimili præ nimio gaudio obijt. Valer. Maxim. q. 9. cap. 12.

Sophocles,

Sophocles, & Dyonisius Siciliæ Tyrannus vterque accepto tragicæ victoriæ nuntio : Mater etiam pugnâ illâ Cannensi, filio incolumi viso, contrà falsum nuntium. Plin. l. 7. 3.

Plato. lib. 3. de Rep. Dicit nos non debere esse in risum profusos, hinc enim vehemens mutatio sequitur: & lib. 5. de legib. Dicit sapientem debere se continere à nimio risu & lachrymis, sic enim probabit se ad vtramque fortunam paratum.

Curandum nè risus rideatur, si fuerit indignus; cæterùm vbicumque dignus risus, officium est. Tertulian. adversùs Valentinianos. cap. 7.

Epictetus in Enchir. sic admonet, Risus neque multus sit, neque ad multa, neque ob multa, neque solutus.

Ex Hypocrate sect. 6. aphor minus periculosæ sunt desipientiæ, quæ fiunt cum risu ; arguunt tamen insipientiam, & prosperis facile corrumpendum animum. Nescientem in sinu gaudere, invidiam modestiâ temperare, & bonum suum nè illud impetant hostes prudenter occultare. *Vide Cognit. Virtut. Rep.* Refert Ælian. l. 8. c. 13. Anaxogoram Clazomenium nunquàm ridere aut subridere visum.

Christus fleviſſe, nunquàm risisse legitur, tanti fuit momenti generis humani salus, vt nullas delitias, nè quidem gaudii signa admiserit?

Mania, si ex nimio sanguine in atram bilem mutato fiat, cum risu atque cantu immodico insanit.

Hipocrates. lib. de medico, loquens de decenti conversatione medici: Medicus, inquit habeat faciem meditabundam, non tamen contumacem, nè videatur homine odio habere; qui verò nimis hilaris est, onerosus est, & facilè contemnitur.

Romæ fuit prohibitum, vt quis sedens ludos spectaret. *V. Minor. Gloria.* Abstinendum à spectaculis.

BONA MAIOR ET *splendidior gloria.*

MISCELLANEA.

ROmæ introductum est præstantium vivorum statuas in columnâ ponere. Plin. l. 34. 5.

Non est admiationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota sylva surrexit. Sen.

Cum procedat gloria ex Bonitate, magnitudine, duratione & cæteris principijs, vt *Vide Gloria Bonitatis. Magnitudinis Durationis*, &c. Major erit gloria, major Bonitas, Magnitudo, Duratio, &c. & generaliter vbi potentiora & majora erunt tùm principia tùm Media Gloriæ. *Vide Princ. & Medium Gloriæ.* & cum pro meritis varia decernantur præmia, illi majus contingit, in quo præstantior est virtus. *Vide Differ. Glor.*

Quo præstantior est hostis, eo gloriosior est de illo reportata victoria ; vndè generosi faciles sunt & proni in laudes hostium. *Vide Glor. Virt.* Virtus ab hostibus honorata. Ajax eos qui in bello vulgus interficiebant vocabat messores, at qui optimos & fortissimos ex hostibus arbocicidas appellabat. Philost. in Heroicis.

De privilegijs & miraculis. *Vide Majorit. Potest.*

In pejus versæ sunt res Reipublicæ Romanæ, cum honor olim præstantioribus servatus, indignis de plebe cœpit deferri : vt cum servi emancipati habuerunt jus aureorum annullorum, quod antea nobilibus tantùm erat concessum ; honestæ matrone abjecerunt auream zonam, cum illam prostitutæ sumpserunt.

Carolus. 7. abrogavit ordinem Equitum S. Ouan, cum stellam, quàm habebant pro insigni, sibi etiam sumpserunt Præfecti vigilum milites. Cessavit Ostracismus apud Athenienses, quo præstantissimi ad tempus jubebantur abesse, honesto exilio; cum Hyperbolus pessimus homo eâ lege vrbe pulsus fuit.

Avida est excellentiæ mens. *Vide Volunt. Glor. & Volunt. Major.* Vndè quilibet ægre patitur pares, aut superiores in honore ; & hinc nascitur invidia. *Vide Cont. Virt. Contr. Gloriæ.* Ne autem concidant præstantium animi proponuntur præmia vtilia, & gloriosa, quæ præceteris omnibus in illa nitentibus adipiscuntur. *Vide Gloria Virt.*

EX VTROQVE JVRE.

INter habentes eandem dignitatem, ille priùs debet antecedere, qui priùs est adeptus & meruit dignitatem, cum posterior, etiam si ejusdem honoris præcedat auspicia, cedere tamen illius temporis Consuli debeat, quo ipse non fuerit: hoc observando, etsi iteratâ vice fastigia consulatus aliquis ascenderit ; Repetitæ enim fasces virtutes sæpè meriti comprobant, non augent, quia nihil est altius dignitate. l. 1. Cod. de Consul. & l. 2. Cod. de præf. prætor. *Vide Gloria Duration.*

Ordo inter socios talis provt quisque in societatem venit, prior, & qui judicio dignitatem adeptus est, cæteris præfertur. l. 1. & 2. ff. de albo scrib. præferuntur in albo seù matriculâ hi qui majoribus honoribus functi sunt. l. 2. Eodem.

Administrationem habentes præferuntur vacantibus, id est habentibus dignitatem, non administrationem. l. fin. Cod. vt dignitat. ordo servetur.

Qui major est ordine, licet in Ecclesiâ posterior receptus, in loco & portione præfertur. cap. statuimus, de major. & obedient.

Si simpliciter initia fuerit *societas omnium bonorum* sinè distinctione, ea tantùm continet, quæ ex quæstu & opera cujusque descendunt non verò hæreditates, legata, donationes, quæ ob meritum aliquod, aut debitum obveniunt. l. 9. ff. pro socio.

EX THEOLOGIA.

GRatia & gloria data est Angelis secundùm quantitatem naturalem. D. Thom. 1. q. 62. a. 6. & q. 108. a. 4. Habenti dabitur, &c.

Aliqui sunt Angeli immediatè Deo assistentes, & ab eo misteria percipientes. 1. 1. q. 112. a. 30.

Non oportuit Verbum assumere naturam humanam in omnibus suis individuis, sed in vno tantum, vt Christus esset primogenitus inter multos fratres. 3. q. 4. a. 5.

Ascendisti Christo accrevit gaudium, quo ad modum, non autem intensivè quia de omnibus perfectum gaudium habuit ab instanti suæ conceptionis. 3. q. 57. a. 1. ad 2.

Ex ratione operis meritorij quoddam accidentale præmium debetur essentiali præmio, quod aureola appellatur. Suplem. q. 66. a. 1.

Martyribus, virginibus & confessoribus aureola debetur. Idem. a. 5. & 6.

Cum meritum sui causa præmij, consequens est vt sicut præmio præmium est majus ; sic aureola vna major altera esse dicatur. Ibidem. a. 13.

Omnes pueri æqualem gratiam consequuntur per baptismum, adulti autem inæqualem, secundùm gradus devotionis. 3. q. 69. a. 8.

Beatitudo Dei complectitur & excedit omnem aliam quamlibet. 1. q. 6. a. 4.

Gaudium beatorum ſuperat omne gaudium viatorum. 3. q. 46. a. 6. ad 3.

Gaudium beatorum erit ſuper plenum ex parte gaudentium, non autem ex parte objecti; viatorum autem neutro modo. 2. 2. q. 18. a. 3.

Sancti beatiores erunt poſt judicium, quàm antè. Suplem. q. 93. a. 1.

Anima Chriſti eſt ſuper omnes creaturas. 3. q. 59. a. 1. ad 3.

Claritas veſtimentorum Chriſti in transfiguratione ſignificat claritatem ſanctorum, quæ ſuperabitur à claritate Chriſti, ſicut candor nivis à ſplendore Solis. 3. q. 45. a. 1. ad 3.

Confirmati habent majorem gloriam in cœlo, quàm non confirmati. 3. q. 72. a. 8.

Quidam clarius alijs videbunt eſſentiam Dei. 1. q. 12. a. 6.

Actus cum difficultate magis eſt meritorius, & magis præmiatur. *Vide Gloria Contrar.*

EX BIBLIIS.

BEnjamin quinquies majorem habet portionem quàm cæteri fratres, à Ioſeph. Geneſ. 42. Iacob benedicens filios, dicit de Iuda, Laudabunt te fratres tui; prædicit ei imperium, & Meſſiam ex eo naſciturum: Catulus leonis Iuda, &c. Gen. 49. Ideſt ſicut leo inter cætera animantia.

Deus vocat Moyſem in verticem montis. Exod. 19. Solus ſummus Pontifex ingreditur ſancta ſanctorum. Virga Aaron floruit. Num. 17. Caleb pro parte ſuâ obtinet terram quam habitabant gigantes, Ioſue 14. & cap. 17. Ioſue dicit ad tribum Ioſeph, Ephraim & Manaſſe; Populus multus es & magnæ fortitudinis, non habebis partem vnam, ſed purgabis tibi in monte ſpatia ad habitandum, ſubverteſque Chananæum.

Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. Matth. 5.

Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſtâ. Matth. 11. Qui autem minor eſt in regno cœlorum major eſt illo.

Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium & elevabitur ſuper colles. Iſay. 2. & 22. Loquens de Eliachim ſummo ſacerdote: Erit, inquit, in ſolium gloriæ. *Vide Major. Poteſt.*

Iſa. 60. Deſcribitur gloria Ieruſalem poſt adverſa. *Vide Finis Minor.*

Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12.

Elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos Deus. Pſ. 8. Dominus in templo ſuo; Dominus in cœlo ſedes ejus. Pſal. 10.

Transfiguratio Ieſu: Math. 17. Prodigus reverſus ad patrem feſtivè magis recipitur, quam is qui ſemper apud eum remanſerat. Luc. 15.

ÆQVALITAS GLORIÆ.

AQVALIS REMVNERATIO, HONOR, &c.

MISCELLANEA.

AEQVALIS ſit partitio bonorum, honorum, æquali labore, conſilio, fortunâ quæſitorum. Sic David ex hoſtibus reportata ſpolia partitus eſt inter eos qui certaverant, & eos, qui in ſervandis ſarcinis ſtationem habuerant. 1. Reg. 30. *Vide Concord. Glor.*

Laboribus paria, & ex æquo reſpondentia decernuntur præmia. *Vide Glor. Contrar.*

Debitore liberato, per conſequentiam fidejuſſor quoque dimittitur. l. 19. ff. de dolo malo.

Acceptilatio facta fidejuſſori; prodeſt principali; facta vni ex pluribus reis debendi, prodeſt omnibus. l. 16. ff. de acceptilation.

Non ſolùm minoribus, ſed etiam eorum ſucceſſoribus datur reſtitutio. l. 18. ff. de minorib. 25. an.

Filij clariſſimorum ſunt clariſſimi & vtuntur ijſdem privilegijs, in quorum ſunt vel fuerunt poteſtate; adoptivi tamen emancipari non fruuntur. l. 5. ff. de ſenatorib. *Vide Gloria Concord.*

In vnâ Provinciâ poſſunt eſſe duæ civitates matrices, vna majorum beneficio, alia Imperatoris. l. vnicâ. Cod. de metrop. berito.

Reliquiæ ſanctorum adorantur Dulîâ vt ipſi ſancti. D. Th. 3. q. 25. a. 6. *Vide Gloria Medy.*

Omnes pueri æqualem gratiam conſequuntur per baptiſmum, adulti autem inæqualem, ſecundùm gradus devotionis. 3. q. 69. a. 8.

Nullum bonum creatum additum viſioni Dei facit magis beatum. 1. 2. q. 5. a. 2. ad 3. *Vide Magnit. Gloria.*

Beatitudo æqualiter participatur ab omnibus ex parte objecti, ſed inæqualiter ex parte ſubjecti. 1. 2. q. 3. a. 1. ad 4.

Omnia præmia ſeptem beatitudinum ſunt idem realiter, & differunt ratione. 2. 2. q. 69. a. 4. ad 1.

Filius Dei eſt æqualis, & coævus Patri. 1. q. 42. a. 2.

Fuit hæreſis Arij, quod filius Dei eſt minor Patre ſecundùm Divinitatem, & quod eſt creatura. 1. q. 27. a. 1.

Homines poſſunt aſſumi in ordinem Angelorum, ideſt æqualem illis gloriæ gradum habere. 1. q. 108. a. 8.

Duo Cherubim ſuprà arcam. Exod. 25.

Enoch & Elias tranſlati. In ſingulis menſæ angulis ſingulæ aureolæ. Exod. 25.

Spiritus Dei æqualiter requieſcit ſuper ſeptuaginta ſeniores qui prophetant. Num. 11. Præda de Madian

Digitized by

æqualiter dividitur inter milites. Num. 31. Deus dicit Iosue, Sicut fui cum Moyse, ità ero tecum. Iosue. 1.

Mardochæus vt honóretur procedit cultu regio. Esther. 6. Ego Stigmata Domini in corpore meo porto. Gal. 6. Deus & beati eodem fruuntur bono. Rex Babiloniæ constituit pueris annonam de cibis suis & de vino vndè bibebat. Daniel. 1.

In illâ die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes rivos Iuda ibunt aquæ. Ioel. 3. in fine. Deus vult omnes salvos fieri. *Vide Æqual. Volunt.* Duæ olivæ, vna à dextris, alia à sinistris candelabri, sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniversæ terræ. Zachar. 4.

Iudas Machabæus spolia hostium æqualiter dividit debilibus, pupillis & viduis. 2. Machab. 8. Ex singulis tribubus duodecim millia signati. Apocal. 7.

Benedixit omnibus qui timent Dominum pusillis, cum majoribus. Ps. 113. Triticum omne congregatur in horreum. Matth. 13.

Generaliter cum gloria prodat ex Bonitate, Magnitudine, Duratione, Potestate & cæteris principijs, vt. *Vide Glor. Ben. Magnit. Durat. &c.* vbierit Æqualis Bonitas, Magnit. Duratio, &c. erit etiam Æqualis Gloria: Consulendæ sunt illæ combinationes, & ex illis eruenda Æqualitas Gloriæ, in subjectis, quæ illas æqualiter participant. Vt hic obiter demonstratur.

IN QVIBVS EST ÆQVAlis Gloria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Pari honore colendi sunt hi à quibus æquali affectu & largitione beneficium accepimus; vt dominis suis & patronis servus communis libertate donatus. Æqualis etiam est honor qui defertur, ratione perfectionis genericæ aut specificæ. Sic præferuntur vegetabilia elementativis, sensibilia vegetativis, ratione prædita sensibilibus, viri mulieribus. sic Angelos omnes, Sanctos omnes simul institutis ad hoc solemnitatibus colimus.

MAGNITVDO. Pari admiratione suspicimus æqualis magnitudinis arbores, turres, montes, gigantes, elephantes, fluvios, gemmas, & ea omnia quibus ex quantitate pretium est. Pauperis viduæ oblatio æquatur magnis divitum donis, quia totum dedit.

DVRATIO. Patriciorum nobilitas Romæ æqualis erat, quia coæva. Senibus ætate paribus, eadem contingit immunitas, eadem defertur veneratio. Leges omnes non scriptæ, eodem consuetudinis jure se vindicant, & quium eadem exigunt præscriptione.

POTESTAS. Eadem insigniti dignitate, ijsdem fruuntur honoribus, in veste, infulis, sede, titulis, insignibus, donativis & cæteris suo gradui annexis privilegijs. Non illis sed Religioni, non personæ, sed fortunæ litatur. Etiam Regibus pueris idem exhibetur cultus.

COGNITIO. Duo oculi pulchritudinem simul & similitudinem percipientes æquali perfunduntur voluptate. Olim medici, Philosophi, præceptores, paribus gradui suo concessis gaudebant privilegijs: Similem existimamus esse in ordine Cherubim beatificam visionem. Omni jus dicenti parendum est.

VOLVNTAS. Raptus contingit amantibus tàm humana quàm divina: voluntas si in dilecto objecto ideæ suæ respondentem perfectionem non reperit, A fingit ipsam; sic amor qui iber suæ fœlicitatis est artifex, & mundi saltem idealis creator, vt asserunt Platonici: hinc vulgatum est nullos nisi pulchros gratos, beatos esse amores: hinc omnium vna ex opinione fœlicitas.

VIRTVS. De dignitate & fœlicitate, sapientiæ, Philosophiæ, Pietatis in genere & in abstracto differunt authores: quasi hæc bona naturæ rationali convenientia sectantibus eadem contingat delectatio, eadem fœlicitas. Vbi plures justi & sancti prædicantur eadem subit animum veneratio.

VERITAS. Æquales sibi sunt, licet in dissimilibus causis, exceptiones rei judicatæ: Idem præstatur legum decretis obsequium; omnibus articulis fidei eadem censetur inesse revelata veritas, eadem certitudo; vndè qui peccat in vno fit omnium reus.

GLORIA. Quinque sensibus, eadem censetur esse in omnibus ejusdem speciei animantibus voluptas. Proposita præmia cuilibet fortiter agenti cedunt non attenta personarum, sed actionum dignitate: In triumphis præcipuus honos cedebat Imperatori, omnibus gregarijs militibus eadem corona; sed communis tunc erat totius Reipublicæ splendor vndè publica fiebant vota & sacrificia.

DIFFERENTIA. Omnis novitas, varietas, tædium similiter levat, & animum pari demulcet voluptate, quæ tamen intenditur, provt quæ accedunt objecta sunt gratiora. Omnibus eadem ex loginquo majestas; & ex mysterijs, extra populi sensum positis, veneratio.

CONCORDANTIA. Quod dulcissimum in vitâ est natura commune fecit, cœli, & elementorum fruitionem, societatem, tùm civilem, tùm connubialem; si ex votis & sympaticè tales vniones succedant; quæ ex illis oritur voluptas, similis est in rustico, & in Rege: Cum inter amicos omnia sint communia de suis prosperis æqualiter lætantur, vt socij de rebus societatis fœliciter succedentibus.

CONTRARIETAS. Iratos, & in aliorum perniciem sævientes, eadem trahit gratissima vindictæ cupido; his omnes communibus militant stipendijs. Socrates putat voluptatem potissimùm consistere in cessatione doloris, vndè è naufragio, servitute, carcere, eodemque periculo liberatis par continget delectatio.

PRINCIPIVM. Læta & florida sunt rerum omnium initia, quia spes votis blandiens pervenit finis fruitionem. Honor parenti debitus præstandus est æqualiter, etiam homini de plebe; Ius naturæ est, in quod fortuna suum amittit.

MEDIVM. Circulis omnibus vnum indivisum, immobile centrum est; virtutibus omnibus communis est ex mediocritate securitas.

FINIS. Eadem rebus omnibus in centro suo quies, eadem in finis intenti possessione delectatio, cui spes præludit.

MAIORITAS. Disparis licet fortunæ homines ambiunt in suâ conditione excellentiam, quâ obtenta sibimet, & ipsis etiam alij congratulantur.

ÆQVALITAS. Sub causæ vniversalis influxu æqualis inferiorum dispositio æquales accipit dotes, vndè fulgeat; paria specula similiter soli exposita, pari illustrantur splendore; vernum tempus æquali ridentium camporum lætâ facie semper redit sub æquinoctio.

MINORITAS. Minorum securitati leges æqualitet provident. Æquat omnes cinis. Voluntaria paupertas æquale lætumque præstat contrà cupiditates omnes præsidium.

MINORITAS GLORIÆ.

SEV PRIVATIO DELECTATIONIS, QVÆ DICITVR mortificatio.

MISCELLANEA.

DII interna paſſionum victoriâ, quæ niſi contineantur inſoleſcunt, vincunt miſi vincantur. *Vide Major. Volunt.*

Si vis exercere tibi vtile, nulli autem grave imperium, ſummove vitia: multi inventi ſunt qui vrbes oppugnent, &c. ſed vt vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt, cum agere videbantur, aliàs agebantur. Sen. ep. 94.

De nimia ſcientiæ curioſitate vitanda. *Vide Major. Cognit. Mala.* Vbi de eloquentiæ contemptu, & ſe non immiſcendum alienis negotijs. Mortificatur etiam intellectus, cum tranſit in obſequium fidei. *Vide Media Cognit.* ex Patribus.

De contemptu honoris. *Vide Volunt. Poteſtatis. Rep. & Voluntas Gloriæ Rep.* Contemptus divitiarum. *Vide Minor. Poteſtatis.* Voluntaria paupertas. De abdicatione variæ delectationis in adverſis. *Vide Donat. Virt.* Perſeverantia.

Dixit Petrus ad Ieſum, Ecce nos reliquimus omnia; benè & non ad inſipientiam tibi; nam & mundus tranſit & concupiſcentia ejus, & relinquere hoc magis expedit, quàm relinqui. Exultavit Dominus vt gigas ad currendam viam, ſequi currentem non poteras oneratus, ſed nec inutilis commutatio pro eo, pro quo omnia relinquuntur, nam & ſimul eum eo donatur, omnia & vbi apprehenderis eum, & erit ipſe vnus omnia in omnibus, ſi etiam cum poſſeſſionibus cupiditates quoque reliqueris; plùs enim concupiſcentia mundi quàm ſubſtantia nocet. Age ergo qui relinquere vniverſa diſponis, te quoque inter relinquenda memento; abnega temetipſum, qui deliberas ſequi eum, qui ſemetipſum exinanivit; arcta via & foramen acus ſarcinas non admitti. D. Bern. in declam. Super ecce nos reliquimus omnia.

De coercendo nimio ſui amore. *Vide Volunt. Bonit.* Inordinatus ſui amor.

D. Aug. conc. ad cathec. cont. Iud. c. 2. Loquens de peccatis primorum parentum. Renuntiemus, inquit, huic oneroſæ hæreditari, nè cum exactor venerit nos in carcerem trudat. Renuntiemus vt pupilli; ſic enim de nobis loquitur Propheta. Pſal. 9. Tibi derelictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor, ſi hoc in negotio Apoſtolos vt cœleſtes juriſperitos & conſiliarios adhibemus, monent, Renuntiate ſæculo & pompis ejus.

Minor læſus in aditione paternæ hæreditatis reſtituitur. l. vnic. Cod. ſi min. ab hæredit. ſe abſtin.

Non poteſt gratis conſtare libertas, hanc ſi magno æſtimas, omnia parvo æſtimanda ſunt. Sen. ep. 140. in fin.

Plato dicit Philoſophiam eſſe mortis meditationem, ideſt exercitationem quandam, quâ liberè terrena relinquuntur, vt in morte neceſſario.

Nihil niſi de nobis quæri poſſumus, ea quibus peritemus, nolente rerum naturâ & abſcondente, protulimus; addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt, tradidimus ambitioni & famæ, cæteris æque vanis & inanibus, &c. Sen. ep. 110.

Improbantur artes voluptatum miniſtræ. *Vide Medium Minoritatis.*

B *EXTERNA SENSVVM mortificatio.*

VOs quibus mentis portio conceſſa eſt genus recognoſcite veſtrum, veſtramque naturam immortalem conſiderate, amorem corporis, mortis cauſam eſſe ſcitote, &c. Triſm. Pym. c. 1.

Niſi, ô Fili, corpus tuum oderis, teipſum amare non poteris; quam primùm verò non te, ſed Deum ipſum dilexeris, mentem protinus conſequeris, hanc denique nactus inveſtigationem ſcientia conſequetur. Impoſſibile eſt, Fili, vtriſque intendere ſimul, mortalibus ſcilicet atque divinis; nam cum duo tantùm in ordine rerum inveniantur, corporeum & incorporeum, & illud quidem mortale, illud divinum dicatur, electione vnius, amittimus alterum, quotieſque vnius cura remittitur, alterius actus intenditur; potioris itaque electio eligenti decora non modò hominem qui legit, Deum reddit, verum pietatem ergà Deum cæteris quoque demonſtrat, deterioris autem electio hominem quidem ipſum perdit, & in hoc delinquit, quod divina officia humanis non præferantur. Id. cap. 4.

Ignari mortales, & à pietatis ſemitâ devij, malum bonum eſſe cenſent, malis inſanabiliter vtuntur, eorumque jacturam formidant, & omnibus machinamentis contendunt, nè vno ſolum malo priventur, verùm vt mala in numerum augeantur, hæc fugere & odiſſe difficillimum, quia nos illis vti oportet atque veſci. Ar vt Deum cognoſcas inprimis oportet veſtem quam circumiers exuere indumentum inſcitiæ, pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, ſenſitivum cadaver, ſepulchrum circumvertile, domeſticum denique furem, qui dùm blanditur odit, dùm odit invidet; hujuſmodi eſt quo tegeris vmbraculum inimicum, abominabili faſtidioſaque inebrians voluptate. Idem cap. 7.

Impoſſibile eſt animum hominis, in corporis fæce

Digitized by Google

jacentem, divinam assumere formam; neque illi licet Dei, pulchritudinem contueri, nisi qui antè in Deum fuerit reformatus. Ibid. c. 10.

Anima infusa corpori à voluptate & dolore continuò depravatur; ex corporis enim commixtione, voluptas & dolor ceù rivuli quidam scaturiunt, in quos madens anima suffocatur; quibuscumque ergò animis mens præsidet, suo fulgore illustrat, malis eorum moribus resistens: quemadmodùm verò medicus eruditus ægrotantis corpus dolore afficit, vrendo illud atque secando, recuperandæ valetudinis gratiâ, eodem mens voluptuosam afficit animam, vt radios voluptatis evellat; & quoties hominum animæ mentem nequaquàm fortitæ sunt gubernatricem, eadem quæ & brutorum animæ patiuntur. Id. cap. 11.

Recurre in teipsum, & consequeris Dei notitiam? velis, ac fiet; purga sensus corporis, solve te ab irrationabilis materiæ ipsius vitoribus, sic constat regenerationis modus. Quicumque propter benignitatem generationis, quæ secundùm Deum est, sensum amittit corporeum, teipsum cognoscit ex divinis compositum factusque indeclivis divinâ potentiâ totâ mente lætatus. Id. c. 13.

Ea demùm tunc videtur esse perfecta Religio virtute munita, si etiam cupiditatum omnium alienarum rerum sit despectus, sunt enim ab omnibus divinæ cogitationis partibus aliena omnia, quæcumque terrenâ corporali cupiditate possidentur, quæ meritò possessionum nomine nuncupantur, quoniam non nata sunt nobiscum, sed postea à nobis possideri coperunt: omnia ergò hujusmodi ab homine aliena sunt, vt ea quæ appetimus, &c. Ibid.

Socrates apud Platonem in Phædone, vult omne moralis virtutis officium. in quadam animi purgatione versari sapientiæ gratiâ, alioquin nullam esse virtutem, vndè humanam sapientiam vocat purificationem quandam, perindè quasi existimet nihil aliud sapientiæ nostræ meditatione nos consequi, quàm puritatem quandam, quàm mox illuminatio divina sequatur, quæ propriè sapientia sit: significat præterea non tam habitum aliquem nostris laboribus acquisitum, quàm purificationem ipsam nos Deo conjungere.

Ibidem dicit, animam dùm rebus corporeis oblectatur & pascitur evadere corporalem, atque adeò falli, vt sola corporea judicet esse vera, cum omninò sit contrà; fallaciam hanc malorum omnium dicit esse causam.

Quicumque corpus exercent, animum verò negligunt, quod naturâ subjectum est colunt, spernunt verò quod imperat; vndè meritò alteri subjiciendus est, & agendi libertate, quâ malè vtitur, privandus. Id. in Clitiph.

Vnius corruptio, est alterius generatio, pereant sensuum deliciæ, vt suis fruatur anima.

Quo plùs res sunt corporales, eo minùs agunt; corpus enim mole suâ in motu & actione retardatur, ignis scintilla potiùs elevatur quàm flamma; lumen quia ad spiritualem naturam accedit fit in momento; eadem ratione ignis efficacissima est natura: Cœlum quantò minùs crassum est quàm cætera, tantò luce, motu, effectu est mirabilius; Igitur vis omnis agendi in naturâ incorporali consistit, quia sicut in naturâ Deus primum est agens infinitum, ità vltimum in naturâ, scilicet materiâ corporeâ, infinitum est patiens, quia ex Pythagora in infinitum potest dividi: Sic activa est qualitas quæ spiritualis quodammodò est; ignis enim non per molem, sed per calorem adurit, si magno appropinques non fis magnus, sed si calido calidus, nec percipis quantitatem. V. G. parietis, nisi qualitas, videlicet color, sensum moverit. Sic intellectus quo magis abstrahit à materia perfectiùs intelligit; sic voluntas etiam à talibus abstracta liberior est, vt in proprium suum objectum feratur, &c. Marsil. Ficin. Theol. Plat. l. 2. c. 9.

Major sum & ad majora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis, quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum; hoc itaque oppono fortunæ in quo resistat, nec per illud ad me vllum vulnus transire sino; nunquàm caro ista compellat ad metum, &c. Cum visum fuerit detrahamus cum illo societatem, & nunc tamen dùm hæremus, non erimus æquis partibus socij; animus ad se omne jus dicit: contemptus corporis sui certa libertas est. Vniversa ex materiâ & ex Deo constant; quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: Quod est illic materia, id nobis corpus est, quod imperium regentis formæ sequi debet, serviant ergò deteriora melioribus. Sen. epist. 66.

Tabernaculum factum est ad exemplar ejus quod erat in monte; sic homo exterior debet regi ad instar interioris, legi divinæ conformis, sicque carnis petulantia frænanda est! vni officio non possumus vt decet satisfacere, si non etiam alteri, cum enim homo ex vtrisque constet, sitque in horizonte æternarum & pereuntium rerum, non potest in vnam partem inclinare, quin ab alia discedat. Picus mirand.

Phœnix inter aromata moritur vivifica morte, ex genitali enim cinere pulchrior resurgit; Sic vir bonus corporis mortificationem orationibus condiens. Et refloruit caro mea, &c. Psal. 27. Sicut aquilæ juventus renovabitur. Psal. 102. Idest originalis justitiæ integritas.

Empedocles litem & amicitiam dicebat esse principia rerum? vita spiritualis constat divortio, seù pugna cum corporeis, & amicitia cum Divinis.

Imperatoriam Majestatem, & armis decet esse ornatam, vt vtrumque tempus belli & pacis rectè gubernetur. Inst. initio. *Vide Bonit Contrar.*

Abraham quandò cœpit juxtà Deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, scilicet filium immolatus. Gen. 22. Accepit ignem & gladium, resecare ac exurere quidquid mortale est cupiens vt expedita cogitatione sublimiùs ad Deum evolaret. Phil. l. de Cher.

Idem l. de mund. creat. dicit Evam. Adæ subjectam significare sensibilem animæ partem rationali, vt masculæ & divinæ subjiciendam. Fallit enim & ab officio revocat, si fides illi habeatur sic. l. 2. ff. de reg. jur. Fœminæ ab omnibus officijs publicis & civilibus remotæ sunt, corpus non dominetur animæ.

Qui cædem involuntariam commisissent recipiebantur in civitatibus refugij levitarum: Optima autem est voluntaria cædes passionum circà idola versantium. Phil. Iud. lib. de sacrif. Abel & Cain. in fin.

Non solùm crudelis Tyrannus, sed etiam nimis benignus Princeps nocivus est Reipublicæ, sic enim contemnitur à subditis in arrogantiam versis, itavt cogatur principatum abdicare: Idem contingit rationi, si sensus non represserit, & illicitos appetitus. Idem lib. de Aug.

Subverso Pharaone vterque virorum & mulierum chorus Deo hymnum cecinit, Virorum chorum ducit Moyses, intellectus perfectus; Mulierum verò Maria, sensus purificatus, justum enim est intelligibiliter, sensibiliterque Deo hymnos, laudationesque sinè dilatione dici, & vtrumque instrumentum concinnè pulsari, tàm intellectum quàm sensum, in solius servatoris honorem, ac gratiarum actionem:

melior non eſt victoria quàm quâ vincitur petulantium vitiorum agmen. Idem.

Non poteris ſuper te conſtituere extraneum, inquit Moyſes, frater enim tuus non eſt, ideſt ſenſus non dominetur rationi.

Tribus Levi meretur ſacerdotium, dùm Moyſis juſſu idololatras proximos & fratres occidit, ideſt quidquid eſt carni amicum à ſuâ mente reſecat, talia enim ſapiens habet pro hoſtibus. Idem.

Abraham Deo offert filium vinctis pedibus, ſivè quia nihil mortale Deo dicatus calcare dignabatur, ſivè quia vidit creaturam eſſe inſtabilem, &c. Id. lib. Quod Deus ſit immutab.

Virtutis archetyptum eſt in animâ, ejus autem figura in corpora, ſed purificato; vt lignum aquis innatans ex ſe quidem aptum eſt ad comburendum, ſed dùm aquis, quibus madet, expurgatum fuerit. Idem l. de temul.

In torculari duo ſunt, vnum quod projiciendum eſt & ſubſidet, aliud quod aſſervandum & effluit; vtrumque pendet ex arbore: in hac vitâ vtrumque habemus, animam & corpus; antè preſſuram oliva non erat oleum, nec uva vinum. D. Aug. in Pſal. 80.

Lex divina præcipuit, Sacerdos non edet de ſacris, niſi abluto corpore, purificatus poſt ſolis occaſum; ideſt contemnat & à ſe abjiciat terrena, qui ambit cœleſtia; orto Sole illuſtrantur in terris omnia, in cœlo verò celantur; è diverſo poſt ejus occaſum ſydera promicant, terreſtria verò vmbris obteguntur; ſic ſe res noſtræ habent, quoties ſenſuum ſplendor tanquàm Sol oritur, tunc cœleſtes ſcientiæ occultantur. Phil. l. de ſom.

Iacob humi decumbebat lapidem habens pro pulvinari, dùm ei in ſcalæ ſummitate Deus apparuit. Virgo Mater non invenit Chriſtum inter cognatos. Sponſa quærit & non invenit ſponſum in lectulo; ſi quæritis, quærite, inquit per Prophetam, ideſt convenienti modo.

Durante bello Punico civis Romanus, qui à feneſtra roſis coronatus apparuit, Senatus decreto carcere eſt mulctatus vſque ad finem belli; ſumus hîc in tempore militiæ & mœſtitiæ, non gaudij.

Chriſtus crucem bajulans egreditur ex vrbe, vt novam condat vrbem de quâ Ierem. 31. quæ continet in circuitu ſuo ſepulchra & cineres: Meliùs eſt modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in viſceribus. Morte parentum habemus hæreditatem, moriatur in nobis vetus Adam, &c. D. Aug. l. de 10. de cordis. c. 9.

Fieri non poteſt vt caro non inſurgat, non concupiſcat adversùs ſpiritum; æquetur ergò pugna, vt poſſit eſſe victoria. D. Aug. ſerm. 3. de verb. Apoſt. 6.

Qui in carne ſunt. Deo placere non poſſunt. Epheſ. 4. Placuerunt ſancti Martyres, ſed in carne non fuerunt, portabant carnem, non portabantur à carne; Iam enim paralitico dictum erat, Tolle grabatum tuum; vndè Apoſt. Roman. 8. dicit Vos autem non eſtis in carne. Ibid. ſerm. 6. cap. 11.

Quid non agit homo, vt vitâ donetur quæ paulo poſt deſitura eſt? qui tanta agis, vt paulo ſerius moriaris, age aliquid vt nunquàm moriaris. D. Aug. ſerm. 121. de div.

Vre renes meos, & cor meum, &c. Ideſt ignem appone delectationibus meis. Idem in Pſal. 25.

Per virtutem pervenitur ad gloriam, quia Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Corporis curam differamus in illum diem, in quo ſalvator reformabit corpus humilitatis noſtræ. Phil. 3. Noli ô corpus proripere tempus, ſed potius collabora cum anima, vt cum ea coroneris. Tu habitas in regione tuâ, anima peregrina apud te moratur, da honorem tam nobili hoſpiti: Ruſticus locum cedit nobili hoſpiti, & in angulum domus ſe recipit: honor tibi eſt, vt pro eâ te nunc exhibeas in honorum; vide hoſpitis beneficia, da oculis viſum, &c. ſi tantùm confert exul à Domini ſui facie ejectus, quantùm præſtabit reconciliatus? quanta erit gloria, & ineffabilis exultatio, quandò creator vniverſitatis, qui pro juſtificandis animabus humilis antè venerat, & occultus, pro te glorificanda, ô miſera caro, ſublimis veniet & manifeſtus: Igitur quouſque cæca & inſipiens vanis delectaris, expecta Salvatorem, &c. Quam multipliciter tibi caro mea, Pſ. 62. plùs deſiderat caro quàm anima, &c. D. Bern. ſerm. 6. in adv.

Moyſes Levitis juſſit occidere proximum ſuum & fratrem, ideſt ſenſus nobis affines. Phi. l. de prof.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, oportet eum noxæ dedere. l. 1. ff. ſi quadrupes paup. fec. At delectatio corporalis minuit vſum rationis, tùm ratione contrarietatis, tum quia divertit ad ſe attentionem. D. Th. 2. 2. q. 33. a. 3. ergò illatum animæ damnum pœnâ corporis compenſandum eſt.

Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt, dicit Dominus deleturus terram diluvio. Geneſ. 6.

Dixit Deus Abrahamo, Exi de terra tua, de cognatione tua, & de domo Patris tui, ideſt de ſenſibus, & proprio intellectu, qui eſt in hominis domicilio vt Paterfamilias, ſic vſumfructum, non alienorum, ſed propriorum bonorum capies. Philo. lib. de migratione Abraham.

Luxuriantes reſcinduntur pampini, vt vitis fiat vbetior; curat medicina per ſanguinis miſſiones, per vlcera, & aſpera quæque, aſperior carduus pannum facit leviorem, &c. *Vide Bonit. Contrar.*

Amovendum quantùm licet corporis velum, vt dilectæ animæ noſtræ pulchritudine fruamur.

Sancti movent corpora ſua, vt Angeli cœlos, vi indefeſſa: duplex autem motus in cœlis. Naturalis & violentus; violentus celerior eſt, & diem nobis & annos diſterminat.

Tantùm profice vt affectu non deficias, ſi non te invenit dies vltimus victorem, inveniat vel pugnantem, non captum & addictũ. D. Aug. ſerm. 119. temp.

Continua debet eſſe mortificatio, quia hic noſtra virtus eſt imperfecta. *Vide Media Virtus.* Mortificationes ſunt quaſi fulcimenta, quæ non tolluntur niſi perfecta concameratione.

Maximè vivit anima mortus ſenſibilibus affectibus. Hanc mirabilem mortis cum vitâ conjunctionem Chriſtus præfiguravit dùm corpus ejus eſſet in ſepulchro, & tamen hypoſtaticè Divinitati vnitum. Mortificati ſunt oſſa arida, quæ ſpiritu Dei replentur apud Ezech. 37.

Dicitur de Chriſto. Pſal. 44. Speciosus forma præ filijs hominum; & contrà pugnare videtur quod dicitur. Iſai. 13. & non habebat ſpeciem, neque decorem. Illæ ſunt duæ tibiæ, quaſi diversè ſonantes, ſed vnus ſpiritus ambas inflat, ex corporearum rerum voluntaria abdicatione fit animæ pulchritudo. D. Aug. tract. 9. in Epiſt. Ioan.

Apocal. 19. Rex, in cujus femore ſcriptum eſt Rex, Regum, veſtitus eſt veſte aſperſa ſanguine: hanc veſtem tulit Chriſtus & in certamine Calvariæ & in triumpho.

Sumus neceſſarij Chriſti patroni noſtri hæredes, ab eo libertate donati, ſic obligamur ferre opera hæreditaria. Inſt. de hæred. qual. & diff. Ita. D. Paulus dicit, Impleo quæ deſunt paſſionum Chriſti.

Dicitur primis parentibus. Gen. 3. Terra, ſpinas &

tribulos pariet tibi. Reſpondebis te non eſſe terram A ſpinoſam? Si ſpinas non haberes, capiti creatoris tui ſpineam coronam non imponeres; quia ergò ſpinarum, ideſt peccatorum prægravaris multitudine, propterea cœleſti pluvia præpararis, vt fœcunda efficiaris. D. Auguſt. tract. 3. de diverſi. cap. 1.

Veſtes non dant, ſed conſervant nativum calorem; ſic mortificatio non dat, ſed ſervat Charitatem.

Infirmabatur lex per cărnem, quia carni reſiſtere non poterat quid ergò Deus contrà carnem miſit carnem? imò etiam pro carne miſit carnem, peccatum enim carnis occidit, carnis ſubſtantiam liberavit. Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati. D. Aug. ſerm. 6. de verbis Apoſt. c. 7.

Sara ſterilis Agar ancillam viro ſuo tradit, & vult eam inter genua ſua parere, vt adſcribat ſibi partum; ſed poſteà inſoleſcens ancilla ejicitur cum filio. Anima vritur corpore, quod tamen durè coërcet, ſi ab B obſequio deficiat.

Fiet debet cœlum novum, & terra nova, vt Apoc. 21. *Vide Finis Miner.*

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ, id eſt in corpore & animâ. Auguſt. ſerm. 136. de tempore.

Infinitis miſeriis ſubjacet vita humana ſed præter illa mala, quæ bonis, maliſve communia ſunt, ad juſtorum laborem pertinet cupiditates frænare, &c. Idem. lib. vlt. de civit. Dei. cap. 25.

Cohibe oculum, cum enim non attenderis circum volvitur; parcè vtere linguâ, ſæpè enim profert quæ melius fuiſſet celari, ſolum quantùm indiget impende; delicatè vivere nè eligas; amorem enim hujus vitæ conciliat, inimicitia autem adversùs Deum C ex vtroque naſcitur; adverſare in vita gaudium, ipſum enim lubricum eſt; & præcipitat in via exultantes. Nilus in ſene.

Dùm carnalis vita corrigitur, quaſi jam in altari caro incenditur, vt indè omnipotentis Dei ſacrificium redoleat, vndè priùs culpa diſplicebat. D. Greg. in Mor.

Roſa inter ſpinas Integritas inter aſperas mortificationes.

Perfecta virtus eſt in animo & corpore, Nam in leproſis etiam ſana caro interſparſa erat immunda. *Vide Mag. Virtus.*

In Holocauſtis caro extema cum extis conſumebatur. D

Deus vult primitias etiam pecorum ſibi offerri. Phil. lib. quis ſit Rer. Div. hæres.

Moyſes ſacrorum operum apparatum non ſolùm viris faciendum conceſſit, verùm & mulieribus, nam hæ telas hyacinthinas, purpureas, coccineas conficiunt, conferunt inaures & ſpecula ad labri, in quo abluebantur ſacerdotes, confectionem; Mulieres ſignificant inferiores animæ partes, quæ ſuperiori debent famulari. Philo.

In capite ſummi ſacerdotis, erat lamina ex auro puro, & in hac expreſſum ſanctum nomen Domini: ad pedes autem in fimbriâ tintinnabula & floſculi: ille typus laminæ idæa eſt idearum, juxtà quam mundum Deus expreſſit, ipſa intelligibilis & incorporea; floſculi vero & tintinnabula, ſigna ſunt qualitatum ſenſibilium, quas viſus & auditus judicant; valdè autem acutè ſubdit, quod audietur ſonus ejus intrantis in ſancta, vt quomodò ad intelligibiles, divinas, ſanctaſque res intrat anima, ſenſus quoque à virtute adjuti conſonent, & fiat optima vtriuſque conſonantia. Phil. l. de migr. Abrah.

Benedicentur in te omnes tribus terræ, inquit Dominus Abrahamo; ſanâ enim merite reddita omnes ejus familiares, tribus, potentiæque ſanæ ſunt, viſus, auditus, ſenſuſque cæteri, ſicut & illæ, quæ ad voluptates, concupiſcentiaſque pertinent: Vtæ Regum moribus bonis; populus proficit, ſic cum mens bona invictam divinitùs accipit potentiam in ſenſus, quos habet vt divinæ ſuæ artis inſtrumenta. Ibidem.

Abraham, non tantùm terræ fructus, ſed & animantium, ideſt ſenſuum, & brutorum affectuum decimas obtulit; Melchiſedech etiam decimas omnium obtulit; de ſenſibus benè ſentire, de verbis benè dicere, de mentè benè cogitare. Ibidem.

Duo templa Dei eſſe videntur, alterum hic mundus, cujus ſacerdotium eſt panes Dei ſermonem primogenitum; alterum anima rationalis, cujus ſacerdos eſt verus ille homo; cujus hominis imago ſenſibilis eſt Pontifex, qui patrio ritu vota & ſacrificia facit: hinc præceptum eſt vt ferat talarem ſtolam, mundum hunc referentem, quia aër à ſummo ad imum pertingit, & ſtolam pectoralem variam, referentem cœli ſimilitudinem, vt & mundus vnà cum ſacerdote operetur, & homo cum hac vniverſitate. Idem. l. de ſomnis ſub fin.

Omnes motus debent ad vnum ſupremum referri. *Vide Minor. Magnit.* vnitas.

Math. 10. Chriſtus dicit, quæ dico in tenebris dicite in lumine, & quæ in aure auditis prædicate ſuper tecta. Ideſt quæ in ſecreto auditis palàm profitemini, nihil ampliùs timentes, domus veſtræ corpora veſtra carnes veſtræ; aſcende in tectum, calca carnem, & prædica verbum. D. Auguſt. Serm. 17. de verb. Apoſt. cap. 7.

Mulierem fortem quis inveniet? &c. lanam & linum fecit manibus ſuis. Linum, ſpirituale aliquid ſignificat internum, vt potè ex quo interior ſacerdotis veſtis; Lanaa quid carnale & exterius; debet enim Eccleſia, quæ per mulierem illam ſignificatur, exteriùs profiteri ſenſus internos. Id. Ser. 216. de temp.

Reg. 3. cap. 6. In templo Salomonis duo erant altaria, vnum foris, in quo animalium credebatur ſacrificium; aliud intùs, in quo thimiamatis offerrebatur incenſum: duplex ſacrificium à nobis Deus quærit, vt ſimus caſto corpore, & mundo corde, in duplici ſcilicet arâ voluntatis & corporis, ſemper hanc templi feſtivitatem celebremus. D. Aug. Serm. 255. de temp.

Antiquæ legis verecundum ſignum, & quod occultabatur, ſcilicet circumciſio, in novâ autem lege velamen tollendum, ſignum ab occulto tranſit in manifeſto, & incipit eſſe in fronte, quod latebat ſub veſte: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini, inquit Apoſt. Ideò dies Solis dies eſt Dominicus. D. Aug. Serm. in append.

Laudate Dominum in chordis & organo. Pſal. 150. organum eſt corpus noſtrum, & nervi ejus, chordæ. Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 4.

Confitemini Domino in cytharâ. Pſal. 32.

Confitemini Domino exibentes ei corpora veſtra hoſtiam vivam: In pſalterio de cachordo pſallite ei ſerviant membra veſtra dilectioni Dei & proximi, vt E habetur in decalogo. D. Aug. in Pſal. 32.

Perfectam puritatem lilium denotat, cujus & radix & folia candorem habent.

In Holocauſtis etiam curis animalium Deo offerebatur. Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta, vt non tantùm anima igne divino, ſed & corpus conſumatur, vt mereatur immortalitatem D. Aug. in Pſal. 50.

Jubilate Deo omnis terra; nolite enim jubilare pro parte, Id.

Laudate in tympano & choro; laudate eum in chordis & organo, &c. Vox in choro, flatus in tubâ, pulſus in cytharâ, tanquàm mens, ſpiritus, corpus, ſed

per ſimilitudines, non per proprietates. Idem in Pſal. vltim.

Poſitus Adam vt cum ſudore operaretur in terrâ, ideſt in corpore. Framea igneâ paradiſus cuſtoditur, id eſt tranſeundum per te ſecantes mortificationes, vt ad lignum vitæ perveniamus ex D. Aug. lib. 2. de geneſi contrà Manichæos. cap. 23.

Hierarchitæ hæretici ad Regnum cœlorum dicebant non pertinere parvulos, quia non ſunt eis vlla merita certamus, quo vitia ſuperentur. Ibidem lib. de hæreſib. ad quod vult Deum. hær. 47.

Corpus ſit arca, quâ liberemur à diluvio.

Oportebat & hoc juſtum erat, vt homines per patientiam humilitatis, vincerent infirmitatem carnis ſuæ; quia in eam per elationem ſuperbiæ ceciderant in Adam. Id. lib. de fide cont. Manich. cap. 21.

Spiritus concupiſcit adversùs carnem, non per odium reſiſtente ſpiritu, ſed per principatum domans malas carnis conſuetudines; ità enim diligit corpus, vt ei benè conſulat. Multi voluntarias amiſſiones membrorum ſuſceperunt, vt alia quæ ampliùs diligebant conſequerentur: Non ergò propterea dicendus eſt quis non amare ſalutem & incolumitatem, quia ampliùs diligit aliquid, vt avarus præferens ſalutem corporis ſui dat pro pane pecuniam, quàm amat, & augere deſiderat. Idem. l. de Doct. Chriſt. cap. 25.

Licet cor ad patrem ſiniſtram inclinet, plùs tamen ſpiritus mittit in dexteram, quæ ideò fortior eſt; ſit præferimus ſpiritualia, corporis licet naturalis affectus vergeat ad corporea.

Fateor inſitam nobis eſſe corporis noſtri charitatem, fateor nos hujus gerere tutelam, non nego indulgendum illi, ſerviendum nego; Multis enim ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omni refert: ſic gerere nos debemus, non tanquàm propter corpus vivere debeamus, ſed tanquàm non poſſimus ſinè corpore: hujus non nimiùs amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat; contumeliis obùcit; honeſtum ei vile eſt, cui corpus nimis charum eſt; agatur, ejus diligentiſſima cura, ità tamen vt cum exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem ſit, &c. Sen. Epiſt. 14.

Qui per pronum deſcendentes eunt, reſupinant corpora; qui in arduum, incumbunt. In voluptates deſcenditur, in res aſperas & duras ſubeundum eſt; hic impellamus corpora, illic refrenemus. Idem. Epiſt. 114.

Lege Moyſis, omne quod ſuper ventrem gradiebatur & repebat, immundum erat: Voluptuoſos homines ſignificari dicit. Plin. l. de migr. Abra.

Matſ. ficin. Theol. Plat. l. 9. cap. 1. 2. 3. Probat immortalitatem animæ ex eo quod à corpore non pendeat. Primò, cum ſuprà ſe reflectit. Secundò, quia quo plùs abſtrahit à corporeis, melùs operatur. Tertiò quia repugnat corpori; Nulla enim res poteſt ſponte ſuâ ſuæ origini repugnare, alioquin ſponte ad ſui ipſius ferretur interitum, qui neceſſario ſequeretur origine deſtructâ; & quia non poteſt per vim aliquàm corporis vniverſæ corporum naturæ repugnare, non enim ſurgant particularia ſuprà totum: Repugnat autem corpori per intellectum & voluntatem per intellectum, cum ratio corrigit ſenſus; per voluntatem, in abſtinentiâ à cibo & venere incitantibus ad id ſenſibus; in injuriarum patientiâ in periculi aggreſſione contrà metum naturalem. Si in nobis nulla aſia eſſet natura quàm corporea, ſtatim cum corporis affectio ad aliquid traheret, properaremus vt bruta, neque conſultaremus an id eſſet efficiendum, nihil enim ſecum pugnat. Poſſumus etiam mentis virtute cœleſtibus influentiis adverſari. *Vide Poteſt. Volum.*

Hercules in ætâ monte combuſtus expurgavit quidquid à matre humani atque mortalis contractum acceperat, & ſic ad Deos migravit: ſic Philoſophia tanquàm igne purgat mentem ab his quæ ſunt in vulgi æſtimatione, vt ad beatam vitam perducat. Lucian. dial. de ſectis.

Iure civili Domini conditio melior fieri poteſt per ſervos, deterior non poteſt. l. 133. ff. de regul. jur. Vtinam ſic eſſet de ſenſibus reſpectu animæ, vt ex illis poſſet proficere, non deterior fieri.

Objiciunt ſenſuum voluptates eſſe dona Dei non contemnenda. Sic Reſpondet Tertullianus. Sapientes, inquit, Patres familias de induſtriâ quædam ſervis ſuis offerunt atque permittunt, vt experiantur an æqualiter permiſſis vtantur, ſi probè, ſi modeſtè: quantò autem laudabilior qui abſtinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini. Sic Apoſtolus, omnia, inquit, licent, ſed non omnia expediunt; quantò faciliùs illicita timebit qui licita verebitur. Tertul. lib. de cult. fœmin. ſub fin.

De conſilijs Evangelicis. *Vide Majorit. Virt.*

Non eſt, mihi crede, tantùm ab hoſtibus armatis periculum, quantùm ab circumfuſis vndique voluptatibus, qui eas ſuâ temperantiâ frænavit ac domuit, multo majus decus, majoremque victoriam ſibi peperit quàm nos hoſte victo habemus. Liv. dec. 3. l. 10.

Doma jumentum tuum, id eſt carnem tuam, ipſa enim inſidet animæ tuæ; quomodo ſi in viâ jumento inſideres, quod te geſticndo vellet præcipitare, nonne vt ſecuriùs iter ageres cibaria ferocienti ſubtraheres, & famæ domares quod freno non poſſes. Inter agimus in Hieruſalem plerumque rapit nos caro &. de viâ conatur excludere, tale jumentum cohibeamus. D. Aug. l. de nov. cant. c. 3.

Qui luget abſtinere debet à voluptatibus. *Vide Gloriæ Concordantia Rep.* de modo & tempore luctus in funeribus.

HOMINIS BONVM non eſt in voluptate.

VOluptas ex Platone eſt ſuavis quædam motio in ſenſibus, quæ ex indigentiæ repletione proficiſcitur, quæ non eſt in bonis connumeranda: Si eſſet bonum bonos efficeret, at contingit beſtiis, mulieribus, avaris, ſtultis, ignavis, qui omnes magis voluptate fruuntur: Contraria autem non miſcentur; at voluptati dolor comes eſt, cum ſit voluptas, motus quidam tendens ad ceſſationem indigentiæ, quæ vbi penitùs ceſſavit, & ipſa pariter voluptas ceſſat, vndè cupiditas, ſollicitudo, ſuſpicio, invidia & miſericordia, quæ omnia dolorem in ſe continent, voluptatis ſunt comites. Bonum in ſtabile, talis non eſt voluptas eſt enim motus qui eſt contrarius ſtabilitati. Bonum quia ex integra causâ nunquàm bono cõtrarium eſt, at voluptas maxima bona impedit, prudentiam ſcilicet, nam menti offundit tenebras, quaſi matricula blanditiis ad vitia allicit, parit inſciciam, inquietudinem, ſtultitiam petulantiam. Bonum laudem & veherationem meretur, non autem voluptas, imò ejus contemptus factus invicto animo laudatur. Bonum dicitur aut quod in cujuſque naturâ ineſt, aut à nobis proficiſcitur, neutrum competit voluptati. Propria nobis eſt mens & ratio, at voluptas competit ſenſibus, qui ſunt quaſi mentis ſatellites; & corpori, quod

eſt mentis

eſt mentis erga ſtulum. Omne hominis bonum ab electione proficiſcitur, rectitudine, & ordine, voluptas repentino & temerario impetu ſupervenit, ſenſibus ad id à natura, non ab electione diſpoſitis, qui titillatione animum à ſuâ ſede dimovent. Bonum quod proprium eſt alicui naturæ, ipſam ità implet, vt vacet ab omni inquietudine; at voluptates animum replent verecundiâ, pœnitentiâ, tædio, langore. Animus voluptuarij eſt, inquit Plato, quaſi vas perforatum, & infinita vorago; vt Eutippus eodem tempore diverſos & contrarios motus patitur; lyra, choruſque ſibi diſſonans: virtus autem ſecundùm Pythagoram eſt harmonia quædam. Bonum labore acquiritur, quia forma quædam eſt ſuperior; in voluptatem autem ſumus proclives, vt in malum, nam vt mala omnia non poſſunt eſſe ſimul, ſic nec voluptates, ſe enim mutuò impediunt, & ſibi obſtant. Bonum ſpectat communem humani generis vtilitatem; voluptas amori proprio indulget, & propriæ ſenſuum ſuavitati. Voluptas non eſt finis, qui propter ſe debeat appeti, ergò nec bonum, quod cum fine convertitur. Nam natura indidit naturalibus actionibus voluptatem, vt generationi, & alimentorum ſuſceptioni, vt individua & ſpecies conſerventur, & vbi indigentia repleta eſt, nulla deindè voluptas ſentitur. Voluptas non eſt bonum, quia ex ipsâ plurima mala proveniunt; animi perturbationes, adulteria, ſtupra, &c. Voluptas avertit à duplici hominis virtute, activâ & contemplativâ; homo medius eſt inter Deum & beſtias: at voluptas hominem à vitâ Dei, ſcilicet contemplatione avertit, & ad ſenſibilem beſtiarum vitam dejicit, nec propriæ quidem naturæ dignitatem retinens. Voluptas, inquit Socrates, quaſi clavus animum affigit corporis, ita vt putet ea tantum eſſe vera, quæ placent corpori.

Summum bonum eſt Deus, cujus participatione omnia ſunt bona, & ad ipſum maximè accedit tranquillitas, & veritatis ſcientia, Deus autem carens corporis ſenſibus, procul eſt ab eorum voluptate, &c. Marſ. Ficin. l. de volupt.

Sen. l. de vit. beat. 7. &c. ſeqq. Agens contrà Epicurum, qui ſummum bonum conſtituebat in voluptate. Mali, inquit, non ſinè voluptate, imò ob ipſam voluptatem, quod non eveniret ſi virtute ſe voluptas immiſcuiſſet, quâ virtus ſæpè caret, nunquàm indiget. Quid diſſimilia componitis! alterum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile; voluptas humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio & domicilium fornices & popinæ. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam; at voluptatem latitantem ſæpiùs, mollem, pallidam, fucatam, &c. Summum bonum immortale eſt, neſcit exire; voluptas tunc cum maximè delectat extinguitur, citò implet, & tædio eſt, & poſt primum impetum marceſcit; nec id vnquàm certum eſt, cujus in motu natura eſt, ità nè poteſt quidem vlla ejus eſſe ſubſtantia; quod venit, tranſitivè celerrimè, in ipſo vſu ſui peritурum; eo enim pervenit, vbi deſinat, & dùm incipit ſpectat ad finem. Si virtuti voluptatem conſocies. Ille effuſus in voluptates, quia ſcit ſe cum voluptate vivere, credit & cum virtute, audit enim voluptatem à virtute ſeparari non poſſe. Deindè vitijs ſuis ſapientiam inſcribit, & abſcondenda profitetur. Licet Epicuri ſobriæ voluptatis laudatio pernicioſa eſt, quia honeſta præcepta intrà latent, quod corrumpit apparet; frons ipſa dat locum fabulæ, & ad malam ſpem invitas hoc tale eſt, quale vir fortis ſtolâ indutus: titulus itaque honeſtus eligatur & inſcriptio ipſa excitans animum ad ea repellenda, quæ ſtatim enervant: Virtus antecedat, tutum erit omne veſtigium. Voluptas nocet nimia, in virtute non eſt verendum ne quid nimium ſit, quia in ipsâ eſt modus: Non eſt bonum quod magnitudine laborat ſuâ. Habere debemus voluptates vt ſervas; Miſeri qui habentur à voluptate, cujus aut inopiâ torquentur, aut copiâ ſtrangulantur; miſeri ſi deſerantur ab illâ; miſeriores ſi obruuntur; ſicut deprehenſi in mari Syrtico, modo in ſicco relinquuntur, modo torrente vnda fluctuantur. Sicut in arvo quod ſegeti prociſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamen huic herbæ, quamvis delectet oculos, tantùm operis inſumptum hoc eſt, aliud fuit ſeroti propoſitum, hoc ſupervenit: ſic voluptas non eſt merces, nec cauſa virtutis, ſed acceſſio; nec quia delectat placet, ſed quia placet delectat, &c.

Quicumque voluptatem in ſummo ponunt, ſenſibile judicant bonum, nos contrà intelligibile, qui illud animo damus. Si de bono ſenſus judicarent, nullam voluptatem rejiceremus, nulla enim non invitat, non delectat; & è contrario nullum dolorem volentes ſubiremus, nullus enim non offendit ſenſum: Præterea non eſſent digni reprehenſione, quibus nimiùm voluptas placet; atqui improbamus gulæ ac libidini addictos, & contemnimus illos, qui nihil auſuri ſunt doloris metu. Tu ſummum bonum voluptatem infantiæ donas, vt indè incipiat naſcens, quo conſummatus homo pervenit; cacumen radicis loco ponis, &c. Idem ep. vlt.

Nemo excelſi ingenij ad hæc vilia, fœda, pœnitenda ſe demiſit; certiſſimumque argumentum viri cœlo nati eſt, ad blanda & in voluptatem trahentia non adduci: victimæ ad ſupplicium ſaginantur, hoſtiæ ad pœnam coronantur.

Principes piſtorum, pincernarum, coquorumque Pharaonis Eunuchi ſunt & ſteriles, quia voluptatis amator ſterilis eſt rerum valdè neceſſariarum, ſobrietatis, pudoris, &c. Nullæ res ita pugnant inter ſe, vt virtus & voluptas. Phil. l. de Ioſeph.

VITA PVRGATIVA.

TAntùm inter ſtoicos & cæteros ſapientes intereſt, quantùm inter mares & fœminas. Cæteri ſapientes molliter & blandè, vt ferè domeſtici & familiares medici, ægris corporibus, non quâ optimum & celerrimum eſt mendentur, ſed quâ licet. Stoici virilem ingreſſi viam non vt amœna ineuntibus videatur curæ habent, ſed vt quamprimùm nos eripiant, & in illum editum verticem educunt, qui adeò extrà omnem teli jactum ſurrexit, vt ſuprà fortunam emineat: Ardua per quæ vocamur & conſtagoſa ſunt, quid enim plano aditur exculſum? &c. Seneca lib. de conſtantia ſapientis. Initio.

Initia ſunt difficilia. *Vide Contrar. Princip. Initij & Minor. Princip.* Et quia infirma multis patent injurijs magnâ curâ debent protegi. *Vide Gloria Princip. Initij.*

Quemadmodum omnis ſcientia atque ars aliquid debet habere manifeſtum ſenſu comprehenſum, ex quo oriatur & creſcat; ſic beata vita fundamentum & initium à manifeſtis ducit, & eo quod ſub ſenſum cadit Seneca. ep. vlt.

Paucorum expertorum eſt ſcire quæ expediant ægro corpori; hoc maximum in animâ curanda præceptum, à corporeis voluptatibus abſtinere; pretioſior nobis debet eſſe animæ quàm corporis ſalus, &c. ex. D. Chryſ. hom. 8. ad. Pop. Ant.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. 1. Primum oſculum ad pedes Dominicos ſumendum eſt, pro ade-

ptione veniæ! Secundum ad manus, pro gratiam actione ; Tertium ad os , pro divini amoris infusione : Iaceat anima nuper conversa ad pedes severissimi Domini pavida, terramque cum publicano aspiciat, non cœlum ; Mariam imitetur , donec manu Domini erigatur. &c. *Vide Major. Virt.* De diversis gradibus perfectionis.

Hominis corpus inanimæ surrexit è terrâ, cum Deus inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ : Initio creationis divisæ sunt aquæ quæ erant sub firmamento, ab aquis quæ erant super firmamentum , id est spiritualia à corporeis. Amor motus est, fereps hominem è terrâ in Deum; Angeli vt suâ beatitudine fruerentur malos Angelos deturbarunt ; sic initio conversionis destruendæ sunt cupiditates. Amor vnitivus non potest nos Deo conjungere , nisi superato contrario, scilicet peccato. Eadem levitas, quæ ignem in centro lunæ detinet, à terrâ sublevat : Idem amor qui nos Deo venit, à concupiscentijs avertit. Amore fervens anima, vt mustum recens infusum, à sordibus expurgatur. Sensuum integritas splendidus est cultus, amanti conveniens , & amato Deo gratissimus.

Virtus & vitium contrariæ sunt qualitates se mutuo ab animâ expellentes , vt ad vnius occasum oriatur altera ; sic exeunte Esau venit Iacob , &c. Phil. l. de temul.

Privatio est vnum ex principiis generationis.

Ars excitandi corpora & medicina contrariæ sunt; Nam illa, scilicet gymnastica, non opus habet permutatione, sed Medecina; sano enim non auxiliatur transmutatio ex presenti statu , verum ægroto. Hypocrat. lib. de locis in homine. *Vide Finis Minor.*

Fortis vt mors dilectio, quia sicut mors est finis concupiscentiæ, sic Charitas; Quoniam qui diligit Deum peccare desinit ; D. Ambros. lib. de Isaac & animâ. *Vide Potest. Volunt.* De vi amoris Divini.

Resciditur arboris surculus , antequam alter inseratur : Elias infundit oleum viduæ in vasis vacuis; delenda est impressa animæ mundi figura , vt signetur à Divina.

Ad perfectionem tendenti sequenda est via, quàm Dominus docuit Abraham , Egredere de terrâ tuâ, &c. idest de sensibus. Prius Israel egreditur de Ægypto quàm legem accipiat. Asportant secum ossa Ioseph quia justi non sustinent inhabitare Ægyptum corporalem domum. Phil. l. de Migrat Abrach.

Abraham filium Deo offert , idest prolem animæ masculam , ex sterili Sara natum , id est in animâ in quâ mortalia & sensibilia marcescunt , repubescunt autem intelligibilia & immortalia : In montè immolatur procul à servis ; idest sinè passionibus , &c. Idem Ibidem.

Manè astabo tibi & videbo , quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Ps. 4. Id est primò surgam à terrenis, in quibus alij jacentes ponunt beatitudinem suam. D. Aug. in d. Psal.

Primùm de Christo sic prædicat Ioannes, Ecce agnus Dei; & apparet super eum spiritus sanctus in formâ columbæ , propter innocentiam. Custodi & tu innocentiam & vide æquitatem. Idem. l. 2. de symb. ad cath. c. 9.

Præcursor domini Ioannes prædicat pœnitentiam.

In Canâ Galileæ prius hidriæ vacuantur nuptiali vino , quod fontis puritate , suppletur , & Dominus quod melius est superaddit. Idem serm. 42. de temp.

Omnes beatitudinem quærunt, sed bonus fidenter, malus imprudenter; quid quæris bonum malè? Nonnè tibi respondet ipsa postulatio tua, quàm sis improbus , cum quæris bonum malus. Igitur bonus esto vt ad bonum pervenias ; si vis venire ad vitam serva mandata. Idem. serm. 102. de div. c. 8.

Iacob suis præcipit Idola relinquere vt Deo sacrificent ; cœlestia bona non gustat nisi is cui insipida sunt terrena ; vno simul oculo non potest cœlum & terra videri; non datur manna, nisi cum deficit Ægypti farina, &c. *Vide Differ. Minorit.* Separari à defectu.

Non sit Ecclesiarum ædificatio , priusquàm ibi Episcopus Crucem figat. can. nemo de consecr. dist. 1. In templorum consecratione crux inscribitur pavimento & parietibus , quasi sit fundamentum & soliditas ædificii spiritualis.

Quantùm à vitiis recesseris, tantùm virtutibus propinquabis ; quia abdicatio criminum, adoptio meritorum est; & ità homo mundo sobrius, & Deo ebrius ad vota cœlestium gaudiorum , tanquam ad nuptiale convivium , præparatur. Euseb. Emissen. homiliâ. 3. de Epiphaniâ.

Signa eorum qui crediderit hæc sequuntur, Demonia ejicient , id est concupiscentias ; linguis loquentur novis , præter antiquam suam & mundi consuetudinem ; si quid mortiferum biberint non eis nocebit , idest si quid involuntariè sensus delinquant , &c. Bern. serm. 1. in Ascen. D.

Priùs amplectere pedes , plora oculis , riga lachrimis , quam ad osculum oris accedas : heri de luto tractus , hodie vultui gloriæ præsentaris. Idem serm. 3. in Cantica. *Vide Durat. Virt.* Mora in acquirendâ virtute.

Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, surgit priùs purgata rerum mundanarum silentio & tenebris & aquis lachrimarum. Ex eodem.

Vanum est vobis ante lucem surgere. Ps. 126. Frustrà surgitis ad intuenda beneficia quæ delectant, nisi priùs pane doloris expurgaveritis concupiscentias quæ conturbant. Idem. serm. 10. in cant. in fi.

Domino sessuro super asellum, discipuli vestes suas substraverunt, idest, Salvator non insidet nudæ animæ, sed ornatæ externâ Apostolorum mortificatione. Semper mortificationem Iesu in corpore vestro circumferentes , inquit Apostolus : sic Iesus ingreditur in Ierusalem. Ibidem. ser. 27.

Lectulus noster floridus , inquit sponsa Cant. 1. Quid tuus lectulus , non floridus sed putridus magis , & tu illum paras Regi gloriæ ? Quæcumque justa, quæcumque pudica, inquit Apostolus ibidem. serm. 46.

Surge amica mea , tempus putationis advenit. Cant. 2.

Dilectus meus pascitur, inter lilia, id est inter munda corda. Tergat speculum suum , mundet cor suum , quisquis Deum videre cupi : Beati mundo corde , quoniam ipsi Deum videbunt. D. Bern. de inter. dom. c. 13.

Diligite dominum omnes sancti ejus. Psal. 30. Discere non diligere , vt discas diligere ; avertere vt convertaris, funde vt implearis. D. Aug. in Psal. 30. conc. 3. sub. fin.

Distortum lignum non potest vniri pavimento æquali , semper nutabit ; sic distortum cor tuum non potest collimari rectitudini Dei. D. in Psal. 32.

Cogitatio hominis confitebitur tibi , & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Psal. 75. Prima illa cogitatio quâ confitetur Deo est vitæ emendatio, vt desinat esse quod erat. D. in d. Psal.

Sicut uva acerba dentibus vexatio est , & fumus oculis , sic iniquitas vtentibus eâ. Prov. 10. Post iniquitatem obstupescunt dentes , vt non possint manducare panem cœlestem ; sed tempera & abstine ab uvis acerbis, & redibunt dentes ad stabilitatem suam. Id. in Ps. 48

Pſal. 138. Quærens peccator quomodò poterit fugere ab irâ Dei, & Quò inquit à facie tuâ fugiam! tandem hoc capit vnicum quod ſupererat conſilium; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Duæ pennæ animæ duo præcepta Charitatis; quibus diluculo, ideſt ab initio converſionis fertur vltra mare ſæculi: & tunc tenebit me dextera tua. Idem in Pſal. 138.

Quomodò poteris facere bonum, niſi declinaveris à malo? quid quæris vt veſtias quandò adhuc expolias. Idem in Pſal. 143.

Curatio via eſt ad ſanitatem. Exuite veterem, & induite novum hominem; nemo aſſuit panum novum veſtimento veteri, neque vinum novum mittitur in vtres veteres. Math. 9. Sic D. Auguſt. lib. de fide & operibus non priùs admittendos, ait, ad baptiſmum, niſi à vitijs abſtinuerint, & ad meliorem vitæ frugem, de fide Chriſtianâ edocti, redierint, quæ eſt enim compoſitio templi Dei cum Idolis. 2. Cor. 6. Tollens membra Chriſti, faciam membra meretricis. 1. Cor. 6.

Conſentiens eſto adverſario tuo citò, dùm es in viâ; Ideſt ab ingreſſu viæ perfectioris conſentiens eſto legi Dei, quæ tradit nos judici. Idem l. 1. de ſerm. D. in monte c. 10.

Noli Domine abſcondere à me faciem tuam; moriar, nè moriar, vt illam videam. Idem 1. conf. cap. 5.

Animalia jubentur manducari ejecto ſanguinè vita priſtina quaſi ſuffocata in conſcientiâ teneatur, ſed habeat tanquàm effuſionem per confeſſionem. Idem l. 12. con. Fauſt. c. 22.

Abraham primo circumciditur deindè vocatur Pater multarum gentium.

Chriſtus oblatos ſibi ægros, mutos, claudos primò ſanat, deindè cibat.

Trophæa imponebantur truncis arborum, quarum abſciſſi erant rami.

Qui poſuit animam meam ad vitam. Pſ. 65.

Non emendamur tantùm, ſed transfiguramur; multa enim in nobis ſunt quæ debent corrigi, quæ extuati, quæ attolli. Senec. ep. 6.

Poſt culpam ſtatim Adam ſeparatur à delicijs, vt ageret pœnitentiam. Can. Adam de pœnit. diſt. 1.

Neophyti aliquandiù à lautioribus epulis & ſpectaculis & conjugio abſtineant. Can. Neophyti. de conſecr. diſt. 5.

Appollonius dicebat, Philoſopho, vt medico, à purgatione incipiendum eſſe. Philoſtratus in ejus vitâ lib. 1. c. 3.

Vt à terra ad Solem itur primò per Lunam. Secundò, per Mercurium. Tertiò, per Venerem. Sic à vitâ terrenâ ad Deum fit aſcenſus per vitæ prioris mutationem, quæ ſignificatur. Primò, per lunam mutabilem. Secundò, per contemplationem. Tertiò, per amorem vnitivum.

MORTIFICATIO AD imitationem Chriſti.

SIcut portavimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem ejus, qui de cœlo eſt: primus homo de terrâ terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis. 1. Cor. 15.

Eſtote imitatores Chriſti, ſicut filij Chariſſimi. Eph. 5. Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Gal. 6.

Prædicamus Ieſum & hunc crucifixum, Iudæis A quidem ſcandalum. 1. Cor. 1.

Si compatimur & conglorificabimur. Rom. 8.

Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Galat. 2.

Chriſtus liber fuit cœleſtis Philoſophiæ cœlo miſſus, vt in illo diſcerent homines veram ſapientiam, qui falſam tot ſæculis ſecuti fuerant.

Primum in vnoquoque genere eſt regula cæterorum. *Vide Concord. Princip.* Bonorum imitatio. *Vide Concord. Virt.* Cato lecto Platonis libro de immortalitate animæ ſibi mortem conſcivit. Chriſtus in cruce eſt liber expanſus, vt in eo diſcas rerum mundanarum abdicationem.

Si commortui ſumus, & convivemus, ſi ſuſtinebi- B mus & conregnabimus. 2. Timoth. 2.

Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Rom. 8.

Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne; vt juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum, qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſapiunt; nam prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt: qui autem in carne ſunt C Deo placere non poſſunt, vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis, &c. Ergò fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem vivamus, ſi enim ſecundùm carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, &c. Roman. 8.

Priùs amarum anguſtiarum calicem bibit medicus ſanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Poteſtis, inquit Apoſtolis, bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. Tolite, inquit, jugum meum ſuper vos & diſcite à me. Math. 11. Reſpondeant membra capiti; ſponſa ſponſo concordet. D. Aug. Serm. 18. de verbis Dom.

Vrias non vult commodè domi dormire dum Dux Ioab eſt in papilionibus. 2. Reg. 11. Apud Tertul. l. de coron. milit. Miles Chriſtianus non vult roſis coD ronari Chriſto ſpinis coronato. Quis militum ducem non ſequitur.

Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus Cedros libani. Pſal. 28. Verbum Chriſti amputata ſuperba celſitudine mundanorum: deponet eos ad imitationem humilitatis ſuæ, qui tanquàm vitulus per ipſam ſæculi nobilitatem ad victimam ductus eſt. D. Aug. Pſal. 28.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora ejus in pallore auri. Ideſt imitanda divinitas & humanitas, quæ argento comparatur, vt divinitas auro. Sunt duo brachia ſponſi, E de quibus dicitur, Læva ejus ſub capite meo, &c. Ibid. Serm. 5.

Pædagogi ſimilitudinem factorum referamus operando; vt impleat quod dictum eſt; ad imaginem & ſimilitudinem, &c. Mortales cæci ſunt, qui cæcos in foveam ducunt; verbi autem viſus eſt perſpicaciſſimus; & in his tenebris dux qui abertare non poteſt. Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 3.

Plato finem ponens beatitudinis, dicit eam eſſe Deo aſſimilationem quo ad ejus fieri poteſt; ſivè cum legis decreto quodammodò concurrens: Magnæ enim naturæ & liberæ ab animi perturbationibus neſcio quomodò feruntur ad ſcopum veritatis, vt ait Philo, dicit enim lex, Poſt Dominum veſtrum ambulate, & mandata mea ſervate. Aſſimilationem lex nominat

conſectationem ; & hæc conſectatio quo-ad fieri poteſt aſſimilat. Eſtote, inquit Dominus, miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt. Hinc ſtoici quoque naturæ conſequenter vivere finem eſſe ſtatuerunt; eleganter Dei nomine commutato in naturam. Clem. Alex. lib. 2. ſtrom. cap. 9.

Plato in Thæteto, cum mala circà humanam naturam & hunc locum neceſſariò circumverſare dixiſſet, ſubjungit, quare oportet tentare hinc fugere quàm celerrimè; fuga autem eſt Deo, quantùm fieri poteſt, aſſimulatio, filius bono Patri gratificatur ſeipſum reddens bonum & Patri ſimilem; & Principi & Magiſtratui is qui ejus ſubditur imperio. Id. ſtrom. l. 7. cap. 1. *Vide Concord. Poteſtat.* Populus Principem imitatur.

Chriſtus in mari ambulavit, vt doceret in eo eſſe viam. Si non potes in mari ambulare, potes portari ligno crucis. D. Aug. tract. 2. in Ioan. Mare amarum ſignificat mortificationes.

Cœlum non eſt leve nè aſcendat, non grave nè deſcendat, ſed perpetuò circà polos circumvolvitur: Ità vir bonus non aſcendit per ſuperbiam, non deprimitur per puſillanimitatem, ſed perpetuo motu circà divinitatem & humanitatem Chriſti fertur.

Si probos quoſque ſervos bonæ mentis pro ingenio Domini converſari videmus, ſi quidem artificium promerendi obſequium eſt, obſequij verò diſciplina morigera ſubjectio eſt, quantò magis nos ſervos Dei vivi morigerari debemus, cujus judicium in ſuos, non in compede aut pileo vertitur, ſed in æternitate aut pœnæ, aut ſalutis! Tertul. l. de patientiâ.

Quæcumque portio capiti non cohæret; vndè ei jam ſenſus aut vita: Mihi, Ieſu, adhærere tibi bonum eſt; ſequar te quocumque ieris; tu prior tranſis; per anguſtũ paſſionis foramen, vt latum præbeas ſequentibus membris ingreſſum. Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti. D. Bern. ſerm. 1. in cap. jejun.

Propono mihi Ieſum Deum & hominem qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio; ſumo exemplum ab homine, auxilium à potente; Invitaris ab eo, Pone me, inquit, ſicut ſignaculum ſuper cor tuum, ſicut ſignaculum ſuper brachium tuum; habes vndè & brachio medearis & cordi. Idem ſerm. 15. ſup. Cant.

Adſtet oranti hominis Dei ſacra imago, aut naſcentis, aut lactentis, docentis aut morientis, aut reſurgentis; quidquid tale occurrerit, neceſſe eſt animum vertat in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fugat illecebras, deſideria ſedet: dices tamen trahe mè poſt te, quia gigantem ſalientem in montibus ſequi non potes. Idem ſerm. 20. ſup. cant.

Vtrumque es mihi Domine Ieſu, & ſpeculum patiendi, & præmium patientis; te expecto, non ſolum coronantem, ſed & coranam: & vtrumque fortiter, accendit. Ibidem. ſerm. 47.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. 2. Non dubitat ſe amari quæ amat: Ita eſt amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio, intentam animam facit, ſollicitudoque ſolliciram; Neſcio enim quâ vicinita te naturæ, cum ſemel revelatâ facie ſpeculari gloriam Dei anima poterit mox illi ſe conformari neceſſe eſt, atque in eandem imaginem transformari; cum amante amans, cum vacante vacans cum patiente patiens. &c Ibidem. ſerm. 69. Amor aſſimilat. *Vide Poteſt. Volunt. & Concord. Volunt.* Amor mutuus Dei & hominum. *Æqual. Volunt.*

Igitur Chriſtus imitandus & ſequendus eſt vt vitæ Ductor, cœleſtis Conſiliarius, Magiſter, Dominus, Dux militiæ, Rex, Pater, denique vt Deus hanc nobis dicens legem, & vt Principium, cui oportet conformari.

Hic in Eccleſia ordo eſt, qui præcedunt exemplum ſe præbent ſequentibus & qui ſequuntur imitantur præcedentes; Meliores autem ſunt, quibus non alius, ſed ſolus Chriſtus remanet vſque in finem ſequendus, ſic ordinatos vides hos gradus per Paulum. 1. Timoth. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ergo Chriſti. D. Aug. ſuper Pſal. 39.

Cultro petrino fiebat circumciſio; petra erat Chriſtus.

D. Aug. l. 2. conſ. c. 6. longâ inductione probat vitia, etiam à Deo recedendo, ipſum velle imitari; ſic ambitio ejus honorem, ſævitia poteſtatem, blandiciæ delitias, curioſitas ſcientiam, ignavia quietem, luxuria abundantiam, effuſio bonorum larginonem avaritia bonorum omnium poſſeſſionem, &c. & addit, Sic perversè te imitantur omnes qui longè ſe à te faciunt & extollunt ſe adverſùm te: ſed etiam ſic te imitando judicant te eſſe creatorem omnis creaturæ, & ideò non eſſe quo à te omnimodè recedatur. Sic corruit Angelus dùm dixit. Iſay. 14. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo. Sic ceciderunt primi Parentes, dùm ſerpens hac ſpe illos deluſit, Eritis ſicut Dij. Vndè S. Baſilius Seleuc. ſic diſſerit orat. 3. Eritis ſicut Dij: Tu mihi frater hujus dictionis inſidias obſerva, quæ omnis impietatis parens & radix extiterunt; ſi quidem per eam Græcorum ſuperſtitio pullulavit & impietatis ſectæ hinc progenitæ ſunt, hanc primam machinam contrà veritatem machinatus eſt ſerpens, perſuadere poſſe hominibus, vt pro numine rem procreabilem ducant; hoc vſque ad Idolorum vilitatem Dei nomen dejecit, ad hanc vocem creaturam eſſe Deum imaginati ſunt, &c.

Marſ. ficin. l. 14. Theol. Plat. c. 4. Probat animæ excellentiam, ſpiritualem & immortalem eſſentiam, ex eo quod affectet Dei dotes, immenſitatem ſcientiam omnipotentiam, eſſe ſemper & vbique; &c. ſed refert pleroſque hac numinis imitationi perverſè vſos; vt Alexander, qui totum mundum voluit ſuo ſubeſſe Imperio, & alij Imperatores, qui divinos honores voluerunt ſibi deferri, &c.

Igitur nè homines falsà Dei imitatione ſuis indulgerent paſſionibus, neceſſarium fuit Dei & hominis Chriſti exemplum, quo docetur earumdem paſſionum, rerumque terrenarum abdicatio.

Sic. D. Bern. ſerm. 1. de adv. D. Perierat, inquit, homo volens fieri ſimilis Deo; Verbum incarnatum eſt, & tale ſe exhibuit, vt quiſquis invidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari fiat ei iſta imitatio in bonum.

Mors ſolutio quædam eſt corporis, ſolutio autem iſta quid agit aliud niſi vt corpus reſolvatur & quieſcat, anima autem convertatur in requiem ſuam, & ſit libera? quæ ſi pia eſt, cum Chriſto futura ſit: Quid ergò in hac vitâ aliud juſti agunt, niſi vt exuant ſehujus corporis cogitationibus, quæ velut vincula nos ligant, & ſe ab his moleſtiis ſeparare contendant, renuntient voluptatibus ſuis atque luxuriæ, fugiant flammas libidinum: Nonnè vnuſquiſque in hac vitâ poſitus ſpeciem mortis imitatur, qui poteſt ità ſe agere, vt ei morientur omnes corporis delectationes, ſicuti erat mortuus Paulus dicens Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo, denique vt ſciamus quia eſt mors in hac vitâ & bona mors, hortatur nos vt mortem Ieſu in corpore noſtro circumferamus, qui enim habuerit in ſe mortem Ieſu, & vitam Domini Ieſu in corpore habebit, operetur igitur mors in nobis vt operetur vita: bona vita poſt mortem, hoc eſt bona vita poſt victoriam, bona vita abſoluto certamine, vt jam lex carnis legi mentis repugnare non noverit,

vt jam nulla ſit cũ corpore mortis contentio, ſed ſit in corpore mortis victoria. D. Amb. l. de bono mort. c. 7.

D. Bonav. in apol. paup. reſp. 1. c. 2. Refulgent inquit, à Chriſto, tanquam à totius noſtræ ſalutis exemplari & originali principio, actus multiformes; nam quidam actus in ipſo reſpiciunt ſublimitatem potentiæ, vt ſuper aquas ſiccis pedibus ambulare, elementa convertere panes multiplicare, ſeipſum transfigurare, & cætera miracula facere. Quidam ſapientiæ lucem, vt arcana cœleſtia referre, ſecreta cordium ſcrutari, & futura prædicere; quidam ſeveritatem judicij, ſicut vendentes ejicere de templo, cathedras vendentium columbas evertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quidam officij dignitatem, vt ſacramentum conficere ſacratiſſimi corporis ſui, manus imponere, & relaxare peccata. Quidam condeſcenſionem miſeriæ, vt latere in perſecutione, trepidare, & contriſtari in morte, & pro amotione calicis Patrem rogare. Quædam informationem vitæ perfectæ, vt paupertatem ſervare, virginitatem cuſtodire, Deo & hominibus ſeipſum ſubjicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti ſe ſummâ Charitate etiam pro inimicis offerre. Cum igitur ſex ſint hujuſmodi actuum varietates, in his vltimis duntaxat ipſum imitari eſt perfectum; Nam in his quæ ſunt excellentiæ ſingularis impium eſt & luciferianum, niſi fuerit alicui privilegij ſingularis dono conceſſum: In his autem quæ ſunt ſeveritatis & dignitatis eſt præcedentium & Prælatorum. In his quæ ſunt condeſcenſionis, eſt infirmorum, in quantùm ad actum extrinſecum. Nequaquàm igitur ſummа Chriſtianæ perfectionis conſiſtit in vniverſali imitatione actuum Chriſti, ſed tantùm illorum, qui vitæ perfectæ imitationem reſpiciunt.

Ità D. Aug. ſerm. 10. de verb. Explicans illud quod Chriſtus dixit Apoſtolis: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: Diſcite, inquit, à me non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inviſibilia creare; non in ipſo mundo mirabilia facere, ſed quoniam mitis ſum, & humilis corde.

Ità Chriſtus. Luc. 9. ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me; qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam, &c. & Luc. 14. ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem, & filios & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus, & infrà. Sic ergò omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Hoc eſt fundamentum ſtatus Religioſi, mundana omnia abdicantis, & Deo dicantis per tria vota. vt fuſius probavi libro 1. de vitâ Religiosâ. cap. 6. & ſeqq. de votis in genere. *Vide Durat. Volunt.* de Paupertate. *Vide Minor. Poteſt.* de Obedientiâ. *Vide Concord. Poteſt.* de Caſtitate. *Vide inf. hoc tit.* De his etiam votis ſingulatim, vide lib. 2. de vitâ Religiosâ.

Cæteris potentiores majoriſque virtutis ſunt ſtellæ fixæ, quæ ſunt in Eclypticâ viâ ſolis, vt cor Leonis, ala ſiniſtra virginis, &c. Sic præſtantiores ſunt virtutes, quæ viam Chriſti Solis Iuſtitiæ ſequuntur.

Ad hanc mortificationis Chriſti imitationem, totam vitæ chriſtianæ perfectionem raducit Gerſon aureo ſuo libello, & præ manibus ſemper habendo, de imitatione Chriſti.

Naſcitur Eccleſia de latere Chriſti, vt Eva de latere Adæ, ô magnum Sacramentum hujus conjugij, de ſponſo ſponſa naſcitur, & vt naſcitur ſtatim illi conjungitur; tunc ſponſa nubit, quandò ſponſus moritur; & tunc ille ſponſæ conjungitur, quandò à mortalibus ſeparatur: quis eſt iſte ſic natus, ſic mortuus. Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. D. Aug. l. 2. de Symb. ad cathec. c. 6.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus, inter vbera mea commorabitur: ſignificat collectionem mortificationum Chriſti, quæ levis eſt, quia grata [illegible] *Vide Gloria Volunt.* quod amatur, non g[illegible] & [illegible] non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis.

Pudeat, inquit D. Bern. ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.

Eccleſia vocatur à ſponſo columba, quia ſemper gentit ad ſimilitudinem ſponſi; nidificat, & requiem ſuam invenit in foraminibus petræ, ideſt in vulneribus Chriſti. Licet ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

Dixi aſcendam in palmam & apprehendam fructus ejus, ideſt fructus crucis.

Noli recedere à ligno crucis, non mergeris. D. Aug. in Pſal. 91.

Sacramenta Eccleſiæ, per quæ gratiam accipimus, annuntiant nobis Chriſti mortem, à quâ originem habent, vt diſcamus ex paſſionis jugi imitatione pendere ſalutem noſtram.

Attenditur in deſerto ſerpens, vt nihil valeat ſerpens, attenditur mors vt nihil valeat mors; ſed cujus mors? mors vitæ, ſi dici poteſt mors vitæ, imò quia dici poteſt, mirabiliter dicitur; numquid enim non erit dicendum, quod fuit faciendum, vita erat Chriſtus, & tamen in cruce mortuus eſt; ſed in morte Chriſti mors mortua eſt, quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutivit mortem. D. Aug. tract. 12. in Ioan.

D. Paulus. 1. Corinth. 3. Quaſi parvulis inquit, in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam. Chriſtum autem prædicabat crucifixum, quo velut lacte parvulos alebat: & idem Chriſtus crucifixus, qui Iudæis erat ſcandalum, Græcis ſtultitia, parvulis credentibus lac, ſapientioribus ſolidus erat cibus; non enim æqualiter mente percipitur, & impletur opere, quod in fide pariter ab vtriſque percipitur, vndè 1. Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos, ſcilicet Chriſtum crucifixum, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, ſanctificatio & redemptio. D. Aug. tract. 98. in Ioan.

Paſſio Chriſti eſt regula vitæ chriſtianæ. Iacob infodit omnia idola ſub Terebintho. Gen. 35. & tu ſub arbore crucis.

Ægrotanti & volenti aliqua negotia tractati dicitur priùs cogita de ſalute tuâ, ſalus tua Chriſtus eſt, Chriſtum ergò cogita: accipe calicem ſalutaris ejus, qui ſanat omnes langores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam. D. Aug. in Pſ. 102.

Exod. 31. cũ Deus de Paſcha præciperet; Erit, inquit, tibi in ſigno ſuper manum tuam: Pertinet ad Chriſti paſſionem ovis occiſio cujus fides operibus noſtris ſemper præponenda eſt. D. Aug. quæſt. 48. ſup. Gen.

Math. 24. Dominus dicit vbi fuerit corpus illuc congregabuntur aquilæ; Intelligendum de ſpiritualibus, qui Chriſti paſſionem, humilitatemque imitando, tanquàm de ejus corpore ſaturantur; corpus enim pro nobis humilitatem, paſſionemque ſuſcepit. Id. l. 1. quæſt. Evang. q. 42.

Homo ſeductus à voluptate erat alligatus interitui; at Ieſus expanſis in cruce manibus oſtendit eſſe ſolutum: tranſplantavit interitum & corruptionem, in interitus & corruptionis vacuitatem; tertam mutat in cœlum Dei agricola, dextra ſignans largius hæreditatem divinam, quæ auferri non poteſt. Clem. Alex. in exhort. ad gent.

Sicut aquila provocans pullos ſuos expandit brachia ſua in cruce. D. Bern. tract. de paſſ.

Epheſ. 3. dicitur, vt poſitis comprehendere, quæ A ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas & profundum. Crux lata eſt in tranſverſo ligno, quo extenduntur pendentis manus, & ſignificat opera bona in latitudi- charitatis; longa eſt à traſverſo ligno vſque ad ter- ſignificat perſeverantiam in longitudine tem- in finem; alta eſt in cacumine, quod tranſvectum lignum ſursùm versùs excedit, & ſignificat ſuprenum finem, quo cuncta opera referuntur; profunda eſt in eâ parte quâ in terram figitur, ibi occulta eſt, nec videri poteſt: ſic ex profundâ & occultâ gratiâ Dei procedunt noſtra opera. D. Aug. tract. 118. in Ioan.

Ex pluribus partibus in eadem hæreditate hæres inſtitutus, non poteſt vnam repudiare, & alteram agnoſcere. l. 1. & 2. ff. de acquir. hæred. Simile eſt de inſtructionibus factis ſub conditione, quæ impleri debet, vt obtineatur hæreditas. Chriſtus nos tàm crucis quàm cœlorum reliquit hæredes, crux eſt conditio delatæ hæreditatis: etſi videatur oneroſa eam non debemus repudiare, quippè hæredes ſumus neceſſarij libertate donati.

SENSVM MORTIFICATIO ad virtutem & perfectionem comparandam eſt neceſſaria.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Animà rationalis vices agit formæ corporæ, dùm corpori dat vegetationem & ſenſum; ità tamen illi debet adeſſe vt officium ſuum ſibi non ſit damneſum, & ipſa non deſinat fungi officio rationalis dùm largitur corpori quo ſit vivum. Ità cœli, Angeli Deus ipſemet illibatis naturæ ſuæ incorruptæ privilegijs, auxiliantur inferioribus. Vnica autem animæ rationali, ad jus ſuum ſibi ſervandum cautio eſt, vt ſenſibus ex naturæ lege indulgeat tantùm neceſſaria, non ex paſſionum & opinionum in expletis cupiditatibus ſuperflua.

MAGNITVDO. Si anima id præſtare debet microcoſmo, quod Deus vniverſo, ſic ſapienter illi provideat, & quæ largitur, ſint in pondere, numero, & menſurâ; nihil excedat aut deficiat; quanquàm ab exceſſu, in quem proclivis eſt naturâ, longiùs illi recedendum ſit, minuſque ſit timendus defectus, ſenſibus omnibus in contrarium nitentibus, & contrà dolorem indigentiæ auxilium flebiliter poſtulantibus. Hac poſita temperantiæ lege, & facili in neceſſarijs, naturæ providentia; quilibet abundabit etiam in neceſſarijs; at datâ ſenſibus omni licentiâ, fiunt inexpleti, vt illis non ſufficiant congeſtæ ex totius mundi partibus delitiæ.

DVRATIO. Quod indulges ad tempus, perpetuum ſibi vindicare conatur cupiditas jus ſibi facit ex conceſſâ poſſeſſione, & quod eſt ſuperfluum, quaſi neceſſarium mentiuntur virium & ſanitatis affectatæ læſiones. Sapiens tale vult vitæ ſuæ inſtitutum, vt æquale ſit ſemper, & vndè non excidat, etiam iratâ fortunâ. Hæc illi contingit ex temperantiâ, ſecuritas: at voluptates magno conſtant patrimonij cenſu, curis laboribus maximis, interdùm etiam criminibus parando, & ſemper fortunæ ludibrijs expoſito. Neceſſe eſt ſenſibus multùm indulgere in pueritiâ, in morbis, in ſenectute, medium ſaltem quod interjacet tempus ſibi vindicet ratio, ce jus omne ſuum perdat.

POTESTAS. Anima rationalis habet in corpus ſuum imperium, cum ſit naturæ præſtantioris; ſola quæ poteſt bonum percipere, & in illud dirigere. At qui dominatur legem non accipit à ſubditis nec ad illorum arbitrium movetur. Sic enim imperij tota concideret authoritas, & libertas tranſiret in ſervitutem. Igitur ratio corporeis vſibus modum dicat. Corruptę noſtrę naturæ, quantùm poteſt in ſuperflua ſe effundentis, potiſſimum argumentum eſt quod magnates, vt majeſtatem potentiæ ſuæ oſtenſione concilient, præclarum putât ſuperfluis & ad ſpectaculum ſplendidis vti aliud fuit majorum inſtitutum, cum regimen committebatur viris, non divitiarum, ſed virtutum eminentia conſpicuis, imò paupertatem profeſſis. B

COGNITIO. Voluptas anxia res eſt, oneroſa ſibi & contraria, eo quod non ſinè curis obtinetur. Hanc à ſuis abeſſe voluit Chriſtus, dùm dixit, Volo vos ſinè ſollicitudine eſſe. Divina contemplanti & fruenti importunæ ſunt ſenſuum voluptates, vt enim ad cognitionis, ſic ad effectus perfectionem, mens abſtrahit à temporalibus, Brevis videtur vita tot rebus naturæ & gratiæ contemplandis; vt quid igitur hæc velocia, prætioſa tamen vitæ momenta partiri in non ſolùm ſuperfluo, ſed mentis etiam libertati, & integritati inſidioſo corporis culto.

VOLVNTAS. Amanti cœleſtia deſipit omnis caro. Ex toto corde delectus Deus implet totam animam, C nec locum relinquit cupiditatibus. Anima Verbi divini ſponſa non admittit tàm abjectos & ſerviles procos, vndè ſit illi aut reatus, aut ſuſpicio adulterij. Placet Chriſtiano auſteritas omnis, quippè dilecti ſui Chriſti pretioſum ſibi relictum veſtigium, ſacra humanitatis ſuæ reliquia, apiſſimum inſtrumentum, quo ſummus ergà nos ſuus amor, ſalutem noſtram voluit à ſe, & poſt modùm à nobis operari. Eſt pretioſum amoris ſignaculum, quo ſemper inſtruimur, terrena nobis non eſſe diligenda.

VIRTVS. Sic limitatæ ſunt facultates noſtræ, vt quod vni negatur accreſcat alteri, nec niſi ex ſociarum jacturâ diteſcant; non ſurgant niſi ex infirmarum jacentium ruinis. Sic ipſæ paſſiones obſtant ſibi invicem, & quæ potentior eſt, cæteris privationem ſuo- D rum objectorum, quaſi vectigal quoddam incidit: quàm dura ſenſibus toleranda præcipit amor in fruitionem, ita in vindictam æſtuans metus, dum ab imminenti periculo ſibi cavet. Concedatur virtuti, Religioni, pietati, quod turpi & nocivę paſſioni non negatur. Grave non videatur aliquid ſenſibus negare, vt dominans divina charitas vicem aliquam Chriſto rependat, ſimulque æternam noſtram ſalutem operetur, cum vim eandem ſibi fieri facilis natura patiatur pro rerum viliſſimarum conſecutione aut fugâ. Prudentis eſt infectas veneno dapes, licet ori gratiſſimas, reſpuere; planum iter, ſed latrocinis infeſtum, non ingredi; ſenſuum, quaſi hoſtium donis non fidere, nec E capi blanditiis, quarum finis exitium eſt. Fortis appareat non ſolum in ſævientis, ſed & in faventis fortunæ contemptu. Non eſt temperans niſi extrà neceſſitatem poſitus conceſſis & ſub manum poſitis abſtineat voluptatibus. Prima Iuſtitia eſt Deo; ſecunda ſibi quod ſuum eſt reddere, & dùm legitimum in corpus imperium defertur rationi, dum hæc Divinitis in his inferioribus vicaria meliùs officio ſuo fungitur, id totum redit in ipſius Divinitatis honorem.

VERITAS. Veram & ſynceram quæro ſenſibilis voluptatis abdicationem, non illam palliatam, vanam, affectato ſquallore coram ad ſpectaculum compoſitam. *V. Verit. Virt. Rep.* Tunc vir bonus eſt lex animata, cum vt lex ſinè paſſione, ſinè ſenſuum corruptelâ, æquum jus à Deo acceptum ſibi dicit,

ſinè proprià ſuæ perſonæ acceptione.

GLORIA. Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Vera & ſolida voluptas in animo, per temperantiam libero ſui Domino, nihil præter veri & boni in ſe ſplendentem idæam agente. *Vide Glor. Virt.* At intemperantia turbida ſemper eſt, rerum faſtidio aut inopiâ laborans, abjecta, & parti rationali vt contumelioſa, ſic gravis, & in ſupplicium quæſita.

DIFFERENTIA. Mortificatio teſſera eſt, quâ Chriſti milites à mundanis diſcernuntur. Signum eſt Principis noſtri, ſub quo militandum eſt certa victoriæ ſpe. Quid te Chriſtianum jactas dato in baptiſmate terrenis omnibus cupiditatibus repudio; ſi nunc deſes tenuis militiæ tuæ muneribus excubare, pro muro ſtare, & decertare, &c. Carnem publicum ſalutis noſtræ hoſtem denuntiat Eccleſia; Igitur ſi cupiditatum ex eâ natcentium partes ſequaris, perfidus, Chriſtianæ militiæ deſertor & transfuga es habendus.

CONCORDANTIA. Si carnem animi ſervam & ſponſam dicas, eâ lege debet iniri tale connubium, vt olim cum ſervis & ancillis, quæ jubebantur radi, & ſic purificari, vt nihil viderentur retinuiſſe prioris ſuæ vilis conditionis. Tales etiam jure civili nunquàm poterant à patronis ſuis maritis divortium facere. Fœlix connubium, ſi corpus ſordibus ſuis expurgatum animæ ſpirituales conditiones induat, quantùm hic licet, & futuræ beatitudinis dotibus jam præludat.

CONTRARIETAS. Vita noſtra militia eſt, in quâ auſterior debet eſſe diſciplina, vt jam concitati effetati, & ad defectionem promptiores fortiùs contineantur animi. Periculoſiſſima eſt tempore belli eadem quæ tempore pacis ſecuritas. Regnum cœlorum vim patitur; ſus omne in armis eſt. Cæterùm hæc vna lex ſit, nihil ad corporis noſtri, vt hoſtis ſalutis noſtræ arbitrium faciendum eſſe.

PRINCIPIVM. Vitæ noſtræ debilibus initijs, aliqua ſenſuum delectatione compatiendum fuit; ſic levandus accreſcentis naturæ labor, nondùm conceſſis voluptatibus valentis abuti. At ipſa jam ablactatio docet per ætatem demendum de voluptatibus; & tunc maximè cum mens effecta ſui compos, advertit illas eſſe principij ſui diſſimilitudines. Chriſti vita vt protoypum nobis expoſita, tota fuit in ſenſibilis voluptatis abdicatione. Cœleſtis doctor ex cruce, tanquàm ex cathedrâ, omnes mundi partes reſpiciente, communem hanc ſæculis & populis omnibus præſcripſit diſciplinam, à terra in cœlum veram & ſecuram eſſe per mortificationes viam.

MEDIVM. Quid juvat, templa, altaria, Sacramenta, Religionis myſteria & officia omnia cruce præmuniri, ſi illam vita reſpuat, & ſic parùm cum his conſentiat cæremonijs, vt exteri, mores noſtros inſpicientes do, Chriſtianos quærant, nec inveniant in ipſis medijs terris Chriſtianam Religionem profeſſis.

FINIS. Ideò caſtigantur ſenſus, non quod dolor placeat; aut Dei, vſque in delitias nos amantis, beneficia velimus reſpuere, ſed eo fine privamur oblatis ſenſibilibus bonis, vt ad ſpiritualia magis præparemur: vt ſit ex libera & Religioſa privatione meritum, in centuplum præmiandum; vt in vſu boni temporalis ſequamur legem dictam ab eo qui conceſſit; vt calcatis terrenis fiat ad cœleſtia gradus; vt cauti mercatores, terrena cœleſtibus, temporalia æternis commutemus, vt ex occaſione talis certaminis ſummi boni præmium conſequamur.

MAIORITAS. Falluntur ergo qui Chriſtianam perfectionem in ſola ſenſuum mortificatione conſtituunt: ſolvit quidem vincula, quibus terræ alligatus jacebas, ſed ſurgendum eſt, & magna quæ ad cœlum ſupereſt via perficienda; Vola ſicut paſſer in montem ſanctum; Ambire licet Cherubim ſplendoreſ, Seraphim ardores indefeſſos, & conſcendere cum Chriſto, præoccupata Religionis gloria.

ÆQVALITAS. Hic ex Philoſophorum præceptis corporea ſpiritualibus, quaſi ad libram metiri & componere, tepidi eſt animi, & ſibi nimiùm metuentis. Habet ſuos innocentes exceſſus charitas; nec timet corpus exponere pro anima, cui natum eſt, & longiùs à mundanis avocari, vt perfectiùs hæreat divinis.

MINORITAS. Pudet virum fortem Chriſtianum puerorum aut ægrorum more vti delicatis, majora poteſt & præſtabit; vt corporis ſic mentis ægritudo, dietâ potiſſimum curari debet. In multis viator comprehenſori cedit, ſed in hoc præſtat, quod charitas ſua poſſit aliquid pati pro Chriſto, & novos ſibi meritorum & beatitudinis gradus comparare: ob id vnum, ſi liceret, redirent animæ beatæ in hunc mundum, vt ſua corpora offerrent Deo hoſtiam vivam, placentem, acceptabile ſacrificium.

MAIOR EST PERFECTIO in omnimodâ terrenorum bonorum abdicatione quàm in eorum vſu moderato.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Philoſophorum communis fuit opinio, terrena quæ dicuntur fortunæ bona ex ſe non eſſe bona, ſed indifferentia, cum in eorum vſu, aut privatione poſſit eſſe fœlicitas. Talium naturam acutius deprehendit Chriſtiana Religio, quæ ſuis conſilijs docet perfectos talia penitùs abdicare, quippè rationali hominis parti non congrua, & inſidioſis ſuis muneribus nos à veris bonis evocantia. *Vide Virt. Bonit. Rep.* Meliùs autem eſt pura ab impuris, vera à falſis, naturalia & divina, ſaluti noſtræ profutura, ab externis & nocivis ſecerni.

MAGNITVDO. Conquerimur animæ noſtræ, ſpirituali & immortali, corpus terrenum, infirmum, mortale circumdarum, & nullius commodi compenſatione nos ad tam anxiam & oneroſam hujus tutelam vocari? quod oneribus ſuper imponis onera, quibus vires tuæ non ſufficiant. Romanæ leges eximunt eum à tutelâ, qui tres liberos in vrbe: & quinque in provincijs habuerit: quilibet accepit à natura quinque ſenſus regendos, vt integris viribus huic incumbat officio, non ſunt in familiam admittenda fortunæ bona, infinitæ cujuſdam ſollicitudinis, caſibus & affectibus in immenſum ſe complicantibus.

DVRATIO. Perfectio ſtatum deſiderat, at neſciunt conſiſtere fortuita: quamvis varijs illa jactentur erroribus, plùs tamen illorum regimini mens addicta conteritur, ſpe, metu, varijſque conſiliorum & affectuum motibus, dùm præteriti, præſentis & futuri poſſibiles & impoſſibiles caſus congerit, & tam falſis quàm votis exagitatur: licet moderatus ſit vſus fortuitorum, aſſueſcit talium commodis, quibus in poſterùm non ſinè dolore caret natura, ſed multò plus opinio; quaſi tunc irritis ſuis votis & conſilijs in infimam ſortem, cœlo non propitio, turpiter ſit dejectus. Quæ ſperanda eſt tranquillitas, ſi jam mobilem, & variam mentem noſtrâ inſidere facias volubili rotæ fortuitorum.

POTESTAS. Vſus ille moderatus ſupponit bonorum poſſeſſionem, etiam ſuprà neceſſitatis leges abundantem, vt ſit virtuti, à ſuperfluis ſe temperanti locus.

Digitized by Google

MEDIVM. Vt Deus omnipotens res eduxit è nihilo nulla præexiſtente materia nullo opus ſuum juvente inſtrumento ; ſic potentiora minoribus indigent ad agendum. *Vide Minor. Med.* Vndè fortiot habendus eſt qui fœlicitatem ſinè bonorum externorum, etiam vſu moderato poteſt conſequi. Præclarum eſt, inquis, à malis non corrumpi, non abduci, citra noxam remedium hoc ferre ; ſed melior & vegetior remedio non indiga ſanitas, cui tam periculoſis ſubveniendum ſit auxilijs pulchra & arte compoſita faſcia ; ſed ad quid ſanæ & ad morum expeditæ parti faſcia ? Circulatorum eſt innoxiè venena ſorbere ad probationem ſui antidoti, ſapiens ſanitatem ſuam non ſic habet venalem & in proſtituto : Conſulniùs illi videtur externa hæc, vt plurimùm nociva, non admittere, quam nè noceant vi medicamentorum caſtigare ?

FINIS. Fatentur omnes ad beatitudinem, planiorem ſecuriorem, magis compendioſam, licet ſenſibus minùs gratam, eſſe viam per temporalium abdicationem, quàm per eorum poſſeſſionem, quis autem inficietur hoc eſſe perfectius vitæ inſtitutum, quod rem magis ad finem ducit, & quis ex ſenſuum indulgentia, rationali parti contraria, perfectionem metiatur.

Hæc omnimoda fortuitorum abdicatio habet hoc commune cum charitate, quod etiam in patriâ perſeverabit ; vt igitur ſumma eſt aëris regio, quæ contingit ſphæram ignis, ſic ſumma videtur mortalis vitæ perfectio, quæ quantùm licet, ſit contigua beatitudini illam auſpicatur & delibat.

MAIORITAS. Fateor in externorum vſu moderato multæ concurrunt virtutes, ſed has omnes eminenter continet charitas, ſe ſuaque vno litans holocauſto. Plùs eſt hoſtem extremo conflictu nunquam ſurrecturum delere, quam iteratis velitationibus, ſemper incerto marte, interdùm debilitare. In vſu mediocri certamen eſt, in perfecta abdicatione poſt decretorium certamen triumphus : ſtatus eſt qui tranſcendit humana & Divina contingit. Bona temporalia ſunt ſanguinis vitæ civilis : major autem non eſt charitas, quam quæ ſanguinẽ & animam pro Deo profundit ; ad hanc integritatem æſtuavit omnium in Eccleſiâ perfectorũ turba, Exemplo Chriſti & Apoſtolorum.

ÆQVALITAS. Hoc eſt, quantùm licet, rependere Chriſto, qui pro nobis ſemetipſum exinavivit, formam ſervi accipiens: hoc eſt fœliciter eripi, à maxima mortalium alteratione ; portum contingere ab humanis fluctibus ſecurum : tranſvolare in montem Domini, in regionem continuæ pacis, ſic enim licet vitæ ſuæ legem dicere, & à Deo datam æquabili magis habitu ſervare, dùm minùs pendit à fortuitis.

MINORITAS. Si corporalia cum ſpiritualibus ſunt quaſi in æquilibrio poſita, ita vt vno cadente aliud tantùm aſſurgat, ſublatis omnibus terrenis, nihil eſt quod animam remoretur, quin petat cœlum, & ſublime teneat, dùm hæret in medio mediocris fortuitorum vſus. Exigua mens eſt, cui temporalia videntur magna, nec minùs abjecta eſt, quæ cum talia videat infra ſe poſita, illa tamen ſectatur, nec timet tam vilium commercio fœdari.

VISVS MORTIFICATIO.

MISCELLANEA.

IMperandum oculis ne nimia curioſitate aliena ad nos deferant, vndè turbari, aut ſaltem tentari poſſit mentis tranquillitas. *Vide Major. Cognit. Mal.*

Alta mentis benè compoſitæ pax non indiget, nec fidem habet his delatoribus falſi & fallere aſſueris. Per iſtos admittuntur paſſiones omnes in animum, vndè ſicut grave & velox malum hinc nobis imminet, provida natura dedit in remedium veloces palpebras, quę momentò velum inducunt oculis nè videant, quod videre non expedit, nocivas ſpecies, ſtatim vt tales deprehenſæ ſunt, eliminant, & ſibi faciunt inviſibiles.

Ideò habet quo ſe conſoletur cæcitas, *Vide Minor. Cognit. Bona.* maximè autem parcendum oculis, quia ſunt in amore duces, & cupiditarum incendiarij. *Vide Medium Volunt. Amoris.* vbi de faſcinatione oculorum. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidem de virgine. Iob. 31.

Si quis læſus ſit ob id quod dejectum eſt, impendia curationis, & carencia operarum reſtituuntur, ſed cicatricum aut deformitatis nulla ſit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem l. 7. & vlt. ff. de his qui effuder.

Impeginoſus ſervus venditus, non eſt morboſus, ſi eo membro, vbi impetigo eſt, æque rectè vtatur, & ob id non competit redhibitio ex ædilitio edicto. Item ſi balbus, bleſus, varus ; ſi habet inæqualitatem maxillarum, oculorum, brachiorum, ſi ſit naturâ gutturoſus, & oculos eminentes habeat, dùm ob id non minùs ſuo miniſterio fungatur : item ſi malè oleat, niſi propter partes vitales malè affectas. l. 6. & 12. ff. de Edil. edi.

Libri penitùs ſcripti, etiamſi deſit ornatus, cenſentur perfecti, & debentur libris legatis. l. 52. §. 5. ff. de legat. 3.

In ſervi æſtimatione non habetur ratio affectus & deliciarum Domini. l. 6. ff. de oper. libert.

Servitutes imponi debent fundis propter vtilitatem non propter delectationem, vndè non poteſt imponi ſervitus ſpatiandi, cœnandi in alieno fundo. l. 8. ff. de ſervit. Pingendi in alieno, vt amœniorem proſpectum præſtet. l. 15. §. 1. ff. eod.

In demolitione parietis communis non fit æſtimatio picturæ l. 13. §. 1. ff de ſervit. vrban. præd.

De nimio ædificiorum ornatu. *Major. Glor.*

Quidam Philoſophi oculis minimè pepercerunt, quo contemplationem intimam nullis interpellatam & perpetuam conſervarent. Porphir. lib. de abſtin. animalium.

Attalus Philoſophus videns in quodam apparatu totas vrbis opes explicatas : quid eſt hoc, inquit, aliud, quàm irritare cupiditates hominum, per ſe incitatas ? quid ſibi vult iſta pecuniæ pompa, ad diſcendam avaritiam convenimus ? Senec. ep. 110.

ABSTINENDVM
à laſcivis imaginibus.

SIc afficiunt imagines, vt bovem æneam bos conſcenderit ; ſimile refertur de pictis imaginibus canis, columbi, anſeris : ſic in Samo Iuvenis amavit lapidem imaginem ; alius Praxitelis Venerem, &c. Athen. lib. 13. cap. 29. Ipſe Praxiteles Venerem à ſe factam amavit. lb. cap. 22. vt Pigmalion. de quo Ovidius.

Statua Phrynes pulcherrimæ meretricis fuit facta à Praxitele, & Delphis in templo poſita ; quam cùm Crates Cynicus conſpexiſſet ; intemperantiæ, inquit, Græcorũ depoſitum. Id. lib. 13. cap. 22. Plin. in proœm. l. 32. loquens de luxu in vaſis potatorijs : auxere, inquit, & artem vitiorum irritamenta, in poculis libidines cælare juxit, ac per obſcœnitates bibere.

Thalamos ornatis impudicitiâ, fornicati ſunt oculi, & quod eſt magis novum antè complexum veſtri adulterium commiſerunt affectus: vt ſtatua fabricetur pulcherrima valdè laboratis, nè autem propter ſenſus egeſtatem efficiamini imaginibus ſimiles non curatis, &c. Clem. Alex. in exhort. ad gent.

Curandum nè artifices mali moris ſimulachrum, non benè caſtigatum opus, illiberale, turpe, indecens in figuris hominum aut animalium efficiant, nè in pravitatis imaginibus enutriti malum maximum in animo etiam ignari contrahant. Plat. l. 3. de Reg.

Sic poëtas in honeſta referentes prohibet. *Videinf. hoc tit.* De ſpectaculis.

Ariſtot. 7. politico. capt. vlt. loquens de puerorum educatione: omninò, inquit, obſcœnitas verborum exterminanda eſt de civitate, ex turpiter enim loquendi licentiâ ſequitur & turpiter facere: potiſſimùm igitur ſtatim à pueris, neque diſcant, neque audiant quidquam turpe: cum verò dicere quicquam interdicimus, clarum eſt, quod & aſpicere ſivè picturas aut actus deformes prohibemus; ſit igitur cura Magiſtratibus, nullam neque picturam, neque ſtatuam eſſe talium rerum imitatricem.

Canon 100. in Trullo vocat tales obſcœnas imagines oculorum præſtigiatrices, mentis corruptrices, & ſufflammationum ad turpes voluptates incitatrices.

Sueronius in Tiberio cap. 43. vt inquit, deficientes libidines excitaret, cubicula plurifaria diſpoſita tabellis & ſigillis laſcivarum picturarum adornavit.

Pictura tacens opus ſic intimos penetrat affectus, vt ipſam vim dicendi nonnunquàm ſuperare: videatur. Quint. lib. 11. cap. 3. qui autem crimen ſuadet illius reus eſt. *Vide Poteſtas Cognitionis, ex jure civili.* vndè patet quod obſcœnæ illæ imagines, non ſunt malæ quia prohibitæ, ſed prohibitæ quia malæ, ſunt enim inimici occulti & domeſtici, & quaſi perfidi conſiliarij, ſemper ad malum inclinantes.

Inducit Terentius in Eunucho nequam adoleſcentem proponentem ſibi Iovem ad exemplum ſtupri, dùm ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc; Iovem quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt in gremium imbrem aureum, fucumque ſic factum mulieri; & vide quemadmodùm ſe concitat ad libidinem, quaſi cœleſti magiſterio, &c. D. Aug. l. 1. conf. c. 16.

Quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident quid ſequi debeant; in ipſa legunt qui litteras neſciunt, vndè gentibus pro lectione piſtura eſt. D. Gregor. lib. 9. epiſt. 9. habetur can. perlatum. de conſecratione diſt. 3.

De vitandis obſcœnis imaginibus, & quod peccant graviter qui illas exponunt aut ſibi ſervant; propter proximam occaſionem movendi illicitos affectus: vide Sanchez. lib. 9. de matrim. diſp. 46. Azor. tom. 1. lib. 12. c. vult. q. 9. in fine. Theatr. vit. hum. tom. 9. Coninch. de ſcandalis num. 65. & alij. Palud. in 4. diſt. 38. q. 6. a. 3. con. 3. Filucius tract. 28. c. 10. q. 8. n. 226. Bonac. tom. 1. tract. de matrim. q. 4. p. 9. Arias de mortific. viſus, &c.

Sen. ep. 88. in med. vocat pictores luxuriæ miniſtros.

Legi Relationem typis mandatam in Hiſpaniâ an. 1632. quâ recenſentur reſponſa plurium doctorum, qui omnes aſſerunt obſcœnas picturas, & domi in ornamentum poſitas & publicè expoſitas inducere peccatum mortale his qui ſic exponunt, tùm ratione ſcandali, tùm quia ſunt proximæ diſpoſitiones, & occaſiones, quæ videntes ad malum provocant; poſſunt tamen nuda corpora depingi ad hiſtoriæ ſacræ expreſſionem, vt in creatione Evæ, Suſanna in horto. S. Sebaſtianus, & alij in martyrio & ſimilia, dùm abſint expreſſiones geſtuum, & actionum obſcœnarum; alioquin nec liceret pingere vultus, ex quorũ visâ pulchritudine inardeſcit amor: id autem contingit non vitio pingentis aut exponentis, ſed intemperantia videntis.

De vi imaginum. *Vide Poteſt. Cognit.* De pictoribus obſcœna pingentibus & de his qui illa exponunt, dici poteſt, quod ſcribit Tertulian. lib. de Idololatriâ cap. 4. contrà ſculptores Chriſtianos idola fabricantes. Exod. 32. Non ſolùm, inquit, prohibentur à Deo idola adorari, ſed & fieri; itaque Idololatriæ rei ſunt Chriſtiani Idolorum artifices. Objici ſolet, non habeo aliud quo vivam, diſtrictius repercuti poteſt, vivere ergò habes; quid tibi cum Deo, ſi tuis legibus? non, inquis, colo; imò colis, qui facis vt coli poſſint: colis autem non nidoris alicujus ſpiritu, ſed proprio; nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua; illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis, diligentia tua numen illorum eſt, illi immolas ſalutem tuam; quomodò potes de adverſaria officina in Domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum; his manibus adorare, quæ foris aduersùs Deum adorantur: eas manus admovere corpori Domini, quæ Dæmonij corpora conferunt? Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt, iſtæ quotidie corpus ejus laceſſunt, ô manus præſcindendæ; viderint jam an per ſimilitudinem dictum ſit, Si te manus tua ſcandaliſat amputa eam; quæ magis amputandæ, quàm in quibus corpus Domini ſcandaliſatur: Potes ne linguâ negare quod manu confiteris, verbo deſtruere quod facto ſtruis? Tertul. d. loc.

Culpa ſimilis eſt, tàm prohibita diſcere quàm docere. l. 8. Cod. de malef. & mathe. ſic obſcœnas imagines pingere, exponere, & cum concupiſcentiâ intueri.

Averte oculos meos ne videant vanitatem, inquit Propheta. Pſal. 118.

In Luſitania non licet in publicum proferre picturas vt libros ſinè Magiſtratus doctorumque examine, ſi enim prohibentur libri contrà bonos mores, quantò magis picturæ, quæ ſunt quaſi libri ſemper aperti, in quibus legit qui litteras ignorat.

Imago ſupponitur pro re ipsâ, ſic coram Principis imagine non licet comœdias agere; & in crimen læſæ majeſtatis incidit, qui ſtatuas violat. *Vide Med. Cognit.* de imaginibus. Sic in imagine vt in re ipsâ peccat luxuria.

Vi objectæ imaginis phantaſiam afficientis, alba matrona edidit Æthiopem, & æthiopiſſa album puerum. *Vide Rhodig. l. 20. c. 15.*

Telas araneorum modo rexunt ad veſtem luxumque fœminarum, primò eas invenit in Ceo mulier Pamphila, non fraudenda gloriâ excogitatæ rationis, vt denudet fœminas veſtis. Plin. l. 11. cap. 22.

ABSTINENDVM
ab obſcœnis imaginibus.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Hominis dos præcipua, & præſtantiſſimum naturæ ſuæ privilegium eſt, quod ſit imago Dei; vndè debet quantùm poteſt conformari ſuo prototypo, aut ſaltem expreſſioribus ejus imaginibus, in Angelis & Sanctis, vt ſic etiam exemplo ſuo poſſint

deletæ, aut aberrantes in alijs Dei imagines reformari. Dedignatur hanc Dei ſimilitudinem, & ſibi ſervare & alijs præferre, qui laſcivas exponit imagines, teſtatur enim hoc affectio cultu ſi relicta Dei cognatione, ſenſibus nimium ingratâ, ſe à cupiditatibus adoptatum eſſe, illis ſe militare, & cæteros vt idem preſtent invitare.

MAGNITVDO. Voluptas ipsâ ſui copiâ ſe obruens; invenit quomodò & ſenſuum defectibus, & inexpletę cupiditati ſimul provideret dùm per obſcœnas imagines tactui ſubſtituit oculos, qui nunquàm viſu ſatiantur. Vt charitas ſe latius in aliorum commodum effundit, ſic laſciva cupiditas, perversâ communicationis æmulatione, malum ſuum, quantùm poteſt, omnium animis per oculos infundit.

DVRATIO. Corpori in perniciem animæ nimium indulſiſſe videtur natura, dùm hominem, non vt cætera animalia, ſtatutis temporibus, ſed perpetuâ fœcunditate proritat in venerem; viribus tamen impoſuit limites, quietemque impotentia ſaltem indixit: at incontinentia modum non patiens efficere conatur per imagines perpetuum, quod natura voluit eſſe temporaneum; oculis & mente peccare vult, cum actu non licet: & vt caſtitas optat ſemper abſtinere, hæc illi ex diametro oppoſita vellet ſemper ſe, alioſque inficì, & hæc impia vota videtur implere, eo quod expoſitis obſcœnis imaginibus, nullum eſt diei momentum, in quo aliquis non poſſit his conſpectis cupiditates ſuas accendere.

POTESTAS. Mos fuit ejectorum Tyrannorum imagines & inſignia penitùs delere hic igitur non habet amorem vt tyrannum ſed vt legitimum Principem, qui ſic illius ornatas, & quaſi ſacras ſervat imagines: Non conqueritur, vt Apoſtolus, de vi ſibi ab hoc dæmone illata, cum ſic volens lætuſque illius ſe ſubjiciat imperio: quaſi indignetur naturalem ſibi ſuper eſſe libertatem, vt hoc jugum excutiat, & ſe ſibi vindicet; his vltrò ſe novis conſtringit compedibus; his ſe onerat cordium catenis his oculorum miniſterio alligari vult cogitationes ſuas, & appenſis hiſce. Veneris inſignibus, illi ſe addictum publicè profitetur. Turpiſſimum eſt magnatorum chriſtianorum aulas Heliogabali aut aliorum ſporciſſimorum paganorum mores induere, & turpitudines in ornamentis habere. Quid ſi redirent in mundum Apoſtoli, quâ non moverentur indignatione videntes fidem à ſe diſſeminatam ſic corruptam? &c.

COGNITIO. Pudet pudorem inditum eſſe à naturâ; juvat palàm proferri, quod velatum eſſe iubet honeſtas. Exterior naturalis, civiliſque habitus indet eſt interiorum. *vt Vide Cognit. Virtut. de Phyſionomiâ, & veſtibus*, quale poteſt fieri judicium de homine, cui frons eſt meretricis, neſciens erubeſcere, & qui in ornatum aſſumit pudenda. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo, inquit Chriſtus; ſemper ergò vult mœchari, qui ſemper ad concupiſcendum vult videre: vana eſt de malis cogitationibus pœnitentia & confeſſio ſi ſemper habentur & placent quæ illas foveant, objecta, & quibus naturale eſt movere potentias: Quomodò orabis Patrem clauſo cubiculo, in quem admittis cupiditatum idola? non ſunt jam cum propheta obſervandi per rimas parietis qui clam litant Veneri, publicum volunt eſſe ſuum facinus, & ſub Chriſtiano nomine Cynicos imitantur. Quantùm fuit in Eccleſiâ meritum eorum, qui pias poſuerunt imagines, quibus fidelium devotio promovetur; tantùm execrandi ſunt, qui obſcœnis imaginibus aliorum inflammant cupiditates: Si delicti reus eſt qui illud ſuadet. *Vide Poteſt. Cognit. ex Jure.* quis æſtimet reatum exponentis turpes imagines, quarum aſpectu innumeri poſſunt homines omni tempore in turpitudinem cogitationum & affectuum adduci?

VOLVNTAS. Hoc eſt im[illegible] amori & reportatis de Divino ſpolijs trophæum erigere; hoc eſt graviſſimè pugnare in Spiritum ſanctum, corda ſemper ad bonum promoventem; hoc eſt per oculos mentem avocare & corrumpere, nè gratijs vocantibus conſentiat; hoc eſt amori acerbiſſimæ omnium paſſioni, quaſi non ſatis ſæviat, virus addere, flammis oleum infundere, & prophanum ignem, vt olim ſacrum, quantùm licet, efficere perpetuum.

VIRTVS. Olim Divina lex vndique parietibus domorum erat inſculpta; philacteriis, certiſque inſignibus continuò piorum memoriæ commendabatur. *Vide Durat. Cognit* huic igitur pro Deo, pro lege eſt luxuria, cujus, ſic ſignis vndique diligenter poſitis curat ne excidant cogitationes motus & affectus: Hoc in mundo nunquàm ſecura virtus vitat quantùm poteſt omnes in malum prioritantes occaſiones. *Vide Differ. Minor.* abſit igitur vt admittat hæc fomitis incentiva, & domeſticas ſibi velit eſſe has imagines, leonis & meretricis turpi ſemper officio fungentes.

VERITAS. Falſæ quidem ſunt rerum adumbrationes, vera tamen indicia & incentiva cupiditatis, quæ verè hominem rerum conſtituit: In illis, non tam placet ars quam res expreſſa, quæ dùm naturam mentitur, indulget cupiditati, & arti decorem, prætiumque adjicit, ſed inquis, talis objecti familiaritas adimit omnem delectationis ſenſum; ô profligata mentis ſalus, & in vltimum adducta, quæ non vacat à turpibus, niſi turpium nimio & vſque ad faſtidium vſu?

GLORIA. Si te delectat tàm turpe ſpectaculum reus es, qui ſic malæ & vt leges præcipiunt, modis omnibus coërcendæ indulges cupiditati: Si te non delectat, cur excitas torpeſcentem fomitem? cur te talibus delectatum publicè profiteris? cur detorſo è frontibus pudore, vitio huic adjicis feram quandam audaciam? cur exemplo tuo cæteros ad ſimilia provocas? cur gloriaris de peccato? &c. *Vide Gloria Minoritar.* Sunt innumeræ rerum pulchritudines in quibus imitandis innocenter ludere poteſt ars, & citrà culpam, imò cum fructu oculorum curioſitati indulgere; habe pictos martyres, &c. vt ſub gratis picturæ ſpeciebus tranſeat in animum pietas: Cæterùm cave, nè in naturæ ſolatium conceſſa delectatio animarum ſaluti damnum inferat.

DIFFERENTIA. Individuis, exiſtentiis, locis, temporibus res circumſcripſit providentia, vt neceſſaria concedens, removet ſuperflua, & dùm vni concedit fruitionem eandem cæterorum omnium cupiditatibus ſubtraheret, ſic realis pulchritudo jure connubij vni permiſſa, cæteris negata eſt: at per imagines vna pulchritudo pluribus, loco & tempore licet multùm diſtantibus proſtituitur, plurimumque ſimul accendit, nec ſatiat cupiditates.

CONCORDANTIA. Laſcivos ſupponit, efficit & ſervat hæc cum laſcivis objectis aſſidua converſatio. *Vide Poteſtas Concordantiæ.* libidinum ſpecies ſunt ab amore Tyranno, quaſi cuſtodes poſiti, ne in animam auditum habeant conſilia, & auxilia gratiæ. Hoc publicum eſt innocentiæ tuæ argumentum, quo boni contrahendæ amicitiæ causâ te probaturi accidentes, ſtatim vt à moribus ſuis contrario diſcedunt; incontinentes autem veniunt ſecuri, vt ſuo te commercio magis polluant.

CONTRARIETAS. Ap[illegible]aret quod non habes ca-

nem vt hoſtem, cujus ſic ergis, ornas, & colis imagines; apparet te illi non adverſari, ſed conſentire. Si continuâ in ſe mortificatione pugnantibus, & cor ſuum vigili cuſtodiâ ſervantibus, irrepit tàm callidus hoſtis, ſi ab eo patiuntur vagas incurſiones, ſævaque incendia: quid non timendum, ſi nunquàm placabilem in mœnia & in domum propriam admiſeris;

PRINCIPIVM. Cum ſemel laſcivia excepta fuerit, vt familiaris & domeſtica, tunc renitentem priùs, & mala non patientem conſcientiam ſecuram efficit ſtimulis inermem, & corrupto judicio turbibus non pœnas, ſed præmia largientem; hinc naſcitur legum Divinarum obſcœna prohibentium contemptus, qui tandem Dei providentiam, juſtitiam, imò & exiſtentiam inficiatur.

MEDIVM. Si amoris potiſſimum remedium eſt abſcentia, aſtentes illæ ſemper imagines ad laſciviam compoſitæ, ſunt potentiſſima amoris incentiva; ab hac feſtâ objectorum præſentiâ deluſa cupiditas, ſemper æſtuat, numquàm ſatiatu, torqueteque animam Tantali ſupplicio, preſenti ſcilicet, & tamen fugatis poſſeſſionis, inter manus elabentis, illuſione.

FINIS. Nihil præclari facit ars, dum amorem accendit, in quem tota jam nutu ſuo fertur ſenſibilis natura. Amor ille venereus ad brutis communes voluptates inclinans, ex Platone, lapſus eſt amoris; Labenti autem auxiliarem manum præſtare debemus, non quo velocius ruat impetum: Quanta prævaricatio artibus vti, vinbuſque rationis, in mentis ipſius perniciem, & vt è ſede ſuâ dejecta corpori ſerviat. In eo nocentiſſimus eſt dæmun, & ſaluti noſtræ inſidiatur, quod pingat in phantaſiâ rerum obſcœnarum imagines; interdùm etiam, rarò tamen ſpectro noſtris illudat oculis; at id ſemper præſtant, qui turpes exponunt imagines, dumque aſſiduis hiſce tentationibus ſpecie ſibi cognatis hominibus malum inferunt, dæmone ſunt deteriores.

MAIORITAS. Artifices corpora pulchriora quàm verè ſint pingunt & effingunt: ſic ars ideb videtur naturam perficere, vt mentem dejiciat, gravioribuſque exagiter paſſionibus; quod enim in objecto deeſt vitæ, ſuppler per augmentum pulchritudinis, vndè quoſdam videmus plùs affici imagine, quàm vero corpore, quod nec tali formâ dotatum, nec ſic inhoneſtè denudatum viſendum ſe prebet. Vt pietas ad novos quotidie tendit perfectus. *V. Major. Vir.* Sic luxuria obſconarum imaginum ope novos ſemper ſtrages edit in orbe Chriſtiano, & mortalis veneni ſemina ad majores provẽtus oculis mentibuſque committit.

ÆQVALITAS. Vt ex malorum, ſic ex obſcœnarum imaginum commercio, nunquàm in te redibis idem qui priùs fueras? aliquid turbatur, & ſi nocivas ideas procul à ſe propellere nitatur animus, pugnat, incerto ſæpiùs marte, & vix evadit ex conflictu ſinè vulneribus, ſaltem vltrò ſibi fecit negotium, in quo vires impedit. Sanctis alioquin cogitationibus & operibus ſacrandas.

MINORITAS. Tales obſcœnæ repreſentationes ponunt ſanctos in periculo, infirmis ſunt in laqueum & ſcandalum & ſic multiplicantur in Deum peccata; quod ſi talibus aliqui non moveantur, meſt tamen illis vis malefica, vt ordinariè multos in malum pertrahant. Interdùm huic malitiæ accedit impietas, cum ſcilicet depingunt Amaſias & Veneres nudas ſub nomine alicujus ſanctæ, vt Mariæ Magdalenæ, Mariæ Ægyptiacæ: ſic enim illuditur devotioni, prophanatur ſanctitas, vt turpiter ſerviat, & lenocinetur cupiditati. Refert Baron. an. 462. pictori manũ exaruiſſe eo quod Chriſtum pinxiſſet ſub formâ Iovis: ſic iram divinam provocat, qui falſo pietatis titulo fruitur impudicis picturæ ſpeciebus. Sic Tertullianus in Apolog. cap. 15. objicit Paganis quod ipſorum Deos Pantomimi in theatris referrent. Quid quod Imago dei veſtri, inquit, ignominioſiſſimum caput & famoſum veſtit? quod corpus impurum, & ad iſtam artem effœminatione productum, Minervam aliquam, vel Herculem repreſentat nonnè violatur majeſtas & divinitas conſtruptatur, laudantibus vobis? Obſcœnitas imaginum præludit ferinæ, & citrà pudorem omnem proſtitutæ. Adamitarum turpitudini.

ABSTINENDVM A *ſpectaculis & theatris.*

MISCELLANEA.

ALexander Phæræ Tyrannus aliquandò è ſpectaculis Tragicorum erupit, quia pudebat ipſum ad fabulæ narrationem lachrymas fundi, quas non extorſiſſet effuſus civium innocentium ſanguis. Plutarch. in Pelopida. Pudeat Chriſtianos non flentes peccata ſua, & Chriſti mortem, flere mortem Adonidis aut alterius fortunam in theatris.

Valetius Maſſala & Caſſius Cenſores, theatrum faciendum locaverant, in quo popul. Rom. ſedens ſpectaret ludos. Scipio Naſica nè id fieret à Senatu obtinuit, tanquàm publicis moribus nocturum, cautumque S. C. nè quis ſedens ludos ſpectaret: Primus manſurum theatrum Pompeius Mag. Romæ extruxit. Liv. l. 48. D. Aug. l. 1. de Civ. c. 31.

Ludis tantùm Circenſibus initio aſſuetus erat Romanus populus, inſtitutis à Romulo quarto menſe ab vrbe conditâ in quo Sabinas rapuerant: in illis equi & pugiles certabant, inter enſes & flumina, ita vt ignavis prætens eſſet periculum: Conqueritur D. Auguſtinus quod loco Circenſium ludorum, introducti ſint ludi ſcenici, ſpectacula turpitudinum, & licentia vanitatum. Id quidem juſſu deorum, ſub prætextu vitandæ peſtilentiæ; ſed id dæmonum aſtutiâ, qui ſic non corporibus, ſed moribus graviorem immiſerunt peſtilentiam. Ibid. c. 32.

Si oblectandus eſt animus, & ſpectare delectat, exhibet vobis ſancta mater Eccleſia veneranda ac ſalubria ſpectacula: ſi aurigæ, & equi delectant, vide Eliæ curſum, & ſubverſum aquis Pharaonis equitatum. In theatris labes morum, diſcere ruptia, audire inhoneſta & videre perniciosa; hic adulterantem & tonantem confingunt Iovem: In Eccleſiâ reſpicimus Chriſtum, verum Deum, caſtitatem docentem, &c. Quid Pantomimi cantiones ad noſtra cantica? de quibus. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua, &c. Admirabile ſpectaculum noſtrum, in quo Deus adjuvat, fides vires impetat, innocentia pugnat, ſanctitas vincit, præmium conſequitur tale, quod & ille qui vicerit accipiat, & qui donaverit non amittat. D. Auguſt. lib. 2. de Symbolo ad Cathec. c. 2.

Non carebic Chriſtianos ſpectaculis, qui ab Amphitheatro recedit: multa feciſti Deus meus mirabilia tua. Pſal. 39. Mirabilia hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei; Specta non hiſtrionem in fune ambulantem, ſed Petrum in mari; calca & tu fluctus ſæculi; habent amaritudinem, habent piſces ſcilicet homines ſeipſos vorantes. Spectare vis, eſto ſpectaculum; ſpectaculum enim facti ſumus Deo, Angelis & hominibus. Idem in Pſal. 39.

Aliorum insaniam insani provocant, & insaniendo spectare desiderant, quomodo ergo sanitatem pacis tenere animus potest, qui discordijs & certaminibus pascitur; qualis enim cibus sumitur, talis valetudo consequitur. Idem lib. 3. Confession. cap. 1. loquens de adolescentia sua. Rapiebant me, inquit, spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, fomitibus ignis mei: talia audientes, quasi qui se vnguibus scalpunt, fervidus tumor & tabes, & sanies horrida consequitur.

Salvian. l. 6. de gubern. Dei, invehitur in comœdos longo sermone, cujus hæc est summa. In singulis vitijs singulis membris peccatur; In theatris nihil reatu caret, quia & concupiscentijs animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. Si intervenias latrocinio non inquinaris actu, quia abhorres animo, &c. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ vnum admodùm faciunt & agentium & aspicientium crimen: in illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs fornicatur, & qui ad spectaculum puri venerant, fornè adulteri revertuntur.

Pluribus & asperioribus nominibus amphitheatrum consectatur, quàm Capitolium, omnium dæmonum templum est; tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit. Deus præcipit Spiritum sanctum, vt potè pro naturæ suæ bono tenerum & delicatum, in quiete & pace tractare, non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare: igitur quomodo cum spectaculis poterit convenire? omne enim spectaculum sinè concussione spiritus non est. Non spectabimus, nè spectemur ab eo, qui omnia spectat; nusquam & nunquam licet quod semper & vbique non licet; hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequij, non variare judicium: Si virgo ad omnem spurio verbo abstinere debet, quomodo obscœnas in scenis gesticulationes? & si litigiosum averlaris, quomodo placent theatra assiduis contentionibus & bellis perstrepentia? Mimi omni dignitate & honore privantur, cum tamen sectatores habeant; quanta perversitas amant quos mulctant, depreciant quos probant: sed quanto magis divina Iustitia in tales artifices animadvertit, non amat falsum autor veritatis; adulterium est apud illum omne quod fingitur; proindè vocem, sexum, ætatem, amores mentientem non probat, qui omnem hypocrisim detestatur, si Deut. 22. Maledictus est qui muliebribus vestitur; Quid de Pantomimo, &c. Cognoscitur Christianus de repudio spectaculorum, itaque negat manifestè, qui per quod agnoscitur tollit; quid autem ipsi supersit in ejusmodi homine? Nemo in castra hostium transit, nisi projectis armis suis, nisi destitutis signis & Sacramentis Principis sui, nisi pactus simul perire. Ipse virorum & mulierum accuratus cultus, ipsa conspiratio aut dissensio inter se de commercio, scintillas libidinum conflabellant; quomodo sibi persuadebit non percutiendum, & misericordia movebitur, qui gaudet certaminibus? Satis habet Ecclesia scientiæ & cantus, vis luctatus, aspice impudicitiam dejectam à castitate, perfidiam cæsam a fide, &c. Si placet sanguis, vide sanguinem Christi & Martytum. Tertul. lib. de spectac.

Qui die solemni prætermisso Ecclesiæ conventu ad spectacula vadit, excommunicatur ex Concil. Carth. 4. habetur can. qui die, de consecr. dist. 1.

Tiberius anno Imperij 7. edicit de histrionibus vrbe pellendis, ijsdemque artc interdicit. Dio. l. 57.

Valens, nè scenicis hom bus privaretur, vetat eos baptisari, nisi in mortis articulo. l. 1. de scenic. Cod. Theodos. Hinc patet hoc institutum cum Christiana professione non convenire.

Qui artem ludicram exercent, & pronuntiandi causà in scenam prodeunt sunt infames, & qui in arenà ad spectaculum contrà feras pugnant, non qui illas in venatione expugnant, nè noceant regioni. l. 2. ff. de his qui nota. infam.

Datur actio famosa contra eum, qui effecit suasione, ope, receptione, vt servus vel filius, sit amator, erro, in spectaculis nimiùs. l. 1. ff. de servo corrupto.

Die Dominico à voluptatibus & spectaculis abstinendum. l. vlt. Cod. de fer.

Pecunia deputata ad spectacula in refectionem murorum potest converti. L. vnic. Cod. de expens. ludo. publico.

Neophyti & Clerici non debent adesse spectaculis, can. Neophyti, & can. non oportet de cons. dist. 5.

Ludi theatrales, etiam prætextu consuetudinis, in Ecclesijs, vel per Clericos fieri non debent. cap. cum decorem, de vita & honest. cleric.

Ad theatri corruptelam accedunt Libri. amantium æstus, & fortunas tragicè describentes. Contrà quos vide quæ dixi lib. de vita Religiosa, parte tertia. cap. 11.

Meritò notantur Athenienses, quod in ludis & spectaculis tantùm impenderint, quantùm in classis & exercituum apparatu. Rhodig. lib. 8. c. 9.

Comœdiæ finis non alius erat Græcis quàm lætari, seù rebus pudendis graphicè expressis, seù alienis moribus dicterio & scommate notatis: hinc Comicorum sales venenatos vocat Seneca.

Comica facies apud Lucianum dicitur, quæ nec Dijs, nec hominibus parcit. Id. lib. 6. cap. 17.

Nihil tàm damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere, tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt; avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo verò crudelior, & inhumanior, quia inter homines sui. Senec. ep. 7. Vbi invehitur contrà cruenta spectacula in quibus homines inmvicem & contrà bestias certabant.

THEATRI VANITAS & pericula.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Theatrum ex se videtur esse quid indifferens, cum ex rerum quas repræsentat bonitate aut malitiâ suam accipiat, quia tamen instituti sui est movere, faciliusque movemur sensibilibus, hæc scenæ referunt, & exornant gratissimis omnibus qualitatibus, quæ possunt animum per oculos & aures rapere. Hoc lenocinio deceptum hominem, suæ rationalis partis oblitum, inferiori penitùs addicit, in brutum vertit, quasi Medeæ cujusdam veneficio.

MAGNITVDO. Pictura citrà dolum fallit, dùm ficta quantitate, soliditate, distantia nostris imponit oculis; at theatrum non innoxiè ventis dat pondus, & inanibus spectabilem consistentiam, cum indè foveat passiones, augeatque quod debuerat minui. Contrà vanitatem totis viribus pugnat Philosophia Christiana, at ex opposito theatrum mundana recensct & celebrat vt magna, vt sublimia; vndè pudet talia non multifacere, & præ cæteris consequi.

DVRATIO. Conqueruntur homines de vita nimis brevi ad scientias & virtutes comparandas, tamen pretiosum hoc tempus nunquàm rediturum profundunt in spectaculis, non mendacio tantùm

& vanitate, ſed prava rerum æſtimatione, rationi, nè in verum & bonum feratur, permitioſis. Dum compendioſè intrà horæ vnius ſpatium theatra referunt homines varijs periculis jactatos, & tamen votis fruentes, blandiuntur ſpectantium curioſitati moras non patienti, & ſimul cupiditatibus ſuggerunt audaciam, quaſi futuræ ſint inter adverſa victores, & tàm brevi vt refertur ſpatio quod ambiunt poſſeſſuræ. Quæ hîc tanto ornatu, tanto aurium & oculorum lenocinio exponuntur hærent mentibus. Vnicumque vitij alicujus exemplum fœcundum eſt mali ſemen, quod certò licet aliquandò tarde in animi permitiem, aut tentationem coaleſcit.

Potestas. Hîc commendantur divitiæ, honores, dignitates, & cætera fortunæ munera, quaſi ſint ſummum hominis bonum. Hic proferuntur tyranni, jacentium ſub ſe populorum cædibus impunè ſaginati: non mirum ſi crudeliter imperantibus placuit olim theatrum, in quo videbant ſævitiæ ſuæ leges & exempla, quorum etiam comparatione ſe putabant miſericordes, in quo licebat juventis addere, nova ex occaſione meditari, moliri, animo nunquàm in populi perniciem ociante. Luget miſera plebs oppreſſæ ſuæ libertatis damna, & tamen cæca talis ſævitiæ magiſtris & executoribus in theatris applaudit.

Cognitio. Scena humanæ vitæ ſpeculum eſt, quo res referuntur vt ſunt, non quales eſſe debuerant; at cum hic mala prævaleant, illa ſatius eſſet ignorare quàm diſcere. Vitium virtutis pallio tegunt homines, ità dùm aberrant, dùm decipiunt, fatentur tamen virtutem eſſe colendam: fucum hunc dedignatur theatrum, ponit in aperto vitia, tenebris & oblivione damnanda, docetque non infœliciter factum, quod mens naturaliter recti conſcia ſibi fingebat impoſſibile: Igitur theatrum non humanæ vitæ, ſed vitiorum in eâ regnantium ſchola eſt.

Volvntas. Scena potiſſimùm occupatur in exponendis ad ſtuporem miris amoris ardoribus & caſibus; hæc enim paſſio omnium domina cæteras habet ſibi plaudentes & militantes: ità primas cæcalque adhuc enaſcentes in cordibus flammas fovet, fiabellat, & nè pudor ſuffocet liberum concedit aërem, detersâ ſolutâque turpitudinis opinione. Amor, inquiunt, caſtus citrà laſcivium omnem exponitur; ſed hæc eſt ſubtilior flamma, quæ mentem alienat ab omnibus virtutis & pietatis officijs, hoc aguntur Dæmone in Angelum lucis transfigurato qui lugent, pallent, jacent inſomnes & exanimes, & qui prophanum ignem ſacris inferunt miniſterijs; cupiditatis dolus eſt, quo melioribus ſe inſinuat mentibus. Non ſic inſanit & furit Venus quæ dicitur terreſtris. *De quâ Vide Volunt. Durat. Propagationis deſiderium & Differ. Volunt.* Cæterùm quid ſupereſt ſpei à theatris, ſi cor auferant?

Virtvs. Inducunt heroas excellentis ſuprà cæteros virtutis, quorum tamen deſcribunt veſanos amores, feras, nec niſi hoſtium, proliſque vltimo excidio ſedatas iras; hoc eſt Paganorum inſtar, crimina conſecrare, Dijſque tribuere, vt deinceps eorum exemplo impunè peccetur ab hominibus.

Vsritas. Mirum videri poteſt, quomodò homines veritatis amantes, & mendacij contumelia, vt omnium graviſſima injuria læti, gaudeant tamen falſis, placeatque quod illudit: & ſanè ſcenici, vt falſarij ira publica in eos ſæviente profligarentur, niſi vitio corruptis, contrà conſcientiæ ſtimulo, & Divini ſudicij metus patrocinium quoddam præſtarent, adulantur: & quam pauci ſunt qui ſibi adulantes, & malis ſuis quæſitis coloribus indulgentes, placidis animis, apertoque cordis ſinu non excipiant?

Gloria. Applaudis Amaſio, poſt multos caſus tandem optatis fruenti; trophæum, voce, geſtu, affectu engis, illatam ſibi quondam injuriam fortiter vindicanti: placet tibi dolus multis artibus Zelotypi cuſtodio, &c. Nonnè hoc eſt malis moribus aſſentiri, & probare quæ lex divina reprobat. Hic ſumma indignatione moveretur bonæ mentis zelus, condoleret pereuntibus charitas, nec ſinè dolore videret illatam Domino ſuo Chriſto injuriam. Tu interim gaudes, plaudis, & in talium quaſi gratiſſimo ſpectaculo exultas.

Differentia. Vitia ſic palàm commendare, hoc eſt fontes publicos veneno inficere: & nè quis hujus maleficæ opinionis vim non ſentiat, omnes in theatris introducuntur vitæ conditiones, viri, fœminæ, Reges, Miniſtri, plebei, &c. vt quaſi communibus Reipublicæ ſuffragijs firmetur improbitas. Mundus ſcenam exhibet, ſed eventus tantis inter ſe diſtant intervallis, vt inter moras mens valeat in ſe redire, & collectis inter inducias viribus, mente alijs applicata, illæſam ſe à talibus præſtare: at theatrum longam rerum geſtarum ſeriem compendio refert ante oculos, ſic attentam & à narrantium ore pendentem mentem quò vult facile movet, nullo quò in ſe reflectat dato tempore. Itaque ſcena ſimilis eſt chimicis eſſentijs, vim maximam in exigua materia proferentibus, & morbis ſine intermiſſione naturam nulla quiete recreatam opprimentibus.

Concordantia. Experimento comprobatum eſt homines congregatos facilius potentiuſque, moveri, pronâ ſcilicet ad imitationem natura, & fortè tunc effluentibus ab invicem, mutuoque receptis commotis ſpiritibus, vt in amoris faſcinatione. *De quâ vide Poteſtas Cognitionis.* Fœliciter id ſuccedit in piorum congregationibus, & in Templis, vt magis afficiantur pſalmodia, & verbo Dei; ſed vt quid nimium jam in nos potenti concupiſcentia vires addimus his auxiliaribus copijs? vt quid laſcivia deditis cognito magno ſuo numero audaciam adjicimus; vt quid mentes ſollicitare, & ruente turba in ſimiles caſus repere? ſic enim quæ alioquin non admitterentur placent, ipſo amicorum applauſu concurrente & invitante.

Contrarietas. Profitemur in baptiſmo abdicationem pomparum mundi, cum tamen ad illas in theatris fiat publicus omnis conditionis hominum concurſus, quaſi jurata pace, initiſque fœderibus cum eo, quem vt hoſtem ſuum Chriſtus denuntiavit. Itaque tales ad fovendas illecebras conventus dici poſſunt, quaſi fuſæ Chriſtianæ militiæ deſertiones, perfidæque in hoſtium poteſtatem deditiones.

Principivm. Flumina occultis meatibus procedunt è mari, ſed aperto magnoque concurſu in illud redeunt. Sic ex tacita concupiſcentia homines oriundi, ad illam, vt in principium ſuum, magno confluunt tumultu in theatris. Quid juvat profiteri innatos ſenſibiles appetitus rationi ſubjiciendos eſſe, ſi ſic illis indulgetur, ſi ab ineunte ætate ſenſibus conceſſa poſſeſſio, magno theatri applauſu, quaſi publico judicio firmatur. Indignantur parentes familias ſuas natorum libidine, aut turpibus nuptijs fœdatas, cum id quotidie ſuadeant theatra, amentoſque referant ad parentum ſuorum contrarijs votis fortiter & fœliciter triumphantes.

Medivm. Actiones humanas ſcenæ referunt ſine modo, & in exceſſu, vt ex illis major ſit admiratio. Sic impugnant præcepta Sapientiæ, virtutem in mediocritate conſtituentis; ſic audaciam, temeritatem, ruentem ſinè diſcretione zelum accendunt; & nè fides deſit verborum lenocinijs addunt exempla virorum

Illustrium, vt pudeat non imitari. Hic videbis ferro, dolis, perfidiâ, veneno, non ferinâ tantùm sævitiâ sed dæmonum tenebrosis & sacrilegis præstigijs res fœliciter peragi: Hinc habent spectatorés quod rideant Theologos decernentes, non esse facienda mala, vt eveniant bona; habent timidæ mentes, quo in posterùm ad implenda sua vota publicam hanc tritamque vitiorum viam securiùs sequantur.

FINIS. Non hoc, inquis, fine, sed causâ tantùm laxamenti adeuntur theatra. Debuit tamen hos ex tali veneno malos effectus prudentia prævidere, suis & alienis periculis edocta. Vtinam hæc mentem tuam subiret cogitatio, vt scenæ, sic mundi, fictum, vanum, brevem esse splendorem, &c. sed illuc ad delitias & exposito convenientes non admittunt, nisi quod blanditur cupiditati; ex mixto nociva tantùm sibi seligunt, pessimâ, chymiâ, & ex momentaneâ mali representatione perpetuum sibi faciunt ad similia documentum.

MAIORITAS. In certâ naturæ nostræ corruptione, quâ fit vt plures sint mali quàm boni, suspectam facit scenam, magnus ille populi concursus, & quod libidini tyrannidi cæterisque vitiis, magis addictos, validiores habeat sui assuetores: Quid tot quæsitis ornamentis menti commendant sensibilia, quibus jam nimium adhæret cupiditas?

ÆQVALITAS. Scenæ propositum est, variam rerum sortem, spes conceptas eludentem exponere; his autem semper variantibus pasci, his cogitatione & affectu inhærere, jactari est. Si sapiens alienis non se implicat negotiis, vt suis plùs invigilet; Si æterna eodem modo se semper habentia contemplatur, vt illis quantùm fas est se conformem exhibeat; Non ergò placet illi mundanæ vanitatis & inconstantiæ spectaculum? Hic rerum casus adscribuntur fortunæ, quasi exultet à regimine Divina providentia, fatumque cæcâ, sed inevitabili lege, regnorum & personarum jura dirimat.

MINORITAS. His corruptelis replent teneras, angustasque adhuc mentes, ne contraria virtutum præcepta in posterùm admittât: quomodò placere potest paupertas, humilitas, obedientia, castitas Christiana, contrariis opinionibus ope spectaculorum imbuta? Fœlix egestas, fœlix rusticorum vita, quę suis operibus intenta, non habet nec pecunias, nec horas vacantes, quas impendat in hac contagiosâ curiositate.

APPENDIX.

HÆc dicta sint de theatris, provt referunt bellica, amatoria & cætera quibus hominum iræ & cupiditates inflammantur. Possent autem heroica sic aptè & castè repræsentari, vt hinc non solum spectatoribus, sit innocens delectatio, sed efficax ad virtutis profectus argumentum. Sic laudem merentur quæ in Magistrorum etiam pijssimorum scholis, ab illustribus adolescentibus exhibentur tragœdiæ. Sacræ ipsæ Ecclesiasticæ cæremoniæ, quæ in templis per aures & oculos animum ad divina transferunt, nihil sunt aliud quàm repræsentationes rerum à Christo Domino pro communi omnium salute gestarum. Cœlorum, totiusque naturæ ordinatissimi motus, si benè percipias, sunt expressiones successivę Divitiarũ perfectionum, eorumque quæ in æternitate eodem modo semper se habent. In honestis theatris, vndè exultat omnis spurcitia afficiuntur duo sensus rationi contugi, & percipiendæ pulchritudinis soli capaces, auribus dantur præcepta, oculis exempla, vt sic virtutes altiùs faciliusque in animum descendant. His legibus instructa theatrâ non improbo. Caveat tamen Christianus spectator suâ serpentis prudentiâ nè columbæ simplicitas inficiatur, & nè sub specie pietatis, in quam victima scena resolvitur, in cæteris diuturno spectaculo commendetur animis cupiditatum nocivæ species, quas abesse & delere mavult integritas.

ABSTINENDVM A tripudijs, choreis, saltationibus.

OLim tripudia fiebant ad compositos numeros, vt corpus formaretur ad decentes & honestos motus; postea tripudiatio fuit quasi tacens quædam comœdia, nam vultu, gestu, totiusque corporis habitu, res lætæ, mœstæ, obiconæ coperunt representari. Athen. l. 14. c. 12.

Scipio & alij bellatores non molliter ad numeros corpus infringebant, sed virilem in modum tripudiabant, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur. Sen.

Sic exercebantur Lacedemonij, Saltationem armatam Curetes docuere. Plin. l. 7. c. 56.

Brachmanæ Indi Philosophi choreas ducendo, hymnos Deo canebant, vt refert Philost. in vitâ Apoll. sic Essæi. de quibus Philo. lib. de vitâ contemplativâ.

Talia erant cantica Dramatis in primitivâ Ecclesiâ. Vide Baron. an. 60.

Vt honesta & licita fuere hæc tripudia, sic turpia vitanda sunt, quæ ad lascivos numeros, ad lasciviam animum concitant, motuque, nè in se redeat quietus, impediunt. Oculis auribusque, sensibus qui soli pulchritudinem percipiunt, & sic animo cognatis vtitur hæc ars, quasi corruptis, perfidisque ministris, vt animum inclinet ad sensibilia, illic detineat deceptum, spiritualium & æternorum immemorem.

Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ad ludendum, lusus autem illorum choreas ducendo erat Idololatria: Ibidem refertur quod Moyses videns choros iratus est valdè, projecit tabulas & confregit eas. Vide Isai. 3. 15 Ezech. 25. 6 Tob. 3. 17. vbi Sara filia Raguelis, postea vxor Tobiæ junioris dicit, nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me prebui. Sic Ierem. 15. 17. Iob. 21. 11. Eccles. 9 4. Ezech. 12.

Choreas ducit imprudens, cum genua ad Domini nostri Iesu Christi cultum flectere oporteret. D. Basil. hom. 14.

Vbi citharæ ac chori, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum tristitia, & diaboli festũ: O improbum dæmonis consilium, S. Ephren.

D. Ambrosius lib. 3. de Virginib. Saltet inquit, sed adulteræ filia; quæ verò pudica, quæ casta est, religionem docet filias suas, non saltationem.

D. August. sem. 215 de temp. Increpans saltationes, quæ habebantur ante Basilicas Sanctorum; etsi inquit Christiani ad Ecclesiam venerint, Pagani de Ecclesiâ revertuntur.

Quod Gallicè dicitur *Bal*, sæpe mutatur in sanguinolenta sacrificia Baal, hic enim furit amantium zelus: ornata, vt mulieris placeat gaudet sui causâ multos videre digladiantes. Propter saltatricem occiditur Ioannes Baptista.

Choreæ sunt festa diaboli, in quibus recuperat quod in festis Ecclesiæ amiserat. Mirum est quomodò homines semper imminente periculo mortis corporeæ,

& æternæ ſic laſciuiant ; demens eſſet reus capite A damnatus ſi ſaltaret; Muſica in luctu importuna narratio; lectum autem à nobis exigunt naturæ fragilitas & reatus, metus futuri iudicij, Chriſto pro nobis paſſi compaſſio, &c. *Vide ſuprà de mortificat. hoc tit.*

Non magna laus hujus artis, in quâ excellunt infames funambuli, præcipuumque obtinet magiſterium. Rectè in balationibus mutant vultus, pudet enim aliorum ſeruire voluptati, & concupiſcentias accendere, fatentur ſe ſaltem ad tempus honorem depoſuiſſe, & in infames eſſe tranſmutatos.

Choreæ Veneris præludium, ſi aliquandò fiunt inter viros tantùm, aut mulieres tantùm, tunc exercent ſe, & meditantur quid congreſſi acturi ſint. Tolle radicitùs hanc ſpem ingenioſam, tolle libidinem, ſuſtuleris & choream: Ixionis rota eſt, corporis volubilitas animum ſecum trahit. Petrac.

Solent Dæmones, ſtriges, & ſortilegijs addicti nocturnas choreas agere, quas ſequitur turpiſſimæ libidinis expletio; ſic fiebat in convinticulis & orgijs Bacchi, in quibus erant pro myſterio Venereæ & impudicæ, cum cantibus & rympanis, ſexuum commixtiones. de his V. Lyn. Iur. l. 34. c. 20.

Stephanio primus Romæ in ſecularibus ludis togatus ſaltavit. Plin. l. 7. c. 48. quaſi infamiam ab hac arte tolleret. de quâ vide plura apud Alexand. ab Alex. l. 25. c. 2.

VESTIS HVMILITAS.

Licitus eſt veſtis ornatus ad diſtinguendas dignitates. *Vide. Cognit. Virtut.* In cæteris ejus exceſſus non eſt ſinè culpâ. *Vide Majeſt. Gloria.* Nimius veſtium ornatus.

Plato à Dionyſio veſtem pretioſam accipere noluit, dicens, hominem non debere eſſe muliebri habitu; eam accepit Ariſtippus, decens veſtem non poſſe generoſum animum mutare; ſic eam ſapientiæ non decentem, & quaſi contrariam, licet non victricem faſſus eſt.

Lacent vniones in conchis, quarum rudis admodùm & aſpera eſt ſuperficies. Sic Adamas ſaxo, obſcuràque matrice tegitur. Sol ſub nube ſervat ſibi ſplendorem ſuum; ſic virtus ſub humili veſte. *Vide Cognit. Virtut. Rep.* Latens virtus. Aromata & ſemina ſub vili tunicâ.

Auguſtus Cæſar humili veſte, quam vxor & filia fecerant, induebatur. Ageſilaus eadem veſte æſtate & hyeme vtebatur. Epaminondæ ſufficiebat vnica vilior per annum.

Inuenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. In ſignum poſiti ſunt panni rui Domini Ieſu Chriſte; in ſignum cui à multis vſque hodie contra dicitur: quando verò exaltatus eſt, mutavit veſtem, amictus lumen ſicut veſtimentum. Illum imitemur, vtilior ſiquidem in conflictu lorica ferrea quàm ſtola linea, licet oneri ſit illa, hæc honori; erit enim cum membra ſequentur caput ſuum, & dicemus conſcidiſti ſaccum meum, &c. D. Bern. ſerm. 4. in Nativit. Domini.

Cum omnes templum Dei ſimus, illato in nos, & conſecrato Spiritu ſancto, ejus templi Ædituus & Antiſtes pudicitia eſt, quæ nihil immundum nec prophanum inferri ſinat, nè Deus ille, qui inhabitat, inqui natam ſedem offenſus derelinquat, Tertul. l. de cultu fœm. init.

Deus in Paradiſo induit Adam veſte pelliceâ; exuviis animalis mortui, vt mortis memoriam circumferret; hac veſte vſi ſunt Elias & Ioannes Baptiſta.

Decoloravit me ſol, &c. Cant. 1. Lux interior, exterioris impatiens, nimirum ignis eſt, inania folia non admittit, alioqui aut exuri folia, aut certè ſi prævaluerint ignem extingui neceſſe eſt; dicitur autem Spiritum nolite extinguere. 1. Theſſ. 5. Apoſtoli tanquàm triſtes, ſemper autem gaudentes; contrà alios dealbatis Chriſtus comparat monumentis, foris ſplendidos, intùs fœtentes. D. Bern. ſup. Ecce nos reliq. omnia.

Iſaias nudus erat, & nudis pedibus. Iſai. 20. Quomodò benè nutrita corpora, ſi nuda ſint, vires ac vigorem apertiùs indicant; ità etiam pulchritudo morum, ſi ineptis nugis non involvatur, magis indicat animi magnitudinem, &c. Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 9.

Apud Romanos novæ nuptæ ſagittâ, aut telo capillos deſcriminabant, quaſi ornamentis renuntiarent. Plut. in Probl. Rom. prob. 87.

Victum & veſtitum habentes, his contenti ſumus. 1. Timoth. 6. Sic loquitur Iacob. Gen. 23. vide 1. Petr. 3. Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Pſ. 44. Arca teſtamenti inaurata vili tegumento operiebatur.

Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri; tanta enim debet eſſe plenitudo ejus vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conſcientiâ in ſuperficiem, vt & foris inſpiciat quaſi ſuppellectilem ſuam. Projiciamus ornamenta terrena ſi cœleſtia amamus veſtire vos ſerico probitatis, biſſino ſanctitatis, & purpurâ pudicitiæ; taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Tertul. l. de cult. fœm. in fin.

Deus non delicatâ veſte, ſed pelliceâ veſtivit Adam, quia præſens tempus non eſt deliciatum, ſed gemendi & plangendi: quod ſi ignominiæ & condemnationis, & ex peccato venit hoc amictu indigere, quid reprehenſionis materiam auges? cur crimen exageras? oportet nos juxtà Paulum corpus caſtigare; & illud artificioſâ veſte ornamus? Datæ ſunt veſtes vt fœditatem occultemus, non vt talibus induamur, quæ nos majori turpitudini quàm ipſa nuditas exponunt; propterea Elias, propterea Ioannes ſimplicem habentes amictum concupiſcebant indumenta incorruptionis accipere. Fœda mulier eſt quæ homines ad concupiſcentiam allicit, non Deum in animæ ſuæ ſalutem, &c. D. Chryſ. l. de Virginis ſuſp. contub.

In feſto Exaltationis S. Crucis refertur quod Heraclius Imperator, non potuit vrbem Ieruſalem egredi, & ſanctam crucem bajulare cum ſuperbâ & Imperatoriâ veſte, quâ erat ornatus.

Mulieres referuntur in ſacris paginis ſuas inaures, & omnem auream materiam ad templi ornatum conferre, emendo pietatem ornatu corporis; ſpecula etiam ſua conſecrant, vt indè labrum confletur, in quo ſe videntes omnem animæ maculam abluant. Philo lib. de migrat. Abrah. Anima eò clarius ſe videt, quò plus corporis ornatum reliquerit.

Nigra ſum, ſed formoſa, &c. Nigra per contemptum externi ornatus. D. Bern.

Caſtus amor, interiùs pulcher, gaudet humili veſte; eum Plato depinxit nudatum & laceram veſte: amor autem imputus in interiori deformis externum affectat ornatum.

Qui in domibus ſunt Regum purpurâ induuntur. Math. 11. Qui autem aulam obſervant cœleſtem, quæ eſt circà omnium regem, animæ veſtem, in quam non cadit corruptio, ſanctificant. D. Auguſt. Serm. 69. de temp.

Non eſt ſpecioſus ager cum ſtercoratur, ſic exteriùs non fulget pœnitentiam agens. ex D. Bern.

Septima Synodus graviter corripi jubet clericos, qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornant; vndè irridentes

dentes eos qui vilibus & Religiosis vestibus amicti sunt, per Epitimium corrigantur, à priscis enim vique temporibus omnis sacratus vir cum mediocri & vili veste conversabatur: Omne quippè, quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, &c. 21. q. 4. can. 1.

Inter sæcularia negotia recensetur, si clericus claris & fulgidis vestibus vtatur. cap. clerici, de vitâ & honest. clericor.

Religiosis & pijs viris propria est vestis humilitas, vt qui in domibus sunt regum fulgidis vtuntur; sic Niniviæ in sacco & cinere. Sic S. Pontifex in festo, Expiationis non apparebat cum solita vestium suarum pompa. Sivè vt pro se & mundo pœnitentiam agant; sivè vt Christum. Apostolos & Sanctos primitivæ Ecclesiæ imitentur, qui circuibant in melotis & pellibus; Accusantur & deluduntur vt hypocritæ, sed vt in veste, sic in patientiâ imitantur humilitatem Christi de quo Propheta: ego autem cum mihi molesti essent inducbam me cilicio. Ps. 34. Sed inquit D. Thom. Si impugnant vt hypocritas humili vtentes veste, ergo fatentur humilem vestem virtuti propriam esse; sed vt oves pellem propriam non abiiciunt; etsi lupi illis se protegant: sic boni non abiicient vestem humilem quamvis illâ quidam abuntantur. Vt altare olim ex impolitis erat lapidibus: sic homo Deo facer artificium non quærit in veste; ipso aspectu confundit mundi vanitatem, & per oculos docet Christianam humilitatem eos, qui sermoni de illâ aures non præberent. *Vide Cognit. Virtut.* & vide quæ scripsi de humilitate & austeritate vestis Religiosæ. lib. 1. de vita Relig. parte 3. cap. 3.

Fuit olim consuetudo in Ecclesiâ Deo Sacratas virgines, non tantùm sacro regi velamine, sed & nigra indui veste, & operiri pallio, quasi philosophiam essent professæ. Baron. an. 57. num. 88.

Clericus professionem suam, & habitu & incessu probet, & ideò nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat. Concil. Carth. IV. can. 45.

De tonsione votiva. *Vide Virtus Minoritatis.*

MORTIFICATIO auditus.

DE contemptu eloquentiæ, & quod Prædicator non debet esse nimis curiosus. *V. Major. Cognit.*

Aures non sunt præbendæ maledictis, quia quilibet præsumitur bonus. *Vide Magnit. Virtut.*

Non est assentiendum adulatoribus qui maximè vigent in aulis Principum. *Vide Concord. Potest. Mal.*

Non sunt audiendi hæretici, vt sacræ Scripturæ corruptores. *Vide Contrar. Verit.*

Non se immiscere alienis negotijs. *Vide Major. Cognit. Mal.*

Rumoribus non facilè credendum. *Vide Verit. Cognit. Rep. & Contrar. Cognit.*

Plato lib. 3. de Republicâ, ejicit è civitate Ionicam & Lydiam harmoniam & musicam, scilicet mollem & resolutam, quæ mulieres, ignavos, vinolentos decet; sed recipit Doricam & Phrygiam, eam scilicet quæ homines accendit ad prælium.

Qui ætatem suam in modulis animum delinientibus consumit, is primùm quidem si quid iracundum habebat tanquàm ferrum demollit; & vtile ex inutili duroque efficit, quandò autem incumbit diutiùs, magis demulcet: post hoc jam liquefacit animum & resolvit, donec distillando exhauriat animositatem omnem, excidatque tanquàm nervos ex animo, ex quo animum quasi segnem militem efficit: vt si quis in gymasticâ tantùm exerceatur, primò fortior quàm esset existit; deindè excæcatur, & inutile redditur si quod erat in animo discendi desiderium; fit a musis alienus, rudis, agrestis, sinè gratiâ & vrbanitate. Plat. l. 3. de Rep.

Ægyptij musicam, non solum inutilem, sed nocivam ducebant, tanquàm virorum animos effœminantem, & in ea nolebant juvenes exercitari. Diodor. sicul. rer. antiq. l. 2. c. 3.

Philippus Macedo Alexandrum filium objurgavit, quod in convivio egregiè & ex præceptis artis cantavisset. Nonne, inquit, te pudet tàm benè vocem inquit, te pudet tàm benè vocem inflectere. Plutarch. in Pericle.

Supervacanea respuenda musica, quæ frangit animos, & variè afficit, modò lugubris, modò impudica, & ad lididinem provocans. Clem. Alex. l. 5. stromat. c. 5.

Nabucodonosor musicis instrumentis inducit populum ad Idolatriam. Daniel. 3. Sic inter musicos cantus filij immolabantur Idolo Moloch. 4. Reg. cap. 23.

O si audires sanctorum suspiria, si aures tuas damnatorum, aut in purgatorio existentium gemitus præcelleret; vel si audires cœlorum harmoniam, quam Plato asserit, aut Angelorum concentus, vt fides docet.

Quidam non recipiunt musicam, quia cum delectet, supponitur pro delectatione finis, & sibi inhærere facit eos, qui ad finem debent tendere. Aristt. l. 8. polit. c. 5.

MORTIFICATIO gustus.

ABSTINENTIA.

EPictetus duobus verbis moralem Philosophiam complexus est, sustine, & abstine.

Romani termas & balnea invenerant, quibus ad vomitum provocabantur, nè nimio cibo venter farciretur.

Interpellatam toties valetudinem repara auxilio temperantiæ, quia non solùm sanitati commoda, verùm etiam ad testimonium prudentiæ pertinet à noxijs abstinere. Symm. l. 6. ep. 4.

De nimia repletione vitanda. *Vide Major. Bonit. Mal.* Abundantia noxia. *& Major. Magn.*

Publius Licinius Crassus apud Romanos legem liciniam sumptuariam rogavit, quâ carnis aridæ, & salsamenti certa pondera omnibus constituebantur, ità tamen vt impunè consumere liceret quod è vitæ arboreque natum esset. Macrob. l. 3. cap. 17. Gell. l. 2. cap. 24.

Lycurgus voluit cives Athenienses simul & in publico prandere, vt voraces verecundia moti ad abstinentiam revocarentur. Plut. in Lycurgo.

Ægyptij morbos jejunio curabant, vel vomitu; asserebant enim ex ciborum superfluitate omnes creari morbos: eam ergò ad valetudinem curam esse optimam quæ morborum principia auferret. Diod. Siculus rer. antiquar. lib. 2. cap. 3.

Saurauræ tertio tantùm die cibum capiunt. Plin. l. 7. c. 2.

Trismegistus in fine, loquens de Philosophis ait, Peractis precibus & disputatione convertunt se ad

putam, & sinè animalibus cœnam.

Pythagoras ab omnium animalium esu abstinuit, nec tale quidquam sacrificandum putavit, quod nefas esse diceret Deorum aras sanguine fœdari. Philost. l. 1. de vitâ Appoll. c. 1.

Appollonius ex ejusdem Pythagoræ præcepto à carne & vino abstinebat, existimans illorum vsu mentis aciem hebetari: abstinentia enim medici loco est, qui ventris exoneratione morbos pellit, & sanitatem confirmat. Ibid. c. 5.

Idem Appollonius cuidam juveni luxurioso præcipit abstinentiam, pro remedio morbi quo laborabat, sic interpretatus illud Æsculapij, opus esse ex pluviâ siccitatem inducere. Ibid. c. 6.

Inter omnes anni constitutiones sicca salubrior est, non enim congerit excrementa, & sic resistit putredini; contrà est de humida. Hypocr. Aphor. 15. l. 3.

Porphirius lib. de abstinentia animalium sic disserit. Finis hominis est intellectu vivere, vndè talis ei convenit disciplina, quæ purgatoriam adhibeat eorum, quæ inclinant ad inferiora, vt ad æterna & intellectualia possimus assurgere. Optima autem à sensibilibus dissessio est, quæ fit sensim; nam quod evellitur violentia, aliquid eius ex quo eradicatur trahere solet: Ideò sapientes devitabant id omne quod animam corpori affigere posset, vt populorum frequentiam, & quo dum oculis placent mentem alienant. Ità cavet Sapiens nè corpus impinguendo sibi carcerem confirmet duriorem, & nè invalescens voluptas animam profundiùs in corpus immergat. Vsus carnium ad sanitatem minimè confert, cum recuperetur per victum tenuissimum. Non nisi per abstinentiam copulari possumus Deo, suprà naturam etiam incorpoream simpliciter existenti, qui quantò cæteris simplicior est & purior, sufficientiorque, & à materia longè semotior, tantò puriorem esse oportet animum eo aliquando fruiturum.

Naturæ non permisit cerebrum mentis sedem pinguescere; procul etiam ab eo iecur locavit, nè vaporum crassitudine obumbraretur & impediretur; homines etiam tenuissimi corporis, sæpè sunt prudentiores, vt Duces & Rectores, infirmis vt plurimùm sunt viribus, nè mole corporea animus opprimeretur. Plato. in Phædone.

Veteribus sæculis mos fuit parco cibo curatos milites ad certamen educere, vt citatiores sumpta esca redderet, & in longiore conflictu non fatigarentur inedia. Veget. l. 3. de re milit. c. 21.

Bellorophon chimæram superavit, alato insidens equo. Ideſt homo agili per sobrietatem corpore multiformem concupiscentiam superat.

Plato non ferebat lautas Italiæ & Syracusorum delicias, vbi mos erat bis quotidie saturum fieri.

Socrates convocatis amicis, cum frugalem tantùm mensam proposuisset, dixit satis ciborum, si boni sunt viri: si autem mali, etiam plusquàm deceat.

Quod cessat ex reditu frugalitate suppletur, ex quâ velut è fonte liberalitas nostra decurrit. Plin. l. 2. ep. 4.

Pericles vt in administratione Reipublicæ sic in œconomica excelluit, sumptusque domesticos non ratione dignitatis faciebat. Plut. in Pericle. Sic Pelopidas, licet ditissimus, gloriabatur pauperrimorum apud Thebas hominum more vivere. Idem in Pelopida.

Vegetius lib. 4. de re militari, cap. 7. loquens de modis quibus fames in obsessâ civitate possit vitari; parùm, inquit, profuit plurimum collegisse, nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos procuratores erogatio temperetur; nunquàm periclitari sunt fame, qui frugalitatem inter copiam servare cœperunt.

In antiquis nummis Romanorum Iani bifrontis effigies insculpta erat, quia in dispensatione pecuniæ considerari debet & acquisitionis præteritus labor, & post pecuniæ consumptionem futura necessitas.

Vt famem sitimque expellas non est necesse superbis assidere liminibus, &c. parabile est quod natura desiderat, & expositum, ad supervacua sudatur, ad manum est quod sat est. Senec. ep. 4.

Parvo fames constat, magno fastidium: Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis curâ; frugalitas autem paupertas voluntaria est. Idem ep. 17.

Ad saturitatem non opus est fortuna, hoc enim quod necessitati sat est debet etiam irata. Id. ep. 18.

Venter præcepta non audit, poscit, appellat. non est tamen molestus creditor, parvo dimittitur, si modo das illi quod debes, non quod potes. Id. ep. 21.

Majores nostri, quorum virtutes etiam nunc vitia nostra sustentant, cibum sibi parabant eâ manu quæ sæpe hostem percusserat, laureamque in Capitolino Iovis gremio posuerat, &c. Idem in consolatione ad Helviam.

Homini cibus vtilissimus simplex; acervatio saporum pestifera, & condimenta pernicioſiora. Plin. l. 11. c. 53.

Corporis exigua desideria sunt, frigus summovere vult, alimentis famem ac sitim extinguere, quidquid vltrà concupiscitur, vitijs, non vsibus laboratur. Sen. in consol. ad Helv. c. 9.

Apud Lacedemonios decimo quoque die juvenes nudi Ephoris assistebant, à quibus corripiebatur qui visus fuisset corpore pinguiori, & tumore immodico turgente: hoc enim apud illos probrosum, & viro minùs conveniens visum est. Apud eosdem Lysander accusatus fuit & mulctatus quod deliciis esset deditus. Athen. l. 12. c. 18.

Propositum nostrum est secundùm naturam vivere; hoc contrà naturam est, torquere corpus suum, & faciles odisse munditias, & cibis non tantum vilibus vti, sed tetris & horridis; quemadmodum delicatas res desiderare luxuriæ est, ità vsitatos & non magno parabiles fugere dementiæ est. Frugalitatem exigit philosophia, non pœnam: potest autem esse non incorrupta frugalitas. Sen. ep. 5.

Hanc sanam & salubrem formam vitæ tenere memento, vt corpori tantùm indulgeas, quantùm bonæ valetudini satis est; duriùs tractandum est, ne animo malè pareat, cibus famem sedet, potio sitim extinguat, &c. Id. ep. 8.

ABSTINENTIA à nimio cibo.

IN omnibus cibis non vsus rerum, sed libido vtentis in culpâ est; vndè diligenter attendendum quid locis & temporibus & personis conveniat; fieri enim potest vt sinè aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum olus ardescat, & sanè quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esaü nepotis Abrahæ, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. can. quisquis dist. 42.

Vilea cibi appetenter accepti impediunt profectum abstinentiæ. David enim aquam malè concupitam effudit. eadem can. deliciæ.

by Google

Non cogantur divites pauperum cibis vesci, vtantur consuetudine infirmitatis suæ sed doleant se aliter non posse, si consuetudinem mutant, ægrotant, vtantur pretiosis, dent pauperibus vilia. D. August. de verb. D. Serm. 5.

Interest & quid & quantùm alimentorum sumatur, pro qualitate personæ; & quâ facilitate & serenitate animi careat, vbi carere oportet, vt dicat cum Apostolo, scio abundare, & penuriam pati. Id. lib. 2. quæst. Evang. cap. 11.

Donec destruxerit Deus indigentiam nostram satietate mitifica, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, reficimus quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, sed suavis est necessitas, adversùs quàm pugno ne capiat, & adjungit se tanquàm pedisse qua periculosa jucunditas, & plerumque præire B conatur, vt ejus causa fiat quod salutis causa fieri volo; Hoc enim me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam; nec tamen datur modus, nam quod saluti satis est, delectationi parùm est, & sæpè incertum fit vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat; ad hoc incertum hilarescit infœlix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium. Non immunditiam obsoni timeo, sed immunditiam cupiditatis: Scio Noë omne carnis genus, quod cibo esset vsui, manducare permissum. Gen. 9. Eliam cibo carnis refectum. 3. Reg. 17. & scio Esau lenticulæ concupiscentia decep- C tum. Gen. 25. & David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum. Reg. 23. & Regem nostrum non de carne, sed de pane fuisse tentatum; Ideoque & populus in Eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio adversùs Dominum murmuravit, meruit improbari. Num. 11. D. August. l. 10. conf. c. 18.

Sufficientem tantùm pluviam in agro vt fertilis fiat, desideras: ità in corpore sufficientem tantùm cibum sume; nè per nimiam ebrietatem corporis terra in paludem versa, vermes & serpentes vitiorum generet. Vndè Psal. 68. Eripe me de luto vt non infigar; & illud, non me demergat tempestas aquæ, neque vrgeat super me putens os suum. Ebrietas enim putens est. D. August. serm. 231. de tempore.

Esau non pingui vitulo, nec volatilibus saginatis, sed immoderatè concupita lenticula reprobatus est. Gen. 25. Aquam plùs justo desiderasse David pœnituit. 1. Par. 11. De quibusdam pomis & agricolis alimentis Israëlitarum concupiscentia Divinâ voce damnata; Idem serm. 72. de div.

Ionatas ex gustu mellis, non carnis, morti adjudicatus. 1. Reg. 14. Viri Gedeonis qui præ aviditate toto corpore prostrato aquam de flumine biberunt, digni ad prælium ire non fuerunt. Num. 20. D. Bernard. in apologiâ ad Guilell. Abbat.

Si homines in perfecta beatitudine nullo indige- E bunt cibo, proximum huic erit, hic vili indigere. *Vide Minoritas Medy.* duos excipiendos habemus convivas animum & corpus, sed oppositis epulis: Quod corpori ministratur citò perit, cibus animæ durat vsque in vitam æternam.

De nimia rei cujuslibet bonæ abundantia. *Vide Majoritas Bonitatis.*

De ebriate quæ mentem obcæcat. *Vide Contrarietas Cognitionis.*

Sollicitè providendum est, vt quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries. Non quod Deus vniversitatis creator intestinorum nostrorum rugitu & inanitate ventris, pulmonisque delectetur ardore, sed

A quod aliter pudicitia tuta esse non possit, &c. D. Hieronym. ad Eustochium, de custodia virginitatis.

Monstrum haberur libido sinè gula, cum duo hæc tàm vnita atque concreta sint, vt si disjungi omninò potuissent, ipsi priùs ventri pudenda non adhærerent: spectacorpus, amborum vna regio est, pro dispositione membrorum ordo vitiorum. Tertul. de Iejun.

Sic debes nutrire corpus tuum, vt non superbiat, & iterùm sic debes reprimere vt non cadat; Si enim carnem tuam suprà modum affligis, civem tuum occidis; & iterùm si eam plusquàm oportet reficis, inimicum tuum nutris, hoc observa in omni abstinentia, vt non carnem sed vitia occidas. D. Bernard. de modo benè vivendi. cap. 24. in fin.

Cavendum ne vanâ superstitione debiliores potius quàm sanctiores fiant, vndè antiqui christiani, qui sani triduo abstinebant, exigente necessitate, vini & carnium vsum admittebant. D. Aug. lib. de morib. Vide infrà hoc tit. de conditionibus jejunij. Eccles. Cathol. c. 33.

Cassianus lib. 5. institut. cap. 14. tamdiù dicit abstinendum à cibo, donec ipsius cibi refectionem, non tàm jucunditati concessam, quàm in subsidium viæ sibi compositam quis agnoscat, & cibus licet naturæ necessarius, non sinè cordis anxietate, tanquàm castitati contrarius, sumendus est.

ABSTINENTIA A CIBIS lautioribus.

VIde suprà hoc titulo de abstinentia Philosophorum.

Episcopus vilem suppellectilem ac mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem, fide, & vitæ meritis quærat. Concil. Carthag. IV. cap. 15.

Deo dicati cæteris victum asperiorem ducebant. Nazaræi vinum & quidquid inebriat non bibebant. D Eliæ Prophetæ sub quercu recumbenti per Angelum mittitur prandium, collyrida panis, & vas aquæ. 3. Reg. 19. Elisæus filios Prophetarum invitat ad prandium herbarum aggrestium. 4. Reg. 4. Daniel cum socijs, abstinet à cibis regijs, vescitur pane, aquâ, leguminibus. Eidem misso in lacum leonum Angelus affert prandium rusticanum. Paulo & Antonio corvus affert pro prandio integrum, cum antea Paulo dimidiatum, tanquàm militum Christi annonam vt refert. D. Hieron.

Bonum esse carnem non comedere fatetur Christus, cum piscibus exceptus est ab Apostolis. Sic abstinebant Pythagoræi; carnes enim edere videtur esse feræ proprium: adde quod quæ ex eis ascendit, exhalatio cum sit crassior, & turbidior offundit animæ E tenebras. Clem. Alex. l. 2. pæd. c. 1. Statera auferetur à pisce, quem Petrus capit, & redditur Cæsari, ideſt boni luxu abstinere debent, qui mundanis relinquendus est: etsi propter homines omnia facta sunt, non tamen omnibus vti bonum est, sed neque semper. Illique cibi maximè sunt cavendi, qui non esurientes nos cogunt comedere, appetitiones nostras veluti quibusdam præstigijs fallentes. Per alimenti copiam fortiores effecti animi nostri motus, quasi robusti & invicti athletæ, audaciùs in nos insurgunt: Angelus de Ioanne Baptista ait, Magnus erit coram domino, vinum & siceram non bibet. Qui abstinent à cibis pretiosis, sunt vt plurimùm cæteris robusto-

JEIVNIVM QVADRAGESIMÆ.

A Postolica authoritate indicta sunt certis temporibus jejunia, vt patet ex canonibus Apostolorum 68. & Constitutionibus Clementis. Clem. 5. const. 13. Ignatius Apostolorum contemporaneus ep. ad Philip. commendat jejunium Quadragesimæ. Tertul. adv. Phys. c. 13. dicit Ecclesiam solitam servare Quadragesimæ jejunium, quod & ipse vocat Paschatis. Orig. hom. 10. in Levit. ait Quadragesimæ dies esse jejunio consecratos.

Basil. orat. 2. de jejunio, ait illud terra marique indici solitum, & cum plausu à gaudente populo suscipi.

Gregor. Nazianz. illud appellat Divinum legem epist. 74. ad Eleusium. Alijs, inquit diebus, jejunare remedium est, aut præmium; In quadragesimâ non jejunare peccatum; alio tempore qui jejunat accipiet indulgentiam; in quadragesimâ qui non jejunat sentiet pœnam.

Licet Euseb. ad an. Chr. 136. dicat Quadragesimale jejunium institutum fuisse à Telesphoro. Totat tamen Baron. id eum non instituisse, sed quod ab Apostolicâ institutione descenderat confirmasse, & promovisse.

In istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ jejunando, legendo, vel orando providere debemus: portus est, in quo post mundani pelagi fluctus requiescere debemus, vt navis fracta restauretur. D. Aug. serm. 57. de temp.

Dies Quadragesimæ vitam sæculi præsentem significant, in quâ tristitiam habemus; sicut dies Paschæ æternam beatitudinem, in quâ ordine legitimo gaudemus: Quadragesima est quædam spiritualis vindemia, ex quâ multi pro anima nostra colliguntur fructus & seponuntur. Id serm. 61. de temp.

Quemadmodùm post hyemem, æstate apparente, nauta navigium deducit, miles arma detergit, agricola acuit falcem, &c. Sic nos jejunij quasi æstatis tempore apparente, ad spiritualia accingamur. D. Chrys. ad pop. Antioch. hom. 3. Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, &c. Eph. 6.

Multa de jejunio Quadragesimæ vide apud Baron. an. 57. num. 194.

JEIVNII CONDITIONES.

QVidam jejunium aggressuri, tanquàm cuidam longę obsessioni tradendus sit venter, crapulam & ebrietatem prævenientes reponunt, rursumque egressi, tanquàm gravi carcere absoluti, ad mensas currunt, jejunij vtilitatem crapulæ excessu dissolventes. D. Chrys. hom. 15. ad pop. Ant.

Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ. Tob. Duæ ergò sunt præcipuæ jejunij comites, oratio & eleemosyna.

Vt plenum & suffartum sit jejunium, da eleemosynam esurientibus; jejunium tuum te castiget, sed lætificet alterum, & ità fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri latitudinem præstent: sic jejuna vt in alio manducante prandisse te gaudeas, hilarem enim datorem diligit Deus; nam manducante paupere de bonis tuis prandet Christus, qui se paupere esurire testatur. D. Aug. serm. 66. de temp.

Sanè quod subtrahis hosti animæ tuæ, consorti naturæ puto non gravaberis impertiri; tunc amot tuus & temperans erit & justus, si quod proprijs subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur. D. Bern. de dilig. Deo.

Sic hostium spolia, & damnatorum bona rebus pijs dicantur.

Vis orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam. D. August. in Psal. 42.

Tempore Quadragesimæ inhibetur cognitio criminalium causarum. Imp. Const. l. 6. Cod. de feriis. Theodosius vetuit sacris Quadragesimæ diebus supplicia fierent corporum, quibus absolutio expectatur animarum. l. 5. Cod. Theod. de quæst. Ideò videtur sacro illo tempore à criminalibus abstinendum, quia est tempus exhibendæ in proximos charitatis. *Vide Virtus Bonit.*

Tempore quadragesimæ, dùm à licitis abstinemus, multò magis jubemur illicita vitare; si volumus benè jejunare à cibis, antè omnia jejunemus à vitijs, quid enim prodest corpus vacuare ab escis, & animam replere peccatis, pallere jejunio, & livescere invidiâ; vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari; abstinere ab his quæ aliquandò licent, & non abstinere ab his, quæ nunquàm licent. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, &c. D. August. serm. 61. de temp.

Si abstinemus à cibis, quantò magis à venenis; tandem corpus cibis est reficiendum, nunquàm anima vitijs est inficienda. Idem serm. 71. de Div. in fin.

Iejunium non sit vulgare, sed accuratum, & non tantùm ciborum abstinentia, sed & peccatorum; non enim jejunij natura peccata eripere sufficit, nisi congrua cum lege fiat; etenim non coronabitur nisi qui legitimè certaverit; Publicanus non jejunavit, & Phariſæum jeiunantem præcessit, quia jeiunij vtilitas nulla, nisi cætera consequantur; Ieiunaverunt Ninivitæ, & Dei misericordiam elicuerunt; Ieiunaverunt & Iudæi, & nihil plùs egerunt, sed culpati abierunt. Medicina est jeiunium, sed medicina sæpè per vtentis imperitiam fit invtilis; nam sciri debet temperies, tempus, quantitas, &c. Apud Ninivitas etiam jumenta jeiunaverunt. Ionæ 3. vt in Regum funeribus, non servi tantùm, sed equi sacco amicti funus sequuntur, calamitatis magnitudinem ostendentes: sic brutam nostram naturam sacco circumteximus, & jeiunii jugo subjecimus. Ionæ 3. additur & vidit Deus opera ipsorum; qualia opera? quoniam conversus est quisque à viis suis malis: non tantùm os jeiunet, sed oculus, pes, manus, &c. D. Chrys. hom. 3. ad pop. Ant.

Extremæ dementiæ est prohibita contemnere, circà indifferentia verò, omne movere studium. Ibidem homil. 4.

D. Hieron. ad lætam epist. 15. lib. 2. Displicent, inquit, mihi in tenerâ ætate longa & immoderata jejunia, experimento enim didici, asellum in viâ cum lassus fuerit diverticula quærere; tamen in Quadragesimâ continentiæ vela pandenda sunt, & fræna equis properantibus laxanda: quanquàm alia sit conditio sæcularium, alia virginum & Monachorum: sæcularis homo in Quadragesimâ ventris ingluviem decoquit, & in conchiliorum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum præparat; Virgo & Monachus sic in quadragesimâ suos dimittant equos, vt meminerint sibi semper esse currendum.

De moderato jeiunio, vide supra abstinentia à nimio cibo. *Vide Verit. Virt. Magn. Virt.*

MORTIFICATIO TACTVS.

ABSTINENDVM A FORNICATIONE & illicito concubitu.

MISCELLANEA.

ALIVD eſt fornicatio, aliud ſtuprum, aliud adulterium, aliud incæſtus, aliud raptus; fornicatio ſpecialiter intelligitur in vſu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum autem eſt illicita virginum defloratio; adulterium eſt alieni thori violatio: Incæſtus eſt conſanguineatum vel affinium abuſus: Raptus admittetur cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur. can. lex illa. 36. q. 1. vide l. 6. lex ſtupri. ad l. Iul. de adult.

Primò videndum quandò & quatenùs olim meretricia, ita fuerit permiſſa.

Sic turpis amor deffenditur apud Petron. Arbit. ſatyr. pag. 54. Quid non commune eſt, quod natura opti mum fecit; Sol omnibus lucet, Luna innumerabilibus comitata ſyderibus, etiam feras ducit ad pabulum? quid aquis dici formoſius poteſt, in publico tamen manant; ſolus ergò amor furtum potiùs quàm præmium, &c.

Lydiorum filiæ omnes meretricantur, vt eo quæſtu dotem colligant, quâ compatatâ nubant. Herodot. lib. 1.

Mos erat Cypris, virgines antè nuptias ſtatutis diebus, dotalem pecuniam quæſituras, ad littus maris mittere, ex inſtituto virginis indigenæ, quæ meretriciæ vitæ autor extitit. Iuſtin. lib. 22. Armenijs ſimilem morem fuiſſe narrat Strabo.

In Heliopoli Phœnices, virgines in templis proſtituuntur, quaſi ſic Dijs gratiſſimas offerant primitias. Clem. Alex. l. 1.

Diogenes dicebat ſibi non eſſe incongruum domum habitare, in quâ alij priùs habitaſſent, navigare in navi, in quâ priùs alij navigaſſent; ſic vti muliere, alijs communi. Athenæ lib. 3. cap. 20.

Maximam fuiſſe earum turbam, etiam illuſtrium, Athenis refert. c. 17.

Iure Civili meretricius quæſtus conniventibus legum oculis permittitur, nè graviora mala contingant, ſtupri nimirùm & adulterij. l. 22. Cod. ad l. Iud. de adult. & l. 29. eod. Hæ, inquit, immunes à judiciaria ſeveritate & ſtupri & adulterij præſtentur, quas vitæ vilitas dignas legum obſervatione non reddidit. Et quamvis leges vitam hanc non puniant, illam tamen fœdam & turpem eſſe profitentur. l. 41. probrum. & l. 43. palam. parag. non eſt ignoſcendum. ff. de ritu nuptiar.

Ea verò quæ volebat proſtitui, meretriciæ vitæ profeſſionem faciebat apud ædiles, vt colligitur ex illo Cornelij Taciti loco ſub finem. Veſtilia licentiam ſtupri vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſùs impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant. Hac vero profeſſione facta, jure & dignitate matronali exuebantur. Sueton. in Tiberio. cap. 35. & ſtolâ, hoc eſt longiori veſte. Vnde Tertul. de pallio. c. 4. dicit. Matrona ſinè ſtolâ in publico; Illi qui ità ſe exauthoraſſet pro ſtupro erat pœna, quoniam indices, cuſtodeſque dignitatis habitus. Idem l. de cult. fœm. c. 12. Conqueritur quod tales fœminas improbitas ſæculi honeſtiſſimis quibuſcumque vſque ad errorem cognoſcendi coæquarit.

Meretrices Romæ ſpecialem ſibi habebant vicum, qui dicebatur ſuburra; vt colligitur ex illo Perſij loco. Saty. 5. in deſcriptione adoleſcentiæ. Cum blandi comites, totaque impunè ſuburra, permiſit ſparſiſſe oculos.

Patet etiam meretriciam vitam toleratam fuiſſe ex eo quod datum meretrici condici non poteſt, conditione ob turpem cauſam. l. 4. parag. 3. de cond. ob turp. cauſ. Non eâ ratione, inquit lex, quod vtriuſque turpitudo verſetur, ſed ſolius dantis; Illa enim turpiter facit, quod ſit meretrix. Tamen Imp. Anton. ſpeciali privilegio militibus armatæ militiæ, conceſſit, vt repetere poſſent donata meretricibus, focariis, ſeù concubinis ſuis: Nolumus, inquit, milites noſtros fictis concubinarum adulationibus ſpoliari. In cæteris donationes factæ meretrici valent. l. 31. ff. de donat. Tamen promiſſum peti non poteſt. l. 8. ff. de cond. ob turp. cauſ. l. 1. & 3. Cod. eod. quia in jure proclivius, retentio quàm actio conceditur. l. 1. ff. de pign. l. ſi in arcâ. de cond. indeb. Monet enim Barthol. quædam honeſtè accipi, quæ inhoneſtè peterentur. Dicuntur ergò donationes meretrici factas valere; quia jure pandectarum donationes non niſi à traditione ſumebant effectum. Vndè donatio ἀπὸ τῆ δόρυ, à palmâ dicitur l. Senatus. parag. 1. de mort. cauſ. donat. quod ſi ſola ſtipulatio intervenerit, meretrici denegatur actio.

Ex his permiſſis donationibus factum eſt, vt plures meretrices magnas opes collegerint, ſic Acca Laurentia in cujus honorem olim Romani ſacra faciebant, eo quod ingentes opes, populo Romano reliquiſſet. Teſte Plutarch. in problem. Roman. Sic Rhodope quondam Æſopi fabularum Philoſophi contubernalis à quâ Plin. l. 36. c. 12. Refert Pyramidem in Ægypto ædificatam, quàm miratur inter alias, magno ſcilicet miraculo, tantas opes meretricio quæſtu conquiſitas. Sic Phryne vehementer diteſcens, ſe Thebas muro velle cingere pollicebatur, ſi hoc inſcriberent Thebani: Alex. everterat, Phryne amica excitavit. Athen. l. 13. c. 22.

Sic illa nuper in Italia conſtructo ſuperbo Palatio, inſcripſit, fabricaverunt peccatores.

Has donationes improbat Tertul. l. de hab. mul. c. 2. Si, inquit, mercedes pro libidine, nullius rei turpis merces decora eſt. Et Caſſiod. l. 9. var. ep. 18. Donationes, inquit, nullius terror extorqueat, nullus acquirere per fraudem vel execrabilem laſciviam concupiſcat, ſola enim honeſtas meritò capit lucrum de legibus.

Hæc de meretrice, quæ publicum corporis ſui quæſtum facit; quæ, vt dicit D. Hieron. ad Fabiolam, multis eſt expoſita amatoribus. Ezech. 16. illa dicitur meretrix, quæ divaricavit pedes ſuos omni tranſeunti;

Tertul. lib. 3. de cultu de fœmin. cap. 12. illas vocat A infœliciſſimas publicarum libidinum victimas. Vndè Ovid:

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miſerias juſſo corpore quærit opes.

Apud Græcos honeſtiore vocabulo dicebantur amicæ. Athen. l. 13. c. 17.

Concubina vero eſt, quæ cum vxor non ſit, cum aliquo tamen vivit, & vxoris loco in domo eſt, & corpus miscet. l. 144. ff. de verb. ſignif. A concubitu concubinam appellatam arbitror, inquit D. Ambroſ. 3. officior. c. 14. Concubinatus ex ſolâ animi deſtinatione æſtimatur, l. 4. ff. de concub. vide Cujac. obſerv. l. 5. c. 6. Concubina vxorem imitatur, vt ait Iulian. nov. 18. & eſt conjugium, ſed inæquale l. 3. Cod. de natur. lib. vndè vt legè Iuliâ de adult. tenetur vxor. Sic & concubina. l. 13. ff. ad L. Iul. de adult. & vt Patris ſecunda vxor, ſic concubina, filio quaſi noverca eſt, vt eam vxorem ducere non poſſit. l. 4. Cod. de nupt. quia non tàm quod licet, quàm quod honeſtum eſt in matrimoniis ſpectatur, l. ſemper. ff. de ritu nup. vt vxori vxorem ſuperducere non licet. l. 2. Cod. de nupt. ità nec concubinam ſuperduci bonis moribus non convenit. l. 3. in fin. comm. de matrim. Denique concubinatus legitima conjunctio eſt, & ſemimatrimonium l. ſi qua Cod. ad S. C. Orfician.

De educatione, legatis, & hæreditate, ſpuriorum, aut ex concubinâ natorum. *Vide Duratio Principij.*

Iure tamen divino meretricia vita, & concubinatus prohibetur. Nam Deut. 23. dicitur. Non erit meretrix de filiabus Iſraël. Exod. 20. Non mœchaberis. Ezech. 16. Exclamavit Dominus contrà Ieruſalem, eo quod lupanar ædificaverat, & proſtibula in plateis. Vndè Oſee cap. 2. dicit Dominus de adulterâ meretrice. Ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus, ſabbatum eius, & omnia feſta temporis ejus, & corrumpam vineam ejus, & ficum ejus, de quibus dixit, mercedes hæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei, & ponam eam in ſaltum & comedant eam beſtiæ agri. Super quo ſic D. Hieronymus; Auferuntur inquit, quia non à Deo ſibi donata quaſi conjugi, ſed ab amatoribus ſuis quaſi meretrici, pro libidinis mercedibus.

Oſee 4. dicitur, non viſitabo ſuper filias veſtras, cum adulteraverint, & populus non intelligens vapulabit. Super quo ſic D. Ambroſ. ſic Deus iraſcitur, vt nequaquam percutiat delinquentes.

Nolite errare, neque fornicarij, neque Idolis ſervientes, neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt; neſcitis quoniam corpora veſtra membrum ſunt Chriſti, tollens ergò membra Chriſti faciam membra meretricis, abſit? an neſcitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur, &c.

Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum; omne ſtuprum adulterium eſt: nulli licet ſcire mulierem, præter vxorem; ideò conjugij tibi datum eſt jus, nè in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas: gravius tamen crimen eſt, vbi celebrati conjugij jura temerantur. D. Amb. l. 1. de Abrah. c. 4. habetur 32. q. 4. cap. nemo.

Viri licito ſe errare credunt, ſi ſolo ſe abſtineant adulterio; meretricios autem vſus, tanquàm legi naturæ ſuppetere putant, licet præter conjugium nec viro liceat, nec mulieri miſceri alteri. Id. l. 2. c. 10.

Si furti nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus, prohibitus debet intelligi. D. Auguſt. in quæſt. Deut. q. 37.

Fornicator membrà Chriſti facit membra meretricis, & violato Dei templo ædificat templum Idolis; per vitia quippè luxuriæ vel maximè Dæmones colunter. D. Hieron. in ep. ad Galat. ad vers. Manifeſta autem ſunt opera carnis, &c.

Corinthi in Laïdis famoſæ meretricis ſepulchro effecta erat leæna, prioribus pedibus arietem tenens. Pauſan. in Corinthiacis ità meretrix innocentes dilaniat.

Apoc. 17. deſcribitur meretrix magna, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum quâ fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui habitant terram de vino proſtitutionis ejus. Et cap. 19. dicitur Gloria Deo qui vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua. Id de Chriſto debet intelligi, qui vſitatam & quaſi licitam priùs fornicationem prohibuit.

Erraverunt oculi tui, perverſa viderunt, aliena nuntiaverunt; nam ſi verò vidiſſent, vidiſſent deformem meretricis affectum, inhorrentem procaciam, indecentem impudicitiam, tetram colluviem, animæ vulnera, conſcientiæ cicatrices, &c. D. Ambroſ. l. de Bono morris. c. 9. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8.

Excommunicatione feriri jubet eos, qui ter admoniti concubinam non abjecerint.

Fornicatio cum ſit vagus concubitus, & ſic contrà bonum prolis humanæ educanda, in quâ requiritur maris & fœminæ cura ſollicita; ideò eſt peccatum mortale: nec obſtat quod quis abundanter proli provideat, quia id quod cadit ſub legis determinatione judicatur ſecundùm id quod communiter accidit, & non ſecundùm in quod in aliquo caſu poteſt accidere. D. Th. 22. q. 154. a. 2.

Omnis concubitus extrà matrimonium, cum non ſit ad bonum prolis, eſt contrà prima præcepta legis naturæ, ex ſe eſt peccatum, nec recipit diſpenſationem; vndè quæ in Scripturis leguntur conceſſæ concubinæ, erant matrimonio junctæ licet eſſent dignitate cum præcipuâ vxore inæquales. Sup. q. 65. a. 5.

Pluribus rationibus probavi concubitum ſeù cum meretrice, virgine, aut concubina eſſe peccatum. Moral. Chriſt. tom. 2. parte 1. cap. 27.

D. Paulus Rom. 1. loquens de Philoſophis ait, ſicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione. Super quo ſic D. Ambroſ. hæc fornicatio habet in ſe & adulterium; ſi enim dixiſſet adulterio videretur excuſaſſe fornicationem, ſicut leges Romanæ; ideò quod minus eſt poſuit, vt quod majùs eſt in vitium non poſſit credi.

Anno Chriſti 327. Conſtantinus prohibuit vllum conſtante matrimonio concubinam penes ſe habere. l. 1. de concubin. Cod. Theod.

S. Columbanus Theodoricum Burgundiorum Regem à cõcubinis avocare conatur, & legitimas ſuadet nuptias, vndè ſit illi Regia proles. Baron. an. 612.

Dagoberto res proſperè ſuccedunt, cum anno regni ſui octavo dimiſſis concubinis ex legitimâ vxore habet filium. Idem an. 639.

Formoſus Papa curat tolli repullulantem in Angliâ Nicolaïtarum hæreſim, quâ vagus concubitus etiam matrimonio junctis dicebatur licitus. Idem an. 893. & 894.

Hypocrates loquens de venereâ voluptate dicit eſſe partem morbi comitialis.

Gnoſtici damnati maximè propter turpitudines ſuas, & promiſcuos concubitus, quos vocabant dilectiones. Vide Baron. an. 120. num. 21. Epiphanius dicit eorum Eccleſias fuiſſe lupanaria, vbi non

Digitized by Google

niſi nudos commorari liceret, has vocabant paradiſum. Ibid. n. 37.

SIMPLEX FORNICATIO & ſtuprum illicita ſunt.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Maris & fœminæ conjunctio reſpicit bonum commune, ſcilicet propagationem ſpeciei, vndè cum ſit iuris publici, non ex ſingulorum arbitrio, ſed ex lege publicâ fieri debet. Legem naturæ ſequuntur cætera animantia, dùm certis tantùm temporibus & modis æſtuant in venerem: homini autem data eſt major perpetuaque fœcunditas, quæ tranſiret inturpiſſimam profuſionem, individuis & ipſi ſpeciei nocentiſſimam, niſi certis legum frænis contineretur: nam cum ſit ſociale animal, illi pro naturâ eſt, quod vt rationi conſentaneum, ſapientum judicio publiciſque populi ſuffragiis ſanctum eſt. At iure gentium, apud omnes populos, inſtituta fuere matrimonia, & ſtupra damnata. Qui hoc jus videntur inficiari, dùm ſuis volunt indulgere cupiditatibus, illius tamẽ ſunt duriſſimi, feriq; aſſertores, dùm agitur de vindicandâ familiæ ſuæ illatâ iniuriam.

MAGNITVDO. Si hæc coïtus libertas effrænis ſit ſoluta, nulliſque coërcita legibus, quod circa vnam licet, licitum erit circà aliam, & aliam in infinitum: eumque hominis amorem accendat, non tantùm naturæ inſtinctus & ſenſus, ſed multò magis ideæa pulchritudinis, ſympathiæ vis aut opinio, vanitas de procis triumphum ambiens, hæc & alia multa vnitis viribus hominem huic omnium infimæ voluptati penitùs addicerent, & hinc nascentibus malis brevi conficerent.

DVRATIO. Multorum animalium coniugia perpetua ſunt, vt etiam extrà pariendi tempus individuam ineant vitæ ſocietatem: at cum inſit homini futuri ſenſus, longè durabiliorem, & certo animi propoſito æternum profitetur amorem. *Vide Durat. Volunt.* At ſi vagus admittatur concubibus, etiam inconſtans erit amor, perfidus, contrà naturæ ſuæ, & promiſſæ fidei leges; carpet vndique naſcentis pulchritudinis florem; & miſeras nunquàm rediturо bono ſpoliatas, ſuæque libidinis turpes reliquias cæterorum exponet contemptui.

POTESTAS. Ne dicas negotium hoc amoris à mutuo pendere conſenſu, nam amor fera & acerbiſſima eſt paſſio, homines efficiens cæcos, pueros, prodigos, rationis conſilijque inopes, quaſi ſyderatos, maleficio infectos, à dæmone poſſeſſos, tales denique qui tutelâ indigeant: vndè tunc verus non eſt conſenſus, naturæ proritantis vi & blanditijs extortus, habeturque pro vi illatâ. l. vnic. Cod. de raptu virg. Pudor qui conſequitur, pœnitentia, labeſque aſſiduis licet nunquàm eluenda lachrymis, & alia multa ſatis probant, tunc mentem non fuiſſe ſui compotem, ægram, cæcamque voluntatem ſui juris non eſſe, ſed legum de cretis parentum & amicorum conſilio dirigendam. *V. Medium Volunt.* An in filiorum contrahendis nuptiis Parentum conſenſus ſit neceſſarius.

COGNITIO. Habet tamen hic amor ſuæ turpitudinis ſenſum, vndè furtivus latebras quærit, totuſque eſt in dolis & inſidiis, ſed fruſtrà eadem expertis, torque vigilantibus æli oculis conatur imponere; deceptas intrà paucos menſes prodit natura, turgescente ad partum ventre, &c. Nulla paſſio tàm rationi contraria, & intellectui ad celeſtium cognitionem tendenti. *V. Contr. Cogn. & Poteſtas Volunt. de vi amoris*: vndè coërcenda eſt, non laxis mittenda habenis homini, qui aſſiduis hujus præcipuæ ſuæ partis officiis debet vitam inſtituere.

VOLVNTAS. Deſinit eſſe homo, ſi non ad rationis, ſed ad omnium impotentiſſimæ paſſionis arbitrium vitam ſuam componat. Amor homini proprius totus eſt circà vnicum, qui ſe ſemel dicaverit, objectam. *V. Magnit. Volunt.* Igitur hic amor, non humanus, ſed ferinus eſt, qui vagus eſt, qui conſortem patitur, qui ſtatum neſcit, fidem non ſervat, & quos amplectitur ærumnis famæque omnium graviſſimâ jacturâ premit.

VIRTVS. Religio Chriſtiana prohibet malum hoc: vndè qui ſe illi manciparit, eo ipſo videtur Religionem abdicare, vt Chriſtianæ militiæ defertor & tranſfuga ſub dæmonum ſignis militaturus. Hinc contemptus rerum divinarum; hinc conſcientiæ, interdùm in ſe redeuntis, deſperatio, &c.

VERITAS. Hic pudicitiæ inſidiator, quam decipit putat & ab aliis tàm facili negotio decipiendam; ſuſpecta vtrinque fides, metuſque proni in vltimam vindictam zeli torquet miſerias turpitudinis victimas, nihilque relinquit in animis ſinceræ & fruitione voluptatis; fraus enim quæ in cæteris iram, indignationem, odium meretur, in amore fruor eſt.

GLORIA. Tales habent voluptatem pro fine & ſummo bono, quàm tamen natura conceſſit vt illicium quoddam actus ex ſe turpiſſimi, & niſi ſic falleret, cunctis ſenſibus in contrarium reclamàntibus exectandi. Premit autem & perimit ſeipſam effuſa hæc cupiditas ſublatâ fruitionis raritate, & propoſitis hinc indè objectis, quæ libidinem priùs quam gaudeat aliundè evocent.

DIFFERENTIA. Qui ac turpi agnntur cupidine, non amant perſonam, ſed ex eâ ſperatam voluptatem quâ expleta, faſtidium pellit novitate; ſic vtraque pars ſciens ſe non amari, non amat, ſed eodem ſibi ſervato ad mutationem iure, in alia & alia fertur obiecta, vt placent, non expectato alterius conſenſu ad initiæ ſocietatis diſſolutionem; hinc odia, cædes, venena, & quidquid aſperum teterrimumque tartareæ miniſtrant furiæ. Non amat quæ ſe ſcit relinquendam vndè in futurum ſibi conſulens captatâ cæcæ paſſionis occaſione bona diripit, de ſecretis animi conſiliis, voluptatis maleficio extortis, cum hoſte, cum tyranno negotiatur; & vt ſui contemptum alteriuſque amores præveniat, furens lamia, quos amplectitur innumeris, exquiſitis & tragicis ſæpiùs modis enecat.

CONCORDANTIA. Solemne jus eſt naturæ, vt in animalibus, quorum ſola fœmina non ſufficit alendo partui, mas ſubveniat, fideli conſortio vt voluptatis ſic & laboris; hoc patet in columbis & omnibus ferè avibus, excepto gallinarum ſpeciebus, quorum pulli non tantâ indigent curâ, cum ab ovo ſtatim currant ad paſtum. At nullius prolis tàm laborioſa, tantique momenti eſt educatio, quàm hominis, fovet infantiam Mater, & lacte ſuo nutrit, dùm Pater providet familiæ alimentis, formatque natorum mores ſolidiori judicio, & ſtabiliandæ deinceps fortunæ preſidet; cum hominis parentis amor durat vltrà prolis infirmam ætatem, quod non contingit in cæteris animalibus.

CONTRARIETAS. Inſanos iſtos amores, ſolius voluptatis illecebris initios, excipit deluſæ priùs mentis vehemens indignatio, marceſcente, quæ fortaſſis duriùs imperaverat, pulchritudine; aſperior fit con-

temptus, animo, libertati suæ illatas diù injurias sic affectato solemnique neglectu, vindicante. Hoc etiam exquirit novus amor, de priore quasi reportatis spolijs, elatisque trophæis exultans: Hinc iræ vltra modum sævientes, fœcundam tragœdijs materiam subministrant; huius vesani amoris tam infausti sunt exitus, vt etiamsi cessaret lex omnis, solâ sui infœlicitate esset abdicandus.

PRINCIPIVM. Vulgo quæsitæ prolis nullus est qui velit dici Pater, & educationis onus in se recipere: Languent, lamentantur, & secreto dolore torquentur delusæ matres, & vt in posterùm famæ & quieti suæ parcant, in fœtus proprios clementi, vt putant, furore armantur, dùm maturâ, citrà illorum sensum & metum, morte secuturæ miseræ vitæ clades præveniunt. Vndè patet quod ille concubitus, qui dicitur esse secundùm legem naturæ, peccat contrà eandem legem in partus editione & educatione: Educentur licet, supersunt infames, familijs contumelioſi, tùm sortis melioris desperatione, tùm de legitimis concepta invidia fiunt hostes domestici: Reipublicæ in gerendis officijs suspecti, quasi reatus & violatæ legis filij pessimâ hæreditate parentum incontinentiam referant.

MEDIVM. Hæc igitur copula crudelem importat natorum expositionem, cum ex legibus priventur hæreditate paternâ, quæ solet relictæ proli providere: taliter se habere videtur politia in spurijs, vt natura in monstris, quibus aut citò vitam aufert, aut saltem vim propagationis, nè specierum ordo turberur.

FINIS. Vaga hæc cupiditas æstuat sinè modo, sinè termino; præsentibus inardescit ad futura & possibilia, ipso interim tabescente corpore, menteque vltimi sui finis diuturnâ prævaricatione penitùs oblitâ.

MAIORITAS. In ipso etiam exhaustæ naturæ defectu peccat per excessum, dùm nullos sibi patitur imponi limites, quid si turpi huic lasciviæ accedat ambitus? nullius est illustris familiæ splendor, nulla dignitas & majestas, quam actu aut suspicione non inficiat, duobus naturæ & opinionis stimulis concitata libido.

ÆQVALITAS. Etsi videtur in hoc æqualis voluntatum ad idem proritante naturâ tendentium consensus summam tamen infirmior sexus patitur injuriam; amittit enim non redituram integritatem & famam; amittit, quem eo pretio sibi comparare poterat, constantem in legitimo matrimonio mariti affectum; oneratur partus gestatione, educatione, ejusque quandiù vivit contumelioſa præsentia: Non est audienda sic perire volens; non est tolerandus sic miseræ, & ignotanti fraudem faciens.

MINORITAS. Ipsa natura horrenda tabe, & varijs morborum monstris, in cæterorum omnium animalium prostitutione ignoris, vagam hanc concupiscentiam punit, vt nos doceat illam contrà leges suas peccare. Etiamsi avidiùs quàm cætera omnia appetat generationem, quippè ad sui & specierum conservationem penitùs necessariam, tamen mulieres prostituras vt plurimùm efficit steriles, quasi meliùs sit tàm infaustæ proli non nasci, quàm edi ad parentum, familiarum, Reipublicæ, totiusque naturæ rationalis contumeliam.

ABSTINENDVM
ab adulterio.

MISCELLANEA.

PRoprièadulterium in nuptâ committitur propter partum ex altero conceptum, composito nomine. l. 6. parag. lex stuprum. ff. ad L. Iul. de adulter. Adulterium facit qui præter suam ad alteram accedit. 32. q. 5. can. non mœchaberis. Vir & mulier æqualem sibi mutuamque fidem debent, & qui in eo peccat adulterium committit. *Vide Æqualitat. Volum.* Mutuus amor conjugum.

Elephantes adulteria non norunt, nullave propter fœminas inter se prælia, cæteris animalibus pernicialia, etiamsi non desit illis amoris vis. Plin. l. 8. cap. 5.

Alexander abstinuit à concubitu pulcherrimæ mulieris, sciens illam matrimonio copulatam. Plut. in Alex.

Gen. 12. Pharao Saram retinuit credens eam esse sororem Abrahæ, vbi autem cognovit esse vxorem, illam ei protinùs restituit, etiam à Deo flagellatus. Idem facit Abimelech Rex Gerarum. Gen. 20. Et cap. 39. Tentatus Ioseph ab vxore Domini sui, noluit cum eâ adulterium committere.

Secundæ tabulæ primum præceptum vetat adulterium, quasi maximum omnium peccatorum, tres enim illo corrumpuntur familiæ, mariti, vxoris, & adulteri; Inde infamia, liberorum miseria, confusio in hæreditate. Philo. lib. de 10. præceptis.

Feris insitum est copulam suam extrema concertatione deffendere, dùm omnibus animantibus est inimicum, quod naturali lege damnatur; videmus tauros fœminas suas cornuali concertatione deffendere, arietes pro suis ovibus capitaliter insævire, equos adjunctas sibi fœminas colaphis ac morsibus vindicare; homo autem quomodo patiatur inultum relinquere, quod ad æternum suum dedecus cognoscitur pertinere? Pro amore pudicitiæ maritis porrigere ferrum, non est leges calcare, sed condere. Cass. l. 1. var. ep. 27.

Inter hiænas mares singuli fœminarum gregibus imperitant, timent libidinis æmulos, ideò gravidas custodiunt, morsuque natos mares castrant; contrà gravidæ latebras petunt. Plin. l. 8. c. 30.

Odore Pardi coitum sentit in adultera Leo, totaque vi consurgit in pœnam, idcircò aut culpa flumine abluitur, aut longiùs comitatur. Ibid. c. 16.

Adulteria inter judicia publica numeratur, itavt liceat vnicuique ex populo reum postulare. §. item lex Iulia. Inst. de publ. Iudic. l. 4. §. 1. ff. ad L. Iul. de adul. coërcend. Et hoc jure Pandectarum. Iure autem Codicis, & constitutione Constantini aliter sancitum est. l. 30. Cod. ad l. Iul. de adult. vbi nè volentibus temerè liceat fœdare connubia, proximis, necessarijsque personis defertur copia accusandi, hoc est Patri, fratri, nec non patruo & avunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit. Imprimis maritum genialis thori vindicem esse oportet; qui quidem & ex suspicione ream conjugem facere licet. d. l. 30. & l. 2. §. fin. ff. eod.

Licita ex præsumptione accusatio, cum eo prolapsi mores jam sint, vt nemo ad suspicanda adulteria nimiùm credulus videri possit: Inquit Seneca lib. 2. controv. 8.

Refert Herodotus Pheronem Regem Ægypti ad

ſuæ cæcitatis remedium juſſum fuiſſe ab oraculo, oculos ſuos ablui manu mulietis, quæ ſuum tantùm virum cognoviſſet, vnicamque tantùm talem inventem olitoris vxorem.

Nulla ſatis pudica eſt, de quâ quæritur. Senec. contr. lib. 1. contr. 2. ſic Cæſar vxorem ſuam repudiavit, quia, inquiebat, Cæſaris vxor, non modo pudica eſſe debet, ſed omni ſuſpicione vacare. Plut. in Iul. Cæſ.

Mariti debent deprehenſi adulterij vindictam proſequi: vndè ſi vir ſciens vxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illâ, reus erit, & ejus peccati particeps. cap. ſi vir. de adulter. & ſtup. Lenocinij crimine tenetur, ſi deprehenſam retinuit: l. 2. §. lenocinij. ff. ad l. Iul. de adulter. & quaſi adulter punitur. l. 8. & 29. eod.

Non promovetur cujus vxor in adulterio deprehenſa. can. ſi laïcus. diſt. 34.

Quid hoc adulterium non putas, quod marito conciliante committitur. Senec. lib. 6. controverſ.

Maritum non ſinè aliqua reprehenſione patientiæ, amor vxoris retardabat; quam quidem poſt delatum adulterium domi habuerat, quaſi contentus æmulum removiſſe; admonitus vt perageret accuſationem, peregit invitus, ſed illam damnari, etiam invito accuſatore neceſſe erat, damnata, & pœnis Iuliæ legis relicta eſt. Plin. l. 6. ep. 31. loquens de Gallita adulterij à marito poſtulata, & damnata.

De crimine adulterij, non licet tranſigere. l. 18. Cod. de tranſact. Nec turpe marito eſt aſpera pro charo bella tuliſſe thoro. Ovid.

In eo Diabolus Domino æmulatur, docuitque ſuos patientiam propriam, illam dico, quæ maritos ſtote venales, aut lenocinijs negotiantes, vxorum poteſtatibus ſubjicit. Tertullianus libro de patientia in fine.

Sicut crudelis & iniquus eſt, qui caſtam dimittit vxorem, ſic ſtatus eſt, & iniuſtus, qui retinet meretricem; patronus enim turpitudinis eſt, qui celat crimen vxoris. Per biennium pœnitentiam agat, nec cum adulterio miſceatur, donec pœnitentiam ipſa egerit & purgata ſit. can. ſicut. & can. ſi quis. 32. q. 1. ex D. Chriſ. ſup. math.

Salvianus lib. 7. de gubernatione Dei, de Vvandalis loquens ait. Addiderunt ad libidinem comprimendam ſeveras pudicitiæ ſanctiones, gladio impudicitiam cœrcentes, vt puritatem ſcilicet vtriuſque ſexus, & domi connubio reſervaret affectus, & in publico metus legum, & ſic duplici præſidio caſtimonia niteretur, quod & inutìs ſit quod ametur, & foris quod timeatur.

Apud Germanos ſi mulier in adulterio deprehenſa fuiſſet præſens maritis pœna erat permiſſa; tunc enim acciſis crinibus, convocatis propinquis, nudatam per vrbem domo expellit maritus, ac per totum vicum verbere agit; publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Corn. Tacit. de morib. Germ.

Apud Ægyptos in adulterio deprehenſus virgis cædebatur ad mille plagas, mulier naſo mulctabatur, vt eâ plecteretur corporis parte, quâ maximè facies exornatur. Diodor. ſicul. rer. antiq. l. 2. c. 3.

In vrbe Cumarum mulier adulterij convicta in foro publico ſedebat ſuper lapide infami & eminentiori, vndè poterat facilè videri ab omnibus, indè aſinum conſcenſa totam circuibat vrbem, rurſuſque in illo infami lapide exhibebatur. Plutarch. in problem. græcor.

Solon cuivis deprehenſos in adulterio occidere permiſit. Id. in Solon.

A Lex hæc Romæ recepta, adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum vtrumque corpus interficiat ſinè fraude ſit; & hæc. Liceat adulterium in matre & filia vindicare. Senec. l. 1. controv. 4.

Si inventus fuerit homo dormiens cum vxore maritata viro, occidetis vtrumque, virum dormientem cum vxore & vxorem, & auferetis malum ex Iſraël. Deuter. 22.

Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet, Id autem patri non marito eſt commiſſum, quia plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit, cæterum mariti calor & impetus facilè decernentis fuit refrænandus. l. 20. & B 22. ff. ad l. Iul. de adult. licet tamen marito impunè occidere adulterum deprehenſum in ipſo opere, ſi ludicram artem exercuerit, iudicioque publico damnatus, nec in integrum reſtitutus. l. 24. eod. quod ſi alium occiderit, quia plùs ſe quàm decebat, vindicaverit, puniendus eſt; humilis ad opus perpetuum traditur, honeſtior in inſulam relegatur. l. 38. eod.

Non occiſo adultero poteſt maritus horas diurnas nocturnaſque viginti eum retinere, eius rei teſtandæ causâ. l. 25. eod.

Domini eſt ſententia: Nemo debet dimittere vxorem niſi ex causâ fornicationis. Math. 5. Pulchrè autem docuit S. Mathæus quid facere debeat iuſtus, qui probrum coniugis deprehenderit, vt incruentum ab C homicidio, caſtum ab adulterio præſtare ſe debeat. D. Ambroſ. in Luc. c. 1.

Dianæ fontis in Siciliâ aquas, niſi habitus pudicæ hauſerit, non coïbunt in vnum corpus latex vineus & latex aquæ. Solin. c. 11.

Non occiſo autem, ſed denuntiato adultero lege Iuliâ ab Auguſto lata pœna capitalis non irrogabatur, ſed relegatione aut deportatione puniebatur. l. ſi quis viduam. ff. de quæſtio. 6. ff. de divort. Sic Plin. l. 6. c. 31. Audita eſt inquit Gallica adulterij rea, nupta hæc tribuno militum, ſuam & mariti dignitatem Centurionis amore maculaverat: Cæſar excuſſis probationibus Centurionem exautoravit, atque etiam relegavit; mulier damnata, & Iuliæ legis pœnis relicta eſt. Poſteà temporibus Diocletiani & Conſtantini D pœna ſanguinis irrogata fuit vtrique perſonæ, tàm fœminæ quàm mari. l. 18. Cod. de tranſact. l. 30. Cod. ad l. Iul. de adulter. Sed de jure authenticorum, in fœminis pœna mortis naturalis in mortem civilem commutata, hoc eſt in ingreſſum Religionis, liceatque marito poſt biennium eam recipere. auth. ſed hodie Cod. ad l. Iul. de adulter. In adulteros autem firma remanſit Conſtantini conſtitutio.

Non mœchaberis; quod ſi mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetravit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera. Exod. 20.

Redde vxorem viro ſuo, ſi autem nolueris reddere E ſcito quod morte morieris, tu & omnia que tua ſunt. Gen. 20.

Equi amatores in fœminas & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat, numquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus: derelinquam populum meum, & recedam ab eis, quoniam adulteri ſunt. Ierem. 9.

Fugite fornicationem, quoniam fornicatores & adulteros judicabit Dominus. Heb. 13. Adulteros judicat Deus, diſperdens eos à ſe. D. Ambr. in Pſal. 43.

Viginti quatuor millia Iſraëlitarum plectuntur morte propter adulterium. Num. 25. Sexaginta millia propter peccatum David. 2. Reg. 24. pro quo & ipſe longuam egit pœnitentiam die ac nocte, vt teſta-

tur in pſalmis qui dicuntur pœnitentiales. Propter idem peccatum Salomon duas regni ſui partes admittit. 1. Reg. 22.

Anno Chriſti 1098. Vrbanus II. mittit Gebehardum in Germaniam, qui Comitem quendam propter adulterium excæcatum, & à ſuis in loco ſancto ſepultum, exhumari juſſit, & in ſepulcrum abjici.

Maximus Senator in vltionem ſtupri à Valentiniano pudiciſſimæ ſuæ vxori per fraudem illati Ætium, magnum Imperij præſidium, affectati regni, in ſuſpicionem apud eum adducit, qui ob id Ætium interimit, ſic cecidit occidentalis Imperij ſalus. Baron. an. 454.

Tiberius anno 5. Chriſti 21. fœminarum libidinem, quæ etiam in ſenatorias graſſabatur, graviſſimis Senatus decretis coërcendam curat. Sueton. in Tiber. c. 35.

Hæc adversùs adulteros lex ſancita. Cod. Theodoſ. de pœn. Manifeſtis probationibus adulterio probato, fruſtratoria provocatio minimè concedatur cum pari ſimilique ratione, ſacrilegos nuptiarum, tanquam manifeſtos parricidas inſuere culeo vivos, vel exurere oporteat.

Rodoaldus Longobardorum Rex occiditur à Longobardo homine, cujus vxorem adulterio polluerat, Baron. an. 659.

Zaleucus apud Locrenſes ſtatuit adulteros excæcandos, vndè cum ejus filius eſſet in adulterio deprehenſus, ſibi vnum oculum erui, & filio alterum voluit. Apud Gortynam adulter deprehenſus ad Magiſtratus per civitatem producebatur lanâ coronatus, quâ re illi mollior exprobrabatur natura; In reliquum ignominioſus & ad munia publica nunquàm admiſſus. Rhodigin. lib. 21. cap. 45. De cauſis divortij & adulterij. *Vide Contrarietas Concordantiæ, & Finis Concord.*

Vuambra Rex Hiſpaniæ adulteros milites caſtrat: Sic aiebat, Ecce jam judicium imminet belli, & fornicatione Deus ad iracundiam provocatur. Baron. an. 674.

OBIICITVR.

SOrdidus nunc̀ habetur, qui nulla ſe amica fecit inſignem, nec alienæ vxori æmulum præſtitit; hinc decentiſſimum ſpontaliorum genus adulterium. Nemo vxorem duxit, niſi qui abduxit. Sen. lib. 1. de Ben. c. 9. hoc eſt ſæculi vitium in quod invehitur.

Nero meretricibus deditus, nuptijs etiam inſidiabatur, jucundiores inquiens amores eſſe, qui furtim & cum periculo exercebantur. Philoſtr. in vitâ Apoll. l. 5. c. 10. Sic agebat vt tyrannus.

Apud Lacedemonios ſæpiùs mariti rogabant viros virtute inſignes cum vxore ſuâ coire, vt ſimilem patribus ſibi poſſent prolem vindicare. Plut. in Numâ ſub f.

Nicolaus quidam, à quo Nicolaïtæ hæretici, cum de zelo pulcherrimæ vxoris culparetur, velut purgandi ſe causâ, permiſiſſe fertur, vt eâ qui vellet vteretur: quod ejus factum in ſectam turpiſſimam verſum eſt, quâ placet vſus indifferens fœminarum. D. Aug. ep. ad quod vult Deum de hæreſ. hæreſ. 5.

Idem lib. 22. contra fauſtum, cap. 46. Deffendit Patriarcharum polygamiam, quod tunc ipſi non peccarent, nec contrà naturam, quia prolis tantùm habendæ causâ miſcebantur, nec contrà conſuetudinem, nec contrà legem, quia tunc nulla erat lata id prohibens: vt autem, inquit, Apoſtolos ambitioſos non faciebat multitudo populorum ſemen verbi excipientium; ità nec Patriarchas libidinoſos multitudo faciebat vxorum; & patet fœminas nihil aliud in concubitu appetiviſſe quàm liberos, quos cum viderent ſe non parere, famulas ſuas dederunt viris ſuis, vt illas matres facerent carne, ipſæ verò fierent voluntate.

Idem l. 1. de ſerm. D. in mont. c. 16. Dicit nonnullas cauſas poſſe exiſtere, ob quas mariti conſenſu pro ipſo marito vxor alteri miſceri poſſit. Ibique refert hiſtoriam ſimilis facti, quod Antiochiæ Conſtantij tempore evenit. Viro cuidam repetundarum accuſato, imminebat capitis pœna, niſi intrà paucos dies magna pecuniæ ſummam, quam fiſco diſcebatur debere exolveret, quam tamen in bonis non habebat. Hanc dives quidam illius vxori pulcherrimæ obtulit, ſi ſecum vellet decumbere, pudica vxor totum defert marito, ſui corporis Domino, quo & conſentiente & gratias agente pergit in divitis domum, vbi fecit quod voluit impudicus, ſed illâ corpus non niſi marito dedit, non concumbere vt ſolet, ſed vivere cupienti: accepit aurum, ſed ille qui dederat, fraude ſubtraxit, & ſuppoſuit ſimile ligamentum cum terrâ; quod vbi mulier domi ſuæ potita invenit, proſiluit in publicum, eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, quâ facere coacta eſt. Interpellat Præfectum qui jubet de Acindini bonis auri libram fiſco inferri, quod erat conventum pretium: Illam verò mulierem dominam in eam terram, vndè pro auro terram accepiſſet, induci. D. Auguſtinus rem hanc dicit ſe velle relinquere indeciſam, vt liceat vnicuique æſtimare quod velit.

Videtur autem æſtimandum id non licuiſſe, quia adulterium lege divinâ prohibitum nunquàm poteſt fieri licitum, nec malo illo medio vlli neceſſitati eſt ſubveniendum. Maritus illud permittens incidit in crimen lenocinij & adulterij, vt ſuprà probatum eſt: matrimonium eſt Iuris publici, quod privatorum pactionibus non poteſt immutari, vt hìc demonſtrabitur.

Cod. leg. antiq. in legibus Longobardorum. lib. ii. tit. 32. Mulier, quæ jubente merito adulterium committit, occidit, & maritus tenetur parentibus mulieris, quaſi ipſam occidiſſet. *Vide Virtus Medij*, non ſunt facienda mala vt eveniant bona.

ADVLTERIVM GRAVE crimen.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Quidam reducunt vxores inter ea bona, quæ beneficio naturæ in medio poſita fiunt accipientis, & quę ab eo qui collegit auferre nefas eſt. Sũt, inquit Epictetus, vt dapes menſis appoſitæ, in quas vnicuique convivarum licet manum injicere, ſed eas quas vnus ſibi accepit, & ori admovit præripere, ſumma eſſet inurbanitas, imò & feritas. De duobus conjugatis ſit caro vna, inquit Chriſtus; ſemel ſponſata vxor tranſit in individui naturam incommunicabilem; fit hominis pars eſſentialis, quam divellere, hoc eſt vitam auferre, & hoc ſenſu adulterium homicidium eſt.

MAGNITVDO. Capitale videtur eſſe vitium, quia illud vitia omnia ſequuntur, & hic turpis amor, exautoratâ charitate concedit paſſionibus cæteris vt inſoleſcant & ſæviant in ſui fidam cuſtodiam. Vxor non tantùm cenſetur inter externa bona, cum fictione juris tranſieris in vnitatem quandam eſſentiæ:

Non eſt ſolius corporis bonum, cum nuptias non concubitus ſed conſenſus faciat, & maximè conſtent animæ rationalis affectu; non eſt tantùm privatum & domeſticum bonum, cum in illud concurrant plurimum familiarum, Reipublicæ, imò & Eccleſiæ jura, quæ qui violat, furti, homicidij, peculatus, ſacrilegij crimine tenetur, coacervato horum omnium in vnum caput reatu.

Dvratio. Inſtitutum eſt matrimonium vt accepta à parentibus vita poſteritati, quaſi fax quædam, per manus legitimè tradatur ad ſpeciei conſervationem; hinc enim accipit natura idoneos ſui cultores, Reſpublica cives, Eccleſia filios; hinc videre eſt quanta ſit perverſitas in adulterio, quo tot jura publica temerantur. Chriſtus præcipit dilectionem inimicorum, & vt ſol non occidat ſuper iracundiam noſtram; tamen permittit in causâ fornicationis virum ab vxore diſcedere, quaſi delictum hoc tam grave ſit, vt veniam non mereatur; quaſi malum ſit tam exitiale, vt non ſit locus remedio; & quaſi ſemel abſciſsâ hac quam inierant individuâ vitâ, à privatione ad habitum non detur regreſſus.

Potestas. Si ſervi corrupti datur actio, quid corruptæ vxoris, non concilio tantùm, ſed & actu: Violatur jus domeſticum, ex quo civile trahit originem, & ſic læditur in principio ſuo Reſpublica; cum hic fons, vndè tot manant rivuli, infidelitatis veneno inficitur. Miſerum videbis lugentem maritum inter congeſtas divitias, Reipublicæ, cujus fortè clavum, tenet, honores, omniſque generis voluptates, quaſi bono omnium præcipuo ſpoliatum, iratumque fortunæ ſuæ ſplendori, quo malum ſuum ſit manifeſtius, ſi jus illi non ſit illibatum in vxorem. Bona, libertatem, vitam ipſam olim rapuerunt Tyranni, populis vim hanc majorem, quaſi fato datam, humiliter tolerantibus; in vxores tantùm nunquàm eorum impunè deſævit cupiditas.

Cognitio. Quaſcumque affectet latebras adultera, facilè deprehendit illam oculatus mariti zelus, ſed incertis & pugnantibus inter ſe pro remedio conſiliis; ſi tacet, inſoleſcit quaſi ſecura nequitia; ſi monet, inſtruuntur ſubtiliores doli, & furor deprehenſæ magis exacerbatur, quaſi in innocentiæ ſuſpicionibus læſæ argumentum; ſi legum & Iudicum advocetur authoritas, incurrit, & miſere allidit in eam, quam potiſſimum vitare cupiebat infamiam: Hoc itaque crimen ſimile videtur bicipiti ſerpenti, ex vtraque parte venenum fundenti; aut extremis periculis, in quibus confuſa ſapientia, deſperatâ ſalute, fortuito ſe furori committit.

Volvntas. Hoc primum adulter tentat, vxoris quos ambit affectus à marito evocare, vt ſic vacantes primus occuper, habeatque pro præmio, quem gratâ alterius jam faſtidientis contumeliâ & laudatæ pulchritudinis lenocinio, corripit amorem. Itaque vt Dæmon tentator mille novis lenociniis, conjugaliter jam formato amori invſitatis, averit ab affectu, quem Deus præcipit, ſuffocat quas Deus accendi jubet legitimæ dilectionis flammas, accendit impuras, quas jubemur extinguere, diſſolvit, quem Deus ipſemet conſtraxerat nexum, & infirmo cordi, cum odij ſeminibus, malum omne crudelis inſpergit.

Virtvs. Adulterium otiantis, & ad fortia nunquàm ſe accingentis negotium eſt. Summa ſanè eſt imprudentia, ſumma impietas, tot caſibus, tot criminibus ſibi ad faciles aliundè voluptates viam facere: ſumma incontinentia, propriis non contenta, niſi & alienis inſidietur: ſumma iniuſtitia, quod jus naturale, humanum & divinum alteri conceſſit fraudibus eripere.

Veritas. Hoc crimine familijs labem illaturi, conantur officiis omnibus affectum promereri ejus quem leluri & ſi nimiùm obſtet, ad vltimam vſque perniciem perſecuturi ſunt. Gravius crimen, quia latens, quia ſpecie beneficii domos penetrat vt everat, quia doſis familiarem ſe neceſſarium efficit, vt fortunæ præmio honorem diripiat, & perfidè integritati conjugis inſidietur? ſic plùs eſt hominem interficere maleficio, aut veneno, cui vix reſiſti poteſt, quàm gladio.

Gloria. Illud in hac clade duriſſimum eſt, quod vix vllos habeat compatientur, omnes qui turpiter illudant, probroſis & ad deluſi mariti exprobrandam ignaviam compoſitis nominibus. Omniſi ſæculorum opinione receptum eſt, vt mariti fama vxoris opprobrio læderetur, cum duorum vna cenſeatur eſſe perſona: Et vt non culpatur equi feritas, ſed equitis ab eo exceſſi impotentia; ſic turpe eſt marito quod neſcierit vxoris affectus aut ſuis promereri, aut modis omnibus continere. Si vel vnico verbo fama læſa debet reſtitui, quid cum plurium familiarum honor offenditur? quid cum hæc infamiæ nota, quaſi indelebilis, proli turpiter in futurum adhæret, non niſi multo ſanguine eluenda, & quæ aliquandò infœlici marte poſteritati graviùs imprimitur. Quis explicet ruptæ ſic in familiâ pacis damna animorum, in contraria nitentium; cum ſuis hinc indè ſeditiones; ex rebus vel minimis gravia in Deum & proximum mille artibus conflantes peccata; hinc bonorum deſperata profuſio, acquiſitionis neglectus; hinc egeſtas, quâ innocens & legitima proles in futurum torquebitur, & abjecta Reipublicæ miniſterijs ſubſtrahetur, &c. Quis tot ex adulterio clades enumerabit? & quis æſtimet reatum adulteri, tot in dies excreſcentium malorum authoris.

Differentia. Vt ſemel ſolutis vinculis ſuâ libertate fruens fera vix in obſequium reducitur; ſic votis ſuis aliquandò potita cupiditas, vix poſteà maritum dominum agnoſcit. Vt bonum, quod cum vno convertitur, vnionem efficit ſic malum diſidij & diviſionis ferax eſt, æſtuat, novaſque tentat voluptates, quæ ſemel pudoris & conſcientiæ legem violavit laſcivia: vndè diſſoluti conjugii reus eſſe videtur, vel vnicus adulter, quo ad cæteros admittendos via aperta eſt vt cenſetur domum incendiſſe, qui vel ſcintillam materijs illam foventibus injecit, & cauſa pereuntis navis, cujus compagem diſſolvit, vel levi rimâ, quâ ſenſim in eam fluctus admitterentur. Mezantii Tiranni ſupplicium, quo viva corpora mortuis componebantur, tunc videtur iterari, cum amans maritus incidit in ſinum vxoris averſæ, & aliena appetentis.

Concordantia. Gregalia omnia animalia cœtus ſuos deſerunt, mareque cum fœminâ ſociato ſeparata, imò latitantia ſibi quærunt domicilia, vt mutius amore ſuo fruantur, & relictâ quavis aliâ curâ proli naſcituræ provideant: Hoc eſt amantium hominum commune ſolitudinis cum vnicè dilectâ votum, quo ſylveſtria tantùm deſertis vrbibus incolerentur, ſi huic ſollicito timidoque amori non adeſſet pro fidejuſſore publica fides; Nam ideò in contrahendis matrimoniis conveniunt vtriuſque familiæ parentes: Regis authoritate fit contractus, quem excipit & ſanctificat Eccleſia: Inter hæc ſecurum ſe putavit amor conjugalis, & tutò ſe poſſe ſocietati civili committere, quod ſi tamen in ipſum aliquid audeat adulter, eo ipſo peccat in jus publicum divinum & humanum; Vndè vt ſuprà probatum eſt, olim crimen hoc cenſebatur inter publica, quę cuique accuſare fas erat.

CONTRARIETAS. Domus, quæ laborat adulterij A suſpicione, non eſt ampliùs, ſupponunt leges, tutiſſimum Domino ſuo receptaculum, ſed quaſi carcer teterrimus, antrum immane, ſerpentibus horridum, barathrum & infernus, vbi tot agitur furijs, quot audit & videt ſuſpecti criminis argumenta. Emicat interdùm zelus in ardentes iras, ſed ſcintillæ ſunt vndè naſcitur longè major conflagratio inter conjugatorum familias, quæ ſi ſint illuſtres, hæc mala domeſtica fiunt publica: conſtat enim ex varijs nationum hiſtorijs, hinc orta fuiſſe horrida bella, tùm civila, tùm extera. Quantæ ex vno crimine clades?

PRINCIPIVM. Quid juvat, ex Platonis conſilio fortium familias matrimonio ſociare, vt ſic naſcantur fortes ad Reipublicæ regimen idonei, ſi thoros conjugales violent infames, libidinoſi, qui ſibi ſimilem prolem ſtipiti generoſo fraudulenter inſerant. Sic miſeri parentes educant alienos fœtus, quos dùm credunt ſuos mirantur eſſe degeneres, & qui poſt exactiſſimam educationis curam, vbi licuerit, in vitium omne diffluunt. Sic adulterium illuſtribus familijs falſo crimen attexit; ſic fraudat parentes & patriam legitimâ prole, quæ avitas virtutes referat; ſic excluſis bonis, præmaturo quodam patricidio, malos ſubſtituit; Sic legitimorum bona diripit, & in eorum partem mittit illegitimos, perfidiæ in patriam, calumniæ in familias, ſorti in legitimam prolem ream.

MEDIVM. Primum adulteri crimen eſt corruptio ſervorum, vt his intermedijs libidinem ſuam impleat, & occultet, quod ſi deprehenſam eſſe intelligat, crimen tunc novis & gravioribus criminibus tegitur: tunc & procurantur itinera, certamina, invidorum conjurationes, magnatorum nimijs ſeù laudibus, ſeù calumnijs iræ, in quibus perire poſſit, his tandem & irritis ſuccedunt venena & homicidia: Tot malorum & criminum ferax eſt adulterium, vt qui illud committit, illis ſe ſtatim omnibus videatur addicere.

FINIS. Malum hoc pertinax eſt, non ſe continet, nec ſiſtit vnquàm, niſi optatis fruatur. Territant adulteram leges divinæ & humanæ, vltimum illi præſensque excidium minatur furens mariti zelus, obſident illam innumeræ difficultates, exhaurit pretio conducta, & nunquàm ſatiata turpiter famulantium cupiditas; nititur tamen in veritum, nulloſque patitur limites falſus præter rationis legem appetitus. Tales in flagranti delicto deprehenſos leges antiquæ necari permiſerunt, quia optima videtur celerior vindicta de tali crimine, quo malum ſinè fine familijs infertur, per illegitimorum illis falsò ad ſcriptorum propagationem.

MAIORITAS. Non agnoſcit opinionis magna ambientis leges amor ille veſanus, interdùm inardeſcit ad viliſſima mancipia, ſeù fruitionis, citrà ſuſpicionem opportunitate, ſeù ipſo appetitus in terra ſe ferentis vitio: hoc teſtatur. S. C. Claudianum, quo E mulier ſervili amore bacchata libertatem amittebat: Sublata lex à Iuſtiniano, quia inefficax erat cæcæ cupiditatis remedium, & tamen illuſtribus familijs longâ natorum ſerie contumelioſum. Magis adhuc videtur lædi conjugalis pudicitia à magnatibus, qui ob id quaſi reportata de Argo victoriâ inſoleſcunt, aut ſuo ſe ſplendore etiam nolentes produnt; vndè Lucretia vim ab Imperatoris filio paſſa, labem hanc celare non poterat, ſanguine ſuo conata eſt eluere. Ferrur vt plurimùm ad hæc extrema libido modum neſciens: grave vtrinque malum, ſeù honorem tolli ab indigno, cujus vt impuri animalis contuſione pollueris; ſeù pati hoc à potentiori, in quem jus omne perdit humilis, abjectaque fortuna.

ÆQVALITAS. Oneroſa ſanè vxoris ſocietatis, in quâ infirmiori ſexui tot modis compatiendum, & contrà naturæ leges fortior ab imbecilliori patitur. Fulget vxor maritalibus radijs, ait lex: at contrà maritus polluitur vxoris vitio, inæquali penitùs & iniquâ conditione, vſu tamen receptâ, fortaſſis vt eſſet ruentis in connubia cupiditatis frænum, & realis potenſque ad cœlibatum admonitio: ſic de venenis fiunt antidota. *Vide Minorit. Medij.*

MINORITAS. Licèt res benè æſtimanti non æquum videatur lædi hominis famam ex mulieris turpitudine: illum tamen ſequitur infamia, antiquis addenda capitis diminutionibus; quidquid in contrarium dicat miſer, cachinnis exceptus, dolore ſuo nullius compaſſione delinito, extrema in extremis cogitur tentare remedia. Quantæ Clades privatæ publicæque ob vnius luxuriam: & qualis reatus, qualique pœna puniendus, ſi vt oportet illum æſtimes ex malorum hinc naſcentium cumulo!

CONTINENTIA CONjugum temporalis, aut perpetua.

ORigo amoris honeſta eſt, ſed magnitudo deformis: nihil autem intereſt quàm ex honeſta cauſa quis inſaniat: Vndè & ſextus in ſententijs, Adulter eſt, inquit, in ſuam vxor amator ardentior: in alienâ quippe vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu: Nihil eſt fœdius quàm vxorem amare quaſi adulteram. D. Hier. cont. Iov. l. 1. c. 30.

Vide Major. Volunt. Nimius amor, & vide quæ ſcripſi. moral. Chriſt. tom. 3. part. 2. cap. 4.

D. Aug. l. 1. de ſerm. D. in mont. c. 15. dicit, vt in peccatore ſic in vxore bonus Chriſtianus diligat creaturam Dei in fœminâ: oderit autem conjunctionem & copulationem corruptibilem, quam nec in reſurrectione in cœlis habere vellet: oderit in vxore temporales neceſſitates quæ tranſeunt, diligat autem ſpem æternæ beatitudinis, in quâ conjugati vnum erimus in Chriſto: Indigentia enim carnalis ſecundum veniam non ſecundum imperium.

Nolite fraudare invicem niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam, hoc autem dico ſecundùm indulgentiam non ſecundùm imperium. 1. Cor. 7.

Reliquum eſt, vt qui habent vxores tanquàm non habentes ſint. 2. Cor. 7.

Conjuges quantò meliores ſunt, tantò maturiùs à commixtione carnis ſuæ pari conſenſu ſe continere incipiunt, non vt neceſſitatis eſſet poſteà, non poſſe quod vellent, ſed vt laudis eſſet primùm noluiſſe quod poſſent: langueſcentibus etiam, & penè cadaverinis vtriuſque membris, animorum tamen conjugatorum tantò ſincerior, quantò probatior, & tantò ſecurior, quantò placidior caſtitas perſeverat. D. Aug. l. 1. de bon. conjug. c. 3.

Expedit mundo amicos Planetas non ſemper eſſe in conjunctione, nè tunc nimia vis eorum cæteras orbi neceſſarias qualitates præpediret.

Feſtis & ſolemnioribus diebus conjuges abſtinere debent, & continentiam ſervare. 33. q. 4. per totum.

Vndè diebus quadrageſimæ nuptiæ non celebrantur. A can. non liceat. eod.

D. Auguſt. lib. de hæreſ. ad quod vult Deum hæreſ. 87. Dicit in Africâ in agro Hipponenſi fuiſſe quoſdam hæreticos Abelianos dictos, qui non miſcebantur vxoribus, & eis tamen ſine vxoribus vivere ſectæ ipſius dogmate non licebat: Mares ergò & fœminæ ſub continentiæ lege ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant, ejuſdem conjunctionis pacto ſucceſſores ſuos futuros, qui morte præventis adoptantibus alios ſimiliter ſibi adrogabant. D. Aug. dict. loc. Tales etiam fuerunt Encratitæ, Marcionitæ Manichæi, & maximè Saturninus. Vide Baron. an. 57.

Hi habiti ſunt hæretici, quia nuptias illicitas eſſe dicerent: de his D. Paul. 1. Timoth. 4. In hypocriſi loquentes mendacium: cauteriatam habentes ſuam conſcientiam, prohibentes nubere, abſtinentes à cibis, &c. Recepta autem fuit ſemper in Eccleſia continentia conjugum, non quaſi neceſſaria & ex præcepto. ſed quia pia & ex conſilio. Sic vixit B. Virgo Mater cum S. Ioſeph. Hunc morem fuiſſe in primitivâ Eccleſiâ docet Tertul. plur. locis D. Aug. epiſt. 199. ad Fulgent. epiſt. 1. Vide Baron. an. 54.

Pulcheria, mortuo Theodoſio fratre, vt ab eo fuerat monita, ſalva ſua virginitate, conjugij titulo Marcianum virum Tribunitium evehit in Imperium. Baron. an. 450.

Gregor. Turonenſis de gloriâ Confeſſor. cap. 32. Refert de pari conjugum Arvernenſium, qui in vno lecto quieſcentes perpetuam retinuere virginitatem. Baron. an. 480.

Oſitha Regina in Angliâ, in monaſterio educata, & contrà votum nuptui tradita Regi Orientalium Saxonum, poſt longam in matrimonio continentiam, permiſſa in ſuum monaſterium redire à pyratis capta necatur. Baron. an. Chriſti 653.

S. Vvandregiſilus conſobrinus Pepini ducis, Comes Palatinus, apud Dagobertum Regem nubere coactus, Virgo cum Virgine permanſit. Baron. anno. 665.

In hac continentia vixit S. Cecilia cum Sponſo Valeriano. S. Elzearus comes Ariani Tertij Ordinis S. Franciſci, cum S. Delphina vxore ſua.

D

VIDVITAS, ET DE nuptijs non iterandis.

MISCELLANEA.

CArondas Sybarienſium legiſlator hanc tulit legem. Qui liberis ſuis novercam ſuperduxerit, eum neque vllo dignitatis loco, pretijve virum habeto, neque vlla civium conſuetudine communicare, fruique ſinito (quippè qui malum alienum rebus ipſe ſuis intulerit: Si proſpera, inquit, tibi conjugium ſorte ſucceſſerit, primùm eo ſucceſſu contentus conquieſcito: ſin adverſum obtigerit, furioſi eſt idem malum ſecunda exploratione tentare velle. Diodor. Sicul. bibl. hiſt. lib. 12. Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. Publius Mimus.

Gorgona, mortuo primo viro, ad ſecundas convolavit nuptias, cum antè ſanctum & ſolemne fuiſſet fœminis ſecundis nuptijs abſtinere. Pauſan. in Corinth.

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt. Martial.

Monogamia apud Ethnicos in ſummo honore eſt; vnde Virginibus legitimè nubentibus vnivira pronuba abhibetur: Item in ſolemnibus & auſpicijs prior eſt vniviræ locus. Certè Flaminia; non niſi vnivira eſt, & Pontifici Maximo iterare matrimonia non licet. Tertul. in exhortatione ad caſtitatem.

Dido ſoror Pigmalionis, multo auri & argenti pondere congregato in Africam navigavit, ibique vrbem Carthaginem condidit, & cum ab Iarba Rege Lybiæ in conjugium peteretur, paulìſper diſtulit nuptias, donec conderet civitatem; nec paulò poſt extructâ in memoriam mariti quondam Sychæj pyra maluit ardere, quàm nubere. Rhodogine filia Darij, poſt mortem viri, nutricem, quæ illi ſecundas nuptias ſuadebat, occidit. Marcia Catonis filia, cum quæreretur ab eâ, cur poſt amiſſum maritum denuò non nuberet, Reſpondit non ſe invenire virum, qui ſe magis vellet quàm ſua: Eadem cum lugeret virum, B matronæ ab eâ quærenti, quem diem haberet luctus vltimum, ait, quem & vitæ. Annia Romana cum à propinquo moneretur vt ſecundò nuberet, nequaquàm, inquit, hoc faciam, ſi enim virum bonum inveni, nolo timere nè perdam, ſi malum, quid neceſſe eſt, poſt bonum peſſimum ſuſtinere. Valeria Meſſallorum ſoror amiſſo Servio viro, nulli volebat nubere interrogata cur id faceret, ait ſibi ſemper Servium maritum vivere, hæc & alia refert exempla D. Hier. l. 1. adv. Iovin.

Xenophon ſcribit in Cyri majoris infantia, occiſo Abradate viro, quam Panthea vxor miro amore dilexerat, collocaſſe ſe juxtà lacerum corpus, & C confoſſo pectore ſanguinem ſuum mariti in fudiſſe vulneribus. Laodamia celebratur, quæ occiſo apud Troiam Proteſilao marito noluit ſupervivere. Ibidem.

Hinc apud Thraciæ populos, mortuo marito vxores in ejus rogum proſiliunt, quaſi poſt ipſum, ſublato conjugij jure, vitâ ſit excedendum. Herodot. lib. 5. Solin. polyh. c. 16.

Romæ ob pacem à Coriolano ſuæ matris & vxoris precibus obtentam, dedicatum eſt ſignum muliebris fortunæ, quod nefas erat attingi, niſi ab eâ quæ ſemel tantùm nupſiſſet. Feſtus.

Superducit mater filijs, non nutricium, ſed hoſtem; non parentem, ſed tyrannum: inflammatâ libidine obliviſcitur vteri ſui, & inter parvulos, ſuas miſerias neſcientes, nova nupta comparantur. D. Hier. ad Furiam.

Quidquid debebas marito, redde filijs amore præſentium deſiderium abſentis tempera. Id. ad Sabinam.

Si evenerit vt de ſecundo matrimonio habeas filios domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium: Non licet tibi amare liberos quos genuiſti, & niſi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Idem ad Furiam de viduit. ſerv.

Neſciunt beſtiæ odia novercalia, nec mutato concubitu parentes à ſobole depravantur, neque noverunt præferre filios prioris copulæ: neſciunt charitatis differentiam, odiorum incentiva, offenſionum diſcrimina. D. Ambroſ. exam. l. 6. cap. 4.

Incidit in meretricem inter cætera malam & fœcundam; Mulier neſcio adverſùs Patrem injurioſior ſis, quod abſtuliſti illi hæredem, an quod dediſti. Sen. l. 2. declam.

Turtur vbi fuerit jugalis proprij amiſſione vidua, præteſum thalamos & nomen habet conjugij, eo quod primus amor fefellerit eam dilecti morte deceptam, quoniam & infidelis ad perpetuitatem fuit, & amarus ad gratiam qui plùs doloris

Digitized by Google

ex morte, quàm ſuavitatis ex charitate generaverit. D. Ambroſ. Examer. lib. 5. cap. 19. Plin. lib. 10. cap. 34.

Hunc reſpexiſſe videtur Salomon. Cant. 6. Vna eſt columba mea. Ad ſimplicitatem columbæ Deus nos provocat, avis non tantùm innocuæ, verùm & pudicæ, quam vnam vnus maſculus novit. Tertul. lib. de monogamia. cap. 8. in fin.

Diebus feriatis nuptiæ non fiebant cum virginibus, quia tunc intelligitur vis inferri: at cum viduis permiſſæ, quia vt ait Pontifex Scævola, feriis licet tergere veteres foſſas, non autem novas facere. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 15. Sed addit aliam rationem Plutarch. problemat. Roman. problem. 105. Quod ſcilicet viduæ, quas pudet ſecundarum nuptiarum, B eligunt feriatos dies, in quibus populus ſacrificijs, ludis & ſpectaculis occupatus, illis non poſſet adeſſe. Hinc ſponſalia & matrimonia viduarum ſolent fieri de nocte, & antè auroram. Vide Boërium concil. 40. num. 103. Et ad deriſionem fiunt tintinnabula. Vide Baron. an. 389.

Non quidem abnuimus conjunctionem viri & fœminæ benedictam à Domino, vt ſciremus generi humano, & replendo orbi, & extruendo ſæculo excogitatam, atque exindè permiſſam, vnam tamen. Nam & Adam vnus Evæ maritus, & Eva vna vxor illius, vna mulier, vna coſta. Tert. l. 1. ad vxor. c. 2.

Tempus breve eſt, reliquum eſt vt qui matrimonia habent, ſint quaſi non habentes; quod ſi C habentes obliterare debent quod habent, quantò magis non habentes, prohibentur repetere quod non habent. Deus ab initio ad formam poſteritatis recenſendam, ex vnâ coſtâ vnam finxit fœminam, cum vtique nec artifex, nec materia defeciſſet; plures coſtæ in Adam, & ad fabricam habiles manus in Deo; ſed non plures vxores apud Deum. Id. de exhort. caſtit.

Erunt duo in carne vnâ. Iterato matrimonio, vna planè caro in plures erit; Si de Chriſto cum Eccleſia intelligit Apoſtolus, vno matrimonio cenſemur vtrobique & carnaliter in Adam, & ſpiritaliter in Chriſto; duarum nativitatem vnum eſt monogamiæ præſcriptum. Numerus matrimonij à maledicto viro cœpit: primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. Benedicti autem Patres ideò plures habuere, vt multiplicaretur genus humanum: Creſcite, &c. donec mundus repleatur; Nunc autem revocavit Deus quod indulſerat, non ſinè ratione propagationis in primordio & repaſtinationis in vltimo. Semper initia laxantur, fines contrahuntur; Propterea ſylvam quis inſtituit, & creſcere ſinit, vt tempore ſuo illam cædat; Sic lex illa, oculum pro oculo, antiquata, &c. Nubamus quotidie, vt in vltimo die deprehendamur tanquàm Sodoma & Gomorra, quo diè adimplebitur, væ illud ſuper prægnantes & lactentes, &c. Deſiſti habere cui debitum ſolveres, ô E te fœlicem! amiſiſti qui te cogeret creditorem. In ſecundo matrimonio duæ vxores eundem circumſtant maritum, vna ſpiritu, alia carne; Nec enim primam poteris odiſſe, cui etiam clariorem reſervas affectum: Cum ergò oblationes annuas reddes, ſtabit ad Deum cum tot vxoribus quot illas oratione commemoras. Ibid.

Defuncto per Dei voluntatem marito, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu reſtaures, cui finem Deus poſuit? quid libertatem collatam tibi iterata matrimonij ſervitute faſtidis? obligatus es, inquit. 1. Cor. 7. matrimonio, nè quæſieris abſolutionem; abſolutus es matrimonio, nè quæſieris oblationem: amplectenda occaſio eſt, quæ ademit quod neceſſitas imperabat. Quantùm fidei detrahant, quantùm obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere. 1. Tim. 2. & 5. Cum viduam ad legi in ordinationem, niſi vniviram non concedit, Aram enim Dei mundam proponi oportet. Idem l. 1. ad vxor. cap. 7.

Regem ſæculi Pontificem maximum rurſùs nubere nefas eſt. Ibid.

Vidua habet aliquid virgine operoſius, quia facilè eſt non appetere quod neſcias, & averſari quod deſideraveris nunquàm; glorioſior continentia quæ jus ſuum novit: poterit virgo fæliciot haberi, at vidua laborioſor; illa quod bonum ſemper habuit; iſta quod bonum ſibi invenit. Ibid. in fine.

Vnam fæminam maſculo Deus finxit, vnâ coſtâ eius decerpta, & vtique ex pluribus. Sed & in præfatione eius operis. Non eſt, inquit, bonum homini eſſe ſolum, faciamus adiutorium illi; adiutores dixiſſet, ſi pluribus cum vxoribus deſtinaſſet; adjecit & legem de futuro, erunt duo in carne vnâ, non tres, neque plures, cæterùm jam non duo, ſi plures. Id. l. de monog. c. 4.

Vnum matrimonium novimus ſicut vnum Deum. Ib. c. 1.

Noë & vxor filijque eorum in vnicis nuptiis etiam in ipſis animalibus monogamia recognoſcitur, nè vel beſtiæ de moëchis naſcerentur. Ex omnibus, inquit, beſtiis, ex omni carne duo induces in arcam, vt vivant tecum, maſculus & fœmina erunt? Quid ampliùs dicam immundis quoque alitibus cum binis fœminis introire non licuit. Ibid. cap. 4.

Tibi Chriſtus occurrit monogamus vnam habens Eccleſiam ſponſam, ſecundùm Adæ & Evæ figuram; Habes Ioſeph vnijugum, & hoc nomine audeo dicere Patre meliorem; habes Moyſem Dei de proximo arbitrum: habes Aaronem principalem Sacerdotem; Secundus quoque Moyſes populi ſecundi, qui nos in promiſſionem Dei induxit non fuit digamus Chriſtum Virgo enixa eſt, ſemel nuptura poſt partum, & vterque titulus ſanctitatis in Chriſti cenſu diſpungeretur, per Matrem & Virginem, & vniviram, cum infans templo exhibetur, quis illum in manus ſuſcipit; quis in ſpiritu primus agnoſcit? vir iuſtus vtique non digamus. Tales arbitror infans Dominus expertus, non alios habuit & adultus: Petrum ſolum invenio maritum, per ſocrum monogamum præſumo. Quos Deus coniunxit homo non ſeparet, ſcilicet nè contrà Dominum faciat; Solus enim ille ſeparabit, qui & coniunxit; ſeparabit autem non per duritiam repudij, quam exprobrat & compeſcit, ſed per debitum mortis. Igitur ſi quos Deus coniungit, homo non ſeparabit repudio, æquè conſentaneum eſt vt quos Deus ſeparavit morte, homo non coniungat matrimonio, perindè contrà Dei voluntatem junctorus ſeparationem, atque ſi ſeparaſſet coniunctionem. Matrimonium eſt, cum Deus iungit duos in vnam carnem; adulterium autem eſt, quoquo modo disjunctis duobus alia caro, imò aliena miſcetur, de quâ dici non poſſit, hæc eſt caro ex carne meâ, & hoc os ex oſſibus meis: Semel enim hoc factum & pronuntiatum, Sicut ab initio, ità & nunc in aliam carnem non poteſt convenire. Si repudiata quæ per diſcordiam & iram, & odium & cauſas eorum, injuriam & contumeliam vel quamlibet querelam, & anima & corpore ſeparata eſt, tenetur inimico, nè dicam marito; quantò magis illa quæ neque ſuo, neque mariti vitio, ſed Domi-

Digitized by Google

nicæ legis eventu, à matrimonio non ſeparata, ſed relicta, eius erit etiam defuncti, cui etiam defuncto concordiam debet, à quo repudium non audiit, non divertit, qui repudium non ſcripſit, cum ipſo eſt, quem amiſiſſe noluit, retinet.

Mulieres tenentur pro defunctis maritis orare & refrigerium illis poſtulare; cum hæc ità ſint, quomodò alii viro vacabit, quæ ſuo etiam in futurum occupata eſt; alium habebit in ſpiritu, alium in carne; hoc erit adulterium vnius fœminæ in duos viros conſcientia; ſi alter à carne disiunctus eſt, ſed in corde remanet, illic etiam vbi cogitatus ſinè carnis congreſſu, & adultretium antè perficit ex concupiſcentiâ, & matrimonium ex voluntate; vſque adhuc maritus eſt, ipſum illud poſſidens, per quod & factus eſt, ideſt animum, in quo ſi & alius habitabit, hoc erit crimen: Ceterùm non eſt excluſus, ſi à viliore commercio carnis deceſſit; honoratior maritus eſt, quantò mundior factus eſt, &c. Sic habens duos elige cui te adulteram præſtes, puto ambobus. Tertul. l. de monog. à cap. 4. ad 10.

Mulier vincta eſt, quantò tempore vivit vir eius, ſi autem mortuus fuerit, libera eſt, cui vult nubat. 1. Corinth. 7. Ex quo loco, inquit Tertul. deffendunt licentiam ſecundi, imo & plurimi matrimonii; quod enim ſemel, deſiit omni obnoxium eſſe numero. Dicit hæc Apoſtoli verba intelligenda eſſe de primis nuptiis cum infideli contractis, ita vt liceat ſecundas inire cum Chriſtiano; Non numerabitur, inquit, poſt fidem ſecunda vxor, quæ poſt fidem prima eſt: à fide enim etiam ipſa vita noſtra cenſetur. Nec ſecundus maritus deputabitur, quia eſt à fide primus: & adeò ſic eſt, vt propterea adiecerit tantùm in Domino, nè etiam poſtfidem Ethnico ſe nubere poſſe præſumeret. Ibid. cap. 11.

Non poſſumus negare Dominum veniſſe ad nuptias in Canâ Galileæ, vbi aquas vertit in vinum; qui autem ſemel venit ad nuptias, ſemel docuit eſſe nubendum. D. Hieron. l. 1. ad Iovin.

Quoniam ex multis animabus vna civitas futura eſt habentium vnam animam & cor vnum in Deum, quæ vnitatis naturæ perfectio, poſt hanc peregrinationem futura eſt, vbi omnium cogitationes non latebunt invicem, nec inter ſe aliquo repugnabunt, propterea ſacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad vnum virum & vnam vxorem redactum eſt, vt diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi vnius vxoris virum. D. Aug. l. de bono conjug. c. 18.

Bigamos non ordinari fuit obſervatio tàm in Orientali, quàm Occidentali Eccleſiâ, quod ex traditione Apoſtolicâ promanaſſe teſtatur Innocentius Papa epiſt. 22. c. 1. & ſic interpretatur illud Pauli ad Titum de Epiſcopo loquens, vnius vxoris vir. Eâ ratione S. Leo. epiſt. 87. Eccleſiæ Mauritaniæ noluit præfici bigamos, etiam in ſummâ inopiâ ſacerdotum, & S. Ambroſ. epiſt. 25. teſtatur id etiam in Concilio Nicæno ſtatutum: Ipſos etiam Arianos id præſtitiſſe demonſtrat Epiphanius, hæreſi. 30. Vide Baron. an. 58. num. 27.

Bigamus non eſt ordinandus Epiſcopus. can. acutius. diſt. 26. Nec Preſbyter nec Diaconus, aut ſubdiaconus. can. ſi quis diſt. 33. aut qui viduam duxit in vxorem. can. ſi quis viduam. diſt. 34. Idem ſtatuitur Novell. 6. cap. 1.

Bigami non ſunt ordinandi. in canon. Apoſtolor. can. 17. Enumerata plura concilia, quibus idem ſtatuitur. Vide Coriolanum in ſuis annotationibus.

Vxores clericorum nè poſt eorum mortem ineant ſecunda matrimonia. Conc. Mariſc. II. can. 16.

Bigamia impedit nè quis accipiat ordines ſacros, quia tollit ſignificationem ſacramenti integram, & per conſequens ſignificationem conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt vnius ad vnum. D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 4. & ſupplement. q. 66.

Conſtat tamen licita eſſe ſecunda, tertia & deinceps matrimonia ex illo. 1. Corinth. 7. Mulier vincta eſt lege, quandiù vivit vir ejus; quod ſi dormierit vir ejus, libera eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.

Quod ſi dormierit vir eius, non dicit primus vel ſecundus, vel quartus, nec nobis definiendum eſt, quod non definit Apoſtolus; vnde nec vllas debeo damnare nuptias; nec eis verecundiam inferre numeroſitatis. D. Aug. in epiſt. 1. ad Cor. habetur. 31. q. 1. can. quod ſi.

Ego nunc voce proclamo libertâ, non damnari in Eccleſia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & vltrà, quomodò & ſecundo marito nubere; Melius enim eſt nubere quàm vri; & vnusquiſque propter fornicationem habeat vxorem ſuam, inquit Apoſtolus. D. Hier. ad Pammachium.

Sic idem ad Acheruſiam, de monogamiâ. Cum, inquit, in negotiis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata, vnum, qui viginti ſepeliſſet vxores; alteram, qui vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo, vt ipſi putabant, matrimonio coniunctos; Summa omnium expectatio virorum pariter ac fœminarum, poſt tentas rudes, quis autem prius efferret, Vicit maritus & totius vrbis populo confluente coronatus, & palmam tenens vxoris multi nubæ feretrum præcedebat.

Igitur licita ſunt ſecunda matrimonia non tamen honeſta habentur, quod patet primò ex eo quod bigami non ordinantur, vt mòx dictum eſt.

Omnia licent, ſed non omnia expediunt, non damno digamos, & trigamos, & dici poteſt octogamos: ſed aliud eſt non damnare, aliud prædicare; aliud eſt veniam concedere aliud laudare virtutem; alia loca virginitati, & nuptijs, alia trigamis & octogamis, &c. D. Hieron. in Apol. ad Pammach.

Digamia & Trigamia non ex lege deſcendi, ſed ex indulgentiâ; aliud eſt enim facere, quod per ſe bonum eſt, aliud ideò concedi, ne pejora faciamus: dicit enim Apoſtolus cauſas cur velit adoleſcentulas viduas nubere, inferens, Iam enim quædam earum abierunt retrò poſt Satanam. Idem. in Ierem. cap. 16.

De ſecundis nuptiis. Cod. 5. tit. 9.

Legatum factum à viro mulieri, eâ conditione, ſi vidua permanſerit, valet, nec poteſt repeti, etiam ſi ad ſecunda vota tranſierit. l. 1. Cod. de indicta viduitate. Nam ſecundò nubere juris eſt publici, quod non poteſt immutari privatorum pactionibus. Tamen mulier convolans ad ſecundas nuptias amittit vſumfructum ſibi à priore marito relictum. l. 1. C. ſi ſecundò nupſerit mul.

Mulier ſecundò nubens, ſimiliter ac ea quæ inhoneſtè vivit, non poteſt revocare donationem filio factam ob ejus ingratudinem. l. 7. Cod. de revocand. donationib. cenſetur enim prima illi injuriam intuliſſe. Novell. 2. cap. 1. vnde amittit donationis antè nuptias proprietatem. cap. 4. eod.

Mulier relictum ſibi ſub eâ conditione nè nubat ſecundò, non accipit ſi nubat: Novella 22. de nuptijs cap. 43. & ſi acceperit, reſtituit: l. 14. ff. de legat. 3. Nec ſervata fides cineri promiſſa Sichæo, Virgil. 4. Æneid.

Non patitur amor ſibi ſucceſſorem, & hic ſenſus creditus eſt ſupereſſe defuncti, ſic olim vt dictum eſt, in Thraciâ dilectæ vxores in defuncti mariti pyram ſe præcipites agebant: ſic Græcis in patriam redire parantibus

parantibus apparuit Achillis vmbra, quem Paris in templo Apollinis interfecerat; ea monuit vt manes ſui Polixenæ puellæ regiæ victima placarentur, cujus enixè dùm viveret connubium expetierat. Sic. 4. Æneid. Dido Sichæi mariti memor, dicit. Ille meos primus qui me ſibi junxit, amores abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

Si contrahantur ſecundæ nuptiæ ſpe liberorum: Ridiculum eſt ſperare pro certo, quod multos & non habere videas, & cum habuerint perdidiſſe. Cui dimittes, inquis, tantas divitias? Chriſto qui mori non poteſt: Quem habebis hæredem, ipſum quem & dominum?

Si habes liberos, nuptias quid requiris? ſi non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem, & rem incertam certo præfers pudori? Cogita te quotidie eſſe morituram, & nunquàm de ſecundis nuptijs cogitabis. Sic concludit D. Hieron. ep. ad Fur.

Vidua ſit rursùs virgo per temperantiam. Clem. Alex.

Præerant Dei virginibus viduæ, non modò vniviræ, ſed & quæ ſexageſimum annum attigiſſent, matres & educatrices filiorum, vt experimentis omnium affectuum inſtructæ facilè noſſent cæteras conſilio & ſolatio juvare. Tertul. l. de vel. virgin.

Virginitas gratia conſtat, continentia verò virtute: non concupiſcendi cui concupiſcendo inoleveris grande certamen eſt, cujus autem concupiſcendi ignoraveris fructum, facilè non concupiſces. Ibid.

Sanctitatem prætermiſſis maritis nuptijs anteponunt, malunt enim Deo nubere, Deo ſpecioſæ, Deo puellæ, cum illo vivunt, cum illo ſermocinantur, illum diebus ac noctibus tractant, orationes ſuas velut dotes Domino aſſignant, ab eodem dignationem, velut munera maritalia, quotieſcumque deſiderant, conſequuntur; ſic in terris non nubendo, jam de familiâ angelicâ deputantur; in cœlis enim neque nubent, neque nubentur: quid geſtiamus liberos ſerere, quos & propter imminentes anguſtias, iniquiſſimo ſæculo eripi deſideramus: Sacerdos Africanæ. Cereris vidua permanet, marito ad alias nuptias convolante, adempto omni contactu, vſque ad oſculum filiorum. Ibid.

Vivit in me defunctus ſi ipſum obliviſcendo, alium ſuperducam, pejorem ei cauſabo mortem, vt potè mihi voluntatiam; amando dedi illi meam voluntatem, & cum ipsâ jus alium eligendi; vivens in eo, aufert mihi vitam, qui tentat auferre amorem: cum in meliorem ſortem tranſierit vivo in illo per contemplationem, vt vivitur in cœlis, in me autem vivo, vt vivitur in terris: eſt longa ejus abſentia, propter quam non licet alteri nubere, alioquin qualiter ſervabitur data & jurata fides? Ex quo tibi mors agendi poteſtatem ademit, nihil mihi feciſti, vndè deleta tot olim à te acceptorum beneficiorum memoria, etiam tui ſim immemor. Vnica mihi ſupereſt conſolatio, poſſe tibi offerre cor mundum ab omni alio affectu.

Galla Romana vidua, origine conſulari, adoleſcentula viro adoleſcente orbata, in monaſterium ſeceſſit, ibique mirâ humilitate vixit: de eâ, S. Gregor. 4. dial. 15. refert, quod cùm ei valdè ignea corporis complexio eſſet, & ipſo viduitatis ingreſſu dicerent medici, quod niſi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contrà naturam, barbas eſſet habitura, quod ità quoque poſteà factum eſt: elegit tamen potiùs hanc deformitatem, quàm ſecundas nuptias. Baron. an. 504. Concil. Tolet. XIII. cap. 5. Statuit de vxoribus Regum, nè poſt eorum obitum ad ſecunda vota tranſirent, nè videlicet occaſione nuptiarum Reginæ, darentur alicui animus invadendæ tyrannidis. Idem ſtatutum in Concilio Cæſar. Auguſtano III. cap. 5. & amplùs, vt Relicta Regis Religionem ingreſſa monaſticum ſumeret habitum.

Res minus communis eſt honoratior, *Vide Gloriæ Differentia*. Honorifica diſtinctio.

ABSTINENDVM A ſecundis nuptijs.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Si conjugio junctorum vna eſt caro, vna vita, poſt vnius mortem, qui ſupereſt, non debet ad ſecunda vota tranſire: Non vir, quia cum in tali compoſito ſit vt forma, in alteram tranſiens materiam effectu comprobaret fabuloſam Pythagoreorum tranſmigrationem: Non etiam ſecundò nubet mulier, quia tunc non videretur vivere vitâ rationali, nequidem animali, ſed eſſet quaſi materia prima, plures ſucceſſivè recipiens formas, aut vt pars elementorum, quæ poſtquàm diſſoluta mixti compage in ſua redierit principia, iterùm alias & alias ingreditur compoſitiones.

MAGNITVDO. Primum initum matrimonium conceſſit naturæ, patriæ, cupiditati, quod vt ſuum vindicare poterant, imò totum cenſetur dediſſe, qui conſultò individuam vitæ ſocietatem contraxerat: Hoc in ſolutum habeat natura, per quam ſtetit, quominùs tota ſic vita tranſigeretur, nunc Divinæ providentiæ privilegio, & quaſi nimium læſo conceſſâ in integrum reſtitutione, ſupereſt tibi tempus, quod in bonum animæ tuæ vertas.

DVRATIO. Continentiam vidualem debes primò amori, qui & integer eſſe debet. *Vide Magnit. Voluntat.* & Conſtantiam profitetur. *Vide Durat. Volunt.* ea fuit primò nubentium mens, licet verbis non expreſſa, nec pactis dotalibus appoſita: cui enim placere poteſt animus, ad plures alios thalamos paratus, nulli addictus, nulli fidelis, quadam affectus proſtitutione.

POTESTAS. Id leges non prohibent quaſi fidem mutuam ſatis exigat inſitus amor, vagamque hanc licentiam pudor ſatis contineat. Infames olim habiti ſunt & æterna digni miſeria ſinè ſpe reſtitutionis, qui cùm eſſent liberi ſe venundari patiebantur: pro transfugis habebantur, qui ab hoſtibus capti non effugerent, cum poſſent. *Vide Volunt. Poteſt. Libertatis.* Solvit Deus, quo detinebaris, conjugij vinculum, libertatem conceſſit, quid niſi turpiter velle potes iterùm in vincula conjici? qui ſic agunt, videntur amiſiſſe ſenſum omnem partis rationalis, vt feræ ſicuræ, quæ ſolutis vinculis redeunt in manus dominorum, & vt ſervi pœnæ in triremis, qui expleto damnationis ſuæ tempore, huic adhuc miſeriæ ſe virtò addicunt, extincto penitùs naturalis libertatis affectu.

COGNITIO. Priùs jugum levius effecerat conſuetudo, & æquâ ſolitaque remiſſione ſibi comparientium habitus: at iteratis nuptijs perijt, quod in prioribus ſibi comparaverat experientia: nam nocere poteſt, & affectus avertere, quod priùs conciliabat. Evenit idem quod ſervis plures dominos expertis, quos inde veteratores, & novis longè deteriores, jura reputant.

VOLVNTAS. Sæpiùs tunc indulgetur non neceſſitati, ſed incontinentiæ, cujus hæc publica propalatio ledit pudorem. Primus hic gradus ab amore rationali qui vni adhæret perſonæ, ad amorem brutorum

vagum, & indifferenter ex occurſu quæſiti ſexus æſtuantem. Vix dicas hæc à cœlo pendere matrimonia. quæ non occulta ſympaticæ vis, non innatus ad invicem affectus, ſed quævis alia cauſa à ſenſibus, orta, contraxit. Multis expoſitus & quaſi ſubhaſtatus amor, periclitatur nè etiam citrà conjugij jura reperiat emptorem.

VIRTVS. Qui non eſt conſecutus perpetuam caſtitatem, conſiſtat ſaltem in ſecundo gradu, & imitetur plurium ſanctorum poſt primas nuptias continentiam. Dicat cum Prophetâ, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Fortis eſt non timere viduitatem terrjtantia pericula: Prudentis, ad eoſdem expertos ſcopulos bis non allidi: Temperantis, allectam fræno continere cupiditatem: Iuſti, has tandem animo inducias concedere.

VERITAS. Verum cum vno convertitur. Si verus fuit primi conjugij amor, conſtans erit, nec ſecundum admittet: ſi fucatus, ſi palliatus, quid non timeat ab hoſte domeſtico, artibus inſtructo, vt intima cordis pervadens, malum ſinè remedio, cum voluerit, inferat? Nunquàm redit flos & gratia, vt naſcentis pulchritudinis, ſic amoris: Poteſt fingi, ſed non haberi, nec enim facilè decipiuntur experti, & quales in ſe mentiuntur, eoſdem in alio confictos ſuſpicantur amores.

GLORIA. Quàm rara in ſecundis nuptijs tranquillitas! Emicant ſæpiùs iterum & odij quædam ſcintillæ, ſed pudor intrà continet, nolunt enim videri falſa rerum & perſonarum æſtimatione ſoli ſuæ infelicitatis authores. Citò depoſita, quæ oculis impoſuerat, larva, deluſus exacerbatur affectus, interdumque ſe celebri faſtidio vindicat: Non ambiebat ſecundò nubens perſonam, ſed bonorum poſſeſſionem, quid ergò mirum ſi adepta poſſeſſione perſona contemnitur?

DIFFERENTIA. Semel mota facilè moventur & quæ pendent in aëre gravia pondera, nondùm ſolidis adhæreſcentia, levi funiculo quò volueris inflectes, ità mobilis eſt, ab vnitate ad pluralitem inclinans, & diverſitatem jam experta cupiditas: hujus rei vel veritas vel ſuſpicio torquet conjunctos: Nec vanus terror, cum primi conjugij, & poſt ſe plurium poſſibilium ſaltem affectus, habeat thalami ſui procos, ſocios, & ex amoris intimo ſenſu temeratores.

CONCORDANTIA. Qualis conjunctio, qualis vnio, per quam fit, vt ait Apoſtolus, quod ſis diviſus: vnitati tuæ & Divinæ te reſtituerat viduitas, quid ampliùs, ad miſſo in te externo corpore, pateris continui ſolutionem? Viro ſuperveniens infirmior ſexus, ſocietas oneroſa eſt: Mulieri libertatem omnem præripit vir aliquandò non vt Dominus, ſed vt tyrannus: ſic lugenda fœlicitatis ſuæ jactura compenſatur quod à ſuperducto marito ſperat in conſervandis facultatibus auxilium. Viduæ omnes miſerantur, omnes auxiliantur, in ſecundis autem nuptijs oppreſſæ, nemo. Nam contempta publici hujus affectus tutela, meritas videtur luere incontinentiæ & diffidentiæ ſuæ pœnas.

CONTRARIETAS. Tranſeunt ad ſecunda vota, vt plurimùm inſcijs invitiſque ſuorum familijs, quarum ſpes ſuſpendunt aut fruſtrantur hinc prole naſcitura; Quomodò poſſunt eſſe fœlices, tot imprecationibus, tot in contrarium pugnantibus genijs laceſſitæ nuptiæ? Nec mirum ſi ex hoc ortu tantis odijs infecto, infauſtoque ſemine naſcantur, quæ parentes & liberos exercent, familias & Reſpublicas concutiunt, jurgia.

PRINCIPIVM. Irritatur & cæco carpitur dolore conjugis zelus, cum audit ex parte ſibi conjuncta natam prolem, quæ non ſit ſua, ſed alterius: hinc novercale omnium infenſiſſimum & nocentiſſimum odium: ſi non ſæviat, ſævire tamen putatur, animis tàm opinione, quàm rei veritate exulceratis, & omnia in pejus, flores in venena, vertentibus.

MEDIVM. Viduitas ſtatus eſt medius inter virgines & conjugatos, vtriuſque particeps, continentiam tamen vt meliorem judicio & comparatione facta comprobat. Docet temerè non ineundas, quas prudentes experti averſantur nuptias: nec eſſe ſatis ſecurum iter, tot adverſis infeſtum, vndè tamen non licet gradum revocare.

FINIS. Secundæ nuptiæ in hoc videntur bonis moribus contrariæ, quod inducant ſæpiùs votum captandæ mortis. Si enim fœlices non ſuccedant, mutationi, & ducendis funeribus aſſuetæ jam mentes facilè ſperant ex partis obitu ſolatium.

MAIORITAS. Inter humanos actus, nuptijs ſpeciale eſt, quod in illis honeſtas non lædatur defectu, ſed tantum exceſſu; Nam ex Apoſtolo, bonum eſt homini mulierem non tangere. *Vt in hoc tit. de Virginitate.* Exceſſum autem numerumque nuptiarum licet leges Divinæ & humanæ non prohibeant, tolerantiam tamen hanc temperari & caſtigari volunt aliqua honoris cæteris conceſſi jacturâ, *vt ſuprà diximus in Miſcell.* Non videtur ſatis probata integritas, vbi, ſi fata tulerint, venalis affectus plures ſinè termino in conjugium admittit.

ÆQVALITAS. Si fœlix fuerit matrimonium, eandem ſortem nè ſperes in ſecundo, abeſt enim tunc nunquàm reditura primi naſcentiſque amoris gratia; afferuntur, quæ zelantibus faſtidio ſunt, reliquiq; marceſcit per ætatem pulchritudo, nec æquis tolerat oculis cadentes vultus, quorum non collegit florem. Quod ſi primum matrimonium infœlix fuerit, quid ſperes in ſecundo, in hac communi gratiarum ad affectus conciliandos jacturâ? Præſta defuncto eam quam tibi velles ſervari fidelitatem.

MINORITAS. Iterantur vt plurimùm matrimonia ſub ſpecie ſervandorum in familia bonorum, ſed externa ſunt bona, internis animi bonis poſtponenda. Nullarum certè facultatum pretio amittenda videtur pax, tranquillitas, integritas; nullaque rei domeſticæ amplitudo compenſabit graves cordis ærumnas, quibus ſecundæ vt plurimùm tentantur nuptiæ: Cæterùm qualiter poteſt promoveri domeſtica fortuna, averſis & in contrarium pertinaciter ſe torquentibus, tùm parentum, tùm vtriuſque prolis affectibus.

COELIBATVS ET Virginitas.

MISCELLANEA.

SI ſinè adulterio diù peregrinantem maritum ſuſtinent nuptæ, cur non continentia facilior erit innuptis: ſi repreſſa eſt cupiditas, cum ferveret dilata, cur non opprimitur, cum friguerit amputata, plùs enim ardenter ferunt libidinem, quæ non deſperant ejus voluntatem: quæ autem innuptæ caſtitatem Deo vovent, ipſam ſpem ſubtrahunt, quæ fomes amoris eſt, vndè facilius concupiſcentia refrænatur, quæ nulla expectatione ſuccinditur: Contrà quam tamen niſi oretur vt ſuperetur, ipſa illicita exoptatur ardentiùs. D. Auguſt. lib. de bono viduit. c. 22.

De Virginibus præceptum Domini non habeo:

Digitized by Google

consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus a domino vt sim fidelis, &c. volo vos sine sollicitudine esse, qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, &c. 1. Corinth. 7. Itaque mentem avertunt nuptiæ, & divisus est, inquit Apostolus.

Fertur Aureolus Theophrasti liber, in quò asserit sapienti vxorem non ducendam; primùm enim impediuntur studia Philosophiæ, nec potest quisquam libris & vxori pariter inservire, &c. D. Hieron. l. 1. cont. Iovin. c. 18.

Romani non nubebant mense Majo, qui Mercurio scientiarum Deo dicatus est, Plut. in problem. Rom. probl. 86. Saturnus contemplator, est inimicus Veneris. Ptolomæus.

Cœlibes vivebant sapientes Ægyptij & Indi Brachmanæ, de quibus Philostratus in vitâ Appollonij. Sic Essej de quibus Phil. lib. 1. de vitâ contemp. B

Electi Manichæorum non nubebant, nec filios gignebant, eo quod per matrimonium dicerent animas ligari in carne, quas tamen cœlo illabi credebant. Auditoribus autem suis id permittebant, prolis habendæ gratiâ. D. August. lib. de morib. Manichæor. cap. 18.

Contemplationi accommoda castitas, quia liberat ab oneribus matrimonij. *Vide Gloria Concord. Rep. Onera matrimonij*: Et quia assimilat Angelis, vndè sacerdotes debent esse cœlibes. *Vide infrà hoc tit. Ibid.* Divinatio fuit præmium virginitatis. Ibid. *Vide Minor. Concord.*

Cœlibes majora præstiterunt, & dum generationem animantibus communem neglexerunt, imaginem suam mentalem expressérunt in rectè factis. C

Non ignoramus honorabiles nuptias, & cubile immaculatum: legimus primam Dei sententiam, Crescite & multiplicamini, & replete terram: sed ità nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs nascitur, præferamus, aurum Virginitas, argentum matrimonium. D. Hieron. in Apolog. ad Pammach.

Quandiù lex illa permansit, crescite & multiplicamini, maledicta sterilis quæ non parit semen in Israël, nubebant omnes & nubebantur, & derelictis parentibus fiebat vna caro; quandò verò lex illa pertonuit. Tempus breve est, reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint: adhærentes Domino vnus cum eo efficiuntur spiritus. &c. Id. ad Helvidium. D

Vbi bonum & melius est, ibi boni & melioris non vnum præmium, ibi vtique dona diversa: tantùm igitur interest inter nuptias & virginitatem, quantùm inter non peccare & benefacere; imò vt leviùs dicam, quantùm inter bonum & meliùs. Id in Apol. ad Pammach.

Quod scriptum est, Melius est nubere quàm vrj: quale hoc bonum est, quod mali comparatio commendat? vt ideò melius sit nubere, quia deterius est vrj; at enim quantò melius est neque nubere, neque vrj; possum dicere, quod permittitur non est bonum, quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ causam: quod autem melius est nemo permisit, & indubitatum & sinceritate suâ manifestum. Non ideò appetenda sunt quædam, quia non vtantur, cum alia alijs præferuntur: prælatio enim superior, dissuasio est inferiorum, &c. Tertul. lib. 1. ad vxor. cap. 3. E

Non peccat si duxit vxorem, non tamen benè facit si duxit, quia non quod debet facit, sed quod vult, aliud autem est non peccare, aliud benefacere. D. Hier. l. 1. adv. Iovin.

Matrimonium facilè, difficilis est castitas; Deus facilè parari voluit quæ sunt necessaria, non autem quæ non sunt necessaria. Clem. Alex. l. 4. Strom. cap. 7. A

Sicut jejunijs sacrilegiorum meliora sunt prandia justorum, ità nuptiæ fidelium Virginitati anteponuntur impiorum; verumtamen neque ibi prandium jejunio, sed justitia sacrilegio; nec hîc nuptiæ Virginitati, sed fides impietati præfertur: Bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus, sed tamen ej bonum viduæ Annæ & multò magis Mariæ Virginis anteponimus. D. Aug. de bono conjug. c. 18. Ibidem dicit, quædam esse bona, quæ propter se appetuntur, vt sapiétia; alia quæ propter aliud necessaria sunt, vt cibus, matrimonium; qui illis vt decet benè vtitur, benè facit, cui autem non sunt necessaria, si non eis vtitur; melius facit, cum non deficiant incontientes, qui prolem suscipiant. D. Aug. ibid.

Gaudete Virgines sanctæ, virgo apperit Christum non vos contristet sterilitas, quarum fides magna est fœcunditas, nec doleatis non vos esse matres, quę spiritaliter generatis; virgines permanetis, filios suscipitis, integritatem non amittitis. Imitamini matrem capitis vestri, sponsi vestri, & vobis non denegabit pignora, & ipse quod matri contulit, in carne sua servavit, quę ab omni contagione integra permanens, fœcunda tamen perdicationes extitit, &c. D. Aug. l. 4. de symb. ad Cath. c. 3.

Licitum sit matrimonium: Major amor imposuit majus onus virginibus, quod licebat, noluerunt, vt plùs placerent illi, cui se devoverunt: ambierunt illam majorem pulchritudinem cordis sui, quasi dicerent, jubes ne adulteræ simus, amando te plùs facimus quàm jubes. De virginibus, inquit Apostolus, præceptum non habeo, consilium autem do. Hoc sequuntur, vt plùs placerent plùs se ornaverunt; exteriores enim hominis ornamenta, quantò minus appetuntur, tantò interior homo ditatur & adornatur. Id. serm. 18. de Verb. Apost. c. 10.

Exultate virgines Christi, consors vestra est mater Christi: qui non ex vobis natus est, vobis natus est, estis etiam matres ejus, quia facitis voluntatem Patris ejus. Quicumque, inquit Matth. 12. facit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, soror & mater est. Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia: nam ipsa quoque & mater & virgo est; Mater visceribus charitatis virgo integritate fidei. Idem serm. 14. de tempore.

Per tricameratam Arcam Noë intelligi possunt tres illæ vbertates Euangelicæ, tricenea, sexagena, centena, vt in infimo habitet pudicitia conjugalis, suprà vidualis, atque his superior virginalis. Id. lib. 15. de civ. cap. 26.

D. Bernard. homil. 3. super missus est, loquens de Virgine Mariâ, ait. Quæ lex veteris testamenti tibi præcepit in carne extrà carnem vivere? Vbi legisti sapientia carnis mors est, & cætera quæ habentur de consilio Virginitatis Roman. 8. & 15. Apocal. 14. Matth. 19. 1. Cor. 7. 2. Corinth. 10. &c. de Virginibus, inquit Paulus, præceptum non habeo, consilium autem do; Tu verò non dicam præceptum: sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei, vivus & efficax, antè tibi factus est magister quàm filius, prius instruxerat mentem, quam indueret carnem.

Qui dixerit crescite & multiplicamini, virginitatem postea suadet; modùm fingit, qui modum aliquandò diffuderat: is colligit, qui sparsit; is cædit sylvam qui plantavit is metit segetem, qui seminavit: nec vt damnanda cæditur seges, sed vt tempori suo parens. Tertul. lib. 1. adv mar. in fi.

D. August. Epist. 143. Matri loquens de filiâ virgi-

ne: A Deo inquit, ſancta virginitas, quà te filia volentem gaudentemque vicit, natu poſterior, actu prior, genere ex te, honore antè te, ætate ſubſequens, ſanctitate præcedens, in quâ etiam tuum eſſe cœpit, quod in ſe eſſe non potuit: illa quippè carnaliter non nupſit, vt non tantùm ſibi, ſed etiam tibi vltrà te ſpiritaliter augeretur, quoniam & tu eà compenſatione minor illa es, quod ità nupſiſti vt naſceretur.

Homines tranſgrediendo præceptum; motum legis illius, quæ repugnat legi mentis, in membris habere meruerunt, quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet & refrænat, vt quemadmodum de peccato factum eſt ſupplicium, ſic de ſupplicio fiat meritum. D. Aug. l. 9. de gen. ad lit. c. 10.

Chriſtus Virginis Filius, Virginum ſponſus, Virginali vtero corporaliter natus, Virginali connubio ſpiritaliter conjugatus: cùm ipſa igitur vniverſa Eccleſia Virgo ſit deſponſata vni viro Chriſto, ſicut dicit Apoſtolus, 1. Cor. 11. Quantò digna ſunt honore membra ejus, quæ hoc cuſtodiunt etiam in ipſâ carne, quod tota cuſtodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini ſui. Nam Eccleſia quoque & Virgo & mater eſt; cujus enim integritati conſulimus, ſi Virgo non eſt, aut cujus prolem alloquimur, ſi mater non eſt: Maria corporaliter caput hujus corporis peperit; Eccleſia ſpiritaliter membra illius capitis parit, in vtraque Virginitas fœcunditatem non impedit, in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit: proindè cum Eccleſia vniverſa ſit ſancta & corpore & ſpiritu, nec tamen vniverſa ſit corpore Virgo, ſed ſpiritu; quantò ſanctior eſt in his membris, vbi Virgo eſt & corpore & ſpiritu? D. Aug. l. de S. virg. c. 2.

Virginum Mater Eccleſia eſt, non parit Virgines ſacras, niſi Virgo ſacra, quæ deſponſata eſt vni viro Chriſto: Virginalis integritas Angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio: cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis; illa non eſt in poteſtate, illa non eſt in æternitate, fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum: profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros, in illa communi immortalitate, qui habent jam aliquid non carnis in carne. Ibid. cap. 12.

Virgines ſeqquntur agnum quocumque ierit. Apocal. 14. Quo ire putamus hunc agnum, quo nemo eum ſequi, vel audeat, vel valeat niſi vos? qua putamus eum ire? in quos ſaltus & prata, vbi credo ſunt grandia gaudia, non qualia ſunt ſæculi hujus, aut in cœlo non Virginum, ſed à cæterarum omnium gaudio diſtincta: gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti non ſunt eadem non Virginũ, quamvis Chriſti nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia: Ite in hæc, ſequimini agnum, quia & agni caro, vtique viro, hoc enim in ſe retinuit auctus, quod matri non abſtulit conceptus & natus: merito ſequimini Virginitate cordis & carnis quocumque ierit, quid eſt enim ſequi, niſi imitari? Imitentur alij in paupertate & alijs virtutibus, ſed non in amiſsâ Virginitate, quæ recuperari non poteſt: videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ ad hoc agnum ſequi non poteſt; videbit, nec invidebit, & collætando vobis, quod in ſe non habet habebit in vobis. Id. cap. 28.

Si magnum amorem conjugibus deberetis, cum propter quem conjuges habere noluiſtis quantùm amare debetis; toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce, totum teneat in animo veſtro, quidquid noluiſtis occupare connubio: parum vobis amare non licet, propter quem non amaſtis, & quod liceret. Ibid. in fine libri.

Apud Ieremiam Dominus dicit, nonnè tanquàm Dominum me nominaſti, & Patrem, & virum virginitatis tuæ. Deus enim homini contrarius eſt, cum ex mulieribus Virgines efficiat: dicit autem Virginitatis, non Virginis, quia Virgo poteſt affectibus corrumpi: Idæa autem ſemper ſimilis ſibi eſt. Phil.

Virginitatis bonum divina magnitudo poſſidet, amplectenda res homini quæ Deo digna eſt: Angeli, Archangeli, &c. caſti ſunt, decet enim vt caſtitati caſtitas miniſtret. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, tunc cum videbimus Deum ſicuti eſt. Igitur Virgo Deo & Angelis ſimilis eſt, & normam jam futuri temporis poſſidet, Deique ſimilitudinem aliquam etiam in corpore ſervat. Qui primus ad imaginem Dei factus eſt, incorruptus eſt creatus, neque enim aliud prima debuit natura poſſidere, quàm quod eſt primum: primus enim Virginitatis ſtatus in ipſo humani generis principe dedicatus eſt, in quo jam figuraliter oſtenſum eſt majorem de Virginitate, quàm de matrimonio curam eſſe, illam propria formavit manu, hoc hominis arbitrio reliquit. Indè quia caſtitas quodammodò naturalis, faciliùs ſervatur, quàm libido exercetur, quæ morbis & alijs de cauſis impeditur, ætatibus & brevi temporum ſpatio finitur.

Exiſtimo, inquit Paulus, hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem: ſcilicet propter adimpletionem legis Evangelicæ, quis enim conjugatus poteſt conſilia Evangelica ſervare, ſuum non repetere, injurias non vlciſci, tribunalia non adire, percutienti alteram maxillam præbere? Nonnè præſtat in tam brevi vitæ ſpatio momentaneam hanc ſpernere voluptatem, vt æternam poſſimus adipiſci? Diſtingue tria tempora legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis gratiæ, in quâ ſumus. Abraham quidem vxoratus Deo placuit, ſed non per vxorem, quam habuit antequàm juſtificaretur, ſed per obedientiam: Nos ſumus nunc obedientes Deo caſtitatem ſuadenti: vide ne dum quæris humanam progeniem, cœleſti priveris.

Non ideò laudabilis Virginitas, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres facit. Sermone non poſſumus complecti, quod legem & vſum naturæ excedit; cœleſtis vita eſt, quæ & ſponſum invenit in cœlo: vnguentum effuſum nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te: Angelis compantur, qui Angelorum domino copulantur. Hæc vita fluxit è cœlo, quæ priùs in terris inventa non eſt, quàm verbum caro factum eſt, & virgo concepit. Cœlum etiam vndè oritur petit, ideò Elias nullo corporeo cœtu coinquinatus curru raptus in cœlum, ideò cum Domino apparet in gloriâ, ideò Dominici venturus eſt præcurſor adventus, &c. D. Amb. l. 1. de virgin.

Angeli ſunt virgines cœli, vt virgines ſunt Angeli terræ.

In primitiva Eccleſia duæ erant virginum ſpecies: aliquæ in clauſtris, aliæ in domo paterna, qualis Euſtochium, Demetrias, &c. Ejuſmodi ſacris virginibus ad Eccleſiam venientibus locus ab alijs tabulati interſtitio ſeparatus dabatur, & quidem ornatus diverſis appoſitis ex divinis ſcripturis virginitati congruis monumentis. D. Amb. ad virgin. lapſam cap. 6. vide Baron. an. 377.

Act. 2. Paulus ingreſſus Cæſaream invenit in domo Philippi quatuor virgines. In his virginitatis primitias conſecratas eſſe, dicit D. Hieronym. adverſ. Iovinian.

Quatuor Arcadij Imperatoris filiæ virginitatem

Deo dicant, palatio tanquam monaſterio vtentes. Baron. an. 416.

Idem an. 103. refert de Elxai Pſeudoprophetâ, qui ex Iudæis prodiens cogebat ad nuptias, adverſans virginati. Iovinianus, Vigilantius, Vuiclef, & cæteri poſtmodùm hæretici Nuptias Virginitati prætulerunt, ideò ab Eccleſiâ damnati. V. quæ ſcripſi. l. 1. de vit. Relig. p. 2. c. 9. & 10.

Contrà tales hæreticos ſcripſere Patres, Tertullianus, Origenes, Ambroſius, Hieronimus, Auguſtinus: & ſic contrà illos differit D. Thom. lib. 3. contrà gentiles. c. 136. Generatio non eſt de neceſſitate individui, ſed de neceſſitate totius ſpeciei, ideò non eſt neceſſarium quod omnes actibus generationis vacent, ſed poſſunt aliqui ab eâ abſtinere, vt meliori bono ſtudeant, ſcilicet contemplationi: ſicut homo quilibet non cogitur ad omnem induſtriam & virtutem, vt ad ædificandum & pugnandum, ità nec omnes ad generationem. Non valet conſequentia, quod ſi bonum eſt abſtinere; optimum erit omnes abſtinere: vt licet ſubſtantia ſpiritualis ſit perfectior corporali, non tamen vniverſum eſſet perfectum ſi in eo eſſet tantùm ſubſtantia ſpiritualis: corpus non debet eſſe totus oculus, ſed in eo debet eſſe pes, &c. Non eſt hîc medium ſervandum, quia extrema illa abſtinentia eligitur non per inſenſibilitatem, ſed per rationem, vt ſcilicet homo ſit Deo ſimilior, ſollicitudo nuptiarum eſt continua, inquietatio abſtinentium eſt ad horam, & debilitatur concupiſcentia per abſtinentiam? Patriarchæ non abſtinuerunt, quia tunc neceſſaria erat generatio, & perfectam habentes mentem optimè vti ſunt minori bono.

Reddità Eccleſiæ pace ſic auctus eſt numerus caſtitatem, & vitam Monaſticam profitentium, vt penè deſertis vrbibus, omnibuſque in deſerta confugientibus, timeretur nè ſpreto conjugio homines deficerent. His Reſpondet D. Chryſ. l. de virg. c. 15. & D. Aug. l. de bon. conjug. c. 10. Vtinam, inquiunt, periret mundus hoc Divinæ charitatis incendio; vtinam fieret voluntas Dei ſicut in cœlo, ſic in terra; & vacuæ ſedes Angelorum citò replerentur, & Deus eſſet omnia in omnibus: ſed quis hæc timeat, cum arcta ſit via quæ ducit ad vitam? pauci ſunt cæterorum comparatione qui illam ingrediuntur.

Tale bonum eſt virginitas vt pro ejus conſervatione multi non ſolùm ſenſus omnes delicias contempſerint, ſed ſanguinem & vitam ipſam vltrò profuderint. Sic Nicomediæ Euphraſia virgo juſſu Iudicis in lupanar ducta, timens vim ſibi inferri ab adoleſcente introducto, finxit ſi pateretur illi ſe daturam vnguentum quo fieret invulnerabilis, periculum in ſe factura obſtulit collum perunctum enſi, ſic ab ignaro & decepto adoleſcente caput amputatum. Baron. an. 309. Sic Vrſula cum ſociabus mavult mori quàm fœdari. Id. an. 383. Coſroës Rex Perſarum obſeſſa & capta Anthiochia, duæ mulieres clariſſimæ, nè quid ab hoſtibus indignè paterentur, ſe in Orontem fluvium præcipites dederunt. Id anno 580. Romildæ filiæ ſumptis inter mammas putridis carnibus eo fœtore hoſtium concupiſcentiam effugerunt. id. an. 600. Aliæ truncatis naribus, fœdo & miſero ſui ſpectaculo, laſciviam hoſtium ſuo ſanguine extinxerunt.

D. Ambr. l. 3. de virg. ſcribit Pelagiam, cum matre & ſororibus, præcipites ſe dediſſe in flumen, nè à perſequentibus militibus violarentur. Sophronia ſe occidit nè vim à Maxentio Cæſare pateretur, has excuſat, dicitque ſpeciali inſtinctu Dei id feciſſe. D. Aug. l. 1. de civ. c. 26.

Tom. I.

Tanta res eſt virginitas, tantoque labore indiget, vt Chriſtus cum è cœlo deſcendiſſet vt homines Angelos efficeret, ac cœleſtem vitæ rationem ſereret, hanc nec lege latâ imperare aut præſcribere auſus ſit, ſed emori, perpetua cruce affigi, hoſtes beneficijs proſequi, virginitatem autem edicto minimè ſanxerit, verùm in audientium arbitrio reliquerit, his verbis, Qui poteſt capere capiat: Nam magna hujus rei moles eſt, magna certaminum horum difficultas, & virtutis locus admodùm præceps: vndè Moyſes Pharaone & vndis maris ſuperior: Abraham fortiter filium Deo offerens & cæteri Patriarchæ virtutis inſignes, in hoc caſtitatis certamen non auſi ſunt deſcendere, &c. D. Ambr. epiſt. 2. Olympiad.

Olim viri & mulieres cœlibes non poterant quidquam capere ex teſtamento, aut mortis cauſa donatione; quod fuit correctum à Iuſtiniano, qui cœlibes in omnibus æquiparat maritatis. l. 1. Cod. de infirmandis pœnis cœlibatus. Cod. 8. tit. 58.

Si quæ pro virgine vendita eſt, mulier eſt, agitur de empto, vt prætio reſtituto mulier reddatur. l. 11. ff. de actio. empt. Vndè mulier cenſetur eſſe deterioris conditionis quàm virgo; at ſpado non cenſetur eſſe deterioris conditionis quàm vir. Vndè ſpado ſervus venditus, non habebitur pro morboſo, nec vitioſo, & ob in non eſt redhibitio. l. 1. ff. de ædil. edict.

LAVS VIRGINITATIS.

DEMONSTRATIO.

Bonitas. Homo ſe ad Dei imaginem factum intelligens miratur & dolet animam ſuam ſic infirmo corpori annexam, vt cum illo vnum quid efficiat; ſic enim Divina providentia ſimul videtur donare & retinere, concedens illuſtrem hanc prærogativam cum ingenita, quæ illi adverſetur, inclinatione: hinc alæ quæ ſublevent, hinc pondus quod retinet, & ad inferiora dejicit.

Magnitvdo. Si ſic animo proprium corpus eſt oneri, certè per conjugium non adjunget ſibi aliud, quo vires ſuæ opprimantur, quo rebus inferioribus, vnde tentat emergere, magis hæreat; quo jam in ſe nimis valido hoſti duplicatas copias adijciat, quo ſic magis pareat ictibus fortunæ: quo ſocio contumaci ad duriorem in ſe conjurationem ſocium ad leget. Non eſt alleganda propagationis neceſſitas, nam vt ait Chriſtus: non omnes capiunt verbum iſtud; multi proritante naturâ ad conjugium, pauci vocante gratiâ ad caſtitatem feruntur, cum tamen plures eſſe deberent, animo, & principali parti, quàm corpori ſervientes.

Dvratio. Matrimonium non eſt vnius diei negotium, ſed perpetua & indeficiens ſollicitudo, quæ animum mittit in omne tempus, & futuræ proli nunquam ſatiata cupiditate facultates congerit: vult tamen Chriſtus ſuos eſſe ſinè ſollicitudine; vult ergò profeſſos virginitatem, cujus maximè beneficio his rebus anxijs & turbidis ſunt expediti. Vnuſquiſque brevitatis vitæ ſuæ conſcius, innato appetitu cupit illam extendi, imò & propagari per prolem, ſic naturæ ſingularis defectum, plurium ſubſtiturorum multiplicatione compenſans. *Vide Volum. Durat. De propagationis deſiderio*; cenſentur enim parentes vivere in filijs, ſanguinis, nominis, titulorum, bonorum, profeſſionis etiam vt plurimum identitate; huic ſpei la-

horabant omnia vitæ civilis negotia. Cato vitam, violentis sibi manibus propulit. tamen sollicitus de filij quem relinquebat salute & fortuna. Igitur innumeras ex se nasci possibilium vitas, vel vnam vitam, suorum successione sinè termino in futura sæcula duraturam, offert Regi sæculorum, qui vovet castitatem: Imitator ingens illud Abrahæ sacrificium, quo tot suas in prole repromissa vitas, quot sunt arenæ maris & stellæ cœli, obtulit in vnigenito. Virginitatem professus, tempus omne, humanas omnes spes litat æternitati: pro Deo moritur illi, quæ sic ardenter appetitur, vitæ per prolem multiplicandæ, & ex hoc immenso martyrio sibi superstes, ex suorum anticipatis funeribus resurgens, vitam cœlitum auspicatur; In hoc verè resurrectionis filius.

POTESTAS. Extremas ætatis oras, pueritiam scilicet & senectutem, providentia sterilitatem damnavit, vt hinc saltem discas hominem esse posse sinè prolis comparandæ studio: viam aperuit ad castitatem, quam electione perficeres: quod si aberras, optima Magistra delet, quod non satis docta discipuli manus delineavit, & iteratâ disciplinâ vitæ exitum ad initij continentiam revocat. Homini turpe est, si præstantiorem vitæ statum cœlicolis similem non obtinet, nisi impotentiâ, quæ meritum omne præripit. Naturali pondere possum ad ima dejici, & tamen sapientis est id nunquam tentare: Insita vis trahit ad generationem, hanc tamen continet, etiam toto vitæ tempore prudens pietas, vilia dans pro pretiosis, peritura pro sempiternis. Mirum non videatur facultatem à naturâ datam perpetuis hisce vinculis contineri, sic enim bonum omne præcipuum alterius minoris jactura, quasi numerato præmio, consequimur: Abstinent ab omnibus athletæ, inquit Apostolus, vt corruptibilem coronam accipiant; amor cætera despicit, vt vni adhæreat; Sacra Philosophia divitias, honores humanos, concursus & applausus sollicitè fugit, vt liberius divina contempletur: cur non etiam hujus infirmæ facultatis vinculis soluta mens faciliùs surgit in divina; tollitur libertas corpori, vt detur animo; quid æquius, quàm aliquibus incommodis vexari servum, vt domino & Regi melius sit? si durum videtur vim insitam perpetuo vacantem & invtilem fieri, cogita eadem lege virtutes omnes continere defectus & excessus sibi cõtrarios, etiam invitâ & renitente natura.

COGNITIO. Antiqua Theologia habebat in mysterijs Musas Virgines, & Palladem Iovis cerebro natam, quia veritatis contemplatio aversatur sexus contubernium; ob id amor pingitur cæcus, quia mentem excæcat. *Vide Contrar. Cognit.* Christianos igitur lucis filios maximè decet virginitas; Vndè Deo dicatis Sacerdotibus est præcepta. *Vide infrà hoc tit. Cœlibatus Sacerdotum.* Nam vt speculatio in rerum formis concipiendis, sic pietas in componendis ad idæam recti moribus, abstrahit à corporeis.

VOLVNTAS. Si in conjugio non sit amor, grande supplicium; Si sit amor, ingens à spiritualibus distractio. Nam regnat Monarchicè, & cæteros animi motus aut deportat, aut sibi subjicit. Totum hominem quærit amor Divinus, Diliges dominum ex toto corde tuo; totum è contrario sibi vindicat amor terrenus, conjuratis pro se naturæ viribus, & hunc mittis in possessionem. Quæ spes restitutionis? quales expectandæ pacis conditiones, ab hoste infensissimo tyrannide occupata, præscriptæ? Indulgentiorem ergò, & libertatis nostræ minùs quàm verè sit oppressorem describit Apostolus, vt infirmitati nostræ compatiatur, cum dicit per nuptias hominem esse divisum. Licitæ sunt, fed hebẽ quantùm detrahunt Christianæ perfectioni & Divinæ charitati, quæ totum hominem Deo sacrum esse volunt, hoc ambit virginitas, quod Christus suo, & suorum exemplo, melius esse comprobavit.

VIRTVS. Meritò recenserur inter Christianas virtutes, quæ charitatis primogenita cæteris titulorum splendore videtur præferri. Castitas virtutum compendium est, celebri vnius hostis victoriâ de cæteris metu consternatis incruento marte triumphum agit, Non enim laborat in tolerandis ex conjugio nascentibus adversis, Fortitudo; vacat secura, à tot rerum terrenarum disquisitione Prudentia; sibi plaudit publicâ rerum cupiditates irritantium abdicatione Temperantia, gaudet Deo & animæ ius suum reddidisse Iustitia, jurato semel cum carne divortio, & corpore in templum Dei consecrato. Denique contingit virgini in potentias suas idem jus, quod competebat Adæ tunc cum virgo fœliciter cæteris dominabatur creaturis.

VERITAS. Sufficit in virginitatis patrocinium habere idæam & exemplar omnis perfectionis Christum, virginem ex virgine, ad virginitatem tot propositis fulgentibus coronis nos provocantem. Non omnes, inquit, capiunt verbum istud, dicit hoc sub mysterio, quasi doctrinæ suæ caput, & perfectionis, in sortem beatorum jam assurgentis, quædam consummatio.

GLORIA. Suspectas faciunt nuptias tot in illis contrahendis affectatæ deliciæ; Videntur in proximam tempestatem, aut in hostiles insultus excipiendos paratæ munitiones: ad metus propellendos & naturæ multa passuræ solatium composita festivitas: Malum futurum ex prævementibus remedijs conjicio: Verosque in posterùm dolores ex tot artibus conquisita lætitia: At videns deposito ornatu, abscissis crinibus, velo, humilique veste tectas virgines, intelligo mundo mortuas, Deo viventes, nihil sperantes à fortuna, nec ab humanis affectibus, conscriptas in sortem cœlestium, quibus terrenæ delitiæ fastidio sunt, denique securas de Divini sui Sponsi amore, & captum omnem excedentibus consolationem thesauris.

DIFFERENTIA. Quis dicat certum vitæ suæ ordinem, dùm aut vir compati debet infirmioris sexus arburio; aut cum vxor pendet a marito potentiori, nec semper justiore, vt dùm orandum, jejunandum, operibus misericordiæ vacandum ad alia miseram evocet pugnante cum Dominicis consilijs imperio. Si quæ sit humanis constantia, competit virginitati, liberæ ab humanis legibus solutæ, & quæ tantò liberior, quò plus ad perfectionis consecutionem se Divinæ voluntati subjecerit.

CONCORDANTIA. Vt gregalia animalia tempore partus solvunt cùm similibus societatem, masculusque & fœmina separata & latitantia sibi quærunt domicilia; sic conjugati distinctas sibi constituunt familias, zelo consortem non patiente, & ad suspiciones omnes armato: solis conceditur virginibus societates inire angelicis pares, & vniente charitate in terris condere cœlestem quandam Ierusalem, vbi lucerna est agnus, quem purgatione, illustratione, virtutum quotidianis profectibus sequuntur. *Vide Concord. Virtut. societas bonorum.*

CONTRARIETAS. Sed candor hic etiam agni sanguine tingitur; habet enim virginitas, internos & externos hostes, ex occasione assilientes, quorum prælijs exercetur, ne diuturnâ quiete repescat, aut nimiâ insolescat securitate. Summa tamen est Christi sponsi, divinis nunquàm deficientibus auxilijs, spes: Sic virginitas internum est pro Deo martyrium, externi, à tyrannis inferendi, præludium; Nam contemptâ carnis voluptate, quæ omnium potentissima est, & ab

illâ liber animus facilè cætera, vitamque ipſam contemnens, ſurſùm evolat ad ſibi repoſitas coronas.

PRINCIPIVM. Virginitas ſterilis carne, fœcunda eſt ſpiritu, eâ fidei fœcunditate, quâ Virgo Maria Chriſtum priùs mente concepit quam carne; quâ ipſe adhærentes ſibi matres nuncupat; quâ illi Eccleſia novos quotidie producit fœtus ſanctitatis; quâ vigratiarum quotidie naſci ſibi viſa anima per novos virtutum profectus, continuas ſui oblationes nuncupare poteſt primitias.

MEDIVM. Quid convenientius, quàm nos Deo reſtitui, motu contrario illi quod ab ipſo primi receſſerunt parentes gravis hîc toti humano generi, reatus ortus eſt ex vtriuſque ſexus complacentia, & hinc fortè comes pudor, intimo hujus infœlicis originis ſenſu: at novæ vita ſanctitatis, nos à corporeo ſexus commercio ſegregans, novum facit hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & veritate.

FINIS. Intendit virginitas quæ ſit Dei voluntas, recta, & bene placens; Intendit cor, ab omni carnis concupiſcentia purum, totum illi tradere intendit, vt ſic ſe ſibi animus vindicans, ſuæque reſtituens vnitati, faciliùs divinæ conjungatur: Intendit Angelorum, Sanctorum, Chriſti ipſius imitationem; illi totum hominem dedere, vt charitate, ſic integritate, quæ nunquàm in cœlo deſinet.

MAIORITAS. Communi quodam naturæ ſenſu populi omnes excellentiam, & vim ſuprà naturæ vires venerati ſunt in caſtitate, quam perſonis etiam divinitati ſacris, vt ipſi Divinitati ſimiliorem tribuerunt. Superam incitat naturæ vim, quę rapit heroïcas etiam animas, non expectato rationis conſilio, & cui vt dominanti paſſioni cæteræ militant: ſiſtit itaque caſtitas motum quemdam vniverſi pro ſpeciei conſervatione ſingulos agentem, illique limites ponit, non minori miraculo, quàm ſi mari diceret, vt Iob. 38. huc vſque venies, & non procedes ampliùs & hic confringes tumentes fluctus tuos.

ÆQVALITAS. Augetur talis virtutis meritum ſecundùm gradus ætatis, pro illâ laboriosè magis decertantis. Concutitur, & ſi non pereat navis ortâ tempeſtate, & tunc maximè ſe prodit regentis ars; ſed qualeſcumque ſint in hac plaga procellæ, placidum videtur æquor, ſi quis eas comparaverit horrendis quibus nupti concutiuntur, ſorbentur, & emittuntur vorticibus. Virginitas vnitas eſt, cujus eſſentialem indiviſionem nunquam æquabit quælibet vnio, habens in ſe differentiam, compoſitionem, & principia alterationis, partes tandem in ſua principia reſolventis.

MINORITAS. Quamvis contempta jaceat caſtitas, & humanos affectus reſpuens non conſequatur; ſcit tamen in ſinu gaudere, ſibique plaudit, quod vt res ſacra extrà civile commercium poſita ſit. Videt quaſi ex portu conjugatos varijs jactatos tempeſtatibus: ſequitur conditionem Sponſi ſui, Divini Verbi, ſub humili carne latentis, licet internis ejus radiis, ſolâ teſte conſcientia, mitè reſplendeat, &c.

COELIBATVS SACERdotum & Perſonarum Deo dicatarum.

MISCELLANEA.

DIanæ & Palladis Sacerdotes à Venere perpetuò abſtinebant, quia & illæ divinitates caſtæ habebantur. V. ſup. paſſim hoc tit. de virginitate.

In Achaia Telluris Sacerdotium mulieri deceminitur, quo ſtatim ſuſcepto vitam agit cœlibem; & ſi oportuerit eam ſemel viro nupſiſſe, probatur ipſorum integritas taurini ſanguinis hauſtu, ſi legi fraudem fecerint ſtatim intereunt. Pauſanias in Achaicis.

Lex erat apud Romanos, Sacerdos caſta è caſtis, pura è puris. Vndè Sacerdos à piratis capta, lenoni vendita, militem vim ſibi inferre volentem occidit, abſoluta eſt, Sacerdotium petit, repellitur propter ſuſpicionem. V. Senec. con. l. 1. cont. 2.

Virgo veſtalis ſcripſit hunc verſum, fælices nuptæ, moriar niſi nubere dulce eſt. Rea eſt incæſti. Contrà illam dicitur. Aut experta juras, aut inexperta pejeras, neutrum Sacerdotis eſt. O te ſupplicio omni dignam, cui quidquam Sacerdotio fælicius eſt! Incæſta eſt etiam ſinè ſtupro, quæ cupit ſtuprum. Id. in exercept. controv. l. 6. contr. 8.

Ipſi antiqui Romani in ſtupro deprehenſas Veſtales ſacerdotes vivas defodiebant. D. Auguſt. de civit. l. 3. c. 5.

Rea efferebatur tanquàm mortua, cum luctu propinquorum & neceſſariorum ſequentibus Pontificibus, alijſque ſacerdotibus in mœſto ſilentio: juxta portam Collatinam locus eſt ſubterraneus, ad quem ſcala deſcenditur, in eum virgo demittebatur ſola tollebaturque ſcala & excludebatur locus vndique, vbi ne fame videretur enecta, panis, lactis, & olei aliquantulùm ponebatur, ſimul & ardens lucerna, quibus perfectis diſcedebant ſacerdotes, atque eo die pavor, mœrorque in vrbe non exiguus. Aul. Gell. l. 1; Idem refert Plut. in Numa.

Idcircò virginem putant Veſtam, quia ignis inviolabile ſit elementum, nihilque naſci poſſet ex eo, quippè qui omnia quæ arripuerit, abſumat. Lactantius de falſa religione. l. 1. c. 12.

Ariſtomenes Caryatides virgines choros Dianæ agitantes ex occulto aggreſſus, ad Meſſenia abduxit, illibatas ſervans, & poſtea convento pretio parentibus reſtituens. Pauſanias in Meſſenicis.

Magi Perſarum, Ægyptij Sacerdotes, Pythagorici Philoſophi, vt venerem enervarent, mero & carnibus abſtinebant; ſic priſci Sacerdotes magnæ Matri conſecrati, aut Saturno, illi ſe caſtrabant. Marſ. Ficin.

Erythreæ atque Cumanæ Sybillæ, & octo reliquis inſigne virginitas eſt, & præmium virginitatis divinatio; quod ſi Ætolici genere ſermonis Sybilla θεοφόλα appellatur, Rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas. Caſſandram quoque & Chryſim, vates Apollinis ac Iunonis, virgines legimus, & Sacerdotes Dianæ Tauricæ innumerabiles extiterunt. Minervam quoque & Dianam Virgines Deas finxit error gentilium, & inter duodecim ſigna cœli, quibus mundum volvi putant, Virginem collocarunt. Claudia Virgo Veſtalis cum in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & Simulachris Matris Ideæ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuam, fertur cingulo duxiſſe navem, quam multa millia hominum trahere nequiverant, &c. D. Hieron. l. 1. adv. Iovin.

In quibuſdam ſacris, mulieres adeſſe prohibentur, vt in Sacrificio Herculis, ſed à lictore clamabatur, hoſtis, vinctus, mulier exeſto, ideſt extrà eſto. Cato. l. de re ruſticâ.

Gentiles Satanæ ſuo, & virginitatis & viduitatis Sacerdotia perferunt: Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant; auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo dracone curantes, de virginitate cenſentur: Acheæ Iunoni apud Ægium oppidum virgo ſortitur: & quæ Delphis inſaniunt, nubere neſciunt: Cæterùm viduas Africanæ Veneri aſſiſtere ſcimus, duriſſimâ quidem matrimonij oblivione allectas, adem-

pro omni contactu vsque ad osculum filiorum. Tertul. l. 1. ad vxor. c. 6.

Romani mense Maïo non nubebant, quia eo mense peragebant expiationes, & lustrationes quasdam. Plut. in Problem. Rom. prob. 86.

In Caulameâ Insulâ subditione Corinthiorum, est Neptuni fanum, in quo Sacerdos fungitur virgo, vsque ad nuptiarum maturitatem; nè puritas etiam voluntate macularetur. Pausan. in Corinth.

Corinthi Veneris templum sola ingreditur æditua mulier, cui viri consuetudine est interdictum, & virgo quæ annuo fugitur Sacerdotio; remotibus victimarum sublatis, cæteras partes juniperi lignis adolent. Ibid.

Hyperborei primitias Apollini Delphos per virgines probatissimas mittebant. Solin. c. 21.

Ægyptij Sacerdotes, ab eo tempore quo Sacerdotium acceperant, mulieribus non se miscebant, vxores, liberos, aut propinquos non videbant. D. Hieron. in regulâ monach. c. de abstinentiâ.

Casta placent superis, purâ cum veste venite.
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Plato in Philœbo dicit, non esse ijs vnquàm mortaliter vivendum, qui Deo sanctificantur, vt dicit Paulus, Membra Christi non sunt facienda membra mereticis; nec Dei templum Idolis prophanandum. In resurrectione neque nubent, neque nubentur, quod etiam spiritualiter intelligendum est. Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 9.

Aiunt athletas propter corporis exercitium, & musicos propter servandam vocis dulcedinem castitatem servasse. Luc. 14. Se excusat à dominico convivio qui vxorem duxit. Induite novum hominem. Ephes. 4. Jejunium ab Ecclesia decernitur, & memoria passionis Dominicæ celebratur die Veneri dicato, ad mortificationem talis passionis. Clemens Alexand. l. 7. stromat. c. 7.

Melius est Proconsulem in Provinciam sine vxore proficisci. l. 2. ff. de offi. procon. tales etiam esse debent milites in expeditione.

Nonnè & nos milites sumus, eo quidem majoris disciplinæ, quò & tanti Imperatoris? Nùm & nos peregrinantes in hoc sæculo sumus? cur ità dispositus est Christianus, vt sinè vxore esse non possit? Nunc & consortium onerum domesticorum necessarium est? Habe aliquam vxorem spiritualem, assume de viduis fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam; bonas nuptias feceris cum tali vxore; has te plures habere Deo gratum est. Sed posteriori tempore non cogitat Christianus, cui crastinum non est, hæredes Dei servus non desiderat, qui seipsum de sæculo exhæredavit. Tertullian. lib. 1. de exhortatione castitatis, sub finem. Habet fratres, habet Ecclesiam matrem: aliud est si apud Christum legibus Iulijs agi credunt, & existimant cœlibes ex testamento Dei solidum non posse capere. Id. lib. de monogamiâ, in fine.

Socrates dicit obstetrices, quæ cæteras fœminas juvant ad generationem, à generatione abstinere.

Gen. 1. Stirpibus dictum est, vt ferant semen secundùm genus suum; è contrario dictum est de luminaribus, fiant, & sint, idest fiant, & non gignant, sed ipsa sint, & sic factum est. D. August. lib. imperfecto de genesi ad litteram. cap. 13. vos estis lux mundi, lucetis sicut luminaria, &c.

Dicitur Gen. 8. Quod intraverunt in Arcam Noë & filij ejus, & vxor ejus & vxores filiorum ejus, seorsim viri, seorsim fœminæ, commemoratæ sunt inquit, D. Augustin. vterque sexus Deo dicatus sit separatus, vt per ipsum mundus salvetur.

Noë offert Deo septimum mundorum animalium scilicet cœlibem.

Apostolus purificationi orationem commendavit, si quotidiè omni momento oratio hominibus necessaria, vtique & continentia, quæ orationi necessaria sit: Oratio de conscientia procedit, si conscientia erubescit, erubescat oratio, &c. Tertullian. in exhortat. ad castitatem. cap. 10.

Si laïcus & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali, Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergò semper carendum matrimonio: Nam vt in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant; non solùm in domibus non erant, sed purificabantur ad tempus, ab vxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare, &c. D. Hieron. l. 1. adv. Iovinian.

Quod autem Sacerdotes semper debeant orare pro populo. *Vide Medium Glor.* Sacerdos orat pro populo.

Virgo Elias, Virgo Elisæus, virgines multi filij Prophetarum. Hieremiæ dicitur: & tu nè accipias vxorem sanctificatus in vtero: captivitate propinqua vxorem prohibetur accipere. Id. de custodia virg.

Si juxtà sententiam Apostoli, non erunt Episcopi nisi mariti, ipse Apostolus Episcopus esse non debuit, qui dixit: volo autem omnes esse, sicut ego sum; & Ioannes indignus hoc gradu æstimabitur, & omnes virgines & continentes, quibus quasi pulcherrimis gemmis Ecclesiæ monilæ decoratur. Id. l. 1. adv. Iovin.

Petrus & cæteri Apostoli, vt ampliùs concedam, habuerunt quidem vxores; sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant; qui assumpti posteà in Apostolatum, relinquunt officium conjugale: Nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Respondit Dominus; Nemo est qui reliquerit domum, vxorem, &c. Ibid.

Ezechiel donec vxor viveret non habebat potestatem populum commonendi, moritur vxor, & conjugale vinculum solvitur, tunc aperitur os ejus, & absque vllâ trepidatione in officio prophetali permansit. Ezech. 24. D. Hieron. ibid.

Episcopus, inquit Apostolus: 1. Tim. 3. vnius vxoris sit vir. Non dicit, eligatur Episcopus, qui vnam ducat vxorem & filios faciat, sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. D. Hieron. lib. 1. adv. Iovin.

Apostoli clericos castitatem docuerunt exemplo, non constitutione. can. omninò, dist. 31. & can. diaconi. dist. 28. Prima constitutio fuit Syricij, qui sedit ab anno Domini 383. vsque ad 398. statuit eos qui promoveri deberent, non tantùm promittere continentiam sed etiam de facto observare, promotos tamen delinquentes non privari beneficio, si pœniterent. A tempore illo Syricij, non licuit in occidentali Ecclesia ad Diaconatum, vel suprà promoveri, nisi promissa continentia, vt can. proposuisti. dist. 82. & can. plurimos eadem. Sed subdiaconibus vsque ad tempus Gregorij licuit. vt can. antè triennium. dist. 31. qui Gregorius sedit anno 590. circiter 200. annos post Syricium. Orientales autem licitè vtuntur contracto matrimonio in sacris ordinibus; sed in illis contrahere non licet, can. quoniam d. 31. & can. aliter. eadem, & cap. cum olim de cleric. conjugat. Sic solvuntur omnes difficultates, ratione temporis & locorum de quibus can. de Syracusanâ dist. 17.

Ancyrana quidem synodus. can. 9. ab hac lege eximit Diaconos qui electi inviti fuerint, & con-

testati

teſtati ſe caſtè non poſſe vivere. Sed Nicæna Synodus. I. can. 3. omnes Eccleſiaſticos miniſtros voluit cœlibes permanere.

Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, anathema ſit. Concil. Trid. ſeſſ. 24. can. 9.

Clerici, vltrà cantorem & lectorem, nuptias contrahere prohibentur; quod ſi contraxerint, ſacerdotio cadunt. Nov. Inſtin. 6. cap. 4. & 12. cap. 42. eadem ſuſpenſionis pœnâ plectuntur. cap. vt clericorum de vit. & hon. cler.

Cauſa hujus Inſtitutionis fuit munditia ſacerdotalis. *De quâ Vide Virtus. Poteſt.* Debet enim eſſe liber, vt omnibus diebus vitæ ſuæ orationi poſſit vacare. Scriptum eſt enim Levit. 11. Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum, Dominus Deus veſter. Et priſcis temporibus: Levitæ ab vxoribus abſtinebant antè ſacrificia. Levit. 11. & Paulus. 1. Corinth. 7. ſcribit, Abſtinete vos ad tempus vt vacetis orationi. Sacerdoribus autem ſemper eſt abſtinendum, quia ſemper orandum, ſemperque ſacramentorum adminiſtrationi ſerviendum.

Reſponderur ad canonem Apoſtolorum, vbi habetur, quod ſit anathema qui docet ſacerdotem vxorem ſuam debere contemnere: quod debet eam contemnere quoad copulam, non verò quoad curam; vndè & Paulus ait, numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi: Sororem id eſt quaſi ſororem, circumducendi, non complectendi, vt ſcilicet mercede prædicationis ſuſtentaretur ab eis. c. quicumque. diſt. 31.

Ad id quod habetur in hiſtoria tripartita, quod Nicænum Concil. ſecundum Panatij orationem, non inhibuit ſacris miniſtris conjugium, quaſi concubitus cum propriâ vxore eſſet caſtitas. Reſponderur quod hoc invaluit in orientali Eccleſiâ, non in Romana.

COELIBATVS SACERdotum.

DEMONSTRATIO.

BONITAS. Sacerdos, vt ait Apoſtolus, eſt diſpenſator myſteriorum, & beneficiorum Dei, vndè quaſi terrenus quidam Deus debet divinam bonitatem, quæ omnibus communis eſt, imitari; vt ſicut Deum invocamus primum boni largitorem, ſic ad ſacerdotem accedamus interceſſorem & largitorem, ſub communi Patris nomine. Ceſſaret autem, aut non præſumeretur hic communis affectus, ſi per conjugium vni eſſet alligatus familiæ: habet ſacerdos inter homines, vt ſol inter planetas, indifferentes, ſed tamen cæteris longè præſtantiores & vivificos influxus. *Vide Magnitud. Volunt.*

MAGNITVDO. Sacerdos dicitur, ex eo quod Deo ſacer eſt, non ſolum per virtutes animi, ſed quaſi holocauſto, etiam per integritatem corporis, quod ideò vt altare chriſmate delinitur, & conſecratur. Vndè ſi res ſacræ ad prophanos vſus non tranſeunt, ſi liberæ ſunt, indignum videtur, Sacerdotem conjugij jugo colla ſubmittere, ad tam humile carnis commercium dejici, & ejus quod totum Deo vovit, partem infirmo ſexui debere.

DVRATIO. Præludebat futuræ Sacerdotum integritati lex antiqua, dum continentiam brevi tantùm tempore & antè ſacrificij oblationes miniſtris præcipiebat; at vbi Chriſtus legem implevit abſolutiſſimæ ſanctitatis exemplo, voluit & ſacri ſui miniſterij ſucceſſores à carnis contubernio penitùs alienos. Mundum hunc viſibilem non debent implere prole corporea, ſed cœleſtem ſpirituali; laborant æternitati, laborant propagandis virtutibus, quæ carni & ſanguini perpetuum indicunt bellum; hujus Duces debitæ officio ſuo fidelitati viderentur deeſſe, ſi tam intimum fœdus inirent cum hoſte, aſſiduis velitationibus conterendo. Si vt ſuprà diximus, in demonſtratione de virginitate, caſtitas offert Deo innumeras in prole naſci poſſibili vitas: ingens hoc ſacrificium maximè decet Sacerdotes, vt præſtantiſſimum; & quia mundo mortui ſunt, in potentias Domini admiſſi, illos etiam Reſpublica Deo offerens, vt laudi ſuæ in perpetuum dicatas victimas, cenſetur renunciare ſperatæ ex illis proli. *Concord. Volunt. De votis publicis.*

POTESTAS. Antiquæ legis ſacerdotes matrimonio juncti, nihil poſſidebant cum populo, ſed victus illis erat ex decimis & oblationibus. Nunc vbi Divinæ providentiæ viſum eſt, Eccleſiæ, vt de mundo, de hoſtibus ſuis triumphanti divitias ad Imperij majeſtatem, & potentiam concedere: de quo *Magnit. Poteſtat.* Convenientiſſimum videtur Sacerdotes eſſe cœlibes, ne conjugati bona divinis officijs deputata in familias, prolemque ſuam tranſferrent, nè dignitates non virtutibus, ſed ſanguini conferantur, & quod abominatur Propheta, incipiat Dei ſanctuarium jure hæreditario poſſideri.

COGNITIO. Sacerdotes dicuntur filij lucis & lux mundi; lux autem ex corpore emanans, nihil videtur habere corporei, etiam dum corporeis præſidet, pura ſemper, illibata, impermixta; imitentur ergò & ſpiritum Domini, & lucem in ipsâ mundi origine aquis incubantem, & ex elementorum confuſione formas, ordinem, pulchritudinem caſtâ fœcunditate educentem. Sacerdotis munus eſt populum docere. *Poteſt. & virtus Cogn.* At ſtudijs & contemplationi ex aptiſſima eſt caſtitas. *Vide ſup. hoc tit. de cœlibatu init.*

VOLVNTAS. Amor prolis à naturâ inſitus, non expectato rationis conſilio rapit mentem, & varijs ægriſque exagitat paſſionibus. In hoc tumultu, difficile foret ſacerdotibus percipere Dei, in intimo loquentis voces populo deferendas, noſſe, quæ ſit ejus voluntas bona, & beneplacens, cognitam implere, ætatem, patientem, benignam, in omnes effuſam habere charitatem.

VIRTVS. Cùm ſacerdos debeat cæteris eminenti virtute præfulgere. *Vide Virtus Poteſt.* abſurdum eſſet, eximiam inter cæteras virtutem illi deeſſe, & quam vt maximè operoſam, Angeliſque propriam, populus ſuſcipit: Quàm prophanum eſſet videre, ex vxoris amplexibus aſcendentem ad altare ſacerdotem? quam abſurdum, Crucis Chriſti prædicatorem & miniſtrum, carni, & ex carne peccato per crucem diſtructo eſſe indulgentem, aſſidentem habere voluptatis ſuæ carnalis ſociam, & ne quis ambigat, etiam prolem, fœdæ ejus rei publicum teſtem. Perſonis Deo dicatis potiſſimùm data Evangelicæ perfectionis conſilia; non poſſent ſervari ſine caſtitate; Non obedientia, qualis enim ſinè capite, & ſinè ſui juris Patrefamilias, domus. Non paupertas, infirmo ſexui crudelis, & quæ naſcituram prolem exponens in legem naturæ peccaret, hoc ſub larvâ pietatis latente patricidio.

VERITAS. Sacerdos lex eſſe debet animata, non pœnarum metu, ſed integritatis ſplendore populum

ad ſui cogens imitationem. *Vide Concord. Poteſt. Re-* A
ctores populus imitatur, lex autem eſt incorporea, abſtra, ſinè paſſione, ſinè ſingularium affectu. Major eſt in peccatorum maximè turpium confeſſione pœnitentia, cum peccator provolvitur pedibus ſacerdotis, quem putat a talibus penitùs alienum : facilis enim abſolutor alieni, conſcius ſui. Cum vir & mulier conjugati vnum ſint mutuâ ſecretorum & cordium conſenſione, vulgatum eſt apud Anglos, etiamſi admitterent in ſuâ Eccleſiâ confeſſionem auricularem, illam tamen ſe non facturos miniſtris conjugatis, quia videretur dici vxori quod diceretur marito.

Gloria. Conceſſo conjugatis ſacerdotio illuſtribus, non juſtioribus familijs addiceretur. Fieret vt B
olim inter paganos, nominis ornatus, familiæ titulus, reique civilis ſplendidum acceſſorium. Sic habita Religio vt inſtrumentum politicæ, contrà eſſentiale ſuum inſtitutum, ambitioni, & cæteris quæ profligare debet vitijs, turpiter ſervire cogeretur.

Differentia. Dum Angeli legatione divina ad nos funguntur, Principis ſui majeſtatem miro ſplendore referunt; at paſſim in ſanctis ſcripturis Sacerdotes dicuntur Angeli, qui non veſtium, ſed virtutum illuſtri decore debent diſtingui à cæteris, ne ex prophetæ maledicto veniant in contemptum, ſi ſit, vt populus ſic ſacerdos. Latent cæteræ virtutes, aut tantùm ex occaſione emicant; fulgentior perpetuaque eſt caſtitatis lux : cœlibem enim nemo eſt qui neſciat, & qui non veneretur. C

Concordantia. Viri & vxoris vna eſt caro, vna perſona igitur ſi in ſacerdotium promovetur conjugatus, ſimul admittere videtis mulierem ſuis partem indiviſam, & ac communione polluitur divini miniſterij majeſtas. Multa in conjugatorum familijs creduntur fieri vxoris, aut ſi'iorum conjurata nequitia, quàm contumelioſum eſt; quod ex multorum relatione diſcimus, apud Græcos ſchiſmaticos, ſacerdotum vxores turpiter de ſacramentorum adminiſtratione negotiari. Optimum eſt his aut criminibus, aut ſuſpicionibus vacari ſacerdotem, vt ſit omnibus pa- D
tens quædam vrbs refugij & vt Deo communibus populi votis oblatus, ſingulorum in omnido defectum caſtitatis, ſuâ quaſi publicâ ſuppleat.

Contrarietas. Bona fortunæ tot hoſtes impetant, vt ad eorum defenſionem variæ ſint ſtationes conſtituendæ : Civilia civilibus occupati miniſterijs tractent : Eccleſiaſticis rebus ſervandis invigilent Eccleſiaſtici, ſi enim hæc duo ſimul confundas, negligentur quæ minùs erunt propria, earumque periculis protegentur res domeſticæ. Integræ, nec diviſæ debent eſſe ſacerdotis vires, vt potentiùs profligare poſſit vitia, hæres, alia pietati Chriſtianæ infenſiſſima monſtra.

Principium. Læderetur Patris Sacerdotis integritas prolis degeneris vitio, quod olim Eli ſummo ſacerdoti imputatum eſt. Sacerdos Mater eſt quodammodo Chriſti, quem quotidiè parit ſacris altaribus, vndè Matris virginis integritatem, debet, vt poteſt, imitari. Pater ſpiritualis dicitur, quia noluit eſſe carnalis; ſic rectè contentit eum Eccleſiâ, quæ ſimul eſt virgo & mater. *Vide ſup. hoc tit. de virginitate.*

Medium. Cum ſacerdos medius ſit inter Deum & homines, plùs habere debet de Divinis quàm de humanis, vt humana ad divina transferat : Igitur ſibi imperet continentiam ejus rei, quam neceſſario natura non exigit. Si media debent eſſe agentibus, & rebus agendis reſpondentia, agni immaculati animarumque ſacro iſtius ſanguine purificatarum miniſtrare, purus & immaculatus eſſe debet. *Vide Concord. Medij.*

Finis. Serviat. plebs corpori, & per prolis generationem det publicum humanæ mortalitatis argumentum : ſacerdos autem in meliorem ſortem aſſumptus agat partes animæ rationalis, ſpiritualis, immortalis, quæ ſic vt angelus non indiget generatione : Deo aſſiſtens præveniat futuræ gloriæ indeficientem ſtatum, & vitæ ſuæ integritate præferat ſpem reſurrectionis, in quâ neque nubent, neque nubentur.

Maioritas. Qui digniora geſſerunt officia non coguntur minoribus incumbere : Turbe & inhoneſtum à divinis Religionis officijs ad vile carnis commercium dejici. Cariophilata & aliæ ſimiles plantæ cum duplicatos edunt flores ſemine carent : ſic natura communem propagationis vim abundantiùs eximiâ pulchritudine compenſat.

Æqualitas. Sacerdos agit in perſonâ Chriſti dùm abſolvit, dùm conſecrat, & alia conficit ſacra myſteria : Igitur eſt in ſacerdote Chriſtus, qui in ſacerdote agit, & loquitur : Caſtus ergò ſit ſacerdos, ne prophano carnis commercio lædat caſtum inhabitantem Chriſtum, qui noluit niſi caſtis viſceribus, munda ſyndone, novo ſepulchro contineri : Itaque caſtitatem exigit in ſacerdote, non tantùm caſtiſſimi magiſtri imitatio, ſed ipſius quædam præſentia, & ſi dici poteſt identitas.

Minoritas. Semper pro populis oraturi, ſemper miſerorum perſonam acturi, pœnitentium, ſemper ab omnium imprudentiſſima voluptate debent eſſe alieni : Non enim impunè huic cupiditati fræna laxantur, ſævit libertati ſuæ ſemel reddita, nec deinceps modum accipit à regnante pietate : facilis deſcenſus Averni : proni in lapſum difficilè reſiſtimus! &c.

Et hæc dicta ſint de principijs abſolutis ad Dei Patris luminum gloriam.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

12-34-H-4

1155

INDEX
RERVM MAGIS NOTABILIVM
VTRIVSQVE TOMI.

A

ABdicatio filiorum eſt contra naturam. tom. 2. 606.733. col. 2. c. 759. in fine. 761.
Abdicare & exhæreditare parentes. tom. 2. 764. col. 2. e.
abdicare patriam. to. 2. 940. in fine.
abdicationem omnimodam terrenorum Chriſtus conſulit. tom. 1. 1163.
Aberrationes naturæ. Vide monſtrum.
Abnegatio ſui. Vide mortificatio.
Abolitio criminis. tom. 2. 516. col. 2. d.
Abortus vnde procedit. to. 1. 77. col. 1. b. 78. col. 1. b. 98. b. c. d. 100. b. 818. d. col. 2. b. tom. 2. 766. & ſeq.
abortum provocare non licet. tom. 1. 78. col. 2. b. to. 2. 762.
abortum impedientia. 204. col. 2. in fine. 205. a.
Abſentia, rei deſiderium auget. tom. 1. 120. e. 671. col. 2. e.
veram non minuit amicitiam. to. 1. 566. col. 2. d. e.
ſæpè minuit affectus. tom. 1. 175. b. & eſt amoris remedium. to. 1. 653.
abſentia rei amatæ torquet & eſt mors diuturna. to. 1. 622. 750. col. 2. tom. 2. 109.
de abſentia ſponſi dolent contemplantes. to. 1. 614. 953. col. 2. c.
abſentes poſſunt & debent ab omnibus deffendi. to. 1. 344. a. 696.
abſentes Reipublicæ cauſa qui cenſeantur. tom. 2. 36. col. 2. b.
Abſolutio pœnitentis ordinariè non differenda. tom. 1. 21. d.
Abſtinentia vide jejunium.
abſtinentiæ laudes. to. 1. 1173. to. 2. 880. d.
abſtinentia quantum profit. to. 1. 947. col. 2. c. 1173.
abſtinendum à nimio cibo. to. 1. 1174. col. 2.
à cibis lautioribus. to. 1. 1175. Vide convivium.
abſtinent à cibo quædam animalia. to. 2. 886. col. 2. d.
Abundantia nimia nocet. to. 1. 83. col. 2. b. 97. d. col. 2. a. & ſeqq. 360. d. tom. 2. 879. & ſeqq.
Academici negant dari ſcientiam. to. 1. 501. d. 994. col. 2. d.
Acceptilatio quid ſit. to. 1. 109. col. 2. b. to. 2. 516. col. 2. e.
Acceptio perſonarum quid ſit. to. 1. 696. b.
eſt illicita. Ibidem. & 692. to. 2. 1012. col. 2.
non eſt apud Deum. to. 1. 690. col. 2. c.
quando licita. to. 1. 673.
Acceſſorium ſequitur naturam principalis. to. 1. 119. a.
accеſſorium ſuo principali deterius. to. 2. 784.
Acclamatio quæ fiebat Imperatoribus. to. 1. 292. a. col. 2. d.
Accreſcendi jus. to. 1. 117. col. 2. a. 152. a.
accreſſionis cauſæ. to. 1. 135. to. 2. 1002. 1005.
accreſſio quomodo fit. to. 1. 139. col. 2. d. 186. col. 2. e.
accreſſioni & augmentis quæ ſint contraria. to. 1. 134. a. b. 135. col. 2. to. 2. 1000.
accreſſioni & augmentis poſitus terminus. to. 1. 138. d.
Accuſationis in Republica vtilitas. to. 2. 1065. col. 2. c.
accuſatio falſa ſub ſpecie veri. to. 2. 241. col. 2. b.
accuſare quando licet omnibus. to. 2. 298. d.
accuſatori minus quam reo favetur. to. 1. 720. to. 2. 549. c. d. e.
Acquiſitionis varij modi. to. 2. 1005. col. 2. d.
Actio. Vide opera.
actionum naturalium diverſitas vnde procedit. to. 1. 333. col. 2. e. 340. col. 2. c.
activa vis vnde procedit. 332. & ſeqq.
actio quiete præſtantior. to. 1. 1141. col. 2. d. & ſeq.
actio imputatur principali agenti. to. 2. 686.
actio judiciaria multiplex. to. 2. 451. a.
actiones juris perpetuæ, & quæ præſcriptione non tolluntur. to. 2. 301.
actio in diſtans. to. 2. 878.
actio publica ad quam omnes admittuntur. to. 1. 229. col. 2. e. 327. col. 2. c. 328. d.
actionum noſtrarum convenientia cum planetarum motibus. to. 2. 51. col. 2. d.
actio contemplationi mixta. to. 1. 296. & ſeqq. 854. d. 965. col. 2. c. 1130. 1133. & ſeq.
actionem quæ impediant & vitient. tom. 1. 330. col. 2. c. 331.
actiones formales. to. 1. 300. col. 2. c.
agens agit ſibi ſimile. tom. 1. 313. tom. 2. 734. & ſeq. multis.
agere ſeipſo. to. 1. 346. & ſeq. to. 2. 886. col. 2. & ſeq.
agere cenſetur qui per alium agit. to. 1. 611. col. 2. d.
Adeps quid conferat corpori. to. 1. 361. d.
Admiratio quid ſit. to. 1. 425. c. 446. e. 473. col. 2. e. 501. c.
Admonitio omnibus neceſſaria. to. 1. 465. col. 1. e. 991. col. 2. & fine.
tenemur proximum monere. to. 1. 945. 948.
admonitio varia pro qualitate perſonarum. to. 2. 454. col. 2. e.
admonitio blanda & lenis. to. 1. 727. col. 2. c. 991. col. 2. in fine. tom. 2. 503. 882. e. 1123. col. 2. e.
ſit conſtans. to. 1. 7. col. 2. a. 729. & ſeq. 1037. col. 2. c
grato animo ſuſcipienda. to. 1. 997. to. 2. 1068. a.
præcedat vindictam. to. 2. 337.

by Google

Adoleſcens. Vide Iuvenis.
ab adoleſcentia virtuti incumbendum. to. 1. 731. col. 2. 767. col. 2. c.
Adoptio naturam imitatur. to. 1. 817. col. 2. d. to. 2. 55. col. 2. b.
non debet eſſe ad tempus ſed perpetua. to. 1. 8. col. 2. c.
Adverſitas homini neceſſaria. to. 1. 97. c. 330. d. tom. 2. 274. 349.
Purgat animum. to. 2. 405. 1129. col. 2. b.
Probat virtutem. to. 1. 744. col. 2. a. to. 2. 481. perficit. 412.
dat excellentiam & gloriam. to. 1. 760.
adverſis quare juſti premuntur. to. 2. 415.
adverſitates maximæ. to. 2. 522.
dejiciunt interdum animos. to. 1. 775. b.
in adverſis Chriſtiano quid agendum. to. 1. 745.
de adverſis fortiter tolerandis. Vide conſtantia.
adverſa quando licet optare. to. 2. 391. & ſeq.
ordinariè non ſunt optanda ſed toleranda. to. 2. 398.
adverſis quæ finem imponunt. to. 2. 519.
Adulatio placet amori proprio, licet fallat, & latens ſit venenum. to. 1. 320. col. 2. d. 321. 1101. col. 2.
quæ permiſſa. to. 1. 660. b. 1046. d.
adulatio ſacrilega. to. 1. 60. col. 2. a. 321. col. 2. b.
adulatio nocet potiſſimum rectoribus. to. 1. 282. col. 1. in fine. 320. col. 2. c. & ſeq. 1031. c.
adulatores aulici. to. 1. 321. c. col. 2. a. Vide aulici.
Adulterium grave crimen. to. 1. 1181. & ſeq.
ejus pœna. to. 1. 1181. c. & col. 2.
tam viro, quam mulieri prohibitum. to. 1. 700.
an poſſit committi ab vxore, cum viri conſenſu. to. 1. 1183. col. 2.
adulterini nihil habent in bonis paternis præter alimenta congrua. to. 2. 610. col. 2.
adulteræ probandæ modus. to. 1. 1032. & col. 2.
Aduocatus quantæ ſit vtilitatis & dignitatis. to. 1. 1123.
alteri bonum procurat. to. 1. 90.
advocati privilegia. tom. 1. 445. col. 2. b. d.
Ædificiorum ornatus licitus. to. 1. 820. to. 2. 604. col. 2. d.
nimius luxus. to. 1. 99. d. 820. c. 1147.
Ægri falli poſſunt innocenter. to 1. 602. col. 2.
ægri ad Deum converſio an cenſeatur vera. to. 1. 612. col. 2. d. 613. b. Vide morbus.
Æmulatio bona. tom. 1. 966. b. 968. d. 1085. a. to. 2. 238. col. 2. b. 974.
æmulos non timet ſed optat amor divinus. to. 1. 596. b.
æmuli delentur. to. 1. 364. col. 2. d. e.
æmuli non ſibi cedunt. to. 1. 378. c.
æmulatio principis timenda. to. 1. 1085. c.
Ænigmata in ſacris. to. 1. 539.
Æqualitas naturæ amica. to. 2. 1011.
duobus modis habetur. to. 1. 381. col. 2. in fine.
eſt in omnibus quantum decet, ſervanda. to. 1. 112. a. 695. col. 2. c.
æqualitas perpetua. tom. 1. 118. col. 2. b. to. 2. 1013. & ſeq.
æqualiter ſe habentia ſunt potentiora. to. 2. 1017.
æqualis reſiſtentia actionem impedit. to. 1. 332. col. 2. b. to. 2. 536.
æqualitas membrorum comparium. to. 1. 142. a.
æqualitas in adverſitate ſolatium eſt. to. 2. 543.
æqualitatis cauſæ. to. 2. 1041.
æqualitas mediata. to. 2. 1045.
æqualitas nociva. to. 1. 369. b. 1106. & ſeq.
æqualitas crudelis. to. 1. 142. d.
æqualitas qualis eſſe debet in Republica. to. 1. 223. b. 226. c.
honoris & præmij. 1150. c. d.
in Æquinoctio verno mundus creatus & redemptus. tom. 1. 831. col. 2. c.
Æquipollens quando recipitur. to. 1. 344. b.
Æquitas legem temperat. to. 1. 248. col. 2. d. 463. a.
æquitas in quo conſiſtit. to. 1. 459. c.
Aër omnibus beneficus. tom. 1. col. 1.
quid conferat in mixtis. to. 2. 50. 51.
rebus omnibus conformatur. to. 2. 134. d.
Ærarium publicum. to. 1. 205. c.
Æſtimatio rerum qualiter facienda. tom. 1. 439. c. col. 2. b.
æſtimatio non vera. to. 1. col. 1. 685. b.
æſtimatio cedit loco rei. to. 1. 109. c. col. 2. c.
Ætas quomodo cognoſcitur. to. 1. 177. b. c. d. col. 2. d.
in diverſis eſt diverſa. to. 1. 192.
variat affectus. to. 1. 628. d.
ætas legitima nubentium. to. 2. 147.
ætates vitæ ſpiritualis. to. 1. 965. d.
Vide juventus. Senectus.
Æternitas quid ſit. to. 1. 157. col. 2. b. 221. b.
ſoli Deo competit. to. 1. 187. col. 2. c.
æternitas Dei in mundo repræſentata. to. 1. 824. b.
æternitas gloriæ. to. 1. 1068.
æterna pœna damnatorum. to. 2. 311.
Affabilitas ad omnes quibus ſalva virtute conſentiendum. to. 2. 1341
Affectatio. Vide hypocriſis, pigmenta, ſimplicitas.
affectatio nimia ſit indecens. to. 1. 97. col. 2. c. 98. col. 1. a. b. col. 2. d. 511. col. 2. c. d. 514. c. 875. col. 2. to. 2. 891. c. & ſeq.
Affectus. Vide amor, appetitus, paſſio.
affectus per externa ſigna manifeſtantur. to. 1. 497. d. 596. 597.
affectuum in homine diverſitas. to. 1. 627. 628.
affectus varij ſunt ſecundum ætates. to. 1. 628. d.
affectus nimij ſunt mitigandi. to. 1. 685. 1055. col. 2. b.
Affinium & conſanguinorum amor. to. 1. 101. b. 915. b. to. 2. 1028. & ſeq. Vide conſanguinei, frater.
affines cæteris ſunt preferendi. to. 1. 671. a. d. 672. col. 2. a. 673. col. 2. a.
affinium diſcordia & odia. to. 2. 1039. & ſeq.
Afflictio. Vide adverſitas, malum.
afflictio non eſt danda afflicto. to. 2. 533.
Agentia neceſſaria. to. 1. 188. b.
agens quale potentius. to. 1. 365. col. 2. c.
Aggredi hoſtem an ſit melius. to. 1. 216. col. 2. b. & ſeq. 218. a. to. 2. 342. col. 2. b. 343. col. 2. c.
Agriculturæ laus. to. 1. 106. c. 1133. c. 1142. col. 2. c. ſecuritas. to. 2. 886. col. 2. c. ſollicitudo. to. 1. 1135. col. 2. a.
privilegia. to. 1. 65. b. 67. c. 220. b.
illi non nocendum. to. 1. 78. c.
bellum parcit agricolis. to. 2. 501. c.
agricolæ faciunt partem civitatis. to. 1. 300. c.
Albus color cæteris præſtat, to. 1. 392. b. 828. a. 1147. c.
ſignificat puritatem. to. 1. 717. col. 2. c. 810. c.
albus color fallax. to. 1. 58. col. 2. d. 59. c. col. 2. d. & in fine. 493. col. 2. a.
Alea delectat & nocet. to. 1. 549. a. to. 2. 402.
eſt prohibita. to. 1. 240. a. 548. col. 2. to. 2. 402.
Alexandri ſuperbia. to. 1. 807. col. 2. c. 808. b.
Alienatio bonorum quibus prohibita. to. 1. 338. 339. & ſeq. 353. col. 2. a. 380. col. 2. in fine.
Alienis non ſe immiſcere negotijs. to. 1. 529. & ſeq. 682. c.
Alimenti nomine quæ continentur. tom. 1. 205. c. col. 2. c.
